BIBLIOTECA NAZIONALE DI TORINO
L.
IV. 40.

Digitized by Google

L. III. 10.

Digitized by Google

Digitized by Google

JUS CANONICUM
NOVA METHODO EXPLICATUM,
OMNIBUS CAPITULIS TITULORUM
PROMISCUE, ET CONFUSE POSITIS, IN ORDINEM DOCTRINÆ DIGESTIS.

Reſpondens Libro quarto Decretalium,

IN QUO DE SPONSALIBUS, ET MATRIMONIIS
ET QUÆ ANNEXA SUNT, AGITUR, EADEMQUE PLENE, ET THEORICE
EXPLANANTUR, ET DECLARANTUR.

ADDITUS EST, PRÆTER SYNOPTICUM ET METHODICUM,
ALIUS INDEX ALPHABETICUS A PLURIBUS DESIDERATUS.

A U C T O R E


R. P. ERNRICO PIRHING

SOCIETATIS JESU THEOLOGO, SS. CANONUM

IN ALMA, CATHOLICA, ET EPISCOPALI UNIVERSITATE
DILINGANA PROFESSORE EMERITO.

T O M U S   Q U A R T U S.

EDITIO NOVISSIMA.



V E N E T I I S,

M D C C L I X.

Ex Thipographia Remondiniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO ET CELSISSIMO
S. R. I. PRINCIPI,
DOMINO, DOMINO
SEBASTIANO EPISCOPO,
PASSAVIENSI, COMITI DE POTTING
BURGRAVIO HÆREDITARIO
IN LIENZ &c.

DOMINO AC PRINCIPI SUO CLEMENTISSIMO.

COnnive, Clementiſſime Princeps, *ut exiguus Meæ Canonicæ Lucubrationis Rivulus maximorum fluminum naturam, a Divino eloquio collaudatam imitetur, ut ad*, locum unde *initio* ortus *eſt*, *ultimo* revertatur. *Vagabantur priores Tomi mei velut undæ Viatrices procul a termino, per varias terras, qua me peregrinari contigerat, alluebantque præſidii quærendi cauſa diverſos Portus, non tamen alios, quam quos præfixæ Infule ſpondebant Pontificiis Juribus fore tutos, & tutatores: Solus iſte liber meus Patriam & Te*, Celſiſſime Præſul, *non aliter*, *quam* Suum Mare *reſpiciebat; Illuc ruebat, unde fluere in Scriptore Suo didicerat incepiſſe. Sic ſe Fluvii, ſi non Nomen ob exilitatem, ſaltem indolem glorioſo in ſuam Scaturiginem refluxu indepturum. Nam Nominatiſſimam Diœceſin Tuam Paſſavienſem*, Domine ac Princeps Clementiſſime, *Terrarum ſub Tuo Pedo ſitarum amplitudine vix uni inter Theutonicas: Nominis vero, & dignitatum magnitudine nulli ſecundam, mibi Natalem eſſe: Tuam autem Magnificam Sedem Paſſavium Studiorum meorum prima incunabula agnoſco. In Terra Tuâ primam auram in domeſtico Tuo Triurbio primam litteraturam hauſi; Utrumque pelagus illud eſt, unde Ego, & mea Scaturivimus. Admitte proinde* Clementiſſime Princeps, *Has Guttulas meas, in Suam Originem refundere ſe paratas, non ut iterum fluant, ſed ut Fonti ſe ſiſtant, Ortui non ingratas, ibique quietem, ac velut in Originis Domicilio tutiſſimum aſylum & præſidium reperturas. Quæ ratio, præter alias, quas reperire facile foret, tametſi me defeciſſet, aliam tamen, & quidem Palmariam, cur huic Libro Celſiſſimum Nomen Tuum inſcribere auderem, & deberem, materia ſuppeditaret. Matrimonium eſt, quod tractatur, id Tuo ſacro Tribunali debetur; nam nuptiales cauſas nonniſi Infulto Foro addixit Romanus Legislator. Et quamvis iſta Connubialis Jurisdicendi poteſtas Tuæ* Celſitudini *videri poſſit communis cum aliis mitratis Verticibus: momento tamen multum præpollente, Tibi peculiarem fecit Summi* Imperatoris *Tuis Maximis meritis commenſus Favor. Tuum proprium dico eſſe Magnum Matrimonii Sacramentum, qua aras ſpectat, ſicut aurum Arabiæ eſt, non quia alibi nullum, ſed quia ibi præſtantiſſimum. A potiore Philoſophus nomen impertit. Ad te pertinere in ſacris Connubiorum potiſſimum, qui ambigit, vel neſcit Auguſtiſſimi Leopoldi cum Auguſtiſſima Eleonora Magdalena ante biennium initum eſſe Hymenæorum omnium, quos Sol arridens videt, phœnicem, vel negat id eſſe Tuum? Quorum illud utriuſque Majeſtatis eſt impia contemeratio, quia eadem menſura nuptorum eſt, quæ nuptiarum:* Iſtud *injuria Tuæ* Celſitudinis. *Quis enim impune dixerit, non eſſe Tuum, quod in Tuæ Latiſſimæ Hierarchiæ, Utrique Auſtriæ, & ex parte, ipſi* Im*peratoriæ Viennæ dominantis ſolo fortunatiſſime crevit. Tuum eſt illud Fœdus Nuptiale, quia in Epiſcopali Sede Tua, in Tua, inquam, hoc etiam nomine beatiſſima Paſſavienſi Tripoli, quin in intimis Tuæ Cathedræ Sacris penetralibus ſanctiſſime coaluit, Tua Celſiſſima Præſentia tribuente eam, ſine qua ex Tridentino Oraculo ſtare non poterat, Parœcialem auctoritatem. Tua ſacratiſſima dextera, qua ſub panis velo tunc Numen præferebas, bene precando, impertiente illam fertilitatem, qua nunc Mundus Tecum triumphat.*

Reddo itaque, quod tam alto, tam vario Jure Tibi vindicas Matrimonium, & quidem eo tempore (quod in capite meæ felicitatis pono) quo ex eadem Matrimonii fauſtiore, quam illa Danielis arbore; a Te plantata colligis Pomum Imperiale Filium accreſcentem Joſeph, *deſideratiſſimum Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ Delicium, Germaniæ labantis fulcrum, Imperii Romani columen, & quidem abeneum & ſtabile.* Ita *Natalis S. Anna, id eſt, Gratia, (nam Dei Dona pœnitudinem neſciunt,) jubet ominari. Tanti Boni radicem Tibi,* Clementiſſime Princeps, *dedico Matrimonium. Quod ſi Gratioſiſſimo oculo aſpexeris, atque Humaniſſima, & Pontificali manu Tua fueris dignatus; credam me Labores meos feliciter finiviſſe, & venam calami mei in Originarium Oceanum ſuum ex decore, & debito reduxiſſe. Vive, & perenna* Clementiſſime præſul, *atque hoc umbratili Matrimonio meo ita fruero; ut Vero illo, & Auguſtiſſimo, ejuſque Præſente, & futuris Fructibus, in longiſſima Tua, ac Tuorum incolumitate diutiſſime læteris. Dilingæ ipſo ſolenniſſimo Feſto Glorioſiſſimæ Virginis in cœlum aſſumptæ, Anno M. DC. LXXV*III.

REVERENDISSIMÆ CELSITUDINIS TUÆ

Servus Obſtrictiſſimus
ERNRICUS PIRHING
SOC. JES.

INDEX ALPHABETICUS
TITULORUM
LIBRI QUARTI DECRETALIUM.

		Titulus		*Pagina.*
DE Clandeſtina deſponſatione	III.	34.	&	170.
Conditionibus appoſitis in deſponſatione, vel in aliis contractibus.	V.	42.	&	122.
Cognatione legali	XII.	66.	&	126.
Cognatione ſpirituali.	XI.	60.	&	125.
Conjugio leproſorum.	VIII.	56.	&	124.
Conjugio ſervorum.	IX.	57.	&	125.
Conſanguinitate, & affinitate.	XIV.	71.	&	127.
Deſponſatione impuberum.	II.	69.	&	119.
Divortiis.	XIX.	97.	&	132.
Donationibus inter virum, & uxorem, & de dote poſt divortium reſtituenda	XX.	106.	&	134.
Eo, qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ, vel ſponſæ.	XIII.	67.	&	127.
Eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.	VII.	52.	&	124.
Frigidis, & maleficiatis, & impotentia coeundi.	XV.	80.	&	129.
Matrimonio contracto contra interdictum, Eccleſiæ.	XVI.	85.	&	130.
Natis ex libero ventre.	X.	59.	&	125.
Qui Clerici, vel voventes matrimonium contrahere poſſunt?	VI.	47.	&	123.
Qui filij ſint legitimi?	XVII.	87.	&	130.
Qui matrimonium accuſare poſſunt, vel contra illud teſtari?	XVIII.	95.	&	132.
Secundis nuptiis.	XXI.	112.	&	135.
Sponſa duorum.	IV.	40.	&	122.
Sponſalibus, & matrimoniis.	I.	1.	&	115.

LIBER

LIBER IV. DECRETALIUM.

Actum eſt in Libro III. præcedente de iis, quæ ſpectant ad Clericos ſæculares, & regulares, ſequitur, ut nunc agatur etiam de iis, quæ ſpectant ad ſtatum laicorum, adeoque de Sponſalibus & Matrimoniis, eiſque annexis, quia plerique laici in ſtatu conjugali vivunt, vel ad eum tendunt. Continet autem hic Liber materiam perutilem quoque, ſed & perdifficilem: nam cauſæ matrimoniales numerantur in Jure inter cauſas graves, & arduas, ideoque Conſiſtoria ac Tribunalia Judicum Eccleſiaſticorum frequentiſſime occupant, ut praxis teſtatur.

TITULUS I.

DE SPONSALIBUS, ET MATRIMONIIS.

SECTIO I.

DE SPONSALIBUS DE FUTURO.

I.

Sponſalia a ſpondendo dicta ſunt, *l. 2. ff. De Sponſalibus*, quia mos erat antiquis, ut puella nuptura promitteretur viro a parentibus, tutoribus, vel amicis, ſub quorum cura, & poteſtate erat, *Sanch. l. 1. de Sponſ. diſ. 2. n. 1.* Accipiuntur vero Sponſalia tripliciter. 1. Minus proprie, pro arrha & muneribus, quæ a ſponſo ſponſæ dabantur. 2. Pro matrimonio rato, & nondum conſummato: quomodo Matth. 1. dicitur: *Cum eſſet deſponſata Maria Mater JESU Joſeph*, cum tamen paulo poſt conjux Joſeph appelletur. Et hæc dicuntur Sponſalia de præſenti. 3. Magis proprie, & uſitate, ſponſalia accipiuntur pro futuri Matrimonii promiſſione, & ut ſic ſunt præambulum quoddam Matrimonii, quæ eſt acceptio hujus loci propria, & dicuntur Sponſalia de futuro.

§. I.

Quid ſint Sponſalia, & qua forma, ſeu modo contrahantur?

II. Aſſertio I. Sponſalia ſunt *futurarum nuptiarum mentio, & repromiſſio*, prout definiuntur in *l. ff. de Sponſ. & c. Noſtrates, 3. cauſ. 30. q. 5.* Ubi notandum 1. hæc promiſſio non debet eſſe mere interna, aut mente ſolum interius concepta, ſed per verba externa, aut aliquod aliud ſignum manifeſtativum conſenſus interni debet eſſe expreſſa, Sponſalia enim numerantur inter contractus humanos, qui ultro citroque obligationem pariunt: ad hoc autem ſola intentio non ſufficit, ſed neceſſarium eſt illam verbis, vel ſignis aptis explicari, ut unus contrahens alterius animum intelligat, intentio enim mente retenta nihil operatur in humanis contractibus, *l. Cum in plures, 60. §. Locator, ff. Locati*, ac proinde qui libere aliquid promiſit alteri, actu mere interno, poteſt id revocare, ante acceptationem alterius, *Sanch. cit. l. diſ. 3. nu. 5.* Porro promiſſio interna matrimonii contrahendi facta Deo per modum voti, niſi aliis circumſtantiis veſtiatur, eſt invalida, nec poteſt eſſe materia voti: hoc enim eſt promiſſio melioris boni: matrimonium autem inferius bonum eſt, quam cœlibatus, juxta *Concil. Tridant. Seſſ. 24. de Sacramento Matrimonii can. 5.* a quo impedit, *Sanch. cit. l. 1. diſ. 4. n. 2.*

III. Notandum 2. Ad ſponſalia requiritur promiſſio non ſimplex, ſed mutua, ſive reciproca, ad quam proinde non ſatis eſt, ut una pars acceptet promiſſionem alterius, ſed inſuper requiritur, ut altera repromittat, ſive ſe viciſſim ad matrimonium ſuo tempore contrahendum obliget. Unde ſi Paulus Annæ promittat matrimonium, non gratis, & per modum liberalis promiſſionis, ſed reſpective, & per modum contractus oneroſi, & reciproci, ſive animo contrahendi Sponſalia; Anna vero promiſſionem quidem acceptet, ſed ſine propoſito repromittendi, & viciſſim ſe obligandi Paulo, neuter obligatus erit ad matrimonium in foro conſcientiæ. Non Anna, quia hæc non voluit ſe obligare Paulo acceptando promiſſionem illius, ſed hunc tantum ſibi obligatum habere: actus autem agentium non operantur ultra intentionem eorum, *l. Non omnis, 19. in princ. ff. de reb. credit.* Neque etiam Paulus obligabitur, quia Sponſaliorum contractus eſt reſpectivus, & reciprocus: ſive ultro citroque obligatorius, ut patet ex ejus definitione, *cit. l. 1. ff. de Sponſ.* Ubi Sponſalia dicuntur *repromiſſio futurarum nuptiarum*, adeoque non poteſt claudicare, ſed ex una tantum parte contrahentium obligare, ſed antequam utraque pars, & ſponſus, & ſponſa, ſe obliget, nondum eſt contractus perfectus, per conſequens poteſt altera pars libere reſilire; eſt enim promiſſio ſuapte natura conditionalis, continetque implicite hanc tacitam conditionem: *promitto tibi, ſi & tu repromittas*, adeoque non altero repromittente, & ſe viciſſim obligante, nulla conſurgit ex priore promiſſione obligatio, *Sanch. cit. l. 1. diſ. 5. n. 10. & ſeqq. Laym. lib. 5. Theol. mor. p. 1. c. 1. n. 2.* Si vero Paulus omnino abſolute, & gratuito matrimonium promittat Annæ, in memoriam v. g. beneficii ab ea accepti, tunc hac acceptante promiſſionem, nec repromittente, ſolus Paulus promittens obligatus erit ad ducendam illam; non vi Sponſalium, quæ claudicare nequeunt, ſed vi ſimplicis, & liberalis promiſſionis, quæ poteſt eſſe, & obligare ex parte unius, manente altero immuni ab obligatione. *Sanch. c. l. n. 12. Lay. c. l.* quamvis ſolitaria hujuſmodi promiſſio, etiam acceptata, non obliget graviter niſi grave inde damnum ſequatur, & cum ſolemnitate ſit facta. *Tan. tom. 4. diſ. 8. de Sacram. Matr. dub. 1. n. 4.*

IV. Notandum 3. promiſſio ſponſaliorum debet, ex parte intellectus habere ſufficientem deliberationem, quæ ſcilicet ſufficit, & exigitur ad peccatum mortale, *Sanch. cit. l. 1. diſ. 8. n. 5.* Ratio eſt, tum quia Sponſalia obligant ſub peccato mortali, ut infra dicetur, ergo exigunt deliberationem requiſitam ad peccatum mortale: tum quia ea deliberatio ſufficiens eſt ad votum, *c. 2. de voto*, ergo etiam ſufficit ad Sponſalia. Quamvis plena, & matura deliberatio prævia omnium circumſtantiarum non requiratur, Textus Juris in ſpeciem contrarii intelligendi ſunt de iracundia adimente uſum rationis, & deliberationem requiſitam ad peccatum mortale, *Sanch. cit. diſ. 8. n. 11.*

Notandum 4. Promiſſio Sponſalium non debet eſſe ficta, nam talis promiſſio non eſt vera, & ſerie promiſſio, ſed promiſſionis fictio, adeoque qui ficte promiſit matrimonium ore tenus ſolum, abſque animo promittendi, aut cum intentione quidam promittendi, ſed ſine intentione ſe obligandi, non obligatur ex vi promiſſionis, & Sponſalium, quia deficit internus conſenſus. Omnis enim obligatio, quæ non eſt ex lege, oritur ex privata hominis voluntate: ergo ubi deeſt obligandi voluntas, deficit obligatio *Sanch. cit. l. diſ. n. 5.* Quamvis autem ſic ficte promittens matrimonium, non ex vi talium ſponſalium obligetur, peccat tamen ſic promittendo mortaliter, quia eſt mendacium perniciosum in re gravi, & contra legem juſtitiæ quæ præſcribit, ut in quolibet contractu utrinque obligatorio, qualis eſt Sponſalium, uterque vere contrahat, *Sanch. cit. l. 1. diſ. 9. n. 5.* de quo plura videri poſſunt apud eundem *c. l. diſ. 10.*

V. Notandum 5. Ex eo, quod ſponſalia ſunt promiſſio futuri matrimonii, ſequitur, concubitum cum alieno ſponſo, vel ſponſa non eſſe adulterium, tum quia adulterium proprie in nuptam committitur, *l. Inter, 6. §. 1. ff. ad leg. Jul. de adult.* At ſponſa de futuro non eſt nupta, ergo concubitus cum illa non eſt adulterium, *c. Lex, illa. §. Cum ergo, cauſ. 36. q. 1.* At qui accedit ad alienam ſponſam de futuro, non violat alienum torum, quia hic non eſt permiſſus ſponſis, ante matrimonium contractum per verba de præſenti, ergo talis non committit adulterium. Non obſtat, quod in *l. Si uxor, 53. §. Divi ff. ad leg. Jul. de adult.* permittitur vindicari concubitus etiam cum ſponſa alterius, tanquam adulterium, ubi manifeſte de Sponſalibus de futuro eſſe ſermonem patet ex eo, quod additur, *quia nec ſpem matrimonii violare permittitur*, ſponſalia autem de præſenti, non ſpes matrimonii, ſed ipſum matrimonium dicuntur. Sed reſpondetur, concedi ibi vindictam ſponſo, non ex eo, quod fornicatio cum ſponſa alterius ſit adulterium, ſed quia atrox injuria ipſi ſponſo eſt illata, *Covarr. in Epitome Libr. IV. Decret. p. 1. c. 1. n. 8. & 9. Sanch. cit. l. 1. diſ. 2. n. 2. & 3. Tanner. cit. diſ. 8. dub. 3. n. 40.* An autem circumſtantia Sponſaliorum ob fornicationem cum alieno ſponſo vel ſponſa, neceſſario in confeſſione ſit exprimenda, tractat *Sanch. c. l. n. 4. & ſeqq. Tanner. c. l. n. 41. & 42.* & alii Theologi, qui videri poſſunt.

VI. Notandum 6. Quamvis abſolute, & per ſe loquendo, poſſint, qui matrimonium contrahere volunt, ſponſalia prætermittere, ſine ſcelere, & peccato, quia nulla lege præceptum reperitur, quod ipſum matrimonium neceſſario præcedere debeat promiſſio de eo contrahendo: omnino tamen decens eſt, & honeſtum, ut præcedant hujuſmodi ſponſalia, ut colligitur ex *c. 1. & c. 3. cauſ. 30. q. 5.* atque ut indiſſolubilis ſtatus, & obligatio matrimonii, majore,

cum deliberatione ſuſcipiantur, *Tann. cit. diſ.* 8. *dub.* 1. *n.* 2. imo poſt *Concil. Trident.* vi cujus publicæ denunciationes præmitti debent, moraliter neceſſarium eſt, ut promiſſio ſaltem tacita de contrahendo matrimonio præcedat, ut notat *Tanner. c. l.*

VI. Aſſertio 2. Sponſalia contrahuntur per verba aut ſigna quælibet, quibus ſecundum communem loquendi modum, & præſentes rerum circumſtantias, exprimitur mutua promiſſio de matrimonio contrahendo. Cujuſmodi ſunt, *accipio te in meam, vel in meum: ducam te in uxorem, vel virum: contraham tecum matrimonium, volo te eſſe meam ſponſam, vel ſponſum &c. Tanner cit. diſ.* 8. *dub.* 1. *n.* 8. De quibuſdam autem verbis dubitatur, an ſit obligatio Sponſalium, ut ſi quis dicat, *nullam aliam ducam, niſi te*, nam *Sanch. cit. l.* 1. *diſ.* 19. *nn.* 5. & alii communiter, negant eſſe Sponſalia, ſed ſolum promiſſionem conditionalem, ſi aliquam ducturus ſum te ducam, *arg. l. Si ſterilis*, 21. §. *Si tibi*, *ff. de action. emp.* Ex qua colligitur, quod promittens non vendere, niſi huic, non tenetur abſolute vendere, ſed ſolum tenetur huic, caſu quo vendiderit. At vero ſi quis dicat, *non aliam, ſed te ducam*, ſunt ſponſalia; Idemque dicendum videtur de hac formula: *nullam aliam ducam præter te*; ſic enim juxta regulam Dialecticorum exponenda eſt: *te ducam, & nullam aliam a te ducam*. Sicut hæc propoſitio, *nullus homo currit, præter Petrum*, ſic exponitur, *Petrus currit, & nullus alius currit*. Addi tamen hic debet iſta limitatio, ut, ſi quis dicat, *non aliam ſe ducturum, niſi hanc, vel præter hanc*, tum demum ſimpliciter, & abſolute obligetur ad ducendam illam, ſi aliunde, vel ex aliis conjecturis conſtet, eum certum animum habere contrahendi matrimonii, quia in foro conſcientiæ præcipue ſpectanda eſt intentio promittentis, *Laym. tit. c.* 1. *n.* 2. *in fine*.

VIII. Prædictis addendum 1. Si verba ſunt dubia, quæ vel ſolum propoſitum, *ut contraham tecum matrimonium*; vel etiam plus, quam promiſſionem matrimonii ſignificare poſſunt. *Ut volo te eſſe uxorem meam: volo tecum contrahere matrimonium*: tum in foro quidem conſcientiæ ſtandum eſt intentioni contrahentium, ſi de ea conſtat, quia verba habent vim obligandi ex conſenſu interno, & non ſermoni res, id eſt intellectus, ſed rei eſt ſermo ſubjectus, *c. Intelligentia* 9. *juncta Gl. V. Res de V. S.* In foro tamen externo non ſtatur intentioni contrahentium, quia ea Eccleſiam latet, ſed potius communi, & recepto verborum ſenſui, quem verba communiter recte intelligentibus ingerere ſolent, *Sanch. cit. l.* 1. *diſ.* 18. *n.* 1. & 4. *Tanner, cit. dub.* 1. *n.* 10.

Addendum 2. Interdum etiam ſigna ſupplent verborum vices, ſic enim annuli traditione, vel immiſſione in digitum: item donatione, & acceptatione arrhæ, & munerum ſponſalitiorum exprimitur ſufficienter conſenſus, & contrahi poſſunt Sponſalia, abſque verbis præſertim, ſi jam inter parentes, vel amicos præceſſit tractatio aliqua de matrimonio contrahendo, quia tunc talia ſunt ſufficientia ſigna mutuæ promiſſionis, in quo tamen potiſſimum loci conſuetudo ſpectanda erit, *Sanch. tit. l.* 1. *diſ.* 22. *n.* 2. & *Tanner c. l.*

§. II.

Quinam ſint habiles, vel inhabiles ad Sponſalia contrahenda, vel matrimonium?

IX. Aſſertio 1. Generatim loquendo, ab illis ſolis contrahi poſſunt Sponſalia, inter quos aliquando (adveniente ætate) conſiſtere poteſt licite, & valide matrimonium, ut eſt communis DD. ſententia apud *Tanner, tom.* 4. *diſ.* 8. *dub.* 2. *n.* 56. Ratio eſt, quia Sponſalia ſunt promiſſio futuri matrimonii, ergo ut valeant, debent eſſe promiſſio liciti, & validi matrimonii, quia promiſſio rei illicitæ etiam juramento firmata non valet. In quo tamen ſemper reſpiciendum eſt ad tempus implendæ promiſſionis. Hinc impuberes ſeptennio majores contrahere poſſunt Sponſalia, cum tamen pro eo tempore non poſſint contrahere matrimonium, & temporali voto caſtitatis, v. g. ad unum, vel duos annos obſtrictus, valide contrahit Sponſalia implenda, eo tempore, quo votum non amplius obligat, *Tanner, t. l. num.* 17.

X. Aſſertio 2. In ſpecie vero Sponſalia, & matrimonia a furioſis, & amentibus, ſive etiam cum illis contracta non valent, ob defectum plani, & deliberati conſenſus, prout conſtat ex *c. Dilectus*, 24. *h. t.* Ubi reſpondet Papa, quod „ mulier matrimonialiter copulata viro, qui continuo fu„ rore laborabat, etiam tempore contracti matrimonii (*Gl.* „ *hic V. Furore*) cum ipſo morari non poſſit, quia propter mentis alienationem legitimus conſenſus inter eos intervenire non potuit: ideoque mandat eos ab invicem ſeparari, ſi res ita ſe habeat. Excipe, niſi furioſus habeat dilucida intervalla; tunc enim poteſt, eo tempore, Sponſalia & matrimonium contrahere, cum ſit rationis compos, ita ut etiamſi poſtea furor denuo ſuperveniat, Sponſalia vel matrimonium non reddantur invalida, quamvis regulariter etiam tunc licite, & ſine peccato non contrahat, quia ſi perpetuo furore labores, ineptus eſt ad prolem educandam, niſi id munus alii committere poſſit, *Sanch. tit. l.* 1. *diſ.* 8. *n.* 15. 16. & 18. Porro ſi dubitetur, an actus geſtus a furioſo, ſit geſtus tempore furoris, vel intervalli, in tali dubio præſumitur geſtus tempore furoris, quia hic præſumitur durare omni tempore, niſi ex actus qualitate præſumendum ſit eſſe geſtum tempore ſanæ mentis, *Sanch. c. l. n.* 17. & alii apud *Barb. in Collect. in cit. c. Dilectus, nu.* 5. Similiter ebrius, ſi tempore ebrietatis contrahat Sponſalia, vel matrimonium, nihil agit, quia caret conſenſu libero, & debita deliberatione, *Sanch. cit. loc. n.* 19.

XI. Aſſertio 3. Senſibus deſtituti, ut ſurdus tantum, vel mutus tantum, imo etiam ſurdus ſimul & mutus a natura poſſunt valide contrahere Sponſalia, vel matrimonium, prout „ ſumitur ex *c. Cum apud* 23. *h. t.* Ubi Papa Innocentius „ III. conſultus, utrum mutus, & ſurdus (qui prorſus „ non audit) poſſit matrimonium (vel Sponſalia) contra„ here? Reſpondet, cum Edictum de matrimonio contra„ hendo ſit prohibitorium, quicunque non prohibetur, per „ conſequens admittitur, quia ſolus conſenſus ſufficit ad „ matrimonium contrahendum. Unde ſi talis velit con„ trahere, non poteſt, nec debet id ei denegari, cum quod „ verbis non poteſt, ſignis valeat declarare. Ubi cum di„ catur in ſingulari, videtur intelligendum de eodem utroque ſenſu privato. Nam ſæpe tales ſunt ſatis perſpicacis, & acuti ingenii, ut ſignis edoceri poſſint, quid ſit matrimonium, & nutu, vel alio ſigno indicare conſenſum. Item tales poſſunt confiteri, & abſolvi a peccatis, ergo etiam matrimonium contrahere, Quod ſi quis ſimul ſit ſurdus, & mutus, ac cæcus, *Sanch. cit. diſ.* 8. *n.* 13. negat talem poſſe contrahere Sponſalia, vel matrimonium, eo quod mutus ſolis ſignis inſtrui poſſit, quid ſit matrimonium: cæcus autem hæc ſigna percipere nequeat, nec etiam verba, cum ſimul ſit ſurdus. Id quod ſaltem moraliter loquendo, & ordinarie eſt verum: etſi forte phyſice loquendo, non ſit impoſſibile, ut ſurdus, mutus & cæcus, ob perſpicaciam ingenii ſola ratione naturali cognoſcat rationem Sacramenti matrimonii, ut notat *Tanner. citat. dub.* 2. *numer.* 32. Hinc colligitur, quod verba non ſint neceſſaria in matrimonio carnali, etiam in iis, qui loqui poſſunt, ſed ſufficit, ut conſenſus contrahentium matrimonium, vel Sponſalia ſigno aliquo externo exprimatur, porro quando in *cit. c. Cum apud* dicitur, quod Edictum de matrimonio contrahendo ſit prohibitorium, id intelligendum eſt, quod ordinarie quidem ſit de re jure permiſſa, adeoque permiſſorium, prohibitorium tamen ratione certarum perſonarum, ut notat *Abb. hic, n.* 2.

XII. Præterea huc pertinet, quod ſtatuitur in *c. Tuæ*, „ 25. *h. t.* Ubi cum quæſitum fuiſſet, utrum ſolis verbis, „ & quibus matrimonium contrahatur? Reſpondet Papa, „ quod matrimonium in veritate contrahitur per legiti„ mum viri, & mulieris conſenſum: ſed verba exprimen„ tia conſenſum de præſenti ſunt neceſſaria, quantum ad „ Eccleſiam. Nam ſurdi, & muti poſſunt contrahere ma„ trimonium per conſenſum mutuum, ſine verbis: & „ pueri ante annos legitimos (ſcilicet diſcretionis) per ver„ ba ſolum non contrahunt, quia non intelliguntur con„ ſentire.

XIII. Ubi notandum 1. Ex hoc c. nonnulli colligunt, ſolum conſenſum internum, ſine verbis, vel aliis ſignis, ſufficere ad matrimonium contrahendum, aut etiam Sponſalia. Sed non recte, quia Papa hic non loquitur de conſenſu mere interno, ſed de conſenſu verbis, vel ſignis expreſſo; nam ſi conſideretur matrimonium, prout eſt contractus, qui celebratur inter homines ignorantes interna cordis, neceſſario requiritur, ut conſenſus internus, ſigno aliquo externo manifeſtetur: ſi vero ſpectetur matrimonium, prout eſt Sacramentum, de ratione illius eſt, ut ſit ſignum ſenſibile, ut notavit *Sanch. l.* 2. *de matrim. diſ.* 30. *n.* 1. Idque probatur aperte ex verbis immediate ſequentibus: *nam ſurdi, & muti poſſunt contrahere matrimonium per mutuum conſenſum ſine verbis*, ubi *Gloſ.* addit, *ſed non ſine ſignis, vel nutibus*: ergo loquitur ibi Papa non de conſenſu mutuo mere interno, ſed de expreſſo verbis, vel aliis ſignis, ut in muto, qui contrahit quidem matrimonium ſine verbis, ſed non ſine aliis ſignis: quia enim regulariter verba requiruntur, ut denotetur, ſeu manifeſtetur conſenſus internus, hic autem exprimi poſſit, non ſolum per verba voce prolata, ſed etiam per alia ſigna, ideo illa ſufficiunt, *Sanch. c. l. diſ.* 31. *nu.* 5. Deinde Papa in *cit. c. Tuæ*, non abſolute ait, verba eſſe neceſſaria ad contrahendum matrimonium, ſed quoad Eccleſiam, hoc eſt, quoad faciliorem, ac tutiorem probationem in foro externo Eccleſiæ: & ita non excluditur alius modus probandi, quod enim non requiritur neceſſario ad ſubſtantiam rei, ſeu actus, ſed ad probationem tantum, poteſt impleri per æquipollens, *Sanch. c. l. n.* 6. Quare verba non ſunt præciſe neceſſaria ad ſubſtantiam matrimonii, etiam in illis, qui loqui poſſunt, ſed ſatis eſt conſenſum exprimi per alia ſigna, alias muti non poſſent contrahere matrimonium, ut ex dictis patet: quamvis verba inter alia ſigna obtineant principatum, ita ut probatio ex verbis ſit certior, quam quæ ſit aliis ſignis, *Covarr. in Epitom. Libr. IV. Decret. p.* 2. *c.* 4. *in init. n.* 1.

XIV. Notandum 2. Etſi verba non ſint neceſſaria ad ſubſtantiam matrimonii, videntur tamen neceſſaria ex præcepto Eccleſiæ, ut colligitur ex *cit. c. Tuæ*, ibi: *neceſſaria ſunt, quantum ad Eccleſiam verba &c.* & ex *c. Licet*, 3. de ſponſa duorum, ibi: *Si inter virum, & mulierem legitimus conſenſus interveniat, ita ut unus alterum verbis conſuetis expreſſe recipiat &c.* Idque confirmatur ex

Ec.

Digitized by Google

Ecclesiæ conſetudine, & praxi, ſecundum quam ii, qui loqui poſſunt, verbis contrahere ſolent matrimonium, ac proinda Eccleſia non toleraret, ſi qui loqui poſſunt, ſolis ſignis aut nutibus matrimonium contrehere vellent. Et quamvis *Sanch. cit. diſ.* 31. *n.* 10. dicat nullum extare de hoc Eccleſiæ præceptum: ſetetur tamen greva peccatum ſnee non exprimere in hoc contractu matrimonii conſenſum per verba, per quæ melius, & clarius is aaprimitur, quam per ſigna, ſaltem ſi conſenſus per elie ſigne exterue non ſufficienter exprimeretur. Porro per verba hic intelliguntur, non ſolam illa, quæ articulate voce proferuntur, ſed etiam, quæ per litteres, vel nuntios explicentur, quaſi per inſtrumenta, cum materie matrimonii ſit ſavorabilis, *c. ult. de ſent. & re judic. Barb. in Collect. hic. n.* 2. §. *Intellige verba*. Quinam autam ob ætatem ſint inhabilas ad contrehenda Sponſalia, vel matrimonium, infra dicetur.

§. III.

Quomodo & quando abligent Sponſalia, & an etiam obligent, ſi gravi metu ſint extorta?

XV. Aſſertio 1. Sponſalia, etſi clam, & ſine teſtibus, ac arrhis contracta obligant ex Juſtitia ſub culpa letheli, ed metrimonium contrahendum. Eſt communis ſententie apud *Sanch. l.* 1. *de Sponſ. diſ.* 27. 2. Probatur ex *c. Deſ-ponſatas* 46. *c. Atho.* 47. *& c. De conjugali*, 50. *cauſ.* 27. *q.* 2. *c. Ex litteris*, 10. *& c. Requiſivit*, 17. *h. t.* Ratio eſt, quia omnis contractus obligat ex juſtitia, & quidem in materia gravi ſub peccato mortali; at Sponſalia ſunt contractus, *facio ut facias*, inducens obligationem mutuam, & reciprocam, & materia eſt gravis, cum magna injuria inferatur alteri, ſi non impleetur: ergo obligaet graviter. Unde lex Civilis 1. *C. De Sponſal.* dans deſponſatæ libertatem reunnciendi, & nubendi alii, eſt correcta per Canones, *Tanner tom.* 4. *diſ.* 8. *q.* 1. *dub.* 3. *num.* 34.

XVI. Aſſertio 2. Sponſalia obligant ad matrimonium contrahendum tempore a contrahentibus præfixo: ſi autem nullum certum tempus ſit conſtitutum, tenetur quiſque contrahere altero exigente, quam primum commode poſeſt. *Sanch. c. l.* 1. *diſ.* 28. *n.* 2. *Tanner. cit. dub.* 3. *nu.* 35. Ratio eſt, quia id generale eſt in omni debito, cui dies certus præfixus non eſt: neque enim prius tenetur debitur ſolvere, quam creditor poſtulaverit, *l. Debitores*, 10. *De pignorib.* niſi creditor non audeat petere, ex timore etiam reverentiali, vel debiti fuerit oblitus, vel alias commode non poſſit petere; alioquin ſi creditor non petat, conſcius, ac memor debiti & potens commode petere, cenſetur conſentire in dilationem ſolutionis. Cæterum Parochis curandum eſt, ut poſt contracta a Sponſis ſponſalia, quam primum fieri poteſt, metrimonium contrahatur, ad vitandum periculum fornicationis.

XVII. Aſſertio 3. Qui ſine legitima cauſe fidem Sponſelium implere recuſet, is a Judice Eccleſieſtico, poſt Canonicem admonitionem, poteſt, ac debet cenſuris cogi ad contrahendum matrimonium, ſive Sponſalie jurate fueeint, ſive non, niſi gravia mala, & ſcandala, & perpetuæ diſſenſiones, & jurgia, vel alia mala, intee Conjuges, ex invitis nuptiis timeantur, *Sanch. cit. l.* 1. *diſ.* 29. *n.* 4. *Tanner. cit. dub.* 3. *n.* 36. *Laym. l.* 5. *tract.* 10. *p.* 1. *c.* 11. *n.* 3. *&* 4.

Prima pars, ſcilicet cogendum eſſe reſilientem a ſponſalibus, ed ſervandum, quod promiſit, ſumitur ex *c. Ex*
„ *litteris*, 10. *h. t.* Ubi talis caſus proponitur. Duo no-
„ biles G. & B. habebant filios, & filias impuberes quos
„ invicem deſponſarunt, & hoc tam patris, quam filii ju-
„ ramento firmarunt ſe facturos. Prior nobilis G. filiam
„ elterius B. conſentiente patre, juravit ſe ducturum in
„ uxorem, ſed poſtmodum aliam ducere propoſuit. Ve-
„ rum Epiſcopus eum compellere voluit, ut quod juraverat,
„ impleret. Conſultus ſuper hac re Papa Alexander III. reſ-
„ pondit: periculoſum eſſe dicto G. contre juramentum
„ ſuum venire, ideoque mandavit Epiſcopo, ut ſi hoc ei
„ conſtiterit, illum moneat, & ſi monitus non acquie-
„ verit, per cenſuram Eccleſiaſticam compellat, ut ipſam,
„ quam juravit ducere, in uxorem recipiat, & maritali
„ affectione pertrectet, niſi rationabilis cauſe obſtiterit.

XVIII. Ubi notandum, licet, cum in hoc c. dicitur, reſilientem a Sponſalibus cogendum eſſe ed contrahendum metrimonium, ſermo ſit de Sponſelibus juratis, idem tamen jus obtinet etiam in non juratis, quia cogendus eſt, non ob juramentum, ſed propter injuſtitiam, quæ committitur; ſive ſponſalia ſint jurata, ſive non, nam prædictum cap. non innititur juramento, ſed narrat, quod in facto contigit. Ratio univerſalis eſt, quia Judex tenetor ex officio compallere ad reddendum unicuique, quod ſuum eſt, vel ex juſtitia illi eſt debitum, ergo qui promiſit alicui matrimonium, poteſt ad illud contrahendum, etſi ſimpliciter, & ſine juramento promiſerit, quia ex juſtitia eſt obligatus ad implendum id, quod promiſit, etſi non jurarit: quamvis magis cogendus ſit, qui per juramentum Sponſalia firmavit, propter majus vinculum Religionis adjectum, *Sanch. c. l. n.* 5. Idque confirmatur, quia pacta legitima ſervanda ſunt, *c.* 1. *de pact.*

XIX. Verum aliquando tamen etiam, qui cum juramento promiſit cum aliqua contrahere metrimonium, moneri prius potius debet, quam compelli ad contrahendum, prout ſumitur ex *c. Requiſivit* 17. *h. t.* Nam cum mulier
„ quædam, interpoſito juramento, promiſiſſet cuidam vi-
„ ro, ſe ipſi nupturam, poſtea vero, mutata voluntate,
„ renuit. Conſultus ſuper hac re Papa Lucius III. reſ-
„ pondit, quod cum libera eſſe debeant matrimonia, non
„ coacta, potius muliee illa eſt monenda, quam cogen-
„ da, cum coactiones hujuſmodi fraquentee ſoleant diffi-
„ ciles exitus habere. Ratio eſt, quia ad Judicem Eccleſiaſticum, ſive Epiſcopum ſpectet cogere ad contrahendum matrimonium ſponſos, ſi id expediet ad finem matrimonii, at vero quando gravia, & publica ſcandala, vel alia mala timentur ex contractu matrimonii, tunc non expedit fini metrimonii, ut contrahatur, quia per tale matrimonium potius impediretur mutuum obſequium, quod conjuges ſibi invicem præſtare debent, & perturbaretur ſtatus matrimonii, ergo tunc non debet ſponſus, vel ſponſa compelli ad contrahendum, niſi prius moneatur, quia tunc adeſt rationabilis cauſe ob quam compelli non debet ad contrahendum matrimonium, etſi interpoſito juramento illud promiſerit, ut patet ex *c. Ex litteris*, 10. ibi: *niſi rationabilis cauſa obſtiterit, in uxorem recipiat*, *h. t.*

XX. Præterea expedit quandoque permittere minus malum, ut majus evitetur. Majus autem malum, eſt in propoſito, permittere ſcandale, & perpetuas diſcordias oriri inter conjuges, quam fidem Sponſalium violare, ideoque hoc poſterius juſte permittit Eccleſie, ut prius, quod malum eſt, evitetur, *Sanch. cit. diſ.* 29. *n.* 4. Quare cum in *cit. c. Requiſivit*, dicitur, quod mulier nolens contrahere matrimonium cum eo, cui id jurate promiſit, potius ſit monenda, quam cogenda, id ita exponi debet, quod prius monenda ſit, & poſtea cogenda, ſi monitis non acquieverit, & ita non contradicit primi *cap. ex litteris*, *h. t.* ſed concordat cum illo, quamvis ſponſi debeant admoneri, per cenſuras Eccleſiaſtices compelli, ut promiſſum conſenſum conjugalem præſtent, juxta *cit. c. Ex litteris*, ſed cum libere eſſe debeant matrimonia, neque a Judice metus inferri debeat ſponſis, per quem liber conſenſus ad matrimonium neceſſarius tollatur: eſt enim matrimonium ejus, qui libere Sponſalia contraxit, metu gravi poſtea contractum, ipſo jure nullum, ut ex infra dicendis patebit: ideo non debet uſſe talis coactio ſtrictiſſima, ſed moderata, ita ſi videat Judex ſponſum eſſe obſtinatum, & libere conſentire in metrimonium nolit, non debeat contre ipſum procedere abſolute, & ſtricte compellendo, ſed potius uti monitione, juxta *cit. c. Requiſivit*, quia hæc compulſio ed liberum conſenſum eliciendum adhibetur, non ut invitus ad matrimonium adigatur. Unde ſi poſt latam, hoc caſu, excommunicationem videat Judex ſponſum pertinacem manere, debet ipſum deinque abſolvere a cenſura, etiamſi id non petat, *Covarr. in Epit. l.* 4. *Decret. p.* 1. *c.* 4. *num.* 5. *Sanch. cit. diſ.* 29. *n.* 7. Porro ſi Sponſus, vel ſponſa, quæ promiſit matrimonium alicui, ſive cum juramento, ſive ſine illo, poſtea violata fide date, contrahat matrimonium cum alio, vel alia, contractus tenat, nec poteſt compelli, ut redeat ad priorem ſponſum, vel ſponſam, *Gl. in cit. c. Ex litteris*, *V. Compellas in fine.*

XXI. Aſſertio 4. Probabilius eſt, ſponſalia de futuro etiem per gravem metum injuſte incuſſum contracta, eſſe valida, donec per judicis ſententiam, ob hanc, vel alias cauſas reſcindantur, *Silveſt. V. Sponſalia, q.* 6. *in fine Tanner, cit. diſ.* 8. *q.* 1. *dub.* 1. *n.* 14. *&* 15. Ubi tamen id limitat, modo alter contrehens ipſemet injuſta metum non incuſſerit, quia licet Jure ſtatutum ſit, ut matrimonium injuſto gravi metu initum ſit ipſo jure nullum, ut infra dicetur, non tamen id ſtatutum reperitur in Sponſalibus. Ratio diverſitatis eſt, quia matrimonium ſemel valide contractum non poteſt ullo modo amplius diſſolvi, ideoque æquum fuit, ut ob gravem metum injuſte contractum ab initio irritaretur. At vero ſponſalia de futuro facile diſſolvuntur, & poſſunt per diſpenſationem Epiſcopi hujuſmodi ſponſalia metu inita diſſolvi, etiamſi juramento firmata ſint: quam ſi metu contrahens non petat, cidetur ſponte, & abſque coactione matrimonium contraxiſſe, *Tanner c. l.*

§. IV.

An Sponſalium contractui adjici poſſit pœna, vel arrha?

XXII. Aſſertio 1. Pœna proprie dicta, quæ ſcilicet conſiſtit in proprio peculio, ſeu patrimonio v. g. diminuendo, ſolvenda per eum, qui fidem frangit, adjecta contractui Sponſelium, eſt utroque jure irrita, tum Civili *l. Mulier*, 5. *C. De Sponſal.* tum Canonico, ut conſtat ex
„ *c. Gemma*, 29. *h. t.* Nam cum filia T. mulieris G. in-
„ fra VII. annos contraxiſſet Sponſalia cum P. (quæ fue-
„ runt invalida) præſentibus parentibus, eppoſita fuit
„ pœna, quam pars, quæ reſilierit, alteri perſolveret.
„ Poſtea dicta filia T. contraxit matrimonium cum C. un-
„ de petitum fuit, ut pœnam adjectam perſolveret. Re
„ delata ad Papam Gregorium XI. is reſpondit, cum ma-
„ trimonia libera eſſe debeant (ab omni coactione) ideo
„ talis ſtipulatio pœnæ in ſponſalibus eppoſitæ merito eſt
„ reprobanda. Mandavit igitur Papa, ut ſi ita eſt, petens
„ pœnam per Eccleſiaſticam cenſuram compellatur ab illius exe-

Digitized by Google

„ tuerſione deſiſtere. Ratio eſt, ut libertati matrimonii conſulatur, nec timore pœnæ ſolvendæ coacte matrimonium ineatur, *Sanch. c. l. 1. diſ. 30. n. 1. & 2.*

XXIII. Idque extenditur 1. quod non tantum ſit irrita pœna, ſi ea per ipſos ſponſos ſit adjecta contractui ſponſalium, ſed etiam ſi per conſanguineos ipſorum, ita ut probabile ſit fore, ut inducantur ſponſi ad matrimonium contrahendum, ne conſanguinei pœnam ſolvere debeant, *Sanch. c. l. n. 3.* At vero pœna appoſita inter omnino extraneos ipſis ſponſis valida eſt, quia per illam ſponſi non inducuntur ad matrimonium contrahendum, ne hi pœnam ſolvere debeant, *Sanch. c. l. n. 5.* Eſt autem verius, pœnam adjectam contractui ſponſalium nec quidem juramento firmari, cum ſit contra bonos mores, & publicam utilitatem, nam Reipublicæ intereſt libera eſſe matrimonia, quia ex coactis matrimoniis oriuntur jurgia, diſtenſiones, & male liberorum educatio, *Sanch. cit. l. 1. diſ. 32. nu. 21. Tanner. cit. diſ. 8. dub. 3. n. 44.*

Extendunt 2. communiter DD. quod irrita ſit adjectio pœnæ, ſive quis ex juſta cauſa a contractu ſponſaliorum reſiliat, quod eſt indubitatum; ſive etiam injuſte ac perfide, nihilominus quod etiam hoc caſu pœna Sponſalibus adjecta non debeatur. Contrarium tamen eſt valde probabile, ut docet *Laym. lib. 5. tr. 10. p. 1. c. 5. num. 8.* quia tunc ceſſat ratio ob quam pœna ſponſalibus adjecta irrita cenſenda eſt, ne libertas matrimonii impediatur: quia ſi quis nullam habeat cauſam reſiliendi a ſponſalibus, tunc nullam retinet libertatem contrahendi matrimonium, ſed pœna conventionali compelli debet ad contrahendum, cum etiam poſſit per cenſuras Eccleſiaſticas compelli, juxta *c. Ex litteris, 10. h. t.* & dictum ſupra *n. 17.*

XXIV. Porro quod attinet ad pœnam impropriæ dictam, quæ conſiſtit in lucro admittendo, vel non acquirendo, ſi apponatur ab ipſis contrahentibus, niſi hoc vel illud matrimonium ineatur, ut promitto tibi centum ducatos, ſi mecum matrimonium contraxeris, talis promiſſio irrita eſt, ſecundum præſumptionem fori externi, quia promittens cenſetur, intuitu libidinis, alterum velle inducere ad matrimonium. Si vero pœna ab aliis apponatur, quam ab ipſis contrahentibus, ut ſi Teſtator leget aliquid Annæ, ſi Petro nupſerit, illa vero Petro nolit nubere; tunc lucrum illud legati perdit, quia hæc non eſt vera pœna, ſed potius eſt invitatio ad certum matrimonium, & liberalis promiſſio, ſeu donatio ſub conditione cenſetur, per quam libertas matrimonii non tollitur, quia non agitur de pœna damni, cujus metu poſſet quis induci ad contrahendum matrimonium contra voluntatem, ſed ſolum de non acquirendo lucro, per quod allicitur quis ad matrimonium, ut colligitur ex *l. Titio 71. §. 1.* ubi dicitur, *aliud eſt enim eligendi matrimonii, pœna metu, libertatem auferri, aliud ad matrimonium contra legem invitari, ff. de condit. & demonſtr. Sanch. l. 1. diſ. 33. n. 3. & c. Laym. cit. c. 5. n. 9.* Ubi ait, quod valeat talis promiſſio, ſi præſumptio turpitudinis ceſſet, ut ſi nomine dotis, vel promiſſionis propter nuptias aliquid promiſſum videatur.

XXV. Aſſertio 2. Non tantum Jure Civili, ſed etiam Canonico, intervenire poſſunt arrhæ in contractu ſponſaliorum, ſecundum magis receptam ſententiam quaſi pignoris loco traditæ ſponſis, ita ut eas amittat tradens, ſi culpa ſua reſiliat a ſponſalibus, adeoque matrimonium non ſequatur: eo autem ſecuto, redeunt ad tradentem, ut conſtat ex *l. Mulier. 5. C. de ſponſal.* & docet *Sanch. cit. l. 1. diſ. 36. n. 2.* Quod ſi uterque ſponſus arrhas tradidit, & recipit, injuſte reſiliens, & ſuas perdit, & acceptas reſtituere tenetur: ſi vero alter contrahens, ſeu ſponſa, ſeu ſponſus ſolus tradidit arrhas, & culpa non tradentis, matrimonium non ſequatur, tenetur is duplum reſtituere, id eſt, ipſas arrhas receptas, & tantundem de ſuo patrimonio, vel etiam triplum, aut quadruplum, ſi ita inter partes conventum ſit, *cit. l. pen. C. de ſponſal.* dummodo contrahens ſponſalia ſit major 25. annis, nam minor 25. annis non tenetur amplius, quam accepit, reſtituere, *cit. l. pen. C. de ſponſal. Sanch. cit. diſ. 36. n. 7. 8. & 9.* Quamvis autem Jure communi arrhæ a dante repeti poſſint poſt nuptias, quippe ceſſante cauſa, ob quam datæ ſunt, ex conſuetudine tamen inter ſponſalitias donationes numerentur, *Laym. cit. c. 1. n. 8.* Cur autem ſponſalibus adjici poſſint arrhæ, non autem pœna, difficile eſt veram rationem diſcriminis reperire: imo *Laym. c. l* aſſerit, id eſſe impoſſibile, cum arrha etiam pœnæ rationem habeat, & quidem juſtæ, quæ non repugnat libertati matrimonii, dummodo decreta ſit in eum, qui ob culpam talem pœnam meretur: ſi autem juſte quis reſiliat a ſponſalibus, tunc adjectio pœnæ utique irrita eſt, juxta *c. Gemma, 29. h. t.* & conſequenter etiam adjectio arrhæ.

§. V.

Utrum ſponſalia clandeſtina Jure novo ſint irrita, & quomodo tranſeant in matrimonium?

XXVI. Aſſertio 1. Non eſt neceſſarium, etiam poſt Concilium Tridentinum, ut ſponſalia de futuro coram parocho, & teſtibus contrahantur, ſed etiam clam contracta ſunt valida, imo & licita, per ſe loquendo, *Sanch. cit. diſ. 12. num. 2.* & alii communiter. Quia Decretum Concilii Tridentini irritans matrimonium clandeſtinum eſt correctorium Juris communis, eique derogat, ac proinde ſtricte interpretandum, neque extendendum ultra caſum expreſſum, *l. Præcipimus, 32. de appellat.* Cum ergo ſolum declaret irritum matrimonium clandeſtinum, non debet extendi ad ſponſalia, nam ſi intelligatur Decretum Concilii Tridentini, ut non irritentur ſponſalia clandeſtina, reditur ad Jus commune, ſecundum quod ea valida erant. Expoſitio autem, per quam reditur ad Jus commune, favorem continet, quia vitatur correctio Juris communis, quod eſt favorabile, ergo hæc expoſitio quippe favorabilis eſt complectenda, *Sanch. c. l. n. 2.* Porro quamvis prohibito matrimonio abſolute, ſeu omnibus modis; cenſentur etiam hoc ipſo prohibita ſponſalia, per quæ pervenitur ad matrimonium: ſecus tamen eſt, ſi ſolum prohibeatur matrimonium, ne tali modo contrahatur, ut in propoſito, ne clam ineatur: priore enim caſu, quia nullo modo poteſt contrahi matrimonium, ſponſalia eſſent promiſſio rei illicitæ, & ſic nulla. Poſteriore vero caſu non item, quia clandeſtine contrahentes ſponſalia ſpondent, & ſe obligant ad contrahendum matrimonium, non clam, quod foret illicitum, ſed eo modo, quo præcipit Eccleſia, quæ eſt promiſſio rei licitæ, adeoque valida. Textus in ſpeciem contrarii, ut *l. Oratio, 16. ff. de ſponſal. l. Si quis tutor, 60. §. Quamvis, ff. de ritu nupt.* intelligendi ſunt, quando prohibetur matrimonium abſolute, ut nullo modo contrahatur: vel quando eſt eadem ratio prohibitionis in matrimonio & ſponſalibus, atqui matrimonium clandeſtinum prohibetur ad vitandum concubinatum cum ſecunda uxore, ad quam quippe publice ductam Eccleſia cogebat, cui de priore matrimonio, quippe clam inito, nihil conſtabat: cum tamen revera matrimonium cum prima validum eſſet, quod non habet locum in ſponſalibus: quibus non obſtantibus, matrimonium poſterius contractum eſt validum, *Sanch. c. l. num. 2.* Quod autem ſponſalia clandeſtine ſint etiam licita, adeoque ſine peccato contrahi poſſint, patet ex eo, quia nullo Jure prohibentur, nec antiquo, nec novo, quamvis decenter ſine teſte non fiant, ut notat *Tanner cit. dub. 1. nu. 12.* Imo conſultum eſt, teſtes adhiberi ſponſalibus, ut fides iis in externo foro habeatur.

XXVII. Aſſertio 2. Spectato Jure antiquo Canonico, ſponſalia de futuro, per ſecutam copulam carnalem tranſeunt in matrimonium, prout ſumitur ex *c. Veniens, 15. & c. Is qui, 30. h. t.* Ubi Papa Gregorius IX. ita reſcribit: Is, qui fidem dedit alicui mulieri, quod eam in uxorem ducere velit, & ſi poſtea illam carnaliter cogno-
„ ſcat, aliamque in facie Eccleſiæ ducat, ad primam re-
„ dire tenetur: quia licet primum matrimonium præſum-
„ ptum videatur, tamen contra talem præſumptionem pro-
„ batio in contrarium non eſt admittenda. Unde ſequi-
„ tur, quod matrimonium poſtea de facto contractum non
„ verum ſit matrimonium, ſed nullum. Ratio eſt, quia Eccleſia ex carnali copula præſumit in ſponſis conjugalem conſenſum ad excludendum peccatum, quod ſcilicet ſponſus & ſponſa, non fornicario, ſed affectu maritali ſe invicem cognoſcere voluerint, quia delictum non eſt præſumendum. Et eſt hæc præſumptio Juris, & de Jure, id eſt, omnino certa, & indubitata, contra quam non admittitur probatio, & conſequenter non auditur ſponſus aſſerens, ſe non cognoviſſe ſponſam affectu maritali, vel animo contrahendi matrimonium cum illa, *Covarr. in Epitome l. 4. Decret. p. 1. c. 4. §. 1. n. 1. & 2.* Confirmatur, quia copula carnalis ſecuta poſt ſponſalia de futuro, eſt ſufficiens ſignum conſenſus de præſenti in matrimonium, & ſponſi per eam ſe cenſentur ſibi invicem tradere, quæ præſumptio habet locum in foro contentioſo, & judiciali tantum, non autem in foro conſcientiæ, & pœnitentiali. Unde ſi ſponſus vere cognoviſſet ſponſam non affectu maritali, ſed fornicario, non eſſet verum matrimonium in foro pœnitentiali, & coram DEO: quia Papa non poteſt facere, ut ſine conſenſu expreſſo, vel tacito, ſit verum matrimonium, *Hoſtienſ. hic; col. 2. in fine, Fagnan. hic n. 6. & 7.*

XXVIII. Porro prædicta Conſtitutio, per quam ſponſalia tranſeunt in matrimonium, ſubſequente carnali copula, procedit nunc etiam in locis, in quibus Decretum Concilii Tridentini *Seſſ. 24. de reform. matr. c. 1.* non eſt receptum. At vero ubi dictum Concilium eſt receptum, & promulgatum quoad matrimonia clandeſtina, non habent locum matrimonia præſumpta, adeoque ſponſalia de futuro per copulam ſubſecutam non tranſeunt in matrimonium, niſi per verba de præſenti, ſive per expreſſum conſenſum coram parocho, & teſtibus matrimonium iterum contrahatur, quia alias non poſſet conſtare Eccleſiæ de tali matrimonio, & ſic non eſt amplius locus diſpoſitioni, *c. Is qui*, ut ſæpius cenſuit S. Congreg. Cardinal. apud *Barboſ. ibid. num. 8. Sanch. l. de matrim. diſp. 40. num. 3.* Verum ſi a ſponſis conſenſus utrinque renovaretur, ille expnmeretur per ſignum aliquod externum, v. g. per traductionem ſponſæ in domum ſponſi, vel per ſubarrhationem ſolemniter factam coram parocho, & teſtibus, qui advertunt, quid agatur, & qua intentione, poſſet talis actus eſſe ſufficiens ſignum, ut ſponſalia cenſeantur tranſire in matrimonium, *Tanner. cit. dub. 3. n. 43.*

XXIX. Illud poſtremo hoc loco addendum; etſi poſt ſponſalia de futuro, ſi ſequatur copula carnalis, præſumatur matrimonium inter illos contractum eſſe, ut dictum,

non

Digitized by Google

non tamen hoc præſumitur, quando copula carnalis vera non ſuit ſecuta, ſed ſolum niſus, ſeu conatus ad illam, prout ſumitur ex c. *Adoleſcens* 32. *&* *ult. h. t.* Ubi Papa
„ Gregorius IX. ita reſcribit: Adoleſcens, qui deſponſa-
„ ſam ſibi per verba de futuro ſæpius niſus fuit carnaliter
„ cognoſcere, ſed non potuit: poſtea cum alia per verba
„ de præſenti contraxit matrimonium, is non poteſt pri-
„ mam ducere, quia non fuit verum matrimonium ex for-
„ ma contractus, (ob defectum conſenſus per verba de
præſenti) nec præſumptum matrimonium, quia conatus ad copulam non habuit affectum, cum ea non ſit perfecta, ſeu conſummata: ideoque retinere debet ſecundam, cum qua contraxit per verba de præſenti.

Huic inſertur, quod conatus, ſive voluntas ſine effectu non obſit, neque conatus reputatur pro actu perfecto, *Gl. hic V. Conatus*, neque affectus punitur, niſi ſequatur effectus, *Barb. hic in Collect.* n. 45. Ubi addit, excipi delicta atrociſſima, ut crimen læſæ Majeſtatis, aſſaſſinii, ſimoniæ, veneficii, &c.

XXX. Verum deciſioni dicti *c. ult.* obſtare videtur *cap. Juvenis* 3. ſupra h. t. Ubi Juvenis, qui ſponſalia contraxit cum puella necdum ſeptenni, propter ſuſpicionem copulæ ſolum attentatæ, etſi non completæ, jubetur ſeparari ab illa. Reſpondetur, per ſolum conatum ad copulam, ſine effectu, matrimonium non conſummatur, nec præſumitur contractum, etiamſi ſponſalia contraxerint, qui facto opus eſt, ſicut in furto requiritur actualis contrectatio rei. Oritur tamen ex tali conatu ad copulam impedimentum publicæ honeſtatis, ut in *cit. c. Juvenis*, propter famam, qua exiſtimabatur eſſe ſponſa illius Juvenis: in quo attenditur non factum, ſeu effectus, ſed naturalis conſenſus, & publica honeſtas. In *c. vero ult. h. t.* agitur de matrimonio præſumpto, ad quod neceſſario requiritur, ut copula carnalis non tantum ſit attentata, ſed etiam conſummata, *Hoſtienſ. in cit. c. ult. in fine*, quæ reſponſio magis patebit ex dicendis §. *ſeq.*

§. VI.

De impedimento publicæ honeſtatis proveniente ex ſponſalibus de futuro.

Quæritur 1. Quid ſit impedimentum publicæ honeſtatis? Reſp. eſt quædam quaſi affinitas, ſeu propinquitas Jure Eccleſiaſtico introducta, proveniens ex ſponſalibus de futuro, ob publicam honeſtatem morum. Ratio eſt, quia æquum, & conſonum honeſtati eſt, ut propter inchoationem matrimonii, quæ fit per ſponſalia, prohibeatur matrimonium cum conſanguinea unius ſponſi cum altero: ita ut ſicut per matrimonium affinitas contrahitur dirimens ſubſequens matrimonium: ita ex ſponſalibus oritur aliud vinculum conjunctionis, ſed minus perfectum, ſimiliter dirimens matrimonium, *Sanch. l. 7. de matrim. diſ.* 68. n. 1. *Laym. l. 5. tract.* 10. *p. 4. c. 9. n.* 1.

XXXI. Quæritur 2. An ſponſalia a pubere contracta cum puella minore ſeptennio pariant publicæ honeſtatis juſtitiam? Reſp. Si major ſeptennio cum puella proxima ſeptennio, in qua malitia ſupplet ætatem, contrahat ſponſalia de futuro, oritur juſtitia publicæ honeſtatis, uti ſumitur ex *c. Juvenis*. 3. *h. t.* maxime ſi carnalem copulam attentarunt, juxta intellectum Innocentii, & *Joann. Andr.*
„ *hic.* Nam quidam Juvenis puellam nondum ſeptem an-
„ norum duxit in uxorem (de facto, non de jure) vel po-
„ tius ſponſalia cum illa contraxit, & forſitan cum eadem
„ puella tentavit, quod complere non potuit, ſed poſtea
„ idem Juvenis cum illius puellæ conſobrina matrimonium
„ contraxit. Re delata ad Papam Eugenium III. Is man-
„ dat, ut conſobrina puellæ, quam idem juvenis poſtea
„ duxerat in uxorem, ab illa ſeparetur. Idque tum quia
„ in his, quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimatur ſerva-
„ ri debet: eſt autem dubium, quod tentaverit id, quod
„ complere non potuit, nempe an juvenis ille puellam
„ nondum ſeptennem carnaliter cognoſcere tentaverit, ideo-
„ que hoc præſumendum eſt, tanquam certius, & ſecurius: tum propter honeſtatem Eccleſiæ: quia illa puella dicti Juvenis conjux (id eſt, ſponſa, *Gl. hic V. Conjux*) fuiſſe, dicitur.

XXXII. Pro explicatione hujus c. notandum 1. non potuit in caſu hujus c. juvenis, qui cum puella ſeptenni ſponſalia contraxit, & forſan tentavit illam carnaliter cognoſcere, poſtea matrimonium contrahere cum conſobrina illius, ſive filia ſororis matris ſuæ, nec cum illa permanere: idque non propter affinitatem ortam ex niſu, ſeu conatu ad copulam, quia affinitas non contrahitur, niſi ex copula carnali completa: ſed propter impedimentum publicæ honeſtatis ortæ ex ſponſalibus de futuro, quæ ibi præceſſerant: & ideo hic dicitur, propter honeſtatem Eccleſiæ hoc impedimentum eſſe contractum. Nec obſtat, quod ex ſponſalibus contractis ante ſeptennium non oritur publica honeſtas, quia ſponſalia ante ſeptennium inita ſunt invalida, ut infra dicetur. Nam reſpondetur ideo in hoc c. ex ſponſalibus initis cum puella nondum ſeptenni, ortum eſſe impedimentum publicæ honeſtatis, quia apparebat puellam illam eſſe propinquam ſeptennio, & in illa malitiam ſuppleſſe ætatem, ac proinde ex conſenſu præſtito in ſponſalibus validis, & ex mutua cohabitatione cum niſu ad copulam, oriebatur impedimentum publicæ honeſtatis: *Abb. hic n.* 4. & clarius *Barboſ. in collect. num.* 3. *&* 4. Nam ſi priora ſponſalia juvenis inita cum puella invalida fuerunt, nihil impediebat, quin cum conſobrina ipſius valide matrimonium contrahere poſſet; non enim præſtat impedimentum, quod de Jure non ſortitur effectum, *Reg. Jur.* 52. *in* 6. *Henric. Caniſ. in cit. c.* 3. *n.* 2. *h. t.* Itaque probabilior intellectus hujus cap. eſt, quod Juvenis ille debeat a conſobrina puellæ, quam poſterius duxit, ſeparari propter impedimentum publicæ honeſtatis; nam etſi dubium erat, an priora ſponſalia valida eſſent eo quod ex conjectura probata non erant omnino certa: ſufficientem tamen ad ea valide cenſenda certitudinem habuerunt, quia malitia puellæ ſupplevit ætatem, quoad ſponſalia, & impedimentum ex illis conſurgens erat ſufficienter certum, ideoque matrimonium poſterius initum cum ejuſdem conſobrina judicatum fuit nullum. *Sanch. l.* 2. *moral. c.* 10. *n.* 15.

Notandum 2. quando hic dicitur, in his, quæ dubia ſunt, id, quod certius, & tutius exiſtimatur, tenendum eſſe, id intelligi debet, quando vere dubium eſt, ita ut intellectus neutri parti contradictionis adhæreat, ſive aſſentiatur; tunc enim debet quis eligere, quod tutius eſt, & in quo nullum peccati periculum verſatur, ut ſi quis practice dubitet, an hic, & nunc teneatur jejunare, tenetur jejunare, niſi dubium deponat. Si vero quis probabiliter opinetur, ac judicet aliquid eſſe licitum, etſi ſpeculative judicet, oppoſitum eſſe probabilius ac tutius, poteſt eligere etiam minus tutum, & in hoc caſu tantum conſilium eſt ſequi id, quod certius, ac tutius eſt, *Sanch. l.* 2. *de matr. diſ.* 41. *n.* 9. & alii DD. communiter. Sed hoc alio pertinet.

XXXIII. Quæritur 3. An impedimentum publicæ honeſtatis oriatur ex ſponſalibus invalidis? Reſp. hoc impedimentum, ſpectato jure antiquo Canonico, oritur ex ſponſalibus contractis inter conſanguineos; quamvis nulla ſint, ſeu invalida, ita ut mortuo ſponſo, non poſſit ſponſa ducere fratrem ſponſi mortui, etiamſi intervenerit juramentum, prout ſumitur ex *c. Ad audientiam* 4. *h. t.* Ubi ha-
„ betur, quod cum quidam Civis Papienſis H. vellet fi-
„ liam ſuam dare in matrimonium cuidam filiorum conci-
„ vis ſui L. juravit, quod ſi ille eam caſu quodam inter-
„ veniente, habere non poſſit, alteri filio ipſius ex alia
„ uxore genito, eandem matrimonio copularet. Poſtquam
„ vero filia H. ſponſalia contraxit cum filio L. quidam ju-
„ ramento affirmarunt, eos eſſe conſanguineos: ideoque
„ prædictus H. eandem filiam ſuam dare alteri filio dicti
„ L. in uxorem voluit, prout juravit, ſed quia ſcriptum
„ eſt, quod ſponſam fratris frater habere non poteſt: ideo
„ mandat Papa Alexander III. ne permittatur implere pro-
„ poſitum ſuum (quod illi certum fuit) ſed pœnitentiam
„ de illicito juramento agere, monitione præmiſſa, per
„ Eccleſiaſticam cenſuram compellatur.

Hinc colligitur: ſpectato Jure communi Decretalium, oritur impedimentum publicæ honeſtatis etiam ex ſponſalibus irritis ad dirimenda ſequentia ſponſalia, & matrimonium, dummodo non ſint irrita ex defectu conſenſus, *Covar. in Epitom. l.* 4. *Decret. p.* 2. *c.* 6. §. 2. *in princ. Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 68. *nu.* 9. Unde in caſu hujus cap. filia Civis H. poſt ſponſalia contracta cum filio Civis L. ſibi conſanguineo, adeoque quæ erant irrita, non potuit matrimonialiter copulari fratri ejuſdem uterino, qui ex alia uxore dicti L. erat genitus, ob impedimentum publicæ honeſtatis, quod contraxit cum priore filio Civis L.

XXXIV. Ubi præterea notandum, hoc impedimentum ex invalidis ſponſalibus deſcendens, Jure communi Decretalium, extenditur ad quartum uſque gradum incluſive, ita ut conſanguinei intra quartum conſanguinitatis gradum non poſſint cum ſponſa matrimonium contrahere; & e converſo, prout etiam conſtat ex *c. Sponſam* 8. *h. t.* Ubi dicitur: nullus conſanguineus poteſt ſibi ma-
„ trimonio copulare ſponſam alterius, maxime ſi nubili
„ ætati ſit proxima: quia poſtquam ſponſus & ſponſa contraxerunt ſponſalia de futuro, ſive promiſerunt ſe matrimonium inter ſe contracturos, publica honeſtas exigit, ut unus eorum non poſſit amplius contrahere matrimonium cum conſanguineo alterius, *Vivian. in Ration. in cit. c. Sponſam h. t.* Idque multo fortius locum habet, ſi ſponſa ſit proxima nubili ætati ſive pubertati, licet idem ſit dicendum, ſi ſit proxima ſeptennio, & doli capax, *Gl. hic V. Nubili*, & patet ex *c. Juvenis* 3. *h. t.* de quo ſupra. Neque obſtat *cit. c. Ad audientiam*, ubi ſolum de fratre eſt ſermo, adeoque ex eo ſolum probatur, ſponſalia nulla impedire, & dirimere matrimonium ſubſequens ob publicam honeſtatem in primo gradu. Nam ibi factum ſolum narratur, & Pontifex tantum reſpondit ad caſum ſpecialem, de quo fuit conſultus. Idem tamen eſt dicendum de aliis conſanguineis ſponſi uſque ad quartum gradum incluſive, *Abb. in cit. c. Ad audientiam. n.* 3. *Barb. ibid. n.* 3. Idque locum habet, non tantum ſi ſponſalia de futuro ſint nulla, ob impedimentum conſanguinitatis, de quo ibi eſt ſermo: ſed etiam ſi ſint nulla ex quovis alio impedimento Juris poſitivi, v. g. affinitatis, vel alio; quia ſatis eſt ad inducendum impedimentum publicæ honeſtatis, ut ſponſalia ſint valida de Jure naturali, & teneant ratione conſenſus, quia ſacri Canones in inducendo impedimento publicæ honeſtatis, & juſtitiæ, magis attenderunt ad factum, quam ad jus, quia communiter æſtimatur, inhoneſtum eſſe, ut quis habeat ſponſam conſanguinei ſui in uxorem; unde nihil mirum, ſi præſtet impedimentum etiam, quod e Jure non ſortitur effectum, *Gl. in c. c.*

Digitized by Google

Ad audientiam. V. Habere non poteſt. & *Abb. ibid. n. 7.* prout ex magis dicendis patebit.

XXXV. Quæritur 4. Utrum ex ſponſalibus puris, & certis, etſi nullis, & an ex incertis, & conditionalibus inducatur impedimentum publicæ honeſtatis, & juſtitiæ? Reſp. de his agitur in *c. Ex Sponſalibus unic. h. tit. in 6.* Ubi Bonifacius VIII. ita reſcribit: „Ex ſponſalibus (de futuro) puris, ſive abſolutis, & certis, etiamſi conſanguinitatis (ſcilicet intra quartum gradum) affinitatis (in primo genere, & quarto gradu citeriore, ſeu ulteriore *Gl. hic V. Eodem*) Religionis (ſive ſolemnis profeſſionis præcedentis) aut alia quavis ratione ſint nulla; dummodo non ſint nulla ex defectu conſenſus, oritur efficax impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis, ad impediendum, & dirimendum ſequentia ſponſalia, aut matrimonia, non autem ad præcedentia diſſolvendum. Quare qui ſponſalia pure, ac determinate cum aliqua contraxit; & poſtmodum cum alia prioris conſanguinea idem fecit, vigore priorum ſponſalium (quibus per publicæ honeſtatis juſtitiam ex ſponſalibus cum ſecunda contractis inductam minime derogatur) ad contrahendum cum prima manet obligatus. Additur in fine §. *Ille vero*: ſi quis cum aliqua ſponſalia ſub conditione contraxit, & ante conditionis eventum (ſecus ſi poſt) cum alia prioris conſanguinea per verba de præſenti contraxit, cum ſecunda remanere debet: quia ex ſponſalibus conditionalibus, ante exiſtentiam conditionis, perinde ut ex conſenſum non habentibus, & incertis, nulla publicæ honeſtatis juſtitia oritur.“

XXXVI. Pro explicatione hujus c. notandum 1. impedimentum hoc publicæ honeſtatis contrahitur ſolum cum conſanguineis alterius ponſi, non autem cum affinibus illius, quia conjuges non prohibentur a matrimonio cum affinibus alterius conjugis, ut infra dicetur; ergo nec multo minus ſponſi de futuro, *Franc. hic n. 3. not. 7. Sanch. l. 7. de matr. diſ. 68. num. 3.*

Notandum 2. Ex quibuſvis ſponſalibus, id eſt, cum determinata perſona initis, & abſolutis, hoc eſt, abſque conditione ſuſpendente, quæ nondum eſt completa, contractis, quamvis ea irrita ſint ex quacunque cauſa, dummodo non ſint irrita ex defectu conſenſus, ut ſi contracta ſint ab infante, vel furioſo, aut amente, qui non ſunt capaces conſenſus, oritur hoc impedimentum. At vero ſi ſponſalia de futuro cum aliqua inita, ſint irrita, ob impotentiam, Ordinem ſacrum, votum ſolemne caſtitatis, vel Profeſſionem Religioſæ, aut ob aliud impedimentum dirimens, eum tamen effectum habent, ut proprii conſanguinei ſponſi uſque ad quartum gradum non poſſint valide fœminam, ſeu ſponſam illam ducere, propter impedimentum illud publicæ honeſtatis ex illis ſponſalibus irritis conſurgens, *Sanch. cit. diſ. 68. num. 5. & 6.* Ubi *n. 7.* addit, id locum habere, ſive ſponſi ſciant hoc impedimentum, ſive ignorent, quia textus in *cit. c. unic.* indiſtincte loquitur, & quia major adeſt conſenſus, quando contrahens ſcit impedimentum, quam quando ignorat, quia nihil magis contrarium eſt conſenſui, quam error.

Notandum 3. Poteſt aliquis actus eſſe nullus de Jure poſitivo, quia Jus illum annullat, ita tamen ut non ſit nullus de jure naturali, quia ſcilicet adeſt conſenſus jure naturæ requiſitus ad contractum, *Franc. hic n. 2. not. 3.*

Notandum 4. Facilius tollitur actus, qui primum futurus eſt, vel celebrandus, quam qui jam factus eſt, & ideo impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis inductum ex conſtitutione Eccleſiæ, licet non tollat, aut dirimat præcedentia ſponſalia, vel matrimonium contrahendum, tollit tamen, ac dirimit ſequentia, ut habetur in *cit. cap. unic. Franc. ibid. n. 4. not. 5.*

Notandum 5. Impedimentum hoc publicæ honeſtatis ex ſponſalibus conſurgens eſt perpetuum, ſive perpetuo durat, ita ut nec poſt mortem alterius ſponſi extinguatur *c. Si quis 14. & c. ſeq. cauſ. 27. q. 2. & c. Sponſam. 8. h. t.* Ubi dicitur, nullum ex conſanguineis ſponſi poſſe ſponſam ejuſdem matrimonio ſibi copulare, id eſt, nullus ex conſanguineis ſponſi, intra gradum prohibitum, poteſt in perpetuum matrimonium cum ſponſa inire, *Abb. in cit. c. Sponſam, n. 2. Sanch. cit. diſ. 68. n. 20. & 21.*

XXXVII. Notandum 6. Per poſteriora ſponſalia inita cum perſona conſanguinea prioris ſponſi, aut ſponſæ, non oritur impedimentum publicæ honeſtatis dirimens priora ſponſalia, quamvis affinitas ſuperveniens diſſolvat priora ſponſalia de futuro contracta, *Gl. in cit. c. unic. V. Derogatur.* Ubi rationem reddit, quia poſteriora ſponſalia prorſus irrita ſunt, ob juſtitiam publicæ honeſtatis, ex prioribus ſponſalibus inductam, ideoque ex poſterioribus non poteſt publica honeſtas prioribus derogans conſurgere, *Franc. hic num. 6. Sanch. c. l. num. 23.*

Porro ſi poſt ſponſalia de futuro cum certa perſona ſponſus contrahat matrimonium de præſenti cum ejus ſorore, vel alia conſanguinea in prohibito gradu, & nondum illud conſummavit, obligatur ad fidem ſervandam priori ſponſæ, matrimonium cum illa ineundo, quia matrimonium illud poſterius, quippe irritum, non inducit impedimentum publicæ honeſtatis derogans prioribus ſponſalibus, adeoque matrimonium cum priore ſponſa initum validum erit. Si vero matrimonium cum poſteriore invalide initum conſummatum, cum neutra poteſt illud valide inire: non cum priore, ob impedimentum affinitatis conſurgens ex copula cum ejus ſorore, vel alia conſanguinea in gradu prohibito habita: non cum poſteriore, propter impedimentum publicæ honeſtatis ortum ex ſponſalibus valide contractis cum ejus ſorore, vel alia ejus conſanguinea in gradu prohibito, *Sanch. cit. diſ. 68. num. 24.*

Notandum 7. Ex ſponſalibus incertis, ut ſi quis promittat ſe ducturum unam ex filiabus Titii, & illæ conſentiant, non oritur impedimentum publicæ honeſtatis, *cit. c. unic. h. t. in 6.* Quia ſicut matrimonium debet neceſſario iniri cum perſona certa, & determinata, ita & ſponſalia, quæ ſunt ejus initium, *Sanch. l. 1. de ſponſal. diſ. 26. num. 2. & l. 7. diſ. 69. num. 1.*

XXXVIII. Notandum 8. & *ult.* ex ſponſalibus contractis cum aliqua, ſub conditione de futuro, non oritur impedimentum publicæ honeſtatis, ante impletam conditionem. Quare ſi quis contrahat ſponſalia de præſenti, vel matrimonium, cum ſorore, aut alia conſanguinea prioris ſponſæ, conditione nondum extante, valet matrimonium, quia cum conditio ſuſpendat conſenſum uſque ad eventum illius, antequam ea impleatur, ſponſalia non ſunt valida, ex defectu conſenſus, ac proinde ex hujuſmodi conditionalibus ſponſalibus non oritur impedimentum publicæ honeſtatis, *cit. c. unic. §. Ille vero, h. t. in 6.* At poſt eventum conditionis oritur, ut colligitur a contrario ſenſu, quia tunc ſunt ſponſalia pura, ſeu abſoluta, & habent perfectum conſenſum, *Sanch. cit. l. 7. diſ. 69. num. 2.* Id vero intelligi debet de conditione de futuro, nam ſi ſit conditio de præſenti, vel de præterito, ſtatim oritur impedimentum publicæ honeſtatis, ſi hæ conditiones veræ ſint, ut colligitur ex *cit. c. un.* ibi: *ante conditionem extantem*, quia per conditionem præſentem, vel de præterito, quando jam extat, conſenſus non ſuſpenditur, ac proinde ea ſunt vera, & abſoluta ſponſalia, *Sanch. cit. diſ. 69. n. 4.* & alii apud ipſum. Quod ſi conditio de futuro ſit impoſſibilis, aut turpis, ita tamen, ut non ſit contra ſubſtantiam matrimonii, ſtatim oritur impedimentum publicæ honeſtatis, quia cum ea conditio habeatur pro non adjecta, manent ſponſalia omnino abſoluta, *Sanch. cit. loc. num. 6.*

XXXIX. Cæterum haſtenus dicta procedunt de jure communi Decretalium, quæ per Concilium Tridentinum ſunt correcta, *Seſſ. 24. c. 3. de reform. matr.* quoad duo. Primum eſt, quod hoc impedimentum hodie tantum oriatur ex ſponſalibus de futuro validis, ac proinde ſi ſponſalia ex quacunque cauſa invalida ſint, nullum ex iis oritur impedimentum publicæ honeſtatis, ut cenſuit etiam S. Congregatio Concilii apud *Jo. Gallemart ibid. in declarationibus num. 1.* Idque procedit, etiamſi irrita ſint, ob defectum conſenſus interni, quia Concilium univerſaliter ſponſalia, quæ ex quacunque cauſa valida non erant, prorſus tollit. Quamvis *Sanch. cit. diſ. 68. n. 14.* dicat, Concilium intelligendum eſſe, quando ſponſalia ſunt irrita, ob defectum conſenſus externi, non autem interni. Ubi *n. 14.* addit, ſi ſponſalia irrita ſint, ob aliud impedimentum omnino occultum, tunc in exteriori foro cenſebuntur eſſe valida, ſi defectus probari non poſſit, & conſequenter non producunt impedimentum publicæ honeſtatis, cum tunc ſcandalum deſit, & ratio, ob quam inductum eſt hoc impedimentum. Alterum eſt quoad gradum, nam juxta *cit.* Decretum Tridentini, ſponſalia, etiam valida, primum gradum conſanguinitatis non excedunt, tam in linea recta, quam tranſverſa, cum generaliter, & indiſtincte Concilium loquatur. Quare hodie contrahens ſponſalia de futuro cum aliquo, vel aliqua, non poteſt validum matrimonium inire cum patre, vel matre, fratribus, vel ſororibus, vel filiis ſponſi alterius, vel ſponſæ: poteſt autem cum aliis conſanguineis, ſive aſcendentibus, ſive deſcendentibus, ſive collateralibus, quia omnes alii ſunt conjuncti ſponſis ultra primum gradum quem impedimentum hoc, juxta Concilium Tridentinum, non excedit, *Sanch. cit. diſſert. 28. num. 10.* An vero ex ſponſalibus de præſenti, ſive ex matrimonio rato, & non conſummato, valido, vel irrito, oriatur impedimentum publicæ honeſtatis, & ad quem gradum ſe extendat, infra dicetur.

SECTIO II.

DE DISSOLUTIONE SPONSALIUM.

§. I.

Quas ob cauſas diſſolvi poſſint ſponſalia de futuro?

XL. QUæritur I. An ſponſalia de futuro mutuo contrahentium conſenſu diſſolvi poſſint? Reſp. ſponſalia puberum (nam aliud eſt de ſponſalibus impuberum, de quibus *tit. ſeq.*) etiam legitime contracta poſſunt per mutuum ſponſorum diſſenſum dirimi, ſicut cæteri contractus, ut colligitur ex *c. Præterea. 2. h. t.* Ratio eſt, quia omnia res, per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur, *c. 1.* infra de R. J. Et *nihil tam naturale eſt, quam eo genere quidquam diſſolvi, quo colligatum eſt. l. Nihil 35. ff. eod.* & *§ ult. Inſtit. quibus mod. toll. oblig. Obligationes, quæ conſenſu contrahuntur, contraria voluntate diſſolvuntur. Sanch. l. 1. diſ. 52. n. 2.* Excipitur contractus matrimonii, qui ob rationem Sacramenti eſt indiſſolubilis. Idque extenditur

etiam

Digitized by Google

jam ad ſponſalia, quæ juramento ſunt firmata, quia juramentum promiſſorium appoſitum contractui tanquam acceſſorium ſequitur ejus naturam, & conditiones, *c. Quemadmodum* 25. *de Jurejur.* ergo ſublata per mutuum contrahentium conſenſum obligatione orta ex contractu ſponſalium, tollitur etiam ea, quæ eſt ex juramento, & priori innitebatur, eratque confirmatoria illius: nam ſponſalibus (ſicut & aliis promiſſionibus) ineſt hæc tacita conditio, niſi ea poſtea remiſſa, & & mutuo conſenſu ſoluta fuerint. Quare vel juramentum præſtitum eſt in favorem partis, & poteſt ejus conſenſu remitti, quia quilibet poteſt favori ſuo renunciare, juramentum autem dirigitur in DEUM, tanquam in teſtem promiſſionis hominis factæ, quo remittente juramentum in gratiam ſuam præſtitum, etiam DEUS illud remittit, *Abb. in c. 2. n. 3. h. t. Sanch. l. 2 de ſponſal. diſ.* 52. *n.* 6. Vel juramentum in honorem DEI eſt præſtitum, ita tamen, ut tota res promiſſa cedat in utilitatem partis, ut ſi quis intuitu pietatis juret fœminæ pauperi, ſe eam in uxorem ducturum, tum DEUS recipit juramentum tale in utilitatem partis, adeoque pars, cui res promiſſa eſt ſub juramento, poteſt illud remittere, ſi velit, *Abb. c. l. n. 6. Covarr. in Epit. l. 4. Decret. p. 1. c. 5. n. 1. Sanc. cit. diſſ.* 52. *n. 6. 7. & 8.*

XLI. Porro quod dictum eſt, mutuo conſenſu ſponſorum diſſolvi ſponſalia, id vera tum procedit, cum ſponſi ſimul libere, mutuo conſenſu, & non coacta ſponſalia contracta diſſolvunt; nam ſi unus ex ſponſis a ſponſalibus, ſine cauſa reſiliat, altero non conſentiente, tunc prior peccat, nec obligatione liberatur, alter tamen fit liber, ſi velit, quia prior ſponſalibus renunciavit, *Sanch. cit. diſſ.* 42. *n.* 4. Si vero alterutra pars non ſponte, ac libera in diſſolutionem ſponſalium conſenſit, ſed minis, terroribus, vel nimia alterius importunitate ducta, & quaſi coacta ab altera parte conſenſit, tunc pars ſic inducta manet in conſcientia obligata ad ſervanda ſponſalia, *Sanch. c. l. n. 3. Tanner. tom. 4. diſ. 8. q. 1. dub. 4. n.* 59.

XLII. Sed his obſtare videtur reſponſio data ab Innocentio III. in *c. præterea 2. h. t.* Ubi ita reſcribit: Qui de „ matrimonio pure, & ſine omni conditione, ſibi invi„ cem fidem dederunt, commonendi ſunt, & modis o„ mnibus inducendi (imo & compellendi, ſi jurarunt, „ *Gl. hic V. inducendi,*) ut fidem datam obſervent. Si „ autem hoc facere noluerint, non ſunt compellendi, (ſci„ licet ad matrimonium contrahendum, ne deterius ali„ quid inde contingat) nempe, ut illam quis ducat, quam „ odio habet: ſed ad inſtar eorum, qui ſocietatem contra„ hunt, fide invicem data, & poſtea eandem ſibi remit„ tunt, hoc poterit in patientia tolerari.

Ex hoc c. aperte colligi videtur, remiſſionem, ſive diſſolutionem ſponſaliorum mutuo conſenſu factam eſſe nullam, & illicitam, permitti tamen, ac tolerari, vitandi pejoris exitus cauſa, ne quis ducat talem uxorem, quam odio habet. Reſpondent communiter DD. cum Abbate hic *n.* 5. Pontificem ita reſpondiſſe, ad vitandam ſpeciem mali, quia homines vulgo putant, ſponſos, ſi reſiliant a ſponſalibus, fidem datam, vel juramentum violare, ideoque ſunt monendi, & inducendi ad ſervandam fidem, ne temere ab illa reſiliant: reipſa autem id malum non eſt, & ſi nolint ſervare fidem datam, ſed diſſolvere ſponſalia, Eccleſia id tolerat, non ſolum permittendo, ſed approbando tanquam licitum, *Sanch. c. l. n.* 2. Idque confirmatur ex illis verbis *cit. c. 2. in fine: Videtur, quod inſtar eorum, qui ſocietatem, interpoſitione fidei contrahunt, & poſtea ſibi eandem remittunt, hoc poſſit in patientia tolerari.* Ubi Papa concedit, ſponſalia diſſolvi poſſe, eo modo, quo ſocietas diſſolvitur, vi cujus bonorum, vel negotiationis alicujus communio ſic inſtruitur, ut ejus lucrum, & damnum ad unumquemque communiter pertineat, *l. 1. & ſeqq. ff. pro ſocio*, ſed contractus ſocietatis mutuo conſenſu contrahentium diſſolvi poteſt, ergo etiam contractus ſponſalium; addit tamen id non facile fieri debere, quia habet ſpeciem mali, quamvis malum non ſit.

Præterea duobus modis poteſt aliquid a jure per patientiam tolerari: primo, permittendo illud, quod per ſe quidem malum eſt: ſed permittitur ad vitandum majus malum, ut exemplum habetur de pluralitate beneficiorum in *c. Cum jam dudum*, 18. *de præbend.* ſic permittuntur etiam lupanaria, ad vitanda majora mala, ut adulteria, inceſtus &c. Altero modo toleratur aliquid a jure, permittendo illud non tanquam in ſe malum comparatione majoris, ſed ut minus conveniens propter notam inconſtantiæ, ſic in *cit. c.* 2. ſtatuit Pontifex, ut deteſtandæ inconſtantiæ cauſa, ſponſi potius matrimonium contraherent, quam mutato animo a ſponſalibus reſilirent ſine cauſa, ideoque prius monendos, & inducendos eſſe vult ad matrimonium, quam a ſponſalibus diſcedant, *Henric. Canis. in cit. c. 2. n. 4. h. t.*

XLIII. Aliam reſponſionem ad prædictum cap. quæ convenientior videtur, dat *Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. num.* 1. Quod Papa ibi loquatur de eo caſu, qui frequenter accidere ſolet, nempe ut unus ex ſponſis, v. g. mulier deſideret quidem fidem datam ſervari a viro, ſed is omnino recuſet, & cupiat ſponſalia remitti, ac diſſolvi, eo quod abhorreat a muliere; tunc enim commonendus eſt, & omnibus modis inducendus, ut fidem datam obſervet, ut dicitur in *cit. c.* 2. Si vero malus exitus timeatur, & mulier non ſpontanea, ac libera voluntate, ſed quaſi coacta conſentiat in diſſolutionem ſponſalium, tunc vir quidem peccat; permittitur tamen ab Eccleſia, ut ſponſalia diſſolvantur, idque non approbando, ſed tolerando, ad majora mala, ſeu incommoda vitanda. Porro conſuetudo eſt in multis Eccleſiis, ut ſi ſponſalia coram Parocho, & teſtibus ſint celebrata, non permittatur fieri eorum diſſolutio, niſi cauſa prius ad Epiſcopum deferatur, ut notat *Laym. c. l.*

XLIV. Quæritur 2. An & qua ratione diſſolvantur ſponſalia elapſo termino, ſeu tempore ad matrimonium contrahendum præfixo? Hæc quæſtio dependet ex interpretatione, ſeu intellectu *c. Sicut*, 22. *h. t.* Ubi talis caſus proponitur. Quidam Laurentius nomine juravit patri mulieris P. ſe eam ducturum, & pater viciſſim juravit, ſe ei filiam ſuam daturum in uxorem: non autem per virum ſed per mulierem ſtetit, quominus contraheretur. „ Poſt annos vero 4. vel 5. elapſos, idem Laurentius a„ liam mulierem, E. per verba de præſenti deſponſavit. „ Conſultus ſuper hoc Pontifex Innocentius III. reſcripſit „ Epiſcopo cuidam, ſi conſtiterit, quod idem L. priorem „ mulierem P. per verba de futuro, mulierem vero E. „ per verba de præſenti ſibi deſponſaverit, impoſita ei „ pœnitentia, propter ſponſalia priora de futuro jurata „ violata, matrimonium ſecundo loco contractum legiti„ mum judicari debere: (niſi forte in juramento ſuo certum terminum præfixit, intra quem duceret illam in uxorem, nec per eum ſtetit, quin ad ſtatutum terminum matrimonium conſummaret.) Quod ſi forte ſponſalia per „ verba de futuro cum utraque contraxit, primum jura„ mentum quippe licite factum, ſervandum eſt, & ſu„ per ſecundo ei pœnitentia eſt injungenda. Si vero de „ hic plene nondum conſtet, tamdiu Epiſcopus cogno„ ſcat de cauſa, donec de ea planius inſtruatur.

XLV. Hinc colligitur 1. Sponſalia de futuro etiam jurata diſſolvuntur per ſecunda ſponſalia cum alia contracta de præſenti, non autem per ſecunda de futuro, ut patet ex hoc cap. Sed de hoc plura infra.

Colligitur 2. Sponſalia de futuro diſſolvuntur, lapſu termini, ſeu temporis ad matrimonium contrahendum præfixi: nam ſi unus ex ſponſis die conſtituto, ſeu condicto, matrimonium contrahere non vult, alter eſt liber a ſponſalium fide, ſeu libere reſilire poteſt, *cit. c. Sicut, h. t.* Ex quo conſtat, alterum ſponſum eſſe liberum ab obligatione ſponſalium, quando ſine ejus culpa ſponſalia præfixo termino non ſunt impleta, *Covarr. in Epit. l. 4. Decret. p. 1. c. 5. n. 8. Sanch. l. 1. de Sponſal. diſ. 53. num.* 1. & alii DD. communiter.

XLVI. Ubi præterea notandum, duobus modis poteſt in ipſo contractu ſponſaliorum apponi terminus, ſive dies ad contrahendum matrimonium, vel ad reſtringendam, ſive finiendam obligationem, ita ut niſi intra tale tempus nuptiæ ſequantur, reſilire liceat. Et tunc ſi quidem per utrumque contrahentem ſteterit, quominus nuptiæ ſequerentur intra tempus præfixum, & parte utrinſque ſolvuntur ſponſalia: ſi vero per alterum tantum ſtetit, hic adhuc obligatur, ne ex culpa ſua commodum referat, alter vero liber manet, ut colligitur ex *cit. c. Sicut*, ibi: *nec per eum ſtetit*. Vel tempus eſt adjectum obligationi ſponſalium, poſt ea contracta ſolum ad ſtatuendam, ſive exequendam obligationem, nimirum ut nuptiæ tunc executioni mandari debeant, alioquin pars, per quam ſtetit, ne ſequeretur matrimonium, in culpabili mora eſſe cenſeatur: hoc caſu, lapſu termini, ſeu temporis præfixi non diſſolvuntur ſponſalia, ſed uterque contrahens obligatus manet. Ratio diſcriminis eſt, quia priore caſu, unica obligatio eſt, eaque non abſoluta, ſed alligata certo tempori, quo elapſo, deſinit obligare, velut conditionis defectu: Poſteriore vero caſu, duplex eſt obligatio, una contrahendi nuptias, altera contrahendi tali tempore: ergo licet hæc ſecunda obligatio non impleatur in ſponſalibus, manet tamen prior obligatio abſoluta, & a poſteriore independens, ut colligitur ex *L. Celſus*, 23. §. 1. *ff. de recept. arbitr.* ex qua patet in obligatione ſolvendi, certo tempore, duas obligationes contineri, unam ſolvendi, alteram tali termino, ſeu tempore ſolvendi; ergo ſi poſterior obligatio in ſponſalibus non ſit impleta, debet adhuc prior impleri, *Sanch. cit. diſ. 53. num. 5. & 6. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. numer. 16. Becan. p. 3. Theol. Schol. c. 43. q. 23. n. 2. 3. & 5.*

XLVII. Quæritur 3. An diſſolvantur ſponſalia de futuro propter diſceſſum, vel abſentiam ſponſi? Reſp. Si ſponſus ſe transferat in terras, ſeu Regiones longinquas ſine licentia ſponſæ, liberum eſt ſponſæ alteri nubere, ſeu matrimonium cum alio contrahere, prout ſumitur ex *c. De illis 5. h. t.* Nam cum quæſitum fuiſſet ex Papa „ Alexandro III. quid faciendum eſſet de illis, qui jura„ mento præſtito, promittunt ſe aliquas mulieres ducturos, „ & poſtea iis inſciis ſe ad alias partes, ſeu exteras ter„ ras transferunt? Reſpondet Papa, liberum eſſe mulie„ ribus illis, ſi non eſt amplius in facto proceſſum (id „ eſt, ſi conſenſus de præſenti, vel carnis copula non in„ terceſſit) cum aliis matrimonium inire: impoſita ta„ men ipſis pœnitentia ob perjurium, ſi per eas ſtetit, „ quominus matrimonium ſit ſubſecutum, & conſumma„ tum. Ratio eſt, quia ſponſus migrans in alienas terras, „ inſcia ſponſa, cenſetur renunciare ſponſalibus: tum quia ni-

mis grave foret ſponſæ tamdiu abſtinere nuptiis, nec cenſantur contrahentes ſponſalia ad hoc ſe voluiſſe obligare, niſi id expreſſerint. Idque procedit, etiamſi ſponſalia ſint juramento utrinque firmata, ut patet ex *cit. c. De illis*, ubi tamen additur, ſponſæ de perjurio pœnitentiam eſſe injungendam, ſi per illam ſtetit, ne matrimonium, tempore, quo oportebat, fuerit contractum: tunc enim ſi ſponſus ob eam cauſam in aliam terram ſe transferet, ſponſa ab ipſo liberatur, cenſetur tamen aliquo modo cauſam perjurii dediſſe, *Sanch. c. l. n.* 7. *Laym. c. l. n.* 15.

XLVIII. Ubi præterea notandum 1. Si ſponſus ſit in loco propinquo, is eſt exſpectandus a ſponſa, vel requirendus, ut intra certum tempus contrahat matrimonium, *Covarr. cit. c.* 5. *n.* 7. *Sanch. cit. l.* 1. *diſ.* 54. *n.* 11. Si vero ſponſus ad remotas partes ſe transferet, animo mutandi domicilium, & ſine licentia ſponſæ, nec ſpes ſit brevi rediturum, tum non tenetur ſponſa eum ſequi, ſed eſt libera ab ipſo, ut colligitur ex *cit. c. De illis*. ibi: *dimittunt terram, ſe ad partes alias transferentes*, per quæ verba ſignificari videtur mutatio domicilii. Idemque eſt, ſi intelligat ſponſa, virum eſſe vagabundum, quia eſt notabilis rerum mutatio, nec antea, ut ſupponitur, præcognita, ac proinde non cenſetur ſponſa ad hanc ſe obligaſſe, *Sanch. c. l. n.* 14. *Laym. cit. c.* 2. *n.* 15.

Notandum 2. Si ſponſus diſcedat a ſponſa, & alio ſe conferat, etiam in terras alienas negotii conficiendi cauſa, adeoque animo redeundi, ut Studioſus ſtudiorum cauſa, non cenſetur tacite renunciare ſponſalibus, ideoque exſpectandus eſt, donec redeat, *Henric. in cit. c. De illis*, n. 1.

Notandum 3. Vel abeſt ſponſus diutius ob cauſam neceſſariam, vel ob voluntariam. Si primum, tunc exſpectandus eſt, donec ceſſet juſtum ejus impedimentum, *l.* 2. *ff. de ſponſal.* niſi aliter conventum ſit, vel inconſtantiæ periculum ſponſæ immineret, vel alia neceſſitas contrahendi matrimonium urgeat, *Laym. c. l. n.* 13. Si ſecundum, ſcilicet ſi ſponſus abſit, ob cauſam voluntariam, eamque juſtam: tunc ſecundum Jus Civile, exſpectandus eſt biennio, ſi intra Provinciam, juxta *l.* 2. *C. de ſponſal.* triennio vero, ſi extra Provinciam verſetur, juxta *l.* 2. *C. De repudiis*.

XLIX. Sed hic dubitatur, utrum prædictæ leges Civiles per Jus Canonicum ſint correctæ? Affirmat *Sanch. cit. diſ.* 54. *n.* 6. & alii apud ipſum, quia in *cit. c. De illis*, dicitur abſolute, liberum eſſe mulieribus relictis ad alia vota ſe transferre: ſi autem exſpectare debet per triennium, non poſſet alteri libere nubere. Sed probabilius negant eſſe correctas *Silveſt. V. Sponſalia*, *q.* 10. in quarto caſu, *Covarr. c. l. n.* 7. *Henric. Caniſ. in cit. c. De illis*, *n.* 2. *Laym. c. l. n.* 14. neque enim ex *cit. c. De illis*, colligi poteſt per illud derogari legibus Civilibus; cum ergo hæ leges per ſe juſtæ ſint, in foro Canonico, & Civili, externo & conſcientiæ obſervandæ ſunt; non enim SS. Canones dedignantur ſequi Leges Civiles, *c.* 1. *de novi oper. nunciat.* quando de re aliqua nihil eſt deciſum Jure Canonico: præſertim cum ſponſalia de futuro non ſint Sacramentum, nec alia res ſpiritualis, ſive Eccleſiaſtica. Poterit tamen Judex Eccleſiaſticus hoc tempus triennii, vel biennii reſtringere ob periculum incontinentiæ ſponſæ, vel ex alia juſta cauſa, & jubere, ut ſponſo ſignificetur, ſi non intra tale tempus redierit, ſponſam ab ipſo liberam fore, ut tradunt DD. citt. Quare cum Jus Canonicum ſtatuit in *c. cit. De illis*, poſſe ſponſam libere cum alio contrahere matrimonium, ob abſentiam ſponſi, id intelligi debet, exſpectato tempore legali, cum Jus Civile in hac re non ſit correctum per Jus Canonicum, *Beſan. cit. c.* 43. *q.* 20. *n.* 5.

§. II.

An & qua ratione diſſolvantur priora ſponſalia de futuro, per ingreſſum Religionis, vel ſuſceptionem Sacri Ordinis?

L. ASSERTIO I. Certum eſt ſponſalia de futuro per ingreſſum Religionis approbatæ diſſolvi, ſecuta profeſſione, quia cum ſponſalia de præſenti, ſive matrimonium ratum per ſolemnem profeſſionem diſſolvantur, *c. Ex publico*, 7. *de converſ. conjug.* multo magis ſponſalia de futuro, *Covar. Epit. l.* 4. *Decret. p.* 1. *c.* 5. *n.* 11. Sed dubitatur 1. an ſolo ingreſſu Religionis, etiamſi profeſſio non ſit ſecuta, ſive per ingreſſum Novitiatus ſolvantur ſponſalia? Reſp. pars in ſæculo remanens liberetur ab obligatione ſponſalium, ita ut poſſit cum alio matrimonium contrahere, tum quia Religionem ingrediens tacite, & ipſo facto renuntiat ſponſalibus prius initis, ſuſcipiendo ſtatum ita diſparatum: tum quia notabilis fit mutatio ex parte ejus, qui Religionem ingreditur, & probro tribueretur parti manenti in ſæculo, ſi teneretur deſerentem Religionem in maritum, vel uxorem recipere: & nimis durum foret, ſi deberet toto tempore Novitiatus eum exſpectare; *Sanch. l.* 1. *de ſponſ. diſ.* 42. *n.* 2. Utrum autem etiam is, qui Religionem eſt ingreſſus, liberetur, major eſt controverſia? Affirmat *Sanch. c. l. n.* 5. ſaltem ſi ſponſus bona fide ingrediatur, ſecus eſt, ſi doloſe & animo ſtatim exeundi. Sed probabilius id negant *Laym. l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 3. *Tanner. tom.* 4. *diſ.* 8. *dub.* 4. *n.* 47. Quia ingreſſus in Religionem nec ex natura ſua hoc habet, ut omnino diſſolvat ſponſalia, cum non ſit aliquis ſtatus incompoſſibilis cum matrimonio: neque etiam id habet ex Jure poſitivo: ſicut nec diſſolvit vota ſimplicia, quæ ſuſpenſa manent: ergo egrediens Religionem, profeſſione non ſecuta, adhuc obſtrictus manet, & cogi poteſt, ut fidem ſponſaliorum olim datam impleat, ſi ſponſus remanens in ſæculo ita voluerit, & exſpectarit, nec interim ad alia ſponſalia tranſierit.

LI. Dubitatur 2. An per votum ingrediendi Religionem, ac profitendi, diſſolvantur penitus ſponſalia prius inita, etiam jurata? Reſp. diſſolvi, adeoque talis ſponſus poteſt Religionem ingredi, non prius contracto matrimonio, *Covarr. cit. c.* 5. *n.* 11. *Sanch. l.* 1. *de ſponſal. diſ.* 43. *n.* 3. *Laym. cit. c.* 2. *n.* 4. *Tanner. dub.* 4. *n.* 48. Ratio eſt, tum quia promiſſioni ſponſalium ineſt hæc tacita conditio, niſi promittens perfectiorem Religionis ſtatum elegerit: ergo etiam ineſt juramento, quod ſortitur naturam & conditiones actus, ſuper quo interponitur, *c. Quemadmodum*, 25. *de Jure jur.* Tum quia ſponſus licite poteſt Religionem profiteri, ut eſt communis ſententia DD. ergo etiam licite poteſt illam, reſciſſis ſponſalibus, vovere, vel eadem juramento promittere: Tum quia fruſtraneum omnino eſt contrahere matrimonium animo ingrediendi ſtatim Religionem: cum hoc ſit decipere partem alteram, quæ hujus animi conſcia, nollet contrahere matrimonium, nec momentanea illa ſolutione revera impleatur juramentum. Confirmatur, ſicut ſe habet matrimonium ratum ad ſponſalia de futuro, ita proportionaliter ſe habet profeſſio ad votum profitendi: ſed matrimonium ratum diſſolvitur per ſolemnem profeſſionem, *c. Ex publico* 7. *de converſ. conju.* ergo etiam ſponſalia diſſolvuntur per votum ſolemniter profitendi.

Excipi debet, niſi neceſſitas urgeret ad prius contrahendum matrimonium, quia ſponſa alias gravem infamiam incurreret, quippe quæ ſpe matrimonii cognita, & forte gravida facta fuit: vel ut proles ex ea nata legitima fiat: tunc enim tenetur ſponſus contrahere prius matrimonium, & ante conſummationem poteſt religionem ingredi, *Sanch. cit. l. numer.* 4. Neque vero tale votum ingrediendi, ac profitendi Religionem, DEO gratum eſſe poteſt, neque obligat quatenus cedit in injunctum ſponſæ detrimentum, *Laym. cit. l. n.* 4.

LII. Sed prædictis obſtare videtur *c. Commiſſum.* 16. *h. t.* Nam cum quidam alicui mulieri fidem dediſſet de
„ contrahendo matrimonio, & infra biennium ſe per ver-
„ ba de præſenti illud contracturum, juramento firmaſſet,
„ poſtea privata lege ductus ad frugem melioris vitæ tranſ-
„ ire ſuſpirabat. Conſultus Pontifex Alexander III. reſ-
„ pondit, tutius eſſe ei, ut religione juramenti firmata,
„ prius matrimonium contrahat: & poſtea, ſi elegerit,
„ ad Religionem tranſeat: dummodo poſt deſponſationem
„ carnalis copula inter eos non intervenerit.

LIII. Pro explicatione hujus c. notandum 1. ex deciſione hac dubium oritur, cur Papa reſcribat matrimonium prius contrahendum eſſe a ſponſo, quam is Religionem ingrediatur, cum tamen aperti juris ſit, non tantum contractis ſponſalibus de futuro, ſed etiam matrimonio per verba de præſenti, ante conſummationem illius, per copulam carnalem, permiſſum eſſe alteri contrahentium, etiam invito altero, ingredi Religionem, *c.* 2. *c. Ex publico*, 7. *c. Ex parte*, 9. *de converſ. conjug.* adeoque fruſtra, & inutiliter prius contraheretur matrimonium a tali ſponſo. Aliqui reſpondent, quod Pontifex hic dicat, tutius eſſe ſervare juramentum, & primo contrahere matrimonium, non quidem ex præcepto, ſed ex conſilio ob vitandum ſcandalum puſillorum, & propter reverentiam juramenti. Sed melior eſt reſponſio, quod in caſu hujus c. ille, qui ſponſalia juramento promiſit, nullum votum fecit ingrediendi Religionem, imo necdum plene deliberavit, & ſecum firmiter ſtatuit Religionem ingredi: & ex alia parte inſtabat tempus, quo juramentum obligabat ad contrahendum matrimonium, ideo dixit Pontifex tutius eſſe, ut prius contrahat matrimonium, ne incidat in perjurium, poſt elapſum biennium, & contracto matrimonio, poterit adhuc per bimeſtre deliberare de ingreſſu Religionis, ut colligitur ex illis verbis, *& poſtea elegerit ad Religionem migrare*. Quod ſi ſponſus ille jam certo conſtituiſſet ingredi Religionem, tunc non obſtante juramento, potuiſſet eam ingredi, quia tunc omnino inutiliter contraheret matrimonium, *Sanch. cit. diſ.* 43. *n.* 5. *Azor. p.* 1. *Inſtit. lib.* 11. *c.* 5. *q.* 4. §. *Contrahas*, *Caniſ. in tit. c. Commiſſum*, *num.* 3. Porro quod ibid. dicitur in fine, *dummodo copula carnalis cum ſponſa non intervenerit*, id ideo additum eſt, quia ſi copula interveniſſet, non poſſet ſponſus, invita ſponſa, Religionem ingredi, quia tunc jam cenſeretur matrimonium eſſe per copulam contractum, & conſummatum, *Caniſ. c. l. n.* 2.

Notandum 2. quando hic dicitur, quod ſponſus iſte, privata lege ductus, ad frugem melioris vitæ ſuſpiravit tranſire, per privatam legem intelligitur Inſtinctus Spiritus S. qui in corde ſcribitur, & privatim quoſdam movet ad religioſum ſtatum: per publicam vero legem intelligitur lex DEI, Eccleſiæ, ſive SS. Canonum, quæ ab omnibus obſervanda eſt, juxta *c. Duæ ſunt* 2. *cauſ.* 19. *q.* 2. & conſentit *c. Licet*, 27. *de Regular.*

LIV. Dubitatur 3. An ſi quis non ſolum ſponſalia cum Virgine contraxit, ſed etiam ſub ſpe matrimonii eam corrupit, poſſit ante contractum, vel conſummatum matrimonium, Religionem ingredi? R. non poteſt, ſed te-

netur

Digitized by Google

netur eam ducere. Idemque dicendum, ſi copula non ſit ſecuta, notabilem tamen famæ jacturam patiatur fœmina, quia talis moraliter loquendo, non poteſt injuriam violatæ virginitatis, aut famæ aliter reſarcire, ad quod tamen ex juſtitia obligatur, *Sanch. l. 1. de ſponſal. diſ. 44. nu. 3. & 4. Tanner. cit. diſ. 8. q. 1. dub. 4. n. 50.* Sed quid ſi votum Religionis a ſponſo emiſſum ſit ante ſponſalia, iſque poſtea eam corrupit, fide data de matrimonio contrahendo, teneaturne eam ducere, non obſtante voto? Duæ ſunt ſententiæ, una ait teneri eum corruptam ducere, ſi voti ignara fuit, *Sanch. cit. l. 1. diſ. 45. n. 3. Tanner. cit. l. n. 51.* Ratio eſt, quia votum non obligat, ſi res ita notabiliter ſint mutatæ, ut ſine magno tertii damno votum impleri non poſſit. Accedit, quod qui poſt votum Religionis fœminam a ſe corruptam ducit, non abſolvatur omnino a voto, ſed ejus executio tantum ad tempus differtur, quia ſoluto matrimonio ingredi tenetur Religionem, ſi adhuc idoneus ſit; votum enim implere tenetur, quatenus poteſt, ſine alterius præjudicio. Et hæc ſententia ſpeculativa eſt probabilis. Contraria tamen non teneri illam ducere, eſt communis, & in praxi recepta, taſſa *Laym. cit. c. 2. n. 5.* Cum enim per votum prius DEO jus ſit quæſitum, non poteſt vovens, propria auctoritate, illud tollere, magis ſe alteri obligando, vel ſtatum voto contrarium ſuſcipiendo, ſed requiritur, ut Judex, ſeu Prælatus Eccleſiaſticus in voto diſpenſat, ejuſque obligationem cauſa cognita relaxet, ideoque etiam vovens petere tenetur diſpenſationem.

LV. Aſſertio 2. Solvuntur ſponſalia de futuro, etiam per ſuſceptionem Ordinis ſacri, ſeu majoris, quia Ordo ſacer, ob ſolemne votum caſtitatis ipſi annexum, reddit ſuſcipientem incapacem matrimonii contrahendi, ergo multo magis Ordo ſacer dirimit ſponſalia contracta. Non autem per ſuſceptionem Ordinum minorum dirimuntur ſponſalia prius contracta, et proinde ſponſas licite poteſt ad illos promoveri, quia hi Ordines non repugnant matrimonio, nec impediunt, quo minus ſponſus eoſdem licite ſuſcipere poſſit. An vero votum ſuſcipiendi Ordines ſacros etiam dirimat ſponſalia prius contracta, ita ut ſponſus licite poſſit etiam ad ſacros Ordines promoveri, controverſia eſt inter DD. Affirmat *Tanner. cit. dub. 4. n. 52.* Nam cum Status Eccleſiaſticus dignior ſit, & ſanctior ſtatu matrimonii, adeoque de meliori bono, non videtur per obligationem ſponſalium, quippe quæ minoris momenti eſt, & minus fortis, impediri debere Status Eccleſiaſticus. Sed probabilius eſt, per votum ſacrum Ordinem ſuſcipiendi non dirimi ſponſalia prius contracta, nec illis aſtrictum poſſe licite promoveri ad Ordines ſacros, *Sanch. cit. l. 1. diſ. 47. n. 3.* tum quia votum caſtitatis incluſum in Ordine ſacro, per ſe, & ex natura ſua non eſt ſolemne, ſed tantum per accidens, quia ex conſtitutione Eccleſiæ habet effectum voti ſolemnis, nempe ut matrimonium contractum dirimat: tum quia non reperitur in Jure conceſſus hic effectus dirimendi ſponſalia præcedentia ſuſceptionis Ordinis ſacri, etſi ei annexum ſit votum continentiæ: ſicut votum ingrediendi Religionem dirimit ſponſalia prius contracta, ut ſupra dictum *nu. 51.* Ratio eſt, quia ſi quis Ordines ſacros ſuſcipit, poſt contracta cum aliqua ſponſalia, facit illi gravem injuriam, proinde non poteſt illos ſuſcipere, ſine ejus conſenſu. Cæterum ſponſus, qui vovit ſuſcipere ſacros Ordines, cenſetur renunciare ſponſalibus prius contractis, atque ita altera pars libera eſt ab obligatione ſponſalium, *Sanch. cit. lib. num. 4.* Porro an per votum ſimplex perpetuæ continentiæ diſſolvantur ſponſalia de futuro præcedentia votum, ſive ante votum contracta, non conſentiunt DD. de quo infra ſuo loco in *Tit. 6.* hoc libro commodius agetur.

§. III.

Utrum priora ſponſalia de futuro ſolvantur per poſteriora Juramenta firmata, vel per matrimonium cum alia contractum, & an etiam per ſubſequentem fornicationem.

LVI. Aſſertio 1. Per ſponſalia poſteriora non ſolvuntur priora, etiam juramento firmata, *Sanch. l. 1. de ſponſal. diſ. 50. n. 5.* & alii apud ipſum. Ratio eſt, quia ſecunda ſponſalia, etiam jurata, ſunt invalida, cum nemo poſſit valide rem aliquam alicui promittere, quam alteri valide obligavit; neque juramentum eſt vinculum iniquitatis, *c. Quanto 18. de Jure. jur.* neque obligat cum præjudicio tertii, *Reg. Non eſt obligatorium 58. de R. J. in 6.* Ex parte tamen illius, cum qua primo ſponſalia ſunt contracta, ea ſunt ſoluta, quia illa poteſt recedere, ſi velit: nam contrahens ſecunda ſponſalia eo ipſo cenſetur renunciare prioribus, *Sanch. cit. l. n. 3.*

LVII. Sed quid ſi cum poſteriore ſponſa, ignara priorum ſponſalium, carnalis copula ſit ſubſecuta, aut non ſaltem ratione damni illati tali caſu diſſolvantur priora ſponſalia? Reſp. in rigore non diſſolvi, ſed talis ſponſus adhuc priorem ſponſam ducere debet, *Sanc. lib. 1. diſ. 49. n. 5.* quia cum poſt Concil. Trident. ſponſalia poſteriora non tranſeant per copulam in matrimonium, ſed matrimonium præſumptum caſſavit, ut dictum ſupra *num. 28. h. t.* ideo non dirimuntur priora ſponſalia: neque etiam per injuriam illatam poſteriori ſponſæ aufertur jus prioris: aliud eſt in voto Religionis vel Caſtitatis, quo non obſtante, corruptor virginis tenetur eam ducere, ut docetur infra in *tit. 16. lib. 5.* quia ex voto oritur ſolum obligatio Religionis: ex ſponſalibus autem cum defloratione oritur obligatio ex juſtitia, quæ multo eſt ſtrictior. Deinde prius votum non omnino tollitur, ſed ſuſpenditur per matrimonium: at hic prior obligatio per ſequens matrimonium omnino extinguitur. Item DEUS non vult impleri promiſſionem ſibi factam cum damno tertii: homines autem nolunt privari ſuo jure, propter injuriam alteri illatam, *Sanch. cit. diſ. 49. n. 5.* ubi tamen *n. 6.* addit, quod aliquando ex æquitate poſteriora ſponſalia ſervanda erunt, ut ſi corrupta grave damnum famæ pateretur: prior vero ſponſa leviter læderetur: tunc enim ſaltem ex charitate hæc teneretur conſentire in diſſolutionem ſponſalium, ad vitandum grave damnum alterius, & Judex poterit illa diſſolvere. Præterea aliquando ſponſalia priora ita diſſolvuntur per poſteriora cum copula, ut matrimonium cum neutra iniri poſſit, ut ſi ſponſalia poſteriora cum copula habita ſunt cum cognata in primo gradu prioris ſponſæ: tunc enim cum prima ſponſa non poterit contrahi matrimonium, ob impedimentum affinitatis: neque cum ſecunda ob impedimentum publicæ honeſtatis, quod ex prioribus ſponſalibus validis ortum eſt, & primum gradum non excedit, poſt Concilium Trident. *Sanch. cit. l. n. 3.* Denique ſi aliquo caſu contingat, priora ſponſalia diſſolvi, is qui fuit ſecunda, etſi jurata, non tenetur ea poſtea, primis diſſolutis, implere, quia illa ſecunda ſponſalia, cum inirentur, erant invalida, ratione priorum ſponſalium, quibus ligatus erat contrahens: quod autem ab initio validum non fuit, tractu temporis non convaleſcit, *Reg. juris 18. in 6. & reg. 29. ff. eod.* ob quam cauſam etiam ſi ligatus voto caſtitatis contrahat ſponſalia, etiamſi poſtea diſpenſationem voti impetrat, non tenetur ad ea ſervanda, quippe quæ ab initio invalida fuerunt, *Sanch. cit. l. 1. diſ. 50. n. 6.*

LVIII. Aſſertio. 2. Sponſalia de futuro, etiam jurata, ſolvuntur per ſponſalia de præſenti ſive per matrimonium ſubſequens valide, etſi, illicite contractum cum alias, *c. 1. De ſponſa duorum*, & habetur etiam in *c. Si inter. 31. h. t.* ubi inprimis dicitur: „Si inter virum, & mulierem „mutuus conſenſus interveniat, per verba de præſenti expreſſus dicente utroque, *Ego te in meam accipio, & ego te accipio in meum*: vel per alia verba conſenſum exprimentia de præſenti: ſive juramentum ſit appoſitum, „ſive non (quia juramentum non eſt de ſubſtantia matrimonii, *Gl. hic V. Juramentum*) non licet illis poſtea ad „alia vota tranſire, ſive aliud matrimonium contrahere. „Quod ſi fecerint, ſeparari debent, etſi carnalis copula ſit „ſubſecuta, & primum matrimonium firmum manet. „Verum ſi inter ipſos tantum intervenit promiſſio ſponſalium per verba de futuro, utroque dicente: *Ego te accipiam in meam, & ego te in meum*, vel per alia ſimilia verba etiam juramento interpoſito, tum ſi alius „poſtea mulierem illam per verba de præſenti deſponſaverit, matrimonium poſterius contractum tenet, nec ſeparari poteſt. Debet tamen eis, ob violatam fidem priorum ſponſalium de futuro, pœnitentia injungi. Ratio eſt, quia matrimonium etiam ratum tantum eſt fortius vinculum, adeoque dirimit ſponſalia priora de futuro, etiam jurata, ſi ſit validum: ſi vero matrimonium ſubſequens ſit irritum, obligabunt adhuc priora ſponſalia, quia non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum, *Reg. jur. 52. in 6.* manet tamen alter ſponſus liber a ſponſalium fide, ſi is matrimonium cum alia non conſenſit, ſed tunc alter ſponſus volens contrahere cum alia matrimonium, cenſetur tacite prioribus ſponſalibus renunciaſſe, *Sanch. l. 1. diſ. 48. num. 1.*

Ex hoc cap. colligi videtur, quod in contractum matrimonii vir prius interrogari debeat, an conſentiat, quam mulier: ſed hoc non eſt neceſſarium, nam in quibuſdam locis prius interrogatur mulier: idque non ſine ratione, ne ſi forte vir primo interrogatus conſentiet, & mulier poſtea nolit, non ſine dedecore viri, ut notavit *Abb. hic n. 3.*

LIX. Porro hic dubium oritur, utrum per ſubſequens matrimonium validum omnino extinguatur obligatio priorum ſponſalium, an vero ſolum ſuſpendatur, ita ut ſi uxor, cum qua contra fidem priorum ſponſalium matrimonium contraxit Titius, moriatur ante ſponſam primam, nec ſuperveniat novum impedimentum, an, inquam, Titius adhuc obligatus ſit illam ducere, vi priorum ſponſalium ſi ille velit? Cenſent aliqui ſolum ſuſpendi; ſed probabilius eſt, illa omnino extingui, ut docet *Sanch. cit. diſ. 48. n. 3. Laym. cit. c. 9. n. 22. Tanner. cit. diſ. 8. q. 1. dub. 4. n. 56. & 57.* & alii: & ſatis colligitur ex *cit. c. Si inter. h. t. & c. 1. De ſponſa duorum, & c. ult. cauſ. 27. q. 2.* Ex quibus conſtat quod ſponſalia per matrimonium cum alia contractum ſolvuntur, adeoque omnino extinguuntur, & non tantum ſuſpenduntur: obligatio autem ſemel extincta amplius non reviviſcit. *c. Quæriſ. 109. diſ. 4. de conſecr. l. Qui eſſ. 68. §. Arcam. ff. de ſolution.* Confirmatur, quia cum ſponſalia, & matrimonium ſint obligationes ejuſdem rationis & ordinis, quippe utraque ex juſtitia & utraque facta homini, prior obligatio extinguitur per fortiorem ſupervenientem: ſicut votum ſtrictioris Religionis omnino extinguitur per profeſſionem ſecutam in ordine laxiore, juxta *c. 5. de Regular. in 6.* Nec refert, quod per ſubſequens matrimonium non diſſolvitur prius votum ſimplex ingrediendæ Religionis, ſed ſuſpenditur, durante matrimonio:

Digitized by Google

pio: nam votum, & matrimonium ſunt obligationes diverſæ rationis, una enim fit DEO, altera homini. Tenetur tamen Titius compenſare damnum primæ ſponſæ, quod illi intulit, violando fidem ſponſalium: Imo ſi illam ſub matrimonii ſpe violaſſet, teneretur illam, ſoluto matrimonio, ducere, niſi jam aliunde damno eſſet ſatisfactum, quod tamen vix alia ratione fieri poteſt, quam ducendo illam, *Sanch. cit. lib. n. 5. Laym. cit. l.*

LX. Aſſertio 3. Solvuntur ſponſalia etiam jurata per ſequentem fornicationem tam ſponſi, quam ſponſæ, ita ut innocens jus habeat ea reſcindendi, non autem nocens, ne ex iniquitate ſua commodum ferat, prout ſtatuitur in *c. Quemadmodum 25. de jurejur.* quod quamvis de fornicatione ſponſæ ſolum loquatur, rationes tamen ibidem allatæ etiam in fornicatione ſponſi locum habent: nam & in promiſſione ſponſi talis debet conditio intelligi, ſi is contra regulam deſponſationis non venerit, alioqui enim etiam ipſi fidem frangenti fides ſervanda non erit: deinde non tantum ob fornicationem uxoris, ſed etiam mariti conjugium contractum diſſolvitur quoad torum, ergo multo magis ſponſalia. Idemque dicendum de fornicatione ſpirituali, ut ſi alteruter ſponſus in hæreſim incidat, fit enim valde notabilis mutatio, per quam grave vitium inducitur in comparte, *Sanch. l. 1. diſ. 55. n. 1. & 3.*

LXI. Ubi præterea notandum, quamvis quoad actualem fornicationem, vir & fœmina æquali jure gaudeant, aſſignantur tamen quædam diſcrimina inter ſponſum, & ſponſam communiter ab Auctoribus: Nam 1. Si ſponſa permittet ſe turpiter tangi ab aliis, licet ſponſo reſilire, quia illa cenſetur vivere impudice, nec poteſt vir eam, ſine gravi nota, ducere. Contra vero non id permittitur ſponſæ, ob oſcula, vel tactus impudicos ſponſi cum alia, quia per hoc non redditur vir ita infamis, nec id eſt dedecus ſponſæ, niſi ejuſmodi tactus eſſent frequentes, ita ut indicarent ſponſum alteram magis amare, aut fidem ſponſæ non ſervaturum, *Sanch. cit. diſ. 55. n. 5. Laym. cit. c. 2. n. 11.* Secundo ſi ſponſa ab alio vi oppreſſa ſit, poteſt repudiari, & diſſolvi poſſunt ſponſalia, quia & hoc caſu ſponſa multo fit vilior, & cenſetur viro infame talem ducere: & periculo exponitur ne alienam prolem pro ſua alat: contra vero ob viri omnino inviti culpæque expertis fornicationem non ſolvuntur ſponſalia, quia fœmina per hoc nullam gravem incurrit notam, vel damnum: quare vir, & fœmina quoad fornicationem ad paria judicantur, quando fornicatio parte viri eſt culpabilis: non autem ſi ſit inculpabilis, *Sanch. cit. diſ. 55. num. 8. Laym. cit. c. 2. num. 11.*

LXII. Tertio quando ſponſa corrupta fuit ab alio ante ſponſalia, ſi ſponſus id ignorabat, exiſtimans eam eſſe Virginem, poteſt reſcindere ſponſalia. Ratio eſt, quia eſt notabilis mutatio, & ignominioſum eſt viro fœminam corruptam ducere: quare ſponſus graviter decipitur, & tantum per errorem conſenſit dantem cauſam contractui, ideoque is reſcindi poteſt a decepto, *Sanch. lib. 1. diſ. 63. n. 3.* qui *num. 5.* idem ait eſſe dicendum, ſi ſponſus ſciebat quidem ſponſam eſſe viduam, ignorabat tamen ejus fornicationem, nam & ratione ejus ipſa facta eſt vilis & impudica; & probroſum eſt viro ducere inhoneſtam, quam ipſe putabat eſſe viduam honeſtam. Nec dictis obſtat, quod in *cit. c. Quemadmodum*, dicitur, quod ſponſus non poteſt objicere ſponſæ fornicationem præcedentem, ſed ſubſequentem, non obſtante juramento eam ducendi: nam hoc intelligendum eſt de fornicatione præcedente ſponſo cognita, quia ea quo probavit ſemel mores illius, non poteſt poſtea illos reprobare, niſi nova cauſa ſuperveniente, *Gl. ibid. V. Præcedentem, Sanch. cit. diſ. 63. num. 7.* Contra vero ob fornicationem ſponſi præcedentem ſponſalia, & poſtea ſponſæ cognitam, non poteſt reſilire ſponſa, quia per hoc non fit ſponſus notabiliter vilior, nec nota gravi afficitur ſponſa, ſi tali nubat, regulariter loquendo, *Sanch. cit. lib. num. 9.*

Quarto denique ſi ambo tam vir, quam fœmina, poſt ſponſalia fuerint fornicati, non compenſatur delictum cum delicto, ſed reſilire poteſt ſponſus, non autem ſponſa, *Sanch. l. 1. diſ. 55. num. 9. Laym. cit. c. 2. num. 12.* & alii communiter. Ratio eſt, quia delicta non ſunt paria, ſed turpior eſt fornicatio in fœmina, quam in viro, multoque ignominioſius eſt ſponſo talem ducere, quam ſponſæ tali nubere, majuſque damnum ſponſo obvenire poterit ex fornicatione ſponſæ, ob incertitudinem prolis ſecuturæ. Nec refert, quod vir non poſſit repudiare adulteram, ſi & ipſe adulter ſit: quia longe difficilius permittitur divortium, ſeu ſeparatio matrimonii, quoad torum, quam diſſolutio ſponſalium, quæ ob quamvis notabilem rerum mutationem fieri poteſt, ut mox dicetur.

§. IV.

An, & qua ratione præterea diſſolvantur ſponſalia, ob ſupervenientem notabilem mutationem, ex parte ſponſi, vel ſponſæ?

LXIII. Aſſertio 1. Solvuntur præterea ſponſalia, propter quamlibet novam cauſam rationabilem, vel mutationem notabilem ſupervenientem poſt contracta ſponſalia, ob quam notabiliter difficilior redditur ſtatus matrimonii, ſive quæ talem difficultatem inducit, propter quam aliquis merito, prudentum judicio, & approbatione, ſi ab initio extitiſſet vel cognita fuiſſet, ab ejuſmodi ſponſalium contractu abſtinuiſſe, ut colligitur ex *cit. c. Quemadmodum 25. de Jurejur.* & docet *Sylveſt. V. Sponſalia, q. 10. caſu 17. Sanch. cit. l. 1. diſp. 62. n. 3. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. num. 18. Tanner. cit. dub. 4. n. 69.* & alii communiter. Ratio eſt, quia promiſſio non obligat ultra promittentis intentionem; nemo autem præſumitur ſe obligare voluiſſe ad talem caſum difficilem, propter quem prævîſum, quivis homo prudens, & cordatus a matrimonii promiſſione abſterritus fuiſſet. Et cum par ſit, quoad hoc, utriuſque contrahentis conditio, nulla pars poteſt conqueri ejuſmodi caſum excipi. Et extenditur hoc etiam ad ſponſalia jurata, quia juramentum includit omnes conditiones contractus, cui adjicitur, *l. fin. C. de non num. pecun.* & habet hanc conditionem tacite ſubintellectam, *rebus in eodem ſtatu permanentibus*, *cit. c. Quemadmodum*, *Sanch. cit. diſ. 62. n. 4.* ac proinde non eſt opus tali caſu relaxationem juramenti petere, *Sanch. cit l. 1. diſ. 67. n. 2. & 3.*

Porro ſponſo, vel ſponſæ aſſerenti, ſi talis cauſa a principio extitiſſet, ſe non contracturum fuiſſe ſponſalia, fides in utroque foro adhibenda eſt, ſi perpenſis circumſtantiis rei, veriſimile ſit non promiſſurum, ſi talis cauſa præcognita fuiſſet, *Sanch. cit. diſ. 61. n. 6. Laym. cit. lib.* quia in his, quæ ad animum pertinent, ut ſcientia, ignorantia, intentio &c. ſtandum eſt, cujuſque juramento, ſi alio modo probari non poſſint, ut docet *Covarr. lib. 2. reſ. c. 10. n. 1. §. Tertio.*

LXIV. Aſſertio 2. In ſpecie autem mutationes ejuſmodi notabiles, ob quas a ſponſalibus recedere licet, plures numerentur a Doctoribus. Veluti 1. ſi ſponſus, vel ſponſa amittat naſum, utrumque, vel ſaltem alterum oculum, vel aliter fiat notabiliter deformis, *cit. c. Quemadmodum*, *25. de jurejur.* quamvis in viris valde magna debeat eſſe deformitas ſuperveniens, ut propter illam ſponſæ reſilire liceat a ſponſalibus, quia in viris non ita requiritur pulchritudo, ut notat *Coning. de Sacram. diſ. 23. dub. 7. num. 66.* Secundo, ſi alterutel incurrat lepram, morbum gallicum, paralyſin, epilepſiam, vel alium morbum incurabilem, aut contagioſum, nemo enim libenter cum talibus contraheret, *Sanch. cit. lib. 1. diſ. 57. num. 1. & ſeqq.* Tertio, ſi alterute incurrat gravem infamiam: vel ſi de novo detegatur, alterum efle ſævis, & truculentus moribus, vel valde deditum ebrietati, ſcortationibus, aut ſimilibus gravibus vitiis: ſævitia enim mariti eſt ſufficiens cauſa inſtituendi divortium matrimonii *c. Litteras. 13. in fine de reſtit. ſpoliat.* ergo multo magis diſſolvit ſponſalia. Nec obſtat, quod in *c. Veniens. §. Qui Clerici, vel voventes &c.* dicitur, mulierem, quæ plura audierat de ſponſi ſeveritate, ideoque ei noluit copulari, fidem violaſſe. Nam ibi ſupponitur, mulierem id non certo cognoviſſe, ſed incerto ſolum rumore audiviſſe, & nimis leviter crediſſe, *Tanner cit. dub. 4. n. 66.* Quarto, ſi alteruter ex ſponſis gravem famæ, vel bonorum jacturam patiatur, & ex honeſto ſtatu ad paupertatem decidat: ſecus eſt, ſi unus ex ſponſis ditior fiat; novam hæreditatem acquirendo, quia per hoc alter non eſt factus deterioris conditionis, *Sanch. cit. lib. 1. diſ. 59. num. 6. & 7.* Quinto, ſi ſponſa, ejuſque parentes, vel non poſſint, vel non velint dare promiſſam dotem, quia ſub illius conditione cenſentur ſponſalia contracta, *c. De illis. 3. de condition. appoſ.* Nam grave onus ſubiret ſponſus ſi deberet ducere indotatam, & ſolus onera matrimonii ex propriis bonis ſuſtinere, *Sanch. cit. l. 1. diſ. 59. num. 2.* Idemque eſt, ſi ſponſalia ſint inita ſine mentione dotis, intelliguntur enim, eo caſu, tacite inita ſub conditione dotis, *Sanch. cit. lib. num. 4.* Sexto, ſi graves, & capitales inimicitiæ oriuntur inter ſponſos, aut eorum parentes, & conſanguineos, quia v. g. altera pars ſe obſtinate opponit matrimonio, ita ut ex eo magna ſcandala, & infelices exitus timeantur; & ratio eſt, quia promiſſio non poteſt obligare ad actum, qui ſine peccato impleri non poteſt, *Tanner. cit. l. n. 67.* Item ſi ſponſus domicilium mutare, & vagari conſtituat, cum incommodo ſponſæ, *Laym. cit. c. 2. n. 18.*

LXV. Cæterum prædictæ cauſæ, & mutationes, non ſolum, ſi poſt ſponſalia, ſed etiam ante illa inita extiterint, tamen erant ab altero contrahente probabiliter ignoratæ, iis poſtea cognitis, dant illi jus reſcindendi ſponſalia: quia enim tempore ſponſaliorum vitium non apparebat, perinde erat, ac ſi non eſſet, nam paria cenſentur in Jure non eſſe, & non apparere, *L. In lege. 77. ff. de contrah. empt.* quando vero poſtea apparere incipit, perinde eſt, ac ſi de novo exiſtat, *Sanch. cit. l. 1. diſ. 63. n. 2.* Quod ſi tamen ſponſus, cognita ejuſmodi cauſa, carnaliter ſponſam cognoſcat, cenſetur remittere jus reſcindendi ſponſalia, quod alioqui habebat, ratione cauſæ, præcedentis ignoratæ, vel ſubſequentis, ſi illius cauſæ tempore copulæ, erat conſcius, ſponſalia ratificare, *Sanch. cit. l. diſ. 66. n. 2.* Sed difficultas eſt, utrum ad diſſolvenda ſponſalia, ob hactenus allatas cauſas, opus ſit ſententia Judicis: an vero propria auctoritate poſſint contrahentes a ſponſalibus reſilire? Reſp. Non eſſe opus auctoritate Judicis, quando cauſa diſſolvendi ſponſalia eſt moraliter certa, & manifeſta: ſi tamen certa quidem ſit, ſed occulta, & ſponſalia publica, requiritur ſententia Judicis ſolventis ſponſalia, vel declarantis

ea per

Digitized by Google

ea per hujuſmodi cauſam eſſe ſoluta, idque ratione ſcandali vitandi, ſicut etiam requiritur, ſi cauſa ſit dubia; quod ſi conſtat de cauſa, dubitatur vero de ſufficientia, poteſt quis ſequi eorum viri docti, & prudentis judicium, *Sanch. diſt. 69. num. 3. & ſeqq.* Judex autem, cujus auctoritate ſponſalia ſunt diſſolvenda, eſt ſolus Eccleſiaſticus, Ordinarius, vel delegatus, quia hæc materia eſt ſpiritualis, *Sanch. c. l. n. 10.*

Denique diſſolvuntur ſponſalia per ſuperveniens impedimentum Juris dirimens matrimonium, propter quod illud non poteſt inter ſponſos conſiſtere, *Sanch. c. l. diſ. 56. n. 1.* de quibus infra agatur.

SECTIO III.

DE MATRIMONIO SECUNDUM SE, EJUSQUE ESSENTIA.

LXVI. Quatuor præcipue ſunt nomina ſinonyma, quæ matrimonio conveniunt, matrimonium, nuptiæ, connubium, conjugium. Matrimonium dicitur, vel quia mulier nubit, ut mater fiat: vel quia partus magis oneroſus, & laborioſus eſt matri, quam patri. Nuptiæ, ſeu connubium ab obnubendo, quia ſponſæ, pudoris gratia, quando nubebant, velo ſe quaſi nube tegebant: dicitur etiam conjugium ab effectu, quia duos, ut una caro fiant, conjungit, quaſi ſub uno jugo.

§. I.

Quid ſit Matrimonium, & quotuplex?

LXVII. Aſſertio 1. *Matrimonium eſt maris, & fœminæ conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem retinens.* Ita definitur in *c. Illud 11. §. Verum de præſumpt. & l. 1. ff. de ritu nupt. & Inſtit. de patria poteſt. in princ.* Dicitur 1. *Conjunctio*, quia matrimonium dupliciter accipi poteſt, 1. pro actuali contractu, in quo legitimæ perſonæ conſenſu, verbis, vel ſignis expreſſo, ſe mutuo obligant ad vitæ ſocietatem & generationis uſum. 2. Pro ſtatu, ſeu vinculo permanente inter virum, & fœminam. Jam ergo matrimonii eſſentia non conſiſtit in contractu, qui eſt tantum cauſa efficiens, & tranſit, poſtquam eſt factus, cum tamen matrimonium formaliter ſpectatum per modum ſtatus, duret uſque ad mortem alterius conjugis; ſed conſiſtit in hujuſmodi vinculo permanente, quo conjuges ſunt inter ſe uniti; quod oritur ex mutuo conſenſu, & traditione, *Sanch. l. 2. de matr. diſp. 1. n. 6.* Dicitur 2. *Maris, & fœminæ*, quia repugnet fini matrimonii polygamia, ſive ut una fœmina plures habeat viros, vel unus vir ſimul plures uxores; ut infra dicetur. Dicitur 3. *Individuam vitæ*, &c. ut exprimatur mutua cohabitatio, & indiſſolubilitas matrimonii, quæ major eſt, quam in aliis humanis contractibus, qui mutuo conſenſu iterum diſſolvi poſſunt, non item matrimonii, de quo infra §. *ſeq.*

LXVIII. Aſſertio 2. Matrimonium dividitur in legitimum, ratum, & conſummatum. Legitimum eſt, quod legitimo conſenſu inter perſonas non impeditas eſt contractum, quale eſt etiam inter Infideles, quod eſt verum matrimonium, non tamen ratum, ut dicitur in *c. Quant. 7. de divort.* Ubi *Gl.* ait *V. Ratum*, qui diſſolvi poteſt. Matrimonium ratum dicitur, quod eſt legitimum, & inſuper etiam Sacramentum, ſed nondum carnali copula conſummatum: matrimonium conſummatum dicitur, quod accedente carnis copula, eſt perfectum, & completum, *Sanch. l. 2. de matr. diſ. 1. n. 9.* Quare ad ſubſtantiam matrimonii non requiritur, ut ſit per copulam carnis conſummatum, quia *nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit*, *Leg. Jur. 11. in ff. & in c. 1. & 4. cauſ. 27. q. 2.* dicitur: *matrimonium non facit coitus, ſed voluntas.* Per copulam tamen carnis completur, & integratur matrimonium inter fideles ſeu baptizatos contractum, ita ut magis indiſſolubile fiat, ut ex infra dicendis patebit.

LXIX. Sed jam hic ulterius quæritur, an ſaltem conſenſus in carnalem copulam requiratur ad eſſentiam veri matrimonii. Ratio dubitandi eſt, quia inter B. Virginem, & S. Joſephum fuit verum matrimonium contractum ex communiore ſententia DD. ut colligitur ex *c. 1. Matth. Noli timere accipere Mariam Conjugem tuam*, & *Luc. 2. Ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante.* Sed B. Virgo non conſenſit in carnalem copulam, quia cum fuerit obſtricte voto caſtitatis, teſte *S. Auguſtin. lib. de Virg.* & colligitur ex illis verbis Mariæ, *Luc. 2. Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* vel ſaltem habuit propoſitum ſervandi votum Virginitatis, *c. Beata 3. cauſ. 27. q. 2.* non potuit conſentire in carnalem copulam, quia ut dicitur in *c. 4. diſ. 27.* Virginitatem voventibus, non tantum nubere, ſed etiam nubere velle damnabile eſt: ergo eſt illis prohibitus etiam conſenſus in copulam, adeoque hic non requiritur ad ſubſtantiam matrimonii. Reſpondetur, contrahentes matrimonium neceſſario conſentiunt in copulam conjugalem implicite, & remote, ac virtualiter, ſeu in radice, & cauſa, conſentiendo videlicet in matrimonium, quod intrinſece ordinatur ad copulam, adeoque quatenus contrahentes conſentiunt in mutuam corporum traditionem, per quam cuivis parti acquiritur jus ad copulam: non autem neceſſario requiritur talis conſenſus in copulam, ex parte contrahentium, cum poſſit contrahi matrimonium verum, etiam cum intentione non conſentiendi expreſſe in copulam, quia ſufficit ad matrimonium expreſſe conſentire in jus, ſive poteſtatem ad carnalem copulam, implicite autem, & virtualiter in ipſam copulam, *Sanch. l. 2. de matr. diſ. 28. n. 3. & 4.* Itaque B. Virgo conſenſit in copulam carnis, quoad poteſtatem, ſeu actum primum, non autem conſenſit, quoad actum ſecundum, ſeu actualem uſum illius poteſtatis; nam quamvis Virgo Sanctiſſima, vi contractus matrimonialis cum Joſepho vere initi, obligata fuerit ad reddendum debitum carnis, ſi ille id peteret: ex altera tamen parte, revelante Deo, certo cognovit, ipſum nunquam debitum petiturum: ac proinde quia ſecura fuit, ſe nunquam votum ſuum violaturam, Deo ita volente, ac præcipiente, in conjugium conſenſit, ſed non in actualem copulam carnis expreſſe, ac directe, *Laym. l. 5. tract. 10. p. 1. c. 2. n. 3.* Ratio eſt, quia ſicut carnalis copula non eſt de eſſentia matrimonii; nam nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit, *l. Nuptias. 30. ff. de R. J.* ita nec conſenſus matrimonialis expreſſe, & formaliter pro objecto habet ipſam copulam, ſed ſolum obligationem ad eandem in confuſo conceptam, ſive ad officium conjugale, *Tanner. cit. diſ. 8. q. 3. dub. 2. n. 10.* Nec obſtat, quod ſi mulier diceret viro, conſentio in te, ita tamen, ut carnaliter me non cognoſcas, adeoque expreſſe excluderet copulam, tale matrimonium eſſet invalidum: nam talis conditio adjecta, non ſolum repugnat actui, ſed etiam poteſtati ad carnalem copulam, & ideo eſt contraria matrimonio, illudque irritum redditur, ut docet *S. Thom. 3. p. in ſupplem. q. 48. art. 1. ad 3. Tanner. c. l. n. 53.*

§. II.

De Matrimonio, quatenus eſt Sacramentum.

LXX. Quæritur 1. An matrimonium ſit verum Sacramentum? Reſp. 1. matrimonium, in lege naturæ, & veteri Moſaica, non fuit Sacramentum, ſed contractus naturalis, *Sanch. l. 2. de matr. diſ. 7. n. 2.* & eſt communis. Probatur, quia matrimonium eſt Sacramentum novæ legis a Chriſto inſtitutum, ut infra dicetur: poteſt tamen dici fuiſſe Sacramentum late, & improprie loquendo, quia fuit ſignum rei ſacræ, & aliquo modo figurabat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, *Sanch. c. l.*

LXXI. Reſp. 2. Quamvis poſt legem Evangelicam matrimonium inter infideles contractum non ſit Sacramentum, cum nullum ſubſiſtat Sacramentum ſine Baptiſmo, qui eſt Sacramentorum janua, ut definivit Concilium Tridentinum in decreto de Sacramento baptiſmi: ſi tamen ambo conjuges ad fidem convertantur, tale matrimonium efficitur Sacramentum ſtatim, ac ambo conjuges baptizantur, ut ex probabiliore ſententia docet *Sanch. cit. l. 2. diſ. 9. nu. 5.* & alii apud *Tanner. cit. l. 8. qu. 2. dub. 3. num. 5.* Ratio eſt, quia matrimonium illud infidelium, ſtatim atque conjuges illi baptizantur, fit, manetque indiſſolubile, quia jam perfecta ſignificat individuam conjunctionem Chriſti cum Eccleſia ſponſa, ideoque ſtatim ac baptizantur, efficitur Sacramentum, ita ut diſſolvi non poſſit, etiamſi alter, vel uterque poſtea a fide deficiet. Neque vero in propoſito deeſt ſufficiens conſenſus matrimonialis: nam eo ipſo, quod baptizantur, virtualiter, & implicite conſentiunt in matrimonium præcedens, ut ſit inſolubile, ut perfecte ſignificet conjunctionem Chriſti cum Eccleſia: hæc enim inſolubilitas quaſi ex natura rei conſequitur ad baptiſmum; unde eo ipſo, quod intendunt baptizari, virtualiter, & implicite intendunt etiam, ut præteritum matrimonium ſit inſolubile, adeoque etiam Sacramentum. Et hic ipſe novus conſenſus eſt ſigno externo baptiſmi expreſſus, eſt nova materia, & nova forma hujus Sacramenti. Et quamvis aliàs ad matrimonium de novo contrahendum inter eos, qui antea nunquam conjuges fuerunt, non ſufficiat ejuſmodi conſenſus implicitus, & interpretativus in ipſa ſuſceptione Baptiſmi incluſus: ſufficit tamen ad matrimonium illud, quod non eſt omnino novum quoad ſubſtantiam, ſed ſolum quaſi novum in ratione Sacramenti, & indiſſolubilitatis, quia ſcilicet prius matrimonium, quod erat contractus naturalis, profanus, & ſolubilis, poſt Baptiſmum efficitur inſolubilis, ſacer, & repræſentans unionem Chriſti cum Eccleſia, *Sanch. cit. diſ. 9. num. 6. Tanner. cit. dub. 3. num. 54.* Porro matrimonium fidelis ex diſpenſatione ſancti Pontificis contractum cum cathecumena nondum baptizata, ex parte neutrius eſt Sacramentum. Ratio eſt, quia matrimonium in utroque conjuge baptizato, & non baptizato eſt unum numero Sacramentum, ſicut eſt unus numero contractus: ergo ſi in uno non eſt Sacramentum, nec in altero erit, ideoque uterque conjux debet eſſe capax Sacramenti, *Sanch. cit. l. c. diſ. 8. n. 2. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 2. n. 1.*

LXXII. Reſpondetur 3. Matrimonium inter fideles, ſeu baptizatos eſt vere, ac proprie dictum Sacramentum novæ legis a Chriſto inſtitutum. Eſt de fide, ac definitum in Concilio Tridentino *Seſſ. 24. de Sacram. matr. can. 1.* contra Lutheranos, & alios Sectarios. Probatur 1. ex Apoſtolo ad *Epheſ. 5.* Ubi expreſſe matrimonium appellatur Sacramentum; cum enim dixiſſet Apoſtolus: *Propter hoc*

relin-

Digitized by Google

relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ (per conjunctionem matrimonialem) *& erunt duo in carne una*, ſubjungit, *Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia*, quia ſcilicet per matrimonium ſignificatur conjunctio Chriſti ſpiritualis per gratiam, & charitatem cum Eccleſia; conſequenter Deus inſtituit, ut matrimonium contrahentibus ſpiritualis gratia conferatur, ſine qua recta, ac debita conjunctio animarum inter conjuges conſiſtere non poteſt. Eſt ergo matrimonium Sacramentum, quia eſt ſignum rei ſacræ, eſt enim expreſſum, & viſibile ſignum unionis Chriſti cum ſponſa Eccleſia per charitatem, & confert gratiam, ut habetur in *cit. can.* 1. Idque confirmatur, quia cum matrimonium ex Chriſti lege *Matth. c.* 5. & 19. ſit vinculum perpetuum, & indiſſolubile permanendi cum conjuge ſterili, morbida, &c. eſſet hoc jugum intolerabile, niſi idem Chriſtus promiſſionem gratiæ Divinæ annexuiſſet ad onera matrimonii ſuſtinenda, concupiſcentiæ ardorem extinguendum, liberos pie edocandos &c. Deus autem in neceſſariis non deficit, *Sanch. cit. l.* 2. *diſ.* 10. *num.* 2. *Tanner. c. l. num.* 21. Non obſtat, quod Eccleſia poſſit irritare matrimonium, & tamen Sacramentum irritare non poteſt, nam irritat matrimonium v. g. clandeſtinum, quatenus eſt civilis contractus, quo irritato, deſinit etiam Sacramentum ei annexum: ſicut irritat Eccleſia etiam Sacramentum pœnitentiæ, tollendo juriſdictionem neceſſariam ad abſolutionem a peccatis.

LXXIII. Porro quod attinet ad tempus, quo inſtitutum eſt hoc Sacramentum, de eo non ſatis conſtat; aliqui putant *Joan.* 2. in nuptiis factis in Cana Galilææ approbatum fuiſſe, inſtitutum autem *Matth. c.* 19. dum Chriſtus illud approbavit, ejuſque inſeparabilitatem præcepit, dicens: *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, *Sanch. cit. l. diſ.* 4. *num.* 5. & alii apud ipſum: *Tanner.* vero *cit. diſ.* 8. *q.* 2. *num.* 26. exiſtimat, inſtitutum tempore XL. dierum, quibus Chriſtus, poſt paſſionem ſuam, præbuit ſeipſum vivum Apoſtolis, & loquens de Regno DEI, hoc eſt, de pertinentibus ad ſtatum Eccleſiæ, *Actor.* 1.

LXXIV. Reſp. 4. Matrimonium inter fideles, & baptizatos nunquam poteſt iniri ſine Sacramento, nec ab eo ſeparari, *Sanch. cit. l.* 2. *diſ.* 10. *num.* 6. Ratio eſt, quia Chriſtus contractum matrimonii ad Eſſe, ſeu rationem Sacramenti elevando, ita hæc inſeparabiliter conjunxit, ut ſeparari nullo modo poſſint. Quare volentes ita contrahere matrimonium, ut abſolute, & nullo modo velint ſuſcipere Sacramentum, nihil efficiunt, intentio enim hæc poſterior priorem elidit, ac deſtruit: cum Eſſe, ſeu ratio Sacramenti, ex Chriſti inſtitutione ſit inſeparabilis a contractu matrimonii. Aliud eſt, ſi Acatholici contrahentes matrimonium, propter errorem ſpeculativum, quo putant, matrimonium non eſſe Sacramentum, nolunt ſuſcipere Sacramentum: ita tamen, ut velint contrahere eo modo, quo ſolent fideles & Chriſtiani, & in Eccleſia Chriſti conſuetum eſt: hi enim nihilominus ſuſcipiunt Sacramentum, ita ut tale matrimonium diſſolvi non poſſit: quia cum ratio Sacramenti, ex Chriſti inſtitutione, ſit matrimonio inſeparabiliter annexa, non poteſt illud, privata, ac peculiari intentione, vel errore contrahentium a matrimonio ſeparari: alias enim etiam inter Catholicos, & Orthodoxos privata intentione matrimonium a Sacramento ſeparari poſſet. Unde ulterius ſequeretur, quod hujuſmodi matrimonia non eſſent omnimode indiſſolubilia, quia omnimoda inſeparabilitas deſumitur a ratione Sacramenti, ut infra dicemus, & notat *Tanner. cit. diſ.* 8. *qu.* 2. *dub.* 3. *num.* 47.

LXXV. Quæritur 2. Quæ ſit materia, & forma Sacramenti matrimonii? Variæ ſunt hac de re Auctorum ſententiæ, quibus omiſſis, Reſpondetur, materia circa quam, ſive remota ſunt ipſa corpora contrahentium, ut docet *Henric.* in *Summa lib.* 11. *c.* 2. §. 4. quia corpora habent ſe in matrimonio, ſicut aqua in Baptiſmo, & peccata in Sacramento pœnitentiæ, quæ ſunt materia remota, nam circa corpora contrahentium verſatur mutua traditio, & acceptatio. Materia vero proxima eſt ipſa traditio corporum: forma vero eſt mutua acceptatio verbis, vel aliis ſignis expreſſa: ſive quod fere in idem recidit, verba, ſeu ſigna, quibus conſenſus exprimitur, ſive potius ipſe conſenſus mutuus utriuſque conjugis ſignis externis expreſſus, quatenus habet rationem traditionis, eſt materia: quatenus vero habet rationem acceptationis, eſt forma, adeoque hi duo conſenſus utriuſque conjugis ſunt ſibi invicem materia, & forma, ſecundum diverſas rationes, ita *Sanch. l.* 2. *diſ.* 5. *num.* 6. *Tanner. cit. diſ.* 8. *q.* 2. *dub.* 2. *n.* 37. Probatur, quia illud eſt tanquam materia in aliquo contracto, quod habet rationem indeterminati, & imperfecti: illud vero eſt tanquam forma, quod habet rationem determinantis, & perficientis; proprium enim formæ eſt determinare materiam, eamque perficere: atqui conſenſus verbis expreſſus, per quem fit traditio corporum, ſive ipſa mutua traditio verbis, vel aliis ſignis expreſſa, per quam quilibet conjugum tradit ſui corporis poteſtatem alteri, antequam acceptetur, eſt ex ſe imperfecta, inefficax, & indeterminata, ut rata ſit, vel irrita, accedente autem acceptatione, qua quilibet acceptat traditionem ſibi per alterum factam, perficitur, & determinatur ipſa traditio, ut ſit rata, & efficax ad producendam obligationem matrimonialem: ergo mutua traditio, ſive verba illam exprimentia, aut quod idem eſt, conſenſus verbis expreſſus, prout importat traditionem corporum habet rationem materiæ: & mutua acceptatio per verba illam exprimentia, ſive conſenſus verbis expreſſus, prout importat acceptationem, habet rationem formæ. Paulo aliter loquitur de hac re *Laym. cit. p.* 2. *c. num.* 3. Ubi ait, materiam Sacramenti matrimonii eſſe corpora conjugum mutuo tradenda: formam vero eſſe verba conjugum contrahentium. Idque probatur 1. quia in quovis contractu materia dicitur illa res, quæ in commutationem venit, ſive de qua contractus inſtituitur, ut in venditione merx, & pretium ſunt materia; ſed in contractu matrimonii agitur de corporibus viri, ac fœminæ ſibi invicem tradendis: ergo hæc ſunt materia hujus contractus. Deinde conjuges mutuo conſenſu conjuncti, ſive copulati, ſunt externum ſacrum ſignum ſpiritualis perpetuæ conjunctionis inter Chriſtum, & Eccleſiam, adeoque ſunt pars Sacramenti, & quidem ſubjectiva, ſive materialis: verba autem, per quæ hæc viri, & fœminæ conjunctio expreſſe ſignificatur, ſunt pars formalis, ſive forma hujus Sacramenti.

LXXVI. Quæritur 3. Quis ſit miniſter Sacramenti matrimonii, & an Sacerdos? Reſp. Ipſi contrahentes, ſeu conjuges ſunt miniſtri hujus ſacramenti, non Parochus, ut eſt communis, ac certa ſententia apud *Sanch. l.* 2. *diſ.* 6. *num.* 2. Probatur 1. quia ille eſt proprie miniſter Sacramenti, qui formam verborum profert, quibus Sacramentum conficitur: at conjuges proferunt verba, quibus Sacramentum matrimonii conficitur: ergo ipſi ſunt miniſtri. Deinde cum matrimonium ſit contractus, cujus naturam Chriſtus elevando illum ad rationem Sacramenti, non immutavit, ideo ſequitur aliorum contractuum naturam; ſicut ergo in aliis contractibus ipſi contrahentes efficiunt contractum: ita etiam in contractu matrimoniali, idem eſt miniſter conferens Sacramentum, qui eſt miniſter efficiens contractum. Nec obſtat, quod in cæteris Sacramentis miniſter ſit Sacerdos, ex inſtituto per Sacri Ordinis ſuſceptionem ordinatus ut ſit miniſter Sacramentorum: nam ſicut illud ſpeciale eſt, ac proprium Sacramenti matrimonii, quod conſiſtat in contractu ipſorum ſuſcipientium: ita etiam ſpeciale, ac proprium eſt ejuſdem, quod ipſimet ſuſcipientes hoc Sacramentum ſint ejuſdem miniſtri, non alii, *Tanner. cit. diſ.* 8. *q.* 3. *dub.* 1. *n.* 1. & 2.

LXXVII. Ubi notandum, cum matrimonium in nova lege Evangelica ſit Sacramentum a Chriſto inſtitutum, ad cujus eſſentiam requiritur materia, forma, & miniſter, cum intentione faciendi, quod intendit facere Eccleſia, ut patet ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii IV. pro inſtructione Armenorum; hinc videtur nullus alius aſſignari poſſe Miniſter hujus Sacramenti, quam aſſiſtens matrimonio Sacerdos, adeo ut ſine ejus conſenſu contractum non ſit Sacramentum. Sed oppoſitum omnino eſt tenendum, quia cum Eccleſia Catholica ſemper docuerit matrimonium eſſe Sacramentum, atque definitum ſit matrimonium clandeſtinum ſemper fuiſſe verum matrimonium, ſequitur ſimiliter definitum eſſe matrimonium clandeſtinum eſſe Sacramentum, etiam ſine parocho initum, ut olim ante Concilium Trident. initum fuit: adeoque Parochi præſentiam non requiri ad valorem Sacramenti matrimonii, ut ipſe tanquam legitimus Miniſter Sacramentum adminiſtret. Cur autem Parochus adhiberi debeat, infra dicetur Tit. 3. Nec refert, quod Parochus, dum aſſiſtit contractui matrimoniali, dicat ex præſcripto Concilii Trident. *Seſſ.* 24. *c.* 1. *de reform. matr. Ego vos in matrimonium conjungo*, *in nomine Patris &c.* quia hæc verba proferuntur a Sacerdote, non tanquam Miniſtro Sacramentum adminiſtrante, ſed declarante, ſeu confirmante, quod inter ipſos contrahentes fit, vel factum eſt, adeoque id non efficit, ſed confirmat, ſeu approbat, *Sanch. cit. diſ.* 6. *n.* 6. Quamvis Sacerdos aſſiſtens etiam aliis verbis uti poſſit, juxta receptum cujuſcunque Provinciæ ritum, ut additur in Concil. Trident. *cit. c.* 1.

LXXVIII. Quæritur 4. Utrum matrimonium, inter abſentes, per Procuratorem, vel Epiſtolam, contractum, ſit validum, & an ſit Sacramentum? Reſp. 1. Matrimonium initum per Procuratorem fuit validum ante Concilium Tridentinum, ut conſtat ex *c. ult. de Procuratorib.* in 6. & ratio eſt, quia Chriſtus elevando matrimonium ad rationem Sacramenti, non immutavit ejus naturam: ergo quicquid ſufficit ad rationem contractus matrimonialis, ſufficit etiam inter Chriſtianos ad rationem Sacramenti; ſed alii contractus, ſuapte natura, poſſunt celebrari inter abſentes per Procuratorem: ergo etiam Sacramentum matrimonii, *Sanch. l.* 2. *de matrim. diſ.* 11. *num.* 2. Ad hoc autem requiruntur in *cit. c. ult.* tres conditiones: prima eſt, ut habeat Procurator ſpeciale mandatum ad matrimonium contrahendum loco alterius, & quidem cum certa perſona. 2. Ut per ſeipſum hoc negotium paragat, nec alium ſubſtituat, niſi hoc expreſſe in mandato ſit ei conceſſum, quia cenſetur electa induſtria perſonæ. 3. Ut tempore intermedio mandatum non revocetur, ſed hac de re plura dicta ſunt ſupra *libro primo*, *Titulo* 38. §. 4. *num.* 26. & *pluribus ſeqq.*

LXXIX. Ubi præterea notandum 2. matrimonium contractum per Procuratorem eſt validum, etiam in locis, ubi Concilium Tridentinum eſt receptum, modo contrahentes ſuum conſenſum coram Parocho, & teſtibus, per ſuos

Pro-

Digitized by Google

Procuratores, tanquam per ſuos interpretes, exprimant. Eſt communis ſententia, & patet ex praxi Eccleſiæ uſitata, præſertim inter Principes Chriſtianos: probatur I. quia Concilium Tridentinum ideo ſolum irritavit matrimonia clandeſtina, eo quod in facie Eccleſiæ probari non poſſint, eo quod multa, & gravia ſequi conſueverant incommoda: atqui matrimonium contractum per Procuratorem publice, id eſt, coram Parocho, & teſtibus, poteſt probari in facie Eccleſiæ; ergo non irritavit Concilium tale matrimonium. Porro etſi non requiratur, ut Procurator accipiat mandatum coram Parocho, & teſtibus, neceſſarium tamen eſt, ut hi ſive ex literis inſtrumenti, ſive ex aliis ſufficientibus indiciis cognoſcant, mandatum Procuratoris ad contrahendum matrimonium, alioquin enim nec intelligent, nec in foro externo teſtari poterunt, matrimonium inter conjuges contractum eſſe, *Coning. tr. de Sacram. diſ. 24. dub. 9. n. 78.*

Notandum 2. Ut quis valide contrahat matrimonium per Procuratorem non requiritur, ut tunc, quando fit contractus, utatur ratione, ſed ſatis eſt, quod compos rationis, ac libere illud mandatum dederit, nec id poſtea revocaverit: unde etiamſi poſtmodum, tempore contractus, principalis contrahens dormiat, vel ebrius, aut amens ſit, adhuc externus contractus Procuratoris eſt vere liber, & humanus (modo Procurator dum actu contrahit, ratione utatur) quia a libero mandato principalis contrahentis imperatus fuit, qui ſolus actus, ex parte mandantis, in illum contractum per Procuratorem geſtum influit: omnes autem actus ſequentes mandantis, per quos mandatum non revocatur, ſunt impertinenter: ſecus eſt, ſi quis in ebrietate, vel amentia per ſe ipſum contraheret matrimonium, tunc enim nihil ageret, etſi ante intendiſſet contrahere, dum ebrius, vel amens eſt, quia hoc caſu externus contractus matrimonii non eſt liber, & humanus, *Coning. c. l. num. 71.*

LXXX. Reſpondetur 2. Matrimonium per Procuratorem contractum eſt Sacramentum conferens gratiam, ex certa, & communi ſententia apud *Sanch. cit. diſ.* 11. *n.* 27. & alii apud ipſum. Probatur, nam omne matrimonium legitimum inter baptizatos eſt Sacramentum, quia Chriſtus elevans contractum naturalem matrimonii ad Eſſe Sacramenti, nihil aliud requiſivit in baptizatis quam id, quod requiritur ad legitimum contractum matrimonii: ſed matrimonium initum per Procuratorem eſt legitimus contractus; ergo etiam eſt validum Sacramentum. Confirmatur, quia Concilia Generalia dicunt, matrimonium, quod ante legem Evangelicam erat merus contractus naturalis, eſſe modo Sacramentum, ſed matrimonium, ut contractus, & ut Sacramentum, eſt idem numero, & reipſa, & ſolum differunt, quia prout reſpicit vinculum contrahentium, dicitur contractus: prout autem elevatum eſt a Deo ad repræſentandam unionem Chriſti cum Eccleſia per charitatem, dicitur Sacramentum: ſi ergo, ut contractus, poteſt celebrari per Procuratorem, poterit etiam, ut Sacramentum: *Sanch. cit. lib. num.* 27. Porro quando matrimonium initur per Procuratorem, ipſe Procurator non eſt Miniſter, nec in ipſo recipitur Sacramentum, nec verba ipſius ſunt materia, & forma Sacramenti, ſed ipſi principales contrahentes, *Sanch. cit. lib. num.* 28. & patet ex ſupra dictis. Non obſtat, quod abſolutio Sacramentalis non poteſt dari abſenti, ſicut nec alia Sacramenta conferri poſſunt abſentibus. Sed reſpondetur judicium externum poteſt inſtitui inter abſentes, quia perſonæ hujus judicii ſunt diſtinctæ, ut auctor, reus, & teſtis. Judicium vero pœnitentiale eſt judicium internum & occultum, in quo pœnitens eſt ſimul accuſator, reus, & teſtis, & a præſenti diſpoſitione pœnitentis neceſſario dependes, ideoque præſentiam Miniſtri, ac pœnitentis requirit, *Tanner, cit. diſ.* 8. *q.* 2. *dub.* 3. *n.* 47. Deinde id ſpeciale eſt in matrimonio, quod cum ſit contractus, ſequitur naturam aliorum contractuum, qui inter abſentes celebrari poſſunt, ergo & matrimonium. Neque enim obſtat, quod inde ſequeretur, aliquem abſentem, non ſolum dormientem ſuſcipere Sacramentum, & recipere gratiam ex opere operato, ſed etiam illud miniſtrare, & conficere. Ad hoc dicendum, neutrum eſſe inconveniens. Non primum; quia etiam alia Sacramenta, ut Baptiſmus, pœnitentia, & abſolutio, ac extrema Unctio poſſunt recipi a dormiente, qui ea vigilans deſideravit. Neque vero matrimonium phyſice cauſat gratiam, ſed ſolum moraliter, & ſic dum Procurator contrahit matrimonium, conſenſus principalium etſi tranſiverint, ſunt adhuc præſentes moraliter, & operantur, ut cauſa moralis. Neque ſecundum eſt inconveniens in Sacramento, quod conſiſtit in contractu, talia enim Miniſter operatur ex virtuali intentione, quando Procurator operatur juxta ejus mandatum non revocatum, *Sanch. cit. diſ.* 11. *num.* 32.

LXXXI. Reſpondetur 3. Etiam poſt Concilium Tridentinum valide poteſt contrahi matrimonium per Epiſtolam, *Sanch. l. 2. de matr. diſ.* 12. *num.* 3. & alii. Probatur, quia non eſt inducenda Jurium correctio, ſine neceſſitate: hic autem nulla eſt neceſſitas, cum poſſint ſervari omnia præſcripta a Concilio Tridentino ad valorem matrimonii. Veluti ſi in litteris quis ſcribat, ſe non tantum de præſenti in Annam v. g. conſentire tanquam in uxorem, ſed etiam ipſius viciſſim conſenſum ex nunc acceptare, ipſo tempore, quo illum præſtabit: tali enim Epiſtola lecta coram Parocho, & teſtibus, & Anna coram iiſdem conſentiente, adſunt omnia requiſita ad matrimonium, ſecundum Concil. Tridant. *Sanch. c. l. n.* 3. Ubi etiam alium modum contrahendi matrimonium per litteras ponit: ut ſi Titius, qui accepit Epiſtolam ab Anna, reſcribat mittenti, ſe accepiſſe litteras ab illa, in quibus de præſenti conſenſit in ipſum tanquam in maritum; & ſimiliter ſe conſentire in ipſam, tanquam in uxorem, tunc enim ſi Epiſtola iſta legatur coram Parocho, & Teſtibus, & coram illis Titius conſenſum exprimat, validum eſt matrimonium, quia conſtat Parocho, & teſtibus de mutua traditione, & acceptatione traditionis utriuſque conjugis. Quod autem hujuſmodi matrimonium ſit etiam Sacramentum, conſtat ex ſupra dictis.

§. III.

De conſenſu requiſito ad matrimonium.

LXXXII. Quæritur 1. Quomodo conſenſus internus debeat neceſſario exterius exprimi? Reſp. Ad valorem matrimonii non eſt ſatis, ut contrahentes in obligationem conjugalem de præſenti conſentiant, ſive internum conſenſum habeant, ſed Jure quoque naturali requiritur, ut exprimant hunc conſenſum, eumque mutuo acceptent, prout conſtat ex *c. Licet 3. de ſponſa duorum*, ubi poſtquam dictum eſt, matrimonium contrahi per legitimum conſenſum de præſenti inter virum, & mulierem, ſubjungitur, *ita ut unus alterum, cum mutuo conſenſu verbis conſuetis expreſſo, recipiat:* vel aliis ſignis externis, ut ſupra dictum. Ratio eſt, quia nullus humanus contractus iniri poteſt, niſi utriuſque contrahentis voluntas exprimatur, & mutuo ſibi innoteſcat, *Tanner c. diſ.* 8. *q.* 3. *dub.* 5. *n.* 88. Non eſt autem neceſſarium ad valorem matrimonii, ut actualis utriuſque conjugis conſenſus ſimul, & eodem tempore exprimatur, modo ſecundum moralem æſtimationem, non nimis longum temporis intervallum inter unius, & alterius conſenſum intercedat, & conſenſus prioris conjugis interea non ſit expreſſe vel tacite revocatus, *Sanch. lib.* 2. *diſ.* 32. *n.* 3. *& 7. Coning. tract. de Sacram: diſ.* 24. *dub.* 7. *num.* 15. Ratio eſt, quia etiam in aliis contractibus non eſt neceſſe, ut utriuſque conſenſus acta ſint ſimul, quia alias inter abſentes celebrari non poſſent, matrimonium autem ſequitur naturam contractuum aliorum. Deinde idem etiam fit in Sacramento Pœnitentiæ; in quo confeſſio, quæ eſt pars materialis hujus Sacramenti, multo tempore poteſt præcedere abſolutionem, quæ eſt ejus forma: quantum autem temporis debeat effluxiſſe, ut prioris conſenſus cenſeatur revocatus, nec virtute manare, non poteſt generatim definiri, ſed prudentis arbitrio, ex variis circumſtantiis conſiderandum relinquitur, *Coning. c. l. num.* 58. Requiritur tamen ad valorem matrimonii, ut utriuſque conjugis conſenſus, ſaltem habitualiter exiſtat, quia alioquin non poſſet ex utriuſque partis conſenſu unus contractus conſtitui, *Coning. c. l. n.* 56.

LXXXIII. Quæritur 2. An quando matrimonium fuit irritum, quia alter conjugum ficte, vel gravi metu coactus conſenſit, tunc ſufficiat, ſi hic ſolum poſtea conſenſum in matrimonium renovet: an vero neceſſe ſit, ut uterque denuo conſentiat? Reſp. Probabilius eſt, ſatis eſſe, ſi ille, qui illegitime conſenſit, denuo conſentiat, nam cum alterius conſenſus fuerit validus, ac legitimus, iſque virtualiter, ſeu habitualiter adhuc perſeveret, nec revocatus ſit, ut ſupponitur, adeoque ex parte illius nihil deſideretur: ſolus autem deficiat conſenſus illius, qui ficte, aut ex metu conſenſit, conſequens eſt, accedente legitimo conſenſu ex parte hujus matrimonium convaleſcere, *Sanch. cit. lib.* 2. *diſ.* 32. *num.* 9. Secus eſt, ſi uterque ficte, aut ex gravi metu invalide conſenſiſſet, tunc enim debet uterque conſenſum renovare, quia cum uterque conſenſus fuerit omnino nullus, perinde eſt, ac ſi matrimonium penitus non eſſet contractum. Idemque, ſi matrimonium irritum ſit, ob aliquod impedimentum dirimens, *Sanch. cit. l. num.* 31.

LXXXIV. Quæritur 3. Si aliqui contrahunt ſponſalia, vel matrimonium per verba obſcura, quomodo ea ſint intelligenda? Reſp. Si verba contrahentium ſponſalia, vel matrimonium, ſint obſcura, ſecundum communem ſignificationem, ſeu loquendi modum intelligenda ſunt, prout „ ſumitur ex *c. litteris. 7. h. t.* Ubi cum conſultus fuiſ„ ſet Papa Alexander III. quid debeat obſervari, quando „ inter aliquos ſponſalia (de præſenti ut patet ex contex„ tu) contrahuntur, ita ut alter non intelligat, quod al„ ter proponit? Reſpondet Papa, quod Judex inſpicere „ debet, an tales ad contrahendum matrimonium ſint ido„ nei, ſcientia (id eſt, diſcretione) & ætate: quo cognito, „ ſi alter non intellexit, quod alter propoſuit, ad com„ munem verborum intelligentiam recurrendum eſt: „ & uterque cogendus eſt, verba prolata in eo ſenſu re„ tinere & ſervare, quem ſolent apud recte intelligentes „ habere.

LXXXV. Ubi notandum 1. Duo neceſſario requiruntur in contractibus matrimoniorum, imprimis ſcientia, ſive judicium diſcretionis, quo quis intelligat, quid agat: unde furioſi, amentes, & ebrii, ſi tanta ſit ebrietas, ut uſu rationis privet, matrimonium contrahere non poſſunt, *rep.*

Nr.

Digitized by Google

Neque 26. *cauſ.* 32. *q.* 7. de quo dictum ſupra n. 10. *h. t.* Deinde requiritur ætas legitima, nempe pubertatis, quæ in maſculo incipit poſt XIV. annum, & in fœmina poſt XII. niſi malitia, ſive ſagacitas naturæ ſuppleat ætatem, de quo plura *Tit. ſeq.*

Notandum 2. Si intentio, ſeu conſenſus internus deſit, nulla ſponſalium, aut matrimonii oritur obligatio in foro interno, & coram DEO, qualiacunque ſint verba: & e converſo, ſi adſit intentio ſe obligandi vinculo ſponſalium, aut matrimonii, eaque manifeſtetur ſigno aliquo externo, ita ut ambo contrahentes intelligant, ſe mutuo velle contrahere ſponſalia de præſenti, vel matrimonium, id ſatis eſt, qualiacunque ſint verba, *Sanch. l.* 1. *de matr. diſ.* 18. *num.* 2.

Notandum 3. In foro externo, ſi de verborum interpretatione dubitetur, non ſtatur intentioni contrahentium, quia ea Eccleſiam latet, ſed ea interpretanda ſunt ſecundum communem loquendi uſum, ſive eo ſenſu, quo communiter a recte intelligentibus accipiuntur, ut dicitur in hoc *c. Sanch. c. l. n.* 4. non enim in opinionibus ſingulorum, ſed ex communi uſu loquendi verba æſtimanda ſunt, *l. Labeo* 7. *ff. de ſuppell. legat.*

Notandum 4. Etſi verba loquentium ſint intelligenda ſecundum eorum intentionem, quia verba intentioni deſerviunt, & non intentio verbis; verba enim inventa ſunt, ut per ea intentionem quis ſuam exprimat, *c. Humanæ.* 11. *cauſ.* 22. *q.* 5. *c. Intelligentia.* 6. & ibi *Gl. infr. de V. S.* Excipi tamen debet, niſi tempore contractus conſtet, aliam fuiſſe mentem contrahentium, ut ſi aliqui rudes, & ſimplices, exiſtimantes matrimonium non eſſe contractum perpetuum, vellent tantum ad tempus inter ſe contrahere matrimonium, & ad cohabitandum conjugaliter ſe obligare, non in perpetuum, ſive uſque ad mortem, idque ſufficienter exprimerent: tale enim matrimonium foret nullum, propter defectum perpetui conſenſus, qui ad validum matrimonium requiritur, *c. Solet.* 6. *cauſ.* 32. *q.* 2. *Caniſ. in cit. c. Ex literis.* 7. *n.* 4. *h. t.*

Notandum 5. Si matrimonium ſit contractum per interpretem, ſicut fieri poteſt, cum & cæteri contractus poſſint celebrari per interpretem, *l.* 1. §. *fin. ff. de V. O.* tum integra fides danda & interpreti, cum fuerit communi conſenſu contrahentium electus: & ſi dubium incidat ex eo, quia alter contrahentium dicit, ſe non intellexiſſe verba interpretis, ad communem ſenſum, ſeu ſignificationem verborum recurrendum eſt, juxta cit. *c. Ex literis.* & ubi *Gl. V. Intellexerit. h. t. Covarr. in Epitom. libr.* 4. *Decret. p.* 2. *c.* 2. §. 1. *num.* 3. *Sanch. lib.* 3. *de matrim. diſ.* 39. *n.* 3. *&* 4.

LXXXVI. Quæritur 4. An ſit vere matrimonium contractum, quando vir & mulier ſibi invicem promittunt, quod ex eo tempore habebunt ſe pro Conjugibus, & fidem ſibi invicem conjugalem ſervabunt? De hac re agitur in *c. Ex parte.* 9. *h. t.* Nam cum quidam Andreas nomine, juraſ-
„ ſet mulieri C. quod eam ab eo tempore pro Conjuge
„ teneret, & ei ſicut uxori ſuæ fidem ſervaret; ipſaque
„ viciſſim ſimiliter juraſſet Andreæ, ſe illum pro marito
„ habituram, & fidem ei tanquam viro ſuo ſervaturam:
„ quo facto, dictus Andreas nihilominus eandem reliquit
„ (ſupple, & cum alia contraxit, *Gloſ. hic V. Eandem.*)
„ Quare mandat Pontifex Abbatibus a ſe delegatis, ut eun-
„ dem ſuperinducta dimiſſa, ad uxorem ſuam redire, mo-
„ nitione præmiſſa, per Eccleſiaſticam cenſuram cogant,
„ quia nemini licet, ſine manifeſta cauſa fornicationis,
„ uxorem ſuam dimittere; & tunc vel ipſam ſibi reconci-
„ liaret, vel ſe continere debet, ipſa vivente.

LXXXVII. Notandum 1. Si vir, & mulier juraverit (ut in caſu hujus c.) vel etiam ſine juramento promiſerint, per verba importantia executionem (quæ ſonant de futuro, ſed ſignificant conſenſum de præſenti) ſe invicem pro Conjugibus habituros, vel mutuam fidem conjugalem ſervaturos, tunc inter eos cenſetur matrimonium contractum, prout ſumitur ex hoc c. ut ſi dicit: *ex nunc, vel ab hoc tempore, vel deinceps habebo te pro uxore, vel tractabo te ſemper ut uxorem*, quia verba hæc, etſi ſint futuri temporis quoad ſonum, tamen reipſa important conſenſum de præſenti, ſi enim quis promittat, quod ex nunc, & deinceps ſemper hanc fœminam habebit pro uxore, ſeu tractabit ut uxorem: ergo modo eſt uxor ipſius, *Sanch. l.* 1. *de ſponſ. diſ.* 18. *n.* 14. Quamvis vero in *cit. c. Ex parte.* in reſponſione mulieris non apponantur hæc verba, *ab hoc tempore*, quæ faciunt, ut conſenſus de futuro importet conſenſum de præſenti, tacite tamen ſubintelliguntur, cum reſpondeat, juxta præcedentia verba viri, *Sanch. cit. l. n.* 21.

Notandum 2. Per hujuſmodi verba, *habebo te in uxorem, vel promitto, quod ducam te in uxorem*, non matrimonium, ſed tantum ſponſalia de futuro contrahuntur, quia non continent tempus præſens, ſed tantum futurum; verba enim, quæ competunt contrahendo matrimonio, ſi proferantur in futuro tempore non deſignant matrimonium de præſenti contractum: Ut ſi Petrus dicat Annæ: *habebo te in uxorem*, illa verba poſſunt intelligi eſſe vera, quamvis Petrus illam non habeat in uxorem: ergo non ſunt neceſſario referenda ad matrimonium præſenti conſenſu contractum, *Covarr. cit. c.* 4. §. 1. *num.* 5. apud quem plura de hujuſmodi verborum formulis videri poſſunt, & dictum etiam ſupra *ſec.* 1. §. 1. *num.* 7.

LXXXVIII. Quæritur 5. An matrimonium contractum non ſervata lege, vel conſuetudine loci, ſeu regionis, in qua matrimonia celebrari ſolent, ſit validum? Reſp. de hac quæſtione agitur in *c. De Francia.* 1. *h. t.* Ubi refer-
„ tur, quod quidam ex Francia Orientali, ſive Franconia
„ duxit nobilem mulierem ex Saxonia oriundam in uxo-
„ rem, ſecundum legem, ſeu morem Saxonum; ſed quia
„ eam non ſecundum legem, ſeu conſuetudinem Franco-
„ num, ſive Francorum, deſponſaverat (de præſenti ſcili-
„ cet) ideo illa dimiſſa, aliam in uxorem duxit, (putabat enim ad ſubſtantiam matrimonii ſufficere, ut contrahatur ſecundum legem, ſeu conſuetudinem patriæ, *Gl. hic V. Francorum lege*) Quare S. Concilium Triburienſe
„ decrevit, ut ille tanquam tranſgreſſor Evangelicæ legis (qua vetatur quis dimittere uxorem ſuam, & aliam ducere, ut *quod DEUS conjunxit, homo non ſeparet, Matth.*
„ *c.* 19. *& c. Ex parte.* 9. *h. t.*) pœnitentiæ ſubjicietur,
„ & a ſecunda uxore ſeparetur (quæ non erat legitima
„ uxor) & ad priorem redire cogatur.

LXXXIX. Pro declaratione hujus c. notandum 1. Validum eſt matrimonium contractum, licet conſuetudines, vel ſolemnitates patriæ non ſerventur, ut patet ex hoc c. Et ratio eſt, quia conſuetudo, cum ſit juris poſitivi, ſive humani, nullam vim habere poteſt contra matrimonium legitime contractum, nec illud quoad ſubſtantiale irritare, vel tollere poteſt, quippe quod oritur ex Jure, ſeu Lege Divina, ideoque non poteſt ei præjudicare ulla conſuetudo, *Hoſtienſ. hic V. Superinduxit, Abb. ibid. num.* 3. *&* 7. ubi addit, idem eſſe dicendum de Statutis editis contra ea, quæ pertinent ad ſubſtantiam matrimonii, cum hoc pertineat ad forum Eccleſiaſticum, non autem ſæculare. Id vero intelligendum eſt, non tantum de conſuetudine laicorum, qui nullam habent poteſtatem diſponendi de rebus ſpiritualibus, ſed etiam de conſuetudine communi Clericis, & laicis, quia hoc cap. ſimpliciter, & generaliter loquitur de conſuetudine, ad quam inducendam requiritur conſenſus totius, vel majoris partis populi, adeoque loquitur de conſuetudine tam laicorum, quam Eccleſiaſticorum, cum & hi ſint de populo, ſeu Univerſitate; ſicut autem laici, ita etiam Clerici carent poteſtate ſtatuendi de his, quæ pertinent ad eſſentialia matrimonii, cum hæc ſint S. Pontifici reſervata, adeoque nec conſuetudo illorum poteſt in his præjudicare matrimonio, *Fagn. in c.* 1. *n.* 15. *de cognat. ſpirit.* Neque vero talis conſuetudo poteſt eſſe legitime præſcripta, cum ſit contra Jus Divinum, ut probatur ex *cit. c.* 1. ibi: *ille tranſgreſſor Evangelicæ Legis*, *h. t.* adeoque nullo unquam tempore etiam immemoriali, poteſt præſcribi, quia nulla lex, & nulla conſuetudo poteſt præjudicare Legi Divinæ, *Hoſtienſ. hic. Fagn. c. l. num.* 16.

Notandum 2. At vero circa accidentalia, ſeu acceſſoria matrimonii, poteſt conſuetudo patriæ, ſeu Regionis, in qua contrahitur matrimonium, valere, & diſponere, ut docet *Hoſtienſ. hic. & Abb. num.* 7. Cujuſmodi ſunt, ut nullum conjugium fiat ſine dote, & ut nuptiæ publice celebrentur, ut ſponſus, & ſponſa benedicantur a Sacerdote, & a Paranymphis offerantur, & aliæ ſimiles cæremoniæ adhibeantur, de quibus in *c. Aliter.* 1. *c. Sponſus*, 5. *c. Nullum.* 6. *& ſeqq. cauſ.* 30. *q.* 5. quia hujuſmodi ſolemnitates ad eſſentiam matrimonii non pertinent, ſed potius ſpectant ad ejus probationem, ita ut ſi eas interveniſſe conſtiterit, non ſit fas dubitare de matrimonio legitime contracto: ſin vero omiſſæ fuerint, cenſetur concubitus illicitus, in dubio, *Caniſ. in cit. c.* 1. *num.* 2. *h. t.* Unde etiamſi hujuſmodi ſolemnitates non omnes interveniant in nuptiali fœdere, id peccatum non eſſe dicitur in *c. Noſtrates*, 3. *in fine, cit. cauſ. & q.* quia non exiguntur neceſſario, *Gl. fin. ibid.*

§. IV.

Utrum ad valorem matrimonii contracti a liberis neceſſarius ſit conſenſus parentum; & an patria poteſtas ſe extendat ad retinendas uxores filiorum?

XC. Ad priorem quæſtionem reſpondetur, matrimonium e liberis utriuſque ſexus, ſive maribus, ſive fœminis initum ſine conſenſu parentum, eſt validum, nec poteſt a parentibus, vel Magiſtratu infringi, vel irritari. Idque conſtat imprimis ex *c. Cum virum.* 1. *in fine, de Regular.* ubi dicitur quod puella in nubili ætate conſtituta, ſcilicet pubertate, non poſſit cogi ſequi voluntatem parentum, cum liberum habeat arbitrium in electione propoſiti, ſcilicet intrandi monaſterium, vel non, vel manendi in ſæculo, & nubendi. Idem definitum fuit in Concilio Tridentino *Seſſ.* 24. *c.* 1. *de Reform.* ubi damnat eos qui falſo affirmant matrimonia a filiisfam. ſine conſenſu parentum, contracta irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe, *Sanch. l. de matr. diſ.* 22. *n.* 3. Ratio eſt, quia quivis in iis, quæ ad ſtatus electionem pertinent, eſt liber, & ſui juris, nec pendet ab alterius arbitrio; quod maxime locum habet in ſtatu matrimonii, quia graviſſima onera annexa habet, eſtque indiſſolubilis, & perpetua quædam quaſi ſervitus, a qua a natura liberi ſumus: unde non debet ejus electio pendere ab aliorum voluntate, quam eorum, qui illum libere ſuſcipiunt; nec parentes poſſunt filios cogere ad ineundum matrimonium, *Sanch. cit. l. n.* 4. Ex quo ſequitur matrimonia filiorumfam. eſſe valida, non tantum ſi ignorantibus, ſed etiam ſi invitis parentibus ineantur, ſolus enim conſenſus eorum, de quorum conjunctionibus agi-

Digitized by Google

agitur, ad ſubſtantiam matrimonii ſufficit. Canones vero exigentes conſenſum parentum, intelligendi ſunt de honeſtate ac decentia, non de neceſſitate, ſeu obligatione. Leges autem Civiles decidentes matrimonium, ſine conſenſu parentum initum, eſſe irritum, ſunt abrogatæ per Jus Canonicum, *Sanch. c. l. n. 3.* Quando vero Juſtinianus *Inſtit. de nuptiis, in princ.* ait, quod Civilis, & naturalis ratio ſuadet, in nuptiis filiorum habendum eſſe conſenſum parentum, in quorum ſunt poteſtate: ſolum aſſerit, id ſuadere rationem naturalem, non autem præcipere ut neceſſarium: nam filius emancipatus legitime contrahit matrimonium ſine conſenſu parentum, *l. Filius. 25. ff. de ritu nupt.* ergo non requiritur conſenſus parentum in matrimoniis filiorum jure naturali, *Canif. in c. 1. n. 4. h. t.*

XCI. Porro filius matrimonium contrahens tenetur prius conſilium petere a parentibus, quia omnino conveniens eſt, ne filii in re gravi aliquid ſtatuant ſine conſilio parentum: non tamen tenetur filius conſilium datum ſequi, ſed poteſt licite inire matrimonium, etiam invitis parentibus, *Sanch. cit. l. 4. diſp. 23. n. 10.* ex doctrina *S. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. in Corp.* ubi ait, quod inferior non tenetur obedire ſuo Superiori, ſi ei aliquid præcipiat, in quo ei
,, non ſubditur: indeque infert, quod homo in iis, quæ ad
,, naturam corporis pertinent, non tenetur homini obedi-
,, re, puta in iis, quæ pertinent ad hominis ſuſtentatio-
,, nem, & prolis generationem, unde non tenentur filii
,, parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel vir-
,, ginitate ſervanda, ita *S. Thom.* ergo cum quoad matrimonium ineundum filius non ſubjaceat poteſtati patris, ſequitur, quod per ſe loquendo, & ſpectata ſolum auctoritate paterna, & ſubjectione filiorum, poſſit etiam filius ſine conſenſu patris licite matrimonium inire: quia etſi gravis injuria ſit, ſi filius, patre inconſulto, contrahat matrimonium, non tamen ſi ipſo conſulto, etſi non conſentiente, quia utitur jure ſibi conceſſo, *Sanch. cit. diſ. 23. num. 22.*

XCII. Verumtamen negari non poteſt, quin peccent liberi, ſi abſque juſta cauſa, ſine conſenſu parentum, matrimonium contrahant: imo propter extrinſecas cauſas, ſeu circumſtantias occurrentes, regulariter non poſſunt liberi licite matrimonium inire ſine conſenſu parentum, ut quia parentes gravem cauſam habent impediendi matrimonium liberorum, quia v. g. volunt matrimonium inire cum perſona inæquali, vel infami, non ſine dedecore familiæ, vel ex alia cauſa: ob juſtam vero cauſam poſſunt liberi, etiam parentibus non conſentientibus, vel ignorantibus, matrimonium inire, ut ſi parens liberos jam adultos, & in periculo incontinentiæ conſtitutos, nolit in matrimonio honeſto collocare, *Sanch. cit. diſ. 25. n. 4.* Sed dices, parentes poſſunt irritare vota filiorum, *c. 30. Num. verſ. 4.* ergo multo magis poſſunt irritare contractum matrimonii ab illis initum: ſi enim promiſſio DEO facta poteſt irritari, multo magis facta homini. Sed negatur conſequentia, quia DEUS voluit, ut promiſſio ſibi facta per votum penderet ex conſenſu, & voluntate hominis: non autem promiſſio facta homini per matrimonium, idque ob cauſas ſupra allatas, *Becan. tract. de Sacram. cap. 45. n. 5.*

XCIII. Ad poſteriorem quæſtionem reſpondetur, ſi pater injuſte detineat uxores filiorum, per cenſuram Eccleſiaſticam compelli debet, ut intra certum tempus illas reſtituat ſuis maritis, prout ſumitur ex *c. Non eſt. 11. h. t.*
,, Nam cum Rex Angliæ, propter diſcordiam inter ipſum,
,, & filios ſuos exortam, uxores eorum detineret, mandat
,, Pontifex Epiſcopis, & aliis Prælatis Angliæ, ut quia
,, juſtum eſt, ut viri uxores ſuas petant, Regem moneant
,, ad eas reſtituendas: & ſi intra certum tempus eaſdem
,, non reſtitueret ex tunc in quacunque Provinciæ Regni
,, uxores illæ detineantur, vel etiam transferantur, donec
,, ibi fuerint, nulla Divina Officia (præter Baptiſmum par-
,, vulorum, & Pœnitentiam morientium) celebrentur,
,, vel celebrari permittantur. Ubi addit *Gl. fin. Et præter Communionem*, ſive Euchariſtiam quæ Viaticum appellatur.

XCIV. Notandum 1. Etſi per matrimonium filii, vel filiæ non eximantur a patria poteſtate, ſed maneant in poteſtate patris ſui, *§. fin. Inſtit. de patr. poteſt. l. 2. §. 1. ff. ſolute matrim.* non tamen uxores eorum ſubjiciuntur poteſtati ſoceri, cum id nullo jure ſit expreſſum, ut in caſu hujus c. uxores filiorum Regis Angliæ non fuerunt ſubjectæ ipſi Regi, ideoque non potuit illas detinere contra voluntatem filiorum maritorum, imo neque ipſi filii in his Regi erant ſubjecti, quia in matrimonio, aliiſque cauſis ſpiritualibus non cenſetur filiusfam. eſſe in poteſtate patris, *c. ult. de Jud. in 6.* & ſi filius poteſt libere diſponere de bonis caſtrenſibus, etiam patre invito: multo magis in rebus ſpiritualibus liber eſt a patria poteſtate, *Abb. hic num. 2.*

Notandum 2. Si uxor adhuc in poteſtate patris ſui exiſtens, invita ab eo detineatur, poteſt maritus contra eundem patrem agere interdicto ad exhibendam, & abducendam uxorem ſuam, *l. 2. ff. de liber. exhibend.*, *& l. 3. C. eod. l. Si invita. 11. C. de nupt.* ut in caſu hujus c. poſſunt filii Regis uxores ſuas repetere per interdictum de liberis exhibendis, *Gl. hic V. Uxores*: quia in hac re fortius eſt vinculum matrimonii, quam patriæ poteſtatis, *l. 1. in fine. ff. eod.* Si vero uxor nolens detineatur a patre, vel alio quopiam, poteſt maritus, implorato officio Judicis, vel Epiſcopi loci petere, ut ad illum redeat, *l. fin. ff. de liber. exhibend. Gl. hic. V. Uxores.*

Notandum 3. Sive uxor detineatur invita, ſive volens, maritus poteſt adire Judicem, ſive Eccleſiaſticum, ſive etiam ſæcularem, & petere eam ſibi reſtitui: quia quamvis quando agitur de jure matrimonii, vel iis, quæ ad ſubſtantiam illius pertinent, an legitime ſit contractum, ſolus Judex Eccleſiaſticus ſit competens Judex, *c. 2. de Judic. c. Lator. 5. & c. Cauſam. 7. Qui filii ſint legitimi*; ſecus vero eſt, cum agitur de recuperanda, ſeu reſtituenda uxore, & ſic quaſi poſſeſſorium inſtituitur: tunc enim æque Judex ſæcularis adiri poteſt, quam Eccleſiaſticus, *Abb. hic n. 6.* Ad Eccleſiaſticum vero Judicem pertinet etiam de hac re judicare, ratione peccati, quod uxor committit, ſubtrahendo ſe marito, ſi volens detineatur penes alium, *Canif. in cit. c. Non eſt n. 3. h. t.*

Notandum 4. Ex facto Principis poteſt tota Provincia ſubjici Interdicto Eccleſiaſtico, ut patet ex hoc c. & indirecta puniuntur ſubditi propter factum Principis, *Abb. hic n. 4.* Quæ vero in fine hic adduntur de officiis Divinis interdicendis, ea pertinent ad *Tit. 39. Libri V. ſequentis.*

SECTIO IV.

DE MATRIMONIO FICTO, SEU ſimulato, & coacto.

§. I.

An matrimonium ficte contractum ſit validum, ad quid obligetur, qui ficte contrahit?

XCV. **A**ſſertio 1. Qui ficte contrahit matrimonium cum muliere, per verba de præſenti, abſque interno conſenſu in illam, invalide contrahit, prout ſumitur ex
,, *c. Tua nos. 26. h. t.* Nam cum quidam non poſſet mu-
,, lierem quandam aliter ad concubitum inducere, niſi eam
,, ſibi deſponſaſſet, (ſcilicet per verba de præſenti) ſine
,, ulla ſolemnitate, & nemine præſente, illi dixit; *Te Joannes deſponſat*, cum ipſe non vocaretur Joannes, ſed
,, finxit, ſe ſic vocari, putans ſe non inire conjugium cum
,, eadem, eo quod ipſe non vocaretur hoc nomine, nec ha-
,, beret propoſitum contrahendi cum ea, ſed ſolum car-
,, nalem copulam ab ea extorquendi. Unde quæſitum fuit,
,, utrum inter eos matrimonium ſit contractum, cum mu-
,, lier conſenſerit in ipſum, & ipſe diſſenſerit in eandem,
,, ac etiamnum diſſentiat, nec aliud egerit, niſi quod eam
,, carnaliter cognoverit. Conſultus ſuper hoc Papa Inno-
,, centius III. reſpondet, cum prædictus vir dictam mulie-
,, rem in propria perſona deſponſaverit, etſi ſub alieno no-
,, mine, quo vocari ſe finxit, & inter eos carnalis copu-
,, la ſit ſubſecuta (per quam conſenſiſſe in eam videtur,
,, *Gl. hic V. Copula*) videretur forte pro matrimonio præ-
,, ſumendum eſſe: niſi expreſſe dictum fuiſſet Papæ, quod
,, ille vir non propoſuit, nec conſenſit eandem ducere in
,, uxorem, quod quomodo conſtare potuerit, ſe non
,, videre. Si tamen ſe ita res habuerit, nempe quod illa
,, non propoſuit eam ducere in uxorem nec unquam in
,, eandem conſenſit: non debet ex illo facto matrimonium
,, judicari, quia in eo non reperitur ſubſtantia conjugalis
,, contractus, nec forma (id eſt, materia, & forma, *Gl.*
,, *margin. hic Lit. D.*) Quoniam ex altera parte dolus ſo-
,, lum adfuit, & conſenſus omnino defuit, ſine quo ma-
,, trimonium nequit contrahi.

XCVI. Pro declaratione hujus c. notandum 1. non valet matrimonium, in quo alter contrahentium non conſentit, vel ficte ſolum, ſeu ſimulato animo conſentit, ut patet ex hoc *cap. juncta Gl. ibid.* quia ſine vero conſenſu non ſubſiſtit matrimonii contractus, *c. 2. cauſ. 27. q. 2.* Simulatus autem conſenſus non eſt verus, adeoque etiam ſimulatum matrimonium non eſt validum, *l. 30. ff. de ritu nupt.* quod etiam in aliis contractibus locum habet, ut in iis ſcilicet potius ſpectandum ſit, quod reipſa agitur, quam quod ſimulate concipitur, juxta Tit. *Plus valere, quod agitur, in Cod.*

Notandum 2. Reſponſum S. Pontificis datum in parte poſteriore hujus c. nempe quod matrimonium hoc ficte initum a viro illo, qui ſe falſo nominavit Joannem, ſit invalidum, ſolum procedit in foro interno conſcientiæ, ſeu pœnitentiali, in quo nec teſtes requiruntur, nec alia probatio, ſed de omnibus, quantumcunque occultis, ſoli confitenti ſe animo ficto illam fœminam deſponſaſſe licet ſub alieno nomine, fides habetur; cum ergo in hoc foro conſtet illum non conſenſiſſe in matrimonium cum illa muliere, non fuit judicandum pro matrimonio, ſed contra illud, quod non fuerit verum matrimonium: ſed quia dictus vir fictionem hanc non poterat probare in foro externo, ideo Pontifex dixit, ſe non videre, quomodo Epiſcopo (cui reſcripſit) de hoc conſtiterit, ſcilicet in foro externo, quia in foro interno pœnitentiali vir ille hoc Epiſcopo confeſſus fuit, ſe ficto animo fœminam hanc ſibi deſponſaſſe data ei licentia utendi hac notitia extra Confeſſionem Sacramentalem, in quo judicio cuilibet eſt credendum, quia ipſi ſoli ſit præjudicium, *Gl. hic V. Qualiter. Abb. hic n. 6. & Hoſt. in princ. V. Alicujus, col. 1.*

Notandum 3. In foro vero externo, ſeu contentioſo, ſi conſtet ex confeſſione conjugum, vel ex aliis argumentis, & conjecturis probari poſſit, hunc virum mulierem iſtam, ignarem fictionis ipſius, ſibi in propria perſona deſponſaſſe,

& car-

Digitized by Google

& carnaliter eam cognoviſſe, tum debet judicari pro matrimonio, & cenſeri illud vere & valide contractum eſſe, non obſtante falſi nominis mutatione; quia illa vel ſcienter facta eſt; & non obſtat error, ſi conſtet de perſona, qui non intereſt quocunque nomine ſe quis appellet, dummodo perſona ſit certa, *l. In venditionibus. 9. ff. de contrah. empt. §. Si quidem in nomine Inſtit. de legat.* Vel ſcienter mutavit nomen, qui ficte deſponſavit hanc mulierem, & dolus hic non debet ei prodeſſe, ſed contra ipſum fieri interpretatio, *Gl. hic V. Mulierem. Abb. n. 6.* quia in foro, ſeu Tribunali externo aſſerentis ſe non conſenſiſſe, vel non vere in ſibi deſponſatam conſenſiſſe, non creditur in præjudicium alterius, *Gl. hic V. Qualiter.* Neque vero etiam ex parte mulieris hic intervenit error perſonæ irritans matrimonium, ſed error ſolius nominis, cum illa et ipſum præſentem viderit, & in eum conſenſerit. Notat tamen *Panorm. in cit. c. Tua nos. n. 3.* quod in propoſito caſu, etiam in foro externo non ſit judicandum matrimonium fuiſſe validum, quia dolo ſeu fraudulenter aſſumpſit alienum nomen ad extorquendum illicitum concubitum, non ad contrahendum matrimonium. Verum dolus non per ſe matrimonium reddit invalidum, niſi inducat errorem perſonæ, vel alium talem, per quem invalidatur matrimonium, qualis non eſt mutatio ſolius nominis.

XCVII. Aſſertio 2. Ficte contrahens matrimonium per verba de præſenti, ſine interno conſenſu, grave peccatum committit, non ſolum ſacrilegii contra reverentiam Sacramenti, ſed etiam injuſtitiæ, quia alteri bona fide contrahenti gravem injuriam, ac damnum infert: nam quia in foro externo non poteſt probari alterum ficte conſenſiſſe in matrimonium, decepta non permittetur aliud matrimonium inire, & cogetur continenter vivere, ideo deceptor obligatus eſt ad compenſandum hoc damnum, quod inde putatitiæ conjugi accidit, quæ compenſatio plerumque aliter fieri non poteſt ad æqualitatem, niſi ficte contrahens vere in matrimonium conſentiat, illudque ratificet, *Sanch. l. 1. de ſponſal. diſ. 11. n. 4. & 5. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 6. num. 1.*

Sunt tamen plures caſus, in quibus deceptor non obligatur ad matrimonium contrahendum, ſed alio modo damnum illatum reſarcire poteſt. Veluti 1. Si deceptus poſtea cum alia matrimonium contraxit vero conſenſu. 2. Si decepta Virginem ſe eſſe falſo jactavit, tunc enim una deceptio per aliam tollitur, ac veluti compenſatur. 3. Si deceptus in longe altiori ſtatu ſit poſitus, dummodo ſub ſpe matrimonii copula carnalis non ſit ſecuta. 4. Si ex tali matrimonio timeantur ſecutura ſcandala, & infelices exitus. 5. Si decepta, cognita deceptione, ſponte recipiat aliam compenſationem, *Laym. cit. l. num. 2.* Sed de hoc plura *lib. 5. tit. 16. de adult. & ſtupro.*

§. II.

An matrimonium ex metu contractum ſit validum?

XCVIII. Aſſertio 1. Matrimonium ex metu gravi, ſeu cadente in virum conſtantem contractum in utroque foro, externo & interno, eſt irritum, ſi is metus injuſte, ac directe ad matrimonium extorquendum ſit incuſſus. Eſt communis, ac certa omnium fere Theologorum, & Canoniſtarum ſententia apud *Sanch. l. 4. de matr. diſ. 12. n. 18.* Probatur imprimis ex *c. Cum locum. 14. h. t.* Ubi talis ca-
,, ſus proponitur, ut refert *Gl. ibid.* Duo Cives Papienſes
,, petebant quandam puellam, & uterque contendebat ſe
,, cum illa matrimonium contraxiſſe, unde mulier timebat, violentiam ab illis ſibi inferendam. Conſultus Pa-
,, pa reſpondet: ubi metus, & coactio intervenit, non habet locum conſenſus: matrimonium autem ſolo conſen-
,, ſu contrahitur, & ſic omnis metus, & coactio ab eo ab-
,, eſſe debet, & cum de ipſo (ſcilicet conſenſu) quæri-
,, tur, debet ille (vel illa, qui in aliam, vel quæ in a-
,, lium conſentire debet) plena ſecuritate, ſeu libertate
,, gaudere. Quare mandat Pontifex, ut puella illa, de cu-
,, jus matrimonio quæſtio agitur, in tuto loco collocetur,
,, donec cauſa fuerit per ſententiam definita.

XCIX. Hinc colligitur, quod matrimonium debet libero conſenſu e coactione, vi, & metu, contrahi, alioquin eſt ipſo jure irritum. Ratio eſt, quia cum matrimonia coacte infelices ſoleant exitus habere, *c. Requiſivit. 17. h. t.* expediebat, ut illa eſſent plene libera, ita ut non poſſit, quis per injuriam ad illa cogi, nam cum ſemel valide contracta ſint inſolubilia, nec amplius reſcindi poſſint, ex gravi metu inita, ab initio debebant irritari: ſecus eſt de aliis contractibus ex tali metu initis, hi enim etſi validi, poſſunt reſcindi per exceptionem, vel Judicis ſententiam, iden ipſo jure, & facto non ſunt invalidi, *Abb. in cit. c. Cum locum. 14. h. t. Sanch. cit. diſ. 12. n. 26. Tanner. diſ. 8. q. 3. dub. 2. n. 20. & et.*

C. Ubi præterea notandum 1. duplicem eſſe metum: primus dicitur levis, quando ſcilicet timetur leve tantum malum, aut grave quidem, ſed immerito, ac imprudenter: ſecundus dicitur gravis, & cadens in virum conſtantem, qui duas conditiones requirit: prima eſt, ut ſit metus alicujus gravis mali, vel ſecundum ſe, vel ſaltem reſpectu perſonæ, cui metus incutitur; ſecunda, ut non vane, leviterque, ſed probabiliter, ac prudenter credatur illud malum imminere ſibi, aut perſonæ conjunctæ in primo, vel etiam ulteriori gradu, ut parentibus, liberis, uxori, fratribus, imo etiam aliis conſanguineis, & affinibus, item domeſticis, ut docet *Sanch. l. 4. de matr. diſ. 1. n. 10. & ſeqq. & diſ. 3. n. 2. & diſ. 4. n. 3. & pluribus ſeqq.* Tunc autem malum probabiliter creditur imminere, quando is, qui minatur malum, potens eſt illud inferre, & ſolitus eſt exequi minas, neque poteſt facile illud malum depellere, aut vitare. Hujuſmodi autem metus gravis eſt metus mortis, vel mutilationis membrorum, aut atrocium tormentorum, diuturni, & perpetui carceris, exilii, ſervitutis, ſtupri, reſpectu Virginis; imo etiam reſpectu viri, amiſſionis ſtatus honorifici: infamiæ tam facti, quam juris, quæ difficulter aboleri poteſt; amiſſionis majoris partis bonorum, excommunicationis denique injuſtæ, quæ facile tolli non poteſt. De quo plura videri poſſunt apud *Sanch. cit. l. 4. diſ. 5. n. 4. & ſeqq.* item quæ dicta ſunt de metu in genere, *lib. 1. tit. 40. §. 1.*

Notandum 2. Metus etiam gravis ad matrimonium contrahendum incuti poteſt, vel e cauſis naturalibus, intrinſecis, vel extrinſecis, ut eſt timor mortis inſtantis, ex præſente morbo, vel ob peſtem graſſantem, vel ob periculum naufragii &c. vel inferri poteſt a cauſa libera, ut ab homine: idque rurſus dupliciter: primo directe, cum intentione, & animo extorquendi ab altero matrimonium: ſecundo, quando ob aliam cauſam incutitur metus, quamvis metum paſſus ſimul etiam eo metu moveatur ad contrahendum matrimonium, ut ſi detruſus in carcerem, ob aliam omnino cauſam, contrahat matrimonium cum filia detinentis, ut hoc modo ſe liberet. Poteſt autem utroque modo metus incuti, vel juſte, ut ſi quis deprehenſo cum aliqua in flagitio juſtam delicti accuſationem minetur; vel injuſte, ut ſi quis, privata auctoritate, mortem minetur alteri, niſi matrimonium cum eo ineat. Item poteſt hic metus incuti, vel a contrahente, ſeu petente matrimonium, vel ab alio tertio, *Sanch. cit. l. 4. diſ. 12. n. 2.*

Notandum 3. Jus irritans matrimonium gravi metu contractum non innititur falſæ præſumptioni metu coactum non conſenſiſſe, ſed finxiſſe conſenſum, tum quia Eccleſia in dubio ſemper præſumit pro valore matrimonii; tum quia non præſumit aliquem delinquere, niſi id legitime probetur, ſemper enim præſumitur pro meliore parte, *cap. 2. inſt. de Reg. Jur.* fingere autem conſenſum, ubi non eſt, eſt peccatum mendacii, *Sanch. cit. diſ. 12. num. 18.*

CI. Notandum 4. Matrimonium gravi metu contractum idcirco etiam eſt ipſo jure merito irritum, in utroque foro, quia adverſatur tribus bonis, quæ in matrimonio reperiuntur, ſcilicet fides, proles, & Sacramentum, *c. ult. de condit. appoſ. c. Omne, 10. cauſ. 27. q. 2.* Et imprimis metus adverſatur ipſi Sacramento, quia hoc ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, quæ fuit facta per liberum amorem, ideoque etiam matrimonium contrahi debet per liberum conſenſum, ut ſignum correſpondeat ſignato. 2. Metus repugnat etiam debitæ generationi prolis, qui eſt finis matrimonii, qui autem vi, ſeu metu matrimonium contrahunt, deficiente mutuo amore facile ſeparabuntur, & ad prolis generationem non multum afficientur. 3. Repugnat etiam metus fidei conjugali, *quia quod quis non diligit, facile contemnit. c. Præſens. 4. cauſ. 20. q. 3.* Unde periculum eſt, ne tales Conjuges fidem violent, & in adulterium labantur, *Abb. in cit. c. Cum locum 14. n. 8. h. t. Sanch. cit. l. 4. diſ. 12. n. 18.*

Notandum 5. Matrimonium metu initum eſt irritum, ſive metus inferatur ab eo, cum quo quis contrahere cogitur, ſive a quocunque alio, ſine illius culpa, & ſcientia inferatur, *Sanch. cit. diſ. 12. n. 19.* Ratio eſt, tum quia metus irritat matrimonium, eo quod tollat ſpontaneum, ſeu plene liberum conſenſum, *cit. c. Cum locum h. t.* Sed non minus tollit metus libertatem conſenſus, ſive per ipſum contrahentem, ſive per alium inferatur, ergo non minus irritat matrimonium. Tum quia Jus non tam in odium metum incutientis, ſed præcipue in favorem libertatis matrimonii, irritavit matrimonium tali metu initum, ut expreſſe colligitur ex *c. Veniens. 15. h. t.* ne ſcilicet quis cogatur invitus contrahere: patiens autem metum eſt æque invitus, ſive ab ipſo contrahente, ſive ab alio tertio contrahere ex metu cogatur, *Coninch. cit. diſ. 28. dub. 1. n. 6.*

Notandum 6. Si Judex timeat libertatem conſenſus in aliqua fœmina impediendam fore, curare debet, ut illa in loco honeſto, ac tuto collocetur, ne ipſi vis inferatur, & ubi libere poſſit conſenſum ſuum exprimere, *cit. c. Cum locum in fi., Covar. in Epitom. l. 4. Decret. p. 2. c. 3. §. 6. n. 2.*

CII. Porro quod dictum eſt matrimonium gravi metu injuſte incuſſo contractum eſſe irritum, id etiam probatur
,, ex *c. Veniens. 15. h. t.* Ubi dicitur, quod quidam Gui-
,, lielmus nomine in domo ſua mulierem quandam rece-
,, pit, (ut concubinam, *Gl. hic V. Recepit.*) ex qua pro-
,, lem habuit, eique coram pluribus promiſit, ſe illam du-
,, cturum in uxorem: poſtea vero in domo vicini ſui pernoctans, cum filia ejus concubuit, quos cum pater puellæ,
,, ſimul in lecto jacentes reperiſſet, ipſum Guilielmum coe-
,, git, filiam ſuam per verba de præſenti deſponſare. Hoc
,, intellecto, Papa Alexander III. mandavit Epiſcopo lo-
,, ci, ut ſi invenerit, quod primam mulierem, poſt fidem
,, ei præſtitam, cognoverit, ipſum cum illa faciat re-

mane-

Digitized by Google

„ manere, alioquin ſecundæ mulieri, ut uxori jubeat eum „ adhærere: niſi metu coactus, qui poſſet cadere in vi- „ rum conſtantem, eam deſponſaverit. Conſentit c. 2. *De* „ *eo qui duxit &c.* de quo infra *Tit.* 7. „

Ex quo patet, quod matrimonium contractum per metum gravem, ſeu cadentem in virum conſtantem, ad eum finem injuſte incuſſum, ſit nullum in utroque foro: nam ideo in *cit. c. Veniens*, matrimonium fuit irritum, quia pater juvenem repertum cum filia in eodem lecto injuſte coegit ad illam ſibi deſponſandam, volens eum interficere, vel aliud grave malum inferre, quod injuſtum erat, quia etſi ibi non dicatur in particulari, quis metus fuerit incuſſus, ſive quod pater mortem minatus ſit Juveni, ſed ſolum *text. cap.* loquatur generaliter de metu cadente in virum conſtantem: videtur tamen omnino de ſimili metu injuſto hoc c. intelligendum eſſe, ut jura juribus concordentur, ut tradit *Sanch. cit. l. 4. diſ.* 13. n. 6. *Coninch. tract. de Sacram. diſ.* 28. n. 15. Ubi ait, hunc eſſe caſum *cit. c. Veniens*. Nec etiam poterat pater, propria auctoritate, juſte talem cogere ad ineundum matrimonium, quia hoc ad Judicis officium ſpectet, ut ex Reginaldo tradit *Barb. in Collect. in cit. c. Veniens. n.* 4. *h. t.*

CIII. Extenditur autem 1. Quod matrimonium per metum injuſte incuſſum ad extorquendum illud, eſt invalidum, etiamſi metum paſſus culpæ reus fuerit, ſive contrahens culpa ſua in hunc metum inciderit, *Gl. fin. in cit. c. Veniens*: *& Sanch. cit. l. 4. diſ.* 8. n. 9. Quia culpa non tendit directe ad incutiendum metum, *Covarr. in l. 4. p. 2. c.* 3. §. 5. n. 8. Extenditur 2. metus incuſſus irritat matrimonium, etiamſi quis cogatur incertam ex certis ducere, v. g. unam ex duobus filiis Petri, quia talis neutram volebat ducere, coacte tamen alteram duxit, adeoque invitus, & non libere, *Covarr. c. l. n.* 9.

CIV. Aſſertio 2. matrimonium ex gravi metu juſte incuſſo contractum validum eſt, etiamſi is metus directe ad obtinendum matrimonium incutiatur, ſive a lege, vel judice præcipiente, *v. g.* ut ducat Virginem a ſe vitiatam; ſub fide, & ſpe matrimonii, *c. Ex litteris. tit. h. t.* de quo ſupra *n.* 27. *&* 28. ſive a privato homine metus ſit illatus, ut ſi pater ſtupratori filiæ ſuæ minetur, ſe ipſum accuſaturum in judicio, niſi eam ducat in uxorem, *Sanch. cit. l. 4. diſ.* 8. *n.* 9. *& diſ.* 13. *n.* 3. *Leſſ. l.* 2. *de juſt. c.* 17. *dub.* 6. *n.* 37. *Coninch. cit. diſ.* 28. *dub.* 1. *n.* 14. Ratio eſt, quia talis metus non tam infertur ab alio, quam ab ipſo patiente metum, qui culpa ſua ſponte dedit cauſam, ob quam talis metus poſſet ei inferri, juxta *l. Si Mulier.* 21. *ff. De eo, quod met. cauſ.* ubi dicitur *quia hunc ſibi metum ipſa infert*, v. g. Si quis dicat ſtupratori Virginis, *Te accuſabo, niſi hanc duxeris in uxorem*, non inferre cenſetur metum, ſed potius timorem jam conceptum ex delicto auferre; offerendo matrimonium tanquam medium ad evadendam pœnam, delictum enim præbet cauſam ad accuſationem, & pœnam ipſi debitam. Confirmatur, quia quando quis juſte metum patitur, non adeſt cauſa, cur ipſi ſubveniatur, cum ſponte ſe in eam neceſſitatem conjecerit. Neque vero matrimonium ideo ſolum irritat metus, quia tollit plenam, ſeu perfectam libertatem, alias quando Judex juſte cogit implere ſponſalia, matrimonium foret invalidum, ſed quia injuſte tollit, quod hic ceſſat: neque ex eo tam infelices timentur exitus, quia animus aliquantulum quieſcit, cum quis conſiderat ſe juſte compulſum eſſe ad contrahendum tale matrimonium, *Sanch. cit. diſ.* 13. *n.* 9. Adde, quod tale matrimonium contrahenti ſit omnino voluntarium, ſaltem in cauſa, & *per ſe* aptum conciliare amorem conjugalem, cum fuerit ratio alteri evadendi ingens periculum.

CV. Aſſertio 3. Matrimonium contractum ex gravi metu injuſte quidem, non tamen eo fine incuſſum, ut extorqueatur matrimonium, ſed ad rem aliam obtinendam, eſt validum, ſive metus proveniat a cauſa naturali, ſive libera, *Sanch. cit. l. 4. diſ.* 12. *n.* 3. *Coninch. c. l. n.* 9. & alii communiter. Probatur, quia tali caſu non compellitur metum patiens ad matrimonium ab eo, qui metum infert, cum hic non petat, nec intendat extorquere matrimonium, ſed impellitur a ſeipſo, dum ſponte eligit matrimonium, tanquam medium ad ſe liberandum a periculo corporis intentato ab eo, qui metum intulit v. g. ſi injuſte detentus in carcere, vel injuſto metu preſſus matrimonium contrahat cum filia Judicis, vel hoſtis, ut ſic conciliet ejus animum, & ſe liberet, validum erit matrimonium, quia tunc metus injuſte incuſſus, non eſt per ſe, ac directe cauſa matrimonii: ſed ſolum per accidens, quatenus ipſe injuriam paſſus ad ſe liberandum tale medium deligit, quod Jure ipſi adimere non debuerunt, alioquin periclitanti viam evadendi præcluderent, *Coninch. c. l. n.* 20. Hinc patet, quod tres conditiones requirantur, ut matrimonium per gravem metum, ſeu cadentem in virum conſtantem contractum ſit irritum. 1. Ut ſit incuſſus a cauſa extrinſeca, eaque libera, nempe ab homine. 2. Ut injuſte incuſſus ſit. 3. Ut ad eum finem ſit incuſſus, ut contrahatur matrimonium, tale enim matrimonium eſt ipſo facto nullum, etiam in foro conſcientiæ, ex communi, & certa omnium fere Theologorum, & Canoniſtarum ſententia, apud *Tanner. cit. diſ.* 8. *q.* 3. *dub.* 2. *n.* 20. & patet ex ſupra dictis.

CVI. Aſſertio 4. Matrimonium metu gravi initum irritum eſt, non Jure poſitivo Divino, quia tale nullum extat: nec Jure naturali, tum quia quod fit metu, etiam gravi, eſt ſimpliciter voluntarium, & ſecundum quid ſolum involuntarium, ut dictum ſuo loco: unde nihil obſtat, quominus Jure naturæ omnes contractus metu initi ſint validi, etiam contractus matrimonii: quia quamvis iſte contractus ſemel validus, non poſſit reſcindi a Judice: ſpectata tamen rei natura, nihil obſtat, quominus eſſe poſſit validus, quia hoc non neceſſario requiritur ad ſubſtantiam contractus per metum initi, ut poſſit reſcindi per Judicem: ſed hoc procedit in illis contractibus per metum initis, qui ſubſunt poteſtati humanæ, qualis non eſt contractus matrimonii. Tum quia ſpectato ſolo Jure naturali, etiam metus levis irritaret tam matrimonium, quam alios contractus, non minus, quam metus gravis, inter quos metus de jure naturæ non eſt differentia, niſi quod gravis graviorem injuriam inferat, quam levis. Quare quod metus levis non irritet matrimonium, nec alios contractus, id non provenit ex jure naturæ, ſed ex ſolo Eccleſiaſtico. Etſi vero jam non reperiatur aliquod jus, quod aperte tale matrimonium irritet: conſtet tamen ex traditione Doctorum, & Pontificum decretis, more, & uſu id ſemper obſervatum eſſe, ut matrimonium metu gravi extortum ſit irritum: & forſan olim talis lex ſcripta extitit, quæ poſtea periit, *Sanch. cit. l. 4. diſ.* 14. *n.* 2. *&* 4. Ubi etiam ad argumenta ſententiæ oppoſitæ reſpondet, *Coninch. cit. diſ.* 28. *dub.* 2. *n.* 16. *&* 18. *Tanner. cit. dub.* 2. n. 24. *&* 25. Non obſtat, quod in *c. Cum locum* 14. *h. t.* dicitur: non habere locum conſenſum, ubi metus, vel coactio intercedit, ſine conſenſu autem matrimonium conſiſtere nequit: ergo tale matrimonium eſt irritum jure naturæ, non tantum Eccleſiaſtico. Verum non dicitur ibi, quod metu coacti non vere conſentiant in id, quod ex metu faciunt (nam alias invalide baptizarentur, qui gravi metu compulſi Baptiſmum recipiunt, cum neceſſario requiratur eorum conſenſus, contra *c. Majores*, 3. *de Baptiſmo.*) Sed ſolum ibi negatur eſſe conſenſum talem, qualem Jus neceſſario requirit, ſcilicet liberum ab omni coactione, *Coninch. cit. l. n.* 17. Cæterum matrimonium ex gravi metu contractum inter infideles eſt validum, niſi ipſorum legibus aliud ſit ſtatutum, quia conſenſus metum patientis eſt abſolute, ac ſimpliciter voluntarius, & ſecundum quid ſolum involuntarius, *Sanch. cit. diſ.* 14. *n.* 3.

CVII. Ex dictis infertur 1. Matrimonium contractum cum concubina, metu mortis inſtantis ex morbo naufragio &c. eſſe validum, quia is metus non infertur ex cauſa extrinſeca libera ad extorquendum matrimonium. Infertur 2. Eum, qui matrimonium contrahit, eo quod Medici judicent, id eſſe neceſſarium ad vitam ſervandam, quæ alias ob humorum abundantiam periclitaretur, licet alias nullo modo contraheret, eſſe validum, quia metus provenit ex cauſa extrinſeca naturali. Infertur 3. Matrimonium contractum ab eo, qui eſt conjectus in carcerem, ſi non animo extorquendi matrimonium ſit incarceratus, validum eſſe, quia talis metus non incutitur ad matrimonium extorquendum. Infertur 4. Validum etiam eſſe matrimonium, ſi ad mortem damnatus ad ſe ab ea liberandum meretricem publicam ducat in uxorem, alias non ducturus: ſive deinde ipſe contrahens, ſive alius, vel etiam ipſe Judex hanc conditionem primo offerat, quia tunc metus non incutitur ad ineundum matrimonium, ſed aliunde jam conceptus aufertur, daturque modus, & via evadendi periculum mortis, *Sanch. cit. diſ.* 12. n. 4. *& pluribus ſeqq.*

CVIII. Prædictis addendum 1. Quod dicitur in *Inter opera* 20. *h. t.* „ Magnum opus charitatis eſt, errantem, „ ſeu peccantem ab errore ſuo revocare. Unde ſtatuit Papa „ Clemens III. ut omnibus, qui publicas meretrices e „ lupanari extraxerint, & duxerint in uxores, id ei proſi- „ ciat in remiſſionem peccatorum. „ Eſt autem hic ſermo de remiſſione peccatorum, non quoad culpam, quæ per contritionem, & pœnitentiam deletur, ſed quoad pœnam temporalem, ut docet *Abb. hic n.* 3. Nam cum magnum opus miſericordiæ ſit corrigere peccantem, & a peccato avertere, eſt enim opus miſericordiæ ſpiritualis, quod præſtantius eſt operibus miſericordiæ corporalibus, ideo ex Theſauro Eccleſiæ a Papa ducenti in uxorem publicam meretricem, applicantur indulgentiæ in remiſſionem, ſeu ſatiſfactionem peccatorum, pro pœna temporali adhuc debita, *Covarr. in Epit. l. 4. Decret. p. 2. c.* 8. §. 11. *n.* 3. Dicitur autem meretrix, quæ palam libidinem exercens, quæſtum facit, cujuſque turpitudo publice venalis eſt, *l. Palam.* 43. *ff. de ritu nupt.* Item illa, quæ multorum libidini patet, *c. Vidua* 16. *diſ.* 43. etiam ſine quæſtu, *cit. l. Palam*, *Covarr. cit. l. n.* 4. Nec obſtat, quod dicitur in *princ. cauſ.* 32. *q.* 1. quod meretrix in conjugem duci non debeat: nam loquitur de illa, quæ meretricari non deſinit, ut ait *Gl. fin. hic*, & illa retineri non debet, ne patronus turpitudinis videatur: in hoc autem c. eſt ſermo de ea muliere, quæ libenter vellet continenter vivere, ſi reperiret, qui eam ducere vellet in uxorem. Tenet tamen matrimonium cum meretrice initum, ut tradit *Gl. V. Quod autem, cit. cauſ.* 32. *q.* 1. *in princ.*

Porro quod ſupra dictum eſt, damnatum ad mortem ab illa liberari, ſi velit ducere in uxorem meretricem in publico lupanari exiſtentem, in foro externo non procedit, neque in praxi obſervatur, quia in grave præjudicium Reipubl. tendere poſſet, ut notat *Barboſ. in Collectan. in cit. cap. Inter opera n.* 5. *h. t.*

CIX. Addendum 1. Non omnis violentia, aut metus reddit matrimonium contractum irritum, prout ſumitur ex *c. De muliere 6. h. t.* „ Nam cum quædam mulier invita tradita eſſet viro, & per vim detenta, quæſitum fuit ex Papa, an inter eos eſſet matrimonium? Reſpondet Pontifex, cum inter vim, & vim ſit differentia, nec conſtet, an poſt violentiam conſenſus intervenerit, ideo certum ſe non poſſe dare reſponſum. „

Ubi notandum 1. Duplex eſt vis, ſive metus, unus, qui cadit in conſtantem virum, & iſte reddit matrimonium irritum, niſi denuo de novo conſentiant conjuges: alius eſt metus vanus, ſeu improbabilis, qui non impedit matrimonium, *Gl. hic V. Inter vim.*

Notandum 2. Illa Regula, *coacta voluntas eſt voluntas*, non habet locum in matrimonio, *c. 1.* & ibi *Gl. V. Vult, cauſ. 15. q. 1.* quia ad ſubſtantiam matrimonii requiritur conſenſus liber ab omni vi, & coactione, *Abb. hic n. 2.*

Notandum 3. Papa in caſu hujus c. non dedit certum reſponſum, quia neſcivit, quæ violentia fuerit mulieri illata, etſi potuiſſet reſpondere, diſtinguendo inter vim, & vim, ſive qualis vis, ſeu metus illi fuerit illatus, *Gl. fin. hic.*

§. III.

An ſi mulier invita cum aliquo matrimonium contraxit, nec in eum poſtea conſenſit, valeat matrimonium ſi alteri poſtea nubat. Item an matrimonium metu gravi contractum per ſpontaneam cohabitationem ratificetur, & convaleſcat?

CX. De priore quæſtione agitur in *c. Veniens. 13. h. t.* Ubi talis caſus proponitur. „ Quædam juvenis mulier, Mariota nomine, adamavit quendam adoleſcentem, ita ut uterque, præſentibus tribus teſtibus, de matrimonio contrahendo juramentum præſtiterit: ſed parentes mulieris hoc ignorantes, eam invitam, & reclamantem, in uxorem alii tradiderant, quem ipſa ita exhorruit, ut nullo modo ab ipſo ſe cognoſci permiſerit: & publice fateretur addito juramento, quod a priore viro cognita fuerit. Sed cum Epiſcopus Diœceſanus cognoviſſet, quod proxima inter eos (ſcilicet ipſam mulierem, & primum virum) eſſet conſanguinitas, ipſos ab invicem ſeparavit. Cæterum cum cauſa hæc tractaretur, & illa nollet conſentire in virum, cui a parentibus tradita fuerat, ipſe aliam in uxorem duxit: & illa cuidam alii T. nomine publice in facie Eccleſiæ nupſit (quod fieri non debuit, cauſa, ſeu lite pendente, *Gl. hic. V. Nupſit*). Demum cum ex illo filium ſuſcepiſſet; pater ipſius T. ipſi oppoſuit, quod filium ſuum in eternus habere non potuit, eo quod alii, qui jam defunctus eſt, prius deſponſata fuiſſet. Re delata ad Papam, is mandavit quibuſdam a ſe delegatis, ut ſi prædicta mulier a priore viro judicio Eccleſiæ fuerit ſeparata, & a prædicto T. ſine contractione Eccleſiæ in uxorem ducta, & ille, cui prius a parentibus fuit copulata, vita deceſſit, moneant prædictum T. ut ipſam Mariotam in uxorem accipiat, & eam maritali effectu tractet; alioquin in eum, & ſuperinductam, & patrem ipſius (ſi reſtiterit) ſententiam excommunicationis ferant. „

Hinc patet, quod ſi mulier coacte, ſeu in vita in uxorem ſit ducta, & poſtea alteri nubat, valeat hoc poſterius matrimonium, non obſtante priore matrimonio, quippe quod metu gravi contractum ipſo jure nullum fuit: niſi metus, antequam ſecundum matrimonium contraheretur, fuerit purgatus per ſubſequentem conſenſum mulieris, de quo infra.

CXI. Ubi notandum 1. in caſu hujus c. imprimis mulier illa, poſt contracta ſponſalia jurata cum adoleſcente, etſi carnis copula fuerit ſecuta, uti ipſa confeſſa fuit, non potuit valide contrahere matrimonium cum illo, ob impedimentum conſanguinitatis inter eos intercedens, de quo Eccleſiæ conſtabat, fuit enim ideo ab Epiſcopo ſeparati. Unde poterat Mariota libere nubere illi, cui parentes illam deſponſare volebant, poſtquam ab adoleſcente, cui prius adhæſerat, ob conſanguinitatem inter eos intercedentem, auctoritate Epiſcopi, ſeparata fuit. At vero alterum matrimonium, quod invita, & reclamans, ex voluntate parentum inire debuit, invalidum fuit, ideoque eo nihil obſtante, licite, & valide alteri nubere poterat, præſertim cum vir ille jam defunctus fuerit. Illud vero matrimonium, quod dicta mulier poſtea cum tertio, videlicet T. iniit, validum fuit: & ideo mandavit Pontifex ſub pœna excommunicationis, ut ipſe T. dimiſſa ſuper inducta, Mariotam in uxorem recipiat, & maritali affectu tractet, ut patet ex textu.

Notandum 2. Matrimonium a filiofam. contractum, ſine parentum conſenſu, validum eſt, ut colligitur etiam ex hoc c. & dictum ſupra n. 90.

Notandum 3. Omnes, qui impediunt juriſdictionem Judicis poſſunt excommunicari, quia per hoc ſubjiciuntur juriſdictioni ipſius Judicis, *Gl. fin. hic.*

CXII. De poſteriore quæſtione agitur in *c. Ad id 21. h. t.* „ Nam cum quædam puella undecim annorum ab initio invita, ac renitens (ut dicebat) in matrimonium tradita fuiſſet cuidam viro, ſed poſtea per annum, cum dimidio ipſi cohabitans, in illum conſenſiſſe videretur: Conſultus Papa Clemens III. reſcribit, illam cogendam eſſe, redire ad virum: (a quo receſſerat); nec teſtes eſſe recipiendos, ſi quos mulier vellet producere ad probandum, quod non conſenſerit in eundem, quia mora tanti temporis hujuſmodi probationem excludit; & mandat inſuper Ordinario loci, ut utrumque compellat ad permanendum in conjugio, & tractandum ſe invicem conjugali affectu, niſi forte vellent ad Religionem ſimul tranſire, injuncta eis pœnitentia, propter adulterium ab utroque commiſſum. „

CXIII. Notandum 1. Licet matrimonium gravi metu contractum ſit ipſo jure nullum, per ſpontaneam tamen cohabitationem utriuſque conjugis poſtea ſubſequentem illud convaleſcit, & ratificatur. Ratio eſt, quia talis mutua cohabitatio eſt ſufficiens ſignum ſpontanei conſenſus poſtmodum habiti, qui ſolum requirebatur ad valorem matrimonii: eo ipſo enim, quod mulier metum paſſa non recedit a viro, cum poſſet, cenſetur ſponte in matrimonio permanere: & ſic conſenſus ante vi extortus tranſit in liberum conſenſum per ſpontaneam cohabitationem ſubſequentem, non enim eſt neceſſarium ut utriuſque conjugis conſenſus liber ſit ſimul: cum ergo conſenſus illius, qui non eſt metum paſſus, fuerit legitimus, ſolum deſiderabatur ad valorem matrimonii ſpontaneus conſenſus illius, qui ex metu conſenſerat, qui tacite fit per ſpontaneam cohabitationem, modo etiam alter, qui abſque metu conſenſit, in priore conſenſu perſeveret, *Sanch. cit. l. 4. de matrim. c. 18. num. 2. & 3.*

Notandum 2. Ut cohabitatio conjugum ſit ſufficiens judicium hujus conſenſus conjugalis, requiritur 1. Ut ratificans matrimonium prius contractum ſciat, illud fuiſſe invalidum; nihil enim magis contrarium eſt conſenſui, quam error, *Sanch. cit. l. num. 5.* Requiritur 2. diuturna cohabitatio: etſi vero in hoc c. dicatur, quod hi conjuges per ſeſquiannum cohabitaverint, id tamen magis ad factum, ſive ad id, quod de facto contigit, & narratur, quam ad Jus referendum eſt, unde cum in jure certum tempus non ſit expreſſum, id Judicis arbitrio definiendum relinquitur, *Abb. hic num. 4. Sanch. c. l. num. 6.* Hoc vero moraliter accipiendum eſt, ſpectata fugiendi opportunitate & mora cohabitationis non mathematice, & ſtatim, ſeu ut in inſtanti uxor fugam arripiat, ſed arbitrio prudentis, *Sanch. cit. l.* ubi etiam addit, hoc procedere ſolum in foro externo, nam in foro conſcientiæ nulla mora temporis ſufficit, ſi deficit animus ratificandi matrimonium quamvis in foro externo, ex cohabitatione præſumatur ratificatio. 3. requiritur, ut cohabitatio illa ſit omnino ſpontanea, ita ut ceſſarit etiam cauſa timoris, nam durante cauſa metus, durat metus, *Sanch. c. l. n. 3.* Addunt aliqui, quod præter cohabitationem, requiratur quoque, ut intervenerit copula conjugalis. Sed hoc verum non eſt, quia in *cit. c. Ad id*, ſola cohabitatio exprimitur, ac ponderatur: deinde requiritur cohabitatio diuturna, quam non requirit copula, *Sanch. c. l. n. 4.*

§. IV.

An ſi mulier neget, ſe in matrimonium conſenſiſſe, ſit ei fides habenda? Vel ſi probare velit, ſe per metum gravem ſibi illatum conſenſiſſe, ſit audienda?

CXIV. De utraque hac quæſtione agitur in *c. Conſultationi. 28. h. t.* „ Nam quia in quibuſdam locis eſt conſuetudo, ut ſponſus & ſponſa de præſenti, cum debeat benedici, veniant ad valvas, ſeu fores Eccleſiæ, tum ſi ſponſa dicat, ſe nunquam in matrimonium cum ſponſo conſenſiſſe, ſponſus autem legitime probet contrarium, ſcilicet quod in matrimonium ipſius conſenſit, quæritur, an ſponſa audiri debeat? Reſcribit Papa Honorius III. ſponſam audiri non debere, cum illius ſimplex aſſertio non debeat legitimis, & idoneis teſtibus ſponſi prævalere. Præterea deſponſarunt quidam aliquas mulieres in uxores, quæ benedictione accepta, mox a ſponſis, ante carnalem copulam aufugiunt, dicentes nunquam in illos vere conſenſiſſe, ſed metu ſibi illato compulſas protuliſſe verba conſenſus, licet animo diſſentirent. Ad quod reſpondet Papa, illis non ſtatim eſſe audientiam denegandam, ſed diligenter inquirendum, qualis metus illatus fuerit: & tunc ſi reperiatur, ſive probatum fuerit, quod mulieribus illis illatus ſit metus, qui cadere poſſit in virum conſtantem, audiendæ ſunt, & a ſponſis, ſeu viris ſeparandæ, „ *Gl. hic in caſu.*

CXV. Pro explicatione hujus c. notandum 1. ſponſus, & ſponſa de præſenti, ante conſummationem matrimonii, benedicuntur ante fores Eccleſiæ: in quibuſdam vero locis ante Altare, quæ tamen non ad ſubſtantiam, ſed ad ſolemnitatem matrimonii pertinent, *Abb. hic n. 2.*

Notandum 2. Si in caſu poſteriore hujus c. mulieres illæ non ante, ſed poſt ſubſequentem carnis copulam, aufugiant a viris, aſſerentes ſe non vere conſenſiſſe in matrimonium, tum non ſunt audiendæ, niſi appareat, vel probatum fuerit, eas invitas eſſe detentas, & cognitas, *Gloſſ. hic V. Ante carnis copulam, juncta Gl. margin. Lit. b.*

Notandum 3. Si mulier aſſerat ſe contraxiſſe matrimonium per metum, tenetur probare, non ſolum ipſum metum, ſed etiam illius qualitatem, videlicet talem metum, qui poſſit cadere in conſtantem virum, ut colligitur ex

hoc

hoc c. ubi in fine dicitur, *diligenter inquirendum eſſe; utrum tali metu mulieres perculſæ fuerint, qui potuit cadere in conſtantem virum*. Verum quia non videtur rationi congruum, ut idem metus, ſive æque gravis requiratur in muliere, qui in viro, cum hic ſit fortior, & conſtantior, mulier vero natura ſua ſit inconſtantior, & debilior, *arg. c. Ferus. 10. in fine de V. S.* ideo minor metus excuſat fœminam, quam maſculum, ſive minor metus cenſetur conſtans in fœmina, quam in viro, ut tradit *Gl. in c. Cum locum 14. V. Metus h. t. Covarr. in Epit. l. 4. Decret. p. 2. c. 3. §. 4. n. 9.* Ubi ait quod Judex non tam anxie æſtimare debet metum in muliere, quam in viro, ſed conſiderare, quid fœmina conſtans faceret, inſpecta naturali fœminarum prudentia, aliquid enim forte cogeret fœminam, etiam conſtantem, ad faciendum id, quod vir conſtans minime faceret, vel eligeret. Quare etſi in textu hujus c. legatur in *virum conſtantem* (quem abbas omiſit) nihilominus ſubaudiendum eſt, *vel in mulierem conſtantem*, habito reſpectu ad debiliorem ſexum, ut tradit *Abb. hic not. 4.* Vel certe ſub nomine viri comprehenditur hic etiam fœmina, quia genus maſculinum concipit fœmininum, ut abſurdum vitetur, Præpoſitus apud *Canif. in cit. c. Conſultationi. n. 2. & Fagnan. ibid. n. 13. & 14.*

Notandum 4. generatim loquendo, quiſnam metus dicatur cadere in virum conſtantem, relinquendum eſt Judicis arbitrio, ut docet *Gl. in c. Cum dilectus. 6. V. Metum paſſus de iis, quæ vi met. &c. Covarr. cit. c. 3. §. 4. n. 8.* ubi ait, quod Judex arbitrabitur, an vir prudens, & conſtans eligeret potius id agere, quod ex metu fit, quam ſubire periculum, quod imminet.

CXVI. Porro ex eo, quod in fine hujus c. dicitur, mulieres metum paſſas, qui in virum conſtantem cadere potuit non immerito eſſe audiendas, aliqui inferunt, tale matrimonium non eſſe irritum, ipſo jure, ſed reſcindendum per Judicem, ſicut alii contractus ex metu initi, verum audiendæ ſunt tales mulieres, non ut Judex reſcindat matrimonium metu contractum, ſed ut declaret eſſe irritum, ut conſtat ex *c. Cum locum 14. h. t.* & aliis Juribus ſupra allegatis, *Sanch. l. 4. diſ. 22. n. 16. 18. & 26.*

§. V.

Utrum matrimonium ex metu levi initum ſit irritum; & an contractum ex metu reverentiali?

CXVII. Ad priorem quæſtionem reſpondetur, probabilius eſt matrimonium ex metu levi initum non eſſe irritum, ſed validum, ut docet *Sanch. l. 4. de matr. diſ. 17. n. 3.* & alii apud eundem. Idque probatur ex *c. Veniens. 15. & c. Conſultationi. 28. h. t.* Arg. a contrario ſenſu dicto. Loquuntur enim ſolum de metu cadente in conſtantem virum, adeoque gravi, ergo aliud dicendum, quando metus non cadit in conſtantem virum, ſed levis eſt. Idem de matrimonio ſpirituali, ſive Profeſſione Religioſa, quod non ſit irrita, ſi non ſit facta metu cadente in virum conſtantem, habetur in *c. pen. & c. 1. de his, quæ metus cauſ. fiunt.* Idem probatur ex *l. Nec timorem 7. §. 1. ff. de eo, quod met. cauſ.* ubi dicitur: *Si quis meticuloſus rem ullam fruſtra metuerit, per hoc Edictum non reſtituitur, quia neque vi, neque metus cauſa factum eſt.* Unde patet, quod Jura metum levem non conſiderant, neque is proprie appellatur metus, ut tradit *Gl. in c. un. V. Subjacere eod. in 6.* adeoque non obſtat, quominus matrimonium, aliique contractus ſint validi, nec reſcindi poſſint tali metu initi, *Sanch. l. 4. de matr. diſ. 17. n. 3.* & alii apud ipſum, & dictum ſupra *l. 1. tit. 40. §. 5. n. 38.* quia alias omnia eſſent plena controverſiis, & litibus, cum metus levis facile adeſſe, & probari, aut ſimulari poſſit, *Coninch. diſ. 28. dub. 2. n. 8.* Quod autem matrimonium ex metu levi initum ſit validum, inde etiam probatur, quia cum matrimonium ob metum ſit irritum ſolum Jure Eccleſiaſtico, ut ſupra dictum: Eccleſia autem tantum irritaverit initum ex metu gravi, & cadente in virum conſtantem, ſequitur levi metu initum non eſſe irritum, *Sanch. c. l. n. 4.*

CXVIII. Oppoſita tamen ſententia, nempe matrimonium etiam levi metu contractum, ita ut contrahens nullo pacto conſentiret, niſi metu eſſet inductus, eſſe irritum, ſaltem in foro conſcientiæ, eſt etiam valde probabilis: quamvis in foro externo Eccleſiæ non irritetur tale matrimonium, quia Eccleſia, quando metus eſt levis, in favorem matrimonii præſumit, non contractum, ſed ſpontaneum conſenſum interveniſſe: alioquin vero ſpectato jure naturæ ſi metus levis ab ipſomet altero contrahente injuſte ſit illatus, non minus metus levis irritat matrimonium, quam metus gravis. Jure vero poſitivo gravis metus, etiam aliunde, quam a contrahente illatus facit matrimonium invalidum, juxta Jura ſupra citata: non autem metus levis aliunde illatus, niſi ratione perſonæ, cui injectus eſt, cenſendus ſit gravis, *Tanner. cit. diſ. 8. q. 3. dub. 2. n. 41. & 42.*

CXIX. Ad poſteriorem quæſtionem reſpondetur, matrimonium initum ex metu reverentiali, ſive reverentiæ, quam debet Superiori ſuo Inferior, filius patri, vel alteri, qui loco patris, non eſt irritum, ſed validum. Id vero intelligendum eſt, quod metus reverentialis per ſe ſolus non ſit ſufficiens ad annullandum matrimonium: niſi conjunctæ ſint graves minæ, aut periculum gravis, ac diuturnæ offenſionis patris, aut ejus perſonæ, cui reverentia

debetur, & a qua vita, fortunaque hominis plurimum pendet, *Sanch. l. 4. de matr. diſ. 6. num. 7. & 14. Coninch. cit. diſ. 28. dub. 2. num. 35. Laym. lib. 5. tract. 10. p. 2. cap. 5. num. 3.* Ratio eſt, quia metus reverentialis non videtur habere vim per ſe ad terrendum virum conſtantem, quam tamen habet, ſi conjunctæ ſint minæ, & periculum incurrendæ gravis indignationis. Similiter preces importunæ, ac ſæpius repetitæ, etſi non ſolæ, conjunctæ tamen cum metu reverentiali perſonæ rogantis, & moleſte inſtantis, inferunt metum cadentem in virum conſtantem, adeoque ſufficientem ad infirmandum matrimonium, *Sanch. cit. l. 4. diſ. 7. num. 5. Laym. cit. l. Tanner. cit. diſ. 8. q. 3 dub. 2. num. 31. 32.* Ratio eſt, quia difficillimum eſt, diuturnas, & continuas preces Superioris rejicere ſemper, quod citra periculum graviſſimæ offenſionis fieri vix poteſt.

§. VI.

An matrimonium gravi metu initum confirmetur per juramentum adjectum, vel per copulam ſubſecutam?

CXX. Præmittendum non eſſe idem juramentum eſſe validum, & juramentum confirmare contractum, ut notat *Leſſ. l. 2. de juſt. c. 17. dub. 7. n. 50.* Nam juramentum tunc dicitur validum, quando ſervandum eſt, ob reverentiam Divini Numinis, licet per illud nullum jus acquiratur ei, in cujus favorem fit. Confirmat autem juramentum contractum, cui adjicitur, quando non ſolum ſervandum eſt, & obligat, ſed etiam ei in cujus favorem juratur, jus tribuit; & contractum validum reddit, ita ut obligatio juſtitiæ ex contractu oriatur, quæ manet etiam poſt relaxationem juramenti, & ad hæredes tranſit, ſicut & jus alterius ad hæredes tranſit. *Leſ. c. l.*

CXXI. Aſſertio 1. Matrimonium gravi metu contractum non fit validum per adjectionem juramenti, *Sanch. l. 4. de matr. diſ. 20. n. 12.* & alii apud eundem. Probatur ex *c. 2. De eo, qui duxit in matrim. &c.* ubi deciditur, Eum, qui poſt matrimonium metu contractum cum aliqua, & juramento firmatum, aliam duxit, debere manere cum ſecunda, priuſque matrimonium fuiſſe invalidum. Ratio eſt, quia matrimonium ex gravi metu initum, eſt invalidum ob defectum ſpontanei, ac pleni liberi conſenſus, qui ad ſubſtantiam matrimonii requiritur, *c. Cum locum. 14. h. t.* Sed per juramentum, quo v. g. contrahens eodem metu impulſus, jurat ſe ratum habiturum matrimonium, quod ex metu contraxit, non ſupplerur defectus liberi conſenſus, ut per ſe patet; ergo matrimonium tale non fit validum ratione juramenti adjuncti. Præterea juramentum ſortitur naturam, & conditiones actus, cui apponitur: ſed matrimonium ad ſui valorem requirit conſenſum ſpontaneum, & liberum a coactione; ergo etiam juramentum matrimonio adjectum habet hanc tacitam conditionem, ſi matrimonium libero conſenſu, ſeu abſque metu ſit contractum: ubi ergo conſenſus eſt coactus, nec juramentum obligare, ſeu contractum matrimonii confirmare poteſt. Item, quia perſonæ ſunt inhabiles ad contrahendum matrimonium, quamdiu metus durat, idque ex decreto Eccleſiæ, quæ irritat talia matrimonia, ſed per juramentum non fiunt habiles; ergo illud non poteſt confirmare matrimonium. Denique ſi juramentum redderet validum matrimonium metu contractum, nullum remedium fuiſſet allatum ab Eccleſia, ne matrimonia per metum contrahantur, quod tamen maxime intendebat; nam qui cogit aliquem ad contrahendum, facile poſſet etiam cogere ad jurandum.

Non obſtat *c. Inter cætera. 22. cauſ. 22. q. 4.* Nam omiſſis aliis reſponſionibus *Gloſſa ibid. V. Matrimonium.* verior expoſitio illius text. eſt, non tractari ibi, an geſta per metum ſint valida, ſed tantum quæ juramenta ſint licita, & ſervanda: ac proinde ibi ſolum dicitur, quod ille qui metu coactus, promiſit ſe concubinam ſuam ducturum in uxorem, poſſit cum illa poſtea libere matrimonium contrahere: ſed juramentum negandi alimenta matri, & fratribus, eſſe illicitum, & injuſtum, ut patet ex *Summa illius text. & ex Gratiano ibid. §. Sed cum his*, ubi ait, quod illicita juramenta non ſunt ſervanda, *Covarr. libr. 4. Decret. par. 2. c. 3. §. 5. num. 5. Sanch. cit. loc. num. 13.*

CXXII. Porro juramentum adjectum matrimonio gravi metu contracto, non tantum non confirmat illud, ſed neque parit obligationem ex virtute Religionis, adeoque neque relaxatione indiget, *Sanch. c. diſ. 20. n. 15.* ubi id probat ex eo, quia Eccleſia non tantum annullat matrimonium metu gravi contractum, ſed etiam irritat matrimonio adjectum juramentum, ut colligitur ex *cit. cap. 2. De eo, qui duxit &c.* ubi ob violatum juramentum nulla injungitur pœnitentia, prout fit in *c. Sicut. 22. h. t.* ubi decernitur, priora ſponſalia juramento firmata, per matrimonium ſubſequens dirimi, impoſita et pœnitentia competenti, quia primam fidem irritam fecit, ergo ſignum eſt tale juramentum non obligare, *Sanch. c. l. n. 15.* Neque vero ſemper juramentum, quod ſine peccato ſervari poteſt, obligat: quando enim actus ob publicum bonum, ſeu utilitatem irritatur, juramentum ei ſuperveniens non tenet, nec ſervari debet, *Arg. c. Si diligenti. 12. de foro compet.* Ex quo colligitur, juramentum contra publicam utilitatem præſtitum,

non poſſe licite ſervari: & ſi ſervari non debet juramentum, quando fit in præjudicium tertii, *c. Sicut. 27. & c. ſeq. de Jure jur.* multominus obligat, quando lædit bonum publicum, *cit. c. Sicut.* ita ut relaxationis non indigeat, *Sanch. l. 3. de matr. diſ. 32. n. 9.* Quænam autem contractum in ſpecie juramento confirmentur, vel non, dictum eſt *l. 2. Decret. Tit. 21. ſec. 4. §. 1. & 2.*

CXXIII. Aſſertio 2. Quamvis matrimonium metu gravi contractum confirmetur per ſequentem copulam, depoſito metu, omnino libere, & affectu maritali habitam, non tamen ratificatur per talem copulam, metu extortam, *Sanch. cit. l. 4. diſ. 18. n. 15. Coninb. cit. diſ. 28. dub. 4. num. 41. Tanner. cit. diſ. 8. q. 3. dub. 2. num. 33.* Prima pars patet, quia conſenſus ſpontaneus metum paſſi (qui ſolus deſiderabatur ad valorem matrimonii, cum conſenſus illius, qui metum intulit, fuerit legitimus, quippe liber, & ſpontaneus) ſufficienter exprimitur per ſpontaneam copulam animo conjugali habitam, *c. Is, qui fidem 30. h. t.* ergo ea ſecuta, confirmatur matrimonium metu contractum, & fit validum. Idque etiam verum eſt poſt Concil. Trident. ſi prius matrimonium coram Parocho, & teſtibus ignorantibus occultum impedimentum incuſſi metus, legitime contractum fuit, & depoſito metu per ſubſequentem ſpontaneam copulam ratificatum fuit, *Sanch. c. l. n. 32. & 16. Tanner. c. l. n. 34.*

Secunda pars, quod non ſit matrimonium validum, ſi quis cogatur contrahere, & poſtea per copulam conſummare, probatur, tum quia Eccleſia irritavit matrimonium metu gravi extortum, ob defectum pleni, ac perfecte liberi conſenſus: atqui hic per ſequentem copulam carnalem metu gravi etiam extortam non ſuppletur; ergo tale matrimonium manet invalidum ſicut prius. Tum quia matrimonium nunquam poteſt valide contrahi ex metu cadente in virum conſtantem, cum Jura abſolute talem contractum matrimonialem irritent; ergo nec poteſt confirmari prius matrimonium invalidum, per actum, ſive copulam poſtea conſimili metu extortam. Confirmatur 1. quia revera talis metus, non obſtante culpa, civiliter loquendo, cadit in virum conſtantem: nam prior metus, ob quem matrimonium fuit initum, cadebat in virum conſtantem: atqui hic metus, quo quis cogitur ad conſummandum matrimonium, accedente copula coacta, non tollitur, ſed potius augetur additurque metus novus ad conſummandum matrimonium; ergo matrimonium erit adhuc nullum, ſicut prius. Confirmatur 2. quia eadem incommoda ſequuntur ex matrimonio metu inito, & conſummato, quæ ex eodem non conſummato; ergo matrimonium utrumque fuit ab Eccleſia irritatum.

CXXIV. Ex dictis ſequitur, quod quis potius debeat mortem obire, quam ut poſtquam per gravem metum extortum conſenſu, contraxit matrimonium, illud poſtea conſimili metu compulſus conſummet, quia talis conſummatio revera non eſt aliud, quam mera fornicatio, *Coninh. cit. diſ. 28. dub. 4. n. 42. Tanner. c. l.* Veruntamen quia contraria ſententia aſſerens per copulam, etſi ex gravi metu, animo tamen, ſeu affectu maritali habitam, ratificari prius matrimonium coactum, ob DD. auctoritatem eſt probabilis, poſſet quis in neceſſitate ſequi illam, & ſic excuſari a peccato, conſummato tali modo matrimonio: præſertim cum hæc ſententia nitatur etiam ratione probabili, nempe quod Eccleſia irritet conſenſum metu extortum, in favorem contrahentis, qui hic omnino ceſſat, cum tali potius damnoſum ſit, & valde oneroſum, quod ad mortem evitandam non poſſit licite conſummare matrimonium, quod alias per ſe, ſecluſa irritatione Eccleſiæ, liceret, *Tanner. cit. dub. 2. n. 35.* ubi, *ex Henriq.* addit ſecurius eſſe, ut talis petat dilationem, ſeu tempus opportunum, quo poſſit metum deponere, & ſic libere conſentire, & matrimonium conſummare, idque ne propter pœnam mortis intentatam DEUM offendat.

CXXV. Poſtremo illud præterea hoc loco quæri poteſt; an in matrimonio gravi metu contracto, poſſit cogens reſilire a matrimonio, invito eo, qui metum paſſus eſt, & antequam his priſtinum conſenſum ratificet? Negant *Navarr.* & alii apud *Sanch. l. 4. de matr. diſ. 15. n. 4.* Ratio eſt, quia cogens, ratione injuriæ illatæ per coactionem, tenetur eam reſarcire, ſtante matrimonio, ſi coactus velit. Contrarium tamen valde probabiliter quoque docet *Sanch. ibid. n. 5.* nempe cogentem in foro conſcientiæ, ante Judicis ſententiam, non teneri matrimonium perficere; ſed libere, altero invito, poſſe reſilire, modo pro damno illato per coactionem, alio modo ſatisfieri poſſit. Ratio eſt, quia in contractibus oneroſis, & reciprocis non poteſt exurgere ex una parte tantum obligatio: ſecus eſt in contractibus, qui ipſo jure invalidi non ſunt, etſi reſcindi poſſint per ſententiam: hi enim claudicare poſſunt, ſeu ex una parte habere obligationem tantum efficacem: ex altera inefficacem, quia per exceptionem elidi poteſt.

SECTIO V.

DE UNITATE, ET INDISSOLUBILITATE MATRIMONII.

§. I.

An matrimonium ſit neceſſario unius viri cum una femina, & an, ac quo Jure polygamia ſit prohibita?

CXXVI. Præmittendum eſt ſemper, licitum fuiſſe in Lege Veteri, & nova Evangelica, ſecundum, tertium, quartum matrimonium, ac ſic deinceps, contrahere, poſt mortem conjugis, ut conſtat ex *c. 7. ad Roman.* & *1. ad Corinth. 7.* ubi dicitur: *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit, quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, & cui vult, nubat.* Idque probatur ex omnium gentium conſuetudine.

CXXVII. Aſſertio 1. Polygamia, ſeu matrimonium unius viri cum pluribus uxoribus ſimul initum, eſt contra primævam inſtitutionem ejus, & jure naturæ nullum, niſi diſpenſatio Divina interveniat. Probatur, tum quia ex primæva inſtitutione matrimonii ab Auctore naturæ facta in Paradiſo, patet illud eſſe tantum unius viri cum fœmina una; nam *Gen. c. 2.* dicitur, *Quamobrem relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una:* ſi autem unus vir habeat duas uxores ſimul, & eodem tempore, non erunt duo in una carne, ſed potius dividetur in plures carnes, ut notat Innoc. III. in *c. Gaudemus 8. de divort.* Tum quia pluralitas uxorum ſaltem adverſatur ſecundario fini, nimirum pacificæ cohabitationi conjugum, & gubernationi domeſticæ, quia facillime rixæ, & invidiæ inter plures uxores oriuntur, præſertim ſi una, præ aliis, a viro diligatur, *Sanch. cit. diſ. 80. num. 8.* Idem etiam probatur ex eo, quod Chriſtus ait *Matt. 19. Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimiſſam* (nimirum etiam ob fornicationem) *duxerit, mœchatur:* ſi ergo uxore dimiſſa, alia duci de jure non poteſt: multo minus poteſt duci, illa retenta, ut dicitur in *cit. c. Gaudemus.* Unde Chriſtus in eo loco dicit: *Ab initio autem non fuit ſic*, quibus verbis ſignificat, ſe non ſtatuere novum Jus, ſed antiquum renovare; ex quo ſequitur pluralitatem uxorum ſemper fuiſſe Divina, & naturali lege prohibitam, & illicitam, excepta diſpenſatione Divina, ut infra dicetur, *Tanner. cit. diſ. 8. q. 4. dub. 6. num. 100. Lay. libr. 5. tract. 10. p. 3. c. 6. n. 8.*

CXXVIII. Aſſertio 2. Polygamia, ſive matrimonium unius fœminæ cum pluribus viris ſimul initum, eſt contra primævam inſtitutionem matrimonii, & jure naturæ invalidum, quia tale matrimonium repugnat primario fini ipſius matrimonii, nempe generationi prolis, quæ incerta erit, & ex commixtione plurium virorum impeditur, ut vel nunquam, vel rarius ſubſequatur; ut patet in meretricibus. Deinde etiam adverſatur fini ſecundario matrimonii, nimirum tranquillæ cohabitationi, & paci conjugum; ubi enim multa capita ſunt unius corporis, nempe multi viri in eadem familia, innumeræ rixæ excitabuntur, ideoque etiam nunquam legitur permiſſum fuiſſe, ut una uxor pluribus viris ſimul nubat, *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 80. n. 4.* & alii, de quo infra.

CXXIX. Aſſertio 3. Polygamia, ſeu matrimonium unius viri cum pluribus uxoribus, non ita repugnat juri naturali, & inſtitutioni Divinæ, ut tanquam intrinſece malum (ſicut blaſphemia, perjurium &c.) nullo caſu cohoneſtari, & licitum fieri poſſit, *Covarr. in Epit. l. 4. p. 2. c. 7. §. 3. num. 1. Sanch. cit. diſ. 80. num. 8. c. l. num. 102. Laym. c. l. num. 7.* & alii: Nam DEUS olim in veteri Teſtamento diſpenſavit cum veteribus Patriarchis, ut plures uxores ſimul, & eodem tempore, habere poſſent. Ratio eſt, quia talis polygamia non eſt ex proprio objecto ſuo intrinſece mala, ſed ſolum ex adjunctis incommodis, quæ tamen in certis caſibus abeſſe, vel aliis modis compenſari poſſunt: alioquin, ſi talis pluralitas uxorum eſſet intrinſece, & neceſſario mala, & proprie, ac directe repugnaret juri naturali, nunquam potuiſſet DEUS illam concedere: quæ quidem conſuetudo ducendi plures uxores poſtea ad Gentiles quoſdam defluxit, *Sanch. cit. diſ. 80. n. 14.*

Porro illæ mulieres, quæ in S. Scriptura, ut *Geneſ. c. 25.* concubinæ appellantur, erant legitimæ uxores, prout etiam aliquando in Script. vocantur uxores, ſic enim *Agar. c. 16. v. 3.* uxor appellatur: non autem erant uxores primariæ, nec matresfam. quia familiam non gubernabant, eorumque filii paternorum bonorum hæredes eſſe non poterant, ſed ancillæ manebant, etiam poſt nuptias: admiſſæ tamen ſunt in legitimi tori ſocietatem, ut notat *Laym. c. l. & Menoch. in c. 25. Gen. v. 6.*

CXXX. Quod vero ad alteram polygamiam attinet, quando una fœmina ſimul, & eodem tempore nubit pluribus viris, ea quidem majorem deformitatem præfert, & plura incommoda annexa habet, quam prior polygamia: unde plures cenſent, repugnare juri naturali, ut una fœmina ſimul plures viros habeat: probabilius tamen eſt, id non ita repugnare Juri naturali, quia DEUS per abſolutam ſuam potentiam id concedere poſſit, ut docet *Sanch. cit. diſ. 80. n. 15. Coninb. tract. de matr. diſ. 26. dub. 2. n. 29. Laym. cit. c. 6. n. 9.* Ubi notandum, quod quædam actiones hominum ex objecto ſuo ſunt per ſe, ac intrinſece malæ, & pro-

Digitized by Google

& prohibitæ, ita ut malitia ab iis ſeparari non poſſit, quales ſunt Deum odiſſe, blaſphemare &c. & in his Deum nunquam diſpenſare poteſt, nec eæ licitæ fieri poſſunt. Quædam vero ſunt actiones hominum malæ, quia repugnant juri naturali, ita tamen, ut cohoneſtari, & licitæ fieri poſſint, ſi is qui hanc poteſtatem habet, tribuat jus tales actiones exercendi. Sic occidere innocentem cenſetur per ſe malum, ſi tamen Deus, qui eſt Supremus Dominus vitæ hominum, conſentiat, vel præcipiat, ut innocens occidatur, ſicut præcepit Abrahamo, ut immolaret filium ſuum innocentem, id ſtatim deſinit eſſe malum, & fit licitum. Item auferre rem alienam, invito domino, eſt furtum, & reputatur per ſe malum & illicitum, ſi tamen proprius dominus conſentiat, ſtatim eſt licitum. Similiter in propoſito, omnis polygamia, præſertim illa, per quam plures viri, eodem tempore, ducunt unam fœminam in uxorem, unaque pluribus nubit, repugnat Juri, non ſolum Divino, ſed etiam naturali, quia Deus, qui ſolus ſupremum dominium habet in corpora humana, non aliter conceſſit, contrahentibus matrimonium, poteſtatem tradendi ſua corpora ſibi invicem, ad uſum generationis, niſi ut unus vir cum una fœmina conjungatur: quare ſi aliter fiat, id repugnat Juri Divino, & naturali: ſi vero Deus licentiam det ad hoc faciendum conjugibus, tunc id neutri juri adverſatur, ſed id eſt licitum, & honeſtum. Ex quo colligitur, quod Deus, quando permittit polygamiam, ut unus vir plures fœminas ſimul ducat, vel etiam ſi una fœmina pluribus viris nubat, non proprie in ea diſpenſat, ſed conditionem apponit, qua poſita, illa mala, ſeu illicita eſſe deſinit, ſicut ſi præcipiat Deus, ut innocens occidatur: vel res aliena proprio Domino auferatur, *Laym. cit. loc.*

1. Ex dictis infertur 1. S. Pontificem in nullo caſu diſpenſare poſſe, in pluralitate uxorum, ut unus plures uxores ſimul habeat, & multo minus, ut una fœmina plures ſimul viros habeat, quia id prohibitum eſt, tum lege naturali, tum Divina Chriſti, *Matth. c.* 19. ob Myſticam ſignificationem hujus Sacramenti, nimirum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, quæ eſt unica, ob unam fidem, & unum Baptiſmum, *Sanch. cit. diſ.* 80. *num.* 9. Diſpenſatio autem illa Divina, ſeu conceſſio, quæ erat in veteri Lege Moſaica, jam eſt ſublata per Chriſtum, qui reduxit matrimonium ad primævum ſtatum, ut eſſet conjunctio unius viri cum una fœmina. *Sanch. c. l. n.* 14. *Tanner. cit. dub.* 6. *n.* 100. 2. Nulla etiam conſuetudine effici poteſt licita polygamia, quia conſuetudo non poteſt derogare Juri Divino, & naturali, *Sanch. c. l. num.* 10. 3. Etiam infidelibus nunc poſt legem Evangelicam eſt prohibita polygamia, ac proinde ii ad fidem converſi cogendi ſunt, ut ſolam primam uxorem retineant, aliis dimiſſis, quia Jure naturali, ac Divino connubium cum pluribus uxoribus, vel viris eſt irritum, ad quod ſublata diſpenſatione per Chriſtum, redactum eſt matrimonium, *Sanch. c. l. n.* 14.

§. II.

Qualis certitudo ſit neceſſaria de morte prioris conjugis, ut poſſit ſuperſtes conjux licite ad alias nuptias tranſire?

CXXXI. Quia nec vir poteſt habere ſimul duas uxores, nec fœmina duos viros, ut dictum in præcedentibus, ſæpe autem non conſtat an alter conjux adhuc in vivis ſit, necne, inde oritur hæc quæſtio, qualiter conſtare debeat de morte alterius conjugis abſentis? De hac re agitur in *c. In præſentia.* 19. *h. t.* „ Ubi Epiſcopus Cæſar-Auguſtanos ex Clemente III. quæſivit quid agendum ſit de mulieribus, quæ viros ſuos, ob captivitatem, vel peregrinationem abſentes, exſpectarunt ultra ſeptennium, nec certiores fieri poterant de vita, vel morte ipſorum, licet diligenter inquiſiverint. Et quia juvenes erant, & ob fragilitatem carnis continere non poterant, petierunt aliis viris matrimonio copulari. Reſpondet Pontifex, quod quantocunque tempore ita remanſerint, non poſſunt ad aliorum conſortium (hoc eſt, ad alias nuptias) canonice tranſire, nec auctoritate Eccleſiæ permitti debent contrahere aliud matrimonium, donec certum nuncium accipiant de morte virorum. „

CXXXII. Pro declaratione hujus c. notandum 1. non ſufficere moralem probabilitatem, ſed requiri moralem certitudinem de morte virorum abſentium, ut conſtat ex hoc c. in fine, & *c.* 1. *de ſecund. nupt. Covarr. in Epit. l.* 4. *Decret. p.* 2. *c.* 7. §. 3. n. 3. *Sanch. l.* 4. *de matr. diſ.* 46. *n.* 6. & alii apud ipſum. Ratio eſt, tum quia in omni genere humanarum rerum, & actionum ſufficit moralis certitudo, cum major via haberi poſſit: & cum in ſecundo contrahendo matrimonio ſit periculum nullitatis ejuſdem & adulterii: in abſtinendo vero nullum, hoc præeligendum eſt, quamdiu certitudo de morte conjugis non adeſt, ut peccati periculum vitetur. Tum quia mors conjugis abſentis, cum ſit quid facti, non præſumitur, ſed probari debet ab allegante, *Sanch. cit. diſ.* 46. *n.* 1. Tum quia matrimonium inter Chriſtianos ſemel legitime contractum, nonniſi per mortem alterius conjugum, via ordinaria diſſolvitur, *c. pen. & ult. inf. de ſecund. nupt.* juxta illud Chriſti *c.* 19. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet,* ergo propter abſentiam alterius conjugis, non diſſolvitur matrimonium, quamvis ſit diuturna, quia mors illius non redditur certa, ſed ſolum vita dubia: neque etiam in caſu hujus c. mulieres allegare poterant fragilitatem carnis, & petere facultatem tranſeundi ad alias nuptias propter periculum incontinentiæ: nam etiam alii plures ſunt caſus, in quibus conjuges ſe continere debent, & privantur uſu conjugii, ut ſi alter conjux in furorem, vel aliam gravem, & diuturnam infirmitatem incidat, vel alias impotens fiat, non enim ideo diſſolvitur matrimonium, propter periculum incontinentiæ, ut conſtat ex *c. Hi qui.* 25. *& c. ſeq. cauſ.* 32. *q.* 7. *Caniſ. in cit. c. In præſentia. n.* 1. *h. t.*

CXXXIII. Notandum 2. Quamdiu ſolum dubitatur, aut leves tantum conjecturæ, vel indicia adſunt de morte prioris conjugis, nunquam eſt licitum cum alio matrimonium contrahere. Ratio eſt, quia generatim loquendo, quando de certa obligatione ad aliquid faciendum conſtat, non autem conſtat de ejus ſolutione, ſeu liberatione, tunc non licet ab obligatione recedere, quia ea adhuc eſt in poſſeſſione, quippe quæ certa eſt, & ſolum dubitatur de illius ceſſatione: ut in propoſito, conſtat de obligatione prioris matrimonii, non autem conſtat de illius ſolutione, ſeu liberatione, quia non conſtat, an prior conjux adhuc vivat, vel non ideoque neceſſario in hoc dubio tutior pars eſt eligenda, & judicandum, quod adhuc obliget prius matrimonium, de quo non conſtat, eſſe diſſolutum, per mortem alterius conjugis, *Tanner. cit. diſ.* 8. *q.* 4. *dub.* 6. *n.* 105.

Notandum 3. Ut conjux ſuperſtes poſſit aliud matrimonium inire, non ſufficit ſola moralis probabilitas, ſed requiritur moraliter indubitata certitudo de morte prioris conjugis, ut colligitur ex *cit. c. In præſentia in fine.* Quia cum hic agatur de gravi præjudicio conjugis abſentis, & de periculo multiplicis peccati, merito major certitudo aliqua requiritur quam veriſimilis præſumptio, ſeu exiſtimatio, *Tanner. c. l. n.* 106. Nec obſtat *c. Quoniam* 5. *& ult.* §. *Porro. Ut lite non conteſtata &c.* Ubi dicitur, quod ſufficit veriſimilis præſumptio, ut permitti poſſit conjugi ſuperſtiti inire alterum matrimonium, nam ibi agitur de caſu omnino diverſo, de quo dictum ſupra *lib.* 2. *Tit.* 6. *n.* 21. & videri poteſt *Laym. l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 3. n. 2.

CXXXIV. Notandum 4. quia in ſpecie determinari non poteſt, qualis eſſe debeat hæc certitudo de morte prioris conjugis, id eſſe prudentis Judicis arbitrio, attentis circumſtantiis occurrentibus, relinquendum, tenent communiter DD. *Abb. in cit. c. In præſentia. n.* 6. *Covarr. cit.* §. 3. *n.* 4. *Sanch. cit. diſ.* 46. n. 7. & alii apud ipſum. Et imprimis quidem non ſufficit unus teſtis aſſerens conjugem abſentem eſſe mortuum, ut liceat alteri tranſire ad ſecundas nuptias, quia juxta jura vox unius eſt vox nullius, *l. Juris jurandi.* 9. §. *Simili modo, c. de Teſtib.* & ibi *Bald.* in Summa & unius teſtimonium non admittitur. *c. Veniens.* 10. *infine. extra eod.* Nec obſtat, quod in *cit. c. In præſentia*, ſolum requiritur certum nuntium in ſingulari, ut patet, ex illis verbis: *Non permittas eos contrahere, donec certum nuntium recipiant*: ſi ergo ſufficit certus nuntius de morte conjugis ſufficit unus teſtis. Verum *nuntium certum* ibi accipitur in neutro genere, pro eo quod nuntiatur, & quidem a pluribus, at non poteſt dici nuntium certum, quod ab uno ſolo affertur, ſeu aſſeritur. Sed neque in genere maſculino *nuntius certus* dici poteſt unus teſtis, quia non poteſt dici aſſerens nuntium certum, quod quis ſolus teſtatur. *Sanch. cit. diſ.* 46. 11. Quia in ore duorum aut trium teſtium (non unius tantum) *ſtabit omne verbum. Matth. c.* 18. quod tamen limitat *Sanch. c. l. num.* 12. niſi conjux obierit in loco ita remoto, ut aliæ probationes haberi facile nequeant. Verum per unum teſtem habetur ſolum ſemiplena probatio, quæ non ſufficit ad probandam mortem alterius conjugis, ſed plena probatio requiritur.

Sed neque ſola per ſe fama ſufficit, niſi aliis adminiculis adjuvetur, cujuſmodi ſunt vehementes conjecturæ, ſeu præſumptiones de morte alterius conjugis, ut quia vir fuit valde ſenex, & in acie pugnavit, & diu exſpectatus non rediit, & inſuper adeſt oculatus teſtis, vel publica fama de ejus morte teſtificans: hoc caſu, ſi major certitudo, & plenior probatio haberi non poſſit, ſufficiet valde probabilis præſumptio, quia & hæc moralem dubitationem excludit, & moraliter certam probationem facit. *Sanch. cit. diſ.* 46. n. 15. *Laym. cit. c.* 3. *n.* 2. §. *Sed facilis. Tanner. cit. dub.* 6. *num.* 107. Debet autem ipſa fama legitime eſſe probata per duos, vel tres teſtes idoneos, *Sanch. c. l. n.* 16.

CXXXV. Notandum 5. Valde probabilis eſt ſententia, quod conjux, ſi habeat veriſimilem præſumptionem, & valde probabilem, etſi non omnino certam cauſam credendi, alterum conjugem eſſe mortuum, licite poſſit ad ſecundas nuptias tranſire, idque Confeſſarius in foro pœnitentiæ permittere poterit, cum bona fide tranſeat, neque Judex Eccleſiaſticus in foro externo, ſi id poſt nuptias intelligat, debet tales conjuges ſeparare, donec conſtiterit priorem conjugem adhuc vivere, prout aperte ſumitur ex *c.* 1. *cauſ.* 34. *q.* 1. Ex quo colligitur, ſatis eſſe probabilitatem moralem de morte alterius conjugis, ut ſuperſtes poſſit, propria auctoritate, inire aliud matrimonium in foro conſcientiæ, quæ in moralibus, in quibus plerumque non poteſt haberi omnimoda certitudo, ſufficit habere valde probabilem; etſi non omnino certam opinionem, ſeu præſumptionem, *Caniſ. cit. c.* 3. n. 2.

Notandum 6. Non tamen poteſt Judex Eccleſiaſticus, in foro externo, in tali caſu, quando ſolum adeſt probabilis præſumptio ex indiciis, & conjecturis, non autem indubitata certitudo de morte alterius Conjugis, concedere licentiam tranſeundi ad ſecundas nuptias. Idque confirmat conſtans Conſiſtoriorum Epiſcopalium praxis, & communiſſima DD. ſententia, a qua in cauſa tam ardua, qualis eſt matrimonialis, non licet recedere. Idque etiam expreſſum habetur in c. *In præſentia. h. t. & c. 2. de ſecund. nupt.* in quibus præcipitur, ut Ordinarius non permittat mulieres tranſire ad ſecundas nuptias, niſi conſtet, ſeu certitudo habeatur de morte maritorum: ubi vero nec per teſtes fide dignos, nec per indicia indubitate probari poteſt mors virorum, ibi non habetur de illa certitudo, *Laym. c. l.* Quæ autem de abſente marito dicta ſunt, locum etiam habent in abſente uxore, quia maritus, & uxor pari paſſu ambulant, quoad ea, quæ pertinent ad fidem conjugalem, *Coninſ. in cit. c. In præſentia. n. 2. §. Et hæc.*

CXXXVI. Notandum 7. Quamvis ſi prudenter exiſtimetur adeſſe moralem certitudinem, ſeu valde probabilem præſumptionem de obitu alterius conjugis, qualis ſecundum Jura requiritur, non ſit neceſſarium, ut ab Ordinario petatur licentia ineundi aliud matrimonium, ideoque Parochus ſine tali licentia aſſiſtere poſſit matrimonio, longe tamen tutius eſt, ut res ad Ordinarium deferatur, imo id abſolute neceſſarium eſt, ſi rationabiliter dubitetur, an adſit certitudo, vel præſumptio de morte alterius conjugis, necne, *Laym. cit. c. 3. n. 1. §. Sed facilis.*

Notandum. 8. ſi poſt contractum ſecundum matrimonium, quamvis bona fide, ſive uxor, ſive maritus, cognoſcat priorem conjugem vivere, debet matrimonium putatitium poſterius initum ſtatim diſſolvi, & prius reſtaurari, & maritus, vel uxor redire ad priorem conjugem, cum quo prius contraxit, quia prius matrimonium noniſi morte alterius diſſolvi poterat, *1. Corinth. c. 7. Laym. cit. c. 3. in fine Tanner. c. l. n.* 108.

Porro etſi olim Jure Civili ſtatutum fuit, ut mulier virum abſentem, de cujus vita dubitatur, quinquennio exſpectet, ut poſſit alii nubere, *l. Uxores 6. ff. de divort.* quod tempus poſtea ad quadriennium eſt reſtrictum, *l. Uxor. 7. C. de repud.* vel ſaltem per annum, juxta *Aut. Hodie C. eod.* Id tamen Jure Canonico eſt correctum, quia Jus Civile nihil circa matrimonium diſponere poteſt, *Sanch. cit. diſp. n. 2. & 3.*

§. III.

An, & quo Jure matrimonium ſit indiſſolubile?

Dupliciter dici poteſt matrimonium diſſolvi, 1. Quoad ſolum torum, ſeu cohabitationem, & de hoc agetur infr. Tit. 19. hoc libr. 2. Quoad vinculum, & de hoc agimus in præſenti.

CXXXVII. Aſſertio 1. Matrimonium, quatenus eſt præciſe contractus, non eſt ita indiſſolubile, ut ejus diſſolutio repugnet proprie Juri naturali, *Sanch. l. 2. de matr. diſ. 13. n. 8. Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 6. n. 1.* Probatur, quia obligationes mutuo conſenſu contrahuntur, contrario voluntate diſſolvuntur, *§. ult. Inſtit. quib. mod. toll. oblig.* Neque vero talis diſſolutio repugnat primario fini matrimonii, quæ eſt prolis generatio, & educatio, ita ut ſit per ſe, & intrinſece malum, ſed ſolum ratione adjuncti, quod ſæpiſſime abeſt, ut ſi proles jam ſit perfecte educata, vel uxor ſit ſenex, aut ſterilis.

CXXXVIII. Aſſertio 2. Matrimonium ex Jure naturali Divino eſt indiſſolubile, ut docet *Sanch. cit. diſ. 13. n. 7.* Idque probatur 1. quia matrimonium ex primæva inſtitutione Auctoris naturæ eſt indiſſolubile, ut conſtat ex *c. un. de voto in 6.* Ubi dicitur, *quod matrimonii vinculum ab ipſo Eccleſiæ capite, rerum omnium Conditore, illud in Paradiſo, & in ſtatu innocentiæ inſtituente*, id eſt ante peccatum, *Gl. ib. V. eod.*) *indiſſolubilitatem acceperit.* Et *Conc. Trid. Seſſ. 24. de Sacramento matrimonii*, ait: *matrimonii perpetuum indiſſolubilemq; nexum primus humani generis parens divini Spiritus inſtinctu pronuntiavit, cum dixit: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una: quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet, Matth. c. 19.* Tunc autem non extabat aliquod præceptum poſitivum Divinum, præterquam de abſtinentia ab arbore vetita; ergo erat præceptum divinum naturale de indiſſolubilitate matrimonii: nam Chriſtus ipſe *Matth. c. 19.* ait: *ab initio autem* (hoc eſt, in ſtatu Legis naturæ) *non fuit ſic*, (id eſt, non fuit permiſſum, ſeu licitum dare libellum repudii, & dimittere uxorem, adeoque non erat tunc ſolubile matrimonium) & tamen tunc non erat Sacramentum: ergo indiſſolubilitas matrimonii non ortus ex ſola Sacramenti ratione, ſed ex Jure Divino naturali. Confirmatur, quia matrimonium ordinatur, non tantum ad generandam, ſed etiam ad educandam prolem, quod commode fieri non poſſet, ſi matrimonium eſſet ſolubile; foret enim proles incerta, maleque educaretur: quamvis non ſit ita inſolubile, ut ejus diſſolutio ſit per ſe, & intrinſece mala, ſed ſolum ratione adjuncti, quod ſæpe abeſt, ut ſi proles jam ſit educata, vel nulla ſpes ſit generandæ prolis, quia uxor ſenex eſt, vel ſterilis; tunc enim, ſi diſſolvatur matrimonium cum priore conjuge, & contrahatur aliud cum altero conjuge, id magis confert ad prolis generationem, quam ut ei adverſetur, *Laym. c. l. numer. 1.*

CXXXIX. Aſſertio 3. Quod matrimonium conſummatum inter fideles Chriſtianos, ſeu baptizatos omnino, & indiſpenſabiliter ſit indiſſolubile, ſive omnimoda illius indiſſolubilitas non competit matrimonio ex jure naturæ, ſed ex Jure Divino addito juri naturali, nimirum ex præcepto Chriſti impoſito in Lege Evangelica *Matt. 19. Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet, Sanch. l. 2. diſ. 13. numer.* 8. Prima pars, quod non competit ex Jure naturæ, probatur, quia Jus naturæ ſemper idem eſt, & immutatum manet: atqui ante legem Evangelicam apud Judæos poterat, ob rationabilem cauſam, diſſolvi matrimonium conſummatum etiam quoad vinculum per libellum repudii, ut aperte colligitur ex *c. 24. Deuteron. in princ.* & poſt legem Evangelicam poteſt etiam diſſolvi, quando unus tantum conjugum infidelium ad fidem convertitur, ut infra dicitur; ergo Jure naturali non eſt omnino indiſſolubile, ita ut ejus diſſolutio proprie repugnet Juri naturæ, alioquin nec Deus in eo diſpenſare potuiſſet, quia neque per abſolutam ſuam omnipotentiam diſpenſare poteſt Deus in lege proprie naturali, ex ſententia S. Thomæ communiter recepta 1. 2. *q. 94. art. 5. & q. 100. art. 8. Laym. c. l.* Confirmatur, quia ſpectatu præciſe matrimonio, ut eſt in naturæ officium, vel in remedium concupiſcentiæ inſtitutum, non apparet, cum maritus non poſſit dimittere uxorem ſterilem, & aliam ducere, cum nullum inde incommodum proli ſequatur: nec cur non poſſit dimittere uxorem perpetuo ægrotantem, nec valentem debitum reddere marito.

CXL. Secunda pars, quod matrimonium conſummatum ſit omnino indiſſolubile ex Jure Divino poſitivo probatur; nam *Marci 10. v. 11.* abſolute dicitur: *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam & aliam duxerit, adulterium committit. Et v. 12. Si uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur.* Similis locus eſt, *Luc. 16. v. 18. Ad Rom. 7. v. 2. & 3. 1. Corinth. 7. v. 10.* denique *Matth. c. 19.* Cum Chriſtus dixiſſet: *v. 4. Erunt duo in carne una:* poſtea *v. 6.* ſubjungit, *quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet:* ubi ſpecialiter de matrimonio conſummato ſermo eſt, per quod conjuges fiunt una caro. Idemque probatur ex Concilio Florentino *Seſſ. ult. in Decreto unionis, & Trident. Seſſ. 24. can. 5. & 7.* & ex perpetua traditione Eccleſiæ.

Porro hæc omnimoda indiſſolubilitas matrimonii, quæ ipſi competit ex Lege nova Evangelica, non provenit ex eo tantum, quod ſit Sacramentum novæ Legis, ſed ex eo, quod ſit Sacramentum perfecte ſignificans unionem Chriſti cum Eccleſia per Incarnationem, idque probatur ex *c. Debitum 5. de bigam. non ordin.* Ubi Innocentius III. definit, matrimonium ratum ſignificare tantum conjunctionem Chriſti cum Eccleſia per charitatem, ſeu dilectionem, & juxta illud *1. ad Corinth. 6. Qui adhæret Deo, unus Spiritus eſt cum eo*, quæ unio ſaltem in particularibus membris Eccleſiæ ſubinde diſſolvitur per peccatum mortale, ideoque etiam matrimonium ratum quandoque diſſolvi poteſt. Conſummatum vero ſignificare conjunctionem Chriſti cum Eccleſia per Myſterium Incarnationis, juxta illud *Joan. 1. Et verbum caro factum eſt, & Epheſ. 5. Sacramentum hoc magnum eſt, Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*, quæ unio prorſus indiſſolubilis eſt, ideoque etiam matrimonium illud perfecte ſignificans eſt omnino indiſſolubile, *Layman cit. cap. 6. numer. 2. §. Porro.*

CXLI. Sed prædictis obſtare videtur, quod dicit Chriſtus *c. 19. Matth. Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur;* ergo propter fornicationem poterit quis dimittere uxorem ſuam, & aliam ducere, adeoque per illam diſſolvitur matrimonium. Sed reſpondetur. Chriſtum ibi ſolum loqui de dimiſſione uxoris, quoad torum, & cohabitationem, non autem de dimiſſione quoad vinculum, *Sanch. l. 10. de matr. diſ. 2. num. 3.* ita ut ſenſus ſit, fornicationem, ſive adulterium eſſe juſtam cauſam dimittendi uxorem, quoad torum, & cohabitationem, ut talis non poſſit dici facere eam mœchari, quia qui ob fornicationem uxorem dimittit, non facit eam mœchari, ut dicitur *c. 5. Matth. v. 32.* utitur enim jure ſuo: quare exceptio illa, (niſi ob fornicationem) ſolum ad verba antecedentia, *qui dimiſerit uxorem ſuam:* non autem ad ſequentia, *& aliam duxerit, mœchatur*, referri debet, ita ut textus iſte concordet cum illo, *Marc. 10. & Luc. 16. v. 18.* Ubi abſolute dicitur: *Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimiſſam a viro* (ſcilicet etiam ob fornicationem) *duxerit, mœchatur. Menoch. in cit. c. 5. Matth. verſ.* 32. Deinde etiam dici poteſt, in priore parte, ad quam ſolam referenda eſt exceptio, ſupplendum eſſe, *peccat:* ut ſenſus ſit, qui uxorem, niſi ob fornicationem dimiſerit, peccat: & qui dimiſſam, ex quacunque cauſa, duxerit, mœchatur, *Sanch. c. l.*

§. IV.

An, & quibus modis diſſolvatur matrimonium ratum, & non conſummatum?

Duobus modis, per profeſſionem Religionis, & per diſpenſationem S. Pontificis. De priore egimus ſupra

lib. 3.

lib. 3. Tit. 32. de converſ. conjug. §. 9. & 10. de poſteriore agemus hoc loco.

CXLII. Quæritur 1. An matrimonium ratum poſſit diſſolvi per diſpenſationem SS. Pontificis, ita ut ſoluto ejus vinculo, conjuges libere poſſint inire aliud matrimonium? Reſp. Affirmative, quæ eſt communior, & verior ſententia DD. apud *Sanch. l. 2. de matr. diſ.* 14. n. 2. Probatur 1. ex facto plurium SS. Pontificum, qui in matrimonio rato, & nondum conſummato ſæpius diſpenſarunt, ut teſtatur *Navarr.* & alii apud *Sanch. cit. loc.* quos in re tam gravi erraſſe, ſine temeritate, dici non poteſt. 2. Probatur, quia matrimonium ratum non eſt omnino indiſſolubile, nec ex ratione contractus, ut patet ex matrimoniis infidelium, quæ diſſolvi poſſunt; neque ex ratione Sacramenti, aut ſignificationis illius, quia ſignificet ſolum conjunctionem Chriſti per charitatem, quæ diſſolvi poteſt, ut ſupradictum; ergo non eſt ratio, cur Pontifex non poſſit in eo diſpenſare, præſertim cum poteſtas ligandi, & ſolvendi conceſſa Eccleſiæ a Chriſto, quippe utilis ſaluti animarum, extendenda ſit, quantum licet, & quoad nullum contrarium divinum Jus obſtat, vel id prohibet. Probatur 3. SS. Pontifex poteſt diſpenſare in voto ſolemni, ſive profeſſione Religionis, ut habet verior ſententia, & dictum ſupra *libr. 3. Tit. 31. ſec. 3.* §. 8. *num.* 144. ergo etiam in matrimonio rato, quod eſt illo infirmius, cum per profeſſionem Religioſam diſſolvatur.

CXLIII. Objicitur contra 1. Pontifex non poteſt diſpenſare in Jure Divino, & naturali, ex communi, & recepta Theologorum ſententia: atqui matrimonium etiam ratum Jure Divino, & naturali eſt inſolubile, ut dictum ſupra. Reſp. Matrimonium etiam ratum, ex primæva DEI inſtitutione eſſe inſolubile, ita ut ex mutuo ipſorum contrahentium conſenſu diſſolvi nunquam poſſit, ſicut alii contractus; quamvis poſſit diſſolvi a ſuperiore poteſtate Eccleſiæ, ſeu SS. Pontificis, ob bonum publicum Communitatis, *Sanch. l. 2. diſ.* 14. *n.* 5. Neque tamen per hoc Pontifex proprie, & immediate, ac directe diſpenſat in ipſo Jure Divino, ſed in contractu humano, cujus vinculum tollendo, velut deſtructo fundamento obligationis Juris Divini, & naturalis, indirecte & per accidens tantum tollitur etiam lex Divina, vel naturalis, quippe quæ tali caſu per ſe jam obligare deſinit: quemadmodum etiam fit in diſpenſatione voti, & juramenti, in quo Prælatus Eccleſiæ non diſpenſat proprie in Jure Divino, vel naturali, quo votum, vel juramentum obligat, ſed tollit ipſum votum, ſeu juramentum, quod eſt fundamentum illius obligationis, quam homo ſponte ſibi impoſuit, ut docet *S. Thom.* 2.2. *qu.* 88. *art.* 10. *ad* 2. *Sanch. cit. diſ.* 14. *num.* 5. *Tanner. cit. diſ.* 8. *dub.* 4. *n.* 64.

Objicitur 2. Pontifex non poteſt mutare eſſentiam Sacramenti, ergo nec tollere vinculum matrimonii rati, diſpenſando in illo, quia eſt verum Sacramentum. Reſp. Licet matrimonium ratum ſit Sacramentum, pendet tamen ex contractu humano, in quo fundatur ratio Sacramenti; hoc igitur diſſoluto per auctoritatem SS. Pontificis, indirecte etiam deſinit ratio Sacramenti, dum contractus irritatur: quamvis directe Papa nihil poſſit mutare circa eſſentiam Sacramentorum, præſertim quæ independentia a contractu humano ſunt, *Sanch. c. l.* n. 5.

CXLIV. Objicitur 3. De eſſentia matrimonii, etiam rati eſt, ut ſit perpetuum, indiſſolubile, ergo non poteſt per diſpenſationem Papæ tolli. Reſp. 1. de eſſentia eſt, ut non poſſit ab ipſis contrahentibus diſſolvi, non autem ut non poſſit diſſolvi per poteſtatem Papæ acceptam a Chriſto, ut fit etiam in voto. Deinde non poteſt diſſolvi matrimonium per diſpenſationem, ita ut ſit matrimonium, & ad tempus contractum: ſed quando Papa diſpenſat in perpetuitate, non manet matrimonium, ſed uterque conjux liberatur a vinculo matrimonii, ſicut fit in voto, in quo per diſpenſationem deſtruitur, & diſſolvitur in eo obligatio, *Sanch. c. l.* n. 5.

Objicitur 4. Si Papa poſſet diſpenſare in matrimonio rato, poſſet etiam in conſummato, quia ea eſſentialiter non differunt, ſed ſolum accidentaliter, ſicut res operans, & non operans, reſp. neg. ſeq. quia proprie non differunt eſſentialiter, neque ſolum accidentaliter, ſed differunt, tanquam perfectum integraliter, & imperfectum, quia conſummatio eſt quædam integralis perfectio matrimonii, quæ ex Chriſti inſtitutione tantum, ſacri Myſterii cauſa, ad ſignificationem Unionis Chriſti cum Eccleſia per carnis aſſumptionem, tribuit illi majorem indiſſolubilitatem, ideoque dedit Chriſtus Eccleſiæ ſuæ poteſtatem quidem ſolvendi matrimonium ratum, non autem conſummatum, *Sanch. c. l. num.* 5. apud quem plura de hac re videri poſſunt.

CXLV. Quæritur 2. An ut diſpenſatio in matrimonio rato ſit licita, vel etiam valida, requiratur juſta cauſa? Reſp. verius eſt requiri juſtam cauſam ad valorem diſpenſationis, *Sanch. cit. loc.* a. *diſp.* 15. *num.* 8. & docent communiter Theologi, & Canoniſtæ apud *Tanner. cit. d.* 4. *num.* 68. Ratio eſt, quia in Jure naturali, & Divino, ex quo oritur indiſſolubilitas matrimonii, etiam rati, nec licite, nec valide poteſt diſpenſare Papa, ſicut nec in voto ſimplici, niſi juſta cauſa ſubſit, cum in his non ſit Dominus, ſed diſpenſator. Juſtæ autem cauſæ diſpenſandi in matrimonio rato ſunt, notabilis diſparitas in ſtatu, & conditione inter contrahentes, quæ eſt mater diſcordiarum; gravis timor magni ſcandali futuri, unde graves rixæ, & neces oriri ſolent, item lepra alteri conjugi ſuperveniens, & aliæ ſimiles, de quibus *Sanch. cit. l. 2. diſp.* 16.

Porro præter duos caſus prædictos, matrimonium ratum nunquam diſſolvitur: nec quidem per matrimonium ſubſequens conſummatum cum altera, *c. Licet 3. de ſponſa duorum*.

CXLVI. Quæritur 3. An matrimonium, ſive ratum, ſive conſummatum infidelium non baptizatorum poſſit Pontifex diſpenſando diſſolvere, & an etiam matrimonium infidelium conſummatum, cum ambo baptizantur? Reſp. 1. probabilius eſt matrimonium, ſive ratum, ſive conſummatum infidelium non baptizatorum, non poſſe a Pontifice laxari per diſpenſationem, quia cum hæc ſit uſus, ſeu actus quidam juriſdictionis, non poteſt exerceri a Superiore, niſi in ſubditos, infideles autem Ethnici non ſunt ſubjecti Pontificiæ poteſtati, ſeu juriſdictioni, juxta illud 1. *Cor.* 5. *Quid mihi de illis, qui foris ſunt, judicare?* Aliud eſt de matrimoniis hæreticorum, *Tanner. cit. dub.* 4. *n.* 72. Sed de hoc plura infra. Reſp. 2. poſſe SS. Pontificem in tali matrimonio etiam conſummato infidelium, dum ambo baptizantur, diſpenſare, ut docet *Sanch. lib. 2. de matrim. diſ.* 17. *num.* 2. Ratio eſt, quia matrimonium ratum Chriſtianorum fidelium, eſt firmius, quam matrimonium conſummatum infidelium, idque ratione Sacramenti ad quod prius eſt elevatum a Chriſto, cum matrimonium infidelium conſummatum ſit merus contractus civilis. Cum ergo Pontifex poſſit diſpenſare in matrimonio rato fidelium, quod eſt Sacramentum, multo magis poterit in conſummato matrimonio infidelium. Nec obſtat, quod hoc per baptiſmum ſuſceptum fiat Sacramentum, & quia jam eſt conſummatum, repræſentabit indiſſolubilem Unionem Chriſti cum Eccleſia per carnis aſſumptionem: nam etſi per Baptiſmi ſuſceptionem fuerit factum Sacramentum, ſed nondum ſit conſummatum, ut ſupponimus, reputabitur tanquam matrimonium ratum fidelium, in quo Pontifex diſpenſare poteſt, illudque diſſolvere.

Porro an, & qua ratione matrimonium infidelium non baptizatorum conſummatum diſſolvatur per converſionem alterius conjugis ad fidem, commodius dicetur infra *Tit.* 19. *hoc libro*, ubi ex Inſtituto de hac re agitur.

SECTIO VI.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

§. I.

De impedimentis matrimonii in genere,

CXLVII. Quæritur 1. Quænam ſint impedimenta matrimonii? Reſp. eſſe duplicis generis, quædam enim ſunt impedientia tantum, quæ efficiunt, ut matrimonium illicite, non autem invalide contrahatur. Alia ſunt, & vocantur impedimenta dirimentia, non quod matrimonium ſemel valide contractum dirimant: ſed quia de facto (non jure) contractum impediunt, ne validum fiat, adeoque non tantum illicitum, ſed etiam irritum reddunt matrimonium ſubſequens.

CXLVIII. Quæritur 2. Penes quos ſit poteſtas ſtatuendi impedimenta matrimonii, ſive impedientia, ſive dirimentia? Reſp. 1. eſt in Eccleſia Catholica poteſtas introducendi, & conſtituendi impedimenta etiam dirimentia matrimonium, ita ut contra Eccleſiæ prohibitionem contractum ſit irritum, prout eſt definitum in Concilio Trident. *Seſſ. 24. de Sacrament. matrimonii can.* 3. & 4. ubi dicitur: *Si quis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe, anathema ſit.* Idque conſtat ex uſu, & praxi univerſæ Eccleſiæ. Neque vero ideo mutatur, aut variatur ipſa eſſentia, ſeu materia, & forma Sacramenti matrimonii, ſed irritus redditur contractus humanus, qui ut materia præerequiritur, & ſupponitur in Sacramento, quo immutato per humanam poteſtatem, conſequenter etiam deſinit eſſe materia Sacramenti, *Sanch. lib. 7. de matrim. diſ.* 1. *n.* 2. *Laym. l. 5. tract.* 10. *p.* 4. *c.* 1. *num.* 1. Ad hanc autem poteſtatem ſtatuendi impedimentum dirimens, requiritur juſta cauſa, ita ut ea non exiſtente, matrimonium, contra ejuſmodi prohibitionem initum, ſit validum, & licitum, quia cum matrimonium Jure naturali, ac Divino ſit omnibus conceſſum, non poteſt Pontifex pro libitu illud interdicere, nec adimere jus illud contrahendi, *Sanch. cit. l. num.* 6.

Reſp. 2. Eccleſia, aut SS. Pontifex poteſt impedimenta dirimentia matrimonium conſtituere, non ſolum indirecte inhabilitando perſonas ad contrahendum, ſed etiam directe, & immediate, annullando ipſum contractum, *Tanner. diſp.* 8. *de matrim. qu.* 4. *dub.* 1. *num.* 9. Probatur, tum quia ipſe etiam contractus matrimonii ſubjicitur poteſtati Eccleſiæ, ſicut & ipſi contrahentes: tum quia Eccleſia de facto ita irritavit alios contractus, ut profeſſionem Religionis factam, ante finitum annum probationis, vel XVI. annos expletos, ut patet ex Concilio Trident. *Seſſ. 25. de Regul. cap.* 16. & matrimonia clandeſtina *Seſſ. 24. de reform. matr. c.* 1.

CXLIX. Porro hæc poteſtas Eccleſiæ non extenditur ad infideles, quia infideles Eccleſiaſticis Conſtitutionibus

bus non ligantur, c. *Gaudemus*. 8. *de divortiis*, niſi tamen ſubjecti ſunt temporali juriſdictioni S. Pontificis, & in ejus ditionibus temporalibus habitent; tunc enim non minus poterit ejuſmodi impedimenta matrimonii illis ſtatuere, quam ſæcularis princeps infidelis ſuis ſubditis. Secus eſt de infidelibus ſubditis Chriſtianorum Principum, cum in horum ditionibus temporalem juriſdictionem non habeat Pontifex, ſed ſolum ſpiritualem, *Sanch. cit. diſ.* 1. *num.* 3.

Reſp. 3. Poteſtas ſtatuendi impedimenta dirimentia matrimonii inter fideles, non competit Epiſcopis: ſed ſi non ex lege, ſaltem ex generali Eccleſiæ conſuetudine ea poteſtas ſoli Papæ eſt reſervata, ita ut non niſi univerſalibus Canonibus, vel in generali Concilio decerni poſſint, ut conſtat ex praxi Eccleſiæ: quia cenſæ, in quibus de valore matrimonii agitur, ſemper graves ſunt judicatæ, *Sanch. cit. diſ.* 1. *n.* 3. *Laym. cit. c.* 1. *n.* 4.

CL. Porro ſpectata rei natura, & ſeclusis Eccleſiæ Conſtitutionibus, quilibet Princeps, ſeu Magiſtratus ſæcularis habens poteſtatem abſolutam ferendi leges, poteſt ſuis ſubditis, etiam fidelibus, & Chriſtianis, ſtatuere impedimenta matrimonii ex juſta cauſa, quia matrimonium eſt contractus civilis, adeoque non minus, quam alii contractus poteſtati politicæ, & ſæculari eſt ſubjectus, quatenus neceſſarium judicatur, aut expediens ad bonum, & finem Reipubl. ut perſonæ aliquæ inter ſe contrahere prohibeantur. Et licet matrimonium inter fideles ſit Sacramentum, eſt tamen ſimul contractus humanus, ſeu Civilis, qui per politicam, ſeu ſæcularem poteſtatem immutatus, deſinit eſſe materia Sacramenti, ut ſupra dictum. Veruntamen Eccleſia hanc poteſtatem Principibus Chriſtianis, reſpectu fidelium, ademit, ſibique reſervavit, quia poſtquam contractus matrimonii ad Eſſe, ſeu rationem Sacramenti eſt elevatus, decuit, ut ad ſolam poteſtatem Eccleſiaſticam, & quidem ſupremam, videlicet Pontificiam, pertineret impedimenta matrimonii ſtatuere, ut colligitur ex *c. Tuam.* 3. *de O die, cognit.* ex *Sanch. cit. l.* & *ex Concil. Trident. de Sacram. matrim. can. ult.* Nam cum poteſtas temporalis ſubjecta ſit ſpirituali in ordine ad finem ſupernaturalem, potuit hæc, ut pote altioris ordinis, illam reſtringere, eique limites præſcribere, in illis, quæ rationem ſpiritualem annexam habent, quos nec valide excedere poſſit, qualis eſt matrimonium, cui annexa eſt ratio Sacramenti, *Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 3. *num.* 3. & 4. *Laym. cit.* 1. *num.* 2.

CLI. Hinc infertur 1. Adhuc hodie, tam & Principes Chriſtianos, quam Ethnicos, poſſe ſtatuere impedimenta circa matrimonia infidelium ſibi ſubjectorum, quia matrimonium infidelium non eſt Sacramentum, & cum non ſint ſubjecti Eccleſiæ, illius Conſtitutionibus non obligantur, *Sanch. c. l. n.* 5. & 8. Infertur 2. quamvis *Sanch. c. l. n.* 7. putet, fideles ſubditos commorantes in Terris Principum infidelium aſtringi legibus eorum juſtis irritantibus matrimonium; contrarium tamen eſt probabilius, quia non excedit indirectam poteſtatem Eccleſiæ, privare etiam infideles aliquo jure in ſubditos Chriſtianos, ob eximium bonum ſpirituale, & conſequenter eximere illos, ubique terrarum degentes, legibus Civilibus, quod attinet ad matrimonii valorem, illoſque Eccleſiaſticis ſubjicere, cum hoc ad dignitatem Sacramenti pertineat. *Tanner. cit. dub.* 1. *n.* 20. *Laym. cit. c. n.* 3. Infertur 3. fideles habitantes in Terris infidelium ligari impedimentis matrimonii ab Eccleſia ſtatutis, cui ſunt ſubjecti, ubicunque locorum degunt, *Sanch. cit. diſ.* 3. *n.* 10.

CLII. Poſtremo prædictis addendum 1. probabilius videtur, etiam per conſuetudinem communem, tam Clericorum, quam laicorum legitime præſcriptam, & rationabilem, poſſe antiqua impedimenta matrimonii ſolo Jure Eccleſiaſtico ſtatuta abrogari, & nova conſtitui, ut docet *Sanch. cit. l.* 7. *diſ.* 4. *n.* 11. & 13. *Tanner. cit. dub.* 1. *n. ult.* Ratio eſt, quia in *c. ult. de conſuetud.* generaliter, & abſolute dicitur, conſuetudinem legitime præſcriptam, & rationi conſonam habere vim legis, & vires ad derogandum legi poſitivæ, & cum talis conſuetudo nihil juri naturæ, aut rationi contrarium contineat, non poteſt dici irrationabilis.

Addendum 2. Poteſt Pontifex aliquibus per ſententiam particularem interdicere, ne matrimonium contrahant cum decreto irritante, ut alioquin irritum ſit, *Sanch. cit. l.* 7. *diſ.* 2. ubi fuſe de hac re agit: non tamen ſolet facile Papa tali poteſtate uti, ut notat *Laym. cit. c.* 1. *n.* 4.

§. II.

De quibuſdam impedimentis matrimonii contrahend. in ſpecie, de quibus agitur in hoc Titulo.

CLIII. Quæritur 1. An, & qua ratione ad dictum unius aſſerentis impedimentum inter aliquos intercedere, impediatur matrimonium contrahendum? De hoc agitur in *c.* „ *Præterea.* 12. *h. t.* Nam cum quidam vir matrimonium „ contrahere vellet cum quadam muliere: conſanguineus „ illius viri dixit: ſe deliquiſſe, ſeu rem cum illa habuiſ„ ſe, quod tamen publice confiteri recuſabat, propter me„ tum, & potentiam illius mulieris: ideo mandat Papa, „ ut matrimonium iniri inter eos prohibeatur, ne dete„ rius inde contingat, niſi juramentum interveniſſet.

CLIV. Notandum 1. Impedimentum, ne matrimonium contrahatur, propter affinitatem ortam ex concubitu conſanguinei viri cum muliere, plene probatur per unicum teſtem, *c. Super eo.* 22. *de teſtib.* & patet ex hoc c. licet alias non credatur dictu unius in præjudicium alterius, *c. Licet.* 24. *de teſtib.* quia agitur de peccato vitando, non impediri contrahendo matrimonium contra prohibitionem Eccleſiæ peccans, *Sanch. l.* 1. *de matr. diſ.* 71. *n.* 1. dummodo talis conſanguineus conjunctus fuerit viro intra quartum gradum conſanguinitatis, *c. Non debet.* 8. *de conſang. & affinit.* Sed hodie affinitas orta ex fornicatione ad primum, & ſecundum gradum conſanguinitatis eſt reſtricta e Concilio Trident. *Seſſ.* 24. *c.* 4. *de reform.* ut infra dicetur.

Notandum 2. Sunt & alia quædam ſpecialia, quæ occurrunt in caſu hujus c. ut notat *Ab. hic n.* 7. Velut 1. quod teſtis iſte non juravit in præſentia partis, c. 2. *de teſtib.* 2. quod dictum ſuum, & nomen non publicavit contra c. *Qualiter.* 24. §. *Debet de accuſat.* 3. quia conſanguineus viri allegans propriam turpitudinem, quod cum ſponſa viri concubuerit, fuit auditus contra *c. Inter dilectos.* 8. & ibi *Gl. V. Turpitudinem. de donation.* quæ omnia fuerunt permiſſa propter periculum peccati vitandum, quod forte ſuberat ob allegatum affinitatis impedimentum, quia tutius eſt in re dubia certum accipere pro incerto, ita ut in hoc potius cenſeatur concubitum interveniſſe conſanguinei cum ſponſa viri, quam non interveniſſe, ne matrimonium contrahatur inter affines in gradu prohibito; tum etiam, quia hic non agitur de magno præjudicio, ſi ſponſalia inter virum, & mulierem inita dirimantur, cum facile poſſint reperire alium, vel aliam, cum quo, vel cum qua contrahant, *Cenſ. re cit. cap. Præterea numer.* 2.

Notandum 3. Requiruntur aliæ præterea quædam conditiones, ut teſtis unicus impedire poſſit matrimonium contrahendum. 1. Ut deponat tanquam teſtis, non ut ſolum denunciet. 2. Ut juret. non enim creditur teſti non juranti. 3. Ut juret, ſe certo ſcire impedimentum, non enim ſufficit, ſi teſtificetur de ſolo auditu. 4. Ne ſit vilis perſona, *Sanch. c. l. n.* 9. & 3. *ſeqq.*

Notandum 4. Si ſponſalia inter virum, & mulierem, verbi gratia Titium, & Cajam juramento ſint confirmata, non debet ad dictum unius ſolius matrimonium impediri, idque ut vitetur periculum perjurii, ut patet ex fine hujus *c. Abb. ibid. in fine.*

CLV. Quæritur 2. An ad denuntiationem unius viri honeſti qui defert de fama conſanguinitatis, impediatur matrimonium contrahendum? De hac re agitur in *c. Cum* „ *in tua.* 27. *h. t.* ubi dicitur: quia interdum contin„ git, ut cum quidam volunt matrimonium contrahere, „ bannis (id eſt denunciationibus, *Gl. hic V. eod.*) in „ Eccleſiis editis, ut qui impedimentum ſciret, illud „ proponeret, ſed nullo contradictore publice comparen„ te, fama deferat privatum impedimentum parentelæ: „ ex parte autem contrahentium juramenta majorum de „ ſua propinquitate (ut ſuſpicionis occaſio tollatur) of„ ferantur. Conſultus Pontifex, quid ſit in hujuſmodi „ caſibus faciendum, reſpondet: ſi perſona gravis, & fi„ de digna denunciet, eos, qui matrimonio copulandi „ ſunt, ſe propinquitate contingere, & de fama, aut „ ſcandalo doceat, aut etiam ipſe Epiſcopus poſſit certi„ ficari de plano (id eſt, ſummarie, & ſine ſtrepitu ju„ diciorum) non ſolum juramenta parentum ſponte obla„ te, non debent recipi: ſed etiam qui ſic contrahere vo„ lunt, ſi moniti non deſiſtant, ad id compelli debent, „ vel ut contra famam juramenta propinquorum ex„ hibeant. Si vero denuncians non ſit talis, ut di„ ctum, vel famam, aut ſcandalum probare non „ poſſit, cum contrahentes poſſunt moneri ad deſi„ ſtendum a contractu matrimonii, non autem com„ pelli.

CLVI. Pro explicatione hujus c. notandum 1. ſi fama impedimenti plene probetur, adeoque de illa conſtet, ea ſufficit ad impediendum matrimonium, ne contrahatur, *Sanchez, lib.* 1. *de matrim. diſ.* 71. *numer.* 13. Secus eſt, ſi de fame non conſtet, nec probata fuerit *Gloſſa, hic V. Licet fame.* Non debet autem fama eſſe privata, ita ut conſtet ſolum Judici, ut privato, quia extra judicium intellexit de impedimento famam eſſe; tunc enim ea non ſufficit ad impediendum matrimonium, ſed ſolum ad inquirendum, & recipiendum probationem de fama. Si vero de fame conſtet Judici, tanquam Judici, quia ea probata eſt in judicio per teſtes, tunc talis fama impedit matrimonium contrahi, *c. Super eo.* 2. *de conſang. & affinit.* Idemque eſt, ſi de fame conſtet Judici tanquam notorium, tunc enim is poteſt juxta illud judicare, etſi id non probetur, *Abb. hic num.* 6. & *Alex. de Nevo numer.* 15. & 16. *Sanch. cit. diſ.* 71. *numer.* 15.

Notandum 2. Contra probationem famæ de impedimento matrimonii admitti poteſt alia contraria probatio, & ſi hæc ſecunda probatio ſit clarior, eliditur effectus prioris probationis, *Gl. hic V. Famam. Abb. ibid. n.* 3. *Alex. de Nevo n. ult. Sanch. c. l. n.* 16. Ad deponendum vero contra hujuſmodi famam, ſive ad eam refellendam admittitur etiam conſanguineorum juramentum, *cit. c. Cum in tua.* ibi: *vel contra famam hujuſmodi juramenta exhibeant propinquorum.* Imo hæc fama, ejuſque probatio eliditur arbitrio Judicis, ſi contra illam conſanguinei contrahere volentes

jurent,

Digitized by Google

jurent, ſe non eſſe conſanguineos: tunc enim arbitrio Judicis relinquitur, juxta qualitatem perſonarum, admittere hoc juramentum contra famam, *Abb. hic in fine. Alex. de Nevo ibid. n. 13. Menoch. de arbitr. Jud. caſu* 243. *n.* 4. *Maſcard. vol.* 2. *de probat. concl.* 1034. *n.* 16. *Sanch. c. l. n.* 17. Judex autem, ſi propinqui ſe ſponte offerant ad juramenta præſtanda, ea recipere non debet, ſed repellere, quia ſunt ſuſpecti, quin etiam compelli debent, ut a contractu matrimonii deſiſtant, ut habetur in textu.

CLVII. Notandum 3. Quando ſcandalum timetur ex contractu matrimonii inter conſanguineos contrahentium, tum poteſt, & debet Judex interdicere matrimonium, prout ſumitur ex cit. *cap. Cum in tua.* & ibi *Gl. V. Scandalo.* ubi ait, quod ſcandalum reddit aliquos inhabiles ad contrahendum matrimonium, *Abb. ibid. n.* 4. *Sanch. l.* 1. *de matr. diſ.* 14. *n.* 3.

Notandum 4. Si denuncians impedimentum matrimonii, non ſit perſona gravis & de fama, vel de ſcandalo docere, ſive illud ſufficienter probare non poſſit, tunc Judex poteſt quidem tales monere, ut deſiſtant a contrahendo matrimonio, non tamen poteſt compellere contrahere volentes, ut habetur in fine *cit. c. Cum in tua.* idque propter defectum probationis. Quomodo autem probari debeat conſanguinitas, vel affinitas, dictum eſt *libr.* 2. *Decretal. Tit.* 20. *ſec.* 3. §. 1. *num.* 136. *& ſeqq.*

CLVIII. Quæritur 3. „ An ſi lis pendeat ſuper priore „ matrimonio, impediatur contrahi ſecundum? de hoc „ agitur in *c. Cum in Apoſtolica* 18. *h. t.* Nam cum in- „ ter villicum quendam, & uxorem ejus ſuper matrimo- „ nio quæſtio verteretur, villicus ille publice aſſeruit, „ ſed falſo, inter ſe, & uxorem ſuam ſententiam divor- „ tii, judicio Eccleſiæ, promulgatam eſſe, qui lite pen- „ dente, aliam mulierem hujus facti ignaram ſibi copula- „ vit: poſtea vero ſuper priore matrimonio Judices dele- „ gati ſententiam divortii protulerant. Re delata ad Pa- „ pam Urbanum III. ie reſpondit, quod cum villicus, „ & mulier ſuperinducta, pendente lite prioris matrimo- „ nii, invicem conſenſerint; impoſita viro pœnitentia „ competente (quia lite pendente contraxit cum ſecunda „ matrimonium in contemptum Eccleſiæ, *Gl. hic V. Impoſita*) & interim interdicto carnali commercio, poſtmo- „ dum in maritali conjugio poterit permanere. „ Nam quia ex ſententia divortii poſtea lata compertum fuit, prius matrimonium reipſa invalidum fuiſſe, ideo decidit hic Pontifex, poſterius matrimonium jure validum eſſe, *Canif. hic n.* 1.

CLIX. Ubi præterea notandum 1. etſi regula generalis ſit, ut lite pendente nihil innovetur, *tot. Tit. XVI. Lib. 2. Decret.* eſt tamen hic caſus ſpecialis, in quo permittitur, lite pendente, innovatio. Cujus rationem aliqui DD. aſſignant, quia matrimonium eſt Divini Juris, litis pendentia vero eſt juris humani, quod non poterit tollere ea, quæ ſunt Juris Divini: quod etſi in ſe verum ſit, non tamen ſatisfacit, ſeu tollit difficultatem, quia pleraque impedimenta matrimonii ſunt Juris humani, ſive Jure humano, ſeu Eccleſiaſtico introducta, & tamen impediunt, vel dirimunt matrimonium, quod ſecundum ſe Juris Divini eſt, ut recte notat *Canif. hic n.* 2. qui ait, hanc eſſe veram rationem, quod litis pendentia non ſit a Jure Canonico, tanquam impedimentum dirimens matrimonii introductum, ſeu ſtatutum, quæ nuſquam numeratur inter impedimenta matrimonii; ideoque hujuſmodi matrimonium, pendente lite prioris matrimonii, contractum eſt validum. Quare ſtandum eſt generali regulæ traditæ in *c. Cum apud Sedem* 23. *h. t.* Quicunque non prohibetur matrimonium contrahere, admitti debet: ſive, quod in idem recidit, omnibus permiſſum eſt matrimonium, quibus non eſt a Jure prohibitum: ideoque etiam non dirimitur matrimonium ex eo, quod contra præceptum Judicis Eccleſiaſtici ſit contractum, dummodo aliud Canonicum impedimentum non ſubſit, ut patet ex *toto Tit. De matrimonio contracto contra Interdictum Eccleſiæ*, de quo infra.

Notandum 2. Si in caſu hujus *c.* villicus ille credidiſſet, prius matrimonium fuiſſe validum, tum poſterius matrimonium invalidum fuiſſet quoad DEUM, ob defectum neceſſarii, & legitimi conſenſus; non enim poſſet quis habere ſeriam voluntatem valide contrahendi matrimonium cum ſecunda muliere, ſi judicet, etſi per errorem, prius matrimonium eſſe validum, adeoque illo adhuc ſe obligatum. Ut ſi quis credens ſuam uxorem adhuc vivere, etſi revera eſſet mortua, matrimonium cum alia contrahat, non valet ſecundum matrimonium, *Abb. hic in fine.* Ex quo infert hanc regulam, quod contrahens matrimonium, ſi credat, impedimentum dirimens ſubeſſe, quod tamen revera non ſubeſt, matrimonium coram DEO non contrahat, adeoque illud non teneat, licet verba protulerit apta ad contrahendum matrimonium. Aliud eſt quoad Eccleſiam, ſeu forum externum, in quo de occultis non judicatur, *c. un. V. Eccleſ. benef. ſine diminut. &c.* Judex enim eum ſenſum ſequi debet, quem verba præſeferunt, ſive communiter recte intelligentibus ingerere ſolent, *c. Ex litteris.* 7. *h. t. Canif. hic n.* 3.

§. III.

De impedimento Erroris perſonæ.

CLX. Aſſertio 1. Error circa ſubſtantiam perſonæ jure naturæ reddit irritum matrimonium, ut ſi quis putans ſe contrahere cum Anna, contrahat cum Barbara, *Sanch. l.* 7. *de matrim. diſ.* 18. *n.* 12. & alii communiter. Ratio eſt, quia error circa ſubſtantiam, ſeu ſubſtantiale objectum vitiat contractum: ſed perſona determinate cognita contrahenti, eſt ſubſtantiale objectum contractus matrimonii; ergo error circa illam vitiat contractum. Et quidem jure naturæ, quia talis error aufert conſenſum in hanc perſonam, *l. Si per errorem.* 15. *ff. de juriſdict.* cum velit contrahere non cum qualibet muliere, ſed cum hac determinata: atqui actus agentium non operantur ultra intentionem eorum, *Laym. l.* 5. *tract.* 10. *p.* 4. *c.* 2. *num.* 1.

Extenditur autem, quod error circa ſubſtantiam perſonæ irritum reddat matrimonium, ſive ſit antecedens, ſive concomitans. De errore antecedente probatur, quia talis error dat cauſam contractui, ita ut ſi quis non erraſſet in perſona, noluiſſet contrahere cum tali, adeoque facit contractum matrimonii involuntarium circa primarium, & ſubſtantiale ipſius objectum, quod eſt perſona determinate cognita contrahenti, & per conſequens talis error facit irritum etiam ipſum contractum. De errore vero concomitante probatur, eo quod ſic errans ita habitualiter animo eſt affectus, ut licet non erraret, ſed ſciret eſſe aliam, quam putarat, adhuc cum ea contrahere vellet, adeoque licet talis error non efficiat contractum involuntarium, faciat tamen non voluntarium, & aufert actualem, & poſitivum conſenſum in perſonam, quæ offertur, qui ad matrimonii valorem requiritur: voluntas enim, cum tali errore contrahentis, actu, & de præſenti fertur ſolum in Annam v. g. quam animo concepit, non in Barbaram, quam putat eſſe Annam: ignorantis autem, & non cognoſcentis nullus eſt conſenſus. Quod ſi tamen errans actu intenderet cum perſona præſenti contrahere, quæcunque illa ſit, validum utique eſſet matrimonium, quia vere in illam conſentiret, *Coning. diſ.* 31. *de Sacram. n.* 9. non autem eſſet error perſonæ, ſi quis ſolum erraret in nomine, putans eam, cum qua contrahit, vocari Annam, cum vocetur Barbara, modo alias ipſa perſona ei ſit cognita.

CLXI. Eſt autem hic notanda differentia inter matrimonium, & alia Sacramenta Baptiſmi, Confirmationis &c. Nam in his error circa perſonam non irritat Sacramentum, ut ſi quis putat ſuſcipientem eſſe Petrum, cum ſit Paulus, quia in iis non initur contractus cum perſona ſuſcipiente, nec intereſt Miniſtri, quis Sacramenta ſuſcipiat, aut cui illa applicet, ſeu miniſtrat. In matrimonio vero initur contractus, & intereſt contrahentis, cum quo, vel cum qua contrahat: unde ſuam intentionem poteſt contrahens reſtringere ad certam perſonam, cum in aliis Sacramentis id non poſſit Miniſter, ſed debeat habere intentionem baptizandi, confirmandi, abſolvendi &c. perſonam præſentem & capacem, quæcunque illa ſit, *Sanch. cit. diſ.* 18. *n.* 13. ubi n. 12. dat rationem diſcriminis, quia matrimonium reſpicit individuas conditiones contrahentium, quæ conferunt ad individuam vitæ conſuetudinem inter conjuges retinendam, in quo conſiſtit eſſentia matrimonii. In aliis vero Sacramentis hujuſmodi conditiones recipientium nihil conferunt ad finem Sacramenti.

CLXII. Aſſertio 2. Error circa qualitatem perſonæ, etſi det cauſam contractui, & proveniat ex dolo alterius contrahentis, non irritat per ſe matrimonium, ut docet *Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 18. *n.* 18. *Laym. cit. c.* 2. *n.* 2. & colligitur ex *c. Cum in Apoſtolica* 18. *h. t.* ubi deciditur, matrimonium non irritari ob mendacium, vel dolum ad illud inducentem, *Abb. ibid. n.* 2. Ut ſi quis putans ſe contrahere cum nobili, virgine, pulchra, vel divite matrimonium contrahat cum ignobili, corrupta, deformi vel paupere. Ratio eſt, quia talis error conſenſum matrimonialem efficit tantum involuntarium ſecundum quid, nempe circa qualitates, & accidentia perſonæ cum qua contrahitur, quæ ſe habent ſolum per modum rationis motivæ, ſeu impulſivæ, & cauſæ finalis extrinſecæ, ac proinde eum non impediat conſenſum ſubſtantialem circa perſonam, & materiam, ac ſubſtantiam contractus, non vitiat matrimonium. Licet vero contractus v. g. venditio, & emptio, cum errore circa qualitatem, vel modum extrinſecum facta ſubſiſtat, ita tamen ut ob dolum reſcindi poſſit, matrimonium tamen ſemel validum non poteſt ita reſcindi, *Laym. c. l.*

CLXIII. Cæterum per accidens in duobus caſibus error qualitatis irritum reddit matrimonium: primo ſi qualitas, in qua erratur, per modum conditionis apponatur in contractu matrimonii; ita ut actu intendat quis non contrahere cum tali perſona, niſi talis qualitas ipſi inſit, tunc enim ea velut conditione deficiente, etiam conſenſus omnino deficit, *Sanch. cit. diſ.* 18. *n.* 21. Secundo, ſi error qualitatis inducat, vel involvat ſimul errorem perſonæ, ut ſi quis velit ducere primogenitam Regis, & illi alia offeratur ignota, tanquam primogenita; invalidum eſt matrimonium propter errorem circa perſonam; non enim vult ducere oblatam, niſi ſit primogenita, in quam ſolum conſentit, non in aliam. Sed difficultas eſt, quando error

Digitized by Google

ror qualitatis involuat errorem perſonæ? *Sanch. c. l. num.* 26. & 27. tradit hanc regulam: Si per qualitatem, in qua erratur, certa, & individua perſona deſignetur, animoque concipiatur, quæ viſo prius ignota eſt, tunc errorem redundare in errorem perſonæ. Ut ſi quis animo conſentiat contrahere cum filia primogenita Titii, offeratur autem poſtea ſecundo genita, aut alia, quæ primogenitam ſe eſſe ſimulat, nullum erit matrimonium, quia is apprehendit certam, & individuam perſonam, cum qua hic, & nunc vult contrahere, non cum alia. Secus eſt, ſi illa, quæ oblata eſt, tanquam primogenita, viſa prius nota erat contrahenti, & ad matrimonium determinata fuiſſet, tunc enim valebit matrimonium, etſi per errorem putet, illam eſſe primogenitam Titii: modo non habeat actualem intentionem non accipiendi illam, niſi ſit primogenita. Quod ſi qualitas non determinet individuam perſonam, non eſt error perſonæ, ſed ſolius qualitatis, ut ſi quis fingat ſe eſſe primogenitum Regis, non determinando, cujus Regis ſit primogenitus, fœmina ea tali errore illi nubens, dicetur ſolum errare circa qualitatem, et proinde matrimonium ſubſiſtet, *Sanch. c. l. num.* 33. & 34. *Tanner. diſ.* 8. *q.* 3. *dub.* 3. *num.* 46. & 47.

§. IV.

De impedimento matrimonii orto ex cultus, ſive Religionis diſparitate.

CLXIV. Quæritur 1. An, & quomodo diſparitas cultus, ſive Religionis dirimat matrimonium? Reſp. matrimonium hominis fidelis, ſeu baptizati cum infideli ſeu non baptizato etiam catechumeno, non eſt irritum Jure naturæ, ſed ſolo Jure Eccleſiaſtico. Eſt communis ſententia. Et quamvis non reperiatur hac de re extare Jus, ſive Lex ſcripta Pontificia, vel Concilii Generalis; eſt tamen conſuetudine, & communi praxi Eccleſiæ, ex traditione Apoſtolorum id introductum, quæ vim legis obtinet, *Sanch. lib.* 7. *de matrim. diſ.* 71. *numer.* 7. & 8. Ratio autem, cur Eccleſia irriterit hæc matrimonia, fuit, quia omnino inconveniens eſt fidelem, & Chriſtianum inire matrimonium, quod non ſit Sacramentum. Quod vero hoc impedimentum dirimens ſolo Jure Eccleſiaſtico introductum ſit, patet; non enim eſt irritum Jure naturali, quamvis ſit illicitum, niſi gravis neceſſitas, & cauſa excuſet, quia aliqui fideles cum infidelibus matrimonium celebrarunt, propter quod non reprehenduntur in S. Scriptura, ut Jacob cum filiabus Laban, quæ videntur fuiſſe idololatræ, Joſeph cum filia Putipharis, Moyſes cum filia Jetro Æthiopiſſa, Eſther cum Aſſuero Gentili &c. Neque etiam eſt illicitum Jure Divino poſitivo novæ legis Evangelicæ, quia etſi hoc Jure prohibitum ſit matrimonium Chriſtianorum cum gentilibus, *ut* 2. *Corinth.* 6. *nolite jugum ducere cum infidelibus, item quæ pars fidelis cum infideli?* non tamen extat illud Jus Divinum quo irritatur tale matrimonium, præſertim in nova lege, in qua Chriſtus non dedit ulla præcepta morum, ſed ſolum fidei, & Sacramentorum. *Sanch. cit. loc. numer.* 7. Ex quo ſequitur, quod Pontifex poſſit diſpenſare in hoc impedimento matrimonii initi inter fidelem, & infidelem, cum poſſit diſpenſare in omni Jure Eccleſiaſtico, *Sanch. cit. loc. numer.* 10. Neque enim Juris Divini eſt, ut omne matrimonium Chriſtiani, etiam cum infideli initum, ſit Sacramentum, ſed ſolum ut initum inter duas perſonas Chriſtianas ſit Sacramentum, *Tanner. diſ.* 8. *de matrim. q.* 4. *dub.* 5. *num.* 85.

CLXV. Quæritur 2. An matrimonium perſonæ Catholicæ cum perſona hæretica ſit validum, vel etiam licitum? Reſp. tale matrimonium eſſe quidem validum, ſed moraliter illicitum, niſi gravis cauſa excuſet, ut moraliter certum ſit, nullum fore periculum ſcandali, vel perverſionis, aliorumque incommodorum, quæ ex talibus matrimoniis plerumque oriri ſolent, *Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 72. *n.* 1. *Laym. l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 14. *n.* 2. *Tanner. cit. dub.* 5. *n.* 86. & alii communiter. Prima pars, quod tale matrimonium non ſit irritum, ſed validum, colligitur ex *c. Decrevit.* 14. *De hæretic. in* 6. dum ibi decernitur, uxores, quæ ſcienter hæreticis viris nupſerunt, privandas eſſe dote in pœnam delicti, & tamen non præcipitur illas ſeparari a viris, adeoque ſupponitur, matrimonium fuiſſe validum. Ratio eſt, quia cum uterque contrahentium ſit baptizatus, adeoque capax Sacramenti matrimonii, non decuit ita irritum reddi, ſicut matrimonium cum infideli, ſeu non baptizato. Secunda pars, quod hujuſmodi matrimonium ſit illicitum, probatur ex *c. Cave.* 15. *cauſ.* 28. *q.* 1. ubi dicitur, *Cave, ne alienigenam, hoc eſt hæreticam uxorem accerſas tibi:* Idemque videtur prohibere Apoſtolus 1. *Corinth.* 7. *Cui vult, nubat, tantum in Domino.* prout plures exponunt hunc locum. Ratio eſt, quia matrimonium cum hæretico, vel hæretica initum eſt illicitum Jure naturæ, tum ob periculum perverſionis conjugis Catholici, & ne proles male educetur in fide, tum ob periculum diſſenſionum animorum inter conjuges tales, inter quos vix pax eſſe poteſt. Tertia pars, quod ſecluſo ſcandalo, & periculo perverſionis, aliiſque incommodis, id aliquando ſit licitum, colligitur ex *c. Non oportet.* 16. *cit. cauſ.* 28. *q.* 1. quod eſt deſumptum ex Concilio Agathenſi, *c.* 15. ubi dicitur, non oportet cum hæreticis commiſcere connubia, vel filios, vel filias dare, ſed potius accipere, ſi tamen profiteantur, ſe Chriſtianos futuros, & Catholicos. Idque etiam probatur ratione, quia tale matrimonium non eſt ita intrinſece malum, quin poſſit cohoneſtari, & licitum fieri, quia poſſunt in pluribus caſibus particularibus prædicta pericula, & incommoda omnino, vel majori ex parte ceſſare. Deinde non obſtat etiam præceptum Divinum, & naturale de non miniſtrando Sacramento indignis: ut in propoſito Catholica perſona, contrahendo matrimonium cum hæretica, miniſtraret illud indigno, qui in peccato mortali illud ſuſciperet, et proinde peccat Catholicus, cooperando peccato illius, imo & injuriam irrogaret Sacramento. Verum hoc non obſtat, quia qui habet gravem cauſam faciendi aliquid ex ſe honeſtum & licitum, non cenſetur per ſe cooperari peccato, quod alius forte in eo committit: ſed tantum per accidens, & extrinſece, exhibendo quaſi materiam, & objectum peccati, quod interdum ex cauſa licet, ut patet in ſolvente uſuras. Ergo cum in prædicto caſu adſit gravis cauſa contrahendi matrimonium cum perſona hæretica, adeoque miniſtrandi Sacramentum alteri conjugi, non peccat, qui eo caſu miniſtrat Sacramentum indigno, neque cenſetur injurius in Sacramentum, miniſtrando illud ei, quem ſcit indigne ſuſcepturum, quia ob gravem cauſam id eſt licitum: ſic enim poteſt quis etiam miniſtrare Euchariſtiam peccatori occulto publice petenti, *Tanner. cit. dub.* 5. *n.* 87. Denique non obſtat etiam præceptum Eccleſiaſticum de non communicando cum hæreticis, quia poſt Concilii Conſtantienſis decretum, non eſt prohibita communicatio cum hæreticis, niſi cum nominatim excommunicatis, & denuntiatis, & notoriis Clericorum percuſſoribus, in quo re etiam diſpenſari poteſt, *Tanner. c. l.*

CLXVI. Atque hinc infert *Sanch. cit. diſ.* 72. *n.* 5. in Germania, aliiſque Regionibus Septentrionalibus, in quibus hæretici cum Catholicis permixtim vivunt, ex conſuetudine recepta, & tolerata, licita eſſe conjugia inter perſonas Catholicas, & hæreticas, modo conjugi, qui Catholicus eſt, permittatur libere, & ſine perverſionis periculo, in fide permanere. Quod tamen non eſt ita univerſaliter admittendum, ſed ſolum tunc, ſi prædicta pericula, & incommoda abſint: & adſit ſufficiens, & gravis cauſa ineundi matrimonium cum hæretico, vel hæretica, qualis eſt ſpes moraliter certa ſecuturæ conjugis hæretici converſionis ad fidem Catholicam, vel alia gravis cauſa, ut ſi in aliquo raro caſu probabilis ſpes eſſet, ex tali matrimonio multo majorem fructum ſpiritualem ſecuturum, ob quem incommoda illa, tanquam minora, permitti poſſint, *Laym. cit. c. ult. n.* 2. *Tanner. n.* 88. In dubio vero, utrum ejuſmodi mala ſequi poſſint, ex matrimoniis cum hæreticis initis, ad S. Pontificem pertinet, vel etiam ad Epiſcopum loci, ut rem examinet, & licentiam det contrahendi matrimonii. Imo cum, teſte experientia, ex talibus matrimoniis gravia mala ſpiritualia ſequi ſoleant, tum conjugi Catholico, tum liberis, nec Papa poteſt quoad hoc derogare Juri Divino, & naturali, niſi hæc incommoda ceſſent, *Laym. cit. l.* alioquin vero non requiritur diſpenſatio S. Pontificis ad ineundum matrimonium cum perſona hæretica in iis locis, in quibus conſuetudine legitima derogatum eſt, quoad hoc, Legi Eccleſiaſticæ, *Tanner. cit. dub.* 5. *n.* 89. & 90.

CLXVII. Prædictis addendum: certum eſt, pacta in conjugiis cum hæreticis perſonis initis, ut aliqui ex liberis naſcituris, v. g. maſculi, ex patre hæretico fidem hæreticam ſequantur, fœminæ vero ex matre Catholica genitæ fidem Catholicam amplectantur, eſſe prorſus impia, & irrita, quia parentes tenentur omnes liberos ſuos in vera fide educare, cui obligationi renuntiare nullo modo poſſunt, *Laym. c. l. n.* 3. *Tanner. c. l. n.* 91. Ubi addit, ſi matrimonium cum perſona hæretica licitum ſit, & exiſtimetur per illud multum promovendum bonum publicum: nec tamen ſpes ſit, ut maritus hæreticus permittat omnes liberos in Catholica Religione educari, hoc caſu non videtur illicitum, in pactis conjugalibus talem exceptionem apponere, ut ſaltem aliqua pars liberorum in fide Catholica educetur, & inſtruatur: ſalvo tamen jure matris Catholicæ, ut etiam cæteros liberos, quantum fieri poterit, in eadem vera Religione inſtituere, ut tenetur, non prætermittat.

Porro de aliis impedimentis dirimentibus matrimonii agetur in propriis Titulis ſequentibus hujus Libri, in quibus de iiſdem ex inſtituto agitur.

§. V.

De diſpenſatione impedimentorum matrimonii.

CLXVIII. Quæritur 1. An, & qua ratione diſpenſari poſſit in impedimentis matrimonii? Reſp. 1. S. Pontifex in nullo impedimento jure divino naturali matrimonium dirimente proprie diſpenſare poteſt, *Sanch. l.* 8. *de matr. diſ.* 6. *n.* 10. & eſt communis ſententia. Ratio eſt, quia inferior non poteſt legem Superioris tollere, *c. inferior.* 4. *diſ.* 21. nec abſolute, nec etiam in caſu ſpeciali, in quo abrogaretur obligatio legis naturalis per diſpenſationem, quia hoc eſt ſolius Conditoris legis, aut ejus Superioris. Dixi *proprie*, quia Pontifex poſſet, ſaltem in caſu maxi-

maximæ neceſſitatis, conſervandi generis humani, per Epiichiam interpretari, & declarare, legem naturæ hic, & nunc non obligare, quod eſt impropria diſpenſare: ob quam olim etiam fratres, & ſorores inter ſe matrimonia contraxerunt, *Tanner.tom.* 4. *diſ.* 8. *q.* 4. *dub.* 9. *n.* 155. *& ſeq.*

CLXIX. Reſp. 2. Poteſt Pontifex diſpenſare in omnibus impedimentis Jure ſolum Eccleſiaſtico matrimonium dirimentibus, *Sanch. l.* 8. *diſ.* 6. *n.* 14. Et quidem valide etiam ſine cauſa, licite vero non niſi ex cauſa rationabili, *Tanner. cit. dub.* 9. *num.* 156. & alii communiter. Prima pars eſt communis, & certa. Ratio eſt, quia is poteſt diſpenſare in lege, qui eam tulit, quique tollere, & mutare poteſt: ſed impedimenta matrimonii Jure Pontificio, ſeu Canonico ſunt ſtatuta, ergo Papa etiam illa tollere poteſt, & relaxare. Secunda pars, quod valide diſpenſet Pontifex etiam ſine cauſa, traditur a *Sanch. l.* 8. *diſ.* 17. *n.* 24. & eſt communis DD. ſententia. Ratio eſt, quia poteſt legislator legem etiam ſine cauſa valide tollere, & abrogare, quoad totam communitatem: ergo poterit etiam illam tollere reſpectu unius, vel aliquorum, adeoque ſine cauſa valide cum aliquo in ea diſpenſare, cum lex tota dependeat a voluntate legislatoris, a qua vim obligandi accipit, & retinet. Tertia pars, quod licite non poſſit Papa diſpenſare etiam in propriis legibus, ſine legitima cauſa, eſt communior, ac verior apud *Sanch. cit. l.* 7. *diſ.* 18. *n.*3. Ratio eſt, quia ſine cauſa induceret inæqualitatem inter partes Communitatis, adeoque talis diſpenſatio cedit in aliorum injuriam: ergo peccat ſine cauſa diſpenſans, quamvis non graviter ſi abſit ſcandalum, & notabile aliorum damnum, *Sanch. c. l. n.* 6.

CLXX. Reſp. 3. Epiſcopus non poteſt regulariter, & ordinarie, ac per ſe loquendo, diſpenſare in impedimentis dirimentibus matrimonii etiam Eccleſiaſticis, *Sanch. cit. diſ.* 6. *n.* 14. Ratio eſt, quia illa impedimenta Jure communi Eccleſiaſtico ſunt inducta, in quo tanquam in lege Superioris, inferiores Prælati ordinarie diſpenſare non poſſunt. Unde ſequitur, neque Legatum Pontificis, etiam de latere in his impedimentis diſpenſare poſſe, quia hic circa diſpenſationes ea ſolum poteſt in Provincia ſibi commiſſa, quæ poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi, *Sanch. cit. l. n.*15. niſi ſpecialiter plus illi conceſſum ſit. Verumtamen poteſt Epiſcopus, in extraordinario caſu magnæ neceſſitatis, diſpenſare in impedimentis dirimentibus, *Sanc. cit. l. n.* 20. Quod verum eſt concurrentibus his conditionibus: Si nimirum impedimentum ſit diſpenſabile, & matrimonium ſit publice, bona fide, ſaltem alterius conjugis, contractum; impedimentum vero occultum & ſeparatio ſine magno ſcandalo, aut incommodo fieri non poſſit, nec ad Pontificem, vel alium ab eo poteſtatem habentem facilis acceſſus ſit ob inopiam, vel aliam juſtam cauſam, *Sanch. l.* 2. *de matr. diſ.* 40. *n.* 3. Neque enim veriſimile eſt in caſu tantæ neceſſitatis, Pontificem ſibi reſervare voluiſſe jus diſpenſandi. At vero ut contrahatur matrimonium cum impedimento dirimente, non videtur Epiſcopus diſpenſare poſſe, ſpectato jure ordinario, ſeu excluſo privilegio ſpeciali, *Lay. l.* 5. *tract.* an. *p.* 4. *c.* 6. *in fine.*

CLXXI. Quæritur 2. Quæ ſint juſtæ cauſæ diſpenſandi in impedimentis dirimentibus matrimonii? Reſp. Tres præcipuas communiter aſſignari, prout videre eſt apud *Sanch. l.* 8. *de matr. diſ.* 19. *n.* 9. Prima eſt, extinctio magnæ litis, vel gravium diſcordiarum: ad quam cauſam reducitur etiam evitatio ſcandalorum inter cognatos: vel gravis delicti, aut periculi animæ aliquorum, quod niſi contraheretur matrimonium, certo incurretur, *Sanch. c. l. n.*9. 10. *&* 11. Secunda cauſa eſt, quando non reperitur matrimonium æquale in aliqua urbe, vel oppido, præterquam cum conſanguineis, vel affinibus, *Sanch. c. l. n.* 12. Tertia cauſa eſt, defectus dotis competentis, quo fit, ut fœmina non poſſit, juxta ſuam conditionem, reperire ſponſum ſe dignum, niſi ex propinquis, *Sanch. c. l. n.* 16. Ultra dictas tres cauſas, aliæ adferuntur a *Sanch. c. l. n.* 30. *& ſeqq.* Prima eſt, conſervatio ampliſſimarum opum in eadem familia. 2. Illuſtris familiæ in eodem ſanguine. 3. Merita petentium diſpenſationem: 4. Proles bona fide ſuſcepta ex conſanguinea, *Sanch. c. l.* Porro ſæpe fit, ut plures cauſæ ſimul junctæ ſufficiant, quæ ſeorſim ſingulæ non ſufficerent, *Sanch. c. l. n.* 34. videri etiam poteſt *Coning. tr. de Sacram. diſ.* 33. *dub.* 5. *n.* 45.

CLXXII. Quæritur 3. Quando ob reticentiam veri, vel expreſſionem falſi, in petitione diſpenſationis, ea ſit ſubreptitia, & invalida? Reſp. Quando in petitione diſpenſationis tacetur vera cauſa, aut circumſtantia, quam Jura jubent exprimi: vel quando veritas tacita, aut falſitas expreſſa, pertinet ad cauſam finalem, ita ut ea veritate expreſſa vel falſitate non expreſſa, diſpenſatio vel omnino conceſſa non fuiſſet, vel non tali modo, tunc talis diſpenſatio redditur nulla, & invalida, ob defectum intentionis, & conſenſus, ex parte diſpenſantis, *Sanch. lib.*8. *de matr. diſ.* 21. *num.* 13. *Coning. cit. diſ.* 33. *dub.* 6. *n.* 61. Quando vero non tacetur aliquid, quod Jus jubet exprimi, & veritas tacita, vel falſitas expreſſa, tantum verſatur circa cauſam impulſivam, & ſine qua nihilominus diſpenſatio conceſſa fuiſſet, licet difficilius, non redditur diſpenſatio ſubreptitia, & invalida, *Sanch. cit. diſ.* 21. *n.* 17. *Coning. cit. loc. num.* 62. Ratio eſt, quia tunc error non dat cauſam diſpenſationi, cum Pontifex, ob aliam cauſam, ſimiliter motus fuerit ad eam concedendam, adeoque diſpenſatio non poteſt dici proprie facta per errorem, & per conſequens nec ſubreptitia eſt, quia non eſt facta per errorem dantem cauſam conceſſioni, ſeu diſpenſationi. Sed de hoc plura dicta ſunt alibi. Quomodo autem S. Pontifex diſpenſare poſſit in Gradibus conſanguinitatis, & affinitatis, dicetur infra ſuo loco.

SECTIO VII.

DE MUTUA CONJUGUM

obligatione, quoad cohabitationem, alimentorum præſtationem, & liberorum educationem, & de obligatione conjugum ad debitum conjugale.

§. I.

An teneantur conjuges ſimul cohabitare & mutuo ſibi præſtare alimenta, & quæ ſit obligatio Conjugum ad alendos, & educandos filios?

CLXXIII. Aſſertio 1. Conjuges tenentur ſimul habitare, non tantum in eadem domo, ſed etiam communi menſa, eodemque toro utentes, ſaltem ut plurimum, ut patet ex *c.* 1. *&* 2. *de conjug. lepr.* & ex *c.* 2. *Gen. Propter hoc relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & Matth. c.* 5. *Omnis, qui dimiſerit uxorem &c.* quamvis mutuo conſenſu quoad torum ſeparari poſſint, ut patet ex 1. *Cor.* 7. *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus &c.* modo adſit legitima cauſa, & abſit periculum incontinentiæ in utroque conjuge.

CLXXIV. Hinc infertur 1. Cum vir ſit Caput mulieris, uxorem teneri ſequi virum mutantem domicilium, *c.* 3. *cauſ.* 13. *q.* 2. Ubi dicitur: *Unaquæque mulier ſequatur virum ſuum, ſive in vita, ſive in morte.* Quod limitandum eſt 1. Si in pactis matrimonialibus certus locus habitationi deſtinatus ſit: tunc enim uxor virum ab eo loco diſcedentem ſequi non tenetur, niſi nova recedendi cauſa ſuperveniat ante non prævisa, ob quam vir neceſſario debeat alio proficiſci, *Sanch. l.* 5. *de matr. diſ.*40. *n.*2. *&* 3. 2. Non tenetur ſequi virum ſi ſine gravi detrimento corporis, vel animæ ſequi non poſſit, *Sanch. cit. libri diſ.*41. *n.* 3. Neque 3. tenetur ſequi virum, qui hinc inde vagatur, nullibi certam ſedem habens: niſi mulier ſciens virum habere conſuetudinem vagandi, ipſi nupſit, adeoque tacite ad id ſe obligavit, *Sanch. c. l. n.* 6. *&* 7. 4. Non tenetur uxor ſequi virum etiam juſta ex cauſa longam peregrinationem inſtituentem, cum magno ſui incommodo; ſecus, ſi commode poſſit, *Sanch. c. l. n.* 8. Econtra vero vir non tenetur ſequi uxorem, niſi hæc ob caſum neceſſarium cogatur domicilium mutare, cum tamen vir pro ſuo libitu ſibi domicilium eligere poſſit, & uxorem cogere, ut illum ſequatur, *Sanch. cit. diſ.* 41. *n.* 14. *&* 15.

Infertur 2. Quamvis ad longum tempus non poſſit, uxore invita, vir diſcedere, ut conſtat ex *c.* 1. *de conjug. lepr.*, niſi juſta cauſa ſubſit, ut ſi a Principe ad bellum evocetur, vel ob gubernandam, & regendam familiam abeſſe cogatur, tunc enim foret irrationabiliter invita uxor. Poteſt tamen vir, etiam ſine conſenſu uxoris, brevem peregrinationem inſtituere, cum contra uxor, extra caſum neceſſitatis, non poſſit, ſine viri conſenſu peregrinari, *Sanch. l.* 9. *de matr. diſ.* 4. *n.* 12. *&* 15. Si tamen vir diſcedens diu non ſit reverſurus, tenebitur ſecum ducere uxorem, ſi ſumptus neceſſarii ad ſecum ducendam uxorem ſuppetunt, *Sanch. c. l. n.* 14.

Infertur 3. Cum vir ſit caput mulieris, & familiæ ad *Ephes.* 5. *&* 1. *Cor.* 11. ideo tenetur uxor in iis, quæ ad familiæ convenientem adminiſtrationem pertinent, obedire præceptis mariti, *Laym. l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 2. *n.* 1.

Infertur 4. Quod marito etiam permiſſum eſt uxorem delinquentem caſtigare, moderate tamen: etſi enim viro ſubjecta ſit, eſt tamen conjux, & adjutrix domeſticæ adminiſtrationis, *Laym. c. l. n.* 6.

CLXXV. Aſſertio 2. Vir quoque tenetur alere uxorem, & familiam, quia ideo etiam dotis fructus accipit, *l. Dotis* 7. *ff. De jure dotium l. Pro oneribus.* 20. *C. eod.* Excipitur 1. Si uxor, ſine culpa viri, & abſque cauſa neceſſaria a marito diſcedat, tunc quamvis dotem ab ea acceperit, non tenetur ad eam alendam, quia uxor debet eſſe in obſequio viri, *c. Hæc imago* 13. *cauſ.* 33. *q.* 5. ac proinde ſi non velit præſtare obſequium debitum, non recipiet alimenta ipſi alias debita; qui enim non facit, quod debet, non recipit, quod oportet, *l. Si ea* 3. *C. De condit. inſert.* Si vero uxor, ob viri ſævitiam, aut aliam culpam diſceſſerit, vel ſi coacta ſit recedere, ob viri furorem, vel morbum contagioſum, vel etiam ob proprium delictum in exilium acta ſit, ali debet a viro, *Sanch. l.* 9. *diſ.* 4. *n.* 19. *& ſeqq.* Excipitur 2. Si dos promiſſa, vel pars dotis ſoluta non ſit, tunc enim vir non tenetur alimenta præſtare uxori, *Sanch. cit. l.* 9. *diſ.* 5. *num.* 2. *&* 3. quod ſi vir pauperem, & indotatam duxit, ſibi id imputare, & eam alere debet. Si vero maritus ſit inops, & uxor dives, hæc viro alimenta præſtare tenetur, *lib. Si cum dotem* 22. §. *Si maritus*, *ff. ſolut. matr. Sanch. cit. diſ.* 5. *num.* 9. *Tanner. cit. diſ.* 8. *dub.* 4. *qu.* 6. *num.* 67. *& ſeqq.*

CLXXVI.

CLXXVI. Aſſertio 3. Uterque parens tenetur ad filios ex ſe natos ſuſtentandos, & honeſte, pieque educandos, ut patet ex *c. 6. ad Epheſ. Patres filios veſtros educate in diſciplina, & correptione Domini*, & *1. Cor. 12. Nec enim debent filii parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis*. Ratio eſt, quia parentes tenentur in filiis eſſe naturale, quod eis dederunt, conſervare. Primaria tamen cura alendi filios ad patrem ſpectat, cum ob eam rem dotem accipiat, ut onera matrimonii ſuſtineat, familiamque alat. In defectum vero patris, ſi is pauper ſit, vel nulla bona reliquit, avus paternus prolem alere cogitur: ut colligitur ex *l. Si quis 5. §. Utrum autem, ff. de liber. agnoſc. & Auth. Si pater. C. De divort.* deficiente autem matre, avus aliique aſcendentes materni, juxta *l. pro. ff. eod. Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 5. n. 6. & 7.* Cura autem alendi prolem ſaltem illegitimam, primo triennio, ad matrem ſpectat, obligatio vero alendi filios legitimos abſolute ad patrem pertinet, *Laym. c. l. n. 6.* Quæ autem de alimentis a parentibus liberis præſtandis dicta ſunt, intelligi debent, ſi filii indigeant; nam ad hoc non tenentur, ſi filii aliunde ſufficientem ſuſtentationem habeant, vel laborando acquirere poſſint, ſpectata qualitate perſonæ, & ſtatus, *l. Si quis a liberis 5. §. Sed ſi filius, ff. De liber. agnoſc.* per alimenta autem hic intelliguntur non tantum quæ præciſe neceſſaria ſunt ad vitæ ſuſtentationem, ſed etiam quæ requiruntur ad vitam honeſte, & competenter ſuſtentandam, ſecundum qualitatem, & ſtatum perſonæ, *Laym. c. l. n. 7.*

CLXXVII. Porro jure Canonico parentes quibuſcunque filiis etiam illegitimis alimenta moderata præbere debent, juxta *c. Cum haberet 5. in fine De eo, qui duxit &c.* a quo correctum eſt Jus Civile prohibens alimenta præſtari ſpuriis, ſeu ex damnato coitu natis, *Auth. Ex complexu. C. de inceſt. nupt. Auth. Quibus mod. natur. effic. &c. §. pen. coll. 7.* Quamvis *Laym. c. l. n. 8.* dicat, quod alimenta, quæ ad congruam ſuſtentationem requiruntur, olim Jure Cæſareo negabantur ſpuriis, non item alimenta, quæ præciſe ſunt neceſſaria ad vitam ſuſtentandam, quippe quæ ſtricto jure naturali, omnibus liberis debentur, quibus natura communis eſt, ideoque nulla lege, vel conſuetudine contrarium introduci poteſt.

§. II.

De obligatione mutua conjugum ad uſum, ſeu actum conjugalem.

Quia hæc materia magis ad forum internum conſcientiæ, ac pœnitentiale pertinet, quam ad forum Eccleſiaſticum externum, ideo de illa ſolum duas quæſtiones magis neceſſarias hoc loco tractabimus, omiſſis aliis, de quibus videri poſſunt, quæ tractantur a Theologis paſſim in *Tract. de matrimonio.*

CLXXVIII. Quæritur 1. An actus conjugalis ſit licitus, & an ſit ſub præcepto? Reſp. 1. per ſe, ac natura ſua, eſt licitus, & honeſtus, *Sanch. l. 9. de matr. diſ. 2. n. 2. Tanner. diſ. 8. de matr. q. 6. dub. 1. Laym. l. 5. tract. 10. p. 3. c. 1. n. 1.* & alii communiter. Patet ex Script. *1. ad Cor. 7. Uxori vir debitum reddat, ſimiliter autem & uxor viro.* Probatur, quia cum ipſum matrimonium per ſe bonum ſit, quippe inſtitutum, & præceptum a DEO ad generis humani propagationem, etiam uſus, ſive actus ipſius bonus ſit, neceſſe eſt. Unde Gen. 2. præcipit DEUS actum conjugalem primis parentibus, *creſcite, & multiplicamini*. Actum autem ex ſe malum non poteſt DEUS præcipere.

CLXXIX. Reſp. 2. Petitio debiti conjugalis, proprie accepta, per ſe nunquam eſt ſub præcepto: redditio vero eſt ſub præcepto, ita ut teneatur conjux reddere debitum conjugi ex juſtitia, & ſub peccato mortali, quoties ille debite, & convenienter petit, expreſſe, vel tacite, ſeu interpretative, *Sanch. cit. l. 9. diſ. 2. n. 2. & 3. Tanner. c. q. 6. d. 2. n. 17. & 18.* & alii communiter. Prima pars de petitione probatur, quia nullus tenetur uti jure ſuo, quod per ſe ad ſalutem corporis, vel animæ non eſt neceſſarium, & quod pro ſe tantum, & in ſuum commodum eſt introductum, ſed poteſt juri ſuo renunciare, *c. Ad Apoſtolicam. 16. de Regul.* Dixi *per ſe*, quia per accidens, non quidem ex propria obligatione juſtitiæ, ſed ex charitate tenetur conjux petere debitum, ſi ex ſignis colligat, aut credat alias conjugi imminere periculum incontinentiæ, quod petendo poſſit avertere, hujuſmodi autem petere eſt moraliter reddere. *Sanch. l. n. 4.* Secunda pars de redditione debiti patet ex Apoſtolo *1. ad Cor. 7.* ubi jubentur conjuges mutuo reddere debitum, eo quod neuter proprii corporis poteſtatem habeat. Ratio eſt, quia conjux tranſtulit dominium corporis ſui in alterum, in ordine ad actum generationis; ergo hic ex vi contractus, adeoque ex juſtitia tenetur reddere debitum, & ſub peccato mortali, ſi ſerio, & inſtanter petatur, & ſine juſta cauſa denegetur, *Sanch. cit. diſ. 9. n. 8. & ſeqq.*

CLXXX. Quæritur 2. An, & quomodo actus conjugalis reddatur illicitus, ratione dubii, de valore matrimonii? Reſp. 1. ſi dubium de valore matrimonii, ob ſuſpicionem latentis impedimenti, ortum ſit ante contractum matrimonium, illud contrahi non poteſt, nec debet, *Laym. lib. 5. tract. 1. cap. 5. §. 3. num. 23.* Quod ſi quis mala fide contraxit, dubitans de valore matrimonii, non poteſt debitum conjugale petere, etſi reddere teneatur alteri, qui bona fide contraxit, *Sanch. l. 2. de matr. diſ. 41. n. 2.* Idque probatur ex *c. 2. de ſecund. nupt.* ubi deciditur: Conjugem, qui nondum de prioris obitu certus contraxit, non poſſe debitum petere, etſi hoc negare non poſſit poſtulanti, de quo plura infra *Tit. ult.* Ratio primæ partis eſt; quia cum talis conjux dubie, & mala fide, contraxerit matrimonium, & poſſeſſionem inchoaverit, non potuit per hujuſmodi contractum, & poſſeſſionem mala fide cœptam acquirere jus in corpus alterius; ergo non poteſt debitum ab eo petere, quia jus petendi non acquiritur, niſi per contractum bona fide initum, & poſſeſſionem bonæ fidei. Ratio ſecundæ partis eſt, quia alter, ratione contractus bona fide initi, eſt poſſeſſor bonæ fidei, adeoque habet verum jus petendi, & utendi re, quam bona fide putat eſſe ſuam; ergo hoc jure ſuo non debet ſpoliari, ob malam alterius fidem, dum non conſtat matrimonium eſſe nullum: atqui ſi negaretur illi debitum, privaretur hoc jure petendi, & impediretur ab uſu corporis conjugis, quod bona fide putat eſſe ſuum, & ita injuria illi irrogaretur. Nec obſtat, quod dubitans, reddendo debitum, exponat ſe periculo fornicationis: quia ea fornicatio, ſi forte matrimonium ſit nullum, erit ſolum materialis: major autem eſt obligatio non irrogandi certam injuriam alteri conjugi, quam vitandi periculum materialis fornicationis, quod dubitans evitare nequit, niſi cum injuria alterius, *Coninch. diſ. 34. de matr. dub. 10. n. 101.*

CLXXXI. Reſp. 2. ſi poſt matrimonium bona fide utriuſque conjugis contractum, uni ſuperveniat dubium de valore illius, is tenetur reddere debitum alteri conjugi non dubitanti: non poteſt tamen petere, antequam adhibuerit ſufficientem diligentiam ad veritatem cognoſcendam: qua adhibita, ſi maneat adhuc dubium, poteſt etiam petere, *Sanch. cit. l. 2. diſ. 41. n. 3. & 4. Coninch. cit. dub. 10. n. 105. Laym. c. l. n. 23.* Primum, quod ſic dubitans debeat reddere debitum, probatur, tum quia propter dubium, vel etiam probabiles, non tamen certas, rationes, non poteſt alter privari poſſeſſione juris ſui juſte acquiſita, ad hoc enim requiritur, ut aliquis ſit certus, rem non eſſe poſſidentis. Tum quia periculum majoris mali eſt in non reddendo debito, quam reddendo; majus enim peccatum eſt contra matrimonii fidem negare debitum, quod eſt injuſtitia, ſi matrimonium ſit validum, quam fornicatio, quæ ſoli caſtitati adverſatur, ſi matrimonium ſit invalidum; ergo in hoc dubio eligendum eſt minus malum, reddendo debitum. Alterum vero, quod ſtante tali dubio ſpeculativo, non dubitans non poſſit petere debitum, ante factam inquiſitionem de veritate, probatur, quia generaliter, quando quis dubitat, an res ſit ſua, quamvis eam retinere poſſit, non tamen poteſt ea uti, donec veritatem inquirat, quia fruſtra inquireret, ſi non teneretur eam domino conſervare, ut docet *Sanch. cit. l. 2. diſ. 41. n. 21.* ergo ſimiliter in noſtro caſu, non poteſt conjux dubitans debitum petere, quod eſt uti matrimonio, & actus dominii, etſi poſſit reddere, quod eſt pati ſolum actum dominii alterius, qui cum ſit bonæ fidei poſſeſſor, non poteſt eo injuſte privari. Tertium, quod ſic dubitans poſſit debitum petere, poſt adhibitam diligentiam, probatur; quia generaliter loquendo, bonæ fidei poſſeſſor, ſi dubitat rem eſſe alienam, & poſt ſufficiens examen nequeat dubium deponere, poteſt non tantum rem retinere, ſed illa etiam uti, vel illam alienare; cum enim tali juſta concedatur poſſeſſio, etiam concedenda ſunt, quæ illam ſubſequi ſolent, *Sanch. cit. diſ. 41. n. 22.* ergo conjux dubitans, ſi præmiſſo examine, adhuc dubium maneat de valore matrimonii poteſt uti matrimonio, petendo, & reddendo debitum: nam iniquum videtur, aliquem propter ſuperveniens dubium, quod poſt adhibitam diligentiam, deponere nequit, perdere jus legitime acquiſitum: ergo cum ante hoc dubium, conjux bona fide contrahens, habuerit jus petendi debitum, non obſtante tali dubio ſuperveniente, quod bonam fidem in poſſeſſore non tollit, aut interrumpit, illud jus retinebit. Quare neque hoc caſu eſt periculum fornicationis formalis, vel peccaminoſæ, quia etſi matrimonium ſit reipſa invalidum: tamen probabilis ignorantia, quæ poſt ſufficiens examen adhibitum eſt in bonæ fidei poſſeſſore, excuſat a peccato, *Laym. cit. loc.*

CLXXXII. Confirmatur, quia ſtante dubio ſpeculativo de valore matrimonii, poteſt ſimul conſiſtere judicium practicum, quo prudenter judicatur, licitum eſſe hic, & nunc uſum juris conjugalis juſte acquiſiti: & hoc ipſo, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, & nemo privandus eſt jure ſuo. Neque vero ante adhibitam diligentiam inquirendi veritatem, illicitum eſt petere debitum conjugi dubitanti ideo tantum, quia adeſt dubium ſpeculativum de valore matrimonii, ſed quia adeſt dubium, & nondum diligentia debita adhibita eſt ad illud deponendum; ergo etiamſi illud dubium, poſt adhibitam diligentiam maneat, non tamen amplius obſtat juri petendi debitum, *Sanc. cit. diſ. 41. n. 53. in fine.* Porro quod conjux dubitans de valore matrimonii teneatur adhibere diligentem operam inveſtigandæ veritatis, ex eo patet, quia alias, exponeret ſe præſentiſſimo periculo peccandi, ſive petendo, ſive reddendo, ſive etiam negando debitum, cum neſciat, quid licitum ſit, vel illicitum, niſi inquirat veritatem, *Coninch. cit. dub. 10. n. 100.*

Prædictis non obſtat *c. Inquiſitioni. 44. de ſent. excomm.* ubi dicitur: ſi credulitas probabilis, & diſcreta, quamvis non manifeſta, animum pulſat, debitum quidem reddi poſſe, ſed non poſtulari. Nam vel ibi agitur de conjuge, qui ab

tuitio

initio mala fide matrimonium contraxit, quis ſcilicet dubitabat, vel dubitare debebat de ejus valore, ac proinde nunquam fuit bonæ fidei poſſeſſor, cui ſimilis caſus eſt in c. 2. *de ſecund. nupt.* Vel intelligendum eſt illud c. de dubitante, qui non adhibuit ſufficientem diligentiam inquirendæ veritatis, adeoque interim jure ſuo uti non poſſit, *Laym. l. 1. tract. 1. c. 5. §. 3. n. 24.*

CLXXXIII. Ex dictis infertur 1. quando uterque conjux dubitat de valore matrimonii bona fide contracti, ante præmiſſam ſufficientem inquiſitionem, neuter poteſt petere, aut reddere debitum, quia in dubio diligenti inquiſitione non præmiſſa, poſſeſſio non confert jus utendi re; ergo cum eo caſu neuter jus petendi habeat, neuter etiam alteri reddere debet, imo nec poteſt, ne peccandi periculo ſe, & comparatem exponat: adhibita autem diligentia, uterque poteſt petere, & reddere, quia tunc poſſeſſio confert jus ad omnem uſum, *Sanch. cit. diſ.* 41. n. 55.

Infertur 2. Siquis poſt contractum matrimonium, bona fide, utrinque habeat opiniones probabiles, & de valore matrimonii, & de nullitate ejuſdem, imo etſi probabilius crederet, non valere matrimonium, modo habeat opinionem probabilem de valore ejuſdem, poteſt reddere, & petere debitum, quia poteſt ſe conformare opinioni probabili, relicta etiam magis probabili. Unde *cit. c. Inquiſitioni*, intelligi debet, cum talis adeſt credulitas, contra quam non militat aliud viciſſim probabile judicium, *Sanch. cit. l.* 2. *diſ.* 44. *n.* 4.

T I T U L U S II.

DE DESPONSATIONE IMPUBERUM.

Poſtquam actum eſt Superiore Titulo de ſponſalibus, & matrimoniis in genere, nunc in hoc Titulo agitur in ſpecie de illis ſponſalibus, quæ contrahuntur per impuberes inter ſe, vel cum puberibus, & de ætate eorum, qui ſponſalia, vel matrimonium contrahere poſſunt, vel non poſſunt, ob defectum, ſeu impedimentum ætatis. Extat hic Titulus etiam in Sexto.

§. I.

Quæ ætas requiritur ad ſponſalia de futuro?

I.

RESpondetur, ad contrahenda ſponſalia de futuro requiruntur ſeptem anni completi, tam in maribus, quam in fœminis, prout ſumitur imprimis ex *c. Litteras* 4. *h. t.* „ Nam cum quidam in ætate perfecta ad contrahendum matrimonium exiſtens, ſibi quandam puellam „ deſponſaſſet in cunabulis, poſtea cognovit matrem illius, & eam in uxorem accepit. Conſultus Pontifex „ Alexander III. reſpondit: quod ſi dictus vir matrem „ puellæ antequam hæc ſeptimum annum complevit, in „ uxorem accepit, matrimonium non eſſe diſſolvendum, „ cum deſponſationes, quæ in cunabulis fiunt, nullæ „ ſint: ſi vero poſtquam puella ſeptimum annum complevit, idem vir matrem ejus duxit in uxorem, cum „ ſponſalia ex tunc (ſcilicet poſt ſeptem annos) placere „ conſueverint, mandat Pontifex, ut Epiſcopus loci ſententiam divortii inter eos promulget, & nec ipſam filiam, nec matrem ejus habere permittat: nam filiam „ habere non poteſt, propter ſupervenientem affinitatem „ in primo gradu, quam contraxit per copulam cum „ matre habitam: neque etiam matrem, propter impedimentum publicæ honeſtatis ortum ex ſponſalibus contractis cum filia, quæ poſt ſeptennium erant valida. „ *Gl. fin. hic.*

II. Notandum 1. Ratio, cur ſeptennium completum requiratur ad ſponſalia, eſt, quia hoc tempore incipit communiter uſus rationis, & libertas, juxta *S. Thom. in* 4. *diſ.* 27. *q.* 2. *art.* 2. Et hinc ſecundum Leges Civiles pupillus poſt ſeptem annos impletos ſuæ ætatis, acquirere poteſt hæreditatem, *l. Si infans* 18. §. *ult. C. De jure deliber.* Idque habetur in *l. In ſponſalibus.* 14. *in fine, ibi: Si modo id fieri ab utraque parte intelligatur*, id eſt, ſi non ſint minores, quam ſeptem annorum, *ff. De ſponſal. Sanch. l.* 1. *de ſponſal. diſ.* 16. n. 2. Ratio autem, cur Jus Canonicum requiſivit eandem ætatem ad ſponſalia in viris, & fœminis, cum tamen diverſam exigat ad matrimonium, ut infra dicetur, ratio, inquam eſt, quia ad ſponſalia ſufficit uſus rationis, qui eodem tempore advenire ſolet viris, & fœminis: ad matrimonium vero requiritur potentia generandi, quæ tardius in viris reperitur, *Sanch. c. l.*

Notandum 2. Si ſeptenes contrahant ſponſalia, ſed uterque, vel alter uſum rationis nondum ſit adeptus, ſponſalia ſunt invalida, juxta *cit. l. In ſponſalibus* 14. *ff. De ſponſal.* ubi dicitur: In ſponſalibus contrahendis ætas contrahentium definita non eſt, ut in matrimoniis: quia ſcilicet in matrimonio ſemper ſufficit ætas jure præſcripta: non autem ſemper in ſponſalibus, ſæpe enim poſt completum ſeptennium, deeſt uſus rationis, *Gl. ibid. in fine. Sanch. cit. diſ.* 16. *n.* 5. Ex quo patet, quod ſponſalia ſint ſæpe irrita, non ſolum ob defectum ætatis jure requiſitæ, ſed etiam judicii, & rationis, ut in caſu hujus c. in quo ſunt celebrata cum infante in cunis.

Notandum 3. Ut ſponſalia impuberum ſint valida, neceſſarium eſt, ut ſeptennium ſit omnino completum, niſi malitia ſuppleat ætatem, ut infra dicetur, ita ut ſi vel unus dies deficiat, vere non dicatur ſeptennium completum, ſed inceptum ſolum, adeoque ſponſalia non valent. Sicut teſtamentum factum ab eo, qui nondum XIV. annum complevit, non valet, *l. Qua ætate.* 5. *ff. Qui teſtam. fac. poſſ. Sanch. cit. diſ.* 10. *n.* 4. Sufficit autem, quod ultima dies ſeptennii fuerit incepta, etſi non ſit completa, idque favore matrimonii, ſicut idem ſtatutum eſt favore teſtamenti *cit. l. Qua ætate*, non enim minus eſt favorabile matrimonium, quam teſtamentum, *Covarr. in Epit. l.* 4. *Decret. p.* 1. *c.* 2. *n.* 2. *Sanch. c. l. n.* 2.

III. Similis caſus primi proponitur in *c. Acceſſit.* 5. *h. t.* „ Ubi mandat idem Papa Alexander III. Archiepiſcopo Eboracenſi, ut ſi ipſi conſtiterit, quod puella quædam non eſſet ſeptennis, quando G. deſponſata fuit, „ nec poſtea (completo ſeptennio) in eam conſenſerit: & „ quod idem G. ab hujuſmodi deſponſatione fuerit abſolutus per Archiepiſcopum: matrimonium inter dictum G. & puellæ matrem contractum, præcipiat inviolabiliter obſervari: & prolem eorum denuntiet eſſe „ legitimam, quia deſponſationes, & matrimonia, ante „ ſeptem annos, fieri non poſſunt, ſi conſenſus poſtea „ non accedat, (expreſſe, vel tacite, *Gl. hic V. eod.*) Si „ vero prædicta puella, ante deſponſationem, ſeptimum „ annum compleverat, licet dictus vir a deſponſatione „ ejuſdem puellæ ipſo jure fuerit abſolutus, quia ea in „ ipſum conſentire noluit: inhoneſtum tamen videtur, ut „ matrem habeat in uxorem, cujus filia ipſi fuit deſponſata. „

IV. Ubi notandum 1. Differentiam eſſe inter deſponſationes, & matrimonia, quia matrimonium proprie non eſt deſponſatio, neque hæc proprie matrimonium; nam deſponſatio idem eſt, quod promiſſio futurarum nuptiarum, *Abb. hic. n.* 2.

Notandum 2. Sponſalia inita, ante ſeptimum annum completum, ſunt nulla, ob defectum ætatis, niſi poſtea expreſſe, vel tacite ratificentur, *Sanch. cit. diſ.* 16. *n.* 5.

Notandum 3. Ex ſponſalibus de futuro initis cum puella minore ſeptennio, non oritur impedimentum publicæ honeſtatis: oritur autem hoc impedimentum ex ſponſalibus initis cum puella poſt ſeptennium completum, licet illa poſtea diſſoluta fuerint, *Abb. hic in fine.* Ideo autem in caſu utriuſque hujus c. ſponſus abſolutus fuit a ſponſalibus, quia puella poſt ſeptem annos, deſponſata viro G. adveniente poſtea ætate virili, noluit in ipſum matrimonialiter conſentire, *Hoſtienſ. hic V. Abſolutus:* puellæ vero matrem non poterat ducere in uxorem, propter impedimentum publicæ honeſtatis, ut habetur etiam in fine hujus c.

§. II.

An ſponſalia ab impuberibus contracta diſſolvantur per ſolum diſſenſum alterius, poſtquam pubes factus eſt?

V. Aſſertio 1. Si duo impuberes ſponſalia contrahant, neuter reſilire poteſt ante pubertatem; poſt pubertatem tamen uterque poteſt, prout ſumitur ex c. *De his* 7. *h. t.* „ Ubi imprimis dicitur, qui infra annos pubertatis, ſed „ majores ſeptem annis, ſponſalia contrahunt, ſive uterque, „ ſive alter tantum reclamet, antequam ad annos aptos „ matrimonii, ſive pubertatis, pervenerint, & ſeparari „ poſtulent, non ſunt audiendi. Si vero alteruter eorum „ ad annos pubertatis pervenerit, altero adhuc exiſtente „ impubere, cum ſponſalia contrahuntur, ſi iſte pubes effectus reclamet, nec in alterum conſentire velit, judicio „ Eccleſiæ ſeparari poterunt. Mulier autem nubilis, quæ „ impuberi nupſit, (id eſt, ſponſalia cum illo contraxit, „ quia matrimonium contrahere cum illo non poterat, „ *Gl. hic. V. Nupſit*) ſi in eum ſemel conſenſit, amplius „ diſſentire non poteſt, niſi ipſe, cui nupſit, poſtquam „ pubes factus eſt, in eam noluerit conſentire.

VI. Hoc cap. tres partes habet. Prima eſt, ſi duo impuberes ſponſalia contrahant, neuter poteſt ante pubertatem reſilire, ne quidem mutuo conſenſu, idque ne propter ætatis inconſtantiam ſæpius contrahant, & iterum reſcindant ſponſalia: poteſt tamen quilibet pubes factus reſilire a contractu; idque ne cogatur approbare, & firmiter obſervare, quod in tenera ætate, cum adhuc immaturo eſſent judicio, fecerunt, ideoque a Jure illis conceſſum eſt, poſt pubertatem reſilire, *Sanch. l.* 1. *de ſponſ. diſ.* 51. *n.* 6. *&* 7. Secunda pars eſt, qui prius pubes factus eſt, poteſt ſtatim reſilire a ſponſalibus, nec tenetur exſpectare, donec etiam alter pubes fiat, §. *Si vero hic*, quia fruſtra exſpectatur eventus, cujus nullus eſt effectus, *c. Cum contingat.* 36. *de offic. Jud. deleg.* ergo ſi prius pubes factus, poteſt altero pubertatem adepto, reclamare, poterit etiam ſtatim, *Gl. hic. V. Minoris*, licet contrarium dicat *ibid. V. Cum ſponſalia*, *Sanch. c. l. num.* 9. Tertia pars eſt, ſi pubes cum impubere contrahat; ſponſalia nunquam poteſt reſilire, quamvis impubes poſſit, cum ad pubertatem pervenerit, ut patet ex hoc c. §. *Mulier. fin.* cujus ratio eſt, quia contractus poteſt in favorem minoris claudicare, hoc eſt, ex parte illius retractari, ut ſi minor ſine tutoris auctoritate contractum cum majore ineat, illi ſoli reſilire permiſſum eſt, *l. Non eo minus*, 14. *C. de Procurator. c. Sanch. c. l. n.* 10.

VII.

VII. Ubi præterea notandum 1. hoc cap. intelligi debet de ſponſalibus impuberum ſeptennio majorum, non de ſolis infantium ſponſalibus, ut patet ex illis verbis: *intra eoſdem annos, altero exiſtente, cum ſponſalia contrahuntur*, id eſt, altero exiſtente infra annos pubertatis, ſicut exiſtebat, quando ſponſalia contrahebantur, ut explicat *Gl. hic. V. Cum ſponſalia*: at infantes nequeunt ſponſalia contrahere, & additur, *neutrum poſſe ante pubertatem reſilire*; ſed ſi eſſent ab infantibus contracta, ſemper poſſent reſilire, cum prorſus ſint irrita, *Sanch. cit. diſ. 51. n. 5.*

Notandum 2. Impubes factus pubes poteſt a ſponſalibus reſilire, ſi ſtatim pubertatem adeptus reſiliat, alioquin poſtea non poterit, quia ex quo non ſtatim contradixit, cenſetur tacite conſentire, *Covarr. in l. 4. p. 1. c. 5. §. 1. n. 2. Sanch. cit. diſ. 55. n. 14.* Statim autem intelligitur diſſentire, ſi circiter triduo ante, vel poſt pubertatem, reſiliat a ſponſalibus, quia in Jure dicitur, in continenti aliquid fieri, quod intra triduum fit, *l. 3. C. de errore Advocator. & l. fin. C. De Judic.* Ex quo ſequitur, non eſſe opus, ut factus pubes ſponſalia ratificet, quia eo ipſo, quod non reclamet, videtur in ea prima voluntate perſiſtere, atque valida manent, *Sanch. c. l. n. 15.* ubi *n. 16.* addit, ſi impubes, ante pubertatem, reſiliat e ſponſalibus, & poſtea non mutet eum diſſenſum, quia non amplius recordatur poſt pubertatem, manere talia ſponſalia diſſoluta.

Notandum 3. Poteſtas reſiliendi a ſponſalibus impuberibus jure conceſſa, poſt adeptam pubertatem non tantum habet locum in foro externo, ſed etiam in interno conſcientiæ, ita ut in utroque foro ex ſolo impuberis diſſenſu, poſt adeptam pubertatem, abſque alia cauſa, licite poſſint diſſolvi ſponſalia. Tum quia ob ſolam reclamationem alterius pubertatem adepti, ſponſalia ſunt diſſolvenda, ut dicitur in *cit. c. De illis. 7. h. t.* tum quia Jus conſulere voluit immaturo, & mutabili puerorum judicio, ne tanto vinculo indiſſolubiliter, ſeu irrevocabiliter obligari poſſint; ideoque credendum eſt, omnem obligationem ſublatam eſſe, etiam in foro conſcientiæ; quomodo etiam vota puerorum, etſi valida ſint, poſſunt ſola patris, vel tutoris voluntate irritari in utroque foro: ergo ſimiliter ſponſalia impuberum poſſunt diſſolvi in utroque foro, ſi ipſi impuberes pubertatem adepti reſiliant, ſeu diſſentiant, *Sanch. cit. diſ. 51. n. 19.*

VIII. Aſſertio 2. Probabilius eſt, ſponſalia impuberum confirmari juramento, ut neutri liceat pubertatem adepto reſilire, *Gl. in cit. c. De illis, V. Judicio Eccleſiæ, Covar. in 4. Decret. p. 1. c. 5. §. 1. n. 3. Sanch. cit. diſ. 51. n. 22. Bccan. tract. de Sacram. c. 43. q. 26. c. 7.* & alii. Idque probatur ex *c. Ex litteris. 10. de ſponſal.* Ubi expreſſe dicitur, impuberes jurantes ſponſalia, ſive ſub juramento promittentes ſe aliquem ducturos in uxorem, cogendos eſſe ea perficere. Et additur hæc univerſalis ratio, *Quia illis periculoſum eſt contra juramentum ſuum venire*: quod procedit, ſive reclamaverint, ſive non. Ratio eſt, quia quamvis dubium ſit apud J Ctos, an alii quidam civiles contractus impuberum ſint validi, necne; quia nimirum illi, ſecluſo juramento, erant invalidi: ſed quoniam ſponſalia impuberum, qui ſeptennium compleverant, ſecluſo juramento, ſunt valida, licet diſſolubilia, poſtquam puberes facti ſunt, ideo dicendum eſt, per juramentum adjectum ea confirmari, & indiſſolubilia reddi, ut etiam poſt pubertatem reſilire non poſſint. Quod tamen intelligendum eſt, ſi talia ſponſalia juramento firmata ſint ab impuberibus doli capacibus, ſive proximis pubertati, ita ut intellectum, & diſcretionem habeant, juxta arbitrium prudentis Judicis, *Covarr. c. l. & Sanch. n. 24.* Non obſtat 1. quod impuberes prohibentur jurare, *c. Parvuli. 14. & ſeq. cauſ. 22. q. 5.* Nam illi textus loquuntur de impuberibus, quod non ſunt cogendi jurare, ob teſtimonium ferendum. Non obſtat 2. quod juramentum additum contractui ſortitur ejuſdem conditionem, *l. fin. C. De non n. pecun.* atqui ſponſalia impuberum Jure Canonico habent in ſe hanc tacitam conditionem, *niſi facti puberes reſilierint*, *cit. c. De illis h. t.* ergo etiam juramentum habet hanc tacitam conditionem. Nam illa tacita conditio non debet ſubintelligi, quando ſponſalia impuberum juramento ſunt firmata, juxta *cit. c. Ex literis de ſponſal. Sanch. c. l. n. 26.*

IX. Aſſertio 3. Sicut e veris ſponſalibus non eſt licitum reſilire ante pubertatem: ita nec e præſumptis, ſi impuberes contrahant per verba de præſenti, *Sanch. l. 1. de ſponſal. diſ. 51. n. 53.* Idque habetur in *c. A nobis 8.*
,, *h. t.* Nam cum quæſitum fuiſſet a Papa Alexandro III.
,, utrum ii, qui intra annos nubiles, id eſt, ante puber-
,, tatem matrimonii nomine conjunguntur (ſcilicet futu-
,, ri, *Gl. hic V. Matrimonii*, ſive ſponſalia contrahunt) u-
,, trique, vel eorum alteri, ante annos matrimonio aptos,
,, liceat ab invicem diſcedere? Reſpondit Pontifex, cum
,, ante nubiles annos conſenſum conjugalem non habeant,
,, quouſque perveniant ad legitimam ætatem, expectare
,, tenentur. Et tunc aut confirmatur matrimonium, aut
,, ſi ſimul eſſe nolint, ſeparentur: niſi carnalis copula
,, intervenerit, quæ interdum anticipat tempus pubertatis.

X. Ubi notandum 1. Sicut impuberes contrahentes ſponſalia nequeunt ab eis reſilire ante adventum pubertatis: ita qui intendunt ſponſalia, ſive matrimonium contrahere per verba de præſenti, ante annos nubiles, nequeunt ab eis recedere. Nam tale matrimonium ante legitimam ætatem contractum, Juris interpretatione, habet vim ſponſalium de futuro, licet ea contrahere non intendant, *Gl. hic c. Conſenſum in fine, & Abb. n. 2.*

Notandum 2. Si vero copula carnalis interceſſit inter impuberes, per illam conſummatur matrimonium, *Abb. hic numer. 3.* poteſt enim contingere interdum, ut etiam impuberes generent, ut notat *Barboſ. in Collect. hic in fine.*

§. III.

Utrum Sponſalia inter impuberes, vel inter impuberem, & puberem inita ſint valida, vel nulla, & qua ratione convaleſcant?

XI. De his agitur in *c. Si infantes h. t. in 6.* ubi in
,, *princ.* ſtatuitur, ut ſi infantes duo inter ſe, vel unus
,, major ſeptennio, & alter minor, ſponſalia contrahant
,, ipſi, vel parentes pro eis: ſponſalia hujuſmodi, quæ ab
,, initio nulla erant, per lapſum temporis (hoc eſt, poſt
,, completum ſeptennium utriuſque, vel alterius) non con-
,, valeſcant, niſi appareat liquido, verbo, vel facto ipſo-
,, rum, eos poſt ſeptennium, in eadem voluntate perdu-
,, rare: ideoque cum ſint nulla, ratione defectus conſen-
,, ſus, publicæ honeſtatis juſtitiam, ſeu impedimentum
non inducunt.

Hinc patet, quod ſponſalia contracta per ambos infantes, vel alterum, per ſeptennium poſtea ſuperveniens non fiunt valida, niſi expreſſe, vel tacite, ſive verbo, ut quia ſe invicem vocant ſponſos, ſive facto, ut quia ſe invicem oſculantur ut ſponſos, vel per mutuam cohabitationem eorum poſt ſeptennium fuerint ratificata, *Franc. hic in princ.* Ratio eſt, quia infantes, ſeu minores ſeptennio ſponſalia contrahere non poſſunt, cum non ſciant, quid agant, *Gl. hic V. Infantes.* Ideoque cum ab initio ſint invalida, non poſſunt ſolo tractu, ſeu curſu temporis poſtea convaleſcere, juxta *Reg. jur. 18. in 6.* ſed opus eſt novo ſubſequente conſenſu, expreſſo, vel tacito, *Gl. hic V. Convaleſcunt.* Neque etiam ex talibus ſponſalibus, quippe invalidis, oriri poteſt impedimentum publicæ honeſtatis, *Franc. hic. numer. 2. Sanch. l. 1. de ſponſal. diſ. 16. numer. 5. & 6.*

XII. Sed jam hic quæritur, an in ſponſalibus malitia ſuppleat ætatem, id eſt, an valeant ſponſalia ante ſeptennium, ſi eo tempore contrahentes jam ſint præditi diſcretione, & uſu rationis? Reſp. Verius eſſe tunc valide contrahi ſponſalia, etiam ante ſeptennium, ut docet *Francus in cit. c. un. in princ. n. 2. Covarr. in l. 4. Decret. p. 1. c. 2. n. 1. Sanch. cit. diſ. 16. n. 9.* & alii apud ipſum. Idque probatur ex *l. In ſponſalibus. 14. ff. de ſponſal.* Ubi dicitur: ſatis eſſe, ſi ſponſi intelligant, quid agant: ſi ergo ante ſeptennium intelligant, quid in contractu ſponſaliorum agatur, hæc ante ſeptennium erunt valida; ſicut etiam in matrimonio malitia ſupplet ætatem, ut infra dicetur. Idem ergo cenſendum eſt Jure eſſe diſpoſitum de ſponſalibus, *arg. l. Oratio. 16. ff. eod.* Cum ſponſalia ſint via, & diſpoſitio ad matrimonium. Ex quo infertur, quod idem Jus præcipiat ſeptennium pro ſponſalibus, quia præſumitur uſus rationis in puero ſeptenni, non autem ante eam ætatem, niſi contrarium manifeſte appareat: poſt ſeptennium vero completum præſumitur puer eſſe doli, & rationis capax, adeoque etiam valere ſponſalia, niſi contrarium probetur, *Sanch. c. l. n. 10. & 11.*

XIII. Præterea *c. un. in cit. §. Idem quoque. eod. in 6.*
,, ſtatuitur: Quod ſi pubes, & impubes, vel duo impube-
,, res, non tamen proximi pubertati, & in quibus mali-
,, tia ætatem non ſupplebat, per verba de præſenti con-
,, traxerint, ejuſmodi ſponſalia, quæ Juris interpretatione
,, tantum ſunt de futuro, per adventum pubertatis non
,, tranſeunt in matrimonium de præſenti (licet verba ex-
,, primerent conſenſum de præſenti, & contrahentes inten-
,, derent matrimonium contrahere) nec matrimonium,
,, quod ob defectum legitimæ ætatis non tenuit, ſolo cur-
,, ſu temporis convaleſcat: niſi per carnis copulam ſubſe-
,, cutam, vel alium modum contrahentes in eadem vo-
,, luntate perſeverare, uſque ad tempus pubertatis, eviden-
,, ter conſtiterit. Per hunc tamen contractum, qui valuit,
,, ut potuit, non ſicut agebatur, juſtitia publicæ honeſta-
,, tis eſt inducta.

XIV. Ubi pro declaratione notandum 1. ut inter impuberem, & puberem, vel inter duos impuberes ſponſalia contrahantur per verba de præſenti, ſive matrimonium, duo copulative requiruntur, nempe ut ſint proximi pubertati: & ut malitia ſuppleat ætatem: alioqui vero ſponſalia contracta inter impuberes, per verba de præſenti, non valent in vim matrimonii, ſed tantum ut ſponſalia de futuro, nec tranſeunt in matrimonium, ex eo, quod ſuperveniat legitima ætas, ſeu pubertas, niſi aliter approbentur, ſeu ratificentur, inducitur tamen impedimentum publicæ honeſtatis, *Franc. in cit. c. unic. §. Idem quoque n. 1. h. t. in 6. & DD. ibid.* Ratio eſt, quia licet tales intendant contrahere matrimonium per verba de præſenti, quia tamen ob defectum ætatis legitimæ illud contrahere prohibentur, contractus non poteſt habere vim matrimonii. Sed quoniam ſponſalia ſunt viæ ad matrimonium, & tales ſaltem poterant contrahere ſponſalia, ideo ex Juris interpretatione, & diſpoſitione, contractus ille habet vim ſponſaliorum de futuro, quia præſumitur, contrahentes ſe voluiſſe obligare, eo modo, quo poterant, juxta illam Juris Regulam: *Si quod ago, non valet, ut ago, valeat, ut*

valere

nolere poteſt, ut habetur in texto, & in *c. ult. h. t. Vivian. in Ration. hic*, §. *Idem quoque*.

Notandum 2. Quia talia ſponſalia de præſenti ab initio non valent, ut matrimonium, ideo per ſolum curſum temporis non tranſeunt in matrimonium, niſi per novum conſenſum præſtitum, expreſſe, vel tacite approbentur, & ratificentur; tunc enim tranſeunt in matrimonium, ex quo ſponſi pervenerunt ad illam ætatem, in qua illud legitime contrahere poſſunt. Unde ſi poſtea per carnis copulam ſubſecutam, vel per alium modum v. g. per cohabitationem, oſcula, vel amplexus, vel ſimilia ſigna, contrahentes declarent ſe perſiſtere in illa voluntate contrahendi matrimonium, cum ad annos pubertatis pervenerunt, ex tunc conſenſus ille conjugalis de præſenti præſumitur ut matrimonium contractum, *Franc. hic n. 4. Covarr. in l. 4. Decret. p. 1. c. 4.* §. *2. Vivian. c. l.*

Notandum 3. Quia in *cit.* §. *Idem quoque*, Jus interpretatur hujuſmodi ſponſalia per verba de præſenti inita, eſſe ſponſalia de futuro, ideo ex illis oritur impedimentum publicæ honeſtatis, ut habetur hic in texto in fine.

XV. Denique in *not. c. unic.* §. *Porro fin. h. t. in 6.* ,, additur: quod ex ſponſalibus, quæ parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus contrahunt, ipſi filii, ſi expreſſe conſenſerint, vel tacite, non contradicendo, ſi præſentes fuerint, obligantur, & ex eis oritur juſtitiæ publicæ honeſtatis. Idemque eſt, ſi filii abſentes, & etiam ignorantes eadem ſponſalia (per parentes contracta) poſtea ſcientes ratificaverint, expreſſe, vel tacite (accedente facto aliquo, præter taciturnitatem, *Gl. margin. hic*), alias vero ex hujuſmodi ſponſalibus contractis per parentes pro filiis, nec ipſi filii obligantur, nec publicæ honeſtatis juſtitia inde conſurgit.

XVI. Hinc colligitur 1. quod matrimonium, vel ſponſalia pro filiis abſentibus, & ignorantibus per parentes contracta non tenent, quia quoad matrimonium, & alias cauſas ſpirituales, filii cenſentur eſſe ſui juris, nec pendent a patria poteſtate, ſaltem de Jure Canonico, cui in matrimoniis & ſponſalibus ſtandum eſt, non Juri Civili. Multo minus obligantur filii ex ſponſalibus, vel matrimoniis contractis per parentes pro filiis, ipſis contradicentibus expreſſe, vel tacite, ſed talia ſponſalia, vel matrimonium ſunt ipſo jure nulla, *Franc. in cit. c. un.* §. *fin. h. t. in 6. n. 1.*

Colligitur 2. Si filii, pro quibus parentes contrahunt ſponſalia, vel matrimonium, ſint præſentes, & per ætatem apti ad illa, & non contradicant expreſſe, vel tacite, conſentire videntur, adeoque ea ſunt valida, & ad illa obligantur, *Franc. c. l. Sanch. l. 1. de ſponſal. diſ. 23. n. 5.*

Colligitur 3. Quando parentes contrahunt ſponſalia, etiam per verba de præſenti, pro filiis abſentibus, vel infantibus, qui non ſunt rationis capaces, tum non ſatis eſt, ſi dum poſtea id noruut, vel facti ſunt doli capaces, taceant, & non contradicant, quia in *cit.* §. *fin.* manifeſte conſtituitur differentia inter ſponſalia per verba de præſenti a parentibus, nomine filiorum præſentium, & tacentium, contracta, quo caſu dicitur, ea valere, ſi non contradixerunt: & inter contracta, filiis abſentibus, quo caſu dicitur, ea non valere, niſi certiores facti, expreſſe, vel tacite ea ratificaverint: ergo in hoc caſu, præter taciturnitatem, requiruntur alia expreſſa, vel tacita ſigna conſenſus, *Franc. in cit.* §. *fin. & Sanch. cit. diſ. 23. n. 27.*

Id vero ſpecialiter ſtatutum eſt de parentibus in hoc c. quod ſufficiat præſentia, & taciturnitas filiorum, ſi pro filiis ſponſalia, vel matrimonium contrahant: nam ſi alii id faciant, requiritur aliud ſignum conſenſum internum exprimens, ut valeant ſponſalia, vel matrimonium, *Sanch. cit. diſ. 23. n. 7.* Nomine autem parentum hic comprehenditur uterque parens, etiam mater, quod & illa poſſit pro filio præſente, & tacente contrahere ſponſalia, vel matrimonium, quia deciſio hujus textus non innititur præciſe patriæ poteſtati, ſed naturali amori parentum, quia ardentior eſt in matre, *Sanch. cit. diſ. 23. n. 9.* Sed de hoc plura §. *ſeq.*

§. IV.

An, & quatenus filii impuberes ex ſponſalibus, pro ſe per patrem contractis, obligentur?

XVII. De hoc agitur in *c. Tua 1. h. t.* ubi conſultus ,, Pontifex, utrum pater, qui vult filium adultum ſeu puberem matrimonium contrahere, ſine voluntate filii hoc poſſit facere? Reſpondet imprimis, ſi filius aliquo modo non conſentiat, id non poſſe fieri. Poſſe autem filium nondum adultum (id eſt, impuberem adhuc) cujus voluntas necdum diſcerni poteſt, e patre, cui vult matrimonio tradi, ita tamen ut poſtquam filius ad perfectam ætatem pervenerit, omnino debeat hoc adimplere.

Pro explicatione hujus *c.* notandum 1. Pater pro filio adulto, id eſt, pubere, nec matrimonium, nec ſponſalia contrahere poteſt, niſi filius conſentiat, ſcilicet expreſſe, vel tacite, verbo, vel facto, *Hoſtienſ. hic. V. aliquo modo, & Joann. Andr. V. eod.* At vero pro filio nondum adulto, hoc eſt, infante, vel minore ſeptennio, pater poteſt ſponſalia contrahere, ut patet ex verbis ſequentibus, *Cujus voluntas diſcerni non poteſt*. Nam nomen matrimonii hic accipitur pro ſponſalibus de futuro, per quæ ad matrimonium pervenitur, *Hoſtienſ. hic V. Matrimonio, & Joan. Andr. ibid. n. 3. V. eod.*

Ratio prioris partis, quod pater non poteſt pro filio pubere contrahere ſponſalia, vel matrimonium, niſi conſentiat, eſt, quia cum talis filius ſit in ætate, in qua poteſt præſtare conſenſum ad matrimonium, ejus voluntas indagari debet; nam per illius conſenſum, non per patris ſponſionem contrahendum eſt matrimonium, *c. 2. h. t. & cit. c. unic.* §. *fin. eod. in 6.* Nec poteſt illum pater cogere ad contrahendum, cum libera eſſe debeant matrimonia. *Gl. hic in notatis*. Conſenſus enim patris non requiritur ad valorem matrimonii filii, vel filiæ, ut ex ſupra dictis patet. Ratio poſterioris partis eſt, quia cum filius impubes, id eſt, infans, vel minor ſeptennio, nondum habeat ætatem diſcretam, ſive judicium diſcretionis, ideo permittitur, ut pro eo pater poſſit contrahere, ſaltem ſponſalia, ſub ſpe ratificationis, poſtquam compleverit ſeptennium: idque intelligendum eſt de facto, & ex quadam honeſtate; nam revera ex hujuſmodi ſponſalibus nulla inducitur obligatio ex parte filii, ſed ea ſunt ipſo jure invalida, ob defectum conſenſus, *Ubi non eſt unic. cauſ. 30. q. 2. c. un.* §. *fin. h. t. in 6. Abbas hic. numer. 3.* Quam licet honeſtum, ac decens ſit, ut cum filius pervenerit ad legitimam ætatem, adimpleat ſponſionem patris, non tamen ad hoc neceſſario obligatur: & ita intelligendum eſt, quod dicitur in fine hujus c. *Omnino debet hoc adimplere*. Nempe ex debito honeſtatis, non neceſſitatis, vel præcepti, ut explicat *Gl. hic in notat. & Abb. numer. 7.* & alii Canoniſtæ communiter.

XVII. Notandum 2. Alia expoſitio hujus cap. eſt, quod ſponſalia contracta a patre pro filio adulto, ſeu pubere, & pro infante, vel minore ſeptennio, in eo conveniunt, quod utraque non valent, & in eo differunt, quod priora pro adulto contracta nunquam valent, ſine illius conſenſu, quia is diſſentire poteſt, vel conſentire: poſteriora vero pro infante contracta a patre uſque ad ſeptennium non valent, quia durante hoc tempore non poteſt infans conſenſum præſtare: poſt ſeptennium vero ſponſalia convaleſcunt, ſi ab eo approbentur, & tunc ex ſuo conſenſu ſit obligatus. Quare infans, pro quo pater contraxit ſponſalia, ante ſeptennium, non obligatur, quia ea non valuerunt: ſed poſt completum ſeptennium, ſi patris factum approbet, cohabitando cum ſponſa, contractus ab initio nullus per approbationem ejus convaleſcit, & tunc magis ex ſuo conſenſu, quam ex ſponſione patris obligatur. Quod autem in fine dicitur: teneri filium omnino adimplere, cum ad perfectam ætatem pervenerit, id intellectum eſt eo modo, ut ſi cum primum ſeptennium compleverit, reclamet, ac diſſentiat, obligatio ſponſaliorum extinguatur, & ceſſet: ſi autem taceat, abſolute obligetur, & ita explicat hoc *c. Barboſ. in Collect. hic*, ubi addit, quod illa verba, *poſtquam filius pervenit ad perfectam ætatem, debet omnino adimplere ſponſionem patris*, dupliciter intelligi poſſunt: aut poſt perfectam ætatem requiſitam ad ſponſalia, ante XIV. annum, quo caſu, non poteſt reclamare: aut poſt perfectam ætatem ad matrimonium; & tunc ſi filius ſtatim non reclamat, poſtea reſilire non poteſt, juxta *c. De illis 7. h. t.* Nec obſtat textus in *c. unic.* §. *fin. h. t. in 6.* quia ibi agitur de ſponſalibus ante ſeptennium per patrem contractis, & illa non valent: in hoc vero *c. 1. h. t.* agitur de ſponſalibus pro filio contractis, poſt ſeptennium, quo caſu ſi approbentur facto filii, ſunt valida, etſi prius non valuerint, *Barb. hic in fine*.

XIX. Notandum 3. Quod in fine hic dicitur, filium, cum pubes factus eſt, teneri patris factum ſeu ſponſionem approbare, *Becan. hic. num. 2.* dicit id verum eſſe, niſi juſtam cauſam habeat reclamandi, ut quia Conjugem ſibi traditam a patre averſatur, ſolent enim invitæ, ſeu coactæ nuptiæ difficiles exitus habere, *c. Requiſivit 17. de ſponſal.* Nam alias non apparet, cur in *cit. c. 1. h. t.* differentia conſtituatur inter filium puberem, & impuberem, pro quo contrahit pater ſponſalia, vel matrimonium, cum etiam in pubere filio honeſtum ſit, ac decens, ut non reclamet voluntati patris pro ſe contrahentis. Verum negari non poteſt, quin filius impubes, pro quo pater ſponſalia, vel etiam matrimonium contraxit, pubes factus etiam ſine juſta cauſa reclamare poſſit valide, neque debeat neceſſario approbare factum, ſeu ſponſionem patris, quia conſenſus patris ad valorem ſponſalium, vel etiam matrimonii filii non requiritur, ut ex ſupra dictis patet. Quamvis filius graviter peccet, ſi ſine juſta cauſa contra voluntatem patris contrahentis pro filio, eam pubes factus non ducat, idemque eſt de filia, *Navarr. in man. c. 4. n. 15.* ubi etiam novum, & ſingularem intellectum affert *cit. c. 1. h. t.* nempe quod filius, pro quo paciſcitur pater de uxore ducenda, non ſolum debeat de honeſtate: ſed etiam de neceſſitate ſeu obligatione ſub peccato eam ducere, quamvis ad id cogi non poſſit. Idemque docet *Fagnan. ibid. numer. 14. & 15.*

§. V.

De variis caſibus occurrentibus circa deſponſationes impuberum, inter ſe, & puberum cum impuberibus, an, & qua ratione hujuſmodi deſponſationes valeant, aut obligent?

XX. De his agitur imprimis in *c. Ex litteris 11. h. t.* ,, ubi habetur, quod quædam puella XII. annorum, cum juramento, deſponſata fuit puero IX. vel X. annorum; & poſtea de voluntate parentum potius quam de ſua, ,, ut

Digitized by Google

ut aſſerit, ad domum patris deducta, & ibi uxor, & invita nimis parentum impulſa, per annum, & amplius morata fuit, & tandem inde recedens, ad domum patris eſt reverſa, dicens, quod nunquam in eum conſenſit, nec vult conſentire: ſed petit alii nubendi facultatem, prout habetur in integra lectione hujus c. Quare reſpondet Papa Urbanus III. Archiepiſcopo Piſano: cum puer nondum ad XIV. annum pervenerit, nec eam carnaliter cognoverit, ſi puella commonita uſque ad XIV. annum pueri expectare noluerit, (ſi ita eſt,) liberam ei accipiendi alium virum tribuat facultatem.

XXI. Ubi notandum 1. major, ſive pubes contrahens ſponſalia cum minore, ſeu impubere, tenetur hunc exſpectare, donec veniat ad pubertatem, juxta c. *De illis 7. h. t.* niſi major ſive pubes metu gravi coactus contraxit cum minore, ſeu impubere: tunc enim non tenetur exſpectare, ſed poteſt ad alias nuptias tranſire, ut in caſu hujus c. quia metus gravis, ſicut impedit matrimonium ipſo facto, ita & ſponſalia de futuro, *Abb. hic in fine.*

Notandum 2. Etſi iſti duo ſponſi intenderint contrahere matrimonium, tamen propter defectum legitimæ ætatis alterius, ſcilicet impuberis, fuerunt tantum ſponſalia de futuro, *juxta c. un. h. t. in 6.* quæ tamen ob metum gravem, junctum ſcilicet cum minis, aut verberibus a parentibus incuſſum, ipſo jure fuerunt invalida, *Abb. hic n. 2. & 3. h. t.*

XXII. Secundò in c. *Continebatur 6. h. t.* talis caſus proponitur: cum quædam puella infra annos nubiles, cuidam juveni, in uxorem tradita eſſet, & ab ipſo traducta in domum ſuam, poſtea jam nubilis licentiam alii nubendi poſtulavit, aſſerens ſe in eundem non conſenſiſſe. Conſultus Pontifex reſcribit, ut Decretia habent, ſi vir dicat, quod uxorem ſuam cognoverit, idque mulier negaverit, viri ſtandum eſt veritati: ideoque prædicto viro, qui dicit, ſe puellam illam cognoviſſe, fides adhibenda eſt, ſi hoc firmaverit juramento. Si autem puella fuerit ætati (puberi) proxima, ut in XI. vel circa XII. annum: & cum ſuo aſſenſu deſponſata, & cognita ab eodem viro, ſeparari ab eodem non debet, præſertim cum parentes ipſius eam legitimæ ætatis fuiſſe fateantur. Si denique puella, infra nubiles annos, alicui deſponſata fuit, non licet cuiquam ex conſanguineis illius, cui deſponſata fuit, eam ducere in uxorem, neque fas eſt ipſi ſponſo, ut ex conſanguineis ſponſæ ſibi aliquam copulet.

XXIII. Pro explicatione hujus c. notandum 1. ſi puella impubes deſponſata fuit, & traducta in domum viri, eaque pubes facta, petat licentiam nubendi alteri, non auditur, ſi vir juret, ſe illam carnaliter cognoviſſe, quia hic erant ſponſalia de futuro inita, quæ per carnalem copulam tranſeunt in matrimonium, *c. Is qui 30. de ſponſal.* Creditur autem in tali caſu potius viro affirmanti ac juranti, quam mulieri neganti, *c. Si quis 3. cauſ. 33. q. 1.* ubi dicitur: ſi quis accepit uxorem, & habuit eam aliquo tempore, & ipſa fœmina dicit, quod nunquam coiſſet cum eo, & vir dicit, quod ſic fecit, in veritate viri conſiſtat. Nititur autem iſta præſumptio tribus rationibus. 1. quia vir eſt Caput mulieris *cit. c. Si quis in fine*, habens poteſtatem in mulierem, & firmioris eſt animi, quam illa, ideoque magis ei credendum eſt, quam mulieri. 2. quia cum matrimonium ſit favorabile, pro illo ſtat præſumptio. 3. quia vir fuit ſolus cum ſola, ideo creditur cognita ab eo, *Gl. in cit. c. Si quis V. Tempore.* Creditur autem in hac re potius viro quam mulieri, ubi hæc plene contrarium probaverit, *Gl. in cit. c. Si quis in caſu.* Debet autem viro ſuper copula habita cum uxore ad ejus domum traducta, & cum eo habitante, juramentum deferri; quia id cedere poſſet in fraudem, & præjudicium mulieris, nec ei credere tenetur viro, ſine juramento, *Gl. hic V. Juramento.*

Notandum 2. Juramento viri dicentis ſe copulam habuiſſe cum impubere, non eſt ſtandum, ut ex veriori ſententia docet *Alex. de Nevo in hoc c. n. 32. & Sanch. l. 7. de matr. diſ. 104. n. 33.* contra *Abbatem hic n. 7.* Quare cum dicitur §. *Si autem* (quæ eſt particula adverſativa continens caſum diverſum in Jure, & in facto) puellam pubertati proximam a viro cognitam non eſſe ab eo ſeparandam, id intelligi debet, quando ea copula ſufficienter eſt probata, quando autem paulo ante ibi dicitur, ſtandum eſſe juramento viri, quoad hanc copulam, id intelligendum eſt, ſi fœmina pubeſcit, unde in *cit. c. Si quis cauſ. 33. q. 1.* de impubere fœmina nulla fit mentio.

Notandum 3. Si puella nondum pubes, ſed pubertati proxima, probetur cognita a viro, cui tradita eſt, non debet ab eo ſeparari; cenſentur autem pueri, & puellæ pubertati proximi quoad matrimonium, ſi maſculus complevit, vel exceſſit annum decimum cum dimidio: fœmina autem annum nonum cum dimidio, ut docent plures apud *Covarr. in Epit. l. 4. p. 2. c. 5. n. 5.* Vel cum diſtant a pubertate per ſex menſes, vel minus, *Gl. hic V. Proxima.* Sed verior ſententia eſt, id relinquendum eſſe Judicis arbitrio, cum Jure nihil ſit præſcriptum, *Covarr. c. l. & Sanch. cit. diſ. 104 num. 40.*

Notandum 4. Ex ſponſalibus contractis cum impubere: ſed majore ſeptennio, oritur impedimentum publicæ honeſtatis, quia major ſeptennio poteſt contrahere ſponſalia de futuro: quamvis non poſſit adhuc ſe obligare perpetuo vinculo matrimonii, ut infra dicemus. Unde hujuſmodi ſponſalia impediunt matrimonium contrahendum cum conſanguineis ſponſi, & ſponſæ, ut habetur in fine hujus c. & ibi *Gl. in Notatis*: Olim quidem uſque ad quartum gradum: quod hodie a Tridentino eſt reſtrictum ad primum gradum, de quo infra.

XXIV. Tertio in c. *Atteſtatione. 10. h. t.* Cum juvenis H. qui nondum XII. annum attigerat, mulierem G. in uxorem accepiſſet, licet niſus fuiſſet eam corrumpere, prout utrique confeſſus eſt: mulier tamen credit ſe virginem manſiſſe. Verum ipſe antequam ad annum XIV. perveniſſet, a dicta muliere receſſit, quem cum jam XVII. (vel juxta *Gl. Margin.* XVIII.) annos haberet: eadem pro viro ſibi vendicare contendit. Conſultus Pontifex Urbanus III. reſpondet, niſi mulier per idoneos teſtes probaverit, quod poſt XIV. annum ætatis ſuæ, vel circa finem anni XIV. dictus juvenis in eam conſenſerit, juramento ab ipſo recepto, quod poſtquam ad legitimam ætatem pervenit, illam habere uxorem noluerit, poſſit, ac debeat ab impetitione mulieris abſolvi, data utrique licentia ad alias nuptias tranſeundi.

XXV. Notandum 1. Etſi niſus ſeu conatus ad copulam faciat præſumere potentiam ad illam, per conatum tamen copulæ ſponſalia per verba de præſenti inter impuberes, vel puberem, & impuberem contracta, quæ ex Juris interpretatione intelliguntur ſponſalia de futuro, licet quoad verba ſint de præſenti, non tranſeunt in matrimonium, ob defectum legitimæ ætatis. Unde impubes, qui per verba conſenſum conjugalem exprimentia contraxit, etſi ſæpius niſus fuerit ſponſam carnaliter cognoſcere, ſed irrito conatu, poteſt adveniente pubertate, a ſponſalibus reſilire, ut colligitur ex *cit. c. Atteſtationes. h. t. Covarr. in Epit. lib. 4. Decret. p. 1. c. 4. §. 2. numer. 20.* Ratio eſt, quia ad contrahendum matrimonium requiritur in contrahentibus potentia coeundi, & diſcretio intellectus, ad præſtandum conſenſum, quæ regulariter non adſunt extra pubertatem, quia contractus non habens effectum nihil operatur, *cap. fin. ſupra de ſponſal. Gl. hic V. Niſus.*

Notandum 2. Quamvis niſus, ſeu conatus ad copulam non faciat ſponſalia tranſire in matrimonium, cum effectum non habuerit, ut dictum, inducit tamen præſumptionem, quod circa finem anni XIV. ille juvenis, quando jam proximus erat pubertati, fuerit potens ad generandum, quia ante illam ætatem fuit niſus ad copulam, ideoque Papa hic jubet inquiri, an conſenſerit in uxorem circa finem XIV. anni Nam ceſſante præſumptione orta ex niſu copulæ, non ſuffeciſſet conſenſus præſtitus circa finem anni XIV. quia quando non conſtat de potentia coeundi, exſpectari debet pubertas completa XIV annorum, *Abb. hic n. 7.*

Notandum 3. Ideo in caſu hujus c. delatum fuit juramentum juveni, quia erat præſumptio contra illum pro muliere, conſtabat enim, quod cum illa contraxerit, & quod attentaverit carnalem copulam, *Gl. hic V. Ab ipſo juramento.*

Notandum 4. Si impubes factus pubes velit a ſponſalibus reſilire, etiam alteri concedenda eſt licentia tranſeundi ad alia vota, prout habetur in fine hujus c. *Abb. hic. n. 6.*

§. VI.

Proponuntur, & explicantur alia Capitula hujus Tituli, in quibus agitur de deſponſationibus impuberum.

XXVI. Præter tria §. præcedente explicata Capitula, quarto in c. *Duo pueri. 11. h. t.* talis caſus proponitur: Duo impuberes, Guilielmus, & Guilielma matrimonialiter ſunt conjuncti (id eſt), ſponſalia contraxerunt, ut matrimonio jungantur, adveniente legitima ætate, *Gl. hic V. Matrimonialiter*) dum puer ſextum, puella vero ſeptimum annum ageret: qui cum per tres annos ſimul manſiſſent, pater puellæ ipſam alteri M. nomine copulavit, qui poſt ſeptem annos eandem reliquit, credens eam alium virum (Guilielmum ſcilicet, cui prius fuit deſponſata,) habere: ille vero poſtquam ad annos diſcretionis pervenit, ab Epiſcopo cum alia contrahendi licentiam impetravit, & quandam nomine S. Conſobrinam prioris in uxorem accepit (quam habere non potuit, *Gl. hic V. In uxorem*) & cum ea per aliquod tempus exiſtens, negavit ſe eam carnaliter cognoviſſe, licet ipſa contrarium aſſereret; poſtea vero pater Guilielmæ, videns eam a priore viro relictam, Guilielmum, cui prius eam deſponſaverat, compulit, ut S. uxore ſua dimiſſa, rediret ad Guilielmam, cui poſtea per biennium cohabitavit. Conſultus ſuper hac re Pontifex Clemens III. reſpondet, matrimonium inter Guilielmum, & Guilielmam non fuiſſe, ob impedimentum puerilis ætatis: & licet idem Guilielmus, poſtquam ipſa alii nupſit, potuerit aliam ducere in uxorem: non debere tamen cum S. Conſobrina Guilielmæ, ſive eam cognoverit, ſive non, remanere; propter publicæ honeſtatis juſtitiam, nec ad primam redire, quippe alteri legitime copulatam. Cum vero Guilielmus dicat, ſe non cognoviſſe S. Conſobrinam Guilielmæ, aliam ſi voluerit, poterit ducere in uxorem, & ipſa S. alii viro copulari: utrique tamen propter populi ſcandalum pœnitentia eſt injungenda. Si vero conſtaret, ipſam S. a Guilielmo, ſive poſt, ſive ante cognitam fuiſſe, neutri, vivente altera, licebit matrimonium contrahere. Denique Guilielma remanere debet cum viro M. impoſita ei competenti pœnitentia, quod propria temeritate judicio Eccleſiæ non requiſito, Guilielmam dimiſerit.

XXVII.

Digitized by Google

XXVII. Notandum 1. Sponſalia contracta cum impubere minore ſeptennio, per cohabitationem mutuam poſt ſeptem annos, convaleſcunt, & inducunt juſtitiam publicæ honeſtatis, prout habetur in ſumma hujus c. Ratio eſt, quia quamvis ante ſeptennium impuberes non poſſint contrahere ſponſalia, poſſunt tamen poſt ſeptennium, unde ſponſalia ante ſeptennium contracta de facto, ſed non de jure, poſt ſeptennium incipiunt valere: quia ex cohabitatione tam diuturna præſumitur ſponſos habuiſſe ratam priorem promiſſionem ſponſalium, licet ea ab initio non valuerint: & oritur ex hujuſmodi ſponſalibus publicæ honeſtatis quæ juſtitia per cohabitationem, poſt ſeptennium, præſumitur de novo mutuus conſenſus præſtitus inter ſponſos, *Vivian. in ration. Jur. Pontific. hic*. Verum cum hodie ſponſalia inter puerum ſeptennem, & puellam nondum ſeptennem, ſint invalida, non oritur ex illis impedimentum publicæ honeſtatis, juxta *Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 3. de reform. matr.*

Notandum 2. Per matrimonium per verba de præſenti contractum poſtea ſuperveniens cum alio, vel alia diſſolvuntur priora ſponſalia, ante pubertatem contracta, ut in propoſito, Guilielmus non potuit redire ad primam ſcilicet Guilielmam, quippe quæ alteri legitime fuit copulata, nempe viro Martino per matrimonium, quod tamquam fortius vinculum diſſolvit ſponſalia priora inita cum Guilielmo, alias vero non contraxit legitime matrimonium cum Martino, quia non debuit fidem frangere alteri prius datam, *Gl. hic V. Legitime*.

Notandum 3. Si conſtet, quod Guilielmus mulierem S. cognoverit, neutri licet, vivente altero, tranſire ad aliud matrimonium: nam quamvis tale matrimonium cum alia teneat, quia inter Guilielmum, & Guilielmam non fuit matrimonium: prohibentur tamen ulterius carnaliter conjungi, propter delictum utriuſque, *Gl. hic V. Neutri*.

Notandum 4. Quando in hoc c. in fine, pœnitentia imponitur ei, qui judicio Eccleſiæ irrequiſito, Guilielmam dimiſit, & in c. 1. *Cauſ. 33. q. 2.* puniuntur Conjuges, qui abſque Eccleſiæ auctoritate ſeparantur, ſermo eſt, non de ſponſalibus, ſed de matrimonio per verba de præſenti contracto, a quo alter conjux abſque cauſa receſſerat, quæ pœna nulli eſt inferenda, niſi per Judicem Eccleſiaſticum, *Gl. fin. hic, & Sanch. l. 1. diſ. 69. n. 11.*

XXVIII. Quinto in c. ad diſſolvendum 13. *h. t.* habe„ tur, quod quidam Joannes nomine contraxit matri„ monium cum puella quadam S. nomine, infra ſepten„ nium conſtituta: poſtea vero ex parte puellæ accuſaba„ tur matrimonium, propter impedimentum conſangui„ nitatis, & dum teſtes producerent ad illam probandam, „ dictus Joannes multas exceptiones propoſuit, per quas „ intendebat accuſatores ab accuſatione repellere. Con„ ſultus Pontifex Innocentius III. reſcribit: Inter juve„ nem illum, & puellam nec matrimonium, nec ſpon„ ſalia fuiſſe contracta, cum conſtet puellam nondum „ ad ſeptimum annum perveniſſe: ideoque accuſationem „ matrimonii locum habere non potuiſſe, cum non eſ„ ſet, quod legitime accuſari poſſet. Denuntiari tamen „ poterat conſanguinitas, ut interdiceretur matrimoni„ um contrahendum. Unde Papa terminum ad denun„ ciationem legitime probandam ſtatuit ſalvis exceptioni„ bus propoſitis, & proponendis. Ne vero quicquam in „ puellam interim attentetur, prohibet idem Pontifex, „ & ſi quid contra hoc interdictum attentatum fuerit, „ irritum decernit.

XXIX. Notandum 1. Non poteſt accuſari matrimonium, quod nondum eſt, ut ſi cum minore ſeptennio ſit contractum, quia primo debet exiſtere in rerum natura id, de quo agitur, *Gl. hic V. Legitime accuſari*: & accuſatio non habet locum, niſi ſuper crimine jam perpetrato, *Innoc. hic in princ.* & matrimonium nullum, ex defectu conſenſus accuſari non poteſt, *Abb. hic n. 3.* Denunciari tamen poteſt impedimentum conſanguinitatis, ne matrimonium contrahatur, quia denunciatio habet locum, non tantum ſuper criminibus perpetratis, ſed etiam ſuper perpetrandis, ut caveantur, *Innocent. hic. V. Denunciari*.

Notandum 2. Sponſalia inita contra interdictum Pontificis, cum decreto irritante, etſi generali, nec faciente mentionem ſponſalium, ſunt invalida; ut ſi Pontifex ex juſta cauſa prohibeat duobus, ne ſponſalia de futuro inter ſe contrahant, decernens irritum, ſi quid contra actum fuerit. Matrimonium vero adverſus ſimplicem prohibitionem Pontificiam initum, nimirum abſque decreto irritante, eſt validum, quia multa prohibentur, quæ tamen facta tenent, *c. Ad Apoſtolicam 16, de regular*. Prohibitio autem iſta eſt nuda, & ſimplex, ideo non eſt, cur diceretur rem tam arduam, ac eſt matrimonium, tunc irritari, ſed ſeparabuntur ad tempus Conjuges, *c. 2. De matr. contract. contr. interd. Eccleſ.* niſi addatur clauſula ſpecificam mentionem irritationis matrimonii faciens. Tunc enim eſt invalidum, alioquin fortius eſt matrimonium, quod eſt Juris naturalis quam interdictum Papæ, *Gl. hic V. Irritum in fine*, & ſic intelligi debet, quod dicitur in fine hujus c. ibi: *quod ſi contra interdictum noſtrum* (id eſt, *Papæ*) *in præjudicium ipſius, aliquid fuerit attentatum, id irritum eſſe decernimus &c.* de quo plura videri poſſunt apud *Abbat. hic n. 9. & Sanch. c. l. n. 11. & 12.*

XXX. Sexto denique in c. *Tuæ 14. & ult. h. t.* refer„ tur: quod quidem filiam ſuam circiter duodennem deſ„ ponſavit cuidam nobili, qui eandem ſubarrhavit (per „ immiſſionem annuli) accedente mutuo conſenſu: quæ „ poſtea alteri copulata fuit, ut habetur in integra le„ ctione hujus cap. Sed quia non conſtitit Papæ, cujus „ ætatis eſſet puella, quando eidem viro fuit deſponſata, „ cum dicatur, quod circiter XII. annos habeat, & an „ prudentia tunc ſuppleret ætatem, ideo reſpondet idem „ Papa, ſi puella non erat nubilis ætatis, cum prædictus „ vir eandem deſponſaret, & ſi ætatem in ea prudentia „ non ſupplebat, inter eos non conjugium, ſed ſponſalia „ contracta fuiſſe, quamvis e eum fuerit ſubarrhata.

XXXI. Ubi notandum 1. Si matrimonium per verba de præſenti contractum inter virum, & puellam, quæ nondum eſt in ætate nubili, & in qua prudentia (aut malitia) non ſupplet ætatem, non eſt matrimonium, ſed vim ſolum habet ſponſalium de futuro, etiamſi vir ei arrham dederit, prout habetur in *cit. c. Ult. h. t. Gl. hic V. Nubilis*. Ratio eſt, quia ante annos pubertatis, vel antequam malitia ſuppleat ætatem, non eſt quis aptus ad matrimonium contrahendum, ut infra dicetur.

Notandum 2. Matrimonium fœminæ, cui modicum tempus ad XII. annum completum deficit, eſt invalidum, tum ob defectum potentiæ ad copulam carnalem, tum ob defectum diſcretionis requiſitæ ad conſenſum conjugalem, niſi malitia ſuppleat ætatem. *Barb. in Collect. hic nu. 3.* Quando autem prudentia, ut hic dicitur, aut malitia ſuppleat ætatem, infra dicetur.

Notandum 3. Subarrhatio v. g. per immiſſionem annuli in digitum ſponſæ, non inducit matrimonium, ſi ille necdum ſit in ætate nubili, *Abb. hic n. 4.* & colligitur ex hoc cap.

§. VII.

De ætate requiſita ad matrimonium contrahendum, & de pubertate, & quando malitia ſuppleat ætatem?

XXXII. Quæritur 1. Quæ ætas requiratur ad matrimonium contrahendum? Reſp. ætas legitima ad contrahendum matrimonium eſt pubertas, ſive annus XIV. in maſculo, & XII. in fœmina completus, prout ſumitur ex *c. Ubi non eſt, 2. h. t.* Ubi Nicolaus Papa diſtrictius „ inhibet, ne aliqui, quorum uterque, vel alter ad æta„ tem legibus, vel Canonibus determinatam non perve„ nerit, conjungantur; (ſcilicet matrimonialiter, *Gl. ibid. V. Conjungantur*) niſi forte urgentiſſima aliqua „ neceſſitate interveniente, utpote pro bono pacis, talis „ conjunctio toleretur. Ubi *Gl. V. Canonibus*. ait, ætas ad matrimonium contrahendum, tam ſecundum leges, quam ſecundum Canones, eſt XII. annorum in fœmina, *c. Continebatur. c. h. t.* in viro XIV. annorum, *c. Atteſtationes. 10. eod. Covarr. in Epit. lib. 4. p. 2. c. 5. n. 2. Abb. n. 5.*

XXXIII. Pro declaratione notandum 1. duplex eſt intellectus ſeu expoſitio hujus cap. 1. quod hic prohibeantur ſponſalia de futuro, ante ſeptennium, imo etiam poſt illud, ante pubertatem, idque ne contra bonum commune matrimonia impediantur; nam quando uterque, vel alter eſt impubes, & ſponſalia contrahunt, oritur inde publicæ honeſtatis juſtitia, *c. Un. h. t. n. 6.* Cum autem ſponſi puberes facti ſæpe, mutata voluntate, a ſponſalibus reſiliant, impeditur ſponſus contrahere matrimonium cum ſponſæ conſanguineis, & hæc cum conſanguineis ſponſi, *c. Sponſam. 8. De ſponſal.* & ex tali diſſolutione plerumque diſcordiæ, & iræ oriuntur, ut docent plures apud *Sanch. l. 1. diſ. 17. n. 2.* Verum huic expoſitioni obſtat, quia in hoc cap. prohibetur, ne aliqui, quorum uterque, vel alter ad ætatem legibus, vel Canonibus determinatam non pervenit, conjungantur; nulla autem conjunctio, ſeu obligatio eſſe poteſt, ſi duo infantes, ſeu minores ſeptennio, vel alter ſponſalia contrahant, quippe nulla ex defectu conſenſus, *c. Un. h. t. n. 6.* Tum quia vel pueri, ante ſeptennium, ſunt uſu rationis deſtituti, & ſunt culpæ expertes, adeoque non peccant contrahendo ſponſalia, & nihil prorſus agunt: vel adeſt uſus rationis, ante ſeptennium, & tunc adeſt legitima ætas requiſita ad ſponſalia, *Abb. hic in fine. Sanch. cit. diſ. 17. n. 4.* Tum quia ſponſalia etiam poſt ſeptennium, ſed ante pubertatem, inita, non ſunt conjunctio proprie, ſed potius conjunctionis futuræ promiſſio, *c. Noſtrates. 3. cauſ. 30. q. 5.*

Notandum 2. Alter ergo, & verior intellectus, ſeu expoſitio *cit. c. 2. h. t.* eſt, quod in eo prohibeatur tantum conjunctio matrimonialis, ne ſcilicet matrimonium contrahant, ſi ambo, vel alter nondum pervenerunt ad ætatem legibus, vel Canonibus præfinitam, hoc eſt, ante XII. annum exactum in fœmina; & decimum quartum ſimiliter exactum in maſculo, ut ſupra dictum, cum *G. hic. V. Canonibus, juxta l. Minorem 4. ff. de ritu nupt. Navarr. in man. Prælat. c. 22. n. 29.* & alii communiter. Rationem hujus prohibitionis dat *Fagn. hic num. 11.* Quia cum minores apti ad matrimonium obligentur ex contractu matrimonii, *c. De illis 9. h. t.* Plerumque autem incertum ſit, an ad matrimonium ſint apti, necne, hoc eſt, an malitia ſuppleat ætatem, idque ex habitu corporis, vel aliis ſignis facile cognoſci nequeat; hinc ſæpe contingit, ut alter conjugum pœnitentia ductus, prætextu invaliditatis reſiliat a matrimonio, & cum alia contrahat. Ideo merito Papa hic diſtricte id prohibet, adeo ut ſit culpa lethalis matrimonium contrahere ante ætatem legitimam, ſeu pubertatem

tatem completam, ſine cauſa urgentiſſima, ut pro bono pacis: poteſt tamen Epiſcopus diſpenſare, ut impuberes matrimonio copulentur, & ad illum ſpectat cognitio, an adſit cauſa juſta, ut matrimonium ineant, prout habetur in fine cit. c. 2. h. t. Videlicet quando ſunt prope legitimam ætatem, ſeu pubertatem, ut dubium ſit, an malitia eam ſuppleat, valetque talis diſpenſatio pro utroque foro, Sanch. l. 7. de matr. diſ. 104. n. 12. Barb. in Collect. in cit. c. 2. n. 5. & de offic. Epiſ. alleg. 35. n. 20. ubi addit, cum in cit. c. 2. S. Pontifex diſpenſationem ſibi non reſervavit, videtur tacite illam Epiſcopis conceſſiſſe.

XXXIV. Quæritur 2. Qui dicuntur, & ſunt puberes quoad matrimonium contrahendum? Reſp. de hoc agitur
„ in c. Puberes. 3. h. t. ubi dicitur: puberes a pube
„ ſunt vocati, id eſt, a prudentia, ſeu pudore corporis,
„ quia hæc loca primo lanuginem ducunt. Quidam tamen
„ ex annis pubertatem æſtimant, id eſt, illum puberem
„ dicunt, qui XIV. annos implevit, quamvis tardius pu-
„ beſcat. Certum autem eſt eum puberem eſſe, qui ex
„ habitu corporis pubertatem oſtendit, & generare jam
„ poteſt. Et puerperæ ſunt, ac dicuntur, quæ in annis pue-
rilibus pariunt.

XXXV. Notandum 1. In matrimonio contrahendo, non debet ſpectari tempus annorum, ſed ut contrahens ſit talis, qui generare, vel concipere poſſit, tam in maſculo, quam in fœmina, ut conſtat ex hoc c. & ibi Gl. in caſu.

Notandum 2. Prohibetur ante pubertatem carnalis conjunctio inter conjuges, ne poſtea dubitetur de valore matrimonii propter malitiam, quæ forte deerat, & ſupplere ætatem poterat, Abb. in cit. c. 2. h. t. in fine, & Covar. in Epit. lib. 4. Decret. p. 2. c. 5. nu. 2. Hæc tamen ætas, ſcilicet pubertas, a Canonibus definitur, quia tunc præſumitur quis habilis ad copulam, & ad conſenſum conjugalem præſtandum, ut colligitur ex cit. c. Puberes. h. t. Covarr. c. l.

Notandum 3. Matrimonium etiam ante pubertatem initum, eſt validum, ſi adſit potentia generandi, & diſcretio rationis ad ſe obligandum, Covarr. c. l. In dubio tamen ante ætatem pubertatis completam, nec mas, nec fœmina præſumuntur apti ad generandum, ideoque aſſerenti hanc aptitudinem incumbit onus probandi, quia præſumptio ſtat contra ipſum: at vero poſt completam pubertatem, præſumitur adeſſe potentia generandi, ac proinde qui eam negat, probare tenetur: quamvis hæc præſumptio ſit Juris tantum, contra quam admittitur probatio in contrarium, Sanch. l. 7. de matr. diſ. 104. n. 4.

Notandum 4. Matrimonium contractum a pubere, ſeu majore XIV. annis, etſi tunc nondum poſſit cum fœmina carnaliter commiſceri, nec generare, nihilominus eſt validum, ut docet Silveſt. V. Matrimonium 5. qu. 7. Covarr. cit. c. 5. num. 2. & alii DD. communiter, quam ſententiam etiam Abb. in cit. c. Puberes in fine æquiorem vocat, contra Gl. V. Tardiſſime. Ratio eſt, quia cum ætas legitima adſit, & de nullo perpetuo impedimento conſtet, matrimonium tenet, alias ſequeretur, quod impotens ad copulam, propter infirmitatem corporis, non poſſet matrimonium contrahere, quod falſum eſt. Quare talis expectare debet uſque ad plenam pubertatem, quæ eſt XVIII. annorum, qua adveniente, ſi generare non poſſit, & mulier inſtet, ut matrimonium diſſolvatur, illud diſſolvi poteſt, quia tunc præſumeretur, eſſe impedimentum perpetuum, Silveſt. c. l. Vel ſaltem expectandum eſt tanto tempore, ex quo colligi poſſit, talem eſſe inhabilem ad carnalem copulam, non ex debili ætate, ſed frigiditate, ſive natura ipſa eſſe omnino impotentem ad coeundum, Covarr. cit. l.

Notandum 5. Quando in fine hujus c. dicitur: puerperæ ſunt, quæ in annis puerilibus pariunt, id non eſt receptum apud latinos Juriſconſultos, nam juxta l. Illa verba. 163. ff. de V. S. fœminæ puerperæ appellantur, recentes ex partu, Covarr. cit. loc.

XXXVI. Quæritur 3. Quomodo, & quando malitia ſuppleat ætatem quoad contrahendum matrimonium? Reſp. Validum eſt matrimonium contractum ante legitimam ætatem, ſi malitia ſuppleat ætatem, niſi violentia intercedat, prout ſtatuitur in c. De illis 8. h. t. Ubi Papa Alexander
„ III. reſcribit: Si illi, qui in minore ætate deſponſan-
„ tur, ita fuerint ætati (id eſt, pubertati) proximi, ut
„ potuerint copula carnali conjungi, non debent, minoris
„ ætatis intuitu, ſeparari, ſi unus in alterum conſenſerit,
„ cum in eis malitia ætatem ſuppleviſſe videatur. Verum
„ cujuſcunque ſint ætatis, poſſunt ſe per illatam violentiam
„ excuſare, niſi poſtea conſenſus accedat.

XXXVII. Pro explicatione hujus c. notandum 1. nomine malitiæ communiter intelligunt DD. non tantum aptitudinem ad copulam conjugalem, ſeu potentiam generandi, ſed etiam prudentiam, ut vocatur in c. fin. h. t. id eſt, diſcretionem, & judicium rationis ſufficiens ad cognoſcendum ſtatum conjugalem, ejuſque perpetuum, ac indiſſolubile vinculum: unde etiam in c. Continebatur. 6. h. t. ponderantur non tantum copula, ſed etiam ætas pubertati proxima: ergo ſola copula non eſt ſufficiens; atque ita hæc duo copulative requiruntur ad valorem matrimonii, ante ætatem legitimam, Abb. hic n. 4. obiter, ſi inſpiratur a primo, id eſt, proximitate pubertatis, neceſſario requiritur ſecundum, quia non ſufficit ſola propinquitas ætatis, ſed etiam malitia eſt neceſſaria, quæ hic exponitur, vigor naturalis, ſeu potentia coeundi, Silveſt. V. Matrimonium, 5. quæſt. 2. Covarr. cit. cap. 5. num. 3.

Notandum 2. Ut malitia ſuppleat ætatem, adeoque validum ſit matrimonium, ante ætatem Jure præſcriptam, initum, non requiritur, ut carnalis conjunctio antea præceſſerit, ſed ſufficit aptitudo ad copulam, ſive potentia generandi, quæ ex aliis ſignis probari poteſt, & ſufficiens diſcretio ad ſe obligandum, prout ſumitur ex hoc cap. ibi: Si ita fuerint ætati proximi, ut carnali copula conjungi potuerint, ſeparari non debent, Abb. c. l. Sanch. l. 7. cit. diſ. 104. num. 5. & num. 21. Ratio eſt, quia ideo Jus eam ætatem præſcribit, quia præſumit tunc pueros, & non antea eſſe præditos, & ſufficiente judicio ad matrimonium contrahendum, & potentia generandi; ſi ergo utrumque hoc adeſſe conſtet, ceſſat præſumptio, & cedit veritati.

Notandum 3. Metus, & violentia in quacunque ætate incuſſus, reddit matrimonium ipſo jure nullum, quia tollit libertatem conſenſus, ut habetur in fine hujus cap. dummodo ſit talis metus, aut violentia, quæ poſſit cadere in virum conſtantem, c. Veniens. 16. de ſponſal. Veruntamen poteſt conſenſus matrimonialis per matrimonium, aut vim extortus purgari per ſupervenientem liberum conſenſum, ita ut validetur matrimonium prius metu, aut vi contractum, ſive ille conſenſus ſit expreſſus, ſive tacitus, ſeu præſumptus, ut ſi talis violentiam paſſa alteri patienter cohabitet, vel ſi carnalis copula ſubſequatur, Gl. fin. hic.

TITULUS III.

DE CLANDESTINA DESPONSATIONE.

QUia matrimonia, & ſponſalia quandoque contrahuntur palam, & publice, quandoque clandeſtine; ideo ſubjicitur hic Titulus. Nomen autem deſponſationis hic ſumitur pro ipſo matrimonio, c. Conjux. 9. s. Qui deſponſatam. 12. cauſ. 27. q. 2. c. Tua nos. 26. ſupra de ſponſal. Quamvis proprie loquendo, nomine deſponſationis intelliguntur tantum ſponſalia de futuro, l. Sufficit 4. ff. de ſponſal. Matrimonium vero clandeſtinum dicitur, quod clam contrahitur, quod dupliciter fieri poteſt, vel quia contractum eſt, nullis teſtibus præſentibus, vel quia contractum eſt, nullis præmiſſis denunciationibus, etiam nulla interveniente diſpenſatione, c. ult. h. t. & Gl. ibid. V. Clandeſtina. Ubi additur tertius modus clandeſtinæ deſponſationis, ſive matrimonii, ſi contrahatur ſine adhibitis ſolemnitatibus, quæ recenſentur in c. 1. Cauſ. 30. qu. 5. Quod rectius matrimonium minus ſolemne appellatur, quam clandeſtinum, nec ad hunc Titulum pertinet. De matrimonio priore modo ſumpto prius agemus, de altero poſtea.

§. I.

An matrimonia clandeſtina Jure antiquo non ſolum fuerint prohibita, ſed etiam invalida, & qua ratione potuerint Jure novo ab Eccleſia irritari?

II. Aſſertio 1. Matrimonia clam ſine Parocho, & teſtibus contracta, ſemper quidem fuerunt ab Eccleſia graviter prohibita, adeoque ex genere ſuo mortaliter illicita, ſed ante Concilium Tridentinum fuerunt valida. Eſt certa, & communis DD. ſententia, poſt S. Thom. in ſupplem. 3. p. q. 45. art. 5. Prima pars, quod ſemper fuerint illicita, patet ex multis Canonibus, præcipue ex c. Nullus 2. cauſ. 30. q. 5. Ubi Hormiſda Papa ſtatuit, ut nullus fidelis cujuſcunque conditionis ſit, occulte nuptias faciat, ſed publice nubat. Ratio eſt, quia etiam olim gravia pericula, & damna inde provenire ſolebant, Sanch. l. 3. de matrim. diſ. 3. n. 1. Secunda pars, quod olim fuerint valida, conſtat ex c. 2. h. t. ubi dicitur, ſi contrahentes clandeſtina matrimonia ea volunt in Eccleſia publicare, recipienda ſunt, & comprobanda: ergo tunc valida erant hujuſmodi matrimonia. Unde etiam Concilium Trident. ſeſſ. 24. c. 1. de reform. matrim. anathemate damnat eos, qui clandeſtina matrimonia vera, ac rata eſſe negant, quamdiu Eccleſia ea irrita non facit. Ratio eſt, quia ſpectato ipſo jure naturali, ac Divino, matrimonium clandeſtinum per ſe non eſt illicitum, ſed ſolum per accidens, propter ſcandala, & occaſiones peccandi, quæ tamen interdum abeſſe, & vitari poſſunt, Layın. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. nu. 1. Confirmatur, quia in matrimonio clandeſtino reperitur tota eſſentia legitimi contractus de præſenti, quamdiu is non irritatur, & ſolum deficit extrinſeca, & accidentalis ſolemnitas publicitatis: ergo eſt validum, Sanch. cit. diſ. 3. num. 2. Sunt tamen plures caſus, in quibus, ante Concilium Tridentinum, & nunc etiam ubi decretum illud non eſt promulgatum, poteſt contrahi matrimonium, etiam clam ſine teſtibus, Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 6. num. 7. Quorum quinque recenſet Tanner. tom. 4. diſ. 8. de matrim. qu. 3. dub. 6. num. 111. 1. Si poſſint per matrimonium clandeſtinum evadere ſubitum periculum mortis. 2. Si qui per teſtium adhibitionem a matrimonio contrahendo inique impedirentur. 3. Si expectando teſtes, magnam opportunitatem contrahendi matrimonium eſſent amiſſuri. 4. Si ſine gravi damno clam contrahere non poſſint, ut ſi virgo ſub tutoris poteſtate conſtituta merito timeat ſe traden-

da u

Digitized by Google

dem viro pravo, vel alias indigno ab iniquo tutore. 5. Si poſt matrimonium ſemel publice contractum, ſed invalide ob interveniens impedimentum, poſt impetratam diſpenſationem denuo clam contrahatur de quo infra. Ratio eſt, quia hujuſmodi leges affirmativæ non ita ſtricte obligant, quin licitum ſit ab eis recedere ob urgentem neceſſitatem, vel aliam juſtam cauſam; dummodo alia graviora incommoda vitentur, de quibus infra.

III. Aſſertio 2. Jure novo Concilii Tridentini *cit. c. 1. de reform. matr.* hujuſmodi matrimonia clam inita ſine Parocho, & teſtibus, declarantur penitus nulla, & irrita, „ his verbis: Qui aliter, quam præſente Parocho, vel „ alio Sacerdote, de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licen„ tia, & duobus, vel tribus, matrimonium contrahere at„ tentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum ma„ trimonium omnino inhabiles reddit, & hujuſmodi con„ tractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præ„ ſenti decreto irritos facit, & annullat. Cauſæ autem, ob quas irritata ſunt hujuſmodi matrimonia, ſunt 1. quia matrimonium clandeſtinum adverſatur fidei illius, facile enim poſſet alteruter conjux alii commiſceri, abſque eo, quod adulterii notam ſubiret. Item adverſatur indiſſolubilitati matrimonii, ſæpe enim evenerat, ut v. g. vir, relicta prima uxore, cum qua clam contraxerat, palam cum alia contraheret, & cum ea in perpetuo adulterio viveret, & uſque ad mortem in ſtatu damnationis permaneret. Adverſatur etiam bono prolis, quam maritus facile negare poſſet eſſe ſuam, cum uxor matrimonium, quippe clam ſine teſtibus initum probare non poſſet. 2. Irritavit matrimonia clandeſtina Eccleſia, quia plerumque contrahentes habent impedimenta quædam, quæ matrimonio publice contracto detegerentur, & ſic plurima matrimonia irrita contraherentur. 3. Quia multæ inde diſcordiæ inter contrahentes, eorumque conſanguineos oriebantur, *Sanch. cit. diſ. 3. num. 5.* Cum igitur his, & aliis gravibus peccatis, & incommodis, quæ ex talibus matrimoniis clandeſtinis ſequebantur: Eccleſia, quæ de occultis non judicat, per ſimplicem prohibitionem ſufficienter occurrere non poſſet, merito ab Eccleſia ſunt irritata, *Sanch. l. 3. de matr. diſ. 3. num. 5.*

IV. Aſſertio 3. Potuit Eccleſia irritare matrimonium clandeſtinum initum ſine Parocho, & teſtibus, & de facto irritavit, etiam quatenus Sacramentum eſt, non quidem per ſe, ac directe, & immediate, ſed indirecte, ac per accidens, & mediate annullando contractum humanum, ſeu civilem; unde conſequenter irritum redditur ipſum Sacramentum, *Sanch. l. 3. de matrim. diſ. 4. n. 6. Coninc. diſ. 27. de matrim. clandeſt. dub. 1. Laym. cit. c. 4. num. 2.* Probatur, & declaratur, quia Eccleſia non poteſt quidem mutare materiam, & formam Sacramenti matrimonii a Chriſto inſtitutam, efficiendo, ut id, quod antea erat legitima materia, vel forma ſine ſui immutatione fiat illegitima, & inſufficiens, hoc enim eſſet directe, ac per ſe immutare eſſentiam Sacramenti, quod Eccleſia non poteſt, ut infra dicetur; poteſt tamen immutare, & deſtruere id, quod antea erat materia, vel forma, nempe ipſum contractum, in quo fundatur Sacramentum, quod eſt ſolum per accidens, & indirecte mutare, vel potius impedire Sacramentum: ſicut ſi quis vinum phyſice omnino corrumpat, infundendo aquam, non erit jam materia Sacramenti Euchariſtiæ, quoad alteram ſpeciem: ita etiam Eccleſia mutavit, & infirmavit contractum civilem matrimonii clandeſtini, & conſequenter etiam ſuſtulit rationem Sacramenti, quippe quod ex Chriſti inſtitutione fundatur in contractu valido, ſeu legitimo. Nam cum quævis Reſpublica civilis, ſeu politica poſſit certas quaſdam perſonas, v. g. minores, vel prodigos, ad contrahendum reddere inhabiles, & contractus aliquos, v. g. profeſſionem Religionis ante annum XVI. vel ultimas voluntates certa ſolemnitate carentes irritare, ita ut ſint ipſo jure invalidi: ſic ſimiliter etiam poterit eos Reſpublica Eccleſiaſtica, qui clam, & ſine Parocho, & teſtibus matrimonium contrahere attentant, inhabiles reddere ad ita contrahendum: & quia matrimonium non tantum eſt Sacramentum, ſed etiam contractus civilis, qui tamen propter connexam Sacramenti rationem ſubjacet poteſtati Eccleſiæ, & ab ea eſt reſervatus; ideo etiam potuit Eccleſia, propter juſtam cauſam, & publicam utilitatem animarum, quaſdam conditiones in illo contractu requirere, ſine quibus non ſit validus, nec cenſeatur legitimus contractus, adeoque nec materia, vel forma legitima Sacramenti matrimonii, & conſequenter etiam potuit ejuſmodi clandeſtinum matrimonium prorſus infirmare, *Sanch. cit. diſ. 4. num. 4. Laym. c. l.* Itaque Eccleſia non potuit quidem ſtatuere, ut ſuppoſito, quod perſonæ habiles contraxerint matrimonium, & contractus ſit validus, ac ſufficiens ad mutuam corporum traditionem, ipſum Sacramentum matrimonii ſit invalidum: potuit tamen deſtruere fundamentum, ſtatuendo, ut contractus humanus, ac civilis non ſit legitimus, & ſufficiens ad corporum traditionem, niſi contrahatur coram Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus, qui ſi deſint, indirecte, & conſequenter etiam irritum redditur ipſum Sacramentum matrimonii, *Sanch. cit. diſ. 4. num. 6. in fine.* Neque vero Eccleſia facit, ut conſenſus legitimus non ſit ſufficiens ad valorem matrimonii, ſed ſolum ut conſenſus aliter præſtitus a contrahentibus, non ſit, nec cenſeatur legitimus, quia ob annexam Sacramenti rationem eſt ſubjectus diſpoſitioni Eccleſiæ, ut ſupra dictum.

V. Ex dictis infertur, quamvis per verba mutui conſenſus, per quæ, ante Concilium Tridentinum conſtituebatur matrimonium, nunc non conſtituatur, ſi abſente Parocho, & duobus teſtibus proferantur; non tamen abſolute dicendum eſt, materiam, & formam eſſentialem, quæ antea ad matrimonium ſufficiebant, nunc non ſufficere, quia certum eſt, Eccleſiam non poſſe mutare materiam, & formam Sacramentorum, ut conſtat ex Concilio Tridentino *Seſſ. 21. de Communione cap. 2.* ubi dicitur, quod Eccleſia in Sacramentorum diſpenſatione nihil ſtatuere, & mutare poſſit, niſi ſalva illorum ſubſtantia: itaque dicendum potius eſt, materiam, & formam Sacramenti matrimonii eſſe mutuum conſenſum contrahentium, verbis, vel ſignis expreſſum, qui ſufficiens ſit ad contractum validum celebrandum, per quem mutua corporum fit traditio. Porro valor hujus contractus pendet ex modo contrahendi, qui ab Eccleſia poteſt præſcribi, & mutari; & ideo fieri poteſt, ut quidam modus contrahendi uno tempore ſit ſufficiens ad materiam, & formam matrimonii, & alio tempore non ſit legitima materia, & forma: unde non mutatur proprie, & formaliter materia, & forma, ſed ſolum materialiter, & remote, nempe quia ob mutationem factam talis modus contrahendi deſinit eſſe legitima materia, & forma. Sic contingit in matrimonio, in quo verba illa: *Ego accipio te in uxorem meam, vel accipio te in maritum meum*; ſi tantum materialiter ſumantur, nunquam fuerunt legitima materia, & forma matrimonii, ut conſtat ex eo, quia ſi proferrentur a furioſis, ſeu amentibus, vel ſine interno conſenſu, non forent legitime materia, & forma; ſunt tamen forma, & materia ſumpta proprie, & formaliter, quatenus ſignificant validum, & ſufficientem conſenſum ad mutuam corporum traditionem. Quando igitur Eccleſia facit, ſicut poteſt, ut hæc verba prolata, abſente Parocho, & teſtibus, non contineant ſufficientem conſenſum ad validam traditionem corporum, non mutat proprie, & formaliter materiam, & formam Sacramenti matrimonii, ſed tantum materialiter, & remote; quia verba illa, quæ ante Concilium Tridentinum prolata ſufficiebant ad ſufficientem conſenſum, & quæ nunc ſufficiunt, ſunt eadem formaliter, id eſt, in quantum continent ſufficientem conſenſum, licet materialiter ſint diverſa: nam ante Concilium Tridentinum clam prolata ſufficiebant, poſt illud vero non, niſi coram Parocho, & teſtibus ſint prolata, *Sanch. cit. l. num. 7.*

VI. Aſſertio 4. Ubi prædictum Decretum Concilii Tridentini promulgatum eſt, etiam qui invincibiliter illud ignorant, invalide contrahunt matrimonium ſine Parocho, & teſtibus, quia lex irritans actum obligat etiam ignorantes, quoad nullitatem actus, licet non efficiat quoad alias pœnas extrinſecas, ut docet *Sanch. l. 3. de matrim. diſ. 17. num. 10.* & alii apud ipſum. Nam quando inhabilitas ſtatuitur in odium contrahentium, & ad eos puniendos, tunc ea eſt pœna, & non afficit, ſeu ligat invincibiliter ignorantes, quia tales culpa vacant: ſecus eſt, quando annullatur actus, ob defectum debitæ ſolemnitatis, quia traditur certa forma, & ſolemnitas ad faciendum actum, tunc enim talis inhabilitas, & annullatio actus non eſt pœna, quia non infertur ob delictum puniendum; & quamvis contrahens eſſet immunis culpæ, ignorans invincibiliter, talem actum eſſe prohibitum, adhuc actus eſſet nullus, ut conſtat: ergo non eſt pœna; quia ubi non eſt delictum, ſeu culpa, non eſt locus pœnæ, *Sanch. citato loco, numero undecimo, & diſputatione quarta, numero nono, eodem libro tertio.*

VII. Præterea irritum eſt matrimonium etiam in articulo mortis, aut in quacunque alia neceſſitate contractum, abſque præſente Parocho, & teſtibus, quia deeſt forma ſubſtantialis ad valorem matrimonii per legem præſcripta, qua deficiente, actus nequit ſubſiſtere, ut patet ex decreto Concilii, ubi dicitur, *matrimonium aliter fieri non poſſe, quam præſente Parocho, & teſtibus*, & ſic præſcribitur forma ſubſtantialis, & aliter contractum redditur irritum. Item ibi contrahentes redduntur omnino inhabiles, id eſt, ſine ulla exceptione, ac diſpenſatione, *Sanch. cit. diſ. 17. num. 4.* Aliud eſt de lege Eccleſiaſtica mere præceptiva, quæ inducit tantum ſolemnitatem extrinſecam, & accidentalem contractui, tunc enim non redditur invalidum matrimonium; & ſolum præceptum Eccleſiaſticum, quod non inducit ſolemnitatem ſubſtantialem, non obligat tanto rigore, ut matrimonium reddat invalidum; *Sanch. cit. diſ. 17. num. 5.*

Denique neque validum eſt matrimonium, ſi publice celebretur, præſente majore parte viciniæ, deſit tamen Parochus, quia forma ſubſtantialis nec per æquipollens impleri poteſt, ſed ſpecifice, ac proprie implenda eſt. Deinde cum matrimonium ſit Sacramentum, rite celebrari debet coram proprio Paſtore, vel de ejus licentia coram alio *Sanch. c. l. n. 7.*

VIII. Cæterum quod dictum eſt matrimonium ſine Parocho, & teſtibus contractum eſſe invalidum, id limitandum eſt, niſi matrimonium ſemel in facie Eccleſiæ contractum fuerit, ſed invalide, ob occultum impedimentum dirimens: hoc enim poſtea ſublato, non eſt neceſſarium, ut putatitii conjuges, iterum coram Parocho, & teſtibus contrahant, ſed ſufficit, ut conſcii prioris nullitatis, occulte renovent mutuum conſenſum, ſive verbis, ſive affectu conjugali habendo copulam, ſive alio

quovis ſigno erga ſe invicem eum exprimente, ut docet *Sanch. l. 2. de matr. diſ. 37. nu. 3.* Probatur, quia ratio legis, ſive Decreti Concilii Tridentini nunquam ſe extendit ad hunc caſum, & per conſequens neque lex ipſa: ſecundum mentem enim Concilii irritatur ſolum illud matrimonium clandeſtinum, quod non poteſt probari contractum eſſe in facie Eccleſiæ, & ex quo apta ſunt ſequi gravia incommoda. At illud matrimonium, de quo agimus, non eſt tale: ergo ex mente Concilii non eſt clandeſtinum, nec irritum. Id vero procedit, ſi impedimentum occultum fuerit; nam ſi in facie Eccleſiæ ſit publicum, ſeu notorium impedimentum: vel ſi periculum ſit, ne in facie Eccleſiæ, ſeu foro externo aliquando innoteſcat, neceſſe eſt, ut tales conjuges, ſublato impedimento, iterum coram Parocho, & teſtibus matrimonium contrahant, quia cum tunc conſtet ipſis illud in foro Eccleſiæ eſſe nullum, non eſſent teſtes valoris, ſed nullitatis matrimonii, *Sanch. c. l. num. 10. & 11.* Apud quem plura de hoc videri poſſunt.

§. II.

An etiamnum in locis, ubi decretum hoc Concilii Tridentini non eſt receptum, aut promulgatum, matrimonia clandeſtina ſint valida?

IX. Aſſertio 1. Si matrimonia clandeſtina etiamnum contrahantur ab incolis in iis locis, ſive Catholicorum, ſive hæreticorum, in quibus dictum Decretum non eſt receptum, vel nunquam promulgatum, ea valida ſunt, quia ipſum Concilium *cit. ſeſſ. 24. c. 1. de reform. matr. in fine*, decernit, ut hujuſmodi decretum robur non habeat in unaquaque parochia, niſi poſt XXX. dies a die primæ publicationis in eadem Eccleſia factæ, numerandos. Quod ſi legitime publicatum ſit, lex non recepta, ſaltem per X. annos, non obligat: peccabunt tamen clam contrahentes, ſicut etiam peccaſſent, ſi ante Concil. Trident. clam contraxiſſent, quia hujuſmodi matrimonia ſemper fuerunt illicita, *Sanch. l. 3. de matr. diſ. 18. n. 1.*

X. Aſſertio 2. Peregrini tranſeuntes per locum, ubi ſervatur Decretum Concilii Tridentini, invalide contrahunt matrimonium ſine Parocho, ac teſtibus, quamvis in loco domicilii illud decretum non ſit receptum, *Sanch. l. 3. cit. diſ. 18. n. 26.* Ratio eſt, quia peregrini, ſaltem quoad ſolemnitatem contractuum, tenentur ad leges eorum locorum, per quæ tranſeunt, cum ratione contractus ſortiantur forum, *c. ult. de foro compet. Sanch. cit. diſ. 18. n. 10.* Nam ea eſt in unoquoque loco ſubſtantialis forma contractus, quæ pro illo præſcribitur; ſi ergo in aliquo contractu non ſervatur forma eo loco præſcripta, non ſubſiſtit contractus.

XI. Aſſertio 3. Is, qui ex loco, ubi decretum Concilii eſt receptum, transfert ſe ad locum, in quo non eſt receptum, animo figendi illic domicilium, poteſt valide ibidem contrahere matrimonium ſine præſentia Parochi, ac teſtium; fit enim illius loci incola, adeoque non aſtringitur amplius legibus prioris domicilii. Imo etiam valde probabile eſt, valere matrimonium, ſi quis ad tempus tantum ſe conferret ad locum, ubi decretum Tridentinum non eſt receptum, etiamſi ex intentione clandeſtine contrahendi matrimonium id fiat, *Sanch. l. 3. diſ. 18. n. 18. & 28. & ſeq.* Ratio eſt, quia talis non obligatur legibus ſui territorii, ſi in eo non verſetur. Et ſi in aliis contractibus (niſi lex aliqua particularis obſtet) poteſt quis proficiſci e loco domicilii ad alium locum, cum intentione ineundi contractum venditionis v. g. juxta formam ibidem requiſitam: cur non poterit etiam conferre ſe alio, ea intentione contrahendi matrimonium, juxta formam ad ejus valorem in eo loco præſcriptam, cum nulla etiam lex obſtet? Neque vero fraudem committere dicendus eſt, qui jure ſuo utitur, *l. Nullus 55. ff. de R. J.* Nam quamvis peccet in eo, quod diſcedat ea intentione contrahendi clandeſtine matrimonium, cum hoc ſit peccatum, etiam ubi Concilium Tridentinum non eſt receptum, non tamen peccat in eo, vel agit fraudulenter, quod intendat negligere formam Concilii Tridentini in eo loco, in quo non eſt neceſſaria ad valorem matrimonii.

XII. Ex dictis infertur 1. Etiam Chriſtianos captivos apud Turcas, vel commercii cauſa degentes apud infideles, poſſe valide in illis terris contrahere matrimonium, non ſervata forma Concilii Tridentini, etiamſi hoc in loco domicilii ſit promulgatum, & receptum, adeoque ſine Parocho, & teſtibus: non enim decretum illud obligat, niſi in loco, & parochia, in qua fuerat promulgatum, quæ conditio in talibus locis deficit, *Sanch. l. 3. de matr. diſ. 18. num. 35.* ubi addit, id procedere, ſive ibi contrahentes ſint permanentes, ſive per modum tranſitus. Unde etiamſi duo infideles ibi baptizarentur, poſſent contrahere matrimonium abſque Parocho, & teſtibus, quia id decretum ibi non obligat. Infertur 2. In civitatibus, & locis Germaniæ, in quibus Catholici cum hæreticis permixti vivunt, & decretum Concilii non eſt promulgatum, v. g. in Saxonia, valide contrahere Catholicus matrimonium ſine Parocho, & teſtibus. Imo etiamſi prædictum decretum ſit promulgatum in aliquo loco hæretico, ſi tamen nullus adſit Sacerdos Catholicus, vel ignoretur, vel non ſit tutus ad illum acceſſus, valide cum Prædicante, vel etiam ſine Prædicante, matrimonium contrahi poterit, cum in his locis, ac tali rerum ſtatu decretum Concilii Trident. ſervari non poſſit. Sicuti etiam in locis, ubi Concilium Trid. non eſt promulgatum, & hæretici cum Catholicis permixti vivunt, valida erunt matrimonia, ſine vero paſtore celebrata, propter tacitam diſpenſationem S. Pontificis, qui ſciens ejuſmodi matrimonia contrahi non contradicit, nec irrita declarat: ideoque non eſt exiſtimandum velle Pontificem, ut decretum Concilii Tridentini ad hujuſmodi matrimonia clandeſtina ſe extendat, ne multa gravia incommoda inde oriantur, *Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 7. Tanner. cit. diſ. 8. q. 3. dub. 6. n. 122.*

Infertur 3. Multo magis matrimonia infidelium degentium in Terris Chriſtianorum, in quibus viget Decretum Concilii Tridentini, contracta ſine Parocho, & teſtibus, valida eſſe, quia lex Concilii eſt mere Eccleſiaſtica, & ut talis recepta e Principibus Chriſtianis: infideles autem, cum ſint omnino extra Eccleſiam, non ſubjiciuntur legibus Eccleſiaſticis, juxta illud Apoſtoli 1. *ad Corint. Quid mihi eſt de his, qui foris ſunt, judicare? Sanch. l. 3. diſ. 17. num. 8.*

§. III.

Utrum neceſſarium ſit ad valorem Matrimonii, ut aſſiſtat proprius utriuſque contrahentis Parochus, & intra propriam Parochiam, & qualis præſentia Parochi, ac teſtium requiratur?

XIII. Aſſertio 1. Quando ſponſus, & ſponſa ſunt diverſæ Parochiæ, ad valorem matrimonii ſufficit, ſi aſſiſtat illi proprius Parochus alterutrius, ſponſi ſcilicet, vel ſponſæ, in cujus Parochia nuptiæ celebrantur, ut ſi in Parochia ſponſi contrahatur matrimonium, ſufficit, ut aſſiſtat Parochus ſponſi, & ſi in Parochia ſponſæ, Parochus ſponſæ, *Sanch. l. 3. de matr. diſ. 19. nu. 4.* Probatur, quia quamvis in aliis Sacramentis Parochus unius contrahentis non ſit Parochus alterius contrahentis, tamen quantum ad matrimonium, Parochus unius contrahentis eſt Parochus utriuſque, quia matrimonium nonniſi inter duos poteſt conſiſtere, & eſt unum Sacramentum, unuſque contractus individuus, ita ut ab uno, ſine altero, iniri non poſſit: ergo eo ipſo quod quis eſt Parochus conſtituitur ad matrimonialiter conjungendum unum conjugem, eſt etiam conſtitutus ad conjungendum alterum per neceſſariam connexionem. Confirmatur, quia generaliter loquendo, re conceſſa, ea quoque conceſſa cenſentur, quæ ad illam obtinendam ſunt neceſſaria, *l. 2. ff. de juriſdict. Omn. Jud.* ubi dicitur: *Cui juriſdictio data eſt, ea quoque conceſſa videntur, ſine quibus juriſdictio explicari non potuit*, & c. præterea 5. ibi: *quia ex eo, quod cauſa ſibi committitur, ſuper omnibus, quæ ad cauſam ipſam ſpectare noſcuntur, plenariam recipit poteſtatem, de offic. & poteſt. Jud. deleg.* Quando ergo committitur proprio Parocho, ut matrimonio conjungat ſuum parochianum, cenſetur etiam commiſſum, ut alienum, ſive non ſubditum cum ſuo conjungat, quia hæc neceſſario ſunt connexa, *Sanch. c. l.* & alii Canoniſtæ, & Theologi communiter.

XIV. Porro prædictis addendum 1. Si parochus proprius alterutrius contrahentis aſſiſtat matrimonio, illud validum eſt, etiamſi in parochia alterutrius ſibi non ſubditi celebretur. Ut ſi v. g. Parochus Petri contrahentis matrimonium cum Anna, ei aſſiſtat in parochia Annæ, cujus non eſt Parochus, valet matrimonium, *Sanch. cit. diſ. 19. n. 11.* Ratio eſt, quia Concilium Trident. ſolum exigit proprii Parochi præſentiam, qui juriſdictionem voluntariam, qualis eſt aſſiſtere matrimonio, illudque approbare, etiam extra propriam parochiam exercere poteſt, quia non exigit cauſæ cognitionem.

XV. Addendum 2. Validum eſt matrimonium, cui Parochus alterius, vel utriuſque contrahentis aſſiſtit, quamvis in neutrius parochia, ſed in aliena parochia, vel etiam diœceſi matrimonium celebretur, ut ſi v. g. civis Dilinganus cum cive Lavingana contrahat matrimonium Donawerdæ, vel etiam extra diœceſim Auguſtanam Ingolſtadii, præſente tamen Parocho Dilingano, vel Lavingano, validum eſt matrimonium, *Sanch. cit. diſ. 19. n. 14.* Ratio eſt, quia Concilium Tridentinum tantum requirit proprii Parochi præſentiam, ſive ſponſi, ſive ſponſæ: & cum hæc præſentia, ſive aſſiſtentia non ſit actus juriſdictionis ſaltem fori contentioſi, cum judiciali ſtrepitu, & cauſæ cognitione, neque etiam ſit ſolemnitas, quæ cum exteriore pompa, ac ſtrepitu fiat, poteſt præſtari, & adhiberi ſaltem valide, reſpectu ſubditi, ſeu parochiani extra parochiam, vel etiam Diœceſim: ſicut etiam juxta probabiliorem ſententiam poteſt Parochus audire confeſſiones ſuorum parochianorum extra parochiam, vel etiam Diœceſim, quia eſt actus tantum juriſdictionis voluntariæ, non contentioſæ: ergo etiam poteſt illos matrimonio conjungere.

XVI. Sed jam hic ulterius quæritur, an ſi proprius Parochus aſſiſtat matrimonio extra parochiam, abſque licentia Ordinarii, vel Parochi loci, peccet, & puniendus ſit? Negat peccare, ceſſante ſcandalo, *Sanch. c. l. num. 18.* Quia aſſiſtere matrimonio eſt minus quid, quam actus juriſdictionis voluntariæ, qui in aliena parochia exerceri poteſt. Sed probabilius eſt, peccare, & puniri poſſe, ſi ſolemniter, & publice aſſiſtat matrimonio in aliena parochia, ſine licentia Parochi, quia involat in alienum officium publicum in re gravi. Unde nec benedicere poteſt

Pa-

Digitized by Google

parochus ſponſos ſuos in aliena parochia, quando minus videtur, quam conjungere, *Sanch. c. l. n. 17.*

XVII. Aſſertio 2. Parochus valide aſſiſtit matrimonio, etſi Sacerdos non ſit; non tamen poteſt alteri, quam Sacerdoti, licentiam aſſiſtendi dare, *Sanch. l. 3. de matr. diſ. 20. n. 3. & 10.* Probatur ex verbis Concilii Tridentini *cit. c. 1.* ubi non requiritur, ut parochus ſit Sacerdos, ſicut expreſſe requiritur in alio, qui de licentia parochi aſſiſtit matrimonio. Neque etiam ex fine Conſtitutionis, ſive Decreti hujus id requiritur, cum parochus etiam non Sacerdos poſſit omnia exercere, quæ non dependent a poteſtate Ordinis, ut colligitur ex *c. Suffraganeis. 11. & c. Tranſmiſſam. 15. de Elect.* Adeoque poteſt etiam matrimonio aſſiſtere ad fidem faciendam de eo contracto. Sed quia exigitur teſtimonium fide dignum, ideo requiſivit Concilium in aſſiſtente matrimonio dignitatem parochialem, ut tanto magis fides ei adhiberetur, quæ dignitas cum deficiat in non parocho, voluit eam ſuppleri per dignitatem Sacerdotalem in ſubſtituto. Nec refert, quod Concilium dicat: *Qui aliter, quam præſente parocho, vel alio Sacerdote, de ipſius parochi licentia &c.* Nam ſenſus eſt, quod matrimonium contrahi debeat coram parocho, vel alio quodam poteſtatem habente ab Ordinario, vel parocho, dummodo Sacerdos ſit. Nec inde ſequitur, parochum quoque debere eſſe Sacerdotem: nam præterquam quod particula *Alius* non ſemper referat perſonam ejuſdem qualitatis, ut patet ex illo *Luc. c. 23. Ducebantur & alii duo nequam cum eo.* Concilium tamen ita locutum fuit, quia communiter parochi Sacerdotes eſſe ſolent. Vox autem *Sacerdos* reſpicit ſolum ſubſtitutum, in quo requiritur qualitas Sacerdotii, ut per hoc suppleatur conditio, ſeu qualitas parochi, quæ in eo deeſt. Similiter in *c. Omnis 12. de pœnit. & remiſſ.* decernitur, neminem poſſe alteri Sacerdoti confiteri, ſine licentia proprii Sacerdotis: & tamen DD. communiter ajunt, talem licentiam a quocunque parocho, vel proprio paſtore dari poſſe, etſi Sacerdos non ſit: ergo etiam parochus poterit dare alteri licentiam aſſiſtendi matrimonio, etſi ipſe Sacerdos non ſit, *Sanch. c. l. n. 3.*

Porro non poteſt parochus, ſive Sacerdos ſit, ſive non, dare licentiam Clerico non Sacerdoti, etiam ſi Diaconus ſit, vel Subdiaconus aſſiſtendi matrimonio, quia verba ſecundum communem ſignificationem, & uſum verborum accipienda ſunt; nomine autem Sacerdotis intelligitur verus Presbyter, *Sanch. cit. diſ. 20. n. 10.* Ubi addit, quod parochus poteſt concedere hanc licentiam ſimplici Sacerdoti etiam non approbato ab Ordinario, quia hanc approbationem requirit Concil. Trident. *ſeſſ. 23. cap. 15. de reform.* ſolum pro Confeſſionibus audiendis.

XVIII. Aſſertio 3. Parochus, etiam excommunicatus non toleratus, id eſt, nominatim denunciatus, vel notorius percuſſor Clerici, item ſuſpenſus ab officio, & beneficio, vel irregularis, vel adminiſtratione interdictus, valide aſſiſtit matrimonio, & alteri licentiam aſſiſtendi dare poteſt, modo actualiter non ſit depoſitus, ſed titulum, & poſſeſſionem beneficii retineat, *Sanch. l. 3. de matr. diſ. 21. num. 4.* Ratio eſt, quia talis non deſinit eſſe parochus verus, quamdiu non privatur poſſeſſione beneficii: nam aſſiſtere matrimonio non eſt actus juriſdictionis, vel adminiſtrationis, cum etiam ab invito, & repugnante valide præſtari poſſit, ſed eſt actus teſtimonii ex Juris diſpoſitione requiſitus ad valorem matrimonii, *Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. num. 5.* Qui tamen putat ſicut, & *Coninch. diſ. 27. de Sacram. dub. e. n. 25.* quod excommunicatus, ſi toleratus non ſit, non poſſit alteri Sacerdoti dare licentiam aſſiſtendi, nec valide, nec licite, quia videtur eſſe actus juriſdictionis voluntariæ dare alteri licentiam, per quam alioquin inhabilis fiat idoneus ad actus valorem. Sed contrarium eſt probabilius, quod docet *Sanch. c. l. n. 7.* quia dare alteri licentiam aſſiſtendi matrimonio, vel etiam ei aſſiſtere per ſe ipſum, non eſt actus juriſdictionis, quia non pertinet ad parochum, in quantum habet juriſdictionem, ſed in quantum eſt legitimus teſtis matrimonii, habens facultatem ſubſtituendi alium; ubi n. 8. addit, quod etiam licite excommunicatus non toleratus aſſiſtat matrimonio, vel alii det licentiam, & ſaltem moraliter non peccet, quia nullam juriſdictionem exercet.

Illud hic addendum, quod valide etiam aſſiſtat matrimonio parochus habens titulum duntaxat coloratum, licet vere parochus non ſit, ob occultum impedimentum, modo communiter, & vulgo credatur habere titulum verum: quia tunc ob communem errorem, & publicum bonum Jus ſupplet defectum ipſius, *arg. l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prætor.* ita ut verum parochi in utroque foro juriſdictionem habeat: ſecus foret, ſi eſſet intruſus, ſeu poſitus in parochia, ſine legitima Superioris auctoritate, quia talis non habet titulum coloratum, *Sanch. cit. l. 3. diſ. 22. n. 60.*

XIX. Aſſertio 4. Probabile eſt, vagos, ſeu vagabundos (eos ſcilicet, qui nullibi fixam, ſeu conſtantem ſedem, aut ſtabile domicilium habent) poſſe valide, ac licite contrahere matrimonium, coram quolibet parocho, quem elegerint: probabilius tamen videtur, eum parochum debere intereſſe matrimoniis vagorum, in cujus parochia, pro tempore, quo contrahunt, verſantur. Prius docet *Sanch. l. 3. de matr. diſ. 25. n. 11.* ubi hanc rationem dat, quia quivis parochus poteſt vagorum confeſſiones audire, & Euchariſtiam illis adminiſtrare; ergo & eorum matrimonio aſſiſtere. Poſterius docet *Coninch. diſ. 23. dub. 2. n. 20.* & alii, quia & probabilius eſt, quod vagi non a quolibet parocho Sacramenta poſſint ſuſcipere, ſed ſolum a parocho loci, in quo pro tempore verſantur, quia & illi neceſſario habere debent proprium aliquem paſtorem, a quo Sacramenta ſuſcipiant, nec alius, quam ille, congrue aſſignari poteſt.

Illud certum eſt, parochos non poſſe licite vagabundos matrimonio conjungere, niſi facta prius diligenti inquiſitione, de eorum ſtatu, & habilitate ad contrahendum matrimonium, & obtenta Ordinarii licentia, prout præcipit Concil. Trident. *ſeſſ. 24. c. 7. de reform. matr.* Cum periculum ſit, ne priore uxore alibi relicta, in loco, ubi modo ſunt, aliam ducant, vel etiam plures, illa vivente. Quæ ratio etiam militat in peregrinis, ſeu alienigenis, qui alibi fixum domicilium habent, & contrahere volunt in loco, ubi ignoti ſunt, cum quibus eadem obſervanda ſunt, quæ cum vagis, *Sanch. cit. diſ. 25. n. 8.* Quod certum eſt, ſaltem quoad diligentem inquiſitionem de iis faciendam, *Coninch. c. l.* Porro illi alienigenæ, qui ad aliquem locum accedunt, non quidem animo perpetuo ibi permanendi; per plures tamen annos, vel ſaltem majorem anni partem ibi habitandi, ut ſtudioſi in Univerſitatibus, milites in præſidiis, famuli, ac ancillæ operas annuas locantes heris, ſortiuntur in eo loco quaſi domicilium, & proprius eorum paſtor eſt Parochus, in cujus parochia pro eo tempore habitant, adeoque etiam parochus loci eorum matrimonio aſſiſtere poteſt, *Sanch. l. 3. diſ. 23. n. 12. & 13.*

XX. Aſſertio 5. Præter Parochum, etiam proprius Epiſcopus in ſua Diœceſi, vel alius quaſi Epiſcopali juriſdictione præditus proprium territorium habens aſſiſtere poteſt matrimonio, ut Abbas exemptus, Vicarius generalis Epiſcopi, etiam abſque ſpeciali commiſſione: Capitulum Cathedrale, Sede vacante, quia ſuccedit in juriſdictione Epiſcopi. Item Legatus Sedis Apoſtolicæ in Provincia ſuæ legationis, ac denique S. Pontifex per totum orbem terrarum, poteſt fidelium matrimoniis aſſiſtere, vel aſſiſtendi licentiam dare; quia hi omnes nomine Ordinarii comprehenduntur, & ſunt Parocho ſuperiores, *Sanch. l. 3. de matr. diſ. 28. n. 1. & ſeqq.* Archiepiſcopus tamen nequit aſſiſtere matrimoniis ſubditorum Suffraganeorum ſuorum, quia non eſt Ordinarius ipſorum, nec habet in eos juriſdictionem, niſi cum actu viſitat, aut cauſa ad eum per appellationem eſt devoluta, *Sanch. c. l. n. 3.*

XXI. Illud hic addendum: Parochus Catholicus poteſt licite aſſiſtere matrimoniis hæreticorum, qui in ſua parochia degunt, ut frequenter contingit in pluribus locis Germaniæ, & docet *Laym. cit. c. 4. n. 8.* Quia id non eſt prohibitum ratione communicationis cum hæreticis, quia hi non ſunt vitandi poſt Concilium Conſtantienſe, neque in ſacris, neque in politicis rebus, niſi ſint nominatim denunciati. Neque etiam propter irreverentiam, quæ infertur Sacramento, quod hæretici indigne ſuſcipiunt, quia parochus non eſt miniſter hujus Sacramenti, ſed tantum teſtis.

XXII. Aſſertio 6. Parochus, & teſtes debent eſſe præſentes matrimonio non tantum phyſice, ſive corpore, ſed etiam moraliter, ſive animo, cum advertentia ſcilicet, & uſu rationis, ita ut intelligant, quid agatur; non enim cenſetur in Jure præſens, qui non adeſt more humano, intelligens, & advertens, quid agatur, *l. Coram Titio 209. ff. de V. S.* Sufficit tamen, ut aliquo ſenſu advertant, quid fiat, ſive viſu, ſive auditu, vel etiam ſi præſentes intelligant per interpretem mutuum conſenſum, cum etiam ipſi ſponſi poſſint per interpretem contrahere, *Sanch. lib. 3. diſ. 39. n. 2. & 3.* ubi *n. 4.* ait, credendum eſſe in hoc caſu dicto ſolius interpretis, quia non eſt teſtis, ſed communi conſenſu contrahentium electus, ut declaret mutuum eorum conſenſum.

Ex dictis infertur, ea verba, *Ego vos in matrimonium conjungo &c.* Vel alia ſimilia, quæ Concilium præcipit proferri in *cit. c. 1.* non eſſe de eſſentia matrimonii, quæ etſi parochus, vel ſacerdos non proferat, validum erit matrimonium, quia ſacerdos non eſt miniſter hujus Sacramenti, ſed Concilium ſolum requirit illius præſentiam, neque ea verba ſunt materia, & forma Sacramenti, *Sanch. l. 3. diſ. 38. n. 4.* Sunt tamen ea verba de neceſſitate præcepti, quia parochus peccat ea omittens, cum Concilium utatur verbis præceptivis, & cum ſit res gravis, erit peccatum mortale; Salzedo in *practic. Canon. c. 77. §. Secundo illud,* quamvis *Sanch. c. l. n. 7.* putet illa omittere eſſe ſolum culpam venialem.

XXIII. Aſſertio 7. Non requiritur ad valorem matrimonii, ut parochus, aliique teſtes, ad id vocati ſeu rogati ſint: unde etiamſi caſu interveniant, vel omnino inviti, & repugnantes interſint, vi detenti, dummodo intelligant mutuos contrahentium conſenſus, validum eſt matrimonium. Ratio eſt, quia ſive ſponte, ſive inviti interſint, poſſunt æqualiter intelligere ac teſtari de iis, quæ geruntur, ut colligitur ex *cit. l. Coram Titio*, ibi: *Scire autem, non autem velle is debet, cum etiam invito recte fit. ff. de V. S.* Ergo dicitur aliquid coram aliquo fieri, quamvis invitus adſit, & ſervatur finis decreti Tridentini, cum jam Eccleſiæ conſtet de tali matrimonio, *Sanch. l. 3. diſ. 39. n. 9.* Idemque eſt, ſi parochus vel teſtes dolo ad aliud vocati, interſint matrimonio, *Sanch. c. l. n. 12.*

XXIV. Præterea neceſſario requiritur, ut tres, vel duo ſaltem teſtes ſimul cum parocho interſint matrimonio, quia Concilium Trident. copulative exigit præſentiam parochi, ac teſtium, non tamen requiruntur teſtes omni

Digitized by Google

exceptione majores, ſed ſufficiunt qualeſcunque, modo uſu rationis præditi adverant, quid agatur: unde etiam impuberes, fœminæ, parentes, conſanguinei, domeſtici, ſervi, Religioſi, excommunicati, infames, imo etiam infideles aſſiſtere matrimonio, ut teſtes, poſſunt, *Sanch. l. 3. diſ.* 41. *n.* 5. Ratio eſt, quia decretum Concilii Tridentini quippe correctorium Juris antiqui, extendendum non eſt, præſertim cum ſit irritans matrimonium, cujus cauſa eſt favorabilis, *c. Ult. de ſent. & de re judic.* Sicut etiam in favorem fidei ejuſmodi teſtes admittuntur, *c. in fidei* 5. *de hæret. in* 6. Deinde quia teſtes, etſi alioquin inhabiles, valide tamen admittuntur ex communi contrahentium conſenſu. Imo etiam in aliis cauſis, & actibus judicialibus, validum eſt eorum teſtimonium, ſi a Judice, vel parte adverſa non repellantur, ut colligitur ex *c.* 1. *de except. in* 6. Denique defectus aliorum teſtium ſupplet auctoritas Parochi, *Arg. c. Cum eſſet.* 10. *de Teſtam.* Ubi requiritur, ut præter Presbyterum, tres, vel duo teſtes legitimi, ac idonei adhibeantur in teſtamento: ergo cum in matrimonio contrahendo tantum requiratur præſentia parochi, & duorum, vel trium teſtium, & nulla alia in illis exprimatur qualitas, ſignum eſt nullam aliam requiri, niſi quæ jure naturæ eſt neceſſaria ad ferendum teſtimonium, nempe, ut uſum rationis habeant, *Sanch. c. l. n.* 5. Præſentia vero, & auctoritas Parochi ſupplet defectum aliorum teſtium, ſi habeat librum, in quo conjugum, & teſtium nomina, diemque, & locum contracti matrimonii deſcribat, prout præcipitur in Decreto Concilii Tridentini *cit. c.* 1. *de reform. matrim. ſeſſ.* 24. Sed & tunc teſtes alias inhabiles ſufficiunt ad plenam fidem faciendam, ſi poſtea his oriatur in judicio, an matrimonium ſit validum, *Sanch. cit. diſ.* 41. *n.* 6. *Laym. cit. c.* 4. *n.* 6. *in fine.*

§. IV.

An, & qua ratione denuntiationes publicæ præcedere debeant ante matrimonium.

XXV. De his agitur in c. *Cum inhibitio* 3. *& ult. h. t. in princ.* Quod eſt deſumptum ex Concilio generali Lateranenſi ſub Innocentio III. ubi prohibetur 1. matrimonium contrahi, intra quartum conſanguinitatis, & affinitatis gradum, juxta c. *Non debet*. 6. *de conſanguin. & affin.* Licet olim fuerit prohibitum uſque ad ſeptimum gradum incluſive, de quo infra *cit. tit.* 2. Inhibentur matrimonia clandeſtina, & prohibetur etiam, ne quis Sacerdos talibus intereſſe præſumat. 3. Generaliter ſtatuitur, ut cum matrimonia fuerint contrahenda in Eccleſia per Presbyteros, publice proponantur Edicta, competenti termino præfinito, intra quem qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponat: & ipſi Presbyteri etiam inveſtigent, utrum aliquod impedimentum obſiſtat. 4. Si autem aliquid rationabile objectum fuerit contra matrimonium contrahendum, contractus interdicatur, donec quid fieri debeat, manifeſte conſtiterit. Reliqua ad hoc cap. pertinentia infra explicabimus.

XXVI. Notandum 1. Denunciationes, ſeu proclamationes ſunt monitiones quædam, quæ præmittuntur matrimonio contrahendo, ut ſi quis impedimentum canonicum novit inter ſponſos, intra terminum competentem aſſignatum, illud aperiat: quamvis etiam ipſe parochus debeat de tali impedimento inquirere, & indagare. Quod ſi probabilis conjectura afferatur de impedimento, interdici debet matrimonium, donec de eo cognoſcatur, quia ad impediendum matrimonium non requiritur plena probatio, ſed ſufficit veriſimilis conjectura, ſeu præſumptio; quia agitur de peccato vitando, ſi contraheretur matrimonium in caſu prohibito, quamvis per ſolam conjecturam jam contractum non diſſolveretur, *Hoſtienſ. hic V. Conjectura.*

Notandum 2. Jure antiquo non erat præſcriptum, quoties fieri debeat talis denunciatio, ut patet ex hoc cap. Unde ſatis tunc fuit una denunciatio, modo ea publice in Eccleſiis per Presbyteros fieret, *Tanner. cit. diſ.* 8. *q.* 3. *dub.* 6. *n.* 125. Quid vero hodie circa hoc ſit ſtatutum, infra dicetur. Reſtant nunc quæſtiones de denunciationibus matrimonii, quas hic proponemus, & reſolvemus.

XXVII. Quæritur 1. An denunciationes ſint de eſſentia matrimonii, vel ſaltem de præcepto? Reſp. Denunciationes non ſunt de eſſentia matrimonii, adeoque hoc validum eſt, etiamſi nullæ denunciationes præmittantur, vel fiant: peccant tamen lethaliter, tam parochus aſſiſtens matrimonio, quam ipſi contrahentes, ſi eæ non ſint factæ, *Sanch. l.* 3. *de matrim. diſ.* 5. *n.* 3. Prior pars probatur, quia Concil. Trid. *cit. c.* 1. *de reform. matr. ſeſſ.* 24. agens de denunciationibus utitur ſolum verbis præceptivis, nec irritat matrimonium aliter factum, & infra, ubi præſcribit conditiones eſſentialiter requiſitas ad matrimonium, ſolius præſentiæ parochi, ac teſtium meminit. Poſterior pars probatur, quia materia præcepti gravis eſt, ſicut & finis, cum hæ denunciationes præmittantur, ut reſciri poſſit, an nullum inter ſponſos impedimentum ſubſit, propter quod matrimonium non ſubſiſteret: nec refert, quamvis ſubinde conſtet nullum ſubeſſe impedimentum, quia lex non deſinit obligare, etiamſi ejus ratio in particulari hic & nunc ceſſet, *Coninch. diſ.* 27. *de Sacram. dub.* 1. *n.* 51. Quamvis non eſſet peccatum grave, ſi aliqua denunciatio omitteretur, quando moraliter certum eſt, nullum ſubeſſe impedimentum, *Sanch. c. l. n.* 7. *& Coninch. c. l.*

XXVIII. Quæritur 2. Ubi, quando, & quomodo fieri debeant denunciationes? Reſp. 1. Si ſponſi ad diverſas parochias ſpectent, denunciationes in utriuſque contrahentis parochia faciendæ ſunt, quia Concilium dicit, a proprio contrahentium Parocho faciendas eſſe, vel de licentia ipſius ab alio, neque in vicinia ſponſi poſſunt ſciri impedimenta ſponſæ, nec vice verſa, *Sanch. diſ.* 6. *n.* 2. *&* 5. Quamvis contraria conſuetudo damnari non debeat, qua in quibuſdam locis denunciationes iſtæ tantum fiunt in parochia unius ſponſi, in qua celebrandæ ſunt nuptiæ, *Laym. cit. c.* 4. *n.* 50. 2. Denunciationes ſecundum Concilium Trident. debent fieri continuis tribus diebus feſtivis, inter quos ſcilicet non medient alia feſta, etſi intercedere poſſint, ac debeant aliquot dies profeſti, quo obtineatur finis Concilii Tridentini, qui eſt, ne ſibi immediate ſuccedant hæ denunciationes, ita ut tempus non ſuppetat ad deferenda impedimenta; & ne tandiu etiam differantur, & interrumpantur, ac a ſe invicem diſtent, ut parochiani illorum obliviſcantur, & nuptiæ nimis diu cogantur differri, *Sanch. c. l. num.* 8. 3. Debent fieri in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia juxta Trident. nihil tamen refert, etſi extra Eccleſiam, & die non feſto, in quo tamen frequens ſit populi concurſus, hæ denunciationes fiant, ut in prædicationibus, quia Concilium, dum præcipit eas fieri in Eccleſia, & diebus feſtivis, inter Miſſarum ſolemnia, ſolum ſpectare videtur frequentiam populi, ut ſcilicet ad multorum notitiam nuptiæ celebrandæ perveniant, quo facilius impedimenta detegantur, *Sanch. c. l. n.* 9. In qua re tamen obſervari poteſt cujuſque Eccleſiæ conſuetudo, *Laym. c. l. n.* 50. *in fine.*

XXIX. Quæritur 3. Quis poſſit diſpenſare, ut denunciationes matrimonii omittantur, & ob quas cauſas? Reſp. Epiſcopus, ſeu Ordinarius, ex juſta cauſa, diſpenſare, & remittere poteſt denunciationes, ut expreſſe habetur in *cit. c. ſeſſ.* 24. *de reform. matr.* Etſi Jure antiquo Epiſcopus in denunciationibus diſpenſare non poterat, quia erant præceptæ in Concilio Generali Lateranenſi, in cujus lege Epiſcopus regulariter diſpenſare non poteſt, *Sanch. lib.* 3. *diſ.* 7. *n.* 5. Nomine autem Ordinarii hic venit etiam Vicarius generalis Epiſcopi, ita ut poſſit diſpenſare in denunciationibus, etiam abſque ſpeciali delegatione Epiſcopi, *cit. c.* 5. *Sanch. c. l. n.* 10. Quamvis autem Concilium unam ſolam cauſam diſpenſandi recenſeat, nempe quod probabilis eſt ſuſpicio, matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denunciationes: tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel ſaltem Parocho, & duobus, vel tribus præſentibus, matrimonium celebretur: poterit tamen Ordinarius diſpenſare ex quavis alia cauſa, quæ juxta prudentum arbitrium, juſta videbitur, cum Concilium rem totam illius prudentiæ, ac judicio reliquerit. Tales autem cauſæ ſunt ſequentes. Veluti 1. Si denunciationes fieri nequeant, quia contrahentes pudore ſuffunderentur, denunciationibus factis ob nimiam diſparitatem, ut ſi valde ſenex ducat juvenculam, vel prænobilis ignobilem, aut valde dives pauperem, vel e contra. 2. Si Magnates contrahant, quorum conjugia ignota eſſe non ſolent. 3. Si ex publicatione matrimonii probabiliter timeatur ſcandalum publicum infamiæ, damnum corporis, vel animi, ut ſi viventes in concubinatu habeantur publice conjuges, vel in articulo mortis conſtitutus ad legitimandam prolem velit ducere concubinam. 4. Quando matrimonium ſemel ſolemniter contractum poſtea reperitur nullum ob occultum impedimentum, ut omnes docent. 5. Quando inſtat tempus Adventus, vel Quadrageſimæ, quo prohibentur nuptiæ benedici, & ſimul periculum eſſet diſſolutionis ſponſalium aut fornicationis, ſi nuptiæ diutius differrentur, *Sanch. l.* 3. *diſ.* 9. *n.* 3. *& pluribus ſeqq. Tanner. cit. diſ.* 8. *q.* 3. *dub.* 6. *n.* 129. *& alii.* In his, & ſimilibus caſibus, ſi Ordinarius Diœceſanus rogatus injuſte neget diſpenſationem, vel procul abſit, & periculum ſit in mora, poterunt nuptiæ celebrari, omiſſis denunciationibus, *Sanch. cit l.* 3. *diſ.* 10. *n.* 27. *&* 29. Porro quamvis Parocho non competat poteſtas diſpenſandi in denunciationibus, niſi ex conceſſione Epiſcopi, ut ex communi docet *Sanch. cit. diſ.* 7. *n.* 17. Poterit tamen in caſu neceſſitatis per epiichiam interpretari, ac declarare, legem illam hic, & nunc non obligare, ut ſi in articulo mortis, concubinarius, velit contrahere matrimonium cum concubina, *Tanner. cit. dub. num.* 132.

XXX. Prædictis addendum 1. Si ob cauſam, vel per diſpenſationem Epiſcopi denunciationes ſint prætermiſſæ ante nuptias, non tamen omnino remiſſæ, tunc poſt nuptias, ante conſummationem matrimonii, faciendæ ſunt, ut ſi forte impedimentum dirimens ſubſit, illud facilius detegatur: niſi Ordinarius ipſe expedire judicaverit, ut prædictæ denunciationes omnino remittantur, ut habetur in Concilio Trident. *cit. c.* 1. alioquin conjuges ſaltem prima vice conſummantes, peccabunt lethaliter, ut docet ex veriore ſententia *Sanch. cit. l.* 3. *diſ.* 11. *n.* 3. Ratio eſt quia ſi contrahentes tenebantur præmittere denunciationes ante contractum matrimonium, ſed ſi tunc omiſſæ ſunt, præmittere ante illius conſummationem, ne forte copula ſubſequens ſit fornicaria: ergo ſicut non præmittere denunciationes, ante matrimonium abſque juſta diſpenſatione, eſt peccatum lethale, etiamſi contrahentes adhibeant diligentiam, an ad ſit impedimentum aliquod dirimens: ita etiam ante mor-

Digitized by Google

mortale non præmittere denunciationes, ante conſummationem matrimonii, eadem adhibita diligentia cum idem præceptum violetur. Idque procedit, non ſolum ſi prima vice conſummatur matrimonium, ante denunciationes; ſed etiam ſi poſtea ſæpius, quia eadem eſt ratio, imminet enim idem fornicationis periculum, cum nondum adhibita ſit diligentia ab Eccleſia præſcripta, ut impedimenta, quæ forte latent, detegantur, *Sanch. cit. diſ. 11. n. 5.*

XXXI. Addendum 2. Poſt factas denunciationes, is qui ſcit impedimentum etiam occultum, tenetur illud deferre, & revelare, niſi vel nihil ſe profuturum, vel bona fide contrahentibus obfuturum, aut ſcandalum ſecuturum exiſtimet; Parochus autem informatus de impedimento, debet quidem matrimonium interdicere, non tamen de impedimento poteſt cognoſcere, ſed ejus cognitio pertinet ad Ordinarium, *juxta c. Ult. h. t. & Concil. Trident. cit. c. 1. Tanner. cit. dub. 6. num.* 133. Debent autem prius Conjuges ſecreto moneri, præſertim ſi impedimentum ortum habeat ex peccato occulto, ut propter tale impedimentum deſiſtant a matrimonio contrahendo: & ſi non acquieſcant, Parocho, & per hunc, ſi opus ſit, Ordinario impedimentum denunciandum eſt, qui de eo cognoſcere, *Sanch. cit. c. 3. diſ. 13. n. 2. & 3. Tanner. cit. diſ. 8. q. 3. dub. 6. n.* 133. Apud quos plura de denunciationibus videri poſſunt. De his & matrimoniis clandeſtinis fuſe egit *Barb. de Offic. Epiſc. alleg.* 32. An vero etiam neceſſario præmittenda ſit benedictio Conjugum, ante matrimonium, dicetur infra *Tit. ult. hoc libro.*

§. V.

De Probatione Matrimonii clandeſtini, & ejus Publicatione.

XXXII. De priore agitur in *c. Si quis* 1. *h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio Arelatenſi, ubi dicitur, quod alleganti matrimonium clandeſtinum incumbat onus probandi. Verba autem textus hæc ſunt: ſi quis clam deſponſaverit „ aliquam, & mulier, vel vir neget hujuſmodi deſponſa„ tionem, viro incumbit probatio. Ratio eſt, quia facta „ non præſumuntur regulariter, niſi probentur, *c. Quoniam.* 11. *in fine de probation.* Ideo dicenti, ſeu aſſerenti incumbit probatio, *l. 2. ff. eod.* Videtur autem in hoc c. dici, quod, ſive vir neget deſponſationem, ſive mulier, ſemper viro incumbat probatio, quia vir eſt Caput mulieris, *Gl. hic V. Viro.* Sed hoc non eſt verum, *juxt. cit. l. 2. ff. probat.* Verus itaque ſenſus eſt hujus cap. ſi mulier negat deſponſationem eſſe factam, vir vero affirmat, tunc viro incumbit probatio: ſi vero vir negat, & mulier e converſo affirmat, hoc caſu mulieri probatio incumbit, quod quidem non eſt expreſſum in textu, ſed ſubintelligendum, quia idem judicium eſt quoad hoc de muliere, quod de viro, *Gl. hic. V. Viro incumbit, in fine*, ubi addit, & hoc verum eſt, & ſic ſervatur, *Abb. ibid.* in caſu, & alii DD. communiter.

Verum hodie inutilis eſt hæc controverſia, quia cum ex decreto Concilii Trident. *in cit. c. 1. de reform. matrim.* matrimonia clandeſtina ſint irrita, ſi quis dicit matrimonium clandeſtinum eſſe contractum, non debet compelli ad id probandum, quod probatum non relevat, *l. Ad probationem* 21. *C. de probat.* quia ideo in hoc c. admittitur probatio matrimonii clandeſtini, quia hoc olim erat validum, cum autem nunc invalidum ſit, inanis, & fruſtratoria eſſet talis probatio, *Fagnan. in cit. cap. 1. num. 6. hoc tit.*

XXXIII. De poſteriore, ſcilicet de publicatione matrimonii clandeſtini, agitur in *c. Quod nobis* 2. *h. t.* ubi Papa Alexander III. reſcribit: Si matrimonia ita occulte „ contrahantur, ut legitima probatio non appareat, ſive „ haberi nequeat, contrahentes ab Eccleſiâ non ſunt com„ pellendi, ut ſimul maneant: Si tamen contrahentes ea „ velint publicare, recipienda ſunt, & comprobanda ab „ Eccleſia, tanquam a principio in conſpectu Eccleſiæ eſ„ ſent contracta: niſi rationabilis cauſa (puta juſtum im„ pedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis, vel aliud „ ſimile, *Gl. hic V. Rationabilis*) obſiſtat. Ratio prioris partis eſt, quia Eccleſia, ſive Eccleſiaſticus Judex non judicat de occultis, quæ probari non poſſunt, *c. Erubeſcant* 11. *diſt.* 32. *Gl. hic. V. Compellendi*, quin potius clam contrahentes ab invicem ſunt ſeparandi per Eccleſiam, eo quod Canones præſumant, nullum inter eos eſſe contractum legitimum matrimonium, ſed potius adulterium, ſtuprum, vel fornicatio, juxta c. 1. *cauſ.* 30. *q.* 5. Ratio poſterioris partis, quod videlicet matrimonium clam contractum, ſi a contrahentibus poſtea publicetur, recipiatur: & approbetur ab Eccleſia, eſt, quia tunc conſtat Eccleſiæ inter eos matrimonium contractum, ideoque recipit, & approbat Eccleſia tale matrimonium, tanquam legitime probatum per confeſſionem partium contrahentium, *Caniſ. in cit. c. n. 2. h. t.*

XXXIV. Pro majore declaratione hujus c. notandum 1. Matrimonium duobus modis poteſt dici clandeſtinum, ut notat *Alexander de Nevo hic. n.* 2. Primo, quando ita eſt occultum, ut nullo modo probari poſſit. Secundo, quando eſt quidem occultum, ita tamen, ut probari poſſit per teſtes, & hoc modo dicitur clandeſtinum, id eſt, non publicum, licet probari poſſit per teſtes, quia tot fuerunt præſentes, quot ſufficiunt ad probationem.

Notandum 2. Clam contrahentes matrimonium non ſunt cogendi, ut ſimul cohabitent, & ſe tanquam conjuges tractent, ſi alter, vel uterque matrimonium neget, & alia probatio haberi non poſſit, *Gl. hic V. Compellendi.*

Notandum 3. Si contrahentes velint publicare matrimonium clam contractum, ſtandum eſt ſimpliciter aſſertioni utriuſque conjugis ſuper matrimonio clam contracto, perinde ac ſi in facie Eccleſiæ contractum fuiſſet, adeo ut proles ante publicationem ſuſcepta, pro legitima habenda ſit, *Abb. hic not. 2. & Alex. de Nevon. 4. juxta c. Quod nobis. 9. infra. Qui filii ſint legitimi*, de quo ibidem. Excipi debet, niſi agatur de præjudicio alterius matrimonii publice contracti, quia tunc non eſt credendum ſimplici aſſertioni contrahentium, niſi matrimonium clandeſtinum aliunde probetur, *Fagn. in cit. c. 2. n. 5. 6. & 7. h. t.*

Notandum 4. Publicatio matrimonii clandeſtini hunc effectum tribuit matrimonio, ac ſi ab initio in facie Eccleſiæ contractum fuiſſet, ut patet ex fine hujus cap. *Alex. de Nevo hic. n.* 7. Quamvis autem ſpectato Jure antiquo, matrimonia clandeſtina ſint valida, non tantum quoad DEUM, ſed etiam quoad Eccleſiam, ſi de illis conſtet per confeſſionem utriuſque Conjugis, vel per alias legitimas probationes: hoc autem non procedit poſt Concil. Trident. ſecundum quod eſt invalidum, ut ex dictis patet, *Fagn. hic n. 21. & 22.*

XXXV. Notandum 5. Illi, qui prius matrimonium clam contraxerunt, & poſtea cum alio, vel alia palam, ſive publice ineunt, non ſunt cogendi ad prius matrimonium, ſed poſterius obſervandum, non quod per poſterius matrimonium, quod reipſa nullum eſt, prius fuerit diſſolutum, quippe quod eſt validum: ſed quia de priore matrimonio quippe clam inito non conſtat Eccleſiæ, propter defectum probationis, poſterius vero eſt legitime probatum, & ideo, de qua re cognovit Judex, de ea quoque pronunciare debet, *l. De qua re. 74. ff. de Judic.* Unde ſi Judex per ſententiam excommunicationis velit talem cogere ad obſervandum poſterius matrimonium invalidum, non debet ei contra conſcientiam ſuam parere, ſed potius humiliter excommunicationem ſuſtinere, juxta *c. Inquiſitioni. 44. de ſent. excomm.* & licet talis excommunicatus ſit in foro externo, non tamen in foro interno, & coram DEO, *Caniſ. in cit. c. 2. n. 2. h. t.*

§. VI.

De pœnis matrimonii clandeſtini, & clam contrahentium, vel et aſſiſtentium.

XXXVI. Quæritur 1. Quæ ſint pœnæ ipſius matrimonii clandeſtini? Reſp. duæ præcipuæ. Prima eſt, quamvis alias filii ex matrimonio invalido geniti, quando uterque parens, vel ſaltem alter bona fide contraxit, ignorans impedimentum, ſint legitimi, *c. Ex tenore* 14. *Qui filii ſint legitimi*; attamen ſi matrimonium illud nullum fuit clandeſtinum, quod omiſſis denunciationibus initum fuit, tum filii ex eo geniti erunt illegitimi, non obſtante bona fide parentum ignorantium impedimentum, prout ſtatuitur in *c. Cum inhibitio. 3. & ult. §. Siquis vero h. t.* ubi dicitur: Si quis hujuſmodi clandeſtina (ſcilicet non „ præmiſſa denunciatione, publice facta. *Gl. hic*) vel „ aliter interdicta conjugia inire præſumpſerit, in gradu „ prohibito, etiam ignoranter, proles ſic ſuſcepta prorſus „ illegitima cenſeatur, nihil ei ſuffragante parentum igno„ rantia, cum illi taliter contrahendo, non expertes ſcien„ tiæ, vel ſaltem affectatores ignorantiæ videantur. Idem„ que eſt, ſi ambo parentes conſcii impedimenti legitimi, „ in facie Eccleſiæ contra interdictum contrahere præſu„ mant, erit enim ſimiliter proles illegitima. Cujus ratio aſſignatur in textu; ideo enim geniti ex matrimonio putativo ſunt legitimi, quia ſaltem alter parens fuit in probabili ignorantia impedimenti, ut tradunt communiter DD. *in cit. c. Ex tenore*; quæ ratio ceſſat, quando clam contrahitur matrimonium, omiſſis denunciationibus, non enim eſt probabilis ignorantia, ſi omittantur ea, quæ requiruntur ad inquirendam veritatem, *Sanch. l. 3. de matr. diſ. 42. num.* 1. Item ignorantia non excuſat eum, qui non adhibuit debitam diligentiam, inquirendo id, quod inquirere tenebatur, talis enim ignorantia eſt indirecte voluntaria, ut colligitur ex *cit. §. Siquis vero*: ibi: *Cum illi taliter contrahendo, affectatores ignorantiæ videantur*, *h. t.* quaſi dicat, ignorantiam fuiſſe affectatam, & indirecte voluntariam, quia debita diligentia ad inquirendum impedimentum non adhibita, *Sanch. cit. loc.*

Similiter ſi ambo parentes ſciant impedimentum matrimonii, licet contrahant in facie Eccleſiæ, filii ex iis geniti ſunt illegitimi, *Gl. hic. V. Si ambo*, quia cum illi ſciant, ſe non poſſe legitime contrahere, & tamen contrahant, ſunt in mala fide, quia cenſentur publice contrahere ad decipiendam Eccleſiam, ideo in odium ipſorum talis proles cenſetur illegitima, ſicut ſi publico contractum matrimonium non eſſet, *Vivian. in Ration. Jur. Pontif. hic.*

XXXVII. Ubi prætereà notandum, prædicta pœna matrimonii clandeſtini, ut proles ſit illegitima, habet locum, non tantum, ſi matrimonium nullum ſit, ob impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis, ſed etiam ſi ob aliud quodcunque impedimentum tale matrimonium ſit irritum, quia in *cit. §. Siquis vero*, mentio fit de impedi[illegible]

Digitized by Google

gradus prohibiti, ſolum exempli cauſa: ratio vero ibi expreſſa, quod parentes affectatores ignorantiæ videantur, cum debitam diligentiam non adhibuarint ad inquirendum impedimentum, militat in quovis alio impedimento, *Sanch. cit. diſ.* 42. *n.* 4. quod tamen limitandum eſt, ut locum habeat etiam in aliis impedimentis, ſaltem iis, quæ per denunciationes, ſuapte natura, detegi, ſeu cognoſci poſſunt: ſecus eſſe videtur de aliis, ut ſi v. g. matrimonium clandeſtinum irritum ſit propter defectum conſenſus interni alterius contrahentis; tunc enim proles ſuſcepta ex matrimonio clandeſtino putativo erit legitima, ſi alteruter conjux in bona fide fuit, quia tunc ceſſat omnino ratio *cit.* §. *Si quis vero*, cum hi contrahentes non poſſint dici affectaiſſe ignorantiam impedimenti, quia omni diligentia adhibita, id ſcire non poterant, ut probabiliter docet *Sanch. cit. diſ.* 42. *num.* 5. Sed contrarium tenet *Conink. diſ.* 27. *dub.* 9. *num.* 77. quia *c.* 2. *& c. pen. Qui filii ſint legit.* privilegium legitimationis expreſſe concedit illis ſolis, qui in facie Eccleſiæ matrimonium contraxerunt, non item illis, qui clandeſtina.

XXXVIII. Similiter non conſentiunt DD. utrum matrimonium, quod coram Parocho, & teſtibus, non præmiſſis denunciationibus, initum fuit, cenſeri debeat clandeſtine, & non in facie Eccleſiæ celebratum? *Sanch. l.* 3. *diſ.* 1. *n.* 7. aſſerit eſſe clandeſtinum, quoad pœnas incurrendas, ut colligitur ex *cit. c. ult.* §. *Si quis vero*, *h. t.* ubi illud matrimonium appellatur clandeſtinum, cui denunciationes non fuerunt præmiſſæ: a Jure autem veteri non eſt recedendum, niſi expreſſa per novum corrigatur. Sed atque hoc certum eſt, quod ſi matrimonium, tamere omiſſis denunciationibus, initum, poſtea publicetur, & ab Eccleſia approbetur, proles ex eo nata ſit legitima, ut docet *Sanch. l.* 3. *diſ.* 43. *num.* 4. *Arg. c. Quod nobis.* 9. *Qui filii ſint legitimi*, *& c.* 2. *h. t.* Verum in his Canonibus non agitur de matrimonio invalide contracto, ob impedimentum dirimens. At vero in *c. ult.* §. *Si quis vero*, *h. t.* generaliter deciditur, & abſque ulla exceptione, tales filios illegitimos eſſe, cum tamen illud cap. ſit poſterius conditum, *Conin. cit. diſ.* 27. *dub.* 9. *n.* 79. *Laym. l.* 5. *tract.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 16. Sed de hoc plura infra *Tit.* 17. ubi ex inſtituto de hoc agitur.

XXXIX. Altera pœna matrimonii clandeſtini eſt, ſi „ quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium con- „ trahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis „ conſequendæ careat, prout decrevit Concil. Trident. *Seſſ.* 24. *c.* 5. *de reform. matr.* ubi etiam ratio redditur: *non enim dignus eſt, ut Eccleſiæ benignitatem experiatur facile, cujus ſalubria præcepta contempſit.* Id vero intelligendum eſt, non ſolum quando conſanguinei, vel affines ſcienter contrahunt matrimonium in gradu prohibito, ſed etiam extendi debet ad quælibet alia impedimenta dirimentia, ſaltem ea, quæ per promulgationem matrimonii detegi poſſunt, quia quamvis hæc ſit pœna, eſt tamen ſtatutum in maximum animarum favorem, nempe ad vitanda matrimonia clandeſtina irrita, quæ paſſim ſpe diſpenſationis impetrandæ contrahebantur, ideoque non reſtringenda, ſed extendenda, & quia eadem ratio ſupra allata militat in omni impedimento dirimente, *Sanch. l.* 3. *diſ.* 42. *num.* 7.

XL. Quæritur 2. Quæ ſit pœna contrahentium matrimonium clandeſtinum, & teſtium ei aſſiſtentium? Reſp. Prima eſt, clandeſtine contrahentes, ſine Parocho, & teſtibus, redduntur inhabiles, non abſolute ad matrimonium ineundum, ſed ad ſic contrahendum, id eſt, clandeſtine, *Concil. Trident. c.* 1. *de reform. matr. Seſſ.* 24. *Sanch. l.* 3. *diſ.* 46. *n.* 2. Secunda pœna eſt arbitraria, ſunt enim graviter puniendi, arbitrio Epiſcopi, ſicut præcipit Concil. Trident. *cit. c.* 1. *Sanch. c. l. n.* 6. Hæc autem pœna arbitraria non eſt imponenda contrahentibus, omiſſis denunciationibus, ſed tantum quando contrahitur matrimonium ſine Parocho, & abſque debito teſtium numero, *Sanch. c. l. n.* 8. Teſtes vero aſſiſtentes matrimonio ab Eccleſia interdicto, ei auctoritatem præſtando, cum peccant, condigna pœna puniendi ſunt, eaque arbitraria, pro culpæ qualitate, *Sanch. c. l. n.* 8.

XLI. Quæritur 3. Quæ ſint pœnæ Parochi, vel alterius Sacerdotis aſſiſtentis matrimonio clandeſtino? De his agitur in *c. Cum inhibitio.* 3. *& ult.* §. *fin. h. t.* ubi ita ſtatuitur: Si Parochus tales conjunctiones (ſeu matrimo- „ nia clandeſtina) prohibere noluerit, vel quicumque alius „ Sacerdos, etiam regularis, illis intereſſe præſumpſerit, „ per triennium ab officio ſuſpendatur: gravius puniendus „ ſi culpæ qualitas poſtulaverit. Iis vero, qui taliter præ- „ ſumpſerint copulari, etiam in gradu conceſſo, condigna „ pœnitentia injungatur. Si quis autem ad impediendum „ legitimum matrimonium impedimentum malitioſe obje- „ cerit, Canonicam ultionem non effugiet.

XLII. Pro declaratione hujus §. notandum 1. hæc ſuſpenſio triennalis ab officio non eſt ipſo jure lata, ſed ferenda per Judicem, ut conſtat ex textu ibi, *ſuſpendatur*, quod actum, ſeu miniſterium Judicis in futurum exigit, *Salzedo in pract. Canon.* §. *Suſpenditur. lit. B. Sanch. l.* 3. *diſ.* 48. *n.* 2.

Notandum 2. Præterea Concil. Trident. *c.* 1. §. *Nuper. Seſſ.* 24. *de reform. matrim.* ſtatuit, ut Parochus, vel alius Sacerdos, qui cum minore teſtium numero, quam ibi ſtatuto, & teſtes, qui ſine Parocho, vel alio Sacerdote, de Ordinarii, ſeu Parochi licentia, his clandeſtinis matrimoniis interfuerint, nec non ipſi contrahentes, graviter pro arbitrio Ordinarii puniantur. Unde hic jam quæritur, an per hoc Decretum Concilii Tridentini ſublata ſit, & revocata ſuſpenſio illa triennalis? Negant plures apud *Sanch. cit. diſp.* 38. *num.* 3. quia Tridentinum non derogat Juri antiquo, imo ait, ſe inhærere veſtigiis Concilii Lateranenſis in *cit. c. ult. h. t. & in* §. *fin. ibid.* ultra ſuſpenſionem triennalem decernit, Parochum gravius puniendum, ſi culpæ qualitas poſtulaverit. Sed contrarium tenet *Sanch. ibid. n.* 4. ubi ait, ceſſare hodie ſuſpenſionem triennalem per pœnam arbitrariam impoſitam a Tridentino; quia quando minor pœna imponitur nova lege, ob idem delictum, pro quo gravior imponebatur lege antiqua, tunc ceſſat pœna legis antiquæ; quod tamen nondum eſt ſufficienter probatum. Limitat tamen id *Sanch. c. l. num.* 5. ubi ait, ſi proprius Parochus, vel alius Sacerdos regularis, aut ſæcularis, de ejus licentia, matrimonio valido, clandeſtino tamen, ob denunciationes omiſſas, interſit, tunc habere adhuc locum pœnam ſuſpenſionis triennalis, quia Trident. Concilium de hoc nullam decrevit pœnam. Idemque ſtatutum eſt in *cit.* §. *fin.* de Parocho, qui ſciens hujuſmodi matrimonium clandeſtinum impedire neglexerit. Aliud eſt, ſi alienus Parochus, vel quicunque alius Sacerdos, regularis, aut ſæcularis, ſine proprii Parochi licentia, interſit tali matrimonio, cum enim tale matrimonium nunc ſit invalidum, ideo pœnæ olim impoſitæ tali matrimonio, quod erat tunc validum, non incurruntur, *Sanch. cit. diſ.* 48. *n.* 6.

XLIII. Notandum 3. Suſpenſus ab officio, hoc eſt, ab exercitio, & officio Ordinis Clericalis, quia interfuit matrimonio clandeſtino, non eſt ſuſpenſus a beneficio, hoc eſt, a perceptione fructuum beneficii, quia in *cit.* §. *fin.* ſolum exprimitur, ſuſpendendum eſſe ab officio, hæ autem ſuſpenſiones ſunt diſtinctæ, *Sanch. l.* 3. *diſ.* 51. *num.* 14. ubi tamen addit, poſſe Judicem talem ſuſpendere etiam a beneficio, ſi culpæ gravitas id exigeret, ut habetur etiam in *cit.* §. *fin.*

Notandum 4. Contrahentibus matrimonium, etſi in gradu alias permiſſo, ac licito, omiſſis tamen denunciationibus, prout præcipitur in *cit. c. ult. h. t.* imponenda eſt pœnitentia, *cit.* §. *fin. verſic. Sed his.* Ratio eſt, quia quamvis hoc caſu nullum adſit impedimentum, ob quod tales conjungi prohibeantur; contrahunt tamen contra interdictum Eccleſiæ, & ideo puniendi ſunt, quia Eccleſiæ præceptum contempſerunt contrahendo, omiſſis denunciationibus, *Gl. hic V. Pœnitentia.*

Notandum 5. Si quis impedimentum per calumniam, ſeu malitiam denunciet, ſive objiciat, ad impediendum legitimum matrimonium. Is Canonice puniri debet, pro arbitrio Judicis, cum talis pœna Jure non ſit expreſſa. Ipſe tamen calumnioſe denuncians ab officio, & beneficio eſt ſuſpendendus, donec ſe purgaverit, *c.* 2. *de calumniator. Gl. fin. hic.*

XLIV. Poſtremo illud hoc loco addendum, Epiſcopum non poſſe Parochum ſuſpenſum per triennium, quia interfuit matrimonio clandeſtino, abſolvere, tum quia licet juxta communem opinionem, ſuſpenſus a Jure, cum hoc ſibi non reſervat abſolutionem, poſſit ab Epiſcopo abſolvi: id tamen procedit ſolum, quando quis a Jure ſuſpenditur tantum indefinite, nullo deſignato certo termino, uti hic contingit, ubi ſuſpenſio fit per triennium; tunc enim cum Jure definitum ſit tempus, Epiſcopus quippe inferior non poteſt talem ſuſpenſionem relaxare. Tum quia Conſtitutio *cit. c. ult.* §. *fin. h. t.* eſt deſumpta ex Concilio Generali Lateranenſi, in quo Epiſcopus, quippe inferior, diſpenſare non poteſt, *Sanch. l.* 3. *diſ.* 52. *n.* 2.

TITULUS IV.

DE SPONSA DUORUM.

Quia interdum ſponſalia, ſive de præſenti, ſive de futuro, unus vir ſucceſſive cum duabus mulieribus contrahit, vel e contra, una mulier cum duobus viris, ideoque dubitatur, quænam præferri, vel prævalere debeant, de hoc agitur in hoc Titulo.

§. I.

Si aliqui bina Sponſalia cum diverſis contraxerunt, quænam ſint ſervanda?

I. REſp. Is, qui ſucceſſive contraxit ſponſalia per verba de præſenti, ſive matrimonium cum duabus, debet adhærere primæ; ſi vero prius contraxit ſponſalia de futuro cum una, & poſtea per verba de præſenti cum altera, debet adhærere ſecundæ, prout ſumitur ex *c. Duobus.* 1. „ *h. t.* ubi dicitur: Si quis dedit alicui mulieri fidem pa- „ ctionis, non debet aliam ducere: ſi tamen aliam duxit, „ debet pœnitentiam agere de fide non ſervata, manere „ tamen cum illa, quam duxit (quia matrimonium tenet) „ non enim reſcindi debet tantum Sacramentum. Si au- „ tem fecerit fidem conſenſus, non licet ei aliam ducere, „ quod ſi duxerit, dimittat illam, & adhæreat priori. „ Eſt autem fides pactionis, quando aliquis dat mulieri „ fidem, ſeu promittit, quod eam ducet uxorem, ſi permiſerit ipſum rem ſecum habere, vel etiam pro conſenſu. „ Fides autem conſenſus eſt, quando etſi non ſtringit ma- „ num (mulieris, ipſam ſubarrhando, *Hoſtienſ. hic*) corde ta-

tamen, & ore conſentit ducere, & mutuo ſe concedunt, ac ſuſcipiunt. Idem habetur in *c. ult. cauſ. 27. q. 2.*

II. Notandum. 1. Si bina ſponſalia per verba de præſenti inita ſint cum duabus mulieribus, vel duobus viris, certum eſt priora eſſe valida, poſteriora vero invalida, ut conſtat ex hoc c. & *c. pen. ſupra de ſponſ.* & ibi dictum, quia vir non poterat cum alia contrahere, & ſi de facto contraxit, ſeparari debet ab altera, ne in adulterio perſiſtat, & redire ad primam, quæ vera uxor eſt. Si vero quis prius contraxit ſponſalia per verba de futuro cum una, & poſtea per verba de præſenti cum alia, poſteriora tenent, quia cum matrimonium ſit fortius vinculum, per illud ſubſequens, ſi valide ſit contractum, diſſolvuntur priora ſponſalia de futuro, *c. Sicut 22. de ſponſal.* Debet tamen ei, qui ſecundo contraxit matrimonium, pœnitentia injungi, ob fidem violatam cum priore, cum qua ſponſalia de futuro prius iniit, *c. 1. h. t. & cit. c. Sicut.*

Notandum 2. Quæ ſit differentia inter fidem pactionis, & fidem conſenſus: nam fides pactionis ſignificat ſponſalia de futuro, ſive promiſſionem de matrimonio contrahendo: fides conſenſus ſignificat ſponſalia de præſenti, hoc eſt, quando mutuus conſenſus matrimonialis utrinque intercedit, *Gl. hic V. Si permiſerit. in fine. Alex. de Nevo hic n. 3.* ubi ait, ad hoc quotidie allegari iſtum textum. Et quidem, ſi quis poſt fidem pactionis datam, poſtea interponat fidem conſenſus cum altera, matrimonium cum ea ſecundo, non priori, ſed poſteriori adhærere debet, ut per ſe patet.

Notandum 3. In ſponſalibus de futuro, ſi quis promittat, aliquam accipere in uxorem, hac conditione, ſi permiſerit ſe rem, hoc eſt, carnalem copulam, ſecum habere: talis conditio, ſi intelligatur de fornicario coitu, ſeu copula, eſt turpis, & ideo debet haberi pro non adjecta, ut docet *Gl. hic V. Si permiſerit.* In dubio vero debet intelligi de coitu, ſeu copula licita, & legitima, & ſic cenſetur tacite ineſſe, & ſubintelligi, quia in dubio non præſumitur delictum, *Arg. c. ult. de præſumpt. Alex. de Nevo hic n. 9. & 10.*

Notandum 4. Quod in fine hujus c. dicitur de conſenſu præſtando corde, & ore, id non debet ita intelligi, quaſi præter conſenſum, qui ad ſubſtantiam matrimonii requiritur *c. ult. h. t.* neceſſario etiam debeant intervenire verba; nam ſine verbis, ſive ex parte viri, ſive mulieris intervenientibus, etiam aliis ſignis poteſt contrahi matrimonium ut dictum Tit. 1. Unde ſi vir dicat mulieri, *volo te habere in meam uxorem;* & in ſignum conſenſus oſculeris me; & mulier ipſum oſculetur, contractum eſt inter eos matrimonium, *Alex. de Nevo hic n. 8.*

§. II.

An ſponſalia de præſenti diſſolvantur per ſequens matrimonium conſummatum?

III. Reſp. Sponſalia de præſenti, ſive matrimonium prius contractum, ſed non conſummatum non diſſolvitur per ſubſequens matrimonium, etiamſi per carnalem copulam ſit conſummatum, prout ſtatuitur in *c. Licet 3. h. t.* ubi Papa
,, Alexander III. reſcribit: Si inter virum, & mulierem
,, legitimus conſenſus interveniat de præſenti, & unus al-
,, terum mutuo conſenſu verbis conſuetis expreſſo recipiat,
,, utroque dicente: *Ego te accipio in meam, & ego te ac-*
,, *cipio in meum*, ſive juramentum ſit interpoſitum, ſive
,, non, non licebit mulieri alteri nubere (adeoque neque
,, viro aliam ducere, quia quoad hoc uterque conjux pari
,, jure cenſetur). Et ſi nupſerit, etiamſi carnalis copula
,, ſecuta fuerit, ſeparari debet, & ut ad primum redeat,
,, per Eccleſiaſticam cenſuram compelli: quamvis aliter a
,, quibuſdam Anteceſſoribus noſtris ſit aliquando judicatum.
Ratio autem, cur matrimonium primum etiam prævaleat, & præferendum ſit ſecundo, etiam per carnalem copulam conſummato, eſt, quia cum vi primi matrimonii, dominium corporis ad potentiam copulæ, ſive quoad carnalem copulam petendam ſit translatum in uxorem, non poteſt vir, qui jam non eſt dominus ſui corporis, illud transferre in aliam uxorem in ordine ad eandem copulam, *Fagn. in c. Si inter 31. n. 7. de ſponſalibus*, ubi addit, & ſic non obſtat regula tradita in *l. Quoties. 15. C. de rei vindic.* ubi ille præfertur, quoad dominium, cui res prius eſt tradita, licet alteri prius ſit vendita, vel alio titulo acquiſita: nam hic traditio prius facta eſt per primum matrimonium.

IV. Sed hic jam quæritur, quomodo intelligendum ſit, quod in fine hujus c. dicitur, *licet aliquando aliter a prædeceſſoribus noſtris fuerit judicatum*, nempe poſterius matrimonium carnali copula conſummatum eſſe præferendum priori matrimonio non conſummato, cujus contrarium decidit hic Alexander III. Verum Romani illi Pontifices non ita judicarunt, generalem Canonem, ſeu legem de hac re condendo, ac proinde nihil definiverunt, ſed tantum in particulari facto opinionem ſuam protulerunt, quæ vim legis univerſalis non obtinebat, ut notat *Covarr. in lib. 4. Decret. p. 2. c. 7. §. 3. num. 5. Sanch. l. 2. de matr. diſ. 14. num. 4.*

V. Præterea huc pertinet, quod ſtatutum habetur in *c. Tuas 5. & ult. h. t.* ubi refertur, quod olim in Eccleſia
,, Mutinenſi obtinuit conſuetudo, ut ſi quis juraſſet ſe ali-
,, quam ducturum, & citra carnis copulam illam ſibi de-
,, ſponſaſſet, & poſtea aliam etiam deſponſaſſet, eamque
,, cognoviſſet, ut primo cognita ei adjudicaretur, non quæ
,, prius erat deſponſata. Conſultus Pontifex Innocentius
,, III. reſcribit, obſervandum eſſe, quod S. Patri Sedes,
,, & Metropolis illius Eccleſiæ ſequitur, ac docet: videli-
,, cet poſtquam inter legitimas perſonas conſenſus de præ-
,, ſenti intervenerit (qui ſi ſolus defuerit, cætera etiam
,, cum ipſo coitu, fruſtra fiunt) ſi illæ perſonæ cum aliis
,, poſtea de facto contrahant, quod prius de jure factum
,, fuerat, non poterit irritari.

Hinc patet, qui duas per verba de præſenti deſponſavit, prius deſponſatam, etiam nondum cognitam, habebit in uxorem, quamvis ſecundam prius carnaliter cognoverit, non obſtante contraria conſuetudine, quæ non valet, *Abb. hic n. 2.* Ratio prioris eſt, quia cum prima per legitimum conſenſum fuit contractum indiſſolubile vinculum matrimonii, etiam ſine carnali copula, nuptias enim non concubitus, ſed conſenſus facit, *l. 30. ff. de R. J.* ideo non potuit, prima vivente, cum alia matrimonium contrahere, *c. 1. de ſponſal.* etiamſi ſecundam prius cognoverit, quia carnalis copula, ſine legitimo conſenſu, non facit legitimum matrimonium, *cit. c. 1. de ſponſal. Vivian. in Ration. Jur. Pontif. hic.* Ratio poſterioris eſt, quia cum matrimonium lege naturali, & Divina ſit introductum, & firmatum, dicente Chriſto, *quod DEUS conjunxit, homo non ſeparet:* Juri autem naturali, ſeu Divino nulla lex, aut conſuetudo poteſt præjudicare, vel derogare, *c. fin. de conſuet.* ideo nulla etiam conſuetudo poteſt tollere primum matrimonium verum, & ſemel legitime initum, & inducere ſecundum, *Hoſtienſ. hic in princ. Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 4. n. 2.* Addit tamen *Hoſtienſ. hic*, quod conſuetudo approbata per Papam poteſt inducere impedimentum Canonicum dirimens matrimonium, impediendo conſenſum contrahentis, & annullando contractum matrimonialem, de quo videri poteſt *Sanch. cit. diſ. 4. n. 11.*

VI. Quærunt hic DD. an Papa poſſit condere legem, ut matrimonium ratum, & non conſummatum dirimatur per ſubſequens matrimonium carnali copula conſummatum. Et verius videtur, non poſſe, quia primum conjugium, etiam ratum, & nondum conſummatum, & Divina, & naturali lege præfertur ſecundo etiam conſummato, nec per hoc illud diſſolvi poteſt, *Covarr. cit. c. 7. §. 3. n. 5. Sanch. l. 2. de matr. diſ. 14. n. 4.* Addit tamen *Covarr. c. l.* quod ratione hujuſmodi conſuetudinis, quæ vigebat ante Conſtitutionem *c. ult. h. t.* vi cujus matrimonia ſecunda carnali copula conſummata præferebantur primis non conſummatis, poterant eam ſequenti excuſari a pœna in foro externo, & a peccato coram Deo in foro conſcientiæ, ob probabilem, & invincibilem ignorantiam.

,, VII. Illud hic addendum, ſi quis accepit illam in
,, uxorem, quam alter ſibi prius deſponſaverat (per verba
,, de præſenti) debet illam dimittere, quia nunquam po-
,, teſt ipſi fieri legitima uxor. Et per XL. dies in pane,
,, & aqua (quod Carenam vocant) ac ſeptem annis ſe-
,, quentibus pœniteat, prout ſtatutum fuit in *c. Accepiſti.*
,, *2. h. t.*

VIII. Ubi notandum 1. Contrahens matrimonium cum deſponſata alteri per verba de præſenti, non poteſt illam unquam in uxorem habere, ſecus ſi fuiſſet ſponſa de futuro, tum enim valuiſſet matrimonium cum ſecunda contractum, *Abb. hic n. 2.* Ratio autem, cur non poſſit iſte, poſt mortem primi viri, illam ducere in uxorem, eſt, quia daretur illi occaſio machinandi mortem priori marito, ideo & in pœnam etiam proprii delicti prohibetur, ne talis poſſit unquam illam ducere in uxorem, quam de facto ita temerarie, & contra jus auſus eſt ducere, *Vivian. hic.*

Verum ut contrahens matrimonium cum deſponſata alteri per verba de præſenti, omnino inhabilis fiat ad ducendam illam, etiam poſt mortem primi viri, duo requiruntur. Primo neceſſe eſt, ut ſciat illam eſſe uxorem alterius, vel ſaltem alteri deſponſatam per verba de præſenti, alias non peccat, ſed poſſet eam ducere poſt mortem primi viri. *c. 1. de eo, qui duxit in matrim.* Secundo requiritur, ut ipſam cognoverit, vivente adhuc primo viro, *c. ult. eod. Abb. hic in fine, & Alex. de Nevo num. 3.* & ſic debet intelligi, quando hic dicitur: quod nunquam amplius eam habere poſſit in uxorem, etiam mortuo viro primo.

Notandum 2. Olim Eccleſia impoſuit publicam pœnitentiam ſcienter ducenti uxorem alterius, & regulariter impoſita fuit pœnitentia ſeptem annorum pro quolibet gravi peccato publico, quamvis Sacerdos ex cauſa hoc tempus poſſet abbreviare, *Abb. hic num. 3. & 4.* Carena autem hic dicitur publica pœnitentia impoſita pœnitentibus, ut per LX. dies ſingulis hebdomadis jejunarent in pane, & aqua, Feria II. IV. VI. & Sabbato, ſic continuando per ſeptem annos, *Rodriq. tom. 2. qq. reg. qu. 86. art. 3. Barb. in Collect. hic n. ult.* Sed hæc jam ſunt antiquata.

§. III.

An appellans in cauſa matrimoniali poſſit, lite pendente, aliud matrimonium contrahere?

IX. De hoc agitur in *c. Tua fraternitas. 4. h. t.* Nam
,, cum quæſitum eſſet, ſi quis petat aliquam in uxorem,
,, vel quædam aliquem in virum, quem dicit in eam con-
,, ſenſiſſe, per deſponſationem factam, ſeu mutuum con-
,, ſenſum de præſenti, ille vero appellat ad Sedem Apo-
,, ſtolicam, & appellatione pendente, ante cauſæ cognitio-
,, nem, vel ante ſententiam, aliam duxit in uxorem, quid

hoc

,, hoc caſu faciendum? Reſpondet Papa, ſi quis duxerit in ,, hoc caſu appellandum, Judex, a quo appellatur, ei pu- ,, blice in Eccleſia interdicat, ne ante deciſionem cauſæ, ,, aliud matrimonium contrahat: & ſi contra hoc interdi- ,, ctum Eccleſiæ facere præſumpſerit, matrimonium cum ,, tanta præſumptione contractum poterit ab Archiepiſco- ,, po, vel Epiſcopo irritari.

X. Ubi notandum 1. Pendente lite ſuper matrimonio, ſive appellatum fuerit, ſive non, non poteſt aliud matrimonium contrahi cum alia, quia ſi lite pendente in cauſa matrimoniali, primum matrimonium pronunciaretur validum, ſecundum matrimonium foret adulterium, & invalidum, ideoque non debet, pendente lite ſuper primo matrimonio, contrahi cum alia, ſive lis pendeat poſt appellationem, ut in caſu hujus cap. ſive pendeat coram primo Judice, ante appellationem, ut in caſu *c. Cum in Apoſtolica*. 18. *de ſponſal.* Non enim licet contrahere cum alia, quamvis prius matrimonium prætendatur nullum, vel etiam poſtea per ſententiam pronuncietur nullum, ſecundum vero teneat *Abb. hic. n.* 3. & ſi talis contraxerit cum alia, debet ab ea ſeparari, quia præſumptio ſtat pro primo matrimonio, quod ſit validum, propter mutuum conſenſum de præſenti præſtitum, adeoque quousque conſter de impedimento, propter quod non potuit primum matrimonium valide iniri, matrimonium cum ſecunda contrahi non poteſt, ne contingat in peccato eos ſimul cohabitare, & permanere.

Notandum 2. Poteſt Judex, a quo eſt appellatum, interdicere, ne appellatione pendente, ante cauſæ deciſionem, contrahatur matrimonium, ut patet ex hoc c. & ſic juriſdictio Judicis a quo, non ſuſpenditur in totum, hoc caſu, quin poſſit facere ea, quæ tendunt ad faciliorem exitum cauſæ appellationis, ut colligitur ex *cap.* x. *de matr. contract. contr. Interdict. Eccl. Alexand. de Nevo hic n.* 2. *&* 3.

Notandum 3. Quando in hoc c. dicitur, matrimonium initum contra interdictum Judicis Eccleſiaſtici, quo is interdixerat, ne pendente lite, & appellatione ſuper priore matrimonio, partes interim aliud matrimonium contraherent, alioquin poterit tale matrimonium irritari, id non ita abſolute accipiendum eſt, quaſi hoc poſterius matrimonium omnino ſit irritandum, ſed ut uſus ſecundi matrimonii eatenus irritetur, ſive prohibeatur, donec prioris matrimonii lis, ac judicium ab Eccleſia fuerit definitum, juxta *c. ult. h. t.* Ratio eſt, quia interdictum etiam S. Pontificis non eſt impedimentum dirimens matrimonium contractum, ergo per illud non poteſt matrimonium contractum diſſolvi. *Coniſ. in Tit. de matrim. contract. contr. interd. Eccleſia*, *num.* 4.

TITULUS V.

DE CONDITIONIBUS APPOSITIS IN DESPONSATIONE, VEL IN ALIIS CONTRACTIBUS.

Sponſalia, ſive de futuro, ſive de præſenti, contrahuntur quandoque pure, ſeu abſolute, de quibus ſupra, quandoque ſub conditione, ſicut & alii contractus, ideoque hic Titulus ſubjungitur.

§ I.

Quid ſit conditio, & quotuplex, quid modus, cauſa, & demonſtratio, quæ matrimonio, aliiſque contractibus apponuntur?

ASſertio 1. Conditio proprie dicta, prout hic accipitur, eſt diſpoſitionis, id eſt, actus, vel contractus ſuſpenſio in futurum tempus, & eventum incertum, §. *Sub conditione. Inſtitut. de V. S.* quæ communiter explicatur per particulam *Si*, ut contraho tecum matrimonium, ſi pater tuus conſenſerit *Abb. hic in Rubric. Silveſt. in Summa V. Conditio. Sanch. l.* 5. *de matr. diſ.* 1. *num.* 2. Nam conditio concepta in tempus præſens, vel præteritum, non eſt proprie dicta conditio, ſed vel tantum infirmat obligationem, ſi falſa ſit: vel nullo modo differt, ſi vera ſit, ut ex infra dicendis patebit. Modus eſt qualitas adjecta diſpoſitioni, ſive adjectio oneris, ad quod obligare volumus contrahentem, & communiter explicatur per conjunctionem *Ut* V. G. duco te, ut divitias, vel honorem conſequar, *Sylveſt.* V. *Conditio n.* 3. *Sanch. c. l.* Cauſa apponitur, quando denotatur cauſa, ob quam contrahitur, & explicatur per dictionem *quia*, ut contraho tecum, quia dives, vel pulchra es. Demonſtratio fit, quando exprimitur aliqua qualitas, per quam determinatur, & demonſtratur perſona, cum qua contrahitur, ut duco te, quæ es libera, vel virgo, vel filia hujus Principis &c. *Silveſt. hic nu.* 5. *Sanch. c. l.* An autem hæc vitient, vel ſuſpendant contractum matrimonialem, infra dicemus.

II. Aſſertio 2. Conditiones quædam ſunt generales, ſic appellatæ, quia cuilibet contractui tacite inſunt, etſi non exprimantur, ut ſi vixerimus: aliæ ſunt ſpeciales, quarum quædam ſunt intrinſecæ, quæ ſcilicet contractui neceſſario inſunt, quia ſine illis matrimonium ſubſiſtere nequit, ut contraho tecum, ſi non es mihi ſanguine juncta, ſi non es uxorata: aliæ autem ſunt extrinſecæ, ſine quibus matrimonium eſſe poteſt. Rurſus harum quædam ſunt neceſſario eventuræ: ut contraho tecum, ſi cras ſol oriatur: aliæ ſunt omnino impoſſibiles, ut contraho tecum, ſi cœlum digito tetigeris. Aliæ ſunt contingentes, & poſſibiles, & rurſus harum quædam ſunt honeſtæ, quædam turpes, quædam indifferentes, ſeu omnino impertinentes. Denique ex turpibus quædam ſunt contra ſubſtantiam, & bona matrimonii, ut contraho tecum, ſi generationem prolis evitaveris, vel quouſque pulchriorem, aut ditiorem repereto: aliæ ſunt turpes, etſi non contra ſubſtantiam, & bona matrimonii, ut contraho tecum, ſi mecum concubueris, ita *Sanch. cit. diſ.* 1. *n.* 3.

§. II.

An conditio contractui matrimoniali appoſita illum vitiet, vel ſuſpendat?

III. Aſſertio 1. Matrimonium contractum ſub conditione relata in tempus præſens, vel præteritum, non ſuſpenditur, nec vitiatur, ſed ſtatim valet ſi conditio eſt, vel fuit poſita: non valet, ſi ea non exiſtit. V. g. duco te, ſi es virgo, nobilis, dives: ſi pater tuus eſt mortuus, ſi Titius ex Italia venit &c. *Sanch. l.* 5. *de matr. diſ.* 6. *concluſ.* 1. *Laym. l.* 5. *tract.* 10. *p.* 2. *c.* 7. *n.* 1. & alii communiter. Idque ſumitur ex *l. Cum ad præſens* 37. *ff. de reb. credit l. Inſtitutio* 10. §. *Siquem.* ibi: *Cum nulla ſit conditio, quæ in præteritum confertur, vel quæ in præſens*, *ff. de condit. Inſtitut.* quia ſcilicet non ſuſpendit actum, ſed facit, ut ſtatim valeat, vel non valeat, §. *Conditiones Inſtitut. de V.O.* Ratio eſt, quia contractus ex voluntate, & conventione contrahentium legem, & conditionem accipiunt: ſi ergo contrahentes ita voluerunt, & convenerunt, ut ſi talis conditio exiſtat, matrimonium ſit ratum, & validum: ſi non exiſtat, matrimonium ſit irritum: ita ſtatim erit, prout inter ſe convenerunt. Confirmatur, quia idem etiam eſt in aliis contractibus, ut patet ex legibus citt. Idque procedit, etſi contrahentes ignorent poſitam eſſe conditionem, modo conditio vere ſit, v. g. dono tibi hunc equum, ſi pater tuus adhuc vivit, quamvis hanc conditionem contrahentes ignorent *cit. l. Cum ad præſens Laym. cit. loc.*

IV. Aſſertio 2. Matrimonium contractum ſub conditione de futuro poſſibili, honeſta, & contingente, v. g. duco te, *ſi pater tuus conſenſerit*, *ſi mille in dotem dederit &c.* ſuſpenditur, ita ut nullo modo valeat, aut obliget, donec conditio impleatur, *Sanch. cit. diſ.* 6. *nu.* 2. & alii communiter. Ratio eſt, quia generatim loquendo, conditio proprie dicta, & de futuro contingenti, in apte natura, ſuſpendit contractum, cui adjicitur, *l. Si ita ſtipulatus.* 97. §. *Si tibi ff. de* V.O. ita ut contractus nec omnino ſit nullus, cum uterque contrahens teneatur eventum conditionis exſpectare; nec omnino completus, quia a futura conditione pendet, ita ut ea poſita, ſit validus, non poſita, invalidus. Hoc autem intelligi debet de conditione appoſita in ipſo contractu matrimonii: non autem ſi ex intervallo: nam matrimonio ſemel perfecto, ſive poſtquam ſemel effectum ſuum ſortitum fuit, nec quidem communi utriuſque conſenſu nova conditio apponi poteſt, cum mutuo conſenſu diſſolvi nequeat, ſicut cæteri contractus, *Sanch. cit. diſſert.* 6. *num.* 3. *&* 4.

V. Jam ergo hæc aſſertio, quod matrimonium ſub tali conditione contractum ſuſpendetur, uſque dum conditio impleatur, probatur ex *c. De illis.* 3. *h. t.* ubi Papa Alexander III. ita reſcribit: Si quis alicui mulieri ſub hu- ,, juſmodi verbis juraverit: *Ego te in uxorem accipiam, ſi* ,, *tantum mihi donaveris*, reos perjurii non erit, ſi nolen- ,, tem dare, quod ſibi dari petiit, non acceperit in uxorem: niſi conſenſus de præſenti, aut carnalis copula ſit ſubſecuta.

VI. Ubi notandum 1. Sponſalia de futuro, etiam jurata, qualia ſunt contracta in hoc cap. ut patet ex verbo, *accipiam*, quod eſt futuri temporis, poſſunt contrahi ſub conditione: ſi tantum; v. g. decem dederis, neque prius obligant, quam decem data fuerint, quia pendente conditione, nulla oritur obligatio, ſed tum demum, ubi evenerit conditio, §. *Ex conditionali Inſtitut. de V. O.* Neque etiam ex talibus ſponſalibus conditionatis oritur impedimentum publicæ honeſtatis, conditione pendente, *c. un.* §. *fin. de ſponſal. in* 6. *Abb. hic n.* 2.

Notandum 2. Excipiuntur duo caſus in hoc cap. in quibus conditio appoſita ſponſalibus de futuro tollitur, & receditur a conditione, ſcilicet per conſenſum matrimonialem de præſenti pure, & abſolute præſtitum, per quem tollitur obligatio conditionis prius appoſitæ; vel per carnalem copulam ſubſequentem, per quam ex conditionalibus fiunt pure ſponſalia, quia præſumitur conditio remitti, & ſimul tranſeunt in matrimonium præſumptum, contra quod admittitur probatio in contrarium, *c. Is qui* 30. *de ſponſal. Gl. pen. & ult. hic*, *Abb. n.* 4. *&* 5. Hodie vero cum matrimonia præſumpta ceſſaverint, quippe quæ non valent, niſi coram Parocho, & teſtibus ſint contracta, juxta Decretum Concilii Trident. *Seſſ.* 24. *cap.* 1. *de reform. matr.* ideo hujus textus diſpoſitio, quoad poſteriorem caſum, non habet locum, *Barb. in Collect. in c. De illis* 3. *h. t.*

VII. Sed contra deciſionem hujus c. obſtare videtur text. in *l. Si ita ſtipulatus* 97. §. *Si tibi nupſero ff. de V.O.* Ex qua

Digitized by Google

qua colligitur, quod ſi mulier a viro ſtipulatur centum ſibi dari, ſi ipſi nupſerit, non valet ſtipulatio, quippe inhoneſta, ac proinde talis conditio videtur improbata Jure, tanquam turpis, cum per eam venalia quodammodo reddantur matrimonia, & propter libidinem tales contrahere videantur. Idemque eſt, ſi hoc pacto vir a muliere ſtipuletur ſibi centum dari. Verum reſpondetur, hujuſmodi promiſſionem, vel conditionem de pecunia ſibi danda, ſi fiat, vel adjiciatur ex juſta cauſa, & honeſta, veluti dotis, aut donationis propter nuptias, vel ob aliam juſtam cauſam, ut ſi mulier nobilis ſit, & contrahat cum plebejo, & in compenſationem ſuæ notabilitatis petat ſibi dari pecuniam, talis ſtipulatio, aut venditio non foret inhoneſta, tunc enim ceſſaret præſumptio libidinis. Unde in *cit. l. Si ita ſtipulatus*. §. *fin.* non reprobatur abſoluta talis ſtipulatio, ſed dicitur: *cauſa cognita, actionem denegandam eſſe, quia* nimirum Judex cognoſcere debet, utrum ex cauſa honeſta, ſeu juſta talis promiſſio, vel conditio facta, ſeu adjecta fuerit, vel non, *Barb. in cit. l. Si ita ſtipulatus in fine, Abb. in cit. c. de illis* n. 3. Itaque hujuſmodi promiſſio, vel conditio etiam ex cauſa lucrativa adjecta valet, ſi ea honeſta ſit: non item ſi ſit pœnalis, dum ſponſus unus alteri promittit pecuniam, ſi impediat, ne nuptiæ ſequantur, *cap. Gemma* 29. *de ſponſal.* de quo ibid. *Caniſ. in cit. c. De illis h. t.*

„ VIII. Præterea in *c. Super eo* 5. *h. t.* cum ex Urbano
„ III. quæſitum fuiſſet, utrum ille, qui in mulierem ali-
„ quam accipiendam conſenſit, ſi pater ipſius ſuum præ-
„ ſtaret aſſenſum, compelli poſſit ad matrimonium con-
„ ſummandum? Reſpondet Pontifex, cum conſenſus liber
„ dici non poſſit, qui in alieno arbitrio eſt poſitus, ſeu
„ reſervatus, & conditionem hanc Canones non improbent,
„ niſi voluntas patris poſtmodum intercedat, nequaquam
„ cogendus eſt ad matrimonium contrahendum. Nam li-
„ cet Alexander Papa (*in cit. c. De illis h. t.*) responde-
„ rit, ſponſalia ſub conditione contracta, ipſa non imple-
„ ta, ſi conſenſus de præſenti intercedat, vel carnalis co-
„ pula ſubſequatur, diſſolvi non debere, ſed firmiter ſer-
„ vari: id tamen nequaquam huic definitioni eſt adverſum:
„ cum hujuſmodi conſenſus non ſit de præſenti habendus,
„ quamvis per verba de præſenti exprimatur, qui in alie-
„ no arbitrio non habito, ſed habendo conſiſtit.

IX. Notandum 1. Qui matrimonium contrahit per verba de præſenti ſub conditione non improbata ab Eccleſia, ut *contraho tecum, ſi meus pater conſenſerit*, non debet compelli ad contrahendum matrimonium, & multo minus ad illud conſummandum, ante conditionis eventum, ſive niſi accedat poſtmodum voluntas, ſeu conſenſus patris, quia necdum intelligitur eſſe contractum, *Hoſtienſ. hic V. Contrahendum*, prout ſumitur ex hoc c. Ubi Papa conſultus, an qui per verba de præſenti contraxit ſub conditione, ſi pater ipſius conſenſerit, ſit cogendus matrimonium conſummare, reſpondet, non teneri contrahere, niſi voluntas patris poſtmodum intercedat: ergo a contrario ſenſu, ſi voluntas hujuſmodi, ſeu conſenſus patris interceſſerit, cogendus eſt contrahere, id eſt, conſummare matrimonium, ut ſic reſponſio congruat interrogationi. Ratio eſt, quia diſpoſitio conditionalis, adveniente, ſive impleta conditione purificatur, & ex eo tempore perficitur, perinde ac ſi ab initio pure eſſet facta, *l. Potior.* 11. §. 1. ibi: *Cum enim ſemel conditio extitit, perinde habetur, ac ſi eo tempore, quo ſtipulatio interpoſita eſt, ſine conditione facta eſſet, ff. qui potiores in pign. hab.* matrimonium autem, quamvis per legem Evangelicam ſit elevatum ad dignitatem Sacramenti, habet tamen rationem contractus civilis, ideoque per eventum conditionis perficitur, ſicut alii contractus conditionales, *l. Hæc venditio* 7. *in princ.* ibi: *Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio ff. de contrah. Empt. Fagn. in cit. c. Super eo* n. 1. *&* 3. *h. t.* An autem matrimonium ſub conditione initum ſtatim ſit perfectum, abſque novo conſenſu, infra dicetur.

Notandum 2. Matrimonium poteſt conferri in arbitrium alterius, non ſolum parentis, in cujus poteſtate eſt contrahens, & conditionem apponens, ut in caſu hujus cap. ſed etiam extranei, v. g. patrui, *c. Per tuas* 6. *h. t.* quamvis teſtamentum non poſſit conferri in arbitrium alterius, *l. Illa* 32. *in princ. ff. de hæred. inſtit. Abb. hic n.* 3. *& Alex. de Nevo num.* 4.

Notandum 3. Quamvis conſenſus in matrimonium exprimatur de præſenti, ſi tamen apponatur conditio, non habet effectum in præſenti, ſed ſuſpenditur, donec impleatur conditio. Idemque eſt de quavis alia conditione, quæ non pendet ex arbitrio tertii, ut ſi quis dicat, *contraho tecum matrimonium, ſi dederis mihi centum*, *Abb. hic n.* 5. *& Alex. de Nevo num.* 9.

X. Cæterum hoc loco occurritur dubium, an ipſi matrimonio apponi poſſit conditio? Negativam ſententiam tenent *Covarr. in l.* 4. *Decret. p.* 2. *c.* 3. *n.* 3. *Sanch. l.* 5. *de matr. diſ.* 1. n. 5. & alii apud ipſos, nempe matrimonium ipſum conditionem non recipere, bene tamen ejus conſenſum, hoc eſt, conſenſus præſtitus ad matrimonium contrahendum poteſt ex conditione pendere, at non ipſum matrimonium, quia quamdiu conditio pendet, non eſt matrimonium.

Alii vero probabilius affirmant, matrimonio adjici poſſe conditionem, v. g. *contraho tecum, ſi pater meus conſenſerit*, quia hujuſmodi conditionem nullibi improbant Canonica Inſtituta, ut patet ex *cit. cap. Super eo h. t.* quamvis ejus obligatio differatur in eventum conditionis, ſicut fit in aliis contractibus conditionalibus, qui, conditione eveniente, purificantur, *l. Neceſſario* 8. §. *Quod ſi pendente ff. de peric. & comm. rei vendit. Caniſ. in Rubr. h. t. n.* 3. *Zoeſ. in comment. h. t.* n. 5. ubi in fine ait, non tam adjici conditionem matrimonio, ut eſt Sacramentum, quod non poteſt eſſe in pendenti, quam ut eſt contractus civilis, eatenus enim, ut reliqui contractus, conditionem admittit. Nec obſtat *Reg. Jur.* 50 *in* 6. *& Reg.* 77. *ff. eod. Actus legitimi conditionem non recipiunt*, quia actus ibi enumerati non ſunt contractus, ſicut matrimonium, ſed actus mere legitimi, id eſt, a Jure Civili introducti, *Hoſtienſ. hic. col.* 2. §. *Sed contra.* Neque etiam obſtat, quod matrimonium inſtitutum ſit ad mutuam cohabitationem, & conjunctionem, non enim hinc ſequitur, quod conditio ei adjici non poteſt. Nam etiam emptio, & venditio inſtituta eſt, ut per illam res emptori acquiratur, & tamen ſub conditione contrahi poteſt, §. *pen. Inſtit. de empt. & vendit.* ſicut etiam alii Civiles contractus, *l. Obligationem* 44. *ff. de act. & obl. Caniſ. c. l.*

Illud hic addendum, ſi pendente conditione, alter, vel uterque contrahentium aliud matrimonium inierit, poſterius matrimonium valebit, etiamſi conditio prioris matrimonii poſtea evenerit, *c. unic.* §. *fin. de ſponſ. in* 6. quia ſcilicet ex ſponſalibus conditionalibus, ante conditionem extantem, nulla publicæ honeſtatis juſtitia oritur, *Caniſ. c. l. n.* 4.

§. III.

An conditio de futuro neceſſaria, vel impoſſibilis, adjecta matrimonio illud vitiet, vel ſuſpendat?

XI. Aſſertio 1. Matrimonium contractum ſub conditione de futuro neceſſaria, ut *contraho tecum, ſi ſol cras oriatur*, non ſuſpenditur, nec vitiatur per conditionem adjectam, ſed perinde eſt, ac ſi ea appoſita non eſſet, adeoque abſolutum, ac validum eſt tale matrimonium, *Covar. in l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. §. 1. *n.* 10. *Sanch. l.* 5. *de matr. diſ.* 2. n. 2. & alii apud ipſum. Idque probatur ex *l. Si pupillus* 9. §. 1. *ff. de Novat.* ubi dicitur: *Qui ſub conditione ſtipulatur, quæ omnino extitura eſt, pure videtur ſtipulari*, quia quod omnino extiturum eſt, non poteſt non contingere, ideoque præſens eſſe videtur, & quia talis conditio neceſſario futura jam determinata eſt in ſua cauſa naturali, cenſetur præſens, & impleta, & perinde eſt, ac ſi appoſita non eſſet. Quod tamen intelligendum eſt, ſi contrahentes ſciant, conditionem eſſe neceſſariam; nam ſi putant, illam eſſe contingentem, ſortitur effectum conditionis contingentis, & ſuſpendit contractum uſque ad eventum conditionis, *Sanch. c. l.* n. 3. Idemque eſt, ſi ex circumſtantiis facile colligatur, talem conditionem non apponi tamquam conditionem, ſed tanquam temporis præfinitionem, de quo caſu loquitur *text. in l. Heres* 79. *ff. condit. & demonſtr.* & exemplum eſſe poteſt: Si quis dicat: *Contraham tecum, ſi pater meus morietur*, id eſt, quando pater meus obierit, *Sanch. c. l. n.* 6.

XII. Aſſertio 2. Matrimonium contractum ſub conditione de futuro, quæ repugnat ſubſtantiæ, aut bonis matrimonii, ipſo jure eſt irritum. Si vero in contractu matrimonii conditio impoſſibilis, vel turpis apponatur, quæ non eſt contra ſubſtantiam matrimonii, ea habetur pro non adjecta, & matrimonium tenet, prout ſtatuitur in *cap. Si conditiones* 7. *& ult. h. t.* ubi Papa Gregorius IX. ita reſcribit:
„ ſcribit: ſi conditiones contra ſubſtantiam conjugii inſe-
„ rantur, puta ſi unus dicat alteri: contraho tecum, ſi ge-
„ nerationem prolis evites, vel donec inveniam aliam ho-
„ noratiorem, vel ditiorem; aut ſi pro quæſtu adulteran-
„ dam te tradas, matrimonialis contractus, quantumcum-
„ que ſit favorabilis, caret effectu, licet aliæ conditiones,
„ (quæ non pugnant cum ſubſtantia matrimonii) ſi tur-
„ pes, aut impoſſibiles fuerint, debeant propter ejus favo-
„ rem, pro non adjectis haberi.

XIII. Pro explicatione notandum 1. duæ traduntur regulæ in hoc c. Prima in priore ejus parte, ſcilicet conditionem turpem, ſeu inhoneſtam, vel impoſſibilem adverſus matrimonii ſubſtantiam, vel ſubſtantialem ejus proprietatem appoſitam irritare omnino contractum matrimonii, cujus tria exempla ponuntur in textu. Prima conditio eſt contra bonum prolis, ut ſi quis ſub conditione contrahet, ſi uxor prolem vitaverit. Secunda eſt contra Sacramentum, ut contraho tecum, donec aliam ditiorem, aut pulchriorem invenero, quod repugnat individuo vitæ conjugalis vinculo, & illius humanæ ſocietati. Tertia eſt, ſi adultera fueris, quod eſt contra bonum fidei conjugalis, omnes hæ conditiones vitiant matrimonium contractum, *Gl. hic* 1. 2. *&* 3. *Abb. n.* 1. *Covarr. in* 4. *Decret. p.* 2. *c.* 3. §. 1. *n.* 1. *Sanch. l.* 5. *diſ.* 9. *n.* 3. Quamvis autem in textu exprimantur tantum tres conditiones, tamen id factum eſt exempli gratia, idem enim dicendum de omnibus aliis conditionibus, quæ ſubſtantiæ matrimonii adverſantur, quia hæc ratio legis in textu expreſſa eſt generalis, *Abb. c. l. & Alex. de Nevo hic* n. 3.

Ratio autem hujus conſtitutionis eſt, quia quamvis valide contrahatur matrimonium cum intentione non ſervandi fidem, aut perpetuitatem conjugii, aut non procurandi generationem, & educationem prolis, ſed potius impediendi, quia hæc quoad actum, ſeu executionem non pertinent ad ſubſtantiam matrimonii, adeoque non ſunt contra ſubſtantiam ejuſdem: non tamen valide contrahitur,

ſi talia

Digitized by Google

ſi talia in pactum deducantur, quæ ſubſtantiali obligationi eſſentialiter in matrimonio incluſæ directe adverſantur, eamque eliduna, & infirmant, *Sanch. cit. diſ. 9. numer.* 14. *Laym. lib. 5. tr.* 10. *p.* 2. *c.* 7. *num.* 8. quia matrimonii ſubſtantia conſiſtit in plena traditione mutua corporum, ſive in mutuo jure, ac poteſtate utendi corpore conjugis ad uſum generationis: hoc autem jus, ſeu poteſtas tollitur per pacta, ſeu conditiones, quibus obligatio carnalis conjunctionis, ſeu copulæ tollitur; ergo etiam ipſa ſubſtantia matrimonii tollitur, & infirmatur: & cum dominium, ſeu jus, quod per matrimonii contractum acquiritur, non ſit aliud, quam prædictum jus utendi corpore conjugis, non poteſt dominium ſeparari a jure utendi, vel fruendi matrimonio, ſicuti in aliis quibuſdam rebus accidit. Nec refert, quod ſalva eſſentia matrimonii, eoque illæſo, poſſit tolli jus utendi, & reddendi debitum per votum caſtitatis perpetuæ communi conſenſu conjugum editum: nam quamvis matrimonio jam contracto, poſſit poſtea per novam pactionem apponi conditio aliqua ejus ſubſtantiæ repugnans: non tamen poteſt ab initio apponi, uti etiam in aliis contractibus accidit: quia quando a principio deducitur in pactum aliquid ejuſmodi, impeditur poſtea tranſlatio poteſtatis corporum: ſecus quando jam matrimonium eſt contractum; tunc enim poteſtas illa ſemel tranſlata revocari non poteſt, & manet matrimonii vinculum quoad alia v. g. mutuam cohabitationem, prolis educationem, fidem ſervandam, *Laym. c. l.* ubi etiam addit, quamvis nunquam petere debitum non ſit contra ſubſtantiam matrimonii, aut bonum prolis, eſt tamen obligare ſe ad nunquam petendum. Cæterum matrimonium abſolute contractum cenſetur, etiamſi annexas habeat conditiones aliquas quæ ipſi de jure inſunt, ut niſi Religionem ingredi velim, niſi adulterio fidem violaveris &c. *Laym. cit. l.* quia talis conditio, quæ de jure ineſt, non ſuſpendit contractum, cui adjicitur, nec facit conditionalem, *l. Conditiones*, 99. *l. Aliquando* 107. *ff. de Condit. & Demonſtr.*

XIV. Notandum 2. Quod dictum eſt conditiones turpes, & inhoneſtas adverſus ſubſtantiam matrimonii appoſitas irritare contractum matrimonii, limitari debet 1. ſi uterque conjux appoſitioni conditionis conſentiat; tunc enim nullus eſt conſenſus, & matrimonium non tenet. Secus eſt, ſi alter contradicat, quia tunc matrimonium eſt validum, perinde, ac ſi conditio non fuiſſet appoſita: vel etiam ſi taceat, quia tunc cenſetur contradicere, favore matrimonii; nam ex eo, quod alter non conſentit, cenſetur a conditione receſſum, *Covarr. in l. 4. Decret. p.* 2. *c.* 3. §. 1. *n.* 11. 2. limitatur, ut procedat ſolum in propriis, & veris conditionibus, ſcilicet in iis quæ a futuro eventu pendent: non autem in conditionibus de præſenti tempore, vel de præterito, quia vere conditiones non ſunt; nam tales conditiones non ſuſpendunt actum, nec proprie ſunt conditiones, *Covarr. cit.* §. 1. *n.* 9.

XV. Notandum 3. Sicut matrimonium contractum ſub conditione ſuſpenſiva, quæ eſt contra illius ſubſtantiam, non tenet: ita nec tenet, ſi fuerit contractum ſub conditione reſolutiva; ut contraho tecum, ſi non invenero aliam ditiorem, aut honoratiorem, juxta hoc c. Unde infertur, quod ſi quis habens ſuſpectam uxorem de incontinentia, matrimonium cum ea initur, ſub conditione, ut ſi adulterium commiſerit, liceat ipſi a matrimonio reſilire, & aliam ducere, tale matrimonium non valeat, ut docet *Abb. hic n.* 2. quia licet talis conditio primo intuitu videatur honeſta, ut ſic vitetur adulterium, tamen revera eſt turpis, quia in effecto perinde eſt, ac ſi dictum eſſet, contraho tecum ad tempus incertum, donec commiſeris adulterium, atque ita adverſatur bono Sacramenti, quod ſuapte natura eſt perpetuum, & indiſſolubile, *Fagn. in cit. c. Ult. n.* 8. *h. t.*

XVI. Notandum 4. Altera regula tradita in *c. Ult. h. t.* eſt, quod conditiones turpes, vel impoſſibiles, quæ matrimonii ſubſtantiæ, & illius bonis non adverſantur, non irritant matrimonium, ſed rejiciuntur, & pro non adjectis habentur, idque favore matrimonii ſpecialiter ſtatutum eſt, *Abb. hic n.* 3. Exemplum de conditione turpi eſt, contraho tecum, ſi furtum feceris, vel ſi homicidium commiſeris. Item de conditione impoſſibili, ut ſi cœlum tetigeris digito, vel ſi Regnum dederis. Unde etiam in teſtamentis, & ultimis voluntatibus, quæ ſimiliter ſunt favorabiles, *l.* 1. *C. de SS. Eccleſ.* conditiones turpes, vel impoſſibiles rejiciuntur, & pro non adjectis habentur, §. *Impoſſibilis Inſtit. de hæred. inſtit. Gl. hic V. Impoſſibiles*, ſive ſint impoſſibiles de facto, ſive de jure, quia id poſſumus, quod de jure poſſumus, & impoſſibile dicitur, quod de jure fieri non poteſt, *l. Nepos* 125. *ff. de V. S.* Secus eſt, in aliis contractibus, in quibus conditio turpis, vel impoſſibilis vitiat contractum, §. *Si impoſſibilis Inſtit. de inutil. ſtipul. l. Non ſolum* 31. *ff. de oblig. & act.* quia hi non ſunt ita favorabiles, ſicut matrimonium.

XVII. Notandum 5. Ut conditio impoſſibilis rejiciatur a contractu matrimonii, requiritur 1. ut reputetur impoſſibilis, alioquin non rejicitur, ſed ſuum ſortitur effectum in utroque foro, unde diſpoſitio dicti *c. fin. h. t.* intelligitur, quando contrahentes ſciebant conditionem eſſe poſſibilem, *Sanch. l. 5. de matr. diſ. 3. n.* 8. Ubi addit, idem eſſe de conditione turpi, quæ non rejicitur, ſi reputetur honeſta. 2. Ut conditio impoſſibilis habeatur pro non adjecta, requiritur etiam, ut contrahentes ſint conſcii conſtitutionis dicti *cap. fin.* adeoque ut ſciant, conditionem adjectam eſſe impoſſibilem, & Jus hujuſmodi conditiones rejicere, & habere pro non adjectis; tunc enim cenſentur ſecundum Jus velle contrahere, niſi de contrario conſtet, *Coninch. diſ.* 29. *de matr. dub.* 3. *n.* 42. Nam conſtitutio non obligat ignorantes, *c.* 2. *de Conſtit. in* 6. *Sanch. c. l. n.* 11. Imo exigitur etiam, ut utrumque hoc notum ſit ambobus contrahentibus, quia matrimonium conſtat ex utriuſque conſenſu, conditio autem impoſſibilis ex ſe importat diſſenſum, *Sanch. c. l. n.* 12. 3. conditio impoſſibilis in dubio habetur pro non adjecta, adeoque ſi dubie ſit contrahentium intentio, utrum ſerio, & ex animo, non aliter talem conditionem appoſuerint, an vero ſolum joco; in tali dubio præſumit Eccleſia, joco adjectam eſſe, & non animo ſuſpendendi actum, & ita judicat matrimonium eſſe validum, & pure contractum, perinde ac ſi conditio appoſita non eſſet, idque in favorem matrimonii, pro cujus valore in dubio ſemper judicandum eſt, *c. Ult. de ſent. & re judic.* cum enim vertatur periculum animæ, ne forte ſeparentur, qui legitime conjuncti ſunt, & alii conjungantur matrimonio, Eccleſia eligit in dubio, quod animæ tutius eſt, *Sanch. cit. diſ.* 3. *n.* 15.

Idemque dicendum eſt de conditione turpi, quia nemo præſumitur in dubio velle peccare, adeoque ſerio velle contrahere ſub conditione turpi, quæ ſine peccato, ad quod inclinat, impleri non poteſt, aut velle in re tam gravi, & ſancta jocari, & ſuum actum irritum reddere, *Sanch. l. 5. diſp.* 15. *num.* 4. & 6.

Notandum 6. Ex dictis patet, quæ ſit vera expoſitio *cit. c. Ult. in fine h. t.* videlicet omnes fideles, dum Sacramenta recipiunt, cenſentur ea recipere juxta intentionem Eccleſiæ, adeoque dum matrimonium ineunt, & ſciunt conditionem adjectam eſſe turpem, vel impoſſibilem, eamque ab Eccleſia rejici, & pro non adjecta haberi, præſumere Eccleſiam contrahentes pure & abſolute conſenſiſſe, tunc cenſentur etiam velle pure & abſolute contrahere, juxta intentionem Eccleſiæ, & prout ipſa Eccleſia præſumit, ac judicat, tale matrimonium irritum eſſe, niſi ipſi contrahentes aliter exprimant ſuam intentionem, ita *Sanch. cit. diſ.* 3. *n.* 18.

XVIII. Notandum 6. Si matrimonium contractum ſit ſub conditione turpi, vel impoſſibili, & is, qui conditionem adjecit, non aliter ſe obligare voluit, quam ſi conditio eveniat, in foro interno, id eſt, conſcientiæ, non tenebitur, nec judicabitur matrimonium, propter defectum conſenſus conjugalis, quem contrahens in eventum conditionis contulit. Idemque dicendum eſt in foro externo, ſeu judiciali, judicabitur enim ſimiliter matrimonium contractum, ſub conditione turpi, vel impoſſibili nullum, ſi conſtet conſenſum conjugalem defeciſſe, quia aliqui ſic expreſſe contraxerunt, ut nullo pacto vellent conſentire, niſi eveniente conditione, *Covarr. in lib. 4. Decret. p.* 2. *c.* 3. *n.* 4. & 5. Ratio eſt, quia conditiones turpes, vel impoſſibiles e matrimonio rejiciuntur, & habentur pro non adjectis, eo quod Canones in dubio præſumunt eas non ſerio adjectas fuiſſe. At quando de mente contrahentium aliter conſtat, ceſſat hujuſmodi præſumptio, cum in certis nullus ſit præſumptioni, ſeu conjecturæ locus, *l. Continuus* 137. §. 2. *in fine, juncta Gl. V. Nullus, ff. de V. O. Cenſ. in cit. c. Ult. h. t.*

XIX. Præterea huc pertinet, quod ſtatuitur in c. *Quicunque* 1. *h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio Africano, ubi dicitur: Quicunque conditionis nomine aliquam deſponſaverit (per verba de præſenti) frangatur conditio (id eſt, pro non adjecta habeatur, *Gl. hic V. eod.*) & deſponſatio irrefragabiliter teneatur, ſive firmiter ſervetur matrimonium.

Ubi notandum hoc cap. intelligitur primo de conditione turpi, quæ tamen non eſt contra ſubſtantiam matrimonii, ut exponit *Gl. hic V. Frangatur*, ut ſi quis dicat, contraham tecum, ſi furtum feceris, vel ſi homicidium commiſeris, & tale matrimonium ſub turpi conditione contractum, ea rejecta, ſervandum eſt. Secundo intelligitur hoc c. quando præceſſit copula, ante eventum, vel defectum conditionis; tunc enim cenſetur a conditione receſſum, ideoque matrimonium tenet, rejecta conditione, ut colligitur ex his verbis textus, *eam relinquere volueris*, quæ evidenter ſupponere cohabitationem, & matrimonium fuiſſe prius conſummatum, *Covarr. cit. c.* 3. §. 1. *n.* 13. Aliam expoſitionem affert *Alex. de Nevo hic n.* 1. de qua agit *Fagn. hic n.* 2. Tertio aliqui intelligunt de conditione reſolutiva, ut contraho tecum matrimonium, & ſi non dederis mihi centum, volo te relinquere, nam cum matrimonium ab initio fuerit validum, non poterit diſſolvi ex futuro eventu, de quo videri poteſt *Alex. de Nevo hic n.* 1. *& Fagnan. n.* 2.

XX. Similis priori conſtitutio extat in *c. Per tuas 6. h. t.* „ Nam cum quædam mulier P. nomine poſtulat ne in virum, aſſerens inter ſe mutuum conſenſum de præſenti, „ & carnalem copulam interveniſſe, quod licet vir ille „ non negaret, aſſerebat tamen ſe illam in uxorem ducere „ non teneri, quia ſponſalia inter ipſos ſub hac conditio„ne fuerunt contracta, *ſi pater ejus, & patruus in eo* „ *conſentirent*, qui tamen re intellecta, ſtatim contradixerunt; Mulier vero replicabat, negando ſibi a patre vi„ri, vel patruo aliquando contradictum fuiſſe, & ante „ tempus contradictionis e teſtibus expreſſum, poſtea dicebat inter ſe carnalem copulam interveniſſe. Conſultus ſuper hac re Papa Innocentius III. reſpondet,

cum

,, cum liquido conſtet, poſt contracta ſponſalia carnalem ,, copulam inter eos eſſe ſubſecutam, pro matrimonio præ- ,, ſumendum eſſe: quia a conditione appoſita receſſiſſe, ,, videntur: etſi enim probatum ſit, quod poſtquam pa- ,, ter, & patruus viri ſponſalibus contradixerunt, idem ,, vir mulierem illam per carnalem copulam cognoverit: ,, non eſt tamen probatum, quod antequam ipſe eandem ,, cognoviſſet, pater ejus, & patruus contradixerint. Ratio deciſionis eſt, quia quamvis ſponſalia conditionata, ſecundum Juris ſubtilitatem, non videantur eſſe ſponſalia, quia conſenſus conditionalis, ante conditionem extantem, eſt nullus, *l. Cedere diem* 213. *ff. de V. S.* ſi ergo nullus præceſſit conſenſus, nulla etiam inita ſunt ſponſalia, adeoque nec matrimonium, quia ſola copula carnalis, ſine conſenſu, non fuit matrimonium, *Gl. hic V. Præſumendum*. Verum favore matrimonii non attenditur iſta juris ſubtilitas, ſed magis veriſimilis probabilitas; nam quia aderat conſenſus in ſponſalibus, licet conditionatus, ideo præſumuntur contrahentes per carnalem copulam ſubſecutam ab appoſita conditione receſſiſſe, & per novum conſenſum ſponſalia de præſenti libere contraxiſſe, idque favore matrimonii, *Hoſtiens. hic V. Quod videtur*, & *Vivian. in Ration. Jur. Pontif.* Si vero ante copulam carnalem renuntiaſſet ſponſalibus, ſive iis contradictum fuiſſet a patre, & patruo, tunc per copulam ſupervenientem non inductum fuiſſet matrimonium, quia diſſoluta eſſent ſponſalia, & carnalis copula non reperiſſet, quod confirmare poſſet, *Hoſtiens. hic in fine. & Abb. n.* 5.

XXI. Ubi notandum inſuper 1. Sponſalia de futuro, non tantum pura, & abſoluta, juxta *c. Is qui* 30. *de ſponſal. & matr.* ſed etiam conditionalia per ſubſecutam carnalem copulam tranſeunt in matrimonium, *Abb. hic n.* 3. Unde ſi contrahentes matrimonium, vel ſponſalia conditionata, ante conditionem impletam, ſe mutuo carnaliter cognoſcant, tunc Eccleſia præſumit eos receſſiſſe a conditione, & voluiſſe pure, & abſolute contrahere, nec ullam probationem admittit in contrarium, juxta *c. per tuas.* 6. *h. t. Coninbc. diſ.* 29. *de Sacram. dub.* 1. *n.* 19.

Notandum 2. Si duo contraxerunt ſponſalia per verba de futuro, ſecuta carnali copula, quamvis ſponſus, præſente, & conſentiente ſponſa, proteſtetur, ſe nolle per copulam conſentire in matrimonium, nihilominus præſumitur contractum matrimonium, ſi ſequatur carnalis copula, quia præſumitur propter copulam ſponſos ab hac proteſtatione receſſiſſe, ſicut & a conditione, ut patet ex *cit. c. per tuas. h. t.* Ubi contracto matrimonio, ſub conditione nondum impleta, & ita nondum exiſtente perfecto conſenſu, dicitur recedi a conditione, & perfectum conſenſum effici, carnali copula ſecuta. Ratio eſt, quia non debet inter ſponſos præſumi copula fornicaria, delicti enim præſumptio omnino vitanda eſt, *l. Merito* 51. *ff. Pro ſocio*, *Covarr. in* 4. *Decret. p.* 1. *c.* 4. §. 1. *n.* 18. *Sanch. l.* 2. *de matr. diſ.* 45. *n.* 21. *Menoch. l.* 2. *de præſumpt. q.* 35. *n.* 2. *&* 5. *& l.* 3. *præſumpt.* 1. *n.* 15.

XXII. Porro dubitatur de quibuſdam conditionibus, an eæ, matrimonio adjectæ (veluti contraham tecum, ſi te virginem invenero, vel ſi mecum concubueris) ſint validæ, vel tanquam turpes rejici debeant? Quod ad priorem conditionem attinet, hæc conditio, *Si te virginem invenero*, ſi intelligatur de inveſtigatione per aſpectum obſtetricum, vel alium legitimum modum, non debet rejici, quia non eſt turpis, ſed honeſta conditio, & ſuſpendit actum. Si vero intelligatur de concubitu illicito, & non matrimoniali eſt turpis, ac inhoneſta conditio, eaque rejecta valet, ut matrimonium purum, & abſolutum, *Covarr. cit. p.* 2. *c.* 3. §. 2. *n.* 12. *Sanch. cit. l.* 5. *diſ.* 16. *n.* 7. imo etiam teneret tale matrimonium, ſaltem in foro externo, etſi non eſſet Virgo, *Barb. in Collect. in cit. c. Per tuas. n.* 6. *h. t.* Quod vero ad poſteriorem conditionem pertinet, ſi illa intelligatur de concubitu illicito ante matrimonium, eſt turpis, nec valet: Secus ſi de licito poſt contractum ſtatim matrimonium, *Sanch. c. l. n.* 8.

§. IV.

Proponuntur, & reſolvuntur alia nonnulla quæſtiones circa ſponſalia, vel matrimonia ſub conditione contracta.

XXIII. Quæritur 1. An matrimonium contractum per verba de præſenti inter habiles, ſub conditione honeſta de futuro, & contingenti, ut *contraho tecum, ſi pater tuus conſenſerit, vel ſi dotem dederis*, adveniente conditione, fiat validum, & obliget, abſque novo conſenſu utriuſque contrahentis? Supponit autem hæc quæſtio, conſenſum, pendente conditione, ex neutra parte contrahentium eſſe revocatum: alioquin poſita conditione, non valeret matrimonium, ob defectum conſenſus. Hoc poſito,

Reſpondetur, valde probabile eſt, matrimonium ſtatim perfici, impleta conditione, ſine novo contrahentium conſenſu, *Sanch. l.* 5. *de matr. diſ.* 8. *n.* 5. *Coninch. diſ.* 29. *dub.* 1. *n.* 11. *Laym. l.* 5. *Theol. moral. tract.* 10. *p.* 2. *c.* 7. *n.* 2. & eſt communis Canoniſtarum. Ratio eſt, quia omnes cæteri contractus, etiam ſponſalium, ſub tali conditione celebrati, ea impleta, purificantur, ac perficiuntur ſine novo conſenſu, ac ſi ab initio fuiſſent pure, & ſine conditione initi, ut patet ex *l. Potior* 11. *ff. Qui potior in pign. & l. Hæc venditio.* 7. *ff. de contr. empt.* ergo etiam matrimonium, quia Chriſtus illud elevando ad rationem Sacramenti, ejus naturam non mutavit. Idque confirmatur, quia ſicut ſe habet conſenſus de futuro ad contractum ſponſalium, ita conſenſus de præſenti ſe habet ad contractum matrimonii: atqui conſenſus de futuro conditionalis, v. g. ducam te in uxorem, ſi pater tuus conſenſerit, adveniente conditione, purificatur, & tranſit in ſponſalia abſoluta ſine novo alio conſenſu, ut conſtat ex *c. Un. de ſponſal. in* 6. a contrario ſenſu, ergo etiam conſenſus de præſenti conditionalis, v. g. duco te nunc in uxorem, ſi pater dotem dederit, efficit matrimonium purum, & abſolutum ſine alio novo conſenſu, *Barb. cit. l. n.* 5.

Ubi etiam notandum eſt diſcrimen inter contractum matrimonialem ſub conditione de futuro, & inter contractum ſub conditione de præſenti, *duco te in uxorem, ſi pater tuus mille dederit in dotem*; nam ex priore, impleta conditione, oritur obligatio contrahendi matrimonium: juxta poſteriorem vero contractus matrimonii eſt perfectus, & abſolutus, *Laym. c. l.*

XXIV. Porro etſi conſenſus ſub conditione relata in futurum, ante hujus poſitionem, ſeu eventum, non ſit perfectus, ſed quaſi inchoatus, & ſuſpenſus, ac pendens a futuro eventu: poſita tamen conditione, conſenſus ille, qui virtualiter, ac moraliter remanet, quamdiu non revocatur, omnino purus, & abſolutus efficitur, ſecundum moralem rerum æſtimationem. Et licet ad Sacramentum matrimonii, ex Chriſti inſtitutione, requiratur conſenſus perfectus, & abſolutus, iſque ſigno externo expreſſus, qualis non habetur ante eventum conditionis: ipſe tamen externus eventus conditionis, ſuapte natura eſt ſufficiens ſignum purificati conſenſus: ſi quidem ab initio conventum fuit inter contrahentes, ut quam primum talis conditio eveniat, mox matrimonium ratum, & firmum eſſet, quæ conventio verbis expreſſa ſaltem moraliter manet, cum prima voluntas non fuerit revocata a contrahentibus, ut ſupponitur. Neque vero requiritur, ut contrahentes ſciant, conditionem eveniſſe, nam eo ipſo quod conditio evenit, purificatur matrimonium: ſicut eo ipſo, quod procurator contrahit matrimonium, & conſentit nomine ſui principalis, firmum eſt matrimonium, etſi ipſe id ignoret: non tamen ipſe contrahens licite matrimonio uti poteſt, niſi ſciat conditionem impletam eſſe, adeoque & matrimonium perfectum, *Sanch. cit. diſ.* 8. *n.* 6. Neque vero ex eo, quod in *c. Super eo* 5. *h. t.* dicitur, adoleſcentem illum, ante impletam conditionem, non eſſe cogendum ad contrahendum matrimonium, ſequitur, ea impleta, eſſe cogendum, & conſequenter opus eſſe novo conſenſu. Nam reſpondetur, hinc tantum ſequi ante eventum conditionis, talem contractum non habere vim matrimonii, nec ſponſalium, cum non adſit conſenſus de præſenti perfectus, & abſolutus, ſed tantum conditionalis, quia quamvis verba, quoad loquendi formam præſentem conſenſum importent, v. g. *duco te in uxorem, ſi pater tuus conſentiat*, revera tamen conſenſum conditionatum tantum habent, & conſequenter talis non tenetur ad contrahendum matrimonium ante impletam conditionem, nec poteſt etiam illud conſummare antequam contrahatur, *Coninch. cit. diſ.* 29. *dub.* 1. *n.* 14. An autem, & quomodo, poſtquam conditio evenit, talis compellendus ſit, de hoc Papa nihil omnino in dicto cap. reſpondit. Denique etiam in propoſito ipſum Sacramentum matrimonii ſuſpenditur, materia, & forma ipſius complete poſitis, cujus ſubſtantia ponitur, quando ponitur conditio.

XXV. Quæritur 2. An etiam poſt Concilium Trident. quo ſolemnitas parochi, & teſtium eſt introducta, requiratur ad valorem matrimonii, ut Parochus, & teſtes, non tantum contractui ſub conditione de futuro celebrato, ſed etiam impletioni conditionis interſint? Affirmat valde probabiliter *Coninch. diſ.* 29. *de matr. dub.* 1. *n.* 15. *Laym. cit. c.* 7. *n.* 3. quamvis ſufficiat, ſi ipſi contrahentes coram parocho, & teſtibus poſtea aſſerant conditionem eſſe impletam: nam hoc ipſo cenſentur purificare contractum. Ratio eſt, quia Parochus, & teſtes debent poſſe teſtificari in foro externo, non tantum de matrimonio vere, & ſubſtantialiter contracto, adeoque non ſolum de contractu inchoato, & pendente adhuc in futurum, & ſolubili, ſed de abſoluto, ac legitime perfecto ad vitanda multa incommoda: hoc autem non poſſunt, niſi interſint etiam impletioni conditionis, cum ante hanc contractus ſit incompletus, & conditionalis, non abſolutus, & perfectus. Idemque dicendum de conditione relata in tempus præteritum, vel præſens. Sufficit autem, ſi parochus, & teſtes intelligant, ac teſtari poſſint, marem, & fœminam exterius legitime matrimonium contraxiſſe per verum conſenſum verbis, vel aliis ſignis manifeſtatum: neque opus eſt, ut etiam ſciant, eos valide contraxiſſe, ſive nullo occulto impedimento prohibitos fuiſſe, id enim Concilium non requirit, ideoque etiam non requiritur, ut Parochus, ac teſtes litteras diſpenſationis inter conſanguineos, & affines viderint, *Coninch. c. l. n.* 16. Eſt autem neceſſarium ad valorem matrimonii per Procuratorem contrahendi, ut parochus, ac teſtes ex litteris, vel ſufficientibus indiciis cognoſcant mandatum Procuratoris, cum alias non intelligant, nec in foro externo teſtari poſſint, matrimonium inter conjuges initum eſſe, quia tale matrimonium non minus pendet a mandato procurato-

rio,

Digitized by Google

rio, quam matrimonium conditionale ab eventu conditionis, ut docet *Coning. diſ. 24. de matr. dub. 9. n. 79. Laym. c. l.*

Porro talia matrimonia etſi ſint valida, non tamen facile ſunt permittenda, ut notat *Coning. cit. diſ. 29. de matr. dub. 1. n. 17.* tum quia minus decent dignitatem Sacramenti, tum quia ex iis facile lites, & difficultates oriri poſſunt, præſertim ob diſcrepantes DD. opiniones, ideoque tutius eſt, ut poſt impletam conditionem, conſenſus matrimonialis renovetur coram parocho, ac teſtibus, quia ante eventum conditionis matrimonium nondum eſt contractum, ſed contrahendum, *cit. c. Super eo h. t. Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 3. n. 5. Tann. tom. 4. diſ. 8. q. 3. dub. 4. n. 83. & 84.* Ubi hanc rationem addit, quia in nullo alio Sacramento conſenſus conditionatus de futuro, ſeu in miniſtro, ſeu ſuſcipiente ſufficit ad valorem Sacramenti; ergo nec in matrimonio. Sed hoc non multum probat, quia nullum aliud Sacramentum eſt contractus, ſicut matrimonium.

XXVI. Quæritur 3. An ſi jure impediti, & inhabiles ad matrimonium contrahendum, per verba de futuro promittant ſibi invicem, vel etiam per verba de præſenti contrahant matrimonium, ſub conditione diſpenſationis Papalis, obligationem contrahant, & qualem, ante, vel poſt diſpenſationem? Reſp. 1. Si conſanguinei, vel aliter impediti matrimonium ſpondeant ſub conditione Papalis diſpenſationis (per ſe loquendo, & ſecluſo ſcandalo, vel alio damno) non peccant, ſi matrimonium invicem promittant ſub conditione, ſi Papa diſpenſaverit, dummodo ſit impedimentum juris humani, in quo Papa diſpenſare poteſt, et ſolet, quia talis promiſſio verſatur circa objectum licitum, nempe contrahendum matrimonium inter conſanguineos, vel aliter impeditos, poſt impetratam diſpenſationem, *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 3. in princ. n. 7. Laym. cit. c. 7. nu. 4.* Quin imo ex hujuſmodi promiſſione oritur vera obligatio ſponſaliorum ſub conditione, ita ut ſponſus exſpectare debeat uſque ad eventum conditionis, & impetrata diſpenſatione, matrimonium contrahere teneatur, ſi etiam alter in fide data perſiſtat, quia cum objectum hujus reciprocæ obligationis ſit honeſtum, ac licitum, ut dictum, non eſt cur non ex illa oriatur obligatio, *Layman c. l.*

XXVII. Reſp. 2. Probabile eſt matrimonium per verba de præſenti, inter perſonas jure impeditas, ſeu inhabiles contractum, ſub conditione relata in futuram diſpenſationem Papalem, ea impetrata, purificari, ſeu perfici, abſque novo conſenſu contrahentium coram parocho, ac teſtibus expreſſo, *Sanch. l. 5. diſ. 8. n. 10. Coning. cit. diſ. 29. n. 33.* Ratio eſt, quia talis conditio, *ſi Pontifex diſpenſaverit*, non eſt impoſſibilis, ut debeat haberi pro non adjecta: neque eſt contra jus, non enim tales contrahunt pro tunc, dum ſunt inhabiles, ſed pro tempore impletæ conditionis, quo ſunt habiles, cum natura conditionis ſit, ut ſuſpendat actum, & ejus obligationem in tempus impletæ conditionis. Et quamvis ante diſpenſationem partes contrahentes ſint inhabiles ad ineundum matrimonium abſolutum, non autem ad contrahendum ſub conditione, ita ut conſenſus reſpiciat ſolum tempus habile, nempe tempus impletæ conditionis, hoc eſt, impetratæ diſpenſationis, ante quod conſenſus non eſt perfecte præſtitus: poſita autem conditione, nihil obſtat, quominus perficiatur matrimonium ſine novo conſenſu, ſicut purificantur ſponſalia de futuro inita ſub eadem conditione, ut docet *Sanch. c. l.* ergo ſimiliter perficitur matrimonium ſine novo conſenſu. Neque vero Pontifex diſpenſando facit, ut matrimonium prius invalidum fiat validum, ſed per diſpenſationem, tanquam per eventum conditionis, ſolum fit, ut conſenſus conditionatus, & hactenus pendens purificetur, & perficiatur, & cenſeatur abſolutus: adeoque diſpenſatio tollit impedimentum, & ponit in eſſe conditionem, ex qua pendebat conſenſus contrahentium, quo tempore poteſt abſolute præſtari: quare cum tunc perficiatur conſenſus, virtute illius perficitur etiam ipſum matrimonium, *Sanch. c. l. num. 11.*

Verum *Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 7. n. 5.* probabilius eſſe aſſerit, matrimonium ſub conditione diſpenſationis Papalis initum, nunquam ſine novo conſenſu coram Parocho, & teſtibus expreſſo, perfici, quia nunquam præſumitur eſſe mens Pontificis diſpenſantis, ut matrimonium, præterito tempore, ante diſpenſationem contractum ſit validum, ſed ſolum ut poſt impetratam diſpenſationem in facie Eccleſiæ, præmiſſis denunciationibus, contrahere liceat, ſicut ex Bullis Pontificiis colligitur, quod etiam ipſa praxi, & uſu obſervatur. Neque obſtat, quod promiſſio concepta ſub conditione, ſi res ſacra profanetur, vel liber homo ſervituti ſubjiciatur, non obliget, nec valeat, quia cenſetur impoſſibilis, vel bonis moribus repugnare. Nam reſpondetur, promiſſionem ſub conditione diſpenſationis non eſſe talem, quippe quæ a Principe poteſt, ac ſolet fieri, *Laym. c. l. n. 5.*

XXVIII. Quæritur 4. Si quis ſponſalia vel matrimonium contraxit cum duabus, quænam vel quod ex illis ſervandum ſit, ac validum? Reſp. 1. Si quis cum duabus contrahat ſponſalia, ſub conditione de futuro, etſi poſteriorum ſponſaliorum conditio prius impleatur, adhuc priora erunt valida, ita ut quandocunque eorum conditio evenerit, ipſis ſtandum ſit, *Coning. cit. diſ. 29. dub. 1. n. 20. Laym. cit. c. 7. n. 6.* contra *Sanch. cit. diſ. 8. n. 18.* Ratio eſt, quia talis neque licite, neque valide ſecunda ſponſalia inire poteſt, niſi priora ſponſalia prius fuerint diſſoluta. *Quod enim ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt, reg. 21. in 6.* Reſp. 2. Si quis cum duabus contraxit matrimonium, ſub conditione pendente in futurum, illud validum eſt, cujus conditio prius impletur, ſive illud primo contractum ſit, ſive poſterius, modo tamen contrahens utrumque, quantum poteſt, velit eſſe validum, & neutrum conſenſum revocarit, *Coning. c. l. n. 20. Laym. c. l. n. 7.* Ratio eſt, quia non quidem licite, tamen valide quis contrahit, etſi alteri ſit obligatus: at matrimonium ſecundum eventu conditionis purificatum prævalet primo matrimonio, cujus conditio adhuc pendet. Quod ſi conditiones utriuſque matrimonii ſimul impleantur, neutrum validum erit, quia incertitudo vitiat matrimonium, *c. Ex litteris. 10. de ſponſal.* atqui utrumque matrimonium eſſet incertum, quia in neutram mulierem eſſet determinatus conſenſus: cum enim conditio ſuſpendat conſenſum in tempus impletæ conditionis, ſi conditiones utriuſque matrimonii ſimul, & eodem tempore impleantur, perinde eſt ac ſi ſimul, & eodem tempore cum duabus contraheretur matrimonium, nec eſſet ratio, cur magis cenſeretur conſentire in unam, quam in alteram, *Coning. c. l. Sanch. cit. diſ. 8. n. 15.*

§. V.

An cauſa, demonſtratio, vel modus adjectus contractui matrimoniali ipſum vitiet, vel ſuſpendat?

XXIX. Aſſertio 1. Demonſtratio, vel cauſa ſive turpis ſit, ſive honeſta, vel contraria ſubſtantiæ matrimonii, vera vel falſa, per ſe nunquam ſuſpendit, nec vitiat matrimonium, ſed ſemper habetur pro non adjecta, & matrimonium valet, *Sanch. lib. 5. de matr. diſ. 19. num. 2.* & alii communiter. Ut, accipio te in uxorem, quæ, vel quia es ſterilis, vel virgo &c. Ratio eſt, quia per adjectionem talis demonſtrationis, vel cauſæ, non tollitur conſenſus neceſſarius ad ſubſtantiam contractus, cum ea non ſe habeat, ut objectum, vel pars objecti contractus, ſed tantum declarat opinionem, quam habet contrahens circa tale objectum, vel cauſam, quæ eum ad contrahendum movet. Nec refert, quod non contraheret, ſi ſciret, talem demonſtrationem, vel cauſam non ſubeſſe, quia voluntas illa habitualis non influit, nec ponit aliquid in re, nam ea non obſtante, modo actu, & abſolute conſentit: quamvis ſi ſciret, non conſentiret, ſed voluntatem mutaret, quod tamen nihil operatur in ordine ad actum præſentem; error enim non vitiat matrimonium, niſi ſit circa perſonam, vel conditionem libertatis, tunc enim nullum eſſet matrimonium, ut ſi quis dicat, contraho tecum matrimonium, quæ, vel quia es libera, vel primogenita filia Petri, tunc enim ſi non ſit libera, vel filia primogenita, irritum eſt matrimonium, non ratione falſæ demonſtrationis, vel cauſæ, ſed propter errorem perſonæ, vel conditionis: nam etiam tali demonſtratione, vel cauſa non adjecta, adhuc matrimonium ex tali errore contractum invalidum foret, *Sanch. cit. l.*

XXX. Aſſertio 2. Modus adjectus contractui matrimoniali non vitiat illum, nec ſuſpendit, niſi ſit contrarius ſubſtantiæ, aut bonis matrimonii, *Sanch. cit. diſ. 19. n. 5.* Ratio prioris partis eſt, quia modus in hoc differt a conditione proprie dicta, quod hæc ſuſpendit actum, cui apponitur, ita ut ante eam impletam non ſit validus. At modus non ſuſpendit actum, ſed is ſtatim valet, & vim ſuam habet, etſi nondum talis modus impletus ſit, *leg. Cum ab eo. 41. ff. de contrah. empt.* ita tamen ut alter contrahens obligatus maneat ad præſtandum modum, cum quo contractus eſt initus. Veluti ſi quis dicat, dono tibi equum, ut hoc, vel illud facias, ſtatim valet donatio, & tenetur donatarius implere modum, *Sanch. cit. diſ. 19. num. 4.* Poſterior pars probatur ex *cap. fin. h. t.* Ubi habetur, quod conditio contraria ſubſtantiæ matrimonio adjecta vitiat matrimonium, ut *contraho tecum, ut generationem prolis evites: vel donec inveniam aliam digniorem: aut ſi pro quæſtu adulterandam te tradas.* Ubi notandum, ſi qui matrimonium contrahere intendant ſub conditionibus expreſſis in *cit. c. fin.* & eo jam contracto, velint adjicere obligationem, quæ omnino adverſatur ſubſtantiæ matrimonii, tunc cenſentur non ſub conditione proprie dicta, & ſuſpenſiva, ſed potius ſub conditione improprie dicta, & non ſuſpenſiva, ſive ſub modo contraxiſſe, quem contrahentes poſt contractum matrimonium obſervare velint, & ad eum ſervandum obligationem inducere, & tunc per adjectionem talis modi vitiatur matrimonium, *Covarr. in 4. Decret. part. 2. cap. 3. §. 1. num. 7. Sanch. cit. diſ. 19. num. 5. Molin. tract. 2. de juſtit. diſ. 208. num. 3.* Ubi ait, quod interdum nomine conditionis ſignificatur modus. Ratio eſt, quia id generatim loquendo in omnibus contractibus obtinet, quod quando contrahens, dum actu contrahit, vult alterum obligari ad præſtandum quippiam repugnans ipſi ſubſtantiæ contractus, ſatis ſignificat, ſe non habere veram, & ſeriam voluntatem ineundi talem contractum, ſine vera voluntate autem, ſeu conſenſu, contractus non ſubſiſtit, *Laym. lib. 5. tr. 10. p. 2. c. 7. num. 11. §. Porro.*

XXXI. Aſſertio 3. Si modus adjectus matrimonio ſit impoſſibilis, non tamen repugnans ſubſtantiæ matrimonii, ut contraho tecum ea lege, ut digito cœlum

tan-

tangas, ut montem aureum mihi des: vel turpis, & illicitus, ut partem tuum interficias, tunc matrimonium valet, & modus pro non adjecto habetur ob favorem matrimonii, juxta *cit. c. ult. h. t.* quia conditio impoſſibilis, vel turpis non vitiat matrimonium, nec illud ſuſpendit, ſed rejicitur, ac ſi appoſita non fuiſſet, ut ſupra dictum; ergo multo magis modus impoſſibilis, aut turpis, qui incitat ad peccandum, cum hic non ſuſpendat contractum, ſed adveniat contractui jam perfecto, *Sanch. cit. diſ.* 19. *n.* 7. Confirmatur, quia in omnibus aliis contractibus, modus impoſſibilis, ſive de facto, ſive de jure, & ſecundum mores, ſive moraliter, ſi adjiciatur contractui, illum non vitiat, ſed pro non adjecto habetur, v. g. dono tibi equum, ut cœlum digito tangas, vel ut inimicum meum interficias, quia modus diſpoſitionem, cui adjicitur, non ſuſpendit, ſed validam eſſe ſupponit, *Molin. cit. diſ.* 208. *n.* 11. *Sanch. c. l.*

XXXII. Prædictis addendum 1. ut cognoſci poſſit, quando res aliqua donata fuit, v. g. *ſi hoc fiat*, vel *dummodo hoc fiat*, utrum donatio facta ſit ſub conditione proprie dicta, ſive ſuſpenſiva: an vero ſolum ſub modo, ſeu conditione non ſuſpenſiva, attendendum eſt, utrum donator voluerit, donationem non ante validam eſſe, ac firmam, quam conditio ſit impleta; & tunc præſumi debet, conditionem proprie dictam eſſe appoſitam, nec valere donationem, ante eventum conditionis, an vero donator voluerit, ut ſtatim valida ſit donatio, ſed donatarius obligatus ſit ad aliquid poſtea faciendum, & tunc cenſari debet ſub modo eſſe factam. *Laym. cit. c.* 7. *n.* 11.

Addendum 2. Tametſi in omnibus contractibus conditio non ſuſpenſiva, ſive modus impoſſibilis, vel turpis, ſi non averſetur ſubſtantiæ contractus, debeat haberi pro non adjecto: ſpecialiter tamen id obtinet in contractu matrimonii, ob illius favorem, qui in eo conſiſtit, quod ſi dubium ſit, num conditio impoſſibilis, aut turpis adjecta fuerit matrimonio, tanquam conditio proprie dicta, & ſuſpenſiva, an vero tanquam modus, ſive conditio non ſuſpenſiva, tunc hoc poſterius præſumi debet, ac proinde matrimonium ſtatim validum erit, conditio vero pro non adjecta cenſebitur. Niſi certo conſtat, aliquem nullo modo voluiſſe abſolute contrahere matrimonium, ſed ſolum ſub conditione impoſſibili, tunc enim veritas prævalet præſumptioni, & hæc illi cedere debet, quia Eccleſia non poteſt ſupplere conſenſum ad ſubſtantiam matrimonii requiſitum, *Laym. cit. c.* 7. *n.* 12.

§. VI.

De conditionibus appoſitis in aliis contractibus.

XXXIII. De his agitur in ſecunda parte hujus Rubricæ, & imprimis in *c. Cum ſit* 2. *h. t.* ubi talis caſus proponitur: Quidam Diaconus manumiſit duo mancipia,
,, ſub hac conditione, ſeu modo ut Monachi fierent, &
,, in eo Monaſterio, ubi ipſe fuerat (ſcilicet Diaconus Cle-
,, ricus miniſtrans, non Monachus, *Hoſtienſ. hic V. Fue-*
,, *rat*) permanerent, adjiciens, ut ſi quis contra faceret,
,, iterum ſervituti ſubjiceretur. Cum autem unus ex il-
,, lis, contempta conditione, Monaſterium deſeruiſſet, &
,, Clericis (ſæcularibus) ſe junxiſſet: conſultus ſuper hac
,, re Papa Gregorius reſcribit Epiſcopo Diœceſano, ut ſi
,, ita eſſe repererit, ſic ſe exhibeat, ut nec Monaſterium
,, deſerat, nec voluntas manumittentis prætereatur.

Ubi notandum 1. Servus poteſt manumitti, ſub ea conditione, ſeu modo, ut fiat Monachus, vel Clericus, *Abb. hic n.* 3. quando hic in fine dicitur, *quod voluntas manumittentis non valeat præteriri*, ut ſcilicet iſti ſervituti iterum ſubjiciantur, ſi in Monaſterio non permaneant, id intelligendum eſt, ante profeſſionem, nam iſti fuerunt manumiſſi ſub conditione, ſeu modo, ut fierent Monachi, alias reinciderent in ſervitutem priſtinam, quod referri debet ad tempus ante profeſſionem, quia poſt profeſſionem, non poſſunt tranſire ad Clericos ſæculares, ſed volenter coguntur permanere in Monaſterio, & hoc ipſo obſervant voluntatem manumittentis, *Abb. hic in fine*.

XXXIV. Præterea in *c. Verum* 4. *h. t.* ſtatuitur, ut ſi
,, alicui Eccleſiæ poſſeſſio v. g. prædium, ſub aliqua con-
,, ditione, ſed eſt, ſub modo donetur, a donatore poſtea
,, donum revocari non poſſit: niſi tali conditione, ſeu pa-
,, ctum collatum, quod ea ceſſante debeat revocari: tunc
,, enim ſi non fiat, quod convenit, donatio revocatur,
Gl. hic in Caſu. Ratio deciſionis eſt, quia modus adjectus donationi factæ Eccleſiæ, non eſt principalis cauſa finalis tiſis donationis, quippe quæ cenſetur principaliter facta in honorem DEI, & pro ſalute animæ ſuæ, aut remedio peccatorum ſuorum: & ſic non poteſt agi ad revocationem donationis, ſed ſolum ut impleatur, ſeu ſervetur modus appoſitus, niſi ſit expreſſum, ut poſſit revocari, ſi modus non ſervetur, *Gl. fin. hic & Abb. n.* 2. Nam quilibet in traditione rei ſuæ poteſt apponere pactum, & modum legibus non improbatum, *l. In traditionibus.* 48. *ff. de pact. l.* 1. *C. de donat. quæ ſub modo &c. c. Cum dilecti.* 6. *de donat.*

XXXV. Pro declaratione hujus c. notandum 1. ſi in fundationibus Eccleſiarum, aut Eccleſiaſticorum Collegiorum, vel beneficiorum, & ſimilium, quæ pietatis, & Divini cultus cauſa, inſtituta ſunt, donationi modus adjiciatur; ſtatim valet donatio, etſi modus non ſervetur, neque poteſt agi ad revocandam donationem, ſed ſolum, ut modus impleatur, niſi id expreſſe in fundatione ſit cautum. Si vero modus adjectus ſit finalis, & principalis cauſa ipſius donationis, recte agitur ad revocationem ejus, quod donatum eſt, etiamſi nulla adjecta ſit clauſula revocatoria donationis, *l. Cum te* 6. *C. de pact. inter empt. & vendit. l.* 1. 2. & 3. *C. de donat. quæ ſub modo &c. & l. fin. C. de revoc. don.* quia ceſſante cauſa, ceſſat effectus, *cap. Cum ceſſante.* 60. *de appell. Caniſ. in cit. c. Verum n.* 3. *h. t.* Itaque in donatione facta Eccleſiæ, ipſamet datio cenſetur cauſa finalis, nempe liberalitas in pium locum collata: modus vero favore Eccleſiæ, præſumitur cauſa ſolum impulſiva, *Covarr. lib.* 1. *var. reſol. c.* 14. *n.* 6. Ubi ait, quando modus adjectus donationi inducit cauſam finalem, eo non ſervato, revocetur donatio, *cit. lib. Cum te C. de pact. inter empt. & vendit.* Secus vero, ſi impulſivam cauſam induxerit, tunc enim non revocatur donatio, ſed agitur ad implendum modum, *l. Ea conditione.* 14. *C. de reſcind. vendit. & ibi Bald. in Summa.* Non cenſetur autem modus cauſa finalis donationis, adeoque nec revocatur, niſi id ſit expreſſum in ipſa donatione, *cit. c. Verum in fine*, *Alex. de Nevo ibid. n.* 9.

Notandum 2. Quod dictum eſt donantem Eccleſiæ rem aliquam poſſe apponere modum, id intelligendum eſt, dummodo modus apponatur in continenti, & in ipſo contractu, nam poſtea, & ex intervallo non poteſt apponi, *juxta l. Unic. §. Accedit*, & Notat G. ibi V. *Fecerit C. de rei uxor. act. Alex. de Nevo in cit. c. Verum. n.* 3.

Notandum 3. Diſpoſitio hujus cap. intelligi debet de modo, & non de conditione ſtricte ſumpta, qui tamen aliquando accipitur etiam pro conditione laxius ſumpta, quia modus non ſuſpendit actum, cui apponitur, neque vitiat, ſeu annullat illum, niſi ſit contrarius ſubſtantiæ illius, ſed modificet, ut ſi donaret prædium Eccleſiæ, ſub hac conditione, ne alienetur, tunc favore Eccleſiæ præſumitur eſſe modus, & non poteſt revocari donatio, ſed ſolum datur facultas agendi ad obſervandum modum: niſi expreſſe ſit additum, ut ſi ceſſet conditio, quia facta eſt alienatio, revocari poſſit donatio, tunc enim apparet conditionem ſtricte dictam appoſitam eſſe, quæ ſuſpendit actum, ita ut conditione non poſita ſit nullus, vel revocari poſſit, *Gl. hic V. Conditione, & V. Debeat*, *Abb. n.* 1. *& Alex. de Nevo n.* 7. *&* 8.

Notandum 4. In donatione facta Eccleſiæ ea lex, ſeu conditio apponi poteſt, ut non liceat Eccleſiæ rem donatam alienare, & ſi contra factum fuerit, poſſit illa a donante revocari: id vero non procedit, ſi alienatio facta ſit a ſolo Prælato, quia delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare, *Reg. Jur.* 76. *in* 6. poteſt autem revocari, ſi alienatio facta ſit a Prælato, & Capitulo ſimul, quod procedit in rebus jam acquiſitis Eccleſiæ, non in acquirendis, nam in his etiam factum ſolius Prælati præjudicare poteſt Eccleſiæ, *Abb. hic n.* 3. *& Alex. de Nevo n.* 20. *&* 21. Sed de hoc alibi actum.

TITULUS VI.

QUI CLERICI, VEL VOVENTES MATRIMONIUM CONTRAHERE POSSUNT?

Actum eſt in præcedentibus Titulis de matrimoniis puris, ſeu abſolutis; & conditionalibus, quo modo contrahantur, & inter quos: nunc in hoc, & aliquot, ſeqq. Titulis agitur de variis impedimentis, ob quæ matrimonium inter aliquos contrahi non poteſt, & contractum non valet: & in hoc quidem Titulo de duobus impedimentis dirimentibus, uno ratione Sacri Ordinis ſuſcepti, altero ratione voti continentiæ emiſſi.

§. I.

Utrum Ordo Sacer dirimat matrimonium ſubſequens, & quo jure?

I.

ASſertio 1. Per Ordinem Sacrum, videlicet Presbyteratum, Diaconatum, & Subdiaconatum, dirimitur matrimonium poſtea initum, prout noviſſime definitum eſt in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *de Sacram. matr. can.* 9.
,, Idque probatur 1. *ex c. De Diacono* 1. *h. t.* Ubi de Dia-
,, cono, qui in Sabbato Sancto vulneravit alium Diaco-
,, num, & uxorem duxit (de facto, quia de Jure non potuit,
,, *Gl. hic V. eod.*) Conſultus Papa Alexander III. reſpon-
,, dit, ſi contritus ad Eccleſiam redire voluerit, dimiſſa il-
,, la, quam accepit in uxorem, & abſolutione obtenta,
,, debet ipſi, propter utrumque exceſſum, ſive delictum,
,, pœnitentia injungi, eaque peracta, poterit cum eo diſ-
,, penſari, ut Diaconatus Officium exerceat: & ſi perfe-
,, ctæ vitæ, & converſationis fuerit, etiam in Presbyterum
,, ordinari. Subdiaconus quoque, ſive homicidium fecerit,
,, ſive non, matrimonium contrahere non poteſt, ſecun-
,, dum SS. Canonum Sanctiones, *cap.* 1. *& c. De illo* 4.
,, *diſ.* 32. *&c. Cum in præterito.* 3. *diſ.* 84. Ubi ratio red-
,, ditur, quia condecet ſacros Antiſtites, & DEI Sacerdo-
,, tes, nec non & Levitas, (ſeu Diaconos) & qui Sacra-
,, mentis Divinis inſerviunt (id eſt, Subdiaconi, *Gl. ibid.*
,, *V. Inſerviunt*) continentes eſſe in omnibus, quo poſ-
,, ſint

,, ſint ſimpliciter quod a DEO poſtulant impetrare, ut ,, quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus. Nam quia in Sacris Ordinibus conſtituti ſacra vaſa, & Sacramenta tractant, ac proinde decens ſit, ut munditiam corporalem per continentiam ſerveat, idcirco Eccleſiæ ſancivit, ut nec Diaconus, nec Subdiaconus matrimonium contrahere poſſint; nam quamvis in primitiva Eccleſiæ non prohiberentur Subdiaconi uxores ducere, ut patet ex *c.* 1. *diſ.* 31. poſtea tamen ſtatutum fuit, ut etiam ipſi matrimonium contrahere non poſſent, & ut nullus Subdiaconus fieret, niſi qui ſe caſte victurum promitteret, *cit. c.* 1. *& c. Subdiaconi.* 9. *diſ.* 32.

II. Pro explicatione *cit. c.* 1. *h. t.* notandum 1. matrimonium, poſt ſuſceptum Sacrum Ordinem, contractum eſt irritum, ut habetur hic, & docet *Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 28. *n.* 2. & alii communiter, quia talis eſt inhabilis ad contrahendum matrimonium. Excipitur 1. niſi quis fuerit promotus ad Ordinem Sacrum; per illatam vim, vel metum cadentem in conſtantem virum, tunc enim non tenetur ſervare continentiam Ordini Sacro annexam, quia hic non obligat ad caſtitatem ex natura rei, ſed ſolum ratione voti, ex Eccleſiæ conſtitutione Ordini Sacro annexi; votum autem ſive expreſſum, ſive tacitum, quale ineſt Ordini Sacro, eſt irritum, ſi ob metum cadentem in virum conſtantem fuerit emiſſum, adeoque non obligat, ſed talis matrimonium contrahere poteſt, *c.* 4. *& c. Cum dilectus* 6. *de his quæ vi met. cauſ. fiunt. Sanch. l.* 7. *diſ.* 29. *n.* 5.

Excipitur 2. qui ſuſcepit Ordinem Sacrum, ſive ante, ſive etiam poſt uſum rationis, ſed ante pubertatem, non obligatur ad votum continentiæ ſervandum, niſi adeptus pubertatem illud ratificet, & conſequenter matrimonium inire poteſt, ut ex probabiliore ſententia docet *Sanch. cit. l.* 7. *diſ.* 30. *n.* 8. & alii apud ipſum. Ratio eſt, quia quamvis alioqui impuberes ſimplici voto caſtitatis obligari poſſint, quæ tamen facillime vota illorum diſſolvi poſſunt, irritari a parentibus, & tutoribus, etiam ſine aliqua cauſa, non eſt credendum Eccleſiam velle obligare puerum impuberem voto tanti momenti. Confirmatur, quia votum ſolemne expreſſum in Religione approbata emiſſum non obligat, niſi poſt pubertatem ratificetur, *c. Ad noſtram.* 8. *de regul.* ergo nec votum ſolemne tacitum emiſſum in ſuſceptione Sacri Ordinis; quia etſi Pontifex in eo diſpenſare poſſit, ſed non niſi difficillime diſpenſabit, & propter cauſam valde gravem, & publicam, & per illud conſtituitur quis in ſtatu Eccleſiaſtico incompatibili cum matrimonio, *Sanch. c. l.*

Excipitur 3. qui invalide eſt promotus ad Sacrum Ordinem, quia is irritus fuit, ob defectum ſubſtantialiter requiſitum ad Ordinem, valide contrahit matrimonium, quia non obligatur ad votum continentiæ ei annexum, *Barb. in Collect. in cit. c.* 1. *h. t. n.* 4. poſt Gutierez.

Notandum 2. Clericus in Sacris conſtitutus, ſi uxorem ducat, fit irregularis, ita ut nec in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, nec ad ſuperiores Ordines ſuſcipiendos promoveri poſſit; poteſt tamen Epiſcopus in ea irregularitate diſpenſare, ut patet ex *cit. c.* 1. *h. t.* dummodo talis Clericus doleat de peccato ſuo, & pœnitentiam injunctam peragat, ablatoque ſcandalum aliorum. *Azor. p.* 1. *Inſtit. mor. lib.* 13. *c.* 3. *q.* 6. *Sanch. cit. l.* 7. *diſ.* 86. *n.* 6.

III. Præterea quod Subdiaconus non poſſit contrahere matrimonium, ſtatuitur etiam in *c. Exhibitarum* 2. *h. t.*
,, Nam cum quidam Subdiaconus quamdam ſibi in conju-
,, gem copulaſſet, Epiſcopus loci eum ne abjuraret, fe-
,, cit. Quare Pontifex conſultus mandat, ut ſi is ad mo-
,, naſticum Ordinem (ſeu Religionem) tranſire voluerit,
,, poſt laudabilem ipſius converſationem, poſſit ei conce-
,, dere, ut ad altiores Ordines promoveatur. Si vero ad
,, Religionem tranſire noluerit, eum neque in Subdiaconato
,, miniſtrare, neque ad altiores Ordines promoveri permit-
,, tet: in minoribus tamen Ordinibus miniſtrare poterit.

IV. Notandum 1. Qui in minoribus Ordinibus, ſeu inferioribus Subdiaconatu ſunt conſtituti, poſſunt contrahere matrimonium, ut colligitur ex hoc c. quia illud non dirimunt Ordines minores, cum nullus extet textus, ſeu Canon id interdicens: Imo hoc expreſſe conceditur in *c. Si quis* 7. *diſ.* 32. *& c. Si qui vero* 3. *eadem diſt. & c.* 1. *de Cleric. conjug. & dictum lib.* 3. *Tit.* 3. *n.* 5. Ratio eſt, quia Ordo, ſuapte natura, non repugnat matrimonio, ſed ſolum ratione voti, quod Eccleſia ſuo præcepto ei annexuit: at Eccleſia ſolis Ordinibus Sacris, ſeu Majoribus votum caſtitatis annexuit; *c.* 1. *& c. Diaconi.* 8. *diſ.* 28. Imo Eccleſia non habet poteſtatem præcipiendi iis, qui jam Ordinibus minoribus funguntur, ut continentiam perpetuam ſervent, *c. De his* 5. *cit. diſ.* 28. qui eſt deſumptus ex Concilio Tolet. *Azor. p.* 1. *lib.* 13. *c.* 13. *q.* 4. *Sanch. l.* 7. *diſ.* 31. *n.* 4. ubi *n.* 5. addit, quod etiam ille, qui Ordines minores recipit, credens illis annexum eſſe ſolemne votum tacitum continentiæ, non tenetur ad illius obſervantiam, quia talis non intendebat per ſe, & principaliter votum caſtitatis emittere, ſed ſolum quatenus illud annexum putabat Ordinibus Minoribus; cum ergo non ſit annexum, nullo voto obligatus erit. Nec obſtat, quod juxta *Can.* 25. Apoſtolorum, Lectores, & Cantores tantum, ſi velint, nuptias contrahere poſſunt; ergo Acolythi olim non poterant. Idemque habetur in *c. Lectores.* 8. *diſ.* 32. Sed reſpondetur, in iis Canonibus, Lectorum, & Cantorum appellatione contineri omnes Clericos minores, ſeu inferiores Subdiacono, *Azor. c. l. q.* 4. in fine; neque excludi duos alios minores Ordines, ſed includi, quia in illis eſt eadem omnino ratio; & dictio taxativa *tantum* ita excludit extranea, & diſſimilia, ut includat omnes caſus ſimiles, in quibus eſt eadem ratio, ut ex Everhardo tradit *Sanch. cit. diſ.* 31. *n.* 6.

V. Notandum 2. Quando hic dicitur, quod Epiſcopus poteſt diſpenſare cum Clerico in Sacris conſtituto contrahente matrimonium, id intelligi debet, ſi cum unica, eaque virgine contraxerit; ſecus, ſi cum vidua, aut corrupta, vel quando Clericus in Sacris binas nuptias contraxit, juxta *c. Nuper* 4. *& c. ult. de bigamis non ordin.* Nam quamvis *c. Sane* 4. *de Cleric. conjug. & c.* 1. *&* 2. *h. t.* non exprimant, quando cum virgine, & unica eſt initum matrimonium: tamen ita neceſſario intelligenda ſunt, ne adverſentur duobus capp. ſupra citatis, in quibus negatur in his caſibus diſpenſari poſſe, *Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 86. *n.* 20. *Barb. in Collect. in c.* 2. *n.* 4. *h. t.* Nec obſtat, quod in *cit. c.* 2. *h. t.* ſolum conceditur Epiſcopis facultas diſpenſandi cum his Clericis, quando vere pœnitentes ſunt, ac Ordinem Religioſum ingrediuntur: quia id intelligi debet de conſilio, non ex præcepto; nam jure ſuo Epiſcopus poteſt diſpenſare cum talibus Clericis, juxta *c. Sane* 4. *de Clerico conjug. & c.* 1. *h. t. Gl. in cit. c.* 2. *V. In Subdiaconatu h. t. & Alex. de Nevo ibid. in fine, Sanch. c. l. n.* 20.

VI. Aſſertio 2. Multo probabilius, ac verius eſt, ſolo jure Eccleſiaſtico, ſeu Conſtitutione Eccleſiæ per ſuſceptionem Ordinis Sacri dirimi matrimonium ſubſequens, non jure naturali, vel Divino, ut docet *Sanch. l.* 7. *diſ.* 28. *n.* 11. & alii apud ipſum. Idque probatur 1. quia Eccleſia Clericos initiatos Sacris Ordinibus reddit inhabiles ad matrimonium, ſicut conſanguineos in ſecundo, & ulterioribus gradibus, uſque ad quartum; nam etſi congruum, & decens ſit, ut Clerici in Sacris conſtituti caſte vivant, non tamen iis Jure Divino matrimonium eſt interdictum, cum tale præceptum nullibi reperiatur: idque ex eo patet, quia per Ordinem Sacrum non fit totalis traditio hominis ipſi DEO, ſed ad cultum DEI, & divinum Officium, cui non repugnat matrimonium jure Divino, nec jure naturali, cum per ſe licitus ſit uſus matrimonii, & permiſſus Sacerdotibus Græcis, quando matrimonium eſt ante Ordines Sacros initum: et ſi Sacer Ordo repugnaret matrimonio, dirimeret matrimonium ratum præcedens, ſicut profeſſio ſolemnis, quod dici non poteſt, ut ex infra dicendis patebit. Sed neque Jus Divinum, nec Apoſtolicum præceptum extat prohibens, ne ad Sacros Ordines aſſumantur, niſi illi, qui nullo ante matrimonio fuerint conjuncti, quia Paulus 1. *ad Tim.* 3. *&* ad Tit. 1. ſcribit, *Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum*, quamvis uſus conjugii Sacerdotibus ſit interdictus in *Epiſt. Clementis* 2. *Sanch. cit. l.* 7. *diſ.* 27. *n.* 5. *&* 6. Deinde idem probatur, quia votum continentiæ perpetuæ annexum Ordini Sacro non eſt per ſe, ac ex natura ſua ſolemne, ſicut votum profeſſionis Religioſæ, ſed per accidens ſolum, & extrinſece, quoad effectum dirimendi matrimonium, quia ſolo ſtatuto Eccleſiæ reddit perſonas inhabiles ad matrimonium, juxta *c. Un. de voto in* 6. Neque enim Sacro Ordine initiatus offert ſe ad caſtitatem ſervandam, per ſe, ac principaliter, ſed ad Miniſterium Sacrorum Ordinum, *Sanch. cit. diſ.* 27. *n.* 17. Porro in *c. Unic. de voto in* 6. æquiparantur ſolemne votum Ordinis Sacri, & Profeſſionis, quoad hoc, quod utrumque matrimonium ſubſequens diſſolvat, non autem quoad jus, quo id competit, ſive eſt inductum: & quia ſolum per accidens, & extrinſece votum Sacri Ordinis eſt ſolemne, ideo non habet ex ſe, ut dirimat matrimonium, ſicut votum profeſſionis, ſed ſolum ex conſtitutione Eccleſiæ, *Sanch. c. cit. diſ.* 28. *n. uit.*

VII. Cæterum quod dictum eſt per Ordinem Sacrum dirimi matrimonium poſtea ſubſequens, non autem prius contractum, etiamſi carnis copula non ſit conſummatum, ſtatuitur in *c. Antiqua unic. in Extrav. Joann. XXII. De voto*, de quo dictum ſupra *lib.* 3. Tit. 32. §. 12. *n.* 60. Sed quia ea Conſtitutio Extravagans poſita in Titulo XXXIV. *De voto*, proprie ad hunc Titulum pertinet, ideo illam hoc loco magis declarabimus, & quæ in illa continentur, proponemus.

Et in primis quod per ſuſceptionem Sacri Ordinis impediatur matrimonium contrahendum, ita ut valide contrahi non poſſit, probatur ex eo, quia eo ipſo, quod quis Ordinem Sacrum ſuſcipit, etiamſi verbotenus id non exprimatur, cenſetur votum caſtitatis emiſiſſe, quia ex Conſtitutione Eccleſiæ illud eſt Sacris Ordinibus annexum, ideoque inhabilis redditur ad matrimonium contrahendum, *cit. Extrav. un. & c. Un. de voto. in* 6. Non tamen per ſuſceptionem Sacri Ordinis irritatur matrimonium præcedens, etiam non conſummatum, quia nec Jure Canonico, nec Jure Divino id reperitur ſtatutum, *cit. Extrav. unic. & ibi Gl. V. Contrahentium*: & ideo quamvis matrimonium per carnis copulam non conſummatum, per ingreſſum Religionis alterius conjugum diſſolvatur, non tamen diſſolvitur per Ordinem Sacrum a remanente in ſæculo ſuſceptum, quia ingreſſus in Religionem eſt mors ſpiritualis, qua ingrediens ſæculo moritur, & vivit DEO: qualis mors non eſt ſuſceptio Sacri Ordinis, neque etiam totalis traditio ſui, ut ſupra dictum, *Hoſtiens. in ſumma Tit. de converſ. Conjug.* §. *Et utrum*, *Vivian. in cit. Extrav. Antiqua de voto.*

VIII. 2. Statuitur in *cit. Extravag. Antiqua*, ut nullus, durante matrimonio, etiam nondum conſummato, præſumat recipere aliquem de Sacris Ordinibus, niſi prout

SS.

§8. Canonibus convenit (nempe de licentia uxoris Religionem ingredientis, vel etiam in ſæculo remanentis, & votum caſtitatis emittentis, ſi non ſit ſuſpectæ de incontinentia, *Gl. l. V. Noverit convenire*) alioquin diſſoluto etiam matrimonio, nec in illo miniſtrare, nec ad ſuperiores Ordines aſcendere poterit, niſi aliquam ex Religionibus approbatis ingrediatur, & ejus Regulam expreſſe, vel tacitè profiteatur, *Sanch. l. 7. diſ. 49. n. 2. & alii apud ipſum*. Ratio eſt, quia cum talis ſit conjugatus, adeoque teneatur reddere debitum conjugale uxori, non poteſt licite ſuſcipere Ordinem Sacrum, ob quem tenetur ſervare caſtitatem, *c. Lex continentiæ 10. diſ. 31*. Sed neque talis conjugatus ad beneficium, vel Officium Eccleſiaſticum etiam modicum promoveri poteſt, *cit. Extrav. un. & ibi Gl. V. Nec ad aliquod*; idque procedit, ſive diſſolvatur matrimonium per mortem, ſive per ingreſſum in Religionem alterius conjugis ante conſummationem, quia textus indiſtinctè, & generaliter loquitur, *Gl. hic V. Nec matrimonio ſoluto*.

IX. An autem Ordines minores recipere poſſit talis conjugatus, dubitatur? Affirmant nonnulli quia his Ordinibus non eſt annexa continentia: ſed contrarium eſt probabilius, quia quamvis *cit. Extrav.* loquatur ſolum de Sacris Ordinibus: tamen regulariter prohibetur conjugatus promoveri etiam ad Ordines minores, *c. fin. de temp. Ordin. in 6*. Nam quamvis Ordinibus minoribus non ſit annexa continentia, & ideo ex hac parte, non repugnet eos recipere poſt conjugium: repugnat tamen propter ſpecialem Juris prohibitionem, *Sanch. l. 7. diſ. 28. n. 10*. Nec argumentum e contrario ſenſu vim habet, quando inde alterius juris correctio reſultat, *Barboſ. in cit. Extrav. unic. n. 5*.

,, X. Præterea ſi quis poſt matrimonium ratum, & non
,, conſummatum initiatus Ordinibus Sacris, unam ex Re-
,, ligionibus approbatis Canonicè ingrediatur, ejuſque Re-
,, gulam expreſſe, vel tacite profeſſus fuerit, hoc caſu,
,, Epiſcopus Diœceſanus cum eo diſpenſare poterit (ſci-
,, licet, ut in jam ſuſcepto Ordine miniſtrare, & ad altiores
,, Ordines aſcendere, & ad beneficium, & Officium Ec-
,, cleſiaſticum promoveri poſſit) *cit. Extravag. unic. &*
,, *ibi Gl. V. Diœceſanus, & V. Singulis præmiſſorum*, ni-
,, ſi aliud Canonicum impedimentum obſiſtat, nempe ir-
,, regularitas, vel delictum, *Gl. hic V. Quod obſiſtat*.

,, XI. 3. Additur in *cit. Extrav. un.* in fine, quod ta-
,, lis conjugatus ſic ordinatus (ſcilicet, initiatus aliquo ex
,, Sacris Ordinibus) inſtanter monendus eſt per Epiſcopum
,, Diœceſanum, & inducendus, ut Religionem ingredia-
,, tur, ſi matrimonium nondum ſit conſummatum (quia
per ingreſſum Religionis diſſolvitur matrimonium nondum conſummatum, *c. 2. De converſ. conjug.*) Ex quo ſequitur, quod vir, abſque expreſſa, & ſpontanea licentia uxoris, ad Sacros Ordines promotus, ſi matrimonium nondum eſt conſummatum, non tenetur Religionem ingredi, cum Pontifex in dicta Extrav. tantum hortetur ad ingrediendum, & non præcipiat, *Sanch. l. 7. diſ. 38. n. 18*.
,, Quod ſi renuerit ingredi ipſe, & ſponſa ejus inſtiterit,
,, ut ingrediatur, per cenſuram Eccleſiaſticam, (ſuſpen-
,, ſionis, excommunicationis, vel interdicti) compellen-
,, dus erit contractum matrimonium conſummare, nem-
,, pe per copulam carnalem. Et ita patet ſic ordinatum
,, poſſe renuere, *Sanch. c. l. n. 18.* quia non poteſt abſolutè cogi ad ingreſſum Religionis, voluntarium enim militem ſibi eligit DEUS, non coactum, *c. Non eſt, 10. cauſ. 15. q. 1. Gl. hic V. Renuerit*.

XII. Prædictis addendum, nunquam permiſſum fuiſſe, non ſolum in Eccleſia Latina, & Occidentali, ſed neque in Eccleſia Græca & Orientali Sacr. Ordine initiatis matrimonium inire, nam in *c. Si quis 7. diſ. 32.* de Eccleſiæ Græca dicitur: *Si quis eorum, qui ad Clerum accedunt, voluerit nuptiali jure mulieri copulari, hoc ante Ordinem Subdiaconatus faciat*. Idemque habetur in *c. Erubeſcant. 11. diſt. ead. Silveſt. in ſumm. V. Matrimonium 8. q. 12. Verſic. Sextum, Azor. p. 1. Inſtit. l. 13. c. 13. q. 5. Sanch. l. 7. diſ. 28. n. 3*. Et de Eccleſia Latina conſtat ex *cap. Presbyteris 8. diſ. 27. & c. Decernimus 2. diſ. 28. Azor. c. lib. 13. c. 12. q. 3. Sanch. c. l.* Porro hoc eſt diſcrimen inter Græcos & Latinos in Sacris Ordinibus conſtitutos, quod illis licuit, poſt matrimonium initum Sacros Ordines ſuſcipere, & uti matrimonio antea contracto, quod Latinis eſt interdictum, ut conſtat ex *c. Cum olim 6. de Cleric. Conjug. & dictum ſupra lib. 3. Tit. 3. §. 2. num. 9*. Et Græcis quidem conceſſus fuit uſus matrimonii, ante ſuſceptum Sacrum Ordinem initi, extra illud tempus, quo Miniſterio Altaris deſervire debent ex lege, vel ex conſuetudine, ut tradit *Azor. cit. l. 13. c. 13. q. 1. Sanch. cit. diſ. 28. n. 5*.

§. II.

An, & qua jure votum ſolemne caſtitatis per profeſſionem matrimonium poſtea initum dirimat, & an etiam votum ſimplex caſtitatis impediat matrimonium, idque dirimat?

XIII. Aſſertio 1. Votum ſolemne caſtitatis per profeſſionem in Religione approbata emiſſum dirimit, ſeu irritum reddit matrimonium ſubſequens, ſeu poſtea initum, prout definivit *Conc. Trident. ſeſſ. 24. de Sacram. matr. can. 9.* ubi dicitur: *Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, aut voto, anathema ſit*. Id-

que ſumitur etiam ex *c. Meminimus 3. h. t.* Ubi Papa Alexander III. ita reſcribit: ſi quis ſe Religioni devovit,
,, & habitu ſuſcepto, profeſſionem fecit, ſed poſtea ali-
,, quam ſibi matrimonio copulavit, compellendus eſt
,, eam deſerere, & ad Monaſterium redire: ſi vero nec
,, habitum ſuſcepit (maxime, quia ſolus habitus Mona-
,, chum non facit, *Gl. hic V. Nec habitum*) nec profeſſionem
,, fecit, ſed ſolum votum edidit ingrediendi Religionem,
,, licet poſtea matrimonium contraxerit, non eſt cogendus
,, ad Religionem tranſire, & matrimonium reſcindere.

XIV. Ex quo patet, quod votum ſolemne Religionis per profeſſionem expreſſam, vel tacitam emiſſum impedit, & dirimit matrimonium poſtea contractum: ſimplex vero votum (quale eſt votum tranſeundi ad Religionem, ut in caſu hujus cap.) impedit quidem matrimonium contrahendum, facitque, ut ſit illicitum, quia violatur votum contra illud *Pſal. 75. Vovete, & reddite Domino DEO veſtro*. Sed non irritum reddit matrimonium contractum, quia multa facta tenent quæ fieri prohibentur, *c. Quemadmodum 25. de jurejur.* Quare licet vovens ſe ingreſſurum Religionem debeat compelli ad intrandum, *c. Perfectum 13. de Regular.* ſi tamen, antequam ingrederetur, contraxit matrimonium, non debet cogi ad dimittendam uxorem, quia per vinculum matrimonii ſuperveniens, quod eſt fortius, tollitur prius votum ſimplex ingrediendi Religionem, *Abb. hic. n. 2*. Ratio autem, cur votum ſolemne caſtitatis editum per profeſſionem Religionis reddat irritum matrimonium ſubſequens, eſt, quia cum per tale votum Religioſus ſe, ſuumque corpus DEO in Religione publice, & ſolemniter offerat, & tradat, æquum fuit, ut Eccleſia tale impedimentum dirimens eidem profeſſioni adjiceret, ne Religioſi poſſent pro libitu ex ſtatu perfectiore, in quo ſe ſtabiliter DEO obligarunt, ad ſtatum imperfectiorem deſcendere, & ne ſcandala publica orirentur, ſi prior fides DEO data violaretur, *Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 26. n. 5*. Aliud eſt de voto ſimplici, ut infra dicetur.

XV. Aſſertio 2. Votum ſolemne caſtitatis editum in Religione, non jure Divino, & naturali, ſed ſolo jure Eccleſiaſtico matrimonium ſubſequens irritum reddit, ut ex probabiliore ſententia docet *Sanch. l. 7. diſ. 26. n. 4. in fine, Gening. diſ. 31. de Sacram. dub. 6. n. 67.* & alii. Ratio eſt, quia votum ſolemne caſtitatis non irritat matrimonium ſubſequens, quatenus votum eſt, alias omne votum etiam ſimplex irritaret, quod falſum eſt; ergo irritat tantum quatenus ſolemne eſt; atqui ſolemnitas voti eſt tantum jure Eccleſiaſtico inducta, *c. Un. de voto in 6. Sanch. c. l.* ubi alias plures rationes adfert.

XVI. Præterea quod votum ſolemne caſtitatis etiam per profeſſionem tacitam emiſſum impediat, ac dirimat matrimonium poſtea contractum, probatur ex *c. Inſinuante*
,, *7. & ult. h. t.* Nam cum quidam Curialet Regis Le-
,, gionenſis eidem ſupplicaſſent, ut J. Nobilis mulier cui-
,, dam viro, auctoritate regia, matrimonio copularetur:
,, ſed etſi tunc ipſa nubere nollet, ex conſilio quorundam,
,, votum caſtitatis emiſit in manibus cujuſdam ex Fratri-
,, bus S. Auguſtini, eo tenore, ut in domo propria, cum
,, omni ſubſtantia ſua, ac bonis remaneret: & ſic in ha-
,, bitu ejuſdem Ordinis poſtea per biennium permanſit,
,, aſſerens ſe non tam metu regio, quam parentum, in-
,, vitam, ac coactam id feciſſe. Tandem conſiderans, quod
,, invita votum emiſerit, depoſito habitu matrimonium cum
,, P. de parentum conſilio, publice contraxit, ex quo qua-
,, tuor filios, procedente tempore, ſuſtulit. Conſultus Pon-
,, tifex Innocentius III. reſcripſit, cum in emiſſione voti,
,, quod præceſſit, nulla, vel modica coactio intervenerit,
,, quam etiam pœnitentia, & permanentia ſequentis tem-
,, poris penitus profugavit: quia potius ſequens conjun-
,, ctio, ſeu copulatio iniqua fuit, & violenter extorta:
,, ideo mandat, ut ſi hæc ita ſint, prædictam mulierem
,, moneant ad reaſſumendum habitum Religionis illicite
,, dimiſſum, & ad ſervandum quod vovit, inducant, & ſi
,, opus fuerit, per cenſuram Eccleſiaſticam compellant.

XVII. Pro declaratione hujus cap. notandum 1. non eſt petenda uxor a Principe, porrigendo ei ſupplicationem pro accipienda uxore, *c. Nullus 6. cauſ. 36. q. 2.* quia matrimonia debent eſſe libera, *c. Cum locum 14. de ſponſal. & in hoc c.* narratur ſolum factum, ſed non approbatur. Unde in *Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 9. de reform. matr.* prohibetur, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, ne Domini, & Magiſtratus cogant directe, vel indirecte, minis, & pœnis ſubditos ad certa matrimonia contrahenda cum certis perſonis, cum maxime nefarium ſit matrimonii libertatem violare, *Fagn. hic n. 4*.

Notandum 2. Per metum provenientem ex imperio Principis non irritatur votum, vel matrimonium, quia hic coactio hujuſmodi dicitur modica, vel levis, levis autem metus non impedit libertatem conſenſus, *c. Cum dilectus 6. de iis quæ vi, met. fiunt*, ſicut nec imperium parentum, ut patet etiam ex hoc *c. Gl. hic V. Metu Regio*: niſi Rex conſueviſſet tyrannice tractare non obtemperantes ſuis præceptis, ac precibus, vel niſi acceſſerint minæ, vel parentum verbera, *Fagn. hic n. 8. & 9*.

XVIII. Notandum 3. Votum ſolius continentiæ, ſeu caſtitatis, & ſic unius tantum ex ſubſtantialibus, ſi emittetur in ordine ad certam regulam approbatam, & in manibus habentis poteſtatem incorporandi Religioni, ſive in illam admittendi, ſolemnizatur, ſeu ſit ſolemne, & veram profeſſionem inducit, adeo ut obliget ad omnia ſubſtantialia regulæ, ut notat *Gl. hic V. Quod in manibus Abb.*

not. 2. *& Alexand. de Nevo not.* 5. Ubi tamen ulterius diſtinguendum eſt cum Fagnano *hic n.* 51. *& aliquot ſeqq.* Interdum vovens caſtitatem aſſumit habitum certæ regulæ, animo profitendi, & ſervandi omnia ſubſtantialia; & tunc valet ingreſſus in Religionem, & votum fit ſolemne quoad omnia, etiam alia duo vota Religionis, dummodo vovens, poſt ſuſceptum habitum Religionis, per annum in probatione ſteterit, poſt *Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *c.* 15. *de Regular.* Interdum vovens caſtitatem intendit, & proteſtatur, velle obligare ſe ad ſolam continentiam; non autem ad alia ſubſtantialia regulæ, videlicet ad paupertatem, & obedientiam, & tunc ſi intendit eſſe membrum Congregationis, ſeu Monaſterii, non valet talis proteſtatio, & tenet ingreſſus. Sin autem non intendat eſſe de Congregatione, ſeu Collegio Monachorum, ſeu Regularium, ſed ſeorſim habitare velit, tunc obligatur voto caſtitatis, ſed bona retinet quoad proprietatem, quia hoc caſu votum caſtitatis non eſt ſolemnizatum, ſeu ſolemne, nec alia vota, ita ut dirimat matrimonium poſtea contractum, quia ad hoc requiritur profeſſio expreſſa, vel tacita, quæ neceſſario includit tria vota ſubſtantialia Religionis, juxta *c. Un. de voto in* 6. Si vero dubitetur de mente voventis caſtitatem, an ſe voluerit obligare ad reliqua vota ſubſtantialia; tunc ſi votum caſtitatis emittat in clauſtro, & poſt aſſumpſit habitum Religionis, cenſetur omnia emiſiſſe, & ſolemnizatum eſt votum caſtitatis, etiam quoad reliqua, modo annus probationis præceſſerit, juxta Decretum *Trident. c. l.* Quod ſi votum caſtitatis emittatur, extra Monaſterium, ſeu Religionem, & habitu non ſuſcepto, quamvis in ordine ad certam regulam habentem tria ſubſtantialia vota, talis obligatur tantum ad votum continentiæ, quod non eſt ſolemne ſed ſimplex, nec dirimit matrimonium poſtea contractum, *c. Conſuluit.* 4. *h. t.* Denique ſi quis, poſt votum caſtitatis emiſſum, quoad certam regulam approbatam, etiam extra clauſtrum, ac in domo propria, habitum profeſſionis aſſumat a poteſtatem habente, cenſetur profeſſionem emittere, & obligatur ad omnia ſubſtantialia, juxta hanc Decretalem, *Fagnan. hic n.* 15. *&* 16.

XIX. Notandum 4. Profeſſio fieri poteſt, etiam in manibus privati Religioſi alicujus Monaſterii, dummodo is habuerit ad hoc ſpeciale mandatum a Superiore, & Conventu, vel Abbas, & Conventus poſtea id ratum habuerit, ut patet ex hoc c. ibi: *In manibus cujuſdam Fratris S. Auguſtini, Abb. ibid. not.* 1. *& Alex. de Nevo, not.* 3.

Notandum 5. Per profeſſionem tacitam dirimitur matrimonium poſtea contractum, etiamſi plures ex eo filii ſint progeniti, ut patet ex hoc c. ibi *de quo filios ſuſtulit*, quia proles, & numerus liberorum non confirmat, nec validum reddit matrimonium aliàs nullum, licet quandoque det cauſam juſtam diſpenſandi, *Petr. Anthoran. apud Fagn. hic num.* 19.

Notandum 6. Metus illatus tempore emiſſionis voti, purgatur poſtea per patientiam, & perſeverantiam in delatione habitus regularis, quia præſumitur novus conſenſus ut colligitur ex verbis illis; *penitus profugavit*, *Alex. de Nevo hic n.* 5.

XX. Notandum 7. & ultimo. Poteſt Religioſus licite retinere bona ſua, quoad uſumfructum, vel uſum, ſeu adminiſtrationem, cum licentia Superioris, & dependenter ab ejus voluntate; prout intelligit, & expendit *Gl. hic V. Ut in domo in* 2. *expoſitione, & Abb. n.* 5. illa verba hujus cap. *emiſit votum*, *et adjecta tenore*, *ut in domo propria*, *cum omnia ſubſtantia ſua*, *remaneret*. Atque ita intelligi debet pactum illud retinendi res ſuas in propria domo, quod fecit mulier illa, de qua fit mentio in *c. fin. h. t.* nempe quod uſum ſolum ſibi reſervavit pro ſuis neceſſitatibus, cum licentia Superioris, & ad ejus nutum revocabilem; nam talis profeſſio valet, nec conditio, ſeu pactum tale rejicitur. Secus eſt ſi quis profiteretur ſub ea conditione, vel pacto, ut ſibi liceret acquirere, vel retinere bona immobilia tanquam propria, & independenter a facultate Superioris; talis enim profeſſio foret nulla, & irrita, quippe contra eſſentiam, & ſubſtantiam Religionis, & omnino repugnans voto paupertatis, *Sanch. l.* 5. *in præcepta Decalog. c.* 5. *n.* 97. *& l.* 7. *de matrim. diſ.* 25. *n.* 21. & alii apud *Barboſ. in Collect. in tit. c. fin. n.* 2. *h. t.*

Neque vero hic dici poteſt, ideo valuiſſe profeſſionem illius mulieris, quia in Ordinis habitu per biennium perſeveravit, & ideo tacite fuit profeſſa, & voluit ſaltem tacite abdicare bonorum proprietatem, ut nonnulli explicant hunc locum: ſed communiter reprobatur, prout videre eſt apud Barbos. in *tit. c. ult. n.* 3. quia licet ſuſceptio habitus Religionis, cum perſeverantia in illa per biennium, metum illatum purgaverit, non tamen tacitus ille conſenſus prævalere potuit contra expreſſum de manendo in domo propria cum omni ſua ſubſtantia. Itaque ideo ſolum valida fuit illa profeſſio, quia mulier illa manſit extra clauſtrum cum omni ſua ſubſtantia, ex licentia Superioris, ita ut revocari ad clauſtrum potuerit ad nutum illius, ut dictum.

Atque hæc procedunt de jure antiquo, ſed hodie Jure noviſſimo *Concilii Trident. ſeſſ.* 24. *c.* 2. *de reform.* ſtatutum fuit, ne deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere, etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commendam, *Barb. in cit. c. ult.* Quamvis *Navarr. in Comment. de Regular. in c. Non dicatis* 11. *cauſ.* 12. *q.* 1. *n.* 47. arbitretur, Concilium ibi non prohibuiſſe adminiſtrationem peculii conceſſam Regularibus, cum facultate diſponendi in uſus licitos ad nutum Superiorum, quod tamen fuſe refellit idem *Fagnan. in c.* 2. *de ſtatu Monach. n.* 2. *& plurib. ſeqq.*

XXI. Sed jam hic oritur alia quæſtio, an, & quando ſuſceptio habitus Regularis impediat matrimonium contrahendum? De hac re agitur in *c. Conſuluit.* 4. *h. t.*
„ Nam cum quædam nobilis mulier, mutato habitu, de
„ manu presbyteri velum accepiſſet, ita tamen, ut nec re-
„ nuntiarit propriis, nec intrarit clauſtrum, nec in ma-
„ nu alicujus Epiſcopi, vel Abbatis, aut Abbatiſſæ, vel
„ ſuper Altare profeſſa ſit, vel obedientiam promiſerit, po-
„ ſtea vero elapſo anno, abjecto Religionis habitu, alicui
„ nobili viro nupſit, ſeu matrimonium cum eo contraxit. Un-
„ de quæſitum fuit, an matrimonium contractum teneat? Re-
„ ſpondet Papa, quod ſicut ſimplex votum impedit matrimo-
„ nium contrahendum, ſed non dirimit jam contractum: ita
„ habitus ſine profeſſione ſuſceptus impedit, ne matrimo-
„ nium contrahatur, ſed non diſſolvit jam contractum.

XXII. Pro explicatione hujus cap. notandum 1. ſuſceptio habitus profeſſorum, ſine profeſſione, extra Monaſterium, non dirimit matrimonium poſtea contractum, ſed impedit contrahendum, quia ſuſceptio habitus extra Congregationem continet in ſe votum ſimplex caſtitatis, & ideo impedit matrimonium contrahendum, ſed non dirimit contractum, *Alex. de Nevo hic n.* 6. *not.* 3. Nam etſi ſuſceptio habitus profeſſorum in ætate legitima inducat tacitam profeſſionem, *c. pen. de Regular. & c. in princ. eod. in* 6. id tamen intelligendum eſt, dummodo hujuſmodi habitus aſſumatur intra clauſtrum, ſeu Congregationem; ſi enim ſuſcipiatur extra Monaſterium, vel Religionem etiam de manu ejus, qui poteſtatem habet incorporandi, ſeu admittendi ad Religionem, per talem ſuſceptionem habitus non inducitur tacita profeſſio, nec votum ſolemnizatur, & conſequenter nec dirimitur matrimonium poſtea contractum, ut patet ex hoc cap. Nam ideo validum fuit matrimonium ab iſta muliere nobili contractum, quia aſſumpſit habitum, nulla facta profeſſione expreſſa, vel tacita; nec ejus votum fuit ſolemnizatum, quia velamen quidem profeſſionis, & ſic habitum profeſſarum aſſumpſit, ſed propriis non renunciavit, nec clauſtrum intravit, nec profeſſa eſt in manu alicujus, aut ſuper altare, nec obedientiam promiſit, ut dicitur in textu. Nam quod habitus profeſſionis ſuſceptus extra Monaſterium, non faciat, ſeu conſtituat Monachum, conſtat ex *c. Ut Clerici.* 3. *de Regular.* quod non corrigitur, ſed potius confirmatur per *cit. c. Conſuluit. h. t.* & tradit *Fagn. hic n.* 5. Neque in hoc c. requiritur, vel attenditur, an tradens habitum habeat, vel non habeat poteſtatem incorporandi Religioni, ſed hoc ſolum ponderatur, an iſta mulier ſuſceperit ſolum habitum ſine profeſſione; an vero etiam promiſerit aliquid ex ſubſtantialibus Religionis, ut obedientiam, vel aliud quid ad ſubſtantiam illius pertinens, *Alex. de Nevo hic n.* 10. Non obſtat *c. Viduæ.* 4. *de Regular.* quia in illo c. mulier illa immiſcuit ſe actui, qui a ſolis profeſſis exerceri conſuevit, idemque cenſebatur tacite profiteri, quia concurrerunt ea, quæ ad tacitam profeſſionem requiruntur, de quo dictum ſupra *l.* 3. *Decret. Tit.* 31. *n.* 112. *&* 2. *ſeqq.* At vero in hoc cap. mulier illa ſolum ſuſcepit habitum profeſſorum extra Monaſterium, neque exercuit actum aliquem, per quem videri poſſet tacite profeſſa. Non obſtat etiam *c. Porrectum.* 13. *de Regular.* ubi dicitur, quod valet profeſſio facta ſine ſuſceptione habitus Religionis: quia illud loquitur, quando intervenit expreſſa profeſſio. Nec denique obſtat *c. Sicut.* 27. *de Regular.* quia illud c. præter habitum requirit profeſſionem: & ſic illa jura nil faciunt contra communem intellectum ſupra allatum hujus cap. *Alex. de Nevo hic n.* 10.

XXIII. Notandum 2. Quando aſſumitur habitus profeſſorum extra clauſtrum Monaſterii, cum promiſſione alicujus ex ſubſtantialibus regulæ, tunc votum ſolemnizatur, ſeu fit votum ſolemne, ita ut impediat, & dirimat matrimonium poſtea contractum: quando vero ſuſcipitur habitus profeſſorum extra clauſtrum, ſed non promittitur aliquod ex ſubſtantialibus regulæ, hoc caſu, non inducitur tacita profeſſio, quantocunque tempore habitus deferatur, nec dirimitur matrimonium poſtea contractum: ſed inducitur tantum votum ſimplex, quod impedit matrimonium contrahendum, ut dicitur in hoc cap. quia ex quo mulier, de qua fit ibi mentio, habitum profeſſorum ſuſcepit, quantum in ſe fuit, videtur voluiſſe vitam mutare, & obſervare continentiam, & ideo impeditur matrimonium contrahere. Et iſta eſt communis expoſitio, teſte *Alex. de Nevo hic n.* 13. *in caſu* 3. *Fagn. hic n.* 6.

XXIV. Aſſertio 3. Votum ſimplex caſtitatis impedit quidem, ne matrimonium licite iniri poſſit, non tamen dirimit poſtea initum, ſed tale matrimonium validum eſt, non obſtante voto ſimplici caſtitatis, prout ſumitur ex *c. Rurſus.* 6. *h. t.*
„ Nam cum quidam votum caſtitatis (ſim-
„ plex) emiſiſſet, poſtea juravit, ſe quandam in uxorem
„ ducturum: unde quæſitum fuit, utrum iſtorum eſſet ſer-
„ vandum, votum, an juramentum? Reſpondet Papa Cæ-
„ leſtinus III. quod, cum ſimplex votum apud DEUM
„ non minus obliget, quam ſolemne, ob id, quod teme-
„ re juravit, pœnitentiam agat: & votum, quod DEO fe-
„ cit, ſtudeat obſervare. Si vero poſtquam juravit, motu
„ proprio, matrimonium contraxit, illud tenet, ac valet,
„ cum votum ſimplex impediat matrimonium contrahen-
„ dum, non tamen dirimat jam contractum. Prout etiam
„ habetur in *c. Conſuluit.* 4. *eod.* & dictum ſupra. Ratio

aſt, tum

eſt, tum quia per votum ſimplex caſtitatis non fit traditio proprii corporis in alium, ſed ſolum fit promiſſio de traditione facienda: cum ergo dominium rei promiſſæ maneat penes voventem, ſi poſtea vovens per initum matrimonium corpus proprium tradat alteri, illicita quidem eſt talis traditio, quia contra fidem datam fit, eſt tamen valida, quippe facta a vero domino ſui corporis. Tum quia, qui votum ſimplex caſtitatis emiſit, proprie non mutat ſtatum, nec magis ſe ſubjicit Eccleſiæ, quam antea ſubjectus erat: & ſæpe ſine magna deliberatione, & privatim ubique taſtibus hujuſmodi vota fiunt, ideo non expediebat, ut Eccleſia hujuſmodi matrimonia, poſt votum ſimplex caſtitatis inita irritaret, licet abſolute potuiſſet *Sanch. l. 7. de matr. diſ.* 51. n. 4.

XXV. Ubi pro explicatione hujus c. notandum 1. quod votum ſimplex, & ſolemne non differunt per ſe, & ex natura voti, vel Jure Divino ſpecifice, & eſſentialiter, ſed ſolum ex Eccleſiæ Conſtitutione accidentaliter, & extrinſece, ut conſtat ex *c. un. de voto in 6.* & docet *Sanch. l. 7. de matr. diſ.* 25. *in princ.* & *in præcepta Decal. l. 5. c.* 1. *n.* 7. & dictum ſupra *l.* 3. Et hoc eſt, quod in cit. cap. dicitur, *quod votum ſimplex non minus obliget quoad DEUM, quam ſolemne:* quia ſcilicet ſecundum ſe, & ſecluſa Conſtitutione Eccleſiæ, æqualiter obligant: nam utrumque in perpetuum obligat, & utriuſque violatio eſt peccatum mortale, quamvis violans votum ſolemne gravius peccet, *Gl. hic V. Apud DEUM*. Sicut etiam eandem vim habent, quoad impediendum matrimonium contrahendum: ſed ex Conſtitutione Eccleſiæ votum ſolemne eſt fortius, quia non ſolum impedit, ne licite, ſed etiam ne valide contrahatur: ſed matrimonium poſtea contractum omnino dirimit, & invalidum reddit, *Abb. hic* n. 6. Simile eſt, cum dicitur, quod inter ſimplicem loquelam, & juramentum DEUS non facit differentiam, *c. Juramenti*. 12. *cauſ.* 22. *q.* 5. magis tamen peccat perjurus, & gravius punitur, quam qui ſimpliciter mentitur, *Gl. fin. ibid.*

Notandum 2. Contractus etiam juratus contra votum præcedens initus non tenet, & ſic votum etiam ſimplex, (quale eſt caſtitatis ſervandæ, alio non interveniente) eſt fortius vinculum, quam juramentum: imo non valet juramentum contra votum editum, ſed eſt temerarium, *Abb. hic n.* 3. & patet ex hoc c.

Notandum 3. Indubitatum dicitur, quod communis opinio DD. tenet, ut colligitur ex fine hujus cap. Ubi Papa dicit, nihil ambiguitatis illam quæſtionem continere, quod votum ſimplex impediat matrimonium contrahendum, ſed non dirimat contractum, quia eſt communis opinio, quam Judex in judicando ſequi debet, *Alex. de Nevo hic n.* 6.

XXVI. Porro Gregorius XIII. in nova Conſtitutione, quæ incipit *Aſcendente Domino*, edita anno 1584. in hoc Jus commune antiquum correxit, ac ſtatuit, ut in Religione Societatis JESU tria vota ſimplicia, poſt biennium probationis emiſſa (adeoque etiam votum ſimplex caſtitatis) irritent matrimonium poſtea contractum, ita ut omnes ii, qui prædicta tria vota ſubſtantialia, tametſi ſimplicia emiſerunt, matrimonium contrahere nequeant, quin imo eos omnes ad contrahendum inhabiles facit, ac hujuſmodi contractos nullos, & irritos eſſe declarat: quamvis hæc vota matrimonium antea contractum non dirimant, quia de hoc nulla ibi fit mentio, ac proinde illa quoad hoc manent ſub diſpoſitione Juris communis. Cauſa autem hujus novæ Conſtitutionis fuit, quia in his votis ſimplicibus omnino ceſſant rationes, ob quas votum caſtitatis ſimplex non irritat matrimonium in ſæcularibus, de quibus ſupra *n.* 24. Nam hujuſmodi vota ſimplicia in Societate emittuntur cum magna deliberatione, nempe poſt biennium probationis: & per illa vere mutatur ſtatus ſæcularis in regularem, & voventes poſſunt cogi ad permanendum in Religione, & ſervanda vota, ac puniri tanquam Apoſtatæ, ſi a propoſito recedere velint, ipſique nova obligatione, & novo ſtatu Eccleſiæ ſubjiciuntur, prout deciditur in prædicta Conſtitutione Gregorii XIII. & recte notavit *Sanch. cit. diſ.* 31. *n.* 5.

§. III.

An per votum ſimplex caſtitatis dirimantur præcedentia ſponſalia de futuro?

XXVII. De hac quæſtione agitur in *c. Veniens*. 5. *h. t.*
„ Ubi habetur, quod quædam mulier promiſit, ſe cuidam
„ viro abſenti nupturam, ſed poſtea audiens plura de ſeve-
„ ritate illius noluit ei copulari, ſeu matrimonio jungi:
„ cum vero timeret, ne cogeretur illi nubere, in manibus
„ cujuſdam Eremitæ, votum continentiæ (ſimplex) emi-
„ ſit: non tamen veſtem, ſeu habitum, vel locum mutavit:
„ quo audito, vir cum alia matrimonium contraxit. Con-
„ ſultus Papa reſcribit, tutius eſſe, ut prædicta mulier, poſt
„ fidem datam, & ſimplex votum, matrimonium contrahat,
„ quam fornicationis reatum, ſeu peccatum incurrat: ideo-
„ que ſi in facto non ſit ulterius proceſſum, ipſi ob fidem
„ mentitam, ſeu non ſervatam, & votum violatum, con-
„ grua ſatisfactio, ſeu pœnitentia imponatur, & licen-
„ tia contrahendi matrimonium datur. „

XXVIII. Jam ergo oritur quæſtio ſupra propoſita, an in caſu hujus cap. per votum ſimplex caſtitatis editum a muliere, fuerint diſſoluta ſponſalia priora, per quæ hæc mulier promiſit, ſe nupturam viro cuidam abſenti? in qua re certum eſt 1. per votum ingrediendi Religionem priora ſponſalia diſſolvi, quia illud habet ſe reſpectu ſponſalium, ſicut votum ſolemne Religionis ſe habet reſpectu matrimonii rati: ſicuti ergo hoc diſſolvit matrimonium ratum, ita illud ſponſalia, *Sanch. l.* 1. *de ſponſal. diſ.* 46. *n.* 2. 2. Certum eſt, per votum ſimplex caſtitatis perpetuæ præcedens ſponſalia illa irritari, quia continent promiſſionem rei illicitæ, *Sanch. c. l. n.* 3. Certum eſt 3. quando unus ex ſponſis caſtitatem vovit, alterum a ſponſalibus ſervandis liberum eſſe, quia vovens cenſetur eo ipſo ſponſalibus renunciaſſe: accedit, quod res ſint notabiliter mutatæ, cum enim vovens non poſſit petere debitum conjugale, grave onus foret alteri impoſitum, ſi ſemper cogeretur petere, maxime ſi eſſet fœmina, *Sanch. c. l. n.* 5.

XXIX. His ſuppoſitis, quando quæritur, utrum poſt ſponſalia inita, poſſit licite emitti votum ſimplex caſtitatis, & ſervari, ita ut per illud diſſolvantur ſponſalia priora, etiam ex parte voventis, duplex eſt ſententia. Prior aſſeris, ſponſalia de futuro diſſolvi per ſubſequens ſimplex votum perpetuæ continentiæ, editum animo permanendi in ſæculo, ita ut vovens non poſſit matrimonium antea promiſſum inire, quam tenet *Tanner. Tom.* 4. *diſ.* 8. *q.* 1. *dub.* 4. *n.* 54. & alii apud ipſum. Qui eam extendunt etiam ad ſponſalia jurata, & eſt ſententia probabilis. Ratio eſt, quia ſimplex promiſſio ſponſalium videtur cadere ſimplici promiſſioni caſtitatis, utpote de meliore bono incompatibili cum matrimonio: & voti vinculum videtur fortius, quam ſponſalium, inducit enim obligationem fidelitatis erga DEUM, ſponſalia vero ſolum erga hominem: neque etiam promiſſum infringit, qui in melius id commutat, *c. Pervenit*. 3. *de Jure jur.* & quia votum hanc tacitam conditionem in ſe continet, *niſi ſtatum perfectiorem continentiæ elegero*. Idque etiam probare videtur ex *cit. c. Veniens. h.* t. Ubi mulier, ut a ſponſalibus liberaretur, caſtitatem vovit, & rogatus Pontifex an nubere poſſit, non obſtante voto, reſpondet, ob periculum fornicationis injungendam illi eſſe pœnitentiam de voto violato (id eſt, animo violandi votum, quia petebat ſibi dari licentiam nubendi, ut explicat *Gl. ib. V. Voto*) quæ etiam data ei fuit: ergo votum caſtitatis prævalet ſponſalibus, alias volens ſervare fidem ſponſalium nubendo, non peccaret contra votum, quippe quo ſtante maneret obligatio ad nubendum. Et juxta hanc ſententiam, ſi quis poſt votum caſtitatis editum, contrahat cum alia matrimonium, violabit quidem votum, non tamen fidem priorum ſponſalium, quia ea jam omnino erant diſſoluta per votum, *Sanch. cit. diſ.* 46. *n.* 8.

XXX. Altera ſententia, quam tenet *Silveſt. V. Sponſalia*. *q.* 7. *Navarr. in Man. c.* 22. *n.* 27. §. 10. *Sanch. cit. diſ.* 9. *Laym. l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 6. & docent plures Canoniſtæ in *c. Veniens*. 5. *h.* t. aſſerit, per votum etiam ſimplex caſtitatis editum poſt ſponſalia prior contracta, illa non diſſolvi. Idque colligitur ex *cit. c. Veniens*. ubi mulieri, quæ poſt ſponſalia, ſeu promiſſum matrimonium, votum continentiæ edidit, & ſponſus ad alias nuptias tranſiit, pœnitentia imponitur, tum propter fidem deſponſationis violatam, & quia per ipſam ſtetit, ne promiſſum matrimonium contraheretur: tum propter votum, a quo cupiebat liberari, ut alteri nubere poſſet, ergo votum caſtitatis non diſſolvit ſponſalia præcedentia. Ratio eſt, quia DEUS non acceptat votum, ſeu promiſſionem rei prius alteri promiſſæ, & in ejus præjudicium: ſicut ſi quis vovit, ſeu promiſit DEO dare equum, quem antea jam promiſerat, vel donaverat Titio, non valet tale votum, quatenus cedit in injuriam Titii. Ergo ſimiliter DEUS non acceptat votum ſponſi, quo promittit corpus ſuum DEO, quod jam promiſſum fuit alteri per ſponſalia. Deinde nullo jure probatur, ſponſalibus ineſſe hanc tacitam conditionem, niſi ſtatum continentiæ perfectiorem fuero amplexus, in *c. Pervenit*. 3. *de Jurejur.* eſt ſermo de voto, quod fit DEO, qui rem meliorem velle acceptare cenſetur: non autem de promiſſione homini facta, hanc enim non licet propria auctoritate, in melius commutare, cum præjudicio alterius, *Sanch. c. l.* n. 9. *& Laym.* Neque autem obſtat, quod ſi duo vincula incompatibilia, & valida concurrunt, fortius prævalet, *c. Si tertr. c.* 1. *de ſponſal.* Sed vinculum voti perpetuæ caſtitatis eſt incompoſſibile cum ſponſalibus de futuro, & eſt fortius, quia inducit obligationem fidelitatis reſpectu DEI, ſponſalia vero ſolum reſpectu hominis. Reſp. majorem eſſe veram, quando utrumque vinculum eſt validum: at votum non eſt validum, quatenus cedit in præjudicium ſponſæ, *Sanch. c. l. n.* 11.

XXXI. Notandum hic præterea 1. quia prior ſententia aſſerens per votum ſimplex continentiæ priora ſponſalia diſſolvi, ſaltem ob gravium DD. auctoritatem probabilis eſt, ideo poteſt quis a ſponſalibus, præſertim clam initis, animo eligendi ſtatum perfectiorem continentiæ, tuta conſcientia, reſilire: ſi vero palam ſponſalia, & publice inita ſunt, vix poterit vovens, propria auctoritate, ſine infamia ſponſæ, & multorum querelis, a ſponſalibus, propria auctoritate, recedere. Et hinc in foro externo Judex Eccleſiaſticus ſponſum, qui aſſerit, ſe poſt ſponſalia, votum continentiæ edidiſſe, compellere ſolet, ut viam tutiorem eligat, nempe ut vel ſponſalia ſervet, & impleat, vel ut intra præfixum ei tempus, Religionem ingrediatur, vel ſaltem Ordinem ſacrum ſuſcipiat, *Laym. cit. c.* 2. *n.* 7.

Notandum II. Is, qui poſt ſponſalia contracta, ſimplex votum continentiæ edidit, non tenetur Religionem ingredi, & profiteri, qui eam non vovit, continentiam au-

tem, quam vovit, non obligatur tam difficili medio implere, unde ingredi quidem Religionem poteſt, ſi velit, vel debet ſponſalia implere, & perficere, contrahendo matrimonium, quia ſponſalia non ſunt diſſoluta, *Sanch. cit. diſ. 46. n. 12. Laym. cit. c. 2. n. 8.* ubi n. p. addit, quod qui voto continentiæ obſtrictus licite, vel illicite matrimonium contraxit, non poteſt petere debitum, donec diſpenſationem impetrat.

Notandum 3. Cum votum continentiæ editum, poſt ſponſalia de futuro, illa non diſſolvat, nec impediat, quin vovens poſſit matrimonium inire, juxta probabiliorem ſententiam, eſt tamen tale votum validum, & obligat quoad ſe, & in ipſius voventis præjudicium, non autem in alterius, ſeu ſponſæ præjudicium, ita ut non potuerit ſe obligare vovens ad non ducendam illam, cui fidem dedit, ſive cum qua ſponſalia contraxit: tenetur tamen vovens, ſi ſponſa fidem datam remittat, vel ex juxta cauſa ſponſalia, aut matrimonium diſſolvatur, ſervare caſtitatem, & contracto matrimonio, non poteſt petere debitum, etſi poſſit reddere. Idque probatur ex *c. Veniens 3. h. t.* Ubi mulieri, quæ poſt ſponſalia continentiam perpetuam vovit, cum ſponſus ad alias nuptias tranſiiſſet, licentia conceditur alteri nubendi, injuncta ei pœnitentia ob animum, ſeu intentionem violandi votum; ergo votum fuit validum, *Sanch. cit. diſ. 46. n. 15.*

Porro in *cit. c. Veniens.* mulier non petiit licentiam nubendi illi, cui deſponſata fuit, & fidem dedit, is enim jam cum alia matrimonium iniit, ut ibidem dicitur, ſed petiit licentiam nubendi alteri, ad quod requirebatur diſpenſatio, velet enim hoc votum reſpectu aliorum, ut ſupra dictum, *Sanch. c. l. n.* 11. Ex quo patet reſponſio ad argumentum allatum ex *cit. c. Veniens.* pro prima ſententia.

XXXII. Notandum 4. ex *cit. c. Veniens.* aliqui DD. colligunt, quod etiam Epiſcopus poſſit diſpenſare in voto perpetuæ caſtitatis, quia hic Epiſcopus abſolvit quendam fœminam a voto, quo promiſerat DEO perpetuam caſtitatem. Sed verius eſt, Epiſcopum jure ordinario id non poſſe, quia in hujuſmodi votis relaxatio eſt reſervata S. Pontifici, ut docet *Abb. hic in fine & Azor. p. 1. l. 11. c. 19. q. 11.* Itaque Epiſcopus hic diſpenſavit, ex commiſſione Papæ, ut patet ex illis verbis in fine, *Et et, cui vult, licentiam nubendi in Domino tribuere non poſtponas.* Quamquam probabile ſit, etiam Epiſcopum poſſe diſpenſare in voto caſtitatis perpetuæ, ob urgentem cauſam, ſeu gravem neceſſitatem, prout eſt probabile periculum incontinentiæ, ſeu fornicationis, præſertim ſi interveniat ſimul moralis impotentia, ſeu grava impedimentum adeundi Pontificem, adeoque ſit periculum in mora, *Sanch. l. 8. de matr. diſ. 9. n. 22.* & alii apud *Barboſ. in Collect. in cit. c. Veniens. n. 5.* Porro cauſæ, ob quas diſpenſatum fuit cum muliere, de qua fit mentio in hoc c. ut poſſet nubere alteri, erant, tum quia votum emiſit ex timore ſævitiæ viri, ne cogeretur illi nubere: tum propter majus periculum vitandum, quia erat juvenis, & ſuſpecta de incontinentia, *Alex. de Nevo num. 9.*

TITULUS VII.

DE EO, QUI DUXIT IN MATRIMONIM, QUAM POLLUIT PER ADULTERIUM.

Hic Titulus latius patet, quam ejus Rubrica, ſeu inſcriptio contineat; agitur enim in illo de impedimento criminis, non tantum adulterii, per quod dirimitur matrimonium ſubſequens, ſed etiam de crimine homicidii, ſive machinationis mortis alterius Conjugis, per quod ſimiliter dirimitur matrimonium, ideoque de utroque hoc loco agamus.

§. I.

An, & quando adulterium dirimat matrimonium ſubſequens?

ASſertio 1. Adulterium dirimit matrimonium ſubſequens ſi is, vivente legitima uxore, cum alia per verba de præſenti matrimonium contraxerit (ſcilicet de facto, vel potius contrahere attentaverit, cum nemo ſimul duas uxores habere poſſit.) vel ſaltem de matrimonio poſt mortem conjugis prioris contrahendo promiſſionem fecerit, tum enim non poteſt vir, poſt mortem prioris uxoris, ſecundam retinere, vel de novo cum eadem matrimonium contrahere, quia matrimonium cum ſecunda initum eſt ipſo jure nullum, & irritum, prout conſtat ex *c. Relatum. 4. cauſ. 31. q. 1.* Ratio autem hujus impedimenti eſt, ne ob promiſſionem, & ſpem matrimonii futuri, captetur occaſio occidendi priorem conjugem, *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 79. n. 1.* Sufficit autem, ut adulter cum adultera ineat matrimonium clandeſtinum, nec enim poteſt inire validum, durante adhuc priore conjugio, *Sanch. c. l. n. 8.* & perinde eſt, ſive adulterium præcedat, ſive ſequatur matrimonium cum adultera initum, vel promiſſionem cum illa ineundi; in utroque enim caſu incurritur hoc impedimentum dirimens matrimonium, *c. ult. h. t.* quia in utroque præbetur ansa captandæ mortis conjugis, *Sanch. c. l. n. 3.*

II. Aſſertio 2. Si quis vivente legitima ſua uxore, cum alia contrahat matrimonium, ignorante prima uxorem ipſius adhuc vivere: is mortua prima uxore, ſi petit a ſecunda ſeparari, non debet ab illa ſeparari, quamvis ſecunda poſſit a viro, ſi velit, diſcedere, prout reſcripſit Papa Alexander III. in *c. Propoſuiſti. 1. h. t.* Nam cum quidam

„ uxorem habens aliam hujus rei ignaram ſibi matrimonio
„ copulaſſet, & prima mortua, a ſecunda vellet diſcedere
„ (aſſerens, quod uxore vivente non licuit ſibi eam ducere, ut habetur in integra lectione hujus c.) Conſultus
„ Papa reſpondit: licet in Canonibus habeatur expreſſum,
„ (*c. 1. cauſ. 31. q. 1. c. Ex litterarum 4. & ſeq. & c. ult. in fine h. t.*) ut nullus ducat in matrimonium, quam prius polluit
„ adulterio, & maxime illam cui fidem dederas, uxore ſua
„ vivente, vel quæ machinata eſt in mortem: quia tamen
„ prædicta mulier fuit neſcia, quod ille aliam uxorem viventem haberet: neque etiam æquum eſt, ut ille vir,
„ qui contra Canones egerit de dolo ſuo commodum reportet: ideo decernit idem Pontifex, ut niſi mulier illa
„ divortium petat, non ſint ab invicem ſeparandi, ſcilicet
„ de facto, nam de jure ſeparari non poterant, cum matrimonium nunquam tenuerit, *Abb. hic in fine.*

III. Pro explicatione hujus cap. notandum 1. duo ſunt caſus, in quibus propter delictum adulterii prohibetur matrimonium iniri inter adulterum, & adulteram. Primus eſt, quando adulter dat fidem adulteræ, ſeu promittit ſe illam ducturum in uxorem, mortua ſua legitima uxore, vel ſi de facto contrahit matrimonium cum illa, uxore legitima adhuc vivente, *c. Cum haberet. 5. & ult. h. t.* de quo infra. Secundus caſus eſt, quando intervenit machinatio in mortem alterius Conjugis, qualis autem machinatio requiratur, dicetur infra, *Alex. de Nevo hic n. 2.*

Notandum 2. Delictum adulterii non cadit in ignorantem, quia adulterium ſine dolo malo non committitur, *l. pen. ff. ad leg. Jul. de adult.* Ignorans autem caret dolo; idque procedit, etiamſi ſit craſſa, & ſupina ignorantia, quia ubi lex requirit dolum, etiam lata culpa non æquiparatur dolo, *Alex. de Nevo hic n. 3.* & ideo mulier illa in caſu hujus cap. excuſatur ab adulterio, quia non fuit in dolo, ignoravit enim, quod vir ille uxorem adhuc viventem haberet, *Hoſtiens. hic V. Inſciam hujus rei.*

Notandum 3. poſt mortem primæ uxoris, matrimonium cum ſecunda initum non eſt validum, niſi novus conſenſus interveniat, quia prior conſenſus nullus fuit, novus autem conſenſus intervenire poteſt, vel expreſſe verbis, vel tacite, & facto, quia eo ipſo, quod uterque certior factus eſt de morte prioris conjugis, præſumitur, ſi carnalis copula ſubſequatur, tacite conſentire. Quod ſi mulier ſecunda non vult conſentire ad ipſius inſtantiam, fit divortium, quia cum illa non fuit matrimonium, cum fuerit ducta vivente prima uxore. Si vero vir nolit conſentire, per Eccleſiam compelli debet ad conſentiendum, *Hoſtienſ. hic in c. 1.* Porro vir, ratione fidei promiſſæ ſecundæ mulieri, non poteſt ſeparationem petere: mulier vero non obligatur manere cum viro, quia ipſa decepta fuit, & ignara contraxit, putans illum non habere aliam uxorem: & matrimonium non poteſt claudicare, ut teneat ex parte unius contrahentis tantum, *Vivian. in Ration. in cit. c.* Si tamen vir iſte contraheret matrimonium cum alia tertia, poſt mortem primæ uxoris, illud teneret, *Gl. fin. in c. 1. h. t.*

Notandum 4. quamvis in pluribus Canonibus relatis *cauſ. 31. q. 1.* abſolute, & ſine addito ſtatuatur, ut nullus ducat in matrimonium, quam prius polluit adulterio, idemque prohibeatur in *c. 1. h. t.* ex aliis tamen Canonibus, *c. Si quis. 5. & c. ſeqq. cit. cauſ. 31. q. 1.* & pluribus capitulis hujus Tit. conſtat, ſolum adulterium non ſufficere ad dirimendum ſubſequens matrimonium, ſed inſuper requiri, ut vir fidem dederit, ſeu promiſerit matrimonium adulteræ, vel actu cum illa contraxerit, vel ut adultera in mortem uxoris prioris machinata fuerit, ut ex infra dicendis patebit.

IV. Sed quomodo intelligenda ſunt illa verba hujus cap. ubi dicitur: ut nullus ducat in matrimonium, quam prius polluerat adulterio, *maxime illam, cui fidem dederat, uxore ſua vivente* (vel ſi de facto eam qui duxit, *Gl. hic V. Fidem*) *vel quæ machinata eſt in mortem uxoris*; nam ſenſus eſſe videtur, quod quis non poſſit ducere in uxorem illam, quam polluit per adulterium, etiamſi non dederit fidem adulteræ, neque hæc machinata fuerit in mortem uxoris illius, quia videtur innui, quod etiam extra caſus hic expreſſos prohibitum ſit matrimonium cum adultera, etſi præcipue iſti prohibeantur, quod tamen falſum eſt, ut patet ex *c. Significaſti. 6. h. t. Alex. de Nevo in cit. c. 1. n. 6.* Unde Abb. & alii quidem DD. dictionem *maxime* exponunt pro *tantum*, vel *duntaxat*, id eſt, tantummodo his caſibus matrimonium eſſe interdictum inter adulterum, & adulteram, quando ſimul & contractus matrimonii, vel data fides contrahendi matrimonii inter eos intervenit, vel etiam machinatio in mortem uxoris. Verum quia hæc expoſitio non congruit Canonibus ſupra allegatis, ideo probabilior eſt interpretatio Gratiani in *c. Illud vero 3. §. Hic ſubaudiendum eſt, cauſ. 31. q. 1.*

Nam in *cit. Can. Illud*, ſtatutum fuit, ut ſi quis cum uxore alterius fuerit fornicatus, marito mortuo, is non poſſit matrimonialiter copulari cum ea, quam prius polluit per adulterium: ubi ſubintelligendum eſt, niſi prius peracta pœnitentia, & ſi nihil in mortem viri is machinatus fuerit, vel ſi vivente viro, fidem adulteræ non dedit, ſed ducturum eam in conjugem, ſi viro ejus ſuperviveret. Quare in Canonibus ſupra allatis non prohibetur præciſe, ne adulter contrahat matrimonium cum adultera, defuncto marito adulteræ, ſed ne contrahat ante peractam ab eo pœnitentiam, ob adulterium a ſe commiſſum, prout interpreta-

tus

Digitized by Google

tur *Gratian. ibid.* & confirmetur ex *c. Si quis vivente. 1. eod. cauſ. & q.* ubi habetur, quod ſi quis, vivente marito, conjugem illius adulteravit, poſſit poſt peractam pœnitentiam viduam ejus in conjugem ducere, quam viro vivente per adulterium polluit: Et hanc interpretationem ſequitur etiam *Henric. Caniſ. in Commentar. in hunc Titulum num. 7.*

V. Aſſertio 3. Si quis contraxit per conſenſum de præſenti præſtitum cum una, quam tamen carnaliter non cognovit, adeoque matrimonium non conſummavit, ſed poſtea cum alia ſcienter contrahat (qui ſcientes primam uxorem vivere, de facto ſimul contrahunt matrimonium) eamque carnaliter cognoſcet: hoc caſu; ſi primum matrimonium non fuit validum, quia coacte contraxit, nec eam carnaliter cognovit, talis, etiam mortua prima uxore, non poteſt manere cum ſecunda, nec eam habere in uxorem. Si vero prius matrimonium fuit validum, licet prima uxor ſit mortua, non poteſt habere ſecundam in uxorem, ſi ſcientes primam vivere matrimonium contraxerunt: ſecus, ſi ignoranter contrexit cum ſecunda, neſciens primam adhuc vivere, tunc enim aliam ducere poterit; prout ſumitur ex *c. ſignificavit 2. h. t.* Ubi talis caſus proponitur: Quidam „ O. nomine Andegavenſis vi, ſeu metu cadente in virum „ conſtantem coactus fuit mulierem A. accipere in uxo„rem: poſtea vero libere aliam in uxorem duxit, ſed com„pulſus fuit ab Archiepiſcopo Eboracenſi jurare ſe non ac„ceſſurum ad illam, quam libere duxit, donec lis inter ip„ſum, & dictam mulierem A. in Judicio Eccleſiaſtico „ fuerit terminata, prout habetur in integra lectione hu„jus cap. Cauſa hac delata ad Papam Alexandrum III. „ is reſcribit, & mandat, ut conſtiterit, quod dicto O. „ tanta vis fuerit illata, ut coactus, & non ſponte in pri„mam conſenſerit, nec poſt præſtitum juramentum ip„ſam A. carnaliter cognoverit, ad illam, quam poſtea „ ſponte accepit, revertendi libera facultas ipſi tribuatur: „ alioquin ne ad ſecundam revertatur, ſub interminatione „ anathematis, ſeu excommunicationis illi inhibeatur, ita „ tamen ut aliam in uxorem ducendi licentia ipſi detur.

VI. Pro explicatione hujus cap. notandum 1. ut adulterium dirimat matrimonium ſubſequens, requiritur ut matrimonium prius contractum ſit validum; ſi enim eſſet revera invalidum, adulterium illud exiſtimatum, cum futuri matrimonii promiſſione; non dirimeret ſequens matrimonium contractum cum adultera, prout deciditur in *tit. c. 2. h. t.* ubi ſtatuitur, quod matrimonium gravi metu injuſte incuſſo contractum, adeoque ipſo jure irritum, etſi ſolum ſit ratum, & carnali copula non conſummatum, non dirimat matrimonium poſtea initum cum adultera, modo prius matrimonium invalidum non fuerit poſtea expreſſe, vel tacite ratificatum, *Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 79. n. 30.* Ratio eſt, quia quando primum matrimonium non eſt verum, quia invalidum, tunc non committitur verum adulterium, ideoque per illud non debet impediri, aut dirimi ſecundum matrimonium valide contractum; non enim præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum, *c. Illud. 8. de Jure patron.*

Notandum 2. per copulam carnalem ſubſequentem matrimonium gravi metu contractum, illud ratificatur, & validum redditur, quia per illam quaſi purgatur metus, dummodo ea copula ſit ſpontanea, & affectu maritali habita, non autem metu gravi extorta ad conſummandum matrimonium, *Sanch. libr. 4. de matr. diſ. 18. n. 15.*

Notandum 3. Matrimonium validum, etiam ante carnalem copulam, & nondum conſummatum, inducit impedimentum dirimens perpetuum, ita ut non poſſit quis ducere, vel habere in uxorem illam, cum qua contraxit, & conſummavit matrimonium, vivente prima uxore, etſi non cognita: & ſic ad conſtituendum hoc impedimentum non requiritur, ut primum matrimonium ſit carnali copula conſummatum, ſed ſufficit ſolus contractus matrimonii, etiam abſque carnali copula, modo is ſit validus, ut colligitur ex hoc cap. *Alex. de Nevo ibid. n. 5.*

Notandum, 4. Per juramentum adjectum matrimonio gravi metu contracto, non efficitur hoc validum, ut probatur *ex cit. c. 2. h. t.* Ubi expreſſe habetur, eum qui poſt matrimonium metu contractum, & juramento firmatum, aliam duxit, debere permanere cum ſecunda, priuſque matrimonium fuiſſe invalidum; ergo per juramentum non redditur validum matrimonium: & ratio eſt, quia matrimonium gravi metu contractum eſt irritum, ob defectum liberi, & ſpontanei conſenſus ſubſtantialiter requiſiti, *c. Cum locum 14. de ſponſal.* quem defectum juramentum non ſupplet, *Sanch. cit. libr. 4. diſ. 20. n. 12.* Quin imo tale juramentum adjectum matrimonio gravi metu extorto non obligat, nec relaxatione indiget, ut docet etiam *Sanch. cit. diſ. 20. n. 15.* quia Eccleſia, non tantum irritat matrimonium metu initum, ſed etiam juramentum tali matrimonio appoſitum, ut colligitur ex *cit. c. 2. h. t.* Ubi dicitur: Eum, qui poſt matrimonium metu contractum, & juratum cum una, aliam duxit, cum ſecunda valide contraxiſſe, & licite poſſe cum illa permanere: alioquin ſi tale juramentum obligaret, additum fuiſſet, ut aliqua pœnitentia juranti imponeretur, ob violationem juramenti, ſicut factum fuit in *c. Sicut. 21. de ſponſal.* de quo plura videri poſſunt apud *Sanch. c. l. n. 15.*

VII. Aſſertio 4. Si quis, vivente prima uxore, a qua ſe ob adulterium ejus ſeparavit, quoad torum, & quæ monialis facta eſt, contrahat cum ſecunda, quæ ſcivit, quod vir ille aliam habeat uxorem, is mortua prima uxore, ſeparari debet a ſecunda, ita tamen ut poſſit ducere in uxorem, non ſecundam, ſed aliam tertiam, prout ſtatuitur in *c. Ex litterarum 4. h. t.* Nam cum quidam uxo„rem ſuam deprehenſam in adulterio (& de eo convi„ctam, *Gl. hic V. Deprehenſam.*) cum conſenſu Epiſco„pi, dimiſiſſet, quæ poſtea aſſumpſit habitum Monacha„lem, ſed maritus ille, ante mortem uxoris ſuæ aliam „ duxit, ex qua plures ſuſcepit liberos, & tandem etiam „ legitima ejus uxor deceſſit. Conſultus ſuper hoc Papa „ Clemens III. reſpondit, virum illum ſeparandum eſſe a „ ſecunda fœmina, quam ſuperinduxit: poſſe tamen eun„dem virum, impoſita illi pœnitentia ob adulterium, a„liam ducere in uxorem.

Hinc colligitur, etſi conjuges ſeparentur, quoad torum propter adulterium ab uno commiſſum, vinculum matrimonii nihilominus manet, etiamſi adultera ingreſſa ſit Monaſterium, quia matrimonium ſemel conſummatum non diſſolvitur, niſi morte naturali, *c. 1. & 2. cauſ. 32. q. 7.* Nam talis vir contrahendo cum ſecunda, vivente prima, & illam carnaliter cognoſcendo, commiſit adulterium, & ideo in pœnam ſic contrahentes fiunt inhabiles, ut non poſſint contrahere matrimonium inter ſe, quamvis mortua legitima uxore, adulter cum alia poſſit matrimonium contrahere, & a converſo adultera cum alio, *Abb. hic n. 2. & 3. & Alex. de Nevo, n. 3. & 5.*

VIII. Porro quod dictum eſt; eum, qui vivente uxore legitime, cum ſecunda contrahit, & cum ea adulteratur, etiam prima mortua, ab illa ſeparandum eſſe, id procedit, etiamſi longo tempore ei cohabitaverit, & filios ex ea ſuſceperit, prout ſtatuitur in *c. Cum haberet. 5. h. t.* „ Nam cum quidam, Joannes nomine, habens legitimam „ uxorem, cum altera Margarita nomine adulterium per„petraſſet, & ob hoc in jus vocatus adulteram abjuraſſet, „ poſtea juramento contempto, & vivente legitima uxore „ ſua, cum eadem matrimonium contrahere præſumpſit, „ eique diu cohabitavit, ac tandem mortua legitima uxo„re, per decennium adulteræ adhuc cohabitando, decem „ ex illa filios procreavit. Conſultus ſuper hoc Pontifex „ juſſit illos ſeparari, & injuncta ipſis pœnitentia, perpe„tuam continentiam iiſdem indici, quia tanto tempore „ publice, & ex certa ſcientia in adulterio, & perjurio „ perduraverunt. Nam Leo Papa ſtatuit (in *c. 1. cauſ. 31. „ q. 1.*) ut nullus ducat in matrimonium, quam adul„terio polluit: ſed hic plus proceſſum fuit, quam ſi fi„des tantum data fuiſſet adulteræ, ut defuncta legitima „ uxore, eam duceret in uxorem, quia vivente etiam pri„ma legitima uxore, mœchus mœchæ adhæſit, & jura„mentum ſuum temere violavit. Quale connubium, et„ſi juramentum non interceſſiſſet, tam Gregorius Papa „ (ut putat *Hoſtienſ. hic V. Gregorius*) quam Triburien„ſis Synodus deteſtatur, *cap. Relatum 4. & cap. Si „ quis. 5. cauſ. 31. q. 1.* Cujus tamen quoad hoc decretum „ non reperitur poſitum in Corpore Decretorum, & tales „ præcipit publicæ pœnitentiæ ſubjiri, ac perpetuo, ſine „ ulla ſpe conjugii, permanere. Neque juvat quidquam, quod „ dicti Joannes & Margarita per decennium cohabitarunt, „ ac decem filios ſuſceperunt, quia multiplicitas prolis ſic „ ſuſceptæ eorum crimen exaggerat, & diuturnitas tem„poris peccatum non minuit, ſed auget. Additur in fi„ne, Epiſcopum curare debere, ut uterque adulter libe„ris ſuis, quatenus eis ſuppetunt facultates, alimenta ne„ceſſaria ſubminiſtret.

IX. Pro declaratione hujus cap. notandum 1. judex Eccleſiaſticus poteſt compellere adulterum, ut abjuret adulteram, hoc eſt, eam a ſe dimittat, cum juramento quod eam deinceps recipere nolit. Quare Judex Eccleſiaſticus poteſt cognoſcere, & judicare de adulterio, non ſolum cum agitur ad ſeparationem matrimonii quoad torum: ſed etiam ut reintegretur matrimonium, & deſiſtatur a peccato adulterii, *Abb. hic num. 2. & Alex. de Nevo num. 1. & 2.*

Notandum 2. In caſu hujus cap. adulteris major pœna infligitur, ſcilicet perpetua continentia, quia plus eſt, hoc eſt, majus impedimentum eſt de facto contrahere cum adultera matrimonium per verba de præſenti, eamque cognoſcere, quam ſolum fidem dare per verba de futuro de matrimonio contrahendo, poſt mortem uxoris; tunc enim datur adultero licentia aliam ducendi, præter adulteram, ut in *c. 2. & 4. h. t.* quia ergo hic iſti plus peccaverunt, ideo etiam plus puniuntur, *Gl. hic V. Perpetua continentia, & V. Et quod hic plus. Hoſtienſ. ibid. V. Perpetua continentia, & V. Plus proceſſum, Alex. de Nevo hic n. 3.*

Notandum 3. Diuturnitas temporis non minuit peccatum in foro animæ, & quoad DEUM, ſed potius auget, & fit gravius, etiamſi non ſit iteratum, quia non pœnitendo videtur contempſiſſe Divinum judicium, & præceptum Eccleſiæ, *Abb. hic. n. 4. & Alex. n. 9.*

Notandum 4. Liberis, non ſolum legitimis, ſed etiam ſpuriis, ſive natis ex adulterio, vel alio jure damnato concubitu, præſtanda ſunt a parentibus alimenta neceſſaria, ſecundum proprias facultates, ſaltem ex æquitate Juris Canonici, ut habetur in fine hujus *c. junct. Gl. fin.* quod in hoc correxit rigorem Juris Civilis in *Auth. Ex complex. C. de inceſt. nupt.* quia Jus naturale dictat, hominem a parentibus procreatum educari, conſervari, & ali debere, ne pereat, quod jus commune eſt filiis legitimis, & illegitimis, *Covarr. in l. 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 6. n. 1. & 2.*

Azor. p. 1. lib. 5. c. 21. in princ. Atque hac in re ſtandum eſt Juri Canonico, etiam in foro Civili, & in Terris Imperii, maxime ſi liberi aliunde non habeant, unde alantur, ut tradit *Azor. c. l.* Idque ſervandum eſſe in utroque foro ſecundum communem DD. ſententiam teſtetur etiam *Gail. lib. 2. obſ. 88. n. 4.*

X. Aſſertio 5. Si quis vivente prima uxore, ſecundam inſciam criminis adulterii duxerit in uxorem, mortua prima, licite manere poteſt cum ſecunda, ſi novus conſenſus interveniat, prout ſumitur ex *c. Veniens. 7. h. t.* „ Ubi talis caſus proponitur: Laicus G. in civitate Lemovicenſi quandam ſibi matrimonialiter copulavit, & quam poſtea recedens Meſſanam venit: ubi cum alia muliere M. inſcia, quod ipſe jam aliam haberet uxorem, matrimonium ſolemniter contraxit. Verum pœnitentia ipſi injuncta, juſſus eſt redire ad primam legitimam uxorem, quam cum in patriam rediiſſet, invenit jam mortuam, ideoque reverſus Meſſanam, & prædictæ M. tanquam legitimæ uxori cohabitavit. Re delata ad Papam Innocentium III. ita reſpondit: licet vivente legitima uxore, ipſe G. non potuerit prædictam M. in uxorem copulare: ea tamen defuncta, quia ſolutus fuit a lege ipſius in eandem potuit de novo matrimonialiter conſentire: dummodo prius non præſtiterit fidem adulteræ, vel machinatus fuerit in mortem uxoris. Quare mandat Pontifex Capitulo Meſſano, ut ſi ita eſt, eidem G. Licentiam concedat, ut ſupredictæ M. affectu conjugali adhæreat. „

XI. Ratio deciſionis eſt, quia licet vir fuerit in mala fide, ideoque ei pœnitentia injuncta fuit, & juſſus redire ad primam legitimam uxorem, mulier tamen ſecunda in bona fide fuit, nec commiſit adulterium, quia ignoravit virum habere aliam uxorem, *Gl. fin. hic*, & ideo etiam conceditur ei, ut poſt mortem primæ uxoris viri, cum eo licite manere poſſit, & matrimonium de novo contrahere, quia primus conſenſus omnino nullus fuit, ac proinde de novo debet conſentire in ipſum: *Gl. hic in notat.* Quamvis non requiratur, ut per verba expreſſa conſentiat, ſed ſufficit conſenſus tacitus, & ipſo facto per carnis copulam, *Hoſtienſ. hic col. 3. V. de novo, & V. Adhærebat.* Quare tale matrimonium ſecundum, poſt novum conſenſum, ſaltem tacitum, valet ex nunc, ſi mulier voluerit in eum conſentire, quia ad id compelli non poteſt, quamvis vir poſſit, qui in culpa fuit, & dolo, *Gl. hic V. De novo.*

XII. Aſſertio 6. Si quis, vivente uxore ſua legitima, fidem dedit alteri de ea ducenda, poſt mortem uxoris, vel cum ea de facto contraxit matrimonium, ſi nec unte fidem datam, nec poſt, vel nec ante contractum matrimonium de facto, nec poſt, cognovit eandam, ſuperſtite ſua legitima uxore, non eſt tale matrimonium dirimendum, quod poſt mortem uxoris cum ea contraxit: quamvis utrique eorum pœnitentia ſit injungenda, eo quod in hoc graviter deliquerint. Sed ſi prius vel poſtea (id eſt, ante vel poſt fidem datam vel contractum matrimonium) dum uxor ipſius vixit, eam cognovit, adeoque adulterio polluit, non debet tale matrimonium tolerari, prout ſtatuit Gregorius IX. „ in *c. Si quis 8. & ult. h. t.*

XIII. Pro declaratione hujus cap. notandum 1. Solus contractus matrimonii, vel ſola datio fidei, ſeu promiſſio de eo contrahendo, cum ſecunda, vivente prima, non inducit impedimentum dirimens matrimonium, nec impedit, quominus quis, poſt mortem uxoris matrimonium cum illa, cui fidem dedit, vel cum qua tantum de facto contraxit, contrahere poſſit, niſi proceſſum fuerit ad carnalem copulam. Nam ad hoc impedimentum inducendum duo conjunctim ſunt neceſſaria, adulterium ſcilicet, ſive carnalis copula, & matrimonium de facto contractum, vel data fides, ſeu promiſſio facta de eo contrahendo, alias ſi unum deſit, matrimonium non dirimitur, *Hoſtienſ. hic col. 2. V. Ceterum.* Et ſic intelligenda ſunt omnia Jura illa, quæ ſtatuunt, ut nullus ducat in uxorem eam, cui dedit fidem, ſeu promiſit ſe illam ducturum, poſt mortem uxoris, vel cum qua de facto contraxit matrimonium, *Gl. in cit. c. fin. V. Cognovit eandem. h. t. Alex. de Nevo, ibid. n. 1. & 6.* Ubi addit, rationem hujus eſſe poſſe, quia quando matrimonium non eſt conſummatum, non ſic inducitur quis ad machinandum mortem alterius, ſicut ſi machinatio facta ſit in mortem ſecundæ. Porro ex adulterio conſurgit hoc impedimentum, ſive adulterium a conjuge admiſſum præcedat dationem fidei, vel matrimonium de facto initum, ſive ſequatur, quia in utroque caſu præbetur cauſa captandæ mortis, *Alex. de Nevo hic n. 4. Sanch. l. 7. de matr. diſ. 79. n. 3.*

Notandum 2. Fidem dare alicui de matrimonio contrahendo, vel de facto contrahere cum illa, prima uxore vivente, grave peccatum eſt, quia talis promiſſio, vel contractus matrimonii inducit votum captandæ mortis alterius, ideo ſicut promiſſio beneficii vacaturi non valet, *c. 2. de conceſſ. prab.* ita nec promiſſio futuri matrimonii carnalis, *Alex. de Nevo hic n. 3.* & hinc in *cit. c. ult. h. t.* præcipitur, ut talibus pœnitentia ſit injungenda, eo quod graviter in hoc deliquerint.

§. II.

Quænam conditiones requirantur, ut adulterium dirimat matrimonium inter adulteros?

XIV. Plures conditiones requiruntur a DD. prout videre eſt apud *Sanch. l. 7. de matr. tota diſ. 79. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 10.* & alios. Prima eſt, ut adulterium concurrat cum promiſſione matrimonii futuri, vel cum matrimonio de facto inito, vivente legitima conjuge, ut jam ſupra dictum, ita ut non ſufficiat matrimonium, nec promiſſio illius, ſine adulterio, neque adulterium ſine alterutro illorum, ut conſtat ex *c. ult. h. t.* Ubi hæc duo ſimul exiguntur. Altera conditio eſt, ut matrimonium de præſenti attentatum, vel fides de eo data ſit, & adulterium commiſſum ſit, durante adhuc eodem legitimo conjugio, quia aperte requiritur in *c. ult. h. t.* ut utrumque hoc fiat, ſuperſtite legitima uxore. Unde ſi matrimonium initum, vel fides data ſit ſub priore conjugio, adulterium vero commiſſum ſub altero conjugio poſteriore, poterit adulter, mortua ſecunda uxore, ducere adulteram, cui ſub priore conjugio matrimonium promiſerat, quia per poſterius matrimonium adulter receſſit a fide data, ac proinde ſolum adeſt adulterium, & ſpes matrimonii ineundi extincta fuit per poſterius matrimonium, quia ſi adulter ſecundo contrahat matrimonium cum alia, eo ipſo recedit a promiſſione prius facta, quod mortua prima uxore velit ducere adulteram, *Sanch. cit. diſ. 79. n. 5. Laym. cit. c. 10. n. 4.* Quod ſi e converſo adulterium commiſſum ſit ſub priore conjugio, fides vero data, vel matrimonium initum ſub poſteriore, neque tunc hoc impedimentum incurritur, eo quod Canones exigere videntur ſimul adulterium, & promiſſionem, vel matrimonium, vivente eodem conjuge, ut eidem matrimonio injuria irrogetur, præbita occaſione ejuſdem conjugis occidendi, *Sanch. c. l. n. 6.*

Tertia conditio eſt, ut uterque adulterans ſciat alterum conjugatum eſſe, nam altero illud ignorante, non habet locum impedimentum hoc, quia non eſt formaliter commiſſum adulterium ex parte utriuſque, ut conſtat ex *c. 1.* ibi: *quia mulier erat inſcia, quod ille aliam haberet uxorem viventem, & c. pen. h. t. Sanch. cit. diſ. 79. n. 31. Laym. c. l.*

Quarta conditio eſt, ut promiſſio matrimonii non ſit ficta, ſed ſeria, cum alioquin non cenſeatur promiſſio, ſecundum probabilem ſententiam: quamvis aliqui non minus probabiliter putent, etiam ex ficta promiſſione oriri hoc impedimentum, eo quod etiam per talem promiſſionem detur occaſio inſidiandi vitæ alterius conjugis, ut matrimonium poſſit perfici, quod Eccleſia præcipue intendit vitare, ſtatuendo hoc impedimentum, *Sanch. cit. diſ. n. 10.*

XV. Quinta conditio eſt, ut promiſſio ab una parte facta, ſit ab altera parte acceptata: alioquin non habebit rationem pacti, ſeu promiſſionis, quæ exigit duorum in idem conſenſum, ſed erit mera pollicetio, *Sanch. c. l. n. 22.* An autem requiratur etiam mutua, ſeu reciproca promiſſio, non conſentiunt DD. Probabile eſt requiri, quia cum ad hoc impedimentum requirant Jura, ut matrimonium de facto contrahatur cum altera, vivente conjuge: vel ſaltem detur fides de eo contrahendo, iſta autem fides eſt deſponſatio de futuro, adeoque mutua promiſſio, *Silveſt. V. Matrimonium. 8. q. 9. dicto 4.* quamvis contrarium teneat *Sanch. cit. l. num. 20.* & alii quia in *c. Significaſti 6. h. t.* indicatur ſufficere, ſi vir, vivente uxore, fidem dederit alteri de matrimonio contrahendo. Verum ibi ſermo eſt de data fide ſponſaliorum, quæ mutuam promiſſionem important, *Laym. c. l. §. Quinta conditio.*

Sexta conditio eſſe videtur, ut promiſſio ſit pura, & abſoluta, vel ſaltem ut ante mortem conjugis fuerit purificata, quia promiſſio conditionalis, quamdiu adhuc ſuſpenſa eſt, & pendet a futuro eventu, non habet rationem veræ promiſſionis, ut probabiliter docet *Coninch. diſ. 31. de Sacr. dub. 5. n. 59.* Contrarium tamen tenet *Sanch. cit. diſ. 79. n. 11.* nempe etiam ex promiſſione conditionali oriri hoc impedimentum, ſi conditio non deficiat, ante commiſſum adulterium, quia tunc etiam concipitur ſpes futuri matrimonii, adeoque datur anſa machinandi mortem conjugis. Si vero conditio deficeret, ante patratum adulterium, tunc deficeret etiam promiſſio ſub conditione facta, non ſolum adulterium ſuperveniens non poſſet inducere hoc impedimentum. *Sanch. c. l.* Verum cum conditio, ſub qua promiſſio facta eſt, ſit contingens, ita ut æque evenire poſſit, & non poſſit, non poterit ex ea tam certa ſpes ineundi matrimonii concipi, ut præbeatur occaſio machinandi mortem conjugis, ob quod ſtatutum eſt hoc impedimentum criminis. Deinde verba legis pœnalis ſtricte ſunt interpretanda, ſalva proprietate verborum, nec debent extendi, etiamſi ſimilis ratio ſubeſſet. Cum ergo hæc verba: *Si fides de matrimonio contrahendo data ſit*, ſervata verborum proprietate recte intelligi poſſint de fide, ſeu promiſſione pura & abſoluta, non debent ob ſimilitudinem rationis extendi ad promiſſionem conditionalem, *Laym. cit. c. 10. n. 4. §. Sexta conditio.*

Septima conditio eſt, ut copula ſemel ſit perfecta, cum immiſſione ſeminis intra vas; Jura enim requirunt adulterium, quod datum, & conſummatum accipi debet, cum verſemur in materia pœnali, *Sanch. cit. diſ. 79. n. 44.*

Octava eſt, ut prius matrimonium fuerit validum, alias non committeretur verum adulterium, quamvis non ſit conſummatum, & diſſolutum quoad torum per divortium, *Sanch. c. l.* & dictum ſupra *n. 6.*

§. III.

Digitized by Google

§. III.

An, & quando crimen homicidii, ſeu machinationis mortis alterius conjugis dirimat matrimonium ſubſequens?

Alterum crimen dirimens matrimonium ſubſequens eſt homicidium, ſeu machinatio facta in mortem unius Conjugis, cum propoſito contrahendi poſtea matrimonium cum altero Conjuge ſuperſtite *c. Siquis 5. cauſ. 31. q. 1. & c. 1. de converſ. Conjug.* de quo etiam in hoc Tit.

XVI. Aſſertio 1. Si quis matrimonium de facto cum aliqua contraxit, vivente prima uxore, eamque cognovit, non poteſt is, poſt mortem uxorem primæ, illam ducere in uxorem, ſi iſta adultera machinata fuit in mortem primæ uxoris, vel ſi vir fidem adulteræ dedit, quod prima defuncta, illam ducturus ſit, prout ſtatuitur in *c. Super hoc*
,, 3. *h. t.* Nam cum quæſitum fuiſſet, an liceat alicui con-
,, trahere cum ea matrimonium, quam (facti conticiem,
,, *Hoſtienſ. hic*) vivente uxore ſua, de facto ſibi copula-
,, vit matrimonio (& illam cognovit, alias non eſſet
,, adultera, *Hoſtienſ. hic*) Reſpondet Papa, Alexander
,, III. ſi adultera in mortem uxoris aliquid eſt machina-
,, ta, ſive fidem illi dedit, quod poſt mortem uxoris eam
,, ducturus ſit, ſive non, (quæ tamen verba deſunt in
,, omnibus exemplaribus manuſcriptis, ut notat *Gl. margin. hic*) non poteſt illam habere in uxorem, ſecundum
,, Canones, in perpetuum.

XVII. Pro explicatione hujus cap. notandum 1. ſolum adulterium commiſſum cum muliere non inducit perpetuum impedimentum, quominus quis, mortua legitima conjuge, poſſit adulteram in uxorem ducere, ut patet ex hoc cap. Nam hæc mulier præſumitur fuiſſe carnaliter cognita ab iſto viro, & tamen hic non prohibetur matrimonium contrahere cum adultera, niſi illa fuerit machinata in mortem prioris conjugis, vel vir ei fidem dederit de illa ducenda, *Abb. num.* 2. ubi *n.* 3. addit, quod quando intervenit adulterium, ſufficit ſola machinatio in mortem alterius conjugis ad dirimendum matrimonium ſubſequens, de quo mox plura.

Notandum 2. Prohibitio hujus cap. eſt perpetua, quia per illam non tantum impeditur matrimonium contrahendum, ſed etiam dirimitur jam contractum, *Abb. hic n.* 4. *Alex. de Nevo n.* 2.

XVIII. Aſſertio 2. Similiter ſi quis vivente legitima uxore habeat copulam cum altera, mortua uxore, poteſt illam ducere, & matrimonium cum illa initum tenet, niſi ea vivente, fidem illi dederit: vel alter eorum mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus, prout ſtatuitur in *c. Significaſti. 6. h.* t. Nam cum P. Civis Spoletanus quandam
,, mulierem legitime in uxorem duxiſſet, ea relicta, cui-
,, dam meretrici adhæſit (& quia monitus eandem dimit-
,, tere noluit, fuit excommunicatus, ut habetur in integra
,, lectione hujus c.) Verum cum uxor ipſius mortua eſſet,
,, meretricem, cui adhæſerat, ſibi per verba de præſenti
,, deſponſavit. Conſultus Pontifex Innocentius III. reſpon-
,, dit, niſi alter eorum in mortem defunctæ uxoris fuerit
,, machinatus, vel ea vivente, meretrici fidem dederit de
,, matrimonio cum ea contrahendo, vel niſi de facto eam
,, in uxorem duxerit, *Gl. hic V. Fidem dederit*) tale ma-
,, trimonium legitimum eſſe cenſendum; & excommu-
,, nicato abſolutionem (ſi petierit) juxta formam Eccle-
,, ſiæ, eſſe impendendam.

XIX. Hinc colligitur 1. quod ſolum adulterium non reddit matrimonium poſtea initum invalidum, ne quidem inter perſonas contractum, a quibus illud commiſſum fuit, niſi cum adulterio concurrat machinatio in mortem alterius conjugis, ſive adulter, ſive adultera, ſeu alter conjux machinatus fuerit in mortem ſuæ uxoris; tunc enim matrimonium erit invalidum; nec requiritur ad hoc impedimentum inducendum, ut interveniat promiſſio futuri matrimonii, ut expreſſe etiam deciditur in *c. Super. hoc 2. h. t. Sanch. cit. diſ. 78. n.* 2.

Colligitur 2. Conjugatus perſiſtens in adulterio poteſt excommunicari, niſi ad uxorem redeat, ut patet ex hoc c. in quo Civis ille Spoletanus fuit excommunicatus, quia adhærebat meretrici. Item excommunicatus poteſt contrahere matrimonium, illudque tenet, ut probatur ex *cit. c. Significaſti. 6. h.* t. Nam tempore contractus matrimonii, prædictus civis erat excommunicatus: quia durante priore matrimonio adhæſit meretrici, relicta legitima uxore, eaque mortua duxit meretricem ante obtentam abſolutionem ab excommunicatione: & tamen Pontifex reſpondet, validum fuiſſe matrimonium, niſi cum adulterio concurrerit machinatio in mortem alterius conjugis, vel promiſſio matrimonii contrahendi cum adultera. Non ergo obſtat excommunicatio valori matrimonii, quamvis peccet excommunicatus matrimonium iniens; et nullus eſt textus Juris Canonici illud irritans: peccat tamen mortaliter, ſi excommunicatus ineat matrimonium ante abſolutionem ab illa obtentam, quia excommunicatio hæc privat perceptione Sacramentorum ſub gravi peccato, *Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 9. n. 1. & 3.*

XX. Cæterum circa ea, quæ dicta ſunt, quædam præterea notanda, & addenda. 1. ad impedimentum hoc dirimens contrahendum non requiritur phyſica cooperatio in mortem alterius conjugis, ſed ſufficit moralis. Quare ſatis eſt contrahere volentes matrimonium, mandato, vel conſilio ad mortem alterius conjugis per alios cooperatos eſſe, modo ſic ab aliis permoti mortem intulerint: ſecus ſi proprio motu, ſine reſpectu ad eorum conſilium, vel mandatum, occidiſſent; tunc enim eorum machinatio fuiſſet inefficax, nec vere cauſa mortis, *Coninch. cit. diſ. 31. dub. 5. n. 50. Sanch. cit. diſ. 78. n.* 5. & conſtat ex *c. 1. de converſ. conjug.* ubi uxor fidelis non occidit virum, ſed infidelis vir machinatione, & inſidiis uxoris illum occidit, & tamen ſtatuitur, illud eſſe impedimentum dirimens. Et in *c. 1. & c. Significaſti. 6. h. t.* ſolum attenditur machinatio in mortem alterius conjugis, quæ non exigit propriis manibus mortem inferri alteri conjugi, ſed qualicunque cooperatione.

XXI. Addendum 2. Sola ratihabitio necis alteri conjugi illatæ non ſufficit ad inducendum hoc impedimentum. Quare ſi quis cædem conjugis ſuo nomine factam poſtea ratam habeat, impedimentum hoc non incurritur, *Sanch. cit. diſ. 78. n. 6. Coninch. cit. dub. 5. n.* 50. quia etſi alias ratihabitio retrotrahetur ad tempus mandati, atq; comparetur etiam in delictis; attamen æquiparatur ſolum in iis rebus, quæ a noſtra voluntate pendent, ut ratæ ſint; poſtquam autem mors illata eſt, non poteſt intervenire machinatio ad mortem, adeoque non poteſt retrotrahi illa ratihabitatio: neque etiam ratihabitio comparatur mandato, niſi quando id jure expreſſum eſt, ut in habenda ratam percuſſionem Clerici: nullo autem jure expreſſum eſt, hoc impedimentum incurri, etiam ſola ratihabitione. Cum ergo edictum de matrimonio non contrahando ſit prohibitorium, ut quicunque non prohibetur, per conſequentiam admittatur, *c. Cum apud* 23. *de ſponſal.* ad eum caſum extendi non debet, *Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 10. n.* 1.

XXII. Addendum 3. Hoc impedimentum incurritur, non tantum ſi in uxoris, ſed etiam ſi in mariti cædem conſpiratio, ſeu machinatio facta ſit, ut ſi uxor virum interficiat ad contrahendum matrimonium cum adultero; non enim poteſt inter eos matrimonium conſiſtere, etſi occiſio viri in praxi non ſit tam frequens, ſicut uxoricidium: nam licet in *c. 1. & c. Super 3. & c. Significaſti. 6. h. t.* ſolum expreſſa ſit ſermo de uxoricidio, textus tamen in *c. Si quis 5. cauſ. 31. q. 1. & in c. 1. de converſ. conjug.* expreſſe loquuntur etiam de viricidio, ſive de uxore, quæ opera cujusdam infidelis ſuum virum interfecit. Nihil ergo refert, ad hoc impedimentum dirimens incurrendum, ſive vir uxorem, ſive uxor virum occidat, modo mors alteri conjugi inferatur non alia intentione, quam contrahendi aliud matrimonium cum adultero, vel adultera, quia par eſt quoad hoc utriusque conjugis ratio, & conditio, *Sanch. cit. diſ. 78. n.* 4. & alii apud ipſum.

XXIII. Addendum 4. Si uterque eorum, qui poſt mortem conjugis, contrahere inter ſe matrimonium deſiderant, in cædem illius cooperantur, tunc aliud non requiritur ad impedimentum hoc incurrendum, niſi ut cædes, ſeu mors reipſa ſequatur, ut colligitur ex *c. 1. h. t.* Si vero alter tantum machinatus ſit in mortem conjugis, v. g. maritus uxorem occidat, ignorante, vel contradicente muliere cum qua matrimonium contrahere deſiderat, tunc hoc impedimentum matrimonium dirimens inter eos non incurritur, niſi etiam adulterium intervenerit, ut colligitur ex *c. 1. & c. Super eo. 3. h. t. Sanch. cit. diſ. 78. n. 9. Coninch. cit. dub. 5. n. 53. Laym. cit. c. 10. n.* 2.

XXIV. Poſtremo illud adhuc quæritur, quænam præterea conditiones ſint neceſſariæ, ut incurratur hoc impedimentum. Reſp. plures requiri. Prima eſt, ut machinatio illa ſit efficax, & cædes reipſa ſit ſecuta, *cit. c. Si quis. 5.* ibi: *occidiſſe notetur, cauſ. 31. q. 1. Sanch. c. l. n.* 7. Et quamvis quædam Jura hoc non exprimant, tamen ita intelligenda ſunt, quia leges pœnales de crimine perfecto, & conſummato intelligi debent, niſi aliud conſtet, *Coninch. c. l. n.* 50. & verba cum effectu accipienda ſunt, *c. Relatum. 4. de Cleric. non reſid.* Unde neque mandatum, vel conſilium de occidendo altero conjuge dirimit matrimonium, niſi mors inde reipſa ſequatur, ut ſupra dictum.

XXV. Secundo requiritur, ut machinatio mortis alterius conjugis facta ſit, animo ineundi matrimonium cum conjuge ſuperſtite, quia leges ſtatuentes hanc pœnam intendunt impedire, ne aliqui propriam, vel alienam conjugem occidant ex deſiderio alieni matrimonii: hic autem finis ceſſat in iis, qui ex alia cauſa conjugem occidunt, ut communiter docent plures Theologi, & Juriſperiti apud *Sanch. c. l. n.* 13. quamvis in foro externo, quando quis alterius conjugem interfecit, & cum conjuge ſuperſtite init vult matrimonium, præſumatur id factum eſſe ex intentione futuri matrimonii, niſi vehementiſſimæ conjecturæ contrarium ſuadeant, *Sanch. c. l. n.* 19.

XXVI. Tertio requiritur, ut ſi unus tantum machinetur mortem conjugis, matrimonium utrique contracturo ſit notum, ſive, ut fœmina etiam ſciat virum, cum quo fornicata eſt, eſſe conjugatum, alioquin ſi vir conjugatus cum fœmina ſoluta ignara ipſum eſſe conjugatum, fornicetur, & propriam uxorem occidat, ut illam in matrimonium ducat, nullum inter illos erit impedimentum dirimens, quia adulterium illud a fœmina fuit ignoratum. Idque procedit, etiamſi fœmina illa eſſet conjugata; adulterium enim cum illa commiſſum, quando ſolus adulter machinatur mortem propriæ uxoris, non dirimeret matrimonium initum cum adultera illa, poſt diſſolutionem utriuſq; conjugii, quia licet illa committeret adulterium contra fidem proprio viro debitam, non tamen reſpectu conjugis occiſi, quia neſciebat illum eſſe conjugatum, *Sanch. cit. diſ. 78. n.* 12.

XXVII. Quarto requiritur ad contrahendum hoc impedimentum, ut matrimonium prius cum uxore occiſa initum fuerit verum, & legitimum, non tantum bona fide exiſtimatum: alioquin occiſio illius conjugis etiam cum adulterio commiſſo cum alia conjuge, non erit impedimentum dirimens, nec obſtabit, quominus matrimonium inter adulteros contrahi poſſit: Canones enim impedimentum hoc ſtatuentes requirunt conjugis occiſionem, & adulterium, quæ a parte rei non ſunt, ſi matrimonium ſeipſo ſit invalidum, etſi putetur eſſe validum. Satis tamen eſt, ut prius matrimonium ſit verum, & legitimum, quamvis non ſit conſummatum, nec impedit, ſi divortium factum ſit, quia in utroque caſu adhuc verum eſt matrimonium, *Sanch. cit. diſ. 78. n. 20.*

XXVIII. Sed contra hoc impedimentum objiciunt Lutherus, & Philippus Melanchton exemplum Davidis, qui Betſabeam uxorem Uriæ, eo occiſo, in uxorem duxit, ut habetur 2. *Reg. c. 11.* Sed reſpondetur, hoc impedimentum matrimonii, tempore Veteris Teſtamenti, non extitiſſe, ſed poſtea primum ab Eccleſia in Novo Teſtamento eſſe introductum, juſtiſſima ex cauſa, quia atrociſſimum factum eſt, inſidias parare, & dare anſam inſidiandi vitæ alterius conjugis, cum conjuges arctiſſimo vinculo amoris, & amicitiæ inter ſe conjuncti eſſe debeant, *Sanch. cit. diſ. 78. n. 1.* Accedit, quod multa alia in veteri lege permittebantur, quæ nunc per novam legem Evangelicam ſunt abrogata, ut libellus repudii, polygamia; item quod quis potuerit uxorem fratris ſui ſine liberis decedentis, ducere, *Deut. c. 25.* & alia ſimilia, ut notat *Henric. Canif. hic n. 12.* Cum ergo duplex hoc impedimentum criminis Jure ſolum Eccleſiaſtico ſit introductum, ſequitur inter infideles illud non habere locum; non enim repugnat juri naturali hujuſmodi matrimonium, *Sanch. cit. diſ. 78. n. 22.* Neque etiam prædictum impedimentum adulteros, vel conſpirantes in cædem conjugis ſimpliciter reddit inhabiles ad quodvis aliud matrimonium ineundum cum aliis, ſed ſolum ne inter ſe illud contrahant, quia textus Juris hoc impedimentum ſtatuentes ſolum irritant matrimonium inter machinantes mortem, & adulteros, *Sanch. c. l. n. 2. & cit. diſ. 79. n. 41.*

Porro eſt & aliud crimen dirimens matrimonium Jure novo Eccleſiaſtico introductum, videlicet crimen raptus, quod tunc committitur, quando aliqua fœmina, ſive ea ſoluta ſit, ſive conjugata, aut vidua, ab uno loco in alium violenter abducitur, cauſa libidinis exercendæ, vel matrimonii contrahendi. Verum de hoc crimine non agitur in hoc Tit. Sed infra *libr. 5. Decret. Tit. 17. de Raptorib.* ubi etiam nos de illo agemus.

T I T U L U S VIII.

DE CONJUGIO LEPROSORUM.

Inter impedimenta matrimonii numeratur etiam lepra, de qua hoc Tit. agitur, & tractatur, an, & qua ratione impediat ſponſalia, vel matrimonium, ſive contrahendum, ſive contractum.

§. I.

An per lepram ſupervenientem præcedentia ſponſalia de futuro diſſolvantur, vel etiam matrimonium præcedens?

I.

Aſſertio 1. Per lepram ſupervenientem diſſolvuntur ſponſalia de futuro prius contracta, ut conſtat ex *c. Litteras 3. & ult. h. t.* Ubi conſultus Pontifex Urbanus III. utrum ſi poſt ſponſalia de futuro, legitime contracta „ inter aliquas perſonas ante celebratas nuptias, unus ex „ ſponſis in lepram incidat, alter eorum ſit compellendus „ ad contrahendum matrimonium? Reſpondet Papa, eum „ ad id cogi non debere, cum inter eos nondum ſit ma„ trimonium conſummatum, id eſt, contractum, ſcilicet „ per verba de præſenti. Diſſolvuntur autem priora ſponſalia de futuro per ſupervenientem lepram, non quidem ipſo jure, ſed ſi alter ſponſus, qui immunis eſt a lepra, id petat, quia ſi nolit diſſolvi ſponſalia, ſed alicui promittat matrimonium, quam ſcit eſſe leproſam, talia ſponſalia obligabunt ad contrahendum matrimonium; nam hæc diſſolutio ſponſalium eſt introducta, non in favorem leproſi, ſed ejus, qui ſanus eſt, quod autem ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus odium retorquendum, *Reg. Jur. 61. in 6. Canif. hic n. 2.*

II. Id vero extenditur ad quemvis alium morbum contagioſum ſupervenientem uni ex ſponſis poſt ſponſalia de futuro inita, ut eſt morbus gallicus, paralyſis, epilepſia, vel alia infirmitas incurabilis; nam generaliter ob quamvis notabilem mutationem ſupervenientem poſt ſponſalia ea diſſolvuntur, *Sanch. l. 1. de ſponſal. diſ. 57. n. 3.* quia per ſponſalia de futuro nondum eſt contractum indiſſolubile vinculum matrimonii, ſed ſolum eſt promiſſio facta de matrimonio contrahendo, *c. 2. de ſponſal.* & patet ex ſupra dictis Tit. 1. hoc Libro.

III. Aſſertio 2. Per lepram ſupervenientem non diſſolvitur matrimonium præcedens, ac proinde conjux leproſus non poteſt, nec debet propter lepram ſeparari a ſano, ut conſtat ex *c. Pervenit, 1. h. t.* Nam cum relatum fuiſſet Alexandro „ III. quod in Provincia Cantuarienſi ex generali conſue„ tudine leproſi a communione hominum ſeparentur, ita „ ut nec uxores viros, nec viri uxores ſequantur, reſpon„ det Pontifex, quoniam cum vir, & uxor una caro ſint, non „ debent alter, ſine altero, diutius eſſe, & mandat, ut „ uxores viros, & viri uxores lepræ morbo laborantes ſe„ quantur, ſibique invicem conjugali affectione inſerviant, „ & ut ad hæc Archiepiſcopus, vel Epiſcopus ſollicite „ eos inducat. Si vero ad hoc induci non poſſunt, eis in„ jungat, ut uterque, altero vivente, continentiam ſervet. „ Quod mandatum, ſi non ſervent, excommunicentur.

IV. Ubi notandum 1. leproſi, ex generali conſuetudine licite ſeparantur, & excluduntur a conſortio, & cohabitatione cæterorum hominum, ne ſani ab illis inficiantur, quæ conſuetudo approbata eſt Jure Canonico in *c. de Eccleſ. ædif.* quia leproſi cum aliis habitare non debent, *Gl. hic V. De conſuetudine, & Abb. n. 2.*

Notandum 2. Per lepram ſupervenientem non diſſolvitur matrimonium antea contractum, nec ob id ſeparari poſſunt conjuges, imo ob nullam aliam etiam infirmitatem, quantumvis gravem, conjugia ſolvi poſſunt, *c. Hi, qui 25. cauſ. 32. q. 7.* neque uxor eſt dimittenda etiam quoad torum, *c. 2. h. t. in princ.* Sed neque matrimonium diſſolvitur propter lepram, vel aliam infirmitatem, etſi nondum ſit carnis copula conſummatum, quia vinculum matrimonii ſolo conſenſu contractum eſt indiſſolubile; nuptias enim non concubitus, ſed conſenſus facit, *l. 30. ff. de R. J.* Nec obſtat, quod in *c. 3. h. t. in fine*, videatur innui, matrimonium propter lepram diſſolvi, ſi nondum fuerit conſummatum: nam ibi verbum *conſummatum* late accipiendum eſt, pro conſenſu per verba de præſenti, per quem matrimonium dicitur conſummari, quoad ſui eſſentiam, *Abb. ib. n. 3. in fine.* Multo minus autem diſſolvi poteſt matrimonium propter lepram, poſtquam conſummatum fuit, quia cum tunc una caro facti ſint conjuges, non debet unus eſſe ſine altero, ut dicitur in *c. 1. §. Quoniam h. t.* Cum autem additur, quod non debet unus conjux diutius eſſe ſine altero, id arbitrio boni viri, ſeu Judicis relinquitur, quamdiu maritus ab uxore abeſſe poſſit, *Gl. hic V. Diutius, & Abb. n. 7.*

Notandum 3. Maritus, & uxor, non obſtante lepra, debent maritali affectione ſe invicem tractare, ut dicitur in *cit. c. 1.* & mutua obſequia conjugalia ſibi exhibere. Si vero ad hoc induci non poſſint, debent uterque, altero vivente, continentiam ſervare. Quod ſi mandatum hoc ſervare contempſerint (& adulterium commiſerint) excommunicandi ſunt, *Hoſtienſ. hic. V. Contempſerint.* Ubi verbum *mandatum* referri debet, vel ad continentiam ſervandam, de qua immediate ante, vel ad cohabitationem, non ad continentiam, quia ea conſuli poteſt, non præcipi; ergo ad cohabitationem, de qua paulo ante, *Sanch. l. 9. de matrimonio diſ. 24. n. 26.* ita ut ſi cohabitare contempſerint, excommunicentur.

Notandum 4. Uxor tenetur ſequi virum, & e converſo, vir uxorem, ut præcipitur *in cit. c. 1. h. t.* eſt tamen quoad hoc differentia inter virum, & uxorem, quia vir tenetur uxorem ſequi, ſi ea ex juſta cauſa diſcedat, alias poteſt vir ipſam poteſtate maritali prohibere, ne recedat. At vero uxor ſemper tenetur ſequi virum, ut quacunque cauſa, *c. Unaquæque. 3. cauſ. 13. q. 2.* niſi vir illam trahere vellet ad infidelitatem, *c. 8. de divort.* vel niſi vir efficiatur vagabundus, *Gl. hic V. Sequatur, & in c. Si quis. 4. V. Eum ſequi. cauſ. 34. q. 2.* quod tamen limitandum eſt, niſi tempore contracti matrimonii ipſa ſcivisſet, virum vagabundum eſſe, quia tunc cenſeretur ejus mores approbaſſe, & ſic teneretur eum ſequi, *Gl. in cit. c. Si quis. V. Eum ſequi. Alan. de Nuvo in cit. c. 1. n. 7. h. t.*

§. II.

Aliæ nonnullæ quæſtiones circa conjugia leproſorum proponuntur, & reſolvuntur.

V. Quæritur 1. An propter lepram, vel aliam infirmitatem conjux a conjuge ſeparandus ſit, ſaltem quoad torum, & cohabitationem. 2. An leproſi poſſint contrahere matrimonium. 3. An conjuges leproſi teneantur ſibi invicem reddere debitum conjugale? Ad has tres quæſtiones reſpondetur *in c. Quoniam 2. h. t.* Ad primam dicitur, „ cum nemini liceat (excepta cauſa fornicationis) uxorem „ dimittere, conſtat, quod ſi mulier lepra percuſſa ſit, ſi„ ve alia gravi infirmitate detineatur, propterea non ſit „ ſeparanda, vel dimittenda.

VI. Ubi notandum, propter lepram, vel aliam gravem infirmitatem unus conjux alterum dimittere non poteſt, nec ab eo ſeparari debet, ne quidem quoad torum, & cohabitationem, ut dicitur hic & in *c. 1. eod.* excepta cauſa fornicationis, ſeu adulterii, *Matth. 5. v. 32. & c. 19. v. 9.* Ubi cum Chriſtus ſolam cauſam fornicationis exceperit, non videtur, quod maritus poſſit in aliis caſibus dimittere uxorem, vel ab ea ſeparari, & e converſo, uxor dimittere virum, quia exceptio firmat regulam in contrarium, ſive in caſibus non exceptis, *c. Dominus. 6. cauſ. 32. q. 7.* Verum non ob ſolam cauſam fornicationis, ſed propter alias etiam cauſas, ſeparationem inter conjuges, quoad torum, & cohabitationem, ad certum, vel incertum tempus, fieri poſſe, decernit Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. de reform. matrim. can. 8.* Quare tripliciter reſpondere ſolent DD. ad teſtimonium Chriſti dicentis, non licere dimittere uxorem

uxorem, niſi ob fornicationem. Prima expoſitio eſt, exceptionem, ſeu dictionem exceptivam non firmare regulam in contrarium, quoad caſus alibi exceptos in Jure, ut declarat *Everhard. in locis argumentorum legalibus, loco 9. ab exceptione ad regulam n. 5.* unde ex cit. teſtimonio Chriſti non convincitur, nullam aliam eſſe cauſam divortii, præter fornicationem, ſed nullam aliam cauſam eſſe, præter illas, quæ in aliis Juris Canonici locis Jus Divinum explicantibus continentur, *Sanch. lib. 10. de divortio diſ. 15. n. 2.* quas enumerat *ibid. n. 1.* Secunda reſponſio eſt, ſolam fornicationem carnalem eſſe cauſam perpetuæ dimiſſionis, & abſoluti divortii, de qua Chriſtus loquebatur; non enim eſt verum divortium, niſi quod fit animo conſtituendi perpetuam diſſenſionem, ſeu ſeparationem, ut dicitur in *l. 3. ff. de divort.* At propter alia crimina non eſt licita ſeparatio, niſi quamdiu ea durant. Sic enim ſi divortium inſtituatur v. g. propter ſævitiam mariti, vel quia uxorem allicit, vel inducere vult ad peccandum, ceſſante ſævitie, vel periculo perverſionis, ceſſat etiam ſeparatio, ſeu divortium, & matrimonium inſtauratur.

VII. Tertia & melior expoſitio eſt, quam tradit *Bellar. l. 1. c. 14. §. Dicendum eſt*, dupliciter poſſe intelligi dimitti, ſeu ſeparari conjugem a conjuge: priore modo, quatenus conjux eſt, id eſt, ita ut cauſa dimiſſionis, ſeu ſeparationis ſit deſumpta ex ipſa natura conjugii, tanquam ex propria, & peculiari ratione matrimonii: & ſic ſola fornicatio carnalis eſt cauſa divortii, de qua locutus eſt Chriſtus, quia ſola fornicatio carnalis, ſive adulterium repugnat fidei conjugali, & ſubſtantiæ ipſius matrimonii. Poſteriore modo intelligi poteſt fieri divortium, quia conjunctio conjugalis cedit in perniciem, & detrimentum perſonæ conjugis: ſicut etiam poſſet contingere inter alias perſonas, quæ ſimul habitant. Et hoc modo poteſt etiam ob plures alias cauſas, Jure Divino, & naturali id permittente, divortium inter conjuges inſtitui, ob incolumitatem corporis, vel animæ eorum, & unius ab altero ſeparari, v. g. propter hæreſim vel aliud periculum. Vera igitur ratio, cur ob fornicationem, ſeu adulterium permittatur inſtitui perpetuum divortium inter conjuges, eſt, quia in fornicatione, ſeu adulterio cauſa divortii oritur ex ipſa natura conjugii, eo quod per fornicationem, ſeu adulterium violatur fides promiſſa data, quæ cum debeat eſſe perpetua, merito propter eam violatam conceditur divortium, ſeu ſeparatio perpetua. At vero propter alias cauſas, quæ ex natura ipſius conjugii non oriuntur, adeoque non ſunt perpetuæ, ſed etiam inter alias perſonas, quæ ſimul cohabitant, non tamen ſunt conjuges, locum habere poſſunt, ut eſt diſcordia, lepra, vel alius morbus contagioſus, vel periculum ſeditionis &c. conceditur divortium, ſive ſeparatio ad conſervandam ſalutem mentis, & corporis ipſorum conjugum, non in perpetuum, ſed ad tempus tantum, dum illæ cauſæ durant, *Sanch. cit. diſ. 15. num.* Quare ob ſolam fornicationem admittitur divortium, ſeu ſeparatio perpetua inter conjuges, de qua locutus eſt Chriſtus; ob alias vero plures cauſas admittit Eccleſia divortium ad tempus certum, vel incertum, de qua loquitur Concilium Tridentinum *c. 1.*

VIII. Ad ſecundum quæſitum reſpondetur in *cit. c. 2. h. t.* „ Leproſi, ſi continere nolunt, & aliquam invene„ rint, quæ ipſis nubere velit, liberum eſt eis, ad matri„ monium tranſire. „ Ratio eſt, quia matrimonium non eſt eis prohibitum, cum edictum de matrimonio non contrahendo ſit prohibitorium, ita ut omnes, qui non prohibentur, matrimonium contrahere poſſint, *c. Cum apud 23. de ſponſal. Gl. hic V. Liberum.*

IX. Ad tertium quæſitum reſpondetur in *ead. c. in fine.* „ Quod ſi virum, vel uxorem leproſi fieri contingat, & „ infirmus a ſano debitum conjugale exigat, juxta genera„ le præceptum Apoſtoli, quod exigitur, ſolvendum eſt, „ cum nulla in hoc caſu exceptio inveniatur. „

Notandum 1. Ex præcepto Apoſtoli 1. ad *Corinth. 7. V. 3. Uxori vir debitum reddat, & ſimiliter uxor viro*: tenetur etiam conjux leproſi et reddere debitum carnale, quia præceptum hoc eſt generale, ideoque generaliter intelligendum, *Gl. hic V. Generali præcepto*, cum neque Chriſtus, neque Apoſtolus, neque Pontifex hic ullam exceptionem addiderit de leproſis, ſicut Chriſtus excepit cauſam fornicationis. Id vero limitatur, niſi debiti redditio cedat conjugi ſano reddenti in notabile damnum, ut ſi judicio Medicorum, propter morbum lepræ immineat conjugi ſano grave infectionis periculum; tunc enim poteſt conjux immunis a lepra ſeparare ſe a conjuge leproſo, quoad torum, eique debitum denegare, ut docet *Sanch. l. 9. de debito conjugali diſ. 24. n. 17.* & alii Theologi communiter. Ratio eſt, quia nullus cenſetur ſe per matrimonii contractum obligare velle ad reddendum debitum, niſi ſalva individui incolumitate, quia ordo charitatis, quæ a ſe ipſa incipit, poſtulat prius propriæ indemnitati conſuli, quam alterius, *Sanch. a. 1. n. 2.* Idemque dicendum, ſi alter conjux morbo gallico laboret, vel alio contagioſo, non enim tenetur conjux ſanus debitum ei reddere cum periculo notabilis infectionis, quia eſt eadem ratio, ac de lepra, *Sanch. c. 1. n. 18.*

Notandum 2. Si lepra matrimonium præceſſit, neque alter conjux illam ignoravit, tunc tenetur ſanus leproſo debitum conjugale reddere, quia per contractum matrimonii antea ſe ad hoc obligavit, adeoque ſibi tale periculum infectionis imputare debet, neque excuſatur a reddendo debito, *Sanch. cit. diſ. 24. n. 22.*

Notandum 3. Excuſatur tamen etiam conjux ſanus, quando periculum infectionis ceſſat, a debito reddendo: propter nimium horrorem ortum ex acceſſu ad conjugem lepra, vel alio morbo horrorem cauſante infectum, quia nemo poteſt ad impoſſibile obligari, *Reg. Jur. 6. in 6. Sanch. cit. diſ. n. 21.*

X. Sed jam ulterius quæritur, utrum conjux ſanus teneatur etiam cum leproſo aſſidue cohabitare? *Reſp.* Si ex aſſidua cohabitatione ſequitur probabile periculum notabilis infectionis, non tenetur cohabitare, ut ex dictis patet; alias vero tenetur, quia per contractum matrimonii obligantur Conjuges ad reddendum debitum, & cohabitandum, a qua obligatione eximuntur propter periculum gravis contagionis ortæ ex morbo alterius conjugis: ergo quando periculum hoc non ſubeſt, manet obligatio ad cohabitandum, *Sanch. cit. diſ. 24. n. 29.* Ex quo infert, quod nunquam conjux ſanus cohabitare teneatur conjugi leproſo, jacendo in eodem lecto, quia ex eo ſemper ſequitur periculum infectionis: an autem ſaltem cohabitare debeat in eadem domo, id judicio Medicorum relinquendum eſt, utrum ex ea cohabitatione periculum gravis infectionis, ſpectatis circumſtantiis, ſequatur, an non?

TITULUS IX.

DE CONJUGIO SERVORUM.

I.

ALiud impedimentum matrimonii eſt error ſervilis conditionis, de quo agitur in hoc Tit. An, & quatenus illud impediat? Eſt autem hic ſermo non de ſervis adſcriptitiis, qui glebæ, ſeu prædio colendo perpetuo ſunt addicti, ita ut inde recedere non poſſint, & inſuper omnes redditus prædiorum, demptis tantum expenſis, & neceſſario victu, dominis ſuis reddere debent; & quamvis ad certas operas, ſeu ſervitia dominis prædiorum præſtanda teneantur, ſunt tamen vere liberi, adeoque valide, & licite matrimonium contrahere poſſunt, etiam ſine conſenſu Domini, & nati ab adſcriptitiis hujuſmodi appellantur Originarii, ut docet *Abb. in c. 2. de Judæis*. Verum in hoc tit. agitur de mancipiis, ſeu ſervis proprie dictis, qui non ſunt liberi, & quos dominus vendere poteſt, *Sanch. lib. 7. diſ. 19. n. 1.*

§. I.

An ſervus poſſit licite, & valide contrahere matrimonium, invito, vel ignorante domino, & qua ratione error ſtatus, ſeu conditionis ſervilis dirimat matrimonium, & quo jure?

II. Aſſertio 1. Servus etiam invito, & contradicente domino licite matrimonium contrahere poteſt, illudque tenet, quamvis nihilominus debita, & conſueta ſervitia domino exhiberi debeat, ut conſtat ex *c. Dignum 1. h. t.* „ Ubi Pontifex Hadrianus ſuper hac re conſultus reſcribit: „ Sicut juxta Apoſtolum (ad Galat. 3.) in Chriſto JESU, „ neque liber, neque ſervus a Sacramentis Eccleſiæ eſt re„ movendus: ita nec inter ſervos (nec etiam inter liberum, „ & ancillam, ſi ſcienter contrahere voluerint,) *Gl. hic V.* „ *inter ſervos*, debent matrimonia prohiberi, quæ ſi do„ minis contradicentibus, & invitis contracta fuerint, „ nulla ratione ſunt propterea diſſolvenda: debita tamen, „ & conſueta ſervitia debent nihilominus propriis dominis „ exhiberi. „ Ratio hujus Conſtitutionis eſt, quia matrimonium jure naturæ, & divino conceſſum eſt homini in remedium concupiſcentiæ, ut vitarentur fornicationes, aliaque flagitia carnis, & ob bonum publicum ad propagationem naturæ humanæ; hoc autem jus non poteſt a dominis ſervis auferri, quia jus hominis ad contrahendum matrimonium eſt jus potius ipſius naturæ humanæ ad ſuam propagationem, & conſervationem, quam jus privatum cujuslibet individui, ergo non poteſt ſervis auferri a dominis: unde dicitur in hoc cap. nullatenus inter ſervos prohibenda eſſe matrimonia, ut ſine conſenſu domini ineantur, quin imo graviter peccant domini contra juſtitiam, impediendo poſitive ſervos, ne matrimonium ineant, quia faciunt contra jus conceſſum a natura, cum enim ſervi ſint in hoc ſui juris, nec domino ſubdantur, injuſte dominus interdiceret eis, ne ſuo jure utantur, *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 21. n. 3. & 5.* ubi *n. 6.* addit, non poſſe dominum, tuta conſcientia, punire ſervum, quod matrimonium, eo invito, inierit, cum uſus ſit jure ſuo, & nihil deliquerit. Neque vero etiam per Jus civile potuit abrogari jus naturale, & Divinum, quo matrimonium eſt inſtitutum in officium naturæ, ad ſobolis procreationem, & ad mutuam viri, & fœminæ ſocietatem, *Azor. p. 2. Inſtit. l. 2. c. 38. q. 4.*

III. Ubi præterea notandum. Servus Chriſtianus, qui ſcilicet baptizatus eſt, poteſt omnia Sacramenta ſuſcipere, quæ ſuſcipientis cauſa conferuntur, ut eſt Baptiſmus, Euchariſtia, Pœnitentia, & alia Sacramenta, etiam matrimonium, quia cum edictum de matrimonio non contrahendo ſit prohibitorium, nullus ab eo excludi debet. Ratio redditur in textu, quia in Chriſto, id eſt, in fide Chriſti ſuſcipienda apud DEUM, nulla eſt differentia generis, conditionis, aut ſexus, ſed omnes, ſive Judæi ſive Græci, ſive maſculi, ſive fœminæ, unum ſunt Corpus Myſticum, ſcilicet Eccleſiæ, cujus caput eſt Chriſtus, prout hunc locum explicat *Menoch.*

Digitized by Google

in c. 3. *ad Gal. Verſ.* 28. & ideo nullus Chriſtianus excludi debet a Sacramentis Eccleſiæ, quæ ſunt omnibus Chriſtianis communia: non tamen ſervi eximuntur a poteſtate dominica, ſed ad debita, & conſueta ſervitia præſtanda dominis compelli debent, *Gl. hic V. A Sacramentis*: excepto tamen Ordine, quia nullus ſervus debet ordinari ſine domini conſenſu c. *Conſuluit.* 5. *de ſerv. non ordin.* & alibi dictum. Verum de ſervis, qui nondum baptizati ſunt, nihil poteſt diſponere Eccleſia, vel Jus Canonicum, & ideo illi ſubſunt diſpoſitioni Juris Civilis, ſecundum quod ſervis interdictum eſt matrimonium, *l. 3. C. De inceſt. nupt. & Inſtit. de nupt. in princ.* quia pro mortuis civiliter habentur: hoc tamen per Jus Canonicum quoad ſervos Chriſtianos, eſt correctum, quod in hac re prævalet, & ſervandum eſt, quia leges Civiles nihil poſſunt diſponere circa matrimonium, *Alex. de Nevo hic.* n. 7. *Azor. c. l.*

IV. Aſſertio 2. Error conditionis ſervilis, quando ſcilicet homo liber contrahit matrimonium cum ancilla, quam ignorat eſſe ancillam, vel libera cum ſervo, quem neſcit eſſe ſervum, reddit irritum matrimonium, prout colligitur ex *c. Propoſuit.* 2. *h. t.* Nam cum quidam vir mulieri M. „ cum qua diu cohabitavit, notam ſervilis conditionis objeciſſet, aſſerens illam eſſe ancillam, quam liberam eſſe putabat, quando eam in uxorem duxit: ideo re delata ad Papam Alexandrum III. is mandavit, ut ſi conſtiterit, quod idem vir prædictam mulierem, poſtquam audivit illam eſſe ancillam, carnaliter cognovit, ipſum monitione præmiſſa, compellat, ut eam, ſicut uxorem maritali affectione tractet: ſi vero aliter fuerit, & ſententia divortii profertur, mulieri pecuniam reſtituat, quam illa pro dote viro conceſſit.

Ratio autem, cur hoc impedimentum ſervilis conditionis, ſive ſervitutis dirimens matrimonium ſit inductum, eſt, quia is error valde repugnat bonis matrimonii: & imprimis quidem adverſatur bono Sacramenti, & individuæ ſocietati, & cohabitationi conjugum, quia ſervus debet ſervire domino, ideoque habitare in domo ipſius, qui poteſt illum mittere ad partes remotas, ibique vendere: deinde adverſatur bono fidei conjugalis, quia non poteſt pro libitu reddere debitum conjugi, ſed nonniſi quando ei vacaverit, & poſtquam ſatisfecit obſequiis, ad quæ a domino eſt obſtrictus: denique adverſatur etiam bono prolis, quia non poterit eam commode alere, nam omnia, quæ laboribus, ſeu lucris acquirit, domino acquirit, neque poterit etiam prolem bene educare, & ideo merito Eccleſia irritavit talia matrimonia, *Sanch. l. 7. de matr. diſ.* 19. *n.* 2. ubi *n.* 3. id extendit; quod etiamſi libertas non ſit perpetua, ſed ad certum ſolum tempus v. g. ad biennium conceſſa, ita ut eo elapſo, ſervus in priſtinam ſervitutem redigatur: matrimonium tamen cum ignorantia ſervitutis contractum ſit nullum, quia talis revera manet ſervilis conditionis, & quidquid interim agit, id agit ut ſervus, nec poteſt libere tradere poteſtatem ſui corporis alteri, nec ad Ordines promoveri.

V. Porro pro explicatione *cit.* c. 2. Notandum 1. ſi quæratur, an & quando, ratione conditionis ſervilis, vitietur matrimonium, tum diſtinguendum eſt. Vel enim contrahit quis matrimonium cum ancilla, ignorans illam eſſe talem, ſed putans eſſe liberam; & tunc matrimonium non tenet, c. 2. *hic & ibi Gl. V. Liberam*: idque propter errorem, qui conſenſum excludit, *l. Si per errorem.* 15. *ff. de juriſdict.* ubi dicitur: *Cum non conſentiant, qui errant quid: enim tam contrarium eſt conſenſui, quam error, qui imperitiam detegit?* niſi ſequatur ratihabitio expreſſa per novum conſenſum matrimonialem ejus, qui ignorabat alterius ſervitutem; vel ſaltem ratihabitio tacita, quia carnaliter ſervam poſtea cognovit; tunc enim matrimonium, quod antea nullum erat, reconvaleſcit, *cit. c.* 2. *& 4. h. t. Caniſ. in cit. c.* 2. *n.* 3. Vel quis ſciens alterum eſſe ſervum, vel ancillam, cum eodem, vel eadem contrahit matrimonium, & tunc illud tenet, juxta *cit. c.* 2. *h. t.* quia Jus Canonicum irritat ſolum matrimonium, ſi liber contrahat cum ancilla, vel libera cum ſervo, & liber ignoret alterum eſſe ſervum, ut conſtat ex *c.* 2. *& 4. h. t.* Ratio autem, ob quam hoc ſtatuit Eccleſia, ea eſt, ut reſarciat gravem injuriam illatam libero ignoranti conditionem ſervilem alterius, & ob magnam contractus inæqualitatem, quæ ratio non habet locum, quando liber ſcit alterum eſſe ſervum, cum quo contrahit; tunc enim ceſſat error, & contrahens non decipitur, & remittit jus ſuum, *c. Si quis.* 2. *& c. ſeq. & c. Si fœmina* 5. *cauſ.* 29. *q.* 2.

Notandum 2. Etſi error ſervitutis, ſi quis contrahat matrimonium cum ancilla, quam ignorat eſſe ſervam, vitiet matrimonium, ut dictum; non tamen error circa qualitatem perſonæ, ut ſi quis contrahat cum ea, quam per errorem exiſtimavit eſſe nobilem, vel virginem, vel divitem, vel bonam, cum non eſſet, dirimit, vel irritum reddit matrimonium, *cauſ.* 29. *q.* 1. *tota*, ubi dicitur: Error fortunæ, & qualitatis conjugii conſenſum non excludit: error vero perſonæ, (quando quis putatur eſſe Virgilius, & ipſe eſt Plato) vel conditionis (quando putatur eſſe liber, qui eſt ſervus) conjugii conſenſum non admittit, *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 3. §. 7. n. 1.* in fine, & dictum ſupra *Tit.* 1. *hoc libro ſect.* 6. *§.* 3. *n.* 160. *& ſeq.* Ratio diverſitatis eſt, quia error conditionis ſervilis contingit circa ea, quæ ſunt de eſſentia matrimonii, & ad illius ſubſtantiam pertinent, nempe circa ipſam mutuam, & liberam corporum traditionem; ſervus enim, vel ancilla non habet poteſtatem corporis ſui, cum ſit ſubjectus, vel ſubjecta poteſtati domini ſui, & ideo non poteſt liberum uſum corporis ſui alteri tradere, quod non eſt in errore aliarum qualitatum, cujuſmodi ſunt, quod ſit nobilis, dives, virgo &c. Nam etſi ſervitus per ſe ſubſtantiæ matrimonii non repugnet, obſtat tamen ejus cauſæ, nempe libertati conſenſus, *Covarr. c. l.*

Notandum 3. Matrimonium, quod liber contraxit cum ancilla, ignorans illam eſſe ſervam, fit validum, ſi poſt ſcientiam ſervitutis, carnalem copulam cum illa habeat, ut conſtat ex hoc c. Verum quia hodie poſt Concilium Trident. *Seſſ. 24. de ref. matrim. c.* 1. non ſufficit ad matrimonium contrahendum præſumptus conſenſus, qualis habetur per ſubſequentem copulam, niſi poſt ſublatum impedimentum, novus conſenſus, coram Parrocho, ac teſtibus, interveniat, ideo quoad hanc partem, nunc non habet locum diſpoſitio hujus c. in locis, ubi Concilium Trident. eſt promulgatum, & receptum, ac proinde vir, qui liber contraxit matrimonium cum ancilla, ignorans illam eſſe ancillam, etiamſi poſtquam hoc ſcivit, eandem carnaliter cognoſcat, non poteſt compelli, ut eam tanquam uxorem maritali affectione tractet, *Barboſ. in cit. c.* 2. *n.* 5. & alii apud ipſum.

Notandum 4. Judex Eccleſiaſticus poteſt judicare inter laicos, ſuper dote reſtituenda, quia dos eſt acceſſorium matrimonii, de quo judicare eſt Eccleſiæ, *Abb. hic n.* 4. *& Alex. de Nevo n.* 5. Porro dos reſtituenda eſt ancillæ, vel pecunia pro dote, ſeu loco dotis data, ſi matrimonium diſſolvatur per ſententiam divortii, *Gl. fin. hic*, quia ubi non eſt matrimonium, non eſt proprie dos, *Hoſtienſ. hic in fin.*

VI. Aſſertio 3. Non omnis error ſervilis conditionis reddit matrimonium invalidum, ſed quando talis eſt error, ut fiat deterior conditio errantis: ſecus, ſi conſtituatur in digniore, vel pari conditione. Quando igitur per conditionem ſervilem redditur deterior conditio errantis, ut quia credidit, mulierem, cum qua contraxit matrimonium, eſſe liberam, cum eſſet ancilla, tunc error vitiat matrimonium, & irritum erit, juxta *c.* 2. *h. t.* Quidam vero eſt error conditionis melioris, ut cum liber contrahit matrimonium cum libera, quam putavit eſſe ancillam, nam talis errat quidem, quia unam pro alia putat: non tamen ob hujuſmodi errorem matrimonium redditur nullum, quia etſi ſciviſſet illam eſſe liberam, veriſimilius cum illa contraxiſſet, cum per hoc conditio errantis fiat melior, nec reſpectu ſuæ conditionis, poſſit dici deceptus, cum liber duxerit liberam. Similiter ſi ſervus contrahat matrimonium cum ancilla, quam putabat eſſe liberam, valet matrimonium, nam conditio ſervi contrahentis non fit deterior, cum contraxerit cum æquali ſuæ conditionis, nec reſpectu ſuæ conditionis fuit deceptus, *Sanch. cit. diſ.* 19. *n.* 23. & alii apud ipſum.

VII. Sed jam ulterius quæritur, utrum error conditionis ſervilis dirimat matrimonium jure naturali, an vero ſolum Eccleſiaſtico? Duplex eſt ſententia. Prima eſt, quamvis ſervitus non præſtet naturale impedimentum matrimonio ineundo, ſicut naturalis impotentia ad copulam conjugalem, adeoque validum ſit matrimonium ſervorum inter ſe, & matrimonium liberi cum ancilla, vel liberæ cum ſervo, ſi non ignoretur ſervilis conditio, ſed cognita ſit, ut ſupra dictum: Attamen error ſervitutis ita obſtat matrimonio, ut jure naturali illud reddat irritum, quam ſententiam tenet *Silveſt. V. Matrimonium 6. q.* 2. & alii apud *Sanch. cit. diſ.* 19. *n.* 15. quia hoc impedimentum non videtur a SS. Canonibus de novo introductum eſſe, ſed ſolum approbatum, quod antea ſemper acceptum erat, ac proinde veriſimile eſt, per errorem ſervilis conditionis matrimonium jure gentium irritum eſſe, cui ſententiæ videtur etiam favere *Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 2. n. 3.* & eſt ſententia probabilis.

VIII. Verum contraria ſententia, quod error ſervilis conditionis, ſolo jure Eccleſiaſtico, quamvis antiquiſſimo, irritat matrimonium, eſt communiter magis recepta inter DD. apud *Sanch. cit. diſ.* 19. *n.* 16. Ratio eſt, quia non videtur irritum jure naturæ, cum non ſit contra ſubſtantiam matrimonii, nam ſervus non tollit, vel impedit abſolute, & ſimpliciter liberum uſum matrimonii, ſed ſolum pro eo tempore, quo dominus juſte, & rationabiliter ſervum occupat in ſuis ſervitiis, & miniſteriis, quod non adverſatur ſubſtantiæ matrimonii, prout hoc e natura inſtitutum eſt, quia adhuc habet ſervus abſolutam poteſtatem tradendi ſuum corpus alteri, & eſt obligatus ad reddendum debitum, ſi legitimum impedimentum non obſtat. Idque confirmatur 1. quia Eccleſia matrimonium a libero ſcienter contractum cum ſervo, vel ſerva, non irritat, ſed ſolum cum contrahitur ignoranter, & per errorem, ut patet ex *c.* 2. *& 4. h. t.* Si autem ſervitus jure naturali dirimeret matrimonium, æque dirimeret, non ſolum, ſi ignoranter, ſed etiam ſi ſcienter contraheretur, quia non magis repugnaret matrimonio ſervitus ignorata, quam cognita: ſed hæc non repugnat, ergo nec illa; quia matrimonium ſecundum ſe ſolum exigit traditionem ſui corporis ad uſum generationis, qui ſpectato cujuſque ſtatu commode haberi poteſt. Confirmatur 2. quia quamvis qui interveniente errore ſervitutis, contrahit matrimonium, aliquo modo, & ſecundum quid involuntarie contrahat, in quantum ſi conditionem ſervitutis præſciret, non contraheret: ſimpliciter tamen, & abſolute talis contractus eſt voluntarius, quia ſimpliciter in hanc determinatam perſonam conſentit, adeoque eſt verus, & validus contractus, ſpectato ſolo jure naturæ, *Sanch. c. l. n.* 16. Quamvis igitur jure naturali valde ſit conforme, ut talis error matrimonium dirimat, non eſt tamen hoc jure irritum.

IX. Hinc ſequitur, ſecundum poſteriorem ſententiam, matrimonium inter infideles initum, cum errore ſervitutis, eſſe validum, niſi per legem ſpecialem illorum irritetur, quia leges Eccleſiaſticæ non poſſunt tale matrimonium irritare, quibus infideles non ſubjiciuntur: at vero ſecundum priorem ſententiam, quæ etiam probabilis eſt, non valebit tale matrimonium, quia jure naturæ eſt irritum, cui etiam infideles ſubjiciuntur, *Sanch. c. l. n. 17.*

X. Prædictis addendum, ſi dominus proprium ſervum, vel ancillam tradat in matrimonium perſonæ liberæ ignaræ ſervitutis, nec eam detegat, vel ſciens eos contrahere, cum tali errore, ſtudio taceat, eo ipſo talis perſona ſervituti ſubjecta libertatem conſequitur, ſive maſculus ſit, ſive fœmina, ut conſtat ex *Auth. Ad hoc C. de Lat. libert.* quia hoc ipſo talis ſervus, vel ſerva manumittitur a domino, & fit liber, vel libera, favore matrimonii, & illud conſiſtit, *Sanch. c. l. 7. de matr. diſ.* 20. *n.* 2. & 5. & *n.* 14. de quo plura videri poſſunt apud eundem.

XI. Aſſertio 4. Quia error ſervilis conditionis dirimit matrimonium contractum, ideo ſi liber contraxit cum ancilla, quam ignoravit eſſe ancillam, & poſtquam id ſcivit, in illam, nec expreſſe, nec tacite conſenſit, ſeparandum eſt matrimonium, & talis cum alia contrahere poterit, prout ſtatuitur in *c. Ad noſtram.* 4. & *ult. h. t.* „Nam cum quidam miles contraxiſſet matrimonium cum quadam muliere, poſtea oppoſuit illi, coram Legato Sedis Apoſtolicæ, quod eſſet ancilla, ideoque Legatus eos propter errorem conditionis ſervilis ab invicem ſeparavit. Relatum hoc fuit ad Papam Innocentium III. qui mandavit, ut ſi conſtiterit, quod miles ignoranter contraxerit cum ancilla, & poſtquam illius conditionem reſcivit, nec facto (carnaliter illam cognoſcendo, *Gl. hic V. eod.*) nec verbo, in eandem conſenſerit, & propterea per Legatum fuerit ab ejus conſortio ſeparatus, liberam illi cum alia contrahendi, Auctoritate Apoſtolica, facultatem concedat.

XII. Ubi notandum 1. recte in caſu hujus c. Cardinalis Legatus ſeparavit hoc matrimonium, quia illud fuit irritum, ob defectum legitimi conſenſus, ex parte viri, errantis enim nullus eſt conſenſus. Quod ſi liber matrimonium ignoranter contraxit cum ancilla, ſed nihilominus eam vult pro uxore habere, illa cogenda eſt ab Eccleſia ſtare matrimonio, ſi nondum alteri legitime nupſit, *Navar. in man. Prælat. c.* 22. *n.* 33. *Fagn. hic n.* 7.

Notandum 2. Ad ratificationem actus nulli neceſſario requiritur, ut ratificans ſciat illum eſſe nullum, non enim poteſt haberi ratum, quod ignoratur, *l. Mater.* 19. *ff. de inoffic. teſtam. junct. Gl. margin. lit. A.* Ubi ait, renunciare nemo videtur juri quod ignorat, & colligitur ex hoc cap. ibi, *Poſtquam intellexit conditionem illius, h. t.* quod procedit, ſi nullitas cognita veriſimiliter retraxiſſet ratum habentem ab actu gerendo, eo quod alioquin fieret deterior conditio errantis, alias ſecus. Sicut ſubreptio non inducitur, ſi taceantur ea, quæ etſi Princeps cognoviſſet, eum non retraxiſſent a gratia concedenda, *Fag. hic n.* 12. & 2. *ſeqq.*

XIII. Notandum 3. Matrimonium ab initio nullum, ob errorem conditionis ſervilis, poſtquam conſtat de illius nullitate, ratificatur per ſupervenientem conſenſum verbis expreſſum, vel facto, id eſt, per copulam ſubſequentem, nam ipſo facto conſentit, qui contraxit matrimonium cum aliqua, etſi invalide, ſi poſtea illam carnaliter cognoſcat, quamvis nullum verbum proferat, *Gl. hic V. Nec facto.* Requiritur tamen, ut tractatus de matrimonio, vel ſponſalia de futuro præceſſerint, alioquin ex ſola carnali copula non probatur conjugalis conſenſus, eſt enim ſignum æquivocum, cum poſſit fieri affectu maritali, vel fornicario, quamvis Eccleſia tunc præſumat affectu maritali factam eſſe copulam, ad excludendum delictum *Hoſtienſ. hic V. Conſenſerit,* & *Joann. Andr. nu.* 7. *Covarr. in* 4. *Decret. p.* 1. *c.* 4. §. 1. *n.* 1. Verum hæc procedunt de Jure antiquo Decretalium, non autem hodie, poſt Concilium Trident. habet locum, quod irritavit matrimonia præſumpta, & clandeſtina *Seſſ.* 24. *c.* 1. *de reform. matr.* ac proinde hodie per copulam carnalem ſubſecutam non confirmatur matrimonium ab initio nullum, ut alias dictum.

Notandum 4. Si conjux liber petat diſſolvi matrimonium, ob conditionem ſervilem alterius conjugis a ſe ignoratam, quia duxit ancillam, quam putavit eſſe liberam, tunc onus probandi illam ignorantiam non incumbit conjugi alleganti ignorantiam ſervitutis, ſed conjugi ſervilis conditionis incumbit onus probandi ſcientiam ſuæ conditionis in altero, ſive quod alter ſciverit ſe eſſe ſervum, vel ſervam, ignorantia enim liberi præſumitur, dum contrarium non probatur, & ſic probatur ignorantia, eo ipſo, quod non probatur ſcientia, quia in alieno facto non præſumitur ſcientia, ſed ignorantia juxta *Reg. Jur.* 47. *in* 6. *præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur, Hoſtienſ. in c. ult. hic n.* 3. *Joann. Andr. num.* 7. *Abb. n.* 6. *Alex. de Nevo n.* 5. *Sanch. l.* 7. *de matr. cit. diſ.* 19. n. 8. quod tamen limitandum eſt, niſi conditio ſervilis alterius, tempore contracti matrimonii, eſſet communiter nota in eo loco, quia præſumitur quivis ſcire ea, quæ aliis ibi communiter innotuerunt, *Abb. c. l.* & *Sanch.*

§. II.

An, & quando proles, quoad libertatem, & ſervitutem, ſequitur conditionem, non matris, ſed patris?

XIV. De hoc agitur in *c. Licet.* 3. *h. t.* Ubi talis caſus „proponitur: quædam mulier contraxit matrimonium cum aliquo, de quo dicebatur, quod eſſet ſervus cujuſdam Monaſterii, a quo mulier petebat ſeparari, eo quod ignorabat eum eſſe ſervum Monaſterii, tempore contracti matrimonii. Sed vir replicabat, quod ſecundum legem, ſeu conſuetudinem Provinciæ, conditionem patris ſequi debeat, qui tempore mortis pro libero ſe gerebat, & jam elapſo decennio, nec ſuo, nec patris nomine, ſtatus controverſiam unquam paſſus fuerit. Conſultus Papa Urbanus III. reſpondet, ratione temporis, & favore libertatis, pro parte viri, ſecurius judicandum eſſe, & ſic mulier remanebit cum viro, cum quo, tanquam libero matrimonium contraxit.

XV. Pro explicatione hujus cap. notandum 1. quamvis de Jure communi partus ſequatur conditionem matris, quoad libertatem, & ſervitutem, ita ut ſi mater ſit libera, vel ſerva, partus quoque cenſendus ſit liber, vel ſervus, licet pater ſit liber, *c. fin. de ſerv. non ordin.* & *Inſtit. de Jure perſon.* §. *Servi autem.* Veruntamen valet ſtatutum, vel conſuetudo legitime præſcripta, ut proles ſequatur conditionem, non matris, ſed patris, ita ut ſi ſolus pater liber ſit, vel ſervus, etiam liberi ſint liberæ conditionis, vel ſervilis, non attenta conditione matris, an hæc libera ſit, vel ſerva, ut conſtat ex hoc c. *Abb. hic n.* 2. Ubi ait, hanc conſuetudinem in multis locis vigere, quia cum res hæc deſcendat ex Jure humano, poteſt ei derogare conſuetudo, *c. fin. de conſuet. Sanch. lib.* 7. *de matr. diſ.* 24. n. 9.

Notandum 2. Valet matrimonium liberi initum cum ancilla, ignorata conditione ſervili illius, ſi elapſum ſit decennium, ex quo ancilla illa eſt in poſſeſſione libertatis, ut colligitur hoc ex cap. quamvis non requiratur decennium, ſed ſufficit quinquennium, ut tradit *Gl. hic V. Decennio,* per *l.* 1. & *l. Si pater.* 7. *C. Ne de ſtatu defunctor.* Nam quod hic dicitur de decennio, ad factum pertinet, quia de facto decennium excurrerat poſt mortem defuncti, non quod quinquennium non ſufficeret, *Gl. hic V. Decennio.* Quod ſi ante matrimonium initum cum ancilla, illa jam legitime præſcripſiſſet libertatem, matrimonium eſſet legitimum, idque veriſſimum eſſe ait *Sanch. l.* 7. *diſ.* 19. *n.* 6. quod eſſet matrimonium liberi cum liberta, id eſt, cum ea quæ ancilla fuit, jam tamen libertate gaudet; tale enim matrimonium valet, quia cum non ſit initum cum errore conditionis ſervilis præſentis, is error non obſtat valori matrimonii, *Sanch. cit. diſ.* 19. *n.* 10.

Notandum 3. Favore libertatis in dubio judicandum eſt pro libertate, quia ejus favor eſt maximus, *c. fin. de re judic.* Cum ergo in caſu hujus cap. vir iſte per decennium ſe pro libero geſſerit, nemine quidquam contra illum opponente, merito liber judicatus fuit. Quod ſi pater ipſius geſſit ſe pro libero, tempore mortis, & quinquennium poſtea elapſum ſit, intra quod nec ex perſona patris, nec ex propria ipſius filii, ipſi mota fuit quæſtio ſtatus, cenſendus eſt liber, quia intra illud tempus præſcriptum fuit contra ſervitutem, idque in favorem defuncti, & præcipue libertatis ſtatutum eſt, *Abb. hic in fine,* multa enim ſtatuta ſunt favore libertatis contra juris rigorem, ut notat *Gl. fin. hic.*

TITULUS X,

DE NATIS EX LIBERO VENTRE.

Quia error ſervilis conditionis vitiat matrimonium, ut patet ex dictis Titulo præcedente, indeque ſæpe fit, ut dubitetur utrum natus ex libero ventre, ſeu matre cenſendus ſit ſervus, an liber; ideo hic Titulus ſubjungitur, in quo de hoc agitur.

COntinet iſte Titulus *unic. cap.* quod incipit *Indecens* in quo dicitur, quod natus ex libera matre, vel liberta „ſit liber, ubi talis caſus proponitur: Cum quædam Eccleſia manumiſiſſet ancillam ſuam quæ poſtea liberos ſuſceperat, Eccleſia illa volebat eos revocare in ſervitutem: ſed ancilla conqueſta de hoc apud Papam, oſtendit illi inſtrumentum manumiſſionis ſuæ. Quia vero indecens eſt, ut filii progeniti ex libera, vel liberta ad ſervitium Eccleſiæ retrahantur, ideo præcipit Pontifex Gregorius I. ut ſi ex parte Eccleſiæ nulla producantur documenta, per quæ inſtrumentum manumiſſionis ab Eccleſia conceſſæ refellatur, Epiſcopus loci Eccleſiam illam a moleſtatione mulieris, ſine aliqua retractatione, compeſcat: durum enim eſt, ut ſi alii pro mercede (id eſt, pro remuneratione, *Hoſtienſ. hic*) tribuunt libertates, eæ ab Eccleſia, a qua tueri, ſeu defendi debent, revocentur.

II. Notandum 1. Filii, ſeu liberi legitime nati quoad familiam, nobilitatem, & dignitatem, ſeu honores, ſequuntur conditionem patris, non matris, *l. Cum legitimæ* 19. & ibi *Gl. ff. de ſtatu homin.* Ratio eſt, quia proles eſſe recipit a patre tanquam a cauſa efficiente principali, & nobiliori principio ſuæ ſubſtantiæ, & ideo quoad ea, quæ ad eſſe,

Digitized by Google

ad eſſe, & familiam pertinent, & quæ ei connexa ſunt, ſequitur patrem, *Sanch. l. 7. de matr. diſ.* 24 *n.* 1. Ubi addit, quod vere nobilis ſit, qui ex utroque parente nobili deſcendit. Verum quoad ſtatum libertatis, vel ſervitutis liberi conditionem matris ſequuntur, ita ut natus ex ancilla ſit ſervus, etſi pater liber ſit, vel liber, ſi mater ſit libera, etſi pater ſit ſervus, quia partus ancillæ matris conditionem ſequitur, non ſtatum patris, *l. Partum 7. C. de rei vindic. Abb. hic n.* 3. *Sanch. cit. diſ.* 24. *n.* 8. Sufficit autem, ſi mater, tempore conceptionis, aut nativitatis, vel medio tempore fuerit libera, ut proles libertate gaudeat, *Inſtit. de Ingen. in princ.* Ut ſi ancilla prægnans manumittatur, ſed ante partum in ſervitutem redigatur, proles nata erit libera, quia mater libera fuit, medio illo tempore, quo ſcilicet prægnans erat, *§. Ex his Inſtit. de Ingen.* quia calamitas matris, non debet nocere proli in utero exiſtenti, ut ibidem dicitur. Unde ad hoc, ut proles libera ſit, ſufficit matrem breviſſimo tempore inter conceptionem & nativitatem fuiſſe liberam, *Sanch. c. l. n.* 10. Quod ſi tamen mater jure belli capta ſit, fœtus quoque ſit mancipium, etſi mater libera fuerit, tempore conceptionis, non quidem vi natalium, ſed quia una cum matre captus fuit in bello juſto, & ſic beneficio matris captæ ſervatus fuit in vita, *Sanch. c. l. n.* 14. Sed & filii ex legitimo matrimonio progeniti ſequuntur quoad libertatem, & ſervitutem conditionem matris, *l. Et ſervorum* 5. *§. Ingenui*, *l. Cum legitima*. 19. *ff. De ſtatu hom. & Sanch. c. l. n.* 7.

III. Notandum 2. Filii libertæ, hoc eſt, progeniti ex ancilla, quæ ex ſervitute manumiſſa eſt, & liberti, ſive libertini appellantur, ſunt liberi, etſi pater ſervus fuerit, nec poſſunt a domino in ſervitutem revocari, prout ſumitur ex hoc cap. Ubi dicitur: indecens eſſe, ut filii nati ex liberta in ſervitutem Eccleſiæ retrahantur, *Abb. hic n.* 4. *& Alex. de Nevo n.* 4. durum eſt enim, quod Eccleſia libertatem revocet, quam debet defendere, neque debet quis impugnare eum, quem debet defendere, *Gl. hic. in notat. & V. Aqua tueri*. Nam ſi alii domini defendunt libertatem ſuam, multo magis hoc facere debet Eccleſia, adeoque non debet a ſe ipſa manumiſſos, & libertate donatos revocare in ſervitutem, *Hoſtienſ. hic V. Ab Eccleſia*: Quamvis propter ingratitudinem libertus retrahi poſſit in ſervitutem, *c. Liberti* 61. *cauſ.* 12. *q.* 2. *Abb. hic. in fine*.

TITULUS XI.

DE COGNATIONE SPIRITUALI.

Triplex eſt cognatio, ſpiritualis, legalis, & naturalis, ſive carnalis, de quibus hoc, & aliquot ſequentibus Titulis agitur, & quidem primo loco de cognatione ſpirituali, tanquam de digniore. Erat hic Titulus etiam in Sexto.

§. I.

Quid ſit cognatio ſpiritualis, unde criatur, & inter quas perſonas contrahatur?

I.

ASſertio 1. Cognatio ſpiritualis eſt propinquitas quædam perſonarum, quæ ex ſtatuto Eccleſiæ oritur ex adminiſtratione, ſeu collatione, & ſuſceptione quorundam Sacramentorum, nempe Baptiſmi, & Confirmationis, prout definitur communiter a Doctoribus apud *Sanch. l. 7. de matr. diſ.* 54. *n.* 1. *Tann. tom.* 4. *diſ.* 8. *de matr. q.* 4. *dub.* 4. *n.* 64. *Laym. l.* 5. *Theol. Mor. tract.* 10. *p.* 4. *c.* 8. *in prin.* & alios. Sicut enim per carnalem generationem homo naſcitur, & acquirit eſſe naturale, poſtea vero corporaliter roboratur: ita per Baptiſmum homo regeneratur ſpiritualiter, & per Confirmationem confortatur ſpiritualiter: cum ergo baptizanti, aut confirmanti, & Patrinis magna reverentia debeatur tanquam parentibus ſpiritualibus, ideo Eccleſia ſtatuit, ut hæc cognatio ſpiritualis non minus, quam carnalis, eſſet impedimentum dirimens matrimonium, *Sanch. cit. diſ.* 54. *n.* 2.

II. Hinc infertur 1. quod cognatio ſpiritualis non habeat ortum ex Jure naturali, quia hæc Sacramenta nullum habent in Jure naturali fundamentum, ſed ex ſola Chriſti inſtitutione acceperunt: neque etiam ex jure Divino poſitivo orta eſt hæc cognatio, quia nullus in S. Scriptura locus invenitur, in quo de ea fiat mentio, quamvis in illa fundamentum aliquod habeat, quia 1. *Petri* 1. appellatur Baptiſmus regeneratio per Chriſtum facta. Itaque ex ſolo jure Eccleſiaſtico, ſeu inſtitutione Eccleſiæ hæc cognatio introducta eſt, *Sanch. c. l. n.* 2.

Infertur 2. Ex aliis Sacramentis, præter Baptiſmum & Confirmationem, non oritur cognatio ſpiritualis, ut expreſſe deciditur in *c. Quamvis* 3. *& ult. h. t. in* 6. *in fine*: ubi dicitur: ,, Ex datione vero aliorum Sacramentorum ,, cognatio ſpiritualis nequaquam oritur, quæ matrimonium impediat, vel diſſolvat: imo neque ex Sacramento Pœnitentiæ inter Confeſſarium, & filiam confeſſionis ,, oritur aliqua cognatio. ,, Rationem autem dat D. Thom. apud *Sanch. c. l. n.* 6. Quia reliqua Sacramenta conferunt ſupernaturalem gratiam, non per modum regenerationis ſpiritualis, ſed per modum refectionis ſpiritualis, ut Euchariſtia, vel ſanationis, ſeu reconciliationis, ut Pœnitentia. Quamvis talis Confeſſio Sacramentalis ſit ſpeciale ſacrilegium, ſi aſſumatur ut medium ad peccatum luxuriæ perpetrandum, *Tanner. tract.* 4. *diſ.* 8. *q.* 4. *dub.* 4. *n.* 64. & alii.

Infertur 3. Hoc impedimentum ſpiritualis cognationis eſt perpetuum, ita ut etiam poſt mortem perſonæ, qua mediante contracta eſt cognatio, duret, ſicut etiam fit in aliis impedimentis dirimentibus, *Sanch. c. l. n.* 8.

III. Aſſertio 2. Cognationis ſpiritualis, quæ impediebat, & dirimebat matrimonium, Jure antiquo Decretalium, triplex erat ſpecies, videlicet Paternitas, Compaternitas, & fraternitas. Paternitas erat inter baptizantem, vel confirmantem ex una, & inter baptizatum, & confirmatum ex altera parte: ſimiliter inter patrinum baptizati, & confirmati ex una, & baptizatum, vel confirmatum ex altera parte. Altera ſpecies erat compaternitas, quæ eſt inter baptizantem, vel confirmantem, vel patrinos ex una parte; & inter parentes baptizati, vel confirmati ex altera parte: atque ita parentes baptizati, vel confirmati erant compatres baptizantis, vel confirmantis, & patrinorum: & duplex hæc cognatio transfundebatur a viro in uxorem, ita ut ſi vir conjugatus aliquam perſonam baptizaret, vel confirmaret, vel patrinus illius eſſet, uxor ejus ſimilem cognationem compaternitatis cum eiſdem perſonis, videlicet baptizato, vel confirmato, & parentibus eorum contraheret, eo quod uxor una caro cum marito ſuo reputetur. Tertia ſpecies erat fraternitas: videlicet inter filios carnales baptizantis, vel confirmantis, vel patrinorum ex una parte: & ipſum baptizatum, vel confirmatum, ex altera parte: itaque baptizatus, vel confirmatus erat confrater filiorum baptizantis, vel confirmantis, & filiorum ipſius patrini, vel matrinæ, *Sanch. cit. diſ.* 54. *n.* 9. *Laym. cit. c.* 8. *n.* 1. quæ omnia Juribus infra allegandis probabuntur, & declarabuntur.

§. II.

Quænam circa cognationem ſpiritualem, ſive paternitatis, ſive fraternitatis, jure antiquo Decretalium ſtatuta ſint, & inter quas perſonas ea impediat matrimonium contrahendum, vel dirimat jam contractum.

IV. De his agitur in pluribus Capitulis hujus Tituli, quæ hoc loco explicabimus. ,, Et imprimis in *c. Utrum* 1. ,, *h. t.* conſultus fuit Papa Alexander III. utrum filii (ſcilicet duorum compatrum), aut filiæ, ante, vel poſt ,, compaternitatem geniti, poſſint matrimonio jungi, cum ,, Canones, ſecundum conſuetudines diverſorum locorum, ,, reperiantur contrarii. Nam primus Canon (qui habetur ,, in *c. Poſt ſuſceptum* 5. *cauſ.* 30. *q.* 3) prohibet, ne nati poſt compaternitatem matrimonio conjungantur: alter ,, vero Canon (qui eſt poſterius editus, juxta *Gl. hic V.* ,, *Poſterius*, & eſt Urbani II. & habetur in *c. Super* ,, *quibus*. 4. *ead. cauſ. & q.*) videtur corrigere primum ,, (quia poſteriora Jura corrigunt priora, *Hoſtienſ. hic.* ,, *V. corrigere*) per quem ſtatuitur, ut ſive ante, ſive poſt ,, compaternitatem geniti ſint, ſimul poſſint conjungi, ,, excepta illa perſona tantum, per quam ad compaternitatem venitur, ſive per quam compatres ſunt effecti. ,, Unde concludit Papa Alexander III. in hoc c. obſervandum videri, quod poſterior Canon (in *cit. c. Super* ,, *quibus*, qui tamen priore loco, ordine ſcripturæ, eſt ,, poſitus in Decreto Gratiani) ſtatuit; niſi conſuetudo ,, Eccleſiæ, quæ ſcandalum generet, aliter ſe habeat, ,, ſive aliud obſervet. ,,

V. Notandum 1. Filii duorum compatrum, per quorum neutrum eſt deventum ad compaternitatem, poſſunt matrimonium inire, quia illi filii non reperiuntur prohibiti, nam licet prius erant prohibiti ſimul contrahere per *c. Poſt ſuſceptum*. 5. *cit. cauſ.* 30. *q.* 3. ille tamen Canon fuit poſtea revocatus per alium Canonem poſteriorem, nempe per *c. Super quibus ead. cauſ. & q.* & ſic ſervandum eſt jus poſterius corrigens, & non prius jus correctum, *Urban. in Ration. in c.* 1. *hic*, niſi conſuetudo Eccleſiæ, quæ ſcandalum generet, aliter ſe habeat: hoc eſt, niſi conſuetudo juſta, & legitime præſcripta, ex cujus tranſgreſſione merito ſcandalum oriri poſſit, aliter ſe habeat, prout hunc textum explicat *Sanch. lib. 7. de matr. diſ.* 4. *n.* 11.

Notandum 2. Perſona illa, per quam eſt deventum ad compaternitatem, videlicet perſona baptizata, vel ſuſcepta ex baptiſmo, non poteſt contrahere matrimonium Jure antiquo cum aliquo ex filiis baptizantis, vel patrini levantis ex baptiſmo, ſive ſint geniti ante compaternitatem, ſive poſt illam, quia iſti ad invicem ſiunt fratres ſpirituales. Aliud eſt de baptizante, vel ſuſcipiente ex Baptiſmo, nam baptizans laicus, vel ſuſcipiens ex baptiſmo poteſt contrahere matrimonium cum ſorore baptizati, vel levati ex baptiſmo, *Abb. hic n.* 4. *Alex. de Nevo n.* 4. Item pater poteſt contrahere matrimonium cum filia ſpirituali filii ſui, quia cognatio ſpiritualis a patre deſcendit in filium, ſed non a filio ad patrem aſcendit, ideo filius non poteſt ducere filiam ſpiritualem patris: poteſt tamen ducere pater filiam ſpiritualem filii: ut notatur in *c. fin. cauſ.* 30. *q.* 3. *& in c.* 1. *h. t. in* 6. *Abb. hic n.* 4.

,, VI. Secundo in *c. Si vir* 2. *h. t.* cum quæſitum fuiſſet ,, ex Papa, an ſi duo conjuges vir, vel mulier ſcienter, ,, vel ignoranter filium ſuum de ſacro fonte ſuſceperint, ,, propterea ſeparari debeant? Reſpondet idem Alexander ,, III. quod quamvis generaliter ſtatutum ſit, (*in. c.* 1. ,, *&* 2. *cauſ.* 30. *q.* 1.) quod debeant ſeparari: aliter tamen

Digitized by Google

,, men etiam ſtatutum reperitur (in c. *Dictum* 4. & *c. Ad*
,, *limina* 7. *ead. cauſ.* & *q.*) Unde videtur, quod ſive ex
,, ignorantia, ſive ex malitia, id fecerint, non ſint ab in-
,, vicem ſeparandi, nec alter alteri conjugi debitum ne-
,, gare debet, niſi ad continentiam ſervandam poſſint in-
,, duci, quia ſi ex ignorantia fecerint, (probabili, alias non
,, excuſaret à peccato, *Gl. hinc V. eod.*) illos ea excuſat: ſi
,, ex malitia, eis ſua fraus, vel dolus non debet patrocinari.

VII. Pro explicatione hujus cap. notandum I. parentes carnales non debent proprios filios baptizare, nec in Baptiſmo, vel Confirmatione, tanquam patrini, ſuſcipere, alius debet pater carnalis, alius pater ſpiritualis: inſtante tamen neceſſitate, licitè poſſunt baptizare filios, nec inter eos oritur impedimentum cognationis ſpiritualis, ſeu paternitatis, ut conſtat ex c. *Ad limina* 7. *cauſ.* 30. *q.* 1. *Abb. hic. n.* 2. *Alex. de Nevo* n. 2.

Notandum 2. Si conjux, extra neceſſitatem, baptizat, vel tanquam patrinus ſuſcipit in Baptiſmo, vel Confirmatione, communem filium, vel ſolius alterius conjugis, non ſunt ab invicem ſeparandi, quia matrimonium non diſſolvitur, ſive ignoranter, ſive ſcienter hoc fecerint: nam ſi ſcienter, tunc non poteſt quidem unus conjux alteri debitum negare, ſed tenetur reddere petenti, ipſe tamen privatur poteſtate illud exigendi, ut juxta probabiliorem expoſitionem ſumitur ex *cit. c.* 2. *h. t.* & tradit *Gl.* in c. *Noſſe* 3. *V. Non fraudetur cit. cauſ.* 30. *q.* 1. *Hoſtienſ. hic V. Patrocinari*, *Abb. n.* 5. *Alex. de Nevo* n. 8. *Sanch. l.* 9. *de matr. diſ.* 36. *n.* 7. Nam in hoc cap. dicitur: quod hoc conjugium ſuſtinetur, ne *fraus ſua doloſa patrocinetur*, ſi debitum reddere non teneretur, & illud petere poſſet, tunc enim illi potius obeſt ſua fraus, ergo Papa eum poteſtate petendi debitum privare voluit, alias ratio allata nihil probaret: unde *Sanch. c. l.* addit, hanc ſententiam in rigore nullo textu Juris efficaciter probari poſſe, atque hanc ſententiam ipſum ſequi, quia eſt communis Juriſperitorum, & ferè etiam Theologorum Neotericorum, & antiquorum. Idque extendit idem *Sanch. c. l. n.* 8. quod quando conjux, non ſolum ex certa ſcientia, ſed etiam ex malitia, & in fraudem matrimonii baptizat, vel ſuſcipit ex baptiſmo communem filium, vel alterius conjugis tantum, tenetur reddere debitum, etſi non poſſit petere, ex ratione ſubjuncta in *cit. cap.* 2. *quia fraus ſua non debet illi patrocinari*, cum ergo impedimentum hoc, & privatio petendi debitum ſtatuatur in pœnam delicti admiſſi a conjuge ſciente, multo magis privabitur poteſtate petendi debitum ille conjux, qui ex malitia hoc facit, adeoque majoris delicti eſt reus. Porro quamvis Pontifex in hoc c. videatur eodem modo loqui de eo, qui ſcienter, vel ignoranter baptizat filium, vel ſuſcipit ex baptiſmo: revera autem aſſignat diverſas rationes, quia quando loquitur de ignorante, ait eum excuſari ob ignorantiam: cum vero loquitur de ſciente, dicit fraudem ei non debere patrocinari. Ex quo colligitur, illum privari jure petendi debitum, ac teneri reddere, ſic enim efficitur, ut fraus ſua ei non patrocinetur. *Sanch. c. l. num.* 12. Ex quo patet, quod detur medium inter ſcientiam, & ignorantiam, ſcilicet ſcientia, non malitioſa, ut ſi pater inſtante neceſſitate baptizaret filium in articulo mortis conſtitutum, *Alex. de Nevo hic. n.* 7. ſcientia vero malitioſa eſt dolus, de quo in fine hujus cap.

VIII. Notandum 3. Quod dictum eſt, quando pater carnalis, inſtante neceſſitate, proprium filium tenuit in Sacramento Baptiſmi, vel Confirmationis, non oriri inter eos aliquod impedimentum cognationis ſpiritualis, id intelligendum eſt de legitimis conjugibus, juxta c. *Ad limina* 7. *cit. cauſ.* 30. *q.* 1. Nam cum in caſu neceſſitatis extremæ, pater ex juſtitia teneatur proprium filium baptizare, iniquum foret, ſi ob eam cauſam privaretur jure exigendi debitum a legitima uxore, ac proinde contrahitur quidem etiam eo caſu, inter tales conjuges aliqua cognatio ſpiritualis, ſed non talis, quæ ullum præjudicium afferat matrimonio jam rite contracto. Aliud eſt in concubina, ut ſi Petrus laicus baptizaret filium Annæ, ac deinde copulam carnalem fornicariam cum illa habuit, Anna vero filium poſtea ex Petro ſuſceptum, in extrema neceſſitate, baptizatum tenuit: nam Petrus pater in utraque hoc caſu, ſuſcipiendo proprium filium, ſpiritualem cognationem cum Anna concubina contraxit, quæ impedit matrimonium contrahendum, & dirimit poſtea contractum, quia Petrus nullum jus habet debitum, ſeu carnis copulam a concubina petendi, ut recte tradit *Fagnanus in cit. c. c. n.* 5. & aliquot *ſeqq. h. t.* Idque procedit, non ſolum de Jure communi, ſed etiam poſt Concilium Trident. *Seſſ.* 24. *c.* 2. *de reform. matr.* juxta quod contrahitur cognatio ſpiritualis inter baptizantem, & baptizatum, & hujus patrem, & matrem, per quam impeditur matrimonium contrahendum, & dirimitur contractum. Et habet locum etiam in laico, qui baptizavit in extremo mortis articulo, ut docet *Hoſtienſ. in ſumma* §. *Et an aliquis n.* 8. *h. t. Silveſt. V. Matrimonium* 8. *q.* 7. *dicto* 7. *Covarr. in* 4. *Decret.* c. 6. §. 4. n. 4.

Notandum 4. Ad contrahendam cognationem ſpiritualem requiritur ſcientia, & intentio illam contrahendi, prout ſumitur ex hoc c. Unde ſi quis per errorem levavit ex baptiſmo filium Petri, exiſtimans eſſe Filium Pauli, revera non contrahit cum filio Pauli Cognationem, nec efficitur pater ſpiritualis illius, ſaltem ad dirimendum matrimonium poſt contractum, quia revera non intendit exercere actionem veri patrini erga illum, quem levavit, *Abb. hic n.* 4. & *Alex. de Nevo n.* 6. *Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 58. *n.* 8.

IX. Tertio in *c. Super eo.* 3. *h. t.* Statuitur, ut ſi filii
,, duorum compatrum tales ſint, per quorum alterum,
,, vel utrumque parentes ad compaternitatem pervenerunt,
,, conjungi non poſſint, & ſi conjuncti fuerint, ſeparari
,, debeant, (quia contra Canones conjuncti ſunt: quod
,, autem contra leges fit, diſſolvi debet, c. *Vides.* 10. *diſ.*
,, 10.) ſi vero per neutrum illorum filiorum compaterni-
,, tas contracta ſuit, tunc conſuetudo Eccleſiæ Metropoli-
,, tanæ, vel aliarum vicinarum Eccleſiarum ſervari debet,
,, ita ut ſi ſecundum hanc, conjugium non teneat inter
,, tales, etiam Epiſcopus in ſua Eccleſia illud non appro-
,, bet, nec permittat: ſi vero ſecundum conſuetudinem,
,, talia matrimonia permittantur, Epiſcopus in ſua Ec-
,, cleſia diſſimulare poterit, ita ut nec contradicere, nec
,, aſſentiri videatur, quia ſicut grave eſt antiquam con-
,, ſuetudinem vicinarum Eccleſiarum contemnere: ita gra-
,, vius videtur, ſi propter eam hujuſmodi conjugiis Epi-
,, ſcopus præſtet aſſenſum, cum poſſet hoc in exemplum aſſu-
,, mi, nempe ab aliis, qui talia conjugia non contrahunt,
,, adeoque illam conſuetudinem non obſervant, *Gl. fin. hic.*

X. Verum deciſioni hujus cap. obſtare videtur c. *Quod ſuper hic.* 5. *in fine de conſang. & affin.* Ubi deciditur: quod in gradibus prohibitis non poſſit contrahi matrimonium, etiamſi hoc obſervet conſuetudo. At vero in *cit. c. Super eo. h. t.* deciditur, quod ubi viget conſuetudo impediens, ac dirimens matrimonia contracta inter filios duorum compatrum, per quorum neutrum contracta eſt compaternitas, quæ jure communi licite, & valide contrahuntur, propter conſuetudinem loci ſint ſervanda. Sed reſpondetur, per conſuetudinem non poſſe induci impedimentum dirimens matrimonium, niſi fuerit per S. Pontificem approbata, & de hoc loquitur *cit. c. Super eo. h. t. Fagn. ibid. n.* 1. Quod ut melius intelligatur, notandum, etſi conſuetudo poſſit impedire matrimonium contrahendum, & prohibere, ne contrahatur: non tamen poteſt dirimere perpetuo matrimonium poſtea contractum, *c.* 1. *de ſponſal. & matrim.* Quare cum in *cit. c. Super eo*, ſtatuitur, quod licet filii duorum compatrum, per quorum neutrum contracta eſt compaternitas, licite inter ſe contrahant matrimonium; ſi tamen ſubſit conſuetudo impediens, ac dirimens tale matrimonium, ſervanda ſit loci conſuetudo, id intelligi debet, ſi talis conſuetudo per S. Pontificem fuerit approbata, prout expreſſe illam approbavit Alexander III. in *cit. c. Super eo*, ne ſcilicet matrimonium contraheretur, & ut contractum ſeparetur, tunc enim per talem conſuetudinem inducitur impedimentum, non tantum prohibens matrimonium contrahendum, ſed etiam dirimens contractum, quia approbatio Papæ habet vim Conſtitutionis Apoſtolicæ, ſeu Canonicæ; ſicut ergo per hanc poteſt induci impedimentum dirimens matrimonium; ita etiam per conſuetudinem approbatam a Papa: quod ſi conſuetudo non ſit approbata a Papa, nec reprobata, tunc ad evitandum ſcandalum, impedit quidem, ſed non dirimit matrimonium, *Silveſt. V. Matrimonium* 2. *n.* 3. *q.* 3. *Fagn. in cap.* 1. *num.* 8. & 9. *h. t.* Alii vero cenſent, tunc demum valere conſuetudinem, ac dirimere matrimonium, ſi cum illa concurrat Jus vetus, & inſuper etiam ſcandalum, juxta *c.* 1. *h. t.* Contrarium tamen tenet *Sanch. l.* 7. *diſ.* 4. n. 51. videlicet conſuetudinem habere vim inducendi novum impedimentum dirimens matrimonium, licet a Papa non ſit ſpecialiter approbata, nec cum illa concurrat jus vetus, nec ſcandalum generetur: ſed communis ſententia DD. eſt tenenda.

XI. Nec obſtat text. in *c. ult. de conſuet.* Ubi generaliter dicitur, longævam conſuetudinem derogare juri poſitivo, ſi ſit rationabilis, & legitime præſcripta: nam conſuetudo, quæ reddit fideles inhabiles ad contrahendum matrimonium ſine conſenſu, & approbatione Pontificis, non eſt rationabilis, quia a jure ſpecialiter reprobatur in *cap.* 1. *de ſponſal. & matrim.* Ubi quidam Gallus, qui uxorem dimiſerat, & aliam duxerat, exiſtimans primum matrimonium eſſe nullum, eo quod in eo contrahendo non ſervaret legem, id eſt, conſuetudinem patriæ, cogitur redire ad primam uxorem, & pœnitentiam agere, tanquam transgreſſor legis Evangelicæ, ut ex illo cap. deducunt *Hoſtienſ. ibid. V. Superinduxit*, & *Abb. num.* 3. Deinde cum conſuetudo ſit Juris poſitivi, non poteſt dirimere matrimonium, quippe quod robur habet e Jure Divino, ideoque tanquam irrationabilis non valet, *Fagnan. in cit. c.* 1. *n.* 13. & 14. Sed neque talis conſuetudo poteſt dici legitime præſcripta, quia cum ſit contra Jus Divinum, nullo unquam tempore poteſt præſcribi, ideoque etiam nulla conſuetudo vim legis obtinere poteſt contra legem Divinam, ſed potius talis conſuetudo cenſenda eſt corruptela, c. *Quod ſuper his* 5. *in fine de conſanguin. & affin. Fagn. c. l. n.* 16.

,, XII. Quarto in c. *Tua nos* 7. *h. t.* Conſultus Papa
,, Innocentius III. an natus ante compaternitatem filiam
,, (ſpiritualem) compatris ſui (per quam compaternitas
,, eſt contracta) vel commatris ſibi poſſit matrimonialiter
,, copulare, & ſi contraxerint, an debeant ſeparari: & an
,, conſcii talis matrimonii teneantur illud accuſare. Re-
,, ſpondet, quod hujuſmodi perſonæ non poſſint contrahe-
,, re inter ſe matrimonium, & ſi contraxerint, debeant
,, ab invicem ſeparari: & qui contractum ſciverint, debeant
,, illud Eccleſiæ nuntiare.

XIII.

Digitized by Google

XIII. Notendum 1. Inter baptizatum, & filios levantis e baptiſmo, etiam antea genitos, contrahitur cognatio ſpiritualis, quæ non tantum impedit, ſed etiam dirimit matrimonium de Jure antiquo, *Abb. hic n.* 2. Ratio eſt, quia ſpiritualis cognatio tranſit a patre in filium, ita ut inter filium ſuſceptum e baptiſmo, & filios ſuſcipientis, dicatur eſſe ſpiritualis fraternitas: ſicut ergo inter fratres carnales, & eorum ſorores non poteſt eſſe matrimonium: ita nec inter fratres, & ſorores ſpirituales. *Vivian. in Ration. hic.*

Notandum 2. Quilibet e populo tenetur ad manifeſtandum, & denontiandum impedimentum exiſtens inter contrahere volentes matrimonium, nam quivis, quantum poteſt, tenetur impedire peccatum futurum, ne committatur, *c. ſi peccaverit* 19. *cauſ.* 2. *q.* 1.

XIV. Porro hodie poſt *Concil. Trid. Seſſ.* 24. *c.* 1. *de ref. matr.* antequam matrimonium contrahatur, publice denuntiari debent ii, inter quos matrimonium eſt contrahendum, ut ſi quis ſciat aliquod impedimentum inter eos eſſe, illud profetat: & ita qui novit aliquod impedimentum eſſe inter volentes contrahere, tenetur illud ſub peccato lethali denunciare, & detegere, etſi occultum ſit, & probare illud non poſſit, ut docet *Sanch. l.* 3. *de matr. diſ.* 13. *n.* 2. quia quivis tenetur, ſaltem Superiore præcipiente, detegere peccatum inferens tertio grave damnum, neque fit hæc denuntiatio ad puniendum crimen admiſſum, ſed ad vitandum peccatum, ut diligenter inquiratur de impedimento. Niſi tamen impedimentum ortum habeat ex peccato occulto, tunc enim debet præcedere admonitio ſecreta, antequam denuntiatio fiat: vel niſi impedimenti conſcius probabiliter timeat grave ſcandalum ſecuturum ex denuntiatione impedimenti: vel niſi impedimentum cognoverit ſub ſecreto, ad quod ſervandum jus naturæ obligat, *Sanch. c. l. n.* 3. 4. *&* 5. Vel ſi adeo occultum, ut ipſe ſolus id noveris, præſertim ſi ortum ſit ex infamia aut peccato, ut plures docent apud *Barboſ. in Collect. in c.* 4. *n.* 1. *h. t.* de quo plura *Sanch. c. l.*

XV. Quinto in *c. Martinus* 4. talis caſus proponitur: „ Martinus duxit in uxorem Bertham, & Lotharius Tebergam, qui Martini, & Berthæ filium ex ſacro fonte ſuſcepit: poſtea vero L. & B. mortui ſunt, & M. cum dicta T. matrimonium contraxit. Conſultus Pontifex Clemens III. reſpondet: Cum vir, & mulier per concubitum (carnali copula conſummatum) efficiantur una caro, liquidum eſſe, quod Teberga non poſſit matrimonialiter copulari Martino, qui compater ejus fuit (ſcilicet Lotharii, qui Martini filium de baptiſmo ſuſcepit) cum quo (Lothario) Teberga una caro exiſtit. „

XVI. Ubi notandum, ſi poſt matrimonium carnali copula conſummatum, alter conjugum ſuſcipiat filium alterius de ſacro fonte, ut in caſu hujus cap. Lotharius filium Martini, tunc ambo conjuges efficiuntur compatres parentibus baptizati: & ita ſi vir ſuſcipiat filium alterius de ſacro fonte, uxor fit, mediante viro, commater parentibus baptizati, & levati, & mater ſpiritualis ipſius, & e converſo, *c. Sciſcitatus* 5. *&* 1. *Si quis* 3. *cauſ.* 30. *q.* 4. *Gl. hic V. Cum quo.* Ratio eſt, quia cum per connubium, ſeu copulam carnalem vir, & mulier fiant una caro, ideo cognatio ſpiritualis, quæ eſt in marito, eſt etiam in uxore, cum qua vir una caro eſt. Unde ſicut carnalis cognatio dirimit matrimonium inter maritum, & uxorem; ita etiam cognatio ſpiritualis, *Vivian. in Ration. hic.* Si vero paternitas præceſſit matrimonium, ſive carnalem copulam, ut in caſu hujus cap. Si Lotharius, vel alius ſuſcipit filium Martini, & Berthæ de ſacro fonte, & poſtea contraxit matrimonium cum Teberga, & eam cognovit: vel licet contraxerit, nondum tamen carnaliter eam cognovit, quamvis illam poſtea cognoſcet: tum uxor non efficitur commater parentibus illius baptizati, & ſuſcepti ex baptiſmo, quia vir nondum erat effectus una caro cum eadem, *Gl. hic V. Cum qua Verſ. Si vero.* Atque hinc colligitur, quod cognatio ſpiritualis contracta per maritum extenditur ad uxorem prius carnaliter cognitam, non autem ſi non erat cognita, *Abb. hic num.* 6.

XVII. Sexto in *c. Veniens.* 6. *h. t.* habetur, quod quidam C. nomine matrimonium contraxit cum muliere „ H. quæ prius ſuſceperat de ſacro fonte filium dicti C. viri ſui, unde quæſitum fuit, an ab eo debeat ſeparari? Reſpondet Papa Innocentius III. ſi conſtiterit, mulierem H. dicti viri ſui filium de ſacro fonte, ſeu baptiſmo levaſſe (idem aſt de confirmatione, *Gl. hic V. de ſacro fonte.*) antequam eum ſibi deſponſaſſet, divortium inter eos (appellatione poſtpoſita) inſtituatur. „ Ratio eſt, quia inter patrem baptizati, & levantem, ſeu ſuſcipientem de baptiſmo filium hujus patris a muliere illa contracta eſt cognatio ſpiritualis, quæ impedit, ac dirimit matrimonium inter eos poſtea contractum, ut habetur in Summa hujus cap. Atque hoc procedit, ſi prædicta mulier filium viri ſui C. levavit de Baptiſmo, ante matrimonium cum eo contractum: ſi enim poſt contractum matrimonium de præſenti eum levaſſet, non propterea dirimeretur matrimonium ante contractum, *c.* 2. *h. t. & c. Ad limina* 7. *cauſ.* 30. *q.* 1. *Gl. ſin. hic & Hoſtienſ. V. Antequam.* Atque hoc impedimentum cognationis ſpiritualis inter compatres, nempe patrem ſpiritualem, & carnalem etiamnum hodie durat, & innovatum eſt per Concilium Trident. *Seſſ.* 24. *c.* 2. *de reform. matrim.* de quo infra.

XVIII. Septimo in *cap. Ex litteris. & ult. h. t.* refertur „ cum mulier M. coram Officiali Cantuarienſi Alanum peterat in virum, ſeu maritum, & ſe ab eo affidatam & carnaliter cognitam per teſtes idoneos probaſſet: publicatis eorum atteſtationibus, Alanus excepit, quod eam habere non poſſet in uxorem, eo quod pater illius mulieris, qui ſacerdos exiſtit, ipſum baptizaſſet: ſed hac exceptione rejecta, Officialis tulit ſententiam definitivam pro matrimonio contra ipſum Alanum, a qua idem ad Sedem Apoſtolicam appellavit. Unde Pontifex Gregorius IX. mandavit, ut ſi ita eſt, prædictus Alanus ab impetitione mulieris abſolvatur, eidemque perpetuum ſilentium imponatur. „

XIX. Notandum 1. Si quis etiam laicus in extrema neceſſitate baptizet aliquem, contrahit cognationem ſpiritualem dirimentem ſubſequens matrimonium cum baptizato, ejuſdemque parentibus, ut docet *Covarr. in* 4. *Decret. p.* 2. *c.* 6. *§.* 4. *n.* 4. *& Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 62. *n.* 10. Nec obſtat, quod in hoc cap. ponderatur, baptizantem fuiſſe ſacerdotem, ut cognatio ſpiritualis contrahatur; ergo laicus in neceſſitate baptizans non ſolemniter non contrahit cognationem ſpiritualem. Nam hic narratur ſolum factum, nec vis ponitur in ſacerdotio Miniſtri baptizantis ad contrahendam cognationem ſpiritualem, *Sanch. c. l. n.* 10.

Notandum 2. Filius, vel filia ſpiritualis Sacerdotis baptizantis non poteſt matrimonio copulari filio, vel filiæ carnali ipſius Sacerdotis, ut patet ex hoc cap. & tradit *Gl. ibid. in notatis.* Nam pater mulieris M. erat Sacerdos, qui baptizavit Alanum, & ita hic fuit ſpiritualis filius ipſius Sacerdotis; ergo etiam filia carnalis illius, ſcilicet mulier M. effecta eſt ſoror ſpiritualis ipſius Alani, ac proinde hic non poterat illam ducere in uxorem, quia pater carnalis mulieris M. qui fuit Sacerdos, baptizavit Alanum, & erat pater ſpiritualis ejuſdem, adeoque inter ipſam mulierem M. & Alanum baptizatum a patre ipſius, intercedebat cognatio ſpiritualis fraternitatis, quæ de jure antiquo impediebat, ac dirimebat matrimonium inter baptizantem, & filium, vel filiam baptizantis contrahendum, *Gl. hic V. Baptizavit, & Abb. n.* 2.

Notandum 3. Prædicta cognatio ſpiritualis inter baptizatum, & filios baptizantis impediens, ac dirimens matrimonium inter eos contrahendum, extenditur etiam ad filios ſpurios, ac illegitimos baptizantis: nam iſta mulier, ut communiter DD. intelligunt, erat filia ſpuria Sacerdotis, qui baptizavit Alanum, & tamen inter eam, & ipſum Alanum fuit orta cognatio ſpiritualis, quæ appellatur fraternitas, erant enim frater, & ſoror ſpirituales, ut ſupra dictum: quamvis etiam poſſet intelligi hoc cap. de filia legitima nata ante Sacerdotium, ſed communiter intelligitur de filia illegitima genita poſt Sacerdotium, *Abb. hic n.* 3. *& Alex. de Nevo n.* 4.

XX. Octavo denique in *c. Nedum.* 5. *h. t. in* 6. reſcribit Pontifex Bonifacius VIII. „ non ſolum inter baptizatum, & illum, qui eum ſuſcepit de baptiſmo, ac inter eundem baptizatum, & ſuſcipientis filios, & uxorem ante ſuſceptionem carnaliter cognitam ab eodem: imo etiam inter ſuſcipientem (ſuppie, uxorem ejus prius carnaliter cognitam) patremque baptizati, & matrem, cognationem ſpiritualem in baptiſmo de jure contrahi, quæ & matrimonium contrahendum impedit, ac dirimit poſt contractum. „ Quæ eadem procedunt in baptizante, nempe ut ſi baptizans, & baptizatus, vel baptizatus, & filii baptizantis; vel baptizatus, & uxor baptizantis prius cognita; vel baptizans, & parentes baptizati matrimonium inter ſe contraxerint, illud non teneat, *Gl. hic V. Nedum.*

„ Additur in fine hujus cap. Ex Confirmatione, quoque, ſeu frontis Chriſmatione ſpiritualis cognatio, matrimonia contrahenda ſimiliter impediens, & poſtea contracta dirimens, iiſdem modis contrahitur, ſcilicet inter confirmatum, & ſuſcipientem in Confirmatione: & inter confirmatum, & filios ſuſcipientis, ſeu tenentis: & inter confirmatum, & uxorem ſuſcipientis prius cognitam. Item inter ipſum confirmantem, & confirmatum: & inter confirmatum, & filios confirmantis, & ejus uxorem prius cognitam, ac denique inter ipſum confirmantem, & parentes confirmati, *Gl. hic V. Eiſdem modis.* Contrahitur autem cognatio ſpiritualis ex Sacramento Confirmationis, ſicut ex Baptiſmo, quia hic aſſimilatur nativitati corporali hominis in utero; Confirmatio vero nativitati carnali hominis ex utero, ut ex S. Thom. notat *Vivian in Ration. hic.*

XXI. Illud hic notandum, ut ſpiritualis cognatio contrahatur inter baptizatum, & uxorem ſuſcipientis a baptiſmo, requiritur, ut ante ſuſceptionem ſit carnaliter cognita a viro; ſecus ſi poſt ſuſceptionem fiat uxor, vel ſi prius erat uxor, poſt ſuſceptionem, & non ante ſit cognita carnaliter; tunc enim non contrahitur ſpiritualis cognatio, *Gl. hic V. Cognitam.* Nam quia matrimonium nondum conſummatum poteſt diſſolvi per ingreſſum Religionis, aut diſpenſationem S. Pontificis, ideo non videtur ſpiritualis cognatio contrahi ante matrimonium conſummatum.

§. III.

§. III.

An per Catechiſmum præcedentem Baptiſmum , contrahatur cognatio ſpiritualis impediens , ac dirimens matrimonium?

XXII. De hoc agitur imprimis in *c. Contracto. 5. h. t.* Ubi talis caſus proponitur. ,, Quidam Petrus nomine, contraxit matrimonium cum muliere Agatha nomine, cujus conſanguinei contra matrimonium objecerunt ipſi, quod non poterat eſſe uxor Petri , quia in primo ſacrati ſalis pabulo filium quendam concubinæ ipſius Petri tenuit . Ad quod Papa Clemens III. reſpondet , etſi hæc vera eſſe conſtaret, non ideo matrimonium contractum diſſolvi debere , cum hæc res vix præſtaret impedimentum matrimonio contrahendo, ideoque mandat dicto Petro , auctoritate ſua, injungi, ut ipſam Agatham, ſicut uxorem maritali affectione tractet , & debitum carnale ab ea libere exigat , & perſolvat , ſive ante matrimonium contractum cum Petro , ſive poſtea filium concubinæ ipſius Petri tenuerit . Si tamen in fraudem , cauſa matrimonii ſeparandi hoc fecit , pœnitentia ei imponenda eſt , matrimonio in ſua firmitate durante . ,,

XXIII. Præterea in *c. Per Catechiſmum 2. h. t. in 6.* ,, Reſcribit Pontifex Bonifacius VIII. quod per Catechiſmum , (qui præcedere debet Baptiſmum , Sacramentorum reliquorum fundamentum , & januam) ſpiritualis cognatio contrahitur , quæ impedit matrimonium contrahendum , (ut evidenter colligitur ex Decretali Clementis III. in *cit. c. Contracto ſupra eod.*) dicendo enim , quod talis res vix matrimonio contrahendo impedimentum afferret, velle videtur , quod afferat , nam quod vix fit , fieri tamen dubium non eſt . Veruntamen per illam cognationem matrimonium poſtea contractum non ſeparatur. ,,

XXIV. Pro declaratione horum duorum capitulorum , notandum 1. per pabulum ſacrati ſalis in priore *cap Contracto. h. t.* intelligitur Catechiſmus , ſive inſtructio Catechumenorum ad fidem ante Baptiſmum , qua durante , ſal benedictus ori baptizandi imponebatur , per quem ſignificatur cæleſtis ſapientia , ſeu doctrina Chriſtiana , *c. Sal cæleſtis . 65. diſ. 4. de conſecr. & not. Gl. Margin. in cit. c. Contracto , lit. A.*

Notandum 2. Is , qui tenet puerum in Catechiſmo , contrahit cognationem ſpiritualem imperfectam , quæ impedit quidem matrimonium contrahendum , ſed non dirimit poſtea contractum , ut expreſſe dicitur in utroque *c. cit. Sanch. l. 7. de matr. diſ.* 10. *n.* 2. quia Catechiſmus eſt quædam futuri baptiſmi profeſſio, ejuſque initium , & quædam imperfecta regeneratio per fidem , quam profitetur patrinus, loco parvuli , ideoque etiam quædam imperfecta cognatio ſpiritualis ex eo oritur , ſicut ex ſponſalibus de futuro . Ut autem hanc cognationem patrinus contrahat , debet durante toto Catechiſmo, infantem tenere, & inſuper ad fidei interrogata reſpondere, dum Sacerdos interrogat , an credat ? *Sanch. c. l. n. 3. & 4.* Contrahitur autem hæc cognatio , non ſolum ſi Catechiſmus , ſive inſtructio fidei præcedat baptiſmum , ſed etiam ſi inſtruatur puer poſtquam jam eſt baptizatus , quia Catechiſmus , ſuapte natura , præcedit baptiſmum , & eſt quoddam initium regenerationis ſpiritualis , & diſpoſitio ad illam , quamvis per accidens ob occurrentem neceſſitatem, aliquando poſt baptiſmum fiat . Nec obſtat , quod in *cit. c. 2. h. t.* dicitur , quod Catechiſmus præcedit baptiſmum , nam id dicitur , quia frequentius , & communiter , ac ſervato recto ordine , præcedit , *Sanch. c. l. num.* 7. Neque vero Catechiſmus ex eo eſt impedimentum dirimens matrimonium poſtea contractum : quia in *c. Si quis 2. cauſ. 30. q. 4.* & in *c. In Catechiſmo 100. diſ. 4. de conſecr.* hæc tria Baptiſmus , Confirmatio , & Catechiſmus æquiparentur : nam ſicut conſanguinitas non oritur , niſi ex generatione naturali , ita nec filiatio ſeu cognatio ſpiritualis cauſatur , niſi per generationem ſpiritualem : ſed hæc non fit , niſi per Sacramentum Baptiſmi , per quem homo in utero Eccleſiæ quaſi concipitur , & formatur : vel per Sacramentum Confirmationis , per quam homo extra uterum Eccleſiæ poſitus , in fide roboratur , ut publice Chriſtianam vitam profiteatur , & defendat . At vero Catechiſmus nullo modo eſt Sacramentum , & ideo per illum , proprie , ac ſtricte loquendo , nulla contrahitur ſpiritualis cognatio, quæ matrimonium dirimat : neque etiam in ſupra allegatis juribus æquiparantur illa tria : Baptiſmus , Confirmatio , & Catechiſmus , in ſignificatione univoca , & propria , quaſi ex Catechiſmo oriatur Canonicum impedimentum matrimonii ejuſdem rationis , & efficaciæ ad dirimendum illud jam contractum, ſicut oritur ex Baptiſmo, & Confirmatione, ut recte notavit Beja apud *Barboſ. in Collect. in cit. c. Contracto . 5. h. t.* contra *Gl. ibid. V. Vix contrahendo in fine.*

Notandum 3. Illud vix fieri dicitur , quod fieri poteſt , licet cum difficultate , ut colligitur ex *cit. c. 5.* ibi : *vix contrahendo , h. t.* & clarius ex c. 2. ibi : *quod vix fit , fieri tamen dubium non eſt : eodem in 6.* aliquando tamen dictio *vix* ſignificat impoſſibilitatem , ſed in ſignificatione impropria , *Abb. in cit. c. 5. n. 3. & Alex. n. 4.*

Notandum 4. Quamvis Catechiſmus impediat matrimonium contrahendum , non tamen contraveniens prohibetur exigere , & reddere debitum conjugale , ut conſtat ex *cit. c. 5.* ibi : *& carnale debitum ab ea licenter exigat , & perſolvat :* ubi in fine etiam pœnitentia imponitur ob ſolam intentionem delinquendi , poſito , quod delictum non habuerit effectum , *Alex. de Nevo c. l. n. 8. & 9.*

XXV. An autem hoc impedimentum Catechiſmi hodie ſit ſublatum per Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. c. 2. de reform.* dubitatur. Et quidem certum eſt hoc impedimentum ibi eſſe reſtrictum ad primum gradum cognationis ſicut ibi reſtringitur cognatio orta ex Baptiſmo ad primum gradum , ergo multo magis erit reſtricta cognatio orta ex Catechiſmo, qui eſt initium aliquod Baptiſmi, ac diſpoſitio ad illum, adeoque per illum metienda eſt, & non ultra eundem primum gradum extendenda , *Sanch. cit. l. 7. diſ.* 10. *n.* 6. Quin imo etiam verius eſt , prædictum impedimentum ortum ex Catechiſmo jam omnino ſublatum eſſe , ut colligitur ex *Conc. Trid. cit. c.* 2. ex illis verbis in fine : *Omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis* . Cum ergo Concilium Trident. omnino ſuſtulerit cognationem ortam ex Baptiſmo , præterquam inter tenentes in ipſo Baptiſmo , cenſeri debet etiam eſſe ſublata cognatio tenentium in ſolo Catechiſmo , quæ primam originem trahit ab illo, etſi de Catechiſmo ibi non fiat expreſſa mentio , *Sanch. cit. diſ.* 10. *n.* 12.

§. IV.

An plures poſſint intervenire patrini , ſeu ſuſceptores in Baptiſmo , & Confirmatione , de Jure antiquo , & an inter omnes , ſi plures ſint patrini , contrahatur ſpiritualis cognatio ?

XXVI. De hoc agitur in *c. Quamvis 3. & ult. h. t. in 6.* Ubi Pontifex Bonifacius VIII. ita reſcribit : ,, Quamvis non plures , quam unus vir , vel una mulier , ſuſcipere debeat de Baptiſmo infantem juxta SS. Canones , ſi tamen plures ſuſceperint , ſpiritualis cognatio inde contrahitur , (ſcilicet cum omnibus , *Gl. hic V. Contrahitur*) & impediens matrimonia contrahenda , & etiam diſſolvens poſt contracta. Idemque dicendum de Confirmatione, (ſcilicet ut plures tenere non debeant confirmandum, ſi tamen teneant, omnes ſint compatres, vel compatrini .) Additur in fine : Ex datione vero aliorum Sacramentorum (præter Baptiſmum, & Confirmationem) cognatio ſpiritualis non oritur , quæ matrimonium impediat , aut diſſolvat , de quo jam dictum ſupra , ,, §. 1. *n.* 2. *h. t.*

XXVII. Hinc colligitur 1. De Jure antiquo prohibitum erat , ut plures Patrini in Baptiſmo , vel Confirmatione adhiberentur , ſed unus ſolus , ſive vir , ſive fœmina , ut conſtat ex c. *Non plures* 101. *diſ. 4. de conſecr.* & ex hoc cap. *Sanch. l. 7. diſ. 57. n.* 1. Nec poteſt Epiſcopus diſpenſare , ut plures Patrini adhibeantur , quia nec poteſt Epiſcopus diſpenſare in Jure communi Canonico, vel Decreto Concilii generalis , niſi talis facultas reperiatur ipſi ſpecialiter eſſe conceſſa , *Sanch. c. l. n. 2. & 7.*

Colligitur 2. Secundum Jus antiquum Canonicum , ſi plures unum baptizatum , vel confirmatum ſimul ſuſcipiant , vel teneant , omnes contrahunt cognationem ſpiritualem impedientem , ac dirimentem matrimonium , quamvis hujus legis tranſgreſſores ſint , ut expreſſe habetur in *cit. c. ult. h. t. in 6. Sanch. c. l. n.* 3. Nam quamvis alias actus contra legem factus regulariter non valeat , *l. Non dubium 5. C. de legibus* , in hoc tamen caſu lex non tollit actum , ſed imponit pœnam Parocho admittenti plures , quam unum, vel duos Patrinos, & valor actus non pertinet ad favorem Parochi , ſed ſuſcepti ex Baptiſmo , & ſic actus valet , *Ugolin. de Offic. Epiſc. c. 25. §. 1. n. 5.*

XXVIII. Verum Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. de reform. matr. c. 2.* ,, Antiquum Jus nonnihil immutavit , & ſtatuit , ut unus tantum , ſive vir , ſive mulier (hoc eſt , mas , ſi puer baptizandus , & fœmina , ſi puella baptizanda ſit) juxta SS. Canonum ſtatuta in *c. Non plures* 101. *diſ. 4. de conſecr. & c. 3. h. t.* vel ad ſummum unus , & una (ſcilicet mas , & fœmina , ſive puer , ſive puella baptizetur) de Baptiſmo ſuſcipiant . ,, Ubi in Declarationibus Cardinal. Concil. apud *Joan. Gallemart. n.* 4. dicitur , Epiſcopum poſſe diſpenſare , ut duo viri , loco viri , & mulieris , aliquem baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant .

XXIX. Præterea S. Synodus paulo infra in eodem c. ſubjungit hæc verba : ,, Parochus antequam ad Baptiſmum conferendum accedat , diligenter ab iis , ad quos ſpectabit , ſciſcitetur , quem , vel quos elegerint , ut baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant : & eum , vel eos tantum ad illum ſuſcipiendum admittat , & in libro eorum nomina deſcribat , doceatque eos , quam cognationem contraxerint , ne ignorantia ulla excuſari valeant . Quod ſi alii , ultra deſignatos , baptizatum tetigerint cognationem ſpiritualem nullo modo contrahant , Conſtitutionibus in contrarium facientibus (ſcilicet *c. ult. h. t. in 6.*) non obſtantibus . ,,

XXX. Ubi notandum 1. Ad parentes pertinet Patrinos deſignare , vel ſi illi non deſignant , ad Parochos . Si vero nullus ſit ſpecialiter deſignatus Patrinus , ex negligentia , aut oblivione parentum , vel Parochi , & multi ſimul tenendo tangant baptizandum , vel de ſacro fonte æque ſuſcipiant , omnes contrahunt ſpiritualem cum eo cognationem , ut deciditur in *cit. c. 3. & ult. h. t. in 6.* & do-

cet

Digitized by Google

cet *Novarr. in Man. c. 22. n. 39. Tanner. tom. 4. diſ. 8. q. 4. dub. 4. n. 69.* Ubi ait, id expreſſa etiam declaraſſe S. Congregationem Cardinalium, cui ſtandum eſt, quia a Jure antiquo non eſt recedendum, quando aliud non ſtatuitur Jure novo. Concilium vero Trident. videtur loqui, quando deſignantur plures Patrini. Contrarium tamen docet *Sanch. l. 7. diſ. 57. n. 12.* videlicet quod ſi nulli deſignentur Patrini, nullus contrahat hanc cognationem ſpiritualem, etiamſi plures tangant, vel ſuſcipiant baptizatum a ſacro fonte, quia Concilium intendit vitare, ne impedimentum hujus cognationis ſpiritualis Patrinorum nimium multiplicaretur, & ut certi eſſent illud contrahentes; & ideo tanquam conditionem neceſſariam requiſivit, ut eſſent veſi Patrini ſuſcipientes baptizatum, eos deſignari ab iis, quibus id incumbit; ergo ſi deficiat hæc conditio deſignationis, non ſunt vere Patrini, & conſequenter neque cognationis ſpiritualis participes. Idque confirmatur ea ex, quod in fine *cit. c. 2.* dicitur: *Omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis.* Cum ergo perſonæ ibi contentæ, quæ hujus cognationis ſpiritualis ſunt capaces, ibidem dicantur eſſe Patrini, qui deſignati ſunt ad id munus obeundum, omnes illæ perſonæ, quæ non ſunt deſignatæ, non erunt illius capaces. Et hæc ſententia eſt valde probabilis. Videri poſſunt, quæ hac de re tradit *Sanch. c. l. n. 12.* Ubi etiam plures alias difficultates hujuſmodi proponit, & reſolvit uſque ad finem *diſp. illius 57.*

Notandum 2. Etſi de Jure antiquo Canonico non plures, quam unus vir, vel una mulier poſſint eſſe ſuſceptores in Baptiſmo, & Confirmatione, *c. Quamvis. 3. & ult. h. t. in 6.* juxta Concilium Trident. autem *c. l.* ad ſummum duo, unus videlicet, & una in Baptiſmo, & in Confirmatione unus, vel una tantum poſſunt eſſe ſuſcipientes, ſeu Patrini, quia de Confirmatione id non eſt expreſſum, ſicut de Baptiſmo in *cit. Decreto Concilii Trident. Seſſ. 24. c. 2. de reform. matrim.*

§. V.

Inter quoſnam contrahatur cognatio ſpiritualis in Baptiſmo, & Confirmatione, de jure novo Concilii Tridentini?

XXXI. De hac re ita ſtatuitur in *c. 2. Seſſ. 24. de reform. matr.* „ Inter quos (ſcilicet ſuſcipientes, ſeu Patri-
„ nos) ac baptizatum ipſum, & illius patrem, ac matrem:
„ nec non inter baptizantem, ac baptizatum, baptizatique
„ patrem, ac matrem tantum ſpiritualis cognatio contra-
„ hatur. Et in fine additur: Ea quoque cognatio, quæ
„ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & con-
„ firmatum, illiuſque patrem, & matrem, ac tenentem
„ non egrediatur, omnibus inter alias perſonas hujus ſpi-
„ ritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis. „

XXXII. Circa quæ verba Concilii notandum 1. Jure novo Concilii Tridentini duæ tantum ſunt ſpecies cognationis ſpiritualis ortæ ex Baptiſmo, & Confirmatione, ac dirimentis matrimonium poſtea contractum. Prima eſt paternitas, quæ inter baptizantem, aut confirmantem, & Patrinos, ſeu ſuſceptores, ex una parte: & inter baptizatum, vel confirmatum, ex altera parte contrahitur. Secunda compaternitas, quæ eſt inter baptizantem, vel confirmantem, ac Patrinos ſeu ſuſceptores, ex una parte: & inter patrem, ac matrem baptizati, vel confirmati ex altera parte, utrumque neutra ad uxores transfunditur, etſi olim cognatio etiam contraheretur inter uxorem Patrini, ſeu ſuſcipientis, & uxorem baptizantis, aut confirmantis, ſi conjugatus eſſet, & inter baptizatum, ejuſque parentes. Item inter liberos carnales Patrinorum, & baptizantis, ex una parte; & inter baptizatum ex altera parte, quæ dicebatur fraternitas, ut patet ex *c. 1. 3. & ult. h. t.* & jam etiam eſt abrogata, *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 54. n. 10.*

Notandum 2. Inter ipſos Patrinos, etiam Jure antiquo, non contrahebatur cognatio ſpiritualis, quare non prohibetur maritus, & uxor ſimul eandem prolem alienam in Baptiſmo, vel Confirmatione ſuſcipere, *c. Quod autem ult. cauſ. 30. q. 4.* Nec propterea privatur jure exigendi debitum conjugale, quia nullam inter ſe contrahunt cognationem, *Sanch. cit. diſ. 54. n. 13.* Cum autem in *cit. c. 2.* dicitur: *Inter quos* (ſuſcipientes) *ac baptizatum ipſum &c. ſpiritualis cognatio contrahatur*, non eſt ſenſus, quod inter illos Patrinos inter ſe hæc cognatio contrahatur, ſed inter illos, & alias perſonas ibi enumeratas, ut nimirum baptizatum, & ipſius parentes, *Sanch. c. l. n. 10.* Item poſſunt etiam duo ad invicem eſſe Patrini, ita ut poſſit quis ſuſcipere a ſacro fonte prolem ejus, qui ipſius filium prius ſuſcepit, quia hoc nullo jure eſt interdictum; & tunc duplex oritur inter parentes compaternitas, ratione utriuſque filii, *Sanch. c. l. n. 17.*

Porro per parentes baptizati, vel confirmati, in ordine ad contrahendam cognationem ſpiritualem, intelligendi ſunt parentes naturales, ſeu carnales, ſive legitimi ſint, ſive illegitimi, quia ante Concilium Trident. hanc cognationem cum parentibus contrahebant, quam ipſum Concilium nullatenus reſtrinxit, *Sanch. c. l. n. 16.*

§. VI.

Quæ conditiones requirantur ad munus Patrini, & contrahendam cognationem ſpiritualem in Baptiſmo, & Confirmatione?

XXXIII. Ad primum quæſitum reſpondetur. Patrinus dicitur quaſi ſpiritualis pater, ac pædagogus hominis baptizandi, qui eum in Chriſtiana vita inſtruere, & præſertim Symbolum Apoſtolorum, & Orationem Dominicam edocere debet, *c. Vos ante 105. diſ. 4. de conſecr.* quamvis hodie ab hac obligatione inſtruendi ſit liberatus, cum pueri a parentibus, & Ludimagiſtris inſtrui ſoleant, *Laym. l. 5. tr. 2. de Sacram. Bapt. c. 9. n. 1.*

XXXIV. Ad hoc autem munus requiritur 1. ut quis rationis uſum ſit aſſecutus, alioquin Patrinus eſſe nequit, quamvis præter hoc certa ætas non ſit præſcripta, neque neceſſarium eſt, ut ætate excedat Baptizandum, *Sanch. l. 7. diſ. 61. n. 3.* 2. Debet eſſe baptizatus, quia non baptizatus non poteſt aliquem ſuſcipere e baptiſmo, ſicut non Confirmatus non poteſt eſſe Patrinus in Confirmatione, *c. In baptiſmate. 102. diſ. 4. de conſecr.* nec contrahit cognationem ſpiritualem, *Sanch. l. 7. diſ. 60. n. 10.* 3. Ut intentionem habeat obeundi munus ſpiritualis Patris, ſeu Patrini, nempe exercendi actum illum ab Eccleſia inſtitutum, *Sanch. l. 7. diſ. 58. n. 4.*

Præterea quædam perſonæ ſunt, quæ Patrini munus obire non poſſunt, ut hæretici, & Apoſtatæ. Item Monachis prohibitum eſt, ne in Sacramento Baptiſmi, vel Confirmationis, ſint Patrini, ſeu ſuſceptores, *c. Placuit. 8. cauſ. 16. q. 1. c. Non licet. 103. & c. ſeq. diſ. 4. de conſecr.* Nomine autem Monachorum hic intelliguntur, non ſolum ii, qui ſolitudinem incolunt, ſed etiam omnes alii Religioſi, ſaltem Clauſtrales, ita ut illis prohibitum ſit ſuſcipere munus patrini in Baptiſmo, & Confirmatione, *Sanch. l. 6. Mor. c. 6. n. 24. Laym. cit. c. 9. n. 3.* quia in omnibus Religioſis eadem ratio prohibitionis locum habet, ne ſcilicet ob cognationem ſpiritualem contractam, nimiam etiam familiaritatem cum ſæcularibus, præſertim fœminis, contrahant. Excipitur Religioſus Epiſcopus factus, is enim licite poteſt fieri Patrinus, & compater in Baptiſmo, quia in Epiſcopo non ſubeſt tale periculum nimiæ familiaritatis, & incontinentiæ, *Sanch. cit. c. 6. n. 24. Laym. c. l.*

XXXV. Ad poſterius quæſitum reſpondetur, ad contrahendam cognationem ſpiritualem plures etiam conditiones requiruntur. Veluti 1. ut baptizans, vel ſuſcipiens ex Baptiſmo ſit fidelis, ſeu baptizatus, alioquin non erit capax contrahendæ cognationis ſpiritualis ab Eccleſia inductæ, *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 60. n. 7. & 8. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 8. n. 2.* Ratio eſt, tum quia non baptizatus, etſi Catechumenus ſit, Eccleſiæ, ejuſque legibus non eſt ſubjectus: tum quia qui in Chriſto non eſt per Baptiſmum ſpiritualiter regeneratus, ſpiritualem cognationem contrahere non poteſt.

Hinc infertur 1. Si infidelis baptizet filiam Annæ v. g. fidelis, etiamſi poſtea ad fidem Chriſtianam convertatur, neque cum filia, neque cum matre cognationem contrahet ſpiritualem, neque impedietur, quominus illam puellam, vel etiam matrem in uxorem ducere poſſit, *Sanch. cit. diſ. 60. n. 11. Coning. diſ. 32. de Sacram. dub. 2. n. 25. Laym. c. l.* Ratio eſt, quia ex baptiſmo, dum conferebatur, non poterat oriri cognatio, quia baptizans tunc non erat capax ejuſdem: neque poſtea, quia non amplius exſtitit. Infertur 2. Si e converſo fidelis baptizet, vel ſuſcipiat e baptiſmo filium hominis infidelis, nulla etiam cum ipſo contrahitur cognatio, quia cum cognatio ſpiritualis ſit quædam relatio inter duos terminos capaces hujus relationis, non poteſt ab altero contrahi, quin ab utroque contrahatur: cum igitur non baptizatus non poſſit eſſe cognatus ſpiritualiter, neque etiam fidelis filium ejus baptizans, vel ſuſcipiens ei cognatus eſſe poteſt, *Sanch. c. l. n. 14. Laym. c. l.*

XXXVI. Secundo ad cognationem ſpiritualem contrahendam requiritur, ut Sacramentum Baptiſmi, vel Confirmationis valide conferantur, quando enim principale non ſubſiſtit, nec acceſſorium validum eſſe poteſt: ſuſceptio autem e Baptiſmo, & cognatio inde ſubſequens ſunt acceſſoria ipſi Sacramento, *Coning. cit. dub. 2. n. 31.* Et hinc ſi infans jam privatim domi baptizatus ſit, & poſtea in Templo ſuppleantur cæremoniæ, & ſolemnitates prætermiſſæ, adhibitis etiam Patrinis, nulla prorſus ex tali reiteratione oritur cognatio, nec in rebaptizante, ſive adhibente cæremonias, nec in Patrinis, ſaltem dirimens matrimonium ſubſequens, etſi forte impediens tantum, de quo infra: *Sanch. l. 7. diſ. 62. n. 5.* qui *n.* 1. 14. ait, ſuſcipientem puerum ex Baptiſmo privatim collato, non contrahere cognationem ſpiritualem, eo quod munus Patrini non obeant, niſi in Baptiſmo ſolemni. Sed contrarium probabilius videtur, modo ſuſcipiens animum habeat faciendi, quod Patrini faciunt, *Tanner. cit. dub. 4. n. 67.*

XXXVII. Tertio videntur Jura paſſim requirere ad cognationem hanc ſpiritualem contrahendam, ut Patrinus teneat, vel tangat baptizatum, vel confirmatum, dum hæc Sacramenta conferuntur: aut ut immediate illum e manibus baptizantis, vel confirmantis ſuſcipiat, idque faciat animo obeundi munus Patrini, *Sanch. l. 7. diſ. 56. n. 1. & 5. & diſ. 58. n. 7.* Ex quo infertur, ſi quis per alium, tanquam Procuratorem, vel Legatum ſuum, aliquem ſuſcipiat e Baptiſmo, vel Confirmatione, tum non contrahere co-

Digitized by Google

cognationem ipſum Legatum, vel Procuratorem, cum non ſuo, ſed alieno nomine ſuſcipiat, aut teneat, nec intendat proprio nomine tenere, vel ſuſcipere baptizatum, nec eſſe verum Patrinum, ſed hoc munus nomine ipſum conſtituentis exercet, de quo non eſt dubium, & docet etiam *Sanch. l. 7. diſ. 59. n. 12.* Sed neque ipſum Principalem, ſeu mandantem conſtituentem Procuratorem ſuſcipiendi e Baptiſmo contrahere cognationem ſpiritualem, tradit *Sanch. cit. diſ. 59. n. 4.* eo quod Jura paſſim ad cognationem hanc ſpiritualem contrahendam exigant contactum perſonalem ipſius Patrini, quæ ſententia ſaltem ob auctoritatem DD. probabilis eſt. Oppoſita tamen ſententia, quam ſequitur *Coning. cit. dub. 2. n. 40. Tanner. cit. dub. 4. n. 70. Laym. cit. c. 8. n. 4. & 5.* eſt probabilior, nempe quod ipſe Principalis, qui Legatum mittit, cognationem ſpiritualem ſolum contrahat. Idque probatur, tum quia quod quis per alium facit, perinde eſt, ac ſi faciat per ſe ipſum, *Reg. Juris 72. in 6.* Et omnis actus per Procuratores exerceri poteſt, niſi expreſſe prohibeatur, *l. 1. §. Uſus. ff. De Procurator.* & ibi notant DD. Tum quia videmus paſſim Magnates per Legatos hoc munus obire: atqui Eccleſia non permitteret Baptiſmum ſine vero Patrino conferri: ſi autem is, qui per alium ſuſcipit, ſuo nomine, ut verus patrinus, & pro tali communi fidelium perſuaſione habetur, ſequitur, quod cognatio ſpiritualis a talibus Patrinis contrahatur, cum Jura id generatim efferant. Neque refert, quod Jura, ſeu Canones videantur requirere, ut Patrinus per ſe hoc munus obeat, *cauſ. 30. tot. q. 1.* quia id non præcipiunt, ſed deſcribunt tantum munus ſuſceptionis e baptiſmo, ſicut ordinarie exerceri ſolet, & forte olim non erat ita uſitatum per alium hoc munus Patrini obire, *Laym. cit. c. 8. n. 5.* Idque confirmatur, quia per conſuetudinem poteſt induci, ut contrahatur ſpiritualis hæc cognatio, etiamſi quis non per ſe ipſum, ſed per Procuratorem, aut nuntium teneat, ſeu ſuſcipiat prolem alterius e baptiſmo, ut fatetur ipſe *Sanch. cit. diſ. 59. n. 6.* quia quod poteſt per legem induci, poteſt etiam per conſuetudinem legitime præſcriptam, ſicut etiam poſſunt per eandem impedimenta dirimentia matrimonium induci. Ergo conſuetudo Principum, & Magnatum exercendi munus Patrini per Legatum, ſeu Procuratorem eſt valida, & conſequenter etiam ab illis contrahitur cognatio ſpiritualis, ut notat *Tanner. c. l. n. 70.*

§. VII.

Proponuntur, & reſolvuntur aliæ nonnullæ quæſtiones circa cognationem ſpiritualem ortam ex Baptiſmo, & Confirmatione.

XXXVIII. Quæritur 1. An ſuſcipiens prolem in neceſſitate, quia nullus alius adeſt, contrahat cognationem impedientem matrimonium, vel ejus uſum? Reſp. ſi quis ſuſcipiat infantem in privato Baptiſmo ex neceſſitate collato, ita ut ex propoſito Patrini munus obeat, verus Patrinus fieri cenſetur, adeoque ſpiritualem cognationem contrahit, quia etſi in tali Baptiſmo privato, tempore neceſſitatis collato, nullum extet præceptum Eccleſiæ, ut adhibeatur Patrinus, quia plerumque in tali neceſſitate Patrinus haberi non poteſt, non tamen prohibetur etiam adhiberi: & hic adhibetur in Baptiſmo, non tantum propter ejus ſolemnitatem, ſed multo magis etiam propter obligationem inſtruendi baptizatum, *Laym. l. 5. tract. 2. c. 9. n. 5.* licet contrarium teneat *Sanch. l. 7. diſ. 62. n. 15.*

XXXIX. Quæritur 2. An ſi Chriſtianus in extremo neceſſitatis articulo baptizet aliquem, contrahat cognationem ſpiritualem? Reſp. contrahere etiam laicum cognationem ſpiritualem dirimentem matrimonium ſubſequens cum baptizato, ejuſque parentibus, *Sanch. l. 7. diſ. 62. n. 10.* quia Jure expreſſum eſt, ex vero Baptiſmo oriri cognationem ſpiritualem. Excipitur ſolum, ſi conjux baptizet prolem conjugis ſuæ, vel communem filium, ob urgentem neceſſitatem, ut Patrinus, tum enim nullum impedimentum contrahitur, prout ſumitur ex *c. Ad limina. 7. cauſ. 30. q. 1.* Ubi ratio redditur: *Quia inculpabile judicandum, ad quod neceſſitas impulit.* Idemque dicendum, ſi parens prolem conjugis ſuæ, vel communem filium in Sacramento Baptiſmi, vel Confirmationis, tanquam Patrinus, ſuſcipiat, ſi alius haberi nequeat, tum enim nullum etiam impedimentum contrahit, quia impedimentum non petendi debitum Jure Canonico ſtatutum eſt in pœnam delicti, parens autem hoc caſu, nil delinquit, etſi Patrinus filii exiſtat, quando alius haberi nequit, & nemo ſine culpa jure ſuo privari debet, *c. diſcretionem. 6. De eo, qui cognovit, &c. Sanch. l. 9. de matr. diſ. 26. n. 3. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 8. num. 7.* Sed neque parens baptizans, vel ſuſcipiens e Baptiſmo proprium filium, in neceſſitate, vel etiam extra neceſſitatem, ſed per probabilem ignorantiam juris, aut facti, contrahit hoc impedimentum cognationis ſpiritualis cum propria uxore, quoad ullum effectum, ac proinde debitum conjugale licite non ſolum reddere, ſed etiam petere poteſt, *Sanch. l. 7. diſ. 62. n. 10. Tanner. cit. dub. 4. n. 7. Laym. cit. loc. n. 8. §. Illud vero.* Cum enim id ſolo Jure Eccleſiaſtico prohibitum ſit, ideo, qui hoc jus ignorat probabiliter, ſicut excuſatur a culpa, ita etiam ab annexa pœna. Si vero parens, extra caſum neceſſitatis, prolem ex propria uxore genitam baptizet, vel e ſacro fonte, vel in Confirmatione ſuſcipiat temere, aut malitioſe, non tantum graviter peccat, ſed etiam propter ſpiritualem cognationem cum uxore contractam, debitum petere non poteſt, licet conjugi innocenti reddere teneatur, ut colligitur, ex *c. Si vir. 2. h. t.* & ex communi docet *Sanch. l. 9. cit. diſ. 26. n. 7. Tanner. c. l. & Laym. c. l.* quamvis hoc quoad impedimentum petendi debiti, nullo Juris textu ſatis expreſſo probari poſſit, ſed ſolo conſenſu DD. nititur. Unde aliqui putant, nullum hodie conjugalis uſus impedimentum oriri, & colligi videtur ex *c. De eo 5. cauſ. 30. q. 1.* quam ſententiam probabilem etiam cenſet *Laym. c. l.*

Porro ſi ſponſus de futuro, etiam in neceſſitate, baptizet prolem ſuæ ſponſæ, vel eam e baptiſmo ſuſcipiat ſcienter, (nam ſecus videtur, ſi ignoret eſſe prolem ſuæ ſponſæ) contrahit impedimentum cognationis ſpiritualis, ita ut cum illa matrimonium ſine diſpenſatione inire non poſſit, de quo videri poteſt *Laym. c. l. n. 7. §. Si conſors.*

XL. Quæritur 3. An hæreticus ſit capax hujus ſpiritualis cognationis? Reſpondetur, ſi hæreticus baptizet, vel in baptiſmo, vel Confirmatione ſuſcipiat prolem Catholici, is contrahit cognationem ſpiritualem cum perſona baptizata, vel ſuſcepta, & ejus parentibus, quia Charactere Baptiſmi eſt inſignitus, ac proinde eſt capax cognationis ſpiritualis, & legibus Eccleſiæ ſubjicitur: nam nullibi in Jure incapax efficitur gerendi munus ſuſcipiendi e Baptiſmo, vel Confirmatione, adeoque verus eſt Patrinus, *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 60. n. 2.* Ubi ait, hoc omnes fateri. Aliud eſt, ſi infidelis, ſive non baptizatus baptizet filium fidelis, vel ſuſcipiat in Baptiſmo, vel Confirmatione, is enim eſt incapax hujus ſpiritualis cognationis contrahendæ, quia cum hæc cognatio ſit ex Eccleſiæ ſtatuto introducta, nequit ab infidelibus contrahi, quippe qui Eccleſiæ legibus non ſubduntur, *Sanch. c. l. n. 7.* & alii apud ipſum.

XLI. Sed jam ulterius quæritur hic, utrum Catholicus licite poſſit prolem Acatholici, quæ a Miniſtro hæretico baptizatur, rogatus e ſacro fonte ſuſcipere? Reſp. improbari non poteſt conſuetudo illa; quæ in quibuſdam Germaniæ locis viget, ſecundum quam Catholici, ut Patrini exiſtunt, quando baptizantur filii hæreticorum, modo Baptiſmus conferatur in nomine, & forma SS. Trinitatis, ut docet *Laym. l. 5. tr. 2. c. 9. n. 6.* Ratio eſt, quia Patrinus Catholicus, dum ſuſcipit baptizatum a miniſtro hæretico, nullo modo cooperatur ad indebitam miniſtrationem Baptiſmi, nam ut ſupponitur, quod ſubſtantiam adminiſtratur ritu Catholico, etiam a Prædicante, & Catholicus Patrinus impedit, ut talis Baptiſmus, qui indebite, ſeu non ſervatis accidentalibus Eccleſiæ ceremoniis, a Prædicante miniſtratur, minus male, & incomplete adminiſtretur, dum expreſſe, vel tacite, & ipſo facto proteſtatur, ſe hunc baptizatum in vera fide, quantum ſibi poſſibile erit, inſtructurum. Nec obſtat, quod communicatio in ſacris cum hæreticis Catholicis ſit interdicta: quia poſt Extravag. Concilii Conſtantienſis communicatio cum hæreticis, aliiſque nominatim non denuntiatis, non eſt fidelibus interdicta, nec in ſacris, neque in politicis rebus, modo non fiat in exercitio hæretico, quale hic non fit, quia Patrinus Catholicus non in alia re communicat, quam quod puerum jam Eccleſiæ Catholicæ filium effectum per Baptiſmum, nomine ejus in ſuam curam ſuſcipiat. Neque etiam obſtat, quod ſpiritualis cognatio contrahatur a Patrino Catholico cum baptizato filio hæretici, & parentibus ejus: quia illa ex Eccleſiæ ſtatuto ſequitur ex Baptiſmo, non quatenus male, ſed recte, ac valide etiam a miniſtro hæretico confertur, *Laym. cit. loc.*

XLII. Ubi præterea etiam quæritur, an permitti poſſit, ut vice verſa, cum proles Catholica a Sacerdote Catholico baptizatur, admittatur Patrinus hæreticus, v. g. Lutheranus. In qua re certum eſt, id ordinarie, & ſine gravi cauſa, ac neceſſitate, illicitum eſſe, quia hæreticus non eſt idoneus Patrinus ad inſtruendum baptizandum in fide Catholica: ex gravi tamen cauſa poteſt hoc permitti in locis, ubi Catholici permixti vivunt cum Acatholicis, ad vitanda alia gravia incommoda, quia alias vel infantes privatim ab obſtetricibus baptizari deberent, vel extra Parochiam ad hæreticum miniſtrum deferri: vel a Sacerdote Catholico baptizari deberent, nullo adhibito Patrino, contra Univerſalis Eccleſiæ conſuetudinem, & cum non parvo ſcandalo, & multorum querela; *Laym. c. l. num. 7.* Ubi addit, quod Sacerdos baptizans palam edicere deberet, hunc infantem in fide Catholica baptizari, & inſtruendum fore, nec parentes id impedire debere. Ratio autem eſt, quia hæreticus eſt abſolute capax obeundi munus patrini, ita ut ex eo cognationem ſpiritualem contrahat, cum ſit baptizatus, ut ſupra dictum. Admittendus tamen eſt hoc caſu Patrinus hæreticus, ſine ulla ejus promiſſione. Neque vero obſtat, quod hæretici Patrini non ſint idonei ad inſtruendum baptizatum in fide Catholica, quia hoc officium nunc ferme non incumbit Patrinis, etiam apud Catholicos, cum hodie pueri vix unquam a Patrinis ſuis, ſed a Ludimagiſtris, vel Parochis inſtruantur in fide, ut notat *Laym. c. l.* apud quem plura de hoc videri poſſunt.

Digitized by Google

TITULUS XII.

DE COGNATIONE LEGALI.

Quia cognatio legalis eſt effectus adoptionis, ex eaque oritur, ideo de illa quædam ſcitu neceſſaria ſunt præmittenda.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit adoptio?

I.

ASſertio 1. *Adoptio eſt extraneæ perſonæ in filium vel filiam, nepotem, vel deinceps, legitima aſſumptio*, prout communiter definitur apud *Silveſt. V. Adoptio n. 1.* Per extraneam perſonam intelligitur ea, quæ non eſt in poteſtate adoptantis, ſeu ex deſcendentibus illius, ſive alioquin ſit ejus conſanguinea, ſive non ſub maſculino autem continetur fœmininum, ſub filio filia, ſub nepote neptis. Dicitur legitima aſſumptio, ſive electio, quia legibus Civilibus ſtatuta, & Canonicis approbata fuit, adeoque in ea forma a Jure præſcripta ſervanda eſt, videlicet, ut adoptans ſit ſui juris, & maſculus, nam fœmina adoptare non poteſt, §. *Fœmina.* 10. *Inſtit. de adoption.* Item ut ſit major XXV. annis ad generandos filios naturaliter non impotens, & ut major ſit XVIII. annis adoptato, adeoque ut poſſit eſſe ejus pater naturalis, etiam ratione ætatis, quia hæc adoptio liberorum, ad ſimilitudinem carnalis generationis eſt introducta. Denique requiritur, ut adoptatus ſit præſens adoptanti, cum adoptatur, & in adoptionem conſentiat, quæ omnia habentur *tot. tit. ff. & C. De adoption. & Inſtit. eod.* & tradit *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 63. n. 3.* Aliter definitur adoptio apud *Silveſt. c. l. Eſt actus legitimus, per quem pro filio, vel nepote habetur, qui non eſt pene naturam tritum.*

II. Aſſertio 2. Duplex eſt adoptio, una perfecta, quæ arrogatio dicitur, per quam adoptatus ſui juris exiſtens, Principis Reſcripto, tranſit in poteſtatem adoptantis, fitque hæres neceſſarius illius ex teſtamento in quarta bonorum parte, ut filius naturalis. Altera eſt adoptio imperfecta, ſeu ſimplex, ac ſpecialis, per quam adoptatus non tranſit in adoptantis poteſtatem, adeoque nec egreditur naturalis patris ſui, aut avi poteſtatem, nec fit adoptantis hæres neceſſarius ex teſtamento, ſed tantum ei ſuccedere poteſt ab inteſtato. Si vero pater naturalis non extraneo, ſed avo filii ſui materno, vel etiam avo paterno, ſi ipſe pater naturalis fuerit emancipatus, filium ſuum dederit in adoptionem, tum adoptatus tranſit in poteſtatem patris adoptivi, quia hoc caſu in unam perſonam conveniunt naturalia cognationis, & Civilia adoptionis jura, §. *Sed hodie Inſtit. de adopt.* Poteſt autem hæc adoptio imperfecta fieri etiam per Magiſtratum Principe inferiorem, non item arrogatio, §. 1. *Inſtit. eod. Sanch. c. l. num. 2.*

§. II.

Quid ſit cognatio legalis, & quot ejus ſpecies, & ex qua adoptione oriatur impedimentum hoc dirimens matrimonium ſubſequens?

III. Aſſertio 1. *Cognatio legalis eſt propinquitas perſonarum Jure Eccleſiaſtico, approbante Jus Civile, ex adoptione proveniens*, in quo diſtinguitur a cognatione naturali, quæ oritur ex conſanguinitate, vel affinitate naturali, *Sanch. cit. diſ. 63. n. 5.* Eſt autem triplex cognationis legalis ſpecies: prima in linea recta, inter adoptantem, & adoptatum, & deſcendentes adoptati, ſi in ejus poteſtate exiſtant. Secunda eſt lateralis, ſive in linea transverſa, inter adoptatum, & filios, ac nepotes, alioſque deſcendentes adoptantis, ſaltem legitimos. Tertia eſt, per modum affinitatis cujuſdam inter adoptantem & uxorem adoptati, & e converſo inter adoptatum, & uxorem adoptantis, *Silveſt. V. Matrimonium. 8. q. 8. dicto 2. Sanch. cit. diſ. 63. n. 6. Laym. l. 5. tract. 10. p. 4. c. 7. n. 3.*

IV. Aſſertio 2. Sicut certum eſt, cognationem legalem dirimentem matrimonium oriri ex adoptione perfecta, quæ eſt arrogatio: ita valde probabile eſt, non oriri ex imperfecta, ſive ſimplici adoptione. Priorem partem omnes admittunt, & ſumitur ex *l. Adoptivus. 14. in princ. & l. ſeq. ff. de ritu nupt. & c. 1. c. Per adoptionem. 6. cauſ. 30. q. 3. & c. un. h. t.* Poſteriorem partem tenet *Silveſt. V. Matrimonium 8. q. 8. dicto 4. Sanch. cit. diſ. 63. n. 9. Tanner. cit. diſ. 8. q. 4. dub. 4. n. 74. Laym. cit. c. 7. n. 3. §. Dubium vero.* Ratio eſt, tum quia ſimplex, ſive imperfecta adoptio non eſt ſimpliciter, & omnino proprie dicta adoptio (niſi adoptans ſit avus paternus, vel maternus, tunc enim tranſit adoptatus in avi poteſtatem, & cenſetur perfecta adoptio, ut ſupra dictum); ergo cum impedimenta matrimonii, velut odioſa, reſtringi debeant, leges ſtatuentes hoc impedimentum non ſunt extendendæ ad imperfectam adoptionem. Tum quia impedimentum cognationis legalis tale eſt, ut dirimat matrimonium inter adoptatum, & liberos legitimos adoptantis, quod non convenit adoptioni imperfectæ, per quam adoptivus non tranſit in poteſtatem adoptantis. Tum denique quia impedimentum hujus cognationis inductum eſt ad vitandam fornicationem, quæ facile fieri poteſt inter perſonas in eadem domo commorantes, quæ ratio ceſſat in ſimplici adoptione, cum per eam adoptatus non traducatur in domum, & poteſtatem adoptantis. Porro non obſtat, quod Jus Canonicum non diſtinguat inter arrogatum, & ſimpliciter adoptatum, ſed indiſtincte loquatur: nam ſatis eſt, quod ratio Juris diſtinguat, quæ eſt cohabitatio, *Silveſt. c. l.*

§. III.

An omnes tres ſpecies cognationis legalis impediant, ac dirimant matrimonium, & inter quas perſonas?

V. Aſſertio 1. Prima ſpecies eſt quaſi aſcendentium, & deſcendentium inter patrem adoptantem, & filium, vel filiam, nepotem, vel neptem adoptati. Nam adoptato patre, adoptantur etiam filii, & nepotes, qui ſunt in poteſtate adoptati: hæc, inquam, ſpecies indiſtincte, & in perpetuum impedit, ac dirimit matrimonium, etiam ſoluta adoptione per mortem adoptantis, vel emancipationem adoptati, quia adoptans non poteſt contrahere matrimonium cum adoptati filia, aut nepte, §. *Ergo non omnes Inſtitut. de nupt. c. Ita diligere. 1. cauſ. 30. q. 3. Silveſt. V. Matrimonium 8. q. 8. dicto 2. Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 63. n. 12.* Et eſt communis ſententia.

VI. Secunda ſpecies lineæ tranſverſæ inter naturales, & adoptivos filios adoptantis, & adoptatum, dirimit matrimonium, non in perpetuum, ſed ſolum quandiu durat adoptio, quia ſunt veluti fratres, & ſorores inter ſe, prout ſumitur ex c. *Siqua unic. h. t.* Ubi dicitur: Siqua per „ adoptionem alicui ſoror eſſe cœpit, non poſſunt inter illum, & ipſam nuptiæ conſiſtere, quamdiu durat adoptio. Ex quo colligitur, quod per adoptionem legitime factam, oritur propinquitas, ſeu cognatio legalis, non ſolum inter adoptantem, & illum, qui eſt adoptatus in filium, ſed etiam inter adoptatum, & filium, vel filiam naturalem adoptantis, quæ tamen cognatio finitur, ceſſante adoptione, v. g. per emancipationem. Unde ſi pater filiam ſuam adoptivam emancipat, poterit illam filio ſuo naturali, & legitimo tradere in uxorem, *Alex. de Nevo hic n. 2.* Hinc colligitur, quod inter adoptatum, & liberos naturales, ac legitimos adoptantis, in linea tranſverſa non poteſt matrimonium conſiſtere, quamdiu adoptatus manet in poteſtate adoptantis, ut conſtat ex *l. Per adoptionem. 57. ff. de ritu nupt. §. Inter eas Inſtit. de nupt. & c. unic. h. t.*

VII. Tertia ſpecies legalis affinitatis inter adoptatum, & uxorem adoptantis, ex una parte: & inter adoptantem, & uxorem adoptati ex altera, dirimit perpetuo matrimonium, etiam diſſoluta adoptione per mortem adoptantis, vel emancipatione adoptati, ut conſtat ex *l. Adoptivus 14. in princ. & l. Quin etiam. 55. ff. de ritu nupt. Laym. cit. c. 7. num. 3.* Quamvis autem de illa tertia ſpecie in Jure Canonico expreſſa mentio non fiat: quia tamen Rubrica hujus Tituli eſt generalis, nimirum de cognatione legali, & eadem etiam eſt ratio de hac ſpecie, cenſendum eſt, eam quoque approbatam eſſe, ſicut priores. Accedit, quod omnes tres illæ ſpecies cognationis legalis generali conſuetudine Eccleſiaſtica ſint receptæ, & approbatæ, adeoque inde hoc impedimentum vim habet, *Sanch. cit. diſ. 63. n. 17.* & alii apud ipſum.

VIII. Porro ratio, cur in prima, & tertia ſpecie cognationis legalis prohibeatur, ac dirimatur matrimonium ſubſequens in perpetuum: in ſecunda vero ſolum ad tempus, quamdiu durat adoptio, vel arrogatio: ratio, inquam, diverſitatis eſt: quia in prima, ac tertia ſpecie prohibitum eſt matrimonium, propter reverentiam, quam debet adoptatus, cum ſua uxore, exhibere adoptanti, & uxori ejus: & cum hæc perpetuo duret, etiam perpetua eſſe debet prohibitio matrimonii in utraque illa: In ſecunda vero ſpecie reverentia eſt debita, ob interpretativam filiationem provenientem ex adoptione, & ideo hac durante, durat prohibitio matrimonii, ea ceſſante ceſſat, *Sanch. cit. diſ. 63. n. 24.* apud quem plura de hac re videri poſſunt.

IX. Ex dictis infertur 1. Inter adoptantem, & parentes filii adoptivi poteſt conſiſtere matrimonium, quia nulla inter eos contrahitur cognatio, cum id nullo jure cautum reperiatur, *Sanch. c. l. n. 26.*

Infertur 2. Poteſt filius adoptivus ducere in uxorem filiam legitimam carnalem adoptantis, poſt hujus obitum, quia tunc jam ceſſavit adoptio, & patria poteſtas. Sed etſi pater adoptans adhuc ſuperſtes ſit, licite initur matrimonium inter eos, ſi vel ipſe filius adoptivus, vel filia legitima carnalis adoptantis jam ſint emancipati, vel alio modo ceſſet adoptio, & patria poteſtas, quia cognatio legalis in linea tranſverſa inter hos jam eſt ſoluta, *Sanch. c. l. n. 27.*

Infertur 3. Ipſi fratres adoptivi, id eſt, adoptati ab eodem parente, poſſunt inter ſe matrimonium contrahere, quia nulla inter eos Jure ſtatuta eſt cognatio legalis: nam in *c. Unic. h. t.* agitur de vera filia patris adoptantis, quæ per adoptionem incipit eſſe ſoror adoptiva filii adoptivi ſui legitimi patris, neque hæc impedimenta ob ſolam rationis ſimilitudinem inducenda ſunt, *Sanch. c. l. n. 27.* Multo magis filius & filia duorum fratrum adoptivorum inire poſſunt matrimonium inter ſe, cum nullo cognationis vinculo ſint conjuncti, *Sanch. c. l. n. 19.*

Infertur 4. Filius illegitimus carnalis adoptantis poteſt in uxorem ducere filiam adoptivam ejuſdem adoptantis: & viciſſim filia illegitima carnalis adoptantis poteſt nubere filio ejuſdem adoptivo, quia illegitimi non cenſentur eſſe

in

in poteſtate patris ſui, §. *Si adverſus Inſtit. de nupt.* ideoque non contrahitur cum illis cognatio legalis, *Navarr. in man. c. 22. n. 45. Sanch. cit. diſ. 63. n. 30. Laym. cit. c. 3. n. 7.*

Porro quouſque, & ad quot gradus extendatur impedimentum cognationis legalis inter adoptantem, & adoptatum, ac hujus deſcendentes, utrum in infinitum, an ſolum uſque ad quartum gradum, non conveniunt DD. & nihil certi ex Jure haberi poteſt. De quo fuſe agit *Sanch. cit. diſ. 63. num. 31. & ſeqq.*

T I T U L U S XIII.

DE EO, QUI COGNOVIT CONSANGUINEAM UXORIS SUÆ (VEL SPONSÆ).

Poſtquam dictum eſt de cognatione ſpirituali, & legali, nunc agendum eſt de cognatione carnali; ſed quia ex copula habita cum conſanguinea uxoris, vel etiam ſponſæ, oritur cognatio affinitatis, de qua dubitari poteſt, utrum impediat, vel dirimat matrimonium, vel ſponſalia; ideo ſubjicitur hic Titulus, in quo agitur de impedimento affinitatis contracto per copulam etiam illicitam cum conſanguinea uxoris, vel ſponſæ: ſed in Titulo ſequente de impedimento contracto per copulam licitam, & conjugalem.

§. I.

An inceſtus ſive copula carnalis habita cum conſanguinea uxoris ſuæ impediat, vel dirimat matrimonium?

I.

RESpondetur, impedire quidem matrimonium contrahendum, ſed non dirimere contractum, ut conſtat ex *c. Si quis 1. h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio apud Metiam, ubi ſic ſtatuitur: Si quis cum filiaſtra ſua ſcien-
,, ter (ſecus ſi ignoranter, *c. In lectum 6. cauſ. 34. q. 2.*)
,, fornicatus fuerit, nec a matre filiaſtræ, ſive uxore ſua
,, debitum petere (quamvis reddere teneatur, *Gl. hic V. Exactus*) nec filiam unquam habere poteſt in uxorem, nec
,, filiaſtra, nec ille (qui fornicatus fuit) ullo unquam tem-
,, pore poterunt (poſt mortem uxoris) cum alia matrimo-
,, nium contrahere, ſcilicet propter inceſtum commiſſum.

Porro per filiaſtram intelligitur privigna, hoc eſt, filia uxoris ex alio viro ſuſcepta, quæ appellatur privigna reſpectu parentis vitrici, Hoſtienſ. *hic V. Filiaſtra, & Canſ. n. 2.*

II. Notandum 1. Inceſtus commiſſus a marito cum conſanguinea ſuæ uxoris, intra gradus Jure prohibitos, impedit matrimonium, ne aliud contrahatur, ſed non dirimit contractum poſt mortem uxoris, ut patet ex hoc cap. in quo duæ pœnæ infliguntur viro committenti inceſtum cum conſanguinea ſuæ uxoris; una, quia privatur facultate petendi debitum a propria uxore, in pœnam ſui delicti, & ob affinitatem contractam cum illa: quamvis ipſa uxor poſſit debitum exigere, quia non debet privari jure ſuo, ſine culpa ſua, ideoque ipſe vir tenetur debitum reddere petenti, non obſtante affinitate inique ex poſt facto contracta, *Gl. hic V. Petere*. Neque vero refert, ſive inceſtus occulte ſit commiſſus, ſive publice innotuerit, quia utroque caſu affinitas contrahitur cum conjuge, ob quam ſolam inceſtuoſus prohibetur a petitione debiti, *Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 5. n. 3. §. Nihil refert.*

Altera pœna eſt, quia vir privatur etiam facultate contrahendi matrimonium, mortua uxore ſua, non ſolum cum filiaſtra ſua, ſed etiam cum quavis alia muliere in perpetuum, ideoque punitur in ipſo matrimonio, contra quod deliquit, committendo inceſtum. Si tamen vir contra prohibitionem hujus Canonis, aliud matrimonium, poſt mortem uxoris ſuæ, ineat cum alia, illud erit validum, quia hic ſolum interdicitur tali inceſtuoſo aliud matrimonium, ſed non contra prohibitionem initum irritatur, & idcirco impedimentum hoc numeratur ſolum inter impedientia, quia nullus textus Juris reperitur, qui illud dicaret eſſe dirimens, *Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 15. n. 1.*

Notandum 2. Similiter ſi e converſo uxor inceſtum committat cum conſanguineis viri, nec debitum petere poteſt a viro, nec illo mortuo, contrahere aliud matrimonium, quia etſi omnes textus hujus Tituli, ubi hoc impedimentum ſtatuitur, loquantur de ſolo viro cognoſcente conſanguineam uxoris ſuæ, non autem de uxore committente inceſtum cum conſanguineis viri, dicendum tamen eſt, etiam ab uxore inceſtuoſa contrahi hoc impedimentum, quia vir, & uxor ſunt correlativa, & militat eadem prorſus ratio in utroque conjuge, nempe gravis injuria matrimonio illata propter affinitatem contractam, & ideo eadem etiam diſpoſitio Juris locum habere debet, præſertim quia crimen inceſtus æque frequens eſt in utroque conjuge. *Sanch. c. l. n. 2.* Confirmatur, quia in *cap. Si quis viduam 20. cauſ. 32. q. 7. & c. Si quis cum matre 9. cauſ. 34. q. 2.* dum ſtatuitur hoc impedimentum, expreſſe etiam eſt ſermo de fœmina, quæ inceſtum commiſit cum conſanguineis viri; *Sanch. c. l. n. 2.*

III. Notandum 3. non tantum ipſi Conjuges, qui inceſtum commiſerunt, prohibentur, poſt mortem alterius conjugis, inire aliud matrimonium: ſed etiam illi conſanguinei conjugis, cum quibus alter conjux inceſtum commiſit, ut conſtat ex illis verbis hujus cap. *Nec ille, nec filiaſtra, ullo unquam tempore, ſe poterunt matrimonio copulare.* Ratio eſt, quia & gravem injuriam irrogant matrimonio, non ſolum ratione adulterii, quod committunt, ſed etiam ratione contractæ affinitatis inter conjuges, ob quam impeditur uſus matrimonii, *Sanch. c. l. n. 3.*

Notandum 4. Ut inceſtus cum conſanguinea conjugis impediat matrimonium cum aliis, requiritur, ut ſcienter ſit commiſſus, ut patet ex hoc c. ibi, *ſcienter*. Nam cum ignorantia (probabilis) excuſet a culpa, excuſabit etiam ab illius pœna. Unde ſi quis per ignorantiam habeat copulam cum ſorore alterius conjugis, vel alia conſanguinea, quam putabat eſſe ſuam uxorem, non incurrit hoc impedimentum, *Sanch. c. l. n. 9.* & ſic licet ignorantia excuſet ab inceſtu, affinitas tamen ex illo conſurgit, *Alex. de Nevo hic num. 4.*

IV. Prædictis addendum 1. Nihil referre, ſive vivo, ſive mortuo conjuge, inceſtus cum conſanguinea alterius conjugis fuerit admiſſus; utroque enim caſu hoc impedimentum incurritur, ut aliud matrimonium inceſtuoſus contrahere non poſſit, etiam quando defuncta uxore, inceſtus eſt commiſſus, prout expreſſe deciditur in c. *Tranſmiſſa 4. h.*
,, *t.* Nam cum quidam, uxore ſua defuncta, filiam ejus,
,, & privignam ſuam carnaliter cognoviſſet, poſtea illam
,, accepit in uxorem, & nihilominus cum privigna publi-
,, ce deliquit. Conſultus ſuper hoc Cæleſtinus III. reſpon-
,, dat, ipſum legitimæ uxori cohabitare, eique neceſſaria
,, ad vitam ſuſtentandam ſubminiſtrare; non tamen eam
,, cognoſcere debere, quamdiu vixerit, niſi ab ea fuerit re-
,, quiſitus. Et tunc propter inceſtum, & adulterium, do-
,, nec cum ea permanſerit, pœnitentiam agat, juxta ar-
,, bitrium Epiſcopi imponendam: & ſi uxori ſuæ ſuper-
,, vixerit, perpetuo ſine ſpe conjugii permaneat.

V. Ubi notandum 1. Inceſtus cum conſanguinea conjugis mortuæ inducit hoc impedimentum, ita ut matrimonium cum alia contrahere non debeat, ſed ſi contraxerit, tenet; non tamen debitum exigere poteſt ab uxore, quam duxit poſt mortem primæ, etſi poſſit petenti illud reddere, *Sanch. cit. diſ. 15. num. 12. Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 7. §. 2. num. 5.* & jam dictum. Addunt aliqui apud *Sanch. cit. diſ. 15. num. 13.* hoc impedimentum non contrahi, ſi crimen inceſtus ſit occultum, qui tamen id refellit, quia nullo Jure probari videtur, & quia, cum inceſtus, ſuapte natura, ſemper occulte committatur, raro foret locus huic impedimento.

Notandum 2. Licet maritus privetur facultate exigendi debitum ab uxore, non tamen ideo liberatur ab onere miniſtrandi ei neceſſaria; propterea enim lucratur fructus dotis, *Abb. hic num. 2. & Alex. de Nevo hic n. 2.*

Notandum 3. Duæ quandoque delicti ſpecies oriuntur ex eodem facto, quæ ambæ puniri poſſunt, ut in caſu hujus c. Is, qui poſt contractum matrimonium, copulam habuit cum privigna, commiſit inceſtum, quia cognovit affinem: & adulterium quoque, quia fuit conjugatus, & de utroque poteſt accuſari, & puniri, *Abb. hic n. 4. & Alex. de Nevo num. eod.*

VI. Addendum 2. Si fœmina a conſanguineo mariti per vim ſit carnaliter cognita, non incurrit impedimentum non contrahendi matrimonium cum alio, nec pœnas illius; quia cum ſit expers omnis culpæ, erit etiam expers omnis pœnæ, *c. Diſcretionem 6. h. t.* at vero conſanguineus mariti, qui illam violenter cognovit, incurret impedimentum ad contrahendum matrimonium, cum ſit reus veri inceſtus, & affinitatis contractæ inter maritum, & uxorem, *Sanch. lib. 7. de matr. diſ. 15. n. 10.*

VII. Addendum 3. Inceſtus cum propriis conſanguineis non impedit, ſeu dirimit matrimonium contrahendum, juxta probabiliorem ſententiam, quam tenet *Covarr. in 4. Decret. p. 3. c. 6. in princ. n. 4. Sanch. cit. diſ. 15. nu. 16.* & alii apud ipſum cum *S. Thom.* quia cum hoc ſit pœna, reſtringi debet, & non extendi. At vero textus ſtatuentes hoc impedimentum non loquuntur expreſſe de inceſtu cum conſanguineis propriis, ſed de inceſtu cum conjugis conſanguineis; ergo ab his ad illos non debet extendi. Nec obſtat, quod inceſtus cum propriis conſanguineis ſit gravior, & pejor: nam non ita offendit matrimonium, quia ex illo non oritur affinitas, nec impeditur matrimonii uſus inter conjuges: & quamvis hic inceſtus ſit pejor, non tamen producit hoc impedimentum matrimonii, quia non tam eſt impedimentum ratione culpæ, quam ratione affinitatis ex ipſo ortæ, quæ ex ſolo inceſtu cum conſanguineis contrahitur. Et licet majus peccatum ſit cognoſcere conſanguineam uxoris, non tamen tantam injuriam infert maritus uxori per inceſtum cum propriis conſanguineis, quam per inceſtum cum conſanguineis conjugis, per quem contrahit affinitatem cum uxore, & privatur jure petendi debitum, non autem per inceſtum cum propriis conſanguineis. Turrecremata in *Decret. p. 2. cauſ. 32. q. 7. §. Quædam 29. n. 1. in ſolut. ad 2. & 3. objection.*

§. II.

Utrum affinitas ſuperveniens matrimonio contracto inter conjuges, etiam per copulam illicitam, diſſolvat priora ſponſalia de futuro, vel etiam ſponſalia de præſenti, ſive matrimonium nondum conſummatum?

VIII. Ad primum quæſitum reſpondetur. Etſi per

 quam-

affinitatem ſupervenientem non diſſolvatur matrimonium: diſſolvuntur tamen ipſo jure priora ſponſalia de futuro, etiam per copulam illicitam, prout ſumitur ex *c. Veniens.* 2.
,, *h. t.* Nam cum quidam, ut refert *Gl.* in caſu, contraxiſſet
,, ſponſalia de futuro cum aliqua, cujus pater matrem
,, ſponſæ accepit in uxorem, & poſtea eandem carnaliter
,, cognovit: ſed filius ſponſus cum ſua ſponſa matrimonium
,, conſummare noluit. Conſultus ſuper hoc Papa Alexan-
,, der III. reſpondet, ſi ſponſus hic matrem ſuæ ſponſæ
,, (de futuro) carnaliter cognovit, non autem ipſam ſpon-
,, ſam (poſtquam cognovit matrem) tunc imponendam ei
,, eſſe majorem pœnitentiam, quam pro adulterio: qua
,, peracta, vel ejus parte, poſſe illum ex diſpenſatione cum
,, alia matrimonium contrahere. Si vero ſponſam cogno-
,, vit, antequam matrem, vel poſtea: nunquam eam (ſci-
,, licet matrem) vel aliam (poſt mortem ipſius) poteſt ac-
,, cipere in uxorem.

IX. Pro declaratione hujus cap. notandum 1. affinitas ſuperveniens etiam ex concubitu fornicario, majorem vim habet, quam ſponſalia de futuro; nam hæc propter affinitatem diſſolvuntur. Ratio eſt, quia ſponſalia de futuro nihil aliud ſunt, quam futurarum nuptiarum promiſſio, *cap. Noſtrates.* 3. *cauſ.* 30. *q.* 5. & *l.* 1. *ff. De ſponſal.* ſed affinitas ſuperveniens impedit, ne poſſit adimpleri illa promiſſio, cum inter affines non poſſit conſiſtere matrimonium, *cap. Non debet* 8. *tit. ſeq. Abb. hic n.* 2. & *Alex. de Nevo num.* 2.

Notandum 2. Cognoſcens conſanguineam ſponſæ fit inhabilis ad contrahendum matrimonium etiam cum alia, juxta *c.* 1. *h. t.* poteſt tamen cum eo facile diſpenſari quoad hanc inhabilitatem; nam cum in hoc c. Papa ſibi non reſervet diſpenſationem, videtur tacite concedere Epiſcopo poteſtatem diſpenſandi, juxta doctrinam Innocentii in *c. Dilectus* 15. *n.* 2. *de temp. ordin. Abb. hic n.* 3. & *Alex. de Nevo n.* 3.

Notandum 3. Gravius peccat, qui carnaliter cognoſcit conſanguineam uxoris, quam conſanguineam ſponſæ, quia in primo caſu non conceditur diſpenſatio, vel ſaltem non niſi difficulter: in ſecundo vero caſu ea datur, *Gl. hic V. Ex Diſpenſatione.* Ratio diverſitatis eſt, quia cognoſcens conſanguineam uxoris propriæ committit crimen inceſtus; nam ex copula habita cum propria uxore, contracta fuit affinitas inter illam, & conſanguineos uxoris: ſed ex ſponſalibus de futuro cum ſponſa non cognita, non eſt orta affinitas cum conſanguineis ſponſæ, ſed ſolum quædam publica honeſtas, & quaſi inceſtus, quia violavit publicæ honeſtatis juſtitiam ortam inter ſe, & matrem ſponſæ: & ideo hic imponitur pœnitentia paulo major, quam pro adulterio, quia crimen inceſtus eſt gravius, quam adulterium. Si vero in caſu hujus cap. ſponſus commiſiſſet verum crimen inceſtus, quia cognovit conſanguineam uxoris: tunc multo major ei pœnitentia imponenda foret, quam pro adulterio, quia adulterium non facit inhabilem ad matrimonium contrahendum, *c. Ex litterarum.* 4. *De eo, qui duxit &c.* ſicut facit verum crimen inceſtus, *Abbas hic n.* 5.

X. Notandum 4. hoc cap. intelligi debet de ſponſa per verba de futuro; ſi enim loqueretur de ſponſa per verba de præſenti, ſponſus non poſſet cum alia contrahere matrimonium, niſi ex diſpenſatione Epiſcopi. Sed quia ſolum erat ſponſa de futuro, & ſponſalia jam fuerant diſſoluta, ob affinitatem contractam cum ſponſa, quæ orta fuit ex copula habita a ſponſo cum matre ſponſæ; ideo datur facultas cum alia contrahendi matrimonium, ex diſpenſatione tamen Epiſcopi, & ita intelligunt hunc textum *Abbas, Panorm.* & alii apud *Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 15. *n.* 5. Inductum eſt autem hoc impedimentum ob violatam publicam honeſtatem ortam ex ſponſalibus, poſtquam ſponſus cognovit conſanguineam ſponſæ.

Utrum autem hoc impedimentum ſit perpetuum, an vero ſolum temporale, dubitatur? Verius eſt, eſſe temporale, nempe dum vivit complex peccati, cum quo inceſtus ille fuit commiſſus contra publicam honeſtatem, ut colligitur ex *c. Duo pueri.* 12. *ſupra de deſponſ. impub.* ibi: *Neutri, vivente altero, dabitur licentia contrahendi:* quia nec complex, vivente ſponſo, nec ſponſus, vivente complice, poterunt quodcunque matrimonium contrahere: altero vero mortuo, ceſſat impedimentum, ac libere poteſt ſuperſtes aliud matrimonium inire, quia *in cit. c.* ſolum negatur, matrimonium poſſe contrahi, altero ſuperſtite. Ratio autem, cur interdicitur aliud matrimonium, dum alter adhuc vivit, eſt, ne delictum maneat impunitum, & quia non eſt tantum delictum, nec proprie inceſtus, quia ex ſponſalibus non eſt orta affinitas inter ſponſum, & conſanguineos ſponſæ, & e converſo, ſicut eſt copula carnalis habita cum conſanguinea vel affine, quod eſt vere crimen inceſtus, ideo & mitius punitur, quam illud, & inducitur ſolum impedimentum temporale, non perpetuum, *Alex. de Nevo in cit. c. Duo pueri. n.* 9. *de deſponſ. impub. Sanch. cit. diſ.* 15. *n.* 5. circa finem

XI. Notandum 5. Quomodo intelligenda ſint verba ultima *cit. c.* 2. *h. t. Si ſponſam cognovit, antequam matrem, vel poſt, nunquam eam, vel aliam poteſt accipere in uxorem:* Nam cum per concubitum ſponſi cum ſponſa tranſeat ſponſalia in matrimonium, ſi ante matrem eam cognovit, *c. Is qui* 30. *de ſponſal.* & matrimonium teneat, quia per affinitatem ſupervenientem non diſſolvitur, *c.* 1. *h. t.* quomodo ergo ſponſus non poteſt ſponſam accipere in uxorem, id eſt, retinere, cum matrimonium, ſaltem præſumptum, cum ea contraxerit, illudque conſummaverit, & ſubſiſtat? Sed reſpondetur, ſenſum eſſe, ut ſi quis filiam, cum qua ſponſalia de futuro iniit, cognovit prius, quam matrem illius, non poſſit in uxorem accipere matrem, propter affinitatem cum ipſa contractam ex concubitu cum filia, neque etiam poſſit in uxorem accipere eandem filiam, quod attinet ad exactionem debiti conjugalis, quia illa privatus eſt ſponſus cognoſcendo matrem; adeoque illud petere non poteſt, ſed reddere debet: interim matrimonium inter ipſos prius contractum conſiſtit, & tenetur uxorem ductam retinere. Si vero cognovit ſponſam poſtquam cognovit matrem; tunc nec ſponſam, nec aliam poteſt ducere in uxorem: non ſponſam, propter affinitatem contractam cum illa ex concubitu cum matre: nec aliam, propter inceſtum cum filia commiſſum, cujus hæc eſt pœna, ut inceſtuoſus non poſſit etiam cum alia in poſterum contrahere matrimonium, *Abb. hic n.* 6. *Cenſ. ib.*

XII. Ad poſteriorem quæſtionem reſpondetur. Affinitas ſuperveniens etiam per copulam illicitam non diſſolvit ſponſalia inita per verba de præſenti, ſive matrimonium prius contractum, etſi nondum conſummatum, prout ſumitur ex *c. Diſcretionem* 6. *h. t.* Ubi tali caſus proponitur: Quidam
,, cum aliqua muliere legitime matrimonium per verba de
,, præſenti contraxit, eamque poſtmodum a ſe incognitam,
,, ac renitentem cuidam conſanguineo ſuo in uxorem tra-
,, didit, & ille eam accepit, licet invitam: ſed mulier,
,, quam primum libertati reddita fuit, poſtulavit, ſe prio-
,, ri viro reſtitui. Quæſitum igitur fuit, an deberet ei re-
,, ſtitui? Conſultus Pontifex Innocentius III. reſpondit,
,, viro, ob tam turpe facinus, gravem pœnitentiam eſſe
,, injungendam: mulierem vero propter publicam honeſta-
,, tem, monendam eſſe, ut nec priorem virum repetat,
,, a cujus conſanguineo, licet invita cognita fuerat: nec ad
,, ſecundum redeat, cui non poteſt propter adulterium com-
,, miſſum, commiſceri: ſed continenter vivat, donec pri-
,, mus vir fuerit mortuus. Quod ſi ad id induci non po-
,, terit, vir prior cogatur ad ipſam redire, & maritali af-
,, fectione eam tractare, cum adulterium non poſſit ei ob-
,, jicere, quam adulterandam tradidit, præſertim invitam.
,, Nam etſi ſecundum Evangelium, *propter fornicationem*
,, *vir poſſit dimittere uxorem, & hæc virum;* non tamen
,, ſemper propter eandem cauſam vir poteſt dimittere uxo-
,, rem, vel hæc illum: cum poſſit per exceptionem repel-
,, li, vel replicationem (ut in propoſito caſu, quod ipſe
,, vir tradidit eam invitam alteri, vel quia ipſe vir ſimi-
,, liter fornicatus fuit.) Sed affinitas, quæ poſt matrimo-
,, nium legitime contractum, inter virum, & uxorem,
,, inique contrahitur, ei debet obeſſe, quæ iniquitatis par-
,, ticeps non extitit, cum jure ſuo non debeat ſine ſua
,, culpa privari. Etſi vero quidam ex Pontificibus anteceſ-
,, ſoribus diſtinxerint, utrum inceſtum, vel adulterium fua-
,, ſit manifeſtum, an occultum: alii tamen aſſeruerunt,
,, inter gradum proximum, & remotum potius eſſe diſtin-
,, guendum.

XIII. Notandum 1. Si fœmina a conſanguineo mariti ſit violenter cognita, nullius eſt rea culpæ, nullamque pœnam incurrit, prout conſtat ex hoc c. At vero mariti conſanguineus, qui violenter cognovit ejus uxorem, incurrit impedimentum contrahendi matrimonium cum alia, quia eſt reus veri inceſtus, *Sanch. lib.* 7. *diſ.* 15. *n.* 10. & dictum ſupra.

Notandum 2. Poteſt alter conjugum, etiam ante conſummatum matrimonium, petere reſtitutionem alterius, ſi fuit in quaſi poſſeſſione illius, ut patet ex hoc cap. Ubi mulier petiit reſtitui priori viro, cum quo per verba de præſenti matrimonium legitime contraxerat, *Abb. hic n.* 2. & *Alex. de Nevo n.* 3.

Notandum 3. Maritus non poteſt uxori objicere adulterium, & petere ab ea ſeparationem, ſi ipſe auctor fuit adulterii uxoris, quia ab eo invita, & renitens fuit proſtituta, ut in caſu hujus cap. Sed etſi uxor etiam volens committat adulterium, conſentiente tamen marito, non poteſt ob id a viro dimitti, ut colligitur ex hoc cap. ibi: *præſertim invitam.* Ubi dictio *præſertim* non debet accipi pro *tantum*, ut vult *Gl. ibid.* quia eſt impropria ſignificatio, ſed in propria ſignificatione, pro *maxime.* Quare dictio *præſertim* hic denotat idem eſſe in caſu contrario, ita ut ſenſus ſit, quod mulier in caſu hujus cap. excuſetur ab adulterio commiſſo cum viro, cui tradita eſt, ſcilicet quoad maritum, præſertim ſi fuit invita, quia idem eſt, ſi non fuiſſet invita, ſed volens. Ratio eſt: tum quia, cum uxor ex beneplacito viri adulteretur, tunc etiam ipſe eſt reus adulterii: tum quia injuria illata viro ob adulterium eſt cauſa, ac fundamentum divortii, quæ ceſſat, ipſo conſentiente in adulterium uxoris: *nam ſcienti, & conſentienti non fit injuria, Reg. Jur.* 27. *in* 6. Unde quando maritus tradit uxorem ſuam conſanguineo ſuo, etſi ſolum deſponſatam ipſi per verba de præſenti, nondum conſummato matrimonio, fit particeps adulterii, ſive ipſa ſit nolens, & renitens, ſive volens; & ſic non poteſt eam expellere exceptione adulterii: ſed mulier excuſatur ab adulterio quoad maritum, ſed non quoad Deum, ſi conſentit, *Abb. in cit. c.* 6. *h. t. n.* 9. & *Alex. de Nevo n.* 9. *Sanch. l.* 10. *de matrim. diſ.* 5. *n.* 4. & alii apud ipſum.

XIV. Notandum 4. Affinitas ſuperveniens non diſſolvit ſponſalia de præſenti, ſive matrimonium ratum, & non conſummatum, quia & hoc eſt indiſſolubile quoad vinculum ordinarie, ideoque ſi quis cognoſcat uxorem alterius

per

per verba de præſenti deſponſatam, etiam virginem, & a viro ſuo non cognitam, adulterium committit, *Hoſtiens. hic V. Cum adulterium.* Veruntamen impedit talis affinitas, ex parte conjugis, qui commiſit inceſtum, exactionem debiti; non autem ex parte alterius conjugis, qui non fuit particeps iniquitatis illius, quia affinitas inique contracta per copulam, ſcilicet illicitam, ſeu fornicariam, non officit ei conjugi, qui particeps iniquitatis illius non fuit, cum ir ſuo jure privari non debeat, ſine ſua culpa, ut habetur in hoc c. ubi etiam dicitur, licet honeſtum ſit, ac decens, ut etiam mulier illa, quæ iniquitatis non fuit particeps, quia invita, & renitens fuit tradita conſanguineo ſui primi mariti, non petat ab illo debitum conjugale, idque propter publicam honeſtatem, id eſt, propter affinitatem inter ipſum, & primum virum per copulam carnalem conſanguinei ſui contractam, *Hoſtiens. hic V. eod.* ideoque ad hoc ſit monenda, non tamen eſt cogenda, ut hic deciditur. Ex quo patet, quod etiam per illicitum, ſeu fornicarium concubitum inducitur affinitas, quantum ad impedimentum matrimoniale Canonicum inducendum, *Gl. hic V. Nec affinitas, Hoſtiens. hic. V. Iniquo contrahitur.*

§. III.

An impedimentum affinitatis dirimens matrimonium contractum probetur per aſſertionem unius, vel confeſſionem utriuſque conjugis?

XV. De hoc agitur inprimis in c. *De illo* 3. *h. t.* Ubi
„ habetur, quod quidam aſſerabat, ſe cognoviſſe uxorem
„ fratris ſui, antequam ei matrimonio jungeretur. Ad hoc
„ reſpondet Pontifex Alex. III. non debere permitti, ut
„ hac occaſione matrimonium illud impetatur; niſi hoc
„ publicum, & notorium fuerit, aut idoneis teſtibus comprobatum. Ratio eſt, quia ſimplici aſſertioni unius non eſt credendum; ſed probatione opus, *Gl. hic in caſu.*

Ubi notandum 1. Si unus ſolum impedimentum dirimens ſubeſſe aſſerit, matrimonium ſeparari non debet. At vero ad impediendum matrimonium contrahendum plene probat unus teſtis, eique creditur allegenti impedimentum dirimens, *Gl. fin. hic*, & DD. communiter; quia tunc de vitando peccato agitur, ne impediti, & inhabiles contra Eccleſiæ prohibitionem contrahendo peccent, *Sanch. l. 1. de ſponſal. diſ.* 71. *n.* 1.

Notandum 2. Fornicatio poteſt dici notoria ſine alia probatione, et ſi Clericus publice teneat in domo concubinam, vel fœminam ſuſpectam, *Hoſtiens. hic. V. Notorium, & Abb. n.* 3. *& Alex. de Nevo n.* 4.

XVI. Similiter in *c. Super. eo.* 5. *h. t.* Cum quæſitum
„ fuiſſet ex Papa Cæleſtino III. utrum conjugatus, qui
„ ante matrimonium contractum, uxoris ſuæ conſangui-
„ neam carnaliter cognoverat, utroque tam ipſo viro,
„ quam uxore id fatente, idemque parte aliqua viciniæ
„ clamante, ſit ab uxore judicio Eccleſiæ ſeparandus? Re-
„ ſcribit Papa, quod propter eorum confeſſionem tantum,
„ vel rumorem viciniæ, non ſunt ſeparandi, cum aliquan-
„ do nonnulli inter ſe contra matrimonium colludant, &
„ ad confeſſionem inceſtus facile proſiliant, ſi per eorum
„ confeſſionem crederent ſe ſeparandos. Rumor autem vi-
„ ciniæ non eſt tam validus, ut poſſit bene contractum
„ matrimonium irritare, vel ſeparari; niſi rationabiles, &
„ fide dignæ probationes accedant.

XVII. Notandum 1. Ad dirimendum matrimonium jam contractum non ſufficit ſola confeſſio conjugum, etiamſi ambo confiteantur contra matrimonium, ut in caſu hujus cap. & licet ambo conjuges dicant affinitatem inter illos contractam eſſe ante matrimonium, hoc non ſeparatur, vel dirimitur, quia non creditur viro, vel uxori, ſi confiteantur in præjudicium matrimonii; ſtatur autem confeſſioni eorum, ſi confiteantur pro matrimonio, *Gl. hic. V. Confeſſionem.* Ratio autem, cur ſtetur confeſſioni conjugum aſſerentium matrimonium eſſe contractum, juxta *cap. Atteſtationes* 10. *& ibi Gl. V. Evaſiſſe, de deſponſ. impub.* non autem ſtetur confeſſioni eorum contra matrimonium, ad illud diſſolvendum, vel ſeparandum: ratio, inquam, eſt, quia aſſertio conjugum, qui deponunt pro matrimonio, eſt valde favorabilis, & ipſis confitentibus, & toti Reipublicæ, cujus intereſt, matrimonium, ejuſque valorem defendi, ut liberis hominibus civitates repleantur, *l. 1. ff. ſolut. matrim.* At vero confeſſio adverſus valorem matrimonii eſt valde odioſa, tum ob præſumptionem colluſionis conjugum, ut habetur in textu; tum quia confitentur in ea re, in qua contrahentes ſibi præjudicare nequeunt, cum matrimonii diſſolutio non dependeat a poteſtate conjugum, quippe quod ratione Sacramenti eſt indiſſolubile; tum denique quia ejuſmodi confeſſio præjudicat proli, & aliis bonis matrimonii, *Molin. Juriſta* apud *Barboſ. in collect. in hoc c. n.* 3.

Notandum 2. Etiamſi ambo conjuges confiteantur, & aſſerant, affinitatem ex copula habita cum conſanguinea alterius inter ipſos contractam eſſe ante matrimonium, non diſſolvitur, nec ſeparari poteſt matrimonium poſtea contractum, quia periculum eſt, ne forte conjuges inter ſe colludant contra matrimonium, ut dicitur in texto, & hac ratione via aperiatur ad diſſolvendum matrimonium legitime contractum, ſicut & alias colluſio prohibetur, *tot. tit. de Colluſ. deteg. Alex. de Nevo hic. n.* 6. Non obſtat, quod poſt confeſſionem in Jure, ſeu judicio factam nihil quæratur amplius: ſed confeſſi pro judicatis habeantur, *l. Poſt rem.* 56. *ff. de re judic. junct. l. Unic. c. de Confeſſ.* Nam hoc verum eſt in iis, quæ ex confeſſione partium pendent, ac in libera earum poteſtate ſunt. At vero diſſolutio matrimonii non dependet ab hominibus, ſed a DEO, quia quos DEUS conjunxit, homo ſeparare non poteſt, *c. pen. cauſ.* 33. *q.* 2. *Abb. hic. n.* 2.

XVIII. Notandum 3. Sed neque ex hujuſmodi confeſſione amborum conjugum diſſolvi debet matrimonium, etiamſi rumor viciniæ id ipſum confirmet. Dicitur autem rumor viciniæ, quando pars aliqua, nempe tertia, vel quarta aliquid affirmat, in quo differt a fama publica, quæ proprie eſt, quando tota civitas, vel vicinia, aut major ejus pars aliquid evulgat, *Abb. hic. n.* 3. Rumor autem eſt minus quid, quam fama, & non eſt ſufficiens probatio ſine teſtibus, *Gl. hic V. Confeſſionem in fine.*

Notandum 4. Confeſſioni conjugum, etiam amborum, non creditur, ſi fiat ea confeſſio adverſus aliud matrimonium, quod cum altero eorum prius initum aſſeritur, quia eorum teſtimonio in ſui commodum, & in propria cauſa crederetur, & in alterius detrimentum, quod nullo jure eſt conceſſum, *Abb. in cit. c. Super eo. num.* 5. *in fine h. t. Menoch. de arbitr. Judic. caſu* 103. *n.* 6.

Notandum 5. Cum non de diſſolvendo matrimonio, quoad vinculum agitur, ſed ſolum de ſeparatione illius quoad torum; tunc creditur etiam unius tantum conjugis aſſertioni contra ſeipſum; ut ſi mulier fateatur, ſe commiſiſſe adulterium, tunc creditur ejus confeſſioni contra ipſam, ut a viro ſeparetur quoad torum, *Abbas cit. loc. & Menoch. c. l. num.* 5.

§. IV.

Utrum prædictum impedimentum affinitatis oriatur etiam ex copula carnali attentata cum puella impubere, & an etiam ex inceſtu cum cognata legali, aut ſpirituali, ac denique ad quem gradum extendatur hoc impedimentum affinitatis ortum ex illicita copula habita cum conſanguinea alterius conjugis?

XIX. De prima quæſtione agitur in *c. Fraternitati.* 7. *h. t.*
„ Ubi Papa Innocentius II. approbat ſententiam divortii
„ a quodam Archiepiſcopo canonice promulgatam in eum,
„ qui quandam mulierem, cujus antea ſororem adhuc ſe-
„ ptennem, contractis ſponſalibus, extraordinaria libidine
„ polluerat, poſtea ſibi copulare præſumpſit. Ratio eſt, quia licet ex tali copula ſolum attentata, ſive extraordinaria pollutione facta cum puella ſeptenni, vel minore ſeptennio, non oriatur affinitas cum conſanguineis puellæ, quæ nonniſi ex perfecta, & conſummata copula carnali contrahitur, per quam vir, & fœmina fiunt una caro, *c. Lex.* 18. *cauſ.* 27. *q.* 2. *& c. Extraordinaria.* 11. *junct. Gl. V. Eodem cauſ.* 36. *q.* 2. Oritur tamen ex tali copula attentata impedimentum dirimens matrimonium, poſtea cum conſanguinea contractum, propter publicam honeſtatem provenientem ex ſponſalibus de futuro, quæ ibi præceſſerant, *c. unic. de ſponſal. in* 6. *Sanch. lib.* 7. *de matrim. diſ.* 64. *num.* 10. Itaque ex ſponſalibus contractis cum puella ſeptenni, quæ nondum complevit ſeptennium, ſi interveniat etiam copula attentata, oritur publica honeſtas impediens, ac dirimens matrimonium contractum cum conſanguinea ſponſæ: ergo e contrario ſenſu ſola ſponſalia abſque attentatione, ſeu conatu ad copulam cum puella minore ſeptennio, vel ſola attentatio, ſeu niſus ad copulam abſque ſponſalibus, non inducit publicam honeſtatem, quæ eſt prima expoſitio hujus cap. quod alii ſic exponunt: copula carnalis habita cum puella ſeptenni inducit affinitatem, quæ impedit, ac dirimit matrimonium poſtea contractum cum conſanguinea ſponſæ, *Abb. hic, & Alex. de Nevo n.* 2. *&* 3. ſed prior intellectus videtur melior.

XX. Ad ſecundam quæſtionem reſpondetur. Ex inceſtu cum cognata ſpirituali, vel legali, non oritur impedimentum dirimens matrimonium, nec impediens aliud matrimonium contrahere, quia copula inter cognatos ſpirituales tantum, non eſt vere inceſtus, qui eſt conſanguineorum, & affinium conjunctio. At vero cognatio ſpiritualis non eſt dicenda conſanguinitas, ſed potius habenda ſpiritualis proximitas, ut dicitur in *c.* 1. *cauſ.* 30. *q.* 3. & nullo Jure probari poteſt, per talem copulam induci impedimentum ad contrahendum matrimonium, *Naverr. conſil. libr.* 4. *conſ.* 8. *h. t. n.* 6. *&* 8.

XXI. Ad tertiam quæſtionem dicendum eſt; Jure antiquo Canonico orta fuit affinitas ex copula illicita cum conſanguineis alterius conjugis, ſicut ex licita, *c. Diſcretionem* 6. *h. t.* Ubi fit mentio copulæ cum conſanguinea conjugis, non diſtinguendo gradum; ideoque DD. communiter apud *Sanch. lib.* 7. *de matrim. diſ.* 67. *num.* 3. metiuntur gradum affinitatis ortæ ex copula illicita, juxta gradum ortæ ex licita copula, & utramque affinitatem ad eundem gradum, ſcilicet quartum, extendunt, juxta *c. Non debet.* 8. *de conſang. & affinit.* Ubi ex cauſa affinitatis, non diſtinguendo inter ortam ex copula licita, vel illicita, ſtatuitur impedimentum uſque ad quartum gradum incluſive.

Verum hodie ex Decreto Concilii Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap. de reform. matrim.* reſtrictum eſt hoc impedimentum affinitatis ex fornicatione cum conſanguinea ad ſecundum gradum, his verbis: S. Synodus impedimentum, quod
„ propter affinitatem ex fornicatione contractam indu-

Digitized by Google

,, titur, & matrimonium poſtea factum dirimit; ad eos
,, tantum, qui primo, & ſecundo grado conjunguntur,
,, reſtringit: in ulterioribus vero gradibus ſtatuit hujuſmo-
,, di affinitatem matrimonium poſtea contractum non diri-
mere. Quare Concilium omnino ſuſtulit tertium, & quartum gradum affinitatis ortæ ea fornicatione, ita ut hodie ex copula fornicaria habita cum conſanguinea conjugis, ultra gradum ſecundum non oriatur affinitas, nec committatur inceſtus, ſed ſimplex fornicatio, ſi quis accedat ad conſanguineam intra tertium gradum ejus, qui prius cum illa fornicatus fuit, *Sanch. cit. diſ. 67. n. 7. & 8.* v. g. ſi Titius fornicatus ſit cum Caja, poteſt valide inire matrimonium cum ejuſdem conſanguinea in tertio gradu: imo etiam licite, quia hæc affinitas ultra ſecundum gradum, nec dirimit, nec impedit, ſeu illicitum reddit matrimonium, ut declaravit Pius V. in Motu proprio edito anno 1566. qui incipit, *Ad Romanum*, *Sanch. c. l. n. 4.* Sed neque affinitas orta ex fornicatione dirimit, aut impedit ſponſalia de futuro ſubſequentia, vel præcedentia, ultra ſecundum gradum, quia ob eandem rationem, ob quam impedit matrimonium, impedit etiam ſponſalia, *Sanch. c. l. n. 4.*

XXII. Porro nomine fornicationis in hoc Decreto Tridentino intelligitur, non ſolum ſimplex fornicatio, ſed generice omnis illicitus concubitus, ut adulterium, ſtuprum, aut quivis alius; quia ratio, ob quam Concilium reſtrinxit hoc impedimentum, habet locum in omni fornicatione, ſeu luxuriæ ſpecie, quia ſcilicet ex ea non oritur aliquod amicitiæ vinculum inter affines, & ſæpiſſime ignoratur; quia occulte contrahitur, ac proinde multa damna ex eo impedimento conſequuntur, niſi reſtringatur, *Sanch. c. l. n. 6.* Et hinc etiam affinitas orta ex matrimonio non eſt reſtricta ſolum ad ſecundum gradum per Concilium Trident. ſed etiam hodie dirimit matrimonium uſque ad quartum gradum incluſive, *c. Non debet. 8. tit. ſeq.* quia hæc reſtrictio ad ſecundum gradum in Decreto Concilii ſolum eſt expreſſa de affinitate orta ex fornicatione, ergo non debet extendi ad affinitatem contractam ex copula conjugali, quia cum vinculum matrimonii ſit fortius, non ſequitur, quod reſtricta affinitate ex fornicatione, cenſeri etiam debeat reſtricta affinitas ex copula conjugali, *Sanch. c. l. n. 5.*

§. V.

Proponuntur, & explicantur reliqua Capitula hujus Tituli.

In his capitulis repetuntur quædam, quæ jam antea in hoc Titulo dicta ſunt: nam quia Papæ propoſiti ſunt plures diverſi caſus, ſed ſimiles; ideo de illis idem reſpondit: de connexis enim, ac ſimilibus idem eſt judicium habendum, & eadem eſt Juris diſpoſitio, & quod ſtatutum eſt de uno, cenſetur etiam ſtatutum de altero, *c. 3. & ibi Gl.* communiter recepta *V. Quod de uno, ſupr. de Conſtit.* ut mox oſtendetur.

XXIII. Itaque inprimis in *c. Ex litteris. h. t.* deciditur, quod affinitas orta ex copula illicita diſſolvit ſponſalia præcedentia, & privat facultate contrahendi aliud matrimonium, ut habetur in Summa hujus cap. in quo taliscaſus proponitur.
,, Cum quidam G. nomine matrem cujuſ-
,, dam puellæ, quam ſibi infra nubiles annos deſponſaverat
,, in uxorem, (futuram ſcilicet, ſeu ſponſam de futuro)
,, carnaliter ſæpe cognoviſſet, ſicut & poſtea ipſam puel-
,, lam jam adultam: re hac delata ad Innocentium III. ita
,, mandat eidem viro injungi pœnitentiam, ob inceſtum
,, commiſſum, eoſque (nempe virum, & puellam jam a-
,, dultam) ab invicem ſeparari (ſi ita eſſe conſtiterit) ac
,, prohibet, ne mulier alteri viro nubat, ſi poſtquam ſci-
,, vit viri, & matris delictum, ei carnaliter fuit commix-
,, ta. Inſuper prohibet Papa, ne vir ille, & mater mu-
,, lieris unquam ad alias nuptias tranſeant, ſed ſemper con-
,, tinentiam ſervare teneantur, & enorme delictum defle-
,, re, præſertim ſi circa perſonas hujuſmodi nullum ſit pe-
,, riculum lapſus carnis, ſeu fornicationis; tunc enim cum
,, eis diſpenſaretur, *Gl. fin. hic.*

XXIV. Pro explicatione hujus cap. notandum 1. Hic textus dupliciter poteſt intelligi, ut notat *Abb. hic n. 2. & 3.* primo, quod iſte vir ſibi deſponſavit dictam puellam per verba de futuro, ſive ſponſalia proprie dicta, quæ diſſoluta fuerunt propter affinitatem ſupervenientem per fornicationem commiſſam cum matre puellæ, & ita intelligit *Gl. hic*: Secundo poteſt intelligi, quod vir iſte deſponſavit puellam in uxorem, id eſt, matrimonium contraxit cum illa per verba de præſenti: & tunc non potuit eſſe matrimonium inter eos, quia puella nondum erat nubilis, ſed ſolum erant ſponſalia de futuro ex interpretatione Juris, juxta *cap. unic. de ſponſal. in 6.* & antequam puella perveniret ad legitimam ætatem, vir ille cognovit matrem illius; ideoque ſponſalia fuerunt diſſoluta propter ſupervenientem affinitatem ex fornicatione commiſſa cum matre puellæ, *c. 2. h. t.* nec promiſſio matrimonii poterat adimpleri.

Notandum 2. Hinc jam patet, quod in caſu hujus cap. dictus vir, & mater puellæ non potuerint amplius contrahere matrimonium inter ſe: nam cum matre puellæ non potuit vir ille inire matrimonium, tum propter publicam honeſtatem ortam ex ſponſalibus initis cum puella: tum maxime propter affinitatem contractam ex copula habita cum puella: ſed neque potuit vir iſte contrahere matrimonium cum puella, propter affinitatem contractam ab eo ob copulam habitam cum matre ejuſdem puellæ: hæc vero potuit contrahere matrimonium cum alio extraneo, ſi non fuit particeps iniquitatis, quia ignoranter fornicata eſt cum iſto viro, neſciens, quod prius carnaliter cognoverit matrem ſuam: ſecus autem, ſi id ſcivit, ut habetur in textu, *Alex. de Nevo hic n. 6.* Sed neque vir iſte, & mater puellæ poterant amplius contrahere matrimonium cum alio extraneo, vel alia, propter commiſſum crimen inceſtus: ſi tamen de facto contraherent matrimonium cum extraneis, hoc teneret, juxta *c. Tranſmiſſæ. 4. h. t.* Ut in caſu hujus cap. vir iſte committit crimen inceſtus, quia prius cognovit matrem, & poſtea ejus filiam, quam deſponſaverat, *Abb. hic. in fine, & Alex. de Nevo n. 5.*

Notandum 3. Etſi inceſtuoſus privetur facultate contrahendi aliud matrimonium; ſi tamen timeatur de incontinentia, ſeu lapſu carnis, ut quia juvenis eſt, poteſt cum eo diſpenſare Epiſcopus, ut poſſit contrahere matrimonium, ut habetur in fine hic; *c. In adoleſcentia. 14. cauſ. 33. q. 2.* *Alex. de Nevo hic n. 3.*

XXV. Præterea is, qui ſponſalia de futuro contraxit cum aliqua, & poſtea ſororem illius carnaliter cognovit, ab utraque abſtinere debet, prout ſtatuitur in *c. Veniens. 9. h. t.* ubi talis caſus proponitur.
,, Quidam F. nomine,
,, tempore infantiæ, quandam puellam ſe ducturum in u-
,, xorem juravit, quam primum illa ad legitimam æta-
,, tem perveniret: quem pater puellæ recipit in domum
,, ſuam, & nutrivit ſimul cum puella, confœderatione,
,, ſeu promiſſione fidejuſſorum hinc inde præſtita: ia poſt-
,, ea ſorori puellæ ſe carnaliter conjunxit, & ab amicis
,, perſuaſus, eam, quam juraverat (ſcilicet ſororem il-
,, lius, quam jam cognoverat) in uxorem accepit (de fa-
,, cto, quia de jure non potuit, *Gl. hic V. eod.*) & poſt-
,, ea opportunitate oblata, cognovit utramque (addens
,, iniquitatem iniquitati, *Gl. hic V. Utramque*). Verum
,, de hoc convinci non potuit (per teſtes) nec ſuum voluit
,, confiteri delictum. Tandem cum in ſe reverſus ſalutis
,, conſilium quæreret, (in foro pœnitentiali) conſultus
,, Pontifex mandat Epiſcopo, ut quia non ſolum a malo,
,, ſed etiam ab omni ſpecie mali, juxta præceptum Apo-
,, ſtoli, eſt abſtinendum, injuncta ei competenti pœniten-
,, tia moneat illum, & inducat, ut de cætero ab utraque
,, abſtineat.

XXVI. Pro intellectu hujus cap. notandum 1. Habens copulam carnalem cum duabus ſororibus, neutram habere, & retinere poteſt, ut patet ex hoc cap. Non primam, cum qua contraxit prius ſponſalia, propter affinitatem ſupervenientem ex copula habita cum illius ſorore, quæ diſſolvit ſponſalia, *c. Prox.* Neque ſecundam, cum qua non contraxit ſponſalia, & quæ non habetur loco uxoris, propter impedimentum publicæ honeſtatis ortum ex ſponſalibus contractis cum prima, *Hoſtienſ. hic, V. Carnaliter.*

Notandum 2. Diſpoſitio hujus cap. ut ad neutram ſororem accedat, procedit in judicio animæ, ſeu foro pœnitentiali: nam iſte vere fuit confeſſus crimen in foro pœnitentiali, unde Papa non mandavit eum puniri, ſed mandavit Epiſcopo, ut ei imponeret pœnitentiam in foro animæ, & moneret eum, ut deinceps abſtineret ab utraque ſorore: at vero in judicio, ſeu foro externo Eccleſiæ, ſi impedimentum ſit occultum, matrimonium in facie Eccleſiæ ſeu publice contractum ſeparari non poteſt, niſi aliter probetur: & præcipiatur ei, ut debitum reddat: quam vis in foro animæ reddere non poſſit, ſed potius excommunicationem ſuſtinere debeat, quam ut reddat contra conſcientiam ſuam, *c. Inquiſitioni. 44. de ſent. excomm. Gl. hic in caſu, & V. Conſulas, & Alex. de Nevo ibid. n. 5. & 9.*

Notandum 3. Quod hic dicitur in *princ.* aliquem tempore infantiæ ſibi deſponſaſſe puellam, id intelligi debet de puerili ætate, quæ incipit poſt ſeptennium completum, in qua fuerunt contracta ſponſalia cum illa puella, *Hoſtienſ. hic V. Infantiæ*, vel proprie de tempore infantiæ, quo ſponſalia hæc fuerunt contracta ante ſeptennium: & tunc dici debet, quod licet ab initio non tenuerint, tamen poſtea tractu temporis, & adveniente majore ætate fuerint ratificata, cum iſte habitarat in domo ſponſæ, *Abb. hic in fine, & Alex. de Nevo ibid. n. 8.*

XXVII. Similiter in *c. Tua. 10. h. t.* decernitur, per affinitatem ſupervenientem non diſſolvi matrimonium prius contractum, impediri tamen petitionem debiti conjugalis,
,, Nam cum quidam contraxiſſet cum aliqua matrimo-
,, nium, & poſt illud contractum, & conſummatum, for-
,, nicatus eſſet cum ſorore legitimæ ſuæ conjugis, quæſi-
,, tum fuit a Papa Innocentio III. utrum illa poſtea ſuæ
,, uxori cohabitare, & exigere debitum poſſit, ac reddere
,, requiſitus? Reſpondet Papa, uxorem monendam eſſe,
,, ut a commixtione viri abſtineat, propter publicam hone-
,, ſtatem, & in continentia vivat, ac maneat, donec vir
,, mortuus fuerit. Si vero commonitioni huic parere re-
,, cuſet, & talis ſit, ut de lapſu ipſius (mulieris, vel et-
,, iam viri) timeatur: poterit ipſe vir, ac debebit
,, ei debitum conjugale petenti reddere (ſed non exi-
,, gere ab eadem, *Gl. hic V. Solvere*) quia affinitas poſt
,, matrimonium inique contracta (per carnalem copulam
,, habitam cum ſorore ſuæ uxoris) non debet illi nocere,
,, quæ iniquitatis particeps non exiſtit. Concordat c. *Diſcre-*
,, *tionem 6.* quod explicatum eſt ſupra *n. 12. & ſeq. h. t.*

XXVIII. Notandum 1. Conjux propter inceſtum com-

miſſum cum conſanguineo, vel conſanguinea alterius conjugis, modo copula fuerit conſummata, ac perfecta, non poteſt exigere debitum, tenetur tamen reddere, ut docet *Sanch. l. 9. de matr. diſ.* 27. *n.* 1. & multi alii apud ipſum. Ratio eſt: quia affinitas ſuperveniens inter virum, & uxorem, poſt matrimonium contractum, etſi illud non diſſolvat; quia quod legitime factum eſt, non irritatur, licet res deveniat ad eum caſum, a quo non potuit incipere, *Gl. in c. Diſcretionem. 6. V. Officere. h. t.* privet tamen jure exigendi debitum alterum conjugem, qui in culpa fuit; attamen non liberatur ab obligatione reddendi debitum: quia innocens non debet privari jure ſuo, ſine culpa: conſultum tamen eſt, ut de cætero uterque abſtineat a conſortio alterius, & contineat, *Abb. hic. n.* 2. *& Alex. de Nevo n.* 2. Ex quo infert *Sanch. cit. diſ.* 27. *n.* 9. quod peccet mortaliter hujuſmodi inceſtuoſus, ſi abſque diſpenſatione exigat debitum a conjuge inſonte, quia violat præceptum in re gravi.

Notandum 2. Quamvis in *c. Diſcretionem 6. & in cap. Tuæ* 10. *h. t.* impedimentum, quod conſurgit ex copula carnali illicita, appelletur publica honeſtas, ut patet ex illis verbis ibi: *abſtineat propter publicam honeſtatem*; ideoque plures DD. aſſerant, ex copula illicita naturali non oriri affinitatem, ſed ſolum ex copula licita, & conjugali: verius tamen eſt, etiam ex copula illicita, & inceſtuoſa oriri affinitatem, ut conſtat ex *Concil. Trident. Seſſ. 24. de reform. matrim. c.* 4. & ex hoc c. ubi hoc impedimentum appellatur publica honeſtas, id eſt, ut explicat *Gl* ibi *V. Eodem*; affinitas, adeoque nomine publicæ honeſtatis hic intelligitur affinitas orta ex illicita copula cum conſanguinea, vel conſanguinea uxoris ſuæ, ut explicatur ſtatim in ipſo textu hujus c. in fine, & docet *Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 64. n.* 16.

Notandum 3. Quamvis ex illicita copula viri habita cum ſorore, vel alia conſanguinea uxoris, non oriatur impedimentum publicæ honeſtatis, ut dictum, ſed affinitatis: nam publica honeſtas proprie oritur ex contractu ſponſalium, vel matrimonii, *c. unic. de ſponſal. in 6.* honeſtum tamen eſt, id eſt, honeſtas poſtulat, ut uxor non conjungatur carnaliter, nec commiſceatur cum viro, qui ſororem ſuam turpiter cognovit: & ſic etiam poteſt explicari, quod hic dicitur de publica honeſtate, ut notat *Abb. hic. n.* 3.

XXIX. Sed jam hic dubitatur, quoto gradu, ſive intra quem gradum conſanguinitatis, debeat perſona carnaliter cognita a conjuge eſſe conjuncta alteri conjugi, ut conjux, qui inceſtum commiſit, prohibeatur debitum exigere a conjuge. In qua re omnes conveniunt, hoc impedimentum, ſpectato Jure antiquo Canonico, extendi uſque ad quartum gradum conſanguinitatis: quia fundamentum hujus impedimenti eſt affinitas inique contracta ex eo inceſtu cum altero conjuge, *c. Diſcretionem. 6. & c. pen. h. t.* ibi: *cum affinitas poſt matrimonium inique contracta illi nocere non debeat*, ac proinde ad eum conſanguinitatis gradum extendi debet, & non ultra, ex quo oritur affinitas per copulam contracta, videlicet uſque ad quartum gradum incluſive, juxta *c. Non debet* 8. *tit. ſeq. Sanch. l. 9. de matrim. diſ.* 27. *num.* 12.

Verum poſt Decretum Concilii Tridentini *Seſſ.* 24. *de reform. matr.* probabilius eſt, copulam habitam cum conſanguineis alterius conjugis non impedire petitionem debiti conjugalis, ultra ſecundum gradum: ſed quoad hoc etiam Jus antiquum correctum eſſe: quia impedimentum hoc, non tam ex inceſtu, quam ex affinitate inde contracta oritur: certum autem eſt, eum, qui inceſtum commiſit cum propriis conſanguineis, non prohiberi petere debitum a propria conjuge, idque non ob aliam rationem, quam quia ex tali inceſtu non oritur affinitas, & conſequenter ceſſet etiam prohibitio petendi debitum, *Sanch. c. l. n.* 14. Ubi addit, ita etiam declaraſſe S. Congreg. Concilii Decretum aliud, quam declarationem ibidem refert.

XXX. Poſtremo ſimilis priori caſus proponitur in *c. Jordana.* 11. *& ult. h. t.* Nam laicus quidam Joannes nomine, cum quadam puella, Jordana nomine, necdum decenni, per verba de futuro contraxit (ſponſalia) eaque intra eundem annum carnaliter cognita, poſtea matrem ipſius ſibi matrimonialiter copulavit, & carnaliter eandem cognovit. Quare Jordana Pontifici Gregorio IX. ſupplicavit: ut cum continere nequeat, ſalubriter ſibi ſuper hoc providere dignetur, ne jure ſuo, ſine propria ſua culpa, fraudetur. Ad hoc reſpondet Pontifex, & mandat Epiſcopo Diœceſis, ut ſi ita ſe res habeat, utrumque ad perpetuam continentiam vovendam moneat, & inducat. Si vero induci nequeant, injuncta Joanni competente pœnitentia propter commiſſum inceſtum, eum per Eccleſiaſticam Cenſuram compellat, ut eidem Jordanæ cohabitet, & conjugale debitum reddat, ſi exactum fuerit.

XXXI. Notandum 1. Sicut per affinitatem ſupervenientem non diſſolvitur matrimonium verum prius contractum, ut ex ſupra allatis Canonibus patet: ita nec diſſolvitur matrimonium præſumptum: nam iſta puella contraxit ſponſalia de futuro cum Joanne, quæ poſtea ab eodem carnaliter fuit cognita, & ſic ſponſalia illa per copulam poſtea habitam cum ſponſa jure antiquo tranſierunt ex præſumptione Juris in verum matrimonium, juxta *c. Is qui* 30. *de ſponſalib. Abb. hic n.* 1. *Alex. de Nevo n.* 1. de quo dictum ſupra *Tit.* 1.

Notandum 2. Ex copula carnali habita cum puella minore, ſeu impubere poteſt præſumi pubertas, & conſequenter etiam matrimonium de præſenti contractum, præſertim ſi malitia ſuppleat ætatem, ut in caſu hujus cap. quia puella, quæ nondum decimum ætatis ſuæ annum compleverat, carnaliter fuerat cognita a ſponſo; ideo præſumitur, ipſam jam maturam eſſe, & habilem ad contrahendum matrimonium, *Abb. hic.* n. 2. *Alex. de Nevo n.* 2.

Notandum 3. In caſu hujus cap. vir privetur jure exigendi debitum ab uxore ſua, propter inceſtum commiſſum cum matre puellæ, quamvis reddere teneatur conjugi petenti. Quinimo honeſtum eſt, ac decens, ut ipſa etiam uxor non exigat debitum, propter affinitatem contractam cum marito; adeoque ambo conjuges ad perpetuam continentiam ſervandam induci debent: & ſi recuſent, tunc viro imponenda eſt pœnitentia, propter inceſtum commiſſum, & quidem major, quam propter adulterium, quia inceſtus eſt gravius delictum, *Gl. hic V. Pænitentia, &* compelli debet, ut uxori cohabitet, & debitum reddat, ut habetur in fine hujus cap. ſed exigere ipſe non poteſt, *Gl. fin. hic, Alex. de Nevo hic n.* 4. At vero uxor, cum non fuerit particeps illius iniquitatis, monenda eſt ad talem continentiam, & inducenda, ſed non cogenda, quia non debet privari jure ſuo, ſine culpa ſua; ut dicitur in *c. pen. h. t.*

TITULUS XIV.

DE CONSANGUINITATE, ET AFFINITATE.

Actum eſt in ſuperioribus Titulis de cognatione ſpirituali, & legali, ac de affinitate contracta ex copula illicita: ſequitur nunc, ut agatur de cognatione naturali, ſeu carnali; ideoque ſubjungitur hic Titulus de conſanguinitate, & affinitate licita, qui extat etiam in Clementinis.

SECTIO I.

DE CONSANGUINITATE.

§ I.

Quid ſit conſanguinitas, & quid linea, & gradus conſanguinitatis, & quomodo ſint computandi?

I.

Aſſertio 1. Conſanguinitas communiter definitur a Theologis, & Juriſperitis: *Vinculum perſonarum, quæ ab eodem ſtipite, ſeu progenitore, atque propinqua, per carnalem propagationem deſcendunt*: unde & propinquitas ſanguinis appellatur. Dicitur autem conſanguinitas quaſi ſanguinis unitas, quia de communi ſanguine deſcendunt, prout habetur *cauſ.* 35. *q.* 5. in declarat. Arboris conſanguinitatis, quæ fundatur in naturali ejuſdem ſanguinis communicatione, ita ut qui eo inter ſe conjunguntur, conſanguinei dicantur, *Sanch. l. 7. de matrim. diſ.* 50. *n.* 1. Requiritur autem ad conſanguinitatem, ut ab eodem ſtipite propinquo deſcendant: nam qui ab eodem communi ſtipite, ſeu progenitore remoto deſcendunt, conſanguinei vocari non ſolent: quamvis enim virtus generativa primi parentis Adami in omnibus deſcendentibus, ſecundum ſimilitudinem ſpecificam, ſeu humanam perſeveret; non tamen ſecundum ſimilitudinem individualem, juxta quam parentes generant prolem ſibi ſimilem, quæ eorum imaginem, & complexionem, ac morum effigiem refert: quæ virtus, quo magis a communi ſtipite, ſeu generante per ſuccedentes generationes progreditur, eo magis ſimilitudo, ſeu proportio ſanguinis minuitur, ac deficit: alioquin omnes homines inter ſe conſanguinei forent, quippe ab eodem parente Adamo deſcendentes, *Sanch. c. l. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 4. num.* 2. Durat igitur cognatio inter eos omnes, qui ſecundum commune hominum judicium, eundem conſanguinem participant: quæ participatio ob diverſam commixtionem, & diſtantiam a primo ſtipite deficit, *Coning. diſ. 30. de Sacram. dub. 1. n.* 2. Additur in definitione, *per carnalem propagationem*: alioquin Adam, & Eva fuiſſent conſanguinei, quia Eva ex coſta Adami formata fuit, *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 6. §. 6. n.* 3. At inter Chriſtum, & B. Virginem ejus Matrem vere fuit conſanguinitas, quia ex ſanguine Mariæ conceptum fuit, & formatum Corpus Chriſti, quæ ſubminiſtravit conceptioni Chriſti totum illud, quod veræ matres naturales ſubminiſtrant, *Sanch. cit. diſ.* 50. n. 1.

Objicitur contra hanc definitionem, filios Adami vere fuiſſe ipſius conſanguineos, licet ab uno communi ſtipite per carnalem generationem non deſcenderint. *Reſp.* propter hanc rationem quidem addiderunt huic definitioni hæc verba: *vel quarum* (perſonarum) *una ab altera deſcendit*: ut comprehendantur etiam filii Adami: quamvis dici poſſit, hic definiri a Doctoribus conſanguinitatem, prout hodie in uſu eſt, *Laym. c. l.*

II. Ubi præterea notandum, quod conſanguinitas dupliciter in Jure accipitur. 1. Stricte, & civiliter, prout comprehendit tantum fratres ex eodem patre genitos, vel eos tantum, qui per maſculinam lineam, ſeu per virilis ſexus cognationem ſunt conjuncti, & Agnati vocantur, ſive mares ſint, ſive fœminæ, videlicet Titius, & filii, ac filiæ ejus, & germani fratres, fratrumque filii, ac filiæ agnati dicuntur. 2. Accipitur conſanguinitas late, ac naturaliter, non tantum pro iis, qui ex parte patris, ſive per maſculinam lineam ſunt conjuncti, ſed etiam pro iis, qui ex parte ma-

tris, ſive per maternam lineam conjunguntur, & cognati dicuntur: ita ut tam agnati, quam cognati, & omnes deſcendentes, ſive a maribus, ſive a fœminis comprehendantur, quæ eſt naturalis, ac propria ſignificatio hujus loci, & in Jure Canonico uſurpata, de quibus videri poteſt *l. 10. ff. De gradibus, Covarr. c. l. n. 2. Barboſ. in Collect. h. t. in princ. num 7.*

III. Aſſertio 2. *Linea conſanguinitatis eſt ordinata ſeries, ſeu connexio perſonarum ſanguine junctarum, quæ ab eadem ſtipite deſcendunt, gradus continent, & cognationes diſtinguens.* Dicimus autem ſtipes illa perſona, a qua omnes perſonæ, de quarum conjunctione quæritur, deſcendunt, & originem ducunt. Eſt autem triplex Linea, una aſcendens, ſive ſuperior, in qua continentur omnes illæ perſonæ, a quibus aliæ originem ducunt, ut pater, avus, proavus, & aliæ perſonæ aſcendentes in infinitum. Altera eſt linea deſcendens, quæ etiam inferior appellatur, in qua continentur illæ perſonæ, quæ ab aſcendentibus originem derivant, ut ſunt filii, nepotes, pronepotes, & omnes cæteri deſcendentes in infinitum, & hæ duæ lineæ vocantur lineæ rectæ. Tertia eſt linea ex tranſverſo, ſive collateralis, quæ complectitur illas perſonas, quæ a latere ſunt conjunctæ, quarum ſcilicet neutra, vel nulla ab altera, ſed utraque, aut omnes ab uno alio principio originem ducunt, ſive ab uno ſtipite progenitæ ſunt, ut fratres, & ſorores, eorumque filii, patruus, & amitæ, patrueles, & conſobrini, & reliqui tranſverſales, *Laym. cit. c. 4. n. 3.* Et hæc linea tranſverſalis rurſus dividitur in æqualem, & inæqualem. Linea æqualis dicitur, quando illi, de quorum conſanguinitate quæritur, æquali, ſeu pari gradu diſtant a communi ſtipite: veluti duo fratres; uterque enim pariter diſtat a communi ſtipite, ſcilicet a patre, uno gradu. Linea inæqualis dicitur, quando perſonæ, de quarum conſanguinitate quæritur, non pariter diſtant a communi ſtipite, ſed una perſona aliam gradu præcedit: ſic frater, & filius fratris diſtant a communi ſtipite, ſcilicet patre inæqualiter, frater quidem uno gradu, filius vero fratris eſt patri conjunctus in ſecundo gradu, adeoque ſunt in linea inæquali, *Schneidew. Inſtit. de nupt. de arbore conſanguinitatis, §. Quotuplex eſt linea?*

Gradus conſanguinitatis definitur, *diſtantia unius perſonæ ab altera in eadem linea conſanguinitatis, qua cognoſcitur, quæ perſona ſit ſtipiti proprior.* Et dicti ſunt gradus ad ſimilitudinem ſcalarum, quas ita ingredimur, ut a gradu ad gradum proximum tranſeamus, *Laym. c. l. n. 3. Schneidew. c. l. §. Quid eſt gradus?*

IV. Aſſertio 3. Ad computandos, & dignoſcendos conſanguinitatis gradus tres communiter aſſignari ſolent regulæ. Prima eſt, pro linea recta aſcendentium, & deſcendentium, quæ tam Jure Canonico, quam Civili eſt recepta: *Tot ſunt gradus in linea recta deſcendentes, vel aſcendentes, quot ſunt perſonæ, una dempta;* nempe communi ſtipite, a quo prima origo ducitur. Unde pater, & filius in primo gradu juncti ſunt, avus, & nepos in ſecundo gradu, proavus, & pronepos in tertio, abavus, & abnepos in quarto gradu, & ſic deinceps. Ratio hujus regulæ eſt, quia pater, ſecundum ſe, non conſtituit gradum, ſed in ordine ad filium, qui ab ipſo deſcendit: ergo pater cum filio conſtituit primum gradum; & præterea ipſe filius cum filio a ſe genito conſtituit alium gradum. Quare inter has tres perſonas, videlicet avum, patrem, & nepotem dantur duo tantum gradus, & conſequenter in hac linea computandi ſunt tot gradus, quot ſunt perſonæ, quæ a ſe invicem procedunt, una dempta, *Sanch. cit. diſ. 50. num. 4.*

V. Secunda regula pro linea tranſverſa æquali, in qua perſonæ junctæ æqualiter diſtant a communi ſtipite, eſt, *quot gradibus perſonæ ſingulæ diſtant a communi ſtipite, totidem diſtant inter ſe.* Quare quia duo fratres, vel ſorores uno ſolum gradu, in linea recta diſtant a communi ſtipite, ideo etiam ipſi inter ſe uno tantum gradu diſtant in linea tranſverſa, patrueles vero, & conſobrini, hoc eſt, duorum fratrum, vel ſororum filii, vel filiæ, quia in recta linea a communi ſtipite, hoc eſt, avo, & avia, duobus gradibus diſtant; ideo ſunt in ſecundo gradu lineæ tranſverſæ. Similiter filii, & filiæ patruelium, & conſobrinorum ſunt in tertio gradu juncti in linea tranſverſa, quia in linea recta tribus gradibus diſtant a communi ipſorum ſtipite, nempe proavo, & proavia. Nepotes vero eorum ſunt in quarto gradu inter ſe juncti, quia in linea recta quatuor gradibus diſtant a communi ſuo ſtipite, nempe abavo, & abavia, & ſic deinceps in reliquis deſcendentibus. Ratio autem eſt, quia cum tota, & adæquata ratio conjunctionis horum ſit unio cum ſtipite communi, juxta merito computantur gradus juxta diſtantiam ab illo, nec poſſunt magis, vel minus diſtare inter ſe, quam a ſtipite, *Sanch. cit. diſ. 50. n. 5* quæ regula traditur in *c. Ad Sedem. 2.* qui eſt Papæ Alexandri II. & *c. Parentelæ*, qui eſt Papæ Zachariæ, *cauſ. 35. qu. 5.*

VI. Tertia regula pro linea tranſverſa inæquali, inter perſonas, quæ inæqualiter diſtant a communi ſtipite, hæc Jure Canonico eſt recepta: *quot gradibus perſona, quæ remotior eſt, diſtat a communi ſtipite, totidem gradibus quoque, ſive eodem gradu diſtant inter ſe:* idque ſumitur ex *c. ult. h. t.* Unde patruus, vel amita, id eſt frater, vel ſoror patris ſunt in ſecundo gradu conſanguinitatis cum liberis fratris ſui: & avunculus, vel matertera, hoc eſt, frater, vel ſoror matris in ſecundo gradu cum liberis ſororis ſuæ: nam quia nepotes hi ex fratre, vel ſorore diſtant in linea recta duobus gradibus a communi ſtipite, nempe ab avo ſuo, cujus filius fuit eorum patruus, vel filia eorum amita, vel abavia, cujus filius fuit avunculus, vel filia matertera; ideo ipſi non minus, quam duobus gradibus diſtant a patruo, vel amita, avunculo, vel matertera.

VII. Cæterum hæc procedunt ſecundum Jus Canonicum: at vero ſecundum Jus Civile, in linea collaterali æquali, & inæquali, tot cenſentur eſſe gradus, quot ſunt perſonæ, ſtipite dempto, ſive quot ſunt perſonæ collaterales, qua ratione duo fratres ſunt in ſecundo gradu, quia ſunt duæ perſonæ collaterales; nam pater, qui eſt in linea recta, & communis ſtipes utriuſque, non computatur: patruus, & filius fratris ſunt in tertio gradu, quia ſunt tres perſonæ collaterales, nimirum duo fratres, & filius fratris: filii vero fratrum ſunt in quarto gradu, quia ſunt quatuor perſonæ collaterales, ſcilicet duo fratres, & duo patrueles, prout habetur in *c. Ad Sedem. 2. cauſ. 35. q. 5.* Eſt autem computatio graduum Juris Canonici ſervanda, quoad matrimonium, de quibus Jus Civile nihil diſponere poteſt: quoad hæreditarias vero ſucceſſiones ſervari debet computatio Juris Civilis, tam in foro ſæculari, quam Eccleſiaſtico, cujus eſt de hæreditatibus diſponere, & de hac computatione graduum dictum eſt ſupra *libr. 3. Tit. 27. ſec. 1. §. 1.* Sed in aliis contractibus, aliiſque actibus ſimilibus, quælibet computatio ſervanda eſt in ſuo foro. Civilis in foro ſæculari, Canonica in foro Eccleſiaſtico, *Sanch. cit. diſ. 50. num. 8.*

§. II.

Quinam gradus conſanguinitatis, & quo Jure matrimonium dirimant?

VIII. Aſſertio 1. Matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, ſcilicet inter patrem, & filiam, matrem, & filium Jure naturæ irritum eſt, per conſequens etiam indiſpenſabile ab Eccleſia. Eſt communis omnium DD. ſententia apud *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 51. n. 7.* Ratio eſt, quia carnaliter commiſceri parentes cum liberis, ſecundum ſe, & ex rei natura fœdum eſt, ac illicitum: ergo matrimonium, per quod jus, & poteſtas traditur talis copulæ carnalis, Jure naturæ non ſolum illicitum, ſed etiam nullum eſt, ac invalidum; adeoque DEUM ejus contrahendi poteſtatem conceſſibile cenſeri non poteſt. Antecedens patet, tum ex naturali inſtinctu non ſolum omnium gentium, quæ bene inſtitutæ ſunt; ſed etiam quorumdam animalium, quæ tali concubitu abhorrent. Tum quod nimia familiaritas, partes, & turpitudo, quæ reperitur in actu conjugali, naturaliter repugnat reverentiæ, & ſubmiſſioni a filiis parentibus debitæ. Conſeq. prob. quia nemo poteſt, nec valide quidem ſe obligare, & tradere diviſionem corporis ſui ad id, quod ex natura rei eſt turpe, ac illicitum, & peccato obnoxium. Eſt tamen Probabile, hoc non eſſe ita intrinſece malum, & naturæ repugnare, quin ſaltem in unico caſu publicæ neceſſitatis conſervandi genus humanum, deficientibus omnibus aliis hominibus, ſi ſupereſſet ſolus pater, & filia; vel filius, & mater, cohoneſtari poſſet tale matrimonium; adeoque & DEUS in eo diſpenſare poſſet, reddendo in ordine ad actum conjugalem tantum filiam patri æqualem, ob bonum publicum, & commune, cui merito jus reverentiæ patri debitum, quippe privatum, cederet, *Sanch. cit. diſ. 51. n. 10. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 6. n. 1.* Nec obſtat, quod obligatus ſimplici voto caſtitatis illicite contrahit matrimonium, ſed valide. Nam tale matrimonium ideo eſt validum, quia copula carnalis inter tales perſonas non eſt ſecundum ſe turpis, & illicita, ſed ſolum per accidens ratione voti: copula autem inter conſanguineos primi gradus eſt ſecundum ſe ſemper turpis, & illicita, præter caſum ſupra allatum, *Laym. c. l.* contra *Coning. diſ. 32. de Sacram. dub. 3. n. 5.*

IX. Aſſertio 2. Probabilius eſt, matrimonium, etiam in ſecundo, imo etiam quovis ulteriori gradu in linea recta, eſſe ipſo jure naturali irritum, ac proinde matrimonium inter aſcendentes, & deſcendentes, in linea recta, non tantum uſque ad quartum gradum, ſed in infinitum eſſe invalidum, videlicet avi cum nepte ſua, proavi cum pronepte, item aviæ cum nepote, proaviæ cum pronepote, & ſic deinceps, *Coning. cit. diſ. 32. n. 16. Laym. cit. c. 6. n. 2.* & alii apud *Sanch. cit. diſ. 51. n. 11.* Ex quo inferunt, ſi hodie Adam reſurgeret, non poſſet ullam in uxorem ducere, quippe cum ſit communis totius generis humani parens: licet contrarium teneant *Sanch. & Tanner.* Sed probatur, quia ita expreſſe deciditur in *l. Nuptiæ 53. ff. de ritu nupt.* ubi dicitur: nuptiæ conſiſtere non poſſunt inter eas perſonas, quæ in numero parentum, liberorumve ſunt, ſive proximi, ſive ulteriores ſint. *Et l. ult. ff. eo tit.* Jure gentium inceſtum committit, qui ex gradu aſcendentium, vel deſcendentium uxorem duxerit, & *§. Ergo non omnes Inſtit. eod.* quæ leges cum per Jus Canonicum non ſint correctæ (nam *cap. non debet 8. h. t.* non loquitur de gradibus lineæ rectæ, ſed tranſverſæ ſolum) merito ſervandæ ſunt etiam in foro Eccleſiaſtico. Ratio eſt, quia omnes aſcendentes ſunt, & dicuntur vere parentes, & majores, a quibus deſcendentes, non tantum per accidens, ſed per ſe dependent, tanquam a principiis generationis ſuæ, cum cauſa cauſæ ſit etiam cauſa cauſati: & non minus, naturaliter loquendo, impoſſibile eſt, aliquem eſſe ſine generatione avi, quam ſine generatione patris, conſequenter nepotes avis ſuis, aliiſque Majoribus aſcendentibus naturali jure, debent non minorem reverentiam, & ſubmiſſionem, quam parentibus ſuis: hinc

autem

Digitized by Google

autem adverſatur turpitudo reperta in copula conjugali, ut ſupra dictum. Hinc etiam apud omnes gentes bene moratas, & inſtitutas talia matrimonia fuerunt abominanda. Nec refert, quod participatio ſanguinis communicata a virtute generante communis ſtipitis, ſit minor in remotioribus deſcendentibus, ac tandem omnino extinguatur, & deſinant eſſe conſanguinei. Nam hic non tantum ſpectatur major, vel minor participatio ſanguinis (ſicut fit in linea tranſverſa) quam ratio principii, cui per ſe reverentia debetur: omnes autem aſcendentes naturaliter, & per ſe ſunt principium neceſſarium deſcendentium, *Coninch. c. l. n.* 18.

X. Aſſertio 3. Probabilius eſt, etiam in primo gradu conſanguinitatis lineæ tranſverſæ, videlicet inter fratres, & ſorores matrimonium jure naturæ eſſe irritum, quamvis etiam oppoſita ſententia ſit probabilis. Prior ſententia eſt communior, quam tenet *Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 52. n.* 21. & alii apud ipſum. Probatur 1. quia in *c. Gaudemus*. 8. *de divort.* videtur innui, infideles ad fidem converſos ſeparandos eſſe, ſi conjuncti in primo gradu conſanguinitatis etiam lineæ tranſverſæ, tempore infidelitatis, matrimonium inierunt, quia ibi dicitur, non eſſe ſeparandos, quando ſunt conjuncti in ſecundo, vel aliis ulterioribus gradibus conſanguinitatis: ergo e contrario ſenſu, quando ſunt conjuncti in primo gradu, ſunt ſeparandi, quia is gradus jure naturali matrimonium irritat: quamvis hoc argumentum, quippe deſumptum ab auctoritate negativa, non convincat. Probatur 2. quia pleræque etiam gentes tale matrimonium ſunt deteſtatæ, teſte Ariſtotele *l. 2. Politic. c.* 2. & quæ illud permittebant, graviter fuerint reprehenſæ, & notatæ tanquam barbaræ, ut refert S. Auguſtinus *l. 22. contra Fauſt. c.* 35. Ratio eſt, quia inter fratres, & ſorores eſt naturalis quidam pudor, ac reverentia, cui valde repugnat actus conjugalis, per quem turpitudo alterius revelatur. Unde *Gen. c.* 20. ex eo, quod Sara dicta eſt ſoror Abrahami, Pharao putavit non eſſe uxorem ipſius: quia tunc nulla adhuc exiſtebat lex poſitiva, quæ prohiberet tale matrimonium, ſequitur ipſo lumine naturali tunc notum fuiſſe, inter fratrem, & ſororem non poſſe matrimonium conſiſtere: ideoque etiam Abraham ad amoliendam a ſe ſuſpicionem conjugii apud Ægyptios, putavit ſatis eſſe, ſi diceret, Saram eſſe ſororem ſuam, *Exod. c.* 12. Confirmatur: quia cum fratres, & ſorores ab incunabulis ſimul habitent, valde inflammarentur ad concubitum, niſi perſuaſum haberent, conjugia ſibi prohibita eſſe ab Auctore naturæ. Excipitur tamen caſus neceſſitatis, qualis fuit inter filios, & filias Adæ in exordio mundi ad propagandum genus humanum. Et quamvis ſibi invicem fratres, & ſorores non debeant tantam reverentiam, quantam patri, & matri, inde tamen non ſequitur, poſſe inter illos matrimonium ſubſiſtere: ſed ſolum non ita ſtricte inter illos jure naturæ prohibitum eſſe matrimonium, ſicut inter parentes, & liberos. Denique Eccleſia nunquam in hoc gradu diſpenſavit, etſi aliquando fuerit petitum a Pontifice, *Sanch. c. l.*

XI. Oppoſita tamen ſententia eſt etiam probabilis, nempe quamvis matrimonium ejuſmodi inter fratres, & ſorores initum ex ſe ſit illicitum, & indecens, ac proinde jure naturæ prohibitum: non tamen ita, ut etiam eodem jure ſit irritum, in quam magis inclinat *Coning. cit. diſ. 3e. n.* 19. Ratio eſt: tum quia fratres, & ſorores non habent immediatam inter ſe conjunctionem ſanguinis, & reverentiam, ſed tantum ratione parentum, quæ non ita videtur repugnare matrimonio, ut illud irritet: tum quia videtur credibile, DEUM talia matrimonia tanquam valida permiſiſſe: præſertim cum facile fieri potuerit, ut cum in exordio mundi, ob neceſſitatem humani generis propagandi, fratres, & ſorores inter ſe matrimonium contraherent, etiam poſtea eodem propagato, talis conſuetudo apud gentes quaſdam permaneret. Addit tamen *Coning. cit. l.* apud omnes fere gentes hoc matrimonium ſemper jure poſitivo fuiſſe irritum.

XII. Aſſertio 4. In ſecundo gradu conſanguinitatis lineæ tranſverſæ, & multo magis in reliquis ulterioribus gradibus matrimonium non eſt jure naturali irritum, *Sanch. cit. diſ.* 52. *n.* 21. & alii ex communiore ſententia. Probatur, quia in *cit. c. Gaudemus* 8. *de divort.* deciditur, infideles ad fidem converſos, ſi in ſecundo, vel ulterioribus gradibus lineæ obliquæ matrimonium contraxerint, ſeparandos non eſſe, cum Conſtitutionibus Canonicis non arctentur: at ſeparandi eſſent, ſi matrimonium in his gradibus eſſet contra Jus naturæ, cui infideles ſubjiciuntur. Conſtat etiam, ſanctos viros in Veteri Teſtamento in his gradibus matrimonium iniiſſe; ſic enim Abraham duxit in uxorem Saram filiam fratris ſui Aram, *Gen. c.* 11. & Iſaac Rebeccam conſobrinam ſuam. Denique videmus, S. Pontificem paſſim diſpenſare in gradibus lineæ obliquæ æqualis, & inæqualis, quia inter conſanguineos in ulterioribus gradibus non eſt tanta familiaritas, & reverentia.

XIII. Aſſertio 5. Etſi olim Jure Eccleſiaſtico matrimonium inter conſanguineos in linea tranſverſa irritum fuit uſque ad ſeptimum conſanguinitatis gradum incluſive, ut conſtat ex *c. Ad Sedem* 2. *cauſ.* 35. *q.* 5. *c. Nullum* 7. *c. De conſanguinitate*. 17. *c. Nulli* 19. *cauſ.* 35. *q.* 3. Poſtmodum autem in Concilio Generali Lateranenſi ſub Innocentio III. reſtricta fuit prohibitio graduum conſanguinitatis, & affinitatis uſque ad quartum gradum incluſive, ut conſtat ex *c. Non debet* 8. *h. t.* Ubi idem Pontifex imprimis ait: „Cum non debeat reprehenſibile judicari, ſecundum varietatem temporum, ſtatuta humana quandoque variari, ſi urgens neceſſitas, vel evidens utilitas id expoſcat, quia ipſe DEUS, quæ in Veteri Teſtamento ſtatuerat, poſtea nonnulla mutavit in Novo: ideo idem Papa prohibitiones de conjugio in ſecundo, & tertio genere affinitatis minime contrahendo, & ne ſoboles ex ſecundis nuptiis ſuſcepta copuletur cum conſanguineis prioris viri, & Conſtitutiones ſuper his editas, ſacro approbante Concilio, revocat, quia difficultatem frequenter inducebant, & pericula animarum parabant: & decernit, ut ſic contrahentes de cætero libere copulentur, cum ceſſante prohibitione, ceſſet effectus. Deinde ſtatuit, ne prohibitio copulæ conjugalis ultra quartum conſanguinitatis, aut affinitatis gradum deinceps excedat, quia in ulterioribus gradibus, jam non poteſt hujuſmodi prohibitio, abſque gravi diſpendio, generaliter obſervari: quaternarius enim numerus bene convenit prohibitioni corporalis conjugii, cum vir non habeat poteſtatem ſui corporis, ſed mulier, & e converſo: quia quatuor humores ſunt in corpore humano, quod conſtat ex quatuor elementis *cit. c. Non debet* §. *Prohibitio*. Denique in fine præcipitur, ut hæc prohibitio graduum uſque ad quartum gradum ſit perpetua, ita ut ſi quis contra illam præſumpſerit copulari, nulla unquam annorum longinquitate defendatur; cum diuturnitas temporis peccatum non minuat, ſed augeat, non obſtantibus quoque quibuſvis Conſtitutionibus contrariis.

XIV. Pro declaratione hujus celebris cap. notandum 1. Leges humanæ, ob cauſam publicæ neceſſitatis, vel utilitatis, recte mutari poſſunt, quia fieri poteſt, ut lex, quæ nunc eſt juſta, mutato rerum ſtatu, fiat iniqua, quippe quæ præſenti Republ. ſtatui minime conveniat, imo pernicioſa, & gravis ſit; lex enim tempori conveniens eſſe debet, *c. Erit autem* 2. *diſ.* 4. *Covarr. in c. Alma p.* 2. *in princ. n.* 2. *Sayrus in Clavi Regia l.* 3. *c.* 10. *n. ult.*

Notandum 2. Olim erant tria genera affinitatis, primum, ſecundum, & tertium, quorum duo poſteriora jam ſunt ſublata per hoc cap. de quibus infra. Similiter ſublata eſt in hoc cap. prohibitio, ut nullus ex conſanguineis viri præmortui poſſet matrimonium contrahere cum prole ex ſecundo viro per mulierem ſuſcepta: & e converſo, nullus ex conſanguineis uxoris præmortuæ poſſet matrimonium inire cum prole ſuſcepta ex ſecundis nuptiis. Ratio eſt: quia hujuſmodi prohibitiones erant inductæ magis propter publicæ honeſtatis juſtitiam, quam propter affinitatem; quia vera affinitas in his defecit, *Gl. hic V. Secundis nuptiis*.

XV. Notandum 3. Prohibitio matrimonii inter conſanguineos, quæ olim extendebatur ad ſeptimum gradum in lineæ tranſverſalis æquali, vel inæquali, poſtea reſtricta fuit ad quartum uſque gradum conſanguinitatis, & affinitatis incluſive, *cit. c. Non debet* §. *Prohibitio quoque*. Ratio autem, cur Eccleſia matrimonium inter conſanguineos, & affines, ad certum uſque gradum prohibuerit, ſumitur, tum ex reverentia, quam cognati ſibi invicem debent ob ſanguinis communionem, & originem tractam ab eodem ſtipite, ſeu progenitore, cui reverentiæ valde detrahit actio conjugalis, quia turpitudinem quandam continet ipſi contrariam; quam rationem tradit *S. Thom.* 2. 2. *q.* 154. *art.* 9. *in Corp.* Tum quia hujuſmodi prohibitio facta ad dilatandam amicitiam in genere humano, dum ineuntur matrimonia cum extraneis: indeque Communitas Reipubl. & ſocietas hominum magis coaleſcit. Tum denique, quia cum inter conſanguineos, & affines magna intercedat familiaritas, frequenter inter eos periclitaretur pudicitia, ſi licitum eſſet iis matrimonium inter ſe contrahere, *Coning. diſ.* 3e. *de Sacram. n.* 3. *Sanch. l.* 7. *de matrim. diſ.* 53. *n.* 3.

XVI. Merito autem Eccleſia prohibitionem illam matrimonii inter conſanguineos, & affines reſtrinxit ad quartum gradum, ſecundum computationem Canonicam, quia, ut dicitur in *cit. c. Non debet*, in ulterioribus gradibus jam non poterat, abſque gravi diſpendio, hujuſmodi prohibitio generaliter obſervari, cum ſæpe difficulter poſſit ſciri, quinam quinto, ſexto, aut ſeptimo gradu juncti ſint, eo quod tam remotam cognationem homines non ſoleant ita computare, imo etiam vix æſtimare; ideoque facile incognita maneat. Accedit, quod etiam ipſa realis participatio, ſeu communicatio ejuſdem ſanguinis ex primo communi ſtipite traducta, vix ultra quartam generationem perdurat, ob perpetuam humani corporis reſolutionem, & commixtionem cum alio ſanguine, *Tanner. tom.* 4. *diſ.* 8. *de matrim. q.* 4. *dub.* 4. *n.* 52. Neque vero ratio poſita in *cit. c. Non debet*, ob quam reſtrictio iſta ad quartum gradum facta eſt, quia ſcilicet *corpus humanum ex quatuor humoribus, & Elementis conſtat*, eſt puerilis, & ridicula, ut nugantur hæretici. Nam præterquam quod illa ratio non ſit præcipua, nec principalis illius reſtrictionis graduum, ſed ſolum quædam ratio congruentiæ: non tamen eſt inepta, aut ridicula, ſed plane phyſica: quia cum corpus humanum ex quatuor elementis, atque etiam ex quatuor humoribus, calore, & ſiccitate, frigore, & humiditate conſtet, colligitur probabiliter, ob continuum eorum inter ſe conflictum, vim ejuſdem ſanguinis a primo ſtipite tracti, ultra quartum gradum deficere, ut bene explicat *Sanch. cit. diſ.* 53. *num.* 6.

XVII. Ex dictis infertur, ſi duo conſanguinei inæqualiter diſtent a communi ſtipite, ita ut unus diſtet ultra quartum gradum, alter vero intra illum; tunc poſſunt inter

ſe ma-

Digitized by Google

ſe matrimonium contrahere, prout expreſſe habetur in c. *Vir*, *qu.* 9. & *ult. h. t.* Ubi Gregorius IX. ita reſcribit: „ Vir, qui a ſtipite diſtat quarto gradu (ſcilicet ex uno latere) & mulier, quæ ex alio latere diſtat a ſtipite quinto gradu, ſecundum regulam approbatam, qua dicitur: *quanto gradu remotior diſtat a ſtipite, & a quolibet per aliam lineam deſcendentium ab eodem, licite poſſunt matrimonialiter copulari.* Ratio eſt: quia hic attenditur gradus conſanguinitatis penes diſtantiam remotioris a ſtipite, ſive computatio fit a remotiore: cum ergo remotior a ſtipite diſtet ultra quartum gradum, ſive in quinto gradu ſequitur nullam eſſe prohibitionem matrimonii inter illos, juxta *c. Non debet* 8. *h. t. Sanch. cit. diſ.* 53. *n.* 4.

Id vero procedit, etiamſi alter conſanguineus diſtet in primo, vel ulteriore gradu a communi ſtipite, quia nihilominus cum diſtante in quinto, vel ulteriore gradu valide contrahet matrimonium, licet aliqui contrarium dicant; vera tamen eſt hæc opinio, quam tenet *Sanch. cit. diſ.* 53. *n.* 5. & alii apud ipſum. Et eſt communiſſima ſententia. V. g. abnepos, ſive quartus nepos diſtat ab atavo, ſive quarto avo in quinto conſanguinitatis gradu; is tamen poterit matrimonium inire cum filia atavi, ſive quarti avi, quæ ipſi conjuncta eſt in primo gradu, quia ultra quartum conſanguinitatis gradum, nimirum in quinto ſunt conjuncti. Porro perſonæ exiſtentes in gradu æquali lineæ collateralis dicuntur exiſtere in eodem gradu, non autem diſtare. *Alex. de Nevo hic in fine.*

XVIII. Aſſertio 6. Falſum eſt, & erroneum, omnes gradus conſanguinitatis, aut affinitatis expreſſos *c.* 18. *Levit.* eſſe prohibitos lege naturali, & Divina, ita ut in nullo eorum Pontifex diſpenſare poſſit, ut definivit *Concil. Trident. Seſſ.* 24. *can.* 3. *de matrim.* contra Novatores hujus temporis, & ratio eſt: quia leges Moſaicæ cæremoniales, & judiciales per Chriſtum ſunt abrogatæ, & Chriſtianos per ſe non obligant, *Tanner. tom.* 4. *diſ.* 8. *q.* 4. *dub.* 4. *num.* 48. & 49.

XIX. Prædictis addendum, quod circa computationem graduum conſanguinitatis ſtatuitur in *cap. Tua nos* 7. *h. t.* „ Nam cum quæſitum fuiſſet ex Papa Innocentio III. utrum ad dirimendum matrimonium, propter conſanguinitatem, ſufficiat illorum teſtimonium, qui gradus conſanguinitatis incipiunt computare ab avunculo, & nepote, videlicet fratris filio, vel ſororis? Reſpondet Pontifex, cum matrimonium ſit valde favorabile, teſtes ad celebrandum divortium producti, debent incipere computationem graduum conſanguinitatis a ſtipite, id eſt, a parentibus, vel germanis fratribus: & ſic per ordinem diſtinguere gradus, nominibus propriis, vel æquipollentibus indiciis, deſignando perſonas ex utroque latere: quia cum ſæpe perhibeant teſtimonium de auditu, illudque ſit minus validum, non eſt in hoc articulo nimium laxanda facultas: quia qua ratione incipiunt computare a ſecundo (vel ſecunda, ſcilicet perſona, ut legitur in antiquis Codicibus, *Gl. marg. hic*) eadem ratione inchoarent ab ulterioribus.

XX. Notandum 1. Licet alias nepos proprie dicatur filius genitus ex filio, vel filia, *l. Illus* 10. §. *Nepos quoque ff. de gradibus*, appellatione tamen nepotis venit etiam fratris, vel ſororis filius, juxta communem uſum loquendi, ut patet ex hoc *c. Abb. hic n.* 2. ubi addit, etiam in Statutis nomine nepotis venire fratris filium.

Notandum 2. Non valet teſtimonium ſuper conſanguinitate probanda ad dirimendum matrimonium, niſi teſtes incipiant gradus computare a communi parente, vel germanis fratribus, a quibus deſcenderunt illi, de quorum conſanguinitate quæritur, *Abb. hic n.* 3.

Notandum 3. Paria ſunt, ſive aliquid exprimatur proprio nomine, ſive per circumſtantias, aut ſigna æquipollentia, ut patet etiam ex hoc cap.

Notandum 4. Teſtimonium de auditu, ſcilicet alieno, eſt minus validum, & regulariter non valet; & ſic ſpeciale eſt, quod admittant tale teſtimonium in probatione conſanguinitatis, *Abb. hic in fine*, & *Alex. de Nevo n.* 7. modo alia adminicula, & conjecturæ concurrant, de quibus in *c. Licet* 47. *de teſtib.* & dictum *lib.* 2. *Decret. Tit.* 20. *num.* 136. & *ſeqq.*

SECTIO II.

DE AFFINITATE, QUÆ EST ALTERA PARS RUBRICÆ HUJUS TITULI.

§. I.

Quid ſit affinitas, & qua ratione contrahatur, & inter quas perſonas?

XXI. Aſſertio 1. Affinitas *eſt propinquitas perſonarum ex carnali copula proveniens*, prout communiter definitur a Theologis, & utriuſque Juris peritis apud *Sanch. lib.* 7. *de matr. diſ.* 64. *n.* 1. Cum enim duo, vir & mulier ſe invicem carnaliter cognoſcunt, fiunt veluti una caro, & conſanguinei unius trahuntur ad fines alterius, ſeu fiunt ei affines. Oritur autem affinitas non ſolum ex copula carnali, ſeu concubitu legitimo, & conjugali, juxta illud Matth. 5. *Erunt duo in carne una*: ſed etiam ex fornicario, vel alio illicito concubitu, juxta illud 1. ad Corinth. 6. *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur*: de qua affinitate actum toto Tit. præcedente.

XXII. Aſſertio 2. Ad affinitatem contrahendam requiritur copula carnalis perfecta, ſeu conſummata; adeoque non ſufficit clauſtri virginalis reſeratio, ſeu penetratio vaſis fœminei, ſed requiritur etiam ſeminatio, ſaltem viri, ſeu ut ſemen virile intra vas naturale fœminæ, quacunque tandem ratione ſit receptum, *Sanch. cit. diſ.* 64. *num.* 8. Ratio eſt, quia ad affinitatem requiritur talis copula, per quam vir, & fœmina fiunt una caro, ut colligitur ex *c. Fraternitatis* 1. §. *Si una caro fiunt. cauſ.* 35. *qu.* 10. at non fiunt una caro, niſi per copulam perfectam, & ſufficientem ad prolis generationem, qualis eſt ſola illa, in qua ſemen virile recipitur intra vas fœmineum, ut conſtat ex *c. Lex divina* 18. *cauſ.* 27. *qu.* 2. & *c. Extraordinaria* 11. *junct. Gl. V. eadem cauſ.* 35. *q.* 3.

Porro ſecundum communiorem ſententiam Medicorum, ſola ſeminatio viri requiritur, & ſufficit ad generationem prolis; ideo ſi ſola fœmina ſeminet, affinitas non contrahitur, *Sanch. cit. diſ.* 64. *num.* 12. quia tamen ſecundum probabilem ſententiam aliorum, etiam ſemen fœmineum ad prolis generationem requiritur; ideo probabile eſt, etiam ſeminationem fœminæ requiri ad contrahendam affinitatem.

XXIII. Hinc infertur 1. Ex copula ſodomitica habita in vaſe præpoſtero, & contra naturam, non contrahi affinitatem, cum ex ea non poſſit ſequi generatio prolis. Idemque eſt de quacunque pollutione extra vas debitum. 2. Oriri affinitatem ex copula habita cum fœmina dormiente, ignorante, coacta, ebria, inſana, ſeu amente, vel ex copula occulta, quia ea ſufficiens eſt ad generationem, non autem cum mortua, *Sanch. c. l. num.* 12. 13. 17. & 18. 3. Ex matrimonio rato nondum conſummato non oriri affinitatem vere, ac proprie dictam, ſed ſolum initium quoddam affinitatis, & vinculum, ſeu impedimentum publicæ honeſtatis, arctius tamen, quam ex ſponſalibus, *Sanch. c. l. num.* 25. Etſi plures contrarium teneant apud *Sanch. c. l. n.* 24. nempe ex matrimonio rato oriri affinitatem quandam ſaltem initiative & late, *Silv. V. Matrimonium* 8. *q.* 14. *dicto* 2. quia licet ante matrimonium conſummatum, vir, & fœmina non ſint una caro per commixtionem ſanguinis, poſſunt tamen dici una caro, quia unus habet dominium in corpus alterius in ordine ad generationem.

XXIV. Aſſertio 3. Affinitas hæc contrahitur inter conſanguineos uxoris ex una parte, & inter maritum ejus ex altera: & rurſum inter conſanguineos mariti, ex una parte, & uxorem ejus ex altera; non autem mutuo inter conſanguineos viri, & mulieris, ut conſtat ex *c. Non debet.* 8. *h. t.* Numerantur autem gradus affinitatis eodem modo, quo in conſanguinitate & traditur hæc regula: *In quo gradu aliquis eſt conſanguineus mariti, in eodem gradu ſit affinis uxoris*: & e converſo, *in quo gradu aliqua eſt conſanguinea uxoris, in eodem ſit affinis mariti.* Unde conſanguinei viri in primo gradu, ſunt affines uxoris in primo etiam gradu: & conſanguinei viri in ſecundo gradu affines, item uxoris in ſecundo, & ſic de reliquis. Idemque eſt de conſanguineis uxoris, qui fiunt affines mariti in eodem gradu, in quo ſunt conſanguinei uxoris, *Tanner. cit. diſ.* 8. *q.* 4. *dub.* 7. *n.* 118. ex communi.

XXV. Atque hinc infertur, quod conſanguinei mariti poſſunt licite, ac valide contrahere matrimonium cum conſanguineis uxoris: & hi viciſſim cum illis, prout ſumitur ex *c. Quod ſuper his.* 5. *h. t.* Ubi conſultus Papa „ Innocentius III. an ſi pater, & filius cum matre, & filia, & duo cognati cum duabus cognatis: item avunculus, & nepos cum duabus ſororibus contrahant matrimonia, ea ſint licita, & valida? Reſpondet Pontifex, licet omnes conſanguinei viri ſint affines uxoris: & omnes conſanguinei uxoris ſint affines viri: nulla tamen prorſus ex eorundem (ſcilicet viri, & uxoris) conjugio affinitas eſt contracta, propter quam inter eos matrimonium impediatur.

Ex quo patet, quod affinitas contracta inter uxorem, & conſanguineos viri, non tranſeat ad conſanguineos uxoris; & e converſo, affinitas contracta inter virum, & conſanguineos uxoris non tranſeat ad conſanguineos viri; ideoque poſſunt legitime inter ſe matrimonio copulari, juxta deciſionem hujus cap. *Gl. hic V. Impediri.* Ratio eſt, quia affinitas non cauſat affinitatem; affinitas enim dicitur illa propinquitas, quæ eſt inter uxorem, & conſanguineos viri: & rurſum inter virum, & conſanguineos uxoris, eo quod duæ cognationes, quæ inter ſe diverſæ ſunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit, ut dicitur in *l. Non facile.* 4. §. *Affines. ff. De gradib.* vir autem, & uxor non ſunt affines, alias non poſſet inter eos eſſe matrimonium, ſed ſunt principium, & cauſa affinitatis: quia affinitas non eſt, nec contrahitur, niſi mediante alia quadam perſona; conjuges vero immediate ſunt ſibi conjuncti matrimonialiter, *l. Non ideo* 5. *junct. Gl. V. Affinis. C. De hæred. inſtit.* & inter virum, & uxorem non eſt affinitas, nec propinquitas, ſive conſanguinitas, *Alex. de Nevo in cit. c. Quod ſuper. n.* 4. *h. t.* Quia ergo vir, & uxor per matrimonium fiunt una caro, inde fit, ut omnes conſanguinei mariti fiant affines uxoris, & vice verſa, conſanguinei uxoris fiant affines mariti, & abſtinendum ſit utrique conjugi a conſanguineis alterius, ſicut a propriis, *c. ult. cauſ.* 35. *q.* 3. Itaque proprie loquendo, affinitas ſolum contrahitur inter maritum, & conſanguineos uxoris, & e converſo, inter uxorem, & conſanguineos mariti, ut dictum; non autem inter conſanguineos ma-

Digitized by Google

mariti, & conſanguineos uxoris, quamvis iſti, late loquendo, etiam affines appellentur: vel etiam dici poteſt, quod inter eos contrahitur affinitas, ſed non talis, quæ impediat, vel dirimat matrimonium inter eoſdem, *Alex. de Nevo c. l. num.* 5. Appellatione autem propinquorum, ſive conſanguineorum non comprehenduntur affines, *Alex. de Nevo c. l. n.* 4.

„ XXVI. Additur in fine *cit. c. quod ſuper* prohibitio, ne intra gradus prohibitos matrimonium contrahatur, alioquin contrarium præſumentes Eccleſiaſtica diſtrictione puniri debent, non obſtante conſuetudine, quæ potius dicenda eſt corruptela. Ex quo colligitur, quod conſuetudo etiam immemorialis non poteſt tollere, nec inducere impedimentum dirimentie matrimonium in gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis jure prohibitis, cum hic dicatur, talem conſuetudinem eſſe potius dicendam corruptelam: quotieſcunque autem Lex damnat conſuetudinem, ut iniquam, & irrationabilem; tunc cenſetur damnata, & reprobata conſuetudo etiam immemorialis: quia diuturnitas temporis non minuit, ſed aggravat delictum, *c. Non debet* 8. *in fine h. t. Fagn. hic num.* 7. & 9. Cui tamen obſtare videtur *cap. Super eo* 3. *de cognat. ſpirit.* de quo actum ſupra *Tit.* 11. *de cognat. ſpirit. n.* 9. & 10.

Aliam reſponſionem non improbabilem dat *Barb. hic n.* 3. *in Collect.* nempe præſens c. & *c. Non debet* eſſe Innocentii III. adeoque poterat tunc illa conſuetudo eſſe valide, & rationabilis: quæ tamen poſtea mutatis circumſtantiis, & propter varias difficultates inde exurgentes, tanquam irrationabilis fuerit reprobata in c. præſenti. Denique forte etiam reſponderi poſſet, quod in præſenti cap. reprobetur ſolùm talis conſuetudo in conſanguinitate, & affinitate carnali, quod non debet extendi ad cognationem ſpiritualem, in quo eſt minor ratio, *Barb. c. l.*

XXVII. Aſſertio 4. Triplex eſt genus affinitatis, primum inter conſanguineos mulieris, ex una parte, & virum ex altera: & rurſum inter conſanguineos viri, & mulierem ex altera; non autem inter conſanguineos viri, & mulieris mutuo. Verumolim tum inter conſanguineos viri, ac mulieris mutuo, tum ex ipſa quoque affinitate oriebantur alia neceſſitudinum, ſive affinitatum genera. Ut ſi v. g. uxor fratris tui, eo mortuo, nupſit Titio, tunc etiam ipſe Titius fiebat affinis tibi, ſecundo quodam affinitatis genere: & rurſum ſi idem Titius, mortua uxore, alteram duxit, etiam iſta fiebat tibi affinis tertio quodam affinitatis genere, quæ tamen duo poſteriora affinitatum genera, jam ſunt ſublata per *cit. c. Non debet h. t. Tanner. tom.* 4. *diſ.* 8. *q.* 4. *dub.* 7. *n.* 117. Itaque uxor fratris tui eſt tibi affinis in primo affinitatis genere, mortuo fratre; ſi ipſa alteri viro nubat, ille erit affinis in ſecundo genere affinitatis, de quo fit mentio in *c. De propinquis* 3. *cauſ.* 35. *q.* 3. Si vero uxore fratris tui mortua, ejus maritus alteram uxorem ducat, hæc uxor erit tibi affinis in tertio affinitatis genere, quia tibi jungitur per eum, qui ſecundo affinitatis genere tibi junctus eſt, *Gl. hic V. In ſecundo & tertio.* Et de hoc fit mentio in *c. ult. cit. cauſ.* 35. *q.* 3. Primum genus affinitatis dicitur, quia per primam carnis copulam, ſive mediante una perſona contrahitur: ſecundum, quia per ſecundam copulam, ſive mediantibus duabus perſonis, tertium, quia per tertiam copulam, ſive mediantibus tribus perſonis contrahitur, *Gl. in cit. c. Non debet V. In ſecundo, Hoſtienſ. ibid. num.* 4. V. g. uxor fratris tui mortui genus, quia frater tuus eſt conjunctus tibi conſanguinitate, ipſa vero affinitate, & eſt tibi affinis in primo genere, & in eodem gradu affinitatis eſt tibi, & aliis conſanguineis tuis conjuncta, quo gradu conſanguinitatis eſt tibi, & conſanguineis tuis conjunctus frater tuus. Si vero ſecunda perſona tibi aliunde non affinis, nec conſanguinea, conjungatur per copulam cum dicta uxore fratris tui, fit tibi, & conſanguineis tuis affinis in ſecundo genere. Si denique tertia perſona aliunde nec conſanguinea, nec affinis, adjungatur per copulam dictæ ſecundæ perſonæ, eſt tibi, & conſanguineis tuis affinis in tertio genere, *Silveſt. in Summa V. Matrimonium* 8. *q.* 15. *dicto* 3.

XXVIII. Cæterum ſublato jam ſecundo, & tertio genere affinitatis, quia nulla jam amplius contrahitur affinitas, inter conſanguineos mariti, & uxoris, poſſunt plures caſus ejuſmodi affinitatis occurrere, per quos matrimonio nullum impedimentum præſtatur. Unde poſſunt duo fratres contrahere matrimonium cum duabus ſororibus, quia nulla eſt affinitas inter fratrem mariti, & ſororem uxoris. 2. Poteſt pater, & filius contrahere matrimonium cum matre, & filia alterius familiæ, v. g. filius Petri ex prima uxore poteſt ducere filiam ejuſdem Petri ex alio matrimonio genitam. 3. Poteſt pater ſponſi ducere matrem, & filiam ſponſæ. 4. Poteſt quis ducere matrem, vel filiam vitrici ſui vel novercæ, quia inter illos nulla eſt reſpectiva affinitas. 5. Si frater, & ſoror contrahant matrimonium, poſſunt, iis mortuis, viduus ſuperſtes, & vidua inter ſe contrahere matrimonium, niſi forſan obſtet conſanguinitas, vel aliud impedimentum. 6. Poteſt quis ſucceſſive plures ſorores ducere, quarum mariti erant fratres germani, v. g. Anna, & Barbara nupſerunt duobus fratribus, poterit Petrus ducere Annam viduam factam, eaque mortua, accipere in uxorem alteram viduam, nempe Barbaram. Plura hujuſmodi exempla videri poſſunt apud *Tanner. cit. diſ.* 8. *q.* 4. *dub.* 7. *n.* 118. & *Laym. l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 5. *nu.* 4. Ubi pro cognoſcendis pluribus hujuſmodi caſibus affinitatis per accidens, hanc regulam tradit ex *Navarro conſil. lib.* 4. *conſil.* 3. quando neque vir cognovit carnaliter conſanguineam mulieris, cum qua ille matrimonium inire cupit: neque mulier carnaliter cognovit conſanguineum viri: tunc ſi qua inter eos eſt affinitas, ea tantum eſt per accidens, ita ut matrimonium poſtea contractum non impediat, nec dirimat.

§. II.

Quouſque; & quo jure affinitas dirimat matrimonium?

XXIX. Aſſertio 1. Sicut conſanguinitas, ita etiam affinitas orta ex copula legitima, & conjugali, impedit matrimonium contrahendum, ac dirimit contractum, in linea tranſverſali uſque ad quartum gradum incluſive, ut patet ex *c. Non debet.* 8. *h. t.* ſicut olim etiam dirimebat uſque ad ſeptimum gradum, *c.* 1. *Nullum* 7. *c. Æqualiter.* 13. *cauſ.* 35. *q.* 3. & eſt communis DD. apud *Tanner. cit. dub.* 4. *num.* 51. Rationes hujuſmodi probationis jam ſupra ſunt allatæ. At vero affinitas orta ex copula illicita, ſeu fornicaria, jure novo *Concilii Trident. Seſſ.* 24. *cap.* 5. *de reform. matrim.* dirimit matrimonium tantum uſque ad ſecundum gradum incluſive, ut dictum *Tit. præcedenti, num.* 21.

XXX. Porro ſi matrimonium intra quartum affinitatis gradum contractum fuerit, illud diſſolvi debere, & ſic contrahentes ab invicem ſeparandos eſſe, ne in peccato perſiſtant, ſtatuitur quoque in *c. Ex litteris* 1. *h. t.* Nam cum „ aliquis viduam quandam ſecreto ſubarrhaſſet per annuli immiſſionem, & eam carnaliter cognoviſſet, & poſtea vellet, in conſpectu Eccleſiæ, cum illa contrahere matrimonium: duo propoſuerunt, quod eam habere non poſſit in uxorem, eo quod priorem virum contingat quarto gradu conſanguinitatis, unuſque ex illis juraverit, ſe ita audiviſſe: alter vero id juramento confirmare noluit; & ſic publice contraxerunt. Poſtmodum alii duo venerunt, & jurarunt, quod primus vir iſti ſuperſtiti fuit quinto conſanguinitatis gradu conjunctus. Conſultus Papa Alexander III. mandavit Abbati Ceſſienſi, ut utramque partem vocet, & teſtes jurare faciat coram ſe. Et ſi per teſtes idoneos, & omni exceptione majores conſtiterit, quod primus vir viro ſuperſtiti quarto gradu conſanguinitatis fuerit conjunctus, illos debeat per ſententiam divortii ab invicem ſeparare, quia (ut Canones dicunt locis ſupra allegatis) æque abſtinendum eſt a conſanguineis uxoris, ut a propriis. Additur in fine, quod cauſæ matrimoniales non ſunt tractandæ per quoſlibet, ſeu per Judices diſcretos (eoſque Eccleſiaſticos, juxta *Concilium Trident. Seſſ.* 24. *Can.* 12. *de Sacram. matrim.*) qui poteſtatem habeant judicandi, & ſtatuta Canonum ſciant.

XXXI. Notandum 1. Etſi ad impediendum matrimonium contrahendum ad plenam probationem ſufficiat unicus teſtis, *c. Super eo.* 22. *de teſtib.* & *c. Præterea* 12. *de ſponſal.* quia agitur de peccato vitando; at vero ad diſſolvendum matrimonium contractum, duo teſtes requiruntur, quia eſt cauſa graviſſima, in eaque de magno præjudicio agitur, admittuntur tamen in teſtes etiam parentes, & conſanguinei, ſi agatur de diſſolvendo matrimonio ob conſanguinitatem, quia hi melius norunt parentelam, *Sanch. l.* 2. *diſ.* 45. *num.* 30. & 31. Sed de hoc plura infra *Tit.* 18.

Notandum 2. Impedimentum etiam ad matrimonium non contrahendum non probatur ſufficienter per unum teſtem de auditu, & alterum non juratum, qui majorem fidem facit ſola fama, vel unus teſtis juratus, quam duo teſtes, quorum unus deponit de auditu, & alter ſine juramento, ad impediendum matrimonium contrahendum, *Abb. hic num.* 3. Item teſtes in cauſa matrimoniali debent eſſe jurati, etiamſi agatur ad matrimonium ſolum impediendum, & omni exceptione majores, ut dicitur in hoc cap. quales dicuntur, qui non poſſunt repelli per exceptionem aliquam, *Gl. hic n.* 4. & 5. Quin etiam quando agitur ad impediendum, vel dirimendum matrimonium, iidem poſſunt eſſe ſimul accuſatores, & teſtes, idque ratione peccati; & quia non agitur de commodo accuſatoris, vel incommodo accuſati; tunc enim prohibentur iidem eſſe accuſatores ſimul & teſtes, *c. Nullus.* 2. *cauſ.* 4. *q.* 4. *c. In omni.* 4. *de teſtib. Abb. hic n.* 6.

Notandum 3. Qui vult cognoſcere, & definire cauſas matrimoniales, debet habere poteſtatem judicandi, & non ignorare Canones, ut habetur in textu. Unde *Hoſtienſ. hic V. Diſcretos*, arguit quoſdam Theologos, qui dicunt, quod Eccleſia DEI poſſit regi per ſolam, & puram Theologiam.

XXXII. Aſſertio 2. Probabilius eſt matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ rectæ eſſe jure naturæ irritum, nempe inter vitricum, & privignam, novercam, & privignum, ſocerum & nurum, ſocrum, & generum, *Silveſt. V. Matrimonium.* 8. *dicto* 6. *Covarr. in* 4. *Decret. p.* 2. *c.* 6. §. 10. *num.* 8. ubi tradit de noverca, *Coning. diſ.* 32. *de Sacram. dub.* 4. *num.* 53. *Tanner. tom.* 4. *diſ.* 8. *q.* 4. *dub.* 7. *num.* 13. *Laym. l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 6. *num.* 5. licet, *Sanch. l.* 7. *de matrim. diſ.* 66. *nu.* 7. contrariam ſententiam teneant tanquam probabiliorem. Sed prior probatur 1. quia *Gen.* 49. Jacob, etiam ante legem Moſaicam maledixit Ruben primogenito ſuo, eo quod violaſſet torum paternum, dormiendo cum uxore patris ſui, idque non ob ſolam injuriam illatam

patri,

patri, ut putat *Sanch. c. l. n. 6.* ſed etiam ob inceſtum. 2. *Amos c. 2.* graviter exprobratur Iſraeli, quod *filius, & pater ejus iverunt ad puellam*, nempe eandem, *ut violarent nomen Sanctum DEI*, reddendo ſcilicet illud deteſtabile; qui enim ſic peccant, exponunt nomen Domini infamiæ, & ludibrio gentium, quæ talem libidinem abominantur, ut explicant ibi Interpretes. 3. Apoſtolus 1. *ad Cor.* 5. ait: *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat.* Neque vero ibi loquitur Apoſtolus de uxore patris adhuc viventis, cum magis id factum exaggerare videatur, propter extraordinariæ libidinis turpitudinem, ut putat *Coning. c. l. n. 51.* Similiter *Gen. c. 18.* prohibetur concubitus cum uxore patris ſui, & c. 20. *eod.* fornicatio cum noverca ſua, numeratur inter graviſſima ſcelera, & jubetur puniri, quaſi naturæ repugnans. Unde etiam omnes gentes bene inſtitutæ talia matrimonia ſemper ſunt deteſtatæ, ut colligitur ex *l. Liberi. 4. C. de nupt. & l. ult. §. Noverca. ff. De condict. ſine cauſ.* ubi *Gl.* ait, quod tale matrimonium prohibeatur Jure naturali, & Civili. Ratio eſt, quia vir, & uxor per copulam conjugalem fiunt veluti una caro. unde vitricus eſt quaſi pater privignæ, & noverca quaſi mater privigni; ideoque eis par fere reverentia debetur a privignis, quæ debetur naturalibus parentibus. Eademque eſt ratio ſoceri, & ſocrus, reſpectu quorum gener & nurus quaſi filiorum loco cenſentur, ut de nuru habetur in *c. Si vir 15. cauſ. 31. q. 3.* Idque confirmatur, quia Eccleſia nunquam ſolet in primo gradu affinitatis lineæ rectæ diſpenſare. Neque obſtat, quod privignus non acceperit eſſe naturale per generationem a noverca, nec privigna, e vitrico, in qua ſola fundatur reverentia debita a filiis parentibus, ut arguit *Sanch. cit. diſ. 66. n. 7.* quia ſatis eſt, quod noverca facta eſt per copulam conjugalem una caro cum ejus patre, e quo accepit eſſe naturale privignus per generationem. Vel quod privignus, reſpectu vitrici, genitus ſit ab illa, quæ eſt una caro facta cum vitrico.

Porro quod dictum eſt, matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, ob affinitatem, jure naturæ eſſe irritum, id limitari debet, niſi tale matrimonium eſſet neceſſarium ad propagandum, & conſervandum genus humanum, *Laym. c. l.*

XXXIII. An autem, ſpectato jure naturali, oriatur affinitas ex copula etiam fornicaria, non conveniunt DD. Affirmat *Coning. cit. diſ. 32. dub. 4. n. 49.* quia indecens videtur, etiam ſecluſo jure Eccleſiaſtico, concubinam patris ſui ducere in uxorem, quod etiam prohibitum reperitur in *l. Liberi 4. C. de nupt.* quia tota ratio, ad quam contrahitur affinitas inter aliquos, eſt, quia per copulam carnalem fiunt una caro: hoc autem etiam vere, & proprie efficitur per copulam fornicariam, juxta illud *Apoſt. 1. Cor. 6. Qui adhæret meretrici* (ſcilicet per fornicationem, de qua ibi eſt ſermo) *unum corpus efficitur cum ea, & erunt duo in carne una*, ut ibi additur; ergo etiam hæc copula naturaliter inducit affinitatem, licet id negent *Navarr. l. 4. conſil. 12. n. 3. h. t. & Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 65. n. 9.* nempe ex copula fornicaria, ullam affinitatem contrahi, ſpectato jure naturæ, & ſecluſo Jure Canonico, & conſequenter ſi quis tempore infidelitatis fornicatus fuit cum Titia, & poſtea fuit baptizatus, non prohibetur ducere in uxorem filiam, vel ſororem ejuſdem Titiæ, cum nulla affinitas fuerit contracta ante Baptiſmum.

Verum in hac re dicendum videtur, quod ſpectato jure naturali, ac gentium, ex copula illicita oritur quidem aliqua affinitas etiam ante Baptiſmum, ſed non tam perfecta, ſicut ex copula conjugali, neque tam efficax, ut impediat matrimonium, quo minus valide contrahi poſſit. Quare gentilis, ante Baptiſmum ſuſceptum, valide contrahere poteſt, & ob cauſam juſtam etiam licite cum filia, vel ſorore mulieris, cum qua eſt fornicatus, neque poſtea baptizatus ſeparari ab ea debet, quia ante Baptiſmum gentiles non ſunt ſubjecti Eccleſiæ legibus, & matrimonium ſemel valide contractum, per Baptiſmum non diſſolvitur, *Coning. cit. diſ. 32. dub. 4. n. 57. Laym. cit. c. 6. n. 6.* Addit tamen Coning, quod affinitas contracta a gentili, ante Baptiſmum, etiam ex copula fornicaria, permaneat poſt Baptiſmum ſuſceptum, & impediat, ne jam baptizatus matrimonium cum tali contrahere poſſit, ac ſi poſt Baptiſmum contracta fuiſſet, quia gentilis, poſt Baptiſmum, jam legibus Eccleſiæ eſt ſubjectus.

XXXIV. Aſſertio 3. Quamvis matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ tranſverſæ naturalem aliquam indecentiam præſeferat, ut ſi quis ducat uxorem fratris defuncti, vel ſororem uxoris mortuæ: non tamen tantam, ut etiam irritum ſit jure naturali matrimonium contractum, ita ut ex juſta cauſa cohoneſtari non poſſit, præſertim accedente publica auctoritate Superioris. Eſt communis ſententia apud *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 6. §. 10. n. 7. & ſeqq. & Sanch. l. 7. de matr. diſ. 66. n. 11.* Prior pars colligitur ex *c. Levitici.* 18. ubi dicitur: *turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpitudo fratris tui eſt*, quaſi dicat, indecens eſt carnaliter conjungi cum uxore fratris, propter conjunctionem, & reverentiam erga fratrem. Altera pars probatur exemplis S. Scripturæ, quia in Veteri Teſtamento Patriarcha Jacob accepit duas ſorores in uxores, Rachel & Liam, *Gen.* 29. Et Judas dedit *eidem mulieri* Thamar uxori primogeniti ſui filium Onan in vicem defuncti ſine liberis, *Gen.* 38. quæ tamen in S. Scriptura non reprehenduntur, & *Deuteron. c. 25.* præcipitur univerſim, ut frater ducat uxorem fratris ſui defuncti ſine liberis, & ſuſcitet ſemen fratris ſui. Idque etiam probatur ex *c. ult. de divort.* ubi permittitur, ut infideles, qui infidelitate contraxerant cum relictis uxoribus fratris, ad fidem converſi, in eo matrimonio permaneant, cum tamen ſeparandi forent, ſi tale matrimonium jure naturæ eſſet invalidum.

Idque probatur etiam auctoritate Eccleſiæ, quæ in eodem gradu primo lineæ tranſverſæ ſæpius diſpenſavit. Nam Alexander VI. diſpenſavit cum Rege Luſitaniæ: Julius II. cum Catharina vidua Regis Angliæ, ut nuberet ejus fratri Henrico VIII. quam diſpenſationem fuiſſe legitimam, conſultis celeberrimis Univerſitatibus, & accuratiſſima deliberatione prius habita, declaravit poſtea Clemens VII. in ſpeciali Bulla. Unde ortum eſt infeliciſſimum illud ſchiſma, per quod Regnum Angliæ ab Eccleſia Romana, & Catholica deſcivit. Item Clemens VIII. diſpenſavit cum Rege Poloniæ, ut duceret ſororem uxoris ſuæ defunctæ. Ratio eſt, quia non eſt tanta neceſſitudo, & conjunctio tam arcta inter tales affines, ut jure naturali matrimonium irritare debeat: neque etiam ſubeſt propinquum periculum fornicationis inter illas perſonas, cum ſimul cohabitare non ſoleant, tanquam ab iiſdem parentibus educandi, ſed cum uxoribus domicilium paternum mutent. Nec obſtat, quod D. Joan. Baptiſta *Matth. c. 14. & Marci 6.* reprehendit Herodem ob ductam Herodiadem uxorem fratris ſui: quia is adhuc vivebat, ut teſtatur D. Thom. in eum locum. Vel ſi jam fuit mortuus, adhuc non licuit Herodi uxorem fratris ſui ducere, ob legem Judaicam, cui ſubditus erat Herodes, quippe filius Judæi, id prohibentem, ut conſtat ex c. 18. *Levit.* niſi quando frater ſuſcitaverat ſemen fratris mortui: nam lex Judaica nondum expiraverat ante mortem Chriſti. *Cap.* vero *penult. de divort.* loquitur de gradibus conſanguinitatis, *Sanch. cit. diſ. 66. n. 22.*

§. III.

Utrum affinitas ſuperveniens diſſolvat ſponſalia de futuro, & an fideles conjuncti in gradu Jure Canonico prohibito, poſt Baptiſmum, debeant ſeparari?

XXXV. De priore quæſtione agitur in *c. Super eo. 2. h. t.*
„ Nam cum quidam juvenis puellam quandam nondum nu-
„ bilem, fide interpoſita, deſponſaſſet, ea nubili facta,
„ eum repetiit: ſed ille excepit, dicens, ſe non poſſe il-
„ lam ducere, eo quod, poſtquam eandem puellam deſpon-
„ ſavit (per verba de futuro, *Gl. hic V. Affidavit.*) carna-
„ liter propinquam ejuſdem cognovit. Reſpondet Papa Ur-
„ banus III. ſi manifeſtum ſit, juvenem illum cognoviſſe
„ conſanguineam prædictæ puellæ, vel ſi non ſit manife-
„ ſtum, fama tamen loci id habeat, cum eſſet ſponſa de fu-
„ turo, dictum juvenem ab ejus impetitione debere abſolvi.

XXXVI. Notandum 1. Sponſa poteſt repetere ſponſum, & compellere ad contrahendum matrimonium, & implendam promiſſionem ſuam, & viciſſim ſponſus ſponſam, ut ſumitur ex hoc cap. *Abb. hic n. 2.*

Notandum 2. Sola fama facit plenam probationem ad impediendum matrimonium contrahendum, ſine alia probatione impedimenti, *Covarr. in Decret. p. 2. c. 6. §. 10. n. 20.* Et quamvis in hoc cap. ſolum ſit ſermo de impedimento affinitatis, idem tamen dicendum eſt de omni alio impedimento, quia eſt eadem ratio: nam tunc agitur de modico præjudicio, cum ſponſa poſſit matrimonium contrahere cum alio, maxime quando agitur de periculo animarum vitando, ne forte peccatum incurratur contrahendo cum affine, vel alias impedito; tunc enim fama habetur pro ſufficiente probatione. Secus eſt, ſi ageretur de magno præjudicio, nempe de matrimonio jam contracto diſſolvendo; tunc enim ſola fama non ſufficit ad probationem, *c. Si duo 4. cauſ. 35. q. 6. Abb. hic. n. 4.*

Notandum 3. Sola fama de impedimento v. g. affinitatis, impedit matrimonium contrahendum, & diſſolvit ſponſalia prius inita, quamvis juramento ſint confirmata, quia in hoc cap. dicitur, famam impedire matrimonium contrahendum, fide data, ubi *Gl. V. Fide data*, ait, ideſt, juramento. Nec obſtat, quod in *c. Cum in tua 27. de ſponſal.* ultra perſonam fide dignam requiratur fama, quia ſponſalia jurata erant: nam ibi requiritur fama, quia teſtis ille non deponebat in forma teſtimonii, ſed tantum denuntiavit impedimentum, & ſic non fuit teſtis omnino integer, *Abb. hic n. 7. & Alex. de Nevo n. 9. Sanch. l. 1. de ſponſ. diſ. 71. n. 14.* & videri poſſunt, quæ de hoc dicta ſunt ſupra *Tit. 1. n. 155. & ſeq.*

Notandum 4. Manifeſtum hic non accipitur pro notorio, ut putat *Gl. hic V. Manifeſtum*, quaſi non ſufficiat manifeſtum eſſe impedimentum, ſed plus in ſe continet manifeſtum, quam fama; ſi ergo hæc ſola per ſe ſufficit ad probationem impedimenti, ergo etiam manifeſtum, *Abb. hic n. 6.*

XXXVII. De poſteriore quæſtione agitur in *c. De infidelibus 4. h. t.* Ubi conſultus Pontifex Innocentius III. de in-
„ fidelibus, aut Judæis ad fidem converſis, utrum ſi con-
„ traxerint matrimonium, ſecundum Veteris Legis ſtatu-
„ ta, in gradu conſanguinitatis (vel affinitatis) e Jure Ca-
„ nonico prohibitis, poſt ſuſceptum Baptiſmum, debeant
„ ſeparari? Reſpondet Papa, matrimonium ſic contractum
„ non eſſe ſeparandum, quia Dominus a Judæis requiſitus,
„ an liceret ipſis uxorem ex quacunque cauſa dimittere?
„ reſpondit: *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet:* per
„ hoc innuens eſſe matrimonium inter eos.

XXXVIII. Notandum 1. Matrimonium Judæorum, vel aliorum infidelium, etiamſi contractum ſit in gradu prohibito Jure Canonico, eſt validum, quia infideles, ſicut & Judæi,

Judæi, non ligantur Canonicis Sanctionibus, cum ſint extra Eccleſiam. Quare ſi alter conjux, vel uterque poſtea Baptiſmum ſuſcipiat, non ob id diſſolvitur matrimonium prius legitime contractum, quia per Sacramentum Baptiſmi diſſolvuntur non conjugia, ſed crimina dimittuntur, *Abb. hic. n.* 2. & 3.

Notandum 2. Matrimonium infidelium eſt verum, ac legitimum matrimonium: nam etſi inter eos non poſſit conſiſtere matrimonium, quatenus eſt Sacramentum, quia cum non ſint baptizati, non ſunt capaces Sacramenti: poteſt tamen inter eos conſiſtere matrimonium, quatenus eſt contractus naturalis, & civilis, inſtar aliorum contractuum: non eſt tamen ita perfectum matrimonium, ſicut inter fideles, quia matrimonium inter hos contractum eſt Sacramentum Novæ Legis, gratiamque confert; & ſi ſit conſummatum, nunquam diſſolvi poteſt quoad vinculum, niſi per converſionem alterius conjugis ad fidem, de quo plura infra *Tit.* 19. Tunc autem infidelium matrimonium eſt validum, quando inter ipſos conjuges nullum eſt impedimentum juris naturalis, *Sanch. l.* 7. *diſ.* 73. *n.* 2. & 5.

XXXIX. Porro contra hoc, quod in fine hujus cap. dicitur eſſe matrimonium inter Judæos, objicit *Gl. fin. hic.* Matrimonium eſt maris, ac fœminæ conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem retinens, *cauſ.* 27. *q.* 2. *in princ. c. Illud.* 11. *de præſumpt.* ſed Judæi, ſi contrahunt matrimonium, poſſunt ab invicem ſeparari, dato libello repudii: ergo non eſt inter illos matrimonium. Et reſpondet, ſi Judæus matrimonium contrahat cum Judæa, eo pacto expreſſo adjecto, ut dare ei liceat libellum repudii, ſecundum ritum Judæorum, tale matrimonium eſt invalidum, quia continet pactum contra ſubſtantiam matrimonii, nempe quod poſſit diſſolvi vinculum matrimonii, nec jure ineſt, cum jam extra controverſiam ſit, eam legem non excuſare a culpa, nec dare licentiam contrahendi aliud matrimonium, prout ipſe Chriſtus declaravit *Matth. c.* 19. & *Marc.* 10. *Covarr. in* 4. *Decret. p.* 2. §. 1. *n.* 5. *Sanch. l.* 5. *de matrim. diſ.* 12. *num.* 3. ubi addit, idem dicendum eſſe de aliis infidelibus, quibus nunquam licuit dare libellum repudii: quamvis *Abb. hic. n.* 6. & alii quidem Canoniſtæ dicant, matrimonium tali pacto initum valere, ſed prius eſt tenendum.

§. IV.

Quæ pœna ſit contrahentium matrimonium in gradu conſanguinitatis, vel affinitatis prohibito?

XL. De hoc agitur in *Clement. Eos, qui unic. h. t.* ubi ſtatuitur: Eos, qui ſcienter in gradibus conſanguinitatis, „ & affinitatis Conſtitutione Canonica interdictis cum Monialibus contrahere non verentur (ubi comprehenduntur „ ambo contrahentes) nec non Religioſos, ac Clericos in „ Sacris Ordinibus conſtitutos matrimonia contrahentes, „ excommunicationis ſententiæ, ipſo facto, ſubjacere; & „ præcipitur inſuper Eccleſiarum Prælatis, ut illos, quos „ conſtiterit ſic contraxiſſe, excommunicatos publice denuntiant, vel a ſuis ſubditis faciant denuntiari, ut evitentur, & ſeparentur ab invicem, donec ſuum agnoſcentes errorem abſolutionem obtineant: aliis pœnis contra „ ſic contrahentes Jure decretis in ſuo robore permanſuris.

XLI. Pro declaratione hujus Conſtitutionis notandum 1. Tria perſonarum genera excommunicantur in hac Clement. Primo, qui ſcienter matrimonium contrahunt prohibitum Jure Canonico, ſcilicet in quarto gradu, vel citeriore conſanguinitatis, vel affinitatis juxta *c. Non debet.* 8. *h. t.* Excommunicantur autem non ſolum maſculi, ſed etiam fœminæ, quia genus maſculinum fœmininum ſexum comprehendit, etiam in pœnalibus, quando quoad utrumque eadem viget prohibitionis ratio, ut probatur ex *l. Si quis.* 7. *ff. de juriſd. omn. Iud. Barb. in Collect. hic. n.* 3. Secundo excommunicantur Religioſi, & Moniales contrahentes matrimonium ſacrilegum. Tertio Clerici in Sacris Ordinibus conſtituti ſacrilege matrimonium contrahentes, *Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 48. *n.* 1.

XLII. Notandum 2. Excommunicationem quoque incurrunt in *cit. Clement. un.* §. *Nec non*, non tantum Religioſi expreſſe, vel tacite profeſſi, qui matrimonium contrahunt; ſed etiam alii veri, & proprie dicti Religioſi, ut qui in Societate Jeſu tria vota ſubſtantialia Religionis emiſerunt, licet ſimplicia tantum, adeoque profeſſi non ſint, ſi poſt biennium Novitiatus, ante legitimam abſolutionem a votis, matrimonium contrahunt, juxta Bullam Gregorii XIII. quæ incipit, *Aſcendente Domino*, *Sanch. lib.* 7. *de matr. diſ.* 48. *num.* 17. Item Moniales profeſſæ incurrunt hanc excommunicationem, cuicunque nubant, ſicut & alii, qui illas ſacrilege accipiunt in uxores. Si vero alia fœmina non Monialis nubat profeſſo, vel Clerico in Sacris Ordinibus conſtituto, hi ſoli excommunicationem incurrunt: nam in *cit. Clement. unic.* excommunicantur expreſſe Moniales, & cum eis contrahentes: at vero poſtea quando eſt ſermo de matrimonio inito a profeſſo, vel Clerico in Sacris Ordinibus conſtituto, ſoli hi excommunicantur, nulla facta mentione de mulieribus ab eis ductis, *Sanch. cit. diſ.* 48. *n.* 2. & alii apud ipſum.

XLIII. Notandum 3. Mandantes vero, vel conſulentes, aut adjuvantes ad hujuſmodi ſacrilegum matrimonium ineundum, non ligantur excommunicatione decreta in *Clement. unic. h. t.* quia in hac ſoli ineuntes matrimonium excommunicantur, tunc autem non comprehenduntur, qui mandant, vel conſilium, auxilium, aut favorem præſtant, ex communiore, & veriore ſententia apud *Sanch. c. l. nu.* 3. Quare nec Procurator, per quem contrahitur matrimonium, nec parentes, qui nomine filiorum conſenſum in matrimonium exprimunt, excommunicantur, quia hi omnes non vere contrahunt matrimonium, ſed ſolum ſunt inſtrumentum eorum, qui vere contrahunt: neque etiam incurrunt excommunicationem decretam in *c. Nuper.* 29. & *c. Si concubinæ.* 35. *de ſent. excommun.* latam in omnes participantes in crimine, ob quod alter excommunicatur, ut bene oſtendit *Sanch. c. l. num.* 3. Imo neque Parochus, qui auctoritatem præſtat, aſſiſtendo matrimonio, & conjungendo illud ineuntes, ob rationem jam datam, quia in dicta Clement. ſoli ineuntes matrimonium excommunicantur, *Sanch. cit. l. num.* 4. *Suar. cit. diſ.* 21. *ſec.* 5. *num.* 23.

XLIV. Notandum 4. Ad incurrendam hanc excommunicationem, requiritur 1. ut matrimonium ſit contractum, licet non ſit conſummatum, quia in *cit. Clement.* non ponitur copula inceſtuoſa, ſed ſolum contractus matrimonii, qui quoad eſſentiam ſuam perfectus eſt, etiamſi per copulam non ſit conſummatus, quia nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit, *Reg. Jur.* 30. *in ff. Gl. hic. V. Contrahere*, *Sanch. c. l. num.* 5. & 6. Unde neque incurritur hæc excommunicatio per ſponſalia de futuro tantum contracta, quia etſi interdicto matrimonio, cenſentur quoque interdicta ſponſalia, *l. Oratio.* 16. *ff. de ſponſal.* At pœna impoſita contrahentibus matrimonium non extenditur ad contrahentes ſolum ſponſalia, cum pœnæ non ſint extendendæ, *Gl. hic. V. Contrahere.* Excipitur, niſi poſt ſponſalia ſecuta fuerit copula affectu conjugali; tunc enim illa de jure antiquo tranſibant in matrimonium, *c. Is, qui* 30. *ſupr. de ſponſal.* quod tamen poſt Concilium Tridentinum *Seſſ.* 24. *c.* 1. *de reform. matr.* non amplius habet locum, & conſequenter hæc excommunicatio jam non incurritur, quia ſponſalia talia manent nuda ſponſalia etiam poſt copulam, *Sanch. cit. libr.* 7. *diſ.* 48. *n.* 7. apud quem plura de hac re videri poſſunt.

XLV. Secunda conditio requiſita eſt, ut contrahatur matrimonium cum impedimento conſanguinitatis, vel affinitatis in gradibus Lege Canonica interdictis, ut habetur in *cit. Clement. unic.* Hinc infertur 1. non incurri hanc excommunicationem, ſi ineatur matrimonium cum infideli, cognata legali, vel ſpirituali, vel cum impedimento publicæ honeſtatis, vel quocunque alio dirimente, ſed ſolum in impedimentis hic expreſſis, videlicet conſanguinitatis, & affinitatis, ſolemnis voti profeſſionis in Religione, aut Sacri Ordinis, de quibus ſolis in *cit. Clement. un.* fit mentio, quæ cum ſit pœnalis, non eſt extendenda, *Sanch. c. l. n.* 14. Infertur 2. Matrimonium contrahentes per metum cadentem in virum conſtantem in caſibus hic prohibitis, non incidunt in excommunicationem, quia matrimonium eſt nullum, tum ob defectum plene liberi conſenſus, *c. Cum locum* 14. *de ſponſal.* & *matr.* tum etiam quia Eccleſia non punit tam gravi cenſura gravi metu compulſum ad contrahendum matrimonium, *Abbas hic n.* 5. *Sanch. cit. diſ.* 48. *n.* 12. Infertur 3. Non incurri, ſi cum legitima diſpenſatione, adeoque licite ſit initum matrimonium inter conſanguineos, & affines, quia tunc ceſſat culpa, ergo & pœna, *Gl. hic V. Eos, qui Sanch. c. l. n.* 16. Infertur 4. Si quis putans falſo ſubeſſe impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis, vel ſolemnis profeſſionis, ineat matrimonium, quod tamen revera non ſubeſt, non incurrit excommunicationem, quia revera non contraxit cum tali impedimento, neque in *cit. Clement.* punitur prava voluntas, opere non ſubſecuto, ſicut ſi quis percutiat Petrum falſo putans illum eſſe Clericum, non ligatur excommunicatione, *Sanch. c. l. n.* 18.

Porro ſi quis contrahat matrimonium cum conſanguinea in gradu Lege Divina, & naturali prohibito, incurritur excommunicatio, quia etſi id non exprimatur in *cit. Clement. unic.* Conſtitutio tamen pœnalis comprehendit caſum omnino ſimilem, in quo eadem, imo major eſt ratio prohibitionis, qualis hic eſt, ſi matrimonium ſit contractum cum impedimento conſanguinitatis, vel affinitatis lege naturali interdicto, ut cum matre, vel ſorore, *Gl. hic V. Canonica*, quamvis etiam dici poſſit, quod Lex Canonica prohibens inter conſanguineos matrimonium uſque ad quartum gradum lineæ tranſverſæ, *c. Non debet* 8. *h. t.* comprehendit etiam primum gradum, qui lege naturali eſt vetitus, ut inter fratrem, & ſororem, utpote qui intra quartum gradum continetur, adeoque etiam ille vere eſt Lege Canonica interdictus, *Sanch. cit. diſ.* 48. *n.* 15.

XLVI. Tertia conditio requiſita ad incurrendam hanc excommunicationem in *cit. Clement. unic.* eſt, ut ſcienter tale matrimonium ineatur: unde ſi ignoranter ſit initum cum prædictis impedimentis, ea non incurritur, quia in *cit. Clement.* expreſſe exigitur, ut matrimonium ſcienter contrahatur cum impedimento conſanguinitatis, & affinitatis, vel cum Moniali.

Circa quam conditionem dubitatur 1. Qualis ignorantia excuſet ab hac excommunicatione incurrenda? Plures dicunt excuſare probabilem ignorantiam facti, ſed non juris, quia hæc non excuſat, juxta *Reg. Jur.* 13. *in* 6. Sed verius eſt excuſare ignorantiam etiam culpabilem, non ſolum facti, ſed etiam juris, imo & craſſam, dummodo non ſit affectate,

Digitized by Google

ctata, quia hæc æquiparatur ſcientiæ, qualem habent illi, qui ſcire nolunt, quod ſcire deberent, ut liberius peccent, juxta illud Pſ. 35. *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Ratio eſt, quia in *cit. Clement. unic.* exigitur, ut ſcienter ineatur id matrimonium: & quotieſcunque ſcientia requiritur ad incurrendam aliquam pœnam, exigitur dolus, & mala fides, *l. Sed etſi. 25. §. Scire, ff. de petit. hæred.* ubi expreſſe dicitur, *non ſolum, qui factum neſcit, ſed etiam qui in jure erravit, carere dolo*, ideoque non omnino ſcienter feciſſe, *Navarr. in Manu. c. 27. n. 141. Covarr. in Epit. l. 4. Decret. p. 2. c. 6. n. 21. Sanch. cit. diſ. 48. n. 59. Suar. cit. diſ. 23. de cenſ. ſec. 5. n. 13. & 14.* & alii apud eoſdem. Quod ſi alter ex conſanguineis, vel affinibus, vel Monialis ſcivit impedimentum, alter vero contrahens ignoravit, v. g. in tali gradu interdictum eſſe matrimonium, incurreret excommunicationem ſciens, non item ignorans, quia in ſciente reperiuntur omnes conditiones requiſitæ ad illam incurrendam, *Gl. hic V. Et Moniales. Sanch. c. l. n. 19. Suar. cit. ſec. 5. n. 56.*

XLVII. Dubitatur 2. An ſi quis ignorans, & bona fide contraxit matrimonium cum conſanguinea, vel affine, & poſtea conſcius impedimenti nihilominus ei cohabitet, & utatur conjugio, hanc excommunicationem incurrat? Reſp. non incurrere, *Gl. hic V. Scienter, Verſ. quid ſi.* Ratio eſt quia, in *cit. Clement. unic.* non punitur omnis inceſtus, vel inceſtuoſa cohabitatio, ſed ſolus contractus matrimonii, hic autem non fit novus contractus, & per priorem non fuit incurſa excommunicatio, excuſante ab illa ignorantia, *Suar. cit. diſ. 23. ſec. 5. n. 11. Sanch. cit. diſ. 48. num. 20.* Sed neque incurrunt excommunicationem, etiamſi poſtea inter ambos copula ſit habita effectu maritali, quia licet ante Concilium Tridentinum per talem copulam contractum fuerit, & perfectum matrimonium: non tamen nunc poſt Concilium, quia id jam ceſſavit; ac proinde hodie per talem cohabitationem, vel copulam etiam maritali affectu habitam, non perficitur matrimonium prius ignoranter contractum, adeoque nec incurritur hæc excommunicatio, *Sanch. c. l. n. 20.*

XLVIII. Dubitatur 3. An non ſolum in primis tribus caſibus poſitis in *princ. cit. Clement. unic.* excommunicati ſint ipſo jure, qui ſcienter cum conſanguinea, vel affine, vel Moniali matrimonium contrahunt: ſed etiam in poſterioribus tribus caſibus, ſi Religioſi, Moniales, vel Clerici in Sacris Ordinibus conſtituti ſcienter matrimonium contrahunt, ſimiliter ſint excommunicati? Ratio dubitandi eſt, quia in primis tribus caſibus ſolum apponitur particula *ſcienter*, quæ tamen in poſterioribus tribus caſibus non repetitur. Sed ratio diverſitatis eſt, quia licet quis poſſit ignorare, an cum conſanguinea, vel affine, vel Moniali contrahat matrimonium, quia impedimentum provenit ex conditione alterius perſonæ, cum qua contrahitur matrimonium. In aliis vero poſterioribus caſibus non habet locum talis ignorantia; nequit enim quis ignorare proprium ſtatum, quia tunc impedimentum conſiſtit in conditione ipſiuſmet contrahentis, ſcilicet quod ſit Religioſus, vel Monialis, vel Clericus in Sacris Ordinibus conſtitutus, & ipſe eſt, qui excommunicatur, ſi matrimonium contrahat, *Gl. in cit. Clem. un. V. Contrahentes. cit. diſ. 48. n. ult. Suar. cit. diſ. 23. ſec. 5. n. 15.* ubi ait, hanc eſſe communem ſententiam. Verum ſi adeſſet in hoc caſu probabilis ignorantia, ut ſi quis initiatus fuiſſet Sacris Ordinibus in amentia, vel dormiens, excuſaretur ab excommunicatione talis contrahens matrimonium, ut addit *Gl. cit.*

Poſtremo prædictis addendum, quod abſolutio ab hac excommunicatione ſit reſervata Epiſcopo, ut habetur hic in fine, *junct. Gl. V. Obtinere.* Deinde per prædicta aliis juribus, quæ ſic contrahentibus alias pœnas imponunt, minime derogatur, quæ allegantur a *Gl. hic V. Juribus in fine.*

SECTIO III.

De diſpenſatione in impedimentis conſanguinitatis, & affinitatis dirimentibus matrimonium, & de impedimento publicæ honeſtatis.

§. I.

Quouſque S. Pontifex diſpenſare poſſit in gradibus conſanguinitatis, & affinitatis?

XLIX. Generatim loquendo, poteſt Summus Pontifex diſpenſare in omnibus gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis Jure Eccleſiaſtico, ſeu Canonico ſolum prohibitis, & dirimentibus matrimonium, ut patet ex dictis ſupra *Tit. 2. hoc lib. n. 269.* Hinc infertur 1. quod poſſit Pontifex diſpenſare in omnibus gradibus conſanguinitatis lineæ tranſverſæ etiam in ſecundo, ſolo primo excepto, inter fratres, & ſorores. Neque vero obſtat, quod aliqui gradus conſanguinitatis, vel affinitatis etiam lineæ tranſverſæ, ſint Divina Lege prohibiti, ut colligitur ex *Levit. c. 18.* ubi generaliter dicitur: *omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedat, & revelet turpitudinem ejus*: at vero in gradibus Divina Lege prohibitis diſpenſari non poteſt, ut habetur in *c. Litteras. 13. §. Opinioni. de reſtit. ſpoliat.* Nam hoc non debet intelligi de gradibus prohibitis antiqua Lege Moſaica, quæ jam eſt abolita, ſed de gradibus Divina Lege naturali prohibitis, juxta *Gl. ibid. V. Divina Lege*, videlicet inter patrem & filiam, matrem & filium, & ſecundum probabiliorem ſententiam, inter fratres, & ſorores; etſi enim certum non ſit, an hoc matrimonium irritum ſit Jure naturali: quia tamen id eſt valde probabile, ideo Eccleſia non ſolet unquam in illo diſpenſare, *Laym. cit. c. 6. n. 4. in fine.*

Porro quamvis Concilium Tridentin. *seſſ. 24. c. 5. de reform. matrim. in fine* decernat, *ut in ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam*, ibi tamen nomine magnorum Principum, ſecundum *Sanch. l. 8. diſ. 19. num. 2.* intelliguntur etiam, & comprehenduntur Magnates, ſive magni Domini Titulares, vel magni Nobiles, qui degunt in aliquo Potentatu, ſeu Baronia, & *Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 6. num. 8.* Quin etiam ſolet S. Pontifex ex benignitate diſpenſare interdum cum perſonis inferioris conditionis ob cauſam urgentem etiam privatam, cum Concilii Trident. Decretum ipſum Pontificem non poſſit aſtringere, *Sanch. c. l. num. 4.* Ubi alias etiam cauſas recenſet, ut quia jam matrimonium contractum fuit inter aliquos ignorantes tam rigidam prohibitionem, vel proles jam ſuſcepta ſuit, vel ob ſcandalum, quod ex ſeparatione orietur, vel ob paupertatem puellæ, quam patruelis vult ducere, & honeſte dotare &c.

L. Infertur 2. Poteſt etiam S. Pontifex diſpenſare in omnibus gradibus affinitatis lineæ tranſverſæ, v. g. ut quis ducat ſororem, vel conſobrinam, vel materteram uxoris defunctæ. In affinitate vero orta ex copula fornicaria, probabile eſt, diſpenſari poſſe etiam in primo gradu lineæ rectæ, ut ſi quis ob urgentem cauſam ducat filiam mulieris, cum qua fornicatus eſt, ut ex Rebello docet *Laym. c. l.*

Infertur 3. Difficilius diſpenſatur ſuper impedimento conſanguinitatis, quam ſuper impedimento affinitatis in ſimili gradu, *Sanch. l. 8. diſ. 19. num. 7. & Laym. cit. c. 6. num. 10.* Ratio eſt, quia major eſt conjunctio inter conſanguineos, quam inter affines; nam conjunctio conſanguinitatis eſt prior, & magis per ſe, & veluti menſura affinitatis; hæc enim oritur ex eo, quod vir, & mulier per copulam carnalem fiunt veluti una caro, ideoque omnes conſanguinei unius conjugis, v. g. viri, fiunt affines alterius conjugis, ſive mulieris in eodem gradu, in quo ſunt conſanguinei viri, ac proinde affinitas contrahitur ex conſanguinitate velut priore, & radice illius. Neque obſtat, quod in *c. Æquitatis. 13. cauſ. 35. q. 3. & c. 1. h. t.* dicitur, *quod æque abſtinendum ſit a conſanguineis uxoris ſicut a propriis*. Nam id intelligendum eſt, non de omnimoda æqualitate, ſed de ſimilitudinaria, quia ſicut prohibitum eſt contrahere matrimonium viro cum propriis conſanguineis, intra certos gradus, ita ſimiliter cum conſanguineis uxoris, etſi magis cum propriis, & vice verſa. Denique quo propinquior eſt gradus conſanguinitatis, vel affinitatis, eo urgentior cauſa exigitur ad diſpenſandum, quia eſt ſtrictius impedimentum, & vinculum, & major cauſa requiritur, ut diſpenſetur in linea recta, quam in tranſverſa, *Sanch. c. l. n. 7.*

§. II.

An in diſpenſatione aliquibus conceſſa in linea collaterali inæquali attendendus ſit, & exprimendus gradus conſanguinitatis, vel affinitatis remotior, an vero propinquior?

LI. De hac re agitur in *c. Quod dilecto. 3. h. t.* Ubi conſultus fuit Clemens III. utrum vir qui a communi ſtipite per lineam deſcendentem, ſexto vel ſeptimo gradu diſtat, poſſit mulieri, quæ ex altera parte per lineam deſcendentem ab eodem ſtipite, ſecundo, vel tertio gradu diſtat, matrimonio copulari, quia Legatus Sedis Apoſtolicæ permiſit hominibus illius Terræ, ut in ſexto gradu poſſint matrimonialiter conjungi (*c. fin. h. t.*) Idque videtur fieri poſſe, ſecundum regulam illam: *Quota gradu quis diſtat a ſtipite, tanto diſtat a quolibet per aliam lineam deſcendentem ab eodem ſtipite.* Etſi incolæ illius Terræ ex conſuetudine recepta (propter eum, qui eſt in proximiore gradu a ſtipite, *Gl. hic. V. Proximiorem*). ſic conjunctos ſeparent, & volentes copulari prohibeant. Reſcribit Pontifex, indulgentiam illam legati ſic intelligendam eſſe, quod uterque eorum, qui conjungendi ſunt, diſtet a ſtipite ſexto gradu: ſi vero alter ſexto, vel ſeptimo gradu diſtet a ſtipite, alter autem ſecundo, vel tertio, conjungi non debent: ideoque conſultius eſſe, ut hac in parte multitudini, & obſervatæ hactenus conſuetudini deferatur, quam ut aliud, cum ſcandalo populi, & quadam novitate ſtatuatur.

LII. Pro explicatione hujus cap. notandum 1. Si diſpenſatio concedatur duobus conſanguineis, ut contrahere poſſint matrimonium in ſexto gradu alias prohibito; tunc ſpectato Jure communi Canonico, ſi exiſtunt in linea collaterali inæquali, & unus diſtat a communi ſtipite, ſeu parente in ſexto, vel ſeptimo gradu; alter vero in ſecundo, vel tertio gradu, ut in caſu hujus c. (idemque eſſet hodierno jure, ſi unus in tertio, vel quarto, alter vero in ſecundo, vel tertio gradu eſſet) tum computatio graduum fieri debet a remotiore, & attendi, ac exprimi debet gradus remotior, juxta *c. ult. h. t.* niſi aliud ſit conſuetudine introductum: tunc enim computatio fieri debet a propinquiore, & attendi, ac exprimi debet gradus propinquior ſtipiti, juxta præſens c. ubi ita deciſum fuit, ratione conſuetudinis, quæ in eo loco vigebat, ex cujus violatione ſcandalum in populo oriebatur, vel timebatur, *Gl. hic V. Uterque, Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 6. §. 10. n. 12. Sanch. l. 8. de matrim. diſ. 1. n. 33.* & alii apud ipſum. Quare remota hac conſuetudine, certiſſimiliter S. Pontifex reſpondiſſet ſecundum regulam expreſſam in hoc *c. 3. & c. fin. ted.* videlicet quod quando diſpen-

Google

diſpenſatur cum duobus conſanguineis, ad contrahendum matrimonium, quorum unus eſt in remotiore gradu, alter in propinquiore; tunc remotior gradu favore matrimonii trahit ad ſe proximiorem gradu: & quo gradu remotior diſtat a communi ſtipite, eodem diſtat a cognato, qui eſt propinquior communi ſtipiti, & illum in eodem ſecum gradu collocat: & ita ſatis alia videtur, ut remotioris tangum gradus mancio fiat, Covarr. c. l. n. 12.

LIII. Notandum 2. Antiqua conſuetudo, quæ non eſt reprobata a Jure, ſi ſit contraria Juri communi, vel indulgentiæ, aut diſpenſationi Principis, & ex ejus tranſgreſſione generatur ſcandalum populi, ſervanda eſt: ſicut enim conſuetudo interpretatur legem, *c. Cum dilectus. 8. de conſuet.* ita etiam interpretatur indulgentiam, ſeu privilegium Principis, *Gl. hic V. Obſervata. & Abb. n. 3.* præſertim ne ſcandalum generetur.

Notandum 3. Quando in hoc cap. ſit mentio de ſexto, vel ſeptimo gradu, id intelligi debet, ſecundum antiquos Canones, quibus interdictum erat matrimonium uſque ad ſeptimum gradum, *c. 1. c. De conſanguineis, 17. & c. Nulli. 19. cauſ. 35. q. 3.* non vero ſecundum Jus recentiur, quo tres poſteriores ſunt ſublati per *c. Non debet. 8. h. t.* nihilominus tamen hodie adhuc locum habet diſpoſitio hujus cap. ita ut ex diſpenſatione Papæ diſtantes in tertio, & quarto gradu, poſſint inter ſe matrimonium contrahere, *Abb. hic in fine.*

Notandum 4. Legatus Papæ, etiam de latere, non poteſt diſpenſare in gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis Jure Canonico prohibitis, ſicut nec in aliis impedimentis matrimonialibus, quia circa diſpenſationes, ea ſolum poteſt in Provincia ſibi commiſſa, quæ poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi: nam cum Legatus, etiam de latere, ſit inferior Papa, nec generaliter, nec ſpecialiter poteſt in his impedimentis diſpenſare, niſi in ſpeciali caſu, ob cauſam urgentem, ſi non eſſet recurſus ad Papam, & impedimentum ſit occultum. *Sanch. l. 8. de matr. diſ. 6. n. 15.* & alii apud ipſum. Unde diſpenſatio in hoc cap. facta eſt e Legato ex ſpeciali commiſſione Papæ, alias non tenuiſſet, *Gl. hic V. Indulgentiam.*

LIV. Ex dictis colligitur 1. quamvis vi conſuetudinis, non poſſint matrimonium inter ſe contrahere, quos lex Pontificia prohibet matrimonio copulari, *c. Quod ſuper. 5. h. t. in fine:* poteſt tamen vi conſuetudinis, a laicis, ut laicis, inductæ, prohiberi, ne inter aliquas perſonas contrahatur matrimonium, ob evitandum ſcandalum, quamvis illi alias ad matrimonium habiles, & legitimi forent, juxta *c. 3. h. t.* non ex eo, quod conſuetudo prohibere poſſit matrimonium inter eos, quibus id Canones permittunt: ſed quia cum ſcandalo Canones contrahere matrimonia non ſinunt, *Covarr. cit. c. 6. §. 10. n. 18.*

Colligitur 2. Quando duo diſtant in diverſo gradu conſanguinitatis, vel affinitatis a communi ſtipite, in linea tranſverſa inæquali, & propinquior diſtet in primo gradu ab eodem ſtipite, tunc exprimenda eſt talis propinquitas, alias diſpenſatio erit ſubreptitia. Ut ſi vir velit ducere filiam avi, aut proavi ſui, vel defunctæ uxoris ſuæ: vel mulier nubere velit filio avi, aut proavi ſui, vel defuncti mariti ſui, quia Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Aſcendens per quendam*, anno 1566. die 26. Auguſt. edita, declaravit, non eſſe mentem Pontificis in ejuſmodi gradibus diſpenſare, niſi exprimatur, quia hæc matrimonia continent ſingularem indecentiam, ob reverentiam, quæ hujuſmodi perſonis debetur, fere ſimiliter ac parentibus, *Coning. diſ. 33. de Sacram. dub. 6. n. 72. Laym. cit. c. 6. n. 9.* In aliis vero gradibus remotioribus attenditur gradus remotior, & trahit ad ſe propinquiorem, juxta cit. Bullam Pii V. ideoque ſufficit exprimere remotiorem, obtentis tamen poſtea ſuper propinquiore gradu litteris declaratoriis, *Fagn. in c. ult. n. 4. & 5. h. t.* ubi *n. 8.* addit, quod gradus primus, non autem remotior attenditur, quoad obtinendam diſpenſationem matrimonialem; non autem quoad inducendum impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis, aut publicæ honeſtatis; tunc enim non attenditur primus gradus, ſed remotior, ut ſupra dictum.

LV. Ubi præterea addendum, ſi graduum inæqualitas oriatur ex eo, quod fœmina, quæ in uxorem ducenda eſt, ſit ſtipiti propinquior, id quoque exprimendum eſt, alias diſpenſatio eſt ſubreptitia, ut ſi ſit amita, vel matertera viri, quia tunc turpius videtur contrahi matrimonium, ſi fœmina, cui conſobrinus, ſeu nepos ex fratre, vel ſorore reverentiam debebat, ratione matrimonii inter eos initi, eidem nepoti ſubjecta eſſe deberet, *Sanch. lib. 8. diſ. 14. n. 12.* ubi tamen *n. 13.* ait, in affinitate, aut publica honeſtate, hanc propinquitatem cum ſtipite non eſſe neceſſarium exprimere, ſed ſatis eſſe inæqualitatem gradus exprimi, *Laym. c. 6.*

§. III.

An diſpenſatio obtenta a Papa contrahendi matrimonium inter conſanguineos, in gradu prohibito, valeat, ſi in ea falſa cauſa ſit expreſſa?

LVI. De hac re agitur in *c. Quia circa. 6. h. t.* Ubi „ talis caſus proponitur ſecundum unum intellectum, ſeu „ expoſitionem. Cum quidam Nobilis contraxiſſet matri„ monium cum quadam muliere, quæ ipſum contingebat „ quinto gradu conſanguinitatis, de qua filiam unicam ſuſ„ cepit, ſed poſtea ipſa filia mortua eſt, poſt cujus mor„ tem Nobilis ille ſupplicabat Papæ Innocentio III. ut „ favore filiæ, quam de illa muliere ſuſcepit, ſimul rema„ nere, & cohabitare poſſit, quod Papa conceſſit, & ſic „ allegata cauſa falſa, Papa diſpenſavit, cum tamen jam „ ante diſpenſationem obtentam, unica filia ex illis geni„ ta fuerit mortua. Conſultus ab Epiſcopo loci, quid hoc „ caſu ſit faciendum? Reſpondet Papa, dictos conjuges „ non eſſe ſeparandos, ſed poſſe Epiſcopum diſſimulare, „ ut remaneant, & cohabitent ſimul in tali matrimonio, „ non obſtante, quod falſa cauſa fuerit allegata, cum ex „ ſeparatione talis matrimonii grave ſcandalum imminere „ videatur.

LVII. Duplex eſt intellectus, ſive expoſitio hujus cap. apud Interpretes circa verba illa Pontificis: *diſſimulare poteris, ut remaneant in copula ſic contracta, cum ex ſeparatione, ſicut aſſeris, grave videas ſcandalum imminere.* Prior eſt eorum, qui ita intelligunt, ut per diſſimulationem illam Pontificis diſpenſatio inducatur, ratione cujus conjuges illi ſimul manere poſſunt in priore matrimonio, quod invalidum erat, ſed fuit cum illis diſpenſatum. Nec obſtat *c. Cum jam dudum 18. de præbend.* ex quo conſtat, diſſimulationem Principis non inducere diſpenſationem: nam hoc verum eſt, quando Princeps de facto tantum aliquid tolerat, non puniendo illud; tunc enim per talem tolerantiam non inducitur diſpenſatio, ut in *cit. c. Cum jam dudum*: aliud eſt, ſi verbis exprimat Princeps, ſe hoc, vel illud tolerare, tunc enim diſpenſat, juxta *cit. c. Quia circa.* Et ita exponit hoc cap. *Gloſſ. hic V. Falſe nobis tacuiſſe*, *Abb. hic n. 5.* & alii communiter. Sed hæc expoſitio non videtur bona, quia hic ſolum dicitur, Epiſcopum diſſimulare poſſe, ut tales remaneant in tali matrimonio per diſpenſationem ſubreptitiam contracto, ſi ex ſeparatione grave immineat ſcandalum; ergo Papa non diſpenſat. Deinde etiamſi diſſimulatio illa vim diſpenſationis habuiſſet, ut conjuges illi licite permanerent in tali matrimonio, debuiſſent aliud matrimonium per novum conſenſum utriuſque inter ſe inire, quia ad ratificandum matrimonium invalidum, ob impedimentum dirimens, ſi impetretur impedimenti diſpenſatio, requiritur, ut novus utriuſque contrahentis conſenſus accedat: quia cum prior conſenſus fuerit ex parte utriuſque contrahentis invalidus, & illegitimus, quippe præſtitus ſuper materia inhabili, denuo uterque renovandus erat; ut docet *Sanch. l. 2. de matr. diſ. 35. n. 2. & diſ. 38. n. 12.*

LVIII. Altera expoſitio hujus cap. eſt, quod conjuges bona fide exiſtimabant, ſe legitime matrimonio conjunctos eſſe, & ex veritate detecta timebatur grave ſcandalum: quare Pontifex ait, tacendum, & diſſimulandum eſſe: illoſque in matrimonio illo putativo, & ob invincibilem ignorantiam excuſato permittendos eſſe, *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 6. §. 10. n. 15. Sanch. cit. diſ. 38. n. 12.* quæ expoſitio videtur magis congruere litteræ ipſius textus, in quo de diſpenſatione nihil agitur, vel exprimitur, ſed tantum diſſimulandum eſſe dicitur, ut illi permaneant in priore matrimonio.

LIX. Verum quia prior expoſitio eſt communior, nempe non valere diſpenſationem obtentam a Papa ſuper matrimonio inter conſanguineos contracto, ſi in ea falſa cauſa ſit expreſſa, niſi Papa eam confirmet, prout communiter ſummatur hoc cap. ideo ſecundum hanc expoſitionem notandum 1. Veritas narratorum conſideranda eſt, ſecundum tempus datæ, & impetratæ diſpenſationis: non enim ſufficit, narrata prius fuiſſe vera, vel poſt impetrationem ratificari, *Abb. hic n. 4. & Alex. de Nevo n. 4.* nam iſte impetrans habuerat filiam, ſed non habebat eam, tempore impetratæ diſpenſationis, quia tunc jam mortua erat, & ideo diſpenſatio fuit ſubreptitia, & nulla: poſito ergo, quod verba illa *diſſimulare poteris* habeant vim diſpenſationis: diſpenſatio autem ob expreſſam falſam cauſam, & matrimonium inde contractum non valeat, ſtolidum foret dicere, ut manerent in adulterio, *Innoc. hic in fine.* Unde verba illa *diſſimulare poteris*, quæ habent vim diſpenſationis, ſic exponenda ſunt: *ex certa ſcientia, & de noſtra licentia, quam auctoritate præſentium damus, & ſic quod nullum erat, roboramus*: nam cum ſubreptio, cum expreſſione cauſæ falſæ, vitiat diſpenſationem ipſo facto *c. 2. de fil. Presbyt.* ubi dicitur, diſpenſationem impetratam per ſubreptionem commiſſam in tacendo verum, eſſe ipſo jure nullam, multo magis erit nulla, ſi fuerit nulla diſpenſatio, per ſubreptionem commiſſam, exprimendo falſum, quia deteſtabilius eſt falſum exprimere, quam verum tacere, *Abb. hic n. 4. Gagn. hic n. 2. 3. & 4.*

Notandum 2. Duæ ſunt cauſæ diſpenſandi in matrimonio contracto in gradu Jure Canonico prohibito. Prima eſt, ſi ex matrimonio ſic contracto proles ſit ſuperſtes; tunc enim in tali matrimonio favore filiorum diſpenſatur. Altera cauſa eſt, propter ſcandalum vitandum, & ob hanc cauſam diſpenſatur, non tantum ſuper matrimonio jam contracto, ſed etiam ſuper eo contrahendo, quia propter ſcandalum receditur a diſpenſatione Juris poſitivi. Item propter bonum pacis futurum quotidie diſpenſat Papa inter conſanguineos, vel affines, *Abb. in cit. Quia circa. num. 2. Alex. de Nevo num. 2.*

§. IV.

De impedimento publicæ honeſtatis orto ex matrimonio rato, & nondum conſummato.

Duplex eſt impedimentum publicæ honeſtatis, unum e quod

Digitized by Google

quod provenit ex ſponſalibus de futuro, de quo actum ſupra *Tit.* 1. *ſec.* 1. §. 6. *n.* 31. & pluribus *ſeqq.* Alterum eſt impedimentum publicæ honeſtatis, quod eſt quædam quaſi affinitas, & oritur ex matrimonio rato, & non conſummato, & de hoc agitur in præſenti.

LX. Aſſertio 1. Ex matrimonio rato, & nondum conſummato oritur impedimentum publicæ honeſtatis dirimens, etiam hodie poſt Concilium Tridentinum, matrimonium cum alterius conjugis conſanguineis, uſque ad quartum gradum incluſive, *Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 70. *n.* 1. quia Concilium in hoc Juri antiquo nihil derogavit, ut expreſſe declaravit Pius V, in Bulla, quæ incipit, *Ad Romanum*, edita anno 1568. die 21. Julii. Et quamvis in Jure Canonico non ſit textus expreſſus hac de re, colligitur tamen ex illo argumento deducto a fortiori, ſeu a majore; ſi enim ex ſponſalibus oritur impedimentum publicæ honeſtatis, multo magis orietur ex matrimonio rato, quod eſt fortius vinculum, & majorem conjunctionem, ac neceſſitudinem importat, cum vera, & propria dicta affinitas conſurgere non poſſit, quippe quæ non contrahitur, niſi per copulam carnalem, eamque conſummatam, & perfectam, ut ſupra dictum, *Sanch. cit. diſ.* 70. *n.* 1. Verum *Coninq. diſ.* 32. *de Sacram. dub.* 5. *n.* 58. putat, eſſe expreſſum Jus, quo probetur, hoc impedimentum eſſe ex matrimonio rato, eo quod *c. Si quis uxorem.* 14. & *c. Si quis deſponſaverit.* 15. *cauſ.* 27. *q.* 2. loquantur tam de deſponſante, per verba ſcilicet de præſenti, quam de ſubarrhante contrahendo ſponſalia, quæ duo ibi aperte diſtinguuntur.

LXI. Aſſertio 2. Hoc impedimentum publicæ honeſtatis etiam hodie oritur ex matrimonio rato, & nondum conſummato, uſque ad quartum gradum incluſive, etiamſi illud irritum fuerit ex quacunque cauſa: quia etſi Concilium Tridentinum *Seſſ.* 24. *c.* 3. *de reform. matr.* correxit quoad hoc Jus antiquum in ſponſalibus de futuro: non autem in matrimonio ſic, ut præfertur, contracto: ſed in eo durat adhuc impedimentum hoc in omnibus illis caſibus, & gradibus, quibus de Jure veteri, ante prædictum Decretum Concilii, introductum erat, ut expreſſe conſtat ex Motu proprio Pii V. ſupra citato, & habetur apud *Sanch. l.* 7. *diſ.* 70. *n.* 5. ac proinde a ſponſalibus de futuro ad matrimonium ratum extendi non debet ejus correctio. Idque declaravit etiam S. Congregatio Cardinalium apud *Jo. Gallemart. in cit. c.* 3. *Concil. Trident.* ubi *n.* 1. ait; hoc impedimentum intelligitur etiam in ſponſalibus de futuro: ſecus eſt, ſi matrimonium fuiſſet contractum per verba de præſenti, ut declaravit Pius V. & *n.* 3. in fine ait: *Ex matrimonio contracto per verba de præſenti etiam non conſummato oritur affinitas, vel impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis, eſtque fortius, & majus vinculum, quam impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis ex ſponſalibus de futuro.*

LXII. Hinc infertur 1. Quamvis *Navar. in man. c.* 22. *n.* 58. & *Covarr. in* 4. *Decret. p.* 2. *c.* 6. §. 2. *n.* 2. aſſerant, ob paritatem rationis etiam correctionem Concilii Tridentini e ſponſalibus irritis extendi ad matrimonium irritum, ita ut hodie non contrahatur impedimentum publicæ honeſtatis ex matrimonio invalido ex alia cauſa, quam ex defectu conſenſus, quam ſententiam probabilem cenſet *Tanner. tom.* 4. *diſ.* 8. *q.* 4. *dub.* 6. *n.* 112. quia cum hoc ſit correctum per Concilium in ſponſalibus irritis, videtur quoque in matrimonio rato irrito id eſſe correctum; quandoquidem & olim impedimentum illud in hoc caſu nonniſi ex eo colligebatur, quod de ſponſalibus id ſimile erat conſtitutum in *c. un. de ſponſal. in* 6. Verumtamen certiſſimum eſt, ut ait *Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 70. *nu.* 5. id non eſſe correctum, adeoque ex matrimonio rato irrito ex quacunque cauſa, præterquam ob defectum conſenſus oriri hoc impedimentum, ut conſtat ex Bulla Pii V. *ſupr. cit.* & hinc non oritur hoc impedimentum, ſi matrimonium ſit irritum ob metum cadentem in virum conſtantem, adeoque ob defectum liberi conſenſus: vel ob errorem perſonæ, quia etiam eſt nullum ex defectu conſenſus, *Sanch. c. l. n.* 9. & 10.

Infertur 2. Nec oritur hoc impedimentum, quando matrimonium eſt clandeſtinum, quia deeſt præſentia Parochi, & duplicis teſtis; nam tale matrimonium non habet formam, & figuram matrimonii, quæ poſt Concilium Tridentinum eſt conſenſus præſtitus coram Parocho, & teſtibus, & ſecundum probabiliorem ſententiam, nec vim ſponſalium habet, *Sanch. cit. loc. n.* 13.

Infertur 3. Si Titius iniit ſponſalia cum Caja, cum qua poſtea Sempronius frater Titii matrimonium de præſenti contraxit, non tamen conſummavit, matrimonium hoc poſterius Cajæ cum Sempronio eſt irritum, ob impedimentum publicæ honeſtatis, ex prioribus ſponſalibus cum Titio fratre ortum. Et quamvis matrimonium irritum inducat impedimentum matrimonii valide contrahendi ex parte utriuſque conjugis, intra quartum gradum: non tamen inducit impedimentum publicæ honeſtatis cum ſponſo, cui prius fides data eſt, adeoque Titius poterit adhuc Cajam ducere (quamvis non teneatur, cum hæc fidem ſponſalium fregerit) licet alius conſanguineus Sempronii eam ducere non poſſet: quia poſterior deſponſatio de præſenti non habet vim quaſi reciprocam irritendi præcedentia ſponſalia, per quæ infirmatum fuit poſterius matrimonium, *Sanch. l.* 7. *diſ.* 68. *n. ult.* Quod ſi Sempronius frater Titii poſtea cum Caja matrimonium conſummaſſet, tum neutro poſſet illud valide contrahere: non cum priore, ob impedimentum affinitatis conſurgens ex copula cum ſorore habita: non cum poſteriore, ob impedimentum publicæ honeſtatis ex ſponſalibus valide contractis cum ejus ſorore, *Sanch. cit. diſ.* 68. *n.* 24. *Tanner. cit. dub.* 6. *n. ult.*

Infertur 4. Si Petrus abſolute ſibi deſponſavit Annam, & poſtea carnaliter cognoſcat ſororem ejus Barbaram, neutram poteſt ducere in uxorem: non primam, ob impedimentum publicæ honeſtatis: non ſecundam, propter impedimentum contractæ affinitatis cum Barbara. Similiter ſi Titius fornicatus eſt cum Caja, & poſtea ſponſalia contraxit cum Seja ſorore ejus, neutram habere poteſt, ob prædicta utraque impedimenta. An autem ex matrimonio tam rato ſub conditione de futuro honeſta, & contingenti, oriatur hoc impedimentum, credit *Sanch. lib.* 7. *de mat. diſ.* 70. *n.* 20. Porro utrumque impedimentum publicæ honeſtatis ortum, ſive ex ſponſalibus, ſive ex matrimonio rato, & non conſummato Jure ſolum humano eſt introductum.

TITULUS XV.

DE FRIGIDIS, ET MALEFICIATIS, ET IMPOTENTIA COEUNDI.

I.

PRo explicatione Rubricæ hujus Tituli notandum 1. impotentia alia eſt ad prolis generationem, quæ ſi ſola ſit, matrimonium non impedit, nec dirimit. Alia vero eſt impotentia ad copulam carnalem perfectam, per quam ſcilicet cum penetratione vaſis fœminei intra illud ſemen immittitur: ſive ea impotentia proveniat ex cauſa naturali, & intrinſeca, ut frigiditate in viro, aut etiam nimia caliditate (ob quam, vel omnino ſeminare non poſſit, vel non poſſit penetrare vas fœmineum, & in illud ſemen immittere: vel nimis propere emittat ſemen, extra vas muliebre) vel id ex arctitudine fœminæ proveniat, ob quam non poſſit ſemen intra vas recipere: ſive impotentia talis proveniat ex cauſa extrinſeca, & accidentaria, v. g. morbo: vel proveniat ex maleficio diabolico, quod utrique ſexui commune eſſe poteſt, aut ex caſtratione, quæ viris eſt peculiaris, *Sanc. l.* 6. *de matr. diſ.* 92. *n.* 1.

Notandum 2. Impotentia hæc ad copulam carnalem, alia eſt perpetua, alia temporalis. Perpetua dicitur, quæ arte medica, aut ſine miraculo, vel per conſuetos Eccleſiæ Exorciſmos, vel ſine peccato, ut per illicitam incantationem, vel ſine gravi periculo vitæ, aut etiam ſine damno corporis alterius, tolli non poteſt, adeoque cenſetur curari non poſſe. Temporalis impotentia eſt, quæ ſine peccato, aut gravi periculo, ſed damno corporis, per licita, & ordinaria remedia, naturalia, vel ſpiritualia tolli poteſt, ut colligitur ex *c. Fraternitatis.* 6. ibi: *præter divinum miraculum, per opus humanum, abſque corporis periculo removeri poteſt.* *h. t.* Rurſus impotentia perpetua, alia eſt abſoluta, quæ reſpectu cujuſvis perſonæ impedit copulam carnalem: alia reſpectiva, quæ tantum reſpectu certæ perſonæ impedit, qualis communiter eſt in maleficiatis, vel reſpectu hujus, aut illius tantum, vel aliquorum ſimilium, Sanch. *c. l.* Denique alia impotentia ad copulam præcedit matrimonium, alia ſequitur, & ſupervenit.

§. I.

Quinam ſint impotentes ad matrimonium contrahendum, vel non?

II. De his agitur in *c. Quod Sedem.* 2. *h. t.* Ubi generatim dicitur: ſicut puer, qui non poteſt reddere debitum (conjugale) non eſt aptus conjugio: ſic qui impotentes ſunt (ad copulam carnalem) minime apti ſunt ad contrahendum matrimonium. Ubi notandum 1. Varii ſunt modi impotentiæ ad copulam, tam ex parte viri, quam mulieris. Nam primo quædam eſt ſimpliciter talis, ut notat *Tanner. tom.* 4. *diſ.* 8. *q.* 4. *dub.* 8. *nu.* 133. tum ex parte viri, quando intra vas naturale mulieris ſeminare non poteſt, licet forte id perrumpere valeat, ut fit quandoque in ſpadonibus, & Eunuchis; vel etiam extra illud, ſine penetratione ſemen emittere: tum etiam ex parte mulieris, ſi tam arcta ſit, ut ſemen virile nullo modo poſſit recipere. Alia eſt impotentia ſecundum quid, quando vir ob debilitatem non poteſt penetrare vas naturale fœminæ, licet poſt apertum clauſtrum virginale, in eo poſſit ſeminare: ex parte fœminæ vero, quando ſeminare non valet, vel ob ejus arctitudinem a viro deflorari non poteſt, licet ea alioquin apta ſit ad concubitum cum viro. Aliqui tamen aliter hanc utramque impotentiam explicant.

Notandum 2. Impotentia ex parte cauſæ, ex qua oritur, eſt triplex, quædam oritur ex naturali conſtitutione, ſeu complexione, quæ in viris proprie dicitur frigiditas, & in fœminis arctitudo: quædam provenit ex accidente extrinſeco, nempe per ſectionem, vel abſciſſionem membrorum genitalium, vel ex maleficio Diabolico, Tanner. *c. l. num.* 135.

III. Hinc ſequitur 1. Eunuchos, ſeu ſpadones, qui a natura carent utroque teſticulo, & caſtratos, qui ex accidenti habent hoc vitium, non poſſe valide contrahere matrimonium, quia non poſſunt emittere verum ſemen, pro quo citatur propria Bulla Sixti V. anno 1587. edita, apud

Sanch.

Sanch. l. 7. de matr. diſ. 92. n. 17. Neque etiam ſatisfacere poſſunt fini ſecundario matrimonii, qui eſt remedium concupiſcentiæ, quia hoc eſt finis matrimonii habitum per quamcunque copulam, ſed per copulam ſuapte natura aptam ad generationem.

Sequitur 2. Hermaphroditos valide contrahere poſſe matrimonium, ita ut in quibus prævalet ſexus virilis, cum fœminis, in quibus ſexus fœmineus, cum viris contrahere poſſint; quia ſunt vere potentes ad uſum matrimonii, & matrimonium, juxta alium ſexum, contractum jure naturæ irritum foret, quia inter perſonas ejuſdem ſexus initum eſſet; ſi enim prævaleat ſexus fœmineus, reputatur fœmina, & tamen ducit fœminam, ac ſi vir eſſet: & ſi prævaleat ſexus virilis, reputatur vir, & tamen inſtar fœminæ nubit viro, *Sanch. l. 7. diſ. 106. n. 4. & 5.* Quod ſi uterque ſexus in hermaphrodito eſt æqualis: tunc talis æque vir, ac mulier eſt judicandus, cum nulla ratio urgeat, ob quam magis hujus, quam illius ſexus eſſe cenſeatur. Quare tunc eligere poteſt, juxta qualem ſexum matrimonio jungi velit, num tamquam vir, an tamquam fœmina, qua electione ſemel facta, non poteſt poſtea altero ſexu uti, *Sanch. c. l. n. 1.* Judicium vero, quis ſexus prævaleat, eſt penes Matronas peritas, vel Medicos, *Sanch. c. l. nu. 2.*

IV. Sequitur 3. Senes etiam decrepitos poſſe inire matrimonium, ſi nullo alio impedimento, præter ſenectutem, laborent, tum quia poſſunt exercere perfectum actum conjugalem, & verum ſemen emittere intra vas, etſi per accidens impeditum, & infœcundum: tum quia defectus caloris poteſt arte medica in iis ſubinde reſtaurari, ita ut etiam prolem interdum ſuſcipiant: tum denique quia id ſatis uſus probat Eccleſiæ admittentis ſenes paſſim ad matrimonia ineunda, idque in humanioris ſolatium, *c. Nuptiarum. 41. cauſ. 27. q. 1. Sanch. l. 7. diſ. 92. n. 19.* ubi tamen *n. 24.* id limitat, niſi ſenes ſint adeo exhauſti, ut omnino impotentes ſint ad habendam copulam, nec judicio Medicorum juvari poſſint, cum nihil referat, ſive ex natura, ſive ex accidenti, impotentia perpetua conſurgat; tales enim non poſſunt ad copulam ſibi impoſſibilem obligari.

Sequitur 4. Steriles quoque valide contrahere matrimonium, ut probat etiam uſus Eccleſiæ in ſenibus, quorum ſemen eſt ut plurimum ſterile. Ratio eſt, quia licet tale matrimonium fruſtretur fine primario, qui eſt prolis generatio, adhuc tamen obtinet finem ſecundarium, qui eſt remedium concupiſcentiæ, interveniente vera copula, *Sanch. c. l. num. 26.*

V. Sequitur 5. Mulieres, quæ non poſſunt parere, ſine vitæ periculo, vel nonniſi fœtum mortuum, valide contrahere matrimonium, ſi alias aptæ ſint ad copulam, quia adeſt obligatio, & traditio poteſtatis corporum ad copulam perfectam, adeoque tota eſſentia matrimonii. Et quamvis mulieri ſcienti hunc defectum in pariendo illicitum ſit nubere, ob vitæ periculum, quod vitare tenetur, ſi commode poteſt (niſi graves pateretur tentationes carnis, præſertim cum periculo iis ſuccumbendi, *Coning. diſ. 31. de Sacram. dub. 7. n. 86.*) non tamen ideo irritum eſt matrimonium, quia ſatis eſt, copulam ſecundum ſe, & ſuapte natura eſſe licitam, tametſi ex aliquo accidenti fiat illicita, ut patet in eo, qui voto caſtitatis ligatus contrahit matrimonium, *Sanch. cit. diſ. 92. n. 28.* ubi tamen etiam oppoſitam ſententiam fatetur probabilem. Neque tali caſu fit injuria proli, quæ mortua edenda putatur, quia hoc eſt præter intentionem conjugum, qui jure ſuo utuntur, *Coning. c. l. n. 85.*

VI. Sequitur 6. Etiam in articulo mortis conſtitutum poſſe contrahere matrimonium, quia potentia generandi adhuc perſeverat, etſi ſit pro hoc tempore per accidens impedita, ut in actum deduci non poſſit. Idque confirmatur ex uſu Eccleſiæ, quæ permittit, ut quis in hoc articulo ducat concubinam: & quia propoſitum evitandi generationem, & debitum non reddendi non irritat matrimonium, ſi in pactum non deducatur, *Sanch. l. 7. diſ. 105. n. 3.*

§. II.

An, & qualis impotentia coeundi dirimat matrimonium?

VII. Aſſertio 1. Impotentia perpetua ad copulam & generalis reſpectu omnium, quæ arte medica, ſine miraculo, aut peccato, aut gravi corporis periculo, vel damno, tolli non poteſt, ſive ex natura, ſive ex alia extrinſeca cauſa oriatur, ſi præcedat matrimonium, dirimit illud jure naturæ, *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 92. n. 2. & diſ. 89. n. 2.* Ratio eſt, quia de intrinſeca ratione, & eſſentia matrimonii eſt obligatio, ſeu traditio poteſtatis corporis ad uſum, ſeu copulam conjugalem; at qui abſolute, & perpetuo impotens eſt ad copulam, non poteſt ſe obligare ad dandum, vel tradendum corpus potens ad copulam, impoſſibilium enim nulla eſt obligatio, *Reg. 185. ff. de R. Jur.* & nemo poteſt alteri tradere poteſtatem ejus rei, quam nullo modo habet, *Reg. Jur. 80. in 6.* quæ ratio etiam probat, per hujuſmodi impotentiam ad copulam jure naturali dirimi matrimonium.

VIII. Porro quod dictum eſt, impotentiam perpetuam ad copulam conjugalem dirimere matrimonium ſubſequens, id extenditur, ut procedat, ſive ex perpetua impotentia in contrahentibus cognita fuerit, ſive ignorata, ita ut in utroque caſu matrimonium ſit irritum, quia ea conjunctio repugnat mutuæ corporum traditioni ad uſum conjugalem, in quo eſſentia matrimonii conſiſtit; cum enim uſus ille ſit impoſſibilis, non poteſt dari obligatio ad illum, ex veriſſima ſententia apud *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 97. n. 2.* Et hinc ſi quis ſcienter contrahat matrimonium cum muliere arcta, vel alias impotente ad copulam, ſeparari quidem non debent, matrimonium tamen irritum eſt, prout
„ ſtatuitur in *c. Conſultationi. 4. h. t.* Ubi cum Lucius III.
„ conſultus fuiſſet, utrum ſi fœminæ clauſæ, ſive impoten-
„ ter, ut commiſceri maritis nequeant, poſſint matrimo-
„ nium contrahere? Reſpondet Papa, quod licet videa-
„ tur incredibile, quod aliquis cum talibus contrahat ma-
„ trimonium, Eccleſia tamen Romana conſuevit in ſimili-
„ bus judicare, ut ſi non poſſint eas habere ut uxores,
„ habeant ut ſorores.

IX. Notandum 1. Impotentia perpetua utrique conjugi nota dirimit matrimonium cum omnino impotente ad copulam, quia non poteſt conſiſtere validum matrimonium, quando ceſſat cauſa inſtitutionis matrimonii, eo quod nec propter ſpem prolis, nec ad evitandam fornicationem, poteſt dici tale matrimonium contrahi; ideoque ſi potens quis prius ſcienter cum impotente contraxit matrimonium, poſtea contrahat cum alia, hoc cum ſecunda initum tenet, quia prius ipſo jure nullum fuit, non obſtante obligatione ad cohabitandum cum prima, tanquam cum ſorore: ſicut qui contraxit ſponſalia cum minore ſeptennio, licet ſit obligatus exſpectare, donec pervenerit ad majorem ætatem, ſeu pubertatem, ſi tamen cum alia matrimonium iniit, hoc tenet, *c. De illis. 7. de deſponſ. impub.* Præterea tenetur is, qui ſcienter contraxit matrimonium cum impotente, ſemper illam alere. Quod ſi periculum ſit fornicationis, ex parte potentis, poterit Eccleſia illi data licentiam cum alia contrahendi matrimonium, cum prius matrimonium non fuerit validum, ita tamen ut obligatus ſit ſubminiſtrare priori impotenti neceſſaria alimenta, *Abb. hic n. 2. Alex. de Nevo n. 2. & 3.*

Notandum 2. Quando in hoc cap. dicitur, *ut tales, quas non poſſunt habere tanquam uxores, habeant ut ſorores*, id ita intelligendum eſt, quod caſte vivere debent ſimul commorando, tanquam frater, & ſoror, abſtinentes ab omni carnali commercio, ſeu opere, ſicut veri conjuges poſſunt promittere continentiam, & ſic ſimul commorari; quod verum eſt, quando quis ſcienter contrahit cum impotente: ſecus ſi ignoranter, quia tunc non tenetur illam habere ſororis loco, ſed licite poteſt petere ſeparationem matrimonii, ſaltem quoad torum, ut docent communiter DD. apud *Alex. de Nevo hic numer. 2. & 5.*

X. Aſſertio 2. Impotentia perpetua, ſed reſpectiva tantum dirimit matrimonium cum iis, reſpectu quorum eſt, non autem reſpectu aliorum, *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 93. n. 3.* Ratio eſt, quia matrimonium reſpicit individuam, & determinatam perſonam, cum qua matrimonium ineundum eſt: ſi ergo quis reſpectu hujus, vel illius perſonæ ſit impotens, reſpectu aliarum vero potens, non erit poſſibilis obligatio ad copulam cum hac, vel illa certa perſona, erit vero poſſibilis cum aliis; ergo non poterit contrahere matrimonium cum illa certa perſona, poterit vero cum aliis, reſpectu quorum nulla eſt ratio dirimendi illud.

XI. Aſſertio 3. Temporalis impotentia, quæ per licita, & ordinaria media, ſive ſpiritualia, ſive naturalia, tolli poteſt, non dirimit matrimonium ſubſequens, *c. Fraternitatis. 6. Verſ. Quamvis igitur. h. t. Tann. cit. diſ. 8. q. 4. dub. 8. n. 240.* Ratio eſt, quia tales non ſunt abſolute impotentes ad actum conjugalem ad quem ſe mediate obligant, ſed tantum ad tempus, ergo poſſunt in ordine ad illum actum, poteſtatem ſui corporis tradere. & quamvis omnino, ac perpetuo inhabilis ad ſolvendum, ſit etiam inhabilis ad promittendum: poteſt tamen, qui in præſenti ſolvendo non eſt, ad ſolvendum ſe obligare, ſi ſpes ſit fore futurum ſolvendo.

XII. Aſſertio 4. Si mulier, quæ cum perpetua impotentia contraxit matrimonium, poſtea per miraculum ſanetur, matrimonium prius nihilominus eſt irritum, niſi per novum conſenſum cum illa denuo contrahat. Aliud eſt, ſi mulier per maleficium ſit reddita impotens, & per ordinarios Eccleſiæ Exorciſmos poſtea ſanetur: tum hoc ipſo tunc apparet, temporalem tantum fuiſſe impotentiam, & matrimonium ab initio fuiſſe validum, *Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 11. n. 2.*

§. III.

Referuntur, & explicantur varii caſus in ſpecie, in quibus propter impotentiam coeundi, matrimonium diſſolvitur, vel ſeparatur, aut non ſeparatur.

XIII. De his agitur in pluribus capitulis hujus Tituli.
„ Et inprimis in *c. Accepiſti. 1. h. t.* refertur, quod cum
„ quidam accepiſſet aliquam in uxorem, eique per menſem,
„ vel per tres, vel etiam per annum cohabitaſſet, aſſeruit,
„ ſe frigiditate naturæ impediri, quominus poſſit illam, vel
„ aliam mulierem cognoſcere, ideoque petebat ſe ab illa
„ ſeparari. Unde hic ſtatuitur, quod ſi ipſa mulier idem
„ affirmat, idque probari poteſt per tactum, & verum
„ judicium (quod quale ſit, infra dicatur) ſtatim a ſe
„ invicem ſeparari debeant, ita tamen ut ſi vir aliam po-
„ ſtea in uxorem duxerit, reus ſit perjurii (quia vinculum
„ matrimonii Jure Divino eſt indiſſolubile, *Matth. c. 19.*) &
„ ad priorem uxorem, poſt peractam pœnitentiam, redire
„ debeat. Si vero ipſa prior uxor poſt annum, & dimi-
„ dium, ad Epiſcopum, vel ejus Miſſum, ſeu Officialem
„ provocavit, dicens, quod eam vir ſuus non cognoſce-

Digitized by Google

„ re potuit: hic vero id neget, & contrarium aſſerat, ei credendum eſt, cum ſit Caput mulieris; cur enim ipſa tamdiu tacuit, cum facile, & intra breve tempus ſcire potuerit, an ſit aptus ad copulam? Porro ſi prior uxor ab initio poſt menſem, vel duos, proclamavit ad Epiſcopum, dicens virum eſſe frigidum, ſeu impotentem, idque probari poſſit per rectum judicium, ſeparari poteſt, ipſaque ſi velit, alteri nubere.

XIV. Pro declaratione hujus cap. notandum 1. Vir poteſt proclamare, & petere ſeparationem matrimonii, propter impedimentum impotentiæ, etiam ex ſua perſona proveniens; intereſt enim ſui, ut ſeparetur, ſi non eſt verum matrimonium inter eos, ne teneatur ad onera matrimonii, *Alex. de Nevo hic num.* 1.

Notandum 2. Si mulier fatetur impedimentum impotentiæ, & vir neget, nec illa ab initio proclamavit contra matrimonium, non eſt audienda, ſed fides habenda viro aſſerenti, ſe conſummaſſe matrimonium, prout ſumitur ex hoc cap. ubi duplex ratio redditur, quia tunc duæ præſumptiones concurrerunt contra mulierem, una, eo quod tarde proclamavit: altera, quia vir, qui ejus caput eſt, affirmat, ſe illam cognoviſſe, ideoque ipſi potius credendum, *Abb. hic n.* 5. *& Alex. de Nevo n.* 7. *in fine*, *Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 109. *n.* 2.

Notandum 3. Si mulier, quæ tempore matrimonii virgo erat, ſtatim, id eſt, poſt menſem, vel bimeſtre, reclamet, allegando impotentiam viri, audiri debet, quamvis vir illam neget, & ſi illa probetur per rectum judicium, diſſolvetur matrimonium, prout expreſſe habetur in *cit. c.* 1. *h. t. Sanch. c. l. n.* 16. quæ ex infra dicendis magis patebunt.

Notandum 4. Soli confeſſioni mariti, & uxoris aſſerentium impotentiam non ſtatur, nec creditur contra matrimonium, ſed alia probatio requiritur, ut poſſit fieri ſeparatio, *Alex. de Nevo hic n.* 3. de quo infra. Ratio eſt, quia diſſolutio matrimonii ſemel contracti non pendet ex voluntate contrahentium: creditur autem viro, & mulieri, ſi ſtent, ſeu confiteantur pro matrimonio inter ſe contracto, *c.* 2. *de cland. ſt. deſponſ.*

Neque vero obſtat, quod in *c. Laudabilem*, 5. *h. t.* ad cognoſcendam frigiditatem requiritur triennium cohabitationis inter conjuges, quo tranſacto, per juſtum judicium ſeparatur matrimonium: in hoc autem c. ſeparatio fieri poteſt, vel ſtatim, vel non multo poſt. Nam prius cap. loquitur de caſu, quo nulla extant ſigna urgentia frigiditatis in viro; tunc enim opus eſt triennio cohabitationis inter conjuges; at vero quando præter confeſſionem conjugum, adſunt urgentia indicia frigiditatis; tunc poſſunt conjuges ſtatim, ante lapſum triennii, a ſe invicem ſeparari, dummodo juramento ſuo, & propinquorum id confirment, *Abb. hic*, *numer.* 5. prout mox magis declarabitur.

„ XV. Secundo in *cit. c. Laudabilem.* 5. *h. t.* cum quæſitum fuiſſet ex Cœleſtino III. quantum tempus dandum ſit frigidis ad experiendum copulam conjugalem; is reſpondit, ut a tempore celebrati conjugii, ſi frigiditas prius probari non poſſit, cohabitent per triennium, dando operam carnali copulæ: quo elapſo, ſi ſimul cohabitare noluerint, juxta Decretum Gregorii (ad Joannem Ravennatenſem Epiſcopum, & habetur in *c. Quod autem.* 1. *cauſ.* 33. *q.* 1.) & mulier per juſtum judicium (id eſt, per teſtes, vel aſpectum corporis, *Gl. hic V. Juſtum*) de viro probare potuerit, quod cum ea coire non poſſit, nubat alii: quod ſi ipſe vir accepit aliam, ſeparentur. (propter naturalem frigiditatem, ſecus ſi propter maleficium, *c. ult. cit. cauſ.* 33. *q.* 1. *Gl. hic V. Separentur*) Si vero ambo ſimul eſſe conſentiant, vir eam, etſi non ut uxorem, ſaltem ut ſororem habeat. Sin autem ambo confiteantur, quod nunquam ſe invicem cognoverint, cum ſeptima manu propinquorum (*c.* 2. *cit. cauſ. & q.*) vel vicinorum bonæ famæ, ſi propinqui deficiant, tactis SS. Evangeliis, uterque juret, quod nunquam una caro per copulam carnalem effecti fuerint: & tunc mulier poteſt ad ſecundas nuptias tranſire. Verum ſi vir aliam duxerit, tunc hi, qui jurarunt (ſcilicet vir & uxor) rei perjurii tenentur, & peracta pœnitentia, cogendi ſunt redire ad prius connubium, ſi propter frigiditatem ſunt ſeparati, *Gl. fin. hic.*

XVI. Pro explicatione hujus cap. notandum 1. quando non conſtat de impedimento frigiditatis, vel alterius ſimilis impotentiæ, & ſtatim per ſigna urgentia, & certa probari non poteſt; tunc requiritur triennalis cohabitatio conjugum, quamvis uterque conjux fateatur ſe impotentem, juxta *cit. cap. Laudabilem.* ubi Pontifex generaliter declarat, quantum temporis ſpatium concedendum ſit conjugibus ad veritatem frigiditatis dubiæ cognoſcendam, ut patet ex quæſtione Pontifici ibi propoſita: nam ex confeſſione etiam utriuſque conjugis non vere poteſt conſtare, an ſit naturalis, & perpetua, an vero ſolum accidentalis, & temporanea impotentia, adeoque exſpectari debet per triennium, ut ex temporis curſu veritas appareat, *Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 108. *n.* 5. At vero ſi de impedimento frigiditatis, vel alterius impotentiæ clare conſtet, ut quia vere habet membrum aridum, vel ſectum, tunc non eſt opus, ut conjuges cohabitent per triennium, ſed ſtatim poſſunt ſeparari, & declarari matrimonium nullum, juxta *c.* 1. *h. t.* & ita huic non contradicit *cit. c. Laudabilem.*

Notandum 2. In impedimento frigiditatis triennium hoc computatur a die copulæ attentatæ; nam quamvis in ipſo textu dicatur, *a tempore celebrati conjugii cohabitent per triennium*, ibi tamen ſupplendum, *& copula attentata*, quia conceditur ad explorandam conjugis potentiam, *Sanch. l.* 7. *diſ.* 110. *n.* 1. *&* 4. non autem requiritur, ut hoc tempus triennii ſit ita continuum, ut præcipue conjuges die, noctuque cohabitent, ſed ſufficit, ſi majore anni parte; quia id moraliter, & civiliter accipi debet, prout ſubjecta materia poſtulat, *Sanch. cit. l.* 7. *diſ.* 111. *n.* 2.

XVII. Notandum 3. Ultra triennium illud, & juramentum utriuſque conjugis fatentis impedimentum, requiritur, ut ſeptima manus propinquorum juret, vel vicinorum bonæ famæ, ſi propinqui defuerint; nam hujuſmodi juramentum exigitur, quia poſſet eſſe colluſio inter conjuges, & ut adhibita cautiore diligentia matrimonium diſſolveretur, *Sanch. l.* 7. *diſ.* 108. *numer.* 7. Debent autem, ſi uterque conjux fateatur impedimentum impotentiæ, cujuslibet conjugis ſeptem conſanguinei jurare, vel in defectum eorum, ſeptem vicini, adeoque XIV. *Alex. de Nevo in cit. c. Laudabilem. n.* 6. *Sanch. c. l. n.* 11. ubi *numer.* 12. addit, ſi tot teſtes haberi nequeant, ſufficere pauciores, arbitrio Judicis, & ſi deſint conſanguinei & vicini, aſſumi debent alii teſtes bonæ famæ, & omni exceptione majores. Requiritur etiam, ut uterque conjux, tactis SS. Evangeliis, juret, quod nunquam per carnis copulam una caro ſint effecti, ut habetur in fine *cit. c. Laudabilem.* quamvis de conſuetudine hoc juramentum ſuper Cruce præſtatur, *Sanch. c. l. in fine.*

Notandum 4. Dictum juramentum diverſimode debet præſtari ab ipſis conjugibus, & a propinquis; nam conjuges debent emittere juramentum de certa ſcientia, nempe quod bona fide, & abſque dolo per triennium operam dederint copulæ, nec conſummare potuerint. At Conſanguinei de ſola credulitate jurare debent, nempe quod veriſimiliter exiſtiment, conjuges verum dicere. Ratio diverſitatis eſt, quia ipſis conjugibus conſtare poteſt, ſe non potuiſſe conſummare matrimonium, non item conſanguineis, *Gl.* communiter recepta in *cit. c. Laudabilem*, *V. Uterque*, *Sanch. cit. diſ.* 108. *n.* 15. Quamvis autem poſtea vir ille reperiatur non eſſe frigidus, ſeu impotens, non tamen conſanguinei cenſendi ſunt perjurii rei, quia non de certa ſcientia, ſed de ſola credulitate jurarunt. Unde cum in *cit. c. Laudabilem.* indefinite dicitur eos, qui jurarunt, reos eſſe perjurii, id intelligi debet de ſolis conjugibus, viro, & uxore: non autem de conſanguineis Compurgatoribus, ſi bona fide jurarunt, *Gl. ibid. V. Hi qui*, *Sanch. c. l. n.* 17.

XVIII. Notandum 5. Si vir reputatus frigidus aliud ineat matrimonium, ipſi conjuges rei ſunt perjurii, ut expreſſe deciditur in *cit. c. Laudabilem*, in fine, quia vir non ſolum jurare debet, ſe id matrimonium non potuiſſe conſummare cum hac fœmina, ſed neque cum alia, & eſſe ſimpliciter impotentem. Idque etiam conſtat ex *c.* 1. *h. t. in princ.* ex illis verbis: *Et nunc primum dixiſti, te eſſe frigidæ naturæ, ita ut non potuiſſes coire cum illa, nec cum aliqua alia.* Ideoque merito poſtea, cognita potentia viri, poſt initum cum alia matrimonium, rei perjurii arguuntur. Et hæc eſt præſumptio juris, & de jure, contra quam non admittitur probatio in contrarium; ſed cenſetur ex odio, ac mala fide negata eſſe potentia ad coitum, ad diſſolvendum prius matrimonium, eo ipſo, quod conjux reputatus frigidus aliud matrimonium init, ut docet *Gl. in c. Requiſiſti.* 2. *V. Patet. cauſ.* 33. *q.* 1. *Sanch. diſ.* 108. *n.* 16. *&* 18.

XIX. Notandum 6. Si ob frigiditatem viri ſit diſſolutum matrimonium, & is ad aliud tranſeat, ſtatim hoc poſterius matrimonium diſſolvendum eſt, abſque alia probatione. Ratio eſt: tum quia cum vir ille per ſententiam Eccleſiæ ſit declaratus frigidus, præſumptio inhabilitatis ad matrimonium ſtat contra illum. Tum quia ſive ſit vere frigidus, ſive non, poſterius matrimonium eſt nullum: nam ſi vere eſt frigidus, illud eſt invalidum propter impedimentum frigiditatis: ſi autem non eſt frigidus, obſtabit primum matrimonium quod per falſam probationem frigiditatis diſſolutum fuit, *Alex. de Nevo in cit. c. Laudabilem. n.* 15. *&* 16. *h. t. Sanch. l.* 7. *diſ.* 99. *n.* 6. ubi addit, ſi tempore, quo frigidus iſte ad alias nuptias tranſit, prior uxor obierit, nihilominus tamen ſtatim ſeparandus eſt a poſteriore matrimonio, donec probet, ſe potentem eſſe, & Eccleſiam fuiſſe deceptam, quia interim præſumptio impotentiæ ſtat contra ipſum. Ut autem reſtauretur prius frigidi matrimonium tanquam validum, non ſufficit, nec requiritur frigidum ad alias nuptias tranſiiſſe, ſed legitime probari debet, eum poſterius matrimonium conſummaſſe, aut alias fornicatum fuiſſe, *Sanch. c. l. n.* 7. Ex quo infert *n.* 8. prius illud matrimonium non eſſe inſtaurandum, donec legitime probetur poſterioris conſummatio, vel alia copula fornicaria, apud quem plura de hoc videri poſſunt.

XX. Notandum 7. Si puer XIV. anno completo, vel fœminæ XII. adhuc ſint impotentes ad copulam, exſpectandum eſt, non per triennium, ſed uſque ad plenam pubertatem, quæ in fœminis contingit XIV. ætatis anno, & in viris XVIII. *l. Arrogato.* 40. §. 1. *ff. de adopt. & §. Minorem. Inſtit. eod.* Nec refert, quod in *cit. c. Laudabilem*, triennium experientiæ generaliter præſcribitur. Nam id procedit, quando ex frigiditate, aut alio impedimento conjectari poteſt, impotentiam oriri; tunc enim merito ea cohabitatione triennii Eccleſia præſumit tale impedimentum eſſe perpetuum. At vero quando poteſt præſumi impotentiam provenire ex imbecillitate ætatis, tunc æquitas ſuadet, eam ætatem eſſe exſpectandam, in qua perfectum robur comparat natura, *Sanch. l.* 7. *diſ.* 104. *n.* 18.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Continuatur eadem materia.

XXI. Præterea in *c. Ex litteris. 3. h. t.* talis caſus proponitur. ,, Cum quidam XVI. annorum quandam XIII. annorum in uxorem duxiſſet, iſque debitum reddere non poſſet: mulier tam gravem contraxit infirmitatem, ut omnino viro ſit facta inutilis, ita ut vir eam cognoſcere non poſſet. Conſultus Pontifex Alexander III. reſpondet, ſi vitium illud mulier a natura contraxit, nec ope Medicorum ei ſubveniri poſſit, viro danda eſt facultas aliam accipiendi. ,,

Hinc aliqui probare volunt, per impotentiam, quæ ſupervenit matrimonio rato, & nondum conſummato, illud dirimi, quia Alexander III. in hoc cap. fecit facultatem cuidam ineundi aliud matrimonium, cujus uxor, ante conſummationem, reddita fuit inepta ad copulam. Verum hic eſt ſermo de impotentia, quæ præceſſit matrimonium, ut conſtet ex illis verbis: *ſi mulier vitium illud a natura contraxit, quia v. g. arcta erat, Gl. hic V. Contraxit. & V. A natura. Sanch. l. 7. diſ.* 102. *n.* 4. idque probatur ex *c. Hi qui* 25. *cauſ.* 32. *q.* 7. ubi generaliter dicitur, ob nullam infirmitatem, vel aliam impotentiam ſupervenientem conjugia ſolvi poſſe, & in *c. Si uxorem.* 18. *cauſ.* 32. *q.* 5. dicitur, retinendam eſſe uxorem antea ductam, ſterilem, ſurdam, vel deformem corpore, cæcam, claudam, vel ſi quid aliud cogitari poteſt horribile &c. ſi ergo retinenda eſt uxor, non obſtante quocunque corporis incommodo ſuperveniente; ergo etiam ſuperveniente impotentia ad copulam, cum ita univerſaliter textus ille loquatur, *Sanch. cit. diſ. num.* 3. Idque confirmatur, quia ex receptiſſima ſententia, matrimonium ratum fidelium per ſolam Profeſſionem Religioſam certo diſſolvitur, & probabiliter etiam per diſpenſationem S. Pontificis, *Sanch. c. l.* & alii apud ipſum. Non obſtat *c. Quod propoſuiſti,* 18. *cauſ.* 32. *q.* 7. ubi Gregorius III. conceſſit cuidam licentiam tranſeundi ad aliud matrimonium, propter impotentiam perpetuam ſupervenientem priori uxori. Nam prior non fuit legitima uxor ob impedimentum perpetuum, idque ſolum declaravit ibi Pontifex, *Sanch. l.* 7. *diſ.* 80. *n. ult. in reſponſ. ad* 5.

XXII. Porro ſi de impotentia ſuperveniente matrimonio certo conſtat, eam eſſe perpetuam, illicita eſt conjugibus talibus copula conjugalis, quamvis tactus iis ſint liciti, abſque periculo tamen pollutionis, *Sanch. l. 9. de matr. diſ.* 17. *n.* 20. *&* 21. Ratio prioris eſt, quia copula conjugibus poſt matrimonium contractum ſolum licita eſt intra vas legitimum; ergo ſi hæc ſit impoſſibilis, quia fœmina ita arcta eſt, ut ſemen recipere non poſſit, non erit licita. Ratio poſterioris eſt, quia cum tales ſint veri conjuges, tactus mutui, citra pollutionis periculum, non ſunt illis prohibiti; etſi enim hujuſmodi tactus referri non poſſint ad copulam, tanquam illis incompoſſibilem; poſſunt tamen fieri ad concupiſcentiam carnis ſedandam, & ad exhibenda mutui amoris ſigna, *Sanch. c. l. n.* 20. Quod ſi de impotentia ſuperveniente matrimonio ſit dubium, an ſit perpetua, an vero ſolum temporalis, licitum eſt conjugibus conari ad copulam, quamdiu probabilis ſpes eſt ſeminandi intra vas, quamvis per accidens, & præter intentionem, extra vas ſemen effundatur, *Sanch. c. l. n.* 22. Ratio eſt, quia tales conjuges dant operam rei licitæ, procurando copulam ſibi poſſibilem, & permiſſam: & ſi id licitum eſt, ſi impotentia præcedat matrimonium, adeoque dubius ſit matrimonii valor, multo magis id licebit, quando impotentia ſubſequitur matrimonium, & hujus valor certus eſt. Sed quid dicendum, ſi dubitetur, utrum impotentia præceſſerit matrimonium, adeoque hoc ſit nullum; an vero ſubſecuta ſit, & matrimonium ſit validum? Valde probabile eſt, præſumi poſſe quod anteceſſerit, ſi nunquam copula haberi potuerit, nec aliunde conſtet de impotentia, nec probari poſſit, quo tempore ſit contracta, *Laym. l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 11. *n.* 3. *in fine. Sanch.* tamen *l.* 7. *de matr. diſ.* 103. *n.* 4 *&* 5. diſtinguit inter impotentiam naturalem & accidentalem, nempe ex maleficio; & de priore quidem in dubio præſumi quod præceſſerit: de poſteriore vero, quod ſecuta ſit matrimonium.

,, XXIII. Quarto in *c. Fraternitatis.* 6. *h. t.* refertur, quod quædam mulier contraxit matrimonium cum quodam viro, & cum eo per multos annos habitavit, nec potuit ab eo carnaliter cognoſci. Archipresbyter Altiſſiodorenſis cauſam detulit ad Epiſcopum ſuum, qui volens ſuper eo negotio veritatem inquirere, quaſdam matronas ſuæ Parochiæ, providas, & honeſtas, ad ſe vocavit, diſtricte (per juramentum, *Gl. hic V. Diſtricte*) illis injungens ſub periculo animarum, ut ipſam mulierem inſpicerent, utrum eſſet idonea ad copulam conjugalem; quæ tandem ea inſpecta dixerunt, quod nunquam poterit eſſe mater, aut conjux, & ideo divortium inter ipſam, & virum promulgavit, mulierem inducens, ut Religionem intraret, perpetuam continentiam ſervatura: viro autem licentiam dedit aliud matrimonium ineundi, qui cum alia contraxit. Sed poſtmodum illa mulier fuit ab alio carnaliter cognita, rejecta continentia, quam promiſit, & cuidam G. nomine nupſit: Epiſcopus vero Altiſſiodorenſis negotium hoc ſignificavit Innocentio III. Reſcribit Papa eidem, quod ſemiplene ei expreſſit, quomodo dicta mulier promiſerit, ſe continentiam ſervaturam, utrum ſimplici verbo, an per votum ſolemne, & utrum tranſierit ad Religionem, ſicut promiſit, an non: nec dixit etiam, qualiter cognita fuerit, utrum arte Medici, ſeu concubitu viri, vel alio modo. Unde Papa conſiderans, quod impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter Divinum miraculum, humana ope, abſque corporali periculo remotum fuerit, ſententiam divortii per errorem, licet probabilem, latam fuiſſe invenit, quia ex poſtfacto apparet, quod mulier illa cognoſci potuit a viro illo (ſcilicet primo, a quo fuerat ſeparata) cujus ſimili potuit commiſceri, & ideo inter ipſam, & primum virum matrimonium extitiſſe pronunciavit: inter eandem vero mulierem, & dictum G. matrimonium non fuiſſe, ſed eos ab invicem ſeparari præcepit. Quod ſi vero prædicta mulier ad Religionem tranſivit, primus vir, qui eandem non cognovit, cum illa remaneat, cum qua poſtea auctoritate Eccleſiæ contraxit: alioqui (id eſt, ſi non tranſivit actu) ea dimiſſa, ad illam redire debet, cum qua primo contraxit: niſi ſe voto (ſolemni ſcilicet) obſtrinxerit; quia propter hoc intelligitur fornicata fuiſſe cum prædicto G. (cum ipſa matrimonium contrahere non potuerit poſt votum ſolemne, *Gl. hic V. Se voto*) vel niſi fornicata fuerit cum alio, & ſic prætextu fornicationis primus vir eam repellat. Si vero ſimplici voto promiſit ſervare continentiam, & poſtea in facie Eccleſiæ nupſit prædicto G. quamdiu de hoc articulo dubitari poterat, non debet præſumi, quod fuerit fornicata cum illo: ſed amodo (ſcilicet revelata veritate, quod fuerit uxor primi) non debet cum illo remanere.

,, Præterea alia quæſtio eſt, utrum ea, quæ ita arcta eſt, ut nulli poſſit carnaliter commiſceri, niſi per inciſionem, vel alio ſimili modo, violentia ei inferatur tam gravis, ut ex ea mortis periculum timeatur: quæritur, inquam, an talis ſit apta ad matrimonium contrahendum. ,, Et dicendum eſt, quod non, argumento ſumpto a contrario ſenſu ex illis verbis præcedentibus ejuſdem cap. *abſque corporali periculo*; nam ubi grave periculum timetur, non eſt matrimonium, ſed ubi leve ſolum periculum foret, debet illud pati, *Gl. hic V. Corporali periculo.*

,, Similiter ſolvitur ex dictis alia quæſtio: ſi aliqua nupſit viro cuidem, reſpectu cujus ita arcta eſt, ut non poſſit ab eo defloráriː eaque poſtea per judicium Eccleſiæ ſeparata, nubat alteri, cui non ſit arcta, & per frequentem uſum ſecundi reddatur etiam apta primo viro; quæritur, inquam, utrum talis debeat redire ad virum, cum quo prius matrimonium contraxit. Et dicendum eſt, quod non, ſecundum diſtinctionem ſupra datam, *abſque corporali periculo. Gl. hic in caſu.* Additur in fine: De talibus tamen non eſt facile judicandum, cum finale judicium pendeat ex futuro, quia neſcitur, an ſit apta primo viro, ,, *Gl. hic V. non eſt facile.*

XXIV. Pro explicatione hujus cap. notanda ſunt ſequentia. 1. Propter impedimentum mulieris arctæ, ſi appareat, quod præter Divinum miraculum, & ope humana, ſine periculo vitæ, vel gravi corporis, tolli non poteſt, matrimonium ſeparari poteſt. Ratio eſt, quia talis arctitudo cenſetur impedimentum perpetuum ad mulierem illam carnaliter cognoſcendam, ſicut frigiditas viri, adeoque debet matrimonium tale declarari invalidum, & conjuges illi præſumpti ſeparandi ſunt, *Vivian. in Ration. hic.* Redintegrari tamen debet, ſi poſtea appareat, Eccleſiam ex errore informationis deceptam fuiſſe, ita ut ſi mulier ſeparata a viro alteri nupſit, relicto ſecundo viro, redire debeat ad primum virum, quia erat inter eos verum matrimonium, *Abb. hic n.* 2. *& Alex. de Nevo n.* 1. *Barboſ. in Collect. hic n.* 1. 2. notandum. Impotentia alterius conjugis poteſt allegari poſt multos annos, ut patet ex illis verbis hujus cap. *per multos annos morata,* & ex *c. fin. h. t.* ubi mulier poſt octo annos allegavit impotentiam viri: nam matrimonium invalidum non firmatur tractu temporis, *Alex. de Nevo hic n.* 2. 3. notandum Judex ex officio, allegato impedimento impotentiæ, poteſt jubere mulierem inſpici per matronas, vel obſtetrices honeſtas, & providas, ſeu peritas, quæ debent eſſe de Parochia mulieris, quia præſumitur eas habere majorem notitiam, *Alex. hic n.* 5. & debent vocari, ut compareant coram Judice, & jurare debent ſub periculo animæ ſuæ, quia ſunt teſtes, *idem n.* 6. *&* 9. quamvis aliqui putent, hoc eſſe magis teſtimonium credulitatis, quam ſcientiæ, *Gl. hic V. Matronas, junct. Gl. marg. lit. A.* ubi ait, quod hæ matronæ non debeant jurare de veritate, ſeu ſcientia, ſed ſolum de credulitate, ſe credere mulierem eſſe aptam, vel non: quia non poteſt dari in his certa ſcientia; nam ſæpe manus fallitur, & oculus obſtetricum, *c. pen. de probation.* 4. notandum. Judex quando ſeparat matrimonium, propter impotentiam alterius conjugis, debet, quantum poteſt, inducere impotentem ad ingrediendam Religionem, & ſervandam perpetuam continentiam, ut conſtat ex *cit. c. Fraternitatis, in princ. Alex. ibid. n.* 8. quia matrimonii vinculum, ſi quod forte ſubeſt, eo ipſo diſſolvitur, & ſic nullum periculum imminet alteri conjugi, ſi aliud matrimonium ineat, *Caniſ. hic n.* 2.

XXV. Præterea circa ea, quæ traduntur in *cit. c. Fraternitatis.* notandum 1. votum poteſt eſſe, & dicitur ſolemne ad impediendum, & dirimendum matrimonium poſtea contractum, citra Religionis ingreſſum, prout ſumitur ex hoc cap. §. *Quamvis*: verum hodie nullum eſt votum ſolemne

mne quoad dirimendum matrimonium poſtea contractum, niſi per profeſſionem in aliqua ex Religionibus approbatis emiſſam, vel per ſuſceptionem Sacri Ordinis; adeoque votum, quo quis ſe obligat ſine profeſſione, non eſt ſolemne, juxta *c. unic. de voto in 6.*

Notandum 2. Omne impedimentum impotentiæ viri, vel mulieris, quod opera humana, ſine gravi corporis periculo, tolli non poteſt, reddit inhabilem ad contrahendum matrimonium: ſecus ſi facto humano poteſt removeri, abſque gravi periculo corporis, *Abb. hic n. 6. & Alex. de Nevo n. 6.* Et hinc quando non poteſt impotentiæ ſubveniri, ſine vitæ periculo, quamvis mulier parata ſit illud ſubire, ut apta reddatur viro: non tamen tenetur vir id exſpectare, ſed poteſt petere diſſolutionem matrimonii, & aliud inire, quia tunc conſtat, impedimentum id eſſe perpetuum, utpote quod tolli nequit, ſine vitæ periculo, *Sanch. l. 7. diſ. 93. n. 20.*

XXVI. Notandum 3. Si mulier ſit cognita ab uno viro, præſumitur, quod cognoſci poſſit etiam ab alio, niſi contrarium probetur. *Abb. hic n. 7. Alex. n. 3.* ubi tamen inſpiciendum eſt, an uterque vir ſimilis ſit, ætate, robore, ac membro virili; nam tunc præſumitur potuiſſe quoque cognoſci a primo viro; ideoque matrimonium prius validum fuiſſe: ſecus ſi ſint diſſimiles, quia prior vir erat ſenex, vel debilis, aut aliam defectum in virili membro patiebatur: poſterior autem erat juvenis, vel robuſtior, vel eo defectu carebat, *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 93. n. 10.* Idque probatur ex *cit. c. Fraternitatis*, ubi non dicitur abſolute, cognoſcibilem e poſteriore viro, eſſe quoque cognoſcibilem a priore, ſed quando poſterior vir eſt priori ſimilis, ut patet ex illis verbis: *cujus ſimili commiſcetur*: quæ verba intelligenda ſunt, non de ſimilitudine naturæ, ſed ætatis, roboris, & inſtrumenti generationis; nam ex his præſumitur, ut ſicut mulier cognoſci potuit e viro poſteriore, ita & a priore. Et quia hæc præſumptio non eſt præſumptio juris, & de jure, ſed juris tantum; ideo admittit probationem in contrarium, ob utriuſque viri diſſimilitudinem. Quare non reſtauratur prius matrimonium, ratione impotentiæ mulieris, diſſolutum, ſi per concubitum propter priorem viri non poteſt reddi apta ad copulam cum illo, quamvis per concubitum cum altero ſit apta reddita, *Sanch. c. l.*

XXVII. Notandum 4. Propter impotentiam provenientem ex maleficio poteſt matrimonium ſeparari, nec reſtauratur, etſi vir, poſt mortem illius, aliam ducat in uxorem, & illam cognoſcat; ex quo enim vir, & mulier cohabitarunt per triennium, & dederunt operam copulæ carnali, nec potuerunt conſummare matrimonium, præſumitur perpetuum impedimentum, & poſſunt ſeparari, & tranſire ad aliud matrimonium, *c. Si per ſortiarias. 4. & ult. cauſ. 33. q. 1.* Non poteſt quis maleficiatus eſſe reſpectu unius, & non alterius: idque intelligendum eſt de maleficio, quod præceſſit matrimonium: nam ſi ſupervenit impedimentum, poſt matrimonium contractum, non debent ſeparari, *c. Hi qui 25. cauſ. 32. q. 7.* Si vero poſt ſeparationem vir eam cognoſceret, matrimonium debet redintegrari, quia impedimentum non erat perpetuum, *Gl. hic V. Divinum miraculum. Verſic. Vel poteſt dici.*

Porro ratio, quare ſeparetur matrimonium propter frigiditatem viri, vel arctitudinem mulieris, & ſi poſtea contrahat cum alio, vel alia, & appareat ex poſt facto eſſe potens ad copulam, reſtauretur primum matrimonium: & tamen ſi ſeparetur matrimonium propter maleficium, non cogatur vir, ſi contraxit cum alia, eamque cognovit, redire ad primam. Ratio, inquam, diſparitatis eſt, quia frigiditas, & arctitudo eſt impedimentum non reſtrictum ad certam perſonam; ideoque ſi vir poſtea cognovit aliam, vel mulier fuit cognita ab alio, præſumitur Eccleſiam fuiſſe deceptam, quia vir eodem modo potuiſſet cognoſcere primam, vel mulier cognoſci a primo. At vero maleficium, quod fit inſtigante diabolo, reſtringitur ad certam perſonam, ita ut vir omnes poſſit cognoſcere, præter perſonam uxoris; ideoque ſi poſt ſeparationem matrimonii, vir contrahat cum alia, eamque cognoſcat, ex eo non apparet, Eccleſiam fuiſſe deceptam; ideoque non debet ſecundum matrimonium ſeparari, & reſtaurari primum, juxta *cit. c. ult. cauſ. 33. q. 1. Alex. de Nevo in cit. c. Fraternitatis. n. 6. h. t.*

XXVIII. Notandum 5. Error, ſive ignorantia juris non eſt probabilis, nec excuſat, ſi tamen ſit probabilis, ut ſi dubitetur in facto, excuſat, *Gl. in c. un. V. Probabiliter de Poſtul. Prælat. in 6.* ut in caſu *cit. c. Fraternitatis*, error probabilis intervenit in aſpectu corporis, in quo matronæ deceptæ fuerunt, quia manus, & oculus obſtetricum ſæpe fallitur, & ſic ſententia divortii per errorem lata, a qua non eſt appellatum revocatur, ſi error probabilis poſtea detegatur, *Gl. hic V. Per errorem.* ubi addit, quod ſententia per errorem lata contra matrimonium non tranſit in rem judicatam, quominus poſſit revocari, quandocunque apparuerit Eccleſiam fuiſſe deceptam.

Notandum 6. Si mulier probabiliter putans, ſe eſſe ſolutam, ſive non conjugatam, alteri nubat, non committit adulterium, licet poſtea reperiatur conjugata, quia adulterium non committitur ſine dolo, *l. pen. ff. Ad leg. Jul. de adult. Alex. in cit. c. Fraternitatis. §. Quamvis. not. ult.*

Notandum 7. Si quis, poſt matrimonium contractum, per maleficium fiat impotens, non diſſolvitur matrimonium, quia nullum impedimentum contingens poſt matrimonium, diſſolvit illud, *Alex. in cit. c. Fraternitatis. n. 7.*

XXIX. Notandum 8. Si mulier tranſivit ad Religionem, & profeſſionem emiſit; tunc matrimonium poſtea contractum per primum virum cum ſecunda muliere tenet, & debet cum illa remanere, quia per profeſſionem ſtatim diſſolutum fuit prius matrimonium non conſummatum: ſecus ſi ingreſſa fuit cauſa ſolum probationis, quia ſi tunc ad ſæculum redeat, compellitur redire ad primum Virum, *Gl. hic V. Remanere. Alex. in cit. c. Fraternitatis. n. 18. §. Primus eſt.*

Notandum 9. Diſſoluto matrimonio ratione maleficii, ſive utriuſque, ſive alterius conjugis, ſi maleficiatus aliud matrimonium ineat, & eandem uxorem, a qua ratione maleficii ſeparatus fuit, furtive cognoſcat, tunc reſtaurandum eſt matrimonium cum illa, quia apparet, Eccleſiam deceptam fuiſſe, dum impotentiam illam judicavit eſſe perpetuam, *Sanch. l. 7. diſ. 99. n. 25.*

Notandum 10. In cauſis matrimonialibus non eſt facile præcipitanda ſententia, quia neſcitur, an mulier, quæ eſt apta ad copulam quoad virum, qui tranſiit ad ſecundum matrimonium, ſit etiam apta quoad primum virum, *Gl. hic V. Non eſt facile*, & quandoque finale judicium, id eſt certum pendet ex futuro eventu, quia dubium eſt, an ſit matrimonium validum initum cum primo viro; neque intelligas, quod tunc primum incipiat eſſe matrimonium cum primo viro initum, quando mulier incipit eſſe apta ad copulam quoad primum virum, ſed quia tunc primum declaratur, prius matrimonium fuiſſe validum, *Gl. fin. hic.*

§. V.

Proponitur, & explicatur cap. ultimum hujus Tituli.

XXX. In *cap. Litteræ. 7. & fin. h. t.* talis facti ſpecies proponitur. „ Quædam cauſa matrimonialis vertebatur inter mulierem M. & virum ejus A. quæ per Sedem Apoſtolicam commiſſa fuit quibuſdam Judicibus, coram quibus ex parte mulieris propoſitum fuit, quod cum jam ante octo annos fuiſſet dicto viro A. matrimonialiter copulata, eiſdemque diu cohabitaſſet, adhuc integra permanebat, & virgo, eo quod vir ejus deſtitutus eſſet potentia coeundi, ideoque petebat ſe ab eo ſeparari per ſententiam divortii. Ad quod reſpondit vir A. & fatebatur, quod illam nunquam cognoverit, dicebat tamen ſe habere potentiam coeundi, & alias mulieres cognoſcendi. Judices delegati timentes, ne id forte confiterentur in fraudem, colludentibus inter ſe, viro & muliere, juſſerunt illam inſpici per matronas bonæ æſtimationis, ac fide dignas, & expertas in re matrimoniali, quæ teſtatæ ſunt, mulierem adhuc virginem, & incorruptam eſſe. Deinde mandarunt inquiri per Parochum loci, utrum vir aliquando aliam mulierem cognoviſſet: ſed hujus rei notitia haberi non potuit. Cum vero mulier inſtanter peteret divortium: vir autem ſe ſubjiceret judicio Eccleſiæ, ſive Judicum Eccleſiaſticorum: hi injunxerunt utrique viro & mulieri, ut pœnitentiam agerent de delictis commiſſis (quia infirmitas corporalis frequenter provenit ex peccato, & ſic ceſſante cauſa, ceſſat effectus, *Gl. hic V. De Commiſſis.*) ut ſic forte DEO placato, matrimonium conſummare poſſent. Tandem uterque, vir, & mulier ad Judices reverſi ſimul conteſſi ſunt, quod invicem carnaliter commiſceri non poſſint. Relatio ad Papam Honorium III. is mandavit, ut ſi ita eſt, & conſtiterit, prædictum virum & mulierem, intra octo annos, per continuum triennium cohabitaſſe, neque carnaliter commiſceri potuiſſe, ipſis hoc juramento ſuo teſtantibus, cum ſeptima propinquorum manu, ſententia divortii inter eos proferatur.

XXXI. Notandum 1. Tribus modis intelligunt Interpretes hunc textum, quidam de frigidis: alii de maleficiatis: tertii de quolibet impotente ad copulam, cum ſcilicet uxor dicit, virum non habere potentiam ſecum coeundi, non expreſſa cauſa, & ſic pertinet ad tertiam partem Rubricæ, ut notatur in *Gl. in princ.* hujus cap. Sed verior, & communior interpretatio eſt, quod in hoc cap. agatur de maleficio reſpectivo, cum agatur de viro non ſimpliciter impotente, quoad omnes mulieres, ſed tantum quoad mulierem, quam in uxorem duxit: quod eſt indicium maleficii, non frigiditatis, quæ eſt impedimentum generale impotentiæ quoad omnes mulieres, *Henric. Canif. in c. ult. h. t. n. 2.*

Notandum 2. Conjux quocunque tempore allegare poteſt alterius conjugis impotentiam, quia temporis tractu non firmatur matrimonium irritum: idque probatur ex *c. fin. h. t.* Ubi auditur mulier poſt octo anos reclamans, & allegans impotentiam mariti, & in *c. Fraternitatis* præcedente, poſt multos annos auditur, *Abb. in cit. c. ult. n. 2.* quod intelligendum eſt, modo triennium experientiæ jam tranſierit, & quando uterque fatetur impedimentum, vel adſunt evidentes probationes. At vero *cap. 1. h. t.* negans, mulierem audiendam eſſe, quando non ſtatim proclamat, intelligendum eſt, donec triennium tranſactum ſit, ſed poſt triennium cohabitationis audienda eſt, *Sanch. l. 7. diſ. 109. n. 11. & 14.*

Notandum 3. Etſi in hoc cap. dicatur, mulierem confitentem una cum viro, impotentiam, poſt lapſus octo cohabitationis annos fuiſſe inſpectam per matronas & obſtetrices: id tamen non eſt neceſſarium, quia in *c. Laudabilem. 5. h. t.* ubi de hoc agitur, id non requiritur, ſed ad abundantiorem cautelam, hoc factum eſt, *Sanch. libr. 7. diſ. 108. n. 6.*

XXXII.

Digitized by Google

XXXII. Notandum 4. In maleficii impedimento computatur triennium a die copulæ attentatæ, ſicut in impedimento frigiditatis, & idea in *cit. c. fin.* dirimendum eſt inter hujuſmodi conjuges matrimonium, ſi intra illos octo annos per triennium cohebitarint continuo: neque ſemper impedimentum maleficii ex peccato conſurgit, nec oportet ante hujuſmodi triennium pœnitentiam eſſe peractam, quia in *cit. c. fin.* factum ſolum narratur, nec jus ſtatuitur: ſed ſolum exigitur toto illo annorum tempore, ex quo initum erat matrimonium, conjuges triennio continuo cohebitaſſe, *Sanch. l. 7. diſ.* 110. *n.* 5. Quamvis aliqui apud *Barb. in Collect. hic n.* 7. teneant, hoc triennium currere a die cohabitationis, vel a tempore aſſignationis per Judicem factæ.

Notandum 5. Quando non poteſt conſtare, num perpetuum ſit, an temporale maleficium, præſumitur eſſe perpetuum, ac diſſolvitur matrimonium, poſtquam triennio conjuges dederunt operam carnali copulæ, nec eam perficere potuerunt, juxta *c. fin. h. t. Sanch. l. 7. diſ.* 94. *n.* 12. & alii apud ipſum.

XXXIII. Notandum 6. Si impotentia conſurgens ex maleficio ſit perpetua, dirimit ſubſequens matrimonium, ut conſtat ex *c. fin. h. t.* quod fere omnes Interpretes de impedimento maleficii intelligunt: nam matrimonium, quod ſemel ratum fuit, etſi nondum conſummatum, per nullam ſupervenientem impotentiam dirimitur, *c. Is qui* 25. *cauſ.* 32. *q.* 7. & dictum ſupra. Tum quia vir ille in *cit. cap. fin.* petens ſeparari matrimonium, allegavit, ſe quoad omnes fœminas eſſe potentem, præterquam ad propriam uxorem, quod repugnat frigiditati, in qua vir eſt impotens quoad omnes fœminas. Tum etiam quia ibi utrique conjugi injunctum fuit, ut pœnitentiam de peccatis agerent: at per pœnitentiam non tolluntur impedimenta naturalia, ſed ſolum quæ inſtigante diabolo proveniunt. Ratio eſt, quia ſi impotentia illa ſit perpetua, non poteſt quis tradere poteſtatem ſui corporis alteri, obligando ſe ad actum conjugalem, quippe qui eſt ipſi ob maleficium perpetuum impoſſibilis. Denique quia falſum eſt nullum maleficium eſſe perpetuum: nam ſi dæmon ſemel, vel ſæpius poteſt impedire copulam carnalem, permittente DEO, cur non ſemper, cum per voluntatem operetur? & falſum eſt maleficium ſemper poſſe tolli a ſuo auctore, *Sanch. l. 7. diſ.* 94. *n.* 8. & alii apud ipſum.

Notandum 7. Quamvis non exigatur neceſſario aſpectus matronarum ad ſententiam divortii matrimonii propter maleficii impedimentum: requiritur tamen juramentum ſeptimæ manus propinquorum juxta *cit. c. fin. h. t.* ubi Papa formam diſſolvendi matrimonium, ratione impotentiæ, aſſignat tanquam prærequiſitum hoc juramentum, & cum ſit forma probationis Jure præſcripta, propter ejus omiſſionem vitiatur ſententia: ubi etiam eſt ſermo de impedimento maleficii, ut ſupra dictum, quamvis idem ſit de frigiditate, in qua idem juramentum exigitur, *c. Laudabilem* 5. *h. t.* de quo ſupra, *Sanch. l. 7. diſ.* 108. *n.* 9.

Notandum 8. Si poſt diſſolutionem, ſeu divortium factum matrimonii propter maleficium, aliud matrimonium maleficiatus iniit cum alia muliere, eamque cognoverit, non ideo reſtaurari debet primum matrimonium, quoad primam uxorem, quia maleficium ſæpe ad unam perſonam reſtringitur, nempe ad uxorem, ita ut hanc vir non poſſit cognoſcere, etſi poſſit alias mulieres, licet aliud ſit quoad frigiditatem, *Abb. in c. 1. in fine h. t.* Quod ſi tamen vir cum priore conjuge, a quo ob maleficium ſeparatus fuit, privatim eam carnaliter cognoſcat, matrimonium prius reſtitui debet, ſicut de frigido ſupra dictum, *Henric. Canif. in cit. c. ult. n. 7. h. t.* Atque hæc ſufficiunt pro explicatione capitulorum hujus Tituli: nam reliqua, quæ huc pertinent, proſequi non eſt noſtri inſtituti, & nimis prolixum foret, de quibus videri poteſt *Sanch. l. 7. de matr.* ubi de impedimento impotentiæ agit a *diſp.* 92. uſque ad finem illius Libri.

TITULUS XVI.

DE MATRIMONIO CONTRACTO CONTRA INTERDICTUM ECCLESIÆ.

Actum eſt in ſuperioribus Titulis de variis impedimentis dirimentibus matrimonium, nunc ſequitur, ut agatur de impedimentis, quæ impedientia tantum appellantur eo quod matrimonium licite contrahi impediant, at contractum cum illis eſt firmum & validum. Quale eſt imprimis matrimonium contractum contra Interdictum Eccleſiæ, de quo in hoc Titulo agitur.

§. I.

An, & qua ratione matrimonium contractum contra Interdictum Eccleſiæ dirimatur, vel impediatur.

I.

QUæritur 1. Quod dicatur interdictum Eccleſiæ, & quibus modis fiat? *Reſp.* Interdictum Eccleſiæ circa matrimonium, fieri poteſt tribus modis, ut notat *Barboſ. in Collect.* ſuper *Rubr. h. t.* ſcilicet per Canonem, ſeu le-

gem Eccleſiaſticam, quæ certis temporibus nuptias celebrari prohibet, de quibus in *c. Non oportet* 10. *cauſ.* 33. *q.* 4. *c. Capellanus* 4. *de feriis*, quæ tempora reſtricta ſunt per *Concilium Trident. Seſſ.* 24. *c.* 10. *de reform. matrim.* quibus tamen temporibus, non ipſa matrimonia, ſed ſolemnitates nuptiarum, & traductio ſponſæ in domum mariti prohibentur, ut dictum ſupra *l. 2. t. 9. n. 2. & 4.* Secundo modo fit interdictum matrimonii, per Judicem Eccleſiaſticum, qui ob legitimam cauſam interdicit ad tempus matrimonium iniri inter aliquos, vel quia alter eorum antea cum alia tertia perſona ſponſalia contraxit, quæ non debent violari, ſine gravi cauſa: vel quia Eccleſiaſticus Judex inter contrahentes ſubeſſe impedimentum conſanguinitatis, vel aliud putat; ideoque interdicit matrimonium ad tempus, donec veritas ſit cognita. Et hoc interdictum impedit matrimonium licite contrahi, non autem dirimit contractum, *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 6. n. 6.* Tertio modo fit interdictum matrimonii per Parochum, quia licet is non poſſit cauſas matrimoniales cognoſcere, ſeu pertractare: quippe quæ judicialem indaginem, ac juriſdictionem requiritur, & ad Judicem Eccleſiaſticum pertinent, *c. 1. De conſang.* poteſt tamen Parochus matrimonium impedire, & interdicere ad tempus, ut ſi opponatur matrimonio contrahendo impedimentum Canonicum, vel timeantur oriturae magnæ ſ[illegible]iæ, ſi matrimonium permittatur ſtatim celebrari, ut colligitur ex *c. ult. de clandeſt. deſponſat. in fine princ.* ibi: *contractus interdicatur*, ubi agitur de Parocho, & clarius §. *fin.* ibi: *Sane ſi Parochialis Sacerdos tales conjunctiones prohibere contempſerit*; ergo ſupponitur Parochi eſſe matrimonia ad tempus prohibere, *Sanch. l. 3. de matr. diſ.* 15. *n.* 3. & *l. 7. diſ. 6. n. 6.*

II. Quæritur 2. Quænam præterea ſtatuta ſunt Jure Canonico circa matrimonium contractum contra Interdictum Eccleſiæ, vel Judicis? *Reſp.* De hoc agitur imprimis in
,, *c. Literæ 1. h. t.* Nam cum quidam juraſſet, ſe cuidam da-
,, turum ſororem ſuam jam nubilem in uxorem (futuram
,, ſcilicet per ſponſalia, ea præſente, & conſentiente (ex-
,, preſſe, *Gl. hic V. Præſente*) & illa munera, ac dona, ſe-
,, cundum morem Regionis, ab illo recepiſſet, ipſum tan-
,, quam proprium virum (ideſt, ſponſum, ſpe futuri ma-
,, trimonii, *Gl. hic V. Tanquam*) ſæpe fuit amplexata. Tan-
,, dem mortuo ſuo fratre, a proprio viri ſui, id eſt, ſpon-
,, ſi fratre permiſit ſe deſponſari, quod facere non debuit,
,, quia non poteſt quis habere ſponſam fratris ſui, (*c. Ad*
,, *audientiam* 4. & *c. ſponſam* 8. *ſupr. de ſponſal.*) & quod ab
,, eo cognita fuiſſet, mendaciter aſſeruit. Cum autem E-
,, piſcopus loci ei prohibuiſſet, ne alicui illorum, aut al-
,, teri ſe copularet, ipſa ſpreto mandato Epiſcopi, alii (ſci-
,, licet tertio) nupſit. Sed ad domum matris ab Epiſcopo
,, redire juſſa, ipſa ad Sedem Apoſtolicam appellavit. Que-
,, ra mandat Papa Alexander III. ut ſi ita eſt, Epiſcopus
,, prædictam mulierem ad domum matris redire compel-
,, lat, ne mandatum ipſius contemptibile videatur: & im-
,, poſita eidem mulieri condigna pœnitentia, ob tantum
,, exceſſum, ſeu delictum (quia ſcilicet fidem violavit prio-
,, ri ſponſo, & ſe deſponſari permiſit a proprio fratre ſpon-
,, ſi ſui, & quia mandatum Eccleſiæ contempſit, *Gl. fin.*
,, *hic*) poſtquam in domo matris per menſem ſteterit, ad
,, tertium virum reverti permittat.

III. Pro explicatione hujus cap. notandum 1. matrimonium contra Interdictum Eccleſiæ, vel Judicis contractum, non ideo dirimitur; ſeparentur tamen ſic contrahentes, non quoad vinculum matrimonii, quia hujuſmodi matrimonium non eſt irritum, ſed tenet, niſi aliud Canonicum impedimentum obſiſtat: ſed ſeparantur ſolum quoad torum, donec cauſa Interdicti cognoſcatur, & imponitur eis pœnitentia ob contemptum mandati Eccleſiæ, ſeu Judicis, *Abb. hic n.* 1. & *Alex. de Nevo n.* 1.

Notandum 2. Sponſalia de futuro non tranſeunt in matrimonium de præſenti per receptionem munerum, oſcula, & amplexus, quia nec niſus, ſeu conatus ad copulam ad hoc ſufficit, ſed requiritur, ut mulier plene cognoſcatur, *c. Is qui* 30. & *c. ult. ſupr. de ſponſal.* Secus eſt de ſponſalibus contractis per verba de præſenti ab impuberibus, quæ propter defectum ætatis contrahentium, Juris interpretatione, finguntur de futuro, quia hæc, perfecta ætate, tranſeunt in matrimonium per receptionem munerum, oſculi, vel amplexus, aut alia hujuſmodi ſigna, quod contrahentes ab initio intendebant juxta *cit. c. 1. h. t. Alex. de Nevo hic. n. 3. Covarr. in 4. Decret. p. 1. c. 4. §. 1. n. 2. & 3.* Porro hæc procedunt, ſpectato Jure antiquo Canonico: ſed cum hodie ex Decreto Concilii Trident. *Seſſ. 24. c. 1. de reform. matr.* matrimonia aliter contracta, quam præſente Paroco, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, aut Ordinarii licentia, ſint irrita, Sponſalia ſive de præſenti, ſive de futuro non tranſeunt amplius in matrimonium, nec per ipſam copulam; imo nec per conſenſum expreſſum, ſed oportet iterum contrahere matrimonium, ſervata forma a Concilio præſcripta, ut ſæpius reſpondit S. Congregatio Concilii apud *Fagnan. in cit. c. 1. n. 4. h. t.* ubi addit, quod ubi Decretum Concilii non eſſet receptum in Parochia, ſervanda eſſet prædicta diſtinctio.

IV. Notandum 3. Matrimonium diſſolvit præcedentia ſponſalia, etiamſi præceſſerit interdictum Eccleſiæ, vel Judicis factum ſponſo de futuro, ne contrahat matrimonium cum alia: ac proinde matrimonium vincit ſponſalia, & interdictum, etiam ſimul conjuncta, imo & jurata, *Abb. hic n. 4. & Alex. n. 6.* quia interdictum non diſſolvit ſponſalia, nec dirimit matrimonium contra illud contra-

ctum,

ctum, reddit tamen obnoxium pœnæ, ut patet ex textu, ubi in pœnam prohibetur, ne mulier iſta poſſit contrahere cum viro, cui fuerat deſponſata, neque cum illius fratre, propter violatum mandatum Epiſcopi: permittitur tamen permanere cum tertio, cui ſe poſtremo copulavit, non obſtante ullo impedimento ex prioribus deſponſationibus, ut habetur in fine hujus cap.

Notandum 4. Eſt tamen hic, ne interdictum Judicis impune contemnetur, aut eluſorium ſit, diſtinguendum: vel enim agitur de impedimento perpetuo, quale v. g. eſt impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis & ſimilium; & tunc matrimonium, quoad mutuam cohabitationem, interim ſeparatur, donec de impedimento conſtiterit, quo probato, matrimonium omnino diſſolvitur, vel potius declaratur, nullum inter eos contractum fuiſſe matrimonium. Vel agitur de impedimento ſolum temporali, ut de ſponſalibus, quæ perpetuam cauſam non habent, ſed pluribus modis ſæpe diſſolvuntur, præſertim per matrimonium ſubſequens; & tunc contrahentes non debent quidem a ſe invicem ſeparari, ſed pœnitentia illis imponitur pro arbitrio Judicis, vel etiam ad tempus a mutua cohabitatione ſejunguntur, *Hoetic. Caniſ. h. t. n. 3.* Quo ſenſu autem intelligendum ſit *c. pen. de ſponſa duorum*, in quo dicitur, matrimonium contractum contra interdictum Judicis Eccleſiaſtici irritari poſſe, dictum eſt ſupra *eod. Tit. 4. n. 10. in fine*, ubi ſermo erat de iis, qui pendente appellatione ſuper prioris matrimonii valore, ad aliud tranſierunt. Videri poteſt *Sanch. l. 7. diſ. 2. n. 1.*

V. Notandum 5. probabilius eſt, ſpeciale eſſe in parentibus, ut ſi pro filiis contrahant ſponſalia, vel matrimonium, ſufficiat eorum taciturnitas, & præſentia, non item ſi extraneus pro extraneo; tunc enim requiritur aliud ſignum conſenſum internum exprimens, ut valeant ſponſalia, vel matrimonium: tum quia in *c. unic. §. fin. de deſponſ. impub. in 6.* tanquam quid ſpeciale, hoc ſtatuitur de parentibus: tum quia quamvis matrimonium ſit per ſe appetibile, & favorabile, ideoque præſumi poſſe videatur, ſi quis etiam extraneus pro aliquo præſente, & tacente, ſponſalia, vel matrimonium contrahat, eum tacite conſentire: ac rectius id negatur, quia contrahere cum certa perſona, viro, vel muliere, poteſt eſſe noxium, vel moleſtum: quare cum parentum velut officium ſit filios in matrimonio collocare, idque propter magnum amorem, & affectum erga illos, præſumuntur optima, quæ fieri poteſt, modo id facturi; ideo merito judicatur, ſi pater pro filio præſente, & tacente, ſponſalia, vel matrimonium contrahat, eum tacite conſentire: quæ ratio non habet locum in aliis extraneis, ut in caſu hujus c. ubi ſponſalia de futuro contracta ſunt a fratre pro ſorore ſua, tacite ſolum conſentiente, qui conſenſus colligebatur ex præcedentibus muneribus, & frequentibus amplexibus: ſed tunc requiritur ratificatio ſaltem tacita per ſignum aliquod, *Sanch. l. 1. de ſponſal. diſ. 23. n. 7. & 8.* ubi *n. 9.* ait, idem eſſe de matre, quia in *cit. c. unic.* de parentibus eſt ſermo, ſub quo nomine uterque parens comprehenditur, & innititur non patriæ poteſtati, ſed amori paterno, qui in matre eſt ardentior.

Notandum 6. Quamvis cauſa interdicendi matrimonium ſit temporalis, & matrimonium contra prohibitionem initum ſit validum; at quando prohibitio Judicis fuit legitima, ipſi conjuges ad tempus ſeparari debent, in pœnam delicti, ne ſcilicet ob impunitatem delicti juſtum mandatum Judicis contemnere audeant, ut habetur in *c. 1. h. t. in fine*, *Sanch. l. 7. diſ. 2. n. 14.* ubi addit, etſi in eo s. aſſignetur unus menſis, per quem ſeparari debent; eſt tamen hoc tempus arbitrarium, & ponitur ille menſis ſolum exempli gratia, non autem ad reſtringendam Judicis facultatem. Nec obſtat *c. 2. h. t.* quia id loquitur de perpetua ſeparatione, ut notat *Sanch. c. l.*

VI. Præterea in *c. Ex litteris 2. h. t.* talis caſus proponitur:
„ Cum G. filiam ſuam M. abſentem (quæ po-
„ ſtea conſenſit, alias non tenuiſſent ſponſalia, *Gl. hic V.*
„ *Abſentem*) cuidam R. nomine deſponſaſſet (per verba de
„ futuro) & ſuſpicio eſſet orta, illum velle aliam ducere
„ in uxorem, Archiepiſcopus Cantuarienſis ſub intermina-
„ tione, ſeu comminatione anathematis, prohibuit, ne an-
„ tequam de ipſa cauſa conſtaret, dictus R. aliam in u-
„ xorem acciperet. Sed ipſe, contempta illa prohibitio-
„ ne, aliam quandam ſolemniter ſibi matrimonio copula-
„ vit. Verum cum Archiepiſcopus vellet primo matrimo-
„ nio, ſeu deſponſatione cognoſcere dicta M. ad ſedem A-
„ poſtolicam appellavit: cujus appellationi Archiepiſcopus
„ deferens, interdixit eidem mulieri, ſub pœna excom-
„ municationis, ne alicui nuberet, donec cauſa illa finem
„ debitum ſortiretur: ipſa tamen de appellatione confiſa,
„ cuidam alii V. nomine nupſit. Re delata ad Papam,
„ is mandavit, ut ſi nihil præceſſiſſe conſtiterit inter prædi-
„ ctos R. & M. quod impediat, præter conſenſum de
„ futuro, qui dicitur inter eos interveniſſe, ſecundum
„ matrimonium inviolabiliter obſervandum judicet, non
„ obſtante appellatione: licet enim prædicta mulier ad
„ ſecunda vota, ſeu nuptias, contra interdictum Eccle-
„ ſiæ, tranſire non debuerit, non tamen matrimonium
„ debet ob id ſolum diſſolvi: pœnitentia tamen eis de-
„ bet imponi, quia contra prohibitionem Eccleſiæ hoc
„ fecerunt.

VII. Notandum 1. Solum interdictum Eccleſiæ factum propter impedimentum non perpetuum, ſed temporale ſolum, non dirimit matrimonium poſtea contractum, prout ſumitur ex hoc c. ubi expreſſe dicitur, non eſſe diſſolvendum matrimonium, eo quod contra Eccleſiæ prohibitionem eſt initum, & eſt ibi ſermo de iis, quibus interdictum fuit a Papa, ne tranſirent ad alias nuptias, donec de priorum ſponſalium veritate cognoſceretur, *Abb. hic n. 3. Alex. de Nevo n. 2. Sanch. l. 7. de matr. diſ. 2. n. 1.* Ideo autem in hoc c. interdictum Eccleſiæ non diſſolvit matrimonium ſubſequens, quia cauſa prohibitionis non fuit perpetuum impedimentum, ſed temporale ſolum; tunc enim valet matrimonium, *Sanch. c. l. n. 4.*

Notandum 2. Judex Eccleſiaſticus poteſt præcipere ſponſæ, ne matrimonium cum alio contrahat, etiamſi ſponſalia non ſint jurata, quia ſponſalia, etiam ſine juramento, efficaciter obligant, *Abb. hic n. 2. & Alex. n. 1.*

Notandum 3. Is, qui contra prohibitionem a Superiore Eccleſiaſtico, ex juſta cauſa, factam, contrahit matrimonium, graviter peccat, & ideo pœnitentia illi imponi debet, ut habetur in fine hujus cap.; niſi certo conſtet, nullum ſubeſſe impedimentum, ut ex Reginaldo tradit *Barb. in Collect. hic n. 3.*

Notandum 4. Quamvis Judex deferat appellationi, poteſt tamen appellanti interdicere, ne attentet id, propter quod appellavit, ut patet ex hoc cap. ubi Epiſcopus interdixit, ne appellantes ad Sedem Apoſtolicam contraherent matrimonium ante cauſam terminatam, & ſic appellatio non tuetur appellantem, ut poſſit id facere, propter quod appellavit, & Judex, a quo poteſt facere omnia ea, quæ tendunt ad faciliorem exitum cauſæ appellationis, *Abb. hic n. 4. & Alex. n. 3. & 5.*

Notandum 5. Quando Judex, ſeu Superior aliquid præcipit, vel prohibet ſub pœna excommunicationis, ut in caſu hujus c. non fert excommunicationem in contrafacientem, ipſo facto, ſi ulterius non procedat, ſed ſolum comminatur pœnam, *Gl. hic V. Interminatione, & Abb. n. 5.*

VIII. Poſtremo in *c. De muliere 3. & ult. h. t.* ſtatuitur,
„ illos, qui propter conſanguinitatem prohibentur ma-
„ trimonio conjungi, ſi poſtea contra interdictum Eccle-
„ ſiæ, ne contrahant, matrimonio jungantur, excommu-
„ nicari debent, & ab invicem ſeparari, quouſque legiti-
„ me cognoſcatur, an de jure poſſint, ac debeant ſimul
„ remanere, & matrimonium eorum jure ſubſiſtat.

IX. Ubi notandum 1. Judex debet interdicere matrimonium, ſi adſit vehemens ſuſpicio de impedimento conſanguinitatis inter contrahentes, vel alio ſimili: quod ſi interdictum ſit factum propter ſuſpicionem perpetui impedimenti, ſed poſtea non probetur, vel reperiatur non ſubeſſe, valet matrimonium contractum contra interdictum, *Abb. hic n. 2. & 3. Alex.* Hodie vero conſanguinei contrahentes ſcienter in gradu prohibito ſunt ipſo jure excommunicati, *Clem. unic. de conſang. & affinit.* de quo ſupra.

Notandum 2. Si tales ſuſpecti de conſanguinitate contra interdictum ineant matrimonium, ſunt ſeparandi, & per excommunicationem compellendi, ut maneant ſeparati, donec cauſa cognoſcatur: ſeparantur autem, non per ſententiam definitivam, cum nondum cognitum ſit de cauſa, ſed per præceptum, ut ſtent ſeparati, donec appareat, & declaretur, matrimonium eſſe validum, & detur illis licentia ſimul tanquam legitimis conjugibus cohabitandi, *Alex. de Nevo hic n. 3. & 4. Vivian. in Ration. hic.*

§. II.

De aliis impedimentis, quæ non dirimunt, ſed impediunt tantum matrimonium contrahendum.

X. Impedimenta, quæ matrimonium ſubſequens non irritant, ſed impediunt tantum, ſive illicitum reddunt, numerantur ſequentia. Primum eſt interdictum, ſive prohibitio Eccleſiæ, vel Judicis Eccleſiaſtici, de quo dictum *§. præced.* Secundum eſt tempus feriatum, quibus prohibentur nuptiæ publice, & ſolemniter celebrari, quamvis id non ſit interdictum, ſi abſque magna ſolemnitate, & pompa fiat, ut probat *Sanch. lib. 7. de matr. diſſ. 7. num. 12.* de quo dictum ſuo loco. Tertium eſt, ſponſalia cum aliqua prius valide contracta, quæ antequam legitime diſſolvantur, obſtant, quominus licite ineant matrimonium cum alia, ut patet etiam ex alibi dictis. Quartum eſt, cognatio ſpiritualis, quæ contrahitur ab eo, qui pro baptizando, ſive adulto, ſive parvulo, Sacerdoti interroganti reſpondet in Catechiſmo, qui præmitti ſolet; quod tamen impedimentum hodie omnino ſublatum eſſe dictum ſupra, *Sanch. l. 7. diſ. 10. num. 11.* Quintum impedimentum eſt votum ſimplex caſtitatis perpetuæ, vel ingrediendi Religionem, vel ſuſcipiendi Ordines Sacros, vel matrimonii non ineundi, quia hujuſmodi vota e diametro adverſantur ſtatui matrimonii, ac proinde illud impediunt, non tamen dirimunt, de quo videri poteſt *Sanch. cit. l. 7. diſſ. 11. num. 4. & ſeqq. Laym. lib. 5. tr. 10. p. 4. c. 15. in fine.*

XI. Sextum impedimentum ſunt crimina quædam, ob quæ, quaſi pœnitentiæ loco, jure antiquo decreta erat abſtinentia a conjugio. Primum eſt, lavatio, ſeu ſuſceptio propriæ prolis de ſacro fonte in fraudem debiti conjugalis facta, ne poſſit alter conjux petere debitum: quo caſu etiam non licet ſuſceptori petere debitum, etſi reddere poſſit, ac debeat: & talis ſuſceptio impedit, ne ſi matrimonium diſſolutum fuerit, aliud iniri poſſit; ſi tamen ſic levans aliud inierit, validum erit, ut conſtat ex *c. De eo 5. cauſ.* 30. q. 1.

Digitized by Google

30. *q.* 1. quod eſt deſumptum ex Concilio Moguntino, ubi in fine dicitur, *ſi conjuges legitimi, unus, vel ambo ex induſtria fecerint, ut filium ſuum de fonte ſuſciperent, ſi prævaricator conjugis ſupervixerit, ſine ſpe conjugii maneat*. Idemque eſt, ſi alter conjux fuit Patrinus filii tenens eum in Confirmatione, animo inſidiandi matrimonio, *Sanch. l. 7. diſ. 6. n.* 8. 2. interfectio injuſte Sacerdotis etiam impedit matrimonium, non tamen dirimit, *c. 2. de pœnit. & remiſſ.* Ratio eſt, quia cum Sacerdos intereſſe debeat Sacramento matrimonii, æquum eſt, ut interfector Sacerdotis hoc Sacramento privetur, dummodo ſit convictus in Judicio contentioſo de eo crimine, *Sanch. cit. diſ.* 6. n. 9. 3. ſolemnis, & publica pœnitentia impedit matrimonium, ſed non dirimit, ut conſtat ex *c. De his.* 12. *& c. fin. cauſ.* 33. *q.* 2. ſed nonniſi quamdiu durat illa pœnitentia; cum enim illud tempus ſit deſtinatum luctui, & pœnitentiæ, dedecent tunc nuptiæ, *Sanch. cit. diſ. 6. n.* 10. ubi tamen addit, cum jam pœnitentia ſolemnis non ſit in uſu, ceſſare hoc impedimentum. 4. qui ſcienter, & ſacrilege contraxit matrimonium cum Moniali, prohibetur matrimonium contrahere cum alia, *c. Hi ergo*. 13. *cauſ.* 27. *q.* 1. quia delinquens in Sponſam Chriſti indignus eſt matrimonio; contractum tamen tenet, *Sanch. c. l. n.* 21. 5. uxoricidium impedit quoque, ne vir aliam ducere poſſit, non tamen dirimit matrimonium poſtea initum, ut conſtat ex *c. Interfectores*. 5. *& c. Quicunque*. 7. *cauſ.* 33. *q.* 2. niſi in adulterio ea deprehenſa fuiſſet, *c. Admonere*. 8. *ead. cauſ. & q.* At vero viricidium non eſt impedimentum ad matrimonium ineundum, ut probabilius cenſet *Sanch. l. 7. diſ. 16. n.* 6. quia Canones hoc impedimentum ſtatuentes loquuntur de ſolo uxoricidio: nec eſt eadem ratio de viricidio, quia hoc eſt rariſſimum, virique ſunt audaciores, & procliviores ad uxores occidendas, quam vice verſa. 6. Raptus alienæ ſponſæ dirimit matrimonium cum rapta, quamdiu hæc eſt in poteſtate raptoris, de quo alibi, ſed impedit tantum matrimonium cum quacunque alia, *c. Statutum*. 34. *cauſ.* 27. *q.* 2. quod eſt deſumptum ex Concil. Tolet. 7. inceſtus cum conſanguineis uxoris ſuæ, ſaltem adhuc viventis, intra ſecundum gradum impedit, ſed non dirimit matrimonium, ut conſtat ex *c.* 1. 2 *& c. Tranſmiſſæ*. 4. *de eo, qui cognovit conſang. &c.* quia nullus reperitur textus, qui id eſſe dirimens diceret, *Sanch. l. 7. diſ.* 15. *n.* 1. non autem impedit matrimonium contrahendum inceſtus cum propriis conſanguineis, quia textus, qui id impedimentum ſtatuunt, non loquuntur expreſſe de inceſtu cum conſanguineis propriis: & hic inceſtus non ita repugnat matrimonio impediens ejus uſum, *Sanch. cit. diſ.* 15. *n.* 16. quæ ratio cum procedat, ſi uxor ſit defuncta, ideo probabile eſt, inceſtum commiſſum cum conſanguineis uxoris, ea defuncta, non eſſe impedimentum matrimonii, *Laym. c. l. n.* 2. §. *Quartum locum*, contra *Sanch. cit. diſ.* 15. n. 12. qui pro ſe habet text. in *cit. c. Tranſmiſſæ*. 4. *de eo, qui cognovit conſang. &c.* Denique ſi quis cum matre, aut filia fornicatus fuerit, a conjugio deinceps abſtinere debet, ut ſtatutum videtur in *c. Si quis cum matre*. 9. *cauſ.* 34. *q.* 1. *Sanch. cit. diſ.* 15. *n.* 7. *Laym. c. l.*

XII. Cæterum omnia hæc impedimenta Jure Eccleſiaſtico inducta (præter ſponſalia, & votum, quæ Jure Divino, & naturali obligant, & impediunt matrimonium, & præter interdictum ſpeciale Superioris) omnino hodie ſublata ſunt per diuturnam conſuetudinem, ſecundum quam, ſic impediti, nulla petita diſpenſatione, conſciis, & videntibus Prælatis, paſſim ineunt matrimonium, ut teſtatur ex Navarro *Sanch. l. 7. diſ. 17. num.* 8. Quod ſi aliquando in hujuſmodi impedimentis non dirimentibus, majoris ſecuritatis cauſa, petatur diſpenſatio, poterit in iis diſpenſare etiam Epiſcopus, quia licet id nullo Jure exprimatur, niſi de inceſtu improprie dicto commiſſo cum conſanguineis ſponſæ nondum cognitæ, juxta *c.* 2. *de eo, qui cognovit conſang. &c.* in quo poterit diſpenſare Epiſcopus, quia cum ibi in hoc caſu concedatur, ex diſpenſatione iniri poſſe matrimonium, atque non reſervetur Papæ, cenſetur commiſſa Epiſcopo, juxta regulam communiter traditam a Doctoribus apud *Sanch. diſp.* 17. n. 10. at conſuetudo interpretatur ex ſimilitudine rationis id extendi quoque ad alia impedimenta. *Sanch. cit. diſ.* 17. n. 15. *Tanner. cit. q. 4. dub.* 2. *n.* 30.

T I T U L U S XVII.

QUI FILII SINT LEGITIMI?

Poſt varia impedimenta in ſuperioribus Titulis explicata, agitur nunc de filiis legitimis, qui nonniſi ex legitimo matrimonio naſcuntur. Filii autem hic proprie dicuntur, qui ſunt nati ex viro, & muliere juſtis nuptiis, ſeu legitimo matrimonio junctis: & ſolet hoc nomen uſurpari, prout a nepotibus diſtinguuntur, & aliis ulterioribus deſcendentibus, Barboſ. hic in princ. n. 5. Sub nomine vero filiorum hic comprehenduntur, non ſolum filii, ſed etiam filiæ, quia generaliter receptum eſt, maſculinum concipere, ſive continere fœmininum, quamvis aliqui apud Barboſ. hic n. 10. dicant, filii appellatione in numero ſingulari non contineri fœminam ex vi verbi, ſed per interpretationem extenſivam: filiorum tamen nomine in plurali comprehendi etiam filias, ſaltem ex communi modo loquendi, Barb. cit. loc. num. 11. Porro etſi in Rubrica, ſeu inſcriptione hujus Tituli ſolum ſit mentio de filiis legitimis, agitur tamen etiam in eo de filiis illegitimis. De quibus & nos agemus.

§. I.

De filiis legitimis, & illegitimis in genere.

I.

ASſertio 1. Filii quidem ſunt legitimi, quidam illegitimi. Legitimi vel ſunt legitimi tantum, quales ſunt filii adoptivi, qui non a natura, ſed a ſola lege filii ſunt facti. Vel ſunt legitimi, & naturales ſimul, qui ex legitimo matrimonio nati ſunt, lege, & natura matrimonium approbantibus, id eſt, qui ex juſtis nuptiis veris, vel putativis ſunt procreati. *Inſtit. de patr. poteſt. in princ. l. Filium 6. ff. De his, qui ſui, vel alieni &c. Molin. tom.* 1. *tract.* 2. *diſ.* 165. *num.* 1. *Suar. diſ.* 50. *de cenſur. ſec.* 1. *n.* 1. *Gregor. Tholeſ. ſyntagm. Jur. univerſ. p.* 2. *lib.* 10. *c.* 3. *n.* 6.

II. Aſſertio 2. Filii illegitimi ſunt, qui non ex juſtis nuptiis vere, vel putative nati ſunt, ſed extra matrimonium, *Auth. Quibus modis natur. effic. ſui*, §. *Quod vero*. Et hi alii ſunt naturales, alii non naturales, qui etiam ſpurii vocantur. Filii naturales tantum de Jure Canonico dicuntur illi, qui nati ſunt a parentibus, inter quos matrimonium tempore conceptionis (vel ſaltem nativitatis, ſecundum probabilem ſententiam) abſque impedimento dirimente conſiſtere poterat. Non naturales vero, & ſpurii Jure Canonico dicuntur, qui nati ſunt ex his parentibus, qui matrimonium contrahere non poterant, nec tempore nativitatis, nec tempore conceptionis: quare iidem ex damnato coitu nati dicuntur, *Laym. lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 5. *num.* 3. Sed Jure Civili, ſeu Cæſareo filii illegitimi, alii ſunt naturales, alii non naturales. Naturales cenſebantur ii ſoli, qui ex ſoluto concubitu, ſive unica uxoris loco domi retenta nati fuerunt, cum qua matrimonium contrahere potuiſſet. Non naturales vero cenſebantur nati ex damnato coitu, ſi cum eorum matre matrimonium contrahi non potuit: reliqui autem nothi dicebantur, qui in eo differunt a naturalibus, ſeu ex concubina domi habita natis, quod iſti naturales cenſentur habere patrem certum, donec contrarium probetur: Nothi vero incertum, niſi certus demonſtretur: quare iſti ſpurii, ſeu vulgo concepti appellari ſolent, *Laym. c. l. n.* 3.

III. Porro hodie multi DD. apud *Barboſ. hic in princ.* n. 16. *&* 17. negant, quoad hoc eſſe differentiam faciendam inter utrumque Jus, ac proinde raros eſſe, vel nullos filios naturales: cum enim concubinatus lege Canonica ſit reprobatus, ideo filii illegitimi naturales, qui ſcilicet ex concubina domi retenta ſunt geniti, vix, vel raro reperiuntur: Spurii vero ſunt omnes ex illis geniti, qui matrimonium inter ſe contrahere non potuerunt, juxta *l. Vulgo* 23. *ff. De his, qui ſui, vel alieni &c.* ubi dicitur, vulgo concepti dicuntur, qui patrem demonſtrare non poſſunt: vel qui poſſunt quidem, ſed eum habent, quem habere non licet, qui & ſpurii appellantur. Ubi Juriſconſultus diſtinguit inter duplicis generis ſpurios: nam alii ſunt, qui non habent certum patrem, ut ſunt nati ex meretricibus, vel aliis, quæ cum multis fornicantur. Alii vero ſunt ſpurii, qui certum patrem habent, ſed talem, quem leges habere prohibent, ut ſunt nati ex iis parentibus, inter quos matrimonium contrahere lex vetat, quales ſunt conſanguinei, conjugati, vel voto ſolemni obſtricti. Rurſum hi, vel ſunt ſpurii ſimpliciter, qui naſcuntur ex conjunctione, quam leges humanæ nulla exteriori pœna afficiunt, ut eſt filius natus ex conjugato, & ſoluta, nulla enim pœna hujuſmodi coitus punitur, *l.* 1. *C. Ad leg. Jul. de adult.* Vel ſunt ſpurii ex damnato coitu, cujuſmodi ſunt nati ex conſanguinea, vel conjugata, vel Moniali, de quibus agitur in *Auth. Quib. modis nat. filii effic. legit. & ſui*. §. *ult. collat.* 6. *Covarr. in 4. Decret. p.* 2. *c.* 8. §. 5. *n.* 16. *Barboſ. in princ.* n. 17.

§. II.

Quinam in ſpecie judicandi ſint filii legitimi.

IV. De his agitur in primis in *c. Cum inter* 2. *h. t.* ubi talis caſus proponitur: „ Joannes cum Teberga contraxit matrimonium in facie Eccleſiæ, de qua filios „ concepit: cum eadem facta eſſet gravida, accuſatum fuit „ matrimonium de conſanguinitate; ideoque canonice lata „ fuit inter eos ſententia divortii: unde dubitatum fuit „ an filii nati ante ſententiam eſſent legitimi à Conſultus „ Papa Alexander III. reſpondet, quod filii exinde non „ debent ſuſtinere jacturam, cum parentes eorum publi„ ce, & ſine contradictione in facie Eccleſiæ matrimo„ nium contraxerint. Quare ſtatuit Papa, ut filii eorum, „ quos ſuſceperunt ante divortium, & qui concepti fue„ runt, ante latam ſententiam, legitimi habeantur, & „ in bona paterna hæreditario jure ſuccedant, & de pa„ rentum facultatibus alantur. „

V. Pro explicatione hujus cap. notandum 1. filii con-

Digitized by Google

cepti, ante ſententiam divortii, a parentibus, qui publice, & ſine contradictione, ac bonæ fide utriuſque, vel ſaltem alterius parentis, matrimonium contraxerunt, habentur pro natis, quando de eorum commodo agitur, quia ſunt vere & proprie legitimi filii, licet inter tales parentes exiſtat latens impedimentum Canonicum, v.g. conſanguinitatis, vel affinitatis, propter quod poſtea tale matrimonium judicio Eccleſiæ fuit ſeparatum, quippe invalidum, ut habetur hic, *Abb. hic n.* 2. *Alex. de Nevo n.* 3. *&* 7. *Covarr. in 4. Decret. p.* 2. *c.* 8. §. 1. *n.* 1. *&* 2. & alii. Ratio eſt; quia quando parentes in facie Eccleſiæ publice, & bona fide matrimonium contraxerunt, ignorantes impedimentum ſubeſſe, tunc excuſantur a peccato, etiamſi poſtea impedimentum detegatur, quia tunc potius in favorem prolis ſuſceptæ judicandum eſt illud eſſe legitimum, quam ut ſententia divortii poſtea lata illi debeat nocere, prout habetur in textu hic. Ut autem filii ex tali putativo matrimonio ſuſcepti habeantur legitimi, duo copulative requiruntur, nempe quod matrimonium publice, & in facie Eccleſiæ ſit celebratum, & quod bona fide, ſi enim utrumque, vel alterum tantum deſit, non erunt filii legitimi, *Covarr. r. l. c.* 8. §. 1. *n.* 2. Quod ſi unus parentum ſciat impedimentum, adeoque ſit in mala fide; alter vero ignoret, & ſit in bona fide: nihilominus filii ex tali matrimonio nati legitimi habentur, non ſolum quoad parentem habentem bonam fidem, ſed etiam quoad habentem malam fidem, dummodo in facie Eccleſiæ matrimonium ſit contractum, idque in favorem liberorum ſtatutum fuit, *c. fin.* §. *Si quis de clandeſt. deſponſ.* & ibi *Gl. V. Si ambo parentes*: quia eſſet monſtrum, ſi quis eſſet partim legitimus, & partim illegitimus, ſicut ſi quis eſſet partim liber, partim ſervus, *l. Duobus* 30. *ff. de liber. cauſ. Sanch. l.* 8. *de matr. diſ.* 34. *n.* 46. ubi tamen id limitat, quod hoc verum ſit reſpectu filii, & in ejus favorem, & reſpectu parentis, qui in bonæ fide fuit: non vero reſpectu parentis, qui malam fidem habuit, hic enim non gaudet jure legitimi parentis: neque vero monſtroſum cenſeri debet, ſi filius ſit legitimus reſpectu patris ſui; non autem viciſſim pater habeat legitima jura patris reſpectu filii. Ratio diſparitatis eſt, quia proles, quæ nihil mali fecit, jure merito ratione bonæ fidei alterius parentis, reputatur plene legitima, juraque omnia legitimæ prolis habet, At vero parens in mala fide conſtitutus, qui ſcienter cum impedimento contraxit matrimonium, adeoque culpæ reus fuit, merito jure legitimi parentis privatur, ne ex ſuo delicto commodum reportet; & ideo jus in prolis favorem conceſſum ad hujuſmodi parentem extendi non debet, *Sanch. cit. loc.*

VI. Notandum 2. Si matrimonium contrahatur non præmiſſis denunciationibus, dicitur clandeſtinum, quoad pœnas incurrendas clandeſtinis matrimoniis appoſites, etiamſi fiat coram Parocho, ac teſtibus; unde filii ſuſcepti a parentibus clandeſtine contrahentibus, non præmiſſis denuntiationibus, illegitimi cenſentur, quia in iis ſcientia, & mala fides ſemper præſumitur, *Sanch. l.* 3. *de matr. diſ.* 42. *n.* 6. *Barboſ. de Offic. Epiſc. alleg.* 32. *n.* 8. ubi præterea obſervandum, etſi matrimonium contractum coram Parocho, & teſtibus ſit validum, licet denunciationes ſint omiſſæ, ut tamen licite, & juſte contrahatur, requiritur inſuper, ut denuntiationes præmittantur, alioquin matrimonium clandeſtinum cenſeri debet, quia in *cit. c. ult. in princ. de clandeſt. deſponſ.* ſolemnitas denunciationum præſcribitur, *Avila de cenſur. p.* 7. *diſ.* 3. *dub.* 6. *Barboſ. in c.* 2. *h. t. n.* 20.

Notandum 3. Ex eo, quod filii concepti, ante ſententiam divortii, a parentibus, qui publice, & bona fide contraxerunt matrimonium, ſunt vere, & proprie legitimi, ſequitur, eos ad Ordines Sacros, & dignitates Eccleſiaſticas admittendos eſſe, *Barboſ. in Collect. in c.* 2. *n.* 5. *h. t.* Item admittuntur tales filii legitimi ad ſucceſſionem hæreditatis paternæ, etiam in feudis, & Majoratibus, *Covarr. c. l.* §. 1. *n.* 3. *Barboſ. c. l. n.* 7. ſaltem ſi Majoratus ſit ſimpliciter inſtitutus, *Barb. c. l.*

VII. Notandum 4. Filii nati, poſt litem conteſtatam, ſuper matrimonio publice contracto quod per ſententiam divortii poſtea invalidum declaratum fuit, ſunt legitimi, non minus quam ſi ante litem eſſent concepti; quia lite etiam conteſtata, præſumitur bona fides in matrimonio: nam lite pendente ſuper matrimonio, permittitur carnale commercium inter conjuges, *c. c. Ut lite pendente &c.* quod non permitteretur ab Eccleſia, ſi mala fides præſumeretur, neque facile debet præſumi delictum, *l. Merito* 51. *ff. Pro Socio*, *Abb. hic n.* 6. *&* *Alex. de Nevo n.* 5. *Covarr. c. l. n.* 5. cum ergo uſus matrimonii, pendente lite, non ſit interdictus, non debet ex eo quod legitime factum eſt, ulla pœna ſequi, neque filii, pendente lite, concepti propterea illegitimi cenſeri. Similiter, pendente appellatione a ſententia lata contra matrimonium, filii concepti ſunt legitimi, *Covarr. r. l. n.* 7.

Notandum 5. Duo jura debentur filiis legitimis, ut habetur in *cit. c. c. h. t.* ſcilicet hæreditas paterna, & jus petendi alimenta: ſi vero ſint illegitimi, debetur illis jus tantum petendi alimenta, *Alex. de Nevo hic n.* 6.

VIII. Secundo in *c. Perlatum* 8. *h. t.* refertur, quod „ cum quidam H. nomine habens uxorem I. ad partes „ Conſtantinopolitanas ſe contuliſſet, ibique per decem an„ nos, & amplius moratus, ad uxorem ſuam non rediiſ„ ſet, ipſa coram Diœceſano Epiſcopo adverſus eum que„ relam depoſuit, & quod eum diutius exſpectare non poſ„ ſet, allegavit. Epiſcopus mandavit parentibus viri (& „ amicis, *Gl. hic V. Parentibus*) ut ipſum ad propria re„ vocarent. Cum ergo diutius exſpectatus fuiſſet, nec re„ diret, Epiſcopus, auditis rationibus mulieris (id eſt, „ probationibus, *Hoſtienſ. hic V. eod.*) inter eos ſenten„ tiam divortii promulgavit (probato impedimento perpe„ tuo, *Gl. hic V. Promulgavit*), & mulieri alium virum „ ducendi facultatem conceſſit. Conſultus Papa Alexander „ III. mandat quibusdam, ut, ſi conſtiterit, quod Epiſco„ pus inter eos ſententiam divortii tulerit, filios, quos ex „ alio, ad cujus copulam auctoritate Eccleſiæ tranſivit, ſu„ ſtulit, legitimos judicent, eoſque hac occaſione ab hæ„ reditate paterna excludi non patiantur. Ratio hujus deciſionis eſt, quia iſta mulier, bona fide, in facie Eccleſiæ contraxit, tam cum primo, quam cum ſecundo viro; ideo filii ex quolibet eorum geniti cenſeri debent legitimi, quamvis unum ex illis matrimoniis poſtea nullum declaretur: potius enim in favorem prolis ſic ſuſceptæ judicandum eſt, eam eſſe legitimam, quam extendenda ſententia divortii ſuper nullitate matrimonii poſtea lata, *Vivian. in Ration. hic.*

IX. Notandum præterea 1. Si mulier per judicium Eccleſiæ ſit ſeparata a primo viro, & vivente illo, de licentia Eccleſiæ, contrahat matrimonium cum alio, proles ſuſcepta ex ſecundo viro legitima erit, & capax hæreditatis, prout ſumitur ex hoc c. & tradunt communiter DD. hic.

Notandum 2. Abſentia conjugis, quantumvis diuturna, non eſt per ſe ſola ſufficiens cauſa legitima ſeparandi matrimonium, etiamſi uxor alleget incontinentiam, unde dici debet, quod mulier in caſu hujus cap. allegabat impedimentum perpetuum, v. g. conſanguinitatis, vel maritum eſſe mortuum, *Abb. hic n.* 2. *&* *Alex. de Nevo n.* 2.

Notandum 3. Eccleſia, ſeu Judex Eccleſiaſticus, poſtquam cognovit de legitimatione, poteſt, & debet ſe interponere, & curare, ne is, quem pronuntiavit legitimum, ab hæreditate excludatur, & ſic immiſcere ſe etiam temporalibus negotiis, quando veniunt acceſſoria ad ſpirituale, *Abb. hic n.* 4. *&* *Alex. de Nevo n.* 4.

X. Sed hic gravis occurrit difficultas, cum ex hoc c. conſtet, ſententiam divortii fuiſſe nullam propter Ordinem judiciarium non ſervatum; proceſſit enim Judex contra primum maritum abſentem, nec perſonaliter citatum, & lite non conteſtata, ſed debuiſſet exſpectari, donec veriſimilis præſumptio haberetur de ipſius obitu; ideoque ſententia divortii nulla fuit, nec prodeſſe debebat ad excuſandam malam fidem mulieris, quæ non certa de morte prioris conjugis cum ſecundo contraxit. Verum Pontifex non attendit, utrum ſententia divortii, ejuſque proceſſus validus fuerit, an vitioſus: ſed in favorem prolis ſtatuit, prolem ex ſecundo matrimonio ſuſceptam eſſe legitimam, quod ejus auctoritate parentes publice in conſpectu Eccleſiæ contraxerunt, de qua re ſolum Pontifex interrogabatur, *Covarr. cit. c.* 8. §. 1. *n.* 10. & alii apud *Barb. in Collect. hic n.* 2. *&* 3. Accedit, quod hujuſmodi matrimonium publice fuit contractum: ex eo autem, quod aliquid publice factum ſit, probatur, & præſumitur bona fides, *Barboſ. c. l. in fine.*

„ XI. Tertio in *c. Quod nobis* 9. *h. t.* dicitur, quod „ geniti ex clandeſtino matrimonio, ſed poſtea ab Eccle„ ſia approbato, legitimi filii, & hæredes ſunt judicandi. „ Idque procedit, etiamſi poſtea matrimonium juſta ex cauſa ſeparetur, ut addit *Gl. hic V. Fuerint.* Ratio deciſionis eſt, quia approbatio Eccleſiæ poſtea ſuperveniens retrotrahitur, & cenſetur in favorem matrimonii ab initio adfuiſſe, & perinde eſt, ac ſi ab initio matrimonium in conſpectu Eccleſiæ fuiſſet contractum, *c.* 2. & ibi *Gl. in fine de cland. deſponſ.* & ideo, licet filii illi non fuiſſent legitimi, ſi matrimonium poſtea per Eccleſiam non fuiſſet approbatum, per ſubſequentem tamen approbationem Eccleſiæ legitimi ſunt effecti, *Viv. in Ration. in hoc c.*

XII. Ubi præterea notandum 1. quando matrimonium clandeſtinum, quod revera fuit nullum ob impedimentum bona fide ignoratum, approbatum fuit ab Eccleſia tanquam validum, ſed poſtea impedimentum detectum fuit; tunc filii geniti poſt approbationem matrimonii, antequam impedimentum detegeretur, ſunt legitimi, in quo conveniunt DD. teſte *Sanch. lib.* 3. *de matr. diſ.* 43. *n.* 1. quia tunc ceſſat ratio *cit. c. ult.* §. *Si quis vero, de deſponſ. clandeſt.* habent enim parentes juſtam cauſam ignorandi impedimentum. An vero etiam filii nati ante Eccleſiæ approbationem ſint legitimi, dubitatur, nec conveniunt DD. Probabilius eſt, filios conceptos ante detectum impedimentum, licet ante approbationem Eccleſiæ nati ſint, eſſe legitimos, ſi matrimonium publicatum fuerit, & tanquam validum auctoritate Eccleſiæ approbatum, etſi poſtea impedimentum detegatur, *Sanch. cit. diſ.* 43. *n.* 4. & conſtat ex *c. Quod nobis h. t.* cujus ſenſus eſt, ſi qui ex matrimonio clandeſtino generati fuerint, illudque poſtmodum ab Eccleſia approbetur, tunc filii ſunt legitimi.

Idque probatur 1. ex *c.* 2. *de Clandeſt. deſponſ.* ubi habetur, quod approbatio clandeſtini matrimonii hoc operatur, tanquam ſi a principio in conſpectu Eccleſiæ eſſet contractum: ſed tunc filii eſſent legitimi, licet poſt detectum impedimentum matrimonium ſeparetur, *c. pen. h. t.* ergo quamvis ab initio clam contractum ſit, approbatio tamen Eccleſiæ ſubſequens efficiet, ut omnes filii antea geniti ſint legitimi, Confirmatur, quia per Eccleſiæ approbationem purgatur omne vitium matrimonii clandeſtini, ſicut per matrimonium ſequens purgatur turpitudo filiorum, qui ex fornicario concubitu ſunt geniti, & tollitur præſumptio ſcientiæ, ſeu affectatæ ignorantiæ, quæ fuit motivum,

cur

cut proles ea tali conjunctione genita cenſeatur illegitima, ut expreſſe dicitur in *cit. c. ult.* §. *Si quis vero, de clandeſt. deſponſ.* ergo filii efficiuntur legitimi, *Sanch. cit. diſ.* 43. *n.* 4. Probatur 2. Quia conſtat natos ex clandeſtino matrimonio valido eſſe vere legitimos, prout habetur in *c.* 2. *de clandeſt. deſponſ.* ubi dicitur: *ſi matrimonia ita occulte contrahantur, quod exinde legitima probatio non appareat*: & paulo poſt: *ſi perſonæ contrahentium hæc voluerint publicare* (niſi rationabilis cauſa præpediat) *ab Eccleſia recipienda ſunt, & comprobanda, tanquam a principio in Eccleſiæ conſpectu contracta*. Sed hoc poſteriore caſu filii inde nati eſſent legitimi; ergo etiam tunc, quando ſunt nati ex clandeſtino matrimonio valido, *Sanch. l.* 3. *diſ.* 42. *n.* 8. & plures alii apud ipſum.

Notandum 2. Judex Eccleſiaſticus, qui pronuntiat aliquem eſſe legitime natum, poteſt ſimul etiam pronuntiare eſſe hæredem, prout ſumitur ex fine hujus cap. quia filius præſumitur hæres, juxta illud Apoſtoli, *ad Galat.* 4. *Si filius, ergo hæres*, quod tamen intelligi debet, ſi velit eſſe hæres, quia hodie habet beneficium abſtinendi ab hæreditate paterna, unde ut filius conveniri poſſit tanquam hæres, probari debet, quod ſe immiſcuerit hæreditati paternæ. *Abb. hic n.* 3. *&* 4. *Alex. de Nevo ibid. n.* 4.

XIII. Quarto in *c. Ex tenore.* 14. *h. t.* Quædam vidua „ G. nomine petebat hæreditatem R. quondam mariti „ ſui ſibi, & pupillo filio ſuo reſtitui (quia tutrix erat, „ *Gl. hic V. Reſtitui*) ſed pars adverſa petitionem ejus nitebatur repellere, quia R. maritum iſtius viduæ ex adulterio genitum eſſe aſſerebat, & quod pater dicti R. vivente legitima uxore, & aliam quandam M. nomine „ ſuperinduxit, ex qua dictum R. maritum ejuſdem viduæ „ ſuſcepit: ſed pars adverſa, vidua ſcilicet, dicebat, quod „ ipſa neſciens patrem dicti R. aliam habere uxorem, cum „ eo in facie Eccleſiæ matrimonium contraxit: unde dictus filius ipſius legitimus debeat reputari, cum illegitimi dici non debeant, qui ex adultera conſcia non naſcuntur, prout habetur in integra lectione hujus cap. ut refert *Gl. hic in caſu*. Conſultus ſuper hac re Papa reſpondit: cum pater prædicti R. matrem ejus in facie Eccleſiæ ignaram, quod ipſe ſibi aliam matrimonialiter copulaſſet, duxerit in uxorem, & dum legitima putaretur uxor, ipſum R. ex eadem ſuſcepit in favorem prolis, ſe „ dictum R. legitimum judicare.

XIV. Notandum 1. Si conjugatus, vivente prima uxore, in facie Eccleſiæ ducat aliam, quæ probabiliter ignorat illum eſſe conjugatum, proles inde nata judicatur legitima, etiamſi ſubſit occultum impedimentum dirimens, propter quod matrimonium poſtea declaratur nullum ut in caſu hujus cap. in quo vir duxit ſecundam uxorem, vivente adhuc prima: imo quod plus eſt, etiam ex parte alterius conjugis committatur adulterium, quia alter habet conjugem, *Alex. de Nevo hic n.* 4. Ratio eſt, quia cum legitimatio filiorum ſit favorabilis, attendenda eſt potius in favorem prolis bona fides utriuſque, vel ſaltem alterius parentis impedimentum inter eos ad contrahendum matrimonium ignorantis, quam mala fides alterius conjugis ſcienter contra legem contrahentis, ut habetur in fine hujus cap. *Vivian. in Ration.*

Notandum 2. Ignorantia impedimenti dirimentis matrimonium ad legitimandam prolem non ſufficit, ſi adſit tempore contractus matrimonii, ſed requiritur, ut ſubſit tempore ſuſceptionis, ſive conceptionis prolis, vel nativitatis. Unde ſi ambo parentes, vel alter eorum, tempore conceptionis filii, ignorabant impedimentum, filius naſcitur legitimus, quia bona fides attenditur tempore conceptionis filii: nam is, qui eſt in utero, pro nato habetur quando agitur de commodo ipſius, *l. Qui in utero.* 7. *ff. De ſtatu hom.* & dictum ſupra, *Alex. de Nevo hic n.* 5.

Notandum 3. Ad legitimandam prolem propter bonam fidem parentum, vel ſaltem alterius tantum, requiritur, ut matrimonium inter eos in facie Eccleſiæ ſit contractum, prout conſtat ex hoc cap. nam cum matrimonium, de quo hic agitur, ſit nullum, quippe a conjugato, vivente prima ejus uxore, contractum, & ut illi filii nati cenſeantur legitimi, fundat ſe textus in eo, quod non ſit clandeſtinum, ſed publice in facie Eccleſiæ contractum, cum ignorantia impedimenti, ſaltem ab altero conjuge: nam ſi præter impedimentum ligaminis, ſive vinculum prioris matrimonii fuiſſet quoque matrimonium clandeſtinum; tum filii geniti ex tali matrimonio inter prohibitos contracto non eſſent legitimi, juxta *c. ult.* §. *Si quis vero, de clandeſt. deſponſ.* quia ex matrimonio clam, & occulte contracto præſumitur ſcientia impedimenti, & doloſe matrimonium contractum. Unde quando dicitur, ex matrimonio putativo genitos filios non effici legitimos, niſi publice in facie Eccleſiæ fuerit contractum, id intelligendum eſt, quando ob aliquod impedimentum dirimens matrimonium eſt nullum, tametſi illud conjugibus non fuerit notum, *Covar. in* 5. *Decret. p.* 2. *c.* 8. *in princ. num.* 12. *Barb. in Collect. hic num.* 3. Et quamvis Canon ille in *cit. c. ult.* §. 1. ſit pœnalis, non tamen ideo reſtringi debet, cum favore animæ ſit conditus, adeoque ampliari, *Abb. hic n.* 6. *& Covarr. c. l.*

XV. Quinto in *c. Gaudemus.* 15. *& ult. h. t.* ſtatuitur: „ Filii, qui ex infidelium (ſcilicet paganorum, vel Judæorum conjunctionibus, ſeu conjugiis) geniti ſunt, ſi illorum parentes in ſecundo, vel tertio, vel ulteriore gradu ſecundum opinionem eorum, matrimonium contraxerunt, poſt fidem receptam (id eſt, poſtquam ad fidem „ ſunt converſi) utilitate publica ſuadente, legitimi ſunt „ cenſendi.

XVI. Notandum 1. Inter infideles verum, & legitimum matrimonium poteſt conſiſtere, quia matrimonium non tantum eſt Sacramentum, ſed etiam contractus naturalis: quamvis ergo matrimonium non poſſit conſiſtere inter infideles, quatenus eſt Sacramentum; cum enim non ſint baptizati, Sacramenti capaces non ſunt: poteſt tamen, quatenus eſt contractus naturalis, inſtar aliorum contractuum, *Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 73. *n.* 2.

Notandum 2. Matrimonium infidelium eſt validum, in quo non adeſt impedimentum jure naturali, vel Divino dirimens matrimonium, quamvis Jure Canonico dirimat, quia lex Canonica non aſtringit infideles, *Sanch. cit. diſ.* 73. *n.* 3. ideoque ſi tales contraxerunt matrimonium in gradu non prohibito lege Divina, vel naturali, filii ex eo nati ſunt legitimi, licet parentes contraxerint matrimonium in gradu prohibito a Lege *Canonica*, *c. De infidelibus.* 4. *de conſang. Vivian. in Ration. hic.*

XVII. Notandum 3. Filii converſorum ad fidem Chriſtianam ab Eccleſia reputantur legitimi, idque in favorem fidei, ſuadente & publica utilitate, quia eis ſic faventdo alii facilius convertentur, *Gl. fin. hic.* Idque confirmatur, quia matrimonium, quod ab infidelibus contractum eſt in gradibus ſola lege Canonica prohibitis (de quo communiter intelligitur hoc cap.) poſt eorum converſionem remanet indiſſolubile, & perfectam Sacramenti rationem ſortitur, *c. De infidelibus.* 4. *de conſang. & affin.* Et conſequenter cum matrimonium tale a principio fuerit validum, & poſt converſionem conjugum infidelium validum maneat, nihil obſtat, cur poſſit, vel debeat dubitari, filios inde natos eſſe legitimos, *Barboſ. in cit. c. fin. n. ult. h. t.*

Notandum 4. Alia expoſitio hujus cap. eſt, quod loquatur de prole ſuſcepta ex ſecundo matrimonio, repudiata prima conjuge, & tale matrimonium initum cum ſecunda, vivente prima, non valet, quia ſubeſt impedimentum Juris Divini, cum Chriſtus expreſſe prohibuerit, vivente prima uxore, ducere aliam, ſive duas ſimul habere uxores, *c. pen. de divort.* ideoque quando infideles, repudiata prima uxore, contrahunt cum ſecunda, matrimonium tale non tenet, tametſi convertantur ad fidem, quia ignorantia Juris Divini non excuſat ſic contrahentes matrimonium a peccato, ob favorem tamen dilatationis fidei, & quia contrahentes fuerunt in bona fide; contraxerunt enim infideles ſecundum legem ſuam; ſi poſtea convertantur ad fidem Chriſtianam, filii eorum fiunt legitimi, auctoritate hujus Canonis, *Alex. de Nevo hic n.* 4. *&* 5. Nec videtur diſſentire *Abbas hic in fine*. Plura de his infra Tit. 19.

§. III.

Quinam in ſpecie reputandi ſint filii illegitimi.

XVIII. In primis matrimonium contractum contra publicæ honeſtatis juſtitiam non tenet, & filii ex eo nati ſunt illegitimi, & ab hæreditate paterna excludendi, prout ſumitur ex *c. Referente.* 10. *h. t.* „ Nam cum quidam, ut re„ fert *Gl.* ibi in caſu, ſponſalia de futuro cum aliqua con„ traxiſſet, illa poſtea, mutata voluntate, per verba de „ præſenti contraxit matrimonium cum alio, & ſic ſoluta „ fuerunt priora ſponſalia: ille vero, qui ſponſalia cum ea „ contraxerat, matrimonium iniit cum quadam illius con„ ſanguinea, ex certa ſcientia utriuſque; ex quo nati ſunt „ filii, quæſitum fuit, an hi eſſent legitimi? Reſpondet „ Papa Cæleſtinus III. quod matrimonium inter eos con„ trahi non potuit, prohibente id publicæ honeſtatis juſti„ tia, & contractum debuit ſeparari: filios vero, cum „ nec per Eccleſiæ permiſſionem (id eſt, diſpenſationem, „ quia Eccleſia cum eis non diſpenſavit, ideoque tale ma„ trimonium non approbavit, *Gl. hic V. Permiſſionem.*) „ nec per paternam ignorantiam excuſentur (hæc enim „ utriuſque parentis, vel alterius tantum excuſat filios, & „ legitimos reddit, *Gl. hic V. Ignorantiam.*) ad ſucceſſio„ nem bonorum paternorum non eſſe admittendos.

XIX. Notandum 1. Impedimentum publicæ honeſtatis, non tantum impedit matrimonium contrahendum, ſed etiam dirimit contractum contra publicam honeſtatem, & invalidum reddit, & filii ex tali matrimonio nati ſunt illegitimi, nec ſuccedunt in bonis parentum, *Abb. hic n.* 3. *& Alex. num.* 2.

Notandum 2. Eccleſia poteſt diſpenſare in impedimento publicæ honeſtatis, quia illud non eſt a Jure Divino, ſed poſitivo inductum; diſpenſando autem ſuper matrimonio, per conſequens etiam diſpenſat ſuper legitimitate filiorum, etiam quoad hæreditatem, *Abb. hic numer.* 3. *&* 4. *& Alex.*

Notandum 3. ſi poſt ſponſalia de futuro cum certa perſona forte contrahat ſponſus matrimonium de præſenti cum ejus ſorore, ſed nondum conſummavit, obligatur ad ſervandam priori fidem, eamque recipere debet, quia matrimonium cum ſecunda propter impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis fuit nullum. Quod ſi matrimonium cum poſteriore conſummaſſet, cum neutra poſſet illud valide contrahere: non cum priore, propter impedimentum affinitatis conſurgens ex copula cum ſorore habita. Non cum poſteriore, propter impedimentum publicæ honeſtatis ortum ex ſponſalibus valide contractis cum ejus ſorore, *Navar. in Man. Præl. c.* 12. *n.* 57. *Sanch. l.* 7. *diſ.* 68. *n.* 24.

XX.

XX. Præterea ſi mulier aliqua, vivente marito, alteri viro matrimonialiter de facto conjungatur, proles ex tali matrimonio nata illegitima cenſeri debet, prout decernitur in *c. Cauſam, quæ. 4. h. t.* „ Nam quia, ut refert *Gl.* ibi in caſu, dicebatur, quod Agatha, de cujus hæreditate agebatur, non eſſet ex legitimo matrimonio nata, mandat Papa de hoc inquiri: & ſi conſtiterit, quod Agatha nata fuit ex Anelina, eo tempore, quo ille cum Alano viro ſuo morabatur, non eſſe Agatham legitimam ejus filiam cenſeri, vel ſi Rudolphus pater dictæ Agathæ Anelinam virum habentem publice tenebat (tanquam uxorem) & eo tempore nata fuit Agatha, eam non fuiſſe legitimam ejuſdem Rudolphi filiam judicandam: quia non potuit eſſe uxor, quæ viri ſui (ſcilicet Alani) torum maculans, alii (nempe Rudolpho) ſcienti, quod illa (Anelina) habebat alium virum (Alanum, *Gl. hic V. Alii.*) dum ille viveret, copulari præſumpſit. Ratio deciſionis patet, quia cum Agatha nata fuerit ex adulterio, non potuit eſſe legitima proles.

XXI. Notandum 1. Si conſtet, quod uxor concepit filium, eo tempore, quo ejus maritus non poterat habere copulam cum illa, non debet cenſeri filius mariti, ſed alterius, prout ſumitur ex hoc cap. & *l. Filium 6. ff. De his, qui ſui vel alieni jur. ſunt.* ſive talis filius moretur, & habitet apud maritum, ſive apud virum adulterum; non enim infertur ex habitatione, quod ille ſit filius mariti, ut hic *c. cit.* & *l. Filium.* Si tamen dubitetur, an natus ex uxore quæ rem habuit cum alio viro, poſſit eſſe filius mariti, præſumitur potius filius legitimus mariti, quam ex adulterio natus, quia cum talis poſſit eſſe filius utriuſque, potius in favorem matrimonii præſumi debet eſſe legitimus. Poreſt tamen quis probari eſſe filius illegitimus natus ex adulterio, etiamſi mater habitet cum marito, dummodo probari poſſit, quod maritus tempore conceptionis non habuerit commercium carnale cum uxore ſua, *Abb. hic n. 2. Alex. de Nevo n. 3.*

Notandum 2. Excluſo ab hæreditate aſcendente, *v. gr.* avo tanquam illegitimo, excluduntur etiam deſcendentes, etſi ſint legitimi, ut in caſu hujus cap. non Agatha, ſed filius ejus, ut colligitur ex *c. Cauſam 7. h. t.* litigavit, cum enim is peteret hæreditatem avi ex perſona matris Agathæ, diſputabatur hic de legitimatione Agathæ, an fuerit legitima, *Abb. hic n. 3.* Ex quo infert, licet filius ſit legitimus, ſi tamen pater fuit illegitimus, non debet admitti ad hæreditatem avi, & aliorum aſcendentium: nam ex prole illegitima non poteſt naſci proles legitima quoad aſcendentes, quia omnes deſcendentes ex parente non legitimo oriuntur ex radice infecta, & ſic etſi ipſi ſint legitimi, excluduntur tamen ab hæreditate filiorum, quibus pater illegitimus non poteſt ſuccedere, quo facit *text. in l. fin. C. de natural. liber. Abb. hic in fine, & Alex. de Nevo n. 4. & 5.*

XXII. Cæterum huc pertinet alia ſimilis Conſtitutio, quæ habetur in *c. cauſam quæ 7. h. t.* & olim fuit pars Decretalis *cauſam, quæ 4.* ſupra allatæ, & explicatæ, in poſteriore vero *c. cauſam, quæ,* quod deberet præcedere *cap. Cauſam. 4.* ut cenſet *Abb.* idem caſus poſitus in priore *c. Cauſam,* plenius proponitur, & declaratur his verbis. „ R. & F. erant duo fratres. R. ille ſuſcepit Agatham ex Anelina uxore Alani: Agatha vero ex legitimo matrimonio ſuſcepit iſtum R. de quo fit hic mentio, & ſic Rudolphus fuit avus illius R. qui profectus eſt ultra mare, & reliquit illum R. de quo hic habetur, & Agatham matrem Rudolphi in poſſeſſione omnium bonorum ipſius, poſtquam audivit, quod Rudolphus mortuus eſſet ultra mare. Sed F. ille ſtatim ſpoliavit ipſum R. poſſeſſione omnium bonorum Rudolphi avi ſui; in quorum poſſeſſione manebat, quando ivit ultra mare, quia dicebat, Agatham neptem ſuam matrem illius Rudolphi non fuiſſe natam ex legitimo matrimonio (*c. Cauſam, quæ 4. ſupr.*) & ſic nec ipſa, nec R. ejus filius debebat ſuccedere Rudolpho fratri ejuſdem F. ſed ipſe F. unde ille R. ſic ſpoliatus ab F. avunculo ſuo impetravit literas ad Epiſcopos Exonienſem, Londonenſem, & Vigurnienſem, ut cognoſcerent ſuper eo, quod mater ipſius R. dicebatur ex matrimonio non legitimo nata, ita tamen ut ante ingreſſum, ſeu exordium principalis cauſæ debeant ei reſtituere hæreditatem avi ſui. Sed quia Rex Angliæ turbatus fuit, quod Papa judicium poſſeſſorium commiſerat dictis tribus Epiſcopis, revocavit judicium iſtud de reſtitutione, quod ad Regem pertinet: & mandat, ut procedat ſuper quæſtione nativitatis ipſius Agathæ, an ſcilicet nata ſit ex legitimo matrimonio; licet incongruum videatur, ut matrimonium, ex quo nata fuit Agatha genitrix dicti R. impetatur, quod ea vivente (ut dicitur) non fuit impetitum (quia crimina morte extinguuntur, *l. 1. & 2. C. Si reus, vel accuſ. mort. fuer. Gl. hic V. Incongruum.*) Sed quia judices illi forte non procedebant in cauſa, ille R. impetravit eandem cauſam committi prædictis tribus Epiſcopis: quia vero F. Epiſcopum Londonenſem ſuſpectum habuit, fecit illum removeri, & loco illius ſubſtitui Abbatem Herefordenſem. Ita refertur a *Gloſſ. & Abbate in caſu cit. c. Cauſam. 7. h. t.*

XXIII. Ubi notandum 1. Summus Pontifex, vel alius Judex Eccleſiaſticus non cognoſcit de cauſa civili, ſeu temporali inter laicos, niſi ſint pauperes, vel aliæ perſonæ miſerabiles: quia in cauſis temporalibus inter laicos, extra dominium temporale Eccleſiæ, regulariter earum cognitio ſpectet ad Poteſtatem ſæcularem, *Gl. hic V. Ad Regem, & Abb. num. 2.* Cognoſcit tamen Eccleſia, ſeu Judex Eccleſiaſticus, an quis natus ſit ex matrimonio legitimo, quia matrimonium, & cauſa legitimitatis acceſſorie ab illa dependens, ſunt cauſæ ſpirituales; ideo illarum cognitio ſpectat ad Judicem Eccleſiaſticum, & ſæcularis non poteſt de illis cognoſcere, *Vivian. Ration. hic,* de quo plura infra.

Notandum 2. Ad Reges ſpectat cognoſcere de omnibus cauſis ad Regnum pertinentibus, & ſic Rex habet jure communi fundatam juriſdictionem per totum ſuum Regnum, niſi quis oſtendat, ſe habere juriſdictionem in aliquo Caſtro, vel Civitate ſita in Regno per ſpeciale privilegium, vel præſcriptionem, *Abb. hic n. 3. & Alex. de Nevo n. 5.*

§. IV.

Coram quo Judice, ſæculari, an Eccleſiaſtico tractari debeat, vel poſſit quæſtio nativitatis, ſeu natalium?

XXIV. De hac quæſtione agitur in *c. Lator. 5. h. t.* „ Ubi talis caſus proponitur: Quidam R. nomine accedens ad Papam, coram ipſo propoſuit, avum ſuum duas habuiſſe uxores, de quarum una patrem ipſius (ſcilicet R.) de altera H. Patruum ſuum, ſuſcepit, qui hæreditatem avi ſui totam ſibi retinebat, nec partem debitam voluit ipſi R. exhibere. Unde cum ipſe R. patruum ſuum H. ſuper parte hæreditatis paternæ coram Judice ſæculari conveniſſet, idem patruus ei objecit, quod pater ipſius ex legitimo matrimonio non fuerit natus: & ideo de hæreditate ipſius nihil poſſet hæreditario jure ſibi vindicare. Poſtea cum ſuper quæſtione natalium coram Epiſcopo Norvicenſi fuiſſet actum, tandem ad Papam fuit appellatum: quare Pontifex mandavit Judicibus a ſe delegatis, ut quæſtionem nativitatis, ſeu natalium patris ejuſdem R. intra duos menſes, remota appellatione, terminent. Si vero intra hoc tempus, prædictus Hugo, quod objecit, legitime non probaverit, ex tunc ſæculari Judici, coram quo hæreditatis cauſa vertitur, eam debeant intimare, ut propter quæſtionem nativitatis non omittat cauſam hæreditatis audire, & decidere.

XXV. Pro explicatione hujus cap. notandum 1. quæſtio natalium oppoſita petenti hæreditatem coram Judice ſæculari, remittenda eſt ad Judicem Eccleſiaſticum ab eo cognoſcenda, etiamſi de illa non principaliter, ſed incidenter agatur, ut in caſu hujus cap. inciderat quæſtio ſuper legitimitate, quia petenti partem hæreditatis avi objectum fuit, quod pater ejus non eſſet ex legitimo matrimonio natus: & tamen Pontifex mandat, ut hæc quæſtio natalium coram Judice Eccleſiaſtico prius terminetur: & interim ſuperſedeatur in cauſa principali hæreditatis agitata coram Judice ſæculari, ita ut pendente cauſa natalium, Judex ſæcularis non poſſit in cauſa principali hæreditatis procedere. Ratio eſt, quia cauſa natalium eſt mere ſpiritualis, cum ſit acceſſorie annexa ipſi matrimonio, quod eſt ſpirituale, ideoque Judex ſæcularis nec principaliter, nec incidenter poteſt de illa cognoſcere, *c. Cauſam. 7. h. t.* ſicut nec de annexo ſpirituali, *c. Quanto 3. de Judic. Abb. hic num. 3. & Alex. de Nevo n. 3. &* Concordat textus in *c. Tuam. 3. de Ord. cognit.* de quo dictum ſupra *libr. 2. Decret. Tit. 10. §. 3.*

XXVI. Veruntamen plerique hoc intelligunt, quod procedat, quando cauſa legitimitatis, ſeu natalium pendeat ex aliqua quæſtione juris, veluti utrum matrimonium ſit legitime contractum, & validum, necne: non item ſi vertatur circa factum tantum, quia dubitatur, an matrimonium de facto fuerit contractum inter perſonas habiles ad contrahendum; tunc enim Judex laicus non prohibetur de quæſtione natalium incidenter cognoſcere. Sed hanc Decretalem procedere ajunt, in priore caſu; quia H. objecit defectum natalium provenientem ex invaliditate matrimonii, & ſic erat incidens quæſtio juris, & non facti, quia dubitabatur, an matrimonium validum eſſet initum inter avum illius actoris, & aviam maternam, *Abb. hic n. 2. & Alex. n. 3. Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 12. n. 3.* quamvis aliqui hanc diſtinctionem non admittant.

Sed obſtare videtur, quod quæſtio ſtatus, *v. g.* an quis filius ſit, vel ſervus, ſi incidat in petitionem hæreditatis, coram Judice ſæculari, apud eundem Judicem deciditur, etiamſi principaliter Judex de quæſtione ſtatus cognoſcere non poſſit. Nam quæſtio ſtatus non eſt cauſa ſpiritualis, ſeu Eccleſiaſtica, ſed civilis; ideoque etiam Judex ſæcularis poteſt de ea cognoſcere. Unde ſi civilis cauſa incidat in ſpiritualem, recte etiam illa tractatur coram eodem Judice Eccleſiaſtico, qui hic eſt capax etiam juriſdictionis civilis, ſeu ſæcularis, & poteſt cognoſcere, & decidere cauſas civiles: non enim laicus eſt capax juriſdictionis Eccleſiaſticæ, *Henric. Caniſ. hic n. 2.*

Notandum 2. Si nepos petat hæreditatem avi ſui defuncti, ſed patruus, ſeu frater patris (ut in caſu hujus c.) contra eum excipiat, quod pater ejuſdem non erat ex legitimo matrimonio genitus, adeoque incapax ſucceſſionis; tunc nepos quippe legitimus eſt capax hæreditatis avi ſui, quia nepos legitimus ex filio naturali tantum, non ſuccedit avo ex perſona patris ſui, qui cum ſit illegitimus, excluditur ab hæreditate patris ſui, extantibus legitimis liberis, tanquam veniens ex radice infecta: ipſe vero filius legitime natus ex patre naturali tantum ſuccedit avo paterno, non ex perſona patris ſui, ſed ex ſua perſona, *Abb. hic n. 2. & Gloſſ. ejus lit. B* Et hæc quæſtio natalium prius

cognoſcit,

cognoſci, & decidi debet, cum ſit præjudicialis ad cauſam hæreditatis, quippe quæ ex legitimis natalibus pendet, prout deciditur in hoc cap.

XXVII. Notandum 3. Si quæſtio intentata coram Judice ſæculari ſit temporalis, & profana, qualis eſt quæſtio hæreditatis; tunc illa non debet per Judicem Eccleſiaſticum, ad quem delata eſt, cauſa incidens natalium cognoſci, & terminari: ſed poteſt, ac debet Judex Eccleſiaſticus opponenti exceptionem nativitatis, ſeu illegitimorum natalium, præfigere terminum peremptorium, intra quem probare debet illam exceptionem, ita ut eo elapſo, non amplius audiatur; idque facere debet Judex Eccleſiaſticus, quando vehementer præſumitur de calumnia excipientis, *Abb. hic n. 4. & Alex. n. 4.*

Notandum 4. Quando quæſtio principaliter fuit intentata coram Judice ſæculari, non poteſt Judex Eccleſiaſticus, qui cognovit de quæſtione incidente, poſtea cognoſcere de principali, ſed debet partes remittere ad Judicem ſæcularem, quia cum cauſa principalis jam fuerit inchoata coram Judice ſæculari, non poteſt Judex Eccleſiaſticus acceſſorie cognoſcere de cauſa incidente. Si vero nulla quæſtio mota ſit coram Judice ſæculari, ſed principaliter eſſet quæſtio mota de legitimitate natalium coram Judice Eccleſiaſtico; tunc incidenter etiam poſſet Judex Eccleſiaſticus de cauſa principali hæreditatis cognoſcere. *Abb. hic n. 5. Alex. de Nevo n. 8.*

Notandum 5. Exiſtens in quaſi poſſeſſione legitimæ nativitatis, in petitione hæreditatis relevetur ab onere probandi, ſe eſſe legitime natum, & onus probandi defectum natalium incumbit ei, qui eum opponit, ut notat *Gl. hic V. Probare legitime.* quia in *cit. c. Lator*, pater actoris erat in poſſeſſione legitimæ filiationis; habebatur enim pro filio legitimo, & poſſidebat bona paterna, & fuerat natus ex ea, quæ credebatur uxor; ideo opponens quæſtionem natalium tenebatur probare defectum eorum, quamvis non omnia hæc tria requirantur ad conſtituendum in quaſi poſſeſſione legitimitatis, ſed quodlibet ex illis junctive ſufficit. *Fagnan. hic n. 4.*

§. V.

De legitimatione prolis illegitimæ per ſubſequens matrimonium,

XXVIII. De hac agitur inprimis in *c. Conqueſtus 1. h. t.* „ Nam cum quidam, Henricus nomine, quandam in „ uxorem duxiſſet, patruus ejuſdem mulieris voluit eam „ exhæredare (id eſt, ab hæreditate paterna excludere) „ eo quod nata fuiſſet, antequam pater illius matrem ejus „ accepiſſet in uxorem; ideoque prætendit eam illegitimam „ eſſe, & conſequenter incapacem hæreditatis paternæ. Re delata ad S. Pontificem Alexandrum III. is „ mandavit, ut ſi ita eſt, ea legitima filia patris ſui judicetur, „ patruoque inhibeatur, ne occaſione paternæ hæreditatis „ ei moleſtia inferatur, ſub pœna excommunicationis „ inferendæ, ſi contra fecerit. „

XXIX. Ubi notandum 1. filius naturalis tantum natus ex ſoluto, & ſoluta, inter quos tempore generationis non erat impedimentum dirimens conjugium, legitimatur per ſubſequens matrimonium, *Abb.* & Canoniſtæ hic communiter in ſumma, quia tales filii ex juriſfictione, ſeu diſpoſitione reputantur, ac ſi ex legitimo matrimonio nati eſſent. 2. Judex Eccleſiaſticus poteſt cognoſcere inter laicos de legitimatione, quando venit acceſſorie ad cauſam matrimonialem: nam cum ad aliquem ſpectat cognitio cauſæ principalis, ſpectat etiam cognitio acceſſorii, vel e principali dependentis; legitimatio autem pendet e matrimonio rato, & valido, *Abb. hic, & Alex. n. 2. 3.* Filius genitus, ante matrimonium contractum legitimatur per matrimonium ſubſequens etiam quoad ſucceſſionem in hæreditate temporali, ita ut talis filius præferatur patruo in hæreditate paterna; ſi enim filius eſt, ergo & hæres, *Abb. hic n. 2. & Alex. n. 4.* Sed de his mox plura.

XXX. Præterea in *c. Tanta. 6. h. t.* idem Pontifex ita reſcribit: „ Tanta eſt vis (id eſt, virtus, & potentia) „ matrimonii, ut qui antea ſunt geniti, poſt contractum „ matrimonium legitimi habeantur. Si autem vir, uxore „ ſua vivente, aliam cognoverit (ſcilicet conſciam adulterii, „ ſecus ſi ignorantem, *Gl. hic V. Aliam*) & ex ea „ prolem ſuſceperit: licet poſt mortem uxoris eandem „ duxerit, nihilominus ſpurius erit filius, & ab hæreditate „ repellendus: præſertim ſi in mortem prioris uxoris, „ alteruter eorum aliquid fuerit machinatus. „

XXXI. Ubi notandum 1. Quod tanta ſit vis, & potentia matrimonii, ut antea illegitimi fiant legitimi per ſubſequens matrimonium inter eoſdem parentes contractum. Ratio eſt, quia matrimonium ſubſequens purgat omnia præcedentia, adeoque etiam præcedens vitium turpitudinis tollit. *Gl. hic V. Legitimi*, ita ut non ſolum habeantur, ut in textu dicitur, ſed etiam vere, ac proprie ſint legitimi; quia quando aliqui auctoritate Juris ſiunt legitimi ab habente poteſtatem legitimandi; tunc pariter ſunt dicere, ſint legitimi, & habeantur pro legitimis, *Abb. hic n. 4. & Alex. de Nevo n. 4. & 5. Azor. p. 2. Inſtit. l. 2. c. 13. q. 6.* Et quamvis ſecundum leges Civiles, matrimonium non ſufficiat ad legitimandos filios ante genitos, niſi interveniat inſtrumentum dotale, *§. fin. Inſtit. de nupt.* de Jure tamen Canonico id non eſt neceſſarium, quia illud cap. ſe fundat ſuper virtute, & potentia matrimonii, ad cujus eſſentiam non requiritur inſtrumentum dotale, *Abb. hic n. 2.* & alii, *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 2. n. 8.*

Notandum 2. Legitimatio, quæ fit per ſubſequens matrimonium, juris fictione retrotrahitur ad tempus conceptionis, vel etiam ſecundum alios ad tempus generationis, ſeu nativitatis, ita ut qui antea illegitime concepti, vel etiam nati ſunt, per matrimonium poſtea ſubſecutum, non tantum ex tunc legitimi fiant, ſed ante, & a tempore conceptionis, vel nativitatis, habentur, & ſint legitimi. *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 2. n. 2. & 7.*

XXXII. Notandum 3. Non omnes filii ex iiſdem parentibus, ante matrimonium, nati, per ſubſequens matrimonium legitimantur; ſed filii naturales tantum, qui ſcilicet ſunt orti ex perſonis, inter quas, poterat conſiſtere matrimonium, ſaltem eo tempore, quo proles concepta eſt, ita ut parentes tunc fuerint habiles ad contrahendum matrimonium inter ſe, ſeu nullo Canonico impedimento obſtricti fuerint, alioquin proles per ſubſequens matrimonium non legitimabitur, *Covarr. cit. c. 8. §. 2. n. 2. Azor. cit. c. 13. q. 2. Sanch. l. 8. diſ. 7. n. 19. Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 5. n. 2.* Spurii vero, ſive nati ex adulterio, non legitimantur per ſubſequens matrimonium, tum quia parentes peccarunt contra matrimonium: & ideo non debet eis in prolis legitimatione ſubveniri: tum quia in illis matrimonium non retrotrahitur ad tempus conceptionis, vel generationis, ita ut Jus fingat, inter tales fuiſſe matrimonium eo tempore, quia cum talis fictio juris habeat principium prohibitum, & vitioſum, non fingitur retrotractum tale matrimonium ad tempus conceptionis, *Alex. de Nevo n. 7.* ſed de hoc plura infra.

Notandum 4. Legitimatus per ſubſequens matrimonium non debet repelli ab hæreditate, ſed in ea ſuccedere, ſicut ii, qui ab initio fuerunt legitime nati. Spurii autem, ſeu nati ex adultero coitu, debent repelli ab hæreditate, præſertim ſi alteruter ſit machinatus in mortem prioris uxoris, id eſt, *maxime*, quia idem eſt hoc caſu, etiamſi non fuerit machinatus; non enim legitimatur per ſubſequens matrimonium filius conceptus, vel natus ex adulterio, dato etiam, quod matrimonium teneat inter adulterum, & adulteram, mortua legitima uxore: multo magis talis ſpurius non poſſet legitimari, ſi matrimonium non teneat: quod ſi inter adulterum, & adulteram interveniſſet machinatio mortis, non poſſet inter eos matrimonium eſſe, *c. ult. de eo, qui duxit in matr. Alex. de Nevo hic n. 8.*

XXXIII. Porro pro majore declaratione hujus famoſi cap. proponemus plures quæſtiones occurrentes circa legitimationem per ſubſequens matrimonium, quæ tractari hic ſolent ab Interpretibus.

Quæritur 1. Quo tempore parentes debeant eſſe habiles ad contrahendum matrimonium, ut proles ab eis nata legitimetur per ſubſequens matrimonium, utrum tempore conceptæ prolis, vel natæ? In qua re certum eſt, ut legitimentur liberi ſuſcepti ex parentibus ſolutis, ſatis eſſe, quod inter eos, ſaltem tempore conceptionis, nullum erat impedimentum contrahendi matrimonii, etſi forte tempore nativitatis tale impedimentum exiſtat, quia talis proles non eſt ſuſcepta ex coitu damnabili: Jura autem ſolum ſtatuunt, prolem per ſubſequens matrimonium non legitimari, ſi ex coitu damnabili inter perſonas inhabiles, ſeu contrahere impeditas ſuſcepta ſit. Unde ſi proles ſuſcepta ſit ex parentibus ſolutis, tempore vero nativitatis mater nupta ſit alii viro, & poſt hujus mortem, ſecundum matrimonium ineat cum illo viro, ex quo proles olim concepta erat, ea legitima erit, non obſtante matrimonio intermedio. *Abb. in cit. c. Tanta. n. 3. h. t. Covarr. cit. c. 8. n. 15. Suar. diſ. 50. de cenſur. ſec. 1. n. 4. Laym. cit. c. 5. n. 2.*

XXXIV. An vero ſufficiat ad legitimandam prolem per ſubſequens matrimonium, ſi vice verſa, hoc conſiſtere potueris inter parentes, tempore natæ prolis, etſi tempore conceptionis inhabiles fuerint ad contrahendum, dubitatur? Ut ſi quis ex conjugata conceptus fuit, natus autem poſt mortem mariti: vel ſi conceptus ex Clerico in Sacris conſtituto, natus vero, poſtquam cum eo diſpenſatum fuit a S. Pontifice. Affirmant *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 2. n. 11. Molin. tom. 1. tract. 2. diſ. 172. n. 2. Azor. p. 1. l. 2. c. 13. q. 3. Fachin. l. 3. contr. c. 50.* videlicet ſufficere, ſi tempore conceptæ, vel natæ prolis matrimonium inter parentes contrahi potuiſſet, quæ ſententia favorabilis eſt, & ob auctoritatem DD. probabilis, quia Jure ſtatutum eſt in *l. Qui in utero. 7. ff. De ſtatu hom.* ut qui in utero eſt, habeatur pro nato, in ſui commodum. Contrarium tenent *Silveſt. V. Filii. q. 8. n. 10. Suar. cit. diſ. 50. ſec. 1. n. 3. Laym. cit. c. 5. n. 2.* nempe ſi contingat tale impedimentum inter parentes exiſtere tempore copulæ, ſeu conceptionis; tempore autem nativitatis filii jam ſit ablatum per diſpenſationem, filium non fieri legitimum per ſubſequens matrimonium, ut colligitur ex *cit. c. Tanta h. t.* in quo ſolum requiritur, ut copula intervenerit exiſtente impedimento; quia ibi ſolum videtur haberi ratio copulæ, ita ut ſi illa habita ſit inter perſonas impeditas, ſeu inhabiles ad contrahendum, proles non legitimetur per ſubſequens matrimonium, quia lex non reſpexit ad nativitatem filii, in qua non intervenerit culpa, ſed ad copulam ita turpem, ut noluerit illam purgari per ſubſequens matrimonium, ad quod parum refert, quod impedimentum ſublatum ſit tempore nativitatis. Secus vero eſt, ſi e contrario tempore conceptionis non adfuit impedimentum, tempore autem nativitatis exiſtat; nam hoc non obſtante, proles legiti-

na

ma efficitur, *Suar. c. l.* n. 4. quæ ſententia juri conformior videtur. Textus autem in *cit. l. Qui in utero*, intelligendus eſt de filio legitime concepto, vel ſaltem [ex] concubina, cum qua poterat conſiſtere matrimonium, *Caniſ. hic n.* 13. Atque hinc ulterius colligitur, quando tempore conceptionis impedimentum exiſtit inter parentes dirimens matrimonium, etiamſi ab altero eorum ignoretur, prolem tamen inde natam non fieri legitimam, propter matrimonium ſubſequens, ablato impedimento, quia in *cit. c. Tanta*, generaliter dicitur, ſi vir, vivente uxore, aliam cognoverit, & ex ea prolem ſuſceperit, ſive mulier ſciverit, virum, cui copulata eſt, eſſe conjugatum, ſive ignoraverit, filium inde natum ſemper eſſe ſpurium, neque per ſequens matrimonium legitimari, quia illa limitatio in nullo Jure eſt fundata, *Suar. cit. diſ.* 50. *ſec.* 2. *n.* 5. *Laym. c. l.*

XXXV. Quæritur 2. An filii illegitimi omnia legitimorum jura aſſequantur, ſubſecuto matrimonio? Reſp. conſequi omnia jura, tum ſpiritualia, & Eccleſiaſtica, tum civilia, & profana, ita ut in omnibus habeantur, & ſint legitimi, perinde ac ſi ab initio ex legitimo matrimonio concepti fuiſſent, ut ſuis Majoribus, ſeu aſcendantibus, & cognatis collateralibus ſuccedere poſſint, ex teſtamento, & ab inteſtato, *Gl. in cit. c. Tanta, V. Legitimi*, ubi ait, quod ſunt legitimi quoad omnia, quia matrimonium omnia præcedentia purgat, & *Abb. ibid. n.* 7. *Azor. p.* 2. *lib.* 2. *c.* 13. *q.* 14. *Covarr. in* 4. *Decret. p.* 2. *c.* 8. §. 2. *n.* 21. & eſt communis ſententia.

Hinc infertur 1. Legitimatos per ſubſequens matrimonium ſuccedere etiam in feudis, *Covarr. in cit. c.* 8. §. 2. *n.* 27. *Azor. cit. c.* 13. *q.* 14. *Gabriel in Concl. comm. l.* 6. *de legitimat. concl.* 1. n. 22. quamvis aliqui id limitent, niſi feudum concederetur pro filiis legitime natis ex matrimonio, *Gabr. c. l.* n. 23. & 27. Succedunt etiam in Majoratibus, ita ut præferendi ſint ſecundis filiis, qui nati ſunt ex eiſdem parentibus legitimo matrimonio jam conjunctis, ut docent plures apud *Barboſ. in cit. c. Tanta*, *n.* 22. Tertio ſuccedit legitimatus per ſubſequens matrimonium in Emphyteuſi Eccleſiaſtica, quam pater habuerat, *Covarr. cit.* §. 2. *n.* 23. *Gabr. c. l. n.* 29 Quarto filii legitimati per ſubſequens matrimonium, abſque alia diſpenſatione, poſſunt promoveri ad Sacros Ordines, & dignitates Eccleſiaſticas, & in Epiſcopos eligi, *Covarr. c. l. n.* 24. *Azor. cit. c.* 13. *q.* 14. §. *Præterea*, non autem poſſunt promoveri ad Cardinalatum, prout ſtatuit Sixtus V. in Conſtitutione edita anno 1590. quæ incipit: *Poſtquam*, ut ex Sayro refert *Barboſ. in Collect. in cit. c. Tanta*, *h. t. n.* 24. Quinto in Fideicommiſſo filius legitimatus per ſubſequens matrimonium excludit ſubſtitutum ſub illa conditione, ſi abſque liberis legitimis, & naturalibus, vel abſque liberis ex legitimo conjugio ſuſceptis, deceſſerit, *Covarr. c. l.* n. 30. *Azor. cit. c.* 13. *q. ult. Gabr. cit. concl.* 1. n. 32. Sexto gaudent parentum nobilitate, *Barboſ. in cit. c. Tanta*, *n.* 28.

XXXVI. Quæritur 3. Quibuſnam præterea caſibus filii legitimentur per ſubſequens matrimonium? Reſp. illegitimi, ſeu extra matrimonium nati, per ſubſequens matrimonium fiunt legitimi, etiamſi tale matrimonium non ſit verum, ſed tantum putativum, ut ſi quis ex conſanguinea fornicario concubitu ſuſcipiat filium, & poſtea ignarus conſanguinitatis cum ea contrahat matrimonium, filius hic erit legitimus, ratione matrimonii, *Arg. c. pen. h. t. Covarr. in* 4. *Decret. p.* 2. *c.* 8. §. 2. *Gabriel in comm. concl. l.* 6. *de legit. concl.* 1. n. 4. & 5. de quo dictum ſupra. Secundo per talem legitimationem cenſentur legitimi filii antea nati, etiamſi tempore matrimonii extent filii legitimi, & naturales, *Gabriel c. l.* n. 7. Tertio etſi contrahentes matrimonium ſint inæqualis conditionis, ut quia vir eſt nobilis, & honeſtus, fœmina autem vilis conditionis, aut meretrix, non enim Jure Cæſareo, nec Pontificio, matrimonium inter perſonas nobiles, & ignobiles eſt invalidum. *Covarr. c. l. n.* 9. & alii apud *Barboſ. in cit. c. Tanta*, *n.* 3. Quarto per ſubſequens matrimonium clandeſtinum legitimatur proles antea concepta, modo fuerit validum, *Sanch. l.* 3. *diſ.* 44. *n.* 2. uti eſt in locis, ubi Concilium Tridentinum non eſt receptum.

Quinto matrimonium contractum primum in articulo mortis, vel a ſene decrepito habet vim legitimandi filios antea genitos, quia in *cit. c. Tanta*, generaliter ea vis vero matrimonio tribuitur, *Covarr. cit. c.* 8. §. 2. n. 10. *Sanch. l.* 7. *diſ.* 105. *n.* 5. & 6. *Azor. cit. c.* 13. *q.* 11. Sexto, etiamſi matrimonium non fuerit conſummatum, ſed ſolum ratum, nihilominus illegitimus fit legitimus, ut docent plures apud *Barboſ. in cit. c.* 1. *Tanta*. n. 10. Septimo, filii extra matrimonium nati per ſubſequens matrimonium legitimi fiunt, non obſtantibus intermediis parentum nuptiis, ut ſi is, qui ſuſcepit filios ex concubina, contrahat matrimonium cum alia fœmina, eaque mortua, in uxorem ducat concubinam, filii antea ex ea ſuſcepti fiunt legitimi per ſubſequens matrimonium cum concubina contractum, non obſtante matrimonio cum alia fœmina inito, antequam proles naſceretur, *Covarr. cit.* §. 2. *n.* 15. *Azor. cit. c.* 13. *q.* 5.

XXXVII. Quæritur 4. Quinam præterea ſint effectus hujus legitimationis per ſubſequens matrimonium? Reſp. talis legitimatus rumpit teſtamentum patris, perinde ac ſi natus eſſet poſt teſtamentum. Secundo filio ſic legitimato debetur legitima, ſicut filio legitime nato ex matrimonio. Tertio ob filios naturales legitimatos per ſubſequens matrimonium revocatur donatio omnium, vel majoris partis bonorum, ſicut per ſupervenientiam liberorum. Quarto ſi ingreſſus Monaſterium ſuſcipiat filium intra annum probationis; is legitimus efficitur, *Gabr. cit. concl.* 2.

XXXVIII. Quæritur 5. Quinam liberi per ſubſequens matrimonium non legitimentur? Reſp. filius ex adulterio natus, qui a viro, vivente uxore ſua, ex alia muliere eſt ſuſceptus, non legitimatur, uxore mortua, per matrimonium initum poſtea cum adultera, ſed manet ſpurius, & illegitimus, ut conſtat ex *cit. c. Tanta*, & ſupra etiam dictum fuit. Similiter ſi mulier, vivente adhuc marito ſuo, filium ex alio ſuſcepit, hic filius per matrimonium cum adultero initum non legitimatur. Quod tamen communiter limitant, ut procedat, quando filius, ſciente utroque parente, ſuſceptus eſt ex adulterio; non autem ſi unus ex parentibus ſcivit, alter ignoravit: tunc enim bona fides alterius parentis ignorantis adulterium facit, ut filius ille legitimus fiat, ſubſecuto inter eoſdem parentes matrimonio, ut conſtat etiam ex ſupra dictis. Si vero utroque parente ſciente, filius ex adulterio ſuſceptus ſit, ille non legitimatur per ſubſequens matrimonium, quia matrimonium inter eos tempore conceptionis conſiſtere non potuit, *Caniſ. in cit. c. Tanta*, *n.* 9. Plura de his videri poſſunt apud *AA. citt.*

§. VI.

De legitimatione illegitimorum facta per privilegium, ſeu conceſſionem Papæ.

Alius modus legitimandi eſt, qui fit per Reſcriptum, ſeu privilegium Principis ſupremam poteſtatem habentis, per quam non ſolum naturales filii, ſed etiam ſpurii, & ex damnato coitu geniti, ut ex adulterio, inceſtu, vel ſacrilego concubitu cum Moniali, legitimis natalibus reſtituuntur; nam cum inhabilitas, ſeu defectus natalium, ſolo jure humano ſit introductus, non Divino, aut naturali, decreto, ſeu voluntate Principis ſupremi tolli poteſt, *Azor. p.* 2. *Inſtit. l.* 2. *c.* 14. *Molin. tom.* 1. *de juſtit. tr.* 2. *in princ.*

XXXIX. Quæritur nunc 1. Quid ſit legitimatio in genere, & quomodo a diſpenſatione, ſeu relaxatione differat? Reſp. in eo differre, quod per legitimationem, ſeu reſtitutionem natalium conſequitur quis omnia jura legitimorum, ita ut non tantum ex parte, ſed ex toto ſit legitimus; at per relaxationem, ſive diſpenſationem non fit quis habilis ad omnia jura, quæ legitimis competunt, ſed ſolum ad unum aliquem actum, vel ad certa quædam jura, ut ex communi docet *Covarr. in* 4. *Decret. p.* 2. *c.* 8. §. 8. *n.* 1. *Azor. cit. c.* 14. *q.* 2. Unde filius per privilegium Principis legitimus factus habetur pro legitimo, ita ut tranſeat in patriam poteſtatem, & habeat jus dicendi teſtamentum patris nullum, vel inofficioſum, & jus ſuccedendi parentibus ab inteſtato, & ei debita ſit legitima portio ex bonis parentum, ſicut filiis ex legitimo matrimonio natis: ſecus eſt de eo, qui per diſpenſationem eſt effectus legitimus, ut ſuccedat v. g. patri in certa portione hæreditatis; is enim non ſuccedit patri ab inteſtato ut legitimus, *Covarr. in c. l.* n. 3.

XL. Quæritur 2. Qualis poteſtas legitimandi filios illegitimos competat Romano Pontifici? Reſp. de hac agitur in *c. Per venerabilem*. 13. *h. t.* ubi talis caſus proponitur: „ Quidam nobilis vir in Galliis, dimiſſa ſua legitima uxore,
„ aliam mulierem ſibi aſcivit, ex qua cum filios ſuſcepiſſet,
„ petiit a S. Pontifice, ut filios ſuos legitimaret, ne ipſo
„ mortuo natalium defectus dictis filiis ſuis objiceretur, &
„ illi ab hæreditate ſua repellerentur. Quod autem cum
„ iis diſpenſari poſſit, oſtendit Pontifex pluribus rationibus.
„ Et primo quidem, quod Apoſtolica Sedes aliquando diſ-
„ penſaverit, non ſolum cum naturalibus, ſed etiam cum
„ adulterinis liberis, quoad actus ſpirituales, ut poſſent in
„ Epiſcopos promoveri: ergo multo magis diſpenſare poſſe
„ videbatur, & eos legitimare ad actus ſæculares v. g. ad
„ hæreditariam ſucceſſionem, eos præſertim, qui præter
„ Romanum Pontificem, alium Superiorem inter homines
„ non recognoſcunt; quod enim in majori conceditur, li-
„ citum etiam eſſe videtur in minori. Secundo idem pro-
„ bat a ſimili, quia per Epiſcopalem dignitatem liberatur
„ filius a patria poteſtate (Auth. *Conſtitutio, quæ dignita-
„ tibus &c.* §. *Palam coll.* 6. *nov.* 81.) Item ſi Epiſcopus
„ ſcienter ſervum alterius ordinet in Presbyterum, is li-
„ ber efficitur, licet Ordinator ſatisfacere Domino tenea-
„ tur, *c. Si ſervus* 19. *diſ.* 54. nam monſtroſum videre-
„ tur, ut qui ad actus ſpirituales legitimus fieret, quoad
„ actus ſæculares illegitimus remaneret. Unde eo ipſo quod
„ in ſpiritualibus diſpenſatus, conſequenter intelligitur et-
„ iam in temporalibus diſpenſatum; quo fit, ut ſi ad Or-
„ dines liberi legitimantur cenſeantur quoque legitimati
„ quoad ſucceſſionem patris ſui. Id autem in Patrimonio D.
„ Petri Sedes Apoſtolica libere facere poteſt, in quo &
„ Summi Pontificis, & ſummi Principis exercet poteſta-
„ tem. Tertio quia Rex Franciæ Reginam Francorum
„ uxorem ſuam dimiſit, & aliam ſuperinduxit, ex qua li-
„ beros, puerum, & puellam ſuſcepit: ſicut ergo cum
„ filiis Regis ejuſdem Papa diſpenſavit, ita etiam cum fi-
„ liis Nobilis illius, poſt dimiſſam legitimam uxorem ſuſ-
„ ceptis videbatur ex benignitate Sedis Apoſtolicæ eſſe diſ-
„ penſandum. Ad hæc reſpondet Papa, exemplum Regis
„ Francorum eſſe valde diſſimile, Rex enim Franciæ a Le-
„ gato Sedis Apoſtolicæ per ſententiam (cui ſtandum erat,
„ donec contrarium probaretur, *Gl. hic V. Per ſententiam*.)
„ fuit ſeparatus. Sed iſte Nobilis, temeritate propria, uxo-
„ rem ſuam a ſe ablegavit (quod facere non debuit, etſi
„ cauſa fuiſſet manifeſta, cum talis ſeparatio ſit pœna, quæ
„ non-

Digitized by Google

monitiſi per Judicem inferri debet, *Gl. hic V. Separaſti.*) & Rex Franciæ, antequam ad eum prohibitio perveniret de non contrahendo cum ſecunda, aliam ſuperinduxit, ex qua geminam prolem ſuſcepit: ſed iſte Nobilis in contemptum Eccleſiæ aliam ſuperinduxit. Præterea Rex Franciæ contra matrimonium impedimentum affinitatis objecit, & coram Legato Pontificio teſtes induxit, qui ſententiam tulit, quæ reprobata fuit ſolum propter judiciarium Ordinem non ſervatum: at vero Nobilis iſte nihil objecit, propter quod divortium ab uxore, ſive ab ea ſeparari deberet: nam etſi fides tori unum ſit ex tribus bonis conjugii: non tamen ipſius violatio conjugii vinculum diſſolvit, quia in nullo caſu diſſolvitur matrimonium per carnalem copulam conſummatum, de quibus infra *Tit. 19. Gl. hic V. Violaſſet*. Et utrum filii Regis ex alia muliere ſuſcepti legitimi fuerint, vel illegitimi, non immerito dubitari poteſt, quamdiu pendet quæſtio affinitatis oppoſitæ: quia ſi affinitas oppoſita fuerit probata, apparebit, quod quæ prius dimiſſa fuit, non erat legitima uxor Regis, & per conſequens apparebit, alteram ſuperinductam eſſe legitimam uxorem, & filios ea ab ſuſceptos eſſe legitimos. Præterea cum Rex Superiorem in temporalibus nullum recognoſcat, poterat ſe ſine injuria alicujus Sedi Apoſtolicæ ſubjicere (*l. Eſt receptum 14. ff. de juriſdict.*) in quo videri poſſet aliquibus, quod per ſe ipſum, non tanquam pater cum filiis, ſed tanquam Princeps cum ſubditis poſſet diſpenſare: iſte vero Nobilis aliis eſt ſubjectus.

His igitur rationibus permotus Papa diſpenſavit cum filiis Regis Franciæ, occaſione etiam ſumpta, tam ex Veteri, quam Novo Teſtamento, quia Papa non ſolum in patrimonio Eccleſiæ, in quo plenam habet poteſtatem in temporalibus, ſed etiam in aliis Regionibus, certis cauſis inſpectis, caſualiter temporalem juriſdictionem exercet; non tamen vult præjudicare alieno juri, & hoc oſtendit per legem Veteris Teſtamenti Deuteron. *c. 17. Verſ. 5. & pluribus ſeqq.* Et tandem exponit auctoritatem illius loci Deuteronomii, quid per illum ſit intelligendum. Quia vero per Deuteronomium lex ſecunda, ſeu nova ſignificatur ex vi vocabuli (quia lex nova interpretetur antiquam, *Gl. hic V. Ex vi vocabuli.*) quod ibi decernitur, etiam in novo Teſtamento debet obſervari: Locus autem judicii, quem elegit Dominus, Apoſtolica Sedes eſt (quæ nunc eſt Roma) Unde fugiens Petrus juſſus eſt redire a Chriſto ei apparente ad Vicarii Chriſti judicium, qui habet alios Sacerdotes officii ſui Coadjutores. Subjungitur poſtea, tria eſſe judicia diſtinguenda, primum inter ſanguinem, & ſanguinem (per quod denotatur cauſa criminalis ſori civilis) & inter lepram, & lepram, per quæ verba denotatur cauſa criminalis fori Eccleſiaſtici (ut exiſtimat *Abb. hic n. ult.*) medium autem inter cauſam, & cauſam, quod ad utrumque refertur, tam Eccleſiaſticum, quam ſæculare forum, in quibus ſi quid fuerit difficile, vel ambiguum, ad judicium Sedis Apoſtolicæ eſt recurrendum, cui qui contempſerit obedire, mori debet (id eſt, per ſententiam excommunicationis, velut mortuus a communione fidelium ſeparari) Huc pertinet illud Pauli *1. Cor. 6. Neſcitis, quoniam Angelos judicabitis, quanto magis ſæcularia*, ubi hujus poteſtatis plenitudinem exponit.

Denique concludit Papa Innocentius III. licet eum filiis dictis Regis, de quibus, an legitimi fuerint, ab initio dubitabatur, duxerit diſpenſandum: quia tamen tam lex Moſaica, quam Canonica (locis a *Gl.* hic allegatis *V. Canonica*) ſobolem ex adulterio ſuſceptam deteſtatur (niſi cum ea fuerit diſpenſatum, *Gl. hic V. Deteſtatur.*) dicente Domino, quod Manſeres, & ſpurii uſque ad decimam generationem, non intrabunt Eccleſiam, & Canon vetat tales ad Sacros Ordines promoveri (*c. Cum in cunctis. 7. de Elect.*) ſæculares vero leges, non ſolum repellunt eos a ſucceſſione paterna, ſed etiam negant ipſis alimenta (*Auth. licet patri C. de natur. lib. & Auth. Ex Complexu. C. De inceſt. nup.*) ideo Papa petitioni tibus nobilis non duxit annuendum, ſcilicet ut diſpenſaret cum illius filiis illegitimis, eoſque legitimaret.

XLI. Pro intellectu hujus prolixi, & difficilis, ac famoſi cap. notandum 1. S. Pontifex habet poteſtatem legitimandi quoſcunque illegitimos, non ſolum quoad Ordines Eccleſiaſticos, aliaque ſpiritualia, ubique terrarum: ſed etiam quoad ſucceſſionem hæreditatis in bonis temporalibus, in terris temporali ſuæ juriſdictioni ſubjectis; idque probatur ex eo, quia S. Pontifex in ſubjectos ſibi temporaliter, Supremi Principis auctoritatem exercet, ut habetur in hoc cap. §. *Id autem in patrimonio*: Supremum autem Principem, qui in temporalibus Superiorem non agnoſcit, poſſe ſupplere defectum natalium certum eſt, ut infra dicetur.

Notandum 2. Cauſæ difficiles, & ambiguæ, ſeu dubiæ ad Judicium Sedis Apoſtolicæ, cui Romanus Pontifex præeſt, deferendæ, ſunt, ut auctoritate *Deuteron. c. 17.* probatur in hoc cap. præſertim vero quando agitur de vero ſenſu, & interpretatione SS. Scripturarum, ut definivit Concilium Tridentinum *Seſſ. 4. de editione, & uſu SS. Librorum §. Præterea.*

XLII. Sed jam hic ulterius quæritur 3. an Pontifex diſpenſando in radice matrimonii, id eſt, ab initio irriti, ob impedimentum Jure ſolum Canonico inductum, poſſit illegitimam prolem legitimare, etiam quoad officia ſæcularia, & ſucceſſionem bonorum temporalium, in locis Papæ temporaliter non ſubjectis: id eſt, an poſſit efficere, ut legitimatio illa retrotrahatur ad tempus, quo id matrimonium invalide contractum fuit, ita ut cenſeatur, quaſi a principio valide initum fuiſſet, mediante illa diſpenſatione. Plures negant, ſed communior, ac verior ſententia habet, Pontificem id poſſe, non quidem directe, ſed indirecte, ut docet *Abb. in cit. c. Per venerabilem. n. 22. Alex. de Nevo ibid. num. 18. Sanch. l. 8. de matr. diſ. 7. num. 4.* & alii apud ipſum. Ratio eſt, quia radix, & origo, ex qua oritur, ut proles ſit illegitima, adeoque incurrat damna illegitimitatis, ſive Eccleſiaſtica, ſive civilia, eſt lex Eccleſiaſtica, quæ ſtatuit impedimentum dirimens matrimonium inter conſanguineos, & affines intra quartum gradum, quo ſublato, matrimonium fuiſſet validum, & proles legitima. At vero Papa poteſt ſuam legem irritare, & revocare, non tantum quoad impoſterum ſecuturos effectus, ne incurrantur, ſed etiam quoad ſecutos, eoſdem abolendo, ac ſi lex edita non fuiſſet, ut conſtat ex *Clem. Quoniam. un. de immunit. Eccleſ.* ubi Clemens V. revocat quaſdam Conſtitutiones Anteceſſorum, etiam quoad affectus antea productos, ibi: *quicquid ex iis ſecutum eſt, vel ob eas, penitus revocamus, & ius haberi volumus pro infectis.* Similiter ergo ſi Pontifex diſpenſando tollat, & revocet impedimentum dirimens matrimonium, abrogando legem Eccleſiaſticam ſtatuentem tale impedimentum, facit ut diſpenſatio retrotrahatur ad initium matrimonii, ac ſi ab initio fuiſſet validum, nullo impedimento dirimente exiſtente, tunc vero proles eſſet vere legitima quoad omnia. Quare non dicimus, Pontificem poſſe efficere, ut matrimonium ab initio invalidum, ex tunc fuerit validum, vel nunc incipiat valere, abſque novo contrahentium conſenſu; vel ut ex eo non ſint ſecuti effectus Jure Civili ſtatuti in illegitimos, ſed id ſolum dicimus, poſſe Pontificem, diſpenſandi in impedimento matrimonii a ſe inducto, revocare, & tollere omnia damna jure humano illata ob illegitimitatem, ac in eum ſtatum prolem reſtituere, quem haberet, ſi ex matrimonio valido nata fuiſſet. Durante enim Legis Eccleſiaſticæ valore, cui tanquam fundamento illegitimitas, & cætera damna innitebantur, illa omnia corruunt. Quamvis ergo non poſſit Pontifex directe diſpenſare in effectibus illegitimitatis ex jure Civili provenientibus: poteſt tamen indirecte & per quandam conſequentiam, tollendo legem ſuam Eccleſiaſticam per diſpenſationem, ex qua tanquam fundamento illa omnia pendebant, *Sanch. c. l. n. 4.*

XLIII. Hinc infertur 1. Si proles ſuſcepta fuit, nullo præcedente matrimonio inito, ex culpa manifeſte fornicaria, non poteſt Pontifex eam, ne indirecte quidem, legitimare quoad ſæcularia, & temporalia extra loca ſuæ temporali juriſdictioni ſubjecta, quia cum nulla adſit radix matrimonii, in qua directe diſpenſando, indirecte, & per conſequentiam legitimet prolem, ipſa directe legitimaret ad temporalia: quia ſicut Princeps ſæcularis nequit legitimare, quoad Eccleſiaſtica, cum careat juriſdictione Eccleſiaſtica: ita nec Pontifex directe, quoad bona temporalia, cum non habeat juriſdictionem temporalem, extra loca ſuæ juriſdictioni ſubjecta, niſi indirecte, ad ſupplendam negligentiam Principum ſæcularium, quando id exigit bonum ſpirituale, *Sanch. l. 8. de matr. diſ. 7. n. 1. & 7.* Infertur 2. neque poteſt Pontifex indirecte legitimare, quoad temporalia & ſæcularia, quando tale matrimonium irritum fuerat ob impedimentum juris Divini, & naturalis, quia illud nequit Pontifex diſpenſando tollere, *Sanch. c. l. n. 8.*

Porro poſſe Papam legitimare illegitimos, etiam in Terris Imperii, vel ex eo patet, quia legitimare eſt actus juriſdictionis voluntariæ, qui exerceri poteſt, etiam in non ſubditum, & extra proprium Territorium, *Abb. in cit. c. Per venerabilem. numer. 22. h. t.* Addit tamen *Azor. cit. c. 14. q. 6. §. Meo judicio*, etſi Romanus Pontifex habeat abſolute, & ſimpliciter poteſtatem legitimandi quoſcunque illegitimos, etiam quoad ſucceſſionem in hæreditate, ac bonis parentum, & in Terris alienis, non tamen ſolere id facere in locis extra Patrimonium B. Petri, quia non vult temporalibus, & civilibus ſe ingerere, & immiſcere.

§. VII.

De poteſtate legitimandi illegitimos, quæ competit ſæcularibus Principibus.

XLIV. Quæritur 1. Penes quem ſit poteſtas reſtituendi aliquem legitimis natalibus? Resp. 1. Imperator, & alii Principes, qui in temporalibus Superiorem non habent, poſſunt quoſvis illegitime natos legitimos facere; idque ei conceſſum eſt in ſignum ſpecialis privilegii, *Auth. Quib. modis natur. effic. & cap. §. Illud, Abb. in cit. c. Per venerabilem. numer. 23. h. t.* Alii vero Principes inferiores non poſſunt legitimare eos, qui ſunt extra matrimonium nati: quamvis eos poſſint ad certa quædam jura, & bona habiles facere, verbi gratia Epiſcopus ad Ordines minores eus promovere, & ad ſimplicia beneficia, *Azor. p. 2. l. 2. c. 14. q. 5.*

Reſp. 2. Etſi Imperator, Rex, vel alius Princeps ſupremam in temporalibus poteſtatem habens poſſit reſtituere legitimis natalibus, & facere habilem filium naturalem vel ſpurium ad dignitates, honores, munera, & officia publica ſæcularia: non tamen, nec indirecte quidam, poteſt legitimare prolem ſuſceptam ex irrito matrimonio

quoad

quoad ſpiritualia, ut capax ſit Ordinum, aut bonorum Eccleſiaſticorum, *Azor. c. l. q. 7. Tanner. tom. 4. diſ. 8. q. 6. dub. 4. n. 87.* Nam quia Princeps ſæcularis non habet juriſdictionem ſpiritualem, nec poteſt impedimenta dirimentia matrimonium conſtituere, ſaltem inter Chriſtianos, ut ſupra dictum, non poteſt in iis diſpenſando ea tollere, ut matrimonium irritum reddatur validum; & proles ex eo ſuſcepta legitimetur.

XLV. Quæritur 2. Quænam exprimenda ſint in petitione legitimationis, ne impetratio judicetur ſubreptitia? Reſp. exprimi debere omne id, quod impediret, quominus Princeps naturalem, vel ſpurium reſtitueret natalibus: vel ſaltem impediret, ne cito, & facile reſtitueret. Unde exprimi debet qualitas, & conditio filii naturalis, vel ſpurii, an natus ſit ex adulterio, inceſtu, vel ſacrilegio: item an ex adulterio duplici, ſeu geminato, videlicet ex patre conjugato, & matre uxore alienæ, *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 9. n. 1. & ſeqq.* Item ſi ex inceſtu, an natus ſit ex ſorore, vel filia, ex nuru, matre, vel uxore fratris, *Azor. c. l. q. 8.* apud quem plura de his videri poſſunt.

XLVI. Quæritur 3. An in petitione legitimationis ſint Agnati, & cognati ipſius parentis vocandi? Reſp. ad legitimationem filii, quæ fit, patre vivente, non ſunt neceſſario vocandi agnati, & cognati ipſius, modo ipſe pater conſentiat, quia hic poteſt libere de bonis ſuis diſponere. At vero filius naturalis tantum non poteſt legitimari e Principe, niſi filii naturales, & legitimi vocentur, quia id cederet in magnum eorum præjudicium, ex eo quod legitima portio eis debita diminueretur; mortuo vero patre, non poteſt filius illegitimus legitimari, niſi vocentur ipſius ſucceſſores ab inteſtato, quibus jus ſuccedendi in bonis ipſius quæſitum eſt, *Covarr. cit. c. 8. §. 9. n. 7. & 9. Azor. c. l. q. 10.* Imo etiam vivente, & annuente patre, non poteſt filius naturalis, vel ſpurius legitimari, auctoritate Principis, niſi filii naturales, & legitimi ipſius patris conſenſerint, quia legitima portio eis debita minueretur, abſque eorum conſenſu, *Covarr. c. l. Azor. c. l. q. 11.*

XLVII. Quæritur 4. An cum Princeps aliquem legitimum facit, vocandus ſit is, qui eſt ſubſtitutus ſub illa conditione, ſi abſque liberis pater hæres inſtitutus deceſſerit? Reſp. vocandum eſſe, *Covarr. c. l. n. 8. Azor. cit. l. 2. c. 15. q. 1.* quia non cenſetur Princeps tale privilegium concedere, cum damno ſubſtituti. Præterea ſi filii legitimi, & naturales extent, cenſetur Princeps filium naturalem, vel ſpurium legitimum reddere, etiamſi ex eo minuatur legitima eorum portio, dummodo dum petitur a Principe legitimatio, facta ſit mentio filiorum naturalium, & legitimorum, quia pater, dum vivit, poteſt ob juſtas cauſas id petere, ac proinde poteſt id Princeps concedere; ſecus ſi non fiat illorum filiorum mentio, *Covarr. c. l. Azor. cit. c. 15. q. 4.* Plura de his videri poſſunt apud *DD. cit.*

XLVIII. Illud poſtremo hic addendum, quod filii illegitimi dicuntur legitimari, & fieri legitimi, non quod, poſtquam fuerunt illegitimo coitu nati, fiant nati ex legitimo coitu, cum ad præteritum non detur potentia, & factum infectum fieri nequeat: ſed dicuntur legitimari, quatenus damna, quæ filii illegitimi incurrunt, per legis diſpoſitionem, vel Superioris habentis auctoritatem legis tolluntur, *Tanner. c. l. n. 82.*

§. VIII.

De probatione legitimitatis natalium.

XLIX. De hac igitur in primis in *c. Transmiſſæ 3. h. t.* ubi talis caſus proponitur: Cum N. quendam puerum „ uſque ad juventutem nutriviſſet, cohabitante ſibi M. „ quam ſibi poſtea in uxorem deſponſavit, & filios ex ea„ dem ſuſcepit, his paternam hæreditatem petentibus, „ prædictus juvenis contradixit, gerens ſe pro filio, & „ hærede, quamvis e vicinia filius eorum ſpurius crede„ batur (id eſt, non legitimus, vel naturalis, quia forte „ ſuſceptus fuit ex alia muliere, ante matrimonium, vel „ eo durante, & ſic proprie ſpurius erat, *Gl. hic V. Spurius*) Verum prædicti, vir, & mulier juvenem illum eſſe „ ſuum ſpurium, aut legitimum filium negarunt, ſed di„ cebant, quod eum, intuitu pietatis, nutriviſſent. Quæ„ ſtio igitur ad Archiepiſcopum Rothomagenſem fuit dela„ ta, qui dictum juvenem, eo quod juri ſtare coram ſe „ nolebat, excommunicationis vinculo obſtrinxit. Conſul„ tus Pontifex reſpondit, quod in hoc caſu ſtandum ſit „ verbo viri, & mulieris, niſi certis indiciis, & teſtibus „ conſtiterit, dictum juvenem eſſe filium eorum.

L. Notandum 1. Ex eo, quod aliquis ſit nutritus in domo alicujus, non probatur eſſe filius, nec tenetur ille, in cujus domo eſt nutritus, & educatus, inſtituere eum hæredem, ut filium; nam ſæpe nutriuntur, & educantur in domo, qui non ſunt filii, ſed pietatis cauſa, vel ob aliam *Abb. hic n. 2.* Si vero educatio, & alimenta præſtentur alicui tanquam filio, tunc filiatio ex eo recte probatur, *Barboſ. in Collect. hic n. 3.*

Notandum 2. Etſi in probanda filiatione multum valet communis fama viciniæ, non tamen ſola ſufficit, ſine aliis adminiculis, & præſumptionibus, quia fama ſemiplenam ſolum probationem facit, non plenam, *Covarr. in 4. Decret. p. 2. cap. 8. §. 3. n. 9.* Unde etſi fama viciniæ ſtat pro filiatione, ſi tamen dictum, ſeu teſtimonium parentum ſit in contrarium, ſtatur aſſertioni eorum, ut patet ex hoc cap. & ibi tradit *Abb. n. 3.* quamvis ex ſola negatione parentum non debeat is, qui eſt in poſſeſſione filiationis, privari jure filiationis, nec excludi ab hæreditate paterna, *Abb. ibid. n. 4. Alex. de Nevo n. 6.*

Notandum 3. Si parentes negent, aliquem eſſe filium ſuum, illi credendum eſt, quia non eſt veriſimile, quod parentes negabunt, aliquem eſſe proprium filium, cum nullus affectus vincat paternum, *l. Cum furioſus 7. poſt princ. C. de Curat. furioſ.* niſi ex indiciis, & teſtibus expreſſe probetur contrarium: non tamen filius tenetur credere parentibus negantibus ipſum eſſe filium, ſi ſit in poſſeſſione filiationis, & prius tractatus fuerit ut filius *Vivian. in Ration. hic.*

Notandum 4. Filiatio ex tribus plene probatur. 1. Si ex viro, & uxore, vel concubina domi retenta ſit natus. 2. Si pater eum filium nominavit, & pro tali agnovit, & tractavit. 3. Si ex communi viciniæ fama ſemper pro filio fuit habitus, *Barboſ. in Collect. hic n. 2.*

Notandum 5. Ex confeſſione, & nominatione parentum vere principaliter, & propter ſe facta, concurrentibus aliis indiciis, plene probatur filiatio, *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 3. n. 7. Barboſ. hic in Collect. n. 4.* Videri poſſunt, quæ de probatione filiationis dicta ſunt *l. 2. Decret. Tit. 19. §. 7. in c. Per tuas 10. de probatione.*

LI. Præterea in *c. Pervenit 11. h. t.* refertur quod quidam, „ poſt mortem parentum Luciæ viduæ, nitebantur „ eam ab hæreditate paterna excludere, eo quod non fuiſ„ ſet ex legitimo matrimonio nata: ipſa vero dicebat, „ quod inter G. patrem ſuum, & A. matrem ſuam Ma„ trimonium legitime fuit celebratum, & quamdiu vixe„ runt, quiete ſimul permanſerunt, ſine reclamatione; & „ ideo legitima debeat judicari. Re delata ad Cæleſtinum „ III. is mandavit quibuſdam, ut ſi ita eſt, dictam vi„ duam legitimam pronuncient, *Gl. hic in caſu.*

LII. Ubi notandum, ut aliquis habeatur illegitimus, non ſatis eſt, ut probetur matrimonium inter parentes fuiſſe invalidum, ſed neceſſe eſt, ut probetur, parentes, mala fide, contraxiſſe matrimonium: ſeu conveniſſe, prout ſumitur ex hoc c. & docet *Suar. diſ. 50. de cenſur. ſec. 4. n. 10.* Ratio eſt, quia bona fides parentum, & auctoritas, ſeu approbatio Eccleſiæ, in cujus conſpectu publice fuit contractum matrimonium, hoc operentur, ut quamvis poſtea impedimentum dirimens in tali matrimonio detegatur, ac proinde illud invalidum fuerit, debeat tamen in favorem prolis ſuſceptæ, ea legitima judicari, ob bonam fidem parentum, & quia tale matrimonium in facie Eccleſiæ validum exiſtimatum fuit. Secus eſt, ſi parentes mala fide in facie Eccleſiæ contraxiſſent; tunc enim proles illegitima cenſetur; præſumitur autem bona fides, eo ipſo, quod in facie Eccleſiæ parentes contraxerunt, nullo contradicente, nec Eccleſia inhibente, niſi mala fides probetur, *Hoſtienſ. hic V. Legitime Vivian. hic in Ration.*

LIII. Porro ulterius quæritur, quibus modis poſſit probari legitimitas natalium? Reſp. Etſi filiatio quoad patrem difficulter probari poſſit, quia is non eſt certus, poteſt tamen, ac debet, qui aſſerit, ſe legitimum filium eſſe, id probare. 1. Si doceat, parentes ſuos contraxiſſe publice, & in facie Eccleſiæ. 2. Si probet, quod communi opinione viciniæ, habebantur, quod erant maritus, & uxor. 3. Si probet, quod parentes ſe tractabant, ut maritus, & uxor; ſola enim fama, ſeu communis opinio viciniæ non ſufficit ad probandum matrimonium legitimum, niſi conſtet, vel probetur, quod parentes etiam tractabant ſe invicem ut conjuges: quamvis aliqui putent ſufficere probare ſolam famam, ſine tractatu, ſaltem mortuis parentibus *Alex. de Nevo hic n. 8. & 9.* apud quem plura de hoc videri poſſunt, & alios DD.

LIV. Poſtremo in *c. Per tuas 12. h. t.* alius caſus, huc „ pertinens proponitur: nam cum quidam R. nomine, ex „ quadam muliere, quam major pars viciniæ credebat eſ„ ſe ipſius concubinam, prolem ſuſcepiſſet, & quandam „ poſt, eaque defuncta, aliam in uxorem duxiſſet, & illa „ concubina alium in maritum accepiſſet, progreſſu tem„ poris, idem R. in præſentia multorum, proprio jura„ mento firmavit, quod eam, quam habere videbatur pro „ concubina, prius affidaverat (id eſt, fidem ei dederat, „ quod eam ducturus ſit in uxorem, *Gl. hic V. Affidaverat:*) & poſt fidem datam Prolem ex ea ſuſcepit. Tandem „ cum in extremis ageret, illum, quem ex ea ſuſceperat, „ legitimum filium appellans, in teſtamento hæredem in„ ſtituit. Sed cum dubitaretur, an filius ſic ſuſceptus eſſet „ legitimus hæres ipſius R. & ad ejus hæreditatem admit„ tendus, commiſſum eſt cuidam Judici (vel Epiſcopo) ut „ de hoc cognoſceret. Ille vero præter id, quod ex qua„ dam Decretali Alexandri III. habetur (in *c. Tranſmiſſæ 3. h. t.* ubi dicitur, ſtandum eſſe verbo viri, & mu„ lieris) teſtes recepit a filio prædicti R. productos, per quos „ legitime comprobavit, dictum R. matrem ipſius affidaſſe „ (antequam illum ex ea ſuſcepiſſet, *Gl. hic V. Affidaſſe*) & „ ita illum pronunciavit legitimum hæredem ipſius R. Con„ ſultus Papa Innocentius III. & conſiderans, quod plus „ ſit, quod in veritate agitur, quam quod ſimulate „ concipitur, reſpondet: licet dictus R. videatur, quod „ cum dimiſſa ea, quam ut concubinam habuerat, ad a„ lias nuptias tranſivit, ipſo facto denegaverit matrimo„ nium, quod inter eos initum fuerat, quia tamen deſ„ ponſatio per legitimos teſtes probata fuit, ſive fuerit fa„ cta per verba de præſenti, ſive per verba de futuro, carna„ li co-

„ſi copula ſubſecuta: idem Papa innitens, non tam Decretali Alexandri, quæ in caſu ſimili loquitur, quam productis probationibus, Judicem illum legitime proceſſiſſe pronunciat, ejuſque ſententiam auctoritate Apoſtolice confirmat.”

LV. Hinc patet, quod ſtatur dicto teſtium probantium aliquem eſſe legitimum, quamvis fama viciniæ, & tractatus parentum habeant contrarium, *Abb. hic in Summa*, & alii Canoniſtæ communiter. Ratio eſt, quia quando duæ præſumptiones contrariæ hinc inde concurrunt, ſtandum eſt fortiori, & illi in dubio, quæ favorabilior eſt. At vero probatio per teſtes eſt fortior, quia eſt plena, & ſufficiens, *c. Cum cauſam. 37. de teſtib.* Fama vero viciniæ non probat plene, & ſufficienter, *c. Tam litteris. 33. eod.* imo etiam depoſitio teſtium præfertur tractatui parentum, quia per teſtes fit vera probatio: ex tractatu autem parentum reſultat ſolum probatio præſumptiva, *Alex. de Nævo hic n. 3.* & ille poteſt eſſe fictitius, & tunc non debet prævalere contrariæ probationi, quia plus eſt, quod in veritate agitur, quam quod ſimulate concipitur, ut hic dicitur. Item cauſa legitimitatis filiorum eſt favorabilis, *c. pen. h. t.* ideoque plus credendum eſt depoſitioni teſtium in favorem legitimitatis, quam famæ viciniæ, & tractatui parentum contra prolis legitimitatem, *Vivian. in Ration. hic.*

LVI. Ubi præterea notandum 1. Ad probandum aliquem eſſe legitimum, ſatis eſt probare, quod fame, ſeu opinio viciniæ, vel majoris illius partis, habebat parentes illius fuiſſe legitimo matrimonio conjunctos: ſicut & e contrario, ad probandam illegitimitatem alicujus ſufficit probare, ſecundum opinionem viciniæ, parentes illius fuiſſe concubinarios. *Abb. hic n. 2. & Alex. n. 2.*

Notandum 2. Dicto parentum ſuper filiatione non ſtatur, etiam cum juramento, ſi tractatus eorum præcedens, & fama viciniæ ſit in contrarium, idque etiamſi fiat in extremis, ut ſi quis in infirmitate inſtituat filium hæredem, & ipſum nominet filium, *Abb. hic n. 3. Alex. n. 4.*

Notandum 3. Eo ipſo, quod quis filium naturalem in ultima voluntate filium nominat, & hæredem inſtituit, cenſetur eum legitimaſſe, *Auth. Item ſi quis. C. De natural. liber.* ſi alios legitimos filios non habeat, *Gl. hic V. Filium.*

Notandum 4. Caſus, de quo agitur in *c. Tranſmiſſa. 3. h. t.* quod eſt Alexandri III. eſt diſſimilis caſui hujus cap. Nam ibi parentes teſtimonium ferebant contra illum, qui dicebat, ſe eſſe eorum filium: hic vero pro ipſo filio, cui multum prodeſt dictum parentum; deinde ibi negabatur filiatio, hic qualitas legitimationis. Item hic factum contradicebat verbo, non autem ibi. Denique hic aſſertio viri tantum, ibi viri, & mulieris, *Gl. fin. hic juncta Gl. Marg. in. hic. C. Joann. Andr. ibid. in fine*, & ideo merito non debet ſtari dicto patris, *Abb. hic in fine.*

TITULUS XVIII.

QUI MATRIMONIUM ACCUSARE POSSUNT, VEL CONTRA ILLUD TESTIFICARI.

Quia in præcedentibus dictum eſt, qualiter matrimonium contrahatur, & qualiter impediatur; nunc agendum eſt qualiter ſeparetur, ac diſſolvatur, adeoque de matrimonii ſeparatione, ſive divortio. Sed quia ad divortia pervenitur per accuſationes, & teſtimonia; ideo ante tractatum de divortiis præmittitur iſte Titulus de illis, qui matrimonium accuſare poſſunt, & contra illud teſtificari. Continet autem duas partes, nempe qui ſint idonei accuſatores matrimonii, & qui idonei teſtes contra illud, Abb. in Rubrica hujus Tituli.

§. I.

Quinam admittantur ad accuſandum matrimonium, vel teſtificandum contra illud?

I.

Aſſertio 1. Si accuſetur matrimonium, ſive contra illud agatur, tanquam illegitime contractum, vel agitur ad ſeparationem tori, v. g. propter adulterium; & tunc admittitur ad accuſandum ſolum conjux innocens, quia hujus tantum intereſt, non autem alterius. Vel agitur ad ſeparationem vinculi matrimonialis: & hoc caſu, ſi accuſatur matrimonium, propter impedimentum conſanguinitatis, primo omnium admittuntur parentes, & his deficientibus, proximiores conſanguinei, cum agitur de impedimento conſanguinitatis. Poſt cognatos autem admittuntur ad accuſandum extranei, & inter hos præferuntur maturiores, & antiquiores e vicinia, quibus conſanguinitas nota eſt, *c. 1. & 2 cauſ. 35. q. 6.* niſi ſubſit tale impedimentum dirimens, cui contrahentes poſſunt renunciare, ut eſt impedimentum erroris circa conditionem, ſeu ſtatum, ut quia liber ignorans contraxit cum ancilla, vel e contra libera cum ſervo; nam hoc caſu nullus, præter liberum, & liberam, ad accuſandum admittitur, cum hunc errorem ſibi invicem remittere poſſint, & de novo in matrimonium conſentire, *c. 2. de conjug. ſervor.* Item ſi matrimonium accuſetur propter impotentiam, ut quia alter conjux eſt impotens ad exercendam actum conjugalem, ratione frigiditatis, vel maleficii, vel alterius impotentiæ; tunc enim nullus alius ad accuſandum matrimonium admittitur, quam ipſi conjuges, quia horum tantum intereſt diſſolvi tale matrimonium, & ipſi invicem cohabitare poſſunt, ſi non ut veri conjuges, ſaltem ut frater, & ſoror, *c. Conſultationi. 4. de frigid. & malef. Abb. in Rubric. h. t. Henric. Caniſ. ibid. in princ.*

II. Aſſertio 2. Omnes, qui ſunt idonei, & admittuntur ad accuſandum matrimonium, admittuntur etiam ad ferendum teſtimonium contra illud, vel pro illo, dummodo alias ſint idonei ad teſtificandum, *Innoc. hic in princ. n. 1. & Abb. in Rubr.* Unde ſive agatur de matrimonio conjungendo, ſive diſſolvendo, parentes, & conſanguinei ſunt idonei teſtes ſuper conſanguinitate, prout ſumitur ex *c.* „*Videtur 3. h. t.* ubi Papa Clemens III. reſcribit, parentes, fratres, & cognatos utriuſque ſexus, in teſtimonium ſuorum ad matrimonium conjugendum, vel dirimendum admitti debere, tam ſecundum antiquas conſuetudines, quam leges (Canonicas, *Gl. hic V. Legibus*) Ideo enim maxime parentes, & ſi hi defuerint, proximiores cognati admittuntur, quia unuſquiſque ſuam genealogiam, cum teſtibus, & chartis, tum etiam ex recitatione Majorum ſcire laborat: illi enim recipi debent in teſtes, qui melius ſciunt (conſanguinitatem ſcilicet) & quorum intereſt, ita ut ſi non interfuerint, & conſenſum non præſtiterint, ſecundum leges (Civiles, *l. 2. ff. de ritu napt.*) nullum fit matrimonium (ſecus ſecundum Canones, ut ſupra dictum). Quod vero dicitur, patrem non recipi (in teſtem) in cauſa filii, nec filium in cauſa patris, illud verum eſt in criminalibus cauſis, & contractibus: ſed in matrimonio conjungendo, vel disjungendo, ob ejus prærogativam, & favorem, in teſtes admittuntur.”

III. Notandum 1. In cauſa matrimoniali, ſive agatur de conjungendo, ſive ſeparando matrimonio, parentes, & conſanguinei utriuſque ſexus, & utriuſque conjugis, ſunt idonei teſtes, imo aliis præferuntur, quia præſumitur illos habere plenam notitiam, tam conſanguinitatis, quam contracti matrimonii; nam utrumque ſcire magis ad eos ſpectat, quam ad extraneos; idque procedit, non ſolum ſi agatur de probanda conſanguinitate, ſed etiam de probando contractu matrimonii, ut communiter intelligunt DD. *Abb. hic n. 2. & Alex. de Nævo n. 2.*

Notandum 2. Ille, cujus intereſt ſcire, præſumitur melius informatus de re, & talis teſtis præferendus eſt aliis extraneis, & præ cæteris examinari debet.

Notandum 3. Pater non eſt regulariter idoneus teſtis in cauſa filii, *c. Si teſtes. 3. §. Teſtis idoneus, cauſ. 4. q. 3. l. Teſtis. 9. ff. de teſtib.* quia ejus teſtimonium eſt ſuſpectum, & vice verſa, quod eſt verum in cauſis criminalibus, & contractibus; pater tamen poteſt eſſe teſtis in matrimonio; niſi ſponſus ſponſam divitiis, aut nobilitate multum ſuperaret, & multo magis ſi ſponſum ſponſa; tunc enim teſtimonium parentum eſſet ſuſpectum, ſive quæratur de conſanguinitate, ſive an matrimonium fuerit contractum, *Abb. hic n. 6.* ubi in fine addit, quod non poteſt dari certa regula, an & quando credendum ſit teſtimonio parentum in cauſa matrimoniali, ſed id relinquendum eſſe arbitrio judicantis, ut ex circumſtantiis deprehendat, an eorum teſtimonium ſit ſuſpectum, *l. 3. ff. de teſtib.*

Similiter ſi quæratur, an admittantur parentes ad teſtimonium ferendum ſuper matrimonio, nulla ſit diſtinctio, ſive procedatur ſuper conſanguinitate ſive alio impedimento, in quo militat eadem ratio, *Alex. de Nævo hic n. 11.*

Notandum 4. In cauſa matrimoniali idem poteſt eſſe accuſator, & teſtis, *Si duo. 4. c. De parentela. 5. & c. Epiſcopus. 7. cauſ. 35. q. 6.* Idque intelligitur verum, cum quæritur de conſanguinitate conjugum, *Innoc. hic in princ. n. 2.* Quod tamen *Abb. in Rubrica hujus Tituli* tunc procedere ait, ſi quis non tanquam accuſator, ſed denunciator impedimentum detulit ad judicium: tunc enim, ſi Judex ex Officio inquirat, etiam is, qui denunciavit, ſimul poteſt eſſe teſtis, *c. Cum in tua. 27. de ſponſalib. c. In omni. 4. de teſtib.*

§. II.

Quinam ab accuſatione matrimonii ſunt repellendi?

IV. Imprimis qui matrimonium accuſat, propter quæſtum, repelli debet, prout ſumitur ex *c. Significante 5. h. t.* „Nam cum M. duxiſſet legitime (id eſt in facie Eccleſiæ, & bona fide, ac nemine contradicente, *Gl. hic V. eod.*) in uxorem S. & mater ipſius niteretur matrimonium accuſare (allegando impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis, vel aliud inter ipſos conjuges) ut ab eo (ſponſo) pecuniam extorqueret: & licet voluntati ſuæ non poſſent prava opera reſpondere (quia non potuit probare, quod intendit, *Hoſtienſ. hic V. Opera*) nihilominus voluit habere pecuniam, ut ab accuſatione deſiſteret. Quare mandavit Pontifex Judicibus delegatis, ut ſi ita eſt, dictam mulierem ab accuſatione matrimonii repellant, & ei ſuper hoc ſilentium imponant, quia malitiis hominum non eſt indulgendum.”

V. Hinc patet, quod repellitur accuſator matrimonii propter turpem quæſtum. Idque procedit etiam in omni alio accuſatore, *Gl. hic. V. Repellentes.* quin imo Judex ex Officio poteſt, non tantum accuſatores matrimonii: ut in caſu hujus cap. propter periculum animarum, ſed etiam alios accuſatores repellere, parte non opponente, *Abb. hic n. 4.* Porro quod iſta mulier inſtituerit accuſationem ma-

matrimonii, quæſitus cauſa, probari potuit, tum per mediatores, per quos conabat tractari, ut ſibi daretur pecunia, & ipſa deſiſteret ab accuſatione: tum per teſtes, quos ipſa corrumpere conabatur, ob dictam cauſam, *Hoſtienſ. hic §. Sed. quomodo. & Abb. n.* 5.

VI. Præterea repellitur ab accuſatione matrimonii contracti, qui tempore præmiſſæ denunciationis, ſciens, impedimentum dirimens, tacuit, & illud non manifeſtavit, niſi denunciationem probabiliter ignorarit, vel juret, ſe poſtea primum in ejus notitiam deveniſſe, & quod nihil malitioſe objiciat contra matrimonium, prout conſtat ex *c. Cum in tua 6. & ult. h. t.* ubi Papa Clemens III. ita reſcribit: „Si poſt contractum matrimonium appareat aliquis accuſator, qui non prodiit in publicum, quando banna, ſeu denunciationes, ſecundum conſuetudinem, in Eccleſia edebantur: tempore autem denunciationis ipſa extra Diœceſin exiſtebat: vel ad illius notitiam pervenire non potuit, ut quia gravi infirmitate tunc laborabat: vel quia tunc ſanæ mentis non erat: vel in tali erat ætate, ut ad talia comprehendenda ejus ætas non ſufficeret, vel ex alia legitima cauſa impeditus fuerat; tunc enim accuſatio debet admitti: alioquin tanquam ſuſpectus debet repelli, quia præſumptio eſt contra ipſum, quod denunciationem publice factam, dum in Diœceſi exiſtebat, non ignoraverit: niſi proprio juramento firmaverit, ſe poſtea ea, quæ objecit, didiciſſe, & ad hoc ex malitia non proceſſiſſe: & tunc, etiamſi didiciſſet ab illis, qui tempore denunciationis ſiluerunt, non debet ei claudi, ſeu negari aditus ad accuſandum, quia etſi illi ab accuſatione repellendi forent, propter culpam ſilentii: iſte tamen repelli non debet, cum culpabilis non exiſtat.“

VII. Pro declaratione hujus cap. notandum 1. banna, ſeu denunciationes debent fieri in Eccleſiis, antequam contrahatur matrimonium, nempe ut ſcientes impedimentum Canonicum matrimonii inter contrahentes, illud intra tempus præfixum detegant, *Alex. de Nevo hic* n. 3. ideoque ſi quis, poſt tempus denunciationi præfixum, accuſet matrimonium, rejicitur ab accuſando, quia ſuſpectus habetur, quod jam in tempus contracti matrimonii malitioſe differendo velit impedire matrimonium poſtea contractum, *Henric. Caniſ. hic. n.* 1.

Notandum 2. Exiſtens in Diœceſi præſumitur habere notitiam eorum, quæ publice fiunt in civitate & banna, ſeu Edicta, quæ fiunt publice in civitate, afficiunt omnes exiſtentes in Diœceſi, ita ut omnes præſumantur ea ſcire, *Abb. hic* n. 2. & *Alex. num.* 4.

Notandum 3. Tres ſunt caſus, in quibus regulariter præſumitur ignorantia eorum, quæ palam fiunt in civitate. Primus eſt, ſi quis exiſtebat tunc temporis extra Diœceſim. Secundus eſt, ſi quis tunc erat in tenera adhuc ætate, ita ut non poſſet geſta intellectu comprehendere. Tertius, ſi ex infirmitate patiebatur defectum ejus rationis. Idemque dicendum de alia cauſa legitima, ut quia erat excommunicatus tempore denunciationis, & ſic non fuiſſet admiſſus ad accuſationem matrimonii: niſi tamen fuiſſet in mora petendi abſolutionem, *Abb. hic*, n. 3. & *Alex. n.* 5.

Notandum 4. Facilius admittitur accuſans matrimonium contrahendum, quam jam contractum; quia facilius impeditur matrimonium, quam dirimatur, *c. Præterea.* 12. & *c. Cum in tua* 27. *de ſponſal.* nec proprie dicitur matrimonium contrahendum accuſari, ſed denunciari, *Ad diſſolvendum.* 13. *de deſponſ. impub.* ideoque ante contractum matrimonium, etiam poſt lapſum termini, admittitur quis ad accuſandum, *Alex. hic, n.* 2.

VIII. Notandum 5. Impedimentum matrimonii poteſt per proprium juramentum probari, ut conſtat ex hoc cap. ibi: *niſi proprio firmaverit juramento*, ubi Gl. *V. Juramento.* ait, quod plus valet juramentum unius, quam præſumptio juris, quia hæc per juramentum eliditur. Cui tamen obſtat *cap. Ex litteris 4. de integr. reſtitut. & c. Cupientes.* 16. §. *Quod ſi per 20. dies, de Elect. in* 6. Nam quando fit publice denunciatio, ſeu proclama impedimenti, præſumptio juris eſt, quod quis illam ſciat; & tamen admittitur juramentum ejus, qui aſſerit, ſe illam ignoraſſe. Quare hoc cap. ultimum procedit, quando præſumptio illa orta ex publica denunciatione, ſeu proclamate eſt debilior ea, quæ oritur ex juramento, vel quando impedimentum non poteſt veriſimiliter probari, quam per juramentum: at vero textus in contrarium allegati habent locum, quando impedimentum potuit veriſimiliter probari per teſtes, vel alias legitimas probationes, juxta *Gl. in cit. c. Cupientes. §. Quod ſi per 20. dies, V. Fedem*, quia tunc non admittitur juramentum partis, ne recedatur a regula juris in *c. Licet. 47. de teſtib. Menoch. l. 1. de præſumpt.* 77. n. 10. & 11. *Barboſ. hic in Collect. num.* 7. Addit *Abb. in cit. c. ult. n. 9. h. t.* Judicem ſecundum qualitatem præſumptionis debere arbitrari, an juramentum ſit ſufficiens: nam præſumptio quandoque eſt ita levis, ut per juramentum excludatur: quandoque vero præſumptio eſt ita urgens, ac vehemens, ut juramentum proprium non ſufficiat ad eam excludendam.

Notandum 6. Differentia in hoc eſt inter accuſatorem, & teſtem, quod accuſator admittitur ad accuſandum matrimonium, etiamſi ejus auctor, a quo audivit impedimentum matrimonii, admitti non poſſit. Aliud eſt in teſte, hic enim repellitur a ferendo teſtimonio, ſi ejus auctor repellatur, *cit. c. Licet. 47. de teſtib.* Ratio diverſitatis eſt, quia accuſator fundat ſuam intentionem, non in nuda accuſatione, ſed in teſtibus, vel aliis probationibus; ideoque culpa auctoris ſui non debet ipſi nocere, qui non fuit in culpa. At vero teſtis, qui deponit de auditu, fidem teſtimonii ſui fundat, & collocat in perſona alterius, a qua audivit: quare ſi auctor repellatur, tanquam inhabilis ad teſtimonium, debet ſimiliter & teſtis repelli, *Abb. in cit. c. ult. n. 10. h. t. Henric. Caniſ. ibid. num.* 2.

§. III.

Proponuntur, & reſolvuntur nonnullæ quæſtiones occurrentes circa reliqua tria Capitula hujus Tituli.

IX. Quæritur 1. An & quando in cauſa matrimoniali, etiam lite non conteſtata, teſtes recipi poſſunt, & ſententia ferri, altera parte abſente? De hac re agitur in *c. Relatum* 1. *h. t.* „Nam cum quidam filiam ſuam cuidam civi Pariſienſi in uxorem dediſſet, poſt aliquot annos, quibuſcum eadem permanſit, propter homicidium commiſſum aufugit, timore mortis: poſtea vero dicebatur, poſſe probari, quod pater puellæ illum de ſacro fonte levavit: quare Epiſcopus loci curavit per literas eum quæri, ſed per quinquennium quæſitus non potuit inveniri.“ Itaque hac de re conſultus S. Pontifex Alexander III. reſpondet, „ſi manifeſtum ſit, ſeu notorium, quod aſſeritur (nempe quod inter eos ſit cognatio ſpiritualis) aut legitimi accuſatores, & teſtes appareant, & juvenis ille cum omni diligentia requiſitus non potuit inveniri, tunc poterunt teſtes recipi, & judicium Canonice terminari, ac decidi.“

X. Ubi notandum 1. Si agatur de ipſo fœdere, ſeu valore matrimonii, poſſunt ſuper impedimento matrimonii contra reum contumaciter abſentem teſtes recipi, etiam lite non conteſtata, dummodo alias ſint legitimi teſtes, & juxta eorum depoſitiones ſententia ferri debet; quia licet regulariter non poſſint recipi teſtes ſuper principali, lite non conteſtata, *c. Quoniam.* 5. *Ut lite non conteſtata &c.* in cauſa tamen matrimoniali, ut peccatum impediatur, & ne alteri conjugi, ſive viro, ſive mulieri fornicationis occaſio præbeatur, permittitur, imo debent ſuper impedimento matrimonii teſtes recipi contra reum, qui ſe malitioſe occultat, ſeu impedit, ne ad eum citatio perveniat, quamvis lis contra eum prius non ſit conteſtata, *Vivian. in Ration. hic*, de quo dictum ſupra *l. 2. Decret. Tit. 6. §. 1. n. 2. & ſeqq.*

Notandum 2. Si maritus ſua culpa ſit abſens, & diligenter quæſitus, convenienti tempore (nam quod hic dicitur de quinquennio, eſt tantum narratio facti, non terminus a jure requiſitus) non reperiatur, poteſt contra ipſum procedi ad definitivam ſententiam, qui in culpa fuit, non mittendo Procuratorem, & delictum ipſius dedit cauſam abſentiæ, ut in propoſito commiſſum homicidium: ſecus eſt, quando ex cauſa juſta, & non malitioſe, ſeu culpa ſua, maritus ſe abſentavit. In dubio vero præſumendum eſt, quod vir in fraudem uxoris ſe abſentavit, cum teneatur ei cohabitare, *Abb. hic n. 3. & 6.*

Notandum 3. Inter liberos ſuſcipientis, & ſuſceptum e Baptiſmo contrahitur ſpiritualis cognatio, non ſolum impediens, ſed etiam dirimens matrimonium contractum, *c. 2. de cognat. ſpirit. in* 6 ſed hodie per Concilium Tridentinum, *Seſſ. 24. c. 2. de reform. matr.* hæc cognatio ſpiritualis reſtricta eſt ad perſonas principales, neque amplius inter liberos baptizati, & ſuſcipientis e Baptiſmo contrahitur.

XI. Quæritur 2. An accuſatio, vel teſtimonium in cauſa matrimoniali fieri poſſit per litteras, ſeu ſcripturam, abſente accuſatore, vel teſtibus? Reſp. negative, prout ſumitur ex *c. A nobis. 2. h. t.* ubi Papa Clemens III. „conſultus, utrum aliqui ſuper accuſatione matrimonii, nihil voce propria depromentes, debeant per ſolam chartulam, ſeu ſcripturam admitti? Reſpondet, quod in talibus, niſi quantum ad præſumptionem, nullius momenti eſt conſcriptio (ſive accuſationis, ſive teſtimonii) quoad ſententiam proferendam; niſi alia legitima adminicula ſuffragentur.“ Ratio eſt, quia in cauſa matrimoniali Judex diligenter advertere debet, ne per alicujus calumniam, vel falſum teſtimonium, aliqui in matrimonio invalido in peccato conjuncti permaneant, & ne legitime conjuncti contra præceptum DEI ſeparentur, *c. Licet. 47. in fine de teſtib.* Et quia accuſatores facilius poſſent calumniari, ſi abſentes poſſent accuſare per ſcripturam, *c. ult. cauſ. 2. q. 8.* ubi dicitur, per ſcripta nullius accuſatio ſuſcipitur, ſed propria voce, præſente eo, quem accuſare deſiderat, *quia nullus abſens, aut accuſare poteſt, aut accuſari.* Idemque eſt de teſtibus, *c. Teſtes 15. cauſ. 3. q. 9. cum non ſit teſtimoniis, ſed teſtibus credendum*, *c. Tua nos. 8. de cohabit. Cleric. & mulier. Gl. hic V. Accuſatione.* Quare ad evitandam calumniam accuſatoris, & falſam depoſitionem teſtium, ſtatutum eſt, ut in cauſa matrimoniali perſonaliter, & proprie, ac viva voce debeat fieri accuſatio, & teſtes deponere, non autem per litteras in abſentia, *Abb. hic n. 3. & Vivian. in Ration.* Etſi vero ſcriptura ex talibus accuſationibus, vel teſtimoniis non ſufficit ad ferendam ſententiam, ſine aliis adminiculis, parit tamen aliquam præſumptionem, ut patet ex hoc cap.

XII. Porro plures alii DD. apud *Barboſ. in Collect. hic. n.* 2. exiſtimant, atteſtationes teſtium in ſcripta redactas, & Judici miſſas valere, & ſuſtineri, ſaltem ex privilegio, & longa conſuetudine; nam ut teſtatur *Gail. obſerv. libr. 1. obſ.* 102. *n. 13. & 14.* in Bohemia, Auſtria, & aliis locis ex ſpeciali

Digitized by Google

ciali privilegio, & longa obſervantia receptum eſt, ut illuſtres, & nobiles perſonæ non cogantur perſonaliter accedere Judicem, ad perhibendum teſtimonium, ſed ſatis eſt, quod per ſcripturam ſub fide ſua, abſque corporali juramento, deponant, & depoſitionem propria manu ſubſcriptam, & obſignatam Judicis examini tranſmittant, quia in illis perſonis ceſſat præſumptio fraudis, & ſubordinationis, aut perjurii, eorumque ſigilla, & propriæ manus ſubſcriptio ſunt loco juramenti.

XIII. Similiter etiam Confeſſio Sacramentalis non poteſt fieri in ſcriptis, ſive per litteras, aut per internuncium, Confeſſario abſenti, obtenta ab eodem abſolutione, ex declaratione Clementis VIII. quæ extat apud *Quarantam in Summa Bullarii*, *V. Confeſſio Sacramentalis*, ubi contraria opinio, tanquam falſa, temeraria, & ſcandaloſa damnata eſt; tum quia Sigillum confeſſionis periclitatur; tum quia confitentis erubeſcentia tollitur, ſi propria peccata confitentis ſcripta tradantur, vel mittantur Confeſſario, *Covarr. l. 2. var. reſol. c. 13. n. 16.* ubi addit, mutum, etſi ſciat ſcribere, non teneri ad confitendum propria peccata per ſcripturam; poteſt tamen facere, ſi ita ſibi viſum fuerit: tenetur autem mutus confiteri per ſigna, quibus ejus peccata percipiantur.

XIV. Quæritur 3. An puella innubilis, quæ invita contraxit matrimonium cum aliquo, ſed poſtea ſponte ab eodem fuit cognita, audiri debeat, ſi reclamet contra matrimonium? *Reſp.* negative, prout ſtatuitur in *c. Inſuper.* 4. *h. t.* „ Nam cum aliquis contraxiſſet matrimonium cum „ puella quadam infra nubilem ætatem conſtituta, quæ „ nubilis facta, & ſæpius ab eo carnaliter cognita, con„ tra matrimonium proclamavit, aſſerens ſe ab initio „ ſemper diſſenſiſſe: idque per teſtes probare intendit, „ fama, & converſatione præciſos. Conſultus Papa Cle„ mens III. reſcripſit, quod non debet audiri adverſus „ matrimonium. quia antequam cognoſceretur a viro, „ jam nubilis facta, ſeu legitimam ætatem attingens, „ cum potuit, non reclamavit: ſicut enim ante legiti„ mum conſenſum, qui in XII. anno ſpectatur (in mu„ liere) potuit diſſentire: ſic poſtquam adveniente legiti„ mo tempore, ſemel etiam in copulam carnalem con„ ſenſit, non potuit reclamare, quia ex ratihabitione ſe„ quenti ſibi ſuper hoc ſilentium indixit. „ Ratio deciſionis eſt: nam licet per vim, ſeu metum gravem illatum excludatur conſenſus; ubi autem non eſt conſenſus, non poteſt eſſe validum matrimonium: quia tamen per carnis copulam ſponte ſubſecutam ſublata eſt omnis violentia; ideo matrimonium per vim, ſeu metum ab initio contractum, incipit valere ex tunc, poſtquam puella nubilis facta in copulam libere conſenſit; ideoque de vi ſibi illata poſtea contra valorem matrimonii nihil opponere poteſt, & ita ratihabitio confirmat, ſive validum facit, quod ab initio non valebat, *Gl. fin. hic*, *& Vivian. in Ratim. hic.*

XV. Notandum 1. Matrimonium nullum, ob defectum ætatis, vel metum, convalidatur per intervenientem ſpontaneam cohabitationem, poſt ætatem legitimam, maxime ſi interceſſit copula carnalis; juxta *c. Ad id quod.* 21. *& c. Conſultationi.* 28. *de ſponſal.* de quo dictum ſupra *tit.* 2. *hoc libro. Abb. hic n.* 2. *& Alex. n.* 2. Requiritur autem, ut copula ſit ſponte affectu maritali habita: nam ſi copula fuiſſet metu gravi extorta, per eam non ratificaretur matrimonium metu initum, *Sanch. l.* 4. *de matr. diſ.* 18. *n.* 15. *&* 18. & dictum ſupra *Tit.* 2.

Notandum 2. Si mulier ducta in uxorem, ante ætatem legitimam, non vult ratificare matrimonium, debet ſtatim contradicere, adveniente ætate legitima, alias ſi cohabitat cum viro, non contradicendo, ratificatur matrimonium, maxime ſi copula carnalis intervenit: quin imo etiamſi non intervenit, ut probatur ex hoc cap. ubi dicitur, antequam puella cognita fuit, debet reclamare, cum attingit ætatem legitimam, & clarius probatur ex *c. unic. de deſponſ. impub. in* 6. *Alex. hic n.* 3.

Notandum 3. Teſtes requiſiti in cauſa matrimoniali debent eſſe omni exceptione majores, *c. Licet.* 47. *de teſtib.* id eſt, tales, qui repelli non poſſunt aliqua exceptione, juxta *Gl. in c.* 1. *V. Majores de conſang. & affin. Alex. de Nevo hic n.* 4.

§. IV.

Quis ſit Judex competens cauſarum matrimonialium?

Quoniam egimus de accuſationibus, & teſtibus, qui adhiberi poſſunt in cauſis matrimonialibus, pauca quædam etiam de Judice addenda hoc loco ſunt.

XVI. Aſſertio 1. Judex competens in cauſis matrimonialibus eſt Epiſcopus, *c. Accedentibus.* 12. *de exceſſ. Præl.* Ex juſta tamen cauſa etiam Prælatis inferioribus delegari poteſt cognitio cauſarum matrimonialium, *Covarr. in 4. Decret. p.* 2. *c.* 8. §. 12. *num.* 1. Item ex privilegio, vel conſuetudine legitime præſcripta poteſt competere aliis, quam Epiſcopis, cauſarum matrimonialium cognitio, ac definitio, *Covarr. cit. l.* Idque definitum eſt in Concilio Tridentino contra hujus temporis novatores, *Seſſ.* 24. *c.* 12. ubi dicitur: *Si quis dixerit, cauſas matrimoniales non ſpectare ad Judices Eccleſiaſticos, anathema ſit.* Ratio eſt: quia matrimonium, cum ſit Sacramentum novæ legis, eſt res ſpiritualis, non temporalis, ac profana, adeoque Judici Eccleſiaſtico, non ſæculari, ſeu profano ſubjecta, *Tanner. tom.* 4. *diſ.* 8. *q.* 4. *dub.* 9. *num.* 164. *& ſeq.*

XVII. Aſſertio 2. Judex ſæcularis non poteſt cauſam matrimonii cognoſcere, etiamſi non tractetur de valore matrimonii, ſed ſolum de ſeparatione quoad torum, & cohabitationem; & etiamſi conjugalis cauſa incidat in judicium hæreditariæ ſucceſſionis, *Covarr. c. l. n.* 3. In illis tamen cauſis, quæ ad dotem, hæreditates, & ſucceſſiones pertinent, etiam Judex ſæcularis eſt competens Judex. Item in quæſtionibus facti, ut ſi agatur de punitione adulterii, inceſtus, aliorumque criminum, quæ ſunt contra ſanctitatem matrimonii, Judex eſſe poteſt etiam ſæcularis, quia ejuſmodi delicta ſunt mixti fori, quæ proinde Judex, qui prævenerit, ſive Eccleſiaſticus, ſive ſæcularis punitas, quia hæc eſt quæſtio facti, non juris, nec oportet ad ea punienda prius cognoſcere de valore matrimonii, aut Canonum ſenſu, *Sanch. l.* 3. *de matr. diſ.* 54. *n.* 3. *&* 6. Itaque ſi quæſtio ſit, an matrimonium ſit de facto contractum, vel an ſit contractum in facie Eccleſiæ, vel clam, ut ita conſtet, an filius ſit legitimus ob bonam parentum fidem, de ea poteſt cognoſcere etiam Judex ſæcularis: niſi talis quæſtio facti reſolvatur in quæſtionem juris, ita ut controverſia ſit de ſenſu Canonis, ſeu legis Eccleſiaſticæ, quid ſit matrimonium clandeſtinum, *Tanner. c. l.*

XVIII. Illud hoc loco addendum, ut ex Bellarmino tradit *Tanner. c. l. n.* 166. triplices eſſe cauſas matrimoniales, quædam ſunt omnino politicæ, ſeu civiles, ut de dotibus, hæreditatibus, & ſucceſſionibus; & hæ ad ſæcularem Judicem, ſeu Magiſtratum ſpectant: quædam ſunt ſimpliciter ſpirituales, ut de partibus Sacramenti, de benedictione Sacerdotali; & hæ ad ſolam Eccleſiam, & Eccleſiaſticum Judicem pertinent: quædam ſunt partim civiles, ſeu ſæculares, partim ſpirituales, ut de gradibus cognationis, divortiis, & impedimentis; & hæ poſſunt quidem ad ſæcularem Magiſtratum pertinere, ſed cum ſubordinatione ad Eccleſiaſticum, ut definitum eſt in Concilio Tridentino *loc. ſupr. cit.*

TITULUS XIX.

DE DIVORTIIS.

I.

Viſum eſt in præcedentibus Titulis, qualiter matrimonia conjungantur, & accuſantur, nunc videndum eſt, qualiter diſſolvantur, ſeu ſeparantur. Fit autem divortium dupliciter. 1. Quoad vinculum ſubſtantiale matrimonii, quando ſcilicet ſeparatur matrimonium, propter perpetuum impedimentum dirimens inter contrahentes: quamvis tunc non diſſolvatur ipſum vinculum matrimonii quoad ſubſtantiam, quippe cum nullum fuerit inter prætenſos conjuges contractum, ſed quia per Judicem Eccleſiaſticum declaratur matrimonium inter eos fuiſſe nullum, & omnino ſeparantur ab invicem, ſive volentes, ſive nolentes. 2. Fit divortium quoad torum, & cohabitationem, ac mutua obſequia, ut propter adulterium alterius conjugis, ex conceſſione Chriſti *Matth. c.* 5. *&* 19. manente tamen vinculo conjugali inter eos, ita ut neutri liceat, nec viro, nec mulieri aliud matrimonium inire, vivente altero, ut infra magis declarabitur.

Porro in hoc Titulo agitur potiſſimum de divortio quoad torum, & cohabitationem, nam per mortem naturalem unius conjugis diſſolvitur matrimonium, etiam quoad vinculum, ita ut alter ſuperſtes ad aliud matrimonium tranſire poſſit, quia mors omnia ſolvit, imo ſi mortuus reſurget, non eſſet obligatus priore matrimonio, ad *Rom.* 7. niſi de novo cum ſuperſtite conjuge contraheret: tum quia obligatio ſemel extincta non reviviſcit: tum quia Sacramentum matrimonii non imprimit Characterem, qui eſt indelebilis, *Sylveſt. in Summa. V. Divortium. q.* 2. *num.* 5.

§. I.

An, & qua ratione licitum ſit conjugi inſtituere divortium ob alterius adulterium?

II. Aſſertio 1. Conjux innocens, ſive vir ſit, ſive mulier, poteſt dimittere e ſuo toro, & cohabitatione conjugem adulterum, vel adulteram, ut conſtat ex *c.* 5. *Mat. V.* 32. ubi dicit Chriſtus: *Omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari*: quia ſi alteri nubat, aut fornicetur, adultera erit, cum vinculum matrimonii remaneat: qui vero ob fornicationem uxorem dimittit, non facit eam mœchari, quia utitur jure ſuo, & ſi ipſa alteri nubat, aut fornicetur, culpa hujus peccati non poteſt imputari marito, *Menoch. ibid. V.* 32. Ratio eſt, quia cum adulterium per ſe, ac directe fidei conjugali repugnat, ex ipſa natura contractus matrimonii oritur, ut liceat innocenti diſcedere ab adultero, idque jure naturæ dictantis, quod frangenti fidem fides ſervanda non ſit, *Sanch. l.* 10. *de matrim. diſ.* 3. *n.* 4. Neque vero dubium eſt, conjuges in hoc jure divortii inſtituendi ob adulterium alterius, eſſe æquales, ac proinde ſicut vir innocens poteſt diſcedere ab adultera: ita e contra uxor a viro adultero, ut conſtat ex 1. *ad Corinth.* 7. *Iis, qui matrimonio juncti ſunt, præci-*

præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere: quod ſi uxor diſceſſerit (ita dimittendo virum, ob ejus fornicationem) *manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari*. Ratio eſt, quia ex violatione fidei conjugalis oritur jus divortii, ad quam conjuges æquali jure obligantur: licet alias gravius peccatum ſit adulterium uxoris, quippe quod majorem matrimonio injuriam irrogat, quia ſatis eſt quod in utroque delicto ſufficiens cauſa infligendæ pœnæ reperiatur, ſicut omnia homicidia pœna capitis plectuntur, *Sanch. c. l. n. 6.*

III. Porro quod dictum eſt, licitum eſſe viro, vel uxori inſtituere divortium quoad torum, & cohabitationem, ob adulterium alterius conjugis, ſtatuitur etiam inprimis in *c. Significaſti. 4. h. t.* „ Nam cum quidam uxorem „ ſuam ſine judicio Eccleſiæ dimiſiſſet, quia ei dictum „ fuit, ipſam inceſtum cum quodam conſanguineo ſuo com„ miſiſſe, ideoque ta excommunicatus fuiſſet: mulier vero „ illa, ſobole ex alio viro ſuſcepta, nihilominus poſtularet „ viro ſuo reſtitui, eo quod ab ipſo injuſte dimiſſa fuiſſet, „ & ipſe ei materiam, ſeu occaſionem adulterandi dediſ„ ſet. Conſultus ſuper hoc Papa Alexander III. reſpon„ det, quod ſi notorium ſit, mulierem illam adulterium „ commiſiſſe, ad eam recipiendam prædictum virum cogi „ non debere: niſi conſtaret, ipſum cum alia adulterium „ commiſiſſe.

IV. Notandum 1. Maritus poteſt per Eccleſiam excommunicari, ſi ſine juſta cauſa dimittat uxorem, nec creditur ipſi aſſerenti, uxorem fuiſſe adulteram, *Abb. hic n. 2.* neque poteſt, propria auctoritate, expellere uxorem propter adulterium, ſine judicio Eccleſiæ, *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 7. §. 5. n. 8.*

Notandum 2. Neque tamen uxor, etſi ſine juſta cauſa dimiſſa a marito, excuſatur ab adulterio, quod ſic relicta commiſit, quia non debuit, prætextu paupertatis, tantum ſcelus patrare, *Abb. hic n. 3. Alex. de Nevo n. 4. not. 4.*

Notandum 3. Adulterium uxoris eſſe notorium poteſt probari, vel per confeſſionem ipſius, vel quia peperit filium, poſtquam receſſit a marito XI. menſe: tunc enim dicitur notorie commiſiſſe adulterium, quia præſumitur natus ex adulterio, *Alex. de Nevo hic n. 4. not. 3.*

Notandum 4. conjugi petenti reſtitutionem obſtat exceptio notorii adulterii, quia hoc non diſſolvit matrimonium quoad vinculum, ſed conjuges ſolum debent ſeparari quoad torum, & cohabitationem, propter adulterium alterius. Sive autem agatur judicio petitorio, ſive poſſeſſorio, juſte denegatur reſtitutio conjugi, ſi adulterium ſit notorium, ita ut negari non poſſit, nempe quia ſuperſunt unus, vel plures filii nati ex adulterio, & hoc dicitur notorium adulterium facti permanentis, *Alex. de Nevo hic n. 5.*

Notandum 5. Si uterque conjux adulterium commiſit, neuter poteſt contre alterum excipere de adulterio, quia tunc fit mutua delictorum compenſatio, ut conſtat ex hoc c. in fine, *Sanch. l. 10. diſ. 5. n. 2.* de quo plura infra *lib. 5. Tit. 16. ſec. 1. §. 6.*

Notandum 6. Si uxor ſine cauſa expulſa a viro petat eum ſibi reſtitui, ſed vir excipiat contra illam de notorio uxoris adulterio, non debet ei reſtitui: & e contra, ſi uxor, quæ ſine juſta cauſa a ſuo marito aufugit, contra virum petentem illam ſibi reſtitui excipiat de notorio viri adulterio, non debet etiam fieri reſtitutio, prout ſumitur ex hoc cap. *Farin. in praxi crim. p. 5. q. 143. n. 53.* & alii communiter.

V. Aſſertio 2. Non tantum ob adulterium jus divortii competit conjugi innocenti, ſed etiam propter quemlibet alium illicitum concubitum conſummatum alterius conjugis, cum emiſſione ſcilicet ſeminis cum alia perſona, qualis etiam eſt ſodomia, ſeu activa, ſeu paſſiva & beſtialitas completa, non item incompleta, ſine ſeminis effuſione: neque peccatum mollitiei, aut pollutio etiam cum alia tertia perſona perpetrata, ſine copula, multo minus amplexus, & tactus impudici, etiam animo adulterandi habiti ad divortium ſufficiunt, *Sanch. l. 10. de matrim. diſ. 4. n. 3. & ſeqq.* & alii communiter. Ratio eſt, quia juſtum divortium oritur ex eo, quod conjux carnem ſuam in aliam carnem dividat, contra fidem matrimonialem explicatam *Gen. 2. Erunt duo in carne una*: & ſic gravis injuria infertur matrimonio: talis autem diviſio carnis fit per fornicationem, ſodomiam, & beſtialitatem completam, quia vere caro conjugis dividitur in aliam, nempe in carnem beſtiæ, cui copulatur, nihil enim refert, an miſceatur cum carne ejuſdem, aut diverſæ naturæ, *Sanch. c. l. n. 14.* Non autem fit divortium propter peccatum mollitiei, ſive viri, ſive uxoris, quia non dividitur caro conjugis in aliam per concubitum, & ſic non integre, & conſummate læditur matrimonium, quæ diviſio eſt radix divortii, *Sanch. c. l. n. 9. & 10.* & alii communiter.

Et hinc ulterius infertur, ſodomiam viri completam cum propria uxore, etiam in vita, non præbere juſtam perpetui divortii cauſam, niſi ad tempus, dum vir a ſcelere illo deſiſtere renuit, quia vir per talem copulam non dividit carnem ſuam in aliam, *Sanch. c. l. n. 8.* Quamvis alii probabiliter putent, eo caſu locum habere divortium, eo quod ſit gravis abuſus dominii corporis ſibi conceſſi, & talis actus etiam circa propriam uxorem graviter repugnat fidei conjugali.

VI. Aſſertio 3. Matrimonium ſeparatum quoad torum, & cohabitationem propter adulterium mulieris, redintegratur, ſi vir poſtea etiam fornicetur, ſive adulterium committat, ita ut ad priorem uxorem redire debeat, eique cohabitare, prout ſtatuitur in *c. Ex litteris. 5. h. t.* ubi talis caſus proponitur: „ Quidam V. nomine duxit quandam „ in uxorem, ſed non multo poſt orta inter eos diſcordia, „ dixit, quod illam per violentiam, ac metum ſibi illatum duxiſſet: tandem convenit eandem ſuper crimine „ fornicationis, eaque publice confeſſa eſt, quod cum vir „ ei negaret de neceſſariis providere, ſe id crimen com„ pulſam fuiſſe incurrere. Cumque Epiſcopus eam admo„ neret, ne tam turpe facinus contra ſe proponeret, ipſa „ illud manifeſtius aſſerebat. Quare Epiſcopus, cum con„ ſilio Capituli ſui, utrique conjugi privatim injunxit, ut „ continentiam obſervarent, eoſque ab invicem ſegregavit. „ Sed cum dictus V. cum alia furtim, ac temere ſponſa„ lia, & nuptias celebraſſet, & Epiſcopo inquirenti rei „ ſeriem explicaſſet, ipſe V. ad Pontificem appellavit. Qui „ mandavit Epiſcopo, ut ſi res ita proceſſit, prædictum vi„ rum ad legitimam uxorem redire compellat. Ratio deciſionis eſt, quia paria delicta mutua compenſatione tolluntur, *c. pen. de adult. Gl. hic in notat.* quod autem hic dicitur de uxore, intelligi etiam debet de marito, *c. Præcept. 19. cauſ. 32. q. 5.* ubi dicitur, neque enim adultera uxor dimittenda eſt, & vir mœchus retinendus.

VII. Ubi præterea notandum 1. ſtatur confeſſioni alterius conjugum, quando agitur ad ſeparationem tori, ut patet ex hoc c. non autem ſi agatur ad ſeparationem vinculi matrimonialis; tunc enim non tenet confeſſio contra matrimonium, *c. Super eo. 5. de eo, qui duxit conſang. uxor. &c.* Ratio diverſitatis eſt, quia priore caſu agitur de ſolo præjudicio confitentis, non poſteriore, *Abb. hic n. 2. & Alex. de Nevo n. 2.* Nec obſtat illa regula Juris communiter recepta apud Clarum in *pract. crimin §. fin. q. 55. n. 10.* quod ſi non conſtet aliter de crimine, quam per confeſſionem ipſius Rei, non debet is ex ſola confeſſione ſua condemnari. Nam quando delictum confeſſum non eſt permanens, ſed factum tranſiens, ut adulterium, furtum &c. tunc poteſt reus ex eo condemnari, ſi cum confeſſione unius concurrat querela alterius partis, ut in propoſito *Clarus c. l. num. 11.* Cum igitur in caſu hujus cap. maritus prius uxorem convenerit de adulterio, & poſtea eadem illud fuerit confeſſa, potuit Judex ex illius confeſſione ad ſeparationem tori procedare, *Barboſ. in Collect. hic n. 2.*

Notandum 2. Maritus poteſt accuſare uxorem de adulterio, licet tempore commiſſi adulterii renuerit ipſi providere de neceſſariis; non enim propterea excuſatur mulier, ſed debuiſſet agere contra virum, & ab eo petere alimenta, *Abb. hic n. 4. & Alex. de Nevo n. 5.*

Notandum 3. Propter crimen adulterii non ſeparatur matrimonium quoad vinculum, ſed ſolum quoad torum, & mutuam cohabitationem, ut patet ex hoc *c. Abb. hic num. 5.*

Notandum 4. Uxor ab adulterii pœna non excuſatur, propter ſævitiam mariti, nec propter famis neceſſitatem, nec propter paupertatem; debebat enim potius omne malum pati, quam adulterium patrare, *Clarus §. Adulterium. n. 75. & 2. ſeqq. Farin. in prax. crim. q. 141. n. 60.*

Notandum 5. Si poſt factam ſeparationem quoad torum, propter adulterium mulieris, vir fornicetur cum alia muliere, debet matrimonium redintegrari, mulierque virum ſibi reſtitui petere poteſt, *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 7. §. 6. n. 5. Sanch. l. 10. de matr. diſ. 9. n. 30.* Ubi ait, in hoc caſu nullam competere conjugi adultero actionem ad repetendum innocentem, qui poſt ſententiam divortii in ſui favorem latam adulteratus fuit; poſſe tamen Judicem ex officio ſuo conjuges illos ad evitandum fornicationis periculum reconciliare, & ad ſimul cohabitandum cogere.

§. II.

An & in quibus caſibus non liceat divortium inſtituere propter conjugis adulterium.

VIII. Aſſertio 1. Septem communiter numerantur a Doctoribus, qui tamen ad tria capita revocari poſſunt. Primum eſt, quia uterque conjux eſt ejuſdem criminis particeps, ſive reus adulterii: tunc enim neutri conjugi permiſſum eſt divortium celebrare. Secundum eſt, ſi adulterium culpa vacet, quia non eſt formaliter injurioſum alteri conjugi. Tertium, ſi conjux innocens injuriam adulterii expreſſe, vel tacite remittat, *Sanch. l. 10. de matr. diſ. 5. n. 4.* Primum conſtat ex *c. Significaſti. 4. h. t. c. Intelleximus. 7. & c. ult. de adulter.* ubi ratio redditur, quia paria crimina mutua compenſatione delentur. Nec refert, quod unus prius altero adulterium commiſit, vel unus ſæpius, quam alter, *Sanch. lib. 10. de matr. diſ. 6. numer. 1. 6. & 8.* ubi rationem dat, quia cum uterque fidem fregerit, delicta cenſentur paria; nam jure magis habent rationem fractionis fidei conjugalis, quam numeri. Et quamvis etiam unius conjugis adulterium ſit occultum, ſolique Deo cognitum, alterius vero publicum; nequit tamen adulter occultus divortium petere, ſed adhuc in foro conſcientiæ compenſare tenetur adulteria, quia in hoc foro non requiritur probatio per teſtes, ſed ſola veritatis cognitio: in foro tamen externo, ſeu contentioſo adulter publicus contra occultum non compenſatur, & cauſa cadit propter defectum probationis, *Sanch. c. l. n. 9.* Nec obſtat, quod adulterium mulieris ſit gravius, quam viri adulterium; adeoque non videatur compenſari

penſari poſſe cum illo, ad quod requiritur, ut delicta ſint paria: nam ſatis eſt, quod per utriuſque adulterium vere violetur fides conjugalis, adeoque quod ſint paria hæc delicta quoad violationem fidei conjugalis, etiamſi ex aliis capitibus, & circumſtantiis unum ſit gravius altero, quia jura hac in parte tantum conſiderant violationem fidei conjugalis, & divortium conceditur ſoli innocenti. Neque vero gravitas fornicationis, quoad divortium, conſideranda eſt in ſe, cum odium Dei, & blaſphemia longe graviora peccata ſint adulterio, & tamen ad divortium non ſufficiunt: ſed attendendum eſt, an magis repugnet fidei matrimonii, illudque lædat, *Sanch. cit. diſ. 6. n. 5. & diſ. 4. n. 3.*

IX. Aſſertio 2. Quando adulterium vacat culpa, quia non eſt formaliter injurioſum alteri conjugi, non poteſt ob illud divortium fieri, *Coning. diſ. 35. de divort. n.* 8. Ratio eſt, quia jus divortii competit propter ſolam injurioſam fidei conjugalis violationem; non enim conjuges ſe cenſentur obligaſſe, ut diutius alteri parti cohabitent, quam hæc fidem, & torum immaculatum ſervet, *Coning. cit. diſ. concl.* 2. n. 1. Veluti 1. Si uxor probabiliter credens virum deceſſiſſe, alii nubat, vel viciſſim vir bona fide credens uxorem deceſſiſſe, aliam ducat; tunc enim conjux ſuperſtes non poteſt divortium inſtituere propter illud adulterium, *c. 1. cauſ. 34. q.* 2. Ratio eſt, quia tunc non eſt adulterium formaliter, culpaque vacat: niſi talis conjux, qui ad ſecundas nuptias tranſivit, de vita prioris conjugis certior factus, in ſecundo matrimonio perſiſtens debitum petat, & reddat, quia tunc jam vere reus eſt adulterii, adeoque locus eſt divortio, *Sanch. cit. libr. 10. diſ. 5. n.* 11. ubi *n.* 12. addit, ſi conjux probabiliter putans, alterum conjugem eſſe mortuum, fornicetur, non poteſt ratione illius fornicationis divortium petere, quia fornicatio illa ob probabilem ignorantiam prioris matrimonii caret culpa adulterii, nec tale eſt formaliter, ideoque illius pœna plecti non debet.

X. 2. Si uxor fuit violenter cognita, animo non conſentiente, juxta *c. Propoſito 4. cauſ. 32. q.* 5. non poteſt peti divortium, quia non eſt formaliter adulterium, cum culpa vacet, *Sanch. cit. diſ. 5. n.* 13. ubi *n.* 14. addit, idem dicendum, etiamſi cauſam violentiæ mulier dediſſet, quia vim docenti, ut fugiat, ne vi hoſtium opprimeretur, non paruit; nam nihilominus non poteſt accuſari de illo adulterio, ad inſtituendum divortium, vel ad aliam pœnam, quia in *l. Vim paſſam 39. in princ. ff. Ad leg. Jul. de adult.* indiſtincte deciditur, non eſſe mulieri vim paſſæ adulterium imputandum: neque etiam *rea eſt* ullius criminis, quæ coacta fuit, nec prohibere potuit, *l. Nullum* 109. *ff. de R. J.* Secus eſt, ſi alteruter conjux gravi metu coactus in adulterium conſenſit, tunc enim ſecundum communiorem ſententiam apud *Sanch. cit. diſ. 5. n. 16.* poteſt divortium inſtitui: quamvis mulier non poſſit hoc caſu criminaliter accuſari a viro, Ratio eſt, quia eſt vere, ac formaliter adulterium, cum metus etiam gravis non excuſat a peccato mortali, & tenetur conjux potius mori, quam fidem conjugalem violare, conſentiendo in fornicationem; ideoque vere infertur injuria conjugi innocenti: quamvis *Coning. cit. diſ. 35. n. 9.* putet fore contra charitatem temere facere divortium, niſi graves cauſæ ad id urgerent.

XI. Non poteſt divortium inſtitui, ſi vir uxorem proſtituat, adeoque in adulterium uxoris conſentiat expreſſe, vel tacite permittendo illud, cum facile poſſet prohibere, *c. Diſcretionem 6. de eo qui cognovit conſang. &c.* & ratio eſt, quia ſcienti, & volenti non fit injuria: nam qui ſcit delictum inferioris, & non prohibet, cum poſſit, cenſetur conſentire, & ideo talis vir tanquam leno punitur, *l. 2. C. ad leg. Jul. de adult.* Contra vero taciturnitas uxoris, quæ ſciens delictum viri, illud non prohibet, non reputatur pro conſenſu, tum quia communiter fœminæ non audent reprehendere viros: tum quia cum uxor ſit inferior, non eſt illius delicta viri prohibere, *Sanch. cit. diſ. 5. n.* 5. Id vero extenditur, ut non ſolum, ſi uxor invita, & reſiſtens proſtituta ſit a viro, ſed etiam ſi volens committat adulterium, non poſſit ob id a viro dimitti per divortium, ut aperte probatur ex *cit. c. Diſcretionem*. ibi: *Cum adulterium ei non poſſit objicere, qui eam adulterandam tradidit, præſertim invitam*: quia ſcilicet idem dicendum eſt, ſi uxor volens ſit proſtituta a viro; id enim denotat dictio *præſertim*, quæ eſt implicativa, & ratio eſt: tum quia vir proſtituendo uxorem eodem crimine implicatur, & perinde eſt, ac ſi ipſe adulterium commiſiſſet: tum quia injuria illata viro ob adulterium uxoris eſt cauſa & fundamentum divortii, quæ ceſſat, ſi ipſe conſentiat in adulterium, nam ſcienti, & volenti non fit injuria, juxta *Reg. Jur. 27. in 6. Sanch. cit. diſ. 5. n. 4.* & plures alii apud ipſum.

XII. Porro ſi vir juſtam cauſam habeat permittendi delictum, ut quia uxorem ſuſpectam habens de adulterio non prohibet, ut deprehenſam dimittat, non cenſetur in id conſentire, etſi indirecte occaſionem adulterii ei præbeat, adeoque etiam poteſt vir ab ea per divortium ſeparari, *Sanch. cit. diſ. 5. n. 6. Coning. cit. diſ.* 35. *n.* 8. ut conſtat ex *c. Significaſti.* 4. *h.* t. ubi vir non cogitur uxorem adulteram recipere, etſi ipſa allegavit, excepit, quod vir in cauſa fuerit, ipſam injuſte expellendo, ubi *Gl. V. Materiam*, rationem dat, quia mulier nulla ratione ad adulterandum induci debet, *c. 1. cauſ. 32. q. 5.* Et in *c. Ex litteris. 5. h. t.* non auditur uxor allegans, ſe adulterium patraſſe, eo quod vir ei neceſſaria alimenta denegavit, quia ut ait *Gl. ibid. V. Compulſa.* non eſt ignoſcendum ei, quæ prætextu paupertatis turpiter degit, *l. Palam. 43. §. Non eſt. ff. de ritu nupt.* ſi tamen vir ea intentione uxorem expelleret, vel ei alimenta denegaret, ut ob neceſſitatem urgentem adulterium perpetraret, tunc perinde eſſet ac ſi in adulterium conſentiret, *Sanch. c. l. n. 6. in fine.*

XIII. Quarto. Si conjux, ſive vir, ſive mulier, accedentem ad ſe adulterum, bona fide, & ex invincibili ignorantia putavit eſſe ſuum conjugem, & ab ipſo fuit cognita ſicut accidit Jacob cum Lia, *Gen.* 29. tunc enim ſicut talis concubitus conjugis, ob bonam fidem, excuſatur a culpa adulterii, ita etiam pœnam divortii non incurrit, *c. In lectum 6. cauſ. 34. q.* 2. Sufficit autem ad probandam fidem conjugis juramentum illius, ſpectata ejus honeſtate, & aliis probabilibus conjecturis, *Sanch. cit. diſ. 5. num.* 17.

Quinto. Si inter gentiles, tempore infidelitatis matrimonio inito, poſt libellum repudii datum, quo ipſi putant vinculum matrimonii diſſolvi, unus conjugum, ſive repudiatus, ſive etiam repudians, ad aliud matrimonium tranſeat; tunc non poterit conjux repudians conjugi repudiato objicere adulterium, quod commiſit, conſummando matrimonium ſecundum, ut ab illo per divortium ſeparetur, ut conſtat ex *c. Gaudemus* 8. *h. t. Sanch. c. l. n.* 18. de quo infra.

XIV. Aſſertio 3. Si a conjuge innocente expreſſe, vel tacite remiſſa ſit injuria adulterii alteri, non poteſt is amplius inſtituere divortium, *Sanch. cit. diſ. 5. n.* 19. & alii. Ratio eſt, quia cum divortium ſit conceſſum in favorem conjugis innocentis, poteſt hic cedere juri ſuo, & favori pro ſe introducto renunciare, ac delictum condonare. Hæc autem remiſſio, ſeu condonatio eſt duplex, quædam expreſſa, quæ fit verbis expreſſis, vel per alia ſigna, per quæ conjux innocens adultero reconciliatur, condonando ei delictum. Alia eſt remiſſio tacita, quæ fit re, & facto, ut ſi conjux innocens, conſcius adulterii alterius, ſponte, & omnino libere copulam carnalem habeat cum conjuge adultero, ſive ante, ſive poſt divortium celebratum; tunc enim cenſetur condonare adulterium, & reconciliari conjugi adultero, ita ut jus divortii perdat, & adulterium, nec ad judicium criminale, nec ad civile deferre poſſit, *Sanch. l. 10. diſ. 14. n.* 6. Ratio eſt, quia per copulam conjugalem poſt habitam ſponte, & ſcienter cum conjuge adultero, caro, adulterio diviſa in aliam, iterum efficitur una caro cum carne innocentis conjugis; ideoque cenſetur abolire prioris adulterii injuriam, *Sanch. c. l.* Secus eſt, ſi conjux innocens ignarus ſit adulterii, aut tantum ſuſpicionem habeat de eo, vel non omnino voluntarie, ſed redimendæ vexationis gratia copula habeatur, ut ſi uxor innocens metu mariti adulteri ad id compellatur, vel præcepto Judicis, antequam poſſit adulterium probare, cogatur ad concubitum cum conjuge adultero; tunc enim copula habita nihil præjudicet juri divortii, *Sanch. cit. 14. n. 15. Coning. cit. diſ.* 35. n. 11.

Ex quo patet, quod duæ conditiones requirantur, ut per copulam habitam, poſt adulterium, cum conjuge adultero, illud cenſeatur condonatum, adeoque jus divortii, & accuſationis extinctum. Prior eſt, ut alter conjux innocens ſit conſcius adulterii, quia nulla eſt remiſſio injuriæ, quando hæc ignoratur eſſe illata. Poſterior eſt, ut copula conjugalis ſit libera, & ſponte habita, quia debet eſſe habita liberali voluntate conjugis innocentis; in neceſſitate enim nemo præſumitur liberalis, *Sanch. cit. diſ. 14. n. 9. & 13.*

XV. Præterea ſi adulterium ſit publicum, & notorium, & conjux innocens ſponte, ac ſcienter in conſortio maritali retineat adulteram, nec ab ea ſe ſeparet, cum facile poſſet, aut domi retentam familiariter tractet, cum ea ludendo, comedendo, & multo magis ſi oſcula, tactus, & amplexus ſcienter, & ſponte interveniant, præſumitur condonatum adulterium, quia hæc ſunt manifeſta ſigna amicitiæ, & reconciliationis conjugalis, adeoque etiam condonationis adulterii, & conſequenter conjux ſic condonans perdit jus divortii, & accuſandi adulterium, *Sanch. cit. diſ. 14. n. 17. & 2. ſeqq.*

Illud hic addendum, ſi in his caſibus conjux innocens reipſa non habeat animum, ſeu voluntatem remittendi injuriam adulterii, in foro conſcientiæ præſumptio cedet veritati, & ſic revera non erit condonatio adulterii facta, ſed poterit divortium inſtitui, non obſtantibus hujuſmodi præſumptis actibus condonationis: quamvis in foro externo judicabitur vera condonatio, in quo animus geſtus contrarius latebat, & ſic non audietur volens inſtituere divortium propter præſumptionem condonationis factæ, *Sanch. cit. diſ. 14. n.* 21.

XVI. Ubi præterea notandum 1. Quamdiu conjux innocens non eſt moraliter certus de adulterio alterius, non poteſt eum dimittere, & adulter poteſt exigere debitum, & nolentem ad hoc per Judicem compellere, *Coning. diſ. 35. de divort. dub.* 1. *n.* 4. Ratio eſt, quia antequam moraliter certo conſtet de adulterio, ſaltem per violentam præſumptionem, alter conjux non poteſt privari ſua poſſeſſione, cum melior ſit in dubio conditio poſſidentis; ideoque non poteſt pœna hæc infligi ab homine, donec ſaltem moraliter certo conſtet de adulterio perpetrato: cum ergo adulter non ſit, ipſo facto, privatus jure petendi debitum, per adulterium, antequam privetur per conjugem, licite utetur matrimonio, & libere non minus, quam ſi crimen non commiſiſſet. Quod ſi tamen conjugi adultero conſtaret, alterum certo ſcire, ipſum adulterium

commiſiſſe, injuſte faceret, ſi conjux adulter ipſum recuſantem cogere vellet ad reddendum debitum, etiamſi id probare non poſſet, *Coning. c. l.*

Notandum 2. Quamprimum conjux innocens certitudinem acquiſivit, ſaltem moralem adulterii commiſſi ab altero conjuge, habet jus ſe ab illo ſeparandi, quoad torum quidem, etiam propria auctoritate: quoad cohabitationem vero ſolum per ſententiam Judicis, niſi adulterium ſit ita publicum, & notorium, ut nulla tergiverſatione celari poſſit, *Sanch. l.* 10. *diſ.* 12. *n.* 25. Et quidem quod habita notitia adulterii, propria auctoritate, quoad torum, divortium fieri poſſit, probatur, quia innocens conjux hoc jus divortii acquirit, non per Judicis ſententiam, ſed ex ipſa natura contractus matrimonii; ergo cum jus naturale, imo & Divinum permittat, hoc caſu, divortium conjugi innocenti; & hoc plerumque quoad torum, & debiti negationem fieri poſſit, ſine publico ſcandalo, propria auctoritate licebit id facere, ſine ſententia Judicis. Idem etiam quoad habitationem probatur, quia quando adulterium eſt occultum, quamdiu hoc probari non poteſt in foro externo, conjux adulter eſt in pacifica poſſeſſione juris conjugalis, ergo non poſſet conjux innocens, propria auctoritate, ſeparare ſe ab adultero occulto, quoad habitationem, ſine gravi ſcandalo, cum talis ſeparatio in publicam notitiam venire ſoleat, ſed ad hoc requiritur ſententia Judicis, per quam, probato legitime adulterio, divortium inſtituendum eſſe declaretur: quæ ratio ſcandali ceſſat, ſi adulterium publice ſit notum, ut celari non poſſit, ac proinde tali caſu, propria auctoritate conjugis innocentis, fieri poteſt divortium, nec conjux ſpoliatus petens reſtitui audietur. Unde ſi maritus certus de adulterio uxoris, quod tamen in foro externo probare nequit, poſſit ab uxore adultera, ſine ſcandalo, diſcedere, prætextu v. g. peregrinationis diuturnæ, ſed ſine revertendi propoſito, licite id faciet, quia ceſſat tunc ſcandalum, quod eſt tota ratio, ob quam prohibitum eſt divortium propter adulterium occultum, *Sanch. cit. diſ.* 12. *n.* 32.

§. III.

An, & qua ratione conjuges propter adulterium ſeparati, ſi poſtea reconciliati, unus vel uterque relabatur in adulterium, poſſint denuo divortium inſtituere?

XVII. Reſpondetur ſi poſt unius, vel alterius conjugis adulterium, ſint reconciliati, & poſtea alteruter conjux in adulterium relabatur, poteſt alter divortium inſtituere, quia cum per reconciliationem jus matrimonii ſit reſtitutum, ac ſi nullum adulterium præceſſiſſet, hinc conjux relapſus in adulterium poteſt denuo de eo accuſari, & ratione illius denuo divortium inſtitui, quia præcedens venia non extenditur ad futura delicta, ſed ſola præterita reſpicit, nec æquum eſt, ut reconciliatio facta futuri criminis impunitatem præſtet, *Sanch. l.* 10. *diſ.* 5. *num.* 20.

XVIII. Sed jam hic dubitatur 1. Si poſt utriuſque conjugis fornicationem, reconciliatio mutuo conſenſu non ſit facta, ſed unus quidem emendatus ſit, alter vero in fornicatione perſiſtat, an tunc conjux emendatus poſſit divortium inſtituere? Reſp. affirmative, ſi tamen conjux emendatus de emendatione pariter facienda alterum conjugem admonuerit, atque adhuc fornicari pergat, *Sanch. l.* 10. *diſ.* 7. *n.* 4. *Coning. cit. diſ.* 35. *dub.* 2. *n.* 17. *concl.* 6. & alii. Ratio eſt, quia admonitio illa, per quam offertur reconciliatio alteri, habet vim reconciliationis, & ideo quatenus in favorem admonenti cedit, cenſetur facta reconciliatio, hoc ipſo, quod oblata ſit, ſed non acceptata, cum tamen debuiſſet, ac proinde prius commiſſum adulterium conjugi emendato obeſſe non debet, quominus petere poſſit divortium; non autem cenſetur facta reconciliatio in favorem eam recuſantis; ideoque hic jus divortii non habet, ſi reconciliationem acceptavit.

XIX. Dubitatur 2. Si poſtquam ſententia divortii eſt lata, ob adulterium alterius conjugis, innocens quoque in adulterium labatur, an hoc caſu conjux adulter jus habeat repetendi innocentem? Reſp. valde probabile eſt, conjugem adulterum nullum jus habere repetendi innocentem; qui poſt ſententiam divortii adulteratus eſt: adeoque ea delicta non compenſantur, quamvis Judex ex officio ſuo eos reconciliare poſſit, & ad hoc cogere, ob vitandum probabile periculum incontinentiæ, *Sanch. l.* 10. *diſ.* 9. *num.* 30. & alii. Ratio eſt, quia per ſententiam divortii liberatur conjux innocens ab obligatione conjugalis conſortii; nam per illam diſſolvitur contractus matrimonii quoad jus tori, & cohabitationis, manente vinculo: quare conjux innocens, ſi poſtea fornicetur, reus erit adulterii coram Deo, quia vinculum matrimonii perſeverat, non tamen injuriam ullam infert conjugi dimiſſo, quippe qui privatus eſt omni jure in illius corpus, & conſequenter nullam etiam actionem habet ad repetendum conjugem fornicantem poſt ſententiam divortii, cum injuria ceſſarit, quæ fundamentum eſt compenſationis delictorum, & actionis ad repetendum. Nec obſtat *c. Ex litteris* 5. *h. t.* ubi vir, qui poſt divortium aliam duxit in uxorem, jubetur ad priorem uxorem redire: quia ibi ſententia divortii non erat judicialiter lata, ut patet ex eo, quia privatim illis fuit injunctum, ut ab invicem ſeparati continentiam ſervent, *Laym. lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 14.

XX. Dubitatur 3. An conjux conſcius adulterii alterius conjugis in conſcientia obligetur ſe ab illo ſeparare, illumque dimittere, & an facto divortio, poſſit, aut debeat revocare, & recipere alterum conjugem? Reſp. 1. Communiter, & per ſe non tenetur innocens conjux dimittere adulterum, etiam perſiſtentem in adulterio publico, *Sanch. l.* 10. *diſ.* 13. *n.* 6. *Coning. cit. diſ.* 35. *dub.* 3. *n.* 29. Idque conſtat ex *c.* 5. & 19. *Matth.* ubi Chriſtus permiſit divortium tanquam licitum, ratione fornicationis, ſeu adulterii, ſed non id præcepit: & ratio eſt, quia divortium eſt inductum in favorem conjugis innocentis, & in odium adulteri, ob injuriam illatam innocenti; ergo hic poteſt illi velut proprio renunciare, neque debet, quod pro favore conjugis innocentis ſtatutum eſt, in ejus incommodum retorqueri; durum enim accidere poſſet conjugi, ſi cogeretur cœlebs vivere, & ſolus familiam regere, & adminiſtrare. Idque confirmatur 1. quia divortium eſt pœna adulterii, quam vir innocens ſubire non tenetur. Confirmatur 2. quia vir non tenetur divortium inſtituere, ac dimittere uxorem adulteram, ratione præcepti correctionis fraternæ, cui vir aliter ſatisfacere poteſt uxorem monendo, & moderate puniendo, ſi ſe emendare velit: neque etiam præcepta charitatis, quale eſt hoc cum tanto detrimento viri obligant, quia moraliter loquendo, ſi expellat adulteram, ſtimulis carnis agitabitur, ac deſtituetur obſequiis uxoris, ut cuſtodia, domus educatione liberorum, & miniſteriis domeſticis. Veruntamen per accidens in caſu aliquo raro, ratione publici ſcandali vitandi, ne videatur patrocinari adulterio uxoris, obligari poſſet ad recipiendam uxorem adulteram, ſi emendata ſit, de quo videri poteſt *Sanch. cit. diſ.* 13. *n.* 8. & 10. ubi fuſe hanc rem perſequitur.

XXI. Reſp. 2. Facto divortio etiam per ſententiam Judicis, poteſt conjux innocens revocare conjugem adulterum dimiſſum, & cogere ad redeundum, modo neuter conjugum ſtatum mutarit, *Sanch. l.* 10. *diſ.* 10. *n.* 3. Ratio eſt, quia conjux innocens per ſententiam Judicis non privatur jure ſuo, quod habet in corpus adulteri; cum alioquin ſententia prodeſſet reo, contra quem lata eſt, quod iniquum eſſe ait JCtus in *l. Evidenter.* 16. *ff. de except. rei judic.* Ratio vero exceptionis eſt, quia ſi vel conjux innocens, vel adulter ſtatum mutavit, cum conſenſu expreſſo, vel tacito conjugis innocentis, profitendo Religionem, vel SS. Ordines ſuſcipiendo, nullum ſupereſt jus innocenti ad revocandum adulterum, quia aſſumendo ſtatum immutabilem, & incompatibilem cum matrimonio, vel permittendo, ut ab adultero aſſumeretur, omne a ſe jus conjugale abdicavit, *Sanch. c. l. n.* 6. apud quem plura de his videri poſſunt.

XXII. Reſp. 3. Conjux innocens ordinarie non obligatur ad recipiendum conjugem adulterum, etiamſi ſit emendatus, *Coning. cit. diſ.* 35. *dub.* 2. *n.* 18. Ratio eſt, quia is abſolute liber eſt ab onere conjugali, & adulter violando ſemel fidem matrimonii, omne jus conjugale amiſit. Interdum tamen ex honeſtate, vel etiam charitate recipiendus erit, ſi adulter alias in periculo incontinentiæ verſaretur, & ſic intelligi debet text. in *c. Si vir.* 3. *de adult.* ubi dicitur, eum debere id facere, ſcilicet ex quadam æquitate, non neceſſitate, ut explicat. *Gl. ibid. V. Debet.*

Reſp. 4. Vir communiter non tenetur uxorem perſiſtentem in adulterio dimittere, quia non tenetur ratione correctionis fraternæ, ut ſupra dictum, nec ratione ſcandali, quod nullum erit, ſi crimen occultum ſit, vel ſi crimen publicum ſit, ſufficiet, ſi vir publice conetur eam emendare puniendo, ne videatur in crimen conſentire. Contra vero uxor non tenetur a viro adultero ſe ſeparare, quia hic per hoc non emendaretur, eaque non habet poteſtatem corrigendi virum, niſi per preces, & admonitiones, *Coning. cit. diſ.* 35. *dub.* 3. *n.* 19. & 20.

§. IV.

An vir poſſit dimittere uxorem, ſine judicio Eccleſiæ, etiam propter publicum, ac notorium impedimentum parentelæ, ſeu cognationis?

„ XVIII. De hoc agitur in *c. Porro* 3. *h. t.* Nam cum
„ Comes Pontini, propria auctoritate, abſque judicio Ec-
„ cleſiæ, uxorem ſuam dimiſiſſet, quia eam dicebat fuiſ-
„ ſe cognatam uxoris ſuæ defunctæ, mulier dimiſſa petiit
„ ſibi virum reſtitui. Conſultus Papa Alexander III. reſcri-
„ bit Epiſcopo loci: etſi parentela, ſeu cognatio eſſet no-
„ toria, & publica, abſque judicio Eccleſiæ, ab ea ſepa-
„ rari non potuiſſet. Quare ipſum Comitem ad eam re-
„ cipiendam, quæ reſtitutionem ipſius petiit, diſtricte com-
„ pellat, quam ſi recipere noluerit, in eum & ſuper in-
„ ductam excommunicationis ſententiam proferat. Præte-
„ rea cum quidam H. nomine quandam cognatam ſuam
„ in uxorem duxiſſet, idem Pontifex reſpondet, quod ſi
„ non appareant accuſatores, & parentela manifeſta, ac
„ publice exiſtat (quod tamen credibile non eſt, niſi eſ-
„ ſent conſanguinei in primo, vel ſecundo gradu), matri-
„ monium illud diſſolvatur, quia ad Epiſcopale officium
„ pertinet, matrimonia illa diſſolvere, quæ illicite contra-
„ cta fuiſſe conſtat.

XXIV. Ubi notandum 1. Non poteſt quis, propria auctoritate, & abſque judicio Eccleſiæ, uxorem dimittere, cum qua matrimonium in facie Eccleſiæ contraxit, etiamſi impedimentum ſit notorium (ſcilicet publica fama, *Hoſtienſ. hic V. Notoria*) ſed debet exſpectari, & prius ferri

ab Ec-

Digitized by Google

ab Eccleſia ſententia divortii, *Abb. hic n. 2. & Alex. de Nevo n. 2.* Ratio eſſe poteſt, quia multa dicuntur notorie, quæ non ſunt, ideoque cavendum eſt, ne quod dubium eſt, pro notorio habeatur, *c. Conſulit. 14. de appellat.* Neque debet Sacramentum matrimonii reſcindi, ob ſolam opinionem conjugum credentium forte injuſte, & falſo ſubeſſe impedimentum notorium: nam homines ſæpe falluntur in diſcernendo, an aliquid ſit notorium, & ideo merito requiritur judicium Eccleſiæ in ſeparatione tanti Sacramenti: interim tamen hujuſmodi conjuges debent abſtinere a reddendo ſibi invicem debito, ſi firmiter credant eſſe inter eos parentelam, ſeu conſanguinitatem, *c. Litteras. 13. de reſtit. ſpoliat. Abb. hic n. 8.*

Notandum 2. Si fama publica referat, inter aliquos eſſe impedimentum matrimonii, poteſt Epiſcopus ex officio ſuo de eo inquirere, etiam nemine opponente; ſi vero impedimentum ſit notorium, poteſt, ac debet Epiſcopus ex officio per ſententiam matrimonium ſeparare, *Vivian. hic Ration.*

Notandum 3. Parentela, ſive conſanguinitas non facile eſt notoria, niſi ſit in primo, vel ſecundo gradu, cujuſmodi ſunt fratres, & ſorores, vel filii fratrum, quia hi viciniæ ſe palam oſtendunt, non item qui ſunt in ulteriore gradu, *Alex. hic n. 5.*

XXV. Cæterum textus hujus cap. aperte adverſari videtur cap. immediate ſeq. nempe *cap. Significaſti 4. h. t.* Nam in priore *cap. Porro* deciditur, non eſſe licitum divortium inſtituere, abſque auctoritate Eccleſiæ, ut patet ex illis verbis: *Etiamſi parentela eſſet publica, & notoria, abſque judicio Eccleſiæ, ab eo ſeparari non potuit*: At vero in poſteriore *c. Significaſti*, habetur, ob notorium adulterium poſſe conjugem dimitti, abſque ſpe reſtitutionis, ut conſtat ex illis verbis: *ſi notorium ſit, mulierem ipſam adulterium commiſiſſe, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet*, *Sanch. l. 10. diſ. 12. n. 20.* Valde autem laborant DD. in conciliatione horum duorum Capitulorum. Communior expoſitio, & reſponſio eſt, quod in priore *cap. Porro*, agatur de diſſolvendo matrimonio, quoad vinculum, propter impedimentum notorium conſanguinitatis, vel aliud dirimens, in quo caſu ſeparatio conjugum non tantum tendit ad privandum poſſeſſione conjugem dimiſſum, ſed etiam jure, ac proprietate matrimonii, quod tunc omnino diſſolvitur, etiam quoad vinculum, ita ut poſſit uterque conjux ad alias nuptias tranſire: ideoque ad hoc etiam requiritur judicium Eccleſiæ publicum, & notorium, ob errandi periculum in re tanti momenti: ſicut enim auctoritate Eccleſiæ matrimonium eſt contractum, ita etiam ejus judicio debet diſſolvi; per eaſdem enim cauſas res naſcitur, & diſſolvitur, *Reg. Jur. 1. in antiquis.* At vero in poſteriore *cap. Significaſti*, fit ſeparatio matrimonii propter notorium adulterium tantum quoad torum, & cohabitationem, ac obſequia conjugalia, manente vinculo matrimonii illæſo, & neutri licet aliud matrimonium inire; & ideo nil mirum, ſi Eccleſiæ judicium non requiratur, ſed ſufficiat adulterium conjugis ita notorium eſſe, ut nulla tergiverſatione celari poſſit, adeoque ut a conjuge innocente dimitti poſſit, quoad torum, & cohabitationem, ita *Sanch. l. 10. diſ. 12. nu. 38.* prope finem, *Coning. diſ. 35. de divort. dub. 1. n. 3.* & alii.

XXVI. Aliam conciliationem horum Capitulorum affert *Barb. hic n. 4. & Farinac. p. 5. qq. crimin. q. 143. num. 52.* videlicet quod *c. Significaſti*, loquatur de adulterio, quod ita notorium eſt, ut nulli tergiverſationi ſit locus ſive ut nulla tergiverſatione celari poſſit: nam ſi uxor a viro, ſine cauſa expulſa petat virum ſibi reſtitui, ſive ſe viro, ſed vir excipiat de notorio uxoris adulterio, impeditur petita reſtitutio; & e contra ſi uxor, quæ ſine cauſa a marito aufugit, contra virum petentem ſibi eam reſtitui, excipiat de notorio viri adulterio, pariter impeditur petita reſtitutio, juxta *cit. c. Significaſti. h. t. Farinac. c. l. nu. 53.* At vero in *c. Porro. h. t.* eſt quidem ſermo de notoria conſanguinitate, quæ tamen poterat aliquo modo celari; ideoque reſtitutionem conjugis ſpoliati non impediebat, juxta *cit. c. Porro*, quia notorietas conſanguinitatis eſt rara, & difficilis probationis, niſi in primo, vel ſecundo gradu exiſtat, ut dicit Pontifex in *cit. c. Porro*, in fine, quam conciliationem præfert alii *Barboſ.* hic tanquam faciliorem, & nitentem majore auctoritate DD.

§. V.

Utrum, & quando ob adulterium ſpirituale, ſive ob lapſum in hæreſim, aut apoſtaſiam e fide alterius conjugis, liceat Catholico inſtituere divortium, & an ei reverſo ad fidem debeat conciliari, ſeu ad eum redire?

XXVII. Aſſertio 1. Præter adulterium carnale, poteſt etiam divortium inſtitui, ſi alter conjugum labatur in hæreſim, vel apoſtaſiam a fide, ut conſtat ex D. Paulo ad Titum 3. *hæreticum hominem, poſt unam, aut ſecundam correptionem devita*: & conſtat etiam ex *Idololatria 5. & c. Non ſolum. 6.* & ibi *Gl. V. Recede. cauſ. 28. q. 1. fin. de converſ. conjug.* Idque ſtatutum eſt propter periculum perverſionis Catholici conjugis. Idem etiam probatur ex *cap. Quæſivit 2. h. t.* Nam cum quæſitum fuiſſet ex Papa Alexandro III. utrum mulier propter furtum, vel quodlibet aliud crimen ſeparari debeat a viro ſuo, vel alii nubere poſſit? Reſpondet Pontifex, mulierem propter furtum, vel aliud crimen viri ſui (niſi fidei ſuæ Religionem corrumpere velit) ab eo ſeparari non debere. Veruntamen ſi vir uxorem ſuam ad infidelitatem traxerit, a viro poterit ſeparari, ita tamen, ut ei nubere alii non liceat, quia quamvis ſeparentur (ſcilicet quoad torum, & cohabitationem) ſemper tamen conjuges manent, (nam vinculum matrimonii nunquam diſſolvitur, viventibus conjugibus etiam ſeparatis, *c. 2. & 3. cauſ. 32. q. 7. Gl. hic V. Conjuges erunt*). Idemque in viris obſervandum eſt, quia vir, & uxor non judicantur ad imparia, *c. Si quis. 4. cauſ. 32. q. 1.* ubi *Gl. V. Ad imparia*, ait, quod vir, & uxor non judicantur ad imparia, etiam quoad divortium, *c. Præcepit 19. q. 5. & cap. Apoſtolus. 3. q. 7. ead. cauſ.*

XXVIII. Notandum 1. Qualecumque delictum unus conjugum committat, non poteſt alter ob hoc petere ſeparationem matrimonii etiam quoad torum, excepto crimine fornicationis, ſive carnalis, ut in *c. Significaſti. & c. ſeq. h. t.* ſive ſpiritualis, quia incidit in hæreſim, ut hic *Abb. hic num. 1. & Alex. de Nevo num. 2.* quidquid aliqui dicent apud *Barboſ. hic num. 2.* etiam propter alia crimina adulterio paria, ut veneficium, parricidium, & ſimilia, matrimonium poſſe diſſolvi quoad torum, & cohabitationem.

Notandum 2. Quamvis propter lapſum alterius conjugis in hæreſim fiat ſeparatio quoad torum, & cohabitationem: non tamen vinculum matrimonii diſſolvitur, ut ſupra dictum, quia nonniſi per mortem diſſolvitur matrimonium, ut ſuperſtes aliud matrimonium inire poſſit, *Sanch. l. 10. diſ. 15. num. 7. Farinac. p. 5. qq. crim. q. 143. num. 108.* & omnes conſentiunt.

Notandum 3. Ratio autem vera, cur divortium detur propter hæreſim, non eſt, eo quod ſit fornicatio ſpiritualis, ut quidam exiſtimant apud *Sanch. c. l. n. 8.* eaque nomine fornicationis comprehenſa ſit a Chriſto, *Matth. 5. & 19.* quia una & eadem res non debet diverſo jure cenſeri, & divortium ob hæreſim alterius conjugis nimis differt a divortio ob fornicationem carnalem, ſed vera ratio expreſſe traditur in hoc cap. nempe periculum perverſionis conjugis Catholici, nec comprehenditur ſub nomine fornicationis hæreſis, *Matth. 5. & 19.* ſed ſola carnalis, ut bene probat *Sanch. c. l. n. 9.*

Notandum 4. Lex, vel ſtatutum loquens de uxore, habet etiam locum in marito, quia ſtatutum de uno correlativorum habet etiam locum in altero. Unde in fine hujus cap. dicitur, quod de mulieribus ſtatuitur, etiam obſervandum eſſe in viris.

XXIX. Aſſertio 2. Si uxor viro lapſo in hæreſim, propria auctoritate, ab eo divertit, ſive ſe ſeparavit, ad eum converſum ad fidem redire debet, & eſt compellenda: ſi vero per judicium Eccleſiæ ab eo fuit ſeparata, non debet compelli, ut ad eum redeat, prout ſumitur ex *c. De illa 6. h. t.* Nam cum quidam vir lapſus fuiſſet in hæreſim, uxor ejus, ſine judicio Eccleſiæ, ipſius conſortium declinavit. Conſultus Pontifex Urbanus III. reſcribit; quod ſi mulier maxime ea intentione, diſceſſit a viro, ut ille, in hæreſim lapſus, tædio, & confuſione affectus, ſe ab errore ſuo converteret, ei reverſo ad fidem uxor ſua eſt reddenda, & ſi ad eum reverti noluerit, eſt compellenda: ſi vero judicio Eccleſiæ ab eo receſſit, ad eum recipiendum nullo modo eſt compellenda.

XXX. Notandum 1. Si unus ex conjugibus incidat in fornicationem ſpiritualem, nempe in infidelitatem, vel hæreſim, poteſt alter, propria auctoritate, ab ejus conſortio declinare, nec compelli poteſt per Eccleſiam redire ad conjugem perſeverantem in infidelitate, vel hæreſi; idque propter periculum perverſionis: ſecus eſt in fornicatione carnali, niſi eſſet delictum notorium, *Abb. hic n. 2. & Alex. n. 3.*

Notandum 2. Hoc diſcrimen eſſe inter conjugem Catholicum recedentem ab hæretico, abſque judicio Eccleſiæ, & recedentem cum auctoritate ejuſdem, ut in priore caſu teneatur illum emendatum, ſeu reverſum ad fidem, ad conſortium conjugale admittere; non autem in caſu poſteriore, ſed poſſit libere ab eo diſcedere, ſicut poſſet, ſi alter conjux carnale adulterium patraſſet, prout deciditur in *cit. c. De illa. h. t.* in quo abſoluta, & libera facultas conceditur conjugi Catholico ſeparato ab hæretico, judicio Eccleſiæ, libere divertendi ab hæretico, ſicut & in *c. fin. de converſ. conjug. Sanch. lib. 10. diſ. 15. n. 19. & 23.* de quo videri poſſunt, quæ dicta ſunt *lib. 3. Decret. Tit. 32. §. 8. nu. 39. & 2. ſeqq.*

Notandum 3. Ut conjux Catholicus dicatur ab hæretico judicio Eccleſiæ ſeparatus, non requiritur ſpecialis divortii ſententia, ſed ſufficit ſententia Judicis Eccleſiaſtici, per quam declaretur illum eſſe hæreticum; quia ſententia lata, ſine alia ſententia, poteſt conjux Catholicus ab hæretico diſcedere, quia cum divortium ſit quædam pœna conſequens hæreſim, hoc ipſo, quod conjux per ſententiam Judicis declaratur hæreticus, condemnatur ad hanc pœnam, ſicut & ad alias hæreticorum, *Sanch. cit. diſ. 15. n. 20.*

XXXI. Notandum 4. Uxor, quæ propter viri hæreſim, propria auctoritate, & ſine judicio Eccleſiæ, ab eo diſceſſit, tenetur ad eum redire, ſi idem vir ad fidem revertatur, *cit. c. De illa. Farinac. in praxi crim. p. 5. cit. q. 143. n. 120. Sanch. cit. diſ. 15. n. 13.* ubi ait, quod ita omnes DD. fatentur, ubi tamen id limitat, niſi ſubeſſet timor probabilis, quod non vere, ſed ficte conjux hæreticus fuerit converſus, & ſic non ceſſaverit periculum perverſionis Catholici: & *num. 14.* addit, ſi Catholicus, qui propria auctoritate, ante ſententiam Judicis Eccleſiaſtici, ab hæretico diſceſſit, ingreſ-

ſus fuerit Religionem, eidemque reverſo ad fidem reſtituenda eſt, quia ante ſententiam divortii conjugi Catholico non eſt licitum ingredi Religionem. Secus eſt, ſi uxor ſeparata fuerit a viro, propter illius hæreſim, judicio Eccleſiæ, adeoque per ſententiam divortii; tunc enim non tenetur amplius ad eum redire, etiamſi is revertatur ad fidem, *cit. c. De illa. in fine. Farinac. cit. q.* 143. n. 123. & alii apud ipſum.

Notandum 5. Etſi in *cit. c. De illa.* videatur abſolute tribui hæc poteſtas, ut conjux ſeparatus judicio, & auctoritate Eccleſiæ, a conjuge hæretico, non teneatur amplius ad eum redire, etiamſi denuo ad fidem convertatur: id tamen intelligi debet, dummodo uxor v. g. Catholica judicio Eccleſiæ ſeparata a viro hæretico Religionem ingreſſa fuerit, & profeſſa: ſi vero Religionem non fuit ingreſſa, vel ingreſſa, ſed non profeſſa; tunc viro redeunti ad fidem reſtituenda eſt, & ad virum converſum redire debet, non obſtante quod judicio Eccleſiæ fuerit ſeparata, & ſic teſte *Farinac. c. l. n.* 125. communiter diſtinguunt DD. & concordant tex. in *cit. c. De illa.* cum *ſeq. in fine*, qui videntur contradicere.

XXXII. Cæterum ex dictis patet, quod tunc demum conjux ob hæreſim dimitti poteſt, ſi pertinax appareat, & pœnitentiam agere renuat, ut conſtat ex *c. Non ſolum. 6. cauſ.* 28. *q.* 1. imo ad id jure naturali, ac Divino conjux alter obligatur, ſi advertat ex cohabitatione ſibi, vel liberis ſuis periculum perverſionis imminere: & tunc etiam propria auctoritate licet conjugi Catholico ſe ſeparare a conjuge hæretico, modo ejus obſtinatio in hæreſi, vel apoſtaſia notoria ſit. Ubi tamen diſtinguendum eſt, utrum divortium, propria auctoritate, ſit inſtitutum; an vero auctoritate, ſeu judicio Eccleſiæ: nam priore caſu, Catholicus conjugem reſipiſcentem, ſeu ab hæreſi revertentem ſtatim recipere tenetur: non autem poſteriore caſu, ſi judicio Eccleſiæ facta ſit ſeparatio, ut traditur in *cit. c. De illa. h. t.* & dictum ſupra. Ratio eſt, quia Eccleſia in pœnam hæreſis privat hæreticum jure, quod habet in corpus conjugis, & ſic Catholico tribuit jus in perpetuum divertendi, ſeu ſe ſeparandi ab hæretico etiam reſipiſcente, ſicut privare poteſt Eccleſia hæreticos aliis juribus, ac dominiis, ut conſtat ex *c. ult. de hæretic. in* 6. *Laym. l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 16.

Aliqui tamen apud *Sanch. cit. diſ.* 25. *n.* 18. putant conjugem Catholicum non obligari ad recipiendum hæreticum, etiam condemnatum poſt pœnitentiam, ſi Religionem ingredi velit, alias obligari, ſi velit in ſæculo manere, idque probare nituntur ex *c. ult. de converſ. conjug.* Verum ibi quidem decernitur, quod mulier, quæ judicio Eccleſiæ a viro propter infidelitatem ſeparata fuit, poſſit etiam eo invito ad Religionem tranſire: non tamen dicitur, quod teneatur conjugem converſum recipere, ſi nolit Religionem ingredi, ſed potius contrarium ſtatuitur in *cit. c. De illa. h. t.* Poteſt tamen Eccleſia præcipere conjugi Catholico, ut conjugem hæreticum converſum ad fidem recipiat ad conſortium conjugale, ſi ita neceſſe ſit ad occurrendum periculo animæ, *Laym. c. l.* Quamvis in locis hæreſi infectis ob ſcandalum, pacemque publicam hanc pœnam vix locum habere dicat *Tanner. tom.* 4. *diſp.* 8. *qu.* 5. *dub.* 5. *num.* 83.

§. VI.

An ſicut conjugale vinculum non diſſolvitur, altero conjugum fidelium in hæreſim, vel infidelitatem lapſo: ita etiam ſi unus ex infidelibus conjugibus convertatur ad fidem, diſſolvatur vinculum conjugii, & converſus aliud matrimonium inire poſſit?

XXXIII. De hoc agitur in *c. Quanto 7. h. t.* ubi imprimis conſultus Pontifex Innocentius III. an ſi ex duobus conjugibus, alter eorum tranſivit ad hæreſim, is, qui remanſit in fide, poſſit ad ſecunda vota, ſive aliud matrimonium tranſire? Reſpondet Papa, etſi quidam ex anteceſſoribus ſuis aliter ſenſiſſe videatur, diſtinguendum eſſe, utrum ex duobus infidelibus alter ad fidem Catholicam convertatur, vel an ex duobus fidelibus alter labatur in hæreſim, vel errorem gentilitatis. Priore caſu, ſi unus infidelium conjugum convertatur ad fidem Catholicam, & infidelis, vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia Divini Nominis, vel ut pertrahat ad peccatum mortale, ac perverſat, cohabitare velit, is, qui relinquitur, ad ſecunda vota, ſeu ſecundas nuptias, ſi voluerit, poterit tranſire: & in hoc caſu intelligitur, quod ait Apoſtolus 1. Corinth. 7. v. 15. *Si infidelis diſcedit, diſcedat: non enim ſervituti ſubjectus eſt frater, aut ſoror in hujuſmodi*, & quod docet Canon (*c. Si fidelis. 7. cauſ.* 28. *q.* 1. id eſt, ut ibidem explicatur, *ſi infidelis voluerit eſſe cum conjuge fideli, hic agnoſcat fidelis ſuam libertatem; nec ita ſe ſubjectum deputet ſervituti, ut ipſam dimittat fidem, ut conjugem amittat infidelem*). Nam contumelia Creatoris ſolvit jus matrimonii circa eum, qui relinquitur, ut hic dicitur in textu. Poſteriore vero caſu, ſi alter fidelium conjugum vel labatur in hæreſim, vel tranſeat ad errorem gentilitatis is, qui relinquitur, non poteſt, vivente altero conjuge, ad ſecundas nuptias tranſire, etſi in hoc caſu major appareat contumelia Creatoris; nam licet inter infideles verum ſit matrimonium, non tamen eſt ratum (quia poteſt diſſolvi, *Gl. hic V. Ratum*) quia Sacramentum fidei, quod ſemel eſt admiſſum, nunquam amittitur; imo ratum efficit Sacramentum conjugii, ut illis viventibus conjugium ipſum perduret. Neque obſtat, quod forſan opponi poſſet, fidelem relictum non debere jure ſuo ſine culpa privari: cum in multis caſibus (in quibus quis privatur jure ſuo, ſi cauſa ſubſit, *Gl. hic V. multis caſibus*) hoc contingat, ut ſi alter conjugum incidatur (id eſt, caſtratus, vel exſectus fuerit, *c. Hi qui. 25. cauſ.* 32. *q.* 7.) per quam reſponſionem quorumdam malitiæ occurritur, qui in odium conjugum, vel quando ſibi invicem diſplicerent, ſi in tali caſu uxores poſſent dimittere, ſimularent hæreſim: & ſic is, qui remanſit in fide, cogetur redire ad eum, qui ab hæreſi, vel infidelitate revertitur, & per hoc ipſum ſolvitur illa quæſtio.

XXXIV. Pro declaratione hujus cap. notandum 1. Prædeceſſor, de quo hic fit mentio, fuit ſecundum *Gl. hic V. Prædeceſſor, & Hoſtiens.* Cæleſtinus III. qui in ſua quadam Decretali Epiſtola, quam olim dicunt fuiſſe contentam in Corpore Juris, *Tit. converſ. infidel.* definivit matrimonium diſſolvi, cum alter conjugum in hæreſim labitur, vel ad Gentilium errorem tranſit. Ex quo inferunt hæretici, Romanum Pontificem errare poſſe, etiam cum aliquid definit tanquam Summus Eccleſiæ totius Rector, & Paſtor. Sed inprimis falſum eſt, aliquid unquam Cæleſtinum hac de re definiſſe, ut patet ex verbis Innocentii III. in hoc cap. quæ ſic habent: *licet quidam Prædeceſſor noſter ſenſiſſe aliter videatur*, ubi dicit ſenſiſſe, non definiviſſe: quia ſcilicet Cæleſtinus nihil unquam hac de re definivit, ſed ſolum antequam res examinaretur propendebat in illam ſententiam, & reſpondit, quod ſibi probabilius videbatur: & ipſe Innocentius ait: ſi vero alter fidelium conjugum vel labatur in hæreſim, vel tranſeat ad Gentilium errorem, non credimus, quod in hoc caſu is, qui relinquitur, vivente altero conjuge, poſſit ad ſecundas nuptias tranſire. Deinde nihil ex hoc textu probatur; non enim ex eo, quod aliquid in Corpore Juris contineatur, ſequitur, quod ſit a Pontifice definitum; multa enim in Corpore Juris habentur, quæ Pontifices non definiunt tanquam articulum fidei, ſed tantum dicunt, & referunt ſuam ſententiam, & reſpondent, quod ſibi probabilius videbatur, *Azor. p.* 2. *Inſtit. l.* 5. *c.* 4. *q.* 3. *in* 2. *object.*

XXXV. Notandum 2. Etſi vinculum conjugale non diſſolvatur, ſi alter conjugum fidelium in hæreſim, vel infidelitatem ſit lapſus: ſed ſi unus infidelium conjugum convertatur ad fidem Chriſtianam, & alter conjux nolit ipſi cohabitare, vel non ſine blaſphemia Divini Nominis, vel non ſine periculo perverſionis, ſeu inductionis ad peccatum mortale, diſſolvitur matrimonium, etiam quoad vinculum conjugale, & converſus poterit aliud matrimonium contrahere, ut expreſſe decernitur in hoc cap. & ibi tradunt communiter Canoniſtæ. Ex quo patet, quod tres requirantur conditiones, ut infidelis conjux ad Chriſti fidem converſus poſſit cum alia matrimonium contrahere. Prima eſt, ſi infidelis omnino reſpuat convictum, ſive cohabitationem cum conjuge fideli. Secunda eſt, quando non vult, ſine injuria Creatoris, cum fideli commorari, ut quia blaſphemat Deum, vel Chriſtum. Tertia, quando ex convictu fidelis cum infideli ſequitur periculum inductionis ad peccatum mortale, ſeu ſi talis convictus cedat in perniciem animæ conjugis fidelis, *Barboſ. hic n.* 3.

Porro tunc cenſetur fidelis ab infideli pertrahi ad peccatum, quando fidelis, attenta propria ejus fragilitate, periculo lapſus in peccatum exponitur, ſive levi ſuaſione, ſive violenta, aut importuna ſuggeſtione infidelis, *Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 74. *n.* 6.

Notandum 3. Probabilius eſt, in tribus prædictis caſibus matrimonium infidelis cum fideli non ſtatim ipſo jure diſſolvi: ſed tum demum, poſtquam Chriſtianus aliud matrimonium de facto in facie Eccleſiæ contraxit, *Canis. hic n.* 3. *h. t.* & alii. Idque confirmatur ex eo, quia ſi virum infidelem converſum ad fidem mulier converſa ſequatur, antequam ille aliam ducat, tenetur vir eam recipere, ac proinde per ſolam converſionem unius infidelium conjugum non diſſolvitur ipſo jure matrimonium: ſed poſtquam contractum eſt matrimonium cum alia: nam crimina in Baptiſmo ſolvuntur, non conjugia, *c.* 1. *cauſ.* 28. *q.* 2.

XXXVI. Notandum 4. Si propter converſionem alterius infidelium ad fidem diſſolvitur vinculum matrimonii, multo magis videbatur diſſolvi propter lapſum illius in hæreſim, quia major injuria infertur Deo, & hoc eſt, quod dicitur in hoc c. *Licet in hoc caſu major appareat contumelia Creatoris*: magis enim delinquunt fideles, apoſtatando a fide, ſive labendo in hæreſim, quam ſi infideles in infidelitate remaneant, *Gl. hic V. Major.* Porro hodie ſententia Innocentii III. in hoc c. quod ſi alter fidelium conjugum labatur in hæreſim, vel tranſeat ad Gentilium errorem, non poſſit ad ſecundum matrimonium tranſire, facta eſt inter fidei decreta, auctoritate *Concilii Tridentini ſeſſ.* 24. *can.* 5. *de Sacram. matr. Si quis dixerit propter hæreſim diſſolvi poſſe vinculum matrimonii, anathema ſit*, ut notavit *Canis. hic n.* 2.

Notandum 5. Quomodo intelligenda ſunt verba Apoſtoli allegata in hoc c. ex 1. *Cor.* 7. *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat: frater enim, vel ſoror non eſt ſervituti ſubjectus in hujuſmodi*: nam ſenſus eſt, ut exponit *Cornel. a Lap. ibid. V.* 15. Si infidelis non vult cohabitare fideli, ut fideli, ſed eam ob Religionem Chriſtianam relinquat: vel ſi non velit ei cohabitare ſine Creatoris injuria, quia nimirum alterum conjugem pertrahere vult ad infidelitatem, vel ad crimen, vel blaſphemias jactat in Deum, fidem Chriſtianam,

aut

aut Chriſtum, tunc diſcedat fidelis e tali conjuge infideli, ita ut non tantum toti divortium inſtituere poſſit, ſed etiam matrimonii, & aliud inire valeat; hoc enim conceſſit Chriſtus in gratiam fidei: alioqui enim ſervituti ſubjectus eſſet frater, & ſoror, id eſt, Chriſtianus, aut Chriſtiana; magna enim ſervitus eſt, obſtrictum eſſe matrimonio, ita ut cum alio contrahere non poſſit, ſed etiamſi diſcedat infidelis, Chriſtianus cœlebs vivere, & continere debeat.

XXXVII. Notandum 6. Matrimonium contractum inter infideles, verum, et legitimum eſt matrimonium, quia eſt validum; idque etiam conſtat ex 1. *ad Corinth.* 7. ubi S. Paulus conſulit ad fidem converſo, ne ab infideli conjuge diſcedat; id vero nefas eſſet, niſi tempore infidelitatis verum, & legitimum eſſet matrimonium etiam inter infideles. Et ratio eſt, quia non eſt tantum Sacramentum, ſed etiam contractus naturalis, ut ſupra dictum *tit.* 1. non eſt tamen matrimonium ratum, ut dicitur in hoc cap. quia non eſt Sacramentum inter infideles, nec gratiam confert, & quantumvis conſummatum ſit, poteſt diſſolvi per converſionem alterius conjugis ad fidem, etiam quoad vinculum; ideoque in hoc cap. dicitur, matrimonium infidelium non eſſe ratum, quia prædicto modo diſſolvi poteſt, *Sanch. lib. 7. de matr. diſ.* 73. *n.* 2.

Dices, matrimonium etiam infidelium eſt indiſſolubile, juxta illud dictum Chriſti, *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, *Matth. c.* 19. quod non ſolum ad matrimonium fidelium, ſed etiam infidelium pertinet: & *Genes.* 2. dicitur: *hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea; quam ob rem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*. Ex quibus verbis, quæ primus humani generis parens divini Spiritus inſtinctu pronunciavit in Paradiſo, Concilium Tridentinum *Seſſ.* 24. *in doctrina de Sacramento matrimonii in princ.* ait, colligi matrimonii perpetuum, indiſſolubilemque nexum. Sed reſponſio patet ex dictis: nam excipi debet, niſi infidelis ad fidem convertatur, juxta interpretationem S. Pauli 1. *Corinth. c.* 7. At vero matrimonium Chriſtianorum copula carnali conſummatum eſt omnino indiſſolubile, ita ut nullo caſu ab Eccleſia, ejuſque Capite S. Pontifice poſſit diſſolvi, & ſic matrimonium conſummatum eſt fortius inter fideles, ſeu Chriſtianos, quam inter infideles, & per conſequens difficilius etiam diſſolvitur quoad vinculum, *Alex. hic a.* 7. & 8. ita ut nunquam niſi per mortem alterius conjugis diſſolvatur, & ſuperſtes aliud matrimonium inire poſſit, *Farinac. in praxi crim. cit. q.* 143. *n.* 108. Sed de indiſſolubilitate matrimonii plura dicta ſunt *ſupr. tit.* 1. *hoc lib. ſec.* 5. §. 3 *n.* 137. & 3. *ſeqq.*

Notandum 7. Si conjuges infideles ambo, eodem tempore, ad fidem Chriſtianam convertantur, tunc matrimonium inter eos non diſſolvitur; ſi vero unus conjux poſt alium ad fidem convertatur; is, qui primo converſus eſt, reſtituitur ſecundo converſo, ſi res ſit integra, hoc eſt, ſi cum alia non contraxit matrimonium, et tunc inter eos redintegratur matrimonium tanquam novum. Si vero poſt converſionem viri infidelis, uxor eum ſequitur, primo converſus eandem recipere tenetur, quia non ſtatim per converſionem unius conjugis vinculum matrimonii diſſolvitur, ac proinde uno ex conjugibus infidelibus ad fidem converſo, ſi alter, re integra, id eſt, antequam contrahat cum alia, ad eandem fidem convertatur, tenentur ſe invicem recipere, *Gl. in cit. c. Quanto, V. Qui relinquitur, in fine*, *Farinac. cit. q.* 143. *n.* 119. *de quo plura §. ſeq.*

§. VII.

Proponuntur, & reſolvuntur aliæ quæſtiones circa matrimonium infidelium converſorum ad fidem Chriſtianam, & divortium inter illos inſtituendum.

XXXVIII. De his agitur in *c. Gaudemus* 8. *h. t.* ubi imprimis conſultus Pontifex Innocentius III. utrum paga„ni, ſeu infideles accipientes uxores in ſecundo, vel ter„tio, vel ulteriore gradu ſibi conjunctas, poſt converſio„nem ſuam ad fidem, debeant ſimul remanere, vel ab „invicem ſeparari? Reſpondet Papa, quod cum ſacramen„tum conjugii apud fideles, & infideles exiſtat, unde „Apoſtolus dicit (1. *Cor.* 6.) *Si quis frater, id eſt, fidelis* „*infidelem habet uxorem, & hæc conſentit habitare cum* „*illo, non dimittat illam*. Et cum in prædictis caſibus „pagani licite contrahant matrimonium, qui Conſtitu„tionibus Canonicis non obligantur: *quid enim ad nos de* „*his, qui foris ſunt, judicare?* (1. *Cor.* 5.) ideo in favorem „fidei Chriſtianæ libere poſſunt ſic copulari, & licite „remanere conjuncti, cum per Sacramentum Baptiſmi „conjugia non ſolvantur, ſed crimina dimittantur; & quia „alias viri timentes, ne ab uxoribus deſerantur, facile „revocari poſſent e fide recipienda.

„Conſultus præterea idem Pontifex, ſi Pagani ſimul „plures uxores habeant, utrum poſt converſionem, omnes, „vel quam ex illis retinere valeant? Ad quod reſpondet „Papa (non directe, ſed indirecte, ut notat *Gl. hic V.* „*Vel quam.*) quod unam tantum (ſcilicet primam) de„beant habere, cum ab initio una coſta in unam fœmi„nam ſit converſa: & S. Scriptura hortatur *quod propter* „*hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit* „*uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*: non dixit tres, „vel plures, ſed duo: nec dixit, adhærebit uxoribus, ſed „uxori. Nec enim unquam licuit alicui ſimul habere plu„res uxores, niſi Divina revelatione alicui fuerit conceſ„ſum, ut Patriarchis Veteris Teſtamenti, qui plures ha„buerunt uxores, & ſic ab adulterio ſunt excuſati. Idque „etiam probatur ex Evangelio: *Quicunque dimiſerit uxo*„*rem ſuam ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*: „ſi ergo uxore dimiſſa, alia de jure duci non poteſt, „multo magis nec ea retenta, per quod evidenter appa„ret, quod nullus plures ſimul poteſt habere uxores, nec „aliqua plures maritos, cum non ad imparia judicentur. Ita habetur in *cit. c. Gaudemus*, §. *Quia vero*, *h. t.* Ex quo patet, quod conjux converſus, poſt Baptiſmum, primam habere debet in uxorem, *Gl. ibid. in fine*.

„Porro quia Pagani, ſeu Gentiles (vel etiam Judæi) „ſecundum ritum ſuum, ſi velint, dant libellum repudii „uxoribus, quæritur, utrum, illis viventibus, poſſint con„verſi ad fidem, vel ante converſionem, uxores ſuas re„pudiare? Reſpondet Papa, cum in Evangelio Chriſtus „tale repudium reprobarit (*Matth.* 19. & *Luc.* 10.) ideo „converſus ad fidem, vivente legitima uxore, aliam du„cere non poteſt, niſi poſt converſionem ipſius illa re„nuat habitare cum illo, vel ſi conſentiat, non tamen „velit cohabitare cum ipſo ſine contumelia Creatoris, „vel ut illum trahat ad peccatum mortale, *cit. c. Quanto.* „*h. t.* in quibus caſibus petere reſtitutionem non poteſt, „ſed ea ipſi negaretur, etiamſi conſtaret, ipſum injuſte „ſpoliatum fuiſſe, quia ſecundum Apoſtolum (1. *Cor.* 7.) „*non enim ſervituti ſubjectus eſt frater, aut ſoror in hu*„*juſmodi*, ut habetur hic, §. *Qui autem.* Quod ſi conver„ſus ad fidem dimiſit uxorem, propter prædictas cauſas, „& uxor, antequam vir contrahat cum alia, converteretur „ad fidem, compellitur vir eam recipere, §. *Quod ſi hic.* „Denique ſi paganus, ſeu infidelis dedit libellum repudii „uxori ſuæ, & ipſa nupſit alii, ſecundum ritum ſuum, „poſtea vero etiam vir converſus eſt ad fidem, & uxor „ſua, quam repudiavit, & quæ nupſit alteri, ſimiliter „converſa eſt ad fidem, hoc caſu, quamvis ſecundum E„vangelicam veritatem, qui duxit dimiſſam, mœchatur: „non tamen is, qui dimiſit, poterit dimiſſæ fornicatio„nem objicere, eo quod nupſerit alii poſt repudium, etſi „eam tenetur vir recipere, niſi alias fuerit fornicata, „§. *fin. hic*, & *ibi Gl. in caſu*.

XXXIX. Porro ex hoc cap. deducuntur *ſeqq.* aſſertiones. Aſſertio 1. Pagani, ſeu infideles conjuncti in ſecundo, tertio, vel ulteriore gradu lineæ collateralis, Jure Canonico tantum prohibito, ſi convertantur ad fidem, non debent ſeparari, quia prohibitio Canonica, quoad contrahendum matrimonium, non extenditur ad infideles, qui ſunt extra Eccleſiam, juxta illud Apoſtoli, *quid enim ad nos de his, qui foris ſunt, judicare?* Nec obligantur Conſtitutionibus Canonicis, ut hic dicitur, quæ ab Eccleſia feruntur ad ſpirituale regimen animarum. Si vero ſint in gradu lege Divina prohibito conjuncti, debent converſi ad fidem ſeparari, quia tale matrimonium eſt ipſo jure nullum, & etiam infideles ſunt ſubjecti legi Divinæ. Quia igitur matrimonium inter infideles eſt verum matrimonium, prout inſtitutum eſt in officium naturæ, nempe ad generandos, & educandos liberos, ſicut eſt inter fidem, ut dictum §. præcedente: & quia matrimonium etiam infidelium regulariter non eſt ſeparandum, juxta illud Chriſti, *Matt.* 19. *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*: ubi loquitur de matrimonio, non ſolum Chriſtianorum, ſed etiam Judæorum, & aliorum infidelium; ideo ſi infideles non contraxerunt in gradibus lege Divina prohibitis, legitime contraxerunt, ac proinde ſi infideles converſi ad fidem volunt cohabitare, ſine contumelia Creatoris, & periculo inductionis ad peccatum, non ſunt ſeparandi, ſed licite manent conjuncti, qui ante converſionem ad fidem matrimonium contraxerunt, quia per Sacramentum Baptiſmi non diſſolvuntur conjugia, ſed crimina dimittuntur, ut dicitur in hoc cap. Ratio eſt, quia matrimonium jure naturæ conſiſtit inter infideles, & per converſionem ad fidem, ſive profeſſionem fidei non tollitur jus naturæ, *Sanch. l.* 7. *diſ.* 73. *n.* 6.

XL. Ubi præterea notandum 1. Perſonæ, inter quas jure Divino, & naturali prohibitum eſt matrimonium etiam inter infideles, ſunt conjunctæ in primo gradu lineæ rectæ, ut ſunt parentes, & filii: item quæ ſunt conjunctæ in primo gradu conſanguinitatis in linea collaterali, ut ſunt fratres, & ſorores: nam etiam infideles in his gradibus conjuncti, cum ad fidem convertuntur, ſunt ſeparandi, *Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 52. *num.* 12. *Azor. p.* 2. *l.* 5. *c.* 3. *in* 2. *q.* *Barb. hic num.* 2.

Notandum 2. difficultatem habet id, quod hic dicitur, Sacramentum conjugii apud fideles, & infideles exiſtere: nam Sacramenta tantum ſunt in Eccleſia, *c. Quia ea ſolo.* 22. *cauſ.* 24. *q.* 1. *c. Extra*, 71. *cauſ.* 1. *q.* 1. & extra illam nullum reperitur Sacramentum, *c. Plerumque*, 27. §. *Hinc eſt*, *cauſ.* 2. *q.* 7. Cum ergo Judæi, & infideles ſint extra Eccleſiam, *quid enim ad nos de illis, qui foris ſunt, judicare?* 1. *Cor.* 5. & careant Baptiſmate, quod eſt janua, & fundamentum omnium Sacramentorum, *c. ult. de Cleric. non baptizato*, conſequens eſt, quod omnes non baptizati in Eccleſia eſſe non poſſint. Verum reſpondetur, Sacramentum accipi, vel late, prout eſt ſignum rei Sacræ non conferentis gratiam, adeoque Sacramentum naturalis, ac Veteris Legis Moſaicæ; & hoc modo reperitur etiam inter Judæos, & infideles, & aliquo modo ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia: alio modo accipitur matrimonium ſtricte, prout eſt Sacramentum novæ, ſeu Evangelicæ legis inſtitutum a Chriſto, & non tantum ſignificat, ſed etiam cauſat, & confert gra-

gratiam: & hoc modo non reperitur, niſi inter Chriſtianos, ut plures docent apud *Barboſ. hic n. 4.* Quare in *c. Conſtitutus. 8. h. t.* nomen Sacramenti ſumitur in genere, late, prout eſt ſignum rei Sacræ, ſeu ſignificat rem Sacram; & ſic Sacramentum conjugii etiam exiſtit apud infideles: in cap. vero præcedenti ſumitur in ſpecie pro Sacramento novæ legis, & reperitur inter ſolos Chriſtianos, *Barboſ. hic n. 5.*

XLI. Utrum autem matrimonium ab infidelibus contractum, ſi poſtea ad fidem convertantur, per Baptiſmum fiat verum Sacramentum novæ legis, dubitatur? *Reſp.* Quamvis matrimonium inter infideles contractum, non ſit Sacramentum, cum nullum ſubſiſtat Sacramentum ſine Baptiſmo, qui eſt Sacramentorum janua, juxta Concilium Florentinum in Decreto de Baptiſmo: ſi tamen ambo conjuges ad fidem convertantur, tale matrimonium efficitur Sacramentum, ſaltem ſi poſt Baptiſmum priſtinum matrimonium in infidelitate contractum novo conſenſu confirmetur: vel ſi antiquum verbis, aut moribus approbetur: quamvis alii putent fieri Sacramentum ſtatim ac conjuges baptizantur, etiam ſine novo conſenſu, ut docet *Sanch. l. 2. de matr. diſ. 9. n. 5. Tanner. Tom. 4. diſ. 8. q. 2. dub. 3. num. 51. cum S. Thom. in 4. diſ. 29. q. 1. ad. 1.* ubi dicit matrimonium infidelium eſſe Sacramentum, non actu, ſed habitu: quæ ſententia videtur probabilior. Ratio eſt, quia matrimonium infidelium non eſt ratum, nec indiſſolubile, *c. Quanto 7. h. t.* quia ſcilicet non eſt Sacramentum, ſed ſtatim atque conjuges iſti baptizantur, fit, manetque indiſſolubile, licet alter, vel uterque ruſum a fide deficiat, jamque perfecte ſignificat indiviſibilem unionem Chriſti cum Eccleſia, ergo ſtatim, ac baptizantur, efficitur Sacramentum. Neque vero in propoſito deficit ſufficiens conſenſus, nam eo ipſo, quod baptizantur, virtualiter, & implicite conſentiunt in matrimonium præſens, ut ſit indiſſolubile, & perfecte ſignificet unionem Chriſti cum Eccleſia, quæ indiſſolubilitas, ſuppoſita Chriſti inſtitutione, quaſi ex natura rei conſequitur ad Baptiſmum, unde eo ipſo quod intendunt baptizari, virtualiter, & implicite intendunt etiam, ut matrimonium prius contractum fiat, & ſit indiſſolubile, adeoque etiam Sacramentum. Et hic ipſe conſenſus eo ſigno externo Baptiſmi expreſſus eſt nova materia & nova forma hujus Sacramenti, qui etiam novus conſenſus dici poteſt. Et quamvis alias ad matrimonium de novo contrahendum inter eos, qui antea nunquam conjuges fuerunt, non ſufficiat ejuſmodi conſenſus implicitus, & interpretativus, ſufficit tamen ad matrimonium iſtud, quod non eſt omnino novum quoad ſubſtantiam, ſed ſolum quaſi novum, in ratione Sacramenti, & indiſſolubilitatis, quia ſcilicet quod erat contractus naturalis, profanus & ſolubilis, fit inſolubilis, ſacer, & repræſentans unionem Chriſti cum Eccleſia.

XLII. Notandum 3. Etſi olim tempore primitivæ Eccleſiæ, & pluribus ſæculis ſequentibus, propter frequentem converſionem infidelium ad fidem Chriſtianam, laudabiliter conjux fidelis cum infideli cohabitabat, ex conſilio Apoſtoli 1. *Corinth. 7.* quando ſine contumelia Creatoris cohabitare volebat, ut refertur in *c. Jam nunc. 8. & ſeqq. cauſ. 28. q. 1.* quia tamen ſuccedentibus temporibus, experientia docuit, non modicum periculum perverſionis imminere conjugi fideli, ſi ſimul habitet cum infideli; ideo cum conſuetudine Eccleſiæ receptum fuit, tum etiam ab ea præceptum, ne conjux ad fidem converſus permitteretur ſimul habitare cum infideli, *c. Judæi. 10. cauſ. 28. q. 1.* Idque etiamſi ſubeſſet ſpes converſionis, *Sanch. l. 7. diſ. 73. n. 12. & 13. Barboſ. in cit. c. Gaudemus n. 6. h. t.*

XLIII. Aſſertio 1. Si Paganus, ſeu infidelis prius plures habuit uxores, poſt fidem ſuſceptam adhærebit primæ, quia nulli unquam licuit plures ſimul habere uxores, niſi cui Divina revelatione id fuit conceſſum, ut habetur in *cit. c. Gaudemus. 8. h. t.* Quare pluralitas uxorum ſimul ductarum, non ſolum Jure Canonico, & Civili, ſed etiam Divino, Evangelico, & naturali prohibita eſt, ut probatur in *cit. c. Gaudemus §. Qui vero.* Unde ſequitur, S. Pontificem, cum non poſſit diſpenſare in Jure naturali, vel Divino, non poſſe etiam diſpenſare, ut quis plures ſimul uxores habeat, *Sanch. l. 7. diſ. 80. n. p.* Et licet olim Patriarchæ antiquæ legis plures ſimul uxores legantur habuiſſe, id tamen factum eſt ex diſpenſatione DEI, ut dicitur *c. §. Nec rdit.* Hæc autem diſpenſatio conceſſa fuit a DEO, non per externam ſcripturam, vel locutionem, ſed per inſpirationem internam factam Patriarchis a DEO, ſive Divina revelatione, ut hic dicitur, quæ poſtea derivata fuit, vi conſuetudinis, ad reliquum populum Iſraeliticum, ita ut omnibus illis licitum eſſet plures uxores ſimul habere; idque, ut multiplicaretur fidelis populus, ex quo Meſſias proditurus erat, *Sanch. cit. l. 7. diſ. 80. n. 12. & 14.*

XLIV. Verum nunc in lege Evangelica hujuſmodi diſpenſatio ſublata fuit a Chriſto. *Matth. 19.* ubi matrimonium ad primævum ſtatum reduxit, in quo unam tantum uxorem ducere licebat. Quare nec fideles, nec infideles hodie habere poſſunt ſimul plures uxores, & cum infideles convertuntur ad fidem, debent redire ad primam legitimam uxorem, & ſeparandi ſunt ab aliis uxoribus, quia matrimonium cum illis initum erat irritum, prout expreſſe dicitur, in *c. Gaudemus pen. h. t.* Nam lege naturali etiam ante, & in Veteri Lege matrimonium initum cum duabus uxoribus erat irritum, & ſola DEI diſpenſatione validum fuit; poſtquam ergo Chriſtus caſſavit illam diſpenſationem, matrimonium illud irritum eſt jure naturæ, ut ab initio fuerat. Itaque matrimonium etiam infidelium cum pluribus fœminis initum eſt irritum, non propter legem poſitivam Chriſti, quæ non obligat infideles, ante ſuſceptum Baptiſmum, ſed propter Jus Divinum naturale illud irritans, per quod, (poſtquam Chriſtus ſuſtulit diſpenſationem Divinam, vi cujus licitum erat plures ſimul habere uxores) ad priſtinum ſtatum reductum eſt Matrimonium, ita ut nunc denuo non ſit licitum plures ſimul habere uxores, ſicut prius in lege naturæ, *Sanch. cit. diſ. 80. n. 14.* & alii apud ipſum.

Similiter etſi plures DD. tradunt, non poſſe Deum diſpenſare, ut una uxor pluribus viris ſimul nubat, eo quod hoc etiam ſit contra prima principia juris naturæ: contrarium tamen ſtatuit *Sanch. cit. diſ. 80. n. 15.* eo quod hoc non ita repugnat juri naturæ, nec ita ſit intrinſece malum, quin DEUS diſpenſare poſſit, ut dictum ſupra *Tit. 1. ſec. 5. §. 1. n. 127. & pluribus ſeqq.* hoc libro, ubi plura de his dicta ſunt.

XLV. Porro pœna viri ducentis, eodem tempore, plures uxores Jure Civili eſt pœna arbitraria, juxta qualitatem perſonarum, *Farinac. in prax. p. 5. qu. 140. n. 9.* quamvis etiam poſſit infligi pœna capitalis, ſive mortis, *Menoch. de arbitr. Jud. caſu 420. n. 103. & 105.* ſicut etiam mulieri, eodem tempore, nubenti pluribus viris, ſimiliter pœna arbitraria imponitur, *Farinac. c. l. n. 18.* imo cum pluralitas maritorum multo magis repugnet legi Veteri divinæ Evangelicæ, & juri naturali, quam ipſa uxorum pluralitas, ideo iiſdem pœnis, imo etiam gravioribus plectenda eſt, *Menoch. de arbitr. Jud. c. l. n. 126.* De Jure vero Canonico pœna laici contrahentis ſecundum matrimonium, vivente prima conjuge, eſt publica ignominia, quia veſtes, & capilla eis inciduntur in ignominiam, *c. De benedicto 5. & ibi Gl. V. Et decalvatos cauſ. 32. q. 1.* Eademque pœna imponitur mulieri nubenti duobus viris, *Farinac. c. l. n. 19.* vel publica infamia, *c. Nuper. 4.* ibi: *illum comitatur infamia, qui duas ſimul uxores habet, de bigam. Diaz. in pract. crim. Canon. c. 84. n. 2. §. Et pœna*, ubi addit, quidam exiſtimant, pro crimine iſto impoſitam eſſe etiam excommunicationem, quæ ipſo facto incurritur.

XLVI. Aſſertio 3. Si Paganus, ſeu infidelis, repudiata uxore ſua, converſus ad fidem matrimonium contrahat cum ſecunda, etiam poſt Baptiſmum dimittet eam, quam ſecundo duxit, & adhærebit primæ repudiatæ; etiamſi hæc cum alio matrimonium contraxerit, niſi illa fornicata fuiſſet, prout deciditur in *cit. c. Gaudemus 8. §. Qui autem h. t.* Prima pars probatur, quia cum tale repudium legitimæ uxoris Chriſtus reprobaverit, *Matth. c. 19.* non poteſt quis licite, & valide aliam, etiam poſtquam converſus eſt ad fidem Chriſti, habere, niſi poſt converſionem ipſius illa renuat habitare cum ipſo, vel non abſque contumelia Creatoris, aut periculo perverſionis: quo caſu, etſi uxor repudiata reſtitutionem peteret, & de injuſta ſpoliatione conſtaret, ea ipſi denegaretur, *quia frater, & ſoror non eſt hujuſmodi ſervituti ſubjectus 1. Corinth. 5.* Ideoque is, qui veram, & legitimam uxorem repudiavit, tenetur etiam, poſtquam converſus eſt ad fidem, recipere repudiatam, & illam, cum qua ſecundum matrimonium contraxit, dimittere, quia illa non eſt legitima uxor, ut habetur in *cit. c. Gaudemus.*

XLVII. Secunda pars, quod etſi repudiata cum alio matrimonium contraxerit, nihilominus redire debeat ad virum, qui eam repudiavit, probatur, quia per tale repudium non fuit diſſolutum vinculum matrimonii, *Matt. c. 19.* Neque poteſt mulier eodem tempore habere plures maritos *1. Cor. 7.* adeoque is, qui talem repudiatam duxit de facto in uxorem, mœchatus eſt, eaque non deſinit eſſe uxor legitima prioris mariti. Non tamen poterit, qui eam dimiſit, ſeu repudiavit, objicere fornicationem, ſeu adulterium dimiſſæ, ſeu repudiatæ, ex eo, quod nupſerit alii poſt repudium, licet matrimonium non tenuerit, quia adulterium non committitur ſine dolo, *l. Pen. ff. de adulter.* & repudium erat approbatum lege antiqua Veteris Teſtamenti, *c. 24. Deuteron.* & ideo videbantur Judæi, & infideles ea utentes excuſari ab adulterio, quia etſi repudium non tenuit, infideles tamen contrahentes matrimonium cum alia excuſabantur ab adulterio, quia infideles non ſubjiciuntur Evangelio, a quo repudium fuit reprobatum, *Abb. in cit. c. Gaudemus. n. 10. Sed Butrio apud Alex. de Nevo in cit. c. Gaudemus. §. Qui autem. num. 4. h. t.* probabilius ait, quod divortium factum per repudium non excuſet ab adulterio quoad Deum, & in foro animæ, quia ignorantia juris Divini non excuſat a peccato; etſi excuſet quoad pœnam temporalem in foro externo.

XLVIII. Tertia pars, quod talem mulierem infidelis, ſi fuerit fornicata, maritus ipſius poteſt dimittere, non ſolum quoad torum, ſed etiam quoad vinculum, probatur, quia eo ipſo, quod talis mulier committit adulterium, etiamſi poſtea converſa fuerit ad fidem, acquiritur marito jus eam omnino dimittendi, ita ut aliam ducere poſſit, quia per Baptiſmum poſtea ſuceptum non tollitur maritale jus jam acquiſitum, dum adhuc ipſa infidelis eſſet, quia per Baptiſmum non tollitur jus alterius, nec beneficium alteri competens, *Gl. fin. in cit. c. Gaudemus*, quamvis omne peccatum, quod quis in ſe commiſit, per baptiſmum deleatur, *c. Deinde. 3. diſ. 26. c. Quod autem. 7. cauſ. 32. q. 1.*

XLIX. Ex dictis infertur, licet dubium ſit inter DD. an in lege Veteri Moſaica licitum fuerit divortium, ſeu repudium, quo matrimonii vinculum diſſolvebatur, ita ut uterque conjux ad alias nuptias libere tranſire poſſet, nam quidam dicunt, repudium fuiſſe permiſſum Judæis non tan-

quam

quam licitum, ſed tanquam minus malum ad vitanda majora mala: alii vero, fuiſſe licitum Hebræis ex diſpenſatione DEI in lege naturæ, cui repudium adverſatur, quod probabilius videtur, ut conſtat ex c. 24. *Deuteron.* & ſupra dictum. At vero quia repudium juri naturæ adverſatur, juxta quod matrimonium eſt indiſſolubile, non quidem omnino, ſicut eſt indiſſolubile in lege Evangelica, ſed ſine DEI diſpenſatione diſſolvi non poterat per repudium, hanc autem Gentilibus conceſſam eſſe nullibi reperitur. Poſt legem autem Evangelicam certum eſt, nec Judæis, nec aliis infidelibus permiſſum eſſe repudium, nec per illud diſſolvi matrimonium, quia Chriſtus illud reprobavit, & matrimonium ad ſtatum legis naturalis reduxit, in qua matrimonium erat indiſſolubile, & diſpenſationem Judæis conceſſam a DEO revocavit c. 19. *Matth.* ut dictum, *Sanch. l. 10. de matr. diſp. 1. n. 7. & 8.* Quare nunc infideles ad Chriſti fidem converſi, ſi tempore infidelitatis legitimas uxores repudiarunt, cogendi ſunt poſt Baptiſmum ad illas redire, quamvis jam aliud matrimonium inivarint: niſi in caſu, quo per converſionem alterius conjugis diſſolvitur prius matrimonium tempore infidelitatis contractum, ut expreſſe deciditur in *cit. c. Gaudemus*, §. *Qui autem, h. t.* & patet ex ſupra dictis: nam uxor, quam Gentilis, priore repudiata, duxerat, non erat legitima, nec talis eſſe poterat, niſi diſſoluto prioris uxoris repudiatæ matrimonio, novus utriuſque conjugis conſenſus accederet, *Sanch. c. l. n. 11.*

Neque prædictis obſtat, quod in fine *cit. c. Gaudemus*, dicitur: *non tamen dimiſſæ poterit objicere fornicationem dimiſſa, pro eo, quod nupſit alii poſt repudium: niſi alias fuerit fornicata*: nam id eo ſolum pertinet, quod adulterium, ſeu fornicatio tempore infidelitatis commiſſa non cenſeatur deleta per Baptiſmum, quoad divortium, ratione illius, celebrandum; non autem ibi extenditur, quod fornicatio admiſſa, poſt repudium celebratum, ſit ſufficiens cauſa divortii, ſed intelligi debet de præcedente repudio, adeoque de fornicatione, quæ nullo pacto a culpa adulterii excuſari poteſt, *Sanch. l. 10. diſp. 3. n. 8.*

§. VIII.

An Eccleſia diſpenſare poſſit, ut infideles converſi ad fidem contrahere poſſint matrimonium cum relicta uxore fratris ſui defuncti.

L. De hoc agitur in *c. DEUS qui, 9. & ult. h. t.* ubi talis caſus proponitur: Quidam infideles, ſcilicet Livonienſes, contrahabant matrimonium cum uxoribus relictis fratrum ſuorum, qui poſtmodum converſi ſunt ad fidem Chriſtianam. Unde quæſitum fuit, utrum debeant remanere conjuncti cum uxoribus relictis fratrum ſuorum? Reſpondet Papa Innocentius III. & concedit dictis Livonienſibus ad fidem converſis, propter infirmitatem eorum, ut matrimoniis contractis cum uxoribus fratrum ſuorum utantur, ſi tamen fratribus illis ſine prole decedentibus, cum talibus uxoribus contraxerint matrimonium, ut ſemen defuncti fratris excitarent, juxta legem Moſaicam. De cætero autem prohibet Pontifex, ne tales deinceps, poſtquam fidem Chriſtianam ſuſceperint, ſibi matrimonialiter copulent.

LI. Ubi notandum 1. Secundum Legem Moſaicam, quando duo fratres habitabant ſimul, & unus ex eis mortuus fuit ſine liberis, debebat frater ejus accipere uxorem defuncti fratris, & ita ſuſcitare ſemen fratris ſui, ut conſtat c. 25. *Deuteron. V. 5.* dum ſcilicet generat prolem, quæ nomen, & ſtirpem defuncti fratris propaget, ut exponit *Menoch. ibid.* nam ſoboles inde nata attribuitur fratri defuncto, & ſuperſtes frater erat pater carnalis prolis natæ, defunctus vero pater legalis, *Alex. de Nevo hic n. 2.*

LII. Notandum 2. infidelis, qui cum uxore contraxit, & conſummavit matrimonium tempore infidelitatis, non poteſt poſt baptiſmum validum matrimonium contrahere cum conſanguinea illius uſque ad quartum gradum, ut conſtat ex *cit. c. ult. h. t.* ubi ſtatuitur, infideles converſos ad fidem non poſſe ducere uxores, cum quibus illorum fratres, tempore infidelitatis contraxerunt: nam talis affinitas orta ex copula conjugali, non eſt impedimentum mere inductum ab Eccleſia, ſed quoddam vinculum naturale amicitiæ, inſtar conſanguinitatis: cum ergo infideles converſi ad fidem, poſt Baptiſmum fiant affines illis, quibuſcum matrimonium contraxerunt, intra quartum gradum affinitatis, & jam ſubjiciantur legibus Eccleſiæ, non poterunt valide contrahere matrimonium, quamvis validum eſſet matrimonium, ſi tempore infidelitatis contraxiſſent, quia affinitas illa non dirimit matrimonium jure naturali, ſed ſolo Eccleſiaſtico, a quo infideles, ante Baptiſmum, ſunt exempti. Nec obſtat, quod infideles non erant ſubjecti Legibus Eccleſiæ, quando affinitatem contraxerunt, adeoque poſſet inter eos matrimonium conſiſtere: at vero ſubſunt Eccleſiæ tempore, quo volunt inire matrimonium, & tunc illud eſt irritatum ab Eccleſia intra quartum gradum affinitatis, *Sanch. l. 7. de matr. diſp. 65. n. 3.* Itaque ratio, cur non poſſit infidelis converſus ad fidem, poſt Baptiſmum, contrahere matrimonium cum uxore relicta fratris ſui defuncti, eſt, quia hæc eſt illi conjuncta in primo gradu affinitatis in linea collaterali: adeoque ſi de facto infidelis converſus ad fidem contrahat cum tali matrimonium, hoc non tenet, ſed eſt irritum Jure Eccleſiaſtico, cui jam converſus ſubjicitur, & conſequenter ſic conjuncti debent ab invicem ſeparari, cum matrimonium non ſubſiſtat. Excipi debet: niſi Eccleſia cum talibus, ex cauſa juſta, diſpenſet, ut habetur in fine hujus cap.

LIII. Hinc jam patet, quis ſit verus ſenſus, ſeu intellectus hujus cap. videlicet, quod matrimonium hic fuerit contractum ab his, qui jam erant fideles, & legibus Eccleſiaſticis obligabantur; & ideo neceſſaria fuit illis diſpenſatio. Quod autem in fine additur prohibitio, ne tales de cætero, poſtquam ad fidem venerint, ſibi copulent: id ita intelligendum eſt, quod infideles, qui uſque ad illud tempus, poſt converſionem ad fidem, matrimonium cum uxore relicta fratris defuncti contraxerunt, utantur matrimonio per diſpenſationem Eccleſiæ: at vero cum illis, qui deinceps poſt converſionem ſic contraxerint, haud diſpenſetur; & ideo Pontifex præcipit Epiſcopo, ut illis deinceps tale matrimonium interdicat, *Barboſ. in Collect. in cit. c. ult. n. 2.*

LIV. Porro quod dictum eſt de infideli, qui cum uxore fratris defuncti matrimonium iniit, & conſummavit, tempore infidelitatis, non poſſe poſt Baptiſmum validum matrimonium inire cum conſanguinea illius intra quartum gradum, id etiam locum habet, ſi tempore infidelitatis initum ſit matrimonium, etſi non conſummatum, quia etiam ex matrimonio rato oritur quoddam vinculum naturale propinquitatis, quod durat poſt Baptiſmum, quo tempore jam fideles ſubjiciuntur Eccleſiaſticis legibus, per quas irritatur matrimonium cum conſanguineis uxoris, ſeu ſponſæ de præſenti etiam nondum cognitæ, quia per tale matrimonium conjuges tradunt ſibi mutuam poteſtatem in corpore, modo illud matrimonium tempore infidelitatis fuerit validum, *Sanch. cit. diſp. 65. n. 6.* Plura de hoc videri poſſunt apud eundem *cit. diſp. 65. n. 8. & ſeqq.*

§. IX.

Quæ ſit pœna mulieris inſidiantis vitæ mariti ſui, ſi inde homicidium ſit ſecutum?

LV. De hac agitur in *c. Si qua, 1. h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio apud Wormatiam habito, ubi dicitur:
„ Si qua mulier cum aliis conſpiravit, ſeu machinata fuit
„ in mortem mariti ſui, & ipſe ſe defendendo aliquem
„ illorum occidit, poteſt ipſe, ſi voluerit, poſt mortem
„ uxoris aliam ducere: mulier autem, ſine ſpe conjugii,
„ manere, & pœnitentiam agere debet, adeoque poſt mor-
„ tem mariti ſui alteri nubere non poteſt. Concordat textus in *c. Si quæ 6. cauſ. 31. q. 1.* ubi tamen habetur, *quod vir ipſam uxorem dimittere poteſt* (quæ verba in præſenti cap. deſunt) *& ſi voluerit, aliam ducere:* ſcilicet *poſt mortem uxoris*, quæ verba deſunt in cit. Can. Decreti, *ipſa autem inſidiatrix pœnitentiæ ſubjecta, abſque ſpe conjugii maneat*: ita ut tum demum poſſit maritus aliam in uxorem ducere: ipſa vero mulier non poſſit, poſt mortem mariti ſui, alteri nubere, prout habetur in utroque textu, & ſic unus textus ex altero ſupplendus videtur, ut notat *Henric. Caniſ. in c. 1. n. 1. h. t.*

LVI. Ubi notandum 1. In caſu hujus c. mulier in pœnam machinationis in mortem mariti privatur ſpe futuri conjugii, ita ut poſt mortem mariti non poſſit alteri nubere, non propter machinationem in mortem mariti, ſed propter homicidium factum a viro ad ſui defenſionem, cui ipſa cauſam dedit: nam ut propter machinationem mulier impediatur contrahere matrimonium, poſt mortem viri, & alteri nubere, neceſſe eſt, quod machinatio habuerit effectum, ita ut maritus ob illam machinationem vere occidatur, *c. Super hoc. 3. & 1. fin. de eo, qui duxit in matrim. &c.* & per talem machinationem impeditur, ac dirimitur matrimonium, juxta citatos textus. Non ergo hic punitur mulier propter machinationem, quia illa non habuit effectum: nam maritus ipſius non fuit occiſus: ſed ipſa mulier punitur, propter homicidium, cui ipſa cauſam dedit; per tale autem delictum ſolum impeditur, non autem dirimitur matrimonium: unde ſi mulier illa, poſt mortem mariti, contra prohibitionem legis contraheret cum alio matrimonium, illud teneret, ut tradit *Gl. fin. hic*, & ſic intelligendum eſt illud c., *Alex. de Nevo hic n. 6. in fine.*

Notandum 2. Maritus in caſu hujus cap. non privatur ſpe matrimonii contrahendi, poſt mortem uxoris, cum alia propter homicidium neceſſarium, quod facit ad defenſionem vitæ ſuæ, quia invaſus aliquem occidit, & ſic innocens fuit: ſed mulier machinata eſt in mortem mariti, & miſit aliquem, ut maritum occideret, & ſic culpabilis fuit; ipſique imputatur homicidium a marito patratum: ideoque in pœnam prohibetur poſt mortem mariti nubere alteri, *Abb. hic n. 2. & 3.*

LVII. Notandum 3. Quod autem ſtatutum eſt de muliere, nempe quod maritus, propter inſidias vitæ ſuæ ſtructas, poſſit uxorem dimittere, & poſt mortem ejuſdem aliam ducere, id procedit etiam ex parte mariti, quia hic factum ſolum narratur, ſive caſus contigit in muliere. Quare ſi etiam maritus vitæ uxoris ſuæ inſidiatus fuit, non tamen eam occidit, ſed tantum cum aliis conſpiravit in mortem illius, & aliquis ex illis occiſus fuit, poterit ſimiliter maritus dimitti ab uxore, ſi maritus ei ſufficientem ſecuritatem præſtet, juxta *c. 13. in fine, de reſtit. ſpoliat.* Et ipſe poſt mortem ipſius non poteſt aliam uxorem ducere, quia eſt eadem omnino ratio, *Arg. c. 1. cauſ. 31. q. 6. Caniſ. hic num. 2.*

Notandum 4. Propter inſidias, quas conjux ſtruxit in

vitam

vitam alterius conjugis; etiamſi effectus non ſit ſecutus, ſeparari poſſunt conjuges, quoad torum, & mutuam cohabitationem: nam quoad legem matrimonii punitur affectus, conatus, etiam non ſecuto effectu, dummodo ad actum aliquem externum fuerit perductus; non tamen matrimonii vinculum diſſolvitur, quia adhuc manent conjuges, *Abb. in cit. c. 1. n. 4. h. t. Farinac. in praxi crim. p. 5. q. 143. n. 135. & ſeq.*

§. X.

An propter alias præterea cauſas, divortium inter conjuges poſſit inſtitui?

LVIII. Aſſertio 1. Generatim loquendo, ob grave periculum animæ, ſeu ſalutis ſpiritualis conjugis licitum eſt ſe ab eo per divortium ſeparare, quamdiu tale periculum durat. Ut ſi unus conjux nitatur alterum ad gravia peccata pertrahere; tunc enim licite ab eo divertit, ſeu ſe ſeparat. Ratio eſt, quia Jure naturali, & Divino permiſſum eſt cuique periculum corporis cavere, ergo multo magis animæ, *Sanch. l. 10. de matr. diſ. 17. n. 5.* Imo etiam quiſque tenetur periculum peccati vitare, juxta illud Matth. 18. *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Neque vero ad hoc divortium opus eſt Judicis ſententia, tum quia non eſt perpetuum, ſed temporale: tum quia ob moram eſt periculum lapſus in peccatum, *Sanch. cit. diſ. 17. n. 10.*

LIX. Porro ſecluſo periculo inductionis in peccatum, ob nullum aliud crimen quantumvis grave, præter fornicationem carnalem, & ſpiritualem, licitum inter conjuges divortium inſtituere, ut conſtat ex *c. 2. h. t.* quamvis maritus ad tempus ſe poſſit ab uxore criminoſa ſeparare, cauſa ipſam corrigendi, ſi hoc medium opportunum ad ipſius emendationem eſſe videatur: quod etiam vice verſa, quandoque licebit uxori ad emendandum maritum, ſi commode poſſit, & probabilis ſpes ſit id medium profuturum, quamvis alias regulariter non deceat, nec incumbat mulieri virum corrigere cum ipſa ſit ſubdita viro, at hic ſit caput ipſius, *Sanch. cit. diſ. 17. n. 3. & 4.*

LX. Aſſertio 2. Præterea ob grave periculum vitæ, & ſalutis corporalis, imminens alteri conjugi ex cohabitatione, quod merito etiam virum conſtantem, ac prudentem, ſpectata ipſius perſonæ qualitate, terrere poſſet, licitum eſt conjugi metum paſſo divertere, donec periculum ceſſet, & ſufficiens cautio ipſi præſtetur de malo impoſterum non inferendo, *Sanch. cit. lib. 10. diſ. 18. n. 2.* & patet ex *c. Ex tranſmiſſa 8. & cap. Litteras 13. de reſtit. ſpoliat.* Ratio eſt, quia nemo tenetur, cum tanto ſuo periculo, aut damno, ſive animæ, ſive corporis, aliis obligationibus ſatisfacere, ergo nec obligationi matrimonii.

LXI. Hinc infertur 1. Juſtam cauſam divortii virum præbere uxori, ſi ſit leno, eamque incitet ad adulterium, vel ſodomiam, vel ad furta, *Sanch. cit. diſ. 18. n. 6.*

Infertur 2. Juſtam eſſe cauſam divortii ſævitiem mariti undecunque tandem provenientem, ut ſi uxor juſte metuat mortem, vel mutilationem membrorum, ob ſævitiam viri: vel ſi is gravia, ſeu atrocia verbera uxori inferat, etſi ſua culpa occaſionem uxor dediſſet, *l. Nec timorem 7. §. Proinde, ff. de eo, quod met. cauſ.* Secus eſt, ſi moderatam caſtigationem timeret, quia hanc vir inferre poteſt uxori, non item acrem, & immoderatam verberationem, etiamſi uxor deliquerit, *Sanch. cit. diſ. 18. n. 5.* Non tamen ſufficit ad divortium, ſed ſemel, aut iterum verberatio, quantumvis atrox, præter conſuetudinem viri, ex inſolito, & ingenti iræ motu acciderit, niſi ejuſmodi verberationis ſæpius impoſterum exercendæ probabilis timor adſit, *Sanch. cit. diſ. 18. n. 16.*

Infertur 3. Sufficientem cauſam divortio præbere graves, & frequentes diſcordias, & rixas, quæ nimis moleſtam reddunt cohabitationem inter conjuges, *Sanch. cit. diſ. 18. n. 11.*

Infertur 4. Si alter conjux ſit omnino furioſus, ita ut ſine vitæ, aut alio gravi periculo, cum ipſo habitari non poſſit; tunc divortium inſtitui poteſt, ac debet, ſecus eſt, ſi hujuſmodi periculum abſit; tunc enim etſi moleſtum ſit cohabitare amenti, tamen ea moleſtia toleranda eſt, *quid enim tam humanum eſt, quam fortuitis caſibus mulieris maritum, vel uxorem mariti participem eſſe, l. Si cum dotem 22. §. Si maritus, ff. ſolut. matrim.* *Sanch. cit. diſ. 18. n. 18.*

Infertur 5. Etiam lepra, vel alius gravis morbus contagioſus præbet ſufficientem cauſam divortio, cum tunc alteri conjugi ſano ex cohabitatione grave immineret periculum, *Coning. cit. dub. 4. n. 22. & 23.* Plura de his videri poſſunt apud AA. cit.

LXII. Prædictis addendum 1. Cautio ſufficiens, quæ præſtanda eſt ob ſævitiam viri, cenſetur ea, per quam, arbitrio boni viri, ſatis conſulitur eſt incolumitati uxoris, qualis eſt fidejuſſoria, aut pignoratitia: interdum etiam ſufficit juratoria, ſi probabiliter probetur, virum probum juramenti religionem plurimum revereri, *Sanch. l. 10. de matr. diſ. 18. n. 40. & 41. Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 7. num. 17.*

Addendum 2. Si cauſa divortii, propter grave periculum animæ, vel corporis, notoria ſit, propria auctoritate, divortium inter conjuges fieri poteſt: ſecurius tamen eſt, imo ob ſcandalum vitandum, plerumque neceſſarium eſt, ut ex officio Judicis Eccleſiaſtici id divortium fiat, niſi periculum in mora eſſet, vel non ſit facilis aditus ad Judicem, *Sanch. cit. 18. n. 3. Laym. c. l. n. 18.*

LXIII. Addendum 3. Facto divortio inter conjuges, liberi educari, & ali debent penes conjugem innocentem; & quidem expenſis patris, ſi is divortio cauſam dedit: ſi vero mater dedit, apud patrem, expenſis matris locupletis, niſi pater minus idoneus ſit; tunc enim apud matrem nutriri debent, ut habetur in *Auth. Si pater, C. Divortio facto,* quæ deſumpta eſt ex *Auth. Ut liceat matri, & aviæ, §. Illud collat. 8. Sanch. l. 10. diſ. 20. n. 2. Laym. cit. c. 7. n. 19.* Id tamen limitandum 1. niſi conjux innocens, qui divortio cauſam non dedit, ſit infidelis, is autem, qui in culpa fuit, ſit fidelis; tunc enim in favorem fidei, ne proles in infidelitate educetur, tradenda eſt alteri conjugi fideli, *c. ult. de converſ. infidel.* Limitatur 2. Si culpa viri factum eſt divortium, ſed mulier tranſiit ad ſecundas nuptias; tunc proles non relinquitur educanda ipſi matri, ut colligitur ex *cit. Auth. Si pater & Auth. Si liceat §. Illud Sanch. cit. l.* Limitatur 3. Si mater cauſam dedit divortio, & locuples ſit, pater autem ſit minus idoneus, ſive pauper; tunc apud matrem proles educanda eſt, *cit. Auth. Si pater,* & expreſſius in *cit. Auth. Ut liceat §. Illud.* Idemque ſimiliter dicendum eſt, ſi e contrario pater dedit cauſam divortio & ipſa locuples ſit, mater autem pauper; tunc enim alenda eſt proles apud patrem, quia eadem eſt ratio, & pater, ac mater ſunt correlativa, adeoque diſpoſitum in uno cenſetur etiam diſpoſitum in altero, *Sanch. c. l. n. 4. & Laym. c. l.*

TITULUS XX.

DE DONATIONIBUS INTER VIRUM, ET UXOREM, ET DE DOTE POST DIVORTIUM RESTITUENDA.

Dictum eſt Tit. præcedente de divortiis: ſed quia facto divortio, dos ſolet repeti, & plerumque litigatur de donationibus factis inter conjuges, ideo agitur nunc de donatione facta inter virum, & uxorem, & de dote reſtituenda poſt divortium.

§. I.

An, & qualis donatio inter conjuges ſit invalida, & in quibus caſibus ſit valida, & licita, vel prohibita?

I.

PRæmittendum, duplex eſt donatio inter conjuges, quædam ſimplex, quæ fit gratis, & ex mera donantis liberalitate, *l. 1. in princ. ff. de donation.* quædam vero fit ob cauſam aliquam, qualis eſt donatio ante, ſive propter nuptias, quæ fit a marito uxori, propter matrimonium in compenſationem dotis ſibi datæ: ſicut enim dos affertur a muliere ad maritum, ita hæc donatio fit a marito uxori, ita ut maritus de jure communi teneatur tantum dare uxori, cauſa donationis, quantum ipſe ex cauſa dotis recepit, *Auth. Dos data, C. de donat. propter nupt.* 2. Sicut dos ante, & poſt matrimonium, conſtitui poteſt, ita etiam hæc donatio propter nuptias. 3. In conſtituenda, & augenda, tam dote, quam donatione propter nuptias, ſervanda eſt æqualitas. 4. Sicut dos, ſoluto matrimonio, de jure communi redit ad mulierem, vel patrem dotantem, *l. 2. ff. ſolut. matrim.* ita & donatio propter nuptias redit ad maritum, *§. fin. h. t. §. Eſt & aliud Inſtit. de donat. l. Cum multæ, 20. C. de donat. ante nupt.*

II. His præmiſſis, dicendum, donationem ſimplicem, quæ fit ſolius liberalitatis cauſa, inter virum, & uxorem, conſtante matrimonio, invalidam eſſe, prout expreſſe habetur in *l. 1. 2. & 3. ff. de donat. inter virum & uxorem;* ubi ratio redditur, tum ne conjuges mutuo amore ſe invicem ſpolient: tum ne ſeparentur matrimonia, ſi non donet is, qui poteſt, & ſic matrimonia eſſent venalia, & ne concordia pretio conciliari videatur. Eſt autem, ac dicitur donatio inter conjuges invalida, non quod ſit omnino nulla, cum confirmetur morte donantis, ut infra dicetur: ſed quia a conjuge donante ad libitum revocari poteſt, *Sanch. lib. 6. de matrim. diſ. 1. n. 3.*

III. Id vero extenditur 1. Quod non valeat donatio mere liberalis, etiam inter ſponſum, & ſponſam de præſenti, ante matrimonium conſummatum, *Sanch. c. l. n. 4.* quia eſt eadem ratio prohibitionis. Extenditur 2. Non tantum donatio inter conjuges eſt invalida, ſed etiamſi donatio facta ſit ante contractum matrimonium, ſed ejus effectus differatur in tempus contracti matrimonii, *l. Quod ſponſa 4. C. de donat. ante nupt.* Ratio eſt, quia idem eſt aliquid fieri tempore inhabili, & prohibito, & referri ad tempus inhabile, vel prohibitum, *l. In tempus, 62. ff. de hered. inſtit. l. Eum, qui, 13. ff. de juriſdict. Sanch. cit. diſ. 1. n. 6.* Extenditur 3. Non valet donatio inter conjuges facta etiam per intermediam perſonam, *l. Si ſponſus, 5. in princ. & §. Generaliter, ff. h. t.* Nam paria ſunt per ſe, vel per alium facere; qui enim per alium facit, per ſe ipſum facere cenſetur, *Reg. Jur. 72 in 6. Sanch. c. l. n. 8.* Extenditur 4. Quamvis donatio inter conjuges non valeat, valent tamen inter ipſos alii contractus, ut venditio, permutatio &c. dummodo res vendatur pretio æquivalente rei

vendi-

venditæ: nam ſi remiſſio pretii, animo donandi, cenſetur donatio, & non valet, *Sanch. c. l. n. 11.* Extenditur 5. Legatum tamen inter virum, & uxorem valet, quia quamvis ſit quædam donatio, refertur tamen in tempus diſſoluti matrimonii, quo tempore donatio inter conjuges valet, *Sanch. c. l. n. ult.*

IV. Porro de hac quæſtione, quando, & qualiter donatio facta inter conjuges valeat, vel revocata intelligatur, agitur etiam in *c. 8. & ult.* in priore ejus parte *h. t.* ubi Papa Gregorius IX. ita reſcribit: „ Donatio, conſtante „ matrimonio, inter conjuges facta, ex qua alter locupletior, & pauperior alter efficitur, firmitatem non habet: „ niſi donatoris obitu confirmetur: & penitus evaneſcit, „ ſi revocetur ab eo, tacite, vel expreſſe, vel ſi is, qui donatum accepit, prius debitum naturæ perſolvat.

V. Pro explicatione notandum 1. non tantum de Jure Civili, ſed etiam Canonico, donatio facta inter virum, & uxorem non valet, durante matrimonio, dummodo ex illa donatione donator fiat pauperior, & recipiens locupletior: ergo e contrario ſenſu, ſi donator fiat locupletior, & accipiens pauperior, valet talis donatio, *Abb. hic n. 2. & Alex. de Nevo n. 2.* Tunc autem donator dicitur fieri pauperior, quando dat, ſive donat de ſubſtantia ſua, ita ut diminuatur patrimonium ſuum, *l. Si ſponſus. 5. §. Si maritus*: ibi: *neque enim pauperior fit, qui non acquirit, ſed quid de patrimonio ſuo depoſuit, ſive dedit, ff. h. t.* Si vero maritus donat de matrimonio acquiſito, ſed donat illud, quod poſſet acquirere, ut ſi repudiet hæreditatem, donationis cauſa, ut ea deferatur uxori ſubſtitutæ, vel ſi fuerit relictum, vel legatum uxori cum onere, ut det aliquid marito, & hic donet illud uxori, tunc valet donatio, licet propter donationem maritus deſinat acquirere, quia non fit pauperior, quia non acquirit, ut jam dictum, *Alex. de Nevo hic n. 17. & 18.*

Notandum 2. Donatio inter conjuges facta, durante matrimonio, non eſt omnino invalida, quia confirmatur morte donantis, niſi expreſſe revocetur, quia tacitum, & expreſſum æquiparantur, quando eſt eadem utriuſque ratio, alias ſecus, *cap. Ex litteris. 7. de jure patron. Alex. hic n. 4.*

VI. Notandum 3. Tres recenſentur in hoc c. caſus, in quibus donatio facta inter conjuges, durante matrimonio, omnino revocatur, ita ut non confirmetur morte donatoris. Primus eſt ſi donatio fuit per donatorem tacite revocata. Veluti 1. ſi divortium inter conjuges ſequatur, *l. Sed interim 11. §. fin. l. Cum hic ſtatus. 32. §. Si divortium ff. h. t. l. A morte 18. C. eod.* ex mutuo conſenſu, & beneplacito factum eſſet divortium, aut aliunde conſtaret, donatorem velle, ut nihilominus donatio valeat, *cit. l. A morte, Molin. tr. 2. de juſt. diſ. 289. n. 12. Sanch. l. 6. matr. diſ. 15. n. 10.* Secundo, ſi donans vendat, permutet, legat; vel donet eandem rem alteri, imo ſi pignori eam tradat, vel ſpeciali hypothecæ ſubjiciat, tacite cenſetur revocata donatio, ſi conſtet de voluntate donantis ipſum velle, ut donatio perſiſtat, *cit. l. Cum hic ſtatus. §. Si maritus, Molin. c. l. Sanch. c. l. n. 5.* Tertio, ſi conjux donatarius mores mutet in detrimentum donantis, ut ſi uxor donataria adulterium committat, revocata cenſetur donatio, *Sanch. c. l. n. 11.* Plura exempla, per quæ tacite cenſetur revocata donatio inter conjuges videri poſſunt apud *cit.*

Secundus caſus eſt, ſi expreſſe revocetur donatio inter conjuges, ut ſi donator eam revocet, & v. g. dicat, ſe pœnitere donationis a ſe factæ, *cit. l. Cum. hic ſtatus. §. Ait oratio ff. h. t.* vel ſi maritus ea, quæ donavit, poſtea alii donavit, vel alio modo alienavit, *Gl. hic V. Tacite, vel expreſſe.* Tertius caſus eſt, ſi prius moriatur donatarius, ut habetur hic in fine.

VII. Addunt communiter DD. quartum caſum, in quo tacite revocatur donatio inter conjuges, qui tamen non ponitur in hoc cap. nempe ſi res donata non fuit tradita donatario: nam tunc morte donantis non confirmatur, omnia quippe jura, quæ dicunt donationem inter conjuges confirmari, vel validam fieri per mortem donatoris, vel donatarii, intelligi debent, ſi traditio rei donatæ intervenerit, ſive vera, ut fit quando rei donatæ poſſeſſio in donatarium actu transfertur: ſive ficte traditio, ut ſi maritus donet aliquid uxori, & dicat, ſe poſſidere rem illam precario, nomine uxoris, *l. Quod meo. 18. ff. de acquirend. poſſeſſ.* Item ſi uxor debebat centum marito & hic animo donandi remiſit ei debitum; nam iſta liberatio habet vim traditionis, *cit. l. Cum hic ſtatus. §. Si ſponſus. ff. h. t.* & hic eſt ficta traditio, quia fingitur mulierem ſolviſſe marito, & hunc deinde donaſſe, & tradidiſſe uxori, *Alex. de Nevo hic n. 6.*

Verum hæc procedunt quidem de jure Veteri Digeſtorum: ſed quia hodie ex Conſtitutione Juſtiniani in donatione inter vivos non requiritur traditio rei donatæ, *l. Si quis 35. §. fin. C. de donat. & §. Perficiuntur Inſtit. eod.* ideo neque in donatione inter conjuges, ſed derogatum eſt Juri Veteri per Novell. 162. quæ licet in antiquioribus Codicibus non reperiatur, extat tamen in recentioribus, teſte *Henric. Caniſio hic n. 9.* in qua re fides ſit penes Auctorem.

VIII. Præterea in *cit. c. 8. & ult. §. Sane h. t.* additur: „ ſicut dos, ſoluto matrimonio, ad mulierem: ſic & donatio propter nuptias redit ad virum: niſi de conſuetudine ſecus obtineat, vel ex pacto inter virum, & uxorem de lucrande dote, vel donatione propter nuptias, „ quod æquela ſit tamen ex utraque parte, hinc inde contrarium inducatur.

IX. Ubi notandum 1. De Jure communi ſoluto matrimonio, dos revertitur ad mulierem, vel ad ejus hæredes, & donatio propter nuptias ad maritum, vel ejus hæredes, adeoque de jure communi maritus nihil lucratur de dote, nec mulier de donatione propter nuptias, *Alex. de Nevo hic in cit. §. Sane n. 2*

Notandum 2. valet conſuetudo, & pactum de lucranda dote, & de lucranda donatione propter nuptias, & multo magis valet tale ſtatutum quia hoc habet expreſſum conſenſum Principis conſuetudo vero tacitum, *l. De quibus. 32. ff. de legib. Alex. de Nevo c. l. n. 3.*

X. Notandum 3. Soluto matrimonio, dos redit ad uxorem non indiſtincte, ſed tres caſus ſunt diſtinguendi. Veluti 1. Quando mulier ſe ipſam dotavit, ex propria ſubſtantia, tunc redit ad ipſam, ſoluto matrimonio, quia præſumitur ſibi ſtipulata dotem reddi, *l. unic. in princ. C. de rei uxor. act.* Secundo ſi extraneus, hoc eſt, qui non habet mulierem in ſua poteſtate, fuit ſtipulatus dotem ſibi reddi; tunc ad ipſum, ſoluto matrimonio, dos revertitur, alias ad mulierem, *cit. l. unic. §. Accedit. C. eod.* Tertio quando pater dedit dotem pro filia, & ſtipulatus fuit eam ſibi reddi, ſoluto matrimonio: tum dos revertitur ad ipſum; vel dedit dotem ſimpliciter, & tunc competit actio pro dote communiter patri, & filiæ, *l. 2. ff. ſolut. matrim.* & ſi filia efficitur ſui juris, per mortem patris, vel ejus emancipationem, dos efficitur filiæ, eique competit actio, qui erit profecta e patre, idque etiamſi extent liberi ex ipſa filia, *l. 2. ff. ſolut. matrim. & lib. Dos 4. Cod. eod. Abb. in cit. c. ult. §. Sane. n. 10. h. t. & Alex. de Nevo. n. 5. eod.*

XI. Notandum 4. Poſt matrimonium contractum, debet eſſe æqualitas dotis, & donationis propter nuptias, non ſolum in quantitate: ſed etiam eſſe debet æqualitas in lucris ex pacto provenientibus ut habetur in *cit. §. Sane, in fine*; nam ſi pactum de lucranda dote ſit majus, quam pactum de lucranda donatione propter nuptias, maritus non plus lucrabitur de dote, quam uxor de donatione propter nuptias, *Auth. de æqualitate dotis collat. 7. §. Hoc igitur.* Secundo, ſi ſit pactum factum de lucranda dote, & non de lucranda donatione propter nuptias, ut ſervetur æqualitas, pactum dotis trahitur ad donationem propter nuptias, *l. Cum multa. 20. & ult. §. Sin autem donatio C. de donat. ante nupt.* et proinde ſicut vir lucratur dotem; ita & mulier donationem propter nuptias, etiamſi nihil de ea actum ſit, *l. fin. C. de pact. convent.* Tertio ſicut poteſt conſtitui dos durante matrimonio; ita etiam donatio propter nuptias. *§. Et aliud Inſtit. de donat.* Quarto ſicut fit augmentum dotis ante matrimonium, & conſtante matrimonio; ita etiam fit augmentum donationis propter nuptias, *l. Si conſtante. 19. De donat. ante nupt. Abb. in cit. c. ult. h. t. n. 11. Alex. de Nevo ibid. n. 6.* ubi ex Innocent. ait, quod debeat eſſe æqualitas, poſt nuptias contractas, ſed ante illas contractas, poteſt eſſe inæqualitas in quantitate dotis, & donationis propter nuptias, & in pactis ſuper lucris. Idque procedere ait *Abb.* de Jure Authenticorum. Verum hodie in multis locis per conſuetudinem ſublata eſt donatio propter nuptias, ita ut ſæpe ea non fiat, ſed conſtituatur dos mulieri, ſine reciproca donatione propter nuptias. Sed ubi non eſt talis conſuetudo inducens inæqualitatem inter dotem, & donationem propter nuptias, vel diſponens, ut omnino non fiat donatio propter nuptias, ſervari debet diſpoſitio Authenticæ *Æqualitas, C. de pact. convent.* ut notat *Alex. de Nevo cit. ult. §. Sane h. t. n. 6.* prope finem.

XII. Cæterum plures caſus Jure ſunt expreſſi, in quibus valida eſt donatio inter virum, & uxorem. Veluti primo, quando Imperator, vel Rex donat uxori, vel vice verſa, Imperatrix, aut Regina marito, *l. pen. C. h. t.* & tradunt *Azor. p. 3. lib. 11. c. 20. Leſſ. l. 2. de juſt. c. 18. dub. 10. Sanch. l. 6. de matr. diſ. 3.* Idemque eſt de alio ſupremo Principe, ejuſque uxore. Secundo ſi vir donet uxori pecuniam ad reficiendas ædes dotales incendio conſumptas, *l. Quod ſi vir. 14. ff. eod.* Tertio quando uxor marito donet, ut aliquem dignitatem, vel honorem conſequatur, *l. Quod adipiſcendæ. 40. ff. h. t.* Quarto ſi donetur in tempus ſoluti matrimonii, nimirum ut res fiat conjugis donatarii, quando alteruter conjux obierit, *l. Sed interim. 11. §. 1. ff. h. t.* quia paria ſunt facere aliquid tempore permiſſo; & referre in idem tempus, ut donatio eſt licita, ſoluto matrimonio, *Sanch. cit. diſ. 3. n. 8.* Quinto ſi vir uſuras dotis non ſolutas remittat, de quarum ſolutione conventum erat, *l. Vir uſuras. 54. in princ. ff. h. t.* Sexto ſi vir donet uxori quid annuum, vel menſtruum ad eam ſuſtentandam, modo donatio non excedat vires, id eſt, fructus dotis, *l. Ex annuo. 15. & ibi Gl. ff. h. t.* Septimo donatio facta favore Religionis, valet inter conjuges, ut fiat ad oblationem Dei, vel ſepulturæ cauſa, *l. Si ſponſus. 5. §. Conceſſa, & §. Proinde. ff. h. t.* Octavo ſi conjuges ſibi donent, exilii cauſa, valet donatio, ut ſi vir donavit uxori, cum expectaret mitti in exilium ob delictum, eo ſecuto, confirmatur donatio, *l. Inter. 43. ff. eod.* Nono ſi alter ex conjugibus utatur ſervis, vel animalibus alterius, vel gratis habitavit in domo alterius, valet donatio, *l. Si vir. 18. ff. h. t.* Decimo ſi donata ſint exigui pretii, *l. Sed vir. 31. §. Si vir, & l. Ex annuo 15. ff. h. t.* argumento ſumpto a contrario ſenſu, *Barb. in Collect. in c. ult. h. t. n. 17.* apud quem, & alios *DD. cit.* plura de his videri poſſunt.

§. II.

§. II.

Quænam præterea donationes inter conjuges valeant, vel non?

XIII. Quæritur 1. Utrum donatio remuneratoria inter conjuges ſit valida? Reſp. donatio, quæ fit cauſa remunerationis, non eſt prohibita inter conjuges, ſed valida. Unde ſi vir donavit uxori rem aliquam, & uxor viciſſim marito aliam, valet donatio, quia fit hinc inde quædam compenſatio donationum, ſi vir, & uxor ſibi invicem donent, *Abb. in cit. c. ult. n. 7. h. t. Alex. de Nevo ibid. Sanch. l. 6. de matr. diſ. 6. n. 11.* & alii apud ipſum. Ratio eſt, quia donatio remuneratoria non eſt abſoluta, & mera liberalis donatio, qualis ſolum eſt prohibita inter conjuges, ut ſupra dictum, ſed fit ob præcedentia merita, & obſequia, alias non debita, adeoque digna remuneratione, ita ut donans, non quidem ex lege juſtitiæ, ſed naturali lege gratitudinis obligetur ad antidora, ſive ad remunerationem beneficii accepti, *Sanch. c. l. n.* 2. Quod ſi donatio excedat merita, quoad exceſſum eſt donatio ſimplex, *c. Relatum* 12. ibi: *juxta ſervitii meritum, de teſtam. Jul. Clarus §. Donatio. q. 3. n. 1. Sanch. c. l. n.* 6. Neque vero requiritur, ut merita omnino ſint æqualia donationi, ſed ſatis eſt, ſi ſint æquipollentia, id quod arbitrio prudentis relinquendum eſt, ſpectata qualitate donantis, an nobilis ſit, vel dives: nam nobiles, & divites magis obſequia ſibi præſtita remunerare ſolent, *Sanch. l. c. n.* 10.

XVI. Quæritur 2. Utrum donatio mortis cauſa facta inter conjuges valeat? Reſp. affirmative, ut expreſſe habetur in *l. Si tum 9. in fine & l. ſeq. ff. h. t.* ubi ratio redditur, *quia in hoc tempus excurrit donationis eventus, quo vir, & uxor eſſe deſinunt*, ceſſantque rationes poſitæ in *l. 3. in princ. ff. eod. Gl. margin. in cit. l.* 10. Illud tamen ſpeciale eſt, non transferri per donationem mortis cauſa factam inter conjuges, dominium rei donatæ, donec mors donantis ſequatur, ut habetur in *cit. l. Sed interim.* 11. *in princ. ff. h. t.* ſive conjux cauſa mortis donans dederit alteri conjugi rem ſic donatam, ſive non tradiderit, ſed ſolum promiſerit, *Molin. tr. 2. de juſt. diſ. 288. n. 17. Sanch. l 6. diſ.* 10. *n.* 1. Si tamen donatio cauſa mortis, ea conditione fieret inter conjuges, ut irrevocabilis eſſet, non valeret, quia tranſiret in donationem inter vivos, *l. Ubi ita 27. ff. de mort. cauſ. donat.* ubi dicitur, *quod talis mortis cauſa donatio perinde haberi debet, ac alia quævis inter vivos donatio, ideo inter viros, & uxores non valet, Sanch. c. l. n.* 2. apud quem plura de hac re videri poſſunt.

XV. Quæritur 3. Utrum donatio facta inter conjuges, qui non ſunt legitimi conjuges, ſed ſolum putativi, ſive putant ſe eſſe conjuges, valeat? Reſp. ſi utrique conjugi conſtet, matrimonium eſſe nullum, v. g. ob impedimentum dirimens, tunc donator non poteſt repetere rem donatam, ſed fiſcus eam ſibi vindicare poteſt, ut expreſſe habetur in *l. Cum hic ſtatur. 32. §. fin.* & ibi *Gl. ff. h. t. Sanc. lib. 6. diſ.* 2. n. 2. Reſp. 2. quando ſolus conjux donans ſcivit, matrimonium eſſe nullum, & ignoranti conjugi aliquid legavit, valet legatum, illudque uxor ſibi acquirit, nec poteſt fiſcus id ab eo auferre, *arg. l. ult. ff. de legat. 1. Molin. tr. 2. de juſt. diſ. 200. n. 5. Sanch. cit. diſ. 2. n. 3.* & eſt communis DD. ſententia. An autem idem procedat in acquiſitis a conjuga ignaro nullitatis matrimonii, per donationem, vel alium contractum inter vivos, ut ſi conjux conſcius nullitatis matrimonii donavit aliquid ignoranti; donatio illa acquiratur conjugi bona fide ignoranti, nec fiſco competat repetitio, dubitatur; Idque verius videtur, quia argumentum a contractibus ad ultimas voluntates, & e contra valet, quando nulla ratio differentiæ aſſignari poteſt: ſecus eſt, ſi uterque conjux in mala fide conſtitutus, ut in *l. Cum hic ſtatur. 32. §. fin. h. t.* tunc enim fiſco applicanda eſt donatio, *Molin. c. l. n. 8. Sanch. cit. diſ. 2, num.* 4.

XVI. Reſp. 3. Quando conjux donatarius conſcius eſt nullitatis matrimonii, ſed donator in bona fide eſt conſtitutus: tunc donatio (idemque eſt de legato) non valet, adeoque res donata ipſi donanti, & poſt mortem ejus, hæredibus ejus reſtitui debet, prout de donatione diſponitur in *cit. l. Cum hic ſtatus. §. Si quis ſponſam ff. h. t.* Ratio eſt, quia talis donatio ex errore procedit; nam donans putat legitimum eſſe matrimonium, nihil autem magis contrarium eſt conſenſui, quam error, *Si per errorem 15. ff. de juriſdict.* Item conjux ignarus nullitatis matrimonii, nihil deliquit, ergo non debet ſuis bonis privari, eaque fiſco applicari, ob delictum, & dolum alterius, *Sanch. cit. diſ.* 2. n. 7.

XVII. Reſp. 4. Quando uterque conjux eſt ignarus nullitatis matrimonii, & bona fide putat illud valere, tunc donatio inter eos facta eſt invalida. Idque colligitur ex *l. Si ex voluntate. 7. C. h. t.* ubi in Summa dicitur, licet donatio inter conjuges putativos teneat, ipſo jure, ſive potius in rigore juris videatur valere: non tamen valet in effectu, quia revocari poteſt, & donator rem donatam repetere. Idque etiam probatur ex *cit. l. Cum hic ſtatus. 32. §. Si quis ſponſam. ff. eod.* ubi dicitur, donationem factam uxori putativæ non valere, ſed donantem eam revocare poſſe: ibi que etiam ratio redditur, *quia non quaſi ad extraneam, ſed, quaſi ad uxorem fecit*. Confirmatur, quia talis donatio facta uxori putativæ procedit ex errore, qui conſenſum excludit, & conſequenter eſt invalida, *Sanch. cit. diſ. 2. n.* 9.

§. III.

Quibus modis donatio invalida inter conjuges confirmetur.

XVIII. Aſſertio 1. Tribus modis confirmatur: & in primis quidem per juramentum adjectum, ita ut donatio ab uno conjuge alteri facta, accedente juramento fiat irrevocabilis, & eo ipſo valida, ut docet *Abb. in c. ult. h. t. n. 9. Azor. p. 3. l. 11. c. 10. q. 2. Molin. tr. 2. de juſt. diſ. 289. num.* 22. *Sanch. l. 6. diſ. 11. n.* 2. & eſt receptior ſententia. Idque probatur: tum quia hæc donatio primo, & principaliter non prohibetur, favore publicæ utilitatis, ſeu boni communis, ſed ſolum ob privatam utilitatem ipſorum conjugum, ne mutuo amore ſe ſpolient, & alter fiat ditior, cum alterius jactura, quod nullum peccatum involvit, nihilque contra bonos mores naturales, ſed ſolum civiles, qui ad ſervandam civilem ſocietatem pertinent, qualis eſt hæc prohibitio donationis, inter conjuges, quia expedit Reipubl. ne quis re ſua male utatur, *Caniſ. in cit. c. ult. n.* 8. & Jure Civili multa ſunt prohibita, quæ tamen Jure Canonico, ratione juramenti, ſubſiſtunt; ut pactum de non ſuccedendo, & aliis, de quibus alibi: quo caſu confirmatur contractus per juramentum, cui accedit: item quia tale juramentum ſervari poteſt, ſine diſpendio ſalutis æternæ, ideoque ſervandum eſt, cum non ſit præſtitum ſuper promiſſione, quæ dici poſſit eſſe contra bonos mores naturales. Tum quia quando contractus prohibetur principaliter, ob privatam utilitatem, nec turpitudinem aliquam continet, ex parte creditoris, tunc confirmatur per juramentum, ut docet *Sanch. cit. l. & l. 1. de Sponſal. diſ. 32. n.* 2. Tum denique quia donatio facta inter conjuges, favore Religionis, & piæ cauſæ, eſt valida, ergo etiam valebit propter juramentum adjectum, cujus magna eſt religio *Sanch. c. l.* 8.

XIX. Aſſertio 2. Alter modus, quo confirmatur donatio alioquin irrita inter conjuges, eſt, per per mortem naturalem donantis, prout expreſſe habetur in *cit. c. ult. h. t.* ibi: *vel ſi qui donatum accepit, prius debitum naturæ perſolvat*; tunc enim valida redditur. Idem ſtatuitur in *l. Papinianus. 32. & l. Cum hic ſtatus. 32. §. 1.* ibi *Gl. V. Donationibus. ff. eod. & l. Donationes. 25. C. eod. Sanch. l. 6. diſ.* 14. n. 1. & alii communiter. Ratio eſt, quia tunc ceſſat cauſa, ob quam prohibita eſt talis donatio, ne ſcilicet mutuo amore ſe ſpolient, quia poteſt unus conjux alterum libere inſtituere hæredem, ipſique legare: nam cum donator in vita donationem non revocaverit, præſumitur in eadem mori velle, & conſequenter tunc rem donatam velle relinquere, vel legare, niſi de contrario conſtet.

Porro ad hoc, ut talis donatio morte confirmetur, quatuor conditiones requiruntur. 1. Ut donans adhuc vivens tradiderit rem donatam, ut probatur ex *l. Papinianus. 23. ff. h. t. & l. Res. 24. C. eod.* Ratio eſt, quia ſi res donata non ſit tradita, deeſt ſubjectum, quod confirmetur; ſufficit autem etiam traditio ficta, *Sanch. c. l. n. 6. & 7.* Secunda conditio eſt ad confirmandam donationem invalidam inter conjuges, ut conjux donans prius moriatur; ſi enim donatarius prius decedat, donatio erit omnino invalida, *cit. c. ult. in fine. princ. cit. l. Cum hic ſtatur §. Si divortium ff. eod.* Tertio requiritur, ut donatio inter conjuges non excedat ſummam 500. aureorum abſque inſinuatione Judici facta, alioquin morte confirmari non poterit, *l. Donationes. 25. C. h. t.* Quarto requiritur, ut in eadem voluntate permaneat uſque ad mortem, eamque nec expreſſe, nec tacite revocaverit, *cit. c. ult.* de quo ſupra.

XX. Aſſertio 3. Donatio inter conjuges invalida confirmatur etiam morte civili donantis, ut ſi donans in exilium mittatur, & civitatem perdat, *arg. l. Sed mort. 13. ff. h. t.* ubi id habetur de donatione cauſa mortis, idemque dicendum de donatione inter conjuges, quæ ſimilis eſt illi, *Sanch. l. 6. diſ. 17. n.* 3. non autem confirmatur hæc donatio, ſi donans efficiatur ſervus hominis, *cit. l. Cum hic ſtatus. §. Si donator ſervus ff. h. t. Sanch. c. l. n.* 4.

Utrum autem donatio invalida inter conjuges confirmetur per profeſſionem Religioſam conjugis donantis, dubitatur? Ad quod reſpondetur, ſi Religio poſſideat bona in communi, ea donatio non confirmatur, ſed expectari debet naturalis mors donantis, & ut is prius moriatur, quam donatarius: ſi vero Religio incapax ſit poſſidendi bona in communi, confirmatur donatio per illam Profeſſionem, ſicut confirmaretur per mortem naturalem donantis, *Sanch. cit. diſ. 17. num. 8. & 9.* ubi etiam rationem diverſitatis addit.

§. IV.

Quænam præterea ſtatuta ſunt circa donationem propter nuptias in hoc Titulo?

XXI. Donata a marito propter nuptias uxori, cum pacto, ut maneant penes uxorem, ſi contingat eos divortium ſeparari, ſed poſtea reperiatur matrimonium eſſe nullum, propter impedimentum dirimens conſanguinitatis, & donata a marito faciant difficiliorem ſeparationem, ac diſſolutionem talis matrimonii; tunc a viro donata ipſi ſunt reſtituenda, quia non ſunt dos, nec donatio propter nuptias, cum matrimonium ſit nullum, prout ſumitur ex *c.*

Etſi neceſſe. 5. h. t. Ubi habetur, ut refert *Gl.* in caſu, quod Rex Legionenſis accepit in uxorem filiam Regis Caſtellæ, eique Caſtra quædam dedit in dotem (id eſt, in donationem propter nuptias, quam fecit maritus uxori, *Gl. hic V. In dotem*) ita ut ſi aliquo caſu vir ipſam relinqueret, Caſtra illa cederent in jus ejus. Verum ipſe Rex, & filia Regis ſimul manere non poterant propter conſanguinitatem. Quare mandavit Papa Innocentius III. eos ab invicem ſeparari. Sed Rex Legionenſis nolebat eam dimittere, niſi Caſtra ſibi reſtituerentur. Conſultus Papa reſcribit, cum Caſtra, quæ impedimentum præſtant copulæ diſſolvendæ, non tam ob turpem cauſam, quam ob nullam cauſam ſint data, quippe cum inter eos matrimonium non exiſtat, adeoque nec dos, nec donatio propter nuptias, ne ad commodum ei cedat, quod debet in pœnam ejus potius redundare, Caſtra ipſa reſtitui debent marito, & ad id puellam per ſententiam excommunicationis cogendam eſſe.

XXII. Notandum 1. Si dos hic non pro donatione propter nuptias, ſed proprie accipiatur, tunc maritus licite dotat uxorem, id eſt, dotem ei conſtituit ex propria ſubſtantia: ubi talis eſt conſuetudo, ut in Hiſpania, ut viri dotent uxores: quod tamen intelligi debet, ſi talis donatio dotis fiat ante contractum matrimonium; ſecus ſi poſt illud: vel ſi conferatur effectus talis donationis in tempus matrimonii; tunc enim non valeret, *l. 4. C. de donat. ante nupt.* niſi plebejus duceret in uxorem nobilem, tunc enim videretur donaſſe, cauſa compenſandi nobilitatem, *Abb. hic n. 2. & Alex. de Nevo n. 2.*

Notandum 2. Non valent pacta inter conjuges, quæ diſſolutionem matrimonii contra Juris diſpoſitionem impediunt, vel difficiliorem reddunt, quia matrimonia debent eſſe libera in contrahendo, & diſſolvendo, *l. ut vetera 3. de inutil. ſtipul. Abb. hic n. 3. & Alex. de Nevo n. 3.*

Notandum 3. Quod datum eſt prætextu, ſive ratione matrimonii, repeti poteſt, ſi matrimonium non ſubſiſtat, tanquam datum ſine cauſa, *l. ult. ff. de condict. ſine cauſ.* & ubi non eſt matrimonium, nempe validum, ibi nec dos, nec donatio propter nuptias eſſe poteſt: nam quando principale non tenet, nec acceſſorium tenet, & ita ubi matrimonium eſſe non poteſt, nec dos, aut donatio propter nuptias eſſe poteſt, *Gl. hic in notat. Abb. num. 4. & Alex. de Nevo num. 5.*

Notandum 4. Non debet quis ſentire commodum, unde pœnam debet potius ſuſtinere; ut in caſu hujus cap. non debet mulier lucrari dotem, vel donationem propter nuptias; quæ impediebat diſſolutionem matrimonii illiciti, *Vivian in Ration. hic.*

XXIII. Cæterum licet in caſu hujus cap. Rex Legionenſis, & filia Regis Caſtellæ, qui conſanguinei erant, in gradu lege Canonica prohibito contraxerint matrimonium ſcientes, quod non poſſint contrahere, ob impedimentum conſanguinitatis; quia tamen non poterat pax inter eos Reges ſtabiliri, niſi Caſtra illa reſtituerentur Regi Legionenſi, qui illa dedit in dotem filiæ Regis Caſtellæ: Adeo Papa ex officio propter bonum pacis voluit, & præcepit ſub pœna excommunicationis, illa Caſtra reſtitui a filia Regis Caſtellæ, cui in dotem data fuerunt a Rege Legionenſi, *Gl. fin. hic* & hæc expoſitio colligitur ex ipſo textu, ubi dicitur, quod iſta Caſtra præſtent impedimentum hujuſmodi copulæ diſſolvendæ: ſi ergo Papa voluit illa Caſtra reſtitui, ne præſtent prædictum impedimentum, debebant reſtitui ipſi Regi Legionenſi, qui non conſentiret in diſſolutionem matrimonii, niſi Caſtra ſibi reſtituerentur, ut tradit *Alex. de Nevo hic n. 14.* in ro. lectura, ſeu expoſit.

XXIV. Præterea in *Nuper. 6. h. t.* quæſitum fuit, ſi alicui data ſit terra aliqua, non in hæreditatem, vel ſeudum perpetuum, ſed tantum quoad vixerit, poſſidenda, ita ut eſſet quaſi uſufructuarius, ipſe vero poſtea tertiam partem illius terræ uxori ſuæ concedat in dotem (vel det in donationem propter nuptias, *Hoſtienſ. hic V. In dotem*) utrum viro mortuo, uxor prædictam dotem, vel donationem habere, & retinere poſſit, dum vixerit, quia Eccleſia dotes viduarum protegere tenetur. Item quæritur, ſi quis filio ſuo ex legitimo matrimonio genito aliquam terram in hæreditatem, vel feudum dedit: ille autem partem illius terræ dedit uxori ſuæ in dotem, vel donationem propter nuptias, & poſtmodum deceſſit ſine prole, ipſa mulier poſſit retinere donationem illam? Conſultus Papa ad primam quæſtionem reſpondet: cum regulariter nullus plus juris in alium transferre poſſit, quam ipſe habeat, vir ille, cui terra tali modo conceſſa fuit, non poteſt uxori aliquid ex ea relinquere poſſidendum (ſcilicet in perpetuum, tanquam hæreditatem, vel feudum) quod et non licuit, niſi quoad viveret, poſſidere: & ideo neque uxor ſuæ licet partem illius terræ in donationem propter nuptias ex viri conceſſione poſſidere, niſi donationi illi is, ad quem ſpectat dominium terræ illius, conſenſerit. Idemque de ſecunda quæſtione dicendum eſt, quod de prima. Quamvis autem Eccleſia in cauſis viduarum ſe favorabilem exhibere debeat, non tamen eis contra juſtitiam eſt favor Eccleſiæ concedendus. Additur in fine, quod uxor dicitur dare viro dotem, vir autem uxori facere donationem propter nuptias, ſecundum legitimas Sanctiones, *l. 3. & l. ult. §. Sancimus. C. de donat. ante nupt.*

XXV. Notandum 1. Conceſſio alicujus rei varie intelligi poteſt, nam quandoque res conceditur, ſeu datur in hæreditatem ita, ut is, cui datur, poſſit pro libitu de ea diſponere, tanquam de re propria: quandoque conceditur in feudum, ita ut utile dominium tranſeat in vaſſallum, & directum, ſeu proprietas maneat penes dominum: quandoque conceditur alicui, dum vixerit, ut uſusfructus rei, *Alex. de Nevo hic n. 2.*

Notandum 2. Uſufructuarius non poteſt jus uſusfructus, ſive fruendi, & utendi re aliena cedere alteri, quam domino ſine conſenſu ejuſdem: alioquin ſi cedat alteri jus uſusfructus, is ad proprietatem revertitur; poteſt tamen cedere alteri poteſtatem percipiendi fructus: nam ſi poſſet jus uſusfructus cedere alteri, non finiretur uſusfructus per mortem cedentis, ſed per mortem illius, cui facta eſt ceſſio. Unde non poteſt vendere uſufructuarius ipſum jus uſusfructus alteri, quam domino rei, ſine conſenſu illius, & ſi vendat alteri, venditio non tenet; poteſt tamen vendere perceptionem fructuum; & ſic intelligi debet, quando hic dicitur, quod vir dedit in dotem tertiam partem perceptionis fructuum ipſius rei uſufructuariæ, *Alex. de Nevo hic n. 6.* Similiter vaſſallus non poteſt concedere feudum, ſeu partem feudi filiæ ſuæ in dotem, vel donationem propter nuptias ad vitam illius, ſine conſenſu Domini, quia hæc eſt quædam alienatio, *Clem. 1. de reb. Eccleſ. non alienand.* idemque eſt de Emphyteuſi, *Alex. de Nevo hic n. 7.* Poteſt tamen commoditatem fructuum, abſque conſenſu Domini, concedere in dotem, quia per talem conceſſionem non transfertur utile dominium, nec jus aliquod in re conſtituitur, ſed oritur ſola obligatio perſonalis ad fructus ex re percipiendos, unde talis conceſſio non eſt alienatio, nec prohibita, ad quodcunque tempus fiat, & morte vaſſalli expirat, & redit ad illum, ad quem tranſitura fuiſſet, ſi in dotem data non eſſet, *Barboſ. in Collect. hic num. 3.* poſt *Molin.* Putat tamen *Alex. de Nevo c. l. n. 7.* hoc ſpeciale eſſe, ut poſſit feudum dari in dotem, vel donationem propter nuptias ad vitam ejus, cui datur.

Notandum 3. Eccleſia tenetur defendere dotes viduarum tanquam miſerabilium perſonarum, non tamen contra juſtitiam, & in præjudicium, ſeu damnum alterius, quia etiam ratione cauſæ piæ, & favorabilis, non eſt violanda juſtitia, nec alteri inferenda injuſtitia, & juxta vulgatum illud, non eſt denudandum unum Altare, ut operiatur aliud, *Alex. de Nevo hic n. 3. & 4.*

Notandum 4. Maritus dat uxori donationem propter nuptias, uxor autem dat viro dotem, & ambæ pari paſſu ambulant, & ſunt æque favorabiles, exceptis caſibus in Jure expreſſis, *Barboſ. in Collect. in c. Etſi. 5. h. t. n. 3.*

§. V.

De reſtitutione dotis.

XXVI. Quæritur 1. Quando dos reſtitui debeat? Reſp. ſi matrimonium ex licita cauſa ſeparetur, dos eſt reſtituenda uxori, prout ſtatuitur in *c. Mulieris. 1. h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio habito apud Wurmatiam: ubi præcipitur, ut ſi mulieres pro aliqua licita cauſa a propriis viris fuerint ſeparatæ, tota dos ipſis reddatur.

Ubi notandum 1. Quia dos eſt acceſſoria ad matrimonium, datur enim ad ſuſtinanda onera illius, *c. Salubriter. 16. de uſuris;* ideo diſſoluto matrimonio, propter conſanguinitatem, affinitatem, vel ſimile impedimentum Canonicum, quod ignorabatur ſubeſſe inter contrahentes, dos reſtitui debet mulieri, quia cum inter illos non fuerit verum, & legitimum matrimonium, recte præcipitur dos reſtitui, quippe quæ ſine matrimonio conſiſtere non poteſt, *Gl. hic* in caſu, & *Abb. in princ.* quæ expoſitio etſi in ſe vera ſit, non tamen congruit litteræ textus, quia loquitur de illis *mulieribus, quæ a propriis viris ſunt ſeparatæ*, quæ verba non de putativis viris, qui proprii viri non ſunt, ſed de veris conjugibus ſunt intelligenda, *Barb. hic n. 7.*

Notandum 2. Si quæratur, ſitne dos reſtituenda uxori, vel non? diſtinguendum eſt, utrum culpa mariti matrimonium judicio Eccleſiæ fuerit ſeparatum, quoad torum, & mutuam cohabitationem: & tunc dos reſtituenda eſt uxori, qui eſt caſus hujus cap. Vel an culpa uxoris, ut ſi ipſa adulterium commiſit; & tunc reſtitutio dotis ei fieri non debet, juxta *c. Plerumque 4. h. t.* de quo infra. Nam quando matrimonium, ob culpam uxoris, auctoritate Eccleſiæ fuit ſeparatum, nec dos reſtitui debet a viro uxori, nec alimenta ipſi præſtari, durante cauſa divortii; ſi vero neque culpa viri, neque uxoris divortium ſit factum, & ad tempus tantum, tunc etiam non debet uxori dos reſtitui; neque locum habet deciſio hujus cap. Si denique perpetuum divortium ſit factum, ex tacito pacto inter conjuges inito, tenetur quilibet eorum alteri reſtituere, quod ab eo accepit, *Barb. hic n. 5.*

XXVII. Notandum 3. Dos integra reſtitui debet uxori a marito, in caſu hujus cap. Nam licet alias maritus non teneatur reſtituere uxori ultra id, quod facere poteſt, *l. Maritum. 13. ff. ſolut. matrim. l. Non tantum 20. ff. de re judic.* Hoc tamen privilegium juris, quod maritus habet, ut ſi condemnetur ad reſtituendum dotem uxori, tenetur

ſolum

ſolum dare, quatenus commode facere poteſt, ne egeat, competit, non putativis, ſed veris maritis, quia id conceſſum eſt ob *reverentiam maritalem*, *l. unic.* §. *Cum autem*, C. *De rei uxor. act.* quæ nulla eſt in eo, qui nunquam fuit maritus, *Henric. Caniſ. in cit. c.* 1. *n.* 2. *h. t.*

Notandum 4. Quæ dicta ſunt de reſtituenda dote, intelligi debent, ſi per errorem, & ignoranter matrimonium invalidum, ob impedimentum dirimens, ſit contractum; tunc enim reſtitui debet, quidquid alter ab altero habuit. Si vero ſcienter contraxerunt, perdere debent quidquid unus alteri dedit, idque fiſco acquiritur, niſi per errorem, vel minorem ætatem excuſentur, *l. Qui contra.* 4. & *Auth. Inceſtus*, C. *de inceſt. nupt. Gl. hic V. Licite.*

Notandum 5. Non tantum dos tota, ſi reddi poſſit, ſed etiam fructus dotis reſtitui debent, *l. In condemnatione.* 127. §. 1. *ff. de R. J.* non tamen debent reſtitui, niſi illi fructus, qui ante matrimonium obvenerunt, quia illi augent dotem, non autem illi, qui poſt matrimonium obvenerunt, & non augent dotem, nec reſtituuntur, ſed fiunt mariti propter onera matrimonii ſufferenda, *l. Dotis.* 7. *in princ. ff. de jur. dotium*, *Gl. hic V. Totam.*

XXVIII. Quæritur 2. An præter dotem, reſtitui debeant uxori etiam alia ejus bona? Reſp. diſſoluto matrimonio per divortium, non tantum dos a viro reſtituenda eſt uxori, ſed etiam ultra dotem omnia bona, ſeu lucra, quæ conſtante matrimonio communiter acquiſita ſunt utrique conjugi, æqualiter inter eos ſunt dividenda, prout ſtatuitur in *c. Significavit.* 2. *h. t.* ubi ha-
„ betur, quod cum inter mulierem P. & virum H.
„ quem ipſa loco viri tenebat, divortium fuiſſet ſolem-
„ niter, ſeu publice celebratum (ex cauſa licita, & ju-
„ ſte, *G. hic V. Celebratum.*) dictus H. dotem ipſius mu-
„ lieris detinebat, & reddere nolebat: quin imo etiam
„ poſſeſſiones, ſeu bona, quæ ipſis, domi ſimul vive-
„ rent, communiter obvenerunt, quovis titulo, ipſe vir
„ ſibi ſoli vendicare, ſeu retinere nitebatur. Quare mu-
„ lier illa id conqueſta eſt Papæ Urbano III. qui
„ mandavit quibuſdam Judicibus a ſe delegatis, ut ſi
„ ita eſt, & nihil aliud obſiſtat, dictum H. ad reſtitu-
„ tionem dotis, & diviſionem eorum, quæ olim com-
„ muniter habuerunt, per Cenſuram Eccleſiaſticam com-
„ pellant.

XXIX. Notandum 1. Diſſoluto matrimonio, ultra dotem, dimidia pars bonorum, quæ durante matrimonio ab utroque Conjuge ſunt acquiſita, mulieri eſt reſtituenda, idque ratione tacitæ ſocietatis inter eos initæ, per quam omnia bona toto tempore matrimonii acquiſita, inter eos facta ſunt communia. Id vero non ita accipiendum eſt, quaſi jure communi inter conjuges contrahatur vere, & propria ſocietas, per quam generaliter omnia bona, ſeu lucra, conſtante matrimonio, acquiſita inter eos fiant communia: nam talis communicatio bonorum per modum contractus ſocietatis inducta, nullo Jure communi, nec Canonico, nec Civili, inter conjuges reperitur conſtituta, ut ex veriore, & receptiora ſententia docet *Covarr. in 4. Decret. p.* 2. *c.* 7. §. 1. *num.* 5. & alii apud *Barboſ. in Collect. hic num.* 5.

Nec obſtat textus hujus cap. in quo jubetur fieri diviſio eorum bonorum, ſeu lucrorum, quæ durante matrimonio ſunt acquiſita. Nam eſt hic ſermo de bonis, quæ conjugibus communiter obvenerunt, vel quia conſtante matrimonio marito, & uxori fuerunt donata, vel quia ambo fuerunt ab aliquo hæredes inſtituti, vel ambobus ab aliquo fuerunt res legatæ, vel quia ex utriuſque conjugis pecunia emptæ ſunt &c. *Alex. de Nevo hic n.* 6. & *Barb. in Collect. ibid. n.* 6. Unde in hoc t. non dicitur dari ſocietatem inter conjuges, vel actionem pro ſocio eis competere, ſed præcipitur diviſionem bonorum fieri, quæ etiam, abſque contractu ſocietatis, per competentem actionem in rebus communibus a Jure conceditur, *l. Ut ſit* 13. *ff. Pro ſocio.* Nec obſtat etiam *text. in c. Cum ſocietas.* 17. *cauſ.* 27. *q.* 2. ubi nuptiæ, ſeu matrimonium ſocietas appellatur, quia non eſt talis ſocietas, per quam communicantur bona, quales ſunt civiles ſocietates, ſed matrimonium eſt ſocietas, ſeu conſortium omnis vitæ, & Divini, ac humani juris communicatio, *l.* 1. *ff. de ritu nupt.* de qua etiam intelligi debet illud *Gen. c.* 3. *Mulier, quam dediſti mihi ſociam*, *Barb. hic n.* 6.

Notandum 2. Etſi dotis cauſa, ſi principaliter in judicium deducatur, ad Judicem ſæcularem ſpectet, quia dos in ſe non eſt quid ſpirituale: ſi tamen accesſorie, videlicet ratione matrimonii diſſoluti, vel diſſolvendi, dos reſtitui petatur, etiam Judex Eccleſiaſticus recte aditur, cum acceſſorium ſequi ſoleat naturam ſui principalis, *Reg. Jur.* 42. *in* 6. quamvis in caſu hujus cap. pro reſtitutione dotis non fuerit actum judicialiter, ſed per denuntiationem evangelicam ad tollendum peccatum, *arg. c. Novit.* 13. *de Judic.* nam poſtquam divortium inter virum, & mulierem ante celebratum eſſet, liquide apparebat, dotem a viro injuſte detineri, & mediam partem bonorum communiter acquiſitorum, durante matrimonio, uxori dandam eſſe; ideoque Papa mandavit, per Cenſuram Eccleſiaſticam (quæ ob peccatum tantum infertur) dotem reſtituendam eſſe, & mediam bonorum partem dividendam, ac dandam eſſe uxori, *Henric. Caniſ. in cit. c.* 2. *n.* 3. *h. t.*

XXX. Notandum 3. Si in caſu hujus cap. dominium dotis non fuit translatum in maritum, quia matrimonium non fuit validum: vel ſi fuit translatum, quia matrimonium fuit validum, ac proinde dominium dotis fuit reverſum ad mulierem poſt mortem mariti, illa debet recuperare ſuam dotem, niſi aliud obſiſtat, nempe conſuetudo, quod reſtitui non debeat, *Gl. hic V. Non eſt aliud*: vel quia mulier dotem amiſit propter adulterium, *c. Plerumque.* 4. *h. t.* de quo infra. Vel pactum hinc inde æqualiter factum, vel exceptio rei judicatæ, aut jurisjurandi oppoſita, *Hoſtienſ. hic. in fine.*

Notandum 4. Secundum conſuetudinem quorundam locorum, vel etiam Conſtitutiones, ſeu Statuta, non ſolum lucra, ſeu bona, conſtante matrimonio, inter veros conjuges acquiſita, ſed etiam inter putativos, qui bona fide contraxerunt, fiunt communia utrique conjugi, & ſoluto matrimonio, æqualiter ſunt dividenda, ac ſi matrimonium tenuiſſet: alioquin vero de jure communi ſola dos eſt uxori reſtituenda, quia omnia alia bona præſumuntur acquiſita ex bonis, & induſtria mariti, ut in muliere vitetur ſuſpicio turpis quæſtus, *l. Quintus.* 51. *ff. h. t.* & *l. Etiamſi* 6. *in fine*, *C. eod.* niſi ipſa mulier contrarium doceat, ac probet, id, quod acquiſivit, ad ſe perveniſſe titulo hæreditariæ ſucceſſionis, vel legati, aut fideicommiſſi, vel ex contractu aliquo cum alio inito, quia per probationem contrariam eliditur, & ceſſat prior præſumptio; nam in certis non eſt locus conjecturæ, ſeu præſumptioni, *l. Continuus.* 137. §. 2. *in fine*, *ff. de V. O. Abb. hic in fine*, & *Alex. de Nevo n.* 6. & 7. ſicut etiam Prælatus Eccleſiæ, ſi quid acquiſivit, præſumitur intuitu Eccleſiæ, vel ex bonis illius acquiſiviſſe, ne alioquin cenſeatur ex negotiatione, quæ Clericis prohibita eſt, acquiſiviſſe, niſi Prælatus quoque probet, ſe ea aliunde acquiſiviſſe, *Henric. Caniſ. hic n.* 1. & 2.

XXXI. Quæritur 3. An Judex, qui cognovit de matrimonio, poſſit etiam, ac debeat ſimul de dote cognoſcere? Reſp. affirmative, ut conſtat ex *c. De prudentia.* 3.
„ *h. t.* Nam cum Pontifex Clemens III. cauſam ma-
„ trimonii inter H. & M. quibuſdam Judicibus termi-
„ nandam commiſiſſet, illi, probata inter eos conſangui-
„ nitate, ſententiam divortii protulerunt; de dote au-
„ tem, quam mulier a viro repetebat, nihil ſtatuerunt.
„ Quare Papa eiſdem reſcribit, quia illi, qui de matri-
„ monio principaliter cognoverunt, etiam de dote, quæ
„ eſt cauſa incidens, acceſſorie cognoſcere valuiſſent; &
„ per ſententiam cauſam definire debuiſſent: ideo man-
„ dat, ut prædictum H. monitione præmiſſa, ad to-
„ tam dotem dictæ M. (ſicut juſtum fuerit, vel ſi
„ nihil obſiſtat, quod impediat, *Gl. fin. hic*) reſtituen-
„ dam compellant.

XXXII. Notandum 1. Etſi cauſa dotis in ſe ſit meræ ſæcularis, adeoque de illa principaliter cognoſcere inter perſonas laicas ſpectet ad ſolos Judices ſæculares: incidenter tamen, & acceſſorie de ea cognoſcere etiam Judex Eccleſiaſticus poteſt, & præcipere, ac cogere, ut dos ſolvatur, quia qui cognoſcit de principali, debet etiam cognoſcere de acceſſorio, & incidenti. Ut ſi Judex Eccleſiaſticus principaliter cognoſcat de matrimonio, utrum ſit validum, an non: vel an adſint legitimæ cauſæ ad faciendum divortium inter conjuges veros, vel putativos, poteſt ſimul præcipere, ut dos ſolvatur marito, vel ut maritus eam reſtituat uxori (& quidem totam, ſi totam poſſit reſtituere, habita ratione, ne egeat, *Gl. fin. hic*) *Molin. tract.* 2. *de juſtit. diſ.* 443. *n.* 2.

Non obſtat *cap. Cauſam quæ.* 7. *Qui filii ſint legit.* ubi de cauſa legitimorum natalium principaliter agebatur coram Judice Eccleſiaſtico, virtute Reſcripti Apoſtolici, & acceſſorie de reſtitutione terrarum, quibus altera pars fuerat ſpoliata: & tamen deciditur, Judicem Eccleſiaſticum de ſola quæſtione legitimatis poſſe cognoſcere, & judicium de poſſeſſione terrarum Regi, ſeu Poteſtati ſæculari eſſe relinquendum. Ad quod reſpondetur, etſi aliqui exiſtimant, cauſam dotis etiam principaliter mutatam eſſe mixti fori, ita ut inter Judicem Eccleſiaſticum, & ſæcularem ſit locus præventioni, & ideo potuiſſe Judicem Eccleſiaſticum in hoc cap. de prædicta cauſa dotis cognoſcere, & ſuper ea pronuntiare: ut tamen rectius percipiatur verus intellectus, ſeu expoſitio *cit. c. De prudentia*, advertendum eſt, cauſam dotis, de qua hic agitur, non eſſe proprie incidentem, quaſi ad decidendam cauſam principalem eſſet neceſſaria, ſicut quæſtio ſtatus, juxta *l. Quoties.* 3. *C. de Judic.* Sed eſſe omnino dependentem ex valore matrimonii, vel nullitate: ac proinde ad Eccleſiaſticum Judicem pertinet de ea cognoſcere, juxta deciſionem *cit. c. De prudentia.* Si vero principaliter agatur de dote inter laicos, ea cauſa ad Judicem ſæcularem deferri debet, ut ſi ſoluto matrimonio repetatur dos ab hæredibus uxoris, vel ſi conſtante matrimonio mulier agat contra maritum vergentem ad inopiam, & ab eo petat dotem, vel ſi a viro petatur dos tanquam promiſſa.

Ex quo patet, Judicem Eccleſiaſticum, non ex alia

ratione

ratione cognoviſſe de dote, quam ratione incidentiæ, ut reſolvunt DD. communiter apud *Barboſ. de Offic. Epiſc. alleg.* 84. *n.* 29. Neque etiam contrarium probatur ex *c. Per veſtras* 7. *h. t.* quia id loquitur de paupere, adeoque miſerabili perſona, de cujus cauſa poſſe Eccleſiaſticos Judices cognoſcere, omnes fatentur.

XXXIII. Quod vero attinet ad *cit. c. Cauſam quæ* 7. *Qui filii ſint legit.*, reſpondetur, cauſam dotis eſſe adeo conjunctam matrimonio, ut ſine hoc dos conſiſtere non poſſit, *l.* 3. *ff. de jure dotium*, ideoque Judex Eccleſiaſticus, qui judicat matrimonium non valuiſſe, merito & conſequenter etiam judicare debet, dotem eſſe reſtituendam, quæ neceſſaria dependentia non reperitur in hæreditate, multo minus in reſtitutione terrarum, de qua in *cit. c. Cauſam quæ*. Et ob hanc connexionem neceſſariam matrimonii cum dote, etiam Judex Eccleſiaſticus, qui matrimonium nullum eſſe pronuntiavit, debet præcipere, ut dos reſtituatur, tanquam aliquid inſeparabiliter connexum cum matrimonio, quia de connexis idem eſt judicium, *c.* 3. *de Conſtit. Barboſ. c. l.*

XXXIV. Notandum 2. Si conſtante matrimonio mulier agat de dote, eamque petat, quia forte maritus diſſipat bona ſua, & vergit ad inopiam, vel quia mortuus eſt, regulariter debet cauſa illa agi coram Judice ſæculari, quia tunc cauſa dotis eſt principalis, quæ per ſe eſt temporalis, *Gl. hic V. Incidens*, licet etiam favore matrimonii tunc coram Judice Eccleſiaſtico agi poſſit, *Hoſtienſ. in cit. c. De prudentia prope finem.*

Notandum 3. Diſpoſitio hujus cap. habet locum, non ſolum quando plenaria, ſed etiam ſummarie proceditur, quia etiam tunc Judex Eccleſiaſticus, qui de cauſa principali ſummarie cognoſcit, ut in propoſito de matrimonio, recte etiam pronunciabit ſuper acceſſorio temporali incidenter moto, videlicet ſuper dote, *Barboſ. in Collect. in cit. c. De prudentia n.* 3.

Notandum 4. Quia mulier in caſu *cit. c. De prudentia*, petebat ſibi reſtitui dotem, tanquam acceſſoriam principali quæſtioni, ideo debuerunt Judices delegati pronunciare ſuper dote, non quidem auctoritate primi Reſcripti, ſeu mandati, quia cum hi Judices delegati ſemel officio functi ſint ſuper principali, deſinunt eſſe Judices, ſive bene, ſive male judicaverint, *l. Judex* 55. *ff. de re judic.* ſed auctoritate poſterioris mandati, ſicut *cit. c. De prudentia*, procedere debent; quia cum tunc nihil ſtatuerint de acceſſorio, ſive dote, non videtur, quod per primas litteras procedere poſſint ſuper acceſſorio, nempe dote, *Gl. hic V. Incidens in fine*. Poteſt autem dos peti propria actione, videlicet condictione, ſine cauſa, *l. fin. ff. de Condict. ſine cauſa*, quæ cum omnino diſtincta ſit a cauſa matrimonii, recte coram iiſdem Judicibus proponitur, *Henric. Caniſ. in cit. c. De prudentia h. t. n.* 2.

§. VI.

De amiſſione dotis propter adulterium uxoris.

XXXV. De hac agitur in *c. Plerumque* 4. *h. t.* ubi „ Clemens III. ita reſcribit: ſi mulier, ob cauſam forni„ cationis, (quod eſt nomen generale continens in ſe adul„ terium, & omnem illicitum coitum, *c.* 2. §. *cum ergo* „ *cauſ.* 36. *q.* 1.) judicio Eccleſiæ, aut propria voluntate „ a viro receſſerit, nec reconciliata poſtea eidem fuerit, „ dotem, vel dotalitium repetere non valebit.

XXXVI. Notandum 1. Mulier propter adulterium amittit dotem, eamque vir lucratur, ut ex hoc c. probat, *Covarr. in* 4. *Decret. p.* 2. *c.* 7. §. 6. *n.* 1. *Sanch. l.* 10. *diſ.* 8. *n.* 2. *Farinac. in praxi crimin. p.* 5. *q.* 142. *n.* 1. & *ſeqq.* & alii communiter. Ratio eſt, quia per adulterium infertur conjugi innocenti gravis injuria, & ideo in pœnam uxoris delinquentis, ſtatuitur, ut uxor adultera, præter alias pœnas, amittat dotem, & maritus illam lucretur, *Auth. Ut liceat matri, & aviæ &c.* §. *Quia plurimæ coll.* 8.

XXXVII. Porro hæc Conſtitutio, quod mulier amittat dotem propter adulterium, extenditur 1. etiam ad privationem donationis propter nuptias, *Clerus l.* 5. *ſentent.* §. *Adulterium n.* 12. Extenditur 2. Quod uxor adultera, propter adulterium, non ſolum amittat dotem, ſed etiam bona paraphernalia, quæ habet, præter dotem, ad quæ reſtituenda uxori tenetur maritus, *Gl. hic V. Dotalitium*, *Covarr. cit. loc. num.* 2. *Clarus cit. loc. num.* 15. & alii. Verum *Abb. in cit. cap. Plerumque hic num.* 8. ait, appellatione dotis, vel dotalitii, in propria ſignificatione, non venire bona paraphernalia, quia in materia pœnali verba non debent extendi, ſed potius reſtringi. Unde ipſe per dotalitium hic intelligit pretium, ſeu æſtimationem dotis, ita quod mulier adultera dotem perdat, vel ejus pretium, ſeu æſtimationem, ut quia dos data eſt in iis rebus, quæ numero, menſura, vel pondere, conſtant, vel cum res æſtimatæ datæ ſunt in dotem, ac proinde cum hic dicitur, *quod mulier dotem, vel dotalitium repetere non valebit*, intelligi debeat per dotem res ipſa dotalis, per dotalitium ipſius pretium, ſive æſtimatio, quæ expoſitio videtur probabilior, *Henric. Caniſ. hic n.* 3.

Extenditur 3. Quod mulier propter adulterium perdat dotem, atque viro acquiratur, non ſolum, ſi ſit vera uxor, ſed etiamſi putative ſolum, quia matrimonium eſt nullum, propter impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis, vel aliud dirimens, ut docet *Covarr. c. l. num.* 1. *Clerus cit.* §. *Adulterium n.* 14. *Farinac. in praxi crim. p.* 5. *q.* 142. *n.* 16. & alii. Nam quamvis tale matrimonium ſit nullum, adeoque non poſſit dici revera eſſe commiſſum adulterium a muliere: conſiderari tamen hic debet ſtatus matrimonii, qui erat tempore commiſſi criminis, ſaltem putative, & prava intentio ipſius mulieris, quæ, poſtquam declaratum fuit matrimonium nullum, excuſari non poteſt, nec poſtquam per ſententiam dote privata fuit, eam repetere poteſt, *Clerus c. l. n.* 54.

XXXVIII. Notandum 2. Quando vir, poſt commiſſum ab uxore adulterium, ſciens tacuit, uxorem in domo retinuit, eique ut conjugi cohabitavit, & reconciliatus fuit; tunc cenſetur actionem, quam habebat ad petendum divortium & privationem dotis, tacite remiſiſſe, prout colligitur ex *cit. c. Plerumque*, argumento a contrario ſenſu ducto ex illis verbis: *nec reconciliata poſtea ſit eidem*, *Sanch. cit. diſ.* 8. *n.* 21. *Farinac. cit. q.* 142 *num.* 68. & alii apud ipſum, ubi *n.* 69. addit, id procedere, etiamſi reconciliatio ſit ſecuta poſt cœptum judicium ſuper amiſſione dotis, imo etiam poſt latam ſententiam.

Notandum 3. Si e contrario maritus commiſit adulterium, uxor quoque recuperat dotem, & lucratur donationem propter nuptias, *l. Conſenſu* 8. §. *Si qua igitur, &* §. *Si vero cauſam, C. De repudiis*, *Auth. Ut liceat matri &c.* §. *Quia plurimas*, *Farinac. c. l. n.* 35. Ipſa vero uxor, etſi accuſata de adulterio, dotem amittat, poteſt tamen contra virum excipere de eodem adulterio, & ſic unius adulterium cum altero compenſatur, *Farinac. c. l. n.* 39.

Notandum 4. Quando maritus conſenſit in adulterium uxoris, & multo magis ſi ipſe leno extitit, & illam proſtituit, tunc non lucratur dotem, & ſi conventus ab uxore excipiat de adulterio, ipſa replicabit de lenocinio, *l. Cum mulier* 47. *ff. ſolut. matr. Farinac. c. l. n.* 79.

XXXIX. Notandum 5. Si maritus, & uxor habeat liberos ex eodem, vel alio matrimonio, tunc maritus non lucratur dotem, nec uxor donationem propter nuptias, ſed iſta reſervantur liberis adulteræ, poſt mortem uxoris: nam dum vivit maritus, ad ipſum uſusfructus pertinet, *Farinac. c. l. n.* 93 & 95.

Notandum 6. Propter adulterium uxor amittit dotem, non ipſo jure, ſed per ſententiam Judicis, de quo videri poſſunt, quæ tradit *Sanch. cit. diſ.* 8. *n.* 13. Et hinc ante ſententiam Judicis, non tenetur uxor adultera reſtituere dotem in conſcientia, ſed poteſt uti jure retentionis.

Notandum 7. Uxor, propter adulterium, dotem amittit, quando propria voluntate, & abſque alia juſta cauſa, niſi quod virum timet, propter commiſſum adulterium, ab ejus domo receſſit, *ut c. Plerumque* ibi: *aut propria voluntate a viro receſſerit*, *Sanch. cit. diſ.* 8. *n.* 13. *Verſic. Sed huic doctrinæ*. Secus, ſi receſſit a domo viri, non ſua propria voluntate, ſed viri, qui eam ejecit e domo non propter fornicationem, ſeu adulterium; tunc enim dotem non amittit, *Gl. in cit. c. Plerumque, V. propria voluntate*, *Farinac. c. l. n.* 29. & 30.

§. VII.

An viro, qui ad inopiam vergit, petenti dotem ea tradenda ſit ſub cautione.

XL. De hac quæſtione agitur in *c. Per veſtras* 6. *h. t.* „ ubi talis caſus proponitur: Raynaldus certam quandam „ pecuniæ ſummam promiſerat Herennio pauperi in do„ tem, nomine uxoris ſuæ. Ille conventus ſuper ea te „ coram delegatis S. Pontificis, ut dotem ſolveret, dupli„ cem exceptionem oppoſuit, unam, quod Herennius u„ xorem ſuam a ſe repulerat, (& ideo audiri non debuit, „ niſi prius ipſam reſtitueret, *c. Ex conqueſtione.* 10. *de reſtit.* „ *ſpoliat.* & *c. ult. de ord. cognit. Gl. hic V. Repulerat.*) aliam „ item exceptionem oppoſuit, quod Judices delegati, ta„ cita veritate, eſſent impetrati. Idque ex eo conſtabat, „ quia cum alia vice, coram Conſulibus Civitatis Gennen„ ſis, ſuper eadem dote quæſtio mota eſſet, ipſi pronun„ ciarunt, ut quia idem Herennius ad inopiam vergere „ videbatur, dos non aſſignaretur eidem, niſi idoneam „ cautionem præſtaret, dotem uxoris ſalvam fore. Itaque „ delegati Judices præceperunt, ut Herennius ita caveret, „ & uxorem ſuam reciperet. Sed quia is idonee cavere „ non potuit, conſultus S. Pontifex Innocentius III. re„ ſcribit: Cum ſatis poſſit ei modicum dotis credi, cui „ corpus uxoris eſt creditum; ideo mandat dicto Heren„ nio dotem aſſignari, iſque eam, quam poſſet, cautionem „ præſtet: vel ſaltem, ut alicui mercatori dos committatur, „ & Herennius interim partem honeſti lucri ex illa per„ cipiat, pro ſuſtinendis matrimonii oneribus, ne occaſio„ ne dotis detentæ, uxor dimiſſa a viro, vel etiam vir „ eam dimittens reatum adulterii incurret.

XLI. Pro explicatione hujus cap. notandum 1. Eccleſiam, ſive Judex Eccleſiaſticus poteſt ſe ingerere, ſive de dote cognoſcere, non ſolum in favorem viduarum, ut in *c. Nuper.* 6. *h. t.* ſed etiam in favorem mariti petentis dotem ſibi permiſſam, ut colligitur ex hoc c. quamvis etiam dici poſſit, quod iſte actor fuerit pauper, & miſerabilis perſona, & ideo potuit convenire alium coram Judice Eccleſiaſtico, *c. Super quibuſdam.* 26. *in fine de V. S.* Reum autem conventum fuiſſe laicum, patet ex eo, quod prius conventus fuerat coram Conſulibus Civitatis Gannenſis, *Abb. hic n.* 3. *Alex. de Nevo n.* 2.

Notan-

Digitized by Google

Notandum 2. Licet ex hoc cap. colligi videatur, uxorem a marito expelli poſſe, & ſeparari a conjugali conſortio, & cohabitatione, ſi dos promiſſa ſoluta non fuerit, ex qua ferre debet onera matrimonii, *c. Salubriter. 16. de uſuris.* ac proinde poteſt ea nolle ſuſtinere, ſi non habeat, unde emolumenta ſumat, ut docet *Abb. in cit. c. Per veſtras. n. 4. Alex. ibid. n. 3.* Contrarium tamen rectius dicitur, ut docet, *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 7. in princ. nu. 2. Molin. tr. 2. de juſt. diſ. 425. n. 4. Sanch. l. 9. de matr. diſ. 5. n. 17.* & alii apud ipſum. Idque probatur primo, quia jus cohabitandi non oritur ex ſolutione dotis, ſed ex lege naturali & Divina, & ex ipſo contractu matrimonii, ſicut & obligatio reddendi debitum conjugale: quemadmodum ergo ob non ſolutam dotem vir non eximitur ab obligatione reddendi debitum, ita nec liberatur ab obligatione cohabitandi uxori. Secundo Chriſtus *Matth. 5.* prohibuit, ne dimittatur uxor, excepta cauſa fornicationis, non ſolutio autem dotis non numeratur inter cauſas divortii in *c. Porro 3. de divort.* Tertio quia dos datur ab uxore, ut uxor ex ea alatur; at vero finis præcipuus cohabitationis eſt, non ut uxor a viro alatur, ſed ut conjuges mutua obſequia ſibi præſtent, ad generationem prolis, & commodam ejuſdem educationem, qui finis non ceſſat, etiamſi dos non ſolvatur, adeoque etiam non ceſſabit obligatio cohabitandi. Neque vero in *cit. c. Per veſtras*, dicitur, quod liceat uxorem domo expellere, ob dotem non ſolutam, ſed ſuppoſita expulſione uxoris, ſive juſta, ſive injuſta, reſpondet Papa ad principalem quæſtionem de cautione dotis præſtanda, necne: neque vero in caſu hujus cap. uxor petiit ſe reſtitui ad cohabitandum; ſi enim id petiiſſet, ante omnia reſtituenda fuiſſet, *Sanch. cit. loc. n. 18. Barboſ. hic n. ult.* Neque etiam obſtat, quod vir ſine dote non obligatur ad ſubeunda onera matrimonii, quia ad hoc dos ei datur, *l. Pro oneribus. 20. C. de jure dot.* Sed reſpondetur, etſi vir ob dotem promiſſam non ſolutam poſſit uxori alimenta negare, nec teneatur eam alere: non tamen ob dotem non ſolutam poteſt ei denegare cohabitationem, adeoque neque illam ob hanc cauſam expellere ex domo, quia ad cohabitandum obligatur, ex vi contractus matrimonialis, quo uxorem individuam ſibi vitæ ſociam connexit; *Sanch. c. l.* Unde Jura eximunt quidem maritum ab onere alendi uxorem, ob dotem promiſſam non ſolutam: non tamen eximunt ab obligatione cohabitandi, quia ea non pendet a dotis ſolutione, *Sanch. c. l. n. 18. in fine.*

XLII. Notandum 3. Si maritus vergat ad inopiam, etiam ſine culpa ſua, poteſt uxor agere ad dotem, eamque petere, prout ſumitur ex hoc cap. & *l. Si conſtante. 24. in princ. ff. ſolut. matrim.* & tradit *Abb. hic n. 12.* Idemque eſt, ſi maritus incipiat diſſipare bona ſua, vel male uti, *l. Si conſtante. & l. ubi adhuc. 29. C. de jure dot.* poteſtque his caſibus uxor non ſolum agere contra maritum & repetere dotem, ſed etiam, & multo magis contra eum excipere petentem dotem, ut in hoc cap. quia Jus timet, ne in his caſibus dos conſumatur. Similiter etiam poteſt uxor, in his caſibus, agere contra maritum ad donationem propter nuptias a marito ei factam petendam, *c. l. ubi adhuc, C. de jure dot. Abb. in cit. c. Per veſtras, n. 12. h. t.*

Notandum 4. dos non debet tradi viro ad inopiam vergenti, niſi cautionem idoneam præſtet de dotis ſecuritate, ſcilicet per fidejuſſores, vel pignora: ſi tamen cautionem talem præſtare non poſſit, ſufficit, ut præſtet, quam poteſt, ut habetur in hoc c. ſcilicet juratoriam, *Gl. hic V. Quam poteſt.* Veruntamen *Abb. hic* ait, quod hoc non poteſt intelligi de cautione juratoria, quia illam poteſt quilibet præſtare quantumvis ſit pauper: hic autem dicitur, exigi a marito cautionem, qualem poteſt præſtare, ergo ſupponitur, illum præſtare debere cautionem talem, qualem præſtare poteſt, pro qualitate bonorum ſuorum. Unde licet alias non poſſint fidejuſſores intervenire pro dote reſtituenda, ne oriatur perfidia inter conjuges, *tot. tit. C. Ne fidejuſſores dotium dentur*: id procedit, niſi maritus vergat ad inopiam: tunc enim licite poſſunt intervenire fidejuſſores pro dote ab ipſo ſolvenda, & reſtituenda, *Abb. hic n. 13.* ubi ait, quod in caſu hujus cap. ſi maritus potuiſſet præſtare cautionem fidejuſſoriam, vel pignoratitiam, fuiſſet obligatus ad illam præſtandam, & ſic potuiſſet intervenire fidejuſſor pro dote reſtituenda.

XLIII. Notandum 5. Si maritus ſufficientem cautionem præſtare non poſſit, tum conceditur, ut dos apud mercatorem aliquem deponatur, a quo maritus tantum lucri honeſti accipiat, quantum ad ſuſtinenda onera matrimonii eſt neceſſarium, ut habetur in *c. Per veſtras, h. t.* Sed jam hic quæritur, quo pacto fieri debeat, ac licite poſſit depoſitio dotis apud mercatorem? *Jo. Andr. hic n. 6.* ait, quod mercator cavebit de dote integraliter reſtituenda, & de certa parte lucri reddenda, ita ut compenſato lucro cum damno, de eo, quod ſupereſt ex lucro, ſolvatur marito pro oneribus matrimonii ſuſtinendis, *§. De illa Inſtit. de Societ.* Verum clarius hoc explicat *Alex. de Nevo in cit. c. Per veſtras n. 51.* Nam vel quæritur, an liceat, propria auctoritate, deponere pecuniam dotalem apud mercatorem, ut ſalva ſumma capitalis, ex ea percipiatur honeſtum lucrum: & hoc non licet, ſed eſſet uſura, quia quando duo ſimpliciter contrahunt ſocietatem, videtur actum, ut damnum, & lucrum utrinque æquale ſit, *l. Si non fuerint. 29. §. Pro ſocio*, ubi dicitur, ſocietatem talem iri non poſſe, ut alter lucrum tantum (ſcilicet totum), alter damnum tantum ſentiret. Neque vero in hoc c. contrarium deciditur, quia non deciditur, quod Capitale debeat eſſe ſalvum. Vel quæritur, an Judex, cujus arbitrio, & auctoritate dos, ſeu pecunia dotalis committitur mercatori, ſeu penes eum deponitur, poſſit hoc facere: & hoc eſt licitum, quia Judex hoc facit auctoritate hujus Canonis, ad conſervandam pecuniam dotalem, & ut provideatur viro ſuſtinenti onera matrimonii, ne occaſione dotis detentæ uxor a viro dimiſſa, vel vir dimittens in adulterium incidat, ut habetur in textu, ubi etiam mandatur, & commiſſio fit Judici de dote deponenda apud mercatorem, *Alex. hic n. 12. in fine.* Porro licet in *cit. c. pen.* de ſolo lucro mentio fiat, idem tamen de damno proportionaliter intelligendum eſt, quia honeſtum lucrum dici non poteſt, quod ab eo prætenditur, qui nullum damnum ſentit, ſeu ſubit, juxta *l. Cum duobus. 51. §. Damna. ff. Pro ſocio. Barb. in Collect. ibid. §. Mercatori, in fine.*

Notandum 6. in *cit. c. pen. h. t.* ſtatuitur, alternative, & ſub disjunctione, ut vel maritus ſub cautione, quam præſtare poteſt, reddat dotem uxori eam repetenti: vel ut dos deponatur apud mercatorem. Idque relinquendum eſt arbitrio Judicis, ita ut ſi vero videat ſufficere cautionem, eam fieri jubeat; ſi vero videat non ſatis eſſe cautum doti uxoris, faciat eam deponi apud mercatorem, *Abb. hic n. 14.* quia in alternativis optio datur Judici, niſi verba dirigantur ad partem, ut notat *Abb. in c. A crapula. 14. n. 4. de vita, & honeſt. Cleric.* Plura de dote videri poſſunt apud Legiſtas, ad quos hæc magis pertinent.

TITULUS XXI.

DE SECUNDIS NUPTIIS.

Quia diſſoluto primo matrimonio, ſolet fieri tranſitus ad ſecundum, ideo ſubjicitur iſte Titulus de ſecundis nuptiis. Non tantum autem ſecundæ nuptiæ approbantur ab Eccleſia, ſed etiam tertiæ, quartæ, & ulteriores, ita ut non ſolum bigamus, ſed etiam trigamus, & octogamus quis fieri poſſit, *c. Aperiant. 13. & 2. ſeqq. cauſ. 31. q. 1.* Idque conſtat ex *c. 7. ad Roman.* ubi dicitur: *quæ ſub viro eſt mulier, obligata eſt legi: ſi autem mortuus eſt vir ejus, ſoluta eſt a lege viri: & 1. Cor. 7. ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, cui vult, nubat.* Ratio eſt, quia cum primæ nuptiæ ſint per mortem penitus diſſolutæ, nullum poſſunt aliis nuptiis legitime ineundis impedimentum præſtare, *Sanch. lib. 7. de matr. diſ. 81. n. 2.*

§. I.

An conjux dubius de morte alterius conjugis poſſit tranſire ad ſecundas nuptias?

II. De hac re agitur in *c. Dominus. 2. h. t.* „ Nam cum
„ quidam Chriſtiani in captivitate Saracenorum conſtitu-
„ ti, nondum habita de obitu ſui conjugis certitudine,
„ ſecundas nuptias contraxiſſent, reſcribit S. Pontifex Lu-
„ cius III. ut nullus deinceps ad ſecundas nuptias tranſire
„ præſumat, niſi prius ei conſtet de morte conjugis ejus.
„ Si vero aliquis, vel aliqua id non ſervavit, & de morte
„ prioris conjugis adhuc dubitet, ei, quæ ſibi nupſit, de-
„ bitum non deneget poſtulanti: ſed ipſe nullatenus illud
„ exigat. Quod ſi poſtea priorem conjugem adhuc vivere
„ conſtiterit, relictis adulterinis complexibus, ad priorem
„ conjugem revertatur. Idque etiam ſtatutum habetur in *c. In præſentia. 19. de ſponſal. ſupr. Tit. 1.* Et ratio eſt, quia matrimonium ſemel legitime contractum inter Chriſtianos, cum ſit Sacramentum, nonniſi morte diſſolvitur, *c. 1. & 2. cauſ. 32. q. 7.*

III. Notandum 1. Captivus apud hoſtes poteſt contrahere matrimonium: nam quamvis matrimonium requirat maximam libertatem, contractum tamen a captivo, ſeu incarcerato valet, ſi vis non inferatur in contrahendo matrimonio; & multo magis alii contractus initi ab incarcerato, ut patet ex hoc cap. ubi Papa permittit captivis apud Saracenos detentis matrimonio copulari, *Sanch. l. 4. de matr. diſ. 12. n. 7.* Idque procedit, etiamſi captivus ſit ſervus, quia ſervitus nihil obſtat contrahendo matrimonio, *Abb. hic n. 3.*

Notandum 2. Ob ſolam abſentiam conjugis, quantumvis diuturnam, non diſſolvitur matrimonium, niſi conſtet de morte conjugis abſentis, nec poteſt conjux ad aliud matrimonium tranſire, niſi habita certitudine de morte conjugis alterius. Quod ſi tamen conjux dubius de morte prioris conjugis, de facto aliud matrimonium contraxit, nullo modo poteſt petere debitum, quia qui dubitat, an ſit legitimus conjux, exigendo debitum cum tali dubio, facit contra propriam conſcientiam, quam habet ex probabili cauſa, *c. Inquiſitioni. 44. in fine de ſent. excomm. Gl. hic V. Nullatenus:* neque poteſt quis uti re, de qua dubitat, an ſit ſua. Tenetur tamen reddere debitum ei, qui bona fide contraxit; non enim debet juſta ſua poſſeſſione privari ob malam fidem alterius, quamdiu non conſtat, matrimonium fuiſſe nullum: nemo enim debet jure ſuo, ſine ſua culpa privari, *c. Diſcretionem 6. de eo, qui cogn. conſang. &c. Sanch. l. 2. de matrim. diſ. 41. n. 2. & 4.* Porro ſi quis dubitet, an prior conjux adhuc vivat, vel an obierit, non ideo matrimonium ſtatim eſt diſſolvendum, quia in *cit. c. 2. h. t.* dicitur, ſic dubitantem teneri reddere debitum; quod eſt actus matrimonii: non autem poſſet reddere, ſi matrimonium eſſet irritandum: deinde quia ibi, & in *c. In Præſentia. 19. de ſponſal.* de-

Digitized by Google

ſel. deciditur, non licere ad alias nuptias tranſire, donec conſtet de priorum diſſolutione; ergo dum dubium eſt, an tale matrimonium ſit validum, non debet diſſolvi, alias non poſſet reddere debitum, *Sanch. cit. diſ.* 42. *n.* 5. ſi denique uterque mala fide contraxit matrimonium dubitans de impedimento dirimente, neuter poteſt petere, nec reddere debitum, quia uterque mala fide contraxit, adeoque eſt poſſeſſor malæ fidei, *Sanch. c. l. n.* 8.

IV. Notandum 3. Etſi quis a principio, bona fide, contraxit matrimonium, poſtquam tamen certior factus eſt de vita prioris conjugis, adulterium committit, niſi ſecundam uxorem ſtatim dimittat, quamvis ab initio in dolo non fuerit, ut conſtat ex *cit. c.* 2. *in fine h. t.* & tradit *Abb. ibid. n.* 5. & *Alex. de Nevo n.* 6. Cæterum non debet Judex Eccleſiaſticus mulieri, vel viro concedere facultatem tranſeundi ad ſecundas nuptias, niſi per certum nuntium conſtiterit de morte prioris conjugis, etiamſi per XV. annos, vel plures abfuerit. *Reginald.* apud. *Barb. in cit. c.* 2. *num.* 4.

Notandum 4. Si compertum fuerit, mulierem duos viros ſimul habere, tunc ea primo viro reſtitui debet, & ſi ad eum redire recuſaverit, excommunicanda eſt, donec redeat, *Farin. in prax. crim. p.* 5. *q.* 140. *n.* 32. & alii apud ipſum, ubi addit, idem eſſe de viro habente duas mulieres. Porro plura de hac re, qualis certitudo ſit neceſſaria de morte prioris conjugis, ut tranſire liceat ad alias nuptias, dicta ſunt ſupra *Tit.* 1. *ſec.* 5. §. 2. *n.* 131. uſque ad *n.* 135. incluſive hoc libr.

§. II.

An ſi mulier, poſt mortem viri, tranſeat ad ſecundas nuptias intra annum luctus, incurrat infamiam, vel alias pœnas Juris?

V. De hac quæſtione agitur in duobus capp. *h. t.* Inprimis in *cap. ſuper illo* 4. ubi conſultus Pontifex Urbanus III. an mulier poſſit, ſine infamia, nubere infra tempus luctus ſecundum leges definitum [in *l.* 1. *ff. de his, qui not. infam.* & *l.* 1. *C. de ſecund. nupt.*) Reſpondet Papa, cum Apoſtolus dicat: *mulier viro ſuo mortuo, ſoluta eſt a lege viri ſui, in Domino nubat, cui voluerit*, per licentiam, & auctoritatem Apoſtoli, ejus infamia aboletur, quæ licentia intelligitur interveniſſe, eo ipſo quod non prohibetur, *Gl. fin. hic.*

VI. Similiter in *c. Cum ſecundum.* 5. & *ult. h. t.* reſcribit S. Pontifex Innocentius III. ob cauſam in priore cap. expreſſam, mulierem non debere legalem infamiam ſuſtinere (quam infligit lex ei, quæ nubit infra annum) quia licet poſt viri obitum infra tempus luctus (ſcilicet infra anni ſpatium) nubat, conceſſa ſibi tamen ab Apoſtolo utitur poteſtate: cum in his (ſcilicet matrimonia contrahendi) Leges ſeculares non dedignentur SS. Canones imitari.

Hinc patet, etſi ſecundum Leges Civiles, mulier, quæ nubit intra annum primum poſt obitum viri, fiat infamis, ut infra dicetur; non tamen de Jure Canonico, ſecundum quod permittitur mulieri, ut ſtatim marito mortuo, liberam habeat poteſtatem nubendi alteri, abſque ulla infamiæ nota, idque probatur auctoritate Apoſtoli ex *c.* 7. *ad Roman.* & 1. *Cor.* 7. allegata in *cit. c. pen.* & *ult. h. t.*

VII. Jam ergo pro declaratione utriuſque hujus cap. quæritur 1. Quæ ſint pœnæ Jure Civili ſtatutæ in fœminas viduas tranſeuntes ad alias nuptias intra annum luctus? Reſp. plures ſunt hujuſmodi pœnæ. Prima eſt, ut vidua nubens, intra annum a die mortis viri computandum, efficiatur infamis, *l.* 1. *in princ. C. h. t.* Idque ſtatutum, ut evitetur turbatio ſanguinis per ſecundum matrimonium, & incertitudo prolis, forte enim mulier illa ex priore marito concepit, *l. Liberorum.* 11. *ff. De his, qui not. infam.* quæ ratio ceſſat in marito, ideoque nulla infamia in eum, quocunque tempore, poſt mortem prioris conjugis, ad alias nuptias tranſeat, eſt ſtatuta, *Canif. in cit. c. pen. num.* 1. *h. t.* Secunda pœna eſt, ut ſecundo viro non poſſit dare in dotem, nec in ultima voluntate, ultra tertiam partem bonorum ſuorum, *cit. l.* 1. imo nec inter vivos ultra donare, *Gl. ibid. V. Teſtamento.* Tertia pœna eſt, ut ſit expers cujuſcunque hæreditatis, legati, fideicommiſſi, ſuprema voluntate relictorum, vel mortis cauſa donationis, *cit. l.* 1. *C. eod.* Quarta pœna eſt, privatur mulier nubens infra annum, omnibus relictis a viro in ultima voluntate quoad proprietatem, & uſumfructum, *cit. l.* 1. Quinta pœna eſt, tenetur dare medietatem bonorum filiis prioris matrimonii, *l. Siqua mulier.* 4. *D. Ad SC. Tertull.* Plura de his videri poſſunt apud *Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 87.

VIII. Quæritur 2. An prædictæ pœnæ ſtatutæ in fœminas ſecundo nubentes intra annum luctus, non ſolum infamiæ, ſed etiam aliæ ſint correctæ Jure Canonico? Reſp. affirmative, adeoque poteſt vidua, poſt mortem mariti, impune tranſire ad ſecundas nuptias quocunque tempore, idque probatur ex *cit. c. ult. h. t.* in quo, etſi ſolius infamiæ mentio fiat, ratio tamen ibi expreſſa etiam omnes alias pœnas comprehendit, nempe quia conceſſa ſibi abutitur Apoſtoli poteſtate: neque enim æquitas Canonica permiſerit, ut mulier, dum rem licitam facit, & ſuo jure utitur, puniatur. Voluit etiam Jus Canonicum conſulere libertati matrimonii, & dare poteſtatem viduæ tranſeundi ad alias nuptias ad vitandam innocentiam; poſſet enim accidere, ut vidua nollet intra illum annum nubere, ob pœnarum timorem, & tamen gravibus tentationibus carnis vexaretur, iisque frequenter ſuccumberet, *Sanch. cit. diſ.* 87. *num.* 23. Quare cum prohibitio matrimonii intra annum luctus ſit abrogata, auctoritate S. Pauli, conſequenter etiam pœnæ omnes ei annexæ pariter ſunt abolitæ, cum ſublato principali, etiam acceſſorium cenſeatur abolitum, *Reg. Jur.* 42. *in* 6.

IX. Quæritur 3. quæ ſint pœnæ Jure Civili decretæ in favorem filiorum prioris matrimonii, ſi vidua tranſeat ad ſecundas nuptias, per quas hic intelliguntur non ſolum ſecundæ, ſed etiam tertiæ, & ulteriores nuptiæ, ut conſtat ex *l. Cum aliis* 4. & ibi *Gl. V. Suſcepte viro, C. h. t.* Reſp. Prima pœna eſt, conjux tranſiens ad ſecundas nuptias amittit proprietatem omnium bonorum, quæ a conjuge defuncto acquiſivit, eaque acquiruntur filiis prioris matrimonii, ſolo uſufructu retento, etiamſi poſt tempus luctus ſtatutum tranſierit, *l. Feminæ.* 3. *C. h. t. Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 88. *n.* 2. Secunda pœna eſt, quod vidua ſecundo nubens non poteſt marito in dotem dare, nec alio titulo ei relinquere plus, quam dederit uni ex filiis prioris matrimonii, cui minus reliquit, *l. Hac edictali.* 6. *in princ. C. eod. Sanch. c. l. n.* 3. Tertia pœna eſt, quod vidua ſecundo nubens amittat tutelam filiorum, *l. fin.* & *Auth. Sacramentum, C. Quando mulier tutel. Offic.* &c. & *Auth. Ut ſine prohibit. matris.* §. *Quia vero coll.* 7. de qua plura, *Sanch. c. l. n.* 4. & pluribus *ſeqq.* Quarta pœna eſt, ſi vidua tutrix filiorum, contra juramentum præſtitum non contrahendi ſecundas nuptias in ſuſceptione tutelæ, ad illas tranſierit, antequam a Judice tutelam filiis petat, & rationem reddat ſuſceptæ tutelæ, & exolvat, quidquid debuerit, omnes pœnas incurrit, quæ jure ſunt ſtatutæ in mulierem ſecundo nubentem intra annum luctus, ut decernitur in *Auth. De nuptiis.* §. *Si autem tutelam. c.* 40. *coll.* 8. & *Auth. Eiſdem pœnis. C. De ſecundis nuptiis, Sanch. cit. diſ.* 88. *n.* 13. Quinta pœna eſt, ſi mulier relicta ſit a viro executrix Teſtamenti, amittit illud munus, ſi ad ſecundas nuptias tranſeat, quia Officium Tutelæ, & executionis Teſtamenti æquiparantur, *Sanch. cit. diſ. n.* 14. Sexta pœna eſt, quamvis filii apud matrem viduam educari debeant, *l.* 1. *C. Ubi pupilli educ. deb.* eo tamen jure privatur, ſi tranſeat ad ſecundas nuptias, *Sanch. c. l. n.* 16. & pluribus *ſeqq.* Plures alias pœnas refert idem *Sanch. c. l. n.* 22. & pluribus *ſeqq.* quarum tamen quædam incertæ ſunt, nec ſatis probari poſſunt.

X. Quæritur 4. An pœnæ in favorem filiorum prioris matrimonii Jure Civili ſtatutæ in viduas ſecundo nubentes, annum luctus, ſint correctæ per Jus Canonicum? Reſp. non eſſe correctas quippe quæ in favorem filiorum ſunt ſtatutæ, adeoque ſervandas eſſe in utroque foro, *Sanch. cit. diſ.* 88. *n.* 39. & alii apud ipſum. Ratio eſt, quia hujuſmodi pœnæ non ſunt meræ pœnæ, ſed potius proviſio ſeu diſpoſitio Juris in favorem filiorum, quia ſæpiſſime contingit, ut parentes poſt tranſitum ad ſecundas nuptias, amore poſterioris conjugis allecti, odio proſequantur filios prioris matrimonii, ideoque illos, in quantum poſſunt, bonis privare volunt, ut ea relinquant poſteriori conjugi. Plures alias quæſtiones circa hanc materiam fuſe tractat *Sanch. l.* 7. *diſ.* 89. & 2. *ſeqq.* quæ apud ipſum legi poſſunt.

§. III.

An ſecundæ nuptiæ ſint benedicendæ, & quam pœnam incurrat Sacerdos benedicens?

XI. Præmittendum 1. Benedictiones nuptiarum convenientiſſime ab Eccleſia adhibentur. Unde Concilium Tridentinum *Seſſ.* 24. *de matr. can.* 11. eos, qui benedictiones, & alias cæremonias in nuptiis adhiberi conſuetas damnant, anathemate ferit. Sunt autem eæ inſtitutæ, tum ad Sacramenti honorem, & dignitatem, tum ad actus matrimonii rite peragendos, & ut in iis appetitus carnis refrænetur, *Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 82. *n.* 1.

Præmittendum 2. Præterea idem Concilium *Seſſ.* 24. *c.* 1. *de reform.* §. *Præterea* inprimis hortatur, ut conjuges, ante benedictionem Sacerdotalem in templo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent, ſtatuitque, benedictiones has a proprio Parocho fieri debere: neque a quoquam alio, niſi a proprio contrahentium Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam, alii Sacerdoti concedi poſſe, non obſtante quacunque conſuetudine etiam immemoriali (quæ potius corruptela dicenda eſt) vel privilegio. Quod ſi quis, Parochus, vel alius Sacerdos, ſive regularis, ſive ſecularis ſit, etiamſi id ex privilegio, vel immemoriali conſuetudine, licere contendat, alterius Parochiæ ſponſos, ſine illorum Parochi licentia matrimonio conjungere, aut benedicere auſus fuerit, ipſo jure tamdiu ſuſpenſus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, a quo benedictio ſuſcipienda erat, abſolvatur. Poteſt autem hanc benedictionem impertire Parochus ſive viri, ſive mulieris, quia eodem verborum tenore in Trident. *c. l.* exigitur, ut proprius Parochus interſit matrimonio, & ut benedictionem conferat: ſicut ergo ad prius ſufficit Parochus utriuſque contrahentis, ita & ad poſterius. *Sanch. c. l. n.* 4.

Præmittendum 3. Eſt autem præceptum recipiendi benedictiones has nuptiales, ut colligitur ex *c. Noſtrates.* 3.

&c. Sponſus, 5. *cauſ.* 30. *q.* 5. Idque approbat Eccleſiæ conſuetudo, juxta quem ſponſi in omnibus Diœceſibus compelluntur benedictiones nuptiales recipere, quod non poſſet fieri, ſi ſolum eſſet conſilium, ut fatentur omnes DD. apud *Sanch. cit. diſ.* 8e. *n.* 6. ubi addit, eſſe peccatum mortale, ſi ex contemptu omittantur, qui tunc fieri cenſetur, quando quis omitteret has benedictiones, quia eas nihil faceret, ac ſi eſſent res viles, & venæ; quamvis alias probabiliter ſecundum ſe non ſit peccatum mortale, ſi ex mera negligentia omittantur, quia non ſunt Sacramentum, ſed Sacramentale quoddam, nec tanti momenti, quanti ſunt Sacramentalia, quæ præmittuntur ante Baptiſmum, *Sanch. c. l.* His præmiſſis,

XII. Quæritur nunc, an ſecundis nuptiis ſit impertienda benedictio, & quam pœnam incurret Sacerdos benedicens; De utraque hac quæſtione extant duo Capitula in hoc Titulo. Et inprimis in *c. Capellanum.* 1. ſtatuitur, „ſecundas nuptias non eſſe benedicendas, & benedicentem puniendum eſſe: nam enim quædam mulier, ut refert *Gl. in caſu*, mortuo viro ſuo, ad ſecundas nuptias tranſiiſſet, quidem Capellanus (ſive Rector Parochiæ) eaſdem benedixit: quia ſecundæ nuptiæ benedici non debent, quæſitum fuit, qualiter dictus Sacerdos puniri debeat? Reſpondet Papa Alexander III. & mandat Epiſcopo, ut Capellanum qui benedictionem mulieri ſecundo nubenti impertivit, ab Officio, & beneficio ſuſpendat, & ſic ſuſpenſum, cum litteris Epiſcopi, ad Sedem Apoſtolicam deſtinet, ſeu pro abſolutione mittat.

„Similiter in *c. Vir autem* 3. *eod. tit.* reſcribit Papa Urbanus III. quod vir, vel mulier ad bigamiam tranſiens (hoc eſt, ad ſecundas nuptias, per quas ſolet contrahi bigamia, *Hoſtienſ. hic V. Ad bigamiam*) non debet a Presbytero benedici, quia cum alia vice (in primis nuptiis) jam ſint benedicti, non debet eorum benedictio iterari.

XIII. Pro declaratione utriuſque hujus cap. notandum 1. Si uterque, vel alter conjux in primis nuptiis benedictionem accepit, non debet in ſecundis nuptiis benedictio impertiri: ſecus autem, ſi neuter conjux in primis nuptiis benedictionem accepit, *Sanch. cit. diſ.* 8e. *n.* 15. Ratio eſt, quia cum uterque, vel ſaltem alter conjux in primo matrimonio fuit benedictus, non debet iterum benedici in ſecundo, quia benedictio nubentium non debet reiterari; videretur enim quaſi Sacramentum hujuſmodi non fuiſſet collatum, vel quod ineſſicax omnino fuiſſet, & ſic fieret ei injuria, *Gl. in cit. c. Vir autem, V. Iterari.* Alia ratio, quia ſecundæ nuptiæ non ſint benedicendæ, redditur a *S. Thom. in* 4. *ſentent. diſ.* 42. *q.* 3. *art.* 2. *ad* 2. quia ſcilicet, quamvis ſecundum matrimonium in ſe conſideratum ſit perfectum Sacramentum, habet tamen aliquem defectum Sacramenti, quia non plene ſignificat conjunctionem unius cum una, ſicut primum matrimonium ſignificat conjunctionem Chriſti cum una Eccleſia; & ideo ſecundum matrimonium non benedicitur, *Fagn. in cit. c. Vir autem, n.* 5. *h. t.* nam conjuges ſunt benedicti in ſecundis nuptiis, ſi vel alter ipſorum tantum fuerit benedictus in primis, ut conſtat ex *cit. c. Vir autem. Abbas ibid. n.* 3.

XIV. Notandum 2. Quod dictum eſt, ſecundas nuptias non eſſe benedicendas, id intelligendum eſt, juxta *S. Thom. c. l.* quando nuptiæ ſunt ſecundæ, & ex parte viri, & ex parte mulieris, vel ex parte mulieris tantum; ſi enim virgo contrahat matrimonium cum illo, qui prius aliam uxorem habuit, ſecundæ nuptiæ iterum benedicuntur; ſalvatur enim tunc aliquo modo ſignificatio conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, etiam in ordine ad primas nuptias: idq; ſervari in praxi, teſtatur *Covarr. in* 4. *Decret. p.* 2. *c.* 8. §. 11. *n.* 2. Sed huic repugnat *citato c. Vir autem*, ubi dicitur, ſecundas nuptias non eſſe benedicendas, etiamſi unus tantum ipſorum conjugum fuerit benedictus in primis nuptiis, quia cum benedictio nuptialis ſit communis marito, & uxori, ſi vel unus eorum tantum fuit benedictus in primis nuptiis, non debet ea benedictio iterari in ſecundis, quia iteraretur in perſona jam eius benedicta, ut notat, *Abb. in cit. c.* 3. *n.* 3. *in fine*, & *Fagn. ibid. n.* 6.

XV. Ex dictis patet, quæ ſit vera ratio, ob quam prohibetur benedictio conjugum in ſecundis nuptiis, non enim prohibentur benedici ad exhortationem continentiæ, & relinquendas ſecundas nuptias, quia hæ Jure Pontificio non improbantur: neq; etiam ne Sacramenta reiterentur, tum quia ea benedictio non eſt Sacramentum: tum etiam quia ſola Sacramenta, quæ imprimunt Characterem, non reiterantur: neq; etiam quod benedictio ſemel accepta permaneat, & conjux, qui illam accepit, eam communicat alteri illa carenti: ſicut aqua non benedicta permixta aquæ benedictæ tota fit benedicta, *c. Quod in dubiis.* 3. *de conſecr. Eccleſ. vel Altar.* quia licet vir uxori communicet actiones ſpirituales, *c. Martinus.* 4. *de cognat. ſpirit.* non tamen paſſiones, *Abb. in cit. c.* 3. *n.* 3. *h. t.* Vera igitur ratio, eſt, quod ſive nuptiæ ſint ſecundæ ex parte viri, ſive ex parte fœminæ, ſive ex parte utriuſque, ſola benedictio in primis nuptiis accepta prohibetur, ne ea iteretur in ſecundis: idq; ne iteretur benedictio in perſona ſemel benedicta, cum illa benedictio maneat, & neuter conjux abſque altero benedici poſſit; indecens enim eſſe videtur, ut ſolemnes rerum, vel perſonarum benedictiones, quales ſunt conſecratio Eccleſiæ, Altarium, Virginum, vel nuptiarum, in eadem perſona iterentur, ne vilipendantur, quæ ratio redditur in *cit. c. Vir autem*: neque vero ideo dicitur in numero plurali, *quia cum alia vice benedicti ſint*, quaſi benedictio unius conjugis alteri communicetur, ut quidam putant, ſed ut ſive vir, ſive mulier in primis nuptiis benedictionem receperint, ea in ſecundis nuptiis non iteretur in perſona ſemel benedicta, *Abb. in cit. c. Vir autem. n.* 3. *Alex. de Nevo n.* 4. *Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 82. *n.* 15. & 16.

Neque vero textus Juris prohibentes ſecundas nuptias benedici, ſunt correcti per Concil. Trident. *cit. ſeſſ.* 24. *c.* 1. ubi ſimpliciter eſt conſtitutum, nuptias eſſe benedicendas: quia intelligendum eſt de primis nuptiis, non autem de ſecundis, vel ſi etiam de his, in caſu non prohibito per Jus Canonicum, *Menoch. de arbit. Jud. caſu* 417. *n.* 2. *Sanch. cit. diſ.* 82. *n.* 17.

XVI. Notandum 3. Pœna, quam incurrit Sacerdos benedictionem impertiens ſecundis nuptiis, eſt ſuſpenſio ab officio, & beneficio, juxta *c.* 1. *h. t.* quæ tamen non eſt ſuſpenſio ipſo jure lata, ſed a Judice ferenda, quia hic tantum præcipitur Epiſcopo, ut ipſum ſuſpenſum remittat ad Pontificem abſolvendum. Quam pœnam eſſe ordinariam impoſitam benedictioni ſecundarum nuptiarum jure interdictæ, putant plures DD. apud *Sanch. cit. diſ.* 82. *n.* 27. & 29. Alii vero apud eundem *ibid. n.* 30. dicunt, eam ſuſpenſionem non eſſe pœnam ordinariam, ſed arbitrariam imponendam eſſe, id eſt, arbitrio Superioris commiſſam, pro loci conſuetudine, & qualitate delicti, quam ait eſſe frequentiorem, & veriorem DD. ſententiam. Quare textum in *cit. c.* 1. *h. t.* intelligunt, quando impenditur benedictio ſecundis nuptiis, nondum diſſoluto primo matrimonio, ſed vivente priore conjuge adhuc ſuperſtite, quia non eſt veriſimile, tam gravem pœnam eſſe impoſitam pro tam levi delicto, *Abb. in cit. c.* 1. *n.* 5. & *Alex. de Nevo n.* 5. Quamvis addant, hoc non patere ex lectione antiqua, *Diaz. in pract. Can. crim. c.* 78. Alii vero dicunt, etſi intelligatur dictum cap. 1. de benedictione ſecundi matrimonii legitime contracti, Pontificem tamen ſtatuiſſe eam pœnam in facto illo ſpeciali, nec conſtituiſſe ibi jus, ut ea ſit pœna ordinaria hujus delicti, *Abb. in cit. c.* 1. *n.* 5. & *Alex. de Nevo ibid. n.* 5. *Sanch. c. l. in fine.*

XVII. Notandum 4. Spectata vero conſuetudine, an & quando liceat benedicere ſecundas nuptias, aliqui dicunt *apud Sanch. cit. diſ.* 82. *n.* 22. in praxi receptum eſſe, ne ſecundis nuptiis benedictio impertiatur, ſi uterque conjux, vel ſola fœmina in primis nuptiis benedictionem accepit: ſecus ſi ſola fœmina non ſuſcepit: nam quando nulla benedictio, nec ex parte viri, nec fœminæ in primis nuptiis eſt impertita, tunc ipſum Jus in ſecundis benedictionem permittit, & ſic de conſuetudine non eſt curandum. Alii vero cenſent, conſuetudine nunc ſervari, ut ſemper conferatur benedictio in ſecundis nuptiis, qualitercunque ſint ſecundæ, ex parte viri, vel fœminæ, quando alteruter conjux in primis nuptiis benedictionem non accepit, ſive ſit vir, ſive fœmina: ac proinde ſpectata hodierna conſuetudine, ſola ſecundarum nuptiarum benedictio prohibetur, quando uterque conjux illam accepit in primis nuptiis: nam ea conſuetudo approbata eſt in Extravagante *Concertationi* Joann. XXII. quæ nondum typis edita eſt, ſed refertur apud *Sanch. c. l. n.* 23. in qua declaratur, quod licet vir, vel mulier ad ſecundas nuptias tranſiens benedici non debeat, cum alias ſit benedictus: contrahens tamen ſecum benedici debet: quia ſi forſitan alter eorum, vel ambo ad ſecundas nuptias tranſeuntes in primis benedicti non fuerunt, danda erit illis benedictio in ſecundis, & ſic ubiq; ſervari ajunt DD. allegati apud *Sanch. c. l.* quamvis talis conſuetudo, ut in ſecundis nuptiis benedictio impendatur, quando alter ſolus in primis benedictionem accepit, non obliget ſub præcepto, ſed poſſunt tunc benedictiones omitti in ſecundis nuptiis, ut notat *Sanch. c. l. n.* 24.

XVIII. Illud poſtremo hic addendum, licet *Gl. in cit. c. Vir autem in fine*, & *Joan. Andr. ibid. n.* 7. *Hoſtienſ. V. Benedici.* & *Abb. not. ult.* & alii apud *Sanch. cit. diſ.* 82. *n.* 18. putent, conſuetudinem circa benedictionem ſecundarum nuptiarum non valere, niſi ea, ſciente S. Pontifice, imo etiam ex certa ſcientia eam approbante, ſit inducta: contrarium tamen eſt probabilius, quod nec in Sacramentalibus requiratur, ut conſuetudo inducatur ſciente, vel approbante S. Pontifice, ſed poſſe etiam ipſo ignorante, illam induci, per quam lex aboleatur, & tranſgredientes a culpa excuſentur, quia in *cap. fin. conſuetud.* generaliter deciditur, conſuetudinem rationabilem, & legitime præſcriptam habere vim abrogandi quemcunque legem, etiam Principe ignorante, cujus ſcientia ibi non requiritur, neque major ratio diſcriminis reperitur in Sacramentalibus, *Sanch. c. l. n.* 21. & alii apud eundem, ubi *n.* 28. addit, reſervationem talis ſuſpenſionis Papæ factam jam eſſe ſublatam.

Digitized by Google

INDEX GENERALIS
SYNOPTICUS, ET METHODICUS
RERUM, ET QUÆSTIONUM,
QUÆ IN TITULIS LIBRI IV. DECRETALIUM CONTINENTUR.

TITULUS I.

DE SPONSALIBUS, ET MATRIMONIIS.

Sectio I. *De ſponſalibus de futuro.*

SPonſalia accipiuntur tripliciter. Minus proprie pro arrhe, & muneribus, quæ a ſponſo ſponſæ dentur. 2. Pro matrimonio rato, & nondum conſummato: & hæc dicuntur ſponſalia de præſenti. 3. Magis proprie pro futuri matrimonii promiſſione, quæ dicuntur ſponſalia de futuro. *n.* 1.

§. I. *Quid ſint ſponſalia, & qua forma, ſeu modo contrahantur?*

Aſſertio 1. Sponſalia ſunt futurarum nuptiarum mentio, & repromiſſio, quæ promiſſio non debet eſſe mere interne, ſed per verba externa, vel aliud ſignum manifeſtativum conſenſus interni debet eſſe expreſſa. *n.* 2. Requiritur autem promiſſio non ſimplex, ſed mutua, ſeu reciproca utriuſque partis contrahentis *n.* 3. Et plene deliberate, qualis deliberatio requiritur ad votum. *n.* 4. Nec debet eſſe ficte, ſed vere, & ſeria promiſſio. *n. eod.* Cum ſponſalia ſint promiſſio futuri matrimonii ſequitur, quod concubitus cum alieno ſponſo, vel ſponſa non ſit adulterium. *n.* 5. Non tamen abſolute neceſſarium eſt, ut ſponſalia præcedant matrimonium. *n.* 6. Aſſ. 2. Per quæ verba, aut ſigna contrahantur ſponſalia? *n.* 7. Si verba, quibus promittitur matrimonium, ſint dubia, ea ſecundum communem verborum ſenſum ſunt intelligenda. *n.* 8. Interdum ſigna ſupplent in ſponſalibus verborum vices. *n. eod.*

§. II. *Quinam ſint habiles, vel inhabiles, ad ſponſalia contrahenda, vel matrimonium?*

Aſſertio 1. Generatim loquendo, ab illis ſolis poſſunt contrahi ſponſalia, inter quos aliquando conſiſtere poteſt licite, & valide matrimonium. *n.* 9. Aſſ. 2. in ſpecie ſponſalia, & matrimonia a furioſis, & amentibus, ſive etiam cum illis contracta non valent, *c. Dilectus.* 24. *h. t.* ob defectum pleni, & deliberati conſenſus, niſi furioſi lucide intervalla habeant. Similiter neque ab ebriis. *n.* 10. Aſſ. 3. Surdus tantum, vel mutus tantum, imo etiam ſurdus ſimul, & mutus poſſunt contrahere ſponſalia, vel matrimonium, quia quoad cuicunque non prohibetur, admittitur, *c. Cum apud.* 23. *h. t.* Quod ſi ſimul ſit ſurdus, mutus, & cæcus, moraliter loquando, & ordinarie non poteſt contrahere ſponſalia, vel matrimonium. *n.* 11. Quo ſenſu Edictum de matrimonio contrahendo ſit prohibitorium, vel permiſſorium? *n. eod.* Matrimonium contrahitur per legitimum viri, & mulieris conſenſum, verba autem exprimentia conſenſum de præſenti ſunt neceſſaria, quantum ad Eccleſiam, *c. Tua.* 25. *h. t. n.* 12. declaretur *n.* 13. & 14.

§. III. *Quomodo, & quando obligent ſponſalia, & an etiam obligent, ſi gravi metu ſint extorta?*

Aſſertio 1. Sponſalia etſi clam, & ſine teſtibus contracta obligant ex juſtitia ſub culpa lethali ad matrimonium contrahendum. *n.* 15. Aſſ. 2. Sponſalia obligant ad matrimonium contrahendum, tempore a contrahentibus præfixo: ſi autem nullum certum tempus ſit conſtitutum, tenetur quiſque contrahere, ſi alter petat, quamprimum commode poteſt. *n.* 16. Aſſ. 3. qui ſine legitima cauſa recuſat implere ſponſalium fidem, is poteſt poſt monitionem, per cenſuras cogi ad contrahendum matrimonium, ſive ſponſalia fuerint jurata, ſive non, niſi gravia mala, & ſcandala inde timeantur, *c. Ex litteris* 10. *hoc t. n.* 17. & 18. Aliquando tamen, qui cum juramento promiſit contrahere matrimonium cum aliqua, moneri potius debet, quam compelli ad contrahendum, *c. Requiſivit.* 17. *h. t.* num 19. & 20. Aſſ. 4. Probabilius eſt, ſponſalia de futuro, etiam per gravem metum injuſte incuſſum contracta, eſſe valida, donec per Judicis ſententiam reſcindantur, *n.* 21.

§. IV. *An ſponſalium contractui adjici poſſit pœna, vel arrha?*

Aſſertio 1. Pœna proprie dicta, quæ conſiſtit in patrimonio diminuendo ſolvenda per eum, qui frangit fidem, adjecta ſponſalibus eſt utroque jure irrita, Civili, & Canonico, *c. Gemma* 29. *h. t. n.* 22. etiamſi pœna ſit promiſſa a parentibus, vel conſanguineis. Pœna autem inter omnino extraneos ipſis ſponſis valida eſt: neque talis pœna juramento firmari poteſt. *n.* 23. Item irrita eſt adjectio pœnæ, ſive quis ex juſta cauſa e ſponſalibus reſiliat: ſive injuſte, quamvis etiam probabile ſit, quod debeatur pœna ſponſalibus adjecta, ſi quis injuſte ab illis reſiliat, *cit. n.* 23. Promiſſa vero pœna improprie dicta, quæ conſiſtit in lucro amittendo, appoſita ab ipſis contrahentibus irrita eſt, non item ſi appoſita ſit ab aliis. *n.* 24. Aſſ. 2. Non tantum Jure Civili, ſed etiam Canonico intervenire poſſunt arrhæ in ſponſalibus. *n.* 25. & cur ſponſalibus adjici poſſint arrhæ, non autem pœna? *n. eod.*

§. V. *Utrum ſponſalia jure novo ſint irrita, & quomodo tranſeant in matrimonium?*

Aſſertio 1. Non eſt neceſſarium etiam poſt Concil. Trid. ut ſponſalia de futuro coram parocho, & teſtibus contrahantur, ſed etiam clam contracta ſunt valida, imo & licita, per ſe loquendo. *n.* 26. Aſſ. 2. de jure antiquo Canonico, ſponſalia de futuro per ſecutam copulam carnalem tranſeunt in matrimonium, *c. Is qui* 30. & *c. Veniens.* 15. *h. t.* ubi habetur quod ſponſalia de futuro cum una contrahens, & poſtea cum alia de præſenti, debet manere cum ſecunda, niſi cum prima rem habuerit, vel nuum ſecunda ex gravi metu contraxerit. *n.* 27. Idque procedit etiam nunc in locis, in quibus decretum Concilii Trident. *Seſſ.* 24. *de ref. matr.* non eſt receptum; ubi vero eſt receptum, & promulgatum quoad matrimonia clandeſtina, non habent locum præſumpta matrimonia. *n.* 28. Quod ſi poſt ſponſalia de futuro non ſequatur copula, ſed ſolum niſus, ſeu conatus ad illam, non eſt matrimonium præſumptum, *c. ult. h. t. n.* 29. Solvitur objectio *n.* 30.

§. VI *De impedimento publicæ honeſtatis proveniente ex ſponſalibus de futuro.*

Quær. 1. Quid ſit impedimentum publicæ honeſtatis? Reſp. eſt quædam quaſi affinitas, ſeu propinquitas jure Eccleſiaſtico introducta, proveniens ex ſponſalibus de futuro, ob publicam honeſtatem motum, *cit. n.* 30. Quær. 2. An ſponſalia a pubere contracta cum puella minore ſeptennio pariant publicæ honeſtatis juſtitiam? Reſp. ſi major ſeptennio cum puella proxima ſeptennio, in qua malitia ſupplet ætatem, contrahat ſponſalia de futuro, oritur juſtitia publicæ honeſtatis. *c. Juvenis.* 3. *h. t.* maxime ſi carnalem copulam attentarunt, *n.* 31. & 32. Quær. 3. An impedimentum publicæ honeſtatis oriatur ex ſponſalibus invalidis? Reſp. hoc impedimentum jure antiquo Canonico, oritur ex ſponſalibus contractis inter conſanguineos, quamvis nulla ſint, ſeu invalida, etiam ſi intervenerit juramentum, *c. Ad audientiam.* 4. *h. t. n.* 33. Extenditur autem hoc impedimentum uſque ad quartum gradum incluſive, *c. Sponſam.* 8. *h. t. n.* 34. Quær. 4. Utrum ex ſponſalibus puris, & certis, etſi invalidis, & an ex incertis & conditionalibus inducatur impedimentum publicæ honeſtatis, ut juſtitiæ; Reſp. impedimentum hoc oritur ex ſponſalibus puris, & certis, licet illa ſponſalia ſint nulla, non tamen ex defectu conſenſus, ſed ex alio capite. v. g. conſanguinitatis, affinitatis, vel Religioſæ profeſſionis, *c. Un. h. t. in* 6. *num.* 35. & 36. Item per poſteriora ſponſalia inita cum perſona conſanguinea prioris ſponſi, aut ſponſæ non oritur impedimentum publicæ honeſtatis dirimens priora ſponſalia de futuro. *n.* 37. Ex ſponſalibus contractis cum aliqua ſub conditione de futuro non oritur impedimentum publicæ honeſtatis ante impletam conditionem, *n.* 38. Verum hodie poſt Concil. Trident. *Seſſ.* 24. *c.* 3. *de reform. matr.* oritur hoc impedimentum tantum ex ſponſalibus de futuro validis: neque ſponſalia etiam valida excedunt primum gradum conſanguinitatis, tam in linea recta, quam tranſverſa, *numer.* 39.

Sectio II. *De diſſolutione Sponſalium.*

§. I. *Quas ob cauſas diſſolvi poſſint ſponſalia de futuro?*

Quær. 1. An ſponſalia de futuro mutuo conſenſu contrahentium diſſolvi poſſint? Reſp. ſponſalia puberum etiam legitime contracta poſſunt per mutuum ſponſorum diſſenſum dirimi. Idque extenditur etiam ad ſponſalia juramento confirmata. *n.* 40. Requiritur tamen, ut ſponſi ſimul mutuo conſenſu libere, & non coacte ſponſalia contracta diſſolvant. *num.* 41. Quod ſi ii, qui ſponſalia contraxerunt, pure, & ſine conditione, fide hinc inde data, deinde nolint matrimonium contrahere, admonendi ſunt, ut datam fidem ſervent, non autem cogendi, ſed tolerandi, ne deterius aliquid contingat, nempe ut illam quis ducat, quam odio habet, *c.* 2. *h. t. nu.* 42. Aliter explicatur idem cap. *n.* 43. Quær. 2. An, & qua ratione diſſolvantur ſponſalia priora per poſteriora? Reſp. ſponſalia de futuro, etiam jurata diſſolvuntur per ſecunda ſponſalia cum alia contracta de præſenti, non autem per ſecunda de futuro. Item ſponſalia de futuro diſſolvuntur, elapſo tempore ad contrahendum matrimonium, præfixo, *c. Sicut.* 22. *h. t. n.* 44. &

45. Duobus autem modis poteſt tempus adjici ſponſalibus ad contrahendum matrimonium: vel ad reſtringendam, ſeu finiendam obligationem, ita ut niſi intra id tempus matrimonium contrahatur, reſilire liceat. Vel ad ſtatuendam, ſive exequendam obligationem nimirum, ut nuptiæ tunc executioni mandari debeant, prout declaratur, *n.*46. Quær. 3. An diſſolvantur ſponſalia de futuro propter diſceſſum, vel abſentiam ſponſi? Reſp. Si ſponſus diſcedat in partes remotas, ſine licentia ſponſæ, liberum eſt ſponſæ alteri nubere: ſi tamen per eam ſtetit, quominus matrimonium conſummaretur, pœnitentia ei imponenda eſt, *c. De illis.* 5. *h. t. n.* 47. Idque declaratur. *n.* 48. Si ſponſus abſit, ob cauſam neceſſariam, expectandus eſt, donec juſtum impedimentum ceſſet: ſi vero ob juſtam cauſam voluntariam abſit, ſecundum Jus Civile expectandus eſt per biennium, ſi intra Provinciam; per triennium vero, ſi extra Provinciam verſetur, *cit. n.* 48. quæ leges non ſunt correctæ per Jus Canonicum, *n.* 49.

§. II. *An, & qua ratione diſſolvuntur priora ſponſalia de futuro per ingreſſum Religionis, vel ſuſceptionem Sacri Ordinis?*

Aſſertio 1. Sponſalia de futuro per ingreſſum Religionis approbatæ diſſolvuntur, ſecuta profeſſione, *n.* 50. Dubitatur autem 1. An per ingreſſum Novitiatus, etiamſi profeſſio non ſit ſecuta, ſolvantur ſponſalia? Reſp. pars remanens in ſeculo liberatur ab obligatione ſponſalium, ita ut poſſit cum alio matrimonium contrahere. At vero probabilius eſt, quod is, qui Religionem ingreſſus eſt, ſi iterum egrediatur, cogi poteſt, ut fidem ſponſaliorum impleat, ſi ſponſus, vel ſponſa remanens in ſæculo ita voluerit, nec interim alia ſponſalia inierit, *cit. n.* 50. Dubitatur 2. An per votum ingrediendi Religionem, ac profitendi diſſolvantur penitus ſponſalia prius inita, etiam jurata? Reſp. diſſolvi, adeoque talis ſponſus poteſt Religionem ingredi, non prius contracto matrimonio. *n.* 51. Excipi debet, niſi neceſſitas cogeret ad prius contrahendum matrimonium, quia ſponſa alias gravem infamiam incurreret. *n. eod.* Is vero, qui juravit matrimonium contrahere cum aliqua, ſi vult ingredi Religionem, tutius eſt, ut prius contrahat cum illa, ut ſervet juramentum, & poſtea ante copulam carnalem Religionem ingrediatur, *c. Commiſſum* 16. *h. t. n.* 52. Idque declaratur *n.* 53. Dubitatur. 3. An ſi quis non ſolum ſponſalia cum Virgine contraxit, ſed etiam ſub ſpe matrimonii eam corrupit, poſſit ante contractum, vel conſummatum matrimonium, Religionem ingredi? Reſp. non poteſt, ſed tenetur eam ducere. Sed quid ſi poſt votum Religionis a ſponſo emiſſum ante ſponſalia, is ſponſam corrupit, promittendo ei matrimonium, teneturne eam ducere, non obſtante voto? Aliqui affirmant: ſed contraria ſententia non teneri illam ducere eſt communis, & in praxi recepta, *n.* 54. Aſſ. 2. Sponſalia de futuro prius contracta diſſolvuntur etiam per ſuſceptionem Ordinis ſacri, ſeu majoris, non autem per ſuſceptionem Ordinum minorum, Item probabilius eſt per votum ſacrum Ordinem ſuſcipiendi non dirimi ſponſalia prius contracta, nec illis adſtrictum poſſe licite promoveri ad Ordines ſacros, *n.* 55.

§. III. *Utrum priora ſponſalia de futuro ſolvantur per poſteriora juramento firmata, vel per matrimonium cum alia contractum: & an etiam per ſubſequentem fornicationem ſponſi, vel ſponſæ?*

Aſſertio I. Per ſponſalia poſteriora non ſolvuntur priora, etiam juramento firmata, quia ſecunda ſunt invalida: ſponſalia tamen inita cum prima ſunt ſoluta, quia illa poteſt recedere, ſi velit, *n.* 56. An ſi cum poſteriore ſponſa ignara priorum ſponſalium carnalis copula ſit ſubſecuta, diſſolvantur priora ſponſalia? *n.* 57. Aſſ. 2. Sponſalia de futuro etiam jurata, ſolvuntur per ſponſalia de præſenti, ſive per matrimonium ſubſequens etiam non conſummatum, valide, etſi illicite contractum cum alia, ſive juramentum ſit appoſitum, ſive non, *c. Si inter* 31. *h. t. n.* 58. Eſt autem probabilius hoc caſu ſponſalia per matrimonium ſubſequens cum alia contractum omnino extingui, & non tantum ſuſpendi, *n.* 59. Aſſ. 3. Solvuntur ſponſalia etiam jurata per ſequentem fornicationem ſive ſponſi, ſive ſponſæ, ita ut innocens habeat jus ea reſcindendi, non autem nocens: quod etiam obtinet in fornicatione ſpirituali, ſi alteruter ſponſus in hæreſim incidat, *n.* 60. Quibus caſibus ſponſus poſſit, poſt fornicationem ſubſequentem, reſilire a ſponſalibus de futuro prius contractis non autem ſponſa, *n.* 61. & 62.

§. IV. *An, & qua ratione præterea diſſolvantur ſponſalia, ob ſupervenientem notabilem mutationem, ex parte ſponſi, vel ſponſæ.*

Aſſertio I. Solvuntur præterea ſponſalia propter quamlibet cauſam, vel notabilem mutationem ſupervenientem poſt ea contracta, etiamſi ſponſalia ſint jurata, *n.* 63. Aſſ. 2. Quænam in ſpecie ſint hujuſmodi mutationes notabiles, ob quas a ſponſalibus recedere licet? *n.* 64. Non ſolum autem ob notabiles mutationes poſſunt reſcindi ſponſalia, ſi poſt illa, ſed etiam ſi ante illa inita extiterint, ſed ab altero contrahentium fuerint probabiliter ignoratæ, nam iis poſtea cognitis, poſſunt reſcindi ſponſalia, etiam propria auctoritate, ſi cauſa diſſolvendi ſit moraliter certe, & manifeſta, *n.* 65.

Sectio III. *De matrimonio ſecundum ſe, ejuſque eſſentia.*

Matrimonii quatuor ſunt nomina ſynonima. Vocatur enim matrimonium, nuptiæ, connubium, conjugium, *n.* 66.

§. I. *Quid ſit matrimonium, & quotuplex?*

Aſſertio I. Matrimonium eſt maris, & fœminæ conjunctio individuam vitæ conſuetudinem retinens, *n.* 67. ubi explicatur hæc definitio. Aſſ. 2. Matrimonium dividitur in legitimum ratum, & conſummatum, ſcilicet per carnis copulam, quæ tamen ad ſubſtantiam matrimonii non requiritur, quia nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit *n.* 68. Ad eſſentiam matrimonii non requiritur expreſſus conſenſus in carnalem copulam, ſed ſufficit implicite, & virtualiter in illam conſentire. Unde verum matrimonium fuit contractum inter B. Virginem, & S. Joſephum, non obſtante voto caſtitatis, quia conſenſit in copulam carnis quoad poteſtatem, ſeu, actum primum, non autem quoad actum ſecundum, ſeu actualem uſum illius poteſtatis, 69.

§. II. *De matrimonio, quatenus eſt Sacramentum.*

Quær. I. An matrimonium ſit verum Sacramentum? Reſp. 1. Matrimonium in lege naturæ, & Veteri Moſaica non fuit Sacramentum proprie dictum, ſed contractus naturalis, *n.* 70. Reſp. 2. Quamvis poſt legem Evangelicam, matrimonium inter infideles contractum non ſit Sacramentum, cum nullum ſuſcipiat Sacramentum ſine Baptiſmo, qui eſt Sacramentorum janua: ſi tamen ambo conjuges ad fidem convertantur, tale matrimonium efficitur Sacramentum, ſtatim ac ambo conjuges baptizantur, fitque inſolubile, *n.* 71. Reſp. 3. Matrimonium inter fideles, ſeu baptizatos eſt vere, ac proprie dictum Sacramentum novæ legis a Chriſto inſtitutum, quia eſt ſignum rei ſacræ, & viſibile ſignum unionis Chriſti cum ſponſa Eccleſia per charitatem, & conferens gratiam, *n.* 72. Eſt autem a Chriſto approbatum in nuptiis Canæ Galilææ, & inſtitutum, quando illius inſeparabilitatem præcepit, Matth. 19. dicens: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, vel tempore 40. dierum, quibus poſt reſurrectionem ſuam ſæpius apparuit diſcipulis ſuis, *n.* 73. Reſp. 4. Matrimonium inter fideles, & baptizatos nunquam poteſt iniri ſine Sacramento, nec ab eo ſeparari: quare qui volunt ita contrahere matrimonium, ut nullo modo velint ſuſcipere Sacramentum, nihil agunt, quia ratio Sacramenti ex Chriſti inſtitutione eſt inſeparabiliter annexa contractui matrimonii. Unde etiam Acatholici, non obſtante errore ſpeculativo, quo putant matrimonium non eſſe Sacramentum, ſuſcipiunt Sacramentum, ita ut eorum quoque matrimonium diſſolvi non poſſit, ſiquidem habent, vel habere debent intentionem contrahendi matrimonium, eo modo, quo ſolent ab antiquo illud contrahere fideles, & Chriſtiani, *n.* 74. Quær. 2. Quæ ſit materia, & forma Sacramenti matrimonii? Reſp. materia *circa quam*, ſeu remota ſunt ipſa corpora contrahentium, proxima vero, traditio corporum: forma autem eſt mutua acceptatio verbis, vel aliis ſignis expreſſa, ſive potius ipſe conſenſus mutuus utriuſque conjugis ſignis externis expreſſus, quatenus habet rationem traditionis, eſt materia, & quatenus habet rationem acceptationis, eſt forma. Vel brevius, materia Sacramenti matrimonii ſunt corpora conjugum mutuo tradenda, forma vero verba conjugum contrahentium, *n.* 75. Quær. 3. Quis ſit miniſter Sacramenti matrimonii, & an etiam Sacerdos? Reſp. ipſi contrahentes, ſeu conjuges, non Parochus, vel Sacerdos, *n.* 76. declaratur *n.* 77. Quær. 4. Utrum matrimonium inter abſentes per Procuratorem, vel per epiſtolam contractum ſit validum, & an ſit Sacramentum? Reſp. 1. matrimonium initum per Procuratorem eſt validum, ſicut & fuit ante Concil. Trident. ſervatis tribus conditionibus expreſſis *n.* 78. Eſt etiam validum in locis, ubi Concilium Trident. eſt acceptum, modo contrahentes exprimant ſuum conſenſum coram Parocho, & teſtibus per ſuos Procuratores, tanquam ſuos interpretes: requiritur etiam, ut principalis contrahens compos rationis fuerit, dum mandatum contrahendi dedit Procuratori, nec id poſtea revocaverit, *n.* 79. Reſp. 2. matrimonium per Procuratorem contractum eſt Sacramentum conferens gratiam. *n.* 80. ubi etiam reſpondetur ad objectiones. Reſp. 3. etiam poſt Concil. Trident. valide poteſt contrahi matrimonium per epiſtolam, *n.* 81.

§. III. *De conſenſu requiſito ad matrimonium?*

Quær. I. Quomodo conſenſus internus debeat neceſſario externus exprimi? Reſp. non ſatis eſt ad valorem matrimonii, ut contrahentes de præſenti in conjugium conſentiant, ſed requiritur quoque, ut hunc conſenſum exprimant, eumque mutuo acceptent: quamvis non ſit neceſſarium, ut actualis utriuſque conſenſus ſimul exprimatur, modo non nimis longum temporis intervallum inter unius, & alterius conſenſum intercedat, & ejus, qui conſenſit prius, non ſit revocatus, *n.* 82. Quær. 2. An quando matrimonium fuit irritum, quia alter conjugum ficte, vel gravi metu coactus conſenſit, ſufficiat, ſi hic ſolum poſtea conſenſum in matrimonium renovet: an vero neceſſe ſit, ut uterque denuo conſentiat? Reſp. probabilius eſt ſatis eſſe, ſi ille, qui illegitime conſenſit, denuo conſentiat: ſecus eſt,

ſi uter-

Digitized by Google

ſi uterque ficte, aut ex gravi metu invalide conſenſiſſet, *n.* 83. Quær. 3. Si aliqui ſponſalia, vel matrimonium contrahunt per verba obſcure, quomodo ea ſint intelligenda? Reſp. ea intelligenda eſſe ſecundum communem ſignificationem verborum, ſeu loquendi modum, *c. Ex litteris.* 7. *h. t. n.* 84. idque declaratur *c.* 85. Quær. 4. An ſit vere matrimonium contractum, quando vir, & mulier ſibi invicem promittunt, quod ex eo tempore habebunt ſe pro conjugibus, & fidem conjugalem ſervabunt? Reſp. affirmative, ut conſtat ex *Ex parte* 9. *h. t. num.* 86. idque declaratur *n.* 87. Quær. 5. An matrimonium contractum non ſervata lege, vel conſuetudine loci, ſeu Regionis, in qua contrahitur, ſit validum? Reſp. validum eſt matrimonium contractum, licet conſuetudines, ſeu ſolemnitates patriæ non ſerventur, *c.* 1. *h. t. n.* 88. & 89.

§. IV. *Utrum ad valorem matrimonii contracti a liberis neceſſarius ſit conſenſus parentum; & an patria poteſtas ſe extendat ad retinendas uxores filiorum?*

Reſp. Matrimonium a liberis utriuſque ſexus initum ſine conſenſu parentum eſt validum, nec poteſt a parentibus, vel Magiſtratu irritari, *c. Cum virum.* 12. *de Regular. in* 6. *n.* 90. Leges vero Civiles exigentes conſenſum parentum ſunt abrogatæ per Jus Canonicum, *n. eod.* Si filius matrimonium contrahat, tenetur prius conſilium petere a parentibus, quamvis non teneatur illud ſequi, ſed etiam iis invitis contrahere poteſt, *num.* 91. Peccant tamen liberi, ſi abſque juſta cauſa contrahant matrimonium ſine conſenſu parentum: ob juſtam tamen cauſam poſſunt etiam licite, *num.* 92. Ad poſteriorem quæſtionem reſpondetur, ſi pater injuſte detineat uxores filiorum, per cenſuram Eccleſiaſticam compelli debet, ut intra certum tempus illas reſtituat, alioquin poteſt interdici Terra, in qua uxores filiorum ſunt, *c. Non eſt.* 11. *h. t. num.* 93. Etſi vero per matrimonium filii, vel filiæ non eximantur a patria poteſtate, non tamen uxores eorum ſubjiciuntur poteſtati ſoceri: unde ſi uxor adhuc in poteſtate patris ſui exiſtens invita ab eo detineatur, poteſt maritus contra patrem agere interdicto ad exhibendam uxorem ſuam, idque apud Judicem Eccleſiaſticum, vel etiam ſæcularem, & petere eam ſibi reſtitui, *n.* 94.

Sectio IV. *De matrimonio ficto, ſeu ſimulato, & coacto.*

§. I. *An matrimonium ficte contractum ſit validum, & ad quid obligetur, qui ficte contrahit?*

Aſſertio I. Qui ficte contrahit matrimonium cum muliere, per verba de præſenti, abſque interno conſenſu illam ducendi, ſed ut carnaliter eam cognoſcat, invalide contrahit, *c. Tua nos.* 26. *h. t. nu.* 95. Ubi tamen diſtinguendum eſt inter forum internum conſcientiæ, & externum; nam in foro externo ſoli confitenti ſe animo ficto fœminam ſibi deſponſaſſe de præſenti creditur, ideoque non eſt judicandum pro matrimonio, ſed contra illud, quod non ſit verum matrimonium. At vero in foro externo, ſi ex confeſſione conjugum, vel alias probari poſſit, virum mulierem ignaram fictionis ipſius in propria perſona deſponſaſſe ſibi, & carnaliter eam cognoviſſe, tum debet judicari pro matrimonio, & cenſeri illud validum, non obſtante falſi nominis mutatione, *n.* 96. Aſſ. 2. Ficte contrahens matrimonium per verba de præſenti, ſine interno conſenſu, graviter peccat, non ſolum contra reverentiam Sacramenti, ſed etiam alteri contrahenti bona fide gravem injuriam infert. Sunt tamen plures caſus, in quibus ficte contrahens non obligatur ad matrimonium contrahendum, ſi alio modo damnum reſarcire poſſit, *n.* 97.

§. II. *An matrimonium ex metu contractum ſit validum?*

Aſſertio I. Matrimonium ex gravi metu contractum in utroque foro eſt irritum, ſi is metus injuſte, ac directe ad matrimonium extorquendum ſit incuſſus, *c. Cum locum.* 14. *h. t. n.* 98. & *ſeqq.* Duplex eſt metus, gravis, & levis, & quibus modis incuti poſſit metus gravis? *n.* 100. Matrimonium gravi metu contractum idcirco etiam eſt irritum, quia adverſatur tribus bonis matrimonii, quæ ſunt fides, proles, & Sacramentum: eſt autem irritum, ſive metus inferatur ab eo, cum quo quis contrahere cogitur, ſive a quocunque alio, ſine culpa, & ſcientia metum paſſi. Et debet fœmina, cui vis inferenda timetur, in loco honeſto, ac tuto poni, ubi libere poſſit conſenſum ſuum exprimere, *num.* 101. Quod autem matrimonium gravi metu injuſte incuſſo contractum ſit irritum, conſtat etiam ex *c. Veniens.* 15. *h. t. num.* 102. Quibus præterea caſibus matrimonium per metum gravem injuſte incuſſum ad illud extorquendum ſit invalidum? *num.* 103. Aſſ. 2. Matrimonium ex gravi metu juſte incuſſo contractum eſt validum, etiamſi is metus directe ad extorquendum matrimonium incutiatur, ſive a lege, ſive a Judice, vel homine privato, *n.* 104. Aſſ. 3. Matrimonium contractum ex gravi metu injuſte incuſſo, non tamen ad extorquendum matrimonium, eſt validum, ſive metus proveniat a cauſa naturali, ſive libera, *n.* 105. Aſſ. 4. Matrimonium metu gravi initum eſt irritum, non Jure Divino poſitivo, nec Jure naturali, ſed ſolo Jure Eccleſiaſtico, *n.* 106. Deducuntur ex dictis quædam corollaria, *n.* 107. Meretricem publicam extrahere e lupanari, & ducere in uxorem, eſt opus miſericordiæ, & tali datur Indulgentiæ pro remittenda pœna temporali adhuc debita, *c. Inter opera.* 20. *h. t. num.* 108. Non omnis violentia, ſeu metus reddit matrimonium contractum irritum, *c. De muliere.* 6. *h. t.* Nam duplex eſt vis, ſive metus, unus gravis, qui reddit matrimonium irritum, niſi poſtea de novo conſentiant conjuges; alter vanus, & improbabilis, qui non impedit matrimonium, *num.* 109.

§. III. *An ſi mulier invita cum aliquo matrimonium contraxit, valeat matrimonium, ſi alteri poſtea nubat. Item an matrimonium metu gravi contractum per ſpontaneam cohabitationem ratificetur, & convaleſcat?*

Si mulier coacta, & invita in uxorem ſit ducta, valet poſterius matrimonium, non obſtante priore matrimonio, quippe quod metu gravi contractum ipſo jure nullum fuit, niſi metus per ſubſequentem conſenſum mulieris fuerit purgatus, antequam ſecundum matrimonium contraheretur, *c. Veniens.* 13. *h. t.* At vero mulier illa in caſu hujus cap. non potuit valide contrahere poſt contracta ſponſalia jurata cum adoleſcente, ob impedimentum conſanguinitatis inter eos intercedens, ideoque ab Epiſcopo ſunt ſeparati: potuit autem libere nubere illi, cui parentes illam deſponſare volebant, poſtquam ab adoleſcente ſeparata fuit ob conſanguinitatem inter eos intercedentem. Illud vero matrimonium, quod dicta mulier poſtea cum tertio iniit, validum fuit, *num.* 110. & *ſeq.* Licet matrimonium gravi metu contractum ſit ipſo jure nullum, per ſpontaneam tamen cohabitationem utriuſque conjugis illud convaleſcit, & ratificatur, *c. Ad id.* 21. *h. t. n.* 112. & 113. Quæ requiruntur, ut cohabitatio conjugum ſit ſufficiens indicium conſenſus conjugalis? *cit. n.* 113.

§. IV. *An ſi mulier neget, ſe in matrimonium conſenſiſſe, ſit ei fides habenda. Vel ſi probare velit, ſe per metum gravem ſibi illatum conſenſiſſe, ſit audienda?*

Mulieri, quæ negat ſe in matrimonium conſenſiſſe, non eſt credendum, ſi maritus contrarium probet per idoneos teſtes: ſecus ſi mulier probet ſe conſenſiſſe per metum, qui poteſt cadere in conſtantem virum, *c. Conſultationi.* 28. *h. t. n.* 114. Si mulieres non ante, ſed poſt carnis copulam aufugiunt e viris aſſerentes ſe non vere conſenſiſſe in matrimonium, non ſunt audiendæ, niſi probatum fuerit eas invitas eſſe detentas, *num.* 115. Minor autem metus excuſat fœminam, quam virum, & quis metus dicatur cadere in virum, relinquendum eſt Judicis arbitrio, *cit. num.* 115. Mulieres metum paſſæ, qui cadere potuit in conſtantem virum, audiendæ ſunt, non ut Judex reſcindat matrimonium metu initum, ſed ut declaret eſſe irritum, *num.* 116.

§. V. *Utrum matrimonium ex levi metu contractum ſit irritum, & an contractum ex metu reverentiali?*

Ad priorem quæſtionem Reſp. probabilius eſt matrimonium ex metu levi initum non eſſe irritum, ſed validum, *n.* 117. Quamvis oppoſitum etiam ſit probabile, videlicet matrimonium contractum ex levi metu, ita ut contrahens nullo pacto conſentirat, niſi metu eſſet inductus, eſſe irritum, ſaltem in foro conſcientiæ, quamvis in foro externo non irritetur tale matrimonium, *nu.* 118. Ad poſteriorem quæſtionem dicendum, matrimonium initum ex metu reverentiali erga patrem, vel ſuperiorem, non eſſe irritum, ſed validum, niſi conjunctæ ſint graves minæ, vel periculum gravis, ac diuturnæ offenſionis patris, aut talis perſonæ, a qua vita, fortunaque hominis plurimum pendet. Idemque dicendum de precibus importunis, niſi inferant metum gravem, *n.* 119.

§. IV. *An matrimonium gravi metu initum confirmetur per juramentum adjectum, vel per copulam ſubſecutam?*

Aliud eſt juramentum eſſe validum, & aliud juramentum confirmare contractum, *n.* 120. Aſſ. 1. Matrimonium gravi metu contractum non fit validum per adjectionem juramenti, *n.* 121. Imo juramentum adjectum matrimonio ex gravi metu contracto non tantum non confirmat illud, ſed neque parit obligationem ex virtute Religionis, adeoque nec relaxatione indiget, *n.* 122. Aſſ. 2. Quamvis matrimonium gravi metu contractum confirmetur per ſequentem copulam, depoſito metu, omnino libere, & affectu maritali habitam, non tamen ratificatur per talem copulam ſimili metu extortam, *n.* 123. Contraria tamen ſententia aſſerens per copulam, etſi ex gravi metu affectu maritali habitam, ratificari prius matrimonium coactum, eſt ob DD. auctoritatem probabilis, *num.* 124. Valde quoque probabile eſt, in matrimonio gravi metu contracto, poſſe cogentem in foro conſcientiæ reſilire a matrimonio, invito eo, qui metum paſſus eſt, ante Judicis ſententiam, nec teneri matrimonium perficere, modo pro damno illato per coactionem alio modo ſatisfieri poſſit, *n.* 125.

Sectio V. *De Unitate, & indiſſolubilitate matrimonii.*

§. I. *An matrimonium ſit neceſſario unius viri cum una fœmina conjunctio, & an, ac quo jure polygamia ſit prohibita?*

Præmittendum eſt, ſemper licitum fuiſſe in Lege Veteri

& nova Evangelica ſecundum, tertium, quartum matrimonium, & ſic deinceps contrahere, poſt mortem primi conjugis, n. 126. Aſſ. 1. Polygamia, ſeu matrimonium unius viri cum pluribus uxoribus ſimul initum eſt contra primævam inſtitutionem ejus, & jure naturæ nullum, niſi diſpenſatio Divina interveniat, *num.* 127. Aſſ. 2. Polygamia, ſive matrimonium unius fœminæ cum pluribus viris ſimul initum eſt contra primævam inſtitutionem matrimonii, & jure naturæ invalidum, *num.* 128. Aſſ. 3. Polygamia, ſive matrimonium unius viri cum pluribus uxoribus non ita repugnat juri naturali, & inſtitutioni Divinæ, ut tanquam intrinſece malum, nullo caſu cohoneſtari, ac licitum fieri poſſit, *n.* 129. Altera vero polygamia, quando una fœmina pluribus viris ſimul nubit, eſt quidem magis deformis, & plura incommoda annexa habet, quam prior; non tamen ita repugnat juri naturali, quin DEUS id per abſolutam ſuam potentiam concedere poſſit, *num.* 130. Hinc ſequitur, quod S. Pontifex in nullo caſu diſpenſare poſſit in pluralitate uxorum, ut unus plures ſimul uxores habeat, & multo minus, ut una fœmina plures ſimul viros habeat, *n. eod.*

§. II. *Qualis certitudo ſit neceſſaria de morte prioris conjugis, ut poſſit ſuperſtes conjux licite ad alias nuptias tranſire?*

Non poteſt mulier ſecundum matrimonium contrahere, niſi per certum nuntium conſtiterit de morte prioris viri, *c. In præſentia* 19. *h. t. n.* 131. Ubi notandum 1. Non ſufficit probabilitas, ſed requiritur moralis certitudo de morte virorum abſentium, *n.* 132. 2. quamdiu ſolum dubitatur, aut leves tantum conjecturæ, vel indicia adſunt de morte prioris conjugis, nunquam eſt licitum cum alio matrimonium contrahere, *n.* 133. 3. neque ſufficit veriſimilis præſumptio, ſed requiritur moraliter indubitata certitudo de morte prioris conjugis, *cit. n.* 133. 4. non ſufficit unus teſtis aſſerens conjugem abſentem eſſe mortuum, neque etiam ſola fama, niſi aliis adminiculis adjuvetur, *n.* 134. 5. valde probabile eſt, quod, ſi conjux habeat veriſimilem præſumptionem, etſi non omnino certam credendi cauſam, alterum conjugem eſſe mortuum, poſſit Confeſſarius in foro conſcientiæ, & pœnitentiali ei permittere, ut ad alias nuptias tranſeat, quia in moralibus ſæpe non poteſt haberi omnimoda certitudo, *n.* 135. Quamvis Judex Eccleſiaſticus in tali caſu non poſſit in foro externo dare licentiam tranſeundi ad alias nuptias, *cit. n.* 135. 6. Licet ſi prudenter exiſtimatur adeſſe moralem certitudinem, vel probabilem præſumptionem de obitu alterius conjugis, non ſit neceſſarium, ut ab Ordinario petatur licentia ineundi aliud matrimonium; tutius tamen eſt, ut res ad Ordinarium deferatur, imo neceſſarium, ſi dubitetur, an adſit certitudo, vel probabilis præſumptio de morte alterius conjugis, *nu.* 136. 7. ſi poſt contractum ſecundum matrimonium cognoſcatur priorem conjugem adhuc vivere, debet maritus, vel uxor redire ad conjugem priorem, *cit. n.* 136. Poſtremo Jure Civili ſtatutum eſt, ut mulier virum abſentem, de cujus vita dubitatur, per quinquennium expectet, ut poſſit alii nubere, vel ſaltem per quadriennium, id tamen Jure Canonico eſt correctum, *cit. n.* 136. *in fine.*

§. III. *An, & quo jure matrimonium ſit indiſſolubile?*

Aſſertio I. Matrimonium, quatenus eſt præciſe contractus, non eſt ita indiſſolubile quoad vinculum, ut ejus diſſolutio repugnet proprie juri naturali, *n.* 137. Aſſ. 2. Matrimonium ex jure naturali, ac Divino eſt indiſſolubile, *Gen. c.* 2. *& Matth.* 16. *& c. un. de voto in* 6. *n.* 138. Aſſ. 3. Matrimonium conſummatum inter fideles Chriſtianos, ſeu baptizatos, eſt omnino, & indiſpenſabiliter indiſſolubile, quæ indiſſolubilitas non competit matrimonio ex jure naturæ, ſed ex Jure Divino, addito juri naturali, nimirum ex præcepto, & inſtitutione Chriſti in lege Evangelica, Matth. 19. *Quod DEUS conjunxit, homo non ſeparet. n.* 139. Nam indiſſolubilitas matrimonii, quæ ipſi competit ex nova lege Evangelica, non provenit ex eo tantum, quod ſit Sacramentum novæ legis, ſed ex eo, quod ſit Sacramentum perfecte ſignificans unionem Chriſti cum Eccleſia per Incarnationem, juxta illud Joann. 1. *Et verbum caro factum eſt. n.* 140. Nec obſtat, quod Chriſtus dicit Matth. c. 19. *Quicunque dimiſerit uxorem, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*, quia ibi loquitur Chriſtus ſolum de dimiſſione uxoris quoad torum, & cohabitationem, non autem de dimiſſione quoad vinculum, *n.* 141.

§. IV. *An, & quibus modis diſſolvatur matrimonium ratum, & non conſummatum?*

Quær. 1. An matrimonium ratum poſſit diſſolvi, non ſolum per profeſſionem Religionis, ſed etiam per diſpenſationem S. Pontificis, ita ut ſoluto ejus vinculo, conjuges libere poſſint inire aliud matrimonium? Reſp. affirmative *n.* 142. Solvuntur objectiones *n.* 143. *& ſeq.* Quær. 2. An ut diſpenſatio in matrimonio rato ſit licita, vel etiam valida, requiratur juſta cauſa? Reſp. verius eſt requiri juſtam cauſam ad valorem diſpenſationis, & quænam ſint juſtæ cauſæ diſpenſandi? *n.* 145. Præter duos caſus prædictos nunquam diſſolvitur matrimonium ratum, ne quidem per matrimonium ſubſequens conſummatum, *cit. n.* 145. Quær. 3. An matrimonium, ſive ratum, ſive conſummatum infidelium non baptizatorum poſſit S. Pontifex diſpenſando diſſolvere, & an etiam matrimonium infidelium conſummatum, cum ambo baptizantur? Reſp. probabilius eſt, matrimonium, ſive ratum, ſive conſummatum infidelium non baptizatorum non poſſe a Pontifice relaxari per diſpenſationem: poſſe autem S. Pontificem diſpenſare in tali matrimonio, etiam conſummato infidelium, dum ambo baptizantur, *nu.* 146.

SECTIO VI. *De impedimentis matrimonii.*

§. I. *De impedimentis matrimonii in genere.*

Quær. I. Quænam ſint impedimenta matrimonii? Reſp. eſſe duplicis generis; quænam enim ſunt impedientia tantum, alia vero dirimentia, *n.* 147. Quær. 2. Penes quos ſit poteſtas ſtatuendi impedimenta matrimonii, ſive impedientia, ſive dirimentia? Reſp. 1. eſt in Eccleſia Catholica poteſtas introducendi, & conſtituendi impedimenta etiam dirimentia matrimonium, ita ut contra Eccleſiæ prohibitionem contractum ſit irritum, ad quod tamen requiritur juſta cauſa, *n* 148. Reſp. 2. Eccleſia, & S. Pontifex poteſt impedimenta dirimentia matrimonium conſtituere, non ſolum indirecte perſonas inhabilitando ad contrahendum, ſed etiam directe, & immediate annullando ipſum contractum, *cit. nu.* 148. Hæc poteſtas Eccleſiæ non extenditur ad infideles, qui Eccleſiaſticis Conſtitutionibus non ligantur, niſi ſint ſubjecti temporali juriſdictioni S. Pontificis: ſecus eſt de infidelibus ſubditis Chriſtianorum Principum, in quorum ditionibus temporalem juriſdictionem Pontifex non habet, *num.* 149. Hæc poteſtas ſtatuendi impedimenta dirimentia matrimonii inter fideles non competit Epiſcopis, ſed eſt reſervata ſoli Papæ, *cit. n.* 149. Porro ſpectata rei natura, & ſecluſis Eccleſiæ Conſtitutionibus, quilibet Princeps ſupremus, ſeu Magiſtratus ſecularis poteſt ſuis ſubditis etiam Chriſtianis ſtatuere impedimenta matrimonii ex juſta cauſa. Veruntamen Eccleſia, ac S. Pontifex hanc poteſtatem ſibi reſervavit, quia matrimonium ad eſſe, ſeu rationem Sacramenti eſt elevatum, *n.* 150. Deducuntur hinc quædam corollaria. *n.* 151. Probabilius videtur etiam per conſuetudinem immemorialem Clericorum, aut laicorum legitime præſcriptam, & rationabilem poſſe antiqua impedimenta matrimonii ſolo jure Eccleſiaſtico ſtatuta abrogari, & nova conſtitui, *n.* 152. Item poteſt Pontifex aliquibus per ſententiam particularem prohibere, ne matrimonium contrahant, alioquin irritum ſit, quamvis non ſoleat tali poteſtate uti, *n. eod.*

§. II. *De quibuſdam impedimentis matrimonii contrahendi in ſpecie, de quibus agitur in hoc Titulo.*

Quær. 1. An, & qua ratione ad dictum unius aſſerentis Impedimentum inter aliquos intercedere, impediatur matrimonium contrahendum? Reſp. ſiquis dicat adeſſe impedimentum matrimonii inter aliquos, impeditur matrimonium contrahendum, niſi juramentum intervenerit. Ut ſi conſanguineus viri volentis contrahere cum aliqua muliere, dicat carnaliter ſe illam cognoviſſe, etſi hoc nolit publice confiteri, propter metum, & potentiam illius mulieris, *c. Præterea* 12. *h. t. n.* 153. Impedimentum, ne matrimonium contrahatur propter affinitatem ortam ex concubitu viri cum muliere, plene probatur per unicum teſtem, *cit. c. Præterea.* Et quænam præterea aliæ conditiones requirantur, ut teſtis unicus impedire poſſit matrimonium contrahendum? *n.* 154. Quod ſi ſponſalia inita inter virum, & mulierem ſint juramento confirmata, non debet ad dictum unius matrimonium impediri, *cit. n.* 154. Quær. 2. An ad denunciationem unius viri honeſti, qui defert de fama conſanguinitatis, impediatur matrimonium contrahendum? Reſp. ſi de fama impedimenti plene probetur, adeoque de illa conſtet, ea ſufficit ad impediendum matrimonium, ne contrahatur: ſecus eſt, ſi de fama non conſtet, nec ea probata fuerit, *c. Cum in tua* 27. *h. t. n.* 155. *&* 156. Si vero de fama conſtet Judici, tanquam Judici, quia ea probata eſt per teſtes, tunc talis fama impedit matrimonium contrahi: poteſt tamen contra probationem famæ de impedimento matrimonii admitti alia contraria probatio, *cit. n.* 156. Quando ſcandalum timetur ex contractu matrimonii inter conſanguineos contrahentium, tum poteſt, ac debet Judex interdicere matrimonium. Quod ſi denuntians impedimentum non ſit perſona gravis, & de fama, vel ſcandalo ſufficienter probare non poſſit, tum Judex poteſt quidem tales monere, ut deſiſtant a contrahendo matrimonio, non tamen poteſt compellere contrahere volentes, *cit. c. Cum in tua*, *n.* 157.

Quær. 3. An ſi lis pendeat ſuper priore matrimonio, impediatur contrahi ſecundum? Reſp. litis pendentia ſuper matrimonio non impedit contrahi ſecundum matrimonium, ſi primum erat invalidum, quia litis pendentia non eſt a Jure Canonico tanquam impedimentum dirimens matrimonium introducta, ideoque tale matrimonium, pendente lite ſuper priore matrimonio, contractum eſt validum, *c. Cum in Apoſtolica* 18. *h. t. n.* 158. & 159.

§. III. *De impedimento erroris perſonæ.*

Aſſertio I. Error circa ſubſtantiam perſonæ jure naturæ reddit irritum matrimonium; ut ſi quis putans ſe contrahere cum Anna, contrahat cum Barbara. Idque extenditur, quod error circa ſubſtantiam perſonæ reddat irritum matrimonium, ſive ſit error antecedens, ſive concomitans,

tans, *n.* 160. Error autem circa perſonam non irritat Sacramentum in aliis Sacramentis, ut ſi quis putet ſuſcipientem eſſe Petrum, cum ſit Paulus, & cur? *n.* 161. Aſſ. 2. Error circa qualitatem perſonæ, etſi det cauſam contractui, & proveniat ex dolo alterius contrahentis, non irritat, per ſe matrimonium, ut ſi quis putans ſe contrahere cum nobili, virgine, vel divite, contrahat cum ignobili, corrupta, vel paupere, *n.* 162. Porro per accidens in duobus caſibus error qualitatis irritum reddit matrimonium 1. ſi qualitas, in qua erratur, per modum conditionis apponatur in contractu matrimonii, ita ut actu intendat quis non contrahere cum aliqua, niſi talis qualitas ipſi inſit. 2. ſi error qualitatis inducat, vel involvat ſimul errorem perſonæ, ut ſi quis velit ducere primogenitam Regis, & illi alia offeratur, *n.* 163. Quando error qualitatis involvat errorem perſonæ? *n. eod.*

§. IV. *De impedimento matrimonii orto ex cultus, ſive Religionis diſparitate.*

Quær. 1. An, & quomodo diſparitas cultus, ſive Religionis dirimat matrimonium? Reſp. Matrimonium hominis fidelis, ſeu baptizati cum infideli, ſeu non baptizato etiam catechumeno, non eſt irritum jure naturæ, ſed ſolo jure Eccleſiaſtico: ex quo ſequitur, quod Pontifex poſſit diſpenſare in hoc impedimento, *n.* 164. Quær. 2. An matrimonium perſonæ Catholicæ cum perſona hæretica ſit validum; vel etiam licitum? Reſp. tale matrimonium eſſe quidem validum, ſed moraliter illicitum, niſi gravis cauſa excuſet, ut moraliter certum ſit, nullum fore periculum ſcandali, vel perverſionis, aliorumque incommodorum, quæ ex talibus matrimoniis plerumque oriri ſolent, *n.* 165. Sola conſuetudo in Germania, & aliis Religionibus ſeptentrionalibus non facit licita conjugia inter Catholicos, & hæreticos, niſi adſit ſufficiens, & gravis cauſa ineundi matrimonium cum illis, & abſint prædicta pericula, & incommoda, *n.* 166. Illud vero certum eſt, illa pacta in conjugiis cum hæreticis inita, ut aliqui ex liberis naſcituris v. g. mares ex patre hæretico fidem hæreticam ſequantur, eſſe prorſus impia, & irrita, *n.* 167.

§. V. *De diſpenſatione in impedimentis matrimonii.*

Quær. 1. An, & qua ratione diſpenſari poſſit in impedimentis matrimonii? Reſp. S. Pontifex in nullo impedimento jure Divino, & naturali dirimente matrimonium proprie diſpenſare poteſt, *n.* 168. Poteſt tamen diſpenſare in omnibus impedimentis jure ſolum Eccleſiaſtico matrimonium dirimentibus, valide quidem etiam ſine cauſa, licite vero nonniſi ex cauſa rationali, *n.* 169. Epiſcopus non poteſt regulariter, & ordinarie, per ſe loquendo, diſpenſare in impedimentis dirimentibus matrimonii etiam Eccleſiaſticis: poteſt tamen diſpenſare in extraordinario caſu magnæ neceſſitatis, in impedimentis dirimentibus, concurrentibus certis conditionibus, *n.* 170. Quær. 2. Quæ ſint juſtæ cauſæ diſpenſandi in impedimentis dirimentibus matrimonii? Reſp. tres præcipuæ poſitæ *n.* 171. Quær. 3. Quando ob taciturnitatem veritatis, vel expreſſionem falſitatis in petitione, diſpenſationis, ea ſit ſubreptitia, & invalida? Reſp. quando in petitione diſpenſationis tacetur vera cauſa, aut circumſtantia, quam Jura jubent exprimi; vel quando veritas tacita, vel falſitas expreſſa pertinet ad cauſam finalem, ita ut ea veritate expreſſa, vel falſitate non expreſſa, diſpenſatio vel omnino conceſſa non fuiſſet, vel non tali modo, tunc diſpenſatio eſt nulla: quando vero non tacetur aliquid, quod jus jubet exprimi, & veritas tacita, vel falſitas expreſſa tantum verſatur circa cauſam impulſivam, ſine qua nihilominus diſpenſatio conceſſa fuiſſet, licet difficilius, non redditur diſpenſatio ſubreptitia, & invalida, *n.* 172.

Sectio VII. *De mutua conjugum obligatione, quoad cohabitationem, alimentorum præſtationem, & de obligatione conjugum ad debitum conjugale.*

§. I. *An teneantur conjuges ſimul cohabitare, & mutuo ſibi præſtare alimenta, & quæ ſit obligatio conjugum ad alendos, & educandos filios?*

Aſſertio 1. Conjuges tenentur ſimul habitare, non tantum in eadem domo, ſed etiam communi menſa, eodemque toro utentes, ſaltem ut plurimum, quamvis mutuo conſenſu quoad torum ſeparari poſſint, *n.* 173. Hinc infertur 1. uxorem teneri ſequi virum mutantem domicilium, cum vir ſit caput mulieris, & quando uxor non teneatur ſequi virum? *n.* 174. Infertur 2. Quamvis ad longum tempus non poſſit, uxore invita, vir diſcedere, ſine juſta cauſa, poteſt tamen vir, etiam ſine uxoris conſenſu, brevem peregrinationem inſtituere. 3. Uxor tenetur in iis, quæ ad familiæ adminiſtrationem pertinent, obedire præceptis mariti. 4. marito etiam permiſſum eſt uxorem delinquentem caſtigare, moderate tamen, *cit. n.* 174. Aſſ. 2. Vir quoque tenetur alere uxorem, & familiam, quia ideo etiam fructus dotis accipit. Item quibus caſibus vir non tenetur alere uxorem? *n.* 175. Aſſ. 3. Uterque parens tenetur ad filios ex ſe natos ſuſtentandos, & honeſte, ac pie educandos, & primaria tamen cura alendi filios ad patrem ſpectat. In defectum patris, ſi is pauper ſit, avus paternus prolem alere cogitur; deficiente autem matre, avus, aliique aſcendentes materni, *n.* 176. Jure Canonico parentes quibuſcunque filiis, etiam illegitimis, alimenta præbere debent, *c. Cum haberet.* 5. *De eo, qui duxit &c.* a quo correctum eſt Jus Civile prohibens alimenta præſtari ſpuriis, *num.* 177.

§. II. *De obligatione mutua conjugum ad uſum, ſeu actum conjugalem.*

Quær. 1. An actus conjugalis ſit licitus, & ſub præcepto? Reſp. per ſe, ac natura ſua, eſt licitus, & honeſtus, *n.* 178. Petitio vero debiti conjugalis proprie accepta per ſe nunquam eſt ſub præcepto: redditio autem eſt ſub præcepto, ita ut teneatur conjux reddere conjugi debitum ex juſtitia, & ſub peccato mortali, quoties alter debite, & convenienter petit, expreſſe, vel tacite, ſeu interpretative, *n.* 179. Quær. 2. An, & quomodo actus conjugalis reddatur illicitus, ratione dubii de valore matrimonii? Reſp. 1. ſi dubium de valore matrimonii ob ſuſpicionem latentis impedimenti, ortum ſit, ante contractum matrimonium, illud contrahi non poteſt, nec debet: quod ſi quis mala fide contraxit matrimonium, dubitans de ejus valore, non poteſt debitum conjugale petere, etſi reddere tenetur alteri, qui bona fide contraxit, *n.* 180. Reſp. 2. Si poſt matrimonium bona fide utriuſque conjugis contractum, uni ſuperveniat dubium de valore illius, is tenetur reddere debitum alteri conjugi non dubitanti: non poteſt tamen petere, antequam adhibuerit ſufficientem diligentiam ad veritatem cognoſcendam, qua adhibita, ſi maneat adhuc dubius, poteſt etiam petere, *n.* 181. Idque confirmatur, & declaratur *n.* 182. Deducuntur duo corollaria, *n.* 183.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiqua.

c. 1. *n.* 88. & 89.	*c.* 19. *n.* 131. & 4. *ſeqq.*
c. 2. *n.* 42. & *ſeqq.*	*c.* 20. *n.* 108.
c. 3. *n.* 31. & *ſeqq.*	*c.* 21. *n.* 112. & *ſeq.*
c. 4. *n.* 33. & *ſeq.*	*c.* 22. *n.* 44. & 2. *ſeqq.*
c. 5. *n.* 47. & *ſeq.*	*c.* 23. *n.* 11.
c. 6. *n.* 109.	*c.* 24. *n.* 10.
c. 7. *n.* 84. & *ſeq.*	*c.* 25. *n.* 12. & 2. *ſeqq.*
c. 8. *n.* 34.	*c.* 26. *n.* 95. & *ſeq.*
c. 9. *n.* 86. & *ſeq.*	*c.* 27. *n.* 155. & 2. *ſeqq.*
c. 10. *n.* 17. & *ſeq.*	*c.* 28. *n.* 114. & 2. *ſeqq.*
c. 11. *n.* 93. & *ſeq.*	*c.* 29. *n.* 28.
c. 12. *n.* 153. & *ſeq.*	*c.* 30. *n.* 27.
c. 13. *n.* 110. & *ſeq.*	*c.* 31. *n.* 38. & *ſeq.*
c. 14. *n.* 98.	*c.* 32. & *ult.*
c. 15. *n.* 102.	*n.* 29. & *ſeq.*
c. 16. *n.* 52. & *ſeq.*	In Sexto.
c. 17. *n.* 19. & *ſeq.*	*c. unic. n.* 35.
c. 18. *n.* 158. & *ſeq.*	& 3. *ſeqq.*

TITULUS II.

DE DESPONSATIONE IMPUBERUM.

§. I. *Quæ ætas requiratur ad ſponſalia de futuro?*

Ad contrahenda ſponſalia de futuro requiruntur ſeptem anni completi, tam in maribus, quam in fœminis, *c. Litteras.* 4. *h. t.* Nam ſi pubes, vel major ſeptennio contrahat ſponſalia cum puella minore ſeptennio, non oritur ex illis impedimentum publicæ honeſtatis, ideoque poteſt accipere matrem puellæ in uxorem: ſed ſi pubes, vel major ſeptennio, poſtquam puella complevit ſeptennium, matrem ejus duxit in uxorem, eamque carnaliter cognovit, non tenet matrimonium, ſed ſunt ſeparandi, *n.* 1. Ad ſponſalia requiritur ſeptennium completum, *n.* 2. Si ſeptennes contrahant ſponſalia, ſed uterque, vel alter uſum rationis nondum habeat, ſponſalia ſunt invalida, *cit. n.* 2. Item ut ſponſalia impuberum ſint valida, neceſſarium eſt, ut ſeptennium ſit omnino completum; ſufficit autem, quod ultima dies ſeptennii ſit incepta, etſi non ſit completa, *n. eod.* Similiter quando Titius v. g. ſponſalia de futuro contrahit cum aliqua puella, quæ non complevit ſeptem annos, ſi poſtea completo ſeptennio puella in eum non vult conſentire, Titius poteſt accipere matrem puellæ in uxorem, præſertim ſi a tali deſponſatione ab Epiſcopo ſuit abſolutus. Secus eſt, ſi Titius contrahat ſponſalia cum puella, quæ ſeptem annos jam complevit, tum enim licet puella nolit conſentire in eum, & ita Titius ipſo jure ſit abſolutus, non poteſt accipere matrem puellæ in uxorem, *c. Acceſſit.* 6. *h. t. n.* 3. Hinc patet, quod ex ſponſalibus de futuro initis cum puella minore ſeptennio non oritur impedimentum publicæ honeſtatis, oritur autem ex ſponſalibus initis cum puella poſt ſeptennium completum, licet illa poſtea diſſoluta fuerint, *n.* 4.

§. II. *An ſponſalia ab impuberibus contracta diſſolvantur per ſolum diſſenſum alterius, poſtquam pubes factus eſt.*

Aſſertio I. Si duo impuberes, mas & fœmina ſponſalia contrahant, neuter poteſt ante pubertatem reſilire: poſt pubertatem tamen uterque poteſt, *c. De illis.* 7. *h. t. numer.* 5. & 6. Id vero intelligendum eſt, 1. de ſponſalibus impuberum ſeptennio majoribus, non de ſolis infantium ſponſalibus. 2. Impubes factus pubes poteſt reſilire a ſpon-

ſalibus, ſi ſtatim pubertatem adeptus reſilit, alioquin poſtea non poterit, *ſed cenſetur tacite conſentire.* 3. hæc poteſtas reſiliendi a ſponſalibus conceſſa impuberibus, poſt adeptam pubertatem, non tantum habet locum in foro externo, ſed etiam in interno conſcientiæ, n. 7. Aſſ. 2. Probabilius eſt, ſponſalia impuberum confirmari juramento, ut neutri liceat pubertatem adeptu reſilire, *c. Ex litteris 10. de ſponſal.* dummodo talia ſponſalia juramento firmata ſint ab impuberibus doli capacibus, ſive proximis pubertati, *n.* 8. Aſſ. 3. Sicut a veris ſponſalibus non eſt licitum reſilire, ante pubertatem, ita nec a præſumptis, ſi impuberes contrahant per verba de præſenti. Unde ſicut impuberes contrahentes ſponſalia nequeunt ab eis reſilire, ante pubertatem; ita qui intendunt ſponſalia, ſive matrimonium contrahere per verba de præſenti, ante annos nubiles, nequeunt ab eis recedere, niſi carnalis copula intervenerit, quod interdum contingere poteſt ante pubertatem, per quam conſummatur matrimonium, *c. A nobis.* 8. *h. t. n.* 9. & 10.

§. III. *Utrum ſponſalia inter impuberes, vel inter impuberem, & puberem inita ſint valida, vel nulla, & qua ratione convaleſcant?*

Si duo infantes inter ſe, vel unus major ſeptennio, & alter minor contrahant ſponſalia, ipſi, vel parentes pro ipſis, ea ſunt nulla, & quamvis deinde veniant ad ſeptennium, non convaleſcunt, nec inducunt impedimentum publicæ honeſtatis, niſi ſeptennio exacto, de novo conſentiant expreſſe, vel tacite, veluti verbo, vel facto, aut cohabitatione, *c. Si infantes, unic. in princ. h. t. in 6. n.* 11. Eſt autem verius, quod etiam in ſponſalibus malitia ſuppleat ætatem, ita ut valeant ſponſalia etiam ante ſeptennium contracta, ſi tunc contrahentes jam ſint præditi diſcretione, & uſu rationis, *n.* 12. Præterea *in cit. c. un. §. Idem quoque h. t. in 6.* ſtatuitur, quod ſponſalia per verba de præſenti contracta inter impuberem, & puberem, vel duos impuberes, non tamen proximos pubertati, valent ut ſponſalia de futuro, nec adveniente pubertate, in matrimonium tranſeunt, niſi per carnis copulam ſubſecutam, vel alio modo contrahentes in eadem voluntate perſeverare uſque ad pubertatem evidenter conſtiterit, inducunt tamen publicam honeſtatem, *n.* 13. Idque declaratur *n.* 14. Denique in eodem *c. un. §. fin. h. t. in 6.* additur, ſponſalia pro præſentibus filiis, & tacentibus per parentes contracta valida ſunt, & ex eis oritur publicæ honeſtatis juſtitia. Sponſalia vero pro abſentibus, & ignorantibus filiis per parentes contracta non tenent, nec ex eis conſurgit publicæ honeſtatis juſtitia, niſi ea expreſſe, vel tacite ea poſt facto approbaverint, *n.* 15. & 16. Id vero ſpecialiter ſtatutum eſt de parentibus, ſi pro filiis præſentibus, & tacentibus, ſponſalia, vel matrimonium contrahant, nam ſi alii id faciant, requiritur aliud ſignum exprimens internum conſenſum, ut valeant talia ſponſalia, vel matrimonium, *cit. n.* 16. *in fine.*

§. IV. *An, & quatenus filii impuberes ex ſponſalibus pro ſe per patrem contractis, obligentur?*

Pater pro filio adulto, id eſt pubere, nec matrimonium, nec ſponſalia contrahere poteſt, niſi filius conſentiat expreſſe, vel tacite, verbo, vel facto. At vero pro filio nondum adulto, hoc eſt, infante, vel minore ſeptennio pater poteſt ſponſalia contrahere, nam matrimonium hic accipitur pro ſponſalibus de futuro, per quæ ad matrimonium pervenitur, *c.* 1. *h. t. n.* 17. Sponſalia contracta a patre pro filio adulto, ſeu pubere, & pro infante, ſeu minore ſeptennio, in eo conveniunt, quod utraque non valent, quia pro pubere non valent, niſi is conſentiat: nec pro infante contracta valent, quia durante hoc tempore, non poteſt infans conſentire: & in eo differunt, quod priora pro pubere contracta nunquam valent, ſine illius conſenſu: poſteriora vero pro infante contracta a patre uſque ad ſeptennium non valent: poſt ſeptennium vero ſponſalia convaleſcunt; ſi ab eo approbentur, *n.* 18. Filius, cum pubes factus eſt, tenetur ſaltem ex debito honeſtatis, patris factum, ſive ſponſionem approbare, niſi juſtam cauſam reclamandi habeat, *n.* 19.

§. V. *De variis caſibus occurrentibus circa deſponſationes impuberum inter ſe, & puberum cum impuberibus, an, & qua ratione hujuſmodi deſponſationes valeant, aut obligent?*

Major, ſive pubes contrahens ſponſalia cum minore, ſeu impubere, tenetur hunc expectare, donec pubes fiat, niſi major, ſive pubes gravi metu coactus contraxerit cum minore, ſeu impubere, tunc enim non tenetur expectare, ſed poteſt ad alias nuptias tranſire, *c. Ex litteris* 11. *h. t. n.* 20. & 21. Secundo ſi puella impubes deſponſata fuit, & traducta in domum viri, eaque pubes facta petat licentiam nubendi alteri, non audienda eſt, ſi vir juret, ſe illam carnaliter cognoviſſe, quia tunc erant ſponſalia de futuro inita, quæ per carnalem copulam tranſeunt in matrimonium; creditur autem in tali caſu potius viro, quam mulieri neganti, niſi hæc plene contrarium probaverit, *c. Continebatur 6. h. t. n.* 22. & 23. Juramento viri dicentis ſe copulam habuiſſe cum impubere non eſt ſtandum, declaratur *cit. n.* 23. Tertio ſi contractum eſt matrimonium ab aliquo ante pubertatem, etiam cum niſu ad carnalem copulam, illud non eſt validum, niſi mulier per idoneos teſtes probaverit, quod juvenis ille ante finem anni XIV. in eam conſenſerit, juramento ab ipſo recepto, quod poſtquam ad legitimam ætatem pervenit, illam uxorem habere noluerit, tunc enim ab impetitione mulieris eſt liberandus, & poteſt uterque ad alias nuptias tranſire, *c. Atteſtationes* 10. *h. t. n.* 24. & declaratur *n.* 25.

§. VI. *Proponuntur, & explicantur alia Capitula hujus Tituli, in quibus agitur de deſponſationibus impuberum.*

Præterea quarto ſponſalia contracta cum minore ſeptennio per mutuam cohabitationem poſt ſeptennium convaleſcunt, & inducunt publicæ honeſtatis juſtitiam, diſſolvuntur tamen per matrimonium de præſenti initum priora ſponſalia ante pubertatem contracta. Quod ſi conſtet, quod vir mulierem cognoverit, neutri, vivente altero, licet aliud matrimonium inire propter delictum utriuſque. Item qui ſine judicio Eccleſiæ uxorem dimittit, puniendus eſt, *c. Duo pueri* 12. *h. t. n.* 26. & 27. Quinto matrimonium, vel ſponſalia, quæ nondum ſunt, ut ſi cum minore ſeptennio contrahantur, accuſari non poſſunt, poteſt tamen denunciari impedimentum v. g. conſanguinitatis, ne contrahatur matrimonium, & ſi interim aliquid attentatum fuerit in præjudicium puellæ, id eſt irritum, *c. Ad diſſolvendum* 12. *h. t. n.* 28. & declaratur *n.* 29. Sexto denique ſi contrahatur matrimonium de præſente, & puella non ſit in ætate nubili, nec malitia ſuppleat ætatem, licet vir ei dederit arrham, non eſt matrimonium contractum, ſed ſponſalia ſolum de futuro, *c. Tuæ 14. & ult. h. t. n.* 30. & 31.

§. VII. *De ætate requiſita ad matrimonium, & de pubertate, & quando malitia ſuppleat ætatem.*

Quær. I. Quæ ætas requiratur ad matrimonium contrahendum? Reſp. ætas legitima ad contrahendum matrimonium eſt pubertas, ſive annus XIV. in maſculo, & XII. in fœmina, niſi adſit aliqua urgentiſſima cauſa, ut pro bono pacis, *c. Ubi non eſt.* 2. *h. t. n.* 32. Duplex eſt expoſitio, *cit. c.* 2. 1. Quod hic prohibeantur ſponſalia de futuro ante ſeptennium, imo etiam poſt illud, ante pubertatem, *n.* 33. Altera, & verior expoſitio eſt, quod in eo prohibeatur tantum conjunctio matrimonialis, ne ſcilicet matrimonium contrahant, ſi ambo, vel alter nondum pervenit ad ætatem legitimam, ſeu pubertatem completam, ſine cauſa urgentiſſima: poteſt tamen Epiſcopus diſpenſare, ut impuberes matrimonio copulentur, & ad illum ſpectat cognitio, an adſit cauſa juſta, *cit. n.* 33. Quær. 2. Qui dicuntur, & ſunt puberes, quoad matrimonium contrahendum? Reſp. puberes, ſeu apti ad matrimonium dicuntur, & ſunt, qui ex habitu corporis pubertatem oſtendunt, & generare poſſunt, & puerperæ ſunt, quæ in annis puerilibus pariunt, *c. Puberes* 3. *h. t. n.* 34. In matrimonio contrahendo non debet ſpectari præciſe tempus annorum, ſed an contrahens ſit talis, qui generare, vel concipere poſſit, & tunc præſumitur quis habilis ad copulam, & ad conſenſum conjugalem præſtandum: imo etiam ante pubertatem matrimonium tantum eſt validum, ſi adſit potentia generandi, & diſcretio rationis. In dubio ante pubertatem completam nec mas, nec fœmina præſumuntur apti, *n.* 35. Matrimonium contractum a pubere, etſi tunc nondum poſſit cum fœmina carnaliter commiſceri, nec generare, nihilominus eſt validum, *n.* 35. Quær. 3. Quomodo, & quando malitia ſuppleat ætatem, quoad contrahendum matrimonium? Reſp. validum eſt matrimonium contractum ante legitimam ætatem, ſi malitia ſuppleat ætatem, niſi violentia intercedat, *c. De illis* 9. *h. t. n.* 36. Nomine malitiæ autem communiter intelligitur non tantum aptitudo ad copulam conjugalem, ſeu potentia generandi, ſed etiam prudentia, ſive diſcretio, & judicium rationis ad cognoſcendum ſtatum conjugalem, *n.* 37. Metus, & violentia in quacunque ætate incuſſus reddit matrimonium ipſo *jure* nullum, *cit. n.* 37.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.
c. 1. *n.* 17. & 2. *ſeqq.*
c. 2. *n.* 32. & *ſeq.*
c. 3. *n.* 34. & *ſeq.*
c. 4. *n.* 1.
c. 5. *n.* 3. & 4.
c. 6. *n.* 22. & *ſeq.*
c. 7. *n.* 5. & 3. *ſeqq.*
c. 8. *n.* 9.
c. 9. *n.* 36. & *ſeq.*
c. 10 *n.* 24. & *ſeq.*
c. 11. *n.* 20. & *ſeq.*
c. 12. *n.* 26. & *ſeq.*
c. 13. *n.* 28. & *ſeq.*
c. 14. & *ult. n.* 30. & *ſeq.*
In Sexto.
c. un. in princ. n. 11.
§. *Idem quoque n.* 13.
& *ſeq.* §. *Porro n.* 15.
& *ſeq.*

TITULUS III.

DE CLANDESTINA DESPONSATIONE.

Nomen deſponſationis hic ſumitur pro ipſo matrimonio, quamvis alias proprie hoc nomine tantum intelligantur ſponſalia de futuro. Matrimonium vero clandeſtinum dicitur, quod clam contrahitur, idque dupliciter, vel nullis teſtibus præſentibus, vel quia nullis præmiſſis denunciationibus eſt contractum. Dicitur etiam clandeſtina deſponſatio, quando contrahitur matrimonium ſine adhibitis ſolemnitatibus jure requiſitis, quod rectius matrimonium minus ſolemne vocatur, & huc non pertinet, *n.* 1.

§. I.

§. I. *An matrimonia clandeſtina Jure antiquo non ſolum fuerint prohibita, ſed etiam invalida, & qua ratione potuerint Jure novo ab Eccleſia irritari?*

Aſſertio I. Matrimonia clam ſine Parocho, & teſtibus, contracta ſemper quidem fuerunt ab Eccleſia graviter prohibita, & mortaliter illicita, ſed ante Concilium Tridentinum fuerunt valida. Sunt tamen plures caſus, in quibus ante Concilium, & nunc etiam, ubi Decretum illud non eſt promulgatum, poteſt contrahi matrimonium etiam clam, ſine teſtibus, quorum quinque hic enumerantur n. 2. Aſſ. 2. Jure novo Concilii Tridentini *Seſſ. 24. c. 1. de ref. matr.* matrimonia clam inita, ſine Parocho, & teſtibus, declarantur penitus nulla, & irrita, *n.* 3. Ubi etiam exprimuntur cauſæ, ob quas hujuſmodi matrimonia clandeſtina ab Eccleſia ſunt irritata. Aſſ. 3. Potuit Eccleſia irritare matrimonium clandeſtinum initum, ſine Parocho, & teſtibus, & de facto irritavit, etiam quatenus Sacramentum eſt, non quidem per ſe, ac directe, ſed indirecte, & per accidens & mediate, annullando contractum humanum, ſeu civilem, unde conſequenter irritum redditur ipſum Sacramentum, *n.* 4. *&* 5. ubi id declaratur. Aſſ. 4. Ubi prædictum Decretum Concilii Trident. eſt promulgatum, etiam qui illud invincibiliter ignorant, invalide contrahunt matrimonium, ſine Parocho, & teſtibus, *n.* 6. Item irritum eſt etiam matrimonium in articulo mortis, aut in quacunque alia neceſſitate contractum, abſque præſente Parocho, & teſtibus, quia deeſt forma ſubſtantialis ad valorem matrimonii requiſita, *n.* 7. Excipi debet, niſi matrimonium ſemel in facie Eccleſiæ contractum fuerit, ſed invalide, ob occultum impedimentum dirimens, hoc enim poſtea ſublato, non eſt neceſſarium, ut putatitii conjuges iterum coram Parocho, & teſtibus contrahant, ſed ſatis eſt, ut conſcii prioris nullitatis occulte mutuum conſenſum renovent, *n.* 8.

§. II. *An ad matrimonium in locis, ubi Decretum hoc Concilii Tridentini non eſt receptum, aut promulgatum, matrimonia clandeſtina ſint valida?*

Aſſertio I. Si matrimonia clandeſtina etiamnum contrahantur ab incolis in iis locis, ſive Catholicorum, ſive hæreticorum, in quibus dictum Decretum non eſt receptum, vel nunquam promulgatum, ea valida ſunt, *n.* 9. Aſſ. 2. Peregrini tranſeuntes per locum, ubi Decretum Concilii eſt receptum, invalide contrahunt matrimonium, ſine Parocho, & teſtibus, quamvis in loco domicilii illud Decretum non ſit receptum, *n.* 10. Aſſ. 3. Is, qui ex loco, ubi Decretum Concilii eſt receptum, ſe transfert ad locum, in quo non eſt receptum, animo figendi illic domicilium, poteſt valide ibidem contrahere matrimonium, ſine præſentia Parochi, ac teſtium, fit enim illius loci incola, adeoque non aſtringitur amplius legibus prioris domicilii, imo etiam probabile eſt valere matrimonium, ſi quis, ad tempus ſe conferret ad locum, ubi hoc Decretum Tridentini non eſt receptum, etiamſi ex intentione clandeſtine contrahendi ibi matrimonium, id fiat, *n.* 11. Ex his deducuntur quædam corollaria, *n.* 12.

§. III. *Utrum neceſſarium ſit ad valorem matrimonii, ut aſſiſtat proprius utriuſque contrahentis Parochus, & intra propriam Parochiam, & qualis præſentia Parochi, & teſtium requiratur?*

Aſſertio I. Quando ſponſus, & ſponſa ſunt diverſæ parochiæ, ad valorem matrimonii ſufficit, ſi aſſiſtat illi proprius Parochus alterutrius, ſponſi ſcilicet vel ſponſæ, in cujus parochia nuptiæ celebrantur; at ſi in parochia ſponſi contrahatur matrimonium ſufficit, ut aſſiſtat Parochus ſponſi, & ſi in parochia ſponſæ, Parochus ſponſæ, *n.* 13. Ubi addendum 1. ſi Parochus proprius alterutrius contrahentis aſſiſtat matrimonio, illud validum eſt, etiamſi in parochia alterutrius ſibi non ſubditi celebretur, ut ſi Parochus Petri contrahentis matrimonium cum Anna, ei aſſiſtat in parochia Annæ, cujus non eſt Parochus, valet matrimonium, n. 14. Addendum 2. validum eſt matrimonium, cui Parochus alterius vel utriuſque contrahentis aſſiſtit, quamvis in neutrius parochia, vel etiam Diœceſi matrimonium celebretur. Ut ſi v. g. Civis Dilinganus cum cive Lavingana contrahat matrimonium Donavverdæ, vel etiam extra Diœceſim Auguſtanam, Ingolſtadii, præſente tamen Parocho Dilingano, vel Lavingano, validum eſt matrimonium, *n.* 15. Porro ſi proprius Parochus aſſiſtat matrimonio extra parochiam, abſque licentia Ordinarii, vel Parochi loci, probabilius eſt, quod peccet, & puniri poſſit, ſi ſolemniter, & publice aſſiſtat matrimonio, ſine licentia Parochi loci, *n.* 16. Aſſ. 2. Parochus valide aſſiſtit matrimonio; etſi Sacerdos non ſit, non tamen poteſt alteri, quam Sacerdoti licentiam aſſiſtendi dare, *n.* 17. Aſſ. 3. Parochus etiam excommunicatus non toleratus, ſeu nominatim denunciatus, vel notorius percuſſor Clerici, item ſuſpenſus ab officio, & beneficio, vel irregularis, vel adminiſtratione interdictus; valide aſſiſtit matrimonio, & alteri licentiam aſſiſtendi dare poteſt, modo actu non ſit depoſitus, ſed titulum, & poſſeſſionem beneficii retineat, n. 18. Aſſ. 4. Probabile eſt, vagabundos poſſe valide ac licite contrahere matrimonium, coram quolibet Parocho, quem elegerint: probabilius tamen videtur, eum Parochum debere intereſſe matrimoniis vagorum, in cujus parochia pro tempore, quo contrahunt, vagantur, *n.* 19. Id certum eſt, Parochos non poſſe licite vagabundos matrimonio conjungere, niſi facta prius diligenti inquiſitione de eorum ſtatu, habilitate ad contrahendum matrimonium, & obtenta Ordinarii licentia, *cit. n.* 19. Aſſ. 5. Præter Parochum, etiam proprius Epiſcopus in ſua Diœceſi, vel alius quaſi Epiſcopali juriſdictione præditus proprium territorium habens, aſſiſtere poteſt matrimonio, ut Abbas exemptus, Vicarius generalis Epiſcopi, Capitulum Cathedrale, Sede vacante. Item Legatus Sedis Apoſtolicæ, ac denique S. Pontifex per totum orbem Chriſtianum, non autem Archiepiſcopus poteſt aſſiſtere matrimoniis ſubditorum Suffraganeorum ſuorum, *n.* 20. Item Parochus Catholicus poteſt licite aſſiſtere matrimoniis hæreticorum, qui in ſua parochia degunt, *n.* 21. Aſſ. 6. Parochus, & teſtes debent eſſe præſentes matrimonio, non tantum phyſice, ſive corpore, ſed etiam moraliter, cum advertentia, & uſu rationis, *n.* 22. Neque vero ea verba Sacerdotis, *Ego vos in matrimonium conjungo*, ſunt de eſſentia matrimonii, quia Sacerdos non eſt miniſter hujus Sacramenti, *cit. n.* 22. Aſſertio 7. Non requiritur ad valorem matrimonii, ut Parochus, aliique teſtes ad id vocati, ſeu rogati ſint, unde etiamſi caſu interveniant, vel omnino inviti interſint, dummodo intelligant mutuos contrahentium conſenſus, valet matrimonium, *n.* 23. Præterea neceſſario requiritur, ut tres, vel duo ſaltem teſtes ſimul cum Parocho interſint matrimonio, & ſufficiunt teſtes qualeſcunque, modo uſu rationis præditi advertant, quid agatur; unde etiam impuberes, fœminæ, parentes, conſanguinei, domeſtici, ſervi, excommunicati, Religioſi, infames, imo etiam infideles, aſſiſtere matrimonio, ut teſtes, poſſunt, *n.* 24.

§. IV. *An, & qua ratione denuntiationes publicæ præcedere debeant ante matrimonium?*

Quando matrimonia ſunt contrahenda, debent per Presbyteros in Eccleſia edicta proponi, præfixo termino, intra quem qui voluerit, & potuerit, legitimum impedimentum opponat, quæ impedimenta etiam ipſi Presbyteri intelligere debent. Quod ſi probabilis conjectura ſit de impedimento, interdicatur matrimonium, donec de impedimento conſtiterit, *c. Cum inhibitio. 3. & ul. in princ. h. t.* *n.* 25. Denunciationes, ſeu proclamationes ſunt monitiones quædam, quæ præmittuntur matrimonio contrahendo, ut ſi quis impedimentum novit inter ſponſos illud aperiat, *n.* 26. Quær. nunc. 1. An denuntiationes ſint de eſſentia matrimonii, vel ſaltem de præcepto? Reſp. validum eſt matrimonium, etiamſi nullæ denuntiationes præmittantur, vel fiant, peccant tamen mortaliter, tam Parochus aſſiſtens matrimonio, quam ipſi contrahentes, ſi eæ non ſint factæ, *n.* 27. Quæritur 2. Ubi, quomodo, & quando fieri debeant denuntiationes? Reſp. 1. Si ſponſi ad diverſas parochias ſpectent, denuntiationes in utriuſque contrahentis parochia faciendæ ſunt, niſi contraria ſit conſuetudo, ut tantum fiant in parochia unius ſponſi, in qua celebrandæ ſunt nuptiæ 2. Denuntiationes debent fieri continuis tribus diebus feſtivis, inter quos ſcilicet non medient alia feſta, etſi intercedere poſſint, ac debeant aliquot dies profeſti. 3. Debent fieri in Eccleſia, inter miſſarum ſolemnia; quamvis etiam extra Eccleſiam, & die non feſto, in quo tamen eſt frequens populi concurſus, hæ denuntiationes fieri poſſint, in quo re obſervari debet cujuſque Eccleſiæ conſuetudo, *n.* 28. Quær. 3. Quis poſſit diſpenſare, ut denuntiationes matrimonii omittantur, & ob quas cauſas? Reſp. Epiſcopus, ex juſta cauſa, diſpenſare poteſt, juxta *Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 1. de ref. matr.* Item Vicarius Generalis Epiſcopi, & ex quibus cauſis, n. 29. Si denuntiationes ſint prætermiſſæ ante nuptias, tunc poſt nuptias ante conſummationem matrimonii faciendæ ſunt, *n.* 30. Poſt factas denuntiationes, is, qui ſcit impedimentum etiam occultum, illud deferre, & denunciare debet, & quando non? *n.* 31.

§. V. *De probatione matrimonii clandeſtini, & ejus publicatione.*

Alleganti matrimonium clandeſtinum incumbit onus probandi: quod ſi mulier neget deſponſationem eſſe factam, vir vero affirmet, viro incumbit probatio: ſi vero vir neget, & mulier affirmet, mulieri incumbit probatio, *c. 1. h. t.* Hodie vero poſt Concil. Trident. cum matrimonia clandeſtina ſint irrita, inanis, & fruſtratoria eſſet talis probatio. *numer.* 32. Eccleſia non judicat de clandeſtinis matrimoniis; ſed ſi contrahentes ea volunt publicare in Eccleſia, hæc recipienda ſunt, & publicanda in Eccleſia, niſi rationabilis cauſa obſiſtat, *n.* 33. *&* 34. Publicatio matrimonii clandeſtini hunc effectum tribuit, ac ſi ab initio in facie Eccleſiæ contractum fuiſſet, *cit. n.* 34. Illi qui prius matrimonium clam contraxerunt, & poſtea palam cum alio, vel alia, non ſunt cogendi ad prius matrimonium, ſed poſterius obſervandum, *n.* 35.

§. VI. *De pœnis matrimonii clandeſtini, & clam contrahentium, vel ei aſſiſtentium.*

Quær. 1. Quæ ſint pœnæ ipſius matrimonii clandeſtini? Reſp. Quamvis alias filii ex matrimonio invalido geniti,

quando

quando uterque parens, vel ſaltem alter bona fide contraxit, ignorens impedimentum, ſint legitimi: ſi tamen matrimonium illud nullum fuit clandeſtinum, tum filii ex eo geniti erunt illegitimi, non obſtante bona fide parentum, *c. 3. & ult. §. Si quis vero h. t. n. 36.* Prædicta autem pœna matrimonii clandeſtini, ut proles ſit illegitima habet locum, non tantum ſi matrimonium nullum ſit, ob impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis, ſed etiam ob aliud quodcunque impedimentum, ſaltem propterea impedimento, quæ per denunciationem detegi, & cognoſci poſſunt, *n.* 37. Utrum matrimonium, quod coram parocho, & teſtibus non præmiſſis denunciationibus, initum fuit, cenſeri debeat clandeſtine, & non in facie Eccleſiæ celebratum, *n.* 38. Altera pœna matrimonii clandeſtini eſt, ut ſi quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat, *n.* 39. Quær. 2. Quæ ſint pœnæ contrahentium matrimonium clandeſtinum, & teſtium aſſiſtentium? Reſp. Prima eſt, quod reddantur inhabiles, non abſoluta ad matrimonium ineundum, ſed ad ſic contrahendum, id eſt, clandeſtine. Secunda pœna eſt arbitraria, ſunt enim graviter puniendi, arbitrio Epiſcopi, n. 40. Quær. 3. Quæ ſint pœnæ Parochi, vel alterius Sacerdotis aſſiſtentis matrimonio clandeſtino? Reſp. ſi Parochus matrimonia clandeſtina prohibere contempſerit, vel quicunque alius Sacerdos, etiam Regularis, ſi is præſumpſerit intereſſe per triennium a beneficiis ſuſpendantur, & ſi culpa exegerit, etiam gravius puniendi ſunt. Ipſi etiam contrahentes contra hanc formam puniendi ſunt. Item ſi quis ad impediendum legitimum matrimonium, impedimentum malitioſe objecerit, Canonice puniatur, *tit. c. 3. & ult. §. fin. h. t.* n. 41. Idque declaratur, *n.* 42. & 43. Epiſcopus non poteſt Parochum ſuſpenſum per triennium, quia interfuit matrimonio clandeſtino, abſolvere, n. 44.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.	*n.* 25. *& ſeq. §. Si*
c. 1. *n.* 32.	*quis vero n.* 36. *&* 2.
c. 2. n. 33. *& ſeq.*	*ſeqq. & §. fin. n.* 41.
c. 3. *& ult. in princ.*	*&* 3. *ſeqq.*

T I T U L U S IV.

DE SPONSA DUORUM.

§. I. *Si quis bina ſponſalia tam diverſis contraxerunt, quænam ſint valida?*

Reſp. Is, qui ſucceſſive contraxit ſponſalia per verba de præſenti, ſive matrimonium cum duabus, debet adhærere primæ: ſi vero prius contraxit ſponſalia de futuro cum una, & poſtea per verba de præſenti cum altera, debet adhærere ſecundæ, *c.* 1. *h. t. n.* 1. Idque declaratur, *n.* 2.

§. II. *An ſponſalia de præſenti diſſolvantur per ſequens matrimonium conſummatum?*

Reſp. Sponſalia de præſenti, ſive matrimonium prius contractum, ſed non conſummatum, non diſſolvitur per ſubſequens matrimonium etiamſi per carnalem copulam ſit conſummatum *c. Licet.* 3. *h. t.* n. 3. & 4. Præterea qui duas per verba de præſenti deſponſavit, prius deſponſatam, etiam nondum cognitam, habebit in uxorem, quamvis ſecundam prius carnaliter cognoverit, non obſtante contraria conſuetudine, n. 5. Sed neque Papa poteſt condere legem, ut matrimonium ratum, & non conſummatum dirimatur per ſubſequens carnali copula conſummatum, *n.* 6. Qui accipit in uxorem, quam alter ſibi prius deſponſaverat per verba de præſenti, debet illam dimittere, & nunquam poteſt eſſe legitima ejus uxor, debetque 40. diebus pœnitere in pane, & aqua per 7. ſequentes annos, *c.* 2. *h. t.* n. 7. Quæ requirantur, ut contrahens matrimonium cum deſponſata alteri per verba de præſenti, omnino inhabilis fiat ad ducendam illam, etiam poſt mortem primi viri, n. 8.

§. II. *An appellans in cauſa matrimoniali poſſit, lite pendente, aliud matrimonium contrahere?*

Reſp. pendente lite ſuper matrimonio, etſi appellatum fuerit, non poteſt aliud matrimonium contrahi cum alia, & ſi talia contraxerit, tale matrimonium eſt ſeparandum, ac irritandum, *c. Tua* 4. *h. t. n.* 9. & 10. Vel ſaltem uſus matrimonii prohibendus, *tit.* n. 10.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.	*c.* 3. *n.* 3. *& ſeq.*
c. 1. n. 1. *& ſeq.*	*c.* 4. n. 9. *& ſeq.*
c. 2. *n.* 7. *& ſeq.*	*c.* 5. *& ult. n.* 5. *&* 6.

T I T U L U S V.

DE CONDITIONIBUS APPOSITIS IN DESPONSATIONE, VEL IN ALIIS CONTRACTIBUS.

§. I. *Quid ſit conditio, & quotuplex, quid modus, & cauſa, & demonſtratio, quæ matrimonio, aliiſque contractibus apponuntur.*

Aſſertio 1. Conditio propria dicta eſt diſpoſitionis, id eſt, actus, vel contractus ſuſpenſio in futurum tempus, & eventum incertum, & explicatur per particulam *Si*, ut contraham tecum matrimonium, ſi pater tuus conſenſerit. Modus eſt qualitas adjecta diſpoſitioni, per quem onus aliquod adjicitur, ad quod obligetur contrahens, & explicatur per particulam *Ut*, v. g. duco te, ut divitias, vel honorem conſequar. Cauſa apponitur, quando exprimitur cauſa, ob quam contrahitur matrimonium, & explicatur per dictionem *Quia*, ut duco te, quia dives, vel pulchra es. Demonſtratio fit, quando demonſtratur perſona, cum qua contrahitur, ut duco te, quæ es libera, vel virgo, *num.* 1. Aſſ. 2. Conditiones quædam ſunt generales, aliæ ſpeciales, quædam intrinſecæ, aliæ extrinſecæ: item quædam ſunt neceſſario eventuræ, aliæ impoſſibiles: rurſus aliquæ contingentes, & poſſibiles: quædam honeſtæ, quædam turpes, quædam indifferentes, ſeu impertinentes. Denique ex turpibus quædam ſunt contra ſubſtantiam, & bona matrimonii, aliæ non n. 2.

§. II. *An conditio contractui matrimonii appoſita, illum vitiet, vel ſuſpendat?*

Aſſertio 1. Matrimonium contractum ſub conditione relata in tempus præſens, vel præteritum, non ſuſpenditur, vel vitiatur, ſed ſtatim valet, ſi conditio eſt, vel fuit poſita: non valet, ſi ea non exiſtit, vel non extitit, v. g. duco te, ſi es virgo, nobilis, dives &c. *n.* 3. Aſſ. 2. Matrimonium contractum ſub conditione de futuro poſſibili, honeſta, & contingente, v. g. *duco te, ſi pater tuus conſenſerit*, ſuſpenditur, ita ut non valeat, nec obliget, donec conditio impleatur. *n.* 4. Imo etiam ſponſalia de futuro jurata poſſunt contrahi ſub conditione de futuro, neque prius obligant, donec conditio fuerit impleta, niſi conſenſus de præſenti, aut carnalis copula fuerit ſecuta, *c. De illis.* 3. *h. t. n.* 5. & 6. Hodie vero hujuſmodi præſumpta matrimonia non valent, niſi coram Parocho, & teſtibus ſint contracta, *cit. n.* 6. Solvitur objectio n. 7. Qui matrimonium contrahit per verba de præſenti ſub conditione non improbata ab Eccleſia, ut contraho tecum, ſi pater meus conſenſerit, non eſt cogendus ad contrahendum, & multo minus ad conſummandum matrimonium, niſi accedat conſenſus patris, quia non poteſt dici conſenſus de præſenti, *c. Super eo.* 5. *h. t. n.* 8. & 9. Matrimonium non poteſt conferri in arbitrium alterius, *cit. n.* 9. Probabilius eſt non tantum conſenſui matrimonii, ſed etiam ipſi matrimonio adjici poſſe conditionem, v. g. contraho tecum, ſi pater meus conſenſerit, *n.* 10.

§. III. *An conditio de futuro neceſſaria, vel impoſſibilis, adjecta matrimonio, illud vitiet, vel ſuſpendat?*

Aſſertio 1. Matrimonium contractum ſub conditione de futuro neceſſaria, ut contraham tecum, ſi cras ſol orietur, non ſuſpenditur per conditionem adjectam, nec vitiatur, ſed perinde eſt, ac ſi ea appoſita non eſſet, adeoque validum eſt tale matrimonium, modo contrahentes ſciant conditionem eſſe neceſſariam *n.* 11. Aſſ. 2. Matrimonium contractum ſub conditione de futuro, quæ repugnat ſubſtantiæ, & bonis matrimonii, invalidum eſt: ſi vero in contractu matrimonii conditio impoſſibilis, vel turpis apponatur, quæ non eſt contra ſubſtantiam matrimonii, ea habetur pro non adjecta, & matrimonium tenet *c.* 7. *& ult. h. t.* n. 12. Declaratur *n.* 13. Quando conditiones turpes, & inhoneſtæ adverſus ſubſtantiam matrimonii appoſitæ non irritant contractum matrimonii? *n.* 14. Sicut matrimonium contractum ſub conditione ſuſpenſiva, quæ eſt contra illius ſubſtantiam, non tenet: ita non tenet, ſi fuerit contractum ſub conditione reſolutiva, ut contraho tecum, ſi non invenero aliam ditiorem, *n.* 15. Conditiones turpes, vel impoſſibiles, quæ matrimonii ſubſtantiæ non adverſantur, non reddunt irritum matrimonium, ſed rejiciuntur, & pro non adjectis habentur, favore matrimonii, ut contraho tecum, ſi furtum feceris, *n.* 16. Quænam requirantur, ut conditio impoſſibilis rejiciatur in contractu matrimonii? *n.* 17. Omnes fideles cenſentur recipere Sacramenta, juxta intentionem Eccleſiæ, *n. eod.* Quando matrimonium contractum ſub conditione turpi, vel impoſſibili non teneat, propter defectum conſenſus conjugalis? *numer.* 18. Præterea matrimonium ſub turpi conditione contractum, ea rejecta, ſervandum eſt, *c.* 7. *h. t. n.* 19. ubi etiam aliæ expoſitiones referuntur. Qui ſponſalia contrahit ſub conditione honeſta, ſi pater ſuus conſentiat, & ante impletam conditionem, habet copulam cum illa, a conditione receſſiſſe videtur, & matrimonium tenet, *c. Per tuas.* 6. *h. t.* n. 20. Sponſalia de futuro, non tantum pura, & abſoluta, ſed etiam conditionalis per ſecutam copulam tranſeunt in matrimonium, tunc Eccleſia præſumit contrahentes receſſiſſe a conditione, & voluiſſe pure, & abſolute contrahere, nec admittit probationem in contrarium, *n.* 21. An ſi matrimonio ſint adjectæ tales conditiones, v. g. contraham tecum, ſi te virginem invenero, vel ſi mecum rem habueris, eæ ſint validæ, vel tanquam turpes rejici debeant? *n.* 22.

§. IV. *Proponuntur, & reſolvuntur aliæ nonnullæ quæſtiones circa ſponſalia, vel matrimonia ſub conditione contracta?*

Quær. 1. An matrimonium contractum per verba de præſenti inter habiles ſub conditione honeſta de futuro, & contingenti, ut contraho tecum, ſi pater tuus conſenſerit, poſita conditione ſit validum, ſine novo conſenſu utriuſque conjugis? Reſ. probabile eſt tale matrimonium ſtatim perfici, impleta conditione, ſine novo contrahentium conſenſu, *num.* 23. Idque magis declaratur *num.* 24. Quær. 2. An poſt Concil. Trident. requiratur ad valorem matrimo-

monii, ut Parochus, & teſtes non tantum contractui ſub conditione de futuro initu, ſed etiam impletioni conditionis interſint? Reſp. probabile eſt requiri, quamvis ſufficiet, ſi ipſi contrahentes coram Parocho, & teſtibus aſſerant poſtea, conditionem eſſe impletam, *n.* 25. Etſi vero talia matrimonia ſint valida, non tamen facile ſunt permittenda, ſed tutius eſt, ut poſt impletam conditionem, conſenſus matrimonialis renovetur coram Parocho, & teſtibus, *cit. n.* 25. Quær. 3. An ſi inhabiles ad matrimonium contrahendum per verba de futuro promittant ſibi invicem, vel etiam de præſenti contrahant matrimonium ſub conditione, ſi Papa diſpenſaverit, obligationem contrahant, & qualem, ante, vel poſt diſpenſationem? Reſp. per ſe loquendo, non peccant, ſi ſponſi ſub tali conditione matrimonium ſibi invicem promittant, *n.* 26. Probabile quoque eſt, matrimonium per verba de præſenti inter perſonas impeditas, ſeu inhabiles contractum, impetrata diſpenſatione, purificari, ſeu perfici, abſque novo conſenſu contrahentium coram Parocho, et teſtibus expreſſo, *n.* 27. Probabilius tamen eſt, matrimonium ſub conditione diſpenſationis Papalis contractum nunquam ſine novo conſenſu coram Parocho, & teſtibus expreſſo perfici, *cit. n.* 27. Quær. 4. Si quis ſponſalia, vel matrimonium contraxit cum duabus, quænam, vel quod ex illis ſervandum ſit, & validum? Reſp. ſi quis cum duabus contrahat ſponſalia ſub conditione de futuro, etſi poſteriorum ſponſalium conditio prius impleatur, adhuc priora erunt valida quandocunque eorum conditio evenerit. Si quis vero cum duabus contraxit matrimonium, ſub conditione pendente in futurum, illud validum eſt, cujus conditio prius impletur, ſive illud primo contractum ſit, ſive poſterius, modo tamen contrahens utrumque, quantum poteſt, velit eſſe validum, & neutrum conſenſum revocarit, *n.* 28.

§. V. *An cauſa, demonſtratio, vel modus adjectus contractui matrimoniali ipſum vitiet, vel ſuſpendat?*

Aſſertio 1. Demonſtratio, vel cauſa, ſive turpis ſit, ſive honeſta, vel contraria ſubſtantiæ matrimonii, vera, vel falſa, per ſe nunquam ſuſpendit, nec vitiat matrimonium, ſed ſemper habetur pro non adjecta, & matrimonium valet; ut accipio te in uxorem, quæ vel quia es ſterilis, vel virgo &c. *n.* 29. Aſſ. 2. Modus adjectus contractui matrimoniali non vitiat illum, nec ſuſpendit, niſi ſit contrarius ſubſtantiæ, aut bonis matrimonii, *n.* 30. Aſſ. 3. Si modus adjectus matrimonio ſit impoſſibilis, non tamen repugnans ſubſtantiæ matrimonii; ut contraho tecum ea lege, ut digito cœlum tangas, ut montem aureum mihi des: vel turpis, & illicitus, ut patrem tuum interficias, tunc matrimonium valet, & modus pro non adjecto habetur, in favorem matrimonii, *n.* 31. Unde cognoſci poſſit, utrum contractus aliquis initus ſit ſub modo, vel conditione proprie dicta, ſive ſuſpenſiva, an vero ſolum ſub modo, ſeu conditione non ſuſpenſiva? *n.* 32. Specialiter vero conditio non ſuſpenſiva, ſive modus impoſſibilis, vel turpis, ſi non adverſetur ſubſtantiæ contractus, debet haberi pro non adjecto in contractu matrimonii, ob illius favorem, *cit. n.* 32. Servus poteſt manumitti ſub ea conditione, ſeu modo, ut fiat Monachus, vel Clericus, *c. Cum ſit.* 2. *h. t. n.* 33. Donatio Eccleſiæ, vel pio loco facta ſub modo non potuit a donatore poſtea revocari, niſi expreſſe fuerit conventum in donatione, quod ſi pactum, vel modus non ſervetur, poſſit revocari, *c. Verum.* 4. *h. t. n.* 34. Idque declaratur *n.* 35.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 19.
c. 2. *n.* 33.
c. 3. *n.* 5. *& ſeqq.*
c. 4. *n.* 34. *& ſeq.*
c. 5. *n.* 8. *&* 2. *ſeqq.*
c. 6. *n.* 20. *& ſeqq.*
c. 7. *& ult. n.* 1e. *& aliquot ſeqq.*

T I T U L U S VI.

QUI CLERICI, VEL VOVENTES MATRIMONIUM CONTRAHERE POSSUNT?

§. I. *Utrum Ordo ſacer dirimat matrimonium ſubſequens, & quo jure?*

Aſſertio I. Per Ordinem ſacrum, videlicet Presbyteratum, Diaconatum, & Subdiaconatum, dirimitur matrimonium poſtea initum, *c.* 1. *h. t. n.* 1. Excipitur 1. niſi quis fuerit promotus per illatam vim, ſeu metum gravem. 2. qui ſuſcepit Ordinem ſacrum ante pubertatem, non obligatur ad votum continentiæ ei annexum, *n.* 2. Clericus in Sacris conſtitutus, ſi uxorem ducat, fit irregularis, *cit. n.* 2. Subdiaconus, qui de facto contrahit matrimonium, ſi ad Religionem tranſire voluerit, poteſt ei Epiſcopus concedere, ut ad altiores Ordines promoveatur. Si vero non vult ad Religionem tranſire, neque in Subdiaconatu miniſtrare, neque ad altiores Ordines promoveri poteſt, in minoribus tamen Ordinibus miniſtrare poterit, *n.* 3. Qui in minoribus Ordinibus ſunt conſtituti, poſſunt contrahere matrimonium, *n.* 4. Epiſcopus diſpenſare poteſt cum Clerico in Sacris conſtituto, ſi cum unica, eaque virgine contraxit matrimonium: ſecus, ſi cum vidua, aut corrupta, vel cum eo Clerico in Sacris, qui binas nuptias contraxit, *n.* 5. Aſſ. 2. probabilius eſt, ac verius, non jure naturali, vel Divino, ſed ſolo jure Eccleſiaſtico per ſuſceptionem Ordinis ſacri, dirimi matrimonium ſubſequens, *n.* 6. Cur per ſuſceptionem ſacri Ordinis impediatur matrimonium contrahendum, ita ut valide contrahi non poſſit; non autem irritetur matrimonium præcedens etiam non conſummatum? *n.* 7. Nullus durante matrimonio, etiam non conſummato, poteſt recipere aliquem ex Ordinibus ſacris, niſi cum licentia uxoris Religionem ingredientis, vel etiam in ſeculo remanentis, & votum caſtitatis emittentis, ſi uxor ſit ſuſpecta de incontinentia, *n.* 8. Sed neque talis conjugatus Ordines minores recipere poteſt, ut eſt probabilius, *n.* 9. Quod ſi quis poſt matrimonium ratum, & non conſummatum, in Sacris conſtitutus Religionem ingrediatur, & in ea profiteatur, poteſt Epiſcopus eum eo diſpenſare, ut in ſuſcepto Ordine miniſtrare, & ad altiores aſcendere poſſit, *n.* 10. Eſt tamen talis conjugatus monendus per Epiſcopum, ut Religionem ingrediatur, ſi matrimonium nondum ſit conſummatum, *n.* 11. Sacro ordine initiatis nunquam permiſſum fuit matrimonium inire neque in Eccleſia latina, neque in Græca. Porro hoc eſt diſcrimen inter Græcos, & Latinos in ſacris Ordinibus conſtitutos, quod illis licuit, poſt matrimonium initum, ſacros Ordines ſuſcipere, & matrimonio antea contracto uti, non autem Latinis, *n.* 12.

§. II. *An, & quo jure votum ſolemne caſtitatis per profeſſionem Religioſam matrimonium poſtea initum dirimat: & an etiam votum ſimplex caſtitatis impediat matrimonium, idque dirimat?*

Aſſertio I. Votum ſolemne caſtitatis per profeſſionem Religioſam emiſſum dirimit matrimonium ſubſequens, non autem ſi ſolum fuit votum ingrediendi Religionem, licet poſtea matrimonium contraxerit, *c. Meminimus.* 3. *h. t.* quamvis impediat matrimonium contrahendum, 13. *&* 14. Aſſ. 2. Votum ſolemne caſtitatis editum in Religione, non jure naturali, ac Divino, ſed ſolo Eccleſiaſtico irritum reddit matrimonium ſubſequens *n.* 15. Votum ſolemne caſtitatis etiam per profeſſionem tacitam emiſſum impedit, ac dirimit matrimonium poſtea contractum, *c.* 7. *& ult. h. t. n.* 16. Declaratur *n.* 17. An & quando votum ſolius v. g. caſtitatis, & ſic unius tantum ex ſubſtantialibus, ſi emittatur in ordinem ad certam Regulam approbatam, & in manibus habentis poteſtatem admittendi, fiat ſolemne, & veram profeſſionem inducat? *n.* 18. Profeſſio fieri poteſt etiam in manibus privati Religioſi alicujus habentis ad hoc ſpeciale mandatum, *n.* 19. Poteſt Religioſus licite retinere bona ſua quoad uſumfructum, vel uſum, cum licentia Superioris, & dependenter ab ejus voluntate, *n.* 20. Suſceptio habitus profeſſorum extra Religionem a non habente poteſtatem admittendi ad Religionem, impedit matrimonium contrahendum, non autem dirimit contractum, *c. Conſuluit.* 4. *h. t. n.* 21. *&* 22. Quando per aſſumptionem habitus profeſſorum extra clauſtrum Monaſterii fit votum ſolemne, ita ut impediat, & dirimat matrimonium poſtea contractum, vel non? *n.* 23. Aſſ. 3. Votum ſimplex caſtitatis impedit, ne matrimonium licite iniri poſſit, non tamen dirimit poſtea initum, ſed tale matrimonium validum eſt, non obſtante voto ſimplici caſtitatis, *c. Rurſus.* 6. *h. t. n.* 24. Votum ſimplex, & ſolemne non differunt per ſe, et ex natura ſua, ſed ſolum ex Eccleſiæ Conſtitutione accidentaliter, & extrinſece, *n.* 25. Ex Conſtitutione Gregorii XIII. tria vota ſimplicia Societatis JESU poſt biennium probationis emiſſa, irritant matrimonium poſtea contractum, non tamen dirimunt matrimonium poſtea contractum, *n.* 26.

§. III. *An per votum ſimplex caſtitatis dirimantur præcedentia ſponſalia de futuro?*

Mulier, quæ promiſit ſe alicui nupturam, & poſtea vovit caſtitatem, ideoque ſponſus aliam duxit, ſi non valet continere, ſed timet, ne in fornicationem incidat, poteſt petere diſpenſationem in voto, & nubere alteri, impoſita ei pœnitentia, ob fidem non ſervatam, & votum violatum, *c. Veniens.* 5. *h. t. n.* 27. Ubi certum eſt 1. per votum ingrediendi Religionem diſſolvi priora ſponſalia. 2. Per votum ſimplex caſtitatis perpetuæ præcedens ſponſalia illa irritari, quia continent promiſſionem rei illicitæ. 3. Quando unus ex ſponſis caſtitatem vovit, alter a ſponſalibus ſervandis liber eſt, quia vovens cenſetur illis renunciaſſe, *n.* 28. Probabile eſt, ſponſalia de futuro diſſolvi per ſubſequens ſimplex votum perpetuæ continentiæ editum animo permanendi in ſeculo, ita ut vovens non poſſit matrimonium contra promiſſum inire: quare ſi quis poſt votum caſtitatis editum, contrahat cum alia matrimonium, violabit quidem votum, non tamen fidem priorem ſponſalium, quia ea jam per votum omnino erant diſſoluta, ut colligi videtur ex *cit. c. Veniens.* 5. *h. t. n.* 29. Verum probabilius eſt, per votum ſimplex caſtitatis editum poſt ſponſalia prius contracta, illa non diſſolvi, *n.* 30. Quid in praxi in hac quæſtione faciendum? *n.* 31. An Epiſcopus poſſit diſpenſare in voto caſtitatis perpetuæ? *n.* 32.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 1. *& ſeq.*
c. 2. *n.* 3. *&* 2. *ſeqq.*
c. 3. *n.* 13. *&* 14.
c. 4. *n.* 21. *&* 2. *ſeqq.*
c. 5. *num.* 27. *& aliquot ſeqq.*
c. 6. *n.* 24. *& ſeq.*
c. 7. *& ult. num.* 16. *& ſeq.*

T I T U L U S VII.

DE EO, QUI DUXIT IN MATRIMONIUM, QUAM POLLUIT PER ADULTERIUM.

§. I. *An, & quando adulterium dirimat matrimonium ſubſequens?*

Aſſertio I. Adulterium dirimit matrimonium ſubſequens, ſi vir, vivente legitima uxore, cum alia per verba de præſenti matrimonium contrahere attentavit, vel ſaltem de matrimonio poſt mortem prioris conjugis contrahendo promiſſionem fecit, *n.* 1. Aſſ. 2. Siquis vivente legitima ſua uxore, cum alia contrahat matrimonium ignorante primam uxorem ipſius adhuc vivere: is mortua prima uxore, ſi petat a ſecunda ſeparari, non debet ab illa ſeparari: quamvis ſecunda poſſit a viro, ſi velit, diſcedere, *c.* 1. *h. t. n.* 2. Duo ſunt caſus, in quibus propter adulterium prohibetur matrimonium iniri inter adulterum, & adulteram, *n.* 2. Solum adulterium non ſufficit ad dirimendum matrimonium ſubſequens; ſed inſuper requiritur, ut vir promiſerit matrimonium adulteræ, vel ut actu cum illa contraxerit, vel ut adultera in mortem prioris uxoris machinata fuerit, *cit. n.* 3. Poteſt tamen is, qui vivente marito conjugem illius adulteravit, poſt peractam pœnitentiam, viduam illam in uxorem ducere, *n.* 4. Aſſ. 3. Siquis contrahat per verba de præſenti cum una, quam tamen carnaliter non cognovit, adeoque matrimonium non conſummavit: ſed poſtea ſcienter cum alia contrahat, eamque carnaliter cognovit: hoc, caſu ſi primum matrimonium non fuit validum, quia coacte contraxit, nec eam carnaliter cognovit, talis, mortua prima uxore, poteſt remanere cum ſecunda, eamque habere in uxorem: ſi vero prius matrimonium fuit validum, licet prima uxor ſit mortua, non poteſt habere ſecundam, ſi ſcienter contraxit cum illa: ſecus, ſi ignoranter, tunc enim ſaltem aliam ducere poterit, *c. Significavit* 2. *h. t.* Et ſic legi debent, & corrigi, quæ habentur *n.* 5. *h. t.* a principio uſque ad §. *Si vero*. Ut adulterium dirimat matrimonium ſubſequens, requiritur, ut matrimonium prius contractum ſit validum: per copulam tamen carnalem ſponte ac affectu maritali habitam ſubſequentem matrimonium gravi metu contractum ratificetur, & validum redditur, *n.* 6. Matrimonium autem validum etiam nondum conſummatum inducit impedimentum dirimens perpetuum, ita ut non poſſit quis habere in uxorem illam, cum qua contraxit matrimonium, vivente prima uxore legitima, etſi non cognita, neque vero per juramentum adjectum matrimonio gravi metu contracto, hoc efficitur validum, *cit. n.* 6. Aſſ. 4. Siquis vivente prima uxore, a qua ſe ob adulterium ejus ſeparavit, quoad torum, & quæ Monialis facta eſt, contrahat cum ſecunda quæ ſcivit, quod ille aliam habeat uxorem, is mortua prima uxore ſeparari debet a ſecunda, ita tamen ut poſſit ducere in uxorem, non ſecundam, ſed aliam tertiam, *c. Ex litterarum* 4. *h. t. n.* 7. Idque procedit, etiamſi adulter, vivente legitima ſua uxore, longo tempore ſecundæ adulteræ cohabitaverit, & plures filios ex ea ſuſceperit, nihilominus enim ea mortua, a ſecunda ſeparari debet, *c. Cum haberet* 5. *h. t. n.* 8. *&* 9. Aſſ. 5. Siquis, vivente prima uxore, ſecundam inſciam criminis adulterii a viro commiſſi, duxerit in uxorem, mortua prima uxore: licite manere poteſt cum ſecunda, ſi novus conſenſus interveniat, *c. Veniens* 7. *h. t. n.* 10. *&* 11. Aſſ. 6. Siquis vivente prima uxore ſua, fidem dedit alteri de ea ducenda, poſt mortem uxoris, vel de facto contraxit cum ea matrimonium, ſi nec ante fidem datam, nec poſt, vel nec ante contractum matrimonium de facto nec poſt, eandem cognovit vivente prima, & hac mortua contrahet matrimonium cum ſecunda, non eſt tale matrimonium ſeparandum, ſed tenet, quamvis utrique eorum, ob hoc delictum, pœnitentia injungi debeat, quod ſi vivente adhuc prima uxore, ſecundam carnaliter cognovit, ante, vel poſt fidem datam, ſeu matrimonium, adeoque adulterio eam polluit, non debet tale matrimonium tolerari, *c.* 8. *& ult. h. t. n.* 12. Solus contractus matrimonii, vel ſola promiſſio de eo contrahendo cum ſecunda, vivente prima uxore, non inducit impedimentum dirimens matrimonium cum illa, cui fidem dedit, vel cum qua de facto contraxit matrimonium, niſi intervenerit carnalis copula cum ſecunda, *n.* 13.

§. II. *Quænam conditiones requirantur, ut adulterium dirimat matrimonium inter adulteros?*

Plures requiruntur. Prima conditio eſt, ut adulterium concurrat cum promiſſione matrimonii futuri, vel cum matrimonio de facto inito. 2. Ut matrimonium de præſenti attentatum, vel fides de eo data ſit, & adulterium commiſſum, durante adhuc eodem legitimo matrimonio. 3. Ut uterque adulterans ſciat alterum conjugatum eſſe. 4. Ut promiſſio matrimonii non ſit ficta, ſed ſeria, quamvis aliqui putent etiam ex ficta promiſſione oriri hoc impedimentum. 5. Ut promiſſio ab una parte facta, ab altera ſit acceptata. 6. Ut promiſſio pura ſit, & abſoluta vel ſaltem ut ante mortem conjugis fuerit purificata, quamvis aliqui contrarium teneant. 7. Ut copula carnalis ſit perfecta, ſeu conſummata. 8. Ut prius matrimonium fuerit validum, *num.* 14. *&* 15.

§. III. *An, & quando crimen homicidii, ſeu machinationis mortis alterius conjugis dirimat matrimonium ſubſequens?*

Alterum crimen dirimens matrimonium ſubſequens eſt homicidium, ſeu machinatio facta in mortem unius conjugis, cum propoſito contrahendi poſtea matrimonium cum altero conjuge ſuperſtite. Aſſ. 1. Siquis matrimonium de facto cum aliqua contraxit, vivente prima uxore, eamque cognovit, non poteſt is, poſt mortem uxoris primæ, illam ducere in uxorem in perpetuum, ſi iſta adultera machinata fuit in mortem primæ uxoris, vel ſi vir fidem adulteræ dedit, quod prima defuncta, illam ducturus ſit, *c. Super hoc*, 3. *h. t. n.* 16. *& ſeq.* Aſſ. 2. Similiter ſi quis vivente legitima uxore ſua, habeat copulam cum altera, mortua uxore, poteſt illam ducere, & matrimonium cum illa initum tenet, niſi ea vivente, fidem illi dederit vel alter eorum mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus, *c. Significaſti* 6. *h. t.* (vel niſi de facto eam in uxorem duxerit) *n.* 18. Solum adulterium non reddit matrimonium poſtea initum invalidum, ne quidem inter perſonas contractum, a quibus illud commiſſum fuit, niſi cum adulterio concurrat machinatio in mortem alterius conjugis, tunc enim matrimonium erit invalidum, *n.* 19. Conjugatus perſiſtens in adulterio poteſt excommunicari, niſi ad uxorem redeat, poteſt tamen excommunicatus contrahere matrimonium, illudque tenet, quamvis peccat contrahendo, *cit. n.* 19. Ad impedimentum hoc dirimens matrimonium contrahendum non requiritur phyſica cooperatio in mortem alterius conjugis, ſed ſufficit moralis, nempe contrahere volentes matrimonium, mandato, vel conſilio ad mortem alterius conjugi per alios cooperatos eſſe, modo ſic ab aliis permoti mortem intulerint, *n.* 20. Sola ratihabitio necis alteri conjugi illatæ non ſufficit ad inducendum hoc impedimentum, *n.* 21. Hoc impedimentum incurrit, non tantum ſi in uxoris, ſed etiam ſi in mariti cædem conſpiretur, ſeu machinatio facta ſit ab uxore, *n.* 22. Quando impedimentum hoc machinationis in mortem alterius conjugis non incurritur, niſi etiam adulterium intervenerit? *n.* 23. Quær. nunc, quænam conditiones præterea ſint neceſſariæ, ut incurratur hoc impedimentum? Reſp. requiritur 1. ut machinatio illa ſit efficax, & cædes reipſa ſit ſecuta, *num.* 24. 2. Ut machinatio mortis facta ſit animo ineundi matrimonium cum conjuge ſuperſtite, *n.* 25. 3. requiritur, ut ſi unus tantum machinetur mortem conjugis, matrimonium utrique contracturo ſit notum, ſive ut fœmina etiam ſciat, virum, cum quo fornicata eſt, eſſe conjugatum, *n.* 26. 4. requiritur ad contrahendum hoc impedimentum, ut matrimonium prius cum uxore occiſa initum fuerit validum, & legitimum, non tantum bona fide exiſtimatum, etiamſi non conſummatum fuerit, *n.* 27. Solvitur objectio Lutheri ex Veteri Teſtamento, *n.* 28. Aliud crimen dirimens matrimonium Jure novo Eccleſiaſtico introductum eſt crimen raptus, de quo infra *lib.* 5. *Tit.* 17. *ſec.* 1. §. 3. *&* 4.

S E R I E S C A P I T U L O R U M.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 2. *& ſeq.*
c. 2. *n.* 5. *& ſeq.*
c. 3. *n.* 16. *& ſeq.*
c. 4. *n.* 7.
c. 5. *n.* 8. *& ſeq.*
c. 6. *n.* 18. *& aliquo ſeq.*
c. 7. *n.* 10. *& ſeq.*
c. 8. *& ult. n.* 12. *&* 3. *ſeqq.*

T I T U L U S VIII.

DE CONJUGIO LEPROSORUM.

§. I. *An per lepram ſupervenientem præcedentia ſponſalia de futuro diſſolvantur, vel etiam matrimonium præcedens?*

Aſſertio I. Per lepram ſupervenientem diſſolvuntur ſponſalia de futuro prius contracta: ſi ſponſus immunis a lepra id petat; quamvis etiam promittere poſſit leproſæ matrimonium, quam ſcit eſſe leproſam, ſi velit, *c.* 3. *& ult. h. t. n.* 1. Id vero extenditur ad quemvis alium morbum contagioſum ſupervenientem uni ex ſponſis, poſt ſponſalia de futuro inita, nam ob quemvis notabilem mutationem ſupervenientem poſt ſponſalia, ea diſſolvuntur, ſi id petat ſponſus ſanus, *n.* 1. Aſſ. 2. per lepram ſupervenientem non diſſolvitur matrimonium præcedens, ac proinde conjux leproſus non poteſt, nec debet propter lepram ſeparari a ſano: quod ſi ſanus conjux alterum lepra infectum ſequi noluit, debet uterque, altero vivente, continentiam ſervare, alioquin excommunicentur, *c.* 1. *h. t. n.* 3. Leproſi ex generali conſuetudine licite ſeparantur a conſortio reliquorum hominum. Item per lepram ſupervenientem non diſſolvitur matrimonium antea contractum, neque propter aliam infirmitatem quantumvis gravem, & multo minus diſſolvi poteſt matrimonium propter lepram, poſtquam conſummatum fuit, *n.* 4. An ſicut uxor tenetur ſequi virum, ita & vir uxorem? *n.* 4.

§. II. *Aliæ nonnullæ quæſtiones circa conjugia leproſorum proponuntur, & reſolvuntur.*

Quær. I. An propter lepram, vel aliam infirmitatem, conjux a conjuge ſeparandus ſit, ſaltem quoad torum, & cohabitationem? Reſp. propter lepram, vel aliam gravem infirmitatem unus conjux alterum non debet dimitte-

re,

ſe, nec ab eo ſeparari, etiam quoad torum, & cohabitationem, *c. 2. h. t. n. 5. & 6.* Non ob ſolam cauſam fornicationis, ſeu adulterii, ſed ob alias etiam cauſas ſeparatio inter conjuges quoad torum, & cohabitationem ad certum, vel incertum tempus fieri poteſt, *cit. n. 6.* quomodo intelligendum ſit illud dictum Chriſti, non poſſe virum dimittere uxorem ſuam, excepta cauſa fornicationis, ſeu adulterii? *cit. n. 6. & 7.* Quær. 2. An leproſi poſſint contrahere matrimonium? Reſp. ſi continere nolint, & aliquam invenerint, quæ ipſis nubere velit, poſſunt ad matrimonium tranſire, *c. 2. h. t. n. 8.* Quær. 3. An conjuges leproſi teneantur ſibi invicem reddere debitum conjugale? Reſp. Si vir, vel uxor leproſa fuit, & conjux infirmus a ſano debitum exigat, illud reddendum eſt, niſi debiti redditio cedat conjugi ſano in notabile damnum, & periculum infectionis foret, *cit. 2. in fine n. 9.* Quando teneantur conjux ſanus leproſo debitum reddere, & quando excuſetur? *cit. n. 9.* Utrum conjux ſanus teneantur cum leproſo aſſidue cohabitare? *n. 10.*

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.
c. 1. n. 3. & ſeq.
c. 2. n. 5. & aliquot ſeqq.
c. 3. & ult. n. 1.

T I T U L U S IX.

DE CONJUGIO SERVORUM.

Aliud Impedimentum matrimonii eſt error ſervilis conditionis. Eſt autem hic ſermo non de ſervis adſcriptitiis, qui prædio colendo ſunt perpetuo addicti, ſed de ſervis proprie dictis, qui non ſunt liberi, *n. 1.*

§. I. *An ſervus poſſit licite, & valide contrahere matrimonium, invito, vel ignorante domino, qua ratione error ſtatus, ſeu conditionis ſervilis dirimat matrimonium, & quo jure?*

Aſſertio I. Servus etiam invito & contradicente domino, licite matrimonium contrahere poteſt, illudque tenet, quamvis debita, & conſueta ſervitia nihilominus domino exhibere debeat, *c. 1. h. t. n. 2.* Servus Chriſtianus, & baptizatus poteſt omnia Sacramenta ſuſcipere, quæ ſunt omnibus Chriſtianis communia, excepto Ordine, quia nullus ſervus debet ordinari, ſine conſenſu domini: aliud eſt de ſervis non baptizatis, de quibus nihil poteſt diſponere Eccleſia, *n. 3.* Aſſ. 2. Error conditionis ſervilis, quando ſcilicet homo liber contrahit matrimonium cum ancilla, quam ignorat eſſe ancillam, vel libera cum ſervo, quem neſcit eſſe ſervum, reddit irritum matrimonium, *c. 2. h. t. n. 4.* Ubi tamen diſtinguendum eſt, vel enim contrahit quis matrimonium cum ancilla, ignorans illam eſſe ancillam, ſed putans eſſe liberam, & tunc matrimonium non tenet: vel ſciens eſſe alterum ſervum, vel ancillam, cum eodem, vel eadem contrahit matrimonium; & tunc illud tenet, *cit. c. 2. h. t. n. 5.* Error circa qualitatem perſonæ, ut ſi quis contrahat cum illa, quam putet eſſe nobilem, cum non ſit, non dirimit matrimonium *cit. n. 5.* Matrimonium, quod liber contraxit cum ancilla, ignorans illam eſſe ancillam, fit validum, ſi poſtquam ſcit illam eſſe ſervam, carnalem copulam cum illa habeat, *cit. c. 2. h. t.* Quamvis hoc non procedat hoc Concil. Trident. *cit. n. 5.* Judex Eccleſiaſticus poteſt judicare inter laicos ſuper dote reſtituenda, *cit. n. 5.* Quando per conditionem ſervilem redditur deterior conditio errantis, ut quia credidit mulierem, cum qua contraxit matrimonium, eſſe liberam, cum eſſet ancilla, tunc error vitiat matrimonium: quando vero liber contrahit matrimonium cum libera, quam putavit eſſe ancillam, tum non redditur matrimonium nullum, item ſi ſervus contrahat matrimonium cum ancilla, quam putabat eſſe liberam, valet matrimonium, *n. 6.* Quær. ulterius. Utrum error conditionis ſervilis dirimat matrimonium jure naturali, an vero ſolum jure Eccleſiaſtico? Probabile eſt, quod error ſervitutis jure naturali, ac gentium reddat matrimonium irritum, *n. 7.* Probabilius tamen eſt ſolo jure Eccleſiaſtico reddere irritum, *n. 8.* An matrimonium inter infideles initum cum errore ſervitutis ſit validum? *n. 9.* An ſi dominus proprium ſervum, vel ancillam tradat in matrimonium perſonæ liberæ ignaræ ſervitutis, talis perſona libera fiat? *n. 10.* Aſſ. 4. Si liber ignoranter matrimonium contraxit cum ancilla, quam ignoravit eſſe ancillam, ſi poſtquam id ſcivit, nec verbo, nec facto in illam conſenſit, matrimonium non valet, & cum alia contrahere poterit, *c. 4. & ult. h. t. n. 11. & 12.* Matrimonium ab initio nullum, ob errorem conditionis ſervilis, poſtquam conſtat de illius nullitate, ratificatur per ſupervenientem conſenſum verbis expreſſum, vel facto, id eſt, per copulam ſubſequentem, modo tractatus de matrimonio, vel ſponſalia de futuro præceſſerint; quod tamen non procedit poſt Concil. Trident. *n. 13.* Cui incumbat onus probandi ignorantiam ſervitutis? *cit. n. 13.*

§. II. *An, & quando proles, quoad libertatem, & ſervitutem, ſequatur conditionem, non matris, ſed patris?*

Valet conſuetudo legitima præſcripta, ut proles ſequatur, quoad libertatem, & ſervitutem, non matris, ſed patris conditionem, ita ut ſi pater ſit liber, vel ſervus, etiam filii ſint liberi, vel ſervi, non attenta conditione matris, *c. 3. h. t. n. 14. & 15.* Valet matrimonium liberi initum cum ancilla, ſi ignorata fuit conditio ſervilis illius, poſt elapſum decennium, imo etiam poſt quinquennium, *cit. n. 15.* Favore libertatis in dubio judicandum eſt pro libertate, *cit. n. 15.*

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.
c. 1. n. 2. & ſeq.
c. 2. n. 4. & aliquot ſeqq.
c. 3. n. 4. & ſeq.
c. 4. & ult. n. 11. & 12. ſeqq.

T I T U L U S X.

DE NATIS EX LIBERO VENTRE.

Filii ex libera, vel liberta ſunt liberi, & Eccleſia debet libertatem potius defendere, quam impugnare, *c. un. h. t. n. 1.* Filii legitime nati, quoad familiam, nobilitatem, & dignitatem, ſequuntur conditionem patris, non matris: quoad ſtatum vero libertatis, vel ſervitutis, ſequuntur conditionem matris. Sufficit autem, ſi mater tempore conceptionis, vel nativitatis, vel medio tempore fuerit libera, ut proles libertate gaudeat, *nu. 2.* Liberti, ſive libertini, hoc eſt, filii libertæ, nempe progeniti ex ancilla, quæ ex ſervitute manumiſſa eſt, ſunt liberi, etſi pater ſervus fuerit, nec poſſunt a domino in ſervitutem revocari, *cit. c. un. h. t. n. 3.*

In Antiquis.

c. un. n. 1. & 2. ſeqq.

T I T U L U S XI.

DE COGNATIONE SPIRITUALI.

§. I. *Quid ſit cognatio ſpiritualis, unde dicatur, & inter quas perſonas contrahatur?*

Aſſertio I. Cognatio ſpiritualis eſt propinquitas quædam perſonarum, quæ ex ſtatuto Eccleſiæ oritur ex collatione, & ſuſceptione Sacramentorum Baptiſmi, & Confirmationis, *n. 1.* Cognatio ſpiritualis non habet ortum ex jure naturali, neque ex jure Divino poſitivo, ſed ex ſolo jure Eccleſiaſtico, ſeu inſtitutione Eccleſiæ. Ex aliis vero Sacramentis non oritur cognatio ſpiritualis, neque ex Sacramento Pœnitentiæ inter Confeſſarium, & filiam Confeſſionis: eſt autem impedimentum hoc ſpiritualis cognationis perpetuum, *n. 2.* Aſſ. 2. Cognatio ſpiritualis impediens, ac dirimens matrimonium jure antiquo triplex erat, paternitas, compaternitas, & fraternitas, *n. 3.*

§. II. *Quænam circa cognationem ſpiritualem, ſive paternitatis ſive compaternitatis, ſive fraternitatis, Jure antiquo Decretalium ſtatuta ſunt, & inter quas perſonas ea impediat matrimonium contrahendum, vel dirimat contractum?*

Imprimis filii duorum compatrum, per quorum neutrum deventum eſt ad compaternitatem, licite contrahunt matrimonium, niſi conſuetudo alicujus Eccleſiæ aliud obſervet, *c. 5. h. t. n. 4. & 5.* Secundo, ſi duo conjuges, vir, vel mulier, ſcienter, vel ignoranter proprium filium de ſacro fonte ſuſceperint, etſi videantur ſeparari debere: aliter tamen etiam ſtatutum reperitur, nempe ut ſive ex ignorantia, ſive ex malitia id fecerint, non ſint ab invicem ſeparandi, nec alter alteri debitum conjugii negare debet, niſi ad continentiam poſſint induci, *c. 2. h. t. n. 6.* Parentes carnales non debent proprios filios baptizare, nec in Baptiſmo, vel Confirmatione ſuſcipere, extra neceſſitatem; tunc autem non oritur inter eos impedimentum cognationis ſpiritualis, *n. 7.* Quod ſi conjux extra neceſſitatem, baptizet, vel ut patrinus, ſuſcipiat e Baptiſmo, vel Confirmatione communem filium, vel ſolius alterius conjugis, non ſunt ab invicem ſeparandi, ſive ſcienter, ſive ignoranter hoc fecerint: ſi tamen ſcienter hoc fecerint, non poteſt quidem unus conjux alteri debitum negare, ipſe tamen non poteſt exigere, *cit. n. 7.* Quando pater carnalis in neceſſitate proprium filium tenuit in Baptiſmo, non oritur inter eos impedimentum cognationis ſpiritualis, ſi fuerint legitimi conjuges: aliud eſt in concubina, *n. 8.* Ad contrahendam cognationem ſpiritualem requiritur ſcientia, & intentio illam trahendi, *num. eod.* Tertio filii duorum compatrum, per quorum alterum, vel utrumque parentes ad compaternitatem pervenerunt, matrimonialiter conjungi non poſſunt, ſed conjuncti ſeparari debent: ſecus eſt, ſi per neutrum illorum compaternitas contracta fuit, tunc enim conſuetudo Eccleſiæ Metropolitanæ, vel aliarum vicinarum Eccleſiarum ſervari debet, *c. 3. h. t. n. 9.* Per conſuetudinem non poteſt induci impedimentum dirimens matrimonium, niſi fuerit per S. Pontificem approbata, *n. 10.* Conſuetudo, quæ reddit fideles inhabiles ad contrahendum matrimonium, ſine conſenſu, & approbatione S. Pontificis, non eſt rationabilis, *n. 11.* Quarto filii duorum compatrum, per quorum alterum perventum eſt ad compaternitatem, ſi matrimonium contrahant, ſeparari debent, quia matrimonium non tenet, & qui hoc ſciunt, debent tempore contractus illud denuntiare, *c. Tua nos. 7. h. t. n. 12.* Inter baptizatum, & filios levantis e baptiſmo etiam an-

tea

Digitized by Google

tea genitos, contrahitur cognatio ſpiritualis dirimens matrimonium de jure antiquo, *n.* 13. Hodie poſt *Concil. Trident. Seſſ.* 24. *c.* 1. *de reform. matr.* antequam contrahatur matrimonium, publice denuntiari debent ii, inter quos matrimonium eſt contrahendum, ut ſi quis ſciat aliquod impedimentum inter eos eſſe, illud aperiat, *n.* 14. Quinto, cum paternitas dirimens matrimonium contrahitur inter patrem baptizati, & uxorem levantis e Baptiſmo prius ab eo cognitam, *c. Martinus* 4. *h. t. n.* 15. & 16. Sexto, impedimentum impediens, ac dirimens matrimonium contractum oritur inter patrem baptizati, & levantem, ſeu tenentem baptizatum, *c. Veniens* 6. *h. t. n.* 17. Septimo, cognatio ſpiritualis impediens, & dirimens matrimonium oritur inter baptizatum, & filium baptizantis, prout ſumitur ex *cap.* 8. *& ult. h. t. num.* 18. Si quis etiam laicus in extrema neceſſitate baptizet aliquem, contrahit cognationem ſpiritualem dirimentem ſubſequens matrimonium cum baptizato, ejuſque parentibus. Item filius, vel filia ſpiritualis Sacerdotis baptizantis non poteſt matrimonio copulari filio, vel filiæ carnali ipſius Sacerdotis, quæ cognatio ſpiritualis extenditur etiam ad filios ſpurios, ac illegitimos baptizantis, *num.* 19. Octavo, cognatio ſpiritualis contrahitur inter baptizatum, & ſuſcipientem, ipſiuſque filios, & uxorem ante ſuſceptionem carnaliter cognitam: item inter ſuſcipientem (ejuſque uxorem) patremque baptizati, ac matrem, & impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, idemque eſt de baptizante, *c.* 1. *h. t. in* 6. *n.* 20. Denique ex confirmatione quoque cognatio ſpiritualis contrahitur impediens matrimonium contrahendum, & dirimens contractum, *cit. c.* 1. *h. t. in eod. n.* 20. Ut autem ſpiritualis cognatio contrahatur inter baptizatum, & uxorem ſuſcipientis e Baptiſmo, requiritur, ut ante ſuſceptionem ſit carnaliter cognita a viro; ſecus ſi poſt ſuſceptionem, *num.* 21.

§. III. *An per Catechiſmum præcedentem Baptiſmum contrahatur cognatio ſpiritualis impediens, ac dirimens matrimonium?*

Compaternitas contracta per Catechiſmum præcedentem Baptiſmum via impedit matrimonium contrahendum, & contractum non dirimit, *c. Contracta* 5. *h. t. n.* 22. *& c.* 2. *eod. in* 6. *n.* 23. Is, qui tenet puerum in Catechiſmo, contrahit cognationem ſpiritualem imperfectam, ſive inſtructio fidei præcedat Baptiſmum, ſive ſequatur, nec impedit exactionem, & redditionem debiti conjugalis, *n.* 24. Veriſimilius eſt, prædictum impedimentum omnino ſublatum eſſe per *Concil. Trident. Seſſ.* 24. *c.* 2. *de refor. matr. n.* 25.

§. IV. *An plures poſſint inveniri Patrini, ſeu ſuſceptores in Baptiſmo, & Confirmatione de jure antiquo, & an inter omnes, ſi plures ſint Patrini, contrahatur ſpiritualis cognatio?*

De Jure antiquo prohibitum erat, ut plures patrini in Baptiſmo, vel Confirmatione adhiberentur, ſed unus ſolus, ſive vir, ſive mulier adhiberi poterat; ſi tamen plures ſuſceperunt, omnes contrahebant cognationem ſpiritualem, *c.* 3. *& ult. h. t. in* 6. *n.* 26. & 27. Verum Jure novo *Concilii Trident. Seſſ.* 24. *c.* 2. *de refor matr.* unus tantum, ſive vir, ſi puer baptizandus ſit, ſive mulier, ſi puella: vel ad ſummum unus, & una (mas, & fœmina) ſive puer, ſive puella baptizetur, patrini eſſe poſſunt, *n.* 28. Qui præterea circa hoc decreverit *Concil. Trident. c. l. n.* 29. Ad parentes pertinet deſignare patrinos, vel ad Parochos, quod ſi nullus ſit deſignatus patrinus, & multi ſimul tenendo tangant baptizandum, vel ſimul ſuſcipiunt, omnes contrahunt ſpiritualem cognationem: quamvis etiam probabile ſit, quod ſi nulli deſignentur patrini, nullus contrahat cognationem ſpiritualem, etiamſi plures ſimul ſuſcipiant baptizatum, *n.* 30. In Confirmatione vero juxta Concil. Trident. unus, vel una tantum poſſunt eſſe patrini, *cit. n.* 30. *in fine.*

§. V. *Inter quoſnam contrahatur cognatio ſpiritualis in Baptiſmo, & Confirmatione de Jure novo Concilii Tridentini?*

Cognatio ſpiritualis contrahitur ex decreto Concilii Tridentini, tantum inter patrinos, & baptizatum ipſum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, & hujus patrem, ac matrem tantum. Idem ait de cognatione, quæ ex Confirmatione contrahitur, *n.* 31. & 32. Inter ipſos vero patrinos etiam Jure antiquo, non contrahebatur cognatio ſpiritualis, nec patrini conjugati priventur propterea jure exigendi debitum; per parentes autem hic intelliguntur parentes naturales, ſive legitimi ſint, ſive illegitimi *cit. n.* 32.

§. VI. *Quæ conditiones requirantur ad munus patrini, & ad contrahendam cognationem ſpiritualem in Baptiſmo, & Confirmatione?*

Patrinus dicitur quaſi ſpiritualis pater, ac pædagogus hominis baptizandi, qui eum in Chriſtiana vita inſtruere debet, *n.* 33. Ad hoc munus requiritur 1. ut quis uſum rationis ſit aſſecutus, etſi non ſit neceſſarium, ut ætate excedat baptizandum. 2. Debet eſſe baptizatus. 3. Ut intentionem habeat exercendi munus patrini, *num.* 34. Patrini autem eſſe non poſſunt hæretici, & apoſtatæ, item Monachi, & omnes alii Religioſi non poſſunt eſſe patrini in Sacramento Baptiſmi, & Confirmationis, *cit. num.* 34. Ad contrahendam cognationem ſpiritualem plures etiam conditiones requiruntur. 1. Ut baptizans, vel ſuſcipiens ex Baptiſmo, ſit fidelis, ſeu baptizatus. Unde ſi infidelis baptizet filium fidelis, etſi poſtea ad fidem Chriſtianam convertatur poteſt puellam ducere in uxorem. Et e converſo ſi fidelis baptizet, vel ſuſcipiat e Baptiſmo filium infidelis, poſſunt inter ſe contrahere matrimonium, quia nulla inter eos contrahitur ſpiritualis cognatio, *num.* 35. 2. Requiritur ad cognationem ſpiritualem contrahendam, ut Sacramentum Baptiſmi, vel Confirmationis valide ſit collatum, *num.* 36. 3. Videntur Jura paſſim requirere ad cognationem hanc ſpiritualem contrahendam, ut patrinus teneat, vel tangat baptizatum, vel confirmatum. Unde oritur quæſtio, an cum quis per alium velut legatum, aut procuratorem ſuum, aliquem in Baptiſmo, vel Confirmatione tenet, ſolus procurator, vel legatus cognationem ſpiritualem contrahat cum baptizato, vel confirmato: an vero ſolus principalis, qui per alium ſuſcipit, vel tenet? *n.* 37.

§. VII. *Proponuntur, & reſolvuntur aliæ nonnullæ quæſtiones circa cognationem ſpiritualem ortam ex Baptiſmo, & Confirmatione.*

Quær. 1. An ſuſcipiens prolem in neceſſitate, quia nullus alius adeſt, & in privato Baptiſmo, contrahat cognationem ſpiritualem impedientem matrimonium, vel ejus uſum? Reſp. talis verus patrinus cenſetur, & ſpiritualem cognationem contrahit, *num.* 38. Quær. 2. An ſi Chriſtianus in extrema neceſſitate aliquem baptizet, contrahat cognationem ſpiritualem dirimentem matrimonium ſubſequens cum baptizato, ejuſque parentibus? Reſp. contrahere: niſi conjux baptizet prolem conjugis ſuæ, vel communem filium, ob urgentem neceſſitatem ut patrinus e Baptiſmo ſuſcipiat, tum enim nullum impedimentum contrahitur. An, & quando parens baptizans, vel ſuſcipiens e Baptiſmo proprium filium in neceſſitate, vel etiam extra illam, per probabilem ignorantiam, contrahat impedimentum cognationis ſpiritualis cum propria uxore, ita ut debitum petere non poſſit? *n.* 39. Quær. 3. An hæreticus ſit capax hujus ſpiritualis cognationis? Reſp. ſi hæreticus baptizet, vel in Baptiſmo, aut Confirmatione ſuſcipiat prolem Catholici, is contrahit cognationem ſpiritualem cum perſona baptizata, vel ſuſcepta, & ejus parentibus. Aliud eſt, ſi infidelis, ſive non baptizatus baptizet filium fidelis, vel ſuſcipiat in Baptiſmo, vel Confirmatione, *n.* 40. Item quæritur, an Catholicus licite poſſit prolem acatholici, quæ a miniſtro hæretico baptizatur, rogatus a Baptiſmo ſuſcipere? *n.* 41. Et ex vice verſa, permitti poſſit, ut cum proles Catholica a Sacerdote Catholico baptizatur, admittatur patrinus hæreticus, v. g. Lutheranus? *num.* 42.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.	
c. 1. *n.* 4.	*c.* 8. *& ult. n.* 18. *&* 19.
c. 2. *n.* 6. *& ſeq.*	
c. 3. *n.* 9. *&* 10.	In Sexto.
c. 4. *n.* 15.	*c.* 1. *n.* 20. *& ſeq.*
c. 5. *n.* 22. *&* 2. *ſeqq.*	*c.* 2. *n.* 23. *& ſeq.*
c. 6. *n.* 17.	*c.* 3. *& ult. in fine n.* 2. *&* *idem cap. in princ. n.* 26. *&* *aliquot ſeqq.*
c. 7. *n.* 12.	

TITULUS XII.

DE COGNATIONE LEGALI.

§. I. *Quid, & quotuplex ſit adoptio?*

Ea deſcribitur *n.* 1. Eſtque duplex, una perfecta, quæ arrogatio dicitur, per quam adoptatus tranſit in poteſtatem adoptantis: altera imperfecta, per quam adoptatus non tranſit in poteſtatem adoptantis *n.* 2.

§. II. *Quid ſit cognatio legalis, & quæ ejus ſpecies, & ex qua adoptione oriatur impedimentum hoc dirimens matrimonium ſubſequens?*

Aſſertio 1. Cognatio legalis eſt propinquitas perſonarum Jure Eccleſiaſtico approbante Jus Civile, ex adoptione proveniens. Eaque triplex eſt, prima in linea recta, ſecunda in linea tranſverſa, tertia per modum affinitatis cujuſdam, prout declaratur *n.* 3. Aſſ. 2. Ex adoptione perfecta, ſive arrogatione oritur cognatio legalis dirimens matrimonium: non autem ex imperfecta, ſive ſimplici adoptione, *num.* 4.

§. III. *An omnes tres ſpecies cognationis legalis impediant, ac dirimant matrimonium, & inter quas perſonas?*

Aſſertio 1. Prima ſpecies eſt quaſi aſcendentium, & deſcendentium inter patrem adoptantem, & filium, vel filiam, nepotem, vel neptem adoptati, *n.* 5. Secunda ſpecies lineæ tranſverſæ inter naturales, & adoptivos filios adoptantis, & adoptatum, dirimit matrimonium, non in perpetuum, ſed ſolum quamdiu durat adoptio, *cap. unic. h. t. n.* 6.

t. n. 6. Tertia ſpecies legalis affinitatis inter adoptatum, & uxorem adoptentis ex una parte, & inter adoptantam, & uxoram adoptati ex altera, dirimit perpetuo matrimonium, etiam diſſoluta adoptione per mortem adoptantit, vel emancipationem adoptati, *num. 7.* Cur in prima, & tertia ſpecie cognationis legalis prohibeatur, ac dirimatur matrimonium ſubſequens in perpetuum: in ſecunda vero ſolum ad tempus, quamdiu durat adoptio? *n.* 8. Quomodo inter adoptantem, & adoptatum, & hujus deſcendentes contrahi poſſit matrimonium, vel non? *n. 9.*

c. unic. n. 6. In Antiquis.

T I T U L U S XIII.

DE EO, QUI COGNOVIT CONſanguineam uxoris ſuæ (vel ſponſæ.)

§. I. *An inceſtus, ſive copula carnalis habita cum conſanguinea uxoris ſuæ impediat, vel dirimat matrimonium?*

Inceſtus commiſſus cum conſanguinea uxoris ſuæ impedit quidem matrimonium contrahendum, ſed non dirimit contractum poſt mortem uxoris, *c. 1. h. t. n.* 1. Duæ ſunt pœnæ viri committentis inceſtum cum conſanguinea uxoris, una, qua privatur facultate petendi debitum a propria uxore: altera pœna eſt, qua vir privatur etiam facultate contrahendi matrimonium, mortua uxore ſua, cum quavis alia muliere in perpetuum, ita tamen, ut ſi contra prohibitionem juris cum alia matrimonium ineat, illud ſit validum. Similiter ſi uxor inceſtum committat cum conſanguineis viri; nec debitum petere poteſt a viro, nec illo mortuo, contrahere aliud matrimonium, *n.* 2. Non tantum ipſi conjuges, qui inceſtum commiſerunt, prohibentur poſt mortem alterius conjugis inire aliud matrimonium, ſed etiam illi conſanguinei conjugis, cum quibus alter conjux inceſtum commiſit; requiritur tamen, ut inceſtus ſit ſcienter commiſſus, *n.* 3. Nihil autem refert, ſive vivo, ſive mortuo conjuge, inceſtus cum conſanguinea alterius conjugis fuerit commiſſus, *c. Tramiſſa.* 4. *h. t. num.* 4. *&* 5. Si femina a conſanguineo mariti per vim ſit cognita, non incurrit impedimentum non contrahendi matrimonium cum alio, aut pœnas illius, quamvis conſanguineus mariti, qui illam vi cognovit, incurrat impedimentum ad contrahendum matrimonium, *n. 6.* Inceſtus cum propria conſanguinea non impedit, nec dirimit matrimonium contrahendum, *n. 7.*

§. II. *Utrum affinitas ſuperveniens matrimonio contracto inter conjuges, etiam per copulam illicitam, diſſolvat priora ſponſalia de futuro, vel etiam ſponſalia de præſenti, ſive matrimonium nondum conſummatum?*

Ad priorem quæſtionem reſpond. etſi per affinitatem ſupervenientem non diſſolvatur matrimonium, diſſolvuntur tamen ipſo jure priora ſponſalia de futuro, etiam per copulam illicitam, *c. Veniens.* 2. *h. t. n.* 8. & declaratur *n.* 9. Si alicui ſponſa per verba de præſenti ſit deſponſata, non poteſt ſponſus cum alia contrahere matrimonium, niſi ex diſpenſatione Epiſcopi: & eſt hoc impedimentum non perpetuum, ſed temporale, dum vivit ea, cum quo inceſtus illa fuit commiſſus, *num.* 10. Si quis filiam, cum qua ſponſalia de futuro iniit, prius cognovit, quam matrem illius, non poteſt in uxorem accipere matrem, neque filiam illius, petendo ab ea debitum, etſi matrimonium inter ipſos prius contractum conſiſtat. Si vero cognovit ſponſam, poſtquam cognovit matrem illius, nec ſponſam, nec aliam poteſt ducere in uxorem, *n.* 11. Ad poſteriorem quæſtionem reſpondetur, affinitas ſuperveniens etiam per copulam illicitam, non diſſolvit ſponſalia inita per verba de præſenti ſive matrimonium prius contractum etſi nondum conſummatum, *c. Diſcretionem.* 6. *h. t. n.* 12. Idque declaratur *n.* 13. Affinitas ſuperveniens non diſſolvit ſponſalia de præſenti, ſi matrimonium ratum, & non conſummatum: impedit tamen talis affinitas ex parte conjugis, qui inceſtum commiſit, petitionem debiti: non autem ex parte alterius conjugis, qui non fuit particeps iniquitatis illius, *n.* 14.

§. III. *An impedimentum affinitatis dirimens matrimonium contractum, probetur per aſſertionem, vel confeſſionem utriuſque conjugis?*

Si unus ſolum aſſerat ſubeſſe impedimentum dirimens inter conjuges, dicendo ſe cognoviſſe uxorem fratris ſui, non debet ſeparari matrimonium, niſi hoc ſit publicum, aut notorium, vel per idoneos teſtes probatum, *c. De illo,* 3. *h. t.* At vero ad impediendum matrimonium contrahendum plene probat unus teſtis, *n.* 15. Ad dirimendum matrimonium jam contractum non ſufficit ſola confeſſio conjugum, etiamſi ambo confiteantur contra matrimonium, neque ſeparatur matrimonium, etiamſi ambo conjuges dicant, affinitatem inter illos contractam eſſe ante matrimonium, *c. Super. eo.* 5. *h. t. n.* 16. *&* 17. Sed neque ex hujuſmodi confeſſione amborum conjugum diſſolvi debet matrimonium, etſi rumor viciniæ id confirmet *n.* 18. Cum vero non de diſſolvendo matrimonio, quoad vinculum, ſed ſolum quoad torum agitur, tunc creditur unius tantum conjugis aſſertioni contra ſeipſum, *cit. n.* 18.

§. IV. *Utrum prædictum impedimentum affinitatis oriatur etiam ex copula carnali attentata cum puella impubere, & an etiam ex inceſtu cum cognata legali, aut ſpirituali: ac denique ad quem gradum extendatur hoc impedimentum affinitatis ortum ex illicita copula habita cum conſanguinea alterius conjugis?*

Ad priorem quæſtionem reſpond. ex ſponſalibus contractis cum puella ſeptennii, quæ nondum complevit ſeptennium, ſi interveniat etiam copula attentata, oritur publica honeſtas impediens, ac dirimens matrimonium contractum cum conſanguinea ſponſæ: non autem ſola ſponſalia, ſine conatu ad copulam, cum puella minore ſeptennio, vel ſolus conatus ad copulam, abſque ſponſalibus, inducit publicam honeſtatem, *c. Fraternitati* 7. *h. t. num.* 19. ad poſteriorem quæſtionem dicitur, ex inceſtu cum cognata ſpirituali, vel legali non oritur impedimentum dirimens matrimonium, nec impediens aliud matrimonium contrahere, quia copula inter cognatos ſpirituales tantum non eſt vere inceſtus, *n.* 20. Ad 3. dicitur, jure antiquo Canonico orta fuit affinitas ex copula illicita cum conſanguineis alterius conjugis, ſicut ex licita, uſque ad quartum gradum incluſive, *c. Diſcretionem.* 6. *h. t.* Hodie vero ex Decreto *Concil. Trid. Seſſ.* 24. *c.* 4. *de reform. matr.* reſtrictum eſt hoc impedimentum affinitatis ex fornicatione cum conſanguineis uſque ad ſecundum gradum, *n.* 21. Nomine autem fornicationis in eodem Decreto Concilii intelligitur non ſolum ſimplex fornicatio, ſed etiam quivis alius illicitus concubitus, *n.* 22.

§. V. *Proponuntur, & explicantur reliqua Capitula hujus Tituli.*

Affinitas orta ex copula illicita diſſolvit ſponſalia præcedentia, & privat facultate contrahendi aliud matrimonium, niſi de incontinentia ipſius timeatur, tunc enim cum eo diſpenſare poteſt Epiſcopus, *c. Ex litteris.* 8. *h. t. n.* 23. *&* 24. Præterea is, qui ſponſalia de futuro contraxit cum aliqua, & poſtea ſororem illius carnaliter cognovit, ab utraque abſtinere debet, *c. Veniens.* 9. *h. t. num.* 25. Idque declaratur *nu.* 26. Similiter per affinitatem ſupervenientem non diſſolvitur matrimonium prius contractum, impeditur tamen petitio debiti conjugalis, etſi reddere teneatur petenti, *c. Tuæ* 10. *h. t. n.* 27. Idque declaratur, *n.* 28. Hoc impedimentum de Jure antiquo Canonico extenditur uſque ad quartum conſanguinitatis gradum incluſive. Verum poſt decretum *Concil. Trident. Seſſ.* 24. *c.* 4. *de reform. matr.* probabilius eſt, copulam habitam cum conſanguinea alterius conjugis non impedire petitionem debiti ultra ſecundum gradum, *n.* 29. Si quis poſt ſponſalia de futuro carnaliter cognoſcat ſponſam, & poſtea etiam cognoſcat matrem ſponſæ, non diſſolvitur matrimonium, *c.* 11. *& ult. h. t. n.* 30. Idque declaratur *n.* 31.

S E R I E S C A P I T U L O R U M.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 1. *&* 2. *ſeqq.*	*c.* 7. *n.* 19.
c. 2. *n.* 8. *&* 3. *ſeqq.*	*c.* 8. *n.* 23. *& ſeq.*
c. 3. *n.* 15.	*c.* 9. *n.* 25. *& ſeq.*
c. 4. *n.* 4. *& ſeq.*	*c.* 10. *n.* 27. *&* 2. *ſeqq.*
c. 5. *n.* 16. *& ſeq.*	*c.* 11. *& ult. num.* 30. *& ſeqq.*
c. 6. *n.* 12. *&* 2. *ſeqq.*	

T I T U L U S XIV.

DE CONSANGUINITATE, ET AFFINITATE.

Sectio I. *De Conſanguinitate.*

§. I. *Quid ſit conſanguinitas, & quid linea, & gradus conſanguinitatis, & quomodo ſint computandi.*

Aſſertio I. Conſanguinitas eſt vinculum perſonarum, quæ ab eodem ſtipite, ſeu progenitore, aeque propinquo, per carnalem propagationem deſcendunt. Requiritur autem ut conſanguinei ab eodem ſtipite, ſeu progenitore propinquo deſcendant, *n.* 1. Duplices ſunt conſanguinei. 1. Agnati, qui per maſculam lineam, ſeu per virilis ſexus cognationem ſunt conjuncti ſive mares ſint, ſive feminæ. 2. Cognati, qui ſive ex parte patris per lineam maſculinam, ſive ex parte matris, ſeu per maternam lineam conjunguntur, *n.* 2. Aſſ. 2. Linea conſanguinitatis eſt ordinata ſeries, ſeu connexio perſonarum ſanguine junctarum, quæ ab eodem ſtipite deſcendunt, gradus continens, & cognationes diſtinguens. Eſt autem triplex linea, una aſcendens, ſive ſuperior; altera deſcendens, ſive inferior: tertia collateralis, eaque æqualis, vel inæqualis, *nu.* 3. Gradus conſanguinitatis eſt diſtantia unius perſonæ ab altera in eadem linea conſanguinitatis, qua cognoſcitur quæ perſona ſit ſtipiti propinquior, *cit. n.* 3. Aſſ. 3. Ad computandos, & dignoſcendos conſanguinitatis gradus, tres aſſignantur regulæ. Prima eſt, pro linea recta aſcendentium, & deſcendentium, utroque jure recepta: Tot ſunt gradus in linea recta aſcendente, vel deſcendente, quot ſunt perſonæ, una dempta, nempe communi ſtipite, a quo prima origo ducitur, *n.* 4. Secunda regula pro linea tranſverſali æquali, in qua perſonæ junctæ æqualiter diſtant a communi ſtipite, eſt: quot gradibus perſonæ

ſingulæ

Digitized by Google

ſingulæ diſtant a communi ſtipite, totidem diſtant inter ſe, *n.* 5. Tertia regula pro linea tranſverſa inæquali inter perſonas, quæ inæqualiter diſtant a communi ſtipite, eſt: quot gradibus perſona, quæ remotior eſt, diſtat a communi ſtipite, totidem gradibus, ſive eodem grado diſtant inter ſe; *n.* 6. Porro hæc computatio graduum procedit ſecundum Jus Canonicum: at vero ſecundum Jus Civile, in linea collaterali, æquali, & inæquali, tot cenſentur eſſe gradus, quot ſunt perſonæ collaterales, ſtipite dempto. Eſt autem computatio graduum Juris Canonici ſervanda quoad matrimonium: quoad hæreditarias vero ſucceſſiones ſervari debet computatio Juris Civilis, in foro ſeculari, & Eccleſiaſtico: ſed in aliis contractibus qualibet computatio ſervanda eſt in ſuo foro, civilis in ſeculari, Canonica in foro Eccleſiaſtico, *n.* 7.

§. II. *Quinam gradus conſanguinitatis, & quo jure matrimonium dirimant?*

Aſſertio I. Matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, inter patrem, & filiam, matrem, & filium, jure naturæ irritum eſt, & per conſequens etiam indiſpenſabile ab Eccleſia. Excipitur unicus caſus publicæ neceſſitatis conſervandi genus humanum, deficientibus omnibus aliis hominibus, ſi ſupereſſet ſolus pater, & filia, vel filius, & mater tunc cohoneſtari poſſet tale matrimonium, & Deus in eo diſpenſare poſſet, *n.* 8. Aſſ. 2. Probabilius eſt, matrimonium etiam in ſecundo, imo etiam quovis ulteriore, ſeu ſuperiore gradu in linea recta eſſe ipſo jure naturali irritum, ac proinde matrimonium inter aſcendentes, & deſcendentes, in linea recta, non tantum uſque ad quartum gradum, ſed in infinitum eſſe invalidum, videlicet avi cum nepte ſua, proavi cum pronepte: item aviæ cum nepote, proaviæ cum pronepote, & ſic deinceps *n.* 9. Aſſ. 3. Probabilius eſt, etiam in primo gradu lineæ tranſverſæ, videlicet inter fratres, & ſorores matrimonium jure naturæ eſſe irritum, excepto caſu neceſſitatis, qualis fuit inter filios, & filias Adæ in exordio mundi, *n.* 10. Quamvis oppoſitum ſit etiam probabile, *n.* 11. Aſſ. 4. In ſecundo gradu conſanguinitatis lineæ tranſverſæ, & multo magis in reliquis ulterioribus gradibus matrimonium non eſt jure naturali irritum, *n.* 12. Poſt Concilium Generale Lateranenſe ſub Innocentio III. reſtricta fuit prohibitio graduum conſanguinitatis, & affinitas inter conſanguineos in linea tranſverſa uſque ad quartum gradum incluſive, *c. Non debet.* 8. *h. t. num.* 13. Olim erant tria genera affinitatis, primum, ſecundum, & tertium, quorum duo poſteriora jam ſublata, *n.* 14. Prohibitio matrimonii inter conſanguineos, quæ olim extendebatur ad ſeptimum gradum in linea tranſverſali æquali, vel inæquali poſtea reſtricta fuit ad quartum uſque gradum conſanguinitatis, & affinitatis incluſive, *n.* 15. Cur Eccleſia prohibitionem illatam matrimonii inter conſanguineos, & affines reſtrinxit ad quartum gradum, ſecundum computationem Canonicam? *n.* 16. Hinc ſi duo conſanguinei inæqualiter diſtent a communi ſtipite, itaut unus diſtet ultra quartum gradum, alter vero intra illum, poſſunt inter ſe matrimonium contrahere, *c. Vir, qui* 9. *& ult. h. t. n.* 17. Idque procedit, etiam ſi alter conſanguineus diſtet in primo, vel ulteriore gradu a communi ſtipite, *n. eod.* Aſſ. 5. Falſum eſt, & erroneum, omnes gradus conſanguinitatis, aut affinitatis expreſſo *c.* 18. *Levitic.* eſſe prohibitos lege naturali, & Divina, itaut, in nullo eorum Pontifex diſpenſare poſſit, juxta *Concil. Trident. Seſſ.* 24. *can.* 3. *de matrim. n.* 18. Porro teſtes, qui ſuper conſanguinitate deponunt, debent gradus diſtinguere per ordinem, deſignando perſonas propriis nominibus, vel æquipollentibus indiciis, & afferre cauſam, ac probabilem rationem dicti ſui, præſertim quia ſæpe teſtantur ſolum de audito alieno, *c. Tua nos* 7. *h. t. n.* 19. & 20.

Sectio II. *De affinitate, quæ eſt altera pars Rubricæ hujus Tituli.*

§. I. *Quid ſit affinitas, & qua ratione contrahatur, & inter quas perſonas?*

Aſſertio 1. Affinitas eſt propinquitas perſonarum ex carnali copula proveniens, quæ oritur ex copula carnali tum conjugali, tum etiam ex fornicario concubitu, *n.* 21. Aſſ. 2. Ad affinitatem contrahendam requiritur copula carnalis perfecta, ſeu conſummata, *n.* 22. Et hic ex copula ſodomitica habita in vaſe præpoſtero, & contra naturam, non contrahitur affinitas, idemque eſt de quacunque pollutione extra vas debitum: oritur autem affinitas etiam ex copula habita cum fœmina dormiente, ignorante, coacta, ebria, inſana, ſeu amente. Item ex Matrimonio rato, & nondum conſummato oritur affinitas, non quidem proprie dicta, ſed initiativa, ac impedimentum publicæ honeſtatis, *num.* 23. Aſſ. 3. Affinitas contrahitur inter conſanguineos uxoris, ex una parte; & inter maritum ejus ex altera, & rurſum inter conſanguineos mariti, & uxorem ejus ex altera, non autem mutuo inter conſanguineos viri, & mulieris: numerantur autem gradus affinitatis eodem modo, quo in conſanguinitate, & traditur hæc regula: in quo gradu aliquis eſt conſanguineus mariti, in eodem gradu ſit affinis uxoris, & e converſo, *n.* 24. Et hic conſanguinei mariti poſſunt licite, ac valide contrahere matrimonium cum conſanguineis uxoris, & hi viciſſim cum illis, *c. Quod ſuper.* 5. *h. t.* Nam affinitas contracta inter uxorem, & conſanguineos viri non tranſit ad conſanguineos uxoris, & e converſo affinitas contracta inter virum, & conſanguineos uxoris, non tranſit ad conſanguineos viri, *n.* 25. Prohibitum eſt autem intra gradus prohibitos contrahere matrimonium ſub pœna excommunicationis, non obſtante conſuetudine etiam immemoriali, quæ eſt dicenda corruptela, *num.* 26. Aſſ. 4. Triplex eſt genus affinitatis, primum inter conſanguineos mulieris, ex una parte, & virum ex altera: non autem inter conſanguineos viri, & mulieris mutuo, *n.* 27. Quia vero jam ſublatum eſt ſecundum & tertium genus affinitatis, nam nulla amplius contrahitur affinitas inter conſanguineos mariti, & uxoris, ideo poſſunt plures caſus ejuſmodi affinitatis occurrere, in quibus matrimonio nullum impedimentum præſtatur, quorum plura exempla afferuntur *n.* 28.

§. II. *Quouſque, & quo jure affinitas dirimat matrimonium?*

Aſſertio I. Sicut conſanguinitas, ita etiam affinitas orta ex copula legitima, & conjugali impedit matrimonium contrahendum, ac dirimit contractum in linea tranſverſali uſque ad quartum gradum incluſive, *c. Non debet.* 8. *h. t. n.* 29. Similiter ſi matrimonium intra quartum affinitatis gradum contractum fuerit, illud diſſolvi debere, & ſic contrahentes ab invicem ſeparandos eſſe, ne in peccato perſiſtant, ſtatuitur quoque in *c. Ex litteris* 5. *h. t.* ubi in fine additur, quod cauſæ matrimoniales tractandæ ſunt non per quoslibet Judices, ſed per Eccleſiaſticos, eoſque tales, qui poteſtatem habeant judicandi, & ſtatuta Canonicum ſciant, *n.* 30. Ad contrahendum ſufficit unus teſtis ad plenam probationem: ſed ad diſſolvendum matrimonium contractum duo teſtes requiruntur, *n.* 31. Aſſ. 2. Probabilius eſt matrimonium in primo affinitatis gradu lineæ rectæ, eſſe jure naturæ irritum, nempe inter vitricum, & privignam, novercam, & privignum, ſocerum, & nurum, ſocrum, & generum, *n.* 32. An ſpectato jure naturali oriatur affinitas etiam ex fornicaria copula? *n.* 33. Et an gentilis, ante Baptiſmum ſuſceptum, valide contrahere poſſit, vel etiam licite cum filia, vel ſorore mulieris, cum qua eſt fornicatus? *cit. n.* 33. Aſſ. 3. Quamvis matrimonium in primo gradu lineæ tranſverſæ naturalem quandam indecentiam præ ſe ferat, ut ſi quis ducat uxorem fratris defuncti, vel ſororem uxoris defunctæ, non tamen tale matrimonium eſt irritum jure naturali, idque probatur auctoritate Eccleſiæ, *n.* 34.

§. III. *Utrum affinitas ſuperveniens diſſolvat ſponſalia de futuro, & an infideles conjuncti in gradu prohibito Jure Canonico, poſt Baptiſmum, debeant ſeparari?*

Ad priorem quæſtionem reſpond. ſi quis puellam ſibi deſponſavit per verba de futuro, ſed poſtea excipiet, ſe conſanguineam illius carnaliter cognoviſſe, idque vel manifeſtum ſit, vel ſaltem fama loci id habeat, ipſa puella liberatur a ſponſalibus, *c. Super eo.* 2. *h. t. n.* 35. Sola fama facit plenam probationem ad impediendum matrimonium contrahendum: Item ſola fama de impedimento v. g. affinitatis, impedit matrimonium contrahendum, & diſſolvit ſponſalia prius inita, quamvis ſint juramento confirmata, *n.* 36. Ad poſteriorem quæſtionem reſpondetur, infideles matrimonio conjuncti in gradu conſanguinitatis, vel affinitatis prohibito ab Eccleſia, ſi convertantur ad fidem, non ſunt ſeparandi, quia quos Deus conjunxit, homo non ſeparet, *c. De infidelibus.* 4. *h. t. n.* 37. Matrimonium Judæorum, vel aliorum infidelium, etiamſi contractum ſit in gradu prohibito Jure Canonico, eſt verum, ac legitimum matrimonium, quamvis non ſit Sacramentum, *n.* 38. An ſi Judæus contrahet matrimonium cum Judæa, eo pacto, ut liceat ei dare libellum repudii, tale matrimonium ſit invalidum? *n.* 39.

§. IV. *Quæ pœna ſit contrahentium matrimonium in gradu conſanguinitatis, vel affinitatis prohibito?*

Qui ſcienter matrimonium contrahunt in gradu conſanguinitatis, vel affinitatis prohibito, vel cum Moniali, nec non Religioſi, & Moniales, ac Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti, ſunt excommunicati ipſo jure, & denunciari, ac evitari debent, donec abſolvantur, ita ut aliæ pœnæ contra ſic contrahentes impoſitæ in ſuo robore permaneant, *Clem. Eos, qui un. h. t. n.* 40. & 41. Item excommunicationem hanc incurrunt, non tantum Religioſi profeſſi, qui matrimonium contrahunt, ſed etiam non profeſſi, qui in Societate JESU tria vota ſimplicia Religionis emiſerunt, & ante abſolutionem a votis matrimonium contrahunt. Et Moniales cuicunque nubant, & illi, qui eas ſacrilege ducunt in uxores: ſi vero alia fœmina non Monialis nubat profeſſo, vel Clerico in ſacris Ordinibus conſtituto, hi ſoli excommunicationem incurrunt, *n.* 42. Mandantes vero, & conſulentes, aut adjuvantes ad hujuſmodi ſacrilegum matrimonium ineundum non excommunicantur, ſed ſoli ineuntes matrimonium, *n.* 43. Ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur 1. ut matrimonium ſit contractum, licet non ſit conſummatum, *n.* 44. Secunda conditio requiſita eſt, ut contraharur matrimonium cum impedimento conſanguinitatis, vel affinitatis in gradibus Jure Canonico interdictis, & quando ob defectum hujus conditionis non incurratur hæc excommunicatio? *num.* 45. Quod ſi quis contrahat matrimonium cum conſanguinea in gradu lege Divina, & naturali prohibito, incur-

incurritur excommunicatio, *cit. n.* 45. Tertia conditio requiſita ad incurrendam hanc excommunicationem eſt, ut ſcienter ineatur tale matrimonium cum impedimento conſanguinitatis, vel affinitatis, vel cum Moniali, *n.* 46. Excuſat autem ab hac excommunicatione incurrenda 1. ignorantia etiam culpabilis, non ſolum facti, ſed etiam juris, imo & craſſa, dummodo non ſit affectata, *cit. num.* 46. 2. Si quis, ignorans, & bona fide contraxit matrimonium cum conſanguinea, vel affine, & poſtea conſcius impedimenti ei cohabitet, & utatur conjugio, hanc excommunicationem non incurrit, *n.* 47. 3. Etſi in primis tribus caſibus excommunicati ſint ipſo jure, qui ſcienter contrahunt matrimonium cum conſanguinea, affina, vel Moniali: non autem incurritur in poſterioribus tribus caſibus, ſi Religioſi, moniales, vel Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti ſcienter matrimonium contrahant, & quæ ſit ratio diverſitatis? *n.* 48. Denique abſolutio ab hac excommunicatione eſt reſervata Epiſcopo, *cit. Clem. cit. n.* 48. *in fine.*

SECTIO III. *De diſpenſatione in impedimentis conſanguinitatis, & affinitatis dirimentibus matrimonium, & de impedimento publicæ honeſtatis.*

§. I. *Quouſque S. Pontifex diſpenſare poſſit in gradibus conſanguinitatis, & affinitatis?*

Generatim loquendo poteſt S. Pontifex diſpenſare in omnibus gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis Jure Canonico ſolum prohibitis, & dirimentibus matrimonium. Quare poteſt Pontifex diſpenſare in omnibus gradibus conſanguinitatis lineæ collateralis etiam in ſecundo, ſolo primo excepto, inter fratres, & ſorores, *n.* 49. Quin imo ſolet Papa interdum ex benignitate diſpenſare cum perſonis inferioris conditionis in ſecundo gradu conſanguinitatis ob cauſam urgentem etiam privatam, *cit. n.* 49. Poteſt etiam S. Pontifex diſpenſare in omnibus gradibus affinitatis lineæ tranſverſæ, v. g. ut quis ducat ſororem, vel conſobrinam, vel materteram uxoris defunctæ. In affinitate vero orta ex copula fornicaria diſpenſari poteſt etiam in primo gradu lineæ rectæ, ut ſi quis v. g. ducat filiam mulieris, cum qua fornicatus eſt, *num.* 50. Difficilius autem diſpenſatur ſuper impedimento conſanguinitatis, quam affinitatis in ſimili gradu, & quo propinquior eſt gradus conſanguinitatis, vel affinitatis, eo gravior cauſa requiritur ad diſpenſandum, *cit. num.* 50.

§. II. *An in diſpenſatione aliquibus conceſſa in linea collaterali inæquali, attendendus ſit, & exprimendus gradus remotior, an vero propinquior?*

Quando alicui conceditur diſpenſatio, ut poſſit contrahere matrimonium, v. g. in quarto gradu alias prohibitu, uterque contrahentium debet diſtare in quarto: alioquin ſi alter diſtaret in tertio gradu a ſtipite non valeret diſpenſatio, præſertim ſi hoc habet conſuetudo loci, cui ſtandum eſt ad vitandum ſcandalum, *c. Quod dilectio 3. h. t. n.* 51. idque declaratur *n.* 52. *&* 53. deducuntur quædam corollaria *n.* 54. *&* 55.

§. III. *An diſpenſatio obtenta a Papa contrahendi matrimonium inter conſanguineos in gradu prohibito valeat, ſi in ea falſa cauſa ſit expreſſa?*

Diſpenſatio a Papa obtenta ſuper matrimonio inter conſanguineos contracto in gradu prohibito, non valet, ſi in ea cauſa falſa ſit expreſſa, niſi poſtea Papa ea confirmet, *c. Quia circa 6. h. t. n.* 56. Duplex affertur expoſitio hujus *c. num.* 57. *&* 58. Verum prior expoſitio eſt communior, nempe quod non valeat diſpenſatio, ſi in ea falſa cauſa ſit expreſſa, niſi Papa eam confirmet, *n.* 59. Duæ ſunt cauſæ diſpenſandi in matrimonio contracto in gradu prohibito, una eſt, ſi ex matrimonio contracto ſuperſtes ſit filius; altera propter ſcandalum vitandum, vel propter bonum pacis, *cit. n.* 59. *in fine.*

§. IV. *De impedimento publicæ honeſtatis orta ex matrimonio rato, & non conſummato.*

Aſſertio I. Ex matrimonio rato, & nondum conſummato oritur impedimentum publicæ honeſtatis, etiam poſt Concil. Trident. dirimens matrimonium cum alterius conjugis conſanguineis uſque ad quartum gradum incluſive, *n.* 60. Idque etiamſi irritum fuerit ex quacunque cauſa, *n.* 61. Præterquam ſi ſit irritum ob defectum liberi conſenſus vel ob errorem perſonæ, *n.* 62. Nec oritur hoc impedimentum, quando matrimonium eſt clandeſtinum; quia deeſt præſentia Parochi, & duorum teſtium, *cit. n.* 62. Deducuntur alia duo corollaria *eod. num.* 62. *in fine.*

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 30.
c. 2. *n.* 35. *& ſeq.*
c. 3. *n.* 51. *&* 4. *ſeqq.*
c. 4. *n.* 37. *&* 2. *ſeqq.*
c. 5. *n.* 25. *& ſeq.*
c. 6. *n.* 56. *&* 2. *ſeqq.*
c. 7. *n.* 19. *& ſeq.*
c. 8. *n.* 13. *&* 3. *ſeqq.*
c. 9. *& ult. n.* 27.

In Clementinis.

Clem. un. num. 40. *& pluribus ſeqq.*

TITULUS XV.

DE FRIGIDIS, ET MALEFICIATIS, ET IMPOTENTIA COEUNDI.

Impotentia alia eſt ad prolis generationem, quæ ſola non impedit matrimonium, nec dirimit: alia eſt impotentia ad copulam carnalem perfectam, ſive ea impotentia proveniat ex cauſa naturali, & intrinſeca, ut frigiditate in viro, vel ex arctitudine fœminæ: ſive ex cauſa extrinſeca, & accidentaria v. g. ex maleficio, vel morbo. Rurſum impotentia hæc ad copulam alia eſt perpetua, alia temporalis: perpetua impotentia alia eſt abſoluta, quæ reſpectu cujusvis perſonæ impedit copulam, alia reſpectiva, quæ tantum reſpectu certæ perſonæ, vel aliquarum duntaxat impedit. Denique alia impotentia præcedit matrimonium, alia ſequitur, & ſupervenit, *n.* 1.

§. I. *Quinam ſint impotentes ad matrimonium contrahendum, vel non?*

Impotens ad copulam non eſt aptus ad contrahendum matrimonium, *c.* 2. *h. t. n.* 2. Eſt autem triplex impotentia, quædam provenit ex naturali complexione, quædam ex accidente extrinſeco, per ſectionem, vel abſciſſionem membri genitalis, vel ex maleficio diabolico, *cit. n.* 2. Eunuchi, vel ſpadones, ſeu caſtrati non poſſunt valide contrahere matrimonium, *num.* 3. Hermaphroditi valide poſſunt contrahere matrimonium, vel cum fœminis, in quibus prævalet ſexus virilis, vel cum viris, in quibus prævalet ſexus fœmineus, *cit. n.* 3. Senes etiam decrepiti poſſunt inire matrimonium, ſi nullo alio impedimento laborent, *nu.* 4. Steriles valide contrahunt matrimonium, *cit. n.* 4. Mulieres, quæ non poſſunt parere ſine vitæ periculo, vel nonniſi fœtum mortuum, valide contrahunt matrimonium, ſi alias aptæ ſint ad copulam, etſi ordinarie non licite, *n.* 5. Etiam in articulo mortis conſtitutus poteſt contrahere matrimonium, *n.* 6.

§. II. *An, & qualis impotentia coeundi dirimat matrimonium?*

Aſſertio I. Impotentia perpetua ad copulam, & generalis, reſpectu omnium, quæ arte medica, ſine miraculo, aut peccato, aut gravi corporis periculo, vel damno tolli non poteſt, ſive ex natura, ſive ex alia extrinſeca cauſa oriatur, ſi præcedat matrimonium, illud jure naturæ dirimit, *n.* 7. Idque extenditur, ut procedat, ſive ea perpetua impotentia in contrahentibus cognita fuerit, ſive ignorata; nam in utroque caſu matrimonium eſt irritum, *n.* 8. Qui ſciens contrahit cum impotente ad copulam, ab ea non ſeparatur, ſed ſi non poſſit eam habere ut uxorem, habeat ut ſororem, *c. Conſultationi* 4. *h. t. cit. n.* 8. adeoque caſte ſimul vivere debent, tanquam frater, & ſoror, *n.* 9. Aſſ. 2. Impotentia perpetua, ſed reſpective tantum, dirimit matrimonium cum iis, reſpectu quorum eſt, non autem reſpectu aliorum, *n.* 10. Aſſ. 3. Temporalis impotentia, quæ per licita, & ordinaria media, ſive ſpiritualia, ſive naturalia, tolli poteſt, non dirimit matrimonium ſubſequens, *c. Fraternitas 6. h. t. n.* 11. Aſſ. 4. Si mulier, quæ cum perpetua impotentia contraxit matrimonium, poſtea per miraculum ſanatur, matrimonium prius eſt irritum, niſi per novum conſenſum denuo cum illa contrahatur: aliud eſt, ſi mulier per maleficium ſit reddita impotens, & per ordinarios Eccleſiæ exorciſmos ſanetur, *n.* 12.

§. III. *Referuntur, & explicantur varii caſus in ſpecie, in quibus propter impotentiam coeundi, matrimonium diſſolvitur, vel ſeparatur, aut non ſeparatur.*

Si quis accepit aliquam in uxorem, eique per menſem, vel per tres menſes, vel per annum cohabitavit, aſteritque ſe frigidum eſſe, nec poſſe illam, vel aliam mulierem cognoſcere, tunc ſi ipſa mulier idem affirmat, idque probare poteſt per rectum, & verum judicium, a ſe invicem ſeparari debent, ita tamen ut ſi vir aliam poſtea in uxorem duxerit, reus ſit perjurii, & ad priorem uxorem, poſt peractam pœnitentiam, redire debeat. Si vero illa prior poſt annum, ac dimidium ad Epiſcopum, vel ejus Officialem provocavit, dicens, quod eam vir ſuus non potuit cognoſcere, hic vero id neget, ei credendum eſt, cum ſit caput mulieris, cur enim tamdiu tacuit? Si vero ab initio poſt menſem, vel duos ad Epiſcopum proclamavit, dicens virum eſſe impotentem, idque probari poſſit per rectum judicium, ſeparari poteſt, & ipſa, ſi velit, alteri nubere, [illegible] *n.* 13. *&* 14. Soli confeſſioni mariti, & uxoris aſſerentium impotentiam non creditur contra matrimonium, ſed alia probatio requiritur, ut poſſit fieri ſeparatio, *cit. n.* 14. Præterea ſi de impotentia coeundi conſtet, ſtatim matrimonium ſeparatur, alias cohabitabunt conjuges per triennium, dando operam carnali copulæ, quo elapſo, ſi ſimul cohabitare noluerint, & mulier per juſtum judicium probare potuerit, quod eam cognoſcere nequiverit, nubat alii, & tunc ſeparentur. Si vero conſentiant ſimul habitare, vir habeat illam ut ſororem. Si autem confiteantur, quod nunquam ſe invicem cognoverint, cum ſeptima manu propinquorum, vel vicinorum, ſi propinqui deficiant, juſjurando dicant, quod una caro per carnalem copulam nunquam effecti ſint, & tunc mulier poteſt alium accipere. Verum ſi vir aliam duxerit, tunc vir, ac uxor ſunt rei perjurii, & peracta pœ-

nitentia, cogi debent redire ad prius conjugium, *c. Laudabilem* 5. *h. t. n.* 15. Quando non conſtat de impedimento frigiditatis, vel alterius ſimilis impotentiæ, & ſtatim probari non poteſt per certa ſigna, tunc requiritur triennalis cohabitatio conjugum, *n.* 16. In impedimento frigiditatis triennium hoc computatur a die copulæ attentatæ, quod conceditur ad explorandam conjugis potentiam, *cit. n.* 16. Debent autem, ſi uterque conjux fateatur impedimentum impotentiæ, ſeptem conſanguinei cujuſque conjugis, vel vicini jurare, vel in defectum eorum, alii *n.* 17. Conjuges debent jurare de certa ſcientia, conſanguinei vero de ſola credulitate, *cit. n.* 17. Si vero reputatus frigidus aliud matrimonium ineat, ipſi conjuges ei ſunt perjurii, *n.* 18. Si ob frigiditatem viri, ſit diſſolutum matrimonium, & is aliud ineat, ſtatim hoc poſterius matrimonium eſt diſſolvendum. *n.* 19. Si puer XIV. anno completo, vel fœmina XII. adhuc ſint impotentes ad copulam, expectandum eſt uſque ad plenam pubertatem, nempe XIV. in fœminis, & XVIII. in viris, *n.* 20.

§. IV. *Continuatur eadem materia.*

Si vir contraxit cum muliere, quæ impedita, v.g. arcta, & omnino inhabilis facta eſt ex infirmitate, ita ut arte Medicorum curari non poſſit, viro datur licentia ducendi aliam, *c. Ex litteris*, 3. *h. t. n.* 21. Ob nullam infirmitatem, vel aliam impotentiam ſupervenientem conjugia ſolvi poſſunt, *cit. n.* 21. Si de impotentia ſuperveniente matrimonio certo conſtat, eam eſſe perpetuam, illicita eſt talibus conjugibus copula conjugalis, quamvis tactus iis ſint liciti, abſque periculo tamen pollutionis. Quod ſi de impotentia ſuperveniente matrimonio ſit dubium, num ſit perpetua, an vero ſolum temporalis, licitum eſt conjugibus conari ad copulam, quamdiu ſpes eſt ſeminandi intra vas, *n.* 22. Si impedimentum mulieris arctæ, præter Divinum miraculum, ſine vitæ periculo, potuit removeri, non eſt perpetuum: quare ſi per ſententiam Eccleſiæ ex errore informationis ſeparata fuit a marito, & ipſa alteri ſe conjunxit, relicto ſecundo, debet redire ad primum, quia erat verum matrimonium. Sed ſi mulier hæc ſeparata a viro profeſſa eſt Religionem, & vir aliam duxit, tenet ſecundum: quia primum non erat conſummatum, alias redeat ad primam, niſi idcirco, quod illa cum alio fuerit fornicata, a viro repellatur *c. Fraternitatis* 6. *h. t. n.* 23. Propter impedimentum mulieris arctæ, ſi appareat, quod præter Divinum miraculum, & ope humana, ſine periculo vitæ, vel gravi corporis, tolli non poteſt, matrimonium ſeparari poteſt, *n.* 24. Omne impedimentum impotentiæ viri, vel mulieris, quod opera humana, ſine gravi periculo corporis tolli non poteſt, reddit inhabilem ad contrahendum matrimonium: ſecus ſi facto humano poteſt removeri, abſque gravi periculo corporis, *nu.* 25. Si mulier ſit cognita ab uno viro, præſumitur, quod etiam cognoſci poſſit ab alio, niſi contrarium probetur, modo uterque vir ſimilis ſit ætate, ac robore, *n.* 26. Propter impotentiam provenientem ex maleficio poteſt matrimonium ſeparari, nec reſtauratur, etſi vir poſt mortem illius aliam ducat in uxorem, & illam cognoſcat: & cur ſeparetur matrimonium propter frigiditatem viri, vel arctitudinem mulieris: & ſi poſtea contrahat cum alio, vel alia, & appareat ex poſt facto eſſe potens ad copulam, reſtauretur primum matrimonium: & tamen ſi ſeparetur matrimonium propter maleficium, non cogatur vir, ſi contraxit cum alia, eamque cognovit, redire ad primam, *n.* 27. Error, ſive ignorantia juris non eſt probabilis, nec excuſat: ſi tamen ſit probabilis, ut ſi erretur in facto, excuſat, *n.* 28. Si mulier tranſiit ad Religionem, & Profeſſionem emiſit, tunc matrimonium poſtea contractum per primum virum cum ſecunda muliere, tenet, & debet cum illa remanere. Quod ſi appareat Eccleſiam deceptam eſſe in ſeparatione matrimonii, dum impotentiam judicavit eſſe perpetuam, reſtaurandum eſt prius matrimonium cum muliere, *n.* 29. Si mulier dicat ſe per triennium cohabitaſſe cum viro, & illum eſſe impotentem, vir autem fateatur ſe eſſe impotentem quoad illam, ſed non quoad alias, & ſi per inſpectionem matronarum mulier reperitur virgo, factaque inquiſitione, non reperitur aliqua a viro illo carnaliter cognita fuiſſe, & ſi conſtet eos per continuum triennium cohabitaſſe, ipſique conjuges cum ſeptima propinquorum manu jurent ſe carnaliter commiſceri non potuiſſe, tunc inter eos ſententia divortii eſt proferenda, *c. Litteræ* 7. *& ult. h. t. n.* 30. Idque declaratur, & explicatur *n.* 31. *& 2. ſeq.*

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 13. *& ſeq.*
c. 2. *n.* 2.
c. 3. *n.* 13. *&* 14.
c. 4. *n.* 8. *& ſeqq.*
c. 5. *num.* 15. *& aliquot ſeqq.*
c. 6. *n.* 23. *& aliquot ſeq.*
c. 7. *& ult. num.* 30. *& ſeq.*

TITULUS XVI.

DE MATRIMONIO CONTRACTO CONTRA INTERDICTUM ECCLESIÆ.

§. I. *An, & qua ratione matrimonium contractum contra interdictum Eccleſiæ dirimatur, vel impediatur?*

Quær. I. Quod dicatur interdictum Eccleſiæ, & quot modis fiat? Reſp. Fieri poteſt circa matrimonium tribus modis, nempe per legem Eccleſiaſticam, quæ certis temporibus nuptias celebrari prohibet, vel per Judicem Eccleſiaſticum, vel per Parochum, *nu.* 1. Quando Judex alicui mulieri interdicit, ne nubat, & ipſa ſpreto mandato, contrahit matrimonium, illud tenet, imponitur tamen ſic contrahentibus pœnitentia, & ſeparantur quoad torum, donec de cauſa interdicti cognoſcatur, *c.* 1. *h. t. n.* 2. *&* 3. Matrimonium diſſolvit præcedentia ſponſalia, etiamſi præceſſerit interdictum Eccleſiæ, vel Judicis, *n.* 4. Probabilius eſt ſpeciale eſſe in parentibus, ut ſi pro filiis contrahant ſponſalia, vel matrimonium, ſufficiat eorum taciturnitas, & præſentia: non autem ſi extraneus pro extraneo, tunc enim requiritur aliud ſignum conſenſum internum exprimens, ut valeant ſponſalia, vel matrimonium, *n.* 5. Præterea ſi quis contrahat ſponſalia de futuro cum una, etiam contra interdictum Eccleſiæ, non dirimitur matrimonium poſtea contractum cum alia, *c.* 2. *h. t. n.* 6. Solum interdictum Eccleſiæ factum propter impedimentum, non perpetuum, ſed temporale ſolum, non dirimit matrimonium poſt contractum, *n.* 7. Qui propter conſanguinitatem prohibentur conjungi matrimonio, ſi poſtea contra interdictum Eccleſiæ matrimonio jungantur, excommunicari debent, & ſeparari, donec de cauſa cognoſcatur, *n.* 8. *&* 9.

§. II. *De aliis impedimentis, quæ non dirimunt, ſed impediunt tantum matrimonium contrahendum.*

Hujuſmodi impedimenta, quæ matrimonium ſubſequens non irritant, ſed impediunt tantum, ſive illicitum reddunt, plura numerantur *n.* 10. *&* 11. Sed hæc impedimenta pleraque omnia hodie ſunt ſublata, *n.* 12.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 2. *&* 3. *ſeqq.*
c. 2. *n.* 6. *&* 7.
c. 3. *& ult. n.* 8.

TITULUS XVII.

QUI FILII SINT LEGITIMI.

§. I.

De filiis legitimis, & illegitimis in genere.

Aſſertio I. Filii ſunt legitimi, vel illegitimi, legitimi ſunt, vel legitimi tantum, quales ſunt filii adoptivi, qui non a natura, ſed a ſola lege filii facti ſunt, vel legitimi, & naturales, qui ex legitimo matrimonio nati ſunt, *n.* 1. Filii illegitimi ſunt, qui extra matrimonium ſunt nati, & hi vel ſunt naturales tantum, qui nati ſunt a parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel ſaltem nativitatis, ſine impedimento dirimente matrimonium conſiſtere poterat. Non naturales vero, ſeu ſpurii dicuntur, qui nati ſunt ex damnato coitu, inter quos nec tempore nativitatis, nec conceptionis matrimonium iniri poterat. Secundum Jus Civile vero filii illegitimi alii ſunt naturales, alii non naturales, alii nothi, *n.* 2. Item ſecundum Jus Civile varii ſunt ſpurii, *n.* 3.

§. II. *Quinam in ſpecie judicandi ſint filii legitimi?*

Filii concepti ante ſententiam divortii a parentibus, qui publice, & ſine contradictione, ac bona fide utriuſque, vel ſaltem alterius parentis matrimonium contraxerunt, ſunt vere, & proprie legitimi filii, licet inter tales parentes exiſtat latens impedimentum Canonicum v. g. conſanguinitatis, propter quod poſtea tale matrimonium judicio Eccleſiæ fuit ſeparatum tanquam invalidum, *num.* 4. *&* 5. Ut autem filii ex tali putativo matrimonio ſuſcepti habeantur legitimi, duo requiruntur, nempe quod matrimonium publice, & in facie Eccleſiæ ſit initum, & quod bona fide, *cit. n.* 5. Filii ſuſcepti a parentibus clandeſtine contrahentibus, etiamſi parentes contraxerint coram Parocho, & teſtibus, non præmiſſis tamen denunciationibus, ſunt illegitimi. Ut autem licite matrimonium contrahatur, requiritur, ut denunciationes præmittantur, atque coram Parocho, & teſtibus ſit contractum, *n.* 6. Poſſunt autem tales filii concepti ante ſententiam divortii ad Ordines ſacros, & dignitates Eccleſiaſticas promoveri, *cit. n.* 6. An filii nati poſt litem conteſtatam, ſuper matrimonio publice contracto, quod per ſententiam divortii poſtea invalidum fuit declaratum, ſint legitimi? *n.* 7. Filiis legitimis competit hæreditas paterna, & jus petendi alimenta: quorum poſterius competat etiam illegitimis de Jure Canonico, *num.* 10. Secundo ſi mulier per judicium Eccleſiæ ſit ſeparata a primo viro, & vivente illo, de licentia Eccleſiæ, contrahat matrimonium cum alio, proles ſuſcepta ex ſecundo viro, eſt legitima, & capax hæreditatis, *c. Prælatum* 8. *h. t. n.* 8. *&* 9. Declaratur *n.* 10. Tertio filii geniti ex clandeſtino matrimonio, ſed poſtea ab Eccleſia approbato, legitimi filii, & hæredes ſunt judicandi, etiamſi poſtea matrimonium ex juſta cauſa ſeparetur, *c. Quod nobis* 9. *h. t. n.* 11. Probabilius eſt filios conceptos ante detectum impedimentum, licet

Digitized by Google

ſicet ante approbationem Eccleſiæ nati ſint eſſe legitimos, ſi matrimonium fuerit publicatum, & tanquam validum auctoritate Eccleſiæ approbatum, etſi poſtea impedimentum detegatur, *n.* 12. Judex Eccleſiaſticus, qui pronuntiat aliquem eſſe legitime natum, poteſt etiam pronuntiare eſſe hæredem, *n. eod.* Quarto, ſi conjugatus vivente prima uxore, in facie Eccleſiæ aliam ducat, quæ probabiliter ignorat illum eſſe conjugatum, proles inde nata cenſetur legitima, etiamſi ſubſit occultum impedimentum dirimens, propter quod matrimonium poſtea declaretur nullum, *c. Ex tenore,* 14. *h. t. n.* 13. *&* 14. Ad legitimandam prolem non ſufficit, ſi ignorantia impedimenti dirimentis adſit tempore contractus matrimonii, ſed requiritur, ut ſubſit tempore conceptionis, vel nativitatis prolis, *cit.* n. 14. Ad legitimandam prolem propter bonam fidem parentum, vel ſaltem alterius eorum, requiritur etiam, ut matrimonium inter eos in facie Eccleſiæ ſit contractum, *cit. n.* 14. Quinto, filii infidelium, qui in gradu Jure Canonico prohibito matrimonium contraxerunt, poſtquam ad fidem ſunt converſi, legitimi ſunt cenſendi, *c.* 15. *& ult. h. t.* n. 15. Matrimonium infidelium eſt validum, in quo non adeſt impedimentum jure naturali, vel Divino dirimens matrimonium, etſi jure Canonico dirimat, n. 16. Filii converſorum ad fidem Chriſtianam ab Eccleſia reputentur legitimi, idque in favorem fidei, *n.* 17. Alia expoſitio hujus *c. ult.* eſt, quod loquatur de prole ſuſcepta ex ſecundo matrimonio, repudiata prima uxore vivente, nam tale matrimonium initum cum ſecunda, vivente prima, non valet ob impedimentum Juris Divini, ſecundum quod nemo poteſt vivente prima uxore, ducere aliam: quamvis autem ignorantia juris Divini non excuſet infideles ſic contrahentes a peccato, quia tamen fuerunt in bona fide, contrahentes matrimonium, ſecundum legem ſuam, ſi poſtea convertantur ad fidem Chriſtianam, filii eorum fiunt legitimi, & ſic legi, & intelligi debent, quæ habentur hic n. 17. *in fine*.

§. III. *Quinam in ſpecie reputandi ſint filii illegitimi?*

Matrimonium contractum contra publicæ honeſtatis juſtitiam non tenet, & filii ex eo nati ſunt illegitimi, & ab hæreditate paterna excluduntur, *c. Referente* 10. *h. t. n.* 18. *&* 19. Si mulier aliqua, vivente marito, alteri viro de facto matrimonialiter conjungatur, proles ex tali matrimonio nata illegitima cenſeri debet, n. 20. *&* 21. S. Pontifex, vel alius Judex Eccleſiaſticus non cognoſcit de cauſa civili, ſeu temporali inter laicos, niſi ſint pauperes, vel aliæ perſonæ miſerabiles, cognoſcit tamen an quisnam ſit ex matrimonio legitimo, *c. Cauſam*, 7. *h. t.* n. 22. *&* 23.

§. IV. *Coram quo Judice, ſeculari, an Eccleſiaſtico, tractari debeat, vel poſſit quæſtio nativitatis, ſeu natalium?*

Quæſtio natalium oppoſita petenti hæreditatem coram Judice ſeculari, remitti debet ad Judicem Eccleſiaſticum ab eo cognoſcenda, etiamſi de illa non principaliter, ſed incidenter agatur, *c. Lator.* 5. *h. t. n.* 24. *&* 25. Quando Judex ſecularis poſſit cognoſcere de cauſa natalium, vel non, *nu.* 26. An nepos legitime natus ex patre illegitimo non poſſit ſuccedere avo? *cit.* n. 26. Coram quo Judice, ſeculari, an Eccleſiaſtico debeat cognoſci quæſtio principalis de petitione hæreditatis, & quæſtio incidens natalium? n. 27. Quando quæſtio hæreditatis principaliter fuit intenta coram Judice ſeculari, non poteſt Judex Eccleſiaſticus, qui cognovit de quæſtione incidente natalium, poſtea cognoſcere de principali petitione hæreditatis: ſi vero nulla quæſtio principaliter fuit intentata coram Judice ſeculari, non poteſt Judex Eccleſiaſticus cognoſcere de cauſa principali hæreditatis: quod ſi quæſtio natalium principaliter mota ſit coram Judice Eccleſiaſtico, poteſt is de cauſa principali hæreditatis incidenter cognoſcere, *cit.* n. 27. Exiſtens in quaſi poſſeſſione legitimæ nativitatis, in petitione hæreditatis, relevatur ab onere probandi, ſe eſſe legitime natum, & onus probandi defectum natalium incumbit ei, qui eum opponit, *cit.* n. 27.

§. V. *De legitimatione prolis illegitimæ per ſubſequens matrimonium.*

Filius naturalis tantum natus ex ſoluto, & ſoluta, inter quos tempore nativitatis non erat impedimentum dirimens matrimonium, legitimatur per ſubſequens matrimonium, ita ut ſi pater ob hanc cauſam eum velit exhæredare, ſit excommunicandus, *c.* 1. *h. t.* n. 28. *&* 29. Tanta eſt vis, & potentia matrimonii, ut antea illegitimi fiant legitimi per ſubſequens matrimonium inter eoſdem parentes contractum, *c. Tanta.* 6. *h. t. n.* 30. *&* 31. Quinam filii nati ante matrimonium per ſubſequens matrimonium legitimentur, vel non? *n.* 32.

Quæritur hic præterea 1. quo tempore parentes debeant eſſe habiles ad contrahendum matrimonium, ut proles ab eis nata legitimetur per ſubſequens matrimonium, utrum tempore conceptæ prolis, vel natæ? Reſp. Satis eſſe, quod inter eos ſaltem tempore conceptionis, nullum erat impedimentum contrahendi matrimonium, etſi forte tempore nativitatis tale impedimentum exiſtet. *num.* 32. An ſufficiat ad legitimandam prolem per ſubſequens matrimonium, ſi vice verſa hoc conſiſtere potuerit inter parentes tempore natæ prolis, etſi tempore conceptionis inhabiles fuerint ad contrahendum? Ut ſi quis ex conjugata conceptus fuit, natus autem poſt mortem mariti? Reſp. Etſi id probabile ſit, probabilius tamen eſt, ſi tale impedimentum inter parentes exiſtet, tempore conceptionis, quod tamen tempore nativitatis filii jam ſit ablatum per diſpenſationem, filium non fieri legitimum per ſubſequens matrimonium: Secus eſt, ſi e contrario, tempore conceptionis non adfuit impedimentum, tempore autem nativitatis extitat, nam hoc non obſtante proles legitima efficitur, *n.* 34.

Quær. 2. An filii illegitimi omnia jura legitimorum aſſequantur? Reſp. conſequi omnia jura tum ſpiritualia, & Eccleſiaſtica, tum civilia, & profana, ita ut quoad omnia ſint & habeantur legitimi, *n.* 35. Hinc legitimi per ſubſequens matrimonium ſuccedunt etiam in feudis, & Majoratibus, in Emphyteuſi Eccleſiaſtica, item poſſunt promoveri ad SS. Ordines, & dignitates Eccleſiaſticas, non autem ad Cardinalatum: præterea legitimatus per ſubſequens matrimonium in fideicommiſſo excludit ſubſtitutum ſub illa conditione, ſi abſque liberis legitimis, & naturalibus deceſſerit. Denique hujuſmodi legitimati gaudent quoque nobilitate parentum, *cit. n.* 35.

Quær. 3. Quibus præterea caſibus filii legitimentur per ſubſequens matrimonium? Reſp. in ſeptem caſibus, enumerantur *num.* 36. Quær. 4. Quinam ſint effectus hujus legitimationis per ſubſequens matrimonium? Reſp. 4. enumerantur n. 37. Quær. 5. quinam liberi per ſubſequens matrimonium non legitimentur? Reſp. filius ex adulterio natus, qui a viro, vivente uxore ſua, ex alia muliere eſt ſuſceptus, non legitimatur per matrimonium initum poſtea cum adultera, *cit. c. Tanta h. t.* Item ſi mulier, vivente adhuc marito ſuo, filium ex alio ſuſcepit, hic filius per matrimonium cum adultero initum non legitimatur, ſi talis filius, ſciente utroque parente ſuſceptus ſit ex adulterio. Secus, ſi unus ex parentibus ſcivit, alter vero ignoravit. *num.* 38.

§. VI. *De legitimatione illegitimorum facta per privilegium, ſive conceſſionem Papæ.*

Quær. 1. Quid ſit legitimatio in genere, & quomodo a diſpenſatione differat? Reſp. Per legitimationem natalium conſequitur quis omnia jura legitimorum, non autem per diſpenſationem, per quam quis fit habilis ſolum ad unum aliquem actum, vel ad certa quædam jura. n. 39. Quær. 2. Qualis poteſtas legitimandi illegitimos competat Rom. Pontifici? Reſp. S. Pontifex habet poteſtatem legitimandi quoſcunque illegitimos, quoad Ordines Eccleſiaſticos, aliaque ſpiritualia ubique terrarum, quoad ſucceſſiones vero hæreditatis in bonis temporalibus, ſolum in terris temporali ſuæ juriſdictioni ſubjectis: *c. Per venerabilem.* 13. *h. t.* n. 40. *&* 41. Poteſt S. Pontifex diſpenſando in impedimento ſolum Jure Canonico inducto, illegitimam prolem legitimare etiam quoad officia ſecularia, & ſucceſſionem bonorum temporalium, & in locis Papæ temporaliter non ſubjectis, ita ut legitimatio illa retrotrahatur ad tempus, quo id matrimonium invalide fuit contractum, quaſi validum ab initio fuiſſet, mediante illa diſpenſatione: nam quamvis Papa non poſſit directe diſpenſare in effectibus illegitimitatis ex Jure Civili provenientibus: poteſt tamen indirecte, & per quandam conſequentiam, tollendo legem ſuam Eccleſiaſticam per diſpenſationem, ex qua tanquam fundamento omnia illa pendebant, *nu.* 42. Si proles ſuſcepta fuit nullo præcedente matrimonio inito, ex copula manifeſte fornicaria, non poteſt Pontifex eam legitimare, ne quidem quoad ſecularia, & temporalia extra loca ſuæ temporali juriſdictioni ſubjecta. Sed neque poteſt Pontifex indirecte legitimare quoad temporalia, & ſecularia, quando tale matrimonium irritum fuit ob impedimentum Juris Divini, & naturalis. *num.* 43. Poteſt Papa legitimare illegitimos quoſcunque, etiam quoad ſucceſſionem in hæreditate, & bonis temporalibus in Terris alienis, non tamen ſolet id facere, *cit. num.* 43.

§. VII. *De poteſtate legitimandi illegitimos, quæ competit ſecularibus Principibus.*

Quær. 1. Penes quem ſit poteſtas reſtituendi aliquem legitimis natalibus? Reſp. 1. Imperator, & alii Principes, qui in temporalibus Superiorem non habent, poſſunt quosvis illegitimos legitimos facere: non item alii Principes inferiores. Reſp. 2. Etſi Princeps ſupremam poteſtatem habens in temporalibus, poteſt legitimare filium naturalem, vel ſpurium quoad dignitates, & officia ſecularia, non tamen quoad ſpiritualia, ut capax ſit Ordinum, vel bonorum Eccleſiaſticorum, n. 44. Quær. 2. Quænam exprimenda ſint in petitione legitimationis, ne ſit ſubreptitia? Reſp. Exprimi debet qualitas, & conditio filii naturalis, vel ſpurii, an ſit natus ex adulterio, inceſtu, vel ſacrilegio, item an ex adulterio duplici, item ſi ex inceſtu, an natus ſit ex ſorore, vel filia &c. n. 45. Quær. 3. An in petitione legitimationis ſint vocandi agnati, & cognati ipſius parentis? Reſp. ad legitimationem filii, quæ fit patre vivente, non ſunt vocandi agnati, & cognati ipſius, modo ipſe pater conſentiat. n. 46. Quær. 4. An cum Princeps aliquem legitimum facit, vocandus ſit, qui eſt ſubſtitutus ſub conditione, ſi ſine liberis pater hæres inſtitutus deceſſerit? Reſp. vocandum eſſe, *n.* 47. Quo ſenſu filii illegitimi dicantur fieri legitimi? *n.* 48.

§. VIII. *De probatione legitimitatis natalium.*

Si maritus, & uxor negent aliquem eſſe ſuum filium, ex eo quod nutritus ſit, & educatus in domo eorum, non probatur eſſe filius, *n.* 49. *&* 50. Sola fama viciniæ non ſufficit ad probandam filiationem ſine aliis adminiculis. Si parentes aſſerunt aliquem eſſe ſuum filium, illis credendum eſt, niſi probetur contrarium, & quomodo plene probetur filiatio? *cit. n.* 50. Quando fuit matrimonium publice celebratum in facie Eccleſiæ, non ſufficit probare impedimentum matrimonii ad probandum matrimonium fuiſſe invalidum, & prolem illegitimam, ſed neceſſe eſt probare parentes mala fide contraxiſſe, *c. Pervenit.* 11. *h. t. n.* 51. *&* 52. Quomodo filiatio probari poſſit, ac debeat? *n.* 53. Statur dicto teſtium probantium aliquem eſſe filium legitimum, quamvis fama viciniæ, & tractatus parentum habeat contrarium, *c. Per tuas.* 12. *h. t. n.* 54. *&* 55. Quænam præterea notanda ſint ad probandum aliquem eſſe filium legitimum? *num.* 56.

SERIES CAPITULORUM.

c. 1. *n.* 28.	*c.* 8. *n.* 8. *&* 2. *ſeqq.*
c. 2. *n.* 4. *&* 3. *ſeqq.*	*c.* 9. *n.* 11. *&* 14.
c. 3. *n.* 48. *& ſeq.*	*c.* 10. *n.* 28. *& ſeq.*
c. 4. *n.* 20. *& ſeq.*	*c.* 11. *n.* 51. *& ſeq.*
c. 5. *num.* 24. *&* 2. *ſeqq.*	*c.* 12. *n.* 54. *& ſeq.*
c. 6. *n.* 30. *& aliquot ſeq.*	*c.* 13. *n.* 40. *& ſeq.*
	c. 14. *n.* 13. *& ſeq.*
c. 7. *n.* 22. *& ſeq.*	*c.* 15. *& ult. n.* 15. *& ſeq.*

TITULUS XVIII.

QUI MATRIMONIUM ACCUSARE

poſſunt, vel contra illud teſtificari?

§. I. *Quinam admittantur ad accuſandum matrimonium, vel teſtificandum contra illud.*

Aſſertio 1. Si accuſetur matrimonium, vel agatur contra illud tanquam illegitime contractum, vel agitur ad ſeparationem tori, & tunc admittitur ad accuſandum ſolum conjux innocens: vel agitur de diſſolutione vinculi matrimonialis: & tunc ſi accuſatur matrimonium propter impedimentum conſanguinitatis, ante omnes admittuntur parentes, & his deficientibus proximiores conſanguinei, & poſt hos extranei maturiores, & antiquiores e vicinia, niſi ſubſit tale impedimentum dirimens, cui contrahentes poſſunt renunciare, ut eſt impedimentum erroris circa ſtatum perſonæ, ut quia liber ignorans contraxit cum ancilla, vel libera cum ſervo, *n.* 1. Aſſ. 2. Omnes, qui admittuntur ad accuſandum matrimonium, admittuntur etiam ad ferendum teſtimonium contra illud, vel pro illo: unde ſive agatur de matrimonio conjungendo, ſive diſſolvendo, parentes, & conſanguinei ſunt idonei teſtes ſuper conſanguinitate, prout ſumitur ex *c.* 3. *h. t.* imo aliis præferuntur, *n.* 2. *&* 3. Etſi pater non ſit ordinarie teſtis in cauſa filii in criminalibus, & contractibus, poteſt tamen eſſe teſtis in matrimonio. *n. eod.* In cauſa matrimoniali idem poteſt eſſe accuſator, & teſtis, cum quæritur de conſanguinitate conjugum, *cit. n.* 2.

§. II. *Quinam ab accuſatione matrimonii ſint repellendi?*

Qui matrimonium accuſat propter quæſtum, repelli debet, *c. Significante.* 5. *h. t. n.* 4. *&* 5. Repellitur etiam ab accuſatione matrimonii contracti, qui tempore præmiſſæ denuntiationis, ſciens impedimentum dirimens tacuit, & illud non manifeſtavit, niſi denunciationem probabiliter ignorarit, vel juret ſe poſtea primum in ejus notitiam deveniſſe, & quod nihil malitioſe objiciat contra matrimonium, *c. Cum in tua.* 6. *& ult. h. t. nu.* 6. Antequam contrahatur matrimonium, denuntiationes fieri debent in Eccleſiis, ut ſcientes impedimentum matrimonii illud intra tempus præfixum deferant. *n.* 7. Impedimentum Matrimonii potest per proprium juramentum probari. *n.* 8. Hæc eſt differentia inter accuſatorem, & teſtem, quod accuſator admittitur ad accuſandum matrimonium, etiam auctor, a quo audivit impedimentum matrimonii, admitti non poſſit: teſtis vero repellitur a teſtimonio, ſi ejus auctor repellatur, *cit. n.* 8.

§. III. *Proponuntur, & reſolvuntur nonnullæ quæſtiones occurrentes circa reliqua tria Capitula hujus Tituli.*

Quær. 1. An, & quando in cauſa matrimoniali, etiam lite non conteſtata, teſtes recipi poſſint, & ſententia ferri, altera parte abſente? Reſp. ſi agatur de valore matrimonii, poſſunt ſuper impedimento matrimonii contra reum contumaciter abſentem teſtes recipi, etiam lite non conteſtata, dummodo alias ſint legitimi teſtes, & juxta eorum depoſitiones ſententia ferri debet, *c.* 1. *h. t. n.* 9. *&* 12. Quamvis autem in caſu *cit. c.* 1. maritus, ſua culpa, per quinquennium fuerit abſens, ibi tamen narratur ſolum factum, non tamen requiritur tempus ſeptennii tamquam terminus a jure requiſitus, nempe, ut abſit maritus tanto tempore, nam ſi convenienti tempore quæſitus non reperiatur, poteſt contra ipſum procedi ad definitivam ſententiam, quia in culpa fuit, *cit. n.* 10.

Quær. 2. An accuſatio, vel teſtimonium in cauſa matrimoniali fieri poſſit per litteras, ſeu ſcripturam, abſente accuſatore, vel teſtibus? Reſp. Accuſatio fieri, & teſtimonia in cauſa matrimoniali ferri debent perſonaliter, & viva, ac propria voce, & non per litteras, *c.* 2. *h. t. n.* 11. Ex privilegio tamen & longa conſuetudine in quibuſdam locis atteſtationes teſtium in ſcripta redactæ valent inter perſonas illuſtres, & nobiles, ita ut illæ non teneantur perſonaliter accedere ad Judicem, ad teſtimonium perhibendum, ſed ſatis eſt, quod per ſcripturam ſub fide ſua ſine corporali juramento, deponant, & depoſitionem propria manu ſubſcriptam, & obſignatam Judici tranſmittant, *n.* 12. Similiter confeſſio Sacramentalis non poteſt fieri per litteras Confeſſario abſenti, *n.* 13. Quær. 3. An puella innubilis, quæ invita contraxit matrimonium cum aliquo, ſed poſtea ſponte ab eodem fuit cognita, audiri debeat, ſi reclamet contra matrimonium? Reſp. Puella innubilis, quæ invita contraxit cum aliquo, ſed poſtea nubilis facta, ſponte ab eodem cognita fuit, ſi dicat ſe nunquam conſenſiſſe, idque per teſtes probare intendat, & probet, non eſt audienda, quia cum potuit, non reclamavit, *c. Inſuper.* 4. *h. t. n.* 14. Matrimonium nullum ob defectum ætatis, vel gravem metum convalidatur per intervenientem ſpontaneam cohabitationem, poſt ætatem legitimam, maxime ſi interceſſit copula carnalis ſponte habita, *n.* 15.

§. IV. *Quis ſit Judex competens cauſarum matrimonialium?*

Aſſertio 1. Judex competens in cauſis matrimonialibus eſt Epiſcopus, ex juſta tamen cauſa ex etiam Prælatis inferioribus delegari poſſunt, vel ex privilegio, aut conſuetudine ab iis cognoſci, *n.* 16. Aſſ. 2. Judex ſecularis non poteſt cauſam matrimonii cognoſcere, etiamſi non tractetur de valore matrimonii, ſed ſolum de ſeparatione quoad torum, & cohabitationem, & etiamſi cauſa conjugalis incidat in judicium hæreditariæ ſucceſſionis. In illis tamen cauſis, quæ ad dotem, hæreditates, & ſucceſſiones pertinent etiam ſecularis eſt competens Judex. Item in quæſtionibus facti, an matrimonium ſit de facto contractum, vel clam, vel de punitione adulterii, vel aliorum criminum, quæ ſunt contra ſanctitatem matrimonii commiſſa, poteſt eſſe Judex ſecularis. *n.* 17. Triplices ſunt cauſæ matrimoniales: quædam omnino politicæ, ſeu civiles, ut de dotibus, & de hæreditatibus: quædam ſimpliciter ſpirituales, ut de partibus Sacramenti matrimonii, & benedictione Sacramentali: quædam ſunt partim civiles, ſeu ſeculares, partim ſpirituales, ut de gradibus cognationis, divortii, & impedimentis, *n.* 18.

SERIES CAPITULORUM.

In antiquis.	*c.* 4. *n.* 14. *& ſeq.*
c. 1. *n.* 9. *&* 10.	*c.* 5. *n.* 4. *& ſeq.*
c. 2. *n.* 11. *& ſeq.*	*c.* 6. *& ult. num.* 6. *&* 2. *ſeqq.*
c. 3. *n.* 2. *& ſeq.*	

TITULUS XIX.

DE DIVORTIIS.

Agitur hic potiſſimum de divortio quoad torum, & cohabitationem, nam per mortem naturalem unius conjugis diſſolvitur matrimonium etiam quoad vinculum, *n.* 1.

§. I. *An, & qua ratione licitum ſit conjugi inſtituere divortium, ob alterius adulterium?*

Aſſertio 1. Conjux innocens, ſive vir ſit, ſive mulier, poteſt dimittere a ſuo toro, & cohabitatione conjugem adulterum, vel adulteram, ut conſtat ex *c.* 5. *Matth. n.* 2. Si vero dimittat uxorem propter adulterium ab ea commiſſum, ſine ſententia Judicis, ideoque excommunicetur; uxor vero dimiſſa adhuc cum aliis adulteretur, & tamen petat viro ſe reſtitui, dicens ſe injuſte ab eo dimiſſam, ipſumque ei dediſſe occaſionem adulterandi, tunc ſi adulterium uxoris eſt notorium, non eſt vir cogendus, ut illam recipiat, niſi conſtiterit, ipſum virum cum alia adulterium commiſiſſe, *c. Significaſti.* 4. *h. t. n.* 3. Si maritus, ſine juſta cauſa dimittat uxorem, poteſt excommunicari, neque poteſt vir propria auctoritate expellere uxorem, propter adulterium, ſine judicio Eccleſiæ, *n.* 4. Quomodo probari poſſit adulterium uxoris eſſe notorium? *n. eod.* Conjugi petenti reſtitutionem obſtat exceptio notorii adulterii: quod ſi uterque conjux adulterium commiſit, neuter poteſt contra alterum excipere de adulterio, *cit. n.* 4. Aſſ. 2. non tantum ob adulterium conjugis jus divortii competit conjugi innocenti, ſed etiam propter alium quemlibet illicitum concubitum conſummatum alterius conjugis, qualis eſt Sodomia activa, vel paſſiva, & beſtialitas completa, non item incompleta, ſine ſeminis effuſione: neque pollutio ſine copula, multo minus amplexus, & tactus impudici, etiam animo adulterandi habiti, ad divortium ſufficiunt, *nu.* 5. Sodomia tamen viri completa cum propria uxore etiam invita, non præbet juſtam cauſam perpetui divortii, niſi ad tempus, dum vir a ſcelere illo deſiſtere non vult: quamvis contrarium quoque ſit probabile, *cit. n.* 5. Aſſ. 3. Matrimonium ſeparatum quoad torum, & cohabitationem, propter adulterium uxoris, redintegratur, ſi vir poſtea etiam adulterium committat, ita ut ad uxorem primam redire,

eique

eique cohabitare debeat, *c. Ex litteris 5. h. t.* idemque eſt de marito reſpectu uxoris, *n. 6.* Statur confeſſioni alterius conjugum, quando agitur ad ſeparationem tori: non autem ſi agatur ad ſeparationem vinculi matrimonialis, tunc enim non tenet confeſſio contra matrimonium, *n. 7.* Propter crimen adulterii non ſeparetur matrimonium quoad vinculum *cit. n. 7.* Uxor ab adulterii pœna propter ſævitiem mariti non excuſatur, nec propter paupertatem. Quod ſi poſt factam ſeparationem quoad torum, propter adulterium mulieris, vir fornicetur cum alia muliere, debet matrimonium redintegrari, mulierque virum ſibi reſtitui petere poteſt, *cit. n. 7.*

§. II. *An, & in quibus caſibus non liceat divortium inſtituere propter conjugis adulterium?*

Aſſertio 1. Septem communiter numerantur, qui tamen ad tria capita revocari poſſunt. Primum eſt, quia uterque conjux eſt ejuſdem criminis particeps, ſive reus adulterii, tunc enim neutri conjugi permiſſum eſt divortium inſtituere. Secundum eſt, ſi adulterium culpa vacet, quia non eſt formaliter injurioſum alteri conjugi. Tertium, ſi conjux innocens injuriam adulterii expreſſe, vel tacite remittat, *n. 8.* Aſſ. 2. In ſpecie adulterium vacat culpa, ita ne ob illud non poſſit inſtitui divortium, 1. ſi uxor probabiliter credens maritum eſſe mortuum, alii nubat: vel viciſſim vir credens uxorem eſſe mortuam, aliam ducat, *n. 9.* 2. ſi uxor fuit violenter cognita animo non conſentiente *n. 10.* 3. non poteſt divortium inſtitui, ſi vir uxorem proſtituat, adeoque in adulterium uxoris conſentiat, permittendo illud, cum facile poſſet prohibere. Aliud eſt, ſi uxor taceat, ſciens delictum viri, non enim cenſetur conſentire, *n. 11.* Quod ſi juſtam cauſam habeat permittendi delictum, ut quia uxorem ſuſpectam habens de adulterio non prohibet, ut deprehenſam dimittat; non cenſetur in id conſentire, etſi indirecte occaſionem adulterii ei præbeat, *n. 12.* 4. ſi conjux, ſive vir, ſive fœmina accedentem ad ſe adulterum ex ignorantia invincibili putavit eſſe ſuum conjugem, & ab ipſo fuit cognita, *n. 13.* 5. ſi inter gentiles, tempore infidelitatis, libellus repudii fuit datus, & unus conjugum ad aliud matrimonium tranſeat, *cit. n. 13.* Aſſ. 3. Si a conjuge innocente expreſſe, vel tacite remiſſa ſit injuria adulterii alteri, non poteſt is amplius inſtituere divortium, ad quod requiritur, ut alter conjux innocens ſit conſcius adulterii, & ut copula conjugalis ſit libere, & ſponte habita, *n. 14.* Quando præterea cenſeatur condonatum adulterium conjugi? *n. 15.* Quamdiu conjux non eſt moraliter certus de adulterio alterius, non poteſt eum dimittere; poſt habitam vero moralem certitudinem adulterii, innocens habet jus ſe ab adultero ſeparandi quoad torum, propria auctoritate, quoad cohabitationem vero ſolum per ſententiam Judicis, *n. 6.*

§. III. *An, & qua ratione conjuges propter adulterium ſeparati, ſi poſtea reconciliati, unus, vel uterque relabatur in adulterium, poſſit denuo divortium inſtituere?*

Reſp. Si poſt unius, vel alterius conjugis adulterium ſint reconciliati, & poſtea alteruter conjux in adulterium relabatur, poteſt alter divortium inſtituere, *n. 17.* Sed dubitatur hic 1. ſi poſt utriuſque conjugis fornicationem, reconciliatio mutuo conſenſu non ſit facta, ſed unus quidem emendatus ſit, alter vero in fornicatione perſiſtat, an tunc conjux emendatus poſſit divortium inſtituere? Reſp. affirmative ſi tamen conjux emendatus alterum conjugem de emendatione pariter facienda admonuerit, iſque adhuc fornicari pergat, *n. 18.* Dubitatur 2. ſi poſtquam ſententia divortii eſt lata, ob adulterium alterius conjugis, innocens quoque in adulterium labatur, an hoc caſu prior conjux adulter jus habeat repetendi innocentem? Reſp. valde probabile eſt, conjugem adulterum nullum habere jus repetendi innocentem, qui poſt divortium adulteratus eſt, adeoque delicta non compenſantur, quamvis Judex ex officio ſuo eos reconciliare poſſit, & ad hoc cogere, ob vitandum probabile periculum incontinentiæ, *n. 19.* Dubitatur. 3. An conjux conſcius adulterii alterius conjugis in conſcientia obligetur ſe ab illo ſeparare, illumque dimittere, & an facto divortio poſſit, ac debeat revocare, & recipere alterum conjugem? Reſ. 1. communiter: ac per ſe non tenetur innocens conjux dimittere adulterum, etiam perſiſtentem in adulterio publico, *n. 20.* Reſp. 2. facto divortio, etiam per ſententiam Judicis, poteſt conjux innocens revocare conjugem adulterum, & cogere ad redeundum, modo neuter conjugum ſtatum mutarit, *n. 21.* Reſp. 3. Conjux innocens ordinarie non obligatur ad recipiendum conjugem adulterum, etiamſi is ſit emendatus, interdum tamen ex charitate recipiendus erit, *n. 22.* Reſp. 4. Vir communiter non tenetur uxorem perſiſtentem in adulterio dimittere; contra vero uxor non tenetur a viro adultero ſe ſeparare; *cit. n. 22.*

§. IV. *An vir poſſit dimittere uxorem, ſine judicio Eccleſiæ, etiam propter publicum, ac notorium impedimentum parentelæ, ſeu cognationis?*

Non poteſt quis, propria auctoritate, & abſque judicio Eccleſiæ, uxorem dimittere, cum qua matrimonium in facie Eccleſiæ contraxit, etiamſi impedimentum v. g. cognationis ſit notorium, *n. 23. & 24.* Conciliantur duo capitula hujus Tituli, quæ ſibi invicem adverſari videntur *num. 25. & 26.*

§. V. *Utrum, & quando ob adulterium ſpirituale, ſive ob lapſum in hæreſim, vel Apoſtaſiam a fide alterius conjugis, liceat Catholico inſtituere divortium, & an ei reverſo ad fidem debeat conciliari, ſeu ad eum redire?*

Aſſertio I. Præter adulterium carnale, poteſt etiam divortium inſtitui, ſi alter conjugum labatur in hæreſim, vel apoſtaſiam a fide, & propter eam ſeparari quoad torum, & cohabitationem, aliud matrimonium inire non poſſunt, quia conjuges manent, *c. 2. h. t. n. 27.* Qualecunque delictum unus conjugum committat, non poteſt alter ob hoc petere ſeparationem matrimonii, etiam quoad torum, excepto crimine fornicationis, ſive carnalis, ſive ſpiritualis, quia incidit in hæreſim, vel apoſtaſiam a fide, idque propter periculum perverſionis conjugis Catholici, *n. 28.* Aſſ. 2. Si uxor, viro lapſo in hæreſim, propria auctoritate, ab eo ſe ſeparavit, ad eum converſum ad fidem redire debet, & compelli. Si vero per judicium Eccleſiæ ab eo fuit ſeparata, non debet compelli, ut ad eum redeat, *c. De illa 6. h. t. n. 29.* Si unus ex conjugibus incidat in fornicationem ſpiritualem, nempe in infidelitatem, vel hæreſim, poteſt alter, propria auctoritate, ab eo ſe ſeparare, nec compelli poteſt per Eccleſiam redire ad conjugem permanentem in infidelitate, vel hæreſi, *n. 30.* Hoc intereſt inter conjugem Catholicum recedentem ab hæretico, ſine judicio Eccleſiæ, & recedentem cum auctoritate ejuſdem, quod priore caſu, teneatur illum reverſum ad fidem recipere, non autem poſteriore caſu, ſed poſſit libere ab eo diſcedere, *cit. n. 30.* Uxor, quæ propter viri hæreſim, propria auctoritate, & ſine judicio Eccleſiæ, ab eo diſceſſit, tenetur ad eum redire, ſi idem vir ad fidem revertatur, *n. 31.* An ad hoc, ut conjux ſeparatus judicio Eccleſiæ a conjuge hæretico, non teneatur ad hunc redire, requiratur, ut uxor v. g. Catholica judicio Eccleſiæ ſeparata a viro ſuo ingreſſa fuerit Religionem, & in ea profeſſa? *cit. n. 31.* Tunc conjux ob hæreſim dimitti poteſt, ſi pertinax appareat, & pœnitentiam agere renuat, *n. 32.*

§. IV. *An ſicut conjugale vinculum non diſſolvitur, altero conjuge fidelium in hæreſim, vel infidelitatem lapſo: ita etiam ſi unus ex infidelibus conjugibus convertatur ad fidem, diſſolvatur vinculum conjugii, & converſus aliud matrimonium contrahere poſſit?*

Si unus infidelium conjugum convertatur ad fidem Catholicam, & alter infidelis nullo modo, vel non ſine blaſphemia Divini nominis, vel ut pertrahat ad peccatum mortale, ac pervertat conjugi fideli cohabitare velit, hic converſus ad ſecundas nuptias, ſi voluerit, tranſire poterit. Si vero alter fidelium conjugum, vel labatur in hæreſim, vel tranſeat ad errorem infidelitatis, is, qui relinquitur, non poteſt vivente altero conjuge, ad ſecundas nuptias tranſire, *c. Quanto 7. h. t. n. 33.* An S. Pontifex Cæleſtinus III. definiverit matrimonium diſſolvi, cum alter conjugum in hæreſim labitur, vel ad Gentilium errorem tranſit? *n. 34.* Tres requiruntur conditiones, ut infidelis conjux ad fidem Chriſti converſus poſſit cum alia matrimonium contrahere. 1. Si infidelis omnino renuat cohabitare cum conjuge fideli. 2. quando non vult ſine injuria Creatoris cum fideli commorari. 3. Quando ex convictu fidelis cum infideli ſequitur periculum inductionis ad peccatum mortale: eſt autem probabilius his caſibus diſſolvi matrimonium tum demum, poſtquam Chriſtianus de facto matrimonium cum alia contraxit, *n. 35.* Si alter fidelium conjugum labatur in hæreſim, vel tranſeat ad errorem Gentilium, quod non poſſit ad aliud matrimonium tranſire, poſt Concil. Trident. *Seſſ. 24. c. 5. de Sacram. matr.* eſt de fide, *n. 36.* Explicatur textus Apoſtoli ex *1. Cor. 7. cit. n. 36.* Matrimonium contractum inter infideles eſt verum, ac legitimum matrimonium, non tamen ratum, quia non eſt Sacramentum inter infideles, nec gratiam confert, & quamvis conſummatum ſit, poteſt diſſolvi per converſionem alterius conjugis ad fidem, cum tamen matrimonium conſummatum Chriſtianorum ſit indiſſolubile, *n. 37.* Quod ſi ambo conjuges infideles convertantur ad fidem, eodem tempore, inter eos matrimonium non diſſolvitur: & quid ſi unus poſt alium convertatur ad fidem? *cit. n. 37. in fine.*

§. VII. *Proponuntur, & reſolvuntur aliæ quæſtiones circa matrimonium infidelium converſorum ad fidem Chriſtianam, & divortium inter illos inſtituendum?*

Pagani, ſeu infideles conjuncti in gradu prohibito a lege Canonica tantum, converſi ad fidem non ſeparantur. Si infidelis prius plures uxores habebat, poſt fidem ſuſceptam adhærebit primæ. Et ſi repudiata uxore, cum ſecunda contraxit, etiamſi poſt Baptiſmum dimittat ſecundam, & adhærebit primæ repudiatæ, etiamſi repudiata cum alio contraxiſſet: ſecus ſi fornicatio fuiſſet, *c. Gaudeamus 8. h. t. n. 38.* Aſſ. 1. Pagani, ſeu infideles conjuncti in ſecundo, tertio, vel ulteriore gradu lineæ collateralis Jure Canonico tantum prohibito, non debent ſeparari. Si vero ſint in gradu lege Divina prohibito conjuncti, debent converſi ad fidem ſeparari. Quod ſi infideles converſi ad fidem volunt cohabitare, ſine contumelia Creatoris, & periculo inductionis ad peccatum, non ſunt ſeparandi, ſed licite manent, conjuncti, qui ante converſionem ad fidem matrimonium contraxerunt, quia per Sacramentum Baptiſmi non diſſol-

ventur conjugia, ſed criminis dimittuntur, *n.* 39. Inter quas perſonas jure Divino, & naturali eſt prohibitum matrimonium, etiam inter infideles? *n.* 40. Sacramentum matrimonii late acceptum, prout eſt ſignum rei ſacræ, exiſtit etiam apud Judæos, & infideles, *cit. n.* 40. An, & qua ratione matrimonium contractum inter infideles, ſi poſtea convertantur, ad fidem, poſt Baptiſmum, efficiatur Sacramentum, & indiſſolubile? *n.* 41. Poſterioribus temporibus præceptum fuit ab Eccleſia, ne conjux ad fidem converſus permittatur ſimul habitare cum infideli, ob periculum perverſionis, *n.* 42. Aſſ. 1. Si paganus, ſeu infidelis prius habuit plures ſimul uxores, poſt fidem ſuſceptam adhærebit primæ, quia pluralitas uxorum ſimul ductarum eſt etiam jure Divino, & naturali prohibita, quamvis olim ex diſpenſatione Divina permiſſum fuerit antiquis Patriarchis plures ſimul habere uxores, *n.* 43. Verum nunc in nova lege Evangelica hujuſmodi diſpenſatio ſublata fuit e Chriſto *n.* 44. Quæ ſit pœna tum viri ducentis, eodem tempore, plures uxores, tum mulieris nubentis ſimul pluribus viris, ſive de Jure Civili, ſive Canonico? *n.* 45. Aſſ. 3. Si paganus, ſeu infidelis, repudiata uxore ſua, converſus ad fidem matrimonium contrahat cum ſecunda, etiam poſt Baptiſmum eam dimittere debet, quam ſecundo duxit, & adhærebit primæ repudiatæ, etiamſi hæc cum alio matrimonium contraxerit, niſi illa fornicata fuiſſet, *n.* 46. & 2. *ſeqq.* Poſt legem Evangelicam nec Judæis, nec aliis infidelibus permiſſum eſt repudium legitimæ uxoris, quia Chriſtus illud reprobavit, & matrimonium ad ſtatum legis naturalis reduxit, in qua matrimonium erat indiſſolubile, *n.* 49.

§. VIII. *An Eccleſia diſpenſare poſſit, ut infideles converſi ad fidem contrahere poſſint matrimonium cum relicta uxore fratris ſui defuncti?*

Non poteſt frater ducere uxorem relictam fratris ſui defuncti, licet diſpenſetur cum noviter converſis, ut remaneant in matrimonio, quod in infidelitate contraxerunt more Moſaico, ut ſuſcitent ſemen fratris ſui: licet deinceps tales, poſt fidem Chriſtianam ſuſceptam, matrimonialiter copulari non debeant, *c. ult. h. t. n.* 50. & 51. Infidelis, qui cum uxore contraxit, & conſummavit matrimonium, tempore infidelitatis, non poteſt poſt Baptiſmum, contrahere cum conſanguinea illius uſque ad quartum gradum, *cit. c. ult. h. t. n.* 52. Quis ſit verus ſenſus hujus *c. ult. n.* 53. Id quod ſupra dictum eſt, extenditur, ut etiam locum habeat, ſi tempore infidelitatis initum ſit matrimonium, etſi non conſummatum, *n.* 54.

§. IX. *Quæ ſit pœna mulieris inſidiantis vitæ mariti ſui, ſi inde homicidium ſit ſecutum?*

Homicidium neceſſarium, v. g. ad defenſionem ſuæ vitæ factum, non privat ſpe conjugii futuri, ſed machinatio mulieris in mortem viri ſui privat, ut ſi mulier miſit aliquos, ut ſuum maritum interficerent, & maritus invaſor aliquem occidit, maritus non privatur ſpe conjugii, quin poſt mortem uxoris ſuæ poſſit aliam ducere; mulier vero privatur, ut poſt mortem viri ſui, non poſſit alii nubere, *c.* 1. *h. t. n.* 55. Idque declaratur *n.* 56. & 57.

§. X. *An propter alias præterea cauſas, divortium inter conjuges poſſit inſtitui?*

Aſſertio 1. Generatim loquendo, ob grave periculum animæ, ſeu ſalutis ſpiritualis conjugis, licitum eſt ſe ab eo per divortium ſeparare, quamdiu tale periculum durat, ut ſi unus conjux nitatur alterum ad gravia peccata pertrahere, *n.* 58. Secluſo periculo inductionis ad peccatum, ob nullum aliud crimen quamvis grave, præter fornicationem carnalem, & ſpiritualem, licitum eſt inter conjuges divortium inſtituere, *n.* 59. Aſſ. 2. Ob grave etiam periculum vitæ, & ſalutis corporalis imminens alteri conjugi ex cohabitatione, licitum eſt conjugi metum paſſo divertere, donec periculum ceſſet, & ſufficiens cautio ipſi præſtetur de malo deinceps non inferendo, *n.* 60. In ſpecie autem juſta cauſa divortii eſt 1. Si vir ſit leno, eamque incitet ad adulterium, vel ſodomiam, vel ad furta. 2. Sævities mariti, ob quam juſte metuit uxor mortem, vel mutilationem: vel ſi is gravia verbera uxori infliget. 3. Graves, & frequentes diſcordiæ inter maritum & uxorem. 4. Si alter conjux ſit omnino furioſus, ita ut ſine vitæ, aut alio gravi periculo, cum ipſo habitari non poſſit. 5. Lepra, vel alius gravis morbus contagioſus, *n.* 61. Qualis cautio præſtanda ſit ob ſævitiem viri? *n.* 62. & an propria auctoritate divortium inter eos fieri poſſit? *n. eod.* Apud quem conjugem, facto divortio, patrem, vel matrem, liberi educari, & ali debeant? *n.* 63.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 55. & 2. *ſeq.*	*c.* 6. *n.* 29. & 3. *ſeqq.*
c. 2. *n.* 27. & *ſeq.*	*c.* 7. *n.* 33. & 4. *ſeqq.*
c. 3. *n.* 23. & 3. *ſeqq.*	*c.* 8. *n.* 38. & *aliquot ſeqq.*
c. 4. *n.* 3. & 2. *ſeqq.*	*c.* 9. & *ult. n.* 50. & 4. *ſeqq.*
c. 5. *n.* 6. & *ſeq.*	

T I T U L U S XX.

DE DONATIONIBUS INTER VIRUM, ET UXOREM, ET DE DOTE POST DIVORTIUM RESTITUENDA.

§. I. *An, & qualis donatio inter conjuges ſit invalida, & in quibus caſibus ſit valida, & licita, vel prohibita?*

Duplex eſt donatio inter conjuges, quædam ſimplex, quæ fit ex mera donantis liberalitate, quædam ob cauſam, qualis eſt donatio, ante ſive propter nuptias, quæ fit a marito uxori propter matrimonium in compenſationem dotis, *n.* 1. Donatio ſimplex, quæ fit ſolius liberalitatis cauſa, inter virum, & uxorem, conſtante matrimonio invalida eſt, *n.* 2. Idque extenditur 1. quod non valeat etiam inter ſponſum, & ſponſam de præſenti, ante matrimonium conſummatum. 2. eſt invalida, etiamſi donatio facta ſit ante contractum matrimonium, ſed ejus effectus differatur in tempus contracti matrimonii. 3. Non valet donatio inter conjuges, etiam per intermediam perſonam. 4. Valent tamen alii contractus inter conjuges, ut venditio, permutatio &c. 5. Legatum inter virum & uxorem valet. *n.* 3. Donatio inter conjuges, durante matrimonio facta, ex qua alter locupletior, alter vero fit pauperior, non valet, niſi obitu donatoris confirmetur, & penitus evaneſcit, ſi a donatore expreſſe, vel tacite revocetur, vel ſi is, qui donatum accepit, prius decedat, *c.* 8. & *ult. in princ. h. t. n.* 4. Ergo e contrario ſenſu, ſi donator fiat locupletior, & accipiens pauperior, valet talis donatio, *n.* 5. Donatio facta inter conjuges, durante matrimonio, in tribus caſibus omnino revocatur, ita ut non confirmetur morte donantis. Primus caſus eſt, ſi donatio fuit per donatorem tacite revocata, cenſetur autem tripliciter tacite revocata: ſecundus caſus eſt, ſi expreſſe revocetur donatio inter conjuges: tertius caſus eſt, ſi prius moriatur donatarius, *l. Cum hic ſtatus.* 32. §. *Si divortium*, & §. *Si maritus*, & §. *Ait oratio ff. de donat. inter vir. & uxor. n.* 6. Addunt communiter DD. quartum caſum, in quo tacite revocatur donatio inter conjuges; nam ſi res donata non fuit tradita donatario, morte donatoris non confirmatur donatio, *n.* 7. Sicut autem dos, ſoluto matrimonio, ad mulierem: ſic & donatio propter nuptias redit ad virum, niſi de conſuetudine aliud obtineat: vel ex pacto inter virum, & uxorem de lucranda dote, vel donatione propter nuptias, quod æquale tamen ſit ex utraque parte, hinc inde contrarium ſit inductum, *c.* 8. & *ult.* §. *Sane h. t. n.* 8. Et hinc de jure communi, ſoluto matrimonio, dos revertitur ad mulierem, vel ad ejus hæredes, & donatio propter nuptias ad maritum, vel ejus hæredes *n.* 9. Quando ſoluto matrimonio, dos redit ad uxorem, & quando non, ſed vel ad extraneum, vel ad patrem, qui dedit dotem pro filia? *n.* 10. Poſt matrimonium contractum, debet eſſe æqualitas dotis, & donationis propter nuptias, non ſolum in quantitate, ſed etiam in lucris ex pacto provenientibus, *cit. c. ult.* §. *Sane h. t. n.* 11. ubi id declaratur. Hodie in multis locis per conſuetudinem ſublata eſt donatio propter nuptias, *cit. n.* 11. Plures ſunt caſus jure expreſſi, in quibus valida eſt donatio inter virum, & uxorem, qui enumerantur *n.* 12.

§. II. *Quænam præterea donationes inter conjuges valeant, vel non?*

Quær. 1. Utrum donatio remuneratoria inter conjuges valeat? Reſp. eſſe validam, *n.* 13. Quær. 2. Utrum donatio mortis cauſa facta inter conjuges, ſit valida? Reſp. affirmative, quamvis per hujuſmodi donationem non transferatur dominium rei donatæ, donec mors donantis ſequatur, *n.* 14. Quær. 3. Utrum donatio facta inter conjuges non legitimos, ſed putativos tantum, valeat? Reſp. 1. Si utrique conjugi conſtet matrimonium eſſe nullum, tunc rem donatam fiſcus ſibi vindicare poteſt, *n.* 15. 2. quando ſolus conjux donans ſcivit matrimonium eſſe nullum, & ignoranti conjugi aliquid legavit, valet legatum, illudque uxor ſibi acquirit, *cit. n.* 15. Idem dicendum in acquiſitis a conjuge ignaro nullitatis matrimonii per donationem, vel alium contractum inter vivos, ut ſi conjux conſcius nullitatis matrimonii donavit aliquid ignoranti, donatio illa acquiritur conjugi bona fide ignoranti; ſecus eſt, ſi uterque conjux in mala fide ſit conſtitutus, tunc enim fiſco applicanda eſt donatio, *n. eod.* 3. quando conjux donatarius conſcius eſt nullitatis matrimonii, ſed donator in bona fide eſt conſtitutus, tunc donatio non valet; ſed res donata ipſi donanti, vel eo mortuo, hæredibus ejus reſtitui debet, *n.* 16. 4. Quando uterque conjux eſt ignarus nullitatis matrimonii, & bona fide petat, illud valere, tunc donatio inter eos facta eſt invalida, *n.* 17.

§. III. *Quibus modis donatio invalida inter conjuges confirmetur?*

Aſſertio I. Tribus modis confirmatur. 1. per juramentum adjectum, ita ut donatio ab uno conjuge alteri facta, accedente juramento fiat irrevocabilis, & eo ipſo valida, *n.* 18. Aſſ. 2. Alter modus, quo confirmatur donatio alioquin irrita inter conjuges eſt per mortem naturalem donantis, *cit. c. ult. h. t. n.* 19. Ut talis donatio morte confirmetur, quatuor conditiones requiruntur expreſſæ *cit. n.* 19. Aſſ. 3. Donatio inter conjuges invalida confirmatur

etiam

etiam morte civili donantis, ut ſi donans in exilium mittatur, & civitatem perdat, *n.* 20. An donatio invalida inter conjuges confirmetur per Profeſſionem Religioſam conjugis donantis, *cit. n.* 20.

§. IV. *Quænam præterea ſtatuta ſunt circa donationem propter nuptias in hoc Titulo?*

Donata a marito propter nuptias uxori, cum pacto, ut maneant penes uxorem, ſi contingat eos per divortium ſeparari, ſed poſtea reperiatur matrimonium eſſe nullum propter impedimentum dirimens conſanguinitatis, & donata a marito faciant difficiliorem ſeparationem, ac diſſolutionem talis matrimonii, tunc a viro donata ipſi ſunt reſtituenda, quia non ſunt dos, nec donatio propter nuptias, cum matrimonium ſit nullum, *c. Etſi.* 5. *h. t. n.* 21. Idque declaratur *nu.* 22. Cur Papa in hoc cap. ſub pœna excommunicationis præcepit, ut caſtra illa reſtituerentur Regi Legionenſi, qui illa dedit in dotem filiæ Regis Caſtellæ, *n.* 23. Si uſufructuarius concedat partem terræ uxori in dotem, mortuo marito, uxor non poteſt amplius illam habere, niſi conſentiat dominus terræ, quia non transfert in eam plus juris, quam ipſe habebat: & ob hanc cauſam ſi terra fuit data in feudum, vel hæreditatem alicui hæredi, quem habebat ex legitima uxore, & ipſe concedit partem terræ in dotem uxori, & moritur ſine hærede, uxor non poteſt amplius habere partem terræ, ut habetur in Summa, *c. Nuper h. t.* 6. idque declaratur *num.* 25.

§. V. *De reſtitutione dotis.*

Quær. 1. Quando dos reſtitui debeat? Reſp. ſi matrimonium ex licita cauſa ſeparetur, dos eſt reſtituenda uxori, *c.* 1. *h. t. nu.* 6. Ubi tamen diſtinguendum eſt, nam vel culpa mariti matrimonium judicio Eccleſiæ fuit ſeparatum, quoad torum, & cohabitationem; & tunc dos reſtituenda eſt uxori, juxta *c.* 1. *h. t.* Vel culpa uxoris, propter adulterium ab ipſa commiſſum, & tunc dos ei reſtitui non debet: ſi vero neutrius conjugis culpa divortium eſt factum, & ad tempus tantum, non debet etiam uxori dos reſtitui: ſi vero perpetuum divortium ſit factum ex pacto inter conjuges inito, quilibet eorum debet alteri reſtituere, quod ab eo accepit, *cit. n.* 26. Si maritus non ſit verus, ſed putativus tantum, debet dos integra reſtitui uxori a viro, *nu.* 27. Si matrimonium diſſolutum ſit propter conſanguinitatem, vel aliud impedimentum Canonicum dirimens, quod ignorabatur ſubeſſe, tum dos integra reſtitui debet uxori, cum inter eos non conſtiterit verum matrimonium: quamvis alias verus maritus non condemnetur ad reſtituendam dotem uxori, niſi quatenus commode facere poteſt, *cit. n.* 27. Si per errorem, & ignoranter matrimonium invalidum ob impedimentum dirimens ſit contractum, tunc non ſolum reſtitui debet dos integra uxori, ſed etiam quicquid unus conjux ab altero habuit. Si vero ſcienter contraxerunt matrimonium invalidum, dos non reſtituitur uxori, ſed fiſco acquiritur, & reſtitui debet, quicquid unus ab altero habuit, niſi per errorem, vel minorem ætatem excuſentur, *cit. nu.* 27. Non tantum tota dos, ſed etiam fructus dotis reſtitui debent, illi ſcilicet, qui ante matrimonium obvenerunt, *cit. num.* 27. Quær. 2. An præter dotem, reſtitui debeant uxori etiam alia ejus bona? Reſp. diſſoluto matrimonio per divortium, ultra dotem, omnia bona, ſeu lucra, quæ conſtante matrimonio communiter acquiſita ſunt utrique conjugi, æqualiter inter eos ſunt dividenda, & ad hoc conjux id recuſans per cenſuram Eccleſiaſticam compelli debet, *c.* 2. *h. t, n.* 28. Inter conjuges non contrahitur proprie dicta ſocietas, ſed præcipitur diviſio bonorum inter eos fieri, *n.* 29. Poſt mortem mariti, dos redit ad uxorem, illaque eam recuperat, niſi aliud obſiſtat, *n.* 30. Secundum conſuetudinem, vel ſtatuta quorumdam locorum, non ſolum lucra, ſeu bona, conſtante matrimonio, inter veros conjuges acquiſita, ſed etiam inter putativos, qui bona fide contraxerunt, ſiunt communia utrique conjugi, & ſoluto matrimonio æqualiter ſunt dividenda, *cit. n.* 30. Alioquin vero de jure communi ſola dos eſt uxori reſtituenda, *cit. num.* 30. Quær. 3. An judex, qui cognovit de matrimonio, poſſit etiam, ac debeat de dote cognoſcere? Reſp. ſi Judex Eccleſiaſticus ferat ſententiam divortii, ob impedimentum dirimens, de matrimonio, debet etiam ferre ſententiam de dote reſtituenda, ſecundum Jus Canonicum, quia qui cognoſcit de principali, debet etiam cognoſcere de acceſſorio, & incidenti, *c.* 3. *h. t. nu.* 31. & 32. Cauſa dotis eſt adeo conjuncta matrimonio, ut ſine eo dos conſiſtere non poſſit, *n.* 33. Coram quo judice, ſæculari, an Eccleſiaſtico agi poſſit cauſa dotis, ſi mulier, conſtante matrimonio, eam petat, quia forte maritus diſſipat bona ſua, & vergit ad inopiam? *n.* 34.

§. VI. *De amiſſione dotis propter adulterium uxoris?*

Mulier propter adulterium commiſſum amittit dotem, eamque vir lucratur, *c. Plerumque.* 4. *h. t. num.* 35. & 36. Idque extenditur 1. quod mulier propter adulterium, non tantum amittat dotem, ſed etiam privetur donatione propter nuptias, quam a viro accepit, *nu.* 37. Extendunt 2. aliqui, quod uxor adultera amittat etiam bona paraphernalia: ſed rectius per dotalitium hic intelliguntur non bona paraphernalia uxoris, ſed quod mulier adultera dotem perdat, vel ejus pretium, ſeu æſtimationem, ut quia dos data eſt in iis rebus, quæ numero, pondere, vel menſura conſtant, ita ut per dotem intelligi debeat res ipſa dotalis, per dotalitium ipſius pretium, ſive æſtimatio, *cit. n.* 37. Extenditur 3. quod mulier propter adulterium perdat dotem, eaque viro acquiratur, non ſolum ſi ſit vera uxor, ſed etiam etſi putativa tantum propter impedimentum dirimens matrimonii, *cit. n.* 37. Quando vir poſt commiſſum ab uxore adulterium, ſciens tacuit, & conjugi cohabitavit, & reconciliatus fuit, tunc cenſetur actionem ad petendum divortium, & privationem dotis tacite remiſiſſe. Et e converſo, ſi maritus commiſit adulterium, uxor quoque recuperat dotem, & lucratur donationem propter nuptias. Item ſi maritus conſenſit in adulterium uxoris, vel illam proſtituit, tunc non lucratur dotem, & ſi conventus ab uxore excipiat de adulterio, ipſa replicabit de lenocinio, *nu.* 38. Si maritus, & uxor habeant liberos ex eodem, vel alio matrimonio, tunc maritus non lucratur dotem, nec uxor donationem propter nuptias, ſed hæc reſervantur liberis adulteræ poſt mortem uxoris. Propter adulterium uxor amittit dotem, non ipſo jure, ſed per ſententiam Judicis. Denique uxor amittit dotem propter adulterium, ſi propria voluntate, & ex ſolo metu propter commiſſum adulterium ab ejus domo receſſit: ſecus, ſi vir eam ejecit e domo non propter adulterium, quia tunc dotem non amittit, & ſic corrige, & legi debet, quod dicitur *tit.* 20. §. 6. *num.* 39. *in fine.*

§. VII. *An viro, qui ad inopiam vergit, petenti dotem ſit tradenda ſit ſub cautione?*

Si maritus petat dotem uxoris, & illa contra eum excipiat, quod ſit pauper, & quod non poſſit ſufficientem cautionem dare, tunc debet dare illam, quam poteſt, vel committere dotem alicui honeſto mercatori, ut ex parte lucri honeſti poſſit onera matrimonii ſuſtinere, ne occaſione dotis detentæ, ſi ſeparati maneant, adulterium committant, *c. Per veſtras.* 7. *h. t. n.* 40. idque declaratur *n.* 41. Si maritus vergat ad inopiam, etiamſi ſine culpa ſua, poteſt uxor petere dotem, idemque eſt, ſi maritus incipiat diſſipare bona ſua, iiſque male uti. Item poteſt tunc uxor agere contra maritum ad donationem propter nuptias a marito ei factam, *nu.* 42. Non debet dos tradi viro ad inopiam vergenti, niſi idoneam cautionem præſtet de dotis ſecuritate, per fidejuſſores, aut pignora, vel ſaltem talem, qualem poteſt, *cit. num.* 42. Si maritus ſufficientem cautionem præſtare non poſſit, tunc conceditur, ut dos apud mercatorem aliquem deponatur, a quo maritus tantum lucri honeſti accipiat, quantum ad ſuſtinenda onera matrimonii eſt neceſſarium, & quo pacto fieri debeat, ac licite poſſit talis depoſitio dotis? *n.* 43. Eſt autem in arbitrio Judicis, ut vel maritus ſub cautione, quam præſtare poteſt, reddat dotem uxori eam repetenti, vel ut dos deponatur apud mercatorem, *cit. c. Per veſtras. h. t. nu. eod. in fine.*

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 26. *& ſeq.*	*c.* 6. *n.* 24. *& ſeq.*
c. 2. *n.* 28. *&* 2. *ſeqq.*	*c.* 7. *n.* 40. *&* 3. *ſeqq.*
c. 3. *n.* 31. *& ſeqq.*	*c.* 8. *& ult. in princ. n.* 4.
c. 4. *n.* 35. *&* 4. *ſeqq.*	*&* 4. *ſeqq.* §. *Sane nu.* 8.
c. 5. *n.* 21. *&* 2. *ſeqq.*	*&* 3. *ſeqq.*

TITULUS XXI.

DE SECUNDIS NUPTIIS.

Poſt primas nuptias, poſſunt eæ reiterari ſine certo, ac definito numero *n.* 1.

§. I. *An conjux dubius de morte alterius conjugis poſſit tranſire ad ſecundas nuptias?*

Nullus præſumat ad ſecundas nuptias tranſire, niſi prius conſtet de morte uxoris, vel alterius conjugis. Quod ſi quis adhuc dubius de morte illius aliam duxit, debet reddere debitum, ſed non poteſt petere: & ſi deinde conſtet priorem conjugem adhuc vivere, debet, relicta ſecunda, ad priorem conjugem reverti, *c.* 2. *h. t. n.* 2. Captivus apud hoſtes poteſt contrahere matrimonium, etiamſi ſit ſervus, *num.* 3. Ob ſolam abſentiam conjugis, quantumvis diuturnam, non diſſolvitur matrimonium, niſi conſtet de morte conjugis abſentis, nec poteſt conjux ad aliud matrimonium tranſire, niſi habita certitudine de morte alterius conjugis, *cit. n.* 3. Cur ſi conjux dubius de morte prioris conjugis, de facto aliud matrimonium contraxit, non poſſit petere debitum, teneatur tamen reddere debitum ei, qui bona fide contraxit? *cit. n.* 3. Quod ſi uterque mala fide contraxit, dubitans de impedimento dirimente, neuter poteſt petere, nec reddere debitum, *cit. n.* 3. Et ſi quis ab initio bona fide contraxit matrimonium, poſtquam tamen certior factus eſt de vita prioris conjugis, adulterium committit, niſi ſecundam uxorem ſtatim dimittat. Quod ſi compertum fuerit mulierem duos viros habere ſimul, tunc ea primo viro reſtitui debet, & ſi ad eum redire recuſaverit, ex communicanda eſt, donec redeat: idem eſt de viro, *n.* 4.

§. II. *An ſi mulier, poſt mortem viri, tranſeat ad ſecundas nuptias, intra annum luctus, incurrat infamiam, vel alias pœnas juris?*

Etſi mulier, quæ nubit alteri, infra annum luctus, ſecundam leges Civiles incurrit infamiam, non tamen ſecundum Apoſtolum, & Jus Canonicum, *c. 4. & 5. h. t.* cui hac in re ſtandum eſt, *num.* 5. & 6. Quær. 1. Quæ ſint pœnæ Jure Civili ſtatutæ in fœminas viduas tranſeuntes ad alias nuptias intra annum luctus? Reſp. Plures ſunt, quæ enumerantur, *num* 7. Quær. 2. An prædictæ pœnæ ſtatutæ in fœminas ſecundo nubentes, intra annum luctus, ſint correctæ per Jus Canonicum? Reſp. affirmative, *n.* 8. Quær. 3. Quæ ſint pœnæ Jure Civili decretæ in favorem filiorum prioris matrimonii, ſi vidua tranſeat ad ſecundas nuptias? Reſp. Hæ enumerantur *num.* 9. Quær. 4. An pœnæ in favorem filiorum prioris matrimonii Jure Civili ſtatutæ in viduas ſecundo nubentes, poſt annum luctus, ſint correctæ per Jus Canonicum? Reſp. non eſſe correctas, quippe quæ in favorem filiorum ſunt ſtatutæ, adeoque ſervandas eſſe in utroque foro, *n.* 10.

§. III. *An ſecundæ nuptiæ ſint benedicendæ, & quam pœnam incurrat Sacerdos benedicens?*

Benedictiones nuptiarum recte ab Eccleſia adhibentur, & quænam circa illas ſtatuerit Concil. Trid. *Seſſ. 24. c. 1. de reform. matr. n.* 11. Eſt præceptum recipiendi has benedictiones nuptiales, non tantum conſilium, *cit. num.* 11. Quær. nunc, an ſecundis nuptiis ſit impertienda benedictio, & quam pœnam incurrat Sacerdos benedicens? Reſp. ſecundæ nuptiæ non ſunt benedicendæ, & Presbyter, qui benedicit ſecundas nuptias, debet ſuſpendi ab officio, & beneficio, & Romam mitti pro abſolutione, *c. 1. & c. 3. h. t. n.* 12. Si uterque, vel alter conjux in primis nuptiis benedictionem accepit, non debet in ſecundis benedictio imperitiri: ſecus autem, ſi neuter conjux in primis nuptiis benedictionem accepit, *num.* 13. Verius eſt, quod ſecundæ nuptiæ non ſint benedicendæ, etiamſi unus tantum conjugum fuerit benedictus in primis nuptiis, *c. Vir autem. 3. h. t. num.* 14. Quæ ſit vera ratio, ob quam prohibetur benedictio conjugum in ſecundis nuptiis? *n.* 15. Pœna, quam incurrit Sacerdos impertiens benedictionem ſecundis nuptiis, eſt ſuſpenſio ab officio, & beneficio, non tamen ipſo jure lata, ſed a Judice ferenda, eaque vel ordinaria, vel potius arbitraria, arbitrio Superioris commiſſa pro loci conſuetudine, & qualitate delicti, *num.* 16. An & quando ſpectata conſuetudine, liceat benedicere ſecundas nuptias? *num.* 17. An ut conſuetudo circa benedictionem ſecundarum nuptiarum valeat, requiratur, ut ea ſit inducta ſciente, vel approbante S. Pontifice? *n.* 18.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 12. 13. & 16.
c. 2. *n.* 2. & 2. *ſeqq.*
c. 3. *n.* 12. & 3. *ſeqq.*
c. 4. *n.* 5. & 3. *ſeqq.*
c. 5. & *ult. n.* 6. & *ſeq.*

INDEX
ALPHABETICUS QUÆSTIONUM,
QUÆ
IN HOC QUARTO LIBRO DECRETALIUM CONTINETUR.

Numerus prior indicat Titulum; poſterior Tituli contextum.

A.

ACCUSARE matrimonium quinam poſſint? 18. 1. Quinam prohibeantur? 1. 4. & 2. *ſeqq.*

Accuſari an poſſit matrimonium, & ſponſalia, quæ nondum? 2. 28. & *ſeqq.*

Accuſatio, vel teſtimonium in cauſa matrimoniali an fieri poſſit per litteras, ſeu ſcripturam, abſente accuſatore, vel teſtibus? 18. 11. & *ſeqq.*

Accuſator, & teſtis an idem eſſe poſſit in cauſa matrimoniali, cum quæritur de conſanguinitate conjugum? 18. 3. Quomodo in cauſa matrimonii differant? 18. 8.

Adoptio quid ſit? 12. 1. Quotuplex? 12. 2. Inter adoptantem, vel adoptatum, & hujus deſcendentes quomodo contrahi poſſit matrimonium, vel non poſſit? 12. 9.

Adulteram an vir repudiare poſſit, ſi & ipſa ſit adulter? 16. 2.

Adulterium an dirimat matrimonium ſubſequens? 7. 1. & 3. Num per ſe ſolum ſufficiat ad dirimendum ſubſequens matrimonium? *tit.* 7. *n.* 3. 4. 6. 13. & 2. *ſeq.*

Adulterium an committat, qui a principio bona fide matrimonium contrahens, poſtea tamen certior factus de vita prioris conjugis, ſecundam uxorem non ſtatim dimittit? 21. 4. Num concumbens cum aliena ſponſa, vel ſponſa? 1. 5.

Adulterium uxoris eſſe notorium quomodo probari poſſit? 19. 4. Num propter illud vir poſſit auctoritate propria repellere uxorem, ſine judicio Eccleſiæ? 19. 4.

Adulterii conſcius conjux alterius conjugis num in conſcientia obligetur ſe ab illo ſeparare? 19. 20. & 22.

Adulterii notorii exceptio, num obſtet conjugi petenti reſtitutionem, & quid ſi uterque conjux adulterium commiſit? 19. 4.

Adulterii pœnam num incurrat uxor propter ſævitiam viri, vel paupertatem? 19. 7.

Affinitas quid ſit? 14. 21. Quid ad illam contrahendam requiratur? 14. 22. Inter quas perſonas contrahatur? *tit.* 14. *n.* 24. 25. & 28. Num contrahatur ex copula ſodomitica habita in vaſe præpoſtero? Num ex quacunque pollutione? Num ex copula habita cum dormiente, ignorante, coacta, ebria, inſana? Num ex matrimonio rato, & non conſummato? 14. 23. Quo jure dirimat matrimonium? 14. 32. & 34. Spectato jure naturæ, an oriatur ex fornicaria copula? 14. 33.

Affinitas orta ex copula licita, & illicita fornicatione cum conſanguineis alterius conjugis ad quem gradum extendatur, attento Jure antiquo Canonico, & novo Concilii Trident. 13. 21. & 29. Quid nomine fornicationis prædictum Concilium intellexerit? 13. 22. Num impediat matrimonium jure naturæ, vel Divino in omnibus gradibus in Levitico *c.* 18. interdictis, & an Pontifex in nullo eorum diſpenſare poſſit? 14. 18.

Affinitas dirimens matrimonium contractum num probetur per confeſſionem utriuſque conjugis? 13. 15. & 3. *ſeqq.*

Affinitas ſuperveniens num diſſolvat matrimonium, vel ſponſalia de futuro? 13. 8. & 5. *ſeqq.* Num ſaltem impediat petitionem debiti? 13. 14.

Affinitatis genera quot olim erant, & num hodie ſublata? *tit.* 14. *n.* 14. 27. & 28.

Affinitatis gradus quomodo numerentur? 14. 24.

Alimenta præſtare num parentes teneantur liberis? 1. 174. & *ſeq.*

Amentes an contrahere poſſint ſponſalia, vel matrimonium? 9. 10.

Arrhæ an repeti poſſint poſt nuptias, & a quo? 1. 25. Cur adjici poſſint ſponſalibus, non autem pœnæ? 1. 25.

B.

Benedictiones nuptiales, & ſimiles cæremoniæ num adhibendæ in contractu matrimonii? Num ſine de aſſentia illius? Num ſi omiſſæ ſint, cenſeatur concubitus illicitus? Num ſi in nuptiali fœdere non intervenient, peccatum committatur? 1. 89. ubi nam fieri debeant? 1. 215. Num convenienter ab Eccleſia adhibeantur? Et quid circa has ſtatuerit Concilium Trident. 21. 11. Num has recipiendi ſit præceptum? 21. 11.

C.

CAPTIVUS apud hoſtes an poſſit contrahere matrimonium? 21. 3.

Cauſa contractui matrimonii appoſita quid ſit? 5. 1. Num ſuſpendat, vel vitiet matrimonium? 5. 29.

Cauſa matrimoniales quotuplices ſint? *tit.* 18. *n.* 18. Num per quoslibet Judices tractandæ, vel Eccleſiaſticos tantum, & quales? 14. 30.

Certitudo qualis ſit neceſſaria de morte prioris conjugis, ut poſſit ſuperſtes conjux ad alias nuptias tranſire? 1. 31. Num requiratur moralis? 1. 132. Num ſi talis adſit, ab Ordinario ſit petenda licentia ineundi aliud matrimonium? 1. 136. Quid ſi leves tantum adſint conjecturæ? 1. 133. Num ſufficiat veriſimilis præſumptio? 1. 133.

Clericus in Sacris conſtitutus, ſi ducat uxorem, an fiat irregularis? 6. 2.

Cogens ad matrimonium contrahendum eo reſilire poſſit a matrimonio gravi metu contracto, invito eo, qui metum paſſus eſt, & antequam hic conſenſum priſtinum renificet? 1. 125.

Cognatio legalis quid ſit, & quotuplex? 12. 3. Ex qua adoptione oriatur? 12. 4.

Cognationis legalis an omnes tres ſpecies impediant, ac dirimant matrimonium, & inter quas perſonas, & cur? 12. 5. & 3. *ſeqq.*

Cognatio ſpiritualis quid ſit? 11. 1. Ex quo jure ortum habeat, & ex quibus Sacramentis orietur? 11. *n.* 2. & 20. Quotuplex ſit? 11. 3. Inter quas perſonas contrahatur, attento jure antiquo Decretalium; 11. *n.* 13. & 15. *uſque ad* 21. Quid jure novo Concilii Trident. 11. 31. & *ſeq.* Parentum nomine quinam hic intelligantur? 11. 32. Num oriatur inter parentes in neceſſitate proprios filios baptizantes, aut ſuſcipientes in Baptiſmo, vel confirmatione? 11. 7. Num inter patrem tenentem proprium filium illegitimum, & inter concubinam? 11. 8. Num contrahetur a ſuſcipiente prolem in neceſſitate impediens matrimonium, vel ejus uſum? 11. 38. Num ſi Chriſtianus in extrema neceſſitate baptizet aliquem, dirimat matrimonium ſubſequens cum baptizato, ejuſque parentibus? 11. 39. Num per Catechiſmum præcedentem Baptiſmum, contrahatur impediens, ac dirimens matrimonium? 11. 22. & *ſeq.* Num impediat exactionem, & redditionem, debiti conjugalis? 11. 24. An hoc impedimentum ſit ſublatum per Concil. Trid. 11. 25. Ad contrahendam cognationem ſpiritualem quænam requirantur conditiones? 11. 35. & 2. *ſeqq.* Ut contrahatur inter baptizatum, & uxorem ſuſcipientis, quid requiratur? 11. 21.

Cognationis ſpiritualis contrahendæ an capax ſit hæreticus? 11. 40.

Cohabitare an teneantur conjuges? 1. 173.

Cohabitare cum leproſo conjuge an aſſidue teneatur alter conjux? 8. 10.

Conditio contractui matrimonii adjecta quid ſit? 5. 1. Quotuplex? 5. 2. Num illum vitiet, vel ſuſpendat? 5. 3. & 4. Quid ſi ſit de futuro neceſſaria? 5. 11. Quid ſi repugnans ſubſtantiæ, & bonis matrimonii, aut impoſſibilis, vel turpis? 5. 12. & 2. *ſeqq.* Quid ſi conditio turpis, vel impoſſibilis non adverſetur matrimonii ſubſtantiæ? 5. 16. Quænam requirantur, ut conditio impoſſibilis rejiciatur in contractu matrimonii? 5. 17. Quid ſi matrimonium ſit contractum ſub conditione ſuſpenſiva, vel reſolutiva? 5. 15. Quid ſi ſub conditione non ſuſpenſiva? 5. 32.

Conditio ſi te virginem invenero, vel *ſi mecum concubueris*, num ſit valida, vel tanquam turpis rejicienda a matrimonio? 5. 22.

Conditio, num adjici poſſit non tantum conſenſui matrimonii, ſed etiam ipſi matrimonio? 5. 10.

Confeſſarius in foro conſcientiæ num poſſit permittere, ut conjux habens veriſimilem præſumptionem, alterum conjugem eſſe mortuum, tranſeat ad ſecundas nuptias? 1. 135.

Confeſſio Sacramentalis an fieri poſſit per litteras Confeſſario abſenti? 18. 13.

Confeſſioni alterius conjugum an ſtetur, quando agitur ad ſeparationem tori, vel vinculi matrimonialis? 19. 7.

Conjux

Conjux ad fidem converſus num ſimul cum infideli habitare permittatur? 19. 41. Dubius de morte ulterius conjugis num poſſit tranſire ad ſecundas nuptias? 21. *n.* 2. & *ſeqq.* Quid ſi de facto matrimonium contraxit, num debitum petere, vel reddere valeat? 21. 3. Num teneatur redire ad priorem conjugem, ſi poſt contractum ſecundum matrimonium cognoſcat priorem conjugem adhuc vivere? 1. 136. An ad hoc ut conjux ſeparatus judicio Eccleſiæ a conjuge hæretico non teneatur ad hunc redire, requiratur, ut uxor Catholica ingreſſa fuerit Religionem, & in ea profeſſa? 19. 31.

Conjuges proprium filium de ſacro fonte ſuſcipientes num ſeparandi ſint? 11. 6.

Conſanguinei quotuplices ſint? 14. 2.

Conſanguinei conjugis, cum quibus alter conjux inceſtum commiſit, num prohibeantur poſt mortem alterius conjugis inire aliud matrimonium, & quid ad hoc requiratur? 13. 3.

Conſanguinitas quid ſit? 14. 1. An, & quo jure dirimat matrimonium? 14. 8. & 4. *ſeqq.* An DEUS in primo gradu lineæ rectæ diſpenſare poſſit? 14. 8. Quo gradu jure antiquo Eccleſiaſtico dirimeret matrimonium, & quo gradu nunc dirimat? 14. 13. & 4. *ſeqq.* Cur Eccleſia reſtrinxerit prohibitionem graduum conſanguinitatis, & affinitatis? 14. 16. Num in gradibus a Levitico c. 18. interdictis matrimonium impediat jure naturæ, vel Divino, & an Pontifex in nullo eorum diſpenſare queat? 14. 18.

Conſanguinitatis linea quid ſit, & quotuplex? 14. 3.

Conſanguinitatis gradus quid ſit? 14. 3. Ad computandos gradus quot, & quæ regulæ aſſignentur; 14. 4. & 2. *ſeqq.* Quænam computatio graduum procedat ſecundum Jus Canonicum, quænam ſecundum Jus Civile, & ſervanda ſit? 14. 7.

Conſenſus in carnale copulam an ſit de eſſentia matrimonii? 1. 69. Num liber ab omni vi, & coactione? 1. 109. Solus internus num ſufficiat ad contrahenda ſponſalia, vel matrimonium? 1. 13. Num neceſſario exterius exprimendus, & ab utroque conjuge ſimul præſtandus? 1. 82. Si deſit, num aliqua ſponſalium aut matrimonii oriatur obligatio? 85. Quando conſenſus alterius conjugis fuit fictus, vel gravi metu extortus, num ſufficiat, ſi hic ſolum poſtea conſenſum in matrimonium renovet? 1. 83. Implicitus & interpretativus conſenſus in ipſa ſuſceptione Baptiſmi incluſus an ſufficiat ad matrimonium denovo contrahendum? 1. 71. Num conſenſus parentum ſit neceſſarius ad valorem matrimonii; 1. 90.

Conſuetudo an poſſit inducere, ut contrahatur matrimonium inter gradus prohibitos? 14. 16. Num abrogare impedimenta matrimonii, & nova conſtituere? 1. 152. Etiam non approbata a S. Pontifice? 11. 10. & *ſeq.* Num legitime præſcripta valeat, ut proles ſequatur quoad libertatem, & ſervitutem non matris, ſed patris conditionem? 9. 14. & *ſeq.* Si præjudicet matrimonio, num poſſit eſſe legitime præſcripta? 89. Num ut valeat circa benedictionem ſecundarum nuptiarum, requiratur, ut ſit inducta ſciente, vel approbante S. Pontifice 21. 18. Num ſola faciat licita conjugia inter Catholicos, & hæreticos? 1. 166. Num poſſit valere & diſponere circa accidentalia, ſeu acceſſoria matrimonii, in loco, in quo contrahitur matrimonium? 1. 89.

Contractus an ſit initus ſub modo, ſeu conditione proprie dicta, an vero ſolum ſub modo, ſeu conditione non ſuſpenſiva, unde cognoſci poſſit. 5. 32. Ex gravi metu initus an ipſo jure ſit irritus? 1. 99.

Copula carnalis ſubſecuta cum poſteriore ſponſa an diſſolvat priora ſponſalia? 1. 57. Num ratificet matrimonium gravi metu contractum? 1. 123. & *ſeqq.*

Cultus diſparitas an & qua ratione dirimat matrimonium? 1. 164.

D

Debitum conjugale reddere, vel petere, an licitum ſit? 1. 178. Num ſub præcepto? 1. 179. Quomodo reddatur illicitum ratione dubii de valore matrimonii? 1. 180. & 2. *ſeqq.*

Demonſtratio contractui matrimonii apponi ſolita quid ſit? 5. 1. Utrum aliqua demonſtratio ſuſpendat, vel vitiet matrimonium? 5. 29.

Denunciationes quid ſint? 3. 26. Num præcedere debeant matrimonium? 3. 25. Num ſint de eſſentia matrimonii, vel ſaltem de præcepto? 3. 27. Ubi, quomodo, & quando fieri debeant? 3. 28. Quis valeat diſpenſare, ut illæ omittantur, & ob quas cauſas? 3. 29. Quid ſi ſint prætermiſſæ ante nuptias, an poſt has ante conſummationem matrimonii ſint faciendæ? 3. 30.

Denunciare impedimentum an debeat, qui id ſciat, & quando non? 3. 31. An teneatur ſciens matrimonium eſſe contractum a filiis duorum compatrum, per quorum alterum deventum eſt ad compaternitatem? 11. 12.

Deſponſatio quid ſit? 3. 1.

Differentia inter Græcos, & Latinos in SS. Ordinibus conſtitutos quoad ineundum matrimonium quænam ſit? 6. 12.

Diſpenſatio a Papa obtenta ſuper matrimonio inter conſanguineos in gradu prohibito contracto num valeat, ſi in ea cauſa falſa ſit expreſſa? 14. 50. & 3. *ſeqq.* Diſpenſandi cauſæ in matrimonio contracto in gradu prohibito quot ſint? 14. 59. Quando ſit invalida, & ſubreptitia ob tacitam veritatem, vel falſitatem expreſſa? 1. 172. In diſpenſatione aliquibus conceſſa an attendendus, vel exprimendus ſit gradus remotior, vel propinquior? 14. 51. *uſque ad* 58.

Diſpenſare an poſſit Papa in matrimonio rato? 1. 142. & 2. *ſeqq.* Num ut licite poſſit, vel etiam valide, requiratur juſta cauſa? 1. 145. Num diſpenſare valeat in matrimonio ſive rato, ſive etiam conſummato infidelium non baptizatorum? Num etiam in matrimonio infidelium conſummato, cum ambo baptizantur? 1. 146. Num in impedimentis matrimonii? 168. & *ſeq.* Quæ cauſa requiratur? 1. 169. An etiam poſſit Epiſcopus? 1. 170. Quæ ſint cauſæ juſtæ diſpenſandi in impedimentis matrimonii dirimentibus? 1. 171. Diſpenſare in gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis quouſque poſſit S. Pontifex? 14. 49. & 2. *ſeqq.*

Divortium quotupliciter fiat? 19. 1. Illud inſtituere an & qua ratione licitum ſit conjugi ob adulterium alterius? 19. *n.* 2. & *ſeq.* Quibus caſibus non liceat inſtituere propter conjugis adulterium? 18. 8. *uſque ad n.* 17. Num ob grave periculum animæ, vel corporis, & num propria auctoritate, ac quamdiu? 19. 58. & 4. *ſeqq.* Num alter conjux poſſit divortium inſtituere, ſi poſt unius adulterium ſint reconciliati, & poſtea alteruter in adulterium relabatur? 19. 17. Num ſi alter labatur in hæreſim, vel apoſtaſiam a fide, & propter eam ſeparati quoad torum & cohabitationem, an poſſint aliud inire matrimonium? 19. 27. & 32. Quid ſi poſt utriuſque conjugis fornicationem, reconciliatio mutuo conſenſu non ſit facta, ſed unus quidem emendatus ſit, alter vero in fornicatione perſiſtat? 19. 18. Quid ſi poſt ſententiam divortii latam ob adulterium alterius conjugis, innocens quoque in adulterium labatur? *ttt.* 19. *n.* 19. Num ſi unus ex conjugibus incidat in fornicationem ſpiritualem, alter propria auctoritate ab eo ſe ſeparare poſſit, & compelli per Eccleſiam redire ad conjugem perſeverantem in infidelitate, vel hæreſi? 19. 30. Quid ſi iterum converſus ſit ad fidem? 19. 29. & 2. *ſeqq.* Num inſtitui poſſit divortium propter qualecunque delictum? 19. 28.

Divortii jus ob quas cauſas conjugi innocenti competat, vel non? 19. 5.

Divortio facto, num conjux innocens poſſit, ac debeat revocare, & recipere alterum conjugem? 19. 21. & *ſeq.*

Divortio facto, penes quem liberi educari, & ali debeant? 19. 63.

Dolus num matrimonium reddat invalidum? 1. 96.

Donatio inter conjuges quotuplex? 20. 1. An & quales inter conjuges ſit invalida, & in quibus caſibus ſit valida, & licita, vel prohibita? 20. 2. *uſque ad n.* 18. Invalida donatio inter conjuges quibus modis confirmetur? 20. 18. & 2. *ſeqq.* Donatio propter nuptias ſoluto matrimonio, an redeat ad maritum, vel ejus hæredes? 20. 8. & *ſeq.*

Donatio Eccleſiæ facta ſub modo, num poſtea a donatore revocari poſſit? 5. 34. & *ſeq.*

Donata a marito propter nuptias uxori quo caſu ei ſint reſtituenda? 20. 21. & 2. *ſeqq.*

Dos quando, & cui reſtitui debeat? 20. 26. & *ſeq.* Num non tantum dos, ſed etiam fructus dotis reſtitui debeant? 20. 27. An præter dotem reſtitui debeant uxori etiam alia ejus bona, & ad hoc conjux id recuſans per cenſuram Eccleſiaſticam compelli poſſit, & num debeant reſtitui ratione tacitæ ſocietatis? 20. 28. & 2. *ſeq.* Quid ſi ſoluta non fuerit dos promiſſa, num poſſit uxor a marito expelli, & ſeparari a conjugali conſortio, & negari ei alimenta? 20. 41. & *ſeq.* Num propria actione peti poſſit? 20. 34.

Dotis cauſa an ita conjuncta ſit matrimonio, ut ſine eo dos conſiſtere non poſſit? 20. 33.

Dotis, & donationis propter nuptias num poſt matrimonium contractum debeat eſſe æqualitas, non ſolum in quantitate, ſed etiam in lucris ex pacto provenientibus? 20. 11.

Dotem num amittat mulier propter adulterium, & vir eam ſuperet? 20. 35. & 4. *ſeqq.* Num alia bona? Et quid ſi ſit uxor ſolum putativa? 20. 37. Quid ſi maritus commiſit adulterium? 20. 38. Quid ſi maritus, & uxor habeant liberos ex eodem, vel alio matrimonio? 20. 39. Num ipſo jure uxor amittat dotem? 20. 59.

Dotem petenti viro num ea tradenda ſit ipſi ſub cautione? 20. *n.* 40. 42. & 43. Quid ſi vir ſufficientem cautionem præſtare non poſſit? 20. 43.

E.

EBRIUS an ſponſalia, & matrimonium contrahere poſſit? 2. 10.

Eccleſia in dubio num præſumat pro valore matrimonii? 1. 100. Num potius libertatem defendere, quam impugnare debeat? 10. 1. Num potuerit irritare matrimonia clandeſtina? 3. 4. *& ſeq.* Quas ob cauſas de facto irritaverit? 3. 5. Num judicet de clandeſtinis matrimoniis? 3. 33. *& ſeq.*

Edictum matrimonii contrahendi eſt prohibitorium. 1. 12.

Epiſcopus num poſſit Parochum, qui aſſiſtit matrimonio clandeſtino, abſolvere a ſuſpenſione? 3. 44. Num poſſit concedere, ut Subdiaconus, qui de facto contraxit matrimonium, ad altiores Ordines promoveatur? 6. 3. Num diſpenſare cum Clerico in Sacris conſtituto contrahente matrimonium? 6. 5. Num diſpenſare, ſi quis poſt matrimonium ratum, in Sacris conſtitutus Religionem ingrediatur, & in ea profiteatur, ut in Ordine ſuſcepto miniſtrare, vel etiam ad altiores aſcendere poſſit? 6. 10. *& ſeq.* Num in voto caſtitatis perpetuæ valeat diſpenſare? 6. 32. Num cum inceſtuoſo, ut aliud inire poſſit matrimonium? 13. 23. *& ſeq.*

Error circa ſubſtantiam perſonæ, quo jure irritum reddat matrimonium; & quid ſi ſit error antecedens, vel concomitans? 1. 160. Num etiam irritet Sacramentum in reliquis Sacramentis, vel cur non? 1. 161. Num etiam error circa qualitatem perſonæ irritet matrimonium? 1. 162. *& ſeq.* Error ſervilis conditionis an invalidet matrimonium? 9. 4. *& 2. ſeqq.* Quo jure? 9. 7. *& ſeq.* Num etiam inter infideles? 9. *n.* 9.

Excommunicatio num incurratur a viro ſine juſta cauſa uxorem dimittente? 19. 4.

F.

FAMA impedimenti num impediat matrimonium contrahi, ſi de ea conſtet Judici, & num contra illius probationem de impedimento matrimonii admitti poſſit contraria probatio? 1. 156. Num ſola ſufficiat, ut ſuperſtes conjux aliud contrahere valeat matrimonium? 1. 134. Num ſola plenam faciat probationem ad impediendum matrimonium, & diſſolvenda ſponſalia prius inita, etiam jurata? 14. 36. Sola num ſufficiat ad probandam filiationem ſine aliis adminiculis? 17. 50.

Fidem ſponſalium violans an damnum ſponſæ illatum compenſare teneatur? 2. 59.

Filius ignorantibus parentibus num valide inire poſſit matrimonium, vel etiam illis invitis? 1. 90. Num etiam licite? 1. 92. Matrimonium contrahere volens num prius a parentibus conſilium petere teneatur? 1. 92. Num peccet non petendo? 1. 92. Num libere diſponere valeat de bonis caſtrenſibus, invito etiam patre? 1. 94. Num in ſpiritualibus liber ſit a patria poteſtate? 1. 94. Num poſſit agere interdicto contra patrem invitum uxorem detinentem ad eam exhibendam? 1. 94. Num pubes factus teneatur patris ſponſionem approbare, ſi pro illo impubere adhuc matrimonium iniit? 2. 19.

Filii quinam dicantur? 17. 1. Quinam filii ſint legitimi, vel illegitimi? 17. 2. *& ſeq.* Num per matrimonium eximantur a patria poteſtate? 1. 94. Concepti a parentibus ante ſententiam divortii, qui publice bona fide ſaltem alterius conjugis contraxerunt, num ſint legitimi? 17. 4. & 5. Quid ſi non præmiſſis denunciationibus? 17. 6. An nati poſt litem conteſtatam ſuper matrimonio publice contracto? 17. 7. Quid ſi mulier per judicium Eccleſiæ ſit ſeparata a primo viro, & vivente illo, contrahat aliud matrimonium de licentia Eccleſiæ, num talis proles ſuſcepta ex ſecundo viro ſit legitima, & capax hæreditatis? 17. 8. *& 2. ſeqq.* Num geniti ex clandeſtino matrimonio, ſed poſtea ab Eccleſia approbato? 17. 11. Num nati ante detectum impedimentum? 17. 12. Quid ſi conjugatus, vivente prima uxore, in facie Eccleſiæ aliam ducat ignaram illum eſſe conjugatum, filius inde natus cenſeatur legitimus? 17. 13. *& ſeq.* Num nati ex libera, vel liberta ſint liberi? 10. 5. Quo tempore debeat eſſe mater libera, ut filius libertate gaudeat? 10. 2. Nati ex matrimonio contra publicæ honeſtatis juſtitiam contracto, num ſint illegitimi, & a paterna hæreditate excludendi? 17. 18. *& ſeq.* Num geniti ex matrimonio, quod mulier, vivente marito, cum altero contraxit? 17. 20. Suſcepti ante ſententiam divortii num ad ſacros Ordines, & dignitates Eccleſiaſticas promoveri poſſint? 17. 6.

Filii illegitimi, quo caſu dicantur fieri legitimi? 17. 48. Num omnia jura legitimorum aſſequantur? 17. 35.

Filiis legitimis, & illegitimis num competat hæreditas paterna, & jus petendi alimenta? 17. 7.

Fiſcus num ſibi vendicare poſſit rem donatam, ſi utrique conjugi conſtet, matrimonium eſſe nullum? 20. 15.

Furioſi V. *Amentes*, A furioſis actus geſtus quo tempore præſumatur geſtus? 1. 16.

H.

HOMICIDIUM prioris conjugis an, & quando dirimat matrimonium ſubſequens? 7. *a n.* 16. *uſque ad* 28.

I.

IGNORANTIA juris, vel facti an excuſet? 15. 28.

Impedimentum publicæ honeſtatis quid ſit? 1. 30. Num oriatur ex conatu ad copulam carnalem? 1. 30. Num ex ſponſalibus a pubere contractis cum puella minore ſeptennio? 1. 31. *& ſeq.* Num ex invalidis? 1 33. Num ex ſponſalibus puris, & certis, etſi nullis? Num ex incertis, & conditionalibus? 1 35. *& 2. ſeqq.* Num ex quibuſvis? 1. 33. *& 36.* An hoc impedimentum ſit perpetuum? 1. 36. Ad quotum uſque gradum extendatur, attento Jure antiquo Decretalium, & novo Concilii Trident. 1. 34. *&* 39. Num contrahatur ſolum cum conſanguineis alterius ſponſi, vel etiam cum illius affinibus? 1. 36. Num oriatur ex ſponſalibus cum puella majore, vel minore ſeptennio initis? 2. 4. Num ex matrimonio rato, & non conſummato etiam poſt Concil. Tridant. oriatur dirimens matrimonium, & ad quem gradum extendatur? 14. 60. *& ſeq.* Num ex clandeſtino? 14. 61. Num per poſteriora ſponſalia contracta cum conſanguinea prioris ſponſi, vel ſponſæ oriatur impedimentum publicæ honeſtatis dirimens priora ſponſalia? 2. 37.

Impedimentum matrimonii num probari poſſit per proprium juramentum? 18. 8.

Impedimenta matrimonii quotuplicia? 1. 147. Illa ſtatuere quis poſſit, & quæ requiratur cauſa? 1. 148. Circa quos? 1. 149. Num etiam Epiſcopus? 4. 149. Num quilibet Princeps ſupremus, ſeu magiſtratus ſecularis, & ex qua cauſa? 1. 150. *& ſeq.* Num ſolus Pontifex? 1. 148. *uſque ad n.* 155. impedimenta tantum impedientia matrimonium quænam numerentur? 16. 10. *& ſeq.* Num pleraque jam ſublata? 16. 12.

Impotentia quotuplicitar ſumatur? 15. 1. *& ſeq.* Impotentia coeundi antecedens quæ, & qualis impediat, vel dirimat matrimonium? 15. 1. *& ſeq. & a n. 7. uſque ad* 13. Num ſi ſupervaniat matrimonio, illud diſſolvat? 15. 21. Num ſi conſtet impotentiam ſupervenientem eſſe perpetuam, illicita ſit conjugibus copula conjugalis, vel tactus, aut ſi ſolum dubitetur? 15. 22. Quid ſi præter divinum miraculum, potuit removeri? 15. 23. Quid ſi mulier propter impotentiam a viro ſeparata, profeſſa eſt Religionem, & ille aliam ducat in matrimonium, num illud teneat? 15. 23. Propter impotentiam provenientem ex maleficio num matrimonium ſeparari poſſit, vel reſtaurari, ſi vir poſtea aliam ducat in uxorem, eamque cognoſcat; Et cur ſeparetur matrimonium propter frigiditatem viri, vel mulieris arctitudinem, & ſi poſtea appareat eſſe potens ad copulam, redintegretur primum matrimonium, & non etiam ſi ſeparetur matrimonium propter maleficium, & vir contraxit cum alia, eamque cognovit, cogatur redire ad primam? 15. 27 Quid ſi Eccleſia fuit decepta in ſeparatione matrimonii? 15. 29. Si mulier dicat virum eſſe impotentem, vir autem id neget, num inter eos ſententia divortii ſit proferenda? 15. 30. & *ſeqq.*

Impotentia probatio quomodo fieri debeat, ut ſeparetur matrimonium? 15. *numer.* 13. *& ſeq.* Num ſoli confeſſioni mariti, & uxoris aſſerentium impotentiam credatur? 15. *n.* 14. An requiratur triennii experientia? An ſeptimæ manus propinquorum, vel vicinorum juramentum? 15. *n.* 15. *&* 17. A quo tempore computetur triennii experientia? 15. 16. An requiratur ipſorum conjugum juramentum, & de quo jurare debeant? 15. 17. An cohabitare poſſint, ut frater, & ſoror, ſi de impotentia conſtet? 15. *n.* 15. Quid ſi qui reputatus eſt frigidus, aliud ineat matrimonium, num conjuges Rei ſint perjurii, & ad prius matrimonium reddendum cogendi, 15. *n.* 15. 18. *&* 19. Si puer XIV. anno, vel fœmina XII. adhuc ſint impotentes ad copulam, an expectandum ſit uſque ad plenam pubertatem? 15. 20.

Impubes puella, ſi deſponſata ſit, & traducta in domum viri, & pubes facta petat licentiam nubendi alteri, num audienda, ſi vir juret, ſe eam carnaliter cognoviſſe? 2. 22. *& ſeq.*

Impuberes ſeptennio majores, an ſponſalia contrahere poſſint? Num, ſi contraxerunt ſponſalia, neutri liceat ante pubertatem reſilire? 2. 5. *& 2. ſeqq.* Num poſt pubertatem? 2. 7.

Impuberum ſponſalia num confirmentur juramento, ut neutri liceat pubertatem adepto reſilire? 2. 8. Quid ſi ſint præſumpta? 2. 9. *& ſeq.*

Inceſtus commiſſus cum conſanguinea uxoris ſuæ num impediat matrimonium contrahendum, & dirimat contractum? 13. 1. Num inceſtus commiſſus cum cognata legali, vel ſpirituali? 13. 20. Num cum propriis conſanguineis? 13. 7. Inceſtus commiſſus primum cum conſanguineis conjugis defuncti num impediat matrimonium contrahendum? 13. 4. *& ſeq.* Quid ſi femina a conſanguineo per vim ſit cognita? 13. 6.

Infidelis, qui prius plures uxores habebat, poſt fidem ſuſceptam cui adhærebit? 19. *n.* 38. 43. *&* 44. Quid ſi repudiata uxore ſua, converſus ad fidem cum ſecunda contrahat? 19. *n.* 46. *& 2. ſeqq.* Infidelis, qui cum uxore contraxit, & conſummavit matrimonium tempore infide-

litatis,

litatis, num poſſit poſt baptiſmum valide contrahere matrimonium cum conſenguinea illius, & ad quem gradum ſe extendat hoc impedimentum? 19. *n.* 30. *&* 2. *ſeqq.*

Infideles conjuncti in gradu prohibito a Lege Divina, vel Canonica num ad fidem converſi ſeparandi ſint? 19. *n.* 38. *&* 39. Infideles ad fidem converſi num contrahere poſſint matrimonium cum relicta uxore fratris ſui defuncti, ſaltem ex diſpenſatione Eccleſiæ? 19. *n.* 26. *& ſeq.*

Infidelium conjugum unus, ſi ad fidem convertatur, num ad ſecundas nuptias tranſire poſſit? 19. *n.* 33. & quot conditiones requirentur? 19. 35.

Infidelium filii, quorum parentes in gradu Jure Canonico prohibito matrimonium contraxerunt, num ad fidem converſi legitimi ſint cenſendi? 17. *n.* 15. *&* 17.

Infidelium matrimonium num ſit validum? 17. 16. & inter quas perſonas, etiam inter infideles, jure naturali, & Divino illud ſit prohibitum? 19. 40.

Interdictum Eccleſiæ quod dicatur, & quot modis fiat? 16. 1.

Judæus, ſi ineat matrimonium cum Judæa, eo pacto, ut liceat ei dare libellum repudii, an valide contrahet? 14. 39.

Judex Eccleſiaſticus num poſſit in foro externo dare licentiam mulieri tranſeundi ad ſecundas nuptias habenti veriſimilem præſumptionem alterum conjugem vita deceſſiſſe? 1. 135. Num poſſit judicare inter laicos de dote reſtituenda? 9. 5. Num ſi pronuntiet, aliquem eſſe legitime natum, poſſit etiam pronuntiare, eſſe hæredem? 17. 2. Num cognoſcat de cauſa civili inter laicos, & an aliquis ſit natus ex legitimo matrimonio? 17. 22. *& ſeq.* Quando poſſit, vel non poſſit cognoſcere de cauſa principali, vel incidente hæreditatis, aut natalium? 17. 27. Num teneatur defendere dotes viduarum? 20. 24. *& ſeq.* Num de dote valeat cognoſcere? 20. 41.

Judex ſecularis, an Eccleſiaſticus cognoſcere debeat quæſtionem principalem de petitione hæreditatis, & quæſtionem incidentem natalium? 17. 27. Qualis cognoſcere poſſit de cauſa dotis, ſi mulier conſtante matrimonio eam petat, quia vir bona ſua diſſipat, vel ad inopiam vergit? 20. 34.

Judex Eccleſiaſt. an excommunicare poſſit ſuam juriſdictionem impedientes? 1. 111. Quis ſit competens Judex in cauſa matrimoniali, & quis ſi agatur de reſtituenda dote? *n.* 94. Judex, cujus auctoritate ſponſalia diſſolvenda ſunt, an ſolus Eccleſiaſticus, & qualis? 1. 65. Judex ſæcularis an poſſit cauſam matrimonii cognoſcere, etiamſi non agatur de valore matrimonii, ſed ſolum de ſeparatione quoad torum, & cohabitationem, & etiamſi conjugalis cauſa incidat in judicium hæreditariæ ſucceſſionis? Item in quibus præterea cauſis, quæ ad matrimonium pertinent, poſſit ſecularis eſſe competens Judex? 18. 17. Quando poſſit de cauſa natalium cognoſcere, vel non? 17. 26. Judex, qui cognovit de matrimonio, num etiam poſſit, ac debeat ſimul de dote cognoſcere, & qualis ſit ille Judex? 20. 31. *&* 3. *ſeqq.* Judex num interdicere debeat matrimonium, quando ſcandalum timetur ex contractu matrimonii inter conſanguineos contrahentium? Et quid facere debeat, ſi denuntians impedimentum non ſit perſona gravis, & de fama illius, vel ſcandalo ſufficienter probare non poſſit? 1. 157. Judex timens libertatem conſenſus in fœmina impediendam fore, quid curare debeat? 1. 101.

Juramentum eſſe validum, & juramentum confirmare contractum num ſit idem? 1. 120.

Juramentum adjectum an reddat matrimonium validum gravi metu extortum? 1. 121. Num pariat obligationem ex virtute Religionis, & relaxatione indigeat? 1. 126.

Juramento viri dicentis ſe copulam habuiſſe cum impubere, num ſit ſtandum? 2. 23.

Jus irritans matrimonium gravi metu contractum cui innixatur? 1. 100.

L.

LEGITIMATIO in genere quid ſit? Quomodo a diſpenſatione differat? 17. 39. Qualis poteſtas legitimandi illegitimos competat Romano Pontifici? 17. 40. 41. *&* 43. Qualis ſecularibus Principibus? 17. 44. Quænam exprimenda ſint in petitione legitimationis, ne ſit ſubreptitia? 17. *n.* 45. An in petitione legitimationis ſint vocandi agnati, vel cognati ipſius parentis? 17. 46. An ſi Princeps aliquem legitimum facit, vocandus ſit, qui eſt ſubſtitutus ſub conditione, ſi ſine liberis parens hæres inſtitutus deceſſerit? 17. 47.

Legitimari proles an poſſit per ſubſequens matrimonium? 17. *n.* 28. *&* 3. *ſeqq.* Quinam filii nati ante matrimonium per ſubſequens matrimonium legitimentur, vel non? 17. 32. Quonam tempore parentes debeant eſſe habiles ad contrahendum matrimonium, ut proles ab eis nata legitimetur per ſubſequens matrimonium? Utrum tempore conceptæ prolis, vel natæ? 17. 33. *& ſeq.* Quibus præterea caſibus filii legitimentur per ſubſequens matrimonium? 17. 36. Quinam ſint alii effectus illegitimationis per ſubſequens matrimonium? 17. 37. Ad legitimandam prolem num ſufficiat, ſi ignorantia impedimenti dirimentis adſit, tempore contractus matrimonii, vel quidnam adhuc requiratur? 17. 14. Quinam liberi non legitimentur per ſubſequens matrimonium? 17. 38.

Lepra ſuperveniens num diſſolvat ſponſalia de futuro prius contracta? 8. 2. Num matrimonium præcedens? 8. 4.

Leproſi an poſſint inire matrimonium? 8. *n.* 8. An ſibi invicem teneantur reddere debitum conjugale? 8. 9. Num licite ſeparentur a conſortio reliquorum hominum, 8. 4.

Leproſum conjugem num ſanus ſequi teneatur? 8. 3. *& ſeq.* Num conjux leproſus ſeparari poſſit a ſano quoad torum, & cohabitationem? *tit.* 8. *n.* 3. 5. *&* 6.

Liberti num ſint liberi, ſi pater ſervus fuerit, & num a domino poſſint in ſervitutem revocari? 10. 3.

Libertas, Num in dubio judicandum pro libertate? 9. 15.

Lite pendente ſuper priore matrimonio, num impediatur contrahi ſecundum? 1. 158. *& ſeq.*

Lite pendente ſuper matrimonio, ſi appellatum ſit, num poſſit aliud matrimonium contrahi, & num ſi quis contraxit, matrimonium ſit ſeparandum? 4. 9. *& ſeq.* Num ſaltem matrimonii uſus prohibendus? 4. 10.

M

MACHINATIO in mortem prioris conjugis an, & quando dirimat matrimonium ſubſequens? 7. *a n.* 16. *uſque ad* 28.

Magiſtratus num poſſit infringere matrimonia a liberis ſine conſenſu parentum inita? 1. 90.

Malitia quomodo, & quando ſuppleat ætatem quoad matrimonium contrahendum? 2. 36. Malitiæ nomine quid intelligatur? 2. *n.* 37.

Maritus an poſſit dimittere uxorem, ſine judicio Eccleſiæ propter publicum, & notorium impedimentum parentelæ, ſeu cognationis? 19. 23. *&* 3. *ſeqq.* Num licite dotet uxorem? 20. 22. Num teneatur alere uxorem, & familiam, & quibus caſibus non teneatur? 1. 175. Uxore invita num poſſit diſcedere ad longum tempus? Num brevem peregrinationem inſtituere? Num uxorem caſtigare? 1. 174.

Matrimonium quotupliciter appelletur? 1. 66. Quid ſit matrimonium? 1. 67. Quotuplex? *n.* 68. Requiſita in contractu matrimonii? 1. 85. An ſit verum Sacramentum? 1. *n.* 70. 71. 72. *&* 74. Quo tempore ſit inſtitutum? 1. 73. Quænam materia, & forma Sacramenti matrimonii? 1. 75. Quisnam Miniſter, & an Sacerdos? 1. 76. *& ſeq.* Num Procurator, per quem contrahitur? 1. 80. Num verba ipſius ſint materia, & forma hujus Sacramenti? 1. 80. Num ſit indiſſolubile, & quo Jure? 1. 137. uſque ad num. 142. Matrimonium an præcedere debeant ſponſalia? 1. 6. A quibus contrahi poſſit? 1. 9. Num a furioſis, & amentibus, vel ebriis? 1. 10. Num a ſurdo tantum, vel muto tantum. Num etiam a ſurdo, & muto, imo & cæco ſimul? 1. 11. Num ſolis verbis ſine interno conſenſu, & quibus? 1. 12.

Matrimonium clandeſtinum quid ſit, & quotupliciter dicatur clandeſtinum? 3. 1. Matrimonium clandeſtinum num ſemper ab Eccleſia fuerit graviter prohibitum? 3. 2. Num ſit irritum poſt Concilium Trident. *tit.* 3. *n.* 2. 3. *&* 6. Num etiam in iis locis, ubi Decretum Concilii Trident. non eſt promulgatum? 3. 9. *&* 3. *ſeqq.* Num in quacunque neceſſitate contractum ſit invalidum, & num ſemper? 3. 7. *& ſeq.* Qui prius contraxerunt matrimonium clandeſtinum, & poſtea palam, cum alia, num cogendi ſint vel ad prius, vel poſterius matrimonium obſervandum? 3. 35. Matrimonium coram Parocho, & teſtibus, non præmiſſis denuntiationibus initum, num cenſeri debeat clandeſtinum, & non in facie Eccleſiæ celebratum? 3. 38.

Matrimonii clandeſtini publicatio qualem tribuat effectum? 3. 34.

Matrimonium contrahens cum illa, quam alter ſibi prius deſponſaverat per verba de præſenti, num eam debeat dimittere, & quæ ſit illius pœna? 4. 7. Matrimonium contrahens cum duabus, quodnam ſervare teneatur? Et quodnam ſit validum? 5. 28. Matrimonium iniens per verba de præſenti ſub conditione non improbata ab Eccleſia, num ſit cogendus ad matrimonium contrahendum, vel conſummandum ante conditionis eventum? 5. 8. *& ſeq.* Iniens matrimonium, vivente legitima ſua uxore, cum alia ignorante primam uxorem ipſius adhuc vivere, num mortua uxore, ſi petat a ſecunda ſeparari, ſeparandus ſit ab illa? 7. 2. Num ſaltem ſecunda poſſit a viro diſcedere? 7. 2. Si quis contrahat matrimonium cum duabus, num mortua prima uxore, poſſit manere cum ſecunda? 7. *n.* 5. *&* 7. *&* 5. *ſeqq.* Quid ſi vivente prima uxore fidem dedit alteri de ea ducenda poſt mortem uxoris? 7. 12. Matrimonium initum per verba de præſenti inter inhabiles ſub conditione honeſta de futuro, & contingente, niſi poſita conditione ſit validum, ſine novo conſenſu utriuſque conjugis? 5. 23. *&* 2. *ſeqq.* Matrimonium, ut ſit validum, an requiratur poſt Concilium Trident. ut Parochus, & teſtes non tantum contractui ſub conditione de futuro, ſed etiam impletioni conditionis interſint? 5. 25. Matrimonium, ſi ſub conditione turpi, vel impoſſibili ſit initum, quando non teneat propter defectum conſenſus conjugalis? 5. 18. Num contractum ſub conditione turpi ea rejecta, ſit ſervandum 5. 18. Num initum ab aliquo ante pubertatem, etiam cum niſu ad copulam, valeat? 2. 24. *& ſeqq.* Contra Interdictum Eccleſiæ contractum num teneat? *tit.* 16. *n.* 2. 3. 6. *&* 7. Num diſſolvat præcedentia ſponſalia? 16. 4. Num ſtatim ſit diſſolvendum, ſi quis dubitet, an prior conjux obierit? 21. 3. Matrimonium eunuchorum, hermaphroditorum, ſenum, ſterilium, mulierum non potentium pa-

petere, ſine vitæ periculo, vel non niſi fœtum mortuum, vel in articulo mortis conſtituti num valeat; 15. 2. & 4. *ſeqq.* Matrimonium fidelis ex diſpenſatione S. Pontificis initum cum catechumena nondum baptizata an ſit Sacramentum? 1. 71. Matrimonium inter abſentes per Procuratorem contractum num ſit validum etiam poſt Concil. Trid. & quæ requirantur conditiones? 1. 78. & *ſeqq.* Num per Epiſtolam? 181. Num ſit Sacramentum 1. 80.

Matrimonium infidelium an, & qua ratione, ſi poſtea convertantur ad fidem, poſt Baptiſmum efficiatur Sacramentum, & indiſſolubile? 19. 41. Matrimonium Judæorum, vel aliorum infidelium, ſi ſit contractum in gradu Jure Canonico prohibito, an ſit verum, & legitimum matrimonium, & an Sacramentum? 14. 38. Matrimonium liberi hominis ignorantes initum cum ancilla, ſi poſtea ſciens in illam conſenſit, num valeat, vel an cum alia contrahere poſſit? 9. 12. & *ſeq.* Matrimonium ante contractum num diſſolvatur propter gravem infirmitatem? 8. 4. Num aliud matrimonium inire poſſit conjux relictus, ſi alter fidelium conjugum vel labatur in hæreſim, vel tranſeat ad errorem infidelitatis 19. 33. & num ſit de fide poſt Concil. Trid. 19. 36. Num S. Pontifex Cæleſtinus III. definierit, matrimonium diſſolvi, cum alter conjugum in hæreſim labitur, vel ad Gentilium errorem tranſit? 19. 54. Matrimonium contractum inter infideles num ſit verum matrimonium, & num diſſolvi poſſit? 19. 37.

Matrimonium num ficte contrahens cum muliere per verba de præſenti, ſine interno conſenſu in illam, valide contrahat? 1. 95. & *ſeq.* Num ficte contrahens grave peccatum committet, non ſolum ſacrilegii, ſed etiam injuſtitiæ? Num obligatus ſit vere conſentire in matrimonium, & in quibus caſibus non obligatus ad contrahendum matrimonium? 1. 97.

Matrimonium an ſit vere contractum, quando vir, & mulier ſibi invicem promittunt, quod ex eo tempore habebunt ſe pro conjugibus, & fidem ſponſalium ſibi ſervabunt? 1. 86. Num matrimonium initum non ſervata lege, vel conſuetudine loci, in quo celebratur, ſit validum? 1. 89. Matrimonium num ſeparari poſſit propter impedimentum mulieris arctæ, quod præter Divinum miraculum tolli non poteſt, vel illam inhabilem reddat ad contrahendum matrimonium? 15. 24. & *ſeq.* Matrimonii Sacramentum num exiſtat inter Judæos, & alios Infideles? 19. 40. Matrimonium num debeat impediri ad dictum unius, ſi ſponſalia inita inter virum, & mulierem ſint juramento confirmata? 154. Num etiam impediri debeat ad denuntiationem unius viri honeſti, qui defert de fama conſanguinitatis? 1. 155. & *ſeq.* An contrahere poſſint matrimonium parentes pro filiis præſentibus, & tacentibus, & num etiam extraneus pro extraneo? 16. 5. An licite ineant matrimonium filii compatrum; 11. *n.* 4. 5. 9. & 12. Num valeat matrimonium liberi cum ancilla, ſi ignorata fuit conditio ſervilis, poſt elapſum decennium, vel etiam quinquennium? 9. 15. Matrimonium, quod liber contraxit cum ancilla, ignorans illam eſſe ancillam, num fiat validum, ſi poſtquam ſcivit illam eſſe ancillam, carnalem copulam cum illa habeat? 9. *n.* 5. & 13. Num poſſit conferri in arbitrium alterius? 5. 9. matrimonium perſonæ Catholicæ cum hæretica perſona initum num ſit validum? 1. 165. Matrimonium ratum quibus modis diſſolvatur? 1. *n.* 142. & 145. Matrimonium quoad vinculum num ſeparetur propter crimen adulterii? 16. 7. Matrimonium ſecundum, tertium, & quartum, poſt mortem conjugis contrahere num ſemper licitum fuerit? 1. 126. Matrimonium ratum num inducat impedimentum dirimens, vivente uxore? 7. 6. Matrimonium ſeparatum quoad torum, & cohabitationem propter adulterium, quomodo redintegratur? 19. 5. & *ſeqq.* Num ſi quis alicui promiſit matrimonium, & poſtea cum alia contraxit, teneat contractus, & compelli poſſit, ut ad priorem ſponſam redeat? 1. 10. Matrimonium ſi quod puella innubilis iniit cum aliquo, ſed poſtea ſponte ab eodem fuit cognita, num audienda, ſi contra matrimonium reclamet? 18. 14. Matrimonium nullum ob defectum ætatis, vel gravem metum, an convalidatur per intervenientem ſpontaneam cohabitationem poſt ætatem legitimam? 18. 15. Matrimonium poſterius an valeat, ſi prius fuit coacte initum? 1. 110. & *ſeq.* Si qui inhabiles ad contrahendum matrimonium, illud ſibi invicem promittant, vel etiam per verba de præſenti contrahant ſub conditione, ſi Papa diſpenſaverit, an contrahant obligationem, & qualem, ante, vel poſt diſpenſationem? 26. & *ſeqq.* Matrimonium de præſenti initum cum puella innubili, num ſaltem habeat vim ſponſalium de futuro? 1. 30. & *ſeq.* Matrimonium quam requirat ætatem? 1. 32. & *ſeq.* Matrimonium contrahens cum deſponſata alteri per verba de præſenti, num illam poſſit habere in uxorem, & quæ requirantur, ut quis omnino inhabilis fiat ad illam ducendam etiam poſt mortem primi viri; 4. 8. Matrimonium inter quas perſonas, etiam inter infideles, jure Divino, & naturali prohibitum ſit? 9. 40. Num verum fuerit matrimonium inter B. Virginem, & S. Joſephum? 1. 169.

Matrimonii promiſſio, an poſſit eſſe materia voti? 1. 2.

Matrimonio aſſiſtere quinam poſſint? Num præter Parochum etiam Epiſcopus, Abbas exemptus, Vicarius Generalis Epiſcopi, & Capitulum Cathedrale, Sede vacante? 3. 20.

Meretrix. Meretricem extrahere e lupanari, & ducere in uxorem, an ſit opus miſericordiæ, & num tali dentur Indulgentiæ, pro remittenda pœna temporali adhuc debita? Meretricem in publico lupanari exiſtentem, ſi velit damnatus ad mortem ducere in uxorem, num a morte liberetur? 1. 108.

Metus quotuplex ſit? Quis dicatur metus gravis, quis levis? A quibus cauſis incuti poſſit, & quibus modis? 1. 100.

Metus cadens in virum conſtantem, num irritet matrimonium? 1. 98. & *ſeq.* Cur? 101. Et quæ requirantur conditiones, ut per talem metum initum ſit irritum? 105. Quo jure ſit invalidum tale matrimonium? 106. Metus levis, an invalidet matrimonium? 1. 117. & *ſeq.* Num metus reverentialis? 1. 119. An omnis metus irritum reddat matrimonium? 1. 109. Quinam metus dicatur cadere in virum conſtantem, num relinquendum Judicis arbitrio? 1. 115.

Metu gravi contractum matrimonium num per ſpontaneam cohabitationem utriuſque conjugis convaleſcat? 1. 112. & *ſeq.* Quænam requirantur, ut convaleſcat? 1. 113. Matrimonium ab infidelibus gravi metu initum num ſit validum? 1. 106. Num contractum cum concubina metu mortis inſtantis? Num contractum, eo quod Medici judicent, id eſſe neceſſarium ad vitam ſervandam? Num initum a conjecto in carcerem? Num a damnato ad mortem, ſi publicam meretricem ducat. 1. 117.

Metu gravi initum matrimonium num ſit irritum in utroque foro? 1. *n.* 98. & 99. & 102. A quocunque inferatur? 1. 101. Quid ſi contrahens culpa ſua in hunc metum inciderit? 1. 103 Quid ſi cogatur incertam ex certis ducere? 1. 103. Quid ſi metus gravis juſte incuſſus ſit, ſive a lege, ſive a Judice? 1. 104. Quid ſi injuſte quidem, ſed non ad extorquendum matrimonium? 1. 105.

Modus contractui matrimonii appoſitus quid ſit? 5. 1. Num adjectus contractui matrimonii illum vitiet, vel ſuſpendat? 5. 30. & 2. *ſeqq.*

Mors num potius obeunda, quam matrimonium gravi metu extortum conſummandum? 1. 114.

Mulier aſſerens ſe contraxiſſe matrimonium per metum, num audienda? 1. *n.* 114. & 116. Quid ſi aufugiat? 1. 115. Num teneatur probare non ſolum ipſum metum, ſed etiam illius qualitatem? 1. 115. Mulier cognita ab uno viro num præſumatur cognoſci poſſe etiam ab alio? 15. 26. Mulier duos viros habens, cui ſit reſtituenda, & num excommunicanda, ſi ad illum redire recuſaverit? 21. 4. Mulier, poſt mortem viri, tranſiens ad ſecundas nuptias intra annum luctus, num incurrat infamiam, vel alias pœnas juris? 21. 5. & *ſeq.*

Mutus, & ſurdus, & cæcus ſimul an contrahere poſſint ſponſalia, & matrimonium? 1. 21.

N

NATALIUM quæſtio oppoſita petenti hæreditatem coram Judice ſæculari, num remitti debeat ad Judicem Eccleſiaſticum ab eo cognoſcenda? 17. 24. & *ſeq.*

Nepos legitime natus ex patre illegitimo num poſſit ſuccedere avo in bonis ſuis? 17. 26.

Nuptiis ſecundis an ſit impertienda benedictio, & quam pœnam incurrat Sacerdos eas benedicens? 21. 12. & 4. *ſeqq.*

O

ORDO Sacer an dirimat ſubſequens matrimonium? 6. 1. Quo jure? 6. 6. Quid ſi fuerit promotus ad Sacros Ordines per vim? 6. 2. Num ſuſcipiens Ordinem Sacrum ante pubertatem obligetur ad continentiæ votum ſervandum, & quid ſi quis invalide ſuſcepit Sacros Ordines? 6. 2. Ordo Sacer cur impediat matrimonium contrahendum, non tamen dirimat contractum 6. 7. Ordo Sacer an dirimat ſponſalia contracta? Num etiam Ordines minores? 1. 55.

Ordines Sacros an quis ſuſcipere poſſit, durante matrimonio? 6. 9. Num ſaltem minores? 6. 9. Ordines minores an obſtent matrimonio ſubſequenti? 6. 4.

P

PACTA in conjugiis cum hæreticis inita, ut aliqui ex liberis naſcituris eorum hæreticam ſequantur, num ſint irrita? 1. 67. Num valeant pacta illa inter conjuges, quæ diſſolutionem matrimonii contra Juris diſpoſitionem impediunt, vel difficiliorem reddunt? 20. 12.

Papa num poſſit condere legem, ut matrimonium ratum, & non conſummatum dirimatur per matrimonium conſummatum? 4. 6.

Parentes carnales num poſſint proprios filios baptizare, vel in Baptiſmo, aut Confirmatione, tanquam Patrini, ſuſcipere, & quæ illorum pœna? 15. 7. Num irritare poſſint matrimonia a liberis contracta ſine illorum conſenſu? 1. 90.

Parentibus aliquem eſſe ſuum filium negantibus num credendum ſit? 27. 50.

Paro-

Parochus quomodo debeat eſſe præſens matrimonio, num tantum phyſice, vel etiam moraliter? 3. 22. Num ad id vocari? 3. 22. Parochus, & teſtes an non tantum contractui ſub conditione de futuro, ſed etiam conditionis impletioni intereſſe debeant ad hoc, ut matrimonium ſit validum? 5. 25. Parochus num curare debeat, ut poſt contracta a ſponſis ſponſalia, quamprimum fieri poteſt, matrimonium contrahatur? 1. 16. Num quivis Parochus poſſit vagabundos matrimonio conjungere? 3. 19. Parochus Catholicus num poſſit aſſiſtere matrimoniis hæreticorum? 3. 21.

Parochi aſſiſtentia num ſit neceſſaria ad valorem matrimonii, & num proprii Parochi utriuſque contrahentis? 3. 13. In cujus contrahentis Parochia aſſiſtere debeat, viri an mulieris? 3. 14. & *ſeq.* Num peccet, ſi aſſiſtat matrimonio extra propriam Parochiam? 3. 16. Num debeat eſſe Sacerdos? Num non Sacerdoti aſſiſtendi licentiam dare poſſit? 3. 17. Parochus num excommunicatus non toleratus, vel notorius Clerici percuſſor, item ſuſpenſus ab officio, & beneficio, vel irregularis, vel adminiſtratione interdictus poſſit aſſiſtere matrimonio, vel aſſiſtendi licentiam dare? 3. 18.

Pater injuſte filiorum uxores detinens an compellendus ſit per cenſuram Eccleſiaſticam, ut intra certum tempus illas reſtituat ſuis maritis? 1. 93. & *ſeq.* Pater num pro filio contrahere poſſit matrimonium, vel ſponſalia? 2. 17.

Patrinus quis dicatur? 11. 33. Ad hoc munus quænam requirantur; 11. 34. Quinam poſſint eſſe Patrini? 11. 34. Catholicus num poſſit eſſe Patrinus ſuſcipiendo prolem Acatholici, quæ a miniſtro hæretico baptizatur? 11. 41. Patrinus hæreticus num admittendus, ſi proles Catholica ab hæretico baptizatur? 11. 42.

Patrini ipſi num inter ſe contrahant cognationem ſpiritualem, & propterea Patrini conjugati priventur jure exigendi debitum? 11. 32. Num plures in Baptiſmo, vel Confirmatione intervenire poſſint, & an omnes contrahant cognationem ſpiritualem? 11. *nn.* 26. 27. 28. & 30. Quid præterea circa hos ſtatuerit Concilium Trident. 11. 29.

Patrinos deſignare ad quos pertineat? 11. 30.

Pœna tum viri ducentis eodem tempore plures uxores, tum mulieris nubentis ſimul pluribus viris, quænam ſit tam de Jure Civili, quam Canonico? 19. 45. Quam pœnam incurrat Sacerdos ſecundis nuptiis benedictionem impertiens? 21. *n.* 10. & 16. Pœna matrimonium contrahentis cum illa, quam alter ſibi deſponſaverat per verba de præſenti, quænam ſit? 4. 7. Quam pœnam incurrant ineuntes matrimonium intra gradus prohibitos? 14. 26. Pœna contrahentium matrimonium in gradu conſanguinitatis, vel affinitatis prohibito, aut cum Moniali, nec non Religioſorum, Monialium, aut Clericorum in Sacris conſtitutorum quæ ſit? 14. 40. & 2. *ſeqq.* Num etiam mandantes, conſulentes, aut adjuvantes ad hujuſmodi matrimonium illam pœnam incurrant? 14. 43. & quæ ad illam incurrendam requirantur, vel ab ea excuſent? 14. 45. & 3. *ſeqq.* An ipſo facto incurratur, & qui ab ea poſſit abſolvere? 14. 48. Quænam pœna ſit ſtatuta in contrahentes matrimonium contra interdictum Eccleſiæ? 16. *n.* 2. & 3. Quænam in illos, qui prohibentur inire matrimonium propter impedimentum conſanguinitatis, ſi poſtea matrimonio jungantur contra interdictum Eccleſiæ? 16. 8. & *ſeq.* Quænam in parentes baptizantes proprios filios, aut in Baptiſmo, vel Confirmatione ſuſcipientes? 11. 7. Quænam in conjugem inſidiantem vitæ alterius conjugis? 19. 55. & 2. *ſeqq.*

Pœnæ matrimonii clandeſtini quæ ſint; 3. *n.* 36. 37. & 39. Quænam contrahentium, & teſtium aſſiſtentium matrimonio clandeſtino; 3. 40. Quænam Parochi, vel alterius Sacerdotis aſſiſtentis? 3. 41. & 2. *ſeqq.* Quænam ſint ſtatutæ Jure Civili in fœminas viduas tranſeuntes ad alias nuptias intra annum luctus? 21. 7. Num illæ jure Canonico abrogatæ? 21. 8. Pœnæ quænam ſint decretæ in favorem filiorum prioris matrimonii, ſi vidua tranſeat ad ſecundas nuptias? 21. 9. Num hæ per Jus Canonicum ſint correctæ? 21. 10. Pœnæ quænam ſint ſtatutæ in detinentes uxores filiorum? 1. 93. Pœnæ viri committentis inceſtum cum conſanguinea uxoris, quæ ſint, & quæ uxoris committentis inceſtum cum conſanguineis viri? 13. 2. & *ſeq.*

Pœnitentia num injungenda ob violatam fidem priorum ſponſalium de futuro? 1. 58.

Polygamia, ſeu matrimonium unius viri cum pluribus uxoribus ſimul initum num ſit contra primævam illius inſtitutionem, & quo jure irritum ſit? 1. 127. Num ita repugnet juri naturali, ut non poſſit ullo caſu cohoneſtari? 1. 129. Num etiam Polygamia, ſive matrimonium unius fœminæ cum pluribus viris ſimul initum? 1. *n.* 128. & 130. Num Pontifex in nulla harum diſpenſare poſſit? 1. 130.

Probatio defectus natalium cui incumbat? 17. 27. Num quis probetur eſſe filius ex eo, quod nutritus ſit in domo alicujus, ſi maritus, & uxor negent illum eſſe ſuum filium? 17. 49. & *ſeq.* Ad probandam prolem eſſe illegitimam, & matrimonium fuiſſe invalidum, quando fuit contractum in facie Eccleſiæ, num ſufficiat probare ſolum impedimentum matrimonii? 17. 51. & *ſeq.* Quomodo probari poſſit, ac debeat filiatio? 17. 53. Quomodo plene probetur filiatio? 17. 50. Quænam præterea notanda ſint ad probandum aliquem eſſe filium legitimum? 17. 56.

Profeſſio Religioſa num diſſolvat ſponſalia? 1. 142. Num poſſit Profeſſio Religioſa fieri in manibus privati Religioſi? 6. 19.

Profeſſorum habitus aſſumptus extra Religionem num impediat matrimonium contrahendum, vel dirimat contractum? 6. 21. & *ſeq.* Quando per aſſumptionem habitus Profeſſorum extra clauſtrum Monaſterii fiat votum ſolemne, ita ut impediat, vel dirimat matrimonium poſtea contractum, vel non? 6. 23.

Promiſſio matrimonii an poſſit eſſe materia voti? 1. 2. Promiſſio non ſimplex, ſed mutua, ita ut alter pars non tantum acceptet, ſed etiam repromittat matrimonium, num requiratur ad contrahenda ſponſalia? 1. 3. Promiſſio matrimonii abſoluta, & gratuita, altera parte illam acceptante, nec repromittente, an obliget ad contrahendum matrimonium, & num vi ſponſalium, vel liberalis promiſſionis? 1. 3.

Pubes contrahens ſponſalia cum impubere num teneatur hunc expectare, donec pubes fiat? 2. 20. & *ſeq.*

Puberes quinam ſint, & dicantur quoad matrimonium contrahendum? 2. 34. & *ſeq.*

Q

Quæſtio natalium oppoſita petenti hæreditatem coram Judice ſeculari, num remitti debeat ad Judicem Eccleſiaſticum ab eodem cognoſcenda? 17. 24. & *ſeq.*

R

Religioſus num bona ſua retinere poſſit? 6. 20.

Religionis ingreſſus qualiter diſſolvat ſponſalia? 1. 50.

Religionem ingredi an quis poſſit ante contractum, vel conſummatum matrimonium, ſi quam ſub ſpe matrimonii corrupit? 1. 54.

Repudium legitimæ uxoris num poſt legem Evangelicam Judæis, vel aliis infidelibus permiſſum ſit? 19. 49.

S

Sacramenta num fideles omnes recipere cenſeantur juxta intentionem Eccleſiæ? 5. 17.

Sententia in cauſa matrimoniali num ferri poſſit, altera parte abſente? 18. 9. & *ſeq.*

Servus num invito domino licite matrimonium contrahere poſſit? 9. 1. & *ſeq.* Servus num omnia Sacramenta ſuſcipere valeat? 9. 3. An poſſit manumitti ſub ea conditione, ſeu modo, ut fiat Monachus, vel Clericus? 5. 35. Servus a proprio domino traditus in matrimonium perſonæ liberæ ignaræ ſervitutis an fiat liber? 9. 10.

Servitus. Onus probandi ignorantiam ſervitutis cui incumbat? 9. 13.

Signa quælibet num ſufficiant ad contrahenda ſponſalia; 1. 7. Num ſuppleant verborum vices? 1. 8.

Societas num contrahatur inter conjuges? 20. 29.

Sponſalia unde dicantur, & quotupliciter? 1. *n.* 1. Sponſalia quid ſint? Requiſita ad illa? 1. 2. & 2. *ſeqq.* An præcedere debeant matrimonium? 1. 6. A quibus contrahi poſſint? 1. 9. Num ab amente, ebrio, furioſo? 1. 10. Num a ſurdo tantum, vel muto tantum? Num a ſurdo, muto, imo & cæco ſimul, 1. 11. Num ſponſalia ſine arrhis contracta obligent ex juſtitia ſub culpa lethali ad matrimonium contrahendum? 1. 15. Num etiam ſine teſtibus? 1. 15. Quo tempore obligent ad contrahendum matrimonium? 1. 16. Num contrahantur per verba, aut ſigna quælibet? V. *Verba*, & V. *Signa*. Sponſalia per gravem metum injuſte incuſſum contracta num ſint valida? 1. 21. Contractui ſponſalium num pœna adjici poſſit, & a quibus? 1. 22. & 2. *ſeqq.* Num intervenire poſſint arrhæ? 1. 25. Sponſalia clam contracta ſine Parocho, & teſtibus, etiam poſt Concilium Trident. num valida ſint, vel licita? 1. 26. Num per ſubſecutam copulam carnalem tranſeant in matrimonium de præſenti? 1. 27. Num etiam in locis, in quibus Decretum Concilii Trident. eſt receptum, vel non receptum? 1. 28. Quid ſi copula carnalis non ſit ſecuta, ſed ſolum niſus ad illam? 1. 29. Num ſaltem ex tali conatu ad copulam oriatur impedimentum publicæ honeſtatis? V. *Impedimentum publicæ honeſtatis*. Quam ætatem requirant ſponſalia? 2. 1. & 2. *ſeqq.* Sponſalia duorum infantium, vel unius majoris ſeptennio, alterius minoris, ſive per ſe, ſive per parentes contracta num valida ſint; Et quando inducant impedimentum publicæ honeſtatis? 2. 11. In ſponſalibus num malitia ſuppleat ætatem? 2. 12. Sponſalia inter impuberem, & puberem, vel duos impuberes non tamen proximos pubertati, per verba de præſenti contracta, num valeant ut ſponſalia de futuro, & quomodo tranſeant in matrimonium? 2. 13. & *ſeq.* Sponſalia pro præſentibus filiis, & tacentibus per parentes contracta, num valida, & quid ſi pro abſentibus, & ignorantibus? Num ex eis oriatur impedimentum publicæ honeſtatis? 2. 15. & *ſeq.* Sponſalia pro filio adulto, & pro infante contracta in quo differant? 2. 18. Sponſalia ſucceſſive contrahens cum duabus cui adhærere debeat? 4. 1. & *ſeq.* Sponſalia contrahens cum duabus quænam ſervare teneatur, & quæ ſint valida; 5. 28. Num ſi quis cum aliqua ſponſalia ſub conditione contraxit, & poſtea cum alia prioris conjugis conſanguinea contrahat

trahat

trahat per verba de præſenti, cum ſecunda remanere debeat? 1. 35. Sponſalia de futuro jurata num contrahi poſſint ſub conditione de futuro, & num tranſeant in matrimonium de præſenti per copulam ſubſecutam? 5. n. 5. *&* 2. *ſeqq.* Sponſalia a pubere cum puella minore ſeptennio contracta an pariant publicæ honeſtatis juſtitiam? 1. 31. *&* *ſeq.* Sponſalia inita cum minore ſeptennio per mutuam cohabitationem poſt ſeptennium, num convaleſcant, & inducant impedimentum publicæ honeſtatis? 1. 26. *&* *ſeq.* Sponſalia iniens cum aliqua, & poſtea illius ſororem cognoſcens, num ab utraque abſtinere debeat? 13. 25. *&* *ſeq.* Quid ſi matrem ſponſæ cognoſcat? 13. 30. *&* *ſeq.* Sponſalia contrahens ſub conditione honeſta, & ante impletam conditionem habens copulam cum illa, num a conditione receſſiſſe videatur, & matrimonium teneat, 5. 20 Sponſalia de futuro non tantum pura, & abſoluta, ſed etiam conditionalia, num per ſecutam copulam tranſeant in matrimonium? 5. 21. Sponſalia ſecunda, diſſolutis primis, implere an quis teneatur? 1. 57.

Sponſalia de præſenti num diſſolvantur per ſubſequens matrimonium conſummatum? 4. 3. *&* *ſeq.* Quid ſi quis ſponſalia per verba de præſenti contraxit cum duabus, quam debeat habere in uxorem? 4. 5. Sponſalia num diſſolvantur ob quemlibet morbum contagioſum ſupervenientem uni ex ſponſis? 8. 2. Sponſalia priora num diſſolvantur per affinitatem ſupervenientem 1. 37. Sponſalia de futuro num diſſolvantur per matrimonium ſubſequens? 1. 37. Num mutuo contrahentium conſenſu? 1. 40. Quid ſi unus ex ſponſis a ſponſalibus ſine cauſa reſiliat? Quid ſi minis, terroribus? &c. adactus 1. 41. An, & qua ratione diſſolvantur, elapſo termino ad matrimonium contrahendo præfixo? 1. 44. *&* 2. *ſeqq.* Num diſſolvantur ſponſalia abſentia ſponſi? 1. 47. *&* 2. *ſeqq.* Num per matrimonium initum de præſenti diſſolvantur priora ſponſalia ante pubertatem contracta? 2. 26. *&* *ſeq.* Sponſalia priora etiam jurata num diſſolvantur per poſteriora? 1. 56. Sponſalia de futuro etiam jurata num ſolvantur per ſponſalia de præſenti valide, etſi illicite contracta? 1. 58. Num diſſolvantur, ſi ſponſus in hæreſim incidat? 1. 60. Sponſalia etiam jurata num ſolvantur per ſubſequentem fornicationem, tam ſponſi, quam ſponſæ? 1. 60. Num diſſolvantur, ſi ſponſa ab alio vi ſit oppreſſa? 1. 61. Num liceat ſponſo reſilire a ſponſalibus, ſi ſponſa ſe permittat turpiter tangi ab alio? Num etiam ſponſæ ob oſcula, vel tactus impudicos ſponſi cum alia? 1. 61. Sponſalia num diſſolvantur ob fornicationem ſponſi præcedentem ſponſalia, & ſponſæ cognitam? 1. 62. Quid ſi tam vir, quam fœmina poſt ſponſalia fuerint fornicati? 1. 62. Num reſcindantur ſponſalia, ſi ſponſa corrupta fuit ab alio ante ſponſalia, ſponſo id ignorante, & virginem eam exiſtimante? Num ſi ſcivit eſſe viduam, ignoravit tamen ejus fornicationem? 1. 61. Num reſcindantur ſponſalia propter quamlibet novam cauſam rationabilem, vel mutationem notabilem ſupervenientem poſt ſponſalia? 1. 63. Mutationes ejuſmodi notabiles, ob quas a ſponſalibus recedere liceat, quot annumerentur a DD. 1. 64. Num ſi ſive ante, ſive poſt contracta ſponſalia, probabiliter ab altero ignoratæ ſint? 1. 65. Quid ſi cognita ejuſmodi cauſa, ſponſus carnaliter ſponſam cognoſcat? 1. 65. An diſſolvenda ſponſalia ob cauſam rationabilem, & mutationem notabilem opus ſit ſententia Judicis, an vero propria auctoritate, contrahentes reſilire poſſint? 1. 65.

Sponſalium fidem implere recuſans, num cogi poſſit a Judice Eccleſiaſtico per cenſuras ad contrahendum matrimonium, vel num potius monendus? 1. n. 17. 18. 19. 20. 24. *&* *ſeq.* Sponſalium fidem violans an damnum ſponſæ illatum compenſare teneatur? 1. 59.

Sponſalium priorum obligatio num per matrimonium ſubſequens validum omnino extinguatur, an vero ſolum ſuſpendatur? 1. 59.

Sponſus. Sponſo, vel ſponſæ aſſerenti, ſi talis cauſa a principio extitiſſet, ſe non fuiſſe contracturum ſponſalia, an fides in utroque foro ſit adhibenda? 1. 63.

Surdus an poſſit inire ſponſalia, & matrimonium? 1. 11.

T

Terminus ad contrahendum matrimonium quot modis apponi poſſit in contractu matrimonii? 1. 46.

Teſtis idoneus num pater eſſe poſſit in cauſa filii? 18. 3. Teſtis unus num ſufficiat ad impediendum matrimonium? 13. 15. Num etiam ad diſſolvendum matrimonium? 14. 31. Teſtis unicus aſſerens conjugem abſentem eſſe mortuum, num ſufficiat, ut conjux ſuperſtes aliud matrimonium inire poſſit? 1. 134. Teſtis unicus aſſerens impedimentum inter aliquos intercedere an, & qua ratione impediat matrimonium contrahendum? 1. 153. *&* *ſeq.* Quænam requirantur, ut unicus teſtis poſſit impedire matrimonium contrahendum? 1. 154.

Teſtes ad contrahendum matrimonium requiſiti num debeant eſſe præſentes matrimonio, non tantum phyſice, ſed etiam moraliter? 3. 22. Num ad id vocari? 3. 23. Quot requirantur, & quales? 3. 24. Teſtes ad hoc ut matrimonium ſit validum, an non tantum contractui ſub conditione de futuro, ſed etiam impletioni conditionis intereſſe debeant? 5. 25. Teſtes in cauſa matrimoniali an, & quando recipi poſſint etiam lite non conteſtata? 18. 9. *&* *ſeq.* Teſtes ſuper conſanguinitate deponentes quomodo gradus diſtinguere debeant? 14. 19. *&* *ſeq.*

Teſtium dicto probantium aliquem eſſe filium legitimum num ſtatur? 17. 54. *&* *ſeq.*

Teſtificari contra, vel pro matrimonio quinam poſſint? 18. 3.

V

Vagabundus. Num poſſit quivis Parochus vagabundos matrimonio conjungere non facta prius diligenti inquiſitione de eorum ſtatu, & habilitate ad matrimonium contrahendum, ac obtenta Ordinarii licentia? 3. 19.

Vaſallus num concedere poſſit feudum, ſeu partem feudi filiæ ſuæ in dotem, vel donationem propter nuptias ad vitam illius, ſine conſenſu domini, & num idem dicendum de Emphyteuſi? 20. 24. *&* *ſeq.* Num ſaltem commoditatem fructuum? 20. 24. *&* *ſeq.*

Verba Parochi *Ego vos in matrimonium conjungo &c.* an ſint neceſſaria ad valorem matrimonii? 3. 22. Verba quænam ſint, quibus contrahuntur ſponſalia? 1. 7. Quid ſi ſint dubia? 1. 8. Num verba ſint de eſſentia matrimonii, an ſolum neceſſaria ex præcepto Eccleſiæ, & quid intelligatur per verba? 1. 14. Verba ſponſalium, aut matrimonii ſi obſcura ſint, quomodo intelligenda ſint? 1. 84. *&* *ſeq.*

Verbis Interpretis, ſi per eum ſit contractum matrimonium, num danda ſit fides? 1. 85.

Votum caſtitatis a ſponſo editum, an alterum liberet a ſervandis ſponſalibus? 6. 28. Votum ſimplex perpetuæ continentiæ editum animo permanendi in ſeculo, an diſſolvat ſponſalia de futuro? 6. 26. *&* 2. *ſeqq.* Quando per aſſumptionem habitus Profeſſorum, extra clauſtrum Monaſterii, fiat votum ſolemne, ita ut impediat, vel dirimat matrimonium poſtea contractum, vel non fiat tale votum? 6. 23. Votum Religionis emittens ante ſponſalia, ſignam corrupit, fide data de contrahendo matrimonio, an teneatur eam ducere, non obſtante voto? 1. 54. Votum ingrediendi Religionem, ac profitendi an diſſolvat ſponſalia etiam jurata? 1. 51. *&* 2. *ſeqq.* Votum ſolemne caſtitatis an dirimat matrimonium ſubſequens? 6. n. 13. 14. 16. 17. *&* *ſeq.* Quo jure? 6. 15. Num etiam votum ſimplex? 6. 24. An etiam diſſolvat priora ſponſalia? 6. 27. *&* *ſeq.* In quo differant votum ſolemne, & ſimplex? 6. 25. Votum ſuſcipiendi Ordines ſacros num dirimat ſponſalia? 1. 55.

Voto caſtitatis ligatus contrahens ſponſalia an teneatur, etiam voti diſpenſatione impetrata, ad ea ſervanda? 1. 57.

Vota tria ſimplicia Societatis JESU, poſt biennium probationis emiſſa, num irritent matrimonium poſtea, vel etiam antea contractum? 6. 26.

Uſufructuarius cui poſſit jus uſusfructus cedere? 20. 25.

Uxor abſentem virum quamdiu expectare debeat, ut poſſit alii nubere? 1. 136.

Uxor filii num ſit ſubjecta poteſtati ſoceri? 1. 94. Uxor num teneatur obedire præceptis mariti quoad pertinentia ad familiæ adminiſtrationem? 2. 174. Num teneatur ſequi virum mutantem domicilium, *&* quando non teneatur? 2. 174.

Ad majorem DEI Gloriam.

Digitized by Google

[illegible]

Digitized by Google

JUS CANONICUM
NOVA METHODO EXPLICATUM,
OMNIBUS CAPITULIS TITULORUM
PROMISCUE, ET CONFUSE POSITIS, IN ORDINEM DOCTRINÆ DIGESTIS.

Reſpondens Libro quinto Decretalium,

IN QUO DE JUDICIO, SEU ORDINE JUDICIARIO
CRIMINALI NEC NON DE CRIMINIBUS ECCLESIASTICIS, ET SÆCULARIBUS, QUÆ MIXTI FORI SUNT, HOC EST, UTRIQUE JURI CANONICO ET CIVILI COMMUNIA EORUMQUE PŒNIS AGITUR, ET QUÆ AD EADEM PERTINENT, PLENE & THEORICE TRACTANTUR, ET EXLICANTUR.

ADDITUS EST, PRÆTER SYNOPTICUM ET METHODICUM
ALIUS INDEX ALPHABETICUS A PLURIBUS DESIDERATUS.


A U C T O R E

R. P. ERNRICO PIRHING

SOCIETATIS JESU THEOLOGO, SS. CANONUM
IN ALMA, CATHOLICA, ET EPISCOPALI UNIVERSITATE
DILINGANA PROFESSORE EMERITO.

T O M U S   Q U I N T U S.

EDITIO NOVISSIMA.



V E N E T I I S,

M D C C L I X.

Ex Thipographia Remondiniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

REVERENDISSIMO ET CELSISSIMO

S. R. I. PRINCIPI,

AC DOMINO, DOMINO

JOANNI CHRISTOPHORO

PRÆPOSITO.

ET DOMINO ELVACENSI

DOMINO AC PRINCIPI SUO CLEMENTISSIMO.

PRæſentem in V. Librum Decretalium Commentarium meum apud Reverendiſſimam Celſitudinem Tuam *depono. Librorum in hoc genere a me elaboratorum ultimum: non quidem natu (nam iſte velut ſuis, quæ explicat, delictis hiſpidus Eſau molliorem de Matrimonio Jacobum juſta præcocitate prævertit)ſed tamen ordine, & Juſtiniani diſpoſitione, quin & Bibliothecarum ſitu, poſtremo inter ſuos loco ſtatutum. Huic* Te Clementiſſime Princeps, *eo conſilio, Patronum diſtuli, quo ſolent Archiſtrategi, in ſubſidium reſervare eos, quorum animo & virtuti ita confidunt, ut ſi cæteris forte deficeret conſtantia, ii crederentur, vel ſoli rem collapſam reſtituturi. Tale Ego meis lucubrationibus, in* Tua Reverendiſſima Celſitudine, *reperio munimentum. Nemini enim Sparta ſecurius committitur, quam amanti, & in ejus conſervatione ſua gaudia reponenti: nemini libros tutius commendaverim, quam eorum Sapientiſſimo æſtimatori. Orbi theutonico notum eſt, quanti faciat* Tua Reverendiſſima Celſitudo *Doctorum placita per typum poſteritati repoſita, ſcilicet quam quiſque maximi. Id ſi quis credere cunctaretur, convinceret ampliſſima doctiſſimorum Codicum Apotheca, quam Elvaci, in Tuæ Sedis clariſſima arce conſtituis, ea magnificentia, ut alios theſauros ignorare, certe aſpernari videaris, niſi illos, in quos ſapientiæ aurum conjicitur, tanquam expeditum, & ditiſſimum Promptuarium, unde Tua altiſſima conſilia, ſapientiſſima Oracula, & prudentiſſima facinora tanquam ex domeſtica penu deſumantur.*

In hanc itaque ſapientia contra inſcitiam armatæ Panopliam Tuam anhelat Liber meus, eo majore admiſſionis fiducia, quo lubentius meminit Fratres ſuos, priores tres Codices in idem Jus conſcriptos, ſine Parentis commendatione, ultronea dignatione Tua fuiſſe receptos. Accedit confidentiam hujus paginæ, quod jactare audeat, eſſe ſe præclaræ illius, quæ in Celſiſſimo animo Tuo dominatur, Juriſprudentiæ collectaneam. Quia hæc mea ab eodem Dilinganæ Univerſitatis ubere pependit, a quo primam adulta Tua ſapientia dignata eſt ſugere alimoniam, immortali Altricis Tuæ gloriatione. Ut reperias Celſiſſime Princeps, *quod in hoc opere* diligas, Dilinga *venire humaniſſime recordare. Ex eo nimirum loco, cujus Academiam, Collegium, & totam ibi conſtitutam, humillimeque* Tibi *devotam Societatem Jeſu, ſupra meritum noſtrum fovere* Te, *celebratiſſima Humanitas, comperta in nos munificentia, aſſidua in ſingulos diſpenſata Clementia Tua proloquuntur. Hic itaque venientem iſtum Surculum meum Tuo ſelectiſſimo Minervæ Viridario implanta, aut verius rude Chryſtalli fruſtulum pretioſis litterariæ gazæ Tuæ Cymeliis appone. Externa ſcrinia, foruloſque tantum ambit meus hic labor; nam ad internam illam, quam in ſapientiſſimo pectore vivam circumfers Bibliothecam, non audet aſpirare: niſi fortaſſis ad aliquam eorum, quæ dudum protriviſti, recordationem. Fatetur enim, nullum ſe poſſe ſcientiæ Tuæ adferre momentum, ideo ſolum illius gratitudinis, quam Ego & Dilingana Societas debemus, affectat ſtare perpetuum monumentum. Hoc Mnemoſynon clementiſſime accipe, ac vive. Et qui calamitoſa belli tempora fortiter, ac provide ſuperas, fortunatos pacis annos feliciter attinge. In illis ad DEI. Superumque ampliorem honorem, Tuam gloriam,*

Eccleſiæ Elvacenſis columen ac decus, ſubjectorum ſolatium, ac noſtrum, bonorumque omnium deſiderium, fauſtiſsime perenna. Ita precibus noſtris a Divina Clementia exorare nunquam deſiſtemus. Dilingæ die 4. Nov. An. M. DCLXXVII.

REVERENDISSIMÆ CELSITUDINIS TUÆ

Servus Obſtrictiſſimus
ERNRICUS PIRHING
SOC. JES.

INDEX ALPHABETICUS
TITULORUM
LIBRI QUINTI DECRETALIUM.

	Titulus	*Pagina.*	*& Ind. Synopſ.*	
DE accuſationibus, inquiſitionibus, & denunciationibus.	I.	1.	&	290.
Adulteriis & ſtupro.	XVI.	112.	&	311.
Apoſtatis & reiterantibus Baptiſma.	IX.	85.	&	305.
Calumniatoribus.	II.	17.	&	292.
Clericis pugnantibus in duello.	XIV.	110.	&	311.
Clerico excommunicato, depoſito, vel interdicto miniſtrante.	XXVII.	178.	&	321.
Clerico non ordinato miniſtrante.	XXVIII.	185.	&	322.
Clerico per ſaltum promoto.	XXV.	175.	&	321.
Clerico percuſſore.	XXIX.	187.	&	322.
Clerico venatore.	XXIV.	175.	&	321.
Colluſione detegenda.	XXII.	196.	&	320.
Crimine falſi.	XX.	165.	&	319.
Delictis puerorum.	XXIII.	174.	&	321.
Eo, qui furtive Ordinem ſuſcepit!	XXX.	188.	&	323.
Exceſſibus Prælatorum, & ſubditorum.	XXXI.	189.	&	323.
Furtis.	XVIII.	132.	&	315.
Hæreticis.	VII.	59.	&	300.
His, qui filios occiderunt.	X.	87.	&	306.
Homicidio voluntario, vel caſuali.	XII.	88.	&	307.
Infantibus, & languidis expoſitis.	XI.	88.	&	306.
Injuriis, & damno dato.	XXXVI.	237.	&	328.
Judæis & Saracenis, & eorum ſervis.	VI.	54.	&	299.
Magiſtris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.	V.	52.	&	298.
Maledicis.	XXVI.	176.	&	321.
Ne Prælati vices ſuas, vel Eccleſias ſub annuo cenſu concedant.	IV.	50.	&	298.
Novi operis nunciatione.	XXXII.	196.	&	323.
Pœnis.	XXXVII.	239.	&	328.
Pœnitentiis, & remiſſionibus.	XXXVIII.	244.	&	329.
Privilegiis & exceſſibus privilegiatorum.	XXXIII.	199.	&	324.
Purgatione Canonica.	XXXIV.	230.	&	327.
Purgatione vulgari.	XXXV.	236.	&	328.
Raptoribus, Incendiariis, & violatoribus Eccleſiarum.	XVII.	124.	&	313.
Sagittariis.	XV.	112.	&	311.
Schiſmaticis, & ordinatis ab eis.	VIII.	83.	&	305.
Sententia excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti.	XXXIX.	251.	&	330.
Simonia, & ne aliquid pro ſpiritualibus exigatur, vel promittatur.	III.	18.	&	293.
Sortilegiis.	XXI.	171.	&	320.
Torneamentis.	XIII.	100.	&	311.
Uſuris.	XIX.	137.	&	316.

LIBER

LIBER V. DECRETALIUM.

Poſtquam in duobus Libris Superioribus Tertio, & Quarto, tractatum fuit de rebus ſeu Cauſis Civilibus, ſcilicet pertinentibus ad Judicium Eccleſiaſticum Civile: Nunc in hoc Libro V. & ultimo agitur de Cauſis criminalibus, ſive iis, quæ pertinent ad Judicium Eccleſiaſticum criminale. In quo tractatur inprimis, quo pacto Judicium criminale in foro Eccleſiaſtico inſtitui debeat. Deinde agitur de ipſis criminibus ſeu delictis, quæ ad forum Eccleſiaſticum deduci debent, in eoque proponi & probari. Denique etiam de pœnis, quæ in hoc foro reis infliguntur a Judice Eccleſiaſtico.

TITULUS I.

De Accuſationibus, Inquiſitionibus, & Denunciationibus.

TRibus modis Cauſæ, & Actiones criminales in Judicium deducuntur, & inſtituuntur. Quandoque per accuſationem, aliquando per Inquiſitionem, interdum per denunciationem, *c. Qualiter*, 24. *hoc tit. & cap. Licet.* 30. *in princ. de Simon.* Quamvis hi modi procedendi criminaliter ad duos generales reduci poſſint. Vel enim Judex procedit ex officio ſuo, hoc eſt, nullo alio accuſante, vel denunciante: Et dicitur procedere per inquiſitionem. Vel procedit ad inſtantiam, ſive petitionem alterius, accuſantis ſcilicet, vel denunciantis: Et dicitur procedere per accuſationem, vel denunciationem. De quibus omnibus modis in hoc titulo agetur. Qui extat etiam in Sexto Decretalium Bonifacii VIII.

SECTIO I.

De Accuſationibus.

§. I.

Quid ſit Accuſatio, & quæ ſit Forma, ſive quæ conditiones ad illam requirantur?

I. ASSERTIO 1. Accuſatio eſt *alicujus criminis apud Judicem competentem ad vindictam publicam legitime facta delatio.* Ita fere communiter Doctores. Quamvis aliqui addant, *in libello, & interveniente ſubſcriptione facta.* Quæ definitio declarabitur *in ſeqq.* Duplex eſt autem accuſatio, una publica, & jam deſcripta, quæ ſcilicet directe tendit ad perſecutionem juris publici, ſive ad vindictam publicam criminis, ut reus puniatur corporaliter, vel pœnam pecuniariam ſolvat applicandam fiſco. Alia vero eſt accuſatio privata, quæ fit ob privatam injuriam, ſibi vel ſuis illatam vindicandam, ſive ad pœnam applicandam parti læſæ. *Farin in praxi crim. p. 5. lib. 2. de accuſ. tit. 2. q. 15. in princ. Zoeſ. in Comment. in Decret. hoc tit. nu. 1.*

II. Aſſertio 2. Spectato Jure Communi, ad formam accuſationis requiritur 1. ut libellus accuſatorius offeratur in ſcriptis, ut ex communi ſententia tradit *Clarus §. fin. q. 12. num. 7.* Idque tum, ut conſtet, quid accuſator probare debeat, tum ut in ea non poſſit quidpiam mutare, ſi forte viderit, ſe non poſſe probare, *Leſſ. l. 2. de Juſt. cap. 30. num. 2.* verum conſuetudine receptum eſt, ut poſſit fieri accuſatio verbaliter, modo Notarius eam ſtatim in ſcriptum redigat, teſte *Clar. cit. l. n. 8. Azor. p. c. libr. 13. cap. 19. dub. 2.* 2. Requiritur, ut exprimatur annus, & dies, quo porrigitur libellus accuſationis, *l. Libellorum. 3. ff. de accuſ.* & ibi *Gl. V. Dies. Clarus cit. l. n. 8.* 3. Exprimi debet nomen accuſatoris & accuſati, *cit. l. 3.* Nomen item Judicis, *cit. l. 3. juncta Gl. ibidem V. Conſul.* ut ſciatur, an competens, ſit nec ne. 4. Exprimenda eſt ſpecies delicti, v. g. Adulterium, *cit. l. 3.* Quia ſuper hoc fundatur intentio accuſantis. 5. Locus, & tempus, nempe annus & menſis, in quo delictum commiſſum eſt *cit. l. Libellorum.* Quia alias accuſatio redderetur incerta, & reo adimeretur facultas ſe defendendi, ita ut non poſſet probare negativam determinatam ad certum locum, & tempus, nec convincere teſtes, qui contra illum deponunt, falſitatis. *Clarus cit. q. 12. n. 8. & 9.* Non autem tenetur Accuſator exprimere in libello diem, neque horam commiſſi criminis, *cit. l. Libellorum*, quia alioqui poteſtas accuſandi, & probandi nimis reſtringeretur, cum quis facile poſſit oblivisci diei, vel etiam hebdomadæ, in qua commiſſum eſt delictum: Nec enim tempus ita cadit ſub ſenſum, ſicut locus. *Leſſ. cit. cap. 30. n. 4. 6.* Requiritur Jure Communi inſcriptio, ſeu ſubſcriptio accuſantis, *cit. l. Libellorum. in fine.* qua ſe is ſubſcribit ad pœnam talionis, hoc eſt, ad ſimilem pœnam ſubeundam, ſi accuſationem non probaverit, *l. ult. C. De Accuſ.* & ibi *Gl. V. Vinculum Inſcriptionis*, & promittit ſe illam proſecuturum uſque ad finem ſeu ſententiam. *l. Si cui 6. in fine ff. eod.* Idque ſtatutum eſt ad refrænandam temeritatem accuſatorum, ne facile quis proſiliat ad accuſationem. *cit. l. Si cui. in prin. Clarus cit. q. 12. nu. 15. & 16.* Verum hodie iſta ſolemnitas inſcriptionis, & pœna talionis in foro, & judicio ſæculari non eſt amplius in uſu, ſed per contrariam conſuetudinem abolita, teſte *Claro q. 12. nu. 17.* Tum quia per eam retrahuntur homines ab accuſando, nolentes in ſe recipere onus probandi, cum tanto periculo: Tum quia nunc Judex ex officio procedere poteſt, ſi actor defecerit in probatione, *Leſſ. cit. c. 30. nu. 8.* In foro autem Eccleſiaſtico, & Jure Canonico adhuc neceſſaria eſt hujuſmodi Inſcriptio, prout ſumitur ex *c. Super his. 16.* ibi. *Sed cum in modum accuſationis, oportet inſcribi, & cap. Qualiter. 24. h. t.* prope finem; *ſicut accuſationem legitima debet præcedere Inſcriptio. Hoſtienſ. in ſumma* ubi ait, quod ſine inſcriptione accuſatio non admittatur, id eſt, reus reſpondere non cogatur. *Clarus cit. q. 12. n. 18. Leſſius cit. l. n. 9.* Excipiuntur tamen quidam caſus, in quibus nec de Jure Canonico, nec Civili, inſcriptio eſt neceſſaria, ut ſi crimen leve ſit, *l. Levia 6. ff. de accuſ.* Et plures alii, quos recenſet *Gl. in cit. c. Super his. V. Oportet inſcribi. h. t. & Hoſtienſ. c. l. §. Sunt tamen caſus.* Porro hodie, loco accuſationis, ſucceſſit ſimplex querela, quæ potiſſimum differt in eo ab accuſatione, quia in hac porrigitur ſolemnis libellus, & fit inſcriptio, non item in querela. *Clarus in §. fin. q. 10. nu. 2. Azor. p. 3. l. 13. c. 22. §. Aliud circa finem.*

§. II.

Quinam ad accuſandum admittantur, & qui ab eo repellantur?

III. Generaliter loquendo, omnibus eſt permiſſum accuſare:, qui non ſpecialiter & expreſſe reperiuntur Jure prohibiti. *Durand. in ſpec. l. 3. partic. 2. Tit. de accuſ. n. 1. Clarus in pract. crim. §. fin. q. 14. nu. 2. Farinac. p. 1. l. 1. Tit. 2. q. 12. n. 8.* Idque habetur in *l. Qui accuſare. 8. ff. de accuſ.* Quia quod non eſt a Jure prohibitum, intelligitur eſſe conceſſum. *c. 2. juncta Gl. V. Non incurritur. de tranſlat. Epiſcop. l. Ab ea parte. 5. de prob.* Ubi tamen diſtinguendum eſt, num crimen ſit publicum: quia ad publicam utilitatem pertinet, illud puniri, & quilibet de populo accuſare poteſt. Si vero crimen ſit privatum, is ſolummodo accuſare poteſt, cujus intereſt, ſive qui injuriam vel damnum paſſus eſt. *Leſſ. l. 2. c. 30. num. 19.*

IV. Cæterum plures, utroque Jure, ab accuſando repelluntur. Et inprimis quidem Clerici prohibentur criminaliter accuſare Laicos, *c. Sicut. 6. cauſ. 2. q. 7.* Ratio eſt: Tum quia accuſatio eſt genus illaudabilis intentionis, *c. Si quis 50.* & ibi *Gl. V. Illaudabilis. cauſ. 2. q. 7.* Ideoque Clericus ſe immiſcere non debet hujuſmodi odioſis litigiis: Tum quia Clerici debent eſſe ſegregati a vita & actionibus laicorum. *Abbas in c. Cum P. 15. nu. 8. h. t.* Et quidem ſi agatur ad publicam vindictam, Clerici accuſare non poſſunt, ſive imponatur pœna ſanguinis, ſive non; ſi vero agatur ex delicto ad conſequendam ſuam propriam injuriam, vel Eccleſiæ ſuæ, poſſunt Clerici accuſare criminaliter laicos, modo pro illo delicto non imponatur pœna ſanguinis, alioquin fieret Clericus irregularis, niſi proteſtetur, quod non intendat agere ad vindictam, ſeu pœnam ſanguinis, vel corporalem imponendam, quia alias daretur Laicis anſa impune delinquendi in Clericos *Abbas cit. l. nu. 10.* Quamvis non excuſetur ab irregularitate, ſi Clericus, cum ſimili proteſtatione, teſtimonium ferat, & reus mortis, vel mutilationis poſtea pœna plectatur. *Clarus cit. §. fin. q. 24. nu. 9. Farin. c. q. 12. n. 12.*

2. Prohibentur laici accuſare criminaliter Clericos de aliquo crimine, niſi ſuam vel ſuorum injuriam proſequantur, *c. 1. 2. & 3 & c. Sacerdotes. 8. c. Oves 13. cauſ. 2. q. 7.* Idque ſtatutum etiam habetur in *c. Cum P. 10. h. t.* & ibidem *Gl. in ſumma.* Ubi Alexander III. Joannem Laicum, qui accuſare cœperat Presbyterum quendam, non admiſit ad accuſandum, quia Laicus erat. Idque tum propter reverentiam, quam Laici tenentur præſtare Clericis tanquam Paſtoribus ſuis: Tum propter odium, quo ſolent plerumque Clericos proſequi, & quibus oppido quidam infeſti ſunt, *c. Oves. 3. & c. ſeq. cit. cauſ. 2. q. 7.* Ideoque Laici præſumuntur potius moveri odio, quam Zelo juſtitiæ ad Clericos accuſandos, *Clarus cit. q. 14. n. 21. Farinac. cit. q. 10. nu. 13.* Et hinc etiam Patronus Laicus non poteſt accuſare Clericum inſtitutum in Eccleſia, in qua eſt Patronus, *Clarus c. l. nu. 22.* Excipi debet, quod in criminibus publicis enormibus, & exceptis, ut læſæ Majeſtatis, hæreſis, Simoniæ &c. Laici etiam extranei, Clericum accuſare poſſunt *c. Sane. 4. cauſ. 15. q. 3. c. Tanta 7. de Simon. Gl. in cit. c. Cum P. V. Laicus. hoc. tit.* ſicut & in crimine dilapidationis bonorum Eccleſiæ, licet crimen exceptum non ſit. *Clarus c. l. n. 21. Farinac. c. l. q. 13.*

3. Aliqui repelluntur ab accuſando propter defectum ætatis, ut pupilli, *l. Qui accuſare 8. ff. De accuſ. c. Prohibentur, 14. cauſ. 2. q. 8.* Niſi ſuam vel parentum ſuorum injuriam proſequantur, *l. 2. §. Pupillus ff. de accuſ.* Si vero pupillus ſit major infante, impubes tamen, tunc poteſt accuſare cum auctoritate Tutoris, *arg. l. fin. C. De Auth. præſt.* Si vero pubes

eſt, minor tamen 20. annis, ipſe ſolus ſine Curatoris auctoritate, non admittitur, niſi ſuam vel ſuorum injuriam proſequatur; cum authoritate tamen Curatoris, minores indiſtincte accuſare poſſunt, dummodo 14. ætatis annum exceſſerint. *Clarus cit. l. num 7.*

V. 4. Ab accuſando repellitur mulier, propter ſexus verecundiam, & fragilitatem, qua facile inducitur ad habendum amorem vel odium. *L. 1. l. Qui accuſare. 8. ff. De accuſ. l. De crimine. 12. C. Qui accuſare. non poſſ.* niſi ſuam ſuorumque injuriam proſequatur, *cit. l. 1. & cit. l. de crimine. c. 1. 2. & 3. cauſ. 15. q. 3.* Unde poteſt uxor accuſare occiſorem mariti ſui, ea receptiſſima ſententia apud *Clarum cit. q. 14. n. 8.* Sunt & alii quidam caſus, in quibus mulier ad accuſandum admittitur, ut in criminibus exceptis, & in caſu Annonæ, quia ad publicam utilitatem ſpectat, *l. Mulierem. 13. ff. de accuſ.* & aliis quibuſdam, quos refert *Farin. cit. q. 10. nu. 16.* 5. Repelluntur ab accuſando infames & criminoſi, utroque Jure, tam Canonico, *c. Infames. 17. cauſ. 6. q. 1. c. Quarcundum 28. cauſ. 2. q. 7.* quam Civili, *l. Qui accuſare 8. ff. De accuſ. l. Criminis. 15. juncta Gl. V. Exiſtimatio. C. De his, qui accuſare non poſſunt.* niſi infames ſuam vel ſuorum injuriam proſequantur. *l. Hi tamen. 11. ff. de accuſ. l. Negandæ. 19. C. de his, qui accuſare &c.* vel niſi agatur de crimine læſæ Majeſtatis, *l. Famoſi. 7. ff. Ad leg. Jul. laſ. Majeſt.* Ubi tamen diſtinguendum eſt, inter notatos infamia Juris, qui utroque Jure ab accuſando repelluntur, *cit. c. Infames cauſ. 6. q. 1.* De Jure Canonico vero etiam notati infamia facti accuſare non poſſunt, ut colligitur ex *c. Si qui ſunt. 17. cauſ. 2. q. 7. & c. Cum in tua. 27. de Sponſal.* Non enim infamis videtur perſona integra. Similiter criminoſus nondum accuſatus, nec diffamatus de crimine, ſive ipſo jure effectus infamis, de Jure Civili non repellitur ab accuſando, niſi condemnatus ſit de crimine publico, per quod fama amittitur: de Jure tamen Canonico criminoſus, etiam nondum diffamatus, nec accuſatus, accuſare non poteſt, etſi ſuam vel ſuorum injuriam proſequatur. *Clarus c. l. nu. 9. Farin. c. l. num. 21.*

VI. 6. Excommunicatus, ſeu ligatus majore excommunicatione ab agendo in judicio repelli poteſt, ac debet, *c. Intelleximus. 7. de judic. c. 1. de except. in 6.* Ergo nec accuſare poteſt; quia accuſator in cauſa criminali proprius eſt actor. Idque ſervandum etiam in foro Civili. *Clarus c. l. n. 16. Farinac. cit. l. n. 26. & 28.* etiamſi ſuam vel ſuorum injuriam proſequatur, *Farin. c. l. n. 31.* 7. Ob reverentiam prohibentur liberi, & liberti accuſare parentes, & Patronos, *l. Qui accuſare 8. in fine ff. De accuſ. l. ult. c. De his, qui accuſ. non poſſunt.* Excipitur crimen læſæ Majeſtatis. *l. Pen. C. eodem.* Quia publicum commodum Reipubl. præferri debet privato bono parentum & Patronorum. Item vaſalli, & ſervi dominum accuſare non poſſunt. *Azor. c. l. 13. c. 19. aut. 6. num. 2.* 8. Pagani, & Judæi Chriſtianos accuſare non poſſunt, nec hæretici Catholicos, *c. Pagani 23. c. 2. q. 7.* Nec quidem in criminibus exceptis. *Gl. ibidem. V. Accuſare.* 9. Repellitur etiam pauper, qui ſcilicet in bonis habet minus, quam 50. aureos, *l. Nonnulli. 10. ff. De accuſ.* Quia paupertas cogit ad illicita. Si tamen conſtet, pauperem eſſe honeſtæ, & bonæ vitæ, repelli non debet. *Gl. in cit. l. num. 19.* 10. Non poteſt accuſatus criminaliter, pendente accuſatione, reaccuſare accuſatorem ſuum in pari, vel minore crimine, niſi ſuam vel ſuorum injuriam proſequatur. *lib. 1. & 6. lib. Negando, 19. Cod. De his, qui accuſare non poſſ.* Quia is, qui reus factus eſt, ſe purgare debet, nec ante poteſt accuſare, quam fuerit excuſatus: Non enim relatione criminum, ſed oſtenſione innocentiæ reus purgatur, *l. Is qui. 5. in fine ff. De publ. judic.* De majore autem crimine poteſt accuſatus alium, ſaltem extraneum, reaccuſare, quia majus crimen obiicere licet, *l. 1.* & ibi *Gl. V. Ut graviora C. De his, qui accuſare non poſſunt.* Cum graviori crimini per minus non debeat præjudicari, & hoc ante litem conteſtatam, non autem poſtea. *Zaſius ff. De accuſ. num. 13.* Sunt & plures alii, qui repelluntur ab accuſando, de quibus videri poſſunt DD. *cit.* Porro de alia cauſa, ob quam non admittitur quis ad accuſandum, de qua etiam in ſpecie agitur in *hoc tit.* dicetur §. *Sequenti.*

§. III.

Qua ratione repellatur quis ab accuſando ob Inimicitiam?

VII. Inter alias cauſas, ob quas repellitur quis ab accuſando, numeratur etiam inimicitia accuſatoris cum accuſato. Non tamen levis, ſed gravis & capitalis, talis enim præſumitur accuſare potius privatæ vindictæ cauſa, quam Zelo juſtitiæ. *Clarus cit. §. fin. q. 14. num. 17. Farinac. citat. q. 12. nu. 34. & ſeqq.* Quæ autem dicatur inimicitia gravis, quæ levis, Judicis arbitrio relinquitur, *Clarus c. l. & Farinac. num. 47.* Extenditur autem 1. Quod non ſolum inimici „ accuſati, ſed etiam eis cohabitantes repellantur ab accu„ ſatione, quia affectio amicitiæ ſolet incitare ad hujuſmo„ di accuſationes, & ad blaſphemandum, ſeu infamandum „ inimicos, prout habetur in *c. Repelluntur 7. h. tit.* Tales enim, qui cum inimicis accuſati cohabitant, vel frequenter cum eis verſantur, præſumuntur amici accuſatoris, & inimici illius, qui accuſatur. *c. 1. diſt. 93.* Quamvis talis non præſumatur inimicus capitalis, & idem non in totum repellitur a teſtificando, ſed ſolum minor fides ei adhibetur. *Farin. p. 2. l. 2. q. 13. nu. 46.* Quod ſi vero cohabitantes, & frequenter converſantes cum inimicis accuſati, repelluntur ab accuſatione, multo magis repellentur ipſi inimici, qui ſemper videntur habere animum ſumendi vindictam de inimico, ut ex *Durand.* docet *Barb. in cit. c. Repelluntur. num. 3. h. t.* Et propter amorem, ac odium ſæpe pervertitur humanum judicium. *c. Quatuor. 78. cauſ. 11. q. 3. Gl. in cit. cap. 7. V. Amicitia.* Ad contrahendam autem inimicitiam non attenditur, an quis habeat juſtam cauſam litigandi, ſeu accuſandi, an non; adeoque poteſt quis excipere contra inimicum, cumque ab accuſando repellere, licet, culpa ſua, cauſam dederit inimicitiæ, niſi malitioſe, ac per dolum hoc fecerit. *Abbas in cit. c. Repelluntur. nu. 5.*

VIII. Extenditur 2. Quod nec is, qui tulit teſtimonium in cauſa criminali contra aliquem, poteſt poſtea accuſare in eadem cauſa: quia ex tali teſtimonio præſumitur oriri inimicitia inter teſtem, & eum, contra quem teſtis depoſuit, prout ſumitur ex *c. Cum P. 10. h. t.* Nam cum Joannes „ Laicus accuſaſſet Presbyterum de crimine Simoniæ, ſed „ non admiſſus eſſet a Papa ad accuſandum, eo quod Lai„ cus erat: eo repulſo, Bonus Presbyter frater dicti Joan„ nis accuſavit prædictum Petrum de eodem crimine Si„ moniæ: & Papa eum quoque repulit, quia cum idem „ Joannes accuſaſſet dictum Petrum Presbyterum, Bonum „ fratrem ſuum produxit in teſtem contra ipſum Petrum: „ Et quia etiam frater dicti Petri prædictum Bonum Pres„ byterum ſuper conſimili cauſa, ſcilicet Simoniæ, vel „ alio ſimili crimine, accuſavit; ideo Papa neutrum illo„ rum admiſit ad accuſandum dictum Petrum, ſiquidem u„ nus frater, poſt alterum, eundem Petrum accuſavit. Sed „ quia uterque Presbyter, Petrus & Bonus, ſuper objectis „ criminibus eſt infamatus, ideo utrique a Papa eſt indicta „ Canonica purgatio, cum tribus Sacerdotibus facienda: li„ cet alias numerus purgatorum ſit arbitrarius, *Gl. fin. hic.* Ubi notandum; in caſu hujus c. Joannes fuit repulſus ab accuſando, non præciſe, quia fuit Laicus: (Nam de crimine excepto, quale eſt Simonia, de quo Petrus Presbyter erat accuſatus, & infamatus, ut patet ex eo, quod indicta ipſi fuit purgatio etiam Laicus accuſare potuit Clericum, ut ſupra dictum;) ſed ideo dictus Joannes fuit repulſus ab accuſando Petro, quia erant inimici ad invicem; Idque tum propter mutuas accuſationes, quia ſcilicet Bonus frater Joannis accuſavit Petrum ſuper crimine Simoniæ; & viciſſim frater Petri dictum Bonum accuſavit ſuper eodem crimine. Tum quia idem Bonus fratrem ſuum Joannem produxit in teſtem contra dictum Petrum Presbyterum, & ideo repellitur etiam tanquam inimicus, *Gl. hic V. Laicus in fine, & V. Illius cauſa. Hoſtienſ. ibid. §. Cumque.* Nam accuſans aliquem, ſi fratrem ſuum in teſtimonium producat, repellitur ab accuſatione, tanquam inimicus, *Gl. hic. in not.*

Notandum 2. Quod dictum eſt, eum qui teſtimonium fert contra aliquem in cauſa criminali, præſumi eſſe inimicum ipſius: Id procedit, ſi ſponte ſe obtulit ad teſtificandum: Secus ſi coactus depoſuit, tum enim non poteſt repelli tanquam inimicus in illa, vel alia cauſa, quia ceſſat præſumptio inimicitiæ. *Abbas hic num. 14. in fine.*

IX. Extenditur 3. Quod inimicus non ſolum repellitur ab accuſatione, ſed etiam ab exceptione voluntaria, ſeu ſponte oppoſita, prout ſumitur ex *c. Meminimus; 13. h. tit.* Nam „ cum quædam Monacha in Abbatiſſam alicujus Monaſterii „ electa fuiſſet, ejus electionem Papa confirmavit, mandans „ Epiſcopo Diœceſano, ut ei benedictionem conferret. Sed „ dum eam Epiſcopus benedicere vellet, quidam per mo„ dum exceptionis propoſuit, quod eandem de Simonia ac„ cuſare vellet, appellans, ne ipſam benediceret, ideoque „ eam Epiſcopus non benedixit. Quia vero appellationi ejuſ„ dem deferri non debuiſſet, (quippe quæ frivola fuit, & „ fruſtratoria) nam cum opponens illam manifeſtus fuerit „ electæ in Abbatiſſam inimicus, & contra illam in eadem „ cauſa electionis teſtimonium tulerit; idcirco mandat Pa„ pa Alexander III. eidem Epiſcopo, ut propter eam appel„ lationem, non differret Abbatiſſam eam benedicere, ſi fue„ rit requiſitus. Porro exceptio voluntaria hic dicitur, quando quis non moleſtatus, ſeu provocatus venit ad judicium: ſed ſponte ſe obtulit ad dicendum teſtimonium in cauſa criminali, ſine coactione: tunc enim repellitur, ab accuſando, tanquam inimicus, ac proinde in alio judicio ſeu cauſa repelli poteſt; ſecus eſt, ſi teſtimonium dixit requiſitus, quia tunc mandato Judicis paruit, & obedientia tollit omnem ſuſpicionem calumniæ, *Abbas hic num. 4. & 8.* Hinc colligitur etiam, quod inimicus non admittitur ad accuſandum etiam in crimine excepto, cujuſmodi fuit in caſu hujus c. Simonia. Alioqui enim, ſi iſte non fuiſſet manifeſtus inimicus deferendum fuiſſet ipſius appellationi, & accuſare potuiſſet electam in Abbatiſſam. *Gl. hic in not. & V. Inimicus.* Præterea etiam inimicus recenter reconciliatus non poteſt accuſare: Secus eſt, ſi inimicitia jam dudum ſit extincta, *Farinac. cit. q. 12. num. 41. & n. 42.* quia etiam inimicus in criminibus notoriis non admittitur accuſandum, *Farinac. c. l. n. 40.*

§. IV.

An Monachi ſeu Religioſi poſſint criminaliter accuſare Prælatum ſuum?

„ X. De hoc agitur in *c. Ex parte 11. h. t.* Ubi ſtatuitur, quod Monachi ſeu religioſi non ſunt repellendi ab accuſatio„ ne Abbatis ſeu Prælati ſui, non obſtante reverentia, obe„ dientia & ſubjectione, quam ipſi debent, niſi aliqua ra„ tionabilis cauſa, (quia v. g. ſunt excommunicati, vel ini„ mici, vel conſpiratores. *Gl. hic. V. Alia rationabilis;*) id „ impediat, licet alios accuſare non poſſint. Ubi notandum 1. Ratio cur Monachi accuſare poſſint Prælatum de crimine, eſt quia Monachus accuſando proprium Prælatum delinquentem, cenſetur procurare utilitatem monaſterii, cujus intereſt, non habere Prælatum malum, ſive lupum pro Paſtore: Neque in hoc ſubditus agit quippiam contra obedientiam, quia in licitis tenetur obedire Prælato; non item connivere & tolerare, ſi malus ſit, imo potius tenetur illum denunciare vel accuſare, cum totius Monaſterii id intereſt. *Gl. hic V. Alia Abbas ibid. num. 2. & 3.* Tenentur tamen Monachi interim, pendente accuſatione, obedire Abbati, eum nondum ſit privatus officio, niſi is eis præciperet, ut deſiſte-

rent

rent ab accuſatione, tum enim eiparere non debent, quia præceptum eſt injuſtum. *Abbas in cit. c. Ex parte; n. 4. Sanch. l. 6. moral. c. 12. n. 13.*

Notandum 2. Quamvis nonnulli Doctores putent, Religioſum, prinſquam accuſet Prælatum ſuum, petere ac impetrare debere veniam ac licentiam ab eodem, vel Epiſcopo: ſicut filius petere debet volens accuſare patrem. Alii tamen negant eſſe petendam, vel impetrandam, cum jam a jure conceſſa ſit, in *cit. c. Ex parte, n. 6. Sanch. cit. c. 12. n. 19.*

Notandum 3. Monachi alios accuſare non poſſunt: ut habetur in *cit. c. Ex parte*; quia religioſi cenſentur eſſe mortui mundo nec habere liberum arbitrium, ſive velle ac nolle, *Gl. in cit. c. Ex parte; V. Licet alios.* Poſſunt tamen etiam Religioſi quamvis alium extraneum accuſare duabus conditionibus concurrentibus, nempe cum licentia Abbatis, & ſi Monaſterii interſit, ſive utilitas ejuſdem id poſtulet. *c. Monachi; 3. c. 16. q. 1. Innoc. in cit. c. Ex parte; in princ. Abbas* ibid. *n. 6. Sanch. cit. c. Ex parte; 12. n. 27.*

Deinde ſi Monachus ſit Epiſcopi cubicularius, ſeu familiaris, poteſt illum delinquentem etiam ſine licentia Abbatis accuſare, vel ſaltem denunciare, cum ad hoc conſtituantur Clerici vel Monachi cubicularii Epiſcopi, ut vitæ ipſius ſint teſtes, *Can. Cum Paſtoralis; 38. c. 2. q. 7. Abbas in cit. c. Ex parte; n. 6. Sanch. c. l. n. 29.*

XI. Porro in *cit. c. Ex parte; in fine h. t.* Additur, ſi Mo„ nachi ſeu Religioſi accuſent Prælatum ſuum, cum ipſi „ proprium non habeant, neceſſariæ expenſæ ex rebus Mona„ ſterii eis miniſtrari debent, donec cauſa debitum finem „ accipiat. Quod intelligendum eſt, non tantum de expenſis ad victum, ſed etiam ad litem ſeu cauſam proſequendam neceſſariis, *Gl. fin. hic. & Abbas. n. 9.* Idemque procedit; ſive Monachus accuſet, ſive denunciet Abbatem, nam licet textus in *cit. c. Ex Parte*; loquatur de accuſatione, eadem tamen eſt ratio de denunciatione. *Jo. And. ibid. n. 3.*

XII. Limitari autem debet. Niſi Monachus accuſans Abbatem habeat aliquod peculium, tunc enim non tenetur Monaſterium expenſas litis ei ſuppeditare, quia ceſſat ratio data in *cit. c. Ex parte in fine*: Eo quod Monachus non habet proprium, ex quo poſſit expenſas Præſtare, *Abbas ibid. n. 9. Felin. n. 4. Sanch. l. 6. n. 10. c. 12. n. 21.* 2. Si Monachus accuſet Abbatem, ob utilitatem Monaſterii, hoc ſubminiſtrare debet expenſas, non item ſi propriam cauſam v. g. electionis ſuæ proſequatur. *Abbas cit. l. n. 9. Sanch. c. l. n. 23.* Quod intelligendum eſt, ſi dignitas, ad quam eligitur, ſit extra Monaſterium, quia ſi ad prælaturam in ſuo Monaſterio eligatur, tenetur Monaſterium expenſas neceſſarias ad litem motam miniſtrare, cum ejus interſit. *Felin. cit. l. n. 4. Sanch. cit. l. n. 26.* 3. Si Monachus alium, præter Abbatem, accuſet, non debentur illi expenſæ a Monaſterio, ut docet *Gl. in cit. c. Cum paſtor; 38. V. eod. cauſ. 2. q. 7.* Porro non ſtatim Monachus admittendus eſt ad accuſandum Abbatem, ſed non niſi præcedentem ſummariam cauſæ cognitionem etiam ſine præſentia partium, an procedas bono, vel malo Zelo. Nam ſi alii, ſine tali prævia inquiſitione non accuſant, multo minus Monachi. *Joan. Andr. n. 2. Abb. n. 9.* Similiter Abbati accuſato a Monachis debet Monaſterium tribuere expenſas ad ſe defendendum, uſque ad finem litis, quia etiam Monaſterii intereſt, non deponi Abbatem culpæ expertem, *Gl. hic V. Alia in fine.* & ibid. *n. 5.* Idque extenditur, ut etiamſi Abbas remotus ſit ab adminiſtratione, ſive ab illa ſuſpenſus, adhuc debent ipſi præſtari expenſæ a Monaſterio ad ſe defendendum: ſecus ſi eſſet omnino privatus titulo, id eſt, vere ac realiter depoſitus; cum tunc nihil habeat amplius commune cum Monaſterio. *Joan. Andr. hic n. 8. Abbas n. 5. Sanch. c. l. n. 24.*

XIII. Denique quod Monachi poſſint Abbatem ſuum ſeu Prælatum accuſare, etiam ſtatutum eſt *in c. Illa; 3. h. t.* „ Ubi Papa Gregorius I. reſcribit: ſi forte aliquis Abbas „ infamatus fuerit de crimine, & quiſpiam ex Monaſterio „ ſit ejuſdem Abbatia, qui poſſit, aut auſit dicere (id eſt, „ accuſare vel denunciare illum, *Gl. hic V. Dicere*;) quod „ ad culpam ſeu reatum ipſius pertineat; paratum eſſe Pa„ pam cum eis, quorum intereſt, (ſcilicet fratrum ejuſdem „ Monaſterii) cauſam ſtricte perſcrutari, ut reus vel con„ demnetur, vel abſolvatur.

XIV. Hinc colligitur 1. quod non tantum Monachi, ſed etiam converſi Laici debeant admitti ad accuſandum vel denunciandum Abbatem ſuum de crimine, cum eorum interſit habere bonum Prælatum neque ſint puri Laici *Abbas hic num.* 2. Colligitur 2. quod Prælatus non ſolum ob delictum dolo commiſſum, quod ſignificatur hic per *reatum*, ſed etiam ob culpam ſeu negligentiam non doloſam, poſſit accuſari vel denunciari ac deponi. *Abbas hic num* 3. Colligitur 3. quod non ſolum in inſtitutione, ſed etiam deſtitutione Prælati, ſive agatur per modum accuſationis, ſive etiam per modum inquiſitionis, aut denunciationis; hi, quorum intereſt, ſunt vocandi, & cauſa in eorum præſentia eſt tractanda, *Gl. hic V. Dicere, & Hoſtienſ. ibidem.*

§. V.

An Judex ex officio repellere poſſit accuſatorem inhabilem, ſeu non idoneum, etiamſi Pars nihil contra illum excipiat?

XV. Reſpondetur affirmative, idque ſumitur *ex c. Si legi„ timus; h. t.* Ubi ſtatuitur: ſi legitimus non fuerit accuſa„ tor (quia v. gr. criminoſus, qui alium accuſare non po„ teſt, *Gl. hic* V. *Legitimus*,) non fatigetur accuſatus, id eſt, repelli debet accuſator, ſi reus excipiat contra illum, vel eo nihil opponente, a Judice ex officio: & reus abſolvi ab obſervatione judicii: niſi fuerit infamatus, tum enim indici ei debet purgatio. *c. Presbyter: 13. cauſ. 2. q. 5. Gl. fin. hic, Clarus cit. §. fin. q. 15. n. 1.* Ex quo colligitur, quod ante omnia quærendum eſt de legitimatione, ſive habilitate perſonarum, quæ litigare volunt in judicio. *Arg. l. Si quærimus; 4. ff. Qui teſtam. fac. poſſ. Abbas in cit. c. 1. n. 2. h. t.* Et cum exceptio hæc, quod accuſator non ſit legitimus dilatoria ſit, ideo ante litem conteſtatam proponenda eſt, nec poteſt poſtea opponi, niſi reus ignoravit hanc exceptionem ſibi competere, *Abbas in cit. c. 1. n. 2. h. t.*

„ XVI. Porro nullus Epiſcopus poteſt familiares ſuos, „ ipſum accuſare volentes, per exceptionem criminis repelle„ re, quos, antequam ſe ab eis accuſandum cognoſceret, a „ ſua familiaritate non ſeparavit, prout ſtatutum *in c. Nul„ li; 5. h. t.* Non enim poteſt modo reprobare eorum mores, quos prius approbavit. *l. Si uxor; 13. in fine. ff. Ad leg. Jul. de adult. c. Horrendus; 17. cauſ. 32. q. 5. c. Veniens; 3. de filiis Presbyt.* ideoque ſibi id putent, *Gl. in cit. c. Nulli; V. Familiaritate.* Idque ſpecialiter ſtatutum fuit in odium ſeu pœnam Epiſcoporum tolerantium in ſuo domo criminoſos, & perſonas inhoneſtas, *Gl. hic V. Familiaritate*; Verſ. *ſed dic. Abbas ibid. n. 6.* Nihilominus tamen poteſt Judex ex officio ſuo tales accuſatores viles & infames repellere, quia ex delicto acquiritur jus, non tantum privato, ſed etiam Reipub. & ideo licet privatus ob culpam vel defectum ſuum non admittatur ad repellendum ſuum accuſatorem: poteſt tamen Judex Ratione Reipubl. ex officio procedere & repellere talem accuſatorem, contra quem pars ipſa ſive accuſatus excipere non potuiſſet, quia illegitimus accuſator debet repelli, non tantum ob commodum accuſati, ſed etiam ob dignitatem Judicia, & commodum Reipubl. *Gl. in cit. cap. Nullis; V. Repellere; & V. Familiaritate; in fine.*

XVII. Notandum hic prætetea 1. ſi quia, qui accuſare prohibetur v. g. infamis, vel excommunicatus, excipiat contra accuſatorem, quod ſit infamis, vel excommunicatus, valet exceptio, & per illam repellere poteſt accuſatorem: tametſi, & ipſe ſit infamis, vel excommunicatus, quia qui non poteſt agere, vel accuſare: poteſt tamen excipere de inhabilitate actoris vel accuſatoris, exceptio enim habet rationem defenſionis. *Bart. in l. Servos; 5. num. 1. & 2. ff. De accuſ. Clarus cit. q. 15. n. 3.*

Notandum 2. Si quis ex iis, qui accuſare prohibentur, aliquem accuſavit: & reus contra illum non excipiat de inhabilitate ejus ad accuſandum, proceſſus accuſationis tenet, & effectum habebit, quia exceptio iſta eſt dilatoria, quæ opponi debet, ante litem conteſtatam, & ſibi imputare debet accuſatus, quod illam opponere neglexerit. *Clarus cit. q. 15. n. 4.* Ubi ait, hanc eſſe communem opinionem.

§. VI.

An quis obligetur ad accuſandum, & utrum accuſator deſiſtere poſſit ab accuſatione inchoata?

XVIII. Ad primam quæſtionem reſpondetur. Si crimen vergat in damnum ſpirituale vel temporale Reipubl. etſi plerumque ſufficiat illud denonciare Juridice, vel Canonice: interdum tamen contingere poteſt; ut teneatur aliquis etiam ad accuſandum, ſi damnum publicum alia ratione impediri non poſſit, niſi contra reum judicialis proceſſus inſtituatur, dummodo crimen legitime probari poſſit, quia alioquin fruſtra quis laboraret, & ſuſpicioni calumniæ ſe objiceret, ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 68. art. 1. Silveſt. V. Accuſatio; qu. 2. n. 3. Layman. l. 3. tract. 6. c. 4. nu. 6.* & alii communiter: quamvis in praxi raro occurrat talis caſus. Ratio eſt, quia pars tenetur etiam cum proprio detrimento proſpicere bono totius, & quivis privatus bono communi. De aliis vero criminibus, quæ non tendunt in damnum publicum Reipubl. nemo invitus agere vel accuſare cogitur, *junct. l. Unicam c. Ut nemo invitus &c.*

XIX. Ad ſecundam quæſtionem Reſpond. 1. quamvis accuſator, ante litem inchoatam, in cauſa criminali deſiſtere poſſit ab accuſatione, caſu, quo non tenetur accuſare, vel denunciare: poſt litem tamen inchoatam non poteſt licito deſiſtere, ſine licentia Judicis, quia jam obligationem contraxit, probandi delictum, vel pœnam ſubeundi, a qua obligatione, propria auctoritate, ſe liberare non poteſt: imo nec ſine conſenſu Rei, ſi is fuit tormentis ſubjectus, vel ex accuſatione infamatus, alioquin deſiſtens incidit in pœnam SCti Turpilliani, ſi crimen publicum ſit, quod accuſavit. *l. 1. C. eod.* Vel punitur pœna extraordinaria, arbitrio Judicis, ſi ſit crimen privatum. *l. Si quis, 7. ff. Eod. m. Leſſ. l. 2. de juſt. c. 30. n. 18.*

XX. Reſp. 2. Si accuſator deprehendat, ſe erraſſe, quia falſo putavit, accuſatum eſſe reum criminis, non tantum poteſt, ſed etiam debet deſiſtere ab accuſando: vel ſi de eo incipiat dubitare, & poſt diligentem inquiſitionem, dubium perſeveret: vel denique ſi videat, ſe non poſſe crimen probare, tum enim ſi pergeret in accuſatione, vere calumniaretur. *Leſſ. c. l. n. 14.* Idemque eſt: ſi Judex accuſationem refutet, ſive rejiciat, vel admiſſam reſcindat, ut quia v. gr. videt libellum habere ſubſtantialem aliquem defectum. *Leſſ. c. l. n. 15.*

XXI. Reſpond. 3. Deſiſtens ab accuſatione, poſt litem inchoatam, non poteſt de illo crimine reum denuo accuſare, ut conſtat *ex l. Accuſationum. 6. C. de his,* qui accuſ. non poſſ. etſi alias non prohibeatur accuſare. Quin imo ſi quis coram Judice dicat ſe accuſaturum aliquem, tametſi deinde poſſit impune, ante inſcriptionem, deſiſtere, ei tamen ſilentium imponi debet in perpetuum, ut non poſſit amplius de tali crimine accuſare, prout ſumitur *ex c. Licet. 14. hoc tit.* „ Nam quidam Canonici Eccleſiæ Biſuntinæ, per ſuas lit„ teras ſuper crimine perjurii, Simoniæ & inceſtus Archie„ piſcopum ſuum denunciaverant Papæ Clementi, qui Ju„ ria ordine obſervato, mandavit dicto Archiepiſcopo, ut „ ad certum tempus ſe Apoſtolicæ Sedi præſentem ſiſteret, „ ad objecta reſponſurus: Archiepiſcopus ad terminum præ„ fixum comparuit. Innocentius III. ſucceſſor Clementis,

Digitized by Google

eſt, minor tamen 20. annis, ipſe ſolus ſine Curatoris auctoritate, non admittitur, niſi ſuam vel ſuorum injuriam proſequatur; cum authoritate tamen Curatoris, minores indiſtincte accuſare poſſunt, dummodo 14. ætatis annum exceſſerint. *Clarus cit. l. num 7.*

V. 4. Ab accuſando repellitur mulier, propter ſexus verecundiam, & fragilitatem, qua facile inducitur ad habendum amorem vel odium. *L. 1. l. Qui accuſare. 8. ff. De accuſ. l. De crimine. 52. C. Qui accuſare. non poſſ.* niſi ſuam ſuorumque injuriam proſequatur, *cit. l. 1. & cit. l. de crimine. c. 1. 2. & 3. cauſ. 15. q. 3.* Unde poteſt uxor accuſare occiſorem mariti ſui, ex receptiſſima ſententia apud *Clarum cit. q. 54. n. 8.* Sunt & alii quidam caſus, in quibus mulier ad accuſandum admittitur, ut in criminibus exceptis, & in caſu Annonæ, quia ad publicam utilitatem ſpectat, *l. Mulierem. 13. ff. de accuſ.* & aliis quibuſdam, quos refert *Farin. cit. q. 10. nu. 16. 5.* Repelluntur ab accuſando infames & criminoſi, utroque Jure, tam Canonico, *c. Infames. 17. cauſ. 6. q. 1. c. Quærendum 53. cauſ. 2. q. 7.* quam Civili, *l. Qui accuſare 8. ff. De accuſ. l. Criminis. 15. junct. Gl. V. Exiſtimatio. C. De his, qui accuſare non poſſunt.* niſi infames ſuam vel ſuorum injuriam proſequantur. *l. Hi tamen. 11. ff. de accuſ. l. Neganda. 19. C. de his, qui accuſare &c.* vel niſi agatur de crimine læſæ Majeſtatis, *l. Famoſi. 7. ff. Ad leg. Jul. læſ. Majeſt.* Ubi tamen diſtinguendum eſt, inter notatos infamia Juris, qui utroque Jure ab accuſando repelluntur, *cit. c. Infames cauſ. 6. q. 1.* De Jure Canonico vero etiam notati infamia facti accuſare non poſſunt, ut colligitur ex *c. Significant. 17. cauſ. 2. q. 7. &c. Cum in tua. 27. de Sponſal.* Non enim infamis videtur perſona integra. Similiter criminoſus nondum accuſatus, nec diffamatus de crimine, ſive ipſo jure effectus infamis, de Jure Civili non repellitur ab accuſando, niſi condemnatus ſit de crimine publico, per quod fama amittitur: de Jure tamen Canonico criminoſus, etiam nondum diffamatus, nec accuſatus, accuſare non poteſt, etſi ſuam vel ſuorum injuriam proſequatur. *Clarus c. l. nu. 9. Farin. c. l. num. 21.*

VI. 6. Excommunicatus, ſeu ligatus majore excommunicatione ab agendo in judicio repelli poteſt, ac debet, *c. Intelleximus. 7. de judic. c. 1. de except. in 6.* Ergo nec accuſare poteſt; quia accuſator in cauſa criminali proprius eſt actor. Idque ſervandum etiam in foro Civili. *Clarus c. l. n. 16. Farinac. cit. l. n. 26. & 28.* etiamſi ſuam vel ſuorum injuriam proſequatur, *Farin. c. l. n. 31. 7.* Ob reverentiam prohibentur liberi, & liberti accuſare parentes, & Patronos, *l. Qui accuſare 8. in fine ff. De accuſ. l. ult. c. De his, qui accuſ. non poſſunt.* Excipitur crimen læſæ Majeſtatis. *l. Pen. C. eodem.* Quia publicum commodum Reipubl. præferri debet privato bono parentum & Patronorum. Item vaſalli, & ſervi dominum accuſare non poſſunt. *Azor. c. l. 13. c. 19. dub. 6. num. 1. 8.* Pagani, & Judæi Chriſtianos accuſare non poſſunt, nec heretici Catholicos, *c. Pagani 25. c. 2. q. 7.* Nec quidem in criminibus exceptis. *Gl. ibidem. V. Accuſare. 9.* Repellitur etiam pauper, qui ſcilicet in bonis habet minus, quam 50. aureos, *l. Nonnulli. 10. ff. De accuſ.* Quia paupertas cogit ad illicita. Si tamen conſtet, pauperem eſſe honeſtæ, & bonæ vitæ, repelli non debet. *Gl. in cit. l. num. 19. 10.* Non poteſt accuſatus criminaliter, pendente accuſatione, reaccuſare accuſatorem ſuum in pari, vel minore crimine, niſi ſuam vel ſuorum injuriam proſequatur. *lib. 1. & 6. lib. Neganda, 19. Cod. De his, qui accuſare non poſſ.* Quia is, qui reus factus eſt, ſe purgare debet, nec ante poteſt accuſare, quam fuerit excuſatus: Non enim relatione criminum, ſed oſtenſione innocentiæ reus purgatur, *l. Is qui. 5. in fine ff. De publ. judic.* De majore autem crimine poteſt accuſatus alium, ſalvem extraneum, reaccuſare, quia majus crimen objicere licet, *l. 1.* & ibi *Gl. V. Ut graviora C. De his, qui accuſare non poſſunt.* Cum graviori crimini per minus non debeat præjudicari, & hoc ante litem conteſtatam, non autem poſtea. *Zaſius ff. De accuſ. num. 13.* Sunt & plures alii, qui repelluntur ab accuſando, de quibus videri poſſunt DD. *citt.* Porro de alia cauſa, ob quam non admittitur quis ad accuſandum, de qua etiam in ſpecie agitur in *hoc tit.* dicetur §. *Sequenti.*

§. III.

Qua ratione repellatur quis ab accuſando ob Inimicitiam?

VII. Inter alias cauſas, ob quas repellitur quis ab accuſando, numeratur etiam inimicitia accuſatoris cum accuſato. Non tamen levis, ſed gravis & capitalis, talis enim præſumitur accuſare potius privatæ vindictæ cauſa, quam Zelo juſtitiæ. *Clarus cit. §. fin. q. 14. num. 17. Farinac. citat. q. 12. nu. 34. & ſeqq.* Quæ autem dicatur inimicitia gravis, quæ levis, Judicis arbitrio relinquitur, *Clarus c. l. & Farinac. num. 47.* Extenditur autem 1. Quod non ſolum inimici „ accuſari, ſed etiam eis cohabitantes repellantur ab accu„ ſatione, quia affectio amicitiæ ſolet incitare ad hujuſmo„ di accuſationes, & ad blaſphemandum, ſeu infamandum „ inimicos, prout habetur in *c. Repellantur 7. h. tit.* Tales enim, qui cum inimicis accuſati cohabitant, vel frequenter cum eis verſantur, præſumuntur amici accuſatoris, & inimici illius, qui accuſatur. *c. 5. diſt. 93.* Quamvis talis non præſumatur inimicus capitalis, & idem non in totum repellitur a teſtificando, ſed ſolum minor fidea ei adhibetur. *Farin. p. 2. l. 2. q. 13. nu. 46.* Quod ſi vero cohabitantes, & frequenter converſantes cum inimicis accuſati, repelluntur ab accuſatione, multo magis repellentur ipſi inimici, qui ſemper videntur habere animum ſumendi vindictam de inimico, ut ex *Durand.* docet *Barb. in cit. c. Repellantur, num. 3. h. t.* Et propter amorem, ac odium ſæpe pervertitur humanum judicium. *c. Quatuor. 78. cauſ. 11. q. 3. Gl. in cit. cap. 7. V. Amicitia.* Ad contrahendam autem inimicitiam non attenditur, an quis habeat juſtam cauſam litigandi, ſeu accuſandi, an non; adeoque poteſt quis excipere contra inimicum, eumque ab accuſando repellere, licet, culpa ſua, cauſam dederit inimicitiæ, niſi malitioſe, ac per dolum hoc fecerit. *Abbas in cit. c. Repellantur, nu. 5.*

VIII. Extenditur 2. Quod nec is, qui tulit teſtimonium in cauſa criminali contra aliquem, poteſt poſtea accuſare in eadem cauſa: quia ex tali teſtimonio præſumitur oriri inimicitia inter teſtem, & eum, contra quem teſtis depoſuit, prout ſumitur ex *c. Cum P. 10. h. t.* Nam cum Joannes „ Laicus accuſaſſet Presbyterum de crimine Simoniæ, ſed „ non admiſſus eſſet a Papa ad accuſandum, eo quod Lai„ cus erat: eo repulſo, Bonus Presbyter frater dicti Joan„ nis accuſavit prædictum Petrum de eodem crimine Si„ moniæ: & Papa eum quoque repulit, quia cum idem „ Joannes accuſaſſet dictum Petrum Presbyterum, Bonum „ fratrem ſuum produxit in teſtem contra ipſum Petrum: „ Et quia etiam frater dicti Petri prædictum Bonum Pres„ byterum ſuper conſimili cauſa, ſcilicet Simoniæ, vel „ alio ſimili crimine, accuſavit; ideo Papa neutrum illo„ rum admiſit ad accuſandum dictum Petrum, ſiquidem u„ nus frater, poſt alterum, eundem Petrum accuſavit. Sed „ quia uterque Presbyter, Petrus & Bonus, ſuper objectis „ criminibus eſt infamatus, ideo utrique a Papa eſt indicta „ Canonica purgatio, cum tribus Sacerdotibus facienda: li„ cet alias numerus purgatorum ſit arbitrarius, *Gl. fin. hic.* Ubi notandum; in caſu hujus c. Joannes fuit repulſus ab accuſando, non præciſe, quia fuit Laicus: (Nam de crimine excepto, quale eſt Simonia, de quo Petrus Presbyter erat accuſatus, & infamatus, ut patet ex eo, quod indicta ipſi fuit purgatio etiam Laicus accuſare potuit Clericum, ut ſupra dictum;) ſed ideo dictus Joannes fuit repulſus ab accuſando Petro, quia erant inimici ad invicem; Idque tum propter mutuas accuſationes, quia ſcilicet Bonus frater Joannis accuſavit Petrum ſuper crimine Simoniæ; & viciſſim frater Petri dictum Bonum accuſavit ſuper eodem crimine: Tum quia idem Bonus fratrem ſuum Joannem produxit in teſtem contra dictum Petrum Presbyterum, & ideo repellitur etiam tanquam inimicus, *Gl. hic V. Laicus in fine, & V. Illius cauſa. Hoſtienſ. ibid. §. Cumque.* Nam accuſans aliquem, ſi fratrem ſuum in teſtimonium producat, repellitur ab accuſatione, tanquam inimicus, *Gl. hic. in not.*

Notandum 2. Quod dictum eſt, eum qui teſtimonium fert contra aliquem in cauſa criminali, præſumi eſſe inimicum ipſius: Id procedit, ſi ſponte ſe obtulit ad teſtificandum: Secus ſi coactus depoſuit, tum enim non poteſt repelli tanquam inimicus in illa, vel alia cauſa, quia ceſſat præſumptio inimicitiæ. *Abbas hic num. 54. in fine.*

IX. Extenditur 3. Quod inimicus non ſolum repellitur ab accuſatione, ſed etiam ab exceptione voluntaria, ſeu ſponte oppoſita, prout ſumitur ex *c. Meminimus; 13. h. tit.* Nam „ cum quædam Monacha in Abbatiſſam alicujus Monaſterii „ electa fuiſſet, ejus electionem Papa confirmavit, mandans „ Epiſcopo Diœceſano, ut ei benedictionem conferret. Sed „ dum eam Epiſcopus benedicere vellet, quidam per mo„ dum exceptionis propoſuit, quod eandem de Simonia ac„ cuſare vellet, appellans, ne ipſam benediceret, ideoque „ eam Epiſcopus non benedixit. Quia vero appellationi ejuſ„ dem deferri non debuiſſet, (quippe quæ frivola fuit, & „ fruſtratoria) nam cum opponens illam manifeſtus fuerit „ electæ in Abbatiſſam inimicus, & contra illam in eadem „ cauſa electionis teſtimonium tulerit; idcirco mandat Pa„ pa Alexander III. eidem Epiſcopo, ut propter eam appel„ lationem, non differret Abbatiſſam eam benedicere, ſi fue„ rit requiſitus. Porro exceptio voluntaria hic dicitur, quando quis non moleſtatus, ſeu provocatus venit ad judicium: ſed ſponte ſe obtulit ad dicendum teſtimonium in cauſa criminali, ſine coactione: tunc enim repellitur, ab accuſando, tanquam inimicus, ac proinde in alio judicio ſeu cauſa repelli poteſt; ſecus eſt, ſi teſtimonium dixit requiſitus, quia tunc mandato Judicis paruit, & obedientia tollit omnem ſuſpicionem calumniæ, *Abbas hic num. 4. & 8.* Hinc colligitur etiam, quod inimicus non admittitur ad accuſandum etiam in crimine excepto, cujuſmodi fuit in caſu hujus c. Simonia. Alioqui enim, ſi iſte non fuiſſet manifeſtus inimicus deferendum fuiſſet ipſius appellationi, & accuſare potuiſſet electam in Abbatiſſam. *Gl. hic in not. & V. Inimicus.* Præterea etiam inimicus recenter reconciliatus non poteſt accuſare: Secus eſt, ſi inimicitia jam dudum ſit extincta, *Farinac. cit. q. 12. num. 41. & n. 42.* quia etiam inimicus in criminibus notoriis non admittitur accuſandum, *Farinac. c. l. n. 40.*

§. IV.

An Monachi ſeu Religioſi poſſint criminaliter accuſare Prælatum ſuum?

„ X. De hoc agitur in *c. Ex parte 15. h. t.* Ubi ſtatuitur, quod Monachi ſeu religioſi non ſunt repellendi ab accuſatio„ ne Abbatis ſeu Prælati ſui, non obſtante reverentia, obe„ dientia & ſubjectione, quam ipſi debent, niſi aliqua ra„ tionabilis cauſa, (quia v. g. ſunt excommunicati, vel ini„ mici, vel conſpiratores. *Gl. hic. V. Alia rationabilis;*) id „ impediat, licet alios accuſare non poſſint. Ubi notandum 1. Ratio cur Monachi accuſare poſſint Prælatum de crimine, eſt quia Monachus accuſando proprium Prælatum delinquentem, cenſetur procurare utilitatem monaſterii, cujus intereſt, non habere Prælatum malum, ſive lupum pro Paſtore: Neque in hoc ſubditus agit quippiam contra obedientiam, quia in licitis tenetur obedire Prælato; non item convivere & tolerare, ſi malus ſit, imo potius tenetur illum denunciare vel accuſare, cum totius Monaſterii id interſit. *Gl. hic V. Alia Abbas ibid. num. 2. & 3.* Tenentur tamen Monachi interim, pendente accuſatione, obedire Abbati, cum nondum ſit privatus officio, niſi is eis præciperet, ut deſiſterent

rent ab accuſatione, tum enim ei parere non debent, quia præceptum eſt injuſtum. *Abbas in cit. c. Ex parte; n. 4. Sanch. l. 6. moral. c. 12. n. 13.*

Notandum 2. Quamvis nonnulli Doctores putent, Religioſum, priuſquam accuſet Prælatum ſuum, petere ac impetrare debere veniam ac licentiam ab eodem, vel Epiſcopo: ſicut filius petere debet volens accuſare patrem. Alii tamen negant eſſe petendam, vel impetrandam, cum jam a jure conceſſa ſit, in *cit. c. Ex parte; n. 6. Sanch. cit. c. 12. n. 19.*

Notandum 3. Monachi alios accuſare non poſſunt: ut habetur in *cit. c. Ex parte*; quia religioſi cenſentur eſſe mortui mundo nec habere liberum arbitrium, ſive velle ac nolle, *Gl. in cit. c. Ex parte; V. Licet alios*. Poſſunt tamen etiam Religioſi quamvis alium extraneum accuſare duabus conditionibus concurrentibus, nempe cum licentia Abbatis, & ſi Monaſterii interſit, ſive utilitas ejuſdem id poſtulet. *c. Monachi; 3. c. 16. q. 1. Innoc. in cit. c. Ex parte; in princ. Abbas* ibid. *n. 6. Sanch. cit. c. Ex parte; 22. n. 27.*

Deinde ſi Monachus ſit Epiſcopi cubicularius, ſeu familiaris, poteſt illum delinquentem etiam ſine licentia Abbatis accuſare, vel ſaltem denunciare, cum ad hoc conſtituantur Clerici vel Monachi cubicularii Epiſcopi, ut vitæ ipſius ſint teſtes, *Can. Cum Paſtoralis; 58. c. 2. q. 7. Abbas in cit. c. Ex parte; n. 6. Sanch. c. l. n. 29.*

XI. Porro in *cit. c. Ex parte; in fine h. t.* Additur, ſi Mo„ nachi ſeu Religioſi accuſent Prælatum ſuum, cum ipſi „ proprium non habeant, neceſſariæ expenſæ ex rebus Mona„ ſterii eis miniſtrari debent, donec cauſa debitum finem „ accipiat. Quod intelligendum eſt, non tantum de expenſis ad victum, ſed etiam ad litem ſeu cauſam proſequendam neceſſariis, *Gl. fin. hic. & Abbas. n. 9.* Idemque procedit; ſive Monachus accuſet, ſive denunciet Abbatem, nam licet textus in *cit. c. Ex Parte*; loquatur de accuſatione, eadem tamen eſt ratio de denunciatione. *Jo. And. ibid. n. 3.*

XII. Limitari autem debet. Niſi Monachus accuſans Abbatem habeat aliquod peculium, tunc enim non tenetur Monaſterium expenſas litis ei ſuppeditare, quia ceſſat ratio data in *cit. c. Ex parte in fine*: Eo quod Monachus non habet proprium, ex quo poſſit expenſas Præſtare, *Abbas ibid. n. 9. Felin. n. 4. Sanch. l. 6. n. 10. c. 12. n. 21.* 2. Si Monachus accuſet Abbatem, ob utilitatem Monaſterii, hoc ſubminiſtrare debet expenſas, non item ſi propriam cauſam v. g. electionis ſuæ proſequatur. *Abbas cit. l. n. 9. Sanch. c. l. n. 23.* Quod intelligendum eſt, ſi dignitas, ad quam eligitur, ſi extra Monaſterium, quia ſi ad prælaturam in ſuo Monaſterio eligatur, tenetur Monaſterium expenſas neceſſarias ad litem motam miniſtrare, cum ejus interſit. *Felin. cit. l. n. 4. Sanch. cit. l. n. 26.* 3. Si Monachus alium, præter Abbatem, accuſet, non debentur illi expenſæ a Monaſterio, ut docet *Gl. in cit. c. Cum paſtor; 58 V. eod. cauſ. 2. q. 7.* Porro non ſtatim Monachus admittendus eſt ad accuſandum Abbatem, ſed non niſi præcedentem ſummariam cauſæ cognitionem etiam ſine præſentia partium, an precedat bono, vel malo Zelo. Nam ſi alii, ſine tali prævia inquiſitione non accuſant, multo minus Monachi. *Joan. Andr. n. 2. Abb. n. 9.* Similiter Abbati accuſato a Monachis debet Monaſterium tribuere expenſas ad ſe defendendum, uſque ad finem litis, quia etiam Monaſterii intereſt, non deponi Abbatem culpæ expertem, *Gl. hic V. Alia in fine.* & ibid. *n. 5.* Idque extenditur, ut etiamſi Abbas remotus ſit ab adminiſtratione, ſive ab illa ſuſpenſus. adhuc debent ipſi præſtari expenſæ a Monaſterio ad ſe defendendum: ſecus ſi eſſet omnino privatus titulo, id eſt, vere ac realiter depoſitus; cum tunc nihil habet amplius commune cum Monaſterio. *Jean. Andr. hic n. 8. Abbas n. 5. Sanch. c. l. n. 24.*

XIII. Denique quod Monachi poſſint Abbatem ſuum ſeu Prælatum accuſare, etiam ſtatutum eſt *in c. Illa; 3. h. t.* „ Ubi Papa Gregorius 1. reſcribit; ſi forte aliquis Abbas „ infamatus fuerit de crimine, & quiſpiam ex Monaſterio „ ſit ejuſdem Abbatis, qui poſſit, aut auſit dicere (id eſt, „ accuſare vel denunciare illum, *Gl. hic V. Dicere*;) quod „ ad culpam ſeu reatum ipſius pertineat; paratum eſſe Pa„ pam cum eis, quorum intereſt, (ſcilicet fratrum ejuſdem „ Monaſterii) cauſam ſtricte perſcrutari, ut reus vel con„ demnetur, vel abſolvatur.

XIV. Hinc colligitur 1. quod non tantum Monachi, ſed etiam converſi Laici debeant admitti ad accuſandum vel denunciandum Abbatem ſuum de crimine, cum eorum interſit habere bonum Prælatum neque ſint puri Laici *Abbas hic num.* 2. Colligitur 2. quod Prælatus non ſolum ob delictum dolo commiſſum, quod ſignificatur hic per *reatum*, ſed etiam ob culpam ſeu negligentiam non doloſam, poſſit accuſari vel denunciari ac deponi. *Abbas hic num* 3. Colligitur 3. quod non ſolum in inſtitutione, ſed etiam deſtitutione Prælati, ſive agatur per modum accuſationis, ſive etiam per modum inquiſitionis, aut denunciationis; hi, quorum intereſt, ſunt vocandi, & cauſa in eorum præſentia eſt tractanda, *Gl. hic V. Dicere, & Hoſtienſ. ibidem.*

§. V.

An Judex ex officio repellere poſſit accuſatorem inhabilem, ſeu non idoneum, etiamſi Pars nihil contra illum excipiat?

XV. Reſpondetur affirmative, idque ſumitur *ex c. Si legitimus; h. t.* Ubi ſtatuitur: ſi legitimus non fuerit accuſa„ tor (quia v. gr. criminoſus, qui alium accuſare non po„ teſt, *Gl. hic V. Legitimus*,) non fatigetur accuſatus, id eſt, repelli debet accuſator, ſi reus excipiat contra illum, vel eo nihil opponente, a Judice ex officio: & reus abſolvi ab obſervatione judicii: niſi fuerit infamatus, tum enim indici ei debet purgatio. *c. Presbyter: 13. cauſ. 2. q. 5. Gl. fin. hic, Clarus cit. §. fin. q. 15. n. 1.* Ex quo colligitur, quod ante omnia quærendum eſt de legitimatione, ſive habilitate perſonarum, quæ litigare volunt in judicio. *Arg. l. Si quæramus; 4. ff. Qui teſtam. fac. poſſ. Abbas in cit. c. 1. n. 1. h. t.* Et cum exceptio hæc, quod accuſator non ſit legitimus dilatoria ſit, ideo ante litem conteſtatam proponenda eſt, nec poteſt poſtea opponi, niſi reus ignoravit hanc exceptionem ſibi competere, *Abbas in cit. c. 1. n. 2. h. t.*

„ XVI. Porro nullus Epiſcopus poteſt familiares ſuos, „ ipſum accuſare volentes, per exceptionem criminis repelle„ re, quos, antequam ſe ab eis accuſandum cognoſceret, a „ ſua familiaritate non ſeparavit, prout ſtatutum *in c. Nul„ li; 5. h. t.* Non enim poteſt modo reprobare eorum mores, quos prius approbavit. *l. Si uxor; 13. in fine. ff. Ad leg. Jul. de adult. c. Horrendus; 17. cauſ. 32. q. 5. c. Veniens; 5. de filiis Presbyt.* ideoque ſibi id putent, *Gl. in cit. c. Nulli; V. Familiaritate.* Idque ſpecialiter ſtatutum fuit in odium ſeu pœnam Epiſcoporum tolerantium in ſuo domo criminoſos, & perſonas inhoneſtas, *Gl. hic V. Familiaritate*; Verſ. *ſed dic Abbas ibid. n. 6.* Nihilominus tamen poteſt Judex ex officio ſuo tales accuſatores viles & infames repellere, quia ex delicto acquiritur jus, non tantum privato, ſed etiam Reipub. & ideo licet privatus ob culpam vel defectum ſuum non admittatur ad repellendum ſuum accuſatorem: poteſt tamen Judex Ratione Reipubl. ex officio procedere & repellere talem accuſatorem, contra quem pars ipſa ſive accuſatus excipere non potuiſſet, quia illegitimus accuſator debet repelli, non tantum ob commodum accuſati, ſed etiam ob dignitatem Judicis, & commodum Reipubl. *Gl. in cit. cap. Nullis; V. Repellere; & V. Familiaritate; in fine.*

XVII. Notandum hic præterea 1. ſi quis, qui accuſare prohibetur v. g. infamis, vel excommunicatus, excipiat contra accuſatorem, quod ſit infamis, vel excommunicatus, valet exceptio, & per illam repellere poteſt accuſatorem: tametſi, & ipſe ſit infamis, vel excommunicatus, quia qui non poteſt agere, vel accuſare: poteſt tamen excipere de inhabilitate actoris vel accuſatoris, exceptio enim habet rationem defenſionis. *Bart. in l. Servos; 5. num. 1. & 2. ff. De accuſ. Clarus cit. q. 15. n. 3.*

Notandum 2. Si quis ex iis, qui accuſare prohibentur, aliquem accuſavit: & reus contra illum non excipiat de inhabilitate ejus ad accuſandum, proceſſus accuſationis tenet, & effectum habebit, quia exceptio iſta eſt dilatoria, quæ opponi debet, ante litem conteſtatam, & ſibi imputare debet accuſatus, quod illam opponere neglexerit. *Clarus cit. q. 15. n. 4.* Ubi ait, hanc eſſe communem opinionem.

§. VI.

An quis obligetur ad accuſandum, & utrum accuſator deſiſtere poſſit ab accuſatione inchoata?

XVIII. Ad primam quæſtionem reſpondetur. Si crimen vergat in damnum ſpirituale vel temporale Reipubl. etſi plerumque ſufficiat illud denunciare Juridice, vel Canonice: interdum tamen contingere poteſt; ut teneatur aliquis etiam ad accuſandum, ſi damnum publicum alia ratione impediri non poſſit, niſi contra reum judicialis proceſſus inſtituatur, dummodo crimen legitime probari poſſit, quia alioquin fruſtra quis laboraret, & ſuſpicioni calumniæ ſe objiceret, ut docet S. *Thom. 2. 2. q. 68. art. 1. Silveſt. V. Accuſatio; qu. 2. n. 3. Layman. l. 3. tract. 6. c. 4. nu. 6.* & alii communiter: quamvis in praxi raro occurrat talis caſus. Ratio eſt, quia pars tenetur etiam cum proprio detrimento proſpicere bono totius, & quivis privatus bono communi. De aliis vero criminibus, quæ non tendunt in damnum publicum Reipubl. nemo invitus agere vel accuſare cogitur, *juxta l. Unicam c. Ut nemo invitus &c.*

XIX. Ad ſecundam quæſtionem Reſpond. 1. quamvis accuſator, ante litem inchoatam, in cauſa criminali deſiſtere poſſit ab accuſatione, caſu, quo non tenetur accuſare, vel denunciare: poſt litem tamen inchoatam non poteſt licite deſiſtere, ſine licentia Judicis, quia jam obligationem contraxit, probandi delictum, vel pœnam ſubeundi, a qua obligatione, propria auctoritate, ſe liberare non poteſt: imo nec ſine conſenſu Rei, ſi is fuit tormentis ſubjectus, vel ex accuſatione infamatus, alioquin deſiſtens incidit in pœnam SCti Turpilliani, ſi crimen publicum ſit, quod accuſavit. *l. 1. C. eod.* Vel punitur pœna extraordinaria, arbitrio Judicis, ſi ſit crimen privatum. *l. Si quis. 7. ff. Eodem. Leſſ. l. 2. de juſt. c. 30. n. 18.*

XX. Reſp. 2. Si accuſator deprehendat, ſe erraſſe, quia falſo putavit, accuſatum eſſe reum criminis, non tantum poteſt, ſed etiam debet deſiſtere ab accuſando: vel ſi de eo incipiat dubitare, & poſt diligentem inquiſitionem, dubium perſeveret: vel denique ſi videat, ſe non poſſe crimen probare, tum enim ſi pergeret in accuſatione, vere calumniaretur. *Leſſ. c. l. n. 14.* Idemque eſt: ſi judex accuſationem refutet, ſive rejiciat, vel admiſſam reſcindat, ut quia v. gr. videt libellum habere ſubſtantialem aliquem defectum. *Leſſ. c. l. n. 15.*

XXI. Reſpond. 3. Deſiſtens ab accuſatione, poſt litem inchoatam, non poteſt de illo crimine reum denuo accuſare, ut conſtat *ex l. Accuſationum. 6. C. de his*, qui accuſ. non poſſ. etſi alias non prohibeatur accuſare. Quin imo ſi quis coram Judice dicat ſe accuſaturum aliquem, tametſi deinde poſſit impune, ante inſcriptionem, deſiſtere, ei tamen ſilentium imponi debet in perpetuum, ut non poſſit amplius de tali crimine accuſare, prout ſumitur *ex c. Licet. 14. hoc tit.* „ Nam quidam Canonici Eccleſiæ Biſuntinæ, per ſuas lit„ teras ſuper crimine perjurii, Simoniæ & inceſtus Archie„ piſcopum ſuum denunciaverant Papæ Clementi, qui Ju„ ris ordine obſervato, mandavit dicto Archiepiſcopo, ut „ ad certum tempus ſe Apoſtolicæ Sedi præſentem ſiſteret, „ ad objecta reſponſurus: Archiepiſcopus ad terminum præ„ fixum comparuit, Innocentius III. ſucceſſor Clementis,

Digitized by Google

„ cum nullus compareret, qui opponeret aliquid contra Archiepiſcopum: quæſivit ex quibuſdam Archidiaconis ejuſdem Eccleſiæ Biſuntinæ præſentibus, utrum aliquid vellent contra ipſum ſuper præmiſſis opponere, & legitime probare, quod contra ipſum ſcripſerant: qui reſponderont, quod non propoſito accuſandi illa ſcripſerint, ſed quia in quibuſdam incorrigibilis videbatur, denunciaverant illi Papæ: ſed nuntius, qui pro literis impetrandis acceſſerat, mandati, formam exceſſit. Quare Papa illis ſilentium impoſuit, ne de cætero ſuper his accuſarent, vel infamarent eundem Archiepiſcopum; & quia prædicti Canonici circa inſcriptionem, deſiſtere voluerant, id eiſdem non imputatur. Ne autem Papa in abſolutione ipſius Archiepiſcopi minus Canonice procedere videretur, inquiſitionem ſuper fama ipſius commiſit faciendam.

XXII. Pro explicatione hujus c. Notandum 1. quamvis nullus per litteras accuſari poſſit, ſed non niſi propria voce accuſatoris, & præſente eo: qui accuſatur, quia nullus abſens accuſari poteſt, vel accuſare, *c. Per ſcripta. 5. cauſ. 2. q. 8.* poſſunt tamen per litteras denunciari crimina, & peti, ut reus citetur, & veniat reſponſurus ad libellum accuſationis, prout factum eſt in caſu hujus c. quia hæc prima citatio fit per nuntium, *Innoc. hic n. 1. Joan. Andr. ibid. n. 2. Abbas n. 2.*

Notandum 2. Si accuſator non compareat in termino præfixo a Judice ad comparandum, non auditur poſtea amplius, niſi probet juſtam cauſam abſentiæ, *c. Quiſquis unic. cauſa 4. q. 5. l. Si ea, 7. C. De his, qui accuſ. non poſſ.* ſi vero terminus præfixus ſit accuſatori, ad inſtantiam accuſati, tum ſi accuſator non compareat in ullo termino, non debet ſtatim ei imponi ſilentium: ſed prius citari ſeu moneri debet ad cauſam agendam. *l. Qui crimen. 3. C. Eodem*; & ſi non comparcat poſt iſtam citationem, ſilentium perpetuum ei imponendum eſt, ut in caſu hujus *c. Abbas hic n. 3.* Vel etiam dici poteſt, ideo in propoſito caſu, non fuiſſet accuſatoribus impoſitum ſilentium, priuſquam requiſiti fuerant, ſeu moniti, quia ante inſcriptionem deſtiterant ab accuſando, nec per modum accuſationis, ſed denunciationis crimina propoſuerunt, *Hoſtienſ. hic V. Quæſivimus. & Joan. Andr. n. 10.*

Notandum 3. Poſt litem conteſtatam, nullo modo ab accuſatione deſiſtere impune licet. *l. In SCtum. 15. §. Qui poſt ff. Ad SC. Turpill.* Sed neque ante litem conteſtatam, poſt datos fidejuſſores de proſequenda lite deſiſtere licet *l. 2. C. eodem*, imo neque ante litem conteſtatam, & ante datos fidejuſſores, ſed poſt datum, ſeu oblatum libellum, licitum eſt deſiſtere, ſi reus citatus ſit. *Auth. Qui ſemel C. Quomodo & quando judex &c. junct. l. Abſentem 5. ff. De pœnit.* Verum ante datum ſeu oblatum libellum, quamvis quis fuerit profeſſus, ſe velle accuſare, impune tamen poteſt deſiſtere, etiamſi citatio Rei facta ſit, *juxta cit. c. Licet. h. t. l. Miles 21. ff. Ad leg. Juliam de adult.* & docet *Bart. in l. Quæſitum 5. ff. Ad SC. Turpill. Abbas in cit. c. Licet n. 6. h. t.* Ubi ait, ita reſtringendum eſſe textum *in cit. c. Licet.* & ideo in co fieri mentionem de inſcriptione, quia hæc communiter ad pœnam talionis fieri ſolet in libello. *l. Libellorum. 3. ff. De accuſ.* ut habetur etiam *in c. Per ſcripta. 5. §. Libellorum. cauſ. 2. q. 8.* & ideo, qui deſiſtit ab accuſatione, poſt oblatum libellum, cenſetur deſiſtere poſt præmiſſam inſcriptionem.

§. VII.

De Perſonis, quæ criminaliter accuſari poſſunt, vel non poſſunt?

XXIII. Regulariter, & in genere loquendo, omnes delinquentes de quibuſcunque delictis accuſari poſſunt, tam liberi, quam ſervi, ſine ſexus differentia, puberes, & impuberes, modo uſum rationis habeant ad delinquendum. *Weſenb. in parat. ff. De accuſ. n. 10. Clarus cit. §. fin. q. 16. n. 1.* Excipiuntur abſentes, qui inſpecto Jure ſcripto, de capitali crimine accuſari non poſſunt *l. Abſentem 6. C. de his, qui accuſ. non poſſ.* Multo minus condemnari poſſunt, *l. Abſentem 4. ff. De pœn. Clarus §. fin. q. 4. n. 2.* quia non debet quis condemnari indefenſus, ne contingat innocentes condemnari. Alii præterea accuſati prohibentur propter dignitatem, ut Papa, Imperator, vel Rex qui ſuper ſe Judicem non habent. *Hoſtienſ. in ſumma h. t. n. 7.* Alii ad tempus prohibentur, ut Legatus Imperatoris, item Magiſtratus populi, durante eorum officio, *l. Hos accuſat. 12. ff. De accuſ.*

XXIV. Jam ergo quæritur 1. an accuſatus de uno crimine poſſit de eodem denuo accuſari? Reſp. De his criminibus, de quibus abſolutus eſt accuſatus, non poteſt accuſatio replicari, ſive iterari, prout ſtatuitur *in c. De his 6. h. t. & l. Si cui. 7. §. Iidem ff. De accuſ. ubi Gl. Accuſari*, addit *ab eodem vel ab alio.* Ratio eſt: Non quod obſtet exceptio rei judicatæ, cum res inter alios acta aliis non præjudicet, ſed quia de delicto hominis ſæpius quæri non debet, *l. Licet. 6. §. fin. ff. Nautæ, Caupones &c.* alioquin nunquam reo conſtaret fides, & ratio innocentiæ ſuæ. *Zoeſ. ff. hoc tit. num. 20.*

XXV. Limitatur autem 1. niſi quis abſolutus fuerit ab obſervatione Judicii, propter libellum non recte ordinatum, vel quia non erat legitimus accuſator *l. 3. §. Quod ſi libelli. ff. De accuſ.* dummodo alius accuſet, non autem primus accuſator, *c. Prohibentur. 14. cauſ. 2. q. 1. & ibi Gl. V. Abolitione publica*, quia hic ob inimicitiam, quæ finita etiam accuſatione, remanere cenſetur, ab accuſando repellitur, ſaltem de Jure Canonico, *Abbas hic numer. 3. Felin. ibid. numer. 3. Covar. l. 2. reſol. cap. 10. num. 1.* Limitatur 2. Niſi ſecundus accuſator probet, ſaltem ex ſignis, primum accuſatorem non fide, & probe accuſaſſe, ſed prævaricatum fuiſſe, ſive cum accuſato colluſiſſe, tum enim ſecundi accuſatio de eodem crimine admittenda eſt. *l. 3. §. 1. ff. De prævaricat. l. Si quis 11. C. De accuſ. Gl. in cit. c. In his. V. Replicari. Felin. ibid. num. 21. Covar. cit. l. n. 5. limit. 2. Clarus cit. §. fin. q. 57. n. 5.* Ubi rationem dat: Non enim debet dolus primi accuſatoris obeſſe ſecundo accuſare volenti, pro quo ſtat favor publicus, ne delicta maneant impunita. Limitatur 3. Niſi ſecundus accuſator ſuam vel ſuorum injuriam proſequatur, ut probet, ſe ignoraſſe accuſationem ab alio inſtitutam, *l. Si cui 7. §. Iiſdem ff. De accuſ. Gl. in cit. c. De his. V. Replicari.* Probetur autem hoc caſu ignorantia per proprium juramentum, cum in animo conſiſtat, *Abbas hic. nn. 8. & 9. Felin. nn. 12. Covar. cit. l. Limit. 3.*

XXVI. Limitatur 4. Si accuſatus de delicto criminaliter, ab eo abſolutus fuerit, tum iterum criminaliter accuſari non poteſt; ſecus ſi de crimine civiliter actum fuerit ad proſecutionem rei familiaris, ut reus abſolvatur, tunc enim iterum criminaliter accuſari poterit, *l. 1. C. Si quando Civilis actio crimen. præjud.* Niſi utraque actio, criminalis & civilis tendat ad vindictam; tum enim ſi actum ſit civiliter, non poteſt abſolutus ab actione civili, accuſari criminaliter de eodem crimine. *l. Ait prætor. 7. §. 1. ff. De injur.*: Si vero Civilis actio tendat ad rem familiarem, criminalis vero accuſatio ad publicam vindictam, tum vel accuſatus fuit abſolutus, quia accuſator non probavit delictum, & poteſt iterum accuſari criminaliter. *cit. l. 1. C. Quando Civil. actio &c.* vel reus fuit abſolutus, quia delictum non commiſit, tunc non poteſt denuo accuſari criminaliter, imo nec civiliter de eodem delicto a primo accuſatore, quia competit reo contra illum exceptio rei judicatæ: ſed ab alio tertio poterit accuſari. *l. Qui de crimine. 9. junct. Gl. V. Ab alio &c. de accuſ. Abbas in cit. c. De his. n. 6. Felin. ibid. n. 8. Covar. cit. l. Clarus cit. q. 57. h. t.*

Limitatur 5. Ut procedat, ſi reus per ſententiam Judicis ſit abſolutus, ſecus, ſi per viam tranſactionis, & hæc valida fuit, tum enim etſi non poſſit accuſari a primo accuſatore, cum quo tranſegit: poterit tamen ab alio accuſari ex novo proceſſu, cui per tranſactionem non potuit fieri præjudicium: ſi vero tranſactio non tenuit, tum etiam primus accuſator iterum accuſare poterit. *Abbas hic. n. 3. Felin. n. 3. limit. c. Covar. cit. l. n. 5. limit. 3.*

Limitatur 6. Quando reus fuit abſolutus in judicio non per viam accuſationis: ſed inquiſitionis, tum enim iterum de eodem crimine accuſari poteſt, ſaltem de Jure Canonico, ſecundum quod non ſolet imponi pœna ordinaria delicti, ſed minor. *c. Qualiter 24. h. t.* Idem dicendum, ſi reus fuit abſolutus in judicio agitato per viam denunciationis, vel exceptionis, quia denunciatio & exceptio non tendit ad pœnam ſeu vindictam delicti, ſed ſi denunciatus plene ſatisfecit pro delicto, non poteſt denuo accuſari. *Abbas in cit. c. De his. n. 3. Felin. n. 4. & 5. Covar. cit. l. n. 5. limit. 8.*

XXVII. Limitatur 7. Reus abſolutus a crimine per Judicem in foro externo, & contentioſo, non poteſt iterum de eodem accuſari; ſecus eſt: ſi ſit abſolutus ſolum in foro interno pœnitentiæ, tum enim non impeditur accuſatio ejuſdem coram Judice, & in foro externo, quia illa accuſatio, & punitio, quæ fit in foro interno, fit ad ſatisfaciendum divinæ offenſæ; alterum vero fit ad publicam vindictam, & ſatisfactionem Reipubl. læſæ, & ideo impoſitio unius pœnæ non tollitur per impoſitionem alterius, eum ad diverſos fines & effectus utraque tendat, alias enim delinquentes, obtenta abſolutione a Confeſſario, facile poſſent evadere pœnas delictorum a Judice externo infligendas, quod præberet anſam delinquendi. Idque procedit, etiamſi delinquenti publica pœnitentia ſit impoſita a Sacerdote, quia ſemper illa imponitur ad eundem finem, nempe ut ſatisfiat Deo offenſo, & publica quandoque imponitur ad tollendum ſcandalum. *Gl. in cit. c. De his V. Replicari. in fine Abbas ibid. n. 3. Covar. cit. l. n. 3. Clarus cit. q. 57. nu. 10.* Et hinc etiam per ſuſceptionem baptiſmi non tollitur accuſatio criminis ante illum commiſſi, in foro externo, & contentioſo, quia baptiſmus tollit peccatum, & omnem pœnam peccati, etiam temporalem quoad Deum, ſive infligendam a Deo: non autem tollit pœnam, quæ imponitur in foro judiciali humano, eo quod reus delinquendo læſit Rempubl. ſunt enim iſtæ diverſæ pœnæ, & ad diverſos fines tendunt, & ſicut baptiſmus non tollit jus quæſitum tertio, ita nec jus quæſitum Reipubl. *Abbas in cit. c. De his. n. 5. h. t. Covar. cit. c. 10. a. 3. limit. 7. contra Felin. cit. l. n. 7.*

Limitatur 8. Si crimen ſit mixti fori, v. g. ſacrilegium, vel adulterium, ob quod aliquis conveniri poteſt coram Judice Eccleſiaſtico, & ſæculari, & ab utroque puniri: tum licet fuerit, cauſa cognita, abſolutus a Judice Eccleſiaſtico, poteſt coram Judice ſæculari iterum accuſari, & puniri: imo etiamſi a Judice Eccleſiaſtico reus de hoc crimine punitus fuerit, poteſt Judex ſæcularis idem crimen rurſos examinare, & punire. *c. Felicis. 5. §. Per hoc quoque de pœnis in 6. Covar. cit. c. 10. n. 6. limit. 11. Clarus. cit. q. n. 57.* Ubi dicunt, id communi uſu receptum eſſe. Ratio eſt, quia juriſdictio Eccleſiaſtica, & ſæcularis ſunt prorſus ſeparatæ, & diſtinctæ, ideoque ſententia lata ab una Poteſtate, non parit exceptionem rei judicatæ quoad aliam: & pœna ſpiritualis non tollit temporalem, nec e converſo: quod tamen tum non procedere, ait *Covar. c. l.* ſi pœna a Judice Eccleſiaſtico inflicta ſufficiente fuerit ad punitionem criminis, & culpæ menſuram, tum enim non poſſet iterum idem crimen apud Judicem ſæcularem cognoſci & puniri. Excipitur etiam, niſi crimen ſit tam atrox, ut non obſtante punitione, per unum Judicem facta, poſſit etiam per alium puniri. *Clarus cit. q. 57. n. ult.* verum de hoc alibi.

Limitatur 9. Tametſi injuriam paſſus ipſum offendenti remiſerit omnem injuriam in foro conſcientiæ, non tamen ideo remiſit jus accuſandi, & inimicum deferendi ad Judicium, ac forum externum, quia ea remiſſio ſolum ad odium ac rancorem, ſive vindictam privatam ſpectant, non ad publicam: quin imo etiamſi remiſſa ſit injuria quoad jus accuſandi in foro externo: poteſt tamen injuriam paſſus ſimiliter agere ad damna ſibi illata reſarcienda, & expenſas præ-

ſtan-

Digitized by Google

ſtandas, hæc enim ſunt diverſa ab ipſa injuria, *Felin. c. l. n. 14. Covar. cit. c. n. 7. limit.* 12. Denique non tantum abſolutus a crimine per ſententiam Judicis, adeoque via veræ juſtitiæ, non poteſt iterum accuſari de eodem crimine, ſed etiam ſi per viam diſpenſationis, modo diſpenſatio facta ſit ab eo, qui facultatem habet diſpenſandi, quia crimina ſemel dimiſſa iterum in ultionem redire, divina clementia non patitur, *c. ult. diſ. 4. de pœnit. c. Si illis, 29. cauſ. 23. q. 4. Clarus. cit. l. n. 9.* & tradit *Gl.* communiter recepta in *cit. c. De his. V. Replicari. h. t. Covar. cit. l. nu.* 2.

XXVIII. Quæritur 2. An accuſatus de uno crimine, poſſit ſimul, & eodem tempore accuſari etiam de alio crimine? Reſp. affirmative, & quidem non tantum ab alio, ſed etiam ab illo ipſo, qui de primo crimine accuſavit: Imo etiam accuſatus de uno crimine, poteſt a quibuſcunque aliis, etiam pluribus, de aliis quibusvis criminibus accuſari. *Clarus cit. §. fin. q. 16. n.* 2.

XXIX. Quæritur 3. An Univerſitas, ſeu Collegium poſſit accuſari? Reſp. poteſt accuſari, & puniri, propter delictum ab eo commiſſum: ad quod tamen non ſufficit, quod totus populus, vel omnes de Collegio aliquid faciant, vel committant, ſed requiritur, ut publicum conſilium, ſive tota Communitas convocetur & congregatur, & prævia deliberatione delictum aliquod committant; alioquin non punietur ipſa Univerſitas, ſive Collegium, ſed omnes, qui deliquerunt, tanquam ſinguli, *Clarus cit. l. n. 7. & 8.*

§. VIII.

An in Cauſis & Judiciis criminalibus Procurator admitti poſſit ac debeat?

XXX. Aſſertio I. In cauſis criminalibus nec ad agendum, ſeu accuſandum, nec ad defendendum reum regulariter admittitur Procurator: ut conſtat ex *l. Penult. §. Ad crimen. ff. De publ. jud. & ex c. 2. cauſ. 5. q. 3.* Ubi dicitur, in criminalibus cauſis, nec accuſator, niſi per ſe, accuſare poteſt, nec accuſatus per aliam perſonam ſe defendere permittitur. Idem habetur in *c. Abſent. 18. cauſ. 3. q. 9.* Idque etiam probatur ex *c. Veniens, 19. junct. Gl. V. Criminali. h. t.* „Ubi quidam Canonicus Pragenſis, nomine Adalbertus, coram Papa Innocentio III. propoſuit contra Epiſcopum Pragenſem, quod cum eſſet filius Sacerdotis, in Eccleſiam Pragenſem non Canonice fuerit ingreſſus, ſed intruſus, & quod contra ejuſdem Eccleſiæ privilegium, homagium Duci Poloniæ, (qui hodie Rex eſt) præſtiterit, ſic ſubjiciendo Eccleſiam illam ſervituti. Unde Papa citavit peremptorie Epiſcopum, ut ad certum terminum coram ipſo compareret. Ipſe vero in ſuam excuſationem viarum diſcrimina (quæ eſt excuſatio nimis generalis) conſecrationem Chriſmatis imminentem, & quod filius Ducis per ipſum baptizandus eſſet, per nuntios, & literas allegavit, quas excuſationes Papa frivolas putavit, & ipſum tanquam contumacem reputavit: & licet Procuratores ejus in cauſa criminali recipi non poſſent, tamen eis conceſſit Auditores, ut, ſi poſſent, ipſum aliquatenus excuſarent. Coram quibus prædictus Adalbertus repetiit prius contra Epiſcopum objecta; ſed ex adverſo fuit ei reſponſum, quod cum olim litteræ fuiſſent impetratæ ad Archiepiſcopum Magdeburgenſem, idem Canonicus in probatione objectarum deficiens humiliter veniam ab eodem Epiſcopo poſtulans, confeſſus fuerit, ſe calumnioſe adverſus eum proceſſiſſe, ideoque juravit, ſe ſtatutum mandatis ipſius Archiepiſcopi, qui præcepit eidem, ſub debito, ſeu obligatione juramenti præſtiti, ut contra eundem Epiſcopum de cætero proponere talia non auderet. Quare cum Papæ ex ipſius Canonici confeſſione conſtaret ipſum juramentum hujuſmodi præſtitiſſe, & tale mandatum recepiſſe; ideo Papa ſilentium ipſi ſuper impetitione Epiſcopi impoſuit: quia tamen ipſe Epiſcopus contumax fuit, ideo ipſum citavit, ut ſe præſentem ſiſteret, indicta ei etiam purgatione propter infamiam.

XXXI. Pro explicatione hujus c. notandum 1. quamvis hodie pœna talionis abrogata ſit, & in uſu eſſe deſierit, tamen in ejus locum ſucceſſit pœna extraordinaria, quæ pro arbitrio Judicis infligenda eſt accuſatori, ſi in probatione criminis defecerit *c. Super his 16. h. t. l. 3. ff. Ad SC. Turpill. Menoch. de arbitr. judic. caſu.* 322. *num.* 3. quæ quidem pœna Procuratori infligi non debet, quia contra rationem naturalem eſt, ut ſi accuſator de calumnia condemnandus ſit, ac puniendus, loco illius Procurator, & ſic unus pro alio puniatur. *Menoch. de arb. judic. l. 1. q. 79. n.* 18. ac proinde etiam hodie adhuc regulariter non poteſt Procurator admitti ad accuſandum, loco accuſatoris.

Notandum 2. in cauſis criminalibus, in quibus Reo condemnato pœna capitalis, vel alia corporalis, ſeu corporis afflictiva imponitur, nomine & loco ipſius rei regulariter non admittitur Procurator, *l. pen. §. Ad Crimen. ff. de publ. judic. & l. 1. ff. An per alium cauſa appellat. Menoch. de arbitr. judic. l. 1. q. 80. num. 2. & 2. Clar. §. fin. q. 32. num. 1. & 3.* & dictum ſupra *l. 2. tit. 38. n.* 31. Ratio eſt, quia Judicium criminale redderetur eluſorium, contra *l. Si prætor. 75. de judic.* Nam ſi Reus putaret, ſe condemnandum, non compareret perſonaliter in Judicio, ſed per Procuratorem reſponderet, & totam litem proſequeretur, atque ita contra ipſum Reum ſententia condemnatoria fieri non poſſet, *l. Abſentem. 5. ff. de pœnis. & l. Abſentem 6. C. de accuſ.* Multo minus contra Procuratorem re ipſa & in effectu: quia, etſi condemnari poteſt, non tamen executio in illum fieri poteſt, cum pœna ſuos auctores tenere debeat, non alios, *l. Sancimus. 22. C. de pœnis Menoch. cit. l. n.* 2.

XXXII. Notandum 3. Quamvis Procurator in cauſis criminalibus, quando criminaliter agitur, non admittatur ad cauſam principalem agendam, vel defendendam: tamen ad excuſandum, vel allegandum cauſa abſentiæ domini, & ad opponendas exceptiones dilatorias, & ſimiles, quæ ante litis conteſtationem proponi ſolent, ut quod accuſator ſit infamis, vel excommunicatus, vel alias inhabilis vel quod Judex ſit incompetens &c. admittitur Procurator, prout ſumitur ex *cit. c. Veniens.* Ubi prius dicitur, quod in cauſa criminali non poſſunt recipi procuratores, qui tamen poſtea admiſſi ſunt ad excuſandum Epiſcopum accuſatum, *Gl. in cit. c. Veniens. V. Criminali. junct. Gl. margin. lit. C. Hostiens. ibid. §. Vel dic. & Abbas n. 8. Clar. cit. q. 32. nu. 17. &* 19. dummodo talis exceptio non concernat ipſum crimen, ut quod reus accuſatus, jam alias fuit de crimine abſolutus: tum enim non eſt admittendus Procurator, niſi exceptio talis eſſet notoria, quia tum Judex debet ex officio ſuo abſolvere accuſatum *Abb. cit. l. n. 16. Clar. c. l.*

Notandum 4. Qui juravit, ſe non accuſaturum aliquem de crimine aliquo, poſtea de illo amplius non auditur, *c. Quemadmodum 25. §. Illud autem de jurejur.* maxime, ſi prius malitioſe accuſavit, ut in caſu *cit. c. Veniens.* quia præſumitur, quod malo animo moveatur ad accuſandum, *arg. c. 2. cauſ. 3. q.* 10. Idem eſt, ſi quis ſimpliciter accuſationem remiſerit, *c. Si illic. 29. cauſ. 21. q.* 4. imo etiam eo ipſo, quod quis dixit, ſe nolle accuſare aliquem, non auditur, *l. Si mari tus, 15. §. Si negaverint. ff. Ad leg. Jul. de ad ult. Gl. in cit. c. Veniens. V. Silentium. Hoſt. ibid. V. Impenendum.*

XXXIII. Aſſertio 2. In Judiciis, & cauſis criminalibus, in quibus non infligitur pœna capitalis, vel corporalis, ſed pecuniaria, aut ſimilis, Procurator intervenire poteſt, ut conſtat ex *l. 1. ff. An per alium cauſ. appell. &c. Menoch. cit. q. 80. n. 219. Clar. cit. q. 32. n.* 4. & eſt communis ſententia DD. utriuſque Juris Ratio eſt: quia quando ex Juris diſpoſitione non imponitur pœna corporis afflictiva, ſed tantum pecuniaria, vel ſimilis, executio ſententiæ condemnatoriæ non fit in perſona Rei, ſed tantum in bonis ejus, ideoque nihil intereſt fiſci, vel partis litigantis, utrum Reus perſonaliter compareat, an per Procuratorem. In ſpecie vero plures ſunt caſus, in quibus etiam in cauſa criminali Procurator admittitur, quos recenſet *Gl. in cit. c. Veniens. V. Criminali h. t.* & alii. Veluti 1. Si agatur criminaliter de crimine pro quo tantum imponitur pœna relegationis, vel alia ea minor, juxta *l. 2. §. Sed etſi junct. Gl. V. Relegationem. ff. An per alium cauſa &c. Clar. cit.* 32. *n. 5. Menoch. de arbitr. jud. l. 2. q. 80. n.* 203. quamvis contrarium teneat *Abbas in cit. c. Veniens. n. 18. & 19. h. t.* Ubi ait: quod in nullo judicio criminali regulariter poteſt intervenire Procurator, niſi imponatur tantum pœna pecuniaria. 2. Si Reus in carcere detineatur, vel alio loco extra territorium Judicis, admittitur Procurator, quia tunc Judicium criminale a Reo eludi non poteſt, adeoque ceſſat ratio, ob quam Procurator intervenire non poteſt, idque conſuetudo etiam obſervat *Bart. in cit. l. pen. §. ad crimen. n. 10. ff. de publ. jud.* dummodo incarceratio Rei non ſit procurata, eo fine, ut non compareat, *Barb. in cit. c. Veniens. n.* 5. 3. Admittitur Procurator, quando reus principalis non poteſt comparere per ſe ipſum, ſive ob impoſſibilitatem facti, quia eſt Univerſitas, quæ deliquit, & tota per ſe comparere non poteſt: ſive ob impedimentum juris, ut Monialis, quæ e Monaſterio egredi prohibetur, *Abbas in cit. c. Veniens, n.* 14.

XXXIV. 4. Si agatur de crimine criminaliter, & tertius aliquis interveniat pro intereſſe ſuo, poteſt admitti Procurator, quia, quoad illum, non poteſt dici cauſa criminalis: ſic dominus defendere poteſt ſervum ſuum accuſatum de crimine, pater filium, Abbas Monachum, Epiſcopus Clericum, quia omnes iſti interveniunt pro intereſſe ſuo, & ideo admittuntur per ſe, vel per Procuratorem, *Bart. in cit. §. Ad crimen. n. 8. Abbas in cit. c. Veniens, n.* 13. 5. In actione populari, (quæ cuique de populo competit, quia publicum commodum principaliter ſpectat, *l. 1. ff. de popul. act.*) licet ex parte actoris, ſeu accuſatoris non poſſit intervenire Procurator ad agendum, ſed tantum ad excipiendum, aut defendendum, *l. Licet 42. ff. De Procur.* poteſt tamen ex parte Rei, qui convenitur, admitti Procurator ad defendendum *l. Qui popuları 5. ff. de prop. act. l. Licet 42. in princip. ff. de procur.* quia Reus privatam cauſam, id eſt, pecuniariam, quæ his actionibus peti ſolet, defendit. *Abbas in cit. c. Veniens. n.* 12. item in crimine injuriarum. *Gl. in cit. c. Veniens. V. Criminali.* Si ſit perſona illuſtris, quæ per Procuratorem excipere poteſt. *l. ult. Cod. de injuriis*. Item in criminibus levibus admittitur Procurator, & in crimine ſuſpecti Tutoris, *cit. l. ult. C. de injur. Cl. in cit. c. Veniens*. Plures caſus hujuſmodi videri poſſunt apud Clarum, alioſque citt. An autem in caſibus, in quibus Procurator de jure intervenire non poteſt, ſi admittatur, parte nihil contra illum opponente, proceſſus Judicii teneat, necne, dubitatur (affirmat *Gl. in c. 1. V. Criminalis. de jud. in* 6. negat eſſe validum *Bart. in cit. l. pen. §. Ad crimen. ff. de publ. judic. n. ult, Abbas in cit. c. Veniens. n.* 23. Sive Procurator interveniat, ex parte accuſatoris, ſive ex parte Rei, quia in *cit. §. Ad crimen.* ſimpliciter dicitur, quod fruſtra interveniat Procurator, quæ dictio in propria ſignificatione denotat nullitatem actus; ſi autem poſſet intervenire Procurator, caſu, quo per exceptionem non repelleretur, id non eſſet omnino fruſtra, *Abbas in cit. c. Veniens. num.* 23. Idque conſuetudo confirmavit, quæ obtinuit, ut omnia, quæ aguntur per Procuratorem in cauſa criminali, in qua agitur de pœna corporis afflictiva, ſint ipſo jure nulla, teſte *Clar. cit. q. 32. n.* 24.

§. IX.

De modo procedendi obſervando in Judicio criminali accuſatorio.

XXXV. Quæritur 1. Quomodo procedendum ſit, quando utraque pars, accuſator, & Reus ſunt præſentes in Judicio? Reſp. eodem modo in cauſis criminalibus, quo in civilibus proceditur. Eſt tamen diſcrimen 1. quod in cauſis criminalibus non ſit neceſſaria concluſio in libello ad certam pœnam, quia probato crimine, pœna ſecundum leges imponi debet, *Clarus §. fin. q. 15. nu. 21. VVeſenb. in parat. ff. de accuſ. num.* 12. Quod in criminibus evidentiores requirantur probationes, *l. ult. C. de probat.* 3. Reo permitti debet libera defenſio, etiamſi appareat ipſum juſtam cauſam non habere, & quidem etiam poſt concluſionem in cauſa, ipſamque ſententiam condemnatoriam, *VVeſenb. cit. l.*

XXXVI. Quæritur 2. Quomodo procedendum ſit in cauſis criminalibus contra Reos contumaciter abſentes? Reſp. contra criminoſum abſentem non poteſt ferri ſententia definitiva condemnatoria. *l. Abſentem 5. ff. De pœnis.* neque enim inaudita cauſa, id eſt, defenſione non audita quemquam damnari æquitatis ratio patitur. *l. 1. ff. De requir. Reis vel abſentibus damn.* quomodo autem de Jure Civili procedatur, habetur in *cit. l. 1. ff. & l. 1. & 2. C. de requir. reis.*

Verum quoad modum procedendi contra criminoſos abſentes contumaces de Jure Canonico, diſtinguendum eſt. Vel enim eſt conteſtata, vel non: priore caſu, communiter poteſt procedi ad ſententiam condemnatoriam contra contumaciter abſentem, ſi de delicto liqueat, vel liquere poſſit, ut colligitur ex *c. Decernimus. 10. cauſ. 3. q. 9. & ibidem Gl. in ſumma*, dummodo ſententia poſſit executioni mandari in abſentem, ut eſt pœna privationis, ſeu depoſitionis. Secus eſt in gravioribus delictis, pro quibus infligitur pœna, quæ non poteſt executioni mandari in abſentem, ut eſt pœna mortis, vel perpetui carceris, quæ æquiparatur morti: tum enim non eſt procedendum ad ſententiam contra abſentem, etiamſi lis ſit conteſtata, fruſtra enim proferretur in abſentem, in quem non poſſet executioni mandari: poſteriore vero modo, ſi lis non fuerit conteſtata, vel ſi ſit, ſed non liqueat de crimine, regulariter non poteſt procedi ad teſtium receptionem, vel ad ſententiam condemnatoriam, *Gl. in cit. c. Veritatis. §. V. Probatum de dolo & contum. & Gl. in ſumma cauſ. 3. q. 9.* Ubi plures caſus exceptos ponit, ſed hoc caſu Reus contumax excommunicandus eſt, *c. Rurſus* 36. quod loquitur, quando agitur de crimine criminaliter, & *c. Quicunque* 37. quod loquitur, quando agitur de crimine civiliter, *cauſ. 11. q. 3.* & ſi poſt annum in excommunicatione perſiſtat, & intra annum non venerit, pro convicto habetur, & poterit, poſt lapſum anni, ferri ſententia condemnatoria contra Reum abſentem, ac ſi de crimine convictus fuiſſet, *Abbas in cit. c. Veritatis. nu.* 20. & 21. Si vero intra annum venerit, præſtita ſatisfactione expenſarum, auditur & abſolvitur. *Hoſtienſ. in ſumma de accuſ. h. t. num. 11. circa finem.* & ſic intelligendus eſt *text. in c. 1. de judiciis.* Similiter ſi actor deſiſtat ab accuſando per contumaciam, & intra terminum præfixum a Judice non veniat, nec accuſationem proſequatur, excommunicatur, ſi autem poſtea veniat, & pœniteat, audietur. *Hoſtienſ. cit. l.*

§. X.

De effectibus accuſationis, & pœnis Reo, vel etiam accuſatori imponendis.

XXXVII. Primus & principalis effectus eſt, ut Reo legitime convicto, ſeu probato crimine, pœna ordinaria, & certa, ſiqua Jure ſtatuta eſt, vel alia condigna, & arbitraria, ac extraordinaria, a Judice per ſententiam condemnatoriam infligatur, *Hoſtienſ. in ſumma hoc. titul. numer.* 12. *Zœſius in Comment. hoc titul. numer.* 1. Nos autem hic de illis ſolum pœnis agemus, de quibus in hoc titul. fit mentio. Et in primis quidem in *c. Si conſtiterit. 12. h. titul.* ſtatuitur, ut Sacerdos, qui in potatione pernoctavit, ſive totam noctem potando tranſegit, & poſtea mane Miſſam celebravit, officio, & beneficio privari debeat. Nam cum quidam Sacerdos peteret, ſibi reſtitui Eccleſiam, in qua dicebat: „ ſe Canonice fuiſſe inſtitutum, eaque injuſte ſpoliatum, „ objectum ei fuit, quod non poſſit petere reſtitutionem, „ quia nunquam fuit in Eccleſia illa inſtitutus, nec „ eam poſſedit, adeoque nec ea ſpoliari potuit, cum non „ in Titulum, ſed ſolum in Commendam temporalem illam „ acceperit. Et quia prædictus Sacerdos in taberna pernoctavit, „ id eſt, per totam noctem potando, & ſe inebriando „ vigilavit, & altera die, nulla præmiſſa dormitione, „ Miſſam cantavit; ideo Eccleſia illa juſte per Judicem ſuum „ privatus fuit. Quare Papa Alexander III. mandat inquiri „ de præmiſſis: & ſi de iis rationabiliter convictus fuerit, „ in Judicio, ante Epiſcopum, vel ſi accuſatus, ſine coactione „ confeſſus fuerit, ut perpetuum ſilentium ei ſuper eadem „ Eccleſia imponatur; ſi vero probaverit, Eccleſiam „ illam Canonice ipſi fuiſſe collatam, nec de aliquo crimine „ fuerit convictus, propter quod de jure ea ſpoliari potuit, „ vel ſi deficiente probatione canonicæ inſtitutionis, „ probaverit, ſe poſt legitimam appellationem fuiſſe ſpoliatum, „ eidem prædicta Eccleſia reſtitui debeat cum fructibus „ perceptis. *c. Gravis. 11. de reſtit. ſpol. Gl. fin. hic.* quod enim poſt appellationem legitime interpoſitam fit, in irritum revocari debet, *c. Super 27. in fine de officio de leg. Gl. pen. hic.*

XXXVIII. Ubi notandum 1. cui Eccleſia conceſſa eſt in Commendam ad tempus, non cenſetur ſpoliatus, ſi ab illa amoveatur, vel capellanus per commendatorem. *Gl. hic in ver. & V. Commendata & Hoſtienſ. V. Sed ad tempus*, quia commendare idem eſt, quod deponere, *l. Lucius 24. ff. Depoſiti.* At rei depoſitæ non ſolum proprietas, ſed etiam poſſeſſio, apud deponentem manet. *l. Licet. 17. §. Rei ff. Eodem.* & conſequenter etiam res commendata. Id autem limitat *Abbas hic num.* 12. Quod Commendata alicui conceſſa ad tempus, & ex legitima cauſa, non poteſt ad libitum revocari. Secus eſt, ſi conceſſa ſit ſimpliciter, & ita intelligenda eſt *Gl. hic V. Commendatam.*

Notandum 2. presbyter propter ſolam ebrietatem, non eſt privandus beneficio, neque etiam propter ſolum ingreſſum in tabernam, ſed ſi per totam noctem potando, adeoque non jejunus, poſtea mane miſſam celebravit, ut patet ex *cit. c. Si conſtiterit.* Ubi non tantum de ebrietate inquiri jubetur: ſed etiam an non præmiſſa dormitione, ac digeſtione, per totam noctem potando mane celebraverit: idque in dubio præſumitur, ſi in taberna pernoctavit, nempe quod etiam poſt mediam noctem potaverit, adeoque non jejunus celebraverit, unde niſi contrarium probaverit, puniendus eſt, & beneficio privari poterit. *Fagnan. hic nu. 5. & 11.*

XXXIX. Præterea Jure Canonico in *c. Accuſari 8. h. tit.* præter pœnam talionis, vel aliam extraordinariam, de qua in *tit. ſeq.* alia pœna, ſeu pœnitentia decreta eſt in accuſatorem „ calumnioſum, nempe ut ſi quis accuſaverit aliquem, „ (ſcilicet per calumniam, & ſine culpa accuſati) „ per XL. dies in pane & aqua, quæ carena vocatur, ſeu „ quadragena, cum ſeptem ſequentibus annis, pœnitentiam „ agat, niſi pro pace hoc fecerit, (hoc eſt, non calumnioſe, ſive injuſte, ſed pro pace ſervanda, ut boni quiete vivant, aliquem accuſaverit, *c. Non fruſtra 18. cauſ. 23. q. 5. Gl. hic V. niſi pro pace. Hoſtienſ. hic V. Eodem.* Si vero per talem „ delationem, ſeu accuſationem, aliquis debilitatus eſt, „ (id eſt, membro mutilatus, *Gl. fin. hic, & Hoſtienſ.*) per „ tres quadrageſimas pœnitere debet.

XXXX. Ubi notandum 1. Si quis juſte accuſatur, & crimine probato, morte plectatur, immunis eſt accuſator, & Judex, aliique miniſtri, & executores, quantum ad pœnam talionis, *c. Illud etiam 46. cauſ. 23. q. 4. c. Cum homo. 19. c. Qui malos. 29. & 2. ſeqq. eadem cauſ. qu. 5. Gl. hic* V. *Per tuam* irregularitatem tamen etiam juſtus accuſator incurrit, quia illa contrahitur etiam ſine peccato. *Hoſtienſ. hic V. Accuſationem & Abbas num.* 1.

Notandum 2. Per debilitatem hic intelligitur is, cui membrum abſciſſum eſt, quamvis proprie debilitatio contingat, quando impeditur exercitium alicujus membri, v. g. brachii, vel pedis, ſine abciſſione membri, quæ proprie mutilatio dicitur. *Abbas hic in fine.* Si quis vero per accuſationem ſuam cauſa fuit, ut aliquis membro mutilaretur, is per tres quadrageſimas pœnitere debet, trium ſcilicet annorum ante Paſcha, *Hoſtienſ. hic* etſi aliqui apud *Barb. hic. num.* 4. intelligant de tribus quadrageſimis, quæ veniunt in uno anno, ſcilicet ante Paſcha, feſtum S. Joannis Baptiſtæ, & ante feſtum Nativitatis Domini: merito autem talis punitur quia qui occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur, *Gl. hic in caſu.* Porro quando imponitur jejunium certorum annorum, in pane & aqua, non intelligitur, quod pœnitens quotidie jejunare debeat, ſed per tres ferias Canonicas in qualibet hebdomade, ſcilicet feria 2. 4. & 6. *c. pen. cauſ. 12. q. 3. Abbas hic.*

XLI. Alius denique effectus pœnalis accuſationis criminalis eſt, quod accuſatus, vel denunciatus de crimine aliquo pendente, accuſatione, vel denunciatione, ad honores, ſeu dignitates promoveri non poteſt, prout ſumitur ex *c. Omnipotens 4. h. t.* Ubi Papa Gregorius 1. ita reſcribit Conſtantiæ „ Auguſtæ: Valde grave eſt, ut vir, de quo tanta, & talia „ nunciantur (cum ante inquiri, & diſcuti debeant „ (honoretur, id eſt, ad honores promoveatur. *Gl. fin. hic.* Ubi licet ſermo tantum ſit de eo, qui de gravi crimine denunciatur: tamen idem procedi in eo, qui de tali crimine accuſatur, vel inquiritur, nam ex eo ſtatim gravata eſt illius opinio, ut interim ad honores promoveri non debeat, *c. Tantis per. 3. diſ. 81. c. ult. de teſtib. l. Reus. 7. ff. de munerib. & honor.* Gl. *hic* V. *Numerantur. & Abbas nu.* 3. quamvis alioquin per ſolam accuſationem non conſtituatur aliquis reus, vel criminoſus, niſi etiam ſit convictus, *c. ult. cauſ. 15. q. ult.* ubi in fine dicitur, *Non ſtatim, qui accuſatur, reus eſt, ſed qui convincitur criminoſus*: nec per ſolam nominationem, id eſt, infamationem, *c. Multi 18. & ibi Gl. fin. cauſ. 2. q. 1.* & ſi condemnatus per ſententiam appellavit, ſtatus ejus integer manet, *l. unic. §. Propter eandem ff. Nihil innovari appell. &c.* nec inter infames interim habetur, *l. Furt. 6. §. 1. ff. De his, qui notant. infamia.*

XLII. Extenditur autem diſpoſitio *cit. c. Omnipotens.* 1. Ut habeat locum non tantum in dignitatibus Eccleſiaſticis: ſed etiam in ſæcularibus. *cit. l. Reus. ff. De muner. & honor.* Ubi tamen additur, quod elapſo anno, poſtquam reus delatus eſt, non prohibetur petere honores, niſi per ipſum ſteterit, quo minus cauſa intra annum expediretur, *& l. unic. C. De reis poſtul. l. 10. l. Qui ſtatus, 8. ff. De re milit. l. Qui de libertate. 29. ff. De liber. cauſ. Gl. in cit. c. Omnipotens in caſu h. t.* Ubi rationem reddit, quia opinio promovendi ad honores vacillare non debet, ideoq; pendente accuſatione, promoveri non debet, & *Abbas ibidem num.* 2. Similiter accuſatus, pendente accuſatione, ad Ordines promoveri non poteſt. *c. Tantis. 3. diſ. 81. ult. de teſtib. & ibi Gl. V. Pendente accuſatione.* Nec poteſt eſſe teſtis in cauſa criminali, præterquam in criminibus exceptis, *cit. c. fin. de teſtib.* Nec alterius eſſe Procurator, *cit. l. Reum. C. De procur.* nec alium accuſare: quia non relatione criminis, ſed innocentia reus purgatur, *l. Si qui 5. ff. De publ. judic.* Veruntamen non impeditur accuſatus, quo minus, accuſatione pendente, adminiſtrare poſſit bona, v. g. Prælatus, niſi ſit ſuſpectus de dilapidatione, *c. ult. h. t. Felin. in cit. c. Omnipotens. n.* 1. Et univerſim loquendo, pendentia accuſationis inhabilem facit accuſatum,

quoad

Digitized by Google

quoad jura de novo acquirenda, non autem privat eum jure jam acquiſito, nec exercitio illius, *Abbas in tit. c. Omnipotens. nu. 3. & Felin. nu. 1. not. 2. h. t.*

Extenditur 2. Si accuſatus, denunciatus, vel inquiſitus promotus ſit ad honorem, vel dignitatem, pendente judicio, ſeu cauſa criminali, non tenet promotio, etiamſi poſtea per ſententiam innocens ſit pronunciatus: ſed nova requiritur promotio, *cit. l. Qui ſtatus ff. De re milit.* Niſi appareat, accuſatorem per calumniam accuſaſſe, vel denunciaſſe, ſive eo animo, ut promotionem impediret, *cit. l. Qui de libertate. ff. De liberali cauſ. Gl. in tit. c. Tantis V. Obreptit diſt. 81. & ibidem Archidiaconus num. 4. Felin. in tit. c. Omnipotens. num. 3. & Joan. Andr. ibidem num. 3.* Ratio eſt, quia declaratio innocentiæ præcedere debet promotionem, nec ſufficit eam ſubſequi; in his enim principium eſt ſpectandum, ſive an quis habilis ſit tempore electionis, ſeu promotionis, *arg. c. Dudum. 14. de elect. c. Si eo tempore 45. eodem in 6.* Unde cum principium fuerit vitioſum, declaratio innocentiæ poſtea ſubſequens non retrotrahitur ad tempus promotionis. *Fagnan. in cit. c. Omnipotens. nu. 14. h. t.*

Extenditur 3. Accuſatus, lite pendente, non poteſt promoveri ad honores, etiamſi infamia non præceſſerit, quia eſt criminoſus occultus; nam per ſolam pendentiam accuſationis, vel denunciationis, nihilominus impeditur promotio, ut ex infra dicendis patebit. *Fagnan. cit. l. num. 12.*

XLIII. Limitatur autem 1. quod accuſatione pendente, non poſſit accuſator promoveri ad dignitates, dummodo accuſatio teneat, & facta ſit a legitimo accuſatore, *c. Meminimus. 13. h. t. Felin. in cit. c. Omnipotens. nu. 2. limit. 2.* Nam per ſententiam condemnatoriam etiam ſuper crimine aliaa, famoſo non irrogatur infamia, ſi ſit nulla ob defectum juriſdictionis, vel vitioſum proceſſum, vel quod lata ſit, ſine cauſæ cognitione, vel ob denegatam audientiam, ipſi condemnato, ut eſt caſus in *c. Inprimis. 7. §. Quia ergo cauſ. 2. q. 1. Fagnan. in cit. c. Omnipotens. num. 14.*

Limitatur 2. Dummodo crimen, de quo aliquis accuſatur, vel denunciatur, ſit grave, ut colligitur ex illis verbis *cit. c. Omnipotens. De quo tanta, & talia nuntiantur*, id eſt, gravia ut exponit *ibid. Joan. Andr. n. 1. V. Talia.* Cujuſmodi ſunt ſacrilegium, homicidium, adulterium & alia crimina, quæ enumerantur in *c. Unum. 3. §. Alias autem diſ. 25.* Secus eſt, ſi ſint crimina minora, & levia, hæc enim promotionem ad dignitates, etſi probata ſint, non impediunt. *Fagnan. cit. l. n. 17.*

Limitatur 3. Niſi accuſetur integrum Collegium, vel denuntietur, tunc enim pendente lite, aliquis ex illo Collegio non impeditur promoveri ad honores, niſi perſona illa in accuſat ono ſpecialiter, & nominatim ſit expreſſa *Archidiac. in cit. c. Tantis, nu. 5. diſt. 81. Felin. in cit. c. Omnipotens, num. 2. limit.*

Limitatur 4. Niſi accuſatio de crimine etiam famoſo fiat, non criminaliter ad pœnam, ſeu vindictam publicam: ſed civiliter ſolum ad intereſſe proprium publicam: ſed civiliter ſolum ad intereſſe proprium perſequendum, tunc enim non impedit promotionem accuſati ad dignitates, quia infamiam non irrogat, *c. Tua. 5. de procur. c. Super his 16. in fine h. tit. Fagnan. cit. l. nu. 15.* An autem, ſicut accuſatus criminaliter non poteſt promoveri ad dignitatem, ita nec eligi poſſit, videri poteſt. *Abbas in cit. c. Omnipotens, num. 4. h. t. Fagnan. ibid. num. 26. & ſeqq.*

§. XI.

Qualiter accuſatore non probante, vel non comparente, vel infamato de crimine indicanda ſit purgatio Canonica?

XLIV. De quo agitur in *c. Accedens. 23. h. t.* Ubi talis caſus proponitur.
„ Quidam Subdiaconus Papæ, H. nomine
„ apud Sedem Apoſtolicam deceſſit, cujus præbendam, quam
„ obtinuerat in Eccleſia Cremonenſi, Papa, G. nepoti ipſius
„ H. (ex filio aut filia, vel forte ex fratre, ſive fratris fi-
„ lio, *Abbas hic n. 2.*) contulit, datis ſuper hoc Executori-
„ bus, qui collationem factam executioni mandarent. Cum
„ autem executores vellent mandatum Apoſtolicum imple-
„ re, ex parte Capituli Cremonenſis, propoſitum fuit coram
„ eis, quod dictus G. de perjurio, & homicidio publice fue-
„ rit infamatus, idemque præbenda ipſi conferri non debeat,
„ ſed potius auferri. Quare idem G. accedens ad Sedem A-
„ poſtolicam, a Papa petiit, ut juberet, collationem præ-
„ bendæ ſibi factam executioni mandari. Unde Papa man-
„ davit Executoribus, ut conceſſionem a ſe factam dicto G.
„ Executioni mandarent, niſi prius ſuper objectis eidem,
„ per modum exceptionis, criminibus publice fuerit in-
„ famatus: quo facto, ſi legitimus comparuerit accuſator,
„ quæ fuerint hinc inde oppoſita, audiant: & ſi crimina il-
„ la, vel alterum eorum, legitime contra ipſum fuerint pro-
„ bata, ſilentium eidem Clerico G. ſuper illa præbenda im-
„ ponant. Si vero nullus contra eum legitimus accuſator
„ comparuerit, & ipſe ſuper prædictis criminibus fuerit in-
„ famatus, purgationem Canonicam eidem indicant, in qua
„ ſi defecerit, ſilentium ei imponant: ſi vero ipſam purga-
„ tionem præſtiterit, contradictores ab eo moleſtando com-
„ peſcant, & eos, qui niſi ſunt illum impedire, in legiti-
„ mas expenſas condemnent.

XLV. Pro intellectu hujus c. Notandum 1. Agenti ex interdicto adipiſcendæ poſſeſſionis in beneficialibus, non obſtat exceptio criminis, niſi de eo publice ſit infamatus, prout colligunt ex hoc *c.* Communiter DD. & patet ex ſumma ejuſdem *c.* Quare ſi is, cui beneficium a legitimo collatore conceſſum eſt, petat ſe in poſſeſſionem illius immitti, & collationem ſibi factam executioni mandari, ſed ei crimen objiciatur; tum ſi non publice eſt infamatus, collatio executioni mandari debet: quo facto, ſi quis accuſator, ſeu actor, vel denunciator legitimus compareat, talis ſcilicet, qui crimen probare poſſit, & velit, probato crimine, privatur beneficio proviſus, *c. Conſtitutis. 46. §. fin. de appell. & c. Poſt electionem. 7. in fine de conceſſ. præb.* Si vero non probetur crimen, reus abſolvi debet, hoc enim generale eſt, quod ſi talis accuſator non compareat, proviſus alterius non gravetur juxta jura allegata, *Hoſtienſ. in cit. c. Accedens. §. Si vero, volum. 6. ult.* Secus eſt: ſi exceptio criminis objiciatur electo nondum confirmato; nam cum ipſe nondum plenum jus habeat in beneficio ante confirmationem, ſtatim eſt admittenda exceptio criminis, & examinanda, antequam ille confirmetur: ei vero, qui jam eſt inſtitutus in beneficio, ut in caſu hujus c. dictus G. jam fuit inſtitutus per Papam, nihil deeſt, niſi ſola poſſeſſio, quæ eſt quid conſequens ad jus prius obtentum, unde in illam mitti debet, non obſtante exceptione illa criminis. *Gl. hic V. Public.*

Notandum 2. Si is, cui collatum eſt beneficium, de objecto crimine eſt publice infamatus, & is, qui crimen objicit, paratus eſt illud probare, tunc executio collationis factæ debet differri, donec hujuſmodi exceptio examinetur: quia turpius ejicitur, quam non admittitur hoſpes, *c. Quemadmodum. 25. de jurejur.* & quia, etiamſi jam eſſet in poſſeſſione, propter infamiam, & ſcandalum proviſus deberet ab ea ſuſpendi, uſque ad purgationem, *c. Presbyter. 13. cauſ. 2. q. 5.* multo magis non debet mitti in poſſeſſionem is, contra quem excipitur de crimine, de quo eſt infamatus, *Gl. in cit. c. Accedens. V. Publice.* Deinde recipi etiam debent probationes excipientis ſuper objecto crimine, quo probato, proviſo ſilentium imponendum eſt, ut habetur in *cit. c.* Sed etſi non probetur crimen, erit hoc caſu purgatio indicenda infamato, ut infamia expurgetur, *Gl. in cit. c. 23. V. Indicatis*, in qua ſi defecerit, eſt eidem proviſo ſilentium inoicendum, quia tum habetur pro convicto, ita ut ob delictum condemnari, & puniri poſſit, propter violentam contra illum præſumptionem. *Gl. in cit. c. In notatis.* Verum ſi ſe purgaverit mandanda eſt executioni collatio beneficii facta, & contradictores ab eo vexando compeſci, & in legitimas expenſas condemnari debent: qui enim exceptionem opponit, in qua fundata eſt intentio actoris, & in ejus probatione deficit, punitur in expenſis, quia malitioſe videtur eam opponere, & calumniari *Gl. fin. in cit. c. Accedens. & ibid. Hoſtiens. §. Sin autem proviſus col. ult.*

Notandum 3. Hinc patet, quod infamia objecti criminis tres effectus habet, ut notat *Hoſtiens. in tit. c. Accedens. col. ult. Circa medium*: Primus eſt, ut executio ſuſpendatur: ſecundus, ut illa ſuſpenſa, probatio criminis admittatur: tertius, ut purgatio indicatur, nec ſufficit oppoſitio infamiæ, niſi & crimen objiciatur, nec objectio criminis, niſi & infamia opponatur,

§. XII.

Quibus modis tollatur, & extinguatur accuſatio criminalis?

XLVI. Pluribus modis ea tollitur, ac finitur. 1. Per præſcriptionem, quia ſcilicet elapſum eſt tempus 20. annorum a die commiſſi criminis, per quod regulariter, & ordinarie præſcribitur omnis accuſatio criminalis, *l. Querela. 12. C. Ad leg. Cornel. de falſis*, & tradunt communiter DD. apud *Jul. Clarum cit. §. fin. quaſt. 51. num. 1. Farinac. in praxi crim. p. 1. tit. de inquiſ. q. 10. nu. 1.* Id autem intelligendum eſt de illis criminibus, quæ ſemel patrata tranſeunt, & ceſſant. Nam in illis, quæ ſunt ſucceſſiva, & permanentia, ut eſt matrimonium initum contra Canones, hæreſis, Apoſtaſia, & ſimilia, in quibus delinquens perſeverat, & delictum continuat, non poteſt habere locum ulla præſcriptio, niſi a tempore ceſſantis delicti, *Zaſ. ff. De accuſ. num. 27.* præſcribuntur autem actiones criminales, & pœnales breviore tempore, quam civiles, etiam illæ, quæ ex delicto deſcendant, quæ durant uſque ad 30. annos, quia odioſa facilius tolluntur. *Zaſ. num. 29. ff. Eodem.* quædam vero crimina breviore tempore tolluntur, quam 20. annorum. *Zaſ. citat. l. num. 28. Farinac. citat. l. num. 15. & ſeqq. de quibus alibi.*

2. Extinguitur accuſatio criminalis per mortem accuſatoris, ante latam ſententiam, ita ut hæredes ipſius accuſationem proſequi non poſſint, *l. Libellorum. 3. §. fin. ff. De accuſ. Clarus cit. l. num. 10.* poteſt tamen Judex ex officio accuſationem proſequi, & proceſſum ad finem perducere, *l. pen. in princ. ff. De publ. judic. Clarus cit. q. 51. num. 9. & 11.*

3. Extinguitur crimen, & ejus pœna per mortem Rei delinquentis, ita ut pœna ab hæredibus exigi non poſſit, *l. Defuncto 6. ff. De publ. jud.* & conſequenter etiam ipſa accuſatio ceſſat, quæ mortuo accuſato, in hæredes ejus non tranſit, *leg. 1. & ſeqq. C. Si reus vel accuſat. mort. &c.* Ex communi DD. ſententia apud *Clarum cit. q. 51. nu. 12.* Quod tamen intelligendum eſt de pœna corporali, juxta *Gl. cit. l. Defuncto V. Pœna.* Quod vero attinet ad pœnam pecuniariam, vel agitur criminaliter, vel civiliter; ſi agatur ex delicto criminaliter, ad pœnam confiſcationis bonorum, vel aliam pecuniariam fiſco applicandam; tum ſi reus moriatur ante ſententiam condemnatoriam criminis contra eum latam, accuſatio criminalis non tranſit ad hæredes ipſius, etiamſi lis cum defuncto fuerit conteſtata, ſed condemnatio non ſit ſecuta, *l. Ex judiciorum. 20. ff. De accuſ.* Ratio eſt: quia cum Reus accuſatus ante mortem non fuerit obnoxius tali pœnæ confiſcationis bonorum, vel alterius pecuniariæ, quippe nec condemnatus, multo minus hæredes ad eam tenebantur. Aliud eſt, ſi poſt ſententiam condemnatoriam reus ſit mortuus, tunc enim quælibet pœna pecuniaria tranſit ad hæredes delinquentis, *Farinac. cit. q. 10. num. 45.* Excipiuntur quædam crimina, in quibus etiam poſt mortem Rei delinquentis, procedi poteſt contra hæredes delinquentis, etiam lite non conteſtata, ut bona eorum fiſco vindicentur *citat. loc. Ex judiciorum.* ut eſt crimen læſæ Majeſt.

hæreſis &c. *Clarus cit. q. 51. n. 13. Farin. cit. q. 10. num. 38.* Si vero agatur ex delicto civiliter ad pœnam pecuniariam parti læſæ applicandam, tum talis actio pœnalis non tranſit ad hæredes, niſi lis cum defuncto fuerit conteſtata, licet non fuerit condemnatio Rei ſecuta, quia is mortuus eſt, pendente cauſa principali, *cit. l. Ex judiciorum in fine.* & ibi *Gl. V. Pœna.* & *V. Secuta.* Ratio prioris eſt, quia pœnalis actio ex delicto, vel quaſi delicto deſcendens, auctorem tantum inſequitur, *l. inde Neratius. 23. §. Hanc. actionem. ff. Ad leg. Aquil. §. Non autem Inſtit. de perpet. & tem. act.* Ratio exceptionis eſt, quia litis conteſtatio eſt quidem quaſi contractus, & velut novat priorem obligationem, ſive transfundit in aliam, facitque, ut actio pœnalis non jam ex delicto, ſed ex quaſi contractu nalci videatur, at actiones ex contractu, & quaſi contractu dantur etiam contra hæredes, *Giphan. in cit. §. Non autem. Inſtit. dicto tit.*

SECTIO II.

DE INQUISITIONIBUS.

Explicata ſunt hactenus, quæ ad 1. partem Rubricæ hujus Tituli ſpectinent, videlicet de accuſatione, ſequitur nunc, ut de ſecunda parte, quæ eſt de Inquiſitionibus, agamus: nam deficiente legitimo accuſatore, inſtituitur inquiſitio a Judice ex mero officio, ne delicta maneant impunita, cum graviſſimo Reipubl. detrimento.

§. I.

De Inquiſitione in Genere, & poteſtate inquirendi.

XLVII. Quæritur 1. Quid & quotuplex ſit, Inquiſitio? Reſp. *Eſt alicujus criminis manifeſti ex bono, & æquo a Judice competente legitime* (id eſt, Canonice & Juridice) *facta inveſtigatio*, quæ ſcilicet facta eſt ſecundum Jura & Canones, prout deſcribit *Hoſtienſ. in ſumma de Inquiſitionibus. h. t.* Quæ deſcriptio declarabitur in ſeqq. Nec obſtat, quod Judex non poſſit aliquem condemnare, ſine accuſatore, *l. Reſcripto. 6. §. Si quis accuſatorem. & ibi Gl. Marg. lit. C. ff. de muner. & honor.* & docet *S. Thomas 2. 2. quæſt. 67. artic. 3.* ergo non poteſt Judex procedere ex munere ſuo aliquem condemnando. Nam verum eſt, quod ſemper requiratur, ut interveniat accuſator formaliter, vel virtualiter per aliquid, quod vices accuſatoris ſuppleat: cujuſmodi eſt, vel ſimplex denunciatio, vel ſi procedatur per inquiſitionem, publica infamia, vel indicia criminis, quæ locum accuſatoris ſupplent, ut reſpondet *S. Thom. c. l. ad 2. Leſſ. l. 2. de juſt. c. 29 d. 104.*

XLVIII. Reſp. 2. Triplex eſt Inquiſitio, ut notat *Silv. in ſumma. V. Inquiſitio. 1.* & alii Canoniſtæ communiter. Videlicet ſimpliciter generalis, ſive generaliſſima, quæ ſit ex mero officio Judicis, cum neque perſona, neque crimine expreſſo, generatim inquiritur, an non committantur crimina in aliqua Civitate, Provincia, vel Communitate, ſive an ſint homines facinoroſi in illa, de qua in *cap. Grave 29. de præb. & in c. Sicut olim. 25. h. t. & in l. Congruit. 13. ff. De officio præſ.* in cujus locum hodie ſucceſſit proclama, ſeu bannum generale contra omnes homines malæ conditionis, & famæ, quod faciunt Poteſtates in principio ſui officii, teſte Claro in praxi crimin. *§. fin. q. 3. n. 1.* Altera eſt Inquiſitio generalis, ſive potius mixta, id eſt, partim generalis quoad perſonas, partim ſpecialis quoad delicta, ut cum conſtat Titium eſſe occiſum, ſed inquiritur, quiſnam illum occiderit, vel e converſo partim eſt generalis quoad delicta, partim ſpecialis quoad perſonas, ut cum inquiritur, an Titius flagitia quædam patrarit? Et hæc Inquiſitio præparatoria eſt, per quam deveniri poteſt ad Inquiſitionem ſpecialem, ſit enim ad inveniendum delinquentem, & Judex generaliter inquirit, quiſnam delictum commiſerit, vel quænam delicta Titius v. g. commiſerit, generales deſuper recipiendo informationes, adeoque ſit non ad puniendum, ſed ad inveſtigandum. Tertia eſt Inquiſitio ſimpliciter ſpecialis, quando de certo, & determinato delicto, contra certam & determinatam perſonam inquiritur, ad puniendum delictum, v. gr. An Titius homicidium commiſerit? Et de hac ſpeciali inquiſitione potiſſimum hic agetur, quæ ſit contra certam perſonam ad effectum puniendi delinquentem, & fieri ſolet tribus modis. 1. Ex mero officio Judicis, ut quando Judex inquirit contra aliquem ſine accuſatione, querela, aut denunciatione alicujus. 2. Fit ad querelam alicujus, qui tamen non vult ſtare in judicio tanquam accuſator, ſed ſolum exponit querelam Judici, eaque propoſita, Judex ex officio ſuo ad teſtes, & informationes recipiendas procedit. 3. Fit ad denunciationem alicujus publici Officialis ad denuncianda delicta deputati, tunc enim Judex ex officio ſuo poteſt inquirere, nulla infamia præcedente, quia excuſatur per ſolam denunciationem a calumnia, *l. Ea quidem 7. C. de accuſ. Maranta de ord. Judic. p. 6. tit. de accuſ. n. 11. Azor. p. 3. c. 17. dub. 1.*

XLIX. Quæritur 2. Quis poſſit, & contra quos Juridice inquirere, in quibus delictis? Reſp. I. Inquirere poteſt quilibet Judex, ſive ſæcularis, ſive Eccleſiaſticus, modo competens, ſit, alioqui inquiſitio invalida eſt, *tot. tit. C. Si a non compet. judic. c. Irrefragabili. 13. de offic. ord. Maran. cit. l. n. 102. Silv. V. Inquiſitio. 1. n. 2. q. 1. dicta 2.* Ex quo infertur 1. quod inquiſitio facta a Judice ſæculari contra Eccleſiaſticas perſonas ſit nulla, quia Clerici coram Judice ſæculari, nec civiliter, nec criminaliter conveniri poſſunt, *c. Clerici. 8. & c. Cum non ab homine. 10. de judic. c. 2. de foro compet. Farinac. in praxi crim. p. 1. lib. 1. tit. 1. q. 1. n. 55.* 2. Non omnes Judices criminaliter inquirere poſſunt: ſed illi ſolum, qui merum imperium habent, ſive jus gladii, & cauſas criminales cognoſcendi poteſtatem, *Silv. cit. l. Farinac. c. l. nu.* 56. niſi incidenter, ſi cauſa criminalis incidens ita connexa ſit cauſæ ſimili principali, ut hæc ſine illa definiri non poſſit, ut ſi teſtis falſum depoſuit coram Judice Civili. *Silv. cit. l. Farinac. n. 57.* Reſp. 2. Reus, contra quem inquiritur, debet eſſe ſubjectus juriſdictioni inquirentis, quantum ad articulum, de quo inquiritur, alias contra ipſum Judex inquiſitionem inſtituere non poteſt, *Silv. c. l. q. 3. n. 5. dicto 5.* Quamvis eundem recuſare poſſit, ſi ſuſpectum habeat, *Silv. c. l. n. 6.* Reſp. 3. Spectato Jure Civili, non poteſt regulariter Judex ex officio inquirere ſuper delictis, nemine accuſante, vel querelam proponente, *Marant. c. l. n. 5.* quia accuſatio, ſeu querela eſt remedium ordinarium, ideoque quilibet admittitur ad accuſandum, niſi ſpecialiter prohibeatur: At inquiſitio eſt remedium extraordinarium, quia de Jure Civili non poteſt judex ordinarie ex officio procedere, per viam Inquiſitionis, niſi in caſibus, & delictis exceptis, quorum plures enumerat *Gl. in l. 1. §. Ex publico. V. Sine accuſatore ff. ad leg. Jul. de adult.* Verum de Jure Canonico ſuper omnibus delictis a Judice ex officio procedi poteſt indiſtincte, quoties præcedit infamia, vel etiam accuſatio vel denunciatio publica, tanquam ex remedio ordinario, *Farin. c. l. q. 1. n. 8.* Sed quidquid ſit de jure, hodie, ex recepta generali locorum conſuetudine, etiam de Jure Civili, & in foro ſæculari permiſſum eſt in omnibus delictis procedere ex officio per inquiſitionem, factumque eſt remedium inquiſitionis ordinarium, ut teſtatur *Clar. cit. q. 3. n. 6. Farin. cit. q. 1. n. 2. limit. 3.* & alii apud ipſum.

§. II.

An ad Inquiſitionem omnino generalem, vel mixtam requiratur, ut præcedat infamia criminis, vel perſonæ?

L. Aſſertio 1. Ad faciendam Inquiſitionem omnino generalem vel generaliſſimam, quæ ſit non ad inveſtigandum unum, ſed plura delicta, & facinora in genere non requiritur, ut præcedat infamia perſonæ, vel indicium commiſſi criminis, ſed Judex nulla prævia occaſione data ex ſuo officio poteſt imo tenetur illam inſtituere. Eſt communis DD. ſententia apud *Leſſ. l. 2. de juſt. c. 29. n. 108. Marant. de ord. judic. p. 6. tit. de inquiſit. n. 19. Farin. in praxi crim. p. 1. l. 1. de inquiſit. tit. 1. q. 9. n. 18.* Probatur, quia in *c. 1. de officio judic. ord.* dicitur: *Habeant Epiſcopi ſingularum urbium in ſuis diœceſibus poteſtatem, adulteria, & ſcelera inquirere, ulciſci, & judicare.* Ubi etſi *Gloſſ. V. Inquirere*, putat, agi de inquiſitione ſpeciali, tamen Abbas *ibid. n. 6.* eum textum intelligit de inquiſitione generali, quam tenentur facere Epiſcopi, viſitando, & inquirendo generaliter, qualiter vivant populi ipſis ſubjecti, & ad hanc non requiri, ut præcedat infamia, ut dictum ſupra *l. 1. tit. 31. n. 47.* Item in *c. 1. §. ſane de cenſib. in 6.* dicitur: *Propoſito verbo DEI, quærat de vita & converſatione miniſtrantium in Eccleſiis, & locis aliis divino cultui deputatis*, ubi clare ſermo eſt de inquiſitione generali. Deinde probatur etiam ratione, quia talis inquiſitio neceſſaria eſt ad purgandam Rempublicam a criminibus, & refrænandos mores hominum, nec per illam cuiquam ſit injuria, cum de nullo in particulari fiat inquiſitio. Et licet quorundam ſcelera occulta per illam detegantur, id ſit per accidens, & præter intentionem, cui incommodo bonum commune prævalere debet. Sic enim multa crimina manifeſtantur quæ alioquin manerent incognita, & impunita.

LI. Ubi præterea notandum, quod ſubditi, qui in tali inquiſitione generali interrogantur, etiam ſub juramento, non tenentur manifeſtare delicta occulta ipſorum, qui nulla laborant eorum infamia; nam mens interrogantis eſt inquirere ſolum de iis, quæ alias publica ſunt, ejuſque poteſtas ſe non extendit ad occulta elicienda, de quibus nulla eſt publica fama, inde enim maxima incommoda in Republica ſequerentur, ut colligitur ex *c. Qualiter, 17. h. t. Leſſ. cit. c. 29. n. 109.* Imo neque licite poſſunt ſubditi interrogati manifeſtare talia delicta, ſi non poſſunt probari in Judicio, & conſequenter neque puniri? tunc enim manifeſtatio criminis ad injuſtam infamationem tantum tenderet, adeoque manifeſtans illud peccaret contra juſtitiam, *Leſſ. cit. l. n. 111. Laym. l. 3. tr. 6. c. 2. n. 3.* Sed neque tunc, quando crimen occultum poteſt probari in Judicio, licitum eſt illud manifeſtare Judici, ſi manifeſtatio tendat ad ſolam punitionem criminis, tunc enim præcedere debet Infamia, *Leſſ. cit. l.* Excipi debet 1. niſi quando neceſſarium eſt ad emendationem criminoſi occulti, quæ aliter non ſperatur, niſi Prælati opera, tunc enim manifeſtandum eſt illi crimen, non tanquam Judici, ſed tanquam patri, ad corripiendum ſubditum. 2. Si id neceſſarium ſit ad avertendum grave damnum publicum, vel privatum alicujus innocentis. *Leſſ. cit. l. n. 112.*

LII. Porro de hac inquiſitione generali ſit etiam mentio in *c. Sicut olim. 25. h. t.* Ubi Concilium generale Lateranenſe ſub Innocentio III. ſtatuit, ut Metropolitani, ſingulis annis, cum ſuis Suffraganeis, non omittant celebrare Concilia Provincialia, in quibus de corrigendis exceſſibus, & refrænandis moribus, præſertim in Clero, diligenter tractent, relegentes regulas Canonicas, maxime quæ in hoc generali Concilio ſtatutæ ſunt, ut eas faciant obſervari, infligendo debitam pœnam tranſgreſſoribus. Et in hunc finem per ſingulas diœceſes conſtituant idoneas perſonas, quæ per totum annum ſimpliciter, & abſque ulla juriſdictione diligenter inquirant, quæ correctione vel reformatione indigent, & ea fideliter referant ad Concilium Provinciale in anno ſequente, habendum, & ſuper his ac aliis provida deliberatione, Metropolitanus, & Suffraganei procedant, & quæ ſtatuerint, faciant obſervari, eaque publicanda, ſunt in Epiſcopalibus Synodis annuatim celebrandis, per ſingulas diœceſes, & qui hæc neglexerit, adimplere, ab officii ſui executione ſuſpendatur.

LIII.

Digitized by Google

LIII. Pro intellectu hujus c. notandum 1. Inquiſitores ſeu viſitatores, aut denunciatores, qui in Concilio Provinciali ſunt quaſi teſtes Synodales, debent eſſe perſonæ providæ, ac honeſtæ, & tales, quibus merito ſit credendom, ne corruptæ aliquem falſo infameot, vel deferant. *Hoſtieas. hic V. idoneos, col.* 2. Differunt autem ab iis Inquiſitoribus, qui deputaodi ſunt ab Epiſcopo in Synodo diœceſana, quia primi non debent neceſſario eſſe jurati, cum de hoc nihil dicatur in hoc c. ſicut ſecundi, & conſtitui debent a Præſidentibus Concilio Provinciali, nullamque juriidictionem habent, ideoque non poſſunt judicialiter eitare condemnare, vel excommuuicare ſed debent ſolicite ioveſtigare, quæ corrigenda & teformanda ſunt, & ad Metropolitanum ac Suffraganeos io proximo Concilio Provinciali referre. *Gloſ. hic V. abſque nulla, & Hoſtieas.* V. *juriſdictione col.* 2. *Fagn. n.* 5. *&* 6.

Notandum 2. Si Inquiſitores iſti ſiot de loco, ubi inqoirunt, propriis ſumptibus vivere debet, alioquin ſumptus moderatos ſuppeditare debent Parochi, ad quos divertunt; neque enim coguntus propriis ſtipendiis militare, nec officium ſuum eis eſſe debet dsmnoſum, *Gl. hic V. ſtatuant, & Hoſtienſ. §. procurabitur col.* 2.

Notandum 3. Pœoa ſuſpenſionis, quam incurrunt Metropolitani, & Epiſcopi hac io re negligentes, non eſt latæ ſententiæ, ſed ferendæ, *Hoſtiens. hic in fine.* Cæterum hæc Conſtitutio in Germania noſtra io praxi uon obſervatur, præſertim quoad Concilia Provincialia, quæ olim ſingulis annis celebranda eraut, nunc vero ex decreto Concilii *Trident. Seſſ.* 24. *c.* 2. *de reform.* qoolibet ſaltem triennio. Idque propter Archiepiſcoparuum, & Epiſcopatuum latitudinem, Cleri amplitudinem, & ſumptuom magnitudinem, qui pro hujuſmodi Synodis exiguntur.

LIV. Aſſertio 2. In mixta Inquiſitione id eſt, partim generali, partim ſpeciali, quando ſcilicet crimen eſt publicum; v. gr. homicidium, ſed author ignoratur, tum licet Judici non ſpecialiter contra certam perſonam, ſed generaliter inquirere, quis illud commiſerit, etiam nulla præcedente fama de perſooa aliqua particulari. *Faria. cit. q.* 9. *n.* 18. *Leſſ. cit. c.* 29. *n.* 124. *Layman. cit. c.* 2. *n.* 3. Idque patet ex commuoi praxi Judicium io utroque foro, Eccleſiaſtico, & ſæculari. Ratio eſt: quia tum, niſi tales inquiſitiones fierent, graviſſimum ſequeretur incommodum in Rempublicam, videlicet grave ſcandalum populi, ſi viderent, Judicem non inquirere authorem ootorii criminis, & criminoſi magis iocitarentus ad delinquendum, ſpe impunitatis: tum quia per talem generalem inquiſitionem nulli fit injuria: ſed ea Judici aperit, & munit viam ad ſpecialem inquiſitionem: nam interrogat primo eos, quos putat eſſe conſcios, ſeu informaros de crimine, an non ſciant, quis crimen hoc commiſerit? quod ſi omnes reſpondeant, ſe neſcire; tunc interrogat eos ſuper fama etiam generaliter, interrogando, an non aliquis de eo crimine ſit diffamatus, & ſi ea ipſis, informationibus receptis, reſultet ſuſpicio, vel indicium probabile coorra aliquem, tunc incipit ſpecialiter inquirere contra eum, & aſſumit ſpeciales ioſormationes, ſive alia indicia, vel teſtes recipit contra reum nominatum in generali inquiſitione. *Clar. cit. §. fin. q.* 5. *nu.* 5. *Azor. p.* 3. *l.* 13. *c.* 26. *poſt princip.* Porro ſubditi interrogati, hoc caſu, noo tenentur manifeſtare auctorem criminis occultum, niſi de eo publica infamia, vel ſufficientia indicia præcedant, etiamſi Judex ſub juramento inquirat generatim, quis delictum commiſerit, cum non habeat jus inquirendi de reis occultis, & conſequenter non poſſit obligare ſubditos, ut eos manifeſtent, ſed ſolum eos, qui infamia aliqua laborant, multo minus reus occultus tenetur ſe ipſum prodere. *Leſſ. cit. c.* 29. *n.* 128. Deinde poteſt, ac debet interrogatus a Judice occultum auctorem criminis manifeſtare, ſi crimen adhuc eſſet patrandum, vel continuandum, vel ſi ea eo grave damnom alicui immineret, quod alio modo commode declinari noo poſſet. *Leſſ. cit. l. n.* 129.

§. III.

An, & qua ratione ad Inquiſitionem generalem contra perſonam aliquam particularem requiratur, ut præcedat infamia illius, & quomodo in tali Inquiſitione ſit procedendum?

LV. De hoc agitur inprimis io *c. Qualiter & quando* 24.
h. c. quod eſt deſumptum ex Concilio generali Lateranenſi
,, ſub Innocentio III. cap. 18. ubi inprimis dicitur, quod
,, non ſolum cum ſubditus, ſed etiam cum Prælatus excedit, ſeu delinquit, ſi per clamorem & famam ad aures
,, Superioris id pervenerit, non a malevolis aut maledicis,
,, ſed a providis & honeſtis, nec ſemel tantum, ſed ſæpe
,, (quod clamor, & diffamatio innuit, & manifeſtat) debet Prælatus ſeu Epiſcopus coram Canonicis ſenioribus
,, Eccleſiæ ſuæ, veritatem diligenter inquirere, & ſi culpam invenerit, illum Canonice puniat, non tanquam ipſe ſit accuſator, & Judex: ſed quaſi denunciante fama,
,, vel deferente clamore, ſuum officium exequatus. Et iſtud
,, quidem eſt obſervandum in ſubditis: diligentius tamen in
,, Prælatis, quia ipſi ſunt quaſi ſignum poſiti ad ſagittam,
,, & quia non poſſunt omnibus placere, cum ea officio teneantur arguere, & increpare, quin etiam interdum ſuſpendere, vel ligare; ideo frequenter odium multorum
,, incurrunt. Unde SS. PP. provide ſtatuerunt, ut accuſatio Prælatorum non facile admittatur, ne ſcilicet concuſſis columnis, ædificium corruat; niſi diligens adhibeatur cautela, per quam falſæ, & malignæ criminationi
,, via præcludatur: videlicet, ut criminalis accuſatio, quæ
,, ad diminutionem capitis, id eſt, degradationem extenditur, nullatenus admittatus, niſi legitima præcedat inſcriptio, ſed cum ſuper criminibus aliquis fuerit infamatus, ita ut ſine ſcandalo diutius diſſimulari non poſſit,
,, vel ſine periculo tolerari tum ad inquirendum, ac puniendum ejus exceſſus, non ex odio, ſed ex charitate Prælatus procedat, & ſi gravis fuerit exceſſus, etſi non degradetur, ab Ordine, tamen ab adminiſtratione omnino
,, removeatur, quod eſt ſecundum Evangelium, a villicatione villicum amoveri, qui non poteſt villicationis reddere rationem.

,, Præterea is, contra quem inquiritur, debet eſſe præſens, niſi per contumaciam ſe abſentaverit, & exponenda ſunt ei capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut
,, facultatem habeat ſe ipſum defendi: & non ſolum dicta, ſed etiam nomina teſtium ſunt ei publicanda, nec
,, non exceptiones, & replicationes legitimæ admittendæ,
,, ne per ſuppreſſionem nominum detur audacia infamandi:
,, per excluſionem vero exceptionum, deponendi falſum ſecuritas præbeatur. Item in §. *Ad Corrigendos*. dicitur,
,, quod Prælatus tanto diligentius debet ad corrigendos exceſſus ſubditorum deſcendere, quanto damnabilius eos dimitteret incorrectos: contra quos, exceptis notoriis exceſſibus, tribus modis poteſt procedi, per accuſationem
,, ſcilicet, denunciationem, & inquiſitionem ipſorum, ita
,, ut diligens in omnibus cautela adhibeatur, ne forte per
,, leve compendium (id eſt, perverſum, & præceps Judicium levis Judicis, quia forte vult abbreviare lites, *Gl. hic V. Eodem.*) ad grave diſpendium (id eſt, ad pœnam
,, auctoritate talis proceſſus, inflictam, *Gl. hic. V. Eodem.*)
,, veniatur; quare ſicut accuſationem legitima debet præcedere inſcriptio: & denunciationem charitativa monitio; ſic & inquiſitionem clamoroſa inſinuatio prævenire;
,, illo ſemper adhibito moderamine, ut juxta formam Judicii, ſententiæ quoque forma dictetur: Idque probatur in
,, principio hujus can. exemplo Villici illius, *Luc.* 16. qui
,, primo infamatus eſt apud dominum ſuum, quaſi diſſipaſſet
,, bona ipſius: deinde dictum eſt ad illum a domino, *quid hoc audio de te redde rationem villicationis tuæ &c.* & exemplo Sodomorum (*Gen.* 18.) de quibus Dominus ait: *Deſcendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint?* Ex quibus auctoritatibus manifeſte probatur, quomodo Prælatus procedere debeat ad inquirendum
,, & puniendum exceſſus ſubditorum. Denique in fine additur, hunc ordinem eſſe non uſquequaque circa Regulares perſonas obſervandum, quæ, cum cauſa requirit, facilius, & liberius poſſunt a ſuis adminiſtrationibus amoveri.

LVI. Ex hoc c. colligitur, & probatur principaliter, quod non poteſt Judex contra perſonam aliquam particularem, ſpecialem inquiſitionem inſtituere, niſi publica infamia ejuſdem perſonæ præcedat, ut ex communi ſententia DD. tradit *Clarus in pract. crim. §. fin. q.* 6. *num.* 1. *Farinac. cit. libr.* 1. *q.* 9. *num.* 1. *Leſſ. cit. c.* 29. *num.* 131. Ratio eſt; tum quia Judex debet ad punienda crimina procedere, ex ſcientia publica, quæ habetur per accuſationem, vel confeſſionem Rei in Judicio, vel per facti evidentiam, vel per infamiam publicam Rei. Tum quia nemo, ſine gravi cauſa, debet ſpoliari ſuo bono nomine, quamdiu illud retinet: per talem autem ſpecialem inquiſitionem redderetur quis ſuſpectus, & deterioris famæ, omnes enim merito ſuſpicarentur, illum, de quo v. g. Juridice inquiritur, an ſit magus, vel hæreticus, gravem occaſionem dediſſe ad illam inquiſitionem faciendam, & ſic injuria ipſi fieret, ſi in vitam ejus ſpecialiter inquireretur. Quare publica infamia præcedere debet, quæ eſt loco accuſationis, ſeu denunciationis, alias Judex inquirere non poſſet. *Abbas in cit. c. Qualiter. num.* 7. *Marant. cit. p.* 6. *tit. de inquiſ. num.* 19.

LVII. Ubi præterea pro explicatione hujus prolixi, & celebris c. Notandum 1. Prælatus diffamatus, maxime de dilapidatione, poteſt per Superiorem compelli ad reddendam rationem adminiſtrationis, ptoot ſumitor ex hoc cap. *V. Villicam.* per quod denotatur Prælatus, vel alius ſimilis adminiſtrationem habens. *Hoſtienſ. hic V. Eodem.* Ex quo per ſenſum contrarium infertur, quod ſi non ſit infamatus, non poſſit compelli ad reddendam rationem adminiſtrationis. *Abbas hic num.* 4. quamvis contrarium teneat *Gl. hic V. Redde rationem*, eo quod Prælatus comparetur Tutori, & Procurator ſit, non dominus, *c.* 2. *de donat.* Verum diſpar eſt ratio Tutoris, & Prælati; Tutor enim ad tempus datum ejus adminiſtratio finitur, adveniente pubertate pupilli: Prælatus vero eſt perpetuus, & liberam adminiſtrationem habet, in bonis Eccleſiæ: Ideoque non eſt mirum, ſi Prælatus non poſſit cogi reddere rationem, niſi laboret infamia, *Fagnan. hic, num.* 4. ex Butrio, & Ancharano in praxi tamen, & de facto debent Prælati rationem ſingulis annis, Capitulo reddere, etſi non ſint infamati.

Notandum 2. Is, contra quem fit inquiſitio prius interrogandus eſt de veritate, quam teſtes; quo ſi confiteatur veritatem, cum eo mitius eſt agendum, *c. Innotuit* 20. *§. Multa de Elect.* nec tunc opus eſt teſtibus, *Gl. hic V. Redde rationem in addit. Hoſtiens V. eodem.*

Notandum 3. Inquiſitio facienda eſt in loco, ubi Reus laborat infamia, uti ſumitur ex hoc c. ibi: *Deſcendam & videbo*, quia ibi melius inquiri poteſt de vita & accuſatione alicujus, ubi moratus eſt, *c.* 3. *de Elect. c. Quoſdam.* 3. *&c. ſeq. de præſumpt.* & quia quis poteſt eſſe diffamatus in uno loco, & non in alio: ideoque in loco, ubi laborat infamis, inquirendum eſt, *Anchar. apud Fagnan. hic num.* 8.

Notandum 4. Fama, de qua fit ſæpius mentio in hoc c. accipitur, tum in bonam, tum in malam partem: quæ dicitur infamia: bona fama ſumitur pro nomine bono, & dicitur ſtatus illæſæ dignitatis, moribus, ac vita comprobatus, *l. Cognitionum.* 5. *§.* 1. *ff. de variis & extraord. cognit. Maſcard. de prob. vol.* 2. *concl.* 748. *nu.* 3. cui contraria eſt mala fama, ſeu infamia, quæ eſt læſæ dignitatis ſtatus vita & moribus reprobatus, ut ex Salyceto tradit *Fagnan. in c. Veſtra.* 7. *de cohab. Cleric. & mulier. nu.* 31. Differt autem fama a clamore,

Digitized by Google

more, ſecundum *Hoſtienſ. hic V. Clamor.* quia clamor eſt paucorum, & cum ignoratur auctor; vel rectius per clamorem & famam intelligitur fama clamoſa, ſeu late divulgata, *Abbas hic num.* 5. A rumore vero differt fama: tum quia rumor ab incerto, fama a certo prodit auctore; tum quia fama eſt ſparſa per totam, aut majorem partem viciniæ, rumor per minorem, & ſic rumor eſt quid minus, quam fama, ut notant DD. in *cit. c. Veſtra.*

LVIII. Notandum 5. Fama, nec in civilibus, nec in criminalibus facit plenam probationem, ſe ſola, *Gl. hic V. Famam*, imo nec ſemiplenam in criminalibus: in quibus probationes debent eſſe luce meridiana clariores, *Farin. in praxi crim. p. 1. l. 1. tit. 5. q. 47. n. 59.* & alii apud ipſum, quamvis fama ſola ſit ſufficiens indicium ad inquirendum contra aliquem, *Clar. cit. §. fin. q. 21. n. 1.* Verum poteſt fama plenam probationem facere tribus concurrentibus. 1. Si nata ſit ex veriſimilibus cauſis, & conjecturis. 2. Si ultra dictas cauſas, unde fama orta eſt, adſint aliæ conjecturæ & præſumptiones. 3. Si eædem conjecturæ non ſint levia adminicula, ſed graves, & urgentes, & ex ſe ſufficientes ad ſemiplenam probationem conſtituendam: & tunc junctæ cum fama plenam facient probationem, *Maſcard. concl. 1223. n. 22. & 2. ſeqq. Farinac. cit. q. 47. n. 88.* Item in iis, quæ ſunt difficilis probationis, fama adjunctis adminiculis aliquibus, facit plenam probationem, vel ſaltem transfert onus probandi in adverſarium.

Notandum 6. Quod dictum eſt, inquiſitionem, non præcedente fama, eſſe nullam, & invalidam, extenditur 1. ut procedit non tantum, ſi Judex ſit delegatus, ſed etiam ordinarius, ita ut neque hic inquirere poſſit, ſine diffamatione Rei, *Clarus §. fin. q. 6. n. 2. Farinac. p. 1. tit. 5. de inquiſ. q. 9. n. 3.* 2. Sive Judex procedat ad querelam, ſeu accuſationem partis, ſive ex officio ſuo; nam tunc multo magis eſt neceſſaria diffamatio Rei, quippe quæ ſuccedit loco accuſationis, *Clar. cit. q. 6. n. 3. Farin. c. l. n. 4.* 3. Inquiſitio nulla, ob defectum præcedentis famæ, non convalidatur, tametſi teſtes poſtea producti plene probaverint delictum, de quo inquiſitus prius non erat diffamatus; quod enim ab initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere, *Reg. 29. in ff. Farinac. cit. l. n. 8.*

LIX. Notandum 7. ad hoc, ut ex fama poſſit procedi ad ſpecialem inquiſitionem tam contra ſubditum, quam Prælatum, requiritur 1. Ut fama, & clamoſa inſinuatio ad aures Judicis pervenerit. Neque is tenetur inquirere, ſi diffamatio ſolum pervenit ad alios. 2. Ut fama ejuſmodi non ſemel tantum, ſed ſæpius ad aures Superioris pervenerit, juxta prudentis arbitrium, *Clarus cit. q. 6. n. 20. & 21. Farinac. cit. q. 9. n. 3.* 3. Requiritur, ut fama præcedens inquiſitionem, originem habeat a perſonis honeſtis, & fide dignis, & non a malevolis, vel improbis hominibus, *cit. c. Qualiter.* alias ex ea non poſſerit formari inquiſitio. *Farinac. cit. l. n. 6.* 4. Non creditur Judici aſſerenti, in inquiſitione famam præceſſiſſe, ſed neceſſe eſt, ut conſtet de fama publica, eaque probata ſit, ſaltem per duos teſtes ſuper fama exceptos. *Clar. cit. q. 6. n. 12. & ſeqq. Farinac. cit. l. n. 7.*

Notandum 8. Superior, ſive Epiſcopus non debet procedere contra ſubditos etiam per viam inquiſitionis, niſi præſentibus Canonicis Eccleſiæ Cathedralis: nam & alias juriſdictionem non exercet Epiſcopus, ſine conſilio Capituli, *cap. Epiſcopus. 6. cauſ. 15. q. 7. 7. c. novit. 4. & c. ſeq. de his, quæ fiunt a Prælat.* Verum hodie Capitulares præſcripſerunt contra ſuos Canonicos, ut ipſi ſoli abſque conſilio Epiſcopi, inquirant de criminibus, & juriſdictionem exerceant, valetque talis conſuetudo legitime præſcripta, juxta *c. non. eſt. 3. de conſuet. in 6. Abbas in cit. c. Qualiter. n. 6. h. t.*

Notandum 9. Judex in Judicio inquiſitionis non tenet locum accuſatoris, quia alia debet eſſe perſona accuſatoris, alia Judicis, *c. 1. & 2. cauſ. 4. quæſt. 4. c. ſicut 10. de V. S.* colligitur ex *cit. c. Qualiter. ibi: Non tanquam idem ſit accuſator, & Judex.* Sunt enim officia hæc incompatibilia, quæ in eandem ſimul perſonam cadere non poſſunt: ſed fama inquiſitione ſuccedit loco accuſatoris, ſeu denunciatoris, ut patet ex illis verbis hujus c. *Quaſi denunciante fama vel deferente clamore, Abbas. hic. n. 7.*

Notandum 10. Ordo debitæ correctionis eſt, ut criminoſus primo arguatur, id eſt, reprehendatur. 2. Increpetur, cum comminatione, ſcilicet pœnæ. 3. Suſpendatur ab officio, vel beneficio. 4. Ligetur, id eſt, excommunicetur; prout ſumitur ex *cit. c. Qualiter. & c. forte, 11. in fine cauſ. 23. q. 4. Abbas hic. n. 7.* & ideo odium multorum incurrunt Prælati, ſi officium ſuum diligenter exequantur, ut dicitur in *cit. c. Abbas hic. n. 8.*

LX. Notandum 11. Non ita facile inquirendum eſt contra Prælatum, ſicut contra ſubditum: quia contra hunc ſufficit, ſi procedat ſimplex infamia, etſi ſcandalum non generet: ſed contra Prælatum debet præcedere talis infamia, quæ ſine ſcandalo diſſimulari non poteſt, quia v.g. diffamatus eſt de delicto incontinentiæ, vel quæ ſine periculo tolerari non poteſt, ut quia diffamatus eſt de dilapidatione, ex qua ſequi poſſet rerum Eccleſiaſticarum, diſtractio; vel de hæreſi, ex qua ſequi poſſet aliorum infectio prout ſumitur ex *cit. c. Qualiter. Abbas nibil. n. 9.* Major autem requiritur præcedens infamia ad inquirendum contra Prælatum, quia facile Prælatis a ſubditis falſa crimina imponuntur, cum incurrant, ob executionem officii, odium eorum, *Abbas cit. l.*

Notandum 12. Prælatus propter exceſſum gravem, ſi reus per inquiſitionem deprehendatur, non degradatur, ſeu deponitur ab Ordine, ſeu dignitate, ſed ab adminiſtratione tantum removetur, ut habetur in *cit. c. Qualiter. & ibi Gl. Magna in notat.* niſi delictum ſit tantum, ut impediat executionem Ordinis, poſt pœnitentiam; *c. inquiſitionis. 12. h. t.* quod ſi adminiſtrationem non habeat, arbitrio Judicis punietur, *Hoſtienſ. in cit. c. Qualiter. V. gravis.*

Notandum 13. Is, contra quem fit inquiſitio, debet eſſe præſens, niſi per contumaciam ſe abſentet, quia tunc poteſt contra ipſum ad ſententiam procedi, deinde debent illi exponi capitula, de quibus erit inquirendum, ut facultatem habeat ſeipſum defendendi, & non ſolum dicta, ſed etiam nomina teſtium ſunt publicanda inquiſito, ut quid, & a quo ſit dictum, appareat, nec non exceptiones, & replicationes legitimæ ſunt admittendæ, *cit. c. Qualiter. §. debet igitur.* Exceptio autem proponitur ex parte ejus, contra quem fit inquiſitio, replicatio ex parte ejus, qui inquiſitionem impetravit. *Hoſtienſ. V. eodem.* Quare ſi prius fiat inquiſitio, & poſtea tradantur capitula, nihil agitur, quia ordo pervertitur, *Hoſtienſ. in cit. c. fuerit. & Joan. Andr. nu. 25. V. fuerit.* Hæc autem procedunt in inquiſitionem, quæ fit contra certam perſonam, & ſuper certo crimine, nam in inquiſitione generali non dantur capitula, quia non eſt, cui dentur, ſed generaliter inquiritur. *Abbas in cit. c. Qualiter n. 11. not. 13.*

Notandum 14. Quatuor ſunt modi procedendi criminaliter ad corrigendos ſubditorum exceſſus. Primus, in criminibus notoriis, *cit. c. Qualiter. ibi. ut de notoriis exceſſibus taceatur,* quæ accuſatione non egent, *c. manifeſta 15. cauſ. 2. q. 1.* nec ordine judiciario, in quibus Judex procedit puniendo, *c. manifeſta 17. eadem cauſ. & q.* de quo infra. Secundus, per accuſationem, tertius per inquiſitionem, quartus per denunciationem, *cit. c. Qualiter §. ad corrigendos.* Conveniunt autem iſti modi procedendi in eo, quod in quolibet, juxta formam judicii (id eſt, petitionis) & modum procedendi ſententiæ quoque forma dictari debeat, *cit. §. Ad corrigendos,* fatuus eſt enim Judex, qui aliter condemnat quam fuerit petitum, *l. fin. C. De fideicommiſſ. libert. Abbas in cit. c. Qualiter. num. 10. not. 14.* Ubi id ita declarat, ut ſi Judex proceſſit per inquiſitionem, debeat imponere pœnam ordinariam, & non pœnitentiam tantum. Si vero actum ſit per denunciationem Evangelicam, non imponat pœnam ordinariam, ſed ad pœnitentiam tantum compellat, & ſic de ſimilibus.

Notandum 15. & ult. prædictus ordo procedendi criminaliter non eſt uſquequaque obſervandus, circa regulares perſonas, ut habetur in *cit. c. Qualiter. §. fin.* de quo plura infra.

§. IV.

In quibus caſibus non requiratur neceſſario ad ſpecialem inquiſitionem contra Perſonam particularem de aliquo crimine, ut precedat illius infamia.

LXI. Plures ſunt hujuſmodi caſus. Velut 1. ac principaliter, ſi extent legitima, & ſufficientia indicia contra inquiſitum, licet is infamatus non ſit de crimine; poteſt tamen inquiri ex illis indiciis contra illum, & Judex procedere ad informationes vel teſtes recipiendos contra Reum, quia ea indicia ſuccedunt loco informationis, ejuſque vicem ſupplent, imo fortiora ſunt, quam diffamatio, *Marant. de ord. jud. p. 6. cit. de inquiſit. nu. 22. Farinac. p. 1. l. 1. de Inquiſit. tit. 1. q. 9. n. 20.* Ubi addit, quod talia debeant eſſe propinqua, non remota; quænam autem ſint cenſenda legitima indicia, & ſufficientia ad inquirendum ſpecialiter, Judicis arbitrio relinquendum eſt, qui judicabit, quænam ſint indicia gravia, aut levia. *Farinac. c. l. q. 1. n. 45. in fine* 2. Non eſt neceſſe præcedere infamiam de crimine inquiſiti, ſi Judex inquirat ad denunciationem publici officialis: imo tunc tenetur inquirere, etiam non præcedente fama. *Marant. c. l. nu. 24. Farinac. c. l. num. 4.* Idemque eſt, ſi quis denunciatur de crimine per aliquem virum probum, quia tunc prædicta denunciatio eſt ſufficiens ad inquirendum contra eum, ſuper infamia tantum, & non ſuper crimine, de quo inquiri poteſt, ſi conſtet de infamia. *Abb. in c. Licet. 24. n. 4. h. t.*

LXII. 3. Inquiſitio facta, ſine præcedente infamia, parte non opponente, tenet, ut expreſſe conſtat ex *c. Si in. 2. & ult. h. t. in 6.* Ubi ſtatuitur: ſi is, cui contra aliquem
„ ſimpliciter commiſſa fuit inquiſitio ſuper certo aliquo, uno,
„ vel pluribus criminibus facienda, proceſſit (omiſſa inqui-
„ ſitione ſuper infamia Rei, ad veritatem eorum criminum
„ inquirendam) Reo præſente, nec reclamante, aut quid-
„ piam ſuper hoc excipiente: tunc proceſſus hujuſmodi ex
„ eo, quod prius (antequam inquireretur de veritate cri-
„ minis, non fuerit de infamia Rei inquiſitum, amplius im-
„ pugnari non poterit, ſed valet proceſſus. *Maran. c. l. n. 27. Clarus cit. q. 6. n. 9. Farinac. cit. q. 9. n. 12.* & alii communiter. Ratio eſt, quia ordo iſte, ſive proceſſus, ut de crimine contra aliquem ſpecialiter inquiratur, niſi prius conſtet, quod de illo ſit publice infamatus, eſt principaliter introductus in favorem ipſius Rei, qui tacendo cenſetur huic juri ſuo, ſive exceptioni dilatoriæ Judicii ſibi competenti tacite renunciaſſe, ideoque ſibi imputare debet, quod paſſus ſit inquiri ſuper veritate criminis, priuſquam conſtaret de infamia; quilibet enim favori pro ſe principaliter introducto renunciare poteſt, *c. Ad Apoſtolicam. 16. de regul.* neque enim iſta forma, ſeu ordo procedendi eſt de ſubſtantia proceſſus, ita ut renunciari non poſſit, *Gl. hic in caſu, & V. Negantis.* Ex quo patet, quod taciturnitas partium præſentium in Judicio habeat vim tacitæ renunciationis, quoad exceptiones dilatorias Judicii, & in iis, quæ ſibi præjudicant, reclamare Reus, inquiſitus debuiſſet, & petere prius inquiri ſuper infamia, & ſi id non fieret; appellare, *Gl. hic V. Reclamante.*

LXIII. Ubi Notandum præterea 1. diſpoſitio hujus c. habet locum, ſi alicui commiſſa ſit inquiſitio, ad petitionem alterius; tunc enim Judex delegatus non poteſt procedere ad inquirendum contra aliquem, ſuper veritate criminis, niſi prius per inquiſitionem reperiat, eum eſſe diffamatum de crimine. Secus eſt, ſi Papa, ſeu Princeps alicui non ad poſtulationem partis, ſed proprio motu committat inquiſitionem ſuper crimine alicujus: tunc enim poteſt procedi ad in-

inquirendum, nulla præcedente infamia, vel aliis Indiciis. *Gl. in cit. c. 2. V. Fuerat. Clarus cit. q. 6. num.* 8. dummodo Princeps non ſimpliciter narret, Reum jam eſſe infamatum ſed aſſerat ſibi de delicto, ex ejus fama, & certa ſcientia conſtare. *Marant. c. l. num.* 25. *Farinac. cit. qu.* 9. *num.* 13. quia ſicut Princeps poteſt inquirere, non præcedente diffamatione Rei, ita & delegatos ab ipſo, motu proprio.

Notandum 2. Etſi textus in *cit. c. 2. h. t. in* 6. loquatur ſolum de Reo præſente, & ſciente, ac non reclamante, tamen idem dicendum eſt de abſente per contumaciam, quia contumaciter abſens non debet eſſe melioris conditionis, quoad facultatem opponendi exceptionem iſtam, quam ubediens, qui fuit præſens: cum ergo, ſi præſens non oppoſuit exceptionem de non præcedente infamia, teneat inquiſitio ſuper veritate criminis, multo magis valere debet, ſi abſens contumaciter illam non oppoſuit, *Farin. in cit. c. 2. n.* 1. Secus eſt, ſi inquiſitus abſens fuit non contumaciter, vel præſens ignoravit, proceſſum eſſe ſuper cauſa principali, ſeu veritate criminis, omiſſa inquiſitione ſuper infamia; tunc enim non valeret proceſſus inquiſitionis. Eodem vero modo inquiſitio facta ſuper veritate criminis, nec præcedente inquiſitione ſuper infamia, valebit, ſi non fuerint tradita capitula inquiſitionis ipſi inquiſito, nec de hoc fuerit oppoſita exceptio, cum ſit eadem ratio: quia etiam traditio capitulorum non pertinet ad ſubſtantiam inquiſitionis. *Farin. cit. a. in princ.*

LXIV. 4. Quando inquiſitio non fit ad effectum puniendi criminis, ſed ad effectum corrigendi, ob ſalutem animæ, ut quando Epiſcopus viſitat Eccleſiam, vel quando inquiritur de vita, & moribus eligendi in Epiſcopum, ſeu Prælatum, vel promovendi ad Ordines, an ſit idoneus &c. tunc de delictis ſecretis inquiri poteſt ſummarie, & ſine ſtrepitu Judicii, de quibus nulla præceſſit infamia, ne indigni promoveantur, aut eligantur. *Durand. in ſpecl. l. 3. p. 1. tit. de inquiſ. §. quando. num. 6. & §. viſo. num. 41. Maran. c. l. n.* 32. Idque ſumitur ex *c. 1. de poſtul. Præl.* ubi Papa inſtituit inquiſitionem contra Epiſcopum poſtulatum, ſine præcedente infamia, non in ordine ad eum puniendum, ſed ne indignus promoveatur: cum enim Superior, etiam nulla præcedente infamia, vel querela ex officio debet inquirere. *Innoc. ibid. num. 5. & Abbas num.* 34.

5. In criminibus læſæ Majeſtatis, ut conſtat ex *Extravag. Henric. VII. Imper.* quæ incipit *ad reprimendum. & ibid. Gl. V. per inquiſitionem.* Et habetur poſt librum Feudorum, item in crimine hæreſis, & apoſtaſiæ, ut colligitur ex *c. excommunicamus* 13. *§. adjicimus de hæret. l. Apoſtatarum.* 4. *C. de Apoſtatis.* & ſimilibus enormibus delictis, quæ rendunt in grave damnum ſpirituale, vel temporale Reipublicæ, procedi poteſt ad inquiſitionem, nulla præcedente publica diffamatione, *Leſſ. cit. c. 29. nu. 128. & 192. Farinac. cit. q. 9. num. 14. & 15.* Requiritur tamen, ut etiam in his delictis præcedant ſuſpiciones aliquæ ex indiciis non levibus, ſeu urgentibus, *Leſſ. c. l.*

6. Quando Judex inquirit ſpecialiter contra aliquem ſuper crimine, de quo prius generaliter inquiſivit, quis ſi auctor ejus; tum poteſt contra eum procedere, etiam nulla alia præcedente infamia. *Navar. c. l. num. 87. Leſſ. c. num.* 175. plures limitationes videri poſſunt apud *DD. citt.*

Addit, *Leſſ. c. l. nu.* 172. quod non ſit damnanda praxis illa plurium Judicum ſæcularium, qui nulla præcedente infamia, ex ſimplici denunciatione publici Officialis ad id deputati, vel etiam ex alicujus privati delatione, procedunt ad ſpecialem inquiſitionem contra aliquem, & ad capiendas informationes. Quibus habitis, formant libellum inquiſitionis, ſi id fiat in gravibus criminibus Rempublicam turbantibus, & non ad ſolam punitionem; ſed propter bonum publicum, ad quod id videtur neceſſarium, ne delicta impunita occaſionem præbeant ad frequentia ſcelera patranda; non enim prohibitum eſt jure naturali, vel divino, ut non fiat inquiſitio, ſine prævia infamia inquirendi, ſed ſolum jure poſitivo, quod per conſuetudinem contrariam, ſciente, & non contradicente Principe, abrogari poteſt; plura de hoc *Leſſ. c. l.*

§. V.

Quænam præterea Jure Canonico ſtatuta ſunt circa modum procedendi per inquiſitionem ſpecialem?

LXV. De hoc agitur etiam in aliis pluribus capitulis *h. t.* nam inprimis in *cap. Qualiter. 17. h. t.* habetur, quod in inquiſitione ordo Juris ſervandus ſit: nam quidam Inquiſitores „ generales, & Legati Sedis Apoſtolicæ ceperunt facere in„ quiſitionem contra Epiſcopum Navarienſem, non obſer„ vantes debitum ordinem inquiſitionis, ideoque Papa In„ nocentius III. eis reſcribit, ut ſi debitum ordinem in„ quiſitionis, qui duo continuat, 1. Ut regulariter non fiat „ inquiſitio niſi contra infamatum. *c. Qualiter 24. h. tit.* de quo ſupra 2. Ut, poſtquam conſtat de infamia, inquiratur de veritate criminis. *Gl. hic V. inquiſitionis ordinem, & Hoſtienſ. in* „ *princ.*) non obſervaverint tempore opportuno, ipſum de„ beant obſervare, ne inde naſcantur injuria, unde jura „ naſcuntur. Ideoque mandat iiſdem Inquiſitoribus, ut ſi „ præſcriptum ordinem prætererierunt, vel exceſſerunt, non „ pudeat eos errorem ſuum corrigere, inveniendo congruentem occaſionem ne ſua auctoritas vileſcat; quod ſit Judex „ ueq; ſponte errorem ſuum fateatur, ne vilipendatur ejus „ auctoritas: neque etiam illum pertinaciter defendat, ſed „ caute & prudenter eum corrigat, (ita ut de novo, Juris „ ordine ſervato, procedat, vel ad tempus omnino ſuperſedeat *Hoſtienſ. hic V. Superſedatis. Abbas num. 1. not. 2.*) quia „ ex his, quæ inordinate ſunt acta, non potuit aliquid or„ dinarie agi; Si vero ordinem debitum ſervarunt, via re„ gia incedentes (hoc eſt, a juſtitia non declinantes, *Gl.* „ *hic V. Eodem*) in negotio ipſo, ſine perſonarum acceptio„ ne, procedant.

„ Addit præterea Papa in fine, ut formam juramenti, „ quam dicti Inquiſitores a Clericis Navarienſibus ſuper in„ quiſitione facienda in hoc negotio receperunt, in ſimili„ bus obſervent, ita ut jurent, Clerici, quod ſuper his, „ quæ ſciunt vel credunt, in ſua Eccleſia reformanda, tam „ in Capite, quam in membris (exceptis occultis crimini„ bus) meram, & plenam, id eſt, nihil reticentes, nec „ falſi quid addentes, *Hoſtienſ. hic V. Eodem*, dicant Inquiſi„ toribus veritatem.

LXVI. Pro intellectu hujus c. notandum 1. Generalis Inquiſitor, ſeu generalis delegatus ad univerſitatem cauſarum, poteſt corrigere ſententiam ſuam definitivam, ſi erravit in judicando. Secus ſi delegatus ad unam tantum cauſam *Gl. hic V. obſervari, & Abbas ibid. nu. 2. & 3.* ubi rationem diverſitatis dat: quia prior cenſetur quaſi Judex ordinarius; poſterior vero deſinit eſſe Judex, poſt ſententiam ſuper principali negotio latam, & executioni mandatam, quia cenſetur eſſe functus ſuo officio, *c. in litteris 9. de offic. deleg.* Quod ſi Judex erravit, non in ſententia definitiva, ſed ſolum in proceſſu, poteſt errorem ſuum corrigere, quia adhuc manet Judex, ut factum eſt in caſu hujus c. in quo Inquiſitores iſti nondum tulerunt ſententiam, ſed errarunt in proceſſu, & ideo mutare poterant, *Gl. hic V. obſervari in fine*, de quo videri poteſt *Abbas in cit. c. Qualiter. num. 4. & 2. ſeq.*

LXVII. Notandum 2. Si inquiratur de veritate criminis, priuſquam inquiratur de infamia, pervertitur ordo Juris præſcriptus in inquiſitione, ut colligitur ex hoc *c. & ibi Gl. V. inquiſitionis*, ideoque adhuc inquiri debet de infamia, & licet poſtea de ea conſtet, non tamen valebunt dicta, ſeu depoſitiones priorum teſtium ſuper veritate criminis, quia non præceſſit infamia. *Abbas hic nu. 6. §. 2. quæritur.*

Notandum 3. Super criminibus occultis, quando crimen vel perſona eſt omnino occulta, inquiſitio fieri non debet *arg. c. Qualiter. ibi: exceptis occultis criminibus, & Gl. ibid. V. eod.* Quare ſi teſtes de occultis criminibus, de quibus infamia non præceſſit, aliquid dicant, teſtimonium eorum non valet, quia ſuper his non jurarunt. *Gl. & Hoſt. V. eodem.*

LXVIII. II. in *c. Cum dilecti.* 18. *h. t.* habetur. *junct. Gl.* „ in caſu, quod cum quidam Legati Sedis Apoſtolicæ per „ frequentem clamorem multa ſiniſtra de Epiſcopo Aga„ thenſi audiviſſent, volentes inquirere veritatem, acceſſe„ runt ad Eccleſiam Agathenſem, & receperunt juramenta „ Epiſcopi, & Canonicorum de veritate dicenda, in qua „ inquiſitione confeſſus fuit Epiſcopus dilapidationem, (hoc „ eſt, ſe quaſdam poſſeſſiones Menſæ Epiſcopalis alienaſſe, „ & multa debita contraxiſſe,) item ſe multas res ex nau„ fragio recepiſſe, ac deniq; ſe multas Eccleſias Simoniace „ contuliſſe. Confeſſionibus iſtis, in ſcriptum redactis, ti„ mens Epiſcopus, ne ex illis ſibi præjudicium generaretur „ voluit ſe poſtea ob illas excuſare, dicens, quod juraverit „ tantum reſpondere ad interrogata; Legati vero dicebant, „ quod ſub alia forma juraverit, ſcilicet quod plenam (nul„ lam veritatem tacendo) & meram, ſive puram a falſita„ te diceret veritatem, *Gl. hic V. plenam & V. meram* & „ & quia tunc ſe non excuſavit, poſtea non debeat audiri. „ Quare cauſa delata fuit ad Papam Innocent. III. coram „ quo Epiſcopus quoſdam teſtes produxit, deponentes, quod „ juravit tantum reſpondere ad interrogata. Sed quia Pa„ pæ non conſtitit, ſub qua forma juraſſet, cum depoſitio„ nes illæ non fuerint publicatæ, mandavit eiſdem Lega„ tis, ut inquirant, ſub qua forma juraverit Epiſcopus, & „ ſi ſecundum reſponſionem illorum Inquiſitorum, conſtite„ rit, quod juravit ſub ſecunda forma, ſcilicet quod ad „ interrogata tantum reſponſurus ſit veritatem; vel ſi Epiſ„ copus hoc probaverit per depoſitiones teſtium, quos pro„ duxit; vel etiam aliorum, excuſationes Epiſcopi ſuper „ confeſſionibus ſuis admittant: quia ex obligatione jura„ menti non tenebatur, niſi ad quæſita ſolum reſpondere, „ cum excuſationes illæ Confeſſiones ipſius non perimant, „ ſed exponant, quæ tales ſunt, ad bonum, vel malum va„ leant retorqueri. (Ideoque in meliorem partem ſunt accipiendæ, ſive interpretandæ, *arg. c. 2. infra de R. I.* Si excuſationes fuerint probatæ, *Gl. hic V. Valeant retorqueri, S. Th. 2. 2. q. 60. art. 4.*) & idcirco etiam judicari debent ex cauſa (quia ſemper conſideranda eſt cauſa, ex qua aliquid ſit factum, *Gl. hic V. ex* „ *cauſa*) Et ſi Epiſcopus excuſationes illas probaverit, ſublato „ appellationis obſtaculo abſolvi debet: cum, etſi culpabilis „ repertus eſt in quibuſdam, ex labore tamen & pudore pu„ nitus, hujuſmodi levis culpa ei facile valeat indulgeri. Si „ vero Epiſcopus excuſationes ſuas ſuper dilapidatione, „ naufragio, & Simonia probare nequiverit, vel ſi ſub pri„ ma forma juravit (quæ fuit, quod plenam, & meram „ dicturus ſit veritatem) cum ſecundum illam formam, „ nec veritatem tacere, nec falſitatem admiſcere debuerit, „ non obſtantibus illis excuſationibus, quas de novo pro„ poſuit, cum in confeſſionibus ſuis nullam omnino illis „ fecerit mentionem, ab Eccleſiæ Agathenſis adminiſtratio„ ne removendus erit, licet dixerit, quod plures ex illis „ accuſationibus prædictis Legatis expoſuerit, cum hoc per „ ſe probare non poſſet quippe qui ſolus ab illis examina„ tus fuit.

LXIX. Notandum 1. Epiſcopus in caſu hujus c. debuit admitti ad excuſandum confeſſiones, dummodo excuſationes illas ſufficienter probare potuerit. Et primam quidem dilapidationis excuſare potuit, eo quod alienaverit bona Menſæ Epiſcopalis, vel debita contraxerit, quibus Eccleſia illa prius fuit onerata, quæ aliunde ſolvere non poterat. Secundam vero naufragii, quod res illas acceperit, non ut eas ſibi retineret, ſed ut eas ſalvaret, & dominis reſtitueret, quas forte alii ſurripuiſſent. Ad tertiam de Simonia, quod multas Eccleſias per Simoniam ordinatis contulerit, ſed ipſo ignorante. *Gl. hic V. Dilapidatione, Hoſtienſ. ibid. poſt princ.*

Notandum 2. Confeſſio facta, præcedente juramento, ſub illa

illa forma, quod dicturus ſit plenam, & meram veritatem, non recipit ex poſt facto excuſationes, quia ipſe ab initio nihil debet tacere in ſua confeſſione, quod ipſum factum attingit, neque admiſcere aliquid falſitatis: ſed confeſſio jurata facta ſub altera forma, quod reſponſurus ſit ad interrogata, recipit excuſationes, quæ tamen confeſſionem non perimunt, ſed exponunt: quia tunc jurans non poteſt culpari, quod non expreſſerit omnia, quæ pertinent ad ejus confeſſionem, cum ſolum juraverit, ſe reſponſurum ad ea, quæ fuerit interrogatus. *Abbas in cit. c. Cum dilecti, num. 3.* & quia juramentum præſtitum ſpecialiter ſuper certo articulo, non ſe extendit ad alia capitula ab illo diverſa. *c. pen. de Jurejur. Vivian. in Ration. hic.*

Notandum 3. Si quis confiteatur actum, qui poteſt intelligi in bonum, & in malum; tunc debet fieri interpretatio in meliorem partem: Si quis vero confiteatur actum in ſe malum, vel etiam talem qui poſſit referri ad bonum, & malum, ita tamen ut externam ſpeciem mali habeat; tunc interpretatio confeſſionis in dubio fieri debet in malam partem, niſi excuſans confeſſionem probet ſuas excuſationes, prout ſumitur ex *citat. cap. Cum dilecti, & ibi Abbas num. 5. & 10.*

LXX. III. In *cap. Cum oportet. 19. h. t.* habetur, quod quidam Canonici Viennenſes ad Sedem Apoſtolicam accedentes,
,, multa contra Epiſcopum ſuum propoſuerunt, unde Papa
,, inquiſitionem ſuper his faciendam certis Judicibus com-
,, miſit: Epiſcopus, hoc cognito antequam citaretur a Ju-
,, dicibus, ad Sedem Apoſtolicam acceſſit, & propo-
,, ſuit, quod ii, qui enormia illa contra ipſum, propo-
,, ſuerunt, odio, & non bono zelo inducti illa ad Papam
,, detulerint, cum ſint ejus (ſcilicet Epiſcopi) inimici ma-
,, niſeſti, & cum ejuſdem hoſtibus converſentur, & conſan-
,, guineos ſuos intendant ad teſtificandum producere contra
,, ipſum, qui non debent ad denunciandum, aut teſtifican-
,, dum admitti, cum ſint perjuri, & aliis criminibus irre-
,, titi. Quare mandat Papa ipſis Judicibus, ut ad inquiſitio-
,, nem non procedant, niſi ſuper prædictis criminibus ip-
,, ſius Epiſcopi fama læſa fuerit. Si vero ad inquiſitionem
,, fuerit procedendum, prædictos vel alios, quos ipſius E-
,, piſcopi conſtiterit eſſe inimicos, nec ad proſequendam
,, inquiſitionem, nec ad teſtimonium perhibendum admit-
,, tant, ſed per viros idoneos veritatem inquirant: & ſi ni-
,, hil fuerit probatum contra Epiſcopum, purgationem Ca-
,, nonicam eidem indicant.

LXXI. Pro explicatione notandum 1. quod ex ſola denunciatione criminis facta contra aliquem, non oritur ſufficiens infamia ad inquirendum de veritate criminis, ſed prius inquirendum eſt de ipſa infamia, eaque probanda eſt, *Abb. hic. not. 1. de quo ſupra.*

Notandum 2. Inimici, ſicut non admittuntur ad accuſandum, vel denunciandum, ita nec ad proſequendam inquiſitionem, vel teſtificandam, *Gl. hic V. Inimicos.*

Notandum 3. Si alicui ſit ſimpliciter commiſſa, ſeu delegata inquiſitio ſuper crimine, tacite cenſetur commiſſum, ut prius fiat inquiſitio ſuper fama, hæc enim eſt veluti præambula ad Inquiſitionem de veritate criminis, & commiſſo principali, cenſetur etiam commiſſum acceſſorium, niſi in Reſcripto delegationis a Papa, ſeu Principe facta fuerit mentio de fama, non per verba mere narrativa, ſed aſſertiva, ut ſi dicat: cum conſtet nobis talem infamatum, vel per relationem fide dignorum percepimus, talem infamatum &c. vel per verba ſimilia; tunc enim non eſt opus inquirere de fama, ante inquiſitionem de crimine, *Abbas hic in princ. not. 2.*

Notandum 4. Quamvis facta inquiſitione, crimen non ſit probatum contra infamatum, ideoque condemnari non poſſit, non tamen ſimpliciter abſolvitur reus, ſed indicenda eſt ei purgatio Canonica, propter infamiam apud bonos, & graves viros divulgatam, etſi ab inimicis habuerit ortum, idque ob vitandum ſcandalum, *cit. c. cum oportet in fine. & Hoſtienſ. ibidem in fine, & Abbas n. 2.*

LXXII. IV. In *c. ad petitionem. 22. h. t.* traditur, quod ad
,, petitionem Abbatis Corbienſis, Papa commiſit Canonicis
,, Novioneuſibus inquiſitionem, ſuper fama ipſius Monaſte-
,, rii tam in Capite, quam in membris, qua commiſſione
,, facta Legatus Sedis Apoſtolicæ Cardinalis, ipſo Abbate
,, præſente, nec reclamante, incepit diligenter inquirere
,, ſuper ſtatu Monaſterii: & cum inquiſitione finita, Legatus
,, dictum Abbatem Pariſios evocaſſet, ut contra eundem in-
,, quiſitionem proponeret, ſi quid rationabiliter poſſet: ipſe
,, abbas illum accedens allegavit, quod in correctione Mo-
,, naſterii procedere non valebat, quippe quæ prædicta Ju-
,, dicibus prius, auctoritate Papæ, fuerit commiſſa: inſu-
,, per aſſerens Cardinalem ipſum, ex juſtis cauſis, ſibi eſſe
,, ſuſpectum, ideoque ad Sedem Apoſtolicam appellavit.
,, Cardinalis, non obſtante ipſius appellatione, inſpectis,
,, quæ contra eum probata fuerunt, a regimine Abbatiæ
,, eundem amovit, dando Monachis illius loci liberam fa-
,, cultatem alium eligendi, qui Priorem in Abbatem con-
,, corditer elegerunt. Re hac delata ad Papam Innocen-
,, tium III. ipſe auditis hinc inde propoſitis, cum ſibi de
,, talibus facta fuerit fides, propter quæ Dictus Abbas de-
,, buit amoveri a regimine, quamvis reſtituendus foret,
,, propter judiciarium ordinem non ſervatum (quia forte
,, non fuerant ei tradita capitula, vel non vidit jurare te-
ſtes, vel quia non fuerant admiſſæ, ipſius legitimæ exce-
ptiones; *Hoſtienſ. hic V. ordinem*, Papa tamen voluit (de ple-
,, nitudine poteſtatis, non de jure, *Gl. hic. V. providimus.*)
,, ipſum manere privatum regimine Abbatiæ: qui & ſupra-
,, dictum Priorem etiam per ſententiam amovit ab officio
,, Abbatiæ, cum inordinate (id eſt, per eum, ad quem non
,, ſpectabat,, *Gl. hic V. Eidem.*) prædictus Abbas fuerit remo-
,, tus, & per conſequens, non legitime eidem ſubſtitutus:
,, ſed quia dictus Prior non fuit remotus, propter vitium
,, perſonæ, vel ſcientiæ defectum, ſed propter Juris ſolem-
,, nitatem prætermiſſam, Papa poſtea ipſum in Abbatem re-
,, ſtituit, quaſi quadam brevi manu, & ex gratia providen-
do, *Gl. fin. hic, & Hoſtienſ. in fine.*

LXXIII. Pro intellectu hujus c. notandum 1. Si qua inquiſitio per Papam ſpecialiter alicui delegetur, non poteſt Legatus etiam de latere ſe immiſcere, *c. 2. de offic. Leg.* & colligitur ex hoc c. in quo geſta per Legatum Cardinalem valuerunt, videlicet remotio Abbatis, & electio, ac ſubſtitutio novi, quia intromiſit ſe cognoſcendo de cauſa aliis prius commiſſa. *Gl. hic. V. nec reclamante. verſ. Et præterea h. t.*

Notandum 2. Ordo judiciarius ſervari debet, etiam in inquiſitionibus, ſaltem contra ſæculares, ſicut in aliis judiciis ordinariis, alioquin proceſſus non tenet; *Gl. hic. non ſervatum. Hoſtienſ. ibid. V. diligenter, & Joan. Andr. V. eod.* Ipſe vero Abbas, quia præſens non reclamavit ab initio, ſed tamdiu tacuit, ſibi præjudicavit. *Hoſtienſ. hic V. ſinistra. & Joan. Andr. n. 2.*

Notandum 3. Inſtituta Inquiſitione generali contra certum Collegium, ut in caſu hujus c. ſuper ſtatu Monaſterii, poteſt quilibet de Collegio per ſe, & ſingulariter proponere exceptiones ſuas contra inquiſitionem, quia cujuslibet in particulari intereſt, & de cujuſque pœna agitur. Secus eſt in iis, quæ Collegium tantum communiter tangunt; tunc enim non poteſt proponi exceptio, niſi a toto Collegio, vel majore ejus part. *Innoc. hic n. 2. & Abbas n. 3.*

Notandum 4. Si is, de cujus crimine conſtat in Judicio, v. g. Abbas deponatur, non ſervato Juris ordine, licet alias vere eſſet deponendus tamen de jure reſtituendus eſt, quia injuſte eſt depoſitus, propter ordinem judiciarium non ſervatum. *Gl. hic V. reſtituendus.* & ſi alius poſtea in locum, & officium prioris eligatur, ac ſubſtituatur, is conſequenter etiam eſt injuſte ſubſtitutus, cum prior injuſte remotus fuerit, iſta enim ſunt connexa; nam ad injuſtam remotionem unius neceſſario conſequitur injuſta ſubſtitutio alterius. Veruntamen Pontifex in caſu hujus c. ideo voluit, ut Abbas non reſtitueretur, ſed remaneret privatus officio, & dignitate ſua, etiamſi ordo judiciarius ſervatus non fuerit, quia ipſi innotuit, Abbatem talia commiſiſſe, propter quæ erat merito removendus, ut notat *Gl. marg. hic. lit.* C. & quamvis Abbas iſte fuiſſet reſtitutus, tamen mox iterum potuiſſet privari officio, ob cauſam jam allatam, ſed & Priorem ſubſtitutum Papa depoſuit, quia injuſte, & illegitime fuerat ſubſtitutus, ut ſupra dictum. Sed quia hic ſubſtitutus non fuit remotus, propter vitium perſonæ, nempe ob defectum morum, & ſcientiæ, ſed ſolum propter ſolemnitatem Juris non ſervatam, ideo Papa ipſum reſtituit, ſive potius Abbatiam ipſi de novo contulit, ut patet ex textu.

§. VI.

Quæſtiones nonnullæ circa modum procedendi per inquiſitionem a Concilio Lateranenſi præſcriptum occurrentes proponuntur, & reſolvuntur.

LXXIV. Quæritur 1. An in quamvis Inquiſitione ſervari debeat forma, ſeu modus procedendi præſcriptus in *cit. c. Qualiter. 24. h. t. de quo ſupr.* §. 3. Reſp. In Inquiſitione generaliſſima, quæ fit in Concilio Generali, vel Provinciali, quantum ad Eccleſias, & perſonas in melius reformandas: vel etiam in Generali, quæ fit tam in Capite, quam in membris alicujus Eccleſiæ, Civitatis, vel alterius loci, dum Prælatus viſitat ex mero officio ſuo, non debet ſervari forma Concilii Lateranenſis: ſed proceditur compendio, Canonice, ſeu ſummarie, & de plano, ac generaliter contra omnes, nec debent capitula tradi. *Hoſtienſ. in cit. c. Qualiter col. 2. V. pervenerit, & Joan. Andr. n. 7. & 8. Abbas n.* 11. Si vero fiat ſpecialis Inquiſitio contra certam perſonam; tum vel fit, non ad puniendum, ſed ex debito officii, ut v. gr. matrimonium non contrahatur propter aliquod impedimentum, vel ut non eligatur aliquis ad Prælaturam, vel electus non confirmetur, ſi reperiatur vitioſus, & in tali inquiſitione non requiritur forma præſcripta. Vel hæc ſpecialis inquiſitio fit ad pœnam imponendam, & tunc ſubdiſtingui debet: vel enim proceditur ad inquirendum ex denunciatione illius, ad quem hoc ex officio pertinet; & non eſt opus, ut prædicta forma ſervetur, quia non denunciatur, niſi notorium, alias non creditur denunciatoribus: vel proceditur, non ad denunciationem publici Officialis, ſed fama deferente; & tunc debet ſervari forma tradita in *cit. c. Qualiter. §. debet.* ſive inquiſitio fiat contra Prælatum, ſive contra ſubditum ſæcularem. Si vero fiat contra Regularem; tunc vel fit ad correctionem, ſeu pœnitentiam imponendam, ſecundum regulam; & non eſt neceſſe ſervare formam hic præſcriptam: ſed proceditur de plano, juxta eandem regulam: vel fit inquiſitio, ut inquiſitus v. gr. Abbas, vel Prior Conventualis removeatur ab adminiſtratione, & ſervanda eſt forma *cit. c. Qualiter.* quoad quædam, non tamen quoad omnia, ſive exacte, *Hoſtienſ. in cit. c. V. pervenerit, & Joan. Andr. n. 9. Abbas. n. 12. & 13. de quo infra.*

LXXV. Quæritur 2. Cum in inquiſitione ſpeciali ſuper certo crimine, & contra certam perſonam procedi poſſit, vel ex mero officio Judicis, vel ad partis querelam, ſeu denunciationem, quomodo duo iſti modi procedendi inter ſe differant? Reſp. Differentias plures aſſignat, *Gl. in cit. c. Qualiter. 24. h. t. V. ad inquirendam, & Abbas ibid. n.* 17. Nam 1. quando Judex procedit ex mero officio, tunc recipit juramentum ab illis, contra quos facienda eſt inquiſitio, non item quando procedit ad inſtantiam, ſeu petitionem alterius, ne inſtruat adverſarium, ſed tunc ipſe adverſarius probare debet, quæ denuntiavit. 2. Quando Judex procedit ex officio ſuo, non tenetur recipere probationem ſuper fama, ſatis enim eſt, quod de ea ſibi conſtet; ſed de veritate inquiret, poſtquam ipſi conſtat de infamia, licet inquiſitus ne-

get ſe infamatum, nec tenetur ipſe Judex facere fidem de infamia, cui enim illam faceret, cum ipſe ſit Judex? Secus eſt, ſi Judex procedat ad inquirendum, ad petitionem alterius, tunc enim tenetur probationes aſſumere, & fidem facere ſuper infamia 3. Si Judex procedat ad petitionem, aut querelam alterius, admittit probationes contrarias ſuper bona fama; non item ſi procedat ex officio, quia non ita præſumitur contra Judicem, ſicut contra partem, *arg. c. in noſtra 4. de procur. c. ad audientiam 13. de præſcript.*

Addit *Abbas cit. l.* duas alias differentias, nempe 4. quando proceditur ad inſtantiam, fit litis conteſtatio cum eo, qui petit inquiſitionem. *c. cum dilectis 15. de purg. Canon.* Secus eſt, quando ex officio proceditur, quia non eſt, cum quo tunc fiat litis conteſtatio, ſed fit quædam quaſi litis conteſtatio inter infamiam, quæ eſt loco accuſatoris, & reſponſionem inquiſiti. 5. Quia quando proceditur ex officio, poſſunt recipi teſtes, etiam poſt publicatas atteſtationes, cum enim dicta teſtium ſint ſemper nota Judici, ceſſat tunc timor ſubordinationis eorum: ſecus eſt, quando proceditur ad petitionem partis.

LXXVI. Quæritur 3. Quomodo Judicium inquiſitionis differat ab aliis Judiciis, ſcilicet, accuſationis, & denunciationis? Reſp. In pluribus differre, ut tradit *Durand. in ſpec. l. 3. p. 1. de inquiſitione. §. 1. n. 33.* Nam primo in inquiſitione fama habetur, loco accuſatoris, *c. Qualiter. 24. h. t. & c. licet. 31. de Simon.* In aliis vero regulariter nullus ſine accuſatore, vel denunciatore condemnatur, *c. relatum. 3. cauſ. 5. q. 2. & c. un. Ut ſine diminut. Eccl. benef. confer.* Secundo, in cauſa inquiſitionis teſtes recipiuntur, etiam lite non conteſtata, quod non fit in aliis regulariter, *c. quoniam. 5. §. Sunt & alii.* Ut *lite non conteſtata.* Tertio. in Judicio inquiſitionis recipiuntur minus idonei teſtes, cum fit inquiſitio, tam in Capitale, quam in membris, vel ſuper ſtatu Eccleſiæ: admittuntur enim qualeſcunque teſtes ex ipſa Eccleſia, quia ipſi melius norunt veritatem, ut notat *Durand. c. l. n. 21.* quod non fit in aliis cauſis. *c. ex parte. 7. V. de teſtib. c. ſi teſtes. 3. §. in teſtibus cauſ. 4. q. 3.* Quarto, Inquiſitio fit de criminibus manifeſtis per famam, *cit. c. Qualiter. 24. h. t.* non de occultis, *c. 17. in fine eod.* alia vero Judicia inſtituuntur etiam ſuper occultis, dummodo probari poſſint, *c. plerumque. 27. cauſ. 2. q. 7.* Quinto. In inquiſitione proceditur quandoque ad remotionem inquiſiti, dum negotium agitur, *c. ult. cauſ. 3. q. 2.* probata tamen prius ſuſpicione dilapidationis, *c. licet. 31. verſ. Quia vero, &c. per tuas. 32. de Simon. can. 2. cauſ. 16. q. 1. c. 1. de jud.* Sexto, In Judicio inquiſitionis, ſi crimen ſit grave, Prælatus convictus ab adminiſtratione omnino removetur, *cit. c. 24. ibi: quatenus, ſi gravis fuerit exceſſus, etſi non degradetur ab Ordine, ab adminiſtratione tamen amoveatur omnino.* In Judicio vero accuſationis Prælatus de gravi crimine convictus deponitur, *c. ſuper his. 16. & c. inquiſitionis. 21. & cit. c. Qualiter. 24. h. t.* ubi dicitur: *criminalis accuſatio, quæ ad diminutionem capitis, id eſt degradationem intenditur.* Ubi per degradationem depoſitio intelligitur, nam etiam verbalis depoſitio ab Ordine, degradatio dicitur, quia privat, vel dejicit ab Ordinibus, vel gradibus Eccleſiaſticis, *c. 2. de pœn. in 6. num. 6. Abbas in cit. c. Qualiter. nu. 10. not. 11.* & ſic mitius punitur inquiſitus, quam accuſatus, ut patet ex Juribus allegatis; in denunciatione vero Judex non debet pœnam ordinariam imponere, ſed tantum pœnitentiam, & ad illam compellere. *Abbas cit. l. num. 10. not. 4.*

LXXVII. Præter prædictas ſex differentias inter Inquiſitionem, & alia Judicia, quas adfert *Durand. c. l.* ſunt & alia nam iſti tres modi tendunt ad diverſos fines, & effectus, *Abbas in cit. c. Qualiter 24. num. 10. not. 14.* Inquiſitio enim fit ad inveſtigandam, & reperiendam veritatem, ſed accuſatio fit ad puniendum, & publicam vindictam, *c. ſuper his 16. ibi: quoniam ad depoſitionem inſtituitur accuſatio, h. t. inquiſitionis 21. eodem l. non ignorat. 9. & l. ſi quis. 20. C. de his, qui accuſ. non poſſ.* denunciatio vero fit ad correctionem *cit. c. ſuper his,* & in illa non intenditur punitio peccantis, ſed emendatio, ut ait *S. Thomas 2. 2. q. 67. art. 3. ad 2. Deinde ſicut accuſationem legitima debet præcedere inſcriptio: ſic & denunciationem charitativa monitio: & inquiſitionem clamoſa debet inſinuatio prævenire,* ut dicitur in *cit. c. Qualiter. §. ad corrigendos.* & repetitur in *c. licet. 31. de Simon.* Cum enim accuſatio inſtituatur ad depoſitionem, ne aperiatur via calumniandi, accuſator debet ſe inſcribere: id eſt, ſe obligare ad eandem pœnam, ſi non probaverit, ſubeundam, quam reus ſubire debuiſſet, ſi probaſſet accuſator, *cit. c. ſuper his. h. t. in princ. & ibi Gl. V. oportet inſcribi. c. quicquid. 3. & c. ſeq. cauſ. 2. h. 8.* In inquiſitione, vero non requiritur inſcriptio ad pœnam talionis: tum quia ceſſat ſuſpicio calumniæ, ob præcedentem infamiam: tum quia non eſt in illa, qui ſe opponat, & inſcribere poſſit, *Felin. in cit. c. ſuper his, num. 2. in fine.* In denunciatione ſimiliter non eſt neceſſaria inſcriptio, ſive obligatio ad pœnam talionis, quia non inſtituitur ad puniendum, ſed ad corrigendum *cit. c. ſuper his* & ideo debet etiam præcedere admonitio, ſeu charitativa correctio. *cit. §. ad corrigendos,* quæ tamen admonitio non requiritur in accuſatione, in qua non agitur ad emendationem peccantis: ſed ad bonum commune, ſcilicet juſtitiam conſervandam per punitionem delinquentis, ut docet *S. Tom. in 4. diſ. 19. q. 19. art. 5.* Neque etiam in inquiſitione requiritur prævia admonitio, etiamſi fiat ad petitionem, vel denunciationem alterius, quia non agitur ad pœnitentiam, ſed ſtatim poteſt procedi ad inquirendum, *Gl. in cit. c. Qualiter 24. V. inquirendum. Verſ. Et cum proceditur. Joan. Andr. ibid. num. 37.* Et cum inquiſitio facienda ſit ſuper delictis manifeſtis, eamque præcedere debeat clamoſa inſinuatio, ideo ad illam non requiritur neceſſario ſecreta admonitio *Fagn. in cit. c. Qualiter 24. num. 81. & 83.*

LXXVIII. Quæritur 4. Quænam ſpecialia ſint obſervanda in inquiſitione facta contra Regulares? Reſp. Tria, ut colligitur ex *cit. c. Qualiter. 24. §. fin. h. t.* Primum, quia in ea ordo Juris non eſt ſervandus uſquequaque, id eſt omnino, ſeu ad unguem, nempe quoad ſubtilitatem, ſeu ſolemnitatem Judicii, quæ in cauſis Regularium remittuntur, non autem, quoad veritatis probationem, quæ nequaquam eſt omittenda. *Joan. Andr. in cit. c. num. 31. Hoſtienſ. ibid. in fine V. uſquequaque arg. Clement. 2. de V. S.* Secundum ſpeciale eſt, quia facilius, & liberius poſſunt. Prælati Conventuales, ſeu Regulares ab adminiſtratione removeri, quam Prælati ſæculares. Unde ad id leviores etiam cauſæ, & probationes ſufficiunt, *Hoſtienſ. in citat. c. Qualiter V. facilius, & Joan. Andr. ibid. nu. 31.* quod intelligendum eſt de Prælatis, qui per electionem Canonicam inſtituuntur: nam Priores Clauſtrales, & Officiales minores ad libitum Abbatis, nullo ſervato Juris ordine, etiam ſine ulla cauſa, a ſuis officiis, & adminiſtrationibus removeri poſſunt, ut notatur in *c. cum ad monaſterium 6. §. Tales de ſtatu monach. Fagn. in cit. c. Qualiter. num. ult.* Tertium ſpeciale eſt, quia contra Regulares non reperiuntur tot exceptiones, ſicut contra ſæculares, & in ipſis exceptionibus non eſt neceſſarium ita exacte ſervare formam, ſeu ordinem procedendi. *Hoſtienſ. c. l. V. liberius, & Joan. Andr. c. l. num. 31.*

§. VII.

Qualiter puniendum ſit crimen per viam inquiſitionis probatum?

LXXIX. De hoc agitur in *c. inquiſitionis. 35. in princ. h.*
„ *tit.* & in primis quædam relata fuerunt Papæ Innocentio
„ III. de Epiſcopo, & Canonicis Valentinenſibus, ſuper
„ quibus Papa commiſit inquiſitionem faciendam; Inquiſi-
„ tores ſuper quibuſdam articulis dubitantes, conſuluerunt
„ Papam. Prima eorum quæſtio, quæ habetur in integra
„ lectione hujus cap. fuit omiſſa in texto, quia huc non
„ pertinebat. Secunda eorum quæſtio fuit, qualiter ſi per
„ inquiſitionem contra quempiam tale crimen probatum fue-
„ rit, propter quod, ſi criminaliter accuſatus fuiſſet, &
„ convictus, deponeretur, puniendus ſit? Ad quod reſpon-
„ det Papa diſtinguendo utrum ſit tale crimen, quod impe-
„ diat executionem Ordinis ſuſcepti, aut retentionem be-
„ neficii, etiam poſt peractam pœnitentiam, ut ſi v. g. ho-
„ micidium commiſiſſet, vel adeptus eſſet Ordinem vel be-
„ neficium per vitium Simoniæ: tum ita procedendum eſt,
„ ſicut in Judicio accuſationis (quantum ad pœnam imponendam, nam in aliis diſſimilis eſt proceſſus. *Hoſtienſ. hic V. procedendum.*) In aliis vero criminibus, quæ non ſunt talia,
„ Judex poterit pœnam moderari, ſecundum merita perſo-
„ næ, & qualitatem exceſſus, ſeu criminis.

LXXX. Pro explicatione notandum 1. Condemnatus, & convictus de crimine, per viam inquiſitionis, non punitur pœna ordinaria ſtatuta a lege pro illo crimine, ſicut punitur damnatus, & convictus per viam accuſationis, ſed punitur mitiore pœna, & arbitraria. *Abbas hic nu. 5. Maranc. de ord. Judic. p. 4. diſ. 10. num. 6.* Idque procedit ſaltem de Jure Canonico, juxta hoc *c. in princ.* quamvis de Jure Civili par imponatur pœna, ut ex *cit. l. ſepulchra. 4. C. de Sepulchro violato,* tradit *Abbas c. l.* ubi rationem diverſitatis reddit, quia in Judicio inquiſitionis proceditur, ſine accuſatore, cum ergo reus in uno gravetur, non eſt mirum, ſi in alio relevetur, & ſic mitior pœna ei imponatur: de Jure Civili vero regulariter non proceditur per viam inquiſitionis, niſi in quibuſdam caſibus exceptis.

Notandum 2. Quædam ſunt crimina, quæ impediunt executionem Ordinis, vel beneficii retentionem, etiam poſt peractam pœnitentiam, & quamvis crimen ſit occultum, ut homicidium, quod etſi occultum maneat, poſt actam pœnitentiam de tali crimine, irregularitatem inducit. *c. Miror. 4. diſ. 50. c. ult. de temp. ord.* ſed neque, qui patravit homicidium, beneficium retinere poteſt *c. ult. de pœn.* ſaltem cui annexum eſt officium Ordinis, etiam poſt peractam pœnitentiam; quia, qui non poteſt exercere officium, non debet percipere beneficium. *Hoſtienſ. hic V. Homicidium.* Idemque eſt de eo, qui per Simoniam acquiſivit Ordinem: vel beneficium; quia, cum Ordo vitioſe ſit ſuſceptus, nunquam per pœnitentiam hoc vitium poteſt purgari. *Abbas hic nu. 3.* Ponuntur autem hæc duo crimina tantum, exempli cauſa, ac proinde non reſtringunt regulam, quin plura alia ſimilia crimina impediant Ordinis executionem, etiam poſt actam pœnitentiam, ut hæreſis. *Hoſtienſ. hic V. Simonia. Abbas num. 5.* Alia vero ſunt crimina, etiam depoſitione digna, quæ tamen Ordinis executionem, vel beneficii retentionem non impediunt, ut adulterium, furtum, perjurium, falſum teſtimonium: nam, ſi talia crimina notoria non ſint in populo, neque in Judicio probata per teſtes, vel propriam Rei confeſſionem, poſſunt tales crimonoſi, poſt peractam pœnitentiam, in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, & ad ſuperiores Ordines aſcendere, *cit. c. ult. de temp. ord. Abb. hic nu. 3.*

Notandum 3. Cum proceditur per viam inquiſitionis, Judex poteſt moderari pœnam, conſiderata qualitate perſonæ, & exceſſus, *cit. c. Inquiſitionis. in fine princ.* quæ duo ſunt conſideranda, ubi agitur de impoſitione pœnæ arbitrariæ. *Abbas hic num. 4.* Non obſtat, quod in c. *Qualiter 24. h. tit.* dicitur, quod in Judicio inquiſitionis procedatur ad remotionem adminiſtrationis ab officio, ergo eſt pœna certa Jure ſtatuta, & conſequenter non poteſt illam moderari Judex, nec arbitrariam imponere. Varie reſpondent DD. prout videre eſt apud *Durand. cit. l. tit. de Inquiſit. §. pen. num. 4. & 5.* & *Abbas hic num. 8.* Nam vel 1. in *hoc c.* ſermo eſt de Clericis ſimplicibus, in altero, de Prælatis, & habentibus adminiſtrationem. Vel 2. prius loquitur de criminibus levioribus, in quibus Judex poteſt moderari pœnam: poſterius de gravioribus, in quibus privatur quis beneficio, & adminiſtratione. Vel 3. prius loquitur, quando Judex procedit

ex

Digitized by Google

ex proprio officio; poſterius, quando procedit ad denunciationem alterius promoventis inquiſitionem, & ad hoc tendentis, ut denuncietur, vel inquiſitus privetur adminiſtratione; ideoque tunc imponitur illa pœna, ad quam agitur, juxta c. *Licet.* 31. *de Simon.* Vel denique 4. ſi crimen grave ſit probatum, per viam inquiſitionis, regulariter Reus punitur per privationem adminiſtrationis: ſi vero delictum non impediat executionem Ordinis, vel retentionem beneficii, poteſt Judex, poſt actam pœnitentiam, pœnam moderari, ſecundum qualitatem perſonæ, & exceſſus, quæ reſponſio magis placet *Abbat. l.*

LXXXI. Præterea in *cit. c. Inquiſitionis. §. Tertia dubitationis h. t.* quæſiverunt Inquiſitores: utrum, ſi duo, vel plures Jurati affirment, aliquem crimen, eiſdem videntibus, commiſiſſe, de quo aliqua infamia non laborat, illi pœnam debeant infligere? Item, utrum ad petitionem quorundam, qui occulte quaſdam ſchedulas, vel chartas Inquiſitoribus tradiderunt, infamationem Epiſcopi, continentes ad inquiſitionem eorum, quæ in illis continentur, ſit procedendum? Et an fides eorum dictis ſit adhibenda, qui poſt juramentum ſecreto interrogati, utrum ſint eorum, de quibus inquiritur, inimici? reſpondent, quod illos non diligant, vel expreſſe aſſerunt, ſe eſſe eorumdem inimicos, vel etiam ante juramentum, id publice confitentur: nullas tamen probabiles cauſas inimicitiæ oſtendunt? Ad hæc tria reſpondet Papa, quod nullus debeat puniri propter dicta quorundam, qui ajunt, ipſum crimen commiſiſſe, eiſdem videntibus de quo aliqua non laborat infamia, vel clamoroſa inſinuatio non præceſſit: nec ſuper hoc depoſitiones teſtium contra eum ſunt recipiendæ; cum inquiſitio ſolum fieri debeat, de quibus clamores aliqui præceſſerunt. Nec ad petitionem eorum, qui ſchedulas, ſive libellum infamationis in occulto porrigunt contra aliquem, ad inquiſitionem eorum criminum, quæ in eo continentur, eſt procedendum. Neque etiam fides adhibenda eſt dictis illorum, qui poſt juramentum, vel ante, tacite, vel expreſſe aſſerunt, ſe inimicos eorum eſſe, contra quos ſit inquiſitio, niſi forſan ante juramentum in fraudem id dicere præſumantur.

LXXXII. Notandum 1. Judex non poteſt procedere ad aliquem puniendum, licet conſtet de delicto ipſius, per depoſitionem quorundam teſtium, v. g. duorum, vel trium, qui Jurati affirmant, ſe vidiſſe crimen ab eo patrari, ſed neceſſe eſt, ut rumor, ſeu infamia de crimine ad majorem partem Communitatis pervenerit, & ita præceſſerit infamia, ſine qua præcedente, non debet fieri inquiſitio: dicta autem, ſeu depoſitiones paucorum non infamant: multo minus debet Judex procedere ad puniendum contra hujuſmodi Reum, cum tali caſu deficiat Accuſator verus, & fictus, & ordo judicialis ſit omiſſus: prius enim debet fieri inquiſitio ſuper fama, quam recipiantur depoſitiones teſtium, ſuper veritate criminis, *Abbas in cit. c. Tertia. num.* 2. & 3.

Notandum 2. Non debet fieri inquiſitio contra aliquem, ad petitionem eorum, qui clam ſchedulas, ſeu libellum porrigunt ad infamationem alicujus, prout habetur in hoc *Inquis. c.* quia tales ſchedulæ non infamant. Inquiſitio vero ſolum fit contra infamatum, ut ſupra dictum. Excipe, niſi is, cui porrectæ ſunt ſchedulæ, inſtet, & petat ſtatui terminum porrigentibus ad probandum, quæ in iis ſcripſerant, *c. Qui clam.* 2. *c.* 5. *q.* 1. & *l. Diffamari* 1. *l. de ingen. manumiſſis. Abb. hic n.* 4.

Notandum 3. Teſti aſſerenti, ſe eſſe inimicum alterius, fides adhibetur, quoad hoc, ut repellatur a teſtimonio ferendo contra illum, licet nullam cauſam inimicitiæ alleget; cum enim deponat de facto proprio, ſeu propria conſcientia, non eſt neceſſe, exprimere cauſam, ſatis enim eſt, quod ſit inimicus, qui non poteſt eſſe idoneus teſtis, cum non præſumatur dicere veritatem, ſed ex odio infamare, *Abbas hic* n. 7. Excipi debet, niſi quis præſumatur, in fraudem dixiſſe, ſe eſſe inimicum alicujus, ne ſcilicet cogeretur in illa cauſa teſtificari; tunc enim teſtimonium recipi debet; *Gl. fin. hic.* Si autem nulla ſit præſumptio, eum dixiſſe, ſe eſſe inimicum in fraudem, non eſt recipiendum ejus teſtimonium, quod procedit de inimicitia capitali; nam ſi non ſit inimicus capitalis, debet recipi ejus teſtimonium: ſed relinquitur arbitrio judicantis, quanta fides ſit illi adhibenda. *Abb. hic nu.* 10. & 11. apud quem plura ad hoc videri poſſunt.

LXXXIII. Denique in *cit. c. Quaſiviſti. h. t.* quæſitum fuit, quid ſtatui debeat, cum quidam inquiruntur ſuper criminibus aliquorum, qui dicunt, ſe nihil de illis ſcire, per certam ſcientiam, ſed tantum per famam, & credulitatem juratam? Item utrum aliquis ſuper eo crimine cenſeri debeat infamatus, de quo ipſum duo, vel tres, vel etiam plures dixerunt infamatum, licet, de ipſo in publico nihil ſiniſtri audiatur, vel referatur? Ad hoc reſpondet Papa, quod propter famam, & credulitatem deponentium duntaxat, non ſit ad depoſitionis (id eſt, degradationis in criminibus, quæ poſt actam pœnitentiam, executionem Ordinis impediunt, vel retentionem beneficii: quoad alia vero crimina, remotionis ab officio, & beneficio *Pl. hic V. Depoſitionis.* & *Hoſtienſ. V. eod.*) ſententiam procedendum; ſed infamato purgatio Canonica poterit indici, ſecundum arbitrium Judicis: nec propter dicta paucorum is infamatus reputari debet, cujus apud bonos, & graves viros opinio, ſeu exiſtimatio læſa non exiſtit.

LXXXIV. Notandum 1. Ad probationem criminum non ſufficit fama etiam juncta cum credulitate teſtium juratorum; quia requiruntur probationes luce clariores, *l. ult. C. de prob. Abbas hic n.* 2. & regulariter non valet teſtimonium de auditu alieno & credulitate, *l.* 2. *§. Idem Labeo,* 8. *junct. Gl. V. Audierint. ff. de aqua, & aqua pluv. arc.* teſtes enim proprie dicti debent deponere de his, quæ ipſi ſenſu proprio perceperunt, non de his, quæ audiverunt, eſſe percepta ab aliis, juxta *c. Cum cauſam* 37. *de teſtib.* Ideoque propter famam, & credulitatem deponentium tantum non debet quis ad pœnam criminis condemnari, *Abbas hic n.* 2.

Notandum 2. Dicta paucorum non infamant, ſive infamiam non inducunt: quod intelligendum eſt, ſi deponunt de fama apud eos tantum orta, ſeu exiſtente: nam, ſi deponant de fama, vel infamia apud bonos, & graves exiſtente; per duos tantum poteſt probari fama, vel infamia: Ideoque is, cujus opinio apud bonos, & graves non eſt læſa, propter paucorum dicta infamatus reputari non debet, *Abbas hic nu.* 4. Nam is dicitur proprie infamatus, cujus exiſtimatio læſa eſt, apud bonos, & graves: ſecus, ſi læſa ſit ſolum apud malos, & viles: de tali enim infamia non eſt curandum, imo turpe eſt a turpibus laudari, & a vilibus, quia talis videtur eſſe complex laudantium, eiſque ſimilis. *Abbas hic n.* 5.

Notandum 3. Quamvis regulariter ad probandam Infamiam requiratur, ut ea ſit divulgata per majorem partem civitatis, vel viciniæ; quia requiritur fama loci, & non fama aliquorum tantum *Gl. fin. hic.* præſertim, ſi factum ſit grave, & perſona magnæ auctoritatis; aliquando tamen ſufficit major pars illorum, apud quos quis degit, ſi factum ſit reſtrictum ad certos homines, qui veriſimiliter id ſcire poſſunt, ac debent: ut, ſi Epiſcopus ſit infamatus de fornicatione, ad probandam infamiam ſufficit, major pars Canonicorum id ſciat. *Abb. hic n.* 6.

LXXXV. Cæterum, etſi Judex non poſſit procedere ad puniendum eum, qui non eſt prius diffamatus de crimine, ut ex dictis patet: poſtquam tamen aliquis coram Judice ad inquirendum ſuper certis criminibus deputato, eadem eſt confeſſus, non poteſt ſe, & confeſſionem ſuam excuſare, dicendo, quod in iiſdem criminibus non fuerit antea diffamatus: vel, quod ab eodem Inquiſitore non fuerint ei tradita capitula, ſuper quibus erat inquirendus; ſed nihilominus adhuc condemnandus, ac puniendus eſt, prout juſtitia exigit, ſcilicet, vel pœna a Jure ſtatuta, vel arbitraria, ſi nulla pœna ſit ſtatuta. Ita decernitur in *c. Poſtquam* 1. *h. t. in* 6. & ibi *Gl. V. Juſtitia.* Ratio eſt; quia per confeſſionem propriam Rei factam in Judicio, crimen fit notorium, *c. fin. de cohab. Cleric. & mulier.* in notoriis autem, quando conſtat de crimine, non eſt opus aliquo proponente accuſationem *c. Evidentia.* 9. *h. t.* de quo infra: nec probatione, quia propria confeſſio omnem probationem ſuperat, nullumque Reo ſubterfugium relinquit, *Arg. c. Per tuas.* 10. *de probat.* & *contra Confeſſum nullæ ſunt partes Judicis niſi ut ſententiam ferat*, *c.* 1. *de Confeſſ.* & *Confeſſus pro judicato eſt, qui quodammodo ſua ſententia damnatur. Gl. in cit. c.* 1. *V. Confeſſus. Franc. ibid. no.* 3. & confeſſio in Judicio ſponte, & abſque vi, vel metu tormentorum facta, etiam ſine præcedente infamia, aliiſve indiciis, & capitulis probat, & ſufficit ad condemnandum confitentem. *Maſcard. vol.* 1. *de prob. concl.* 352. *n.* 34. *Barb. hic.* n. 3. Deinde ordo ille, ut in inquiſitione facienda contra aliquem, prius inquiratur, an ipſe ſit de tali crimine infamatus, quam contra ipſum de tali crimine proceſſus formetur, ſicut etiam traditio capitulorum, non eſt de ſubſtantia proceſſus judicialis, nec de neceſſitate requiritur, ſed ſolum de congruo ſervatur ordo ille, cui ipſe confidens cenſetur tacite renunciaſſe, dum eo a Judice non ſervato, ipſe nihil contra oppoſuit, nec appellavit: ideoque ſibi imputare debet, quod ad Judicis interrogationem reſponderit, & crimen ſit confeſſus, *Gl. fin. hic.* & *Franc. n.* 8.

SECTIO III.

DE DENUNCIATIONIBUS.

Tertia pars Rubricæ hujus Tituli eſt de Denunciationibus: ſed quia præter tres dictos modos, ſunt etiam alii duo modi procedendi, in cauſis criminalibus, videlicet per exceptionem criminoſam, & per notorietatem, ſive evidentiam criminis, ſi delictum ſit notorium, ideo de his quoque agemus.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit denunciatio, & in quibus caſibus poteſt judex procedere per denunciationem judicialem?

LXXXVI. Aſſertio 1. Denunciatio in genere eſt, *alicujus criminis delatio, ſeu manifeſtatio Superiori legitime facta. Silv. in ſumma. V. Denunciatio. n.* 1. *Durand. in ſpec. l.* 3. *part.* 1. *tit. de denunciat. §.* 1. *Hoſtienſ. in ſumma h. t. Rubr. denunc. n.* 1.

Eſt autem triplex denunciatio, alia Evangelica, quæ & charitativa appellatur, alia judicialis, alia Canonica, ut tradit *Abbas in c. Novit.* 13. *de judic. nu.* 3. *Durand. tit. l. §.* 2. n. 8. *Maran. de ord. judic. p.* 6. *tit. de denunc. nu.* 1. Denunciatio Evangelica eſt (ſic dicta, quia ex Evangelica lege introducta, *Matth.* 18. quæ tendit ad pœnitentiam, & correctionem ipſius peccatoris, in qua hic ordo ſervari debet, ut delinquens primum privatim corripiatur ſive admoneatur, juxta illud *Matth.* 18. *Corripe eum inter te, & ipſum ſolum*, non tantum ſemel, ſed iterum, ac tertio: deinde, ſi huic correptioni non paruerit, adhibito uno, vel altero teſte, monendus eſt, juxta illud: *Si autem te non audiverit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos.* Denique, ſi pergat eſſe contumax, Eccleſiæ denunciandus eſt, juxta illud Chriſti *c. l. quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ*, adeoque Judex Eccleſiaſticus adeundus eſt, bina prius monitione præcedente. *c. Si peccaverint.* 19. *cauſ.* 2. *q.* 1. quæ ſemper prærequiritur etiam in delictis notoriis, *Maran. c. l. n.* 5. Hæc denunciatio

ciatio

ciatio habet locum in quovis peccato occulto, modo non ſit omnino occultum, ſed quod poſſit probari, ſaltem per duos teſtes; quia omnino occulta ſoli DEO reſervantur, *c. Si omnia. 7. junct. Gl. V. eod. cauſ. 6. q. 1. Abbas in cit. c. Novit. nu. 41.* Et quilibet poteſt denunciare charitative: imo etiam infames, & criminoſi admittuntur ad denunciandum, dummodo non perſeverent in crimine; quia non refert, qui denunciet, modo animam fratris lucretur. *Abb. in c. l. num. 39. Durand. c. l. num. 8.* Quilibet etiam, ex præcepto fraternæ charitatis, tenetur ad hanc denunciationem: quia verba Evangelica ſunt imperativi modi, ergo obligant, ſicut verba præceptiva; quia quod præcipitur, imperatur. *Abb. c. 35. & l. num. 36.* quamvis alii teneant, quod nullus ad illam obligetur, niſi ſicut ad alia opera pia ex conſilio, præterquam is, ad quem correctio ſpectat, ratione curæ, vel officii, ut Prælatus, Curatus, Maritus &c. *Jo. Andr. in cit. c. Novit. nu. 6.* Finis, & effectus hujus denunciationis eſt, ut peccator pœniteat, & corrigatur, non ut officio, vel beneficio privetur niſi eo retento, pœnitere non poſſit; tunc enim indirecte, & in conſequentiam privabitur; vel quia a peccato deſiſtere, & pœnitentiam agere non poteſt, niſi rem ablatam reſtituat. *Jo. Andr. cit. l. Marant. c. l. num. 4.*

LXXXVII. Judicialis denunciatio ſic dicta, quia in judicio fit, & judicialiter in illa proceditur, licet non uſquequaque, alia eſt publica, in qua Judex ex officio ſuo, & per denunciationem ſuorum officialium procedit, & deducit aliquod crimen ad publicam vindictam, qualis denunciator eſt ſimilis accuſatori, a quo differt; quia denunciator ſe non inſcribit, nec eſt pars in Judicio, ſicut accuſator. *Abb. c. l. num. 48. Marant. c. l. num. 1. & 2.* Alia eſt judicialis privata quæ ratione proprii intereſſe, ſeu commodi inſtituitur, ut, quando v. g. filius, vel ſervus indebite opprimitur a Domino, vel Patre, ut non poſſit agere, id poteſt denunciare Judici, ut per illum relevetur. *Abb. c. l. Marant. c. l. num 3.* ut infra explicabitur. Canonica denunciatio ſic dicta; quia a S. S. Canonibus fuit introducta, eſt, quæ fit ad impediendum, ne quid illicitum fiat, v. g. ne indignus ordinetur, vel eligatur, aut inſtituatur; & hæc quoque vel generalis eſt, vel ſpecialis: generalis, & publica fit, quando agitur, ne crimen committatur, vel, ſi commiſſum ſit, ne continuetur: ne contrahatur matrimonium cum Canonico impedimento dirimente, vel, ut ſic contractum diſſolvatur. Et ad hanc denunciationem quilibet tenetur, ſi putet, ſe per illam aliquid efficaturum, & ſine gravi ſuo incommodo denunciare poſſit. Alia eſt denunciatio Canonica ſpecialis, ſive privata, quæ fit per eum, cujus intereſt habere bonum Prælatum, ſeu Adminiſtratorem, vel ſubditum, ut ſi poſt binam monitionem non ſit corrigibilis, ab officio, & beneficio removeatur: & de hac fit mentio in *c. 1. de offic. Cuſtod. & c. Licet 31. de Simon. Abb. c. l. num. 59. Durand. c. l. num. 14. Marant. c. l. num. 7.* His addunt communiter DD. quartam ſpeciem denunciationis, regularem ſcilicet, quæ expeditur ſecundum diverſas Religioſorum Conſtitutiones, & proceditur in ea ſimpliciter de plano; nec contra eam appellari poteſt, *c. Ad noſtram. 3. & c. Reprehenſibilis. 25. de appell. Abb. c. l. num. 61. & Durand. num. 15.*

LXXXVIII. Verum quia prædictæ diviſionis membra coincidunt: nam denunciatio, tam Canonica, quam Regularis, poteſt eſſe judicialis: ideo rectius Theologi denunciationem dividunt in duas tantum ſpecies, charitativam, ſeu pœnitentialem, & judicialem. *Silv. V. Denunciatio. n. 1. Azor. p. 3. l. 13. cap. 21. §. Quarta. Laym. l. 3. tract. 6. cap. 3. num.* Charitativa eſt, qua crimen defertur ad Prælatum, tanquam Patrem, ac ſingularem perſonam, ut in ſecreto corrigat: Judicialis, qua crimen defertur ad illum tanquam perſonam publicam, ſive Judicem, de qua hoc loco potiſſimum agitur. Differunt hæ denunciationes fine: nam denunciatio Evangelica, ſive mere charitativa, ſolum fit ob privatam emendationem, & pœnitentiam proximi delinquentis; ideoque hæc denunciatio ex motivo charitatis procedere debet, & de peccato mere præterito, ac plene emendato inſtitui non debet: At vero judicialis denunciatio principaliter fit ob publicam vindictam, ſeu punitionem criminis, ut ſatisfiat communitati læſæ, in cujus injuriam quandam cedit, ſi ejus membra delinquant; adeoque per ſe directe procedit ex motivo juſtitiæ vindicativæ: vel etiam aliquando fieri ſolet, ut parti offenſæ competens ſatisfactio injuriæ, vel damni illati fiat *Azor. c. l.* Quare duplex eſt denunciatio judicialis, una publica, ſeu criminalis, quæ ad publicam vindictam, ſeu pœnam tendit ob bonum publicum, vel ob publicam utilitatem: qualis eſt ea, ut indigni ab officio, dignitate, vel beneficio removeantur, vel ne indigni admittantur ad officia, Ordines, vel matrimonia. Altera privata, ſeu civilis, quæ privatum intereſſe, ſeu ſatisfactionem intendit, ideoque utraque de crimine mere præterito inſtitui poteſt. *Azor. cit. c. 22. dub. 2. Laym. l. 3. tr. 3. p. 2. cap. 4. num 1.*

LXXXIX. Aſſertio 2. In foro ſæculari, loquendo de judiciali denunciatione publica, quæ fit ſecundum Jus Civile commune, poteſt Judex ex officio procedere ad denunciationem ſuorum Officialium, qui publica auctoritate deputati ſunt ad denunciandum, *l. ea. 7. C. de accuſ.* Vel etiam ſecundum communiter receptam conſuetudinem, ad denunciationem cujuslibet alterius privati; publice enim intereſt, notitiam delictorum, quocunque modo, ad Magiſtratum pervenire, ne maneant impunita. *Clarus. cit. §. fin. q. 7. num. 2.* Si vero ſermo ſit de privata, & ſpeciali denunciatione judiciali, quæ competit parti læſæ, ſeu offenſæ ad proprium intereſſe, ſeu ſatisfactionem pro injuria, ſive damno ſibi illato obtinendam; tunc ſpectato Jure Civili, poteſt Judex procedere, quando is, qui proſequitur, quod ſua intereſt, non poteſt agere, vel accuſare, quia ſcilicet eſt ſervus, vel filius, vel ſubjectus alterius poteſtati, ideoque de Domino, Patre, vel alio, cui ſubjectus eſt, conqueritur, ſe injuſte opprimi; *l. 1. §. Quod autem ff. de offic. Præf. Urb. Abbas. in cit. c. novit. num. 48. de judic. Azor. cit. c. 22 dub. 2.*

XC. Aſſertio 3. Licet in foro Canonico Judex Eccleſiaſticus generaliter, & indiſtincte, propter peccatum, admittere poſſit denunciationes Evangelicam, ſeu charitativam: non tamen judicialem, niſi in certis caſibus. Veluti 1. Si is, qui denunciatur, eſt Clericus, ut, ſi Clerici, vel Regulares conquerantur de injuſtis oppreſſionibus ſuorum Prælatorum. 2. Si Laicus ſit, qui denunciatur, crimen tamen, de quo denunciatur, ſit ſuapte natura, Eccleſiaſticum, ut eſt hæreſis, Simonia. 3. Ob defectum juſtitiæ in foro ſæculari, quia in eo crimen non auditur, ſive quia Judex ſæcularis eſt negligens, ſive juriſdictio, ſeu poteſtas vacat, ſive nullus eſt, qui judicat, vel in eo foro non datur actio, vel repetitio, v. g ex nudo pacto. 4. Ratione pacis violatæ, vel juramenti non ſervati a Laicis, *arg. c. novit. 13. de Judic.* 5. Si perſona miſerabilis ſit, quæ denunciationem hanc proponit. 6. Si ſit cauſa Spiritualis, ſive Eccleſiaſtica, vel ei annexa, ut, ſi agatur de Matrimonio ob impedimentum Canonicum non contrahendo, vel contracto diſſolvendo, *c. ac ad diſſolvendum. 3. de deſponſ. impub. c. cum inhibitio. 3. de clandeſt. deſponſ. Abb. in cit. c. novit, num. 43. & ſeqq. Azor. c. l. dub. 5.*

§. II.

Utrum ante denunciationem judicialem ſemper præcedere debeat ſecreta monitio, & an etiam aliæ Juris ſolemnitates in ea ſervanda ſint, & quinam ab hac denunciatione repellantur?

XCI. Aſſertio 1. Si fiat denunciatio judicialis in foro ſæculari, ſive generalis, & publica, ſive ſpecialis, & privata, non debet eam præcedere ulla admonitio. *Abbas in cit. c. novit. num. 48. Durand. cit. tit. de denunciat. §. 2. num. 10. & 12.* At vero in foro Eccleſiaſtico, ſeu Canonico requiritur, ſaltem ſi ſit ſpecialis, ut admonitio præcedat, eaq; trina, vel ut minimum bina, nimirum privatim, & ſecreto, *inter te, & ipſum ſolum*, & ſecundo, *coram uno, vel duobus teſtibus. Abbas c. l. Durand. c. l. num. 24. Azor. cit. dub. 6.* Idq; ſumitur ex *c. Si quis 2. h. t.* Ubi Felix Papa ita reſcribit: „Si quis Epiſcopus (ſcilicet criminoſus, vel accuſandus, ſive denunciandus) ab illis accuſatoribus (id eſt, denunciatoribus, *Gl. hic V. eodem.*) qui recipiendi ſunt, (nam inimici, & ſuſpecti repelluntur, *Hoſtiens. ibid.*) accuſatus fuerit (id eſt, denunciatus) poſtquam ab eis charitative admonitus fuerit, *Gl. hic V. ord.* ut cauſam emendet, & eam corrigere noluerit, non olim (id eſt, non ante admonitionem) ſed nunc (id eſt, poſt admonitionem, *Gl. pen. & ult. hic.*) ad Primates cauſa ejus Canonice deferatur: nempe ad Superiores, ſeu legitimos Judices, ſive is Judex ſit Primas, ſive Archiepiſcopus, ſive Concilium Provinciale; *Innoc. & Hoſtienſ. hic. in fine. Jean. Andr. nu. 2.* Alioquin charitativa, & legitima monitione omiſſa, a denunciando repellitur. *Gl. hic in caſu.* Porro etiam Jure antiquo ſtatutum fuit, ſi agatur de crimine, quod depoſitionem Epiſcopi mereatur, non poſſe Primates, Archiepiſcopos, cum Epiſcopis Comprovincialibus, cauſam definire, inconſulto Romano Pontifice, *c. accuſetur. 5. & c. Quamvis. 7. cauſ. 3. q. 6.* Sed ſolum poterunt ad Papam cauſam referre, eique exponere, quid hac de re ſentiant, ut notat *Felin. hic. nu. 2. ver. ult.* & ſic intelligendum eſt hoc *cap. Barb. hic num 2.*

XCII. Verum Jure novo Concilii Tridentini circa Epiſcopos, eorumque cauſas ſtatutum eſt. *I. Seſſ. 13. c. 6. de reform.* non eſſe citandos, ut perſonaliter compareant, niſi ob cauſam, ex qua Epiſcopus deponendus veniret, quovis modo procedatur. II. *c. 7. ibidem.* non eſſe in cauſa criminali teſtes contra eos recipiendos, niſi conteſtes, & bonæ famæ fuerint. III. *c. 8. ibid.* cauſas illorum, quando pro criminis objecti qualitate comparere debent, coram Papa referri, ac per ipſum terminari debere. Item cauſæ criminales graviores contra Epiſcopos, etiam ab ipſo tantum Romano Pontifice cognoſcuntur, & terminantur. *Seſſ. 24. c. 5. de reform.* IV. Cauſas, quæ neceſſario extra Curiam committuntur, contra Epiſcopos criminoſos, non niſi Metropolitanis, aut Epiſcopis, ex ſpeciali commiſſione ipſius Papæ manu ſignata, eligendis committi debere, iis tamen, ut ſolam facti inſtructionem inde ſumant, & proceſſum inde forment, reſervata ſententia definitiva eidem Papæ. Ubi etiam innovat S. Synodus *c. Qualiter 24. h. t.* Denique præcipitur, ut minores cauſæ Epiſcoporum in Concilio Provinciali tantum, cognoſcantur, ac terminentur, vel a deputatis per Concilium Provinciale.

XCIII. Aſſertio 2. Denunciator non tenetur ſe inſcribere ad pœnam talionis ſubeundam, ut conſtat ex *Super his 16. in princ. h. t.* ubi Papa Innocent III. ita reſcribit: „quod tribus modis poteſt crimen opponi, denunciando, excipiendo, & accuſando, (adde quartum, ſcilicet per inquiſitionem. *Gl. hic V. tribus modis.* de quo actum ſupra) quando crimen in modum denunciationis opponitur, non eſt neceſſaria inſcriptio, ſed cum in modum accuſationis, oportet inſcribi: quoniam ad depoſitionem inſtituitur accuſatio (nam accuſatus deponitur ab officio, vel beneficio. *Abbas hic. num. 2.*) Sed ad correctionem eſt denunciatio (præcedente legitima admonitione, *Gl. hic V. denunciatio.*) facienda, de quo dictum ſupra *numer. 77. h. tit.*

Porro etſi in denunciatione judiciali inſcriptio non fiat, ſed qui denunciat, tantum refert in ſcriptis ſuam denunciationem, vel ipſemet narrat eam Notario, qui, ipſo dictante, redigit illam in ſcripta: Aliæ tamen ſolemnitates Juris, quæ requiruntur in libello accuſatorio, etiam in denunciatione judiciali obſervandæ ſunt, nimirum, ut exprimatur

eti-

crimen, malefactor, ſive Reus, locus, & tempus commiſſi criminis. *Clar. cit. §. fin. q. 2. num. 11. Azor. cit. c. 21. dub. 9.*

CXIV. Aſſertio 3. Publicus concubinarius, & ob id excommunicatus, & is, qui conſpiravit in denunciandum, vel prius illum non admonuit de crimine, denunciare non poteſt, prout ſtatuitur in *cap. Cum dilectus, 20. h. tit.* Nam „quidam Clerici ſuper quibuſdam criminibus denunciaverunt Epiſcopum ſuum, impetrantes contra illum inquiſitionem: contra quos ex parte Epiſcopi, propoſitum fuit, quod Clerici illi audiendi non ſint, quia erant publici concubinarii, propter quod etiam excommunicati fuerunt, nec præmonuerant illum, & inſuper in ipſum conſpiraraut. Papa Innoc. III. ſuper hoc conſultus a Judicibus, ſi conſtiterit, eos, quorum nomine ſunt ejuſmodi excessus de Epiſcopo denunciati, publice concubinarios tunc fuiſſe, propter quod ſententia excommunicationis in eos lata fuit: vel Epiſcopum de prædictis exceſſibus ſeu criminibus non fuiſſe præmonitum ab eiſdem, vel ipſus conſpiraſſe in eum, a denunciatione eoſdem repellant; alioquin audiant, quæ hinc inde propoſita fuerint: & Epiſcopo prohibeant, ne ſuper his, ſuper quibus ad Sedem Apoſtolicam legitime ab ipſis appellatum fuit, Clericos ipſius aggravare præſumant, donec cauſa ſecundum formam mandati Apoſtolici fuerit terminata.“

XCV. Notandum 1. Quamvis non poſſit regulariter fieri accuſatio per alium, ſive per Procuratorem, ut patet ex ſupra dictis; tamen denunciatio poteſt fieri per alium, & in ea intervenire Procurator, ut colligitur ex illis verbis hujus c. *quorum nomine ſunt ejuſmodi exceſſus de Epiſcopo denunciati, Abbas. hic. n. 2.*

Notandum 2. Criminoſus a denunciatione repellitur, *c. cum in tua. 27. de Sponſ.* niſi ſuam vel ſuorum injuriam proſequatur, *arg. c. 2. cauſ. 4. q. 6* ac proinde etiam publicus concubinarius ad denunciandum aliorum peccata non eſt admittendus, quin etiam eſt ſuſpenſus, *c. veſtra. 7. de cohab. Cleric. & mul. Gl. hic. V. Concubinarios. Hoſtienſ. hic. V. excommunicationis.* Nec refert, quod in hoc c. ponderat Papa, quod in concubinarios ſententia excommunicationis fuerit promulgata: quia hic duo conjunguntur, quorum alterum per ſe ſolum ſufficeret ad repellendum a denunciatione, ſcilicet publicus concubinatus, & excommunicatio, de qua etiam hic mentio eſt facta ad majorem aggravationem delicti, *Hoſtienſ. hic. V. excommunicationis. Abb. n. 4.*

Notandum 3. Judex, a quo legitime appellatum eſt, non debet ſe in cauſam illam ingerere, donec appellationis cauſa ſit finita, quia præſumitur, quod ex odio procederet, & merito poſſet tanquam ſuſpectus recuſari, *Gl. fin. hic.*

§. III.

An pendente Inquiſitione, vel denunciatione contra Superiorem, ſeu Prælatum a ſubditis facta, Superior procedere poſſit in cauſa illa contra Subditos?

XCVI. De hac re agitur inprimis in *c. olim. 26. h. t.* Nam „ad petitionem, & denunciationem quorundam Monachorum, inquiſitio ſuper ſtatu cujuſdam Monaſterii, tam in Capite, quam in membris, commiſſa fuit quibuſdam Inquiſitoribus: pendente inquiſitione coram ipſis, Abbas dicti Monaſterii quaſdam ſententias excommunicationis, & ſuſpenſionis tulit in quoſdam Monachos proſequentes illam denunciationem, & inquiſitionem, & eis adhærentes, & per quoſdam Judices delegatos, eas fecit promulgari: de quo, & aliis nonnullis ab Abbate attentatis, Monachi conqueſti ſunt apud Papam Gregorium IX. qui mandavit Inquiſitoribus, ut, ne reformatio Monaſterii impediatur, ſententias excommunicationum, & ſuſpenſionum, quas Abbas protulit, vel per quoſdam Judices fecit promulgari, poſt inceptum negotium, in eos, & adhærentes eiſdem relaxet: ac eis reſtitutis, quos idem Abbas, pendente negotio contra juſtitiam, ſpoliavit, & relaxatis etiam juramentis, ſi qua de tacenda veritate extorſerat, in negotio procedant de plano, & abſque Judiciorum ſtrepitu, & inquirant, quæ circa perſonas, & obſervantias regulares viderint inquirenda: corrigentes, & reformantes, quæ fuerint corrigenda, & reformanda, tam in Capite, quam in membris: providentes, ut negotio hoc pendente, prædicti Monachi Abbati obediant, ita tamen, ut per hoc proſecutio negotii, ſive reformatio Monaſterii nunc impediatur. Si vero teſtes contra Abbatem denunciatum producti fuerint, copiam dictorum ipſorum ei faciant. Prædictis autem Monachis, & tribus, vel quatuor, vel aliis, quos idoneos ad dictum negotium proſequendum aſſumpſerint, expenſas neceſſarias factas, & faciendas ex bonis Monaſterii faciant miniſtrari (cum proprium non habeant) computatis, ſi qua propterea receperunt de bonis ejuſdem Monaſterii.“

XCVII. Pro explicatione hujus c. notandum 1. Pendente Judicio denunciationis, vel inquiſitionis, inter Superiorem, ſeu Prælatum, & Subditos, ſuper criminibus Prælati denunciati, ſuſpenſa & ejus juriſdictio, ac ſi eſſet ab eo appellatum, ita ut Prælatus denunciatus debeat abſtinere ab omni proceſſu, per quem negotium inquiſitionis poſſet impediri, & totum Judicium ad ſuperiorem Judicem eſt delatum. Unde ſi procedat Prælatus inferior, pendente tali Judicio, injuriam cenſetur facere ſuperiori, & ideo hic, quidquid ab inferiore, pendente negotio, attentatum fuit, quia ex odio procedere præſumitur, revocare poteſt, ac debet. *Gl. hic V. Poſt inceptum negotium. Hoſtienſ. V. eod. & Abb. num. 1. not. 1.*

Notandum 2. In Inquiſitione, quæ fit contra Prælatum Regularem a Subditis denunciatum, ordo judiciarius ex parte ſervari debet, etſi non uſque quaque, ſive omnino exacte, ſicut ſervari debet contra ſæculares Prælatos, ideoque Papa in caſu hujus c. mandavit copiam atteſtationum, ſive depoſitionum teſtium exhiberi Abbati denunciato, & inquiſito: imo & nomina teſtium, licet id non exprimatur in textu, cum per eorum ſuppreſſionem præbeatur audacia infamandi; quod non fit in inquiſitione, contra ſimplices Clauſtrales, ſeu Monachos, *Gl. hic. V. de plano. Abb. num. 2. not. 4.*

XCVIII. Notandum 3. Quamvis pendente lite inter Prælatum, & Subditos, ipſe Prælatus, ſeu Judex inferior abſtinere debeat ab illo negotio, ſuper quo lis pendet, & a dependentibus ab illo, ſive connexis cum illo: attamen in aliis cauſis poteſt in Subditos exercere ſuam juriſdictionem, & hi illi obedire debent uti ſumitur ex *cit. c. Olim.* ita tamen, ut per hoc proſecutio negotii principalis non impediatur, niſi forte Prælatus, ratione negotii ſic pendentis, vel alias fuerit legitime recuſatus, cum ex denunciatione ſoleant oriri graves inimicitiæ inter denunciatum, & denunciantem, *Abb. hic. n. 6. & 7.*

Notandum 5. Monachi expenſis Monaſterii proſequuntur inquiſitionem, quæ fit ad denunciationem illorum contra Prælatum, cum nihil proprium habeant, *Gl. hic in notatis.* imo, ſi illa habere non poſſint ab ipſo Abbate, propria auctoritate, poſſunt illas accipere ex bonis Monaſterii, cum ipſius utilitatem procurent, *Abb. hic. n. 3.* & patet ex ſupra dictis.

XCIX. Præterea ſi Prælatus denuncietur ſuſpectus de dilapidatione bonorum Eccleſiæ, commiſſio facienda eſt ſuper veritate inquirenda, & pendente negotio, ei interdici debet poteſtas quocunque modo alienandi bona Eccleſiæ, prout ſtatuitur in *c. Prelatorum. 27. & ult. h. t.* Nam quidam „Canonici Friſigienſes denunciaverunt Papæ, quod Epiſcopus eorum bona ſui Epiſcopatus (quem minus Canonice, ut dicunt, ſoit aſſecutus) graviter dilapidet, & conſumat, & non ſolum rerum, ſed etiam famæ, & ſalutis prodigus, vitam ducat nimis diſſolutam. Ideo mandat Gregorius IX. quibuſdam Judicibus ut perſonaliter accedentes ad locum, veritate inquirant, & eam fideliter conſcribentes, ſub Sigillis ſuis, ad ſe tranſmittant incluſam, & eidem Epiſcopo terminum aſſignent, quo conſpectui Papæ ſe præſentet, pro meritis pœnam recepturus: interim poteſtate vendendi, dandi, ſeu donandi, infeudandi, ſeu quocunque modo alienandi bona ipſius Eccleſiæ, eidem penitus interdicti.“

C. Notandum 1. Licet dicta paucorum non infament, *c. Inquiſitionis. 21. in fin. h. t.* tamen ad eorum denunciationem poteſt committi inquiſitio, & commiſſa ſimpliciter inquiſitione veritatis contra aliquem, cenſetur commiſſum, ut prius inquiratur ſuper infamia, tanquam aliquid prærequiſitum, & præcedens, prout colligitur etiam ex *hoc c. Abb. hic n. 2.*

Notandum 2. Inquiſitores perſonaliter accedere debent ad locum, in quo verſantur illi, contra quos fit inquiſitio, cumque alibi fieri non debet, nec poſſunt in hoc caſu Inquiſitores aliis committere vices ſuas, quia cenſetur electa induſtria perſonarum, *Gl. hic in not. & V. Perſonaliter.*

Notandum 3. Interdicta alicui Prælato, vel alteri Adminiſtratori generali alienatione rerum, cenſetur ei interdicta omnis alienatio, non tantum rerum immobilium, ſed etiam mobilium; non tamen earum, quæ ſervando ſervari non poſſunt; alioquin talis prohibitio eſſet contra utilitatem Eccleſiæ, *Arg. l. Tutor. 7. §. Si tutor. ff. de adminiſt. tut. Abbas hic n. 6.*

§. IV.

Quomodo procedendum ſit, quando crimen opponitur, per modum exceptionis, & quomodo ſuper crimine notorio?

CI. Aſſertio 1. „Cum excipiendo crimen fuerit objectum, diſtinguendum eſt quare opponatur, & quando, ut habetur in *c. Super his. 16. §. Cum autem h. t.* Si enim objiciatur, ut aliquis ab accuſatione, vel teſtimonio ferendo repellatur, non eſt neceſſaria inſcriptio; ſed cum opponitur, ut quis a promotione officii, vel beneficii excludatur, ſi ante confirmationem opponitur (prout hic fuit oppoſita) non cogitur quiſpiam ſe inſcribere; quia crimen hoc modo probatum impedit promovendum, ſed non dejicit jam promotum, (non enim propter hoc privatur aliis dignitatibus, vel beneficiis; quia ad hoc non agebatur. *Gl. hic. V. Non dejicit.*) ſi vero crimen objiciatur poſt confirmationem (per quam ſpirituale vinculum eſt contractum, *c. 2. de transl. Epiſc.*) cum ſcilicet electus ordinandus, vel conſecrandus eſt, debet excipiens ſe obligare ad extraordinariam pœnam, ſecundum arbitrium Judicis diſcreti, ſi in probando defecerit, licet non teneatur ſe inſcribere; quia dejicit etiam ab obtento, & repellit ab obtinendo: nam crimine ſic probato, perdit, quod per electionem & confirmationem fuerat conſecutus, ſed ob hoc prius habita non amittit. Et in hoc caſu, licet agatur de crimine (per modum ſcilicet exceptionis, non eſt tamen hujuſmodi quæſtio criminalis, unde per Procuratorem poteſt tractari.“

CII. Pro intellectu hujus c. notandum 1. Criminoſus non eſt admittendus ad excipiendum de crimine, ſi proſequatur bonum publicum, quia eſt excipiens voluntarius; & hæc exceptio habet vim cujuſdam accuſationis, a qua criminoſus repellitur, ſicut a teſtificando. Admitti autem debet ad excipiendum, ſi proſequatur proprium ſuum intereſſe, ut quia ille, contra quem excipit, eſt ſuus futurus Prælatus, vel Parochus, vel quia eſt patronus, vel quia alias ſua intereſt; tunc enim eſt excipiens neceſſarius; nemini enim ſuum jus proſequenti obſtat exceptio criminis, *Argum. cap. 2. cauſ. 4. quæſt. 6.* niſi aliunde ex cauſa aliqua ſit ſuſpectus; talis enim in cauſis criminalibus, vel Eccleſiaſticis

non

Digitized by Google

non eſt admittendus, *Arg. c. ult. cauſ. 3. q. 10.* Unde ad excipiendum de crimine contra electum in Epiſcopum admittitur quilibet Subditus, ſeu Diœceſanus, tam contra perſonam, quam contra formam electionis: contra promovendum ad Eccleſiam curatam quilibet Parochianus, immo & contra electos ad ſimplicia beneficia quilibet de Eccleſia; quia cujuslibet intereſt, bonos habere non ſolum Prælatos, & Parochos, ſed etiam alios Clericos, *Hoſtienſ. in cit. c. Super his col. 2. §. Excipitur. Abb. hic. n. 10. & 11.*

Notandum 2. Exceptio, ſuapte natura, tendit ad repellendam adverſarii intentionem, *c. 2. de ord. cognit. c. 2. de except. l. 1. ff. eod.* ſed quandoque propter connexionem juris obtenti cum jure, a quo quis repellitur, dejicitur a jure etiam acquiſito, ſi crimen probatum ſit, *Abbas hic n. 2.* ut in caſu *cit. c. Super his.* ſi electus repellatur, per exceptionem criminis, a confirmatione, per conſequens repellitur etiam a jure quæſito per electionem: Si a conſecratione, per conſequens etiam a jure quæſito per confirmationem. Idque ſpecialiter inductum eſt favore Eccleſiarum; inutilis enim eſſet Eccleſiæ talis electus, qui confirmari non poſſet: idemque eſt in repulſo a conſecratione; nam ſi Eccleſia haberet Sponſum, qui non poſſet confirmari, & conſecrari, vel actu adminiſtrare, adhuc Vidua cenſeretur, ac proinde eſſet, ac ſi nullum Sponſum haberet, vel Paſtorem: neceſſe eſt igitur, ut, ſi Sponſus, ſive electus ad Prælaturam repellatur a jure obtinendo, rejiciatur etiam a jure obtento. Sed ante confirmationem electi, excipiens de crimine non ſe inſcribit; ſed poſt confirmationem tantum, quia ante illam non dicitur promotus cum effectu, ſive adeptus Prælaturam, ſive beneficium, cum per electionem acquiratur tantum jus ad rem, non jus in re; quod acquiritur per confirmationem. Si vero a confirmatione, vel conſecratione repellatur aliquis, obtenta beneficia non amittit, ſed jus tantum quod per electionem acquiſivit. *Hoſtienſ. in cit. c. Super his col. 4. V. Depoſit. & Joan. Andr. n. 10. V. eodem.* Et hinc non conferuntur alteri beneficia alicujus electi in Epiſcopum, niſi poſt tempus elapſum Jure præſcriptum ad conſecrationem Epiſcopi, ut, ſi repellatur ab obtento de novo, ſaltem antiqua poſſit retinere. *Joan. Andr. cit. l. n. 10.*

CIII. Notandum 3. Licet is, qui poſt confirmationem electi, contra illum excipit de crimine, ad eum repellendum ab ordinatione, ſeu conſecratione non cogatur ſe inſcribere; debet tamen ſe obligare ad extraordinariam pœnam, ſecundum arbitrium Judicis, ſolvendam, ſi in probando defecerit, juxta *cit. c. Super his §. Cum autem.* quia hoc eſt generale, ut quando certa pęna non eſt expreſſa in Jure, ea arbitrio Judicis prudentis infligenda delinquatur. *c. De cauſis 4. de offic. jud. deleg.* & a tali pœna arbitraria appellari poteſt, & ſi Judex in pœna arbitraria exceſſerit, ea ad arbitrium boni viri reducenda eſt. *Gl. hic. V. arbitrium. & V. aſtringendus.*

Notandum 4. Procurator admitti poteſt, ſi impugnetur alicujus electio, ſeu promotio ad Prælaturam, vel Canonicatum, etſi crimina objiciantur perſonæ electæ, quia, etſi agatur de crimine, non eſt tamen ejuſmodi quæſtio criminalis, *cit. §. Cum autem. c. 1. de Elect. in 6. in princ. & c. tua 3. de Procurat.* Non enim agitur criminaliter ad vindictam publicam, & accuſatio criminalis tendit ad depoſitionem ab Ordine, non ad privationem beneficij tantum, *Abbas. hic n. 4.* requiritur tamen, ut Procurator ad hoc habeat ſpeciale mandatum, juxta *Clement. 2. de Procurat.*

Notandum 5. Duobus modis poteſt per exceptionem deduci crimen in Judicium. 1. Civiliter, quando exceptio de crimine opponitur ſolum ad repellendum accuſatorem ab accuſatione, vel teſtem a teſtificatione, tanquam criminoſum, vel ad impediendum, ne electus, vel promotus ad dignitatem, vel beneficium, mittatur in poſſeſſionem: & non poteſt ex hujuſmodi proceſſu ferri ſententia criminalis, nec is, contra quem excipitur, puniri criminaliter a Judice, etiamſi de crimine ſit convictus, niſi nova inquiſitio, aut novus proceſſus inſtituatur. Criminaliter vero agitur per exceptionem criminis, quando agitur, ac petitur, ut non ſolum accuſator, aut teſtis repellatur, ſed etiam ut puniatur criminaliter, & hoc caſu, poteſt etiam contra eos ferri ſententia condemnatoria criminalis; quia tunc excipiens aſſumit partem accuſatoris, nec Procurator intervenire poteſt. *Gl. fin. hic* Et ſicut in Judiciis criminalibus, in quibus proceditur per accuſationem, vel inquiſitionem, requiritur, ut exprimatur tempus, & locus commiſſi criminis: ita eadem exprimenda ſunt, quando proponitur crimen, per viam ejuſmodi exceptionis criminalis, cæteraque ſervanda ſunt, quæ in Judicio accuſationis ſervari debent, cui talis exceptio, quæ ad puniendum tendit, æquiparatur. *Clar. cit. §. fin. qu. 19. n. 2. & 3. & q. 38. n. 22.*

CIV. Aſſertio 2. In notoriis criminibus, quando & crimen eſt notorium, & malefactor: non eſt neceſſarium, ut ſervetur ordo Juris, neque accuſator requiritur, prout habetur in *c. Evidentia 9. h. t.* ubi dicitur: Evidentia patrati ſceleris non indiget clamore accuſatoris, id eſt, ut explicat *Gl. ibid. V. Scelus. V. non indiget.* Scelus, quod notorium eſt, per evidentiam operis non indiget aliquo proponente accuſationem, quia factum ſe oſtendit: nam cum regulariter accuſator requiratur, ut crimen manifeſtetur, & in Judicio per probationem publicetur, *c. quiſquis. 3. c. 2. q. 8. l. ult. C. de accuſ.* hæc autem manifeſtatio per evidentiam facti habebatur, *c. fin. de cohab. Clericorum. & mul.* ideo non eſt opus accuſatione, nec ordo Juris, ſeu proceſſus requiritur, *Gl. hic. in caſu.* nec probatio, nec examinatio, niſi ad cautelam, vel quando, etſi delictum notorium ſit in locis, remotis; non eſt tamen notum Judici, coram quo agitur, alioquin vero, ſi ſit omnino evidens, non requiritur probatio. *Hoſtienſ. hic.* Quare etſi non adſint teſtes, qui deponant ſuper ſcientia delicti: ſi tamen appareat de delicto, & adſint tres, vel duo teſtes idonei probantes, notorium eſſe, quod Titius crimen hoc commiſerit, poteſt Judex ſtatim procedere ad eum condemnandum, *Clar. §. fin. q. 9. n. 5. 6.* Requiritur tamen etiam in criminibus notoriis ſententia declaratoria Judicis, *l. qui ſententiam. 16. C. de pœnis Gl. fin. hic. Clar. cit. q. 8. n. 8.* imo etiam citatio ad audiendam ſententiam, *Clar. c. l. n. 4.* Porro illud dicitur notorium crimen, quod nulla tergiverſatione celari poteſt, cujuſmodi eſt, quo ſit coram populo, aut Collegio, vel majore ejus parte, ſive ſit factum permanens, ſive tranſiens, *Clar. c. l. n. 2.* quamvis *Abbas hic n. 1.* dicat, notorium factum tranſiens, cum non ſit evidens, ſeu notorium Judici, ut Judici, requirere proceſſum, ac ordinem judiciarium. Debet autem non ſolum ipſum factum eſſe notorium, & evidens; v. g. Titium hominem occidiſſe, ſed etiam qualitates facti, ita, ut nulla defenſio, vel excuſatio Reo competat; fieri enim poteſt, quod quis aliquem occidit, ad ſe defendendum, vel quia alias impune occidi potuit. *Clar. c. l. n. 3. Azor. cit. lib. 13. c. 22. §. alius modus* plura de notorio dicta ſunt *l. 3. tit. 2. §. ult.*

CV. Poſtremo huc revocari poteſt alius modus procedendi criminaliter, nempe ſi Reus in flagranti delicto ſit deprehenſus; nam etſi id non faciat plenam probationem, nec ſufficiat ad condemnandum Reum, ſaltem in gravibus delictis, & pęnis: ſufficit tamen ad examinandum; & interrogandum deprehenſum, ut, ſi fateatur crimen, ſtatim contra eum fiat executio pęnæ: ſi vero negat, ſtatim, ſine alio proceſſu torqueri poſſit, ſi ſit perſona vilis *Clar. cit. §. fin. q. 8. n. Azor. c. l. in princ.* requiritur tamen, ut etiam præcedat ſententia a Judice ſubſcripta, ſine aliis ſolemnitatibus, ut docent Doctores citt.

TITULUS II.

De Calumniatoribus.

Actum eſt præcedente Titulo de Accuſatoribus, & Delatoribus criminum, ſed quia iſti quandoque calumniantur; ideo hic Titulus ſubjungitur.

§. I.

Quis dicatur Calumniator, & quid ſit calumniari, & quali pœna ſit afficiendus.

I. Aſſertio 1. Accuſatores, & denunciatores tribus modis delinquunt, quibus eorum temeritas, & malitia detegitur, *l. 1. in princ. ff. ad SC. Turpill.* & refertur a Gratiano *in c. Si quem 8. §. Accuſatorem. cauſ. 2. q. 3.* Vel enim calumniantur, vel prævaricantur, vel tergiverſantur. Calumniari eſt falſa crimina intendere, ſeu proponere, *cit. l. 1. §. 1.* Unde, qui falſum crimen alicui imponit in Judicio, Calumniator dicitur. Eſt autem duplex calumnia, vera, & præſumpta ut tradit excommuni *Clar. in pract. crim. §. fin. q. 6. n. 3.* Vera calumnia eſt, quando quis falſum crimen ſcienter, & per dolum intendit, vel alicui objicit; adeoque cum eum, quem ſcit eſſe innocentem, accuſat, vel denunciat. Præſumpta calumnia eſt, quando quis crimen de quo aliquem accuſavit, vel denunciavit in Judicio, non probat: nam, qui aliquem in Judicium vocat, paratas habere debet probationes, *l. Qui accuſare 4. C. de edendo.* unde, ſi in probatione deficiat, cenſetur calumniandi animo litem moviſſe, & Calumniator præſumitur, ac dicitur, niſi ex quibuſdam judiciis appareat, eum probabiliter litigaſſe, de quibus poſtea. *Gl. in c. 2. V. Calumniandi h. t. & ibid. Abb. n. 5.*

Prævaricari vero eſt, vera crimina abſcondere, & Prævaricator dicitur, qui cum Reo colludit, & tranſlatitie, id eſt, obiter accuſandi munere fungitur, proprias, ac veras probationes diſſimulando; falſas vero Rei excuſationes, id eſt, exceptiones admittendo, *cit. l. 1. §. 1. & Prævaricatorem. ff. ad SC. Turpill.* & Prævaricator dicitur, quaſi Varicator, qui diverſam partem adjuvat, & ex utraque parte conſiſtit, quin imo ex altera potius, Rei ſcilicet, cujus ſe Adverſarium ſimulavit, cum tamen tacite ejus partem talis pęna extraordinaria, ad arbitrium Judicis, *l. 2. ff. eod. Abb. in Rubr. h. t.* Denique tergiverſari eſt in univerſum, ſive omnino ab accuſatione deſiſtere, *cit. l. 1. §. 1. ff. ad SC. Turpill.* ſine licentia ſcilicet Judicis, cujus pęna olim fuerunt quinque libræ auri. *l. 3. ff. de prævar.*

II. Aſſertio 2. Calumniatur, qui ſcienter, ac per ſolum falſo alium accuſavit, olim punitus fuit pęna talionis, hoc eſt, ſupplicii ſimilitudine, ea ſcilicet, quam merebatur accuſatus, ſi delictum, de quo accuſabatur, commiſiſſet, *l. ult. C. de Accuſat. & l. ult. C. de Calumniat.* hodie tamen puniri ſolet pęna extraordinaria, & juxta objecti criminis, & accuſatorum qualitates, aliaſque circumſtantias, ad arbitrium Judicis. *Pelin. in Rubr. h. t. n. Covar. l. 2. var. reſol. c. 8. n. 1.* Idque colligitur ex *c. Super his 16. ſuper de accuſ.* ubi ſtatuitur, ut per calumniam objiciens crimen, per modum exceptionis, ſi in probatione deficiat, arbitrio Judicis ſit puniendus.

III. Porro ſpectato Jure communi, ſi Calumniator non poſſit puniri ſimilitudine ſupplicii, ſive eadem pęna affici, qua accuſatus, probato crimine, plectendus fuiſſet; tum poteſt pœna illi commutari in aliam, arbitrio Judicis, prout ſumitur ex *c. Cum fortius 2. h. t.*,, ubi talis caſus proponitur.
,, Hilarius Subdiaconus accuſavit Joannem Diaconum, ea-
,, que cauſa commiſſa fuit a Papa Gregorio Attheo,o Sub-
,, diacono & quibuſdam aliis. Judices, quia Hilarius nihil
,, probavit contra Joannem, eundem abſolverunt; neque ta-
,, men ullam pęnam impoſuerunt Hilario, propter calumniam
,, illatam. Hoc cognito, Papa reſcripſit. Cum fortius pu-
,, nienda ſint illa crimina, quæ inſontibus, & maxime fa-

„ cratis hominibus (id eſt, Clericis in ſacris Ordinibus conſtitutis. *Hoſtienſ. hic V. Sacratis hominibus*, ea dignitate enim perſonæ aggravatur injuria. *Gl. hic V. eodem.*) objiciuntur ; „ ideo reprehendit Papa Judices illos, quod nullam pœnam dicto Calumniatori Hilario impoſuerint, & , cum tantum „ malum non debeat impunitum tranſire, mandat, ut prædi- „ ctus Hilarius Subdiaconatus officio privetur, & verberibus „ publice caſtigatus, in exilium deportetur. Idque inſupplementum pœnæ talionis, quam, ſi is, qui calumniam intulit, probaſſet, ipſe Reus ſuſtinere debuiſſet, *c. Juxta. 3. cauſ. 5. q. 6.*

IV. Ubi notandum 1. Quando non poteſt imponi pœna ordinaria Jure ſtatuta, quia delinquens non eſt illius capax, poteſt, ac debet illa commutari in aliam, ad arbitrium Judicis. *Felin. hic n. 1.* ut in caſu hujus c. Accuſator non poterat puniri ſimili ſupplicio; quia non habebat Ordinem Diaconatus, quem habebat accuſatus; ideoque privatus eſt Ordine Subdiaconatus, quem habebat, & in ſupplementum impoſita fuit alia pœna, nempe verberum, & exilii. *Gl. hic in notatis & Abbas in fine.*

Notandum 2. Eccleſia, ſive Prælatus Eccleſiaſticus, poteſt Clericis delinquentibus infligere pœnam verberum, citra ſanguinis tamen effuſionem, *c. In Archiepiſcopatu. 4. de Raptorib.* quamvis *Bern. Diaz. in pract. crim. Can. c. 36. nu. 4.* dicat, ibi prohiberi vindictam ſanguinis, hoc eſt, verberationem, ex qua principaliter, & immediate ſequatur effuſio ſanguinis non vero, ſi ſolum accidentaliter: deinde requiritur, ut talia verberatio moderate fiat, non crudeliter, & ſine ignominia. *Clar. §. fin. q. 70. n. 2.* & per Clericum, non per laicum, *Diaz. c. l. nu. 3.* Hodie vero hæc pœna publicæ verberationis generali conſuetudine in Clericis non uſurpatur, teſte *Claro c. l.* poſſunt etiam Clerici per Eccleſiaſticam poteſtatem mitti in exilium, ut conſtat *ex cit. c. 3. h. c. Diaz. in pract. c. 37. nu. 1.*

§. II.

An, & ob quas cauſas excuſetur Accuſator a calumnia, ejuſque pœna, & an etiam Denunciator puniatur tanquam Calumniator, ſi in probatione criminis deficiat?

V. Aſſertio 1. Sicut in Judiciis civilibus, Actor, qui juſtam cauſam litigandi habuit, excuſatur a calumnia, nec in expenſas condemnatur, ut tradit *Gl.* communiter recepta in *c. Finem 5. V. Expenſas. de dolo, & contum.* ita etiam in criminalibus cauſis excuſandus eſt a præſumpta calumnia, ſi juſta cauſa, ſeu errore probabili ductus accuſavit, etiamſi in probatione criminis defecerit, ut conſtat ex *l. 1. §. Sed non utique. ff. ad SC. Turpill.* & *l. Quivis non 3. C. h. t.* & quidem juſta cauſa, non ſolum excuſat litigantem ab expenſis ſolvendis, ſed etiam ab omni Juris civilis, & Canonici pœna, & calumniæ ſuſpicione; quia hoc crimen malam intentionem requirit. *Farinac. in praxi crim. p. 5. l. 1. tit. 2. q. 16. nu. 34. & 35.* & alii apud ipſum citt. In dubio autem juſta cauſa non præſumitur in accuſante, ſi ſuccumbat in probatione accuſationis, niſi ab eo probetur; ideoque Accuſatori debet præfigi certus terminus ad probandam juſtam cauſam, ſi quam habet, nec prius de calumnia condemnari debet, *Farin. c. l. num. 38.*

In ſpecie vero hujuſmodi cauſæ excuſantes a calumnia, ejuſque pœna ſunt plures, quas recenſet *Abb. in c. 2. n. 5. h. t. Menoch. de arb. Jud. caſu 321. n. 7. & ſeqq. Farin. cit. q. 16. num. 41. & ſeqq.* 1. Quando Accuſator, licet in accuſatione ſuccubuerit, ſemiplene tamen per unum teſtem illam probavit, niſi conſueverit calumniari; tunc enim præſumitur ſemper malus quæ præſumptio elidit ſemiplenam probationem, per quam præſumptio calumniæ elidebatur, vel niſi Reus ad ſui defenſionem aliquid probaſſet, *Menoch. c. l. n. 17. & 18. Farinac. nu. 47. & 48.* 2. Si Accuſator a teſtibus ſit deceptus, qui extra Judicio ſe nihil ſcire atteſtati ſunt. 3. Si Accuſator probet, ſe audiviſſe a perſonis fide dignis, Accuſatum crimen commiſiſſe. 4. Qui ea officii neceſſitate accuſat, ut Procurator fiſcalis, Tutor. *l. 2. C. de his qui accuſ. non poſ.* item hæres occiſi, cujus necem vindicare tenetur, *l. Cum tantum 9. C. de his, quibus ut indignis &c.* 5. Si quis ratione propinquitatis ſanguinis, & immenſi doloris accuſare ſit coactus, ut parentes necem filii, vel e converſo, maritus necem uxoris, vel adulterium cum illa commiſſum eſſe, *l. Quamvis. 30. C. ad leg. Jul. de adult.* 6. Si delictum, de quo facta eſt accuſatio, ſit atrox, & immane, ut eſt crimen læſæ Majeſt. hæreſis, Simoniæ, quæ, etſi quis non probet, non punitur ob calumniam, *Barb. in collect. in c. 2. n. 8. h. t.* 7. Si quis accuſat aliquem de eo delicto, de quo jam antea erat infamatus, vel quia alia indicia criminis ad torquendum, vel ſaltem ad inquirendum ſufficientia præceſſerunt. 8. Si Accuſator probavit ſuam accuſationem per teſtes, qui deinde propter inhabilitatem perſonæ eorum fuerunt rejecti, ut quia erant infames, vel excommunicati. 9. Mulier ob ſexus fragilitatem excuſatur a calumnia præſumpta etſi crimen non probavit, *l. 1. §. Accuſationem ff. ad SC. Turpill.* 10. Quando accuſatio cauſatur ab occiſo defuncto, qui lethaliter vulneratus dixit, ſibi necem intuliſſe, v. g. Titium. In his igitur & ſimilibus caſibus, licet Accuſator deficiat in probando; non præſumitur tamen ſtatim calumniari: ſed Judex ex officio inquirere debet, an fuerit calumniatus, & ſi evidenter deprehenderit calumniam, etiam in iſtis caſibus puniet Calumniatorem; ſecus in dubio. Extra hos vero, vel ſimiles caſus, qui relinquuntur arbitrio Judicis, eo ipſo, quod quis deficiat in probando, præſumitur calumniari, & ſine aliis indiciis poteſt puniri, tanquam Calumniator, *Abb. in cit. c. 2. n. 5. h. t.*

VI. Aſſertio 2. Denunciatores, vel ſunt publici, vel privati. Priores, qui publica auctoritate Magiſtratus conſtituti ſunt ad denunciandum crimina, cum non teneantur probare crimina, quæ denunciant; ſed tantum nominare teſtes de delictis veriſimiliter informatos, & aperire indicia, quibus Judex ex officio moveri poſſit ad ulteriores inquiſitiones; ideo licet puniantur, ſi vere calumnientur, ſive falſo denuncient eos, quos ſciunt eſſe innocentes: non tamen puniuntur ex præſumpta calumnia, ſi in probationibus deficiant, nec condemnantur in expenſas, quia, cum ex neceſſitate officii denuncient, excuſantur ab omni pœna, & in eis ceſſat omnis præſumptio calumniæ *Clar. §. final. quæſt. 7. numer. 12. Farinac. citat. quæſt. 16. numer. 26.* Vel ſunt Denunciatores privati, qui non ex officii neceſſitate, ſed ſponte crimina denunciant, ob privatum intereſſe, vel ob aliam particularem cauſam; & hi tenentur probare, vera eſſe omnia ea, quæ in ſua denunciatione continentur. *l. Divus. 6. ff. de cuſtod. Reorum. l. Ab. accuſatione. 6. §. Nunciatores. ff. ad SC. Turpill.* alioquin præſumuntur calumniati, & non ſolum, ſi ſcienter crimina denuncient, ſed etiam, ſi in eorum probatione deficiant, condemnandi, ac puniendi ſunt, *l. Eum Patronum. 10. ff. de jure Patronat.* ubi dicitur, qui nomen detulit, accuſaſſe intelligendus eſt, ac proinde idem judicandum de tali denunciatore, quod de Accuſatore, *Clar. c. l. n. 12. in fine. Maſcard. cit. caſu 22. n. 1. Farinac. cit. q. 16. n. 17.* ubi addit, pœnam falſi delatoris, ſive voluntarii denunciatoris, cum non ſit a Jure expreſſa, eſſe arbitrariam: quamvis ex conſuetudine tales delatores ex præſumpta calumnia condemnari non ſoleant, ſed ſolum ex vera.

VII. Porro non tantum de Jure Civili: ſed etiam Canonico, qui denunciat crimen, ut conſtat ex *c. Cum dilectus. 2.* „ *h. t.* Nam, cum Magiſter Scholarum Palentinus ad Sedem „ Apoſtolicam accedens, de ſuo Epiſcopo varios errores denunciaſſet, Innocentius III. Papa eorum examinationem „ quibuſdam Inquiſitoribus faciendam commiſit: & poſtquam „ proceſſum negotii ad ſe tranſmiſſum diligenter examinaſſet, nec inveniret aliquid de prædictis ſufficienter probatum, abſolvit Epiſcopum a criminibus objectis, & mandavit quibuſdam Epiſcopis, ut dictum Magiſtrum ſuſpen- „ dant ab officio, & beneficio, donec Canonice purgaverit „ ſuam innocentiam, quod non animo calumniandi ad hu- „ juſmodi crimina proponenda proceſſerit: ut cæteri ſimili pœna abſterriti, non facile ad infamandos Prælatos ſuos procedere præſumant.

VIII. Notandum 1. Si Denunciator non probat, quod intendit, ſeu objecit, calumniari præſumitur, ſicut Accuſator. *Gl. hic V. Calumniandi.* quia tamen iſta præſumptio, non eſt Juris, & de Jure; ideo admittit probationem innocentiæ in contrarium, ſcilicet, quod ex aliqua veriſimili cauſa denunciaverit. *Abb. hic num. 6.*

Notandum 2. Denunciator ille in caſu hujus cap. non fuit privatus officio, & beneficio: ſed ſolum ab eo ſuſpenſus; quia, licet non plene; tamen aliquo modo probaverat ea, quæ denunciavit, adeoque mitius punitur, cum alias omnino deponendus fuiſſet. *Hoſtienſ. hic V. Sufficienter.* Et quamvis Denunciator non debeat ſe inſcribere, quia non agit ad certam pœnam imponendam: ſi tamen deficiat in plena probatione; tunc propter infamiam, quam conatus eſt inferre denunciato, puniri debet, ſicut in hoc cap. punitus fuit, ac ſuſpenſus, donec ſe purgaret. *Abb. hic num. 8. in fine.* & quidem non ſolum in accuſatione, ſed etiam in denunciatione Calumniator extraordinaria pœna punitur. *Innocent. hic in fine.*

Notandum 3. Denunciator, ſi non ſufficienter probat, quod intendit, probare debet, ſe non animo calumniandi denunciaſſe, per proprium juramentum, quod regulariter ad probationem ſufficit, cum quæritur de animo, & conſcientia hominis; nam factum negantis, ſeu mera negatio per teſtes directe probari non poteſt, *cap. Quoniam 11. de probat. Gloſ. hic V. Non calumniandi. Hoſtienſ. V. eod.* Debet etiam talis Denunciator ſe Canonice purgare, quæ purgatio præſtabitur, ad arbitrium Judicis, cum hic non ſit determinata, ita ut Judices, ſeu Commiſſarii poſſint illi indicere purgationem, per proprium Juramentum, vel adjungere duos, aut tres Compurgatores; prout eis videbitur, maxime, cum hodie purgationes ſint arbitrariæ, *c. Inquiſitionis. 21. §. ult. de accuſ. Gl. hic V. Non calumniandi. in fine. Abb. hic numer. 7.* potuit etiam ſe purgare, probando aliquam cauſam ex ſupradictis, vel ſimilibus, per quam ad denunciandum ſit inductus. *Abb. cit. loc.* punitur autem hic Denunciator deficiens in probatione, ne alii inde ſumant exemplum infamandi Prælatos ſuos, quod eſt graviſſimum crimen, *Gl. final. hic.*

TITULUS III.

De Simonia, & ne Aliquid pro Spiritualibus Exigatur vel Promittatur.

POſtquam tractatum fuit de Judicio criminali, quod per viam accuſationis, vel inquiſitionis, vel denunciationis, apud Judicem Eccleſiaſticum inſtituitur, & ex occaſione etiam de Calumniatoribus; nunc agitur in hoc, & ſequentibus Titulis de ipſis criminibus, de quibus ſit accuſatio, inquiſitio, vel denunciatio. Et inprimis quidem, ante cætera crimina, agitur de Simonia, propter ejus gravitatem: nam ut dicitur in *cap. ult. cauſ. 1. quæſt. 7. Omnia crimina ad comparationem Simoniacæ hæreſis, quaſi pro nihilo reputantur.* Non quod Simonia proprie ſit hæreſis, quia non neceſſario, ac per ſe requirit errorem in intellectu contrarium fidei: ſed tum quia Simoniacus ita exterius operatur, acſi judicaret ſupernaturalia dona Spiritus S. pecunia poſſideri, ac obtineri poſſe: qui enim rem ſpiritualem, & ſacram vendit, eam tanquam venalem, & pretio æſtimabilem ſe judicare ſignificat, quod Judicium ſpeculativum hæreſis eſſet; quia tamen poteſt hoc vitium committi ex quodam pravo affectu, ſeu intentione tractandi indigne res ſacras, ſine ullo errore, & judicio ſpeculativo; ideo non eſt proprie, ac vere hæreſis, Tum quia Simonia

Digitized by Google

ex hæreſi primum orta fuit: &, qui illam exercent, primum Novi Teſtamenti hæreſiarcham Simonem Magum imitantur, qui primus tempore legis Evangelicæ, hoc crimen commiſit, ut patet ex *cap. 8. Actor.* & a quo etiam hoc vitium nomen accepit, ut notat *Suar. Tom. 1. de Relig. lib. 4. de ſimonia, c. 1. num.* 2. 3. & 6. Extat hic Titulus etiam in Extravagantibus communibus.

SECTIO I.

DE SIMONIA IN GENERE, EJUSQUE DIVISIONE.

§. I.

Quid ſit Simonia?

I. Simonia communiter definitur: *Studioſa voluntas emendi, aut vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 1. Gl. communiter recepta cauſ. 1. q. 1. in ſumma V. quidam.* & Canoniſtæ communiter ad Rubricam h. t. & Sumuliſtæ. Dicitur 1. *Voluntas ſtudioſa*, quæ verba ponuntur, loco generis, & accipitur pro effectu, voluntas pro voluntaria actione, quæ ſcilicet ex libera ratione, & voluntate procedit, ut excludantur actus voluntatis, non plene deliberati, vel ex ignorantia inculpabili procedentes. *Azor. p. 3. Inſtit. lib. 12. cap. 1. quæſt. 1. Leſſ. lib. 2. de juſt. cap. 32. num.* 3. per quod denotatur, quod hoc vitium non opere tantum, ſed etiam ſola mente, ſive affectu deliberato poſſit committi, at Simonia mentalis, de qua infra. *Suar. citat. lib. 4. cap. 1. num.* 9. quare non eſt opus ad definitionem Simoniæ addere illa verba, *opere ſubſecuto*, quæ aliqui Canoniſtæ adjecerunt; quia hoc crimen etiam ſola voluntate, & animo committi poteſt, ut, ſi quis ſpe, vel cupiditate commodi temporalis, rem ſpiritualem dedit, alias non daturus. *Azor. cit. cap. 1. quæſt.* 6. Neque etiam adeo manca, & imperfecta eſt illa definitio, eo quod non conveniat Simoniæ reali, & conventionali. Nam, cum dicitur, *Simonia eſt voluntas emendi, vel vendendi*, non excluditur actualis emptio, & venditio; quia nulla actio externa eſt formaliter Simoniaca, & peccatum, niſi voluntatem deliberatam includat, & ab ea procedat; actus enim externi ſumunt malitiam, & bonitatem ſuam formalem ab actu voluntatis interno, ut communiter docent Theologi in 1. 2. quamvis etiam Simonia definiri potuiſſet per actum externum, quod ſit venditio rei ſpiritualis, ſicut furtum eſt acceptio rei alienæ, *Suar. cit. cap. 1. num.* 14.

Dicitur 2. *Emendi, vel vendendi*: ubi nomen emptionis; & venditionis late accipi debet, pro omni contractu non gratuito, ſive oneroſo, & reciproco, in quo pro re ſpirituali datur res temporalis, tanquam pretium, ſeu æſtimatio illius, ſive in compenſationem ejuſdem? ſive contractus ille ſit vera venditio, ſive locatio, tranſactio, permutatio, aut contractus innominatus, *do, ut des, &c.* & omnis pactio expreſſa, vel tacita *S. Thom. cit. a. 1. ad.* 5. Quin imo etiam nominatio, ſive præſentatio, electio, inſtitutio, confirmatio, renunciatio, remiſſio, & ſimiles actus, ſi gratis non fiant, ſub nomine emptionis, & venditionis comprehenduntur. Ac denique etiam omiſſio, ut ſi quis accepto pretio, omittat aliquem ordinare, vel abſolvere, vel eligere, Simoniæ crimen incurrit. *Azor. cit. c. 8. q.* 55. & ex infra dicendis patebit.

II. Dicitur 3. *Aliquid ſpirituale*, quo nomine intelligitur, non quod eſt incorporale; ſed quod eſt aliquo modo ſupernaturale, ad ſpiritualem ſalutem animarum ordinatum, & hujuſmodi ſpiritualia ſunt triplicia; quædam enim ſunt formaliter, & intrinſece, quoad ſubſtantiam ſuam ſpiritualia, ut gratia ſanctificans, virtutes Theologicæ, & morales divinitus infuſæ, dona Spiritus S. gratiæ gratis datæ, Character, qui per Sacramenta animæ imprimitur. Quædam ſunt ſpiritualia cauſaliter; quia ſunt cauſæ donorum ſpiritualium & ſupernaturalium prioris generis, ut ſunt Sacramenta, a Chriſto ad cauſandam gratiam inſtituta, item officia Eccleſiaſtica, quia proxime a ſpirituali, & ſupernaturali cauſa oriuntur, vel ad finem ſupernaturalem, & ſpiritualem ordinantur: quædam ſunt ſpiritualia, tanquam effectus, cujuſmodi ſunt actus ex ſpirituali gratia vel quocunq; ſpirituali dono procedentes, ut eſt baptizare, ordinare, officium divinum celebrare, prædicare Verbum DEI, miracula facere, & alii hujuſmodi actus gratiarum, Ordinum, & Officiorum Eccleſiaſticorum. *Silv. V. Simonia. q. 5. Azor. c. l. q.* 1. *Suar. cit. l. 4. c. 9. num.* 1.

Dicitur 4. *Vel ſpirituali annexum*, ut comprehendantur ea, quæ in ſe, & intrinſece non ſunt ſpiritualia, iis tamen ſunt annexa & ab illis dependent: idque tripliciter: vel antecedenter, quia per modum cauſæ, ſeu principii, tanquam prævia, & præ ſuppoſita ordinantur ad ſpiritualia, quibus ſunt annexa: ut ſacra vaſa, & veſtes. Altaria, Templa, & ſimilia, quæ antecedenter ordinantur ad Sacrificium Miſſæ, & ratione materiæ præſupponuntur conſecrationi. Item ſecundum aliquos, jus patronatus, quod antecedenter ſe habet per modum cauſæ reſpectu beneficii, cui eſt annexum; quo etiam pertinent electiones, renunciationes, collationes beneficiorum. Alia ſunt annexa ſpiritualibus concomitanter, quibus intrinſece ſunt conjuncta, ut labor corporis, qui ſuſcipitur in ſacrificando, & adminiſtratione Sacramentorum, & aliorum officiorum divinorum. Alia denique ſunt annexa conſequenter ſpiritualibus, velut effectus ſuæ cauſæ, ut beneficia Eccleſiaſtica, quatenus ſunt jura percipiendi reditus, qui dantur propter officium, ſeu miniſterium ſpirituale; quo etiam referuntur penſiones Eccleſiaſticæ, *Azor cit. l. Leſſ. cit. c. 35. n. 5. Suar. cit. l. 4. de Simon. c. 23. num.* 1. Additur in definitione Simoniæ a quibuſdam majoris explicationis cauſa, *pro re temporali*. Sed hoc non eſt neceſſarium, quia in ipſo verbo *vendendi* ſatis continetur. Ubi tamen pretium etiam late accipiendum eſt, non pro pecunia tantum ſed etiam pro quavis re temporali æquivalente, ſeu pretio æſtimabili. *Suar. c. l. 4. c. 5. n.* 53. de quo infra. Aliam definitionem Simoniæ tradit. *Suar. cit. c. 1. n. 7. Simonia eſt ſacrilegium, quod committitur in emptione, & venditione, vel quovis alio ſimili contractu, quo res ſpiritualis, ut talis eſt, pro re temporali commutatur.* Utrum autem hæc definitio etiam conveniat Simoniæ, quæ eſt contra Jus Eccleſiaſticum, ex infra dicendis patebit.

III. Porro ex utraque definitione allata colligitur. 1. Quod Simonia ſit ſpecies quædam Sacrilegii, adverſus virtutem Religionis, ſub qua tanquam genere continetur; eſt enim injurioſa quædam contrectatio, ſeu profanatio rei ſacræ, ac ſpiritualis, cujus ſpecifica malitia, per quam ab aliis ſpeciebus ſacrilegiorum diſtinguitur, conſiſtit in eo, quod res ſpiritualis, ac ſacra, dum cum re temporali commutatur, tanquam profana æſtimatur, eique velut coæquatur, perinde ac ſi tam vilis ſit, ut inter temporales res venalis proponi poſſit; adeoque donum ſupernaturale non ſit; cum tamen ſpiritualia omne pretium longe excedant, & acſi res ſpirituales, non minus, quam temporales libero hominum dominio, poteſtati ac uſui ſint ſubjectæ, & non ex ſolius DEI gratuita voluntate dependeant. Sed & alias ſpeciales inordinationes, ac deformitates Simonia in ſe continet; tum ex parte DEI, cui atrox injuria infertur, *c. Eos. 21. cauſ. 1. q.* 1. Simoniaci enim Spiritum S. (quantum in ſe eſt) efficiunt ſuum ſervum, ipſum, ejuſque dona vendentes: tum ex parte ejus, qui vendit; cum enim Prælatus Eccleſiæ non ſit Dominus rerum ſpiritualium, ſed diſpenſator, non poteſt eas licite vendere. *S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 2. in corp.* Quare peccatum Simoniæ ex genere ſuo eſt peccatum mortale, nec non poteſt ob materiæ parvitatem fieri veniale, ſed ſolum ob actus imperfectionem vel ignorantiam invincibilem, ſive moraliter non culpabilem; quia nulla res ſpiritualis, licet parva ſit, vendi poteſt, ſine gravi irreverentia, tum ipſius rei, tum DEI, ut dictum, & docet *Suar. cit. l. 4. c. 3. num.* 5. & alii Theologi communiter: ideoque in Jure Canonico, Simonia vocatur execrabile flagitium, *c. Reperiuntur. 7. cauſ. 1. q.* 1. piaculare flagitium, *c. Quiſquis. 5. ead. cauſ. 1. q.* 1. quia comparatur ei, quod morte expiatur, ut explicat *Gl. fin. ibid.* item turpiſſimum lucrum, *c. Siquis. 8. cit. cauſ. & q.* ad inſtar publici criminis, & læſæ Majeſtatis puniendum, *c. Sane 4. cauſ. 10. q.* 3. Simoniaca peſtis; quæ ſui magnitudine alios morbos vincit, *c. Sicut 6. h. t. & in cit. c. Eos. cauſ. 1. q.* 1. æquiparatur blaſphemiæ Judæorum in Chriſtum dicentium, illum in Belzebub ejicere dæmonia; & comparatur etiam ibi peccato Judæ proditoris. Denique eſt etiam vitium Eccleſiæ pernicioſiſſimum, per quod ſæpe aditus patet ſceleratis ad beneficia, & Prælaturæ indignis conferuntur, & electiones injuſtæ fiunt.

IV. Colligitur. 2. Simoniam interdum etiam eſſe contra Juſtitiam, quia, quando nullum incommodum quis patitur, nullumque emolumentum perdit, dando rem ſpiritualem, tum injuſtitia erit, in compenſationem præciſe rei ſpiritualis, aliquid temporale accipere, ut, ſi quis v. g. vendat calicem conſecratum pluris, quam valeat argentum, & expenſæ in artificium operis; quia ratione ſolius ſpiritualitatis, res non eſt pretio æſtimabilis, & ut ſic invendibilis; ideoque non poteſt per talem venditionem, vel commutationem rei temporalis cum ſpirituali, ullum jus acquiri accipienti rem temporalem; nec ejus dominium per illam transferri, cum talis commutatio, ſeu contractus, ſit ipſo Jure naturali, Divino, & Eccleſiaſtico irritus, *Suar. cit. l. 4. c. 4. nu. 7. Leſſ. cit. c. 35. n. 162. Laym. l. 4. tr. 10. c. ult. §. 1. nu.* 5. Nec refert, quod is, qui emit pro pretio rem mere ſpiritualem, conſentiat, ut vendens pro ea accipiat rem temporalem, volenti autem non fiat injuria. Nam non poteſt quis velle, ut res ſpiritualis detur in compenſationem rei temporalis, quippe, quæ ſuapte natura, pretio æſtimari non poteſt; adeoque non poteſt emens ſimoniace dare jus vendenti, reciproce accipiendi rem temporalem, pro ſpirituali, neque etiam intendit eam donare, ſeu gratis dare, ut ſupponimus, *Laym. c. l.* Porro etſi fama, & vita non ſint pretio æſtimabilia; ideoque per pecuniam recompenſari non poſſint, ſaltem æquivalenter, quippe bona altioris generis, & ordinis, quia tamen ſunt bona humana, temporalia, & ordinis naturalis, ſive humano juri, & arbitrio ſubjecta; ideo poſſunt cum pecunia, vel alia re pecunia æſtimabili, aliquo modo commutari: Secus eſt de bonis mere ſpiritualibus, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis, & humano juri, ac arbitrio non ſunt ſubjecta, nec ulla induſtria, aut viribus naturæ comparari poſſunt; ideoque illis omnino repugnat, inſtar humanarum, ac temporalium rerum, pecunia æſtimari, aut venalia exponi. *Leſſ. cit. c. 35. num. 6. Laym. cit. l. num.* 6.

§. II.

Quotuplex ſit Simonia, ſive quomodo dividatur?

V. Simonia varie dividitur: primo enim alia eſt prohibita, quia mala eſt; alia vero mala, quia prohibita eſt, hoc eſt, alia eſt, quæ Jure naturali, ac Divino eſt prohibita, eique repugnat: Alia vero eſt, quę nec ex natura rei, nec Jure Divino prohibita eſt, ſed ſolum Jure poſitivo humano, ut tradit *Gl. communiter recepta in c. Ex parte. 12. V. Dimittere. de off. de leg.* & alii Canoniſtę communiter. Exemplum Simonię prohibitę Jure naturali, ac divino, eſt, ſi res ſacra, ſeu ex ſe ſpiritualis vendatur, v. g. Hoſtia conſecrata, Sacramenta, &c. Simonia vero ſolo Jure Eccleſiaſtico prohibita eſſe cenſetur, quando res, quę inter ſe commutantur, ſunt utrinque ſpirituales, ut, cum beneficia inter ſe illicite, & ſine Superioris auctoritate, commutantur, *c. Quæſitum. 5.*

& *c. Cum olim. 7. de rer. permut.* Vel quando res venduntur, quæ revera earum ſunt reciprocales; adeoque ſuapte natura invicem permutabiles, ut cum venditur materia rei ſpiritualis, quæ ſecundum ſe eſt pretio æſtimabilis, v. g. ſacrum Oleum, vel Chriſma, quod prohibitum eſt ſolo Jure Eccleſiaſtico, *c. Non ſatis. 8. h. t.* Vel cum venduntur quædam officia temporalia ordinata ad temporalium rerum Eccleſiæ adminiſtrationem, ut officium Syndici, Advocati, Oeconomi, Sacriſtæ, &c. Nam quamvis hujuſmodi officia ea ſe, & objecto ſuo proximo, ſimpliciter temporalia ſint; quia tamen ſaltem remote ad finem ſpiritualem, & ſupernaturalem ordinantur, cum res, ſeu bona, circa quorum adminiſtrationem verſantur, ſint e fidelibus DEO donata, & talia officia ab Eccleſiaſtica poteſtate, & juriſdictione Prælatorum a Chriſto data inſtituantur; ideo eorum venditio prohibetur, tanquam Simoniaca, Jure Canonico, *c. Salvator. 8. cauſ. 1. q. 3. c. Si quis Epiſcopus. 8. ead. cauſ. q. 1.* Quamvis aliqui negent, talia officia eſſe materiam Simoniæ, ſi etiam a Laico obiri poſſint, quia ſpiritualem functionem non habent, *Silv. V. Simonia. q. 13. dicto 7. Laym. cit. c. ult. §. 6. num.* 62. de quo infra.

VI. Porro Simoniam ſolo Jure Eccleſiaſtico prohibitam, non eſſe vere: ac proprie dictam Simoniam, docet *Laym. cit. l. num. 66. Tanner. tom. 3. diſ. 5. de Relig. q. 8. dub. 2. nu.* 30. contra *Suar. l. 4. de Simon. c. 7. n. 1. & ſeqq. c. 29. num. 5.* Ratio eſt: quia per illam revera non fit reciproca, & onerosa commutatio rei ſpiritualis pro temporali, & pretio æſtimabili, in quo conſiſtit vera, ac propria ratio Simoniæ Juri naturali, & divino repugnans. Eſt tamen nihilominus Simonia ejuſmodi peccatum, non ſolum contra obedientiam, ſed etiam contra virtutem Religionis, & ſpecies quædam ſacrilegii ex genere ſuo mortalis, propter Eccleſiaſticæ legis prohibitionem: lex enim præcipiens ex motivo alicujus virtutis, vel prohibens actum aliquem ex ſe indifferentem, facit illum moraliter bonum ſub genere illius virtutis, & materiam neceſſariam ejuſdem: vel efficit illum moraliter malum, ſub genere vitii oppoſiti eidem virtuti. Sic mercatus in loco ſacro eſt ſacrilegium, & violatio jejunii ab Eccleſia præcepti eſt actus contra temperantiam intentam ab Eccleſia ſuo præcepto; item fornicatio cum conſanguinea in tertio, vel quarto gradu, eſt ſacrilegium, ac inceſtus. Sic in propoſito, pactio, quæ ſpectato ſolo Jure naturali, ac divino, Simoniaca non eſt, fit irreligioſa, & ſacrilega ideo ſolum, quia Eccleſiaſtica lege prohibita eſt, intuitu Religionis, ſive ob reverentiam rebus ſacris, ac ſpiritualibus conſervandam; eo quod ſimilitudinem, & periculum Simoniæ in ſe contineat: Licet interim Eccleſiaſtica hujuſmodi prohibitio reipſa ex materia profana ſacram non faciat, neque ex ſacra profanam, *Laym. c. l.* poteſt enim Eccleſia ſtatuere, ut res, quæ ex ſe, & natura ſua eſt vendibilis, vendi non poſſit, nec commutari cum re temporali, propter connexionem cum re ſpirituali, ſive relationem ad illam, licet non addat novam ſanctitatem, aut conſecrationem, *Tanner. cit. l.* Etſi vero Simonia ex ſolo Jure poſitivo deſcendens proprie non ſit Simonia; iiſdem tamen pœnis, ac cenſuris per SS. Canones ſubjacet, quibus aliæ Simoniæ, quæ divino Juri repugnant; quia his æquiparatur ex diſpoſitione Juris Canonici. *Suar. cit. l. 4. c. 35. num. 19. Laym. cit. l. dicto 2.*

VII. Dividitur 2. Simonia in mentalem, conventionalem, & realem. *Abb. in c. Nemo 14. num. 6. h. t. Azor. p. 3. l. 12. cap. 2. q. 1. Laym. c. l. num. 67. Tanner. c. l. num. 27.* quamvis alii in duo tantum membra dividant, in Simoniam mentalem, ſeu internam, & conventionalem, ſeu externam, quos refert *Redoanus Tract. de Simonia p. 1. c. 2. num. 11.* ſed prior diviſio in tria membra eſt frequentior. Mentalis Simonia hoc loco dicitur, non nudum internum propoſitum committendi Simoniam, etiamſi in nullum exteriorem actum prodeat, quo modo datur etiam mentalis fornicatio, homicidium, &c. ſed pro ea Simonia, quæ habet opus externum adjunctum, quod tamen nullo ſigno exteriore apparet eſſe Simoniacum. Ut ſi quis rem ſpiritualem alicui conferat, tanquam compenſationem ex juſtitia debitam, pro re temporali ab ipſo accepta, vel animo obligandi alterum ad reddendam rem temporalem: vel vice verſa, ſi quis alteri conferat rem temporalem, tanquam ex juſtitia debitam, pro re ſpirituali, vel cum intentione obligandi ad reddendam viciſſim rem ſpiritualem; nullo tamen pacto expreſſo, vel tacito interveniente, v. g. Si quis inſerviat Epiſcopo hac intentione, ut pro mercede ei conferat beneficium, hoc collato, ſine ulla tamen conventione externa, verbis, vel ſignis facta, erit is Simoniacus mentalis. Requiritur tamen, ut interveniat aliquis actus externus, quia Simonia eſt vitium per ſe externum, quod interius conſummatur. Verumtamen Simonia mentalis plerumque accidit ex parte unius dantium tantum, quia intentio prava animo retinetur: poteſt tamen contingere etiam ex parte utriuſque, ſcilicet tradentis rem temporalem ex una parte, & rem ſpiritualem ex altera: ſed caſu, non ex contentione, *Suar. l. 4. de Simon. c. 41. num. 3. Laym. c. l. nu. 67.*

VIII. Simonia conventionalis eſt, quæ verbis, & ſignis externis manifeſtatur, per mutuum ſcilicet pactum, expreſſum, vel tacitum; adeoque mentali ſuperaddit externam conventionem, ſeu pactum, ſed quæ nondum executioni mandata eſt, & reali traditione conſummata; quia vel ſiſtit in mutua conventione, & ex neutra parte, traditione completa eſt: & hæc dicitur pure conventionalis; ſive ex altera ſolum parte realiter completa ſit, & traditione conſummata; quia ſcilicet alter contrahens tantum tradidit rem temporalem, ſive pretium, non dum tradita re ſpirituali ab altero, ſed ſolum promiſſa: vel e converſo, quia alter tradidit rem ſpiritualem, non tradito pretio temporali ab altero, ſed ſolum promiſſo. Et hæc poſterior dicitur Simonia conventionalis mixta, quia de utraque conventionali, & reali aliquid participat: diſtinguitur tamen ab aliis duobus membris; a mentali, per additionem exterioris contractus, ſeu pacti; a reali, per carentiam traditionis, ſaltem ex parte unius contrahentis. Quod ſi ſolum promiſſio facta ſit de pretio dando, ſi conferatur v. g. beneficium, eaque nondum ſit ab altero acceptata, non eſt Simonia conventionalis; quia nondum eſt perfecta conventio, donec ſit acceptata, *Suar. cit. c. 41. n. 4. Leſſ. l. 2. c. 35. num. 36.*

IX. Realis Simonia eſt, quæ ex utraque parte eſt executioni mandata, ſive quæ ipſa rei traditione re ipſa completa, eſt conſummata: quia ſcilicet ex una parte data eſt res ſpiritualis, & altera pretium, vel pars pretii. Unde realis ſupponit conventionalem, & hæc mentalem, eamque includit, ſaltem ex natura rei, & ſeclusa lege poſitiva. *Suar. c. l. num. 5. Leſſ. c. l. & Laym.* Porro, qui ficte ſolum promittit dare rem ſpiritualem pro temporali, vel rem temporalem pro ſpirituali, ſine animo ſe obligandi, & implendi, non eſt vere Simoniacus, niſi quoad actum externum, quia nulla eſt conventio, ſive conſenſus in obligationem, & voluntas commutandi temporale pro ſpirituali: alter vero deceptus ſolum committit Simoniam mentalem, propter quam pœnæ Juris non incurruntur, quamvis uterque a Judice puniri poſſit. *Suar. cit. l. 4. c. 42. & 5. Laym. cit. l. in fine Tanner. cit. l. num. 29.*

SECTIO II.

DE MATERIA SIMONIÆ, SIVE REBUS,

In quibus committi poteſt hoc crimen contra Jus divinum, vel humanum, ſeu Eccleſiaſticum.

§. I.

De Simonia, quæ committitur circa res mere, ac intrinſece ſpirituales, & imprimis circa gratiam, Sacramenta, & Sacramentalia.

X. Aſſertio 1. Simonia proprie dicta contra Jus divinum committitur, ſi quis pro pretio temporali vendat, vel emat gratias ſpirituales, ut gratiam ſanctificantem, vel gratias gratis datas, ut donum prophetiæ, ſanitatis, miraculorum, &c. ut ex communi docet *S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 1. ad 4. Suar. l. 4. de Simon. c. 49. num. 7.* Poſſunt autem gratiæ ſpirituales duobus modis vendi; non quidem de jure, ſed de facto. 1. in concreto, ut ſi quis Chriſtianum captivum carius vendat, quia baptizatus eſt, vel Sacerdotem propter Characterem ſacerdotalem. 2. Secundum ſe, & quaſi in abſtracto, quo modo Simon Magus *Act. 8.* oblata pecunia, emere voluit poteſtatem miniſterialem conferendi gratiam ſanctificantem, & dona Spiritus S. ut ea poſtea aliis vendere poſſet, *Suar. c. l. nu. 8. & ſeqq. Laym. c. ult. §. 4. nu. 33.*

XI. Aſſertio 2. Simonia eſt, contra Jus divinum dare, vel accipere pretium pro ſeptem Sacramentis Eccleſiæ a Chriſto inſtitutis ad gratiam conferendam, vel pro Sacrificio Miſſæ, cum & ipſum ſit Sacramentum, quod ſacrificando conficitur, *Suar. cit. l. 4. c. 28. n. 3. & 5.* idque generaliter prohibetur, in *c. Cum in Eccleſia. 9. h. t.* ubi prohibetur, *ne pro Sacramentis conferendis, ſeu collatis aliquid exigatur*, & appellatur vitium nimis horribile, & in fine additur, *ſi quis autem contra hoc venire præſumpſerit portionem cum Giezi ſe noverit habiturum*, qui primus in Vet. Teſtam. Simoniam incurrit, *Gl. fin. hic*, dum auſus eſt pecuniam pro gratia ſanitatis, ſive curatione lepræ per miraculum facta exigere, *4. Reg. 5.* Ubi etiam dicitur, contra hanc prohibitionem nullam prævalere conſuetudinem, quod eſt ſignum, id repugnare etiam legi naturali. Idem prohibetur in particulari de Ordine, *c. 2. cauſ. 1. q. 1.* & de Baptiſmo, Confirmatione, Ordine, & Communione, in *c. Nullus 100. & multis ſeqq. cit. cauſ. & q.* De pœnitentia vero habetur in *c. Nemo. 14. h. t.* & de Oleo ſancto, id eſt, extrema Unctione, in *c. ult. cauſ. 1. q. 3.* Ratio eſt, quia licet Sacramenta in quibuſdam actionibus, vel paſſionibus conſiſtant: ſunt tamen divina, & ſupernaturalia dona a Chriſto eorum Auctore nobis gratis collata, & cum gratiam conferant, ſunt ſecundum ſe ſpiritualia, ergo eo ipſo, quod ſunt talia, contra Religionem, & reverentiam illis debitam eſt, illa pretio vendere; imo & contra Verbum Chriſti. *Matth. 10. quod gratis accepiſtis, gratis date*; ac proinde Simonia eſt ex ſua natura mala, ideoque prohibita. *Suar. cit. c. 10. num. 5.*

XII. Ubi notandum 1. Vendere Euchariſtiam, non tantum eſt peccatum Simoniæ, quatenus venduntur ſpecies conſecratæ, ut ſunt Sacramentum ſenſibile, & ad uſus humanos accomodatum: ſed etiam Sacrilegium, & irreligioſitas altioris, & gravioris ordinis, quatenus ſub ipſis ſpeciebus realiter continetur Chriſtus: adeoque tendit in graviſſimam irreverentiam, & vilipenſionem perſonæ Chriſti. *Suar. citat. c. 10. num. 3.*

Notandum 2. Etiam matrimonium, quatenus Sacramentum eſt, vendi non poteſt, quicquid olim de hoc dubitatum ſit, cum certum ſit de fide, matrimonium eſſe verum Sacramentum, & conferre gratiam, & ſic errat, *Gl. in cit. c. Cum in Eccleſia. V. Benedictionibus*, quæ id negat *h. t.* Nec obſtant Canones, qui in contrarium allegantur a *Gl. cit.* nam in *cap. Quidquid. 101. cauſ. 1. q. 1.* Generalis regula traditur de omnibus Sacramentis, quod nihil pro illis dari, vel accipi debeat, ſub quibus etiam matrimonium continetur, etſi in particulari ibi non nominetur. In *c. Connubia. 4. cauſ. 32. quæſt. 2.* Sermo eſt non de Sacramento, ac vinculo matrimonii, ſed de uſu, & actu conjugali. In *c. Honorentur. 13. cit. cauſ. & q.* Sermo eſt de conjugio Rebeccæ, quod conſtat non fuiſſe Sacramentum proprie dictum, & munera illa donata ſunt, non ut pretium pro matrimonio: ſed in ſignum amicitiæ, & gratitudinis. Verumquia matrimonium

non

Digitized by Google

non tantum eſt Sacramentum, ſed etiam naturalis & civilis contractus, in quo conjuges invicem tradunt, & acceptant corpora ſua; idcirco nihil repugnat: quo minus ex parte contractus, quem ratio Sacramenti non deſtruit, ſed ſupponit, intervenire poſſit in matrimonio pretium aliquod ſi quando ad æqualitatem contractus id neceſſarium videbitur; quia tunc venditur, aut emitur Sacramentum, ſed fit commutatio temporalis pro temporali, in quo alter contrahentium alterum excedit; ut ſi detur pecunia ad compenſandum in æqualitatem inter perſonas contrahentes; quia una eſt nobilis, vel juvenis, altera ignobilis, vel ſenex. *Suar. cit. c. 10. num. 11. & 12. Laym. cit. c. ult. §. 4. num. 33.*

Notandum 3. Cum in Sacramentis duplex ſit materia, remota, v. g. panis, aqua, vinum, oleum &c. quatenus ſecundum ſpectata eſt res temporalis, & pretio æſtimabilis, vendi poteſt, ac emi, ſi ſcandalum obſit, neque adſit obligatio ad miniſtrandum illa gratis, & nulla lex Eccleſiaſtica id prohibeat; at vero pro materia propinqua, v. g. pro abſolutione, unctione, ſignatione & pro ipſa forma, ſeu prolatione verborum aliquid ut pretium dare, vel recipere eſt Simonia contra Jus divinum, quia ſunt actus poteſtatis ſpiritualis, ſupernaturalis. *Suar. cit. l. 4. c. 12. n. 3. & 4. Laym. cit. l.*

XIII. Porro licitum eſt in extrema, vel etiam gravi neceſſitate dare pretium pro Sacramentis, ei, qui non vult illa adminiſtrare gratis, v. g. pro Baptiſmo, ſive baptizandus ſit infans, ſive etiam adultus, dare pecuniam, non quidem tanquam pretium Sacramenti, ſed tanquam medium ad removendum impedimentum pravæ voluntatis, & avaritiæ alterius, ſive, ut ad officium rite præſtandum inducatur, & a peccato injuſtæ vexationis abducatur; adeoque ad obtinendum ab eo Sacramentum Baptiſmi, vel etiam pœnitentiæ in periculo mortis, ſi quis habeat conſcientiam peccati mortalis: nam gravis neceſſitas ſufficiens eſt ad tollendam irreverentiam, quæ alias extra caſum neceſſitatis, irrogaretur Sacramento; & habet talis honeſtam, & gravem cauſam permittendi malitiam alterius, *Suar. l. 4. de Simon. c. 12. num. 13. & ſeqq. Leſſ. c. 35. num. 38. & ſeqq.* Idque probabiliter extendit *Suar. c. l. num. 19.* ad neceſſitatem ſumendi Euchariſtiam per modum viatici.

XIV. Aſſertio 3. Non tantum Sacramenta, ſed etiam Sacramentalia ſunt propria materia Simoniæ contra Jus divinum: per quæ hic intelliguntur ſacræ Cæremoniæ, ſeu ritus ab Eccleſia inſtituti pro Sacrificio Miſſæ, & adminiſtratione Sacramentorum: & horum quædam in actione conſiſtunt, & tranſeuntem effectum habent, ut benedictio nuptialis, &c. quædam permanentem, ut benedictio aquæ, olei, conſecratio calicis, &c. Jam ergo, ſi pro hujuſmodi benedictionibus, ſeu conſecrationibus aliquid temporale exigatur, tanquam pretium, vel ſi ipſæ res benedictæ, aut conſecratæ vendantur, Simonia committitur, etiam contra Jus divinum, ex communi doctrina apud *Suar. cit. l. 4. cap. 14. numer. 2. & 3.* Ratio prioris partis de benedictionibus tranſeuntibus eſt, quia hujuſmodi actus ſunt miniſteria, & ritus ſacri, alicui Ordini annexi. Poſterior pars de ſacramentalibus permanentibus ſumitur ex *c. Si quis. 7. cauſ. 1. q. 3.* ubi generaliter ſtatuitur, quod res, quæ ex conſecratione proveniunt, vendi, & emi non poſſint. Ratio eſt, quia hujuſmodi res ſunt mere ſacræ, & ſpirituales; tum ratione principii, quia inſtitutæ ſunt poteſtate ſupernaturali a Chriſto Eccleſiæ conceſſa: tum quia ordinantur ad finem ſupernaturalem, & ſalutem animarum; ideoque ſi ut tales vendantur, magna irreverentia afficiuntur, & Simonia committitur contra Jus naturale, & divinum. An autem hujuſmodi ſacramentalia permanentia, ſeu res conſecratæ, ac benedictæ poſſint vendi, & emi ſine Simonia, quoad ipſam materiam, quæ ſecundum ſe pretio æſtimabilis eſt, neque per conſecrationem valorem ſuum amittit, fuſe explicat *Suar. cit. c. 14. num. 4. & ſeqq.* & dictum eſt ſupra *l. 3. Tit. 17. §. 2.*

§. II.

De Simonia, qua committitur circa Ordines, eorumque collationes, & præſentationes ad Ordines.

XV. Aſſertio. 1. Simonia eſt contra Jus naturale, & divinum, vendere, vel emere omnes functiones, ſeu actus, qui ex poteſtate Ordinis procedunt; quia licet phyſice ſint actus materiales, & corporei: habent tamen ex inſtitutione Chriſti, vel Eccleſiæ conceſſione, eſſe quoddam morale, ſecundum quod ad ſupernaturalem Ordinem pertinent, & ſpirituales ſunt, tam ex parte principii, quia procedunt ex poteſtate ſpirituali, & ſupernaturali, qui eſt Character Ordinis, quam ex parte finis, quia ad ſalutem animæ proxime ordinantur, *Suar. cit. l. 4. c. 13. num. 1. & 2.* Idemque dicendum de actibus Minorum Ordinum, quia ſunt etiam miniſteria ſacra, & ex ſua inſtitutione, ſe ſine ordinata ad divinum Sacrificium; adeoque functiones ſpirituales, etiamſi a non ordinatis, ſeu laicis peragantur, ut eſt Miſſæ Sacrificio miniſtrare, licet pro obligatione, vel ſuſtentatione poſſint aliquid accipere. *Suar. cit. c. 13. num. 7. & 8.* ubi tamen addit, interdum poſſe eſſe actum ita materialem, ut ſi non ut actus Ordinis, ſed prout a laico fieri poteſt, exerceatur, non ſit Simonia, pro eo pretium temporale dare, vel accipere, ut eſt v. g. officium Oſtiarii prima tonſura vero non eſt Ordo, nec habet proprium munus activum, ſeu functionem.

XVI. Aſſertio 2. Nec Epiſcopi, nec eorum Miniſtri, aut Officiales, poſſunt pro conferendis Ordinibus, vel inſtrumentis, ſeu litteris ſuper iis conficiendis, quippiam temporale accipere, & multo minus exigere, neque ii, qui ordinantur, dare, prout ſumitur ex *c. In ordinando 1. h. t.* quod eſt deſumptum ex *c. Sicut Epiſcopum. 4. cauſ. 1. quæſt. 2.* ubi Gregorius Synodo generali Romanæ præſidens ſic ſtatuit: „ Sicut non debet Epiſcopus manum, quam imponit; (ſcilicet in ordinatione) ita nec Miniſter, vel Notarius in „ ordinatione ejus (ſcilicet ordinandi) vocem, & cala„ mum (id eſt, ſcripturam, ſeu litteras teſtimoniales or„ dinationis factæ, *Gl. in cit. c. Sicut V. Vocem, & V. Cala„ mum cauſ. 1. q. 2.*) vendere. Pro ordinatione igitur, vel „ uſu pallii, aut pro chartis, ſeu paſtellis (id eſt parva „ ceræ maſſa, cui imprimitur ſigillum. *Fagn. hic nu. 3.*) „ aliquid dare omnino prohibemus.

XVII. Notandum hic 1. Quando principale debet fieri gratis, etiam acceſſoria debent præſtari mere gratuito, & ſine mercede: ſicut ergo Epiſcopus prohibetur aliquid temporale pro collatione Ordinis accipere; ita etiam omnes ejus Miniſtri, velut acceſſorii, qui Epiſcopum in ordinatione coadjuvant. *Abb. hic num. 2.* idque, ne indirecte fieri non poteſt. Per Miniſtrum vero intelligitur hic Archidiaconus, qui examinat promovendos ad Ordines, *c. Ad hæc 7. in fine de offic. Archid. Gl. hic V. Miniſtros.* de quo dicitur, quod non debeat vendere vocem, qua vocat ordinandos, vel illam vocem, qua prior Diaconorum reſpondet in Scrutinio, teſtimonium præbendo dignum eſſe promovendum; juxta *c. un. de Scrutin. in ord. faciend.* Vel per Miniſtrum intelligitur Diaconus; qui legit, vel cantat Lectionem Evangelicam, quæ per *vocem* ibi intelligitur, idque magis congruit lectioni antiquæ textus. *Joan. Andr. hic num. 6. & Abb. num. 2.* ubi addit, recte etiam hic intelligi quemcunque miniſtrantem Epiſcopo in collatione Ordinum, quia Ordo debet conferri gratis.

Notandum 2. Non poteſt etiam pro collatione primæ tonſuræ aliquid temporale dari, vel accipi abſque Simonia, quia licet non ſit Ordo; eſt tamen diſpoſitio ad Ordines, & beneficia, & eſt aliquid ſpirituale, quia per ejus collationem perſona ſpecialiter dedicatur DEO, & in ſortem Miniſtrorum DEI, ac Cleri annumeratur; & ideo comprehenditur ſub prohibitione, qua ordinationes emi, & vendi vetantur, *Suar. cit. c. 13. num. ult. in fine.*

Notandum 3. Epiſcopos non tantum pro collatione Ordinis: ſed etiam pro litteris dimiſſoriis, per quas alicui datur facultas, ut poſſit ab alieno Epiſcopo ordinari: vel pro litteris teſtimonialibus, quibus publica fides fit, aliquem Clericum ordinatum eſſe, pecuniam, vel aliud temporale quid accipere licite non poteſt, alias Simoniæ crimen incurreret. *Azor. p. 3. l. 12. c. 5. q. 1.* Si quid tamen non principaliter pro his ſpiritualibus: ſed ex charitate, aut gratitudine, ſine pacto expreſſo, vel tacito, ſponte, & gratuito ab ordinato oblatum fuerit Epiſcopo Ordinatori, vel ejus Miniſtris, poſſet, ſpectato Jure communi, licite id accipi, ut docet *Hoſtienſ. hic. in fine, & Abb. num. 3.* & ſumitur ex *c. At ſi quæſtiones. 18.* & *c. Dilectus. 30. in fin. h. t. & c. Quicquid. 10.* ibi: *Niſi voluntarie oblata. cauſ. 1. q. 1.* dummodo id, quod offertur, modicum ſit, & non detur in ipſo actu ordinationis; ſed ex intervallo, uti ſumitur ex *cit. c. Sicut, §. Si autem cauſ. 1. q. 2. Fagn. hic num. 10.*

XVIII. Verum Concil. Trident. *Seſſ. 21. c. 1. de refor.* ſta„ tuit, ad tollendam omnem avaritiæ ſuſpicionem ab Ec„ cleſiaſtico Ordine, ut nihil pro collatione quorumcunque „ Ordinum, etiam Clericalis tonſuræ, nec pro litteris di„ miſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec pro „ quacunque alia cauſa, etiam ſponte oblatum, Epiſcopi „ & alii Ordinum collatores, aut eorum Miniſtri, quovis „ prætextu accipiant. Idque merito prohibitum fuit; quia non cenſetur tunc facile quid ſponte dari, maxime ante ordinationem, & cupidi homines facile ſibi perſuaderent, ſponte dari, quod coacte offertur. *Leſſ. cit. c. 35. num. 62.* ubi addit, non fore Simoniam, ſi revera aliquid temporale ſponte detur, & ut tale accipiatur; quia tunc ceſſat pa„ ctio, & ratio debiti, quæ requiritur ad Simoniam. Ex„ cipiuntur tamen a Concilio c. l. Notarii, qui in iis tan„ tum locis, in quibus non viget laudabilis conſuetudo „ nihil accipiendi, pro ſingulis litteris dimiſſoriis, aut „ teſtimonialibus, decimam tantum unius aurei partem „ (vulgo unum Julium) accipere poſſunt, dummodo eis „ nullum ſalarium ſit conſtitutum pro officio exercendo: „ nec Epiſcopo ex Notarii commodis aliquod emolumen„ tum ex eiſdem Ordinum collationibus, directe, vel in„ directe provenire poſſit: tunc enim gratis operam ſuam „ præſtare omnino tenentur, & contrariæ taxæ, ac ſtatuta, & conſuetudines etiam immemoriales penitus interdi„ cuntur, & qui ſecus fecerint, tam dantes, quam acci„ pientes, ultra divinam ultionem, pœnas a Jure inflictas „ ipſo facto incurrant.

XIX. Porro pœnæ decretæ in dantes, & accipientes munera ab ordinatis, habentur in Concilio Bracarenſi II. *c. 3.* quod refertur in *c. Placuit. 22. cauſ. 1. q. 1.* ubi dicitur: *Placuit, ut de Ordinatione Clericorum Epiſcopi nulla munera accipiant*, ſed ſicut ſcriptum eſt, *quod gratis, DEO donante, accepiſtis, gratis date*: & poſtea ſubjungitur, *anathema ſit danti, & accipienti*, videlicet pœna excommunicationis, & ſuſpenſionis ab officio, & executione Ordinum, quoad ordinatos, ut explicat Turrecremata in *c. Reperiuntur. 7. cauſ. 1. quæſt. 1.* quas pœnas Concil. Trid. *cit. l.* extendit etiam ad dantes, & accipientes munera ſponte oblata, quamvis ea conſtitutio in pluribus locis non ſit recepta, ut refert. *Leſſ. cit. l. nu. 62. §. Adverte, & Laym. cit. §. ult. §. 4. num. 40. §. Cæterum. in fin.* per aureum autem hic intelligitur Ducatus, ut declarat *S. Congreg. Concil. apud Zerol. in praxi Epiſcoporum, p. 1. V. Dimiſſoria. §. ad 7.*

Illud hic addendum, ſicut Conſtitutio *cit. c. 1. h. t.* etſi in ſpecie ſolum loquatur de collatione Ordinum, intelligitur tamen etiam generaliter de collatione beneficii, quod etiam nihil temporale liceat accipere, vel dare pro iſto, ut notat *Innoc. in citat. cap. 1. in princ. V. Notarius*: ita, quamvis Concilium Trid. *cit. l.* expreſſe tantum loquatur de colla-

Digitized by Google

tione Ordinum, tamen S. Congregatio Concilii declaravit, apud *Fagnan. in tit. 3. nu. 31.* id decretum habere locum, etiam in collatione beneficiorum, præſertim curatorum.

XX. Aſſertio 3. Non ſolum Simonia committitur, ſi pecunia, vel aliud pretio æſtimabile detur conferenti Ordinem, ſed etiam, ſi detur præſentanti ad Ordines, prout ſumitur ex *c. Ex tuo 40. h. tit.* Nam cum quidam vellet ad „ Ordinem Sacerdotii promoveri, acceſſit Archidiaconum, ut ipſum ad illum Ordinem præſentaret, qui tamen noluit illum præſentare, niſi prius ſex ſolidos eidem ſolviſſet, quos ipſi Archidiacono ſolvit, & ſic illum Ordinem ab eo præſentatus accepit. Epiſcopus Diœceſanus, cui Sacerdos hic in Secreto hoc fuerat confeſſus (ſive in foro pœnitentiali, ſive in præſentia ſolius Judicis, ſeu Epiſcopi, cui ſoli non creditur, ſi confitens neget ſe crimen ipſi eſſe confeſſum, *c. Si tantum. 2. &c. ſeq. cauſ. 6. q. 2. Cum a nobis. 28. de teſt. Abb. hic num. 2.*) quæſivit a „ Papa, quid cum hoc Presbytero ſit agendum? Reſpondit Alexander III. ſi hoc non eſt publicum, ſed Secretum, eundem Sacerdotem ſecreto moneat, & ſine ulla coactione inducat, ut ordinem alicujus Religionis aſſumat, & perpetuo ab officio Sacerdotis abſtineat, quod illicite acquiſivit: alioquin non debet ipſum invitum ab eodem officio coercere, ſive ſuſpendere, cum ejus exceſſus, ſeu delictum ſit ſecretum, pœnitentiam tamen ſecretam tam prout ipſi viſum fuerit, injungere non prætermittat.

XXI. Hinc colligitur 1. Ordinandum committere Simoniam, ſi Præſentatori ſuo aliquid temporale promittat, vel det, ut ad Ordines ab ipſo præſentetur, prout ſumitur ex hoc c. quia, ſicut Epiſcopus, qui Ordinem confert, prohibetur pro eo aliquid temporale accipere, ita etiam Præſentator, & alii Miniſtri, qui ſunt acceſſorii, & ipſum in ordinatione coadjuvant, *c. 5. h. t.*

Colligitur 2. Quod quæcunque pecunia, etiam in modica quantitate, ſufficiat ad Simoniam, ſi pro re ſpirituali promittatur, aut detur, modo adſit prava intentio, v. gr. non ordinandi, vel non præſentandi, niſi data prius re temporali: nam in caſu hujus c. Ordinandus, ea tantum ſolidos pro ſua præſentatione ad Ordines dedit, & tamen ob hanc Simoniam commiſſam præcipitur, ut ſi crimen publicum fuerit, deponantur ab Ordine perpetuo, & in Monaſterium detrudatur, vel ad id inducatur, ſi crimen occultum fuit: conſentit, textus in c. *Placuit* 102. *cauſ. 1. q. 1.* ibi: *quia ſinguli tremiſſem exigere ſolent*, id eſt, tertiam partem ſolidi, *cauſ. 1. q. 1. & ibid. Gl. fin.* ſimile eſt in furto, & uſura, quæ etiam in re, ſive quantitate modica committitur, *Gl. hic V. Solidos. Abb. nu. 5. Suar. c. l. 4. c. 38. nu. 2.*

Colligitur 3. Crimina publica, quæ palam, & manifeſte fiunt, publice etiam corripienda ſunt: occulta vero ſecreto, *c. Si peccaverint. 19. cauſ. 2. q. 1. Gl. hic V. Secreto.* Quare, ſi Clericus occultum crimen commiſit, propter quod, ſi notorium, vel publicum eſſet, nec in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, nec ad altiores Ordines aſcendere permitteretur, quale eſt crimen Simoniæ, huic Epiſcopus pœnitentiam condignam imponere debet, eique ſuadere, ut ea, vel ejus parte peracta, in ſuſceptis Ordinibus miniſtret, ſed ad altiores Ordines non aſcendat; quod ſi nihilominus ſuperiores Ordines ſuſcipere petat, non poteſt id ei Epiſcopus negare, ſed obligatus eſt, ratione officii ſui, eos illi conferre, ut conſtat ex *c. Ex tenore. 4. de temp. ordin.* Aliud eſt de Prælato Regulari, qui, ſi ex Secreto non Sacramentali ſciat, crimen, vel defectum occultum Regularis ſibi Subditi, v. g. irregularitatem ex homicidio occulto, non debet, nec poteſt permittere, ut Ordines ſuſcipiat, vel ad altiores promoveatur, cum ſine peccato eos ſuſcipere nequeat, adeoque cooperaretur peccato illius, ut conſtat ex c. *Ad aures. de temp. ordin.* & dictum ibi *num.* 64. non tamen poſſunt ſine cauſa prohiberi ab executione Ordinis jam ſuſcepti. *Gl. hic V. Secreto.* quia multa impediunt promovendum, quæ non dejiciunt jam promotum. *Abb. hic n. 7.*

XXII. Aſſertio 4. Simoniam etiam committit ille, qui convenit cum alio Clerico Beneficiario, ut ipſum præſentet Epiſcopo ordinandum ad titulum beneficii ipſius eo, pacto adjecto, ſe non petiturum ullam portionem ex illo beneficio, prout ſumitur ex *c. Per tuas. 37. h. tit.* Nam cum „ quidam Clericus vellet in Subdiaconum ordinari, & titulum non haberet, rogavit quendam Presbyterum, ut illum ad titulum ſuæ Eccleſiæ præſentaret. Sed cum Presbyter id facere nollet, ipſe illi promiſit, quod nunquam, ſi præſentaret illum in Eccleſia ſua, aliquam portionem ex illa petere vellet, & ſic ad præſentationem ejus fuit ordinatus, nec ſe in hoc aliquid illicitum egiſſe cognovit. Conſultus de hoc Papa Innocentius III. reſpondit, quod niſi fuerit miſericorditer cum eo diſpenſatum, nec ad ſuperiores Ordines aſcendere, nec in ſuſcepto Ordine miniſtrare debet. Ratio deciſionis eſt, quia iſte ordinatus remiſit jus, quod ſibi alias competebat ex tali præſentatione; poterat enim de jure petere portionem ex reditibus beneficii ipſius præſentatoris, & neceſſariam ſuſtentationem, & in defectum hujus ab Epiſcopo Ordinatore, *Arg. c. Cum ſecundum. 16. de prabend.* modo Eccleſiæ illi in Divinis deſerviret: quæ portio ab eo remiſſa, ſpectatis fructibus, eſt res temporalis, unde & laico poteſt aſſignari, ut notatur in *c. 2. de Inſtitut.* & ſic videbatur remiſiſſe temporale pro ſpirituali jure obtinendo: remittere autem idem eſt, quod date, *c. Venient. 10. de teſtib.* dare autem temporale pro ſpirituali, Simonia eſt; ideoque merito in eo, in quo deliquit, puniendus fuit. *Hoſtienſ. hic V. Miniſtrare, & Abb. num. ult.* neque vero ordinatus iſte a culpa, & pœna excuſatus fuit, quia id illicitum eſſe, non cognovit; nam ignorantia Juris non excuſat a delicto, *Reg. jur. 13. n. 6.* etſi minus peccet, quam ille, qui ſcienter peccat. *c. Sciendum. 22. Diſ. 2. de pœnit. Abb. hic n. 3.*

XXIII. Porro cum talibus diſpenſare poteſt ſolus Papa, ſecundum Innocent. *hic quamvis Abb. hic nu. 6.* putet, quod etiam Epiſcopus diſpenſare poſſit, in caſu hujus c. Cum Papa hanc diſpenſationem in Jure ſibi non reſervaverit, nec proprie hic intervenit donatio alicujus rei temporalis pro ſpirituali, & per conſequens neque proprie dicta Simonia; ideoque iſte ordinatus mitius fuit punitus, tantumq; ſuſpenſus ab ordine illicite ſuſcepto, non ab aliis, ſicut fit in aliis Simoniacis proprie, & ſtricte dictis. *Abb. hic num. 6.*

XXIV. Cæterum iis, quæ dicta ſunt de Simonia in conferendo, & recipiendo Ordines committi ſolita, addendum eſt, quod non debet quis ordinem recipere ab eo, quem credit eſſe Simoniacum, quamvis miniſtrare poſſit in iis Ordinibus, quos prius ab illo recipit, prout ſumitur ex *c. Per tuas. 35. h. t.* nam quidam Monachus Ordinis Charthuſienſis „ ab Epiſcopo Diœceſano in Subdiaconum eſt ordinatus, de quo poſtea intellexit, ex relatione quorundam, quod Epiſcopus ille ſæpius commiſerit crimen Simoniæ; ideo Monachus ille conſcientia remordente, timebat in ſuſcepto Ordine miniſtrare, & noluit etiam ad ſuperiores Ordines ab eodem Epiſcopo promoveri. Conſultus ſuper hoc Papa reſpondit, ut ſecure in ordine ſuſcepto miniſtret; ſed contra conſcientiam ſuam ad ſuperiores Ordines aſcendare non debet, ne forte ædificet ad gehennam: licet in hanc difficultatem devenerit, ex eo, quod conſcientiam nimis ſcrupuloſam habuit, quam non evadet (quia nec contra conſcientiam debet ad ſuperiores Ordines aſcendere, nec etiam in ſuſceptis contra eandem miniſtrare, *Hoſt. hic V. Evadet.* niſi errorem deponat.

XXV. Notandum 1. Simoniacus non poteſt conferre Ordinis executionem alteri, cum ipſe ſit ſuſpenſus ab Ordine; nemo autem dare poteſt, quod non habet, *c. 1. c. Reperiuntur. 7. cauſ. 1. q. 1. Abb. hic num. 2.* Si vero ignoranter recipit ordinem a tali Simoniaco, miſericorditer ſuſtinetur, ut in Ordine ſuſcepto miniſtret, *c. Si qui. 108. cauſ. 1. q. 1.* quod tamen *Gl. V. Si qui. & Gl. hic V. Miniſtret.* in fine ſic explicat, quod non recipiat executionem Ordinis, niſi cum eo diſpenſetur.

Notandum 2. Cur is, qui recepit Ordinem ab ordinante Simoniaco, permittatur miniſtrare in Ordine ſuſcepto, ſed non poſſit promoveri ad altiores Ordines. Ratio diverſitatis eſt, quia Ordines ſuſcipere eſt liberum; in ſuſceptis autem miniſtrare neceſſarium, & facilius impediuntur facienda, quam jam facta, *Arg. c. Quemadmodum. 25. de jur. Innocent. hic num. 3. Hoſtienſ. hic V. Miniſtret. Abb. num. 9.* accedit, quod hic Monachus ſecure potuit miniſtrare in Ordine ſuſcepto, quia non conſtabat ei, Epiſcopum Simoniacum eſſe, & non debet quis facile aliis credere in præjudicium alterius, *Gl. hic V. Miniſtret.* Vel dicendum, quod Papa cum ipſo diſpenſavit, vel declaravit, non eſſe timendum, *Hoſtienſ. hic V. Miniſtret.*

Notandum 3. Non licet agere contra conſcientiam erroneam, niſi quis prius eam deponat, alioquin ædificat ad gehennam, hoc eſt, peccat mortaliter; adeoque damnabitur ad pœnam ignis æterni, *Abb. hic num. 3. & 4.*

§. III.

De Simonia, quæ committitur circa divina officia, ac officium prædicationis, & an Eccleſia emi, vel redimi poſſit?

XXVI. Aſſertio 1. Officia divina, ſive Orationes publicæ, quæ ex Eccleſiæ Inſtitutione fiunt per Miniſtros Eccleſiaſticos, in publicis Proceſſionibus, & Litaniis, & in Choro, ſive a Clericis, ſive a Beneficiatis, aut Religioſis non ordinatis, & qui Clerici non ſunt, propria materia Simoniæ ſunt, ita, ut illa emere, aut vendere, ſit Simonia contra Jus divinum, & naturale, ut ea communi ſententia cum *S. Thom. 22. q. 100. art. 3.* docet *Suar. l. 4. de Simon. c. 25. num. 3.* & colligitur ex *c. Ad noſtram. 21. h. t.* ubi generaliter prohibetur, ut pro Miniſterio, ſeu Officio Eccleſiaſtico exercendo nullatenus pecunia exigatur. Ratio eſt, quia hæc officia ſpiritualia ſunt, quia, fiunt nomine Eccleſiæ, per poteſtatem miniſterialem ab ea delegatam, & ordinantur ad cultum DEI, & ſatisfaciendum DEO pro peccatis hominum, & impetrandam gratiam, & alia beneficia: nihil tamen vetat, quo minus aliquid exigatur pro hujuſmodi officiis, non per modum pretii, ſed ſtipendii ad ſuſtentationem Miniſtrorum neceſſarii, vel ratione conſuetudinis, *Suar. cit. l. num. 7. Silv. V. Simonia. q. 9. dicto 1. Laym. c. ult. §. 4. num. 38.* Quod vero ad privatas orationes attinet, ſi oratio conſideretur; prout eſt impetratoria, vel meritoria, ſaltem de congruo, etiam alteri, pro quo funditur, non poteſt emi, vel vendi pro pretio, ſine Simonia, cum ut ſic, ſit actus mere ſpiritualis. Poteſt tamen aliquis dare pecuniam pauperibus, vel Religioſis, ut pro ſe orent, non ut pretium operis, ſed per modum eleemoſynæ, vel etiam ſtipendii ad ſuſtentationem neceſſarii, maxime, ſi oratio ſit diuturna. *Suar. cit. l. nu. 9.*

XXVII. Aſſertio 2. Pro officio prædicationis, ſive exhortationis ſpiritualis, aliquid temporale accipere, tanquam pretium actus, eſt Simonia, contra Jus naturale, ac divinum; ut docet *S. Thom. cit. q. 100. art. 3. ad 2.* idque ſumitur ex c. 10. *Matth. Euntes prædicate*, & poſtea ſubjungitur, *gratis accepiſtis, gratis date*, quia Verbum DEI, quod Prædicatores annunciant, veluti Legati DEI, eſt maximum donum ſpirituale, ad ſalutem animarum ordinatum: poſſunt tamen Prædicatores neceſſariam ſuſtentationem accipere, *c. Cum voluntate 54. §. Prædicatores. de ſent. Excom. Suar. citat. c. 18. num. 23.* Idem eſt, ſi doctrina Chriſtiana modo exhortatorio pro temporali mercede tradatur. Secus ſi ad exercendam memoriam puerorum, uti fit a Ludimagiſtris. *Suar. cit. c. 18. num. 24.*

„ XXVIII. Aſſertio 3. Eccleſia emi, vel redimi non poteſt: prout ſumitur ex *cap. Querelam. 15. hoc titul.* ubi talis caſus proponitur. Monachi de Acra, „ quod-

,, quoddam Manerium (eſt autem manerium, ſeu manſus por-
,, tio terræ, quæ duobus bobus per totum annum arari, po-
,, teſt, *Gl. marg. hic.*) cum pertinentiis ſuis, & Eccleſiam
,, quandam a Monachis de Cardonio ſub annuo cenſu XV.
,, librarum adepti fuerunt, & ſuper hoc chartam, ſive lit-
,, teras ab ipſis Monachis acceperunt. Poſtea vero Prior
,, Monachorum de Acra, Capitulo ſuo inconſulto, mane-
,, rium, & chartam prædictam, accepta viciſſim pecunia,
,, dictis Monachis de Cardonio reſignavit. Quare Monachi
,, de Acra conqueſti ſunt apud Papam, ſe injuſte gravatos
,, eſſe; qui mandavit quibuſdam delegatis, ut partibus con-
,, vocatis, cauſam prædictam concordia, ſeu tranſactione,
,, vel judicio terminarent, ſcientes, quod, ſicut Eccleſia
,, prædicta emi non potuit, ita nec redimi. Si vero Mona-
,, chi de Cardonio legitime citati ad ſiſtendum ſe in judicio,
,, non comparuerint; ſed contumaces fuerint; Judices, Mo-
,, nachos de Acra in poſſeſſionem eorum, de quibus eſt con-
,, troverſia, inducant, nec permittant eos exinde, ſine Ju-
,, ris ordine eſt proceſſu, moleſtari, ſeu perturbari.

XXIX. Notandum hic 1. Prælatus non poteſt remmittere Jus quæſitum Eccleſiæ, alienatio per Prælatum illicite facta poteſt a Capitulo retractari. *Abb. hic num.* 1. *&* 2. nam ſicut conſenſus Capituli requiritur ad contrahendum, ita etiam ad diſtrahendum; contractus enim, & diſtractus, ſive alienatio a pari procedunt, *Barb. hic num.* 2. *&* 3.

Notandum 2. Sicut Eccleſia non poteſt emi, ita nec redimi id eſt, re emi, ſeu redimendo emi, abſque Simonia; nullum enim ſpirituale, vel ſpirituali annexum emi poteſt, vel vendi, *c. De Jure* 16. *de jure patron. Gl. hic V. Emi.* ſed contra eſſe videtur, quod in caſu hujus c. Eccleſia videtur fuiſſe aliquid acceſſorie pertinens ad fundum, tanquam ad principale, & ita redempto fundo, etiam acceſſorie potuit redimi Eccleſia; ſicut jus patronatus acceſſorie tranſire poteſt, cum univerſitate bonorum, quibus eſt annexum, *c. Ex literis* 7. *de jure patron.* Verum utrumque fuit principale manerium, & Eccleſia, ac neutrum acceſſorium alteri ut colligitur ex verbis textus ibi; *Manerium cum pertinentiis ſuis, & Eccleſiam*: & ita Eccleſia non fuit aliquid pertinens ad manerium, ſed ſeparata ab illo, & pertinentiis: ac proinde redemptio, quoad Eccleſiam ipſo jure nulla fuit, *Gl. hic V. Emi, & Hoſtienſ. ibid.* nam conjunctio copulativa *Et* facit, ut res copulata, veniat principaliter, & non acceſſorie: ſecus eſt de particula *Cum Abb. hic num.* 5. quando autem plures ſimul venduntur, vel emuntur principaliter, inter quas una vendi, vel emi non poteſt, reſcinditur venditio ſolum reſpectu illius, quæ vendi non poteſt, non reſpecta alterius; utile enim per inutile vitiari non debet, *Reg.* 37. *in* 6. *Abb. hic num.* 7. Porro etſi manerium, ſive terra illa vendi, & emi potuerit, & ſic ex hoc capite non fuerit irrita reſignatio illius; fuit tamen nulla ex alia cauſa, quia facta fuit, ſine conſenſu Capituli, ex qua cauſa pari modo etiam irrita fuiſſet redemptio Eccleſiæ, etiamſi acceſſoria fuiſſet, ſeu pertinens ad terram illam, *Gl. cit. & Hoſtienſ.*

Notandum 3. Poteſt immiſſio in poſſeſſionem fieri, ſi lis non fuit conteſtata, rei ſervandæ cauſa, etiam inter Religioſos, & inter Eccleſiam, ſi ea petatur, ut proprietas, non ut beneficium. *Hoſtienſ. hic V. Rerum Abb. num.* 3.

XXX. Illud hoc loco addendum, pecuniam dare, vel accipere, non ſolum pro functionibus ſpiritualibus, v. g. adminiſtratione Sacramentorum, celebratione Miſſæ, &c. ſed etiam pro æſtimatione laboris corporalis, qui hujuſmodi ſacris, & ſpiritualibus actionibus per ſe, & intrinſece, ac neceſſario eſt conjunctus, & ſine quo fieri non poſſunt, eſt Simonia contra Jus Divinum, & naturale. *Suar. cit. l.* 4. *cap.* 21. *num.* 5. *& ſeqq. Leſſ. citat. cap.* 35. *num.* 52. *& ſeqq. Laym. cit. l. num.* 41. *&* 42. Ratio eſt, quia labor ille intrinſecus actioni nullam aliam æſtimationem habet, præter, quam habet ipſa actio ſacra, ſeu ſpiritualis, cui intrime cohæret: labor enim corporis non eſt pretio æſtimabilis, niſi in ordine ad opus; cujus cauſa ſuſcipitur: ergo ſicut ipſa actio ſacra, & ſpiritualis ex ſe inæſtimabilis eſt, & invendibilis, ita & labor ei intrinſece conjunctus, & ab ea inſeparabilis facet, & ſpiritualis eſt, & inæſtimabilis; adeoque vendi non poteſt. Aliud eſt de labore, qui non per ſe, & intrinſece: ſed per accidens ſolum, & intrinſece annexus eſt actioni ſacræ, ſeu ſpirituali, & ab ea ſeparabilis, ſive præcedat actionem ſacram, ſive illam comitetur; pro hoc enim dare, vel accipere pecuniam, non eſt Simonia ut pro labore itineris, vel cantus in Miſſa, vel pro obligatione faciendi ſacrum tali loco, & tempore, vel ratione alterius incommodi pretio æſtimabilis. *Suar. cit. cap.* 21. *nu.* 12. *Leſſ. cit. l. num.* 45.

§. IV.

De aliis variis actibus, & rebus ſpiritualibus, vel ſpiritualibus annexis, pro quibus aliquid temporale dare, vel accipere etiam ſpecialiter prohibitum eſt Jure Canonico?

XXXI. De his ſparſim agitur in pluribus Capitulis *h. tit.*
,, & in primis in *c. Non ſatis* 8. *h. t.* Prohibetur; ne ab
,, iis, qui in Religionem tranſire volunt, aliqua pecunia
,, exigatur, ex pacto ſcilicet *Gl. ibid. V. requiratur* de quo
,, plura infra dicentur Deinde prohibetur; ne Prioratus,
,, vel Capellania quælibet Monachorum, aut Clericorum
,, annua diſtractione vendantur, nec ab eo, cui regimen
,, eorum committitur, pro illa commiſſione, pretium exi-
,, gatur: & qui contra fecerit, tam ille, qui dedit, quam
,, recepit, vel conſenſit (ut Mediator) Simoniam com-
,, mittit. Ratio eſt, quia jus Prioratus, & Capellaniæ ſpirituale eſt, ſicut & ipſa commiſſio ſpiritualis eſt; ideoque nullo modo vendi debet, neque ad annum committi talis Prioratus, vel Capellania poteſt, *c. Quoniam*, 3. infra, ne Prælati vices ſuas, &c. de quo ibi dummodo perpetuam adminiſtrationem habeat nonnaam. *Hoſtienſ. hic V. Annua diſtractione.*

XXXII. Porro in Simonia tam recipiens, quam dans peccat contra Religionem, quia omnibus prohibitum eſt, ne temporalia accipiant, vel etiam dent pro ſpiritualibus, ſed hæc gratis dare, & accipere debent, neque enim ulla neceſſitate coguntur ad dandum pro pretio ſpiritualium, vel ad accipiendum, & ſic uterque delinquit contra Religionem: At vero in uſura dans uſuram pro mutuo, quo indiget, & quod gratis habere non poteſt, non peccat: ſed ſolum accipiens, ut docet *S. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 4. quia non voluntarie ſe obligat ad ſolvendas uſuras: ſed neceſſitate compulſus ſolvit, quæ illum excuſat a peccato uſuræ, ſicut etiam a peccato ſorti. *Hoſt. hic V. Recepit. Barb.*
,, *in Collect. hic numer.* n. Additur in *cit. c. Non ſatis. in fi-*
,, *ne:* Pro ſepultura quoque, & Chriſmatis, & Olei bene-
,, dictione, nulla cujuſquam pretii exactio attentetur, ne
,, quidem ſub prætextu cujuſdam conſuetudinis; quia diu-
,, turnitas temporis non diminuit peccata: ſed auget, de
,, quo infra.

,, XXXIII. Secundo prohibetur etiam in *cap. Cum Ec-*
,, *cleſia.* 9. *h. t.* (quod eſt deſumptum ex Concilio Latera-
,, nenſi ſub Alexandro III. *c.* 7.) ne de cætero pro Epiſco-
,, pis, vel Abbatibus, vel quibuſcunque perſonis Eccleſiaſti-
,, cis ponendis in Sede, vel Sacerdotibus inſtituendis in
,, Eccleſiis, aut pro ſepeliendis mortuis, & exequiis mor-
,, tuorum, aut benedicendis nubentibus, aut aliis Sacra-
,, mentis conferendis, vel collatis aliquid exigatur. Ubi
,, etiam reprobatur conſuetudo quantumvis longa, pro hu-
,, juſmodi ſpiritualibus aliquid exigendi quæ etiam voca-
,, tur, Lex mortis (quia prava conſuetudo infert æternam
,, mortem animæ) & tanto graviora ſunt crimina, quan-
,, to diutius infelicem animam detinent obligatam. Si quis
,, autem contra hoc venire præſumpſerit, portionem cum
,, Giezi ſit habiturus. Ratio patet ex dictis, quia omnes actus, hic enumerati, ſunt ſpirituales, vel ſpiritualibus annexi. De Jure vero ſepulturæ, an, & qua ratione licitum ſit aliquid temporale exigere, vel accipere, dictum eſt ſupra *l.* 3. *tit.* 28. §. 4.

XXXIV. Tertio in *c. Cum ſit.* 19. *h. t.* reſcribit Alexan-
,, der III. quod Epiſcopus nihil pro conſecratione Eccleſia-
,, rum poteſt, vel debet, præter procurationem, exigere.
,, Quare Simonia committitur, ſi pecunia detur, vel accipiatur pro actione conſecrandi Templum, Altaria, Calices, Chriſma, Agnus DEI, vel benedicendi Corporalia, veſtimenta ad uſum ſacrum deputata, aquam, cereos, vel ſimilia, quia per conſecrationem, vel benedictionem, etſi ab Eccleſia immediate inſtitutam ſiunt ſacra, & ſpiritualia, & tales benedictiones ſunt actus poteſtatis Ordinis, *Suar. citat. l.* 4. *cap.* 13. *num.* 5. *Barb. hic num.* 2. poteſt tamen Epiſcopus pro conſecratione exigere procurationem moderatam, ſecundum facultates Eccleſiæ conſecrandæ, etiamſi ea ſit in loco, in quo habitat Epiſcopus, quia hæc procuratio annexa eſt conſecrationi, ſicut & viſitationi, & præbenda Canoniæ: unde qui facit officium debet percipere annexum beneficium: & datur, non pro labore conſecrationis, cui is per ſe, & inſeparabiliter connexus eſt, quia ſic daretur pro ipſa conſecratione, ut ſupra dictum: ſed exigitur auctoritate Juris, in ſignum cujuſdam ſuperioritatis, & datur, ut facilius Prælati inducantur ad conſecrandum. Si tamen Eccleſia inops ſit, ejuſque facultates non ſufficiant, debet Epiſcopus Eccleſiam propriis ſumptibus conſecrare. *Gl. hic V. Procurationem, Hoſtienſ. ibid. Abb. num.* 2.

XXXV. Quarto præterea ſpecialiter prohibitum eſt in *c.*
,, *Ea, quæ* 16. *num.* 4. ne pro Chriſmate ab Eccleſiis pecu-
nia exigatur. Nam quidam Epiſcopi extorquebant nummos
,, ab Eccleſiis pro Chriſmate, quos aliquando Cathedrati-
,, cum appellabant; aliquando paſchalem præſtationem (quia
,, in Paſchate exigebatur, *Hoſtienſ. hic.*) interdum Epiſ-
,, copalem conſuetudinem (quia nomine Epiſcopi peteba-
,, tur) ſed quia hoc Simoniacum eſt, mandat Papa Ale-
,, xander III. ut prætextu alicujus conſuetudinis, vel præ-
,, lationis (id eſt, junctionis Prælati, nam non eſt obe-
,, diendum Prælatis in injuſtis. *Hoſtienſ. hic V. eod.*) præ-
,, dictos denarios nullatenus exigant. Quod ſi facere præ-
,, ſumpſerint, periculum ſui Ordinis, & dignitatis pote-
,, runt merito formidare, id eſt, pœnam degradationis,
,, ſeu depoſitionis ab Ordine, & dignitate incurrent, quæ
eſt pœna Simoniacorum, *c. De hoc.* 12. *& c. Inſinuatur.* 13. *h. t.* de quo infra. *Gl. fin. hic.*

XXXVI. Ubi præterea notandum 1. Non tantum prohibetur, pecunia exigi pro Chriſmate, in quantum eſt Sacramentum confirmationis; adeoque pro confirmando: aliquem, ſed etiam pro ipſo liquore Chriſmatis, ſive Balſamo, & Oleo conſecrato ab Eccleſiis inferioribus v. g. baptiſmatibus, non eſt licitum, pecuniam accipere, ut clarius habetur in *c. Placuit.* 102. *cauſ.* 1. *q.* 1. quia & hoc ſpirituale eſt. *Abb. hic. not.* 1. non obſtante contraria conſuetudine, quæ non valet in iis, quæ ſuapte natura, mala ſunt, & prohibita, non excuſat malum, ſed magis accuſat. *Gl. hic V. Conſuetudinis.* quod tamen ita intelligendum eſt, non quod materia Balſami, & Olei per ſe vendi nequeat, cum ſecundum ſe ſit pretio æſtimabilis: ſed, quia cum materia ſit modica, & adeo exigua, ut vix pretio aliquo valeat æſtimari, pecunia, ratione conſecrationis potius, quam pro ipſa materia tam exigua videtur exigi, *Barb. hic. num.* 2. *in fine.*

Notandum 2. Pro ſpiritualibus nihil temporale exigi debet, qualecunque nomen tali præſtationi imponatur, quia variatio nominis non excuſat id, quod per ſe, & ex natura ſua malum eſt, maxime, quia nomina rerum appellativa, immutabilia ſunt; nomina autem propria hominum poſ-

poſſunt mutari ad libitum, *l. Si quis. 4. & ibid. Gl. V. Hominum. ff. delegat. 2. Abb. ibid. not. 2.*

XXXVII. Similiter Simoniam eſſe pro Chriſmate pecuniam exigere, vel accipere, ſtatutum etiam habetur in *c.* ,, *In tantum 36. h. t.* nam quidam Suffraganei, Cantuarien- ,, ſis Archiepiſcopi, conſueverunt certam quantitatem pe- ,, cuniæ pro Chriſmate recipere, non metuentes (in Codi- ,, cibus Vaticanis, & quibuſdam aliis omittitur dictio *non*, ,, ut notat *Gl. marg. hic*) pœnam Canonicam (quæ eſt de- ,, poſitionis, *c. ult. cauſ. 1. q. 3.*) & correctionem eludere ,, cupientes, anticipabant tempus ſolutionis, recipientes in ,, media Quadrageſima, quod recipere conſueverant in Paſ- ,, chate, & Nomen, denariorum variabant; nam denarios, ,, quos prius Chriſmales; poſtea Paſchales vocabant, con- ,, ſuetudinem mediæ Quadrageſimæ nuncupantes. Pervenit ,, hoc ad notitiam Papæ Innocentii III. qui reſpondit, cum ,, gratia ſit gratis conferenda, & qui prius recipit pretium ,, quam conferat rem pretioſam (emptor enim prius tene- ,, tur afferre pretium, quam venditor ei rem tradat. *l. Ju-* ,, *lianus. 23. §. Offerri. ff. de action. empt. Gl. hic V. Quiprius*; etſi pactium præcedat traditionem rei, magis declaratur venditio, cum traditio rei fieri ſoleat ex variis contractibus, non item traditio, ſeu ſolutio pretii. *Abb. hic num. 3. not. 3.*) Idcirco mandat Papa Archiepiſcopo, ut hujuſmodi ,, exceſſus corrigat, & Suffraganeos ſuos, eorumque Offi- ,, ciales a tam illicita exactione compeſcat, ne aliorum cul- ,, pa ipſi, ob ſuam negligentiam, imputetur ad pœnam: ,, quia, ut addit *Gl. hic V. Aliorum*, ſubditorum delicta imputantur Prælatis. Hinc colligitur, quod variatio temporis in ſolvendo, vel mutatio Nominis non excuſat contractum alias illicitum; quodcunque enim nomen imponatur contractui Simoniaco, committitur Simonia: ſicut etiam uſura eſt, quod accipitur ſupra ſortem; ſive appelletur lucrum, ſive emolumentum, ſive quandoque pœna in fraudem, *Gl. hic. V. Variant.*

XXXVIII. Additur in fine *cit. c. In tantum h. t.* & man- ,, datur a Papa Archiepiſcopo, ut pravam conſuetudinem ,, in ſua Provincia ſtudeat extirpare, ſecundum quam Ar- ,, chidiaconi, marcham argenti pro inveſtitura Eccleſiarum, ,, ſive immiſſione in corporalem earum poſſeſſionem exige- ,, bant: Alii vero minores, ut Decani Rurales, vaccam ,, ſibi dari poſtulabant, vel certam quantitatem pecuniæ ,, pro vacca. Ratio prohibitionis eſt, quia inveſtitura Ec- ,, cleſiarum eſt aliquid ſpirituali annexum, cum ex ſpiritualibus dependeat, & non competat niſi habenti officium Clericale: exigere autem temporale pro ſpirituali, vel ei annexo, Simonia eſt, *S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4.* de annexis enim idem eſt judicium, *c. 3. de inſtit.* Neque vero in his excuſat conſuetudo, quia pravæ conſuetudines tempore non firmantur *Auth. Ut nulli Judicium. §. 1. verſ. Neque vero ab angariis collat. 9. Gl. hic V. Conſuetudinem.*

Porro licet Archiepiſcopus non habeat juriſdictionem in Subditos Suffraganeorum *c. Paſtoralis. 11. de offic. Ord.* pravam tamen conſuetudinem, quæ concernit totam Provinciam, tollere poteſt, ſi delictum ſit notorium, *c. In tantum. in fine.* & colligitur etiam ex *c. 1. §. Notoria. de cenſib. in 6. Abb. hic num. 3.*

XXXIX. Quinto in *c. Ad noſtram 21. h. t.* mandat quoque ,, Papa Alexander III. ut pro officio, ſeu miniſterio Eccle- ,, ſiaſtico exercendo (de quo ſupra) vel pro Vicariis aſſi- ,, gnandis (ut quis deſerviat tanquam Vicarius in Eccleſia, *Abb. hic num. 2.*) vel pro Chriſmate pecunia non exigatur. Ex quo infert *Hoſtienſ. hic in fine, & Abb. num. 3.* ſi ſponte aliquid propter ſpiritualia hujuſmodi officia, abſque violenta exactione, & gratis offeratur, id non eſſe prohibitum.

,, XL. Sexto in *c. Nobis. 29. h. tit.* Cum Parochiani qui- ,, dam queſti eſſent apud Innocentium III. quod Capellanus ,, eorum, pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nu- ,, bentium, minus licite pecuniam ab eis exigat, & tor- ,, queat; mandat idem Papa quibuſdam delegatis, dictum ,, Capellanum moneant, ut a tanta præſumptione deſiſtat, ,, & pro exceſſu competenter ſatisfaciat, & ſi obedire no- ,, luerit, ipſi Canonicam pœnam infligant. Unde colligitur, quod Sacerdos proprius ſive Parochus debet gratis Sacramenta, & alia ſpiritualia Parochianis ſuis miniſtrare, alioquin ſi aliquid exigat, vel accipiat ex pacto, Simoniam conventionalem committit, & tenetur illud reſtituere. *Abb. hic num. 2. num. 3.* Ubi tamen diſtinguendum eſt inter Paſtores, vel Clericos illos, qui ex officio, vel ratione beneficii tenentur, funeralia obire, & alia ſpiritualia exercere; & inter alios extraneos, qui invitantur, aut vocantur ad exequias habendas, vel alia ſpiritualia officia præſtanda, cum alias ad illa obeunda non teneantur. Nam Priores non ſolum prohibentur pro his officiis exigere pretium, ſed etiam novum ſtipendium, vel ſuſtentationem, præter conſuetas oblationes debito tempore, & modo; ſi tamen habeant, unde vivant, vel aliunde victum ſibi honeſte acquirere poſſint; alioquin ſi aliquid exigant, (ceſſante conſuetudine de qua infra) Simoniam committere præſumuntur, imo etiam contra juſtitiam peccant, quia injuſtum ſtipendium exigunt pro obſequio, ad quod ex officio obligati ſunt, & decimas, alioſque reditus Eccleſiaſticos accipiunt. Alii vero Clerici extranei, qui voluntarie, & non ex officio hujuſmodi miniſteria exercent, licet pretium pro iis exigere non poſſint, ſtipendium tamen, vel congruam ſuſtentationem petere poſſunt, etiamſi non egent; nemo enim cogitur militare propriis ſtipendiis. *Abb. in cit. c. Suam. num. 10. 11. & 12. Suar. cit. l. 4. nu. 6. c. 47. num. 9.*

XLI. Septimo. Simoniacum eſt etiam pro conſecrationibus Epiſcoporum, & benedictionibus Abbatum, & ordinationibus Clericorum, aliquid temporale ante, vel ex poſt facto dare, vel accipere, non obſtante contraria conſuetudine, ut conſtat ex *c. Sicut. 39. h. tit.* quod eſt deſumptum ex Concilio ,, generali Lateran. ſub Innocent. III. *c. 63.* ubi ſic ſtatutum ,, legitur; In pleriſque locis a multis Prælatis fiunt turpes ,, exactiones, & extorſiones pro conſecrationibus Epiſco- ,, porum, benedictionibus Abbatum, & Ordinationibus Cle- ,, ricorum, eſtque taxatum, quantum debeat iſti, vel illi ,, perſolvi, & quantum alteri, vel alii. Et quidem hujuſ- ,, modi, pravitatem per conſuetudinem longo tempore ob- ,, ſervatam defendere, nituntur. Quare Concilium hujuſ- ,, modi abuſum, & conſuetudinem (quæ dicenda eſt potius ,, corruptela) penitus reprobat, ſtatuendo, & prohibendo, ,, ne pro his, vel conferendis, ſive collatis, quiſpiam, quo- ,, cunque prætextu (ſive ſtatuti, ſive conſuetudinis) aliquid ,, extorquere, vel exigere præſumat; Alioquin, & qui re- ,, ceperunt, & dederunt hujuſmodi damnatum pretium ,, cum Giezi, & Simone condemnentur. Ratio eſt, quia Si- ,, monia, ſive venditio, & emptio rerum ſpiritualium eſt prohibita Jure naturali, ac divino, *cap. Cito. 96. cauſ. 1. q. 1.* ſed Juri naturali, & divino nulla conſuetudo derogare poteſt, *c. fin. de conſuet.* ideo talis conſuetudo non excuſat, imo potius accuſat, *Gl. hic V. Conſuetudinem.* de qua plura *§. ſeq.*

§. V.

An exigere aliquid temporale pro re ſpirituali, ratione conſuetudinis, excuſari poſſit a vitio Simoniæ?

XLII. Certum eſt, quod nulla conſuetudine induci poſſit, ut licite detur, vel accipiatur temporale pro ſpirituali, per modum pretii, quia hoc eſt intrinſece malum, & contra Jus naturale, ac divinum; cui nulla conſuetudo derogare poteſt, ut notat *Suar. l. 4. de Simon. c. 48. numer. 1.* Quæſtio ergo eſt de his Clericis, qui ex officio ſpiritualia miniſtrant. V. g. Parochi, an per conſuetudinem acquirere poſſint Jus ad dona quædam temporalia, ſeu oblationes fidelium extraordinarias, quæ non pertinent ad decimas, & alios ſtabiles reditus beneficiarum.

De hoc agitur in *c. Ad Apoſtolicam. 42. h. t.* Quod eſt de- ,, ſumptum ex Concilio Later. *c. 66.* ſub Innocent. III. ad ,, quem frequenter relatum eſt, quod quidam Clerici pro ,, exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, & ,, ſimilibus, pecuniam exigunt, & extorquent: & ſi forte ,, non fuerit eis ſatisfactum, fictitia impedimenta fraudu- ,, lenter opponunt. E contrario vero ſunt quidam Laici, ,, qui laudabilem conſuetudinem erga S. Eccleſiam, pia fi- ,, delium devotione introductam, ſub prætextu Canonicæ ,, pietatis nituntur infringere. Quare Concilium ſuper his, ,, pravas exactiones fieri prohibet, & pias conſuetudines ,, præcipit obſervari, & ſtatuit, ut libere conferantur Ec- ,, cleſiaſtica Sacramenta, & per Epiſcopum loci, veritate ,, cognita, compeſcantur, qui malitioſe nituntur laudabi- ,, lem conſuetudinem mutare.

XLIII. Varie explicant *hoc c.* interpretes: nam Innoc. *hic num. 2.* putat, non poſſe Epiſcopum cogere fideles, ut aliquid ſolvant pro Eccleſiaſticis Sacramentis, aliiſque ſpiritualibus, vi ſolius conſuetudinis: ſed tantum pertinere ad officium Epiſcopi, ut ſi quis pias, & laudabiles conſuetudines, aliquid pro his ſponte dandi, velit mutare, & impedire, ne tales conſuetudines ſerventur, is compeſcatur: ut colligitur ex illis verbis hujus c. ibid. *laudabilem conſuetudinem nituntur infringere*, ſcilicet vel damnando illam, ut malam, & Simoniacam, vel alio modo impediendo fideles, ne talem piam conſuetudinem obſervent, & juxta hæc verba, etiam explicanda eſſe, verba ſequentia, *& pias conſuetudines præcipimus obſervari*, id eſt, non immutari, nec impediri: ſed in ſua libertate relinqui, ut ita obſerventur, ſicut introductæ fuerunt, nempe ut ſponte offerentes aliquid, libere, & ſine impedimento id facere poſſint; qui vero noluerint, non cogantur; quam explicationem etiam probabilem eſſe, cenſet *Tom. 1. de Relig. l. 1. de divino cultu cap. 5. num. 13.* Verum *Gl. fin. in citat. c. Ad Apoſtolicam. & Hoſtienſ. ibid. col. 2. Abb. num. 1. & ult. & in c. Suam. 29. num. 4. h. tit. Silv. V. Simonia. q. 38. dicto 1. Suar. citat. l. numer. 14. & 15.* abſolute intelligunt textum illum, nempe per talem piam conſuetudinem induci obligationem; & ideo cogi poſſe fideles per Epiſcopum, ut illam obſervent; ita tamen, ut non valeat conſuetudo, per quam tempore collationis Sacramenti, vel alterius rei ſpiritualis, aliquid detur ab initio: neque etiam conſuetudine induci poſſit, ut aliquid pro his detur, quando præceſſit exactio, quæ dedit cauſam conſuetudini; tunc enim fuit initium vitioſum, & Simoniacum; valeat autem conſuetudo, ut aliquid detur tempore collationis, vel ex poſtfacto, ſi ex mera liberalitate populi fuit introducta; ita tamen, ut Sacramenta, vel alia ſpiritualia prius libere conferantur; talis enim conſuetudo non habet initium, ſeu fundamentum vitioſum, ſed laudabile: cum non ſit magnum, ſi ab eo metantur temporalia, qui ſeminavit ſpiritualia: & ad talem conſuetudinem obſervandam cogi poſſunt fideles, implorato officio Judicis, quæ pietate introducta eſt. Quare ſi conſuetudo, & uſus habent, ut temporalia eo tempore, quo ſpiritualia miniſtrantur ab iis, qui ex officio obligati ſunt, ex pacto petantur, vel exigantur a fidelibus, nec antea ſpiritualia conferantur, quam temporale illis præſtetur, talis conſuetudo, quantumvis longæva, veluti irrationabilis reprobatur, quia ab invitis videtur extorqueri, & Simoniam continere, vel ſaltem expreſſam ejus ſpeciem, taleque videtur ejus eſſe initium, qualis uſus ejus nunc viget, & extat. Et de hujuſmodi conſuetudine intelligendi ſunt Canones, & Jura quando conſuetudines prohibent, ac reprobant, quibus ſcilicet exigitur, & datur aliquid

ex

ex pacto, pro ſpirituali nondum dato, & accepto. Si vero conſuetudo habeat, ejuſque uſus ſit per longum tempus, ut aliquid temporale a fidelibus libero, & ſine exactione offeratur, & ita recipiatur, nec ſpiritualia denegentur, etſi ante temporalia non præſtentur; tunc laudabilis eſt conſuetudo, & a pia fidelium devotione præſumitur incepiſſe. Et de hujuſmodi conſuetudine loquitur *cit. cap. Ad Apoſtolicam.* quando præcipit illas obſervari, nempe eas, quibus datur, vel exigitur temporale pro ſpirituali jam ante dato, & accepto, *Azor. p. 3. l. 12. c. 19. q. 2. Barb. in cit. c. n. 17.* Confirmatur ex *Concilio Trid. Seſſ. 24. c. 24. de reform.* ubi ſupponit aliquas conſuetudines hujuſmodi, eſſe pravas, & alias pias; & ideo præcipit eas ab Epiſcopis examinari, & diſcerni, ut pravæ tollantur, piæ retineantur.

XLIV. Sed hic gravis difficultas occurrit, quomodo conſuetudo longæva aliquid temporale dandi pro ſpiritualibus, iis, qui ea officio ad ea tenentur, inducere poſſit neceſſitatem, ſeu obligationem fidelibus, cum communiter receptum ſit per actus omnino liberos, qui meræ facultatis dicuntur, conſuetudinem, vel præſcriptionem introduci non poſſe, prout ſumitur ex *c. Abbate. 25. §. Hoc autem. de V. S.* ſic qui longiſſimo tempore amicum hoſpitio excepit, non poteſt cogi ad idem hoſpitium ei porro præbendum, vel ad eleemoſynam dandam certis perſonis, quam diu iis dederat, ut ex communi docet *Abb. in c. Suam. 29. n. 5. hoc tit. Covar. Reg. poſſeſſor. p. 2. §. 4. n. 6.* Ad hanc difficultatem reſpondet *Suar. l. 3. de divino cultu. c. 5. c. 19. & 20.* quod per diuturnam conſuetudinem dandi aliquid Clericis pro ſpiritualibus miniſteriis, ad quæ ex officio ſunt obligati, acquiſatur Eccleſiæ, vel ipſis Clericis Jus ad ſimiles oblationes, ſeu præſtationes recipiendas, per modum cujuſdam præſtationis, & conſequenter Parochiani manent obligati ad illas præſtandas, non ex voto, vel ſpeciali intentione, ſeu voluntate ſe obligandi ad illas, ſed ex vi Juris acquiſiti Eccleſiæ, quod ſervandum eſt ex ipſo Jure naturali juſtitiæ, poſtquam ſemel eſt acquiſitum, quæ obligat ad ſervandum, cuique Jus ſuum. Ut autem acquiratur, non eſt neceſſarius conſenſus Parochianorum, contra quos præſcribitur; ſed neceſſarium eſt adminiculum, ſive aſſiſtentia Juris, quæ videtur præſtari in *c. Apoſtolicam. 42. h. t.* in quo præcipue hæc obligatio fundatur: nam Jura non requirunt conſenſum ejus, contra quem præſcribitur; adeoque nec Parochianorum, ſed præſcriptio inducitur virtute legis, quæ in propoſito ſupplet conſenſum Parochianorum, ita ut translatio dominii, vel alterius Juris per diuturnum uſum, cum bona fide, & aliis conditionibus jure requiſitis, ipſis Clericis acquiratur, non tam propter præſumptam voluntatem fidelium, ſeu Parochianorum, eo quod ipſi diuturno tempore præſtantes temporalia pro ſpiritualibus, cenſeantur, ſe voluiſſe obligare ad eas præſtationes, etiamſi illud ignorent, ſed potius hoc in favorem Eccleſiæ & piæ cauſæ introductum eſt.

Porro duobus modis talis conſuetudo legitime induci poteſt. 1. Si fideles diuturno tempore, cum Prælatorum tacito conſenſu, ſoliti ſint aliquid offerre Parochis, vel aliis Miniſtris, etſi ſufficientes habeant reditus, tunc enim retineri debet talis conſuetudo, modo ad ejus obſervationem, non ipſimet parochi Subditos vi compellant: ſed per Epiſcopum loci compellantur, juxta *cit. c. Ad Apoſtolicam.* 2. Si conſuetudo aliquid exigendi in adminiſtratione Sacramentorum, vel in admiſſione in Monaſterium, vel Canonicatum ab initio ex rationabili cauſa inducta ſit, quia v. g. reditus Parochias valde tenues erant: tunc etiam ſi cauſa illa ceſſat; quia illi reditus aucti ſunt: ſi tamen Parochi nihilominus longo tempore, oblationes, aut præſtationes, hujuſmodi quaſi debitas, cum bona fide recipiant, Jus per præſcriptionem acquiſitum cenſeri poteſt, *Suar. l. 4. de Simon. c. 48. n. 5. & ſeqq. Laym. l. 4. tr. 10. c. ult. §. 2. n. 16.*

XLV. Ubi præterea notandum 1. Ad inducendam hujuſmodi conſuetudinem, & obligationem ſufficit tempus X. annorum, etiam ſpectato Jure Canonico, quia hæc conſuetudo non eſt contra Jus: ſed potius illi conformis, & pia, ac favorabilis, & contra Laicos, non Clericos inducitur. *Abb. in cit. c. Suam. n. 9. h. t. Suar. cit. c. 5. n. 21. Barb. in cit. c. Ad Apoſtolicam, n. 20.*

Notandum 2. Conſuetudo hujuſmodi eſt obſervanda, etiamſi Clerici ſint divites; nam conſueta petere poſſunt, & ſolvi debent: & ad illam obſervandam cogi poſſunt Laici a Judice Eccleſiaſtico, qui etiam cognoſcere poteſt, an talis conſuetudo laudabilis ſit, nec ne, *Abb. in cit. c. Ad Apoſtolicam. nu. 3.* Deinde ſicut Laici, ita etiam Clerici tenentur ad obſervandam laudabilem conſuetudinem, v. g. dandi ſingulis annis candelas Abbati. *Felin. in cit. c. 42. nu. 7. Barb. num. 10.*

Notandum 3. Ea, quæ recipi poſſunt ex laudabili conſuetudine pro adminiſtrandis ſpiritualibus, peti non poſſunt, antequam adminiſtrentur. *Abb. c. l. n. 2. Barb. n. 12.* Item ſi hujuſmodi conſuetudo ſpeciem Simoniæ, vel avaritiæ præſeferat, ſicut induci non poteſt, ita nec obſervari debet, eſt enim reprobata in *c. Sane. 8. & c. ſeq. & c. ſicut 39. h. t. Suar. l. 4. c. 48. n. 8. Barb. c. l. n. 12.*

SECTIO III.

DE SIMONIA, QUÆ COMMITTITUR in actibus Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, & ingreſſu, ſive admiſſione ad Religionem.

§. I.

An actus pertinentes ad Juriſdictionem ſpiritualem, ſeu Eccleſiaſticam fori interni, vel externi, ſint materia Simoniæ?

XLVI. Aſſertio 1. Simonia eſt, dare, vel accipere pretium, vel aliquid temporale, pro omni actu juriſdictionis fori interni conſcientiæ, ſeu pertinentis ad curam animarum, ut ex communi docet *Suar. l. 4. de Simon. c. 19. n. 1. Laym. l. 4. tract. 10. c. ult. §. 4. num. 40.* Ratio eſt, quia ſicut poteſtas Eccleſiaſtica, præſertim, quæ ad forum internum, & animæ pertinet, ſpiritualis eſt, tum ratione principii, tum finis, cum tendat ad ſalutem ſpiritualem animarum; ita etiam actus ab ea procedentes: quare inprimis Simonia eſt dare, vel accipere pretium pro audienda Confeſſione, tum quia inde inchoatur Sacramentum, tum quia ipſa auditio Confeſſionis per clavem ſcientiæ eſt actus juriſdictionis ſupernaturalis, *Suar. cit. l. num.* 2. Committitur Simonia, ſi poſt exceptam Confeſſionem pecunia extorqueatur pro abſolutione conferenda, prout ſumitur ex *c. Nemo 14. §. Nec quemquam h. t.* ubi dicitur: nec quemquam Pœ-
„ nitentem (digne ſcilicet) vel minus digne Pœnitentem
„ gratia, vel favore (quia tunc gratia, vel favor ſuccedit
„ loco pretii. *Gl. hic in notatis*) ad reconciliationem addu-
„ cat, & teſtimonium reconciliationis ferat eidem; quia
„ pro reconciliatione ſpirituali facienda, vel abſolutione impertienda pretium non eſt exigendum, ut explicat *Gl. hic V. Reconciliationis, & Hoſtienſ. V. eodem.* Nec obſtat, quod, quando indignus abſolvitur, abſolutio non ſit valida, ſaltem quoad effectum Sacramenti; nihilominus tamen eſt quidam uſus, vel potius abuſus, poteſtatis ſpiritualis, quem quantum eſt ex ſe, vendit pro pretio. *Suar. c. l.* Additur
„ in fine *cit. c.* Nemo, vel quocunque livore (ſeu odio) di-
„ gne pœnitentem, a reconciliatione removeat, utramque
„ enim Simoniacum eſt. Ex quo patet, quod etiam committitur Simonia, ſi poſt auditam Confeſſionem propter pecuniam, (quam tertius forte aliquis dedit) denegetur alicui abſolutio, quia in hoc caſu tam eſt actus poteſtatis clavium ligare, ſive non abſolvere, quam ſolvere, juxta illud Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*, per quem pœnitens virtualiter, declaratur indignus abſolutione, & ideo venditio illius Simonia eſt, ſive juſte denegetur abſolutio, ſive injuſte; eſt enim de facto etiam actus clavium, & pœnitens manet obligatus ad peccata iterum confitenda. *Suar. cit. c. 19. num. 3.* de quo plura *§. ſeq.* Porro etiam quoad tertiam partem Sacramenti pœnitentiæ, committitur Simonia, ſi recipiatur pretium pro levi pœnitentia imponenda, vel etiam pro illa augenda. *Suar. c. l. n. 4.*

XLVII. 2. Committitur Simonia, ſi delegetur poteſtas abſolvendi; ut ſi v. g. Parochus committat alteri Sacerdoti pro pretio, ut vice ſua audiat confeſſiones ſuorum ſubditorum, quia talis commiſſio eſt actus ſpiritualis juriſdictionis, & poteſtas, quæ per eam datur, eſt juriſdictio ſpiritualis. Idemque eſt, ſi alicui detur licentia eligendi ſibi Confeſſarium pro pecunia *Suar. c. l. n. 5.* 3. Ad hanc juriſdictionem reduci etiam poteſt poteſtas abſolvendi a cenſuris, quatenus hæc abſolutio præmitti ſolet ante Sacramentalem, & ſæpe eſt neceſſaria, & ad ſpiritualem animæ utilitatem pertinet. *Suar. c. l. num. 6.* 4. Simonia committitur, ſi pro conceſſione Indulgentiarum detur, vel recipiatur pecunia: tum quia eſt actus ſupremæ cujuſdam poteſtatis ſpiritualis, & ſupernaturalis, conceſſæ a Chriſto Papæ, vel Epiſcopis, & tendit ad remiſſionem pœnarum temporalium, & liberationem animarum a purgatorio: tum quia vendere Indulgentias, eſt vendere ſatisfactionem Chriſti, & Sanctorum, quæ per Indulgentias applicantur. Poteſt tamen, quando conceduntur Indulgentiæ, aliqua contributio exigi pecuniæ, non ut pretium illius, ſed per modum eleemoſynæ, tanquam requiſitæ conditionis ad lucrandum Indulgentias; ideoque etiam talis pecunia non ſolet dari concedenti Indulgentias, ſed applicatur ad pias cauſas, vel erogatur in pauperes. *Suar. cit. cap. 19. nu. 9.* 5. Huc revocari poſſunt etiam licentiæ, ſeu diſpenſationes, quas Parochi dare poſſunt ſuis ſubditis, in ordine ad obſervationem præceptorum Eccleſiæ, v. g. ut propter occurrentem neceſſitatem laborare liceat die feſto, vel comedere carnes die alias prohibito; quia ſive hoc fiat per proprium actum juriſdictionis, ſive per authenticam approbationem cauſæ excuſantis, ſunt actus ſpirituales, ad quos Parochus ex officio ſuo tenetur, & ob quod recipit ab Eccleſia conveniens ſtipendium, & ſuſtentationem; ideoque vendi non poſſunt. *Suar. c. l. nu. 11.* Unde etiam pro aſſiſtentia in matrimonio non poteſt Parochus pecuniam accipere, quia licet non ſit actus juriſdictionis, & tamen illa aſſiſtentia ex inſtitutione Eccleſiæ, annexa officio Parochi; adeoque reducitur ad Miniſterium Eccleſiaſticum, imo per ſe, ex Eccleſiæ præcepto requiritur ad matrimonium: quatenus Sacramentum eſt. Aliud eſt de præſentia aliorum teſtium, quorum teſtimonium ſolum requiritur ad probandum contractum matrimonii, Parochus vero eſt ibi præſens, tanquam Miniſter Eccleſiaſticus, & ſic continetur ſub generali prohibitione in *c. Ad noſtram. 21. h. t.* quod pro nullo Eccleſiaſtico Miniſterio liceat pretium accipere. *Suar. c. l.*

XLVIII. Aſſertio 2. Simonia eſt, contra Jus naturale, ac divinum, vendere, ac emere actus, quibus juriſdictio ſpiritualis fori externi, ſive ordinaria, ſive delegata confertur, ut eſt certa, ac communis ſententia apud *Suar. cit. lib. 4. c. 20. n. 4.* Ratio eſt, quia ſi hujuſmodi actus vendantur, vel emantur, venditur ipſa juriſdictio Eccleſiaſtica, quæ & ipſa ſpiritualis eſt, ac ſupernaturalis, & ad talem finem per ſe primo eſt ordinata, ideoque manifeſtam Simoniam continet. Hinc ſequitur 1. Simoniam eſſe, ſi Vicarius Epiſcopi, vel Vicarius alicujus Eccleſiæ, etiam temporalis ſolum, & ad nutum amovibilis; vel Capellanus, cui cura Parochialis committitur, pro pretio conſtituatur, ut colligitur ex *c. Ad noſtram 21.* ibi: *Vel pro Vicariis aſſignandis h. t.* quia juriſdictio ſpiritualis emitur, ac venditur, quamvis ſtipendium ſuſtentationis iis dari poſſit *Suar. cit. c. 20. nu. 5.* idque ſumitur etiam ex *c. Conſuluit 38. h. t.* ubi dicitur. Qui-
„ cunque Vicedominatum, ſive Vicariatum, vel aliam Ec-
„ cle-

„ cleſiaſticam rerum adminiſtrationem, per pecuniam ob„ tinere voluerint, tam ementes, quam vendentes ſunt Si„ moniaci, & ab illa Eccleſia, in cujus contumeliam dare „ pecuniam, & accipere voluerunt, juſte excluduntur, Concordat *text. in c. Salvator. 8. cauſ. 1 q. 3.* & ibi *Gloſ. V. Et Judicem*, quod tamen intelligendum eſt, quando tam ementes, quam vendentes ad actum proceſſerunt, quantum in ipſis fuit; quia nimirum pactum intervenit; venditio enim, & emptio non fit ſine pacto, alias enim nuda voluntas his contenta finibus Simoniam non inducit; niſi mentalem, *Gl. fin. hic junct. Gl. marg. lit. C, & Abb. n. 5.* Sequitur 9. Simoniacum etiam eſſe, vendere jus eligendi ad dignitates, & beneficia Eccleſiaſtica, vel jus confirmandi electionem, vel conferendi beneficia, quia tale Jus eſt in ſe ſpirituale, & conferre illud eſt actus juriſdictionis ſpiritualis. *Suar. cit. c. n. 7.*

XLIX. Aſſertio 3. Simonia eſt, pro omni actu juriſdictionis voluntariæ pretium dare, vel accipere, veluti pro diſpenſatione in voto, juramento, impedimento matrimonii, irregularitate, vel lege, aut præcepto Eccleſiaſtico, ut ex communi docet *S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 3.* ubi ait: non licet pro quacunque diſpenſatione aliquid accipere, *Silv. V. Simonia q. 9. dicto 9. Suar. cit. 40. nu. 8.* ratio eſt, quia actus diſpenſandi, eſt actus juriſdictionis; cum autem ad eandem juriſdictionem pertineat, legem ferre, & in eadem diſpenſare, ſicut poteſtas legislativa Eccleſiaſtica eſt ſpiritualis, & ſupernaturalis, ita & poteſtas diſpenſandi in talibus legibus. Accedit, quod diſpenſationes in votis, & juramentis ſint actus ſpirituales, tam ex parte principii, quam ex parte finis, quia tollunt vincula, quæ conſcientiam ligant, & per ſe ordinantur ad ſpiritualem ſalutem animæ, *Suar. citat. capit. in numer. 9.* Et hinc in *Concilio Trident. Seſſ. 24. c. 5. de reform.* dicitur, ut in contrahendis matrimoniis diſpenſatio gratis concedatur. Idemque dicitur *Seſſ. 25. de reform.* de diſpenſationibus in SS. Canonibus, & legibus Eccleſiaſticis, & additur, alioquin facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur. Veruntamen in hujuſmodi diſpenſationibus licitum eſt, & aliquid exigere; ſecundum ſtylum curiæ Romanæ, qui jus facit, non in pretium diſpenſationis, ſed per modum mulctæ: per quam compenſetur receſſus a lege communi ad cauſam piam applicandæ *Leſſ. l. 2. c. 35. num. 58.* quod maxime locum habet in diſpenſatione votorum, in qua aliquid ſolvi debet, quia non datur abſoluta diſpenſatio, ſed fit commutatio unius operis in aliud; ideoque opus alicujus eleemoſynæ imponitur. Item aliquando pecunia exigitur, vel imponitur in pœnam alicujus prioris delicti applicanda ad pios uſus, ſeu opera, ut ſi fiat diſpenſatio in irregularitate contracta ex delicto, vel in affinitatibus, aut impedimentis contractis per illicitam copulam. *Suar. cit. c. 20. n. 12. & 15.* Quin imo etiam per modum ſtipendii, ſeu ſubſidii ſuſtentationis applicandi, vel ipſi Prælato diſpenſanti, vel Officialibus, pro expenſis eorum, & laboribus in ſcribendo, & expediendo, moderatum aliquid exigere, vel accipere, non eſt Simonia contra Jus naturale, & divinum, quia hoc non eſt per ſe malum, & prohibitum: Quamvis id Jure Eccleſiaſtico ſit prohibitum; cui tamen diuturna conſuetudo legitime præſcripta, vel ſciente, & non contradicente S. Pontifice; per aliquot annos recepta derogare poteſt, *Suar. c. l. n. 12. Laym. cit. cap. ult. §. 4. n. 42.* Porro. S. Pontifex, cum ſit ſupra Jus poſitivum Eccleſiaſticum, poteſt pro diſpenſationibus pecuniam exigere, non quidem ut pretium, ſed in ſuam ſuſtentationem, & ad onera ſuſtinenda ſui ſtatus, idque potius in diſpenſationibus, quam in aliis gratiis, quia diſpenſationes ſunt odioſæ, quippe derogantes Juri communi, & decet, ut eæ oneroſæ reddantur petentibus, ne, ſi facile, & abſque ſumptibus obtineri poſſint; major licentia præbeatur, eas importune petendi, ob quam cauſam etiam fieri potuit, ut quo difficilior eſt diſpenſatio, eo major pecuniæ quantitas exigatur pro ea: v. g. pro diſpenſatione in ſecundo gradu conſanguinitatis, ut tanto etiam rarius petatur, *Suar. cit. c. 20. n. 12.*

L. Aſſertio 4. Simonia quoque committitur, ſi pretium detur, vel accipiatur pro actibus Eccleſiaſticæ juriſdictionis contentioſæ, ut ex communi tradit *Suar. l. 4. de Sim. c. 20. n. 16.* Inter quos numerantur inprimis omnes actus Judicii Eccleſiaſtici, uſque ad ſententiæ prolationem, uti ſumitur ex *c. Cum ab omni. 10. de vita, & honeſt. Cler.* ubi dicitur, *vigorem, ſeu proceſſum judiciarium gratis ſtudeatis litigantibus impertiri*, & in *c. Vendentes 10. cauſ. 1. q. 3.* dicitur, *vendentes in templo ſunt, qui hoc, quod quibuſdam jure competit, ad præmium largiuntur, juſtitiam enim vendere eſt, hanc pro præmii acceptatione ſervare.* ubi *Gl. V. Juſtitiam.* ait, quod qui juſtitiam emit, vel vendit ſaltem in cauſa Eccleſiaſtica, Simoniam committit: ut dictum ſupra. *l. 3. tit. 2. n. 6.*

Talis actus eſt etiam ligare cenſura, vel ab ea abſolvere, in foro externo, qualis abſolutio eſt pars Judicii; nam univerſim ligare aliquem per poteſtatem Eccleſiaſticam, vel punire, ſi pretio id fiat, Simoniacum eſt, *Suar. cit. c. 20. n. 16.* quia omnes hujuſmodi actus procedunt a ſupernaturali poteſtate a DEO gratis data ad gubernationem Eccleſiæ. Specia tim vero pretium exigere, vel accipere pro abſolutione ab Excommunicatione habetur, in *c. Ad aures. 24. h. t.* Nam „ cum quidam, propter pecuniam, quam debebat, excom„ municatus fuiſſet, quia eam requiſitus non ſolvit, tandem „ creditoribus ſatisfecit: qui tamen ab Excommunicatori„ bus abſolutionis beneficium obtinere non potuit, niſi pro „ abſolutione decem libras ſolveret. Conqueſtus igitur fuit „ Papæ Lucio III. qui mandavit, ut cum indignum ſit, & „ Eccleſiaſticæ rationi contrarium, ut abſolutionis benefi„ cium pecunia redimatur, ipſum gratis abſolvant, ſi de„ bitum creditoribus ſolvit, & Excommunicatores requiſi„ ti ipſum abſolvere noluerint. Ratio eſt, quia beneficium abſolutionis, cum ſit Eccleſiaſticum, & ſpirituale miniſterium, nihil eſt pro illo præſtando exigendum. *Gloſſ. hic V. abſolutionis.*

LI. An autem poſſit quis pecunia vexationem redimere, ut abſolutionem ab excommunicatione, vel aliis cenſuris obtineat, dubitatur? Negat Innocent. affirmat. *Gl. hic* ſed Joan. Andr. nititur utramque ſententiam conciliare, vel enim, inquit, excommunicato imminet periculum, ſeu grave damnum, quia v. g. contra illum currit præſcriptio, niſi agat; & tunc licitum eſt, dare pecuniam ad obtinendam abſolutionem: alias ſecus. Sed probabilius indiſtincte aſſeritur, non committi Simoniam, ſi pecunia detur ad redimendam vexationem; eo, quod excommunicatio injuſte vexatur, vel abſolutio injuſte denegetur; vel per potentiam, & vim impediatur, quia tunc pecunia datur, non pro actu ſpirituali, ſed pro tollenda vexatione, & iniquo impedimento, ac injuria; neque hoc eſt illicitum, cum ſubſit honeſta, & ſufficiens cauſa, ut neceſſitas talis redemptionis. *Suar. cit. l. 4. cap. 50. num. ult. Barb. in cit. c. Ad aures. n. 3.*

Illud hic addendum, quamvis directe pro abſolutione Judici excommunicanti nihil dari debeat: ſi tamen Adverſarius, propter excommunicati contumaciam, fecit ſumptus, vel etiam ipſe Judex, illos excommunicatus ſolvere debet, antequam abſolvatur, quia non datur intuitu abſolutionis: Aliud eſt, ſi quis injuſte fuiſſet excommunicatus, tunc enim abſolvere debet, ſine ullo gravamine. *Gl. fin. hic.*

LII. Aſſertio 5. Simonia quoque committitur, & quidem contra Jus divinum, ſi aliquid, temporale detur, vel exigatur, & accipiatur pro actibus juriſdictionis Eccleſiaſticæ, ſive voluntariæ, ſive contentioſæ, ſive involuntariæ, qui proxima verſantur circa materiam temporalem, & politicam, cujuſmodi ſunt, ſi Judex Eccleſiaſticus cognoſcat cauſas mere civiles, ſeu ſæculares inter Clericos, de bonis temporalibus, ac profanis, vel de criminibus communibus Clericis, & laicis, vel legitimatio facta ad profanos honores, & bona temporalia; hujuſmodi enim actus, quatenus ab Eccleſiaſtica, & ſpirituali poteſtate procedunt, cadunt ſub materiam Simoniæ Juris divini, ut docet *Suar. cit. cap. 20. n. 19* Ratio eſt, quia quandocunque Epiſcopus, vel alius Prælatus Eccleſiaſticam juriſdictionem obtinens aliquid gratis facere debet, ratione officii, & aliquid exigit, Simoniam committere videtur, maxime, ſi juriſdictio eſt ſpiritualis, ut docet *Gloſſ. in c. 3. V. Pretio, tit. ſeq.* ergo omnes actus, qui a juriſdictione ſpirituali, qua tali, procedunt, ſunt etiam ſpirituales; nam & uſus juriſdictionis ſpiritualis formaliter, ac per ſe eſt ſpiritualis. Nec obſtat, quod interdum materia proxima, circa quam actus verſantur, ſit politica, ac temporalis; quia prout cadit ſub ſpiritualem poteſtatem, ordinatur ad finem ſpiritualem, & aliquo modo ad illum conducit, & ſic actus ſpiritualis efficitur, non ſolum ex parte principii, ſed etiam ex parte finis *Suar. c. l. num. 20.* Dixi ſupra, qui a ſpirituali juriſdictione, qua tali, procedunt; nam actus, qui procedunt a propria juriſdictione temporali, qualem habet Pontifex in ſuo temporali territorio, & plerique Epiſcopi in Germania, pro illis exigere, ac accipere pretium, non eſt Simonia, quia licet exerceantur a Prælatis Eccleſiaſticis; non tamen procedunt a propria poteſtate Eccleſiaſtica, aut ſpirituali, ſed potius temporali, ſive non exercentur ab illis, prout ſunt Prælati Eccleſiaſtici, ſed prout ſunt Principes Imperii, ac domini ſæculares, *Suar. cit. c. 30. num. 17.*

§. II.

An ſit Simonia pretium, vel aliud temporale quid, dare, vel accipere pro omiſſione actus Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, vel alterius actus ſpiritualis?

LIII. Aſſertio 1. Non eſt Simonia alicui dare pecuniam, ut abſtineat ab actu ſpirituali, quem alias injuſte, ſacrilege, vel ſimoniace facturus eſſet. *Suar. l. 4. de Simon. c. 22. n. 6.* Ratio eſt, quia hoc per ſe malum non eſt, & qui dat pecuniam, non intendit emere aliquid ſpirituale, ſed tantum impedire peccatum injuſtitiæ, vel ſacrilegii, vel Simoniæ, ne fiat: & ſi licet aliquem pecunia inducere ad faciendum bonum, cur non etiam inducere pecunia ad vitandum malum, ſeu peccatum: Neque text. in *c. Nemo. 14. h. t.* loquitur de hujuſmodi omiſſionibus, ſed de illis, quæ ſunt contra obligationem, & honeſtatem. Imo neque ex parte accipientis id Simoniam continet, per ſe loquendo, ſed ſolum injuſtitiam, & turpe lucrum, quod acceptum repeti poteſt ab eo, qui dedit: Neque enim in aliis etiam caſibus accipere pecuniam pro vitando peccato eſt Simonia. *Suar. cit. l. nu. 7. & 8.* Unde licet dare Electoribus pecuniam, ne indignum Prælatum eligant, quia hoc nihil aliud eſt, quam redimere velle injuſtam læſionem, vel Eccleſiæ injuriam, ſive vexationem injuſtam.

LIV. Aſſertio 2. Tunc Simonia committur, propter omiſſionem ſpiritualis juriſdictionis, quoties negatio alicujus actus ſpiritualis procedit a poteſtate Eccleſiaſtica, ita ut actum aliquem exercere, ſit moraliter hominem auctoritative ligare, vel detinere: & talis omiſſio cenſeatur moraliter provenire a dicta juriſdictione, & habere effectus morales illi proportionatos, ut docet *Suar. cit. cap. 22. num. 9. Laym. cit. cap. ult. §. 4. num. 43.* V. gr. Si quis poſt auditam alicujus confeſſionem deneget ipſi abſolutionem, propter datam a tertia perſona pecuniam, quia actus a poteſtate clavium proveniens, cujus proprium eſt ſolvere, & ligare, ſive peccata retinere, juxta ſupradicta, ut conſtat ex *cit. c. Nemo 14. h. t.* ubi in fine dicitur: ſi quis pœnitentem gratia, vel favore ad reconciliationem adducat, ſive munus det alicui, ut Pœnitentem reconciliet, vel quocunque livore a reconciliatione removeat, ſive munus det, ut removeat, utrumque Simoniacum eſſe. Item ſi Prælatus, in foro externo, abſolutionem a cenſuris neget ſe daturum, inter

ve-

veniente pacto, vel examinator promittat, non ſe approbaturum dignum ad Ordinem, vel Eccleſiaſticum beneficium, propter pecuniam ab altero acceptam, Simonia committitur: quia non ſolum abſolvere, vel approbare, ſed etiam ligatum detinere, vel reprobatum declarare, eſt actus juriſdictionis, ſeu poteſtatis Eccleſiaſticæ; adeoque utrumque Simoniacum, ſi propter pecuniam, vel aliud quodcunque pretium fiet.

LV. Sed quomodo omiſſio, quæ eſt pura negatio, ſive non ens, poteſt eſſe actus juriſdictionis? Reſpondetur, nomine actus comprehenditur hic etiam carentia, ſive negatio actus ſecundum morem Philoſophorum, & omiſſio rei debitæ æquiparatur commiſſionis, juxta *Reg. juris in ff.* 263. *Qui non facit, quod facere debet, videtur facere adverſus ea, quæ non facit.* Neque vero talis omiſſio exercetur, ſine aliquo actu poſitivo, quo Eccleſiaſticus Judex declaret, ſe nolle abſolvere, vel hunc non eſſe dignum abſolutione, quia quidquid ſit phyſice, certe moraliter non datur pura omiſſio, præſertim in uſu, ſeu exercitio juriſdictionis, quo Eccleſiaſticus Judex declarat, ſe nolle abſolvere, vel hunc non eſſe dignum abſolutione, quæ cum inter homines exerceatur, non poteſt innoteſcere, niſi per aliquem actum poſitivum declaratorium voluntatis Internæ; quæ declaratio eſt quidem uſus, ſeu exercitium Eccleſiaſticæ, ſeu ſpiritualis, poteſtatis; ideoque non magis poteſt pretio æſtimari, quam ipſe actus abſolutionis; nam nolle aliquem abſolvere a peccatis, vel cenſuris, eſt virtualiter ſententia quædam condemnatoria lata per ſpiritualem poteſtatem; adeoque qui talem omiſſionem vendit, virtualiter vendit ipſam juriſdictionem ſpiritualem, quia illa omiſſio non habet aliam æſtimationem, niſi quatenus aliquo modo ab illa juriſdictione moralem quandam efficaciam habet. Accedit, quod talis omiſſio, ſive denegatio abſolutionis propter pretium, cedit in magnam irreverentiam Sacramenti Pœnitentiæ, & Judicii Eccleſiaſtici; ideoque etiam ex hac parte Simoniam continet, quia venditur ſpirituale Judicium. *Suar. cit. c.* 22. *n.* 9. & 10.

LVI. Aſſertio 3. Si omiſſio actus ſpiritualis, non ſit omiſſio juriſdictionis ſpiritualis, ſed alterius actus ſpiritualis, quamvis alias ex officio debiti, ſed nullum effectum ſpiritualem moraliter poſt ſe relinquens; tum non eſt Simonia pro tali omiſſione aliquid dare, vel accipere, niſi intuitu alicujus ſpiritualis boni vendatur, vel majore pretio æſtimetur. *Suar. cit. c.* 22. *num.* 15. *Leſſ. cit. c.* 35. *num.* 64. & 65. *Laym. c. l. num.* 43. V. gr. ſi Sacerdos, vel etiam Parochus pecuniam accipiat, ut Miſſam non dicat, ad quam ex officio tenetur, vel ut ſubditi confeſſionem non audiat, Officium Canonicum non recitet, &c. Ratio eſt, quia omiſſio actus ſpiritualis, etſi debiti ex charitate, vel juſtitia, ſi mera, & pura ſit, nullumque effectum ſpiritualem moraliter pariat, non eſt aliquid ſacrum, vel ſpirituale, ſed ſolum eſt voluntarius non uſus poteſtatis, ſive voluntarius uſus naturalis libertatis, ergo dum pro ea omiſſione aliquid datur, vel accipitur, non datur, vel accipitur pro re ſacra, ſeu ſpirituali; adeoque non eſt Simonia, licet poſſit habere aliquam aliam malitiam adjunctam, quæ tamen non eſt Simonia proprie, ſi non oriatur ex aliqua ſpirituali poteſtate, vel intuitu illius non fiat. *Suar. c. l. n.* 13.

„ LVII. Non obſtat *cit. c. Nemo.* 14. *in princ. h. t.* ubi pro„hibetur Presbyteris, ne accipiant aliquod emolumentum „temporale (quod eſt detrimentum ſpirituale) a quocun„que publice peccante, ut Epiſcopo, vel Miniſtris pecca„tum illius celent, (quod peccatum corrigere, vel de„nunciare tenetur Epiſcopo. *Gloſſ. hic. V. Celet.*) nec ob „reſpectum alicujus perſonæ, conſanguinitatis, aut fami„liaritatis prætermittant, quin peccatum illud Epiſcopo, „innoteſcat, communicantes peccatis alienis. Nam ibi illud prohibetur tanquam adverſum bonis moribus, & officio Clericorum, non vero tanquam contrarium Religioni, nec ut Simoniacum, cum de Simonia nullo verbo in priore parte hujus c. fiat mentio, ut explicat *Suar. cit. c.* 22. *num.* 14. In poſteriore vero parte dicti *cap. Nemo*, prohibentur Clerici reconciliare quempiam, vel reconciliationem alicui negare, propter pretium, quia utrumque Simoniacum eſt (de quo ſupra) quæ verba ad hanc poſteriorem partem ejuſdem c. non ad priorem referenda, ſunt, quia duo actus poſteriores ſunt actus juriſdictionis, vel omiſſionis actus juriſdictionis; non vero priores, adeoque non eſt eadem illorum ratio. Neque vero omnia prohibita in hoc titulo de Simonia ſunt proprie Simoniaca, ſed quædam obiter inſeruntur propter Analogiam quandam, ſeu ſimilitudinem cum Simonia, *Suar. c. l.* 14. Ubi tamen *num.* 15. aliam expoſitionem adfert hujus textus, nempe quod in priore ejus parte ſpecialiter ſermo ſit de Presbyteris, qui exercendo aliquo modo ſuam juriſdictionem, ſeu paſtoralem curam, delictum ſubditorum celant Epiſcopo, cum ad ipſos ex officio ſuo pertineat delicta hæc corrigere, vel ad Epiſcopum deferre: veluti ſi Parochus non denunciet Epiſcopo ſubditum ſuum, qui tempore Paſchali Euchariſtiam non ſuſcipit, idque propter pecuniam: talis enim Simoniam probabiliter committit, cum abutatur ſuo munere, & quaſi juriſdictione, & quantum in ſe eſt, pœnitentem abſolvit, & a cenſura liberat: non tamen generaliter ibi dicitur, omnem, qui debitam denunciationem omittit, propter pecuniam, eſſe Simoniacum.

§. III.

Utrum dare, vel accipere aliquid temporale pro ingreſſu, ſive admiſſione in Religionem, ſit Simonia?

LVIII. Aſſertio I. Dare, vel accipere aliquid, tanquam pretium pro ingreſſu Religionis, ſecundum ſe, & ex vi Juris divini, Simoniacum eſt. Eſt communis ſententia DD. apud *Suar. l.* 4. *de Simon. c.* 17. *n.* 4. & 5. idque verum eſt, ſive aliquid temporale exigatur pro ipſa profeſſione, ſive ſolum pro ingreſſu ad probationem, & ſuſcipiendum habitum Religionis, quia hic primus ingreſſus eſt totus, propter ſecundum per profeſſionem, & ad illam tanquam ad finem ordinatus, & uterque eſt quid ſpirituale, tam ratione principii, quia fit per poteſtatem ſpiritualem, quam ratione finis, quia ordinatur ad ſalutem animæ, & perfectionem charitatis; ideoque Jure divino eſt invendibilis, & Canones indifferenter prohibentur aliquid exigere pro utroque ingreſſu, ut notat *Navar. l.* 5. *conſil.* 86. *n.* 2. *h. t. Suar. cit. l. n.* 4. & patet ex *c. Nullus.* 3. *cauſ.* 1. *q.* 3. & *c. Non ſatis.* 8. *h. t.* ubi dicitur, *prohibemus, ne ab iis, qui ad Religionem tranſire volunt, aliqua pecunia requiratur*, interveniente pacto aliquo, *ibid. V. Requiratur*; item ex *c. Veniens.* 19. & *c. De Regularibus* 26. & *c. Quoniam.* 40. & *c. ſeq. §. Præterea h. t.*

LIX. Aſſertio 2. Pro ſuſtentatione perſonæ ingredientis Religionem, vel etiam in ea profitentis, aliquid temporale exigere, vel accipere, non eſt ex natura rei Simoniacum, nec illicitum, ſi Monaſterium inops ſit, & Regula Ordinis id permittat: ſi vero Monaſterium dives ſit, & videtur eſſe Simonia prohibita Jure Eccleſiaſtico, quamvis contraria conſuetudo non debeat tanquam Simoniaca reprobari. I. Pars aſſertionis hujus traditur a *S. Thom.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 4. *Silv. V. Simonia.* q. 15. *dicto* 2. *Leſſ. cit. c. nu.* 71. *Laym. cit. c. ult. §.* 4. *n.* 39. & alii communiter. Ratio eſt, quia ſicut matrimonium carnale conſiderari poteſt, vel quatenus eſt Sacramentum, vel quatenus eſt humanus, & civilis contractus, cui annexum eſt onus alendi conjugum, & familiam, cujus intuitu dos a puella exigi poteſt ad ſuſtentanda onera matrimonii, licet pro ipſo Sacramento aliquid exigere, & accipere Simoniacum foret. Ita etiam matrimonium ſpirituale, ſive profeſſio Religionis eſt ſtatus quidam ſpiritualis, & eſt præterea contractus quidam humanus inter Religioſum, & Religionem, quæ ſe obligat ad illum ſuſtentandum; licet ergo nihil poſſit exigi, vel accipi pro ipſo ſtatu Religionis, qui ſpiritualis eſt; poteſt tamen pro hoc onere alendi perſonam Religioſi, quod eſt temporale, ac pretio æſtimabile. Nec obſtat *c. Quoniam.* 40. *h. t.* ubi tanquam Simoniaca labes prohibetur, ne pretio recipiantur Moniales (idemque eſt de omnibus Regularibus) ut patet ex ſumma illius cap. & ex ipſo textu etiam prætextu paupertatis, quo hujuſmodi vitium palliare volunt: Nam tunc dicitur aliquid vere, ac proprie ſub prætextu paupertatis exigi, quando Monaſterium revera inops non eſt, & tamen illo titulo, ac colore aliquid exigit; adeoque ut ſummum inde colligitur, quod Monaſteria opulenta ſub illo colore non poſſint aliquid exigere. *Leſſ. cit. l. n.* 71. *Suar. cit. c.* 17. *n.* 14. vel etiam ibi prohibetur illa venditio ingreſſus, quando Monaſterium, etſi vere inops, tamen plus exigit, quam quod ad congrue alendam perſonam, juxta exigentiam talis ſtatus, eſt neceſſarium: tunc enim plus exigitur, ratione ipſius ingreſſus, quod eſt intrinſece malum, licet ſub colore paupertatis, & ſuſtentationis, *Suar. c. l.*

Secunda pars, quod ſit Simonia Juris Eccleſiaſtici, quando Monaſterium eſt dives, ſumitur ex *cit. c. Non ſatis.* & *c. Veniens.* 19. & *c. Dilectus.* 30. ibi: *multi pretio ſunt recepti, qui penitus gratis recipi debuiſſent*, & *cit. cap. Quoniam.* ubi id notat *Gl. V. Paupertatis.* & docet *Leſſ. c. l. num.* 68. *Suar. cit. l. num.* 20. *Laym. c. l.* Ratio eſt, quia quando Monaſteria opulenta ſunt, & ſufficienter dotata, tunc ceſſat jus exigendi aliquid, ratione ſuſtentationis, ſed Religioſi gratis recipi, & ali debent, alioquin cenſebitur aliquid exigi pro ipſa ſuſceptione ad ſtatum religioſum; cum enim jus alimentorum ſit annexum ipſi ſtatui religioſo ſive Juri Religionis, & ratione illius debitum, ſi pro alimentis aliquid exigatur, ubi ea commode a Monaſterio præſtari poſſunt, quia dives eſt, cenſetur tunc aliquid exigi pro ipſo ſtatu religioſo, qui ſpiritualis eſt, & ex quo hoc Jus alimentorum provenit, adeoque erit ſaltem Simonia præſumpta in foro externo, & prohibita Jure Eccleſiaſtico.

Tertia pars, quod conſuetudo contraria, quæ in Monialium, præſertim Monaſteriis obtinuit, damnari non poſſit, probatur; quia non exigitur temporale pro ſpirituali, tanquam pretium, ſed ſolum requiritur tanquam conditio, ut dotem pro neceſſaria ſuſtentatione ſecum adferant, ne Monaſterium acceſſu novarum perſonarum gravetur, & ut plures, quam alioquin deberent, recipere poſſint *Leſſ. cit. l. n.* 69. & 70. *Suar. cit. c.* 14. *n.* 18. *Laym. c. l.*

LX. Ceterum non tantum licitum eſt recipere id, quod mere voluntarie, ac ſponte offertur a volente ingredi Religionem pro neceſſaria ſuſtentatione, prout expreſſe id permittitur in Extravagant. *Sane* 2. *h. tit.* ſolent communes; ſed etiam licitum eſt de eo paciſci, quod non aliter recipietur, niſi neceſſariam ſuſtentationem ſecum afferat, ſi Monaſterium ſit inops. *Leſſ. c. l. n.* 71. *Az. p.* 3. *l.* 12. *c.* 16. *q.* 1. *in fine. Suar. cit. c.* 17. *n.* 12. nam non poteſt ex pacto pecunia dari, vel accipi tanquam pretium Religionis: bene tamen ex pacto, tanquam alimentum, quo Monachus ſuſtentetur; hoc enim jus naturæ concedit, & Canones non prohibent.

„ Neque obſtat, quod in *cit. Extravag. Sane* 1. prohibetur „ſub gravibus pœnis, ne Prælati Religionum, ſeu Ordi„num, etiam militarium, tam exemptorum, quam non „exemptorum, nec Capitula, ſeu Conventus, & ſingula„res perſonæ eorum, ſive mares ſint, ſive mulieres, a vo„lentibus ingredi eorum Religionem, in receptione per„ſonarum earundem, ſive ante, ſive poſt illam, conſequen„que paſtus, prandia, ſeu cœnas, pecunias, jocalia, aut „alias res ad uſum Eccleſiaſticum, vel ad quemvis alium „uſum pium deputatas, vel deputandas, directe, vel indi„recte petere, vel exigere quovis modo præſumant: ſed eas „potius cum omni pietate recipiant, ac in victu, & ve„ſtitu,

Digitized by Google

„ ſtitu, ſicut alias perſonas ſuarum Eccleſiarum, ac Mona„ ſteriorum, ſincera, charitate tractent: quamvis illa, quæ „ ipſæ perſonæ ingredientes pure, & ſponte, ac mere li„ beraliter, omnique pactione ceſſante, dare, vel offerre „ Eccleſiis, Monaſteriis, & domibus, locisque hujuſmodi voluerint, licite recipere poſſint. Ex quo colligi videtur, quod etiam titulo ſuſtentationis, ſaltem interveniente pactione, nihil ab eis exigi poſſit. Verum nulla ibi facta eſt prohibitio, ſuppoſita vera paupertate, ac indigentia ex parte Monaſterii, quia nulla ibi fit nova prohibitio, ſed tantum renovatur antiqua: & additur cenſura, ut patet ex §. *Nos igitur.* ex illis verbis: *quamvis ſit eis a Jure inhibitum*: atqui antiqua Jura non prohibent pro neceſſaria ſuſtentatione aliquid temporale recipere, vel dare, ſi Monaſterium ſit vere inops, ut ſupra oſtenſum, ergo neque in hac Extrav. id prohibetur; ſed tantum prohibentur illæ exactiones, quæ fiunt ſine vera neceſſitate, ob quas moraliter valde difficilis redditur ingreſſus Religionis, & occaſio præbetur multis ſcandalis, cujuſmodi ſunt munuſcula, ſeu dona, quæ pro Sacriſtia, infirmaria, vel aliis ſimilibus uſibus impetrari ſolent, & ad neceſſariam perſonæ ſuſtentationem non pertinent *Suar. cit. c. 17. num. 16.* Accedit, quod tametſi Jure Canonico prohibitum eſſet, aliquid pro neceſſaria ſuſtentatione accipere, vel dare; per contrariam tamen conſuetudinem tali legi quippe humanæ derogari potuiſſet. Neque vero talis conſuetudo cenſeri poteſt corruptela, vel irrationabilis, ſed potius laudabilis, cum per illam ſuccurratur neceſſitati egentium Monaſteriorum, quæ alias vel gravandæ eſſent, vel multæ virgines a Religione excludendæ; ideoque etiam hæc conſuetudo, tacito conſenſu Prælatorum Eccleſiæ, quam ſciunt, & tolerant, approbata fuit, per quam Jus Eccleſiaſticum potius declaratur, quam abrogatur, *Suar. c. l. num. 18.* Quod vero attinet ad abuſus illos, qui fiunt circa apparatus, & ſumptus conviviorum in ſuſceptione, & profeſſione Regularium, & talia dona, quæ cum exactione, ſeu pacto expreſſo, vel tacito, quaſi extorquentur a Regularibus, ea conſuetudo, tanquam corruptela reprobatur, in *cit. Extravag. 1. h. t.* ut notat *Navar. in tract. de reditib. Eccleſ. q. 1. monito 62. n. 3.*

Denique quod dictum eſt, licitum eſſe aliquid exigere, vel recipere ab ingredientibus Religionem, confirmatur ex *Concilio Trid. Seſſ. 25. c. 16. de Regul.* ubi dicitur, quod licitum eſt pro victu, & veſtitu Novitii, tempore, quo in probatione eſt, aliquid ex bonis ejuſdem dare, & accipere; & quamvis Concilium ibi non exprimat, an etiam de eo paciſci liceat; non tamen id prohibetur: & ideo ſtandum eſt Juri communi, ſecundum quod id licitum eſt, ſi Religio ſit pauper; quod ſi pro tempore probationis licitum eſt ſuſtentationem exigere, ergo etiam pro tempore profeſſionis, & reliquo vitæ tempore, ſi ex parte Monaſterii ſit eadem indigentia. *Suar. cit. c. 17. num. 19.*

LXI. Illud hic addendum, ſicut prohibitum eſt tanquam Simoniacum, ſi Monaſterium aliquid exigat, vel recipiat, a perſona ingrediente, tamquam pretium; ita etiam, ſi perſona ingrediens aliquid accipiat a Religione, ſeu Monaſterio, ut ingrediatur, ut patet ex *c. Quam pio. 2. cauſ. 1. q. 2.* ubi, ut notat *Gl. in caſu*, cum quoddam Monaſterium longo tempore caruiſſet Abbate, randem Monachi ex alio Monaſterio Abbatem poſtularunt, quod noluit ipſum concedere, niſi facta ſibi compenſatione, quia erat ipſi utilis. Sed reſpondet Pontifex, quod talis gratia ſuſcipere debeat Prælaturam, etſi poſtea ſubſidii cauſa Eccleſiæ, ſeu Monaſterio, ex quo eſt aſſumptus, aliquid dari permiſſum ſit. Ratio eſt, quia clarum eſt, committi Simoniam, ſi aliquid temporale detur pro impetranda perſona ad Prælaturam Eccleſiæ; ſive ipſi detur, ſive alteri; quia ſic vendit, vel locat ſuam perſonam ad officium, & Miniſterium ſpirituale, quod eſt Simoniacum, & compenſatio damnorum eſt per accidens, cum damnum proveniat ex eo, quod ſit annexum rei ſpirituali; *Suar. cit. c. 17. n. 2.*

§. IV.

De aliis modis, quibus committitur Simonia in ingreſſu Religionis, ejuſque pœnis.

LXII. De his agitur in pluribus Capitulis *h. t.* Et inprimis, ſi Abbas, & Conventus pro pecunia recipiant Monachum ex pacto, ab officio & beneficio ſunt ſuſpendendi, ut „ conſtat ex *c. Veniens 19. h. t.* Nam cum quidam Presbyter „ vellet fieri Monachus in quodam Monaſterio, Abbas, & „ Fratres noluerunt eum recipere, niſi promitteret ſe „ triginta ſolidos daturum, & cum poſtea monaſticum ha„ bitum induiſſet, iidem Monachi poſtularunt triginta ſo„ lidos. Abbas vero decem, & familia duodecim pro pa„ ſtu, juxta conſuetudinem receptam in illo Monaſterio. „ Re delata ad Papam Alexandrum III. ipſe mandavit cui„ dam, ut ſi ita eſt, compellat Abbatem, & Monachos ad „ reſtituendam pecuniam dicto Presbytero ſimoniace ace„ ptam, & Abbatem, ac majores Monaſterii (quorum con„ ſilio Abbas regitur. *Gl. hic V. Majores*) ob tantæ pravi„ tatis exceſſum, ab officii executione ſuſpendat: dicto ve„ ro Presbytero præcipiat, ut in alio Monaſterio Domino „ in habitu monaſtico ſtudeat ſervire.

LXIII. Pro explicatione notandum 1. Ob ſolam conventionem dandi temporale pro ſpirituali incurritur Simonia, poſtquam ſpirituale receptum eſt, licet nondum ſit tandinum temporale: ſicut in hoc caſu, conventio facta fuit de danda pecunia, ante ingreſſum Religionis, & ut ſic commiſſa fuit Simonia pure conventionalis, & poſtea illius intuitu, Presbyter receptus fuit, & tunc tranſiit in Simoniam conventionalem mixtam. *Abb. hic n. 2.* quam tamen pecuniam poſtea etiam Monaſterium recepit, ideoque mandatur reſtitui, *Hoſtienſ. hic. V. Poſtularunt*,

Notandum 2. Presbyterum illum vere factum fuiſſe Religioſum, non obſtante, quod ſimoniace ſit ingreſſus; ex quo patet, quod Simonia commiſſa in receptione Monachi, non vitiet ejus profeſſionem, quia hic non fuit pactum factum, ut Monachus haberet pecuniam, ſed ut eam traderet Monaſterio, quod non eſt contra ſubſtantiam Religioſæ profeſſionis. Attamen propter Simoniacum ingreſſum, ſive bona, ſive mala fide factum, compellitur tranſire ad aliud Monaſterium, & ideo præcipitur, pecunia illi reddi, non in gratiam illius ut ipſe illam retineat, ſed Monaſterii, ad quod tranſfertur, ne illi ſit oneroſus, et proinde proprie non fit reſtitutio illi, qui dedit pecuniam (nam quando turpitudo verſatur etiam ex parte dantis, non eſt locus repetitioni, *l. Ubi autem. 3. l. Si ob turpem. 8. ff. de condict. ob turp. cauſ.*) ſed Religioni, ſive Monaſterio. *Abb. hic num. 4. Suar. l. 4. de Simonia c. 60. num. 21.* ubi addit, ſimoniace ingreſſum non teneri ad relinquendum prius Monaſterium, donec per ſententiam in aliud transferatur, & conſequenter quamdiu Religioſus ibi permanet, non tenetur Monaſterium reſtituere pecuniam, quam accepit; nam cum hæc reſtitui debeat danti, ut dicitur in *cit. cap. Veniens*, ipſe vero non ſit capax accipiendæ, vel retinendæ ipſius pecuniæ pro ſe, quippe Religioſus, ſed datam pecuniam reſtituere debet Monaſterio, ad quod transferendus eſt, ideo quamdiu manet in priore Monaſterio, hoc retinere poteſt pecuniam acceptam.

„ LXIV. Secundo in *c. de Regularibus. 25. hoc t.* ſtatuit „ Papa Clemens III. conformiter Canonibus antiquis (*c. „ Si quis* 115. & multis aliis *cauſ. 1. q. 2.*) ut ſi regulares „ Canonici, vel Monachi ſcienter per Simoniam ſunt ingreſ„ ſi Monaſterium, locum illum, quem taliter (Simoniace „ ſcilicet, & ipſis ſcientibus, ac non contradicentibus) „ ſunt adepti, omnino dimittant: & ſolitudinem, vel alia „ Monaſteria ſtrictiora adeant, in quibus pœnitentiam a„ gant. Si vero ipſis ignorantibus fuit data pecunia, co„ gendi ſunt ad renunciandum eidem loco; (ut ingreſſum „ vitioſum purgetur, quia alter pœnitere non poſſunt. *Gl. „ fin. hic. & Hoſt. V. Ad renunciandum*) & poſtmodum re„ duci poſſunt ad eundem locum (ſi ibi abſque ſcandalo „ manere potuerint) vel in alio ejuſdem Ordinis ad DEO „ ſerviendum collocari. Ratio eſt, quia iſti non ſunt Simoniaci, licet Simoniace ſint ingreſſi, & ideo poſſunt in ſuis Ordinibus remanere, & poſt factam reſignationem ad beneficia priſtina reſtitui per diſpenſationem, juxta *c. De Simoniace. 11. h. t. Gl. hic V. Ignorantibus.* de quo infra.

LXV. Notandum 1. Profeſſionem Religionis per Simoniam, etiam ſcienter factam eſſe validam, ut colligitur ex hoc c. quia nec hic, nec alibi ea irritatur, ſed ſolum in pœnam prohibetur Religioſus permanere in eo Monaſterio, in quo ſic eſt profeſſus, ſed in aliud arctius Monaſterium, ad agendam ibi pœnitentiam includi debet. *Leſſ. l. 2. c. 35. n. 132. Suar. l. 4. de Simonia. c. 57. n. 7.*

Notandum 2. Hæc pœna non incurritur ipſo jure, vel in conſcientia obligat, donec per præceptum Superioris, vel ſententiam Judicis infligatur. Quia Canones ad illam requirunt actum hominis, & ita intelligi debent verba illa, *locum omnino dimittant*, ſcilicet, quando illis præceptum fuerit, vel ſi condemnati fuerint, ſed poſt condemnationem inferior Papa cum iis diſpenſare, vel eos reſtituere non poteſt, niſi ignorantia interceſſerit, juxta hoc c. vel niſi neceſſitas poſtulet, ut in eodem Monaſterio Simoniace ingreſſus remaneat, juxta *c. Quoniam. 40. h. t. Suar. l. 4. c. 6. 1. n. 9. Laym. cit. c. ult. n. 70.* Etſi vero *Navar. comment. 4. de Regular. n. 25.* dicat, profeſſionem Simoniacam eſſe quidem validam, non tamen ſic profeſſum acquirere jus ad ſuſtentationem, ſeu portionem ex reditibus communibus; neque jus vocis activæ, & paſſivæ in Conventu, quia hæc habent ſe inſtar præbendæ Canonicæ, cujus Simoniacus non eſt capax: contrarium tamen verius eſt, quia Monachatus non eſt proprie beneficium Eccleſiaſticum, ſed tantum late; ideoque Canones irritantes collationes beneficiorum ſimoniace factas non debent, cum ſint pœnales, extendi ad Monachatum, & jus ſuſtentationis, vel vocis in Capitulo, quod per quamlibet Religioſam profeſſionem validam acquiritur. *Suar. cit. capit. 57. num. 9. & Laym. cit. l. num. 70. in fine.*

„ LXVI. Tertio in *c. Dilectus. 30. h. t.* ſtatuit Innocentius „ III. ut, ſi contra, plures, qui in Monaſteriis, & religioſis „ locis, pretio ſunt recepti, qui potius gratis recipi de„ buiſſent, imo etiam ad Religionis obſervantiam invita„ ri, accuſatio fuerit canonice inſtituta, poſtquam crimen „ ordine judiciario fuerit comprobatum, tam dantes, quam „ accipientes canonica pœna mulctentur (ſcilicet pœna „ depoſitionis, juxta *c. De hoc. 11. & c. inſinuatum. 13. h. t.*) „ *& c. Inquiſitionis 21. de accuſ. Gl. hoc V. Severitate.* Si no„ rem per ſolam inquiſitionem de crimine conſtiterit, ii, „ qui per Simoniam in talibus locis ſunt recepti, inde „ amoveri, & ad arctiora Monaſteria mitti debent ad „ agendam pœnitentiam: Abbatibus autem, & Abbatiſſis, „ Prioribus, & Prælatis quibuslibet, & eorundem Offi„ cialibus, qui ſimoniace illos receperunt, competens pœ„ nitentia eſt injungenda, & donec illam peregerint, ab „ executione ſacrorum Ordinum ſuſpendi debent. Et hanc „ formam Epiſcopi per ſuas Diœceſes obſervare ſtudeant. „ Illud tamen gratanter recipi poterit (ſcilicet pro in„ greſſu Religionis) quod gratis, ſine taxatione aliqua, eis „ fuerit oblatum.

LXVII. Pro explicatione notandum 1. Convictus de Simonia per viam inquiſitionis, quæ non eſt commiſſa in Ordine, non deponitur ab officio, ſed tantum removetur ab adminiſtratione, ſive beneficio, vel a loco ſimoniace acquiſito, ſicut in aliis criminibus ſit, *cap. Qualiter. 24. & cap. Cum dilecti. 28. de accuſ. & cit. cap. De Regularibus. hoc t. Gloſſ. hic V. Amoto & Abb. nu. 1.* & ſic nulla eſt in hoc diffe-

Digitized by Google

differentia inter Clericos ſeculares, & Regulares: nam etiam ſecularis Clericus ob Simoniam commiſſam, non in Ordine, ſed in beneficio non deponitur, quando actum fuit per viam inquiſitionis, ut conſtat ex *cit. c. Inquiſitionis, de accuſat. Abb. hic num. 8.*

Notandum 2. In his ſpiritualibus, quæ tantum per liberalem donationem conferri poſſunt, non eſt licita, ſed prohibita taxatio, ut colligitur ex *hoc c. in fine.* ibi: *ſine taxatione*, quia taxatio eſt quædam venditio, & quaſi pactio *Gl. hic V. eod.* At vero in iis rebus, quæ ex debito dantur, per modum ſtipendii, etiam in ſpiritualibus Miniſteriis, non eſt ulla lege prohibita taxatio, ſi de modo, vel quantitate ſtipendii non conſtet ex lege, vel conſuetudine, quia non eſt determinatum ab illa; tunc enim ſaltem ex conventione partium determinari debet, alias maneret totum in arbitrio dantis, quod ſæpe non expedit, *Suar. c. l. 4. c. 46. n. 6. in collectan. hic n. 4.*

Notandum 3. Si delictum a Collegio, vel Univerſitate aliqua ſit commiſſum, convocato prius toto Capitulo, ſeu Collegio, tunc omnes ſunt puniendi, qui expreſſe vel etiam tacite conſenſerunt non contradicendo, quia tenebantur expreſſe reſiſtere delicto committendo, ſive illud diſſuadere, & contrarium ſuffragium dare, *Innocent. in c. 1. num. 4. de his, quæ ſiunt a maj. par. Cap.* quod ſi aliqui expreſſe contradixerunt in Capitulo, non debent puniri, *l. 1. ff. de Magiſt. conveni. & arg. c. Romana 5. in fine de ſent. Excomm. in 6.* ubi dicitur: in illos duntaxat de Collegio, vel Univerſitate, quos culpabilis eſſe conſtiterit, ſententiam Excommunicationis eſſe promulgandam; ſi vero non capitulariter delictum fuit commiſſum; tum majores, ſeu Officiales de Univerſitate, ſeu Capitulo debent puniri, una cum Prælato, ſive Rectore, prout colligitur ex *cit. cap. Dilectus. hoc tit.* ibi *Gloſſ. V. Officialibus*, quia præſumitur, quod Prælatus coram ipſis delictum commiſerit, vel ſaltem ipſis ſcientibus id factum eſſe, & ideo debebant contradicere, & ſe opponere. Inferiores vero non debent hoc caſu puniri, quia non præſumuntur ita ſcire, nec audent, cum tanta auctoritate ſe Prælato, & majoribus opponere, iiſque reſiſtere, *Abb. in cit. c. Dilectus. n. 9.* ubi addit, ſi conſtiterit etiam ipſos majores vel officiales ignoraſſe factum, non eſſe eos puniendos, ſed ſolum Prælatum, qui deliquit.

LXVIII. Quarto in *c. Quoniam 4. h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio generali Lateranenſi, ſub Innoc. III. *cap.* „64. præcipitur: ut, quoniam Simoniaca labes adeo pleraſque Moniales inficit, ut vix aliquas recipere velint in ſorores, prætextu paupertatis volentes hujuſmodi vitium palliare, de cætero id non fiat, adjecta pœna, ut quæcunque Moniales deinceps talem commiſerit pravitatem, tam recipiens, quam recepta, ſive ſubdita fuerit, ſive Prælata, ſine ſpe reſtitutionis, & ſuo Monaſterio expellatur, & in arctius Monaſterium ad perpetuam pœnitentiam agendam, detrudatur. De his autem, (ſcilicet Monialibus) quæ ante decretum hujus Concilii, taliter ſunt receptæ, ſtatuit idem Concilium, ut ex illis Monaſteriis, quæ perperam ſunt ingreſſæ, removeantur, & in aliis ejuſdem Ordinis locis collocentur. Quod ſi forte propter nimiam multitudinem (ob quam aliquid detrahitur ſeveritati. *Gl. hic V. Multitudinem*) alibi commode collocari non poſſint, tum ne cum periculo ſuæ damnationis æternæ, in ſæculo vagentur, diſpenſative de novo in iiſdem Monaſteriis recipiantur; ita tamen, ut cedant prioribus locis, & inferiora loca eis aſſignentur. Et hoc etiam, quod dictum eſt de Monialibus, circa Monachos (quorum appellatione hic non ſolum Priores, ſed Abbates etiam continentur, *Hoſtienſ. hic V. eod.*) & alios Regulares eſt obſervandum. Verum ne per ſimplicitatem, vel ignorantiam aliqui ſe valeant excuſare, præcipit Concilium, ut Epiſcopi Diœceſani ſingulis annis per ſuas Diœceſes hoc faciant publicari.„

LXIX. Pro explicatione notandum 1. conſtitutio juris antiqui declaratoria addens novam pœnam, non extenditur ad præterita quoad pœnam, quia reſpectu illius pœnæ, cenſetur nova conſtitutio, ut patet ex hoc cap. Nam licet ante Concilium Lateranenſe Simonia committeretur in tali receptione Regularium: non tamen hujuſmodi pœna erat ſic ſtatuta; ideoque aliter puniuntur, recepti ante hanc Conſtitutionem, & aliter poſt illam recipiendi, *Abbas, hic. num. 3.*

Notandum 2. De eo dubitatur, an hodie ſtandum ſit huic Conſtitutioni circa Regulares, indiſtincte ſive directe actum ſit contra eos, per modum accuſationis, ſive per modum inquiſitionis, nempe, ut qualitercunque conſtet de crimine, pœna iſta imponatur, ut expellantur, & in arctius Monaſterium ſic ſimoniace recepti, & recipientes detrudantur, ſine Ordinis ſui executione, cum alias pœnitentiam agere non poſſint; nam extra clauſtrum mutari non debent, quæ opinio *Gloſſ. hic V. Expellatur.* Alii vero, ut *Hoſtienſ. hic V. Expellatur. & Abb. num. 5.* putant hanc Conſtitutionem intelligendam eſſe ſecundum diſtinctionem datam in *cit. cap. Dilectus. 30. h. t.* nempe, ut, ſi actum ſit per modum inquiſitionis, hæc pœna locum habeat; ſi per modum accuſationis, tunc pœna depoſitionis imponenda foret: nam correctio Jurium, ſine neceſſitate, induci non debet, & non eſt novum, ut priores leges ad poſteriores trahantur, *l. 14. ff. de legib.* Porro ſi tales Regulares Simoniaci redierint ad priſtinum Monaſterium, detrudendi ſunt, in perpetuum carcerem, intra ſepta Monaſterii, ut ibi agant duriorem vitam, quam alii. *Gl. hic V. Perpetuum. & Hoſtienſ. V. eodem Abb. num. 5. in fine.*

Notandum 3. Si Monachi, ipſis ignorantibus, recepti ſint per Simoniam, alio pro ipſis pecuniam dante, ſive ante Concilium Lateranenſe, ſive poſt, facta ſit talis receptio, poſtquam renunciaverint, poſſunt de novo recipi, mutatis tamen locis prioribus, ut ſupra dictum, ita *S. Thom. 2. 2. quæſtion. 100. articul. 6. ad 5. Azor. part. 3. lib. 12. cap. 20.*

LXX. Quinto denique in *cit. Extravag. Sane 1. h. t.* inter communes. §. *Nos enim. h. t.* ab Urbano IV. contra eos, qui dant, vel accipiunt aliquid ob ingreſſum Religionis ſtatutum eſt, ut, „ſi ſint perſonæ ſingulares, tam dantes, quam accipientes hujuſmodi excommunicationis; ſi vero Capitulum, vel Conventus fuerit, ſuſpenſionis ſententia eo ipſo ſubjaceant: a quibus, præterquam in mortis articulo, abſolvi nequeant; abſque ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ. Porro perſonæ, quæ jam tali labe fœdatæ ſunt, ut per locorum Ordinarios abſolvantur, concedit Pontifex, ſed hac vice duntaxat, & ut in Eccleſiis, vel Monaſteriis earum manere poſſint, cum iis diſpenſetur. Et inſuper concedit, ut quæ ſic recepta ſunt, ſi ad communem uſum Eccleſiarum, vel Monaſteriorum applicata ſunt, licite retineri poſſint: ſi vero ad ſpecialem uſum Abbatis, vel Abbatiſſæ, aut alterius ſingularis perſonæ; illa, præcipit, in communem uſum applicari.

LXXI. Circa has cenſuras notandum 1. Si aliquid mere ſponte detur, & accipiatur in ingreſſu Religionis, ſine pacto expreſſo, vel tacito, nulla incurritur cenſura, quia hoc per ſe malum non eſt, nec in hac Conſtitutione prohibitum eſt, imo potius permiſſum. *Suar. diſ. 22. de cenſ. ſect. 5. n. 7.* ſed neque incurritur cenſura, ſi quid detur, vel accipiatur non pro ipſo ingreſſu, ſeu receptione, ſed in ſuſtentationem ejus, qui ingreditur, quia Monaſterium non habet ſufficientes reditus ad illum alendum; etiamſi pactum intercedat: quia hoc non eſt Simoniacum, *Suar. c. l. num. 9.* & patet ex ſupradictis. Quin imo aliqui DD. id extendunt, ut neque incurratur cenſura excommunicationis, vel ſuſpenſionis, ſi Monaſterium dives aliquid accipiat, vel, ſi detur pro ſuſtentatione, cum ſi egente non eſt Simonia, per ſe loquendo, & ex natura rei, nec in divite erit, cum in utroque idem pro eodem petatur; adeoque, ſi in paupere non eſt Simonia, nec in divite erit: & Monaſterium dives non tenetur bona ſua expendere in ſuſtentationem perſonæ, præſertim ſi ipſa poſſit ſecum, afferre unde alatur; ergo erit id licitum, modo vitetur exceſſus, & abſit ſcandalum, aliudve peccatum, & ut ſummum, erit Simonia præſumptive, & in foro externo, vel in conſcientia, ſi habeatur reſpectus, non ad victum, ſed ad ipſum ingreſſum. *Sylv. V. Simonia. n. 15. dicto. 2.* Verum per hoc ſolum probatur, ſecluſo Jure poſitivo, id eſſe licitum; adeoque non eſſe Simoniam Juris divini, ſed quia S. Pontifex, penes quem eſt poteſtas diſponendi de bonis Eccleſiaſticis, ſtatuit, ut omnino gratis Religioſi recipiantur, & ex eis ſuſtententur; conſequenter abſtulit omne jus petendi aliquid, ab ingredientibus Religionem, ob ſuſtentationem; quia ipſa bona Religionis jam ſunt ad hoc deſtinata: ideoque, ſi Monaſterium dives aliquid exigat hoc titulo, is eſt falſus, & fictus *Suar. cit. ſect. 5. n. 11.*

Notandum 2. Quamvis Simonia committi poſſit, ſi quis pretio recipiatur ad habitum Religionis pœnæ tamen Juris non incurruntur, niſi profeſſio fuerit ſubſecuta; nam ſi pretium ſit receptum pro ſuſceptione ad habitum, ſed poſtea Simoniaca illa pactio retractatur, quia vel pecunia non accipitur, vel accepta reſtituitur, & profeſſio mere gratis admittitur, non contrahitur cenſura. Ratio eſt, quia talia pacta principaliter ordinantur ad profeſſionem Religioſam, ſi ergo ea non ſequatur; quia pro ſuſceptione ad profeſſionem nulla pecunia accipitur, ſed gratis fit, non cenſetur perfecte conſummata illa Simonia, quia leges pœnales intelligi debent cum effectu, nec extendi ultra caſum expreſſum. *Suar. l. 4. de Simon. c. 56. num. 7.* Contra vero, etſi ſuſceptio ad habitum gratis facta fuerit, ſed ſi poſtea pro admiſſione ad profeſſionem aliquid exigatur, vel accipiatur incurritur cenſura, quia tunc actus Simoniacus plene perficitur, & conſummatur. Sed neque excommunicatio incurritur, ſi ingrediens aliquid exigat a Monaſterio, ut ingrediatur, quia de hoc modo Simoniæ in illa Extravag. nulla fit mentio. *Suar. c. l.*

Notandum 3. Quæ dicta ſunt obtinent non tantum in cenſura excommunicationis, ſed etiam, ſuſpenſionis, quæ dicta Extravag. 1. imponitur, Conventui conſentienti in talem Simoniam: ſuſpenditur autem ibi Capitulum ab omni actu, ſeu officio capitulari, & communi, ad quod juriſdictio, ſeu adminiſtratio requiritur; quia Capitulum in communi non eſt capax alterius ſuſpenſionis, & tota illa juriſdictio comprehenditur ſub ſententia ſuſpenſionis. *Suar. c. l. num. 8.*

Cæterum hæ cenſuræ non habent locum in dote, quæ datur Monaſteriis fœminarum, ſed ſunt revocatæ per Bullas plurium Pontificum, ut referunt DD. apud *Suar. cit. diſ. 22. ſect. 5. n. 14.* ſed & in Religionibus virorum raro Simoniam committi, ait *Suar. c. l. num. 17.* quia ob tenuitatem redituum Monaſterii, eo quod numerus eorum, qui commode ali poſſunt, jam eſt expletus, & tamen expedit plures idoneos adhuc recipere, qui pro ſuſtentatione nihil afferre poſſunt: vel etiam propter diuturnam conſuetudinem talis exactio, etiam cum pacto, excuſari poteſt, & licita fieri. Ex dictis colligitur triplicem pœnam Jure decretam eſſe propter Simoniacum Religionis ingreſſum. Prima eſt Excommunicatio, quam incurrunt, tam dantes, quam accipientes pretium pro ingreſſu. Secunda eſt ſuſpenſio, quam incurrit Capitulum, ſive Conventus, ſi conſenſerit in hanc Simoniam. Tertia eſt, quod ſimoniace admiſſi inhabiles fiant ad manendum in illo Monaſterio, ubi ſic ſunt recepti, & in aliud detrudi debent, niſi cum illis diſpenſetur, *Loſſ. cit. l. num. 231.*

SI-

Digitized by Google

SECTIO IV.

DE SIMONIA, QUÆ COMMITTITUR in Beneficiis Eccleſiaſticis, & circa officia Eccleſiæ temporalia.

§. I.

Utrum Simonia, quæ committitur in venditione beneficiorum Eccleſiaſticorum ſit contra Jus divinum. An vero ſolum contra Jus poſitivum, ſeu Eccleſiaſticum?

LXXII. Præmittendum 1. Quia tripliciter poteſt aliquid annexum eſſe rebus ſpiritualibus, antecedenter, concomitanter, & conſequenter, ut dictum ſupra *ſect. 1. §. 1. n. 2. h. t.* ideo circa hujuſmodi annexa ſpiritualibus quatuor ſunt notandæ Regulæ, ut tradit *Suar. tom. 1. de relig. l. 4. de Sim. cap. 23. num. 8.* Prima eſt, annexum ſpirituali, quatenus tale eſt, ſive ratione connexionis, ſeu ordinis, quem habet ad ſpirituale, vendi non poteſt, quia ſpirituale videretur pretio æſtimari, ut docet etiam *S. Thom. 2. 2. qu. 100. art. 4. ad 2.* Secunda Regula eſt, annexa antecedenter ſpiritualibus per ſe ſpectata, ſive quoad materiale, vendi poſſunt, ſaltem ex natura rei, & ſecluſa prohibitione Eccleſiæ, non obſtante connexione cum re ſpirituali, modo non vendantur ratione illius. Sic Templa, calices, veſtes ſacræ, ſimileſque res conſecratæ, vel benedictæ vendi poſſunt, ratione materiæ, etiam dum retinent conſecrationem, vel benedictionem, ſecundum probabilem opinionem quorundam DD. modo non carius, ratione connexionis cum re ſacra, ſcilicet conſecratione, vel benedictione vendantur, & æſtimentur, de quo plura dicta ſunt *l. 3. Decret. Tit. 17. §. 3. numer. 15.* Tertia Regula eſt, annexum ſpirituali concomitanter, ut eſt labor intrinſece, & inſeparabiliter conjunctus functionibus, ac Miniſteriis ſpiritualibus, nulla ratione, vel reſpectu vendi poteſt, quia non tam eſt annexum, quam vere ſpirituale, & intrinſeca pars functionis ſpiritualis, ut dictum ſupra. Quarta Regula eſt, quæ annexa ſunt ſpiritualibus conſequenter, non poſſunt vendi ſine Simonia, quia venderetur neceſſario illud ſpirituale, quod ad illa præſupponitur, cujuſmodi ſunt beneficia Eccleſiaſtica; ut mox magis explicabitur.

LXXIII. Præmittendum 2. Duo in beneficiis diſtinguere oportet, ſcilicet Jus exercendi Miniſteria ſpiritualia, ſeu munera Eccleſiaſtica, quod proprie Officium appellatur: & Jus percipiendi fructus, ſeu emolumenta temporalia, quod præbenda, vel etiam Beneficium vocatur & datur propter officium, *c. ult. de reſcript. in 6.* quamvis nunc communiter totum illud complexum ex utroque Jure indeque reſultans beneficium Eccleſiaſticum appellari ſolet, ut notat *Suar. c. l. 4. de Simon. c. 24. numer. 1.* Jam ergo certum eſt inprimis quod beneficium, quoad ipſum Jus ſpirituale ordinatum ad præſtanda munera ſpiritualia, ſit Jure divino invendibile; conſiſtit enim ut ſic in aliqua poteſtate ſpirituali, quæ pretio æſtimari non poteſt, ideoque illud vendere, quoad hoc Jus, eſt intrinſece malum, idque procedit, ſive beneficium ſit curatum, & habeat juriſdictionem annexam, ſive non ſit; ſed ſimplex, quia ſemper fundatur in ſpirituali titulo, ſive poteſtate exercendi actus Ordinis, vel adminiſtrandi, aut obeundi officia divina, qui eſt titulus, & Jus ſpirituale, ſine quo nullum poteſt dari proprium beneficium Eccleſiaſticum, & in hoc omnes DD. conveniunt, ut ait *Suar. cit. l. n. 4.* Nec refert, quod beneficiorum inſtitutio, & titulorum diviſio facta ſit ab Eccleſia: nam licet aliquid effective ſit ſpirituale ex Eccleſiæ inſtitutione, poſtquam tamen tale factum eſt, ſive deputatum ab Eccleſia ad uſum, vel munus ſactum, formaliter, & eſſentialiter eſt ſpirituale; adeoque Jure divino prohibitum eſt illud vendere, ut patet in ſacris vaſis, & aliis Sacramentalibus.

Deinde certum eſt, quod de facto non poſſunt beneficia Eccleſiaſtica vendi, vel emi, etiam quatenus iis ſunt junctæ præbendæ, ſive Jus percipiendi reditus Eccleſiaſticos, qui etſi ſecundum ſe ſpectati ſunt mere temporales, tamen quatenus titulo ſpirituali beneficii ſunt annexi, quandam ſpiritualitatem participant; ideoque ſine vitio Simoniæ pro eis pecunia, vel aliud temporale dari, vel accipi non poteſt, ut patet ex *c. Querelam. 15.* & *c. Tua nos. 34. h. t.* & *c. ult. de pact.* & aliis ſimilibus, in quibus omnis pactio, ſeu contractus reciprocus, & oneroſus, in Eccleſiaſticis beneficiis prohibetur, & præcipitur, ut abſolute, & ſimpliciter conferantur. *Suar. cit. l. n. 6.*

LXXIV. His præmiſſis, & ſuppoſitis, jam quæritur, utrum accipere pecuniam pro collatione beneficii, adeoque vendere, & emere beneficium, quatenus præciſe eſt Jus percipiendi reditus temporales, annexum tamen ſpirituali Juri, ſive titulo beneficii, qui conſiſtit in officio, ſeu poteſtate exercendi ſpiritualem aliquam functionem, ſit ſimonia prohibita Jure divino; an vero ſolum prohibita Jure Eccleſiaſtico? Triplex eſt ſententia. Prima ſimpliciter affirmat eſſe contra Jus divinum, quam tenent plerique Theologi. *Silv. V. Simonia. q. 12. dicto. 6. & 7. Suar. cit. c. 24. n. 7. & ſeq. Azor. p. 3. l. 12. c. 12. qu. 3. Laym. l. 4. tr. 10. c. ult. §. 3. n. 44.* Et ex Canoniſtis *Abb. in c. Extirpanda. 30. in repetit. §. Qui vero. num. 53. & ſeqq. de præb. & in c. 2. num. 6. hoc tit.* & plures alii apud *Suar. cit. l.* Secunda ſententia ſimpliciter aſſerit, eſſe tantum Simoniam contra Jus humanum, ſeu Eccleſiaſticum, quam tenet *Jul. Clar. §. Simonia. nu. 5. Garc. de benef. p. 1. c. 2. n. 9.* & amplexi ſunt plerique Canoniſtæ, quos etiam ſequitur *Leſſ. l. 2. de juſt. c. 35. num. 26.* Tertia ſententia eſt media, nempe vendere pro pecunia beneficium curatum, vel habens juriſdictionem Eccleſiaſticam, eſſe Simoniam contra Jus divinum; non vero beneficium ſimplex, & ſine juriſdictione, id enim eſſe ſolum contra Jus Eccleſiaſticum, quam tenent plures apud *Suar. cit. l. n. 20.*

LXXV. Ex his prima ſententia eſt communior, & verior; ac tenenda, nempe Simoniam eſſe contra Jus divinum, & naturale; adeoque intrinſece malum; Ita ut in eo diſpenſari non poſſit, nec ab ipſo Papa vendi non poſſit beneficium, etiam ſimplex ſine crimine Simoniæ, etiamſi vendatur ſolum ratione Jus percipiendi reditus temporales. Idque ex pluribus Canonibus probatur: nam inprimis in *c. Ex multis. 9. cauſ. quæſt. 3.* ait Alexander II. quod Concilium Chalcedonenſe unum ex principalibus, ſimili pœna condemnet eos, qui Eccleſiæ beneficium, interventu pecuniæ acquirunt, & eos, qui ſacram manus impoſitionem, per quam Spiritus S. confertur, mercantur: hos autem Jure divino damnari nemo ambigit & loquitur de beneficio Eccleſiæ indefinite; adeoque non ſolum de iis, quibus eſt annexa poteſtas clavium, vel juriſdictio. Et in *c. Salvator. 8. §. Igitur. cit. cauſ. 1. quæſt. 3.* Urbanus II. conſultus, an vendere Eccleſiaſticam rem, id eſt, beneficium Eccleſiaſticum, ut explicat ibid. *Gl. V. eod.* ſit Simoniacum? Reſpondet hoc Simoniacum eſſe, patenter colligitur ex eo, quod S. Petrus dixit Simoni: *pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia exiſtimaſti donum Dei pecunia poſſideri.* Et in *cap. 2. eod. & cauſ. & q.* dicitur: Si quis dator, vel acceptor DEI Eccleſias, vel beneficia Eccleſiaſtica (quæ præbendas vocant) ſub pecuniæ interventu ſuſceperit, ſive dando emerit, ſive accipiendo vendiderit, a Simonis non excluditur perditione. Et in *c. 3. cauſ. 1. quæſt. 1.* dicitur, quia Altare, decimas, &c. emere, vendere Simoniaca hæreſis eſt, quæ non appellaretur hoc nomine, niſi lege divina hoc crimen damnatum eſſet.

LXXVI. Idem etiam habetur in *c. Non ſatis. 8. h. t.* ubi „ prohibentur vendi Prioratus, & Capellaniæ Monachorum „ aut Clericorum, & ne pro Prælatis inſtituendis ullum pre„ tium exigatur; ſi vero quis contra hoc decretum attentare „ quid præſumpſerit; tam ille, qui dederit, quam ille, qui „ acceperit, vel conſenſerit, partem cum Simone habebit. „ Et in *c. ſeq.* damnatur conſuetudo recipiendi pecuniam „ pro Epiſcopis, vel Abbatibus, vel quibuſcunque per„ ſonis Eccleſiaſticis ponendis in Sedem, vel Presbyteris „ introducendis in Eccleſiam: & additur, quiſquis con„ tra hoc præſumpſerit, portionem cum Giezi ſe nove„ rit habiturum: quod dici non poſſet, niſi talia emere, vel vendere lege divina eſſet damnatum in perſonis Simonis, & Giezi, ut ait, *Turrecrem. in c. Laterem. 2. cauſ. 1. quæſt. 2. num. 9. verſ. 5.*

Idem probatur etiam ratione, quia licet Beneficium Eccleſiaſticum, prout eſt Jus percipiendi reditus temporales, ſecundum ſe ſit pretio æſtimabile, quia tamen illud ex primæva beneficiorum inſtitutione ita eſt annexum officio ſpirituali, in eoque fundatum, ut non poſſit alicui competere, niſi Clerico, vel perſonæ Eccleſiaſticæ, & propter officium Clericale, ſeu Miniſterium ſpirituale, propter quod datur beneficium, ſeu præbenda, quæ conſiſtit in reditibus Eccleſiaſticis, tanquam debitum ſtipendium, nonſolum jure humano, ſed etiam Jure divino, & naturali; nam hoc ipſo, quod quis eſt Clericus, & divinis officiis mancipatus, jus habet, ut ſuſtentetur ab Eccleſia, ſive ad proventus Eccleſiaſticos percipiendos, *c. ult. cauſ. 1. qu. 2.* nam dignus eſt mercenarius mercede ſua. *Matth. 10.* & qui ſervit Altari, vivere debet de Altari, *1. Cor. 9. v. 13.* conſequenter ſi alicui vendatur Jus percipiendi reditus beneficiales, venditur etiam illi Jus ſpirituale officium exercendi, ſine quo ſtipendium beneficii Eccleſiaſtici, nec eſſe, nec intelligi poteſt, juxta Regulam illam Papæ Paſchalis II. in *cap. Si quis 7. cauſ. 1. quæſt. 3. Quiſquis horum alterum vendit, ſine quo alterum non provenit, neutrum invenditum derelinquit.*

LXXVII. Objicitur 1. In ſacra Scriptura nullo reperitur damnatum aliquid, ut Simoniacum, niſi venditio Sacramentorum, & operatio miraculorum, ut colligitur ex *c. 8. Actor.* Sed id verum non eſt, quia *Matth. 10. v. 7.* quando ait Chriſtus, *gratis accepiſtis, gratis date.* Prohibentur venditiones omnium actuum ſpiritualium; non quidem expreſſe, ſed implicite, quia ibi prohibetur vendere prædicationem Evangelii; adeoque etiam prohibitum eſt vendere alias functiones ſpirituales, ſive miniſteria Eccleſiaſtica, *Turrecrem. in cit. cap. Laterem. num. 12 reſponſ. ad ſecundam rationem.*

Objicitur 2. Quando ſpirituale, & temporale ſunt annexa, tunc vendito temporali, licitum eſt etiam vendere, ſive transferre in alium ſpirituale ei annexum, ut patet in jure patronatus, quod vendito fundo, una cum ipſo, venditur, & tranſit ad emptorem: item in vaſis ſacris, quæ licite vendi poſſunt, modo non vendantur pluris, ratione conſecrationis: ergo etiam quodlibet beneficium Eccleſiaſticum, etſi ſit conſequens quid ad officium ſpirituale, licite vendi poteſt, dummodo non pluris vendatur, ratione illius connexionis. Sed negatur conſequentia. Ratio diverſitatis eſt, quia veſtes, & vaſa ſacra ſunt annexa ſpiritualibus, non quod illis poſteriora ſint, ſed tanquam tempore priora ad Sacramentorum uſum referuntur, & ordinantur, a quibus ſecundum ſe, & ſuapte natura non pendent. Unde ratione materiæ, qua conſtant, vendi poſſunt abſque eo, quod vendita materia ſimul venditum cenſeatur id, quod eſt ſpirituale in eis, videlicet conſecratio, vel benedictio: nam materia abſolute, & ſimpliciter præcedit, quod in eis ſpirituale eſt, & ſacrum; ideoque etiam hæc ſecundum ſe vendi, & æſtimari poſſunt, non vendito, nec æſtimato ſpirituali; ſic etiam vendi poteſt fundus, in quo eſt jus patronatus, quia iſtud præcedit, ac proinde fundo, vel caſtro vendito, non venditur ipſum jus patronatus. Similiter vendi poteſt ſolum terræ, in quo eſt jus ſepulturæ, quin iſtud vendatur, quia tempore præcedit fundus, ſive ſolum. At

vern

Digitized by Google

vero beneficium, ſive jus percipiendi fructus temporales, eſt poſterius, ſive acceſſorium, & conſequenter annexum officio ſacro, & ſpirituali Clerici, a quo pendet, & in quo fundatur; ideoque vendi non poteſt, niſi etiam officium ſacrum, & ſpirituale, cui eſt annexum, vendatur. *S. Tom.* 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 4. *in corp. Azor. cit. l.* 12. *cap.* 21. *quæſt.* 3. §. *Tertia ſententia.* & quamvis jus præbendæ, ſive jus percipiendi fructus temporales ſecundum ſe ſit temporale, & etiam in laicum cadere poſſit, quatenus tamen talis præbenda eſt annexa Juri Canonicæ, ſive Officio ſpirituali, eſt Jus ſpirituale, adeoque Jure divino vendi prohibetur.

LXXVIII. Cæterum, quod dictum eſt jus percipiendi Eccleſiaſticos reditus temporales, ſine Simonia Juris divini, vendi non poſſe, id intelligendum eſt, quamdiu hoc jus temporalium redituum ſpirituali titulo, ſive officio annexum, manet, cum tales fructus ex primæva ſua inſtitutione, debeantur tanquam ſtipendium ſuſtentationis pro ſpirituali munere, ſeu functione, ut ſupra dictum. Si vero auctoritate S. Pontificis, qui eſt ſupremus Adminiſtrator, & diſpenſator omnium Eccleſiaſticorum bonorum, hujuſmodi fructus, ſeu reditus re ipſa fuerint a ſpirituali titulo beneficii, ſive jure officii ſpiritualis ſeparati, ita ut non amplius præſtari debeant propter ſpirituale Miniſterium: ſed propter aliam cauſam, ſeu titulum; tum etiam jus percipiendi hujuſmodi fructus, ſeu proventus emi, ac vendi licite poteſt; etiam laico, quia tunc extinguitur titulus ſpiritualis officii, vel ejus obligatio, & ſic nihil ſpirituale venditur, & in emptorem tranſit, ſed mere temporale *Suar. cit. l.* 4. *cap.* 24. *num.* 23. Poteſt etiam S. Pontifex dare alicui beneficium, ſub onere ſibi, vel aliis ſolvendi annuam penſionem, vel portionem redituum; quia tunc ea penſio a titulo ſpirituali ipſius beneficii ſeparatur. Non tamen hoc caſu venditur ipſum beneficium, quia illa pars fructuum non habet rationem pretii; non enim ei, cui beneficium confertur, neque ab ipſo penſio illa ex bonis propriis ejuſdem exigitur, ſed ex bonis Eccleſiæ, ſeu beneficii vacantis alteri aſſignatur. *Suar. cit. c.* 24. *nu.* 24. *Laym. cit. c. ult. num.* 45. Veruntamen Prælati Papa inferiores, non poſſunt ſeparare fructus, ſeu proventus Eccleſiaſticos a ſpirituali titulo beneficii, & conſequenter non poſſunt etiam facere, ut jus ad illos fructus alicui acquiratur, niſi ratione alicujus ſpiritualis Juris, vel Miniſterii; ergo non poſſunt præbendam, vel ejus partem vendere, niſi vendendo ſpirituale, quia jure ſtatutum, eſt ut beneficia Eccleſiaſtica ſine diminutione conferantur. *Suar. cit. l. n.* 25. Multo minus poſſunt perſonæ privatæ, ſeu Beneficiati ullo modo ſeparare fructus a beneficio, neque nomine beneficii aliquid exigere, licet poſſint fructus locare, ſaltem ad breve tempus, quia locatio non inducit ſeparationem fructuum ab ipſo titulo beneficii. *Suar. cit. c.* 24. *n.* 38. & *ſeqq.* ut alibi dictum ſuo loco.

§. II.

Quibus modis committitur Simonia in collatione Beneficiorum, & electione ad Prælaturas, & alia Beneficia Eccleſiaſtica?

LXXIX. Aſſertio 1. Committitur Simonia primo. Si collator pecuniam, vel aliud quid temporale exigat pro ipſa collatione beneficii, ex communi, & certa ſententia apud *Laym. cit. c. ult. quæſt.* 2. *num.* 45. *in fine.* quia collatio eſt actus muneris, ſeu functionis ſpiritualis, adeoque eſt contra Jus divinum aliquid pro illo exigere, vel accipere. Secundo committitur Simonia, ſi aliquid temporale exigatur pro inductione, ſeu immiſſione in poſſeſſionem beneficii collati, *cap. Cum in Eccleſia* 9. ibi: *tunc ponendis in Sedem, ſeu introducendis Presbyteris in Eccleſiam hoc tit.* ubi etiam reprobatur contraria conſuetudo. Conſentit *cap. In tantum.* 36. §. *fin. hoc tit.* quia per corporalem beneficii poſſeſſionem jus quoddam ſpirituale acquiritur, videlicet adminiſtratio. *Azor. cit. l.* 12. *c.* 7. *quæſt.* 1. §. *Inſuper.* Multo magis prohibitum eſt tanquam Simoniacum, aliquid exigere pro ipſa inſtitutione Rectoris, vel alterius Clerici in ipſo beneficio, vel pro conſenſu præſtando in ejus inſtitutionem, prout deciditur in *cap. Audivimus.* 41. *hoc tit.* ubi habetur,
,, quod quidam Epiſcopi, decedentibus Eccleſiarum Re-
,, ctoribus, Eccleſias ipſas ſubjiciebant interdicto, nec per-
,, mittebant aliquos in eiſdem inſtitui, donec ipſis certa
,, ſumma pecuniæ ſolveretur. Præterea cum miles, vel
,, Clericus domum Religionis ingrederetur, vel apud Reli-
,, gioſos eligeret ſepulturam, etiamſi nihil Religioſo loco
,, reliquerit, difficultates ingerebant, ſcilicet Epiſcopi,
,, interdicendo, vel excommunicando, vel pignorando, vel
,, alias vexando, vel etiam ipſis conquerentibus juſtitiam
,, denegando. *Hoſtienſ. hic V. Ingerunt*) donec aliquid mune-
,, ris acciperent. Cum ergo non ſolum a malo, ſed etiam
,, ab omni ſpecie mali (ſecundum *Apoſt.* 1. *Theſſ.* 5.) ab-
,, ſtinendum ſit, Concilium Lateranenſe hujuſmodi exactio-
,, nes penitus prohibuit, & ſtatuit, ut ſi quis contra fe-
,, cerit, duplicata reſtituat in utilitatem locorum, in quo-
,, rum diſpendium fuerant ſoluta, fideliter convertenda.

LXXX. Pro explicatione notandum 1. Pro inſtitutione Rectoris, vel alterius Beneficiati nihil licet exigere, vel dare, ita ut Simoniacus ſit, non ſolum is, qui exigit, vel accipit; ſed etiam, qui dat, & ſolvit pecuniam pro inſtitutione. Nam vel inſtitutio hic accipitur pro inſtitutione juris, per quam alicui libere confertur beneficium, vel electus confirmatur, vel præſentatus ad beneficium in eo inſtituitur: & tunc indubitate committitur Simonia, quia non debet talis emere inſtitutionem, cum ſit actus ſpiritualis, quamvis injuſte ea ſit denegata, ſed recurrere debet ad Superiorem Prælati, cui competit jus conferendi, vel inſtituendi. Neque vero talis dici poteſt redimere vexationem ſuam, cum non det pecuniam pro redimenda vexatione Juris ſpiritualis jam quæſiti, ſed quærendi primum. Vel accipitur hic inſtitutio, prout eſt quid facti, nempe pro introductione, ſeu immiſſione in corporalem poſſeſſionem beneficii jam collati, & obtenti: & tunc etiam pro tali poſſeſſione acquirenda non debet aliquid temporale dari ex pacto, cum poſſeſſio ſit quid juris, vel ſaltem eſt conjuncta cum exercitio Juris ſpiritualis, aut eſt annexa; pro annexis autem ſpiritualibus nihil ſolvi poteſt, abſque Simonia. *Abb. hic n.* 1. & 2. *junct. Gr. marg. lit. A. contra Gloſſam ordinariam. Gl. hic. V. Perſolvatur.*

Notandum 2. Quamvis alias regulariter ſimoniace acceptum, communi conſenſu, tam dantis, quam accipientis, ſimpliciter ſolum reſtitui debeat. *c. De hoc.* 15. *hoc. t.* in caſu tamen hujus cap. ſpecialiter injunctum fuit, ut duplum ejus, quod ſimoniace acceptum fuit, ab Epiſcopis reſtitueretur, idque quia quaſi per extorſionem, & concuſſionem quandam, adeoque violenter hæc pecunia a ſubditis Clericis exacta fuit, & obtenta *Arg. cap. Jubemus.* 126. *cauſ.* 1. *quæſt.* 1. quamvis in foro conſcientiæ duplicata reſtitutio non neceſſario fieri debeat, quia in pœnam imponitur, quæ ante condemnationem Judicis in hoc foro non eſt neceſſario ſolvenda. *Abb. hic n.* 1.

LXXXI. Præterea in *c. Ne DEI.* 43. *hoc tit.* prohibetur
,, ab Honorio III. ne quis Archi-Epiſcopus, Epiſcopus,
,, Archi-Diaconus, vel Officialis ipſorum a quoquam in
,, Abbatem electo, pro benedictione, vel inſtallatione, vel
,, recipienda profeſſione ab eis, ſub cujuſdam conſuetudi-
,, nis prætextu paleſredum (hoc eſt, equum inſignem,) vel
,, aliud quidquam quocunque nomine cenſeatur, exigere,
,, vel extorquere præſumat, prout habetur integra lectione
,, hujus cap. Item præcipitur ſpecialiter Abbatibus Ciſter-
,, cienſis Ordinis electis, ut ſolemniter non inſtallentur,
,, ſed ut Archi-Epiſcopi, & Epiſcopi ea forma profeſſio-
,, nis ſint contenti, quæ ab initio hujus Ordinis eſt inſti-
,, tuta, & habetur in texto. Loquitur vero hic Papa de
forma Profeſſionis, non Religionis, ſed qua profitentur,
,, ſe præſtituros ſuis Epiſcopis ſubjectionem, reverentiam,
& obedientiam, ſalva Ordinis regula. *Gl. hic V. Eodem.*

Porro inſtallatio dicitur, quando electus, & confirmatus introducitur in ſtallum, id eſt, in ſedem, ſeu locum conſtitutum in Choro, & Abbati deputatum ad ſedendum. *Gl. marg. hic*, & hanc etiam vendi non poſſe pro pretio, docet etiam *cit. l.* 4. *cap.* 28. *in fine.* prohibetur autem in hoc cap. ſolum ſolemnitas inſtallationis; non autem, quo minus fieri poſſit ſimpliciter, & de plano per Monachos eligentes, vel etiam per Archi-Diaconum, ad quem ſpectat regulariter inſtallatio de Jure communi, *c. Ad hæc.* 7. *de offic. Archid.* niſi aliud conſuetudine ſit receptum. *Hoſtienſ. hic in princ.* & *Abb. n.* 1. *in fine.*

LXXXII. Tertio committitur Simonia, ſi homagium præſtetur pro beneficio obtinendo, prout ſumitur ex *cap.*
,, *Ex diligenti.* 17. *hoc tit.* Ubi habetur, quod Archi-Dia-
,, conus Cantuarienſis quendam Clericum induxit, ut ei
,, homagium, & fidelitatem præſtaret, ita ut ipſe illi
,, Clerico beneficium Eccleſiaſticum ſingulis annis exhibe-
,, ret. Quoniam vero Clericus iſte vidit, quod hujuſ-
,, modi obligatio illicita eſſet, & turpis, petiit inſtanter
,, a Papa abſolvi, dicens, quod de prædicto beneficio ni-
,, hil deinceps acciperet (alias enim veram pœnitentiam
,, agere non potuiſſet, quia venia non datur, niſi corre-
,, cto, & pœnitere non valebit, niſi beneficio illi renun-
,, ciet *Gloſſ. hic V. Nihil omnino*) Papa videns petitionem
,, hanc honeſtam eſſe, & rationabilem, ipſum ab homagio,
,, & fidelitate dicto Archi-Diacono præſtita (præſertim
,, cum illud homagium divinis, & humanis legibus con-
,, trarium fuerit) abſolvit, ita ut a Sacerdote diſcreto
,, condignam pœnitentiam accipiat. Et ne nota infamiæ
,, aſpergatur, idem Papa conceſſit ei has litteras, ut poſ-
,, ſit eas oſtendere in teſtimonium indulgentiæ ipſi conceſſæ
,, contra infamantes eundem.

LXXXIII. Notandum 1. Hominium, ſeu homagium, & fidelitas ſunt diverſa; nam homagium proprie præſtatur Imperatori, vel Regi, per quod fit aliquis Subditus illius, & obligatur ad certa ſervitia, ita ut non recognoſcat alium Superiorem: fidelitas vero eſt, quando quis ſpecialiter promittit, ac jurat, ſe alteri fore fidelem, & hoc juramentum poteſt pluribus præſtari, *Joan. Andr. hic num.* 5. & 2. *Abb. ibid. num.* 1. *not.* 1.

Notandum 2. Quando hic dicitur, quod Archidiaconus Clerico illi ſingulis annis exhibuit beneficium Eccleſiaſticum, id intelligendum eſt, vel quia Clerico illi ex reditibus alicujus Eccleſiæ, vel dignitatis certa penſio annua conſtituta fuit, nomine, & loco beneficii ſpiritualis pro homagio, ſeu obſequio temporali, ut explicat. *Hoſtienſ. hic V. Illicita*, vel quia ex Beneficio Eccleſiaſtico recipiebat certum cenſum, ſeu penſionem annuam. *Joan. Andr. hic V. Singulis annis*, & *Abb. not.* 2. ubi ait, quod prior Intellectus videtur magis congruere litteræ; nam Simonia eſt contra Jus divinum, & naturale præſtare homagium pro beneficio Eccleſiaſtico obtinendo; adeoque aliquid temporale dare pro re ſpirituali: nam ut hic dicitur, talia præſtare divinis, & humanis legibus eſt contrarium, quia eſt contra Vetus, & Novum Teſtamentum, quatenus generaliter diſponunt, nihil temporale exigendum eſſe pro re ſpirituali, & contra leges humanas, id eſt, contra Canonicas, ſeu Eccleſiaſticas, *Gloſſ. hic V. Divinis in* 2. *Expoſ.* & *V. Humanis*, *Abb. hic num. in fine.* nam cum verbum *Divinis* poſitum ſit ad differentiam legum Canonicarum, non poteſt exponi de Canonicis legibus, eſſet enim nugatoria expoſitio, ſed de divinis proprie dictis intelligi debet. *Fagnan. hic num.* 4.

Sed contra obſtare videtur, quod etiam Clerici recipientes beneficia a Prælatis eis præſtent juramentum fidelitatis

Digitized by Google

tis, imo & homagium, *cap. Gravem. 15. de Exceſſ. prælat.* Verum hoc intelligi debet de homagio late ſumpto, pro fidelitate, & obedientia, ut notat *Gl. ibid. V. Homagii. Abb. hic num. 4.* ubi etiam rationem diverſitatis reddit, cur homagium ſtricte acceptum non debeat præſtari pro ſpiritualibus: juramentum vero fidelitatis poſſit, ac debeat, quia nimirum homagium continet temporale commodum ejus, cui præſtatur: nam efficitur ipſius ſubditus, & vaſallus, & obligatur illi ad certa ſervitia, quæ pro ſpiritualibus obtinendis præſtari non debent, & ideo in *c. ult. infra de Rob. Jud.* dicitur *Indignum eſt, & a Rom. Eccleſia conſuetudine alienum, ut pro ſpiritualibus facere quis homagium compellatur*: (quamvis *Gloſſ. ibi V. Homagium.* per illud intelligat Sacramentum fidelitatis) eſt enim talis ſubjectio munus ab obſequio indebite impenſo, quod Simoniam inducit. *c. Sunt nonnulli. 114. cauſ. 1. quæſt. 1. Gloſſ. hic V. Obligatio.* At vero juramentum fidelitatis præſtatur Prælato, per quod ſe quis obligat tantum ad fidelitatem ipſi præſtandam, quæ præſtatur potius dignitati, quam perſonæ. Sed ulterius opponi poteſt, quod Papa in caſu hujus cap. hunc Clericum, non ſolum ab homagio, ſed etiam a fidelitate præſtita Archidiacono abſolverit. Tripliciter ad hoc reſpondet *Abb. hic num. 4.* 1. Quia Archidiaconus iſte exigebat omnimodam ſubjectionem a Clerico, & ideo tota obligatio, etiam fidelitatis, fuit caſſata, *Arg. c. Cum ſuper. 23. de offic. de leg.* 2. Iſte exegit homagium, & ideo cum commiſerit Simoniam, merito etiam fuit remiſſa obligatio fidelitatis, ut nullum inde commodum reportaret, quæ reſponſio coincidit cum priore. 3. Juramentum fidelitatis præſtandum eſt Epiſcopo, vel alteri, quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habenti: non autem Prælatis inferioribus, adeoque nec Archidiacono, etiamſi ad eos ſpectet collatio certi beneficii, ex ſpeciali conceſſione, vel præſcriptione.

LXXXIV. Notandum 3. Clericus iſte re ipſa non egebat abſolutione ab homagio, quippe, quod præſtitum fuit pro re ſpirituali, ſive beneficio Eccleſiaſtico, & ideo juramentum illud, utpote vergens in diſpendium ſalutis æternæ, ſervari non potuit: quare cum dicit hic Papa, *cum abſolvimus*, idem eſt, ac ſi diceret abſolutum declaravimus, quia cum nunquam vinculum, ſeu obligatio ex illo juramento fuerit contracta, non potuit re ipſa abſolvi; ſive abſolutus fuit de facto, cum ipſo jure nunquam fuerit illo ligatus, *Gl. hic. V. Salutis. & V. Abſolvimus.*

LXXXV. Quarto committitur Simonia, ſi pro temporali obſequio promittatur beneficium Eccleſiaſticum, prout ſumitur ex *c. Cum eſſent. 12. h. t.* Nam quidam nobilis, ac
,, miles promiſit cuidam Clerico dare Eccleſiam (id eſt,
,, ad eam ſe ipſum præſentaturum, cum laicus non habeat
,, poteſtatem dandi, ſeu conferendi Eccleſiam, ſed ſolum
,, præſentandi ad illam. *Hoſtienſ. hic V. Dare*) ſi quoddam
,, negotium ejuſdem nobilis Clericus ille poſſit apud Pa-
,, pam promovere, idque ipſe Clericus coram Papa confeſ-
,, ſus eſt, ſed quia promiſſio hæc continebat ſimoniacam
,, pravitatem, ideo Papa dicto Clerico ſilentium ſuper ea-
,, dem Eccleſia impoſuit.

LXXXVI. Ubi notandum 1. Sola promiſſio Eccleſiæ, ſeu Beneficii Eccleſiaſtici, vel alterius rei ſpiritualis Simoniam inducit *Gl. marg. hic in fine.* Unde hæc promiſſio nobilis illicita fuit, & Simoniaca, nec ex tali promiſſione ipſe obligari potuit; ſi vero Clericus iſte, ſine pacto aliquo, negotium illius nobilis promoviſſet, vel alias eidem ſerviiſſet, bene poterat illum remunerare, præſentando ad aliquod beneficium, vel alio modo. *Gl. hic Promiſerat.*

Notandum 2. Poteſt quis ſervire Epiſcopo, ſpe conſequendi ab ipſo aliquod Beneficium Eccleſiaſticum abſque Simonia, ſi ſine omni pactione ei ſerviat, licet poſtea ſequatur collatio, dummodo principaliter hac intentione non ſerviat, nec Epiſcopus directe intendat pro tali ſervitio temporali ei providere de beneficio; tum enim utrinque committeretur Simonia ſaltem mentalis, quæ per pœnitentiam deletur. *Gl. hic V. Promiſerat. Abb. ibid. nu. 4. & Gloſſator ejuſdem lit. D. Silv. V. Simonia. q. 16. dicto 4.*

Notandum 3. Non eſt Simonia, ſi Epiſcopus promittat ſe alicui certum ſtipendium daturum, ſingulis annis, ut ipſi inſerviat, donec Beneficium Eccleſiaſticum ipſi contulerit, quia non in perpetuum, & ſimpliciter, ac abſolute, ſed ſolum ad tempus facta eſt promiſſio ſtipendii temporalis, & ſub conditione, qua expleta, ceſſat obligatio. *Abb. hic. n. 5. Silv. cit. l. Azor. cit. l. 12. c. 11. q. 2.* At vero Simonia foret, ſi Epiſcopus, loco ſtipendii Miniſtro debiti, Eccleſiaſticum Beneficium conferret, vel ex pacto obligaret ſibi Miniſtrum ad temporale obſequium præſtandum pro beneficio conferendo: vel, ſi promiſiſſet ſe ſoluturum Miniſtro annexum ſtipendium, donec beneficium conferret, eoque collato, Miniſter præſtans temporale ſervitium inſerviret poſt datum beneficium, quia tunc Miniſter remitteret ſtipendium ſibi debitum, ob receptum beneficium Eccleſiaſticum, adeoque Epiſcopus daret ſpirituale ob commodum temporale, & Miniſter acciperet ſpirituale ob commodum temporale. *Azor. c. l.*

LXXXVII. Aſſer. 2. Similiter committitur Simonia in electionibus ad Prælaturas, vel alia beneficia Eccleſiaſtica 1. Si pro electione particularis perſonæ, etiam digniſſimæ, pecunia detur, quia tunc emitur actus ſpiritualis, nempe electio, & ipſum beneficium, *Leſſ. cit. cap. 35. num. 112.* 2. Si duo Electores ita inter ſe conveniant, ego dabo tibi meum ſuffragium in hac electione, & tu dabis mihi tuum in alia. *Sylv. V. Simonia. quæſt. 13. Azor. cit. l. 12. cap. 3. quæſt. 7. in fine.* 3. Si pro ſuffragio in electione dando alicui promittatur beneficium, *cap. De hoc. 11. hoc tit. Azor. cit. cap. 7. qu. 2. §. Itidem.* 4. Simoniacum eſt dare pecuniam alteri, ne conſentiat in electionem alicujus, ſive ne votum det alicui digno. *Gloſſ. in cap. Nemo. 14. V. Celet. hoc tit.* Quia Simonia committitur, non ſolum, ſi detur ſpirituale pro temporale, ſed etiam, ſi omittatur pro commodo temporali. *Abb.* Electoribus indignum, vel minus dignum eligere volentibus, ne illum eligant, quia hoc eſt procurare bonum Eccleſiæ, adeoque licitum, *Azor. cit. c. 7. q. 3.* 5. Simonia committitur, ſi electus pecuniam det pro confirmatione ſua, vel ne confirmator contradicat, quia per confirmationem plenum jus acquiritur in beneficio; adeoque datur pecunia pro Jure ſpirituali obtinendo. *Azor. cit. c. 7. q. 2. §. Sexto.* 6. Is, qui pro præſentatione ad beneficium aliquid temporale dat, & qui accipit, Simoniam committit, *Azor. cit. l. 12. c. 15. in princ.*

Notandum 2. Poteſt quis ſervire Epiſcopo, ſpe conſequendi ab ipſo aliquod Beneficium Eccleſiaſticum, abſque Simonia, ſi ſine omni pactione ei ſerviat, licet poſtea ſequatur collatio: dummodo principaliter hac intentione non ſerviat, nec Epiſcopus directe intendat pro tali ſervitio temporali ei providere de beneficio, tum enim utrinque committeretur Simonia, ſaltem mentalis, quæ per pœnitentiam deletur, *Gl. hic V. Promiſerat. Abb. ibid. num. 4.*

§. III.

Quomodo Simonia committatur in receptione Canonicorum?

,, LXXXVIII. De hoc agitur inprimis in *c. Tua nos. 34.*
,, *h. t.* ubi ſic ſtatuitur. Si quis Clericus det, vel offerat
,, bona ſua, cum pacto, vel conditione, ut in Canonicum
,, admittatur, & illa bona ſibi retinere liceat in vita ſua
,, pro præbenda; hujuſmodi oblatio, vel receptio fieri po-
,, teſt ſine vitio Simoniæ: cum in talibus (ſcilicet ſpiri-
,, tualibus, vel quaſi) omnis pactio, vel conventio (&
,, modus etiam. *Gl. hic V. eodem*, ceſſare debeat, juxta Ca-
,, nonicas ſanctiones. (*c. ult. de pactis.*) Si vero pure, ac
,, ſine pacto, ſeu conventione, bona ſua quis offerat, rogans
,, humiliter, in Canonicum admittatur, & bona ſua ſibi liceat
,, retinere pro præbenda; & Clerici ejuſdem Eccleſiæ pu-
,, re id eſt ſine pactione conſentiant: alia receptio fieri po-
,, terit abſque Simonia. Et hæc quidem procedunt in foro
,, exteriore in quo judicatur de manifeſtis tantum (id eſt,
,, de his, quæ notoria ſunt juris, vel facti, & non de oc-
,, cultis, *c. Sicut. 33. in fine. h. t. Hoſtienſ. hic V. Licet. au-*
,, *tem.* (Si tamen is, qui talem donationem ſcilicet pu-
,, ram & liberam ab omni pactione) facit ea intentione
,, principaliter, vix enim fieri poteſt ſine ſpe, ac intentio-
,, ne ſecundaria. *Hoſtienſ. hic V. eodem. & Abb. n. 2.*) ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, ſpiritualia poſſit
,, adipiſci: & Clerici, qui admittunt, non eſſent eum re-
,, cepturi in Canonicum, niſi commoda temporalia perci-
,, perent: ſine dubio, tam illi, quam iſti apud DEUM, qui
,, cognitor eſt ſecretorum, culpabiles judicantur.

LXXXIX. Notandum 1. Poteſt quis rogare, ut beneficium ſibi conferatur, modo idoneus ſit, quare preces emiſſæ a digno pro ſpirituali beneficio conſequendo non inducunt Simoniam, etiamſi præceſſerit donatio rei temporalis, ex mera tamen liberalitate, & abſolute facta, ſine pacto. Imo etiam tempore, quo quis recipitur in Canonicum v. g. licitum eſt, aliquid temporale dare, ſeu donare, dummodo liberaliter detur, & ceſſet omnis pactio, & conditio, & ſub ſpecie talium munerum, nulla fraus committatur. *Gl. hic V. pure conſentiant. Abb. n. 4.*

Notandum 2. Is, qui bona ſua dat alicui Eccleſiæ, eo pacto, ut in Canonicum admittatur, & ex bonis illis inſtituatur præbenda, quæ ipſi conferatur, Simoniam committit, quia Spirituale Jus acquirit, nam hoc ipſo, quo fit Canonicus, habet vocem, ſeu ſuffragium in Capitulo, & locum, ſeu ſedem in Choro. *Azor. 1. p. 3. l. 12. c. 7.* Ubi addit, non eſſe Simoniam, ſi talis Canonicus, cum conſenſu Epiſcopi, retinet ſibi poteſtatem præficiendi Clericum in præbenda, ex bonis ſuis in Eccleſia inſtituta, quia nihil aliud peteret, niſi Jus Patronatus in Canonicatu, & præbenda ex bonis inſtituta, quod ſecundum Canones conſtitui poteſt, auctoritate, & conſenſu Epiſcopi.

Notandum 3. Si quis bona ſua tradat Eccleſiæ principaliter eo animo, & intentione, ut Canonicus fiat, alioquin non daturus, ſine omni tamen pacto: & viciſſim Canonici eum admittant, ſine ullo pacto quidem, ſed non aliter admiſſuri, niſi bona ſua donaret, committitur utrinque, non quidem conventionalis, aut realis, ſed mentalis Simonia, ut colligitur ex fine hujus c. quæ tamen non obligat ad reſtitutionem talium ſpiritualium, vel temporalium, quæ illicite recepta ſunt ſed per pœnitentiam peccatum aboleri poteſt. *Hoſtienſ. hic. & Abb. n. 5.* de quo infra,

XC. Præterea in *c. Jacobus. 44. h. t.* habetur, quod cum
,, Jacobus Canonicus Eſculanus in Eccleſia Aprutinenſi in
,, Canonicum receptus eſſet, Canonici ejuſdem Eccleſiæ
,, partem proventuum (vel communium, qui inter Cano-
,, nicos dividuntur, vel ſaltem diſtributionum quotidiana-
,, rum aut victualium. *Hoſtienſ. h. t. V. eod.*) ac præbendam
,, (ſcilicet certam & ab aliis diviſam, quæ vocatur Cor-
,, pus præbendæ, *Hoſtienſ. V. eod.*) ipſi aſſignare recuſa-
,, bant, niſi prius prandium a Canonico de novo recepto
,, ipſis appararetur, juxta conſuetudinem receptam. Re de-
,, lata ad Gregorium IX. is mandavit cuidam Priori, ut
,, ſi ita eſt, dictos Canonicos, non obſtante tali con-
,, ſuetudine, & appellatione remota, compellat, ut ipſi,
,, ſicut uni ex aliis præbendam conferant, & proventus aſ-
,, ſignent.

XCI. Notandum hic 1. Non poteſt ab eo, qui de novo receptus eſt in Canonicum, pro admiſſione in poſſeſſionem Canonicatus, vel præbendæ, ſeu beneficii, ante vel poſt exigi, vel ſolvi aliquid temporale, etiam modicum, v. gr. prandium, ſeu convivium, convertendum in commodum, & utilitatem Canonicorum, vel Beneficiariorum Eccleſiæ, ſed id eſt Simoniacum, non obſtante ſtatuto, vel conſuetudine

vel conſuetudine etiam immemoriali, prout ſumitur ex hoc c. & c. *fin. conſ.* 1. q. 3. *Gl. fin. hic. & Abb. num.* 2. *Leſſ. l.* 2. *c.* 35. *num.* 110. *Garc. de benef. p.* 8. *c.* 1. *num.* 83.

Notandum 2. Tria requiruntur, ut licite, ac juſte poſſit aliquid temporale, etiam modicum, v. g. prandium, vel convivium exigi, & recipi a Canonicis, vel aliis Clericis pro illorum receptione, vel inſtitutione. 1. Ut id lege aliqua ſit ſtatutum, vel conſuetudine receptum. 2. Ut acceptum ad pios uſus applicetur. 3. Ut non exigatur, priuſquam libere præſtita ſint ſpiritualia, neque ea denegentur, etiamſi nihil detur. *Abb. in cit. c. Jacobus num.* 3. *& ibid. Barb. num.* 7. *& ult. Azor. cit. l.* 12. *cap.* 51. *q.* 6. Veruntamen ſi aliquid temporale detur, tempore receptionis ad Canonicatum, vel aliud beneficium, non ex obligatione, & citra exactionem, ſed ſponte, ac liberaliter, nulloque pacto interveniente, non poteſt damnari talis conſuetudo, & praxis, etiamſi datum ad uſus non pios, ac proprios applicetur, quia gratanter recipi poteſt, quod gratis oblatum eſt. *Gl. in c. dilectus.* 30. *in fin. h. t. Gl. in cit. c. Tua nos.* 34. *V. Pure conſentiant.* & patet ex ſupra dictis. Porro etſi in *cit. C. Jacobus.* ſicut & in *Concil. Trid. Seſſ.* 24. *c.* 14. *de ref.* reprobatur conſuetudo exigendi prandium, vel convivium, & quodvis aliud temporale, pro receptione Canonicorum, tamen hoc paſſim non obſervatur, teſte *Leſſ. l.* 2. *c.* 23. *num.* 111. præſertim in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis in Germania nunc receptum eſt, ut novi Canonici convivium dare, imo & in quibuſdam locis certam pecuniæ ſummam Capitulo perſolvere debeant: quam conſuetudinem Simoniæ Juris Eccleſiaſtici damnare non auſim, cum ea toleretur ab Epiſcopis, imo etiam a Papa, quem tam generalem conſuetudinem integræ rationis ignorare non eſt veriſimile.

§. IV.

An Electio, Præſentatio, Confirmatio, Collatio, vel quævis alia proviſio Beneficii Simoniaca, ſit ipſo Jure irrita?

XCII. Aſſertio 1. Electio, vel Collatio Beneficii per Simoniam facta non eſt irrita jure naturæ, ſed valida. *Suar. l.* 4. *de Simon. c.* 57. *num.* 51. *& ſeqq.* & a pleriſque DD. ſupponitur. Idque probatur, quia non obſtante Simonia, ex parte conferentis, adeſt voluntas, & poteſtas vera, & abſoluta conferendi beneficium; & ex parte recipientis, etiam intervenit conſenſus voluntatis ad recipiendum, ergo ſpectato jure naturæ, tam collatio, quam acceptio valida eſt: neque enim propter Simoniæ peccatum, vi Juris divini, & naturalis fit recipiens incapax ad accipiendum, nec dans ad conferendum. Neque etiam præceptum Chriſti, ut ſpiritualia gratis dentur, pertinet ad ſubſtantiam dationis, ſed ſolum modum dandi præſcribit, qui ad ſubſtantiam non pertinet, quæ in voluntaria datione, & acceptione conſiſtit, ſed requiritur propter decentiam, & ſanctitatem rei, quæ datur, ut digne tractetur, adeoque eſt modus ſolum accidentalis, & extrinſecus. Sicut ergo Simonia non impedit conſenſum, ex parte dantis, & accipientis; ita nec ejus effectum, qui eſt tranſlatio, & acquiſitio beneficii Simoniace venditi. *Suar. cit. l. num.* 16. *&* 18. Sicut etiam lex naturalis, & divina præcipit gratis eſſe mutuum dandum, & tamen etſi quis emat mutuum, ſolvendo uſuras, vere acquirit dominium pecuniæ mutuatæ. *Suar. c. l. num.* 19.

XCIII. Aſſertio 2. Electio, Collatio, Præſentatio, Confirmatio, vel quævis alia proviſio ſeu promotio ad dignitatem, perſonatum, officium Eccleſiaſticum, aut quodvis beneficium Simoniace facta, ſive Simonia commiſſa ſit ab ipſo electo, aut proviſo, ſive ab alio ipſo ſciente, & non contradicente, Jure Eccleſiaſtico irrita eſt, ut docet *S. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 6. *in corp. & ad* 3. prout oſtendit *Covar. in reg. peccatum p.* 2. § 8. *num.* 7. *& ſeqq. Abbas in cap. pen. ult. num.* 2. *de Elect. & ibid. Laym. num.* 2. *Suar. cit. cap.* 57. *num.* 22. *Leſſ. l.* 2. *de juſt. cap.* 35. *num.* 132. *Garc. de benef. p.* 8. *cap.* 1. *num.* 4. & 3. & dictum etiam ſupra *l.* 1. *Decret. tit.* 6. *num.* 96. *contra Felin. & Navar. conſil.* 95. *h. t.* quem ſequitur *Fagn. in c. nobis.* 27. *h. t. num.* 67. *& ſeqq.* quorum fundamentum præcipuum eſt, quod Jura Canonica ſolum ſignificant, electionem eſſe reprobandam, non autem eſſe ipſo jure nullam. Sed probatur noſtra aſſertio ex *cap. Matthæus.* 23. *h. tit.* „Ubi quidam electus eſt ad regimen cujuſdam Eccleſiæ, de voluntate majoris partis Capitularium, paucis ipſi contradicentibus. (unde valere debebat, quantum ad hoc electio, non obſtante contradictione paucorum, niſi hi aliquid rationabiliter opponerent, & probarent. *Gl. hic V. majoris partis. & Hoſtienſ. V. eod.*) Sed quidam amicus electi, ipſo conſcio, & de voluntate turbata ejuſdem (vel quia expreſſe non contradixit, quia diſſimulavit, vel etiam, etſi cum quadam animi perturbatione, annuit. *Hoſtienſ. V. eod.*) ei, qui magiſter, ſeu auctor diſcordiæ, ſeu contradictionis videbatur, pecuniam quandam ſolvit, (ſcilicet ex pacto, ut ſequentia innuunt) & ſic contradictio quievit. Poſtea electus dubitans, an non Simoniam commiſiſſet, per Cardinalem quendam Papam conſuluit, cui is reſpondit, quod multum ſibi conſuluit, ſi adminiſtrationem ceſſerit (id eſt ſtatim, & in continenti) ac ſponte dimittat, me mor illius verbi Chriſti: *Nihil proderit homini, ſi univerſum mundum lucretur, &c.* Matth. 16.

XCIV. Hinc colligitur 1. Quod ſi detur pecunia, etiam pro voto, ſeu ſuffragio non neceſſario ad valorem electionis, committitur Simonia, hæc enim electio in caſu hujus c. fuit facta a majore parte Capituli, & tamen fuit Simoniaca, quia fuit pecunia data, ut minor pars deſiſteret a contradictione. *Abb. hic num.* 3.

Colligitur 2. Tametſi. *Gl. hic V. paucis.* dicat, eos, qui contradicebant electioni, habuiſſe jus contradicendi, quia forte erant contempti, vel aliam exceptionem poterant opponere electo, & ſic eis pecunia dari non debuit, ut deſiſterent: Alii tamen, ut *Innoc. hic & Abb. num.* 4. dicunt, quod hæc explicatio nimis reſtringat textum, ut tunc tantum committatur Simonia, ſi detur pecunia ei, qui de jure contradicit, ſive juſtam cauſam contradicendi habet, non qui de facto tantum, ſive injuſte: eo quod tunc electus potius videatur tantum redimere velle vexationem ſuam, quam emere ſpirituale, ideoque dicendum eſſe, quod ante confirmationem electi, non debeat dari pecunia, ſive contradicatur de jure, ſive de facto, quia pro jure acquirendo, & nondum acquiſito, non licet dare pecuniam, etiam ad redimendam vexationem, de quo infra.

Colligitur 3. Si electo ſciente, & non contradicente, pecunia data ſit pro voto, ſeu ſuffragio obtinendo, Simonia committitur, non obſtante quod turbata voluntate electi data ſit, quia voluntas turbata non excuſat in delictis, ſed eſt voluntas, ſicut coacta. *Gl. hic. V. paucis & Abb. num.* 3.

Colligitur 4. Quamvis Papa in caſu hujus c. videatur ſolum dare conſilium electo, ut adminiſtrationem dimittat, id tamen factum eſt non idcirco, quaſi Pontifex judicaret, id non eſſe neceſſarium ad ſalutem, ſed quia cum res eſſet occulta, non poterat id ei expreſſe præcipere, ſed tantum declaravit obligationem, quæ reipſa inerat. *Gl. hic V. Conſulis. Suar. cit. c.* 57. *num.* 27.

XCV. Aſſertio 3. Electio, Collatio, vel quævis alia proviſio beneficii Simoniaca irrita eſt, quamvis ignorante electo, vel proviſo facta ſit. Probatur 1. ex *c. Ex inſinuatione* 26. *h. t.* „nam quidam pater, interveniente pecunia, (ex pacto *Gl. hic V. eod. & Hoſtienſ.*) filio ſuo (ignoranti, quin alias Capitulum, vel Epiſcopus cum eo diſpenſare non potuiſſet. *Gl. hic V. tibi*, & impuberi, ut colligitur ex ſequentibus, olim enim ante Concilium Tridentinum etiam minor XIV. annis poterat beneficium obtinere) præbendæ beneficium, ſive Canonicatum in quadam Eccleſia acquiſivit, cumque ad annos diſcretionis perveniret, & ſignum Crucis aſſumpſiſſet, dictam præbendam (poſtquam intellexit Simoniam eſſe commiſſam in ejus collatione. *Gl. hic V. reſignaſti*) in manu Præpoſiti, & Canonicorum libere reſignavit, (ut tenebatur) qui ipſi compatientes, eum de novo in Canonicum elegerunt diſpenſative *Gl. hic V. eod.*) ita tamen, ut poſt iſtam electionem, poſtremum locum in choro, & in aliis obtineret. Quæſivit igitur ex Papa Clemente III. utrum primum locum, quem habuerat, juxta priorem receptionem, valeat obtinere; Reſpondit Papa, ut indulgentia (id eſt, gratia; quia non tenebantur eum denuo eligere, niſi vellent. *Gl. hic. V. eod.*) quam Canonici iſti ex miſericordia ipſi fecerunt, contentus exiſtat, & ratione primæ receptionis, nihil ſtudeat in Eccleſia ſibi vendicare.

XCVI. Hinc colligitur 1. Qui conſecutus eſt beneficium per Simoniam ab alio commiſſam, ipſo ignorante, non poteſt illud bona conſcientia retinere, ſed debet illud reſignare *Abb. hic. num.* 2. ex quo tamen non recte infertur, validam fuiſſe electionem, vel collationem beneficii, nam verbum *reſignationis* ſæpe executionem, vel factum ſignificat, etiam in materia Simoniæ, ut patet ex *c. ult. h. t.* fuit igitur non renunciatio proprie dicta, ſcilicet juris beneficialis, cum Canonicus iſte nullum jus habuerit in beneficio, ſed ſolum ceſſio poſſeſſionis: & ideo in aliis juribus dicitur, Simoniace proviſum teneri ad dimittendum beneficium. *Suar. cit. c.* 57. *num.* 38. cujuſmodi renunciatio in caſu hujus c. facta eſt in manu Præpoſiti, & Capituli illius, quia forte erant exempti, vel non recipiebant confirmationem ab aliquo Superiore, & ideo ſine ipſo reſignationes admittebant, vel habebant poteſtatem inſtituendi in beneficiis, & deſtituendi, ex privilegio ſpeciali: alioquin ad Epiſcopum recurrendum fuiſſet, vel ad Epiſcopum, & Canonicos ſimul, ſi ad eos ſpectabat electio, & ad Epiſcopum confirmatio; *Hoſtienſ. hic. V. in manu. & Abbas. num.* 3.

Colligitur 2. Privatus omni jure Collegii, etiamſi reſtituatur, ſive de novo ei conferatur Canonicatus, vel beneficium prius, non tamen recuperat locum priſtinum in choro, ſed obtinebit locum, qui ei competit, ſecundum tempus reſtitutionis. *Felin. hic. num.* 5. *& Barb. num.* 2.

XCVII. Præterea, quod electio, vel collatio Simoniaca ſit ipſo jure irrita, etiamſi facta ſit inculpabiliter ignorante electo, vel inſtituto: probatur ex *c. nobis.* 27. *h. t.* „nam vacante quadam Plebania, Capitulum ejuſdem Eccleſiæ conſtituit quatuor ex Capitularibus, qui eligerent Plebanum: amici vero illius, de quo eligendo ſpes erat, uni, vel etiam omnibus 4. eligentibus promiſerunt, ſe pecuniam ſoluturos, ipſo tamen ignorante (nec poſtea ratum habente; alioquin Epiſcopus cum tali non poſſet diſpenſare, prout infra dicetur) & ſic poſtmodum interveniente hujuſmodi promiſſione, electus fuit. Unde quæſitum fuit, An talis electio ſit improbanda; Reſpondet Papa Cæleſtinus III. quod quamvis ipſe electus ipſius promiſſionis conſcius non fuerit; ejus tamen electio Simoniaca pravitate præſumpta, penitus eſt reprobanda, niſi conſtet, illos, qui promiſſionem fecerunt, per fraudem in diſpendium illius, qui eligendus erat, & malitioſe id feciſſe. Additur in fine hujus c. quod Prælatus ſic electus Simoniace ab Epiſcopo ſuo diſpenſationem de jure obtinere non poteſt.

Ratio principalis deciſionis hujus c. eſt, quia quamvis ſic electus non fuerit Simoniacus, fuit tamen Simoniace promotus, nam conſtat promiſſionem pecuniæ interveniſſe, ante electionem, in qua omnis pactio ceſſare debet, & ideo qualiſcunque fuerit intentio eligentium, quia forte propter pecuniam promiſſam ad eum eligendum non fuerunt permoti, quem alias elegiſſent, etiam nulla pecunia promiſſa, vitioſa tamen eſt electio, nec intentio eligentium eum a Simonia excuſat. *Gloſſ. hic Verſ. interveniente, & Hoſtienſ.*

V. electus. Et ſic alienum factum alii obeſt, ſicut etiam impedit, quo minus poſſeſſor bonæ fidei uſu capere poſſit. v. g. Mancipia ab eis diſtracta, qui jus vendendi non habuerunt, *l. 1. C. de uſucap. pro emptore*. Nam licet iſte electus non peccaverit, nec ſit in culpa; peccaverunt tamen eligentes, ideoque electio vitioſa redditur propter vitium eligentium, ſicut etiam, quando peccatur in forma eligendi, tametſi electus ſit ſine culpa. *Gl. hic. V. reprobanda*, *Hoſtienſ. V. eod.* Ratio vero exceptionis eſt, quia malitiis hominum non eſt indulgendum, *c. Sicut. 33. h. t.* & *c. Significante. 5. qui matrim. accuſ. poſſ.* nec debet quis alterius odio prægravari. *l. Si quis. 33. C. de in offic. teſtam.* ideoque eorum fraus, ſeu malitia, qui pecuniam promiſerunt, ut talis electio ceſſaretur, ipſi electo obeſſe non debet. *Gl. hic. V. mulitoſe*, *& Hoſtienſ. V. eod.* Quod autem in fine hic dicitur, Epiſcopum, cum tali Simoniace electo diſpenſare non poſſe, hoc intelligi debet, vel quando electus Simonia commiſit, aut alius, eo ſciente, & ratum habente, tunc enim ſolus Papa diſpenſare poteſt: vel potius intelligendum eſt, quando, electo ignorante, Simonia commiſſa eſt, ſed qui condemnatus fuit per ſententiam Judicis, tunc enim Epiſcopus diſpenſare non poteſt, propter criminis enormitatem, & quia eſt notorium juris per ſententiam. *Gl. fin. hic. & ibid. marc. & Hoſtienſ. V. ignorante*, & innuitur in textu *ibid. Electus & per Simoniacam pravitatem reprobatur*, *&c.* plura de hoc dicta ſunt ſupra *l. 1. tit. 6. n. 98. & 2. ſeqq.*

XCVIII. Cæterum, cum in *cit. c. Nobis* dicitur, electionem Simoniacam eſſe penitus reprobandam, id ita intelligendum eſt quod ſit reprobanda, ſive rejicienda, eo quod invalida ſit, ſive quod per ſententiam declaratoriam Judicis pronunciandum ſit interveniſſe Simoniacam pactionem, ſeu conventionem, ideoque de jure irritam eſſe talem electionem, vel collationem: nam valde frequens eſt in toto jure, quod in uno loco dicitur irritum, & inane, idem alibi dicatur irritandum, ſive per ſententiam Judicis irritum declarandum. Sic in *c. in Geneſi 55. de Elect.* dicitur, quod electio attentata contra formam Concilii Lateranenſis ſub Alexandro III. ſit irrita, & inanis, quæ tamen in *c. Eccleſia 57. in fine eod. tit.* dicitur ſententialiter irritanda, id eſt, irrita declaranda, idque in *cit. c. Nobis.* indicatur in illis verbis: *Penitus reprobanda*, id eſt, ab initio reprobanda ſit, adeoque nulla, ſeu irrita declaranda. *Suar. cit. 57. n. 38. Laym. in c. pen. n. 2. de Elect.* Nam dictio *penitus* importat nullitatem ipſo jure, *l. Si quis. 5.* ibi *penitus arceantur*, id eſt, ipſo jure. *Gl. fin. ibid. junct. Gl. marg. C. de poſtul.* etiamſi præponatur verbo futuri temporis, ut tenet *Gl. in c. Quam. ſit. 6. de Elect. in 6. c. Si Religioſus. 27.* ibi, *ipſo facto viribus omnino evacuentur. eod. in 6.*

XCIX. Denique quod electio, vel collatio Simoniaca, etiam ignorante electo, vel proviſo facta ſit irrita ipſo jure,
„ probatur etiam ex *Extravag. Cum deteſtabile 2. §. per electiones h. t. inter commmunes*. ubi ſtatuitur: ne per electiones,
„ poſtulationes, confirmationes proviſiones, ſeu quaſvis a-
„ lias diſpoſitiones Simoniacas, quæ viribus omnino carent
„ in Eccleſiis, Monaſteriis, dignitatibus perſonatibus, of-
„ ficiis Eccleſiaſticis, & quibus vis beneficiis, aut aliquo
„ eorum ullum jus cuiquam acquiratur, nec inde aliquis
„ fructus faciat ſuos, ſed ad illorum omnium, quæ perce-
„ pit, reſtitutionem ſit obſtrictus: ubi irritatio horum a-
„ ctuum ſufficienter colligitur ex illis verbis, *quæ viribus omnino carent. & ut per eas jus cuiquam nullatenus acquiratur.* Neque ibi diſtinguitur inter Simoniam commiſſam a ſciente, vel ignorante, ſed abſolute dicitur, *ne cuiquam jus acquiratur. Suar. cit. cap. 57. n. 38.*

Itaque ex prædictis Canonibus aperte colligitur, electionem, vel aliam proviſionem etiam ignorante electo, vel proviſo Simoniace factam, ipſo jure eſſe irritam, tum quia electus, vel proviſus, poſtquam cognovit, ſe Simoniace promotum eſſe ad beneficium, non poteſt illud retinere, ſed ſtatim dimittere debet, ante omnem condemnationem, & ſententiam, ut conſtat ex *cit. c. Ex inſinuatione. h. t. junct. Gl. communiter recepta. V. reſignari*: & clarius ex *c. Sicut tuis 33. eod.* quia nullum jus acquiritur recipienti, ideoque illud retinere non poteſt, *Suar. cit. c. 57. n. 35.* Tum quia Simoniace electus, vel proviſus: etſi ignorantiam, tenetur, poſtquam cognovit vitium Simoniæ, omnes fructus etiam bona fide antea perceptos ex beneficio reſtituere, ſi adhuc extantes ſint, quia ſcilicet percepit illos ex re non ſua, ideoque non fecit illos ſuos. *Suar. cit. l. n. 36.* & docet etiam *S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6.*

C. Extenditur autem tradita doctrina 1. quod electio, vel promotio ad Eccleſiaſticum beneficium per Simoniam facta, quamvis ignorante electo, vel proviſo jure ſit irrita, ut ad idem officium obtinendum, pro ea vice, ſive durante illa vacatione, ſit inhabilis, niſi cum ipſo diſpenſetur per eum, qui talem poteſtatem habet, *c. penult. de Elect. Suar. cit. l. 4. cap. 58. num. 9.* & dictum ſupra *num. 88. l. 2. tit. 6.*

Extenditur 2. Quod electio, vel proviſio Simoniace facta, etiam ignorante electo, vel proviſo, ſit nulla, ſive Simonia fuerit manifeſta, ſive occulta, ut patet ex *c. Matthæus. h. t.* ubi agitur de Simonia occulta, & clarius ex *extravag. 2. in princ.* ibi: *& earum quamlibet jam manifeſtum, quam occultum. h. t.* quæ conſtitutio abſolute, & indiſtincte irritat talem collationem. Neque vero talis Simoniacus obligatur ad prodendum vitium occultum electionis ſuæ, nec ad ſe infamandum, ſed ſolum ad renunciandum beneficio, quod poteſt facere ſub honeſto aliquo colore, & ad reſtituendos fructus occulte. *Suar. cit. l. 5. c. 57. n. 23.*

3. Extenditur non ſolum, ſi pecunia promittatur, vel detur omnibus electoribus, vel collatoribus, ſi plures ſint, ſed etiam ſi uni tantum ex illis, cæteris ignorantibus, prout ſumitur ex *cit. c. nobis.* ibi; *uni, vel omnibus eligentibus promiſerunt, ſe pecuniam ſoluturos, h. t. Abb. ibid. n. 2.* ubi ait, id mirabile videri, quod propter unius pravitatem inficiatur totus actus, cum tamen ex eo, quod interveniat unus excommunicatus, qui ad electionem ignoranter eſt admiſſus, non vitietur totus actus electionis, *arg. c. fin. de procur.* Rationem diſparitatis aſſignant nonnulli apud *Fagn. in cit. c. nobis. n. 4.* quia vitium Simoniæ eſt reale, & magis actum reſpicit, quam perſonam: Excommunicatio vero eſt vitium perſonale, quod ipſe Fagn. ita explicat, quod votum, ſeu ſuffragium excommunicati non ſit nullum, propter delictum circa electionem commiſſum, & ideo in illum non influit, nec nocet, electoribus ignorantibus. At votum Simoniaci eſt infectum ob vitium, quod intrinſece ineſt ipſi electioni, cujus eſt pars, ideoque non mirum, ſi propter votum unius electoris pecunia venditum, totus actus electionis vitietur. Quod autem dictum eſt, propter Simoniam commiſſam ab uno, ex electoribus, vel collatoribus, vitiari totum actum, id verum eſt, ſi electio, vel collatio pluribus competat, ut univerſis, ſive jure Collegii, ut in *cit. c. nobis.* tunc enim omnium una eſt electio, vel collatio: Secus eſt, ſi competat pluribus ſeorſim, ut ſingulis, tunc enim quilibet pro ſe eligit, vel confert, & tot ſunt electiones, vel collationes, quot ſunt electores, vel collatores, ideoque unius electio, vel collatio vitioſa, ſeu Simoniaca, non influit in alias, & locum habet regula juris 37. *Utile per inutile non vitiatur. Garc. p. 3. c. 1. n. 12.*

Extenditur 4. Quod electio vel collatio beneficii Simoniaca facta ſit irrita ipſo jure, non tantum, ſi Simonia fuerit realis, ab utraque parte completa; ſed etiam ſi fuerit conventionalis tantum, quia ſcilicet electio eſt facta pro pecunia electoribus promiſſa; vel beneficium pro pecunia promiſſum eſt datum, ſed pecunia nondum fuit ſoluta, adeoque quod ſola promiſſio pecuniæ, tametſi ſolutio nondum ſit facta, faciat electionem, vel collationem Simoniacam, & ipſo jure nullam, quia ſatis eſt, quod Simonia ſit completa, ex parte rei ſpiritualis, quæ tenet principem locum, & eſt radix, cur talis venditio ſit Simoniaca, quam ſententiam tenet *Hoſtienſ. in cit. c. nobis V. ſoluturos. h. t. Abb. ibid. n. 3. Garc. de benef. p. 8. c. 1. n. 20.* & probatur ex *c. Ex qua 5. cauſ. 1. q. 3.* ubi Urbanus II. ait: *Quicquid in ſacris Ordinibus, vel in ſacris rebus, vel datu, vel promiſſa pecunia acquiſitum eſt, nos irritum eſſe cenſemus.* Contrarium tamen, quod ut collatio beneficii per Simoniam facta ipſo jure ſit irrita, copulative requiratur, & traditio beneficii, & datio vel ſolutio pecuniæ, vel alterius rei temporalis pro ſpirituali, adeoque ut ex utraque parte ſit completa, docet *Azor. p. 2. l. 7. c. 17. q. 1. & c. 27. q. 10. Leſſ. c. 35. num. 149. Suar. l. 4. c. 57. n. 51. & alii* quæ ſententia, quidquid ſit de jure, in praxi ſecura eſt, quia ita ſervatur, ſecundum ſtylum Curiæ Romanæ, ut teſtantur DD. nam quamvis ad ſubſtantiam emptionis, & venditionis ſufficiat conventio ſeu pactum, quia conſenſu perficitur, adeoque videantur pœnæ in Simoniacos decretæ incurri per ſolam Simoniam conventionalem, etiam neutra ex parte completam: tamen in praxi pœnæ, præſertim graves, & quæ ipſo facto incurruntur, reſtringendæ ſunt ad venditionem, & emptionem utrinque completam; niſi expreſſe contrarium ſignificetur: lex enim pœnalis cenſeri debet punire velle actum completum, ſive delictum perfectum, & conſummatum. Confirmatur ex *cit. Extrav. 2. h. t.* ubi hæ pœnæ non ſtatuuntur, niſi in eos, qui conventione facta quomodolibet dando, vel accipiendo Simoniam commiſerunt, plura de hoc videri poſſunt apud auctores citatos.

Extenditur 5. Quod acquiſitio beneficii ſit ipſo jure irrita, ſive commiſſa ſit Simonia contra Jus Divinum, ſive contra Eccleſiaſticum tantum. *Abb. in c. Cum univerſorum. 8. nu. 6. de rerum permut. Suar. cit. c. 57. n. 42.* quia hujuſmodi Simonia eſt iiſdem pœnis ſubjecta, quibus vera, & propria Simonia, ideoque etiam comprehenſa eſt ſub *cit. Extravag. h. t.* ubi generatim annullantur omnes electiones, & collationes Simoniacæ. Contrarium tamen tenet *Leſſ. c. l. n. 100. & Laym. l. 4. tr. ult. c. ult. §. 5. q. 4.* nempe talem permutationem beneficiorum non inducere privationem, ipſo jure, cum ſolum prohibita ſit Jure Eccleſiaſtico, quamvis iis privari poſſint ſic permutantes a Superiore, in pœnam criminis, quia in pœnis benignior interpretatio eſt facienda, ideoque eſt reſtringenda ad delictum proprie dictum, ſive Simoniam jure naturali, ac divino prohibitam, & hæc ſententia etiam eſt probabilis.

Extenditur 6. Quod irritentur etiam omnia beneficia Eccleſiaſtica majora, & minora, ſeu ſimplicia, per Simoniam acquiſita; nam in *cit. Extravag. 2.* per electiones prius in ſpecie numerantur Eccleſiæ, dignitates, perſonatus, & officia Eccleſiaſtica, & poſtea additur generalis clauſula, *& quibuslibet beneficiis*, a quocunque dentur, vel recipiantur: idque extenditur etiam ad nominationes, & præſentationes ad beneficium, quod & ipſæ ſint nullæ. Quod autem ibi dicitur de officiis Eccleſiaſticis, id intelligendum eſt de illis officiis, quæ ſunt propria beneficia, ut ſunt officia ordinaria Eccleſiarum, & Monaſteriorum, quæ per Canonicam electionem, aut collationem conferri ſolent, ut vicaria perpetua, item officia ſpiritualia Religionum, ut Abbatis, Prioris, Provincialis, quæ ſunt beneficia regularia; horum enim acquiſitio pretio facta, eſt ipſo jure nulla. Secus eſt de illis Officiis quæ ſunt ad nutum revocabilia, ut vicaria temporalis, officium legati, vel delegati, quæ non ſunt beneficia, nec præbendam annexam habent; horum enim acquiſitio per pecuniam, non eſt ipſo jure irrita. *Suar. cit. c. 57. n. 44. & ſeqq.*

§. V.

Digitized by Google

§. V.

Quando electio, vel collatio Beneficii ſimoniace facta ignorante electo, vel proviſo, non eſt irrita?

CII. Dictum eſt, §. *praced.* quod electio, vel collatio beneficii ſimoniace facta, etiam ignorante electo, vel proviſo, ipſo jure ſit irrita, exceptis duobus caſibus. Prima exceptio eſt, ſi inſcio electo, vel proviſo ab alio pecunia promiſſa ſit, vel data in fraudem eligendi, vel providendi, ut ejus electio, vel collatio ei facta caſſaretur, juxta. *c. Nobis.* de quo ſupra *n.* 207. Altera exceptio eſt, ſi electus vel proviſus contradicat promiſſioni Simoniacæ ab aliis factæ; tunc enim valida eſt electio, vel collatio, non obſtante, quod pecunia promiſſa, vel etiam data ſit, prout deciditur in *cap. Sicut tuis.* 33. *h. t.* nam vacante Eccleſia, ſeu Monaſterio Jambiacenſi, quidam Monachus, qui prius promotus fuerat ad regimen Eccleſiæ Florenenſis, canonice electus eſt in Abbatem dicti Monaſterii: & quia Eccleſia Cathedralis Leodienſis (in cujus Diœceſi erat illud Monaſterium) carebat Paſtore, ad Eccleſiam Colonienſem Metropolitanam electus acceſſit, & a Metropolitano accepit poteſtatem interim adminiſtrandi Monaſterium illud (donec futurus Epiſcopus ipſum confirmaret: nam licet alia vacante Eccleſia Cathedrali, Capitulum poſſit electiones confirmare. *capit. Cum olim.* 14. *de major. & obed.* tamen ex ſpeciali conſuetudine hoc ad Metropolitanum ſpectabat. *Gl. hic V. Ad Colonienſem*, vel ſaltem, ut poſſet dare electo poteſtatem adminiſtrandi ad tempus, tanquam Procuratori, ſeu Oeconomo, *Hoſtienſ. hic V. interim.*) „ poſtea in Leodienſi Eccleſia Epiſcopus fuit inſtitutus, qui requiſitus ab ipſo electo Abbate, noluit ejus electionem confirmare. Cum vero electus Abbas comperiſſet, hoc fieri ad extorquendam pecuniam, ſub interminatione Anathematis, ſive comminatione excommunicationis prohibuit, ne pro facto hujuſmodi pecunia Epiſcopo offerretur. Sed quidam ex Monachis, ipſo Abbate ignorante, contra ſententiam excommunicationis (ferendam, non latam. *Barb. hic. n.* 5.) pecuniam promiſerunt, & perſolverunt, & ſic ab Epiſcopo inſtitutionem, & confirmationem Abbas electus accepit. Quod cum ipſe cognoviſſet, dubitavit, an licite officium Abbatis adminiſtrare poſſit, & quæſivit ex Papa, quid facere deberet? Reſpondit Papa Innoc. III. licet, ſecundum Canones, *c. Profitentium.* 3. *cauſ.* 1. *qu.* 5. *c. De Regularibus* 25. *& c. ſeq. h. t.* etiam parvuli, qui cupiditate parentum Eccleſias per pecuniam ſunt adepti, eas dimittere teneantur: tamen quia aliud eſt, & longe diverſum, non præbere conſenſum (quia ſæpe, qui tacet, conſentire videtur, & ſic iſte Abbas conſenſiſſe præſumeretur, ſi poſtquam intellexit, Simoniam committi, non contradixiſſet. *Gl. hic V. Præbere*) & expreſſe aliquid prohibere; ideo nihil debet ipſi electo ad pœnam, & culpam imputari, quoniam contra prohibitionem, & voluntatem ſuam, a qua poſtmodum non receſſit, alius eo penitus ignorante (ſecus, ipſo ſciente, & tacente, vel poſtea ratificante) pecuniam promiſit, & ſolvit, præſertim cum ille non ſit ei aliqua conſanguinitate conjunctus, niſi poſtea conſenſerit, ſaltem tacite, ſolvendo Pecuniam promiſſam, aut reddendo ſolutam (a tertio ipſi illam reſtituendo) alioquin contingeret, quod alicujus factum inſidias inimico parantis ei damnoſum exiſteret (quod iniquum eſſet, cum peccata tantum debeant tenere ſuos auctores *l. Sancimus* 27. *C. de pœnis Gl. hic. Damnoſum*) cui penitus diſpliceret: & ſic aliquis de fraude ſua commodum reportaret, quod eſſe non debet, *l.* 1. *ff. de dolo*, ſed unuſquiſque puniendus eſt in eo, in quo deliquit, *capit. Paſtoralis* 29. *de jure patron. & capit. ult. de immun. Eccl. Gl. hic V. Reportaret.* Illi autem, qui pecuniam dederunt, vel eam receperunt, in tantum ſunt culpabiles, ut ſi exceſſus eorum manifeſtus eſſet Eccleſiæ, quæ de occultis non judicat, pœna Canonica eſſent plectendi, ſcilicet depoſitione, cum nota infamiæ *c. ult. cauſ.* 2. *quæ.* 3. *& c.* 2. *h. t. Hoſtienſ. hic V. Canonica.*

CIII. Pro explicatione notandum 1. Si quis electus ſit, vel proviſus per ſimoniam, non ab ipſo, ſed ab alio tantum commiſſam; tunc ſi ſcivit, & non contradixit, invalida eſt electio, vel collatio: quia hoc ipſo tacite in eam conſenſit. *Suar. l.* 4. *de Simon. c.* 57. *n.* 28. quod ſi contradixit, & nihilominus voluntarie recipit beneficium, quod ſcit per electionem, vel collationem Simoniacam ſibi eſſe delatum, invalida eſt electio, vel collatio, ut patet ex *cit. cap. Sicut. hoc tit.* ibi: *Contra prohibitionem, ac voluntatem tuam, & te penitus ignorante*, ac proinde, ut non noceat electio, vel proviſio Simonia a tertio commiſſa, requiritur copulative, & prohibitio, ſi contradictio ipſius, & ignorantia, ergo non ſufficit contradictio ipſius, ſi ſciat, Simoniacam largitionem interveniſſe; talis enim ſimoniace recipit beneficium, cum recipiendo ſcienter videatur aliquo modo cooperari Simoniæ, ſaltem quoad ejus executionem. *Suar. cit. l. numer.* 29. Quod ſi electus, vel proviſus expreſſe contradixit, & ignoravit per tertium eſſe datam pecuniam pro electione, vel collatione etiamſi recipiat beneficium, vel electioni conſentiat, vel electus confirmationem petat, valida eſt collatio, vel electio, vel confirmatio: quia injuſtum factum alterius alicui nocere non debet, qui eſt caſus, *cit. cap. Sicut tuis. Suar. cit. l. numer.* 30. *Leſſ. cit. cap.* 35. *num.* 143.

Notandum 2. Si electus, vel proviſus poſtea conſentiat in electionem, vel collationem Simoniacam, ſolvendo pecuniam promiſſam, vel reddendo ſolutam, tum vel ante beneficium obtentum, vel poſt. Si ante, cenſebitur per eum revocata prior contradictio, & conſenſus de novo præſtitus, & cooperatio ad Simoniam; ac proinde invalida erit electio vel collatio; perinde, ac ſi nunquam contradixiſſet, ideoque addita ſunt illa verba, *a quo poſtmodum minime receſſiſti*. Si vero conſenſus ille ſubſequitur poſt beneficium obtentum; tum ſi electus, vel proviſus conſentiat, & ſolvat, vel refundat pecuniam illi, qui dedit, animo approbandi, & ratificandi factum illud tertii, committit Simoniam, quia illam intendit, & ex tali intentione reipſa ſolvit pecuniam, & hujuſmodi ſolutio eſt quædam approbatio Simoniæ, quod ſufficit ad malitiam illius ſpeciei, *Arg. cap. Cum quis.* 23. *de ſentent. Excom. in* 6. quamvis hic ſolvens non poſſit dici cauſa propria Simoniæ, quia cauſa debet præcedere effectum; hæc autem ſolutio non præcedit, ſed ſubſequitur Simoniam jam ab alio commiſſam; & ideo ſic conſentiens, & ſolvens pecuniam, poſt beneficium jam legitime, & ſine Simonia obtentum, non videtur ipſo facto incurrere pœnam irritationis electionis vel privationis beneficii acquiſiti, ita ut illud ſtatim dimittere debeat, antequam per ſententiam Judicis eo privetur, propter novum delictum poſtea commiſſum. *Suar. cit. cap.* 57. *n.* 31. *&* 32. Nec obſtat ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari, *Reg. Jur.* 10. *in* 6. quia id intelligendum eſt in iis, quæ pendent a conſenſu ratificantis; non autem, quæ antea plane, & abſolute peracta ſunt, unde ratificatio, quæ fit poſt legitimam electionem, vel collationem, per quam jus acquiſitum eſt, non poteſt illam inficere, ſeu Simoniacam efficere, *Leſſ. cit. cap.* 35. *numer.* 144. Aliud eſt, ſi electus, vel proviſus, poſt obtentum beneficium, ſolvat, ſive refundat pecuniam amico, ver. gr. qui pro ipſo eam dedit, non animo approbandi factum ipſius, ſed animo liberali, ne ſua cauſa patiatur detrimentum; tunc enim certum eſt, non committere Simoniam: quia id non eſt malum. *Leſſ. cit. l.*

Notandum 3. Si electus, vel proviſus omnino ignoravit, pro beneficio ſibi collato, ſuo nomine, eſſe datam pecuniam, & non contradixit, quia non habuit ullam occaſionem, vel ſuſpicionem ad contradicendum, tunc vel illa pecunia data eſt in odium electi, vel proviſi ad impediendum eum a conſecutione beneficii; & hoc caſu valida eſt electio, aut collatio, neque fraus, aut malitia alterius eidem obeſſe debet, ut habetur in *cap. Nobis.* 27. *hoc tit.* Vel pecunia data fuit in favorem, & commodum electi, ſeu proviſi, ipſo non contradicente & ignorante; & tunc invalida eſt electio, & collatio, & quidem ipſo jure, ut patet ex *cit. c. Sicut.* 33. *h. t.* & ſupra probatum eſt.

CIV. Porro an etiam electio R. Pontificis ſimoniace facta ſit irrita, dubitatur? Reſp. Spectato Jure communi, ea valida eſt, ita ut contra electum in Papam objici non poſſit exceptio, quod per Simoniam fuerit electus, etiamſi ipſemet electus pecuniam dederit eligentibus pro ſui electione, cum talis actus non ſit Simonia contra Jus naturale, ac divinum, ut ſupra dictum *num.* 102. Idque probatur ex *c. Licet.* 6. *de Elect.* quod eſt deſumptum ex *Concil. Lateran. ſub. Alexand. III. Can.* 1. ubi decernitur. ut electus a duabus partibus Cardinalium, abſque ulla exceptione (præterquam notoriæ hæreſis, *c. Si Papa* 6. *diſ.* 40. *Gl. in cit. c. Licet.* V. *Exceptione*) ab univerſali Eccleſia Romanus Pontifex habeatur. Quod ſtatutum fuit, tum propter vitandum majus periculum ſchiſmatis, ac diſſenſionis: tum quia Papa in terris non habet Superiorem, per quem error in electione commiſſus corrigatur, nec ullus eſt Judex, qui eum cogere poſſit ad renunciandum; neque vitium Simoniæ eſt effectus intrinſecus, & ſubſtantialis, qui directe opponatur conſenſui naturali, ſed ſolum extrinſecus, & accidentalis. *Suar. cit. c.* 57. *nu. ult. Fagn. in cit c. Nobis. hoc t. nu.* 56. *& ſeqq.* Nec obſtat textus in *c. Si quis.* 109. *diſ.* 79. ubi dicitur: *Si quis pecunia in Sedem Apoſtolicam eſt inductus, non Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus habeatur*, quia ibi non tam de electo per pecuniam agitur, quam de eo, qui non concorditer & Canonice a Cardinalibus eſt electus. Verum ex Conſtitutione Julii II. quæ incipit, *Cum tam divinum*, electionem Papæ Simoniacam eſſe irritam, ita ut contra ſic electum opponi poſſit exceptio Simoniæ, ſicut & hæreſis, diximus ſupra *l.* 1. *tit.* 6. *num.* 434. quamvis *Suar. cit. capit.* 57. *numer. ult.* putet, illam Conſtitutionem nunquam fuiſſe uſu receptam, & per Conſtitutionem 85. Pii IV. abrogatam.

§. VI.

An, & quatenus licitum ſit dare, vel accipere pretium ad redimendam vexationem in beneficiis, vel non ſit licitum?

CV. De hac re communiter traduntur a DD. tres regulæ, ſeu concluſiones. Prima eſt: poſt jus acquiſitum in beneficio per electionem, poſtulationem, confirmationem, inſtitutionem, vel collationem beneficii, non eſt Simonia, pecunia, vel alia re pretio æſtimabili, redimere vexationem, quæ ad jus in beneficio acquiſitum tollendum injuſte infertur, ita docet *Gl. in c. Dilectus.* 28. V. *Reſtitutio h. t. Abb. ibid. n.* 2. *Azor. p.* 3. *l.* 12. *cap.* 21. *quæ.* 4. *Leſſ. l.* 2. *c.* 35. *n.* 110. *Suar. l.* 4. *de Simon. c.* 50. *n.* 2. *cum S. Thom.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 5. ubi ait: *Poſtquam alicui jus acquiſitum eſt, licet per pecuniam injuſta impedimenta removere.* Idque ſumitur ex *c. Quæſitum.* 4. *cauſ.* 1. *q.* 3. ubi quidam Religioſi, redimebant vexationes, quas patiebantur in Eccleſiis, quas poſſidebant, quod licite, & ſine peccato eos feciſſe ſupponitur: cujus ratio eſt, quia, qui dat ex tali cauſa pecuniam, non dat illam pro re ſpirituali, ſed pro tollenda injuſta vexatione, nec etiam per illam pecuniam aliquid ſpirituale acquirit, cum ſupponatur jam illud habere, & nihil de novo acquirere.

CVI. Idem probatur ſatis clare ex *c. Dilectus.* 28. *h. t.* ubi „ Præpoſitus quidam Archidiacono Eboracenſi, qui multis gravaminibus eum afficere non ceſſabat, promiſit, ſe certam

„ quantitatem pecuniæ ei daturum, ut ab ipſius læſione „ deſiſteret. Verum Archidiaconus, poſt receptionem pecu- „ niæ, ſuper dignitatibus, & beneficiis ipſius Præpoſiti ab „ eodem moleſtando non ceſſavit. Quare mandat Papa Cæ- „ leſtinus III. quibuſdam, ut ſi res ita eſt, compellant Ar- „ chidiaconum reſtituere, quod accepit, ſi eum contra pro- „ miſſionem ſuam veniſſe conſtiterit. Hinc colligitur, quod dare pecuniam pro jure quæſito in dignitate, vel alio beneficio conſervando contra indebitam, & injuſtam vexationem, non eſt Simoniacum, neque enim iſte Præpoſitus ideo tanquam Simoniacus reprehenſus fuit a Papa, quod illam dederit: neque etiam turpitudinem continet ex parte dantis, alioqui non potuiſſet iſte pecuniam datam repetere; quando enim turpitudo eſt ex utraque parte dantis, & recipientis, non habet locum repetitio, *l. Ubi autem 3. ff. de condict. ob turp. cauſ. Abb. hic n. 8.* Et quoniam non ſervanti fidem alter fidem ſervare non tenetur, *c. Pervenit. 3. de jurejur.* ideo ſi quis dedit pecuniam alicui, ne in jure ſuo jam acquiſito de facto, ſeu injuſte moleſtetur, poteſt eam repetere, ſi alter promiſſa non ſervet, *Gl. fin. hic.* Sed etſi alter recipiens pecuniam contra promiſſionem non veniret: nihilominus tamen, ſi conſtiterit, quod injuſte illam receperit, compelli debet ad reſtituendum. Unde cum hic dicitur, cogendum eſſe ad reſtituendum, ſi contra promiſſionem venerit, ſuppleri debet *maxime*, quia etiamſi non veniſſet, reſtituere deberet, eum ob cauſam injuſtam acceperit *Gl. hic V. Promiſſionem, & Hoſt. V. eod.* vel etiam cum *Suar. cit. c. 50. num.* 16. dici poteſt, Pontificem ſolum ibi reſpondiſſe ad ea, quæ propoſita, & interrogata erant.

CVII. Sed contra traditam regulam pugnare videtur *cap. Matthæus 23. h. t.* ubi quidam legitime electus a majore parte eligentium, quia pecuniam dedit paucis non conſentientibus in ejus electionem, ne ſe vexarent, cenſetur Simoniacus, & conſulitur ipſi a Papa, ut adminiſtrationem deponat, cum illam ſine gravi detrimento animæ ſuæ retinere nequeat: & tamen jam habebat jus quæſitum per electionem. R. (omiſſa reſponſione. *Gl. ibid. V. Paucis*) ideo dantem pecuniam pro redimenda vexatione, etiam injuſta, ibi judicatum fuiſſe Simoniacum, non quod dederit pecuniam pro redimenda injuſta vexatione electionis ſuæ: nam ſi rite electus impugnetur injuſte in ipſa electione jam facta, poteſt ſine vitio Simoniæ redimere hanc vexationem ſuam: ſed quia dedit pecuniam ad impediendam vexationem, ne impediretur proſecutio confirmationis ſuæ, quam nondum habebat; erat enim tantum electus, ſed nondum confirmatus, & ita agebatur de jure nondum acquiſito, ſed obtinendo, pro quo non licet dare pecuniam ſine Simonia, ut mox dicetur. Et de hac vexationis modo agi in illo c. veriſimiliter colligitur ex ſubjecta materia; cum enim electus fuerit a majore parte Capituli, veriſimilius eſt, quod Adverſarius, cui data fuit pecunia, voluerit impugnare non electionem jam factam, ſed confirmationem ipſius, ne fieret. *Suar. cit. c. 50. n. 8. & 9.*

Objici poteſt 2. Sequeretur, quod licitum ſit dare pecuniam ad redimendam vexationem, etiam juſtam, quia tunc etiam nihil ſpirituale acquiritur, ſed ſolum venditur, aut redimitur pretio vexatio. R. neg. ſeq. quia hoc ipſo, quod quis juſte vexatur, ſive impugnetur circa beneficium, vel aliud jus ſpirituale jam obtentum, ſequitur, quod jus illud nondum ſit omnino firmum, ſed irritari, aut auferri poſſit, qui ergo pecunia redimit talem vexationem, aliquid ſpirituale emit, quia pecuniam dat ad firmandam, & conſervandum beneficium, vel aliud jus ſpirituale jam obtentum, cujus collatio forte ab initio fuit nulla, ob defectum, vel poſtea ob delictum; ideoque Simoniam committit. *Suar. cit. l. n.* 10.

CVIII. Ex dictis colliguntur quædam conditiones neceſſariæ, ut redemptio vexationis illatæ in beneficio acquiſito ſit licita, ut notat *Suar. c. l. n.* 11. *&* 13. 1. Ut jus, quod habet, ſit certum, ſaltem ſecundum commune judicium peritorum, alias nondum eſt ſimpliciter habitum, ſeu acquiſitum. 2. Ut vexatio ſit injuſta; nam ſi juſta foret, & lis juſte intenta; tunc cenſetur redimi ſpirituale. 3. Ut res, quæ datur pro tollenda illicita vexatione ſit temporalis, quæ in commutationem, & pactum humanum licite deduci poſſit: nam ſi daretur res ſpiritualis, committeretur Simonia, quia daretur pro re temporali, ſcilicet injuſta vexatione, quæ eſt res temporalis. Ut ſi is, qui vexatur in pingui beneficio, quod poſſidet, offerat vexanti aliud tenue beneficium, ut a vexando ceſſet, Simoniam committit, quia dat ſpirituale pro temporali, nempe, ut a vexatione temporali liberetur. *Suar. c. l. n.* 14. *&* 15.

CIX. Secunda regula, ſeu concluſio principalis eſt: pro jure nondum acquiſito in beneficio ſed primum acquirendo, non licet abſque Simoniæ vitio, pecunia oblata, redimere vexationem, etiam injuſtam, ab eo, qui non tantum obeſſe, ſed etiam prodeſſe poteſt, id eſt, ad quem ſpectat poteſtas dandi illud ſpirituale quod acquirendum eſt v. gr. Si quis ſperat, ſe eligendum in Prælatum: ſed ſciat, unum, vel plures ex Electoribus alium indignum velle eligere, non poteſt talem vexationem ab illis pecunia redimere, ita docet *S. Thom. cit. q.* 100. *art. 2. ad. 5.* ubi ait, antequam alicui, acquiratur jus in Epiſcopatu, vel quacunque dignitate, vel præbenda per electionem, vel proviſionem, vel collationem, Simoniacum eſſet, adverſantium obſtacula pecunia redimere, ſic enim per pecuniam pararet ſibi viam ad rem ſpiritualem obtinendam. *Abb. in cit. c. Dilectus. n. 4. h. t. Leſſ. cit. c. 35. n.* 106. *Suar. cit. c. 50. n. 8. &* 27. quia qui non habet jus ſpirituale, quod acquirere intendit, licet redimendo vexationem pecunia, immediate non det pecuniam pro re ſpirituali, ſed pro vexatione; vult tamen acquirere jus ſpirituale, mediante pecunia, adeoque illud emere, quod Simoniacum eſt: item quia tunc removere impedimentum nihil aliud eſt, quam ſpirituale conferre: nam vexatio illa conſiſtit in injuſta denegatione debitæ electionis confirmationis, vel inſtitutionis; negatio autem non tollitur, niſi per actum contrarium, quæ in propoſito eſt ipſa electio, confirmatio, vel inſtitutio, ac proinde dare aliquid temporale alicui, ut ceſſet a tali injuſta vexatione, idem eſt, ac dare pro ipſa electione, quod eſt Simoniacum, ſaltem contra jus poſitivum Eccleſiaſticum. Idque colligitur ex *c. Matth. 23. h. t.* Nam in caſu illius c. videtur commiſſa Simonia propter redemptionem vexationis: at non propter vexationem commiſſam circa jus acquiſitum ut ſic: ergo propter vexationem circa jus acquirendum: item ex *c. Sicut tuis. 33. h. t.* ubi cum Epiſcopus vexaret quendam rite electum, nolletque illum confirmare, & inſtituere, ut extorqueret pecuniam, Simoniam commiſiſſe cenſetur. *Suar. cit. l. n. 8.*

CX. Tertia regula, ſeu concluſio eſt: non eſt Simonia vexationem injuſtam pecunia redimere, etiam antequam jus acquiſitum ſit in beneficio, ſi is, cui datum eſt pretium, obeſſe tantum poſſit, ſed non prodeſſe, ſeu nihil conferre poſſit ad beneficium obtinendum. v. g. ſi quis fraude, vel vi aliquem Electorem detineat, ne ſuffragium dare poſſit Titio, vel Collatorem, ne ei conferat, vel injuſte eum infamet, ne eligatur; tum poteſt Titius illi Adverſario dare pecuniam ut nocere deſinat. *Leſſ. cit. l. n.* 108. *Suar. cit. c. 50. n.* 23. Ratio eſt, quia redimere ſe hoc modo a vexatione injuſta alterius, non eſt intrinſece malum; licet enim cuique jus ſuum, famam, iniquaſque machinationes contra ſe impedire. Neque poteſt emere rem ſpiritualem, aut directe ſibi parare aditum ad beneficium, ſed redimere nocumentum, pro cujus ceſſatione pretium datur, quæ eſt aliquid mere temporale. Accedit, quod nullum ſit Jus Eccleſiaſticum iſtud prohibens; nam in *cit. c. Matthæus.* ſermo eſt de eo caſu, quando pecunia data eſt Electoribus, qui poſſunt prodeſſe aut promovere ad beneficium obtinendum: vel poſt electionem factam, poſſunt impedire confirmationem, & etiam ad illam juvare, ceſſando a contradictione: hic autem ſermo eſt de illis, qui nihil prodeſſe poſſunt, quia ad illos nullo modo pertinet proviſio beneficii, vel rei ſpiritualis collatio. *Suar. c. l.*

CXI. Porro an ſi quis poſt confirmationem, vel collationem factam, adeoque poſt acquiſitum plenum Jus in beneficio, quoad proprietatem, injuſte impediatur ab acquirenda poſſeſſione, poſſit pecunia redimere hujuſmodi vexationem, etiam ab eo, qui poteſt prodeſſe, ſive in poſſeſſionem immittere controvertitur inter DD. Negat *Abb. in c. Ad aures. 24. n. ult. & cit. c. Dilectus* 28. *num. 4. h. t.* fundamentum eſt: quia dare aliquid alicui, ne impediat poſſeſſionem, eſt dare, ut mittat in poſſeſſionem; non enim aliter deſinit impedire poſſeſſionem, quam mittendo, ſeu inducendo in eam: poſſeſſio autem eſt quid ſpirituale, vel ei annexum, quia per illam acquiritur exercitium ſpiritualium, & ratione ſpiritualis tituli confertur; ergo non licet vexationem ad poſſeſſionem acquirendam pecunia redimere, quia daretur temporale pro re ſpirituali. Contraria tamen ſententia eſt probabilior, & communior DD. quam tenet *Leſſ. cit. l. n.* 20. *Suar. cit. c. 50. n.* 31. & docet *S. Thom. cit. qu.* 100. *art. 2. ad* 5. quatenus abſolute ait, poſtquam jus alicui acquiſitum eſt in beneficio, licitum eſt, per pecuniam injuſta impedimenta removere, utique acquirendæ poſſeſſionis. Ratio eſt: quia poſſeſſio ſecundum ſe ſpectata non eſt jus aliquod ſpirituale, ſed tantum quoddam corporale, ſive corporalis apprehenſio rei, & tantum eſt rei ſpiritualis annexa, quatenus ex titulo ſpirituali pendet, cujus vi capitur: poſtquam ergo titulus ſpiritualis eſt plene acquiſitus, etiamſi poſſeſſio de novo acquiratur; non tamen acquiritur tanquam annexa rei, ſeu juri ſpirituali, ſed ſecundum ſe, ut quid corporale per ſe, ac immediate debitum, licet poſtea conjuncta cum titulo ſpirituali fiat ſpiritualis; ergo non eſt Simonia, pecunia redimere vexationem poſſeſſionis; quia ſolum redimitur factum, non jus ſpirituale beneficii, nec datur pretium pro re ſpirituali. Quod quidem procedit in caſu, quo jus ſpirituale beneficii certum eſt quoad proprietatem: nam ſi illud in dubium vocaretur; ideoque denegaretur poſſeſſio; tunc non per ſe ſolam poſſeſſio redimeretur pecunia, ſed ut annexa juri, vel titulo ſpirituali; adeoque ipſum quoque jus ſpirituale per ſe redimeretur, quod Simoniacum foret. *Suar. cit. l.* Nec obſtat text. in *c. Decimas. 7. cauſ. 16. q. 7.* ubi præcipitur, ut Epiſcopi prohibeant, ne decimæ, quas populus dare non vult, quolibet munere ab eo redimantur; quæ prohibitio ideo facta videtur, quia decimæ ſunt ſpiritualibus annexæ; ideoque pretio emi non poſſunt, etiam ad redimendam vexam. Nam reſpondetur: vel ibi id prohiberi laicis, ne talem extorſionem faciant: vel ſi id prohibetur Clericis, ne in tali caſu decimas redimant a laicis, tunc id factum eſt, non quod talis redemptio ſit vere Simoniaca, ut notat ibid. *Turrecremata n.* 2. ſed ne detur occaſio laicis ſimiles injurias Eccleſiis inferendi, ſpe talis lucri, & credant, ſe habere jus in decimas; ideoque compellere eos debent ad illas ſolvendas: neque tamen committeret Epiſcopus Simoniam, ſi quandoque ſua auctoritate redimeret decimas. *Suar. cit. c. 50. n.* 33.

Prædictis addendum, quod hæc procedant, proviſionibus beneficiorum; nam in aliis actibus non beneficialibus, ſeu mere ſpiritualibus, ut in Sacramentis, ſaltem in gravi neceſſitate, in abſolutione ab excommunicatione, & aliis Cenſuris, ſi injuſte infligantur, vel earum abſolutio per injuriam denegetur, vel per poteſtatem, & vim impediatur cum ſpirituali detrimento, non eſt prohibitum hujuſmodi vexationem pecunia redimere, ut dictum ſupra *n.* 13. & docet *Gl. in c. ad aures 24. V. Abſolutionis. & in c. Dilectus. 28. V. Reſtituere h. t. & ibi, Abb. n. 3. Suar. cit. c. 50. num. ult.*

§. VII.

§. VII.

De Simonia confidentiali, ſive quæ committitur in reſignationibus & proviſionibus Beneficiorum Spe, & confidentia factis.

CXII. Quæritur 1. Quæ ſit, & dicatur Simonia confidentialis? Reſp. Eſt certa ſpecies Simoniæ ab aliis diſtincta, a ſpe, & fiducia, quæ ei ſubeſt, ſic dicta, & jure poſitivo, ſeu humano inducta, & a SS. Pontificibus Pio IV. in Bulla, quæ incipit: *Romanum Pontificem*, & Pio V. in Bulla, quæ incipit: *Intolerabilis* damnata, & reprobata, quæ tunc committitur, cum quis alicui procurat beneficium Eccleſiaſticum, reſignando illud in favorem illius, vel etiam præſentando, eligendo, confirmando, poſtulando, inſtituendo, vel in commendam dando, cum certa confidentia, id eſt, cum pacto expreſſo, vel tacito, ut is, cui procuratur illud idem beneficium, poſt aliquod tempus elapſum, ipſimet cedenti, inſtrumenti, confirmanti, aut conferenti, &c. vel alteri reſignet, vel penſionem, aut fructus ex eo præſtet, prout conſtat ex citt. Bullis.

CXIII. Ubi notandum 1. Hæc Simonia habet locum in omnibus beneficiis Eccleſiaſticis, cujuſcunque ordinis, ſive ſimplicia, ſive curata, majora, vel minora; ſæcularia, vel regularia ſint. *Suar. lib. 4. de Simon. cap. 43. num. 4. Leſſ. citat. cap. 35. num. 96. Laym. lib. 4. tractat. 10. cap. ult. §. 8. num. 74.* Non autem in penſionibus, etiamſi cum pacto illicito dentur, quia penſiones ſub generali nomine beneficiorum non comprehenduntur præſertim in materia odioſa, nec per Canonicam inſtitutionem, aut collationem conferuntur, nec reſignantur, in favorem alterius: multo minus hæc Simonia habet locum in aliis rebus, vel actibus ſpiritualibus, etiam ſi cum aliqua illicita, & Simoniaca confidentia fiant, quia Bullæ illæ loquuntur de ſolis beneficiis. *Suar. cit. l. num. 4. & 5.* Quare hæc Simonia committi poteſt in renunciationibus, & aliis quibuſcunque proviſionibus, & acceptionibus beneficiorum, quæ per illas dantur, cum pacto expreſſo, vel tacito, quod illam confidentiam includat, idque ex generali ratione Simoniæ requiritur, *Suar. c. l. num. 9.* An autem etiam in permutationibus beneficiorum committi poſſit Simonia confidentiæ dubitatur? Videtur quod ſic, quia in permutatione includitur duplex renunciatio in favorem permutantium, & ſimilia pacta Simoniaca etiam in illa confidentiæ Simonia intervenire poſſunt. Sed contrarium probabilius eſt, ut docet *Navarr. l. 5. conſil. 77. h. t. Suar. c. l. 43. n. 12. Laym. cit. c. ult. §. 8. n. 75.* nempe non committi Simoniam confidentialem, ſed communem ſolum, ſi aliqui inter ſe permutent beneficia, cum confidentia, ſeu pacto regrediendi ad priora beneficia, vel eadem reſignandi aliis, v. g. conſanguineis: nam in dictis Bullis SS. Pontificum ſermo eſt de renunciantibus, ſeu cedentibus abſolute, adeoque intelligendæ ſunt de renunciationibus ſimpliciter factis, in favorem tertii: & non de iis, quæ fiunt permutationis cauſa, nam priores ſunt magis odioſæ, & graviora incommoda ex iis ſequuntur, ideoque leges hæ pœnales ad poſteriores non ſunt extendendæ. Secus eſt, ſi ipſe Epiſcopus, aut alius collator beneficiorum, qui admittit talem permutationem, paciſcatur cum permutantibus de parte fructuum inde v. g. conſanguineo ſuo pendenda, tunc enim committitur Simonia confidentialis, & locum habebunt pœnæ decretæ, quia verba, quoad collatores ſunt valde univerſalia.

Notandum 2. Pretium, vel id, quod pretii loco in hac Simonia intervenire poteſt, eſt, ut idem beneficium, quod reſignatur, vel confertur eidem renuncianti: vel conferenti; vel alteri reddendum ſit: vel fructus ejuſdem beneficii, aut penſio, ſeu pars eorum renuncianti, vel alteri præſtanda ſit: nam ſi de aliis rebus, etiam mere temporalibus, vel ſpiritualibus reddendis, vel cedendis, etiam cum certa confidentia, aut pacto conventio fiat, non committitur Simonia confidentialis, etſi incurratur Simonia communis, quia pœnæ in citt. Bullis decretæ non imponuntur, niſi ſpeciali Simoniæ confidentiæ. *Suar. cit. c. 43. num. 5.* Quare ſi pactum interveniat, ut non idem beneficium, quod Titius v. g. contulit Cajo, ſed aliud aliquod reſignetur conſanguineo v. g. collatoris: vel ſi quis impetravit beneficium a collatore, vel præſentatore alteri, cum eo pacto, ut idem, vel aliud beneficium aliquando reſignetur impetranti, non committitur in his caſibus Simonia confidentialis, ſed juris communis. *Laym. cit. l. num. 75. in fine.*

CXIV. Quæritur 2. Quibus modis committatur Simonia confidentiæ? Reſp. Præter modum jam ſupra allatum, tripliciter committitur, ut tradit *Azor. p. 3. l. 12. c. 9. in princ. Leſſ. cit. c. 35. num. 98. Laym. cit. c. ult. §. 8. num. 75.* & alii DD. communiter. Prima eſt, per *acceſſum*, quando quis cupiens v. g. Titio proviſum eſſe de beneficio, ſed quia is modo ob defectum legitimæ ætatis, vel aliud temporale impedimentum Canonicum, illius capax non eſt, confert, vel reſignat beneficium, quod ipſe habet, alteri, cum eo pacto, ut ceſſante impedimento Titius illud beneficium obtineat, & propria auctoritate poſſit accipere. 2. Per *regreſſum*, ut ſi quis beneficium jam poſſeſſum cedat, vel reſignet alteri, reſervato ſibi ex pacto jure redeundi ad illud beneficium ſi is, cui ceſſio facta ſit, præmoriatur, vel beneficium deſerat, ita ut jus priſtinum in illo beneficio recuperet. 3. Per *ingreſſum*, quando quis beneficium ſibi collatum, ſed nondum poſſeſſum alteri reſignat, eo pacto, ut ſi ille præmortuus fuerit, vel Epiſcopus v. g. factus fuerit, ejuſdem poſſeſſionem ingredi, & capere poſſit ipſe renuncians. Quicunque igitur tale jus accedendi, ingrediendi, vel regrediendi ad illud idem beneficium alteri reſignatum, vel collatum, ſibi, vel alteri reſervat ſine expreſſa Papæ licentia Simoniam confidentiæ committit, quia hujuſmodi reſignationes cum tali pacto, coram ordinariis Prælatis locorum fieri non poſſunt, ſed ſunt Simoniacæ, & irritæ. Confir. *Concil. Trident. Seſſ. 25. c. 7. de reform.* omnes hujus modi acceſſus, & regreſſus ad beneficia Eccleſiaſtica cujoſcunque qualitatis prohibuit, ac reprobavit cum hæreditariæ ſucceſſionis imaginem referant, & SS. conſtitutionibus, & Patrum decretis ſint contrarii. Porro de his plura dicta ſunt ſupra *l. 1. Tit. 9. Sect. 5. §. 4. 81. & ſeqq.*

CXV. Quæritur 3. Quæ ſint pœnæ decretæ in Simoniacos confidentiales in prædictis Bullis? Reſp. Prima eſt: Epiſcopi, & alii Prælati ſuperiores interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, alii vero Prælati inferiores, vel Clerici excommunicationem latæ ſententiæ S. Pontifici reſervatam incurrunt. Secunda pœna eſt. Reſignatio, vel collatio beneficii, in quo commiſſa eſt talis Simonia, eſt invalida, & omnino renuncians inhabilis fit ad idem beneficium obtinendum, & ad omnia inde ſecuta. Tertia. Simoniacus confidentialis privatur omnibus beneficiis, & penſionibus prius obtentis, & inhabilis fit ad quæcunque alia obtinenda: quamvis hæc pœna privationis non incurratur ipſo facto, ante ſententiam Judicis, ſaltem declaratoriam criminis. Quarta, beneficia per Simoniam confidentiæ obtenta, Sedi Apoſtolicæ ſunt reſervata, ita ut ab inferioribus conferri non poſſint, & fructus eorum interim male percepti Cameræ Apoſtolicæ applicari debeant. *Suar. cit. cap. 43. num. 13. Laym. cit. l. num. 77.*

Porro circa has pœnas notandum, tametſi ad illas incurrendas ſit neceſſarium, ut Simonia confidentialis opere ſit impleta, dato & accepto beneficio in confidentiam: non tamen requiritur, ut ex utraque parte ſit completa, ita ut accipiens viciſſim ſuam promiſſionem impleverit, v. g. penſionem ſolverit, nam nihilominus ab utroque incurruntur prædictæ pœnæ, eo ipſo, quod beneficium ab uno, ſit datum, & ab altero acceptum. *Suar. cit. l. num. 14. Laym. cit. l. num. 78.* Veruntamen Mediatores Simoniaci non incurrunt excommunicationem, etiam in Simonia confidentiali, donec illa ab utraque parte, tam accipientis, quam dantis, ſit completa, quia de illis non loquitur Bulla Pii IV. & V. ſed illi incurrent excommunicationem Pauli II. in *Extravag. 22. h. tit.* quæ non incurritur, niſi per Simoniam realem utrinque completam, ut contra *Navarr.* notavit *Suar. cit. l. n. 15.* Hinc patet, pœnas Simoniæ confidentialis graviores eſſe quam ſimplicis Simoniæ, quia nimirum continet innumeras fraudes, cum magis lateat, quam aliæ, committatur, & ſpeciem habeat ſucceſſionis hæreditariæ. *Suar. cit. l. nu. 54.* Quomodo vero univerſim Simonia committatur in reſignationibus Beneficiorum dictum eſt ſupra *l. 1. cit. Tit. 9. Sect. 6. §. 2.* Et quomodo in permutationibus beneficiorum, *l. 3. Tit. 19.*

§. VIII.

De Simonia, quæ committitur in penſionibus ſolvendis ex bonis Eccleſiaſticis?

CXVI. Quæritur 1. An ſit Simonia, emere, aut redimere penſionem Eccleſiaſticam, hoc eſt, jus percipiendi partem fructuum ex alieno beneficio? Reſp. 1. Penſiones mere temporales, quæ etiam Laicis pro miniſterio temporali, vel ob aliam juſtam cauſam aſſignari, & competere poſſunt ex Eccleſiaſticis reditibus, citra titulum ſpiritualem, abſque Simonia, vendi poſſunt, & redimi, *Leſſ. l. 2. cap. 35. nu. 123. Suar. l. 4. de Simon. c. 26. nu. 5. Laym. cit. c. ult. §. 5. num. 46. quæſt. 3.* Ratio eſt, quia talis penſio non fundatur in ſpirituali titulo, nec ei eſt annexa, ſed legitima auctoritate a ſpirituali titulo ſeparata, nec ordinatur ad functionem ſpiritualem, adeoque eſt quid mere temporale.

CXVII. Reſp. 2. Penſiones proprie ſpirituales, quæ ſcilicet dantur in titulum beneficii, ſive ad ſerviendum, & juvandum Parochum in officio ſuo, quæ ſolent Capellaniæ vocari, ſive ad ſerviendum tantum in choro, vel officiis divinis, ſunt propria materia Simoniæ, quia ſunt proprie dicta beneficia fundata in ſpirituali titulo, eoque perpetuo, & Canonice erecta, ſive inſtituta, *Suar. cit. c. 26. num. 23.* & alii communiter. Idemque dicendum de illis penſionibus ſpiritualibus, quæ pro beneficio, ſive loco beneficii ad ſpirituale miniſterium exercendum dantur, v. g. Coadjutori, vel Vicario Epiſcopi, vel Concionatori, hæ enim non poſſunt pretio vendi, abſque Simonia, nec etiam redimi, cum talis penſio, non minus, quam Eccleſiaſticum beneficium fundetur in ſpirituali officio, nihilque ei deſit ad rationem beneficii, niſi quod non ſit perpetua, ſive non conferatur in titulum perpetuum, adeoque qui illam emit, aut vendit, Simoniam committit, quia ipſum ſpirituale miniſterium, cui eſt annexa, emere, aut vendere cenſetur: neque etiam poteſt redimi talis penſio, quia per redemptionem extingueretur obligatio penſionarii ad tale munus, quæ tamen manere debet, ut officium ſpirituale præſtetur: *Leſſ. cit. l. nu. 122. Suar. cit. c. 26. nu. 19. & 20. Laym. cit. l. num. 47.* Poteſt tamen talis penſionarius ipſas penſiones temporales, ſeu fructus ad tempus vitæ ſuæ vendere, vel locare, ſine vitio Simoniæ. *Leſſ. cit. l. & Laym.*

CXVIII. Reſp. 3. Penſiones mixtæ, quæ ſcilicet dantur Clericis, ut Clerici ſunt, ſive ratione Clericalis ſtatus, non tamen ob ſpirituale miniſterium, ſed ob aliam cauſam, ut quia datur penſio Parocho ſeni, qui non poteſt amplius Eccleſiæ deſervire, vel pauperi Clerico ad ejus ſuſtentationem, vel ad reſignationem beneficii in favorem alterius factam, etſi ſpectat rei natura, & jure communi antiquo, licite, & abſque Simonia vendi, & emi poſſint, non tamen ſecundum ſtylum Curiæ Romanæ, quæ hujuſmodi venditiones tanquam Simoniacas damnat: & damnantur jure novo decretum Pii V. de penſionibus, *Leſſ. cit. l. num. 125. & 129. Suar. cit. c. 26. n. 7. & 8. Laym. cit. l. n. 48.* Prior pars probatur, quia

quia talis penſio non datur propter ſpiritualem titulum, ſeu officium ſpirituale obeundum, ſed præciſe ob ſuſtentationem, vel aliam cauſam ea allatis: Clericalis autem ſtatus ſolum requiritur, ut conditio, vel diſpoſitio ex parte ſubjecti, ſicut eleemoſyna, quæ datur Clerico, intuitu Clericalis ſtatus, non ideo fit ſpiritualis, vel rei ſpirituali annexa. Secus eſt de jure præbendæ, quod annectitur titulo ſpirituali, ita, ut qui titulum illum acquirit, ſimul acquirat jus percipiendi proventus temporales, ideoque ſicut ipſe titulus ſpiritualis eſt, ita & jus præbendæ ei annexum ſit tale, ut vendi non poſſit. Nec obſtat, quod talis penſio datur intuitu prioris beneficii, vel officii, ac miniſterii ſpiritualis præteriti, quia non datur tanquam ſtipendium illius miniſterii, neque ut illi annexa: nam pro officio præterito mercedem ſuſtentationis talis Clericus jam accepit; ſed immediate datur perſonæ, tanquam eleemoſyna quædam ex bonis talis beneficii facta, quæ eleemoſyna, poſtquam legitima auctoritate ſeparata eſt a beneficio, eſt quid temporale, licet motivum ad illud faciendum fuerit ſpirituale: & Officium, ſeu miniſterium præteritum ſit conditio, ſine qua non ei daretur, ſicut ſi daretur uſusfructus alicujus agri Eccleſiæ ſeparati a beneficio, ad vitam, v. g. Parochi ſenis, & applicaretur ad ſuſtentationem illius. *Leſſ. cit. l. num. 126. & ſeq. Suar. cit. l. num. 24.*

Poſterior pars probatur, quia Pius V. impoſuit hujuſmodi penſionibus obligationem recitandi officium B. V. & licet non ſint beneficia propria, quia non ſunt perpetuæ; ſunt tamen annexæ alicui Clericali, & ſpirituali officio, ratione cujus acquiritur jus ad tales reditus temporales: & requiritur ad illas, non tantum ſtatus Clericalis, ut conditio, ſed etiam miniſterium ſpirituale propter quod dantur; ideoque vendi, & emi non poſſunt, ubi Conſtitutio illa eſt recepta. *Suar. cit. l. num. 8. Leſſ. cit. l. n. 129.* Veruntamen poſſunt tales penſiones præſenti pecunia redimi, ut praxis recepta confirmat; quia tunc non emitur, vel commutatur jus ſpirituale pro temporali, ſed extinguitur onus, ſeu obligatio temporalis ſolvendi, quotannis, certam ſummam pecuniæ, vel fructuum. *Leſſ. c. l. n. 124. Suar. cit. c. 26. num. 10. Laym. cit. l. nu. 48.* apud quos plura de hac re legi poſſunt.

CXIX. Quæritur 2. Utrum abſque labe Simoniæ penſio impoſita beneficio, anticipata ſolutione, redimi poſſit. v. g. Vicarius perpetuus ſolvere debet ex Parochiæ fructibus, ſeu proventibus, quos percipit, monaſterio, vel Eccleſiæ Collegiatæ, cui Parochia illa eſt incorporata quotannis, centum aureos: quæritur, an valeat pactum cum eo initum, ut ſtatim ab initio hanc penſionem redimat 500. aureis? Reſp. Si vi pacti, Vicario imponatur obligatio, penſionem illam annuam pecunia redimendi, Simonia committitur, quia hujuſmodi Vicariæ perpetuæ, ſicut & alia beneficia, debent pure, & ſimpliciter, ſine omni pactione, & obligatione, conferri, alioqui enim Simonia erit, ſaltem ex Jure Eccleſiaſtico. Si vero Vicarius libere, ac ſponte, citra ullam obligationem, redimat penſionem, ita ut vi pacti optio ipſi detur penſionem illam, vel quotannis præſtandi, vel ſtatim redimendi; tunc nulla Simonia intervenit, quia nullum onus pretio æſtimabile ipſi imponitur: ſed potius fit gratia; nam in tali conventione redimitur res mere temporalis, videlicet obligatio ſolvendi aliquam partem redituum, quam Monaſterium, vel Eccleſia Collegiata juſte a Vicario poſſet, ſingulis annis, exigere. *Suar. cit. c. 26. nu. 20. Laym. c. l. nu. 49.*

§. IX.

De Simonia, quæ committitur circa officia Eccleſiæ temporalia.

CXX. Quæritur 1. An officia temporalia Eccleſiæ, cujuſmodi eſt officium Procuratoris, ſeu Adminiſtratoris rerum temporalium Eccleſiæ, Advocati, aut Syndici, item Judicis, quem poteſt Epiſcopus conſtituere in locis, ubi habet temporalem juriſdictionem, &c. pro pecunia vendere ſit Simoniacum? R. Non eſt Simonia, ſpectato Jure naturali, ac divino, ut ex communi docet *Suar. cit. l. 4. de Simon. c. 29. num. 6.* quia hæc officia non habent in ſe aliquid ſpirituale, nec ordinantur proxime ad actiones ſpirituales, ſed tantum ad temporales, ut ſunt cuſtodire, & adminiſtrare res, & bona Eccleſiæ, licet ordinentur etiam ad finem ſpiritualem, ſed remote ſolum, ac extrinſece. Sed neque officium Sacriſtæ, aut Cuſtodis vendere eſt Simonia Juris divini, quia licet functiones hujus muneris habeant pro materia res ſacras; ſunt tamen actiones mere temporales. *Suar. c. l. num. 12.*

CXXI. Veruntamen venditio horum officiorum, tanquam Simonia, eſt prohibita Jure Canonico, *c. Si quis 8. cauſ. 1. q. 2. c. Salvator. 8. cauſ. 1. q. 3. & in c. conſulere. 38. h. t.* quod eſt deſumptum ex Concil. Later. ſub Innocentio III. *cap.* 53. ubi generaliter prohibetur, ne adminiſtratio rerum Eccle„ſiaſticarum per pecuniam obtineatur, his verbis: Qui„cunque Vice-Dominatum, aut Vicariatum, vel aliam Ec„cleſiaſticarum rerum adminiſtrationem per pecuniam ob„tinere voluerint, tam ementes, quam vendentes cum Si„mone Mago percelluntur, & ab Eccleſia, in cujus con„tumeliam dare, & accipere pecuniam voluerunt, juſte „excluduntur. Per quem textum vendi prohibentur multa officia Eccleſiaſtica, etiam temporalia, ut ait *Suar. lib. 4. de Simon. cap. 29. num. 3.* Ratio eſt, quia licet hæc officia ex ſe non ſint ſpiritualia; ſunt tamen iis conjuncta: nam per illas res ſacræ valde propinque contrectantur, & Eccleſiaſtica bona adminiſtrantur, ac proinde ſi pretio vendantur, etiam injuria redundat in ipſa ſpiritualia, propter viciniam, & ſic Simonia committitur Juris humani contra prohibitionem Eccleſiæ, *Suar. cit. c. 29. num. 5.*

Limitatur autem, ut tunc ſolum ſit prohibitum, tanquam Simoniacum, vendere hujuſmodi officia, ſi ſoleant exerceri per Clericos: Secus, ſi etiam per Laicos, vel niſi per contrariam conſuetudinem huic prohibitioni Juris Canonici fuerit derogatum. *Silv. V. Simonia q. 13. dicto 7.* quamvis *Suar. cit. c. 29. num. 7.* contrarium teneat.

CXXII. Quæritur 2. An ſicut vendere officia Eccleſiæ temporalia, eſt Simonia prohibita Jure Eccleſiaſtico, ita etiam ſit ſimilis Simonia vendere functiones eorum? Reſp. Negative, quia illæ non prohibentur vendi ullo Jure Eccleſiaſtico, ſicut ipſa officia, quæ ſunt ab Eccleſia inſtituta, ac per poteſtatem Eccleſiaſticæ juriſdictionis conferuntur, & in quibus conſtitui debent perſonæ idoneæ, & non propter pretium: quæ rationes non habent locum in functionibus talium officiorum, quia cum ſint mere corporales; ideo pro illis dari, & accipi poteſt pretium; non tantum per modum ſuſtentationis, ſed etiam debitæ compenſationis, cum ad eas, quippe diverſas, non ſit extendenda prohibitio Eccleſiæ. *Suar. cit. c. 29. num. 13.*

SECTIO V.

DE PRETIO SIMONIACO, ejuſque Diviſione.

Hactenus actum eſt de materia Simoniæ, quæ eſt res ſpiritualis, nunc agendum eſt de pretio, quod requiritur ad rationem Simoniæ: nam hujuſmodi malitia conſiſtit in contractu oneroſo, & reciproco, ſive commutatione rei ſpiritualis cum temporali, per modum venditionis, & emptionis, vel alterius æquivalentis contractus; ideo neceſſe eſt, ut ibi pretium interveniat, late ſumpto nomine pretii, prout comprehendit, non tantum pecuniam, ſed etiam omnem rem temporalem pretio æſtimabilem, vel temporalem utilitatem habentem, quæ viciſſim pro re ſpirituali datur, vel accipitur, ut ſupra dictum *Sect. 1. §. 2. h. titul.* Porro ad rationem pretii non ſatis, eſt quod pecunia, vel res temporalis detur pro actione, ſeu re ſpirituali quocunque modo, etiamſi alias non daretur, ſed ut detur in commutationem, ſeu compenſationem, & quaſi appretiationem rei, quæ pro illa datur, ut notat *Suar. l. 3. de Simon. c. 30. nu. 1.* & ex dicendis patebit.

§. I.

An pretium Simoniacum neceſſario debeat eſſe temporale quid, non ſpirituale, & quando temporale, quod datur, habeat rationem pretii, reſpectu rei ſpiritualis, quæ viciſſim datur?

CXXIII. Aſſertio 1. Pretium Simoniæ, ſpectato Jure naturali ac divino, neceſſario debet eſſe aliquid temporale, nec ſufficit ſpirituale. Eſt communis DD. ſententia apud *Suar. citat. cap. 30. num. 4.* & ſumitur ex *cap. 8. Actorum.* ubi Petrus dixit Simoni Mago: *Pecunia tua ſit tecum in perditionem, quoniam donum DEI exiſtimaſti pecunia poſſideri:* ex quo patet, quod malitia Simoniæ conſiſtat in commutatione rei ſpiritualis pro pecunia, cujus nomine comprehenditur quicquid pecunia æſtimari poteſt, *S. Thom. citat. quæſt. 100. art. 2. & articul. 5. in corp.* Ratio eſt, quia malitia Simoniacæ commutationis oritur ex improportione, quæ eſt inter rem materialem, ſeu temporalem, & ſpiritualem, ut ex ſupra dictis patet.

CXXIV. Hinc ſequitur 1. Permutare rem ſpiritualem cum altera mere ſpirituali, cui ſcilicet nihil temporale, ſeu pretio æſtimabile annexum eſt, ex natura rei, & ſpectato Jure divino, non eſſe Simoniam v. g. ſacras Reliquias cum aliis ſacris Reliquiis, jus patronatus cum alio jure patronatus, aut beneficium Eccleſiaſticum cum altero beneficio, *Suar. cit. c. 30. num. 5. Laym. cit. cap. ult. §. 2. nu. 7.* & alii. Probatur; tum quia talis commutatio non eſt prohibita Jure divino, ſive præcepto Chriſti: *Gratis date*; tum quia, quando datur ſpirituale pro ſpirituali, nulla datur pecunia, nec aliud pretium æquivalens, ſine quo non eſt emptio, adeoque nec Simonia: tum quia per talem commutationem non fit injuria, vel irreverentia rei ſpirituali, ſicut non fit injuria gratiæ, ſi pro gratia detur, juxta illud Joan. 1. *Gratiam pro gratia.*

Sequitur 2. Quamvis permutare inter ſe beneficia, etiam nulla interveniente pecunia, vel alio temporali equivalente, ſi talis permutatio fiat per pactionem privatorum Beneficiariorum, ſine auctoritate Prælati, ſive Superioris, ſit Simonia prohibita Jure Eccleſiaſtico, ut fuſe oſtendit *Suar. cit. l. 4. de Simon. c. 31. numer. 8. & ſeqq.* de quo dictum *l. 3. tit. 19. §. 3. & 4.* vel ſaltem ſit mala, & illicita, quia Jure poſitivo, ſeu Eccleſiaſtico prohibita: non eſt tamen extra materiam Beneficiorum, ullo Jure poſitivo ſpecialiter prohibitum permutare ſpirituale pro ſpirituali quia Canones generatim prohibentes pactiones in rebus ſpiritualibus loquuntur de iis, in quibus aliquid temporale datur pro ſpirituali. Neque etiam ad hujuſmodi permutationem ſpiritualem requiritur, ut interveniat auctoritas Superioris, ſi res ſpirituales, quæ permutantur, ſint ſubjectæ liberæ poteſtati, & diſpoſitioni commutantium. *Suar. cit. cap. 31. numer. 20.*

CXXV. Aſſertio 2. Quandocunque res temporalis, & pretio æſtimabilis gratia datur, ſive donatur ei, qui ſpirituale donum, vel officium præſtat, non poteſt habere locum Simonia, ſaltem ex natura rei, & ſpectato Jure divino, *Suar. cit. l. 4. cap. 26. num. 2. Laym. cit. c. ult. §. 2. n. 8.* Sumitur ex *c. Quam pio. 2. in fine. cauſ. 1. q. 2.* & clarius ex *c. Licet 4. cit. cauſ. & q.* ubi habetur, non eſſe prohibitum gratis, & ſponte, ac ſine exactione, datum accipere, poſtquam gratia, vel donum ſpirituale jam gratis eſt collatum. Idque procedit, ſive donum temporale detur, poſt ſpirituale donum, vel officium præſtitum, ſive etiam ante, vel ſimul cum ipſo ſit datum; non enim erit Simonia, ſaltem coram

DEO

DEO & in foro conſcientiæ, modo gratis, & pure ſine ullo pacto expreſſo, vel tacito ſit prius, vel ſimul datum, uti colligitur ex *c. Etſi quæſtiones* 18. *h. t.* ubi habetur, quod, quando ex circumſtantiis præſumi poteſt, donum temporale prius gratis eſſe datum, id non ſit prohibitum; & ex *c. Placuit.* 103. *cauſ.* 1. *q.* 1. & ex *c. Dilectus* 30. *in fine h. t.* ubi dicitur: *Illud gratanter recipi poterit, quod fuerit ſine taxatione* (id eſt, venditione, vel pactione, *Gl. V. Eod.*) *gratis oblatum*, & ex *c. Tua nos.* 34. §. *Si vero. h. t.* Ratio eſt: quia ſi temporale gratis datur, non eſt pretium rei ſpiritualis: pretium enim, & gratuitum donum ſibi invicem opponuntur; quod enim pro pretio datur, non donatur gratia, ſed tanquam ex juſtitia viciſſim debitum datur, aut promittitur. Veruntamen in foro externo, quando præcedunt temporalia munera ſpirituale donum, plerumque præſumitur mala, & Simoniaca intentio, quia ſolent animum valde inclinare, ideoque etiam interdum prohibentur tanquam Simoniaca Jure Eccleſiaſtico *Suar. cit. l. n.* 2. Sed & vice verſa, quamvis ſpirituale detur poſtea ex gratitudine, vel etiam prius, ea intentione, ut alter ex gratitudine moveatur ad remunerandum dono aliquo, non eſt Simonia, quia gratitudo non reſpicit pretium, ſed beneficium, nec impedit, quo minus res ſimpliciter gratis detur, cui non datur tanquam debitum juſtitiæ, ſed morale, ſeu antidorale. *Covarr. l.* 1. *reſol. c.* 30. *n.* 4. *Suar. cit. l. & Laym. c. l.*

Verum non eſt licitum, ſed Simoniacum, obligationem antidoralem gratitudinis in pactum deducere, cum ſpeciali promiſſione implendi illam, v. g. dono tibi pecuniam, tali tamen conditione, ſeu modo, ut viciſſim promittas mihi, & te obliges, quod ex gratitudine mihi præſtabis rem aliquam ſpiritualem: vel viceverſa, præſto tibi hoc officium ſpirituale, ut promittas, te viciſſim ex gratitudine daturum donum aliquod temporale, quia hujuſmodi conventiones ſub titulo donationis, aut remunerationis reipſa ſunt Simoniacæ permutationes, quia per tale pactum imponitur accipienti novum onus, ſeu obligatio pretio æſtimabilis aliquid viciſſim dandi, ad quod, ſecluſa hac ſpeciali conventione, alioquin obligatus non eſſet; adeoque non ſunt donationes: ſed onerofæ, & reciprocæ pactiones, ſeu permutationes. *Suar. l. 4. de Simon. c.* 45. *n.* 9. *Laym. cit. l. n.* 9.

CXXVI. Aſſertio 3. Non eſt Simonia pro ſpiritualibus Miniſteriis dare, vel accipere temporalia, etiam obligatione, ſi non ut pretium, ſeu in commutationem rei, ſed per modum ſtipendii, ac neceſſariæ ſuſtentationis perſonæ dentur, vel accipiantur, ut docet *S. Thom. communiter receptus cit. q.* 100. *art.* 2. *in corp. Suar. cit. c.* 36. *n.* 3. *& c.* 46. *num.* 1. *Laym. cit. c. ult. n.* 13. Idque uſus Eccleſiæ confirmat, & ſumitur ex *c.* 10. *Matthæi*: ubi cum dixiſſet Chriſtus: *Gratis accepiſtis, gratis date*, poſtea ſubjungitur: *dignus eſt Operarius cibo ſuo*, & habetur etiam *in c. Charitatem.* 45. *in fine cauſ.* 12. *qu.* 2. Ratio eſt: quia hic non ſit commutatio rei ad rem; adeoque ſpirituale non æſtimatur pretio, ſed gratis datur: obligatio vero dandi temporale oritur ex naturali juſtitia, quæ exigit, ut ei, qui in alterius gratiam, & commodum laborat, ſufficiens ſuſtentatio detur, conſiderato ſtatu perſonæ ejus. Quare ejuſmodi ſtipendium non datur pro ipſo Miniſterio ſpirituali, quatenus ſpiritualis operatio eſt, ut ſic enim gratis exhiberi debet: ſed datur, quatenus præciſe ſervitium eſt, ſive operatio in alterius gratiam facta; ideoque etiam non commenſuratur dignitati, vel utilitati ipſius operis, ſed dignitati, & conditioni perſonæ operantis in gratiam alterius.

CXXVII. Idque extenditur 1. Quod neque exigere, vel accipere ſtipendium ſuſtentationis, interveniente pacto, ſit Simonia, ut docet *Leſſ. l.* 2. *c.* 45. *n.* 48. *Suar. cit. c.* 46. *n.* 4. *Laym. cit. l. n.* 15. Ratio eſt: quia ſtipendium ſuſtentationis ex juſtitia debetur miniſtrantibus ſpiritualia; ergo etiam de eo paciſci poſſunt; licitum enim eſt in pactum deducere, quod alicui jure naturali ex juſtitia debetur, & pactum tale non cadit ſuper rem temporalem, quatenus eſt pretium, ſed quatenus ſtipendium eſt neceſſarium ad ſuſtentationem perſonæ: neque ulla lege poſitiva Juris Canonici hujuſmodi pactum reperitur prohibitum, ſed ſolum prohibentur pacta inhoneſta, id eſt, quæ repugnant gratuitæ donationi ſpiritualium, & per quæ ſpiritualia cum temporalibus commutantur. *Gl. in c. ult. V. Ceſſare de pactis*, *Suar. cit. c.* 46. *n.* 5. Porro cum quantitas juſti ſtipendii, ipſo jure naturali, non ſit definita, ac determinata; ideo debet ea per legem, vel conſuetudinem, vel, ſi hæ in ſpecie nihil ſtatuant, per partium compoſitionem determinari. *Suar. cit. c.* 46. *nu.* 4. ita tamen ut videtur turpis exactio avaritiæ, quæ Simoniæ ſpeciem præfefert, ut ſi v. g. ſpirituale non prius detur, quam pecunia ſit data, vel ſaltem de ea ſolvenda cautio ſit præſtita, quod prohibetur *in c. Tantum* 36. *& c. Audivimus.* 41. *h. t.* tunc enim videtur exigi pecunia, non ut ſtipendium ſuſtentationis, ſed ut pretium, licet talis exactio vere, & proprie Simonia non ſit, quia non mutatur modus debiti. *Laym. in cit. c. ult. n.* 15. *in fine ex Cajetano.*

CXXVIII. Extenditur 2. Quod etiam Sacerdotes, & Clerici miniſtrantes ſpiritualia poſſint exigere ſtipendium ſuſtentationis, etiamſi divites ſint, & non egeant, vel quia bona patrimonialia habent, vel Eccleſiaſtica. *Suar. cit. c.* 46. *n.* 7. *Laym. cit. l. num.* 14. Idque ſumitur ex Concilio Agathenſi *c.* 36. relato in *c. ult. cauſ.* 1. *q.* 2. ubi dicitur: *Clerici omnes, qui Eccleſiæ fideliter, vigilanterque deſerviunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita, ſecundum ſervitii ſui meritum, per ordinationem Canonum a Sacerdotibus conſequantur.* Ratio eſt: tum quia Clericus, etſi non indigeat, non petit tale ſtipendium, ut pretium, adeoque non eſt Simoniacus, quia non vendit Miniſterium ſpirituale: neque etiam datur illi, ut mera eleemoſyna ex miſericordia, ſed tanquam ex juſtitia debitum, etiamſi aliunde neceſſariam, ac ſufficientem ſuſtentationem habeat, *nemo enim ſuis ſtipendiis militare cogitur* 1. *Cor.* 9. ſive in alterius gratiam laborare: tum

quod ex aliis bonis alimenta habere poſſit, id eſt per accidens, neque impedit, quo minus adhuc debitum ſit ex juſtitia ſtipendium, *Suar. cit. l. n.* 8. Quare ſi reditus Parochiales, vel alterius beneficii tenues ſint, & ad honeſtam ſuſtentationem Parochi, vel alterius Beneficiati non ſufficiant, poteſt Epiſcopus præcipere ut Parochiani alias oblationes faciant, & in ſubſidium neceſſitatiæ ſuſtentationis conferant, cum Epiſcopi ſit providere de ſufficientibus alimentis inferioribus Paſtoribus, & fideles ad id teneantur: neque tales exactiones contrariæ ſunt juri communi, quod loquitur de miniſtris habentibus ſufficientem ſuſtentationem. *Suar. l.* 4. *de Simon. c.* 47. *n. ult. Laym. c. l.* Aliud vero dicendum eſt, ſi Parochus, vel alius Beneficiatus, qui ex vi officii ſui obligatus eſt ad adminiſtranda ſpiritualia, ſufficientem ſuſtentationem a fidelibus accipiat. V. g. ex decimis, oblationibus, & aliis proventibus Eccleſiaſticis; tunc enim contra juſtitiam peccat, ſi novum ſtipendium exigat, v. g. pro adminiſtratione Sacramentorum, vel celebratione Miſſæ, vel de eo dando pactum interveniat: nam univerſim loquendo contra juſtitiam eſt exigere temporale ſtipendium, ratione operis, alioquin ex juſtitia debiti: quia tunc deeſt jus, ſive titulus exigendi ex pacto gratuito quia dans non vult donare, ſed tanquam pretium dare: neque ex pacto oneroſo, quia hujus pacti ea conditio ex natura eſt, ut utrinque obligationem pariat: nulla autem nova obligatio imponitur ei, qui jam ante ex juſtitia obligatus eſt facere, vel intermittere aliquid, ergo cum quis cum altero paciſcitur de novo ſtipendio dando pro eo, quod alias jam ex juſtitia eſt debitum, injuriam ei infert. *Suar. cit. c.* 46. *n.* 9. *& c.* 47. *n.* 5. *Laym. cit. c. ult. n.* 16. *& l.* 3. *tr.* 4. *c.* 4. *n.* 9. Quin imo talis exactio ſpeciem quoque Simoniæ habet, & eſt Simonia ſaltem præſumpta; ideoque Jure poſitivo, ut Simonia, interdum prohibetur. *Suar. cit. c.* 46. *n.* 9. *art.* 3. *ad* 2. *Laym. cit. l. n.* 16.

CXXIX. Aſſertio 4. Non eſt Simonia promittere, vel donare alicui quippiam temporale, ſub onere, & conditione operis ſpiritualis præſtandi, modo non fiat per modum retributionis, ſeu compenſationis. V. g. ſi Chriſtianus donet infideli aliquid ſub conditione, ſi baptiſmum ſuſcipiat: vel ſi puella viro hæretico matrimonium promittat, ſi ad fidem Catholicam convertatur, &c. *Sanch. l.* 1. *de matrim. diſ.* 39. *n.* 4. *Suar. l.* 4. *de Sim. c.* 16. *& ſeqq. Laym. cit. c. ult.* § 2. *n.* 11. Ratio eſt; quia hic non intervenit contractus oneroſus, & reciprocus, ſine quo non committitur Simonia, ſed liberalis donatio, per quam ei, cui ſit promiſſio, non imponitur obligatio aliquid faciendi ſimpliciter, ſed ſolum, ſi rem promiſſam accipere, vel donatam retinere velit: dummodo etiam illa conditio non ſit de dando, vel faciendo aliquid in utilitatem dantis, vel promittentis, aut alterius, cujus vicem ipſe ſubit. V. g. do tibi centum aureos, ſi mihi: vel amico meo dederis Reliquias: quia tunc conditio reciproca ſeipſa tranſit in commutationem, ſeu contractum, ſaltem innominatum: *do, ut des*, & quidem Simoniacum, quia datur temporale, ut recipiatur ſpirituale; ut notat *Layman cit. l.* Alioquin vero talis pactio, ſive datio non tantum non eſt Simoniaca, ſed neque illicita, ſi unus bona intentione donet, vel promittat, ut alterum ad bonum ſpirituale inducat, vel a malo, ſeu peccato abducat: alter vero opus ſpirituale, quod ab eo exigitur, ſaltem primario, ac principaliter non faciat propter pecuniam, vel aliam rem temporalem, etſi ſit motivum quoddam ſecundarium, & impulſivum. Sic enim paſſim in ſcriptura legitur, quod DEUS promiſit bona temporalia ſervantibus præcepta, & quidem per modum pacti, & conditionis: & quid eſt frequentius, quam ſtudiorum fructus ſuppeditentur adoleſcentibus, ſub ea conditione, ut ſtatum Eccleſiaſticum ſuſcipiant, alioquin vero ſumptus refundere debeant. Confirmatur ex *c. cod. de condit. appoſit.* ubi deciditur, validam eſſe manumiſſionem ſervorum ſub hac conditione factam, ut Monachi fiant, & in Monaſterio permaneant: at libertas eſt res temporalis, & pretio æſtimabilis; ergo etiam licita eſt ſimilis promiſſio ſub hac conditione facta, ut damnato ad mortem vita condonetur, ſi velit Religionem ingredi; nam tunc non cogitur ad Religionem, ſed optio illi datur, ut inter illa duo eligat vel mortem: vel Religionem. *Suar. l.* 4. *de Sim. cap.* 16. *num.* 16. Aliud eſt, ſi alicui detur, vel promittatur aliquid temporale ſub eo pacto, & conditione, ut obligatus ſit determinate ingredi Religionem, vel ſuſcipere fidem, &c. talis enim pactio non eſt licita, nec caret vitio Simoniæ; videtur enim ejuſmodi opus ſpirituale, ad quod aliquis abſolute obligatur pretio æſtimari, *Suar. cit. l. n.* 17. & ſic intelligi debet text. in *c. Quam pio.* 2. *cauſ.* 1. *q.* 2.

CXXX. Aſſertio 5. Non eſt Simonia, ſaltem ex natura rei, rem ſpiritualem offerre, vel officium ſpirituale præſtare, etiam principaliter propter rem temporalem, ſi intentio illa non deducatur in pactum expreſſum, vel tacitum; ideoque res illa temporalis, non ut pretium accipiatur. Ut ſi ſacræ Reliquiæ, quæſtus, ſeu lucri cauſa exponantur, & oſtendantur; ut largiores eleemoſynæ offerantur, ut docet *Sanch. l.* 2. *Mor. c.* 43. *n.* 42. ſic neque Simoniam committit Canonicus, qui principaliter accedit ad divina officia, propter diſtributiones quotidianas, alias non acceſſurus: Ratio eſt: quia intendere lucrum temporale, etiam tanquam finem principalem, non eſt emere, vel vendere rem ſpiritualem, ſi non intendatur lucrum principaliter, tanquam pretium, ſed tanquam debitum ſuſtentationis ſtipendium, vel tanquam eleemoſyna gratis oblata.

§. II.

Quænam circumſtantiæ conſideranda ſint, ut cognoſcatur, an munus aliquod temporale habeat rationem pretii Simoniace dati, pro re ſpirituali, vel non habeat?

CXXXI. De his agitur in *c. Etſi quæſtiones*, 18. *h. t.* Nam „ cum quidam electus fuiſſet in Archi-Epiſcopum Strigonienſem, & confirmatus, Papa ipſi per quendam Cardinalem Apoſtolicæ Sedis Legatum tranſmiſit Pallium: frater illius electi præſciens neceſſitatem Cardinalis, tranſmiſit ei, ipſo Archie-Epiſcopo electo ignorante, unum equum, quia per mare veniens nullos, vel paucos equos ſecum adduxit. Poſtea Archi-Epiſcopus, Pallio, ab eodem accepto, intelligens equum prius eidem Cardinali donatum eſſe, dubitavit, an non Simoniam aliquam incurriſſet, ideoque ſuper hoc conſuluit Papam: qui reſpondit, quod in his, ultra, quam oportet, dubitandum non ſit, cum leges humanæ dicant, quod quidam, tenui Religione, Sacramenta etiam neceſſaria, & legitima exhibere contemnant (*l. ult. C. de fide inſtrum.* quamvis illa verba, quibus hic Papa uſus eſt, ibi non legantur. *Gl. hic. V. Tenui Religione, junct. Gl. marg. lit. D.*) dicentes tenuem Religionem, quæ dubitat, ubi dubitandum non eſt: & ideo, propterea, quod frater Archiepiſcopi, ipſo ignorante, unum equum ei tranſmiſit, nullo modo ipſum dubitare, vel timere oportet: quia in accipiendis muneribus, vel dandis tria ſunt maxime attendenda, ſcilicet qualitas perſonæ dantis, & accipientis; quantitas muneris, & tempus donationis. Et imprimis qualitas perſonarum, ut a quo, & cui, videlicet, an a paupere diviti, vel e converſo a divite pauperi, aut a divite, locupleti, datum fuerit. Quantitas, ſive æſtimatio muneris, an magni, vel parvi pretii ſit donum, & tempus donationis, an inſtante neceſſitate, vel alio tempore donetur. Si ergo prædictæ circumſtantiæ in hoc caſu conſiderentur, non fuit magnum, quod frater Archi-Epiſcopi equum unum Cardinali donavit quem etiam hiſtrioni non petenti forte donaret (quod alias de jure fieri non debet, quia quod hujuſmodi perſonis donatur, arti nequiſſimæ donatur. *c. Donare. 7. diſ. 86. Gl. hic V. Donaret*) & potius hoc factum fuiſſe conſtat (id eſt, præſumitur, *Gl. hic V. eod.*) ob neceſſitatem, non alia intentione, quam ut Cardinali in hoc caſu neceſſitatis ſubveniret. Quod autem ſcriptum eſt Iſaiæ c. 33. *Beatus, qui excutit manus ſuas ab omni munere* de illis donum dictum eſt, quæ ſolent accipientis animum allicere, vel pervertere: quoniam ſi ipſa etiam perſona electi (ne dum frater ejus) offerat Ordinatori, vel Conſecratori ſuo (& multo magis Confirmatori, vel qui Pallium attulit. *Hoſtienſ. hic. V. eod.*) quædam, quæ modici pretii fuerint, & quæ recipientis animum non moverent, vel immutarent; non tamen Eccleſia Romana interpretari conſuevit, recipientem in his delinquere, vel donantem: adeoque in his non cenſetur Simonia committi, quia non eſt veriſimile, quod propter hujuſmodi modica munera aliquis moveatur ad injuriam iniquum faciendum. Gl. *fin. hic.*

CXXXII. Pro explicatione hujus c. notandum 1. In foro externo, ex circumſtantiis dijudicandum erit, an temporale, quod datur, ſimoniace ſit datum, & præcipue, an pactum interceſſerit; nam tunc major eſt præſumptio Simoniæ, quam cum ſimpliciter aliquid temporale datum eſt, quia Canones valde improbant pacta in hujuſmodi negotiis, quamvis etiam interdum pacta honeſta fieri poſſint ſine Simonia, ut ad redimendam vexationem, ad compenſandum accidentalem, & extraordinarium laborem ad ſecuritatem ſtipendii, &c. *Suar. l. 4. de Simon. cap. 36. num. 8.* Deinde etiam conſiderandum eſt, an in tali facto intervenerit aliqua cauſa, ob quam cohoneſtari poſſit datio temporalium, & excuſari Simonia, quæ ſi talis cauſa ſubſit, præſumi non debet, niſi aliæ circumſtantiæ, & conjecturæ moraliter ad id cogant, qui in dubio tenemur factum proximi in meliorem partem, & intentionem interpretari, ſi ejus ſit capax, *c. 2. infra de R. J.* cujuſmodi cauſa honeſta, ſeu titulus eſſe poteſt, vel ratione gratuitæ donationis, vel ex obligatione juſtitiæ, vel ex lege, vel ex conſuetudine, &c. tunc enim præſumendum eſt, quod ob talem cauſam datum ſit donum temporale, & non pro ſpirituali opere, aut beneficio, *Suar. cit. l. n. 9. & 10.*

CXXXIII. Notandum 2. In dubio, an temporale datum ſit mere gratuito, an vero per modum pretii, tria ſunt conſideranda, 1. Qualitas perſonæ dantis, & recipientis, ſub qua comprehenditur etiam circumſtantia *quis, & circa quem*, v. g. an ſit dives, vel pauper; nam donum, quod reſpectu divitis eſt parvum, poteſt reſpectu pauperis eſſe magnum: quo etiam ſpectat nobilitas perſonæ, quæ per ſe eſt indicium gratuitæ donationis, *Arg. cap. 1. de donat.* item ob vinculum amicitiæ, vel conſanguinitatis facile præſumitur inter conjunctos liberalis donatio: inſpici etiam debet integritas, morumque honeſtas in perſona dante, vel recipiente, ob quam etiam præſumitur donum temporale ex mera liberalitate proceſſiſſe. *Suar. cit. c. 36. num. 12.* 2. Conſideranda eſt circumſtantia quantitatis, quæ etiam vocari ſolet *circa quod*; nam ſi ea nimis magna ſit, non cenſetur liberaliter data, aut donata, quia nemo præſumitur quod ſuum eſt prodigere velle, *c. Cum ſuper hoc 3. de renunc. & l. cum de in debito 25. ff. de probat. Abb. hic nu. 3.* Si vero ſit nimia parva, ſeu modici pretii, pro nihilo reputatur, quia non eſt veriſimile dari, pro re tam præſtante, ut eſt res ſpiritualis. Si vero ſit mediocris, tunc conſideranda eſt quantitas in ordine ad perſonam dantis, & accipientis. Quod ſi data ſit pecunia numerata pro re ſpirituali, etiam modica quantitas ſufficit ad præſumendam Simoniam, ſi non adſit cauſa cohoneſtans. Si vero ſit data res pertinens ad cibum, & potum, & in modica quantitate, quaſi nihil reputari ſolet, uti ſumitur *ex cit. c. Etſi quæſtiones h. t. & c. Statutum 21. de reſcript. in 6. Suar. cit. l. n. 23.* 3. Conſideranda eſt circumſtantia temporis, ſive occaſio dationis; nam urgente neceſſitate, quia hic & nunc quia indiget re temporali, qui illam dat, cenſetur potius dare liberaliter, ſeu donare ad ſubveniendum neceſſitati, *Abb. c. l.* Deinde conſiderari debet, an munus temporale detur ante receptam rem ſpiritualem, vel in ipſa receptione, vel poſt illam: ſi enim temporalia dentur, ante receptionem ſpiritualium, tunc non ita facile præſumitur ex liberalitate data, ſed potius ex neceſſitate, vel poſſe movere, & permutare animum accipientis, ut colligitur ex *c. Emendari 104. cauſ. 1. q. 1. & c. Sicut 4. cauſ. 1. q. 2.* Similiter, ſi in ipſa receptione, vel in continenti poſt illam detur munus temporale, magis habet ſpeciem recompenſationis, quam gratuitæ donationis: ſecus, ſi poſt receptionem ex intervallo detur, tunc enim facilius præſumitur ex mera liberalitate, & gratitudine dari, ut in *c. 2. & c. Sicut 4. cit. cauſ. 1. q. 2.* non eſt autem præſumtio deſumpta ex circumſtantia temporis per ſe ſufficiens ad inducendam Simoniam, niſi Eccleſiæ prohibitio interveniat, quia in quolibet tempore poteſt locum habere pura intentio, & gratuita donatio, *Suar. cit. l. n. 24.*

CXXXIV. Notandum 3. Ex eo, quod in *cit. c. Et ſi quæſtiones h. t.* dicitur, ſi dentur ea, quæ modici pretii ſunt, accipientem, vel donantem non delinquere, non recte infertur, quod pecunia in modica quantitate data non ſufficiat ad Simoniam inducendam, ſi pro pretio detur rei ſpiritualis, & de eo conſtet: ſed hoc ſolum ibi dicitur, quando parvum munus datur, & non conſtat datum eſſe pro pretio, tunc in foro externo non præſumitur Simoniaca intentione eſſe datum, tanquam pretium: præſertim ſi aliæ circumſtantiæ non concurrant ad id præſumendum, quamvis in rei veritate, & in foro conſcientiæ poſſit eſſe Simonia, etſi modicum quid pretio æſtimabile detur pro re ſpirituali, tanquam pretium. *Suar. l. 4. Simon. c. 38. nu. 2.* ut plurimum tamen parvitas pretii excuſat a Simonia, quia modicum dari non ſolet in pretium rei ſpiritualis, ſed gratis; & ex cauſa benevolentiæ, vel titulo gratitudinis, ut ex Ugolino tradit *Barb. in cit. c. Etſi quæſtiones nu. 3. h. t.* alioquin varo Simoniam ratione parvitatis materiæ, non poſſe eſſe peccatum veniale, dictum eſt ſupra *Sect. 1. §. 1. num. 3. hoc tit.*

§. III.

Quotuplex ſit pretium Simoniacum?

CXXXV. Pretium Simoniæ frequenter munus appellari ſolet in Jure Canonico, idque communiter dividitur in munus a manu, munus ab obſequio, munus a lingua, prout videre eſt, *c. Ordinationes 113. & c. Sunt nonnulli 114. cauſ. 1. q. 1. & c. Salvator 8. cauſ. 1. q. 3.* & tradit etiam *S. Thom. cit. q. 100. art. 5.* & alii DD. communiter. Nomine autem muneris hic non intelligitur donum liberale, gratuitum, ſed potius debitum juſtitiæ commutativæ, quod ex vi conventionis oneroſæ, & reciprocæ præſtari, & exigi ſolet; adeoque gravamen aliquod eſt: & onus: quæ acceptio munerum frequenter etiam uſurpatur in Jure Civili, in quo officia, ſeu obſequia, & tributa, quæ tanquam ex juſtitia debita præſtari, & exigi ſolent, munera vocantur, ut conſtat ex *Tit. ff. de muneribus, & honoribus Laym. lib. 4. tract. 10. c. ult. §. num. 25.*

CXXXVI. Quæritur 1. Quid per munus a manu intelligatur? Reſp. Imprimis pecunia, quæ eſt proprie dictum pretium, de qua fit paſſim mentio in SS. Canonibus *c. 1. & c. ult. cauſ. 1. q. 3. & c. 2. h. t.* cum ſimilibus, nec requiritur, ut pecunia numerata detur, ſed ſufficit promiſſa ad inducendam Simoniam, *c. De hoc 11. c. Cum eſſent 12. & c. Nobis 27. ibi: promiſerunt, ſi pecuniam ſoluturos h. t.* ex quibus patet, quod promiſſio pecuniæ ad Simoniam ſufficit, *Suar. l. 4. de Simon. c. 38. n. 1. 2.* Sub hoc munere etiam comprehenditur omnis alia res materialis, & pretio æſtimabilis, ſive ſint res mobiles, ſive immobiles, corporales, vel incorporales, ut jura, aut cenſus, ut conſtat ex *c. Totum 6. cauſ. 1. q. 3. c. Etſi 18. ibi: electuarium, aut de vino &c. In tantum, 26. ibi: vaccam albam h. t.* Ratio eſt, quia non minor irreverentia infertur rei ſpirituali, & ſacræ, ſi commutetur pro re temporali pecunia æſtimabili, quam ſi videatur pro pecunia *Suar. c. l. n. 3.* 3. Ad hoc munus a manu pertinet, ſi quis pro re ſpirituali obtinenda debitum remittat, vel ſe remiſſurum promittat, ſi id fiat ex pacto reciproco, ab utraque parte inito, prout ſumitur ex *c. Veniens. 20. de teſtib. & dictum. ibid. num. 50.* Ratio eſt; quia qui dat aliquid ſpirituale, propter remiſſionem debiti temporalis; non dat gratis, ſed ex oneroſo contractu, & commutat rem ſpiritualem cum temporali, adeoque Simoniam committit. *Suar. cit. l. n. 4.* & qui obligatione liberatus eſt, accepiſſe videtur. *l. Si quis 115. ff. de R. I.* 4. Sub hoc munere a manu, etiam comprehenditur mutuo datio: nam ſi quis mutuo det alteri, v. g. Epiſcopo pecuniam, vel aliam rem æquivalentem, cum pacto oneroſo expreſſo, vel tacito, ut ipſi viciſſim beneficium Eccleſiaſticum conferat, Simoniam uterque committit. *Leſſ. 2. c. 20. n. 64. Suar. cit. c. 38. n. 7.* & alii communiter, & colligitur ex *l. Quiſquis 16. C. Si certum petat.* Ratio eſt: quia quamvis mutuum, ſive mutuatio pecuniæ non ſit per ſe peculiari pretio æſtimabilis, ſed non niſi eodem, quo ipſa pecunia, quæ poſtea integre reddenda eſt; quia nullum pretium ſupra ſortem licet pro ipſa actuali mutuatione accipere, ſed omnino gratis præſtanda eſt; tamen temporale quoddam commodum, quod ex præſenti uſu pecuniæ percipitur, non poteſt dari, vel commutari cum re ſpirituali, *Suar. cit. l. n. 7. & 8. Leſſ. cit. l. num. 5.* Huc revocatur

etiam

etiam dilatio ſolutionis, ſi cui ex pacto concedatur pro beneficio, vel alia re ſpirituali, ut pecuniam debitam, quam nunc ſolvere deberet, poſt annum primum numerare teneator; eſt enim virtuale, ſeu implicitum mutuum; nam vi illius pacti illa pecunia datur mutuo pro toto anno. *Suar. c. l. num.* 9. Idemque eſt, ſi detur ſpirituale pro anticipata ſolutione, ut nimirum ſolvatur ante tempus, quo ea obligatione ſolvendum eſt; eſt enim etiam virtualis mutuatio, illique æquivalet. *Suar c. l.*

CXXXVII. Quæritur 2. Quid intelligendum ſit per munus ab obſequio? Reſp. Intelliguntur quæcunque obſequia, ſeu ſervitia temporalia alicui præſtita, vel præſtanda, ſub obligatione, ſeu ex pacto conferendi viciſſim ei beneficium Eccleſiaſticum, ſeu aliam quampiam rem ſpiritualem. Quare ſi quis Epiſcopo, vel alii Collatori ſine ſalario inſerviat, cum pacto tamen expreſſo, vel tacito, ut ei aliquando in compenſationem ſuorum obſequiorum temporalium beneficium aliquod conferat, Simonia eſt, pertinens ad munus ab obſequio; quia tunc datur beneficium in ſolutionem alicujus debiti temporalis; quamvis non ſit Simonia, ſi quis gratis alicui ſerviat, aut obſequia præſtet cum ſpe, ut in eorum remunerationem beneficium ei conferatur, vel ad id præſentetur: vel ſi Epiſcopus, aut Patronus, ob ſervitia præſtita, moveatur ad conferendum ei beneficium gratis, vel ad præſentandum; tunc enim obſequia non habent rationem pretii, ſed ſolum conciliant benevolentiam, a qua procedit gratuita beneficii collatio, vel præſentatio, *Suar. l. 4. de Sim. c. 39. n. 5. & 6. Laym. cit. c. ult.* §. 3. *n.* 26. requiritur tamen, ut abſit pactum implicitum, quaſi Collator, vel Præſentator ex juſtitia ad tale obſequium ſit obligatus; ut ſi quis ſerviat Collatori nullum habens ſalarium, vel nimis modicum: nam ex tali ſervitio voluntario acceptato naſci videtur obligatio juſtitiæ ad reddendam ei mercedem, & conſequenter obligatio remunerandi per collationem beneficii, quod ſerviens intendit. *Suar. cit. l. nu.* 9. *Leſſ. cit. cap.* 37. *num.* 17. *Laym. cit. l.* ubi tamen monent, quod talia obſequia, etſi gratis præſtentur, cum ſpe obtinendi beneficium, non careant periculo propter ſcandalum, & quia ſpeciem habent Simoniæ. Plura de munere ab obſequio videri poſſunt apud *Suar. cit. c.* 39. n. 8. *& ſeqq.*

CXXXVIII. Quæritur 3. Quid per munus a lingua intelligatur? Reſp. Sub hoc munere comprehenduntur laudes, commendationes, & preces, quæ pro aliquo interponuntur, & quidem ex vi pacti expreſſi, vel taciti, ut res ſpiritualis viciſſim detur. Ut ſi v. gr. Collator promittat, ſe collaturum alicui beneficium, ſi pro ſe apud Principem intercedat, vel ſe ei commendet: tum enim Simonia committitur, ut ex communi ſententia docet *Suar. l. 4. de Sim. cap.* 40. n. 12. *Leſſ. cit. c.* 35. *n.* 118. & ſumitur ex *c. Sunt nonnulli.* 114. *cauſ.* 1. *q.* 1. ubi dicitur: *munus a lingua eſt favor.* & in *c. Nemo* 14. *h. t.* ubi per humanam gratiam, vel favorem intelliguntur preces, quæ favore, & gratia niti ſolent, ubi eſt ſermo de gratia, quam prætendit ad eo, cui confert beneficium ex favore, quem ſperat, ſe ab eo conſecuturum. *Suar. cit. l.* n. 11. Ratio eſt: quia preces, quæ fiunt pro conferente rem ſpiritualem, ſive beneficium, ſunt quid temporale, & pretio æſtimabile, & fiunt in gratiam, & utilitatem ejus, qui propter illas ſpirituale dat; ergo ſi hoc pro illis detur, vera eſt Simonia. Requiritur tamen, ut pactum interveniat: quia ſi preces præcedant, & beneficium poſtea conferatur ex ſola gratitudine: vel e converſo, ſpirituale donum præcedat, & ſequatur interceſſio, non ex obligatione juſtitiæ, & vi pacti: ſed ex ſola gratitudine, non eſt Simonia, nam ad Simoniam non ſufficit dare rem ſpiritualem, ex motivo etiam principali aci temporalis, v. gr. propter obſequium, vel preces; ſed neceſſe eſt, ut detur pro re temporali, tanquam pro pretio, id eſt, in compenſationem illius, & velut ex obligatione juſtitiæ, quod non ſit, quando preces fiunt abſque ullo pacto. *Suar. cit. cap.* 40. *numer.* 3. *& numer.* 12. *Leſſ. cit. l. & Laym. num.* 26. Sed neque id ullo Jure poſitivo eſt prohibitum, quin potius expreſſe approbatum eſt, in *c. Latorem.* 121. *cauſ.* 1. *quæſt.* 1. Ubi Gregorius Papa fatetur, ſe propter interceſſionem quorundam aliquos ordinaſſe, item in *cap. Tuas nos.* 34. *hoc tit.* quidam humiliter rogans, admiſſus fuit ad Canonicatum, & poſtea additur, id fieri potuiſſe, abſque ſcrupolo Simoniacæ pravitatis. *Suar. l.* 5. *de Sim. cit. c.* 40. *num.* 4. Non obſtat *text. in cap. Ordinationes.* 31. *cauſ.* 1. *q.* 1. ubi ordinationes factæ, interveniente pretio, vel precibus, falſæ eſſe dicuntur. Nam ibi non Simonia in ſpecie ſed in genere de illicitis modis conferendi Ordines eſt ſermo, vel quando preces fiunt interveniento pacto. *Suar. cit. c.* 40. *n.* 11. Neque enim obſtat *c. pueri* 120. *eadem cauſ. & q.* ubi dicitur: nulla ſit in ordinatione venalitas, potentia, vel ſupplicatio perſonarum: nam ibi non comparatur venditio ordinationis cum ſupplicatione, ſeu precibus, ſed potius ut diſticta ponuntur, adeoque non propter Simoniæ malitiam, ſed propter alia incommoda, quæ interdum inde provenire poſſunt, prohibetur ibi ſupplicatio, ſeu per preces impetrata ordinatio, ut colligitur ex *c.* 1. *cauſ.* 8. *q.* 2. ubi de electione patrocinio quorundam facta eſt ſermo. *Suar. cit. l. n.* 3. Nec denique obſtat, quod, qui petit dari rem ſpiritualem, velit eam dari propter preces, ſive intuitu illarum: nam non petit propter illas, ut pro pretio, ſed ſolum ut detur ex quadam gratuita liberalitate, & benevolentia erga ſe. *Suar. c. l. n.* 11. Quod ſi quis pro alio per preces beneficium impetrat, tali pretio, & collatio eſt quidem injuſta, ſi impetretur pro indigno, ſed non Simoniaca, cum preces nudæ non habeant rationem pretii. *Suar. c. l. num.* 8.

CXXXIX. Ex dictis infertur 1. Non eſſe Simoniam dare alicui beneficium, intuitu ſolius conſanguinitatis, ut docet *S. Thom. cit. q.* 100. *art.* 5. *ad* 2. *Suar. l. 4. de Simon. c.* 37. n. 6. Ratio eſt, quia non datur ſpirituale pro temporali, ſed gratis datur beneficium; nihil enim temporale viciſſim a conſanguineo dans recipit, ut ſupponitur & nullum pactum intervenit: neque ulla Conſtitutio Canonica ſimpliciter prohibet beneficia conferre conſanguineis: non enim datur propter conſanguinitatem, ut pretium, ſeu in commutationem illius, quippe quæ jam ante collationem adeſt, quamvis Canones improbent, ſi ex inordinato carnali affectu collatio fiat, vel ut aliis dignioribus præferantur, quo ſenſu accipiendum eſt, quod dicitur in *cap. unic. ut Eccleſ. benef. ſine diminut. conf.*

CXL. Infertur 2. Non eſſe Simoniam dare beneficium, vel aliam rem ſpiritualem propter preces armatas, ſive gravem metum incuſſum, ſi nullum interveniat pactum, ex communi ſententia apud *Leſſ. cit. cap.* 35. *num.* 119. *Suar. cit. cap.* 37. *num.* 10. Ratio eſt, quia collatio, vel reſignatio beneficii non fit tanquam pretium, cum quo ceſſatio injuriæ commutetur, ſed tanquam medium ſpirituale offertur gratis ad tollendam injuſtam vexationem temporalem: neque vero quævis datio, vel promiſſio, cui adjecta eſt conditio, facit contractum reciprocum, ſive ex utraque parte oneroſum, quod requiritur ad inducendam Simoniam: ſed tum ſolum, ſi conditio adjecta viciſſim imponat onus, ſive obligationem juſtitiæ alteri per modum cujuſdam commutationis: nam qui puellæ dotem promittit ſub conditione, ſi Religionem ingrediatur, vel matrimonium contrahat, non cenſetur oneroſum contractum inire, ſed gratis promittere, quamvis ſub conditione ſeu modo, aut ob cauſam. *Laym. cit cap. ult.* §. 3. *num.* 27. Aliud vero dicendum eſt, ſi quis det, vel reſignet beneficium alicui ſub ea conditione aut modo, ut alter viciſſim promittat, quod futuro tempore nullum injuſtum damnum collatori, vel reſignatori illaturus eſt: tunc enim Simonia committi videtur, quia alteri imponitur nova obligatio in commodum exigentis ultra illam obligationem, qua quivis tenetur ex naturali lege juſtitiæ neminem lædere, quæ obligatio eſt pretio æſtimabilis, per quam intenditur non tantum vitatio mali præſentis, ſed etiam quædam ſecuritas in futurum. *Leſſ. c. l. nu.* 120. *Suar. cit. c.* 37. *n.* 16. *Laym. cit. c. ult. n.* 28.

CXLI. Infertur 3. Non eſſe Simoniam, ſi collator v. gr. Epiſcopus beneficium debitori conferat, timore amittendi debitum, ſive ut debitum ab ipſo conſequi poſſit, ſi nullum pactum intercedat, per quod imponatur nova obligatio in futurum debitori, ut ſupra dictum: tum enim ſolum petit Epiſcopus, quod ſuum eſt, ſive quod ſibi ex præcedenti contractu liquide eſt debitum, adeoque adhuc gratis confert beneficium: nec obſtat, quod non ſit uſura dare alicui mutuum, cum conditione, ſeu pacto, ut priſtina debita ſolvat: nam non ſemper, & univerſim bona eſt argumentatio ab uſura ad Simoniam: tum quia ſpiritualium rerum collatio adhuc purior eſſe debet, quam datio mutui: tum quia in Simonia Jure poſitivo prohibitæ ſunt omnes pactiones, ſeu obligationes, præſertim in materia beneficiorum; eſſet tamen Simonia, conferre beneficium debitori addito novo pacto ſecuritatis in futurum: nam illud eſt onus pretio æſtimabile, *Suar. cit. c.* 37. *n.* 18. ubi etiam addit, ſi debitor differendo ſolutionem, manifeſtam vim, & injuriam inferret, poſſet dari ſpirituale aliquod, non ut pretium, ſed ut medium tollendi præſentem vexationem, dummodo ſcandalum, & omnis irreverentia caveri poſſit. *Laym. cit. l. nu. ult.* Porro dictam diviſionem trimembrem in munus a manu, ab obſequio, & a lingua ſufficientem eſſe, & adæquatam bene probat *Suar. cit. c.* 37. *n.* 4. & quomodo munus a lingua ſpecialiter differat a munere ab obſequio, *cit. c. n.* 25.

SECTIO VI.

DE JUDICIO SIVE PROCESSU
Judiciario in crimine Simoniæ.

§. I.

Quis ſit Judex competens in crimine Simoniæ, & quis accuſare poſſit de hoc crimine, & quis accuſari? Item quomodo crimen Simoniæ probetur?

CXLII. Aſſertio 1. Hoc crimen eſt mere Eccleſiaſticum; ideoque Judex ſæcularis non poteſt de eo cognoſcere, ſed ſolus Eccleſiaſticus, etiamſi, qui crimen hoc commiſit, ſit Laicus, *Gloſſ.* communiter recepta in *cap. cum ſit.* 8. *de foro competenti. V. Malefactores. Clar. l.* 5. *ſent.* §. *Simonia. num.* 7. Ratio eſt, quia Simonia verſatur circa objecta, & res ſpirituales, Laici autem cauſas ſpirituales tractare non poſſunt. *c.* 2. *de Judiciis.*

CXLIII. Aſſertio 2. Quilibet Catholicus accuſare poteſt, etiam ſervos, & crimenoſus de crimine Simoniæ, ut conſtat ex *c. Si Dominus* 3. *h. t.* ubi Papa Adeodatus, reſcribit, ,, quod quilibet Catholicus non ſit reſpuendus, ſed potius adhortandus, ut veritatem afferat. Ex quo infertur e contrario ſenſu, quod non eſt admittendus paganus, vel hæreticus volens Catholicum Simoniacum accuſare, vel etiam contra illum teſtimonium ferre. *Gloſ. hic V. Catholicus. Hoſtienſ. & Abb. n.* 2. & hinc etiam in *c. Tanta* 7. *h. t.* ſic ſtatuitur. Tanta eſt labes hujus criminis, ut etiam ſervi contra dominos, & quilibet criminoſus admittatur ad accuſationem contra Simoniacos (ſi accuſatus fuit infamatus *Gl. hic. V. ad accuſationem.*) Idque ſpeciale eſt in crimine Simoniæ: nam ſervi regulariter non ſtant in Judicio, *l. vix certis.* 53. *ff. de Jud. Abb. hic n.* 2. Additur in ,, *cit. c.* Item omnis peccator (ſcilicet non præciſus ab Eccleſia per ſententiam Canonis, vel Judicis, & toleratus, ac pœnitens, vel non ſuſpenſus, vel interdictus. *Gloſſ. hic. V. eod. & Hoſtienſ.* poteſt cantare Miſſam, præter Simoniacum (in Ordine ſcilicet, qui ab initio eſt ſuſpenſus, cum ,, habeat Characterem vitioſum. *Hoſtienſ. hic V. eodem.*) quem

quili-

quilibet poteſt aecuſare, nr ab Ordine male aecepto removeatur, etiam meretrix, quæ alias non admittitor ad accuſandum, nee ad teſtimonium propter vilitatem ejua *l. qua adulterium 29. C. ad Legem Jul. de adult. l. 3. §. lege Julia. ff. de teſtib.* nee ad alios actus legitimos. *Gl. fin. hic.* Ex quo colligitur, quod ſub generali diſpoſitione, qua eriminoſi admittnotur, ad aliquos actos, non compreheoditur meretrix, niſi ipecialiter de ea eaveatur: ſed ſpecialis proviſio requiritur eirca ejus habilitatem. *Abb. hic* n. 3.

CXLIV. Assertio 3. Accuſari poſſunt de erimine Simoniæ, tam dans, qoam aeeipieoa pecuniam, vel aliam rem temporalem pro ſpirituali. *cap.* non *ſatis* 8. §. *Unde quiſquis ibi; tam ille, qui dederit, quam ille qui acceperit. cap. dilectas.* 30. *ibi: tam in dantes, quam in accipientes, & ibi Gl. V. dantes cap. conſulere* 38. *ibi: tam ementes, quam vendentes. cap. Sicut,* 29. §. *fin. cap. quoniam* 40. *ibi tam recipiens, quam recepta,* h. t. Item is, pro quo ſciente, & conſentiente alius dedit, *cap. Matthæus* 23. *& cap Sicut* 33. *ibi: niſi poſtea conſenſeris.* h. t. Non autem is, pro quo ignorante, aut invito alius dedit. *cap. nobis.* 27. *ibi: eo tamen ignorante, eod. tit.*

„ Cæterum aecuſatos Simoniæ pendente accuſatione, Miſſarum ſolemnia eelebrare prohibetur, donee de veritate conſtiterit, pruut deeernitur in *cap. accuſatum 4. hoc titul.* Et ſic habetur hic, in quo, lite peodente, privatur quia quaſi poſſeſſione benefieij, & officij, & ſuſpenditur ab adminiſtratione divinorum, dummodo etiam publiee inſamatus fuerit de Simonia, alias noo *Gl. hic V. Solemnia. & Abb. numer.* 3. ubi ait, quod etiam in aliis magnis, & atrocibus criminibus, concurrente inſamia, fiat ſuſpenſio ab admioiſtratione offieij, donec lis, ſive cauſa finiatur.

CXLV. Idem habetur in *cap.* 5. *quoties hoc titul.* ubi dictus Papa ita reſeribit. „ Pervenit ad nos (per publicam famam, & ideo de hoc voluit inquirere, quia Prælatorum eſt inquirere de exceſſibus ſubditorum. *Gl. hic. V. eod.*) quod per Simoniacam hæreſim fueris ordinatus, ideo neeeſſe babuimus te prohibere: ne Miſſarum ſolemnia eelebrares, donee quid ſit verum, eognoſeeremus. Porro idem in hoc eap. ſtatuitur, quod in præcedente, niſi qood prius loquitur de aeeuſatione, poſterius de inquiſitione, illud de Simoniaco in genere, hoc declarat in ſpeeie, quod id intelligendum ſit de Simoniaco in Ordine, ut notat *Hoſtienſ. hic. in fine. & Abb. in princ.* An autem, & quo ſenſu Simonia dicatur hæreſis, dictum eſt ſupra.

CXLVI. Assertio 4. Simonia probatur iiſdem modis, quibus alia facta, & erimina probari ſolent, videlicet per Simoniaei confeſſionem, per teſtes, & inſtrumenta authentica, & indubitata, &c. *Maſcar. de probation. concl.* 1305. *Redoan. tract. de Simonia par. 4. cap. 6. numer. 2. & ſeqq.* Quin imo etſi alias regulariter in eriminibus requirantur probationes lucej meridiana clariores. *l. ult. C. de probat.* tamen in boc crimine ſufficiunt ad condemnationem etiam probationes, quæ fiunt per ſigna: & eonjecturas prout babetur in *cap. Sicut. hoc. tit.* ubi Lucius Papa ita reſcribit. Sicut Simoniaca peſtis ſoi magnitudine alioa morbos (id eſt, vitia) viocit, ita ſine dilatione mox ut ejus ſigna per aliquam perſonam (quæ „ de jure admitti debeat *Gl. hic & Hoſtienſ. V. eod.*) apparuerint, debet Simoniacus de Eccleſia DEI eliminari, expelli, id eſt, ab Eccleſia ſeparari per excommunieationem, & depoſitionem, ſeu privationem benefici, ut explicat Archidiaeoous in *c. qui ſtudet.* 11. *cauſ.* 1. *q.* 1. *n.* 4. Idque ſtatutum eſt, tum ob atrocitatem, & gravitatem hujus eriminis in cujus odium admittuntur probationes per præſumptiones, ſicut crimen Simoniæ occulte ſolet eommitti, ideoque difficilis eſt probationis; in hujuſmodi autem eriminibus admittuntur probationes per ſigna, indieia & conjecturas, *Redoan. cit. l. numer.* 32. *& ſeqq.* Requiritur tamen, ut illa ſigna, & indicia ſint evidentia, ita ut violentam præſumptionem faciant, & reum de ipſo erimine eonvincant, alias non ſufficiunt ad condemnationem Rei. *Gl. fin. in cap. Inſinuatam.* 13. *hoc tit. Maſcard. de probat. concl.* 2034. *numer.* 27. *Clarus* §. *Simonia. numer.* 12. *Redoan. cit. l. numer.* 34. *&* 35. Deinde etiam requiritur, ut illa ſigna, & præſumptiones plene probentur. *Moſcar. cit. loc. numer.* 33. *& alii ab eo cit.*

§. II.

An & quando criminoſi admittantur ad teſtimonium ferendum in crimine Simoniæ.

CXLVII. De hoc agitur Inprimis in *c. Licet Heli* 32. *hoc t.* „ ubi Innocentius III. ita reſeribit: Ad corrigendos ſubditorum exceſſus, Prælati tanto diligentius attendere debent, quanto damnabilius eorum offenſas relinquunt incorrectas: idque probat eaemplo Heli, qui licet in ſe bonus eſſet, quia tamen filiorum defectus non corripuit, in ſe, & in ipſis, divinam vindictam recepit, *L. 2. Reg. cap.* 4. poteſt autem contra ſubditorum exceſſus, præter notorios (in quibus ordo juris non uſquequaque ſervatur, *Gl. hic V. Notoriis juncta Gl. marg.*) tribus modis procedi, videlicet per accuſationem, quam legitima inſcriptio; per denunciationem, quam charitativa correctio, ſeu admonitio: & per inquiſitionem, quam elamoſa inſinuatio præcedere debet. Idque probatur auctoritate S. Scripturæ *Gen.* 18. ubi Dominus ait: *Deſcendam, & videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.* Tunc autem elamor pervenit ad Prælatum, cum per publicam famam, aut frequentem inſinuationem ipſi ſubditorum exceſſus referuntur, & tunc videre, & inquirere debet, an veritas ſie ſe habeat, Nam juxta Canonicas Sanctiones (*c. Si quid vero* 23. *diſt.* 86.) ſi quid de quocunque Clerico ad aures Prælati pervenerit, quod eum juſte poſſit offendere non facile credere debet, nee ad vindictam proſilire, re adhuc incognita: ſed prius cum Senioribus, ſeu Canonicis Eccleſiæ ſuæ diligenter veritatem inquirat, ut ſi culpam invenerit, eam puniat, non tanquam ipſe ſit ſimul aecuſator & judex, ſed quaſi fama deferente, vel elamore denunciante ſuum offieium exequatur, ita ut juxta judicii formam ſententia dictetur. Atque hæc conſonant cum iis, quæ habentur in *c. Qualiter* 24. *de accuſat.*

Pergit vero Papa, & caſum proponit, cujus occaſione prædicta præmiſit, caſus vero eſt iſte. Abbas Pompoſianus „ inſamatus erat apud Papam, deferentibus, ſive denunciantibus ipſum Monachis de Simonia, perjurio, dilapidatione, & inſufficientia. Contra quos Abbas exeepit, quod denunciationem hujuſmodi fraterna correctio, ſecundum regulam Evangelicam, non præceſſerit. Sed Monachi aſſerebant, ſe ipſam præmonuiſſe, & ad hoc probandum duorum Monachorum juramenta ſunt exhibita: ſed quia ſuper hoc contendere non eeſſabant, Papa ex offieio voluit inquirere de præmiſſis. Quare ſuper propoſitis eriminibus, de quibus Abbas fuerat denunciatus, recepit juramenta Monachorum, tam eorum, qui contra ipſum, quam qui pro ipſo aeceſſerunt, ut de prædictis plenam, quam ſcirent, veritatem dicerent: quorum depoſitionibus in Scripturam redactis, & publicatis, ceperunt ſuper illis diſputare. Quia vero tum ex dictis Monachorum, tum ex confeſſione Abbatis cognovit Papa, quod idem non modicam ſummam pecuniæ ab Anteceſſore ſuo relictam expenderat, & alia ſumma majori Monaſterium obligarat, (non allegata legitima, & rationabili cauſa, cur hæc fecerit, nempe quia debita ſolvit, vel bona emit, *Hoſtienſ. hic V. Eodem.*) ideo Papa ipſum quaſi de dilapidatione ſuſpectum ab adminiſtratione ſuſpendit. Et quia Simonia multis modis contra ipſum Abbatem videbatur eſſe probara, ipſe contra teſtes multas exeeptiones oppoſuit, videlicet conſpirationes, & inimicitias capitales, furtum, & adulterium, ut eos a teſtimonio ferendo repelleret: ſuper quibus multum fuit diſputatum. Quidam vero dicebant, quod omnes, indifferenter eſſent admittendi, tam infames, quam criminoſi, non ſolum ad accuſandum, ſed etiam ad teſtificandum, cum accuſatio Simoniæ, ad inſtar eriminis læſæ Majeſtatis, procedat. Alii vero contrarium dicebant: quia licet crimina iſta, quantum ad accuſationem, paria judicentur: differunt tamen in multis, cum alia pœna pro uno, alia pro altero erimine inferatur: & præterea inter perſonas accuſatorum, & teſtium ſit diſtinguendum, cum non per accuſatores, ſed per teſtes crimina probentur: ideoque non omnes, qui admittuntur ad accuſandum, admitti debent ad teſtificandum, *cap. de cætero* 14. *de teſtib. Gl. hic V. diſtinguendum.* Non enim qui accuſatur, ſtatim reus eſt, ſed qui per teſtes convincitur eriminoſus. *Hoſtienſ. hic V. eodem.* Papa vero penſata æquitate, ne innocens ſuccumberet, vel pravitas Simoniæ effugeret impunita, illas exceptiones tantum probandas admiſit (ſcilicet conſpirationem, & inimicitias capitales,) & alias, nempe adulterii, & furti reprobandas, *infr. cap. ſeq. Gl. V. probandas, & Hoſtienſ.* Quibus probatis teſtes non ex zelo juſtitiæ, ſed ex odio procedere viderentur, id eſt, evidenter præſumerentur, *Hoſtienſ. hic in fine.*

CXLVIII. Hinc colligitur 1. Quod contra teſtes, qui depoſuerunt de Simonia, non admittitur aliqua exceptio in Judicio inquiſitionis, niſi capitalis inimicitiæ & conſpirationis, aliæ vero exceptiones eriminum opponi non poſſunt. *Abbas hic numer.* 1. nam in hæreſi quilibet admittitur ad teſtificandum, ergo etiam in Simonia, quæ eſt quodammodo hæreſis, imo majus eſt omnibus aliis criminibus, *Gl. hic. V. indifferenter. Redoan cit. part. 4. cap. 5. numer. 7. &* 8. Et licet alias laici non debeant admitti ad accuſandum, vel teſtimonium ferendum contra Clericos, ut ſupra dictum *tit.* 1. id tamen non eſt verum in criminibus exceptis, ut eſt crimen Simoniæ, hæreſis, & læſæ Majeſtatis, in quibus etiam Laici admittuntur contra Clericos, ſi bono zelo juſtitiæ, non ex odio procedant, quia tunc nec ad accuſandum, nec ad teſtificandum admittuntur, *Gl. in cap. cum p. 10. V. Laicus de accuſat. Redoanus. c. l. n.* 9.

Colligitur 2. Quod etiam in crimine Simoniæ denunciationem Canonicam præcedere debeat charitativa admonitio: nam in *cit. c. Licet Heli* requiritur talis monitio: quamvis non certo id inde colligatur, quia forte hæc Simonia non fuit talis, quæ impedit poſt pœnitentiam receptionem dignitatis, eo quod non fuit commiſſa in receptione Ordinum, vel adeptione Abbatiæ: item potuit hic requiri prævia monitio propter alia erimina, ut propter perjurium, & dilapidationem, non propter Simoniam, *Joan. Andr. hic numer. 8. & Abbas num.* 4.

Colligitur 3. Pendente inquiſitione ſuper dilapidatione bonorum, Prælatus ſuſpectus non debet ſtatim ab adminiſtratione bonorum removeri, licet aliud ſit in Tutore, quia Prælatus majus jus habet in Prælatura, & in bonis monaſterii, quam Tutor in bonis pupilli, *Abbas hic n.* 8. poteſt autem ſuſpicio dilapidationis bonorum probari per ſolas conjecturas, etiam in ordine ad effectum ſuſpendendi Prælatum ab adminiſtratione, ut ſi conſtat, Eccleſiam habere abundantes reditus, & nunc ære alieno gravatam eſſe, idque ſpeciale eſt in boc crimine propter præjudicium imminens, *Abbas hic. n.* 9.

Colligitur 4. Si res immobiles conſumantur, illa eſt proprie dicta dilapidatio, quæ proprie dicitur alienatio rerum immobilium, ſi vero res mobiles conſumantur, dicitur quaſi

dilapi-

dilapidatio, quia dictio *quaſi* diminuit. *Hoſtienſ. hic V. quaſi de dilapidatione, & Abbas n. 9.*

Colligitur 5. Crimen læſæ Majeſtatis, ſicut & hæreſis, & crimen Simoniæ æquiparantur, quantum ad accuſandum, & teſtificandum, non tamen quoad omnia, ut quoad pœnam, & plura alia. *Gl. hic V. alia pœna. Hoſtienſ. V. Læſæ Majeſtatis. Abbas n. 11.* plura dicentur paulo poſt.

CXLIX. Cæterum prædictum *c. licet Heli*, in quo habetur, quod contra Simoniacos admittuntur teſtes criminoſi, magis declaratur in *c. per tuas. 32. hoc tit.* quod in effectu „ idem dicit, quod præcedens c. nam dictus Abbas Pompoſianus plures exceptiones oppoſuit contra teſtes inductos ad ipſum convincendum de crimine Simoniæ, & Papa quoſdam amiſit, quoſdam vero non, onde videbatur, quod teſtes criminoſi indiſtincte admittendi ſint in crimine Simoniæ, ſicut expreſſe dicebatur in quadam Decretali Clementis III. quæ incipit: *Quamvis ad abolendum*, cujus verba citantur a *Gloſſ. margin. in cit. cap. per tuas. lit. A.* quæ hodie non Amplius extat. *Hoſtienſ. ibidem in princ.* Unde quæſitum fuit a Papa Innocentio III. qualiter Decretalis illa ſit intelligenda? Reſpondit Papa, quod illum non ediderit, ſed aliam, quæ incipit, *Licet Heli.* ad cujus intelligentiam, ac declarationem ſic diſtinguendum eſſe ait, 1. circa modum agendi, utrum agatur de crimine Simoniæ civiliter (prout habetur in antiqua compilatione) ſive an quis denuncietur ſimpliciter (id eſt, per modum denunciationis & inquiſitionis *Gl. hic V. eodem.*) an vero criminaliter accuſetur? Et ſi civiliter agatur, utrum ſecundum Juris rigorem, an ſecundum æquitatem? 2. Circa perſonæ qualitatem, contra quam agitur, utrum ſit ſæcularis, an regularis; & ſi ſit regularis, utrum ſit inferioris gradus (nempe Abbas, vel eo inferior, qui & facilius amovetur) an excellentioris dignitatis (puta Epiſcopus regularis, contra quem cautius eſt procedendum, propter majus ſcandalum, *Gl. hic V. excellentioris.*) & an ille idem ſit bonæ opinionis ac famæ (quo caſu non niſi teſtes honeſti contra illum ſunt admittendi, *Hoſtienſ. hic V. eodem*) an vero graviter infamatus, & valde ſuſpectus (tunc enim teſtes etiam infamati in tanto crimine admittuntur, *Hoſtienſ. V. eodem.*) idem utrum ſi fuerit infamatus, poſſit de facili puniri; an ſine ſcandalo nequeat condemnari (ut ſic facilius quivis teſtes contra ipſum admittantur, vel repellantur, *Gloſ. hic V. ſine ſcandalo.*) 3. Diſtinguendum eſt circa perſonas teſtium, utrum ſint honeſti (quibus ſemper fides habetur) an criminoſi, & an iſti ſint emendati de crimine (quibus creditur) an vero adhuc perſeverent in crimine? rurſus an hujuſmodi teſtes ex zelo juſtitiæ (nam etſi criminoſi ſint, poſſunt tamen ex charitate, vel zelo juſtitiæ dicere veritatem, *Hoſtienſ. hic.*) an ex malignitate, ſive odio (quia conſpiratores ſunt, vel inimici capitales, qui non debent admitti, *Gl. hic V. eodem.*) depoſuiſſe credantur. 4. Diſtinguendum eſt circa crimina, quæ teſtibus objiciuntur, utrum eadem, vel minora (reſpectu eorum, de quibus agitur, quia ſi ſint eadem, nempe Simoniæ, ſocius criminis non admittitur *c. Veniens. 20. de teſtib. Gl. hic V. Vel minora*, de quo tamen infra) an paria, vel majora (quia iſti, etſi repelli omnino non poſſint, cum ſint emendati; tamen quanto majora eis crimina objiciuntur, tanto minor fides eſt eis adhibenda, *Gl. hic V. Atriana, & Hoſtienſ.*) 5. Utrum ſola dicta teſtium producantur, an adſint alia etiam adminicula, ſive indicia, & præſumptiones, quæ adjuvant teſtes, quia ſine his teſtes viles non ſunt audiendi in crimine Simoniæ, cum vilibus non ſit credendum in criminibus exceptis. *c. Si teſtes 3. Si res exigat, & ibi Gl. V. Conditio cauſ. 4. q. 3.* & a tormentis non eſt incipiendum, *l. 1. in princ. ff. de quæſtionib. & c. cum in contemplatione 6. de regulis Juris, Gl. hic V. adminicula.* His præmiſſis, repetit Papa, & magis declarat, quæ in præced. cap. dixerat, nempe quod ille Pompoſianus Abbas erat de Simonia, perjurio, dilapidatione, & inſufficientia (propter quam Abbas removendus eſt ab adminiſtratione *cap. de ætat. & qual. Gloſſ. hic V. inſufficientia*) graviter infamatus. Cumque per Monachorum juratas depoſitiones Simonia videretur multis modis probata, ipſe Abbas contra teſtes multas exceptiones oppoſuit ſupra memoratas; & quibus Papa illas duntaxat admiſit, quibus prolatis, pateret, quod ex odio teſtificarentur: cæteras vero exceptiones rejecit, propter immanitatem hæreſis Simoniacæ (ad cujus comparationem cætera crimina quaſi pro nihilo reputantur) quoniam etſi probatæ fidem teſtium ex parte debilitarent, non tamen ex toto evacuarent, aliis adminiculis ſuffragantibus, præſertim cum teſtes de crimine fuerint emendati.

Tandem concludit Papa hic in fine & ait: Tales ſcilicet „ criminoſos (maxime emendatos, quibus minora crimina objiciebantur, ex zelo juſtitiæ, & non ex odio deponentes, aliis adminiculis ſuffragantibus. *Hoſtienſ. hic V. Tales.*) „ contra talem (ſcilicet inferioris gradus Regulare, & malæ opinionis, qui de facili, ſine ſcandalo poteſt amoveri, qualis fuit iſte Abbas, *Gl. hic V. Contra talem.*) taliter „ Papa duxit admittendos, non ſecundum rigorem Juris, ſed ſecundum æquitatem, cum ageretur, non criminaliter, ut deponeretur ab Ordine, ſed civiliter, ut ab adminiſtratione amoveretur, (in quo caſu omnino credendum eſt, ſine aliis adminiculis, teſtibus emendatis, dummodo illos nulla infamia comitetur; *Gl. hic V. Duximus admittendos, & Hoſtienſ. V. taliter.*) Et utique tales Prælati (ſcilicet Regulares) ex levioribus cauſis ab adminiſtrationibus amoveri poſſunt, ſicut quorundam Religioſorum approbata conſuetudo poſtulat, (quia non ita firmum jus habent Regulares, ſicut ſæculares, & ſine ſcandalo gravi amoveri poſſunt, *Gl. hic V. levioribus. & Hoſtienſ. V. taliter.*) „ Unde prædictus Abbas quaſi male ſibi conſcius, non expectata ſententia, ceſſit. Qui vero timore probationis ceſſit, in nullo relevatur, *arg. c. ult. diſ. 24. ubi Gl. V. Confeſſi.* air, ſi quis metu probationum confitetur crimen, habetur pro convicto, *Gl. fin. hic & Hoſtienſ. V. ceſſit.*

CL. Pro ulteriore explicatione hujus c. notandum 1. Cum agitur contra Prælatum, vel alium Beneficiatum, ut removeatur ſolum ab adminiſtratione, tunc non agitur criminaliter, quia non agitur principaliter ad puniendum delictum; & pœnam condignam, quæ eſt depoſitio a grado, ſeu Ordine, ſed ſolum civiliter, quamvis agatur de crimine, ob publicum bonum, ut indignus & Eccleſiæ perniacioſus amoveatur ab adminiſtratione, *Abbas. hic num. 1.*

Notandum 2. Si agatur de crimine Simoniæ criminaliter, non admittuntur teſtes criminoſi, & infames, etiam contra Regularem, & ſive accuſatus ſit bonæ famæ, ſive malæ, ut colligitur ex *cit. c. per tuas.* a ſenſu contrario, & tradit *Gl. ibid. V. diſtinguenda. & V. taliter & Abbas n. 3.* licet admittantur indifferenter omnes teſtes, etiam criminoſi, & excommunicati, quando agitur criminaliter in crimine læſæ Majeſtatis, & hæreſis: at vero in crimine Simoniæ non omnes criminoſi admittuntur indiſtincte ad ferendum teſtimonium, neque etiam excommunicati, quia *cit. c. Licet Heli, &c.* ſequens: loquuntur tantum de criminoſis, non autem de excommunicatis, qui indiſtincte repelluntur a teſtificando, *c. Decrevimus 8. de ſent. excomm. in 6.* niſi in caſibus ſpecialiter in Jure expreſſis, *Abb. in cit. c. Licet Heli nu. 10. & 21.* ubi tamen excipit, niſi Simonia ſit hæretica, qualis eſt in eo, qui credit, gratiam Spiritus S. pecunia poſſe emi, & vendi: contra talem enim Simoniacum admittuntur indiſtincte omnes teſtes criminoſi, & excommunicati, potius propter hæreſin, quam propter Simoniam.

Notandum 3. Si agatur civiliter de Simoniæ crimine, tunc non admittuntur teſtes criminoſi, ſi Prælatus ſæcolaris accuſatur, vel Regularis ſuperioris gradus ac dignitatis, videlicet Epiſcopus, niſi ſint emendati de crimine. Contra regularem vero Prælatum non Epiſcopum graviter infamatum de Simonia admittuntur teſtes criminoſi, non de rigore Juris, ſed de æquitate, deponentes ex zelo juſtitiæ, non ex odio, dummodo ſi ſint emendati de crimine, aliis adminiculis fulciantur, & agatur civiliter, non ut Simoniacus deponatur ab Ordine, ſed ut removeatur ab adminiſtratione, juxta *cit. c. per tuas. §. Nos vero h. t.* & tradit ibi *Gl. V. diſtinguenda, & V. taliter. Hoſtienſ. in ſumma n. 10. h. t.*

Notandum 4. Etſi in crimine Simoniæ, & aliis exceptis, admittantur teſtes criminoſi, concurrentibus qualitatibus requiſitis in *cit. c. Per tuas*, non tamen plenam faciunt probationem, niſi adſint alia adminicula, ſeu indicia, *cit. c. per tuas.* ibi: *aliis adminiculis ſuffragantibus*, *Abb. ibid. n. 4.* quod dupliciter poteſt intelligi. 1. Quod teſtes criminoſi emendati tantum admittantur, & tunc dictio *præſertim* poſita in textu accipitur pro *tantum*, ut tenet *Gl. ibid. V. Ex toto.* Verum hæc expoſitio repugnat *cap. Teſtimonium 54. de teſtibus* ubi generaliter dicitur, in *quocunque crimine, ſi agatur civiliter, & contra quemcunque admitti teſtes criminoſos, ſi fuerint emendati*, ac proinde hæc explicatio non eſt tenenda, cum Jurium correctio ſit vitanda, & dictio *præſertim* improprie accipitur pro *tantum*: nam ex propria ſignificatione accipitur comparative, ita ut idem ſupponat in caſu contrario; & ſecundum hanc poſteriorem expoſitionem, quæ eſt verior, dictio *præſertim* ſignificat idem, quod *maxime*, ita ut ſenſus ſit, quod in crimine Simoniæ admitti debeant teſtes criminoſi, etiamſi in criminibus perſeverent, concurrentibus conditionibus requiſitis in *citat. capit. Per tuas.* & aliis adminiculis, maxime tamen admitti debeant, ſi ſint emendati, & tunc etiam, ſine aliis adminiculis, *Abb. in cit. c. n. 5. & 13.*

CLI. Notandum 5. Qui admittuntur ad ferendum teſtimonium in crimine Simoniæ, admittuntur etiam in aliis criminibus exceptis: ſed non omnes, qui repelluntur a teſtimonio in crimine Simoniæ: repelluntur etiam in aliis criminibus exceptis, ut in crimine læſæ Majeſtatis, & hæreſis *cit. c. Licet Heli. h. t. & c. in fidei. 5. de hæret. in 6.* non tamen omnes indifferenter admittuntur in Simonia: ſed conſiderandæ ſunt qualitates, ſeu conditiones præſcriptæ in *cit. c. Per tuas.* quia unum crimen exceptum eſt magis privilegiatum, quam aliud. *Abbas ibid. n. 6.*

Notandum 6. Perjurus, quamvis ſit emendatus, & pœnitentiam egerit, non eſt admittendus in teſtem in crimine Simoniæ, ſive de eo criminaliter, ſive civiliter agatur, prout ſumitur ex *cit. c. Teſtimonium. de teſtib.* quia præſumitur, quod iterum pejeraret; ideoque nunquam amplius admitti debet ad jurandum, nec comprehenditur ſub generali depoſitione, qua admittuntur teſtes alias inhabiles, niſi id ſpecialiter exprimatur. *Gl. in cit. c. Per tuas V. Fuerit, & V. Emendati, & Abbas n. 10.* de quo plura *l. 2. tit. 20.*

Notandum 7. In Judiciis ſervanda eſt æqualitas inter perſonas, ſcilicet æqualis conditionis, & dignitatis ſunt, & quæ vilioris ſtatus: idque propter cavendum ſcandalum, & excellentium majoris dignitatis. *Gl. hic V. Excellentioris & Abbas n. 8.*

Notandum 8. In Simonia, aliiſque criminibus exceptis admittuntur teſtes, etiamſi eis majora crimina objiciantur, quam ſint illa, ſuper quibus deponunt, ita tamen, ut ejus minor adhibeatur fides. *Gl. hic V. An paria, Abbas n. 6.* quod ſi nec minora, nec majora, ſed eadem crimina objiciantur teſtibus, ut alia Simonia, non admittuntur, quia Socius criminis non admittitur, ſi agatur criminaliter, *c. Veniens. 20. de teſtib. Gl. in cit. c. Per tuas. V. vel majora.*

Illud denique adhuc quæri hoc loco poteſt, an in crimine Simoniæ poſſit appellari? Reſp. Non poſſe appellari a ſententia, ut docet *Felin. in c. Sicut. 6. n. 1. & 2. h. t.* Ratio eſt: quia ſententia lata ſuper crimine, quæ ſtatim executioni mandata eſt, quia publice intereſt, tale crimen ſtatim puni-

puniri, ut eſt crimen latrocinii, ſeditionis, per appellationem non ſuſpenditur, *l. Conſtitutiones. 16. ff. de appell.* ſed Simonia eſt tale crimen, ut colligitur ex *cit. c. Sicut.* ibi: *Ita ſine dilatione mox de Eccleſia debet expelli*, & æquiparatur hæreſi, in qua non appellatur *c. Ut inquiſitionis 18. de hæret. in 6.* & ob magnitudinem delicti denegatur appellatio, *l. 1. C. de falſa moneta*. Simoniæ autem crimen eſt maximum, *cit. c. Sicut*. Item in crimine læſæ Majeſtatis appellari non poteſt, *l. Si quis. 6. §. Hi autem ff. de injuſto rupto*, *&c.* cui æquiparatur Simonia, *c. Sane 4. cauſ. 25. qu. 3.* Limitat id *Felin. cit. l. limitat. 3.* niſi quis appellaret ante ſententiam.

SECTIO VII.

DE PŒNIS SIMONIÆ, AC Diſpenſatione in illa.

§. I.

An pœnæ Jure decretæ incurrantur propter quamlibet Simoniam & in quacunque materia fiat?

CLII. Aſſertio 1. Propter Simoniam mentalem, ſi ea pure interna ſit, ita ut in nullum actum externum prodeat; certum eſt, nullam pœnam juris incurri, imo nec ab Eccleſia puniri poſſe, juxta probabiliorem DD. ſententiam, quæ docet, juriſdictionem Eccleſiaſticam non poſſe directe præcipere, & prohibere, adeoque nec punire actus mere internos. Quod Simonia in actum externum prodeat, eo quod aliquid temporale pro ſpirituali detur, vel accipiatur, ex intentione Simoniaca, citra omne tamen pactum expreſſum, vel tacitum, etſi probabile ſit, Eccleſiam poſſe talem actum punire: de facto tamen nulla juris pœna propter talem Simoniam incurritur, ut docet *Navarr. in man. c. 23. n. 102.* & alii DD. communiter cum *S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6.* & ſumuntur ex *cap. ult. h. t.* de qua Simonia plura dicentur infra.

CLIII. Aſſertio 2. Ob Simoniam pure conventionalem, quæ ſcilicet neutra ex parte completa eſt, ſed nondum tradita eſt res ſpiritualis, nulla Juris poſitivi pœna ipſo facto incurritur, excepta Simonia confidentiali, de qua dictum ſupra *Sect. 4. §. 7. h. t.* ut ex communi docet *Navarr. cit. c. 23. num. 104. Leſſ. l. 2 cap. 35. num. 149. Suar. l. 4. de Simon. cap. 55. num. 10.* Idque probatur: quia Canones, qui pœnas inferunt Simoniacis, non utuntur verbis, quæ ſignificant ſolas conventiones Simoniacas, ſive contractus, ſed dationes, vel receptiones ex talibus conventionibus procedentes, ut patet ex *c. Non ſatis. 8. & c. De Simoniace 22. h. t. Extravag. 1. 2. eod. c. Preſbyter. 3. c. Quiſquis 1. & 2. ſeqq. cauſ. 1. q. 2. & 3.* Ratio eſt: quia venditio, & emptio Simoniaca non completur ſola conventione, in ordine ad pœnam incurrendam; cum ergo leges pœnales ſint odioſæ, & ſtricti juris: non eſt cenſendum pœnas incurri per ſolum conatum criminis, ſed requiritur, ut effectus, ſeu executio ſubſequatur. Imo etiamſi pretium ſit datum, ſi tamen nondum res ſpiritualis ſit tradita, vel accepta, nondum incurruntur pœnæ: quia malitia Simoniæ conſiſtit potiſſimum in ſacrilega irreverentia, quæ infertur rei ſacræ, dum venditur: ea vero non ſatis eſt completa, donec res ſpiritualis pro pecunia ſit reipſa tradita, ita ut prius inchoatum quidem ſit delictum Simoniæ, non tamen perfectum, cui ſolum imponuntur pœnæ juris; ideoque Canones ſupra allegati, vel maxime requirunt traditionem rei ſpiritualis, ut patet ex illis verbis, *qui ordinati ſimoniace fuerint*, *qui pretio Eccleſiam obtinuerint &c.* & per dantes, vel accipientes, intelliguntur dantes, vel recipientes ſpiritualia. *Suar. cit. l. n. 16.* An autem e converſo, ſi conventio ſimoniaca ſit completa ex parte vendentis, quia ipſe tradidit rem ſacram, ſeu ſpiritualem, v. g. Ordines contulit, vel beneficium, ſicut promiſit: non vero ex parte ementis ſit completa, quia pretium non eſt ſolutum, incurrantur pœnæ ipſo jure, proinde ac ſi utrinque completa eſſet, major eſt controverſia? Affirmant valde probabiliter *Caietanus, Tolet. & Garc. p. 8. de benefic. c. 1. num. 20.* & plures alii: quia emptio, & venditio videtur perfecta, quando res eſt tradita, etiamſi pretium nondum ſit ſolutum. Sed contrarium quoque eſt probabile, & in praxi tutum, ut docet *Navar. & Leſſ. locis citt. Suar. c. l. num. 27. Laym. cit. c. ult. §. 7. n. 68.* quia Canones requirunt paſſim, ut Simoniaca conventio, tam ex parte dantium, quam ex parte accipientium, ſit completa, ita ut non tantum traditio rei ſpiritualis, ſed etiam ſolutio pretii, ſeu datio rei temporalis ſit ſecuta: idque ſecundum ſtylum Curiæ Romanæ. Et ratio eſt: quia pœnæ, præſertim tam graves, & quæ ipſo facto incurruntur, quantum fieri poteſt, & verba legis, ſalva eorum proprietate, permittunt, reſtringendæ ſunt, ut non incurruntur, niſi delictum ex utraque parte ſit perfectum, & conſummatum; præterquam, ſi contrarium in lege exprimatur, itaque pœnæ juris tantum locum habent in Simonia reali, quæ ſcilicet ex utraque parte, tam traditione rei ſpiritualis, quam datione pretii eſt completa.

CLIV. Aſſertio 3. Propter nullam Simoniam etiam realem, & ex utraque parte completam, incurruntur pœnæ juris, ipſo facto, præter illam, quæ committitur in ingreſſu Religionis, ordine, & beneficio, ut docet *Navarr. cit. c. 23. n. 112. verſ. 6. & 7. Leſſ. c. l. n. 130. Suar. cit. 55. n. 5. Laym. c. l. n. 69.* & alii communiter. Quare ſi quis Simoniam committat in Adminiſtratione, collatione, & ſuſceptione aliorum Sacramentorum, quam Ordinis: item in conſecrationibus, vel benedictionibus, aut diſpenſationibus: in venditione, vel emptione, vel redemptione penſionis Eccleſiaſticæ, in collatione Vicariæ temporalis, graviter quidem peccabit, & Simoniam committet, quoad culpam, non tamen pœnam incurret excommunicationis, ſuſpenſionis, aut inhabilitatis alicujus. Idque probatur: quia quamvis in antiquis Decretalibus imponantur ſæpe pœnæ inferendæ a Judice, tam contra Clericos, quam laicos ſimoniacos, ut videre eſt in *c. Reperiuntur. 7. & ſeqq. c. Quidquid 101.* & aliis, *cauſ. 2. q. 1. c. Sicut. 6. &c. De hoc. 11. c. Veniens. 19. & ſimilibus h. t.* non tamen ibi ſtatuitur ulla pœna ipſo facto incurrenda. Et quamvis in *Extravag. Cum deteſtabile. 2. h. t.* quæ eſt Pauli II. *Inter communes in princ.* omnes excommunicationis, ſuſpenſionis, privationis, & in„terdicti ſententiæ, cenſuræ, & pœnæ jam a Romanis „Pontificibus quomodolibet latæ contra Simoniacos, cujuſ„cunque ſtatus, gradus, ac dignitatis fuerint, confirmen„tur, & innoventur: ubi etiam additur, quod omnes illi, „qui ſimoniace ordinati fuerint, ab executione ſuorum Or„dinum ſint ſuſpenſi; non tamen ibi dicitur, quod omnes juris pœnæ, quæ olim erant ſententiæ ferendæ, nunc ipſo facto incurrantur, prout aliqui DD. colligere volunt ex illis verbis: *Et contra quemlibet tam manifeſtum, quam occultum: quas ipſo facto eos incurrere volumus &c.* quaſi alioquin illa verba ſuperflua forent: nam per hæc verba non eſt facta talis extenſio, ſed ſolum facta eſt extenſio pœnarum a publicis Simoniacis ad occultos, ut ſi quæ forte erant latæ ſententiæ contra publicos Simoniacos, nunc etiam ipſo facto incurrantur ab occultis, ut aperte colligitur ex allatis verbis: nam poſt hæc verba, *& eorum quemlibet, tam manifeſtum, quam occultum*, immediate ſubjungitur, *quas ipſo facto eos* (ſcilicet tam manifeſtum, quam occultum) *incurrere volumus*, *Suar. cit. c. 55. num. 8.* Similiter in *cit. Extravag. 2. §. Statuentes præterea*, decernitur, „quod omnes & ſinguli præmiſſis dignitatibus præditi, qui „quomodolibet dando, vel recipiendo, Simoniam commi„ſerint, aut ut illa fieret, Mediatores extiterint, ſeu pro„curaverint, ſententiam excommunicationis incurrant, a „qua abſolvi non poſſint, niſi a Romano Pontifice, præ„terquam in mortis articulo. Nam verba hæc intelligenda ſunt, & limitanda juxta ſubjectam materiam, nempe de Simonia in Ordine, & beneficio, quos principaliter ibi punire voluit Pontifex, & ex *§. ſeq. & fin.* Ubi in virtu„te S. obedientiæ injungitur, ut eos omnes, quos Simo„niam hujuſmodi commiſiſſe vel procuraſſe, aut in ea Me„diatores eſſe ſciverint, per ſe, vel per alios revelare „quantocyus non omittant, etiamſi complices fuerint. „Quod ſi non fecerint, abſolvi non poſſint, donec prædicta revelentur, & complices detecti criminis puniantur. Quod autem hæc Conſtitutio loquatur de Simoniacis in Ordine, & beneficio, confirmatur ex *Extravag. Et ſi Dominici. 23. de pœn. & remiſſ.* quæ eſt etiam Pauli II. ubi ſola Simonia in Ordine, & beneficio ponitur inter caſus ſpecialiter Papæ reſervatos, ut poſtea etiam declaravit Sixtus IV. in *Extravag. Etſi Dominici. 5. eod. tit.* Idque confirmatur ex Conſtitutione Pii V. quæ incipit, *Cum primum*, edita Calendis Aprilis an. 1566. & extat apud Quarantam in ſumma Bullarii. *V. Simonia. fol. 190.* in qua etiam pœnæ infliguntur iis, qui in aſſecutione SS. Ordinum, & beneficiorum ſimoniace delinquunt, quas Simonias præ cæteris, magis punire voluerunt SS. Pontifices, propter majus detrimentum quod inde univerſali Eccleſiæ bono infertur, *Suar. cit. l. num. 9.*

CLV. Aſſertio 5. Pœnæ Jure decretæ in Simoniacos comprehendunt etiam Simoniam, quæ eſt ſolum prohibita Jure Eccleſiaſtico, hujuſmodi eſt illa, quæ fit in permutationibus beneficiorum, & ſimilibus. *Suar. cit. cap. 55. num. 19.* & alii apud ipſum. Idque probatur, tum ex antiquis Canonibus, in quibus reprobantur ſimpliciter pacta, quæ in permutatione beneficiorum fiunt, ſine auctoritate Superioris, *c. Quæſitum. 5. & Cum olim. 7. de rer. permut.* Et in *c. De hoc. 11. h. t.* pœna depoſitionis infligitur ei, qui alicui promiſit beneficium pro ſuffragio obtinendo in electione ad Epiſcopatum: & tamen illa tantum fuit Simonia prohibita Jure Eccleſiaſtico. Et in *cit. Extravag. h. t.* eſt ſermo, non tantum de Simonia, quæ eſt contra Jus divinum, ſed etiam contra Jus Eccleſiaſticum, ut patet ex princ. ubi dicitur; *Cum deteſtabile ſcelus Simoniæ tam Divinorum, quam SS. Canonum auctoritas damnet, & reprobet*: & poſtea omnes pœnæ a Rom. Pontificibus contra Simoniacos quomodolibet latæ confirmantur: SS. Canones autem indifferenter puniunt Simonias contrarias Juri Divino, & Eccleſiaſtico. Nec refert, quod Simonia Juris Eccleſiaſtici non ſit ita proprie dicta Simonia, ſicut illa, quæ eſt contra Jus Divinum, ut ſupra dictum: quia SS. Canones nomine Simoniæ utramque comprehendunt, & iiſdem verbis damnant, ac deteſtantur. *Suar. cit. l. n. 20. & 21.* Excipitur, niſi ex verbis legis aliud colligatur nempe ſub nomine Simoniæ non voluiſſe comprehendere illam, quæ eſt ſolum contra Jus humanum. Si lex puniens Simoniam in beneficiis, non extenditur quoad pœnam ad venditionem penſionis Eccleſiaſticæ non quod illa venditio non ſit contra Jus poſitivum ſeu humanum: ſed quia penſio non eſt proprie dictum beneficium: lex autem pœnalis debet reſtringi ad proprietatem verborum: ſic etiam lex puniens Simoniam in officiis Eccleſiaſticis, probabiliter non comprehendit officia temporalia, ut Oeconomi, Advocati Eccleſiæ, ob eandem rationem, quia non videntur eſſe Officia proprie Eccleſiaſtica. *Suar. cit. l. n. 22.* ubi *n. 23.* addit, quod Canones interdum gravius puniant Simoniam, quæ eſt contra Jus Eccleſiaſticum, qualis eſt Simonia confidentialis, quam Simoniam, quæ eſt contra Jus Divinum, eo quod prima illa frequentius committatur, vel magis perncioſa ſit Reipublicæ, & Communitati.

§. II.

§. II.

An, & qualiter incurratur pœna excommunicationis propter Simoniam commiſſam in Ordine, vel Beneficio?

Dictum eſt §. *præced. n.* 154. nullam juris pœnam ipſo facto incurri, niſi propter Simoniam commiſſam in Ordine, vel beneficio, vel in ingreſſu Religionis. De Cenſuris, aliiſque pœnis, quæ in hoc ultimo caſu incurruntur, actum eſt ſupra *ſect.* 3. §. 4. *h. t.* Reſtat nunc, ut agamus de cenſuris, tum excommunicationis, tum ſuſpenſionis, quæ in Ordine, & beneficio incurruntur.

CLVI. Aſſertio 1. Per Simoniam realem, & completam in Ordinem incurritur excommunicatio Papæ reſervata ipſo facto, tam ab Ordinante, quam ab Ordinato, ut conſtat ex *cit. Extravag.* 2. *h. t.* ubi, poſtquam mentio facta fuit de Simonia in Ordine, ſubditur in §. *Statuentes: qui quomodolibet dando vel recipiendo Simoniam commiſerint, &c.* ſententiam excommunicationis incurrant. Neque dici poteſt, quod pœna ſuſpenſionis in fine principii decreta ſit contra ſimoniace Ordinatos, & ibi videatur fieri ſermo de illis; adeoque altera pœna excommunicationis videatur ſolum pertinere ad alios Simoniacos in beneficio, de quibus immediate ante ſermo præceſſit in §. *Per electionem*. Verum DD. communiter dicunt, quod in §. *Statuentes*, generalibus verbis, quæ totam materiam præcedentem comprehendunt, feratur excommunicatio contra utramque Simoniam, ita ut dantes, & accipientes, ſive ad Ordinem, ſive ad beneficium conferendum, vel obtinendum, ſint ipſo jure excommunicati, *Suar. diſ.* 22. *de cenſur. ſect.* 5. *n.* 25.

Porro nomine Ordinum in hac materia veniunt tam Minores, quam Sacri, quia omnes, proprie loquendo, ſunt Ordines, & per quemlibet confertur peculiaris poteſtas in ordine ad ſacerdotium in quo Character Ordinis completur, *Suar. cit. l. de Sim. c.* 56. *n.* 4. *Barb. in collect. in cit. Extravag.* 2. *num.* 8. Quo imo hæc pœna excommunicationis etiam incurritur ab iis, qui ſimoniace conferunt, vel accipiunt primam Tonſuram, ut docet *Suar. cit. c.* 56. *n.* 5 *Laym. cit. c. ult.* §. 7. *n.* 79. & alii apud *Barb. in cit. Extrav. n.* 8. contra *Leſſum, cit. c.* 35. tum quia per primam Tonſuram, communi modo loquendi, dicitur quis ordinari, id eſt, conſtitui in Ordine Clericorum, & hoc ſenſu prima Tonſura dicitur Ordo; tum quia aliæ quoque pœnæ decretæ contra Simoniacos in Ordine, etiam habent locum in collatione: & ſuſceptione primæ Tonſuræ, ut poſtea dicetur. Sed & Simonia commiſſa in Reverendis, ſeu dimiſſoriis cenſetur commiſſa in Ordine, ut tradit *Avila tr. de cenſur. p.* 3. *diſ.* 5. *dub.* 9. & *Laym. cit. l.* Probabile tamen eſt, quod Notarius qui pro dimiſſoriis, vel ſigillo aliquid accipit, non incurrat excommunicationem, quia Concilium Trident. *Seſſ.* 21. *c.* 1. *de refor.* talem extenſionem non facit, nec novam pœnam imponit, ſed confirmat pœnas olim Jure inflictas. *Leſſ. cit. c.* 35. *num.* 133. de quo plura ſupra *ſect.* 2. §. 2. *h. t.*

CLVII. Aſſertio 2. Similiter propter Simoniam realem, & utrinque completam in beneficiis, excommunicatio Papæ reſervata incurritur; ſi quis pro collatione, electione, confirmatione, inſtitutione, vel præſentatione ad beneficium Eccleſiaſticum pecuniam dederit, vel acceperit, *cit. Extrav.* 2. §. *Statuentes*, *h. t.* ubi tamen nomine beneficii intelligi ſolum debent beneficia proprie dicta; ideoque qui Simoniam committit in Officiis Eccleſiaſticis, quæ non ſunt beneficia, vel in collatione, aut receptione penſionis Eccleſiaſticæ, vel Vicariæ temporalis, non incurrit excommunicationem, quia non ſunt proprie dicta beneficia, *Leſſ. c. l. n.* 137. *Suar. cit. c.* 56. *num.* 6. ubi in fine addit, etiamſi Simonia commiſſa ſit in parva quantitate, ſive modico pretio, excommunicationem incurrit, cum & illa ſit peccatum mortale: adeoque capax pœnæ excommunicationis. Porro hæc excommunicatio extenditur ad quoslibet Simoniacos in Ordine, vel beneficio, eoſque ſive manifeſtos, ſive occultos, ut patet ex *cit. Extravag.* atque etiam ad mediatores, ut parentes, amicos, procuratores, & omnes, qui ſuam operam interponunt, ut Ordo, vel beneficium ſimoniace obtineatur, ut patet ex *cit. Extravag.* §. *Statuentes*, *Leſſ. cit. l. n.* 142. *Suar. l. n.* 6. non tamen extenditur ad ſcientes Simoniam eſſe commiſſam, & non revelantes: quia ibi ad eos hæc pœna non extenditur, ſed ſolum præceptum ponitur in *cit. Extravag.* §. *ult. Suar. c. l.* Quod ſi per ignorantiam inculpatam commiſſa ſit Simonia, ſive in Ordine, ſive in beneficio, non incurritur pœna excommunicationis, quippe quæ ſupponit culpam, & quidem mortalem, a qua excuſat talis ignorantia. *Leſſ. c. l. n.* 2. *Suar. cit. l.*

§. III.

An, & qualis ſuſpenſio contrahatur per Simoniam commiſſam in Ordine, vel Beneficio?

CLVIII. Aſſert. 1. Spectato Jure communi Decretalium, Ordines conferens per Simoniam completam, & perfectam, recepto pretio, vel alia re æquivalente, ipſo facto eſt ſuſpenſus a collatione omnium Ordinum, ſaltem per triennium, ut patet ex *c. Si quis* 45. *h. t.* ubi ſtatuitur: ſi quis ordinaverit,
„ vel ad Ordinem aliquem præſentaverit, promiſſionem, vel
„ juramentum ab illo recipiens, quod ſuper promiſſione ſua
„ eundem non inquietabit: (id eſt, non poſtulabit ſuſtenta-
„ tionem alias jure debitam, juxta *c. Secundum.* 16. *de præbend.*)
„ Ordinator a collatione; Præſentator vero ab executione
„ Ordinum per triennium ſunt ſuſpenſi. Ordinatus autem ab
„ Ordine ſic ſuſcepto (donec a Sede Apoſtolica diſpenſatio-
„ nem obtinuerit) eſt ſuſpenſus.

CLIX. Notandum hic 1. Ordinans (idemque eſt de præſentante) in caſu hujus c. eſt ipſo jure ſuſpenſus a collatione omnium Ordinum propter Simoniam commiſſam, ut puniretur in eo, in quo peccavit: nam ordinatio facta eſt, quia ordinatus remiſit ei jus, quod ex tali ordinatione erat conſecuturus, nempe ad alimenta ipſi præſtanda. Verum quia hic non intervenit datio alicujus pretii, vel remiſſio obligationis jam ortæ, ſive juris jam acquiſiti; non enim ordinatus remiſit rem ſibi in præſenti debitam; ſed promiſit, ſe remiſſurum futurum debitum, pro eo tempore, quo debebitur, ſive quo poſſet deberi: nam nihil Ordinator, aut Præſentator, ante ordinationem debebat ordinando, ſed hic renunciavit juri, quod in futurum poſſet acquirere, ſi debito modo præſentatur; adeoque non fuit directe commiſſa Simonia in Ordine: idcirco etiam facta fuit ſuſpenſio tantum ad tempus, cum alias conferens Ordinem directe per Simoniam, abſolute, & perpetuo ſit ſuſpenſus, ſive omnino deponendus: & recipiens non ſolum ab Ordine ſimoniace ſuſcepto, ſed etiam ab aliis ſit ſuſpenſus, ſiquidem remiſit, quod in præſenti debetur, de quo infra: iſte autem ordinatus non eſt ſuſpenſus, niſi ab Ordine ſic ſuſcepto; adeoque tam ordinans, quam ordinatus non commiſit directe, & ex propoſito Simoniam, quia & Ordinator volebat ordinare, & ordinatus ordinari, nullo pretio dato, vel accepto; ideo etiam mitius puniri debent: nam pœna debet eſſe commenſurata delicto. *Gl. hic, V. Ab executione*, & *Abb. n.* 4. & 5. Veruntamen valde probabile eſt, quod docet *Suar. cit. c.* 56. *n.* 13. & *diſ.* 31. *de cenſur. ſec.* 4. *n.* 27. nempe quamvis in caſu hujus c. perfecta Simonia in collatione Ordinum ſit commiſſa: Ordinatorem tamen ipſo jure incurrere tantum ſuſpenſionem a collatione Ordinum per triennium, juxta *cit. c. pen. h. t.* nam etſi ibi aliquod pretium, vel pecunia data non fuerit pro ordinatione: ipſa tamen promiſſio, ſive obligatio non petendi debitam ſuſtentationem, erat res pretio æſtimabilis; adeoque ſufficiens ad proprie dictam Simoniam; ergo cum in illo c. dicatur, quod ab ordinante tantum incurratur ſuſpenſio triennalis, non eſt pœna illa augenda ſine gravi cauſa, & fundamento: Præſertim, cum ex antiquioribus Canonibus non poſſit ſatis probari, quod ſuſpenſio perpetua ipſo jure incurratur: multo minus poteſt id probari ex *Extr.* 2. *h. t.* quippe quæ ſolum loquitur de ſimoniace ordinatis, & nihil de Ordinante.

Porro per Bullam Sixti V. motu proprio editam: contra male promoventes, & promotos, quæ incipit. *Sanctum, & ſalutare*, declaratur, Ordinantem per Simoniam eo ipſo ſuſpenſum eſſe a collatione quorumcumque Ordinum, atque adeo etiam primæ Tonſuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium, ac denique eſt illi interdictus ingreſſus Eccleſiæ, & reſervantur hæ cenſuræ Sedi Apoſtolicæ, tametſi Simonia occulta ſit *Suar. cit. c.* 56 *n.* 15. & 16. *Leſſ. c. l. n.* 130. Et quamvis Clemens VIII. dictam Bullam Sixti V. ad terminos Juris Canonici in quibuſdam punctis redegerit, eam tamen quoad Simoniace ordinantes, & ordinatos in ſuo rigore reliquit, & confirmavit. *Leſſ. c. l.* ubi tamen addit, hanc Sixtinam in pleriſque locis non eſſe uſu receptam.

CLX. Notandum 2. Remiſſio illa ab ordinato in caſu hujus c. facta Ordinatori, vel præſentanti ad Ordines, nempe Archidiacono, cujus officium eſt examinare Ordinandos, & inquirere, an habeant ſufficientem Titulum, & poſtea illos præſentare Epiſcopo ordinandos, illicita, eſt & nullam obligationem inducit: quia eſt promiſſio ex parte utriuſque, ordinantis, vel præſentantis, & ordinati illicita, & conſequenter etiam juramentum ei acceſſorium non tenet. *Gl. in cit. c. pen. V. Promiſſionem.* quia ordinans, vel præſentans tenentur providere ordinato de Titulo ſuſtentationis, ne in opprobrium totius Ordinis Clericalis mendicare cogatur, ideoque etiam poſt ordinationem non valet talis remiſſio, etiam jurata. *Garc. p.* 5. *de benef. l.* 5. *n.* 174.

Notandum 3. Non ſolum Ordinator a collatione, & Præſentator ad Ordines ab executione ſuorum Ordinum, ſed etiam Simoniace ordinatus, ipſo jure eſt ſuſpenſus ab Ordine ſic ſuſcepto, donec a Papa fuerit abſolutus, ut habetur in *cit. c. pen. h. t.* quamvis in *Extravag.* 2. *h. t.* dicatur, *omnes illi, qui Simoniace ordinati fuerint, a ſuorum Ordinum executione ſint ſuſpenſi*: adeoque non tantum ab Ordine Simoniace ſuſcepto, quæ eſt recepta Doctorum ſententia apud Avilam *cit. diſ.* 5. *dub.* 9. *concl.* 1. Verum textus hic probabiliter etiam intelligi poteſt de Ordinibus Simoniace ſuſceptis, ita ut ſic ordinati ſuſpenſi ſint ab executione Ordinum ſuorum, quos ſinguli Simoniace ſuſceperunt, ut in eo quilibet puniatur, in quo peccavit, præſertim cum pœnæ ſint reſtringendæ, ſicut etiam Jure antiquo decretum erat in *c. per tuas* 37. & *c. pen. h. t. Leſſ. cit. l. n.* 135. *Suar. cit. diſ.* 31. *de cenſur. ſec.* 4. *n.* 33. ubi tamen addit, priorem opinionem, ſicut communior eſt, ita etiam eſſe ſecuriorem.

CLXI. Aſſert. 2. Is, qui Simoniace Ordinem ſuſcepit, ſed ſine culpa ab ipſo commiſſa: quia ſcilicet alius v. g. amicus ejus, ipſo inculpate ignorante, pecuniam dedit Epiſcopo, ut ipſum ordinaret, non eſt ipſo jure ſuſpenſus ab Ordinibus antea rite ſuſceptis, imo nec ab Ordine ſic ſuſcepto cum id nullo Jure ſit expreſſum, ſaltem ea ſuſpenſione, quæ ſit vera ac proprie cenſura. *Suar. cit. ſec.* 4. *n.* 40. *Leſſ. c. l. n.* 136. Idque ſumitur ex *c. de Simoniace* 22. *h. t.* ubi Papa Lucius III.
„ ait: De Simoniace ordinatis certum non poſſumus dare reſ-
„ ponſum, niſi plenius cognoſcamus, qualiter fuerint ordi-
„ nati, cum quidam, licet ſecundum quandam ſpeciem Si-
„ moniæ, utpote ipſis ignorantibus, Simoniace ſint ordina-
„ ti, poſſint, quia Simoniaci non ſunt, in ſuis Ordinibus per-
„ manere, adeoque non ſunt ab ipſis ſuſpenſi. Ratio eſt, quia
„ ſuſpenſio proprie dicta eſt pœna impoſita propter culpam,
ergo cum in tali caſu nulla ſit culpa, ex parte ordinati, non poteſt is incurrere ſuſpenſionem, quæ ſit proprie cenſura, & non imponitur, niſi propter culpam, ſeu peccatum. Verum *Gl. hic V. remanere Hoſtienſ. ibid.* & *Abb. n.* 6. quin & *S. Thom.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *ad* 3. dicunt, diſpenſative id factum eſſe, nec poſſe ſic ordinatum exequi Ordinem per Simoniam alterius, ipſo ignorante, ſuſceptum, nec ad altiorem Ordinem promoveri, ne per ſaltum promotus videatur, niſi cum eo miſericorditer diſpenſetur: idque probari poteſt, tum ex

c. pra

c. præſentium 3. *cauſ.* 1. *q.* 5. ubi quidam Simoniace ordinatus, quia parentes dederant pecuniam, ipſo ignorante, ab Ordine ſic ſuſcepto eſt ſuſpenſus, niſi ab Epiſcopo cum eo fuerit diſpenſatum: tum ex *c. perpetuas* 37. *h. t.* ubi de quodam Simoniace ordinato per ignorantiam, dicitur, niſi cum eo fuerit miſericorditer diſpenſatum, nec ad ſuperiores Ordines aſcendere, nec in ſuſcepto debet Ordine miniſtrare. Sed contra eſt, quia in *cit. c. Simoniace.* nulla ſit mentio de ulla ſuſpenſione lata in ordinatum Simoniace, ipſo ignorante: nec obſtant textus in contrarium allegati: quia in illis fuit in ordinato ignorantia culpabilis, vel juris, ut in *cit. c. per tuas.* ubi ordinandus ipſemet actum Simoniacum fecit, per quem ſibi paravit viam ad Ordines ſuſcipiendos, licet putaret, id non eſſe illicitum, quæ fuit ignorantia juris: vel ignorantia facti craſſa & culpabilis, ut in *cit. c. præſentium*, & colligitur ex ipſo textu ibi: *quia culpam iſtam neſciens, & coactus commiſſe*: ideoque ſuſpenſio propter culpam ordinati eſt impoſita: id quod ſemper præſumendum eſt, quotieſcunque ſuſpenſio in jure fertur, niſi contrarium expreſſe ſignificetur, in *c. Ex inſinuatione* 26. *&c. nobis* 27. *h. t.* de quo nihil eſt expreſſum in *cit. c. de Simoniace.* adeoque etiam diſpenſatione ibi non fuit opus. *Suar. cit. ſec.* 4. *n.* 41. *Laym. cit. c. ult. n.* 71.

CLXII. Sed objici poteſt 1. Quod in ipſa ordinatione fuerit commiſſa Simonia ab Epiſcopo accipiente pro ea pecuniam ab alio datam, ergo talis eſt Simoniace ordinatus, adeoque ipſo jure ſuſpenſus. Negatur conſ. diſparitas eſt, quia Simoniace ordinari, eſt, ordinari committendo Simoniam: at ipſe ordinatus hic nullam commiſit, licet ordinans commiſerit, ideoque ex eo, quod collator Ordinis Simoniace ordinet, non ſequitur, etiam alterum Simoniace ordinari, *Suar. cit. c.* 56. *n.* 9. Objicitur 2. Ordinatus per ignorantiam ab Epiſcopo Simoniaco eſt ſuſpenſus, ut mox dicetur, ergo etiam qui ignoranter ordinatur ab eo, qui ab alio pecuniam accepit pro Ordine conferendo. Sed negatur conſeq. Diſparitas eſt, quia in poſteriore caſu non ordinatur quis ab Epiſcopo jam ſuſpenſo, adeoque adhuc executionem Ordinis ab eo recipere poteſt, licet Epiſcopus ordinans in ordinando incurrat ſuſpenſionem, & conſequenter ſimul perdat poteſtatem dandi executionem Ordinis: ſecus eſt in priore caſu, in quo ordinans antecedenter ſupponitur eſſe ſuſpenſus, propter Simoniam unam vel plures, quas incurrit, antequam ordinaret eum, pro quo data eſt pecunia, ipſo ordinato ignorante. *Suar. cit. c. ſec.* 4. *num.* 41.

CLXIII. Aſſertio 3. Qui ordinatur ab Epiſcopo Simoniaco, ſed non recipit Ordines Simoniace: quia Epiſcopus in illa ordinatione nullam Simoniam commiſit; tunc ſi ſcivit, ante ordinationem, Epiſcopum eſſe Simoniacum, incurrit ſuſpenſionem ab ordine ſic ſuſcepto, ut conſtat ex *c. Si qui* toll. *cauſ.* 1. *q.* 1. ubi dicitur: *Qui vero ſcienter ſe a Simoniacis conſecrari permiſerint, eorum ordinationem omnino irritam eſſe decernimus*, ſcilicet quoad uſum, ſeu executionem Ordinis conferendam. Si quis vero bona fide a tali Epiſcopo ſit ordinatus, ignarus illum eſſe Simoniacum, non incurrit ſuſpenſionem, quippe quæ non niſi propter culpam imponitur, tanquam pœna, prout habetur in *cit. c. Si qui & in c. Per tuas* 37. *h. t.* Putat tamen *Gl. in cit. c. Si qui V. eodem Silveſt.* V. *Suſpenſio. q.* 7. *dicto.* 1. *Avila cit. diſ.* 3. *dub.* 9. *concl.* 3. quod poſtquam ordinatus a Simoniaco etiam ignoranter, intellexit, ipſum fuiſſe Simoniacum, ipſo jure ſuſpenſionem incurrat, ita ut non poſſit etiam in Ordine ſic ſuſcepto miniſtrare, donec a Papa diſpenſetur, quod colligi videtur ex *cit. c. Si qui*, ibi: *talium ordinationem miſericorditer ſuſtinemus*. Sed contra eſt, quod, cum ordinatus a tali Epiſcopo ab initio non contraxerit ſuſpenſionem, excuſante bona fide, & ignorantia, neque ex poſtfacto propter ſupervenientem ſcientiam, illam contrahat: cum enim non intervenerit culpa, non poteſt ſcientia per ſe ſola inducere ſuſpenſionem, quæ culpam ſupponat. *Suar. cit. ſect.* 4. *n.* 30. *in fine.*

Porro per Simoniam in Ordine, præter ſuſpenſionem ab executione Ordinum non incurritur, ſive ab ordinante Simoniace, ſive ab ordinato alia ſuſpenſio ab officio vel beneficio, cum in *cit. Extrav.* 2. *h. t.* expreſſe limitetur ad ſuſpenſionem ab executione Ordinum: alioquin Simoniace ordinatus non poſſet eligere, nec fructus beneficii ſuos facere, nec illos, tuta conſcientia, retinere, quantumvis crimen occultum ſit. *Suar. l.* 4. *de Simonia c.* 56. *n.* 18.

CLXIV. Aſſertio 4. Deveniendo nunc ad ſuſpenſionem, propter Simoniam commiſſam in beneficio, nulla talis incurritur, neque a conferente beneficium Simoniace, neque a recipiente: quod intelligendum eſt de propria ſuſpenſione, prout eſt cenſura diſtincta ab excommunicatione: nam cum Simoniacus in beneficio ſit ipſo jure excommunicatus, *Extrav.* 2. *h. t.* & ſupra dictum, conſequenter etiam eſt ſuſpenſus ab omni officio, beneficio, & Ordine, donec abſolvatur. *Suar. cit. c.* 56. *de Simon. n.* 19. *& cit. diſ.* 31. *ſect.* 5. *n.* 43. *Navarr. in man. c.* 23. *n.* 111. *dicto* 3. *Avila de cenſur. cit. diſ.* 5. *dub.* 9. *concluſ.* 5. Et inprimis quidem quoad ſuſpenſionem ab Ordine, certum eſt, non incurri illam per Simoniam in beneficio, quia non eſt dicendum, pœnam aliquam incurri ipſo jure, niſi illa expreſſe reperiatur a lege ſeu Canone impoſita, ut tradit *Gl.* communiter recepta in *c. ult. V. Ex vi de jure patron.* nullibi autem talis ſuſpenſio reperitur Jure impoſita. Nam in *c. præter* 6. §. *Verum diſ.* 32. ubi dicitur, Simoniacos non eſſe admittendos ad ſancta miniſteria, ſermo eſt de non Simoniaco in beneficio, ſed in Ordine, qui etiam per alios Canones eſt ſuſpenſus, *Gl. V. ibid. officium.* Quod vero attinet ad ſuſpenſionem in beneficio, nec quoad conferentem Simoniace beneficium, nec quoad recipientem, reperitur talis lata ſuſpenſio, quæ ipſo jure incurratur. Ubi tamen notandum eſt, quod electio, & quævis alia proviſio Simoniaca beneficii (etiam ignorante proviſo facta) ſit omnino invalida, nec per illam ipſi proviſo jus acquiritur in beneficio, nec facit fructus ſuos, ſed ad illorum omnium, quæ percepit, reſtitutionem eſt obſtrictus, ut ſtatutum habetur in *Extravag.* 2. §. *per electiones h. t.* iſta tamen non eſt proprie dicta pœna ſuſpenſionis a tali beneficio, cum ſuſpenſio ſupponat jus acquiſitum in beneficio; illa autem beneficii proviſio, de qua in *cit. Extrav.* eſt ſermo, ipſo jure nulla eſt. *Suar. cit. ſect.* 4. *n.* 45. *& cit. c.* 56. *n.* 19. Sed neque incurrit Simoniacus in beneficio ſuſpenſionem ab aliis beneficiis legitime obtentis, quia id etiam nullo jure ſufficienter probatur: nam textus in *c. de Simoniacis* 22. *h. t.* loquitur de Simonia commiſſa in ſuſceptione Ordinis, non beneficii, neque etiam ſit ibi mentio de ſuſpenſione aliqua ipſo jure lata: in *c.* vero *præſentium* 3. *cauſ.* 1. *q.* 5. eſt ſermo de Simonia commiſſa in ordinatione ejuſque pœna; ideoque ibi non fertur ſuſpenſio ab omnibus Ordinibus ſed tantum ab Ordine Simoniace ſuſcepto. *Suar. cit. ſect.* 4. *n.* 46.

§. IV.

An præter prædictas Cenſuras, ſint aliæ pœnæ Canonicæ Jure decretæ in Simoniacos?

CLXV. Aſſert. 1. Sunt & aliæ pœnæ Jure Canonico ſtatutæ in Simoniacos. Et imprimis perpetuo ſunt deponendi ab Altaris miniſterio, ſive ab officio, & conſequenter etiam a beneficio, ut conſtat ex *cit. c. Ergo* 110. *cauſ.* 1. *q.* 1. & ex *c.* 2. *de Confeſſ.* ubi cum quidam Canonicus confeſſus eſſet in Judicio, quod pro conſenſu præſtando electioni alterius, 500. Sarracenorum obligationem acceperit, & mediator extiterit Simoniacæ pravitatis: eo Intellecto, Innocentius III. per ſententiam definitivam pronunciavit, eum eſſe ab officio, & beneficio deponendum. Similiter pœna depoſitionis contra „ Simoniacum in beneficio decernitur in *c. de hoc* 11. *h. t.* Nam „ cum Epiſcopus Oxonienſis ante electionem Archidiacono „ (habenti ſuffragium in electione) quoddam beneficium, „ & cuidam Clerico Prioratum quendam promiſiſſet, ut „ electioni ejuſdem Epiſcopi uterque conſentiret: Papa A„ lexander III. ſuper hoc reſpondit: Si manifeſtum ſit (id „ eſt, notorium) dictum Archidiaconum, & Clericum re„ cepiſſe promiſſa ob illam cauſam, vel id confeſſi fuerint „ in jure) coram ſuo Judice) vel legitime convicti ab Al„ taris Miniſterio perpetuo ſunt deponendi. Si vero id ma„ nifeſtum ſit (per famam tantum, ſive famoſum, & non „ notorium, unde alia littera habet, non manifeſtum, „ *Gl. hic V. e tam. & Hoſtienſ.*) nec etiam confeſſi, vel con„ victi fuerint, ſed tantum publica laborent infamia, „ eis Canonica purgatio indicenda eſt, in qua ſi defece„ rint, tanquam auctores tanti ſceleris ſunt puniendi. Rex autem (qui jus habebat in electione, tanquam Patronus, *Gl. hic V. Regem*, & jure ſpeciali, ſcilicet privilegio, vel conſuetudine, ideoque conſenſus ejus in electione requiri debebat. *Abbas hic n.* 10.) & Principes (ad quos etiam forte jus patronatus pertinebat, vel qui Regem induxerant ad conſentiendum *Hoſtienſ. hic V. aſſenſum*) induci debent ut ſi „ quæ receperint a dicto Epiſcopo ut ejus electioni præſta„ rent aſſenſum, Eccleſiæ Oxonienſi, ſine diminutione, „ ſeu integre reſtituant, cum illa ſine gravi periculo ſalu„ tis ſuæ non poſſint retinere.

Porro per depoſitionem perpetuam ab Altaris miniſterio, intelligitur hic eadem pœna, quæ habetur in *cit. c. de confeſſ.* nempe ab officio, & beneficio, ſive agatur per modum accuſationis, ſive etiam per modum inquiſitionis, ut tradit *Gl. V. deponendi.* Hinc etiam colligitur 1. quod promittere beneficium pro voce, ſeu ſuffragio electionis ſit Simonia contra Jus poſitivum, *Azor p.* 3. *Inſtit. l.* 12. *c.* 7. *q.* 2. §. *Eſt ibidem.* Colligitur 2. Principes, & alios quoslibet ſæculares, qui recipiunt pecuniam, ut tanquam Patroni in electione conſentiant, vel eam ratam habeant, Simoniacos eſſe, & reſtituere debere accepta Eccleſiæ, de cujus Prælato, vel Rectore eligendo agitur, in cujus injuriam illa pecunia data fuit, quamvis non ſit ex illius Eccleſiæ bonis beneficium conſtitutum, *Abbas hic num.* 5. *Azor. c. l.*

CLXVI. Præterea pœna depoſitionis contra ſimoniace obtinentem beneficium ſtatuitur in *c. Inſinuatum,* 23. *h. t.* ubi „ relatum fuit Papæ Alexandro III. quod in Eccleſiis Epi„ ſcopatus Ciſtrenenſis, complures Clerici per Simoniam „ dicantur habere ingreſſum, de quo ſunt infamia notati. „ Quare mandat Papa Epiſcopo Diœceſano, ut ſi publi„ cum, & notorium fuerit (ſive facto, ſive jure, ut „ quia in Judicio confeſſi ſunt, vel convicti, vel vi præ„ ſumptionis Juris, & de Jure, *Hoſtienſ. hic V. Publicum*) „ aliquos in Eccleſiis illis per Simoniam, intraſſe, eos „ inde removeat: illis autem, quorum crimen notorium „ non eſt; ſi tamen publica laborent infamia, purgatio„ nem, cum quinta, vel ſexta manu ſui Ordinis, indi„ cat, in qua, ſi defecerint, beneficiis eiſdem perpetuo „ privet.

CLXVII. Ubi notandum 1. Simoniacus in beneficio non deponitur ab Ordine, ſi contra eum procedatur, non per viam accuſationis, ſed inquiſitionis: privatur tamen beneficio ſimoniace acquiſito, quamvis etiam alia pœna puniri poſſet, cum hæc amotio non ſit proprie pœna, *c. Cum Clerici* 6. *de pactis. Abbas hic n.* 2. de quo ſupra *l.* 1. *tit.* 35. §. 3. *n.* 22. *& ſeq.* imo & pœna depoſitionis ab Ordine, ſi crimen Simoniæ ſit notorium, imponi poſſet, juxta *c. Qualiter.* 23. *de accuſ. &c. Cum ab homine* 10. *de Judic.* Nec obſtat, quod in caſu hujus c. talis depoſitio non ſit impoſita: quia Epiſcopus quæſivit tantum, an talis beneficiis ſimoniace acquiſitis ſit privandus, & Papa reſpondit, prout habetur in textu, *Abbas hic n.* 3. *in fine.*

Notandum 2. Infamato de crimine Simoniæ purgatio indi-

dicenda eſt, propter probabilem præſumptionem ex infamia ortam; quod ſi deficiat in probatione, punitur ac ſi convictus de fuiſſet, & præſumptio probabilis orta ex infamia tranſit in crimine violentam, cum reus deficit in probando, quæ præſumptio ſufficit ad condemnationem, *Gl. fin. hic. & Abbas n.* 4.

CLXVIII. Denique adhuc alia depoſitionis pœna imponitur in *c. Qui alium* 2. *h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio Moguntino ſub Rabano Archiepiſcopo *c.* 10. ubi ſic ſtatuitur: „ Qui alium in Eccleſia ordinatum (id eſt rite, & canonice inſtitutum) per pecuniam expulerit, id eſt, expelli fecerit: eumque ſibi taliter vendicaverit (ſive ſi retinuerit vi ipſum intrudendo) omnino deponatur. Nam talis duplex peccatum commiſit, nempe Simoniam, dando pecuniam pro ſpirituali re obtinenda; & quia ſuccedit in locum viventis eumque occupat, *c. Finem* 110. *cauſ.* 7. *queſt.* 1. *& c.* 1. *de conceſſ. præb. Gl. hic V. Expulerit.* ideoque deponendus eſt, etiamſi contra eum procedatur per modum inquiſitionis, ſi de eo conſtiterit, perinde ac ſi accuſatus fuiſſet; nam textus hic loquitur indiſtincte. *Hoſtienſ. hic in fin. & Abbas.* Illud hoc loco addendum prædictam pœnam depoſitionis decretam in Simoniacos non incurri ipſo jure, ſed per ſententiam Judicis imponendam eſſe, ut clare patet ex Canonibus ſupra allatis. Neque vero etiam per *Extrav.* 2. *h. t.* hæc pœna incurritur ipſo facto, idque propter eius gravitatem, *Suar. l.* 4. *de Simon. c.* 56. *num.* 22.

CLXIX. Aſſertio 2. Alia pœna eſt (quæ tamen includitur, vel conjuncta eſt pœnæ depoſitionis per hominem) quod Simoniacus in Ordine, vel beneficio privetur, non ſolum beneficio ſimoniace acquiſito; ſed etiam aliis beneficiis prius rite, & legitime obtentis; ita tamen, ut hæc privatio non incurratur ipſo jure, ſeu facto: ſed non niſi per ſententiam condemnatoriam Judicis, per quam Simoniacus beneficiis prius obtentis privatur, ſi Simonia per ipſius culpam commiſſa fuit, ut colligitur ex *c. Presbyter.* 3. ibi: *privaretur*, *cauſ.* 1. *q.* 1. *c. Sicut.* 6. *& c. De hoc.* 11. *h. t. Suar. l.* 4. *de Simon. c.* 58. *n.* 3. *&* 4. & tradunt communiter DD. Idque probatur: quia nullus reperitur textus Juris, per quem talis pœna privationis inferatur, ipſo jure, ſeu facto, & conſequenter non cenſetur lata, niſi in ordine ad ſententiam condemnatoriam Judicis, ex receptiſſima ſententia Theologorum, & Juriſtarum apud *Suar. c. l.* Nec obſtat *c. De quiſitionis,* 22. *in princ. de accuſ.* ubi dicitur, Simoniam impedire retentionem beneficii, etiam poſt peractam pœnitentiam: quia id recte intelligitur de beneficio ſimoniace acquiſito: etſi, vel maxime intelligi deberet de aliis beneficiis: non tamen ita, ut ipſo facto Simoniacus ſit iis privatus, ſed non niſi per ſententiam condemnatoriam Judicis: nam ibi Simonia comparatur cum homicidio, quod non privat, ipſo facto, beneficiis prius obtentis, prout ſumitur ex *c. Clericis.* 5. *Ne Clerici, vel Monachi &c.* de quo infra *Tit.* 12. In Extravag. vero 2. *h. t.* non imponitur hæc pœna privationis, niſi quoad beneficium ſimoniace acceptum, non quoad alia prius obtenta, *Suar. c. l. num.* 4. *&* 6. & ratio eſt, quia pœna, quæ privat bonis, aut juribus acquiſitis, & legitime poſſeſſis, non ſolet cum tanto rigore per legem ferri, ut quis obligetur ad illam in ſe ipſo exequendam, ante ſententiam ſaltem declaratoriam, criminis, *Suar. cit. l. num.* 2. Excipitur Simonia confidentialis: & quam incurrunt Examinatores promovendorum ad parochiales Eccleſias, a qua abſolvi non poſſunt, niſi dimiſſis beneficiis, quæ quomodocunque etiam antea obtinebant, juxta Decretum Concil. Trident. *Seſſ.* 24. *c.* 18. *de refor. Suar. cit. l. num.* 3.

Hinc infertur quod Simoniacus in uno beneficio non teneatur reſtituere fructus, quos percepit ex beneficiis prius legitime obtentis, ſive extantes, ſive quomodolibet conſumptos: quia, cum retinuerit jus in illis, etiam fecit fructus ſuos, *Suar. cit. l. num.* 38. Unde etiam talis Simoniacus poteſt adminiſtrare, & reſignare priora beneficia rite acquiſita, in quibus jus retinuit, priuſquam de illo crimine condemnetur, *Suar. cit. l. num.* 6. *in fine.*

CLXX. Aſſertio 3. Etſi Simoniacus ſit inhabilis ad beneficium ſimoniace obtentum retinendum, ita ut illud ipſi etiam de novo conferri non poſſit, ſine ſpeciali diſpenſatione, ut aperte colligitur ex *c. pen. de Elect.* quoad alia vero beneficia obtinenda non eſt inhabilis ipſo jure, ut docet *Navarr. conſil.* 91. *nu.* 5. *h. t.* Conſtitutio vero Pii V. quæ incipit: *Cum primum*, inhabilitans Simoniacos ad quævis beneficia obtinenda ipſo jure, non habet locum ante ſententiam Judicis condemnatoriam, vel ſaltem declarationem criminis, in foro conſcientiæ, neque quoad hunc effectum eſt recepta, ut refert *Navarr. conſil.* 92. *h. t. Suar. cit. l. nu.* 10. *&* 11.

§. V.

Quis poſſit diſpenſare, ſive relaxare pœnas Jure decretas in Simoniacos?

CLXXI. Non eſt hic ſermo de diſpenſatione Simoniæ quoad culpam, quia in hac diſpenſari non poteſt, ulla humana poteſtate, ſi ſit contra Jus naturale, ac Divinum. Si vero ſit Simonia contra Jus Eccleſiaſticum, & ab illo ſolum prohibita ſolus Papa in illa diſpenſare poteſt, non alius Prælatus inferior, niſi ex commiſſione expreſſa, vel tacita S. Pontificis; quia nullus inferior poteſt in lege Superioris per ſe diſpenſare. Diſpenſat autem S. Pontifex, non ita, ut manente Simonia, tollatur culpa; id enim repugnat: ſed ut emptio & venditio, quæ, manente obligatione legis, eſſet Simoniaca, ea ſublata, non ſit talis. Neque tamen Pontifex ſolet diſpenſare etiam in Simonia contra Jus humanum: tum quia id non eſt neceſſarium: quia quando expedit dare temporale aliquid pro ſpirituali, non eſt neceſſe, ut id fiat, per modum pretii, ſed poteſt Papa alio modo providere de neceſſaria ſuſtentatione perſonæ: neque etiam utile eſt Eccleſiæ in Simonia poſitiva diſpenſare, quia non expedit, ut res Eccleſiæ fiant venales. *Suar. l.* 4. *de Simon. c.* 61. *nu.* 1. *&* 2. Quæſtio igitur ſolum eſt, de diſpenſatione, quoad pœnam Simoniæ, ſive de relaxatione pœnæ, quæ ſolum habet locum in Simonia commiſſa in Ordine, beneficio, & ingreſſu Religionis, ut dictum ſupra *ſect.* 7. §. 1. *num.* 154.

CLXXII. Jam ergo ad propoſitam quæſtionem reſpond. 1. Ab excommunicatione, quæ lata eſt in Simoniam commiſſam in Ordine, & beneficio, & ingreſſu Religionis, quoad perſonas ſingulares dantes, vel accipientes pecunias, & tam in dantes, quam in recipientes ſimoniace Ordinem, vel beneficium, ſolus Papa abſolvere poteſt, cui ea eſt reſervata in *Extravag.* 1. *&* 2. *h. t. Inter communes*; poſſunt tamen ab hac excommunicatione abſolvere ex poteſtate delegata, etiam ii, qui bullam habent, ſeu Privilegia a Sede Apoſtolica, in quibus conceditur poteſtas abſolvendi a caſibus Papæ reſervatis, niſi in particulari excommunicatio incurſa propter Simoniam in iis exceptuatur, *Suar. cit. c.* 61. *num.* 4. Similiter quoad ſuſpenſionem, quæ incurritur propter Simoniam commiſſam in Ordine, is, qui ſimoniace ordinatus eſt, ſuſpenſus eſt ab Ordinis ſic ſuſcepti executione, in qua pœna diſpenſare poteſt ſolus Papa, juxta *cap. pen. h. tit.* Ordinans vero ſimoniace ſuſpenſus eſt a collatione Ordinum, quæ pœna etiam relaxari non poteſt, niſi a Papa, *cit. c. pen.* de quo plura videri poſſunt apud *Suar. cit. c.* 61. *num.* 5. 6. *&* 7.

CLXXIII. Secundo quoad pœnam inhabilitatis ad obtinendum idem beneficium ſimoniace obtentum, ſi is, qui beneficium recipit, Simoniam commiſſam eſſe ſcivit, vel expreſſe, vel tacite conſenſit, ſolus Papa diſpenſare poteſt, ut colligitur ex *c. pen. de Elect.* quia non eſt cenſura, ſed pœna, quæ ipſo facto per Canones imponitur: in hujuſmodi autem pœnis non poſſunt Prælati inferiores diſpenſare, niſi in caſibus ſibi ſpecialiter jure conceſſis, qualis conceſſio non reperitur in hoc caſu facta Epiſcopis, *Suar. cit. cap.* 61. *num.* 10. Quod ſi quis per ignorantiam, bona fide, beneficium ſimoniace collatum accepit, tunc diſtinguendum eſt. Vel enim eſt beneficium majus, ſcilicet Prælatura, ſeu dignitas, aut beneficium curatum, & non poteſt cum illo diſpenſare Epiſcopus: vel eſt beneficium ſimplex, & poteſt, poſt liberam ejus reſignationem, prout etiam dictum eſt ſupra *l.* 1. *tit.* 6. *num.* 98. *& ſeq.* Porro extra caſus in *cit. c. pen.* expreſſos, in quibus ſpecialiter conceſſa eſt diſpenſatio Epiſcopo; ſolus Papa in hac inhabilitate ad idem beneficium obtinendum, quod ſimoniace, etiam ignoranter obtentum fuit, diſpenſare poteſt, *Suar. c. l.* Et hic etiam, juxta allatam ſupra diſtinctionem intelligi debet, quod habetur in *c. Nobis.* 27. §. *ult. h. t.* ubi quæſitum fuit, an, ſi aliquis electus ſit in Prælatum alicujus Eccleſiæ, & ejus electio reprobata ſit, propter Simoniacam pravitatem, Epiſcopus cum eo diſpenſare poſſit? Et reſpondetur; quod non: ubi *Gl. fin. Innocent. & Hoſtienſ.* & alii, tres expoſitiones afferunt illius textus. Prima eſt, quando electus Simoniam commiſit, vel alius, eo ſciente & ratum habente; tunc enim Epiſcopus cum tali diſpenſare non poteſt: Secunda, quando ignorante electo, Simonia commiſſa fuit, quod diſpenſare non poſſit Epiſcopus, ut iterum, illa vice, eligatur ad eandem prælationem, ut ibi additur; poſſit tamen diſpenſare, ut pro alia vice eligatur ad idem beneficium: Tertia eſt, quando ſimoniace electus condemnatus eſt per ſententiam: nam tunc Epiſcopus non poterit cum illo diſpenſare, tum propter criminis enormitatem, tum quia eſt notorium per ſententiam, *Arg. c. Ut conſtitueretur.* 25. *diſ.* 50.

CLXXIV. Tertio quoad pœnam inhabilitatis ad alia beneficia obtinenda, dicunt communiter DD. ut Abbas in *c. De ſimoniace* 22. *num.* 6. & alii, quod ſi Simoniacus voluntarie, ac ſponte renunciet beneficio per Simoniam acquiſito, ante ſententiam condemnatoriam Judicis, poſſit Epiſcopus cum illo diſpenſare ad alia beneficia obtinenda: non autem poſſit, ſi ante renunciationem factam, de Simonia condemnetur: & ideo beneficio prius obtento privatur: idque ſumitur ex *c.* 1. *cauſ.* 1. *q.* 5. ubi permittitur diſpenſari cum talibus, ſi omnino dimittant beneficia ſimoniace obtenta, iiſque ſponte renuncient, Ratio eſt: tum quia mitius agitur cum confeſſo, quam cum convicto de crimine: tum quia condemnatus per ſententiam de Simonia perpetuo fit infamis, infamia juris, *c. Sane.* 4. *cauſ.* 15. *q.* 3. *& c. ult. cauſ.* 1. *q.* 3. cum infami autem non poteſt Epiſcopus diſpenſare, niſi caſibus jure expreſſis, *Abb. cit. l. n.* 7. Verum hæc ſententia ſupponit, quod Simoniacus ipſo jure, ante omnem ſententiam Judicis, ſit inhabilis ad nova beneficia obtinenda, ideoque ante condemnationem indigeat diſpenſatione, quod ſupra rejectum fuit §. *praced. nu.* 169.

Porro quod dictum eſt, Epiſcopum non poſſe diſpenſare, quoad pœnas, ſeu Cenſuras latas contra Simoniacos, id limitari debet, quoad excommunicationem, & ſuſpenſionem, quæ incurruntur propter Simoniam occultam, ad quas recte extenditur facultas Epiſcopis conceſſa in Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *c.* 6. *de reform.* diſpenſandi in caſibus occultis, & ad forum contentioſum non deductis: nam hoc ipſo, quod ibi non excipitur occulta Simonia, ſub generali diſpoſitione comprehenditur. Aliud eſt de inhabilitate ad beneficia obtinenda, ad quam non extenditur facultas illa, quæ non tam eſt irregularitas, quam particularis pœna: in Concilio autem non datur generalis facultas Epiſcopis diſpenſandi in omnibus pœnis Papæ reſervatis, juxta declarationem Cardinalium apud *Suar. cit. c.* 61. *n.* 11. *in fine.*

SECTIO VIII.

DE OBLIGATIONE RESTITUENDI ea, quæ per Simoniam ſunt accepta.

§. I.

An, & cui pretium ſimoniace acceptum ſit reſtituendum?

CLXXV. Aſſertio 1. Qui accipit pretium pro ſpirituali, non ſolum ſimoniace, ſed etiam injuſte, quia ſcilicet in re ſpirituali ſimoniace vendita nullum temporale jus, vel commodum habet, is Jure naturali, ac Divino pretium acceptum reſtituere tenetur, non ratione Simoniæ formaliter, & præciſe, ſed ratione injuſtitiæ, *Suar. cit. c. 59. num. 51. Leſſ. l. 2. c. 35. n. 162. Laym. cit. c. ult. §. 9. n. 79.* V. g. qui pecuniam pro Sacrificio Miſſæ, adminiſtratione Sacramenti, vel ſimili functione ſpirituali accepit, tanquam pretium rei ſpiritualis, ſive in compenſationem ejuſdem, is tenetur ad reſtitutionem pretii accepti. Ratio eſt: quia qui accipit pretium temporale pro re ſpirituali alteri tradita, violat juſtitiam commutativam, ergo tenetur ad reſtitutionem: nam obligatio reſtituendi oritur ex violatione juſtitiæ commutativæ. Ant. probatur: tum quia dans alteri rem mere ſpiritualem, nullum omnino jus habet viciſſim accipiendi pro ea rem temporalem, tanquam pretium rei ſpiritualis, cum res ſpirituales non ſint pretio æſtimabiles, neque vendibiles: tum quia Miniſtri Eccleſiaſtici non ſunt Domini rerum ſpiritualium, ſed Diſpenſatores tantum, adeoque vendendo illas pro pecunia, quas gratis dare deberent, non tantum irreligioſe agunt contra DEUM, ſed etiam injuriam inferunt hominibus, quibus eas diſpenſant: ſicut Eleemoſynarius Principis, ſi pro eleemoſyna gratia danda, a pauperibus aliquid temporale exigat, non tantum in Dominum, ſed etiam contra pauperes injuriam committit, & ad reſtitutionem tenetur, ut ſignificat *S. Thom. 2. 2. quæſt. 100. art. 6. in Corp.* tum quia accipiens pretium pro re ſpirituali, non accipit illud titulo gratuitæ donationis, vel remunerationis; quia, ut ſupponitur, dans non habet intentionem donandi, ſeu gratis dandi rem temporalem: neque etiam ex titulo oneroſo, ſeu reciproco; quia contractus, ſeu commutatio rei temporalis cum ſpirituali, eſt ipſo Jure naturali, ac Divino, & humano irrita, quippe Simoniaca, conſequenter per talem commutationem non transfertur dominium rei temporalis in accipientem, ſed ea reſtitui debet danti. Excipi debet, niſi dans pretium pro re ſpirituali ſtatim ab initio daret ſponte, & liberaliter in remunerationem, quamvis alter Simoniaca intentione illud accipiat, tanquam ex juſtitia debitum datum fuiſſet; tunc enim accipiens non tenetur ea juſtitia reſtituere, ſi depoſito errore, probabiliter exiſtimet, ſibi liberaliter, quod accepit, donatum eſſe, *Laym. c. l. n. 79.*

CLXXVI. Hinc infertur 1. Si quis pro functione ſpirituali, v. g. Sacrificio, ad quam ex officio, vel juſtitia non tenetur, accipiat temporale aliquid, non tanquam pretium ſpiritualis functionis, ſed tanquam ſtipendium, quod omni laboranti in gratiam alterius, jure naturæ eſt debitum, non tenetur ad reſtitutionem, niſi poſt condemnationem Judicis, ſi quid acceptum fuit titulo ſuſtentationis, contra prohibitionem legis Eccleſiaſticæ, *Laym. cit. l. num. 81.* Imo etiamſi accepiſſet tanquam pretium ſpiritualis functionis; ſi tamen pretium acceptum non excedat, juſtum ſtipendium debitum illi ad ſuſtentationem pro illa actione ſpirituali, non tenetur ad reſtitutionem: quia licet Simoniam commiſerit, accipiendo pretium pro actione ſpirituali; non tamen commiſit ullam injuſtitiam; ideoque mutata intentione, poteſt retinere tanquam ſtipendium, quod prius acceperat tanquam pretium, *Suar. cit. c. 59. n. 16.*

Infertur 2. Eum, qui ratione officii, aut decimarum, ex juſtitia obligatus eſt ad ſpiritualia miniſteria obeunda, v. g. Parochus ad Sacramenta adminiſtranda, teneri jure naturæ ad reſtitutionem pretii accepti pro his functionibus exercendis, quia accipiendo pretium, peccat contra juſtitiam, cum has functiones ex officio, & gratis præſtare teneatur, *Suar. cit. l. n. 12.*

Infertur 3. Epiſcopum, aliumve Eccleſiæ Prælatum, ſi vendat beneficia, vel officia Eccleſiæ, quorum collatio ad ipſum pertinet ratione muneris ſui, teneri ad reſtitutionem pretii accepti: quia non eſt illorum Dominus, ſed Diſpenſator a DEO conſtitutus, quæ gratis debet diſpenſare ex officio ſuo; adeoque peccat contra juſtitiam, ſi pro eo pretium accipiat, & in quo jus non habet, *Suar. c. l. num. 13. Laym. c. l.* quamvis contrarium teneat *Leſſ. cit. l. n. 161.*

CLXXVII. Aſſertio 2. Qui accipit pretium pro re ſpirituali, ſimoniace quidem, ſed non injuſte, quia in ea aliquod temporale jus, ſeu commodum habet, quod annexum eſt illi rei ſpirituali, is non tenetur Jure naturali, ac Divino ad reſtitutionem pretii accepti, niſi vel a Jure poſitivo, vel Eccleſiaſtico Judice reſtitutio in pœnam imponatur, ut ſi quis Canonicatum venderet. *Leſſ. cit. c. 35. n. 160. Suar. cit. c. 59. n. 55. Laym. cit. c. ult. n. 82.* Ratio eſt, quia, licet talis venditio ſit illicita, & ſimoniaca; adeoque ipſo jure irrita; nulla tamen in tali contractu committitur injuſtitia, ſi temporalis commoditas, qua vendens in alterius gratiam ſe privat, juſto pretio compenſatur: obligatio autem reſtituendi jure naturæ ſolum oritur ex peccato injuſtitiæ.

CLXXVIII. Atque hinc ſequitur 1. Qui vendidit vaſa ſacra, chriſma, vel oleum, ſacrum, non tenetur ad reſtitutionem pecuniæ acceptæ, ſi illa non excedat valorem illius materiæ, quamvis teneatur reſtituere, ſi quid accepit ratione conſecrationis, vel benedictionis, quæ pretio æſtimari non poteſt, *Suar. cit. cap. 59. num. 42.* Sequitur 2. ſi Beneficiarius aliquis beneficium ſuum vendat alteri, non tenetur jure naturæ ad reſtitutionem pretii accepti; quia dimiſſio, & ceſſio illius commodi temporalis, quod percipiebat ex beneficio, facta in alterius gratiam, eſt pretio æſtimabilis; ideoque talis venditio non eſt injuſta, modo temporalis, quod percipitur ex beneficio, etſi illicita ſit talis venditio: quia, cum hujuſmodi commodum temporale annexum ſit juri ſpirituali, ſeu officio, non tantum Jure Eccleſiaſtico, ſed etiam Divino vendi prohibetur, *Leſſ. cit. l. n. 158. Suar. cit. l. n. 37. Laym. cit. l. n. 85. aſſert. 2.* Dices, vendere id, quod Jure Divino eſt invendibile, non tantum ſimoniacum eſt, ſed etiam injuſtum; adeoque reſtitui debet pretium. Reſpondetur, Simoniam Juris Divini in venditione beneficii in eo conſiſtere, quod ſimul cum temporali venditur ſpirituale, vel potius, quia hoc venditur, ut vendatur temporale: vel quia in effectu, utrumque, ſpirituale, ac temporale ſimul, non pluris venditur, quam temporale, ſi per ſe ſolum eſſet, nec annexum ſpirituali, ſed temporali officio; ideo in tali venditione non committitur injuſtitia, & conſequenter non adeſt obligatio reſtituendi pretium ex ſolo jure naturæ, *Suar. c. l. num. 37.* Et quamvis Clerici non ſint Domini beneficiorum ſuorum, ſed uſufructuarii tantum, vel Adminiſtratores: ſatis tamen eſt, quod ad illos pertineat temporale emolumentum beneficii, illoque ſe privare, ſit ſecundum ſe pretio æſtimabile, ad hoc ut ſaltem injuſte non vendatur, ſed ſolum illicite. Nec refert, quod Beneficiarius ſimoniace vendens beneficium non poſſit transferre dominium illius in emptorem, quia talis venditio eſt ipſo jure irrita: nam ſatis eſt, quod ipſa ceſſio, ſeu renunciatio proprii commodi temporalis in favorem alterius ſit pretio æſtimabilis, quam ſolum vendit, *Suar. cit. l. n. 39.* Aliud vero dicendum eſt de Prælatis conferentibus beneficia; hi enim, ſi pecuniam pro collatione accipiant, tenentur ex juſtitia illam reſtituere, quia etiam temporale emolumentum beneficiorum, quæ conferunt, ad illos non pertinet, nec dando illa, patiuntur aliquod damnum temporale, & ex officio ſuo obligantur gratis illa conferre, proquo ex ſuis præbendis ſufficiens ſtipendium accipiunt, cujus officii, ſeu miniſterii eſt pars illa collatio, ſeu diſtributio, beneficiorum, *Suar. c. l. n. 38.* Sequitur 3. qui officium temporale Eccleſiæ; v. g. Cuſtodis, Oeconomi, vel Syndici contra SS. Canones alteri vendit, non tenetur ad reſtitutionem pretii accepti, ob rationem ſupra allatam *Suar. cit. n. 36. Laym. c. n. 82.* Sequitur 4. ſi Monaſterium pecuniam accepit pro admiſſione alicujus ad Religionem, non tenetur ad reſtitutionem; quia licet admiſſio ſit actus ſpiritualis; ideoque ſine Simonia pretium accipi nequeat; quia tamen annexum habet onus temporale ſuſtentandi perſonam, quod eſt pretio æſtimabile; ideo pecunia accepta retineri poteſt, modo pretium non excedat æſtimationem temporalis oneris, ſive alimentorum, *Suar. cit. l. num. 41. Laym. cit. l.* Sequitur 5. ſi quis caſtrum, cui adjunctum eſt jus patronatus, carius vendat, ratione juris illius, ob temporale commodum, quod afferre ſolet tale jus, & quo ſe privat in gratiam alterius, v. g. ob honorem humanum, qui eſt pretio æſtimabilis, poteſt retinere pretium acceptum; quia licet venditio illa ſit Simoniaca, & contra Religionem, eo quod honor ille ſit annexus juri ſpirituali, in eoque fundatus; non eſt tamen injuſta, *Suar. cit. c. 59. n. 42. Laym. c. l.* Idemque eſt, ſi quis vendat imaginem miraculoſam, ex qua lucrum percipiebat, vel aliam rem ſpiritualem, ſeu ſacram, ex qua voluptatem hauriebat, vel aliam commoditatem temporalem ex uſu, & poſſeſſione talis rei *Suar. c. l.*

CLXXIX. Aſſertio 4. Per ſe, & ex vi legis naturalis, ac Divinæ pretium ſimoniace, & injuſte acceptum, ante Judicis ſententiam, reſtituendum eſt ei, qui dedit, & non aliis, ut docet *Suar. l. 4. de Simon. c. 59. n. 23. Laym. cit. c. ult. n. 84.* Licet plures dicant, reſtituendum eſſe Eccleſiæ, vel pauperibus. Sed probatur aſſertio, quia omnes fideles jus habent a DEO conceſſum, ut eis res ſpirituales a Miniſtris Eccleſiæ gratis dentur, nec ad aliud teneantur, quam ad Miniſtrorum ſuſtentationem. Neque vero Eccleſia, vel pauperes habent jus ad illud pretium; adeoque neque obligationem, ex parte accipientis, ut illis reſtituatur; eſt enim reſtitutio actus juſtitiæ, per quam reparatur injuria, ſive læſio alteri illata, qualis hic nulla facta eſt Eccleſiæ, vel pauperibus. Sed neque ulla lex Eccleſiaſtica afferri poteſt, quæ ante omnem Judicis ſententiam, in conſcientia obliget, ut, quod ſimoniace acceptum eſt, ad pios uſus applicetur: quamvis hoc ipſum a Judice decerni poſſit; ideoque poſt ſententiam Judicis, Eccleſiæ, vel pauperibus reſtituenda eſt pecunia ſimoniace accepta: nam licet dans pretium pro re ſpirituali dignus ſit, qui per præceptum Judicis eo privetur, non tamen, ipſo facto, eſt eo privatus.

CLXXX. Non obſtat 1. Quod dans pecuniam pro re ſpirituali, voluntarie dedit; adeoque habuit voluntatem vere dandi, & transferendi dominium pecuniæ in alterum. Nam ℞. quod ille, qui dedit, non voluit donare, ſed dare, quantum juſtitia permitteret, nec plus voluit a ſe abdicare, quam ex juſtitia deberet; at vero pretium illud non fuit ex juſtitia debitum, nec juſte exigi poterat; & ideo voluntas illa dandi non habuit effectum, nec tranſtulit dominium rei datæ in accipientem: nam cum cauſa dandi non ſubſiſtit, nec ipſa datio ſubſiſtit, *Suar. cit. c. 59. 26.* Non obſtat 2. quod, quando pecunia data eſt ex turpi cauſa tenente ſe ex parte utriuſque, tam dantis, quam accipientis, ea non ſit reſtituenda danti; quia non eſt dignus, ut ipſi reſtitutio fiat, *l. 2. & 3. & l. pen. ff. de condic. ob turp. cauſ. & l. 2. C. eodem.* Nam ex hoc ſolum ſequitur, quod emptor rei ſpiritualis mereatur privari pretio dato, in pœnam ſui delicti, & per Judicis ſententiam, utque illud applicetur Eccleſiæ, vel pauperibus: non tamen dans obligatur, ſpectato ſolo jure naturali, ad exequendam in ſe hanc pœnam privationis, priuſquam per Judicem ad id condemnetur.

Ne-

Digitized by Google

Neque etiam, qui pretium accepit habet facultatem, propria auctoritate, privandi dantem pecuniam, re ſua, cum talis privatio ſit punitio quædam; adeoque actus juriſdictionis, quam cum non habet in alium, non poteſt illa uti, *Suar. c. l. n. 27. Laym. c. l. num.* 81. Non obſtat. 3. recipiens rem ſpiritualem pro pecunia, non tenetur illam reſtituere danti, ergo nec accipiens pecuniam tenetur danti illam reſtituere. Sed neg. conſ. quia recipiens rem ſpiritualem pro pecunia non peccat contra juſtitiam, ſicut ille, qui accipit pretium pro re ſpirituali, & contra prohibitionem Chriſti, qua jubetur, gratis illam dare; & ideo acceptio pretii eſt in ſe invalida; non autem acceptio rei ſpiritualis, *Suar. cit. l. n.* 28. Non obſtat 4. qui dedit rem ſpiritualem, non voluit dare, niſi ob talem cauſam, ut acquireret dominium pecuniæ, ergo ſi hæc cauſa non habuit effectum, nec datio rei ſpiritualis valida fuit. Reſp. quicquid ſit de antecedente, neg. conſ. quia velle dare rem ſpiritualem, non aliter, quam pro pecunia, involvit conditionem turpem, & injuſtam; & ideo habetur pro non adjecta, & datio rei ſpiritualis, non obſtante tali conditione, valet; ideoque etiam accipiens retinere poteſt rem ſpiritualem. At vero acceptio pretii pro re ſpirituali non valet, quia eſt injuſta, & turpiter, ac injuſte pretium fuit pretium; ideoque etiam reſtitui debet. Quando vero Jura dicunt quod donatio facta, ob certam cauſam non teneat, ſi cauſa non ſubſiſtat, id intelligi debet, quando cauſa eſt honeſta, & licita, vel ſaltem non injuſta; *Suar. cit. l. n.* 30.

§. II.

An pretium ſimoniace acquiſitum contra prohibitionem Juris Eccleſiaſtici, reſtitui debeat in foro conſcientiæ, etiam ante ſententiam, & condemnationem Judicis, & cui?

Procedit hæc quæſtio in Simonia, quæ committitur in ingreſſu Religionis, in Ordine, ac potiſſimum in Beneficio, & quando obligatio reſtituendi oritur ex ſolo Jure Eccleſiaſtico.

CLXXXI. Aſſertio 1. Pretium acceptum pro collatione, electione, confirmatione, vel renunciatione beneficii, non ex vi ſolius juris naturalis, ſed Juris Eccleſiaſtici, reſtitui debet in foro conſcientiæ, ante omnem Judicis ſententiam, *Navarr. in man. Pral. c. 17. n. 32. Leſſ. cit. c. 35. n. 169. Suar. l. 4. de Simon. c. 60. n. 3. Laym. cit. c. ult. n.* 83. Idque probatur ex c. „ *De hoc* 11. *h. t.* ubi in fine dicitur, temporalia ſic recepta, „ pro dando aſſenſu electioni ſimoniacæ reſtituenda eſſe, „ cum ea, ſine gravi ſalutis periculo, retineri non poſſint: quæ verba plane intelligenda ſunt, quod retineri non poſſint in foro conſcientiæ, etiamſi nulla Judicis ſententia vel condemnatio intervenerit, cum Papa loquatur abſolute, non diſtinguendo inter delictum publicum, vel occultum, probatum, vel non probatum, ſicut fecerat in priori parte hujus c. Ratio eſt: quia Jus ipſum impedit, quo minus accipiens dominium pretii ſic accepti acquirere poſſit, idque in pœnam tam gravis delicti; ideoque illud ſaltem Jure poſitivo, tuta conſcientia, retineri non poteſt, *Suar. cit. c. 60. n.* 6. quia tamen textus ille ſolum loquitur de receptione ſimoniaca pretii in materia beneficiali; ideo ad alias Simonias extendi non debet, cum pœnæ reſtringendæ ſint, non extendendæ, *Suar. c. l.*

CLXXXII. Porro hoc caſo reſtitutio pretii ſimoniace accepti, non danti, ſed Eccleſiæ illi, in qua eſt beneficium, & in cujus injuriam Simonia commiſſa eſt, reſtituenda eſt, prout ſumitur ex *cit. c. De hoc*, ubi dicitur, Regem, & Principes inducendos eſſe, ut ſiqua receperint ab Epiſcopo, Eccleſiæ reſtituant, & docet *Abb. ibid. n. 5. & S. Thom.* 2. 2. *q. 100. art. 6. ad 4. Suar. cit. l. n. 8. Leſſ. cit. l. n.* 171. & alii DD. communiter. Ratio eſt: quia dans pecuniam habuit, vel ſaltem habere debuit, ex vi contractus, voluntatem abdicandi ſe dominio illius pecuniæ, & transferendi illud in recipientem, ſi cauſa, ob quam data eſt, ſecuta ſit, cui abdicationi non reſtitit Eccleſia, licet impediverit acquiſitionem dominii in recipiente, ſed in pœnam applicavit dominium illius pecuniæ illi Eccleſiæ, cui injuria illata eſt: quamvis ex recepta conſuetudine, in quibuſdam locis, illa pecunia pauperibus dari ſoleat, quæ tanto magis approbanda, etſi pauperibus ejuſdem Eccleſiæ detur, interdum etiam per Prælatum Eccleſiæ in pauperes diſtribui poteſt, tanquam eleemoſyna, *Suar. c. l.* Veruntamen non eſt etiam improbabile, pretium ſimoniace acceptum pro datione beneficii, ante ſententiam Judicis, reſtituendum eſſe ei, qui dedit: poſt ſententiam vero Eccleſiæ, vel ei, cui Judex illud addixerit, ut nonnulli docent apud *Leſſ. cit. l. n.* 171. quia nulla lex Eccleſiaſtica afferri poteſt, quæ clare præcipiat, pretium Eccleſiæ reſtituendum eſſe, ante Judicis ſententiam: nam *cit. c. De hoc.* intelligi poteſt de reſtitutione facienda Eccleſiæ, poſt condemnationem, & ſolum ex eo infertur, quod ante ſententiam condemnatoriam Judicis, in conſcientia debeat reſtitui pecunia recepta, eo quod non poſſit ſine gravi ſalutis periculo retineri ut dicitur *in cit. c.* Nec obſtat, turpiter acceptum non eſſe reſtituendum danti, cum in pari turpitudinis cauſa melior ſit conditio poſſidentis, ut ſupra etiam dictum, nam illa regula procedit ſolum in foro externo, in quo Judex in pœnam delicti præcipit, ne reſtituatur niſi pecunia danti, quæ alias, ſpectato jure naturali, ipſi reſtitui deberet, cum accipiens non habuerit juſtum titulum accipiendi, ſed injuſtum.

CLXXXIII. Aſſertio 2. In Simonia commiſſa in ingreſſu Religionis, pretium, Jure poſitivo, non eſt reſtituendum in conſcientia, & ante ſententiam Judicis. ſi admiſſus in Monaſterium in eo permaneat, quia ratione alimentorum retineri poteſt, modo in communem uſum convertatur. Nec obſtat *cap. Veniens.* 19. *h. t.* hoc enim intelligendum eſt de reſtitutione poſt ſententiam Judicis, *Leſſ. cit. cap. 35. num. 169. Suar. cit. c. 60. num. 9. & 3. ſeqq.*

CLXXXIV. Aſſertio 3. Pretium ſimoniace acceptum pro collatione Ordinum, & aliorum Sacramentorum, aut Sacramentalium, ſi notabiliter excedat id, quod pro ſuſtentatione exigi poterat, eſt reſtituendum: ſed vi Juris Divini potius, quam Eccleſiaſtici; hoc enim jure nihil de hac diſpoſitum reperitur, quod reſtituendum ſit ipſo facto, ante ſententiam Judicis, *Leſſ. c. l. num. 169. Suar. cit. c. 60. n.* 13. Nec obſtat, quod habetur in *c. Audivimus.* 41. *h. t.* ubi præcipitur, ut exacta duplicata reſtituantur: nam illa pœna non obligat, antequam a Judice exigatur: neque etiam ex illo c. colligitur, pretium ſemper reſtituendum eſſe Eccleſiæ: quia ibi ſermo eſt, non de omni Simonia, ſed de illa, quæ committitur in Inſtitutionibus Parochorum, & ingreſſu Religionis, & ſepultura apud Religioſos, præcipitur ibi ſpecialiter duplicata reſtitutio, ob injuſtam exactionem, & extorſionem Epiſcoporum in triplici illa Simonia, & ut ea pecunia applicetur Eccleſiis, & locis Religioſis, in quorum injuriam exactiones illæ ſunt factæ, *Suar. cit. c. 60. n.* 13. de quo etiam aliquid dictum ſupra *n. 89. & ſeq. h. t.* Denique de aliis Simoniis nihil reperitur in Jure ſtatutum: ſed pœna, quæ ante Judicis condemnationem non incurritur, ipſo facto, poterit arbitrio Judicis applicari vel Eccleſiæ, vel pauperibus, niſi obligatio reſtituendi oriatur ex natura rei, *Suar. cit. l. n. 13. in fine.*

§. III.

An viciſſim res ſpiritualis, quæ pro pretio ſimoniace data fuit, etiam debeat reſtitui danti?

CLXXXV. Ad hanc quæſtionem reſpondetur, ſi pretium datum pro re ſpirituali, ſimoniace quidem acceptum ſit, ſed non injuſte: tunc ſicut pretium non debet reſtitui, ante Judicis condemnationem, ut ſupra dictum: ita neque res, quæ pro pretio data fuit, v. g. officium temporale Eccleſiæ, penſio Clericalis, quæ in titulum beneficii, non eſt erecta, Jus Patronatus &c. *Suar. l. 4. de Simon. c. 57. num. 121. & 2. ſeqq. Laym. cit. c. ult. n.* 85. Ratio eſt: tum quia nec Jure Divino venditio, & acquiſitio eſt irrita, neque etiam extat ullum Jus Eccleſiaſticum, quo ea decernatur invalida, licet prohibeatur modus acquirendi tanquam Simoniacus: & cum hic nulla interveniat injuſtitia, ſed ſolum turpitudo, nulla etiam poteſt oriri obligatio reſtituendi. Si vero pretium ſimoniace, & injuſte acceptum ſit pro ſpirituali functione tranſeunte, v. g. ſacra Ordinatione, vel collatione alterius Sacramenti, conſecratione Eccleſiæ, &c. tunc pretium quidem datum reſtituendum eſt, juxta ſupra dicta; ipſa tamen res, quippe tranſiens, non poteſt reſtitui, & ipſa collatio Sacramenti, vel conſecratio, etiamſi ſimoniace propter pretium facta ſit, eſt valida, *Suar. de Simon. c. 59. num.* 32. Quod ſi vero res ſacræ permanentes, non ſolum ſimoniace, ſed etiam injuſte venditæ, & datæ ſint pro pretio, ſaltem ex parte vendentis. v. g. ſacra vaſa, veſtimenta, Reliquiæ, metalla benedicta &c. ita ut in æſtimationem venerit etiam ipſa ſpiritualitas, & propter ſpiritualem conſecrationem, vel benedictionem, carius ſint venditæ: tunc pretium quidem reſtitui debet, quoad exceſſum reſpondentem ſpiritualitati: ipſæ vero res ſacræ, neque Divino, aut naturali Jure, neque etiam Eccleſiaſtico, ante ſententiam Judicis, reſtitui debent, præter beneficia. Ratio eſt: quia contractus eſt validus: nam ad validam translationem rerum ſpiritualium in alium, Jure Divino, ac naturali, requiritur ſolum in dante poteſtas, & voluntas, ſeu intentio transferendi, & in accipiente capacitas acquirendi: quod autem fuit datum pro pretio, vel ſine illo, non obſtat validitati actus, ut patet in collatione Sacramentorum, in conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris, & in profeſſione Religioſa, quæ validæ ſunt, & Jure Divino, & Eccleſiaſtico, etiamſi ſimoniace propter pecuniam factæ ſint. Poteſt ergo rem ſacram emptor pro pretio tam retinere, v. g. Reliquias Sanctorum, licet venditor rei ſpiritualis teneatur pretium acceptum reſtituere; quia venditor exigens, & recipiens pretium pro re ſpirituali, facit emptori injuriam, vendendo id, quod gratis illi dare deberet, poſito, quod dare velit. At emptor, ſi pretium offerat, & det pro re ſpirituali, non facit venditori injuriam, neque etiam accipiendo rem ſpiritualem ab ipſo, cum voluntarie rem ipſi tradat, ſibique imputare debet venditor, quod pretium ipſi datum pro re ſpirituali reſtituere teneatur. Quare cum is, qui emit, & dat pretium pro re ſpirituali, non peccet contra juſtitiam, nec dando pretium, nec accipiendo rem ſpiritualem, ſed ſolum contra Religionem, dum emendo velut æquiparat rem ſacram pretio temporali; ideo non tenetur ad reſtitutionem rei ſpiritualis acceptæ, ſed poteſt illam retinere, *Leſſ. cit. c. 35. n. 166. Suar. cit. c. 59. n. 35. Laym. cit. l. n. ult* Excipiuntur beneficia Eccleſiaſtica acquiſita per Simoniam realem: ea enim retineri non poſſunt, ſed reſtitui debent, una cum fructibus perceptis, etiam ante ſententiam Judicis, non quidem ex vi Juris Divini, vel naturalis, ſed Eccleſiaſtici, quia eorum ſimoniaca collatio eſt ipſo jure irrita: eademque ratio eſt de Officiis Eccleſiaſticis, ut conſtat ex *Extravag. 2. h. t. §. Per electiones.* & ſupra dictis.

CLXXXVI. Porro *Laym. in cit. c. ult. in fine*, quoad reſtitutionem rerum ſpiritualium, diſtinguendum eſſe putat, an in rebus ſacris permanentibus, id quod ſpirituale eſt, tanquam principale ſe habeat, ut in ſacris Reliquiis; tunc enim, ſi vendantur ratione ſpiritualis, reſtituendæ etiam ſunt Reliquiæ, tanquam datæ ſub cauſa, & conditione acquirendi pretii. Secus vero dicendum de iis rebus ſacris, in quibus id, quod ſpirituale eſt, eſt tantum velut annexum, & acceſſorium, ut in ſacris vaſis, & veſtibus,

quæ ſi carius vendantur propter ſpiritualem conſecrationem, vel benedictionem, contractus eſt validus, ideoque retineri poſſunt; quamvis a vendente exceſſus pretii ſupra valorem rei ſpiritualis, & reſpondens ſpiritualitati, reſtitui debeat; quia utile per inutile, præſertim annexum, & acceſſorium, vitiari non debet.

§. IV.

An Simonia mentalis obliget ad reſtitutionem?

CLXXXVII. Tres ſunt ſententiæ. Prima abſolute negat, mentalem Simoniacum teneri reſtituere, *Sylv. V. Simonia, q. 20. dict. 1. Garc. de benefic. p. 8. c. 8. n. 45.* & alii apud eum cit. Idque probat ex *c. Mandata, 46. & ult. h. t.* Ubi Papa „ Gregorius IX. conſultus fuit, imprimis Mandatum Legato Sedis Apoſtolicæ commiſſum, ut cum Monachis, qui per Simoniam, dato aliquo pretio, in Monaſteriis ſunt recepti, ſecundum conſuetudinem generalis Concilii (in *c. Quoniam 40. h. t.*) diſpenſaret, etiam extendatur ad Abbates licet de illis in Mandato nulla facta ſit expreſſa mentio: & utrum illi, qui nullo pacto dandi, vel recipiendi interveniente, ſed ſolo affectu animi, ſeu intentione præcedente, ſpiritualia ſunt adepti, ad reſignationem, ſeu reſtitutionem eorundem teneantur? Ad primam quæſtionem reſpondet Papa, Mandatum hujuſmodi etiam ad diſpenſandum cum Abbatibus (qui ingreſſos in Monaſterium per Simoniam recipiunt) extendi. Ratio eſt: quia & Abbas Monachus eſt, & cum in Conſtitutione pœnali comprehendatur etiam Abbas, vel Abbatiſſa, *c. Quoniam 40. h. t.* Multo magis in favorabili, cujuſmodi eſt facultas diſpenſandi, *Jo. Andr. hic n. 3.* Nam beneficium Principis latiſſime interpretari oportet *c. Olim, 16. de V. S. Gl. hic V. Abbates.* „ Ad ſecundam quæſtionem reſpondet Papa, eos per Simonia hujuſmodi ad reſignationem ſpiritualium, ac temporalium, quæ ſolo affectu animi præcedente ex utraque parte ſic acquiruntur, non teneri, ſed ſufficere, ſi delinquentes per ſolam pœnitentiam ſatisfaciant ſuo Creatori.

CLXXXVIII. Ex qua reſponſione clare colligi videtur, Simoniam mentalem, ſive internam non obligare ad reſtitutionem, quia obligat ex vi Juris naturalis, & Divini, cum per ſolam pœnitentiam deleatur, ut hic dicitur: nec ex vi Juris Eccleſiaſtici, quia per hoc non punitur Simonia interna, nec irrita redditur, ſed ſolum externa. Loquitur autem hoc c. de eo caſu, in quo aliqui ingreſſi ſunt Religionem, cum intentione dandi pro receptione pecuniam, quam etiam dederunt, ante vel poſt receptionem ſuam, ſine ullo tamen pacto interveniente, & Abbates ſub eadem intentione pecuniam, vel alia temporalia acceperunt, ante vel poſt receptionem, abſque pacto expreſſo, vel tacito; hoc caſu nec ingredientes Monaſterium, nec Abbates pecuniæ ſic receptæ renunciare, vel illam reſtituere tenentur, quia Simonia mentalis tantum fuit, quæ per ſolam pœnitentiam abolетur. *Hoſtienſ. hic V. Spiritualium, & V. Temporalium.* Idemque eſt de aliis Simoniis, mentalibus, & quoad Clericos ſæculares eorumque beneficia, *Hoſtienſ. hic coll. ult.* circa finem.

Non obſtat, quod uſura mentalis obliget ad reſtitutionem, ſi quis ex propoſito mutuam pecuniam dat, ut plus ſupra ſortem accipiat, *c. Conſuluit. 10. inf. de uſur.* ergo etiam Simoniacus mentalis obligatur. Nam diſparitas eſt, tum quia, quod datur uſurario, non datur ſponte, ſed involuntarie; quod autem datur Simoniaco, datur voluntarie per viam emptionis, & venditionis, aut communicationis: tum quia recipiens ultra ſortem vi mutui quod gratis fieri debet agit contra naturam contractus, & injuriam infert illi, a quo uſuram exigit; & ideo reſtituere tenetur. Per Simoniam vero internam nulla injuria fit ei, qui ſponte dat, ſed injuria fit rebus ſacris, & ſpiritualibus, quæ venduntur; ideoque non eſt contra juſtitiam commutativam, ſed ſolum contra Religionem, nec injuſta, ſed ſacrilega venditio, *Garc. cit. l. n. 50. & ſeq.*

CLXXXIX. Altera ſententia, quam tenet *Hoſtienſ. Abbas & Azor p. 3. l. 10. c. 20. q. 2.* ait, pecuniam acceptam per Simoniam mentalem Jure Divino prohibitam, eſſe reſtituendam, quia eſt contra voluntatem Domini recepta, & contra ipſam naturam; ideoque tuta conſcientia, retineri non poteſt: at vero pecuniam receptam per Simoniam ſolo Jure Canonico prohibitam, non eſſe reſtituendam, quia Jus Canonicum non præcipit, ut reſtituatur, & de hac loqui *cit. c. ult. h. t.* Verum quod omnis Simonia mentalis contra Jus Divinum ad reſtitutionem obliget, non videtur univerſaliter verum, quia poteſt interdum committi ſine injuſtitia, ut in materia beneficiali, ut notat *Suar. cit. c. 59. n. 51.*

CXC. Tertia, & probabilior ſententia eſt, quam tenet *Suar. l. 4. de Simon. c. 59. n. 45.* nempe diſtinguendum eſſe, an pretium ſimoniace acceptum ſit, ſine injuſtitia annexa: an vero cum injuſtitia: nam priore caſu, mentalis Simonia non obligat ad reſtitutionem pretii; non enim obligat ex vi Juris naturalis, quia nec realis Simonia obligat, hoc caſu, ad reſtitutionem ex vi juris naturæ, cum reſtitutio ſolum oriatur ex violatione juſtitiæ commutativæ, ut ſupra dictum: nec etiam ex vi Juris Eccleſiaſtici, quia hoc Jus non imponit obligationem reſtituendi propter Simoniam, ultra obligationem naturalem, niſi per modum pœnæ: pœnæ vero Eccleſiaſticæ non infliguntur, propter Simoniam mentalem, quia Eccleſia non judicat de internis, prout ſumitur ex *c. Tuanos. 34.* ibi: *nobis datum eſt de manifeſtis tantummodo judicare,* & *c. Sicut tuas. 33. in fine* ubi dicitur: *ſi exceſſus Eccleſiæ eſſet manifeſtus, quia non judicat de occultis, pœnæ eſſent ferendæ. h. t.* Et ſic accipiendum eſt *c. ult. h. t.* quod loquitur de Simonia mentali commiſſa in ingreſſu Religionis, quia non habet neceſſario injuſtitiam annexam: nam quamvis pecunia accepta ſit cum prava intentione ſimoniaca, poteſt tamen retineri pecunia, quia adeſt juſtus titulus ad retinendum acceptum, ſcilicet ad alendum Religioſum, & ad ſuſtinenda onera illius ſtatus, & ideo cum talis receptio pecuniæ nullam contineat injuſtitiam, etſi ſit ſacrilega & contra Religionem, ex illa non oritur obligatio reſtituendi acceptum, etiam non obſtantibus Legibus Eccleſiaſticis; ideoque poteſt, mutata intentione, tolli pravitas ſimoniaca, & per pœnitentiam deleri delictum, & ſatisfieri Creatori, ut dicitur in *cit. c. ult. h. t.* Idemque ob paritatem rationis, dicendum de omni Simonia mentali, in quacunque alia materia, in qua pecunia non injuſte recipitur, quod nulla ex illa oriatur obligatio reſtituendi, ſive ſit contra Jus Eccleſiaſticum tantum, ſive etiam contra Jus Divinum, *Suar. cit. l. n. 52.* Poſteriore vero caſu, ſi Simoniæ annexa ſit injuſtitia, licet mentalis tantum ſit, cum opere ſubſecuto, quia nempe actum externum adjunctum habet, etſi ex nullo ſigno exteriore appareat eſſe Simoniam, oritur ex illo obligatio reſtituendi, non quidem ex Jure Eccleſiaſtico, quia Eccleſia non judicat de internis, ſed ex Jure naturali, quod nullibi negatur, *Suar. cit. l. n. 52.* Ratio eſt: quia omnis acceptio externa, quæ ex ſe injuſta eſt, & procedit ex intentione injuſta, obligat ad reſtitutionem, Sed Simonia iſta, de qua loquimur, etiam mentalis eſt talis, quia procedit ex injuſta intentione proportionata materiæ, & imperat actionem injuſtam, per quam infertur damnum ei, a quo accipitur pecunia contra juſtitiam, ergo obligat ad reſtitutionem. v. g. ſi quis recipiat pecuniam, vel aliam rem temporalem, probabiliter credens dari illam, ut pretium rei ſacræ, ſeu ſpiritualis, etſi nullum pactum interveniat hujus ſimoniacæ intentionis: is injuſtitiam committit, quia nullum habet titulum juſtum retinendi pretium acceptum, & retinet rem alienam, cum per talem dationem non ſit tranſlatum dominium pretii; adeoque damnum infert alteri, & conſequenter ad reſtitutionem tenetur, licet intervenerit tantum Simonia mentalis, ſed quæ actum externum injuſtum involvit, & imperat. *Suar. cit. c. 59. n. 46.* Et ita quando in *cit. c. ult. h. t.* abſolute, & indiſtincte dicitur, Simoniam mentalem, quæ nullo pacto præcedente, ſolo affectu animi committitur, nullo modo obligare ad reſignationem, ſeu reſtitutionem, id limitandum eſt, niſi concurrat injuſtitia. Simile eſt in uſura mentali, quæ ad reſtitutionem obligat, & Jure naturali, & in judicio animarum, id eſt, in foro conſcientiæ, *cit. cap. Conſuluit. de uſuris* quia injuſtitiam continet, ergo ſimiliter obligat Simonia mentalis, quæ annexam habet injuſtitiam, ſed de hac re plura infra *Tit. 19.*

TITULUS IV.

Ne Prælati Vices ſuas, vel Eccleſias, ſub Annuo Cenſu, concedant.

HIC Titulus veluti Appendix præcedenti ſubjungitur, quo de alia quadam ſpecie Simoniæ agitur.

§. Unicus.

An, & ſub qua pœna prohibitum ſit Prælatis Eccleſiaſticis vices ſuas, id eſt Juriſdictionem ſuam ſub annuo cenſu, ſive pretio concedere? & an etiam proventus Eccleſiarum ſub annuo cenſu locari poſſint?

I. DE priore quæſtione agitur imprimis in *c. Præterea. 1. h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio Lateranſi ſub Alexandro III. *cap. 15.* „ Nam quidam Epiſcopi pro certa „ pecuniæ quantitate vendebant Epiſcopalem juriſdictionem quibuſdam, qui Decani vocantur (id eſt, Presbyteri rurales, qui ſpiritualem juriſdictionem habent, *Gl. hic V. Decani*, & ſolvebant certam pecuniam annuatim Epiſcopo, ut juriſdictionem Epiſcopalem exercere poſſent in quibuſdam Parochiis, (*Gl. hic V. Quantitate, & Hoſtienſ. V. eod.*) „ ideo ſtatuit Concilium, ut qui de cætero hoc præſumpſerit (ſcilicet emere, ſeu recipere per pecuniam talem „ juriſdictionem ab Epiſcopo) officio ſuo privetur, & Epiſcopus conferendi hoc officium poteſtatem amittat: ut „ in eo puniatur, in quo peccavit, *Gl. fin. hic.* Ratio eſt: quia juriſdictio Epiſcopalis, cum ſit ſpiritualis, vendi non poteſt, abſque Simonia, ut patet ex dictis tit. præced. imo nec temporalis juriſdictio vendi debet, ne ſubditi graventur, & judicia ſubvertantur, *Auth. Ut Judices ſine quoquo Suffragio fiant, in princ. Verſic. Adminiſtrationes. collat. 2.* quamvis id non ſit Simoniacum, ſed turpe, & illicitum lucrum. *Abb. hic n. 2.* Eſt autem Conſtitutio hujus c. Juris antiqui declaratoria, & apponit tantum novam pœnam; ideoque quoad hanc non extenditur ad præterita, ſed ad futura tantum: nam antequam illa emanavit, juriſdictio Epiſcopalis vendi non poterat, *Abbas hic n. 2.* Huc pertinet, quod etiam ſancitum, & prohibitum fuit in Concilio Tri- „ dentino *Seſſ. 25. c. 22. de reform.* ubi dicitur: non liceat „ etiam juriſdictiones Eccleſiaſticas, ſeu facultates nomi- „ nandi, aut deputandi Vicarios in Spiritualibus locare, „ nec conductoribus, per ſe, aut alios, exercere, aliter- „ que conceſſiones, etiam a Sede Apoſtolica factæ, ſubre- „ ptitiæ cenſeantur.

II. Porro etſi Epiſcopus, vel alius ſimilis Prælatus ſit Simoniacus, ſi alicui, pretio recepto, vices ſuas, id eſt juriſdictionem Eccleſiaſticam committat: non tamen Vicarius, vel alius ab Epiſcopo conſtitutus, ut vice ipſius juriſdictionem

Digitized by Google

nem exerceat, ſi pro illo officio pecuniam recipiat, Simoniam committit. Ratio diverſitatis eſt: quia Vicarius locat Epiſcopo ſuas operas, & ſic debitum ſui laboris, & operæ ſtipendium, ac ſalarium recipit, cum nemo cogatur ſuis ſtipendiis militare, *c. Cum ex officii.* 16. *de præſcript.* At vero Epiſcopus, qui Vicarium conſtituit, ſi pretium accipiat ex eo, quod ſuas vices ipſi committit, cenſetur vendere ſuam juriſdictionem, imo potius debet ipſe dare ſtipendium, ſive ſalarium Vicario, quam ab eo pecuniam accipere, præterquam quod id cederet in gravamen ſubditorum: nam Officiales hujuſmodi, ut ultra pecuniam, quam dare debent Epiſcopo, aliquid lucrentur, facile extorquerent per fas, & nefas pecuniam a ſubditis, *Abb. hic* n. 4. *Azor. p.* 3. *l.* 12. *c.* 14. *q.* 1. Ex quo infert, Simoniam etiam ab eo Epiſcopo committi, qui Vicarium conſtituit eo pacto, ut ille minus ſtipendium accipiat, quam alias ipſi deberetur: vel ea lege, & conditione, ut Epiſcopus accipiat aliquam partem proventuum, qui ſpectant ad Vicarium, ratione officii, quo fungitur: hoc enim eſt accipere pecuniam, non tanquam ſtipendium, ſed tanquam pretium pro ſpirituali officio, quod alius præſtat, adeoque Simoniacum eſt.

,, III. Similiter in *c. Quoniam.* 2. *hoc tit.* quod eſt deſumptum ex Concilio Turonenſi, dicitur: quoniam quidam ,, Epiſcopi, & Archidiaconi ad agendas vices ſuas, (id ,, eſt, juriſdictionem exercendam) & cauſas Eccleſiaſticas ,, terminandas quibuſdam Decanis, ſeu Archipresbyteris ,, ſub annuo pretio committebant: (v. gr. committimus ,, vobis juriſdictionem ad nos ſpectantem uſque ad annum, eo tamen pacto, ut nobis centum libras argenti ſolvatis, reliquum vero lucrum erit veſtrum, *Hoſtienſ. hic V. Sub an-* ,, *nuo pretio*) quod in gravamen Sacerdotum, & ſubverſio- ,, nem judiciorum redundabat: ideo Concilium prohibuit, ,, ne de cætero id fiat: ſi quis vero id fecerit, a Clero re- ,, moveatur (& ſic officio ſuo privatur, ut ſupra c. 1.) ,, Epiſcopus autem, qui hoc ſuſtinuerit, quia tacet, ut ,, cenſum promiſſum percipere valeat) canonice puniatur: ſcilicet pœna depoſitionis, cum nota infamiæ, quæ eſt pœna Canonica Simoniaci, *cap.* 2. *de Simon. cap. ult. cauſ.* 1. *q.* 3. *Abb. hic in fine*: & ſic amittit etiam talis Epiſcopus poteſtatem hujuſmodi officium conferendi, juxta *c.* 5. *h. t. Hoſtienſ. hic in fine.* Ratio hujus Conſtitutionis eſt: tum quia juriſdictio Eccleſiaſtica eſt quid ſpirituale, cum a DEO ſit, *Matt.* 16. eamque Epiſcopus, ratione officii ſui, gratis exercere debet; adeoque Simoniam committit, ſi illam vendat, *Gl. hic V. Pretio*: tum quia talis venditio, ſeu locatio juriſdictionis redundat in ſubditorum gravamen, & ſubverſionem judiciorum, ut hic dicitur, quia Decani illi libras argenti ſolvendas Epiſcopo per fas & nefas extorquebant a Clericis ſubditis, & ſic illos gravabant, & judicia evertebant: quia ſæpe, loco perſonalis, ſive corporalis pœnæ, pecuniariam ſolvendam ex rebus imponebat, *Hoſtienſ. hic V. Gravamen. & V. Subverſionem.*

Hinc colligitur, quod Epiſcopus, vel alius Prælatus vendens juriſdictionem etiam temporalem, ſi eam habeat ab Eccleſia, Simoniam committat, quia talis juriſdictio cenſetur ſpiritualis dependenter, cum procedat, ac dependeat ab Eccleſia, vel ejus Capite S. Pontifice, *Suar. l.* 4. *de Simon. c.* 20. *n.* 19. *Barb. hic n.* 4.

,, IV. Præterea in *c. Quoniam* 3. *h. t.* quod etiam deſumptum eſt ex Concilio Turonenſi, refertur, quod in qui- ,, buſdam locis conſuetudo contra SS. PP. Inſtitutiones in- ,, troducta, ut ſub annuo pretio Sacerdotes ad regimen Ec- ,, cleſiarum, ſeu curam animarum conſtituantur: quod Si- ,, moniacum eſt, *c. Salvator.* 8. *cauſ.* 1. *q.* 3. *Gl. hic V. Regi-* ,, *men. & Hoſtienſ. hic V. vnd.* ideo prohibet Concilium, id ,, de cætero fieri, quia cum Sacerdotium (id eſt, Præla- ,, tura, ſive Rectoris, *Gl. fin. hic & Hoſtienſ. V. eodem*) ſic ,, venale exponitur, æternæ ſalutis præmium non conſide- ,, ratur: ſed ſolum ad temporale, lucrum, & pretium at- ,, tenditur, *Hoſtienſ. hic V. Ad æterna.* Ex quo patet, quod Prælaturæ, vel Rectoriæ Eccleſiarum non debent pro pretio dari, nec cenſuales eſſe: quamvis ab initio poſſint Eccleſiæ conſtitui cenſuales, *Scientes.* 3. *& c. Prohibemus.* 4. *de conſib. Gl. fin. hic & Hoſtienſ. in fine.*

V. Quod vero ad poſteriorem quæſtionem attinet, de illa agitur in *c. Querelam* 4. *& ult. h. t.* ubi habetur, quod ,, quidam Rector Eccleſiæ Magiſtro G. eandem Eccleſiam, ,, id eſt, obventiones, ſive proventus illius Eccleſiæ loca- ,, vit uſque ad ſeptennium, ſub certo cenſu annuo pendendo uſque ad ſeptennium, præſtita fide ab ipſo Rectore ,, dicto Magiſtro, quod nullam injuriam, vel gravamen uſ- ,, que ad dictum tempus ſuper illa Eccleſia ipſi ſit illatu- ,, rus; qui tamen contra præſtitam fidem, ante nonus anni ,, ſpatium, ipſi Eccleſiam auferre præſumpſit: ideo mandat ,, Papa Alexander III. Epiſcopo Exonienſi, ut ſi ita eſſe ,, conſtiterit, Rectorem illum compellat, ut præfatam Ec- ,, cleſiam dicto G. reſtituat, & uſque ad tempus conſtitu- ,, tum, prout inter eos convenit, ipſum eandem Eccleſiam ,, permittat poſſidere.

VI. Ubi pro declaratione hujus c. notandum 1. Id, quod hoc loco ſtatuitur, procedit, ſpectato Jure communi antiquo, ſecundum quod fructus, ſeu reditus Eccleſiæ vel beneficii licite locari poterant ad plures annos, non tamen ad longum tempus decem annorum, ſive ultra novem annos: hodie tamen juxta *Extravag. Ambitioſæ un. Pauli II. de reb. Eccleſ. alien.* ubi ex uſu recepta eſt, non poſſunt etiam fructus, ſeu reditus Eccleſiaſtici locari ultra triennium, ſine licentia S. Pontificis. Quamvis *Covar. l.* 2. *reſol. c.* 16. *n.* 6. *in fine, & Redoanus tract. de rebus Eccleſ. non alien. q.* 58. *n.* 44. *& ſeqq.* & alii nonnulli putent, per Conſtitutionem illam ſolum prohiberi locationem rerum Eccleſiæ, uti ſunt fundi, & prædia; non autem fructuum, ſeu redituum Eccleſiæ, ſeu beneficii; illi enim poſſunt locari, etiam ultra triennium: nam quando res Eccleſiæ locantur, transfertur jus, ſive ipſum utile dominium rei: non autem, ſi ſola commoditas fructuum transferatur in conductorem; ideoque poſſe Rectorem locare fructus ſui beneficii ad vitam ſuam, quæ ſententia probabilis eſt. Contraria vero videtur in puncto juris verior: tum quia dicta Conſtitutio prohibet generaliter, omnes res, & bona Eccleſiaſtica locari ultra triennium: atqui fructus beneficiorum ſunt etiam res, & bona Eccleſiaſtica: tum quia ibi excipiuntur tantum fructus, & bona, quæ ſervando ſervari non poſſunt, ergo ſi fructus, & bona ultra triennium ſervari poſſunt, poſt triennium, locari non poſſunt. Atqui fructus beneficiorum, qui poſt triennium primum naſcuntur, poſſunt ſervari, etiam poſt triennium, vel potius reſervari in illud tempus, quando naſcentur; adeoque non poſſunt locari, vel alienari ultra illud, ne Clerici præſentem pecuniam, anticipatis ſolutionibus pro fructibus plurium annorum recipientes, futuris fraudentur alimentis, ad quæ ſunt deputati reditus Eccleſiarum, id quod etiam in magnum Succeſſorum in Beneficio præjudicium redundare poſſet; ideoque merito eſt prohibitum. *Barb. de offic. Epiſc. alleg.* 95. *n.* 20. *& in Collect. hic n.* 2. *in fine.* Verum de hoc plura dicta ſunt ſupra *lib.* 3. *tit.* 13. *& tit.* 18.

VII. Notandum 2. Si fructus, ſeu proventus temporales Eccleſiarum proveniant ex juriſdictione Eccleſiaſtica, non poſſunt vendi, aut locari ſub annuo cenſu, ſeu penſione, ipſi juriſdictionem exercenti, etiamſi vendantur, vel locentur ſeorſim a juriſdictione: nam qui tales fructus venderet, juriſdictionem, & qua proveniunt, invenditam non relinqueret, *c. Si quis* 7. *cauſ.* 1. *qu.* 3. Si vero fructus, & obventiones hujuſmodi non proveniant ex juriſdictione: tunc licite vendi, & locari poſſunt, ſub annuo cenſu, etiam juriſdictionem exercenti, dummodo ipſa juriſdictio non vendatur, ita ut contractus non permiſceantur, ſed juriſdictio ſimpliciter committatur, ſeu concedatur: fructus vero, ſeu proventus ſeparatim vendantur, vel locentur, *Arg. c. Ad quæſtiones.* 6. *de rer. permut. Hoſtienſ. in cap.* 1. *V. De cætero h. t. & Joan. Andr. ibid. num.* 2. *Fagnan. in c.* 2. *h. t. n.* 12. *&* 14.

VIII. Notandum 3. Etſi juriſdictio Epiſcopalis, vel ſpiritualis non poſſit vendi, vel ſub annuo cenſu concedi, ut dictum, quia ex officio gratis adminiſtrari debet: tamen reditus, ſeu proventus ex bonis Eccleſiaſticis provenientes vendi poſſunt, & locari ſub annuo cenſu, quia ipſi fructus, cum ſint temporales, etiam alias vendi, & locari poſſunt, ut conſtat ex *cit. c. ult. h. t. Gl. fin. ibid. & Hoſtienſ.*

IX. Porro ad materiam Simoniæ etiam pertinet illa quæſtio, de qua fuſe agit *Fagnan. in c* 6. *h. t.* an ſit Simonia, quod S. Pontifex exigat Annatas, hoc eſt, integros fructus primi anni, qui ex Epiſcopatibus, Prælaturis, aliiſque beneficiis vacantibus colliguntur, ſi annui reditus beneficii ſummam XXIV. aureorum excedant, de quibus actum ſupra *lib.* 3. *tit.* 5. *ſec.* 9. *§.* 5. *num.* 364. *& ſeq.* quomodo juxta Concordata Germaniæ §. *Placet.* ſint ſolvendæ? Ad quam reſpondetur, hujuſmodi Annatas exigere, & ſolvere nullo modo eſſe Simoniam, nec contra Jus Divinum, neque Eccleſiaſticum, ſed eas juſte, ac rationabiliter exigi, ut oſtendit *Azor. p.* 2. *l.* 7. *c.* 12. *& Fagnan. cit. l.* Idque probatur 1. quia & olim Summo Sacerdoti, & Pontifici Legis Veteris a minoribus Sacerdotibus, & Levitis decimæ decimarum ſuarum ex Divino præcepto ſolvebantur, ut habetur *Num cap.* 18. Cur non igitur etiam Summus Sacerdos, & Pontifex Novæ Legis a reliquis Eccleſiæ Miniſtris poſſit exigere Annatas? 2. Omnibus Eccleſiis, & Clericis Beneficiatis Diœceſis ſuæ poteſt Epiſcopus imponere, & ab iis exigere charitativum ſubſidium pro ſuis neceſſitatibus; cur non etiam Papa poſſit ſimile ſubſidium petere a Clericis, qui eſt Epiſcopus univerſalis Eccleſiæ? 3. Poteſt S. Pontifex, cum alicui confert beneficium, fructus illius reſervare, vel ex toto vel ex parte, in alterius indigentis ſubſidium, vel penſionem beneficio imponere; quod igitur in alterius gratiam facere poteſt, id jure etiam poterit in commodum Cameræ ſuæ, vel ſuorum Miniſtrorum neceſſariis indigentium, quibus ſua ſtipendia debentur.

X. Ubi præterea notandum, quod Annatæ exiguntur, & ſolvuntur, non pro ipſa collatione, ſeu proviſione beneficii, tanquam pretium, aut merces conferenti debita, ideoque non pro ullo jure ſpirituali, aut ſpiritualibus annexo, ſed pro ipſis fructibus primi anni beneficii vacantis mere temporalibus ad ſe pertinentibus, quos ſibi juſto titulo Papa reſervat, partim in ſubventionem ſuæ dignitatis, & Sedis; cum enim omnium inferiorum Paſtorum, & Clericorum curam gerat, æquitas naturalis dictat, ut de communi alatur: tum in ſuſtentationem Miniſtrorum, ſeu Officialium, quorum opera eſt neceſſaria in Eccleſiæ per totum orbem diffuſæ gubernatione. Quare in exactione, & ſolutione Annatarum non venditur Titulus beneficii, nec jus percipiendi fructus ex beneficio, quæ ſpiritualia ſunt; nec fructus debiti Beneficiato, qui ſunt juri ſpirituali annexi, hæc enim omnia gratis dantur; ſed venduntur fructus temporales, qui beneficio non ſunt annexi; ſed ab eo ſeparati, & diſtincti, ut æs alienum, & onus beneficio vacanti impoſitum, & adjunctum, in quo nulla injuſtitia committi poteſt: quia Papa vendit, quod ſuum eſt, & proviſus emit, quod ſuum non eſt: nec etiam ulla ſpecies Simoniæ hic intervenit, quia videtur, quod temporale eſt, & a ſpiritualibus juribus ſeparatum, *Fagnan. cit. l. nu.* 99. Idque ex eo confirmatur: quia, ſi beneficium, ſive ſit ex Majoribus, & Conſiſtorialibus, ut Epiſcopatus, vel Abbatia: ſive ex aliis Minoribus, intra unum annum, bis, aut ſæpius vacet, & illud ſucceſſive duobus, vel tribus conferatur, Annatæ non exiguntur, nec ſolvi debent, niſi ſemel, quod clarum ſignum eſt, illas non ſolvi pro latione beneficii, ſed pro fructibus primi anni Papæ reſervatis, Unde nec ſolvi debent Annatæ ex diſtributionibus quo-

quotidianis, tametſi magni ſint valoris, juxta *Extravag. Cum nonnulla. 88. Præterea de præbend. inter communes*, quia hæ non veniunt appellatione fructuum, *c. unic. de Cleric. non reſid. c. fin. de conceſſ. præbend. in 6. Fagnan. cit. l. n. 94.*

TITULUS V.

De Magiſtris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

AGitur in hoc Titulo de alia quadam exactione pretii, quæ ſpeciem Simoniæ habet, videlicet pro licentia docendi; nam ſcientia eſt donum DEI, c. Revertimini. 65. §. Si quis doctus. cauſ. 16. q. 1. c. Non ſolum. 11. cauſ. 1. q. 3. adeoque tanquam res ſpiritualis non videtur vendi poſſe. Extat hic Titulus etiam in Clementinis.

§. I.

An, & quinam Magiſtri conſtituendi ſint ad docendum in Eccleſiis Cathedralibus, & an licitum ſit aliquid exigere, vel accipere pro licentia docendi?

I. DE hac quæſtione agitur inprimis in *c. Quoniam, 1. h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. ubi ſic habetur: volens Eccleſia, tanquam pia „ Mater providere, ne pauperibus, qui parentum opibus juvari non poſſunt, legendi, ſive ſtudendi, & proficiendi opportunitas ſubtrahatur: ideo ſtatuit Concilium, ut in unaquaque Eccleſia Cathedrali Magiſtro competens beneficium aſſignetur, qui Clericos ejuſdem, & pauperes Scholares gratis doceat: pro licentia vero docendi nullus pretium exigat, nec ſub prætextu alicujus conſuetudinis, ab his, qui docent, aliquid petat: nec aliquem, qui ſit idoneus, petita licentia docere prohibeat, vel impediat. Qui autem contra hoc facere præſumpſerit, Eccleſiaſtico beneficio privari debet, quia dignus eſt, ut in Eccleſia fructum ſui laboris non habeat, qui dum vendit docendi licentiam, Eccleſiaſticum fructum nititur impedire.

II. Ubi notandum 1. Quælibet Eccleſia Cathedralis, vel etiam Collegiata, ſi ad hoc ſufficientes reditus habeat, tenetur providere de una præbenda Magiſtro, qui Clericos ejuſdem Eccleſiæ, & pauperes Scholares Grammaticam gratis doceat, *c. Jo. Andr. hic in ſumma totius Tituli n. 1.* Ex quo infertur, quod talis Magiſter alios Clericos alterius Eccleſiæ gratis docere non teneatur, niſi ſint pauperes, a divitibus enim, qui ejuſdem Eccleſiæ non ſunt, poteſt licite accipere ſtipendium laboris, tum propter illos præbendam non habeat, *Innoc. hic.* & in *c. Nonnullis. 4. h. t. Arg. c. Charitatem. 45. 12. q. 2.*

Notandum 2. Pro licentia docendi non poteſt licite aliquod pretium exigi, quia gratis eſt danda, cum ſit donum DEI, non obſtante contraria conſuetudine, quia quaſi Simoniacum reputatur; etſi proprie, ac ſtricte Simonia non ſit, ſed per turpe lucrum, *Gl. hic V. Conſuetudinis, & Felin. n. 4.* & qui vendit licentiam docendi, aut idoneum ad docendum impedit, Eccleſiaſtico beneficio eſt privandus: quia, qui idoneo denegat licentiam docendi, conſequenter denegat doctrinam ignorantibus, *Gl. hic V. Qui ſit idoneus.*

III. Præterea in *c. Prohibeas. 2. h. t.* reſcribit Alexander „ III. Epiſcopo Vintonenſi, ut prohibeat, ne in Parochia ſua (id eſt, Diœceſi, *Hoſtienſ. hic V. eod.*) pro licentia docendi aliquid exigatur, aut etiam promittatur. Si quid vero poſtea ſolutum fuerit, illud faciat reſtitui, & ſi fuerit promiſſum, remitti, quia ſcriptum eſt, *gratis accepiſtis, gratis date*. Deinde ſi quis diſtulerit Magiſtros in locis congruis (id eſt, in omnibus illis Eccleſiis, quarum proventus ad hoc ſufficere poterunt *Hoſtienſ. hic V. eod.*) inſtituere liceat Epiſcopis, ad inſtructionem aliorum, appellatione, poſtpoſita, præficere viros idoneos, ſcilicet providos, honeſtos, & diſertos. Et ſic Epiſcopus debet ſupplere negligentiam inferiorum, ſive ſubditorum.

Ubi notandum, quamvis dare, vel accipere pretium pro conceſſione licentiæ, ſeu facultatis docendi, non ſit proprie Simonia, quia actus docendi non eſt res ſacra, nec actus poteſtatis ſpiritualis, ſive ſupernaturalis pro quo pretium dari, vel accipi non poteſt, ut ex poſtea dicendis patebit: pretium tamen datum, & acceptum reſtitui debet; quia denegare licentiam, ſeu facultatem docendi idoneo, niſi pecuniam ſolvat, injuſtitiam continet, eo quod illud redundet in gravitatem docentium, & diſcentium, cum docti potius invitandi ſint ad docendum, *Zoeſ. in Comment. h. t. n. 1.* & ſi quid promiſſum ſit, remitti debet, de facto ſcilicet, quia turpes, & illicitæ promiſſiones nullæ ſunt, & non obligant, *c. alt. de pact. & l. Generali. 26. ff. de V. S. Gl. hic V. Remitti.*

„ IV. Similiter in *c. Quanto. 3. h. t.* habetur, quod conſuetudo erat in Eccleſia Gallicana, ut Magiſtri Scholarum, ſine certo pretio, Eccleſiaſticis viris (ſubintellige *maxime, Jo. Andr. hic.*) docendi alios licentiam non concederent. Cum autem hæc prava conſuetudo a radice cupiditatis proceſſerit: ideo Papa Alexander III. mandat Epiſcopis, ut ſub interminatione anathematis, ſive excommunicationis, extirpata hac conſuetudine (tanquam abuſu, & corruptela) quicunque viri idonei, & litterati voluerint regere ſtudia litterarum, ſine moleſtia, & exactione aliqua, regere permittantur. Si qui vero hujuſmodi prohibitionis, vel præcepti fuerint tranſgreſſores, officiis, & dignitatibus ſuis ſpolientur.

Hinc colligunt DD. communiter, quod Doctoratus ſit dignitas. Sed *Abb. hic. n. 1.* ait, id accipiendum eſſe de Doctore, qui legit, ſive actu docet, & eſt Magiſter, ſeu Rector Scholarium, quia a lege juriſdictionem ordinariam habet ſupra Scholares, *Auth. Habita C. Ne filius pro patre &c. Gl.* vero hic, & alii communiter hoc intelligunt de Doctoribus, ſeu Magiſtris Scholarum, quod ſint in dignitate conſtituti; addit tamen *Abb. hic*, quod turba Doctorum: & in quibuſdam locis nimia copia faciat eos contemptibiles.

V. Denique in c. *Quia nonnullis. 4. h. t.* (quod eſt deſumptum ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. c. 11.) „ antiquum ſtatutum cujuſdam Concilii ſub Alexandro III. (quod refertur in *c. 1. h. t.*) renovatur, & confirmatur, quo præcipitur, ut in unaquaque Cathedrali Eccleſia Magiſtro, qui ejuſdem Eccleſiæ Clericos, aliosque Scholares pauperes gratis doceret, aliquod competens beneficium præberetur: ſed quia in multis Eccleſiis non obſervabatur; ideo in hoc poſteriori Concilio Lateranenſi id innovatum fuit, & confirmatum, imo & auctum: videlicet ut non ſolum in Cathedrali Eccleſia, ſed etiam in aliis Conventualibus, & Capitulum habentibus, ut ex ſequentibus colligitur) quarum ſufficere poterunt facultates, conſtituatur Magiſter idoneus a Prælato, cum Capitulo, ſeu majore parte Capituli; qui Clericos ipſarum Eccleſiarum, & alios (ſcilicet extraneos in Grammatica facultate inſtruat, juxta poſſe. Inſuper in Metropolitana Eccleſia Theologus conſtituatur, qui Sacerdotes, & alios in ſacra Pag. doceat, & in his præſertim inſtruat, quæ ad curam animarum pertinent. (Unde neceſſe eſt, ut talis Theologus omnino Canones non ignoret, ut notat *Hoſtienſ. hic V. Ad curam.* (Præterea, præcipit Concilium, ut cuilibet Magiſtrorum a Capitulo (uniuſcujuſque Eccleſiæ, in qua Magiſter eligitur, & a Prælato, ſi ordinatio Præbendarum ſimul pertinet ad prælatum, & Capitulum, *Hoſtienſ., hic. V. a Capitulo*) aſſignentur proventus unius Præbendæ, & pro Theologo a Metropolitano tantundem: (& a Capitulo, ſi id ſimul pertineat ad utrumque de jure, vel conſuetudine, vel privilegio ſpeciali *Hoſtienſ. hic V. Metropolitano*) non tamen propterea Magiſter electus efficitur Canonicus: ſed tamdiu reditus Præbendæ percipit, quandiu perſtiterit in docendo. Ex quo colligitur, quod aliquis poſſit habere Præbendam ſine Canonia, *Gl. hic in notatis.*) Quod ſi forte Eccleſia Metropolitana de duobus Magiſtris gravetur, ipſa Theologo, juxta modum prædictum (ſcilicet ſoli per aſſignationem unius Præbendæ) provideat. Grammatico vero in alia Eccleſia ſuæ Civitatis, vel Diœceſis, quæ ad id ſufficere poſſit, faciat provideri. Hæc Conſtitutio decretalis noviſſime confirmata fuit a Concilio Tridentino *Seſſ. 5. c. 1. de refor. & Seſſ. 23. c. 18. de refor.* quod antiquis Canonibus quædam adjecit.

VI. Pro explicatione notandum 1. Magiſter Grammaticus de jure eligendus eſt ab Epiſcopo, cum conſenſu Capituli, *cit. c. Quia nonnullis.* ibi: *a Prælato cum Capitulo, h. t.* At juxta Concilium Tridentinum, *cit. Seſſ. 5. c. 1.* eligi debet cum conſilio Capituli, ut patet ex illis verbis: *Eccleſia ſaltem Magiſtrum habeant ab Epiſcopo, cum conſilio Capituli, eligendum.* Quod Epiſcopus petere debet, ſed ſequi non tenetur, juxta declarationem S. Congreg. Card. apud *Fagnan. in cit. c. Quia nonnullis n. 16.*

Notandum 2. Magiſter Grammaticus tenetur docere Clericos, etiam divites illius Eccleſiæ, in qua eſt conſtitutus; quia, cum propter illos habeat reditus Præbendæ, non eſt æquum, ut aliam mercedem ab eis accipiat: alios vero Clericos extraneos, & Scholares non tenetur gratis docere; quia ratione illorum, non habet Præbendam, niſi ſint pauperes, *Innoc. hic V. Cathedralem, & Jo. Andr. n. 4.* Sed *Concil. Trid. c. l.* ſimpliciter, & indirecte dicit, *qui Clericos* (non diſtinguendo, num pauperes ſint, an divites) *aliosque Scholares pauperes gratis doceat, Fagn. hic n. 18.*

Notandum 3. In Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis unus tantum Magiſter Grammaticus conſtituendus eſt: in Metropolitanis vero duo, unus Grammaticæ, & alter Theologiæ, & cuilibet illorum aſſignandi ſunt reditus unius Præbendæ. In Concilio Tridentino vero, in qualibet Eccleſia, ſive Metropolitana, ſive Cathedrali, aut Collegiata, conſtituendus eſt Theologus tantum, & in defectum, ſi reditus Eccleſiarum ita tenues fuerint, vel pauci ſint Clerici, aut populus exiguus, ſaltem Grammaticus conſtitui debet, ut notavit *Fagn. n. 20. & 21.*

Notandum 4. Magiſtro Grammaticæ de Jure antiquo aſſignandi ſunt reditus unius Præbendæ. At in *Concil. Trident. c. l. verſ. Eccleſiæ vero.* nulla mentio fit de Præbenda, ſed mandatur, ut Magiſtro Grammaticæ, vel alicujus ſimplicis beneficii fructus quos tamdiu percipiat, quamdiu in docendo perſtiterit, aſſignentur: vel ex Epiſcopali, vel Capitulari menſa condigna aliqua merces perſolvatur: vel Epiſcopus ipſe aliquam rationem ineat ſuæ Eccleſiæ, vel Diœceſi accommodam, ne hæc pia, & utilis proviſio negligatur.

VII. Notandum 5. Theologiæ Lector de Jure antiquo conſtitui debet in Eccleſia Metropolitana: ſed juxta Concil. Trident. *cit. l. §. In Eccleſiis*, etiam in Eccleſiis Cathedralibus, ſi Civitas ſit inſignis, vel populoſa: & in Collegiatis exiſtentibus in aliquo inſigni oppido, etiam nullius Diœceſis, ſi ibi Clerus numeroſus fuerit. Additque Concilium, ut in Monaſteriis quoque Monachorum, ubi commode fieri poſſit, Lectio S. Scripturæ habeatur: qua in re ſi Abbates negligentes fuerint, Epiſcopi locorum in hoc, ut Sedis Apoſtolicæ delegati, eos ad id opportunis remediis compellant: & præcepit eandem lectionem haberi in Conventibus aliorum Regularium, in quibus ſtudia vigere poſſunt, ut in publicis Gymnaſiis.

Notandum 6. Officium Theologi eligendi in prædictis Eccleſiis eſt, Sacerdotes, & alios in ſacra Pagina docere, & in

& in his præſertim inſtruere, quæ ad curam animarum ſpectant, juxta *cit. c. Quia nonnulli h. t.* Sicut etiam juxta Concil. Trident. *c. l.* munus Theologi eſt S. Scripturam exponere, & interpretari; adeoque Præbenda Theologica, ſecundum Canones, eſt inſtituta pro Profeſſore Sacræ Scripturæ. Satisfit tamen huic præcepto, ſi legatur Theologia Scolaſtica, juxta *declar. S. Congreg. Concilii apud Jo. Gallemart. n. 16. & Fagnan. in cit. c. n. 29. & ſeq.*

Notandum 7. De Jure antiquo Lectori S. Scripturæ aſſignandi ſunt proventus unius Præbendæ, ita tamen, ut non efficiatur Canonicus, ſed reditus ipſos fundi percipiat, quamdiu docuerit. At vero Concil. Trident. *cit. l. §. In Eccleſiis*, ſtatuit, ut Præbenda quomodocunque, præterquam ex cauſa reſignationis, cui aliud onus incompatibile conjunctum non ſit, ad eum finem, ipſo facto perpetuo conſtituta, & deputata intelligatur, & conſequenter poſt vacationem Canonicus efficitur, quia in perpetuum in Titulum illam obtinet: quod ſi Præbenda aliqua non vacet, exſpectandum eſt, donec vacet, *Gl. hic V. Unius Præbendæ.* & requiritur actualis Epiſcopi deputatio, *Fagn. hic n. 34. & 36.* non tamen talis Theologus percipit quotidianas diſtributiones, quæ tantum reſidentibus dari ſolent, *Gl. fin. hic.*

§. II.

Quale privilegium Jure Canonico conceſſum ſit Theologiam, ſeu S. Scripturam publice docentibus, vel illi ſtudentibus?

VIII. De hoc agitur in *c. Super ſpecula. 5. & ult. h. t.* ubi „ Papa Honorius III. præcipit, Decretum Concilii Generalis in cap. præcedente de Magiſtris Theologis per ſingulas Metropoles ſtatuendis, inviolabiliter obſervari: & inſuper ſtatuit, ne propter raritatem Magiſtrorum (quia non habent, a quo diſcant, vel quia quidam expenſas non habent, *Gl. hic V. eod.*) ſe forſan aliqui poſſent excuſare, ut ab Eccleſiarum Prælatis, & Capitulis ad Theologiæ ſtudium aliqui dociles (id eſt habiles ad docendum) deſtinentur, qui cum docti fuerint, alios poſtea erudire, & inſtruere in Eccleſia DEI poſſint: quibus ſi proprii proventus Eccleſiaſtici (ſcilicet beneficiorum ſuorum, & præbendarum) non ſufficiunt (prædicti, ſcilicet Prælati, & Capitula qui eos ad ſtudia mittunt) neceſſaria ſubminiſtrent. Docentes vero in Theologica facultate, dum in ſcholis docuerint, & ſtudentes in ipſa, integre per annos quinque, de licentia Sedis Apoſtolicæ, percipiant proventus beneficiorum & præbendarum ſuarum, non obſtante contraria conſuetudine, vel ſtatuto, cum denario (id eſt, præmio) fraudari non debeant in vinea Domini laborantes.

Hæc Conſtitutio decretalis noviſſime confirmata fuit in Concilio Tridentino *Seſſ. 5. c. 1. de refor. in fine*, his verbis. „ Docentes ipſam S. Scripturam dum publice in ſcholis docuerint: & Scholares, qui in ipſis ſcholis ſtudent, privilegiis omnibus de perceptione fructuum Præbendarum & beneficiorum ſuorum, in abſentia a Jure communi conceſſis plene gaudeant, & fruantur.

IX. Notandum hic 1. Non tantum docentes Theologiam, vel in ea ſtudentes, ſed etiam docentes, & audientes Jus Canonicum gaudent hoc privilegio percipiendi fructus beneficiorum in abſentia, ut docet *Abbas in cit. c. ult. n. 6. h. t. Felin. ibid. n. 2.* & alii DD. plerique quos citat *Garcias de benefic. p. 3. c. 2. num. 34.* & ſæpius probavit S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, teſte *Fagn. in cit. c. ult. n. 4. h. t.* Ratio eſt: quia non minus poteſt Eccleſiæ univerſali ſcientia Juris Canonici, quam Theologiæ, ad cujus regimen, & bonam adminiſtrationem officiorum Eccleſiaſticorum omnino eſt neceſſaria: tum quia propter identitatem rationis etiam lex exorbitans a Jure communi, ſive privilegium extenditur, ſi tendat in favorem animarum, & quia fundatur in bono publico, *Felin. h. c. num. 2.* Quin imo hoc privilegium competit ſtudentibus Juri Canonico, etiam Jure communi, cum ſcientia Juris Canonici ſit pars Divinæ, ut pote derivata ex S. Scriptura Veteris, & Novi Teſtamenti, *c. Qualiter. 24. ſupr. de accuſat.* & ideo ſæpius appellatur Jus Divinum, ut in *c. Nemis. 30. de Jurejur. & c. 2. de privileg. in 6.*

Notandum 2. Docentes Theologiam, vel Jus Canonicum, quamdiu publice docuerint, abſque limitatione ad certos annos (niſi ex cauſa revocentur ad ſuas Eccleſias, *Abb. hic n. 5.*) ſtudentes vero in prædictis facultatibus per quinquennium excuſantur a reſidentia, & in abſentia percipiunt integre fructus beneficiorum ſuorum, quia quinquennium præſumitur ſufficere, ut quis doctus evadat in his facultatibus: ſed docentes ſemper promovent utilitatem Eccleſiæ univerſalis, ideoque magis amplum privilegium habeant. *Abb. hic. n. 4.* Excipiuntur tamen diſtributiones quotidianæ, quæ tantum reſidentibus, & qui interſunt divinis officiis dari conſueverunt; ideoque abſentes, etiam docendi, vel ſtudendi cauſa, eas non lucrantur, *c. Licet 32. de præb. cit. c. ult. junct. Gl. V. Integre. h. t.* Hoc autem intelligendum eſt, ſi fructus præbendæ a quotidianis diſtributionibus ſint ſejuncti: quia ſi omnes reditus, vel fere omnes in hujuſmodi diſtributionibus tantum conſiſtant; tunc docentes, & ſtudentes percipiunt tantum duas partes, quæ ſuccedunt in locum præbendæ: tertia vero pars retinet naturam diſtributionum, ita ut abſentes illam non percipiant, ſed illa præſentibus tantum, qui divinis interſunt, accreſcat, ex declaratione Cardinalium apud *Garc. cit. c. 2. n. 352. & Fagnan. in cit. c. ult. n. 2. & 3.*

X. Notandum 3. Quando dicitur in *c. ult. h. t.* docentes, & ſtudentes in Theologia, vel Jure Canonico per annos quinque percipere, de licentia Sedis Apoſtolicæ, proventus beneficiorum ſuorum, id ita intelligendum eſt, quod non ſit neceſſe, impetrare aliam indulgentiam a Sede Apoſtolica, ſed ſufficiat generalis conceſſio, auctoritate hujus Conſtitutionis facta, ſed ſola executio impetrari debet: ſi Prælati, & Capitula hoc non faciant, vel impediant executionem, *Gl. in cit. c. ult. V. De licentia. Garc. cit. c. 2. nu. 94.* ubi *n. 95.* ait *c. Relatum. 4. de Cleric. non reſident.* (quod eſt Alexandri III, & requirit licentiam Prælati, ut ſtudiorum cauſa percipi poſſint fructus in abſentia correctum eſſe quoad hoc per *cit. c. ult. h. t.* quod eſt Honorii III. & poſterius, & inducit novum jus, & de novo concedit hanc licentiam, ita ut nunc licentia Prælati non ſit neceſſaria, quia jus illam dat: quod verum eſt quoad ſtudium Theologiæ, vel etiam Juris Canonici, de quibus in ſpecie non loquitur *cit. c. Relatum.* ſed ſolum in genere de abſentibus ſtudiorum cauſa, vel aliis cauſis honeſtis; ideoque cum correctio Juris antiqui ſit vitanda, niſi exprimatur, non debet id extendi ad alios caſus, in quibus abſentes a Jure habentur pro præſentibus, & reſidentibus, excepto ſtudio Theologiæ, & SS. Canonum.

Notandum 4. Qui volunt gaudere hoc privilegio percipiendi fructus in abſentia, debent ſtudere Theologiæ vel Juri Canonico in ſtudio generali; ſive celebri Univerſitate, *Garc. cit. l. n. 55.* ex declaratione Cardinalium apud eundem *n. 85. declarat. 2.* Eodem privilegio percipiendi fructus in abſentia gaudent omnes, qui publice docent Theologiam, vel Jus Canonicum, etiamſi non habeant ſtipendium, cum non ſint conducti mercede ad docendum, nec ſint de numero obtinentium Cathedras; adeoque ſponte, ac voluntarie doceant, modo legant cum licentia Univerſitatis, ſive Collegii Doctorum, *Garc. c. l. num. 60.*

„ Cæterum in *Clement. Inter. 1. h. t.* ſtatuitur, ut in ſtudiis Romanæ Curiæ, ubicunque illam reſidere contigeret: item Pariſienſi in Gallia, Bononienſi in Italia, Oxonienſi in Anglia, Salmantina in Hiſpania, viri Catholici, & periti Conſtituantur, qui Scholas regant in lingua Hebraica, Arabica, & Chaldæa, duo ſcilicet pro qualibet lingua, & libros in latinum transferant, alioſque doceant, quibus de ſtipendiis, & ſumptibus providere debent omnes Eccleſiarum Prælati, & Rectores, & Monaſteria, Capitula, & Collegia, etiam exempta ſit in prædictis regnis, ſeu provinciis, juxta facultatum exigentiam, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis contrariis. Idque ut inſtructi ſufficienter in hujuſmodi linguis poſſint fidem propagare apud infideles.

§. III.

An accipere pecuniam pro doctrina Theologica ſit Simoniacum?

XI. Reſpondetur, non eſt Simonia, neque illicitum pro officio docendi Theologiam, ſive Scholaſticam, ſive Moralem, quæ ad caſus conſcientiæ pertinet, ſive etiam poſitivam, ſeu pro interpretatione S. Scripturæ, juſtum ſtipendium, ſeu mercedem accipere, *Leſſ. cit. c. 35. n. 7. 8. & ſeqq. Suar. l. 4. de Simon. c. 18. n. 9. & ſeqq. Laym. l. 4. tr. 10. c. ult. §. 4. n. 30.* Ratio eſt: quia doctrina, ſive inſtructio Theologica non eſt ſupernaturalis ex parte principii: nam quatenus medio diſcurſu, ex principiis ſupernaturalibus, ac revelatis deducit concluſiones, eſt omnino naturalis, & acquiſita, quia non niſi remote, & mediate ex Fide; primario vero a ſcientia acquiſita procedit, & per ſe, ac neceſſario a ſupernaturali fide non dependet: nam & hæreticus, qui fidem ſupernaturalem non habet: vel qui de aliquo fidei articulo voluntarie dubitat; tamen eodem modo poſſet tradere doctrinam Theologicam, ſicut habens fidem, alioſque erudire ex humana, & acquiſita ſcientia, ſuppoſitis propoſitionibus revelatis, & communiter creditis. Tum quia etiamſi doctrina ſive concluſio Theologica ex ſe ſupernaturalis eſſet: tamen actus Magiſtri illam docentis ſunt naturales, & naturali modo influunt in Auditores diſcentes, ſive in eis generetur naturalis aſſenſus, ſive ſupernaturalis; quin ille aſſenſus, qui non eſt docentis, ſed in diſcente, non venditur, ſed ſolum labor, & opera docentis, ſive inſtruentis, qui non minus pretio æſtimabilis eſt, quam aliarum ſcientiarum. Sed neque doctrina Theologica eſt ſupernaturalis, ex parte finis; quia illud munus docendi, ſive inſtructio diſcurſiva docentis per ſe non ad ſalutem animæ ordinatur, cum ex ſe non moveat ad pium, & ſupernaturalem voluntatis affectum, ſed ſolum ad intellectum illuminandum ordinatur, eumque dirigit ad diſcurſum, naturali ſua facultate, faciendum, ſuppoſitis fidei revelatæ propoſitionibus: ergo munus docendi hoc non eſt functio aliqua ſpiritualis, & ſupernaturalis, quæ ſit materia Simoniæ, *Suar. c. l.*

XII. Hinc infertur 1. Vendere licentiam docendi Theologiam, ſi talem facultatem dare non ſit actus ſpiritualis juriſdictionis, non eſſe Simoniam, ſpectato Jure naturali, & Divino: quia talis facultas dirigitur ad actus, qui non ſunt ſpirituales, neque poteſtas, ex qua datur, eſt ſpiritualis. *Suar. cit. c. 18. n. 14.* Jure vero Eccleſiaſtico, hoc eſt prohibitum in *c. 1. 2. & 3. h. t.* non tanquam Simoniacum, ſed tanquam illicitum, & injuſtum, ſi nimirum Doctores, ſeu Magiſtri Scholarum, qui habent juſtum ſtipendium pro ſuo officio ab Eccleſia, exigant pecuniam ab aliis, qui volunt in eadem Eccleſia regere ſcholas, ſive alios docere, *c. Quanto 3. h. t.* Vel ſi Prælati Eccleſiaſtici, quibus, ratione officii ſui, aut juriſdictionis ſpiritualis competit poteſtas, una cum beneficio Eccleſiaſtico, concedendi etiam licentiam, docendi, pro tali conceſſione pretium aliquod exigant; id enim prohibitum eſt in *c. 1. & 2. h. t.* Non quod dare licentiam docendi Theologiam ſit Simoniacum propter doctrinam: ad quam datur: ſed propter abuſum ſpiritualis juriſdictionis, cui eſt conjuncta poteſtas illa dandi docendi licentiam: ſicut ſi pro diſpenſatione cum Clerico, ut poſſit fungi officio Advocati, vel Medici, dare-

tur pecuniis, Simonia committeretur, quia eſſet abuſus ſpiritualis poteſtatis diſpenſandi: quamvis diſpenſator poſſit accipere pecuniam pro ſuo patrocinio, vel curatione. Item ſi Prælatus det licentiam docendi, ſive Theologiam, ſive etiam Philoſophiam, ex vi poteſtatis ſpiritualis, erit Simonia: non item, ſi Princeps, vel alius, qui temporalem juriſdictionem habet, exigat pretium pro licentia docendi, etiam Theologiam, id Simonia foret, *Suar. cit. l. num. 14.*

Infertur 2. Quamvis officium, ſive obligatio docendi Theologiam, vel Jus Canonicum, vel etiam Grammaticam, ſit annexa alicui beneficio Eccleſiaſtico: non eſt tamen Simonia contra Jus naturale, ac Divinum, ſi talis Magiſter, ultra ſtipendium, quod accipit ab Eccleſia: pecuniam exigat a diſcipulis: neque etiam Jure Eccleſiaſtico id prohibitum eſt in *cap. 1. &c. Quia nonnulli. 4. h. t.* quia ſemper accipitur temporale pro temporali functione, etiamſi illa functio ex juſtitia ſit debita propter ſtipendium, quod Magiſter accipit ab Eccleſia: injuſte tamen tale pretium exigeret Magiſter, ſi juſtum ab Eccleſia ſtipendium accipiat pro officio docendi, cum eo expreſſo, vel tacito pacto, ut gratis doceat. Quod ſi talis Magiſter extraordinarie doceat, ad quod ex vi beneficii, & officii, docendi ei annexi non tenetur, poteſt pro eo labore licite & juſte ſtipendium exigere, *Suar. cit. l. n. 17. Laym. cit. l.*

XIII. Infertur 3. Non eſſe Simoniacum, nec illicitum, dare conſilium pro ſtipendio, ac pretio, etiamſi a Theologo detur ad dirigendam conſcientiam, ſi conſilium ſiſtat in pura inſtructione intellectus: quia ille actus eſt mere naturalis; procedit enim a ſcientia, quæ eſt acquiſita mere labore humano; adeoque eſt pretio æſtimabilis: modus etiam inſtruendi, ſive tradendi illam cognitionem, eſt per modum humani Magiſterii, ſeu doctrinæ, & effectus, ſeu finis quaſi intrinſecus illius actus eſt inſtruere intellectum in cognitione talis veritatis, quod autem ab ipſo conſulente ordinatur ad placandam conſcientiam, id per accidens eſt, & extrinſecum; ac proinde non immutat naturam actionis, prout a docente procedit, *Suar. cit. c. 18. num. 19. & 20.*

Infertur 4. Non eſſe Simoniacum, ſed licitum, accipere pretium pro conferendo gradu Licentiæ, & Doctoratus in quacunque facultate, etiam Theologica, ut praxis confirmat. Ratio eſt: quia iſti gradus nihil ſpiritualitatis in ſe continent, & ordinantur ad actum docendi: qui ſpiritualis non eſt, & ſolum ſunt publica teſtimonia ſcientiæ, ſtudio, & labore acquiſitæ, & approbationes publicæ ad officium docendi, vel conſulendi, & ſimilia, cum quibuſdam privilegiis, ac facultatibus, vel honoribus omnino temporalibus; adeoque etiam hi gradus ſunt pretio æſtimabiles, non minus, quam ipſa doctrina, in qua fundantur, vel ad quam ordinantur; idcirco Canones, qui prohibent exactiones pro perſonis promovendis ad munera Eccleſiaſtica, nullam faciunt mentionem, vel prohibitionem pro his gradibus. Quare probabilius eſt, non eſſe Simoniam exigere aliquid pro his gradibus, non ſolum per modum ſtipendii, & ſuſtentationis pro labore, ſed etiam per modum pretii, & contractus onerosi, cum materia hæc non ſit capax Simoniæ, *Suar. cit. c. 18. n. 15. & 16.*

XIV. Illud hic addendum, quod ad moderandas expenſas, quæ fieri ſolent in promotionibus ad gradus Doctoratus, vel Magiſterii ſtatutum eſt in *Clement. Cum ſit. 2. & ult. h. t.* Ut ii, ad quos ex officio ſpectat conferre Magiſterium, vel Doctoratum, prius a promovendis recipiant
„ juramentum, quod in ſolemnitate ſua ſive promotione
„ ad Doctoratum, aut Magiſterium non expendat ultra
„ ſummam trium millium Turonenſium argenteorum, (hoc
„ eſt, juxta computum Gloſſæ hic CCL. aureorum) ita
„ tamen, ut ipſos exhortentur (niſi quis notabilis condi-
„ tionis, ſive alterius ſtatus extiterit) ut etiam infra præ-
„ dictam ſummam moderentur expenſas. Quod ſi quis, non
„ recepto prius juramento prædicto honorem Doctoratus,
„ vel Magiſterii alicui contulerit, per ſex menſes imme-
„ diate ſequentes, etiamſi Epiſcopus fuerit, a collatione
„ cujuslibet (non illius tantum ſcientiæ cujus Doctoratum
„ contulit) Magiſterii, ſeu Doctoratus, eo ipſo, ſit ſu-
„ ſpenſus. Solet autem ejuſmodi exceſſus in expenſis fieri, quia quandoque in talibus imperfectum ſcientiæ ſupplet perfectio expenſarum, ut ait *Gl. hic. V. Excedunt*, ſive defectum ſcientiæ ſupplere debet pecunia. Eſt autem hæc Conſtitutio in pluribus locis, & Academiis abolita, vel uſu non recepta. Notat etiam *Gl. V. Doctoratus.* ex hoc textu, quod, qui docent Jus Canonicum, vel Civile, Doctores: qui Theologiam, vel Philoſophiam, & artes liberales, Magiſtri appellentur.

TITULUS VI.

De Judæis, & Saracenis, & eorum Servis.

Poſt Simoniam, quæ eſt blaſphemia in Spiritum ſanctum, agitur de iis, qui peccant in DEUM, ejuſque Religionem, ratione infidelitatis, quales ſunt Judæi, & Saraceni, Judæi dicuntur, qui legem Moſaicam ad litteram tenent, eamque ſuperſtitioſe obſervant, abſque fide in Chriſtum Salvatorem, ac rejecto Novo Teſtamento. Sic dicti a Tribu Juda, quæ cæteris erat bellicoſior, & præſtantior: prius appellabantur Hebræi ab Hebro, cujus familia cultum veri DEI ſemper tenuit, cæteris idololatris fœdatis, *Hoſtienſ. in ſumma h. t. n. 1. & 2. Silveſt. V. Judæus in princ.* Saraceni dicuntur, qui impiæ Mahometi ſectæ adhærent, ejuſque dogmata in Alcorano contenta ſectantur, ſive ſint Turcæ, ſive Tartari, ſive Perſæ, aut Arabes, ſive Ægyptii Africani aut Mauri *Azor. p. 1. Inſt. mor. l. 8. c. 23. q. 4.* & nec Novum Teſtamentum, nec Vetus recipiunt, ſaltem non totum, & accipiuntur hic, ſecundum *Hoſt. in Rubr. de Saracenis, num. 1. h. t.* pro Paganis, ſeu gentilibus: quamvis proprie Pagani, ſeu gentiles ſint, qui idola colunt, & adorant. Dicuntur Saraceni non a Sara, ſed a Samaria Civitate, ut putat *Durand. in ſpecul. l. 4. partic. 4. tit. de Judæis. n. 6.* Vel potius ab Agar ancilla Saræ quaſi Agareni appellati, ut cenſet *Durandus cit. l. n. 6.* Extat hic Titulus etiam in Clementinis, Extravagantibus Joannis XXII. & Communibus.

§. I.

Quæ, & in quibus caſibus Chriſtianis interdicta ſit communicatio cum Judæis?

I. Agitur hic de communicatione fidelium cum infidelibus in rebus politicis, & quæ ad humanum commercium ſpectant, cujuſmodi communicatio non prohibetur fidelibus in pœnam infidelium, ſicuti illa privantur hæretici in Pœnam: quia cum infideles ſint extra Eccleſiam; adeoque extra juriſdictionem illius, non poſſunt ab Eccleſia ſpirituali judicio puniri, privando illos directe communicatione fidelium: quamvis poſſit Eccleſia fidelibus prohibere hanc communicationem cum infidelibus, ob periculum perverſionis ex illa ipſis imminentis; ideoque ceſſante hoc periculo; quia nimirum fideles ſunt firmi in fide, ceſſat quoque prohibitio hujus communicationis, ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 9.* communiter receptus, *Sanch. l. 2. moral. cap. 31. n. 1. & 2.*

II. Et inprimis quidem in *c. Ad hæc. 8. in fine. h. t.* interdicitur omnibus Chriſtianis aſſidua converſatio, & familiaritas cum Judæis, ne ob illam Judæi ad ſuam ſuperſtitionem, & perfidiam ſimplicium animos inclinent, & trahant. In ſpecie vero plures ſunt caſus Jure expreſſi, in quibus interdicitur Chriſtianis communicatio cum Judæis, ut conſtat ex *c. Nullus. 13.* quod eſt deſumptum ex Concilio Agathenſi. *c. 11. cauſ. 28. q. 1.* & ex *c. Omnes. 14.* quod eſt deſumptum ex eodem Concilio Agathenſi *c. 40. ead. cauſ. & q.* Primo enim prohibentur Chriſtiani ſimul habitare cum Judæis, *cit. c. Nullus.* ibi: *aut cum eis habitet*, & conſtat etiam ex *c. Judæi. 5.* ubi præcipitur, ut excommunicentur, qui cum Judæis, & Saracenis præſumpſerint habitare, *Gl. ibid. V. Judæi.* ubi tamen excipit, ſi quis Religioſus, vel Clericus vellet ire ad Judæos, & Saracenos, ut eis fidem Chriſti prædicaret; id enim licet, *c. Quam ſit. 10. h. t.* de quo infra.

Hinc infertur, quamvis Chriſtianus poſſit habere ſervum Judæum, *c. Etſi. 13. h. t.* non tamen debet cum eo commorari, ita ut eum habeat familiarem, ſive domeſticum, *c. Sæpe 12. & 2. ſeqq. cit. cauſ. 28. q. 1. Silveſt. V. Judæus. q. 3. dicto 2.* Contra vero non eſt prohibitum Chriſtiano habere Saracenos, & alios infideles tanquam ſervos intra eandem domum: quia Judæi ſunt magis obſtinati, & difficilius convertuntur; peritiores vero ad ſubvertendum, quam gentiles, ut ait *Silveſt. cit. l. Sanch. cit. c. 31. nu. 6.*

Secundo non licet Chriſtianis, Judæos ut Medicos accerſere ad curandos eorum morbos, nec medicinas a Judæis præparatas, & exhibitas accipere, *cit. c. Nullus. 2.* excepto caſu neceſſitatis, ſi non adſit alius medicus Chriſtianus, vel non ſatis peritus, modo Judæus ſit notabiliter doctior, *Silveſt. l. cit. q. 1. dicto 4. Sanch. cit. l. n. 8.* non eſt autem prohibitum emere medicinas a Judæo, ſi illas non præparet, vel ſaltem non applicet, quia non eſt interdicta familiaritas, inter vendentem, & ementem tam medicinas, quam alias res, *Silveſt. cit. l. & Sanch.*

Tertio non licet cum Judæis ſimul balneum intrare, & in eo ſe lavare, *cit. c. Nullus*, niſi neceſſitas exigat, quia v. g. ſanitatis cauſa ingreditur quis balneum, in quod ſimul Judæi ingrediuntur: quamvis etiam abſolute id non ſit illicitum, dummodo Chriſtianus non ingrediatur ſimul cum Judæo, nec ei in balneo ſe familiarem exhibeat; tunc enim ceſſat ratio prohibitionis, quæ eſt, ut vitetur inter eos familiaritas, *Sanch. cit. l. n. 88.*

III. Quarto prohibentur etiam Chriſtiani veſci Azymis Judæorum. *cit. c. Nullus.* etiam ſervium ab eis; quia ſunt cibi diſcreti a Judæis: excepto caſu extremæ neceſſitatis: tunc enim pane azymo veſci liceret, non ut eſt cibus diſcretus a Judæis, ſed ut eſt ſimplex panis: ſicut etiam in tali neceſſitate licet idololythis veſci, id eſt, cibis idolis a gentilibus conſecratis, modo non in venerationem Idoli comedantur, de quo intelligi debet, quod dicitur in *c. Sicut. 8. cauſ. 32. q. 4. Satius eſt fame mori, quam idololythis veſci, Gl. ibid. V. Fame. Silveſt. V. Judæus q. 1. dicto 3. Sanch. cit. l. n. 7.* Additur in *cit. c. Nullus.* ut ſi quiſquam contra hoc fecerit (communicando ſcilicet cum Judæis in prædictis caſibus) ſi Clericus eſt, deponatur: ſi laicus, excommunicetur.

Quinto interdictum eſt Chriſtianis Judæos invitare, & viciſſim eorum accedere conviviis, ſive ſint Clerici, ſive laici, prout habetur in *cit. c. Omnes. cauſ. 28. q. 1.* ubi ratio redditur: quia cum apud Chriſtianos communibus cibis non utantur, indignum, atque ſacrilegium eſt, eorum cibos a Chriſtianis ſumi, cum ea, quæ permittente Apoſtolo, nos ſumimus, ab illis judicentur immunda, ac ſic inferiores videantur eſſe Chriſtiani, quam Judæi, ſi nos, quæ ab illis apponuntur, utamur: illi vero a nobis oblata contemnant, quæ tamen prohibitio locum habet, etiamſi Judæi, abſque ullo ciborum delectu manducent cum Chriſtianis, quia

id

Digitized by Google

id non eſt prohibitum ob ſolam diſcretionem ciborum, ſed ut vitetur familiaritas cum Judæis, ex qua periculum perverſionis imminet, *Silveſt. cit. q. 1. dicta 2. Sanch. cit. cap. 31. num. 10. contra Azor. cit. l. 8. c. 22. q. 3.*

Unde licet colloquium permiſſum ſit cum Judæis, non tamen convivium, quia major familiaritas contrahitur in convivio, quam in colloquio, & facilius quis decipitur inter epulas. *c. Unuſquiſque. 8. cauſ. 22. q. 4. in cit. c. Omnes. V. Judæorum, Jo. Andr. in c. Quum ſit. 10. nu. 5. h. t. & Abbas ibid. num. 3.* Non tamen prohibitum eſt Chriſtiano manducare cum Judæo in eadem menſa, ſi caſu in eodem diverſorio conveniant, quia in *cit. c. Omnes* tantum præcipitur, ut fideles Judæorum convivia vitent, nec eos ad convivia quiſquam excipiat, quod hic non fit, *Sanch. cit. l. nu. 23.* Sed neque peccat contra hoc præceptum Chriſtianus, ſi a Judæo eſuriente cibaria emat, aut in ejus diverſorio cibis cum eis veſcatur; quia hoc non eſt invitari a Judæo ad convivium, quod interdicitur in *cit. c. Omnes.* neque ex eo familiaritas cum Judæo contrahitur, *Sanch. cit. l. num. 25.*

IV. Porro non tantum cum Judæis, ſed etiam cum Saracenis, aut gentilibus prohibitum eſt Chriſtianis convivia celebrare; quia etſi non contineantur verbis Edicti, ſive Conſtitutionis *cit. c. Omnes.* continentur tamen ſententia: quia & ipſi hodie cibos diſcernunt, ſive judaizant, *Gl. in cit. c. Omnes V. Judæorum. Silveſt. cit. q. 2. dicta 2.* & alii communiter.

Excipiuntur tamen miſſi ad converſionem paganorum, ſeu infidelium, ut conſtat ex *c. Quum ſit 10. in princ. h. t.* ubi „ſpecialiter conceſſum eſt, Apoſtolica auctoritate, Epiſcopo cuidam, & Sociis ejus, ut cum ad prædicandam Chriſti fidem paganis, exierit, ſervata temporum qualitate, juxta Canonicas Sanctiones (ut ſcilicet abſtineant illis diebus, & temporibus, quibus a carne abſtinendum eſt, ſecundum Canones, *Gl. hic V. Temporum*) veſci liceat cibis, qui ab infidelibus illis apponuntur. Ratio eſt: quia alias non poſſent ita facile illos lucrari, & convertere, & ſic licet eis converſari, & comedere cum illis, exemplo Chriſti, *Gl. ibid. V. Uti liceat*, atque ita intelligi debet, quod dicitur in *c. Ad menſam 24. cauſ. 11. q. 3.* permiſſum eſſe ad menſam paganorum accedere. Quamvis autem in dicto c. tantum ſit ſermo de paganis: idem tamen eſt de miſſis ad converſionem Judæorum, & aliorum infidelium procurandam, qui cum illis manducare poſſunt, *Sanch. citat. cap. 31. numer. 16.*

„Præterea in *cit. c. Quum ſit. in fine.* conceditur; ut quicunque Religioſi, aut Clerici idonei ad prædicandum Evangelium, exeuntibus voluerit adhærere, liberam habeat, Auctoritate Apoſtolica facultatem, ſine contradictione id exequendi, petita tamen, & obtenta Prælatorum ſuorum licentia: quia nullus poteſt prædicare, niſi ex officio ſibi commiſſo, vel ejuſi habeat facultatem a ſuo Prælato, præter auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, nec ſufficit, petere licentiam, niſi ſit obtenta, *Gl. pen. hic. & Abb. num. 3.*

V. Quod autem ſupra dictum eſt de Judæis, prohibitum eſſe adire eorum convivia, id extenditur etiam, quod nec liceat adire ad eorum nuptias, nec dies feſtos, ludos, aut choreas cum eis agere, vel Synagogas eorum frequentare; quia per hæc non modica familiaritas contrahitur, *Azor. cit. c. 22. q. 3. in fine. Sanch. cit. l. num. 17.* ubi *num.* 18. addit, neque licitum eſſe fidelibus templa gentilium inviſere, eo tempore, quo ſuperſtitioſa ab ipſis celebrantur: quamvis non ſit peccatum grave, etiam eo tempore illa inviſere, ſi abſit ſcandalum aliis fidelibus datum, vel periculum perverſionis ex parte perſonæ inviſentis.

VI. Sexto prohibitum eſt Chriſtianis ſervire, ſive famulari Judæis, prout habetur in *c. Ad hæc 8. h. t.* ubi „præcipit Alexander III. Prælatis Eccleſiarum, ut omnibus Chriſtianis qui ſunt ſub juriſdictione eorum, interdicant, & ſi neceſſe ſit, etiam per cenſuram Eccleſiaſticam eos compellant, ne in Judæorum ſervitio aſſidue morentur, iiſque inſerviant pro aliqua mercede: ubi etiam in fine ratio additur, ne propter continuam converſationem, & aſſiduam familiaritatem, ad eorum ſuperſtitionem, & perfidiam inclinentur, & pervertantur. Hoc aliqui ſic explicant, quod non liceat Chriſtianis ſervire Judæis intra domum: bene tamen extra illorum domum, modo famulatus non ſit diuturnus & aſſiduus, quia hoc ſolum interdicitur in *cit. c. Ad hæc Chriſtianis. Abbas in cit. c. Adhæc. n. 1. not. 2.* Verum alii cenſent, nec libere Chriſtianos ſerviſe Judæis, ſive in domo, ſive extra illam, ſive aſſiduo, ac frequenter, ſive raro, quia non propter ſolam familiaritatem vitandam, illud eſt prohibitum, ſed etiam ne Judæi ſuperiores ſint Chriſtianis, & filii liberæ ſerviant filiis ancillæ, ut loquitur Apoſtolus; & ita quando in *cit. c. Ad hæc.* dicitur, *ne ſe aſſidue pro mercede exponant*, ſubintelligi debet, *maxime ſe aſſidue. Azor. cit. cap. 22. q. 7. Sanch. cit. c. 31. num. 20.* Veruntamen non eſt prohibitum Chriſtianis locare ſuas operas Judæis, ſive in domo, ſive extra domum illorum, dummodo Judæi non ſint aſſidue præſentes, quia ſi eſſent aſſidue præſentes, illis quodammodo inſervirent Chriſtiani: ſi vero ſint abſentes; tunc poſſunt Chriſtiani colere agros illorum, vel aliquod ædificium in eorum utilitatem fabricare, ut colligitur ex *c. 2. h. t.* etiamſi Judæus aliquando veniat ad inſpiciendum ædificium, vel agriculturam, quia tunc non cenſetur moraliter præſens eſſe, ſicut ſi continuo aſſiſtat operi: multo minus Chriſtianis eſt interdictum locare Judæis res ſuas, ut currus, & jumenta, &c. *Azor. a. l. q. 8. Sanch. a. l. num. 20.*

VII. Septimo non eſt licitum Chriſtianis Judæorum filios nutrire, ut conſtat ex *cit. c. Ad hæc.* ubi præcipitur quoque „Prælatis, ut obſtetricibus, & nutricibus (Chriſtianis) prohibere curent ſub cenſura Eccleſiaſtica, ne Judæorum infantes in eorum domibus nutrire præſumant. Unde *Abb. hic numer. 2.* ait, a contrario ſenſu colligi, extra domum licere. Sed verius eſt, nec intra, nec extra domum id licere, quia Canones hoc prohibent, ut familiaritas cum Judæis vitetur, quod non fit, ſi filius Judæi extra domum nutriatur, quia parentes ob amorem prolis ſæpe illam inviſunt: & ideo cum in *cit. c. Ad hæc.* dicitur, *in domibus eorundem*, ſubintelligi debet, *maxime in eorum domibus*, ita ut hæc verba addita ſint, non gratia reſtringendi prohibitionem, ſed quia infantes frequentius in domo parentum nutriri ſolent, *Hoſtienſ. in cit. c. & Joan. Andr. ibid. in fine. Azor. c. l. q. 9. Sanch. c. l. num. 29.* ubi tamen addit, ſi tali modo infantes Judæorum nutriri poſſent, extra domum, ut vitaretur familiaritas cum Judæis, id licitum foret, quia ceſſaret ratio prohibitionis. Neque vero Epiſcopus diſpenſare poteſt, ut fœmina Chriſtiana nutriat filium Judæi, in paterna domo, vel etiam extra, cum id ſit prohibitum Jure Canonico, in quo ſolus S. Pontifex diſpenſare poteſt: neque reperitur diſpenſatio hæc in Jure expreſſe, vel tacite conceſſa eſſe Epiſcopis, *Abb. num. 3.* plura de his infra adferentur.

VIII. Ex dictis infertur 1. Licitum eſſe Chriſtianis emendo, & vendendo merces, contractus cum Judæis inire, quia id nullo Jure eſt interdictum, imo id permiſſum eſſe colligitur a ſenſu contrario ex *c. poſt miſerabilem. 12. de uſur.* ubi ſtatutum eſt, quod Judæi poſſint compelli ad reſtituendas uſuras Chriſtianis, & ſi eas non reddant, poſſint a Chriſtiano conſortio arceri: ergo quotieſcunque non plectuntur a Judice hac pœna, licitum eſt res ab eis emere, & vendere, dummodo non ſit nimia familiaritas, & converſatio inter illos, quæ ſemper vitanda eſt, *Sanch. c. l. num. 23. Azor. cit. cap. 22. q. 4.* ubi ait, jure prohiberi poſſe, ne Chriſtiani Judæis vendant, vel ab eis aliquid emant in eorum domibus, vel ne Judæi, emendi, vel vendendi cauſa, domos Chriſtianorum ingrediantur. Quamvis autem licitum ſit cum Judæis contractus inire; prohibitum tamen eſt Chriſtianis, illis legare, vel teſtamento relinquere, *l. 1. C. de Judæis, Gl. in c. Judæi, 5. V. permittuntur h. t.*

Infertur 2. Communicatio, quæ in prædictis caſibus ſpecialiter interdicta eſt Chriſtianis cum Judæis, non debet ceteri interdicta etiam cum aliis infidelibus: tum quia in *c. Judæi 5. h. tit.* ubi prohibetur ſub pœna excommunicationis, ne Chriſtiani cum Judæis habitare præſumant, ſpecialiter exprimitur, & extenditur ea prohibitio ad Saracenos: tum quia prohibitionem invitandi, & admittendi Judæos ad convivia, tanquam ſpecialem caſum, extendunt communiter DD. etiam ad alios infideles, quia & ipſi hodie diſcernunt cibos; adeoque in illis militat eadem ratio prohibitionis, unde illud non eſt prohibititum, quoad illos gentiles, qui cibos non diſcernunt: tum denique quia Judæi magis odibiles ſunt Eccleſiæ, quam alii infideles, & difficilius convertuntur ad fidem, & magis periti ſunt ad pervertendum, quam gentiles, *Silveſt. V. Judæus. q. 3. dicto 1. Sanch. cit. l. num. 25.* Alia eſt ratio de hæreticis, qui ob excommunicationem in pœnam illatam, ſunt vitandi.

Infertur 3. Eſſe peccatum grave, & mortale, communicare cum Judæis in caſibus Jure prohibitis, in quibus quaſi continua, & nimia familiaritas cum Judæis contrahitur, ut eſt, habitare cum illis, famulari illis domeſtice in quibusvis miniſteriis, tolerare eos in publicis officiis. At vero in aliis communicare, ſi abſit contemptus, & ſcandalum, & periculum perverſionis, excuſari poteſt a peccato mortali, *Sanch. c. l. num. 26.*

§. II.

Quænam Judæis Chriſtianorum Principum poteſtati, & imperio ſubjectis, Jura tum Canonica, tum Civili ſunt interdicta?

IX. Inprimis prohibitum eſt Judæis, ne aliquo officio publico fungantur inter Chriſtianos, ut conſtat ex *c. Cum ſit, 16. h. tit.* quod eſt deſumptum ex Concilio Lateranenſi *cap.* 69. ſub Innocentio III. ubi Concilium Toletanum III. *cap.* 14. (quod refertur in Chriſtianos ullum officium, vel „poteſtatem exerceat, innovatur, & propter tranſgreſſores de novo prohibetur, ne Judæi publicis officiis præponantur, quia ſub tali prætextu Chriſtianos infeſtant, & moleſtant. Quod ſi quis eis tale officium (publicum) commiſerit, per Provinciale Concilium ſingulis annis celebrandum, monitione præmiſſa, (quæ ordinatio debet vindictam præcedere) compeſcatur: & tali Officiali (ſcilicet Judæo) communio in commerciis, & aliis cum Chriſtianis denegetur, donec reſtituerit, quicquid occaſione talis officii a Chriſtianis acquiſivit, convertendum in uſus pauperum, ſecundum providentiam Epiſcopi Diœceſani: & officium ipſum cum pudore dimittat, quod irreverenter aſſumpſit. Et quod de Judæis hic ſtatuitur, etiam ad paganos extenditur.

X. Hinc colligitur 1. Quod Judæi ſint incapaces cujuſcunque juriſdictionis, ſeu poteſtatis inter Chriſtianos, ſive ſit juriſdictio ordinaria, ſive delegata: quia nimis abſurdum eſt, ut blaſphemus (id eſt, Judæus Chriſtum blaſphemans) in Chriſtianos poteſtatem exerceat, ut dicitur in *princ. hic Barb. hic numer. 2. & in cap. 2. & in c. penult. numer. 2. h. titul.* Colligitur 2. Decens eſſe, ut Judices, & Prælati Eccleſiaſtici pœnas pecuniarias pro criminibus inflictas, in pios uſus potius, quam in propriam utilitatem erogare curent, prout ſumitur ex hoc c. & notat *Gl. fin. hic & Covarr. lib. 2. reſol. cap. 9. num. 9.* Colligitur 3. Licet alioquin ordinarie, quando reſtitutio eorum, quæ injuſte extorta, vel ablata ſunt, facienda eſt pauperibus (quia neſcitur, quibus ablata ſunt: vel ſi ſcitur, hi, a quibus extorta ſunt, non reperiuntur, vel non habent jus repetendi, juxta ea, quæ tradit *Hoſtienſ. hic In uſus pauperum.*) non requiratur, ut reſtitutio neceſſario fiat auctoritate Epiſcopi, ſed poteſt quilibet debitor, privata

auctoritate, reſtituere & erogare pauperibus, ut docet *Sayrus in Clavi regia l. 20. tractat. 5. capit. 2. numer. 2.* & alii apud ipſum: ſi tameo probabiliter dubitetur de fidelitate ejus, qui reſtitnere debet, tunc Epiſcopus illum compellere poteſt, ut ejus intervenieote auctoritate, ae providentia reſtituat, vel ſaltem cum conſilio Parochi, aut Confeſſarii: & ideo in caſu hujus c. prudenter ſtatutum fuit, ut reſtitutio a Judæo, qui publicum officium inter Chriſtianos exercens, multa ab eis injuſte extorſit, fieret ſecundum Epiſcopi providentiam, quia merito de ejus fidelitate in reſtituendo dubitari potuit, tum ob avaritiam illius, tum ob odium contra Chriſtianos, quos exſpoliaverat, *Laym. c. l. num. 28.* Colligitur 4. Lex, vel ſtatutum loquens de Judæis non extenditur ad paganos, & alios infideles, niſi ea ſpeciali Legis proviſione fiat extenſio, uti factum eſt in hoc *c. Abb. hic num. 3.*

XI. Similiter quod Judæi, & Pagani non poſſint publica officia inter Chriſtianos gerere, ſtatuitur in *c. Ex ſpeciali 18. hoc tit.* Nam Rex Portugalliæ in officiis publicis Ju-
,, dæos præferebat Chriſtianis: ideo mandavit Papa Grego-
,, rius IX. duobus Epiſcopis, ut Regem ipſum moneant,
,, & inducant, ne in officiis publicis Judæos præficiat Chri-
,, ſtianis; contra Concilium Generale (quod refertur in
,, *cit. cap. Cum ſit, 16. h. t. & cit. cap. nulla diſ. 54.* ubi ſta-
,, tuitur, ut nulla officia publica Judæis injungantur, per quæ
,, eis occaſio tribuatur Chriſtianis pœnam inferendi,) Quod
,, ſi forte reditus ſuos ipſe Rex Judæis vendiderit, vel Pa-
,, ganis, Chriſtianum aliquem deputet, de gravaminibus Cle-
,, ricis & Eccleſiis (imo & aliis Chriſtianis, *Hoſtienſ. hic V. vod.*) inferendis non ſuſpectum, (qui fideliter, & ſine
,, fraude officium ſuum exequatur, *Gl. hic. V. Non ſuſpectum*)
,, per quem Judæi, & Saraceni, ſine Chriſtianorum injuria,
,, jura regalia (id eſt, reditus per Regem venditos) conſe-
,, quantur.

XII. Hinc colligitur 1. Quod non tantum officium publicum Judæis inter Chriſtianos ſit interdictum, & Saracenis: ſed etiam quodlibet officium, & commercium, per quod Chriſtianis aliquod inferri poteſt gravamen, *Abb. hic num. 1.* Colligitur 2. Quod licet poſſint reditus regales, vel gabellæ locari, vel vendi Judæis, & Paganis, modo Rex, vel Dominus terræ deputet aliquem fidelem Chriſtianum ad exigendum illas gabellas, & non permittat, ut ipſe Judæos illas per ſe, vel per alium ab ipſo deputatum exigat. *Abb. hic num. 2. Barb. num. 7.* Conſentit cum prædictis Canonibus Jus Civile, nam in *l. ult. cap. de Judæis*, arcentur Judæi ab omni honore, dignitate, & adminiſtratione publica, per quam correcta eſt Lex *generaliter 3. ff. de Decurionib.* vel quam habuerunt Imperatores Ethnici, juxta *Gl. ibid.*

XIII. Secundo prohibitum eſt Judæis novas Synagogas, ſive Eccleſias erigere, ut habetur in *c. Judæ 3. hoc tit.* ubi
,, dicitur: Sicut legalis definitio (*in auth. hac. valitura*,
,, *C. de Judæis*) Judæos non patitur novas Synagogas eri-
,, gere, ita eos veteres habere permittit. Item habetur in
,, *c. Conſuluit 7. h. t.* ubi dicitur, Judæos de novo Synago-
,, gas conſtruere ubi non habuerunt, permitti non debet.
,, Verum ſi antiquæ corruerint (ex parte, ſed non ex toto)
,, vel ruinam minentur, ut eas reædificent, vel reficiant,
,, tolerari poteſt: non autem, ut eas magis exaltent, vel am-
,, pliores, vel pretioſiores faciant, quam antea fuerint: ſed
,, hoc pro magno beneficio habere debent, quod in veteri-
,, bus Synagogis, & obſervantiis ſuis tolerentur.

XIV. Notandum hic 1. Cui prohibitum eſt aliquod ædificium conſtruere, non videtur prohibitum, antiquum ædificium reſtaurare, ſive reformare in priſtinam formam, & ſtatum, quia aliud eſt tueri quod poſitum eſt, aliud novum facere, *Gl. in cit. c. Conſuluit. V. Reædificent. Abb. ibid. n. 2.* Quod ſi vero antiquæ Synagogæ omnino, & funditus corruerint, non eſt licitum Judæis in eodem loco eas iterum erigere, quia hoc eſſet omnino novas ædificare, *Abb. c. l. n. 2. Azor. cit. c. 22. q. 10.*

Notandum 2. Non licet Architectis, vel fabris Chriſtianis laborare in ædificandis, vel reſtaurandis Synagogis Judæorum; ſi enim non licet eis vendere ligna, & lapides, quibus erigantur, vel reſtaurentur Synagogæ eorum, vel alias res, ut eis utantur ad cultum Judaicum, vel Idololatriæ, ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 4.* multo minus licebit immediate laborare ad ædificandum, vel reſtaurandum Synagogas, quia hæ per ſe, & natura ſua ad Judaicos ritus, & Ceremonias ordinentur, *Azor. c. l. 8. c. 24. q. ult.* ubi id docet de idolorum fanis, & delubris Saracenorum, *Barb. in cit. c. 3. n. 3. & in cit. c. Conſuluit, n. 5. h. t.*

Notandum 3. Eccleſia tolerat ritus, & obſervationes Judæorum, ut colligitur ex *cit. cap. Conſuluit. 7. in fine hoc tit.* cujus rationem dat *S. Thom. 2. 2. quæſt. 10. art. 11. in corp.* quia in illis ritibus olim præfigurabatur veritas fidei Chriſtianæ, quam tenemus, & quaſi in figura præterita repræſentatur, quod credimus. Aliorum vero infidelium ritus, qui nihil veritatis, aut utilitatis afferunt, non ſunt tolerandi, niſi forte ad aliquod malum v. g. ſcandalum, vel diſſidium vitandum, vel ut paulatim ſic tolerati convertantur ad fidem, *S. Thom. c. l.*

XV. Tertio prohibentur Judæi habere, non ſolum nutrices, & obſtetrices, ſed etiam alios famulos Chriſtianos, qui eis ſerviant, ut conſtat ex *cap. Etſi 13. hoc tit.* ubi Innocen-
,, tius III. ita reſcribit: Quamvis Chriſtiani Judæos, quos
,, propria culpa perpetuæ ſervituti ſubjecit, recipiant, & ſu-
,, ſtineant cohabitationem illorum: ingrati tamen Chriſtia-
,, nis eſſe non debent; ut reddant illis pro gratia contume-
,, liam, & de familiaritate contemptum; Ipſi enim Judæi
,, faciunt Chriſtianas mulieres filiorum ſuorum nutrices, &
,, cum in die reſurrectionis Domini illæ Corpus, & Sangui-
,, nem Chriſti recipiunt, per triduum, antequam eos la-
,, ctent, lac effundere faciunt in latrinam (quia forte cre-
,, debant, quod Corpus Chriſti, cum in ſtomachum deſcen-
,, dit, eis incorporetur, quod falſum eſt; eſt enim panis iſte
,, cibus animæ, non corporis, *Gl. hic V. effundere, & Hoſtienſ.*
,, *ibid.*) & alia deteſtanda contra fidem committunt. Quare
,, diſtricte prohibet Papa hic, ne de cætero (Judæi) nutri-
,, ces vel ſervientes habeant Chriſtianos, idque ne filii libe-
,, ræ, (id eſt, Eccleſiæ) famulentur filiis ancillæ (id eſt,
,, Agar, quæ fuit ancilla Saræ, per quam denotatur Syna-
,, goga: Sara fuit libera, per quam denotatur Eccleſia, *Gl.*
,, *hic V. libera, & V. ancilla*) ſed tanquam ſervi a Domino
,, reprobati, in cujus mortem impie conjuraverunt, per ef-
,, fectum operis (ſcilicet delicti ab eis perpetrati) cogno-
,, ſcant, ſe ſervos illorum eſſe (ſcilicet Chriſtianorum) quos
,, mors Chriſti liberos & illos ſervos effecit. Si vero Judæi
,, nutrices, & ſervientes Chriſtianos non dimiſerint, ſub
,, pœna excommunicationis præcipitur omnibus Chriſtianis,
ne cum illis commercium aliquod exerceant. Ipſi vero Chriſtiani, ſi volentes maneant in ſervitio Judæorum, excommunicari debent. De quo infra.

XVI. Hinc colligitur 1. Quod Chriſtianus poſſit habere ſervum Judæum, non tamen debeat cum illo commorari, ita ut illum habeat domeſticum & familiarem, *Silveſt. V. Judæus q. 3. n. 5. dicto 1.* Neque tamen, vice verſa, licitum eſt Judæo habere ſervum Chriſtianum, *Silveſt. l. c. n. 6. dicto 2.* de quo infra.

Colligitur 2. Licet Judæi poſſint eſſe ſervi Chriſtianorum, ex pietate tamen permittuntur vivere in libertate, & obſervare ceremonias ſuas Moſaicas, idque ob ſpem, ut ad fidem Chriſtianam pertrahantur, *Abb. in cit. cap. Et ſi not. 1. hoc tit.*

Colligitur 3. Quod proverbia vulgaria poſſent allegari, quale eſt illud, *quod mus in pera, ſerpens in gremio, & ignis in ſinu hoſpitibus ſuis exhibere conſueverint*, & hic proponitur, ut denotetur, qualem retributionem Judæi impendant Chriſtianis; ideoque eorum conſortium fugiendum eſſe, *Barb. hic num. 4.*

XVII. Quarto non ſolum: prohibitum eſt Judæis habere famulos, ſed etiam ſervos, ſeu mancipia Chriſtiana, ut conſtat ex *c. Judæi 9. h. t. in princ.* ubi dicitur: Judæi, vel Sa-
,, raceni, neque ſub prætextu alendorum puerorum ſuorum
,, neque pro ſervitio, vel alia qualibet cauſa, Chriſtiana
,, mancipia in domibus ſuis habere permittantur.

XVIII. Similiter in *c. præſenti 1. h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio Matiſconenſi, ſancitum eſt, ut nullum Chriſtia-
,, num, mancipium, Judæo ſerviat: ſed cuilibet Chriſtia-
,, no liceat, datis XII. ſolidis, captivum, ſive ſervum Chri-
,, ſtianum a Judæo redimere, ſive ad ingenuitatem, ſeu li-
,, bertatem, ſive ad ſervitium. Idemque eſt, ſi ſervus Ju-
,, dæi cupiat fieri Chriſtianus, & ei non permittatur; po-
,, teſt enim redimi, ut dictum: quia nefas eſt Judæum
,, (Chriſtum blaſphemantem) in ſervitute retinere eum,
,, quem Chriſtus ſanguine ſuo redemit.

Notandum hic 1. Deciſio hujus c. intelligi debet de mancipio empto, mercimonii, ſive negotiationis cauſa: nam ſi ſervitii cauſa ſit emptus, nullo etiam pretio dato, fit liber: vel ſi infra tres menſes venalis non fuerit expoſitus, prout reſpondit Gregorius Papa in *c. Fraternitatem 15. diſ. 54. Gl. hic V. datis.* de quo infra. Per ſolidos autem intelligi debet moneta uſualis, ſecundum conſuetudinem loci, *Abb. hic n. 2. in fine.* illudque pretium debet dari pro quolibet mancipio bono, quin & optimo: ita tamen, ut minus detur pro ſervo non æque bono, *Abb. hic not. 1.*

Notandum 2. Si Judæus ſervum Chriſtianum emerit, aut quocunque alio jure illum acquiſiverit, is ſtatim liber efficitur, etiam nullo pretio numerato, ne Chriſtiana Religio Judæis ſubdita polluatur, prout dicitur in *cap. Mancipia 13. diſ. 45. Azor. p. 2. l. 8. c. 22. q. 10. circa finem.*

Notandum 3. Chriſtianus poteſt emere ſervum a Judæo detentum ad libertatem, vel etiam ad ſervitutem, non tamen ita, ut ſerviat ipſi redimenti, ſed ut omnino liber fiat: vel ſi non poteſt ſtatim pretium habere, ut ſerviat ei tam diu, donec compenſetur pretium, & poſtea omnino liber erit, *Gl. hic V. Servitium.*

XIX. Concordat cum cap. jam allato *c. nulli 19. & ult. h. t.* ubi ſimiliter ſtatuit Papa Gregorius IX. ut nulli Judæo
,, liceat Baptizatum, vel baptizari volentem emere, vel in
,, ſuo ſervitio retinere. Quod ſi aliquem nondum ad fidem
,, converſum, cauſa mercimonii, ſive negotiationis, eme-
,, rit (in quo caſu non privabitur ex toto Judæus, vel
,, Paganus pretio ſervi empti), dummodo intra tres menſes
ipſum venalem exponat, alioquin quam primum voluntas ipſius fuerit patefacta, modis omnibus vendicetur, *cit. c. Fraternitatem, Gloſ. hic V. Servitio, & V. cauſa mercimonii, &*
,, *Hoſtienſ. ibid.*) & poſtmodum factus ſit, vel fieri deſide-
,, ret Chriſtianus, datis XII. ſolidis, ab illius ſervitio pro-
,, tinus ſubtrahatur: (per ſolidos autem hic intelligi debent ſolidi aurei, quorum 72. faciunt unam libram auri, ut notat *Abb. hic in fine.*) Si autem intra tres menſes (a
,, die ſervi venditi, & traditi numerandos, *Hoſtienſ. hic V.*
,, *eod. & Abbas not. 2. §. Sed quæres*) ipſum venalem non ex-
,, poſuerit, vel ad ſibi ſerviendum emerit eundem nec ipſe
,, (ſcilicet Judæus) illum vendere, nec alius (nempe Chri-
,, ſtianus) audeat comparare, ſed nullo dato pretio, ad li-
,, bertatem perducatur, prout habetur in fine *cit. c. ultim. & cit. c. Fraternitatem*, cujus quaſi gloſſa, & expoſitio eſt hoc cap. Ratio hujus deciſionis eſt: quia ſi Judæus, vel Paganus non expoſuit talem ſervum intra tres menſes venalem, præſumitur, quod non cauſa mercimonii, ſive negotiationis, ſed ad ſerviendum ſibi ipſum emerit, ideoque nullo etiam pretio dato, erit liber, eſtque hæc præſumptio juris, & de jure, quæ probationem in contrarium non admittit, *Gloſſ. fin. hic. & Hoſtienſ. V. Expoſuerit. & Abbas ibid.*

XX. Hinc colligitur 1. Quod baptizatus, & mox baptizan-

ptizandus eodem gaudeant privilegio, quia proxime cin-
gendus habetur pro cincto, *l. pen. ff. de teſtam. milit.* &
quæ incontinenti fiunt, videntur ineſſe, *cap. Officii. 38. de
elect. Abb. hic not. 2.*

Colligitur 2. Si unus prohibeatur aliquid vendere, pro-
hibetur alios etiam illud emere, quia diſpoſitum in uno cor-
relativorum extenditur ad aliud, *Abb. hic not. 2.* ſic quia
Chriſtianus prohibetur vendere ſervum baptizatum Judæo,
etiam hic prohibetur illum emere.

Colligitur 3. Si quis emit ſervum non baptizatum, ſed
baptizari volentem, ſervitii cauſa a Judæo, ſervus emptus
nihilominus erit liber, nullo pretio dato, ſi ſcienter e-
mit: ſi vero ignoranter, agere poteſt ad pretium, ſive
intereſſe contra Judæum, qui ipſum decepit, & ſic fa-
vore fidei privatur Dominus ſervo ſuo, *Gl. fin. hic & Ho-
ſtienſ. in fine.*

XXI. Cæterum etſi Judæi non poſſint habere mancipium
Criſtianum, poſſunt tamen habere Chriſtianum colonum
adſcriptitium, vel originarium, prout ſumitur ex *c. Mul-
,, torum. 2. hoc tit.* ubi Papa Gregorius ita reſcribit:
,, nulli Judæo liceat Chriſtianum mancipium in ſuo do-
,, minio (id eſt, ſuo ſervitio perſonali, *Hoſtienſ. hic.*) reti-
,, nere, ſed ſi qui ſervi apud eos reperiantur, libertate
,, donentur. Hi vero ſervi (quamvis Criſtiani) qui in poſ-
,, ſeſſionibus, ſeu bonis Judæorum ſunt (nempe coloni ori-
,, ginarii, vel adſcriptitii) licet ſint liberi: quia tamen
,, colendis terris, ſeu agris eorum diutius adhæſerunt,
,, (videlicet per triginta annos: *l. Cum ſatis. 23. §. Cum
,, autem. C. agricol. & cenſit l. 22.*) utpote conditione de-
,, bentes (id eſt, obligati, & adſtricti) ad colenda rura
,, eorum remaneant, & conſuetas penſiones ipſius Judæis
,, ſolvant, aliaque omnia, quæ de colonis, vel originariis
,, Jura præcipiunt, ipſis Judæi præſtent, ita tamen ut nul-
,, lum novum onus eis imponant. Quod ſi quis Judæorum
,, aliquem ex prædictis originariis ſuis vel colonis, ad aliud
,, locum transferre, vel ad aliud obſequium, ſive in ſervi-
,, tio ſuo, ſecum retinere voluerit, ipſe ſibi id imputet,
,, quia jus coloniæ amittit: & jus dominij ſibi damnavit,
,, id eſt, quod colonus habuit in gleba, a qua alias rece-
dere non poterat, ipſo facto, privatur; nam Judæus non
fuit Dominus perſonæ ipſius coloni, ſed ſolum glebæ, *Gl.
hic. V. Jus dominij.*

Porro colonus originarius hic dicitur, qui eſt natus ex
obligatis, & adſcriptitiis ad colendum certa prædia, ita
ut non poſſit inde recedere, deſerendo illa. Et hi ſunt
liberi, licet teneantur ad certa ſervitia præſtanda Dominis
prædiorum, quibus non tenentur præſtare, ultra ea, quæ
Jure expreſſa ſunt, vel quæ conſueverunt exiberi, ut ha-
betur in textu, & notat *Abb. hic.*

,, XXII. Quinto interdictum eſt Judæis, ne oſtia, vel
,, feneſtras in die Paraſceves: id eſt, Veneris ſancti, aper-
,, tas habeant, ſed clauſa teneant tota die, prout præcepit
Alexander III. in *c. Quia ſuper his. 4. h. t.* Ratio eſt: quia
conſueverunt tunc deridere Chriſtianos in contumeliam
Creatoris, *Gl. hic V. Aperta.*

XXIII. Similiter in *c. In nonnullis. 15. §. In diebus. h. t.*
quod eſt deſumptum ex Concilio Generali Lateran. ſub Inno-
,, centio III. *c. 68.* probibetur, ne Judæi in diebus Paſſio-
,, nis Dominicæ, ſive in Hebdomada ſancta in publicum
,, prodeant; ſolebant enim in contemptum, & odium Chri-
,, ſtianorum, his diebus ornatiores, & hilariores proce-
,, dere, & Chriſtianis illudere. Inſuper *ibid. §. fin.* pro-
,, hibetur Judæis, ne in contumeliam Creatoris poſilire
,, præſumant: alioquin præſumptores hujuſcemodi per Prin-
,, cipes ſæculares condigna pœna compeſcantur (ſcilicet
,, pecunia, vel alia temporali arbitraria. *Gl. hic. V. Ani-
,, madverſione*, ne Crucifixum pro nobis blaſphemare præ-
ſumant. Hinc colligitur, quod Judæi, & alij infideles
exiſtentes in terris Chriſtianorum de jure communi, ſub-
ſint temporali juriſdictioni Principum, & Judicum ſæcula-
rium, *Abb. hic. not. ult.*

XXIV. Sexto præcipitur in *cit. c. In nonnullis. h. t. in princ.*
,, Ut Judæi, & Saraceni habitu diſtinguantur a Criſtianis,
,, nam quia in quibuſdam Provincijs nulla erat differentia
,, inter Judeæos, & Saracenos, qua diſcernerentur a Chri-
,, ſtianis, factum eſt, ut per errorem Chriſtiani, Judæo-
,, rum, & Saracenorum, & hi Chriſtianorum mulieribus
,, carnaliter commiſcerentur: ideoque ſtatuit dictum Con-
,, cilium, ut Judæi, ſive Saraceni utriuſque ſexus in omni
,, Chriſtianorum Provincia, & omni tempore, qualitate
,, habitus ab aliis populis (ſcilicet Chriſtianis) publice
,, diſtinguantur.

Hinc colligitur, quod Judæi, & Gentiles non poſſint
connubia contrahere cum Chriſtianis, *cap. Cave. 15. &
cap. Si quis, 17. cauſ. 28. quæſt. 1.* Idque etiam prohibetur
in *l. Ne quis. 6. & l. Nemo. 7. C. de Judæis.* Porro prædi-
ctum Decretum de diſcrimine veſtium in Italia, aliiſque
Provincijs ſtricte obſervatur, non item in Germania, quod
tamen fieri deberet.

§. III.

*Quænam Jure communi Judæi jura ſunt conceſſa, ſeu permiſſa,
& quæ contra illos fieri ſunt prohibita?*

XXV. De his agitur in *c. Sicut. 9. h. t.* in quo ſtatuit Papa
Clemens III. s. Ut Judæi inviti, & nolentes ad baptiſmum
,, venire non compellantur. Si quis autem ad Chriſtianos,
,, fidei cauſa, confugerit, poſtquam voluntas ejus pateſacta
,, fuerit, abſque impedimento, Chriſtianus efficiatur. Nam
ſi Eccleſia ſalvat corpora ad illam confugientium, *cap.
Inter alia. 6. de immunit. Eccleſ.* multo magis debet ſal-
vare & animas, *Arg. cap. 2. de converſ. infidel. Hoſtienſ. hic.
V. Confugerit.* Probat autem Papa, nullum compelli debere
,, ad fidem: quia fidem Chriſti habere non creditur, qui
,, non ſponte; ſed invitus baptiſmum Chriſtianorum ſuſci-
,, pere cogitur. Præterea ſtatuit idem Pontifex ut nullus
,, Chriſtianus ſine judicio ſæcularis poteſtatis, Judæum
,, aliquem occidere, vel vulnerare, vel pecunias ſuas
,, ei auferre præſumat. Ratio eſt: quia nulli permiſſum
eſt occidere, vel pœnam infligere, niſi cui ex officio id
commiſſum eſt *cap. Quimalus 29. cap. Miles 33. & ſeq. cauſ. 23.
quæſt. 5.* & pœna non eſt inferenda niſi per Judicem, *Gl. hic
V. Sine judicio.*

,, Item nullus præſumat bonas conſuetudines Judæorum
,, immutare (ſecus eſt de malis, quæ cedunt in contume-
,, liam Creatoris ſeu Redemptoris, *cap. Nonnullis. 15. h. t.
,, Gl. h. V. Bonas*) præſertim in feſtivitatibus ſuis celebran-
,, dis (quas Judæis more ſolito, & antiquo celebrare per
,, miſſum eſt, *cap. Qui ſincere. 3. diſ. 45.* nullus eos per-
,, turbet. Neque quiſquam ab eiſdem coacta ſervitia exi-
,, gat, niſi quæ ipſi tempore præterito facere conſueve-
runt (vel ad quæ ſe ſponte offerunt, vel quæ jura præci-
piunt, *Hoſtienſ. hic. V. Conſueverunt.*) prout habetur in *cit.
c. Sicut. §. Nullus etiam.*

Denique ſtatuit idem Papa in *c. §. Ad hoc.* ut nemo cœ-
,, meterium Judæorum mutilare (id eſt, perrumpere, vel
,, deſtruere) aut invadere, ſive obtentu pecuniæ, humata,
,, ſeu ſepulta corpora effodere audeat (alioquin ſepulchri
,, violati tenebitur, *l. Prætor ait. 7. §. Si quis. ff. de ſepul-
,, chro violato, Gl. hic. V. Effodere.*) Si quis vero contra hoc
,, Decretum præſumpſerit facere honoris (id eſt, dignita-
,, tis, ſi quam habet) & officij ſui periculum, ſeu jacturam
,, patiatur, aut excommunicetur, niſi condigne ſatisfecerit.
,, Ubi *Abb. in fine* notat, in optione Judicis eſſe, quam
,, velit ex iſtis pœnis Reo imponere, ſi nolit ſatisfacere,
vel pœnam privationis, vel excommunicationis: quod ſi velit
ſatisfacere, non debet puniri, *Gl. fin. hic. & Abb.*

XXVI. Hinc colligitur 1. Quod Judæi, aliique infide-
les non ſint ad fidem Chriſtianam, ſeu baptiſmum ſuſci-
piendum inviti cogendi, quia credere liberæ voluntatis eſt,
ut ait *S. Thom. 22. quæſt. 10. art. 8. in corp.* & fides non ex
neceſſitate, ſeu coactione ſuſcipi debet, *c. 1. & c. Qui ſince-
re. 3. diſ. 45. & c. Ad fidem. 33. cauſ. 23. quæſt. 5. Gl. hic V.
Chriſti fidem.* Quin imo neque infantes Judæorum, aliorum-
que infidelium, priuſquam ad uſum rationis pervenerunt,
poſſunt invitis eorum parentibus, licet baptizari, ut docet
S. Thom. cit. quæſt. 10. art. ult. in corp. & Abb. hic num. 3.
Ratio eſt: tum propter periculum fidei, ne cum ad uſum
rationis pervenerint, a parentibus inducantur, ut fidem
relinquant, quam ignorantes ſuſceperunt: tum quia id
repugnat juſtitiæ naturali, cum filius, antequam uſum
liberi arbitrij habet, ſit ſub cura parentum; idcoque il-
lis invitis ſubtrahi non debet, *S. Thom. cit. art. ult.* Ne-
que vero Judæi ſunt proprie, & ſtricte ſervi Chriſtiano-
rum, & hinc neque coacta ſervitia ab eis exigi poſſunt, ut
dicitur *in cit. c. Sicut.*

Colligitur 3. Judæus fugiens ad Chriſtianos, & petens ba-
ptiſmum, non debet, confeſtim baptizari, ſed expectari
debet, donec voluntas ejus fuerit pateſacta, ut dicitur in
cit. c. Sicut, ſive explorata, ex qua cauſa venerit, & petat
baptiſmum, an recta, ac pia intentione, nec ne? ideoque
ſtatutum eſt, quod Judæus per quadraginta dies debeat ver-
ſari inter Chriſtianos, antequam baptizetur, *c. Ne quod ab-
ſit. 98. diſ. 4. de conſecrat Abb. hic, n. 2* ubi ait, id in mul-
ti locis non ſervari, ſed male.

XXVII. Præterea in *c. Judæi. 5. §. qui. h. t.* ſtatuit Con-
,, cilium Lateranenſe ſub Alexandro III. ut ſi qui Judæi, vel
,, Saraceni ad fidem Chriſtianam ſint converſi, poſſeſſionibus,
,, ſeu bonis ſuis nullatenus ſpolientur, cum melioris con-
,, ditionis debeant eſſe ad fidem converſi, quam ante fidem
,, ſuſceptam. Si vero ſecus factum fuerit, Principibus, ſeu
,, Magiſtratibus locorum injungitur, ſub pœna excommuni-
,, cationis ut partem hæreditatis, & omnium bonorum ſuo-
,, rum, eis integre faciant exiberi, & reſtitui.

Hinc colligitur 1. Quod Judæi converſi ad fidem non per-
dant bona ſua ſcilicet juſte acquiſita: nam injuſte acquiſita
ex uſuris, vel alio delicto, tenentur reſtituere iis, a qui-
bus extorſerunt, vel eorum hæredibus, vel ſi hi non ſint
ſuperſtites, pauperibus erogare juxta, *c. Cum tu. 5. de uſur.
Gl. hic V. Poſſeſſionibus. & Abb. n. 5.*

Colligitur 2. Quod Judæi poſſint habere bona immo-
bilia; prout etiam ſumitur ex *c. Quanto. 18. in fine de uſur.
& cap. De terris. 16. de decimis. Gloſſator. Abbatis hic lit.
D.* in ſtatu tamen Eccleſiaſtico nequeunt poſſidere immo-
bilia, ex ſpeciali Conſtitutione Pauli IV. apud *Barboſ. hic
in Collect. num. 5.*

Colligitur 3. Judæi converſi ad fidem Chriſtianam retinent
jura ſucceſſionis erga parentes, & alios agnatos, eiſque ſuc-
cedunt, ſicut prius, quia non debent eſſe deterioris condi-
tionis, quam ante illam, ut paulo ante dictum, *Abb. hic
n. 2.* Sed neque poſſunt filij Judæorum, ſi convertantur ad fi-
dem Chriſtianam, a parentibus ideo exheredari, ut docet
Gl. in cap. Judæi. 9. V. Fideles cauſ. 1. quæſt. 4. & per ba-
ptiſmum liberantur a poteſtate patria, fiuntque ſui juris,
Gl. in c. Judæorum. 11. V. eodem. cauſ. 28. q. 1.

XXVII. Denique *in Extrav. Dignum. 2. Inter commun.
hoc tit.* præcipit Papa Joannes XXII. ut Judæi ad fidem
,, converſi non moleſtentur in ſuis bonis, ſed ab inju-
,, riis, & moleſtiis defendantur, ut ſic de ſervitute
,, ad libertatem ſe tranſiiſſe percipiant, uo redire ad pri-
,, ſtinam perfidiam, prætextu mendicitatis, compellantur.
,, Extat etiam nova Conſtitutio Pauli III. quæ incipit, *Cu-
pientes* in qua Judæis ad fidem converſis remittuntur omnia,
& quæcunque bona, etiam ex uſura, & alio illicito quæ-
ſtu acquiſita, dummodo perſonæ, quibus facienda eſt reſti-
tutio ſint incertæ.

§. IV.

§. IV.

Quomodo, & a quo Judæi delinquentes poſſint, ac debeant puniri.

XXIX. De hoc agitur in *c. Poſtulaſti* 14. *h. t.* „ Namcum quidam Judæus in Clericum aliquem violentas manus injeciſſet, quæſitum fuit ex Innocentio III. qualiter contra ipſum ſit procedendum? Reſpondet Papa, quod ille, cujus juriſdictioni (ſcilicet temporali) ſubjectus exiſtit, ipſum pœna pecuniaria (ad arbitrium Judicis) puniat, vel alia temporali (ſpirituali enim pœna Judæus puniri non poteſt, cum ſit extra Eccleſiam, niſi indirecte. *Gl. hic V. Pecuniaria pœna*) ſecundum quod ipſi viſum fuerit, & ut faciat læſo condigne ſatisfieri: alioquin ejus Dominus (cujus temporali dominio, ſive juriſdictioni Judæus eſt ſubjectus) monendus eſt, ut injuriam paſſo (Clerico) & Eccleſiæ (cui in perſona Clerici cenſetur injuria irrogata eſſe) faciat competenter ſatisfieri. Quod ſi Dominus ejus (ſcilicet Judæi) hoc facere neglexerit, Epiſcopus, ſeu Prælatus loci, Chriſtianis per cenſuram Eccleſiaſticam interdicat, ne cum ipſo Judæo, antequam ſatisfaciat, commercium habere præſumant.

XXX. Hinc colligitur 1. Quod Judæi de jure communi non ſunt temporaliter ſubjecti juriſdictioni Eccleſiæ, ſed ſint ſubjecti dominio, ſeu juriſdictioni temporali Chriſtianorum Principum, & Magiſtratuum, in quorum territorio exiſtant, niſi aliud ſit ex jure ſpeciali ſtatutum, *Abb. hic. n.* 2. ideoque ſi delinquant in Chriſtianos, ab eis puniri poſſunt, prout ſumitur ex hoc c. & docet *Azor. p.* 1. *l.* 8. *c.* 22. *q.* 11. Idque etiam conſtat ex *l.* 1. *C. Ne Chriſtianum mancipium. &c. l. Judæis.* 3. *l. Judæi.* 16. *& l. ult. C. de Judæis*, *& in l. Si qua* 15. *C. eod.* dicitur, quod lis orta inter Judæos, & Chriſtianos, non a Senioribus Judæorum, ſed ab ordinariis Judicibus ſit dirimenda.

Colligitur 2. Judæus percutiens Clericum non incurrit excommunicationem latam in *cap. Si quis ſuadente.* 29. *cauſ.* 17. *q.* 4. Cum enim Judæi non ſint ſubjecti ſpirituali juriſdictioni Eccleſiæ, juxta illud Apoſtoli. 1. *Cor.* 5. *Quid enim mihi de his, qui foris ſunt* (id eſt, non noſtri Juris, ſeu juriſdictionis, *Gl. in c. Multi.* 18. *V. Qui foris ſunt, cauſ.* 2. *q.* 1.) *judicare*: ideo Eccleſia non poteſt illos directe excommunicare; qui enim in Eccleſia non eſt, non poteſt ab illa ſeparari: quamvis poſſit indirecte, prohibendo Chriſtianis, ne communionem cum Judæis habeant, & ſic privandos illos communicatione Chriſtianorum, ut in *cit. c. Poſtulaſti. h. t. Gl. in c. Judæi.* 5. *V. permittuntur. eod.* Quare Judex Eccleſiaſticus non poteſt exercere juriſdictionem temporalem in Judæum, vel alium infidelem, eumque punire temporaliter, propter delictum Eccleſiaſticum, niſi ſit de temporali juriſdictione Eccleſiæ, etiamſi Dominus temporalis Judæi ſit negligens, eumque non puniat, Gloſſator Abbatis *in cit. c. Poſtulaſti, litt. B.* Veruntamen ex delegatione Principis, ſeu Magiſtratus ſæcularis, cui Judæi, vel alii infideles ſunt ſubjecti, ſi peccant, verberari, aut alia pœna corporali affici poſſunt, etiam a Prælato Eccleſiaſtico, *Arg. c. Conſtit.* 31. *cauſ.* 17. *q.* 4. & in *c. In Archi-Epiſcopatu.* 4. *de raptorib. Gl. in c. Sæpe.* 12. *V. Publicis cauſ.* 28. *q.* 1.

Colligitur 3. Licitum eſſe Chriſtianis cum Judæis contractus inire: quia in hoc c. ſolum interdicitur commercium cum Judæo in pœnam delicti, donec ſatisfecerit: adeoque ſatisfactione præſtita, id eſt licitum, modo evitetur magna familiaritas, *Abb. hic num.* 4.

XXXI. Cæterum illud hoc loco eſt addendum: quamvis Principes Chriſtiani non poſſint Judæos ex proprio ſuo territorio, & ditione, pro arbitrio, ſi pacifice, & honeſte vivant, ejicere, quia Eccleſia non vult Judæos extirpari; cum ſub finem mundi ſint convertendi ad veram fidem, juxta Apoſtolum ad *Rom.* 11. *v.* 25. Ex juſtis tamen cauſis, propter eorum ſacrilegia, vel alia gravia crimina ejiciendi ſunt, & extirpandi; quia ſi abutantur gratia, & privilegio, merentur illud amittere, prout de facto ex multis regnis & provinciis Judæos ejectos fuiſſe, refert *Barboſ. in Collect. in c. Sicut Judæi.* 9. *n.* 5. *h. t.*

§. V.

Quænam interdicta Chriſtianis Jure Canonico circa Saracenos, ſeu paganos, aliosque infideles?

XXXII. De his agitur inprimis in *c. Ita quorumdam* 6. *h. t.* „ quod eſt deſumptum ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. *num.* 24. ubi ſancitum eſt, ut, qui Saracenis arma, ferrum, & ligamina (vel melius, ut alia lectio habet, lignamina) deferunt galearum, dum ad impugnandos Chriſtianos arma, & neceſſaria eis ſubminiſtrant, item qui in galeis, & piraticis Saracenorum, regimen, & curam gubernationis exercent: tales & rerum ſuarum per Principes Catholicos, & Conſules Civitatum privatione mulctentur, & capientium ſervi fiant Præcipitur etiam, ut per Eccleſias maritimarum urbium, crebra, & ſolemnis excommunicatio in eos proferatur.

XXXIII. Idem repetitur in *c. Ad deliberandum.* 17. *h. t.* „ quod eſt deſumptum ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. *cap.* 69. ubi quibuſdam additis, ſtatuitur, ut talibus, qui contra populum Chriſtianum Saracenis arma, ferrum, & ligamina deferunt, vel qui galeas eis vendunt, vel naves, vel in piraticis Saracenorum navibus gubernant, vel machinis, aut quibuslibet aliis aliquod eis impendunt conſilium, vel auxilium, in diſpendium Terræ ſanctæ, ultra ſupradictas pœnas, gremium Eccleſiæ non aperiatur, niſi totum, quod ex commercio tam damnato perceperint, & tantundem de ſuo, in ſubſidium Terræ ſanctæ tranſmiſerint, ut æquo judicio in eo puniantur, in quo deliquerunt. Quod ſi forte ſolvendo non fuerint, alias delictum iſtorum ita puniatur, ut alii ſimilia facere pertimeſcant. Ubi *Gl.* ait *V. Sic alias*, quod tales poſſint ſubjici verberibus loco pœnæ, *c.* 1. *juncta Gl. V. Cruciatus. cauſ.* 24. *q.* 6. *Fraternitatis.* 11. *cauſ.* 22. *qu.* 2. *Quia juxta.* 3. *cauſ.* 5. *q.* 6.

XXXIV. Pro explicatione prædictorum capp. notandum 1. Nomine armorum hic intelliguntur omnia militaris artis inſtrumenta, tum ea, quæ ſunt ad defendendum, ut ſcuta, galeæ, loricæ; tum etiam quæ ad offerendum, & pugnandum ſunt idonea, ut gladii, haſtæ, ſagittæ, ſclopi &c. *Azor. p.* 1. *l.* 8. *c.* 23. *q.* 10. nomine autem ferri intelligitur, tum factum, quod ſcilicet ex ferro eſt fabricatum, & poteſt utile eſſe ad uſus bellicos: tum infectum, id eſt, rudis & impolita maſſa ferri: quo etiam pertinent ſtannum, chalybs, plumbum, & omnia alia metalli genera, ex quibus bellica inſtrumenta fieri poſſunt, prout habetur in Bulla Cœnæ Domini, Cenſura 7. *Azor. c. l. q.* 11. Ligamina vero galearum dicuntur ligna ad ædificandas triremes, & alias naves apta, quin & omnis materia lignorum ad quaſvis alias machinas bellicas accommodata, quin ut in Bulla Cœnæ Domini additum eſt, prohiberi etiam deferri cannabin, funes, & quamcunque aliam materiam, ex qua confici poſſunt inſtrumenta, quibus Chriſtiani impugnari poſſunt, *Azor. cit. l. q.* 12.

Notandum 2. Non ſolum ii, qui arma, aliaque prohibita deferunt ad Saracenos, incurrunt pœnas juris, ſed etiam, quia illa eis vendunt, vel permutant, vel curant, aut etiam permittunt transferri, cum ratione officii id prohibere deberent, *Azor. cit. l. q.* 13.

Notandum 3. Excommunicatus poteſt iterum excommunicari, prout ſumitur ex *cit. c. Ita quorumdam.* ſicut ligatus uno vinculo poteſt iterum alio ligari: non quidem in ordine ad effectum ſeparationis a communione fidelium, cum jam vi primæ excommunicationis fuerit ſeparatus: ſed in ordine ad illum effectum, ut maneat extra communionem fidelium, donec non tantum a prima, ſed etiam a ſecunda excommunicatione fuerit abſolutus, quæ tum primum incipit habere ſuum effectum, poſtquam abſolutus fuit a prima, *Gl. fin. in cit. c. & ibid. Hoſtienſ. & Abb. num.* 3.

Notandum 4. Excommunicatio, aliæque pœnæ decretæ contra afferentes arma, aliaque prohibita ad Saracenos, non ſunt extendendæ ad eos, qui illa deferunt ad Judæos, Paganos, vel Ethnicos, ſpectato jure communi, neque etiam ad hæreticos: quamvis in Bulla Cœnæ Domini omnes excommunicentur, qui prohibita deferunt ad Saracenos, Turcas, & hæreticos per Romanam Sedem nominatim declaratos, & generatim ad omnes Chriſtiani nominis hoſtes, & inimicos. *Azor. cit. c.* 23. *q.* 4.

XXXV. Præterea in *c. Significavit* 11. *h. t.* declarat, & ſtatuit Clemens III. „ Quod Chriſtiani licite poſſint proficiſci in Alexandriam, & ad alias terras Saracenorum, pro liberandis concivibus ſuis, qui illic in captivitate detinentur, dummodo nihil in mercibus ſuis, vel alio modo ſecum deferant, unde poſſet Saracenis aliquod commodum, vel ſubſidium provenire, excepto articulo redemptionis captivorum, ita tamen, ut hoc prius juramento coram Epiſcopo firment, ſcilicet ad majorem cautelam, *Gl. hic V. juramento.* ubi *Hoſtienſ. &* alii quidam putant, quod in hoc caſu poſſint etiam arma, & alia prohibita licite deferri, ſi captivi aliter liberari non poſſint. Sed *Gl. hic. V. aliquod commodum*, *& Abbas n.* 2. probabilius tenent, id fieri non poſſe, ſine ſpeciali licentia Papæ, ne fraus aliqua committatur: nam facile prætendere poſſent, ſe merces prohibitas deferre pro redimendis captivis, quibus tamen poſtea uterentur Saraceni ad impugnandos Chriſtianos, ideoque excommunicationis ſententiam non evadent.

2. In *eod. c. §. Illi quoque*, ſtatuitur, quod illi, qui poſt treguam factam inter Chriſtianos, & Saracenos, portant ad hos merces prohibitas, lucrandi cauſa, ab excommunicationis cenſura nullatenus excuſentur, ſicut nec illi, qui per alios merces prohibitas illuc tranſmittunt. Ratio eſt, quia tregua eſt ſecuritas perſonis, ac rebus ad tempus conceſſa, *c.* 1. *de treuga, & pace*, & qui facit treguam, non facit pacem, nec deſiſtit a bello, niſi ad tempus, *Gl. hic V. poſt treugam.* Quare quæ Chriſtiani prohibentur ad hoſtes deferre tempore belli, prohibentur quoque tempore treugæ, ſeu induciarum deportare; quia tum ad certum tempus a bello ceſſatur inter hoſtes, ex conventione, & pacto, *Azor. cit. c.* 23 *q.* 16.

3. Decernitur in *cit. c. Significavit in fine*, ut Chriſtiani, „ qui jurarunt, in terram Saracenorum cum mercibus ſe non amplius ituros, niſi pax eſſet inter Chriſtianos, & Saracenos concluſa, ſed poſt treugam factam, deferunt merces, durante treuga, a vinculo excommunicationis non abſolvantur, imo nec a perjurio: quia licet treuga ſit facta, non tamen pax, & ita non extit conditio, ſub qua juramentum eſt factum: ideoque non ſolum incidunt in ſententiam excommunicationis, ſed etiam ſunt perjuri, cum treuga non ſit pax, *Gl. fin. hic.*

XXXVI. Similiter in *c. quod olim* 12. *h. t.* reſcribit Clemens III. „ Quamvis jam olim in Concilio Lateranenſi (relato in *c. ita quorumdam h. t.*) prohibitum fuerit: ut nullus merces prohibitas ad Saracenos deferret, per ſe, vel per alium, nihilominus tamen idem Papa omnes illos iterum excommunicationi ſupponit, qui amplius cum Saracenis mercimonium habuerint, per ſe, vel per alios, vel quocunque modo aliqua rerum ſubſidia, vel conſilia, quamdiu inter Chriſtianos, & Saracenos bellum duravit, impenderint. Unde mandat Pontifex quibuſdam, ut nec per ſe, nec per naves ſuas, nec alio quocunque modo, aut ingenio eis mercimonia, conſilia, vel ſubſidia tranſmittant: alioquin qui contra facere præſumpſerint, non

„ ſo-

„ ſolum ipſo jure; & facto in excommunicationem incidunt, ſed etiam iram Dei viventis incurrunt, qui ratum habet, quod ab Eccleſia juſte factum eſt, *Gl. fin. hic.* Ex quo patet, quod tempore belli inter Chriſtianos, & infideles, prohibitum ſit, omnes, & quaſcunque merces ad illos deferre, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, etiamſi alias, extra tempus belli, illæ non ſint prohibitæ deferri ad hoſtes fidei, & quodcunque ſubſidium, eis præſtare, *Abb. hic n. 1. & Barboſ. n. 2.* ubi tamen excipit merces contentas in *cit. c. Ita quorundam h. t.* poteſt autem ab hac excommunicatione abſolvere Epiſcopus, cum Papa ſibi abſolutionem non reſervavit, *Gl. hic V. ſupponimus*: hodie tamen ſolus Papa abſolvit, cum ſit caſus reſervatus in Bulla Cœnæ Domini; *§. Cæterum a prædictis ſententiis*, ut notat *Gl. marg. hic. lit. A.*

XXXVII. Porro cum prædictis Decretalibus concordat Conſtitutio in *Extravag. multa 1. h. t. Inter communes*, ubi „ ſtatuit Clemens V. ut Chriſtiani arma, equos, ferrum, lignamina, victualia, & alia quæcunque mercimonia, Alexandriam, vel ad alia loca Saracenorum terræ Ægypti mittentes, vel permittentes, ut exportentur, vel extrahantur a portubus Chriſtianorum, ut illuc deferantur, vel auxilium, aut conſilium dantes, eo ipſo excommunicationis ſententiam incurrant, a qua, niſi in propriis in ſubſidium Terræ ſanctæ convertendum ſolverint, ſine ſpeciali mandato Sedis Apoſtolicæ abſolvi non debent: & in diebus Dominicis, ac feſtis, ut excommunicati publice denuncientur: & ſi perſonas eorum capi contingat, ſervi capientium fiant. Inſuper perpetuo ſint infames, & inteſtabiles, ita ut nec teſtari, nec ſuccedere ex teſtamento, vel ab inteſtato poſſint, & ab omnibus actibus legitimis repellantur, & ad fiſcum omnia eorum bona devolvantur. Ratio autem, cur tam gravibus pœnis tales Chriſtiani ſubjiciantur, eſt, quia pares, aut etiam ſuperiores in malitia fiunt ipſis Infidelibus, dum ad impugnandos Chriſtianos arma eis, & neceſſaria ſubminiſtrant, ut dicitur in *cit. c. Ita quorundam. h. t.* Idem prohibitum eſt Jure Civili ſub pœna confiſcationis omnium bonorum, & capitali ipſius perſonæ pœna, in *l. 2. C. Quæ res exportari non debent.*

XXXVIII. Alia ſimilis Conſtitutio in *Extrav. Cupientes. unic. Joan. XXII. hoc tit.* ubi diſtricte prohibetur, ne quis „ arma, victualia, & alia quæcunque Alexandriam, & in terras Ægypti deferri prohibita (in *cap. Ita quorundam 6. in cap. ad liberandam 17. hoc tit.*) quomodolibet intra triennium, ad Agarenos, ſeu Saracenos, in regnum Granatæ deferre præſumat, ſub pœnis in prædictis Canonibus contentis, nec non ſententia excommunicationis contra præſtantes auxilium, conſilium, vel favorem prædictis Saracenis, vel proſecutionem dicti negotii directe, vel indirecte impedientes, vel perturbantes: ipſo facto, incurrenda.

„ XXXIX. Poſtremo in *Clement. Cedit. unic. h. t.* præcipitur, ut Principes Catholici Saracenos, qui ſub eorum dominio morantur, cohibeant ab invocatione publica Mahometi, & a peregrinatione ad ejus ſepulchrum; eoſque, qui contra facere præſumpſerint, ita puniant, ut alii eorum exemplo perterriti a ſimili præſumptione arceantur.

TITULUS VII.

De Hæreticis.

POſtquam de Judæis, & Paganis, ſeu Infidelibus actum eſt Titulo præcedente, ſubjungitur hic Titulus de hæreſi, & hæreticis, qui poſt ſuſceptum baptiſmum a fide Chriſtiana, & Catholica deſecerunt. Ob hujus Tituli, & quæ in eo continentur, ſive ignorantiam, ſive neglectam obſervationem, pluſima Regna, & Provinciæ, Chriſtianæ, ab avita Religione Catholica Majorum ſuorum, priore ſæculo deſecerunt, & hæreſi ſunt infectæ; nunquam enim hæreſis tot Regna, & Provincias occupaſſet, ac devaſtaſſet, cum innumerarum animarum æterno interitu, ſi Canones contra hæreticos præſcripti, & conditi obſervati fuiſſent. Extat hic Titulus etiam in *Sexto, Clementinis, & Extravagantibus communibus, & in Jure Civili in Codice lib. 1. tit. 5.*

SECTIO I.

DE CRIMINE HÆRESIS, ET hæreticis in genere.

§. I.

Quid ſit hæreſis, & quis dicatur hæreticus?

I. Hæreſis Græce ab electione dicitur, quod quis eligat ſibi diſciplinam, vel opinionem ſectandam, *cap. Hæreſis 27. cauſ. 24. q. 3.* Eſt autem hæreſis, prout hic ſumitur, error voluntarius, quem quis pertinaciter tenet contra aliquam veritatem fidei Catholicæ, quam ſuſcepit, ſeu profeſſus eſt, *Azor. p. 1. Inſtit. mor. lib. 8. cap. 9. quæſt. 1. Sanch. lib. 2. moral. c. 7. num. 1.* & alii DD. communiter. Dicitur 1. *Error*, id eſt, aſſenſus, ſive judicium falſum intellectus; quia ſicut actus fidei eſt aſſenſus, ſeu judicium certum intellectus, etſi obſcurum: ita hæreſis eſt aſſenſus, ſive judicium erroneum intellectus: unde ſi quis proferat propoſitionem ſecundum ſe hæreticam, vel neget articulum fidei, ſine aſſenſu intellectus erroneo; non eſt hæreticus. Dicitur 2. *Voluntarius, ſive liber*: quia ſicut actus fidei oritur ex pio voluntatis affectu, ita etiam hæreſis eſt aſſenſus erroneus, procedens ex libera voluntatis electione, alioquin non eſt peccatum hæreſis; quare qui involuntarie, & indeliberate errat circa res fidei, non eſt hæreticus: neque qui invitus patitur tentationes repugnantes articulis fidei.

II. Dicitur 3. *Quem quis pertinaciter tenet*: nam hæreſis eſt error in fide cum pertinacia junctus. *cap. Damnamus 2. §. In nullo, juncta Gloſſ. fin. de S. Trinitat. & in Clement. unic. §. porro* ibi: *tenere pertinaciter præſumpſerit, eod. tit.* & conſtat ex *cap. Dixit Apoſtolus 29. cauſ. 24. quæſt. 3.* ubi dicitur: *Qui ſententiam ſuam, quamvis falſam, atque perverſam, nulla pertinaci animo defendunt, quærunt autem veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi*: & *Gloſſ. ibid. V. Pertinaci* ait: Licet teneat aliquis ea, quæ ſunt contra fidem, dummodo paratus ſit corrigi, non eſt habendus hæreticus, nec poteſt hæreſi puniri, ut addit *Gloſſ. margin. ibid. lit. B.* Similiter contumaciam, ſive pertinaciam requiri ut quis fiat, & ſit hæreticus, habetur expreſſum in *cap. qui in Eccleſia 31. citat. cauſ. & quæſt.* Conſiſtit autem illa pertinacia in eo, quod quis ſciat, ſuam ſententiam contrariam eſſe univerſalis Eccleſiæ Chriſti in terris doctrinæ, ac definitioni: nihilominus tamen pertinaciter, adeoque culpabiliter eam teneat, ſuumque judicium præferat.

Ex quo infertur, quod ſi quis ignoret, etiam ex ignorantia mortaliter culpabili, & craſſa, opinionem ſuam adverſari doctrinæ Eccleſiæ Catholicæ, non eſt proprie hæreticus, neque Eccleſiaſticis hæreticorum pœnis obnoxius, quia deeſt pertinacia, quæ requirit ſcientiam, quod contrarium teneatur ab univerſali Chriſti Eccleſia, *Sanch. cit. cap. 7. numer. 20.* Quin imo etſi quis etiam ex ignorantia affectata erret contra fidem, propter tædium inquirendi veritatem, vel ob ſimilem cauſam, non eſt proprie hæreticus, ut docet *Sanch. c. l. numer. 23. Sayrus in clavi regia l. 2. c. 9. num. 34. Laym. l. 2. tr. 1. c. 13. num. 2.* Ratio eſt: quia peccatum hæreſis non eſt peccatum ignorantiæ, ſed infidelitatis, & ad illam requiritur, ut quis ſcienter credat aliquid contra definitionem Eccleſiæ Catholicæ, & communem conſenſum fidelium: & conſequenter, etiamſi ignorantia craſſa, & affectata laboret, non erit proprie hæreticus, quia qui ſic ignorat, & errat in rebus fidei, non ſcienter credit aliquid contra id, quod definitum eſt ab Eccleſia. Cum enim peccatum hæreſis conſummetur in intellectu, requiritur ex parte illius ſcientia, qua ille, qui errat, ſciat, ſe ſua opinione adverſari Eccleſiæ teſtimonio, ac definitioni, quæ ſcientia tollitur per quamcunque ignorantiam, ac proinde licet in tali ignorante adſit voluntarium ſufficiens ad culpam gravem, non tamen ad hoc, ut ſit proprie dicta hæreſis. Aliud eſt de aliis peccatis, quæ ex parte objecti non requirunt pertinaciam, & ſcientiam. Confirmatur, quia alioquin plurimi Catholici, ob ignorantiam, etſi culpabilem, definitionis Eccleſiæ, & traditionum, cenſendi eſſent hæretici.

Excipi debet, ſi quis affectate ignorare velit res, ſive articulos fidei, aut inquirere eos intermittat, ob contemptum auctoritatis Eccleſiæ, & parvam ejus æſtimationem: quia talis non eſt paratus judicium ſuum ſubjicere Eccleſiæ, etiam cognito errore, adeoque pertinaciter errat in fide, *Sanch. c. l. num. 23. & Laym. c. l.* ubi tamen *num. 2.* in fine, recte advertit, id quod ſupra de ignorantia dictum, intelligendum eſſe tantum de iis, qui alioquin, præter unum, vel alterum errorem, credunt, fidem Catholicæ Romanæ Eccleſiæ eſſe veram fidem, eamque profitentur: nam illi, qui alienam ab Eccleſia Catholica fidem tenent, ac profitentur, v. g. Lutherani, vel Calviniani: & ex craſſa, vel affectata ignorantia infallibilem auctoritatem Eccleſiæ Catholicæ in definiendis fidei articulis non agnoſcunt, aliaque Catholica dogmata non credunt: illi, inquam, hæretici reputari, & Eccleſiaſticis cenſuris ſubjecti eſſe cenſeri debent: nam qui veram Chriſti Eccleſiam, in cujus fide baptizatus fuit, oppugnat, ejuſque auctoritatem culpabiliter negat, is ei inobediens eſt, & in eam contumax, ac rebellis, adeoque ab illa ſeparatus eſt, & merito inter hæreticos computatur,

III. Dicitur 4. In definitione, *contra aliquam veritatem fidei Catholicæ*: nam qui errat circa alia objecta, quæ ad fidem non pertinent, non eſt hæreticus. Deinde dicitur *contra aliquam*, non contra omnem, quia hæreticus concedit aliquos articulos fidei Chriſtianæ, v. gr. Chriſtum pro nobis eſſe paſſum, & mortuum: nam ſi omnes neget, ſeu totum novum Teſtamentum, adeoque a tota fide recedat, non erit hæreticus: ſed Apoſtata, & infidelis, *Sanch. c. l. num. 1.*

Dicitur ultimo, *in eo qui fidem Chriſti ſuſcepit, vel profeſſus eſt*: quia alias non erit hæreticus: ſed paganus, ſeu infidelis, aut Judæus. Non tamen requiritur ad hæreſin, ut quis fidem Chriſti infuſam, & ſupernaturalem Catholicam receperit, ſeu quamcunque etiam humanam, per quam in Chriſtum crediderit, ut docet *Suar. diſ. 19. de fide ſec. 5. num. 1. & 2.* Ratio eſt: quia poteſt quis eſſe verus hæreticus, non ſolum coram DEO, ſed etiam coram Eccleſia, licet nunquam fuerit Catholicus, aut fidem infuſam, ac Divinam ſuſceperit, ut patet in filiis hæreticorum nunquam baptizatis, qui jam adulti fidem parentum ſequuntur; hi enim ſunt veri hæretici, etſi nunquam fidem Catholicam ſuſceperint, aut profeſſi ſint, quæ alioquin aliis infunditur in batiſmo. Sic enim & Anabaptiſtæ ante baptiſmum quem primum valde adulti circa annum ætatis XXX. ſuſcipiunt, ſimpliciter dici ſolent, ac cenſeri hæretici.

Secundo requiritur, ut quis adhuc Chriſtum profiteatur: nam ſi negaret Novum Teſtamentum, Judæus: ſi utrumque, Paganus, ſive Ethnicus: quamvis in ordine ad pœnas Eccleſiaſticas incurrendas, hæc conditio non ſit neceſſaria; nam magis puniri poteſt, qui ad paganos, vel Judæos

dæos

deos deficit, quam qui ad hæreticos *Suar. cit. l. n.* 10. Tertio, licet, coram DEO aliquis poſſit eſſe hæreticus, qui baptiſmum non recepit, ſi nimirum crediderit ante eum Catholicis, & poſtea ad hæreticos deficiat, v. g. cathecumenus: in ordine tamen ad pœnas hæreticorum incurrendas, requiritur, ut quis ſuſceperit baptiſmum valide, eſt enim fundamentum juriſdictionis Eccleſiaſticæ; baptiſmus autem, qui invalidus eſt, nullus eſt, *Suar. cit. l. n.* 6. *&* 8.

§. II.

De quibuſdam, de quibus dubitari poteſt, an ſint proprie dicti hæretici, nec ne?

IV. Quæritur 1. An qui voluntarie, ac deliberate dubitat in fide, ſive circa aliquam veritatem fidei a DEO revelatam, & ab Eccleſia propoſitam, ſit hæreticus, vel infidelis? ℞. Qui dubitavit poſitive de aliquo articulo fidei, quem ſcit ab Eccleſia Catholica eſſe propoſitum, ac definitum, id eſt, poſitive, ac pertinaciter judicat, & affirmat, eſſe dubium, vel incertum, cui poſſet ſubeſſe falſum, is vere eſt hæreticus, aut infidelis, *Azor. cit. c. 9. q. 5. Suar. cit. ſec. 5. n.* 10. *Tolet. in ſumma l. 4. c. 4. n. 7. Laym. cit. c. 13. n.* 5. contra *Sanch. cit. c. 7. n.* 12. Sed probatur: quia de fide eſt, omnes articulos, ſeu dogmata fidei, non ſolum eſſe vera, ſed etiam certa, & indubitata: talis autem poſitive judicat, & cum pertinacia affirmat, illa eſſe dubia, & incerta; ergo habet judicium erroneum contra fidem, ac proinde eſt verus hæreticus. Aliud eſt, ſi quis negative tantum dubitet de articulo fidei, quia ſuſpendit omne judicium, ita ut neque aſſentiatur objecto propoſito, neque etiam diſſentiat; quia nec judicat eſſe certum, neque etiam incertum: talis enim non habet judicium ullum de articulo fidei propoſito: adeoque nec errorem contrarium fidei habere poteſt: modo tamen non ſuſpendat judicium circa objectum, ſive articulum fidei, eo quod virtualiter, ſeu implicite judicet, eum eſſe incertum, & dubium; tunc enim intellectus ſic dubitans non habet ſe mere negative; quia ideo propoſito ſibi objecto aſſentiri non vult, quod ipſi incertum, & dubium eſſe videatur; ideoque expreſſe, vel ſaltem implicite, ac virtualiter judicat, incertum eſſe objectum, ſive articulum fidei propoſitum, *Laym. c. l.* ubi tamen addit, excipiendos hinc eſſe eos, qui Orthodoxam, ſeu Catholicam fidem ignorant; quia inter hæreticos ſunt nati, & educati: hi enim non peccant, etiamſi de articulis veræ fidei dubitent, & judicent, illos eſſe incertos, donec inſtruantur, & argumenta, ac motiva fidei Catholicæ fiant evidenter credibilia; ideoque tales neque hæretici ſunt, niſi materiales, quia in illis dubitatio, vel judicium, ſive expreſſum, ſive implicitum, procedit ex ignorantia; ideoque non eſt junctum cum pertinacia, quæ non poteſt conſiſtere ſimul cum ignorantia, ut ex ſupra dictis patet.

V. Quare cum in *c. Dubius.* 1. *h. t.* dicitur: *Dubius in fide infidelis eſt*, & conſequenter etiam hæreticus, ſi baptizatus ſit, & de articulo fidei ab Eccleſia propoſito dubitet, id intelligendum eſt de eo, qui non mere negative, ſed poſitive dubitat, judicando expreſſe, vel ſaltem implicite, talem articulum eſſe incertum: nam de fide nullus debet dubitare, ſed firmiter credere, articulos fidei eſſe veros, ac certos, *c.* 1. *in princ. de ſum. Trinit.* cui adverſatur poſitivum judicium de incertitudine eorundem; nullus enim debet titubare in fide, *c. Aperte.* 36. *ſum. J. Gl. V. Titubabat cauſ.* 24. *q.* 1. *Gl. in cit. c.* 1. *V. Dubius. h. t.* Et hinc etiam in *Clement. un. §. Porro de Sum. Trinit.* dicitur, quod non ſolum is, qui temere aſſerit, ſed etiam, qui vertit in dubium, animam rationalem, ſeu intellectivam non eſſe formam corporis humani, per ſe, & eſſentialiter, tanquam hæreticus cenſendus ſit. Porro ut dubitans in fide cenſeatur eſſe hæreticus, requiritur, ut in tali dubitatione habeat firmitatem animi, ſive judicii, & quandam pertinaciam, ita ut in illa dubitatione contumaciter perſeveret, *Joan. Andr. in cit. c.* 1. *n.* 1. *h. t. Jul. Clar. l.* 5. *ſentent. §. Hereſis. num.* 2.

Additur in eod. c. *Nec eis omnino credendum eſt, qui fidem veritatis ignorant*, id eſt, veritatem fidei, Catholicæ, ut explicat *Hoſtienſ. ibid.* Ex quo inferunt DD. hic, quod infideles, & hæretici, vel etiam dubii in fide, non admittantur in teſtes contra Chriſtianos, & Catholicos, nec eis ullo modo ſit credendum, in præjudicium eorundem, quia, cum ſint infideles DEO, non præſumuntur fideles fore hominibus, *Gl. fin. & Abb. n.* 3.

VI. Quæritur 2. An Catechumenus nondum baptizatus, deficiens a fide, quam recepit, ſit hæreticus? ℞. Non eſſe proprie dictum hæreticum, ſaltem coram Eccleſia, & in foro externo, ſed infidelem; quia fidem ſolemniter in Baptiſmo non eſt profeſſus, adeoque neque formaliter, & completive membrum Eccleſiæ factus eſt, ſed inchoative ſolum, *Sanch. cit. c. 7. n.* 34. *Azor. cit. c. 9. q.* 3. quamvis eſſentialiter non differat ab hæreticis, ſicut Æthiops non differt eſſentialiter ab aliis hominibus, qui ſunt albi. *Laym. cit. c.* 13. *n.* 1. Illud certum eſt, Catechumenum a fide recedentem non incurrere Eccleſiaſticas pœnas hæreticorum, quia ante Baptiſmum non ſunt ſubjecti juriſdictioni Eccleſiæ, *Sanch. cit. l.* & alii.

VII. Quæritur 3. An ſit hæreticus, qui mortis metu perculſus negat fidem, v. g. ſe eſſe Catholicum, vel aliquid fidei contrarium affirmat, abſque ullo tamen interiore mentis aſſenſu, quo verum eſſe judicat, quod ore profert? Reſp. Talem peccare quidem contra præceptum profitendi fidem, quia fidem abnegare, quando quis eam confiteri debet, eſt per ſe, & intrinſece malum; ideoque neque ob mortis metum ſit licitum: nihilominus talem non eſſe vere ac proprie hæreticum, quia hæreſis eſſentialiter conſiſtit in interno judicio erroneo intellectus contra fidem, quod abeſt ab eo, qui interius mente non credit, quod exterius ore, & lingua affirmat, ut ex communi DD. ſententia docet *Azor. cit. c. 9. q.* 9. Nihilominus tamen abnegans fidem etiam ob gravem metum, in Judicio, & foro externo, tanquam hæreticus merito punitur, ſi non revocat, quia hominibus verba patent, non interna mens, & voluntas, de qua ſolus DEUS judicat. *Azor. cit. l.*

VIII. Cæterum hoc loco quædam adhuc ſunt addenda, & notanda. 1. Quod habetur in *c. Qui alios.* 2. *h. t.* ubi Leo Papa ita reſcribit: „ Qui alios, cum poteſt, ab errore non „ revocat, ſe ipſum errare demonſtrat. Qui enim tacet, „ conſentire videtur, *Gl. ibid. V. Qui alios.* Qui textus videtur ſpecialiter loqui de errore fidei, nempe quod, qui alios ab errore non revocat, quando poteſt, ipſe errare convincatur, & peccet, ut patet ex ſumma ejuſdem c. & notat *Abb. ibid. in fine.* Nam alioquin male poneretur *hoc c.* ſub Rubrica hujus tit. quamvis id verum ſit etiam in aliis erroribus, ut, qui poteſt alium ab errore revocare, & non revocat, ipſe erret, & peccet, modo error ille alterius ſit culpabilis: ſecus eſt ſi ſit inculpabilis, & invincibilis, ut explicat *Sanch. l. 3. de matrim. diſ.* 38. *n.* 20. *in fine.* Deinde alia eſt correctio judicialis, quæ ad ſolum Prælatum, alia Evangelica, ſeu fraterna, quæ ad quemlibet pertinet, ſi poſſit, & agatur de delicto committendo, *Hoſtienſ. hic in fine.* de quo alibi.

IX. Secundo in *c. Firmiſſime.* 3. *h. t.* quod eſt deſumptum ex S. Auguſtino *libr. de fide Catholica.* quæſitum fuit, an hæreticus, vel ſchiſmaticus ſalvari poſſit? & reſpondet: „ Firmiſſime tenendum eſt & nullatenus dubitandum, omnem hæreticum, vel ſchiſmaticum, cum diabolo, & „ angelis ejus æterni ignis incendio mancipiandum eſſe, „ niſi, ante finem vitæ, Catholicæ Eccleſiæ fuerit reconciliatus, & denuo incorporatus: quia nulli homini, „ qui Eccleſiæ Catholicæ non tenet unitatem, Baptiſmus, „ vel eleemoſyna, quantumcumque copioſa, vel mors pro „ Chriſti nomine ſuſcepta, proficere poterit ad ſalutem, „ ſcilicet æternam: nam bona opera eorum valent ad bona temporalia promerenda, & ad minuendum ſupplicium pœnæ, *Gl. fin. hic.* Hinc colligitur, hæreticum eſſe, qui ſcienter ſentit contra id, quod Eccleſia proponit ad credendum, velut a DEO revelatum, ſive cupiditate lucri, vel gloriæ ductus, ſive ex quacunque alia intentione contradicat Auctoritati Eccleſiæ, *Sanch. cit. c. 7. n.* 4. quin imo etiamſi qui falſo putet, ab Eccleſia eſſe definitum, quod tamen non eſt, cujus contrarium ipſe ſentit & pertinaciter defendit, is eſt hæreticus, quia formaliter a fidei ratione recedit, exiſtimans non omnia ab Eccleſia definita eſſe vera, ſed illam errare poſſe, *Sanch. cit. c. 7. n.* 30. *Barb. in cit. c. 3. n.* 3.

X. Tertio in *c. Cum Chriſtus.* 7. *h. t.* mandat Alexander III. „ Archiepiſcopo Rhemenſi, ut cum Chriſtus perfectus DEUS, „ & perfectus homo ſit, ſub anathemate, ſive excommunicatione interdicat, ne quis de cætero audeat dicere: „ Chriſtum non eſſe aliquid, ſecundum quod homo eſt, „ quia ſicut eſt verus DEUS, ita eſt verus homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens. Ubi *Abb. in fine* ait, hanc Conſtitutionem, cum ſit declaratoria Juris Divini, extendi etiam ſic præterita.

SECTIO II.

DE POENIS HÆRETICORUM ET inprimis de excommunicatione eorum.

§. I.

De prima pœna Jure Canonico decreta in hæreticos, ſcilicet excommunicatione, & conditionibus requiſitis ad illam incurrendam.

XI. Aſſertio 1. Prima pœna hæreticorum eſt excommunicatio major latæ ſententiæ, quæ ipſo jure, ſeu facto ab ipſis incurritur, prout inprimis conſtat ex *c. Ad abolendam.* 9. *in princ. h. t.* ubi Lucius III. excommunicat omnes illos, „ qui de Sacramento Corporis, & Sanguinis Chriſti, vel „ de Baptiſmate, vel de peccatorum confeſſione, vel matrimonio, vel de reliquis Eccleſiaſticis Sacramentis aliter ſentiunt, aut docent, quam ſancta Romana Eccleſia prædicat, & obſervat: & generaliter omnes illos, „ quos eadem Romana Eccleſia, vel ſinguli Epiſcopi per „ Diœceſes ſuas, cum conſilio Clericorum (quia hoc eſt „ de cauſis majoribus: ideoque conſilium, ſeu conſenſus Capituli requiritur, *c. Novit.* 4. *& c. ſeq. de his, quæ fiunt a* „ *Prælatis &c.*) vel ipſi Clerici, Sede vacante, cum conſilio vicinorum Epiſcoporum (ſi oportuerit) hæreticos „ judicaverint

XII. Hinc colligitur 1. Quod hæreticus ſit, non tantum is, qui perverſe ſentit de articulis fidei, qui continentur in Symbolo Apoſtolorum, ſed etiam, qui male ſentit, ſive falſo credit de Sacramentis Eccleſiæ, *Abb. hic. num.* 2. Colligitur 2. Quod Epiſcopi cognoſcere poſſint de crimine hæreſis, quod intelligendum eſt, ſi certum ſit eſſe hæreſim, quod aſſeritur: ſi vero ſit dubium, ea quæſtio, ejuſque deciſio ad ſolum Papam remitti debet, *c. Quoties* 12. *cauſ.* 24. *q.* 1. & ibi *Gl. V. Niſi ad Petrum. Abb. hic num.* 3. Item Capitulum, Sede Epiſcopali vacante ſuccedit in poteſtate cognoſcendi etiam de hæreſi, quia tunc juriſdictio ordinaria Epiſcopalis remanet penes Capitulum, *Gl. hic. V. Sede vacante, & Abb. num.* 4. de quo plura infra.

XIII. Similiter in *c. Excommunicamus.* 13. *in princ. h. t.* „ quod eſt deſumptum ex Concilio generali Lateranenſi „ ſub Innocentio III. cap. 3. excommunicat, & anathematizat Concilium omnem hæreſim extollentem ſe adverſus hanc ſanctam; & Orthodoxam fidem (præcipue „ traditam in *c.* 1. *&* 2. *de Sum. Trinit.*) & condemnat „ omnes hæreticos, quibuſcunque nominibus cenſeantur,

„ ſa-

Digitized by Google

„ facies quidem diverſas habentes, ſed caudas ad invicem „ colligatas: quia de vanitate conveniunt in idipſum, hoc „ eſt, licet diverſæ ſint ſectæ; omnes tamen communiter conſpirant adverſus Eccleſiam DEI, *c. fin. §. Sunt & illa. cauſ.* 24. *q.* 3. Quod autem ſtatutum eſt in *cit. c. Excommunicamus*, 13. Id repetitur in *c. Excommunicamus*, 15. *in princ. h. tit.*

XIV. Eadem pœna excommunicationis imponitur in *c. Sicut.* 8. *in princ. h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. *c.* 27. Ubi excommunicantur „ omnes hæretici, quibuſcunque nominibus cenſeantur, & „ omnes defenſores, ac receptatores eorum, & ſub com„ minatione anathematis, ſeu excommunicationis præcipi„ tur, ne quis eos in domo, vel in terra, ſeu ditione ſua „ tenere, vel fovere præſumat, aut negotiationem cum „ eis exercere.

Denique in Bulla Cœnæ Domini excommunicantur etiam omnes & ſinguli hæretici, quocunque nomine cenſeantur, prout habetur in excommunicatione prima ejuſdem Bullæ apud Quarantam in Summa Bullarii *V. Excommunicationes in Bulla in Cœna Domini fol.* 322.

XV. Illud hoc loco addendum, hæreticos non eſſe excommunicatos Jure Divino, ſed ſolo Jure Eccleſiaſtico, antiquiſſimo tamen, ut conſtat ex *c. Achatius.* 93. *cauſ.* 24. *q.* 1. *c. Noverit.* 49. *de ſent. excom. Azor. p.* 1. *l.* 9. *c.* 50. *quæſt.* 2. *Sanch. l.* 2. *mor. c.* 9. contra *Palao p.* 1. *tr.* 4. *diſ.* 4. *pun.* 1. *num.* 1. Olim tamen non erat lata excommunicatio ipſo Jure, ſed ferenda, poſt monitionem, per ſententiam in hæreticos, ut colligitur ex *c. Si quis.* 33. *cauſ.* 1. *q.* 7. Neque ante Bullam Cœnæ erat reſervata Papæ. Quod autem non ſit iſta Jure Divino, ex eo patet, quia hoc Jure non eſt hæreticus privatus activa, & paſſiva perceptione Sacramentorum, communione fidelium, & ſuffragiis Eccleſiæ, magis, quam alii peccatores, alias non potuiſſet Eccleſia ſtatuere, ut excommunicatus non denuntiatus poſſit ad communionem fidelium admitti, Jure Divino ea eſſet privatus, *Palao cit. l.*

XVI. Aſſertio 2. Ad incurrendam excommunicationem ob hæreſim latam, quatuor conditiones requiruntur, ut tradit *Sanch. cit. l.* 2. *c.* 8. *Laym. l.* 2. *tr.* 1. *c.* 14. 1. Ut quis ſit hæreticus verus, & formalis, non tantum materialis, & objective, hoc eſt, qui aliquid aſſerat, vel defendat contra fidem, ſed ex ignorantia invincibili, vel etiam vincibili, & culpabili, ſed non pertinaciter, paratus corrigere, ſi ſciret, eſſe contra fidem; talis enim, cum non ſit vere hæreticus, ut ſupra dictum, excommunicationem non incurrit. Hinc infertur, ruſticos, alioſque homines ſimpliciores in Germania, qui ſectam Lutheri, vel Calvini profitentur; ideoque hæretici habentur, ſed pertinaces non ſunt, quia illam deſerere volunt, poſſe abſolvi a ſuis Parochis, ſi examinati appareat, quod in ignorantia invincibili, vel ſaltem moraliter non culpabili hactenus fuerint conſtituti, edita prius profeſſione fidei coram teſtibus, ſi id fieri poſſit. Niſi tamen in aliqua Diœceſi conſuetudo vigeat, ut tales, etiam materiales hæretici, mittantur ad Epiſcopum, vel ejus Vicarium, aut ad eos, qui habent facultatem abſolvendi ab hæreſi, qui eos examinent, ac judicent, an falſam ſectam tenuerint ex ignorantia invincibili, vel culpabili quidem, ſed ſine pertinacia, *Laym. l.* 2. *tr.* 1. *c.* 13. *num.* 4.

XVII. Secundo requiritur ad excommunicationem incurrendam, ut quis hæreſim internam, ſive mentalem verbis, aut aliis ſignis externis manifeſtet, quæ ſuapte natura, vel inſtitutione, vel conſideratis circumſtantiis perſonarum, loci, & temporis &c. ſunt apta ad ſufficienter manifeſtandam hæreſim internam, quia licet hæreſis ſit peccatum, quod perficitur, & conſummatur in ſola mente; non tamen poteſt Eccleſia excommunicatione, vel aliis pœnis fori externi punire delictum mere internum, niſi aliquo ſigno externo manifeſtetur, cum non habeat poteſtatem judicandi de omnino occultis *Sanch. cit. c.* 8. *num.* 2. & 7. Veruntamen ob hæreſim exteriorem, etiam penitus occultam, quia v. g. aliquid contra fidem voluntarie, & pertinaciter quis mente affirmat, & ore, ac lingua exterius profert, & exprimit, etiam nemine præſente, & audiente, excommunicatio ipſo jure incurritur, qui tunc eſt hæreſis vere externa, ac per ſe non eſt occulta, qualis eſt hæreſis mere interna, ſed talis, ut per ſe, & ſuapte natura poſſit Eccleſiæ de illa conſtare; ideoque poteſtati, & juriſdictioni Eccleſiæ eſt ſubjecta, & per accidens tantum occulta, quia deſunt teſtes, quibus probari poſſit in Judicio, cum nullus illi manifeſtationi externæ fuerit præſens, *Azor. cit. l.* 8. *num.* 6. & alii apud ipſum, ubi addit, quod talis hæreticus etiam alias pœnas hæreticorum incurrat; quia etſi ad executionem pœnæ ipſo jure latæ requiratur probatio delicti, & proceſſus judicialis, id tamen non exigitur ad ejus obligationem incurrendam, ſed ſatis eſt delictum eſſe externum.

XVIII. Tertio requiritur ad excommunicationem incurrendam, aliaſque pœnas, ut actus externus, per quem hæreſis interna manifeſtatur, ſit ex ſe mortaliter malus, & non tantum prout ſubſtat actui interno, & ab illo procedit. Ratio eſt: quia excommunicatio, & ſimiles graves pœnæ non imponuntur, niſi ob peccatum mortale externum; quia ſolus actus externus, ſaltem per ſe, ac directe juriſdictioni Eccleſiæ ſubjicitur. Unde non incurritur excommunicatio, ob levem externam percuſſionem Clerici, etiamſi habuerit voluntatem graviter percutiendi, *Sanch. citat. l. num.* 7. Et hinc etiam non eſt excommunicatus, qui hæreſim internam manifeſtat alteri, animo capiendi ab eo conſilium, aut inſtructionem, quia talis manifeſtatio non eſt actus malus, ſed bonus, quia ab Eccleſia puniri non poteſt, nec eſt profeſſio hæreſis, ſed potius deteſtatio, *Sanch. citat. l. num.* 20. *Laym. citat. cap.* 14. *num.* 3.

XIX. Quarto requiritur, ut hæreſis interna exterius manifeſtetur, animo eam profitendi; quia non eſt peccatum externum hæreſis, propter quod lata eſt excommunicatio, niſi ex vi internæ hæreſis procedat; adeoque niſi quis illam exterius profiteri intendat, *Laym. cit. l.* Unde ſi quis legendo, vel narrando, vel diſputando hæreſim prius mente conceptam lingua pronunciet, non animo, ſive voluntate confirmandi eam, vel exprimendi errorem, ſed tantum legendi, narrandi, vel diſputandi gratia, non eſt hæreticus externus: quia non profert illam ut propriam, ſed ut alienam, *Azor. cit. c.* 10. *q.* 7. *Sanch. cit. c.* 9. *num.* 24. Veruntamen ille eſt hæreticus externus, qui ex interna hæreſi, quam interius animo fovet: Sacro non intereſt, aut Communione abſtinet, aut genua non flectit; cum S. Hoſtia elevatur, ſiquidem iſtæ omiſſiones prodeunt ex vi internæ hæreſis, & ſpectatis circumſtantiis, cenſeri quis poteſt per illas virtualiter, & tacite profiteri hæreſim: ſecus eſt, ſi ob circumſtantias oblivioni, aut inadvertentiæ probabiliter poſſint attribui, licet reipſa ex animo hæretico proficiſcantur, *Sanch. citat. l. num.* 16. ubi plura exempla hujuſmodi adfert.

XX. Cæterum præter dictam excommunicationem latam in omnes hæreticos, excommunicantur in Bulla Cœnæ Domini omnes ii, qui hæreticorum libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine auctoritate Papæ, & Sedis Apoſtolicæ, ſcienter legunt, aut retinent: & eos imprimentes, & quomodolibet defendentes ex quavis cauſa, publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore prout habetur in prima excommunicatione dictæ Bullæ. Idque merito prohibitum fuit, quia damnato Auctore tanquam hæretico, liber quoque ejus & ſcripta omnia de Religione „ damnata cenſentur, prout ſumitur ex *c. Fraternitati.* 4. „ *h. t.* Nam cum Cæleſtinus, & Pelagius de hæreſi con„ demnati fuiſſent in Epheſina Synodo, dubitavit Patriar„ cha Antiochenus, an ſcripta eorum eſſent recipienda? „ Reſpondet Papa Gregorius I. quod non, quia cum Aucto„ res damnati ſint, ſcripta eorum quomodo admitti poſ„ ſunt? quaſi dicat, non poſſunt: nam qualia Auctor fue„ rit, talia ejus opera præſumuntur, & deſtructo principali, deſtruitur acceſſorium, opera autem ſunt acceſſoria ad Auctores illorum *Gl. hic in actatis.* Idque extenditur, etiamſi libri illi, ſive opera alias bona ſint, & utilia; non enim ſunt recipienda, *Gl. hic V. Cæleſtinus.* & ſive ſint libri impreſſi, ſive manuſcripti, *Sanch. l.* 2. *mor. c.* 10. *nu.* 28. & ſive libri illi ſint editi, aut ſcripti, poſt damnationem Auctoris, ſive etiam ante illam, ſemper enim, damnato Auctore, cenſentur damnati libri ipſius, niſi ſint expreſſe approbati uti ſcripta Origenis, & patet ex *c. Et hoc dicimus.* 9. *cauſ.* 16. *q.* 7. *Gl. hic V. eod. & Barb. n.* 2. 3. & 4.

Requiritur autem ad prædictam excommunicationem incurrendam. 1. Ut ii libri ſint alicujus hæretici. 2. Ut tractent vel de Religione, vel ſi de alia re tractent, hæreſim contineant: quamvis hæc Conſtitutio Bullaris, ſecundum talem rigorem, in noſtris partibus non ſit recepta, ut notat, *Laym. l.* 2. *tr.* 1. *c.* 15. *num.* 4. 3. Ut hi libri ſcienter legantur, retineantur, imprimantur, vel defendantur, unde ignorantia etiam craſſa ab hac cenſura excuſat. 4. Ut tales libri legantur ſine legitima facultate, quam ſolus Sum. Pontifex dare poteſt, niſi alicui ſpeciatim conceſſerit, ut etiam aliis dare poſſit facultatem legendi libros hæreticos, *Sanch. cit. c. num.* 20. Addi poteſt quinta conditio, ut id, quod legitur, ſit materia notabilis, & ſufficiens ad peccatum mortale. Unde qui legeret unam ſolam paginam, etiam libri in folio expreſſi, excuſaretur ab hac cenſura, ob parvitatem materiæ, ſecundum *Sanch. cit. l. n.* 31. quamvis alii minorem materiam dicant eſſe ſufficientem ad incurrendam hanc cenſuram.

XXI. Præterea excommunicatio etiam lata eſt in eos, qui legunt libros prohibitos in Indice librorum edito auctoritate Pii IV. Sixti V. & Clementis VIII. & cujus fit menſio in *Concil. Trident. Seſſ.* 25. in Decreto de Indice librorum: cujuſmodi ſunt illi libri, qui continent aliquos errores, tametſi non hæreticos, vel errorum ſuſpicionem, quæ excommunicatio non eſt reſervata Papæ, ſicut excommunicatio Bullæ Cœnæ, ut docet *Becanus tom.* 2. *tract.* 1. *de fide. c.* 15. *q.* 8. *num.* 4. & 6. qui *nu.* 5. ait; ubi Bulla Cœnæ Domini, vel Index librorum prohibitorum in Germania non eſt receptus, quia a majore parte populi non obſervatur, Catholicos in Germania non eſſe excommunicatos, qui legunt libros hæreticorum, quamvis peccent mortaliter, ſi eos legant cum periculo erroris, aut deceptionis, quod frequenter fit.

§. II.

Qua communicatio Catholicis cum hæreticis ſit prohibita, vel permiſſa, & an ac quando ſint vitandi tanquam excommunicati?

XXII. Quæritur 1. An Jure Divino hæretici ſint omnino vitandi in rebus Divinis? Reſp. hæretici in rebus ſacris, ac divinis Jure Divino ſunt vitandi, nec cum illis eſt communicandum in his caſibus. Veluti 1. ſi ex communicatione cum illis in hujuſmodi rebus apud Catholicos oriatur ſcandalum, & offenſio, vel ſi ex eo ſuſpicio naſcatur, quod Catholici hæreticorum ritus, mores, aut dogmata, verbo, ſigno, vel facto profiteantur. 2. Si ex communicatione in his rebus periculum animæ ſpirituale immineat, videlicet perverſionis in fide, aut Catholicæ Religionis contemptus. 3. Si Catholicus cum hæretico habeat commercium in crimine, ob quod fuit excommunicatus. Extra hos caſus, non Jure Divino, ſed Canonico tantum hæretici in rebus ſacris ſunt vitandi, *Azor. p.* 1. *l.* 8. *c.* 10. *q.* 2.

XXIII. Quæritur 2. Quinam hæretici, & in quibus rebus vitandi ſint a Catholicis Jure Canonico? Reſp. Etſi olim omnis excommunicatus vitari debuerit, publicus quidem publice, & occulte, occultus vero ſecrete non tamen publice:

lice: poſtea tamen edita eſt a Martino V. in Concilio Conſtantienſi Conſtitutio, quæ incipit: *Ad evitanda*, & refer„tur, ut nemo poſthac teneatur, abſtinere, & ſeparare „ſe, neque evitare communicationem alicujus in admini„ſtrando, aut recipiendo Sacramenta, aut in aliis Divinis „Officiis, aut extra illa, ratione alicujus ſententiæ, aut „cenſuræ Eccleſiaſticæ, aut ſuſpenſionis, aut prohibitionis „ab homine, vel a Jure generaliter promulgatæ, neque „ſervare interdictum Eccleſiaſticum, ſi illa cenſura non „fuerit promulgata, & denunciata ſpecialiter, & expreſ„ſe a Judice contra certam aliquam perſonam, Collegium, „Univerſitatem, Eccleſiam, aut locum certum: neque ma„nifeſte conſtet incurriſſe ſententiam excommunicationis, „ita ut nullo modo, poſſit occultari, vel per aliquod re„medium Juris excuſari: vel niſi fuerint notorii Clerico„rum percuſſores.

Quare neque hæretici manifeſti, & notorii, ratione excommunicationis latæ in eos Jure communi, & in Bulla Cœnæ Domini, ſunt vitandi, neque interdicta eſt communicatio cum illis, niſi nominatim, & expreſſe ſint denunciati, quia favor Concilii Conſtantienſis conceſſus omnibus fidelibus, ut non teneantur vitare excommunicatos, qui non ſunt nominatim denunciati, aut notorii percuſſores Clericorum, comprehendit etiam hæreticos, cum ſpecialiter ibi non ſint excepti, & Conſtitutio Generaliter loquatur de omnibus excommunicatis. Neque etiam in Bulla Cœnæ Domini excommun. 1, cenſentur nominatim excommunicati, ac vitandi Lutherani, Calviniſtæ, & alii ſectarii ibi ſpecialiter expreſſi, donec nominatim, & ſigillatim denuncientur, & exprimantur; quia illa denunciatio ſolum generalis eſt, non ſpecialis, ut docet *Azor. cit. cap.* 11. *q.* 1. *Sanch. l.* 2. *mor. c.* 9. *num.* 3. alii. Quin imo quamvis valde probabile ſit, quod ille, qui per ſententiam nominatim hæreticus eſt condemnatus, & declaratus, tanquam nominatim excommunicatus, ſtatim ſit vitandus, quia cum excommunicatio ex clara Juris diſpoſitione ſit hæreſi annexa, hoc ipſo, quod aliquis nominatim eſt hæreticus declaratus, & de hæreſi condemnatus, cenſeri debet etiam declaratus excommunicatus; adeoque vitandus erit ut docet *Gutierez. qq. Canon. l.* 1. *c.* 1. *num.* 42. *Henriq. Suar.* & alii citt. apud *Sanch. cit. l. num.* 4. Nihilominus tamen ipſe non, improbabiliter tenet contrarium, nempe non cenſeri tunc nominatim excommunicatum, quia in Decreto Concilii Conſtantienſis dicitur, neminem teneri vitare excommunicatum, niſi cenſura a Judice fuerit denunciata contra perſonam ſpecialiter, & expreſſe: at ſi quis denuncietur tantum hæreticus, vel reus alterius criminis, cui conſtat excommunicationem eſſe annexam, non eſt denunciata cenſura ſpecialiter, & expreſſa in perſonam ipſius, ſed ſolum virtualiter, & per quandam conſequentiam. Cum autem hæc Conſtitutio edita ſit in favorem animarum, potius extendi debet, ut formalis, & expreſſa declaratio cenſuræ requiratur, quam reſtringi: præſertim cum multi excommunicationem illi crimini annexam ignorent, & ideo periculis, & dubiis conſcientiæ ſubjiciantur, ſi obligati ſint eos vitare, propter ſolam criminis declarationem. *Sanch. cit. c.* 9. *num.* 4. ubi in fine addit, idem dicendum eſſe, ſi quis declaretur eſſe hæreticus, & incurriſſe omnes illius pœnas, quia nondum eſt ſpecialiter, & expreſſe denunciatus excommunicatus, & multi adhuc neſcirent ſub cenſuris comprehendi excommunicationem.

XXIV. Ex dictis plura corollaria practica deduci poſſunt, primo licitum eſſe Catholicis, præſertim in locis, ubi permixti cum hæreticis vivunt, ut in Germania, Gallia, Anglia, & Polonia, civilia commercia cum eis inire, quia, quamvis ſint publici & notorii hæretici, non tamen ſunt expreſſe, & nominatim denunciati, *Azor. cit. c.* 11. *q.* 1. *Sanch. cit. c.* 9. *num.* 5.

Infertur 2. Licitum eſſe cum hæreticis nondum denunciatis ſimul orare, & rem Divinam, ac Conciones cum eis audire, & funus ad ſepulchrum comitari: ſicut enim licitum eſt communicare cum vivo hæretico non denunciato, & eum comitari ad rem per ſe licitam, ita & eum mortuo, deducendo eum ad ſepulturam, *Navarr. conſil.* 12. *num.* 7. *h. t. Azor. cit. c.* 11. *q.* 2. & 4. Quod tamen limitandum eſt, dummodo id non fiat, animo favendi hæreticis, ut hæretici ſunt, quia hoc intrinſece malum eſt, ſed ſolo affectu humanitatis, & amicitiæ. 2. Dummodo id fiat ſine ſcandalo, & offenſione Catholicorum, & ſine communicatione in ritibus, & ceremoniis hæreticorum. 3. Dummodo hæretici ſepeliantur, non in loco ſacro, ſed profano; quia alias comitarentur ad rem illicitam, & cooperarentur peccato ſepelientium, *Navarr. cit. l. num.* 8. *Sanch. cit. c.* 9. *num.* 7.

Infertur 3. Licitum eſſe templa hæreticorum adire, & in eis preces fundere, ritu Catholico, vel Conciones eorum audire, ſi ex juſta cauſa fiat, v. g. ut famulus Dominum ſuum comitetur: vel ut errores Miniſtri hæretici annotentur ad confutandum, modo abſit ſcandalum, & periculum propriæ perverſionis, *Azor. cit. c.* 11. *q.* 4. *Becanus tr. de fide. c.* 9. *q.* 5. nn. 17. *Laym. l.* 2. *tr.* 1. *c.* 12. *num.* 5. *Sanch. l.* 2. *mor. c.* 4. *num.* 26. neque id eſt per ſe ſignum profeſſionis falſæ fidei: cum audire Conciones hæreticas ſit quid indifferens, & ordinari poſſit ad varios fines, malos, & bonos.

XXV. Infertur 4. Illicitum eſt Catholicis a Parochis, & Epiſcopis hæreticis Sacramenta recipere, ſive baptiſmi extra caſum neceſſitatis, ſive Euchariſtiæ, ſive pœnitentiæ, ſive alia, inde oriatur ſcandalum, vel periculum perverſionis: vel ſi Sacramenta ritibus hæreticis miniſtrentur: quamvis, quantum eſt præciſe ex vi hæreſis, & excommunicationis, id non ſit directe prohibitum, ſi hæretici illi non ſint nominatim denunciati, vel notorii Clericorum percuſſores; adeoque non ſint vitandi, *Sanch. cit. c.* 9. *num.* 10. & in extremo vitæ periculo etiam Sacramentum pœnitentiæ ab hæretico Presbytero rite ordinato percipere eſſe licitum, docet *Azor. cit. c.* 11. *q.* 10. & *Navarr. conſil.* 10. nn. 2. *num. cit.* quia tunc excommunicatus etiam denunciatus non caret juriſdictione.

Similiter generatim loquendo, illicitum eſt Catholicis contrahere matrimonium cum hæreticis, quamvis illud ſit validum: tum quia id ſpecialiter prohibitum eſt Jure Eccleſiaſtico in *c. Cave.* 15. & *c. Non oportet.* 16. *cauſ.* 28. *q.* 1. tum quia præbetur aliis ſcandalum: tum quia per tale matrimonium conjux Catholicus exponit ſe, & liberos periculo perverſionis: & quia ſacrilegium committitur, dum profanatur Sacramentum, illudque hæreticis adminiſtratur; poſſent tamen aliquando talia matrimonia inita cum hæreticis, qui non ſunt expreſſe denunciati, nec manifeſti Clericorum percuſſores, in Germania, aliiſque locis, in quibus Catholici cum hæreticis permixti degunt, excuſari a peccato, ratione conſuetudinis receptæ, ac toleratæ, per quam etiam antiquis Canonibus eſt derogatum, vel illi omnino non ſunt uſu recepti: dummodo prædicta pericula, & incommoda abſint, & ab initio contractus excipiatur, ut liberi progenerandi catholice educentur, nec non conjux Catholicus libere fidem, & Religionem Catholicam in omnibus profiteri permittatur, atque eis gravis cauſa ſubſit, ut quia ſpes eſt probabilis, conjugem hæreticum convertendi ad fidem Catholicam, aut alia ſimilis cauſa, ratione cujus conjux Catholicus non cenſebitur cooperari ſacrilegio conjugis hæretici, ſed permiſſive ſolum ſe habere, *Azor. cit. c.* 11. *q.* 5. *Sanch. cit. c.* 9. *num.* 9. *Becan. cit. c.* 9. *quaſt.* 3. *num.* 20. & 21.

XXVI. Infertur 5. Licitum eſt Catholico in prædictis locis filium hæretici e baptiſmo ſuſcipere, ſi hic ritu, & modo Catholico, non hæretico miniſtretur; quia id nullo modo eſt prohibitum. Quamvis vice verſa non ſit licitum, ut Catholicus adhibeat hæreticum in patrinum filii ſui, quia juxta Canones Eccleſiæ, patrini officium eſt ſuſceptum e baptiſmo inſtruere in primis fidei Rudimentis; ideoque hæreticus hoc munus obire non poteſt, *Navarr.* . 1. *conſ.* 1. *nn.* 67. *de conſtit. Azor. cit. c.* 12. *q.* 9. *Sanch. cit. c.* 9. *num.* 12.

Infertur 6. Poſſunt filii hæreticorum admitti ad ſcholas Catholicorum, etiamſi jam adulti ſint, & erroribus hæreticis imbuti; quia non ſunt nominatim denunciati: non tamen poſſunt filii Catholicorum adire ſcholas hæreticorum, ob periculum perverſionis, *Navarr. cit. l. num.* 64. *Azor. cit. l. q.* 8. *Sanch. cit. l. num.* 11.

§. III.

An liceat diſputare de fide cum hæreticis, vel aliis, & quando ac quomodo? & an etiam licitum ſit Laicis prædicare?

XXVII. Aſſertio 1. Laicis interdictum eſt de fide Catholica diſputare, ſub pœna excommunicationis, prout ſtatutum eſt in *c. Quicunque* 2. §. *Inhibemus h. t. in* 6. ubi prohibetur, ne cuiquam Laicæ perſonæ liceat publice, vel „privatim de fide Catholica diſputare, qui vero contra „fecerit, excommunicari debet.

Idq; extenditur 1. Ut Laici, etſi docti ſint, de fide diſputare non poſſint, quia leges non de iis, quæ raro, ſed quæ frequenter, & communiter accidunt, feruntur, *l. Nam ad ea* 14. *ff. de legib.* at Laici frequenter ſunt indocti, & imperiti, ideo de fide Catholica diſputare univerſim omnibus Laicis eſt interdictum, etiam doctis, ne alioquin diſputante docto Laico, etiam rudes, & imperiti anſam diſputandi de fide Catholica accipiant, *Azor. p.* 1. *l.* 8. *c.* 26. *quaſt.* 1. *Sanch. l.* 2. *moral. c.* 6. *num.* 5. *Farinac. tract. de hæreſi quaſt.* 178. *num.* 112. Ex quo infertur, quod Clerici etiam prima ſolum tonſura initiati, & indocti non contineantur ſub hac prohibitione Alexandri IV. in *cit. c.* 2. quamvis tales indocti Clerici diſputando de fide, peccent contra legem naturalem, exponendo ſe periculo errandi in multis. Nec refert, quod etiam Clericis prohibitum ſit publice diſputare de fide, in *l. Nemo* 4. *C. de S. Trinit.* quia cum lex illa ſit Imperatoris, & Civilis, ac de rebus ſpiritualibus diſponat, non poteſt obligare Clericos, niſi a Jure Canonico confirmetur, *Azor. c. l. q.* 2. *Sanch. c. l. num.* 8.

Extenditur 2. Quod etiam Clericis regulariter non ſit licitum diſputare de fide cum hæreticis, *c. Cum quibus* 36. *in fine*, & *ibi Gl. V. certamen. cauſ.* 24. *q.* 3. *Farinac. c. l. numer.* 114. quod præſertim intelligendum eſt de diſputatione cum hæreticis, qui aliquo modo fuerunt Magiſtri erroris, tales enim ſunt pertinaces in errore, & obſtinati, unde ex diſputatione cum illis nulla ſpes eſt converſionis: ſed potius major perturbatio pacis inde ſequitur, *Sanch. c. l. n.* 18. *Becan. tr. de fide c.* 15. *q.* 7. *num.* 11.

Extenditur 3. Quod etiam doctis Clericis non liceat diſputare de fide cum hæreticis, coram ſimplicioribus, quia eſt periculum, ne auditis hæreticorum argumentis, in fide incipiant dubitare, aut titubare, niſi is, qui diſputat cum hæreticis, non ſolum ſit vir doctus, ſed clarus, qui poſſit ita perſpicue proponere ſolutiones argumentorum, ut etiam rudes, & ſimplices facile capere poſſint, quod tamen raro contingit: vel niſi ſimpliciores ab hæreticis ſollicitentur ad hæreſim, tunc enim tenentur viri docti coram ſimplicibus ſe illis opponere, & veram fidem diſputando defendere, *Sanch. c. l. num.* 10. *Farinac. c. l. num.* 126.

XXVIII. Limitatur autem ſupra dicta aſſertio 1. quod licitum ſit cum hæreticis diſputare de fide, etiam publice, coram inſtructis, & firmis in fide, confutando eorum errores, & ad defenſionem fidei, *S. Tho.* 2. 2. *q.* 10. *art.* 7. *in corp. Gl. in cit. c. Cum quibus V. Certamen. Farin. c. l. num.* 125.

Limitatur 2. Non eſt prohibitum doctis Theologis inter ſe ipſos, vel etiam coram ſapientibus, & in fide firmis, diſputare de controverſiis fidei, ſi id fiat non ad fidei veritatem in dubium revocandam, ſed ut hæretici confundantur, &

con-

Digitized by Google

convincantur, vel exercitii gratia *S. Tho. c. l. Sanch. cit. ſ. 6. num. 9. Farinac. c. l. num. 125. & ſeq.*

Limitatur 3. Quod etiam Laicus diſputare poſſit cum hæretico, in caſu magnæ neceſſitatis, vel utilitatis, ut ſi in aliquo loco eſſet aliquis hæreticus, qui perverteret fideles, & nullus eſſet Eccleſiaſticus, vel Religioſus, qui ei poſſet reſiſtere, tunc enim Laico, ſi ſufficienter doctus ſit, non ſolum licitum eſt diſputare cum illo hæretico, ſed etiam ad id ex lege charitatis teneretur, ut proximorum ſaluti ſpirituali conſuleret, *Sanch. c. l. num. 7. Becan. c. l. num. 6.*

Limitatur 4. Quod Laici, præſertim docti, qui in Germania, & aliis locis, ubi Catholici cum hæreticis ſunt permixti, non peccant, nec excommunicationem incurrunt, etſi cum hæreticis diſputent de fide, quia prædicta Conſtitutio in his locis non eſt uſu recepta, aut per contrariam conſuetudinem abrogata, *Sanch. c. l. & Becan.*

Porro excommunicatio decreta in *cit. c.* 2. §. *Inhibemus* in Laicos diſputantes de fide, non eſt latæ ſententiæ, ſed ferendæ, hoc eſt, non incurritur ipſo facto, ſeu jure, ſed opus eſt, ut præcedat monitio, & ſententia Judicis, ut colligitur ex verbis textus: *Qui contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur*, quod eſt verbum futuri temporis, alias dixiſſet Papa, *ſit innodatus, vel eo ipſo*, vel ſimilia *Gl. ibid. V. Innodetur. Azor. c. l. q. 1. Sanch. c. l. num. 3.*

XXIX. Aſſertio 2. Sicut Laicis interdictum eſt diſputare ,, de fide, publice, vel occulte: ita & prædicare, prout ſtatuitur in *c. Cum ex injuncto* 12. *h. t.* ubi inprimis improbat Papa Innocentius III. occulta conventicula, quæ Laici celebrant, cum Chriſtus miſſurus ſuos Apoſtolos ad prædicandum eis præceperit: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine*, *Matth.* 10. Deinde arguit Laicos, qui officium prædicationis ſibi aſſumunt *ſicut enim multa ſunt membra corporis, ſed non habent eundem actum*, 1. *Cor.* 12. ita multi ſunt in Eccleſia Ordines, ſed non omnes habent idem officium, quia alios addit Apoſtolos, alios Prophetas, alios Doctores, *Eph.* 4. Sed Ordo Doctorum præcipuus eſt in Eccleſia, ideo non debet quis indifferenter officium prædicationis aſſumere, quia ſecundum Apoſtolum ad *Rom.* 10. *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* & Chriſtus ipſe ait *Luc.* 10. *Rogate Dominum meſſis*, & Chriſtus ipſe ait *Luc.* 10. *Rogate Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam.* Sed ſi forte quis diceret, quod tales inviſibiliter mittantur a DEO etſi non mittantur viſibiliter ab homine, poteſt ei reſponderi, quod, cum illa miſſio ſit occulta, non ſufficit cuiquam nude dicere, quod ſit miſſus a DEO, cum hoc quilibet hæreticus aſſeveret, ſed oportet, ut illam inviſibilem miſſionem aſtruat per operationem miraculi, vel Scripturæ teſtimonium ſpeciale, exemplo Moyſis; *Exodi* 7. & Jo. Baptiſtæ, de cujus miſſione a DEO Iſaias ait *cap.* 40. *Ego vox clamantis in deſerto, &c.* Præterea in §. *Licet autem eod. c.* dicit Papa, quod nullus eludere debeat ſimplicitatem Sacerdotum: licet enim valde neceſſaria ſit ſcientia Sacerdotibus ad doctrinam, non eſt tamen ſimplicibus Sacerdotibus detrahendum, etiam a Scholaſticis, nedum a Laicis, cum in illis debeat officium Sacerdotale honorari, juxta præceptum Domini *Exodi* 22. *Diis non detrahas*, id eſt, Sacerdotibus, qui propter Ordinis, & officii excellentiam, & dignitatem Dii nuncupantur. Nec aliquis ex iſtis defendat audaciam ſuam illo exemplo, quod aſina reprehenderit Prophetam Balaam, *Num.* 22. vel quia Chriſtus ait, *Joan.* 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* quia aliud eſt, cum quis occulte reprehendit fratrem ſuum in ſe peccantem, ad quod quilibet tenetur, ſecundum Evangelium, *Matth.* 18. de quo poteſt intelligi quodammodo, quod Balaam fuerit correptus ab aſina: & aliud eſt, patrem (in pleriſque Codicibus legitur, fratrem, ut notat *Gl. marg. hic*) manifeſte reprehendere quod nulli licet. Rurſus aliud eſt, quod Prælatus ſponte, de ſua confiſus innocentia, ſe ſubmittat accuſationi ſubditorum, in quo caſu debet intelligi verbum Chriſti, *Quis ex vobis, &c.* & aliud eſt, ſi ſubditus, animo non tam reprehendendi, quam detrahendi, exurgit in Prælatum, cum potius ei debeat obſequi. Quod ſi forte neceſſitas poſtulet, ut Sacerdos, ſeu Paſtor, tanquam inutilis, & indignus debeat removeri a cura gregis, agendum eſt ordinate apud Epiſcopum, ad cujus officium pertinet, tam inſtitutio, quam deſtitutio Sacerdotum.

Hinc colligitur, quod Laici, quamvis idonei, prædicare non debeant, nec etiam Clerici niſi ex officio eis id competat, & poteſtate ordinaria, qualem habent Curati, *Gl. hic in notat. & V. alios.*

,, XXX. Similiter prohibentur etiam prædicare Laici in *c. Sicut.* 14. *h. t.* ubi Gregorius IX. mandat ut Laicis univerſis, cujuſcunque ordinis ſint, interdicatur, ne officium prædicandi uſurpent, cum Dominus dederit alios Apoſtolos, alios Prophetas, alios vero Doctores, & Doctorum Ordo ſit quaſi præcipuus in Eccleſia DEI, & quia verendum eſt, ne vitiis ſub ſpecie virtutum occulte ſubintrent.

,, XXXI. Denique in *c. Excommunicamus* 13. §. *Quia vero h. t.* decernitur, ut omnes, qui prohibiti, & non miſſi, præter auctoritatem a Sede Apoſtolica, vel Catholico Epiſcopo loci acceptam, publice, vel privatim, prædicationis officium uſurpare præſumpſerint, excommunicentur, cum Apoſtolus dicat, quomodo prædicabunt, niſi mittantur: & niſi quamprimum reſipuerint, alia competente pœna plectentur. Porro non ſolum Papa, vel Epiſcopus, ſed etiam inferiores Prælati, & Rectores poſſunt poteſtatem prædicandi aliis approbatis, & ad hoc idoneis concedere in Eccleſiis ſuis, ſed generalem licentiam prædicandi per totam Diœceſim, non poteſt dare, niſi Epiſcopus, loci, vel Papa per univerſum mundum, quale privilegium habent Religioſi mendicantes, limitatam tamen, juxta *Clement. Dudum* 2. *de ſepult. Abb. in cit. c.* §. *Quia vero nu.* 12.

§. IV.

An, & quando excommunicati, propter ſuſpicionem de hæreſi, tanquam hæretici condemnari poſſint?

XXXII. Aſſertio unica, ſuſpecti de hæreſi, niſi juxta ,, conſiderationem ſuſpicionis, & qualitatem perſonæ, ſe debite purgaverint, excommunicari debent, & vitari, donec competenter ſatisfecerint: & ſi per annum in excommunicatione perſtiterint, tunc tanquam hæretici ſunt condemnandi prout ſtatuitur in *c. Excommunicamus* 13. §. *Qui autem h. t.* Ratio eſt, quia contumaciter perſiſtens in excommunicatione, juris præſumptione cenſetur fateri crimen, propter quod eſt excommunicatus; ideoque tanquam confeſſus, & convictus condemnari poteſt, *c. Rurſus* 36. & *c. Quicunque* 37. *c.* 11. *q.* 3. *Barb. in collect. hic n.* 10. idem quoad priorem partem habetur in *c. ad abolendam.* 9. §. *Qui vero h. tit.* ubi dicitur: ,, Qui vero inventi fuerint ſolum ſuſpecti de hæreſi, niſi ad arbitrium Epiſcopi, juxta ſuſpicionis conſiderationem, & qualitatem perſonæ, innocentiam ſuam congrue purgaverint, ſimili ſententiæ excommunicationis ſubjacebunt.

Idque extenditur, quod hujuſmodi excommunicatus, quia ſuſpectus de hæreſi, & citatus contumax fuit, & non comparuit, ſi per annum in excommunicatione permaneat, ipſo jure abſque alia ſententia condemnatoria, ſit habendus, ut hæreticus, ut poſt *Hoſtienſ. & Jo. Andr. hic n.* 4. tradit *Abb. ib. n.* 11. & ſumitur ex *Auth. Gazaros. C. de hæretic.* ubi in fine dicitur: Quod ſi ſic per annum permanſerint, ex tunc omnes tanquam hæreticos condemnamus; adeoque poſt annum ipſo jure ſunt condemnati: quæ lex, ſicut & aliæ LL. Civiles conditæ contra hæreticos in favorem fidei ſunt approbatæ per Papam, *c. ut inquiſitionis.* 18. *h. t. in* 6. *Jo. Andr. n.* 2. & *Abb. n.* 12. requiritur tamen ſententia declaratoria criminis, *Barb. hic na.* 10.

XXXIII. Similiter in *c. Cum contumac.* 7. *h. t. in* 6. dici- ,, tur: Cum contumacia, præſertim in cauſa fidei, ſuſpicioni vehementem præſumptionem adjiciat: ſi ſuſpectus de hæreſi vocatus ab Inquiſitoribus fidei reſpondeat (id quod exprimi debet in citatione, ut ſcilicet de fide veniat reſponſurus, *Gl. hic V. Reſpondeat*) ipſe vero, quia in termino præfixo non comparuit, ſed contumaciter ſe abſentarit, fuerit excommunicatus: & per annum excommunicationem animo pertinaci ſuſtinuit, ſive in ea perſtitit, ex tunc velut hæreticus condemnetur.

XXXIV. Pro explicatione notandum 1. Ut ſuſpectus de fide condemnari poſſit, tanquam hæreticus, requiritur. 1. Ut citationem præceſſerit probabilis ſuſpicio de hæreſi, nam ſic ſuſpectus citari debet, cum aſſignatione termini ad reſpondendum, & ſe purgandum, ita ut utrumque requiratur, & citatio, & aſſignatio termini, neque alterutrum tantum ſufficiat, *Hoſtienſ. in cit. c. excommunicamus col.* 5. *in fine Farin. tract. de hæreſi q.* 192. §. 2. *n.* 26. 27. & 31. 2. Requiritur, ut integer annus ſit elapſus, iſque non interruptus, ſed continuus, *cit. c. Cum contumacia*, ibi: *per annum*, præpoſitio enim *per* continuationem temporis ſignificat, *l. Urbana* 166. *in fine ff. de V. S.* ubi dicitur, *per enim totum actum ſignificat. Farin. ib. num.* 2. 3. Ut per annum manſerit in excommunicatione, cum pertinacia, aut contumacia, quæ includit contemptum poteſtatis Clavium, ſeu juriſdictionis Eccleſiaſticæ: nam ſi infra annum impeditus fuit ex quacunque juſta cauſa, ob quam comparere, & reſpondere non potuit in Judicio, vel abſolutionem petiit, vel ſatisfactionem obtulit, vel denique ea dixit, aut fecit, quæ ipſum vere eſſe Catholicum oſtenderint, non poteſt etiam poſt annum haberi tanquam convictus, & vere pertinax hæreticus, *Jo. Andr. in cit. c. Cum contumacia*, & *Farin. num.* 2. *Sanch. l.* 2. *moral. c.* 27. *num.* 19. Idemque eſt, ſi ante annum elapſum excommunicatus obierit, integri enim ſtatus decedere dicitur, *Farin. cit. l. n.* 36. Annus vero computari debet, non a die excommunicationis incurſæ, ſed a die, quo nominatim fuit excommunicatus, & declaratus, quia ex illo die reputatur eſſe contumax.

Notandum 2. Excommunicatus propter ſuſpicionem de hæreſi, quia citatus non comparuit, & per annum in excommunicatione contumaciter perſiſtens, habetur pro confeſſo, & convicto hæretico, ita ut dictio *velut* poſita in fine *cit. c. Cum contumacia*, ſit expreſſiva veritatis, non nota improprietatis, *Farinac. ib. num.* 2. & quamvis forte coram DEO non ſit hæreticus, eſt tamen præſumptus hæreticus judicandus, præſumptione juris & de jure, quæ probationem in contrarium non admittit poſt annum, *Hoſtienſ. in cit. c. Excommunicamus. col.* 7. *Velut hæretici.* Contrarium tamen tenet *Menoch. de arbitr. Judi. caſu* 416. *num.* 38. & *ſeqq. Salzedo in praxi crim. Can. cap.* 119. *num.* 10. quod perſiſtens in excommunicatione, etiam poſt annum, poſſit allegare, & probare ſuam innocentiam, *Arg. lib.* 2. *C. de requirendis reis*, ubi Banniti habentur confeſſi, & convicti, & tamen admittuntur ad probandam ſuam innocentiam, et proinde hæc contumacia annalis hoc ſolum operatur, ut fiſcus, vel accuſator, aut actor relevetur ab onere probandi accuſationem, vel actionem a ſe propoſitam, cujus probationis loco, lex ſubrogavit præſumptam hanc excommunicati confeſſionem: quare aliis probationibus is ſuam innocentiam probare poterit, quia contumacia non eſt vera, & clara confeſſio, ſed a jure præſumpta, ſeu ficta, contra quam admittitur probatio, & innocentiæ probatio nunquam cenſetur excluſa, etiamſi lata ſit ſententia. Et hæc ſententia eſt æquior. Nec obſtet textus in *citat. cap. Rurſus. cauſ.* 11. *quæſt.* 3. ubi dicitur: Inſordeſcentem per annum in excommunicatione, non eſſe audiendum amplius: quia id intel-

ligen-

Digitized by Google

ligendum eſt, quando ſæpius monitus, orſusm innocentiam purget, id neglexit, tunc enim juſtiſſime ab ejus probatione repellitur poſt annum, talia enim dicitur non tantum negligere, ſed etiam poſitive, & proprie contemnere Judicem, *Menoch. c. l. Salzedo c. l.* n. 10.

XXXV. Notandum 3. Si poſt præſumptionem vehementem ſuperveniat alia præſumptio, eam confirmans, tunc prior illa præſumptio tranſit in violentam, eamque inducit, ea qua deveniri poteſt ad ſententiam condemnatoriam, etiam in criminibus graviſſimis, licet non ex ſola præſumptione vehemente, ut in caſu *cit. c. Cum contumacia*, ſi is, qui leviter eſt ſuſpectus de hæreſi, quæ ſuſpicio levis ſufficiens eſt ad purgationem indicendam, ſi citatus ut veniat de fide reſponſurus intra terminum aſſignatum non veniat, ſuſpicio illa tranſit in vehementem, & ſi propter contumaciam excommunicatus per annum in excommunicatione perſiſtat, tunc præſumptio, quæ erat vehemens, tranſit in violentam, ideoque ex tunc ut hæreticus condemnatur, ac punitur, *Gl. in cit. c. Cum contumacia. V. Vehementem. Farin. ib. num.* 3. *Salzedo c. l.* n. 12. §. *Quinto*. Quare hi ſunt gradus, per quos deveniri poteſt ad condemnationem criminis hæreſeos, ut colligitur ex *cit. cap. Excommunicamus.* §. *Qui autem.* & notat *Hoſtienſ. ib. col.* 1. *V. condemnetur*. Primus eſt ſuſpicio, ſecundus, propter hanc ſuſpicionem indicitur reo purgatio, tertius, ſi negligat ſe purgare, fertur in eum excommunicatio: quartus, ſi in hac per annum pertinaciter permaneat, ſequitur ejuſdem condemnatio: quanto autem tempore, poſt elapſum annum, expectandum ſit, ut Judex reum condemnet, ſeu declaret hæreticum id ejuſdem arbitrio relinquitur, *Menoch. c. l. n.* 65. *Salzedo c. l.* n. *ult.*

Notandum 4. Si poſt annum elapſum, ante ſententiam condemnatoriam latam, aut executioni mandatam, is, qui citatus non comparuit, ſe ſiſtat in Judicio: tunc ſi non ſolum purget ſuſpicionem criminis, ſed etiam contumaciam, quia oſtendit ſe legitime impeditum fuiſſe, omnem pœnam effugiet, & ſententia condemnatoria revocari debet, ſi lata ſit: ſi vero ſolum innocentiam objecti criminis probaverit, non autem contumaciam excuſaverit, tunc non poteſt ut hæreſis, probata innocentia, nec puniri pœna corporali, vel confiſcationis bonorum, ſed ſolum pœna arbitraria. Quin imo etſi innocentiam ſuam plene probaverit, ſed ſuſpectus adhuc maneat de hæreſi, eam abjurare debet, & pœna arbitraria puniri, quia pœnæ ordinariæ hæreticis jure decretæ, non ficto hæretico; ſeu de hæreſi ſuſpecto, ſed vero, ſive ut tali convicto imponi debent, *Salzedo cit. c.* 119. *num.* 12. §. *Quinto*, & *ſexto*.

Notandum 5. Qui propter aliud crimen, præter hæreſim, v. g. propter perjurium, fuit excommunicatus, quia citatus per contumaciam non comparuit, & in excommunicatione illa per annum permanſit, habetur pro confeſſo, & convicto de illo crimine, juris interpretatione, ita ut Judex poſſit ſtatim ad ſententiam condemnatoriam procedere, & poſt annum non amplius audiatur, ut conſtat ex *cap. Rurſus* 36. & *ſeq. cauſ.* 11. *quæſt.* 3. modo conditiones ſupra requiſitæ adſint: quamvis nihilominus poſt annum poſſit allegare, & probare innocentiam ſuam, quippe quæ nunquam excluſa cenſetur, cum pertineat ad defenſionem naturalem, juxta ſupra dicta, *Menoch. c. l. num.* 38. *Salzedo cit. c.* 129. *num.* 10.

XXXVI. Porro excommunicatus, ob aliam cauſam, quæ ad fidem non pertinet, ſi in excommunicatione per annum contumaciter perſeveret, non quidem haberi poteſt pro confeſſo, vel convicto hæretico, redditur tamen de hæreſi ſuſpectus, ut patet ex Concilio Tridentino *Seſſ.* 25. *c.* 3. *de reform.* ita ut poſſit cogi ad reſpondendum, & indici ipſi purgatio, & contra eum inquiri de hæreſi, quia præſumitur male ſentire de articulis fidei, contemnendo per tantum tempus auctoritatem, & poteſtatem *Gl. fin. in cit. cap. Cum contumacia in addit. h. t. in* 6. *num.* 4. An autem idem dicendum ſit, ſi quis fuerit excommunicatus propter contumaciam in cauſa civili, & per annum in excommunicatione perſiſtat, quod habendus ſit pro confeſſo, & convicto in illa cauſa civili, dubitatur. Negat *Farin. cit. l.* etiamſi per mille annos in ea perſeveraverit, quia dicti Canones non loquuntur de cauſa civili, ſed *c. rurſus.* de cauſa criminali, *c.* vero *Quicunque* de crimine; ſive agatur civiliter, ſive criminaliter, ſecundum *Gl. in c. Contingit* 15. V. *Non poteſt de dolo & contum.* Affirmat vero *Menoch. cit. caſu* 416. *n.* 36. *Salzedo cit. l. num.* 9. poſt *Covarr. in c. Alma. p.* 1. §. 7. *n.* 10. Ratio eſt quia, ſi perſeverantia in excommunicatione in cauſa criminali hunc effectum habet, ut perſiſtens in illa per annum pro confeſſo, & convicto habeatur, quanto magis id operabitur in cauſa civili, in qua non ita claræ, & efficaces probationes requiruntur, *l. ult. C. de probat.* Et hæc ſententia eſt probabilior.

Illud certum eſt, perſeverantem in excommunicatione etiam lata ob cauſam civilem, poſt annum, haberi pro ſuſpecto de hæreſi, ut patet ex illis verbis Concilii ſupra *cit. loc. Excommunicatus, quicunque poſt legitimas monitiones non reſipuerit*, &c. ubi non diſtinguitur inter excommunicatum, ex cauſa criminali, & ex cauſa civili, adeoque uterque comprehenditur, nam contumacia eſt uniformis, & ejuſdem rationis: imo major videtur in cauſa civili, quippe leviori, & quæ ordinario minus impedire poteſt excommunicatum a comparendo in Judicio, *Menoch. c. l. n.* 5. *Salzedo. c. l. n.* 12. §. *primo*.

Prædictis addendum, quod excommunicatus ob quamcunque cauſam, ſive criminalem, ſive civilem, & in excommunicatione perſiſtens, ultra annum, dignitatibus, & beneficiis Eccleſiaſticis privandus ſit, ut colligitur ex *c. Cum bona.* 8. *de ætat. & qualit.* &c. & docet *Menoch. c. l. n.* 48. 52. & 53. *Salzedo c. l. n.* 13. quia poſt annum elapſum, non conſideratur amplius ſola illa cauſa, ob quam excommunicatio lata eſt, utrum ſit cauſa criminalis, an civilis, ſed nova illa, quæ a perſeverantia, ſive pertinacia orta novum eſt delictum, nempe contemptus interpretativus Clavium, ſive poteſtatis Eccleſiæ, ob quam infertur pœna privationis beneficiorum.

§. V.

De abſolutione ab hæreſi, & excommunicatione ei annexa.

XXXVII. Præmittendum, non ſolum excommunicationem, ſed etiam ipſum crimen, ſeu peccatum hæreſis eſſe per ſe, & immediate S. Pontifici reſervatum, & non tantum mediate, & per accidens, quia nimirum nullus a culpa abſolvi poteſt, niſi prius a cenſura ei annexa abſolvatur, ac proinde abſolutio ab hæreſi, quoad culpam, etiam bona fide facta ſit ab eo, qui caret facultate abſolvendi a cenſura excommunicationis ei annexa, irrita eſt, & quoad cenſuram, & quoad culpam, ſeu peccatum, ideoque peccatum illud reus iterum confiteri debet, quod non eſſet reſervatum per ſe: tunc enim abſolutio peccati valeret, & ſola cenſura excommunicationis maneret, a qua de novo abſolvendus foret, quia prima abſolutio invalida fuit, ob defectum poteſtatis abſolvendi. At vero ſublata excommunicatione hæreſis per eum, qui legitime poteſt ab illa abſolvere, ceſſat quoque peccati reſervatio, ita ut quilibet confeſſarius ab hæreſis peccato abſolvere poſſit, quia ſicut peccatum hæreſis, & cenſura ab initio ſunt connexa, ut culpa ſine cenſura non reſervetur, ita etiam ſublata cenſura, cenſetur ſublata reſervatio culpæ: & conceſſa poteſtate abſolvendi a cenſura, cenſetur etiam conceſſa facultas abſolvendi a culpa hæreſis, & vice verſa. Quare ſi hæreticus ignoret, hæreſi annexam eſſe excommunicationem, eam non incurrit, poteſtque quoad culpam a quovis Confeſſario abſolvi; *Sanch. l.* 2. *moral. c.* 8. *n.* 5. & *c.* 11. n. 1.

XXXVIII. Quæritur 1. An Epiſcopi poſſint abſolvere ab hæreſi, & excommunicatione ei annexa? Reſp. In Concilio Tridentino *Seſſ.* 24. *c.* 6. *de reform.* conceſſa fuit Epiſcopis facultas, ut poſſint abſolvere ab hæreſis crimine occulto, in foro conſcientiæ, per ſeipſos tantum, non eorum Vicarios. Circa quod Decretum notandum 1. nomine Epiſcopi intelliguntur 1. omnes ii, qui ſubditos habent, quia ratione ſubditorum in propria Diœceſi datur iis hæc facultas, etiam electi, & confirmati, etſi conſecrati non ſint, imo nec Sacerdotes, quia abſolutio ab excommunicatione non eſt abſolutio Sacramentalis, etiamſi fiat in foro conſcientiæ tantum, ſed actus juriſdictionis, *Sanch. l.* 2. *mor. c.* 11. *n.* 3. *Barboſ. de offic. Epiſc. alleg.* 39. *nn.* 2. & 3. Secundo eadem poteſtas competit Capitulo, vacante Sede Epiſcopali, ut tenet *Sanch. c. l. num.* 4. quia hoc ſuccedit Epiſcopo in juriſdictione ordinaria. Contrarium tamen tradit poſt *Suarez. Caſtro Palao, l.* 1. *tract.* 4. *diſ.* 4. *pun.* 3. §. 1. *num.* 3. quia hæc poteſtas jure ſpeciali eſt conceſſa Epiſcopis tantum, & non eorum Vicariis: Capitulum vero exercet juriſdictionem per Vicarium a ſe deputatum. Tertio nomine Epiſcopi hic probabiliter etiam comprehenduntur Prælati inferiores ordinariam, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habentes, *Sanch. c. l. n.* 5. *Avila p.* 7. *de cenſur. diſ.* 10. *dub.* 6. *Palao c. l. n.* 4. quia tales Prælati gaudent Epiſcopali juriſdictione, ad quam ſpectat hæc poteſtas abſolvendi, etſi jure ſpeciali: non tamen derogat Juri communi antiquo, quo nulla erat reſervatio etiam hæreſis, ſed potius Jus commune conſtituit, ideoque eſt late interpretanda; quamvis *Garcias*, contrarium teneat. Quarto. Hæc facultas abſolvendi probabiliter etiam competit Prælatis regularibus exemptis, quia & ipſi Epiſcopalem juriſdictionem habent, ut docet *Rodriq. t.* 1. *qq. reg. q.* 51. *art.* 9. Contrarium tamen tenet *Sanch. c. l. nn.* 7. quia non habent propriam Diœceſin, quibus illa poteſtas ſolum conceſſa eſt. Verum Pius V. illam facultatem ex ſpeciali privilegio etiam ad Prælatos conventuales exemptos extendit, ut refert *Rodriq. c. l.*

XXXIX. Notandum 2. Hæc poteſtas abſolvendi ab hæreſi, & aliis delictis occultis, & reſervatis, non conceditur Epiſcopis, niſi in ordine ad eos, qui ipſi ſunt ſubjecti, ratione domicilii, vel quaſi domicilii, item quoad peregrinos, & vagabundos, qui ab Epiſcopo loci Sacramenta percipere poſſunt pœnitentiæ & Euchariſtiæ, & conſequenter etiam ab illo abſolvi in foro conſcientiæ ab excommunicatione, & aliis cenſuris poſſunt, quæ prærequiritur ad percipienda Sacramenta, ex generali Eccleſiæ conſuetudine, *Sanch. c. l.* n. 9. *Barboſ. n.* 4. 5. & 6.

Notandum 3. Poteſtas abſolvendi ab hæreſi, & aliis delictis occultis Papæ reſervatis, conceſſa Epiſcopis in cit. Decreto Conc. Trid. reſtringitur ad forum conſcientiæ: quod aliqui intelligunt de foro Sacramenti pœnitentiæ, ita ut non poſſit abſolvere Epiſcopus extra confeſſionem Sacramentalem, *Barboſ. cit. alleg.* 39. *num.* 7. & 8. *Garc. de benef. p.* 11. *c.* 10. *num.* 139. *juxta declarat. S. Congreg. Cardin.* Sed probabilius eſt, hanc abſolutionem impendi poſſe etiam extra Sacramentum pœnitentiæ: tum quia forum conſcientiæ eſt diſtinctum a foro Sacramentali pœnitentiæ, quia eſt ſolum forum ſecretum, requirens conſcientiam, ita ut abſolutio ab hæreſi, vel alio delicto occulto facta in foro conſcientiæ, non proſit pro foro externo, ſi contingat hæreticum, vel alium delinquentem ad Judicium trahi, ideoque non poteſt publice impendi coram teſtibus, & Notario, ſed ſecreto, ſive extra, ſive intra confeſſionem. Tum quia hæc facultas eſt late interpretanda, quia favorabilis, cum ſit conformis Juri communi, ideoque non reſtringenda ad forum Sacramenti pœnitentiæ, *Sanch. cit. capit.* 11. *num.* 13. & *l.* 8. *de matr. cap.* 38. *num.* 29. *Suar. diſ.* 41. *de cenſur. ſec.* 2. *num.* 11. & *alii*.

Deinde reſtringitur facultas abſolvendi ab hæreſi, & aliis delictis occultis reſervatis, ad Diœceſin Epiſcopi abſolventis, dicitur enim in Decreto, *in Diœceſi ſua*, quod vel ita

anel-

Digitized by Google

intelligendum eſt, quod non poſſit Epiſcopus abſolvere ab hæreſi niſi exiſtat in propria ſua Diœceſi, non quidem ex eo, quod abſolutio non poſſit fieri erga ſubditum ab Epiſcopo extra Diœceſin propriam exiſtente, cum ſit actus juriſdictionis voluntariæ, quæ poteſt extra proprium territorium in ſubditos exerceri; ſed quia S. Pontifex potuit, ac voluit conditiones quaſdam apponere in conceſſione hujus poteſtatis abſolvendi, abſque correctione, aut derogatione juris communis, cum Epiſcopi non habeant de Jure communi poteſtatem abſolvendi a delictis Papæ reſervatis, ut nimirum abſolutione ab Epiſcopo detur exiſtente in ſua Diœceſi, ſicut etiam illa facultas data fuit ſolum pro foro interno conſcientiæ, *Barboſ. c. l. n. 7. Palao. cit. p. 3. §. 1. n. 13.* vel illa poteſtas data eſt ad ſubditos exiſtentes in ſua Diœceſi, ita ut extra illam exiſtentes non poſſint abſolvi, ut explicat *Suar. cit. ſec. 2.* quia paci, & recto regimini magis congruit, ſi poteſtas abſolvendi, non ſolum ad perſonas ſubditas, ſed etiam ad territoria limitetur: quamvis aliter explicet hæc verba *Sanch. cit. c. 11. n. 17.* ſecundum quam tamen expoſitionem, poſt verba illa, *ſibi ſubditos*, fruſtra viderentur addita verba illa, *in Diœceſi ſua*.

Notandum 4. Poteſtas abſolvendi in prædicto Decreto Trident. reſtricta etiam ad hæreſim, aliaque delicta occulta Papæ reſervata. Ubi per delictum occultum non intelligitur; quod per teſtes probari non poteſt, ut putat *Garc. p. 7. de benef. c. 11. n. 46.* ſed quod non eſt publicum, ſeu notorium, & famoſum; quaſi etiam delictum ab aliquibus ſciatur, & probari poſſit, ſi tamen non ſciatur a majore parte viciniæ, aut Parochiæ, aut Collegii, aut Communitatis, in qua ſaltem ſint decem perſonæ, adhuc debet cenſeri occultum, *Azor. p. 1. l. 8. c. 10. quæſt. 9. Sanch. cit. cap. 11. num. 19. Barb. cit. alleg. 39.* de quo plura videri poſſunt, apud DD. citt.

XL. Notandum 5. Limitatur dicta poteſtas abſolvendi in eodem Decreto, ut delictum non ſit deductum ad forum contentioſum, quod tunc cenſetur fieri, ſi accuſatio, aut denunciatio coram legitimo Judice facta ſit, & Reo intimata, iſque citatus ſit, quia citatio eſt primus actus Judicii, *Sanch. cit. c. 11. num. 21. & l. 8. de matr. c. 34. nu. 58.* quamvis alii probabiliter putent, non poſſe dici delictum deductum ad forum contentioſum, niſi poſt litis conteſtationem, ante quam non dicitur proprie Judicium cœptum, nec lis mota, cum forum vere contentioſum dici non poſſit, niſi ſuper delicto commiſſo, negando, vel confitendo contendatur, per quem actum litis conteſtatio etiam in criminalibus inducitur, *Barb. c. l. num. 29. & 2. ſeqq.* Id vero intelligendum eſt, dum lis pendet, ſeu durat Judicium: nam ſi delinquens ob defectum plenæ probationis in foro externo ſit abſolutus, poterit Epiſcopus eum abſolvere; quia tunc manet delictum occultum, nec poteſt dici plene, & cum effectu deductum ad forum contentioſum, *Sanch. cit. l. num. 22. Suar. cit. diſ. ſec. 2. num. 6. Barb. cit. n. 32. & 33.* apud quos plura de hoc videri poſſunt.

Notandum 6. Facultas abſolvendi ab hæreſi occulta, eſt inſuper reſtricta ad perſonam Epiſcopi in citato Decreto, ita ut per ſeipſum tantum; non autem per ſuum Vicarium poſſit abſolvere. Excipiunt aliqui, quod Epiſcopus, pro una, vel altera vice, poſſit aliqui ſpecialiter committere poteſtatem abſolvendi ab hæreſi occulta; non tamen generaliter alicui eam committere poteſt, quamvis poſſit facultatem diſpenſandi in irregularitatibus ex occulto delicto provenientibus, de quo fit mentio in priore parte citt. Decreti Concilii generaliter alicui delegare, *Azor. cit. c. 10. qu. 11. Sanch. cit. c. 11. num. 23. Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 2.* Verum contrarium tradit *Molin. tr. 5. de juſtit. diſ. 18. nu. 2. Gutier. l. 1. Can. qq. c. 13. nu. 29. Garc. p. 11. de benef. c. 10. n. 113.* & alii, quia dictio taxativa *tantum* appoſita Epiſcopis reſtringit poteſtatem abſolvendi ab hæreſi ad eorum perſonas, alioquin non Epiſcopis tantum, ſed etiam eorum Vicariis, qui ſpecialiſſime ad unum, aut alterum caſum ſunt deputati, licitum eſſet abſolvere ab hæreſi occulta contra verba Concilii, quæ ſunt abſoluta, & particula *non* poſita ante Vicarios, omnes Vicarios excludit. Poterit tamen Epiſcopus, ob cauſam juſtam, & ſufficientem ad abſolvendum a cenſura excommunicationis, hæreticum occultum etiam abſentem abſolvere, qua ſublata, non eſt amplius reſervatum peccatum hæreſis, ſed quivis Confeſſarius approbatus ab illo abſolvere poteſt. Et hæc ſententia videtur probabilior, & tutior, cum oppoſita non ſit certa ante declarationem S. Pontificis: in dubio autem eſt illicitum uti juriſdictione, de qua non conſtat, an ſit conceſſa: præſertim ſi ei excommunicatio ſit annexa, ut notat *Molin. c. l.*

XLI. Quæritur 2. An facultas conceſſa Epiſcopis ex prædicto Decreto Tridentini Concil. ſit revocata per Bullam Cœnæ Domini, §. *Cæterum.* quoad abſolutionem ab hæreſi, & cæteris caſibus ejuſdem Bullæ? Negant eſſe revocatam *Navarr. l. 5. conſ. 11. q. 1. de privil. Gutier. cit. c. 13. in fine*, & alii plures apud *Sanch. l. 2. mor. c. 11. num. 27.* fundamentum præcipuum eſt, quia correctio Juris vitanda eſt, quoad fieri poteſt: At Bulla Cœnæ revocans quaſvis facultates abſolvendi ab hæreſi, & aliis caſibus ibi expreſſis, per Sedem Apoſtolicam, ac cujuſvis Concilii Decreta conceſſas, in genere, & in ſpecie, bene poteſt intelligi de peccatis publicis, & de abſolutione, quæ etiam in foro externo proſit; non tamen poteſt de abſolutione a peccatis occultis, & pro foro conſcientiæ de quibus ſolum loquitur *Concil. Trident. c. l.* neque vero de declarationibus SS. Pontificum per quas hæ facultates ſint revocatæ authentice conſtat, & debuiſſent tales declarationes ſpecialiter promulgari, alias obligare non poſſunt. Contrariam tamen ſententiam eſſe revocatas, tenent *Azor p. 1. l. 8. c. 10. q. 10. Suar. cit. diſ. 21. de cenſur. ſec. 3. n. 5. Garc. p. 5. de benef. c. 10. nu. 125. & ſeqq. Sanch. cit. l. in fine. & l. 2. c. 13. n. 37. Barb. de offic. Epiſc. 40. alleg. n. 23. & ſeqq* ubi ait, ita declaraſſe Gregorium XIII. & Clementem VIII. ideoque nunc in praxi Epiſcopos petere ſolere a Papa facultatem abſolvendi hæreticos occultos. Fundamentum præcipuum eſt, quia in Bulla Cœnæ prohibet Papa, ne quis abſolvat ab hæreſi, aliiſque caſibus in Bulla contentis, prætextu facultatum, vel privilegiorum, quæ Epiſcopis, aliiſque ſunt conceſſa a Sede Apoſtolica, etiam vi Decreti alicujus Concilii. Sed nullum Concilium, niſi Tridentinum hanc facultatem abſolvendi conceſſit Epiſcopis; ergo hanc facultatem, quæ in hoc Concilio conceditur, intendit Papa revocare. Neque dici poteſt, ibi reſervari facultatem abſolvendi a caſibus, ſeu peccatis publicis, & pro foro externo, quia hæc non eſt conceſſa a Concilio Tridentino; præſertim cum reſervatio, non tam pro foro externo, quam pro foro conſcientiæ facta ſit, ſiquidem abſolutio a reſervatis ſolum in articulo mortis permiſſa eſt, *Palao l. 1. tr. 4. diſ. 4. pun. 3. §. 1. n. 22.*

XLII. Verum quicquid ſit de hoc, priorem ſententiam, nempe non eſſe hanc facultatem Tridentini revocatam per Bullam Cœnæ, in praxi tutius amplecti poſſunt Epiſcopi in Regionibus ab Urbe remotioribus, propter difficultatem adeundi S. Pontificem, ut tradit *Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 6. num. 6.* & in *c. At ſi Clericali 4. num. 14.* Et hinc Epiſcopi Germaniæ Lutheranos, & Calvinianos, ac ſimiles hæreticos, qui Catholicam fidem ſuſcipere volunt, poſſunt per ſe, vel delegatos ſuos, etiam in foro conſcientiæ abſolvere, non ſolum ab hæreſi occulta, ſed etiam notoria, & publica; quia cum ob nimiam frequentiam, & multitudinem abſolvendorum, adſit neceſſarium, & evidens impedimentum eos mittendi Romam; ideo tales caſus Papales fiunt Epiſcopales, quamvis majoris ſecuritatis cauſa, aliqui Epiſcopi talem poteſtatem abſolvendi a Papa petere ſoleant, *Layman. de juriſd. ordin. concl. 72.* Pro foro externo vero poſſunt Epiſcopi, præſertim Germaniæ, ubi alii Inquiſitores hæreticæ pravitatis non ſunt, de Jure communi abſolvere hæreticos (dummodo non ſint hæreſiarchæ, ſeu novæ hæreſis Auctores) ab excommunicatione Papæ reſervata, tanquam delegati Sedis Apoſtolicæ, abjurata prius hæreſi, & injuncta illis pœnitentia, prout ſumitur ex *cap. Ut officium. 11. in princ. verſ. Si vero, h. t. in 6.* & tradit ibid. *Franc. num. 2. Farinac. tr. de hæreſi q. 192. . 4. num. 51. Molin. tr. 5. de juſtit. diſ. 18.* quæ abſolutio illis prodeſt, etiam in foro interno, ita ut ablata excommunicatione, a quovis Confeſſario approbato a peccato hæreſis abſolvi poſſint, *Layman. cit. c. 6. num. 6.* ubi addit, quod in Germania Lutherani, vel Calviniſtæ, qui Catholici fieri volunt, ordinarie non deducantur ad forum externum, ſeu judiciale Epiſcopi: ſed mox inſtruuntur in fide Catholica, & poſt abjurationem hæreſis ad Sacramentalem Confeſſionem, & ſuſceptionem S. Euchariſtiæ admittuntur, *Laym. cit. l.* Porro illud certum eſt, Epiſcopos non poſſe abſolvere relapſos in hæreſim, etiam in foro conſcientiæ, quia id nullibi reperitur eis eſſe conceſſum.

XLIII. Quæritur 3. An vi privilegii Apoſtolicæ Sedis, Religioſi poſſint abſolvere ab hæreſi in foro conſcientiæ? Reſp. Poteſt Præpoſitus Generalis Societatis JESU per ſe, vel per alios quoſcunque abſolvere a caſibus hæreſis, & aliis contra fidem, & conſequentibus cenſuris quibuſcunque in foro conſcientiæ, ut habetur in Brevi Julii III. anno 1552. conceſſo die 22. Octobris. Et in Compendio privilegiorum Societatis, V. *abſolutio. §. 3.* quæ facultas communicatur Provincialibus, cum poteſtate, ut re mature conſiderata, in caſibus particularibus: id poſſint aliis communicare.

XLIV. Quæritur 4. An ſub facultate generali abſolvendi a caſibus reſervatis conceſſa per Bullam Cruciatæ, vel Jubilæi, comprehendatur etiam facultas abſolvendi ab omnibus caſibus contentis in Bullæ Cœnæ, vel ſub facultate abſolvendi a reſervatis in eadem Bulla, facultas abſolvendi ab hæreſi? Reſp. negative, niſi ſpecialiter exprimatur, *Azor. p. 1. l. 8. c. 10. q. 12. & c. 19. q. 2. Sanch. l. 2. Moral. cap. 12. num. 10. Barboſ. de offic. Epiſcop. alleg. 40. num. 31.* & alii communiter. Idque probatur ex ſtylo, & uſu Curiæ Romanæ, qui hac in parte vim legis habet: unde in Jubilæis, poſt conceſſam facultatem abſolvendi a reſervatis in Bulla Cœnæ, interdum exprimi ſolet, etiam ab hæreſi, quod ſuperfluum foret, ſi ſub generali illa clauſula contineretur. Ratio eſt: quia in generali conceſſione non veniunt, ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus, *Reg. 81. in 6.* At hæreſis abſolutio eſt ita reſervata, ut veriſimiliter Papa eam non conceſſiſſet: neque enim eſt veriſimile, Papam tot legibus in favorem fidei latis derogare voluiſſe, niſi id exprimat.

Illud hic addendum, hæreticus abſolutus in foro conſcientiæ, aut pœnitentiali ab Epiſcopo, vel alio Confeſſario privilegium ſpeciale ad hoc habente, ſi poſtea accuſetur de hæreſi in foro externo, non evadit pœnas illius fori, etiamſi pœnitentia publica in foro conſcientiæ ei fuerit impoſita; quia utrumque Judicium tendit ad diverſos fines: nam pœnitentia impoſita in foro interno tendit ad hoc: ut ſatisfiat DEO, & imponitur tanquam medicina propriæ ſalutis: at pœna fori judicialis externi tendit ad vindictam publicam, ut ſatisfiat Reipublicæ; quia reus pravo exemplo offendit illam, *Sanch. cit. cap. 12. num. 7. Barb. cit. alleg. 40. n. 29.*

SECTIO III.

DE ALIIS POENIS HÆRETICORUM.

§. I.

De pœna irregularitatis, ſeu inhabilitatis ad Ordines, & ad beneficia Eccleſiaſtica, quam contrahunt hæretici.

XLV. Quæritur 1. An hæretici etiamſi converſi ad fi-

dem Catholicam fiot irregolares? Reſp. 1. Si ſint hæretici notorii, ſeu publici, vel per evidentiam facti, vel per ſententiam Judicis vel per propriam confeſſionem in Judicio, certum eſt eos, etiam poſt pœnitentiam, & abſolutionem ab hæreſi, ſacros Ordines ſuſcipere non poſſe. Eſt communis ſenteotia, & conſtat ex c. 1. & c. *Saluberrimum*. 21. *cauſ.* 1. *q.* 7. & ſumitur ex c. 2. §. *Hæretici*. *h. t. in* 6. ubi hæretici reddontur inhabiles ad beneficia Eccleſiaſtica, & officia publica, ad quæ etiam pertinet Ordo, *Avila p.* 7. *de irregul. diſ.* 4. *dub.* 3. *concl.* 2. Idemque de Apoſtata habetur in c. *Presbyteros*. 32. §. *De his autem ſunt*. *Gl. V. Commodari. diſ.* 50. Etſi vero Clerici in hæreſim lapſi, etiam publici, non poſſuot ad altiores Ordines promoveri, permittuntur tamen in Ordinibus ante hæreſim ſuſceptis miniſtrare, *cit. cap. Saluberrimum*. & *cap. Conveneentibus*. 4. *cit. cauſ.* 1. *queſt.* 7. ſed oon niſi ex diſpenſatione, *Sanch. l.* 2. *Moral. c.* 25. *nu.* 3. Laici vero quantumvis pœnitentes, non poſſunt admitti ad Ordines ſuſcipiendos, cap. *Illud* 66. *diſ.* 50. quia ſuſceptio Ordinum non interdicitur Clericis, quia Clerici ſunt, ſed ratione hæreſeos; ideoque eam conttahunt etiam laici ejuſdem criminis participes, *Sanch. cit. l. n.* 2.

XLVI. Reſp. 2. Probabilius eſt, hæreticum occultum non eſſe irregularem, adeoque poſt abſolutionem ab hæreſi, in foro conſcientiæ, ad Ordines ſacros promoveri poſſe, ut docet *Avila c. l. concil.* 3. *Laym. l.* 1. *par.* 5. *cap.* 4. *numer.* 12. Idque probatur ex c. *Ad abolendum*. 9. *hoc tit.* ubi ſermo eſt de hæretico publico ut patet ex illis verbis: *quicunque manifeſte fuerint in hæreſi deprehenſi*; de quo etiam in *cit. cap. Saluberrimum*, eſt ſermo, quia requiritur, ut converſi ad fidem prius errores ſuos a ſe damnati videantur, adeoque de publica abjuratione illis textus loquitur. Ratio eſt: quia non propter hæreſim, ſecundum ſe, ſed quatenus ea juris infamiam anneaam habet, irregularitas in hæreticos decreta videtur: infamia autem juris, vel etiam facti, non habet locum in hæreſi occulta, ut infra dicetur. Eſt autem hic ſermo de hæreſi occulta, quæ in actum externum prodiit, non tamen eſt publice nota, ſeu manifeſta; nam ſi hæreſis eſt omnino occulta, & mente ſolum concepta, ſeu retenta; certum eſt apud omnes, nullam incurri irregularitatem, *Sanch. cit. cap.* 25. *num.* 4. Sic etiam irregulares non fiunt, qui ſunt ſolum de hæreſi ſuſpecti, etſi vehementer *Sanch. cit. l. n.* 12. & alii apud ipſum.

XLVII. Porro in irregularitate ob hæreſim contracta ſolus S. Pontifex diſpenſare poteſt, ſi lapſus in hęreſim ſit Clericus, ut poſt pœnitentiam, & abjuratam hæreſim poſſit promoveri ad ſuperiores Ordines, vel ad omnes Ordines ſi ſit laicus, *Navarr. in Man. Pral. cap.* 27. *numer.* 205. *Sanch. cit. cap.* 25. *num.* 13. At vero ut hæreticus Clericus poſſit miniſtrare in Ordinibus jam ante ſuſceptis, poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare; quia in Canonibus ſupra allatis permittitur, ut ex diſpenſatione in Ordinibus ante hæreſim ſuſceptis, miniſtret hæreticus converſus; ergo hoc ipſo non eſt diſpenſatio reſervata Papæ, & conceſſa Epiſcopis, *Sanch. cit. l. num.* 14. Excipiuntur Epiſcopi lapſi in hæreſim, & Sacerdos hæreticus, ut poſſit celebrare Miſſam, cum quibus ſolus Papa, diſpenſat, *Sanch. cit. l.* An autem Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate occulta, vi Concilii Trident. *Seſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform.* ſicut in aliis, quæ ex delicto occulto proveniunt non conveniunt DD. de quo videri poteſt *Sanch. cit. l. n.* 16. ubi ait, in illo Decreto abſolute, & ſine limitatione concedi Epiſcopis facultatem diſpenſandi in irregularitate occulta: poſterioea verba Concilii intelligenda eſſe de ſola abſolutione ab excommunicatione incurſa ob hæreſim.

Illud hic addendum, conſuetudinem, quæ in his Provinciis ſeptentrionalibus viget, ſecundum quam Epiſcopi ex hæreſi ad fidem Catholicam converſos, & abſolutos ordinare ſolent, validam, ac licitam eſſe; quia tales neque in foro civili a publicis dignitatibus, & officiis excluduntur, de quo *Navarr. l.* 5. *conſil.* 1. *q.* 14. *n.* 4. *tit.* 2. *Laym. cit. c.* 4. *in fine*. Multo magis vero cum talibus in his Regionibus ab Epiſcopis diſpenſari poterit, ut Privilegii conceſſi diſpenſandi in omnibus irregularitatibus, pręter eas, quæ ex voluntario homicidio, mutilatione, bigamia, & defectu natalium, ſunt contractę *Laym. cit. l.*

XLVIII. Quæritur 2. An Epiſcopus, vel Sacerdos, ſi hæreticus fiat, privetur poteſtate Ordinis? Reſp. non amittere illam, ſed retinere, quia poteſtas Ordinis, nomine Chriſti, exercetur, & ex inſtitutione ipſius vim ſuam habet, & effectum producit, & cum ſit annexa Characteri ſpirituali, qui eſt indelebilis; ideo amitti non poteſt. Quare hęreticus rite ordinatus, valide adhuc conſecrat in Miſſa, Ordines confert, confirmat, baptizat &c. quia hęc omnia fiunt nomine, & auctoritate, ac ex inſtitutione Chriſti, *Azor. p.* 1. *l.* 8. *cap.* 13. *quaſt.* 4. & 5. & alii DD. communiter. Unde Epiſcopi ab hęreſi redeuntes non iterum ordinantur, *cap. Convenientibus*. 4. *cauſ.* 1. *q.* 7. & ii, qui ab hereticis Epiſcopis ſunt ordinati, ſervata forma, ac ritu Orthodoxę Eccleſię, non debent iterum ordinari, *c. Ordinationes*. 5. *cauſ.* 9. *q.* 1. ſecus eſt, ſi ordinati ſint, non ſervata forma Eccleſię, cap. *Dalbertum*. 24. *junct. Gl. V. Reiterari. cauſ.* 1. *q.* 7. *Azor. cit. q.* 5. *in fine*. Nec obſtant Canones quidam, qui aſſerere videntur, non habere hereticos poteſtatem ordinandi, ſacrificium offerendi &c. quia intelligi debent de facto, & uſu licito; ac iure permiſſo, nec extra Eccleſiam Catholicam fructuoſe offertur ſacrificium, *cit. c.* 13. *q.* 3. & 4. Ea vero Sacramenta, quorum valor pendet a juriſdictione, ut eſt Sacramentum pœnitentię, nec licite, nec etiam valide conferri poſſunt ab hereticis, etiamſi nominatim denunciati non ſint heretici, vel excommunicati: quia licet tales vitandi non ſint, juriſdictione tamen carent, cum ſuſpenſi ſint, ipſo jure, ab officio, & beneficio, ac ideo nec ligare, nec abſolvere poſſunt, *Arg. cap. Audivimus*. 4. *cauſ.* 24. *q.* 1. Verum quamdiu hęretici occulti ab Eccleſia in publico officio manere tolerantur, valent eorum geſta, quia ſunt adhuc in poſſeſſione officii, quamvis titulo, careant, *Azor cit. c.* 13. *q.* 7.

XLIX. Quęritur 3. An, & qua ratione hęretici ſint inhabiles ad beneficia Eccleſiaſtica, & officia publica, iiſque privandi? Reſp. Hęretici inhabiles ſunt ad acquirenda beneficia, & officia publica, durante hęreſi, cum ſint excommunicati, & irregulares, ut expreſſe deciditur in cap. *Quicunque*. 2. §. *Hæretici*. *hoc tit. in* 6. ubi ſtatuitur, ut „ hęretici, eorumque credentes, receptatores, defenſores, „ & fautores, ipſorumque filii, uſque ad ſecundam ge„ nerationem (de quibus infra) ad nullum Eccleſiaſticum „ beneficium, vel officium publicum admittantur, quod „ ſi ſecus actum fuerit, ſit irritum, & inane. Quare col„ latio beneficii facta hæretico eſt ipſo jure nulla; adeoque „ fructus inde perceptus reſtituere debet „ ante omnem judicis ſententiam, cum injuſte, & ſine titulo eos perceperit, *Azor. cit. l.* 8. *c.* 13. *q.* 8. *Sanch. l.* 2. *Mor. c.* 26. *n.* 4. *Garc. p.* 5. *de benefic. c.* 10. *nu.* 8. Non tantum autem inhabiles ſunt hęretici ad beneficia acquirenda, ſed etiam privandi ſunt beneficiis obtentis, ut conſtat ex cap. *Ut commiſſi* 12. §. „ *Privandi*. *h. t. in* 6. ubi dicitur: Privandi pręterea ſunt, „ vel privatos nunciandi dignitatibus; ac aliis beneficiis „ Eccleſiaſticis, de Diœceſanorum, vel eis abſentibus, „ Vicariorum ſuorum conſilio, & officiis publicis, ac ho„ noribus quibuſcunque, eoſdem hęreticos, receptatores, „ ac defenſores ipſorum, eorumque filios, & nepotes ple„ nam concedimus facultatem. Sunt tamen Diœceſani „ (vel eorum, Vicarii) in privando tales, vel denuncian„ do privatos beneficiis, requirendi, niſi legitime con„ ſtet, quod iidem ſcienter hæreticis, vel eorum fautori„ bus hujuſmodi beneficia contuliſſent: tunc enim non eſ„ ſent requirendi Epiſcopi Diœceſani pro conſilio ut ſuo „ Judice, ſed ipſi ſunt puniendi, ſcilicet per Metropolitanum, *Franc. hic in fine*, vel potius hoc caſu Epiſcopus, qui ſcienter contulit beneficium Eccleſiaſticum hęretico, puniendus eſt ab Inquiſitore fidei, tanquam fautor hęreticorum, *Farinac. tract. de hæreſi q.* 189. §. 6. *n.* 75.

Id vero ulterius extenditur, quod hæretici non tantum ſint privandi per ſententiam Judicis, ſed ipſo jure ſint privati, a die commiſſi criminis omnibus beneficiis Eccleſiaſticis ante hęreſim obtentis, & ipſo jure ſint inhabiles ad alia obtinenda, ſecundum probabiliorem, & communiorem ſententiam, quam tenet *Sanch. cit. cap.* 26. *numer.* 6. *Salzedo in pract. crim. Canon. cap.* 117. *num.* 2. *Garc. p.* 11. *de benef. c.* 10. *num.* 66. *Farinac. cit. qu.* 189. *num.* 77. & plures alii: & probatur, tum ex *cit. cap. Ad abolendum*. ibi: *Omni officio, & beneficio Eccleſiaſtico ſpoliatus*. *h. t.* quod verbum executionem; adeoque privationem ipſo jure importat, *Rebuff. in praxi benef. p.* 3. *tit. de modis amittendi benefic. num.* 4. tum ex c. *Cum ſecundum*. 10. *h. t. in* 6. ubi ſtatuitur, omnia bona hęreticorum, eſſe, ipſo jure, confiſcata, de quo infra; ergo multo magis amittunt ipſo jure bona ſpiritualia ſive beneficia Eccleſiaſtica. Quare cum in *cit. cap. Ut commiſſi*, §. *ult.* dicitur, quod privandi, vel privati denunciandi ſint, particula *vel*, non disjunctive, ſed expoſitive, ſive declarative ſumi debet; ita ut ſenſus ſit, privandi, id eſt, privati denunciandi ſunt, ut explicant DD. cit. Requiritur tamen ſententia declaratoria hæreſeos, ita ut ante illam non teneatur hæreticus beneficia dimittere, ſicut nec bona temporalia, ut ſatis colligitur ex *cit. cap. Cum ſecundum*, *Sanch. cit. loc. numer.* 7. quia facit regula generalis, quod in omni caſu, in quo pœna ipſo jure incurritur, ſententia delicti declaratoria requiratur, *Farinac. cit. loc. num.* 80. poſt quam non tantum privatur beneficio, ſed etiam fructibus a die commiſſi criminis perceptis, *Sanch. cit. loc. numer.* 10. Quod autem dictum eſt, hæreticos, ipſo jure, privatos eſſe beneficiis ſuis, id limitandum eſt, ut non procedat in hæretico pœnitente, ſaltem ſi continuo, & ſponte ad unitatem fidei Catholicæ redeat, antequam de hæreſi fuit convictus, & hæreticus declaratus; tunc enim eſt æquiſſimum, ut Beneficiarii ex diſpenſatione Papæ in beneficio relinquantur, vel reſtituantur, *Rebuff. cit. l. numer.* 5. *Sanch. cit. cap.* 26. *numer.* 13. *Farinac. cit. q.* 189. *num.* 82. & 84.

Porro ſuſpecti, vel diffamati ſolum de hęreſi non privantur ipſo jure beneficiis obtentis: ſed juxta criminis qualitatem, illis per ſententiam ſunt privandi, *Sanch. cit. c.* 26. *nu.* 14. *Farinac. cit. l. num.* 86.

LI. Pręterea ad prædictam pœnam privationis beneficiorum decretam in hęreticos, reduci poteſt illa, quę habetur in cap. 2. §. *Ad hæc*. *hoc tit. in* 6. ubi ſtatuitur, ut quicunque „ viri Eccleſiaſtici, qui ad preces hujuſmodi peſtilentium per„ ſonarum (videlicet hęreticorum, vel fautorum Hęre„ reſeos) dignitates, perſonatus, vel quęcunque alia be„ neficia Eccleſiaſtica ſunt adepti, ex nunc iis ſint privati, „ utque tales, & habitis careant, & ſi receperunt illa ſcien„ ter id eſt, ſciendo eos qui preces pro iis offerunt, eſſe ta„ les, *Gl. hic V. eod.*) ad alia, vel ſimilia nequaquam impo„ ſterum admittantur. Idque ſtatutum fuit, ob criminis hujus immanitatem, *Gl. hic V. Privamus*, *ia addit*:

Ubi notandum 1. Hęc pœna non afficit laicos, qui adepti ſunt dignitates, aut officia ſęcularia, cum ipſe textus tantum loquatur de Eccleſiaſticis, *Joan. Andr. in cit. c.* 2. §. *Ad hæc. V. Eccleſiaſticos*. *Franc. not.* 2. Qui per preces hęretici impetravit beneficium, perpetuo illo privatur, ita ut nec mortua perſona intermedia, poſſit illud conſequi, licet aliud ſit in caſu cap. *Ex tranſmiſſa*. 7. *de fil. presb. Joan. Andr. hic V. Perpetuo*, *Franc. not.* 2. 3. Inhabilitatus ad beneficia obtenta, non cenſetur inhabilitatus ad beneficia obtinenda, niſi exprimatur, *Franc. hic not.* 3. 4. Sub nomine dignitatis non includitur hic dignitas Pontificalis, ſeu Epiſcopalis, quę

ſpe-

ſpeciali expreſſione indiget, *Gl. hic V. Dignitas. & Jo. Andr. n. 6. in fin.* quia materia hæc eſt pœnalis; ideoque reſtringenda. 5. Ut recipiens privetur perpetuo beneficiis ſic acquiſitis, & ut inhabilis reddatur ad alia obtinenda, duo requiruntur: nempe ut preces fuerint efficaces, ut recipiens ſciverit ad preces hæreticorum ſibi collatum eſſe.

§. II.

De pœna infamiæ, & privationis ſepulturæ, quam incurrunt hæretici.

LII. Quæritur 1. An hæretici ſint infames, & quidem ante omnem ſententiam Judicis? Reſp. eſſe ipſo jure infames, ut aperte colligitur ex c. *Excommunicamus.* 13. §. *Credentes, h. t.* ubi fautores hæreticorum excommunicantur, & additur, ne ſi quia eorum ſatisfacere contempſerit, intra annum, ex tunc ipſo jure factus ſit infamis: ergo multo magis ipſi etiam hæretici, cum ſit publicum crimen, infamiam juris contrahunt, *Azor. p. 1. l. 8. c. 13. §. Septima hæreticorum pœna.* Idque etiam ſumitur ex c. *Statutum.* 15. *h. t. in 6. & c. Infames.* 17. *cauſ.* 6. *qu.* 1. & in *Auth. Gazaros C. h. t.* omnes hæretici utriuſque ſexus perpetua notantur infamia. Non tamen contrahitur hæc infamia juris, niſi poſt ſententiam Judicis declaratoriam criminis: dicitur enim infamia juris, quia ſtatim, cum per Judicis ſententiam crimen eſſe commiſſum declaratur, Reus fit infamis, nec eſt opus, ut per ſententiam Judicis condemnetur ut infamis, ſed ſatis eſt, ut ejus crimen declaretur, v. g. eſſe hæreticum. Quod ſi crimen hæreſis notorium fuerit per evidentiam facti hæreticus contrahit infamiam non juris, ſed facti, quæ per contrarium factum aboletur, *Azor. cit. l. & Sanch.* Porro ex eo, quod hæretici ſint infames, ipſo jure repelluntur ab omnibus honoribus, & dignitatibus, neque agere in Judicio, *Auth. Credente. §. Nullus C. h. t.* & excluduntur ab omni actu legitimo, *Farinac. cit. q.* 189. §. 4. *n.* 46.

LIII. Quæritur 2. An, & qualiter hæretici priventur ſepultura Eccleſiaſtica? Reſp. in c. *Sicut.* 8. §. *Si autem. in fine, h. t.* ſtatuit Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. ut ſi ,, quis in peccato hæreſis deceſſerit, oblatio pro eo non fiat, ,, nec inter Chriſtianos ſepulturam accipiat, non obſtante ,, privilegio quibuſcunque indulto. Ratio eſt: quia quibus vivis non communicamus, nec mortuis communicare debemus, *c. Sacris.* 12. *de ſepult.* modo notorie conſtet, eum deceſſiſſe in hæreſi, *Palao diſ.* 4. *pun.* 4. *n.* 1. Ex quo etiam infert *Gl. hic V. Obtentu. & Hoſtienſ.* quod propter delictum etiam perditur privilegium; quia hoc non extenditur ad illicita, nec tuetur aliquem in malo, *c. Nulli.* 8. *de ſent. excom.* & omni privilegio ceſſante, mali puniendi ſunt, *Gl. hic V. Obtentu.*

LIV. Præterea in *c. Quicunque.* 2. *in princ. h. t. in* 6. ſtatuit ,, Alexander IV. ut quicunque hæreticos, vel credentes, ,, receptatores, defenſores, vel fautores eorum, ſcienter ,, præſumpſerint Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradere, ſententiam excommunicationis incurrant, uſque ad idoneam ſatisfactionem; nec abſolvi poſſint, niſi propriis manibus ,, publice (& non occulte; quia publica peccata publice ,, emendari debent, *c.* 2. *de pœnit. & remiſſ. Gl. hic V. Publice.*) extumulent, & ejuſmodi corpora damnatorum projiciant (modo oſſa eorum poſſint ab aliorum oſſibus diſcerni, alias ſecus, *S. Sacris.* 12. *de ſepult. Gl. hic V. Extumulent.*) & locus ille perpetuo careat ſepultura, ita ut ,, in eo non ſint amplius ſepelienda corpora fidelium, ſed ,, velut locus profanus cenſeri debeat, *Gl. hic. in caſu.*

LV. Ubi notandum 1. Ut ſepeliens hæreticum ſit excommunicatus, requiritur, ut ſciens illum eſſe hæreticum ſepeliverit: ſecus, ſi ignorans, ut colligitur a contrario ſenſu, quia ignorantia probabilis excuſat, *Gl. hic V. Scienter. Navarr. l.* 5. *conſil.* 11. *n.* 1. *h. t.* & videntur etiam requiri, ut talis ſit nominatim etiam denunciatus tanquam hæreticus, ut colligitur ex iis, quæ tradit *Navarr. in conſil.* 12. *n.* 6. *eod. tit.* Unde neque excommunicationem incurrit, qui aliquem ſolum ſuſpectum de hæreſi per famam ſepelit, quia proprie non dicitur quis ſcire, quod per famam ſolum novit, & quod non poteſt probare: & cum in *cit. c.* 2. excommunicetur, non qui ſimpliciter ſepelit hæreticum, ſed qui præſumit ſepelire, requiritur etiam, ut per dolum, & ex malitia id faciat. *Navarr. in cit. conſil.* 21. *n.* 2. *& ſeqq.* ubi etiam *n.* 6. ait, quod hæc excommunicatio non ſit reſervata Papæ per Bullam Cœnæ, nec per alia Jura, ſicut excommunicatio, quæ incurritur propter hæreſim: quamvis eſſe reſervatam colligi videatur ex c. *Excommunicamus.* 13. §. *Sane, h. t.* ubi prohibetur, ut Clerici non exhibeant hæreticis Eccleſiaſtica Sacramenta, nec eos Chriſtianæ ſepulturæ tradere præſumant, nec eleemoſynas, aut oblationes eorum percipiant, alioquin ſuo priventur officio, ad quod nunquam reſtituantur, abſque ſpeciali indulto Sedis Apoſtolicæ, ut notat *Gl. in cit. §. Sane. V. Apoſtolica.* Eſt tamen excommunicatio latæ ſententiæ, quia per hæc verba, *excommunicationi ſubjaceat*, fertur excommunicatio ipſo jure, *Francus in cit. c.* 2. *not. ult. h. t. in* 6.

Notandum 2. Hæc pœna excommunicationis etiam locum habet, non ſolum in Clericis, ſed etiam in laicis ſcienter ſepelientibus hæreticum in Eccleſia, vel cœmeterio; cum textus hic dicat, *quicunque* nam Conſtitutio Canonica univerſaliter diſponens in materia pertinente ad forum Eccleſiaſticum includit etiam laicos, *Franc. in cit. c.* 2. *n.* 3. Et extenditur etiam ad hæreticorum receptatores, defenſores, fautores &c. *Franc. ibid. n.* 5.

Notandum 3. Etiam excommunicati ſunt dantes locum ad ſepeliendos hæreticos, etiamſi ipſi non ſepeliant, *Farinac. tr. de hæreſ. q.* 192. §. 3. *n.* 45.

Notandum 4. Sepelientes hæreticos, non tantum ſunt excommunicati, ſed etiam ſuſpecti de hæreſi; ita ut contra eos procedi poſſit tanquam ſuſpectos, *Farinac. citat. l. num.* 49.

Notandum 5. Cum quis aliquid facere debet, propriis manibus; adeoque per ſe ipſum non poteſt id facere per alium, *Gl. hic V. Propriis manibus. Franc. in cit. c.* 2. *num.* 3. ubi tamen in fine ait, ſi plures fuerint, qui hæreticum ſepeliverunt, & unus tantum ex ſepelientibus oſſa exhumaverit, vel alius extraneus; tunc etiam ii, qui non extumularunt a ſe ſepultum, abſolvuntur ab excommunicatione, ſi petant, cum non poſſint amplius extumulare.

Notandum 6. Locus, in quo hæreticus ſepultus fuit, privatur aliorum fidelium ſepultura, non ad tempus tantum, donec ſatisfactum fuerit, ſed in perpetuum, ut patet ex *cit. c.* 2. *in fine princ. Jo. Andr. ibid.* V. *Perpetuo.*

Notandum 7. Non eſſe excommunicatum, qui hæreticum ſepeliri curavit, non favore hæreſis, ſed ob amicitiam, & conſanguinitatem, vel ne illius cadaver inſepultum aerem corrumpat, *Farinac. cit. l. num.* 50.

§. III.

De pœna Confiſcationis bonorum quæ infligitur hæreticis.

LVI. Quæritur 1. An, & qualiter propter crimen hæreſis bona hæreticorum confiſcentur? Reſp. in primis in cap. ,, *Vergentis.* 10. *h. t.* Innocentius III. ſtatuit, ut in Terris ,, temporali juriſdictioni Papæ ſubjectis bona hæreticorum ,, publicentur: & in aliis idem præcipit fieri per Poteſtates, & Principes ſæculares in ſuis Terris, ac Provinciis: ,, & ſi iſti ad hoc exequendum negligentes fuerint, per ,, cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, compellantur: nec ad eos ulterius bona eorundem revertantur: niſi ,, ad fidem redierint, & abjuraverint hæreticam pravitatem: ,, & ex miſericordia aliquis eorum voluerit miſereri: ut ,, temporalis ſaltem pœna corripiat, quos ſpiritualis non ,, corrigit diſciplina: cum enim ſecundum LL. civiles (*l. Quiſquis.* 5. *C. ad leg. Jul. Majeſt.*) filiis ſuis, vita ſolum ,, ex miſericordia conſervata, confiſcentur eorum bona, ,, quanto magis, qui aberrantes a fide Filium DEI offendunt, ,, a Capite noſtro, quod eſt Chriſtus, per Eccleſiaſticam diſtrictionem, ſeu cenſuram præcidi debent, & bonis temporalibus ſpoliari, quia gravius eſt, æternam, ac Divinam, quam temporalem lædere Majeſtatem, nec exhæredatio filiorum Catholicorum debet impedire cenſuram ,, hujuſmodi ſeveritatis, cum in multis caſibus filii pro patribus temporaliter puniantur: & ſecundum Canonicas ,, Sanctiones quandoque, non ſolum puniantur Auctores ſcelerum, ſed etiam progenies damnatorum ut patet ex c. *Cum multæ.* 3. *cauſ.* 15. *q.* 8. ubi geniti ex Miniſtris Eccleſiæ rediguntur in ſervitutem ejoſdem, & c. *Cum Eccleſia* 15. §. *Item peccato Iſraeliticarum, cauſ.* 1. *q.* 4. *& toto tit. de fil. Presbyt.*

LVII. Pro explicatione hujus c. notandum 1. Eccleſia poteſt, etiam in Terris Imperii, propter delictum Eccleſiaſticum infligere pœnam confiſcationis bonorum, quamvis bona publicata deferantur ad fiſcum ſæcularem, *Abb. hic num.* 2. niſi is, cujus bona confiſcantur, eſſet Clericus; tunc enim bonorum applicatio fieret fiſco Eccleſiæ, etiam in Terris imperii, *Arg. c.* 2. *de ſucceſ. ab inteſt. Fagn. hic n.* 4. *& 5. ex Butrio, & Ancharano.* habet enim etiam Eccleſia Cameram fiſcalem, cui applicantur bona publicata, quia Eccleſia in terris quoad temporalem juriſdictionem ſibi ſubjectis, vendicat ſibi omnia jura temporalia. *Fagn. hic n.* 8.

Notandum 2. Judices, ac Principes ſæculares poſſunt per Eccleſiam compelli ad Juſtitiam adminiſtrandam, c. *Adminiſtratores.* 26. *cauſ.* 23. *q.* 5. *Gl. hic* V. *Præcipimus*, idque ratione peccati, *Arg. c. Novit.* 13. *de Judic.*

Notandum 3. Hæretici, quamvis ad fidem ſponte redeant, non tamen recuperant bona amiſſa, niſi ex miſericordia, & gratis eis reddantur, *Gl. hic V. Miſereri, & Abb. num.* 2. *not.* 3. Idemque eſt de Epiſcopatu, quem non recuperat in hæreſim lapſus, niſi ex miſericordia, c. *Ipſa pietas.* 24. §. *Si inquiunt. in fine. cauſ.* 23. *qu.* 4. *&c. Quod autem.* 3. *cit. cauſ. q.* 7. *Gl. hic. V. Miſereri.*

Notandum 4. Propter criminis paterni immanitatem quandoque puniri poſſunt filii temporaliter, quia ipſi parentes puniuntur in perſonis filiorum: nam ut dicitur in *l. Iſti quidem.* 8. *in fine. ff. Quod metus cauſa.* cum parentes pro affectu magis in liberis terreantur: & in filiis paterni criminis exempla metuantur, *l. Quiſquis.* 5. §. *Filii vero C. ad leg. Jul. Majeſt.* cum filius ſæpe ſequatur veſtigia parentum, *Abb. hic num* 3. Regulariter tamen filius non debet puniri ob crimen patris, maxime in ſpiritualibus, in quibus nunquam punitur pro patre quomodo intelligi debet, quod dicitur Ezechiel. c. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris*, & notatur in *Summa cauſ.* 1. *q.* 4. *Abb. hic n.* 3.

Notandum 5. Hæretici committunt crimen leſæ Majeſtatis Divinæ, quod longe gravius eſt, quam leſæ Majeſtati humanæ, ut dicitur in *cit. cap. Vergentis. h. t. & Gl. ibid. V. Longe ſit gravius* nam majus eſt peccatum, quod committitur in DEUM, quam quod in hominem, c. *Sicut quis.* 12. *cauſ.* 17. *q.* 4. adeoque etiam gravius puniendum.

Notandum 6. Bona hæreticorum confiſcantur, ſive filios habeant, ſive non, ita ut nec Catholicis hæreticorum filiis aliquid relinquendum ſit, ut dicitur in *cit. c. Vergentis.* & ibi *Gl.* V. *Exhæredatio.* de quo plura infra.

LVIII. Preterea idem ſtatutum habetur in c. *Excommunicamus.* 13. §. *Damnati. h. t.* ubi in fine dicitur: ita quod ,, bona hujuſmodi damnatorum, ſi laici fuerint, confiſcentur: ſi vero Clerici, applicentur Eccleſiis, a quibus ſtipendia acceperunt. Ubi *Gloſſ. V. Stipendia* ait: ſi plura ſtipendia in diverſis Eccleſiis habuerint, inter Eccleſias pro rata dividantur, juxta c. *Relatum.* 12. *de Teſtam.* bona vero Clericorum, qui Eccleſias non habebant, debent appli-

ſcali Epiſcopo, qui illa in pios uſus diſtribuat, *Abb. in cit. c. Excommunicamus. in notat.* Conſentit c. *Super quibuſdam.* 26. ibi: *quorum propria bona confiſcentur de V. S.* Eadem pœna confiſcationis bonorum Decreta eſt in hæreticos Jure Civili, ut conſtat ex *l. Manichæos.* 4. ibi: *quos bonorum omnium etiam confiſcatione perſequimur*, & in *Auth. Gazar. Cod. de hæretic.*

LIX. Denique in *c. Cum ſecundum.* 19. *h. tit. in* 6. ſtatuit Bonifacius VIII. bona hæreticorum, non ſolum eſſe confiſcanda, ſed etiam eſſe ipſo jure, ſeu facto confiſcata: ubi inprimis enumerantur tria crimina, ob quæ ipſo facto dominium bonorum perditur, eaque ad fiſcum deferuntur, ſecundum Leges Civiles: videlicet contrahentes nefarias, ac naturæ contrarias, ſeu inceſtas nuptias, eo ipſo rerum ſuarum dominium perdant (*l. Cum ancillas.* 3. *& l. ſi quis.* 6. *C. de inceſt. nupt. l. Inceſta.* 52. *ff. de ritu nupt.*) Item mulier ingenua, quæ parentibus non conſentientibus nupſit raptori, bona omnia, quæ illi obvenerunt a raptore, aliiſque conſortibus raptus, ipſo jure amittit, quæ certo caſu deferuntur ad fiſcum (*l. unic. §. Et ſi quidem C. de raptu Virgin. & Auth. De ea, quæ raptori ſuo nubit, Collat.* 9. *Novel.* 150. *Gl. hic V. Certo quoque caſu.*) Vel qui illicitas ſpecies, ſeu merces tranſvehit: vel rerum vectarum profeſſionem omittit, earundem rerum proprietate hoc ipſo privatur, illæque fiſco acquiruntur. Multo magis ergo bona hæreticorum, qui gravius, & horribilius, quam prædicti, delinquunt, ipſo jure ſunt confiſcata. Additur in *cit. c. in fine*, quod confiſcationis hujuſmodi executio, vel bonorum ipſorum occupatio fieri non debeat per Principes, aut alios Dominos temporales, antequam per Epiſcopum loci, vel aliam perſonam Eccleſiaſticam ſuper hoc poteſtatem habente, ſententia ſuper eodem crimine fuerit promulgata: quia ſecularis ſuper hoc crimine quippe Eccleſiaſtico judicare non poteſt, *Gl. fin. hic*, de quo infra.

LX. Pro explicatione hujus c. notandum 1. hæreticorum bona, ipſo jure, a die commiſſi criminis confiſcantur, ut tradit *Gl. hic V. Ipſo jure*: abſque alia ſententia condemnatoria Judicis, *Franc. ibid. §. Confiſcationis. not.* 2. idque ex communi omnium conſenſu receptum eſſe teſtatur *Sanch. l.* 2. *Moral. cap.* 14. *num.* 2. ſicut idem ſtatutum eſt in crimine læſæ Majeſtatis humanæ, ob quod bona publicantur a die commiſſi criminis, *l. fin.* ibi: *ex quo quis tale crimen contraxit, C. ad leg. Jul. Majeſt.* quamvis id in Jure Canonico non ſit expreſſum de crimine hæreſis, ut notat *Sanch. cit. l.* Requiritur tamen ſententia Judicis, per quam declaretur, Reum hæreſim commiſiſſe, ante quam hæreticus privari non poteſt poſſeſſione bonorum, quia generatim loquendo, tametſi ob aliquod delictum impoſita ſit pœna, ipſo Jure, incurrenda, etiam ante condemnationem Judicis, attamen antequam fiat executio pœnæ, requiritur ſententia declaratoria Judicis, ut Reus a poſſeſſione amoveri poſſit, *Franc. hic §. Confiſcationis, not.* 1. *&* 2. ubi tamen excipit, niſi crimen hæreſis eſſet ita notorium, ut nulla tergiverſatione celari poſſit; tunc enim ſufficit, ſi Judex aſſignet terminum ad excuſandum factum, quo elapſo fieri poteſt executio, ſine alia declaratione, de quo tamen dubitat ipſe *Franc. cit.* 1. *Navarr. l.* 5. *conſil.* 20. *num.* 6. *& ſeqq. Farinac. tr. de hæreſ. q.* 190. *§.* 1. *num.* 5. quia etiam in notoriis requiritur ſententia.

Notandum 2. Poſt latam ſententiam declaratoriam ſuper crimine hæreſis, ſtatim fieri poteſt executio per Judices ſæculares, quia bona hæreticorum occupare poſſunt, abſque alio proceſſu, imo etiam ſine alio mandato Judicis Eccleſiaſtici, cum ex ſententia declaratoria illis ſit acquiſitum jus omnia bona occupandi in hoc crimine, ut colligitur a contrario ſenſu ex *citat. cap. Cum ſecundum. Franc. ibid. num.* 3.

Notandum 3. Bona hæreticorum confiſcantur, etiamſi poſt mortem eorum de hæreſi fuerint convicti, & condemnati. Nam ſi quis accuſatus fuit de hæreſi, & pendente accuſatione, moriatur, non eſt extinctum crimen, ſed contra hæredes cauſam proſequi licet, ad eum finem, ut bona defuncti fiſco applicentur: imo tametſi vivente hæretico, non eſſet cœpta accuſatio, adhuc poſt mortem illius poſſet accuſari ad eum finem, ut memoria ejus damnetur, & bona confiſcentur, ut tradit *Gl. in c. Accuſatus.* 8. *§. Porro ſuſpicatione caſus h. tit.* 6. Idque etiam probatur ex *citat. cap. §. In eo vero caſu*, ubi dicitur Quando hæredes ad ſucceſſionem non debent admitti, ob hæreſim ſui auctoris: non obſtante, quod auctore ipſo vivente, crimen hæreſis non fuerit, interveniente ipſius morte, declaratum: ad confiſcationem bonorum, poſt mortem ejuſdem, nihilominus procedatur, *Franc. in cit. c. Accuſatus. §. In eo vero eod. in* 6. *Farinac. tr. de hæreſ. q.* 190. *§.* 1. *num.* 9.

LXI. Quæritur 2. An hæreticus, cujus bona, ob crimen hæreſis, ipſo jure ſunt confiſcata a die commiſſi criminis, ut ſupra dictum, ipſo facto, etiam amittat dominium, & adminiſtrationem omnium bonorum, eaque in fiſcum tranſeant? Reſp. Probabilius videri, non amitti ipſo facto, ante ſententiam declaratoriam criminis, ut docet *Molina tr.* 2. *de juſtit. diſ.* 95. *num.* 22. *Sanch. l.* 2. *mor. c.* 22. *n.* 3. *&* 4. & plures alii apud ipſum: quamvis *Azor. & Farinac.* aliique contrarium teneant. Ratio eſt, quia ex eo, quod bona hæreticorum ipſo jure confiſcata ſint, a die commiſſi criminis, ſolum ſequitur, ab illo die bona eſſe fiſco realiter obligata, & tacite hypothecata, quod bene ſtare poteſt cum dominio, ſicut dominium hypothecæ eſt penes debitorem, licet ſit obligata creditori, ergo per confiſcationem non amittit hæreticus, ipſo facto, dominium bonorum, quia pœnæ non ſunt extendendæ, ſed reſtringendæ. Quare poſt ſententiam declaratoriam hæreſis, confiſcatio retrotrahitur ad diem incurſi delicti, ac ſi illo die ſententia lata fuiſſet, & bona aliena reſtitui debent fiſco, una cum fructibus perceptis, & alienationes, ac contractus interim initi in præjudicium fiſci reſcinduntur. *Sanch. c. l. num.* 33. ubi ait, id ab omnibus utriuſque Juris Doctoribus, & Theologis eſſe receptiſſimum. Et hoc ſaltem probant LL. prohibentes hæreticis, & aliis, alienationes bonorum, nempe quod non poſſit reus alienare bona firmiter, & irrevocabiliter.

Excipitur 1. Niſi poſſeſſiones bonorum, quæ fiſco ſunt addicta, ille legitime contra fiſcum præſcripſerit, ad quod in crimine hæreſis requiruntur XL. anni, ut poſſeſſor præſcribat bona defuncti adverſus fiſcum, *c.* 2. *§. Si poſt mortem de præſcript. in* 6. de quo dictum ſupra *l.* 2. *tit.* 26. *num.* 53. Excipitur 2. quod alienationes neceſſariæ fieri poſſint ab hæretico, ſeu illo, cujus bona ſunt confiſcata, ipſo jure, & cui interdicta eſt adminiſtratio bonorum ſuorum, ita ut per fiſcum revocari non poſſint alienationes hujuſmodi, uſque dum ſententia declaratoria criminis ſit ſecuta, utpote quæ fiunt ad alendum ſe, & familiam ſuam, pro ſolvendis debitis, &c. quia prohibita alienatione, cenſetur interdicta voluntaria, non neceſſaria, *Sanch. cit. l. num.* 55. *& ſeq.*

LXII. Ex dictis infertur, quod hæretici, aliique, quorum bona ſunt confiſcata, ante Judicis ſententiam ſaltem declaratoriam, non tenentur in foro conſcientiæ offerre, & tradere bona ſua, *Silveſt. V. Hæreſis. quæſt.* 8. *numer.* 23. *Azor. p.* 1. *l.* 5. *cap.* 7. *qu.* 1. *&* 3. *Sanch. cit. cap.* 22. *num.* 7. *Farinac. cit. q.* 190. *num.* 22. ubi ait, hanc eſſe communiorem, & æquiorem opinionem. Ratio eſt, quia nemo tenetur tam gravem pœnam, qualis eſt privatio omnium bonorum, in ſe ipſo exequi, ideoque per legem imponi non poteſt, eſſet enim multis tranſgreſſionibus expoſita. Imo etiam poſt ſententiam condemnatoriam, vel declaratoriam hæreſis, non tenentur hæretici, vel alii hujuſmodi delinquentes offerre, & tradere ſua bona fiſco: ſed tantum tenentur non reſiſtere; nec impedire, quo minus bona ab eis exigantur, & ſententia executioni mandetur, non autem illam adverſus ſe ipſos exequi, *Sanch. c. l. num.* 8.

Cæterum regula generalis eſt, ab omnibus DD. recepta, quod ſub abſoluta bonorum confiſcatione propter hæreſim, vel aliud crimen, ipſo jure, facta, comprehendantur omnia bona, tam mobilia, quam immobilia, quæ hæretici propria ſunt, imo etiam jura, & actiones, quæ ſub bonorum appellatione veniunt, *l. Bonorum* 208. *ff. de V. S.* quia in *l. Manichæos* 4. *Cod. de hæretic.* dicitur, omnia bona hæreticorum publicari, & in cap. *Cum ſecundum* 19. *h. titul.* decernitur abſolute, bona hæreticorum ipſo jure eſſe confiſcata. De qua materia fuſe tractat *Sanch. l.* 2. *mor. cap.* 14. 15. *&* 16. qui videri poteſt. Excipitur inter alia, jure Canonico, dos uxoris Catholicæ propter hæreſim mariti, de qua agemus *§. ſeq.*

§. IV.

An dotes uxorum confiſcentur propter hæreſim maritorum?

LXIII. De hac re agitur in c. *Decrevit* 14. *h. t. in* 6. ubi Innocentius IV. ſtatuit, quod dotes uxorum Catholicarum propter hæreſim maritorum, non debeant confiſcari: quod intelligendum eſt niſi forte mulieres ipſæ cum maritis matrimonia contraxiſſent, quos hæreticos tunc (ſcilicet tempore contractus) ſciebant. Ratio deciſionis eſt, quia univerſim loquendo, ob maritorum culpam uxores inquietari leges vetant, *lib.* 2. *C. Ne uxor pro marito*, & pœnæ ſuos tenere debent auctores, *l. Sancimus* 22. *C. de pœnis.* Neque rationi eſt conſentaneum, ut innocens, propter alterius crimen, puniatur, niſi id jure ſit expreſſum, ſicut expreſſum eſt puniri filios, ob crimen læſæ Majeſtatis Divinæ, vel humanæ commiſſum a patre, *Sanch. l.* 2. *moral. cap.* 27. *num.* 2. Ratio exceptionis eſt, quia tunc in pœnam delicti commiſſi, & ob periculum perverſionis, cui ſe tales mulieres exponunt, publicantur earum dotes.

LXIV. Ubi præterea notandum 1. Non ſolum dos, ſed etiam bona paraphernalis uxoris non confiſcantur: nec donatio propter nuptias, quam facit Sponſus Sponſæ, aut vir uxori, in pręmium dotis receptæ, vel nobilitatis, vel pudicitię Sponſæ, & ſit propria uxoris, poſt matrimonium conſummatum: nec etiam res donatæ uxori a conſanguineis viri, etſi intuitu viri, niſi donans tempore donationis expreſſerit, ut res donatæ marito acquirantur: nec etiam res acquiſitæ ab uxore, conſtante matrimonio, ut medietas lucrorum: nec denique quæcunque alia bona propria uxoris, propter hæreſim mariti, confiſcantur, *Sanch. citat. cap.* 17. *num.* 3. *Farinac. tr. de hæreſ. q.* 190. *num.* 44. *&* 3. *ſeqq.* & alii apud ipſos. Imo uxor poteſt, bonis viri confiſcatis, res ſuas propria auctoritate capere, *l. Si quis* 9. *C. de bonis proſcript. Sanch. c. l.*

Notandum 2. Non ſolum autem ipſa dos, & reliqua bona uxoris, ſed etiam uſusfructus dotis, qui percipitur ex aliis bonis uxoris, publicatis bonis mariti, non confiſcatur: nam etſi uſusfructus dotis, durante matrimonio, pertineat ad maritum, ad alendam uxorem: quia tamen vir, ob factam confiſcationem, redditus eſt inops, & impotens ad illam ſuſtentandam, reddita uxori dote, etiam uſusfructus illi reſtituitur, *Palao diſput.* 5. *pun.* 22. *numer.* 7.

Notandum 3. Non tantum in donatione inter vivos, ſed etiam in donatione mortis cauſa facta inter conjuges, non habet locum publicatio, ita ut ſi donatio, mortis cauſa facta ſit a viro uxori, ea morte viri, etiam civili, confirmetur, ideoque bona ſic donata, propter conjugis donantis delictum non tranſeunt in fiſcum: non tamen viro donanti adimitur licentia talem donationem revocandi, uſque ad ejuſdem mortem naturalem, *l. Sed etſi* 13. *§.* 1. *ff. de donat.*

Digitized by Google

donat. inter vir. & uxor. & l. Reſervari 24. *C. eod.* quamvis alias donata, mortiscauſa, alteri quam conjugi morte civili non confirmentur, ſed ſi is ſupplicio afficiatur, tranſeant ad fiſcum, *l. Si aliqui* 17. *ff. de mort. cauſ. donat. Sanch. cit. c.* 17. *num.* 16.

LXV. Notandum 4. Hæc pœna privationis dotis ſtatuta eſt in uxores ſcienter nubentes viris hæreticis, ut conſtat ex cit. *c. Decrevit in fine h. t.* quamvis ibi non imponatur ipſo jure, ſeu facto, ſed ſolum per ſententiam condemnatoriam Judicis, ut notat *Sanch. cit. cap.* 17. *n.* 18. Si vero uxores, tempore contractus matrimonii, ignorarunt viros, quibus nupſerunt, eſſe hæreticos, non confiſcantur earum dotes, etſi poſtea id ſciverint, quia tunc non deliquerunt, contrahendo matrimonium cum illis: præſumuntur autem ignorare hæreſim virorum, niſi probentur ſcire, ideoque fiſco probatio hujus ſcientiæ incumbit, petenti ob eam publicari dotem, *Gl. fin. in cit. c. Decrevit, & ibid. Franc. nu.* 2. *in Gl. fin. Sanch. c. l. num.* 17. *Farinac. cit. q.* 190. *num.* 52. §. 3. *num.* 2. ubi id limitat, niſi ſuperveniente ſcientia, quod maritus ſit hæreticus, uxor peccato ejus conſentiat, tunc enim perinde eſt, ac ſi ab initio ſciviſſet hæreſim mariti, adeoque dotem perdet, & ea fiſco applicabitur.

Notandum 5. Hæc pœna confiſcationis non habet locum in illa dote, quæ uxori data eſt, cum eo onere, & conditione, ut danti, vel alicui tertio, ſoluto matrimonio, reſtituatur: tunc enim, ſicut quodlibet aliud fidei commiſſum, non poteſt publicari in perpetuum, quia id cederet in præjudicium tertii, cui dos reſtituenda eſt: & tunc fiſcus percipiet fructus illius dotis, durante matrimonio, *Sanch. c. l. num.* 19.

LXVI. Sed circa hoc adhuc reſtant duæ quæſtiones, nam 1. quæritur: An uxor ſcienter nubens viro hæretico, non tantum in pœnam privetur dote, ſed etiam omnibus aliis bonis, quæ habuit, tempore contracti matrimonii, vel etiam quæ acquiſivit poſtea, conſtante matrimonio? Affirmant *Gl. in cit. c. Decrevit in figuratione caſus, & Franc. not.* 1. *Farinac. c. l. num.* 49. & 50. quia ſic nubens, & in tali matrimonio perſiſtens ſuſpecta redditur de hæreſi, & fautrix hæreſis cenſetur, ideoque contra illam ut talem procedi poteſt, ac puniri: nam licet in *cit. c.* de ſola dote fiat mentio, tamen ea ſola expreſſa fuit, exempli gratia tantum, non autem ut ea diſpoſitio ad ſolam dotem reſtringeretur, ergo ſicut quando uxor ignoranter nubit hæretico, non privatur dote, nec aliis bonis paraphernalibus, ita vice verſa, quando ſcienter nubit, ſicut amittit dotem in pœnam, ſic etiam omnia alia bona. Neque vero mulier ſcienter nubens hæretico punitur eodem modo, quo ipſe hæreticus: tum quia hæreticus punitur confiſcatione bonorum, ipſo facto, mulier per ſententiam: tum quia ipſe hæreticus aliis pœnis adhuc punitur, quibus non punitur mulier ob hoc delictum, quod ſcienter nupſerit hæretico, *Falso cit. pun.* 12. *num.* 20.

Verum contraria ſententia, quod hæc pœna amiſſionis dotis non ſit extendenda ad alia bona non dotalia, eſt probabilior, quam tenet *Sanch. c. l. num.* 22. quia *cit. c. Decrevit.* de ſola dote loquitur, & in pœnalibus non eſt facienda extenſio: & ſi Papa voluiſſet, omnia bona uxoris, tali caſu publicari, non ſola dotalia expreſſiſſet, ſed omnia, ſicut id expreſſit in c. *pen. h. t. in* 6. & durum eſt per eandem generalem confiſcationem bonorum plecti æque uxorem Catholicam, ac ipſum hæreticum, cum uxoris delictum multo levius ſit, & nullus reatus juris ſit, qui eam generalem confiſcationem ob tale delictum imponat. Neque ex eo, quod dos, quæ magis eſt privilegiata, quam alia bona uxoris, amittatur, ſi ſcienter nubat hæretico, recte infertur, etiam alia bona non dotalia tunc amitti: quia hæc pœna ſoli doti eſt impoſita, forte ob eam cauſam, ut quia majori gaudet privilegio, gravior etiam ſit pœna, unde non poteſt extendi ad alia bona.

LXVII. Quæritur 2. An viciſſim vir Catholicus ſcienter matrimonium cum hæretica contrahens, incurrat ſimilem pœnam amiſſionis bonorum? Reſp. Negative, tum quia cum vir dotem non afferat, nequit congruenter hæc pœna ad ipſum extendi, quæ ſoli doti eſt impoſita: tum quia licet vir & uxor ſint correlativa, & diſpoſitum in uno correlativorum, cenſeatur etiam diſpoſitum in altero; *Arg. lib.* 1. *C. de Cupreſſ. lib.* 11. ubi *Gothofr.* ait, argumentum a correlativis dari, ſi emptio eſt prohibita, & venditio quoque: id tamen ſolum obtinet tunc, quando in utroque eadem eſt ratio: ſecus ſi ſit diverſa, ut in propoſito, quia mulier ob ejus facultatem, & ſexus fragilitatem, & quia ſubjecta marito, graviori periculo perverſionis ſe exponit nubens hæretico, quam vir: quare cum non ſit adæquate eadem ratio in viro, quæ in muliere, non eſt extendenda hæc pœna ad virum, *Sanch. c. l. num.* 23. *Barb. in collect. in citat. cap.* 14. *num.* 6. Porro dos non amittitur, quod mulier virum ob hæreſim damnatum comitetur, vel eum non denunciet, quia hæc pœna nullibi jure eſt ſtatuta, nec delinquit comitando virum, *Sanch. c. l. num.* 24.

§. V.

Cui applicari debeant bona tum Clericorum, tum Laicorum, confiſcata propter hæreſim?

LXVIII. Aſſertio 1. Certum eſt, quod bona Clericorum propria, & patrimonialia propter hæreſim eorum confiſcentur, ut tradit *Gl. in Clement.* 2. *V. Eccleſiarum. h. tit.* eaque applicanda ſunt fiſco Eccleſiæ, & Epiſcopi, in pios uſus diſtribuenda, *Lopez. in pract. crim. Canon. c.* 157. *in addit. lit. f. V. applicantur. Farinac. tr. de hæreſ. q.* 190. §. 11. *num.* 154. quamvis bona immobilia propria Clerici committentis crimen hæreſis, imo & mobilia deferantur ad fiſcum Principis ſecularis, ex recepta in quibuſdam Regnis conſuetudine, quam approbat *Covarr. l.* 2. *reſol. c.* 9. *num.* 12. nam nullibi reperitur interdictum hæc bona publicari, & Canones, qui dicunt bona Clericorum applicanda eſſe Eccleſiis, non loquuntur de bonis propriis, & patrimonialibus Clericorum, de quibus illi teſtari poſſunt, c. *Quia nos* 9. *de teſtam.* ſed de bonis Clericorum acquiſitis, intuitu Eccleſiæ: nam bona patrimonialia tranſeunt ad quoſcunque Clericorum ſucceſſores, *Sanch. l.* 2. *mor. c.* 20. *num.* 22 ubi tamen *num.* 26. ait, ſpectato jure communi, & ſecluſa conſuetudine, bona Clericorum publicata deferenda eſſe, quia bona ſunt acceſſoria perſonæ, eamque ſequuntur: & quidem fiſco Eccleſiæ Epiſcopalis, ſi ipſe Clericus non habeat ſtipendium ab alia Eccleſia, *Lopez. c. l. num.* 4. *Farinac. cit. l. num.* 158. Idemque dicendum de bonis Clericorum quaſi patrimonialibus, quæ ab illis acquiruntur, non ex fructibus beneficii, ſed ratione alicujus miniſterii Eccleſiaſtici pro Miſſis dicendis, adminiſtratione Sacramentorum, ſepeliendis defunctis, & ſimilibus, nam & hæc ob crimen hæretici confiſcantur, quia & de illis bonis libere teſtari poſſunt Clerici, & hæc ad quoſcunque eorum ſucceſſores tranſeunt, *Sanch. c. l. num.* 23.

LXIX. Aſſertio 2. Bona Clericorum acquiſita, ratione beneficii Eccleſiaſtici, non tranſeunt ad fiſcum, ſed applicari debent Eccleſiæ, cui inſervierunt prout habetur in c. *Excommunicamus* 13. §. *Damnamus h. t.* ubi dicitur: Bona damna-
„ torum de hæreſi, ſi laici fuerint, confiſcentur; ſi vero
„ Clerici, Eccleſiis applicentur, a quibus ſtipendia rece-
„ perunt. Ratio eſt, quia de bonis intuitu Eccleſiæ acquiſitis prohibitum eſt Clericis teſtari, ſed ea poſt illorum obitum, penes Eccleſias remanere debent, c. *Quia nos* 9. c. *Relatum* 12. *de teſtam.* ergo cum hujuſmodi bona non poſſint tranſire ad hæredes extraneos, nec ad fiſcum deferri poſſunt, juxta ſupra dicta.

LXX. Aſſertio 3. Bona Eccleſiæ, ut domus, prædia, ac ſimilia, ex quibus Clerici reditus beneficii percipiunt, non confiſcantur ob hæreſim Clericorum, qui illa poſſident, & Judex illa confiſcans excommunicationem incurrit ipſo jure, prout ſumitur ex *Clement. nolentes* 2. *h. tit. vl. poſt princ.* ubi prohibetur: Ne deputati Commiſſarii ab Inquiſitoribus,
„ vel Epiſcopo, vel Capitulo, ſede vacante, prætextu offi-
„ cii inquiſitionis, quibusvis modis illicitis, ab aliquibus
„ pecuniam (quo nomine intelligitur quælibet res pecu-
„ nia æſtimabilis *Gloſſ. hic Verb. Pecuniam, Sanch. lib.* 2. *mor.*
„ *cap.* 22. *numer.* 9.) extorqueant, nec ſcienter attentent,
„ bona Eccleſiarum, ob delictum Clericorum, fiſco etiam
Eccleſiæ, applicare (multo minus ſibi ipſis, vel Officialibus, vel fiſco ſæculari *Gl. hic V. Eccleſia*) quod ſecus in his (ſci-
„ licet proxime dictis) vel altero eorum, fecerint, ſen-
„ tentiam excommunicationis, ipſo facto, incurrant, a qua
„ non poſſunt abſolvi (per Ordinarios) niſi plene ſatisfece-
„ rint illis, a quibus ſic pecuniam extorſerunt; præterquam
„ in mortis articulo, nullis privilegiis, vel pactis, aut re-
„ miſſionibus obſtantibus. Notarii vero, & Officiales dicti
„ officii, nec non fratres, & ſocii Inquiſitorum, illos gra-
„ viter arguant, & corrigant in ſecreto, & ſi probare poſ-
„ ſint, denuncient Prælatis, & Superioribus Inquiſitorum,
„ & Commiſſariorum eorundem, qui eos ab officiis amove-
„ re debent, & amotos alias punire, & corrigere. Quod
„ ſi Prælati Inquiſitorum id negligant, præcipitur locorum
„ Ordinariis, ut omnia prædicta ad Sedis Apoſtolicæ noti-
„ tiam perferant: Denique præcipitur Inquiſitoribus, ut
„ non abutantur conceſſione portandi arma, nec habeant
„ plures officiales, quam neceſſarios, qui ſe cum illis con-
„ ferant ad officia exequenda.

LXXI. Pro intellectu hujus *Clement.* notandum 1. Hanc excommunicationem incurrunt, non tantum ipſi Inquiſitores, ſed etiam Commiſſarii, ſeu Vicarii Inquiſitorum, Epiſcoporum, & Capitulorum, ſede vacante, ad negotia inquiſitionis deputati, vel ab eis ſubſtituti, *Gl. hic in caſu. Sanch. l.* 2. *c.* 20. *num.* 4. & 5. non tamen ea pœna habet locum in Epiſcopis, de quibus ibi nulla fit mentio, forte ob dignitatem illorum, ſed de ſolis Vicariis eorum, *Gl. hic V. Commiſſarius*, neque in Capitulo, Sede vacante, quia de ſolis Vicariis in textu fit mentio, neque Prælatis, quia quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habent, quia excommunicatio non eſt extendenda ad caſus Jure non expreſſos, *Sanch. cit. c.* 22. *num.* 6. *Farinac. tr. de hæreſi q.* 186. *num.* 141.

Notandum 2. Ad incurrendam excommunicationem, ipſo jure latam, in *cit. c.* ad extorquendam pecuniam, vel aliam rem æquivalentem requiritur, ut illa illicite ſit extorta, ſecus ſi licite, vel ſponte ſit oblata, & ut ſit extorta, prætextu officii, ſive ratione inquiſitionis in cauſis fidei *Sanch. c. l. num.* 7. *Farinac. c. l. num.* 139. Similiter ut incurratur excommunicatio ab iis, qui applicant bona Eccleſiarum fiſco etiam Eccleſiaſtico, ob hæreſim, vel aliud delictum Clericorum, requiritur 1. Ut ſcienter ſint applicata, ſecus ſi ignoranter, quia publicans neſcit illa eſſe bona Eccleſiæ, modo non ſit ignorantia tam craſſa, ut ſit ingens temeritas, nec affectata, ut bona Eccleſiarum applicentur, ſecus ſi bona Clericorum, *Sanch. c. l. n.* 11. & 12. Hinc infertur, ſi applicantur fiſco bona acquiſita ab aliquo Monacho, ſeu Religioſo profeſſo, etiam intuitu perſonæ, qui præeſt alicui Eccleſiæ, is incurrit excommunicationem, quia cum ea ſibi ob profeſſionem acquirere non poſſit, Eccleſiæ ea acquiruntur, *Gl. in cit. Clem.* 2. *V. Eccleſiarum Sanch. c. l. n.* 13. Idemque eſt de bonis acquiſitis per alium, quamvis Religioſum hæreticum, niſi ſit Ordinis Minorum, qui nec ſibi, nec Monaſterio quippe incapaci acquirendi proprii etiam in communi, acquirere poteſt, ideoque etſi bona a tali Monacho ob ejus hæreſim acquiſita publicari non poſſint, non tamen publicans talia bona incurret excommunicationem, quia non ſunt bona Eccleſiæ, *Sanch. c. l. num.* 14.

Notandum 3. Ab utraq; prædicta excommunicatione abſolvere poteſt Prælatus Papa inferior, cum etiam ſibi Papa non reſervarit, *Gl. in cit. Clement.* 2. *V. Abſolvi. Sanch. cit. c. l. n.* 18.

Digitized by Google

& 21. Farinac. num. 143. quamvis abſolutio a priore excommunicatione non permittatur Ordinariis, niſi ſub ea conditione, ut prios iis, a quibus pecuniæ ſunt extortæ, plene, & reipſa ſit ſatisfactum ab extorquentibus, prout habetur in *cit. Clement.* 2. præterquam, ſi impotentia reſtituendi eos excuſet, *Sanch. c. l. num. 18. & 19. contra Suar.*

Notandum 4. Inquiſitores, & Commiſſarii ſic illicite pecunias extorquentes, ultra excommunicationem, privantur etiam officio, & alia pœna, arbitrio ſuorum Prælatorum, ſeu Superiorum, puniuntur, *cit. Clement. 2. & ibi. Gl. V. Amovere Farinac. c. l. num. 135.*

Notandum 5. Notarii, & Officiales, ac ſocii Inquiſitorum debent pecunias illicite extorquentes ſecrete graviter corrigere, & ſi probare poſſint, omnia Prælatis Inquiſitorum denunciare, *cit. Clement. 2. & ibid. Gl. V. corrigere.*

Notandum 6. Inquiſitores poſſunt habere armatos Officiales, pro defenſione ſuæ perſonæ, vel familiæ ſuæ, & ad capiendum hæreticos, *cit. Clement. 2. in fine. Barb. in Collect. hic numer.* 8. plura videri poſſunt apud *Sanch. & Farinac.* citt. locis.

LXXII. Aſſertio 4. Spectato Jure communi Canonico, bona Laicorum hæreticorum confiſcata in terris Eccleſiæ applicantur fiſco Eccleſiæ: in terris vero Imperii fiſco ſæculari, ut decrevit Papa Innocentius III. in *cap. Vergentis* 10. *h. titul.* ubi ait: In terris temporali noſtræ juriſdictio- ,, ni ſubjectis bona hæreticorum ſtatuimus publicari, & in ,, aliis idem præcipimus fieri per Poteſtates, & Principes, ,, ſæculares, & in *c. Excommunicamus* 13. §. *Damnati vero*, ,, dicitur: Bona hujuſmodi damnatorum, ſi Laici fuerint, ,, confiſcentur, ut dictum ſupra *num.* 56.

LXXIII. Ubi notandum 1. Judex ſæcularis, cujus fiſco bona hæretici applicantur, non poteſt illa confiſcare, nec bonorum poſſeſſionem apprehendere niſi poſt ſententiam condemnatoriam vel declaratoriam criminis hæreſis a Judice Eccleſiaſtico promulgatam, juxta *c. Cum ſecundum* 19. §. *Confiscationis h. t. in* 6. de quo ſupra *num.* 59. *Farinac. citat. q.* 190. *num.* 169.

Notandum 2. Bona immobilia hæretici confiſcata applicantur fiſco Domini loci, ubi ſita ſunt, & non ubi eſt condemnatus, ſeu facta eſt confiſcatio, ita ut ſi ſita ſint in diverſis territoriis ad diverſos Dominos ſpectantibus, unuſquiſque vendicabit bona, quæ in ſuo territorio ſita ſunt, *Farinac. cit. l. num.* 166. & alii ab ipſo citt. Applicantur autem non ſupremo Principi, cui hæreticus eſt mediate ſubjectus, ſed illi Domino, cui immediate eſt ſubditus, modo inferior Princeps merum imperium & jura regalia habeat, adeoque & jus confiſcandi, alias ſecus, *Farinac. cit. l. num.* 167. aliud eſt de bonis mobilibus, nam hæc ſemper pertinent ad fiſcum loci, in quo fit confiſcatio, quia mobilia bona non territorio adhærent, ſed perſonæ damnatæ, eamque ſequuntur. *Clarus in pract. crim.* §. *fin. q.* 78. *n.* 27. *Sanch. cit. c.* 20. *num. ult.*

Notandum 3. Prædicta procedunt ſpectato Jure antiquo: nam juxta novas Extravagantes Pontificia præſertim Innocentii IV. quæ incipit: *Ad extirpanda.* edita 1252. & extat apud *Farinac. cit. q.* 190. *num.* 176. dividenda eſt in tres partes, prout videre eſt apud eundem. Verum hodie circa applicationem bonorum confiſcatorum ob hæreſim, ſervandæ ſunt locales conſuetudines, quæ in variis Provinciis variæ, ac diverſæ ſunt, modo eæ ſint rationabiles, ac legitime præſcriptæ, & conformes Juribus, & Conſtitutionibus Papalibus, *Farinac. c. l. num.* 187.

§. VI.

De inhabilitate ad teſtandum, & hæreditariam ſucceſſionem, quam incurrunt hæretici.

LXXIV. Quæritur 1. An hæreticus poſſit teſtamentum facere? Reſp. Negative, prout Jure Civili ſtatutum eſt in *l. Manichæos* 4. §. *Ergo C. de hæretic.* & ſumitur ex *c. Excommunicamus* 13. §. *Credentes h. t.* ubi dicitur: *Sit etiam inteſtabilis, ut nec teſtandi liberam habeat facultatem*, qui textus etſi loquatur de defenſoribus, ac fautoribus hæreticorum, multo magis tamen habet locum in ipſis hæreticis, ne traduat omnes. Idque extenditur 1. Ut teſtamentum conditum ab hæretico ſit ipſo jure nullum, etiam ante ſententiam criminis declaratoriam, ut docent plures apud *Sanch. lib.* 2. *mor. cap.* 24. *num.* 2. quia in *cit.* §. *Credentes* dicitur: *Sit. inteſtabilis*, at verbum *ſit* importat latam ſententiam, & cum bona hæretici confiſcentur a die commiſſi criminis, ab eo tempore jam eſt incapax teſtandi, ita ut teſtamentum ſit nullum, quia eſt de bonis jam ad fiſcum pertinentibus. Verum quia juxta probabilem ſententiam, alienatio bonorum facta ab hæretico non eſt ipſo jure nulla, ante ſententiam declaratoriam criminis, ut dictum ſupra, hinc neque teſtamentum, quamvis per ſubſecutam ſententiam revocari poſſit, & infirmari, quia verbum *ſit* in *cit.* §. *Credentes*, eſt futuri temporis, adeoque importat ſententiam non latam, ſed ferendam, *Sanch. c. l. num.* 3. *Farinac. tr. de hæreſ. q.* 196. §. 6. *num.* 89. Addit *Sanch. c. l. nu.* 3. quod etiam poſt ſententiam poſſit hæreticus de bonis non publicatis teſtari, quia Jus Canonicum prohibens hæreticos, teſtari, intelligendum eſt de bonis publicatis, non autem de bonis acquiſitis poſt ſententiam, quæ confiſcationi non ſunt ſubjecta. Extenditur 2. Quod hæretici non poſſint teſtari etiam ad pias cauſas *Farinac. tr. de hæreſ. q.* 190. *num.* 92. Extenditur 3. Quod teſtamentum factum ab hæreticis non reconvaleſcat poſt ſubſecutam pœnitentiam, *Farinac. c. l. nu.* 93.

LXXV. Quæritur 2. An hæreticus ſit capax ſucceſſionis hæreditariæ? Reſp. Hæreticus privatur ſucceſſione hæreditatis, tam ex teſtamento, quam ab inteſtato, prout colligitur ex *c. Excommunicamus* 13. §. *Credentes*, ibi: *Nec ad hæreditatis ſucceſſionem accedat, h. t.* & ex *l. Manichæos* 4. §. *Quos bonorum Cod. eod.* privatur autem hæreticus, non ſolum hæreditate ipſi ex teſtamento, vel ab inteſtato delata, ſed etiam legato ipſi relicto, etiam ex teſtamento militis, *l. fin. C. de hæretic.* imo etiam per donationem inter vivos, *Farinac. cit. q.* 190. §. 7. *num.* 93. *& ſeqq.* An autem hæreticus ita privetur hæreditate ſibi delata, ut ſtatim poſt crimen commiſſum ſit omnino incapax ad ſuccedendum, dubitatur? Affirmat communior ſententia DD. hæreticum, durante hæreſi, eſſe incapacem cujuslibet hæreditatis, vel legati, ac proinde in foro conſcientiæ eam etiam ante ſententiam Judicis declaratoriam reſtituere debere, non fiſco, ſed hæredibus, quia hæreticus non habet titulum ad retinendum, *Vaſq. in opuſc. Moral. c.* 9. §. 4. *dub.* 2. *num.* 122. & aliis apud *Sanch. l.* 2. *Mor. c.* 24. *num.* 31. & tenet etiam *Farinac. cit. q.* 190. *&* 204. quamvis alii contrarium teneant, nempe quod hæreticus, ante ſententiam condemnatoriam, vel declaratoriam criminis, non ſit ipſo jure incapax hæreditatis, vel legati, ac proinde non teneatur ante illam hæreditatem, vel legatum reſtituere hæredibus ab inteſtato vel fiſco, quamquam poſt ſententiam omnia illa fiſcus auferre poſſit ab hæretico tanquam ab indigno, *Leſſ. l.* 2. *c.* 10. *num.* 52. *Sanch. l.* 2. *c.* 24. *num.* 31. *&* 34. Ratio eſt: quia valde durum videtur, ut teneantur delinquentes hæreditates ſibi delatas, vel legatum ſponte reſtituere, ante præceptum Judicis. Verum licet non teneatur quis ſeipſum privare hæreditate jam adita, & obtenta; ſecus tamen eſt de non adita, & obtenta, cujus ipſo jure eſt redditus incapax.

Porro quod dictum eſt, hæreditatem, vel legatum relictum hæretico non confiſcari, ſaltem ante ſententiam Judicis, ſed pertinere ad hæredes legitimos teſtatoris, vel legantis, id limitandum eſt 1. Ut non procedat in hæreditate, vel legato relicto ſcienter hæretico ab eo, qui illum hæreticum eſſe non ignoravit, tunc enim in pœnam ſic inſtituentis, vel illi aliquid relinquentis, illa hæreditas, vel legatum fiſco applicabitur, *Azor. p.* 1. *l.* 8. *c.* 12. *quæſt.* 8. *Sanch. cit. c.* 24. *num.* 38. ubi tamen addit, hanc pœnam non obligare, antequam Judex condemnet. Limitatur 2. Hæreticus, poſtquam ab hæreſi eſt abſolutus, & Eccleſiæ reconciliatus, eſt capax hæreditatis, & legati ſibi relicti, quia tunc ceſſat ea incapacitas, *Sanch. cit. c.* 24. *numer.* 40. *Farinac. citat. l. num.* 101.

LXXVI. Quæritur 3. An & ſub qua pœna prohibitum ſit hæreticos hæredes in teſtamento inſtituere? Reſp. Id eſſe prohibitum ſub pœna excommunicationis Epiſcopis, ut conſtat ex *c. Si quis.* 5. *h. t.* nam cum quæſitum fuiſſet in Con- ,, cilio Africano, an hæretici poſſint inſtitui hæredes ab E- ,, piſcopo? Reſpondet Concilium: ſi quis Epiſcopus inſtitu- ,, erit hæreticos extraneos, ſive non conſanguineos, vel ,, etiam hæreticos conſanguineos, aut paganos (idemque ,, eſt de omnibus, qui Catholici non ſunt, *Gloſſ. hic V.* ,, *Paganos.*) ſaltem poſt mortem, excommunicari debet, ,, atque ejus nomen inter Sacerdotes nullo modo recitetur; quia nimirum, ut explicat, *Abb. hic num.* 3. ſecundum conſuetudinem quorundam locorum, nomina Epiſcoporum in aliquo libro ſcribi ſolent, & recitari in die obitus eorum, & pro iis fit aliqua oratio, quod hic prohibetur. Quod tamen intelligendum eſt, niſi hæretici pœnituerint, tunc enim inſtitui poſſunt hæredes, *Gloſſ. hic Verſ. Si quis. in fine. & Hoſtienſ. V. Hæreticus.* pœnitentibus enim venia non denegatur, *l. Manichæos.* 3. §. *Sed nec filios Cod. hoc titul.*

LXXVII. Similiter in *c. In eos.* 6. *h. tit.* quod eſt deſumptum quoque ex Concilio Africano, etſi non extat, ſed habetur in Concilio Carthaginenſi. III. *cap.* 13. ut notat *Gl.* ,, *Marg. hic* ubi ſtatutum fuit, ut Epiſcopi, vel Presbyteri ,, in eos, qui non ſunt Catholici, etiamſi conſanguinei fue- ,, rint, nihil conferent (ſive in vita, ſive in morte; quia ,, hic non diſtinguitur, & nihil capere poſſunt ex teſta- ,, mento *Gl. hic V. Nihil conferant.*) Quod autem de Epiſ- ,, copis, & Presbyteris dictum eſt, debet etiam de reliquis ,, Clericis intelligi, nempe quod excommunicari debeant, ,, ſi hæreticos inſtituant hæredes vel etiam in vita eis aliquid donent, niſi cauſa pietatis, & ad eorum neceſſitatem ſublevandam; quia adhuc ad fidem converti poſſunt, *Gl. hic V. Nihil. conferunt. & Hoſtienſ.* Imo etiam in teſtamento neceſſaria alimenta iis legari poſſunt, *Sanch. l.* 2. *cap.* 24. *num.* 41. Deinde id limitandum eſt, niſi inſtituens hæreticos probabiliter ignorarit, eos eſſe hæreticos; tunc enim excommunicationem non incurrit, *Farinac. citat. quæſt.* 109. *num.* 118. Ratio autem, cur Epiſcopis, & aliis Clericis ſub pœna excommunicationis ſit prohibitum, ne hæreticos hæredes inſtituant, eſt, quia inſtituens hæredem eum, quem ſcit eſſe hæreticum, redditur ſuſpectus de hæreſi ut tradit *Menoch. lib.* 5. *de præſumpt.* 6. *numer.* 33. Eademque prohibitio, & pœna excommunicationis communiter extenditur ad quoſcunque fideles, qui ſcienter inſtituunt hæredes hæreticos, etiamſi laici fuerint *Farinac. cit. l. num.* 111.

LXXVIII. Porro ex dictis inferunt plures DD. apud *Azor. p.* 2. *l.* 5. *cap.* 26. *quæſt.* 2. quod quis etiam poſt mortem excommunicari poſſit? nam in *cit. c. Si quis.* dicitur, *ſaltem poſt mortem ei anathema dicatur.* Nam licet regulariter crimina morte extinguantur, *c. Quorundam.* 14. *diſ.* 23. & ibi *Gl. V. Non poteſt.* & crimen cum pœna eſt extinctum, mortuo reo, *lib.* 2. *Cod. Si reus, vel accuſ. mort. fuer.* tamen hoc ſpeciale eſt in crimine hæreſis, ut quis etiam poſt mortem accuſari, & puniri, ac excommunicari poſſit, in deteſtationem hujus criminis, & ne Eccleſia oret pro eo; quia in vita non fuit accuſatus, *Gl. in cit. c. Si quis poſt mortem*, adeoque etiam, qui ſcienter hæreticum inſtituit hæredem, poteſt poſt mortem excommunicari *Gl. in cit. c. Quorundam. V. Non poteſt.* Ratio eſt: quia poteſt quis, dum adhuc vivit, canonice moneri, ne hoc, vel illud peccatum committat,

& poſt

& poſt mortem, ratione contumaciæ commiſſæ in vita, quæ poſt mortem primum innotuit, excommunicari poterit, quia licet mortuus ſit extra juriſdictionem Eccleſiæ; videtur tamen eidem ſubeſſe, propter delictum in vita patratum. Verum *Covarr. in c. Alma. p. 1. §. 11. n. 4. & Azor. cit. l.* & alii apud *Barb. ſ. in cit. c. Si quis num. 3. h. t.* contrarium tenent, quod mortuus ſit omnis cenſuræ incapax, ac proinde in caſu *cit. c. Si quis*. Epiſcopus, dum hæredem hæreticum inſtituit ſcienter, incidit in excommunicationem, & non poſt mortem primum: vel ſaltem reatum, ſive obligationem ad illam contraxit; quia tunc delictum fuit perfectum, & conſummatum ſtatim, atque teſtamentum fuit confectum, cum requiſitis ſolemnitatibus. Nec obſtat *cit. c. Si quis*. quia id ita intelligendum eſt, quod poſt mortem poſſit declarari, hunc, vel illum in hæreſi, vel excommunicatione obiiſſe; ideoque tanquam excommunicatum Eccleſiaſtica ſepultura privandum eſſe, nec pro eo orandum, *Azor. cit. l.* de quo plura infra *Cit. 39*.

Infertur 2. Quod Epiſcopus, vel alius Clericus non poſſit inſtituere hæredem hæreticum vel paganum, etiam conſanguineum: bene tamen poteſt in bonis ſuis patrimonialibus inſtituere hæredem Catholicum conſanguineum, vel etiam extraneum; quia de his bonis diſponere poteſt pro arbitrio, dummodo non relinquat perſonis prohibitis, *capit. Sicut manifeſta. 22. cauſ. 12. quæſt. 2. Abb. in cit. cap. Si quis. num. 3.*

§. VII.

De aliis quibuſdam juribus temporalibus, quibus privantur hæretici.

LXXIX. Aſſertio 1. Hæretici amittunt patriam poteſtatem in filios, ita, ut ſtatim, ante omnem ſententiam declaratoriam Judicis, filii efficiantur ſui juris & eximantur a patria poteſtate, prout deciditur in *c. 2. §. fin. h. t. in 6.*
„ ubi dicitur: Illorum autem filiorum emancipationem,
„ quorum parentes, etiam poſt emancipationem hujuſmo-
„ di, apparuerit, ante ipſam, a veritate Catholica ad hæ-
„ reticam ſuperſtitionem declinaſſe, nullius volumus eſſe
„ momenti, velut factam de hominibus ſui juris, cum di-
„ gnum ſit, ut propter atrocitatem delicti, filii deſinant
„ eſſe in poteſtate hæreticorum parentum, *Gl. ibid. V. Deſierint. Azor. p. 2. l. 2. c. 22. q. 6. Molin. tr. 2. de juſtit. diſ. 9. n. 21. Sanch. l. 2. Mor. c. 24. num. 5. & 6. Farinac. tr. de hæreſ. q. 197. num. 29.*

Hinc patet 1. Quod emancipatio facta a parente hæretico, etiam ante declarationem hæreſis, non valeat; quia a die commiſſi criminis caret patria poteſtate, quæ ad valorem emancipationis requiritur; ideoque jam ante filii ſunt ſui juris, *Sanch. cit. l. 2.* Non poteſt pater hæreticus filio impuberi ſubſtituere pupillariter, ſive pro eo facere teſtamentum, cum non habeat amplius illum in poteſtate *Sanch. cit. l. 3.* Hæc pœna extenditur ad receptatores, defenſores, & fautores hæreticorum, ut etiam eorum filii a patria poteſtate liberentur; quia illa in *cit. §. Illorum.* ſolis hæreticis imponitur: pœnæ autem non ſunt extendendæ, *Sanch. cit. l. n. 5.*

LXXX. Aſſertio 2. Hæretici privantur etiam poteſtate dominii in ſervos vaſallos, & jure, quod habent in alios quocunque vinculo perſonali obligatos, prout ſumitur ex *c. Abſolutos. 16. & ult. h. t.* ubi decernitur, abſolutos eſſe a
„ debito fidelitatis, ſive homagii hominii (quæ vox mutata
„ eſt in vocem dominii, ut notat *Gl. marg. hic.*) & totius
„ obſequii, quicunque lapſis manifeſte in hæreſim, aliquo
„ pacto quacunque firmitate vallato, ſive munito (etiam
„ juramento, *Gl. hic V. Abſolutos.*) tenebantur aſtricti.

LXXXI. Hinc infertur 1. Servos effici liberos ab obſequio domini, non quidem ipſo jure ſtatim poſt lapſum in hæreſim, ut vult. *Gl. hic V. Abſolutos & Abb. num. 2.* Sed poſt ſententiam declaratoriam criminis ut colligitur ex *c. ultim.* ibi: *lapſis. manifeſte in hæreſim*; ergo requiritur, ut hæreſis ſit manifeſta, nempe judicialiter per ſententiam, quæ eſt præcipua, & principalis manifeſtatio, *Sanchez l. 2. Mor. cap. 24. num. 10. & 13.* ubi ait, illam ſententiam retrotrahi ad diem commiſſi criminis. Sed hic dubitatur, an ſervi exempti ab obſequio domini lapſi in hæreſim, fiant omnino liberi: an vero ſolum liberentur ab obſequio domini hæretici, ita tamen, ut cum reliquis bonis confiſcatis, tranſeant in dominium fiſci, quia in *cit. cap. ultim.* ſolum eximuntur a debito fidelitatis, & obſequio domini hæretici. Verum diſtinguendum eſt inter mancipia ſive ſervos Chriſtianos, & Catholicos, & ſervos infideles, aut hæreticos: nam priores omnino liberi fiunt, ſi dominus in hæreſim ſit lapſus; adeo ut etiamſi dominus, abjurata hæreſi, ad fidem Catholicam redeat, eique beneficio Principis bona reſtituantur, non tamen recuperet dominium ſervorum, quia libertas ſemel acquiſita quocunque modo revocari non debet, *l. 1. & 2. C. ſi advorſ. libert.* Nam licet hæc libertas ſervis Chriſtianis conceſſa non ſit in jure expreſſa: ſatis tamen colligitur ex *l. Manichæos. 4. §. fin. C. h. t.* qui dicitur, ſervos quoque extra noxam eſſe volumus, (id eſt) liberos fieri volumus, ut explicat *Accurſius ibid.* ſi dominum ſacrilegum evitantes, ad Eccleſiam Catolicam ſervitio fideliore tranſierint: ſi ergo domini hæretici ſervus fidem ſuſcipiens, omnino liberatur a ſervitute, in præmium fidei ſuſceptæ; ergo etiam ſervus; qui deficiente domino a fide, in Catholica fide vult perſeverare, debet omnino a ſervitute liberari. At vero ſervi infideles, & hæretici, non fiunt omnino liberi, ſed una cum reliquis bonis, in dominium fiſci tranſeunt, cum in bona dominorum reputentur, *l. Ream in bonis. 52. ff. de acquir. rer. domin.* nullo autem jure reperitur hæc libertas eis conceſſa, *Molin. tract. 2. de juſtit. diſ. 40. num. 1. §. Cæterum. Azor. p. 1. Inſtit. l. 8. cap. 12. quæſt. 7. Sanch. cit. c. 24. num. 10. & 11.*

LXXXII. Infertur 2. omnes debitores hæretici, eique obligati, a quocunque debito, & obligatione liberantur, ita ut contra eos amplius hæreticus agere, & debitum exigere non poſſit, prout ſumitur ex *citat. cap. ultim. hoc tit.* quod quamvis loquatur de obligatione fidelitatis: tamen *Gloſſ. ibid. in notat. & Abb. nu. 5.* & alii Canoniſtæ communiter, illud extendunt ad omnia debita, & quaſcunque obligationes, *Farinac. tract. de hæreſ. quæſt. 189. §. 5. num. 57.* Quare non ſolum vaſalli hæretici domini eximuntur a Sacramento fidelitatis: ſed etiam famuli, & liberti non tenentur amplius ad obſequium domino præſtandum, & ſi quis debeat hæretico aliquid, ratione pignoris, depoſiti, mutui, vel alterius contractus, non tenetur amplius ei reddere, *Azor. cit. l. 8. c. 13. poſt princip.*

Idque extendunt plures DD. apud *Azor. cit. cap. 13. qu. 5.* quod debitores alicujus hæretici ipſo jure ſint liberati ab omni obligatione, etiam ante ſententiam condemnatoriam, vel declaratoriam criminis, modo hæreſis ſit manifeſta, vel ipſo facto, vel probata per teſtium depoſitiones, *Abb. in cit. cap. ultim. num. 2. hoc tit. Farinac. cit. quæſt. 189. num. 63. Fagnan. in cit. capit. ult. num. 3. hoc tit.* in quo plus non requiritur, & verbum *abſolutos* indicat ſententiam latam: tum quia hæretici, a die commiſſi criminis amittunt dominium bonorum ſuorum, juxta probabilem ſententiam, de qua ſupra & conſequenter etiam omnem obligationem, ita ut fiſcus ſuccedat in omni jure, & obligatione, quod delinquens habeat, eique ſolvendum ſit debitum, non Domino in hæreſim lapſo. Verum contrarium quoque eſt valde probabile, nempe quod debitores, ante ſententiam ſaltem declaratoriam criminis, poſſint, ac teneantur ipſis hæreticis debita ſolvere, & alia obſequia præſtare: at vero poſt condemnationem, vel declarationem Judicis, non Domino hæretico, ſed fiſco ea ſolvere debent, ac præſtare, ad quem omnia bona pertinent, *Azor. p. 2. l. 8. c. 13. q. 2. Sanch. l. 2. mor. c. 24. n. 8.* Ratio eſt: tum quia hæreticus, poſt commiſſum crimen, ante ſententiam declaratoriam hæreſis, non privatur poſſeſſione, & adminiſtratione bonorum, juxta probabilem ſententiam, de qua ſupra, ergo ratione hujus poſſeſſionis, & adminiſtrationis, illi adhuc debent ſolvi debita, & obſequia præſtari. Tum quia, quamvis probabile ſit, debitores a die commiſſi criminis eſſe abſolutos a debitis ſolvendis hæreticis, requiritur tamen ſententia declaratoria criminis, ut plenum effectum ſortiatur illa abſolutio: ſicut licet a die commiſſi criminis omnia bona hæreticorum ſint addicta fiſco; requiritur tamen ſententia declaratoria criminis, ut ea occupare poſſit fiſcus, juxta *c. pen. h. t. in 6. in fine*: Si autem debitores non tenerentur ſolvere hæreticis, ante ſententiam declaratoriam hæreſis, ſed fiſco, jam fiſcus ante illam bona illorum poſſet occupare, quod eſt contra dictum *c. pen.* Nec obſtat *c. ult. h. t.* quia intelligi debet, non de quacunque manifeſtatione, ſed de judiciali, quæ eſt præcipua, & fit per ſententiam. Illud vero certum eſt, etſi admittatur, debitores a die commiſſi criminis, eſſe liberatos ab obligatione ſolvendi debita hæreticis, & vaſallos a debito fidelitatis ſuis Dominis, non tamen ita ſunt liberati, ut illorum debita, vel obligatio præſtandi fidelitatem, & obſequia omnino extinguantur, ita ut nihil ſibi inde acquirant, ſed in iis ſuccedit fiſcus, ſi alii vocati non ſint *Farinac. c. l. n. 63.*

Extenditur 2. Omnes debitores hæretici ſunt liberati vel ipſo jure, vel ſaltem poſt ſententiam Judicis, ab omni debito, ſeu obligatione, etiam pœnali, ac jurata. Quare ſi quis ſub certa pœna obligetur ad aliquid hæretico certa die ſolvendum, licet tempore conſtituto non ſolvat, pœnam non contrahit, *Gl. fin. in cit. c. ult. h. t. Farinac. cit. q. 189. n. 58.* Idemque eſt de obligatione juramento firmata, quia Papa poteſt abſolvere Laicum a juramento fidelitatis, ratione delicti Eccleſiaſtici, & ad ipſum ſpectat interpretatio juramenti, *Gl. in cit. c. ult. V. Abſolutos, Abb. ibid. not. 1.* Unde etſi quis juravit ſolvere Titio ad certam diem, non ſit perjurus, etſi non ſolvat, ſi is interim lapſus ſit in hæreſim, quia juramentum habet in ſe tacitam conditionem, ſi in tali ſtatu permanſerit, ut ei communicare liceat, *Gl. fin. in cit. c. ult. & Hoſtienſ. ibid. V. aliquo pacto.*

Extenditur 3. Licet hæreticus reſipiſcat, & reconcilietur Eccleſiæ: non tamen recipit nomina debitorum jam confiſcata, nec etiam obligationem fidelitatis, qua vaſalli erant ipſi obſtricti, ſicut nec bona confiſcata, quia obligatio ſemel extincta non reviviſcit, *c. Quæcis 129. & ibi Gl. V. Contrahatur diſ. 4. de conſecrat. & l. Qui res ſuas 98. §. Aream ff. de ſolut. Abb. in cit. c. ult. n. 4. Farinac. c. l. n. 60.*

LXXXIII. Infertur 3. quod hæreticis non ſit ſervanda fides eis data, & ſecuritas promiſſa, ſi a privatis perſonis ſit data, qui hanc ſecuritatem non poſſunt promittere, quia ſi tyrannis, & publicis prædonibus non eſt ſervanda fides, quia corpus occidunt, multo minus hæreticis, qui animam occidunt. Secus eſt, ſi fides, & ſecuritas promiſſa ſit a perſona publica, ſive a Principe habente poteſtatem illam concedendi, *Clarus §. Hæreſis, n. 18. Farinac. tr. de hæreſ. quæſt. 197. n. 24. & 26.*

Cæterum illud hoc loco addendum, quod prædictæ pœnæ privationis patriæ poteſtatis, & aliorum jurium temporalium, jure communi decretæ in hæreticos, non habent locum, in Lutheranis, qui ſunt Auguſtanæ Confeſſionis in Germania, licet ab Eccleſia Romana receſſerint: tamen ob pacem, ac fœdus cum eis initum, permittente, & conſentiente S. Pontifice, retinent patriam poteſtatem in liberos ſuos, aliaque jura, & immunitates civiles, non item Eccleſiaſticas, quibus Catholici gaudent, ut notat *Laym. l. 2. tr. 1. c. 16. n. 4. in 6. pæna.*

Digitized by Google

§. VIII.

De pœna degradationis infligendæ Clericis hæreticis.

LXXXIV. Supponendum, quod degradatio ſit pęna Eccleſiaſtica, per quam Clericus ab omni officio, & beneficio Eccleſiaſtico depoſitus, omnibus inſuper Ordinibus Eccleſiaſticis, & Clericorum privilegiis etiamſi fori, & Canonis per ſententiam in perpetuum, & ſine ſpe reſtitutionis, privatur, ut docet *Silveſt. V. Degradatio n. 1. Clarus §. fin. q. 72. n. 1. junct. addit. Farinac. tr. de hæreſ. q. 189. §. 2. num. 1.* Ea duplex eſt, verbalis, ſeu ſententionalis, & actualis, ſeu realis, ſicut colligitur ex *c. 2. de pœnis in 6.* Verbalis eſt, quando quis per ſententiam, non ſolum deponitur, ſed etiam privatur in perpetuum privilegiis Clericalibus, eaque præparatoria eſt ad degradationem actualem, ſive realem, & ad illam ordinatur, per quem ſcilicet reus actu, & cum ſolemni ceremonia degradatur, ſeu privatur privilegiis Clericalibus, & Judici ſæcularis traditur, *Laym. l. 1. tr. 5. p. 3. c. 5. n. 4. Farinac. in praxi crimin. p. 1. l. tit. 1. qu. 8. n. 72.* de quo plura infra.

LXXXV. Quæritur nunc 2. Art. & quando Clericus ob hæreſim ſit degradandus? Reſp. Clerici manifeſte deprehenſi in hæreſi, antequam tradantur Curiæ, ſive Poteſtati ſæculari, prius degradandi ſunt, ſive ab omni Ordine, officio, & beneficio ſunt deponendi, prout ſtatuitur, in *c. Ad abſolendam 9. §. præſenti h. t.* ubi dicitur: ,, Sancimus, ut quicunque manifeſte fuerint in hæreſi deprehenſi, ſi Clericus ſit, vel Religioſus cujuſvis Ordinis, totius Eccleſiaſtici Ordinis prærogativa ſpolietur, & ſic omni officio, & beneficio Eccleſiaſtico privatus, Poteſtatis ſæcularis arbitrio tradatur puniendus: niſi ſtatim poſt deprehenſionem erroris, ad fidei Catholicæ unitatem ſponte redierit, & publice abjurata & hæreſi, ad arbitrium Epiſcopi loci, congrue ſatisfecerit. Ubi etiam additur: Si vero Laicus fuerit, niſi ſimiliter abjurata hæreſi, & ſatisfactione exhibita, confeſtim ad fidem Orthodoxam confugerit, ſecularis Judicis arbitrio relinquatur ab eodem puniendus. Idem habetur in *c. Excommunicamus 13. in princ. h. t.* ubi ſimiliter decernitur, quod damnati de hæreſi (Laici) per Poteſtates ſæculares puniendi ſint, Clerici vero prius a ſuis Ordinibus ſint degradandi.

LXXXVI. Ubi notandum 1. Ut Clericus ob crimen hæreſis poſſit degradari, & tradi Poteſtati ſæculari ab eadem puniendus, requiritur, ut manifeſte deprehenſus ſit in hæreſi, & ſive per evidentiam facti, quia publice prædicavit hæreſim, ſive per legitimam probationem, nempe per teſtes convictus, ſive ex propria confeſſione in Judicio, *Gl. in cit. c. Ad abolendam V. Deprehenſi.*

Notandum 2. Quamvis alias regulariter per penitentiam non tollatur pœna delicti, *l. Qui ex mente 6. ff. de furtis.* ſi tamen hæreticus in continenti, & ſponte ad fidem revertatur, evadit pęnam, ſaltem mortis: ſecus ſi ex intervallo, & non ſponte, ſed metu pœnæ, vel probationum redeat, modo tamen etiam hæreſim abjuret, & congruam ſatisfactionem præſtet, *Abb. in cit. c. 9. n. 5. & 6. Menoch. de arbitrar. Judic. caſu 37. n. 10.*

Notandum 3. Omnes hæretici revertentes ad fidem debent abjurare hæreſim, non tantum quam tenuerunt, ſed etiam damnare omnes, & quaſcunque alias hæreſes: alioquin etiam pœnitentes non ſunt recipiendi, *Farinac. tr. de hæreſ. q. 192. n. 4. 12. & 13. & n. 24.* Debet autem abjuratio hæc fieri publice, ſi manifeſtus ſit hæreticus, & hæreſim publice ſit profeſſus, ut colligitur *ex cit. c. 9. §. præſenti*, ibi: *Publice conſenſerit abjurare*, quia pro manifeſtis criminibus manifeſta eſt injungenda pœnitentia, nec ſcandalum tollitur per abjurationem privatam, *Menoch. c. l. n. 2.* Inſuper etiam requiritur, ut abjuratio fiat per ſcripturam propria manu abjurantis conſcriptam, vel per publicum Notarium confectam, & ab eodem abjurante ſubſcriptam, quæ contineat juramentum, quod non revertetur ad priſtinos errores, & Catholicam veritatem ſemper confitebitur, *c. Si quis 8. & c. ſeq. c. Maximum 19. cauſ. 1. q. 7.* & forma hujus abjurationis habetur etiam in *c. Ego Berengarius 42. diſ. 2. de conſecr.* Quod ſi neſciat ſcribere, ſufficit, ut Notarius ſe ſubſcribat, in præſentia teſtium audientium abjurationem, ore proprio Rei, factam *Farinac. cit. q. 197. n. 15.*

Notandum 4. Qui recuſat hæreſim abjurare, ad arbitrium Archiepiſcopi, aut Inquiſitorum, ut pertinax, & impœnitens Judici ſæculari relinquandus eſt, & ab eo puniendus, dummodo confeſſus, vel convictus ſit de hæreſi, vel in ea deprehenſus; alioquin non ſtatim tradendus eſt Curiæ ſæculari: ſed prius excommunicandus, & ſi per annum in excommunicatione ſteterit, tanquam hæreticus condemnabitur, *Farinac. c. l. n. 34. & 35.*

Notandum 5. Etiam is, qui ſuſpectus eſt de hæreſi, excommunicationi ſubjacet, niſi ad arbitrium Epiſcopi, juxta ſuſpicionis, & perſonæ qualitatem, innocentiam ſuam congrue purgaverit, *cit. c. 9. §. Qui vero h. t.* quod ſi ſuſpectus de hæreſi in purgatione coram Epiſcopo defecerit, punitur ut convictus, *Abb. in cit. c. n. 8.*

LXXXVII. Quæritur 2. Qua forma, & a quo degradandus ſit Clericus hæreticus, antequam tradatur Curiæ ſæculari? Reſp. De hoc agitur in *c. Quoniam 1. h. t. in 6.* ubi Papa Gregorius IX. ita reſcribit: ,, Quoniam Epiſcoporum numerus ad degradationem Clericorum a Canonibus conſtitutus (nempe ut in degradatione Epiſcopi interſint XII. Epiſcopi, in degradatione Presbyteri VI. in degradatione Diaconi tres, *c. Si quis 3. & 2. ſeqq. cauſ. 15. q. 7.* Idemque videtur in degradatione Subdiaconi; *Arg. c. Miramur 7. de ſerv. non ordinar. Gl. hic V. Canonibus*) non poteſt de facili convenire, concedimus, ut Sacerdotem, vel alium Clericum in ſacris ordinibus conſtitutum, cum ob hæreſim fuerit ſæculari Curiæ relinquendus, aut perpetuo immurandus (hoc eſt, ad perpetuos carceres damnandus) convocatis Abbatibus, aliiſque Prælatis, ac Litteratis ſuæ Diœceſis, de quibus expedire videbitur, ſuus Epiſcopus ſolus poſſit degradare.

LXXXVIII. Ubi notandum 1. Quamvis Clericus in hæreſim lapſus, ſi pęnitens rediit ad fidem, non ſit tradendus Curiæ ſæculari, ſed ad perpetuum carcerem damnandus, ſi tamen ſit in Sacris conſtitutus, prius degradari debet, *Gl. hic innot. Franc. not. 2.* Idemque eſt, ſi ad perpetuas triremes ſit condemnatus, *Farin. tr. de hæreſ. q. 199. §. 2. n. 13. & 15.* Addit *Gl. in cit. c. 1. V. Pro hæreſi*, & *Franc. n. 3.* hoc ſpeciale eſſe in damnato ob crimen hæreſis ad perpetuas carceres, quod prius ſit degradandos, non autem procedere in damnato ob alia crimina, licet alii apud *Farinac. c. l. n. 14.* contrarium teneant.

LXXXIX. Porro quamvis de jure communitatis degradatio Clericorum, qui ob crimen hæreſis ad perpetuos carceres, vel triremes damnati ſunt, deberet eſſe actualis, & realis: ex conſuetudine tamen Tribunalis Generalis Inquiſitionis Romanæ, tales ordinarie degradantur tantum verbaliter, *Farinac. c. l. n. 16.* ubi *num. 17.* addit, Clericos in minoribus ordinibus conſtitutos, etiamſi tradantur ſæculari Judici ab eodem ad mortem damnandi, non tamen prius degradari realiter, ſed tantum verbaliter, idque colligatur *ex cit. c. 1.* quod expreſſe dicit, Clericos in Sacris conſtitutos eſſe degradandos.

Notandum 2. Licet ſolus Epiſcopus proprius loci, confirmatus, & conſecratus poſſit ob hæreſim, ſine aliis Epiſcopis, degradare Clericos etiam actu, & realiter: debet tamen: in tali degradatione convocare non ſolum Prælatos, & Clericos, ac perſonas Religioſas ſed etiam alias perſonas litteratas ſuæ Diœceſis, etiamſi Laici ſint, periti tamen in Jure Canonico, vel Civili, ſi ita expedire judicaverit, *Franc. hic n. 3.* ubi tamen non excluditur Capitulum Cathedrale, quominus vocari debeat ad degradationem Clerici, *Gl. hic. V. Solus*, niſi Epiſcopus præſcripſiſſet, ut etiam poſſit procedere, ſine conſenſu, aut conſilio ſui Capituli, in puniendis, & corrigendis ſubditorum exceſſibus, *juxta cap. Non eſt 3. de conſuet. in 6. Franc. hic in fine.*

§ IX.

Quæ pœna corporalis infligi debeant, aut poſſint hæreticis, & an etiam pœna pecuniaria iis imponi poſſit?

XC. Aſſertio I. Pœna, quæ pęnitentibus hæreticis imponi poteſt, ac ſæpe ſolet, eſt carcer perpetuus, prout habetur in *c. Excommunicamus 15. §. Si qui h. t.* ubi dicitur: ,, Si qui autem, poſtquam in hæreſi deprehenſi fuerint, redire voluerint ad agendam condignam pœnitentiam, in perpetuum carcerem detrudantur. Credentes vero eorum erroribus, ſimiliter hæretici judicantur. Ex quo patet, quod hæretici redeuntes ad fidem, evadant quidem pœnam mortis, non tamen maneant impuniti, ſed detrudendi ſunt ad perpetuos carceres, *Gl. hic V. Deprehenſi, & Abb. n. 2.* quia regulariter propter ſolam pęnitentiam non evadit reus pęnam in foro externo.

XCI. Limitatur 1. Quod non omnes hæretici pœnitentes damnari poſſint ad perpetuos carceres, ſed illi tantum, qui vel poſtquam condemnati ſunt de crimine, vel primum poſt publicationem teſtium, plene fatentur errorem ſuum, & ad fidem redire volunt. Secus eſt de iis, qui antequam depoſitiones, ac dicta teſtium edantur, & publicentur, errorem ſuum fatentur, tunc enim nec dum cenſentur in errore ſuo ſatis deprehenſi, *Farinac. q. 193. n. 103.*

Limitatur 2. Poſſunt Inquiſitores, cum Epiſcopis, ex juſta cauſa, hanc pęnam perpetui carceris hæreticis pęnitentibus infligendam, etiamſi primum, poſt publicationem teſtium, errorem ſuum fateantur, mitigare, & vel in carcerem ad tempus tantum eos detrudere, vel in aliam pœnam arbitrariam commutare, ut conſtat ex *c. Ut commiſſi 12. §. Et illorum h. t. in 6.* ubi Inquiſitoribus facultas conceditur, ,, illorum, qui mandatis eorundem obedientes ſunt, propter hæreſim, in carcere, vel muro recluſi, pœnam, una cum Prælatis, quorum jurisdictioni ſubſunt, mitigandi, vel mutandi, cum viderint expedire. *Clarus. §. Hæreſis num. 7. Farinac. c. 1. num. 104.* ubi addit, quod Inquiſitores hæretico etiam poſt ſententiam ad perpetuos carceres damnato, pœnam illam mutare poſſint, minuendo, vel augendo, juxta eorum arbitrium.

Limitatur 3. Carcer perpetuus, ad quem hæreticus pęnitens damnandus eſt, non debet ita eſſe arctus, ut per illum notabiliter abbrevietur vita incarcerati. Nec obſtat, quod in *Clement. 1. §. Propter quod h. t.* dicitur, Inquiſitores, cum conſenſu Epiſcopi, poſſe hæreticos duro carceri tradere, ſive arcto: nam id intelligendum eſt, modo non ſit ita arctus, ac durus, ut intra paucos dies, moreretur reus in eum conjectus, nam alias Judices fidei irregularitatem non evaderent. *Farinac. l. n. 106.*

Limitatur 4. Qui ſolum ſuſpectus eſt de hæreſi, non debet ad perpetuum carcerem damnari, cum hæc pęna ſolum impoſita ſit deprehenſis, in hæreſis, & poſtea pęnitentibus, *Farinac. c. l. n. 103.*

XCII. Præterea hæretici Impęnitentes, & perſiſtentes in ſua pertinacia, pęna mortis afficiuntur, ut conſtat ex *l. Arriani. 5. Manichæis, & l. Quicunque 8. C. de hæretic.* quia perturbant pacem, & tranquillitatem Reipubl. Et quidem hodie ex conſuetudine igne comburuntur, ut teſtatur *Abb. in c. Ad abolendam 9. n. 13. & c. Excommunicamus 15. n. 2. h. t. Azor. p. 1. l. 8. c. 13. §. Ultima pœna. Clarus §. Hæreſis. n. 7. Farinac. cit. tr. q. 189. n. 4.* ubi *n. 5.* addit, quod & vivi comburuntur, præſertim ſi fuerint hæreſiarchæ. Et hinc hæretici impęniten-

Digitized by Google

nitentes, ſive Clerici, ſive Laici ſint, ab Eccleſia traduntur Curiæ, ſeu Poteſtati ſæculari, *c. Ad abolendam 9. §. Præſenti & c. Excommunicamus 13. §. Damnati h. t.* Nam quamvis Eccleſia habeat poteſtatem morte puniendi hæreticos, ut colligitur ex *Extravag. 1. de majorit. & obed.* quia alias non poſſet rebelles, ac inobedientes coercere, & eorum delicta vindicare, neque membra putrida, & noxia toti corpori reſecare, ut probat *Bellarm. l. 3. de Laicis c. 21. & 22.* Non tamen Eccleſia ſolet exercere, & exequi hanc poteſtatem per Judices, & miniſtros Eccleſiaſticos, ſed Laicos, & mediante illorum temporali poteſtate, quia id decentius eſt, & pietate Eccleſiæ conformius. Imo quando Judex Eccleſiaſticus Clericum, poſt degradationem, vel etiam Laicum tradit, ſeu relinquit poteſtati ſæculari, debet pro eo efficaciter intercedere, ut citra mortis periculum, circa eum ſententia moderetur, ut dicitur in *c. Novimus 27. in fin. princ. V. S. & c. Reos 7. cauſ. 23. q. 5.* per quod excuſatur Judex Eccleſiaſticus ab irregularitate, quam alias incurreret, *Farinac. cit. tr. q. 189. n. 9. & 12.* Quamvis autem *Gl. in cit. c. Ad abolendam V. Laicus*, dicat, quod hæreticus Laicus non tradatur Curiæ ſæculari, ſicut Clericus, quia ſemper eſt de foro ſæculari: non tamen negari poteſt, quin Laicus ab Eccleſia per ſententiam ſit condemnandus, tanquam hæreticus, & ſæcularis Judex ſententiam exequi debeat, illumque punire tanquam hæreticum, ac proinde quoad ſubſtantiam idem eſt, hæreticum, ſive Laicum, ſive Clericum ſæculari Curiæ tradere, vel eidem relinquere, *Alb. in cit. c. Ad abolendam n. 7. & 12. Farinac. cit. q. 189. n. 7.* Porro hæretici pœnitentes non afficiuntur ultimo ſupplicio, ſed vel pœna exilii quandoque puniuntur, vel ad triremes damnantur, ſaltem per triennium, vel aliam pœnam, *Farinac. cit. tr. q. 193. n. 85. & 88. & ſeqq.*

XCIII. Aſſertio 2. Inquiſitores poſſunt, non ſolum Laicis, ſed etiam Clericis imponere pœnam pecuniariam applicandam Officio Inquiſitionis, vel in uſus pios, *Gl. in Clement. 2. V. Illicitis h. t. Farinac. cit. q. 193. §. 6. n. 108. & 119.* & alii apud ipſum citt. Hæc autem pœna pecuniaria non poteſt imponi hæreticis confeſſis, & convictis, & impœnitentibus, cum contra hos ſtatutæ ſint a Jure certæ, & determinatæ pœnæ, quas Judex mitigare non poteſt, ſed hæreticis pœnitentibus, vel etiam ſuſpectis de hæreſi, poteſt Inquiſitor, vel Epiſcopus pœnam pecuniariam imponere, *Farinac. c. l. n. 117. & 120.*

§. X.

De relapſis in hæreſim, eorumque pœnis.

XCIV. Quæritur 1. Quinam in Jure Canonico hæretici relapſi cenſeantur, & quibus, ac quot modis dicantur relapſi? Reſp. Relapſi in hæreſim ſunt duplici generis; alii qui vere ac proprie, alii ficte, ſeu ex Juris præſumptione. Vere, ac proprie relapſi dicuntur, qui confeſſi, aut plene, ac legitime de hæreſi convicti, in Judicio, illam abjurarunt, hoc eſt, jurejurando damnarunt, & execrati ſunt, in eam poſtea iterum inciderunt, ita ut de hæreſi denuo ſint legitimis probationibus convicti, vel confeſſi in Judicio, *Azor. p. 1. l. 8. c. 14. q. 1. & 2. Farinac. tr. de hæreſ. q. 195. n. 1. 2. 3. & 7.* At vero ficte, ſive ex Juris præſumptione relapſi dicuntur triplici modo. Nam primo, qui accuſatus eſt de hæreſi, vel ſuſpectus, quia magna de hoc cri-
,, mine, & vehemens contra eum ſuſpicio orta erat, ab-
,, juravit in Judicio hæreſim (id eſt, penitus illi renun-
,, ciavit cum juramento) ſed poſtea iterum in illam hæ-
,, reſim labitur, is cenſeri debet juris fictione relapſus,
,, licet ante abjurationem ſuam, crimen hæreſis contra
,, ipſum plene probatum non fuerit, prout ſtatuitur in *c. Accuſatus. 8. in princ. h. t.* Rationem ibi lata dat *Gl. V. Fictione*, quia non poteſt dici vere relapſus, de quo non conſtat, an fuerit lapſus in hæreſim, ſicut non poteſt dici renatus, qui prius non fuit natus, *c. Qui maternis 115. & c. Si baptizata. 132. diſt. 4. de conſecr.* nam regenerationem præcedere debet generatio. Quamvis vero talis non dicatur vere relapſus, cum non fuerit plene convictus de primo lapſu in hæreſim: propter vehementem tamen præſumptionem primi lapſus ſi poſt abjurationem hæreſis, ad illam redeat, juris fictione cenſetur relapſus, & tanquam relapſus puniri debet, & tradi Curiæ ſæculari, *Gl. hic in caſu, & in d. c. n. 11*, ubi etiam ait, delictum non dici plene probatum, etiamſi conſtet de vehemente præſumptione, quæ non ſufficit ad condemnandum aliquem de hæreſi, *c. Litteras 14. de præſumpt.* modo illa non ſit violenta. *Gl. hic V. Vehemens.*

,, Quod ſi vero levis, & modica ſuſpicio hæreſis, tantum
,, de aliquo fuerit, quamvis ex hoc (quia poſt abjurationem
,, repetitur lapſus) gravius (quam ſi nunquam abjuraſſet)
,, ſit puniendus: non tamen debet pœna relapſorum in hæ-
,, reſim puniri, prout additur in *cit. c. Accuſatus. in fine princ.* Ratio eſt: quia talis nec vere eſt relapſus, nec ficte, ſive ex præſumptione juris, ſed ſolum lapſus; ideoque non eſt puniendus, tanquam relapſus, ſed tanquam lapſus in hæreſim eſt degradandus, & perpetuo immurandus, ſeu incarcerandus; quia poſtea repertus eſt incidiſſe in hæreſim, de qua prius erat leviter ſuſpectus. *Gl. hic in caſu.*

,, XCV. Secundo is, qui fuit convictus prius de una ſpe-
,, cie, vel ſecta hæreſis, aut in uno fidei articulo, vel in
,, uno Sacramento Eccleſiæ erravit, & poſtea abjuravit hæ-
,, reſim ſimpliciter, & generaliter (non reſtringendo ad
,, illam ſectam, vel fidei articulum, aut Sacramentum Ec-
,, cleſiæ) ſi poſtea in aliam etiam hæreſis ſpeciem, ſive ſe-
,, ctam incidat, vel in alio articulo, aut Sacramento er-
,, ret, cenſetur juris præſumptione, ut relapſus in hære-
,, ſim, prout ſtatuitur in *cit. c. Accuſatus. §. Eum vero, h. t. in 6.* ſemel ergo lapſus in hæreſim, ſi poſt abjurationem ſimpliciter & generaliter factam iterum ſit lapſus, licet in aliam ſectam, vel hæreſim, cenſetur relapſus: quia omnes hæreſes ſunt connexæ, habent enim caudas ad invicem alligatas, & in vanitate conveniunt in idipſum, ut dicitur in *c. Excommunicamus. 13. in fine princ. h. t.* & propoſitio definita æquivalet univerſali, *Gl. hic §. Eum vero V. Simpliciter & V. Judicari.* Secus vero eſt, ſi quis primo non ſimpliciter, & generaliter, ſed unam tantum hæreſis ſpeciem abjuraverit; tunc enim non habebitur pro relapſo, ſi ſic ſpecialiter abjurans, poſtea in diverſam ſpeciem hæreſis inciderit, *Gl. in cit. §. Eum vero in caſu. & V. Simpliciter. Barb. in Collect. ib. n. 8. Farinac. cit. c. 193. nu. 45.* quamvis *Jo. Monach. hic num. 4.* & alii apud *Farinac. cit. l. num. 44.* contrarium teneant; quæ tamen diſceptatio hodie ceſſat; quia ſemper nunc hæretici pœnitentes generaliter abjurare ſolent omnes hæreſes, etiamſi in unam tantum ſpeciem hæreſis inciderint, *Farinac. cit. l. n. 54.*

XCVI. Tertio ille quoque, de cujus lapſu in hæreſim,
,, ante vel poſt abjurationem, conſtat, ſi poſt illam hære-
,, ticos recipiat, deducat, viſitet, vel ſibi aſſociet, aut do-
,, na, vel munera eis donet, vel mittat, vel favorem eis
,, impendat, qui excuſari non poſſint (nempe propter neceſſitatem famis, ut ſi eleemoſynam det hæretico in extrema, vel gravi neceſſitate conſtituto; vel ſi ignoret, il-
,, los eſſe hæreticos *Gl. hic V. Non poſſit.*) etiam ſine non ap-
,, probatione ut ajunt, merito judicari debet relapſus,
,, cum illum ex approbati a ſe erroris conſequentia non ſit
,, dubium id feciſſe, ſcilicet receptaſſe, viſitaſſe, donaſſe,
,, vel favorem impendiſſe, prout ſtatuitur in *cit. c. Accuſatus. §. Illo vero h. t. in 6.* & ibi *Gl. in caſu.*

Itaque non ſolum is, qui primo in hæreſim lapſus eſt, & pœnitens iterum in illam labitur, ſed etiam is, qui non reincidit in hæreſim, ſed favet hæreticis, illos receptando, comitando, donando, vel munera eis mittendo, defendendo, aut alias opem, & auxilium præſtando, cenſetur relapſus in hæreſim, & tanquam relapſus eſt puniendus, *Farinac. cit. qu. 195. num. 32.*

XCVII. Quæritur 2. Quæ ſit pœna jure decreta in hæreticos relapſos? Et hinc ita ſtatuitur in *c. Ad abolendam 9.*
,, *§. Illos quoque h. t.* Illi quoque, qui poſt abjuratam hæreſim,
,, vel poſtquam ad arbitrium Epiſcopi ſe purgaverint, de-
,, prehenſi fuerint in hæreſim recidiſſe, ſæculari Judicio,
,, ſine ulla penitus audientia, relinquendi ſunt: ita ſcili-
,, cet, ut nulla ipſorum excuſatio ſuper hæreſi audiatur,
,, ſed ſufficiat, quod ſemel fuerint convicti, & condemnati
,, de hæreſi, quia pejus, & periculoſius eſt, reincidere in
,, hæreſim, quam primo incidere, *Hoſtienſ. hic. V. Sine ulla audientia & V. Recidiſſe.*

XCVIII. Similiter in *c. Super eo 4. h. t. in 6.* ,, reſpondet A-
,, lexander IV. licet in hæreſim lapſi, ſi poſt abjurationem
,, hæreſis (quia errori ſuo renunciarunt, cum juramento
,, de non redeundo ad hæreſim (vel poſtquam ſe in exa-
,, minatione proprii Antiſtitis purgaverint, ſi deprehenſi
,, fuerint in abjuratam hæreſim receidiſſe, ſæculari Judi-
,, cio, ſine ulla penitus audientia, ſunt relinquendi (jux-
,, ta *cit. c. Ad abolendam. §. Illos quoque.*) quia tamen Eccleſia
,, nulli claudit gremium redeunti, *c. Duo 35. cauſ. 23 q. 4.*
,, & habetur etiam in *princip. cit. c. Super eo. & l. ult. in fine C. de SS. Trinit.* ideo ſi ſic relapſi poſtea pœniteant, & ma-
,, nifeſta ſigna pœnitentiæ in eis apparuerint, nequaquam
,, ſunt eiſdem, ſi humiliter petant, Sacramenta pœniten-
,, tiæ, & Euchariſtiæ deneganda. Quare indulgentia illa, ſive miſericordia, quæ exhibetur relapſis pœnitentibus, ſolum prodeſt illis, quoad ſalutem ſpiritualem animæ, dum neceſſaria Sacramenta illis non denegantur: non tamen evitant pœnam corporalem, quin non obſtante pœnitentia, tradi debeant Curiæ ſæculari, ut igne comburantur, *Gl. hic in caſu. & V. Deneganda.* Porro de aliis Sacramentis, etiam Extremæ Unctionis, nulla hic fit mentio, quia illa hæreticus relapſus & per Curiam ſæcularem condemnatus non poteſt recipere; non enim datur niſi per infirmitatem corporalem ad mortem tendentibus, *Gl. hic in not. Farinac. cit. l. n. 4.*

SECTIO IV.

DE FILIIS HÆRETICORUM, ET de credentibus, receptatoribus, defenſoribus, & fautoribus eorumdem, ac pœnis.

§. I.

Quas pœnas incurrant filii hæreticorum?

XCIX. Prima pœna eſt, quod filii, propter hæreſim patris, etiamſi ipſi Catholici fuerint, privantur hæreditate, & omnibus bonis paternis, ut conſtat ex *c. Vergentis. 10. h. t. & c. fin. eod. in 6. & Auth. Gazaros C. de hæret.* quamvis de filiis Catholicis hæreticorum olim aliud ſtatutum fuerit, nempe ut illis ſuccederent, *l. Cognovimus. 19. C. eod. Sanch. l. 2. Mor. c. 29. n. 9. Farinac. tr. de hæreſ. q. 191. n. 1.* non tamen filii hæreticorum orthodoxi ſunt incapaces ſuccedendi ab inteſtato, vel ex teſtamento quibuſcunque aſcendentibus, nempe avo, proavo &c. & conſanguineis collateralibus, & extraneis Catholicis, ut docet *Sanch. cit. c. 29. n. 13. Molin. tr. 3. de juſtit. diſ. 6. n. 19. Farinac. cit. l. n. 26.* licet aliud ſtatutum ſit in crimine læſæ Majeſtatis, juxta *l. Quiſquis. 5. §. Filii vero, C. ad legem. Jul. Majeſt.* quia pœnæ huic crimini ſtatutæ, præſertim in filios innocentes, non ſunt extendendæ ad caſum jure non expreſſum: neque ex eo, quod crimen aliquod ſit gravius, & majus, altero, recte infertur, etiam majorem pœnam ei eſſe de facto impoſitam, ſed ſolum æquum eſſe, ut imponatur.

C. Oſtenditur autem 1. Quod paterna ſucceſſione priventur, non ſolum filii legitimi, ſed etiam illegitimi, & ſpurii,

rii, ne plus juris luxuriæ, quam continentiæ conjugali tribuatur, *Sanch. l. 2. c. 27. n. 1. Farinac. cit. l. n. 9. 2.* Etiam filii privantur dote ſolvenda ex bonis patris hæretici. *Azor. p. 1. l. 8. c. 12. q. 6. Farinac. cit. l. num. 8. 3.* Filii privantur etiam hæreditate, propter hæreſim matris, *Farinac. cit. l. n. 20. 4.* Non ſolum filii, ſed etiam nepotes, & alii deſcendentes per lineam paternam, & maternam, privantur hæreditate patris hæretici, *Farinac. cit. l. num. 22.*

Limitatur autem 1. Filii hæreticorum pœnitentium non privantur hæreditate paterna, prout ſumitur ex *c. Statutum. 15. §. Hoc ſane. h. t. in 6.* quia ſaltem ex miſericordia, & æquitate, talibus bona reſtituenda ſunt, *Farinac. cit. l. n. 34. 2.* Si eorum pater non fuit confeſſus, aut convictus; ſed ſolum ſuſpectus de hæreſi, *Farinac. cit. l. n. 38.* qui plures limitationes adfert. Porro licet filius propter hæreſim patris puniatur, non autem vice verſa, pater punitur propter hæreſim filii, *Farinac. cit. l. n. 42.*

CI. Secunda pœna decreta in filios hæreticorum, imo & fautorum, defenſorum, & receptatorum eſt, quod ſint irregulares, ita ut ad ſacros Ordines promoveri non poſſint filii, & nepotes eorum deſcendentes per lineam paternam: ſoli vero filii per lineam maternam, prout ſumitur ex *c. 2. Hæretici, juncto c. Statutum. 15. in 6.* Nam ibi filii hæreticorum redduntur inhabiles ad beneficia, & officia publica: nomine autem officiorum publicorum comprehenduntur etiam Officia Eccleſiaſtica, inter quæ etiam Officia Ordinum computantur, quippe quæ publica ſunt, *Navarr. in Man. Prel. c. 27. num. 205. Avila de cenſur. p. 7. diſ. 4. dub. 3. Sanch. l. 2. Mor. c. 28. n. 7.* Quod probabilius reſtringitur ad filios natos, poſtquam parens eorum lapſus eſt in hæreſim, ita ut antea nati ad Ordines promoveri poſſint, tum quia hi non proveniunt ex radice infecta, & jus ac Ordines jam acquiſitum habent: tum quia in *cit. c. 2. §. Hæretici.* ex quo colligitur hæc irregularitas, non ſtatuitur, ut filii hæreticorum officiis obtentis priventur, ſed ut impoſterum ad ea non admittantur, *Sanch. cit. l. n. 10.* Porro in hac irregularitate ſolus Papa diſpenſare poteſt, cum ſit Jure Pontificio inducta, nec reperitur in Jure diſpenſatio Epiſcopo conceſſa, *Navarr. cit. l. n. 4. Sanch. cit. l. n. 8.* In iis vero Regionibus, in quibus nulla, ob crimen paternum hæreſis, infamia contrahitur, liberi hæreticorum non ſunt irregulares, ſed ad Ordines promoveri poſſunt, ut notat *Laym. l. 2. tr. 5. p. 5. c. 4. n. 12. in fine.*

CII. Tertia pœna eſt, quod Clerici filii hæreticorum, licet non deliquerint, propter hæreſim paternam, priventur dignitatibus, & aliis beneficiis Eccleſiaſticis, ſi quæ habent, imo etiam publicis officiis, ab honoribus quibuſcunque prout ſtatutum eſt in *c. Ut commiſſi. 12. §. Privandi h. t. in 6.* ubi Papa Bonifacius VIII. ita reſcribit: „Privandi præterea, vel privatos denunciandi dignitatibus, ac aliis beneficiis Eccleſiaſticis, de Diœceſanorum, vel eis abſentibus, Vicariorum ſuorum conſilio, & officiis publicis, ac honoribus quibuſcunque, eoſdem hæreticos, credentes, receptatores & defenſores, eorumque filios, ac nepotes plenam concedimus facultatem. Sunt autem Diœceſani in privando tales, vel denunciando, privatos beneficiis hujuſmodi requirendi, niſi forte legitime conſtaret, quod iidem ſcienter hujuſmodi perſonis eadem beneficia contuliſſent: tunc enim ii in his requirendi non ſunt, ſed potius a ſuo Judice puniendi.“

CIII. Ex quo patet 1. Quod inquiſitores fidei non poſſint privare Clericos beneficiis, non requiſito concilio Diœceſanorum, vel Vicariorum eorundem, ipſis Epiſcopis abſentibus: forma autem, qua privant, eſt: *privamus, & privatos denunciamus*: & ſic dictio, *vel* hic expoſitive, non disjunctive accipi debet *Franc. hic. n. 2. not. 5.* Ratio autem, cur requiratur conſilium Epiſcopi Diœceſani, eſt, quia ſicut inſtitutio in beneficiis non poteſt fieri, niſi interveniente auctoritate Diœceſani, *c. 3. de Inſtitut.* ita nec deſtitutio, *c. Ex innuitis. 12. in fine h. t.* Sed cum aliquis ob hæreſim privatur officiis publicis & honoribus, non requiritur conſilium Diœceſanorum, ut patet ex *cit. c. §. Privandi.* quia ceſſat in illis ratio jam illata, *Gl. hic. V. Honoribus* 2. Si ſcienter Epiſcopus conferat beneficium indigno, non eſt in privatione beneficii collati hæretico, vel ejus filio requirendus conſenſus Epiſcopi, ſed a Judice puniendus eſt, nempe a Metropolitano, ſi quidem per talem collationem ſcienter factam Epiſcopus non reputatur hæreticus, ſed aliter delinqueret alioquin cognitio de hæreſi pertineret ad Metropolitanum in Synodo provinciali, ſed punitio ad Papam, ut tradit *Gl. in c. Inquiſitores. 16. V. Apoſtolica. h. t. in 6. Franc. hic n. 2. in fine.*

CIV. Præterea in *c. Statutum 15. h. t. in 6.* decernitur, „ne filii hæreticorum, credentium, receptatorum, defenſorum, aut fautorum deſcendentes uſque ad ſecundam generationem, ſive primum, & ſecundum gradum, per lineam paternam (id eſt, filios, & nepotes) per maternam vero, ad primum duntaxat gradum, ad aliquod beneficium Eccleſiaſticum, vel officium publicum admittantur: quod ſi ſecus actum fuerit, ſit irritum, & inane.“ v. g. Titius de hæreſi convictus habet filium, & filiam, & ex filio habet nepotem & ex filia alium nepotem, non ſolum filius Titii, ſed etiam nepos ex filio, inhabiles ſunt ad omnia officia Eccleſiaſtica, & officia publica: non autem nepos ex filia eſt incapax. Item ſimiliter hæretica habeat filium, & ex eo nepotem, ſolus filius eſt incapax, ad beneficia, & officia; non autem, nepos, *Gl. in cit. c. Statutum in caſu Azor. p. 1. l. 8. cap. 13. q. 8. in octavam pœna hæreticorum. Molin. tr. 2. de juſtit. diſ. 658. n. 19. §. Filii tamen.* Quare hæc Conſtitutio in quantum punit deſcendentes per lineam maſculinam ob hæreſim patris, declarat Jus antiquum Innocentii III. in *c. Vergentis. 10. &c. Excommunicamus. 13. §. Credentes. h. t.* & Alexandri IV. in *c. 2. §. Hæretici, eod. in 6.* in quantum vero punit deſcendentes per lineam fœmininam, ſtatuit Jus novum, *Gl. hic. V. Volumus.* Ex quo infertur, quod inhabilitas ad beneficia, & officia publica obtinenda, aliæque pœnæ a Jure decretæ in filios hæreticorum, etiam incurrantur ab illis propter hæreſim matris, etſi pater fuerit Catholicus, *Gl. hic V. Immo. Farinac. tr. de hæreſi. q. 192. n. 63.*

CV. Limitatur autem prædicta Conſtitutio primo, quod filii hæreticorum pœnitentium, & ad fidem redeuntium non privantur beneficiis obtentis, nec ad alia beneficia, vel officia obtinenda inhabiles redduntur, prout conſtat ex *cit. 26. Statutum. §. Hoc ſane. eod. in 6.* ubi dicitur: quod ſtatutum eſt, nec filii hæreticorum, & fautorum eorum ad „aliquod beneficium Eccleſiaſticum admittantur: id intelligendum eſſe, de filiis hæreticorum, credentium, & aliorum hujuſmodi, quia tales eſſe, vel tales etiam deceſſiſſe probantur: non autem illorum, quos emendatos eſſe conſtiterit, & reincorporatos Eccleſiæ unitati: & ad mandatum Eccleſiæ pro culpa hujuſmodi pœnitentiam recepiſſe, vel humiliter proſecutionem ejuſdem inſiſtunt, vel parati fuerint ad eandem recipiendam, quia cum tunc non ſtet per eos eam implere, non debet id eis imputari,“ *Gl. fin. ibid. Molin. cit. diſ. n. 19. in fine Azor. cit. l. §. Quæres an filii, Sanch. l. 2. c. 27. n. 26. & 28. Farinac. cit. l. num. 64.* Ratio eſt, quia ceſſat tunc cauſa, ob quam hanc pœnam Jus filiis inflixit, voluit enim in *cit. c. Statutum.* conſtituere diſcrimen inter parentes hæreticos, & eorum filios, ut illi quamvis Eccleſiæ reconciliati, maneant adhuc irregulares, & inhabiles ad Ordines & beneficia, donec cum ipſis diſpenſetur: filii vero poſt parentum reconciliationem diſpenſatione non egeant. Unde non incurrunt has pœnas filii hæreticorum, qui publice tales deceſſerunt, abſque nota infamiæ, ut ſi obierunt in Regione hæreſibus infecta: quia quando parentes non ſunt damnati de crimine hæreſis, ſed ſolum evidentia facti ſunt hæretici; quia publice v. g. profitentur fidem Lutheranam, filii eorum prædictas pœnas incurrunt, ratione infamiæ facti, quæ ceſſat in prædictis locis, *Sanch. cit. c. 27. n. 26.*

Aliud vero dicendum eſt de filiis, & nepotibus hæreticorum lapſorum, etſi pœnitentes, & converſi deceſſerint; nam quamvis hi ad Eccleſiæ Sacramenta recipiantur: tamen eorum filii adhuc remanent privari beneficiis, & inhabiles ad alia obtinenda, quia in *cit. c. Statutum. §. Hoc ſane* duo requiruntur, ut filii hæreticorum evadant pœnas privationis, & inhabilitatis ad beneficia, ſcilicet ut parentes eorum ſint emendati, & reconciliati Eccleſiæ: At relapſi, quamvis per pœnitentiam reſipiſcant, non habentur tamen pro reconciliatis, ſive reincorporatis, quia ſine audientia Curiæ ſeculari traduntur puniendi, *c. Super eo. 4. h. t. in 6.* Et hæc ſententia videtur probabilior, quam tenet *Gl. in cit. c. Statutum V. incorporatos. Archid. ibid. not. 3. & Franc. nu. 4. in fine. Azor. cit. c. 13. in octavam pœnam. §. Si reges. Sanch. cit. c. 27. n. 23. Farinac. cit. q. 191. n. 65.* quamvis aliqui contrarium teneant.

CVI. Limitatur prædicta Conſtitutio ſecundo, filii hæreticorum non ſunt ipſo jure privati, nec per ſententiam privandi beneficiis jam obtentis, ante lapſum parentum eorum in hæreſim, ſed ſolis poſtea obtentis, ut ex probabiliore ſententia docet *Abb. in c. Vergentis. 10. n. 4. h. t. Clarus l. 5. ſent. §. Hæreſis n. 16. Azor. cit. c. 13. in octava pœna §. Si reges. Sanch. l. 2. Mor. c. 28. n. 28. & 30. Farinac. cit. l. n. 18.* Idque probatur in *cit. c. 2. §. Hæretici. h. t. in 6.* filii hæreticorum redduntur ſolum inhabiles ad beneficia, vel officia publica obtinenda, ut patet ex verbo *non admittantur*, quod excludit ſolum a beneficiis impoſterum obtinendis, non autem a poſtea obtentis. Excipi debet, niſi filii hæreticorum ſcienter obtinuerint beneficia ad preces patris hæretici, ut ſtatutum eſt de quibuſcunque obtinentibus beneficia ad preces hæreticorum in *cit. c. 2. §. Ad hæc. eod. in 6. Sanch. cit. l. n. 29.* Privantur etiam iis ſolum beneficiis, quæ poſt condemnationem parentum hæreticorum ſunt aſſecuti; quia ante hanc condemnationem filii non ſunt inhabiles ad beneficia obtinenda; adeoque cum illa legitime acquiſiverint non debent illis privari. *Sanch. cit. l. num. 32.* Non obſtat, quod in *c. Ut commiſſi. 12. §. Privandi. h. t. in 6.* decernitur, parentes hæreticos, eorumque filios beneficiis privandos eſſe, vel privatos iis denunciandos: atqui parentes hæretici privantur ipſo jure beneficiis obtentis; ergo etiam filii, quia utrique ſub eorundem verborum contextu in eadem oratione ponuntur. Reſp. cum textum intelligendum eſſe de beneficiis acquiſitis poſt parentum hæreſim, juxta *c. 2. Hæretici &c. Statutum. 15. h. t. in 6.* non enim in eo inducitur novum Jus quoad privationem beneficiorum, & Jura Juribus ſunt concordanda, *Sanch. cit. l. n. ult.* ubi reſpondet ad argumenta contraria.

Porro utrum univerſim pœnæ Jure decretæ in filios hæreticorum, vel fautorum eorundem, afficiant etiam filios conceptos, vel genitos ante hæreſim, vel aliud ejuſmodi crimen commiſſum: an vero ſolum filii poſtea concepti vel nati illas pœnas incurrant, gravis eſt controverſia inter DD. quia plures tenent ſententiam affirmativam, alii negativam, quæ ſi non probabilior, ſaltem benignior, & æquior eſt, quam præter plures alios *Sanch. l. 2. mor. c. 27. num. 9. & pluribus ſeqq.* ſequitur, ubi latiſſime eam probat, & ad omnes contrarios textus Juris, & rationes reſpondet, quà videri poteſt.

CVII. Denique addunt nonnulli aliam pœnam, quam incurrunt filii hæreticorum, & fautorum eorundem, videlicet infamiam, ut docet *Molin. cit. diſ. 658. num. 25.* & alii plures apud *Farinac. cit. q. 191. num. 23.* Sed contrarium eſt probabilius, ut docet *Sanch. l. 2. mor. c. 28. nu. 5.* quia nullo Jure hæc infamia in filios hæreticorum ſtatuta reperitur, nam inhabilitas ad beneficia, & officia decreta in *c. 2. §. Hæretici. h. in 6.* non eſt infamia juris, quæ reddit inhabiles ad teſtimonium ferendum, *c. Non poteſt. 24. cauſ. 2. q. 7. c.*

Te-

Teſtimonium. 54. *de teſtib.* & repellit ab actibus legitimis: ſed hęc inhabilitas ad beneficia Eccleſiaſtica, & officia publica eſt potius genus quoddam irregularitatis, quę non reddit filios hęreticorum inhabiles ad prędicto, actus, & proprie infames, cum id ex nullo jure probari poſſit. Deinde hęc pœna infamię eſt quidem ſtatuta in filios reorum læſę Majeſtatis humanę in *l. Quiſquis.* 5. §. *Filii vero C. ad leg. Jul. Majeſt.* ubi dicitur, eos infamia perpetua comitetur: non tamen debet extendi ad filios hęreticorum; pręſertim quia contra non delinquentes non debet fieri extenſio pœnę, etiam propter ſimilitudinem rationis. Neque vero Papa Innocentius III. in c. *Vergentis.* 10. *in fine h. t.* ex eo quod crimen hęreſis gravius ſit, quam crimen læſę Majeſtatis, arguit ſimpliciter & abſolute etiam bona hęreticorum confiſcanda eſſe: ſed ſolum ex majoris criminis gravitate infert, non eſſe iniquum, nec mirum, ſi eadem pœna confiſcationis imponatur Jure Canonico crimini hęreſis, quę Jure Civili impoſita eſt crimini minori læſę Majeſtatis humanæ, *Sanch. cit. l.*

§. II.

Quinam intelliguntur per credentes, receptatores, defenſores, & fautores hæreticorum? & quæ ſint pœna eorum?

CVIII. Aſſertio. Dupliciter in Jure accipiuntur credentes hęreticis, 1. pro iis, qui credunt perſonę hęretici, bonam exiſtimationem de illo habentes, & familiaritatem ei exhibendo, non tamen hęreticorum erroribus aſſentiendo. 2. Pro iis, qui eorum erroribus credunt: idque vel explicite, aſſentiendo in particulari erroribus ab hęretico propoſitis, & publicatis, & hi potius hęretici dicuntur, quam credentes: vel implicite ſolum, & confuſe, ſive in communi, qui nihil quidem ſpecialiter, & in particulari credunt contra fidem, verbis tamen, vel factis profitentur, ſe credere, quod hęretici credunt, ut ſi quis verbo, vel facto declaret, ſe credere, quod Lutherani, & Calvioiſtę credunt, licet explicite & in particulari eorum errores ignoret: & hi dicuntur proprie credentes; nam licet tales etiam ſint hęretici credentes iis, qui contra Eccleſiam falſa dogmata tradunt, & profitentur; ideoque etiam ut hęretici reputantur, ac puniuntur, c. *Excommunicamus.* 15. *in fine h.* t. ubi dicitur, *credentes autem eorum erroribus hæreticos ſimiliter judicamus*, & ibi *Gl. fin.* quia tamen nihil diſtincte & explicite contra fidem credunt; ideo proprio nomine credentes hęreticorum appellati ſunt, & ſub nomine illo, majoris declarationis cauſa, ſunt expreſſi. *Azor. p.* 1. *l.* 8. *c.* 15. *q.* 1. *Suar. diſ.* 21. *de cenſur. ſec.* 2. *num.* 6. *Sanch. l.* 2. *Mor. c.* 10 *num.* 2. *Farinac. tr. de hæreſ. q.* 182. *num.* 104. 124. & 125.

CIX. Extenditur autem 1. Quod non ſolum illi, qui aperte voce profitentur errorem hęreticum, ſed etiam illi, qui in infirmitate ab hęreticis per manus impoſitionem, conſolationem petiverunt, & receperunt, inter illos, qui dicuntur credentes hęreticis, cenſendi ſunt, prout ſumitur ex c. *Filii.* 3. & tradit ibi *Gl. In ſupponendo.* 3. *h. t. in* 6. ubi ſic ſtatuitur: filii, vel hęredes eorum, qui dum in le-
„ cto infirmi decumberent, petierunt hęreticos conſolato-
„ res, ut ab eis per manus impoſitionem, conſolationem
„ reciperent, ſicque defuncti ſunt, non debent admitti ad
„ probandum, quod ipſi defuncti conſolationem illam, vel
„ verius deſolationem, non ſanę mentis effecti ſuſceperint
„ (unde quod tunc faciebant, non debuit eis imputari,
„ cum nullum delictum ſit ſine conſenſu, *Gl. hic V. Non ſa-*
„ *næ*) vel poſt perditam jam loquelam, vel cum memo-
„ riam non haberent ordinatam: ſi dum vivebant (illi pa-
„ rentes, vel teſtatores, qui conſolationem acceperunt)
„ diffamati erant de hęreſi, vel ſuſpecti, aut legitime
„ conſtiterit, quod quando petierunt hęreticos conſolato-
„ res, erant ſanę mentis: alioquin (ſi de hoc legitime
„ non conſtat, nec ipſi dum vivebant, infamati erant, vel
„ ſuſpecti de hęreſi) prędicti filii, aut hęredes admitti
„ poſſunt ad probandum pręmiſſa (ſcilicet quod tunc non
„ erant ſanę mentis, vel loquelam perdiderant, nec habe-
„ bant ordinatam memoriam) non tamen per patres, fi-
„ lios, familiares; vel aliquos ex ſuis, ſed per alios te-
„ ſtes fide dignos, & maxime, ac ſpecialiter per fidei
„ Chriſtianę Zelatores.

CX. Ubi notandum 1. Licet alias regulariter, ſi actor proponat aliquod factum, reus admittatur ad probandum aliud factum contrarium ei, quod actor probavit: tamen hoc non procedit, ſi infirmus, qui erat diffamatus de hęreſi, vel ſuſpectus, per manus impoſitionem, cum prolatione certorum verborum, recepit conſolationem ab hęreticis; tunc enim filii, vel hęredes ipſius, non admittuntur ad probandum factum contrarium, ſcilicet quod ipſe perdiderit uſum rationis, quando recepit conſolationem, quia talis, ſi eſt ſanę mentis, cenſetur credere hęretica, & ſic etiam judicatur hęreticus, & ex tali facto oritur contra illum pręſumptio juris, & de jure, quę non admittit probationem in contrarium, idque ſpeciale eſt favore fidei, *Gl. hic in caſu not.* 2. *Farinac. cit. q.* 182. *num.* 110. admittuntur tamen filii, vel hæredes, ſi non vellent directe probare oppoſitum, videlicet amentiam, ſed ſolum probare vellent, probationes, quod defunctus fuerit ſanæ mentis, eſſe falſas, nec legitimas, talis enim indirecta probatio admittitur, quia alias daretur ansa deponendi falſum, *Joan. Andr. hic & Franc. num.* 3. *Farinac. cit. l. n.* 114. Sicut etiam admittuntur filii, & hæredes ad probandum oppoſitum, ſi legitime non conſtet, defunctum perdidiſſe judicium rationis, nec infamatum fuiſſe, vel ſuſpectum de hæreſi; quia tunc ceſſat illa præſumptio contra eum, *Farinac. cit. l. n.* 111.

Notandum 2. Licet alias, quæ fiunt in domo, ſeu familia, per domeſticos, & familiares probari poſſint; hi tamen non admittuntur ad probandum, non fuiſſe ſanæ mentis eum qui conſolationem accepit in mortis articulo ab hæreticis, idque ſpecialiter ſtatutum eſt in odium tanti criminis, *Franc. hic. num.* 2.

CXI. Extenditur 2. Quod etiam credentes cenſeantur illi in foro exteriore, & puniendi ſint, qui his, vel ter conciones hæreticorum audiunt, licet in foro interno non ſint credentes, niſi putent eorum conciones, ſeu prædicationes eſſentiales, & ſalutares. At vero in locis illis, in quibus Catholici cum hæreticis permixtim vivunt, etſi ſemel, aut iterum conciones hæreticorum audiverint, non eo ipſo cenſentur credentes hæreticis, niſi eas ſæpius frequentaverint, *Azor. cit. c.* 15.

Aſſertio 2. Receptatores, ſive receptores hæreticorum Jure Canonico appellantur illi, qui recipiunt alicubi hæreticos, ne in manus Judicum veniant; idque ſive ſæpius, ſive ſemel tantum: nam licet attenta vi vocis, *receptare* videatur ſignificare iterationem, & frequentiam receptionis: tamen quoad effectum puniendi, ſufficit unica receptio, dummodo quis ſcienter receperit, hoc eſt, quem ſcivit eſſe hæreticum. *Azor. cit. l.* 8. *c.* 15. *qu.* 2. *Sanch. l.* 2. *Mor. c.* 10. *nu.* 10. *Farinac. cit. q.* 182. *n.* 152 ſive privata perſona hæreticum recipiat, ſive etiam publica, aut Princeps in ſuam Civitatem, vel Provinciam, & ſive in proprias, ſive alienas ædes, recipiat, ſive in agrum; Jus enim quoad locum receptionis non diſtinguit *Sanch. cit. l.*

Extenditur autem 1. Quod etſi quis recipiat conſanguineum ſuum, vel amicum, ne in manus Judicis deveniat, non quia hæreticus eſt, vel in favorem hæreſis, ſed ſolum propter ſanguinis conjunctionem, vel amicitiam, nihilominus in foro externo habebitur tanquam receptator, quamvis in foro interno excuſetur, *Azor. cit. l. q.* 3. non tamen talis ordinaria pœna, quæ eſt excommunicatio, ſed minus puniendus eſt, *Sanch. cit. c.* 10. *n.* 5. *Farinac. cit. l. n.* 144. & *ſeq. contra Azor. cit. l.*

Extenditur 2. Quod etiam parentes receptantes illos hæreticos, vel vice verſa, hi illos, & conjux conjugem, non ex cauſa hæreſis, ſed ex ſola affectione ſanguinis, vel conjugalis amoris, cenſentur eſſe receptatores, ſaltem in foro externo, ita tamen ut mitius puniantur, ut colligitur ex *l.* 2. *ff. de receptatorib. Sanch. cit. l. num.* 8. *Farinac. cit. l. num.* 143. & 149. vel leviſſima ſolum pœna, ut cenſet *Azor. cit. l. q.* 4.

CXIII. Aſſertio 3. Defenſores hæreticorum poſſunt eſſe, & dici dupliciter. 1. Si quis errores hæreticorum defendat, argumentis allatis eos probando, contrarias objectiones ſolvendo, laudando verbis, vel ſcriptis; ſive enim interius errori aſſentiatur, ſive non, tanquam hęreticus eſt damnandus, omni hæretico deterior; quia in foro externo præſumitur errori, quem defendit, aſſentiri, c. *Qui aliorum.* 32. *cauſ.* 24. *q.* 3. *Farinac. cit. q.* 182. *num.* 62. 2. Si quis defendat perſonam propter hęreſim, ne in manus Judicis deveniat, ne denuncietur, accuſetur, vel ad Judicem deferatur, & ſive defendat in Judicio, ſive extra illud, *Azor. p.* 1 *l.* 8. *c.* 15. *q.* 6. *Sanch. cit. c.* 10. *n.* 18. Aliud eſt, ſi quis defendat hæreticum, ob aliam cauſam, v.g. ne a privato injuſte laedatur; vel ſi advocatus illius patrocinium ſuſcipiat in cauſa civili, vel criminali, extra hæreſim; quia hoc non eſt proprie defendere hęreticum, ſed proximum, & juſta eſt defenſio, *Azor. cit. l. Sanch. cit. l. n.* 19. Quod ſi quis defendat hæreticum, non qua talem, ſed tanquam conſanguineum ſuum, vel amicum, in foro externo cenſebitur hæreticus, non in foro conſcientiæ. *Azor. cit. lib.* 6 §. *Quæres.*

CXIV. Aſſertio 5. Fautores hæreticorum cenſentur, qui quovis modo hęreticis, quatenus hęretici ſunt, auxilium præſtant, vel favent in ſua hęreſi: quod etiam dupliciter fieri poteſt, poſitive, id eſt, commiſſione, & negative, id eſt, omiſſione, *Azor. cit. c.* 15. *q.* 7. *Sanch. cit. c.* 10. *num.* 15. Priore modo, dicuntur favere hæreticis, tum Magiſtratus, tum privati, ſi verbis hæreticos, qua tales, excuſent, laudent, commendent, ut dicendo eos eſſe viros probos, injuſte damnatos, vel ſi conſilium dent, ut Judicum manus evadant: vel etiam factis ipſis faveant, eos viſitando, vel occultando in domo, auxilium ad effugiendum dando, vel alimenta pręſtando, vel impediendo executionem juſtitiæ contra eos &c. *Sanch. c. l. n.* 16. Poſteriore modo, ſcilicet omiſſione, dicuntur favere hæreticis, ſi Magiſtratus, & juſtitię Miniſtri, favore hęreſis, negligant facere, id quod ex officio debent, v.g. hæreticos capere, vel captos diligenter cuſtodire, vel punire &c. Idemque eſt, ſi quis faveat hęretico mortuo, ut hæreticus eſt, v.g. impediendo, ne procedatur contra hęreticum mortuum, vel ſi eum in loco ſacro ſepeliat, vel interrogatus a Judice ejus delictum neget. *Sanch. cit. l. n.* 17.

CXV. Aſſertio 5. Ad pœnas, quod attinet, inprimis in c. *Excommunicavimus.* 13. §. *Credentes. h. t.* decernitur, cre-
„ dentes, receptatores, defenſores, & fautores hæretico-
„ rum excommunicationi ſubjacere, & inſuper ſtatuitur,
„ ut poſtquam quiſpiam ex talibus fuerit excommunicatus,
„ ſi ſatisfacere, intra annum, contempſerit, ex tunc ipſo
„ jure ſit factus infamis, nec ad publica officia, ſeu con-
„ ſilia, nec ad alios eligendos ad hujuſmodi, nec ad teſti-
„ monium ferendum admittatur. Sit etiam inteſtabilis, ut
„ nec teſtandi liberam habeat facultatem, nec ad hæredi-
„ tatis ſucceſſionem admittatur. Nullus præterea ipſi ſuper
„ quocunque negotio, ſed ipſe aliis reſpondere cogatur.
„ Quod ſi forte Judex extiterit, ejus ſententia nullam ha-
„ beat firmitatem, nec cauſæ aliquæ ad ipſum deferantur
„ cognoſcendæ. Si fuerit Advocatus, ejus patrocinium non
„ admittatur: ſi Tabellio, teſtamenta per ipſum confecta
„ nullius ſint momenti, ſed auctore damnato, damnentur.
„ Idem præcipitur in ſimilibus obſervari, Si vero Clericus

„ ſit,

„ ſit, ab omni officio, & beneficio deponatur, ut in quo major eſt culpa, gravior exerceatur vindicta. Si qui vero tales, poſtquam ab Eccleſia fuerint denotati (id eſt, nominatim excommunicati) evitare contempſerint, excommunicentur & ipſi, uſque ad debitam, ac idoneam ſatisfactionem: quia qui ſcienter excommunicato participat, niſi commonitus deſtiterit, etiam excommunicandus eſt, c. *Quod in dubiis* 30. *de ſentent. excomm. Gl. hic V. Perſolvantur.*

„ Præterea in *eod. c.* §. *Sane* præcipitur, ut Clerici hujuſmodi peſtilentibus hominibus non exhibeant Eccleſiaſtica Sacramenta, nec eos Chriſtianæ ſepulturæ tradere præſumant, nec eleemoſynas, aut oblationes eorum recipiant, alioquin ſuo priventur officio, ad quod nunquam reſtituantur, abſque ſpeciali indulto Sedis Apoſtolicæ. (Ex quo colligitur, quod Papa ſibi reſervet abſolutionem, & reſtitutionem talium, & quod Epiſcopi poſſint diſpenſare, quando Papa id ſibi non reſervat, ut notat *Gl. hic V. Apoſtolicæ.*) Denique additur: Similiter & Regulares idem facere debent (ſcilicet non exhibere talibus Eccleſiaſtica Sacramenta) alioquin illorum Regularium privilegia non ſerventur in illa Diœceſi, in qua tales exceſſus præſumpſerint perpetrare: Quo caſu ab Epiſcopo loci, tanquam delegato Papæ puniri poſſunt, *Gl. hic V. Eorum privilegia.*

CXVI. Notandum 1. Præcipua pœna fautorum hæreticorum eſt excommunicatio, imo etiam vi Bullæ Cœnæ Domini ipſo jure ſunt excommunicati. Quod ſi in excommunicatione per annum perſiſtant, ſunt ipſo jure infames, nec ad publica officia admittuntur, & iis privantur: & ſunt inteſtabiles, & omnis ſucceſſionis hæreditariæ incapaces, & a teſtimonio, & omni alio actu legitimo repelluntur: neque oblatio pro iis fieri debet, & Chriſtiana careant ſepultura ut habetur in *cit.* §. *Credentes* & §. *Sane cit. c.* 13. *Farinac. cit. q.* 182. §. 3. *num.* 38. & *ſeqq.*

Porro ſi hujuſmodi fautores excommunicati per annum in excommunicatione perſtiterint, hæretici ſunt reputandi, & tunc velut hæretici condemnandi, *c. Ut Inquiſitionis* 18. *in fine h. t. in* 6. *Farinac. c. l. n.* 41.

Notandum 2. Qui recipiunt hæreticos, vel eos defendunt, aut iis favent, non ob cauſam hæreſis, ſed ob aliam, non incurrunt excommunicationem, vel alias juris pœnas, ut caupones, quia ſunt latæ in hæreticos ratione hæreſis, ideoque non extenduntur ad alios, niſi quatenus in hæreſi iis favent, *Azor. p.* 1. *l.* 8. *c.* 15. *q.* 8. *in fine Sanch. l.* 2. *Mor. c.* 10. *num.* 42. 2. Nec ille, qui recipit, vel defendit hæreticum coactus per vim, vel metum mortis illatum, non tanquam hæreticum, ſed ut vitam ſuam tueatur, incurrit juris pœnas, quia LL. humanæ non obligant cum certo, aut probabili vitæ periculo, *Azor. c. l. q.* 5. *Farinac. cit. qu.* 182. §. 6 *n.* 162. 3. Qui hæreticos recipiunt ignorantes, illos eſſe hæreticos, nullam pœnam incurrunt, *Gl. in c. Accuſatus* 8. *V. Ille quoque*, & *V. Non poſſit, h. t. in* 6. *Farinac. c. l. num.* 163.

Notandum 3. Quia hæretici, ſine hujuſmodi defenſoribus, & fautoribus, diu ſubſiſtere non poſſunt, ideo merito ſimilibus pœnis cum hæreticis puniuntur, *Arg. l.* 1. *ff. de receptatorib.* ubi dicitur: *Peſſimum genus eſt receptatorum ſine quibus nemo latere diu poteſt*, & præcipitur, ut perinde puniantur, atque latrones, *Gloſſ. in c.* §. *Credentes, V. Receptatores.*

CXVII. Prædictis hoc loco addendum, quamvis generaliter prohibitum ſit, ut nullus conſilium, vel auxilium, vel favorem præſtet hæreticis, eorumque fautoribus: tamen ſpecialiter prohibitum eſt Advocatis, & Notariis, ſub pœna infamiæ, & ſuſpenſione ab exercitio officii, ne hæreticis, eorumque fautoribus, patrocinium, vel auxilium præſtent, prout decernitur in cap. *Si adverſus* 11. *hoc t.* ubi dicitur: „ Quia plus timeri ſolet, quod ſpecialiter injungitur, quam quod generaliter imperatur (c. *Quanquam* 6. *diſ.* 12.) ideo Papa Innocentius III. prohibet Advocatis, & Scriniariis (id eſt, Tabellionibus) ne hæreticis, credentibus, fautoribus, vel defenſoribus eorundem, in aliquo præſtent auxilium, conſilium, vel favorem, nec eis in factis, vel cauſis, vel aliquibus litigantibus ſub eorum opera patrocinium præbeant: nec pro ipſis publica inſtrumenta conficiant, vel ſcripta: quod ſi ſecus facere præſumpſerint, ab officio ſuo ſint ſuſpenſi, & perpetuæ infamiæ ſubjaceant.

CXVIII. Notandum hic 1. Advocatus, vel Procurator non poteſt præſtare patrocinium, vel auxilium hæreticis, vel eorum fautoribus, *cit. c. Si adverſus*, & *t. ult. in princ.* ibi: *Abſque advocatorum & capit. hoc tit. in* 6 nec in judicio, nec extra illud *citat. capit. Si adverſus*, ibi: *In factis, Farinac. tr. de hæreſ. q.* 197. *num.* 69. quod tamen ſolum procedit, quando conſtat accuſatum, vel inquiſitum eſſe hæreticum, nam quando dubitatur, an ſit hæreticus, vel an id, de quo inquiritur, ſit hæreſis, poſſunt illi dari Advocati, & Procuratores, ut eum defendant, *Clarus* §. *Hæreſis num.* 19.

Notandum 2. Non ſolum hæreticis, eorumque fautoribus Advocatus patrocinium præſtare non poteſt in crimine hæreſis, ſed neque in aliis cauſis criminalibus, ut cenſetur *Hoſtienſ.* & *Jo. Andr. hic num.* 7. quia illa verba hujus c. *Nec eis in cauſis*, extendunt ad omnes alias cauſas criminales, ut refert *Farinac. c. l. num.* 65. Sed probabilius eſt non eſſe defenſorem hæretici, nec incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini, qui defendit eum, non in cauſa hæreſis, ſed in alia cauſa criminali, credens habere juſtam cauſam, etiamſi poſtea appareat, quod non erat juſta cauſa, *Silveſt. V. Hæreſis num.* 10. *Sanch. cit. capit.* 10. *num.* 19. *Farinac. c. l. num.* 66. *Barb. hic n.* 4.

Notandum 3. Licet Advocatus non admittatur ad defendendum hæreticum, aut ejus fautorem, quando contra eum proceditur ſummarie, ac de plano, niſi ex licentia Inquiſitoris, vel Epiſcopi. *Farinac. c. l. num.* 76. & 77. non tamen poteſt Judex illi facere injuſtitiam, ſed tenetur juſtam ſententiam proferre, *Farinac. c. l. n.* 85.

Notandum 4. Poteſt Eccleſia, vel Prælatus Eccleſiaſticus punire Laicos pœna infamiæ, & ſuſpendere eos ab officiis ſuis ſæcularibus, ratione criminis Eccleſiaſtici, prout ſumitur ex hoc c. *Abb. ibid. n.* 2. *not.* 3.

§. III.

De pœnis eorum, qui ſunt negligentes in puniendis, & exterminandis hæreticis.

CXIX. De his agitur inprimis in c. *Ad abolendam* 9. §. *Statuimus hoc tit.* ubi decernitur, „ ut Comites, Barones, Rectores, & Conſules Civitatum, & aliorum locorum, juxta commonitionem Epiſcoporum, præſtito corporali juramento, promittant, quod cum ab eis fuerint requiſiti, fideliter, & efficaciter, ac bona fide, Eccleſiam contra hæreticos, & eorum complices adjuvabunt, juxta officium, & poſſe ſuum; ſi vero id facere noluerint, honore, quem obtinent, priventur, & ad alios non aſſumantur: & inſuper ipſi excommunicari, ac terræ illorum interdicto Eccleſiaſtico ſubjici debent: Civitas vero, quæ his inſtitutis reſtiterit, vel contra commonitionem Epiſcopi, reſiſtentes punire neglexerit, aliarum civitatum commercio careat, & Epiſcopali dignitate privetur. Additur in *eod. c.* §. *fin.* Si qui vero fuerint exempti, a juriſdictione Epiſcoporum, & ſoli Sedis Apoſtolicæ poteſtati ſint ſubjecti: nihilominus in his, quæ contra hæreticos ſunt ſtatuta, Epiſcoporum judicium ſubeant, & eis tanquam hoc a Sede Apoſtolica delegatis (auctoritate generali hujus Decretalis, *Gl. hic V. Delegatis*) obſequantur, non obſtantibus privilegiis ſuæ libertatis, ſive exemptionis.

CXX Præterea in c. *Excommunicamus.* 13. §. *Moneantur autem h. t.* præcipitur, „ ut ſæculares Poteſtates moneantur, & ſi neceſſe fuerit, per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur, quibuſcunque fungantur officiis, ut pro defenſione fidei publice præſtent juramentum, quod de terris ſuæ juriſdictioni ſubjectis omnes hæreticos ab Eccleſia denotatos, bona fide, & pro viribus expellere ſtudebunt, ita ut quicunque fuerit de cœtero in Poteſtatem, ſive perpetuam (ut Principes, Duces, Comites, quorum poteſtas tranſit ad filios, & hæredes eorum) ſive temporalem (ut Conſules, Rectores, ſeu Gubernatores locorum, qui ad tempus certum, vel incertum conſtituuntur) aſſumptus, hoc capitulum juramento firmare teneatur: ſi vero Dominus temporalis requiſitus, & monitus ab Eccleſia, terram ſuam ab hæreticis purgare neglexerit, per Metropolitanum, & cæteros Comprovinciales Epiſcopos excommunicetur &c. quia Judex negligens facere juſtitiam excommunicari debet, *cap. Adminiſtratores* 26. *cauſ.* 23. *q.* 5. Porro Catholici, qui contra hæreticos Crucem aſſumpſerint, & ſe accinxerint ad eorum exterminationem, eadem indulgentia, & privilegiis gaudeant, quæ conceduntur accedentibus, ſive proficiſcentibus in ſubſidium Terræ ſanctæ, prout additur in eodem c. §. *Catholici vero.*

„ CXXI. Inſuper in *cit. c. Excommunicamus.* §. *Adjicimus h. t.* decernitur, ut quilibet Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, per ſe, vel per Archidiaconum ſuum, vel alias honeſtas, ac idoneas perſonas, bis aut ſemel in anno, viſitet propriam Parochiam, id eſt, Diœceſin, in qua fama fuerit hæreticos habitare, & ibi tres, vel plures viros boni teſtimonii, vel etiam, ſi expedire viderit, totam viciniam jurare compellat, ut ſi aliquos hæreticos ibi ſciverit, vel occulta conventicula celebrantes, vel ſi qui etiam diſcrepent vita, & moribus a communi converſatione aliorum fidelium, eos Epiſcopus vocet accuſatos, ſeu denunciatos, ut compareant coram ſe, qui niſi ab objecto reatu ſe purgaverint, vel ſi poſt præſtitam purgationem relapſi fuerint in priſtinam perfidiam, Canonice puniantur. Si qui vero ex eis obſtinate jurare noluerint, hoc ipſo tanquam hæretici reputentur.

„ Denique in *eod. c.* §. *ult.* mandat Papa Innocentius III. & in virtute obedientiæ diſtricte præcipit, ut ad hæc efficaciter exequenda; Epiſcopi per Diœceſes ſuas diligenter invigilent, ſi voluerint Canonicam effugere ultionem. Et ſi quis Epiſcopus in expurgando ea Diœceſi ſua hæreticæ pravitatis fermento, negligens fuerit, vel remiſſus, idque certis indiciis conſtiterit, ab Epiſcopali officio deponatur, & in locum ipſius alius idoneus inſtituatur, qui velit, & poſſit hæreticam pravitatem confundere. Ex dictis patet, quod propter negligentiam removetur, ac deponitur Prælatus, *Gl. fin. hic.*

Porro quod dictum eſt, negligentes in perſequendis, & puniendis hæreticis, tanquam fautores hæreticorum, & ſuſpectos de hæreſi puniendos eſſe, id ſolum procedit in Epiſcopis, & Prælatis Eccleſiarum, ac Dominis temporalibus, & Rectoribus Civitatum, aliiſque publici Officialibus: non autem in privatis perſonis, ſi ipſi in hoc ſint negligentes, quia hoc ad eorum officium non ſpectat, ideoque ob ſolam omiſſionem capiendi hæreticos, vel corrigendi, non cenſentur ipſis favere, *Sanch. cit. c.* 10. *num.* 15. ubi tamen excipit plures caſus, veluti 1. Si privati fuerint requiſiti a Magiſtratibus, ut præſtent auxilium ad capiendos hæreticos, idque non ferant, & faveant hæreticis. 2. Si perſonæ publicæ, vel privatæ juramento fuerint obſtrictæ de ferendo vero teſtimonio contra hæreticos, & ipſi veritatem negent, vel celent, ut hæreticis faveant. 3. Si juſſi ſint per Edicta Imperatorum denunciare hæreticos, & id omittunt in favorem hæreſis, quia his caſibus peccant contra juſtitiam.

CXXII, Poſtremo huc pertinet, quod habetur in *cap. Ut*

eſſi-

ſſcium 11. §. *Statuimus*, prope finem *h. t. in* 6. ubi præci-
„ pitur, ut Rectores, & Magiſtratus ſæculares, ad requi-
„ ſitionem Diæceſanorum, vel Vicariorum ſuorum, aut In-
„ quiſitorum hæreticæ pravitatis, jurent obſervare, & fa-
„ cere a ſuis ſubitis obſervari, toto tempore ſui regiminis,
„ in Terris ſuæ juriſdictioni ſubjectis Conſtitutiones edi-
„ tas contra hæreticos, credentes, receptatores, defenſo-
„ res, & fautores eorum, ipſorumque filios, & nepotes, a
„ Sede Apoſtolica promulgatas, & approbatas; qui vero eas
„ ſervare noluerint, ut infames, ac de fide ſuſpecti, offi-
„ cio, & honore ſui regiminis ſpolientur, nec ulterius ad
„ aliquam dignitatem, vel officium publicum aſſumantur,
„ & quæ ab illis tanquam Rectoribus, vel Conſulibus ge-
„ ſta ſunt, nullam obtineant firmitatem.

SECTIO V.

De Judicibus, & Proceſſu Judiciario obſervando in crimine hæreſis.

§. I.

Quinam ſint competentes Judices ordinarii in crimine hæreſis? & an etiam Judices ſæculares poſſint de illo cognoſcere, vel ſe immiſcere?

CXXIII. Aſſertio 1. Certum eſt inprimis S. Pontificem eſſe ſupremum Judicem in crimine hæreſis, a quo omnis aliorum Judicum juriſdictio ſpiritualis deſcendit, ac dependet, *Farin. tr. de hæreſi qu.* 186. §. 1. *num.* 1. *ubi num.* 2. addit, quod ſolus Papa poteſt judicare, & cognoſcere, an aliquod dogma ſit hæreſis, vel non.

Secundo Legatus Papæ a latere, ſive Cardinalis, etſi de Jure communi ſit quoque Judex competens, & de cauſa hæreſis cognoſcere poſſit, quia pleniſſime vices S. Pontificis gerit: tamen de conſuetudine non ſolet ſe in hanc ingerere, ſine ſpeciali commiſſione Papæ, vel Supremi Tribunalis S. Inquiſitionis, *Farinac. c. l. num.* 4.

CXXIV. Tertio Epiſcopus eſt ordinarius Judex; ratione officii, ſeu muneris ſui, omnium hæreticorum ſuæ Diœceſis, ſive illi Clerici ſint, ſive Laici, *Hoſtienſ. in c. Ad abolendam* 9. *V. Singuli Epiſcopi*, *& ibid. Jo. Andr. num.* 3. *& Abb. n.* 3. *hoc tit.* & alii communiter apud *Farinac. cit. l. num.* 5. & conſtat ex *Clement.* 1. §. *Propter quod*, *ibi: Per Diœceſanos Epiſcopos h. t.* Ratio eſt, quia ad Epiſcopum ſpectat extirpare hæreſes, & lupos a caula ovium arcere, idque extenditur etiam ad exemptos a juriſdictione Epiſcopi, quod is etiam quoad illos poſſit cognoſcere de crimine hæreſis, non ut Judex ordinarius, ſed ut Judex delegatus Papæ, juxta *citat. Ad abolendum*, §. *fin.* ubi dicitur: Siqui vero fuerint exem-
„ pti a juriſdictione Epiſcoporum, & ſoli Sedis Apoſtolicæ
„ poteſtati ſunt ſubjecti, in his, quæ ſunt contra hæreti-
„ cos ſtatuta, Epiſcoporum judicium ſubeant, & eis tan-
„ quam ſuper hoc a Sede Apoſtolica delegatis (auctoritate
„ generali hujus Decretalis, *Gl. hic V. Delegatis*) obſequan-
„ tur: non obſtantibus privilegiis ſuæ libertatis, ſive exem-
ptionis, *Gl. ibid. in figurat. caſus in fine*, & alii apud *Farin. c. l. num.* 7. Quia tamen hæc delegatio juriſdictionis facta Jure communi Epiſcopis, non ratione perſonæ, ſed ratione dignitatis Epiſcopalis, adeoque etiam Succeſſoribus in illa eſt facta, ideo æquiparatur juriſdictioni ordinariæ, ut potius ordinaria, quam delegata cenſenda ſit: quamvis quoad appellationem ſortiatur naturam juriſdictionis delegatæ, ut a ſententia Epiſcopi lata in cauſa hæreſis in exemptos, appellari debeat, non ad Archiepiſcopum, ſed ad Papam, *Farin. c. l. num.* 9. *Caſtro Palao tr.* 4. *diſ.* 2. *pun.* 12. §. 1. *nu.* 2. Verum Papa poteſt etiam Epiſcopo ſpecialiter delegare cauſam hæreſis, unam, vel plures, & tunc cognoſcet, non ut Judex ordinarius, ſeu delegatus, niſi Papa eum excitaret ad exercendum officium ordinarium ipſius, *Gl. in c. Per hoc* 17. *V. Delegata h. t. in* 6. *Farin. c. l. n.* 10.

Porro quædam hic præterea ſunt notanda 1. quod Epiſcopus non poteſt cauſam hæreſis cognoſcere, ſine conſilio Capituli ſuæ Cathedralis, *cit. c. Ad abolendam in princ.* ibi: *Vel ſinguli Epiſcopi per Diœceſes ſuas, cum conſilio Clericorum. h. t.* etſi non teneatur Epiſcopus ſequi conſilium eorum, *Joan. Andr. ibid. nu.* 4. imo ſecundum conſuetudinem hodiernam, nec requirere conſilium eorum tenetur, *Farinac. c. l. n.* 14. 2. Modus procedendi, quem Epiſcopus ſervare debet in crimine hæreſis, eſt idem cum eo, quem ſervare debent Inquiſitores fidei, *c. per hoc* 17. §. *fin. h. t. in* 6. de quo infra: 3. Vicarius Generalis Epiſcopi non eſt Judex competens in crimine hæreſis, niſi ad id ſpecialiter ab Epiſcopo ſit deputatus, quia ob gravitatem criminis ſpecialis commiſſio requiritur, ut colligitur ex Concilio Tridentino *Seſſ.* 24. *c.* 6. *de reform. ibi: Ipſis Epiſcopis, & non eorum Vicariis ſit commiſſum*, *Farinac. c. l. n.* 13.

CXXV. Quarto Capitulum, Sede Epiſcopali vacante, poteſt cognoſcere de crimine hæreſis, ut conſtat ex *cit. c. Ad abolendam poſt princ.* ibi: *Vel Clerici ipſi, Sede vacante, cum conſilio, ſi oportuerit, vicinorum Epiſcoporum, hæreticos judicaverint, &c. h. t.* quia vacante Eccleſia Cathedrali, juriſdictio manet penes Capitulum, *Gl. ibid. V. Clerici*, *& Abb. nu.* 4. & alii communiter. Idque procedit, ſive ſedes vacet proprie per mortem Epiſcopi, ſive quaſi vacet per ejus captivitatem, vel quia propter litteras confirmationis non expeditas Epiſcopus electus adminiſtrare non poteſt, *Gl. in Clement.* 1. *V. ſede vacante Farin. cit. q.* 86. §. 1. *num.* 177. *&* 179. Id tamen limitari debet 1. quod Capitulum, Sede vacante, non poteſt exercere juriſdictionem in hæreticos per ſe, ſed per delegatum, ſeu Vicarium ſpecialiter ad id deputatum, ut colligitur ex *cit. Clement.* 1. §. *Propter quod h. t.* ubi dicitur
„ Inquiſitores non poſſe procedere ad decidendum cauſam hæ-
„ reſis, ſine Epiſcopo Diœceſano, vel ejus Officiali, vel Sede
„ Epiſcopali vacante, ſine Vicario Capituli ſuper hoc delega-
to: nunquam autem ibi dicitur, ſine Capitulo, vel ejus Vicario, ideoque tacite innuitur; Capitulum per ſe hanc juriſdictionem exercere non poſſe, *Farinac. c. l. num.* 180. 2. Capitulum, Sede vacante, non habet juriſdictionem in Clericos exemptos, ſi in hæreſim lapſi ſint, quia non ſuccedit Epiſcopo, niſi in his, quæ ei competunt jure ordinario, non autem jure delegato, aut ſpeciali, *Abb. in cit. cap. Ad abolendam num. ult.* *Farinac. c. l. nu.* 182. 3. Vicarius generalis Capituli, Sede vacante, non eſt Judex competens hæreticorum, niſi ſpecialiter ad id a Capitulo fuerit delegatus, *Farinac. c. l. num.* 13. *& num.* 180. *&* 181.

CXXVI. Aſſertio 2. Principes ſæculares, eorumque Judices nullo modo cognoſcere poſſunt de crimine hæreſis, etiam contra Laicos, prout expreſſe deciſum fuit in *c. Ut inquiſitionis* 18. *h. t. in* 6. ubi inprimis *poſt princ.* requiruntur,
„ & monentur omnes Poteſtates, & Domini ſæculares, &
„ locorum Rectores, eorumque Officiales, ut Epiſcopis Diœ-
„ ceſanis, & Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis a Sede Apo-
„ ſtolica deputatis, aut in poſterum deputandis pareant,
„ & intendant in hæreticorum, credentium, fautorum,
„ receptatorum, & defenſorum ipſorum inveſtigatione, ca-
„ ptura, & cuſtodia diligenti, cum ab eis fuerint requiſi-
„ ti, & ut prædictas perſonas peſtiferas in poteſtatem, ſeu
„ carcerem Epiſcoporum, vel Inquiſitorum, vel ad alium
„ locum infra eorundem Dominorum temporalium, vel Re-
„ ctorum diſtrictum, juxta mandatum ipſorum (Epiſcopo-
„ rum, vel Inquiſitorum ducant, vel duci faciant, ſine mo-
„ ra, ubi per viros Catholicos deputandos ab Epiſcopis,
„ vel Inquiſitoribus arcte, & diligenter cuſtodiantur, donec
„ eorum negotium; ſeu cauſa per Judicem Eccleſiaſticum
„ terminetur. 2. Præcipitur in *eod. c.* §. *Utque de hæreſi*,
„ prædictis Dominis temporalibus, & Rectoribus, eorum-
„ que Officialibus, ſive Nunciis, ut condemnatos, ab Epi-
„ ſcopo, & Inquiſitoribus de hæreſi, ſibique relictos ſtatim,
„ ac ſine dilatione recipiant, debita animadverſione punien-
„ dos: non obſtante appellatione, & proclamatione eorum,
„ quia hæc ſunt illi interdicta Conſtitutionibus Pontificiis,
„ & Legibus Imperialibus. 3. In §. *Prohibemus*, *eodem* cap.
„ prohibetur prædictis Poteſtatibus & Dominis temporali-
„ bus, & Rectoribus; eorumque Officialibus, ne ipſi de hoc
„ crimine, cum ſit mere Eccleſiaſticum, quoquo modo co-
„ gnoſcant: ne receptos, propter hujuſmodi crimen, e car-
„ cere liberent, ſine Epiſcoporum, vel Inquiſitorum, vel
„ ſaltem alterius eorundem mandato, ac licentia: nec exe-
„ cutionem ſibi injunctam prompte facere, ſeu adimplere
„ detrectent: nec Diœceſanorum, vel Inquiſitorum judi-
„ cium, ſententiam, aut proceſſum directe, vel indirecte
„ impedire præſumant. Denique in §. *Si quis ult.* additur:
„ Si quis ex prædictis Dominis temporalibus, vel eorum
„ Officialibus contra prædicta fecerit, aut ſe ipſi Epiſco-
„ po, vel Inquiſitoribus in fidei negotio oppoſuerit, vel
„ eum, aut eos impedire aliquatenus præſumpſerit: & qui
„ ſcienter in prædictis dederit auxilium, conſilium, vel fa-
„ vorem, excommunicatus ſit: & ſi per annum pertinaci-
„ ter in excommunicatione permanſerit, & tunc velut hæ-
reticus condemnetur. Eſt autem hic Canon latæ ſententiæ, quamvis, quia abſolutio non eſt reſervata Papæ, Ordinarius ab ea abſolvere poterit, *Gl. fin. hic.*

CXXVII. Hinc colligitur 1. Si Epiſcopus, vel Inquiſitor hæreticæ pravitatis non ſit ſatis potens ad capiendos hæreticos poterit requirere Principem ſæcularem, & etiam ipſi mandare ſub pœnam excommunicationis, ut auxilium præſtet in capiendis, cuſtodiendis, & puniendis hæreticis, eorumque fautoribus, prout ſumitur ex *cit. c. Ut inquiſitionis poſt princ. h. t.* Debent autem judices ſæculares ſtatim, & ſine dilatione exequi ſententiam Judicis Eccleſiaſtici latam in hæreticos, eoſque ponire, abſque eo quod prius examinent proceſſum, vel ſententiam, vel mandatum Epiſcopi, vel Inquiſitoris. *Franc. hic num.* 3. *& Farinac. tract. de hæreſi q.* 186. §. 9. *n.* 165.

Colligitur 2. Quod a ſententia lata contra hæreticos appellari non poteſt, prout expreſſe ſtatuitur in *cit. c. Ut Inquiſitionis*. §. *Utque*, ubi dicitur: *Non obſtantibus appellationibus, ſeu proclamationibus*, & paulo poſt: Cum appellationis, & procla-
„ mationis beneficium expreſſe ſit hæreticis, & credentibus
„ ac eorum receptatoribus, ac defenſoribus interdictum.
Unde pendente termino X. dierum ad appellandum Jure conceſſo, poteſt ſententia contra hæreticum lata executioni mandari. *Farin. tr. de hæreſ. q.* 185. *n.* 227.

Excipitur, quod licet a ſententia definitiva non poſſit appellari in crimine hæreſis; poteſt tamen a gravamine illato, ante ſententiam definitivam, adeoque a ſententia interlocutoria, *Felin. in c. Ad abolendam* 9. *num.* 3. *Farinac. c. l. n.* 232. & alii apud ipſum. Ratio eſſe poteſt, quia hujuſmodi actus, & ſententia interlocutoria tendunt ad inveſtigandam veritatem an reus ſit hæreticus, nec ne, ideoque, dum hoc certum non eſt, appellationis beneficium denegari non debet, ita tamen ut inferatur cauſa appellationis, alias non ſubſiſtit appellatio, cap. *Ut debitus* 59. *de appel. Farinac. c. l.*

Colligitur 3. Judex ſæcularis nullo modo poteſt de crimine hæreſis cognoſcere, vel judicare, nec principaliter, nec incidenter, nec quidem contra Laicos, *Gl. hic V. Cognoſcant.* cum ſit crimen mere Eccleſiaſticum, id eſt, pertinens ad forum Eccleſiaſticum. *Clarus* §. *Hæreſis. n.* 4. nec etiam poteſt ſe intromittere in cauſis hæreſis, niſi fuerit requiſitus a Judice Eccleſiaſtico, *Farinac. cit. q.* 186. §. 9. *nu.* 153. neque in quæſtionibus Juris, nec facti *Barb. in Collect. hic n.* 9. nec poteſt mutare ſententiam Judicis Eccleſiaſtici latam contra hæreticos, quod ſi noluerit eam exequi, per cenſuram ab hoc compelli poteſt ad executionem, vel per privationem officiorum, *Farinac. cit. q.* 186. §. 9. *n.* 165. poteſt tamen Judex, vel Magiſtratus ſæcularis, etiam non requiſitus a Ju-

dice

ab Eccleſiaſtico ſuſpecto de hæreſi capere, & detinere, ut poſtea eos tradat Judici Eccleſiaſtico competenti. *Clarus §. Hæreſis n. 4. Farinac. c. l. n. 158.*

Colligitur 4. Prohibetur quoque omnibus, ne judicium, proceſſum, vel ſententiam Diœceſanorum, vel Inquiſitorum, directe, vel indirecte impedire præſumant, *cit. §. Prohibemus.* alioquin ipſo jure excommunicationem incurrunt, in qua ſi per annum pertinaciter perſtiterint, ut hæretici condemnandi ſunt, *cit. c. Ut Inquiſitionis. §. fin. h. t. in 6. Farinac. cit. q. 186 § 1. n. 104.*

CXXVIII. Notandum hic præterea 1. Non ſolum Epiſcopi, ſeu Ordinarii locorum, ſed etiam eorum delegati, & Inquiſitores fidei deputati a Papa, invocare poſſunt contra hæreticos, eorumque fautores brachium, ſeu auxilium Judicis ſæcularis, etiam excommunicati, vel habentis ſolum juriſdictionem de facto, non de jure, qualis eſt Tyrannus, qui occupavit per vim injuſtam aliquod regnum, vel Provinciam, prout ſtatutum habetur in c. *Præſidentis. 6. h. t. in 6.* „ ubi Papa Alexander IV. ita reſcribit: Præſidentes regimini alicujus Regni, vel Provinciæ, ſive loci, licet excommunicati (majore excommunicatione, & publice. *Gl. hic V. eod.*) vel de facto tantum, & non de jure, juriſdictionem habentes, ac eorum Officiales, ſi requiſiti fuerint ab Ordinariis, vel delegatis ipſorum, vel Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis quia non poſſunt ſine moræ diſpendio, vel negotii periculo recurrere pro auxilio ad legitimos Superiores, qui poſſunt in iis locis juſtitiam exequi; poſſunt, ac debent contra hæreticos, credentes, fautores, receptatores, ac defenſores, juſtitiam, & officium ſuum exercere. Nec propterea requirentes hujuſmodi excommunicatos, excommunicationem incurrunt) ſcilicet minorem, quia participantes cum ligato excommunicatione majore, minorem excommunicationem incurrunt, & aliquando etiam majorem, *Gl. hic in caſu, & V. Excommunicationis.*) uno tamen prædictis Præſidentibus, & Officialibus eorundem (ſcilicet excommunicatis, vel tantum de facto juriſdictionem habentibus) propterea in aliis caſibus intelligitur aliquid conceſſum, vel permiſſum eſſe. Idque in favorem fidei ſtatutum eſt: quia ſi pro executione juſtitiæ contra hæreticos Eccleſiaſtici Judices; & eorum Officiales, ſemper deberent recurrere ad eum, ad quem juriſdictio ſæcularis in illo loco ſpectat, vel qui illam legitime exercere poteſt, ſæpe talis executio retardaretur, vel nimium protraheretur, & interim fides orthodoxa grave damnum pateretur, *Vivian. hic in ration. Jur. Pontif.* Ex quo patet 1. quod detur hic caſus ſpecialis, in quo valet proceſſus inſtitutus per Judicem excommunicatum. 2. Papa poteſt ſtatuere, ut participans, ſive communicans cum excommunicato nullam excommunicationem incurrat, *Gl. hic in notatis.*

CXXIX. Notandum 2. Principes, & Magiſtratus ſæculares non poſſunt Statuta condere, per quæ quovis modo impediatur, vel retardetur officium inquiſitionis contra hæreticos, prout conſtat ex *c. Statutum 9. h. t. in 6.* ubi Papa „ Urbanus IV. ita reſcribit: Statutum Civitatis, caſtri, villæ, vel alterius loci per quod negotium inquiſitionis hæreticæ pravitatis, directe, vel indirecte, impediri, vel quovis modo retardari contigerit, ne in eo libere procedi valeat, infirmum eſt, & invalidum. Et Domini, vel Rectores Civitatis, vel loci, per cenſuram Eccleſiaſticam compellendi ſunt ad Statutum hujuſmodi Diœceſano loci, vel ejus Vicario aut Inquiſitori, vel inquiſitoribus exhibendum: & ſi tale repertum fuerit, omnino revocandum, vel ſaltem ita moderandum, ne per illud proceſſus inquiſitionis impediatur, vel aliquo modo retardetur. Ex quo patet, quod Papa poteſt revocare, & tollere Statuta Laicorum, quæ diſponunt de rebus ad fidem pertinentibus, & petere ut illa edantur, *Franc. hic. n. 1. not. 1. & 2.* Ratio autem, cur hujuſmodi Statuta non valeant, eſt, quia Laici nihil ſtatuere poſſunt circa Eccleſiaſticos, & ea, quæ pertinent ad juriſdictionem Eccleſiaſticam, c. *Quæ in Eccleſiarum 7. de Conſtit.* & patet ex alibi dictis, *Farinac. tr. de hæreſ. q. 182. §. 5. n. 72.*

Porro negotium Inquiſitionis hæreticæ pravitatis poteſt impediri per Statuta hujuſmodi, vel directe, ut ſi ſtatuatur, ne quis Civis illius loci accuſari poſſit, vel contra eum inquiri ſuper crimine hæreſi, vel ne aliquis contra alium de eo teſtimonium ferre audeat, *Gl. hic V. Directe*: vel indirecte, ut ſi ſtatuatur, quod nullus poſſit de aliquo crimine puniri, niſi a Magiſtratu loci; vel nullus capiat alios, vel ut nullus arma portare poſſit, niſi ſit de familia Poteſtatis, ſeu Judicis loci, *Gl. hic V. Indirecte Farin. c. l. n. 75.*

§. II.

De Inquiſitoribus fidei, & eorum officio, ac poteſtate.

§. XXX. Præter ordinarios Judices in crimine hæreſis, de quibus *§. præced.* ſunt & alii, quibus a Sede Apoſtolica munus inquirendi, & animadvertendi in hæreticos eſt commiſſum, qui ob id Sedis Apoſtolicæ Inquiſitores appellantur, de quibus hoc, & aliquot ſeqq. §§. agemus, quorum munus hodie quoque præſtant Epiſcopi in iis Provinciis, in quibus Inquiſitores Apoſtolici auctoritate Romani Pontificis non ſunt conſtituti, ut in Germania, Gallia, Polonia, ut notat *Azor p. 1. l. 8. c. 18. q. 2.*

Porro Inquiſitores eſſe competentes Judices in crimine hæreſis, certum eſt, & habetur expreſſe in *Clement. 1. §. Propter quod, ibi. Tum per Diœceſanos Epiſcopos quam per Inquiſitores a Sede Apoſtolica deputatos, h. t.* qui cognoſcere poſſunt, non ſolum de hæreſi, ſed etiam de articulis ei annexis, vel ab ea dependentibus, & omnibus incidentibus, *Farinac. tr. de hæreſ. q. 186. n. 36.* quia commiſſa juriſdictione cauſæ principalis cenſetur etiam commiſſa connexa, & ab illa dependentia, *l. Nulli 10. C. de Judic. Clem. 2. eod. & ibi DD.*

CXXXI. Quæritur nunc 1. An Inquiſitorum juriſdictio; & poteſtas ſit ordinaria, an delegata? *Reſp.* Eſſe Judices, non ordinarios, ſed delegatos, prout ſumitur ex c. *Ne aliqui 20. h. t. in 6.* ubi dicitur: *Officium Inquiſitoris hæreticæ pravitatis ab Apoſtolica Sede commiſſum, & ibid. Franc. n. 1. Azor. cit. c. 18. q. 6. Silveſt. V. Hæreſis 2. q. 1.* & alii Canoniſtæ communiter. Ratio, quia Judex ordinarius ad univerſitatem cauſarum conſtituitur; Inquiſitores vero non ad omnes cauſas cognoſcendas, & judicandas, ſed ſolum ad illas, quæ ad crimen hæreſis pertinent, conſtituuntur, quamvis ſint delegati ad univerſitatem cauſarum: negari tamen non poteſt, quin Inquiſitorum juriſdictio multa habeat propria juriſdictionis ordinariæ, tum quia ſub cauſa fidei plures diverſæ cauſæ continentur: tum quia Inquiſitores poſſunt vices ſuas aliis committere, & demandare, & juriſdictio eorum non finitur morte Papæ, qui eos deputavit, etiam re adhuc integra, ut ex dicendis patebit. Non obſtat 2. quod Inquiſitoribus ratione officii mandata eſt juriſdictio, adeoque ea eſt ordinaria, *cit. c. Ne aliqui, ibi: Officium, &c. ſeq. Ut officium h. t. in 6.* nam habent juriſdictionem principaliter, ratione officii, cui illa adhæret, ſed magis eam obtinent, ratione ſpecialis delegationis, ſeu commiſſionis, ratione cujus officium inquirendi, & judicandi exercere dicuntur: ſicut alias quilibet delegatus, ratione juriſdictionis ſibi delegatæ officium habere dicitur, ut patet ex *Rubr. Tit. de Offic. Judic. deleg. Barb. in c. per hoc 17. n. 6. h. t. in 6.* Neque 2. ex eo cenſeri debet Inquiſitorum juriſdictio ordinaria, qui certum genus cauſarum, videlicet hæreticarum, ipſis generaliter a Papa commiſſum eſt: nam quia in tali commiſſione expreſſe adjicitur, *ut auctoritate Apoſtolica procedant, & judicent, ipſumque officium inquiſitionis exerceant, & exequantur, cit. c. Ut officium in princ. c. Per hoc 17. h. t. in 6.* ideo delegati eſſe cenſentur, *Arg. c. Cum aliquibus. 4. de reſcript. in 6. Menoch de præſumpt. 16. n. 31.* Non ſolum autem Inquiſitores a Sede Apoſtolica immediate conſtituti, ſed etiam qui ab aliis, ut Cardinalibus, Generalibus, vel Provincialibus Ordinum, vel a generali Inquiſitore ſunt ad hoc munus electi, cenſeri debent delegati Sedis Apoſtolicæ, & ab illa immediate auctoritatem habere, ita ut non ſint ſubdelegati, ſed delegati Sedis Apoſtolicæ, & quamvis tales particulares Inquiſitores a generali Inquiſitore dependeant, & ab eo amoveri poſſint, non tamen ſunt ſubdelegati illius, quia alios ſubdelegare poſſunt, quod non poteſt ſubdelegatus, *Molin. tr. de juſtit. diſ. 28. n. 7. Farin. cit. q. 186 n. 4.*

CXXXII. Quæritur 2. Qualis ætas requiritur in Inquiſitore: *Reſ.* ſpectato Jure communi, nullis poteſt, niſi XL. ætatis annum attigerit, officium inquiſitionis committi, prout expreſſe ſtatuitur in *Clement. 1. h. t.* ſi Inquiſitor ab alio, quam a Papa ſit deputatus, juxta *Gl. ibid. V. Committi,* alias conſtitutio eſt nulla, quippe facta contra formam præſcriptam, & conditionem a jure requiſitam, *Farin. cit. qu. 186. n. 46. & 50.* Et ſic major ætas requiritur in inquiſitore fidei, quam Epiſcopo, licet is ſit ordinarius Inquiſitor, cujus forte ratio eſt: quia officium inquiſitionis non cum tanta indagatione ſolet committi, cum quanta inquiſitione conſtituuntur Epiſcopi, *Abb. in c. Cum a Canctis. 7. nu. 6. de elect. Azor. cit. c. 18. q. 4.* hæc autem ætas non requiritur in Inquiſitoribus deputatis a S. Pontifice: ſed in quacunque ætate conſtituantur, valet eorum conſtitutio, etiamſi Papa ignoret ætatem, *Farin. cit. l. n. 51.*

CXXXIII. Quæritur 3. Contra quos, & quomodo Inquiſitores procedere poſſint? *Reſp.* „ Inquiſitores inquirere, & procedere poſſunt contra hæreticos, eorumque credentes, receptatores, fautores, defenſores, nec non contra infamatos de hæreſi, vel ſuſpectos, in Provincia (Diœceſi; civitate, vel alio certo loco) in qua ipſis officium inquiſitionis, auctoritate Apoſtolica, eſt commiſſum; ita ut obique in Provincia, in qua pluribus officium inquiſitionis, auctoritate Apoſtolica, eſt commiſſum, ſimul, vel ſeparatim, aut ſingulariter, prout negotii utilitas ſuadebit, juxta Canonicas Sanctiones, procedant, prout ſtatuitur in c. *Ut officium 12. in princ. h. t. in 6. Molin. tract. 3. diſ. 18. n. 9. Farinac. tract. de hæreſ. qu. 186. num. 24.* Ratio eſt: quia tametſi alias regulariter, ſi a Sede Apoſtolica aliqua cauſa committatur ſimpliciter duobus, vel pluribus Judicibus delegatis, unus non poſſit procedere, abſque alio, vel reliquis; alioquin proceſſus eſt nullus, *c. Cum cauſ. 22. de offic. Judic. deleg.* niſi aliud in forma commiſſionis ſit expreſſum, *c. Cum plures. 8. eod. in 6.* tamen hoc ſpecialiter favore fidei ſtatutum eſt, ut in cauſa hæreſis, etiam unus Judex, ſine alio, vel aliis procedere poſſit contra hæreticos: idque ut officium commiſſionis contra hæreticos efficacius poſſit impleri, prout dicitur in *cit. c. in princ.* & liberius res fidei tractentur, & per plures Judices hæretici, eorumque fautores comprimantur. Et ſic æquiparentur quoad hoc Inquiſitores Judicibus ordinariis, quorum quilibet per ſe ſolus procedere poteſt, quia ſingulis in ſubditum juriſdictio competit, *l. 1. ff. de offic. Proconſ. Gl. in cit. c. V. Separatim.*

Limitari tamen debet, niſi Papa ſpecialiter alicui ex pluribus Inquiſitoribus exiſtentibus in aliqua Provincia, vel diſtrictu, delegaſſet cauſam fidei, ut illam cognoſceret: tunc enim reliqui Inquiſitores generaliter delegati non poſſunt de illa cognoſcere, etiamſi jam cœpiſſent cognoſcere, quia per ſpecialem delegationem cenſetur Papa ad ſe cauſam illam avocaſſe, & aliis poteſtatem judicandi ademiſſe; adeo quidem, ut etiamſi ille ſpecialiter delegatus mortuus fuerit, vel aliis modis juriſdictio ceſſaverit, non poſſint Inquiſitores reliqui cauſam illam cognoſcere, nec etiam Epiſcopus, *Molin. cit. l. n. 30. Farinac. cit. l. n. 25.*

Item in *eod. c. Ut officium in princ. §. Si vero.* „ præcipitur, ſi

„ quis

Digitized by Google

„ quis ex hæreticis, vel eorum fautoribus, hæreſi prius abjurata, redire voluerit ad Eccleſiæ univerſitatem Inquiſitores ei, juxta formam Eccleſiæ (*c. Cum aliquis* 180. *cauſ.* 21. *q.* 3. *c. Cum deſideres.* 15. *de ſent. excomm.*) abſolutionem impendant, & injungant eidem, quod talibus injungi conſuevit (c. *Quæsitus* 9. *cauſ.* 2. *q.* 7.) ſolerter etiam provideant, ne ſimulata, & fraudulenta converſione abſolvendi ſe ipſos inquiſitores decipiant.

„ Præterea Inquiſitores habeant liberam facultatem Prædicatores quæſtuarios (qui ſcilicet, cum ab Inquiſitore convocatus eſt populus, ad prædicandum ei de rebus fidem concernentibus, volunt prędicare, vel quæſtum facere illo tempore, vel alias negotio inquiſitionis, ſeu fidei quomodocunque impedimentum aliquod afferre) monitione præmiſſa, per cenſuram Eccleſiaſticam, & appellatione poſtpoſita, compeſcendi, ſive inhibendi a prædicationis officio, quod ad illos quęſtuarios, ſeu quęſtores neutiquam pertinet, ſed ſolum poſſunt, ac debent charitativa ſubſidia a populo ſuppliciter petere, & exponere Indulgentias, ſi quas habent, prout deciditur in *cit. c. Ut officium.* §. *Compeſcendi*, *h. t. in* 6. & ibi *Gl. in caſu & in notatis.* Additur *ibid. in* §. *Denique*, quod ad ea omnia exequenda Inquiſitor poteſt invocare auxilium brachii ſæcularis (ſi opus fuerit) contra impedientes officium inquiſitionis, appellatione remota: non obſtantibus privilegiis, quibuſcunque perſonis, cujuſcunque conditionis, dignitatis, aut gradus, Religionis, vel Ordinis, Communitatibus, vel Univerſitatibus civitatum, & locorum, ſpecialiter, aut generaliter, ſub quacunque verborum forma a Sede Apoſtolica conceſſis, vel impoſterum concedendis.

Ex quo patet, quod Inquiſitores poſſunt inquirere, & procedere contra quosvis hæreticos, ſive Religioſos etiam exemptos, *Azor. cit. c.* 18. *q.* 12. §. *Quares*: ſive ſęculares, quamvis contra ſupremos Principes, ut Reges, vel qui nullum in temporalibus Superiorem agnoſcunt, ob hęreſim, vel illius ſuſpicionem, Inquiſitores non debeant procedere, ſine ſpeciali Romani Pontificis mandato, *Azor. cit. l. q.* 13.

CXXXIV. Quæritur 4. Contra quos Inquiſitores in cauſa hęreſis non poſſunt procedere? Reſp. „ Inquiſitores hæreticæ pravitatis ab Apoſtolica Sede, vel aliis quibuslibet deputati de crimine hęreſis inquirere contra Epiſcopos nequeunt, vel ejus prætextu contra eos procedere: niſi in litteris commiſſionis publice, quod hoc poſſint, expreſſe contineatur. Si tamen Inquiſitores ipſi Epiſcopos, vel alios Superiores Prelatos ſciverint, vel invenerint, crimen hęreſis commiſiſſe, vel eos de hoc diffamatos exiſtere, id tenebuntur Sedi Apoſtolicę denunciare, prout ſtatuitur in *c. Inquiſitores* 16. *h. t. in* 6. Conſentit Concilium Trident. *Seſſ.* 24. *c.* 5. *de reform.* ubi decernitur, ut „ cauſę criminales graviores contra Epiſcopos, etiam hęreſis, quę depoſitione, aut privatione dignę ſunt ab ipſo tantum S. Pontifice cognoſcantur, & terminentur.

CXXXV. Notandum 1. Quando requiritur expreſſa mentio alicujus, non ſufficit mentio generalis, quantumvis per verba expreſſa generalia fiat, v. g. ut inquiri poſſit contra quoſcunque, cujuſque dignitatis, conditionis, aut ſtatus ſint; non enim comprehenduntur Epiſcopi, vel iis Superiores, idque propter pręrogativam eorum, *Gl. hic notat. & V. Expreſſe.*

Notandum 2. Conſtitutio dicti cap. etiam locum habet in Epiſcopis Titularibus, ſunt enim veri Epiſcopi: item in electis, & confirmatis a Papa, etſi nondum conſecratis, quia juriſdictionem Epiſcopalem jam habent, non autem in Epiſcopis ſolum electis, ſed nondum confirmatis, *Molin. cit. diſ.* 28. *nu.* 19.

Notandum 3. Licet Inquiſitores non poſſint, inconſulto S. Pontifice, inquirere de Epiſcopo hęretico, vel de hęreſi ſuſpecto: poſſunt tamen dicta teſtium recipere, ut certiorem Papam faciant, eaque teſtimonia ad ipſum tranſmittant; imo etiam poſſunt Inquiſitores Epiſcopum ſuſpectum de fuga comprehendere, ſed ad S. Pontificem mittere, vel cuſtodire, donec is certior reddatur: quia tales caſus ob periculum perverſionis fidelium, cenſentur per Epiichiam, & ex benigna interpretatione, a generali prohibitione procedendi contra Epiſcopos excepti, modo periculum ſit notorium, & clare cognitum, *Molin. cit. l. Farinac. cit. q.* 189. §. 5. *n.* 116. 119. *&* 120. Porro licet Inquiſitor non poſſit inquirere contra Epiſcopum hereticum, poteſt tamen alius Epiſcopus, in cujus Diœceſi Epiſcopus crimen hereſis commiſit, contra eum inquirere ea poteſtate delegata in c. *Ad abolendam.* 9. §. *fin. h. t. Farinac. cit. l. nu.* 122.

„ CXXXVI. Secundo Inquiſitores hęreticę pravitatis, & Ordinarii, ſeu Diœceſani, vel quicunque alii Judices, ſive ordinarii, ſive delegati, non poſſunt procedere, quavis occaſione, vel cauſa contra Apoſtolicę Sedis Officiales, vel Nuncios, aut contra aliquem illorum, nec promulgare audeant excommunicationis, vel ſuſpenſionis, vel quamvis aliam ſententiam, ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicę licentia, in ſcriptis concedenda faciente plenam de preſenti Decreto mentionem, & ſi quid contra illud factum fuerit, eſt irritum, & inane. Verum ſi quid Nuncii, vel Officiales Sedis Apoſtolicę indebite attentent, vel faciant, tum in his, quę negotium fidei tangunt, Diœceſani, vel Inquiſitores; alii vero Judices ordinarii, vel delegati, in aliis cauſis, quę ad ipſos pertinent, plenam informationem capiant, & Papæ ſtudeant ſignificare, ut is ſuper eo de remedio opportuno, valeat providere, prout ſtatuitur in *Extrav. Cum Matthæus.* 3. *& ult. h. t. inter communes.* Ubi nomine Nunciorum intelliguntur Legati Sedis Apoſtolicę: nomine Officialium, ab eadem Sede ad aliquas cauſas pertinentes ad eandem Sedem ſunt deſignati, non autem ad cauſas particulares inter partes decidendas, Molin. *cit. l. n.* 20.

Tertio nec Epiſcopus, ſive Ordinarius, nec alius Inquiſitor poteſt procedere contra Inquiſitores hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos, durante eorum officio, quia ſunt delegati Sedis Apoſtolicæ, & par in parem imperium non habet: quamvis poſſit Epiſcopus, vel alius Inquiſitor contra Inquiſitorem in crimine hæreſis informationis ſecreto recipere, eaſque ad Papam tranſmittere: quin etiam finito officio de hæreſi contra ipſum inquirere, & procedere, Molin. *cit. l. num.* 25. *Azor. cit. l.* 18. *q.* 14. *Farinac. cit. q.* 186. *n.* 124. 126. 129. *&* 131.

CXXXVII. Cæterum Inquiſitores fidei poſſunt procedere, & inquirere etiam contra Judæos, & infideles, qui ſponte facti ſunt Chriſtiani, & poſtea a fide iterum deficiunt, eoſque tanquam hæreticos punire, prout ſumitur ex cap. *Contra* 13. *h. t. in* 6. „ ubi dicitur: contra Chriſtianos, qui ad ritum tranſierint, vel redierint Judæorum (qui nimirum, vel nunquam antea fuerint Judæi, & hi dicuntur tranſire ad ſectam Judæorum, vel prius fuerant Judæi, & poſt ea facti ſunt Chriſtiani, & hi dicuntur redire, *Gl. hic V. Redierint.* (etiamſi hujuſmodi redeuntes, dum erant infantes, non tamen abſolute, aut præciſe coacti baptizati fuerint, erit tanquam contra hæreticos procedendum, ſi fuerint de hoc confeſſi, aut convicti per Chriſtianos, vel etiam Judæos. Imo etiam contra fautores, receptatores, & defenſores talium Judæorum (vel aliorum infidelium deficientium a fide Chriſtiana ſemel ſuſcepta) procedendum eſt, ſicut contra fautores, receptatores, & defenſores hæreticorum.

CXXXVIII. Ubi notandum 1. Inquiſitores fidei poſſunt procedere contra eos Judæos tanquam hæreticos, qui dum eſſent infantes ſeptennio minores, baptizati, Chriſtiani facti ſunt, ſed poſtea iterum ad Judaiſmum redierunt, quia per baptiſmum obligantur ad legem Chriſtianam obſervandam, etiamſi ignoranter baptizati ſint: imo & furioſi, & amentes, dummodo ante amentiam, non habuerint contrariam voluntatem repugnantem ſuſceptioni baptiſmi cap. *Maiores* 3. §. *Item quæritur de baptiſm. Gl. hic V. Infantes. & in addit. Farinac. tr. de hæreſ. q.* 178. §. 6. *num.* 176. *& ſeq.* ubi tamen *num.* 140. addit, mitius eſſe agendum cum Judæis, qui facti ſunt Chriſtiani in infantia, quam cum baptizatis in majore ætate.

Similiter tanquam hæretici condemnari poſſunt illi Judæi, qui non ſponte, ſed mortis metu coacti facti ſunt Chriſtiani, & poſtea denuo ad Judaiſmum redeunt; quia coacta voluntas eſt voluntas, ſaltem conditionalis, *c.* 1. *cauſ.* 15. *q.* 1. *cit. c. Maiores.* §. *Item quæritur*: ſecus eſt, ſi abſoluta, ac præciſa vi baptizati fuerint, ſcilicet omnino inviti, & reclamantes: tales enim baptiſmum non recipiunt, ac proinde etiamſi redeant ad Judaiſmum, tanquam hæretici condemnari non poſſunt, *Gl. hic V. Abſolute. Farin. cit. l. num.* 142.

Notandum 2. Judæi poſſunt eſſe teſtes contra Chriſtianos, ad probandum ipſos ad Judaiſmum, vel infidelitatem tranſiſſe, vel rediſſe, prout ſumitur ex hoc c. & ibi *Gl. V. Judæi. Maſcard. de probat. concl.* 857. *n.* 9. Ratio eſt: quia cum Chriſtianus baptizatus per tranſitum, vel reditum ad Judaiſmum dicatur eſſe infidelis, ſecundum *S. Thom.* 2. 2. *qu.* 10. *art.* 3. infidelis autem a ferendo teſtimonia contra alium infidelem non repellitur; ideo Judæi admittuntur ad ferendum teſtimonium contra Chriſtianos ad ritum Judæorum tranſeuntes, vel revertentes, *Barb. in Collect. hic n.* 6.

Notandum 3. Inquiſitores fidei procedere etiam poſſunt contra Judæos, eoſque punire, qui inducunt Chriſtianos ad ritum ſuum, vel eos defendunt, vel favent in ſuis erroribus: vel redeuntes ad Judaiſmum rebaptizant, & denuo lavant, ac veluti purificant: quamvis alias regulariter contra Judæos, vel infideles, ad Judices ſeculares recurrendum ſit, ſi ob dicta puniendi ſint, *Franc. hic, n.* 2. *Farinac. cit.* 179. *n.* 143. *&* 145.

§. III.

An Inquiſitores fidei poſſint etiam cognoſcere de aliis cauſis, ſive criminalibus præter cauſas hæreſis & quæ hæreſim concernunt?

CXXXIX. Reſpondetur, regulariter non poſſe, prout ſumitur ex *c. Accuſatus* 8. §. *Sane. h. t. in* 6. ubi dicitur: cum „ negotium fidei, quod ſumme privilegiatum eſt, per alias occupationes non debeat impediri: Inquiſitores hæreticæ peſtis a Sede Apoſtolica deputati (& multo minus alii, *Gl. hic V. Apoſtolica*) non debent ſe intromittere, nec punire exercentes divinationes, aut ſortilegia, niſi manifeſte hæreſim ſapiant, ſive contineant, ſed eos ſuis Judicibus puniendos relinquant: ſcilicet Epiſcopis, vel Legatis Sedis Apoſtolicæ, *Joan. Andr. hic n.* 6. *V. Judicibus.* Tales autem ſuſpiciones, quæ ſapiunt, ſive continent manifeſtam hæreſim, ſunt baptizare imagines, rebaptizare pueros, adorare dæmones, vel eos invocare, aut conſulere, animo ſciendi futura; quia tribuitur diabolo, quod eſt proprium DEI &c. & de his cognoſcere pertinet ad Inquiſitores fidei, *Franc. hic in cit.* §. *Sane n.* 2. *Azor. p.* 1. *l.* 9. *cap.* 26. *q.* 4. *Clarus* §. *Hæreſis. num.* 24. *&* 25. Quod ſi nulla ſit ſuſpicio hęreſis, vel de ea dubium ſit, aliud crimen eſt mixti fori, ita ut de eo cognoſcere poſſit Judex Ordinarius, ſive Eccleſiaſticus, ſive ſecularis, & eſt locus preventioni, *Clarus cit. l. Sanch. l. Mor. cap.* 38. *num.* 2. de quo plura videri poſſunt apud *Farinac. tr. de hæreſ. q.* 181. §. 4. *n.* 91. *& ſeqq.*

„ CXL. Præterea Inquiſitores non poſſunt ſe intromittere, ſive cognoſcere de quęſtionibus uſurariorum motis etiam contra illos; quibus reſtitutionem uſurarum in foro pœnitentię, pro crimine hæreſis, injunxerunt, ac illi ſe, & ſua ad hoc faciendum in judicio Eccleſiæ obligarunt, quia examinando hujuſmodi cauſas, poſſunt re-

„ tar-

Digitized by Google

„ tardati cauſæ, quæ negotium fidei tangunt, & conſervant, *cit. c. Accuſatus. §. De quaſtionibus. & ibi Gl. in figurat. rauſus, & Jo. Monach. q. 8. Farinac. cit. q. 186. §. 2. nu. 42. & ſeqq.* Additur in *c. Accuſatus. §. Si vero h. t. in 6.* ſi defenſor, receptator, vel fautor hæreticorum non tamen hæreticus exiſtens, & promiſit, & obligavit ſua bona ad recipiendam, & implendam pœnitentiam, quam Inquiſitores ipſi injungere vellent, & ea licet injuncta, non tamen peracta, deceſſit: tunc ſi onus per pœnitentiam impoſitum ſuit: proficiens ad ſalutem animæ (ut v. g. Eccleſiam ædificaret; vel fundaret) eſt exequendum in bonis ejus temporalibus (ſecus ſi in jejuniis, vel orationibus; vel ſimilibus, *Gl. hic V. Temporalibus.*) hæredes debent cogi per Inquiſitores ad complendam talem pœnitentiam, vel alii, ad quos bona hujuſmodi, cum eo onere, devenerunt (quia res tranſit cum onere ſuo reali, ad quemcunque poſſeſſorem, vel ſucceſſorem perveniat, *Gl. hic in notat.*) Aliud eſt, ſi propter hujuſmodi hæreticorum receptationem, vel favorem, quis ad faciendam pœnitentiam, bona ſua obligavit Inquiſitoribus, & antequam ei injungeretur, deceſſit: tunc enim hæredes ejus non debent cogi ad ſatisfaciendum pro crimine jam extincto: nam crimina regulariter morte extinguuntur, *l. 2. & 3. C. Si reus, vel accuſat. mort. fuer.* quod intelligendum eſt, quod pœnitentiam injungendam, non autem quoad pœnam reſpectu bonorum, ut mox dicetur. Vel quoad crimen fautorum, vel defenſorum, qui non ſunt hæretici, quoa morte eorum extinguitur. *Franc. hic in §. Si vero n. 2.*

„ CXLI. Porro in eo caſu, quo hæredes non debent, ob hæreſim ſui Auctoris ad ſucceſſionem admitti, (quia is non fuit reincorporatus, vel reconciliatus Eccleſiæ) non obſtante, quod vivente ipſo Auctore, hoc non fuerit, ob intervenientem ejus mortem, declaratum, ad confiſcationem bonorum, poſt mortem ejuſdem nihilominus procedendum eſt, prout habetur in *cit. c. Accuſatus. §. In eo vers h. t. in 6* & ibi: *Gl. V. Cave.* ſicut idem ſtatutum eſt de crimine læſæ Majeſtatis; nam etiam poſt mortem criminoſi poteſt procedi, ut eo convicto, ipſius memoria damnetur, & ejus bona Succeſſori eripiantur, *l. fin. C. ad leg. Jul. Majeſt.* idque intelligendum eſt uſque ad 40. annos, ſi hæretici defuncti hæredes ſint Catholici, *Gl. hic V. Poſt mortem.*

CXLII. Denique *in cit. ca. Accuſatus. §. Sacerdotes. hoc tit. in 6.* ſtatuitur, quod Sacerdotes, & alii Clerici, qui negotium inquiſitionis reperti fuerint impedire, Inſtruendo hæreticos citatos, vel eorum credentes de celanda veritate, vel dicenda falſitate, vel eos indebito liberando, cum non ſit dubium, eos illa facere in favorem hæreticæ pravitatis, per Inquiſitores compeſci poſſunt, ac debita pœna caſtigari, ut incarcerando perſonas, vel alias, prout culpa delinquentia exegerit, quia gravius delictum eſt gravius vindicandum, *c. ult. de exceſſib. Prœl. Gl. hic V. Delinquentis.* Additur *ibid. in fine.* quod etiam Religioſi immutandi ſunt, vel alia pœna gravius puniendi, quam ſæculares (ſcilicet Clerici, *Gl. hic. V. eod.*) ſi inventi fuerint in hæreſi, vel ſimilibus deliquiſſe: quia Religioſi delinquentes cæteris paribus, gravius peccant, quam ſæculares, etiam in eodem genere peccati: idque tripliciter: Primo. Si peccant contra votum, ut furando. Secundo. Si ex contemptu. Tertio. Si palam peccant propter ſcandalum, ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 186. art. in corp. Franch. hic. n. 2. not. ult.*

§. IV.

Ad quænam præterea extendatur poteſtas Inquiſitorum fidei?

CXLIII. Reſpondetur, Inquiſitores hæreticæ pravitatis poſſunt vices ſuas aliis committere; cum enim ſint delegati a S. Pontifice, ſubdelegare unum, vel plures poſſunt, qui vel ſimul, & conjunctim, procedant in eiſdem cauſis: vel diviſim in diverſis locis ſui diſtrictus, ac diſtinctis cauſis, & hi Commiſſarii, ſeu Vicarii Inquiſitorum dicuntur. *Molin. tr. 5. de juſtit. diſp. 28. n. 8. Azor. p. 1. l. 8. c. 18. qu. 10. Farinac. tr. de hæreſ. qu. 186. n. 29.* Idque ſumitur ex cap. *Ut commiſſi. 12 in princ. h. t. in 6.* „ ubi ut Inquiſitores commiſſi officii debitum utilius, & uberius exequantur, conceditur illis, & ſingulis eorum, poteſtas committendi citationes, & denunciationes ſententiarum, quas in quoslibet hæreticos credentes, receptatores, defenſores, & fautores eorum tulerint.

Poſſunt item iidem Inquiſitores, vel ob adverſam valetudinem, vel ob abſentiam, aut aliam legitimam cauſam, Vicarios Generales conſtituere, qui ad tempus, vel uſque ad beneplacitum ipſorum, hoc munus exerceant, vel plene etiam cum poteſtate proferendi ſententiam definitivam, vel cum reſtrictione aliqua, illoſque pro libitu iterum deponere poſſunt. *Molin. cit. l.* Idque ſpeciale eſt in Inquiſitoribus, ob favorem fidei: cum enim videatur in iis eſſe electa induſtria perſonæ, non videbantur poſſe committere vices ſuas aliis, niſi ſpecialiter contrarium Jure ſtatutum fuiſſet. Non autem poſſunt Commiſſarii, ſive Vicarii Inquiſitorum poteſtatem ſuam ſubdelegare aliis, neque in totum, neque ex parte; etiamſi Univerſales Vicarii ſint conſtituti: tum quia ſubdelegatus, etiam a Principe ſubdelegare, ſive iterum delegare alteri non poteſt, alioquin daretur proceſſus in infinitum, a quo Jura abhorrent, illumque vitari præcipiunt, *Arg. l. Fideicommiſſa. 12. §. Si quis. ff. de legat. 3.* Non autem ratio congrua dari poteſt, cur potius primus ſubdelegatus poſſit iterum delegare, quam ſecundus, & tertius, & ſic de reliquis: tum quia poteſtas ſubdelegandi eſt privilegium a jure conceſſum perſonis delegatorum a Principe; ideoque ad alios tranſmitti non poteſt, ſed cum perſona extinguitur, *c. Privilegia. 7. de R. J. in 6. Molin. cit. diſ. 28. nu. 8. Azor. cit. l.*

CXLIV. Præterea in *eod. c. Ut commiſſi. poſt. princ. h. t. in 6.* „ conceditur Inquiſitoribus poteſtas advocandi quoslibet peritos, ut eis aſſiſtant in ſententiis ferendis, & conſilium dent opportunum, prout judicaverint expedire; & injungendi ipſis peritis, in virtute obedientiæ, ut ſibi in his pareant. Item poteſtas convocandi etiam Clerum, & populum Civitatum, Caſtrorum, & aliorum locorum, prout negotio fidei viderint expedire: & procedendi etiam contra illos, de quibus conſtat, crimen hæreſis eos commiſiſſe, in Provincia, in qua Officium inquiſitionis ipſis eſt commiſſum, licet poſtea ad aliam ſe contulerint. Sicut & vice verſa, ſi quis alibi crimen hæreſis commiſit, & modo exiſtit in alia Provincia, in qua eſt Inquiſitor, poterit hic contra illum procedere, quia ubi reperitur, conveniri poteſt de crimine, *l. 1. C. Ubi de crim. agi oport. Gl. hic. V. Procedendi.*

„ Inſuper conceditur Inquiſitoribus poteſtas faciendi, ut eis aſſignentur libri, & alia ſcripta, in quibus continentur inquiſitiones, & proceſſus contra hæreticos facti per quoſcunque, auctoritate Sedis Apoſtolicæ, vel Legatorum ejus: mitigandi quoque, vel mutandi pœnas illorum, qui humiliter obedientes mandatis ſuis, ſunt in carcere, vel muro incluſi, quod tamen fieri debet ſimul cum Prælatis, quorum juriſdictioni ſubſunt. Denique in *cit. c. Ut commiſſ. §. ult.* conceditur Inquiſitoribus etiam plena facultas privandi, vel privatos declarandi hæreticos, eorumque fautores, filios, ac nepotes omnibus dignitatibus, & aliis beneficiis Eccleſiaſticis, (de conſilio tamen Diœceſanorum, vel eis abſentibus, Vicariorum ſuorum,) & officiis publicis, ac honoribus quibuſcunque, de quo dictum ſupra *ſec. 3. §. 1. n. 49. h. t.*

§. V.

An, & quando Epiſcopi Diœceſani, & Inquiſitores ſimul procedere in crimine hæreſis poſſint, vel debeant, aut hi ſine Epiſcopis, & de aliis quibuſdam, quæ prohibita ſunt Inquiſitoribus.

CXLV. De priore quæſtione agitur in *c. Per hoc. 17. h. t. in 6.* ubi Papa Bonifacius VIII. ita reſcribit: Per hoc, quod negotium hæreticæ pravitatis alicui, vel aliquibus ab Apoſtolica Sede generaliter in aliqua Provincia, Civitate, vel Diœceſi delegetur, nihil Diœceſanis Epiſcopis derogatur, quin & ipſi auctoritate ordinaria, vel delegata, ſi eam habeant, procedere valeant. Verum ut dictum ſit inquiſitionis Officium, efficacius, melius, utiliuſque procedat, poſſunt Epiſcopi, & Inquiſitores de eodem facto inquirere, & cognoſcere, conjunctim, vel diviſim: & ſi diviſim proceſſerint, tenentur ſibi invicem communicare proceſſus, ut veritas melius inveniri poſſit: & niſi hoc caſu Inquiſitores in ſententiæ prolatione Diœceſanis vel e contra hi illis judicaverint deferendum, per utroſque ſimul ſententia proferatur: in qua ferenda, ſi non conveniant, per utroſque negotium ſufficienter inſtructum, ad Sedem Apoſtolicam deferatur. Sive autem ordinaria, ſive delegata poteſtate procedatur ab Epiſcopis, illum in procedendo modum obſervare debent, quem Inquiſitores per Jura communia, vel per ſpeciales commiſſiones, ſeu ordinationes Sedis Apoſtolicæ (etſi corpori Juris Canonici non ſint inſertæ, dummodo Conſtitutionibus Canonicis non ſint contrariæ, *Franc. hic*) poſſunt, ac debent obſervare.

CXLVI. Hinc colligitur 1. Inquiſitores habere juriſdictionem delegatam, etiamſi generaliter ſint dati in Provincia, *Franc. hic n. 1. not. 2. Molin. tr. 5. de juſtit. diſ. 28. n. 1.* poſſuntque ſimul, & conjunctim, vel diviſim in eadem cauſa, eodemque facto procedere, *Farinac. tr. de hæreſ. q. 186. §. 3. n. 56.* adeoque poteſt quis in cauſa hæreſis trahi ad diverſos Judices, *Franc. hic not. 2.*

Colligitur 2. quod juriſdictio generaliter delegata Inquiſitoribus procedendi in omni crimine hæreſis, non præjudicet juriſdictioni Epiſcopi, quia cenſetur conceſſa cumulative, non privative, ac ita ut Epiſcopus poſſit adhuc procedere contra hæreticos ſubditos poteſtate ordinaria, & ex delegata contra exemptos, *Franc. hic n. 2. not. ult. Farinac. c. l. n. 58.* Secus eſt, ſi delegatio facta ſit Inquiſitori ſpecialiter, & reſtricte ad certas perſonas, & certas cauſas, vel crimina hæreſis: per talem enim ſpecialem commiſſionem ordinariæ juriſdictioni Epiſcoporum, imo & generaliter delegatæ poteſtati Inquiſitorum derogatum cenſetur, *Gl. hic V. Generaliter. Franc. n. 3. Farinac. c. l. num. 9.*

Colligitur 3. Si Inquiſitor, & Epiſcopus in prolatione ſententiæ diſcordant, tunc Papa eſt conſulendus, & ad eum cauſa, cum ſummaria informatione, eſt remittenda, *cit. c. Per hoc Farinac c. l. num. 64.*

CXLVII. Porro Conſtitutio *cit. c. Per hoc*, declaratur in *Extravag. Ex eo 1. h. t. inter communes*, in qua Benedictus XI. „ reſcribit, quod tunc Epiſcopi, & Inquiſitores teneantur ſibi invicem communicare proceſſus, quando utrique procedunt ſejunctim, & unus ſeorſim, ſine alio, & non quando Epiſcopi tantum, vel Inquiſitores tantum procedunt: in caſu autem, quo utrique procedunt ſeparatim, proceſſus communicandi ſunt in hoc tantum, quando nihil reſtat agendum, niſi ut promulgetur ſententia. Secus tamen eſt, quando alter commode procedere non poteſt, niſi viſis alterius actis, quia tunc ſemel tantum in toto negotio, ſive proceſſu, copia actorum edi, ſive oſtendi debet, ne locus ſit ſavendi. Additur in *cit. Extravag. 2. §. Verum* quod Epiſcopus procedens propter expenſas factas, non poteſt petere partem proventuum deputatorum Officio Inquiſitionis ex bonis hæreticorum,

„ quia

„ quia Ordinarii propriis ſtipendiis, ſeu expenſis debent inquirere. Sed neque expoſcere debent Diœceſani rationem proventuum ex officio Inquiſitionis ab Inquiſitoribus, non obſtante mandato, Conſtitutione, vel conſuetudine contraria, ſed Inquiſitores illam reddant Cameræ Apoſtolicæ, vel cui Rom. Pontifex reddi juſſerit.

CXLVIII. Præterea in *Clement. Multorum* 1. *poſt. princ. Propter quod hoc tit.* inprimis decernitur, ut inquiſitionis „ Officium tam per Diœceſanos, quam per Inquiſitores a Sede Apoſtolica deputatos, (generaliter) ſine omni carnali amore, odio, vel timore; ac cujuslibet commodis temporalis affectione exerceatur. Et quamvis quilibet ex prædictis (ſcilicet Epiſcopis, vel Inquiſitoribus) ſine alio citare poſſit hæreticos, & arreſtare, ſive capere, ac tutæ cuſtodiæ mancipare, etiam in compedibus, vel manicis ferreis, ſi ei viſum fuerit faciendum, ſuper quo ipſius conſcientia arctatur, & inquirere etiam contra illos, prout in Domino expedire viderit: non tamen poteſt Epiſcopus, ſine Inquiſitore, nec Inquiſitor ſine Epiſcopo, Diœceſano, aut ejus Officiali, vel Epiſcopali Sede vacante (vel quaſi vacante, *Gl. hic V. eod.*) ſive Capituli ſuper hoc delegato (ſi intra 8. dies, poſtquam ſeſe invicem requiſiverint, vel una ſaltem vice, ſui copiam ad invicem; ſive unus alterius habere poſſit) duro tradere carceri, ſive arcto, qui magis ad pœnam, quam ad cuſtodiam eſſe videatur; vel tormentis ſubjicere illos, vel ad ſententiam contra eos procedere. Et ſi ſecus præſumptum fuerit, id irritum ſit, & inane ipſo jure. Si vero, ſive Epiſcopus (vel ejus Officialis, vel Capituli ejus, Sede vacante, delegatus, cum Inquiſitore, vel Inquiſitor cum altero eorundem, nequeat, vel nolit perſonaliter convenire, tunc poterit Epiſcopus, vel ejus Officialis, vel Sede vacante, delegatus Capituli, Inquiſitori committere vices ſuas, ſuper illis (ſcilicet carceratione, tortura, & ſententia) vel per litteras ſuum conſilium, vel conſenſum eidem Inquiſitori ſignificare, & e contra Inquiſitor prædictis, prout decernitur in *tit. Clem.* 1. *§. Verum h. t.*

„ Secundo in eadem *Clement. §. Sane*, ad multas fraudes cavendas, quæ circa cuſtodiam carcerum hæreticalium ſunt perpetratæ, ſtatuitur, ut quilibet talis carcer, vel murus, qui debet eſſe communis, Epiſcopo, & Inquiſitori habeat duos Cuſtodes principales, diſcretos, induſtrios, & fideles unum, quem volet Epiſcopus, cui ille providebit (ex ſuis redditibus) alterum, quem voluerit Inquiſitor, cui etiam ipſe providebit (ſcilicet ex proventibus deputatis Officio Inquiſitionis, *Gl. hic*) & quilibet eorum poterit ſub ſe habere alium bonum, & fidum miniſtrum. In quolibet etiam conclavi ejuſdem carceris, ſive muri erunt duæ claves diverſæ, (ne unus cuſtos, ſine altero poſſit aperire) quarum unus unam, alter alteram habebit, & quando erit miniſtrandum incarceratis, poterit id uterque cuſtos ſuo committere, vel ſubdelegare miniſtro.

CXLIX. Tertio in §. *Porro ibid.* decernitur, ut Cuſtodes prædicti coram Epiſcopo, vel Capitulo, Sede vacante, & Inquiſitore vel Inquiſitoribus, vel conſtitutis ab eis, antequam ſuum officium exequantur, ad Sancta DEI Evangelia corporaliter a ſe tacta, jurent, quod in cuſtodia incarceratorum propter hæreſim, omnem diligentiam, quam poterunt, fideliter adhibebunt, & quod unus nihil loquetur alicui incarcerato in ſecreto, quin hoc alter cuſtos audiat. Et quod fideliter, & abſque diminutione aliqua, miniſtrabunt incarceratis proviſionem, quam ipſi ex ordinatione communi recipiunt: & quod a ſuis parentibus, amicis, vel aliis fidelibus eiſdem offertur: niſi Epiſcopus, & Inquiſitor, vel eorum Commiſſarii aliud ordinaverint. Similiter præcipitur, ut prædicti cuſtodes, & eorum miniſtri, etiamſi carceres non ſint communes Epiſcopi, & Inquiſitorum, ſed proprii ſolius Epiſcopi, ſimile juramentum præſtent de fidei cuſtodia incarceratorum, ob hæreſis crimen coram Epiſcopo, vel delegato Capituli, vel Inquiſitoribus, vel ſubſtitutis ab eis, quod ſuum officium fideliter exequentur. Notarii quoque inquiſitionis jurare debent coram Epiſcopo, & Inquiſitore, vel ſubſtitutis ab eis, quod ſuum officium fideliter exequentur. Idemque fieri ab aliis perſonis neceſſariis ad prædictum officium exequendum.

„ Quarto in eadem *Clement. §. Verum*; Epiſcopo ac Inquiſitori, & aliis ad dicti officii executionem ab eis ſubſtituendis, in virtute S. obedientiæ, & ſub interminatione maledictionis æternæ præcipitur, ut ſic diſcrete, & prompte procedant contra ſuſpectos, vel diffamatos de hæreſi, ne malitioſe, aut fraudulenter tantam labem, vel quod ipſos in executione officii inquiſitionis impediat, falſo alicui imponant. Quod ſi odio, gratia vel amore, lucri, aut commodi temporalis cauſa, contra quemquam procedere omiſerint, cum debuiſſent procedere: vel ſi ipſam hæreticam pravitatem, vel impedimentum officii ſui alicui imponendo, eum quoquo modo vexare præſumpſerint: tunc Epiſcopus, vel alius Superior (præter alias pœnas pro qualitate culpæ eiſdem imponendas) ſuſpenſionis ab officio per triennium: alii vero (ſcilicet Inquiſitores, vel ſubſtituti ab eis, vel ab Epiſcopis, vel Capitulo Sede vacante) excommunicationis ſententias eo ipſo incurrant: a qua ſententia, qui eandem incurrerint, non niſi per Rom. Pontificem abſolvi poſſint, nullo in hac parte ſuffragante privilegio, præterquam in mortis articulo, & tunc ſatisfactione præmiſſa, ſi facultas ſit ſatisfaciendi, & tempus hoc patiatur, *Gl. hic V. Extare.*

„ Quinto denique alia, quæ circa præmiſſum Inquiſitionis officium, ab aliis SS. Pontificibus anteceſſoribus inſtituta ſunt, Clemens V. (quatenus præſenti Decreto non obviant) approbavit, & confirmavit, prout habetur in fine. *tit. Clement.* 1.

CL. Pro explicatione hujus *Clement.* notandum 1. Etſi Inquiſitor non poſſit procedere, ſine Epiſcopo, ſive Ordinario, neque hic ſine Inquiſitore ad ſententiam definitivam condemnatoriam hæreſis, *tit. Clement.* 1. *§. Propter quod*, poteſt tamen unus, ſine altero procedere ad ſententiam definitivam, per quam Reus omnino abſolvatur, quia delictum plene probatum non fuit, vel ad interlocutoriam, quæ habet vim definitivæ, per quam reus abſolvitur a tortura vel alia pœna, ut colligitur ex *cit. Clem.* 1. ubi ſolum prohibetur unus ferre ſententiam contra hæreticos, ſine altero Epiſcopus ſine Inquiſitore, vel viceverſa, ergo a ſenſu contrario pro hæreticis unus ſolus ferre poteſt, ſine altero. Tum quia jure antiquo licite, & valide poterat Ordinarius ſine Inquiſitore, & hic ſine illo, ferre ſententiam, tam condemnatoriam contra hæreticos, quam abſolutoriam pro illis, ergo cum jure novo ſolum prohibitum ſit ferre ſententiam contra hæreticos uni Judici ſoli, adhuc licitum erit cuique eorum ferre ſententiam pro reis, eos abſolvendo: cum non ſit recedendum a jure antiquo, niſi in quantum, jure novo correctum reperitur, *Gl. hic. V. Contra eos; Clar. §. Hæreſis n.* 5. *Molin. cit. diſ.* 28. *nu.* 15. *Azor. cit. t.* 18. *qu.* 16. *Farinac. tit.* 9. 186. *num.* 60. qui ajunt, hanc ſententiam, ſtando in ſolo Jure communi, eſſe communiorem, & probabiliorem. Nihilominus tamen oppoſita ſententia negativa tutior, & æquior eſt, magis recepta, quia quamvis textus de ſola ſententia condemnatoria expreſſe loquatur: tamen hoc ipſo, quod requirit, ut ſententiam præcedat communicatio proceſſum inter utrumque Judices, ut examinetur, utrum reus condemnandus ſit, an abſolvendus, tacite etiam requiritur, ut reus non abſolvatur ab uno ſolum Judice, ſine altero; ſicut non poteſt condemnari ab uno tantum, ut tenent DD. citt.

Notandum 2. Epiſcopus ſine Inquiſitore, & hic, ſine illo, poteſt inquirere, citare, capere, incarcerare, vincire catenis inquiſitos de hæreſi, non tamen poteſt in durum, ſeu arctum carcerem conjicere, nec tormentis ſubjicere, nec ad ſententiam contra hæreticos procedere unus, ſine altero, *cit. §. Propter quod Farinac. c. l. n.* 62. *& 67.* adeoque ſunt omnia hujuſmodi actus ipſo jure nulli, *Gl. hic Ipſo jure, & Farinac. t. l. num.* 69.

CLI. Notandum 3. Citatus ab Inquiſitore, & Epiſcopo, ob crimen hæreſis; eodem tempore, ſi etiam Epiſcopus procedat ex delegatione Papæ, quia citatus alias eſt exemptus a juriſdictione Epiſcopi, tum poterit citatus eligere, quem voluerit, cum non poſſit ſimul coram utroque comparare, vel coram uno perſonaliter, coram alio per Procuratorem, *Farinac. t. l. num.* 45. Si vero Epiſcopus procedat contra ſubditos, adeoque poteſtate ordinaria, tunc debet potius citatus comparere coram Inquiſitore, quam coram Ordinario, quia juriſdictio Inquiſitoris, quippe delegata a Papa, major eſt ordinaria, *Azor. cit. t.* 18. *q.* 8. *Farinac. c. l. nu.* 87. *& ſeq.* vel poterit eligere, quem voluerit, *idem c. l. n.* 90. quia videntur pares eſſe in poteſtate, cum quilibet in ſolidum, & independenter ab alio inquirere, & examinare poſſit.

Notandum 4. Si Inquiſitor non poſſit habere copiam Epiſcopi, & e contra, tum quivis per ſe ſolus procedere poteſt, nulla alia facta inquiſitione, ut ſi Epiſcopus ſuit abſens extra Provinciam, vel Diœceſim, nullo relicto delegato *Farinac. t. l. n.* 96.

Notandum 5. Tenetur inquiſitor Epiſcopum requirere, & hic illum, quando unus ſine alio procedere non poteſt, quæ requiſitio ſemel tantum facienda eſt, *Gl. hic V. Requiſiverint.* Quod ſi requiſitus non potuit, aut noluit convenire, & vices ſuas intra 8. dies a tempore requiſitionis alteri non commiſit, vel ſuum conſilium, aut conſenſum non ſignificavit: eo ipſo requirens, ſine altero, poteſt hæreticum in durum carcerem conjicere, & ſententiam proferre, *Gl. hic V. Conſenſum. Farinac. c. l. n.* 108.

Notandum 6. Si Inquiſitores, & Epiſcopi malitioſe, & fraudulenter aliquem falſo de hæreſi inquiſiverint, vel ex odio, vel amore, vel lucri cauſa, contra hæreticum procedere omiſerint, ſi Epiſcopus fuerit, per triennium eſt ſuſpenſus ab officio; alii vero ſcilicet Inquiſitores, vel ſubſtituti ab eis, vel ab Epiſcopis, excommunicationis ſententiam ipſo jure incurrunt; *cit. Clem.* 1. *§. Verum Farinac. c. l. n.* 145. Secus eſt, ſi Epiſcopus, vel Inquiſitor omiſerit procedere, non odii, amoris, aut lucri cauſa, ſed ex timore, vel propter evitanda ſcandala, tunc enim prædictam pœnam non incurrunt, *Farinac. t. l. n.* 149. apud quem plura de his videri poſſunt.

CLII. Præterea in *Clement. Nolentes.* 2. *h. t. princ.* injungitur Inquiſitoribus, & tam ipſorum, quam Epiſcoporum, vel Capitulorum, Sede vacante, deputatis Commiſſariis; ne prætextu Officii inquiſitionis, modis illicitis pecuniam ab aliquo extorqueant ſcienter, vel aliam rem pretio æſtimabilem, *Gl. hic V. Pecuniam.* nec attentent Eccleſiarum bona, occaſione prædicti officii, applicare fiſco etiam Eccleſiæ, ob Clericorum delictum, idque ſub pœna excommunicationis, ipſo facto, incurrendæ: a quo non poſſint abſolvi, niſi plene ſatisfecerint illis, a quibus extorſerunt, & in articulo mortis, nullis obſtantibus privilegiis, pactis, aut remiſſionibus. Notarii vero, & Officiales dicti officii, nec non fratres, & ſocii Inquiſitorum, & Commiſſariorum, qui hos talia commiſiſſe ſciunt, illos in ſecreto arguant, & corrigant: & ſi illa probare poſſint, denuncient Prælatis Inquiſitorum, & Commiſſariorum eorundem, qui ſi illos reos reperirent, ab officiis eoſdem amoveant, & aliter puniant, & corrigant. Quod ſi Prælati negligant facere, ab Ordinariis locorum Sedi Apoſtolicæ ea denuncianda præcipitur. Tertio præcipitur Inquiſitoribus, ut non abutantur conceſſione portandi arma: nec habeant plures Officiales, niſi neceſſarios, qui ſe conferant cum Inquiſitoribus ad ſua officia exequenda. Ex quo patet, quod Inquiſ-

quiſ-

quiſitores poſſint habere armatam manum, ſeu milites, pro defenſione perſonæ, aut familiæ ſuæ, & ad capiendos hæreticos, *Barb. hic in Collect. num. 8.*

CLIII. Illud poſtremo hic quæritur, an officium inquiſitionis hæreticæ pravitatis expiret morte Papæ concedentis? Reſp. Non exſpirare, etiam re adhuc integra, prout expreſſe ſtatuitur in c. *Ne aliqui 30. h. t. in 6.* ubi Clemens IV. ita reſcribit: Præſenti declaramus Edito, Officium in„quiſitionis, non ſolum quoad negotia, vivente Mandatore „incepta, ſed etiam quoad integra: & non cœpta, & „quod plus eſt, quantum ad ea, quæ tunc nequaquam emerſerant (ut ſi tempore mortis Papæ, Titius non erat hæreticus, ſed poſtea lapſus fuerit in hæreſim, de hoc Inquiſitor poterit cognoſcere, *Gl. hic V. Emerſerint*) in favorem fidei, „poſt committentis obitum, perdurare, Nam quamvis aliae „poteſtas delegatorum ad cauſas cognoſcendas morte man„dantis exſpiret, re adhuc integra, *cap. Relatum 19. & c. Gratum 20. & c. Licet 30. de offic. Iudic. deleg.* tamen in favorem fidei ſpecialiter ſtatutum eſt, ut Officium Inquiſitorum hæreſis, etiam, re integra non exſpiret, ſicut officium legatie non eſpirat re integra, mortuo Papa, *c. 2. de Offic. Legat. in 6. Gl. hic V. Ne aliqui.*

Idque extenditur, ut procedat, non tantum in Inquiſitoribus immediate deputatis a S. Pontifice, ſed etiam in deputatis a Cardinalibus, Epiſcopis, Generalibus, & Provincialibus Ordinum, aut quibuſvis Papa Inferioribus, *Azor. cit. cap. 28. qua. 18. in fine. Farinac. cit. q. 186. n. 20.* Quod tamen aliqui limitant, ſi Inquiſitor datus ſit ſimpliciter, nam ſi datus ſit, cum clauſula *uſque ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ*, vel ſaltem ad beneplacitum S. Pontificis, tunc Officium Inquiſitoris per mortem Papæ exſpirat, re adhuc integra, juxta c. *Si gratioſe 5. de reſcript. in 6. Gl. hic V. Ne aliqui in addit. Ioan. Andr. ibid. numer. 2. & Franc. num. 2. in Gl.* Sed verius, eſt, non expirare Officium Inquiſitoris per mortem Papæ delegantis, quomodocunque is ſit conſtitutus, ſive ſimpliciter, ſive ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ, vel etiam Romani Pontificis: niſi expreſſe, & nominatim fuerit revocatus: vel niſi in litteris delegationis contrarium expreſſum fuerit: quia ob ſingularem fidei favorem, ſemper conceſſa cenſetur Inquiſitoribus juriſdictio procedendi contra hæreticos, ne caſus eveniat, in quo vel non poſſit in eos inquiri, vel ne eorum punitio diutius, quam par ſit, differatus, vel impediatur, aut omnino deſeratur, *Azor. cit. loc. quaſt. 7. Farinac. c. l. num. 23.*

§. IV.

Quomodo probetur crimen hæreſis, & per quales teſtes?

CLIV. Præmittendum, hæreſis iiſdem modis probatur, quibus alia crimina, & in ſpecie quidem probari poteſt etiam per teſtes, eoſque ſaltem duos, ad reum condemnandum, *Clarus §. Hæreſis, numer. 13.* ubi ait, in cauſa hæreſis ſufficere minores probationes, quam in aliis, etiam ad faciendam plenam probationem. Verum hoc alii limitant, quod duo teſtes ſufficiant, ad convincendum, reum, dummodo ſi ſint omni exceptione majores, alias plures requiri, *Farinac. tr. de hæreſ. q. 188. n. 68.*

CLV. Quæritur nunc 1. Qui poſſunt eſſe teſtes in cauſa fidei contra hæreticos? Reſp. Cum crimen hæreſis ſit valde grave, & Reipublicæ Chriſtianæ perniciolum, ideo in ejus deteſtationem admittuntur teſtes alias jure inhabiles ad teſtimonium ferendum, ut eo facilius hoc crimen poſſit puniri, & extirpari. Et inprimis admittuntur in teſtes excommunicati, participes, ſeu ſocii criminis, aut alias criminoſi, & infames prout ſtatuitur in *c. In fidei 5. h. t.* „*in 6.* ubi Alexander IV. ita reſcribit: In fidei favorem „concedimus, ut in negotio inquiſitionis hæreticæ pravita„tis, excommunicati, & participes, aut ſocii criminis ad „teſtimonium admittantur, præſertim in probationum alia„rum defectu, etiam contra hæreticos, credentes, fau„tores, receptatores, & defenſores eorum: ſi ex veriſimi„libus conjecturis, & ex numero teſtium, aut perſonarum, „tam deponentium, quam eorum contra quos deponitur, „qualitate, & aliis circumſtantiis, ſic teſtificantes præſu„mantur falſa non dicere. Ut ſi hujuſmodi teſtes deponant contra inquiſitum jam alias infamatum, vel ſuſpectum de hæreſi, *Gl. fin. hic* & univerſim loquendo, quoad iſtas conjecturas, & circumſtantias, ſtandum eſt Judicis arbitrio, *Gl. hic V. Conjecturis.*

CLVI. Ubi prærerea notandum 1. Teſtes excommunicati, infames, criminoſi, & alias inhabiles admittuntur in crimine hæreſis, non ſolum in defectum aliarum probationum, ſed etiam ſi non deſit copia aliarum probationum, ut colligitur ex *cit. c. in fidei* ibi; *Præſertim in defectum aliarum probationum*, id eſt, *maxime*, quæ eſt particula non reſtrictiva, ſed ampliativa. *Io. Andr. hic nu. 3. V. Præſertim. Farinac. c. l. nu. 74.*

Notandum ſecundo. Teſtes inabiles admittuntur in crimine hæreſis ad illius probationem; ſi procedatur per viam Inquiſitionis; Secus ſi per viam accuſationis, vel exceptionis, ut colligitur ex textu *cit. c. In fidei ibi. In negotio inquiſitionis, & tenet Gl. ibid. V. Eodem. Ioan. Andr. in fine, & Franc. numer. 3.* qui a regula illa, quod inhabiles perſonæ non debent admitti ad teſtimonium, non eſt recedendum niſi in quantum reperitur eſſe permiſſum: neque accuſatio eſt tam favorabilis, quam inquiſitio, *Arg. c. Si quis Epiſcopus 54. cauſ. 2. quaſt. 7.* & verbum illud *Inquiſitionis* debet aliquid operari, alioquin fruſtra fuiſſet expreſſum. Contrarium tamen etiam eſt probabile, quia utrobique, tam in accuſatione, quam in inquiſitione militat eadem ratio, ſcilicet favor fidei, & odium criminis, propter quod prædicti teſtes admittuntur *Gl. citat. Maſcard. de probat. concl. 87. numer. 31. Farinac. c. l. numer. 79.*

Notandum tertio. Teſtes criminoſi, aliique inhabiles admittuntur in crimine hæreſis contra hæreticum, non item ſi ab eo producantur pro ſua defenſione, *Farinac. c. l. n. 10.* & ſi deponant ſuper ipſius delicti ſubſtantia, ſecus ſi ſuper adminiculis, *Farin. c. l. n. 80.*

Notandum quarto. Etſi non poſſit contra tales teſtes inhabiles excipi, quod non ſint idonei; poteſt tamen etiam in crimine hæreſis excipi contra eorum dicta, quod ſint contrarii, varii, & vacillantes, *Farinac. c. l. n. 82.*

Notandum quinto: Etſi teſtes alias inhabiles admittantur in crimine hæreſis, non tamen fiunt teſtes integri: ideoque ſufficiunt quidem ad inquirendum, vel etiam forte ad torquendum, vel ad pœnam extraordinariam: non tamen ad condemnandum, niſi plures fuerint, quam duo, & cum eorum depoſitionibus concurrerint veriſimiles conjecturæ, ſeu circumſtentiæ, tum enim ad plenam etiam probationem ſufficiunt, ut colligitur ex *cit. c. in fidei in fine, Farinac. c. l. n. 83. & 84.*

CLVII. Quæritur ſecundo, Quinam preterea teſtes alias inhabiles admittantur in crimine hæreſis? Reſp. Perjuri quoque teſtes eſſe poſſunt, quamvis de perjurio pœnitentiam non egerint, ut conſtat ex c. *Accuſatus 8. §. Licet vero h. tit. in 6.* ubi dicitur: Licet perjuri a teſtimonio etiam „poſt pœnitentiam repellantur (*cap. Teſtimonium 54. de teſtib.*) ſi tamen ii, qui coram Inquiſitoribus jurantes, „tam de ſe, quam de aliis, ſuper facto hæreſis dicere veri„tatem, eam celando, pejerent, & poſtmodum (ex intervallo, alioquin nihil eſſet hic ſpecialiter conceſſum in favorem fidei, cum incontinenti liceat etiam communi teſti corrigere dictum ſuum, *c. Praterea, 7. de teſtib. cogend. Gl. hic* „*V. Poſtmodum*) velint corrigere dictum ſuum, contra ſe, „ac alios complices deponendo: cum crimen hujuſmodi ſit „exceptum, ſi ex manifeſtis indiciis, appareat, tales non „animi levitate, aut odio, aut corruptos pecunia, ſed „zelo fidei orthodoxæ dictum ſuum velle corrigere, ac „modo, quæ prius tacuerant, revelare: in favorem fidei „niſi aliud obſtet (ſcilicet quam prædictum perjurium) „ſtari debet tam contra ſe, quam contra alios atteſtationibus eorundem.

CLVIII, Ubi notandum, quando teſtis, qui in crimine hæreſis depoſuit, eſt perjurus, ſtatur ſecundo ejus dicto, non primo, dummodo ex veriſimilibus conjecturis appareat ipſum verum dixiſſe, *Farinac. q. 188 n. 83. & n. 92.* non tamen quilibet perjurus admittitur ad teſtificandum in crimine hæreſis, ſed is tantum, qui prius celavit, vel etiam negavit veritatem, & poſtea zelo fidei confeſſus eſt, quod prius celaverat de ſe, & de aliis, vel negaverat. Quod ſi teſtis in alia cauſa, vel caſu perjurium commiſit, vel de falſitate convictus eſt, non admittitur etiam in cauſa hæreſis, quia in hac non omnes inhabiles admitti debent, ſed illi tantum de quibus in Jure expreſſum eſt, eſſe admittendos in cauſa hæreſi: alioquin ſi omnes indifferenter admitti poſſent non levi periculo calumniæ innocentes fideles exponerentur, *Farinac. c. l. num. 77. & nu. 92.*

Secundo. Licet alias hæreticus quoque non admittatur in teſtem contra Chriſtianum orthodoxum, *l. Quoniam 21. C. h. t.* imo hæreticus regulariter ab omni teſtimonio repellitur, *c. Excommunicamus 13. §. Credentes. ibi: Nec ad teſtimonium admittantur*; ubi licet ſit ſermo de defenſore, vel fautore hæreticorum, multo magis ergo id locum habet in hæretico, *Farinac. c. l. n. 115.* tamen in cauſa fidei etiam hæreticus admittitur ad teſtificandum contra fidelem, ſeu Chriſtianum, ſi enim Judæus, & infidelis, cur non etiam hæreticus, *Farinac c. l. nu. 115.* quamvis hæreticis non ſit integre, ac plene credendum, ideoque eorum teſtimonium plenam probationem non facit, imo nec ſemiplenam unius, niſi aliæ veriſimiles conjecturæ concurrant, *Farinac. c. l. num. 10.*

Tertio In crimine hæreſis ad illius probationem admittuntur in teſtes etiam domeſtici, & familiares, ſervus adverſus Dominum, item conſanguinei, & affines, frater contra fratrem, *c. Litteras 14. de præſumpt.* Imo & pater contra filium, & hic contra illum, & maritus contra uxorem, & vice verſa, ſicut & in reliquis criminibus exceptis, *l. ult. C. Ad leg. Iul. Majeſt.* Ratio eſt, tum quia domeſtici, ſunt magis informati de his, quæ domi fiunt: tum quia conſanguinei ſunt alieni a ſuſpicione, quod falſum deponant contra ſibi conjunctos, *Farinac. cit. q. 118. §. 2. n. 143. & pluribus ſeqq.* qui in crimine hæreſis etiam cogi poſſunt, in defectum aliarum probationum, *Farinac. c. l. n. 245.* & plenam fidem faciunt, *Farinac c. l. n. 264.* non tamen prædicti admittuntur in teſtes, in favorem ejus, ſuper quem inquiritur de hæreſi ad defendendum & probandum ejus innocentiam, *Farin. c. l. nu. 249.*

Quarto. In crimine hæreſis etiam mulieres admittuntur ad teſtimonium, ſi enim infames admittuntur, multo magis mulieres, quia major eſt exceptio infamiæ, quam ſexus, *Farina. c. l. n. 76.* Quinto. Etiam minores 25. annis modo ſint pubertati proximi, ſeu doli capaces, ſicut & in crimine læſæ Majeſtatis, *Farin. c. l. n. 77.* Sexto. Etiam laici admittuntur in teſtes contra hæreticum Clericum, *Farina. c. l. nu. 57.* Septimo. Etiam teſtes de auditu, deponentes ſe ex ore hæretici audiviſſe propoſitionem hæreticam, *Farinac. c. numer. 18.* Porro ad teſtificandum contra inimicum in cauſa hæreſis non admittitur Inimicus capitalis, quia talis regulariter præſumitur deponere falſum, & non ex Zelo juſtitiæ, ſed ex vindicta, *Farin. cit. l. n. 505.* apud quem plura de his legi poſſunt.

CLIX. Quæritur 3. Qua ratione examinandi, & recipiendi ſint teſtes in cauſa hæreſis: De hoc inprimis agitur in „*cap. Ut officium, 21. §. Verum. h. t. in 6.* ubi præcipitur ut „in examinatione teſtium, quos recipi ſuper crimine hære-

ſis,

Digitized by Google

„ ſis, ipſumque contingentibus oportuerit, adhibeantur duæ religioſæ, & diſcretæ perſonæ in quarum præſentia, per publicam, ſi commode haberi poſſit, perſonam, id eſt, Notarium, aut per duos viros idoneos (ſi Notarius haberi non poſſit) fideliter depoſitiones eorundem teſtium conſcribantur. Ratio datur in princ. dicti §. *Verum*, quia in tam gravi crimine agitur de majori præjudicio, ideo cum majore cautela eſt procedendum, ut in reos, ſine ullo errore, proferatur dura, & ſevera, digna tamen ultio.

Porro duæ illæ perſonæ religioſæ, & diſcretæ, de quibus hic fit mentio, non debent neceſſario eſſe Ordinis Religioſi, ſed ſatis eſt, ſi ſint diſcretæ, & honeſtæ, ſive ſint Clerici ſæculares, ſive laici, *Gl. hic in caſu.* quamvis *Joan. Andr. hic num. 2. V. Religioſus, & Franc. ib. num. 4.* putent, nomen *Religioſus* hic ſtricte accipi pro iis, qui Religionis habitum aſſumpſerunt. Debet autem Notarius atteſtationes, & dicta teſtium legere coram illis Religioſis & diſcretis perſonis, quæ approbant, quod ipſi fideliter in ſcriptis redegit dicta teſtium, *Gl. hic in caſu.*

CLX. Præterea *in eod. c. Ut officium. §. Ad conſcribendas. h. tit. in 6.* præcipitur: „ ad conſcribendas quoque depoſitiones teſtium, & ad faciendum omnia, quæ ad Tabellionis officium pertinent; omnes, & ſinguli Religioſi teneantur, ſi ab iis, quibus inquiſitionis officium eſt commiſſum, fuerint requiſiti, & dum eſſent in ſeculo, Tabellionatus officium habuerint, & exercuerint: & illi etiam in quibus idem Tabellionatus officium, ratione fidei ab Apoſtolica Sede commiſſum fuit, & imposterum committetur. Conceditur quoque hujuſmodi Fratribus, & aliis Religioſis quibuslibet, qui ſimiliter, dum eſſent in ſeculo, Tabellionatus officium habuerunt, & exercuerunt: quibusvis etiam Clericis ſæcularibus, qui idem officium obtinent (etiamſi iidem FF. Religioſi, & Clerici in ſacris Ordinibus ſint conſtituti) officium hoc, quoad præmiſſa, libere exercendi, non obſtante aliquo contrario Statuto Canonis, vel Ordinis, quacunque firmitate munitu. Hinc colligitur, quod licet Jure communi, ſi Notarius fiat Religioſus, vel Presbyter, aut ſacros Ordines ſuſcipiat, non poſſit exercere officium Notarii, *c. Sicut. 8. Ne Clerici, vel Monachi ſecul. negot.* ſpecialiter tamen favore fidei ſtatutum eſt, ut Religioſus etiam ſine licentia Superioris ſui vel Presbyter poſſit exercere officium Notarii in cauſa hæreſis, ſi illud antea in ſeculo exercuit, *Gl. hic in notario, & Franc. ibid. in §. Ad conſcribendas. not. 3.*

§. VII.

Quomodo procedendum ſit in cauſa hæreſis, ſive quis Ordo Judiciarius ſit ſervandus?

CLXI. De hoc agitur in *c. Statuta. 20. & ult. in 6. ubi in princ.* „ conceditur, ut in negotio inquiſitionis hæreticæ pravitatis procedi poſſit (ſive per Inquiſitores deputatos a Papa, ſive per Ordinarium, & per delegatos eorum. *Gl. hic V. Poſſit*) ſimpliciter, & de plano, abſque Advocatorum, ac Judiciorum ſtrepitu, & figura.

Pro explicatione notandum primo. In cauſa hæreſis procedi poteſt ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, ac figura Judicii, ac proinde non exigitur libelli oblatio in ſcriptis facta, nec litis conteſtatio, & Judicium poteſt agitari etiam tempore feriarum; item amputandæ ſunt dilationes, exceptiones, & appellationes fruſtratoriæ: non tamen eſt omittenda citatio, & probationes, ac defenſiones neceſſariæ ſunt admittendæ, & univerſim loquendo, omitti poſſunt, quæ ſunt ſolemnitates juris civilis, & poſitivi, non item juris naturalis, ac gentium, ſine quibus nec juſte, nec valide cauſæ tractari poſſunt, *Farin. tr. de hæreſ. q. 185. §. 2. n. 24. & 16* quamvis autem in crimine hæreſis ſummarie, & ſine ſtrepitu Judicii procedi poſſit, non tamen Epiſcopi, & Inquiſitores ad procedendum obligantur, ſed poſſunt, ſi volunt, *Farinac. c. l. num. 19.*

Notandum ſecundo. In crimine hæreſis, quando proceditur contra hæreticos, non admittitur Advocatus, vel Procurator, *cit. c. ult. ibi: abſque Advocatorum ſtrepitu, & figura, Farin. cit. tr. q. 197. §. 3. num. 54.* ubi tamen *num. 73.* id limitat, quando conſtat, inquiſitum eſſe hæreticum; ſecus, ſi ſit dubium; an ſit hæreticus; tunc enim Advocatus, vel Procurator ei non denegatur.

CLXII. Præterea *in cit. cult. §. Jubemus eod. in 6.* jubetur, „ ut ſi propter potentiam eorum, contra quos inquiritur, timeatur imminere grave periculum accuſationibus, vel teſtibus in cauſa hæreſis intervenientibus, ſi publicentur eorum nomina; tunc non publice, ſed ſecreto ea ſunt oſtendenda, coram Diœceſano Epiſcopo, vel eo abſente, coram ipſius Vicario, quando Inquiſitores procedunt: quando vero procedit Epiſcopus, coram Inquiſitoribus, ſi commode eorum copia haberi poſſit: & ſemper etiam, ſive Epiſcopus, ſive Inquiſitor proceſſerint, coram aliis quibuſdam perſonis providis, & honeſtis iuriſque peritis, quibus ad hoc vocatis, totus proceſſus ſerio manifeſtari, & integre explicari debet, & de eorum conſilio, ad ſententiam, vel condemnationem procedi: & ad cognitionem Judicis inſtruendam, depoſitionibus hujuſmodi teſtium plena fides eſt adhibenda: non obſtante, quod illis, contra quos teſtes depoſuerunt, nomina eorum non fuerint oſtenſa, ſive publicata.

„ CLXIII. Item ut eorundem accuſatorum, & teſtium periculis efficacius occurratur, & cautius in inquiſitionis officio procedatur, præſentis Conſtitutionis auctoritate permittitur, ut Epiſcopus, vel Inquiſitores ſecretum poſſint indicere illis, quibus proceſſum hujuſmodi explicabunt, & in eos, ſi arcana conſilii, ſeu proceſſus hujuſmodi ipſis ſub ſecreto ab Epiſcopis, vel Inquiſitoribus manifeſtata, ſine licentia eorundem, aliis patefecerunt, excommunicationis ſententiam promulgare (ſi eis ita expedire videbitur) quam ob violationem ſecreti, ipſo facto, incurrunt: ſic tamen ut Inquiſitores Epiſcopum, vel Epiſcopus Inquiſitores hac de cauſa non excommunicent, ſed ipſi ex virtute S. obedientiæ ad ſecretum teneantur. Ceſſante vero periculo ſupra dicto, accuſatorum, & teſtium nomina publicentur, ſicut in aliis Judiciis fit juxta *c. Qualiter 24. §. Debet de accuſat.* ita præcipitur in *cit. c. ult. §. Et ut eorundem.*

CLXIV. Similiter in *§. Cæterum* præcipitur Epiſcopis, & „ Inquiſitoribus, ut ubi eſt ſecuritas, non dicant eſſe periculum, & ſic accuſatorum, & teſtium nomina ſupprimant nec ubi eſt periculum, dicant eſſe ſecuritatem, & ſic nomina eorum evulgent, ſeu publicent, ſuper quo eorundem conſcientiæ onerantur. Denique in §. fin. additur, ut Conſtitutiones, ordinationes, & mandata SS. Pontificum in negotio hæreticæ pravitatis facta, aut data, quæ ſupra dictis Conſtitutionibus non contradicunt, in ſuo robore permaneant.

Hinc colligitur primo. Quod in crimine hæreſis recipiuntur teſtes, & juramenta, ac depoſitiones eorum, etiam parte, contra quam deponunt, abſente, & non citata: nec ſunt publicanda nomina teſtium, & accuſatorum, ſi ex publicatione eorum timeatur grave periculum perſonis, aut bonis ipſorum accuſatorum, vel teſtium, aut conſanguineis eorum imminere, propter potentiam inquiſiti, quia accuſatus de hæreſi habet potentes amicos, qui poſſent vexare, aut moleſtare Accuſatorem, vel teſtes, vel eorum conſanguineos, *Gl. in cit. c. ult. in caſu. Franc. ibid. §. Jubemus not. 2. Farinac. tr. de hæreſ. q. 188. § 5. num. 7. 9. & 10.* ubi *nu. 12.* ait, de conſuetudine in S. Officio Inquiſitionis indiſtincte non publicari nomina Accuſatoris, & teſtium, etiamſi abſit grave periculum.

CLXV. Poſtremo duo adhuc ſuperſunt Canones, qui in hoc Tit. habentur; nam in *Clement. Ad noſtrum. 3. h. titul.* „ damnatur ſecta Beguardorum, & Beguinarum commorantium in Alemania, & reprobantur octo eorum errores, qui in textu recenſentur, & legi poſſunt. Et præcipitur, ut Diœceſani, & Inquiſitores hæreticæ pravitatis in eorum vitam, & converſationem inquirant, & qualiter ſentiant de articulis fidei, & Eccleſiæ Sacramentis, ſuumque officium in illos exerceant, eoſque ſi culpabiles fuerint reperti, debite puniant, niſi abjuratis ſponte prædictis erroribus, pœnituerint, & competentem ſatisfactionem præſtiterint.

Præterea in *Extravag. Vas electionis 2. inter communes h. t.* „ damnat Joannes XXII. tres errores Joannis de Poliaco Doctoris Pariſienſis circa Sacramentum pœnitentiæ. Primus eſt, quod confeſſi Fratribus (ſcilicet Religioſis Mendicantibus) habentibus licentiam generalem audiendi Confeſſiones, teneantur eadem peccata iterum proprio Sacerdoti confiteri. Secundus eſt; quod ſtante decreto *c. Omnis utriuſque ſexus. 12. de pœnit. & remiſſ.* quod eſt deſumptum ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. *cap. 21.* Papa non poteſt facere, ut Parochiani non teneantur, omnia peccata ſua ſemel in anno, proprio Sacerdoti, id eſt, Curato parochiali, confiteri. Tertius, quod nec Papa, nec DEUS poteſt dare generalem poteſtatem audiendi Confeſſiones alicui, ita ut confeſſus non teneatur eadem peccata iterum confiteri proprio Curato, ſeu Parocho. Ipſe vero Auctor non fuit damnatus, quia hos errores ſe publice revocaturum promiſit.

TITULUS VIII.

De Schiſmaticis, & Ordinatis ab eis.

POſt hæreticos agitur de Schiſmaticis, quia ſchiſma non raro eſt conjunctum cum hæreſi, & ſchiſmatici plerumque etiam incidunt in hæreſim, ut factum ſuum cohoneſtent & defendant. Extat hic Titulus etiam in Sexto, & Extravagantibus communibus.

§. I.

Quid ſit ſchiſma, & quomodo ab hæreſi differat, & quæ ſint pœnæ Jure decreta in ſchiſmaticos?

I. ASſertio 1. Schiſma eſt ſciſſura, ſive disjunctio, per quam quis ſe ab unitate Eccleſiæ ſeparat, in quantum ea eſt quoddam Corpus Myſticum, ex univerſis fidelibus, & Romano Pontifice tanquam Capite conſtans, prout ex *S. Thom. 2. 2. qu. 39. a. 1.* definiunt communiter DD. Conſiſtit enim hæc unitas Eccleſiæ, tum in converſatione, ſeu communione membrorum inter ſe: tum in ordine ad unum Caput, quod eſt Chriſtus, cujus vices gerit S. Pontifex, ſcilicet ut in una fidei doctrina, cultu Religionis, & in ſpirituali regimine omnes fideles ſint ſubjecti uni Capiti Eccleſiæ, nempe Romano Pontifici: ac proinde ſchiſmaticus eſt, qui ſubeſſe renuit Romano Pontifici, & membris Eccleſiæ illi ſubjectis communicare recuſat, *Silveſt. in Summ. V. Schiſmaticus in princ. Sanch. l. 2. Mor. c. 36. num. 2.*

II. Aſſertio 2. Schiſma differt ab hæreſi in eo, quia hæreſis per ſe ac directe opponitur fidei, ejus doctrinam negando: ſchiſma vero charitati repugnat, Eccleſiæ unitatem, quæ in charitate conſiſtit, ſcindendo. *S. Thom. c. l. Silveſt. c. l. qu. 2. Sanch. c. l. num. 7. & 8. Farinac. tr. de hæreſ. q. 184. §. 1. num. 5. 2.* Differunt inter ſe, ſicut genus & ſpecies, ut docet *Gl. in c. Inter hæreſim. 26. cauſ. 24. q. 3. V. Et ſchiſma:*

nam omnis hæreticus eſt etiam ſchiſmaticus, ſed non vice verſa: quamvis ſub diverſis rationibus, idem ſit hæreticus, & ſchiſmaticus hæreticus quidem quatenus falſum dogma, & Eccleſiæ doctrinæ contrarium credit: ſchiſmaticus vero, quatenus ab Eccleſiæ unitate recedit, & ſe ſeparat, erroneam doctrinam ſectando. Non tamen omnis ſchiſmaticus eſt hæreticus, quia poteſt quis omnes articulos, quos Eccleſia proponit credendos, amplecti, etiam credendo ſupremam poteſtatem Papæ & Primatum, ſed ex malitia, ſeu prava voluntate nullo ipſo facto Papam pro Capite Eccleſiæ agnoſcere, ejuſque obedientiæ ſe ſubjicere, nec aliis membris Eccleſiæ uniri ſeu conjungi. Priore caſu, ſchiſma eſt conjunctum cum hæreſi, quia habet in intellectu errorem contra fidem: poſteriore caſu, ſine hæreſi, quia non habet talem errorem contra fidem, *S. Thom. c. l. ad* 3. *Silv. tit. l. Sanch. cita. l. num.* 8. 3. Differunt ſchiſma & hæreſis, quia ſchiſma eſt via ad hæreſim: ſicut amiſſio Charitatis ad amiſſionem fidei: nam ſchiſmaticus ſaltem in fine fingit hæreſim, ut recte ab Eccleſia receſſiſſe videatur, *S. Thom. cit. l. Silveſt. cit. l.*

III. Hinc colligitur 1. duplici modo ſchiſma fieri poſſe. 1. Si quis ſe a Capite Eccleſiæ, cæteriſque membris ſeparare velit. 2. Si vel a ſolo Capite, vel a ſolis membris Eccleſiæ ſe ſeparare intendat. Tunc autem dicitur ſeparari a Capite, quando quis renuit ſubeſſe, ſive ſubjici Romano Pontifici, tanquam Capiti Eccleſiæ ab aliis vero Eccleſiæ membris ſeparari dicitur, quando quis ſpiritualia Eccleſiæ actiones exercere vult, v. g. orare, Sacramenta recipere, non ut pars Eccleſiæ Catholicæ, ſed ſeorſim ab illa, quaſi per ſe eſſet totum quoddam ſeparatum, *Sanch. c. l. num.* 2. *Farinac. c. l. num.* 3.

Colligitur 2. Tripliciter poteſt quis non parere velle præcepto S. Pontificis, 1. Ex parte rei præceptæ, ut ſi nolit Papæ aliquid præcipienti obedire, v. g. arma deponere, alienum reſtituere &c. licet alias ipſum recognoſcat, tanquam Superiorem & Caput Eccleſiæ: & talis non eſt proprio ſchiſmaticus: ſed ſolum inobediens, alioquin tranſgrediens quodlibet præceptum Eccleſiæ eſſet ſchiſmaticus. 2. Ex parte perſonæ præcipientis, ut ſi quis Papæ non obtemperet, eo quod perſona ipſius ſibi ſit ſuſpecta vel odioſa, & neque talis eſt proprie ſchiſmaticus. 3. Ratione officii ipſius Papæ, ſi quis recuſat ipſi ſubeſſe & obedire, quatenus vices Chriſti in terris gerit, & Caput eſt Eccleſiæ: & hic vere ac proprie eſt ſchiſmaticus: ſicut & ille, qui non vult ſeſe Eccleſiæ membris conjungere, quatenus Eccleſiæ membra & partes ſunt, *Sylveſt. V. Schiſma poſt princ.* Azor. *p.* 1. *l.* 8. cap. 20. *q.* 4. *Sanch. cit.* cap. 36. *num.* 3. Quare qui non vult ſubeſſe Romano Pontifici, eo quod probabiliter exiſtimet, illum non eſſe legitimum Papam, non eſt ſchiſmaticus; quia renuit ſubeſſe parere huic perſonæ, quam non habet pro legitimo Pontifice, *Azor. c. l. Sanch. citat. l.*

Colligitur 3. Is, qui ſe a quolibet alio Epiſcopo, etiam quatenus talis eſt, ſeparat, recuſans ſubeſſe auctoritati Epiſcopali, vel a ſolis membris particularis Diœceſis & Eccleſiæ, dicitur ſchiſmaticus, ſed non niſi large & improprie, ut patet ex c. *Scitt.* 7. *cauſ.* 7. *q.* 1. *c. Loquitur.* 18. *cauſ.* 24. *quæſt.* 1. quia vere ac proprie dictum ſchiſma importat ſeparationem ab Eccleſia Catholica ſeu univerſali, ejuſque Capite. *Azor. c. l. q.* 2. *Sanch. c. l. num.* 6.

IV. Aſſertio 3. Pœna ſchiſmaticorum prima eſt, excommunicatio latæ ſententiæ: nam hodie in Bulla Cœnæ Domini in prima excommunicatione, excommunicantur omnes ſchiſmatici, & ii, qui ſe a Romani Pontificis obedientia pertinaciter ſubtrahunt, vel recedunt.

Ubi notandum primo. Hanc excommunicationem non incurrunt, niſi proprie dicti ſchiſmatici, qui ab obedientia Papæ pertinaciter recedunt, ut Papa eſt, & Chriſti Vicarius, ac proinde qui non in una tantum vel altera re, ſed ſimpliciter & generaliter non recognoſcit, ut ſuperiorem & Vicarium Chriſti, *Azor. p.* 1. *l.* 8. *c.* 20. *q.* 5. *Suar. diſ.* 21. *de cenſur. ſec.* 2. *num.* 12. *&* 13. ejuſque abſolutio eſt reſervata S. Pontifici, *Sanch. citat. l. num.* 11. ſufficit autem ad hanc excommunicationem incurrendam, ſi quis aliquo opere exteriore ita ſe gerat, ac ſi Papæ non eſſet ſubjectus, nec Eccleſiæ pars, quamvis mente fidem retineat, & ut Vicarium Chriſti, ſeu Caput Eccleſiæ Papam agnoſcat: licet aliud ſit de hæreſi. Ratio diſcriminis eſt quia ſchiſma perficitur ac conſumatur per ſolum actum externum; hæreſis vero neceſſario errorem intellectus requirit, unde Catholici in Anglia, qui exterius profitentur Regem tanquam Caput Eccleſiæ in ſpiritualibus, ſunt vere ſchiſmatici, & hanc excommunicationem incurrunt, *Sanch. cit. l. num.* 14. non tamen etiam ſchiſmatici incurrunt hanc excommunicationem, ſi ſchiſma mente ſolum retineant, ſed opus eſt, ut verbis, factis, vel alio ſigno externo illud manifeſtent, cum ob ſolum actum internum nulla excommunicatio incurri poſſit, *Sanch. c. l. num.* 15.

Notandum ſecundo. Sed neque receptatores, fautores vel defenſores ſchiſmaticorum hanc excommunicationem Bullæ incurrunt, quia id non eſt expreſſum, niſi quoad hæreticos, adeoque non debet extendi ad adjuvantes, niſi exprimantur, quia verba pœnalia ſtricte intelligenda ſunt, *Suar. cit. diſ.* 21. *ſec.* 2. *num.* 14. *Sanch. cit. l. num.* 16.

Notandum tertio. Spectato Jure communi antiquo ſchiſmatici ſine hæreſi, non ſunt excommunicati, ipſo jure, neque abſolute & univerſim, ſed ſolum in caſu aliquo particulari, ut in c. *Licet.* 6. *de Elect.* Ubi fertur excommunicatio in eum, qui electus eſt in Papam a tertia ſolum parte Cardinalium, & ei adhærentes, alio electo a duabus partibus, *Azor. cit. cap.* 20. *quæſt.* 6. *Suar. diſ.* 23. *de cenſur. ſec.* 3. *num.* 2.

V. Secunda pœna ſchiſmaticorum eſt, Inhabilitas ad beneficia & dignitates Eccleſiaſticas, præſertim dignitatem Epiſcopalem, etiam poſt peractam pœnitentiam, ſeu poſtquam abjurato ſchiſmate, ad unitatem Eccleſiæ ſunt reverſi, prout ſumitur ex c. *Quia diligentia.* 5. *de Elect.* Ex quo conſtat, quod qui ex ſchiſmate ad Eccleſiæ unitatem reverſus eſt ad Epiſcopalem dignitatem promoveri non debet, ſine diſpenſatione Papæ, dummodo electus ille a ſchiſmatico Epiſcopo nullum Ordinem acceperit, & alias idoneus ſit, ut dictum ſupra *l.* 1. *Tit.* 6. *num.* 107. in qua irregularitate ſolus Papa diſpenſare poteſt, niſi crimen ſchiſmaticis eſſet occultum, tunc enim in eo poſſet diſpenſare Epiſcopus ex vi Concilii Trident. *Seſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform.* Ubi conceditur Epiſcopis poteſtas diſpenſandi in caſibus, & irregularitatibus occultis, *Azor. c. l. q.* 8. *Sanch. c. l. q.* 8. *Sanch. c. l. num.* 18. quamvis *Garc. de Benef. p.* 11. *cap.* 10. *num.* 162. putet, ſchiſmaticum occultum non incurrere hanc irregularitatem.

„ VI. Tertia pœna eſt, quod ſchiſmatici privandi ſunt
„ omnibus beneficiis, officiis, honoribus, dignitatibus, &
„ Prælaturis perpetuo, & redduntur inhabiles ad illa ha-
„ benda, cunctis eorum bonis, mobilibus & immobilibus,
„ juribus & juriſdictionibus publicatis, prout habetur expreſſum in *c. Ad ſuccidendas unic. h. t. in* 6. Ubi id ſtatutum fuit de duobus Cardinalibus ſchiſmaticis, qui propter ſchiſma Cardinalatu privati ſunt, quia elegerunt quendam in Romanum Pontificem, cum ſcirent, alium fuiſſe canonice electum, ut notat *Gl. ibid. in caſu.* Non ſolum autem ipſi,
„ ſed etiam agnati, & filii ac poſteri eorundem per maſ-
„ culinam, & fœmininam lineam deſcendentes redduntur
„ indigni ſeu inhabiles ad Cardinalatum, & quælibet of-
„ ficia, beneficia, & miniſteria, in Eccleſia Romana, &
„ extra illam, uſque ad quartam generationem, *citat. cap.*
„ *unic.* §. *Contra ipſos.* Item præſtantes eis auxilium, conſi-
„ lium vel favorem, incurrunt, ipſo facto, ſententiam ex-
„ communicationis *cit. cap. un.* §. *Omnem.* & in fine addi-
„ tur, ut ſimiles exceſſus & culpæ ſimilibus pœnis impo-
„ ſterum puniantur.

VII. Verum Conſtitutio hujus cap. & proceſſus, ac ſententiæ in eo latæ per Bonifacium VIII. contra Jacobum, & Petrum de Columna, tanquam ſchiſmaticos, qui antea erant Cardinales, & eorum agnatos, poſtea revocata fuit a Benedicto XI. in Extravag. *Dudum unic. h. t. inter communes*, exceptis bonis confiſcatis, & jam aliis applicatis.

VIII. Cæterum illud hic addendum, nullam Jure Canonico ſtatutam eſſe pœnam privationis beneficiorum ante ſchiſma obtentorum, quæ ipſo jure incurratur, quia in *cit. c. Quia diligentia.* 5. *de Elect.* ſermo eſt de ſola inhabilitate ad acquirenda beneficia, In *can.* Vero *nos conſuetudinem.* 8. *diſ.* 12. qui loquitur de hæreticis Donatiſtis, ſolum ſtatuitur, ut ſervetur antiqua conſuetudo, ne hi ad Epiſcopatum admittantur: non ergo ibi agitur de ſchiſmaticis, *Sanch. cit. cap.* 36. *num.* 19. Sed neque irregularitatem aliquam incurrunt ſchiſmatici, ita ut ad Ordines promoveri non poſſint, etiam poſtquam per pœnitentiam ad Eccleſiam redierint, ut docet *Azor. cit. cap.* 20. *q.* 8. quia id nullo jure probatur, niſi ſchiſma fuerit notorium, tunc enim irregularitas aliqua generalis contrahitur, quæ ex quovis crimine notorio, & enormi ac depoſitione digno oritur, & ceſſat, ablata infamia per pœnitentiam, *Sanch. citat. c.* 36. *numer.* 20. *Farinac. citat. quæſt.* 184. §. 2. *numer.* 42. *in fine.*

§. II.

An ordinationes, aliique actus, ſeu geſta per ſchiſmaticos ſint valida, & quam pœnam juris incurrant, qui a ſchiſmaticis Ordines receperunt?

IX. Aſſertio 1. Ordinationes factæ a ſchiſmaticis, & ab
„ ordinatis ab eis ſunt irritæ (ſcilicet quantum ad exe-
„ cutionem) & qui acceperunt dignitates Eccleſiaſticas,
„ vel beneficia a ſchiſmaticis, careant impetratis. Aliena-
„ tiones quoque factæ per ſchiſmaticos, vel per Laicos de
„ rebus Eccleſiaſticis ſunt invalidæ, & ad Eccleſias ſine
„ omni onere revertantur. Si quis autem contra prædicta
„ facere præſumpſerit, excommunicationi ſubjaceat, ſive
„ ſit excommunicatus. Illi vero, qui ſponte juramentum
„ de tenendo ſchiſmate præſtiterint, a SS. Ordinibus, &
„ dignitatibus ſint ſuſpenſi, prout ſtatutum eſt in c. *Quod a*
„ *prædeceſſore.* 1. *h. tit. & ibi Gl. V. Irritas.* quod eſt deſum-
„ ptum ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. *cap.*
„ 1. & 2.

X. Ubi notandum primo. Quamvis in antiquis Canonibus habeatur, quod extra Eccleſiam conſtituti nihil habeant juris, ſeu poteſtatis ſpiritualis, c. *Novitianus.* 6. *cauſ.* 7. *q.* 1. *c. Didicimus.* 31. *in princ. cauſ.* 24. *q.* 1. diſtinguendum tamen eſt inter poteſtatem Sacramentalem Ordinis, & poteſtatem juriſdictionis, ut docet *S. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 39. *art.* 3. *in corp.* Nam Epiſcopus ſchiſmaticus vere & valide Euchariſtiam conſecrat & vere Confirmationis Sacramentum, & Ordinis confert, dummodo in forma Eccleſiæ illa conferat, ita ut Characterem ab eo recipiant confirmati, & ordinati; non tamen uſum, ſeu executionem Ordinis, quia eam non habet, adeoque nec dare aliis poteſt, cum tam conferentes a collatione Ordinum quam ſuſcipientes ab exercitio, ſive uſu Ordinum ſint ſuſpenſi, ipſo jure, ſi ſcienter ab Epiſcopo ſchiſmatico Ordines ſuſceperint, *Gl. hic in citat. cap.* 1. *V. Irritas*. Similiter Epiſcopus ſchiſmaticus valide conſecrat Templa, Altaria, & vaſa ad uſum divinum deputata, ita ut conſecratio repeti non debeat, quia hæc ſunt Ordinis: quamvis autem Epiſcopo ex Eccleſiæ inſtitutione competant, non tamen Epiſcopus ſchiſmaticus licite hæc facit, cum ſit ipſo jure ab exercitio hujus poteſtatis ſuſpenſus, *Azor. p.* 1. *l.* 8. *c.* 20. *q.* 9. At vero poteſta-

tem

Digitized by Google

tem juriſdictionis ſpiritualis, nec valide, nec licite ſchiſmatici exercere poſſunt: unde nequeunt abſolvere a peccatis, nec excommunicare, nec leges ferre, nec alienare res Eccleſiæ, nec Indulgentias concedere, nec beneficia conferre, nec eligere, ſaltem ſi ſint nominatim denunciandi, de quo infra, *S. Thom. c. l. & Azor*,

Notandum ſecundo. Quamvis acta a Prælato hæretico, vel ſchiſmatico, in præjudicium Eccleſiæ, non valeant, quia dum Eccleſia talem Prælatum habet, vacare cenſetur, *c. 1. de praſcript.* quod tamen talis Prælatus acquiſivit in commodum Eccleſiæ, id tenet, quia quod favore alicujus introductum eſt, non convenit in ejus læſionem retorqueri, *l. Quod favore. 6. C. de legib. Gl. fin. in cit. c. 1. h. t.*

„ XI. Aſſertio 2. Ordinatus ab Epiſcopo ſchiſmatico ab „ officio poterit incontinenti repelli: niſi legitime proba„ verit, cum ipſo fuiſſe miſericorditer diſpenſatum, & „ ab eo, qui ſuper hoc habuerit poteſtatem diſpenſandi, „ prout ſtatuit Innocentius III. in *c. Fraternitati. 2. & ult. h. t.* Ubi quædam ſunt notanda 1. nomine ſchiſmatici hic intelligitur, qui ſtricte ac proprie eſt ſchiſmaticus, nam ordinarius a ſchiſmatico late accepto, qui non obedit Papæ aliquid præcipienti, non eſt repellendus ab officio, ſive ab uſu, & executione Ordinis, *Abb. hic num. 1. not. 1.* Deinde intelligi debet de Epiſcopo ſchiſmatico, qui publice, & nominatim eſt denunciatus, juxta Extravag. Conſtantienſem *ad evitanda*, nam qui a tali Ordines ſuſcepit, ſuſpenſus eſt ab uſu, & executione Ordinis, ut colligitur ex hoc *c. Laym. in c. Quia 5. n. 3. de Elect.*

Notandum ſecundo. Quando in *cit. c. 2. h. t.* dicitur, quod ordinatus a ſchiſmatico poſſit ab officio repelli, ſupplendum eſt, *& debet*, quia ordinatio fuit irrita, quoad executionem, ſive exercitium Ordinis, *cit. c. 2. & ibi Gl. V. Irritas, h. t.* vel poterit repelli ab officio, niſi Archiepiſcopus cum ipſo voluerit diſpenſare, *Abb. in cit. c. 2. in fine*.

Notandum tertio. Qui aſſerit, ſecum diſpenſatum eſſe id legitime probare debet, & quod is, qui diſpenſavit, habuerit poteſtatem diſpenſandi, alias nihil actum fuiſſet, prout ſumitur ex *cit. c. 2. & ibi Gl. V. Poteſtatem. & Abb. n. 2. h. t.* ubi ait, quod quando diſpenſatio facta eſt ab eo, cui facultas diſpenſandi jure ſpeciali ſolum competit, debeat diſpenſatus petere ab eo non tantum litteras diſpenſationis factæ, ſed etiam copiam authenticam poteſtatis diſpenſandi ſpecialiter conceſſæ.

Notandum quarto. Cum eo, qui ſcienter, vel ex craſſa, & ſupina ignorantia ordinatus fuit ab Epiſcopo ſchiſmatico, ſolus Papa diſpenſare poteſt, *arg. cit. c. Quia diligentia. 5. & ibi Laym. n. 3. de elect.* cum eo vero, qui ex ignorantia inculpabili Ordines ſuſcepit, quia probabiliter neſcivit, Ordinantem fuiſſe ſchiſmaticum, etiam Epiſcopus diſpenſare poteſt, *Gl. in cit. c. V. poteſtatem, & ibid. Abb. num. 7.* ut in ſimili diſtinguitur in *c. 1. de Ordin. ab Epiſcop. qui renunt. &c.*

TITULUS IX.

De Apoſtatis, & Reiterantibus Baptiſma.

AFfine crimen hæreſi, & ſchiſmati eſt Apoſtaſia, quamvis gravius utroque, ideoque poſtquam de hæreticis, & ſchiſmaticis actum eſt, ſubjungitur hic Titulus de Apoſtatis, & de reiterantibus baptiſmum, quia hi, dum recedunt a priore baptiſmo, per reiterationem quaſi apoſtatare videntur, Abb. hic in Rubrica.

§. I.

De Apoſtaſia in genere, & in ſpecie de apoſtaſia a fide, ejuſque punit.

I. Quæritur primo. Quid ſit apoſtaſia in genere, & quot ſint ejus ſpecies? Reſp. Apoſtaſia ex vi nominis importat quandam defectionem, ſive receſſum a Deo, ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 12. art. 1. in corp.* adeoque Apoſtata eſt Chriſtianus, qui a Deo temerarie receſſit: unde tres ſunt apoſtaſiæ ſpecies, una perfidia, per quam a fide receditur; altera inobedientiæ, cum quis juſtis præceptis Prælatorum obedire penitus recuſat, cujus præcipua ſpecies eſt ſchiſma, de quo *tit. preced. Laym. l. 2. tr. 1. c. 16. n. 1. in fine.* item ſi quis SS. Canonibus, & Dei præceptis non obedit ex ſuperbia, vel contemptu, *c. 1. cauſ. 3. q. 4. c. 2. de major. & obed. Farinac. tit. tr. q. 183. §. 5. num. 54.* Tertia ſpecies eſt apoſtaſia irregularitatis, per quam receditur ab Ordine ſacro ſuſcepto, vel a Religione, quam quis profeſſus eſt, *S. Thom. c. l. in corp. Gl. in c. 1. V. Apoſtaſia. h. t. Hoſtienſ. in ſumma n. 1. & 2. eod.*

II. Quæritur ſecundo. Quis ſit, & dicatur apoſtata a fide, & quæ ſint in eum pœnæ decretæ? Reſp. primo. Apoſtata a fide ille dicitur, qui in totum a fide Chriſti recedit, ſive totaliter eam deſerit, ut ſi Chriſtianus efficitur Judæus aut Turca, *l. 1. & 2. C. de apoſtat. c. Non poteſt. 24. cauſ. 2. q. 7. Farinac. tr. de hæreſ. q. 183. §. 2. n. 13.*

Ubi notandum primo. Apoſtaſia a fide eſt ſpecies Infidelitatis, ſed non eſſentialiter diſtincta ab hæreſi, ſed ſolum nomine, & accidentaliter, quia Apoſtata eſt vere hæreticus, a quo in eo ſolum diſtinguitur, quod hæreticus ex parte ſolum deficit a fide Catholica, unum aut aliquos tantum articulos fidei negando, non tamen totam fidem: Apoſtata vero in totum recedit a fide, ſive omnino eam deſerit: at major vel minor receſſus a fide, quam quis ſemel eſt profeſſus, ſpeciem non mutat: & licet Apoſtata fiat paganus, ſive gentilis, vel Judæus, non tamen ideo deſinit eſſe hæreticus, quia contradicit fidei Chriſtianæ, & Catholicæ quam antea reipſa profeſſus eſt, in quo differt a pagano, ſive gentili, qui negat fidem Chriſtianam, quam antea nullo modo ſuſceperat: a Judæo vero talis differt, quia hic contradicit fidei Chriſtianæ quam in typis, umbris, & figuris antea receperat, & tenuerat, non autem reipſa, *Azor. p. 1. l. 8. c. 21.* Quare apoſtaſia non eſt ſpecies eſſentialiter diſtincta a cæteris ſpeciebus infidelitatis, ſed tantum addit circumſtantiam valde notabiliter aggravantem pravitatem, ſeu deformitatem infidelitatis, ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 10. art. ad. 3.* Et hinc etiam idem *2. 2. q. 10. art. 5.* docet tres tantum eſſe ſpecies infidelitatis, Paganiſmum, Judaiſmum, & hæreſim; quia omnis apoſtata a fide reipſa eſt etiam hæreticus; non tamen vice verſa, omnis hæreticus eſt apoſtata, proprie & ſtricte loquendo: nam apoſtaſia dupliciter ſpectari poteſt, vel quoad terminum a quo, quatenus eſt totalis receſſus a vera fide ſemel ſuſcepta, quod eſt velut proprium, & eſſentiale apoſtaſiæ, & ut ſic differt ab hæreſi, tanquam majus a minore, & extenſius a minus extenſo, quia apoſtata proprie dicitur is, qui Chriſtum, & Chriſtianam fidem, quam ſuſcepit, penitus abnegat: hæreticus vero, qui non omnino, ſed ſolum quoad unum, vel aliquos articulos a fide recedit. Vel apoſtaſia conſideratur, non quatenus eſt receſſus a fide Catholica, ſed converſio ſive tranſitus ad falſam aliquam ſectam, & ut ſic eſt infidelitas ejus ſpeciei, ad quam fit tranſitus, ut Judaiſmus, Paganiſmus, vel Atheiſmus, quod tamen ſolum materiale, & accidentale eſt in apoſtaſia: nam ſi quis totam fidem Chriſtianam ſemel ſuſceptam omnino deſerat, verus eſt apoſtata, etiamſi ad aliam falſam ſectam non tranſeat, *Sanch. l. 2. Mor. cap. 7. num. 16. & 17. Laym. l. 2. Theol. Mor. tr. 1. cap. 16. num. 2. & 2.*

Reſp. ſecundo. Apoſtatæ a fide iiſdem pœnis ſunt obnoxii, quibus hæretici, quia ſunt vere hæretici, cum deficiant a fide Catholica, quam ſunt profeſſi ideoque omnes pœnæ Jure decretæ in hæreticos etiam locum habent in apoſtatis a fide, *Abb. in c. 1. n. 3. h. t. Hoſtienſ. in ſumma. eod. n. 3. Silveſt. V. Apoſtaſia n. 11. q. 8. Azor. tit. c. 21. q. 7.*

III. Cæterum qui baptiſmum ſponte receperunt, compellendi ſunt, ut dimiſſis prioribus erroribus, & ritibus, Chriſtianam fidem de novo ſuſceptam obſervent, prout ſumitur ex *c. Quidam. 4. h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio generali Lateranenſi ſub Innocentio III. *c. 70.* Ubi præcipitur, „ ut Judæi, vel alii infideles, qui voluntarie baptizati fue„ runt, ſed prioris ritus reliquias retinent, & Chriſtianæ „ Religionis decorem tali commixtione confundunt, per „ Prælatos Eccleſiaſticos compeſcantur a tali obſervatione „ veteris ritus, ut ſicut libero arbitrio ad baptiſmum ac„ ceſſerunt, ita neceſſitas coactionis in ejus obſervatione „ eos conſervet: cum minus malum ſit viam Domini non „ agnoſcere, quam poſt agnitam retroire: nam & juxta S. „ Scripturam (*Eccleſ. c. 3. Deuteron. 28.*) maledictus eſt ho„ mo, qui duabus viis ingreditur, nec indui quis debet ve„ ſte lino lanaque contexta. Hinc colligitur, quod plus peccat Chriſtianus recedens a fide Chriſtiana, quam ſemel ſuſcepit, quam ille, qui fidem non agnovit, *Gl. hic in notatis*.

§. II.

De Apoſtatis ab Ordine Clericali, & a Religione, ac pœnis eorum.

IV. Quæritur primo. Quis dicatur apoſtata ab ordine Clericali, & quomodo puniatur? Reſp. is qui a ſtato Clericali, quem edito continentiæ voto ſuſcepit in manu Epiſcopi, ad ſtatum conjugalem, vel ad laicalem converſationem, dimiſſo habitu Clericali, propria temeritate tranſit, apoſtata ab Ordine dicitur, *Hoſtienſ. in ſumma. n. 2. h. t. Sylveſt. V. Apoſtaſia. q. 2. n. 5. Farinac. tr. de hæreſ. q. 183. §. 9. n. 815. & alii communiter.* Sed & Clericus in minoribus Ordinibus conſtitutus, ſi beneficium Eccleſiaſticum habeat, eoque retento, ad nuptias, vel ſtatum Laicorum, propria auctoritate, ſe conferat, dimiſſo habitu Clericali, apoſtata cenſetur, quia ratione beneficii, habitum, & tonſuram ferre tenetur, & ad id cogi poteſt; ſecus eſt, ſi beneficium non obtineat, tunc enim apoſtata non cenſebitur, quia liberam habet ad nuptias, vel ſtatum ſecularem tranſeundi facultatem, poteſtque renunciare Ordini, ſeu ſtatui Clericali, ipſo facto, dimittendo habitum, & tonſuram, vel exercendo negotia ſecularia, nec poteſt cogi ad reaſſumendum habitum Clericalem, ut colligitur ex *c. Joannes, 7. de Cleric. conjug. Abb. in c. Tua, 3. num. 2. & 3. h. t. Silveſt. c. l. Farinac. c. l. nu. 127.*

V. Aſſertio 2. Pœnæ apoſtatæ ab ordine Clericali ſunt, imprimis excommunicatio non lata, ſed ferenda, *Abb. in c. 1. num. 3. h. t. Menoch. de arbitr. Judic. caſu 14. n. 48.* 2. Pœna infamiæ, quam ipſo facto incurrit, durante apoſtaſia, ideoque ab accuſando, & teſtimonio ferendo repellitur, *c. Alieni. 23. cauſ. 1. q. 7.* nec admitti poteſt ad dignitatem, vel quodvis officium, *Menoch. c. l. Diaz. in pract. can. c. 11. n. 2.* Tertia pœna eſt, quod Clericus apoſtata, ſi dimiſſo habitu Clericali, & tonſura monitus habitum non reaſſumpſerit, perdit privilegium Ordinis Clericalis, ita ut percutiens illum non incidat in Canonem, *ſi quis ſuadente 29. cauſ. 17. q. 4.* non autem privilegium fori, prout ſumitur ex *c. Præterea 1. h. t.* ſecundum unam ejus expoſitionem: ubi „ præcipitur ut Clerici, qui relicto Ordine Clericali, & „ habitu ſuo, in apoſtaſia, tanquam Laici converſantur, ſi in criminibus comprehenſi teneantur, per cenſuram Eccleſiaſticam non liberentur. Quia cum ipſi contempſerint Eccleſiam, merito etiam ab Eccleſia contemni debent, ut ſi capti fuerint, Eccleſia eos non liberet per cenſuram Ec-

Digitized by Google

cleſiaſticam alias latam in capientes, vel percutientes, Clericos, prout explicat *Abb. in cit. c. 1. §. 5. & 6. h. t. Silveſt. V. Apoſtaſia, n. 21.* Quod ſi Clerici apoſtatæ, depoſito habitu Clericali, & moniti ab Epiſcopo, redire noluerint ad ſtatum Clericalem, nullo poſtea privilegio Clericali gaudent. *c. In audientia. 25. de ſent. excommun. Gl. in cit. c. 1. V. Liberari in fine h. t. Farin. c. l.*

Alii vero hoc c. intelligunt de Clerico, in Sacris conſtituto, qui ſi a ſtatu Clericali recedit, & monitus in apoſtaſia perſiſtit, ita ut incorrigibilis appareat, omni privilegio Clericali eſt privandus, etiam fori. *Hoſtienſ. in cit. c. 1. col. 1. §. Tertii dicunt.* ubi addit, idem dicendum de Clerico, qui in delictis enormibus eſt deprehenſus, *Abb. ibid. in 3. lectura*, quæ etſi in ſe vera eſt, non tamen videtur congruere litteræ.

VI. Cæterum prædictæ pœnæ locum habent, quando conſtat de apoſtaſia ab Ordine, & ſtatu Clericali, ſeu vero Clerici graviter de illa fuerint infamati, vel ſuſpecti; tunc deficiente probatione, per cenſuram Eccleſiaſticam compellendi ſunt ad Canonice ſe purgandum, prout ſtatuitur in *c. „ Tua, 3. h. t.* Ubi Papa Innocentius III. reſcribit; quod Cle„ rici, qui ſunt de apoſtaſiæ crimine infamati, quia vide„ licet habitum Clericalem abjecerunt, non ſunt in ſecu„ lari habitu tollerandi, ſed per cenſuram Eccleſiaſticam „ coercendi, donec deficiente probatione, ad infamiam abo„ lendam purgationem Canonicam præſtiterint. Hinc patet, quomodo procedi debeat contra Clericos infamatos de Apoſtaſia; nam coercendi ſunt, donec ſe purgaverint, non quod debeant compelli præciſe ad reaſſumendum habitum, donec ſe purgaverint; nam notarentur quadam infamia, ſi deberent reaſſumere habitum, & poſtea ſecuta purgatione, cum rurſum deponerent; ſed quia compelli debent ad reaſſumendum habitum Clericalem, vel ad ſe purgandum de infamia, & deficiente probatione, ſtatuitur eis terminus ad ſe purgandum, quam purgationem ſi non præſtiterint, habentur pro convictis, & compelluntur reaſſumere habitum, *Abb. hic not. 2. nu. 1.* Idque intelligendum eſt de iis, qui in Sacris Ordinibus ſunt conſtituti, hi enim ad ſeculum redire non poſſunt, ſicut poſſunt, qui in inferioribus Ordinibus ſunt conſtituti, *Gl. hic. V. Tolerandi.*

„ VII. Præterea ſtatutum eſt in *c. a nobis*; *h. t.* quod Cle„ rici Apoſtatæ, qui dimiſſo habitu in cuſtodia detinen„ tur, ſi nec minis, nec blanditiis induci poſſunt, ut abje„ ctum habitum reaſſumant, ſi ita videbitur, ſub gravi cu„ ſtodia aſſervari, & incarcerari poſſunt, ita ut ſolum mi„ ſera vita ipſis reſervetur, donec a ſua nequitia reſi„ piſcant.

Hinc colligitur primo, quod Judex Eccleſiaſticus habeat poteſtatem imponendi pœnam carceris, & licet carcer ſit deputatus potius ad cuſtodiam, quam ad pœnam, *l. aut damnum 8. §. Solent. ff. de pœnis*; tamen de Jure Canonico carcer ſervire poteſt & ad cuſtodiam, & ad pœnam. *c. Quamvis, 3. de pœn. in 6. Abb. hic. num. 2.* Colligitur ſecundo. Poteſt Clericus conjici etiam in durum carcerem, ita ut in eo miſeram vitam ducat, & pane doloris, & anguſtiæ ſuſtentandus ſit, ut dicitur in *c. Novimus 27. in fine de V. S.* non tamen debet ita durus eſſe carcer, ut ob ejus aſperitatem, periculum mortis incurrat detentus, alioquin Judex Eccleſiaſticus pœnam irregularitatis non evadet, *Abb. hic num. 2. not. 3.* Colligitur tertio, quod etiam Religioſi dimittentes habitum Religioſum, per Eccleſiaſticam cenſuram compelli poſſunt ad illum reaſſumendum, juxta *cit. c. Tua*, & per incarcerationem, juxta *cit. c. pen. h. t. Farinac. cit. q. 183. n. 78.*

VIII. Quæritur ſecundo, Quis ſit & dicatur Apoſtata a Religione, ſeu ſtatu Religioſo, & quas pœnas incurrat? Reſp. primo. Apoſtata a Religione eſt, qui ſine licentia Superioris Regularis, ab Ordine Religioſo, quem profeſſus eſt, ſeu ſuſcepit, receſſit, ſive propoſito redeundi, ſive cum propoſito nunquam redeundi, *Rodriq. Tom. 1. qq. Regul. q. 30. art. 1. Silveſt. V. Apoſtaſia n. 9. q. 4. Laym. l. 2. tr. 1. c. 16. num. 1.* & alii communiter. Requiritur itaque primo, ut quis ſine licentia Prælati ſui, ab Ordine Religioſo, quem profeſſus eſt, diſceſſerit; nam ſi quis cum ejuſdem licentia egreſſus ſit e Religione, vel liberatus fuerit a regulari obſervantia, vel ad Epiſcopatum legitime translatus, non eſt Apoſtata. Deinde requiritur, ut ab omni Religioſo instituto, ſeu Ordine, propria temeritate, receſſerit, quia ſi quis ab Ordine, quem profeſſus eſt, etiam ſine Prælati licentia, & illicite, ad alium Religioſum Ordinem, quantumvis laxiorem, tranſit, non tamen eſt Apoſtata, quia ad veram Apoſtaſiam neceſſarium eſt, ut quis Religionem, quam profeſſus eſt, omnino deſerat, ſine animo tranſeundi ad aliam Religionem, & cum propoſito nunquam amplius ad illam redeundi, *Abb. in c. ult. num. 4. h. t. Silveſt. c. l. & Rodriq.* Unde ſi quis Religionem ſuam deſerat, ſolum vagandi cauſa ad tempus, etiam ſine licentia Prælati, retento tamen animo, ſeu propoſito ad illam aliquando redeundi, is fugitivus quidem eſt cenſendus, non autem Apoſtata, ut dictum ſupra *l. 3. tit. 31. ſect. 5. §. 2.* Nihil vero refert, an is, qui ſine licentia Prælati, Religionem deſerit, cum propoſito nunquam ad illam redeundi, habitum quoque Religioſum abjiciat, an vero illum retineat, nihilominus enim verus Apoſtata cenſendus eſt, quia crimen Apoſtaſiæ quoad ſubſtantiam conſiſtit in temerario, & illicito receſſu a regula Ordinis, ſive Religioſo vitæ inſtituto, & quidem in perpetuum, ſive cum animo nunquam revertendi ad illam, ſive habitus regularis deponatur, ſive non, id enim accidentale quid eſt, & ad ſubſtantiam Religionis non pertinet, *Sanch. l. 3. mor. c. 8. num. 4. Azor. p. 1. l. 14. q. 6. Farinac. tr. de hæreſ. q. 183. §. 2, num. 62.*

IX. Reſp. ſecundo. Prima pœna Apoſtatarum a Religioſo Ordine, eſt, quod ipſo jure, ſeu facto excommunicationem incurrant, ut tradit *Gl. in c. 2. Ne Clerici, vel Monach. V. Ipſo facto in 6. Azor. cit. c. 27. q. 6. Menoch. de arbitr. Judic. caſu 546. num. 30. Farinac. c. l. nu. 207.* idque probari videtur ex *cit. c. 2.* ubi excommunicantur dimittentes temere habitum ſuæ Religionis, ut periculoſe vagandi occaſio Religioſis ſubtrahatur: ergo ſive habitu induti, ſive exuti, a Religione defecerint, ut libere evagentur, excommunicationem ipſo facto incurrunt. Sed probabilius eſt contrarium, non eſſe ipſo jure excommunicatos, ut docet *Gl. in c. 1. V. Apoſtata de temp. ordin. in 6. Sanch. cit. c. 8. n. 20.* & alii apud ipſum. Ratio eſt, quia in *cit. c. 2.* ſoli profeſſi temere dimittentes habitum ſuæ Religionis excommunicantur: at Apoſtatæ, de quibus hic loquimur, vere ſunt Apoſtatæ, non tamen dimiſerunt habitum ſuæ Religionis, ut ſupponitur: imo hanc excommunicationem incurrunt, qui temere habitum dimittunt, etiam abſque animo apoſtatandi, ſive omnino deſerendi Religionem, adeoque Apoſtaſia eſt impertinens ad hanc excommunicationem incurrendam, nec alibi reperitur in Jure Canonico lata excommunicatio in Apoſtatas non dimittentes habitum, ergo ob ſolam Apoſtaſiam non incurritur. Nec obſtat, quod finis illius excommunicationis ſit, ſubtrahere occaſionem vagandi Religioſis, quia finis illius eſt, non quælibet occaſio vagandi, ſed quæ oritur ex habitus dimiſſione, quæ ceſſat, cum habitus retinetur, quia tunc Apoſtatæ Religionis cognoſci poterunt ex habitu, & capi, ut ad Religionem ſuam revertantur, *Sanch. c. l.* Excommunicantur tamen veri Apoſtatæ per ſpecialia privilegia quibuſdam Ordinibus conceſſa.

„ X. Secunda pœna Apoſtatarum a Religione eſt, ut ſi „ Monachus, ſeu Religioſus aliquem Sacrum Ordinem in „ Apoſtaſia (illa durante) recepit quantumvis ſuo Abba„ ti, ſeu Superiori reconciliatus fuerit, & pœnitentiam „ egerit, non poſſit, ſine diſpenſatione Romani Pontificis miniſtrare in Ordine ſic ſuſcepto, prout ſtatuit Honorius III. *in c. Conſultationi 6. & ult. h. t.*

Ubi notandum primo. Licet nonnulli DD. putent, eum, qui, durante Apoſtaſia, minores Ordines ſuſcepit, etiam incurrere hanc ſuſpenſionem, ut non poſſit miniſtrare in Ordinibus ſuſceptis, quantumvis in eorum uſu diſpenſare poſſit Epiſcopus, cum Papa hic non reſervet ſibi diſpenſationem, niſi quoad Ordinem Sacrum, *Jo. Andr. in cit. c. ult. n. 1. Silveſt. V. Apoſtaſia num. 11. q. 8.* & alii: probabilius tamen eſt, quod ſi Apoſtata aliam cenſuram non incurrit, poſſit promoveri ad Ordines minores, & eorum executionem recipiat, quia in *cit. c. ult.* ſolum interdicitur Apoſtatis recipientibus Sacrum Ordinem, uſus, ſeu exercitium illius Ordinis, & diſpenſatio Papæ reſervatur: ergo ſine textus, efficaci ratione, non debet id extendi ad recipientes Ordinem minorem, quod & illis ſit interdictus uſus illius, quia textus id non dicit, *Sanch. l. 6. mor. c. 8. n. 26.* Si vero Apoſtata aliam cenſuram incurriſſet, ut ſi incidiſſet in excommunicationem latam in c. 2. *Ne Clerici vel Monachi &c.* eo quod habitum Regularem temere dimiſiſſet, tunc ſi in excommunicatione Ordines minores ſcienter ſuſcepiſſet, ſuſpenſus eſſet ab exercitio Ordinis ſic ſuſcepti, juxta *c. Cum illorum 32. de ſent. excomm. Abb. hic n. 2.* ſed hoc ad rem præſentem impertinens eſt, quia hic tantum loquimur de pœnis ob Apoſtaſiam incurſis, *Sanch. c. l. n. 25.*

XI. Porro addunt aliqui tertiam pœnam Apoſtatarum a Religione, quod etiam poſtquam emendati ad priſtinam Religionem redierint, non poſſint eligi in Prælatos, vel Superiores Religionis deſertæ, ut plures docent apud *Sanch. c. l. num. 32.* Idque probant ex *c. Per tuas 10. de voto*, ubi Electus in Epiſcopum, qui Votum Religionis prius emiſſum nondum implevit, cogitur reſignare, ergo multo magis profeſſus, qui ſemel per Apoſtaſiam Religionem deſeruit, quam profeſſus eſt, eligi non poterit in Prælatum illius, quia gravius peccavit. Sed probabilius eſt, hanc pœnam non incurri ab Apoſtatis, cum nullum Jus extet eam infligens, eoſque inhabiles reddens ad Prælaturam. Nec obſtat *cit. c. Per tuas*, quia ibi id deciſum fuit, non ob culpam præteritam, ſed adhuc pendentem, quia votum illud Religionis nondum erat impletum ab Electo in Epiſcopum, ideoque adhuc obligabat; *Sanch. c. l. n. 32.*

§ III.

De reiterantibus Baptiſmum, & de eorum pœnis.

XII. Altera pars Rubricæ hujus Tituli eſt de Anabaptiſtis, ſive iis, qui rebaptizant, vel ſe rebaptizari ſinunt; nam Eccleſia ſæpius definivit, Baptiſmum ſemel rite collatum reiterandum non eſſe, cum Characterem imprimat indelebilem, *c. Non licet 107. & c. ſeq. Cum itaque 112.* ubi id dicitur inexpiabile facinus eſſe, *diſp. 4. de conſecrat.* & noviſſime Concilium Trident. *Seſſ. 7. Can. 9. de Sacrament. in genere, & Can. 11. de Baptiſmo, & Seſſ. 14. c. 2.*

XIII. Quæritur nunc primo, quæ ſit pœna reiterantium Baptiſmum? Reſp. Imprimis, qui alterum ſciens, vel per ignorantiam craſſam, & mortaliter culpabilem, iterum baptizat abſolute, irregularis efficitur, ita ut ad Ordines, ſaltem ſuperiores, promoveri non poſſit, *Bern. Diaz. in pract. Canon. V. Rebaptizari c. 115. n. 2. & V. Ordinandi litt. E.* idque indubitatum eſt, ſi delictum ejus ſit publicum, & notorium, *Navarr. in man. c. 27. n. 246.* & alii DD. communiter apud *Laym. l. 2. tr. 5. c. 1. n. 2.* quamvis plures DD. putent, quod talis irregularis fiat, tametſi delictum ejus occultum maneat, quod tamen nullo jure probant. Id vero probatur ex *c. 2. h. t.* ubi id expreſſum eſt de miniſtrante rebaptizanti, adeoque multo magis locum habet in rebaptizante, quia uſus & conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, eam pœnam etiam de rebaptizante intelligit: ſecus eſt, ſi quis alterum non rebaptizet abſolute, ſed ſub conditione, *ſi non es baptizatus &c.* quamvis temere & ſine præmiſſa in-

inquiſitione, ao baptizatoa fuerit: tunc enim non contrahitur hæc irregularitas, quia appoſita conditio de præſenti, vel de præterito, ſi ſubſit, impedit actum rebaptizandi, eumque ceſſare facit; neque talis habuit intentionem iterandi Baptiſmum, ſi jam ſit baptizatus; actus autem agentium non operatur ultra intentionem illorum, & leges pœnales intelligi debent cum effectu, *Navarr. c. l. & Laym.* quod ſi non fuit baptizatus, non iterator Baptiſmus, ſed primo confertur. Sed neque irregularis fit, qui gravi metu coactus alium exterius baptizat ſimulate fingendo ſe baptizaſe, cum non habeat intentionem baptizandi, *Laym. c. l.*

XIV. Reſp. ſecundo. Non tantum rebaptizantes, ſed etiam, qui iis miniſtrant ut Acolythi, Subdiaconi, vel Diaconi officio fungentes, fiunt irregulares, quominus ad Ordines Superiores aſcendere poſſint, prout ſtatuitur in *c. Ex litterarum 2. h. t.* nam cum quidam diuturno morbo con-
,, fectus, ex mulierum quarundam ſortilegatum conſilio,
,, ut ſanaretur, ſe iterum baptizari curaſſet, Acolythus
,, quidam, frater illius infirmi, Presbytero rebaptizanti mi-
,, niſtravit; quæſitum igitur fuit, qualiter puniri debeat
,, Acolythus iſte, qui minoris ætatis erat, & ut frater ip-
,, ſius ſanari poſſet, id fecit? Reſpondet Papa Alexander
,, III. quod ad Superiores Ordines promoveri non poteſt,
,, ſi factum ejus eſt publicum, niſi ad Religionem tranſire
,, voluerit, ut favore Religionis cum ipſo diſpenſetur: ſi
,, vero occultum eſt, poterit promoveri, ita tamen, ut de
,, commiſſo delicto dignam pœnitentiam agat.

XV. Hinc colligitur primo. Quod crimen publicum, ſeu notorium impedit promotionem ad Ordines, non item occultum regulariter, quominus quis, etiam ſine diſpenſatione, promoveri poſſit, *Abb. hic num. 2. not. 2.*

Colligitur ſecundo. Irregularitas, quam incurrit iſte Acolythus, vel alius rebaptizanti miniſtrans; non eſt perfecta, & totalis, ſed tantum partialis, ut ad ſuperiores Ordines promoveri non poſſit, ad quam requiritur etiam, ut quis per dolum, vel latam culpam, adeoque ſcienter, vel per craſſam ignorantiam, miniſterium rebaptizanti præſtiterit, ſicut & ad alias irregularitates, quæ ex delicto oriuntur, *Laym. cit. cap. 2. num. 1.*

Colligitur tertio. Per ingreſſum in Religionem non tollitur irregularitas, quæ oritur ex proprio delicto, ita ut ſine diſpenſatione ad Ordines promoveri non poſſit, quæ tamen favore Religionis conceditur, *Gl. hic. V. Religionis.*

XVI. Reſpondetur tertio. Qui ſcienter ſe abſolute, & ſine conditione, baptizari ſinunt, ſimpliciter fiunt irregulares, ut ad Eccleſiaſticos Ordines nulla ratione promoveri poſſint, *c. Confirmandum 65. diſ. 50.* ubi *Gl. V. Rebaptizati,* id explicat de ſcienter rebaptizatis, *c. Afros. 3. diſ. 98. c. Qui in qualibet. 10. cauſ. 2. q. 7. c. Eos 118. diſ. de conſecr.* Eſt autem probabilius, hanc irregularitatem, quæ oritur ex baptiſmo iterato, non incurri ab ignorantibus ſe jam eſſe baptizatos, modo non ſit ignorantia craſſa, ſeu culpabilis, ſed juſta, & probabilis. *Navarr. in Man. c. 27. num. 146. Covarr. in Clemens. Si furioſus in relect. 1. p. num. 8. Diaz. citat. c. 15. §. Invocantur. lit. C. Suar. diſ. 42. de cen. ur. ſec. 1. nu. 2. Laym. cit. c. 2. num. 21.* Ratio eſt: tum quia hæc irregularitas imponitur propter delictum; ergo ubi nullum eſt delictum, ſive culpa, nulla erit irregularitas: tum quia proprie loquendo, non cenſetur iteratum, quod neſcitur eſſe factum, *c. Solemnitates. 26. diſ. 1. de conſecr.* tum quia hæc irregularitas, cum ſit pœna, non incurritur ſine peccato, etſi alias aliquando irregularitas ſine culpa contrahatur. Non obſtat, quod in *cit. c. Qui in qualibet.* dicitur, qui in qualibet ætate alibi, quam in Eccleſia baptizati, aut rebaptizati ſunt, ad Eccleſiaſticam militiam prorſus non permittuntur accedere. Ex quo colligi videtur, quod etiam infantes rebaptizati irregularitatem contrahant. Nam ut explicat *Gl. ibid. V. Ætate.* ibi ſermo eſt de ætate diſcreta, ſive doli capace, ut etiam colligitur ex verbis ſequentibus: nam alias parvulos ab hæreticis baptizatos, ſi adulti converſi fuerint ad Eccleſiam, ad Ordines promoveri poſſe, habetur in *c. Placuit. 3. & c. ſeq. cauſ. 1. quæſt. 4.* Non obſtat etiam quod in *cap. Qui bis 117. diſ. 4. de conſecr.* dicitur: qui bis ignoranter baptizati ſunt, ſecundum Canones ordinari non poſſunt, niſi magna aliqua neceſſitas cogat. Verum Canon iſte non eſt Conſtitutio Papalis, vel Concilii generalis, aut Provincialis, ſed eſt deſumptus ex Pœnitentiali Theodori, idemque non habet auctoritatem legis, *Covarr. citat. l.* Sed neque ignoranter rebaptizatus, ſi poſtea ſcienter id ratum habeat, fit irregularis, quia, etſi ratihabitio comparetur mandato quoad culpam, non tamen quoad pœnas juris, niſi exprimatur, *Avila de cenſur. p. 7. diſ. 7. dub. 1. concl. 3.* Porro in hac irregularitate orta ex reiterato baptiſmo poteſt diſpenſare ſolus Romanus Pontifex, ut conſtat ex *cit. c. 2. h. t. Diaz. cit. l. lit. B.*

XVII. Quæritur ſecundo. An qui bis Sacramentum Confirmationis alicui contulit, vel qui bis illam ſcienter ſuſcepit, irregularitatem incurrat? R. negative, quia id Jure Canonico non eſt expreſſum, & irregularitas nunquam eſt ſtatuenda; niſi in jure expreſſa reperiatur, *c. Is, qui 18. de ſent. Excommun. in 6.* Nec refert, quod in *c. Dictum. 8. diſ. 5. de conſecr.* æqualiter prohibeatur iterari Sacramentum Baptiſmi, & Confirmationis: non enim inde ſequitur, eandem pœnam imponi reiteranti Confirmationem, quæ Baptiſmum repetenti: cum pœnæ non ſint extendendæ a caſu ad caſum non expreſſum, *Covarr. cit. l. Diaz. cit. l.* quamvis *Navarr. cit. l.* dicat, quod conſuetudine contrarium obſervetur.

Cæterum præter prædictam pœnam irregularitatis, qui ſcienter Baptiſmum reiterant, ſi Clerici ſunt, deponuntur, *c. Eos, quos. 118. diſ. 4. de conſecr.* Si laici, excommunicantur, nec ad Ordines promoveri poſſunt, *c. ult. diſ. 51.* ſecundum Leges vero Civiles, tam rebaptizantes, quam rebaptizati ultimo ſupplicio afficiuntur *l. 1. & 2. C. Ne ſacrum Baptiſma iteretur. Hoſtienſ. in ſumma. h. t. num. 5. Abbas, in c. 2. eod. nu. 2.*

TITULUS X.

De His qui filios occiderunt.

HActenus actum eſt in pluribus Titulis proxime præcedentibus de criminalibus, quæ in DEUM, & contra ejus cultum, ac Religionem directe, & principaliter committuntur: nunc agendum eſt de delictis, quæ immediate proximum lædunt; & primo quidem, ſecundum ordinem Decalogi, de iis, quæ vitam, vel corpus proximi lædunt, cujuſmodi eſt homicidium; cum autem inter homicidiorum genera gravius ſit parricidium, ſive cædes parentum, & filiorum, ideo de illo hic Titulus præmittitur.

I. QUæritur primo. Quid ſit parricidium, & quibus modis committatur? Reſp. Parricidium proprie committi dicitur, quando quis occidit proprium patrem, vel matrem, *l. 1. ff. Ad legem Pompejam de parricidiis,* ubi dicitur quod ſit parentis excidium, vel cædes, etiamſi quis naturalem tantum, & non legitimum patrem, vel matrem occiderit, vel etiam nutricem, & novercam, *cit. lib. 1. Jul. Clar. lib. 5. ſent. §. Parricidium num. 2. Farinac. in praxi criminal. part. 5. quæſt. 120. ſeq. 5. num. 105.* poſtea vero, & nomen, & pœna parricidii extenſa eſt ad parentes, qui filios occidunt, lib. 2. *ff. dicto Titul. l. unic. in princ. C. de his qui parent. vel liber. occider. §. Alia. Inſtit. de publi. judic.* ſive vitricus, aut noverca occidat privignum, vel privignam, ſive contra, *Farinac. cit. l. num. 111.* Idque extenditur ulterius, quod parricidium committatur, ejuſque pœna incurratur, ſi filii occidant avum, vel aviam, vel alios quoſcunque aſcendentes in infinitum: vel contra parentes, nepotes ex filio, aut filia, omneſque alios deſcendentes in infinitum, *cit. l. 1. & ibi Gl. V. Aviam, & V. Pœna, & V. Filium. ff. de leg. Pompej. de parric. Farinac. cit. l. num. 108. & 109.* Secundo. Ad ſocerum, vel ſocrum occidentes generum, aut nurum, vel vice verſa, *cit. l. 1. & ibi Gl. V. Socerum ff. eod. Farinac. cit. l. num. 117.* Tertio. Ad occidentem fratrem, vel ſororem, *cit. l. 1.* eumque vel utrinque conjunctum, vel per patrem, aut matrem tantum, *Gl. margin. cit. l. 2. Farinac. cit. l. num. 124.* Quarto. Extenditur ad alios etiam, qui occidunt conſanguineos tranſverſales, intra quartum gradum incluſive, *Gl. in cit. l. 1. V. Pœna. Clarus cit. l. num. 4. Farinac. num. 120.* Quinto. Ad occidentem Patronum, vel patronam, *citat. l. 1.* & ibi *Gl. V. Patronum. Farinac. cit. l. num. 113.* Sexto. Etiam extenditur ad maritum occidentem uxorem, & econtra, *cit. l. 1.* Imo & ad occidentem uxorum, & econtra, *cit. l. 1.* imo & ad occidentem ſponſam, *l. Sed ſciendum. 3.* & ibi *Gl. In parl. in fine. Farinac. cit. l. num. 132.* Septimo. Etiam ad extraneos, quorum mandato commiſſum eſt parricidium, *cit. l. 1.* ibi: *cujuſve dolo malo id factum fuerit, ff. eod. Farinac. cit. l. num. 136.* Item, qui ad parricidium conſilium, vel auxilium præſtitit, & ad omnes conſcios, & participes hujus criminis, *l. Utrum. 6. ff. eod. Hoſtienſ. in Summ. h. tit. num. 1. Farinac. nu. 139.* Denique etiam extenditur ad eum, qui emit venenum, ut illud filius patri daret, quamvis dare non potuerit, *cit. l. 1. in fine,* ubi *Gl. margin.* ait, conatus interdum punitur, ſine effectu.

II. Quæritur 2. Quæ ſit pœna parricidii? Reſpond. Jure Civili ſtatutum fuit, ut is, qui parentem, vel filium occidit, virgis ſanguineis verberatus (ita ut ſanguis exeat) culeo, id eſt, ſacco coriaceo inſuatur, cum cane, gallo gallinaceo, & vipera, & ſimia: deinde in profundum maris, vel in proximum flumen culeus jactetur: alioquin ſi non ſit mare, vel flumen proximum, beſtiis objiciatur ab iis lacerandus, prout ſtatuitur *in l. pen. in princ. ff. ad leg. Pomp. de parric. & l. unic. C. de his, qui parent. vel. fil. occid.* ubi in fine additur, ut omni alimentorum uſu vivus carere incipiat, & ei cœlum ſuperſtiti, terra mortuo auferatur. Idem habetur in *§. Alia. Inſtit. de publ. Judic.* Hæc autem pœna locum non habet, niſi quando parricidium committebatur in patrem, matrem, avum, & aviam: qui vero alias perſonas occiderint, ſola pœna capitis, ſive ultimi ſupplicii plectuntur, *cit. l. pen. §. Qui alias;* quamvis *Gl. ibid. V. Et aviam,* hanc pœnam etiam ad alias perſonas ſimiles extendat, id eſt aſcendentes. *Hoſtienſ. in Summa hic num. 1.* Sed hodie crudelis iſta pœna omnino in uſu eſſe deſiit, & ejus loco ſucceſſit pœna capitis, ſive ultimi ſupplicii, cum aliquo alio genere pœnæ, arbitrio Judicis, & ſecundum conſuetudinem Regionis, ut teſtatur *Clarus cit. l. num. 5. Farinac. citat. q. 120. ſec. 1. num. 12.*

III. Verum ſpectato Jure Canonico, qui patrem, vel matrem occidit, per annum Eccleſiam ingredi non debet, nec per tres annos Sacramenta recipere, nec carnes comedere, nec vinum bibere, exceptis diebus feſtis & Dominicis, & a Paſcha uſque ad Pentecoſten, & ſingulis hebdomadis ter jejunet uſque ad Veſperam, & quando foras prodit, nullo vehiculo utatur, ſed pedibus iter faciat, & arma non ſumat, niſi contra paganos, prout ſtatuit Nicolaus Papa in *c. Laborem. 15. cauſ. 33. q. 2.* Poteſt tamen Epiſcopus, cauſa cognita, relaxare pœnitentiam, quam Papa impoſuit, *Gl. ibid. V. Converſionem.*

,, IV. Similiter in *c. Veniens. 1. h. t.* mandat Alexander
,, III. ut ſi mulier, calore iracundiæ commota, filium oc-
,, cidat, quia nimirum pater dicti filii negabat illum eſſe
,, ſuum filium (ut in caſu hujus cap.) inducatur ad perpe-
,, tuam pœnitentiam in Monaſterio agendam. Si mater ad
,, hoc ipſum induci nolit, vel non poſſit, licentia nuben-
,, di ei danda eſt; quia tutius eſt, ut nubat uni ſoli,

Digitized by Google

,, quam ut inhoneſte multos admittat. Ubi *Gl. ſn.* ait, ſi nullum eſſet periculum de incontinentia ipſius, non deberet ei dari licentia contrahendi matrimonium propter etimen ſuum, ut colligitur ex *c. Ex adoleſcentia. 14. cauſ. 33. q. 2.* Ex quo patet, quod interfectio proprii filii ſit impedimentum non dirimens, ſed impediens matrimonium, ita ut ſine diſpenſatione contrahi non poſſit, *Barb. in Collect. hic num. 6.*

V. Ubi notandum primo. Quod calor iracundiæ non excuſat a culpa, & pœna, niſi inducat furorem, ut quid agat fere non percipiat, *Abb. hic n. 2. Barb. in Collect. n. 2.*

Notandum ſecundo. Hæc Conſtitutio habet locum ſolum in foro animæ, ſive interno conſcientiæ, in quo imponitur pœnitentia occidenti filium, ut ſatisfaciat DEO, quem læſit, *Abb. hic n. 3.* In foro autem contentioſo, ſeu externo, occidentes parentes, vel filios, non puniuntur pœna mortis, ſecundum Canones, quia DEUS non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat, *Arg. c. Agnovimus. 23. cauſ. 26. q. 6. & c. 6 & c. His, a quibus. 30. cauſ. 23. q. ult.* & tradit *Gloſſ. hic V. Interfecit.* Sed contrarium tenet *Abb. hic num. 3.* nam cum de Jure Canonico nulla pœna ſit ſtatuta in parricidas, in foro contentioſo, ſeu externo, idcirco Judex Eccleſiaſticus laicum parricidam, qui temporali juriſdictioni Eccleſiæ eſt ſubjectus, remittit ad Judicem ſecularem, ſecundum leges civiles puniendum. Si vero ſit Clericus, deponi debet, ac degradari, poſtea, non expectata alia incorrigibilitate, tradi Curiæ, ſeu Magiſtratui ſeculari, quia pro tali homicidio qualificato gravior pœna imponi debet, quam pro ſimplici homicidio propter quod deponitur Clericus, & detruditur in Monaſterium, *c. Cum non ab homine. 10. de judiciis, & c. Tua 6. de pœnis:* cum ergo Eccleſia graviorem pœnam non habeat, tandem tradi debet ob parricidium poteſtati ſeculari puniendus, quia excommunicatio non habet locum, niſi reus ſit incorrigibilis, conſentit *Farinac. cit. q. 120. n. 21.*

,, VI. Præterea in *c. Intelleximus. 2. h. t.* cum quædam
,, mulier, diabolo inſtigante, filium ſuum occidiſſet, & Do-
,, minus Terræ maritum ejuſdem compuliſſet ipſam abju-
,, rare: Mandavit Lucius III. Epiſcopus Diœceſano de hoc
,, ita providere, ut & ipſa mulier de commiſſo ſcelere pœ-
,, nam luat, & ſaluti ipſius conſulatur, & non obſtante
,, prædicto juramento, quod dictus a viro extorſit, eam, ſi
,, ita expedire viderit, viro ſuo reſtituat, ita ut filios ſuos
,, libere, & pacifice poſſit gubernare.

VII. Hinc colligitur primo. Quod maritus non ſit ſeparandus, etiam quoad torum, & cohabitationem, ab uxore propter homicidium commiſſum in communem filium, vel filiam, quia Chriſtus, *Matth. 19.* ait uxorem a marito non eſſe ſeparandam, excepta cauſa fornicationis, *Abb. hic n. 2.* exceptio autem firmat regulam in caſibus non exceptis, *c. Dixit. 2. cauſ. 23. q. 1.* non obſtante juramento mariti, quod ſe ab uxore ſeparare velit, quia illud illicitum fuit, *Tua, 24. de jurejurand. Gl. hic V. Juramento.*

Colligitur ſecundo. Quamvis mulier occidens filium non ſit ſeparanda a viro ſuo, tamen curandum eſt, ut ſui ſceleris pœnam luat, ſive ut pœnitentia ei imponatur in foro animæ, de quo hic eſt ſermo: nam in foro contentioſo tradenda eſt Curiæ ſeculari punienda, ſecundum leges civiles propter commiſſum parricidium, *Abb. hic*, & dictum ſupra.

,, VIII. Denique in *c. De infantibus. 3 & ult. h. t.* reſcri-
,, bit idem Papa Lucius III. de infantibus, qui mortui re-
,, periuntur, cum patre, & matre jacentes in lecto, nec
,, apparet, utrum a patre vel matre oppreſſi ſint, vel ſuf-
,, focati vel propria morte naturali defuncti, quod non de-
,, bent parentes eſſe omnino ſecuri, nec ſine pœna aliqua:
,, in qua re tamen conſiderari debet, utrum non voluntas,
,, ſed eventus mortis cauſa fuerit. Si vero eos non latet,
,, ſe interfectores eſſe, ſcire debent, ſe graviter deliquiſſe:
,, quidam autem cenſent, pœnitentiam trium annorum ip-
,, ſis imponendam eſſe, quorum unus ſit in pane, & aqua.

Similiter in *c. Conſuluiſti. 20. cauſ. 2. q. 5.* dicitur, monendi ſunt, & parentes, ne tenellos infantes ſecum in lecto collocent, ne qualibet negligentia proveniente ſuffocentur, vel opprimantur, unde ipſi homicidii rei inveniuntur. Porro ſi cubatio hujuſmodi parentum cum infante in lecto culpa careat, pœna quoque triennalis ceſſabit, quamvis illa jam in deſuetudinem abierit. & pœnitentia injungenda arbitrio diſcreti ſacerdotis relinquatur, *Abb. hic in fine.*

TITULUS XI.

De Infantibus, & Languidis expoſitis.

QUia parentes, qui infantes, ac liberos ſuo exponunt, & alimenta eis denegant, illos veluti occidunt, ideo de his hoc tit. agendum.

§. Unicus.

Quæ ſit pœna parentum, qui filios exponunt ab aliis nutriendos, vel languidos; ſive infirmos ab aliis curandos?

,, I. DE his agitur in *c. Si a patre unic. h. t.* ubi Gregorius
,, IX. ita reſcribit: Si a patre, vel ab alio, ipſo
,, ſciente, & ratum habente contra pietatis officium in-
,, fans filius expoſitus fuerit, is hoc ipſo a patria poteſtate
,, eſt liberatus: nam & in hoc caſu libertus ſit ingenuus,
,, & ſervus expoſitus in libertatem vindicatur. Idemque di-
,, cendum de languidis, ſive infirmis, cujuſcunque ætatis
,, ſint, ſi expoſiti fuerint, vel alimenta ipſis impie denegen-
,, tur. Veruntamen qui hos ſuſcipiunt, non poſſunt propte-
,, rea in eorum perſonas jus aliquod ſibi vendicare.

II. Pro intellectu hujus c. notandum primo: Nomine infantis hic intelligitur, qui eſt infra ſeptennium, ſive ſeptimum ætatis annum nondum exceſſit, *c. Litteras. 4. de deſponſ. impub.* ſi ergo talis expoſitus ſit, tum vel ab ipſo patre, vel ab alio, ipſo ſciente, & non contradicente, vel poſtea ratum habente, (quia ratihabitio in maleficiis retrotrahitur, & mandato æquiparatur, *Gl. hic V. Ratum habente*) filius expoſitus ſui juris efficitur, & liberatur a patria poteſtate. Si vero patre ignorante, vel invito, ſit expoſitus, nihil per hoc præjudicatur juri, vel poteſtati paternæ, *Gl. hic V. Liberatur.* Idemque eſt de ſervo, vel liberto expoſito a Domino, vel Patrono.

Notandum ſecundo. Parentes graviter peccant, exponendo filios, ſi eos commode alere poſſint, unde eos necare cenſentur, ut dicitur in *l. Necare. 4. ff. de agnoſcend. & alend. lib. & c. ult. diſ. 87.* Quod ſi præ inopia eos alere non poſſint, curare ſaltem debent, ut in hoſpitali aliqua domo educentur, vel quo poterint, eos modo adjuvent, ſicut de ſervo decernitur in *l. 10. §. Sed ſcimus C. de latina libert. tollenda, Azor. p. 2. l. 2. c. 26. q. 1.* Si vero infans a patre expoſitus ab alio alatur, & educetur, tunc vel alimenta data ſunt ab eo, qui ea dare debeat, v. gr. ab Eccleſia, vel Epiſcopo, & ea repeti non poſſunt, quia pietatis cauſa data ſunt, ut colligitur ex *c. Sacrorum. 15. cauſ. 12. q. 2.* vel ſi infans nutritus fuit in aliquo loco publico, miſericordiæ, & pietatis cauſa, extructus; tunc enim etiam repeti non poſſunt expenſæ, niſi locus ille ſit fundatus ad alendos eos ſolum, qui egent; nam tunc parentes, ſi non egeant, compenſare debent expenſas factas in eo ad alendum filium? Vel data ſunt alimenta infanti expoſito, ab aliquo conſanguinitate ipſi conjuncto, & veriſimiliter præſumitur pietatis cauſa ab illo data fuiſſe, ac proinde illa repetere non poteſt, niſi ab initio fuerit proteſtatus, ſe illa repetiturum. Vel denique alius extraneus ſubminiſtravit alimenta infanti expoſito, & tunc poteſt ea repetere, ſi ab initio proteſtatus ſit, ſe velle ea ſibi reſtitui: alias vero ex conjecturis id deſumi debet: nam ſi ſit dives, liberalis, ac pius, jure præſumitur, eum non velle alimenta data repetere niſi in caſu, *l. Patrem. 56. C. de nupt.* ſi is, qui filiam a patre expoſitam nutrivit, velit illam matrimonio jungi filio ſuo, ſed pater ipſius nolit; tunc enim alimenta præſtita ſolvere debet, *Abb. hic num. 3. Azor. cit. c. 26. q. 1.* Porro is, qui expoſitum alit, nullum jus in ipſum acquirit, ut dicitur in *cit. c. unic.*

III. Notandum 3. Prædicta Conſtitutio, quatenus decernit, ſi pater alimenta filiis deneget, eum amittere patriam poteſtatem, non debet univerſim intelligi de filiis etiam valentibus, & ſanis, ſed ſolum de languentibus, ſeu infirmis, cujuſcunque ætatis ſint, quia gravius delictum eſt denegare alimenta filiis languentibus, ac infirmis, quam ſanis, & ideo graviori pœna plectendi ſunt, & pœnas benignius, & mitius interpretari oportet, *Abb. hic n. 2. Azor. cit. l. q. 5.* Per languidos autem hic intelliguntur, qui perpetuo morbo, eoque incurabili, laborant, per quem cuique rei gerendæ inhabiles redduntur, *l. Morbus. 113. ff. de V. S.*

Notandum quarto. Conſtitutio hujus c. habet locum ſolum in filiis legitimis, quia pater illegitimus eos non habet in ſua poteſtate, *§. ult. Inſtit. de patria poteſt. Abb. hic not. 3.* Porro infantibus expoſitis, quorum parentes ignorantur, alimenta præſtari debeant ab Eccleſia, vel ejus Rectore: quod ſi Eccleſia ſufficientes reditus non habeat, neque etiam hoſpitalia publica extent in loco: tunc conſueverint Communitates locorum curam eorum ſuſcipere, & alimenta præbere ſuis impenſis, *Barb. in Collect. hic. nu. 4. & 6.*

TITULUS XII.

De Homicidio voluntario, vel Caſuali:

POſtquam in præcedentibus duobus Titulis actum eſt de homicidio in ſpecie, nunc agitur de eodem in genere: nam quamvis alias uſitatius, & fere convenientius ſecundum ordinem doctrinæ, prius agatur de genere, & poſtea de ſpeciebus: tamen hoc loco prius quædam ſpecies homicidii præmiſſæ ſunt, propter criminis atrocitatem. Et quia homicidium quoddam eſt voluntarium, aliud caſuale, ideo de utroque hic agitur. Extat hic Titulus etiam in Sexto, & Clementinis.

SECTIO I.

De Homicidio in genere, & in ſpecie de homicidio voluntario injuſto.

§. III.

Quid ſit homicidium in communi, & quomodo dividatur?

I. ASſertio 1. Homicidium ſic dictum quaſi cædes hominis, eſt occiſio hominis ab homine facta, *c. Si homicidium. 41. cauſ. 23. q. Hoſtienſ. hic in Summa, num. 1.* vel clarius, eſt quælibet exanimatio hominis, ſeu humani corporis violenter ab homine facta, qua anima a corpore ſeparatur, *VVeſenbec. in paratit. ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* dicitur ab homine facta: nam ſi homo occidatur a fera, vel bruto, non eſt proprie homicidium, ſed pauperies dicitur. *toto tit. Inſtit. & ff. Si quadrupes pauperiem &c.* per hominem vero hic intelligitur, cujuſcunque ætatis, ſexus, vel conditionis fuerit, *l. 1. §. Et qui hominem. ff. dicto tit. & l. pen. C. eod.* quin imo, & fœtus in utero matris exiſtens nomine hominis hic venit, modo fuerit animatus, de quo infra.

II. Aſſertio 2. Omiſſa diviſione homicidii in corporale, & ſpirituale, quod non niſi late & improprie homicidium dicitur, ut eſt detrahere famæ proximi, alii malum perſuade-

ſuadere, vel odio eum proſequi, vel quovis modo ei nocere, *c. Homicidiorum* 24. *Noli* 27. & *c. ſeq. diſ.* 1. *de pœnit. Hoſtienſ. hic in ſumma.* 2. *Farinac. in praxi criminali p.* 5. *oper. crimin. l.* 4. *de homicid. q.* 119. *n.* 5. Corporale homicidium, de quo hic ſolum agitur, aliud eſt voluntarium, aliud involuntarium, ſeu caſuale, ut patet ex Rubrica hujus Tituli. Voluntarium vel eſt illicitum, ſive injuſtum, vel licitum: illicitum rurſum vel eſt directe voluntarium, ſive per ſe intentum, quod fit deliberato animo occidendi hominem: vel eſt ſaltem indirecte voluntarium in cauſa adeo propinqua, ut moraliter certo ſit homicidium ſecuturum, licet in ſe non intendatur formaliter, & explicite, ut ſi quis poculum venenatum alicui præbeat, ſcum morali periculo mortis ſecuturæ, licet ſine expreſſo propoſito, ſeu voluntate occidendi. Homicidium voluntarium, ſed licitum, ac juſtum eſt, vel neceſſarium, ac defenſivum, cum quis ſe, vel res ſuas, defendendi cauſa, interficere cogitur: vel eſt punitivum, quod publica auctoritate Magiſtratus fit, ad punienda delicta. Homicidium vero caſuale illud dicitur, quod caſu, præter intentionem committentis, vel cauſam dantis, contingit; nam caſus eſt cauſa agens, præter intentionem, ſecundum Ariſtotelem 2. *Phyſ. Covarr. in Clem. Si furioſus un. Rubr. de homic. p.* 2. §. 4. *in princ.* Idque eſt, vel nullo modo voluntarium, nec indirecte, ſed mere caſuale, ſive quod caſu fortuito fit, ideoque neque peccatum eſt: vel non niſi in cauſa, & indirecte, ac per accidens volitum, ſeu intentum eſt, ut ex infra dicendis magis patebit.

III. Præterea homicidium aliud eſt ſimplex, aliud qualificatum, ut ſi quis occidat parentes, vel alios ſibi conſanguinitate conjunctos, de quo ſupra *tit.* 10. vel Sacerdotem, vel laicum in Eccleſia: vel ſi quis ex inſidiis aliquem occidat, quia advenientem ex improviſo aggreditur, & interficit: vel proditorie, ut ſi quis, nulla præcedente inimicitia, vel rixa, fingens ſe amicum a tergo aliquem percutiat, & occidat: vel ſi Aſſaſſinum committatur homicidium, quia per pecuniam conductus aliquis occidit alium, *Clarus l.* 5. *ſentent.* §. *homicidium num.* 8. & *ſeqq. Farinac. cit. q.* 119. *nu.* 6.

IV. Illud hic notandum, quod vi juramenti generalis, non poteſt quis obligari ad homicidium injuſtum, & illicitum patrandum, prout ſumitur ex *c. Cum juramentum* 4. *h. t.* quod eſt deſumptum ex *Hieron. ſuper Matth. c.* 14. „ Nam Herodes cum juramento pollicitus eſt puellæ ſaltatrici dare
„ quodcunque poſtulaſſet ab eo; ſi propter jusjurandum ſe
„ feciſſe homicidium dicat: ſi illa patris, matris interitum,
„ ſeu cædem poſtulaſſet, utique non facturus fuiſſet: quod
„ ergo non feciſſet in ſuis, nec facere debuit in Propheta, nempe in S. Joanne Baptiſta. Hinc infertur, quod ſub generali pollicitatione, ſeu promiſſione, etiam jurata, non venit illicitum, *c.* 1. *de jurejur. in* 6. quia omnia illicita intelliguntur excepta, *Gl. hic V. Facturus*, & *Abb. not.* 2.

§. II.

Quæ requirantur ad homicidium injuſtum directe voluntarium, ejuſque pœnam incurrendam, & quæ pœnæ Jure ſint decretæ in homicidas?

V. Aſſertio 1. Requiritur primo, ut ſit commiſſum per directam, & expreſſam, ac ſpontaneam voluntatem occidendi, per quam ſcilicet vel mors ipſa in ſe fuerit intenta, vel ſaltem in ſua cauſa proxima, ſive actione tali, ex qua certo, & inevitabiliter mors ſequi ſoleat, ita ut moraliter loquendo, ſit impoſſibile velle illam, & non velle mortem: tale enim homicidium etiam cenſendum eſt abſolute, & ſimpliciter voluntarium: ut ſi quis, etſi expreſſam voluntatem non habeat occidendi hominem, tamen velit abſolute aliquem gladio ferire punctim, circa præcordia, vel cæſim circa caput, & ſic eum occidat, tale homicidium eſt ſimpliciter, & perfecte voluntarium, quia velle talem cauſam proximam, moraliter, ac in effectu idem eſt, ac velle ipſum effectum, ſive inferre mortem, ſaltem in actu exercito, & implicite, etſi in actu ſignato, & expreſſe non intendat occidere, ſicut qui directe vult applicare ignem domui, vult implicite, ac virtualiter ipſam incendere, *Suar. diſ.* 44. *de cenſur. ſec.* 1. *num.* 4. & 5. Et quidem talem voluntatem directam, & perfectam occidendi requiri ad homicidium voluntarium, colligitur ex *cap.* 1. ibi: *Per induſtriam, & per inſidias. h. t.* & ex *c. Sicut.* 6. ibi: *Qui animo occidendi, eodem* & ſimiliter loquuntur Leges Civiles. Aliud vero eſt, ſi quis v. g. gladio intendat ſolum percutere, & vulnerare, non tamen in parte corporis periculoſa, ſine voluntate occidendi: vel ſi inſtrumentum ex ſe non ſit aptum ad inferendam mortem; tunc enim etſi mors ſequatur, cenſebitur, præter intentionem percutientis, & per accidens ſequi, neque erit directe ac perfecte voluntarium homicidium, quia directe nec in ſe, nec in cauſa mortem intendit. Idque in foro externo ex conjecturis, & circumſtantiis deſumendum eſt, *Suar. cit. l. num.* 4.

Deinde non ſufficit ad incurrendam pœnam voluntarii homicidii, voluntas interior occidendi, etiamſi in actum aliquem externum, etiam propinquum prodierit, ſed requiritur, ut effectus, ſive mors re ipſa actu ſequatur, præterquam in caſibus jure expreſſis, alioquin effectu, etiam per miraculum, impedito, non incurritur pœna ordinaria homicidii, quia generatim pœna jure decreta non incurritur, niſi per delictum conſummatum, cum in pœnis mitior interpretatio ſit facienda, *reg. jur.* 49. *in* 6. nec ſint extendendæ, ſed ad proprietatem verborum legis reſtringendæ, *reg.* 15. *eod. in* 6. Idque aperte colligitur etiam ex *c. Relatum* 4. *de Cleric. non reſid. c. Perpetuo* 4. *de Elect. in* 6. *cap.* 1. *h. t. in* 6. per ſenſum contrarium, & docet *Covarr. in Clement. unic. de homicidio p.* 2. *in princ. num.* 5. *Suar. cit. diſ.* 44. *ſec.* 2. *num.* 2. & alii communiter.

VI. Aſſertio 2. De jure civili communi, pœna homicidii injuſti eſt in inſulam deportatio, & bonorum conſiſcatio, *l.* 3. *pen. ff. ad Leg. Cornel. de ſicar.* ſed hodie eſt pœna mortis, ſi per dolum facta ſit cædes, §. *Item Lex Cornelia Inſtit. de publ. Judic.* ſive Nobilis commiſerit homicidium, ſive Plebejus, *Clarus* §. *Homicidium num.* 18. At vero de Jure Canonico, ſi Laicus committat voluntarie, & injuſte homicidium, excommunicandus eſt, *c. Itaque* 20. *cauſ.* 24. *quæſt.* 3. quamvis in *c. Omnia* 4. *diſ.* 3. dicatur, ut qui cædem fecerit, capite plectatur, id tamen intelligendum eſt, non de morte naturali, ſed de excommunicatione, quæ mortem animæ infert, juxta *c. Per venerabilem* 13. *prope finem, qui filii ſint legitimi*: ubi qui ſententiam Sedis Apoſtolicæ contempſerit obſervare, mori præcipitur, id eſt, per excommunicationis ſententiam velut mortuus a communione fidelium ſeparari: ex quo *ibid. num.* 20. infert *Abb.* quod ubicunque Jure Canonico reperitur impoſita pœna mortis, debet exponi, & intelligi de ſententia excommunicationis, quæ eſt mors civilis, per quam anima ſeparatur a gratia DEI, quæ eſt vita animæ, *Farinac. in praxi crimin. p.* 4. *l.* 4. *de homic. q.* 119. *num.* 57. Dicitur autem excommunicatio mors civilis, quæ animæ mortem infert, quod per ſe vere & immediate animam privet, ac ſeparet a gratia, ſed cum nunquam infligi poſſit, niſi propter peccatum mortale; ideo attribuitur illi hic effectus, cum excommunicatio minor non habeat adjunctum talem effectum, *Farinac. c. l.*

VII. Si vero Clericus committat homicidium, deponendus eſt ab Ordine, & officio, non autem communione privandus, *c. Presbyter* 12. *diſ.* 81. *c. Cum non ab homine* 10. *de Judic. c. Inquiſitionis* 21. *in princ.* ibi: *Puta ſi homicidium commiſiſſet, de accuſat. c. Sicut* 6. §. *fin. h. t.* Et inſuper etiam poſt depoſitionem, eſt detrudendus in arctum Monaſterium ad peragendam pœnitentiam, *c. Tuæ* 6. *de pœnis*, & quidem in perpetuum, juxta *c. Si Epiſcopus* 7. ibi: *Quamdiu vixerit, diſ.* 50. vel ſaltem uſque ad ſeptennium, vel quinquennium, *cit. c. Sicut.* §. *fin. h. t.* quod tamen id ſtatuit de Clericis, qui conſilio ſolum patrarunt homicidium, *Diaz. in pract. criminal. can. c.* 98. *num.* 1. vel dici poteſt, quod iſta detruſio in Monaſterium poteſt eſſe perpetua, & temporalis, pro qualitate homicidii, *Farinac. cit. q.* 119. *num.* 54. vel etiam detrudi poterit Clericus homicida, loco monaſterii, in carcerem perpetuum, vel temporalem, attenta qualitate delicti, ſaltem ſi non eſſet pœnitens, vel de fuga ſuſpectus foret, *Farinac. c. l. num.* 49. & 51. ubi *num.* 55. ait, quod hodie de conſuetudine apud ipſos, propter voluntarium homicidium, Clerici condemnantur ad triremes, vel ad tempus, vel in perpetuum, prout qualitas homicidii expoſcit.

VIII. Cæterum Clericum homicidam voluntarium, & injuſtum eſſe deponendum, probari etiam poſſe videtur ex *c. Si quis h. tit.* quod eſt deſumptum ex *Libr. Exodi cap.* 21. ubi
„ dicitur: Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum,
„ & per inſidias ab Altari meo avelles eum, ut moriatur.
„ Ubi *Jo. Andr. hic num.* 1. & *Abb. num.* 2. verbum *moriatur* ſic exponunt, id eſt, deponatur, quia depoſitio eſt mors quædam civilis, ac proinde ſecundum hanc expoſitionem ſenſus erit, quod Clericus occidens hominem ex propoſito deponendus ſit ab Altaris Miniſterio. Vel ſecundo poteſt etiam intelligi de morte naturali, ſi forte Clericus committat homicidium qualificatum, quia v. g. aliquem proditorie occidit, ita ut non videatur ſufficere depoſitio, tunc enim debet deponi, & tradi Curiæ ſeculari, ut morte afficiatur. Vel tertio poteſt etiam intelligi de homicida Laico, quod debeat avelli ab Altari, id eſt, ab Eccleſia, & communione fidelium per excommunicationem, quia quando in Canonibus ſit mentio de morte, debet intelligi de morte civili, id eſt, de excommunicatione, ut ſupra dictum, quia Eccleſia non poteſt inferre pœnam mortis; has tres expoſitiones hujus c. affert *Abb. hic.*

IX. Verum his expoſitionibus obſtat inprimis, quod hic textus, ſine fundamento, reſtringatur ad ſolos Clericos, cum abſolute dicat, *ſi quis occiderit*. Denique incertum eſt, imo probabiliter falſum, quod Clericus, ſine alia ſpeciali enormitate, aut incorrigibilitate, propter ſimplex homicidium voluntarium, poſſit ſtatim degradari & tradi poteſtati ſæculari, prout colligitur ex *c. Cum non ab homine* 10. *de Judic. Suar. tom.* 1. *de Relig. l.* 3. *de Reverent. debita locis ſacris, cap.* 11. *num.* 10. Quare rectius *cit. c.* 1. *h. tit.* intelligitur de eo, qui per induſtriam, id eſt, ex propoſito, & per inſidias, id eſt, proditorie, aggrediendo a tergo, vel alio modo improviſe, ſive in Eccleſia, ſive extra illam, ſive Clericum, ſive Laicum, & ſive ipſe occidens ſit Clericus, ſive Laicus, quod talis, inquam, non gaudet immunitate Eccleſiaſtica, quominus violenter a ſuo Judice extrahi poſſit ex Eccleſia, prout explicat *Gl. hic V. per inſidias. Covarr. l.* 2. *reſol. cap.* 20. *num.* 7. *Suar. c. l. num.* 11. & dictum eſt ſupra *l.* 3. *tit.* 49. *num.* 28. nam hoc c. eſt deſumptum ex *Exodo c.* 21. ubi ſtatuitur, quod quicunque occidens per inſidias in Templo defendi non poſſit quaſi dicat, nullum pro hujuſmodi homicida erit aſylum, quantumvis locus ſit ſacer. Ergo Gregorius IX. qui ex illo loco fecit Canonicam legem, in ſenſu litterali, & proprio verbo illa uſurpare voluiſſe cenſendus eſt, ita ut idem, cum proportione, ſignificent; ut bene notat *Suar. c. l. num.* 20. Nec obſtat *c. inter alia* 6. *de immunit. Eccleſ.* quia licet Innocentius III. ibi hanc exceptionem de homicidio proditorio non fecerit: potuit tamen poſtea fieri a Gregorio IX. a quo verba illa Exodi canonizata ſunt in *cit. c.* 1. *h. t. Covarr. c. l.* & *Suar. c. l. num.* 11. Nec refert, quod *Concil. Tridènt. Seſſ.* 14. *c.* 7. *de reform.* verba illa Exodi adducat ad ſtatuendum, quod omnis voluntarius homicida ſemper ſit irregularis, & inhabilis ad Ordines, quia argumentatur Concilium a ſimili, vel a fortiori, & loquitur, non ſolum de Clericis, ſed etiam de Laicis, *Suar. c. l.*

X. So-

X. Secunda pœna homicidii voluntarii, & injuſti eſt, quod Clericus, qui animo deliberato aliquem injuſte occidit, privetur omnibus beneficiis Eccleſiaſticis obtentis, non quidem ipſo jure, ſeu facto, ſed per ſententiam Judicis eſt privandus, ut ex communiore ſententia docet *Covarr. in cit. Clement. Si furioſus unic. p. 2. §. 3. num. 6. in fine. Diaz. in air. pract. can. 1. 68. num. & V. Ipſo Jure lit. A. Clarus. §. Homicidium num. 21. Farinac. cit. q. 119. num. 53. Suar. cit. diſ. 44. de cenſur. ſec. 4. num.* 33. idque ſumitur ex *c. Clerici* 5. *Ne Clerici, vel Monachi & c. & cap. ex litteris* 20. ibi: *Ipſum indignum Altaris miniſterio reputamus. de exceſſ. Prælat.* Ratio eſt; quia nullum crimen infert privationem, ipſo jure, niſi id in jure exprimatur, *Farinac. c. l. num.* 64. Extenditur autem hæc pœna privationis, quod Clericus homicida voluntarius, reddatur etiam inhabilis ad alia beneficia obtinenda, ſine diſpenſatione, *Diaz. c. l. lit. A in fine. Farinac. c. l. num.* 58. quod tamen non ita intelligendum eſt, quod ſit ipſo jure incapax ad beneficia de novo obtinenda, ita ut collatio ſit ipſo jure irrita, ſed ſolum illa prohibita eſt, ut patet ex *Concil. Trid. cit. Seſſ.* 14. *c.* 7. ubi dicitur: nec illi aliqua Eccleſiaſtica beneficia, etiamſi curam animarum non habeant, conferre liceat, *Suar. cit. ſec. 4. num.* 34.

Tertia pœna eſt, quod homicida voluntarius privetur ſucceſſione ejus, quem interfecit, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato hæreditas ad eum deferatur, quia fiſcus eam aufert ab illo tanquam indigno, *cum ratio 7. §. fin. ff. de bonis damnat. Clarus c. l. num.* 22.

Quarto denique Jure Canonico homicida voluntarius efficitur etiam irregularis, etiamſi homicidium occultum ſit, ita ut Ordines ſuſcipere, & in ſuſceptis miniſtrare, ſive eos exercere non poſſit, etiam poſt peractam pœnitentiam, juxta *c. Inquiſitionis* 21. *& ibi Gl. V. Si homicidium de accuſat.* & habetur paſſim in jure, *c. Miror 4. & ſeqq. diſ.* 50. & in multis *rapp. h. t. Gl. in c. Sicut* 6. V. *Conſilium h. t.* & alii DD. communiter. Eſt autem hæc irregularitas in homicidio voluntario regulariter indiſpenſabilis, de qua infra.

XI. Cæterum illud hic addendum, quod Judex in pœnis infligendis, ſicut, & Sacerdos in pœnitentiis imponendis, debet conſiderare circumſtantias, quæ augere, vel minuere „poſſunt delictum: idcoque non ſolum quantitas, & qualitas delicti, ſed & ætas, ſcientia, ſexus, atque conditio delinquentis ſunt attendenda, & non ſolum, ſecundum prædicta, ſed etiam ſecundum locum, & tempus, quo delictum committitur, unicuique pœnitentia debet indici, cum idem exceſſus magis ſit in uno, quam in illo puniendus, prout ſtatuitur in *c. Sicut dignum 6. in princ. h. titul.* Inprimis ergo in pœnis, & pœnitentiis imponendis, attendi debet quantitas delicti, v. g. an ſit enorme, vel mediocre, adulterium vel inceſtus, *Gl. hic* V. *Quantitas*. Secundo qualitas, an ſit occultum, vel manifeſtum, *Gl. hic.* V. *Qualitas*, Tertio ætas, an infans, impubes, vel pubes. Quarto ſcientia, an ſit diſcretus, minus diſcretus, vel non ſanæ mentis, *Gl. hic* V. *Scientia*. Quinto ſexus, nam viri gravius puniendi ſunt ob adulterium, quam mulieres, *c. Indignantur 4. cauſ. 32. q.* 6. & univerſim levius puniuntur mulieres, quam viri, ob ſexus fragilitatem, *Barb. in Collect. in cit. c. Sicut dignum. nu. 9. h. t.* Sexto conditio, an liber ſit, vel ſervus, ſubditus, vel alius, Laicus, vel Clericus, Nobilis, vel Plebejus, quia dignitas, & generis nobilitas relevat a pœna ordinaria, *Jo. Andr. hic numer.* 2. V. *Conditio. Barb. ibid. num.* 10. Septimo locus, an ſit ſacer, an profanus, *Jo. Andr.* V. *Locum*. Octavo tempus, an dies feſtus, vel jejunii vel communis. *Jo. Andr. c. l.* V. *Tempus*, videri poteſt textus *c. 5. diſ. 5. de pœnit.*

§. III.

Quinam tum in genere, tum in ſpecie, propter homicidium voluntarium & injuſtum, irregularitatem incurrant, vel alias pœnas Jure decretas in homicidas?

XII. Certum eſt imprimis, quod is, qui aliquem voluntarie, & injuſte per ſeipſum occidit, ſit irregularis, cum talis vel maxime ſit homicida, ut notavit *Suar. cit. diſ. 44. de cenſur. ſec. 3. nu.* 1. Idemque dicendum eſt de eo, qui dat cauſam propinquam efficacem mortis, licet ea poſt longum tempus ſequatur, ut ſi quis præbeat venenum, quod poſt multos menſes primum operatur, & interimit. Ratio eſt, quia qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur, *c. ult. de injuriis l. Qui occidit 30. §. pen. & ibi Gothofr. lit. F. ff. ad Leg. Aquil. & nihil intereſt, ut occidat quis, an cauſam mortis præbeat. l. Nihil 15. ff. ad leg. Cornel. de Sicariis*. Et hinc in *c. De cætero 11. h. tit.* dicitur, quod Diaconus, qui homicidio cauſam dedit (videlicet conſilio, præcepto, vel ope *Gl. fin. ibid.*) ad Sacerdotium non ſit promovendus. Ubi licet ſermo ſit de Diacono, tamen idem eſt de alio Clerico, vel etiam Laico, quia hic factum narratur & non tantum ad Sacerdotium promoveri non debet, ſed nec in aliis prius receptis Ordinibus miniſtrare poteſt, cum enim irregularitatem incurrat, ab omni miniſterio Eccleſiaſtico eſt removendus, *c. Presbyterum 7. h. t. Abb. in cit. c. de cætero num.* 2. per cauſam autem intelligitur hic cauſa propinqua, nam qui dat cauſam ſolum remotam homicidio, non fit irregularis, *Gl. hic* V. *Cauſam*, ubi tamen id limitat, niſi animo nocendi eam det, *cit. c. Presbyterum*. Sed ibi non cauſa remota, ſed propinqua, & cohærens data fuit, *Abb. in cit. c. De cætero num.* 3.

XIII. Jam ergo in ſpecie quæritur 1. An qui procurat abortum fœminæ prægnantis, ſit homicida, & irregularitatem incurrat? Reſp. Qui dat cauſam abortivi, homicida eſt, & fit irregularis, ſi fœtus erat animatus, alias ſecus, prout ſtatuitur in *c. Sicut 20. h. tit.* Ubi cum „quidam Monachus mulierem prægnantem, cum qua conſuetudinem inhoneſtam contraxerat, & quæ aſſerebat ſe ex eo concepiſſe, per zonam arripuiſſet, quaſi ludens cum ea, ipſa per hoc ſic ſe læſam affirmavit, ut ea occaſione abortiverit. Conſultus ſuper hoc Papa Innocentius III. reſpondit, ſi conceptus, ſeu fœtus nondum erat vivificatus, miniſtrare poterit, alioquin debet ab Altaris miniſterio abſtinere."

XIV. Notandum hic primo. Non ideo Monacho illi in caſu hujus c. imputatus fuit abortus, & declaratus eſt irregularis, quia operam dedit rei illicitæ, ludendo cum muliere prægnante, & libidinis cauſa, ut putat *Abb. hic numer.* 6. ſed quia ipſa actio per ſe videlicet arreptio per zonam, quaſi ludendo, cauſa propinqua fuit, & moraliter ſufficiens ad abortum cenſeri potuit, cum ipſa mulier ſe ex illa lædi ſenſerit, & paulo poſt abortum fecerit: ideoque fuit ludus, non ſolum illicitus, ſed etiam noxius, & cauſans abortum, *Covarr. in Clement. unic. p. 2. §. 4. num. 4. & 10. verſ. quinto. Suar. diſ. 45. de cenſur. ſec. 6. num.* 11. Secundum Jus Civile vero dans cauſam abortui, poſt infuſionem animæ ultimo ſupplicio afficitur, *l. Si quis. 38. §. Qui abortionis ff. de pœnis l. pen. C. Ad Leg. Cornel. de Sicar. ubi Gl.* ait, id procedere etiam in infante nondum nato, *Abb. in cit. c. Sicut. num.* 3. Porro ſi procurans abortum in caſu hujus c. animum occidendi non habuit, nec prævidit, inde ſecuturum abortum, non commiſit homicidium directe voluntarium, ſed potius caſuale tantum, etſi culpabile, de quo infra.

Notandum ſecundo. Si quis abortire fecit mulierem gravidam, antequam fœtus anima rationali eſt informatus, non incurrit irregularitatem, quia homicidium committi non poteſt in fœtum, qui necdum eſt homo, *c. Quod vero 8. & c. ſeq. cauſ. 32. q. 2. cit. c. Sicut h. t. Abb. ibid. num. 2. Suar. cit. diſ. 44. de cenſur. ſec. 2. num.* 13. infunditur autem anima, ſecundum communiorem ſententiam Phyſicorum, maſculo, die quadrageſimo a conceptione: fœminæ vero die octogeſimo. Quod ſi probabiliter dubitetur, an fœtus abortivus fuerit anima informatus, nec ne: vel an poſt quadrageſimum diem fuerit mas, vel fœmina, debet ſe, qui abortum fecit, gerere ut irregularem, & ab Officio Altaris abſtinere *Arg. c. Ad audientiam 12. h. t. Abb. in cit. c. Sicut num. 7. Navarr. in man. c. 27. num.* 222. quia eſt certum, delicto abortus eſſe irregularitatem impoſitam: dubium vero, an quis delictum commiſerit, *Molin. tom. 4. tract. 3. diſ. 27. num.* 4. non tamen propter procuratum abortum fœtus inanimati imponitur pœna mortis, ſed alia mitior, *Farinac. in praxi crim. q. 112. num.* 137. & alii communiter: ubi *numer.* 138. ait, quod in dubio fœtus præſumitur fuiſſe inanimatus, quoad pœnam criminalem incurrendam, ſecus quoad irregularitatem, ut jam dictum.

„XV. Notandum tertio. Si quis cauſa explendæ libidinis, vel odii, homini (id eſt, viro) aut mulieri aliquid fecerit (per ſortilegium, vel incantationem) vel ad potandum dederit, ut non poſſit generare (ſcilicet vir) aut concipere (mulier) vel naſci ſoboles, ut homicida teneatur", prout ſtatuitur in *c. Si aliquis 5. h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio Quarmacienſi, itaque qui impedimentum adhibet, ne ex coitu viri, & mulieris conceptio, vel generatio ſequatur, inſtar homicidæ tenetur, quia graviter peccat, impediendo vitam, ne illa ex ſuis cauſis naturalibus ſequatur; ſicut qui hominem interficit, & impedit, ne vita illius ulterius prolongetur, *Mol. cit. diſ. 27. num.* 6. Sive autem quis poculum ſterilitatis, aut abortionis dederit, vel alio modo impediverit, ne fœtus conciperetur; ſive etiam ne fœtus conceptus naſceretur, dummodo is nondum anima rationali fuerit informatus, non eſt verus homicida, ſed ſolum interpretativus, & improprie dictus, ac proinde non debet puniri pœna ordinaria mortis, ſed alia mitiore. *Farinac. cit. q. 122. num.* 98. Sed neque talis, qui viro, aut mulieri potionem dat, per quam in eis impediatur concipiendi, vel generandi facultas, fit irregularis cum irregularitas non contrahatur, niſi actu homo jam anima informatus interficiatur. Gl. *in cit. c. Si aliquis V. Ut homicida. h. tit. Navarr. cit. c. 27. num.* 222.

XVI. Quæritur ſecundo. An is, qui vulneravit aliquem lethaliter, vel etiam non lethaliter, quem alius poſtea interfecit, ſit cenſendus homicida, & an incurrat irregularitatem, vel pœnam ordinariam homicidii? De hac re agitur in c. *Significaſti 18. h. tit.* ubi talis caſus proponitur: „Quidam maleficus ingreſſus Eccleſiam Euchariſtiam, una cum Altarium ornamentis, & libris Eccleſiaſticis, ex illa aſportavit: Laurentius Presbyter, ejuſdem Eccleſiæ Canonicus Regularis, arrepto ligone, maleficum illum percuſſit: an autem lethalis fuerit hujuſmodi ictus, ipſe penitus ignoravit. At Parochiani illius Eccleſiæ, videntes illum ornamenta Eccleſiæ aſportantem, arreptis gladiis, & fuſtibus, eundem interfecerunt in eodem loco. Quare Presbyter ille prædicta confeſſus eſt ſuo Abbati, qui Papæ Innocentio III. ſupplicavit, ut cum eo miſericorditer agere dignaretur. Papa reſpondit, in caſu prædicto, diſtinguendum eſſe utrum conſtare poſſit, quod præfatus Sacerdos non inflixerit lethale vulnus, ex quo mortuus non fuiſſet, ſi aliorum vulnera ſecuta non fuiſſent, & quod percuſſor ille non habuerit voluntatem occidendi: neque ipſius ſtudio (id eſt, ſuggeſtione, vel adhortatione, *Gl. hic V. Studio*) conſilio vel mandato, alii contra maleficum illum proceſſerint. Id quod forte ex eo conſtare, & oſtendi poſſet, ſi appareret, percuſſionem illam Sacerdotis tam levem, & modicam fuiſſe, & in parte corporis, in qua aliquis non facile ad mortem uſque percuti, ſive lethaliter lædi ſolet, ita ut peritorum Medicorum judicio, illa percuſſio non cenſeatur fuiſſe lethalis. Et ſi hoc ita ſe habet, percuſſio illa, poſt pœnitentiam ad cautelam injunctam, in Officio ſuo Sacerdotali poterit miniſtrare, maxime Religionis favore, cum ſit Canonicus Regularis, & ſine omni ſcandalo, Sa-

„ cerdotale Officium poſſit exercere: nam & de his elere-
„ dendum eſt, qui non accuſatur, vel denunciatur ab ali-
„ quo, ſed per ſe ipſum ſalutare conſilium petit. Quod ſi
„ vero diſcerni non poſſit, ex cujus ictu percuſſus obierit,
„ in hoc dubio, tanquam homicida debet haberi Sacerdos
„ percutiens, etſi forte homicida non ſit, a Sacerdotali
„ tamen officio potius debet abſtinere, quam temere cele-
„ brare, quia in abſtinendo nullum, in celebrando vero
„ magnum periculum timetur, cum in hoc caſu ceſſare ſit
„ tutius, quam temere celebrare. Si vero Sacerdos ille
„ prius percuſſus fuit, ſicut perhibetur, ab illo ſacrilego
„ maleſico, quem mox ligone repercuſſit in capite: quam-
„ vis vim vi repellere omnes leges, & omnia jura permit-
„ tant: quia tamen id fieri debet cum moderamine incul-
„ patæ tutelæ (r. *C. Unde vi. c. Ut famæ 35. in fine de ſent. excomm.*) non ad fomendam vindictam, ſed ad repellen-
„ dam injuriam: non videtur idem Sacerdos a pœna ho-
„ micidii penitus excuſari, tum ratione inſtrumenti, quo
„ ipſum percuſſit, quod cum grave ſit, non ſolet levem
„ plagam inferre: tum ratione partis, in qua ille fuit per-
„ cuſſus, in qua etiam per modicum ictum lethaliter quis
„ lædi ſolet.

XVII. Pro explicatione hujus c. notandum primo. Irregularis cenſetur, qui alium lethaliter percuſſit, licet ab aliis fuerit omnino peremptus, ſive exanimatus, ſi vulnerans ſufficientem cauſam mortis dedit. Idemque eſt, ſi non conſtet, ſed dubium ſit, an ex ictu prius percutientis, an vero ex poſteriore percuſſione mors ſit ſecuta? quia tutius eſt abſtinere ab Officio Sacerdotali, quam temere celebrare: quin imo etiamſi non conſtet, an quis percuſſerit lethaliter, ſi tamen voluntatem occidendi habuit, & ex aliorum poſteriore percuſſione ille exſpiravit, irregularis cenſebitur etiam primus percuſſor, propter voluntatem occidendi, effectu reipſa ſecuto, *Abb. hic num.* 1. *& num.* 6. Idque colligi videtur ex hoc c. ibi: *Et ſi voluntatem non habeat occidendi*: ergo a ſenſu contrario, ſi voluntatem occidendi habuerit, qui percuſſit primo, etſi non lethaliter, attamen poſtea ex aliorum ictibus mortuus ſit, irregularis cenſebitur. *Hoſtienſ. hic V. Voluntatem non habuerit*: quod tamen ait intelligendum eſſe, ſi primus percutiens eum non liberavit a poteſtate aliorum, cum poſſet, vel opem, aut conſilium occiſoribus dederit, *Covarr. in cit. Clem. un. p.* 2. *§.* 2. *num.* 6. quæ tamen reſtrictio ipſi Abbati non placet, quia etiam primus percuſſor præſtitit operam homicidio.

Notandum ſecundo, Si quis prius percuſſit aliquem non lethaliter, ita tamen ut appareat, quod ob percuſſionem illam non poſſit fugere, ideoque poſtea occidatur ab alio, tunc ille prior non incurrit pœnam ordinariam homicidii: fit tamen irregularis, quia cauſam aliquam, vel ſaltem occaſionem præbuit homicidio poſtea ſecuto, *Abb. hic num.* 10. *&* 11. quamvis ſi conſtaret, primam percuſſionem non fuiſſe lethalem, & primus percuſſor animum occidendi non habuit, ſed juſtam cauſam percutiendi, ut in caſu *cit. c. Significavit*, ob defenſionem rerum Eccleſiaſticarum, tunc nec irregularitatem incurret, quia cum operam dederit rei licitæ, mors ab alio poſtea illata, non debet ei imputari, cum quoad homicidium non reperiatur culpabilis, ideoque a divinis abſtinere non debet, *Gloſ. Abbas. in addit. lit.* A.

Notandum tertio. In caſu dicti *cap. Significavit*, non agitur de pluribus in eadem rixa aliquem vulnerantibus, in qua etiam poſtea moritur, de quibus infra agetur: ſed agitur de illo caſu, in quo aliquis alterum percuſſit, & poſtea ipſo non incitante, nec conſulente; nec mandante, nec volente, alii ſuperveniunt, & illum occidunt, quia eſt caſus longe diverſus; nam ille, qui prius percuſſit, non fuit Cooperator cum aliis, ſed per ſe ſolus prius percuſſit, & ſic percuſſio illa fuit omnino diverſa a poſteriore percuſſione aliorum: nec ex utraque percuſſione poteſt fieri una mortaliter, ut totus effectus mortis ſingulis percutientibus imputetur; quia reſpectu primi percutientis, percuſſio aliorum poſtea ſubſequens fuit mere accidentaria, & fortuita, cum a primo percutiente, nec directe, nec indirecte, fuerit volita, ſeu intenta, ut bene notavit *Suar. diſ.* 45. *de cenſur. ſec.* 3 *num. ult.*

XVIII. Notandum quarto. Præſumptio occidendi præſumitur ex qualitate armorum, quibus homicidium fuit illatum, ſicut etiam an vulnus fuerit lethale, nec ne, *Clarus §. Homicidium num.* & alii apud *Barboſ. in Collect. in citat. cap. Significavit. num.* 17.

Notandum quinto. Qui poſterius percuſſit lethaliter vulneratum ab alio, ſine dubio eſt irregularis; quia licet certo moriturum occiderit; occidit tamen etiam ipſe, accelerando mortem ipſius, ac proinde ſicut Jure Civili ex lege Aquilia tenetur de occiſo, *l. Ita vulneratus.* 51. *in princ. ff. ad leg. Aquil.* ita & irregularis cenſetur de jure Canonico, *Covarr. cit. Clem. un. p.* 2. *§. num.* 4. *Zeſ. in Comment. h. t. num.* 10.

Notandum ſexto. Quod vero attinet ad pœnam ordinariam homicidii, vel ſecundus percutiens prius percuſſum, ſeu vulneratum occidit, ex mandato, vel voluntate primi percutientis; & tunc uterque puniri debet pœna ordinaria homicidii: vel non intervenit illius mandatum, nec voluntas: & tunc, vel prima permiſſio non fuit lethalis, vel licet eſſet lethalis, tamen non eſt omnino certum, quod percuſſus ex eo fuiſſet moriturus; & tunc primus tenetur tantum de vulnerato: ſecundus autem de occiſo, *l. Item Mela.* 11. *§. Celſus ff. de leg. Aquil.* vel erat indubitatum, quod ex prima percuſſione mortem evadere non potuerit; & tunc etiam primus percutiens tenetur de occiſo, *cit. l. Ita vulneratus. ff. eod. Clar. §. Homicidium num.* 46.

XIX. Quæritur tertio. An ſi volens ex propoſito occidere Titium, per ignorantiam, ſive errorem occidat Caium, ſit puniendus homicida, pœna ordinaria? ℞. affirmative, ut docet *Bart. in l. Reſpiciendum* 11. *§. Delinquunt. num.* 7. *ff. de pœnis*, *Covar. in c. Alma. p.* 1. *§.* 10. *num.* 4. nam licet tale homicidium ſit caſuale, reſpectu perſonæ occiſæ; vere tamen homicidium, & intentio habuit effectum, & licet, ſi ſciviſſet eſſe Cajum, non occidiſſet, tamen non ignoravit eſſe hominem, quem occidit; ideoque non habuit ignorantiam, quæ tollat voluntarium, reſpectu homicidii, in genere: neque enim requiritur ad crimen homicidii, ejuſque pœnam communem incurrendam, ut quis in ſpecie noverit perſonam, quam occidit: quamvis aliqui putent, talem non eſſe puniendum pœna mortis vel corporali, ſed teneri ex lege Aquilia, & puniendum eſſe arbitrio Judicis, propter homicidium, non voluntarie, ſed caſu commiſſum.

§. IV.

An mandans aliquem occidi fiat irregularis, aliaſque pœnas injuſti homicidii incurrat?

XX. Aſſertio 1. Qui mandat alium occidi, fit irregularis, ſi effectus, ſeu mors ſequatur, & pœna ordinaria homicidii puniri poteſt. *Navarr. in Man. c.* 27. *num.* 233. *Suar. diſ.* 44. *de cenſur. ſec.* 3. *num.* 6. *Avila diſ.* 6. *ſec.* 2. *dub.* 2. & alii DD. communiter. Ratio eſt: quia is, qui mandat actum aliquem fieri, eſt cauſa moralis, & quidem principalis ipſius actus: qui vero exequitur, eſt cauſa ſolum minus principalis, & velut inſtrumentalis in genere mortis: qui ergo mandat alium occidi, vere intendit homicidium; & eſt cauſa proxima mortis, quia quod quis per alium facit, perinde eſt, ac ſi faciat per ſe ipſum, *Reg. juris* 72. *in* 6. & nihil intereſt, occidat quis, an cauſam mortis præbeat, *l. Nihil.* 15. *ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* adeoque irregularitatem aliaſque pœnas Juris in homicidas ſtatutas incurrit.

„ XXI. Extenditur autem primo. Quod non tantum is, quis
„ directe, & expreſſe mandat aliquem occidi, ſed etiam is,
„ qui mandat aliquem verberari licet expreſſe intendat, ne
„ occidatur, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur,
„ ſi mandatarius fines mandati excedens mutilet,
„ vel occidat, prout decernitur in *c. Qui* 3. *& ult. h. t. in*
„ 6. ubi etiam ratio additur: cum mandando in culpa fuerit, & hoc evenire poſſe, debuerit cogitare: nam licet tale homicidium non ſit directe voluntarium ipſi mandanti, cum illud non intenderit in ſe, eſt tamen indirecte voluntarium quia talis mandans in culpa fuit, & operam dedit rei illicitæ; ideoque ipſi omnia imputantur, quæ poſſunt ſequi ex re illicita, quia cogitare potuit ac debuit, ex tali verberatione ſequi poſſe mortem, vel mutilationem, *Gl. hic in caſu.* ubi autem culpa præceſſit, regulariter quis tenetur de caſu, ſi culpa ſit ordinata ad caſum *Gl. hic V. Culpa Petr. Ancharan. ibid. not.* 2. Nam mandando illicitum, cenſetur quis mandare ea, quæ veriſimiliter concomitari poſſunt, & ideo inhibitio non prodeſt, nec relevat proteſtatio facta contraria, eaque in delictis nihil operatur, *Jo. Andr. in tit. cap. ult. & Farinac. ibid. n.* 3. *not. ult.*

Procedit autem deciſio hujus cap. ſi percuſſio, ſeu mutilatio ſit illicita, ſecus ſi licita: ut ſi pater, Dominus, vel Magiſter mandat verberari filium, ſervum, vel diſcipulum; tunc enim, ſi mandatarius, excedendo mandatum, occidat, vel mutilet, mandans non fit irregularis; cum tunc ceſſat culpa, per conſequens etiam pœna hujus *c. Gl. hic V. Culpa. Anchar not.* 3. *Franc. n.* 4.

XXII. Extenditur ſecundo. Quod mandans occidi, vel verberari aliquem fiat irregularis, non ſolum quando mandatum eſt expreſſum, ſed etiam quando eſt tacitum, quantumvis præmiſſa fuerit proteſtatio de non occidendo, vel non mutilando, ut ſi Pater, aut Dominus injuria affectus a Petro, dicat filio, vel ſervo, non occidas illum, non tamen redeas domum, donec aliquid novi audiam a te circa Petrum, *Cov. in Clem. Si furioſus un. de homic. p.* 2. *§.* 1. *nu.* 3. *Avil. cit. p.* 7. *diſ.* 6. *ſec.* 2. *dub.* 2. *concl.* 1. *Barb. in citat. c. ult. num.* 5.

Extenditur tertio. Quod mandans alium occidi fiat irregularis etiam tunc, ſi ipſe mandatarius occidatur, vel mutiletur, ut docet *Silveſt. V. Homicidium. q. l.* 7. *dicto* 7. *Suar. cit. diſ.* 44. *ſec.* 3. *num.* 18. *&* 19. *Avila cit. ſec.* 2. *dub.* 5. *concl.* 4. *Barb. cit. l. num.* 6. Nam quamvis tale homicidium a mandante non ſit in ſe intentum, nec directe voluntarium: eſt tamen indirecte; ideoque ei etiam indirecte ad culpam imputatur, quia qui injuſte, & temerarie ſe exponit propinquo periculo mortis, cenſetur homicida ſui, ergo etiam is, qui mandat, vel conſulit, adeoque directe inducit aliquem, ut ſe ita exponat, eſt cauſa mortis ipſius, & conſequenter irregularis: licet enim, præter intentionem ejus, ſive voluntatem directam, accidat mors mandatarii; cogitare tamen poterat, ac debebat, illam accidere poſſe, *cit. c. ult. h. tit.* Nec excuſat, quod alter voluntarie ſuſceperit mandatum, quia non ideo mandans ceſſat eſſe cauſa mortis ipſius, & quidem injuſta, quia ſicut ipſe occiſus peccavit, exponendo ſe temerarie periculo mortis, cum non ſit Dominus vitæ, vel membrorum, unde vere cenſetur eſſe homicida ſui; ita etiam ipſe mandans peccavit contra juſtitiam, inducendo ipſum per mandatum ad exponendum ſe periculo mortis, ac proinde etiam eſt cauſa moralis injuſti illius homicidii, & fit irregularis.

XXIII. Limitatur autem tradita doctrina primo. Quod mandans non incurrit irregularitatem, vel aliam pœnam ordinariam, ſi homicidium non ſit ſecutum, quamvis a mandatario fuerit attentatum, quia regulariter nulla irregularitas, vel alia pœna ordinaria incurritur propter homicidium, niſi illud fuerit perfectum, & conſummatum, vel aliud jure expreſſum, *Avila cit. ſec.* 2. *dub.* 3. *in princ. Barboſ. in cit. c. ult. num.* 7.

Limitatur ſecundo. Mandans non fit irregularis, ſi mandatarius, etiam ſine ejus mandato, erat occiſus, quia licet habuerit voluntatem influendi in effectum, ſive occidendi,

de

Digitized by Google

de facto tamen non influxit, *Avila cit. ſec. 2. dub. 3. concl.* 6. Sed oppoſitum tenet *Covarr. in cit. Clement. unic. p.* 2. §. 2. *num.* 1. *verſic. Sed ſi quis. in fine.* nempe quod mandans fiat irregularis, etſi mandatarius, etiam ſine alicujus mandato, erat occiſurus, quia homicidium fit cauſa, & intuitu ipſius mandantis! quod verum eſt, etſi mandatarius erat alias occiſurus, tamen ob mandatum ei datum citius occidit; tunc enim eſt cauſa propinqua accelerationis: ſecus ſi ob mandatum non citius occidit, ac proinde nullo modo influxit, vel movit voluntatem Mandatarii ad occidendum, ut ex *Laym.* tradit *Barb. in cit. c. ult. num.* 8.

Limitatur tertio. Niſi mandans aliquem occidere revocavit mandatum, ita ut revocatio fuerit intimata mandatario, vel ad ejus notitiam pervenerit; tunc enim non incurret irregularitatem mandans, ſi poſt hujuſmodi revocationem commiſſum ſit homicidium a mandatario, ut docet *Navarr. in Man. cit. c.* 27. *num.* 137. *Suar. cit. l. num.* 7. *Avila. cit. ſec.* 2. *dub.* 4. *concl.* 1. & 2. idque procedit, ſive mandatum expreſſe, ſive ſolum tacite ſit revocatum, ſeu ipſo facto, v. g. rediit in amicitiam cum illo, cujus mortem procurabat, idque notum ſit mandatario *Suar. cit. ſec.* 3. *num.* 9. *in fine.* quia tunc committitur homicidium a mandatario, non ut moto ex voluntate mandantis, ſed ex propria ſua voluntate, & malitia; adeoque mandans non eſt cauſa talis homicidii, cum ceſſet ejus voluntas per revocationem, & conſequenter etiam effectus illius. Quod ſi conſtet mandanti, ipſum mandatarium nihilominus ex pertinacia occiſurum eſſe, tenetur non ſolum ex charitate, ſed etiam ex juſtitia impedire effectum hujus mandati, quoad commode poteſt, alioquin fieret irregularis, *Suar. citat. l. num.* 8. apud quem plura de hoc legi poſſunt.

XXIV. Aſſertio 2. Pœnæ Jure Canonico decretæ in mandantem fieri homicidium, quandoque incurruntur, etiamſi mors, ſeu cædes non ſit ſecuta, prout ſumitur ex *c. Pro humani* 1. *h. t. in* 6. ubi Innocentius IV. in Concilio Generali Lugdunenſi, ita ſtatuit, ut quicunque Princeps Prælatus (etiam Epiſcopus, quia in *c. Quia periculoſum.* 4. *de ſent. excom. in* 6. non eximuntur Epiſcopi a ſententia excommunicationis, ſed ſolum interdicti, aut ſuſpenſionis, *Gl. hic V. Prælatus*) vel quævis alia Eccleſiaſtica, aut ſecularis perſo-
„ na, quempiam Chriſtianorum per Aſſaſſinos interfici fece-
„ rit, vel etiam mandaverit, quanquam mors ex hoc forſan
„ non ſequatur) vel eos receptaverit, vel defenderit, aut
„ occultaverit, ſententiam excommunicationis, & depoſi-
„ tionis a dignitate, Ordine, officio, & beneficio, ipſo fa-
„ cto incurrat, ita ut aliis libere (non obſtante oppoſitio-
„ ne, vel contradictione cujuſquam, *Gl. fin. hic*) ab illis, ad
„ quos collatio ſpectat, conferri poſſint. Et eſt etiam talis,
„ cum omnibus bonis ſuis temporalibus, perpetuo diffida-
„ tus: & poſtquam probabilibus argumentis conſtiterit, ali-
„ quem ſcelus tam execrabile commiſiſſe, nullatenus alia
„ excommunicationis, vel depoſitionis, vel diffidationis ad-
„ verſus eum ſententia requiritur. Sunt autem tot, & tam
„ graves pœnæ ſtatutæ in illos, qui ſic horrenda inhumani-
„ tate, deteſtandaque ſævitia mortem aliorum ſitiunt, ut
„ ipſos faciant per Aſſaſſinos occidi, & non ſolum corpo-
„ rum, ſed etiam animarum mortem procurent, quia plu-
„ res Chriſtianos reperiebant indiſpoſitos, & in peccato
„ mortali, prout habetur in *cit. c.* 1. §. *Cum igitur*, *juncta*
„ *Gl. ibid. in caſu.*

XXV. Pro explicatione hujus c. notandum primo. Quamvis DD. communiter per Aſſaſſinos, de quibus loquitur *cit. cap.* 1. intelligant non tantum mandantes, ſed etiam mandatarios, etſi ſint Chriſtiani, qui pecunia accepta, vel promiſſa, aliove pretio conducti, homines occidunt incautos, & inſontes, & ita conſuetudine, & communi praxi receptum eſſe, teſtatur *Farinac. in praxi crimin. p.* 5. *q.* 123. *n.* 19. & 22. de Jure tamen verius eſt, Aſſaſſinos hic proprie dici, quoſdam infideles ſubjectos Principi infideli, a quo ita docti, & inſtructi erant, ut quos ille occidi juſſerit, facillime occidant, arbitrantes non id circo mortem eſſe timendam, nec ullam pœnam ob iſtud crimen, poſt obitum, paſſuros, imo ſe obſequium præſtare opinentur, *Gl. hic V. Formidantes & in addit. Covarr. l.* 2. *reſol. c.* 20. *numero* 9. *Suar. diſ.* 23. *de cenſur. ſec.* 4. *num.* 46. idque colligitur ex illius verbis *citat. cap.* 1. *Præſertim cum nonnulli Magnates taliter perimi formidantes, coacti fuerint ſecuritatem ab eorundem Aſſaſſinorum Domino impetrare, ſicque ab eo, non abſque Chriſtianæ dignitatis opprobrio, redimere quodammodo vitam ſuam.*

Notandum ſecundo. Excommunicatio, aliæque pœnæ in Conſtitutione *cit. c.* 1. latæ ſunt non in ipſos Mandatarios, ſive homicidas, ſed ſolum in mandantes, qui ſcilicet opera Aſſaſſinorum infidelium, Chriſtianum aliquem occidi juſſerint: nam cum ipſi interfectores eſſent infideles, excommunicatio, aliæque pœnæ ab Eccleſia ſtatutæ in illis locum habere non poſſunt, quæ tamen locum habent in fidelibus, etiam laicis, qui Chriſtianum aliquem occidi mandaverint, miniſterio vel opera illorum infidelium, qui gentilitio patrioque nomine Aſſaſſini dicuntur, quia cum crimen hoc ſit valde atrox, enorme, & Chriſtianæ Religioni perniciosum, potuit Papa talem Conſtitutionem edere, etiam contra laicos, ſiquidem opera infidelium paſſim fideles occidebantur, in ignominiam Chriſtianæ Reipubl. *Covarr. cit. cap.* 20. *n.* 10. Cum autem prædicta Conſtitutio ſit valde rigoroſa, & pœnalis, non debet a mandante extendi ad mandatarios, etiamſi eadem in utriſque ſit ratio, *Bern. Diaz. in pract. crim. Canon. cap.* 101. *num.* 5.

Notandum tertio. Excommunicatio, aliæque pœnæ in *cit. cap.* 1. decretæ ſunt, propter ſolum mandatum occidendi Chriſtianum, opera infidelium Aſſaſſinorum, etiamſi mors, ſive cædes non ſit ſecuta, quia tale mandatum atrociſſimum reputatur, & cedere in gravem infamiam Chriſtiani nominis. Unde ſi non Chriſtianus, ſive infidelis per alios quoſcunque pecunia conductos occidatur, non habent locum prædictæ pœnæ, *Covarr. c. l. num.* 10. §. *Quinto*, *Suar. cit. l.* Eaſdemque pœnas incurrunt, ipſo facto, qui tales Aſſaſſinos receperint, defenderint, vel occultaverint, quia hi puniuntur ut auctores criminis, cum ſine illis delinquens diu latere non poſſit, *Gl. hic. V. Receptaverit.*

XXVI. Notandum quarto. Quamvis plures DD. dicant, quod Clerici committentes hoc crimen aſſaſſinii, ipſo facto, pœnam depoſitionis etiam ab Ordine ſtatim incurrant, & amittant omne privilegium Clericale, ita ut poſſint capi, & puniri per Judicem ſecularem, etiam non præcedente degradatione reali, quia ipſo jure videntur degradati, *Covarr. c. l.* §. *Sexto*, *Diaz. c. l. num.* 4. *Farinac. cit. q.* 123. *num.* 12. *Clar.* §. *fin. q.* 36. *num.* 30. & 31. Ubi tamen requirit, ut præcedat ſententia declaratoria criminis per Judicem Eccleſiaſticum. Contrarium tamen eſt probabilius, nempe Clericos tales non amittere, ipſo jure, privilegium Clericale, ante actualem, & realem degradationem; per quam Curiæ ſeculari tradantur, quia talis depoſitio non ſit, niſi in caſibus jure expreſſis, inter quos non eſt crimen aſſaſſinii, & in *cit. cap.* 1. ſolum dicitur, quod depoſitio a lege, ipſo facto, ſit impoſita, ad quam tamen requiritur degradatio actualis, antequam Clericus a Judice ſeculari corporaliter puniatur, *Suar. cit. diſ.* 23. *de cenſur. ſec.* 4. *numer.* 46. *in fine*; *Barb. in cit. c.* 1. *num.* 13. *h. tit. in* 6.

Notandum quinto. Qui mandat, opera infidelium Aſſaſſinorum, occidi fidelem, perpetuo diffidatus eſt a toto populo Chriſtiano, tanquam Chriſtianæ Religionis inimicus, ita ut a quolibet privato impune poſſit offendi, & occidi, & bona illius primo occupantibus cedunt, ac præſertim illis, ad quos temporalis ſucceſſio ſpectat, & multo magis a fiſco occupari poterunt, *Farin. cit. q.* 123. *num.* 8. & 12. quæ tamen pœna conſtituta eſt in ordine ad ſeculares, ut patet ex illis verbis, ibi: *cum ſuis bonis mundanis omnibus*, *cap.* 1. *h. tit. in* 6. *Barb. ibid. num.* 13. Porro quamvis Princeps Eccleſiaſticus non poſſit inferre pœnam mortis, per ſententiam judicialem condemnando ad illam reum, *c. Per venerabilem.* 13. *qui filii ſint legit.* poteſt tamen legem ferendo, eam imponere, abſque metu irregularitatis, *Covarr. cit. cap.* 20. *nu.* 10. §. *Tertio.*

Notandum ſexto. Hoc crimen aſſaſſinii etiam iſtud ſpeciale habet, quod ad ejus probationem ſufficiunt argumenta probabilia, ut conſtat ex *cit. cap.* 1. *in fine*, & quidem non tantum ad pœnam extraordinariam, ſed etiam ad ordinariam, & capitalem imponendam, *Diaz. cit. cap.* 101. *nu.* 3. *Barb. in cit. c.* 1. *in* 6. *num.* 20. *Farin. cit. q.* 123. *num.* 46. neque etiam ab eo appellari poteſt, *Farinac. c. l. num.* 56. apud quem plura de hoc videri poſſunt.

Notandum ſeptimo. Ab excommunicatione lata in *citat. cap.* 1. *h. tit. in* 6. poteſt quilibet Ordinarius abſolvere, cum Papa eam ſibi non reſervaverit, *Gl. ibid. V. Excommunicationis*; at vero depoſitio, ſeu perpetua ſuſpenſio ab omni dignitate, honore, officio & beneficio ibidem, ipſo jure, impoſita, non eſt proprie dicta irregularitas, ad quam requiritur verum homicidium, ita ut mors reipſa ſequatur, ſive ſtatim, ſive etiam poſt longum tempus, quia dilatio temporis non impedit, quominus effectus vere ex tali cauſa ſequatur, *Suar. cit. diſ.* 44. *de cenſur. ſec.* 3. *num.* 6.

§. V.

An ſicut mandans, ita etiam conſentiens in homicidium injuſtum, vel illud approbans, ſeu ratum habens incurrat irregularitatem, & alias pœnas homicidii?

XXVII. Aſſertio 1. Si quis pure, & ſine ulla cooperatione, conſentiat in homicidium, quod nullo modo fit, nomine ipſius conſentientis, is non fit irregularis, nec ullam pœnam incurrit, etiamſi conſenſum verbis exprimat, *Suar. diſ.* 44. *de cenſur. ſec.* 3. *num.* 21. & alii. Ratio eſt, quia talis conſenſus ſolum eſt mentale homicidium, & licet verbis, vel alio ſigno externo ſit expreſſus, non tamen efficaciter influit in cædem alterius, ideoque propter illum pœnæ homicidii non incurruntur, niſi lex ſpecialiter, & expreſſe id declararet, quod hoc caſu factum non eſt. Si vero quis conſenſum præbeat in homicidium, quod ab alio fit, ſuo nomine, vel propter ipſum, ad vindicandum ipſum conſentientem, vel quod exiſtimat, id ei placere, tunc conſentiens fit reus homicidii, & conſequenter etiam irregularis, quia talis non mere conſentit, ſed moraliter cenſetur etiam cooperari ipſi homicidio, niſi exterius contradicat, & oſtendat, ſibi diſplicere cædem, tametſi interius in animo eam approbet, nam tunc erit tantum mentale homicidium propter quod non contrahitur irregularitas: nec punitur externum opus, neque etiam omiſſio illius, ratione cujus homicidium poſſet ei imputari, quoad pœnas fori externi, nec per internum illum conſenſum tollitur exterior contradictio, per quam exterius declaravit, ſibi cædem diſplicere, *Suar. c. l. num.* 22.

XXVII. Aſſertio 2. Qui homicidium ab alio jam perpetratum, etſi ſuo nomine ſit factum, poſtea approbat, & ratum habet, cui antequam fieret, nec conſilium, nec favorem, nec auxilium præſtitit, nec incurrit irregularitatem, nec aliam pœnam jure ſtatutam in homicidas, ut docet *Gl. in c. Si quis viduam.* 5. *V. Aut conſilio diſ.* 50. *Hoſtienſ. in ſumma num.* 4. §. *Quid ergo h. tit. Covarr. in cit. Clement. nu. p.* 2. §. 1. *numero* 4. *Suar. cit. diſ.* 44. *ſec.* 3. *num.* 24. *Avila p.* 7. *de cenſur. diſ.* 6. *ſec.* 2. *dub.* 6. Probatur 1. Tum quia irregularitas, ſicut & quævis pœna, imponitur, niſi committenti delictum, propter quod imponitur: ſed qui tantum ratum habet homicidium jam antea patratum, non committit homicidium, quia non eſt cauſa illius, nec libere, & efficaciter in illud influit, vel influxit, ergo non incurrit irregularitatem, vel aliam pœnam homicidii. Confirmatur, quia ille non fuit cauſa, quando homicidium eſt commiſſum a

tunc

tunc enim nullo modo eſt cooperatus, ut ſupponitur, vel etiam omnino ignoravit, quod fieret: nec etiam poſtea, quando ratum habet, eſt cauſa, quia cum ratihabitio ſit poſterior homicidio, & ſupponit illud jam eſſe factum, & conſummatum, repugnat, ut ſit cauſa illius. Itaque ratihabitio illa, ſive approbatio homicidii jam facti verſatur circa illud ſolum, ut objectum, non autem ut effectum, ac proinde nullam poteſt habere cauſalitatem in illud. 2. Irregularitas non incurritur, niſi in caſibus jure expreſſis, ſed nullibi eſt expreſſum, quod ratihabitio inducat irregularitatem, vel aliam pœnam a jure impoſitam, ergo cum ſit lex pœnalis, non eſt extendenda ad caſus jure non expreſſos. Nec obſtat, ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari, *Reg. juris* 10. *in* 6. ſed mandans homicidium fit irregularis, ergo etiam ratificans illud. Sed reſpondetur imprimis, ratihabitionem non eſſe vere, & ſimpliciter mandatum, cum non influat in actum ratificatum, ſicut mandatum, & ideo lex lata contra mandantem non comprehendit ratum habentem, quia non extenditur ultra verborum proprietatem ad ea, quæ ſolum per analogiam quandam, vel ſimilitudinem cum aliis comparantur. *Suar. cit. l. nu.* 26. quare ratihabitio comparatur quidem mandato, ſed non niſi in iis caſibus, in quibus ſpecialis, & expreſſa juris deciſio ſive diſpoſitio non requiritur, ſicut requiritur in irregularitate, quippe quæ non incurritur, niſi id jure ſit expreſſum, *c. Is qui.* 18. *de ſent. excomm. in* 6. *Covarr. c. l. num.* 4. Deinde ratihabitio comparatur mandato, quoad culpam, non autem quoad pœnas juris, niſi id exprimatur, *Avila cit. l.*

XXIX. Ex dictis infertur primo. Si quis, poſt commiſſum homicidium ab alio, etiam ſuo nomine, ad quod tamen nullo modo eſt cooperatus, recipiat, occultet vel defendat homicidam, vel quid ei donet, propter cædem factam, non incurrit irregularitatem, quia hi actus cum ſubſequantur homicidium, non poſſunt eſſe illius cauſa, neque ideo fit ipſius delictum, ſed eſt objectum, vel occaſio aliorum delictorum, quæ talis committit, ob quæ tamen nullo jure contrahitur irregularitas, quamvis hujuſmodi actus faciant præſumi mandatum delicti, *Suar. c. l. num.* 30.

Infertur ſecundo. Non ſolum in homicidio, ſed etiam in aliis criminibus, quamvis atrocioribus, propter ſolam ratihabitionem, nullus puniendus eſt pœna ordinaria, & criminali ipſius delicti, ſed ſolum extraordinaria, niſi aliud jure exprimatur: quia ratihabitio æquipollet mandato ſolum per fictionem juris, quæ æquitate naturali eſt introducta, *l. Poſtliminium.* 19. *in princ. ff. de captivis*: eadem autem æquitas, quæ dictat ratihabitionem in delictis retrotrahi, & mandato comparari, etiam ſuadet, non debere ordinaria pœna delicti puniri eundem ex legis fictione ratum habentem, *Covarr. c. l. num.* 4. §. *Nos autem.*

§. VI.

An conſulens homicidium injuſtum incurrat irregularitatem, vel alias pœnas Juris.

XXX. Aſſertio 1. Qui conſilium dedit ad homicidium, vel mutilationem, fit irregularis, aliaſque pœnas homicidii incurrit, ſi illud reipſa ſequatur, ex vi ſeu influxu illius conſilii, quia is, cui datum eſt conſilium, alioquin non erat occiſurus. Sumitur ex *c. Perniciosé.* 23. *diſ.* 2. *de pœnit.* Ubi dicitur, non eos tantum homicidas eſſe, qui manibus hominem occidunt, ſed etiam eos, per quorum conſilium, fraudem, & exhortationem homines extinguuntur: & expreſſius habetur in *c. Si quis* 8. ibi: *præcepto, aut conſilio, diſ.* 50. *c. & in cap.* 2. *in fine*, dicitur *homicidium tam facto, quam præcepto, ſive conſilio, aut defenſione perpetrari, infra de Cleric. pugnant. &c.* Idem habetur in *c. Sicut dignum.* 6. §. *Qui vero, & §. An.* ibi: *qui conſilium dederunt, h. t.* Ratio eſt, quia dans conſilium eſt vere cauſa moralis influens in effectum, ideoque regulariter ex conſilio tenetur in delictis ad pœnam criminis, *c. Nuper* 29. *de ſent. excomm.* Ubi dicitur, quod facientem, & conſentientem par pœna conſtringit, *l.* 1. §. *Perſuadere. ff. De ſervo corrupto*: ſi tamen ex conſilio dato effectus ſecutus fuerit, quia is, cui conſilium datum eſt, ſine illo aliud delictum non commiſiſſet, *Suar. diſ.* 44. *ſec.* 3. *n.* 10.

XXXI. Aſſertio 2. Quamvis is, cui datum eſt conſilium, eſſet alias occiſurus hominem, quia jam erat determinatus ad occidendum: ſi tamen quis conſulendo auxit, & veluti exacuit voluntatem, & animum illius, ut tanto promptius, vel citius, vel etiam crudelius aliquem occideret, irregularis fit, quia ſic conſulens vere influit in homicidium, confirmando enim, & augendo voluntatem occiſoris, conſequenter etiam auget actum exteriorem ab interiore voluntate procedentem. Idque ſumitur ex *c. Sicut dignum.* 6. §. *Qui vero. h. t.* Ubi dicitur, quod is, qui incitat aliquem „ ad homicidium, puniendus ſit, licet non ita ſevere: niſi „ forte eum ſuis ſuggeſtionibus ad illud homicidium provo„ caſſet: ſubintellige alias non facturum, *Gl. ibid. V. Procuraſſent.* Ubi notandum, is, qui ſuo conſilio incitat aliquem ad homicidium patrandum, puniendus eſt, non quidem pœna ordinaria criminis Jure impoſita, ſed alia extraordinaria ac mitiore, arbitrio Judicis: qui vero provocat, ſive inducit, ſuo conſilio, nolentem ſive alias non occiſurum, puniendus eſt pœna ordinaria juris, ſicut verus homicida, quia eſt cauſa moralis principalis homicidii, *cit.* §. *Qui vero, in fine*, & ſumitur etiam ex *l. Non ſolum.* 11. §. *Attilicinus. ff. de injuriis*, ubi injuriam paſſo datur actio injuriarum, contra illum, qui perſuaſit alicui alias nolenti, ut injuriam ei faceret. Quoad pœnam vero irregularitatis, qui, ſuo conſilio, alium incitat ad homicidium, illo ſecuto, fit irregularis, quia dat cauſam homicidio, & confirmando voluntatem occiſoris, talis cooperatur delicto. Secus eſt, ſi conſulens, nullo modo, augeat voluntatem occidentis, vel concurrat ad cædem, quia ſine conſilio alterius æque prompte occidiſſet, tunc enim non poteſt cenſeri irregularitatem incurriſſe: quia ceſſat omnino cauſa, adeoque etiam effectus, ac pœna, *Covarr. in cit. Clem. un. p.* 2. §. 2. *n.* 1. *Suar. cit. diſ.* 44. *ſec.* 3. *num.* 10. *Avila cit. diſ.* 6. *ſec.* 2. *dub.* 3. *concl.* 3. & 4. Ubi ait, idem eſſe, ſi conſilium non niſi exigue moveret alterum ad occidendum. In dubio vero, an is, cui conſilium datum eſt, ſine eo, delictum commiſſurus eſſet, potius præſumendum eſt, ſine conſilio non facturum, quia in dubio nemo præſumitur delictum commiſſurus, *l. Merito.* 51. *ff. Pro ſocio.* adeoque conſulens in tali dubio irregularis cenſebitur, *Covarr. c. l. num.* 2. §. *Sed ſi quis*, *Avila c. l. concl.* 5.

XXXII. Aſſertio 3. Si conſulens homicidium, ante ejus executionem, conſilium revocat, non ideo ſtatim liber eſt ab irregularitate: ſed efficacius illud revocare debet, quam mandans: quia mandatum fit in gratiam mandantis, cujus nomine agit mandatarius, & cujus voluntate ad agendum movetur, ideoque ea ſublata, per ſufficientem revocationem, ceſſat mandatum, cujus influxus ceſſat: conſilium vero præſtatur in gratiam ejus, cui conſulitur, ejuſque executio fit nomine proprio, & intellectus ſemel imbutus opinione aliqua non facile ab illa dimovetur, ideoque conſilium non ſufficienter tollitur per nudam revocationem, ſed inſuper debet conſulens conari contrarium perſuadere ei, cui conſilium dedit, ne illud exequatur; quod ſi nihil proficiat, tenetur admonere occidendum de periculo, ut ſibi caveat. Si vero is, cui conſilium datum eſt, depoſitis rationibus, quibus motus fuit ad acceptandum conſilium, propter alias cauſas velit homicidium exequi (cui id aſſerenti credi, quoad hoc, poteſt) tunc conſulens non fit irregularis, quamvis non moneat occidendum de periculo, quia ceſſat concurrere ad homicidium, quod non tam ex conſilio ipſius, quam ex propria malitia occiſoris conſequitur, *Suar. cit. ſect.* 3. *num.* 11. & 5. *ſeqq. Avila c. l. dub.* 4. *concl.* 3. His adde, qui conſulit minus malum, v. g. percuſſionem tantum, vel mutilationem membri, ei qui vult occidere, & quem alia via non poteſt a cæde avertere, non fit irregularis, quia tale conſilium non eſt cauſa moralis mutilationis, quæ ipſi conſulenti non eſt voluntaria, ſed potius eſt cauſa, ne fiat homicidium. *Avila c. l. dub.* 3. *concl.* 2.

§. VII.

An qui cooperatur ad homicidium, præſtando opem, vel auxilium, ſit irregularis, vel ordinariam pœnam homicidii incurrat?

XXXIII. Aſſertio 1. Quod ad irregularitatem attinet, qui auxilium præſtando, eſt cauſa propinqua homicidii commiſſi, ita ut eo auxilio non præſtito, illud non fuiſſet patratum, ſive quia directe cooperatur, v. g. percutiendo, vel infligendo vulnus: ſive indirecte, detinendo hominem, ne fugiat, vel comitando occiſorem, eique aſſiſtendo, ſuaque præſentia tuendo, eumque animando, is irregularitatem incurrit, quia favet occiſori, ſciens eum intendere mortem alterius, licet ipſe homicidium directe non intendat, *Covarr. in cit. Clem. un. p.* 2. §. 2. *Quatenus vero.*

XXXIV. Aſſertio 2. Si auxilium, vel opem ferens ſit cauſa proxima, & immediata, ſaltem partialis, ſeu inadæquata homicidii commiſſi, ita ut abſque eo auxilio mors non fuiſſet ſecuta, is pœna ordinaria homicidii eſt puniendus, *l. unic. C. de raptor. virg.* *arg. l. Nihil* 15. *ff. ad leg. Cornel. de ſicar. c. ult. de pœn. in* 6. alioquin vero, ſi fuit cauſa ſolum remota, pœna extraordinaria, & mitiore eſt puniendus, *cit. l. unic. & cit. c. ult. de pœn. Covarr. c. l. n.* 2. Idem colligitur etiam, & probatur ex *c. cit. Sicut dignum.* 6. *h. t.* Nam inprimis in §. *Illi autem.* „ Reſpondet Pontifex Ale„ xander III. quod illi, qui venerunt animo occidendi, „ feriendi aut capiendi illum Sanctum virum (ſcilicet Tho„ mam Cantuarienſem Archiepiſcopum) citra manuum in„ jectionem (quia id per ſocios eſt factum, *Joan. Andr.* „ *hic V. eod.*) ſi ex captione illa mors ejus ſecuta fuit, pari „ pœnitentia, ſeu pœna, vel fere pari, ſunt puniendi cum occiſoribus. Et ita voluntas, ſeu propoſitum feriendi, vel occidendi punitur, licet non proceſſerit ad effectum, quia conſenſerunt cooperando, ideoque eadem, vel fere pari pœna puniendi ſunt, *cap. Omnes* 5. & *ibid. Gl. V. Conſentiunt, cauſ.* 27. *qu.* 4. *Gl. in cit. c. Sicut.* §. *Illi autem. V. Mors.*

Ex quo inferunt DD. apud *Farinac. in praxi crim. p.* 5. *q.* 131. *num.* 67. quod ſi quis armatus prope aſſiſtat occiſori, cenſeatur cauſam, ſive auxilium proximum homicidium præſtare, quia invaſor redditur audacior, & invaſus timidior, ideoque pari, vel pene pari pœna puniendus eſt, modo ſcienter, & doloſe aſſiſtat, animo præſtandi auxilium: ſecus ſi caſu, & ignoranter, *Farinac. c. l. n.* 78.

XXXV. Secundo in §. *Illo etiam. cit. c. Sicut dignum.* dicitur, quod illi, qui non venerunt, ut ferirent, ſed ut „ ferrent opem percuſſoribus, ſi forte per aliorum violen„ tiam impedirentur, paulo minore pœna mulctari debent: „ quia cum ſcriptum ſit (*Proverb.* 24. *verſ.* 11. qui potuit „ hominem liberare a morte, & non liberavit, eum occi„ dit) conſtat, ab homicidii reatu immunes non eſſe, qui „ venerunt, ut occiſoribus opem contra alios præſtarent: „ nec caret ſcrupulo occultæ ſocietatis, qui manifeſto fa„ cinori deſiit obviare. Ex quo infertur, quod qui non impedit homicidium, vel aliud delictum, cum poteſt, præſumitur ſocius delinquentis, ut eadem pœna teneatur, qua ipſemet homicida, vel alius delinquens, *Abb. in cit. c. Sicut. n.* 5. *Barb. ibid. n.* 20. *de quo infra.*

„ XXXVI.

„ XXXVI. Tertio in §. *Hi quoque, dicti c. Sicut*, dicitur, quod illi quoque non ſunt a culpa liberi, nec a pœna debent eſſe immunes, qui licet fuerint homicidii ignari, tamen eis, quos ſicarios eſſe ſciebant, in ſarcinis, ſive rebus eorum cuſtodiendis miniſterium præbuerunt. Ex quo colligitur, quod præſtans aliquod auxilium, quantomvis modicum, ad homicidium, vel aliud delictum committendum, cujuſmodi eſt veſtimenta occiſoris cuſtodire, non ſit immunis a pœna homicidii, *Abb. hic n. 6.*

„ XXXVII. Quarto in §. *Eos inſuper, ejuſd. c.* dicitur, quod illi, qui occupaverunt bona occiſi, ſi nihil aliud commiſerunt, a pœna mortis quidem ſunt immunes: ſed illa, quæ occuparunt, tenentur integre reſtituere illis, quorum fuerunt, ſi habeant in facultatibus, unde reddere poſſint, & ipſis propter hoc moderata pœnitentia eſt imponenda: & licite dicant, ſe quædam ex his, quæ occupaverunt, pauperibus erogaſſe: non tamen aliena debuerunt pauperibus erogare, ſi potuerunt illa eis, quorum fuerunt, reſtituere.

Hinc colligitur primo. Quod obligatus ad reſtitutionem liberatur, reſtituendo pauperibus, ſi illi, quibus res ablatæ ſunt, non ſint ſuperſtites, vel inveniri non poſſint, alioquin ipſis Dominis reſtituenda ſunt: quia non remittitur debitum, ſi uni ſolvatur, quod alii ex debito eſt ſolvendum, *Gl. hic V. Non aliena. & Abb.* n. 8.

Colligitur ſecundo. Non ſufficit, ſi occupans aliena ea reſtituat, ſed inſuper etiam pœnitentia, ſive pœna ei imponenda eſt, propter peccatum, quod commiſit, contrectando res alienas, invitis Dominis *Gl. hic V. eod. in fine, & Abb. n. 7.*

XXXVIII. Quinto in §. *Illis præterea, cit. c. Sicut*, dicitur, quod illis, qui participaverunt occiſoribus excommunicatis, pœnitentia ſit indicenda, conſiderata mora temporis (quia gravius ſunt puniendi, qui longo tempore talibus participaverunt, *Gl. hic V. Temporis mora*, & metum timore (tunc enim minus puniendi ſunt, *Gl. hic V. eod.*) vel affectione (tunc enim magis puniendi ſunt, *Gl. hic V. eod.*) excommunicatis communicaverint, & num ſcienter, an ignoranter. In hoc enim poſteriore caſu non tenentur ad pœnam aliquam, ſi ignorabant illos homicidium perpetraſſe, ideoque excommunicatos eſſe, niſi fuerit ignorantia craſſa, & ſupina, *Gl. hic V. ignoranter.*

Hinc colligitur, quod participans ſcienter cum excommunicato, plus vel minus puniendus eſt, ſecundum tempus communicationis, & quod tanto major pœnitentia imponenda ſit, quando diutius quis perſeverat in peccato, *Abb. hic n. 9.*

XXXIX. Sexto denique in §. *Clericos autem ult. hujus c.* „ dicitur, quod Clerici, qui armati tanto facinori interfuerunt, & illi, qui conſilium dederunt, ut ſanctus vir (nempe Thomas Cantuarienſis) caperetur; perpetuo, non ſolum ab Altaris miniſterio ſunt deponendi: ſed etiam in Eccleſiis nullo unquam tempore lectiones legant, vel Reſponſoria in Choro ſeparatim cantent: ſed in pſalmis apud Deum veniam impetrare ſatagant. Inſuper in clauſtro Monachorum, vel Canonicorum Regularium, ſi fieri poteſt, ſunt recludendi, ita ut uſque ad ſeptennium, vel quinquennium, ab introitu Eccleſiæ debeant arceri.

Hinc colligitur primo. Clericus, qui armatus, cum aliis, exivit ad occidendum, ſi poſtea aliquis occiſus fuerit, fit irregularis, etiamſi per alios homicidium factum fuerit, & ipſe ſolum præſens fuerit cædi, ſeu aſtiterit, nec manum applicuerit, *Abb. hic n.* 10. *Barb. ibid. n.* 36.

Colligitur ſecundo. Clericus, propter homicidium, non degradatur realiter, ſed deponitur ab officio Clericali, non ſolum ſi illud propriis manibus committat: ſed etiam ſi illud fieri mandet, vel conſulat, vel etiam illi armatus aſſiſtat: & ultra depoſitionem, in Monaſterium, vel carcerem detrudendus eſt, ſaltem ad quinquennium, quæ tanquam benignior ſententia amplectenda eſt, *Gl. fin. hic & Barb.* n. 34. & 38.

XL. Reſtat adhuc una quæſtio circa cooperationem ad homicidium, quando plures ſimul opem ferendo, concurrent ad occidendum aliquem, qui poſtea moritur, an omnes cenſendi ſint irregulares, & teneantur pœna homicidii? Reſp. Quando plures, præmiſſo conſilio, & ex propoſito aggrediuntur aliquem ad occidendum eum, tunc omnes fiunt irregulares, & plectendi ſunt pœna homicidii, etſi ex unico tantum vulnere mortuus fuerit, & ſive ſcienter quis illum vulneravit, ſive ignoranter, ut docet *Bart. in l. ult. n. 2. ff. ad leg. Cornel. de ſicar. Covarr. in Clement. unic. de homicid. p. 2. §. 2. num. 3. in primo caſu, Silveſt. V. Homicidium. 2. q. 11. num. 15. dicto 2. Avila p. 7. de cenſ. diſp. 6. ſec. 3. concl. 1.* & alii DD. Idque ſumitur ex *cit. c. Sicut 6. §. Illi autem h. t.* & ratio eſt, quia omnes iſti ſunt veluti cauſa una moralis homicidii, & talis aſſociatio auget animum occidentis. Si vero plures, non conſulto, ſive ex propoſito, ſed in rixa ex repentina occaſione contingente, ad alicujus cædem conveniant, & omnes vulnus infligant, etſi non lethale ſinguli, ex quibus tamen poſtea moriatur certum eſt omnes fieri irregulares, quia omnia illa vulnera ſimul mortem inferunt, & omnes illi ad mortem cooperantur, nec conſtat illum ex uno potius, quam ex alio vulnere obiiſſe, ideoque etiam pœnam ordinariam homicidii omnes incurrunt, vel directe voluntarii, ſi omnes illud intendebant, vel caſualis, ſi præter directam intentionem, mors acciderit. Idque conſtat ex *cap. ult. cauſ. 23. qu. 8.* Ubi dicitur, ſi plures contra unum hominem armati fuerint, & ab his vulneratus mortuus fuerit, quicunque eorum plagam ei impoſuit, ſecundum Statuta Canonum, homicida judicetur: ubi *Gl. V. Quicunque eorum* ait, hoc eſſe propter incertitudinem, quia neſcitur, cujus ictu periit, *Suar. diſp. 45. de cenſur. ſec. 3. num. 9. Covarr. in cit. Clement. p. 2. §. 1. num. 4. in quarto caſu.*

XLI. Extenditur autem primo. Quamvis unus tantum lethale vulnus inflixerit, reliqui vero vulnera ſolum non lethalia, neſciatur tamen, a quo vulnus inflictum fuerit, omnes erunt irregulares, quia textus in *cit. c. ult.* indiſtincte loquitur de omnibus ſimul rixantibus contra eundem, & tantum a pœna irregularitatis excipit eos, qui nec impugnarunt, nec vulnerarunt, nec conſilio, vel auxilio cooperatores fuerunt, ſed tantum adfuerunt; hi enim extra noxam ſunt, *Covarr. c. l. num. 5. §. Quod ad irregularitatem. Suar. c. l. num. 9. & 10. Avila c. l. dub. 3. concl. 4.* Ratio eſt, quia talia vulnera, etiam non lethalia, juvant ad mortem, & hominem reddunt debiliorem ad reſiſtendum vulneri lethali, & ut minimum accelerant mortem, tanquam una cauſa totalis. Et hinc etiam Jure Civili tales vulnerantes non lethaliter puniuntur, non quidem, ut homicidæ pœna ordinaria, ſed tanquam præſtantes auxilium homicidæ, pœna ſaltem extraordinaria, & arbitraria, *Covarr. c. l. n. 5. in quinto caſu.*

Extenditur ſecundo, quod etiam illi fiant irregulares, qui nullum vulnus occiſo inflixerunt, prout ſumitur ex *cit. c. ult. cauſ. 23. qu. 8.* ubi de his, qui impugnabant, volentes eum interficere, non tamen vulnerabant, dicitur: *Similiter pœniteant*; ſcilicet tanquam cooperantes homicidio, licet non plene ut homicidæ: nam comitari homicidam ad cædem patrandam, eique aſſiſtere ſufficit ad cooperationem, adeoque etiam ad irregularitatem contrahendam, quia in hac pœna non eſt inæqualitas: ſicut etiam de Jure Civili talis punitur, non ut homicida, ſed ut cooperans ad homicidium. Nec obſtat, quod irregularitas factum requirat, *cap. ult. cauſ. 25. qu. 1.* nam hic jam intervenit factum, videlicet homicidium, cui præbetur auxilium, *Suar. c. l. n. 10.*

Extenditur tertio, etiamſi unum tantum vulnus lethale inflictum ſit occiſo, omnes tamen impugnantes fiunt irregulares, non ſolum quando non inventus eſt auctor lethalis vulneris, quia tunc omnes tenentur, quaſi occiderint, ne ſcelus maneat impunitum, *l. Item Mela 11. §. Sed ſi plures ff. ad leg. Aquil.* ſed etiam ſi certus ſit auctor cædis: quia alii, qui non vulnerarunt lethaliter, ſed ſolum armati aſtiterunt, fiunt irregulares, non propter incertitudinem cædis, ſed propter cooperationem, *Suar. c. l. n. 11.* Aliud eſt, ſi v. g. in domo aliqua, in qua quatuor homines erant, lapidibus projectis, uno tantum ictu lapidis aliquis occidatur, & ignoretur, a quo illorum projectus fuerit; tunc enim in foro externo nullus irregularis cenſebitur, quia nullus in particulari præſumitur deliquiſſe, niſi probetur, & melius eſt unum nocentem abſolvere, quam tres innocentes damnare, ideoque unuſquiſque relinquendus eſt ſuæ conſcientiæ, *Suar. c. l. Avila cit. dub. 3. concl. 3.*

§. VIII.

An non impediens homicidium, cum poſſit, ac debeat, fiat irregularis?

XLII. Aſſertio 1. Qui non impedit homicidium, ſi ad id tenetur ſolum ex charitate, non fit irregularis, etiamſi omittat impedire, ex odio interno & deſiderio mortis proximi. *Navarr. in Man. c. 27. num. 31. & c. 24. nu. 21. Suar. cit. diſ. 45. ſec. 4. num. 3. Avila cit. diſ. 6. ſec. 2. dub. 7. concl. 1.* Probatur, quia homicidium eſt delictum contra juſtitiam, per quod ad illud quis cooperatur vel phyſice, vel moraliter: ſed talis non peccat contra juſtitiam, ſed ſolum contra charitatem, ergo non poteſt dici cooperari ad homicidium, & conſequenter nec irregularis fieri. Unde cum Canones dicunt, homicidam eſſe eum, qui non ſubvenit proximo in periculo mortis conſtituto, vel qui non præbet cibum fame morienti, late loquuntur de homicidio, & hoc vocant omnem culpam, per quam non conſervatur vita proximi contra legem charitatis. Nec obſtat, quod in *c. Quanta 47. de ſent. excomm.* excommunicatio fertur in eum, qui facinori percuſſionis Clerici, cum poſſit, deſiit obviare, ergo multo magis irregularis fiet, quæ minor eſt pœna. Nam inprimis argumentum a majore ad minus non procedit in pœnis: deinde non contrahitur irregularitas, niſi in caſibus jure expreſſis, *Suar. c. l.* n. 5. Neque etiam obſtat textus in *c. Sicut. 6. §. Illi etiam h. t.* ubi dicitur, qui potuit hominem liberare a morte, & non liberat, eum occidit, ideoque eſt irregularis: nam ibi non eſt ſermo de non impedientibus, ſed de auxiliatoribus, ut patet ex illis verbis: *Sed ut per percuſſoribus opem ferrent.* Vel non impediens in foro externo reputatur irregularis, qui præſumitur cum occiſore occultam ſocietatem habere, ut colligitur ex fine §. *Illi etiam, & c. Facienti 3. diſ. 86.* Veruntamen in foro conſcientiæ, ſi revera tantum interceſſit omiſſio contra charitatem, non contrahitur ulla irregularitas, & colligitur ex *cit. c. ult. cauſ. 23. q. 8.* ubi in fine dicitur: *Qui tantum adfuerunt homicidio, extra noxam ſunt.* Ubi quamvis *Gloſſ. fin.* id exponat de illis, qui occiſo ſubvenire non poterant, quod eſt verum de noxa apud DEUM: tamen etiam recte intelligitur generaliter, & abſolute, quod qui tantum adfuerunt, ſint etiam extra noxam Canonicam quæ per irregularitatem punitur, *Suar. cit. ſec. 4. n. 4.* quia etiam Jure Civili impediens, cum poſſet, non tenetur de homicidio, ut docet *Bart. in l. 1. §. Sed in eo num. 2. ff. de S. C. Silaniano.*

XLIII. Aſſertio 2. Qui tenetur ex juſtitia impedire homicidium, ſi poſſit impedire, ſine gravi ſuo damno, & non impediat, incurrit irregularitatem: cujuſmodi obligationem juſtitiæ habet dominus ad ſervum, pater ad filium, Judex erga ſubditum, & e contrario, liberandi eos a morte, ſi poſſint, *Navarr. cit. cap. 27. numer. 232. & cap. 24. num. 22.*

Suar.

Digitized by Google

Suar. cit. ſec. 4. num. 5. Avila cit. diſ. 6. ſec. 2. dub. 7. concl. 2. Ratio eſt, quia ſic omittens, ſive non impediens peccat contra juſtitiam, ideoque etiam ad reſtitutionem damni dati obligatur, & eſt cauſa moralis homicidii, & moraliter habetur pro faciente, ſive committente homicidium; ſicut etiam Jure Civili ita punitur, & conſequenter etiam de Jure Canonico fit irregularis. Nec obſtat, quod iſta irregularitas non ſit in Jure expreſſa, cum Jus requirat factum, omittens autem non faciat. Nam licet proprie non faciat, interpretative tamen, & moraliter facere videtur; Jura autem, quæ loquuntur de irregularitate, moraliter intelligenda ſunt, *Suar. c. l. num. 6. & 7.* requiritur tamen, ut hæc omiſſio defenſionis ſit voluntaria, quia alias non eſt culpabilis, & effectus, ſive mors ſecuta non poterit imputari omittenti, *Suar. c. l. num. 8.*

XLIV. Hinc infertur primo, eum, qui alicui mandat, ut alium non defendat a cæde, ad quod ipſe mandatarius non tenetur ex juſtitia, fieri irregularem, quia mandans injuriam facit occiſo & contra juſtitiam peccat, & poſitive concurrit ad mortem ipſius: quamvis mandatarius tantum peccet contra charitatem, & ideo irregularis non fiat, *Suar. c. l. n. 3.* ubi ait, idem eſſe de conſulente dicendum: ſed de hoc probabilius tenet contrarium *Avila cit. ſec. 2. dub. 7. §. Ex dictis ſequitur primo*, nempe quod ſi quis volenti ex charitate alium defendere, perſuaſerit, ne defendat, & alter indefenſus moriatur, non fit irregularis, quia talis conſulens non peccat contra juſtitiam, ſed ſolum contra charitatem: niſi tamen per vim, fraudem, aliamque injuriam retrahat alterum a defenſione, tunc enim ageret contra juſtitiam, reſpectu occiſi, & fieret irregularis: nam licet volens defendere ad id teneatur ſolum ex charitate: tamen proximus habet jus, ne defenſio iſta ab alio impediatur per injuriam, prout idem docetur de eleemoſyna.

Infertur ſecundo, ſi Medicus, ratione ſtipendii, quod accipit a Civitate, teneatur curare ægrotos, & aliquem omittat curare, iſque moriatur, fit irregularis: ſecus ſi nullum ſtipendium accipiat; *Avila c. l. §. Sequitur 4.*

Infertur tertio, ſi quis ſciat homicidium occulte tractari, & non revelet, non fit irregularis, niſi ex juſtitia teneatur revelare, *Avila c. l. §. Sequitur 2.*

SECTIO II.

De Homicidio Caſuali, & de omnino involuntario.

§. I.

An ex homicidio caſuali, quod ex opere licito ſecutum eſt, contrahatur irregularitas?

XLV. Præmittendum primo, agitur hic non de homicidio, quod nullo modo eſt voluntarium, nec directe, nec indirecte, nec in ſe, nec in cauſa, adeoque omnino inculpabile eſt, ut ſi fiat ab amente: ſed de eo, quod eſt indirecte voluntarium, & per accidens intentum, ſive volitum, non in ſe, ſed in cauſa, adeoque mixtum ex voluntario, & caſuali, & culpabile: ut ſi quis percutiat fœminam prægnantem ſine animo cauſandi abortum, ſi ille ſequatur, & fœtus fuerit animatus, committit homicidium, non directe voluntarium, ſed indirecte, ſive in cauſa, ſcilicet in percuſſione, quæ fuit per ſe intenta: abortus vero ſolum indirecte, quod eſt homicidium caſuale, & punibile, ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 64. art. ult. in corp. & ad ſecundum*. Nam caſus ex aliquo opere, præter intentionem operantis, contingentes, & ab eo non prævisi, nec directe, ac per ſe intenti, imputantur ipſi ad culpam, ſi ex opere illo per ſe, & neceſſario ſequantur, vel ſaltem ut plurimum evenire ſoleant, quia ſunt indirecte voluntarii, *Covarr. in Clement. unic. de homicid. p. 2. §. 4. num. 9. in fine, & num. 20.*

Præmittendum ſecundo, ex duplici capite contingere poteſt, ut alicui homicidium caſuale imputetur ad culpam, & fiat mixtum. Primo, quia non adhibuit ſufficientem diligentiam ad cavendum homicidium, etiamſi dederit operam rei licitæ. Secundo, quia dabat operam rei illicitæ.

XLVI. Aſſertio 1. Qui dat operam rei licitæ, ſi debitam adhibuit diligentiam ad vitandum periculum mortis, etiamſi ex tali opere homicidium poſtea ſequatur, non contrahit irregularitatem, nec aliam pœnam homicidii incurrit. Eſt communis ſententia Theologorum, & Canoniſtarum cum *S. Thom. cit. art. ult.* Probatur, quia ſi ſufficiens diligentia adhibita ſit ad vitandum periculum mortis, homicidium inde ſecutum, nec directe, nec indirecte eſt voluntarium, ideoque non poteſt operanti imputari ad culpam, & opus ſecundum ſe fuit licitum, ut ſupponitur, ergo non poteſt contrahi irregularitas ex homicidio, quippe quæ non incurritur, niſi propter culpam. Si autem negligentia aliqua intervenit vitandi periculum mortis, tunc contrahitur irregularitas, quia homicidium eſt aliquo modo voluntarium, & licet opus, ſecundum ſe, & ex objecto ſuo, ſit licitum, tamen non licite fit propter annexum periculum homicidii, quia non debita diligentia fuit vitatum, *Suar. diſ. 45. de cenſur. ſec. 5. n. 1.*

XLVII. Probatur etiam eadem Aſſertio ex pluribus Capitulis hujus Tit. primo ex *c. Dilectus 23. h. t.* „ubi quidam „ Capellanus infirmus, ut comedendi appetitum excitaret, „ equum aſcendit, & cum habenis non parens, fracto fræ- „ no, laſciviret, & præter voluntatem ſeſſoris, feſtinan- „ ter curreret, obvium, cum muliere infantem, procul a- „ bjecto ſeſſore, obtrivit. Conſultus Pontifex Innocentius „ III. mandavit Epiſcopo Diœceſano, ne impediat, quomi- „ nus dictus Capellanus divina officia celebrare poſſit, cum „ nec voluntate, nec actu homicidium perpetrarit, nec ope- „ ram rei illicitæ dederit.

Hinc colligitur primo, quod mors contingens ex ferocitate equi, præter voluntatem, & culpam ſeſſoris, non imputatur ipſi ad irregularitatem, *Abb. hic n. 2.* Secus eſt, ſi equitans ſit in culpa aliqua, quia ſciebat vitium equi, quod ſit effrænatus, vel frænum eſſe nimis nove, & non ſufficiens ad retinendum equum a curſu, & non antea providit, *Farinac. in praxi crimin. p. 5. q. 126. nu. 65.* Colligitur ſecundo, quod Clericus in prædicto caſu, non incurrat prædictam irregularitatem, etiamſi equo iret ad fornicandum, vel furandum, quia quamvis id ſit illicitum, ratione finis: non tamen fornicatio, vel furtum, quod ab illo intenditur, parat viam ad homicidium, nec eſt periculoſum, ratione homicidii, *Mol. tr. 3. de juſtit. diſ. 77. n. 7.* ubi ait, idem eſſe, ſi Franciſcanus equitans contra Regulam ſui Ordinis, puerum conculcaret. Colligitur tertio, homicidium actu commiſſum, ſed ſine voluntate, & culpa committentis, non tantum illi non imputatur, quoad Ordines ſuſceptos, ſed nec quoad Ordines ſuſcipiendos, ut contra *Gl. hic V. Nec actu.* docet *Abb. n. 3. Covarr. in cit. Clement. unic. p. 2. §. 4. n. ult.* nam ex homicidio contingente, abſque voluntate, & culpa, nulla oritur irregularitas, *c. His qui 49. & c. Si duo 51. diſ. 50.* homicidium vero, quod a Judice fit, voluntarium eſt, tametſi culpa careat.

XLVIII. Secundo in *c. Ex litteris 14. h. t.* declarat idem Pontifex, quod Clericus quidam irregularitatem non incur- „ rit, qui cum fœnum de curru deponeret, facta prius „ diligenti circumſpectione, ne quem læderet, projecit in „ terram perticam, qua fœnum colligabatur, caſuque pue- „ rum quendam juxta currum exiſtentem percuſſit in fron- „ te, qui inde mortuus eſt. Conſultus Papa mandat Epi- „ ſcopo Diœceſano, ut ſi res ita ſe habeat, dictum Cleri- „ cum ſe libere permittat exequi officium Sacerdotis: niſi „ contra eundem grave ſcandalum ſit exortum, vel tanta „ laboret infamia, ut deficiente accuſatore, oporteat ei- „ dem Canonicam purgationem indici. Ratio eſt; quia cum „ iſte Clericus, adhibita diligentia, non peccaverit contra quintum præceptum Decalogi, dum illum puerum ita interfecit, neque dederit operam rei illicitæ, irregularitatem non incurrit, *Molin. cit. diſp. 77. n. 7.*

Hinc colligitur, quod propter grave ſcandalum fiat quis irregularis, & punitur etiam innocens, ita ut ceſſare debeat a Divinis, quia nihil agendum eſt cum ſcandalo, *c. 2. de præſcript.* Nam per purgationem non tollitur ſcandalum, etſi tollatur infamia: niſi purgatio faceret ceſſare ſcandalum; tunc enim ſufficeret ſola purgatio, *Joan. Andr. hic in fine. & Abb. not. 2.*

XLIX. Tertio ſimilis caſus habetur in *c. Ex litteris. 25. h. t.* „ Nam cum quidam Monachus de campanili campa- „ nam deponeret, lignum decidit, & quendam puerum op- „ preſſit, & interfecit. Quare mandat Pontifex, ſi Mona- „ chus rem neceſſariam, vel utilem agebat, & in loco, „ per quem non crederet aliquem tranſire, vel ibidem e- „ xiſtere, vel etiam illuc de conſuetudine venire, quan- „ do lignum movit: (vel etiam ſi credebat aliquem ibi „ tranſire, vel eſſe, ante caſum clamavit, ut caveret, *Gl. hic V. Tranſire*) bene poterit ad altiores Ordines, præſertim in Monaſterio, promoveri. Ratio eſt: quia cum Monachus ille in eo homicidio non peccaverit contra quintum præceptum Decalogi, quia ignorantia eum a culpa excuſavit, neque operam dedit rei illicitæ, ideo irregularitatem non incurrit, *Molin. cit. l. n. 7. in fine.*

Hinc infertur primo. Quod Monachus etſi contra prohibitionem Prælati campanam depoſuiſſet, vel tempore ſibi prohibito pulſaſſet, ſi adhibita per eum debita diligentia decidit, & ejus caſu aliquis fuerit occiſus, non eſt irregularis, licet campanam pulſando peccet, tempore prohibito, *Barb. in cit. c. num. 2.*

Infertur ſecundo. Quando quis projicit rem aliquam ad locum devium, per quem nemo ſolet tranſire, non tenetur prius clamare, ideoque etiamſi aliquis caſu occidatur, non tenetur de homicidio; *l. Si putator. 31. ff. ad leg. Aquil. Abb. in cit. c. Ex litteris not. 2.*

L. Quarto ſimiliter in *c. Significaſti. 16. h. t.* cum quidam „ Clericus equitaret, equus, cui inſidebat, tam ſe, quam „ ipſum projecit in aquam, quem Clericus ille calcari- „ bus ſtimulavit: equus vero, qui erat durus bucca, „ præter voluntatem ſeſſoris, curſum arripuit, & mulie- „ rem, quam ex improviſo obviam habuit, conculca- „ vit, & interfecit. Papa ſuper hoc conſultus, fecit inqui- „ ri ab illo Clerico, utrum equi vitium prius ſciviſſet, „ qui aſſeruit, ſe illud ignoraſſe (nam ſi ſciviſſet, non fuiſſet ſine culpa, cum ſciret, ſe non eſſe ſufficientem ad retinendum equum: non enim affectare quiſquam debet, in quo intelligit, vel intelligere debet, infirmitatem ſuam aliis periculoſam futuram, *l. Idem juris. 8. §. 2. ff. ad leg. Aquilam. Gl. hic V. Prius ſciviſſet.*) Quocirca mandat Papa Epiſcopo Paduano: ut ſi ita eſt, ad cautelam injungat ei „ pœnitentiam competentem (arbitrio Superioris, & levem, *Gl. fin. hic*) & non impediat ipſum, quominus in „ ſuſceptis Ordinibus miniſtret, & ad majores poſſit pro- „ moveri.

Hinc infertur primo. Quod propter ferociam equi ſeſſor non incurrit irregularitatem, ſi ignoravit vitium equi, ſive fuerit proprius, ſive alienus; nam de alieno in dubio non debuit præſumere, illum eſſe vitioſum: ſi tamen alienus equus, contra naturam, & morem aliorum equorum, in curſum fuit effuſus, poteſt agi contra Dominum, ut vel illum det, vel damnum illatum reſarciat, *l. 2. ff. Si quadrupes pauper. &c. Abb. hic not. 2.*

Infertur ſecundo, Qui allegat ſuam ignorantiam, illam pro-

probare debet per juramentum proprium in defectum alterius probationis, quia forte ſolus erat, *Gl. hic in not. & V. ſi non eſt*.

Infertur tertio. Quandoque imponitur pœna, ſeu pœnitentia ad cautelam, ſicut quandoque etiam aliquis ad cautelam abſolvitur, *Gl. hic V. Ad cautelam*.

„ LI. Quinto in *c. Lator*. 9. *h. t.* alius caſus ſimilis pro„ponitur; nam cum quidam Clericus B. caſu cum alio „ Clerico luderet, contingit, ut ille Clericus Petrum proji„ceret in terram, cujus cultellus, quem ad latus habe„bat, incidit in illum Clericum projicientem, & fortuito „ caſu vulneratus occubuit. Ideo mandat Papa Alexander „ III. Epiſcopo Diœceſano, ut ſi ita res ſe habuit, & „ alia juſta cauſa non impediat, prædictum Petrum libere „ permittat ad ſacros Ordines promoveri. Ratio eſt: quia in hoc caſu nulla culpa contra quintum præceptum Decalogi, ex parte projecti in terram, commiſſa fuit; nam paſſus eſt tantum, & nihil alteri fecit, neque operam dedit rei illicitæ, quia ludus ille inter Clericos fuit licitus, & ab illo cultello non timebatur aliquod periculum vulnerationis; ideoque nihil eſt Petro ad irregularitatem imputandum, *Gl. hic. V. Luderet. & V. Projecit. Molin. c. l.* & ideo etiam Petrus diſpenſatione Papæ non indigebat, ut promoveretur ad Ordines, ut colligitur ex *V. Libere. Abb. hic num.* 4. *contra Gl. fin. hic*.

Ubi præterea notandum, quod ludus alius eſt noxius, ſeu periculoſus, v. g. haſtiludium, jactus lapidum, ludus, qui calcibus, vel pugnis exercetur, & ſi ex tali ludo ſequatur homicidium, ſine dubio irregularitas incurritur. Alius vero eſt ludus non noxius, ſive periculoſus, prout eſt ludus pilæ, ſaltationis, luctæ ſine armis, & ſolis brachiis; & ex hujuſmodi ludis non contrahitur irregularitas, dummodo ludens debitam diligentiam adhibeat, ne ſequatur homicidium, *Barboſ. hic num.* 3. quamvis *Abb. hic num.* 3. putet, quod iſte ludus non fuit deliberatus, alias potuiſſet imputari Clerico Petro non removenti a ſe cultellum, dum luderet: ſed forte alter ex improviſo inſiluit in Petrum, eumque projecit in terram, & ſic in nulla culpa fuit proſtratus.

LII. Sexto in *c. Exhibita* 22. *h. tit.* habetur, quod quidam Clericus, Joannes nomine, in puerili ætate conſtitutus, „ cum quibuſdam aliis pueris ludens, & inſequens unum „ ex illis, lapidem poſt illum, non animo lædendi, ſed „ terrorem incutiendi projecit, qui licet lapide projecto „ non fuerit percuſſus, nec tactus: fugiendo tamen eum la„pidem, caſu in alium lapidem impingens, & cadens ca„put læſit, ac tandem tum propter imperitiam Medici, „ tum propter incuriam patris, qui laboribus, & ſudori„bus illum expoluit, mortuus eſt. Poſtea vero dictus Cle„ricus veniam petiit a patre defuncti, ut mitigaretur do„lor ipſius, ſed Epiſcopus Diœceſanus ipſum a ſuſceptio„ne ſacrorum Ordinum repulit: quamvis pater defuncti in „ extremis poſitus confeſſus fuerit Epiſcopo, addito jura„mento, quod dictus Clericus non fuerit reus mortis filii „ ſui. Quare Clericus ille petiit ab Honorio III. ut cum „ læſam conſcientiam, ob mortem ipſius, non haberet, „ ſecum miſericorditer agere dignaretur. Papa igitur man„davit Epiſcopo, ut ſi conſtiterit ita eſſe, ipſum propter „ hoc a ſuſceptione SS. Ordinum non repellat. Ratio de„ciſionis eſt: quia cum is, qui lapidem projecit, non peccaverit, eo quod nullum eſſet periculum eum tangendi, qui ille fuit deterritus, neque operam dederit rei illicitæ, non eſt cenſendus irregularitatem incurriſſe, *Molin. cit. diſ.* 77. *numero* 8.

Notandum hic primo. Qui lapidem in Titium projicit, fit irregularis, ſi lapis, Titio ictum declinante, cadat in Cajum, eumque occidat; quia cenſetur actionem conjunctam cum periculo homicidii exercuiſſe, quod verum eſt, ſi debitam diligentiam non adhibuit, ne lapis in Cajum caderet, ut plures docent apud *Barboſ. in cit. c. Exhibita. num.* 2. Veruntamen in caſu dicti cap. declaratur, puerum illum projicientem lapidem in alium non incurriſſe irregularitatem, quia mors accidit, tum propter imperitiam Medici, & incuriam Patris: tum etiam propter ætatem puerilem potuit excuſari ab irregularitate, & quia projectio illa fuit cauſa mortis valde remota, *Gl. hic V. In puerili. Abb. ib. num.* 3. ubi ait, quod ſi mors contingat ex ludo, ſeu projectione lapidum, inter majores, imputatur ipſis projicientibus, quia eſt ludus noxius, & culpabilis; non item inter pueros, niſi magnos lapides projicerent, *Molin. cit. l. num.* 9. §. *De pueris*. Unde etiam *Molin.* putat, quod etiam inter pueros projectione lapidum certantes non ſit ludus licitus, ſed noxius, ſi fiat animo percutiendi lapide, & non terrefaciendi tantum: ideoque ſi unus ex propoſito funda percuteret alium, & vulneraret, vel interficeret, non poſſet excuſari ab irregularitate, non ex homicidio voluntario, ſed caſuali proveniente.

Notandum ſecundo. Qui petit veniam culpæ ſolum ex benignitate, & humilitate, non per hoc fatetur, ſe culpam commiſiſſe, ſicut qui petit abſolutionem ab excommunicatione ad cautelam, non fatetur ſe eſſe excommunicatum, *Gl. hic V. Poſtulavit. & Abbas num.* 6.

LIII. Septimo alius ſimilis caſus proponitur in *c. Joannes*. „ 23. *h. t.* quod dum Sacerdos ſic vocatus pulſaret campa„nam, ut populus ad divina officia conveniret, tintinna„bulum decidit, & lethaliter vulneravit quendam pue„rum, & occidit coram ipſo, qui ex eo vulnere deceſſit. „ Re delata ad Papam, is conſiderans, quod cum dictus „ Sacerdos dederit operam rei licitæ, non poteſt, nec de„bet ipſi imputari, ſi omnes caſus fortuitos non prævidit: „ ideoque mandavit Papa, ut ſi ita eſſe conſtiterit, dictus „ Sacerdos libere ſuum officium exequi permittatur. Ratio patet ex dictis: quia cum nullam culpam commiſerit in eo homicidio, & omnes caſus fortuiti prævideri non poſſint, ideo irregularitatem non incurrit.

Notandum hic primo. Etſi pulſare campanas non ſpectet ad officium Sacerdotis, quia non tenetur illud officium exequi; ſi tamen vult, poteſt, quia per ſuſceptionem majoris non perdit quis executionem minoris. Et licet pulſare campanas jure communi pertineat ad officium Cuſtodis, *cap.* 1. *de offic. Cuſtod.* tamen permittente conſuetudine, etiam alius, ſive Clericus, ſive laicus, id licite facere poteſt, *Abb. hic num.* 3. & 4.

Notandum ſecundo. Etſi Sacerdos quidam tempore Interdicti Eccleſiaſtici contra prohibitionem Eccleſiæ campanam pulſaret, & decidens tintinnabulum aliquem occideret; non tamen fieret irregularis, quia licet daret operam rei illicitæ, & ſic peccaret contra præceptum Eccleſiæ, non tamen daret operam actui periculoſo, qui velut via eſt ad homicidium, quod ad irregularitatem incurrendam requiritur, *Covarr. in cit. Clement. p.* 2. §. 4. *num.* 9. *verſ.* 5. *Molin. cit. diſ.* 77. *num.* 8.

LIV. Octavo denique in *c. Quidam*. 25. & *ult. h. tit.* aliud „ caſuale homicidium ponitur; nam quidam Presbyter evo„cavit aliquem in adjutorium ad ædificationem Eccleſiæ, „ qui ruens in terram cum laqueari, quod idem Presbyter „ ſolvere nitebatur, mortuus fuit. Significatum hoc fuit „ Papæ Gregorio IX. qui conſiderans, quod Sacerdos ille „ dabat operam rei licitæ, & diligentiam etiam adhibuit, „ quam debuit adhibere: circumſtantibus, quibus pericu„lum imminebat, ita tempeſtive, & alta voce præmonitis, „ ut intelligere, & fugere potuerint, ideo reſpondet Pa„pa, quod ob hanc cauſam, vel quia omnes caſus fortui„tos non prævidit, qui prævideri non poſſunt, non de„beat idem, quoad officium, vel beneficium impediri.

Hinc colligitur primo. Quod ille ſit irregularis, qui reficiens tectum projicit regulam, vel lapidem, per quem prætereuns viator occiditur, niſi alta voce præmonuerit, vel ſignum de more poſuerit, quia alias non cenſetur adhibuiſſe debitam diligentiam in opere periculoſo ad cavendam alterius mortem. Secus vero dicendum, ſi ſignum poſuit, vel clamando præmonuit prætereuntes, ut ſibi caverent: tunc enim non fit irregularis, ſi ex projectione ex alio aliquis ſit occiſus, *Farinac. in praxi crimin. p.* 5. *q.* 126. *num.* 22. & 23. ut in caſu hujus cap.

Colligitur ſecundo. Caſus fortuiti nullo conſilio humano prævideri poſſunt; ideoque nemini ſunt imputandi, niſi quis culpa ſua incidat in talem caſum, vel ex præcedente pacto, aut ob moram etiam ad caſum fortuitum teneatur, *Gl. hic. V. Prævideri. & Abb. ib. not. ult.* ubi ait, id intelligendum eſſe de caſu fortuito, quem etiam diligentiſſimus quiſque prævidere non poſſet.

LV. Aſſertio 2. Qui dat operam rei, ſeu actui etiam ſecundum ſe licito, & bona intentione facto: ſi tamen intervenit culpa, ſeu negligentia vitandi periculum homicidii, eo ſecuto, incurrit irregularitatem. *S. Thom. cit. l.* & alii DD. communiter. Probatur primo ex *c. Presbyterum*. 7. *h. t.* „ ubi refertur, quod quidam Presbyter, cauſa diſciplinæ, „ ſeu correctionis, percuſſit quendam puerum in capite, „ qui poſt paucos dies mortuus eſt. Papa Alexander III. „ ſuper hoc conſultus reſpondit, quod iſte ab omni Altaris „ Miniſterio perpetuo removeri debet, & ab officio ſacer„dotali deponi, ſi ex illa percuſſione puer interiit, vel in „ aliam infirmitatem incidit, ex qua deinde mortuus eſt. „ quia licet illa percuſſio bona intentione ſit facta, ſcilicet caſtigandi cauſa, tamen quia percutiens in illa debitum modum, & moderationem exceſſit; ideoque culpabilis fuit, & imprudens, ac illicita percuſſio, idcirco mors inde ſecuta illi fuit imputata, quoad pœnam irregularitatis: neque enim cenſeri potuit hic caſus omnino fortuitus, quia percuſſio in tali parte corporis non fit, ſine aliquo periculo, nec cum ſufficiente diligentia ad vitandum illud, & ideo licet opus ſit licitum, non tamen licite fit, *Suar. diſ.* 45. *de cenſur. ſec.* 5. *num.* 2.

Hinc colligitur primo. Quod animus occidendi præſumitur ex percuſſione, & vulnere inflicto in capite, ſi mors ſequatur, etiamſi percuſſio ſolum baculo facta ſit, quia percuſſio in capite magis periculoſa eſt, quam in alia parte corporis, *Farinac. cit. q.* 196. *num.* 198. *Barboſ. in Collect. hic numero* 7.

Colligitur ſecundo. Magiſter nimium excedens modum in corrigendo diſcipulum, in culpa eſt, & conſequenter irregularis, ſi mors inde ſequatur, vel mutilatio; levis enim caſtigatio duntaxat Magiſtris permiſſa eſt, *l. Sed et ſi* 5. §. *ult. & l. ſeq. ff. ad leg. Aquil.* Secus eſt, ſi leviter ſolum excedat in caſtigando; tunc enim non fit irregularis, *Gl. in cit. c. Presbyterum V. Exſpiraſſet. Covarr. in cit. Clement. un. p.* 2. §. 4. *num.* 5.

Colligitur tertio. Vulneratus præſumitur mortuus ex vulnere, ſi obiit poſt paucos dies, v. g. poſt octo, vel etiam poſt longius tempus, dummodo conſtet, vel ex re ipſa, vel Medicorum judicio, mortem eveniſſe ex præcedente vulnere, *Abb. hic num.* 3. *Farinac. p.* 5. *q.* 127. *num.* 50. *Clar.* §. *Homicidium. num.* 44. ubi ait, quod ſecundum ſententiam Medicorum, nullus lethaliter vulneratus poteſt vivere ultra 40. dies. Quod ſi lethaliter vulneratus reconvaluit, & paulo poſt recidivus fiat, & moriatur, præſumitur obiiſſe ex primo vulnere, niſi probetur ex alia cauſa recidivum eſſe factum, v. g. ex poſtea ſupervenientibus malis, & corruptis humoribus, vel ex negligentia Medicorum, *Abb. hic num.* 5. *Farinac. cit. q.* 127. *num.* 77.

LVI. Idem probatur ſecundo ex *c. Continebatur*. 8. *h. tit.* „ ubi refertur, quod cum quidam Diaconus, & alii Cleri„ci a vineis ſuis redeuntes, laboris alleviandi cauſa, lu„derent, projiciendo baculos per viam, ea lege, ac con„ditione, ut qui baculo ſuo alterius baculum percuteret, „ quaſi victor pro equo alio uteretur: ſed Clerici illi tunc „ ea lege, & conditione ludendi, nempe licentia equitan„di, non utebantur: ſed ſola jactatione baculorum erant

„ con-

„ contenti, & gloria victoriæ. Cum autem quidam laicus,
„ qui cum ipſis veniebat, eo modo ludendi, baculum præ-
„ dicti Diaconi percuſſiſſet, ipſe laicus in dorſum ejuſdem
„ Diaconi ſuper eo equitaturus incaute inſiliit, & a falce,
„ qua erat Diaconus accinctus, lethale vulnus accepit, ex
„ quo poſt octo dies exſpiravit. Quare Papa Alexander III.
„ ſuper hoc conſultus mandavit Epiſcopo Conventino, ut
„ ſi res ita ſe habuit, eundem Diaconum, ſine licentia
„ Romani Pontificis, ad ſuperiorem Ordinem aſcendere
„ non permittat, nec in officio Diaconatus ullo unquam
„ tempore miniſtrare: ſed eum diſpenſative in officio Sub-
„ diaconatus miniſtrare patiatur. Ratio deciſionis eſt: quia
„ cum juxta legem, & conditionem ludi illius, victores
inſidere in victos ſolerent, Diaconus ille in culpa fuit, ac deliquit contra quintum Decalogi præceptum, quod non removerit falcem, præſertim cum illam abſconditam a tergo deferret, ut colligitur ex verbis textus, *Incautus in eum inſiliit*; & ſic debitam diligentiam ad vitandum periculum homicidii non adhibuit; ideoque Papa declaravit, illum irregularitatem incurriſſe, *Molin. tract. 3. de juſtit. diſ. 77. numero* 6.

LVII. Ubi notandum primo. Diſparem eſſe rationem inter caſum hujus c. & caſum *c. Lator. ſec.* Nam in priore caſu, etſi Diaconus ludens operam dederit rei licitæ Clericis, ut poſtea dicetur, tamen debitam diligentiam non adhibuit, quia cum ſciverit ludi conſuetudinem, falcem debuiſſet amovere. At vero in poſteriore caſu, Clericus ille ludens in nulla culpa fuit, neque enim ipſe fecit quippiam: ſed paſſus eſt tantum: nec potuit prævidere, quod alter illum in terram projecturus ſit; ideoque irregularitatem non incurrit, ut ſupra dictum *num. 52. Covar. cit. loc. num. 8. Silveſt. V. Homicidium. 2. q. 3. & 4. num. 5. & 6.*

Notandum ſecundo. Diaconus ille in caſu *cit. c. Continebatur.* non fuit declaratus irregularis, eo quod ludus fuerit illicitus, quia ludus ille ex objecto ſuo non fuit malus, & finis erat honeſtus, nempe laboris alleviandi cauſa, ut in textu exprimitur. Neque etiam factus fuit irregularis, eo quod Diaconus ille luſerit cum Laico, ut notat *Gl. hic V. Ludum, & V. Ejuſdem Diacon.* quia nec id etiam eſt per ſe malum, vel Jure poſitivo prohibitum, ſi ludus alias non eſt indecens. Neque etiam ludus ille fuit illicitus, propter conditionem ludi, quia ea Clerici non ſunt uſi, ſed ſola jactatione baculorum erant contenti, ut dicitur in textu. Itaque mors illa fuit imputata Diacono, ob negligentiam aliquam in cavendo omni periculo homicidii, quia dictus Diaconus timere debuit, ne laicus ille modum in ludendo excederet, & ideo non debuit ludere falce armatus, maxime ſi illam geſtabat latentem, *Suar. cit. diſ. 45. ſec. 5. num.* 3. Atque hæc quidem procedunt, ſecundum præſumptionem Juris Canonici, & fori externi, quia ſi conſtaret, prædictum Diaconum omnino non advertiſſe, quod falce eſſet armatus; adeoque in invincibili ignorantia facti fuiſſe, is in foro interno conſcientiæ irregularitatem non incurrit, *Suar. cit. l.* imo nec in foro externo, ſi ſpectatis circumſtantiis, juxta prudentis arbitrium, in nulla tunc culpa fuit, ſeu culpabili negligentia amovendi falcem, *Molin. cit. l.*

Notandum tertio. Solus Papa cum homicida, etiam caſuali, diſpenſat in ſacris Ordinibus, ſi culpa præceſſit homicidium, *Abb. hic num.* 2. de quo infra. Quia tamen in hoc caſu non fuit reperta magna culpa; ideo Papa conceſſit Epiſcopo Diaconi, ut cum illo diſpenſaret, tanquam Commiſſarius Papæ, ut in officio Subdiaconatus miniſtrare poſſit, *Abb. hic num. 4. Molin. cit. c.*

§. II.

An in dubio commiſſi homicidii quis cenſendus ſit irregularis, vel non?

LVIII. De hoc agitur in *c. Ad audientiam. 12. h. tit.* ubi
„ talis caſus proponitur. Cum quidam Presbyter volens
„ corrigere quendam de familia ſua, cingulo, quo cingi
„ ſolebat, ipſum verberare tentaſſet, contingit, ut cul-
„ tellus de vagina, quæ cingulo adhærebat, elapſus eum
„ in dorſo aliquantulum vulneraret: poſtea vero cum ille
„ vulneratus convaluiſſet a vulnere, graviore infirmitate
„ percuſſus deceſſit. Conſultus ſuper hoc Clemens III.
„ reſpondet, quia dubitatur, utrum occaſione vulneris de-
„ ceſſerit, & in dubiis via tutior ſit eligenda, prædictus
„ Sacerdos in ſacris Ordinibus non miniſtret: injuncta ta-
„ men illi pœnitentia congruente, poteſt eidem (diſpen-
„ ſative, *Gl. fin. hic*) concedi, ut minoribus Ordinibus ſit
„ contentus, & in eis miniſtret. Si vero ille ex alia in-
„ firmitate deceſſit, poterit ſicut prius ſolitus erat, divi-
„ na officia exercere. Ratio hujus deciſionis eſt: quia ille
Presbyter debitam diligentiam non adhibuit in corrigendo domeſticum ſuum; adeoque in culpa fuit: ideo in dubio, num ita percuſſus ex eo vulnere eſſet mortuus, decernitur, quod pro irregulari ſit habendus, *Molin. cit. diſ. 77. numero* 6.

LIX. Jam ergo ad propoſitam ſupra quæſtionem reſpondetur, in dubio commiſſi homicidii, adeoque in dubio facti, quando ſcilicet certum eſt irregularitatem in aliquo caſu eſſe jure inductam, & decretam, ſed dubium eſt, an hic, vel ille, v. g. Titius homicidium vere commiſerit, vel cauſa illius fuerit, in utroque foro, externo, & interno, cenſendus eſt ille irregularis, ut docet *Covarr. in Clem. unic. de homicid. in princ. p. 2. num. 3. Azor. p. 1. Inſtit. l. 2. c. 19. q. 10. in fine. & quæſt. 11 Suar. diſ. 40. de cenſur. ſec. 5. num. 12. & ſec. 6. num. 1. 10. & 11. Sanch. l. 2. Mor. cap. 10. num. 42. Suyrus in clavi regia l. 2. c. 13. num. 23.* & alii DD. communiter in *cit. cap. Ad audientiam. num. 2. h. tit.* Prior pars, quod in dubio facti, quis ſe irregularem cenſere debeat, non tantum in foro interno conſcientiæ, ſeu pœnitentiæ, ut notat *Abb. in cit. c.* ſed etiam in foro externo, ſeu contentioſo, probatur ex *cit. c. Ad audientiam.* ubi dubitabatur, an vulneratus ex occaſione vulneris deceſſerit; adeoque ibi eſt ſermo de dubio facti, an ſcilicet Presbyter ille homicidium commiſerit; & tamen Pontifex judicavit, illum eſſe irregularem, quia in dubiis pars tutior eſt eligenda: loquitur autem dictum cap. de utroque foro, interno, & externo, tum quia ubi non proceditur ex ſola præſumptione, forum internum non diſcrepat ab externo: ſed quod in foro interno eſt licitum, vel illicitum, judicatur etiam in foro externo licitum, vel illicitum: at in dubio facti forum externum non fundatur in præſumptione: ſed eodem modo ſupponit, rem eſſe dubiam, ſic ſupponit forum conſcientiæ, ergo qui judicatur irregularis in foro conſcientiæ, etiam talis judicari debet in foro externo. Tum quia *cit. cap. Ad audientiam.* aperte loquitur de re deducta ad forum externum, ut patet ex illis verbis in princ. *Ad audientiam Apoſtolatus noſtri pervenit*: & *in c. Significaſti. 18. h. tit.* in foro interno cenſetur quis in re dubia homicida, & irregularis, ſicut in externo. Tum denique, quia regula illa, quod in dubiis tutior pars ſit eligenda, procedit, & vera eſt in utroque foro: in externo quidem propter obligationem vitandi periculum peccati, ut indicatur in *cit. c. Significaſti.* ubi dicitur: in hoc dubio tanquam homicida haberi debet Sacerdos, & etſi forte homicida non ſit, a Sacerdotali Officio debet abſtinere, cum & in hoc ceſſare ſit tutius, quam celebrare, ex eo, quod in altero nullum, in reliquo vero magnum periculum timeatur: ſcilicet peccandi contra prohibitionem legis, & violandi irregularitatem, quia accidere poſſet, ut verus homicida celebraret, vel ordinaretur, quod eſt contra reverentiam ipſius rei & intentionem, ac prohibitionem Eccleſiæ. In foro vero externo etiam locum habet illa regula, quia eſt eadem ratio in hoc foro, & Jura idem diſponunt, ut patet in *cit. cap. & c. ult. de Presbyt. non baptizat. Suar. cit. ſec. 6. num. 1. & num. 8.*

Altera pars de dubio Juris, quod ſi dubitetur, an in hoc, vel illo caſu, irregularitas in jure ſit ſtatuta, in neutro foro quis cenſendus ſit irregularis, probatur primo ex *c. Is, qui 18. de ſent. excomm. in* 6. ubi dicitur, quod irregularitas non incurratur, niſi id in jure ſit expreſſum: ergo non incurritur, quando dubium eſt, an ſit jure ſtatuta irregularitas. Secundo. Canones, qui inducunt irregularitatem, cum dubitatur de homicidio, qui ſunt *cap. Ad audientiam. 12. cap. Significaſti 18. & c. pen. h. t.* loquuntur de dubio commiſſi homicidii, ac proinde de dubio facti, ergo non debent extendi ad dubium juris. Tertio. Diſſimilis eſt ratio in dubio juris, & dubio facti: quia quamvis irregularitas procedat ex facto, tanquam ex radice, vel occaſione: at per ſe oritur ex Jure, quod illam ſtatuit, tanquam ex cauſa efficiente, & ideo ſi Jus ſit dubium, vel incertum, non poteſt inducere irregularitatem. Verum quamvis factum ſit dubium, poteſt tamen Jus eſſe certum, quod ſtatuit in eo dubio facti irregularitatem. *Sanch. cit. r. 10. num.* 42. Deinde quando Jus non eſt certum, ſed dubium, nulla fit ei injuria, etiamſi ei contrarium fiat, nec eſt morale ejus periculum, quale eſſe poteſt, cum jus eſt certum, factum vero ſolum eſt dubium, *Suar. cit. ſec. 6. num.* 13.

LX. Præterea notandum hic primo. Regula tradita, quod in dubio facti tutior pars ſit eligenda, adeoque cenſendus quis ſit irregularis, ſolum ſpecialiter locum habet in irregularitate homicidii, non item in aliis irregularitatibus, in quibus nec in dubio Juris, nec in dubio facti, neceſſario ſequi oportet partem tutiorem, nec cenſendum eſt, quempiam eſſe irregularem, ut docet *Sanch. l. 2. Mor. cap. 10. num. 48. Suar. diſ. 40. de cenſur. ſec. 6. num. 8. Avila p. 3. de cenſur. diſ. 9. dub. 5. concl.* 2. Ratio eſt: quia in dubio electo reus abſolvendus eſt; favorabiliores enim Rei, quam Actores habentur, *Reg. 125. ff. de R. F. Reg. Cum ſunt. 11. eod. in* 6. & Actore non probante, reus abſolvendus eſt, etiamſi nihil præſtiterit, *cap. un. Eccleſ. benef. ſine dim. conf.* At quando factum eſt dubium, delictum non eſt probatum, ideoque reus abſolvendus eſt, quamvis altera pars ſit æque dubia. Et cum hæc materia irregularitatis ſit odioſa, & valde onerosa, ultra caſus jure expreſſos non eſt extendenda, ſine evidente neceſſitate, nec quidem ob ſimilitudinem rationis, cum lex quoad pœnam, non tam a ratione pendeat, quam voluntate illam ſtatuentis.

Eſt autem hic ſermo, non de dubio practico, quo ſtante, eligendum eſt id, in quo nullum timetur peccatum: ſed de dubio ſpeculativo, quod excludit omnem aſſenſum, quo ſtante, poteſt quis valde probabiliter judicare, ob rationes probabiles, ſe non eſſe irregularem, illudque deponere, ac proinde nullum incurritur animæ periculum. Sed neque Papa in Capitulis ſupra citatis, nititur illa regula, quod in dubiis tutior pars ſit eligenda, tanquam principio, ſeu ratione univerſali neceſſario obligante in omnibus materiis: ſed utitur illa ſolum in caſu ſpeciali homicidii injuſti, propter ſpecialem indecentiam, quam ad Ordines habet, *Sanch. c. l. Suar. c. l. num.* 9.

Notandum ſecundo, quamvis in dubio facti homicidii debeat quis cenſeri irregularis, quoad inhabilitatem ſuſcipiendi Ordines, & in illis miniſtrandi, non tamen quoad alias pœnas cenſendus eſt irregularis, v. g. ut privetur beneficio, vel alia pœna ordinaria homicidii puniatur, quia pœna ordinaria impoſita certo delicto, non debet imponi propter delictum dubium, ſed ſolum extraordinaria, pro dubii qualitate *Suyrus cit. 13. num. 25. Sanch. cit. cap. 10. num.* 45.

Notandum tertio, qui dubitat, an aliquem mutilaverit membro, etiam in dubio facti non eſt cenſendus irregularis, quia quamvis alias quoad irregularitatem æquiparentur homicidium, & mutilatio, quippe quæ eſt partialis quædam occiſio, nempe membri: tamen cum in ſolo dubio facti homicidii hæc irregularitas jure ſtatuta, & ex-

expreſſa ſit, non debet pœna tam rigida extendi ad dubium facti de mutilatione, quia hæc proprie non eſt homicidium, ſed ſolum improprie, & ſecundum quid, *Sanch. c. l. num. 49.*

LXI. Ex dictis infertur primo, is, qui fœminæ gravidæ præbuit pharmacum, vel aliam cauſam dedit ad abortum, ſed dubitat, an fœtus eſſet animatus, irregularis cenſendus eſt, quia eſt dubium facti, *Sanch. cit. cap. 50. n. 43.* Infertur ſecundo, is, qui conſuluit homicidium, ſi adhibita ſufficiente diligentia ad inveſtigandam veritatem, adhuc dubitat, an ſuo conſilio induxerit ad patrandum homicidium eum, cui conſilium dedit, tenetur ſe gerere tanquam irregularem, cum & hoc ſit dubium facti, quia ſolum dubitatur, an conſilium datum concurrerit ad homicidium? Neque in hoc dubio eſt poſſeſſio pro conſulente, quia contra illum ſtat præſumptio Juris, quod præſumit, quod alter non patraſſet homicidium, eo conſilio non adhibito, quia in dubio nullus præſumitur delictum commiſſurus, *l. Merito 51. ff. pro ſocio, Sanch. c. l. num. 34.*

§. III.

Qualis culpa, ſive negligentia præcedere debeat ad incurrendam irregularitatem, quæ oritur ex homicidio caſuali, facto ab eo, qui dedit operam rei licitæ?

LXII. Ad hanc quæſtionem reſpondetur, in hac re certum eſt primo, latam culpam, ſeu craſſam negligentiam ſufficere ad incurrendam irregularitatem, quia tunc homicidium eſt ſatis voluntarium in cauſa, quando ſcilicet omittitur illa diligentia in cavendo homicidio, quam homines mediocriter prudentes communiter adhibere ſolent. Deinde levi quoque culpa commiſſum homicidium irregularitatem inducere, videtur colligi ex *c. Continebatur 8. h. titul.* Nam culpa, vel negligentia, quæ in eo caſu intervenit, non niſi levis fuiſſe videtur, *Suar. diſ. 45. de cenſ. ſec. 3. n. 4.* At vero ob culpam leviſſimam ejus, qui dabat operam rei licitæ, non incurritur irregularitas, quia nulla lex divina, vel humana obligat ad exactiſſimam diligentiam, quam homines diligentiſſimi adhibere ſolent, *Suar. cit. ſec. 3 num. 6. Avila, p. 7. cenſur. diſ. 6. ſec. 1. dub. 11. concl. 2.* Alii vero diſtinguunt, & dicunt, non contrahi irregularitatem ob culpam leviſſimam, ſi talis culpa ſit in omittendo, ſeu non impediendo homicidium: ſecus vero ſi in committendo, dum non adhibetur debita diligentia in cavendo periculo homicidii proveniente ex propria, & poſitiva actione, *Abb. in c. Quæſitum 7. num. 3. de pœnit. remiſſ. Covarr. in cit. Clem. un. p. 2. §. 4. num. 9.* Verum ex juribus, quæ allegantur, non poteſt probari in illis eſſe ſermonem de culpa leviſſima, ſed de culpa levi, ut in *c. Presbyterum 7. & c. ſeq. & c. Ad audientiam 12. h. t.* idque probari poteſt ex *c. Lator. 9. eod.* ubi Pontifex declarat, non eſſe irregularem eum Clericum, cujus luctantis cum alio ad latus appendente cultello, alter vulneratus, & mortuus eſt: nam ille Clericus non poteſt excuſari a culpa leviſſima, quia ad luctandum cum altero debuiſſet cultellum deponere, cum res per ſe ſpectata non careat periculo, *Suar. c. l. num. 6.* Alii denique putant, non ſufficere culpam levem, ſed requiri latam, quando quis dedit operam rei per ſe licitæ, ſed debitam non adhibuit diligentiam, ne mors accideret, *Laym. l. 3. tract. 3. p. 3. cap. 10. num. 9.* & alii apud *Avilam c. l. quia in cit. c. Quæſitum de pœnit.* Papa conſultus de Sacerdotibus Græcis, qui filios in lecto oppreſſerunt, reſpondet, ſi ipſis procurantibus, vel ſtudioſe negligentibus, filii oppreſſi reperiantur in lectis, ab Officio Altaris debeant abſtinere: ubi *Gl. V. Negligentibus.* ait, quod ſtudioſa, ſeu diſſoluta negligentia prope dolum eſt, adeoque culpa lata, & juxta hoc c. explicandus eſt textus in *Conſuliſti 20. cauſ. 2. q. 5.* ibi: *Negligentia qualibet proveniente ſuffocentur, vel opprimantur:* nam quod ibi in confuſo dixit Pontifex, id diſtincte expreſſit in *cit. c. Quæſitum. Avila c. l. dub. 11. in fine.*

LXIII. Cæterum quicquid ſit de præſumptione fori externi, in foro conſcientiæ, non incurritur hæc irregularitas ob ſolam culpam juridicam, ſed neceſſe eſt, ut interveniat vera culpa Theologica, cum ſit pœna ſpiritualis, adeoque verum peccatum, ſaltem veniale: nam quamvis irregularitas ex homicidio publica auctoritate facto incurri poſſit ſine peccato: non tamen ex homicidio facto a privato: quia hoc debet eſſe aliquo modo voluntarium, ſaltem indirecte, & in cauſa, ut inducat irregularitatem: alioquin eſſet homicidium omnino involuntarium, & inculpabile, quod irregularem non reddit, *Covarr. c. l. num. 9. §. Ex his Molin. cit. diſ. 77. num. 6. Suar. c. l. num. 7.* Quin imo probabilius eſt, non ſufficere culpam venialem, ſed requiri, ut ex culpa, ſeu negligentia mortali, & plene deliberata fiat tale homicidium caſuale, ut incurratur irregularitas, quæ cum imponatur propter culpam, & ſit pœna valde gravis, non eſt veriſimile illam imponi propter culpam tantum venialem, *Suar. c. l. num. 3.* ubi ex *Henriq.* notat, aliquando contingere, ut id, quod eſt ex ſe tantum veniale, peccatum fiat mortale, quia eſt cauſa homicidii, attentis circumſtantiis.

§. IV.

An, & in quibus caſibus is, qui dat operam rei illicitæ, ſive prohibitæ, ex qua reipſa ſequitur homicidium, fiat irregularis, quamvis omnem diligentiam adhibuerit, ad illud vitandum vel non fiat?

LXIV. Tres ſunt ſententiæ, prima univerſaliter tenet, hunc eſſe irregularem, ut docet *S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 8. & ibi Cajet. Silveſt. V. Homicidium 2. in princ. reg. 3. Navarr. in man. c. 27. num. 220. & ſeqq.* & alii plures Canoniſtæ, quamvis aliqui intelligant S. Thom. loqui, de dante operam rei illicitæ, & periculoſæ. Idque probant ex pluribus capp. ſupra allatis, in quibus dicitur, omnes illos non eſſe irregulares, quia dabant operam rei licitæ, adhibita ſufficiente diligentia ad vitandum homicidium, etiamſi illud poſtea ſit ſecutum: ergo argumento a contrario ſenſu ducto, omnes illi, qui dant operam rei illicitæ, ſunt irregulares, etiamſi debitam diligentiam adhibuerint ad vitandum homicidium. Sententia ſecunda oppoſitum dicit, quod dans operam rei illicitæ, nunquam ſit irregularis, ſi adhibuit debitam diligentiam, ut docet *Henriq.* & alii apud *Suar. diſ. 45. de cenſur. ſec. 6. num. 4.* Ratio eſt, quia irregularitas non incurritur propter opus præcedens homicidium, ſed propter ipſummet homicidium, dummodo ſit voluntarium: ſed ei, qui adhibet debitam diligentiam ad vitandum homicidium, hoc nullo modo eſt voluntarium, ergo non fit irregularis. Tertia ſententia eſt media, & probabilior, ut ex dicendis patebit.

LXV. Aſſertio 1. Vel dat quis operam rei, ſive actioni illicitæ, quæ tamen ex ſe non inducit propinquum periculum homicidii, vel mortis: & tunc talis non fit irregularis, ſi debitam diligentiam adhibuit ad vitandum homicidium, etiamſi mors poſtea ſequatur. Vel dat quis operam rei, ſive actioni illicitæ, quæ ſuapte natura apta eſt, & ordinata ad inferendam mortem, ideoque ſpecialiter prohibita eſt propter periculum homicidii: & tunc fit irregularis, etiamſi debitam diligentiam adhibuerit ad vitandum homicidium. Ita fere *Covarr. in Clem. un. de homicid. p. 2. §. 4. num. 10. Suar. cit. diſ. 45. ſec. 6. num. 9. & ſeqq. Molin. tr. 3. de juſtit. diſ. 77. num. 5. Avila cit. p. 7. ſec. 1. dub. 1.* Prima pars hujus aſſertionis, quæ eſt contra primam ſententiam, probatur: quia tale homicidium nullo modo eſt voluntarium, ſed mere caſuale, ergo non poteſt inducere irregularitatem. Antecedens patet, quia non eſt voluntarium in ſe, ac directe, ut ſupponitur: nec virtualiter, ac indirecte, & in cauſa, ſeu ipſo opere, ratione ipſius negligentiæ, quia omnis diligentia debita fuit adhibita, ut etiam ſupponitur, ac proinde homicidium ex illo opere ſecutum invincibiliter ignoratur, adeoque eſt omnino involuntarium quia ignorantia invincibilis tollit voluntarium. Secunda pars, quæ eſt contra ſecundam ſententiam, probatur: quia quando opus, ſive actio aliqua ſpecialiter prohibita eſt, quia inducit propinquum periculum homicidii, quod ex illa neceſſario, vel ſaltem frequenter, conſequitur, tunc homicidium inde ſecutum eſt voluntarium in cauſa: quia qui vult tale opus ſpecialiter a lege prohibitum, propter periculum homicidii, ex juris interpretatione cenſetur velle ipſum homicidium inde conſequens, & Jus præſumit, talem nunquam adhibere debitam diligentiam in præcavendo mortem, niſi deſiſtat a tali opere periculoſo, *Avila cit. l.*

Porro quamvis propter homicidium caſuale ex opere illicito ſecutum non contrahatur irregularitas, niſi in caſibus jure expreſſis: tamen quando actio ſpecialiter eſt prohibita propter periculum homicidii, cenſetur talis caſus ſufficienter expreſſus in Jure, & poterit Jus punire tale factum tali pœna non ſimpliciter: & abſolute: ſed ſi ex illo ſequatur homicidium, vel quia ex Juris interpretatione reputatur eſſe voluntarium propter ſolum opus, quicquid ſit de diligentia adhibita, *Suar. cit. ſec. 6. num. 9. & 10.*

LXVI. Ad fundamentum primæ ſententiæ oppoſitæ reſpondetur inprimis, quod argumentum a contrario ſenſu non procedat in materia pœnali, & odioſa; at materia hæc eſt pœnalis: deinde non eſt firmum, quando contrarium in ipſo jure non eſt expreſſum: at expreſſi juris eſt, irregularitatem non incurri, niſi in caſibus jure expreſſis. Quod autem per argumentum a contrario ſenſu ex jure tantum deducitur, non poteſt dici in jure expreſſum, *Suar. cit. ſec. 6. num. 6.* Nec refert, quod Canones generaliter dicant, homicidas eſſe irregulares, a qua regula non excipiuntur, niſi qui dant operam rei illicitæ, ergo omnes, qui dant operam rei illicitæ, comprehenduntur ſub generali illa regula, & ſunt irregulares, quia nullibi excipiuntur. Sed reſpondetur, Canones, qui loquuntur de homicidio inducente irregularitatem, ſolum loquuntur de homicidio, quod ſit aliquo modo voluntarium, ſaltem indirecto, & in cauſa, ut patet ex *Clem. un. h. t.* Ex qua conſtat, quod homicidia omnino involuntaria, non inducant irregularitatem, de quo infra. At quando conſequitur homicidium ex opere illicito, ſed carente periculo propinquo homicidii, & debita diligentia eſt adhibita, tale homicidium nullo modo eſt voluntarium, ſed mere caſuale, ut jam probatum: ergo non comprehenditur ſub illa regula generali, ac proinde non fuit neceſſarium, ut de illo fieret expreſſa, & ſpecialis exceptio, *Suar. c. l. num. 3. Avila cit. ſec. 2. dub. 1.*

Ad argumentum ſecundæ ſententiæ reſpondetur, qui dat operam rei, ſeu actioni illicitæ, & ſpecialiter prohibitæ propter periculum homicidii (cujuſmodi opera ſunt pugnare in bello, explodere bombardam, vel tormentum, exercere chirurgiam per aduſtionem, vel inciſionem, ideoque prohibita ſunt Clericis) ille vult homicidium indirecte, & in cauſa: quia tenebatur eam vitare propter vitandum homicidium, quamdiu ergo non abſtinet a tali opere illicito, & periculoſo, non cenſetur ſufficientem diligentiam adhibere ad cavendum homicidium. Aliud eſt, ſi quis det operam rei, ſive actioni prohibitæ Clericis, ſed quæ non eſt proxima occaſio mortis, ex qua raro mors contingit, ut eſt venatio aprorum, & urſorum, nam talis non fit irregularis, ſaltem in foro conſcientiæ, *Avila c. l. §. Hinc ſequitur.*

LXVII. Aſſertio 2. Plures ſunt caſus ſpeciales, ſive particulares, in quibus ob homicidium ex opere illicito, & periculoſo ſecutum, etiamſi adhibita ſit debita diligentia, incurritur irregularitas. Et inprimis præcipuus caſus proponitur in „ *cap. Tuo nos 19. in princ. h. t.* ubi quidam Monachus Chirur„ giæ peritus volens quandam mulierem a gutturis tumore „ curare, ferro tumorem illum aperuit, præcipiens ipſi

„ mulie-

„ mulieri, ut ſe vento nullo modo exponeret, ne ſi forte
„ ventus vulnus apertum ſubintraret, cauſam mortis ſibi
„ inferret. Sed mulier, contempto ejus mandato incaute
„ ſe vento expoſuit: & ſic aperto vulnere multus ſanguis
„ effluxit, ipſaque mortua eſt. Quæſitum igitur fuit, an
„ cum prædictus Monachus ſit Sacerdos, liceat ei Officium
„ Sacerdotale exercere? Reſpondet Papa Innocentius III.
„ quod licet ipſe Monachus multum deliquerit, uſurpando
„ alienum officium, quod ipſi minimo conveniebat: ſi ta-
„ men pietatis, & non quæſtus cauſa, id fecit, & peri-
„ tus erat in arte Chirurgiæ, & omnem, quam debuit
„ diligentiam, adhibere ſtuduit, non eſt ex eo, quod per
„ culpam mulieris contra ipſius conſilium accidit, ita re-
„ pellendus ab Officio Sacerdotali, quin poſt condignam
„ ſatiſfactionem, cum eo miſericorditer agi poſſit, ac diſ-
„ penſari, ut divina valeat celebrare: alioquin (ſi non
„ erat peritus, & ſi non adhibuit debitam diligentiam,
„ vel ex cupiditate id fecit) de rigore juris interdicenda
„ eſt illi Ordinis Sacerdotalis executio: quia non eſt ſine
„ culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, ſe immiſcet,
reg. juris 19. *in* 6.

LXVIII. Pro explicatione hujus c. notandum primo. Monachus iſte, qui actum Chirurgiæ exercuit ſecando, cenſetur irregularis, quamvis ſine omni ejus culpa contra quintum Decalogi præceptum, inde ſecutum fuerit homicidium, ſed ſolum culpa mulieris, quam ſecando curaverat quia nimirum Monachus operam dedit rei illicitæ, ſibique ſpecialiter prohibitæ propter periculum homicidii; ideoque homicidium inde ſecutum ipſi imputatum fuit ad irregularitatem, quamvis ſufficientem, & debitam diligentiam adhibuerit in eo cavendo. Et quidem quod in caſu dicti c. Monachus operam dederit rei illicitæ, patet ex illis verbis: *Licet ipſe Monachus multum deliquerit, alienum officium uſurpando*: quod autem irregularitatem incurrerit, patet ex illis verbis: *Poteſt cum eo miſericorditer agi, ut divina valeat celebrare*: ac proinde diſpenſatio in eo caſu fuit neceſſaria, licet facilius cum eo fuerit diſpenſatum, quia non quæſtus cauſa, ſed pietatis id fecit, & peritus erat artis, ac debitam diligentiam adhibuit; alioquin non fuiſſet cum eo diſpenſatum, vel non ita facile, *Covarr. in cit. Clem. un. de homicid. p.* 2. §. 4. *coroll.* 1. & 2. *Molin. cit. diſ.* 77. *nu.* 9. *Suar. cit. diſ.* 45. *ſec.* 16. *num.* 10. *Avila cit. diſ.* 6. *ſec.* 1. *dub.* 1. quia qui dat operam rei illicitæ, ſeu periculoſæ, quæ eſt proxima occaſio mortis, ille vult homicidium indirecte, & in cauſa, quia tenebatur ab ea abſtinere ad evitandum homicidium, quomodocunque illud ſequatur, etiam ſine alia culpa ipſius operantis, quia debitam diligentiam adhibuit; Jus enim vult punire pœna irregularitatis tale factum propter periculum homicidii, ſi ex illo reipſa mors ſequatur.

Notandum ſecundo. Quamvis in caſu *cit. c. Tua nos.* tantum ſermo ſit de Monacho, quia factum narratur, tamen idem dicendum eſt de quolibet alio Clerico ſeculari in Sacris conſtituto, cui ſimiliter interdictum eſt exercitium Chirurgiæ, quæ fit per aduſtionem, vel inciſionem. *c. pen. Ne Clerici, vel Monachi &c. Abb. in citat. c. Tua nos. num.* 2. adeoque ſi ex ejus curatione mora, vel mutilatio ſecuta ſit quamvis caſu, & omni diligentia adhibita, irregularis ſit, quia dedit operam rei ſibi prohibitæ, & periculoſæ. Excipitur tamen caſus neceſſitatis, ſi alius Chirurgus, præter Clericum, non adſit, qui poſſit, & velit hominem periclitantem curare, tunc enim ipſum jus naturale charitatis id exigit, & licitum facit, quod jure ſolum humano prohibitum eſt: ideoque ſi adhibuit debitam diligentiam, & mors ſequatur, ſine alia culpa ſua, non incurrit irregularitatem, *Molin. tr.* 3. *de juſt. diſ.* 75. *num.* 3. & 4. Verum Clerici in minoribus Ordinibus conſtituti, etſi Beneficiati ſint, ſi ex exercitio Chirurgiæ mors ſequatur, non incurrunt irregularitatem, modo debitam diligentiam adhibuerint, quia Canones non exprimunt tales irregulares fieri *Molin. c. l. n.* 2. *in fine. Laym. l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 10. *num.* 3. In caſu vero *cit. c. Tua nos*, Monachus ille, qui erat etiam Sacerdos, aperuit apoſtema, ſine urgente neceſſitate, quia mulier habere potuit alios Chirurgos Laicos, *Molin. c. l. num.* 3. *in fine*. Non obſtat *c. Ad aures* 7. *de ætate & qualit. &c.* ex quo colligitur, quod etiam Clericus in minoribus Ordinibus conſtitutus, fiat irregularis, ſi cum periculo mortis curet ægros, eaque ſequatur. Sed reſpondetur quod in caſu illius cap. Canonico illi aſſerenti, quod ſit artis Chirurgiæ peritus, & adhibita debita diligentia, ſit operatus, fides non ſit habita, quia unde, & ſine probatione id aſſeruit, præſertim cum faſſus ſit, quod ex medicinis ſuis aliqui periculum mortis incurrerint, ideo contra ipſum præſumptio fuit, in ejus curationibus culpam aliquam, ſeu negligentiam intervenisse, *Laym. ibid. num.* 1. videri poteſt, quæ de hac re dicta ſunt *l.* 1. *tit.* 14. §. 7. *num.* 55.

LXIX. Notandum tertio. Si Chirurgus, vel Medicus ſit Laicus, quamvis ipſi prohibitum ſit exercere artem in pœnam alicujus criminis, vel ob aliam extrinſecam cauſam, non ſit tamen irregularis, ſi peritus ſit, & debitam diligentiam in curando adhibuit, etiamſi mora ſequatur, quia exercitium Chirurgiæ non eſt Laicis prohibitum, ratione periculi homicidii, ſed Clericis tantum, *Covarr. c. l.* §. *Tertio ſubſequitur. Suar. cit. ſec.* 6. *num.* 12. *Avila cit. ſec.* 1. *dub.* 2. *in fine*. Quod ſi vero per imperitiam, vel negligentiam culpabilem Medici, vel Chirurgi mors eveniat, id eis imputari debet, *l. Illicitas* 6. §. *Sicut ff. de Offic. Præſid.* & conſequenter irregulares fiunt, nam imperitia culpæ annumeratur in iis, qui ut periti operam ſuam promittunt, *l. Si domum* 9. §. *Celſus ff. Locati*. Hæc tamen irregularitas non contrahitur ex defectu lenitatis, ſed ex delicto, ac pertinet potius ad homicidium caſuale quam voluntarium, *Suar. diſ.* 47. *de cenſ. ſec.* 7. *num.* 2. Similiter Infirmarii, ſive Laici, ſive Clerici, qui curam ægrotorum gerunt, nunquam irregularitatem incurrunt, ſi ſufficientem diligentiam adhibeant: niſi ob culpabilem negligentiam mortem notabiliter accelerent, idque periculum fuerit præviſum, vel prævideri potuerit, *Suar. cit. diſ.* 47. *ſec.* 7. *num.* 3. & 4. unde ſi is, qui infirmo ſervit, & illum in lecto movet charitatis cauſa, ut commodius cubet; non ſit irregularis, etſi mortem paululum acceleraſſe videatur, niſi culpa lata intervenerit, *Silveſt. V. Homicidium* 2. *q.* 15. *Avila p.* 7. *diſ.* 6. *ſec.* 3. *dub.* 8.

Porro præter caſum jam allatum de Medicis & Chirurgis, ſunt & alii, quibus irregularitas ob mortem ſecutam ex opere illicito & periculoſo incurritur. De quibus videri poſſunt Auctores citati.

§. V.

De homicidio omnino involuntario, & inculpabili.

LXX. Quæritur 1. An homicidium factum in furore, vel in infantia, aut in ſomno inducat irregularitatem? De hoc in *Clem. Si furioſus unic. h. t.* ita ſtatutum eſt a Clemente V. in Concilio Viennenſi: Si furioſus, aut infans, vel dor-
„ miens hominem mutilet, vel occidat: nullam ex hoc ir-
„ regularitatem incurrit; ita quidem ut tales neque quoad
„ Ordines jam ſuſceptos, neque etiam quoad ſuſcipiendos
„ ſint irregulares, *Gl. hic V. Nullam*.

LXXI. Circa quam Conſtitutionem notandum primo. Si furioſus, durante furore, occidat hominem, cum tunc uſum rationis non habeat, immunis eſt ab omni culpa, & conſequenter etiam ab omni pœna, *l. Sed etſi* 5. §. 2. *ff. ad Leg. Aquil.* & pati poteſt injuriam, ſed non facere, *l. Illud* 3. *in princ. ff. de injuriis. Gl. hic V. Furioſus*. Secus eſt, ſi dilucida intervalla habeat, & hominem occidat, dum ſanæ mentis eſt, tunc enim ſit irregularis, nam & in foro civili tunc punitur, *l. & Marcus* 13. §. *Si vero ff. de offic. Præſid. Covarr. in cit. Clement. unic. p.* 3. *in initio num.* 1. & 2. Non eſt autem irregularis, etſi gravi culpa ſua in furorem, vel amentiam inciderit, *Navarr. in man. c.* 27. *num.* 30. *Avila p.* 7. *de cenſur. diſ.* 6. *ſec.* 1. *dub.* 12. quia licet prius peccaverit, ſupervenienti tamen poſtea furore, amplius peccare non poteſt. Porro ſi dubitetur, quo tempore furioſus habens dilucida intervalla occiderit, vel alias deliquerit, num ſcilicet tempore furoris, an vero tempore, quo ſanæ mentis erat, in hoc dubio præſumendum eſt potius, quod occiderit, vel aliter deliquerit, dum furioſus erat quam tum ſanæ mentis: idque ut excludatur delictum, & ejus pœna, niſi contrarium probetur, *Menoch. l.* 6. *de præſumpt.* 45. *num.* 63.

LXXII. Notandum ſecundo. Si infans (hoc eſt minor ſeptennio) hominem occidat, non ſit irregularis, *Gl. hic V. Infans.* quia perfectum uſum rationis non habet ad diſcernendum id, quod agit, ideoque neque pœna legali homicidii tenetur, *Infans* 12. ubi idem dicitur de furioſo *ff. ad Leg. Cornel. de Sicariis*. Sed etſi puer infra tempus infantiæ, nempe ante ſeptennium completum, plenum uſum rationis habeat, & occidat aliquem, probabilius eſt, non incurrere irregularitatem. Ratio eſt: tum quia irregularitas non incurritur, niſi in caſibus a Jure expreſſis: ſed non eſt in Jure expreſſum, quod infans, etſi doli capax ſit, & plenum uſum rationis habeat, ſi occidat hominem, fiat irregularis. Tum quia generaliter, & abſque ulla diſtinctione, ſeu exceptione in *cit. Clement. un.* dicitur, infantem ſi mutilet, vel occidat hominem, non fieri irregularem, ergo cum ſit beneficium a lege conceſſum, ex cauſa miſerationis, & pietatis, non eſt reſtringendum, ſed ample intelligendum, *Avila. c. l. dub.* 13. *concl.* 1. *poſt Henriq.* contra *Covarr. cit. l. num.* 5. Nec refert, quod in infante plenum uſum rationis habente ceſſet ratio, ob quam ſtatutum fuit, non fieri irregularem, quia ſcilicet occiſio non eſt voluntaria in infante: nam non ceſſat ratio conceſſionis adæquata, & totalis, quia non ceſſat tenera ætas, in cujus favorem immunitas ab irregularitate ei conceſſa eſt, *Avila c. l.* Quin imo etſi major ſit ſeptennio, ſi tamen necdum plenum uſum rationis habeat, non ſit ob commiſſum homicidium irregularis, quia cum excuſetur a culpa, ob defectum ſufficientis uſus rationis, ad peccandum mortaliter, excuſari etiam debet a pœna irregularitatis, *Avila c. l. concl.* 2. Idem dicendum, ſi major ſit ſeptennio, & dubitetur, utrum habeat etiam plenum uſum rationis, adhuc enim in hoc dubio non eſt cenſendus irregularis quia in dubio favendum eſt pupillari ætati: & ſi dubitetur, an actus, ſive delictum ſit factum, tempore licito, an illicito, præſumi debet eſſe factum tempore licito, ut excuſetur delictum, & qui accuſat, tenetur probare eſſe factum tempore illicito, juxta doctrinam Bartoli in *l. Non ſolum* 8. §. *Sed ut probari num.* 3. *ff. de novi op. nunt. Avila cit. l. concl.* 3. Idem obſervatur etiam Jure Civili: nam impuberes non puniuntur pœna ordinaria delicti, niſi ſint doli capaces, & pubertati proximi: imo nec tunc ultimo ſupplicio afficiuntur, ſed mitiore pœna, puta exilio, vel fuſtigatione, *l.* 1. *C. de falſa moneta*, nam in ſuppliciis nunquam impubes habetur pro doli capace, *VVeſenb. in paratit. ff. ad leg. Cornel. de Sicariis num.* 14. ubi *num.* 16. addit, quod etiam puberibus, ſed minoribus 25. annis, pœnæ mitigentur ratione ætatis, quia non eſt tantus dolus in illis, quantus in majoribus.

LXXIII. Notandum tertio. Si quis, dum dormit, hominem occidat, non ſit irregularis, cum & is judicio rationis, & libero arbitrio careat, ideoque extra culpam eſt; niſi tamen homicidium ſit præviſum, & indirecte volitum, ſeu intentum in cauſa, quia nimirum vigilans advertit, quod in ſomno ſoleat ſurgere, arma arripere, & obvios percutere, & tamen non adhibet debitam diligentiam ad hujuſmodi periculum præcavendum, nempe arma removendo, vel ſe includendo in cubiculo obſerato, vel alias arbitrio boni viri providendo: alioquin ſi ſufficientem diligentiam adhibuit, homicidium ſubſecutum, nec in ſe, nec in cauſa eſt voluntarium, *Covarr. cit. p.* 3. *in princ. num.* 6. Quod ſi

vero quis vigilans adeo iraſcatur contra alium, ut eum deſideret occidere, & hoc deſiderio flagrans eat dormitum, & de iis, quæ in vigilia acciderunt, ſomnians ſumat gladium, & accedens ad lectum Inimici illum occidat, nec tunc erit irregularis, quia tale homicidium eſt etiam involontarium, niſi præviderer, ſe ſolitum in ſomno arma capere, & percutere, ut ſupra dictum, *Covarr. c. l. Avila c. l. dub. 14.*

LXXIV. Quæritur ſecundo. An ſicut furioſus, vel dormiens occidens hominem non incurrit irregularitatem, ita nec ebrius? Ratio dubitandi eſt, quia in *cit. Clement. un.* de ebrio nulla ſit expreſſa mentio: Verum reſpondetur, illum non fieri irregularem, etiam ſi culpa ſua ſit inebriatus, quia ebrius durante ebrietate, etiam caret uſu rationis, & ideo eadem in illo ſubeſt ratio excuſandi ab irregularitate, quæ in furioſo, vel dormiente, neque etiam homicidium factum in ebrietate eſt in ſe, vel in cauſa volitum, & intentum, cum ebrietas per ſe proxime non ſit ordinata ad homicidium, nec ordinarie conjuncta cum periculo homicidii, ideoque eſt cauſa ſolum remota, & per accidens, ſi quandoque ex illa homicidium ſequitur: dummodo tamen quis non dedita opera; & eo fine ſe inebriarit, ut liberius poſſet occidere: vel niſi alias eſſet ſolitus in ebrietate arma ſumere; & homines obvios ferire, adeoque ſciat ſe ebrium, ad pugnas eſſe pronum, tunc enim homicidium ſecutum eſſet indirecte voluntarium in cauſa, ſi non adhibuit debitam diligentiam ad pericula illa cavenda, & irregularis fieret, *Covarr. c. l. num. & 4. Navarr. cit. c. 27. num. 230. Avila cit. ſec. 1. dub. 15.* Nec refert, quod in *cit. Clem. un.* ab irregularitate ebrius, eique in Jure æquiparatur: nam ubi ebrietas, ibi & libido dominatur, & furor, *cap. Venter 5. diſ. 35.*

Atque hæc quidem procedunt de Jure Canonico, & in foro Eccleſiaſtico: in foro vero civili, & ſeculari ebrietas, etiamſi mentem auferat, non excuſat, quia opera datur rei illicitæ: quamvis ob illam capitalis pœna non infligatur, ſed pœna mitigetur, *l. Omne delictum 6. §. Vinum, ff. de re militari.* non item, ſi parva ebrietas ſit, quæ uſum rationis non tollat, *VVenſeb. in Paratit. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. numer. 22.*

LXXV. Porro ad homicidium omnino involuntarium pertinet, quando ad vindicandum aliquem ob injuriam ei illatam, ejuſdem amici, conſanguinei, vel famuli Titium v. g. occidunt, eo tamen, cujus cauſa ſit homicidium, id prohibente, & cauſam non dante: nam tale homicidium reſpectu ejus, qui id prohibuit, nec ei cauſam dedit, eſt omnino involuntarium, ideoq; ipſe nec homicida eſt, nec irregularis, prout deciditur in *c. Petrus 17. h. tit.* Nam Petrus, Diaco„ nus, & Monachus, cum olim eſſet Clericus ſecularis, „ beneficium obtinuit in quadam Eccleſia, cujus Abbas ip„ ſum eodem ſpoliavit, idcirco amici, & cognati dicti Dia„ coni, in domo ejuſdem concurrerunt, & dixerunt, quod „ vindictam velint ſumere de Abbate: ſed Diaconus ille ex„ preſſe inhibuit, ne Abbatem occiderent, aut aliquid fa„ cerent, unde poſſet periculum ſui Ordinis incurrere: ſed „ ipſi nihilominus irruerunt in eum, & plagis impoſitis abi„ erunt, ſemivivo relicto, qui poſt aliquot dies exſpiravit. „ Quocirca mandat Papa Innocentius III. Epiſcopo Diœce„ ſano, ut ſi præmiſſa vera ſunt, prædicto Diacono non ſo„ lum in Diaconatus officio miniſtrandi, ſed etiam ad Pres„ byteratus Ordinem aſcendendi (ſi aliud Canonicum im„ pedimentum non obſtiterit) auctoritate Apoſtolica, libe„ ram facultatem concedat: præſertim ſi ſuper hoc non fue„ rit infamatus, alioquin ſe purgare deberet, *Gl. hic V. Præſertim.* Ratio deciſionis eſt; quia non debet alicui imputari, quod contra expreſſam illius prohibitionem, eo cauſam, vel occaſionem non dante, ab ipſius conſanguineis fuit attentatum, alioquin enim dolus alterius ei obeſſet, qui culpabilis non fuit. *Gl. hic in notatis.*

LXXVI. Hinc colligitur primo. Si quis cauſam dedit rixæ, non ſine ſua culpa, & illicite, & amici, conſanguinei, vel famuli illius cum eo rixantem, & pugnantem occidunt, licet præter ejus voluntatem, & prohibitionem, tamen ſit irregularis, quia dedit cauſam rixæ, & quidem culpabiliter, ut a contrario ſenſu colligi videtur ex *cit. c. Petrus*, & tradit *Abb. ibid. num. 1. Covarr. in Clem. unic. de homic. p. 2. §. 2. num. 8. in 2. caſu. Barb. hic num. 3.* quamvis *Avila cit. diſ. 6. ſec. dub. 3. concl. 1. cum Henriq.* probabiliter putet, talem non eſſe irregularem, quia per prohibitionem impedivit, quantum in ſe erat, mortem alterius, ideoque non eſt cauſa illius.

Colligitur ſecundo. Si quis fuit præſens tractatui ſuper occidendo inimico ſuo, a ſuis ſervis, vel amicis habito, & tacuit, ſit irregularis, ſecuto homicidio, prout ſumitur ex hoc c. ubi Diaconus ille ideo excuſatur ab irregularitate, quia quantum potuit, ſuos a cæde prohibuit: nam taciturnitas præſentis habetur pro conſenſu, quando tractatur de cauſa illius, ut in propoſito de homicidio patrando in gratiam Petri, *Covarr. c. l. num. 8. in quarto caſu Avila cit. l. concl. 2. Barb. hic num. 5.*

Colligitur tertio. Si Petrus v. g. dedit cauſam rixæ, etſi illicite, & culpabiliter, ac quamvis Clericus ſit, & inimici illius, qui cum Petro rixatur, ſuperveniant, eumque occidant; non intuitu Petri, ſed ratione propriæ inimicitiæ contra occiſum, Petrus non ſit irregularis, quia homicidium non fuit factum propter Petrum, adeoque ipſe non fuit cauſa illius, *Abb. in cit. c. Petrus, not. ult. Covarr. cit. l. in 3. caſu Avila c. l. concl. 3.*

S E C T I O III.

De Homicidio neceſſario, ſive ob defenſionem facto, & irregularitate ex eo contracta.

§. I.

An qui ob defenſionem ſuæ propriæ perſonæ, ac vitæ, alium occidit, vel ob defenſionem proprii honoris, ac famæ, fiat irregularis?

Homicidium neceſſarium hic vocatur, non prout opponitur libero, ſit enim voluntarie, ac libere, ſed quia ſit coacte, & non ſponte, nec per ſe intenditur, ſed ex neceſſitate juſtæ defenſionis, contra injuſtum aggreſſorem.

LXXVII. Aſſertio 1. Qui occidit, vel mutilat alium, ob neceſſariam corporis ſui, ſeu vitæ defenſionem, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, non ſit irregularis: ſecus, ſi in modo defenſionis culpabiliter excedat; tunc enim ſit irregularis *S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 7. in corp. Covarr. in Clem. unic. de homicid. p. 3. §. unic. nu. 1. Suar. diſ. 46. de cenſur. ſec. 1. num. 4.* & alii DD. communiter. Idque conſtat ex *Clem. Si furioſus. unic. h. tit. in fine.* ubi dicitur, quod irregularita„ tem non incurrit, qui mortem aliter vitare non valens, „ ſuum occidit, vel mutilat occiſorem. Ratio eſt; quia ju„ re naturali permiſſum eſt, vim atque injuriam propulſare, & corporis ſui tutelam ſuſcipere contra injuſtum invaſorem, *l. Ut vim. 3. ff. de juſtit. & jure.* cum ergo tale homicidium ſit licitum, & inculpabile, non contrahitur irregularitas ob illud in pœnam, cum nulla adſit culpa, & alioquin puniretur, quod jure permiſſum eſt, contra *l. Gracchus 4. C. ad l. Jul. de adult.* Neque etiam ob defectum lenitatis incurritur irregularitas, quia hic non intervenit, ubi homicidium ſit propter neceſſitatem defenſionis, *Suar. cit. diſ. num. 1.* Idq. procedit, non tantum Jure novo, ſed etiam ſecundum Jus antiquum, quod nimirum etiam olim, qui ſe defendendo alium occidit, irregularitatem non incurrit, ſive laicus fuerit, ſive Clericus; niſi tunc quando homicidium vitari potuit; adeoq; ad defenſionem neceſſarium non fuit: quo ſenſu intelligi debet textus in *c. De his. 6. & cap. Si quis. 8.* ibi: *aut defenſione, diſ. 50.* ubi Gl. id explicat de defenſione evitabili; adeoque non neceſſaria, & *Gl. fin. in cit. c. De his.* eum textum exponit de defenſione facta incaute, & ſine moderamine; nam cuilibet licitum eſt ſe defendere, & vim vi repellere cum moderamine, *c. Jus naturale. 7. diſt. 1. & l. 1. C. Unde vi*: & confirmatur ex eo, quia *cit. Clem. un.* non continet verba, quæ inducunt novum Jus, ſed quæ declarant, & exponunt Jus antiquum, ibi: *Et idem de illo cenſemus*, & ibi *Gl. V. Eodem. Suar. cit. ſec. 1. nu. 2. & 3.* quamvis de eo olim dubitatum fuerit. Unde *S. Th. cit. art. 7. ad 3.* ait, quod Clericus etiamſi ſe defendendo interficiat aliquem, eſt irregularis. Similiter quando Concilium Trident. *Seſſ. 14. c. 7. de reform.* loquens de homicidio quod vim vi repellendo, ut quis ſe a morte defenderet, commiſſum fuit, ejus diſpenſationem committit loci Ordinario, intelligi debet de eo caſu, quo quis exceſſit moderamen inculpatæ tutelæ, quia ſe aliter poterat defendere, juxta *declarat. Cardin. Concil. apud Jo. Gallemart. ibid. num. 3.* Neque etiam Concilium ibid. inducit novam irregularitatem, neque revocavit declarationem *cit. Clem. unic. h. titul. Suar. cit. l. num. 3. Navarr. conſil. 36. h. tit.*

LXXVIII. Porro quod dictum eſt, non fieri irregularem, qui neceſſariæ defenſionis cauſa, alium occidit, extenditur primo. Ut non fiat irregularis, etiamſi aggredi volentem præveniat, & prius occidat, quia non tenetur expectare, donec ab ipſo præveniatur, modo aliud medium evadendi mortem non adſit, *Navarr. in Man. cap. 15. num. 2. in fine.* quia plus tenetur quis providere vitæ ſuæ, quam alienæ, ut ait *S. Thom. cit. art. 7. in corp.*

Extenditur ſecundo. Non eſſe irregularem eum, qui alium occidit, etiam ad declinandam mutilationem, ne alicui membrum aliquod v. g. manus abſcindatur, ſi alias integritas membrorum propugnari nequeat, *Suar. cit. diſ. 46. ſec. 2. num. 6.* quia ſicut mutilatio, alteri facta injuſte, æquiparatur homicidio, quoad irregularitatem contrahendam: ita defenſio propriæ perſonæ a mutilatione æquiparatur defenſioni a morte, quoad excuſandam irregularitatem, præſertim quia contingere poteſt, ut ex abſciſſione membri, vel vulnere lethali mors ſequatur.

Extenditur tertio. Non eſſe irregularem eum, qui ob ſui neceſſariam defenſionem occidit innocentem invaſorem, ut furioſum, vel amentem, ſi aliter ſe ſalvare non poſſit, *Barb. in cit. Clem. unic. num. 17.* & alii apud ipſum, quia tunc cædes innocentis tantum per accidens contingit, utpote non intenta per ſe, ſed ſecuta ex opere licito, & neceſſario, quod eſt defendere vitam propriam.

Extenditur quarto. Non eſſe irregularem eum, qui, cum non poſſit ſe ipſum defendere, advocat alium, ut ipſum defendat ab injuſto invaſore, & hunc occidat, quia quod licet alicui facere per ſeipſum, ſine irregularitate, poteſt etiam per alium, & cenſetur facere per ſe ipſum, *Navarr. in Man. c. 27. num. 212. Avila cit. l.*

Extenditur 5. Non fieri irregularem, qui invaſorem ſuum ad ſe defendendum occidit, licet cum interno odio, & appetitu vindictæ, quia actus internus, ſine actu externo, non ſufficit ad irregularitatem inducendam, ſi revera quia occidat invaſorem ad defendendam vitam ſuam, *Avila diſ. 5. ſec. 3. dub. 1. Barboſ. in cit. Clem. unic. num. 16.*

LXXIX. Aſſertio 2. Qui occidit, vel mutilat injuſtum invaſorem, ob defenſionem proprii honoris, aut famæ, ſit irregularis, ut docet *Silveſt. Verſ. Homicidium 3. quæſt. 4. articlo 1. Navarr. l. 5. conſ. 6. num. 4. h. t. Avila p. 3. diſ. 5. ſec. 3. dub. 2. §. Ex his ſequitur, Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 9. nu. 3.*

& alii,

Digitized by Google

& alii. Idque colligi videtur ex *Clem. unic. h. tit.* ubi dicitur: *qui mortem aliter vitare non valens ſuum occidit, vel mutilat invaſorem*, non fit irregularis: ergo a ſenſu contrario, ſi mortem evadere poſſit, & occidat, vel mutilet, fit irregularis: *Gl. ib. V. Non valens.* Ratio eſt. quia qui alium occidit, ob defenſionem ſui honoris, non tam ob neceſſariam ſui defenſionem, quam vindictæ cauſa, occidere cenſetur, cum honor læſus poſſit aliis competentibus mediis reparari. Ex quo ſequitur, quod qui injuſte invaſus ab altero poteſt mortem evadere fugiendo citra vitæ periculum, incurrat irregularitatem, ſi non fugiat: quia quamvis regulariter non teneatur quis fugere, ne aggreſſorem occidat; adeoque non peccet, etiamſi non fugiat, ut pater in viro nobili, vel militari, cui probroſum eſſet, ſi invaſus fugeret, & non ſe defenderet: & conſequenter talis, etſi non fugiat, non incurrit irregularitatem ex delicto: neq; etiam ob tale homicidium in foro ſeculari plectetur pœna homicidii, ſaltem ordinaria, incurrit tamen irregularitatem ex defectu perfectæ lenitatis, ſi non fugiat, cum poſſet, quia Chriſtianæ Charitati, & manſuetudini magis conforme eſt, tolerare & ſuſtinere injuriam quam ob defenſionem ſui honoris alium occidere, ſi non agatur ſimul de vitæ periculo, *Navarr. in Man. c. 27. num. 231. Laym. c. l.* Excipi debet, niſi quis fugiendo periculo ſe exponeret, quia dubitabat, ne forte cadat, vel aggreſſor velociori curſu ipſum aſſequatur: vel quia aggreſſor ex fuga invaſi audacior factus, facile fugientem occidere, vel mutilare poſſet, tunc enim non tenetur quis tali periculo ſe exponere, ideoq; etſi non fugiat, ſed occidat aggreſſorem, non incurrit irregularitatem ullam, etſi Clericus ſit, neque enim qualitas loci, & temporis patitur plenius deliberandi conſilium, *Sylveſt. c. l. dicto 2.*

LXXX. Contrarium tamen, non incurri irregularitatem ullam ex homicidio facto ad defendendum proprium honorem, ſi is ſalvare ſe non poſſit, tenet *Suar. diſ. 46. de cenſ. ſec. 1. num. 5. & 6.* Ubi ait, diſtinguendum eſſe, nam qui non tantum, ſine periculo vitæ, ſed etiam ſine dedecore, & infamia fugere poteſt, qualis eſt Clericus, vel Religioſus, vel homo vilis conditionis, aut in eo loco ignotus: & talis fit irregularis, ſi non fugiat, ſed reſiſtat, & occidat in ſui defenſionem, quia ſine morali neceſſitate occidit proximum, imo nec poteſt excuſari a culpa coram Deo. Vel non poteſt quis in tali caſu fugere, ſine gravi ignominia, & jactura honoris: & tunc etiam non tenetur fugere, nec irregularis fiet, ſi ſe defendendo alium occidat: tum quia quod non poteſt vitari, ſine magna infamia, & jactura honoris, moraliter eſt inevitabile, ideoque merito cenſeri debet hic caſus comprehenſus ſub verbis *cit. Clem. unic. h. t.* tum quia hujuſmodi homicidium, non tantum eſt inculpabile, tali caſu, ſed neque ſpontaneum, & abſolute voluntarium, ſed moraliter neceſſarium ad ſui defenſionem, quid enim magis moraliter neceſſarium eſt ad ſui defenſionem, quam vitare gravem infamiam, vel jacturam honoris, cum honor, ſive fama boni nominis, & vita æquiparentur, & viro bono metus amittendi honoris major ſit, quam mortis, *l. Iſti. 8. §. pen. ff. quod met. cauſ.* Quare hæc ſententia eſt valde probabilis, imo vix differt a priore ſententia cum adjuncta exceptione, ut ex infra dicendis magis patebit.

LXXXI. Cæterum quod dictum eſt non contrahi irregularitatem ex homicidio facto ad neceſſariam ſui ipſius defenſionem, id extenditur etiam ad homicidium factum ob licitam, & neceſſariam defenſionem alterius hominis innocentis: nam qui injuſtum invaſorem patris, matris, vel alterius cognati, imo etiam cujuſvis extranei innocentis, mutilat vel occidit, non fit irregularis, ut docet *Covarr. in cit. Clem. un. p. 3. §. un. num. 5. Molin. tract. 2. diſ. 209. concl. 3. Clar. §. Homicidium. num. 27. & 28. Suar. cit. diſ. 46. ſec. 3. num. 2. & 3. Avila p. 7. diſ. 5. ſec. 3. dub. 5. Laym. cit. c. 9. num. 2.* Probatur 1. Quia tale homicidium non tantum ſit licite, ſed etiam interdum ex obligatione legis naturalis, & Divinæ, vi cujus tenetur quis defendere proximum, quin irregulariter non incurritur, niſi homicidium ſit voluntarium, & culpabile; at tale homicidium eſt inculpabile, nec moraliter voluntarium ac ſpontaneum, ſed quaſi coactum, cum ad id cogat tum ipſe aggreſſor, tum ipſa lex naturalis & Divina, quæ defenſionem proximi præcipit, ſi ſine gravi ſuo incommodo poſſit, ideoque non poteſt eam omittere ſine peccato. Probatur 2. Irregularitas ex homicidio licito contrahitur ex defectu perfectæ lenitatis, & manſuetudinis: qualis defectus eſſe, vel dici non poteſt, quando quis occidit hominem, ad quod ex Chriſtiana pietate, vel etiam ex juſtitia obligatur, quia una virtus non contradicit alteri, nec pugnat cum altera; neque etiam eſt credibile, quod Eccleſia voluerit aliquem inhabilem reddere ad Ordines ſuſcipiendos, vel exercendos, propterea quia legem naturalem ſervavit, & mortem ſpiritualem animæ incurrere noluit, nam alioquin abſtraherentur fideles ab obſervatione præcepti Dei, metu irregularitatis. Non obſtat, quod in *cit. Clem. un. h. tit.* ab irregularitate excipiatur tantum is, qui occidit alium ad defendendam vitam propriam: nam ibi non excluditur neceſſaria defenſio proximi, quia in illa non condidit Pontifex novum jus, ſed declaravit antiquum, quoad caſum particularem defenſionis propriæ vitæ, qui eſt graviſſimus, & non raro contingit: reliquos vero, qui rarius accidunt, reliquit opinioni Doctorum, *Avila cit. diſ. 5. ſec. 3. dub. 5.* Neque etiam obſtat, quod Judex etiam licite, & ſine culpa, imo etiam ex juſtitia occidit malefactores, & tamen fit irregularis: nam homicidium in Judice eſt voluntarium in cauſa, quia ſponſe ſuſcepit, vel ſaltem non ita coacte officium, ut non poſſet, ſine peccato, illud recuſare, *Avila cit. l.*

§. II.

An is, qui ob defenſionem bonorum temporalium, quæ poſſidet, occidit, vel mutilat aliquem, fiat irregularis.

LXXXII. Affirmant *Gl. fin. in c. 2. h. t. & ibid. Abb. nu. 2. Sylveſt. V. Homicidium 2. q. 16. num. 21. Navarr. in Man. c. 15. num. 4.* Ubi addit, id ipſum obſervare ſtylum Curiæ Romanæ, qui jus facit, *c. Quam gravi 6. de crim. falſi. Molin. tr. 3. de juſtit. diſ. 72. num. 3. Avila cit. diſ. 5. ſec. 3. dub. 4. Laym. cit. c. 9. num. 3.* Idque probatur 1. ex *cit. Clement. un. h. tit.* Ubi ſolum eximitur ab irregularitate, qui mortem aliter vitare non valens ſuum occidit, vel mutilat invaſorem: ergo per ſenſum contrarium, ſi quis aliter mortem vitare poſſit, etſi cum jactura bonorum externorum, ſi occidat, vel mutilet, irregularitatem contrahit, ut ſupra jam dictum. Nam quia Jus Canonicum excepit ſolum defenſionem propriæ vitæ, propter ſummam neceſſitatem naturalem, cenſendum eſt, minorem neceſſitatem non ſufficere ad excuſandum ab irregularitate, quia quamvis neceſſitas defendendi bona temporalia excuſet a culpa, non tamen a defectu lenitatis, qui vel maxime ex eo apparet, quod homo velit potius occidere proximum, quam res temporales amittere.

LXXXIII. Deinde idem probatur ex Jure Canonico antiquo, nam in *c. Interfeciſti 2. h. t.* (quod eſt deſumptum ex Pœnitentiali Romano cap. 4.) dicitur: ſi quis interfecit furem, vel latronem (nam hic ſumuntur pro ſynonymis, *Abb. hic not. 2.* modo non ſit publicus depopulator agrorum, quem interficere licitum eſt, *l. 1. & 2. C. Quando licet uni ſine Judic. &c.* ſed non Clericis, *Gl. hic V. Latro„nem.*) quem capere poterat ſine occiſione, per XL. dies „ non intret Eccleſiam: & lanea veſte (id eſt, cilicio, *Gl.* „ *hic V. eod.*) indutus, abſtineat ab eſcis & potibus (præ„ter panem, & aquam) & a toro, (conjugali ſcilicet; niſi alter conjux debitum exigat, *Gl. hic V. A. toro*, vel ſecundum alios DD. a lecto materiali, ut dormiat, non in lecto, ſed in ſcamno tempore pœnitentiæ, *Abb. hic num. 3.* & a gladio, hoc eſt, a militia *Gl. hic V. eod.*) feria III. au„tem & V. feria, ac Sabbato aliquo genere leguminum, „ vel oleribus, pomis, & parvis piſciculis, cum modica „ cerviſia, temperate veſcatur. Si vero ſine odio, libe„rando ſe ſuaque, hujuſmodi hominem id eſt, latronem „ ſeu furem) occidit, (ſecundum indulgentiam dicit, „ quia ad imaginem Dei factus erat) ſi quis jejunare vo„luerit, bonum erit, & eleemoſynam faciet. Si autem „ Presbyter hæc eadem fecerit, non deponatur (quia non „ cenſetur directe homicidium feciſſe, *Gl. hic V. eod.*) ta„men quamdiu vivit, pœnitentiam agat.

Atque juxta hanc ſententiam ſequitur 1. Si fur vel latro capi poſſit citra occiſionem, impune interfici non poteſt, *Abb. hic not. 2.* 2. Si quis occidit furem, ut ſe ſuaque liberaret ac defenderet; excuſatur ab omni culpa, & pœna, niſi quam ultro aſſumere voluerit: at vero pro ſuis rebus tantum liberandis, ſeu defendendis, non eſt licitum occidere furem, quia utrumque copulative requiritur ad licitam cædem, defenſionis cauſa factam, ut & perſona, & res occidentis periclitentur, & aliter ſalvari non poſſint, ut patet ex illis verbis *ſe ſuaque liberando*. Quare non eſt licitum hominem occidere ad rerum ſuarum tutelam, niſi neceſſaria propriæ vitæ defenſio accedat, *Abb. hic num. 2.* & conſequenter talis etiam irregularis fiet, quia debuit potius dimittere res ſuas, quam interficere furem, *Gl. fin. hic* 3. Si Sacerdos, vel alius Clericus interficiat furem ad ſalvandas res ſuas, non eſſe ita graviter puniendum, atque ſi, citra neceſſitatem defenſionis, homicidium commiſiſſet: fieri tamen irregularem, ſed cum eo diſpenſari poſſe, ut beneficium retineat, *Gl. fin. & Abb. in cit. cap. 2. §. fin. numer. 4.* Ubi tamen addunt, ſi Sacerdos, vel Clericus furem occidat, quia aliter non potuit evitare mortem, tunc non ex neceſſitate agere debet pœnitentiam: ſed ſolum ad cautelam, quia ſic interficiendo nullum peccatum commiſit, adeoque nec ullam irregularitatem incurrit. Verum quis ſit verus intellectus hujus c. infra dicetur.

LXXXIV. Secundo in *cap. Si Perfodiens 3. h. tit.* quod eſt „ deſumptum ex *cap. 22. Exodi* dicitur: Si perfodiens do„mum inventus fuerit fur, & percuſſus mortuus fuerit, „ non imputabitur illi homicidium: ſi autem ortus fu„per eum ſol, reus erit, hoc eſt, ei, qui occidit furem „ nocturnum, non eſt imputandum homicidium, ſecus, ſi „ diurnum occidat, quia poterat diſcernere, ſive cognoſce„re, quod ad furandum, non ad occidendum veniſſet, „ & ideo non debet occidi. Unde etiam in antiquis legi„bus ſecularibus, (*l. Itaque 4. ff. ad leg. Aquil. l. Furem 9.* „ *ff. ad leg. Cornel. de ſicar.*) ſtatutum reperitur, impune „ occidi nocturnum furem, quoquo modo, non autem diur„num, niſi telo, id eſt, armis ſe defenderit, tunc enim „ plus eſt, quam fur. Ratio diſparitatis inter furem diur„num, & nocturnum eſt, quia ſi fur nocturnus aufugiat, „ cum rebus ablatis, non poteſt cognoſci, ut poſtea con„veniri poſſit coram Judice, nec poteſt diſcerni pericu„lum mortis aut metus, quo vim inferre tentat, & ideo „ potuit impune occidi, etiamſi armis non ſe defendat, ſi „ non poſſit comprehendi, ſine occiſione, *Abb. hic in fine.* At vero fur diurnus poteſt cognoſci, adeoque poſtea etiam accuſari poterit; & tunc etiam conſtare poteſt de modo furti, & periculo, quod eſſe potuit in reſiſtentia furis, ideoque occidi non poteſt, niſi armis reſiſtat, *Gl. in cit. l. Furem V. Periculo ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* Hinc autem ulterius inferri videtur, ſi non eſt licitum occidere eum, qui non ad occidendum: ſed ad furandum tantum venire cognoſcitur, juxta *citat. cap. 3. h. titul.* conſequenter neque li-

citum eſſe, ob defenſionem rerum ſuarum tantum furem occidere, ac proinde ſic occidens irregularis fiet.

„ LXXXV. Tertio in *c. Suſcepimus* 10. *h. tit.* refertur, quod cum duo Monachi, ex mandato Abbatis ſui, domum quandam cuſtodirent, quidam latrones, ſeu fures de nocte ingredientes ad eos, cœperunt illos in perſonis affligere, & veſtimentis etiam ſuis denudare: in quos Monachi iſti, reſumptis viribus, inſurgentes, eos ligaverunt, & detinere voluerunt, quouſque Abbati, vel Capitulo id nunciarent. Cum autem unus ex illis ad notitiam Abbatis rem perferret, dimittens eos ligatos in cuſtodia alterius Monachi, & fures illi ſe vinculis ſolvere niterentur; alter Monachus, timens, ne ab illis interficeretur, eoſdem occidit. Re delata ad Alexandrum III. is reſcribit, quod potius expediebat, relinquere tunicam & pallium, & rerum ſuſtinere jacturam, quam pro conſervandis vilibus, & tranſitoriis rebus, ita acriter in alios excandeſcere: ideo etiam iſte (qui nuncium pertulit ad Abbatem) ab Altaris miniſtario abſtineat: & uterque peccatum ſuum, ad arbitrium Abbatis (quia pœnitentiæ ſunt arbitrariæ, *cap. Tempora.* 2. *cauſ.* 26. *quaſt.* 7. *Gloſ. hic V. Arbitrium.*) ſtudeat expiare, quia conſtat, eos contra manſuetudinem Eccleſiaſticam, utriuſque opera, eſſe interemptos, quia ſcilicet unus facto ipſo eos occidit, alter opem tulit, eos ligando, *Gloſ. fin. hic.*

Hinc colligi videtur primo. Quod non ſit licitum, ſaltem Clerico aut Religioſo, propter res temporales conſervandas, occidere latronem, ſeu furem, quamvis res aliter conſervari non poſſint, ſed potius oporteat omnium rerum jacturam ſuſtinere, alioquin irregularitas incurritur, ut habetur in hoc c. & *Abb. hic. not.* 3. ſed de vero intellectu hujus c. dicetur infra.

Colligitur ſecundo. Quod ita punitur, qui cauſam præbet delicto, ſicut ipſe faciens, *Gl. fin. hic.* ut in caſu propoſito, imputatum fuit homicidium non ſolum ei, qui interfecit, ſed etiam illi, qui cauſam dedit, ſive operam præſtitit in ligando fures, *arg. l. Item Mela.* 11. §. *Si alius ff. ad leg. Aquil.* Ubi dicitur, ſi alius tenuit, & alius interemit, is qui tenuit de damno tenetur, ſicut is, qui interemit, quia cauſam morti præbuit, *Abb. hic not.* 4. Atque ex his juribus hactenus allatis probatur ſententia communior DD. cædem factam, ob defenſionem rerum temporalium, inducere irregularitatem.

LXXXVI. Contraria tamen ſententia eſt etiam probabilis, in quam inclinat *Covarr. in cit. Clem. un. p.* 3. §. *un. n.* 6. *in fine.* & tenet *Suar. diſ.* 46. *de cenſ. ſec.* 2. *num.* 10. Ubi ait, illam practice tutam eſſe, & in rigore juris veram. Cujus fundamentum eſt, quia tale homicidium eſt licitum, & inculpabile, nec omnino voluntarium, ac per ſe intentum, cum ſola defenſio rerum ſuarum intendatur; cædes vero non niſi per accidens ſequi cenſeatur, quippe ad quam occiſor moraliter cogitur, ob injuriam ab altero in rebus ſuis ſibi illatam, adeoque non tam voluntaria ſit occiſio, quam neceſſaria defenſio. Aliud eſt in homicidio facto in bello juſto a milite, vel a Judice, quia hoc non eſt omnino involuntarium, cum hi ſe ſponte ingerant illi muneri, & vindictam, ſeu punitionem intendant, in quo maxime conſiſtit indecentia, & defectus lenitatis, *Suar. cit. l. num.* 4. 2. Probatur ex eo, quia bona temporalia, quodammodo vitæ comparantur, cum ad vitam conſervandam ſint neceſſaria, *l. Advocati.* 14. *in fine. C. d. Advocat. diverſ. Iudic.* Si ergo licitum eſt occidere invaſorem injuſtum, in defenſionem vitæ, licitum id eſſe etiam debet in defenſionem bonorum temporalium, per quorum amiſſionem quis conſtituitur, vel in extrema, vel ſaltem in gravi neceſſitate, ſi amittantur ad ſtatum ſuum neceſſaria. Accedit, quod alias daretur occaſio, & licentia ſpoliandi alios bonis ſuis, ſi non liceret Dominis bona ſua contra fures, & raptores etiam uſque ad necem defendere, *Suar. cit. l. num.* 7. 3. Quia hæc irregularitas non eſt in jure expreſſa, vel comprehenſa.

LXXXVII. Non obſtat primo. Quod in *cit. Clem. un. h. tit.* tantum ab irregularitate excipiatur defenſio propriæ vitæ, ſive occiſio facta mortis vitandæ cauſa: unde a contrario ſenſu videtur inferri poſſe, irregularem fore, qui occidit ob defenſionem bonorum, quippe quæ non eſt tam neceſſaria. Nam inprimis argumentum a contrario ſenſu non procedit in materia pœnali, præſertim in irregularitate, nec eſt ſufficiens, ut cenſeatur irregularitas ſatis expreſſa in tali jure, *Suar. cit. l. num.* 5. Deinde ſicut in *cit. Clem.* in priore ejus parte, etſi ſolum exprimatur furioſus, infans & dormiens, tamen etiam comprehenditur ebrius, & ad illum fit extenſio, juxta ſententiam magis receptam: & in poſteriore ejus parte, licet ſolum vitatio mortis nominentur: tamen idem eſt de vitatione mutilationis, quod non incurratur irregularitas, ſi quis occidat volentem mutilare tantum, ut ſupra dictum: ita ſimiliter licet Clementina illa tantum loquatur de defenſione vitæ propriæ, non tamen excluditur defenſio bonorum temporalium, ſed ibi quoque comprehenditur, quippe quæ ad vitam conſervandam, etiam ſuo modo, ſunt neceſſaria, *Suar. citat. numer.* 6. *&* 7.

LXXXVIII. Non obſtat ſecundo. *cap.* 2. *h. tit.* ibi: *te rnaque librando*, nam inde non recte colligitur, quod ad vitandam irregularitatem neceſſario requiratur, ut una cum bonis etiam vita periclitetur ita ut & vitam, & bona ſimul defendere ſit neceſſe. Nam alias ſequeretur abſurdum, quod ob vitam ſolam defendendam, non liceret aliquem occidere, abſque irregularitate. Itaq; verba illa *te tuaque*, non copulatim, ſive conjunctim, ſed diviſim, ſive disjunctive accipienda ſunt, ita ut ſenſus ſit, ſi te defendendo, vel ſi tua defendendo, alium occidiſti, non eris irregularis, ita ut alterutra ſolum defenſio, ſive vitæ, ſive rerum ſufficiat ad licitam occiſionem, & vitandam irregularitatem, nam in materia favorabili, qualis eſt iſta, ampla interpretatio facienda eſt, *Tolm. in c.* 2. *num.* 5. *h. t. Covarr. cit. l. num.* 6. *verſ. ſed & text. Suar. cit. diſ.* 46. *ſec.* 2. *num.* 8. Simile exemplum habetur in *c. Verum.* 55. *de Jurejur.* Ubi a juramento dicuntur abſolvendi, vel liberi declarandi, qui illud inviti pro vita, & rebus ſervandis fecerunt: ubi particula *Et* disjunctive etiam accipienda eſt, pro *vel*, quia abſolvendi ſunt, ſive incurrerint pro vita, ſive ſolum pro rebus ſervandis: & alias ſæpe in Jure *Et* pro *vel*, ſive conjuncta pro disjunctis, ſi materia id exigat, accipiuntur, *leg. Sape.* 53. *ff. de V. S.* Unde *citat. cap.* 2. *h. titul.* magis favet huic ſententiæ: nam ibi impoſita fuit pœna occidenti furem, quia aliter poterat res ſuas ſalvas retinere: ergo a contrario, ſi aliter ſervare non potuiſſet, licita fuiſſet defenſio illarum etiam per occiſionem furis, *Zoeſ. in comment. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. num.* 50.

LXXXIX. Neque tertio in contrarium facit *cap. Si perfodiens.* 3. *h. tit.* quod qui furem nocturnum occidit, non ſit reus homicidii, ſit autem, qui diurnum occidit, quia in hoc poterat diſcerni, quod non ad occidendum, ſed ad furandum venerit, niſi armis ſe defendat, adeoque adſit etiam periculum perſonæ: nam id ita intelligendum eſt, quod in nocturno fure diſcerni non poſſit, an veniat ad furandum, vel occidendum, adeoque an ſubſit periculum mortis, necne, & hinc ille poteſt impune occidi, modo occidens prius clamet, prout habetur in *cit. l. Itaque. ff. ad leg. Aquil.* ſi id ſine periculo propriæ vitæ fieri poſſit: nam alioquin ſi clamare non ſufficit, vel præmitti non poteſt, ſine mortali periculo, licitum eſt furem prævenire, quia non adeſt aliud medium, ad ſe vel ſua bona tuendum. Aliud eſt de fure diurno, qui ſalvis rebus fugari poteſt, cum dignoſcatur, quod citra cædem ipſius res ab eo ablatæ, alia via, recuperari poſſint; ideoque non poteſt impune occidi, niſi armis ſe defenderet, quia per vim vult aliena bona rapere, & ſe armis defendit, ne a furto faciendo, vel exequendo impediatur, tunc enim ad defendenda bona ſua licitum eſt talem furem occidere: nec de hoc caſu ſermo eſt in *cit. cap.* 3. quin imo excipitur per illa verba, *niſi ſe telo defenderit*: ubi non poteſt eſſe ſermo de defenſione propriæ vitæ tantum, ſi ſe fur defendat contra eum tantum, qui illum aggreditur, & vult occidere; nam hoc licite facit: ſed quia vult defendere illas res, quas fur auferre molitur, & tunc impune ac licite occidi poteſt, *Covarr. cit.* §. *unic. num.* 6. *verſic. Quarta ex his*, *Suar. cit. ſ. a.* 2. *num.* 9.

Non obſtat quarto *cap. Suſcepimus.* 10. *h. titul.* Nam Monachi illi exceſſerunt limites, & modum licitæ defenſionis, ideoque merito illis homicidium commiſſum imputatum fuit ad culpam, & irregularitatem: nam inprimis ligaverunt latrones, ſeu fures, qui ad furandum venerunt: ex quo apparet, quod multo facilius potuiſſent illos liberos dimittere, ſine ullo periculo, vel perſonis vel rebus earum imminente. Deinde Monachus, qui occidit illos, poterat fugere, priuſquam fures vinculis ſe exſolverunt, & res ſuas ſecum deferre: ac proinde cædes illa non fuit facta per modum juſtæ, & moderatæ defenſionis, ſed fuit illicita aggreſſio, & punitio, propria auctoritate, facta, ideoque dixit Papa, melius fuiſſe tunicam, & pallium relinquere, quam pro rebus vilibus conſervandis taliter occidere: non etiam quod ſimpliciter defenſio rerum propriarum, etiam cum occiſione aggreſſoris, ſi ille aliter ſervari non poſſint, ſit illicita, *Covarr. c. l. verſ. undecimo*, *Suar. cit. ſec.* 2. *num.* 10.

XC. Denique etiam non obſtat *cap. Significaſti* 18. *h. tit.* Ubi quidam Presbyter, qui latronem ornamenta Eccleſiæ aſportantem, ligone arrepto, percuſſit, declaratur irregularis, ſi percuſſio illa lethalis fuit, tametſi ad defendenda bona Eccleſiæ ipſius curæ commiſſæ id fecerit. Nam reſpondetur, non conſtare ex illo c. quod percuſſio illa neceſſaria fuerit ad defendenda bona Eccleſiæ, quia probabiliter ſuffeciſſet, ſi Presbyter ille clamaſſet, & opem aliorum imploraſſet: ſiquidem parochiani ſtatim adfuerunt, & ſuccurrerunt. Idque ſignificatur in fine illius cap. quaſi in prædicto caſu non fuerit ſervatum moderamen inculpatæ tutelæ ad vim vi repellendam.

Hinc patet, quod ſententia oppoſita, etſi communis, non poteſt ſufficienter probari ex Jure Canonico: ſed neque probat quidpiam ratio deſumpta ex lege charitatis, ſecundum quam tenemur præferre vitam proximi bonis temporalibus propriis, cum vita hominis ſit longe pretioſior, ergo non eſt licitum occidere proximum, ob defenſionem rerum temporalium. Sed reſpondetur, id quidem verum eſſe, quando proximus in extrema, vel valde gravi neceſſitate eſt conſtitutus, tunc enim ſi alia via juvari non poſſit, tenemur ei ex propriis bonis ſuccurrere, ut vita ejus conſervetur. Secus eſt, ſi quis in nulla gravi neceſſitate conſtitutus voluntarie, & ex malitia alienas res invadat: tunc enim non tenemur proprias res dimittere, ſed poſſumus eas defendere contra injuſtum invaſorem, etiam occidendo illum, ſi alio modo eas ſervare non poſſimus, quia bona temporalia ſunt etiam neceſſaria ad vitam propriam ſuſtentandam, quæ eſt præferenda vitæ proximi, *Silveſt. V. Excommunicatio.* 6. *quaſt.* 9. *Covarr. in cit.* §. *unic. num.* 6. *verſ. præterea.*

XCI. Cæterum tradita doctrina extenditur etiam ad Clericos, qui non minus vitam, & bona temporalia ad vitam neceſſaria impune ac licite, etiam vi & armis, defendere poſſunt contra injuſtos invaſores, quam laici, quia hoc jus eſt naturale a natura inſitum, ut patet ex *c. Olim.* 12. *de reſtit. ſpol.* Ubi habetur, quod Clericus violentum invaſorem poſſeſſionis incontinenti vi poteſt repellere, & ex *c. Dilecto.* 6. *de ſent. excomm. in* 6. Ubi dicitur, licuiſſe Decano cuidam contra illum, qui injurioſe ipſum ſpoliavit bonis ſuis temporalibus, vel ea violenter occupare præſumpſit,

ſe

Digitized by Google

ſe tueri, quia vim vi repellere omnia jura permittunt, neque id Clericis eſſe ſpecialiter prohibitum colligi poreſt ex *cit. c. Suſcepimus. h. tit.* ut notat *Suar. c. l. num. 10. contra Gl. in citat. c. Suſcepimus. V. Ligaverunt. & Abbat. ibid. num.* 3. & 4. & alios, qui dicunt, irregularem fieri Clericum, ſi mortis periculum effugere potuit, & alium occidit, ad ſe ſuaque defendenda]. Illud hic addendum, ad licitam defenſionem rerum temporalium requiri, ut res ſit magni momenti, & valoris, nam ob res modici valoris tuendas, nec ratio, nec æquitas id permittit, *Covarr. cit. §. unic. verſ. decimo*, & alii communiter.

§. III.

Quæ requirantur ad licitam defenſionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, & quomodo puniatur exceſſus in defendendo, ſine moderamine?

Quamvis vim repellere cuilibet omnes leges, & jura permittant, etiam uſque ad occiſionem vim inferentis, *l. Ut vim. 3. ff. De juſtit. & jure*, fieri tamen id debet, cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad ſumendam vindictam, ſed ad injuriam propulſandam, prout dicitur in *c. Significaſti. 18. h. tit.* de quo hoc §. *agemus*.

XCII. Aſſertio 1. Requiritur inprimis, & quidem præcipue, ut qui occidit, ſit injuſte invaſus ab alio, alioquin non eſſet defenſio, ſed aggreſſio. Non eſt tamen neceſſarium ſemper exſpectare, donec prius quis ab altero invadatur, ſed poteſt eum prævenire, ſi mox & ſine mora ſit aggreſſurus, ut quia timet ſe non poſſe reſiſtere inimico propius accedenti, tunc enim illa præventio non eſt aggreſſio: ſed pura defenſio, quæ alias nimis ſera eſſe poſſet, *Navarr. lib. 5. conſil. 31. h. titul. & in ſumma cap. 15. numer. 2. in fine. Suar. diſ. 46 de cenſur. ſec. 1. num. 7.* At vero ſi non in continenti: ſed ex intervallo, quando rixantes jam ab invicem ſunt ſeparati, & rixa eſt ſedata, prius aggreditur invaſus inimicum, is non ſervaſſe: ſed exceſſiſſe moderamen inculpatæ tutelæ cenſebitur: quia videtur id feciſſe, non defenſionis: ſed vindictæ cauſa, quæ eſt prohibita privatis, *Gloſ. in cit. c. Significaſti. V. Moderamine. h. tit. & ibid. Abb. num. 9. Clarus §. Homicidium num. 34. Azor. p. 3. l. 2. cap. 1. qu. 2. Farinac. in praxi crimin. p. 5. quæſt. 125. num.* 338. & ſumitur ex *c. Si vero. 3.* ibi: *ſi inontinenti vim vi repellat, de ſent. excommun.* Dixi ſupra, *injuſte invaſus*, nam ſi quis juſte invaſus, occidat miniſtros juſtitiæ, quibus juſte reſiſtere non poteſt, eſt reus homicidii, *Avila p. 3. de cenſur. diſ. 5. ſec. 3. dub. 2. concl.* 1. & alii, quia hi non invadunt, ut occidant: ſed ut mandatum Judicis exequantur, quamvis inde poſſit ſubſequi mors, quod per ſe non intendunt.

Secundo requiritur, ut defenſio non poſſit fieri cum minore læſione proximi, nam non debet invaſus majore vi repellere injuriam, quam ſit opus: unde ſi ſufficiat mutilare aggreſſorem, non licet eum occidere: niſi quis præter intentionem, adhibita diligentia, occideret: item ſi poteſt ſe defendere vulnerando, ſine abſciſſione membri, non poteſt mutilare, quia immoderata defenſio foret, & irregularitas contraheretur, non enim foret ſine gravi culpa, *Silveſt. V. Homicidium 3. q. 4. dicto 1. Suar. cit. ſec. 1. num.* 8.

Hinc infertur, ſi quis pugnis cædatur, non debet ſe defendere armis, niſi pugni tam validi infligerentur, ut mortem inferre poſſent: ſi quis invadatur baculo, non debet ſe defendere gladio: niſi timeat ſe baculo occidendum, vel graviter vulnerandum, quia ad defenſionem moderatam requiritur etiam æqualitas armorum, *Azor. cit. c. 1. quæſt. 2.* niſi quis contra aggredientem ſine armis, aliter tute ſe defendere non poſſet, niſi armis, *Farinac. citat. l. num.* 359. Deinde vel maxime etiam in hac re ſpectanda eſt qualitas perſonarum: nam ſi aggreſſor ſit fortior invaſo, non excedit hic moderamen inculpatæ tutelæ, etiamſi armis ſe defendat contra inermem, vel inæqualibus armis ſe defendat & excedat in qualitate defenſionis, & armorum, *Farinac. c. l. num.* 367.

Tertio ad defenſionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, requiritur, ut fiat ſine gravi culpa, ratione cujus tranſiret in aggreſſionem. Ut ſi quis fugientem invaſorem inſequatur: vel jam deſiſtentem a pugna ad illam excitet, etiamſi ab illo vulneratus fuerit, quia poſtquam fugit, vel deſiſtit a pugna, apparet, quod non ad propulſandam injuriam, ſed ad vindictam ſumendam invaſorem perſequatur, *Suar. c. l. num.* 19. Idemque eſt, ſi quis aggreſſorem in rixa cadentem in terram occidat, excedit enim modum licitæ defenſionis, niſi probabiliter timere poſſet, ne forte proſtratus reſurgat, & ipſum vulneret, vel ne amici ipſius accurrant ad opem ipſi ferendam, *Farinac. c. l. q. 125. numer.* 378.

Denique generatim loquendo, ille dicitur occidere injuſtum invaſorem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, qui nec fuga, nec clamore, nec alio modo poteſt ſe defendere, niſi occidat, vel mutilet, *Farinac. cit. q. num.* 370. Atque in particulari, an, & quando ſervatum ſit moderamen inculpatæ tutelæ, nec ne, & qualis quantuſque ſit exceſſus, prudentis viri, ſeu Judicis arbitrio definiendum relinquitur, quia de factis particularibus, eum ob circumſtantias nimis variæ ſint, certa regula tradi non poteſt, *Farinac. c. l. num.* 395. *Suar. c. l. num.* 7.

XCIII. Aſſertio 2. Qui ob ſui defenſionem occidit, vel mutilat aliquem, & excedit modum inculpatæ tutelæ, irregularitatem incurrit, prout colligitur ex *cap. Significaſti 18. h. tit.* ſiquidem ſatis eſt ad contrahendam irregularitatem homicidium eſſe commiſſum, circa neceſſariam occidentis defenſionem, *Covarr. in Clem. Si furioſus p. 3. §. unic. num. 3. verſic. Tertio apparet. h. tit.* ubi ait, id omnes fateri: quamvis talis exceſſus non puniatur pœna homicidii ordinaria, ſed alia mitiore, arbitrio Judicis, *Covarr. cit. l.* & alii DD. communiter apud *Farinac. cit. q. 125. num.* 396. Ratio eſt, quia quando quis licitæ defenſionis modum excedit, dicitur tantum eſſe in culpa, & non in dolo, ideoque non punitur pœna ordinaria homicidii, quæ dolum requirit, nec ſufficit culpa etiam lata, *l. in lege 7. ff. ad leg. Cornel. Sicar. Gl. in c. Suſcepimus 10. in caſu h. tit.* Illud hic addendum, quamvis ad moderamen inculpatæ tutelæ, ut ſit licita defenſio, requiratur etiam, ut quis non animo ſe vindicandi, ſed defendendi, ſive injuriam propulſandi, reſiſtat aggreſſori, ut patet ex *cit. cap. Significaſti, & l. Scientiam 45. §. Qui cum aliter ff. ad legem Aquil.* tamen pœnæ Juris non incurruntur, ſi reipſa, ſive ipſo facto non excedatur in defendendo moderamen inculpatæ tutelæ, quia pœnæ non incurruntur, niſi delictum exterius ſit conſummatum, & in his non tam conſiderandus eſt animus, quam factum, nam defenſio plus facti habet, quam juris, *Farinac. cap. 2. num.* 383.

SECTIO IV.

De Homicidio Publica auctoritate facto a Judice, & ejus Miniſtris, & irregularitate ex eo contracta.

Hactenus egimus de homicidio privato, eoque tam illicito, quam licito, nunc agendum eſt de homicidio juſto, ac licito, quod fit publica auctoritate Judicis, ſeu Magiſtratus: idque fit vel in judicio criminali, vel in bello, de illo prius agemus, de altero poſtea.

§. I.

Utrum omnes, qui juſte, ac licite cooperantur ad prolationem ſententiæ ſanguinis, ſive mortis, aut mutilationis, vel ad executionem ejuſdem, ſint irregulares?

XCIV. Præmittendum primo. Non ad omnem irregularitatem ex mutilatione, vel homicidio incurrendam neceſſario requiritur delictum, vel culpa, ſed quædam etiam contrahitur ex mutilatione, vel homicidio juſto, ob defectum perfectæ lenitatis, quia viſum eſt Eccleſiæ eum, qui voluntarie, & citra omnem neceſſitatem cogentem, alium, etſi juſte & ſine culpa, mutilat, vel occidit, non ſatis repræſentare poſſe lenitatem, & manſuetudinem Chriſti, quem in Altari offert DEO Patri: ideoque arcetur ab omnibus Ordinibus ſuſcipiendis, vel ſuſceptis exercendis, quia omnes referuntur ad Sacramentum Euchariſtiæ ſeu Sacrificium Altaris, in quo immolatur mitiſſimus Agnus Chriſtus, qui pro nobis ſuum proprium ſanguinem fudit in Ara Crucis: adeoque hæc irregularitas, non tam eſt pœna, quam moralis macula, ſive inhabilitas ad miniſterium Altaris, ob defectum manſuetudinis, ut conſtat ex *c. Suſcepimus 10. in fine h. tit. S. Thom. 2. 2. q. 40. art. 2. in corp. Navarr. in man. c. 27. num. 205. in fine.*

Præmittendum ſecundo. Ad incurrendam hanc Irregularitatem non requiritur, ut quis propria manu occiderit aliquem, etſi juſte, ſed ſufficit, quod habuerit voluntatem actualem, vel virtualem occidendi, in ſe, vel in cauſa, ſive quod cauſam propinquam homicidio dederit, dummodo effectus, ſive mors ſit ſecuta, & ſine cogente neceſſitate id fecerit, cenſetur autem cauſa propinqua, quoad hoc, omne dictum, vel factum, quod ſufficienter dirigitur ſive ordinatur ad homicidium inde ſecutum, *Navarr. cit. c. 27. nu. 221. Avila p. 7. de cenſur. ſec. 1. not. 2.*

Præmittendum tertio. Si non baptizatus voluntarie, & juſte occidat, vel mutilet hominem, ſive infidelem, ſive fidelem, non fit irregularis, quia cum nondum ſit membrum Chriſti effectus non conſideratur in eo defectus lenitatis, *Suar. diſ. 47. num. 1. Avila p. 7. de cenſur. ſec. 1. nu. 1.*

XCV. Aſſertio 1. Inprimis Judex, ſive Clericus, ſive Laicus, ſi ferat ſententiam mortis, vel mutilationis, effectu ſecuto, fit irregularis, ut colligitur ex *c. 1. diſ. 51. & ibi Gl. V. Ad Sacerdotium, c. Sæpe 29. & ſeq. cauſ. 23. q. 8. c. Ex literis 10. de Exceſſ. Præl.* idque prohibetur Clericis, in *c. Clericis 5. & c. Sententiam 9. Ne Clerici, vel Monachi & c. & in c. In Archiepiſcopatu 4. de raptorib.* & quamvis plerique text. loquantur de Clericis: tamen etiam in Laico Judice reperitur defectus lenitatis, ut colligitur *ex citat. cap. 1. diſ. 51. Suar. cit. ſec. 1. num. 1.*

XCVI. Notandum hic primo. Non ſolum omnis Judex S. Pontifice inferior (nam hic non eſt capax irregularitatis quæ jure humano ſolum eſt introducta) ſed etiam Aſſeſſores, Conſultores, exhortatores, & omnes alii, qui cum Judice ad ſententiam ferendam concurrunt, vel ad ejus executionem, fiunt irregulares, *Suar. citat. diſ. 47. ſec. 1. num. 4.* Et hinc etiam Tabellio, ſive Notarius, qui dictat, vel ſcribit ſententiam ſanguinis, & qui ab alio ſcriptam ſignat, & ſuo ſigillo reddit authenticam, vel qui illam legit, aut publicat: Item qui torquet reum, indeque fiat, ut fateatur crimen, propter quod poſtea condemnatur ad mortem: & multo magis executor ſententiæ, ſeu carnifex, & miniſtri juſtitiæ, ac ſatellites qui comitantur reum ad ſupplicium, cuſtodiæ cauſa, pedeſtres vel equeſtres: hi omnes, morte ſecuta, fiunt irregulares, ut colligitur ex *cap. 1. 2. & 3. diſ. 51. Silveſt. V. Homicidium 3. qu. 2. num. 3. dicto 2. Navarr. cit. c. 27. num. 217. Suar. cit. diſ. 47. ſec. 4. num. 1. Avila cit. diſ. 5. ſec. 2. dub. 1.*

Notandum ſecundo. Si Judex non ferat ſententiam mortis, vel mutilationis, ſed ſolum ut reus flagellis cædatur, vel aliter verberetur, citra abſciſſionem tamen alicujus membri, etſi illud per tormenta debilitetur, non incurrit irregularitatem, quia effuſio ſanguinis, ſine mutilatione,

vel morte, non ſufficit ad hanc irregularitatem contrahendam, neq; etiam neceſſario requiritur, ut ſi quis ſtrangulatue, vel ſuffocatur, *Suar. cit. ſec. 2. num. 2.* Nomine autem ſententiæ hic comprehenditur etiam quodvis præceptum Judicis, ut ſi mandet, ut reo alimenta denegentur, velut in arctum, ac rigidum carcerem detrudatue, in quo intra paucos menſes moriturum veriſimile ſit, eo mortuo, ieregularis fiet, *Covarr. in Clem. unic. p. 2. §. 5. num. 7. h. tit. Avila cit. diſ. 5. ſec. 2. dub. 3.*

Notandum tertio. Etiamſi Judex ſententiam mortis, vel mutilationis in reum protulerit, ſi tamen ea executioni non ſit mandata, quia v. g. reo jam condemnato vita condonatur, non contrahit irregularitatem, *Navarr. cit. cap. 27. num. 235. Suar. cit. ſec. 8. num. 3.* Ratio eſt; tum quia nulla irregularitas jure ſtatuta eſt in occidentes, vel mutilantes, niſi effectu ſecuto: tum quia per mandatum injuſtum non incurritur irregularitas, niſi effectu ſecuto, ergo nec per ſententiam juſtam.

XCVII. Notandum quarto. Qnamvis Judex, condemnando per ſententiam eeum, fiat irregularis, ut dictum, poteſt tamen Epiſcopus, vel alius Prælatus Eccleſiaſticus, cui temporalis juriſdictio competit, citra periculum incurrendæ ieregularitatis, committere, vel delegare juriſdictionem criminalem, vel generaliter ad cognoſcendas omnes cauſas ſanguinis, vel in particulari ad cognoſcendum ſpeciale factum homicidii, modo non determinate committat illam ad inferendam alieni pœnam mortis, vel mutilationis, mandando, ut reus pœna mortis afficiatur, ſed præcipiendo, ut circa talem cauſam particularem inquirat, & cognoſcat, ac decernat, quod juſtum fuerit, *cap. ult. Ne Clerici, vel Monachi &c. in 6.* de quo dictum ſupra *l. 3. tit. ult. num. 24. & ſeq.* ubi licet ſermo ſit de delegatione in particulari caſu, tamen multo magis procedit in delegatione generali: nam quo commiſſio generalior eſt, tanto magis eſt remota ab influxu in pœnam mortis, ideoque etiam juriſdictio ordinaria ad cognoſcenda, & punienda crimina a ſuperiore Principe alicui inferiori, etiam Clerico, committi poteſt, dando illi officium aliquod, cui juriſdictio ordinaria criminalis eſt annexa. Et multo magis etiam talis commiſſio poteſt fieri a Laicis temporalem juriſdictionem habentibus, quia nunquam fit irregularis Laicus ob homicidium ſecutum propter quod non etiam fiat irregularis Clericus, ſed non vice verſa. Non obſtat, quod delegans juriſdictionem criminalem videatur eſſe cauſa principalis homicidii a delegato poſtea facti, quod ſine delegatione illa a tali factum non fuiſſet: nam voluntas delegantis non tendit ad homicidium, ſed ad juſtam gubernationem, ſive ad exercendam juſtitiam, unde homicidium inde per accidens ſolum, & non niſi remote ſubſequi cenſetur, *Covarr. in cit. Clem. p. 2. §. 5. num. 8. Suar. cit. ſec. 2. num. 5. 6. & 7. Molin. tr. 3. de juſtit. diſ. 74. num. 9. Avila cit. diſ. 5. ſec. 2. dub. 4.* Et licet delegatus per injuſtam ſententiam aliquem condemnet ad mortem: delegans tamen eſt immunis ab irregularitate, quia delegatio fuit juſta, & delegatus exceſſit terminos mandati, ſeu commiſſionis contra voluntatem delegantis, eaque abutitur, *Suar. c. l.* Porro ſi Epiſcopus, vel alius Prælatus, qui temporalem juriſdictionem obtinet, ſententiam mortis ab inferiore Judice ordinario, vel delegato latam mitigaret, & moderaretur, v. g. ut reus jam damnatus ad totam vel ignem, capite plectatur, vel alia mitiore pœna, probabiliter irregularis non fieret, quia non eſt cauſa mortis, vel ſupplicii, ſed potius ut pœna minuatur, qui eſt actus non ſeveritatis, ſed miſericordiæ *Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 7. nu. 4.*

Notandum quinto. Poteſt Princeps, vel Dominus temporalis ſive Clericus, ſive laicus condere leges, vel Statuta, in quibus pœna mortis, vel mutilationis propter crimina imponitur, citra metum irregularitatis: etiamſi inferiores Judices, ſecundum illas leges judicent, & capitales pœnas infligant, quia talis impoſitio pœnarum per ſe non ordinatur ad homicidium, ſed ad bonam gubernationem, ut vitentur crimina, & lex generaliter ſolum tales pœnas decernit, non in certam perſonam; ideoque non cenſetur mors, niſi per accidens, & valde remote ſubſequi, quod ad incurrendam irregularitatem non ſufficit, *Silv. V. Homicidium 3. q. 7. num. 10. dicto 9. Suar. cit. diſ. 47. ſec. 2. num. 7. Avila cit. ſec. 2. dub. 5.* Sic etiam Profeſſor docens in ſcholis leges pœnales in genere, & theorice, ſeu ſpeculative, ac velut in abſtracto, non fit irregularis nec Concionator, ſi publice e Cathedra moneat Judices, ut ſervent Leges, & Rempubl. a malis & noxiis hominibus purgent, quia nimis remote concurrunt ad cædem. Secus eſt, ſi quis practice, & in particulari de certa perſona diceret, eam puniendam eſſe morte, ſecundum leges; tunc enim moraliter cenſeretur concurrere ad cædem, non ſine irregularitate, *Suar. cit. l. nu. 8. Avila cit. l. dub. 6.*

Notandum ſexto. Univerſim loquendo, ad incurrendam irregularitatem ex defectu lenitatis requiritur, ut quis notabiliter, & non valde remote, aut per accidens cooperetur ad mortem, vel mutilationem alterius, ut tradit *Gl. in c. de cetero 11. V. Canonem h. t.* & alii DD. communiter.

CXVIII. Hinc ſequitur primo. Non eſſe irregulares opifices, qui fecerunt gladium, quo Carnifex Reum occidit, vel qui furcam fabricarunt, vel funes, aut ſcalam ad furcam fecerunt: quamvis ieregulares fiant, qui laqueum adferunt, aut ſcalam applicant ad ſuſpendendum furem, vel ligna apportant, quibus poſtea Reus comburitur, quia hi ſunt cauſa propinqua homicidii, illi vero ſolum remota, *Molin. tr. 3. de juſtit. diſ. 74. num. 1 & 2. Laym. cit. c. 7. num. 2.*

Sequitur ſecundo. Non eſſe irregularem eum, qui præter intentionem, eſt in cauſa, ut jumentum, quo Reus vehitur, celerius ambulet, illud pungendo, vel verberando; vel qui hortatur Reum, ut in via procedat, & per accidens contingat mortem Rei accelerari, quia parum pro nihilo reputatur & non eſt cenſendum, Eccleſiæ mentem eſſe in his caſibus irregularitatem inducere, quod irrationabile foret. Secus eſt, ſi quis hortetur Reum, ut ſcalas ad furcam aſcendat, vel manum porrigat, ut amputetur, vel adhortetur Miniſtrum juſtitiæ, ut cito id faciat? is enim ieregularis fit, ſi ob id in cauſa eo ipſa fuerit, ut mors, vel mutilatio citius ſequeretur.

Sequitur tertio. Si Clericus, vel laicus Juriſperitus conſulatur, & interrogetur, de aliquo Reo, etiam in particulari, an licite poſſit ob tale delictum condemnari ad mortem; iſq; ſolum generatim reſpondeat, & explicet, quid juris ſit, & quid leges de hac re ſtatuant, nihil in particulari circa Reum ſuadendo, vel præſcribendo, is non fit irregularis, etiamſi prævideat mortis pœnam ipſi infligendam, quia talis non incitat, vel monet Judicem ad inferendam pœnam mortis, ſed ſolum aperit rei veritatem; quid juſtum ſit, ac licitum, quo cognito, Judex per ſe ipſum movetur ad infligendam pœnam, *Molin. cit. l. num. 6. Laym. citat. l. num. 4. aſſert. 4. contra Silveſt. & Avil.*

Sequitur quarto. Non fit ieregularis Confeſſarius, ſi abſolutionem Sacramentalem deneget Judici non volenti Reum ad mortem condemnare, quem ex officio tenetur: neque etiam, ſi cogat, ſive obliget Reum pœnitentem ad confitendum in judicio delictum dignum morte, quod juridice interrogatus fateri tenetur, vel ne a ſententia juſta appellet. Ratio eſt: quia Confeſſarius per ſe, ac directe tantum intendit mederi animæ pœnitentis, & mors eſt ſecuta per accidens, & præter ejus intentionem; præſertim quia ipſe tantum concurrit, ex parte patientis mortem, non ex parte eam inferentis: neque veriſimile eſt, Eccleſiam voluiſſe impedimentum irregularitatis ponere, quominus Confeſſarii rite, & libere munere ſuo fungi poſſent, id enim cederet in detrimentum ſalutis animarum, *Suar. cit. ſec. 1. num. 8. Molin. tr. 3. diſ. 8. num 8. Avila cit. l. dub. 7. Laym. cit. l.*

XCIX. Aſſertio 2. Inquiſitores hæreticæ pravitatis, vel alii Judices Eccleſiaſtici tradentes reos Clericos de crimine convictos Curiæ ſeculari, qui poſtea mortis ſupplicio, vel pœna mutilationis afficiuntur, non incurrunt irregularitatem, idque ſive laici, ſive Clerici Rei tradantur Magiſtratui ſeculari: nam Eccleſia, ſive Judex Eccleſiaſticus, tradendo Clericum Reum Poteſtati ſeculari, directe non cauſat, ſeu influit in pœnam mortis, quia non dat Judici ſeculari juriſdictionem in illum, nec dictat ſententiam ſanguinis, vel mortis, neque ad illam inducit, ſed per ſe ſolum declarat delictum, & degradando privat illum privilegio Clericali, & excluditur a foro, ſive juriſdictione ſua: quo facto, per conſequentiam tantum Clericus traditur, ſive ſubjicitur Curiæ ſeculari, ut ab ipſa capi, judicari, & condemnari poſſit; adeoque non concurrit Judex Eccleſiaſticus per ſe ad mortem Rei, ſed non niſi per accidens, & tanquam removens prohibens, tollendo nimirum privilegium ab illo Clericale, quod impediebat, quominus poteſtati ſeculari in Clericum competeret juriſdictio, ut colligitur ex *c. Novimus 27. de V. S.* ubi dicitur, ut Clericus, qui fuerat degradatus, tanquam exutus privilegio Clericali, ſeculari foro per conſequens applicetur: & in *c. Ad abolendam, 9. §. Præſenti de hæretic.* de Clerico in hæreſi deprehenſo dicitur, ut totius Eccleſiaſtici Ordinis prærogativa nudetur, & ſic officio, & beneficio Eccleſiaſtico ſpoliatus, ſecularis relinquatur arbitrio Poteſtatis, animadverſione debita puniendus. *Covarr. in cit. Clement. un. p. 2. §. 5. num. 6. Suar. cit. ſec. 5. num. 11.*

C. Porro ad evitandam irregularitatem, debet Eccleſia, ſeu Judex Eccleſiaſticus (ſive laicus, ſive Clericus Reus tradatur, ſeu relinquatur Poteſtati ſeculari) pro eo efficaciter intercedere, ut citra mortis periculum, circa eum ſententia moderetur, quia enim ratione Eccleſiaſtici Judicii, & ſententiæ degradationis, talis Reus in evidenti periculo mortis conſtituitur, ut habetur in *cit. c. Novimus.* ideo fit talis proteſtatio, tum ad oſtendendam manſuetudinem Eccleſiæ, ne videatur petere ſupplicium mortis a Poteſtate ſeculari, nec deſiderare illud: ſed quod Eccleſiaſticus Judex potius habeat animum abſolvendi, quam damnandi, quod pietatem præ ſe fert; ideoque talis interceſſio non eſt prætermittenda, propter majorem etiam ſecuritatem, ut tollatur omnis ſcrupulus, ſive periculum incurrendæ irregularitatis, quia tanto minus cenſebitur concurrere ad mortem Rei: & quia Jus commune id præſcribit, & conſuetudo approbat: quamvis fortè alias in rigore non foret abſolute neceſſaria hujuſmodi interceſſio, quia ſine illa etiam non incurreretur irregularitas, ob rationes ſupra allatas, *Suar. cit. l. num. 12. & 13.* Neque vero interceſſio in tali caſu eſt ficta, vel iniqua, quia efficaciter intercedere eſt abſolute petere, ut Reus non occidatur, ſed quatenus juſte, & limitate fieri poteſt, quod vere, ſeu ex animo peti poteſt, *Suar. citat. l.*

§. II.

An accuſator criminis morte digni, vel mutilatione, contrahat irregularitatem; ratione homicidii publica auctoritate facti?

CI. Aſſertio 1. Si Clericus, vel etiam laicus accuſat aliquem criminaliter, directe agendo, non ad intereſſe privatum, ſed ad publicam vindictam, ſeu pœnam; tunc ſecuta poſtea morte, vel mutilatione Rei accuſati, ipſe fit irregularis, etiamſi proteſtetur, ſe petere ut puniatur, ſed citra mortem, & membri mutilationem, *Covarr. in cit. Clement. un. de homicid. p. 2. §. 5. num. 5. Suar. cit. diſ. 47. ſec. 2. num. 10. Avila p. 2. de cenſur. diſ. 5. ſec. 2. dub. 10.* & alii DD. communiter. Ratio eſt: quia accuſator tunc non agit civiliter, petendo intereſſe, ſed mere criminaliter ad vindictam, cum tamen non ſit in ipſius poteſtate limitare pœnam, præſertim ſi ſit Jure ſtatuta; adeoque Judex tunc pœnam infligit Reo, ad inſtantiam, ſeu petitionem accuſatoris, & conſequenter hic eſt cauſa mutilationis, vel mortis Reo illatæ, non obſtante

Digitized by Google

ſtante proteſtatione, quæ vana eſt, & nihil operatur, quippe contraria facto, ſive repugnans accuſationi, per quam directe Judex inducitur ad pœnam ſanguinis, vel mortis Reo infligendam: nam Judex ab accuſatore requiſitus, ex officio debet, ſecundum leges, judicare, & punire: adeoque proteſtatio illa eſt inutilis. Quod ſi Judex ſit irregularis, qui tenetur juſtitiam adminiſtrare, & nocentes punire: cur non & accuſator, qui plerumq; non tenetur accuſare, quia utriuſq; imputatur homicidium publica auctoritate factum, ſine culpa peccari, *Covarr. cit. l.*

CII. Aſſertio II. Si Clericus, qui injuriam paſſus eſt a laico, coram Judice ſeculari, de crimine ipſum accuſat; non tamen criminaliter ad publicam pœnam, ſed civiliter, petendo damni illati compenſationem, vel ut pœna pecuniaria accuſatori applicetur, etiamſi poſtea Judex illi infligat pœnam ſanguinis, ſive mortis, aut mutilationis, idque prævideat Clericus actor, non tamen hoc ipſi imputatur, nec ideo is ſit irregularis, dummodo proteſtetur in ipſo Judicio, ſe non petere vindictam criminis illius, ut puniatur pœna mortis, vel mutilationis, *Covarr. cit. l. Molin. tr. 3. de juſtit. diſ. 8. num. 3. Suar. cit. diſ. 47. ſec. 2. num. 2. Avila cit. diſput. 5. ſec. 2. dub. 9.* Prima pars ſumitur ex *c. Poſtulaſti. 2. h. tit.* „ubi Epiſcopus quidam quæſivit ex Papa Innocentio III. utrum contra quoſdam, qui, quia non ſolvebant decimas Eccleſiæ debitas, ideoque fuerunt excommunicati, ſed excommunicatione contempta, nihilominus decimas ſubtrahebant, liceat ſibi regiam-poteſtatem implorare, ſiquidem ad ſolutionem earum, abſque ſanguinis effuſione & patratione multorum homicidiorum, *Hoſtienſ. hic & Jo. Andr. V. eod.* vix poſſint compelli. Ad hoc reſpondet Papa, ſi Epiſcopus hujuſmodi querimoniam ſimpliciter deferat ad Regem: & ipſe Rex (cui ad bonorum laudem, ad vindictam vero malorum gladius eſt commiſſus, *Rom. 13.*) in eoſdem rebelles traditam ſibi exercuerit poteſtatem, (etiam illos occidendo, vel mutilando) eorum erit duritiæ, aut malitiæ imputandum, modo tamen fiat proteſtatio, *Gl. fin. hic.* de quo infra."

Hinc patet primo. Etſi Clericus poſſit agere de crimine civiliter contra laicum coram ſuo Judice, ad hoc ut poniatur pœna carceris, vel pecuniaria, *c. Non vos. 42. circa finem. cauſ. 23. qu. 5.* ſi tamen ob querelam delatam, Judex eum durius puniat, v. g. pœna mortis, vel mutilationis, quia ille non vult obedire Judici, id non imputatur Clerico nec ad culpam, nec ad irregularitatem, *c. 2. cauſ. 23. qu. 3. Gl. hic V. Imputandum.*

Patet ſecundo. Si remedium in foro Eccleſiaſtico non ſufficiat contra laicos, ut in caſu *cit. c. Poſtulaſti.* excommunicatio contra denegantes decimas: tunc poteſt Clericus implorare auxilium Judicis ſecularis, ut ſuam poteſtatem in eos exerceat: nam licet alias judicium debeat finiri, ubi cœptum eſt, *l. 30. ff. de judic.* excipi tamen debet, niſi id ibi fieri non poſſit, etiam ob impotentiam facti. *Abb. hic n. 2.*

CIII. Secunda pars de proteſtatione expreſſe habetur in „*c. Prælatis. 2. h. t. num. 6.* ubi Bonifacius VIII. ita reſcribit: Prælatis, vel Clericis quibuſcunque, qui de laicis ſuis malefactoribus querelam apud ſecularem Judicem deponentes (quamvis etiam poſſint conqueri apud Eccleſiaſticum Judicem, *c. Cum ſit 8. de foro compet. Gl. hic V. Secularem*) petunt emendam (hoc eſt, ſatisfactionem injuriæ, vel damni illati) ſibi fieri, & provideri, ne contra eos talia de cætero præſumantur, proteſtando expreſſe quod ad vindictam, ſeu pœnam ſanguinis agere non intendunt, imputari non debet: quamvis alias in tali caſu de jure debeat pœna ſanguinis irrogari (in quo differt iſte caſu a caſu, *cit. c. Poſtulaſti extra h. tit.* in quo non debebat pœna ſanguinis irrogari, ut notat *Gl. hic V. Irrogari*) ſi Judex mortem illis inferat, juſtitia exigente, (quamvis idem ſit, ſi Judex inferat mortem contra juſtitiam, cum Clericus non fuerit in culpa, *Gl. hic V. Juſtitia*) nam alioquin, ſi Prælati, aut Clerici propter metum hujuſmodi, quia Judex ad pœnam ſanguinis poſſet procedere, de ſuis malefactoribus taliter (ſcilicet cum expreſſa proteſtatione) conqueri non auderent, daretur pleriſque materia, ſeu occaſio trucidandi eoſdem, & illorum bona libere deprædandi." V. g. aliquis laicus famoſus latro, ſeu fur Clerico alieni ſurripuit bona ſua, contra quem Clericus intentare voluit actionem furti, vel criminaliter, vel civiliter; ideoque ipſe Clericus conqueſtus eſt de hoc fure apud Judicem ſecularem, accuſando illum de hoc crimine, ſed ſimul proteſtando, quod non agat ad pœnam ſanguinis, ſed ſolum ad recuperanda bona ſua ſibi ablata. Quare cauſa rite cognita, & crimine in judicio probato, Judex ſecularis accuſatum condemnavit ad mortem ut ſuſpenderetur in patibulo. Unde quæſitum fuit, an Clericus, qui ipſum accuſavit, factus ſit irregularis, licet expreſſe fuerit proteſtatus, quod non tenderet ad pœnam ſanguinis? Reſpondet Papa, quod iſte Clericus, ſine nota irregularitatis, potuerit talem laicum accuſare, coram Judice ſeculari, quia alias laici videntes Clericos non poſſe conqueri de talibus furibus apud Judices ſeculares, timore irregularitatis, interficere eos auderent, bonaque eorum diripere, qui eſt caſu *cit. c. 2. h. t. in 6.* juxta *Gl. ibid. in ſigurat. caſus.* Ratio eſt: quia præmiſſa proteſtatione, talis accuſatio non cenſetur cooperatio ad homicidium, ſed potius quædam juſta defenſio; & excitatio tantum ad ſatisfactionem: ex qua non niſi per accidens & præter intentionem, ſequitur mors accuſati, *Suar. citat. cap. 2. num. 2.* At vero proteſtatione illa omiſſa, qui denunciat, vel accuſat de crimine, quod erat dignum morte, vel mutilatione, indirecte cenſetur eſſe cauſa illius mortis, vel mutilationis, cum Judex ad illam decernendam moveri ſoleat, occaſioni hujuſmodi denuntiationis, vel accuſationis, quæ tamen indirecta voluntas retractari cenſetur per illam proteſtationem, ſecundum diſpoſitionem SS. Canonum, *Suar. cit. l. Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 7. num. 5.*

CIV. Pro declaratione hujus c. notandum primo. Non ſolum ſi Clerici denuncient, vel querelam deponant de crimine, ſed etiamſi accuſent, præmiſſa proteſtatione, non fiunt irregulares, *Jo. Andr. hic V. Querelam, Diaz. in pract. crimin. c. 102. num. 8. Avila cit. diſ. 5. ſec. 2. dub. 9. concl. 1.* Requiritur autem expreſſa proteſtatio, nec ſufficit tacita ad vitandam irregularitatem in proponenda accuſatione, *cit. c.* ibi: *proteſtando expreſſe h. tit. in 6.* ubi autem expreſſum requiritur, non ſufficit tacitum, *Gl. ibid. V. Expreſſe proteſtando, Diaz. cit. l. num. 9.* ubi addit, quod caute faceret Clericus, ſi de hac proteſtatione faceret confici publicum inſtrumentum.

Notandum ſecundo. Quamvis conſultum ſit, hanc proteſtationem ſtatim ab initio, ſimul cum ipſa accuſatione fieri, idque in praxi, uſuque receptum eſt, teſte *Diaz. cit. l.* tamen ſi hoc omittatur, non eſt defectus ſubſtantialis, modo fiat poſtea coram Judice, ante latam ſententiam, quia nihilominus effectum ſuum habere poteſt: Ratio enim cur Clericis prohibita ſit accuſatio, in cauſa ſanguinis, ſine proteſtatione, eſt; quia per accuſationem, ſine proteſtatione, tantum cenſentur velle, & deſiderare mortem accuſati: atqui per proteſtationem poſtea factam revocatur voluntas, ſive intentio mortis: ergo etiam ceſſat irregularitas: ſicut irregularis non eſt, qui revocavit mandatum homicidii, ante executionem mortis, neque etiam aliud in *citat. cap. 2.* requiritur, *Suar. citat. ſec. 2. num. 2. Avila citat. loc.* Debet tamen accuſatio eſſe juſta; nam ſi ſit injuſta, incurrit accuſans irregularitatem, non ex defectu lenitatis, ſed ex delicto; quia cauſam dedit morti injuſtæ inde ſecutæ, neque excuſatur ob proteſtationem vane, & inutiliter propoſitam, *Suar. cit. l. num. 1.*

Notandum tertio. Proteſtatione facta, immunis eſt accuſator ab irregularitate, etiamſi non ex animo, ſed ficte proteſtetur, quia interius vult, & optat, ut accuſatus occidatur, *Covarr. cit. §. 5. num. 2. not. 2. Avila cit. l. dub. 9. Laym. cit. c. 7. in fine*, contra *Navarr. & Diaz. cit. l. num. 15.* Ratio eſt: quia cum irregularitas ſolum inducta ſit Jure Eccleſiaſtico, non incurritur per ſolam voluntatem internam, ſine actu exteriore, cum lex humana actus internos non præcipiat, vel puniat, niſi ratione actus exterioris, cui ſunt conjuncti: quare ſi accuſator proteſtatus ſit exterius, fecit, quod jus requirit ad vitandam irregularitatem etiamſi contrariam proteſtationi internam intentionem habuerit, quia hæc non influit in homicidium externum; neque enim per illam Judex movetur ad ferendam ſententiam ſanguinis, cum illi omnino incognita ſit, ideoque non poteſt cenſeri accuſator ad cædem ſubſecutam concurrere. At vero vice verſa, ſi accuſator non proteſtetur exterius, ſe vindictam ſanguinis non petere, etſi interius habeat voluntatem, ut Reus non occidatur, erit irregularis, quia Canones externam proteſtationem requirunt, & voluntas mente retenta nihil exterius operari poteſt; adeoque neque excuſare ab irregularitate actum externum directe contrarium interno: idque procedit etiam in foro conſcientiæ, *Diaz. cit. loc. n. 16.*

CV. Notandum quarto. Proteſtatio illa excuſat ab irregularitate, etiamſi non ſolum veriſimile, ſed moraliter certum ſit, Judicem pœnam mortis, vel mutilationis Reo illaturum, *Covar. cit. §. 5. not. 4. Diaz. cit. c. 102. nu. 11. Suar. cit. ſec. 2. num. 8.* modo tamen non inducat Judicem ad iniquam ſententiam ferendam: nam tunc fieret irregularis, non obſtante proteſtatione, quia non eſſet extra culpam: idque ſumitur ex *cit. cap. 2. h. tit. in 6.* ibi: *juſtitia exigente* nempe ut non ſolum accuſator petat rem juſtam, ſed etiam per juſtas, & legitimas probationes: nam ſi quis proponeret verum delictum in accuſatione, ſed quia erat occultum, & probari non poterat, induceret falſos teſtes, & per eos convinceret Reum, non vitaret irregularitatem, ſecuta morte, vel mutilatione, *Suar. cit. ſec. 2. num. 8.*

Notandum quinto. Poteſt Clericus accuſare, ſive agere civiliter, cum prædicta proteſtatione, etiamſi aliud remedium adſit ad recuperandum damnum, quia textus in *citat. cap. 2.* abſolute loquitur, & non ſolum concedit accuſationem, propter ſatisfactionem damni, ſed etiam ne in futurum tale damnum inferatur, ut patet ex illis verbis, *& provideri, ne contra eos talia de cætero præſumantur*: id quod moraliter præcaveri non poteſt, niſi per Judicem, ſeu Superiorem, *Suar. cit. l. num. 7.*

Notandum ſexto. Excuſantur Clerici ab irregularitate, ſi accuſent, non ſolum pro injuria, ſeu damno illato ſuis perſonis, ſed etiam ſuis rebus, prout ſumitur ex *cit. cap. 2. in fine*, ubi dicitur: alias daretur materia trucidandi eoſdem, & ipſorum bona libere deprædandi, *Navarr. in Man. cap. 27. num. 226. Avila cit. dub. 9. Laym. cit. cap. 7. num. 5.*

CVI. Notandum ſeptimo. Sed neque irregularis ſit Clericus accuſator, ob mortem Reo per Judicem illatam, etiamſi ipſemet Reum capiat, detineat, & Judici tradat ad puniendum, prævia tamen proteſtatione, *Covarr. in cit. Clement. unic. p. 2. §. 5. num. 3. in fine, Diaz. citat. l. num. 17. Laym. cit. l.* Unde & citra irregularitatem etiam locus ab accuſatore indicari poteſt, ubi Reus v. g. fur lateat, ut comprehendi poſſit, ſi id fiat ad reſarciendum damnum illatum, *Navarr. l. 5. conſil. 9. h. t.* quia cum accuſatio ſit licita ad reſarciendum damnum, conſequenter etiam licita erunt media, quæ ad hunc finem tendunt: modo tamen talis captura, vel detentio non ordinetur ad criminalem executionem, ſed ad civilem, id eſt, ad reſtitutionem damni illati, *Suar. cit. ſec. 2. n. 20.* Idque procedit, ſive reus, ſive fur ſit fugitivus, ut limitat *Navarr. cit. l.* eo quod tunc ſit medium neceſſarium capere, vel indicare furem ad ſatisfactionem damni, quæ aliter obtineri non poteſt; ſive etiam non ſit fugitivus: tum quia vix poteſt eſſe reus, de quo non ſemper ſit periculum majus, vel minus, ne forte capi non poſſit: tum quia licitum eſt, accuſatori detinere furem fugientem, vel eum indicare Judici, ut comprehendatur, ſi

non

non ſit fugitivus: tum quia non requiritur, ut captura, vel detentio furis ſit medium ſimpliciter neceſſarium: ſed ſatis eſt, quod ſit medium utile ad reparandum damnum illatum, *Suar. cit. l.*

CVII. Idem colligitur ex *c. Tua nos.* 19. §. *Ad ultimam. h. tit.* ubi habetur, quod ille, qui Judici ſeculari dedit ſigna, ex quibus fur cognoſcitur, non ſit irregularis, licet fur poſtmodum a Judice occidatur. „ Nam quidam ſcho-
„ laris timens, ne latrones, ſive fures in hoſpitio ſuo eſ-
„ ſent, ſurrexit e lecto, & invenit ibi furem, qui ipſum
„ ſcholarem graviter vulneravit. Mane facto, ſcholares
„ eundem furem quæſiverunt, quem invenerunt vulneratum
„ (nempe a ſcholari, qui a ſure prius proſtratus eſt, &
„ qui ſe contra eundem defendit, ipſumque vulneravit,
„ prout habetur in integra lectione hujus c.) & Poteſtati
„ ſeculari tradiderunt, qui coram Judice conſtanter nega-
„ vit, quod talia perpetrarit. Poteſtas ad prædictum ſcho-
„ larem nuntios miſit, ut diceret, quicquid de fure illo
„ ſciret, vel traderet interſigna. Poteſtas igitur, receptis
„ iſtis interſignis, ipſum latronem, ſeu furem ſuis appari-
„ toribus, tradidit puniendum, qui ipſi virilia amputa-
„ runt, & oculos eruerunt: latro vero ira, & dolore com-
„ motus, nec cibum ſumpſit, nec potum, & ſic mortuus
„ eſt: unde quæſitum fuit, utrum ſcholaris ille ad ſacros
„ Ordines poſſit promoveri? Reſpondet Papa Innocentius
„ III. quod ſi dictus ſcholaris alias dignus eſt, propter hu-
„ juſmodi eventum a ſuſceptione SS. Ordinum non ſit pro-
„ hibendus.

Hinc patet, quod ſcholaris iſte, indicia dando ad cognoſcendum furem, non fuerit factus irregularis, etiamſi poſtea ſecuta ſit mors furis. Ratio eſt. tum quia id fecit, ut recuperarentur res injuſte a fure ablatæ; adeoque civili modo tantum, vel ut ſibi de injuria, & vulnere illato a fure ſatisfieret. Tum quia non accuſavit reum, nec contra eum teſtimonium tulit, ſed tantum ſigna dedit, quæ nullum genus probationis induxerunt, ſed leve ſolum indicium adeoque cauſa remota fuit mortis poſtea ſecutæ, quæ non ſufficit ad irregularitatem, *Abb. in cit. §. Ad ultimum. nu.* 8. *Covarr. cit. §.* 5. *num.* 1. *not.* 1. ubi tamen addit, aliud eſſe, ſi ſcholaris ille ſciens furem ad mortem quæri, eum indicaſſet; tunc enim irregularitatem contraxiſſet, ſi eo animo id fecit, vel ſine proteſtatione. Similiter ſi quis clamet adverſus furem res ſuas auferentem, ut comprehendatur, non fit irregularis, etiamſi poſtea a Judice ultimo ſupplicio afficiatur; nam ſi licet capere, ac detinere furem, ſine irregularitate, multo magis licebit clamare, ut ab aliis capiatur, & Judici tradatur, præmiſſa proteſtatione. *Secus* eſt, ſi fur ad clamorem, vel vocationem alicujus, in ipſa fuga, vel captura a privatis hominibus accurrentibus occidatur; tunc enim irregularitas incurritur, ut docet *Abb. in c. Significavit* 18. *num.* 12. *h. tit. Covarr. cit. §.* 5. *num.* 3. *notat.* 8. *Suar. citat. diſ.* 47. *ſec.* 2. *nu.* 21. quod tamen ita intelligendum eſt, ſi periculum cædis ſit prævisum alioquin enim, ſi clamavit, non ut fur occidatur, ſed ut capiatur, vel ſugetur, tunc cædes ab aliis illata cenſetur ſecuta, præter, imo & contra intentionem clamantis, nec ei imputari debet, quia ſic clamans dat operam rei licitæ, nimirum defenſioni rerum ſuarum, *Suarez cit. l. Avila cit. diſ.* 5. *ſec.* 2. *dub.* 15. *Laym. cit. c.* 7. *num.* 6.

CVIII. Notandum octavo. Licet laici accuſatores de crimine digno morte, proſequendo jus ſuum in judicio, non peccent, incurrunt tamen etiam ipſi irregularitatem, ſi accuſent, ſine prævia proteſtatione, ut docet *Navarr. citat. cap.* 27. *num.* 223. *& ſeq. Covarr. cit. §.* 5. *num.* 1. *Suar. citat. ſec.* 2. *num.* 6. *Avila cit. ſec.* 2. *dub.* 9. §. *Sexto*. Nam quamvis in *cap.* 2. *h. tit. in* 6. nulla fiat mentio de laicis, ſed ſolum de Clericis; tamen ratio, cur in Clericis neceſſaria ſit prævia proteſtatio, etiam in laicis locum habet, quia non imponitur eis tanquam novum gravamen, ſed potius tanquam remedium a jure inventum ad vitandam irregularitatem: nam cum talis accuſatio ex ſe ſit moralis occaſio mortis ſubſecutæ, ideo ad impediendum moralem influxum illius in homicidium, Jus Canonicum ſtatuit, ut accuſatio fieret, cum prævia proteſtatione, per quam ſe declararet accuſans quod non intendat mortem accuſati: cum ergo hæc ratio obtineat etiam in laicis, dicendum eſt, quod etiam diſpoſitio *cit. c.* in illis locum habeat. Hoc ſolum diſcrimen eſt inter Clericos, & laicos, quod ſi Clerici omittant proteſtationem, fiant irregulares ex homicidio illicito, quia ipſis prohibitum eſt accuſare in cauſa ſanguinis, ſine proteſtatione, ut patet ex *c. Poſtulaſti* 21. & ibi *Gl. in fine. h. titul. juncto cap.* 2. *eod. in* 6. At vero ſi laici omittant, quibus id non eſt ſpecialiter prohibitum, fiunt irregulares ex defectu perfectæ lenitatis, *Navarr. cit. num.* 213. *in fine*, *Avila cit. l.*

CIX. Notandum nono. Si quis apud Judicem ſecularem denunciet, vel accuſet aliquem de injuria, vel damno non ſibi, ſed alteri illato, fit irregularis, ſi a Judice poſtea pœna mortis reo infligatur, quamvis proteſtetur accuſator, ſe criminalem vindictam non intendere, ut colligitur per ſenſum contrarium ex *cit. cap.* 2. *h. tit. in* 6. ibi. *qui de laicis ſuis malefactoribus &c.* non ergo de alienis, & infra: *petunt amendam ſibi fieri, & provideri &c.* & ea communi docet *Navarr. cit. cap.* 17. *num.* 204. *Covarr. cit. §.* 5. *numer.* 4. *Suar. cit. ſec.* 2. *num.* 11. Ratio eſt; quia defenſio Juris proprii eſt maxime naturalis, & ideo ſpecialiter conceſſum eſt a Jure, ut quis injuriam ad ſe pertinentem in judicio proſequi poſſit, etſi per id Judici occaſio præbeatur pœnam mortis, vel mutilationis inferendi accuſato, quod ad cauſam alienam ultra verba legis non eſt extendendum: niſi tamen quis accuſet de injuria, vel damno illato ſuis domeſticis, vel ita ſibi conjunctis, ut injuria per conſequentiam in ipſum conquerentem redundare videatur, quia injuria, vel damnum talibus propinquis illatum proprium reputatur, *Covarr. cit. §.* 5 *num.* 4. *nor.* 15. *Avila cit. dub.* 51. *concl.* 2. *Laym. cit. cap.* 7. *num.* 5. Quod ſi agatur, non de injuria jam illata, ſed de injuria inferenda, vel de crimine pendente in futurum, quod alia ratione impediri non poteſt, quam per denunciationem, factam coram Judice; tunc ſine metu irregularitatis, etiam Clericus poteſt, non tantum ad proprium, ſed etiam ad alienum malum, ſeu damnum, ſive Reipublicæ, ſive privatæ perſonæ, etiam extraneæ imminens cavendum, vel avertendum denunciare, vel accuſare, ut docet *Covarr. c. l. & Suar. num.* 11. Idque ſumitur ex *c. Accuſaſti* 8. ibi: *Niſi pro pace hoc feceris, de accuſ.* Ratio eſt, quia SS. Canones non imponunt irregularitatis notam propter opus, ad quod aliquis ex lege naturali vel præcepto divino charitatis, vel alterius virtutis obligatur, cujuſmodi opus charitatis eſt accuſare malefactorem, ſi ita neceſſarium ſit ad defendendum, vel avertendum grave damnum Reipubl. vel proximi innocentis. Et hinc tali caſu nec requiritur, ut præcedat proteſtatio, quia opus abſolute, & ſecundum ſe, ab irregularitate eſt exemptum. *Molin. tr. de juſtit. diſ.* 8. *n.* 9. *Avila cit. diſ.* 5. *ſec.* 2. *dub.* 11. *concl.* 3. Proteſtatio enim ſolum eſt neceſſaria, quando ſine illa incurreretur irregularitas, & nullo Jure ſtatutum eſt, proteſtationem in hoc caſu fieri debere ad vitandam irregularitatem, ergo non eſt neceſſaria.

CX. Notandum decimo. Sunt præterea plures caſus, in quibus non eſt neceſſaria proteſtatio. Veluti primo, ſi quis accuſet aliquem de crimine levi, quod pœnam mortis, vel mutilationis non meretur, & Judex excedens limites juſtitiæ, illum ad mortem condemnet, vel ut manus ei abſcindatur, non fit irregularis accuſator, etſi non proteſtetur, quia malitia Judicis non debet nocere accuſatori, *Covarr. cit. §.* 5. *num.* 3. *not.* 9. *Diaz. cit. c.* 102. *num.* 13. *Avila. ſec.* 2. *dub.* 9. Secundo, ſi quis accuſet de crimine levi, ſed Judex reum in carcere detentum, ob alia delicta aliunde ad eum delata, occidat, vel mutilet, non fit irregularis accuſator, etſi non proteſtetur, *Navarr. c. l.* Tertio, ſi Clericus in cauſa civili accuſet aliquem apud Judicem ſæcularem, ſine proteſtatione, licet ex accidenti contingat, quod Judex, vel ejus Miniſtri accuſatum contumacem, & reſiſtentem occidant, id non debet imputari Clerico juſta petenti, & qui hoc futurum prævidere non potuit, *Covarr. c. l. num.* 1. *not.* 5. *num.* 12. *Avila c. Arg. c. Poſtulaſti* 21. *h. t.* Quarto, non eſt præmittenda ea proteſtatio, ſi accuſatio inſtituatur in Tribunali Inquiſitionis, vel coram alio Judice Eccleſiaſtico, quia hic non poteſt procedere ad ſententiam mortis vel mutilationis, *Suar. cit. diſ.* 47. *ſec.* 2. *num.* 18. Idque procedit, etiamſi delictum ſit valde enorme, ita ut ob illud Clericus accuſatus pœna realis degradationis ſit puniendus, *Diaz. c. l. num.* 14. & alii DD. communiter. Quia talis accuſator non cenſetur magis concurrere ad mortem accuſati, quam ipſe Judex Eccleſiaſticus, qui degradando reum, & tradendo Curiæ ſæculari, non concurrit ad mortem, ut ſupra dictum, ergo nec accuſator, *Avila cit. dub.* 9. *in fine*, ubi addit, quod prædicta proteſtatio ſit neceſſaria, ſi Prælatus invocet brachium ſæculare, ad defenſionem Eccleſiæ ſuæ.

§. III.

Quænam perſonæ, præter Judicem & accuſatorem fiant irregulares, ratione homicidii, vel mutilationis?

CXI. Quæritur primo. An teſtis in cauſa ſanguinis fiat irregularis? Reſp. Si quis ſive Clericus, ſive Laicus in cauſa criminali, in qua agitur de pœna mortis, vel mutilationis inferenda, teſtimonium ferat, etiamſi proteſtetur, ſe non ad condemnandum reum dare teſtimonium, fit irregularis, ſi mors, vel mutilatio inde poſtea ſit ſecuta, *Navarr. cit. c.* 27. *num.* 212. *Covarr. c. l. num.* 5. *in fine. Diaz. c. l. nu.* 21. *Suar. citat. diſ.* 47. *c. ſeq.* 3. *num.* 2. & alii communiter. Idque probatur ex illis Juribus, quæ eos faciunt irregulares, qui verbo, vel facto ad homicidium cooperantur, ut *c. De his* 6. *c. Si quis* 8. *diſ.* 50. cum aliis ſimilibus: & teſtis nullo Jure excipitur, etiam facta proteſtatione, ſicut accuſator excipitur. Ratio eſt, quia teſtis, deponendo de crimine, movet Judicem ad ferendam ſententiam mortis, adeoque eſt cauſa moraliter influens in homicidium, imo nemo eſt, qui tantum cooperetur in judicio ſanguinis, quam teſtis, per quem elicitur veritas criminis: & ſuper cujus atteſtatione firmatur ſententia Judicis, *Diaz. cit. l. num.* 21. Neque ab irregularitate excuſatur ob factam proteſtationem, quia cum teſtis non propriam, ſed alienam cauſam proſequatur, nihil prodeſt ea proteſtatio: non enim idcirco deſinit teſtimonio ſuo influere in ſententiam mortis, quæ ex allegatis, & probatis per teſtes fertur.

Non obſtat *Tua nos* 19. §. *fin. h. tit.* ubi illa manifeſtatio, ſive traditio ſignorum videtur fuiſſe quædam atteſtatio furti, & tamen ibi declarat Pontifex, nullum ob illam impedimentum irregularitatis fuiſſe contractum; nam ſcholaris ille non erat proprie teſtis, ſed ſolum miſerat Judici quædam indicia, ſive ſigna valde remota furis, ob quæ cenſeri non potuit incurriſſe irregularitatem, ſed potius quod homicidium illud ſolum caſu, & per accidens, ac præter intentionem ſecutum fuerit. *Suar. cit. diſ.* 47. *ſec.* 3. *num.* 8.

Non obſtat etiam *c. Qui cum fure* 4. *de furtis*, ubi dicitur, reum eſſe furti, qui furti conſcium, quærente poſſeſſore, non indicat: nam ibi agitur non de indicando ipſo fure, ſed de manifeſtando ipſo furto, ſive re furto ablata, ut recuperari poſſit, *Suar. cit. l.* Porro prædicta aſſertio procedit ſolum, ſi quis ferat teſtimonium in cauſa, in qua directe agitur criminaliter ad pœnam mortis, vel mutilationis: ſecus ſi agatur de crimine civiliter ad intereſſe alicujus, tunc enim teſtis non fit irregularis, præſertim ſi ex præcepto Superioris, vel coactione Judicis ferat teſtimonium: nam etſi tunc per accidens ſequatur condemnatio ad pœnam mortis, vel mutilationis, tamen id non imputatur teſti ad ullam

cul-

culpam, cum dederit operam rei licitæ, & per ſe non ſit cooperatus ad illum effectum, *Suar. cit. l.* Deinde quod dictum eſt, procedit, ſi quis Clericus ferat teſtimonium pro accuſatore contra reum, ſecus ſi producatur in teſtem, in favorem Rei, ad probandam ejus innocentiam, tunc enim, etſi Clericus ſit, nullam pœnam incurrit, quia id illi non eſt prohibitum, *Diaz. cit. c. 102. n. 22.* apud quem plura de hoc videri poſſunt.

CXII. Quæritur ſecundo. An advocatus in cauſa ſanguinis fiat irregularis? Reſp. Primo, ſi patrocinium præſtet accuſatori contra reum, & hic ad mortem, vel membri mutilationem condemnetur, fit irregularis etiamſi proteſtatus fuerit, quia valde efficaciter influit Advocatus, docendo, & movendo Judicem ſuis argumentis ad ſententiam ferendam, & proteſtatio eſt facto contraria, ideoque fit particeps homicidii inde ſecuti, *Cov. cit. §. 5. nu. 5. Diaz. c. l. nu. 18. Suar. cit. diſ. 47. ſec. 4. n. 3.* & alii communiter: idque etiam ſumitur ex *c. 2. h. t. in 6.* ubi tantum excipitur accuſator, in propria cauſa: ergo hæc Conſtitutio non habet locum in Advocato, qui non habet propriam cauſam: quod ſi pœna mortis, vel mutilationis actu non ſequatur, non fit irregularis, quia nec Judex fit, ergo multo minus Advocatus nam irregularitas ex defectu lenitatis non incurritur, niſi ex actuali homicidio, vel mutilatione, *Suar. cit. ſec. 4. num. 4.*

Secundo, ſi Advocatus ſtet pro Reo, eum defendendo, & Reus nihilominus condemnetur ad pœnam mortis, vel mutilationis, Advocatus eſt immunis ab irregularitate, ſive fuerit Laicus, ſive Clericus, quia ex ejus patrocinio non ſequitur mors, imo citius ſecuta fuiſſet, ſine ipſius defenſione, idenque neutiquam influit in pœnam illatam a Judice: niſi tamen advocati culpa, imperitia, vel negligentia, reus condemnatus fuerit, tunc enim irregularitatem incurrit, *Diaz. c. l. n. 20. Suar. c. l. n. 6.*

Tertio, ſi Actor injuſte accuſavit, ideoque Reus abſolvatur, accuſator vero pœna Talionis puniatur, quia probatum fuit, ipſum eſſe calumniatum, tunc Advocatus ipſius fit irregularis, quia moraliter eum in tali periculo mortis conſtituit: ſi enim ipſe cauſam ejus defendendam non ſuſcepiſſet, alter non fuiſſet auſus accuſare. Niſi tamen Advocatus, bona fide, exiſtimaret, cauſam accuſatoris eſſe juſtam, tunc enim non fieret irregularis, quia irregularitas, quæ oritur ex injuſta accuſatione, non contrahitur ex defectu lenitatis, ſed ex delicto homicidii ſaltem indirecte voliti, ideoque ſi ob ignorantiam invincibilem excuſetur quis a delicto, excuſabitur etiam ab irregularitate, *Suar. cit. ſec. 4. n. 6.*

Quarto, ſi accuſator ſuccumbat, & quia eſt calumniatus, pœna Talionis puniatur, Advocatus Rei non fit irregularis, ſi tantum Reum defendit, oſtondendo delictum ipſi objectum non eſſe probatum, quia tunc nullo modo concurrit ad pœnam, ſeu punitionem accuſatoris, ſed ad ſolam defenſionem Rei innocentis, de quo plura videri poſſunt apud *Cov. in Clement. unic. p. 2. §. 5. n. 5. Suar. cit. ſec. 4. n. 7. & 8.*

CXIII. Quæritur tertio. An qui in loco ſupplicii aſſiſtunt executioni ſententiæ capitalis, fiant irregulares? Reſp. Si aſſiſtant Laici, vel etiam Clerici, tantum ſpectandi cauſa, dum Reus ultimo ſupplicio afficitur, non incurrunt aliquam irregularitatem, modo aſſiſtant, ſine ulla cooperatione, nec ſua præſentia auctoritatem præſtent executioni ſupplicii, quia tunc nec remote ad homicidium, vel mutilationem concurrunt, *Navarr. cit. c. 27. n. 214. Suar. cit. ſec. 4. n° 10.* & alii. Putat tamen Navarr. Clericos in Sacris conſtitutos, vel Beneficiatos peccare, ſi ſine rationabili cauſa interſint, quia id ipſis prohibetur in *c. pen. Ne Clerici, vel Monachi, &c.* non tamen graviter, ſecluſo ſcandalo, ob materiæ levitatem, *Suar. c. l. n. ult.* ubi in fine monet, ut Clerici, & Religioſi, qui pietatis cauſa aſſiſtunt reis ad mortem damnatis, caveant, ne aliquid faciant, vel loquantur, quo ſupplicium notabiliter accelerare, vel quovis modo juvare videantur.

§. IV.

De homicidio contingente in bello, & irregularitate ex eo proveniente.

Homicidium in bello commiſſum fit quoque publica auctoritate Principis, vel Reipubl. quod vel juſtum eſt, vel injuſtum, & vel defenſivum, vel offenſivum, ſive aggreſſivum.

CXIV. Quæritur primo, An omnes, qui militant in bello injuſto, fiant irregulares? Reſp. Qui in bello injuſto pugnantibus cooperantur, vel qualecunque auxilium ferunt, ſive arma præbendo, ſive ipſos adhortando ad pugnam, vel ſarcinas militum cuſtodiendo, vel alio quovis modo adjuvando: etiamſi ipſi propriis manibus neminem occidant, vel mutilent, omnes irregularitatem incurrunt ſive Laici ſint, ſive Clerici, ſi vel unus homo in illo bello occiſus fuit, vel mutilatus, *Silveſt. V. Homicidium 3. n. 8. q. 6. dicto 1. Navarr. cit. c. 27. n. 216. & 224. §. 10. Covarr. in clem. un. p. 2. §. 3. n. 2. in fine. Suar. cit. diſ. 47. de cenſur. ſec. 5. n. 1. Avila diſ. 6. ſec. 3. dub. 2. concl. 1.* Idque ſumitur ex *c. Si quis 4. diſ. 51. c. Sicut dignum 6. §. fin. h. t. & c. quod in dubiis 5. junct. Gl. V. Inciraut, de pæn.* Ratio eſt, quia quando plures, communi conſilio, vel auxilio concurrunt ad homicidium, vel aliud delictum, cenſentur veluti una cauſa moralis: quæ tamen irregularitas non ex defectu perfectæ lenitatis, ſed ex homicidio injuſto contrahitur. Excipiuntur illi, qui in bello injuſto aſſiſtunt ſolum ad pacem componendam, vel adjuvandum milites in ſpiritualibus, *Sylveſt. c. l. & alii cit.* Quod ſi nulla in tali bello fiat occiſio hominis, vel mutilatio, certum eſt, Laicos non contrahere irregularitatem, quia ad hanc ſola intentio occidendi, vel mutilandi non ſufficit, ſine actu externo, *Suar. c. l. n. 3.*

De Clericis vero dubitatur magis, propter text. in *c. Clerici 5. cauſ. 23. q. 8.* quod eſt deſumptum ex Concilio Toletano 4. c. 54. ubi dicitur: *Clerici, qui in quacunque ſeditione* (alias ſactione) *arma volentes ſumpſerint, reperti, amiſſo Ordinis gradu, in Monaſterio pœnitentiæ tradantur.* Verum pœna ibi impoſita non eſt proprie dicta irregularitas, ſed ſuſpenſio, non ipſo Jure lata, ſed a Judice imponenda, ut colligitur ex verbo, *Tradantur*, qui per ſententiam ſuſpendere debet Clericum ſeditioſum ab executione Ordinis, ob grave ſcandalum datum, dum arma ſumpſit in publica ſeditione, etſi nullum homicidium ſit ſecutum, *Suar. c. l. n. 4.* In *c.* vero *pen. Ne Clerici, vel Monachi &c.* prohibetur, ne Clericus ſit Dux, etiam in bello juſto, ex quo non magis ſequitur, illum eſſe irregularem in bello injuſto, quam juſto: Imo ibi de irregularitate, ob tranſgreſſionem illius legis, nulla fit mentio, ſive homicidium etiam ſequatur, ſive non ſequatur, *Suar. c. l. n. 5.* Denique in *cit. c. Si quis diſ. 51.* ſermo eſt non de ſolis Clericis, ſed de omnibus militantibus in bello, ſive injuſto, ſive juſto, illos eſſe irregulares, ſi læva præcepta ſint executi, adeoque ſi ſecutum ſit homicidium, vel mutilatio hominis, *Suar. c. l. n. 6.* Quare non improbabiliter dicitur, etiam Clericos in bello injuſto aſſiſtentes, vel adhortantes, irregulares non fieri, niſi ſaltem per alios homicidium, vel mutilatio fiat.

CXV. Quæritur ſecundo. An qui militant, & pugnant in bello juſto, fiant irregulares? Reſp. 1. Si laici, vel etiam Clerici in bello juſto defenſivo hominem occidant, vel membro mutilent, etiam propria manu, ob neceſſariam defenſionem propriæ vitæ, ſeu perſonæ, non fiunt irregulares, quia ſi id, ſine nota irregularitatis, fieri poteſt in privata rixa, ut ſupra dictum, cur non etiam in quovis prælio defenſivo, etſi publico, *Suar. cit. diſ. 47. nu. 1.* & alii communiter: modo ſe conferant ad bellum juſtum, non ad pugnandum, propria manu, ſed ob aliam cauſam, v. grat. ad exhortandos milites, vel ad obeunda miniſteria ſpiritualia, *Avila p. 7. diſ. 6. ſec. 3. n. 1. concl. 1.*

Similiter in bello neceſſario ad defenſionem Eccleſiæ, vel patriæ, occidentes, vel mutilantes non fiunt irregulares, quia bonum commune, ſive publicum præſtantius eſt privato, & præferendum eſt conſervationi propriæ vitæ, & quidem interdum etiam ex præcepto, *Suar. c. l. n. 2.* Idque procedit non tantum in laicis, ſed etiam in Clericis, ſaltem in caſu inevitabilis neceſſitatis, quia per ſolos laicos Eccleſia, vel patria defendi non poteſt, quo caſu, etiam Clerici tenentur ad vigilias, & cuſtodiam civitatis, *c. 2. de immunit. Eccleſ. Abb. in c. pen. h. t. n. 2. Suar. cit. loc.* Alias vero irregolares fierent Clerici prout ſumitur ex *c.*
„ *Petitio 24. hoc t.* Nam cum infideles invaſiſſent quodquam
„ caſtrum, in quo Pelagius Presbyter morabatur, Chriſtia-
„ ni incolæ contra illos exiverunt, tam laici, quam Cleri-
„ ci, ac dum invicem confligerent, hinc & inde plurimi
„ occiſi ſunt; unde cum Sacerdos iſte aliquos percuſſiſſet,
„ timebat, ne forte irregularitatem incurriſſet: & expo-
„ ſuit hoc Papæ Honorio III. qui mandavit eidem, ut ſi
„ de interfectione cujuſquam in illo conflictu, conſcientia
„ ſua illum remordet, ab Altaris miniſterio abſtineat, cum
„ in hujuſmodi dubio conſultius ſit abſtinere, quam temere
„ celebrare.

CXVI. Hinc colligitur primo. Quod in caſu hujus cap. agebatur de neceſſaria patriæ defenſione, & quidem contra hoſtes infideles, qui caſtrum invadebant, & tamen deciditur, Presbyterum illum eſſe irregularem, ſi illum conſcientia remordeat, quod in illo conflictu aliquem interfecerit. Ratio eſt: quia quamvis Clerici poſſint alios hortari ad pugnam in bello juſto contra hoſtes, *c. Igitur 7. c. Omni 9. c. Hortatu 10. c. Ut prædam 27. cauſ. 23. q. ult. c. Hadrianus 22. diſ. 63.* tamen in propria perſona pugnare non poſſunt, *c. Clerici 5. & c. ſeq. cit. cauſ. & q.* quia officium Clericatus eos reddit inhabiles ad pugnandum, *c. Ex multa 9. §. fin. de vera, Gl. hic V. Remordet.* Excepta tamen neceſſitate omnino inevitabili, ſi deſint laici, qui patriam contra hoſtes defendere, & vim illatam propulſare poſſint: tunc enim etiam propriis manibus occidendo hoſtes, quia tunc id eſt neceſſarium ad defenſionem propriarum perſonarum, *Abb. in cit. c. Petitio num. 2.* & plures DD. apud *Fagnan. ibid. num. 2. 3. & 4.*

Colligitur ſecundo. Si Clerici in bello juſto aliquem vulnerent, etiam cum ſanguinis effuſione, ſed citra cædem, aut mutilationem hominis, peccant quidem, niſi gravis neceſſitas ad id cogat; non tamen irregulares fiunt, etiamſi alii occiderint, vel mutilarint: idque clare deducitur ex *cit. c. Petitio, hoc tit.* in quo Pelagius Sacerdos quærebat de percuſſione, & faſſus eſt, ſe percuſſiſſe, & plures alios in illo conflictu occiſos fuiſſe: & tamen Papa reſpondet tantum de interfectione, per hoc indicans, Clericum non eſſe irregularem ex eo, quod aliquos percuſſerit, niſi ex percuſſione aliquis fuerit mortuus, *Innoc. hic in princip. & Abb. num. 5.* Non obſtat *c. Sicut 6. §. fin. hoc tit.* nam id loquitur de bello injuſto, in quo Clerici fiunt irregulares, etiamſi ſolum conſilium præſtent, vel armati aſſiſtant, ſi exinde ab aliis plures, vel etiam unus tantum, ſint occiſi, vel mutilati, ut colligitur a ſenſu contrario ex *c. Quantum 48. & ſeqq. diſ. 50. Innoc. hic & Abb. in fine.*

CXVII. Reſp. ſecundo. Omnes qui in bello juſto, offenſivo, ſive agreſſivo, per ſe, ſive proprio facto hominem occidunt, vel mutilant, fiunt irregulares, ſecus eſt, ſi propriis manibus ſanguinem non effundant, occidendo, vel mutilando, quamvis alii occidant, vel mutilent. Eſt communis DD. ſententia, & quoad primam partem habetur in *c. 1. & c. Si quis 4. junct. Gl. V. Militaverit. diſt. 51.* & patet etiam ex *cit. c. Petitio hoc tit.* Oritur autem hæc irregularitas ex defectu perfectæ lenitatis, a qua juſtitia non excuſat, ſi cædes actu fuit ſecuta, *Navarr. cit. loc. num. 213. §. 3. Suarez cit. ſec. 6. n. 6.* Altera pars conſtat ex *c. Præſentium 3. de Cleric. percuſſ.*

perenſſ. &c. pen. h. t. ubi præcipitur ſolum, ut abſtineat ab Altaris miniſterio is, qui in publico conflictu aliquem occidit, vel de hoc conſcientiam habet, & quamvis ille textus videatur loqui de bello defenſivo, quod ab initio etiam tale erat, quia hoſtes infideles cœperunt invadere caſtrum: tamen poſtea tranſiit in bellum offenſivum ex parte fidelium quia exeuntes a caſtro perſecuti ſunt hoſtes, *Suar. cit. ſec. 6. num.* 4. Ratio eſt: quia in bello offenſivo, ſi juſtum ſit, milites dant operam rei licitæ, & juſtæ: ſi ergo per ſe non occidant, vel mutilent, neque ſunt cauſa proxima homicidiorum, vel mutilationum, quæ ab aliis fiunt, ſed tantum adjuvant, vel excitant ad ſtrenue militandum, non cenſentur, niſi remote, & per accidens cooperari ad cædes ab aliis factas, ideoque id eis ad irregularitatem non imputatur, *Suar. citat. ſec. 6. num.* 5. Prædictis non obſtat, quod quando plures ſimul concurrunt ad occidendum, licet unus tantum occidat, omnes fiant irregulares, ut ſupra dictum, quia omnes cenſentur eſſe una cauſa moralis, ergo omnes ſunt irregulares etiam illi, qui nullum occidunt. Reſpondent imprimis aliqui apud *Avilam diſ. 6. ſec. 3. num. 2. reſponſ. ad* 1. pugnantes in bello juſto; ideo non fiunt irregulares, quia licet una ſint velut cauſa moralis, tamen dant operam rei licitæ, quod non eſt in iis, qui pugnant in bello injuſto. Deinde Jus Canonicum noluit, ut pugnantes in bello juſto fierent irregulares, niſi propria manu occidant, quia alias nimis multi fierent inhabiles ad Ordines, & ſic retraherentur a bellis juſtis, *Avila cit. l.*

CXVIII. Hinc ſequitur primo. Quod non ſit irregularis dux belli, qui milites ſuos incitat ad fortiter pugnandum, quia non provocat illos directe, & determinate ad occidendum: nec qui arma dant militibus ad bellum juſtum, fiunt iregulares, quia eſt actio juſta, indifferens, niſi in actuali conflictu dentur ad occidendum, *Suar. cit. ſec. 6. numer.* 6. Sequitur ſecundo. Quod nec Clericus ſit irregularis, ſi horteter milites ad ſtrenue pugnandum in bello juſto, & quidem non tantum ante, ſed etiam in actuali conflictu. *Covarr. §. 3. num. 2. Suar. cit. l. num.* 8. quia non directe provocat ad cædes, ſed ad fortiter pugnandum, quod eſt licitum, & juſtum; adeoque non niſi remote, & per accidens concurrit ad homicidium, dummodo non incitet ad hunc, vel illum in particulari occidendum, *Avila cit. loc.* Sed neque irregularis ſit Clericus, ſi contra prohibitionem Eccleſiæ, vel Superioris ſui, aut ſine ejus licentia, bello interſit; nam etſi peccet, & male agat, non tamen prohibitio illa facta eſt ad vitandum homicidium, ſed quia militia eſt valde aliena ab Altaris miniſterio, ideoque Clericos dedecet, *Suar. cit. l.* Non obſtat *c. Quod in dubiis. de pænit.* 5. ubi ſtatuitur deponendos eſſe Sacerdotes, qui gubernant naves ad pugnam, vel alios incitant ad pugnandum; nam vel loquitur de bello injuſto, *Gl. ibid. V. Incitant.* vel de incitatione, per quam etiam aliquis in particulari inducitur ad occidendum, vel mutilandum, *Suar. cit. l. num.* 10.

Porro ſi Clericus etiam in Sacris conſtitutus, ex diſpenſatione pugnet in bello juſto, non ſit irregularis, quia tacite cum illo diſpenſatum fuit in irregularitate, *Sylveſt. V. Homicidium. 3. q. 6. num.* 6.

SECTIO V.

De mutilatione, & Diſpenſatione in prædictis duabus irregularitatibus.

§. I.

Quid ſit mutilatio, & qualis irregularitas ex illa contrahatur.

CXIX. Aſſertio 1. Mutilatio proprie dicta, eſt alicujus membri amputatio, ſive abſciſſio, uti colligitur ex *Clericis. 5. Ne Clerici, vel Monachi &c. c. In Archiepiſcopatu. 4. de raptorib.* ac proinde ad mutilationem non ſufficit vulneratio, vel ſanguinis effuſio, quantumvis copioſa, nec ſi pars aliqua carnis abſcindatur, quia caro non eſt membrum proprie, ac ſtricte dictum, *Suar. diſ. 44. de cenſ. ſec. 2. numer* 6. & alii DD. communiter. Quid autem nomine membri intelligatur, non conveniunt DD. Communis ſententia apud *Molin. tr. 3. diſ. 69. num. 2. Sylveſt. V. Homicidium. 3. q. 3. dicto 2. Covarr. in cit. Clem. un. p. 3. in princ. num. 8. Navarr. citat. cap. 27. num. 206. Avila p. 7. diſ. 5. ſec. 1. dub.* 5. & alii dicunt, illam partem corporis humani eſſe proprie membrum, quæ peculiarem functionem, ſive diſtinctum ab aliis partibus officium habet, ut oculus ad videndum, auris ad audiendum &c. & ſic de reliquis. Idque colligitur ex *l. Idem. 10. in princ. ff. Ædilit. Edicto.* ubi digitus dicitur pars membri *Gothofr. ibid. lit.* S. Et ex 1. *Cor.* 12. ubi dicitur: *omnia membra corporis non eundem actum habent*: adeoque membra ſunt, quæ diſtinctam operationem habent. Cum ergo materia irregularitatis ſit odioſa, reſtringenda eſt, & verbum *membri* ſtricte accipiendum eſt pro parte principali corporis, quæ diſtinctum officium habet ab aliis, & eſt integrum organum, ſive inſtrumentum ad peculiarem aliquam operationem.

Ex quo infertur, is qui alteri abſcindit cartilaginem aurium, vel naſi, non ſit irregularis, quia non eſt membrum, & licet ad ſenſationem aliquid conferat, non tamen per illam exercetur operatio ſentiendi, ſed potius ſpectat ſolum ad ornatum, & cuſtodiam membri, nempe auris, vel naſi. Neque is, qui digitum abſcindit, etiam pollicem, vel indicem, ſit irregularis, quia digitus non eſt membrum, ſed ſolum pars membri, non enim peculiarem operationem habet diſtinctam ab operatione manus, cui inſtrumenti loco in operando inſervit. Atque hæc ſententia, præſertim ob DD. auctoritatem probabilis eſt, & in praxi tuta.

CXX. Contrariam tamen ſententiam poſt Cajetanum tenet *Suar. cit. l. num. 7. & 8. Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. cap. 51. numer.* 2. Ratio eſt: quia etſi, phyſice loquendo, vel etiam ſecundum leges civiles pœnales, membri nomine intelligatur integrum membrum principale, ut manus, vel pes, tamen quoad irregularitatem, ſecundum Canones, vel non requiritur mutilatio membri, ſed abſolute mutilatio, ut patet ex *Clem. un. h. tit.* ibi: *mutilat invaſorem*, quæ ſit, ſi principale membrum notabiliter minuatur, etſi non totum abſcindatur, ſpectata propria ſignificatione latina verbi *mutilare*: vel ſi aliquando in Canonibus fiat mentio membri, indicatur, quod ſufficiat membri diminutio, ut patet ex *cap. 1. de Cleric. pugnant. in duello*, ibi: *vel membrorum diminutio*: cujuſmodi diminutio gravis, & ſufficiens ad irregularitatem cenſetur, quæ communi æſtimatione, & judicio hominum, membrum principale, ut oculum, manum, vel pedem notabiliter deformat, vel notabile impedimentum affert ad actiones videndi, audiendi, ambulandi &c. exercendas. Unde irregularis erit, ſi quis cartilaginem auris, vel naſi abſcindat, quia multum præſtat ad organum auditus, vel odoratus, vel ſi tres majores digitos manus abſcindat, quia per hujuſmodi abſciſſionem integritas corporis humani in principali parte organica, ſive membro notabiliter diminuitur, illudque imperfectum, ſive mutilum redditur, *Suar. cit. l. num. 8. & 9.* Similiter abſciſſio mamillæ fœminæ gravis eſt mutilatio, & ſufficiens ad inducendam irregularitatem, non minus, quam ſi abſcindatur organum ſeminis in viro, cum habeat proprium actum, nempe generare lac, & lactare infantem, & utrumque unaquæque mamilla etiam ſeorſim ab altera efficit, *Suar. cit. l. num. 9. & Molin. cit. diſ. 69. num.* 9.

CXXI. Aſſertio 2. Ex mutilatione, & detruncatione membrorum incurritur irregularitas, ſicut ex homicidio, cui illa quoad pœnam irregularitatis in jure æquiparatur, ut conſtat ex *c. In Archiepiſcopatu. 4. de raptorib. & Clem. un. junct. Gl. V. Mutilat. h. tit.* ſive quis per ſe directe, vel indirecte mutilaverit, ſive per alium, mandando, conſulendo, vel aliter cooperando ad mutilationem, & ſive mutilatio fuerit illicita, ſive licita: nam ob illam interdum contrahitur irregularitas, ex defectu perfectæ lenitatis juxta ea, quæ dicta ſunt ſupra de homicidio *Molin. tr. 3. de juſt. diſ. 68. in princ.* Eſt autem irregularitas mutilationis diſtincta ab irregularitate homicidii, cum qua conjungitur, propter ſimilitudinem culpæ, & diſtinguuntur ut perfectum, & imperfectum. Unde ſi quis percutiat, vel vulneret aliquem, animo mutilandi tantum, & non occidendi, irregularis fiet, non titulo homicidii, ſed præciſe cauſa mutilationis, ſi hæc actu ſit ſecuta, *Suar. cit. diſ. 44. ſec. 2. n.* 3. Cum ergo ſint duæ diſtinctæ irregularitates, ſequitur, non omnia, quæ jure ſtatuta ſunt circa irregularitatem voluntarii homicidii, etiam extendi ad voluntariam mutilationem. Qua in re hanc ait *Suar. cit. l. num.* 4. tenendam eſſe regulam, ut quæ jure ſtatuta ſunt circa irregularitatem homicidii, ſi pœnam diminuant, extendenda ſint ad irregularitatem mutilationis; non item ſi pœnam augeant. Contra vero, ſi Jus aliquid diſponat circa irregularitatem mutilationis, quod rigorem contineat, extendi debet ad homicidium: non propter argumentum a ſimili, vel a minori ad majus, quocunque modo: ſed propter argumentum a parte ad totum, quia in homicidio mutilatio continetur formaliter, vel eminenter, tanquam pars in toto. Si vero favorem contineat, non eſt extendendum, quia ſi pœna minuatur in delicto minore, ſeu partiali, non ſequitur etiam diminui in majori, vel totali.

§. II.

An qui membrum debilitat, vel aridum, & inutile mutilat, vel abſcindit, vel ſeipſum mutilat, fiat irregularis?

CXXII. Aſſertio 1. Qui membrum debilitat, id eſt, lædendo, vel vulnerando, aridum, & inutile reddit ad operandum, citra mutilationem tamen, ſive abſciſſionem, non ſit irregularis, quia aliud eſt, proprie loquendo, mutilare, & detruncare, ſive membrum abſcindere: aliud debilitare, ſive aridum illud reddere, & inutile ad operandum, ita tamen ut vivum maneat, nec abſcindatur. Cum ergo Canones pœnam irregularitatis ſolum imponant homicidio, & mutilationi, ſub iis non comprehenditur ſola debilitatio, neque ad illam extendi debet; nam irregularitas non incurritur, niſi jure ſit expreſſa. Idque confirmatur ex *c. Sicut. 47. cauſ. 1. q.* 1. ubi dicitur: quod verum ſit membrum, quamvis ſine ſanguine, & inefficax, & mortuum ſit, ſcilicet quoad operationem. Nec obſtat, quod paria ſint non eſſe, & inutile eſſe: nam paria ſunt, quoad operationem, quia quod inutile eſt, perinde non operatur, ac ſi non eſſet: non autem quoad effectum contrahendi irregularitatem, quia is, qui ſolum debilitat, non ſit irregularis, ob cauſam jam allatam. Præterquam quod membrum aridum ſaltem valet ad decorem, ſive non deformat, etſi operari non poſſit, ſicut membrum omnino abſciſſum, *Navarr. cit. l. num. 206. Covarr. in Clement. unic. p. 3. num. 9. Suar. citat. l. num.* 5. Ex quo infertur, quod Judex, qui torquendo reum, debilitat membrum, & inutile reddit, non ſit irregularis.

CXXIII. Aſſertio 2. Si quis membrum aridum, & inutile, ſive impeditum ad officium ſuum exercendum detruncat, ſive abſcindit, tunc diſtinguendum, eſt: vel enim membrum, v. g. manus, eſt ita læſum, & debilitatum, ut ſit omnino aridum redditum, id eſt, mortuum, nec anima humana amplius informatum, quamvis id exterius non appareat (quod tamen vix fieri poteſt) & tunc is, qui abſcindit tale membrum, non ſit irregularis per detruncationem, cum tale membrum ſit quaſi non membrum, quippe quod anima hominis non amplius informatur: ſicut is, qui truncat cadaver, abſcindendo v. g. manum mortuam illius,

ono

Digitized by Google

non poteſt dici irregularis, cum non mutilet hominem. Veruntamen ille, qui tale membrum ita debilitavit, & læſit, ut omnino areſceret & vitam perderet, etiamſi a reliquo corpore non abſciderit, cenſendus eſt irregularis, quia ſubſtantialiter mutilat corpus humanum, privando illud ſuo membro principali, cum membrum mortuum non ſit amplius membrum humanum proprie dictum. Et hoc caſu habet locum regula illa, *paria ſunt non eſſe, aut inutile eſſe*. Vel abſcindit quis membrum debilitatum quidem, vel inutile ad ſuam operationem, ſive munus exercendum, adhuc tamen vivum; adeoque verum membrum: & talis quoque fit irregularis, quia vere mutilat corpus humanum, abſcindendo vivum ejus membrum, & partem organicam principalem. Nec refert, quod ſit membrum inutile ad exercitium ſui muneris quia hoc eſt per accidens, & eo non obſtante, talis abſciſſio eſt gravis deformatio, quæ ſufficit, ſuppoſita alicujus membri, ſive partis principalis truncatione, *Navarr. cit. cap.* 27. *num.* 219. *Suar. cit. diſ.* 44. *ſec. cap. num.* 11. Porro ſi quis aliquem notabiliter deformat, ita ut ad Ordines promoveri non poſſit, v. g. faciem vulnerando, relicta deformi cicatrice, ſed citra mutilationem, quia nullam partem, ſive membrum corporis abſcindit, non eſt irregularis, ut docet *Navarr. cit. l. Suar. cit. l. num.* 12. & alii communiter contra *Silveſt.* Ratio eſt: quia præter homicidium, & mutilationem, nulla alia irregularitas, quæ ex læſione, ſeu vulneratione corporis incurratur, eſt in Jure expreſſa: ergo cum deformatio per ſe ſola non ſit mutilatio, propter illam non contrahitur irregularitas: nec refert, quod ſic deformatus irregularis fiat: nam non ſemper qui alterum irregularem facit, ideo etiam ipſe irregularis fit, ſed eo ſolum caſu, quando id Jure expreſſum eſt, ut ſi aliquem deformet per cædem, vel mutilationem, *Suar. cit. l.*

CXXIV. Aſſertio 3. Quoties quis, mutilando alium, fit irregularis, fit etiam mutilando ſe ipſum, eodem modo, quamvis mutilatio ſui ipſius ſufficiat ad irregularitatem, quæ in alio facta non ſufficeret, ut ſi quis partem digiti ſibi ipſi volens, & illicite abſcindat, fit irregularis, quia in ea re major atrocitas apparet, *c. Qui partem.* 6. *diſ.* 55. nemo enim eſt dominus membrorum ſuorum, *l. Liber homo* 13. *ff. ad leg. Aquil. Navarr. cit. cap.* 27. *num.* 217. *&* 219. *Suar. cit. diſ.* 44. *Sect.* 2. *num.* 10. ubi ait, duplicem eſſe diſtinguendam mutilationem, unam activam, alteram paſſivam, per quam aliquis ob defectum corporis, fit inhabilis ad congruum exercitium Ordinis, præſertim ad celebrationem Miſſæ, ſine ſcandalo, ſive a ſe, ſive ab alio ſit deformatus. Unde fit, ut quis interdum faciat, percutiendo, vel vulnerando alterum, irregularem, licet ipſe non fiat, quia poteſt alterum reddere inhabilem ad Altaris miniſterium, ſine mutilatione: & vice verſa contingere poteſt, ut irregularis fiat mutilans, non autem mutilatus, ut ſi quis per injuriam, & invitus ab alio ſit caſtratus, ſeu Eunuchus factus.

§. III.

De diſpenſatione in irregularitate contracta ex homicidio, & mutilatione.

Effectus hujus irregularitatis eſt, reddere inhabilem ad Ordines ſuſcipiendos, & ſuſceptos exequendos, ſive exercendos, niſi diſpenſetur, ideoque de diſpenſatione hic agendum.

CXXV. Quæritur primo. An & quis poſſit diſpenſare cum homicida injuſto, & directe voluntario? Reſp. certum eſt Papam diſpenſare poſſe: quia omnis irregularitas, ſaltem in nova lege Evangelica, Jure humano Eccleſiaſtico eſt inducta. Unde cum dicitur, hanc irregularitatem eſſe indiſpenſabilem, id non ita intelligendum eſt, quod abſolute in illa diſpenſari non poſſit, ſed quia non niſi raro, & difficulter etiam a Papa in illa diſpenſatur, ut ex communi docet *Abb. in c. Sicut.* 6. *num.* 12. *h. tit. Sylveſt. V. Homicidium.* 3. *q.* 8. *dicto* 2. *Covarr. in Clementat. unic. p.* 2. *§.* 3. *num.* 3. Solet autem Papa fere tantum diſpenſare cum eo, qui Religioſus eſt, vel eſſe vult in Ordine aliquo Religioſorum Mendicantium, ut refert *Covarr. citat. l.* Porro ſolus Papa diſpenſare poteſt, tam in homicidio publico, quam in occulto, ut patet ex Concilio Tridentino *Seſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform.* ubi Epiſcopis conceditur facultas diſpenſandi in omni irregularitate proveniente ex delicto occulto, ea excepta, quæ oritur ex homicidio voluntario. An autem Epiſcopus diſpenſare poſſit cum homicida directe voluntario, ſpectato Jure communi antiquo, dubitatur? Probabilius eſt, etiam olim, ante Concil. Trident. Epiſcopum non potuiſſe diſpenſare in homicidio voluntario, ſive publico, ſive occulto, & quoad ſacros Ordines ſuſcipiendos, vel eos exercendos ut colligitur ex *c. Minor.* 4. *diſt.* 50. & ibi *Gl. V. Minor.* & ex *cap.* 2. *de Cleric. pugnant. in duello. Sylveſt. cit. l. dicto* 4. *&* 6. *Covarr. cit. l. num.* 5. At vero quoad Ordines minores, & beneficium ſimplex potuit Epiſcopus diſpenſare, ut colligitur ex *cit. c. Minor. & cit. cap.* 2. ubi ſolum de ſacris Ordinibus fit mentio, & in fine dicitur, *poterit tamen cum eo circa habendum beneficium miſericorditer diſpenſari*, ubi *Abb. num.* 5. ait: quando in Jure conceditur Epiſcopis abſolute, & ſimpliciter diſpenſatio, debet intelligi de beneficio ſimplici, quia in materia diſpenſationis, per quam derogatur Juri communi, debent verba ſtricte intelligi, atque hæc procedunt de Jure Canonico antiquo: nam poſt Concilium Trident. Epiſcopus nec quoad ſuſcipiendos Ordines minores, nec exercendos, neque ad obtinendum beneficium ſimplex, diſpenſare poteſt cum homicida directe voluntario, ut patet ex *Seſſ.* 14. *cap.* 7. *de reform.* ubi dicitur, quia ſua vo-
,, luntate homicidium perpetraverit, etſi crimen occultum
,, fuerit, nullo tempore ad ſacros Ordines promoveri poſ-
,, ſit, nec illi aliqua beneficia Eccleſiaſtica, etiamſi curam
,, animarum non habeant, conferri liceat, ſed Omni Ordi-
,, ne, & beneficio Eccleſiaſtico perpetuo careat. Ubi aufer-
,, tur Epiſcopis omnis poteſtas diſpenſandi, non ſolum quoad ſuſceptionem, ſed etiam quoad uſum Ordinum, quia uſus Ordinum, etiam minorum, eſt Officium, Eccleſiaſticum, *Avila p.* 7. *diſ.* 6. *ſec.* 5. *dub.* 3. *concl.* 1. *&* 2. *Laym. l.* 3. *tract.* 3. *p.* 3. *c.* 12. *aſſ.* 6. Veruntamen non ſolum Jure antiquo, ſed etiam hodierno poteſt Epiſcopus in caſu urgentis neceſſitatis, ad vitandam infamiam, vel ſcandalum, vel aliud grave periculum, & ſi non ſit facilis recurſus ad Papam, diſpenſare cum eo, qui occultum homicidium commiſit, ut in Ordinibus etiam ſacris miniſtrare, & celebrare poſſit, quamdiu culpa & defectus occultus manet, & donec a Papa diſpenſatio impetretur, *Avila cit. l. dub.* 3. *concl.* 1. *in fine Laym. cit. l.*

CXXVI. Quæritur ſecundo. An ſicut Epiſcopus non poteſt diſpenſare in homicidio occulto directe voluntario: ita nec in mutilatione voluntaria, & illicita, etſi occulta ſit? Reſp. probabile eſt, poſſe diſpenſare, ut docet *Suar. diſ.* 44. *de cenſ. ſec.* 2. *num.* 4. *Avila cit. l. dub.* 4. *Laym. citat. cap.* 12. *num.* 2. *aſſ.* 2. contra *Sanch. l.* 1. *Mor. cap.* 10. *num.* 49. Probatur, tum quia Concilium non excepit irregularitatem ex mutilatione, ſed tantum ex homicidio voluntario: mutilatio autem non eſt homicidium, ſed delictum minus illo; adeoque exceptio homicidii firmat regulam in aliis non exceptis. Tum quia facultas diſpenſandi in omni irregularitate ex delicto occulto conceſſa eſt Epiſcopis, tanquam facultas ordinaria, ergo reſervatio, ſive reſtrictio illius, cum ſit quid odioſum, & derogans Epiſcoporum poteſtati, non debet extendi ultra verborum proprietatem. Nec refert, quod homicidium, & mutilatio in jure æquiparantur, quoad irregularitatem incurrendam, non tamen æquiparantur quoad gravitatem culpæ, nec quoad diſpenſationem, nec quoad alia. Et ita etiam declaravit S. Congregatio Concilii apud *Jo. Gallemart. cit. cap.* 6. *num.* 3.

CXXVII. Quæritur tertio. An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum homicida occulto, qui non ex propoſito, & directe intenderat hominem occidere, ſed ſolum indirecte, & in cauſa, ut ſi quis in rixæ ſubito contingente, ira ſucceſſus occidat auctorem rixæ, ne ab illo occideretur? Reſp. poſſe diſpenſare, ut docet *Navarr. cit. cap.* 23. *num.* 140. *& lib.* 5. *conſil.* 27. *h. t. Suar. cit. diſ.* 44. *ſec.* 1. *num.* 4. *Avila cit. ſec.* 5. *dub.* 5. *concl.* 3. *Laym. cit. c.* 12. *num.* 2. *aſſ.* 4. contra *Molin. & Azor.* Ratio eſt: quia licet hujuſmodi homicidium non ſit mere caſuale: non eſt tamen ſimpliciter, & perfecte voluntarium, cum non fiat ex propoſito directo, & formali, ſed ſolum ſit voluntarium ſecundum quid, indirecte, & in ſua cauſa, & veluti mixtum ex voluntario, & caſuali, ſecundum doctrinam *S. Thom.* 2. 2. *q.* 64. *art.* 8. ideoque probabile eſt, quod a Tridentino ſub exceptione homicidii voluntarii non fuerit comprehenſum: exempla eſſe poſſunt, præter alarum, ſi quis mulierem prægnantem incaute percuſſit, cauſando abortum. Si quis tegulam in tecto improvide projiciendo, hominem occidit: ſi quis mandavit alteri, ut aliquem percutiat, citra mortem, & ille hominem occidit &c. His adde, quod Epiſcopus poteſt etiam diſpenſare in Irregularitate contracta ex homicidio caſuali mixto, ſive indirecte voluntario, etiam ad ſacros Ordines, ſive ſuſcipiendos, ſive ſuſceptos exercendos, & beneficium curatum; ſi ſit occultum homicidium, nec deductum ad forum contentioſum, vi Concilii Trident. *Seſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform.* ubi Epiſcopis conceditur facultas diſpenſandi in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepta irregularitate homicidii voluntarii, a quo diſtinguitur homicidium caſuale, & indirecte ſolum voluntarium; adeoque ibi non excipitur, *Avila cit. ſec.* 5. *dub.* 2. *concl.* 2. quin imo poſt Concil. Trident. poteſt Epiſcopus diſpenſare in homicidio caſuali mixto, ſive indirecte voluntario, ſaltem ad Ordines minores, & beneficium ſimplex, quamvis notorium & publicum ſit: nam ex Jure antiquo id poterat, ut quoad Ordines conſtat ex *c. Ad audientiam.* 12. *h. tit.* quoad beneficium ex *cap.* 2. *de Cleric. pugnant. &c.* quia Concilium non abſtulit Epiſcopis, quod poterant Jure antiquo, quoad homicidium indirecte voluntarium: poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare cum hujuſmodi homicida, etiam publico, ad retinendum beneficium curatum jam obtentum, *Navarr. citat. cap.* 27. *num.* 240. *in fine*, *Avila citat. l. dub.* 2. *concl.* 3. *Laym. cit. l. num.* 3. *aſſert.* 6.

CXXVIII. Quæritur quarto. An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate proveniente ex homicidio juſto? Reſp. primo. Epiſcopus poteſt diſpenſare in homicidio occulto facto defenſionis cauſa, ſed excedente moderamen inculpatæ tutelæ, *Navarr. cit. cap.* 27. *num.* 239. *& l.* 5. *conſil.* 36. *h. t. Avila diſ.* 6. *ſec.* 5. *dub.* 5. *concl.* 1. *Laym. cit. cap.* 12. *num.* 2. *aſſ.* 3. Ratio eſt: quia in citato Decreto Concilii in poteſtate diſpenſandi in irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, ſolum excipitur homicidium directe & ſimpliciter voluntarium, & illicitum: homicidium vero, defenſionis cauſa, factum, ſed cum exceſſu inculpatæ tutelæ, eſt quidem illicitum, ratione hujus exceſſus, non tamen eſt ſimpliciter voluntarium, quia non ſponte, ſed coacte fit, ob neceſſariam ſui defenſionem, in qua ſolum quoad modum peccatur. Non obſtat, quod in Concil. Trident. *Seſſ.* 14. *c.* 7. *de reform.* dicitur, in homicidio caſu commiſſo, vel vim vi repellendo, ut quis ſe a morte defenderet, diſpenſationem committendam eſſe Ordinario loci, aut ex cauſa Metropolitano, vel Epiſcopo viciniori: quo ſignificatur, commiſſionem non factam, ſed faciendam eſſe per Papam. Nam ibi eſt ſermo de homicidio caſuali, aut neceſſario publico, non autem de occulto, ut patet ex verbis ſubjunctis: *qui nonniſi cauſa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter diſpenſare poſſit.* Quare Concilium *cit. l.* vult dicere, quod homicidium in ſe directe voluntarium ſit indiſpenſabile, id eſt rariſſime in eo diſpenſatur. Si vero in ſe ſit volitum, ob cauſam defenſionis, & occultum, diſpenſare in eo poteſt Epiſcopus: ſi vero ſit publicum, non eſt indiſpenſabile, quia

pote-

Digitized by Google

poterit committi loci Ordinario, ut cauſa cognita, in eo diſpenſet, *Avila cit. dub. 5. poſt 1. concluſ.*

CXXIX. Reſp. Secundo. Epiſcopus, vi facultatis conceſſæ in Concil. Trid. *Seſſ. 24. c. 6. de reform.* diſpenſandi in omni irregularitate proveniente ex delicto occulto, non poteſt diſpenſare in irregularitate ex defectu perfectæ lenitatis, ut cum Judice, accuſatore, teſte, nec cum milite occidente in bello aggreſſivo juſto, ut docet *Navarr. cit. c. 27. n. 217. & l. 5. conſil. 39. h. t. Avila cit. diſ. 6. ſec. 5. dub. 1. concl. 2. Laym. cit. c. 12. num. 5.* Ratio eſt: quia tale homicidium, etſi ſit juſtum, eſt tamen directe, ſive in ſe volitum; adeoque non poteſt comprehendi ſub caſuali, ut vult *Cov.* quod non eſt directe voluntarium, ſed tantum indirecte, & in cauſa. Deinde in Concilio non datur facultas diſpenſandi Epiſcopis, niſi in irregularitate ex delicto occulto, hæc autem non deſcendit ex delicto. Veruntamen ſi Clericus, contra Canones in bello juſto pugnet, & propria manu occidat, poteſt cum eo diſpenſare Epiſcopus, quia etſi tale homicidium ſit illicitum contra prohibitionem Juris Canonici, propter indecentiam Status, non tamen eſt injuſtum: ſub exceptione autem homicidii voluntarii in Decreto Concilii intelligitur ſolum homicidium injuſtum, *Avila cit. ſec. 5. dub. 5. in fine*, ubi addit, idem dicendum de irregularitate contracta a Clerico, qui accuſavit in cauſa ſanguinis, ſine proteſtatione, vel teſtis fuit, vel Advocatus.

CXXX. Quæritur quinto. Quam poteſtatem diſpenſandi habeant ii, quibus privilegium conceſſum eſt diſpenſandi in omni irregularitate, excepta bigamia, & homicidio voluntario? R. poſſe diſpenſare in omni irregularitate proveniente ex homicidio indirecte & imperfecte voluntario, & in eo, quod factum eſt ob defenſionem, cum exceſſu moderaminis, ut ex ſupra dictis patet. Item in irregularitate, ob defectum perfectæ lenitatis, quale eſt homicidium juſtum commiſſum a Judice, & quam incurrit accuſator, teſtis, & ſimiles concurrentes ad illud, & miles in bello juſto. Ratio eſt: quia homicidium juſtum, proprie, & in rigore loquendo, non eſt homicidium, ſed hominis occiſio, quia non eſt crimen: & homicidii voluntarii nomine, in illa exceptione, quæ ſemper fieri ſolet in hujuſmodi privilegiis, intelligitur homicidium injuſtum, *Avila cit. ſec. 5. dub. 1. & 2. Laym. cit. l. n. 4. aſſ. 7.* Aliud eſt, ſi per privilegium ſpecifice, & expreſſe concedatur facultas diſpenſandi in homicidio caſuali: tunc enim, vi illius, non poteſt diſpenſari in irregularitate, ex defectu lenitatis, quia homicidium juſtum eſt directe voluntarium, non item caſuale, *Avila c. l. concl. 3.* contra *Covarr.* Putat tamen *Laym. c. l.* ſi facultas diſpenſandi in irregularitatibus tantum conceſſa ſit Regularibus pro foro conſcientiæ, ea non facile uti debere, ſi factum ſit notorium, quia talem diſpenſationem Epiſcopi in foro externo non tenentur admittere.

TITULUS XIII.

De Torneamentis.

Actum eſt in Titulis præcedentibus de homicidio in genere, & in ſpecie, nunc agitur hoc, & duobus ſequentibus Titulis, de quibuſdam actibus, qui quandoque cauſam, ſive occaſionem homicidii præbent, & per quos ad illud, etſi non ſemper, aliquando tamen devenitur. Extat hic Titulus etiam in Extravagantibus Joann. XXII.

I. Continentur in hoc Titulo duo capitula, in quorum primo, quod eſt deſumptum ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. *c. 20.* & incipit *Felicis memoriæ*, prohi-
„ bentur deteſtabiles illæ nundinæ, ſeu feriæ, quæ vulgo
„ torneamenta vocantur, in quibus milites ex condicto con-
„ venire ſolent, & ad oſtentationem virium ſuarum, & au-
„ daciæ, temere congredi (& ideo talis ludus tanquam
„ noxius prohibetur etiam in *l. Cum luſus 10. ff. ad Leg. Aquil. *
„ *Gl. hic V. Temere.*) unde mortes & animarum pericula ſæ-
„ pe proveniunt. Quod ſi quis eorum mortuus fuerit, quam-
„ vis ei petenti pœnitentia non denegetur, Eccleſiaſtica
„ tamen ſepultura carere debet.

II. Ubi notandum primo, etſi torneamenta, in quibus pugiles, dum inter ſe exercentur, & unus alium occidit, non injuriæ, ſed gloriæ, & virtutis cauſa, videantur Jure Civili eſſe permiſſa, aut ſaltem impunita relinqui, *l. Qua actione 7. §. Si quis in colluctatione ff. ad Leg. Aquil.* tamen de jure Canonico ſunt prohibita, ob cædes hominum, quæ frequenter exinde provenire ſolent, *Gl. in Extravag. quia in futurorum unic. Joannis XXII. h. t. V. Torneamenta*, niſi tamen cum tali moderamine fiant, ut ceſſet periculum mortis, tametſi raro, & per accidens ſequatur mors, vel grave vulnus infligatur: tunc enim non ſunt prohibita, *Nav. in man. c. 15. n. 9. Azor. p. 3. Inſtit. l. 2. c. 15. not. 1. Rodriq. tom. 3. q. 6. art. 1. §. 10.*

Et hinc in *cit. Extrav. unic.* revocatur Conſtitutio Clementis V. quæ incipit, *Paſſiones*, in qua torneamenta in quibuſdam regnis prohibita ſunt, ſub pœna excommunicationis in perſonas, & interdicti in Terras eorum lata, non tantum in exercentes torneamenta, vel haſtiludia hujuſmodi, ſed etiam in ferentes eis opem, conſilium, & favorem, vel recipientes eos in locis, vel domibus ſuis, aut commercium quomodolibet cum eiſdem exercentes. Illi vero, qui hujus occaſione ſententias excommunicationis, & interdicti incurrerunt, ibidem abſolvuntur, ſicut ab irregularitate inde contracta. Prædicta autem Conſtitutio Clement. V. revocata fuit, quia plures per illam a ſubſidio Terræ Sanctæ, & a militia revocabantur, ne prædictas cenſuras incurrerent, ut habetur in *cit. Extravag.*

Notandum ſecundo. Pœna eorum, qui cum periculo mortis, & gravis vulnerationis hujuſmodi torneamenta, & pugnas, ſeu conflictus cum armis, & equis exercent (quæ vulgo, & Germanice *Turnier* vocantur) eſt, ut, licet lethaliter vulnerati ſupervixerint, & pœniteant, eis viaticum non denegetur, *c. Si quis 6. cauſ. 26. q. 6. Gl. hic V. Negetur.* Eccleſiaſtica tamen ſepultura priventur, & ſic conceditur eis majus, ſcilicet Corpus Chriſti, & quod minus eſt, prohibetur ex cauſa, ut potius conſulatur vivis, quam defunctis, nempe ut vivi deterreantur a talibus, cum viderint, illos ſepeliri in campis, *Gl. fin. hic & Hoſtienſ.* Is vero, qui aliquem in torneamentis occidit, eadem pœna plectitur, qua ipſi homicidæ, *Hoſtienſ. in ſum. h. t. n. 3.*

Notandum tertio. Eccleſia poteſt etiam Laicis prohibere ludum periculoſum, & noxium animæ, adjecta pœna in tranſgreſſores, ut patet ex hoc *c. Abb. hic n. 2.*

III. Præterea in *c. Ad audientiam 2. h. t.* habetur, quod
„ quidam, non animo ludendi, ſeu pugnandi, ſed cauſa
„ exigendi quædam debita, acceſſit ad locum torneamen-
„ tis exercendis deputatum, in quo caſu ex equo cadens
„ mortuus eſt, cui Eccleſiaſtica ſepultura denegata fuit:
„ quæſitum fuit, an juſte? Reſpondet Alexander III. quod
„ his tantum Eccleſiaſtica ſepultura debeat interdici, qui
„ animo exercendi torneamenta, accedentes, ibidem de-
„ cedunt: ſi ergo conſtiterit, quod ad prædictum tornea-
„ mentum, non animo ludendi, ſed ad recipienda credi-
„ ta pervenerit: licet ibi fortuito caſu (qui prævideri
„ non potuit, unde ipſi obeſſe non debuit, *Gl. hic V. eod.*)
„ obierit: corpus ejus diſpenſatione (illa ſcilicet genera-
„ li, qua conceditur omnium Chriſtianorum corpora in
„ cemeteriis ſepeliri, *Gl. hic V. eod.*) Eccleſiaſticæ tradi
„ debet ſepulturæ. Idemque eſt, ſi cauſa ſpectandi tan-
„ tum acceſſit, quia cum iſta ſit pœna, debet reſtringi ad
„ proprios terminos, *Abb. hic not. 1.* maxime ſi corpus Do-
„ mini cum acceperit, & oleo ſacro extremum iunctus
„ fuerit, ut additur in fine, quamvis idem eſſet, etiamſi
hæc Sacramenta non recepiſſet, dummodo non conſtet, quod in peccato mortali obierit, vel ante mortem ſigna pœnitentiæ ediderit, *Gl. fin. hic.* Hinc colligitur, quod in delictis animus ſpectari debeat, quia voluntas, & propoſitum diſtinguunt maleficia, *l. Qui injuria 53. ff. de furtis c. Cum voluntate 55. in princ. de ſent. excomm. Gl. hic V. Animo, & Hoſtienſ.*

TITULUS XIV.

De Clericis Pugnantibus in Duello.

§. I.

Quid ſit duellum, & quando ſit prohibitum, vel licitum? & de pœnis Jure ſtatutis in eos, qui ineunt illicitum duellum.

Aſſertio 1. Duellum ſic dictum, quaſi duorum bellum eſt ſingularis pugna duorum inter ſe, ex condicto, ſuſcepta, *Hoſtienſ. in ſumma n. 1. h. t. Sylveſt. V. Duellum, n. 1. Azor par. 3. Inſtitut. l. 2. c. 5. not.* Eſt autem illicitum, & prohibitum, Jure naturali, & Divino, ac humano, Civili, & Canonico, *c. Monomachiam 22. cauſ. 2. qu. 5. cap. 1. & 2. h. t. & l. unic. C. de gladiatorib. libr. 11.* Et inprimis quidem illicitum eſt duellum, quod offertur, aut acceptatur ad probationem veritatis, & criminis purgationem, tum quia illud eſt tentare DEUM; eſt enim petere miraculum ut oſtendatur veritas, quod illicitum eſt: tum quia non eſt medium aptum ad manifeſtandum veritatem, cum accidere poſſit, ut innocens in duello victus ſuccumbat, & occidatur, vel membro mutiletur: nocens vero victor evadat, ideoque hujuſmodi duella inita manifeſtandæ veritatis cauſa, damnantur tanquam vana, & ſuperſtitioſa ſortilegia, ſecundum doctrinam *S. Thom. 2. 2. q. 95 art. 8. ad 3. in fine, & ibi Cajetan. Silveſt. c. l. q. 1. n. 2. Azor. cit. c. 5. q. 1.* Secundo, illicitum eſt etiam duellum, quod indicitur ad vires corporis oſtentandas, & gloriam inde captandam, ſi vincat, quia contra rectam rationem eſt, ſe periculo mortis exponere, ob tam vanum finem, *Azor c. l. q. 2. Sayrus in Clavi regia l. 7. c. 13. n. 13.* Tertio, quando indicitur, vel acceptatur duellum, ad dirimendam, ſeu terminandam litem civilem, quia alioquin non acceptans non poteſt conſequi juſtitiam, vel perdit cauſam ſuam, magno ſuo damno, illicitum eſt duellum, etiam ex parte acceptantis, tum quia non eſt aptum medium ad hunc finem, quia ſemper exponitur periculo juſtitia cauſæ, una cum periculo vitæ propriæ, vel alterius: tum quia alia ſunt ad eum finem obtinendum media, nempe vel tranſactio partium, vel ſententia Judicis, vel ſi cauſa poſtulet, commune, ſeu publicum bellum, adeoque acceptans duellum, non tam eſt defenſor, quam aggreſſor, *Azor c. l. q. 5. Sayrus c. l. nu. 14.* Quarto, nec licitum eſt duellum acceptare, ad tuendum propriam honorem, vel ignominiam vitandam, quia provocatus apud viros bonos, & ſapientes nullam facit honoris ſui jacturam: aliud eſt de invaſo, qui aliter non poteſt tueri honorem ſuum, niſi occidendo invaſorem, *Azor cit. loco qu. 6. Sayrus c. l. nu. 13.* Quinto, neque licitum eſt duellum indictum, vel acceptatum ad ſpectantium animos oblectandos, nimis enim atrox, & crudele medium eſt ad finem tam parvi momenti, *Azor c. l. qu. 2. Sayrus c. l. num. 14.* multo minus ad vindictam privatam ſumendam licitum eſt duellum indicere *Azor. c. l.*

II. Aſſertio 2. Sunt tamen plures caſus, in quibus licitum eſt duellum privatum acceptare. Veluti primo, ſi Rex

vel

vel Princeps juſtum bellum gerat, quia non habet ſufficientes vires ad reſiſtendum hoſtibus, ideo committitur res duello, inter duos, vel plures milites utriuſque exercitus decidenda, ut quæ pars vicerit, cauſam obtineat, *Navarr. in man. c. 11. num. 39. & cap. 25. num. 9. Azor. citat. cap. 5. quæſt. 3. Laym. citat. cap. 13. num. 16.* ubi addit ex Cajetano, & Valentia, hoc caſu, licitum eſſe, non ſolum acceptare duellum, ſed etiam ad illud inducere, & provocare, id neceſſarium eſſet ad communem cladem avertendam, cum non aggrediendi, ſeu vindicandi cauſa, ſed defendendi id fiat. Similiter licitum eſt hujuſmodi ſingulare certamen inter milites duorum exercituum, unius contra unum, vel plurium contra plures, provocatis acceptare, ne exercitus hoſtium audacior fiat ad prælium: vel ne milites provocati animo concidant, & ſpem victoriæ abjiciant, vel ut conſulatur honori, & famæ militum, vel ob alias ſimiles cauſas, *Azor. cit. c. 5. q. 4.*

Secundo, ſi quis ab alio per calumniam accuſetur, coram Judice, & certo, vel probabiliſſime prævideat, ſecondemnandum ad mortem, vel membri mutilationem, niſi oblatum duellum acceptet: hoc caſu, ſi non poteſt aliter ſe liberare ab iniquo calumniatore, poteſt acceptare duellum ſibi oblatum, interveniente conſenſu Judicis: tunc enim innocens ſe, vitamque ſuam tantum defendit ab injuria illata, quod jure naturæ licitum eſt, *Navarr. citat. loc. Azor. citat. cap. 5. quæſt. 3. Satyr. citat. cap. 13. numer. 25.* Idemque eſt, ſi ab iniquo Judice innocens condemnetur, ut vel in duello pugnet, vel mortem ſubeat, quia tunc poteſt per incertum duelli periculum certam alioquin mortem a Judice intentatam effugere, etiam cum detrimento tertii, cum quo pugnaturus eſt, neque hoc eſt proprie duellum, ſed defenſio, & repulſio injuriæ, *Sayr. c. l. num. 25.*

Tertio, ſi duo Rei a Principe, aut Judice ad mortem ſint damnati, ut unus alium occidat, vita ei, qui vicerit, & alterum prævenerit, condonata, id quidem ſecundum ſe videtur licitum eſſe, nec contrarium juri naturali, quia cum uterque reus ſit mortis, unus conſtituitur in alterum miniſter juſtitiæ, ut ſententiam mortis in eum exequatur: tamen quia id non caret periculo ſcandali, ob adjunctas circumſtantias, ideo non expedit, ut id fiat, nec licitum eſt, quamvis ipſi Rei talem facultatem a Principe, vel Magiſtratu ſibi factam licite acceptare poſſint, non ex odio, ſed zelo publicæ juſtitiæ, & propriæ vitæ ſervandæ cauſa, *Azor. citat. cap. 5. quæſt. 7. Layman lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 5. num. 1.*

III. Cæterum quænam pœnæ Jure ſtatutæ ſint in eos qui ineunt illicitum duellum, habetur in *Concil. Trident. Seſſ.*
,, 25. *cap. 19. de reform.* ubi primo excommunicantur Impe-
,, ratores, Reges, Duces, Principes, Comites, & alii qui-
,, cunque Domini temporales, concedentes locum ad Mo-
,, nomachiam in ſuis Terris. Secundo. Iidem privantur ju-
,, riſdictione, dominio civitatis, caſtri, vel loci, in quo,
,, vel apud quem duellum fieri permiſerint, ſi id ab Eccle-
,, ſia obtineant: quod ſi ſit feudum, id ſtatim acquiritur,
,, & reddit ad Dominum directum. Tertio. Pugnantes, &
,, eorum Patrini excommunicationis, & omnium bonorum
,, proſcriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrunt,
,, & ut homicidæ juxta SS Canones puniri debent: Quar-
,, to: Si in ipſo conflictu deceſſerint, perpetua careant Ec-
,, cleſiaſtica ſepultura. Quinto. Qui conſilium ad duellum,
,, tam in jure, quam facto dederint, vel alia quacunque
,, ratione ad id quemquam ſuaſerint, nec non ſpectatores,
,, excommunicationis vinculo teneantur, non obſtante quo-
,, cunque privilegio, aut prava conſuetudine, etiam imme-
,, moriali. Porro ex his pœnis excommunicatio incurritur,
,, ipſo facto, cæteræ vero non niſi per ſententiam Judicis,
Azorius cit. l. 2. c. 6. not. 3.

Eaſdem pœnas Concilii poſtea extendit Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit, *Ad tollendum* & habetur in *pract. Ber. Diaz. n. 204. in fine*, ad duella etiam privata, quæ ex condicto, ſtatuto tempore, & in loco convento fiunt, etiam ſine patrinis, ſociiſque ad id vocatis, & ſine aliis ſolemnitatibus. Denique Clemens VIII. in Bulla, quæ incipit, *Illius vices*, & extat apud *Quarant. in Summa Bullarii V. Duellum*, prædictum Decretum Concilii Tridentini, aliaſque Conſtitutiones Apoſtolicas confirmavit, & extendit ad pugnantes in duello, publice, vel privatim, cæteroſque, fautores, & abſolutionem a pœnis Sedi Apoſtolicæ reſervavit. Putat tamen *Laym. l. 3. tract. 3. p. 3. c. 5. n. 4.* Germanos, alioſque Septentrionales populos, ſive ob ignorantiam, ſive quia Conſtitutiones illæ ſecundum hunc ſenſum, non ſunt promulgatæ, & in uſum deductæ, excuſari a cenſura. Item quod Confeſſarii Ordinum mendicantium per privilegia ſua, extra Italiam abſolvere poſſint in duello certantes, & ſocios, ac fautores eorum, ſicut ab aliis cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ex declaratione Clementis VIII. de qua teſtantur *Reginald. & Filliuc. apud Layman cap. 1.*

§. II.

Quæ pœna Canonica ſtatuta ſint in Clericos pugnantes in duello?

IV. Aſſertio 1. Tales Clerici ſunt deponendi, id eſt, ſuſpendendi ab officio, & beneficio, prout ſtatuitur in *cap.*
,, *Porro 1. hoc titul.* Nam quæſitum fuit a Papa Alexandro
,, III. quomodo puniri debeat Clericus, qui alicui ſponte
,, duellum obtulit, vel oblatum ſuſcepit? Et reſpondet Pa-
,, pa, quod ſive victor fuerit, ſive victus, talis Clericus,
,, de rigore Juris, eſt deponendus. Veruntamen quantum-
,, cunque graviter & enormiter Clericus exceſſerit, Epi-
,, ſcopus ipſius poterit cum eo miſericorditer diſpenſare,
,, & ſic ipſe evadere ſententiam depoſitionis: dummodo ex
,, ipſo duello homicidium, vel membrorum diminutio, ſi-
,, ve detruncatio non fuerit ſubſecuta.

V. Pro explicatione hujus cap. notandum primo. Quamvis in hoc cap. de Clerico alium ad duellum provocante, vel ab alio oblatum ſponte acceptante dicatur, illum eſſe deponendum: tamen id non eſt intelligendum de rigoroſa, & proprie dicta depoſitione, ſed de ſuſpenſione, quia in ſtricte dicta depoſitione Epiſcopus nunquam poteſt diſpenſare, cum nec Papa, niſi valde raro diſpenſare ſoleat, ut notat *Suarez diſ. 31. de cenſ. ſec. 4. num. 48. Sanchez l. 2. Mor. cap. 29. num. 18.* imo talis Clericus, ipſo Jure, non eſt ſuſpenſus ab officio, & beneficio, ſed per ſententiam Judicis ſuſpendendus, quia hic non dicitur, talem eſſe ſuſpenſum, ipſo jure, ſed de rigore juris merito eſſe deponendum, ſive ſuſpendendum, ita, ut poſtquam per ſententiam fuerit ſuſpenſus, Epiſcopus cum ipſo diſpenſare poſſit, ut docent *AA. citt.*

Notandum ſecundo. Crimen depoſitione, vel ſuſpenſione dignum committitur, ſi Clericus duellum ineat, ſive ipſe alium ad illud provocaverit, ſive fuerit provocatus, *Abb. hic not. 1.* Ratio eſt, quia nec duellum ſponte offerre, nec oblatum acceptare debet, cum hoc ſit prohibitum, *Monomachiam 22. cauſ. 2. quæſt. 5.* & quia tales pugiles homicidæ cenſentur *cap. 2. hoc tit. Gloſ. hic V. Oblatum, & V. Deponendus* non tamen hæc pœna incurritur propter ſolam provocationem ad duellum, vel acceptationem, ſed requiritur, ut actu ad realem pugnam ſit proceſſum, ut colligitur ex illis verbis, *Sive victor, ſive victus fuerit, Suarez citat. loco & Sanch.*

Notandum tertio. Si Clericus ſponte non pugnet in duello, ſed ob neceſſitatem, quam evitare non potuit, non eſt deponendus, vel ſuſpendendus: imo tunc licitum eſt illi etiam aggreſſorem ſuum occidere: ſecus eſt, ſi ad duellum provocet, vel illud acceptet, ob neceſſitatem evitabilem, v. gr. pro recuperatione bonorum, quæ aliter recuperare poterat, tunc enim peccat contra prohibitionem Canonum; ſed quia neceſſitas, etſi abſolute evitabilis, minuit culpam, & conſequenter etiam pœnam, non eſt deponendus, vel ſuſpendendus, quia ad pœnam in hoc c. ſtatutam requiritur, ut duellum ſponte, & non coacte ſit initum, vel acceptatum, *Abb. hic not. 2.*

Notandum quarto, Epiſcopum poſſe in tali pœna diſpenſare, dummodo ex duello non fuerit mors, vel mutilatio membrorum ſecuta, ut habetur in fine hujus cap. & ibi *Gloſſ. V. Deponendus*, quia tunc incurritur Irregularitas, in qua ſolus Papa diſpenſare poteſt, *Suarez citat. loco.* Et hinc etiam colligitur, quod Epiſcopus non poteſt diſpenſare, niſi in caſibus a jure ipſi conceſſis, ſi enim poſſet in omnibus caſibus ſibi non prohibitis diſpenſare, fruſtra hic exprimeretur, quod poſſit diſpenſare cum Clerico ineunte, & ſuſcipiente duellum, *Abb. hic not. 3.*

VI. Aſſertio 2. Clericus Irregularis efficitur, non ſolum ſi ipſe per ſe interfecit aliquem in duello, ſed etiam ſi pugil ab eo conſtitutus adverſarium occidit, ut conſtat ex
,, *cap. Henricus 2. hoc titul.* Nam quidem Presbyter, nomi-
,, ne Henricus, Laicum quendam ſuper furto, coram ſe-
,, culari Judice, convenit, & quia non potuit intentionem
,, ſuam per teſtes probare, pugilem, ſecundum pravam
,, Terræ, ſive loci illius conſuetudinem, obtulit, ſeu con-
,, ſtituit, qui adverſarium adeo graviter vulneravit, ut mor-
,, tuus fuerit. Epiſcopus loci conſuluit Papam Cæleſtinum
,, III. vel ut alii Clementem III. qui reſpondit, quod ta-
les pugiles vere homicidæ ſunt (ſaltem occaſionaliter, &
quantum ad propoſitum, & conſenſum, *Gloſſ. hic V. Homici-*
,, *da, & Hoſtienſ.*) nec prædictus Sacerdos, licet non ipſe,
,, ſed alius pro ipſo pugnaverit in duello, debet in Sacris
,, Ordinibus miniſtrare, ſicut tradunt SS. Canonum Inſti-
,, tuta (*cap. Miror 4. cap. Si quis viduam 8. diſ. 50. & cap.*
,, *ultim. diſ. 51.*) homicidium enim committitur, tam fa-
,, cto, quam præcepto, conſilio, vel defenſione: poterit ta-
,, men circa beneficium habendum cum dicto Presbytero
,, diſpenſari.

VII. Notandum primo. Conſuetudo illa, per quam admittatur purgatio per Monomachiam, ſive duellum, ita ut ex illius eventu appareat de innocentia Rei accuſati, vel convincatur de crimine, de quo eſt accuſatus, eſt tanquam prava jure prohibita, & reprobata, *tot. titul. de purg. vulg.* de quo infra, ideoque etiam invalida, *Gloſſ. hic V. pravam, Hoſtienſ. & Abb. num. 1.* Reprobatur autem talis conſuetudo primo, quia per talem probationem DEUS tentari videtur, ut in pugna per miraculum oſtendat, quod is, qui vicerit, habeat juſtam cauſam. Secundo, quia mortes hominum, & pericula animarum inde proveniunt, *cap. 1. tit. prac.* Tertio, quia talis probatio fallax eſt, ut cum plurimum minus fortis ſuccumbat, & vincatur, ſive juſtam cauſam habeat, ſive non; vix enim reperiri poſſunt duo pugiles ejuſdem fortitudinis, & induſtriæ, in judiciis autem omnis iniquitas, & inæqualitas reprobatur, *c. Cum inter 5. de except. cap. 2. de mut. petit.* Unde etiam ſententia lata per talem probationem non tranſit in rem judicatam, *cap. 2. de purg. vulg. Gloſſ. hic V. Homicida.* Quia duellorum uſus, fabricante diabolo, eſt introductus, ut cruenta corporum morte, animarum perniciem lucretur, ut loquitur *Concil. Trident. cit. Seſſ. 25. cap. 19. Hoſtienſ. hic V. Pravam. Abb. ibid. in fine.*

Notandum ſecundo, homicidium directe voluntarium quatuor modis committitur, ut habetur in *cit. c. 2. hoc tit.* facto, cum quis per ſe, ſive propria manu aliquem occidit: præcepto, ſive mandato, cum per alium: conſilio, aut defenſione non neceſſaria, ſive excedente moderamen inculpatæ tutelæ, ſi loquamur de homicidio culpabili, & punibili, *Abb. hic num. 2. verſ. 3.*

No-

Digitized by Google

Notandum tertio. Spectato Jure Canonico antiquo, Epiſcopus poteſt cum voluntario homicida diſpenſare, quoad beneficium ſimplex obtinendum, ne cogatur in Clericalis Ordinis opprobrium mendicare, ut patet ex *cit. c. 2. hoc tit.* & dictum ſupra *tit. 12.* Porro jure novo Concilii Tridentini *citato loc.* Clericus pugnans in duello, eſt etiam ipſo jure, ſeu facto excommunicatus, & conſequenter etiam ſuſpenſus, ipſo jure, ab officio, & beneficio, ut notat *Suarez cit. diſ. 31. ſec. 4. n. 48.*

TITULUS XV.

De Sagittariis.

IN *cap. Artem unic. hoc tit.* Papa Innocentius III. artem illam mortiferam, & odibilem (quippe quæ cauſam homicidiis præbere ſolet) Sagittariorum, adverſus Chriſtianos, & Catholicos exerceri de cætero ſub anathemate, ſive excommunicatione prohibet. Conſiſtit autem ars hæc in jaciendis ſagittis, eaque prohibetur exerceri in bello injuſto; nam in bello juſto licitum eſt quibuſcunque armis uti, & pugnare, *Gloſſ. hic V. Chriſtianos.* Deinde prohibetur exerceri contra Catholicos, ut colligi videtur a ſenſu contrario; nam in bello juſto contra Saracenos, alioſque infideles, impune hæc ars exerceri poteſt, *Hoſtienſ. hic* quia non refert, an vi aperta, an occulta, & ex inſidiis pugnetur, videtur autem hæc ars pugna ex inſidiis, *Silveſt. hic V. artic. quæſt. 6.* Aliter hoc cap. explicat *Abb. hic num. 2.* nempe quod Papa voluit ſpecialiter prohibere exercitium hujus artis contra Chriſtianos, & Catholicos, ut magis ab ea abſtinerent homines in bello contra fideles, licet etiam in bello injuſto contra infideles iſta ars ſit prohibita, quia plus timeri ſolet, quod ſpecialiter injungitur, quam quod generaliter imperatur, *c. Si adverſus 11. de hæretic.* Eſt autem Canon iſte excommunicationis non latæ ſententiæ, ſed ferendæ, *Gl. fin. hic.*

Porro per ſagittarios hic intelligi putat *Barb. in Collect. num. 2.* eos, qui fœdere cum dæmone inito, ei animam, & corpus addixerunt, ſi quam longiſſime diſſitos ferire, & trajicere poſſint, quos voluerint:

TITULUS XVI.

De Adulteriis, & Stupro.

POſtquam actum eſt de criminibus, quæ committuntur contra quintum præceptum Decalogi, & per quæ læditur vita, & corpus proximi, ſequuntur hoc ordine delicta contra ſextum præceptum Decalogi, nempe delicta carnis, quibus peccatur in proprium corpus, & læditur pudicitia, ut adulterium, ſtuprum, & alia ſimilia, de quibus hoc Titulo agendum:

SECTIO I.

De crimine adulterii, & ejus pœnis:

§. I.

Quid ſit adulterium, & quibus modis committatur?

ASſertio 1: Adulterium eſt alieni tori violatio, *c. ultim. cauſ. 32. quæſt. 6:* unde adulterium dicitur, quaſi ad alienum torum acceſſio, *Hoſtienſ. in ſumma hoc tit. num. 1: Silveſter V. Adulterium num. 1:* Continet autem in ſe duplicem deformitatem contra rectam rationem, ſive malitiam: unam luxuriæ, quia eſt concubitus viri cum fœmina, extra conjugium: alteram injuſtitiæ, quia eſt coitus cum fœmina, quæ eſt uxor alterius, *S. Thom. 2. 2. quæſt. 154. art. 8. Azor p. 3. Inſtitut. cap. 7. in princ.* quæ malitia non purgatur, nec tollitur per conſenſum alterius conjugis, eo quod hic conſentiat in adulterium conjugis adulteri, quia adhuc injuria infertur DEO Auctori naturæ, qui vinculo indiſſolubili utrumque conjugem ſibi invicem aſtrinxit: quamvis conjux conſentiens in adulterium alterius non poſſit actionem, vel querelam inſtituere ſuper illata ſibi injuria a conjuge, quia ſcienti, & conſentienti non fit injuria, neque dolus, *reg. juris 27. in 6.*

II. Aſſertio 2: Committitur adulterium tribus modis: Primo, ſi vir conjugatus cognoſcat carnaliter mulierem ſolutam, & tunc eſt adulterium ſimplex, ex parte viri tantum: Secundo, ſi e contrario, vir ſolutus cognoſcat carnaliter fœminam conjugatam, & hoc eſt adulterium ſimplex ex parte fœminæ tantum. Tertio, ſi vir conjugatus accedat ad fœminam itidem conjugatam, & hoc eſt adulterium duplex, ex parte utriuſque, tam viri, quam fœminæ, *Silveſter c. l. Azorius c. l. not. 2.*

Ubi tamen notanda eſt differentia inter Jus Civile & Canonicum; nam quamvis proprie dictum adulterium ex parte viri ſit, cum violat alienum torum, licet ipſe ſit ſolutus, & non conjugatus: & ex parte mulieris, quando ipſa violat proprium torum, etiamſi adulter non ſit conjugatus: ſi tamen vir conjugatus concumbat cum ſoluta, tunc de Jure Civili, nec ex parte viri, neque ex parte mulieris, dicitur, vel cenſetur adulterium: neque pœnæ decretæ in adulteros tunc locum habent, ut ex communi, & indubitata DD. ſententia tradit *Clarus l. 5. ſentent. §. Adulterium, n. 2.* ideoque in *l. Fugitivus 25. ff. de V. S.* adulter vocatur, qui alienam matrem familias corrupit. Ratio eſt, quia in adulterio commiſſo cum fœmina conjugata, ſive a ſoluto, ſive a conjugato, confunditur ſemen adulterinum cum maritali, & ex eo naſcitur proles incerta, cum ipſa neſciat, an ex marito, an vero ex adultero conceperit. At vero de Jure Canonico, ſi vir torum, & fidem conjugalem violet, accedendo ad aliam etiam ſolutam, quam ad propriam conjugem, adulterium vere, ac proprie committere cenſetur, non minus quam mulier conjugata, ſi carnale commercium habeat cum alio viro etiam ſoluto, quam proprio marito, quia eadem caſtimonia debetur a viro, quæ ab uxore, & uterque conjux ad fidem mutuo promiſſam æqualiter obligantur, *c. Nemo 4. in princ. cauſ. 32. q. 4.* quamvis turpius ſit adulterium in muliere, ob rationem ſupra allatam, *Clarus c. l. Zoeſ. in comment. ff. ad Lege Jul. de adulter. n. 2.*

III. Præterea committitur adulterium, non ſolum ſi vir alienam uxorem carnaliter cognoſcat, ſed etiam ſi carnale commercium cum ſponſa aliena habeat de præſenti ducta, non tamen adhuc a viro ſuo cognita, quia Sponſalia per verba de præſenti contracta ſunt verum matrimonium, nuptias enim non concubitus, ſed conſenſus facit, *Reg. 30. in ff. Gl. in c. Diſcretionem 6. V. Beatum, de eo qui cognovit conſang. Clarus §. Adulterium n. 8.* & alii communiter. Non autem committitur adulterium cum aliena ſponſa de futuro, ut ex probabiliore ſententia docet *Cov. in Epitome l. 4. Decretal. c. 1. n. 7. & 8. Clarus c. l. Zoeſ. in comment. ff. ad Lege Jul. de Adulr. n. 6.* quia adulterium proprie in nuptam committitur, *l. Inter 6. §. 1. & l. Stuprum 34. in fine ff. eod. tit.* & adulterium eſt violatio alieni tori, & adulter dicitur corruptor alienæ matrisfamilias. At vero per concubitum cum ſponſa aliena de futuro, non violatur torus alterius, quia ſponſus non habet jus accedendi ad ſponſam, ante conſenſum conjugalem mutuum, expreſſum vel tacitum, de præſenti præſtitum; nam per ſponſalia de futuro jus acquiritur, non tam præſens, quam futurum, quod per matrimonium Sponſæ cum alio contractum, & aliis etiam modis impediri poteſt, nec etiam Sponſa aliena dici poteſt Materfamilias.

Non obſtat *text. in l. Si uxor 13. §. Divi ff. ad Lege Jul. de adulter.* ubi dicitur: *Etiam in ſponſa hoc idem vindicandum, quia nec ſpem matrimonii violare permittitur:* & in *l. Propter 7. C. e. d.* dicitur, quod non poteſt jure mariti violatæ virginis adulteræ crimen exerceri, niſi violata ſponſa ejus fuerit. Nam ea loca non ſunt accipienda de adulterio proprie dicto, ſed late ſumpto, prout etiam ſtuprum complectitur, juxta *l. inter 6. §. 1. ff. eod.* ita ut licet vindicandum ſit, non tamen niſi ut ſtuprum, ut patet ex *cit. l. Si uxor, §. Minor:* nec ut agat quaſi jure mariti, & tanquam de adulterio, cum non fuerit maritus, tempore commiſſi criminis, ſed potius jure ſponſi, tanquam de ſtupro in ſui injuriam commiſſo, propter præcedentia ſponſalia, & ſpem matrimonii, juxta *l. Etiam 15. §. Sponſum quoque ff. de injuriis:* nam certum eſt, illum, qui cognoſcit fœminam alteri deſponſatam per verba de futuro gravem injuriam inferre ſponſo, lædendo jus per fidem mutuo datam ipſi acquiſitum: unde ſponſus non vindicat illam fornicationem cum ſponſa ſua, eo quod ſit adulterium, ſed ratione gravis injuriæ ſibi illatæ, *Covarr. cit. c. 1. n. 9. & 11. Zoeſ. c. l. n. 7. & 8.* Nec etiam obſtat, quod adfert Gratianus in *c. Omne 20. cauſ. 27. q. 2. ex Deuter. in. c. 22. Qui ſponſam alterius in agro oppriment, morte morietur, quia uxorem alterius violavit.* Nam ibi eſt ſermo de ſponſa de præſenti, ut patet ex *c. Si quis 11. & c. ſeq. junct. Gl. ead. cauſ. & q. Zoeſ. in comment. ad Decretales hoc t. n. 2.*

§. II.

De accuſatione criminis adulterii.

IV. Quæritur primo, quinam admittantur ad accuſationem adulterii? Reſp. Inprimis, ante omnes alios, etiam patrem adulteræ, admittitur ad accuſandum maritus, *l. 2. §. Si ſimul ff. ad Lege Jul. de adu. 1.* ubi etiam ratio redditur, cur maritus in accuſando præferatur patri mulieris adulteræ: *num & propenſiore ira, & majore dolore executurum eum accuſationem credendum eſt:* idque procedit, etiamſi pater prævenerit in accuſando adulteram, modo maritus non fuerit negligens in accuſatione inſtituenda, ut ibidem additur: vel niſi pater maritum infamem arguat (qui jure mariti non accuſabit, ſed jure extranei) aut colludere magis cum uxore doceat, quam ex animo accuſare: tunc enim pater præfertur marito, alias poſtponitur in accuſando, *l. Niſi 3. & ibi Gl. V. infamem ff. eod.*

V. Præterea poſt maritum ceſſantem, aut nolentem agere, admittitur ad accuſandum adulterium pater mulieris, *l. 2. §. Si ſimul, & l. ſeq. ff. ad lege Jul. de adulr.* poſt patrem vero reliqui cognati admittuntur, ſcilicet frater, patruus, avunculus adulteræ, & alii, quos verus dolor ad accuſationem impellit, *l. Quamvis 30. C. ad Lege Jul. de adulter.* Ceſſantibus autem propinquis, etiam extranei ad accuſandum admittuntur: nam licet jure mariti accuſare nequeant de adulterio, *l. Si vir tuus 4. §. 1. & ibi Gl. V. Qui accuſare ff. dicto tit. & leg. Jure 6. C. eod.* non tamen omnino excluduntur ab accuſatione, ſed ſolum ita, ut non poſſint accuſare, quamdiu perſonæ propinquæ, & neceſſariæ extant, & accuſare non ceſſant: quomodo intelligendum eſt, quod dictum in *cit. l. Quamvis C. dicto tit.* ut exponit *Gl. ibidem V. Proximis & V. Ab accuſatione.* Alioquin vero cum adulterium inter crimina publica numeretur, *l. 1. de public. Judic. §. Item lex Julia Inſtit. eodem,* quilibet de populo ad ejus accuſationem admittitur, dummodo mas ſit, & major XXV. annis, *l. Palam 43. §. Senatus ff. de ritu nupt. l. Si maritus 15. §. Lex Julia ff. & l. 2. C. eod. VVeſemb. in Parat. ff. eod. n. 10. Harprecht. Judic. de public. Judic. §. Item lex Julia n. 38.* Etſi vero alias minor XXV. annis adulterii accuſare non poteſt, quia non videtur idoneus accuſator, qui nondum robuſtæ eſt ætatis; ſuum tamen matri-

nio.

monium, ſi velit vindicare, admitti debet, *cit. l. Si maritus §. Julia.* cum auctoritate tamen Curatoris, *l. Clarum 4. C. de auct. præſtand. Gl. in cit. §. Lex Julia. V. Audietur.* Sed etſi maritus adhuc filius familias ſit, accuſare uxorem poteſt de adulterio, perinde acſi ſui juris eſſet, etiam invito patre, *l. Inter. 6. §. Filiusfamil. ff. h. t.*

VI. Cæterum etſi maritus accuſare poſſit uxorem, non tamen vice verſa, uxor accuſare poteſt de adulterio maritum criminaliter ad legalem pœnam infligendam, ſpectato Jure civili, ut conſtat ex *l. 1. C. h. t. Hoſtienſ. in ſumma n. 1. h. tit.* idque procedit, ſive maritus accedat ad ſolutam, ſive ad conjugatam, ut tradit *Gl. ibid. V. Violare. Farinac. in praxi crim. p. 5. q. 141. num. 104. Sanch. l. 10. de matrim. diſ. 8. num. 33.* Ratio eſt: tum quia uxor majorem reverentiam, & honorem debet viro, tanquam Capiti ſuo, quam vir uxori: tum quia adulterium longe gravius eſt in uxore, quam in viro, ob prolis incertitudinem, & alieni partus ſuppoſitionem; ideoque etſi vir admittatur ad accuſandum criminaliter, non autem vice verſa, *Harprecht. cit. l. num. 42.* tum quia maritus, ſive accedat ad ſolutam, ſive ad alium conjugatam, non inquinat ſuum ipſius torum; adeoque nec uxoris ſuæ, ſed torum viri illius, cum cujus uxore rem habet, *Gl. in cit. l. 1. V. Violato C. hoc titul.*

Ex quo infertur, ſi vir accuſet adulteram uxorem criminaliter, non admittitur exceptio, quod vir etiam adulterium commiſerit, quia in hac accuſatione vir, & mulier non gaudent æquali jure, *Sanch. cit. l. num. 34.* Poteſt tamen uxor contra maritum adulterum agere civiliter ad divortium inſtituendum, & repetendum dotem, ac donationem propter nuptias, *Farinac. cit. l. & Sanch.* de quo infra. Poteſt etiam uxor contra maritum inſtituere actionem injuriarum, non ad pœnam legis Juliæ, ſed quia ob violatum matrimonium gravem injuriam paſſa eſt, *Farinac. citat. l. num. 106.*

VII. Verum hoc, quod dictum eſt de diſcrimine inter maritum, & uxorem, non procedit ſpectato Jure Canonico, ſecundum quod, cum adulterium pari ratione in utroque conjuge, tam viro, quam muliere damnatum ſit, *cap. ult. cauſ. 32. quæſt. 5.* ideo hoc jure uxor poteſt accuſare criminaliter de adulterio virum ſuum, ad pœnam legalem infligendam, *Arg. c. Si quis 4. cauſ. 32. q. 1. junct. Gl. V. Ad imparia* ubi ait, quod vir, & uxor in adulterio deprehenſi non ad imparia judicantur, quoad debitum reddendum, divortium, & accuſationem, *Farinac. c. l. num. 105.* quamvis viros ſuos non ita facile de adulterio accuſare ſoleant, ut dicitur in *cit. c. ult. cauſ. 32. q. 5.* Et hanc ſententiam Juris Canonici ſequuntur etiam Ordinationes Imperii, ut refert *VVeſenb. cit. l. num. 11.*

VIII. Quæritur ſecundo. Intra quod tempus accuſatio adulterii ſit inſtituenda? Reſpond. maritus, jure ſpeciali mariti, accuſare poteſt uxorem adulterii intra LX. dies utiles computandos a tempore ſoluti matrimonii per divortium, *l. Non ſolum 3.* & ubi *Gl. V. Ex diſſolutione. & l. Jure 6. C. h. tit.* Idem tempus LX. dierum conceſſum eſt patri, quod tamen ipſi non currit, dum maritus accuſat: ſi vero uterque, tam maritus, quam Pater diſſerat accuſare, utrique hoc tempus currit, *l. Si maritus. 4. in princ. ff. h. titul.* poſt LX. dies vero elapſos admittuntur ad accuſandum etiam extranei (& inter hos quoque maritus, & pater, ſi privilegium LX. dierum neglexerint, ſed jure extranei) intra quatuor menſes utiles, *cit. l. 4. §. 2. Mulor 12. §. Sexaginta dies ff. eod.*

IX. Quæritur tertio. Quinam accuſari poſſint de adulterio? Reſp. accuſari poſſunt, tam adulter, quam adultera, modo per dolum adulterium ſit commiſſum, id eſt, ſciverit eam, cum qua ſcortatus eſt, alterius eſſe uxorem; nam adulterium ſine dolo malo non committitur, *l. pen. ff. h. tit. Hoſtienſ. in Summa eodem numero 4.* Hinc ſi mulier ab alio decepta, putans eſſe maritum ſuum, carnaliter cognoſcatur: vel credens maritum eſſe mortuum, cum alio nuptias contrahat, non poteſt accuſari, tanquam rea adulterii, *VVeſenb. in Paratit. ff. h. t. num. 14.* Idemque eſt de eo, qui ignorat mulierem, quam cognoſcit, eſſe nuptam viro, *Farinac. cit. q. 141. num. 97.*

Extenditur autem primo. Quod mulier conjugata, etiamſi publica meretrix ſit, poſſit accuſari, ac puniri, tanquam rea adulterii, *l. Si uxor 12. §. Sed etſi ea ff. h. tit.* & ibi *Gl. V. Vulgaris*: & alii plures apud *Farinac. cit. quæſt. num. 84.* Nec obſtat, quod in *l. Si ea 22. C. h. tit.* dicitur, cum meretrice adulterii crimen ceſſare; nam ibi adulterium accipitur pro ſtupro, juxta *Gl. ibid. V. Adulterii*. Idque certum videtur, reſpectu mulieris, quod ob meretricium non excuſetur ab adulterio, ſi conjugata ſit: alioquin ſequeretur abſurdum, quod mulier, quæ publica adultera eſt, minus puniatur, quam mulier, quæ occulte ſolum adulteratur: quamvis vir conjugatus accedens ad talem publicam meretricem conjugatam non poſſit accuſari, ac puniri, tanquam reus adulterii, quia non videtur violaſſe torum alienum, ubi nullus eſt tori pudor, & reſpectus, ſed promiſcua, & vulgaris, marito connivente, turpitudo, *VVeſenb. cit. l. num. 6. Farinac. cit. l. num. 85.* ubi ait, hodie ita in praxi ſervari: quamvis *Clarus §. Adulterium num. 3.* dicat, quod etiam quoad mulierem meretricem ceſſat pœna; adeoque etiam accuſatio criminalis adulterii. Extenditur ſecundo, quod non ſolum accuſari poſſunt, qui mœchantur, ſed etiam, qui quavis ratione, quæſtum ex adulterio faciunt, ut qui lenocinium exercent, ſive proſtituunt uxorem ſuam, vel qui domum ſciens præbet, ut adulterium in ea fiat, *l. Qui domum 8. l. Mariti. 29. §. Qui quæſtum. ff. hoc titul.* Item qui prohibitas, & illicitas nuptias contrahunt, ut qui pupillam ſuam duxit uxorem, *l. 7. ff. h. tit. Hoſtienſ. in ſumm. num. 4.*

X. Quæritur quarto. Coram quo Judice inſtituenda ſit accuſatio adulterii? R. Si agatur criminaliter ad pœnam ſanguinis, aut mortis imponendam, ſolus Judex ſecularis poteſt cognoſcere, quia Eccleſiaſticus prohibetur eam pœnam infligere, *cap. pen. Ne Clerici, vel Monachi &c. Abb. in cap. Tua 5. de procurat. num. 6.* quoad alias vero pœnas hoc crimen eſt mixti fori; adeoque ad utrumque Judicem, tam Eccleſiaſticum, etiam quoad laicos, quam ad ſecularem pertinet, has pœnas infligere, ita ut inter eos præventioni ſit locus, *Sanch. l. 10. de matrim. diſ. 8. num. 16.* De Judice Eccleſiaſtico eſt textus in *c. 1. de offic. Judic. Ord.* ubi dicitur, quod Epiſcopi in ſuis Diœceſibus liberam poteſtatem habeant adulteria, & ſcelera inquirere, ulciſci, & judicare. De Judice ſeculari, quod vir accuſare poſſit uxorem coram illo de crimine adulterii ad pœnam legitimam infligendam, habetur in *cit. c. Tua de procurat.* de utroque vero in *c. Cum ſit. 8. de foro compet.* ubi dicitur, malefactores ſacrilegos Eccleſiarum coram utroque Judice, ſub quo maluerint, poſſe conveniri; adulterium vero eſt quaſi ſacrilegium quoddam, *l. Quamvis 30. in fine C. h. t.* ubi adulteri appellantur ſacrilegi, *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 7. §. 7. nu. 20. Clarus in pract. crim. q. 37. num. 3.* ubi ait, eſſe communem opinionem. Ratio eſt, quia cum per adulterium inferatur injuria quædam Sacramento matrimonii; ideo non minus ad Judicem Eccleſiaſticum, quam ad ſecularem pertinet illud cognoſcere, & punire. At vero ſi de adulterio agatur civiliter, in ordine ad divortium, ſive ſeparationem tori, ſolus Judex Eccleſiaſticus, & non ſecularis poteſt de illo cognoſcere, *cit. c. Tua. §. Si vero de procur. & c. 1. Ut lite non conteſt. Covarr. cit. cap. 7. §. 6. n. 8. Clarus cit. l. Sanch. cit. diſ. 8. num. 15.* Ratio eſt, quia ſicut quando agitur de valore matrimonii, ad ſolum Eccleſiaſticum Judicem pertinet de eo cognoſcere, ob rationem Sacramenti: ita etiam de cauſis ejus diſſolvendi judicium ferre. Similiter ſi agatur de adulterio, in ordine ad divortium inſtituendum coram Judice Eccleſiaſtico, & acceſſorie etiam ad amiſſionem dotis allatæ, ad eundem etiam pertinet, qui enim cognovit de principali, cognoſcere etiam debet de acceſſorio, *c. Prudentiam 3. de donat. inter vir. & uxor. Sanch. cit. l.*

XI. Cæterum illud hic notandum eſt, ſi vir contra uxorem adulteram inſtituat actionem criminalem, ad publicam ejus punitionem, vel uxor contra virum, ſecundum Jus Canonicum, non poteſt poſtea, etiam finito eo judicio, agere de adulterio civiliter ad divortium inſtituendum, ſeu tori ſeparationem, & amiſſionem dotis, vel donationis propter nuptias, aut vice verſa, finito Judicio civili, vir uxorem, vel hæc virum adulterum criminaliter accuſare, *Abb. in cit. c. Tua num. 5. & in c. De his 6. de accuſat. Sanch. cit. diſ. 8. num. 19.* Idque probatur ex *l. Interdum. 4. ff. de public. Judic. & l. Quod SCtum. ff. de injuriis*, ubi in fine dicitur: plane ſi actum eſt publico judicio, denegandum eſt privatum. Similiter ex diverſo, quando ſcilicet utrumque ad vindictam tendit, juxta *Gl. fin. ibid.* At vero utraque hæc actio ex adulterio competens, tam criminalis, quam civilis tendit ad punitionem adulterii, licet prior ad publicam vindictam, ſeu pœnam, poſterior ad privatam: nam quamvis divortium proprie non ſit pœna, ſed proſecutio Juris, quod conjux innocens acquiſivit, ob alterius conjugis adulterium: tamen quoad hanc actionem ſeparatio, quoad torum, & habitationem, cenſetur, & appellatur pœna, quia ea petitio non pertinet ad compenſandum rei familiaris damnum: ſed potius inſtituitur divortium in pœnam ingratitudinis, & fidei conjugalis violatæ; ideoque in *cit. cap. Tua de procur.* ejuſmodi accuſatio, ſeu actio tendens ad divortium, vocatur mixta ex civili, & criminali: criminalis quatenus tendit ad divortium inſtituendum: civilis vero quatenus tendit ad dotis amiſſionem, quæ tamen etiam pœna quædam eſt, licet applicanda actori, ſeu accuſatori *Sanch. citat. l.* Cum ergo utraque hæc actio tendat ad vindictam publicam, aut privatam, non poteſt quis, una intentata, & finita, ad alteram tranſire, quia non eſt decens, nec æquum, ut aliquis poſtulet idem delictum bis puniri. Aliud vero eſt dicendum, ſi inſtituatur actio civilis directe tendens ad intereſſe, ſeu jacturam rei familiaris compenſandam; ea enim non præjudicat actioni criminali, quo minus uno judicio finito, alterum inſtitui poſſit. Nec refert, quænam prius intentetur, ſicut expreſſe habetur in *l. unic. Cod. Quando civil. act. crimin. præjud.* ſic ſi quis alicui rem ſurripuit, poteſt Dominus agere, vel civiliter contra furem ad damni illati compenſationem, vel poſt illam obtentam, criminaliter ad publicam vindictam nec una actio per aliam tollitur. Non tamen poteſt utraque ſimul intentare in eodem judicio, *Gl. in cit. l. unic. V. Utraque* quia cum actio criminalis ſit dignior, & major, quam civilis, non poſſunt ſimul cumulari æque principaliter: quamvis ſi actor inſtituat actionem criminalem principaliter, poſſit ſimul acceſſorie petere, ut damnum rei familiaris ſibi compenſetur *Clarus in pract. crim. quæſt. 4. num. 21. Molin. tract. 3. de juſtit. diſ. 4. num. 19. Sanch. cit. l. num. 19.*

§. III.

Quomodo probandum ſit adulterium?

XII. Supponendum eſt, adulterium, cum omnino occulte, & remotis arbitris fieri ſoleat, non poſſe directe probari per teſtes, vel per documenta, aut inſtrumenta, ſed ſolis præſumptionibus, conjecturis, & indiciis, ob defectum probationis directæ, *Maſcard. de probat. concl. 57. num. 3. Menoch. l. 1. de præſumpt. 58. numer. 3. Sanch. lib. 10. de matrim. diſ. 12. num. 40.* Idque ſumitur ex *c. Mariti. 4. hoc titul.* quod eſt deſumptum ex Concilio Pariſienſi *cap. 3.* ubi „ dicitur: maritis etiam ex ſuſpicione (violenta ſcilicet, „ *Gl. hic V. eod.*) uxores accuſare permiſſum eſt, & ipſi plus „ cæteris, de adulterio, & accuſare poſſunt, & defendere, quia nimirum nullus poteſt agere ad tori ſeparationem,

rem, niſi maritus, cum nec ulterius interſit, *Hoſtienſ. hic V. Plus de cæteris & Abb.* de quo ſupra.

XIII. Porro non ſufficit ad plenam probationem adulterii quæcunque ſuſpicio probabilis, ſed requiritur violenta, quæ ſufficit ad condemnandum juxta *c. Afferte. 2. & c. Literis. 12. de præſumpt.* cujuſmodi eſt, quæ etſi non plenam, & indubitatam fidem, moralem tamen certitudinem facit, quæ virum prudentiſſimum inducere ad judicandum, adulterium eſſe patratum, *Sanch. cit. diſ. 12. num. 41. & 42.* Tales præſumptiones violentæ plures enumerantur a *Maſcarde de probat. concl. 59. & ſeqq. Menoch. de præſumpt. l. 5. præſumpt. 41. Sanch. cit. diſ. 22. num. 43. & ſeqq.* Prima eſt orta ex ipſa rei natura, ſi abſente marito per unum annum, vel amplius, is poſtea reverſus reperiat uxorem ſuam prægnantem, quæ ſufficiens eſt ad condemnandum ad pœnam ordinariam adulterii, *Menoch. cit. præſumt. 41. num. 5. & 6.* Secunda eſt, ſi qui accuſati ſunt de adulterio, ac poſt factam accuſationem, & defenſionem, quod eſſent ſanguine juncti, matrimonium contraxerunt, tunc eſt præſumptio, ipſos antea adulterium commiſiſſe, de quo fuerant accuſati, *l. Si qui 34. C. ad leg. Jul. de adult.* quæ eſt præſumptio ſufficiens ad pœnam capitalem adulteris infligendam, *Menoch. c. l. num. 7. & 8.* Tertia eſt, ſi maritus ter alicui denunciavit, in ſcriptis, & præſentibus tribus teſtibus, ne cum ſua uxore eſſet, eamque alloqueretur, & tamen denuo deprehendatur cum illa aſſu, & colloqui, *Auth. Si quis et. C. h. tit.* & hæc eſt etiam præſumptio juris, & de jure, ſufficiens ad pœnam capitalem adulterii infligendam, *Menoch. c. l. num. 9. & 10.* Quarta conjectura, ſeu præſumptio eſt, quando reperitur ſolus cum ſola, nudus cum nuda, in eodem lecto, jacere, juxta *cap. Literis. 12. de præſumt.* imo etiamſi quis ſolus cum ſola in loco ſecreto, & abdito ſit inventus, præſertim ſi vir ſolutas habeat caligas, & mulier renuat aperire oſtium, *Menoch. cit. præſumpt. 40. num. 11. & 12.* vel ſe mutuo amplectentes, & oſculantes, *Abb. in c. Præterea. 27. num. 2. de teſtib.* quæ tamen probabilis ſolum ſuſpicio adulterii videtur, non violenta, niſi aliæ circumſtantiæ, & adminicula concurrant, quia oſcula, & amplexus ſunt ſolum præparatoria ad adulterium, & futurum, non præteritum arguunt, *Menoch. cit. loc. num. 26. & ſeqq. Sanch. cit. diſ. 12. num. 45. & ſeqq.* multo minus xenia, & munera hinc inde miſſa faciunt violentam præſumptionem adulterii, nec illud plene probant, *Sanch. cit. l. num. 48.*

XIV. Quinta conjectura eſt perpetrati adulterii, vel fornicationis, quando domus mulieris diu noctuque frequentatur ab adoleſcentibus, præſertim ſcholaſticis, *Menoch. cit. l. num. 21.* Sexta eſt, ſi mulier, inſcio vel invito viro, abnoctavit, *Felin. in cit. c. Præterea. num. 3.* Verum ex hoc non poteſt argui adulterium, dum potuerit habere alias cauſas abnoctandi, vel ſocias mulieres honeſtas ac pudicas, *Menoch. c. l. num. 23. & 24.* Septima conjectura eſt, ſi repertæ ſint literæ amatoriæ mulieris, in quibus fateretur concubitum præteritum, ſatis probatum foret adulterium contra ipſam, *Menoch. cit. l. num. 39.* Verum extrajudicialis confeſſio, qualis eſt hæc, non probat plene adulterium, vel aliud delictum proprium, ſed facit indicium ſufficiens ad torturam. At vero confeſſio conjugis facta in Judicio plene quidem probat proprium adulterium contra ipſam, *c. Intelleximus. 6. h. t. Sanch. cit. diſ. 12. num. 49.* non tamen talis confeſſio probat plane contra maritum, ut ex illa condemnari poſſit de adulterio, quia confeſſio unius ſuper aliquo crimine non nocet alteri, etiam ſocio criminis, nulli enim de ſe confeſſo adverſus alium in eodem crimine eſt credendum *c. Neſciens. 10. de teſtib. cap. 2. de confeſſ. Gl. in c. Significaſti. 5. in notat. & V. Imponens. h. tit. Abb. ibid. nu. 4.*

Similiter non ſufficit ad probandum adulterium, ſi vir vel uxor glorietur, vel dicat, extra judicium, ſe commiſiſſe cum iſto, vel iſta adulterium, quia hujuſmodi confeſſio extrajudicialis non valet in præjudicium alterius, imo nec contra confitentem plene probat, *Sanch. c. l. num. 48.* Porro præſumptiones prædictæ violentæ adulterii debent plene probari per teſtes, omni exceptione majores, eoſque non ſingulares, *Sanch. c. l. num. 51.* Verum in hac re non poteſt dari regula certa & generalis, cum tota pendeat ab aliis circumſtantiis particularibus, ideoque judicis arbitrio relinquitur, quæ ſigna, ſive conjecturæ ſufficiant ad probandum, ſive adulterium, ſive fornicationem: licet in Jure in *c. Literis, 12. de præſumpt.* expreſſum ſit, violentam præſumptionem adulterii (idem eſt de fornicatione) eſſe, ſi ſolus cum ſola, vel nudus cum nuda, in eodem lecto jacere deprehendantur: poſſunt tamen tales perſonæ eſſe, concurrentibus aliis circumſtantiis, ut etiam non ſufficiant pro violenta præſumptione adulterii vel fornicationis; etſi unus cum una in eodem lecto reperiantur, præſertim veſtiti. Itaque in his, & aliis ſimilibus caſibus, in quibus nihil in ſpecie Jure eſt expreſſum, neceſſario ad prudentis viri arbitrium eſt recurrendum, ejuſque judicio ſtandum, ut jam dictum.

§. IV.

An maritus teneatur uxorem adulteram non reſipiſcentem dimittere, nec eam ſibi reconciliare, niſi poſt peractam pœnitentiam, & emendationem?

XV. Reſpondetur affirmative, prout decernitur in *cap. Si vir, 3. h. titul.* quod eſt deſumptum ex Concilio Arelatenſi, alias Aurelianenſi, ubi dicitur: ſi vir ſciens uxorem „ ſuam deliquiſſe (adulterando cum alio) quæ non egit „ pœnitentiam: ſed permanet in fornicatione (nam ſi egit „ pœnitentiam, poteſt vir eam ad torum, & cohabitatio„ nem denuo admittere, ut poſtea ſubjungitur) vixit cum „ illa, reus erit, & particeps peccati illius. Ratio eſt, quia patronus eſt turpitudinis, qui crimen celat uxoris, *c. 1. & 2. Si quis, 6. cauſ. 32. q. 1. l. Quemadmodum, 25. §. ult. de jure jur. & l. 2. C. Ad leg. Jul. de adult.* ubi dicitur, *crimen lenocinii contrahunt, qui deprehenſam in adulterio uxorem in matrimonio retinuerunt Gl. hic Reus erit.* Quod ſi mulier di„ miſſa pœnitentiam egerit, & voluerit ad virum ſuum re„ verti, debet eam recipere (id eſt, poteſt, nec enim co„ gitur, niſi velit, *c. Gaudeamus. 29. de Converſ. conjug.*) „ ſed non ſæpe recipere peccatricem. Quare quod hic di„ citur, *debet recipere*, id intelligendum eſt non de debito ſtricte dicto ſcilicet neceſſitatis: ſed honeſtatis, quia etiam poſt pœnitentiam poſſet maritus eam de adulterio accuſare, *c. Admonere. 3. cauſ. 33. q. 2. Gl. hic V. Debet, & Hoſtienſ. V. ſed.*

XVI. Pro explicatione hujus c. notandum primo. Obligatio ſeparandi ſe ab uxore adultera, quamdiu non ſe emendat, non oritur ex adulterio præciſe: tum quia etſi Chriſtus *Matth. 5. & 19.* permiſerit divortium ab uxore, ob cauſam fornicationis, non tamen id præcepit; tum quia cum divortium ſit pœna adulterii, non poteſt obligare conjugem innocentem, & hic, cum in ejus favorem id ſtatutum ſit, ob injuriam ipſi illatam per adulterium, poteſt hoc jure ſuo cedere, & injuriam condonare, *Sanch. l. 10. de Matrimon. diſ. 13. num. 6.* Sed neque oritur obligatio dimittendi uxorem adulteram perſiſtentem in adulterio, ex præcepto correctionis fraternæ, quia vir huic ſatisfacit, uxorem admonendo, ut reſipiſcat, & puniendo modo ſibi permiſſo. quod ſi hoc non ſufficiat, moraliter loquendo, nulla supereſt ſpes emendationis, ſed potius timeri poteſt, ne dimiſſa a viro libidini vacet, & deterior efficiatur: neque præceptum charitatis proximi poteſt obligare maritum, neque præceptum correctionis fraternæ, ad dimittendam uxorem, cum tam gravi ſuo detrimento, quia ſtimulis carnis agitabitur, quibus reſiſtere valde difficile illi erit, & carere cogetur obſequiis uxoris, in educatione filiorum, & miniſteriis domeſticis, *Sanch. cit. l. num. 8.* Oritur ergo hæc obligatio dimittendi uxorem adulteram perſiſtentem in publico adulterio, ex ſolo præcepto vitandi ſcandali, quia alioquin vir cenſetur connivere, & patrocinari adulterio uxoris: & hac præſumptione conſenſus viri in adulterium uxoris nititur textus *in cit. c. Si vir h. tit. & c. 1. cauſ. 32. q. 1.* non imponendo novum præceptum, ſed declarando naturale, de vitando ſcandalo, quod ex tali ſuſpicione oritur, *Sanch. cit. l. num. 10. & 11.* dummodo adulterium ſit notorium, vel publicum, nam ſi notorium non ſit, etſi ipſe vir ſit illius conſcius, vel etiam alii pauci, ita ut probari poſſit, ceſſat obligatio dimittendi uxorem, quia tunc ceſſat ratio ſcandali publici, *Sanch. c. l. nu. 14.*

Eſt autem hæc obligatio dimittendi uxorem perſeverantem in publico adulterio gravis, & mortalis culpa, ſi aliis mediis cavere non poſſit ſcandalum inde conſequens: niſi tamen ex juſta, & urgente cauſa uxor adultera retineatur, v. g. ob timorem proprii periculi ſpiritualis, vel damni ſpiritualis ipſius uxoris, ut ſi expulſa fieret deterior, vel ne uterque conjux infamaretur: vel quia probabilis ſpes eſt fore, ut ſi uxor retineatur, reſipiſcat, *Sanch. citat. diſ. 13. nu. 19. & ſeqq.* Unde hoc dimittendi uxorem adulteram perſiſtentem in adulterio, eique debitum negandi valde raro obligat, *Sanch. c. l. num. 25.*

Notandum ſecundo. Hac obligatione dimittendi virum adulterum incorrigibilem non tenetur uxor, tum quia in illa ceſſat ratio vitandi ſcandali, cum fœminæ non ita poſſint cohibere viros, ne libidini vacent, quibus ſubditæ ſunt; tum quia minor ſpes eſt emendationis in viro dimiſſo, ob majus periculum, ne inhoneſtam vitam ducat, & graviora incommoda ſequantur ex dimiſſione viri. Unde etiam *citat. cap. Si vir.* de ſolo viro, ſeu marito loquitur, quia in illo multo major ratio reperitur, cur teneatur dimittere uxorem adulteram, quam hæc maritum adulterum, *Sanch. cit. diſ. 13. num. ult.* Nec obſtat, quod *in c. Si quis 4. cauſ. 32. in fine* dicitur. *Similiter, ſi virum ſuum uxor invenerit adulterum, non ad imparia judicatur*, quia id intelligendum eſt, quoad facultatem inſtituendi divortium, ratione adulterii, non quoad obligationem, *Sanch. c. l.*

XVII. Notandum tertio. Si vir ignoret, uxorem ſuam adulterium commiſiſſe, non ſit particeps adulterii, quoad culpam, etiamſi illam retineat, ut colligitur ex *cit. cap. 3.* ibi: *ſi vir ſciens h. t.* quia peccatum non committitur, ſine voluntate, & conſenſu, ignorans autem non conſentit, *cauſ. 15. q. 1. in princ.* quamvis bigamiam contrahat, ita ut ad Miniſterium Eccleſiaſticum admitti non poſſit, *c. Si cujus. 11. diſ. 34.* etiamſi reconciliatio uxoris fuerit ſecuta, & ſic privatur jure ſuo, ſine culpa, ſed non ſine cauſa, *Hoſtienſ. in tit. c. Si vir. V. Sciens, & Abb. num. 2.*

Notandum quarto. Si uxor ſæpius delinquat, adulterando cum alio, maritus ſemper poteſt ei dimittere injuriam, ſi vult, & poſt pœnitentiam eam recipere, ſecundum Evangelicam doctrinam, etiam ſeptuageſies ſepties, *c. Adhuc. 38. diſ. 3. de pœnit. c. Quemadmodum 25. §. fin. de jurejur.* non tamen ad id cogitur, quia etſi quis remittere debeat injurias ſibi illatas, quoad rancorem vindictæ, ſeu odium, non tamen quantum ad ſatisfactionem, vel juris acquiſiti remiſſionem, ut hic, nemo enim tenetur ſuum dare, vel remittere, niſi velit, *c. Procuria. 4. cauſ. 10. q. 2.* nec videtur injuriam facere, qui utitur jure ſuo, *c. Cum Eccleſia. 31. de Elect.* Quare cum in *cit. c. Si vir in fine h. tit.* dicitur, quod maritus non ſæpe debeat recipere mulierem peccatricem, etiam poſt pœnitentiam: id ideo dictum eſt, quia Eccleſia non intercedit pro ea, poſtquam maritus aliquoties ei pepercit, & ne Eccleſia videatur ei dare licentiam peccandi, & ut inde terreatur, ne amplius peccet, nam delicta ſæpius commiſſa gravius puniri debent, *l. Nemo 3. C. de Epiſc. audient. Gl. fin. in cit. c. Si vir, & Hoſtienſ. ibid. in fine.*

Illud hic addendum, non teneri virum uxori adulteræ etiam non reſipiſcenti denegare neceſſaria alimenta, quia hoc eſt medium

medium nimis acerbum ad finem emendationis obtinendum: ſed per hoc potius præberetur anſa perſiſtendi in peccato, & proſtituendi corpus ſuum, ut quæſtum faceret, *Jean. Andr. in cit. c. Si vir num. 1. Sanch. cit. diſ. 13. n. 17. contra Abbat. hic num. 2.*

§. V.

Quæ ſint pœna adulterii, tam criminales, quam civiles?

XVIII. Aſſertio 1. Inprimis lege Divina antiqua Moſaica, adulteri & adulteræ morti adjudicabantur, *Levitici 20. Verſ. 10. & Deuteron. c. 22. v. 21.* & quidem ut lapidarentur, ut conſtat ex *cap. 8. Joan.* Jure vero, ſive mulieri, pœnæ gladii, ſeu capitis amputatio, *l. Quamvis 30. in fine C. ad leg. Jul. de adult. §. Item lex Julia Inſtit. de public. Judic.* Ea vero poſtea correcta fuit in fœminis adulteris, ut verberatæ in Monaſterium detrudantur, ita tamen, ut intra biennium viro uxorem repetere liceret: biennio vero tranſacto, vel viro, priuſquam reduceret eam, mortuo, adultera tonſa, Monaſtico habitu ſuſcepto, ibi, dum vivit, permanere debeat juxta *Auth. Sed hodie C. eod.* Quod ſi non poſſit reperiri Monaſterium, in quo adultera recipiatur, poteſt Judex commutare pœnam, in exilium eam condemnando, confiſcata ea parte bonorum, quæ Monaſterio erat applicanda, *Farin. in praxi crimin. p. 5. quæſt. 40. tit. 16. n. 29.* & alii communiter. Hodie vero in pleriſque Provinciis pœna adulterii eſt relegatio, ſive exilium, *Harprecht. cit. §. Item lex. Julia. nu. 78.* vel alia pœna arbitraria, etiam pecuniaria, teſte *Claro §. Adulterium, num. 7.* In noſtris partibus adulteri, & adulteræ in pœnam ſtare debent, tribus diebus Dominicis, vel feſtis, quando eſt concurſus populi, ante fores Eccleſiæ, cum accenſa face, vel candela.

XIX. Verum ſecundum Jus Canonicum, Laici adulterium committentes, tam maſculi, quam fœminæ, ſi in delicto perſeverant, excommunicantur, *Intelleximus. 6. h. tit.* Ubi Epiſcopus, ſeu Diœceſanus loci adulterum, & adulteram excommunicavit: quamvis hæc pœna excommunicationis, ſaltem in Germania, non ſit in uſu. Præterea mulieres in Monaſterium detruduntur, & ſi mariti nolint eas recipere, ibi perpetuam pœnitentiam agere debent, *cap. Gaudemus. 19. de converſ. conjug.* prout etiam ante Jure civili ſtatutum erat, *Clar. cit. l. Harprecht. in cit. §. Item lex Julia. num. 77.* Clericus autem, ſi adulteraſſe confeſſus, vel convictus fuerit, deponi ab officio, & Clericatus Ordine & communione (ſcilicet fidelium, & Sacramentorum) ei conceſſa, in Monaſterio ad agendam ibi pœnitentiam, toto vitæ ſuæ tempore, collocari debet, *c. Si quis. 10. & c. ſeq. diſ. 81. & c. Cum non ab homine, 10. de Judic. Hoſtienſ. in ſumma num. 7. h. t. Clarus c. l. Bern. Diaz. in pract. crim. Canon. V. Adulteri. cap. 89. num. 2.*

XX. Porro hæc pœna depoſitionis in Clerico adulterum tum demum locum habet, ſi is adulterium in Judicio ſit confeſſus, vel de eo convictus, *cit. c. Si quis Clericus*: ſecus eſt, ſi tantum de eo fuerit ſuſpectus, & infamatus, ſola enim infamia non ſufficit ad infligendam Clerico pœnam ordinariam adulterii: ſed tunc purgatio ſolum eſt ei indicenda, in qua ſi defecerit, debet ſuſpendi ab officio, & poſtea agi ad certam pœnam, *Farinac. cit. quæſt. 40. num. 33.* Idque ſumitur ex *c. Significaſti. h. tit.* Nam quidam Presbyter, intra Eccleſiam, cum uxore alterius dormivit, quæ ſe & illum (ſcilicet Presbyterum adulterum) cuidam Sacerdoti hujuſmodi delictum confeſſos fuiſſe, publice detexit Epiſcopo Diœceſano: & idem Sacerdos poſtea hoc ipſum (nomen adulteri celans) Epiſcopo præſente, dixit: ſed Presbyter adulter hoc negavit, muliere in ſua confeſſione perſiſtente. Quæſivit ergo Epiſcopus, quid in hoc negotio fieri debeat? Reſpondet Papa Alexander III. & mandat Epiſcopo, ut condignam pœnitentiam imponat mulieri adulteræ, & Eccleſiam per aſperſionem aquæ benedictæ reconciliare procuret. Et quia Presbyter ille infamatus erat graviter (etiam apud bonos, & graves viros, *Hoſtienſ. hic V. Judices.*) ideo cum vicinis Epiſcopis, quos veriſimiliter cognoverit, non pejeratos, purgationem ei juxta arbitrium ſuum, indicat, ne populus in eo ſcandalum patiatur, & ne alii ad ſimilia peccata prolabantur. Quod ſi Presbyter ille ſe purgare poſſit. eum in officio ſuo miniſtrare permittat: alioquin ab officio ſuo ipſum ſuſpendat.

XXI. Pro explicatione hujus c. notandum primo. Non poterat in caſu hujus c. ob ſolam confeſſionem mulieris adulteræ, puniri Presbyter, quia uni ſoli teſti non creditur, etſi alias idoneus ſit, *c. Licet 23. de teſtib.* & quia mulier erat, quæ non poteſt eſſe teſtis in criminibus, *c. Tertius 20. de V. S.* & quia erat particeps criminis, & proprium delictum confeſſa, non poterat admitti in præjudicium ſocii, *cap. 1. de confeſſ. c. Veniens. 10. de teſtib.* audiebatur tamen allegatus propriam turpitudinem, ratione peccati, & periculi animæ, *Abb. hic num. 2.* cui etiam creditur contra alium, *l. De ætate. 11. §. 1. ff. de interrogat. in jure fac. Hoſtienſ. hic V. Præfata.*

Notandum ſecundo: Dupliciter poteſt intelligi hoc cap. 2. quod mulier confeſſa ſit, ſe commiſiſſe adulterium cum Sacerdote, forte de licentia confitentis, nam illa data poteſt Sacerdos audita in Confeſſione Sacramentali revelare, modo tamen ea revelatio fiat ex juſta cauſa, & non in infamiam, ſed utilitatem ipſius confitentis cedat, qualis in hoc caſu non fuit. Vel 2. quod adultera illa confeſſa fuerit, & ſe & adulterum cuidam Sacerdoti confeſſos fuiſſe, non confeſſione Sacramentali: ſed extrajudiciali, ea occaſione tunc occurrente, quia forte Sacerdos ille reos illos in Eccleſia invenit, & adhortatus eſt, ut veritatem faterentur, ne in Eccleſia per eos polluta celebret; ſive quia ſacrilegii pœnas timentes, ſe eidem Sacerdoti commendarunt, ut pro illis intercederet, vel ex alia cauſa; aliud enim eſt dicere, hoc peccatum feci, aliud, hoc peccatum illi Sacerdoti confeſſus ſui, quæ expoſitio melior eſt, & plenior, quam prior, ut tradit *Navarr. in c. Sacerdos 2. diſ. 6. de pœnit. num. 126. & 127.*

Notandum tertio. Si plures Rei ſint ejuſdem communis delicti, probatio facta contra unum non facit fidem contra alium, quia forte ille fuit convictus ex falſis probationibus, & res inter alios acta alteri non obeſt, *Abb. hic num. 6.*

Notandum quarto Mandat Papa in caſu hujus c. Eccleſiam per aſperſionem aquæ benedictæ reconciliari, quia mulier publicaverat, adulterium in illa a ſe, & Sacerdote commiſſum fuiſſe, & exinde infamia orta erat: ſi enim omnino occultum manſiſſet delictum, non fuiſſet neceſſaria reconciliatio Eccleſiæ, etſi ad cautelam fieri potuiſſet: ſed occulte, *Hoſtienſ. hic V. Reconciliare. & Abb. num. 2.*

Notandum quinto. Etſi alias regulariter deficiens in purgatione puniatur, ut convictus *c. Accedens. 23. de accuſat.* convictus autem de adulterio deponi debeat ſi Presbyter vel Clericus ſit: hic autem propter infamiam, qui in purgatione defecit, tantum ſuſpenſus fuit ab officio, quia non agebatur ad certam aliquam pœnam, nullaque judicii forma fuit inſtituta, *Joann. Andr. hic num. 4. & Abb. num. 3.* quamvis iſte Presbyter potuiſſet etiam gravius puniri, *Hoſtienſ. hic in fine.*

XXII. Sed jam hic quæritur, an liceat marito uxorem, & adulterum in adulterio deprehenſos, propria auctoritate, occidere? Reſpondetur, etſi patri, ſpectato Jure civili, ſeu Cæſareo, adulterum cum filia, quam in poteſtate habet, in adulterio deprehenſam impune occidere liceat, *l. Patri. 20. & l. Quod ait 23. ff. Ad leg. Jul. de adult.* non tamen marito licet uxorem, etiam in crimine deprehenſam occidere, *l. Nec in ea 22. §. fin. ff. eod.* Ubi ratio diſparitatis redditur, cur patri id liceat, non autem marito, quia plerumque pietas paterni nominis conſilium pro liberis capit, ut non occidat filium, *Gl. ibid. V. Capit*: at mariti calor, & impetus facile decernentis refrænandus fuit; marito vero licitum eſt adulteros deprehenſos cum uxore occidere, non quoſcunque: ſed viles vel infames, *l. Marito. 24. ff. h. tit. & l. Gracchus 4. C. eod.* Ubi additur, ſi maritus adulterum, etiam non vilem, occiderit, mitius punietur, nempe pœna exilii, non mortis. Item ſi maritus eum, quem ſuſpectum de ſua uxore, ter in ſcriptis admonuit, præſentibus tribus teſtibus, fide dignis, ut ſe abſtineat, poſt invenerit cum uxore ſua, in domo ſua ſine periculo eum perimat, *Auth. Si quis C. Dicto tit. Covarr. in 4. decretalium p. 2. §. 7. num. 1. & 2.* Atque hæc quidem procedunt de Jure Civili. Verum de Jure Canonico, & in foro conſcientiæ, nequaquam licitum eſt, ſive patri, ſive marito, adulteros quoſcunque in delicto cum filia, vel uxore deprehenſos, privata auctoritate, occidere, ſine gravi, & lethali culpa homicidii, ut docet *Covarr. cit. l. n. 8. Clarus. §. Homicidium numer. 50. Sanch. lib. 10. de matr. diſ. 8. numer.* 39. & alii Theologi ac Juriſperiti communiter. Idque probatur ex *cap. inter hæc. 6. cauſ. 33. quæſt. 2.* Ubi dicitur: licere ſecundum leges mundanas (ubi *Gloſ.* ſecundum legem Lombardam: ſed non ſecundum Romanam) non tamen ſecundum Eccleſiaſticas, marito uxorem adulteram interficere, & in *cap. ſeq.* publica pœnitentia imponitur occiſoribus uxorum. Deinde leges civiles ſolum permittunt occidere uxorem, ob juſtum dolorem, quo incitatus vir injuriam per adulterium ſibi illatam vindicat, non autem ipſum factum approbant: tales autem leges permittentes aliquid impune fieri, ſive non punientes delictum, non excuſant a culpa in foro conſcientiæ. Sic enim leges civiles tolerant etiam impune meretrices. Denique Injuſtum eſt, parte non audita, privatis concedere facultatem generalem occidendi reum, per quam etiam periculo amittendæ ſalutis æternæ animæ occiſorum in tali ſtatu exponuntur.

Non obſtat *cap. Si vero 3. de ſent. excomm.* Ubi maritus percutiens Clericum in adulterio cum uxore deprehenſum, non eſt excommunicatus. Nam imprimis ibi non dicitur, licitum eſſe percutere Clericum adulterum cum uxore deprehenſum: ſed ſolum remittitur pœna excommunicationis propter juſtum dolorem, quem maritus non poteſt facile temperare: idque vel ex eo patet, quia in illo c. etiam frater percutiens Clericum cum ſorore in adulterio deprehenſum, non incurrit excommunicationem: & tamen nulla lege civili, vel Canonica, fratribus licet fornicantes cum ſororibus, etiam in crimine deprehenſos percutere, multo minus occidere. Deinde cap. illud loquitur de percutiente Clericum adulterum, non de occidente: ac proinde percutiens Clericum cum uxore, matre, filia vel ſorore turpiter inventum, eſt liber ab excommunicatione, non autem occidens, de quo ibi non eſt ſermo, *Covarr. c. l. num. 10. & 12.*

XXIII. Aſſertio 2. Quod ad pœnas civiles adulterii attinet prima pœna eſt, quod conjux innocens poteſt inſtituere divortium, ſive petere ſeparationem a conjuge adultero quoad torum, & cohabitationem, *Ex litteris, 5. de divort.* & ſumitur etiam ex *c. Tua. 5. de procur.* quin imo ſi crimen adulterii eſſet notorium, poſſet maritus, ſine alia ſententia, vel declaratione Judicis Eccleſiaſtici, propria auctoritate, uxorem adulteram expellere, ut ex communi docet *Clarus lib. 5. ſentent. §. Adulterium numer. 22.* & vice verſa, uxor, propria auctoritate, ab adultero viro recedere.

Secunda pœna eſt, quod uxor adultera amittit dotem, poſt latam ſententiam divortii, eamque maritus innocens lucratur, nec reſtituere cogitur, *c. Plerumque. 4. de donat. inter vir & uxor.*

& uxor. l. Conſenſu. 8. *§. Hæc niſi C. De repudiis. Auth. Ut liceat matri. §. Quia vero plurima verſ. de adulterio collat.* 8. *num.* 117. Similiter & uxor, ob adulterium mariti, lucratur donationem propter nuptias, & tenetur etiam maritus uxori dotem ſuam reſtituere, durante adhuc matrimonio, *citat. l. Conſenſu. §. Signum igitur, & §. Si vero cauſam. C. de repud. cit. Auth. Signa vero plurimas, Covarr. cit. p. 2. c. 3. §. 6. n. 1. & 6. Clarus. §. Adulterium num. 13. & 15. Sanch. l. 10. de matrim. diſ. 8. num. 2. & 11. Farinac. in praxi crimin. p. 5. 142. nu. 1. & 35.* de qua pœna plura videri poſſunt apud DD. citt. & dictum alibi.

Addunt aliqui tertiam pœnam, quod uxor adultera amittat etiam bona paraphernalia, & propria, eaque viro adjudicentur, ut docet *Gl. in cit. c. Plerumque. V. Dotalitium, Covarr. cit. cap. 7. §. 6. n. 2. Clarus c. l. n.* 15. & alii. Sed contraria ſententia eſt verior, quam tenet *Silveſt. V. Adulterium q. 6. nu. 8. Sanch. cit. diſ. 8. num. 10. & alii apud Faria. cit. q. 142. num. 4. & 5.* nam bona paraphernа non dicuntur dotalitium uxoris, nec in materia pœnali, qualis eſt hæc, verba ſunt extendenda, ultra propriam ſignificationem, ſed potius reſtringenda.

§. VI.

An, & quando adulterium unius conjugis compenſetur cum adulterio alterius.

XXIV. Quæritur primo. An mutua conjugum adulteria compenſentur invicem, quoad pœnas civiles? Reſp. Compenſari, non ſolum quoad divortium, ſed etiam quoad amiſſionem dotis, & bonorum uxoris adulteræ, & donationis propter nuptias viri adulteri: ita ut neque vir adulter lucretur dotem, aut alia bona adulteræ, nec uxor adultera donationem propter nuptias ſibi factam a viro, ſed mutua fiat delictorum compenſatio, *Silveſt. V. Dos. q. 15. dicta r. Sanch. l. 10. de matr. diſ. 7. num.* 19. & alii apud ipſum. Idque probatur primo ex *l. Viro* 39. *ff. ſoluto matr.* ubi dicitur: Viro, atque uxore mores invicem accuſantibus, cauſam repudii dediſſe, utrumque pronunciatum eſt: id ita accipi debet, ut ea lege, quam ambo contempſerunt, neuter vindicetur, *paria enim delicta, mutua compenſatione diſſolvuntur*, ubi *Gl. V. Accuſantibus.* id explicat, id eſt, objicientibus in civili cauſa, ut in donatione propter nuptias, & dote repetitis, nempe quam vir repetebat ab uxore, & dote, quam uxor repetebat a viro, ſed uterque ſe tuebatur ob delictum alterius. Idemque quoad pœnam divortii habetur in *cap. Significaſti* 4. *de divortiis*, ubi mulier, ſine judicio Eccleſiæ, dimiſſa a viro ſobolem de alio viro ſuſcepit: & nihilominus viro reſtitui poſtulabat, aſſerens, ſe injuſte ab ipſo dimiſſam, cumque ſibi occaſionem adulterandi dediſſe: ideoque mandat Papa, ſi notorium ſit, ipſam mulierem adulterium commiſiſſe, ad eam recipiendam vir cogi non debet, niſi conſtaret, ipſum eum alia adulterium commiſiſſe, & ſic crimina mutua pari compenſatione tollantur, *Gl. fin. ibidem.*

XXV. Idem quoque probatur ex *cap. Intelleximus* 7. *h. t.*
„ nam cum quidam uxorem ſuam a maritali conſortio re-
„ puliſſet, Epiſcopus Diœceſanus eorum, audiens (& cer-
„ to cognoſcens) eam adulterium cum alio commiſiſſe,
„ eandem, & adulterum excommunicavit (quia moniti deſi-
„ ſtere nolebant, alias non eſſent excommunicandi, *c. Reprehenſibilis* 26. *& c. Cum ſpecialis* 61. *in princ. de appellat.* vel
hic non quæritur, num Judex juſte, an injuſte proceſſerit,
ſed tantum narratur factum, *Hoſtienſ. hic V. Vinculo*) quæ
„ tandem, adultero abjurato, & abſolutione recepta vi-
„ rum ſuum ſibi reſtitui poſtularit (tanquam ſpoliatæ) co-
„ ram dicto Epiſcopo. At ille objecit ipſi adulterium (poſt-
„ quam a viro receſſit, commiſſum) & quod ab ipſo ſpon-
„ te receſſerit, non expulſa, ideoque reſtitutionem petere
„ non valeat: quod mulier negans, replicavit, quod & ipſe
„ fuerit fornicatus (& mulier quidem per quoſdam teſtes
ejuſdem viri adulterium probavit, ad quos reprobandos,
tanquam minus idoneos, vir alios teſtes produxit, & tandem ad Papam fuit appellatum, prout habetur in integra
lectione hujus c.) Quare mandat Papa Innocentius III. E-
„ piſcopo Diœceſano: ut virum mulierem recipere com-
„ pellat, ceſſante etiam probatione adulterii, quod vir di-
„ citur commiſiſſe, & non obſtante, quod dicebat, ipſam
„ a viro ſponte receſſiſſe (nam eo ipſo, quod redeuntem
„ non admiſit; ipſe vir cenſetur eam ſpoliaſſe, *Hoſtienſ. hic*
„ *V. Ceſſante*) niſi conſtiterit, vel per evidentiam rei, vel
„ per confeſſionem legitimam mulieris (id eſt, ſpontaneam
„ in judicio factam, & coram Judice ſuo, *Gl. hic V. Con-*
„ *feſſionem, & Hoſtienſ.*) quod ſponte adulterata fuit. Si ve-
„ ro prædicto modo (ſcilicet per evidentiam, vel confeſ-
„ ſionem, vel aliis modis) de mulieris fornicatione conſti-
„ terit, cum virum adulterium commiſiſſe conſtet, & pa-
„ ria delicta mutua compenſatione tollantur: nihilominus
„ compellat eundem, ut illam recipiat, & maritali affe-
„ ctione tractet, niſi teſtes mulieris, per quos viri adulte-
„ rium eſt probatum, fuerint reprobati: alioquin (niſi con-
„ ſtiterit de adulterio mulieris, & non viri, *Gl. fin. hic.*)
„ mulieri ſilentium imponatur, non obſtante eo, quod di-
cebat ſe ſpoliatam eſſe, *Hoſtienſ. hic.*

XXVI. Ubi notandum primo. Epiſcopus loci poteſt etiam Laicos excommunicare, propter adulterium, non tantum ad petitionem alterius conjugis innocentis, ſed etiam ex mero officio ſuo, ut colligitur ex hoc *c. Abb. hic num.* 1.

Notandum ſecundo. Si adultera petat abſolutionem ab excommunicatione, debet prius abjurare adulterum, id eſt, juramento promittere, quod non velit redire ad eundem: idemque vice verſa, eſt de viro, quæ abjuratio fieri debet quando periculum eſt relapſus, *Abb. hic num.* 2.

Notandum tertio. Si conjux petat reſtitutionem conjugii ſui: opponi ei poteſt exceptio adulterii manifeſti, vel per evidentiam rei, ſi mulier recedens a marito publice adhæſit alteri viro, vel ſi paſſim admiſit alios viros, adulterii cauſa, vel ſi filium genuit, poſtquam tanto tempore a viro ſeparata fuit ut ex illo concipere non potuerit: vel per confeſſionem ipſius conjugis Rei, non autem ſi uxor petat reſtitutionem, eo quod ſpoliata ſit jure conjugali, & maritus ſe offerat ad probandum adulterium ipſius per teſtes, audietur, quia petitio reſtitutionis privilegiata eſt, ut non teneatur, qui ipſam petit, ſpolianti reſpondere, ante factam reſtitutionem, *cap. ult. de ord. cognit. Abb. hic numer.* 3. & 4.

Notandum quarto. Si uxor ſponte recedat a marito, non perdit quaſi poſſeſſionem juris conjugalis, quia ſolo animo retinetur talis quaſi poſſeſſio, ideoque ſi rediens ad virum non admittatur hoc ipſo ſpoliata cenſetur; idemque eſt in marito, nam in hoc maritus, & uxor pari jure utuntur, ut patet ex *cit. c. Intelleximus, & c. Gaudemus* 8. *de divort. Hoſtienſ. hic V. Spontanea.*

Notandum quinto. Si agatur civiliter ad ſeparationem tori, & ad privatam utilitatem, tunc paria delicta mutua compenſatione tolluntur: ſecus, ſi criminaliter agatur ad pœnam legalem, ſeu vindictam publicam, *Abb. hic num.* 5. de quo infra.

XXVII. Similiter in *c. Tua fraternitatis* 7. *& ult. h. tit.*
„ quæſitum fuit, utrum ſi aliquis denegat uxori ſuæ in
„ adulterio deprehenſæ debitum conjugale, & poſtmodum
„ ipſe cum alia perpetret adulterium manifeſte cogi de-
„ beat, ut eandem recipiat, & maritali affectione tractet?
„ Reſpondet idem Papa Innocentius III. quod cum paria
„ crimina mutua compenſatione deleantur, vir hujuſmodi
„ fornicationis obtentu ſeu prætextu, nequit ſuæ uxoris
„ conſortium declinare.

Ubi notandum: quamvis propter adulterium, ſive uxoris, ſive mariti, poſſit conjux innocens ſeparari ab adultero conjuge, quoad torum, & cohabitationem, debet tamen continere, vel ad conjugem dimiſſam redire, quia remanent conjuges ob indiſſolubile vinculum matrimonii, *Abb. hic numero* 3.

XXVIII. Sed jam hic quæritur, ſi poſt latam divortii ſententiam, conjux innocens adulterium committat, poſſit conjux dimiſſus non obſtante ſententia divortii, jure actionis petere, ut admittatur ad conſortium conjugis dimiſſi, adeoque etiam repetere dotem, vel donationem propter nuptias per adulterium prius amiſſam? Affirmat *Gl. in cit. c. ult. V. Fornicationis, h. t. Covarr. in Epit. l. 4. Decret. p. 2. cap. 7. §. 6. n. 5. Clarus cit. Adulterium, num. 7. Barboſ. in cit. c. ult. num. 4. h. tit.* & alii apud *Sanch. l. 10. de matr. diſ. 9. num.* 27. Probatur primo, quia quando fertur ſententia divortii, ſive ſeparationis quoad torum, propter adulterium uxoris, ſubintelligitur iſta conditio, *ſi vir ſervaverit continentiam.* Secundo, quia cum poſt ſententiam divortii, peccaverit in legem conjugii, non poteſt uti beneficio ſententiæ, quippe quæ fundata eſt in violatione conjugii, *Arg. c. ult. de immunit. Eccleſ.* Tertio, quando cauſa ſententiæ venit ad non cauſam, ſive ceſſat cauſa ſententiæ, ob quam lata eſt, tunc agi poteſt, non obſtante exceptione rei judicatæ, ut docet *Barb. in l. 21. ff. de condict. ſine cauſa n.* 1. ſed quando lata eſt ſententia divortii propter adulterium uxoris, ſi vir poſtea etiam committat adulterium, ceſſat cauſa, ob quam lata eſt ſententia ſeparationis, & ſic eſt reducta ad non cauſam, ut loquitur *Bart.* ergo jure actionis poteſt uxor repetere virum, & dotem. Nec obſtant rationes, quæ in contrarium afferuntur: nam primo, quamvis uxor ſeparata a viro non poſſit petere ſe reſtitui, tanquam ſpoliatam, quia ſervato juris ordine per Judicem Eccleſiaſticum ſpoliata fuit, *Arg. c. Conquerente* 10. *de reſtit. ſpoliat.* poteſt tamen agere judicio petitorio. Secundo, jus agendi ſemel extinctum non reviviſcit, niſi superveniat nova cauſa, ratione cujus poteſt reviviſcere, ut in propoſito, adulterium ſubſequens alterius conjugis. Deinde non reviviſcit jus extinctum ſi omnino, etiam naturaliter ſit amiſſum: ſecus, ſi ſolum quoad exercitium, remanente habitu, ut in propoſito, jus, quod habet uxor in maritum, eſt per adulterium extinctum ſolum quoad exercitium, quia adulterium impedit, quominus uti poſſit jure matrimonii: non autem omnino extinctum, cum vinculum matrimonii non ſit ſublatum, & ideo non dicitur proprie reviviſcere, ſeu reſurgere.

XXIX. Contrariam ſententiam, quæ eſt etiam valde probabilis, tenet *Abb. in cit. c. ult. h. t. num. 4. & 5. Sanch. cit. diſ. 9. num.* 30. nempe nullam actionem acquiri conjugi adultero ad repetendum innocentem, qui poſt ſententiam divortii adulteratus eſt, vel dotem, aut donationem propter nuptias, ac proinde illa delicta mutua non compenſari. Idque probatur primo, quia per ſententiam divortii abſolvitur conjux innocens ab obligatione ſocietatis conjugalis, & diſſolvitur contractus matrimonii, quoad torum, & cohabitationem, ideoque per adulterium ſubſequens nulla infertur injuria conjugi dimiſſo, quippe qui jure in ipſius corpus per ſententiam eſt privatus, quamvis adulterando peccat contra DEUM. Sicut ergo ſi conjux innocens conjugi nocenti remittat injuriam per adulterium illatam, non poteſt petere divortium, quia ceſſat injuria; ita nec conjux nocens poteſt, poſt ſententiam divortii, repetere conjugem ob adulterium poſtea commiſſum, quia ceſſat etiam injuria, quæ eſt fundamentum mutuæ compenſationis delictorum, & actionis ad repetendum conjugem. Probatur ſecundo, quia ſententia divortii non fertur ſub conditione aliqua in favorem Rei, ſive conjugis nocentis, ſi innocens continentiam ſervarit, ſed potius in odium ipſius tranſit in rem judicatam, cum ergo per ſententiam divortii innocens abſolute, & in perpetuum abſolvatur a ſervitute matrimonii, ad illam non revocabitur ob ſequens adulterium, cum

id

Digitized by Google

id nullo jure cautum ſit, ſed potius contrarium, quod ſententia rite lata non ſit revocanda, neque Jus naturale, & Divinum dictat, poſt ſententiam admitti compenſationem, ſed ſolum quando utriuſque conjugis adulterium præcedit ſententiam divortii.

Hinc patet, quod utraque ſententia ſit probabilis: illud autem in hac re certum eſt, quod ſi poſt ſententiam divortii, propter adulterium conjugis, alter quoque conjux adulterium committat, Judex Eccleſiaſticus ex officio ſuo reintegrare matrimonium debet, & eos inter ſe conciliare, ut iterum cohabitent, quia compenſantur inter ſe adulteria, ut fornicationis periculo conſulatur: nam & delictum ſuperveniens præjudicat rei judicatæ, ob animæ periculum & generaliter Judex officium ſuum impertiri debet, quando id neceſſarium eſt ob bonum commune, & ad vitanda peccata, *Abb. cit. l. & Clarus, Navarr. l. 5. conſil. 2. Sanch. c. l. num. 32.*

XXX. Cæterum tradita doctrina de compenſatione unius adulterii cum alio, inter conjuges extenditur primo, quod compenſationi adulterii ſit locus, etiamſi non eodem tempore, ſed unus conjugum prius, alter poſterius in adulterium lapſus ſit, quia in hac re Jura ſolum ponderant, utrumque conjugem ſimili crimine infectum eſſe, utrumque fidem matrimonii violaſſe, nulla habita ratione, quis prius, quis poſterius delictum commiſerit, *Sanch. l. 10. de matr. diſ. 6. num. 6. Farinac. in praxi crimin. q. 143. num. 33. & alii.*

Extenditur ſecundo, quod compenſationi ſit locus, etiamſi unus conjux unicum tantum adulterium commiſerit, alter vero plura, quia Jura non habent rationem numeri delictorum, ſed tantum violatæ fidei conjugalis: unde ſi uterque conjux fidem fregit adulterando, ſive ſæpius, ſive ſemel tantum, delicta cenſentur paria, *Sanch. cit. diſ. 6. num. 8. Far. c. l. num. 7.* Ubi tamen notandum primo, ſi ambo conjuges adulterium commiſerint, ſed reconciliati fuerint, alteruter vero poſtea relabatur in adulterium, poteſt alter, ratione hujus novi adulterii, divortium petere, quia per reconciliationem matrimonium reſtituitur in priſtinum ſuum ſtatum & vigorem, perinde ac ſi nullum adulterium eſſet commiſſum, *Sanch. cit. l. 10. diſ. 7. num. 1.* Imo etſi unus conjux ſolus adulterium commiſerit, idque ab altera conjuge innocente remiſſum ſit, ſi poſt condonationem innocens lapſus in adulterium, non poteſt illud compenſare cum adulterio prius condonato, nec alter petenti divortium objicere adulterium, quod ipſi remiſit. Ratio eſt, tum quia remittentibus actiones ſuas non eſt denuo regreſſus, *l. Quæritur 4. §. Si venditor ff. de ædilit. Edicto.* Tum quia per reconciliationem matrimonium redit ad ſuum priſtinum ſtatum, acſi nullum adulterium eſſet commiſſum: quo caſu, utique poſſet prior conjux reconciliatus a conjuge poſtea lapſo in adulterium petere ſeparationem, quoad torum & cohabitationem, *Sanch. cit. diſ. 7. num. 5.*

Notandum ſecundo, ſi uterque conjux adulterium commiſit, neque ſibi ſint reconciliati, poſtea vero unus ſe emendarit, altero in adulterio perſiſtente, hoc caſu, poteſt conjux emendatus divortium inſtituere, ſi alter conjux ab eo admonitus, ut ſe corrigat, in adulterio perſiſtat, quia talis interpellatio, ſeu admonitio habet vim reconciliationis, ac proinde idem eſt, ac ſi poſt reconciliationem factam adulterium commiſiſſet, quo caſu, utique licitum eſt a relapſo in adulterium petere divortium, *Sanch. citat. diſ. 7. numer. 4.*

XXXI. Extenditur tertio, quod etiam detur compenſatio adulterii cum Sodomia, vel beſtialitate commiſſa ab altero conjuge, quia etſi utraque, ſecundum ſe, ſit gravius peccatum, quam adulterium, & ut ſic videatur adulterium uxoris compenſari poſſe cum Sodomia, ita ut ſi vir Sodomita petat ab uxore adultera ſeparari, poſſit illa excipere contra ipſum de Sodomia, ut delictum cum delicto compenſetur, ſed non vice verſa, ſi uxor adultera petat divortium a viro Sodomita, hic poſſit excipere de adulterio, quia Sodomia eſt delictum gravius adulterio. Nihilominus tamen indiſtincte fieri poſſe compenſationem Sodomiæ cum adulterio, & vice verſa, probabilius videtur, quia in ordine ad divortium inſtituendum, utrumque crimen eſt æquale, cum ad utrumque concedatur divortium: ſi vero conſideretur, in ordine ad matrimonium, gravior injuria eſt illi illata per adulterium, quam per Sodomiam, & ſic non poſſet adulterium compenſari cum Sodomia alterius conjugis, quæ minus repugnat matrimonio. Itaque dicendum eſt, ad compenſationem ſufficere, quod ſint paria crimina quoad hoc, quod tam adulter, quam Sodomita carnem ſuam dividant in alium contra fidem in matrimonio datam, per quod conjuges efficiuntur una caro, quod eſt fundamentum, ex quo oritur jus divortii: quæ diviſio perfecte in omni concubitu, ſive naturali, ſive Sodomitico, reperitur, ideoque uterque ſufficientem cauſam divortii præbet, & nomine fornicationis comprehenditur, quando Chriſtus *Matt. 5. & 19.* declaravit, licitum eſſe divortium ex cauſa fornicationis, *Sanch. cit. l. 10. diſ. 4. num. 3. & diſ. 6. nu. 5.* ubi ait idem eſſe dicendum, ſi unus eſſet reus adulterii, & Sodomiæ, vel etiam beſtialitatis; alter vero ſolius adulterii, quia quod plura ſint delicta, non obeſt compenſationi, *Farinac. cit. q. 143. num. 35.* dummodo tamen ſicut adulterium, ita & Sodomia ſit plene perfecta, & conſummata, alioquin neutrum crimen eſt ſufficiens ad divortium, ut ſi fiat ſolum mollities cum tertia perſona, ſine emiſſione ſeminis in vas, *Sanch. cit. diſ. 6. num. 3. Farin. cit. l. num. 75.*

XXXII. Limitatur autem ſupra tradita doctrina primo, quod non admittatur compenſatio adulterii cum adulterio inter conjuges, niſi adulterium, cujus petitur compenſatio, ſit certum, notorium, & liquidum, non item ſi ſit dubium, vel incertum, juxta *l. ult. C. de compenſat.* ubi generaliter dicitur, quod compenſatio fieri non poſſit, niſi cauſa, ex qua ſit, ſit liquida, *Hoſtienſ. in c. ult. V. Manifeſte h. titul. Jo. Andr. ibid. num. 1. Sanch. l. 10. de matr. diſ. 11. num. 28. Farinac. cit. l. num. 80.* Verum in foro conſcientiæ etiam adulterium conjugis occultum compenſari poteſt cum adulterio publico alterius conjugis, ita ut adulter occultus non poſſit petere divortium in foro interno, in quo non requiritur probatio per teſtes, ſed ſatis eſt, quod ipſi conjugi conſtet, ſe adulterum fuiſſe, *Sanch. cit. diſ. 6. num. 9. Farin. cit. q. 143. num. 81.* Limitatur ſecundo, dummodo hæc exceptio compenſationis unius adulterii cum alio opponatur, ante litis conteſtationem, ſi agatur criminaliter: ſecus ſi civiliter ad divortium inſtituendum, vel dotis amiſſionem: tunc enim ante, & poſt litem conteſtatam; quocunque tempore, opponi poteſt uſque ad ſententiam, quia tunc eſt exceptio peremptoria, & omnino repellit virum, qui petit divortium, ab agendo: in cauſa vero criminali non perimit delictum, ſed tantum excludit virum ab accuſando, cujus loco quilibet accuſare poteſt, & ideo habet vim exceptionis dilatoriæ, quæ ante litem conteſtatam opponi debet, *Covarr. cit. §. 6. num. 6. Sanch. cit. diſ. 6. num. 10. Farin. in praxi crimin. p. 5. q. 142. num. 41. & ſeqq.*

XXXIII. Quæritur ſecundo, An adulteria conjugum compenſentur, quoad pœnam criminalem, ſeu legalem, & publicam? Reſp. Non compenſari, quia non obſtante objectione ſimilis adulterii, poteſt vir accuſare criminaliter uxorem adulteram ad pœnam legalem inferendam, cum in ea non agatur de cauſa partium, ſed Reipubl. ſive vindicta publica, *l. 1. C. ad Leg. Jul. de adult.* Sed non viciſſim poteſt uxor accuſare criminaliter virum de adulterio, ut dictum ſupra, *num. 6. h. tit.* ideoque non habet locum mutua compenſatio utriuſque adulterii, nec unius conjugis delictum tollitur per delictum alterius, ſed ambo nihilominus condigne puniri debent, *Abb. in cap. pen. num. 5. h. t. Covarr. cit. §. 6. num. 3. Sanch. cit. §. 6. num. 5. Sanch. cit. diſ. 8. nu. 31. & 36.* Idque procedit etiam in foro conſcientiæ, in quo etiam admittitur accuſatio adulterii uxoris, non obſtante exceptione ſimilis adulterii viri, quia idem ſervandum eſt in utroque foro, quando forum externum non nititur falſa præſumptione, *Sanch. cit. diſ. 8. num. 46.*

§. VII.

De aliis cauſis excuſantibus a pœnis adulterii.

XXXIV. Præter mutuam compenſationem delictorum, ſunt & aliæ cauſæ, ob quas ceſſant pœnæ adulterii privatæ, ſeu civiles, vel etiam publicæ, & criminales, prout videre eſt apud *Gl. in c. pen. V. Mutua compenſatione h. t. Hoſtienſ. ibid.* veluti 1. ſi uxor violenter ſit oppreſſa, *l. Si uxor 13. §. ſi quis & l. vim. 39. in princ. ff. h. tit.* tunc enim ceſſante culpa, etiam ceſſat pœna: aliud eſt, ſi uxor, non per vim abſolutam, quæ tollit omne voluntarium, ſed per gravem metum ſit carnaliter cognita; nam tunc non excuſatur ab omni culpa quoad DEUM, quia coacta voluntas non excuſat in maleficiis, ideoque meretur aliquam pœnam, ſed mitiorem, neque enim infligi poteſt pœna legalis, & ordinaria adulterii, nec criminalis, nec civilis, quia nec dote, nec conſortio mariti privari debet, adulterium enim ſine dolo malo non committitur, *l. pen. ff. h. tit. Silveſt. V. Adulterium. num. 20.* Secundo, ſi uxor, cum conſenſu viri, adulterata fuerit, qui eam proſtituit, *l. Cum mulier. 47. ff. ſoluto matrim.* nec vir adulterium poteſt objicere uxori, qui eam adulterandam tradidit, præſertim invitam, *c. Diſcretionem 6. de eo qui cognovit conſang. uxor.* volenti enim non fit injuria. Tertio, ſi maritus uxorem poſt adulterium retinuit, vel eam ſibi reconciliavit *Arg. c. Quemadmodum 25. de jurejur. &c. Si illi 29. cauſ. 23. q. 4. Gl. in cit. c. pen. in fine h. tit.* quia videtur condonaſſe injuriam, vel potius factum iſtud pro injuria non habere, *Zaſ. ff. ad Leg. Jul. de adult. num. 32.* Quarto, ſi maritus uxorem in adulterio deprehenſam occidit, non lucratur dotem, quia ſibi jus dicens, propria auctoritate, indignum ſe facit ejus lucro, ideoque hæredes uxoris dotem a marito repetere poſſunt, *l. Si ab hoſtibus 10. §. Si vir. ff. ſoluto matr.* ubi in fine additur, idem a contrario ſenſu ſtatuendum eſſe, ſi uxor occideret virum adulterum: non enim lucraretur donationem propter nuptias ex pacto debitam, *Gl. fin. ibid.* Quinto, ſi maritus moriatur ante accuſationem adulterii motam civiliter ad dotem lucrandam, non licet hæredi ejus uxorem viduam de adulterio accuſare, & dotem repetere, *l. Rei judicatæ 15. ff. ſoluto matr.* Sexto, ceſſat accuſatio adulterii, ſi tempus ipſi præfixum ſit elapſum, quod eſt quinquennium, durante matrimonio, computandum a die commiſſi criminis, *l. Mariti 29. Hoc quinquennium, & §. ſeq. l. Quinquennium 3. h. titul. Clarus Adulterium num. 20.*

XXXV. Illud hic addendum, quod non excuſatur a pœna adulterii conjux, qui propter neceſſitatem extremam famis, vel paupertatem, adulterium commiſit, *Farinac. p. 5. q. 142. num. 15.* Ratio eſt, quia adulterii, vel fornicationis turpitudo, & malitia talis eſt in ſe, ut nulla voluntate, ſeu conſenſu humano, nec ulla alia circumſtantia extrinſecus accedente, purgari, vel tolli poſſit, ne quidem conſenſu mariti, vel ipſius etiam uxoris, neque ob periculum vitæ, adeoque neque extrema neceſſitas vitæ facit adulterium, vel fornicationem licitam, quia omnis concubitus voluntarius, licet vi, ſeu metu extortus, extra matrimonium, ſive cum illa, quæ non eſt legitima uxor, eſt extrinſece malus, & lege naturali, ac divina prohibitus, independenter ab omni extrinſeca circumſtantia, per quam cohoneſtari poſſit, *Covarr. in reg. Peccatum p. 2. §. 1. num. 6. in 5. rat.* Debet enim quis potius omnia mala pati, & mori, quam in adulterium, vel fornicationem conſentire, *Farinac. in praxi crim. p. 5. q. 141. num. 60.* Aliud eſt in furto, ſeu acceptione rei alienæ, quæ fit, ob ſublevandam neceſſitatem extremam propriam, hæc enim licita eſt, quia tali caſu, nulla infertur injuria domino rei, qui rationabiliter invitus eſſe non poteſt,

quia tunc Lex naturæ præcipit, ut rerum Domini, ſalva ſua ſuſtentatione neceſſaria, bona temporalia communicent proximis, quatenus illis indigent, adeoque tunc malitia furti ceſſat, quia nulla infertur injuria Domino, qui conſentire, & legi ſe conformare velle, prout debet. Deinde adulterium, ſeu fornicatio non eſt medium per ſe a natura ordinatum ad ſuſtentationem vitæ, ſicut eſt acceptio rei alienæ in ſumma neceſſitate. Porro ſicut qui adulterium committit, ob neceſſitatem, vel metum mortis ab extrinſeco illatum, non excuſatur a culpa, & quidem gravi: ita nec excuſatur a pœna, quamvis in externo foro mitior puniendus ſit, quia minus delinquit, qui neceſſitate, vel metu cogente, malum agit, quam qui ſponte, quia minus voluntarie ſit, adeoque minus peccatum eſt, *Abb. in c. Sacris 5. num. 2, de his qua vi, &c. & ibi Laym. num. 5.*

S E C T I O II.

De ſtupro, ejuſque pœnis.

Altera pars Rubricæ hujus Tituli eſt de ſtupro, quod vel generice, & late accipitur pro omni illicito concubitu, ſive cum maſculo, ſive cum fœmina, eaque conjugata, vel vidua, vel virgine, ut conſtat ex *l. Stuprum*, alia *Probrum 4. ff. de ritu nupt. l. Inter 6. §. 1. ff. ad Leg. Jul. de Adult. l. Inter Suprum 101. in princ. ff. de V. S. Azor. p. 3. Inſtit. l. 3. cap. 11. in princ. Farinac. in praxi crimin. p. 5. q. 147. num. 5.* vel ſumitur ſtricte, & in ſpecie, & de iſto hic agitur.

§. I.

Quid ſit ſtuprum ſtricte, & ſpecifice ſumptum, & quotuplex, ſive quot modis committatur?

XXXVI. Aſſertio 1. Stuprum proprie, & ſtricte dictum eſt illicita virginum defloratio, non præcedente pactione conjugali, ut ſumitur ex Gratiano in *c. Lex illa 2. §. Cum ergo cauſ. 36. q. 1.* & docet *S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 6.* ubi addit, *ſub cura parentum exiſtentium*, quod tamen ad ſtuprum non eſt neceſſarium. *Azor. cit. c. 12. q. 2.* Latius deſcribi poteſt ſtuprum, quod ſit illicitus concubitus, quo virginalis integritas corrumpitur, *Farinac. citat. q. 147. num. 4.* vulgo ſtuprum vocatur, *ein Jungfrau Schandung.*

XXXVII. Aſſertio 2. Stuprum proprie acceptum, aliud eſt violentum, quo per vim virgini adimitur virginitas corporis, & hoc eſt ſtuprum propriiſſime, & ſtrictiſſime dictum: aliud eſt non violentum, quod volenti, & conſentienti in ſui violationem infertur, idque vel plene libere, vel quia per fraudem inducta, aut metum compulſa conſentit. Stuprum illatum virgini per violentiam, vel etiam per fraudem, aut metum injuſte incuſſum, continet malitiam ſpecie diſtinctam a ſimplici fornicatione, nempe injuſtam illatam per vim, fraudem, vel metum; Stuprum vero illatum, ſine violentia, fraude, vel metu, adeoque plene voluntarium, ac ſpontaneum, probabilius non continet ſpeciem malitiæ diſtinctam a ſimplici fornicatione, ſive puella parentum, vel tutorum poteſtati ſit ſubjecta, & ſine illorum, conſenſu ſe patiatur violari; ſive non ſit ſubjecta, vel illis conſentientibus ſe violari ſinat, ut docet *Leſſius l. 2. de juſtit. cap. 10. dub. 5. Sanch. l. 7. de matr. diſ. 14. nu. 5. Laym. l. 3. Theol. mor. tr. 3. p. 3. cap. 13. num. 1.* & alii apud ipſum contra *Tolet. Azor. & Silveſt.* Probatur, nam inprimis ſtuprum, ſive fornicatio cum virgine, intra genus intemperantiæ, ſive luxuriæ, non poteſt habere aliam ſpeciem malitiæ, quam ſimplicis fornicationis, cum concubitus modo naturali, ut ſupponitur, ſiat, licet extra legitimum matrimonium, ratione cujus ſolum repugnat caſtitati, ſi virgo conſentiat. Sed neque ſtuprum hujuſmodi continet ſpecialem malitiam injuſtitiæ, quia per illud non infertur injuria ipſi virgini violatæ, volenti enim, & conſentienti nulla ſit injuria; *l. 1. §. Neque adeo. ff. de injuriis.* Neque etiam infertur injuria parentibus ejus, ſub quorum cura, ac poteſtate puella exiſtit, quia puella habet liberum uſum membrorum ſuorum, & corporis ſui, ita ut eo vel nunquam uti poſſit ad carnalem generationem, cum abſtinere poſſit a nuptiis, & omni copula carnali: vel uti modo legitimo in matrimonio, vel abuti illegitime fornicando: & quamvis tunc peccet contra temperantiam, ſeu caſtitatem, nulli tamen facit injuriam, quia utitur jure ſuo, cum ipſa ſit domina ſui corporis, & integritatis illius, quam non tenetur ex juſtitia ſervare illibatam uſque ad matrimonium ſed ſi illam, extra matrimonium, violari patiatur, ſolum peccat contra caſtitatem, propter indebitum abuſum corporis ſui: ſicut ſi quis ex proprio dolio intemperanter bibat, nulli facit injuriam. Nec parens habet majus jus in corpus filiæ incorruptæ, quam corruptæ; ſi ergo puella, abutendo corpore ſuo, non facit injuriam parenti, per conſequens nec ſtuprator ei inferet, cooperando cum puella ad eum voluntarium abuſum corporis. Aliud eſt in raptu, quod puella, ſive corrupta, ſive incorrupta, violenter abripitur e domo ſua, vel paterna: vel etiam quo filia volens, patre inviro, domo abducitur: tunc enim violatur jus patriæ poteſtatis, adeoque injuria patri infertur, ut ex infra dicendis patebit. Aliud quoque eſt in abſciſſione membri, quæ ſit contra juſtitiam, quia cum puella non ſit domina membrorum ſuorum, conſenſus illius, ut abſcindatur, non tollit rationem injuſtitiæ. Nec denique etiam ſtuprum continet injuſtitiam, ob damnum, quod inde proli infertur. Nam quod ſimplex fornicatio adverſetur bonæ educationi prolis, id facit illam eſſe iniquam, & repugnantem juri naturæ contra caſtitatem, non autem facit eam eſſe contra juſtitiam, quia proles nondum exiſtens non eſt capax alicujus juris, ex cujus violatione exurgat injuſtitia. Deinde licet contrahere matrimonium cum fœmina vidua, ſive jam corrupta, ergo non tenetur virgo ſervare illæſum clauſtrum virginitatis, ratione prolis concipiendæ ex matrimonio, alias virgo deflorata non poſſet licite viro nubere: ergo conſentire in ſui violationem non eſt injuſtum, ratione damni prolis, neque illicitum, ſicut ſimplex fornicatio in nullo caſu eſt licita. *Sanch. cit. diſ. num. 14.*

§. II.

Quæ ſint pœna ſtupri decreta, tum Jure Civili, tum Canonico?

XXXVIII. Aſſertio 1. Qui ſine vi virginem, vel etiam viduam honeſte viventem ſtupraverunt, iis, ſi honeſti ſint, irrogatur publicatio, ſive confiſcatio dimidiæ partis bonorum: ſi viles, corporis coercitio, ſeu verberatio, cum relegatione, prout ſtatuitur in *§. Item Lex Julia de adulteriis Inſtit. de public. Judic.* Si vero ſtuprum per violentiam commiſſum fuerit, vel pœna Legis Juliæ de vi publica puniendus erit, *l. In cod. 3. §. Præterea. ff. ad Leg. Jul. de vi publ.* vel etiam pœna capitis, ſeu mortis, *Gl. in cap. 2. V. Pleſtendus h. t. Clarus §. Stuprum num. 3. in fine, Farinac. p. 5. quaſt. 147. num. 22. & ſeqq.* quod aliqui intelligendum eſſe ajunt de ſtupro juncto cum raptu: alii de ſtupro commiſſo in puellam immaturam vi ſtupratam, *Farinac. c. l. num. 26. & 30.* Verum hodie pœna civilis etiam in Terris Imperii locum non habet, ſed ſervatur pœna a Jure Canonico decreta, de qua mox, ut teſtatur *Clarus cit. l. num. 3. Harprecht. in cit. §. Item Lex Julia num. 91. Inſtit. de publ. Judic.* ubi tamen id limitat, ſi contra ſtupratorem civilis actio inſtituatur; ſecus ſi agatur criminaliter, ut ſi pater, vel conſanguinei puellam ſtupratam in matrimonium ſtupratori dare nolint, ſed ad vindictam agere velint ob ſtuprum illatum; tunc enim & in aliis ſimilibus caſibus, pœna juris civilis infligi poteſt.

XXXIX. Aſſertio 2. De Jure Canonico ſtuprator tenetur virginem ſtupratam dotare, vel in uxorem ducere, prout conſtat ex *c. Si ſeduxerit 1. h. tit.* quod eſt deſumptum ex *libro Exodi cap. 22.* ubi dicitur: Si ſeduxerit quis virginem „ nundum deſponſatam, dormieritque cum ea (id eſt, illam corruperit, ſive carnaliter cognoverit) dotabit eam, „ & habebit uxorem. Si vero pater virginis dare noluerit, „ reddat pecuniam, juxta modum dotis, quam virgines accipere conſueverunt.

„ XL. Præterea in *c. Pervenit 2. h. t.* habetur, quod quidam Felix nomine ſtupro decepit quandam virginem, unde quæſitum fuit, qualiter ſit puniendus? Reſpondet Papa Gregorius I. quamvis ſecundum legem civilem, pœna „ plectendus eſſet (de qua ſupra) Papa tamen aliquantum „ molliendo, temperando pœnam legis civilis, ſtatuit, ne „ ſtuprator virginis, aut illam in uxorem accipiat (ſi ipſa „ voluerit, & pater illius conſenſerit, *cit. cap. 1. junct. Gl. V. Uxorem, Gl. hic cod.*) aut ſi ipſe ſtuprator noluerit illam „ ducere (ſubaudi, dotabit illam, juxta *cit. cap. 1. h. tit.* „ & ſic non tollitur pœna Exodi, *Hoſtienſ. hic V. Putaverit*) „ & corporaliter caſtigatus (prout viſum fuerit Judici, *Gl. V. Caſtigatus*) & excommunicatus (non majore, ſed mi„ nore excommunicatione, ſcilicet Sacramentorum communione, ſeu perceptione, quouſque Superiori viſum fue„ rit, *Gl. V. hic Excommunicatus*) in monaſterium, ſeu car„ cerem detrudatur, ad pœnitentiam agendam, nec inde „ egrediatur ſine præcepto, ſeu licentia ſui Superioris.

XLI. Pro explicatione utriuſque hujus cap. notandum primo. Deciſio *cit. c. 1. h. tit.* non limitatur, ſive reſtringitur per *cap. 2. ejuſd. tit.* ut nonnulli Canoniſtæ putant: nam cum dictum 1. cap. ab Innocentio III. ex Vet. Teſtamento fuerit translatum in Jus Canonicum, qui longe poſterior fuit: quam Gregorius I. qui fuit conditor *cap. 2.* & longe antiquior Innocentio III. non potuit *cap. 1.* quippe poſterius quatenus Chriſtianos obligat, limitari per cap. 2. quod fuit longe prius illo latum, ſive conditum, cujus proinde deciſioni ſtandum eſt, quoad pœnam in illo latam, in quo Gregorius moderatus eſt pœnam juris civilis decretam, de qua ſupra, & ſtatuit, ut ſtuprator, vel in uxorem ducat eam, quam ſtupravit, & tunc nullam ſubeat pœnam (in quo temperavit pœnam Juris civilis) vel ſi renuit eam ducere, non ſolum illam dotet, prout habetur in *cit. c. 1. cod.* ſed etiam corporaliter caſtigatus (pœna corporali inflicta, ad arbitrium Judicis) & excommunicatus (id eſt, privatus participatione Sacramentorum, ut exponit *Gl. ibid.* in Monaſterium, in quo agat pœnitentiam, detrudatur, ſcilicet ad tempus *Gl. fin. ibid.* & tradit *Molin. tr. 3. de juſtit. diſ. 104. num. 9.* Quare deciſio *cap. 1. h. t.* Ubi dicitur, quod qui ſeduxit virginem, eamque ſtupravit, debet illam dotare, & uxorem habere, intelligi debet, non copulative, ſed disjunctive, juxta priorem deciſionem cap. 2. ejuſdem Tituli, nempe ut vel dotet, vel in uxorem accipiat, modo ipſa, & pater ejus conſenſerint: ad ducendam vero illam in uxorem non poteſt præciſe compelli, ſed ſolum conditionate, ſi non vult incurrere pœnas in *cit. cap. 2. eod. tit.* ſtatutas, nam præter dotem, quam nihilominus ſtuprator dare cogitur, punitur etiam corporaliter, pœna arbitraria vel pecuniaria fiſco applicanda. *Abb. in cit. cap. 1. num. ult. &c. 2. num. 3. hoc. tit.* Ubi ait, non videtur delictum ſufficienter punitum per conſtitutionem dotis, ſed quia perſona debet puniri, quæ deliquit, non burſa *Gutier. l. 1. Canon. qq. cap. 37. num. 10. & 11. Farin. cit. q. 147. num. 101. & 102.* Verum in pluribus locis, ex recepta conſuetudine, ſtuprantes virgine ſine vi aliam pœnam ſubire non coguntur, niſi ut illas ducant in uxores, vel decenter dotent, de quo teſtatur *Clarus §. Stuprum num. 3.* dummodo tamen puella, quæ ſtuprum paſſa eſt, ſit honeſtæ vitæ, alias enim non habet locum diſpoſitio *cit. cap. 1. & 2. h. t.* ut addit *Clarus cit. l.*

XLII. Notandum ſecundo. Qui ſeduxit virginem, & corrupit, tenetur in pœnam ad dotandam illam, juxta qualitatem ſuæ perſonæ, ita ut ſtuprator tantum ex bonis ſuis illi

aſſignet

Digitized by Google

aſſignet in dotem, quamvis alia bona habeat, quantum virgines ejuſdem qualitatis accipere ſolent in dotem, ita ut ſoluto matrimonio, poſt mortem ſtupratoris, qui eam duxit, habeat unde ipſa vivat, & ſuſtentetur, vel ſi morte fœminæ ſtupratæ matrimonium diſſolvatur, id tranſmittat ad ſuos hæredes, Idque propter dictum viri, *Abb. in citat. c. num. 3. h. t. Molin. cit. diſ. 104. num. 9. Farinac. cit. q. 247. num. 112.* Si vero pater illius mulieris noluerit illam dare ſtupratori in uxorem, vel etiam ipſa puella recuſet ipſi nubere, adhuc tamen ſtuprator tenetur illis tradere dotem, qualis dari ſolet aliis virginibus ejuſdem conditionis, prout habetur in *cit. cap. 2. in fine h. tit.* & ibi *Gl. V. Dotabit, Molin. v. l. & Farinac. cit. q. num. 105.* Quod ſi corruptor virginis illam ducere non poſſit in uxorem, vel quia initiatus eſt Sacris Ordinibus, vel quia conjugatus eſt, vel quia ipſa mulier eſt diſparis, & inferioris conditionis, ita ut per mulierem ſtupratam non ſtet, quominus ipſi nubat, tunc tenetur ſtuprator dare tantam dotem, quanta illi eſt neceſſaria, ut æque bene nubat, ac ſi corrupta non eſſet, quia compenſari illi debet, quod non ducat ipſam in uxorem, etiamſi alia bona habeat, *Molin. v. l. Farin. cit. q. n. 107. & 112.*

XLIII. Notandum tertio. Si ſtuprator virginis Clericus ſit, ab officio eſt deponendus, ut docet *Abb. in cit. cap. 1. n. 4. h. tit. & in c. At ſi Clerici, 4. num. 35. de Iudic. Diaz. in pract. crim. can. 1. 87. num. 2. Clarus §. Adulterium. nu. 3.* Ubi ait, hanc eſſe communem opinionem, *Farinac. cit. q. nu. 62.* Ubi tamen *num. ex Menoch.* ait, quod hodie pœna Clerici ſtupratori, ſit arbitraria, ita ut quandoque pœna depoſitionis, vel ſuſpenſionis, quandoque pecuniaria imponatur, ſed ſemper cum præſtatione dotis puellæ vitiatæ. Quod ſi Clericus vi corrumpat virginem, ultra depoſitionem, in arctum Monaſterium, vel carcerem detrudendus eſt, *Diaz. cit. l. num. 3.*

§. III.

Ad quid præterea ſtuprator Virginis in variis caſibus obligetur, ob ſtuprum illatum, vel non?

XLIV. Aſſertio 1. Qui virginem per vim, fraudem, vel minas, ſeu metum injuſtum violavit, aut conſenſum extorſit in copulam, tenetur illam, vel ducere in uxorem, ſi & ipſa velit, vel omnia damna inde illi illata reſarcire, *Navarr. in Man. c. 16. num. 17. Silveſt. V. Luxuria. q. 5. Leſſ. l. 2. c. 10. num. 10. Vaſq. in opuſc. Moral. tr. de reſtitut. cap. 3. §. 2. dub. 1. num. 2. & 3. Molin. tr. 3. de juſtit. diſ. 106. nu. 6.* & alii DD. communiter. Ratio eſt, quia tunc per injuriam damnum eſt puellæ illatum, ergo hoc debet illi reparari, vel per matrimonium, eam ducendo, vel per damni reparationem, dotem competentem, ſupra proprium illius patrimonium aſſignando, ita ut congrue poſſit nubere, ſicut ante nupſiſſet, ſi deflorata non fuiſſet, vel ſi ipſa velit, in ſtatu honeſto vivere. Non obſtat *cap. 2. h. tit.* Ubi non ſolum ad alterutrum, ſed ad utrumque ſtupratorem teneri dicitur, nec ſolum ad æſtimationem damni, ſed ad integram dotem dandam. Nam imprimis verba illa non copulative, ſed disjunctive intelligenda ſunt, ut ſupra dictum. Deinde cum ſint pœnæ, in foro externo non obligant, niſi poſt ſententiam Judicis, quia ante illam non tenetur ſtuprator, niſi disjunctive, vel ad ducendum in uxorem, vel ad dotandum, & quidem non integre, ſive ad totam dotem, id enim ſolum ad pœnam criminis pertinet, ſed ſufficit ſupra dotem, quam alias a patre, vel aliunde haberet, addere, quantum neceſſarium eſt, ut poſſit nubere viro æquali, perinde ac ſi corrupta non fuiſſet, quia ad plus non tenetur, ſpectato jure naturæ, & ſic redditur æquale damno illato, *Covarr. in Epit. l. 4. Decret. p. 2. cap. 6. §. 8. num. 15. Leſſ. cit. cap. 10. num. 11. Vaſq. in opuſc. Moral. tr. de reſtitut. cap. 3. §. 2. dub. 5. num. 14.*

XLV. Aſſertio 2. Si is, qui per vim, vel alias injuſte puellam violavit, offerat ſe ad ſatisfaciendum pro injuria illata, augendo dotem, ut æque bene ac antea nubere poſſit: fœmina vero illam ſatisfactionem acceptare nolit, ſed determinate petat, ut ipſam ducat in uxorem: ſtuprator injuſte non tenetur determinate ad illam ducendam, ſaltem ante condemnationem Judicis, quia juſtitia ſolum exigit, ut res reducatur ad æqualitatem, quod fit per augmentum dotis, ut fœmina æquali nubere poſſit, unde non eſt obligandus corruptor ad ſatisfaciendum determinato modo per matrimonium: quia etſi teneatur determinate augere dotem, ſi fœmina nolit ei nubere, quia non debet privari libertate nubendi, cui vellet, quam antea habebat, non tamen habebat libertatem nubendi huic, ſi is nollet: non ergo corruptor eſt obligandus ad dandam fœminæ hanc poteſtatem, quam antea non habebat, ſed ſolum nubendi alteri, ſicut antea, modo promiſſio matrimonii non intervenerit, *Leſſ. cit. cap. 10. num. 13. Card. Lugo tom. 2. de juſtit. diſ. 12. ſec. 2. num. 24.*

XLVI. Aſſertio 3. Si puella vi vel per fraudem violata fuit, non tenetur nubere corruptori, etiamſi ipſe matrimonium offerat in ſatisfactionem, ſed poteſt petere augmentum dotis, ut poſſit alteri æque bene nubere. Idque procedit, non ſolum ſi fraude inducta fuit ad ſtuprum, ut ſi finxit ſe nobilem, vel divitem, cum non eſſet (tunc enim contra omnem æquitatem foret, fœminam nobilem obligare ad contrahendum cum eo matrimonium, nec ita compenſaretur, ſed potius magis augeretur damnum illatum) ſed etiam ſi paris ſint conditionis, adhuc enim optio erit penes fœminam injuſte violatam, vel eligendi matrimonium cum corruptore, vel petendi augmentum dotis, quia ſi aſtricta eſſet ad contrahendum matrimonium cum ſtupratore, non compenſaretur æqualiter ei damnum injuſte illatum, quia antea habebat fœmina libertatem nubendi, cui vellet, qua privatur, ſi nunc debet contrahere matrimonium cum eo, qui forte illi non placet; vel carere dote ſufficiento ad ineundum matrimonium æquale, ſive æque commodum, acſi adhuc virgo eſſet, *Leſſ. cit. cap. 10. num. 12. Azor. p. 3. l. 5. c. 3. difficult. 4. & 23. & clarius Lugo cit. diſ. 12. ſec. 2. num. 22.* contra Molin. Sed neque violentus, aut injuſtus corruptor virginis, ſine promiſſione tamen matrimonii, obligatur ducere illam, quæ longe inferioris conditionis eſt, etiamſi damnum ei illatum pecunia, ſeu augmento dotis reſarcire non poſſit: quia generatim loquendo, in omnibus debitis, etiam quæ ex delicto deſcendunt, non tenetur debitor, cum notabiliter majore ſuo damno, reſtituere ſive ſolvere creditori, quam ſit valor ipſius debiti, ſive quando nequit ſolvere, ſeu reparare damnum, niſi cum longe majore ſuo damno, quam ſit id, quod intulit alteri: ſufficiet ergo hoc caſu, ut ſi longe majus damnum ſtupratori ex matrimonio cum fœmina corrupta inito ſequeretur, quam ſit illud, quod ipſi per ſtuprum illatum fuit, aliis mediis, quibus poterit, data opportunitate, illud compenſare procuret, *Lugo cit. ſec. 2. num. 18.*

XLVII. Aſſertio 4. Si virgo vi vel fraude violata fuit, ſed poſtea æque commodum matrimonium iniit ac ſi corrupta non fuiſſet, nec ob eam cauſam aliud detrimentum paſſa eſt, quia ſtuprum occultum manſit, etiam viro, cui nupſit, non tenetur deflorator virginis ad nullam ſatisfactionem, vel compenſationem ei faciendam. Ratio eſt, quia pro injuria, prout condiſtincta eſt a damno ſubſecuto, nihil debet reſtitui, adeoque nec pro defloratione, ſive violatione clauſtri ſeu ſigilli virginalis, quia illa eſt irreparabilis: nec ſi damnum eſt, poteſt pecunia æſtimari aut compenſari: ſicut nec ſi alicui manus ſit abſciſſa, vel oculus erutus. Aliud vero damnum pretio æſtimabile non eſt fœminæ ex ſtupro ſecutum, ut ſupponitur, *Navarr. in man. cap. 16 num. 19. Leſſ. cit. c. 10. num. 15. Vaſq. de reſtit. cap. 3. §. 2. dub. 3 num. 8.* Non obſtat, quod puella injuſte ſtuprata conſtituatur in periculo non inveniendi æque commodum matrimonium, ac antea habere poterat, quod cum ſit damnum pretio æſtimabile a ſtupratore compenſari debet. Reſp. qui alterum conſtituit in periculo etiam vitæ amittendæ, vel facultatum, non obligatur ad reſtitutionem, niſi damnum reipſa ſequatur, quia periculum damni non eſt damnum: ergo ſi aliunde ceſſet & tollatur illud periculum ceſſat etiam obligatio illud compenſandi, quia ablatum fuit totum damnum, ad quod ſolum tollendum tenebatur is, qui injuſte alicui damnum, vel periculum damni intulit, *Leſſ. cit. cap. 10. num. 16.* niſi fœmina, antequam ſe tali periculo exponit non inveniendi æque commodas nuptias, de illo compenſando facta fuerit, de quo videri poteſt. *Leſſ. citat. loc.*

XLVIII. Aſſertio 5. Si quis naturaliter per vim, vel fraudem cognovit ab alio jam corruptam, quæ tamen vulgo, & publice virgo habebatur, tenetur illi ſatisfacere, arbitrio viri prudentis, ſi inde infamia ſit ſecuta, ita ut non poſſit tam commode alteri nubere, ſicut antea, *Navarr. citat. c. 16. numer. 19. Azor. citat. cap. 5. difficult. 22. Vaſq. citat. §. 2. dub. 2.* Præterea tametſi virgo libere conſenſit in ſtuprum, ſine vi vel metu, aut fraude; ſi tamen ſtuprator flagitium poſtea detexit, eamque infamavit, tenetur ad reparandum ejus honorem, & damnum infamiæ injuſte ei illatum reſarciendum, ſicut ſi eam injuſte defloraſſet, *Molin. tract. 3. diſ. 104. num. 23. in fine.*

XLIX. Aſſertio 6. Si virgo libere, ſine vi, fraude, vel metu injuſte incuſſo conſenſit in ſtuprum, ſe ſponte ad id offerendo; non tenetur deflorator illam ducere, nec dotare, vel aliquid aliud præſtare, quia volenti, & conſentienti nulla fit injuria, neque tunc eſt proprie ſtuprum, *Leſſ. cit. cap. 10. numer. 9. Molin. tract. 3. diſ. 106. numer. 10.* Imo neque hoc caſu, in foro externo cogi poteſt ad ducendam, vel dotandam fœminam corruptam, neque alias pœnas decretas in *cap. 1. & 2. h. tit.* incurrit, quia pœnæ illæ ſolum imponuntur ei, qui virginem ſeducit, vel decepit, quod non poteſt dici de illa, quæ ſe ſponte obtulit, vel conſenſit, *Molin. cit. diſ. 104. num. 70.*

L. Aſſertio 7. Sed neque ſtuprator tenetur ducere puellam ſtupratam, vel dotare, nec alias pœnas incurrit, etiamſi illam ſuaſionibus, ſeu blanditiis, vel precibus etiam importunis, aut aſſiduis, vel muneribus induxerit ad conſenſum in ſtuprum, ſine alia tamen vi, fraude, vel minis, ut ea probabiliore ſententia docet *Leſſ. cit. cap. 10. numer. 6. Molin. citat. diſ. 106. num. 2. Vaſquez. cap. 3. §. 2. dub. 2. num. 4. & 5. Lugo tom. 1. de juſtit. diſ. 12. ſec. 2.* & plures alii contra *Navarr. & Tolet.* Ratio eſt, quia preces, & dona vim non inferunt, nec cogunt, nec faciunt involuntarium, etiam mixtum, ſicut metus, ſed ſolum blande alliciunt, adeoque facile repelli poſſunt, ſi fœmina ſerio velit. Excipi debet, niſi precibus Domini, aut Principis, vel Superioris puella fuiſſet inducta ad conſenſum, cui non facile audet diſſentire, hujuſmodi enim preces cauſant metum reverentialem, & multum minuunt libertatem conſenſus, imo injuriam quandam continent, ideoque ſtuprator tenetur fœminam vel ducere, vel dotare, *Lugo citat. l.* Idemque eſt, ſi fœmina, præ verecundia, non ſit auſa diſſentire, tunc enim coacte conſentire cenſenda eſt, nec ſtuprator excuſabitur ab obligatione reſtituendi, *Vaſq. c. l. num. 5. Molin. c. l. concl. 1. in fine.* Contraria tamen ſententia, quod qui importunis precibus, vel donis induxit puellam ad conſenſum in ſtuprum, teneatur illam ducere, vel dotare, eſt etiam probabilis, & miſeris puellis favorabilis, ideoque conſulenda, ut fatetur *Vaſq. citat. l. numer. 6.* Quod ſi per metum juſte incuſſum puella conſentit in ſtuprum, quia ſtuprator minatus eſt ei, quod velit eam apud patrem, vel Judicem accuſare, quod alias licite, & juſte facere poterat; non tenetur ad reſtitutionem, *Lugo. citat. ſec. 2. num. 28.*

LI. Aſſertio 8. Etſi virgo ſub patria cura, & poteſtate ſit conſtituta (idemque eſt quoad hoc, de filia, vidua, aut

corrupta) & liberè conſentiat in ſtuptum, non tamen ſtuprator tenetor ideo reſtituere aliquid parentibus illius: quamvis parrus, ea de cauſa augeat dutem, ut poſſit filiam in æque bono matrimonio collocare, ut docet *Molin. citat. diſ.* 106. *numero* 2. *Silveſt. V. Luxuria q.* 5. *Vaſq. cit. cap.* 3. §. 2. *dub.* 4. *Leſſ. cit. cap.* 10. *num.* 9. *Laym. l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 13. *num.* 2. *contra Navarr. & Azor.* Ratio eſt, quia filia virgo non eſt poſſeſſio patris, ideoque damnum ipſius mulieria non eſt damnum patris, ut ei ſit compenſaodum, ob augmentum dotis, ſi velit eam matrimonio jungere, quia filia ipſa nou tenetur ex justitia impedire illud damnum: cum enim ſit domina corporis ſui quoad uſum, poteſt, abſque patria injuria, & ſine injuſtitia, vel non nubere, vel male nubere: alioquiu ſi ſaltu, vel violeato motu corporis exponeret ſe periculo ruptionis virgiori clauſtri, præviſo illo periculo, peccaret contra juſtitiam, quia tunc pater etiam deberet dotem augere ad compenſaudum illum defectom. Neque vero pater teoetur augere dotem, ſi filia volens ſtuprata ſit, ut boneſto mattimonio elocari poſſit: quod ſi ſponte det, damnom volens patitur: ſicut ergo filia, conſentiendo in ſloptom, non peccat contra juſtitiam, ita nec ſtuprator. Nec tefert, quod ſtuprum redundat iu injuriam patris, quia honot familiæ, ob evulgationem flagitii a ſtupratore factum læditor: nam ex injuria, ſecluſo damno, non oritur obligatio ſatiſfaciendi per pecuniam, vel aliud temporale ex natura rei, & in foro conſcientiæ, ſed ſolum reſpondet ei pœna, quæ non debetur, ante Judicis ſententiam, & pro læſo honore poteſt ſatisfieri, petitiono veniæ, vel ſimili honoris uahibitiune.

LII. Aſſertio 9. Poteſt fœmina, quæ per vim, metum, vel fraudem, in ſtuprum conſenſit, etſi in patris poteſtate adhuc conſtituta ſit, remittere obligationem ſatiſfaciendi ſtupratori, ita ut ad nihil etiam patri ſolvendum teneatur, ſaltem in conſcientia, & ante condemnationem Judicis, *Leſſ. c. l. num.* 9. *&* 19. *Vaſq. cit. l. & Lugo. c. loco numero* 9. *&* 20. Ratio eſt, quia ſicut filia, ante damnum illatum, potuit cedere jure ſuo, ſine injuria patris, cum liberum ei ſit a nuptiis abſtinere: ita etiam poſt damnum acceptum, poteſt cedere jure ſuo, quod habet ad petendam ejus compenſationem. Et poteſt filia, etiam ſine conſenſu patris, hoc jus remittere, quia non eſt per ſe, & immediate debitum pecuniarium, ſed eſt debitum, quo obligatur ſtuprator ducere fœminam in uxorem, ſi ipſa velit, cui poteſt illa renunciare, poteſt enim velle non nubere.

LIII. Aſſertio 10. Si conſtet, virginem non ſeductam, ſed voluntatio conſenſu eſſe deſloratam a Clerico, in utroque foro; conſcientiæ, & externo, liber eſt a præſtatione dotia: potuit enim puella cedere juri petendæ dotia, *Diaz. cit. cap.* 87. *num.* 4. *&* 5. Quod ſi vero poſt corruptionem, ad quam vi, vel fraude inducta eſt mulier, virum ejuſdem conditionis invenit, perinde ac ſi eſſet virgo, abſolvendus eſt Clericus a præſtanda dote, quia nullum damnum in effectu paſſa eſt, *Diaz. c. l. num.* 7.

§. IV.

Ad quid obligetur qui ſtupravit virginem, ſub ſpe, ac promiſſione matrimonii?

LIV. Aſſertio 1. Qui defloravit virginem, vere, & ſincero animo ei promittendo matrimonium, ſi conſenſerit in copulam, tenetur ſtare promiſſis, & ducere defloratam, ſive fuerit virgo, ſive honeſta vidua. Eſt certa, & communis ſententia. Ratio eſt, quia ex contractu oneroſo obligavit ſe ad rem, quam licite exequi potuit, videlicet ſe ducturum illam in uxorem, etſi non abſolute, ſed conditionate: ergo poſtquam fœmina implevit conditionem (quamvis illicite) & ex parte ſua complevit contractum, etiam ipſe tenetur illum complere, cum licite id poſſit ac debeat, eamque ducere, alioquin enim illa injuſte deciperetur. Excipi debet, niſi de novo ſuperveniat impedimentum dirimens matrimonium, vel ſufficiens ad divortium inſtituendum, ſi matrimonium contractum eſſet, nam multo magis ſufficit ad tollendam obligationem illud contrahendi, *Lugo tom.* 1. *de juſtit. diſ.* 12. *ſec.* 2. *num.* 19.

Porro etſi qui virginem, vel viduam defloravit ſub promiſſione matrimonii, fuerit prius ſimplici voto Religionis, caſtitatia obſtrictus, adhuc tenetur eam ducere. Idemque multo magis dicendum ſi votum Religionis, vel caſtitatis ſit emiſſum poſt promiſſum matrimonium, ſub conditione ſecuta copulæ, *Leſſ. l.* 2. *de juſtit. c.* 10. *dub.* 4. *num.* 32. *Sanch. l.* 2. *de matr. diſ.* 45. *n.* 3. *Vaſq. in opuſc. moral. tr. de reſtit. d.* 3. §. 2. *dub.* 6. *Lugo cit. diſ.* 12. *ſec.* 3. contra *Navarr. & alios*. Ratio eſt, quia obligatio voti provenit ſolum ex libera & gratuita voluntate voventis, qui ſibi ipſe privata auctoritate impouit talem obligationem, ideoque non potuit, ſe vello obligare in præjudicium alterius, vel alieno juri derogare: ſicut ſi quis voveat, ſe heredem inſtituturum Eccleſiam, & poſtea naſcantur illi filii, non potuit per votum præcedens præjudicare juri filiorum. At obligatio poſterior ex corruptione fœminæ, ſub ſpe, ſeu promiſſione conjugii, non oritur ex ſola voluntate promittentia, ſed ex jure, quod fœmina corrupta ſub promiſſione conjugii acquiſivit, ratione delicti, & injuriæ ſibi illatæ, ad quam reſarciendam tenetur ſtuprator illam ducere, ac proinde hæc poſterior obligatio eſt longe potentior, quam prior voti, eique præferri debet, *Lugo c. l. n.* 43. Accedit, quod votum non obligat, rebus notabiliter mutatis, ut hic fiat, cum vinculum juſtitiæ fortius ſupervenerit, & graviſſimum proximi damnum, ſi votum impleatur, ideoque noeens non omnino liberatur a voto, ſed ejus executio differtur ad tempus, ita ut matrimonio contracto, non poſſit debitum petere, & diſſolutis ſponſalibus ex juſta cauſa, vel mortua uxore, teneatur vir abſtinere a ſecundis nuptiis, & ſi Religionem vovit, eam ingredi. Aliud eſt de Sponſalibus de futuro, quæ obligant, non obſtantibus Sponſalibus poſterioribus, etiam ſecuta copula cum ſecunda, quia obligatio Sponſalium non oritur ex ſola gratuita voluntate promittentis, ſicut votum, ſed etiam ex facto alterius, & contractu oneroſo, per quem alter ex ſponſis viciſſim ſe obligavit, eique jus acquiſitum eſt ex promiſſione Sponſalium, quod per poſteriora Sponſalia, etiam ſecuta copula, ei auferri non poteſt, niſi conſentiat, & juri ſuo cedat, *Lugo cit. l. num.* 45.

Dices, vel talis deflorator tenetur puellam corruptam ducere, ratione promiſſionis, vel ratione injuriæ, & damni illati. Non primum; quia illa promiſſio fuit nulla, & invalida, cum fuerit de re illicita contra votum. Non ſecundum, quia violans virginem, ſine promiſſione conjugii, non obligatur determinate ad fœminam ducendam, ſed vel ad ducendam, vel ad damnum aliter compenſandum, ut patet ex dictis, §. *praced.* in hoc caſu autem corruptio puellæ facta eſt, ſine promiſſione, cum hæc fuerit invalida, ergo tenetur ſolum ad compenſandum, non ad ducendum. Sed reſpondetur, teneri defloratorem determinate ad ducendam corruptam, ratione utriuſque ſimul: nec eſt ſimile, quando nulla omnino adfuit promiſſio matrimonii, nec vera, nec ficta, ſive fraudulenta, tunc enim jus non habet violata ad petendum determinate matrimonium: habet autem, quando promiſſio intervenit, licet invalida, ratione fraudis, & damni ſibi illati: tunc enim ſicut fictus, ita etiam fraudulentus promiſſor tenetur veram facere ſuam promiſſionem, eam implere, ne fœmina deflorata damnum patiatur, non obſtante voto, quia hæc obligatio non fundatur in voluntate ſe obligandi, ſed in delictu fraudis, *Sanch. cit. diſ.* 45. *num.* 6. *Lugo cit. l. num.* 46.

LV. Limitant communiter DD. citt. niſi fœmina ſtuprata ſciviſſet defloratorem eſſe voto caſtitatis, vel Religionis obſtrictum, quia cum tunc ſciverit, vel facile advertere potuerit, illum licite promittere matrimonium non poſſe, non fuit decepta, ideoque neque corruptor eſt obligatus ad illam ducendam, ſed debet implere votum, *Leſſ. cit. l. numer.* 33. *Sanch. c. l. num.* 5. quod tamen non eſſe univerſaliter verum putat *Lugo c. l. num.* 52. quia cum poſt copulam facile poſſit obtineri diſpenſatio voti, potuit exiſtimare ſibi promiſſum eſſe a ſtupratore, quod velit impetrare diſpenſationem voti, quam tamen non tenetur petere, niſi ad eam ducendam ſe obligarit, *Leſſ. c. l. num.* 35. ſicut etiam qui conſanguineam violavit ſub pacto conjugii, & ſimul etiam promiſit, ſe petiturum diſpenſationem, illam petere tenetur, ſi impedimentum ſit tale, in quo ex cauſa etiam non valde gravi diſpenſari ſolet, de quo videri poteſt *Sanch. l.* 5.

LVI. Aſſertio 2. Qui virginem defloravit, promittendo ei matrimonium, ſi in ſtuprum conſenſerit, ſed ficte, & ſine interna intentione ſe obligandi, & promittendi, debet illam ducere in uxorem, ſi ipſa velit, nec ſufficit, ſi pecunia vellet ſatisfacere pro damno per ſtuprum illato, ut ex communi ſententia docet *Leſſ. cit. cap.* 10. *dub.* 3. *nu.* 20. *Molin. tr.* 3. *de juſt. diſ.* 100. *num.* 4. *Vaſq. cit. cap.* 3. §. 1. *dub.* 2. *num.* 15. *Sanch. l.* 1. *de matr. diſ.* 10. *num.* 3. *Lugo cit. diſ.* 12. *ſec.* 2. *num.* 20. Ratio eſt, quia juſtitia commutativa non tantum exigit, ut reddatur æquale ſed etiam ut idem in ſpecie reddatur, ſi reddi poſſit, quia unum pro alio invito creditori ſolvi non poteſt, *l.* 2. §. *Mutui ff. de reb. cred.* ſed ſtuprator in ſpecie promiſit, non pecuniam, ſed matrimonium, ergo ex juſtitia commutativa, & contractu oneroſo debet contrahere matrimonium: & implere quod promiſit, nec ſatisfacit, ſi offerat aliam ſatisfactionem pro damno virginitatis, quia ipſa fœmina non conſentit in ſtuprum pro dote, vel pecunia, ſed pro matrimonio, nam hoc eſt, quod ipſi debetur. Quare ſicut ipſa conditionem implevit, ex juſtitia petere poteſt, ut etiam impleatur contractus ex parte ſtupratoris, fiatque, quod promiſit, etſi ficte ſolum. Idque procedit, ſive etiam fœmina promiſerit matrimonium, ſive ſolus vir: nam etiamſi illa non promiſerit, quia tamen non conſenſit in ſtuprum, niſi ſub ſpe, & obligatione matrimonii (ſi enim dotem ſolum promiſiſſet, fœmina ſe violari non permiſiſſet) ideo ex juſtitia tenetur vir fraudem hanc tollere, & vere in matrimonium conſentire, cum per injuriam ficte conſenſerit, *Sanch. c. l. num.* 4. unde licet ſtuprator non teneatur eam ducere directe, & immediate, ratione promiſſionis, quippe quæ ficta fuit, & nulla, tenetur tamen illam ducere, quia ex juſtitia obligabatur vere promittere. Idemque dicendum de ſtupratore, qui ficte contraxit matrimonium de præſenti cum fœmina, quam ſub eo prætextu ſtupravit, ſive virgo fuerit, ſive jam corrupta, regulariter enim tenetur ſtuprator eam ducere, quia etſi matrimonium fuerit nullum, defectu veri conſenſus, tamen obligatur vere conſentiendo eam ducere, ſi ipſa velit, ratione injuriæ, & damni secuti, tum in fama: tum quia nulli alteri permittitur nubere in foro externo, in quo tale matrimonium validum præſumitur, *Leſſ. c. l. n.* 21. *Sanch. c. l. diſ.* 11. *num.* 5. *&* 6. quamvis ſi hæc damna fœminæ non conſequerentur, non teneretur ficte contrahens verum, & validum conſenſum præſtare, *Lugo cit. loc. num.* 30.

LVII. Limitatur autem tradita doctrina primo, niſi vir notabiliter excedat conditionem fœminæ, idque ipſa ſciverit, ut ſi vir ſit nobilis, vel valde dives, fœmina vero filia ruſtici, vel pauperrima, tunc enim facile ſuſpicari potuit, ipſum non niſi ficte promittere ei matrimonium, ut votis potiri poſſit, *Sanch. cit. diſ.* 10. *num.* 5. *&* 6. *Leſſ. cit. cap.* 12. *dub.* 3. *num.* 22. Et hoc caſu fictus promiſſor non tenetur eam ducere, etiamſi addito juramento id promiſerit, quia juramentum non obligat, niſi juxta intentionem promittentis, vel jurantis, ſi ergo ipſe nullam habuit intentionem promittendi, ſive ſe obligandi ad matrimonium, nec vi juramenti obligabitur, *Sanch. c. l. n.* 8. Quod ſi vero fœmina ſtuprata omnino ignoravit virum notabiliter ipſam excedere,

vitæ

Digitized by Google

vitæ conditione, ac dignitate, nec tunc tenetur illam ducere, ſed ſufficit, ſi illam dotet, vel aliter damnum reſarciat, *Sanch. cit. diſ.* 10. n. 21. & probabile cenſet *Leſ. c. l.* n. 23. Ratio eſt, quia ſtuprator non tenetur illam ducere, ratione promiſſionis, quippe quæ ficta fuit, & invalida: nec ratione injuriæ, & damni illati, quia debitor etiam ex delicto non tenetur reſtituere, cum notabili ſuo detrimento, id quod in ſpecie debet, ſed ſufficit, quod reddat in æquivalenti: ut in propoſito, ſi ſtuprator deberet ducere longe ſe inferiorem: cui ficte promiſit matrimonium, multo plus deberet reddere, quam promiſerat: cum ergo non teneatur ſe ipſum tradere, ſive corpus ſuum, propter exceſſum conditionis, ſeu dignitatis, ſufficit, ſi tantum dotis, vel pecuniæ det, ut poſſit nubere viro æqualis conditionis, qualem ipſa putabat eſſe ſtupratorem: idque provenit, non ex eo præciſe, quod contractus eſſet inæqualis, alioquin nunquam fœmina poſſet nubere viro nobiliori ſe, ſi contractus injuſtus foret, ob inæqualitatem conditionis, ſed quia alias reſtitutio longe ſuperat debitum, *Lugo cit. diſ.* 11. *ſec.* 2. *n.* 20. ubi addit, notandum eſſe differentiam inter promiſſionem matrimonii, ſive Sponſalia, & contractum matrimonii de præſenti, quia hic ſolum tendit ad traditionem corporis conjugis, abſtrahendo a conditionibus extrinſecis nobilitatis, dignitatis &c. Sponſalia vero reſpiciunt etiam ad hujuſmodi qualitates extrinſecas, ita ut ſi in illis interveniat notabilis mutatio, non ſit quis obligatus obſervare contractum Sponſalium.

LVIII. Limitatur ſecundo. Non tenetur fictus promiſſor matrimonii ſtupratam ducere, ſi ex verbis ambiguis, vel incunſtantibus, vel ex aliis conjecturis facile potuit deprehendere fallacem animum promittentis, tunc enim non tam decepta fuit quam decipi voluit, ſibique damnum inde conſequens imputare debet, *Leſſ. cit. c.* 10. n. 24. *Sanch. cit. diſ.* 10. *nn.* 19. unde hoc caſu ſtuprator nec ad dotandum, vel aliquid reſtituendum obligatus erit, ſi virgo plene advertere potuit deceptionem, ſeu fictionem, quia tunc libere cenſetur conſenſiſſe in ſtuprum, *Leſſ. c. l.* n. 23. *Sanch. c. l. nu.* 19. *Vaſquez cit. c.* 3. §. 1. *n.* 19. *in fine.*

Limitatur tertio. Si quis ficte promiſit nuptias dicenti, vel fingenti ſe eſſe virginem, cum non eſſet, tunc enim non tenetur eam ducere, ſed una injuria cum altera compenſatur, ſicut enim vir ipſam decepit, ita & ipſe ab illa deceptus eſt, & tunc ne aliquid reſtituere debet, ratione ſtupri facta illa promiſſione extorti, quia etſi ſerio promiſiſſet, ad nihil teneretur, ergo nec ſi ficte, *Sanch. c. l. nn.* 11. *Leſſ. c. l. n.* 29. Quod ſi fœmina non dicebat, vir tamen putabat eſſe virginem, quæ tamen vere virgo non erat: tunc fictus promiſſor non obligatur quidem illam ducere, tenetur tamen ad reſtitutionem aliquam, ob copulam injuſte extortam, quamvis non tantum reſtituendum ſit, quantum ſi fuiſſet virgo, quia damnum illatum multo minus eſt, *Leſſ. c. l. num.* 30. *Sanch. cit. loc. num.* 11.

LIX. Quarto, ſi virgo ſtuprata, ſub ficte promiſſione conjugii, poſtea cum alio fornicetur, nec ducere eam tenetur deflorator, nec aliter ſatisfacere, quin ex vi promiſſionis fictæ ſolum tenebatur eam ducere, quæ obligatio per ſupervenientem fornicationem eſt extincta, ſicut etiam eo caſu, ſi ſerio promiſiſſet ceſſaret ea obligatio, *Leſſ. c. l. nu.* 28. *Sanch. cit. diſ.* 10. *n.* 13.

Quinto, ſi fictus promiſſor matrimonii velit eam ducere, ſed ipſa nolit, quia cognovit prius ficte promiſiſſe, tunc non tenetur deflorator ad dotem ejus augendam propter defloratiònem, nec ad aliud, quia per ipſum non ſtat, quo minus ducat, neque promiſit dotem, ſed matrimonium, unde etiamſi ſerio promiſiſſet, ad nihilum teneretur, *Sanch. c. l. n.* 15. Similiter ſi parentes puellæ nolint eam dare defloratori in matrimonium, non tenetur is ad eam dotandam, quia ſe ſolum obligavit ad eam ducendam determinate, per ipſum autem non ſtat, quo minus ducat, *Sanch. cit. loco.*

Sexto, ſi ficte promittens virgini matrimonium tantum actus impudicos cum illa exerceat, non tenetur illam ducere, ſed alio modo ſatisfacere, quia non eſt tanta injuria *Sanch. c. l. n.* 14.

Septimo, qui ficte promiſit matrimonium, ut extorqueret copulam a viduæ, vel alias jam corrupta, quia ipſe ſciebat non eſſe virginem, ea ſecuta, non tenetur eam ducere, ſed ſatis eſt, ſi alio modo injuriam ei compenſet, *Leſſ. cit. c.* 10. *n.* 31. *Sanch. cit. diſ. n.* 23. Ratio eſt, quia fœmina corrupta, exigendo matrimonium pro copula, nimium exigit. Excipi debet, niſi corrupta eſſet vidua honeſta, & bonæ famæ, quæ ex illa copula fornicarie contraheret infamiam, ob quam inhabilis redderetur ad æquale matrimonium, *Sanch. c. l. n.* 24.

Denique niſi ex tali matrimonio timeretur grave ſcandalum, ſi eam ſtuprator ducat, vel malus exitus, *Sanch. c. l. num.* 9. & 10. plura de hac re videri poſſunt apud DD. citt.

§. V.

An ſtuprum ſit crimen mixti fori, & quomodo ſit probandum?

LX. Aſſertio 1. Si ſtuprum commiſſum ſit a Clerico, ſeu perſona Eccleſiaſtica, de eo cognoſcit Judex Eccleſiaſticus; ſi vero a Laico, Judex ſæcularis: ac proinde quam dotem conſtituere debeat corruptæ ſtuprator Clericus, arbitrabitur Judex Eccleſiaſticus: & quam Laicus, Judex ſecularis, *Menoch. de arbitr. Jud. caſu* 288. *n.* 21. *Farinac. p.* 5. *q.* 147. n. 53. Verum quod ſtuprum etiam a Laico commiſſum ſit crimen mixti fori, ita ut etiam ab Epiſcopo, vel alio Judice Eccleſiaſtico cognoſci, & puniri poſſit, etiam pœna carceris, vel alia corporali, videtur clare probari ex *c.* 2. *h. t.* ut notat ibid. *Fagnan. n.* 8. & 9. nam pœnæ ibi ſtatutæ ab Epiſcopo ſunt infligendæ, ut patet ex inſcriptione illius cap. quæ a Gregorio Papa eſt facta ad Epiſcopum Sipontinum, juxta *Gl. marg. ibid.* ubi etiam ſermo eſt de Laico, qui virginem decipiendo, ad ſtuprum induxit, & præcipitur, ut non ſolum excommunicetur, ſed etiam corporaliter caſtigetur, & in Monaſterium detrudatur, ſi renuerit ſtupratam ducere in uxorem: Judex autem ſæcularis non poteſt excommunicare, nec in Monaſterium detrudere, ergo ſtuprum eſt mixti fori, quia peccatum continet, alioquin Judex Eccleſiaſticus non poſſet de hoc crimine cognoſcere, nec illud punire, ſi ſtuprator ſit Laicus, nec temporali juriſdictioni Eccleſiæ ſubjectus, ſecundum *Gl.* communiter receptam in *c.* 2. *V. Lex Civilis in fine de arbitr.* in 6. & *in Reg.* 2. *V. Poſſeſſor de R. J.* in 6. idque confirmatur ex *Concil. Trid. c.* 3. *Seſſ.* 25. *de Reform.* ubi habetur, quod Epiſcopus, vel alius Prælatus Eccleſiaſticus, etiam Laicos punire poſſit mulcta pecuniaria in delictis Eccleſiaſticis, vel miati facti, *Fagnan.* in *cit. c.* 2. n. 10. & 11. Ex quo infertur, quod in Terris ſubjectis temporaliter Eccleſiæ Romanæ, imo etiam in Terris Imperii, in foro, ſeu Tribunali Eccleſiaſtico, propter ſtuprum etiam a Laico commiſſum, infligendæ ſint pœnæ Canonicæ ſtatutæ in *cap.* 1. & *c. h. t.* in Terris vero Imperii, in foro civili, ſeu ſæculari, pœnæ ſtatutæ Jure Civili, *Fagnan. in cit. c.* 2. *n.* 6. & 7.

LXI. Aſſertio 2. Virgo ſtuprata, in foro externo, præſumitur fuiſſe virgo, quæ tum communiter habita fuit pro virgine, ideoque ſi ſtuprator alleget contrarium, dicendo illam non fuiſſe virginem, cum carnaliter illam cognovit, ſed jam prius corruptam, id probare debet, quia præſumptio ſtat pro puella, & propter delictum transfertur onus probandi in ipſum ſtupratorem, *Abb. in c.* 1. *n.* 5. *h. t. Clarus §. Stuprum, n.* 4. Si tamen mulier tunc vere non fuiſſet virgo, teneretur ſtupratori, in foro conſcientiæ, non ſolum reſtituere dotem ſibi propter ſtuprum adjudicatam, ſed etiam expenſas litis injuſtæ ab eo factas, quia talis ſententia fundata eſt in falſa præſumptione, quæ ceſſat, ubi conſtat de contraria veritate, *Molin. tr.* 3. *de inſtit. diſ.* 504. n. 24. Similiter in foro externo, virgo deflorata ſemper præſumitur ſeducta, id eſt ſuaſionibus, aut importunis precibus, vel pretio inducta ad ſtuprum, non ſimplici petitione, niſi contrarium a ſtupratore probetur, *Abb. in cit. c.* 1. n. 2. *h. t. Molin. c. l. nu.* 1. Unde ſi vere mulier ſeducta, vel decepta non fuiſſet, deberet in conſcientia reſtituere ſtupratori pœnam, ea de cauſa, ipſi adjudicatam, imo & expenſas litis: quin etiam teneretur, petente viro, interrogata a Judice confiteri veritatem, alioquin perjura eſſet, ſi ſub juramento interrogata id negaret, *Molin. c. l.*

LXII. Hinc infertur, ſi mulier ſtuprata aſſerat ſe fuiſſe virginem, tempore ſtupri, idque juramento confirmet, creditur ei affirmanti, & non ſtupratori id neganti, niſi probet: idque tum in odium delinquentis, ſeu ſtupratoris, tum quia pro aſſerente ſtat præſumptio naturæ, cum enim virginitas ſit qualitas, quæ ineſt a natura, & naſcitur cum perſona, præſumitur ſemper adeſſe, donec contrarium probetur a negante, *Maſcard. de probat. concl.* 1237. *num.* 6. & 1410. nn. 2. *Tuſchus V. Stuprum concl.* 709. n. 39. *Pacianus l.* 2. *de probat. c.* 2. *n.* 10. ubi *n.* 11. ait, puellæ aſſerenti ſe virginem fuiſſe, fidem haberi, etiam ſine juramento, niſi id exigatur, quia ex præſenti ſtupro oritur quædam ſiniſtra opinio adverſus eam, quæ juramento purganda eſt, *Farinac. in praxi crim. p.* 5. *q.* 147. *nn.* 135. & *ſeq.* ubi tamen *num.* 139. addit, in hac re maxime attendendam eſſe qualitatem vitæ, & morum puellæ, quia ſi malæ famæ eſſet, & pro virgine non reputaretur, non eſſet ſtandum ipſius juramento, cum hujuſmodi mulieres facile contemnant jusjurandum, & poteſt hæc præſumptio orta ex jurata aſſertione puellæ, tolli per alias conjecturas contrarias, ſeu ſigna inhoneſtatis, aut corruptionis, *Menoch. l.* 6. *de praeſumpt.* 89. *num.* 4. & *ſeqq. Farinac. c. l. n.* 139.

LXIII. Aliud vero dicendum eſt, ſi mulier aſſerat ſe eſſe corruptam, vel imprægnatam a Titio, is vero neget ſe ipſam carnaliter cognoviſſe, tunc enim non eſt ſtandum nudæ aſſertioni etiam juratæ mulieris, ſi alias probationes non afferat, *Arg. cap. Significaſti* 5. *hoc tit.* Ex quo conſtat, quod adulterium non probetur per ſolam aſſertionem, ſeu confeſſionem mulieris, ergo nec ſtuprum aut ſimplex fornicatio. Ratio eſt, tum quia generatim loquendo, onus probandi incumbit affirmanti non neganti, *leg.* 1. *ff. de probat. leg.* 2. *Cod. eod.* tum quia nullus idoneus teſtis in re ſua eſſe poteſt, *leg. Nullus* 10. *ff. de teſtib. l. Omnibus* 10. *Cod. eod.* & uni ſoli teſti non creditur, etſi alias ſit idoneus, *c. Licet* 23. *de teſtib.* ergo non eſt credendum mulieri nude aſſerenti ſe eſſe corruptam a Titio, ſine alia probatione: tum quia actore non probante, abſolvendus eſt reus, *l. Qui accuſare* 4. *C. de edendo*: & univerſim loquendo, favorabiliores ſunt Rei, quam actores, juxta reg. utriuſque Juris in 6. & in Digeſtis. Imo cæteris paribus, plus eſt credendum viro, quam mulieri, nam teſtimonium mulieris varium eſt, & mutabile, *cap. Forus* 10. §. *final. de V. S.* ergo etiam in hoc caſu, plus eſt credendum viro neganti, quam mulieri affirmanti, ſibi ſtuprum illatum eſſe.

Quare ſi mulier, quæ ſe ſtupratam dicit, probat ſuam intentionem, probabilibus quidem indiciis, & conjecturis, quæ tamen non convincunt, nec ſufficiunt ad plenam probationem, deferendum eſt juramentum viro reo ad purgandam ſuam innocentiam, ejuſque juramento ſtandum eſt, *Arg. tit. c. Significaſti h. tit.* ubi præcipitur deferri juramentum purgationis reo infamato de adulterio, ſive purgatio Canonica ei indicenda eſt, ergo idem faciendum eſt cum infamato de ſtupro: alioquin vero ſi actor, vel actrix nihil omnino probavit, nec præſumptive quidem, abſolvendus eſt reus, etſi nihil omnino præſtiterit probando, prout habetur in *cap. ult. §. Sane de Jurejurando.* Et hanc eſſe praxin in pluribus Curiis Epiſcopalibus teſtatur R. P. Georgius

Digitized by Google

gius Gobat S. J. de tota Republica Chriſtiana, propter doctiſſimas reſolutiones innumerorum omnis generis caſuum editas optime meritus, *Par. 2. Alphabeti matrimonialis numer. 188.*

Cæterum ſtuprum, ſicut & ſimplex fornicatio, iiſdem ferme modis probari poteſt, quibus adulterium, de quibus ſupra *ſec. 2. §. 3. hoc 2.* nam etſi viſi ſint juvenis, & puella ſimul per plana, & nemora, vias, & invia, plories convagati fuiſſe: non tamen hoc eſt ſufficiens, & plena probatio ſtupri, vel fornicationis commiſſæ, ſi alia indicia, & adminicula non concurrant, *c. Tertio loco 23. de præſumpt.* niſi præceſſiſſet monitio, *Abb. ibid. n. 4.* neque violenta præſumptio ſtupri, vel fornicationis inducitur ex eo, quod adoleſcens, & puella ſæpius convenerint in loco obſcuro, imo etiam in eodem lecto ſimul jacuiſſe deprehenſi ſint, præſertim ſi induti, quia ſatis crebro fit, ut nihil omnino impudicum agant, vel non niſi oſcula, & turpes actus exerceant, ſine intentione ipſius copulæ, vel ut diſpoſitionem aliquam faciant ad Sponſalia, ut notavit prædictus *P. Gobat. in Theolog. Juridico-morali, cap. 32. ſec. 2. n. 21.*

SECTIO III.

De aliis delictis carnis, eorumque pœnis.

Præter adulterium, & ſtuprum, ſunt etiam alia carnis delicta, de quibus, eorumque pœnis hic breviter agemus?

§. I.

De crimine inceſtus, & Sacrilegii.

LXIV. Quæritur primo, quid ſit inceſtus, & quot modis committatur? Reſp. Inceſtus eſt concubitus cum perſona conſanguinea, vel affine, in grado prohibito, ideoque conſanguineorum, vel affinium abuſus dicitur in *c. Lex illa 2. §. Cum ergo cauſ. 36. q. 1.* Unde inceſtus committitur inter perſonas, quæ Jure Divino, vel humano prohibentur inter ſe matrimonium contrahere: Jure Divino inter aſcendentes, & deſcendentes per lineam rectam, ut inter patrem, & filiam, avum, & neptem, aviam, & nepotem, & ſic de reliquis: Jure humano vero inter cognatos, & affines in linea laterali, ſive transverſali, uſque ad quartum gradum incluſive, excepto primo gradu inter fratrem & ſororem, in quo jure naturæ probabiliter prohibitum eſt matrimonium, *Silveſt. V. Luxuria, quæſt. 1. Azorius p. 3. l. 3. cap. 9. not. 5. Farinac. in praxi crim. p. 5. quæſt. 149. n. 5. Zæſ. in comment. ff. ad Leg. Jul. de Adult. num. 64.* Committitur autem inceſtus duplici modo, vel ſub colore, ſeu prætextu matrimonii, vel ſine illo, *Farinac. c. l.*

LXV. Quæritur ſecundo, quæ ſit pœna inceſtus, de Jure Civili, ac de Jure Canonico? Reſp. primo. Pœna ſimplicis inceſtus, ſine matrimonio, de Jure Civili antiquo, eſt pœna mortis, quia eſt gravius crimen adulterio, *l. Si Adulterium 38. §. Nonnumquam ff. ad Lege Jul. de Adulter.* quæ pœna ſolum locum habet, ſi inceſtus committatur, jure gentium, ſive naturali prohibitus, ut inter aſcendentes, & deſcendentes in linea recta, *citata loc. Si Adulterium §. Quare mulier, & ibi Gl. V. Gentium:* vel quando inceſtus committitur cum adulterio, vel ſtupro, ſecundum *Gl. 1. in citat. l. Adulterium. Clarus §. Inceſtus, num. 2.* Eſt igitur pœna inceſtus ſimplicis, ſine velamine, ſeu ſpecie matrimonii commiſſi, eadem, quæ adulterii, *l. Miles 11. §. 1. ff. ad Leg. Jul. de Adult. Hoſtienſ. in Summa num. 13. Covarr. in 4. lib. Decret. p. 2. c. 6. §. 8. num. 2. Farinac. citat. loc. num. 7.* hodie vero ſi inceſtus commiſſus ſit contra jus humanum, ſive in gradu conſanguinitatis, vel affinitatis ſolum prohibito Jure humano, imponenda eſt pœna arbitrio Judicis, pro varietate circumſtantiarum, *Zæſ. ff. eodem num. 65.* Si vero quis, ſub prætextu, ſive ſub colore matrimonii, inceſtum commiſit, ſive inceſtas nuptias celebravit, pœnæ variæ ſunt ſtatutæ Jure Civili, veluti confiſcatio omnium bonorum, privatio dignitatum, & miſſio in exilium, & verberatio, ſi inceſtuoſus ſit vilis perſona, juxta *Auth. Inceſtus C. de inceſt. nupt. Farinac. citat. quæſt. 149. num. 21. & pluribus ſeqq.* Sunt tamen plures caſus, in quibus prædictæ pœnæ Juris Civilis non incurruntur, ut videre eſt apud *Clarum §. Inceſtus, n. 7. & 8. Menoch. de arb. Jud. caſu 502. nn. 78. Farinac. cit. qu. nn. 147. & ſeq. & num. 261. & ſeqq.* Veluti primo, ſi Sponſalia de futuro tantum, vel de præſenti ſint contracta cum conſanguinea, vel affine, ante conſummatum matrimonium. Secundo, ſi matrimonium contraxit in gradu prohibito ſub conditione, ſi Papa diſpenſaverit. Tertio, ſi quis inceſtas nuptias contrahat, non ſcienter, ſed ex ignorantia probabili, vel non craſſa, vel ex ignorantia facti, non juris, ſaltem naturalis, & gentium.

LXVI. Reſp. Secundo. Quod vero attinet ad pœnas Juris Canonici, ſi Clericus inceſtum committat, perpetuo eſt deponendus ab Ordine, & officio, ac beneficio, *Argum. c. Non debet 10. cauſ. 30. quæſt. 1.* qui tamen textus loquitur de cognoſcente filiam ſpiritualem, quæ ipſi peccata confeſſa fuit, *Covarr. citat. loc. num. 3. Diaz. in pract. crimin. Canon. V. Inceſtus, cap. 88. num. 1. & 2. Clarus §. Inceſtus, num. 2. Farinac. part. 5. quæſt. 149. num. 34.* & alii DD. communiter. Imo ſi Clericus primo fornicatus ſit cum aliqua muliere, & poſtea cum conſanguinea illius, intra quartum gradum, deponendus eſt, maxime ſi cum matre, & filia, vel duabus ſororibus, aut conſobrinis fornicatus ſit, & crimen publicatum ſit, *Covarr. citat. loc. num. 3. Diaz. citat. loc. num. 3.* Si vero Laicus crimen inceſtus ſcienter commiſit, a Judico Eccleſiaſtico excommunicari poteſt, & inſuper ſi vir erat conjugatus, privatur perpetuo jure petendi debitum ab uxore, cujus conſanguineam carnaliter cognovit, & uxore mortua, non poteſt amplius cum alia matrimonium contrahere, *cap. Si quis 9. cauſ. 35. quæſt. 2. Diaz. citat. cap. 88. in addit. §. Laicus vero. Menoch. de arbitr. Jud. caſu 502. num. 98. & ſeq.* Si vero inceſtus eſt commiſſus ſub ſpecie, & colore matrimonii, plures etiam pœnæ Jure Canonico ſunt decretæ: nam inprimis qui ſcienter in gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis Conſtitutione Canonica (nedum Divina) interdictis, matrimonium contrahunt, ſunt ipſo jure, ſeu facto excommunicati, *Clement. unic. de conſang. & affinit.* quam pœnam non incurrunt contrahentes ignoranter, etiam ex lata culpa, quia quando dolus expreſſe ad pœnam requiritur, lata culpa non ſufficit, *Diaz. citat. loc. in addit. V. Deponatur §. Excuſabitur tamen*; quamvis contrarium teneat *Gl. ib. V. Scienter*, quoad ignorantiam juris. Secundo, ſic contrahentes debent ad invicem ſeparari, *citat. Clement. unic.* Tertio, tales inceſtuoſi non poſſunt cum aliis matrimonium contrahere, niſi ignoranter contraxerint, *c. Qui propinquam 4. cauſ. 35. quæſt. 2.* vel eorum alter tantum, tunc enim puniuntur pœna ſolum arbitraria, *Menoch. cit. caſu 502. num. 104. & 2. ſeqq.*

LXVII. Cæterum ad inceſtum revocatur primo etiam ſtuprum, ſive fornicatio, non inter ſanguine, ſed ſola cognatione legali, ſeu civili conjunctos, per arrogationem, vel adoptionem, quamvis proprie non ſit inceſtus talis copula carnalis, ſive ſub colore matrimonii, ſive ſine illo, habita, ideoque neque ordinaria, ſed mitiore, & arbitraria pœna plectitur talis inceſtus improprie dictus, *Farinac. citata qu. 149. n. 44. & 2. ſeqq.*

Præterea ad inceſtum revocatur etiam ſtuprum, vel fornicatio commiſſa inter conjunctos cognatione ſpirituali, ratione Sacramenti Baptiſmi, & Confirmationis, ſive carnalis copula habita ſit, ſub ſpecie & prætextu matrimonii, ſive ſine illo: nam quamvis cognatio ſpiritualis impediat matrimonium, non tamen punitur hoc crimen pœna ordinaria inceſtus, ſed tantum imponi poteſt extraordinaria, & mitior, arbitrio Judicis, cum non ſit proprie dictus inceſtus, nec enim pœnæ ſunt extendendæ, *Clarus §. Inceſtus num. 4. Farinac. citata loc. num. 50.* Jure vero Canonico, Sacerdos, qui filiam ſpiritualem, quam e baptiſmo levavit, vel quam tenuit in Sacramento Confirmationis, carnaliter cognovit, vel commatrem, ſive illius matrem, ab officio deponendus eſt, *c. Omnes 8. juncta c. Si quis 9. cauſ. 30. q. 1. Diaz. in pract. c. 86. n. 2. & 4. Menoch. cit. caſu 502. num. 27. & 28. Farinac. cit. q. 149. n. 53. & 2. ſeqq.* idem jur. de eo, qui cognovit filiam Confeſſionis, & filiam Parochiæ, *Menoch. c. l. n. 29.*

LXVIII. Quæritur tertio. Quid ſit, & quomodo committatur crimen ſacrilegii, & quæ ſint pœnæ illius? Reſp. Crimen ſacrilegii, prout hic accipitur, revocatur ad inceſtum, & eſt ſacrilegus concubitus, ſive illicita fornicatio cum perſona Deo dicata per votum Religionis, vel Ordinis, *Farinac. part. 5. quæſt. 146. §. Sacrilegium num. 2.* Et quamvis etiam fornicatio Clerici non ſolum Regularis, ſed etiam ſecularis in ſacris conſtituti, cum ſoluta ſit ſacrilegium, ratione voti caſtitatis annexi Ordinibus ſacris, ut docet *Azorius part. 3. lib. 3. cap. 4. quæſt. 8. in fine*, & alii Theologi: in foro tamen externo, ſeu contentioſo, non cenſetur, nec punitur ut Sacrilegium, ſed ut ſimplex fornicatio tantum, *Clarus §. Fornicatio num. 28. Menoch. de arbitr. Judic. caſu 289. num. 6. Farinac. citat. quæſt. 146. num. 30.* & alii. Sacrilegium vero, quod gravius Jure Civili, & Canonico punitur, eſt ſtuprum commiſſum a Clerico, vel Laico cum Moniali, *Farinac. citata quæſt. 146. num. 5.* Hoc crimen Jure Civili punitur pœna mortis, *Auth. de SS. Epiſcop. §. penultat. 9.* quæ eſt canonizata in *cap. Si quis 30. cauſ. 27. qu. 1.* Jure vero Canonico, ſtuprator ſacrilegus, ſi Laicus ſit, excommunicatur: Clericus autem non ſolum beneficiis privatur, ſed etiam deponitur ab Ordine, & in Monaſterium ad agendam pœnitentiam perpetuo detruditur, *c. Si quis Epiſcopus 6. & c. Si qua Monacharum 28. in fine citat. cauſ. 27. quæſt. 1. Menoch. de arbitr. Judic. caſu 389. num. 24. Farinac. citat. quæſt. num. 24. & 26.* Monialis vero, quæ ſe carnaliter cognoſci paſſa eſt, in ſtrictius Monaſterium virginum detruditur, ut pœnitentiæ illic, & orationibus atque jejuniis vacet, *cit. c. Si qua Monacharum, & c. Si quis capuerit, Diaz. in pract. c. 85. in addit. V. Deponatur, Farinac. cit. loc. num. 22.*

§. II.

De crimine Sodomiæ, & pœnis illius.

LXIX. Aſſertio 1. Sodomia eſt nefandum crimen contra naturam, per quod maſculus cum maſculo, vel etiam fœmina cum fœmina, ut colligitur ex *c. Uſus 24. cauſ. 32. q. 7.* adeoque eſt concubitus inter duos, non ſervato ſexu, puta maſculi ad maſculum, vel fœminæ ad fœminam, ut docet *S. Thom. 2. 2. quæſt. 154. artic. 2. in corp.* propter quod vitium igne de cœlo deſcendente, quinque Civitates ſunt combuſtæ, *Geneſ. cap. 19.* Eſt autem crimen communis, ſeu mixti fori, de quo non ſolum Judex ſecularis, ſed etiam Eccleſiaſticus cognoſcere poteſt, ut colligitur ex *c. Clerici 4. de Exceſſ. Prælat. Clarus §. Sodomia, numer 3. Menoch. de arbitr. Judic. caſu 286. num. 24.* poteſt hoc crimen committi etiam a maſculo cum fœmina cognoſcente illam in vaſe extraordinario, & præpoſtero, etiam a marito, cum propria uxore: non eſt tamen ſtricte dicta ſodomia, ſed vitium quidem contra naturam, ſpecie tamen a ſodomia proprie dicta diſtinctum, quia hæc proprie eſt concubitus, in quo ſervatur debitus ſexus, ſecundum *S. Thomas citat. loc.* Quare etſi multi DD. teneant, concubitum maſculi cum fœmina in vaſe præpoſtero, eiſdem pœnis eſſe puniendum, quibus punitur ſodomia proprie ac ſtricte dicta, *Covarr. in lib. 4. Decret. part. 2. cap. 7. §. 5. num. 7. Clarus citato loc. num. 2. Menoch. citato loc. num. 33. & 2. ſeqq. Farinac. part. 5. quæſt.*

148.

Digitized by Google

148. *num.* 35. Contrarium tamen eſt probabilius, quia eſt peccatum ſpecie diſtinctum, & minus grave, quam ſodomia ſtricte dicta, ideoque minus etiam puniendum erit, cum pœnæ non ſint extendendæ ultra propriam ſignificationem verborum, *Silveſter V. Luxuria; qu.* 8. *Azor. part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 20. *quaſt.* 4. *Tanner.* 2. 2. *diſ.* 3. *quaſt.* 9. *dub.* 7. *n.* 149. Ubi ait, non committi per talem concubitum ſodomiam proprie dictam.

LXX. Aſſertio 2. Plures ſunt pœnæ ſodomiæ proprie dictæ ſtatutæ Jure Civili, 1. pœna capitis, ſive gladii, *§. Idem lex Julia inſtitut. de publ. Judic. l. Cum vir* 31. *C. ad leg. Jul. de adult. Auth. Ut non luxurientur homines §. un. collat.* 6. quæ pœna eſt canonizata in *c. Sollicitatores* 15. *diſ.* 2. *de pœnit.* & ibi *Gloſ. V. Quæ puero.* In quibuſdam locis ex ſtatuto, vel conſuetudine ſodomitæ igne exuruntur, *Clarus §. Sodomia n.* 4. *Azorius cit. l.* 3. *c.* 19. *not.* 1. *Farinacius cit. q.* 148. *n.* 7. ſaltem poſt mortem. Et hæc pœna mortis locum habet, tam in agente, quam patiente, niſi huic vis inferatur, *Clarus l.* 2. Sodomitæ ſiunt infames ipſo jure, etiam antequam ſint accuſati, & damnati, *cit. l. Cum vir*, & ibi *Gl. fin. Menoch. cit. caſu* 186. *n.* 20. *Farinac. c. l. n.* 11. 3. Privantur ſodomitæ dominio rerum ſuarum, quæ ipſo jure confiſcantur, ut tradit *Gl. in c. pen. V. Natura contrariae de haret. in* 6. *Clarus c. l. n.* 6. *Menoch. c. l. n.* 19. *Farinac. c. l. n.* 32. quamvis hæc pœna privationis bonorum non ubique ſervetur: apud quos plura de pœnis civilibus legi poſſunt, quas nonnulli extendunt etiam ad illos, qui ſolum attentarunt petere hoc nefandum crimen, *Farinac. c. l. n.* 56. *&* 57. Sed contrarium, ob crimen ſodomiæ non conſummatum, etiamſi ad actum proxime perventum ſit, non debere imponi pœnam mortis, ſed aliam extraordinariam Judicis arbitrio, & mitiorem, tenent *Clarus c. l. n.* 8. *Menoch. c. l. n.* 28. *Farin. c. l.* 64. & habetur in *l.* 1. *§. Qui puero* ibi: *perfecto flagitio, punitur capite ff. de extraord. crim.*

LXXI. Aſſertio 3. Pœnæ vero decretæ Jure Canonico ſunt, quod propter crimen ſodomiæ, Laici excommunicandi ſunt, & a communione fidelium penitus excludendi, donec condignam pœnitentiam agant. Si vero Clerici ſint, non ſolum beneficiis priventur, ſed etiam omnino dejiciantur, ſeu deponantur ab Ordine, & ſtatu Clericali, & ad agendam pœnitentiam in Monaſterium detrudantur, prout habetur in *c. Clerici* 4. *de Exceſſ. Prælat.* Præterea Clericus ſodomita notorius, cum ſit ſuſpenſus ab Ordinis executione, ſi interim celebret, vel miniſtret in Ordine, irregularitatem incurrit, in qua Epiſcopus diſpenſare non poteſt, ſed ſolus Papa, quia ſodomia eſt delictum gravius adulterio: Epiſcopus autem ſolum poteſt diſpenſare irregularitate orta ex notorio adulterio, & aliis criminibus eo minoribus, ut conſtat ex *c. At ſi Clerici* 4. *§. de adulteriis ſupra de Judic. Azorius l.* 3. *c.* 19. *q.* 6. Si vero ſit ſodomita occultus, non eſt ſuſpenſus ab homine, vel a jure, &, conſequenter, etſi celebret, ante actam pœnitentiam, non fit irregularis, *Azorius c. l. q.* 7. *Navarr. in man. c.* 27. *nu.* 249. *Quaranta in ſumma Bullar. V. Sodomia in addit. limit.* 1. Ubi rationem reddit, quia irregularitas hæc non provenit ex delicto, ſed ex infamia, & ſcandalo, quæ ex delicti notorietate oriuntur, hæc autem ceſſat, quando ſodomia eſt occulta, multo minus contrahitur irregularitas per Laicos. Contrarium tamen tenet *Diaz in pract. Canon. c.* 90. *in addit. V. Detrudatur lit. B. Clarus c. l. n.* 5. *Farin. cit. q.* 184. *n.* 27. nempe quod ſodomita occultus, etiam peracta pœnitentia, ſit ſuſpenſus ab Ordinis executione, ideoque ſi interim celebret, fiat irregularis, in qua tamen ſuſpenſione, & irregularitate hodie ex conceſſione Concilii Tridentini diſpenſare poteſt Epiſcopus. Sed prior ſententia videtur probabilior.

Alia pœna Canonica ſodomiæ eſt, quod propter illud crimen inſtitui poſſit divortium inter conjuges quoad torum, & cohabitationem, *arg. c. Omnes* 7. *cauſ.* 32. *qu.* 7. ſi enim propter adulterium conjuges ſeparari poſſunt, multo magis propter crimen ſodomiæ, quod eſt longe gravius, & per quod magis læditur matrimonium, *Clarus citat. loc. num.* 7. *Menoch. citat. caſu* 186. *numer.* 22. & alii DD. communiter.

LXXII. Denique juxta Conſtitutionem Pii V. editam anno 1568. die 3. Septembris, quæ incipit, *Horrendum illud ſcelus*, & extat apud *Quarantam c. l.* Omnes Clerici ſeculares, & regulares, cujuſcunque gradus, & dignitatis, crimen ſodomiæ exercentes, omni privilegio Clericali, omnique officio, dignitate & beneficio Eccleſiaſtico privati, & per Judicem Eccleſiaſticum degradati, ſtatim poteſtati ſeculari tradantur, qui de illis idem capiat ſupplicium, quod in laicos ſodomitas legitimis Sanctionibus reperitur conſtitutum: quæ tamen pœna degradationis probabiliter non incurritur, ipſo facto, ſed nonniſi poſt ſententiam condemnatoriam Judicis, vel ſaltem declaratoriam criminis, ita tamen ut ſententia retrahatur ad diem commiſſi criminis, *Azor c. l. c.* 19. *q.* 5. *Suar. diſ.* 31. *de cenſ. ſec.* 4. *n.* 22. *Quaranta c. l. V. Sodomia in addit. limit.* 5. quia nemo tenetur exequi pœnas in ſeipſum: Ubi addit ex Toleto, & Henriq. dictam Conſtitutionem, quoad forum internum conſcientiæ, in praxi receptam non eſſe, ſed tantum reſpicere forum externum.

Præterea ad hanc pœnam degradationis incurrendam requiritur primo, ut ſodomia ſit frequentata, ſive reiterata pluribus actibus, ut colligitur, ex *V. Exercentes in cit. Bulla Pii V.* quo nomine intelliguntur, qui aliquid faciunt non ſemel iterum, ſed frequenter, & quaſi ex conſuetudine, *Azor cit. c.* 19. *qu.* 2. *Suarez cit. ſec.* 4. *num.* 21. *Quarant cit. l. limit.* 4. ſaltem in foro conſcientiæ. Requiritur ſecundo, ut copula ſit conſummata, effuſo ſemine intra vas ſodomiticum, *Azor cit. c.* 19. *q.* 4. *Suarez c. l. Quaranta c. l. limit.* 3. Requiritur tertio, ut ſit ſodomita notorius, non occultus, *Azor cit. l. q.* 6. Quarto ut ſit Clericus, neque enim in illa Bulla comprehenduntur Laici, quia de illis non loquitur, *Navarr. in Man. c.* 27. *num.* 149.

LXXIII. Cæterum ad crimen ſodomiæ revocatur crimen beſtialitatis, quando quis carnaliter commiſcetur cum bruto animali, quod etiam morte punitur, ſicut & olim in lege Moſaica, *Exodi* 22. *verſ.* 19. ſive maſculus ſit, ſive fœmina, *c. Mulier* 4. *cauſa* 15. *q.* 1. Ubi etiam pecus interfici jubetur, & additur in fine ratio, quia tali flagitio contaminata indignam refricant facti memoriam, *Clarus §. Fornicatio n.* 27. *Menoch. cit. caſu* 186. *n.* 31. *Farinac. tit. q.* 148. *n.* 48. Ubi ait, quod in pluribus locis reus, & beſtia ſimul comburuntur. Eſt autem peccatum beſtialitatis unius ſpeciei, licet animalia, cum quibus fit coitus, ſpecie phyſica differant, quia eſt eadem formalis ratio turpitudinis, ſcilicet copulam habere cum re diverſæ ſpeciei, *Azor cit. loc.* 3. *cap.* 22. *qu.* 1.

§. III.

De ſimplici fornicatione, & concubinatu, & utriuſque pœnis.

LXXIV. Quæritur primo. Quid & quotuplex ſit fornicatio, & quo jure ſit prohibita, & quæ ſit ejus pœna? Reſpond. primo fornicatio dupliciter in jure accipitur, primo late, & generaliter, pro quovis illicito concubitu, extra legitimum matrimonium: ſecundo ſpecialiter ac ſtricte pro concubitu ſoluti cum ſoluta, eaque dicitur ſimplex fornicatio; ſoluti autem hic dicuntur illi, qui liberi ſunt ab omni vinculo, ſcilicet conjugii, conſanguinitatis, affinitatis, Sacri Ordinis, Religionis, ſeu voti, adeoque inter quos matrimonium licite contrahi poteſt, *Silveſt. V. Luxuria q. Azor cit. l.* 3. *c.* 4. *in princ. Menoch. de arbitr. Judic. caſu* 289. *n.* 1. *&* 2. *Farinac. in praxi crim. p.* 5. *q.* 137. *nu.* 6. *&* 7. Et dicta eſt fornicatio ex eo, quod meretrices in fornicibus, hoc eſt, in locis abditis, & obſcuris habitabant, *Menoch. cit. loco n.* 2. Eſt autem fornicatio etiam ſimplex graviter prohibita, non ſolum Jure Canonico, *c. Nemo* 4. *c. Meretrices* 11. *cauſa* 32. *q.* 4. *c. Nubendi* 20. *In fine cauſa* 27. *qu.* 1. Ubi dicitur, fornicatio nulli impune conceditur, *c. Audite* 6. *diſ.* 34. *c. Fornicari* 10. *diſ.* 88 Ubi dicitur, fornicari omnibus ſemper non licet: ſed etiam prohibita eſt Jure Divino poſitivo, prima ad *Corinth.* 6. *Galat.* 5. *v.* 19. *Epheſ.* 5. *v.* 31. 1. *Theſſal.* 4. *verſ.* 3. imo jure naturali, quia eſt contra bonam educationem, & inſtitutionem prolis naſciturae, adeoque ſecundum ſe, & intrinſece mala, & peccatum mortale, ut docet *S. Thom.* 2. 2. *qu.* 154. *art.* 2. *in corp. Azor cit. c.* 4. *not.* 4. & alii Theologi communiter. Unde in *Clem. ad noſtrum* 3. *de hæretic.* tanquam error, ſeu dogma hæreticum damnatur aſſerere, quod actus carnalis (adeoque & ſimplex fornicatio) cum ad eum natura inclinet, non ſit peccatum, ſcilicet mortale, juxta *Gloſ. ibid. V. Non eſt*, *Azor cit. c.* 4. *not.* 3. *Clarus* 3. *Fornicatio* 1. quamvis Jure Civili fornicatio non ſit prohibita, ſed permiſſa, ita ut nulla pœna ſit impoſita, ut ex communi tradit *Clarus citat. loc. num.* 2. *Menoch. cit. caſu* 289. *n.* 14.

LXXV. Reſp. Secundo. Pœna ſimplicis fornicationis a Laico commiſſæ de Jure Canonico eſt arbitraria, *Clarus c. loc. num.* 3. *Menoch. citat. loc. num.* 13. Clericus vero in Sacris conſtitutus, vel puniendus eſt, arbitrio Judicis, ut docet *Diaz in pract. Can. V. Fornicarii c.* 82. *num.* 2. vel potius pœna ſuſpenſionis ab officio, ut communior docet ſententia, *Clarus citat. loc. num.* 4. niſi Clericus ſit notorius, & valde ſcandaloſus fornicator, vel incorrigibilis, tunc enim etiam omnino poteſt deponi ab officio, & beneficio, imo eſt ipſo jure ſuſpenſus, *Menoch. de arbitr. Judic. caſu* 298. *n.* 10. *&* 12. *Farinac. cit. q.* 137. *n.* 16. 21. *&* 24.

LXXVI. Quæritur ſecundo. Quid ſit concubinatus, & quinam ſint concubinarii? Reſp. etſi Jure Civili concubinarius dicatur, qui mulierem ſolutam, domi ſuæ, loco uxoris retinet, & cum ea carnale commercium habet, ut patet ex *tit. ff. De concubinis*, *Farinac. in prax. p.* 5. *q.* 138. *num.* 9. *&* 10. tamen de Jure Canonico concubinarius is proprie dicitur, qui ſolutam, & corruptam mulierem, nulloque ſibi ſpiritualis, vel carnalis cognationis vinculo conjunctam domi retinet, vel etiam extra illam in aliena domo, cum qua conſuevit carnaliter commiſceri, *Diaz in pract. Canon. V. Concubinarii, cap.* 83. *num.* 1. *Farinacius citat. qu.* 138. *nu.* 9. *&* 12. differt ergo concubinatus a ſimplici fornicatione, quia per unicum concubitum fornicarium fit, & denominatur quis fornicator: ad concubinatum vero conſuetudo, & actus ſæpius repetiti requiruntur, *Diaz citat. loc. num.* 1. *Farinacius c. l. n.* 9. Porro Jure Divino, & Canonico omnino concubinatus eſt prohibitus, & abrogatus, ut conſtat ex *cap. Nemo* 4. *c. Dicat aliquis* 9. *cap. Sicut* 8. *cauſa* 32. *quaſt.* 4. imo concubinatus gravius eſt peccatum, quam ſimplex fornicatio, quo longiore tempore durat, *c. Audite* 6. *diſp.* 34.

LXXVII. Quæritur tertio. Quæ pœnæ Jure Canonico ſint ſtatutæ in concubinarios, ſive Clericos, ſive Laicos? Reſp. Inprimis Clericus concubinarius publicus, ſeu notorius, ipſo jure, ſuſpenſus eſt ab officio, & beneficio, quouſque ſatisfaciat, ſive quamdiu in hoc vitio perſeverat, *ex Pratoc.* 6. *diſ.* 32. *cap. ultim. junct. Gloſ. V. Depoſitio diſp.* 33. & ſi interim celebret, vel actum Ordinis exerceat, ſit irregularis, ita ut cum eo ſolus Papa diſpenſare poſſit: ſecus concubinarius ſit occultus, *Sylveſter V. Concubinarius quaſt.* 4. *Azor cit. l.* 3. *c.* 6. *not.* 2. *Farinac. tit. qu.* 138. *num.* 40. *&* 55. quin imo olim Clericus concubinarius ab Ordine, & beneficio deponi poterat, ita tamen ut arbitrio Judicis relinqueretur, conſideratis circumſtantiis, & qualitate perſonæ ac delicti, & ſcandalo inde conſequente, modo minorem pœnam ſuſpenſionis, modo majorem privationis beneficiorum aut depoſitionis concubinariis imponere, cum

a Ju-

a Jure propter concubinatum diverſæ pœnæ imponantur, *Dax. cit. c. 83. num. 3. Farin. cit. q. 138. num. 39.* Hæc procedunt, ſecundum antiquos Canones; quomodo vero Clerici concubinarii poſteriore Jure Decretalium puniri debeat, & quomodo juxta Decreto Concilii Tridentini *Seſſ. 25. cap. 14. de reform.* contra illos procedi debeat, dictum eſt ſupra *lib. 3. Tit. 2. toto §. 2.*

LXXVIII. Quod vero ad concubinarios Laicos attinet, idem Concilium *Seſſ. 24. de reform. matrim.* ſtatuit, „concubinarios, tam ſolutos, quam uxoratos, cujuſcunque ſtatus, dignitatis, & conditionis exiſtant, ſi poſtquam ab Ordinario, etiam ex officio, ea de re ter admoniti fuerint, concubinas non ejecerint, ſeque ab earum conſuetudine ſejunxerint, excommunicatione feriendos eſſe, a qua non abſolvantur, donec ei ipſa admonitioni factæ ſatisfecerint. Quod ſi in concubinatu, per annum, cenſuris neglectis, permanſerint, contra eos ab Ordinario ſevere pro qualitate criminis, procedatur. Mulieres, ſive conjugatæ, ſive ſolutæ, quæ cum adulteris, ſive concubinariis publice vivunt, ſi ter admonitæ non paruerint, ab Ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio graviter, pro modo culpæ, puniantur, & extra oppidum, vel Diœceſim, ſi id eiſdem Ordinariis videbitur, ejiciantur, invocato, ſi opus fuerit, brachio ſeculari: aliis pœnis contra adulteros, & concubinarios inflictis, in ſuo robore permanentibus. Hæc Concilium. De Jure vero Canonico antiquo, Laici concubinarii puniebantur, arbitrio Judicis, ut refert *Clarus §. Fornicatio n. 8.*

LXXIX. Illud poſtremo hic addendum, quamvis ſi Chriſtianus carnaliter cognoſcat fœminam ſolutam Judæam, vel vice verſa, Judæus cognoſcat fœminam Chriſtianam, non ſit peccatum ſpecie diſtinctum a ſimplici fornicatione: eſt tamen gravius delictum, propter irreverentiam, & injuriam, quæ infertur legi, & Religioni Chriſtianæ: ideoque gravius etiam punitur, *Azor l. 3. cap. 29. qu. 3.* non tamen pœna mortis, ſed alia mitiore, & extraordinarie, arbitrio Judicis, cum nulla certa pœna, in hoc caſu, a Jure ſit ſtatuta, nempe vel pœna corporali, præſertim ſi fœmina, quæ cognita eſt a Judæo, ſit honeſta, vel ſolum pœna pecuniaria puniatur, ſi ſit vilis conditionis, vel publica meretrix, *Clarus §. Fornicatio nu. 26. Menoch. de arbitr. Judic. caſu 290. num. 9. Farinac. par. 5. qu. 139. num. 3. & ſeqq.* Idemque dicendum, ſi Turca, vel paganus carnaliter cognoſcat mulierem Chriſtianam, vel contra Chriſtianus mulierem Turcam, vel aliam infidelem, *Farinac. e. loco num. 32.*

TITULUS XVII.

De Raptoribus, & Incendiariis, & violatoribus Eccleſiarum.

POſt homicidium, & adulterium, aliaque delicta carnis, agendum nunc eſſet de peccatis contra ſeptimum præceptum Decalogi, nempe de furto: quia tamen crimen raptus pertinet partim ad adulterium, vel ſtuprum, ſi rapiantur mulieres, libidinis cauſa: partim ad furtum, ſi rapiantur res ſeu bona, ideo in hoc Tit. agitur prius de raptoribus, tum corporum, tum rerum ac bonorum, ſimulque de Incendiariis, & Violatoribus Eccleſiarum, & poſtea Tit. ſeq. de furtis.

SECTIO I.

De raptu & raptoribus, tum perſonarum, ſeu corporum, tum etiam rerum, ſeu bonorum.

§. I.

De raptu, & raptoribus Virginum, & aliarum mulierum, earumque pœnis.

I. QUæritur primo. Quid ſit raptus mulierum, & quo modo a ſtupro diſtinguatur? Reſp. raptus proprie cenſetur committi, quando virgo, vel etiam alia mulier, ſive vidua, ſive conjugata, ſive ſoluta, modo ingenua ſit, & libera, non ancilla, & honeſta, hoc eſt, quæ non impudice vivit, libidinis cauſa, per vim abducitur, ſive illatam mulieri abductæ, ſive ejus parentibus, vel aliis, in quorum poteſtate, vel cura eſt conſtituta, ſive utriſque. Vel etiam ſi quis rapiat fœminam, animo matrimonium contrahendi cum illa, *Hoſtienſ. in ſumma hoc tit. Rubric. de pœnis raptorum corporum numer. 8. Jul. Clarus Verſ. Raptus numer. 1. Farinac. in praxi crim. part. 5. §. Raptus quæſt. 145. numer. 5. & 6.* Differt autem raptus a ſtupro proprie, & ſtricte dicto primo, quia raptus ſæpe fit, conſentiente, & volente puella, vel muliere, quæ rapitur, ſed reluctantibus, & invitis ejus parentibus, vel Tutoribus. Stuprum proprie dictum non item, ſed illud ſemper, vel per abſolutam violentiam, citra omnem conſenſum, vel ſaltem non omnino libere, ſed invitæ, ſeu coacte conſentienti infertur, ut patet ex dictis *tit. Præcedenti ſec. 2. §. 1.* Secundo ad crimen raptus, præter injuriam illatam mulieri, vel ejus parentibus vel Tutoribus, requiritur ſaltem in foro externo, ut mulier per vim rapta de loco in locum traducatur, ut infra dicetur, quod in ſtupro non requiritur, ſed ſolum ut virgo, vel mulier ſit violenter oppreſſa. *Azor par. 3. lib. 3. cap. 10. not. 1.* Tertio raptus, ut plurimum, fit ea intentione, ut quis puellam, quam cum conſenſu parentum, & cognatorum habere non poteſt, per vim rapiat, & in uxorem ducat. Stuprum vero violentum, non eo fine, ſed ſolum libidinis explendæ cauſa, committitur: *Zaſ. in Comment. C. de raptu virg. in annotat.* Quarto raptus eſt longe gravius delictum, ideoque etiam gravius punitur, quia ex eo plura ſcandala, & quandoque etiam homicidia oriuntur, *l. 1. in princ. & fine princ. C. de raptu virg. &c. Farinac. c. l. n. 1.* quæ ex infra dicendis magis patebunt.

II. Quær. ſecundo. Quæ pœnæ Jure Civili ſtatutæ ſint in raptores virginum, & aliarum mulierum? Reſp. in *leg. unic. C. de raptu virgin. &c.* decernitur inprimis raptores virginum, vel viduarum honeſtarum, & maxime ſi Deo fuerint dicatæ, capitis ſupplicio eſſe plectendos, & qui eis auxilium præſtiterint. Conceditur præterea raptorum parentibus, aut conſanguineis, tutoribus, vel curatoribus, patronis vel dominis, ut poſſint raptores convictos, ſive in flagranti crimine deprehenſos interficere: idque multo magis obtinet contra eos, qui nuptas mulieres auſi ſunt rapere, ut a maritis poſſint occidi, quia duplici tenentur crimine, tam adulterii, quam rapinæ *cit. l. unic. verſ. quum multo magis*, ubi additur: Itemque eſt de eo, qui ſponſam per vim rapere auſus fuit. Et raptores hujuſmodi etiam ubique locorum deprehenſi puniri poſſunt, & denegatur etiam eis appellandi licentia, *cit. l. unic. in fine princ.* Secunda pœna eſt amiſſio omnium bonorum mobilium, & immobilium, tam rapientium, quam qui in ipſo actu eos comitantur, & adjuvant, quæ bona pleno dominio ipſi mulieri raptæ addicuntur, ſi ingenua fuerit, ſeu libera: ſi vero ancilla, vel libertina fuerit, quæ rapinam paſſa eſt, raptori quidem mortis ſupplicium irrogatur, non tamen ipſius bona raptæ applicantur, *cit. l. unic. §. Et ſi quidem.* Præter raptores vero, & qui eos in rapina comitati fuerint, & auxilium præbuerint, cæteri omnes, qui conſcii, & miniſtri fuerint, pœnæ capitali ſubjiciuntur, non autem bona amittunt, *cit. l. unic. §. Pœnas autem.* Quod ſi raptor, vel miniſtri ejus ſervilis conditionis fuerint, concremari debent, *cit. unic. in fine.* Tertia pœna eſt, quod lege civili matrimonium inter raptorem, & raptam virginem, vel viduam, vel aliam mulierem non ſubſiſtat nec liceat raptæ raptorem in matrimonium expoſcere, nec etiam liceat parentibus conſentire, *cit. l. unic. §. Nec ſit facultas* alioquin ſi conſenſerint tali matrimonio, deportari præcipiuntur, prout habetur in *Auth. de raptis mulieribus §. un. collat. 9. conſ. 143.* ubi etiam ſtatuitur, ut ſi mulier rapta nupſerit ſuo raptori, ex ejus teſtamento quid capere, vel alio quocunque modo vindicare non poſſit, ſed omnia bona raptoris, & ei auxiliantium, ad parentes raptæ, ſi ambo, vel unus adhuc ſuperſit, ipſo jure, transferantur: ſi vero parentes jam deceſſerint, vel in hujuſmodi nuptias cum raptore conſenſerint, tunc bona raptoris, & eorum, qui criminis participes fuerint, fiſco vindicabuntur.

III. Quæritur tertio, quæ pœnæ Jure Canonico ſint decretæ in raptores mulierum? Reſp. ſecundum Jus Canonicum antiquum, raptor inprimis, non pœna mortis, vel alia corporali, ſed pœna ſervitutis punitur, efficitur enim ſervus mulieris raptæ, cum facultate tamen ſe ipſum redimendi, ſoluto competente pretio pro libertate, ſi fœmina violenter contra ſuam voluntatem rapta ſit. Si vero, ipſa conſentiente, abducta ſit a domo paterna, tunc patris poteſtati rapta reddenda eſt, & excuſatur a pœna (ſcilicet Legis Civilis) ut non puniatur a Judice, quamvis a patre exhæredari poſſit, niſi majorem XXV. annis pater differat copulare marito, *l. Si filium 19. junct. Auth. ſeq. C. de inoffic. teſtam.* raptor vero fit ſervus parentis illius mulieris, cum facultate etiam redimendi ſe, ſolvendo pretium competens, prout habetur in *c. de raptoribus 3. & ibi Gl. V. Excuſata cauſ. 36. q. 1. Silv. V. Luxuria q. 6. Azor. 1. l. 3. c. 15. not. 2.*

Secundo raptores virginum, & viduarum, eorumque cooperantes, & fautores, ſiquidem Clerici ſunt, a gradu, ſeu Ordine Clericali decidunt, ſeu deponendi ſunt, *c. de puellis 4. cit. cauſ. 36. qu. 2. & c. Si quis 4. de purg. Canon.* Si vero Laici ſint, excommunicationem incurrunt, *c. 1. 2. & c. Si quis 5. & c. 6. cit. cauſ. & q.* quæ eſt excommunicatio non latæ ſententiæ, ſed ferendæ, *Hoſtienſ. in ſumma hic n. 1. Sanch. l. 7. de matr. diſ. 12. n. 1.* Nec refert, quod in *cit. c. Si quis ead. cauſ. & q.* dicitur: *Si quis virginem, vel viduam (niſi deſponſaverit) rapuerit, cum ſibi faventibus, anathema ſit*: quia ex aliis Canonibus *ead. cauſ. & q.* conſtat, raptores non eſſe, ipſo jure, excommunicatos, ſed excommunicandos per ſententiam, dicitur enim *anathematizentur, c. 1. a communione ſuſpendi præcipimus*, vel anathematis gladio feriatur, *c. 6. ibid.* quæ verba cum ſint futuri temporis, important excommunicationem ferendam, non latam, *Sanch. c. l.*

Tertio bona rapientis Monialem, vel aliam mulierem religioſam vitam ducentem, applicanda ſunt Eccleſiæ, vel Monaſterio, in quo rapta habitabat, *cap. Si quis rapuerit 30. cauſ. 27. q. 1.* ubi additur, quod rapta cautiori, ſive arctiori Monaſterio tradenda ſit, ſeu includenda, ita tamen, ut quantum ad uſum fructuum ex bonis ſuis, vel a raptore ei acquiſitis ſuſtentetur, quoad ipſa vixerit: poſt mortem vero ejus redeant ea bona ad primum Monaſterium, vel Eccleſiam, in quo mulier DEO dicata eſt, *Gl. in cit. c. Si quis V. Cautiori Farinac. cit. q. 145. num. 10.*

§. II.

Quæ conditiones requirantur, ut raptores incurrant pœnas, Jure communi Civili, vel Canonico in eos ſtatutas?

IV. Quatuor requiruntur conditiones, ut tradit *Sanch. cit. diſ. 12. num. 3. & 4.* & alii DD. communiter. Prima eſt, ut raptus fiat, cum violentia illata, vel ipſi fœminæ raptæ, vel ejus parentibus, aut Tutoribus, in quorum eſt poteſtate, aut cura, *S. Tho. 2. 2. quæſt. 154. art. 7. in corp.* Ex quo infertur primo, non committi raptum, ſi puella

ſui

Digitized by Google

ſui juris, & ſub nullius poteſtate conſtituta, ſine vi, & volens abducatur, quia rapere ex vi nominis, importat vim ſive cum vi, & impetu aliquid facere, ut conſtet ex *l. Quo naufragium* 3. §. *Aliud autem* ibi: *Rapi ſine vi non poteſt ff. de incendio &c.* & ſicuti ſcienti, ac volenti nullus fit dolus. *l. Nemo* 145. *ff. de R. J.* ita nec injuria, *l.* 1. §. *Uſque adeo ff. de injuria*, & raptum requiri violentiam, docet *S. Thom. c. l. n.* 9. Nec obſtat *l. unic.* §. *Et ſi quidem verſ. Pœnas autem C. de raptu virg.* ubi dicitur: *Pœnas incurri a raptoribus, ſive volentibus, ſive nolentibus virginibus, ſeu aliis mulieribus, tale facinus fuerit patratum*, quia illa lex nititur præſumptione, quod via quædam importunis, ac doloſis ſuaſionibus mulieri ſit illata, ut patet ex verbis ſeqq. *Sanch. c. l. num.* 9. Et quamvis fœmina non habeat dominium membrorum ſui corporis, ita ut licite poſſit corpus ſuum raptui exponere: non tamen id exponendo, peccat contra juſtitiam, adeoque nec committit raptum, ſi conſentiat in ſui abductionem, quia hoc crimen requirit violentiam juſtitiæ contrariam. *Sanch. c. l. num.* 6.

Infertur ſecundo, vere committi raptum, ſi fœmina tantum diſſentiat, nolitque abduci a domo paterna, etſi parentes ejus conſentiant, *Hoſtienſ. in ſumma h. t. num.* 1. *Sanch. c. l. n.* 8. quia parentes non habent dominium corporis puellæ, nec facultatem illud exponendi ad talem uſum, ideoque ſi id faciunt, injuriam puellæ inferunt, & injuſtitiam committunt.

Infertur tertio, ſi puella ab initio conſenſit in raptum, ſeu ſui abductionem, ſed poſtea invita, & repugnans carnaliter ſit cognita, tunc non committitur raptus, qui requirit violentam abductionem, ſed eſt ſtuprum violentum, ſive copula vi extorta, quia in delictis initium ſpectatur, *l. Divus* 14. *ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* ubi dicitur: *In maleficiis voluntas ſpectatur, non exitus.* At e contrario, ſi fœmina ab initio invita abducta eſt, ſed poſtea libere conſenſit in copulam, tunc raptus cenſendus eſt, quia initium ſpectandum eſt, in quo violentia adfuit: quamvis ſi plene probaretur, fœminam omnino libere conſenſiſſe in copulam, raptor non incurreret pœnam ordinariam raptus, quia is non fuit conſummatus, ſeu completus, ad cujus conſummationem requiritur & violenta abductio, & violenta copula, ſaltem quantum eſt ex parte voluntatis raptoris, qui fecit, quod potuit, *Sanch. cit. l. n.* 7. *Farinac. cit. q.* 145. *n.* 134.

V. Infertur quarto, ſi fœmina ſui juris, ſolis precibus importunis, aut metu reverentiali, & citra omnem dolum, ac fraudem, abducta ſit, is non cenſetur raptus, ob quem ordinaria pœna incurratur, ſed ſolum extraordinaria pœna eſt puniendus, quia tales preces per ſe ſolæ non inferunt vim: ſecus eſt, ſi doloſis perſuaſionibus, aut fallacibus promiſſionibus munerum, vel quibuſcunque fraudibus circumventa abducatur, tunc enim cenſetur raptus ordinariis pœnis obnoxius, ut conſtat ex *cit. l. unic.* §. *Et ſi quidem, verſ. Pœnas autem* ibi: *Niſi odioſis artibus circumvenerit C. de raptu virg.* ergo ad incurrendas pœnas requiritur, ut conſenſus mulieris, doloſis artibus ſit extortus, & in dubio id præſumitur, *Sanch. cit. diſ.* 12. *num.* 10. & 11. *Farinac. cit. loco num.* 131.

Infertur quinto, ſi puella ſub parentum poteſtate conſtituta, ex eorum domo, ipſis invitis abducatur, quamvis ipſa conſentiat, vere committitur crimen raptus, quia per talem factum gravis injuria infertur parentibus, quam ipſa filia non poteſt remittere, ſponte præbendo conſenſum in ſui abductionem, in præjudicium parentum, *Hoſtienſ. in ſumma nu.* 1. *h. t. Sanch. c. l. n.* 12. *Farinac. c. l. n.* 118. quamvis hoc caſu, non ſit infligenda pœna ordinaria, ſive capitalis raptus, ſed alia mitior, arbitrio Judicis, quia tunc minus delictum eſt, quam ſi ipſa fœmina etiam diſſentiret, & eſt raptus ſolum, reſpectu patris, non reſpectu fœminæ cujus voluntas præcipue in his injuriis ſpectanda eſt, quippe cui directa per raptum injuria infertur, *Sanch. c. l. n.* 10. Sed etſi puella volens, & conſentiens abducta ſit, parentibus ejus ignorantibus, committitur raptus, quia etſi poſitive non contradicant, deeſt tamen eorum voluntas, & conſenſus, quod ſatis eſt, ut conqueri poſſint de injuria ſibi illata: quia tamen non eſt proprie & ſtricte raptus, ideo non habet, hoc caſu, locum pœna ordinaria, neque etiam tanta pœna infligenda eſt raptori, ac ſi parentes expreſſe abductioni contradixiſſent, ſed minor, quia minus eſt delictum, *Sanch. cit. diſ.* 12. *n.* 13. *Farinac. c. l. n.* 121. Similiter ſi puella ſub Tutorum, vel Curatorum, vel etiam, fratrum cuſtodia ſit conſtituta, & conſentiens abducatur, ſine eorum voluntate, & conſenſu, raptus quidem cenſebitur, ſed minore pœna puniendus, *Sanch. c. l. n.* 14.

VI. Cæterum quod dictum eſt eſſe raptum, ſi puella volens abducatur e domo parentum, ipſis invitis, vel etiam ignorantibus, quamvis mitius puniatur, id limitari debet, niſi tractatus de matrimonio ineundo præceſſerit, ut conſtat ex *c. Cum cauſam* 6. *h. t.* Nam quidam miles volebat contrahere matrimonium cum quadam puella, ſed
„ cum parentes eam illi dare nollent, ipſe tandem puellam,
„ ipſa conſentiente, rapuit, & cum ea contraxit matri-
„ monium, illudque per carnalem copulam conſummavit.
„ Deinde mulier Monaſterium intravit, ſed miles eam,
„ tanquam uxorem ſuam repetebat, quia ſine ſua licentia
„ Monaſterium intrare non potuit poſt matrimonium con-
„ ſumatum. Mulier allegabat e contra, quod non tenebatur
„ ei tanquam viro, adhærere, quia eam rapuit, &
„ rapta non poteſt cum raptore contrahere matrimonium.
„ Quæſitum ergo fuit, quid juris ſit? Reſpondet Papa Lu-
„ cius III. quod non fuerit raptus, cum ipſa mulier con-
„ ſenſerit, ſed raptus tunc committi dicitur, quando ni-
„ hil antea de nuptiis eſt actum, & iſte miles raptor dici
„ non debet, cum ipſa mulier conſenſerit, & eam ſibi
„ prius deſponſaverit, quam cognoverit: licet parentes
„ reclamaverint, a quibus dicitur eam rapuiſſe. Præte-
„ rea, cum poſt matrimonium carnali copula perfectum,
„ ſeu conſummatum (teſte Apoſtolo 1. *Cor.* 7.) uxor ſui
„ corporis poteſtatem non habeat, ideo ſi conſtiterit, vel
„ ex viri probationibus, vel ex mulieris confeſſione matri-
„ monium præceſſiſſe, poſtea mulier, ſine viri conſenſu,
„ Monaſterium ingredi non potuit, aut aliter continen-
„ tiam profiteri. Non ergo ex eo, quod poſt matrimoni-
„ um conſummatum, rapta Monaſterium intravit, viri
„ conſortium declinare potuit, maxime ſi probare neque-
„ at, virum conſenſiſſe, ut mulier continentiam profite-
„ retur.

VII. Pro explicatione hujus cap. notandum primo, licet ſecundum LL. Civiles dicatur raptus committi, quando quis ſponſam ſuam rapere auſus fuit, *l. unic. poſt prin. verſ. Quibus connumeratur C. de raptu virg.* tamen hoc correctum eſt per Jus Canonicum, quod non permittit puniri raptum puellæ conſentientis factum ad ineundum matrimonium, etſi invitis parentibus, juxta *c. ult. h. t.* Idque procedit, non ſolum ſi Sponſalia de præſenti, ſive matrimonium ratum, ſed nondum conſummatum præceſſerit, ſed etiam quando Sponſalia ſolum de futuro præceſſerunt; Et in hoc ſtandum eſt Juri Canonico, non civili, quia in iis, quæ ad matrimonium pertinent, eique annexa ſunt, potius ſervandum eſt Jus Canonicum, quam Civile, etiam in foro ſeculari, *Abb. hic* n. 1. & 4. Quod autem in *cit. c. Cum cauſam h. t.* ſermo ſit, non tantum de matrimonio prius inito, ſed etiam ſi ſolum Sponſalia de futuro præceſſerint, & ſponſus poſtea ſponſam violenter abſtrahat a domo paterna, reclamantibus parentibus, ad Sponſalia de præſenti, ſive matrimonium cum illa contrahendum, vel inde patet, quia ibi dicitur, *ubi nihil ante de nuptiis agitur*: at quando Sponſalia de futuro præcedunt, jam antea aliquid actum eſt de nuptiis. Quare duæ conditiones requiruntur, ut raptus mulieris, invitis parentibus, factus, non ſit obnoxius pœnis: prima, ut puella in abductionem ſui conſenſerit; ſecunda, ut Sponſalia, ſaltem de futuro, præceſſerint, ita ut non tantum tractatus de matrimonio ſit habitus ſed etiam Sponſalia, mutuo conſenſu utriuſque ſponſi, ſint inita, ſive promiſſio utrinque facta, & accepta, de matrimonio contrahendo, *Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 12. *n.* 25. Addunt aliqui tertiam conditionem, ut matrimonium actu ſit ſecutum: verum id non requiritur, quia licet in *cit. c. pen. h. t.* de matrimonio ſubſecuto fiat mentio, id tamen ſolum factum eſt ideo, ut revocetur uxor ex Monaſterio, quod poſt matrimonium conſummatum ingredi non potuit, ſine viri licentia: non autem quod ad evitandas pœnas talis raptus neceſſarium ſit, ut ſecutum ſit matrimonium, *Sanch. c. l. n.* 15. *in fine*, ubi n. 16. addit, etſi matrimonium nec de præſenti, nec per Sponſalia de futuro ante raptum, ſit initum: ſi tamen poſtea matrimonium ſit ſubſecutum, utriuſque, raptoris, & raptæ conſenſu, valde rationabile eſſe, & in praxi receptum, ut rapiens puellam conſentientem, etſi reclamantibus parentibus, non plectatur ordinariis pœnis raptus, ſed mitius Judicis arbitrio, ſi poſtea raptam ducat, quamvis aliqui talem raptorem a pœna mortis non eximant.

Porro ratio, cur de jure Canonico non cenſeatur committi raptus, nec puniatur, ſi puella volens abducta ſit, reclamantibus parentibus, aut contrahendum matrimonium prius promiſſum, ratio, inquam, eſt, quia matrimonium debet eſſe liberum: puella autem poterat libere contrahere matrimonium in domo parentum, iis reſiſtentibus, Ideoque Jus Canonicum, in favorem libertatis matrimonii, ſtatuit, ut tali caſu impune a ſponſo volens abduci poſſit, etſi invitis parentibus, *Abb. in cit. c. pen.* n. 4. *h. t.* Aliud vero dicendum eſt, ſi raptor ſponſam ſuam, cum qua per verba futuri temporis contraxit Sponſalia, abducat e domo paterna invitam, & reclamantem, etiam ad conſummandum matrimonium cum illa, tunc enim raptor eſt, & pœnis juris obnoxius, quia violentiam infert puellæ, & parentibus ejus, *Azor cit. lib.* 3. *c.* 14. *qu.* 3.

VIII. Notandum ſecundo: Uxor Religionem profeſſa, abſque viri licentia, ei ipſam repetenti reſtituenda eſt, ſi in judicio fateatur, ante ingreſſum in Religionem, conſummatum fuiſſe matrimonium, prout ſumitur ex *cit. c. pen. h. t.* & *ibi Gl. V. Mulieris confeſſione*, ſiquidem ipſa uxor revera ſtat pro confeſſione, & Superiore connivente fecit eam confeſſionem, tunc enim non eſt veriſimile, eam contra ſe mentiri, & immemorem eſſe ſalutis ſuæ, adeoque confeſſio ipſi præjudicat, ac Monaſterio, *Hoſtienſ. in cit. c. pen. V. Confeſſione*, & *Abb. n.* 6. *Sanch. l.* 10. *de matr. diſ.* 22. *numero* 50. Nam confeſſio adverſus ipſummet confitentem valet, non autem pro ſe, ſive in favorem ſui, nec in præjudicium tertii, *c.* 2. *de confeſſ.* & *cauſ.* 14. *qu.* 2. *in princ.* ubi dicitur, contra ſe enim quis teſtari poteſt, pro ſe vero minime.

Notandum tertio, ſi quis puellam, cum qua matrimonium ratum contraxit, ſive de præſenti, per vim, & invitam rapiat ad matrimonium cum ea conſummandum, quæ tamen uti vult ſpatio duorum menſium ſibi a Jure conceſſo, & deliberandum de ingreſſu Religionis, vere raptor eſt, & ut talis puniendus, quia violentiam ei infert, quæ vult uti jure ſuo, *Covarr. in* 4. *Decret. p.* 2. *c.* 7. §. 4. *n.* 12. *Azor cit. l.* 3. *c.* 14. *q.* 4.

IX. Secunda conditio requiſita ad incurrendas pœnas raptus, eſt, ut fiat cauſa libidinis exercendæ, alioquin enim, ſi ex quacunque alia cauſa fiat, non erit raptus, qui proprie & ſpecies luxuriæ, ſecundum *S. Thom. cit. q.* 154. *art.* 7. *Clarus* §. *raptus n.* 1. *Sanch. cit. l.* 7. *diſ.* 12. *num.* 17. imo etſi carnalis copula cum rapta non ſit ſecuta: ſi tamen illam ideo non cognovit carnaliter, quia non potuit id commode fieri, erit obnoxius pœnis ordinariis raptus: ſecus, ſi ideo non cognovit, quia etſi potuiſſet, ſponte tamen

noluit,

Digitized by Google

noluit, ſed a copula abſtinuit, pœnitentia ductus, tunc enim non eſt plectendus pœna ordinaria, ſed circa mortem, alia gravi pœna extraordinaria, arbitrio Judicis, propter infamiam illatam puellæ raptæ, cujus pudicitia violata eſſe probabiliter ab omnibus creditur, *Menochius de arbitr. Judic. caſu* 360 *n.* 32. *Sanchez cit. diſ.* 12. *n.* 18. & alii. Excipi debet, niſi rapta ſit Monialis, quia tunc raptori pœna ordinaria eſt infligenda, ex quacunque cauſa copula non ſit ſecuta, prout limitat *Sanchez c. l. in fine*, & alii apud ipſum, quia raptus Monialis eſt longe gravius crimen, quam ſimplicis virginis. Ex quo infertur, quod etiam ſolus conatus ad rapiendum puniri debeat, etſi effectus non ſit ſecutus, quia rapiens non potuit perficere, *l. unica §. Et ſi quidem*, *& §. Pœnas* ibi: *Niſi eam ſollicitaverit C. de raptu virg.* non autem pœna ordinaria, ſed arbitraria, *Menoch. citat. l. num.* 33 *Clarus §. Raptus, num.* 4. *in fine Sanchez c. l. num.* 19. Porro mulier præſumitur eſſe rapta, libidinis cauſa, quando erat juvenis, & ad libidinem apta: ſecus eſt, ſi ſit vetula, in quam non cadit ſuſpicio libidinis, *Farinacius cit. q.* 145. *num.* 78. Quod autem dictum eſt, requiri ad incurrendas pœnas raptus, ut fiat libidinis cauſa, id ita intelligendum eſt, quod etiam is, qui mulierem rapuit, ſive Monialem, ſive ſæcularem per vim illatam, animo contrahendi cum illa matrimonium, non excuſatur a pœna capitali raptus, *l. Si quis* 5. *C. de Epiſc. & Cleric.* qui textus etſi loquatur de rapiente virgines DEO ſacratas, tamen communiter intelligitur etiam de rapiente Virgines non ſacras, & eſt canonizatus in *c. Si quis* 3. *cauſa* 36. *q.* 2. *& in c.* 1. *&* 2. *eadem cauſa & q. Farinacius cit. q. n.* 120.

X. Tertio requiritur ad raptum pœnæ juris obnoxium, ut mulier traducatur de loco in locum, & ideo ſi quis per vim extorqueat copulam a virgine, vidua, vel conjugata, non traducendo illam ab uno loco ad alium, erit quidem puniendus pœna ſtupri violenti, vel adulterii, non tamen pœna raptus, quia non eſt raptus, ſed ſtuprum, *l. Mariti* 29. *§. fine ff. ad Lege Julia de adulteriis cap.* 2. *§. Cum ergo cauſa* 36. *quæſt.* 1. Non tamen ſufficit, quod fœmina ſit ab uno loco ad alium deducta, ut ſi de via publica ſeorſim abducatur per aliquot ſolum paſſus, commodioris concubitus cauſa, vel de una camera in aliam, ſed quod de una domo in aliam, ſive uno loco in alium ſit traducta, animo illam abducendi a loco, ubi habitabat, ſeu morabatur, *Clarus §. Raptus num.* 5. *Sanchez citat. loc. num.* 20. *&* 21. *Farinac. citat. num.* 69. Eſt tamen verus raptus, quando fœmina violenter abducitur ad alium locum, etſi ad illum non fuerit perducta, ſive ad locum deſtinatum non pervenerit, quia eſt abducta de loco in locum, animo abducendi, *Sanchez c. l. n.* 21. *in fine.*

Porro hæc procedunt, quoad forum externum, & ad pœnas Jure decretas incurrendas. At vero in foro conſcientiæ, non requiritur ad raptum violenta abductio mulieris de loco ad locum, ſed ſufficit, ſi quomodocunque fœminæ vis inferatur ad extorquendam copulam, tunc enim duplicem malitiam ſpecie diverſam continet, unam fornicationis contra caſtitatem, in quantum eſt illicitus concubitus: alteram injuſtitiæ, ratione violentiæ, quæ infertur fœminæ, vel parentibus, ſive iis, in quorum poteſtate eſt conſtituta, ſecundum *S. Thomas c. l. num. Sanchez cit. diſ.* 12. *num.* 30. *&* 31. apud quem plura de hoc videri poſſunt *n.* 32. *& ſeqq.*

XI. Quarta denique conditio requiſita ad incurrendas pœnas raptus, eſt, ut mulier rapta ſit honeſtæ vitæ, *citat. l. unic. in princip. C. de raptu virg.* Et hinc raptor publicæ meretricis non incurrit pœnas *citat. l. un.* quia honeſtarum mulierum nomine ſcorta non veniunt. *Gloſs. in citat. l. unic. V. Virginum, juncta Gloſs. marg. lit. B* ſed pœna extraordinaria, arbitrio Judicis puniendus eſt. *Clarus cit. §. Raptus q.* 5. *Maſchard. de probat. vol.* 3. *concl.* 125. *n.* 12. *&* 13. *Sanchez c. l. n.* 22. quia meretrix non præſumitur vim pati a cognoſcente illam, niſi probetur, raptus autem non cenſetur fieri, ſine violentia. Excipi debet primo, niſi meretrix vitæ impuræ pœnitentia ducta cœperit honeſte vivere, tunc enim raptor pœna raptus teneretur: ſecus ſi deſiit quidem eſſe publica meretrix, non tamen honeſte vivit, qui facta eſt alicujus concubina, *Maſcard. cit. loc. num.* 14. Secundo limitari debet, quod incurrantur pœnæ raptus, etſi mulier rapta ſit inhoneſta, ſed conjugata, *citat. l. unic. §. Quo multo magis*, quia tunc raptor duplici tenetur crimine, tam adulterii, quam rapinæ, & irrogatur injuria marito, *Maſcard. citat. loc. num.* 15. niſi tamen maritus eſſet leno, qui uxorem proſtituiſſet, tunc enim etiam reſpectu illius, ceſſaret injuria *Maſcard. c. l. n.* 16. *Sanchez c. l. n.* 23.

Verum in foro conſcientiæ, ſi fœmina cujuſcunque ſtatus, etiamſi meretrix ſit, violenter cognoſcatur, vel abducatur, cenſebitur eſſe raptus diverſæ ſpeciei a ſimplici fornicatione, quia vis illa erat contra juſtitiam: quamvis talis raptus mulieris inhoneſtæ pœnis raptus ordinariis jure decretis non puniatur, ſed extraordinariis, & arbitrariis, *Sanchez citato loco num.* 37.

XII. Cæterum reſtat quæſtio, an vice verſa, pœnas jure decretas incurrat etiam fœmina rapiens virum, vel aliam fœminam, libidinis cauſa? Reſp. Probabilius eſt, fœminas raptrices non eſſe puniendas pœna ordinaria raptus, ſed alia extraordinaria arbitrio Judicis, *Clarus §. Raptus num.* 6. *Menochius de arbit. Judic. c.* 291. *nu.* 30. *& ſeqq. Sanchez citat. diſ.* 12. *nu.* 25. & eſt communior DD. Probatur primo, quia in *citat. l. unica C. de raptu virg.* fit mentio de ſolo viro rapiente, ergo cum ſit lex pœnalis, non debet extendi ad fœminas, nec ſub maſculino comprehenditur fœmininum in odioſis, & pœnalibus, *l.* 1. *§. Quare ff. de ventre in poſſeſſ. mitten.* Secundo, Leges non feruntur de iis, quæ rariſſime contingunt, ſed ea ſolum, quæ frequenter accidunt, ſpectant, & comprehendunt, rariſſimum autem eſt, ut fœmina virum rapiat, vel aliam fœminam: Tertio, non militat eadem ratio in fœmina rapiente virum, quæ in viro rapiente fœminam, quia ex priore raptu non oriuntur tanta ſcandala, & damna, ſicut ex poſteriore, gravius enim delictum eſt, ſi rapiatur fœmina a viro, quam ſi virum fœmina rapiat, in qua major honeſtas exigitur, & cui per raptum major injuria irrogatur, quam viro rapto: neque enim maſculus raptus a fœmina tantam infamiam patitur, nec parentes, aut conſanguinei ejus, ſicut quando fœmina rapta eſt a viro, ideoque par non eſt, ut æquali pœna puniatur mulier rapiens virum, & vir rapiens fœminam; pœna enim debet commenſurari delicto, & gravius delictum gravius vindicandum eſt, *c. Non afferamus ar. cauſa* 24. *qu.* 1. plura de hoc videri poſſunt apud *Sanchez cit. loc. n.* 26. Atque hæc procedunt quoad forum externum, & pœnas raptus: in foro vero conſcientiæ, ſive vir rapiat fœminam, ſive fœmina virum, uterque raptus continet malitiam ſpecie diſtinctam a ſimplici fornicatione, propter violentiam injuſte illatam: licet major ſit injuria, quando vir rapit fœminam, & ſolus hic raptus pœnis juris ſubjaceat, ut dictum, *Sanchez c. l. n.* 40.

XIII. Illud poſtremo hic addendum, quod pœnæ *citat. l. unic.* locum habent, non ſolum in viris rapientibus fœminas, ſed etiam mares, & pueros, libidinis cauſa, quia Sodomia eſt gravius delictum, quam adulterium, & ſtuprum, *Farinac. cit. q.* 145. *n.* 45.

Similiter prædictis pœnis eſt obnoxius, qui virginem impuberem, & nec dum viri potentem per vim rapuit, & corrupit, quia ob ſolum raptum, & vim impoſita eſt pœna mortis in *citat. l. unic. C. de raptu virg.* ibi: *Aut a tutoribus*, ubi ſupponitur, virginem raptam fuiſſe ſub tutela, adeoque minorem 12. annis & adhuc impuberem: & licet corrumpens talem puellam, non dicatur commiſiſſe ſtuprum, ſed illud attentaſſe: punitur tamen pœna mortis propter ipſum raptum, & vim adhibitam & illatam puellæ, *l. Si quis* 5. *C. de Epiſc. & Cleric. Menoch. de arbitr. Judic. caſu* 294. *n.* 7. *&* 8. *Farinac. c. l. n.* 51.

§. III.

De matrimonio contracto inter raptorem, & raptam.

XIV. Quæritur primo: An matrimonium inter raptorem, & raptam contractum, ſit ipſo jure irritum, vel ſaltem illicitum, & prohibitum? Reſp. Spectato Jure Civili, matrimonium inire cum fœmina rapta, non ſolum prohibitum, & illicitum, ut conſtat ex *citat. c. unic. §. Et ſi quidem*, ubi dicitur, *nec ſit facultas rapta raptorem ſuum ſibi maritum expoſcere, C. de raptu virg.* ſed etiam illud invalidum eſt, prout ſumitur ex *Auth. de raptis mulieribus §. unico* ibi: *Tale ſtare matrimonium, etſi rapta voluerit, prohibuimus, collat.* 9. *nov.* 144. Stare autem eſt idem, quod ſemel initum conſiſtere, & vices habere tanquam validum, *Sanchez lib.* 7. *de matr. diſ.* 12. *n.* 41. Verum de Jure Canonico, olim erat quidem interdictum matrimonium inter raptorem, & raptam, ut conſtat ex *c. de puellis* 4. *in fine*, *c. Si autem* 10. *& c. ſeq. cauſa* 36. *q.* 2. Id autem poſtea correctum fuit, ita ut matrimonium inter raptorem, & raptam licite, & valide iniretur, ſi rapta etiam in poteſtate raptoris adhuc exiſtens, libere conſentiret, ut patet ex *c. Quia* 8. *& c. ſeq cit. cauſa & ex c. Accedens* 7. *& ult. hoc t.* ubi

„ Innocentius III. Rapta puella (etiam invita, & renitens
„ ab initio, in ipſo raptu, *Hoſtienſ. hic V. Rapta*) legiti-
„ me contrahet cum raptore, ſi prior diſſenſus tranſeat
„ poſtea in conſenſum (expreſſum, vel tacitum, *Arg. cap.*
„ *ar. de Sponſal. Hoſtienſ. hic V. in conſenſum*) & quod ante
„ diſplicuit, tandem incipiat complacere, dummodo ad
„ contrahendum legitimæ ſint perſonæ; quia; ſcilicet ha-
„ bent legitimam ætatem, nec aliud impedimentum Cano-
„ nicum inter illos ſit, quo minus contrahere poſſint ma-
„ trimonium, *Hoſtienſ. hic, & Abbas in fine.*

XV. Ubi notandum primo, per conſenſum ſubſequentem tollitur vitium præcedens, ſic, ſi quis per metum promiſit dare centum, ſed poſtea ſolvat ea, ſine metu, tollitur vitium metus præcedentis, *libr.* 2. *Cod. de his, quæ vi metus cauſa Abbas hic numer.* 5. ſimiliter hic per liberum conſenſum mulieris raptæ purgatur vitium præcedentis raptus.

Notandum ſecundo. In matrimonio contrahendo ſtandum eſt diſpoſitioni Juris Canonici, etſi contrarium ſtatuat Jus Civile, ut in propoſito, matrimonium initum inter raptorem, & raptam invalidum eſt, de Jure Civili, validum vero Jure antiquo Decretalium, *Abbas hic numer.* 2. Quid autem circa hoc ſtatutum, & mutatum ſit Jure novo Concilii Tridentini, infra dicetur. Porro Jure communi antiquo Decretalium, non requiritur ad valorem matrimonii, ut puella rapta ſit conſtituta extra raptoris poteſtatem, & in priſtina libertate collocata, ſed ſatis eſt, ſi rapta adhuc ſub poteſtate raptoris exiſtens, vere ac libere conſentiat in matrimonium, ut aperte colligitur ex *cit. c. ultimo hoc tital. Covarruvias in* 4. *Decretal. part.* 2. *cap.* 3. *§.* 9. *nu.* 5. *Sanchez cit. diſc. n.* 42.

XVI. Notandum tertio. Raptus alienæ ſponſæ, etſi non ſit impedimentum dirimens matrimonium contractum, Jure antiquo Canonico impedit tamen etiam hodie contrahendum, ita ut raptor ille nec cum rapta, nec cum alia quacunque inire poſſit matrimonium, ut conſtat ex Concilio Toletano relato in *c. Statutum* 34. *cauſa* 27. *q.* 2. ubi dicitur, *ſi quis ſponſam alterius rapuerit, publica auctoritate mulctetur, & ſine ſpe conjugii maneat.* Idemque dicendum de ſponſa rapta, cui denegatur etiam licentia alii nubendi, ſi poſtea in raptum conſenſit, ut colligitur ex *citato c. Statutum* a contrario ſenſu: Ratio eſt, quia qui alienum matrimonium perturbare auſus eſt, jure proprii contrahendi merito privatur, ut in eo puniatur, in quo deliquit, *Sanchez cit.*

Digitized by Google

cit. diſ. 12. *n.* 43. & 44. Nec refert, quod in *c. Si autem* 10. ibi; *iterum conjugium non præſumat, cauſa* 36. *qu.* 2. id de omni raptu ſtatui videatur, quia id intelligendum eſt non univerſaliter, ſed particulariter, de raptu alienæ ſponſæ, ut novitates, inducantur, ut ait *Cajetan.* 2. 2. *q.* 154. *art.* 7. *in corp. Sanchez citatu diſ. n.* 43. Porro, hæc pœna ſive impedimentum contrahendi matrimonium cum quavis alia fœmina, tantum locum habet, ſi quis alienam ſponſam de præſenti rapiat, ſive illa ſit virgo, ſive corrupta, quia Jus non diſtinguit: & ſive matrimonium fuerit conſummatum, ſive ratum tantum, quia in utroque caſu infertur gravis injuria matrimonio per raptum: non autem hæc pœna inhabilitatis extendi debet ad ſponſam de futuro, quæ in materia pœnali, & odioſa nomine ſponſæ non comprehenditur, ut ea probabiliore ſententia docet *Sanchez citato loc. n.* 45. Requiritur autem ad hoc impedimentum contrahendum, ut hujuſmodi raptus fiat, traducta ſponſa de loco in locum, & ut carnalis copula cum rapta ſit ſecuta, quia in materia favorabili (qualis eſt matrimonium) impedimenta ejus valde ſunt reſtringenda, *Sanchez c. l. n.* 46. apud quem plura de hoc impedimento videri poſſunt, *ibid. n.* 47. & 2. *ſeq.*

XVII. Quæritur ſecundo. An rapta nubens raptori, ſpectato Jure Canonico, amittat bona raptoris, quæ alias ipſi raptæ, ob injuriam per raptum illatam, ſecundum leges Civiles, acquiruntur, ſed quibus in pœnam matrimonii cum raptore initi privatur, juxta *Auth. De nuptis mulieribus* §. *unico verſ. ſancimus collat.* 9. Reſp. probabilius eſt mulierem bona raptoris, ob matrimonium cum eo initum, ſecundum Jus Canonicum, non amittere, ſed lucrari, quia cauſa finalis, cur nubens raptori privetur bonis ejuſdem, eſt, quia de Jure Civili illicitum, & irritum eſt matrimonium inter raptorem, & raptam, ut clare patet ex *cit. Auth.* atqui Jus Canonicum antiquum ſtatuit, & declaravit, matrimonium tale eſſe validum, ut conſtat ex *c. ult. hoc t.* adeoque quoad hoc, correxit Jus Civile prohibens, & dirimens hujuſmodi matrimonium, ergo etiam Jus Canonicum correxit Jus Civile, quoad pœnam illi matrimonio acceſſorie annexam, eamque ſuſtulit, & conſequenter ceſſante prohibitione, & irritatione talis matrimonii per LL. Civiles facto, ceſſat etiam amiſſio bonorum raptoris decreta in pœnam illius matrimonii illiciti, *Gl. in c. de puellis* 4. *V. Nullatenus cit. cauſa* 32. *q. Hoſtienſ. in ſumma hic nu.* 2. *in fine, Abbas in c. pen. n.* 4. *in fine hoc t. Sanchez cit. diſ.* 12. *nu.* 28. Non obſtat. *Cum ſecundum* 19. *de hæretic. in* 6. Ubi dicitur: *mulier humanam* (id eſt, civilem) *legem transgrediens, & præſertim parentibus ſuis non conſentientibus, raptoris nuptias eligens, bona omnia, quæ per legem obvenerant a raptore, & alias conſortibus raptas, ipſo jure amittat, utroque caſu deferuntur ad fiſcum.* Nam ibi non approbatur illa lex Civilis, ſed ſolum in facti narratione aſſertur, adeoque non continet jus, unde *Gl. ibid. V. Humanam legem ait*; quod ſecus ſit ſecundum legem Canonicam. Contrarium tamen tenet *Julius Clarus* §. *Raptus numero* 8. & *Zaſius in Comment. in Decret ales hoc titul. numer.* 4. quod lex civilis, quoad pœnas non poſſit dici revocata per Canones, cum nec concernat materiam peccati, nec Juri Canonico ſit ſubjecta, ſed etiam puniat, quod etiam probabile eſt. Verum cum pœna ſit acceſſoria matrimonio, & ſupponat illud eſſe illicitum, quando hoc eſt licitum, & validum, pœnæ locus eſſe non poteſt.

§. IV.

Quid Jure novo Concilii Tridentini ſtatutum ſit circa matrimonium inter raptorem & raptam initum, & quæ pœna ob illum raptum ſint decreta?

XVIII. De hoc extat Decretum Concilii Tridentini *Seſſ.* 24. *c.* 6. *de reformat.* in quo ſtatuit S. Synodus, inter raptorem, & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium. Quod ſi rapta a raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem ducat: & nihilominus raptor ipſe, & omnes illi conſilium, auxilium & favorem præbentes, ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces: & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea mulierem raptam, ſive eam duxerit, ſive non duxerit, decenter, arbitrio Judicis dotare. Hactenus Concilium.

XIX. Pro explicatione hujus Decreti notandum primo, matrimonium contractum, inter raptorem, & raptam, quamdiu hæc ſub poteſtate raptoris exiſtit, nec ab illo ſeparata eſt, & in libero ac tuto loco conſtituta, omnino irritum eſt, adeoque raptus hodierno jure eſt impedimentum dirimens matrimonium, non tamen perpetuum, ſed temporale ſolum, donec libertati ſuæ reſtituatur, & violentia ei illata ceſſet, ut conſtat ex illis verbis Concilii, dum ait, *inter raptorem, & raptam nullum poſſe conſiſtere matrimonium*, per quæ verba clare ſignificatur, tale matrimonium eſſe nullum, *arg. c. unic. de cognat. legal.* Ubi ſimiliter dicitur, inter fratrem, & ſororem adoptatos quamdiu durat adoptio, nuptiæ conſiſtere non poſſunt, ubi DD. communiter tradunt, illud eſſe impedimentum dirimens matrimonium, *Sanchez l.* 7. *de matr. diſp.* 13. *num.* 2. & alii. Eſt autem matrimonium hujuſmodi nullum, tametſi rapta adhuc conſtituta ſub raptoris poteſtate, revere libere conſentiat, quia Concilium exigit ad valorem talis matrimonii, non tantum liberum conſenſum raptæ in matrimonium, ſed ut plene ſit libera a poteſtate raptoris, & ab eo ſeparata, *Sanchez cit. l.* Deinde cum matrimonia clandeſtina hodie, poſt Concilium Tridentinum, ſint irrita, ideo ad valorem matrimonii requiritur, ut qui fœminam per verba futuri temporis ſibi deſponſatam, cum ejus conſenſu, abducit e domo parentum, matrimonium cum illa contrahat, præſente Parocho, vel alio de ejus conſenſu, & coram aliis duobus teſtibus, neque tunc neceſſe eſt, ut rapta conſtituatur extra poteſtatem raptoris, vel ab eo prius ſeparetur, cum non ſit proprie raptus, quando ſponſa volens abducitur, quia Concilium ſolum irritavit matrimonium inter raptorem, & raptam, quando rapta eſt in poteſtate raptoris contra ſuam voluntatem, vel quando rapta eſt ad celebrandum cum illa matrimonium clandeſtinum, vel ad fornicariam copulam habendam, *Azorius p.* 3. *l.* 3. *c.* 24. *q.* 2.

XX. Notandum ſecundo. Excommunicatio, quam incurrunt raptores, & conſilium, auxilium vel favorem eis præbentes, eſt latæ ſententiæ, quia ipſo jure ac facto incurritur: non tamen ejus abſolutio eſt reſervata Papæ, quia in Decreto Tridentini non reſervatur; & ſic habet locum regula, quando Conditor Canonis ejus abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem eliis relaxandi, *c. Nuper* 29. *de ſentent. excomm. Sanchez cit. diſ.* 13. *nu.* 1. reliquæ vero pœnæ a Concilio inflictæ raptoribus non incurruntur, niſi poſt ſententiam Judicis, nempe perpetua infamia, & inhabilitas ad omnes dignitates, quæ proxime ſequitur infamiam, hæc autem requirit Judicis ſententiam, ſaltem declaratoriam criminis, a qua pœna infamiæ non liberatur raptor, etſi raptam ducat in uxorem, ut aperte patet ex *cit. Decreto Concilii*, quod expreſſe ſtatuit, non obſtante matrimonio raptoris cum rapta, eum incurrere pœnas excommunicationis, infamiæ & inhabilitatis ad omnes dignitates; neque ideo compellitur rapta nubere infami, quia ad hoc non cogitur, ſed libere poteſt, vel raptori, poſtquam extra ejus poteſtatem eſt conſtituta, vel alii nubere. Neque id etiam repugnat favori matrimonii, quia ea pœna imponitur raptori, non ob contractum matrimonium cum rapta, ſed ob delictum raptus, & ſolum deciditur, non liberari raptorem a tali pœna, etiamſi raptam ducat, *Sanchez c. l. n.* 3.

Similiter pœna depoſitionis e gradu, ſeu ſtatu Clericali impoſita Clericis raptoribus, requirit ſententiam Judicis, antequam non ſunt, ipſo facto, depoſiti, ſed deponendi per miniſterium Judicis, *Sanchez cit. l.* Denique quod attinet ad pœnam, qua tenetur raptor dotare raptam, illa obligatio etiam non contrahitur a raptore, ante Judicis ſententiam, ut patet ex *cit. Decreto Concilii*, ubi dicitur; *teneri decenter dotare raptam arbitrio Judici*, nempe ſpectata qualitate, & conditione raptoris, & raptæ, cum pro circumſtantiis utriuſque perſonæ major vel minor inferatur injuria, cujus pœna eſt dotatio. Quod ſi tamen ex raptu, non tantum injuria, ſed etiam damnum injuſte illatum eſſet, illud in foro conſcientiæ ante omnem ſententiam Judicis, reſarciendum foret, ex communi doctrina de reſtitutione damni, *Sanchez c. l.*

XXI. Notandum tertio. Raptor, ſive Clericus ſit, ſive Laicus, juxta cit. Decretum Concilii, non incurrit irregularitatem, ſed infamiam, quæ eſt cauſa irregularitatis, ut docet *Navarrus l.* 5. *conſil.* 3. *n.* 4. *hoc t.* ideoque cum non incurratur infamia, ante Judicis ſententiam, neque irregularitas contrahetur, donec raptor per ſententiam Judicis fuerit depoſitus ab Ordine, ſi Clericus ſit, vel reus criminis, & infamis declaratus: Idemque eſt de conſulentibus & auxiliantibus ad raptum, *Sanchez cit. diſ.* 13 *n.* 1.

Notandum quarto. Parochus aſſiſtens matrimonio inito inter raptorem, & raptam, quæ non eſt in priſtina libertate extra raptoris poteſtatem conſtituta, non incurrit pœnas Concilii Tridentini: non enim favet delicto raptus, quod jam eſt commiſſum & conſummatum, ſed ipſi matrimonio: niſi ante raptum promiſiſſet raptori, quod aſſiſtere velit matrimonio contrahendo cum rapta, adeoque illum ad raptum exequendum animaſſet, tunc enim tanquam fautor pœnis raptus obnoxius fieret, *Sanchez citato loco num.* 8. *in fine.*

XXII. Notandum quinto. Is, qui rapuit, ſeu per vim abduxit fœminam, non animo contrahendi cum illa matrimonium, ſed ſolius libidinis explendæ cauſa, vel ex alia cauſa, non incidit in pœnas raptus e Concilio decretas, ſed alia pœna, pro modo culpæ, plectendus eſt, ac proinde validum eſt tunc matrimonium inter raptorem, & raptam, ſi hæc poſtea libere conſentiat, etiamſi non fuerit conſtituta extra poteſtatem raptoris, ut ex probabiliore ſententia docet *Diaz in pract. Canone.* 82. *in addit. lit. A.* §. *Clericus autem, Sanchez cit. diſ.* 13. *num.* 4. quamvis contrarium teneat Azor ſupra citatus. Sed ratio eſt, quia Concilium Tridentinum in *c.* 6. *de reform. matrim. in princ.* loquitur de matrimonio contrahendo inter raptorem, & raptam, & poſtea pœnas ſubjicit tranſgreſſoribus imponendas, adeoque indicium eſt, de illo ſolo rapto ibi agi, qui cauſa matrimonii ineundi fit, idque Decretum ſub Rubrica de reformatione matrimonii ponitur, ideoque pœnæ ibi decretæ imponuntur raptoribus, ut cum plena libertate ineatur matrimonium; in rapto autem ab initio intervenit coactio, & idcirco Concilium exigit, ut rapta prius reſtituatur in priſtinam libertatem, & a raptore ſeparetur: quæ ratio omnino ceſſat in eo, qui non matrimonii, ſed ſolius libidinis cauſa fœminam rapit, quia nihil agit contra matrimonium, ejuſque libertatem: præterquam quod quando textus eſt dubius, juxta argumentum in eo propoſitum ſit intelligendus, & LL. pœnales, præſertim pœnæ tam graves non ſunt extendendæ, ſed reſtringendæ, quando littera non cogit; neque etiam in cit. Decreto ullum verbum expreſſum eſt, ex quo colligatur, textum illum eſſe generaliorem Rubrica. Et ita deciſum fuiſſe per S. Congregationem Concilii die 23. Januarii anno 1586. nempe raptores ob aliam cauſam, quam ut in uxorem ducant, non comprehendi a Concilio propter identitatem, vel majoritatem rationis, nec Conſtitutionem pœnalem extendi tali caſu, teſtatur *Jo. Gullemart. in cit. Decreto Concilii*, Porro pœnæ illæ

Digitized by Google

læ habere poſſunt locum etiam in Clericis, quia fautores raptus poſſunt eſſe Clerici, etiam in Sacris Ordinibus, & raptores, qui minoribus Ordinibus ſunt Initiati: imo etiam qui in Sacris ſunt conſtituti, poſſunt rapere fęminas, cauſa contrahendi matrimonii, non de jure, ſed de facto, & incurrere pęnas, raptus, *Sanchez cit. diſ. 13. num. 18. in fine.* Quare in cit. Decreto Concilii non punitur raptus, qui fit libidinis explendæ cauſa, niſi ſimul fieret cauſa libidinis, & matrimonii contrahendi, tunc enim comprehenderetur ſolum, quatenus fieret, cauſa matrimonii, ſub hoc Decreto, *Sanchez diſ. 13. n. 5.*

XXII. Hinc colligitur primo: Nomine raptoris hic non tantum is qui phyſice rapit, ſed etiam is, cujus nomine, vel mandatu, vel ad cujus petitionem, raptus fit, comprehenditur, ita ut matrimonium a mandante initum cum rapta ſit invalidum, niſi prius in loco tuto fęmina conſtituatur, & incurret etiam cæteras pęnas, tanquam verus raptor per intermediam perſonam, ad effectum matrimonii ineundi. Is vero, qui proprio motu aliquam rapit, non ut ipſe, ſed ut alius cum ea matrimonium ineat, in pęnas ordinarias non incidit, quamvis aliis pęnis plectendus ſit, valetque matrimonium cum illo tertio initum, ſi rapta libere conſentiat, etiamſi adhuc ſub poteſtate raptoris exiſtat, quia prima pęna Decreti Tridentini eſt, ut inter raptorem & raptam non poſſit conſiſtere matrimonium, quamdiu rapta ſub poteſtate raptoris exiſtit, ac proinde in illo ſupponitur raptum factum eſſe eo fine, ut raptor raptam ducat, ergo ſi quis fęminam rapiat, non ut ſecum, ſed cum alio matrimonium ineat, non habent locum pęnæ illæ. Si quis vero conſilium, vel auxilium præberet ei, qui fęminam rapuit eo fine, ut matrimonium cum illa ineat, incurrit quidem excommunicationem, aliaſque pęnas auxiliantium ad raptum: poteſt tamen cum ipſo mulier rapta valide matrimonium contrahere, etiam dum adhuc eſt in poteſtate raptoris, quia ea pęna, ut matrimonium ſit invalidum inter raptorem, & raptam, donec rapta in loco tuto ſit repoſita, non eſt auxiliantibus ad raptum impoſita, *Sanchez cit. diſp. 13. n. 6.*

XXIV. Colligitur ſecundo. In dicto decreto Tridentini comprehenditur raptus cujuſcunque fęminæ, ſive virgo ſit, ſive corrupta, ſive etiam meretrix, & inhoneſta, quia Concilium intendit punire, non quemcunque raptum, ſed quando violenter rapta eſt fęmina, cauſa ineundi matrimonii cum illa, quæ non minus impeditur, & coarctatur, ſi fęmina inhoneſta rapiatur, vel alia cujuſcumque ſtatus, animo cum illa ineundi matrimonium, *Sanchez c. l. n. 14.* Quin imo etiamſi quis rapiat fęminam conjugatam, animo ineundi cum illa matrimonium, non de jure, quod fieri nequit, ſe de facto, vel quia intercedit inter eos aliud impedimentum dirimens matrimonium, v. gr. conſanguinitatis, adhuc incurrit pęnas raptus decretas in Concilio, quia hoc non requirit, ut ineatur inter raptorem, & raptam matrimonium: ſed hoc ſolum ſpectat, utrum fęmina fuerit violenter abducta ad contrahendum matrimonium cum illa: tunc enim conſummatum eſt delictum raptus, & incurruntur pęnæ Concilii, ſive raptor ducat raptam, ſive non, quia eam ducere non poteſt, vel quia non eſt poſita extra poteſtatem raptoris, vel ob aliud impedimentum dirimens matrimonium inter eos, ut ſatis aperte colligitur ex ſubjunctis verbis Concilii, ibi: *Et nihilominus raptor ipſe &c.* quaſi dicat, has pęnas incurrit raptor non minus, ſi raptam ducat, quam ſi non ducat, nam hoc nihil refert, quoad pęnas incurrendas, *Sanchez c. l. n. 14.*

Colligitur tertio, Incurri pęnas raptus decretas in Concilio, ſive poſtea ſecuta ſit copula cum rapta, ſive non, quia non punitur raptus commiſſus libidinis cauſa, qui requirit, ut copula ſit ſecuta, alioquin non eſt conſummatum delictum: ſed cauſa matrimonii ineundi factus, ut jam ſæpius dictum, ad quem non requiritur, ut copula ſit ſecuta, *Sanchez c. l. n. 8.*

Colligitur quarto. Incurri prædictas pęnas, ſi mulier violenter ſit rapta, cauſa matrimonii contrahendi, etſi non ſit perducta ad locum deſtinatum, ſed ſufficit, quod illam raptor per vim in ſuam poteſtatem redegerit, per talem enim violentam abductionem jam eſt conſummatum delictum raptus, & perfecte irrogata eſt injuria libertati matrimonii, ſicut §. *praced.* dictum eſt n. 10. de rapto, libidinis cauſa facto, *Sanchez cit. diſ. 13. n. 10.*

XXV. Colligitur quinto. Quando & in quibus caſibus non habeant locum prædictæ pęnæ Concilii Tridentini. Nam primo, ſi fęmina rapta non ſit abducta ab uno loco ad alium locum, in quo ſit ſub poteſtate raptoris conſtituta, non incurruntur pęnæ raptus, quia id ex generali ratione raptus pęnis obnoxii requiritur, *Navarr. l. 5. conſil. 2. n. 1. Sanchez l. 7. de matr. diſ. 13. nu. 7.* quamvis non ſit neceſſarium, ut ad locum deſtinatum pervenerit, ut jam dictum. Secundo, non habent locum hæ pęnæ, ſi fęmina volens ſit abducta, quamvis poſtea mutata voluntate, renitatur, & reſiſtat abductioni: ſecus eſt, ſi ab initio invita, & reluctans abducta ſit, & poſtea velit, & conſentiat, quia in his initium ſpectandum eſt, *Sanchez c. l. n. 9.* & dictum §. *praced.* Tertio non incurruntur hæ pęnæ, ſi fęmina ſolis precibus importunis, vel etiam donis, & pecunia inducta ſit, ut conſentiret in ſui abductionem, quia non eſt vere raptus, niſi tales preces, ob adjunctas minas, vel metum reverentialem, æquiparentur violentiæ, *Sanchez c. l. n. 12.* & dictum etiam ſupra.

XXVI. Quarto neque etiam hæ pęnæ Concilii Tridentini habent locum, ſi puella dolo circumventa, patiatur ſe abduci, cauſa ineundi matrimonii, quia cum interveniat violentia, non eſt proprie raptus. Et licet dolus ſufficiat ad incurrendas pęnas *l. unica C. de raptu virg.* Ubi id eſt expreſſum: tamen Decretum Concilii Tridentini ſolis raptoribus pęnas imponit, quales proprie non ſunt, ubi abeſt violentia, & cum hoc Decretum ſit pęnale, & correctorium, debet reſtringi ad verum ac proprium raptum: Nec refert, quod ſicut violentia, ita etiam dolus adverſetur libertati matrimonii, cum etiam tollat voluntarium: Nam non omnis dolus, ſed ſolum ille omnino tollit voluntarium, qui verſatur circa errorem perſonæ, & conditionis illius, an ſit libera, an ſerva: & quamvis ſi talis ſit dolus, auferat voluntatis libertatem, & per conſequens etiam reddat matrimonium invalidum, non tamen infert violentiam, quæ neceſſario requiritur ad verum ac proprie dictum raptum iis pœnis obnoxium, *Sanch. c. l. n. 12.*

XXVII. Quinto, ſi puella conſentiens a domo parentum, vel eorum, quorum curæ ſubeſt, ipſis ignorantibus, abducatur, non habent locum pœnæ Concilii, quia non eſt proprie raptus: at ſi ipſis invitis, matrimonii cauſa ſit abducta, etſi ipſa conſentiente, eſt vere ac proprie raptus, & conſequenter incurrunt pœnæ, quia, ut dicatur rapta, ſufficit, ut contra voluntatem patris e domo ejus ſit abſtracta, ſive id fiat volente puella, ſive nolente, ut docet *Navarr. l. 5. conſil. 2. hoc tit.* & alii apud *Sanch. cit. diſp. 13. nu. 13.* quamvis ipſe valde probabiliter contrarium teneat, nempe pœnas, hoc caſu, non incurri, quia Concilium Tridentinum in hoc Decreto intendit favere libertati matrimonii, & cavere, ne fęmina invita, & repugnans cogatur illud inire cum raptore, ergo etiamſi parentes diſſentiant, ſi tamen ipſa puella conſentiat in ſui abductionem, non læditur libertas matrimonii, adeoque propter diſſenſum parentum non incurruntur prædictæ pœnæ raptus. Et quamvis conſenſus parentum requiratur ad honeſtatem matrimonii, ut licite, & decenter ineatur, non tamen requiritur ad valorem matrimonii, ſed ſolum ut ipſa fœmina libere contrahat matrimonium cum raptore, ideoque ſi violenter rapta ſit, ut reſtituatur priſtinæ libertati, & in tuto ac libero loco collocetur: quare ſola voluntas, ſive conſenſus fœminæ, & ejus diſſenſus attenditur in Decreto Concilii, non vero parentum: ac proinde ſicut ſi puella invita abducatur cauſa matrimonii contrahendi, parentibus volentibus, locum habent pęnæ raptus: ita e contrario, ſi ipſa velit, etſi parentes nolint, non incurruntur pęnæ raptus. *Sanch. c. l.*

XXVIII. Sexto, ſi ſponſa de futuro conſentiens abducatur a ſponſo, matrimonii contrahendi cauſa, etſi parentes contradicant, non incurruntur pęnæ raptus, ut conſtat ex *c. pen. hoc t.* ſecus eſt, ſi ſponſa nolens, & reclamans abducatur, ſive parentes conſentiant, ſive non, tunc enim læditur libertas matrimonii, nec poteſt ſponſa per vim cogi ad ſervandam fidem ſponſalium, ſaltem ſi juſtam cauſam habeat non ſtandi fide data, *Sanch. c. l. n. 15.*

Septimo, ſi fęmina virum rapiat nolentem, & contradicentem ad ineundum, ſecum matrimonium, non habent locum pęnæ raptus decretæ in Concilium Tridentinum cum hoc de ſolo raptore loquatur, adeoque ſit Decretum pęnale, & correctorium, ad fęminam, quæ rapuit virum, extendi non debet, *Sanchez citat. loco num. 16.* patet ex dictis §. *praced.*

XXIX. Poſtremo prædictis addendum primo, ſicut matrimonium, ita etiam ſponſalia inter raptorem, & raptam, quamdiu hæc in poteſtate raptoris manet, valide contrahi non poſſunt, quia etſi Decretum Concilii Tridentini non loquatur de ſponſalibus, ſed de ſolo matrimonio, adeoque tanquam pęnale, & Jus commune corrigens non videatur extendendum ad ſponſalia: attamen cum ſponſalia ſint via, & præparatio ad matrimonium, ideo prohibito, & irritato matrimonio, cenſentur etiam prohibita, & irrita ſponſalia, ſi eadem prohibitionis ratio ſit in utriſque ut in propoſito, defectus plenæ libertatis. *Navarr. l. 5. conſil. 2. hoc tit. Sanch. cit. 13. n. 17.* Aliud eſt de matrimonio clandeſtino, & ſponſalibus clandeſtinis, quæ adhuc valent, quia in his non eſt eadem ratio, quæ in matrimonio clandeſtino: nam hoc eſt prohibitum, & irritatum ad vitandum periculum fornicationis, & concubinatus: ſi enim is, qui prius clam cum aliqua matrimonium contraxit, poſtea alium publice duxit in facie Eccleſiæ, huic cohabitare cogetur, quia de matrimonio priore nihil conſtabat Eccleſiæ, & tamen poſterius invalidum eſt: quæ ratio ceſſat in ſponſalibus clandeſtinis, nam matrimonium, poſt ſponſalia prius cum aliqua alia inita, contractum eſt validum, *Sanch. l. 1. de matr. diſ. 12. n. 2.* de quo alibi. Addendum ſecundo, accuſatio criminis raptus non finitur quinquennio, ſicut adulterium, vel alia delicta carnis, *l. Quicunque 5. § Qui vacantem, juncta Gl. fin. C. ad leg. Jul. de vi public. Farinac. p. 5. q. 144. n. 67.*

§. V.

De rapina & raptoribus rerum, ſeu bonorum, eorumque pœnis Jure Civili ſtatutis.

XXX. Quæritur primo. Quid ſit rapina, & quis dicatur raptor? Reſp. rapina ſumitur, vel late, pro illicita uſurpatione rei temporalis, ſive manifeſte, ſive occulte; quo ſenſu dicitur in *c. Si quis 10. cauſa 14. q. 4. ſi quis uſuram acceperit, raptum facit, & c. Si quid 6. citat. cauſa qu. 5. ſi quid inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti.* Secundo, accipitur rapina proprie ac ſtricte, prout eſt crimen vicinum furto, & eſt injuſta rei alienæ mobilis, vel ſe moventis per vim ablatio, *Hoſtienſ. in ſumma Rubric. de raptoribus, verum hoc tit. num. 2. Sylveſt. V. Rapina in princ.* & alii. Dicitur primo, *injuſta ablatio*, nam ſi quis rem alienam juſte, etiam per vim, auferat, ut in bello juſto, non eſt rapina. Dicitur ſecundo, *per vim*, quia etſi quis rem alienam injuſte, & per dolum auferat, ſed non per vim, ſive occulte, ſive etiam palam, & manifeſte, furtum erit, non rapina, quia hæc ſine vi fieri non poteſt: eaque vel publica, quæ fit cum armis,

Digitized by Google

mis, vel privata, quæ ſine armis infertur. Quare omnis raptor eſt fur, & quidem improbior fur, *Inſtit. vi bonor. raptor. in princ. & l. 2. §. Cæterum ff. eod.* ſed non vice verſa, omnis fur eſt raptor. Dicitur tertio, *rei alienæ*, quia ſi quis rem ſuam propriam violenter tollat ab eo, qui illam abſtulit, non eſt raptor, nec pœna ordinaria rapinæ punitur, ſed alia mitiore, ob vim privata auctoritate illatam, cum poſſet eam repetere in judicio, *Silveſt. c. l. in princ.* Dicitur quarto, *res mobilis*, quia res immobiles, ut fundi, & res Soli proprie non dicuntur rapi, ſed violenter invadi, *§. Ita tamen in fine Inſtit. vi bon. rapt. & l. 1. C. eod.* Deinde rapina proprie fit in rebus, raptus in perſonis, nempe in mulieribus, aliiſve perſonis, *Hoſtienſ. hic n. 1.* Differt raptor a prædone, ſive latrone publico, qui hic in vis publica iterantibus res ſuas aufert: raptor vero vel manifeſte, vel palam, vel occulte res alienas per vim aufert, ſive in loco publico, ſive etiam in privato, *c. Pœnale 13. cauſ. 14. q. 5. Hoſtienſ. hic n. 2. & Silveſt. in princip.*

XXXI. Porro rapina ſpecie differt a furto in ratione injuriæ, ut docet, *S. Th. 2. 2. q. 66. art. 4. Leſſ. l. 2. de juſtit. c. 20. n. 8 dub. 2.* tum quia in furto diverſa ratio involuntarii, & conſequenter injuſtitiæ reperitur (nam volenti non fit injuria, ſed ſolum involuntario, & invito) furtum enim fit, domino ignorante, adeoque continet involuntarium, ob ignorantiam: rapina vero fit, domino ſciente, & vim patiente; adeoque continet involuntarium, ob coactionem. Unde etiam rapina eſt gravius peccatum, cæteris paribus, quam furtum, quia eſt longe magis involuntarium. Tum qui a rapina, præter injuſtitiam furti, qua læduntur bona proximi, continet etiam, & ſuperaddit realem contumeliam lædentem perſonam, & honorem proximi. *Molin. tom. 3. de juſtit. tr. 2. diſ. 683. nu. 7.* Ad rapinam revocatur extorſio rei ab altero per metum injuſte incuſſum facta, nam quamvis rapina ut plurimum fiat palam, & cum vi: poteſt tamen fieri, etiam ſine vi actu illata, ita tamen, ut raptor ſit paratus ad vim inferendam, eamque comminetur, *Farinac. in praxi crimin. p. 6. q. 166. n. 36.*

XXXII. Quæritur ſecundo, quæ pœnæ ſtatutæ ſint in raptores rerum, ſeu bonorum Jure Civili? Reſp. primo, ſi agatur civiliter, punitur raptor, infra annum utilem, in quadruplum; poſt annum vero in ſimplum, ita tamen ut in illo quadruplo inſit rei perſecutio, ſive ipſa res ablata computetur, & pœna ſit triplum tantum, & poſt annum, ſimplum, id eſt res tantum, vel ejus æſtimatio præſtanda ſit. *Inſtitut. Vi bonor. raptor. in princ. & l. Prætor. art. 4. in princ. ff. eod.* cum enim ſit actio pœnalis Prætoris, annum excedere non debet. Porro in foro, etiam conſcientiæ, non tenetur raptor, vel alius, qui injuſte rem alienam abſtulit, ante Judicis ſententiam plus reſtituere, quam accepit, ſed poſtquam condemnatus eſt, tenetur pœnam ſolvere, ut docet *S. Th. 2. 2. q. 62. art. 4. in corp. Silveſt. V. Rapina q. 1.* Reſp. ſecundo, ſi agatur criminaliter contra raptorem violentum rerum, ſeu bonorum, tunc vel cum armis facta eſt rapina, & punitur raptor pœna Legis Juliæ de vi publica, quæ eſt, ut damnato aqua, & igni interdicatur *l. Qui dolo 10. §. fin. ad Leg. Jul. de vi publ.* in cujus locum ſucceſſit deportatio. *Gl. fin. ibid. §. Item Lex Julia de vi publica, Inſtit. de publ. Judic.* Hoc vero tempore, vice deportationis infligitur pœna Banni, ſive excommunicationis Imperialis, qua reus vis publicæ, conſtituitur extra protectionem, & communitatem Imperii, tam quoad perſonam, quam quoad res, *Mynſing. in cit. §. Item. Lex Julia de vi publ. Inſtitut. de public. Judic. n. 3.* Si vero, ſine armis, facta ſit rapina, punitur raptor pœna Legis Juliæ de vi privata, quæ eſt amiſſio tertiæ partis bonorum, *cit. §. Item Lex Julia de vi*, & amiſſio omnis dignitatis, ſeu honoris, item infamia, *l. 1. princ. ff. ad Leg. Jul. de vi privata & l. 2. C. eod. Hoſtienſ. in ſumma §. de raptoribus eorum n. 9. h. t. Mynſing. c. l. n. 5.*

§. VI.

Quomodo puniantur raptores bonorum, ſecundum Jus Canonicum.

XXXIII. De pœnis violenter rapientium res ſeu bona extant plura Capitula *h. t.* Et imprimis quidem in *c. De illis 1. h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio Meldenſi c. 2. ſtatutum habetur: „Quia aliquando aliqui de uno loco ad alium iter faciunt, & ibi rapinas, & deprædationes (rapinas, quo ad res mobiles; deprædationes, quoad ſe moventes, ſicut ſunt animalia, *Hoſtienſ. hic V. eod. & Abb. n. 1.* quamvis ut plurimum ſumantur promiſcue, & pro ſynonymis) exercent, ideo placuit Concilio, ut a Prælato illius loci (ſcilicet Epiſcopo, vel alio Prælato quaſi Epiſcopalem juriſdictionem in eo loco habente, *Abb. hic numer. 2. not. 3.*) excommunicentur (quia ratione delicti facti ſunt de foro illius, & ibi poſſunt conveniri, ac puniri, *cap. 1. cauſ. 3. quæſt. 6. cap. Poſtulaſti 14. & cap. ult. de foro compet. Gl. hic V. Excommunicetur, & Abb. n. 4.*) nec antea de Parochia illa exeant (id eſt, Diœceſi, *c. Excommunicamus 13. §. Adjicimus de hæret. c. 2. de Magiſt.*) quam digne, quæ perpetrarunt, emendent (id eſt, ſufficienter, & plene pro iis ſatisfaciant, *Hoſtienſ. hic V. Digne*) & eorum excommunicatio proprio Epiſcopo ſignificanda eſt, ne eos recipiat, antequam illuc redeant, ubi rapinam fecerunt, ut omnia plene emendent, ſive plene ſatisfaciant. Debet autem Epiſcopus proprius, ſub quo raptores, ſeu prædones illi domicilium habent, ſententiam excommunicationis ab Epiſcopo loci delicti ſibi intimatam, approbare, & exequi, & a ſubditis ſatisfacere obſervari, ne participent cum illis, *Hoſtienſ. hic in fine.*

XXXIV. Notandum primo, Sententia excommunicationis ab homine ferri non poteſt, niſi ob contumaciam conſurgentem ex delicto, ideoque reus prius moveri debet, ut ſatisfaciat, & ſi nolit, excommunicandus eſt, *c. Sacro 8. de ſent. excomm.* ſed a jure fertur quandoque excommunicatio propter delictum, etſi contumacia non præcedat nec admonitio, ut *c. Si quis ſuadente 29. cauſ. 3. q. 4.* quamvis ipſa lex, ſive Conſtitutio tacite admoneat, ne quis contra illam delinquat, *Abb. hic n. 2.*

Notandum ſecundo. Excommunicatus in uno loco eſt excommunicatus quoque in omni alio loco, ita ut ſit ubique vitandus, ut colligitur ex hoc *c. Abb. hic n. 3.* quod procedit, ſi ſit nominatim denunciatus; aliud eſt, ſi ſit perſonaliter interdictus a certo loco, *Gloſſator Abbatis hic lit. B.*

Notandum tertio, ratione delicti commiſſi in alieno territorio ſubjicitur quis Judici loci, in quo deliquit, non ſolum quoad pœnas temporales, ſed etiam ſpirituales, quibus ligatur anima, ut ab ipſo excommunicari poſſit, ut patet ex hoc c. Idque procedit in foro externo, ſive contentioſo: At vero in foro interno pœnitentiæ, non ſubjicitur quis præciſe ratione delicti, ibi commiſſi, Epiſcopo, vel Parocho illius loci, ita ut ab ipſo in hoc foro abſolvi poſſit. Ratio diſparitatis eſt, quia in foro contentioſo imponitur pœna reo delinquenti, ut ſatisfiat Reipublicæ læſæ ob ſcandalum illi datum, & ideo pœna imponenda eſt in eo loco, ubi delictum commiſſum eſt. At in foro interno pœnitentiæ imponitur pœna, ſeu pœnitentia, ut ſatisfiat DEO læſo, adeoque a proprio Judice, ſeu Sacerdote imponenda eſt, cum in hoc foro habeat Sacerdotem proprium, loco DEI, *c. Omnis 12. de pœnit. & remiſſ. Abb. hic num. 4.* niſi in loco delicti reus contraxiſſet domicilium, vel quaſi domicilium, vel neceſſitas cogeret, quia non poteſt adire Sacerdotem proprium, *Gloſſator Abbat. in citat. c. 2. lit. A. hoc tit.*

XXXV. Præterea in *c. Super eo 2. hoc tit.* ſtatuit Eugenius III. primo, „ut quicunque violenter rapinam fecerit, vel in Eccleſiarum violatione manifeſte fuerit deprehenſus, ei pœnitentia denegetur, niſi prius ablata reſtituerit, ſi poterit (quia impoſſibilium nulla eſt obligatio, *R. g. 185. in ff.* & inanis eſt actio, quam excludit inopia debitoris, *l. Nam is 6. ff. de dolo Gl. hic V. Si poterit*,) vel ſaltem firmam, & plenam ſecuritatem emendandi præſtiterit. Secundo, ſi vero uſque ad obitum in contumacia ſua perſtiterit, & in extremis poſitus pœnitentiam humiliter poſtulaverit, ei pœnitentia & ſepultura Eccleſiaſtica concedantur, ſi ſatisfecerit, vel ſaltem emendandi, ſeu ſatisfaciendi ſecuritatem præſtiterit. Tertio, qui autem adhuc ſanus, obſtinata mente, non pœnituerit, vel emendaverit, ſeu ſatisfecerit, & in morte ſecuritatem emendandi (multo minus ſatisfactionem) præſtare nequiverit ſolemnitas pœnitentiæ parum ipſi prodeſſe videtur (quantum ad pœnam temporalem, quæ pro peccato debetur, & per exteriorem ſatisfactionem remittitur, quæ ſatisfactio, ſi in hac vita non fuerit facta, in purgatorio facienda eſt, *Gl. hic V. Prodeſſe*, *Hoſtienſ.* licet ſolemniter, & publice abſolveretur, vel etiam occulte) ſed ſi de peccato contritus fuerit, Viaticum ei non negetur, ita tamen ut nullus Clericorum ſepulturæ ejus interſit, nec ejus eleemoſynam præſumat accipere. Quarto, redeundo ad primum caſum ſi quis Presbyterorum, vel Clericorum contra prædicta, in vita, vel in morte pœnitentias dare (illis, qui nec in vita, nec in morte ſatisfacere volunt, & poſſunt, *Gl. V. Pœnitentias*) aut ſepulturæ intereſſe, vel eorum eleemoſynas accipere præſumpſerit, vel particeps hujuſmodi rapinæ fuerit, periculum ſui Ordinis irreparabiliter patiatur, & Eccleſiaſtico beneficio careat.

XXXVI. Pro explicatione hujus obſcuri cap. & textus notandum primo, quatuor caſus in eo poni, ut notat *Gloſſator Abbatis Alexander de Nevo ibid. lit. B. in addit.* Primus eſt, ſi quis nec in vita nec in morte voluit ſatisfacere, & huic denegatur pœnitentia, quia conſtat, eum in peccato mortali, & impœnitentem deceſſiſſe. Secundus eſt, ſi quis in vita ſatisfacere noluit cum poſſet, ſed poſitus in extremis ſatisfecit, & huic concedenda eſt pœnitentia, & ſepultura, *citat. c. 2. verſ. Si vero hoc tit.* Tertius caſus eſt, quando in vita noluit pœnitere, nec ſatisfacere, ſed fuit obſtinatus, in morte vero ipſum pœnitet, & mallet ſatisfacere, ſed non poteſt, nec etiam ſecuritatem præſtare poteſt de ſatisfaciendo, hoc caſu pœnitentia, & abſolutio occulta non eſt ei deneganda, ſed publica, & ſolemnis reconciliatio denegabitur in opprobrium hæredum, ut ſtudeant ſatisfacere, & ideo nullus Clericorum debet intereſſe ejus ſepulturæ, *cit. c. 2. §. Qui autem.* Dicitur autem obſtinatus, qui ſæpe opportunitatem, & facultatem reſtituendi habuit, & admonitus, vel etiam excommunicatus ſatisfacere contempſit, *Hoſtienſ. hic V. Obſtinatus.* Quartus caſus colligitur ex *cit. §. Qui autem*, a ſenſu contrario, quando raptor non fuit obſtinatus, imo etiam ante mortem, & in vita voluiſſet libenter ſatisfacere, ſed non potuit, quia ad paupertatem devenit, & tali non eſt deneganda publica, & ſolemnis abſolutio, & ſepeliendus eſt in Eccleſia, & Clerici poſſunt intereſſe ejus ſepulturæ, & eleemoſynas illius recipere, ut colligitur etiam ex *princip. cit. c. 2* ibi: *Si poterit.*

Notandum ſecundo, quæ in *cit. c. 2.* ſtatuta ſunt intelligi debent de raptore publico, ſeu manifeſto, id eſt, qui poteſt judicialiter convinci, non de occulto, ſeu non manifeſto, ſecundum *Innocent. hic*, is enim poteſt admitti ad pœnitentiam, Viaticum, & ſepulturam, *Hoſtienſ. hic in princ. & Abb. Sylveſt. V. Rapina qu. 1. not. 1.* Imo etſi manifeſtus raptor ſit, ſi tamen nunquam monitus fuit, modo paratus ſit reſtituere, poteſt recipi ad pœnitentiam, ut colligitur ex *cit. c. 2. V. In contumacia. Sylveſt. c. l.* ubi *not. 2.* addit, ſi raptor in mortis articulo conſtitutus, promittat ſatisfacere, & poſtea convaleſcat, ſed ante ſatisfactionem, quam facere poſſet, decedat, non eſt ei deneganda ſepultura, ſed hæredes ad ſatisfactionem compellentur.

XXXVII. Notandum tertio, quamvis alias regulariter ſi quis non poſſit ſatisfacere, abſolvatur a peccato, nec ulla pœna mulctetur, ut de uſuratiis patet ex *c. Cum tu 5. de uſuris*, tamen hoc ſpecialiter ſtatutum eſt in odium rapinæ, ut quamvis in mortis articulo ipſum pœniteat, ſi tamen non ſatisfaciat, etſi non poſſit, adhuc puniatur, ut in caſu *citat. cap.* 2. ubi in pœnam Clerici non debent intereſſe ſepulturæ raptoris, etſi pœniteat, & ſatisfacere non poſſit, quod tamen cum ſit pœna, ad alios caſus, & delicta extendi non debet, *Abb. hic not.* 1. dummodo obſtinatio, & contumacia præceſſit, quia in vita noluit pœnitere, & ſatisfacere. Porro raptoribus, qui pœnituerunt in morte, ſed ſatisfacere non poſſunt, denegatur ſepultura in Eccleſia; non tamen in cœmeterio. *Gloſſ. fin. hic*. Ita tamen, ut Clerici ſepulturæ intereſſe non poſſint, *Abb. in cit. c. 2. in fine. Diaz in pract. Canon. cit. c.* 110. *num.* 4. Idemque eſt de violatore Eccleſiæ.

Notandum quarto, Clerici raptores, vel participantes in rapina cum eis, vel ſi contra ſupra prohibita fecerint, irreparabiliter deponi debent ab Ordine, & etiam privari beneficio, quia depoſitio eſt perpetua privatio ab Ordine, & beneficio, *c. At ſi Clerici 4. de Judic. Abb. hic num.* 2. *Diaz cit. loc. num.* 2. non tamen hæc pœna depoſitionis perpetuæ, & privationis beneficii ipſo jure incurritur, ſed per Judicem eſt imponenda, *Suar. diſ.* 42. *de cenſur. ſec.* 5. *nu.* 6. *in fine Barboſ. hic n.* 5.

Notandum quinto, prohibetur etiam in *citat. c.* 2. *hoc tit.* Clericis, ne recipiant eleemoſynam a raptoribus, ſeu violatoribus Eccleſiarum, dum non reſtituunt, ſeu ſatisfaciunt: idque non tantum in pœnam, & odium delicti, ſed quia omnia illorum bona ſunt aliena, & reſtitutioni obnoxia, ideoque ex illis tanquam alienis, ſine injuſtitia, eleemoſynæ recipi non poſſunt, *Suar. tom.* 1. *de relig. tr.* 2. *l.* 2. *c.* 6. *n.* 6. *Barboſ. hic n.* 3.

XXXVIII. Denique in *c. Excommunicationi 3. hoc tit.* ſtatuit Concilium Lateranenſe (ſub Alexandro III. cap. 24.) „ ut illi, qui Romanos, aut alios Chriſtianos, propter negotiationem, vel ob alias juſtas cauſas, navigio vectos capere, aut rebus ſuis ſpoliare præſumunt, excommunicentur. Illi etiam, qui Chriſtianos naufragium patientes, quibus ſecundum regulam fidei (illum ſcilicet *diliges proximum ſicut te ipſum, Matth.* 22. *Gl. hic V. eod.*) potius auxilium præſtare deberent, damnanda cupiditate, ſpoliant rebus ſuis, niſi ablata reſtituerint, excommunicationi ſe noverint ſubjacere.

XXXIX. Ubi notandum primo, qui capiunt, vel ſpoliant mercatores, vel alios, ex juſta, & honeſta cauſa, navigantes, non ſunt excommunicati ipſo facto, ſed per ſententiam excommunicandi, prout habetur *hic & in c. Si quis* 23. *cauſa* 24. *qu.* 3. *Hoſtienſ. hic in princ. & Abb. not.* 1. qui vero naufragantium bona diripiunt, ipſo jure, ſeu facto, ſunt excommunicati, §. *Illi etiam hic, junct. Gl. V. Noverint*, ubi *Gloſſ. fin.* addit, eos incurrere excommunicationem poſt admonitionem, vel ſaltem poſtquam fuerint in mora, & ſcienter non reſtituunt, cum poſſent reſtituere, abſque alia admonitione, cum lex ipſa ſufficienter admoneat, *Suarez diſ.* 21. *de cenſur. ſec.* 2. *num.* 15. *in fine*. Et ſic gravius puniuntur, qui ſpoliant patientes naufragium, quam qui ſpoliant navigantes, *Abb. hic not.* 3. Porro deprædantes infideles excommunicationem hujus cap. non incurrunt, cum expreſſe loquatur ſolum de iis, qui Chriſtianos navigantes, vel naufragantes ſpoliant: ſicut ergo non excommunicantur, niſi piratæ Chriſtiani, ſeu baptizati, quia infideles non ſunt capaces ullius cenſuræ, cum Eccleſiæ præceptis, & juriſdictioni non ſint ſubjecti: ita non cenſetur lata cenſura excommunicationis, niſi contra piratas ſpoliantes Chriſtianos, quia æquitas poſtulat, ut utrinque ſervetur æqualitas: cum ergo piratæ infideles non incurrant excommunicationem etiamſi ſpolient Chriſtianos: ita viciſſim nec Chriſtiani piratæ incurrent, ſi ſpolient infideles, licet inique agant, *Suarez cit. diſ.* 21. *ſec.* 2. *num.* 21. Deinde quamvis *Hoſtienſ. hic V. Navigio*, putet excommunicationem, ſive ferendæ, ſive latæ ſententiæ, in *cit. cap.* 3. *hoc tit.* ſolum ferri, & incurrere ſpoliantes eos, qui navigant, vel naufragium patiuntur in mari: probabilius tamen eſt, eſſe idem dicendum de ſpoliantibus navigantes, vel naufragium paſſos in aliis fluminibus, quia Concilium Lateranenſe in *cit. c.* 3. non reſtringit cenſuram excommunicationis ad mare, ſed ſimpliciter loquitur de navigio vectis, & naufragium paſſis, ſive in mari, ſive in fluminibus, *Suar. cit. l. n.* 25. Denique cum abſolutio ab hac excommunicatione nulli ſit reſervata in *cit. c.* 3. ſequitur, Epiſcopum, vel alium etiam inferiorem Prælatum Ordinarium ab illa abſolvere poſſe, *Barboſ. in cit. cap.* 3. *num.* 6.

Notandum ſecundo: iniquæ ſunt Leges Principum, quibus ſtatuitur: ut bona eorum, qui naufragium patiuntur, ad fiſcum regium, vel alterius Principis devolvantur, cum jure naturali, ac divino, imo & humano, ipſis dominis reſtitui debeant, ut colligitur ex *cit. c.* 3. & *l.* 1. *C. de naufragiis lib.* 11. ubi dicitur, quod enim jus habet fiſcus in aliena calamitate, ut de re tam luctuoſa compendium ſectetur, *Navarr. in man. c.* 17. *n.* 113. *in fine. Azor. p.* 2. *l.* 11. *c.* §. 6. *Prætereo Barboſ. hic n.* 8. neque enim afflictio eſt addenda afflictis, & ſecundum fidei regulam, proximos, ſicut nos ipſos, diligere tenemur.

XL. Cæterum hactenus dicta procedunt, ſpectato Jure Canonico antiquo Decretalium. At vero in Bulla Cœnæ „ Domini, excommunicatione 3. excommunicantur, & anathematizantur omnes piratæ, curſarii, & latrunculi maritimi diſcurrentes mare Eccleſiæ (ſcilicet Romanæ) præcipue, & omnes eorum fautores, receptatores, & defenſores. Ubi licet nonnulli putent, ſolum excommunicari piratas diſcurrentes per mare Eccleſiæ, ut Toletus, & alii apud *Barboſ. in cit. c.* 3. *n.* 3. *h. t.* quos ipſe ſequitur: contrarium tamen videtur probabilius, quia verba illa, *diſcurrentes mare noſtrum*, non ſunt conjungenda cum præcedentibus, tanquam limitatio, ſeu determinatio eorum, ſed ſingula ſunt membra diſtincta, ita ut ſenſus ſint: Excommunicamus omnes piratas, & latrunculos, & poſtea addatur, *diſcurrentes mare noſtrum præcipue, Suar. cit. diſ.* 21. *ſec.* 2. *n.* 18.

Hanc autem excommunicationem incurrunt omnes, & ſoli illi, qui per mare diſcurrentes, aliquam prædandi actionem exercent, *Nav. cit. c.* 27. *n.* 59. *Barboſ. c. l. n.* 4. & alii apud ipſum: quamvis *Suar. c. l. n.* 29. putet, quod diſcurrentes per mare animo prædandi, excommunicationem incurrant, etſi nullam prædam actu faciant, eo quod lata ſit tantum in diſcurrentes maritimos piratas, ubi tamen id non aſſertive dicit. Secundo excommunicantur hic piratæ deprædantes bona fidelium, ſeu Chriſtianorum, & baptizatorum; *Suar. c. l. n.* 21. quia intentio Papæ fuit, providere bonis fidelium. Tertio, non incurrunt hanc excommunicationem, qui principaliter diſcurrunt per mare, animo negotia, ſeu mercimonia cum amicis gerendi, vel etiam belli, ſive juſti, ſive injuſti gerendi cauſa cum inimicis, etſi incidenter, & caſu aliquando prædentur, *Nav. c. l. Suar. c. l. n.* 24. *Molin. tom.* 3. *de juſtit. tr.* 2. *diſ.* 694. *n.* 3. quia non cenſentur piratæ, nec latrones, ſed injuſti bellatores. Quarto, nec illi, qui in ſolis fluminibus prædantur, non in mari, *Suar. c. l. n.* 25. *Molin. c. l.* Quinto, incurrunt autem hanc excommunicationem, qui prædantur hos, vel illos, etiamſi non intendant integram nationem ſpoliare bonis, *Nav. c. l.* Sexto, etiam fautores, receptatores, & defenſores piratarum, & quamvis conſulentes hic non exprimantur, videntur tamen generaliter, & tacite comprehendi ſub auxiliantibus, & faventibus, *Nav. c. l.* & alii communiter, quamvis contrarium teneat, *Suarez cit. ſec.* 2. *n.* 22.

„ XLI. Præterea in eadem Bulla Cœnæ Domini excommunicatione quarta, excommunicantur, & anathematizantur omnes, & ſinguli, qui Chriſtianorum quorumcunque navibus tempeſtate jactatis, vel quoquo modo naufragium paſſis, vel in littore inventa, cujuſcunque generis bona, in cujuſcunque maris, regionibus & littoribus, ſurripuerint: ut ſcienter ſibi ipſi acceperint, aut ab aliis rapta, ſeu accepta receperint, nec ob quodcunque privilegium, conſuetudinem, aut longiſſimi etiam temporis poſſeſſionem, ſeu alium quemcunque prætextum excuſari poſſint. Eſt autem utriuſque hujus excommunicationis abſolutio reſervata Papæ.

XLII. Porro hæc poſterior excommunicatio quarta non incurritur primo ab iis, qui hujuſmodi bona naufragantium acceperunt, non animo uſurpandi illa, & in uſum, ac commodum proprium convertendi, ſed animo ea conſervandi, & reſtituendi vero domino, habita illius notitia: niſi tamen in mora fuerint reſtituendi, quia tunc ratione illius moræ, ſunt excommunicati per Concil. Lateranenſe in *c.* 3. *h. t.* Secundo, ſi ignorent talia bona eſſe naufragantium, ſed putent eſſe aliorum, tunc enim etſi nolint reſtituere, & ſint in mora reſtituendi, non incurrunt hanc excommunicationem. Tertio, ſi acceperunt talia bona, quæ Dominus habuit pro derelictis, amiſſa omni ſpe ea recuperandi, tunc enim fiunt primo occupantis: ſecus ſi Dominus illa projeciſſet in mare, propter vim tempeſtatis ad navem exonerandam, ut periculum evadat, quia tunc dominium remanet penes proprium dominum. Quarto, ſi diripiantur bona naufragorum infidelium, Judæorum, hæreticorum, & aliorum Chriſtiani nominis hoſtium, ut ſupra dictum. Quinto, ſi quod acceptum eſt ex bonis naufragorum, tam modicum eſſet, ut non ſufficeret ad culpam lethalem: imo aliqui requiritur ad excommunicationem Bullarum incurrendam, ut furtum, ſeu bona rapta excedant duos aureos: Sexto, ſi accipiantur tales res, quæ de ſui natura ſtatim periiſſent, niſi quis ad eas recuperandas, ſeu ſervandas, periculo mortis ſe expoſuiſſet, *Molin. cit. diſ.* 694. *nu.* 6. & 7. *Zerola in praxi Epiſc. p.* 2. *V. Naufragium. Quarantain Summa Bullarii, V. Bona Naufragantium, fol.* 1406. & *ſeqq.* & *alii*. Illud hic addendum, cum in excommunicatione poſteriore quarta nulla fiat mentio de fautoribus, ſeu adjutoribus, & receptatoribus, ideo ad illos extendi non debet, niſi quatenus dici poſſunt ſpoliatores, quales ſunt, qui proxime conſilio, vel auxilio cooperantur ad prædationem, vel ſi recipiant bona naufragorum, ita ut fiant participes eorum, *Suar. cit. diſ.* 21. *ſec.* 2. *num.* 32. apud quem plura de hac re videri poſſunt.

§. VII.

De poteſtate, quam habent Prælati Eccleſiaſtici de raptu, & aliis criminibus, eaque puniendi.

XLIII. De hoc agitur in *c. In Archiepiſcopatu* 4. *h. t.* nam „ Rex Siciliæ commiſerat Archiepiſcopo Panormitano, & aliis Epiſcopis, exceſſus Saracenorum puniendos, qui quandoque mulieres Chriſtianas, & pueros rapiebant, & eis abutebantur (ſcilicet contra naturam, *Gloſſ. hic V. Abuti.*) & quoſdam etiam occidere non verebantur. Unde quæſivit Archiepiſcopus, qualiter hujuſmodi exceſſus, & crimina punire debeat? Reſpondet Papa Alexander III. quod tales exiſtentes ſub juriſdictione ipſius, pecuniaria pœna poterit mulctare, & etiam flagellis afficere, ea tamen moderatione adhibita, ut flagella in vindictam ſanguinis non tranſeant. Si vero ita gravis, & enormis exceſſus fuerit, ut mortem, vel detruncationem membrorum debeant ſuſtinere, vindictam illam reſervet Regiæ poteſtati.

XLIV. Pro explicatione hujus cap. notandum primo, Prælati Eccleſiaſtici, ſicut & alii Clerici, poſſunt, in cauſis Laicorum, etiam criminalibus, in quibus pœna ſanguinis non infligitur, eſſe Judices delegati, cum ex ſe ſint capaces ſæcularis juriſdictionis, tum ordinariæ, tum

dele-

delegatæ, *c. Sape 29. & ibi Gloſſ. V. Supplicii, cauſa 23. quæſt. 8.* & ſumitur ex *citat. cap. In Archiepiſcopatu, & ibi Gloſſ. V. Commiſſeris hoc tit. Innocent. & Abbas num.* 3. Et quamvis alias prohibitum ſit Clericis recipere delegationes, etiam civilium cauſarum forenſium, & ſecularium, *c. Sed nec 4. Ne Clerici, vel Monachi &c. c. Te quidem 29. cauſa* 11. *qu.* 1. ubi prohibetur, Epiſcopum eſſe Judicem, vel cognitorem ſæcularium negotiorum: id tamen *Gloſſ. final ibidem* limitat, quod Epiſcopi, aliique Clerici poſſunt tractare de illis negotiis temporalibus, quæ ſpectant ad Eccleſiam; item ad unam, vel alteram cauſam particularem Laicorum tractandam, etiam Clerici licite delegari poſſunt, dummodo non conſtituantur Officiales, vel Generales delegati, *Gloſſ. Abbas in cit. c. In Archiepiſcopatu lit. E.* & dictum *lib. 3. tit. ult. §. Ne Clerici, vel Monachi &c.* & docet etiam *Abbas in cit. c. Sed nec vod. num. 4. & 5.* Imo etiam generaliter ad plures cauſas, ſive civiles, ſive criminales tractandas, delegari poſſunt Prælati Eccleſiaſtici, vel alii Clerici, ſi delegatio a Principe Laico ipſis fiat, in favorem, & commodum totius Religionis Chriſtianæ, & Eccleſiarum utilitatem, ſeu ſalutem animarum, ut in caſu *cit. c. In Archiepiſcopatu*, ubi Rex Siciliæ commiſit Epiſcopis poteſtatem cognoſcendi, & puniendi crimina Saracenorum, quæ in opprobrium Chriſtiani nominis, & detrimentum ſalutis animarum, ſunt ab ipſis commiſſa, *Abbas ibid. num. 3. & in c. 2. de Judiciis, num. 8.* Accedit quod in *cit. c. In Archiepiſcopatu hoc tit.* agitur de cognoſcendo, & puniendo crimine Sodomiæ, quod cum ſit crimen mixti fori, Epiſcopi, non ſolum vi juriſdictionis ipſis delegatæ a Principe ſeculari, ſed etiam vi propriæ, & ordinariæ ſuæ juriſdictionis, cognoſcere, illudque punire poſſunt, *Barboſ. in Collect. ibid. n. 4.*

Notandum ſecundo. Quamvis plures DD. ex hoc c. probari putent, cauſas criminales, etiam ad merum Imperium ſpectantes, de Jure Canonico delegari poſſe Clericis, & ad id hunc textum allegent, in quo Rex Siciliæ delegavit Epiſcopis poteſtatem puniendi criminoſos, videlicet raptores, & Sodomitas, criminoſos autem punire ad merum Imperium pertinet, juxta *lib. 3. in princ. ff. de juriſdict. omn. Judic.* id tamen ex hoc c. minime evincitur. Nam Rex Siciliæ delegans, quamvis S. Pontificem, ratione feudi, tanquam Dominium recognoſcat, *Clemens. 2. de ſentent. & re judic.* in cæteris tamen Imperii jura ſuprema habet, nec Imperatori ſubeſt, ſed idem poteſt, quod Imperator: ideoque nil mirum, ſi delegare potuit, etiam quæ meri, & mixti ſunt Imperii, *Abbas in cit. c. In Archiepiſcopatu, num. 2. & ejus Gloſſator ibid. lit. D. Maſcard. lib. 1. de arbitr. Judic. quæſt. 74. num. 45. & 46.* An autem cauſæ criminales, etiam quæ ad merum Imperium pertinent, delegari poſſint de Jure Canonico, huc non ſpectat, de quo dictum eſt *lib. 2. tit. 29. ſec. 3. §. 8.*

XLV. Notandum tertio. Poteſt Judex Eccleſiaſticus, ob delicta infligere pœnam, etiam corporis afflictivam, nempe carceris: vel flagellorum: aut verberum, prout ſumitur ex *citat. c. In Archiepiſcopatu hoc tit. & ibi Abbas numer. 4.* & habetur etiam *cap. 2. de calumniatorib.* imo etiam poteſt Eccleſia, ſeu Eccleſiaſticus Prælatus imponere pœnam ſanguinis, dummodo non ſit crudelis, & gravis, ut ait *Hoſtienſ. V. In vindicta ſanguinis*, vel dummodo non ſit talis, ex qua timeatur periculum mortis, vel mutilationis *arg. c. Audientiam 3. de crim. falſi, Alex. de Nevo in cit. c. In Archiepiſcopatu, in Gl. ad Abb. hoc c. lit. F.*

Notandum quarto. Poteſt Judex, etiam delegatus, pœnam capitalem, ſive ultimi ſupplicii commutare in pœnam pecuniariam, vel aliam temporalem, aut corporalem, niſi ex tali commotatione immineret ſcandalum, vel nulla juſta cauſa commutandi ſubeſſet, vel ſi ageretur via accuſationis ad pœnam legalem imponendam, tunc enim non poteſt fieri pœnæ commutatio, *l. 3. C. Ne S. Baptiſma iteretur, Gl. in cit. c. In Archiepiſcopatu. V. Pecuniaria pœna., Jo. Andr. ibid. n. 4. & Abb. n. 5.* de quo alibi.

XLVI. Notandum quinto. Quando in *citat. c. In Archiepiſcopatu hoc tit.* dicitur, quod exiſtentes ſub juriſdictione Archiepiſcopi ſeu Metropolitani, ab ipſo; vel aliis Epiſcopis poſſint puniri propter crimen raptus, & ſodomiæ id communiter intelligunt Interpretes de juriſdictione ſpirituali ipſius Archiepiſcopi, vel alterius Epiſcopi, ex commiſſione tamen ipſis facta a Rege, nam ſi temporalem juriſdictionem Epiſcopus ibi haberet, id faceret jure ſuo proprio, *Hoſtienſ. hic V. In juriſdictione, & Jo. Andr. num. 4.* Verum *Abb ibid. num. 7.* contrarium tenet, quod Epiſcopi Saracenos hos exiſtentes in Diœceſi eorum, poterant jure proprio punire, pœna etiam corporali, & ex vi juriſdictionis ſuæ ſpiritualis, & ordinariæ, & non tantum ex delegata a Rege, quia Eccleſia habet juriſdictionem in infideles peccantes contra legem naturæ, ut docet *Innocent. in c. Quod ſuper his, 8. de voto num. 4.* quia cum Deus tales criminoſos puniverit, *Geneſis cap. 19.* videtur, quod etiam Vicarius ipſius, nempe Papa, aliique Prælati Eccleſiaſtici id poſſint, ita ut & Judex Eccleſiaſticus, & ſecularis, poſſit cognoſcere de tali crimine, ſitque inter eos locus præventioni, quamvis de facto non ſoleant Prælati exercere talem juriſdictionem, & ideo forte in caſu *cit. c. In Archiepiſcopatu* recipiebant delegationem a Rege, etſi alias jure proprio punire poterant.

Notandum ſexto, in caſu *citat. In Archiepiſcopatu*, non pœna capitalis, quæ non poterat ab Epiſcopis imponi, ſed alia duplex pœna præcipitur imponi criminoſis illis, videlicet pecuniaria, & flagellorum, idque in ſupplementum pœnæ capitalis, cum alias plures pœnæ, ob idem delictum, infligi non poſſint, *c. At ſi Clerici 4. in fine de Judiciis*, nempe ſi una pœna ſit ſufficiens, alias ſecus, *Alexander de Nevo hic in addit. ad Abbatem in fine lit. C.*

Notandum ſeptimo. Quando cauſa delegata, ſive civilis, ſive criminalis, non poteſt expediri a Judice delegato, tunc remittenda eſt ad delegantem, *cap. final. de ſentent. & re judic.* unde in *citat. c. In Archiepiſcopatu* mandat Papa, ut ſi ob crimen imponenda ſit pœna mortis, vel mutilationis, quam Prælati Eccleſiaſtici infligere non poſſunt ea pœna reſervetur Principi deleganti, *Jo. Andr. hic n. 2. V. Vindictam.*

SECTIO II.

De Incendiariis, & violatoribus Eccleſiarum, quæ eſt altera pars Rubricæ hujus Tituli.

§. I.

De Incendiariis, eorumque pœnis.

Altera pars Rubricæ hujus Tituli eſt de Incendiariis, & violatoribus Eccleſiarum, de prioribus hoc §. De Poſterioribus §. *ſeq.* agemus.

XLVII. Quæritur primo, quis ſit & dicatur Incendiarius? Reſp. is proprie, qui data opera, ſive ſciens & prudens, appoſito igne, incendit civitatem, domum aut prædium, aliudve ædificium, ſive urbanum, ſive ruſticum, aut ſegetes, vel ſimilia aliena, ſtudio, ſive dolo malo, ex odio aut vindicta: vel qui ad hoc mandatum, auxilium vel conſilium ſcienter dedit, *cap. Peſſimam 32. cauſa 23. qu. 8. Cum devotiſſimum 8. cauſa 12. q. 2. c. Si quis domum 6. de injuriis.* Non igitur eſt incendiarius ille, qui propriam domum, vel ſegetem incendit, quamvis peccet abutendo re ſua: neque qui alienam domum, vel aliam rem incendit, auctoritate, vel mandato ejus, qui poteſtatem habet indicendi bellum: neque qui caſu, vel ex negligentia; quamvis enim tenetur ad intereſſe, & damnum reparandum, *c. ult. de injuriis*: non tamen tenetur pœna incendiarii, niſi fuerit tam lata culpa, ut dolo ſit proxima, *l. pen. ff. de incendio, Hoſtienſ. in ſumma hoc tit. Rubr. de Incendiariis, n. 2. Sylv. V. Incendiarius n. 1.*

XLVIII. Quæritur ſecundo. Qua pœna ſit afficiendus Incendiarius? Reſp. primo, ſecundum leges civiles, qui in civitate, data opera, incendium fecerit, ſi in humiliore loco exiſtens ſit, beſtiis ſubjicitur: ſi in aliquo gradu, capite punitur, aut in Inſulam deportatur, *l. ultim. in fine ff. de incendio &c.* ubi *Gloſſ. final* addit, aut igne concrematur. Qui vero alibi (puta in villis, vel caſtris) ædes, acervumve frumenti juxta domum poſitum combuſſerat, vinctus verberatuſque igni necari jubetur, ſi modo ſciens prudenſque id commiſerit (& humilis conditionis fuerit, *Hoſtienſ. in ſumma, hic num. 9.*) ſi autem negligentia ſua fecit, aut noxam, id eſt, damnum ſarcire jubetur aut ſi minus idoneus fuerit, levius caſtigatus (quia corpore punitur, qui non poteſt in ære, *Gloſſ. margin. ibid. lit. D.*) appellatione autem ædium omnes ſpecies ædificii continentur, ita habetur in *l. Qui ædes 9. ff. eodem*, poſtea vero in *l. Capitalium 28. §. Incendiarii, ff. de pœnis*, ſtatutum eſt, ut Incendiarii capite puniantur, qui ob inimicitias, vel prædæ cauſa, intra oppidum, incenderint, imo plerumque vivi exuruntur, qui vero caſam aut villam (extra oppidum) aliquanto levius. Quod ſi quis, ſine dolo malo, per culpam, vel negligentiam cauſam dedit incendio, damnum inde vicinis illatum relarcire tenetur, data in duplum actione, *citat. loc. Capitalium, §. Incendiarii verſ. nam fortuita junct. Gloſſ. V. Jactura l. pen. junct. Gl. V. Venia ff. De incendio, VVeſembec. in paratit. ff. eod. n. 6.*

XLIX. Reſpond. ſecundo, de Jure Canonico omnes incendiarii Eccleſiarum, vel locorum Religioſorum, ſeu piorum, imo & cœmeteriorum & locorum, quæ contigua ſunt, intra 30. paſſus, juxta *c. Definivit 35. cauſa 17. quæſt. 4.* ſunt ipſo jure, ſeu facto excommunicati, *c. Canonica 207. cauſa 22. quæſt. 3.* Ubi id ſtatuitur de omnibus violatoribus Eccleſiarum, & ſacrilegis, *Gloſſ. ibid. V. Violatores, c. Omnes Eccleſiæ 5. cauſa 17. quæſt. 4.* Ubi id decernitur de omnibus raptoribus Eccleſiæ, & Sacrilegis, *Gloſſ. ibid. V. Anathematizamus.* Et tales incendiarii, poſtquam ſunt per Eccleſiæ ſententiam publicati, & nominatim denunciati a ſolo Papa abſolvi poſſunt ab excommunicatione, juxta *c. Tua nos 19. de ſentent. excomm.* Antea vero enim Epiſcopus eos abſolvere poteſt, *Sylveſt. V. Incendiarius quæſt. 1. nu. 2. Hoſtienſ. in ſumma Rubr. de Incendiariis hoc titul. numer. 9. de quo plura infra Tit. 39.*

Incendiarii vero aliorum ædificiorum non ſacrorum, ſeu profanorum, ſicut & mandantes, & qui auxilium, vel conſilium eis ſcienter dederint, ſunt excommunicandi, *c. Si quis 31. & c. ſeq. cauſa 23. quæſt. 8.* Et poſtquam fuit denunciatus talis incendiarius, non abſolvit eum excommunicatum, niſi ſolus Papa, *Sylveſt. V. Incendiarius num. 2.* Veruntamen ex approbata conſuetudine, omnes Incendiarii etiam ædificiorum non ſacrorum habentur pro excommunicatis ipſo jure, etſi non ſint denunciati, *Hoſtienſ. c. l. & Sylveſt.*

Præterea tenetur is, qui ſcienter, & voluntarie domum, vel aliud ædificium, vel ex lata culpa, incendit, ad omne damnum reſarciendum, *c. Ingreſſus 9. & c. ſeq. infra de injuriis, & l. penult. ff. de incendio*; imo etiam tenetur ad compenſationem rerum perditarum, cauſa incendii, *argum. c. final. de injuriis.* Si vero culpa levi, vel leviſſima alicujus, ortum ſit incendium, tenetur ad reſtitutionem in foro externo, ſi ex hujuſmodi culpis tenebatur, *Sylveſt. V. Incendiarius numer. 3.* Quod ſi quia, extra omnem omnino ſit culpam, ut quia mere fortuito exortum eſt incendium, ad nullam ſatisfactionem tenetur, nullamque pœnam meretur, *l. Si venditor 12. ff. de peric. & comm. rei vend. l. ff. De incendio.* In dubio tamen præſumitur incendium exortum culpa inhabitantium; quia plerumque ipſorum culpa fiunt *l. 3. ff. de offic. Præfect. vig.*, niſi contrarium probetur, *VVeſembec. in paratit. ff. de incendio n. 6.*

L. Porro prædictæ pœnæ ſunt impoſitæ incendiariis laici

nam Clericis nulla pœna ſtatuta reperitur Jure Canonico, forte quia Conditores Canonum non ſunt arbitrati, aliquem Clericorum tantum ſcelus patraturum, ſine omni ſua voluptate aut utilitate, & cum magna jactura aliorum, & ideo arbitrio Judicis hujuſmodi pœna eſt derelinquenda, & juxta doli, & loci ac damnorum qualitatem, & quantitatem, determinanda, *Diaz in pract. Canon. crimin. cap. 109.*

LI. Præter pœnas allatas, alia Canonica pœna imponitur Incendiariis, quod nimirum privari debeant Eccleſiaſtica ſepultura, ut conſtat ex *c. Peſſimam 32. cauſa 23. quæſt. 8.* ubi dicitur: *ſi mortuus fuerit incendiarius, Chriſtianorum careat ſepultura, nec abſolvatur, niſi prius damno, cui id intulit ſecundum facultatem ſuam, reſarcito, juret ſe alterius ignem non appoſiturum.* Excipi debet, niſi incendiarius in morte pœnitens, & abſolutus obeat, tunc enim in loco Sacro ſepeliri poteſt, prout decernitur in *c. in litteris 5. hoc titul.* ,, Nam quidam H. nomine multis criminibus irretitus, ,, Eccleſias, diabolo inſtigante, incendit, ideoque excommunicatus fuit, ſed tandem in ægritudine conſtitutus, ,, acceptata pœnitentia de commiſſis, per Capellanum ſuum ab excommunicatione fuit abſolutus, ſed mortuo Eccleſiaſtica ſepultura denegata fuit. Super hoc conſultus ,, Papa Alexander III. mandavit Epiſcopo loci, ut ſi ita ſe res habeat, corpus illius, appellatione ceſſante, faciat in cœmeterio ſepeliri: & hæredes ejus moneat, & ,, compellat, ut eis, quibus ille per incendium, vel alio ,, modo damnum intulit contra juſtitiam, juxta facultates ,, ſuas, id eſt, defuncti, condigne ſive plene ſatisfaciant, ,, ut ſic a peccato valeat liberari. Ubi tamen aliqui legunt, ,, *valeant*, ſcilicet hæredes liberari, *Gl. marg. hic & Joann. Andr. in fine de quo infra.*

LII. Pro intellectu hujus cap. notandum primo, in extrema neceſſitate, ſive in articulo mortis, quilibet Presbyter abſolvere poteſt ab excommunicatione, alias ſoli Papæ reſervata, prout ſumitur ex hoc cap. ubi Capellanus incendiarium in periculoſa ægritudine conſtitutum abſolvit a cenſura excommunicationis, a qua alias abſolvere non potuiſſet, ſed ſolus Papa, quia in periculo mortis nulla eſt caſuum reſervatio, juxta *Concil. Trident. Seſſ. 14. cap. 7. de Sacrament. pœnitent. Gloſſ. hic V. Anathematis, junct. Gloſſ. margin.*

Notandum ſecundo. Quamvis raptori in morte pœnitenti, ſi tamen ſatisfacere non poſſit, denegetur ſepultura Eccleſiaſtica, ut habetur in *c. 2. hoc tit. de quo ſupra*: tamen incendiario in morte pœnitenti ea conceditur, juxta hoc *c. In litteris*. Ratio diverſitatis eſt, quia ille erat raptor manifeſtus, hic incendiarius occultus: vel potius illi denegata fuit ſepultura, ad terrorem aliorum, quia non poterat ſatisfacere; hic non item, *Gl. hic V. Sepeliri junct. Gl. marg. lit. A. Jo. Andr. ibid. n. 4.*

Notandum tertio. Defuncto abſoluto ab excommunicatione, ſi non potuit ſatisfacere, pro damnis injuſte illatis aliis, morte præventus, poſſunt etiam a Judice Eccleſiaſtico hæredes ejus compelli ad ſatisfaciendum, pro viribus hæreditatis defuncti, prout ſumitur ex hoc cap. & tradit *Abbas ibidem not. 3. & 4.* Quia hæredes tenentur ex delicto defuncti; ſive is pœnitens, ſive etiam impœnitens obierit, cum omnes obligationes defuncti, ſaltem non mere pœnales, ſed rei perſecutoriæ, cujuſmodi eſt reſtitutio, ſive compenſatio damni a defuncto aliis illati, tranſeant ad hæredes, active & paſſive, *Gloſſ. hic V. hæredes*, & in ſpecie de hærede raptoris, & incendiarii tradit *Covarr. l. 3. reſol. cap. 3. num. 7.* ſive fuerit incendiarius Eccleſiarum, de quo plura dicta ſunt ſupra *libr. 3. Decretal. titul. 28. §. 7. numero 76.*

LIII. Notandum quarto. Ex hoc cap. in fine & illis verbis, *ut ſic a peccato valeat liberari*, colligunt plures DD. quod defunctus non liberatur a peccato, ſi ejus hæredes omittunt, vel negligunt reſtituere, quia tenentur, exonerare conſcientiam defuncti, & ſolvere ejus debita, ac damna ab eo illata reſarcire, alioquin non poteſt liberari a pœnis purgatorii. Verum nulla reſtitutio fit in purgatorio, ſed ſolum in hac vita, vel ab ipſo debitore vivente, vel ab ejus hæredibus, ex mandato ipſius; ſatisfactio vero pro pœnis peccatorum fit in purgatorio. Quare falſum eſt, reſtitutionem, quæ fit ab hæredibus, liberare animam defuncti a purgatorio, vel animas ibi retineri, donec reſtitutio fiat ab hæredibus: alias ſequeretur, defunctum nunquam liberari a pœnis purgatorii, ſi hæredes nunquam reſtituerent, quod eſt abſurdum, quia pateretur quis pro ea culpa, quæ jam nullo modo eſt in ſua libera poteſtate. Itaque vel defunctus e vita decedens præcepit ſuis hæredibus, ut debita ſolvant, & damna illata reſarciant: & tunc etiamſi hæredes omittant aut negligant reſtituere, liberabitur a purgatorio, nec ulterius in eo detinebitur, cum pro pœna pro aliis culpis debita, & pro negligentia ſua in reſtituendo ſatisfecerit. Contra vero ſi debitor culpabiliter neglexit reſtituere, nec etiam hæredes decedens juſſit reſtituere, cum haberet, unde ſolveret, etiamſi hæredes reſtituant, ipſe non liberabitur a pœnis inferni, ad quas damnatus eſt propter peccatum, & omiſſionem reſtitutionis faciendæ, *Navarrus in Manual. cap. 27. num. 68. §. Quæſitum, Sayrus in clavi regia lib. 10. tract. 1. cap. 2. num. 6. & Barboſ. in Collect. in citat. cap. In litteris num. 4.* Ex quo ſequitur, quod prior lectio in ſingulari *ut valeat*, quod refertur ad defunctum, ſit mendoſa, & legi debeat, in plurali *valeant*, ut ſcilicet hæredes, ſolvendo debita; vel reſtituendo damna a defuncto illata, a peccato negligentiæ in reſtituendo liberentur: nam ipſe defunctus jam per confeſſionem, vel contritionem a peccatis fuit liberatus, ſi præcepit, ut hæredes reſtituerent. Quod ſi legatur in ſingulari, & verbum *valeat* referatur ad defunctum, id intelligi debet de auxilio, vel ſuffragio, quod tribuitur accidentaliter, & prodeſt defuncto per preces creditorum, vel pauperum, quibus reſtitutio eſt facta, *Navarrus, & Sayrus locis citatis.*

§. II.

De violatoribus Eccleſiarum, & eorum pœnis.

LIV. Quæritur, quinam ſint, & dicantur violatores Eccleſiarum, & qua pœna ſint afficiendi? Reſpond. violatores hic proprie dicuntur, qui Eccleſias, vel alia loca Religioſa, & pia, violenter effringunt, eaſque ſpoliant, in quos decreta eſt pœna excommunicationis in *c. Canonica 107. cauſa 11. quæſt. 3. c. Omnes 5. & c. Quiſquis 21. §. Si quis domum cauſa 17. quæſt. 4.* & præcipue in *c. Conqueſti 22. de ſentent. excommun.* eamque ipſo jure incurri, tenet *Gloſſ. ibidem V. Excommunicatos*, & alii Interpretes communiter apud *Suarez diſ. 22. de cenſur. ſect. 2. num. 6.* Idque ſatis aperte colligitur ex illis verbis, *excommunicatos nuncietis*, quæ verba proprie ſupponunt, jam excommunicationem ab ipſo jure latam eſſe, eamque ab homine, ſeu Judice publicandam, ut etiam explicat *Suarez citat. loc. num. 10.* ubi *numer. 12.* ait non ſufficere ad hanc excommunicationem incurrendam ſolam effractionem, quamvis violentam, ſed neceſſe eſſe, ut ſequatur aliqua ſpoliatio Eccleſiæ, & ut eo fine per furtum, ſive per aliam gravem læſionem illatam in bonis, ſeu rebus Eccleſiæ: ſicuti vice verſa, neque ſufficit, ſi ſpoliatio, etſi gravis, ſit ſine confractione, alii vero Sacrilegi violatores Eccleſiarum, citra confractionem, & ſpoliationem, ut ſi quis furetur calicem ex Eccleſia, ſine violenta confractione, non incurrunt, ipſo facto, excommunicationem, ſed ſunt excommunicandi, *Gloſſ. in citat. c. Conqueſti V. Excommunicatos, Suarez citat. ſect. 2. num. 6.* & conſtat ex *c. ultim. de furtis*, & ex *c. Conqueſtus 16. de foro compet.* Ubi dicitur: invaſores Eccleſiæ, tanquam Sacrilegos, anathemati, uſque ad congruam ſatisfactionem, ſupponendos eſſe: non ergo ſunt ipſo jure excommunicati, ſed per ſententiam excommunicandi, ut etiam dictum *lib. 2. Decret. titul. 2. num. 140. not. 5.* At vero violare Eccleſiam, vel res ejus, violenter confringendo, & ſpoliando eſt gravius delictum, & ſacrilegium, ideoque gravius etiam puniendum.

,, IV. Præterea non tantum violenti raptores, ſed etiam Eccleſiarum violatores, ſi manifeſte fuerint deprehenſi, non debent admitti ad pœnitentiam, niſi prius damna reſarciant, vel de iis reparandis caveant: qui ſi ſani ſatisfacere per contumaciam nolint, nec cautionem ſecuram præſtare velint, poſtea in articulo mortis conſtituti, ſi eam præſtare nequeant, ad pœnitentiam quidem admittuntur. Clericis tamen prohibitum eſt eorum intereſſe ſepulturis, aut eleemoſynam ab iis accipere, ſub pœna depoſitionis ab Ordine, & privatione beneficiorum, prout etiam de raptoribus ſtatutum eſt in *c. Super eo 2. hoc tit. de quo pluribus actum ſupra num. 35. & 2. ſeqq. hoc titul.*

TITULUS XVIII.

De Furtis.

POſtquam actum eſt Titulo præcedente de raptoribus, & rapina, quæ eſt ſpecies furti, nunc agitur de furto, quod eſt etiam peccatum contra ſeptimum præceptum Decalogi, quo prohibetur omnis iniqua rei alienæ ablatio, detentio, vel uſurpatio. Et ut ſic late ſumptum furtum comprehendit ſub ſe etiam rapinam, quæ fit per vim, & furtum proprie dictum, quod fit ſine vi. Et de hoc furto ſic proprie ſumpto, prout eſt ſpecies diſtincta a rapina, & uſuris, & aliis injuſtis acceptionibus in contractibus, agitur hoc Titulo, qui extat etiam in Extravagantibus communibus.

§. I.

Quid ſit furtum, & quotuplex?

I. ASſertio I. Furtum ſic dictum, vel a furvo: id eſt, fuſco ſeu nigro, eo quod clam, & in obſcuro fiat, ac plerumque nocte: vel a fraude, vel a ferendo, ſeu auferendo, ſibi enim affert, & alii aufert, vel a Græco vocabulo φώρ, quod latine furem ſignificat, *lib. 1. in princip. ff. De furtis, §. Furtum autem 2. Inſtitut. de obligat. quæ ex delicto & c.* Definitur autem furtum a Jure-Conſulto in *citat. libr. 1. §. final & §. 1. inſtitut. eodem. Eſt contrectatio fraudulosa, lucri gratia, vel ipſius rei, vel etiam uſus ejus, poſſeſſioniſve.* Ubi additur, *quod lege naturali prohibitum eſt admittere.* Aliter vero; & clarius ac brevius definitur furtum a *Sancto Thoma 2. 2. quæſt. 66. artic. 3. & Azor part. 3. libr. 5. cap. 21. Eſt occulta acceptio rei alienæ, invito domino.* Utramque definitionem ſimul declarabimus.

II. Dicitur primo, *contrectatio vel acceptio*, quod ponitur loco generis, quia ad furtum punibile in foro externo, non ſufficit ſola cogitatio, ſive voluntas furandi: unde qui furti faciendi cauſa, conclave intravit, nondum fur eſt, ut dicitur in *l. Vel gravis 22. §. Qui furti ff. hoc titul.* neque etiam verbo, vel ſcriptura fit furtum, *l. Si quis 52. §. Neque verbo, ff. eodem.* Ubi additur, quare & opem, vel conſilium dare tunc nocet, cum ſecuta contrectatio eſt. Dicitur autem contrectare, qui rem de loco in locum movet, ſeu transfert, *l. Poſſideri 3. §. Rem ff. de acquirend. poſſeſſ.* neque enim ad furtum ſufficit ſimplex rei contactus, ſed requiritur acceptio, ſive ablatio, per

quam

Digitized by Google

quam res ex uno loco in alium moveatur, ut dictum. Deinde ſub acceptione, ſeu ablatione comprehenditur hic etiam injuſta detentio rei alienæ, quia eſt inſtar acceptionis, & moraliter cenſetur eadem actio, rem injuſte accipere ſive auferre, & eandem retinere, quia eſt acceptio continuata, *S. Thom. cit. art. 3. ad 2.* quod ſi quis rem, quam juſte accepit, poſtea injuſte retineat, perinde facit, ac ſi tunc primo injuſte acciperet, *Leſſ. l. 2. de juſt. c. 12. dub. 1. n. 2.*

III. Dicitur ſecundo, *fraudulenta contrectatio* quia furtum non committitur, ſine fraudulenta voluntate, & affectu furandi, *§. Placuit. Inſtit. de obligat. quæ ex delicto &c.* Unde ſi quis rem alienam, bona fide, accipiat, putans eſſe ſuam, furtum non committit, aut ſi quis rem ex bonis ejus, quem putabat eſſe mortuum, qui vivus erat, tanquam hæres apprehenderit, furtum non committit, *l. Si quis 83. ff. h. t.* Idemque eſt, ſi quis per locum; vel ob aliam cauſam, ſine animo furandi, rem accipiat, non eſt furtum *Azor cit. c. 11. §. Dicitur fraudulenta.* Porro in definitione S. Thomæ dicitur *occulta acceptio*, qualis eſt, quæ non fit aperte, vidente, & reſiſtente domino, ut furtum diſtinguatur a rapina, quæ fit, ſciente domino, & vidente ac invito. Unde ſi quis accipiat rem alienam ſciens dominum videre, potius committit rapinam, quam furtum: ſi vero ignoret Dominum videre eſt furtum, quia vult rem auferre, domino ignorante, ita ut, ſi ſciret ipſum videre, non acciperet, *Leſſ. cit. c. 12. n. 20.* quamvis etiam priore caſu, ſi auferat rem, vidente domino, ſed non reſiſtente, adeoque ſine illata vi, non ſit proprie rapina, ſed potius furtum de quo infra.

Objicies, ex eo, quod crimen aliquod fiat occulte, non conſtituit ſpeciem, ſive rationem peccati, ſed potius diminuit peccatum, & tollit ſcandalum, ergo ex eo, quod furtum fiat occulte, & inſcio domino rei, quæ accipitur, non contrahit furtum ullam malitiam. Reſpond. cum *S. Thoma cit. art. 3. ad 2.* aliquando occultatio ſolum circumſtantia eſt, vel modus peccati, at cum quis occulte deliquit tantum, ob verecundiam, vel ob ſcandalum aut ſupplicium vitandum; & tunc non eſt ſpeciale peccatum, nec conſtituit rationem peccati, ſed potius minuit. Aliquando vero eſt cauſa peccati, ut cum quis occulte aliquid facit, & utitur modo occulto, tanquam medio ad injuriam alteri inferendam, vel ut tutius delinquat, & aliquem lædat: & tunc occultum poteſt conſtituere peccatum, ſive novam ſpeciem peccati, ut in furto, quod ideo fit occulte, ut poſſit res alterius auferri, ipſo ignorante, & non volente, in quo conſiſtit ratio injuriæ diverſæ a rapina, & doloſa invaſio, ſive ablatio rei alienæ a manifeſta, & detractio a contumelia, *Azor cit. c. 11. §. Dicitur occulta, Leſſ. c. l. n. 3.*

IV. Dicitur tertio, *lucri faciendi gratia*, quia ſi quis injuriæ cauſa auferat rem alterius, non tenetur reus furti, ſed injuriæ, *l. Qui injuria 53. in princ. ff. h. t.* Ubi additur, nam maleficia voluntas, & propoſitum delinquentis diſtinguit. Item ſi quis rem alienam in flumen abjiciat, vel igne comburat vel pecus alienum occidat, obligatur ex damno, non ex furto. Vel qui alienam ancillam rapuit, non lucri ſed libidinis cauſa, non eſt reus furti, ſed injuriæ, *leg. Verum 39. ff. h. t.* ubi ratio additur, non enim factum quæritur, ſed cauſa faciendi, quæ libido fuit, non furtum, *Azor cit. c. 11. §. Dicitur lucri faciendi gratia.*

V. Dicitur quarto, *res aliena, vel etiam uſus ejus, vel poſſeſſionis*, quia proprie furtum in re ſua, ſeu propria committi non poteſt, cum quilibet re ſua libere uti, & abuti poſſit, *l. In re 21. ff. mandati, l. Sed etſi 25. §. Conſuluit, ff. de petit. hæred.* niſi in ea alius habeat jus aliquod, nimirum vel uſumfructum, vel poſſeſſionem, vel jus pignoris, vel cuſtodiam: tunc enim ſi dominus, vel alius auferat illi jus quod in re habet, cenſetur furtum committere, & reus eſt furti, ut ex exemplis poſtea afferendis patebit. Item ſi quis accipiat rem a domino pro derelicto habitam, vel quæ in nullius bonis eſt, furtum non committit, quia hoc fieri non poteſt, niſi ſit, cui fiat, *l. Falſus 43. §. Quod ſi dominus, ff. h. t.* unde nec hæreditatis jacentis, id eſt, nondum aditæ furtum fieri poteſt, *l. Hæreditatis 68. l. Eum qui 15. §. Si res commodata, ff. eod. Azor cit. cap. 11. §. Dicitur rei alienæ*, ubi addit, etiam in re propria per accidens committi poſſe furtum, quoad Deum, & ratione conſcientiæ erroneæ, ſi quis accipiat rem, vel ea utatur, quam putat eſſe alienam: ſicut e contra, non committitur furtum in re aliena, ſi probabiliter credatur propria, *§. Is tamen Inſtit. vi bon. rapt. Sylv. V. Furt. n. 8.*

Addunt nonnulli in definitione furti, *rei mobilis, & corporalis*, quia in rebus immobilibus, ut ſunt agri, & incorporabilibus, ut ſunt jura, actiones, & ſervitutes, furtum proprie committi non poteſt, *l. Verum 25. ff. h. t.* quia talia nequeunt attrectari, vel auferri, ideoque dicuntur potius vi, vel dolo occupari, uſurpari, ut retineri, quam furto ſurripi, *Azor cit. loco §. Dicitur primo. Silveſt., cit. loco n. 8.*

VI. Dicitur ultimo, *invito Domino*, quia ſi quis bona fide & probabili ratione ductus putet, contentum fore dominum, etiamſi rem accipiat, vel uſurpet non committit furtum, *l. Inter omnes 46. §. Recte, l. Qui re 76. in princ. ff. hoc tit.* ſit e converſo, ſi credat aliquis, ſe domino invito, rem verb. grat. ſibi commodatam contrectare, domino autem volente id fiat, non cenſetur furtum committere, *§. Sed etſi credat. Inſtit. de obligat. quæ ex delicto, &c.*

Porro in dubio præſumitur dominus invitus, *cap. Qui res 28. §. Quod ſi dominus ff. hoc tit.* ubi dicitur, vetare dominum etiam eum, qui ignorat, id eſt, eum qui non conſenſit, qui enim non conſentit, diſſentit, *Gl. ib. V. Ignorat*: & cenſetur dominus invitus, etiamſi videat rem ſuam auferri, & non prohibeat, aut contradicat, ſcilicet ex metu, vel verecundia, *l. pen. ff. eodem Gloſſ. ibid. Verſ. Prohibere*: alioqui enim, ſi poſſit contradicere, & non contradicat, cenſetur conſentire, *Arg. c. Error. 3. &c. Conſentire 5. diſt. 83. Silveſt. c. l. n. 2. Azor c. l. §. Dicitur, invito domino.*

VII. Aſſertio 2. Furtum ſimplex, aliud eſt manifeſtum; aliud non manifeſtum, *§. Furtorum autem Inſtit. de obligat. quæ ex delicto, &c. & leg. 2. ff. hoc tit.* Furtum manifeſtum eſt, cum is, qui furatur, in ipſo facto, ſeu actu furandi, vel in loco, in quo furtum factum eſt, ſive publico, ſive privato, antequam inde digrederetur, vel poſtquam egreſſus eſt e loco, in quo furtum fecit, cum re furtiva, priusquam illam perferret ad eum locum, quo deſtinaverat deferre, & illa die cum eadem re permanete, ſive a domino, ſive a quovis alio fuerit viſus: aut deprehenſus, *cit. §. Furtorum autem*, ubi additur, *ſed eo pertulit, quo deſtinavit*, tametſi cum re furtiva deprehendatur, non eſt fur manifeſtus, *& l. Fur. 3. & 2. ſeqq. ff. eodem.* Furtum non manifeſtum eſt, quando fur non eſt viſus, vel deprehenſus cum re furtiva, vel ſi ſit deprehenſus, poſtquam pertulit rem furtivam ad locum, quo deſtinavit deferre, ut a contrario colligitur, nam quod manifeſtum non eſt, hoc ſcilicet non manifeſtum eſt, *l. Nec manif. 8. ff. eod.* De pœna vero hujus utriusque furti infra dicetur, ſicut & de aliis variis furtorum generibus.

§. II.

Quibus modis, & a quibus committatur furtum, vel non?

VIII. Generatim loquendo, non ſolum is, qui rem alienam, invito domino, aufert, intercipiendi cauſa, ſive ſibi acquirendi, ſed etiam is qui illam contra voluntatem domini contrectat, vel ea utitur, furtum committere cenſetur, *§. Furtum autem fit. Inſtit. de obligat. quæ ex delicto &c.* veluti primo, ſi creditor ſibi pignori data, vel is, apud quem res depoſita eſt, ea utatur, *cit. §. Furtum autem & l. Si pignore 54. in princ. ff. h. t.* modo tamen depoſitum ſignatum ſit, ſi ſit depoſitum quantitatis, non certæ ſpeciei, & invito domino, vel inſcio, depoſitarius eo utatur, *l. Si ſacculum 29. ff. Depoſiti, & l. 3. C. eod.* alioquin vero inficiando ſolum depoſitum, abſque contrectatione, nemo facit furtum, *l. Inficiando 67. ff. h. t.*

Secundo, ſi commendatarius re commodata ad alium uſum, vel modum, quam commodata fuit, utatur, furti tenetur, ut ſi quis equo in longius iter, quam conceſſus fuerit, utatur, invito domino, *l. Qui jumenta 40. ff. h. t.* vel rem ſibi commodatam alteri commodaverit, ſine voluntate domini, *cit. l. Qui pignore, §. 8. ff. eodem*, niſi quis probabiliter credat, ſe uti commodato, alio modo quam conventum fuerit domino non invito, quia id permitteret, ſi ſciret, furtum enim, ſine affectu furandi non committitur, *c. Placuit, Inſtit. de oblig. ex delicto, &c.*

Tertio, qui rem alienam invenit jacentem in loco privato, vel in via publica, & lucri faciendi cauſa ſuſtulit, ſeu animo retinendi, furti tenetur, ſive ſciverit, cujus ſit, ſive ignoraverit, nihil enim ad furtum minuendum facit, quod, cujus ſit, ignoret, *l. Falſus 43. §. Qui alienum ff. h. t.* Secus eſt, ſi illam accipiat, animo reſtituendi domino, vel ei, qui oſtenderit eſſe rem ſuam, *cit. l. Falſus, §. Proinde*, vel ſi acceperit rem inventam, quæ a domino pro derelicta habita eſt, etiamſi animus furandi adfuerit, neque enim furtum fit, niſi ſit, cui fiat, *cit. l. Falſus, §. Quod ſi dominus*: neque etiam tenetur furti, ſi inveniens aliquid in via, illud capiat, quia probabili ratione ductus, putavit eſſe derelictum, *cit. l. Falſus §. Sed ſi ff. eod. Farinac. in praxi crimin. p. 6. q. 168. n. 67. & 68.*

IX. Quarto tenetur etiam furti mandans fieri furtum, eo ſecuto, *Farinac. cit. q. 168. n. 52.* Item dans conſilium ad furtum faciendum, vel qui alias ad illud miniſterium, opem, ſeu auxilium præſtat, *§. Interdum quoque Inſtit. dicto Tit. l. In furti 50. §. Conſilium, & l. Is qui 34. ff. h. t.* modo furtum reipſa ſit ſecutum, tunc enim conſulens, vel opem ferens eadem pœna tenetur, *Card. Tuſchus V. Furtum, concl. 562. n. 1. & 2. Farinac. c. l. n. 33. C. & 2. ſeqq.* furto autem non ſecuto, qui conſilium, vel opem ad furtum præſtitit, furti non tenetur, *l. Si quis uxori 52. §. Neque verbo ff. h. t.* ubi dicitur, quare opem ferre, vel conſilium dare tunc nocet, quando ſecuta eſt contrectatio, *Farinac. c. l. nu. 39.* ob ſolum autem conſilium furi datum, tunc tenetur quis furti, cum alias non erat facturus is, cui conſilium datum eſt. *Gl. in cit. §. Neque vero, V. Vel conſilium*, ſi enim ſine conſilio fuerat furaturus, non punitur conſulens, eadem pœna, qua fur, ſaltem ordinaria, ſed ſolum extraordinaria, *Farinac. c. l. n. 42.* Sed & receptantes furem, & res furtivas ſcienter, eaſque occultantes, furti tenentur, & pari pœna puniuntur, *§. Conceptum 4. in fine Inſtit. de obligat. quæ ex delicto &c.* ubi dicitur omnes qui ſcientes rem furtivam ſuſceperint, & celaverint, furti non manifeſti obnoxii ſunt, *& l. Qui eas 48. §. Qui furem ff. h. t.* Aliud eſt, ſi ignoranter receperint fures, vel res furtivas: tunc enim non tenentur furti, ut colligitur ex *cit. §. Conceptum* a contrario ſenſu, *Farinac. c. l. n. 55. & 59.*

Quinto, filius familias vere etiam committit furtum, ſi ſurripiat res paternas: *§. Hi qui Inſtit. dicto Tit.* quia eſt vere diverſa perſona a patre, & vere contrectat rem alienam cujus non eſt dominus: ſimiliter & ſervus auferens res domini, quamvis contra eos furti agi non poſſit, *l. Servi 17. in princ. ff. h. t. & l. Eos qui 14. C. eod. & ibi Gl. V. Eodem.* Idem ſocius ſi re communi utatur, reus ſit furti, quoad partem ſocii, qua eo invito, utitur, *leg. Si ſocius 45. ff. hoc tit.*

X. Sexto, aliquando tamen rei ſuæ furtum quis committit, *§. Aliquando autem 10. Inſtit. dicto tit.* veluti ſi dominus rem ſuam, cujus uſusfructus ad alterum ſpectat, uſufructuario ſurripiat, *l. Creditoris 15. §. 1. h. t.* aut ſi dominus rem ſuam alteri commodatam clam auferat, furti tenetur, ſi quidem commodatarii intereſt rem commodatam retinere propter expenſas, quas in ea fecit, alioquin furti

Digitized by Google

cum domino agi non poteſt, *l. Si is qui 59. ff. eodem.* Vel ſi debitor rem ſuam oppignoratam creditori ſubtrahat, furtum facere videtur, ſive poſſidenti auferat, ſive non poſſidenti, ut ſi debitor rem pignoratam quam tamen creditori non tradidit, alteri vendit, *l. In actione 19. §. ult. l. Si is, qui rem 66. in princ. & l. Si debitor 79. ff. h. t.* Ratio eſt, quia furtum fit, non tantum ipſius rei, id eſt, proprietatis, ſed etiam uſusfructus, alteriuſve juris, aut poſſeſſionis, *l. Itaque 12. §. Sed etſi. ff. h. tit.*

Septimo; qui beneficium Eccleſiaſticum, ſine legitima inſtitutione, occupant, vel beneficia, quæ per adeptionem aliorum, ipſo jure, vacant, retinent, Jure Canonico quaſi furtum, aut rapinam committunt, *c. Non furem 10. cauſ. 7. q. 1. c. Dudum 54. de Elect. & c. Sæpe 18. de reſtit. ſpoliat.* ubi *Gl. V. injuſte detinere*, ait, Jura pro eodem reputant, auferre, & injuſte detinere: quamvis proprie furtum non ſit, quippe quod non committitur in re immobili, vel incorporali, quæ contrectari, ſive auferri non poteſt. At vero malæ fidei poſſeſſor fructus beneficii, vel alterius rei injuſte percipiendo, vere, ac proprie furtum committit, *Abb. in cit. cap. Dudum, num. 19. & ibid. Laym. num. 3.*

XI. Præterea non ſolum fur, ſed etiam furti conſcius, qui furem non indicat, reus eſt furti, ut deciditur in *cap. Qui cum Fure 4. h. t.* ubi dicitur: „Qui cum fure partitur (accipiendo partem furti, vel conſentiendo vel occultando, nam & tales tenentur de furto, *§. Interdum quoque Inſtit. eod. tit. Gl. hic V. partitur & Hoſtienſ.*) odit animam ſuam. *Prov. cap. 29. v. 24.* Non ſolum autem fur, ſed ille etiam reus tenetur, qui furti conſcius, quærente poſſeſſore (id eſt, domino, vel quocunque alio, cujus intereſt, *l. Interdum 78. ff. de V. S. Gl. hic V. Poſſeſſore*) non indicat, ſcilicet furem.“ Ratio eſt, quia conſentientes, & agentes pari pœna puniri debent, *c. Quanta 47. de ſentent. excom.*

XII. Pro intellectu hujus c. notandum primo, licet furti conſcius, ſi id non revelet domino rei furtivæ, ſit particeps quoad culpam, quia ſaltem ex præcepto charitatis tenetur quilibet, ſi commode, & abſque periculo, aut damno proprio, id poſſit facere, proximum ab injuria defendere, *citat. cap. Quanta. & cap. Dilecto 6. eodem in 6.* ubi dicitur, qui poteſt proximo, pro repellenda ipſius injuria, ſuum impertiri auxilium, & negligit, videtur injuriantem fovere, ac eſſe particeps ejus culpæ: non tamen obligatur ad reſtitutionem, ſi non manifeſtet furtum, vel furem, niſi ex publico officio, adeoque ex juſtitia teneatur criminibus, & injuriis obviare. Unde etiam privatus tenetur, ſaltem ex charitate, indicare furem, ſi aliter a domino recuperari non poſſit res furto ablata, niſi fur indicetur, ſi ſciat, in quo loco ſit res furtiva, vel fur; nec poteſt, ſi furem, vel rem furtivam invenit ſine omni labore, & expenſis, quicquam accipere ob reſtitutionem rei furtivæ, vel ob indicandum furem, niſi quid libere, & gratuito datum fuerit ab ipſo domino rei inventæ, *Covarr. in reg. Peccatum, p. 2. §. 3. num. 4. & 5. Abb. hic num. 2.*

Notandum ſecundo, Judex ex officio ſuo, vel cum procedit per inquiſitionem generalem, poteſt compellere ſubditos ad indicandum furem, quia Magiſtratus tenetur, omnibus modis licitis purgare Provinciam a malis hominibus, *Abb. hic num. 5.* Et hinc etiam Epiſcopi, vel eorum Vicarii poſſunt, ad inſtantiam partis, publicare monitorias generales, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, contra eos, qui res alienas injuſte detinent, niſi illas intra certum tempus reſtituerint: vel ſi eos, quos injuſte ablata detinere ſciunt, non revelaverint, *Abb. hic num. 4. & 5. Navarr. in Man. c. 17. num. 114. & 115. Barb. in collect. in citat. cap. 4. h. t. num. 3.* & ſumitur ex *c. 2. de conſtitut. in 6.* niſi tamen accipiens alienum, id retinuerit, in compenſationem certi debiti legalis, cujus ſolutionem aliter commode obtinere non potuit: tum enim ipſe detinens titulo compenſationis, vi talis decreti pœnalis, non tenetur id reſtituere, neque revelare creditorem, qui talem compenſationem fecit, nec ideo excommunicationem incurrit, quia finis talis decreti eſt punire eum, qui injuſte rem accepit, non qui juſte, nempe in compenſationem, *Silveſt. V. Furtum, q. 15. num. 19. Molin. tr. 2. de juſtit. diſ. 692. num. 2. & 3.* & alii apud *Barboſ. hic num. 3.* ſed neque tenetur, vitalium monitoriarum generalium, fur reſtituere rem alienam, ſi ea indigeat ad ſublevandam propriam neceſſitatem, *Barboſ. hic num. 4.* & alii, de quo plura apud eundem videri poſſunt.

Notandum tertio, non eſt licitum aliquid accipere a fure, ut non judicetur, vel ut occultetur, *l. Qui reus 48. §. Qui furem ff. h. t. l. Idem 4. §. fin. & l. ſeq. ff. de condict. ob turp. cauſ.* & colligitur ex *cit. c. Qui cum fure, h. t.* ſecundum unum ejus intellectum, *Abb. ibid. num. 3.* Similiter ſi quis non indicat furem, quia diviſit rem furtivam cum illo, reus eſt furti, qui eſt alter intellectus hujus *c. Abb. in fine.*

XIII. Denique etiam ille furti reus eſt, qui ob neceſſitatem famis, vel paupertatis alienam rem aufert, prout habetur in *c. Si quis 3. h. t.* ubi dicitur; „Si quis propter neceſſitatem famis, vel paupertatis, furatus fuerit cibaria, veſtem vel pecus, pœniteat tres hebdomadas, & ſi reddiderit, non amplius cogatur jejunare.“

Quod tamen intelligendum eſt de neceſſitate modica, ſive non gravi, nec multum urgente, ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 7. ad 1. Gl. hic V. Pœniteat. Hoſtienſ. & Abb. num. 1.* tunc enim rem alienam auferens, non ex toto excuſatur a culpa, & pœna, quamvis mitius puniatur, quia nec leviſſima culpa, in delictis omnis pœnæ expers eſſe debet, *l. In lege 44. ff. ad Leg. Aquil.* imo talis peccat etiam non reſtituendo, quando commode poteſt, & ideo pœnitentia ei imponitur, quæ tamen ei remittitur, ſi ſtatim reſtituat id quod accepit, ut patet ex *cit. c. Si quis in fine*, unde etiam pro re minima, ſeu modici valoris datur actio furti, ut pro gallina domeſtica, *§. Gallinarum Inſtit. de rer. diviſ.* & conſtat etiam ex *l. Vulgaris 21. ff. h. tit. & c. ult. cauſ. 14. q. 6.* ubi dicitur, fur non ſolum in majoribus, ſed etiam in minoribus judicatur, non enim id, quod furto ablatum eſt, ſed mens furantis attenditur, *Clarus §. Furtum num. 13.* & alii DD. communiter.

XIV. Hinc infertur primo, ſi quis in extrema neceſſitate conſtitutus, ob quam imminet ei periculum mortis, vel gravis, & periculoſa infirmitas accipiat res alienas ſibi neceſſarias, maxime cibaria, non peccat, ſed excuſatur ab omni culpa, & pœna, ideoque nec pœnitentia eſt ei imponenda, *Arg. c. Diſcipulos 26. & ibi Gl. V. Pane. diſ. 6. de conſecr.* quia neceſſitas non habet legem, & in tanta neceſſitate omnia ſunt communia: *c. Non ſatis 34. c. Paſce 21. diſ. 86. Hoſtienſ. hic in princ.* Imo poteſt quis tunc etiam alias res, quam comeſtibilia, quando hæc non reperiuntur, accipere, & iis venditis, comparare ſibi panem, & cibaria, quia in *c. Si quis h. t.* fit mentio de cibariis, veſte, & pecore, ſolum exempli cauſa, exempla autem non reſtringunt regulam, & paria ſunt, quod quis rapiat panem, vel pecuniam ad emendum panem, *Barboſ. hic num. 4.* ſed & probabile eſt, etiam in valde gravi neceſſitate, etſi extrema non ſit, ut ſi urgeat neceſſitas gravis morbi, famis, nuditatis, licitum eſſe clanculum ſurripere a divitibus, ſi aliter gravi illi neceſſitati, ſuccurrere non poſſit, imo etiam per vim rapere, quia cum dives in tali caſu teneatur ex præcepto charitatis dare, conſequenter pauper poteſt, ſine injuria illius, id accipere, nec committit furtum, quia Dominus tenetur conſentire, nec poteſt rationabiliter eſſe invitus, *Leſſ. l. 2. cap. 12. num. 71. & 72. Barboſ. cit. l.*

XV. Infertur ſecundo, etſi fere communis DD. ſententia teneat, quod is, qui in extrema neceſſitate conſtitutus abſtulit rem alienam, ut ſibi indigenti ſubveniret, poſtea locupletior factus, teneatur ad ejus reſtitutionem, tum quia extrema neceſſitas facit res alienas communes ſolum quoad uſum, non quoad dominium, quod non tranſit in accipientem; tum quia neceſſitas adveniens debitum antiquum non extinguit, ſed ſolum ſuſpendit ad tempus, donec debitor ad pinguiorem fortunam pervenerit: nam quamvis acceptio fuerit licita, & lege permiſſa ad evitandum gravius malum mortis: non tamen ut rem quaſi ſuam habeat, cum non tam acceperit rem communem, quam communicandam a domino, ea lege charitatis, & miſericordiæ, ut patet ex *l. 2. §. Cum in eadem, ff. de Lege Rhodia de jactu*: nec tenetur dominus rem ſuam donare extreme indigenti, ſed ſatis eſt, quod commodet, & mutuet, reddendam, ceſſante neceſſitate, *Navarr. in Man. c. 27. num. 61. & 62. Covarr. in reg. Peccatum, p. 2. §. 1. nu. 4. Clarus §. Furtum, num. 25.* ubi ait, hanc opinionem eſſe tutiorem, quamvis in foro externo non recederet a ſecunda, *Zoeſ. in Commentar. in Decretales h. t. n. 46.* & plures alii.

XVI. Nihilominus tamen contraria ſententia eſt probabilior, & verior, quam tenet, *Sylveſt. V. Furtum, quæſt. 5. num. 10. dicto 3. Azor. p. 2. lib. 12. cap. 8. q. 7. Barboſ. in Collect. in cit. c. Si quis, num. 3. h. t.* dummodo dominus rei ablatæ non ſit in pari neceſſitate conſtitutus, tunc enim nec auferre liceret: quia in pari neceſſitate potior eſſe debet conditio poſſidentis. Si vero extreme egens rem conſumpſit, nihil reſtituere tenetur, etiamſi poſſet. Ratio eſt, quia omnis obligatio reſtituendi oritur, vel ratione rei acceptæ, vel ratione acceptionis: ſed is, qui conſumpſit rem alienam in extrema neceſſitate poſitus, non obligatur ex re accepta, quia non habet rem penes ſe, cum bona fide conſumpſerit: nec ex acceptione; quia accepit non injuſte, ſed juſte, ex lege permittente in extrema neceſſitate, quæ omnia facit communia: & ex alia parte non accepit ex contractu, vel quaſi contractu, ex quo alias teneretur, ergo nulla eſt obligatio reſtituendi.

Nec refert, quod res aliena accepta in extrema neceſſitate non tranſeat in dominium accipientis: ſed tantum facit, ut re licite uti poſſit pauper: quia quamvis ante conſumptionem non ſit dominus rei, tamen hoc ipſo, quod licite, & tuta conſcientia poteſt illam conſumere, per conſumptionem factus eſt dominus, ideoque reſtituere non debet, ſicut poſſeſſor bonæ fidei, ſi conſumat fructus ex re aliena perceptos, ipſa conſumptione facit eos ſuos, ita ut reſtituere non teneatur. Non obſtat ſecundo, quod debitor rei ex contractu, vel quaſi contractu, ſuperveniente extrema neceſſitate, etiamſi illam conſumpſerit, ejus pretium, ſeu æſtimationem ſolvere teneatur, ſi poſtea locupletior factus fuerit, ut ſolvere poſſit, ergo ſimiliter ſi quis ob ſummam neceſſitatem rem conſumpſit. Sed negatur conſequentia. Ratio diverſitatis eſt, quia debitum ex contractu, vel quaſi contractu, ex delicto, vel quaſi delicto, ſuperveniente ſumma neceſſitate, non omnino extinguitur, vel perimitur, ſed tantum ſuſpenditur, & quaſi ſopitur, ideoque debitor ditior factus illud ſolvere tenetur, non ratione rei acceptæ, quam non habet amplius: ſed ratione obligationis ex priore contractu, vel quaſi contractu, delicti, vel quaſi delicti, quæ per neceſſitatem extremam non eſt extincta. At vero quando quis accipit rem alienam neceſſitate extrema coactus, eamque conſumit, non cogitur illam reſtituere, quia cum tam gravis neceſſitas res omnes faciat communes, & proprias accipientis, & conſumentis, obligatio reſtituendi eſt omnino extincta, cum nemo quod ſuum, ſeu proprium eſt factum, reſtituere teneatur; neque ex priore aliquo contractu, vel quaſi contracto, delicto, vel quaſi delicto teneatur, *Azor. c. l.* Denique non obſtat, quod dicitur in *l. Neſennius 34. ff. de negotiis geſtis*, eum, qui alimenta præbuit in neceſſitate conſtituto, poſſe ea repetere, ſi proteſtatus ſit, ſe ea repetiturum. Nam ibi ſermo eſt de præbente alimenta indigenti, ſed non extreme, *Azor. cit. loc.*

XVII. Porro non tantum ſi in extrema, ſed etiam in valde gravi neceſſitate conſtitutus auferat res alienas, non tenetur illas

illas reſtituere, etſi poſtea ditior factus ſit, ſi tenebatur dives ſubvenire, ob eandem rationem, *Silveſt. V. Furtum, cit. q. 5. dicto* 2. quia qui ſemel acquiſivit jus perfectum in re accepta, non tenetur illam reſtituere, etſi cauſa accipiendi, ob pinguiorem fortunam, ceſſet. Idemque dicendum eſt, ſi quis accipiat rem alienam, non ut ſibi, ſed alteri v. g. Titio, extreme, vel valde graviter indigenti ſubveniat, *S. Thom. cit. q. 60. art. 7. ad 3. Azor. cit. c. 8. in fine.*

§. III.

De pœnis furti Jure Civili ſtatutis.

XVIII. Quæritur primo, quænam ſint pœnæ civiles furti Jure Communi Cæſareo ſtatutæ? Reſp. Pœna pecuniaria furti manifeſti eſt, ut præter rem furto ablatam, ſolvatur quadruplum, furti vero non manifeſti, duplum, *§. Pœna. & §. ult. Inſtitut. de obligat. quæ ex delicto &c.* & ad hoc datur actio furti, quæ mere pœnalis eſt, ſive tantum ad pœnæ perſecutionem pertinet, nec in eam venit ipſa res *cit. §. ult. & l. Qui vas 48. in princ. ff. h. t.* ita tamen, ut in hac pœna verum rei ablatæ pretium multiplicetur, non id quod intereſt, & ipſa rei æſtimatio fieri debeat tempore, quo furtum commiſſum eſt, *l. In furti 50. in princ. ff. h. t.* Ratio autem, cur furtum manifeſtum gravius puniatur, quam non manifeſtum, eſt, tum quia delicta, quæ aperte fiunt, malum exemplum, & ſcandalum præbent, ideoque graviora cenſentur, quam quæ occulte, & ſecreto fiunt: tum quia manifeſtum furtum majorem arguit impudentiam: nec caret ſuſpicione inferendæ violentiæ, *Harprecht §. Pœna Inſtitut. dicto Tit.* ubi plures rationes adfert.

Porro hæc actio furti pœnalis competit domino, & ei tantum, cujus intereſt, furtum factum non eſſe. *l. Tamets 11. ff. h. tit.* & datur contra eum, qui furtum fecit, etiamſi res ablata perierit, *l. Inter omnes 46. in princ. ff. h. t.* etiamſi contra impuberem, & doli capacem, *l. Impuberem 23. ff. eod.* non autem in hæredem furis: quia pœnalis actio eſt, *l. 1. ff. de privat. delict.* Item datur contra eos, qui opem, vel conſilium dederunt, vel receperunt rem furtivam, *l. Eos qui 14. C. h. t.* contra domeſticas vero perſonas non datur, ut filium fam. & ſervum, *l. Servi 17. ff. eod.* quia cenſentur eadem perſona cum patre, vel domino, nec contra uxorem mariti, conſtante matrimonio, idque in honorem matrimonii, cum ſit actio turpis, & famoſa, *l. 2. C. rerum amotarum.*

Præter actionem hanc furti pœnalem, dantur etiam aliæ rei perſecutoriæ, ut rei vindicatio, quæ datur domino contra quemcunque poſſeſſorem, *§. fin. Inſtit. de obligat. quæ ex delicto &c.* etiam pretio non refuſo, *l. 2. C. h. t.* & competit etiam poſt ſolutam quadrupli, vel dupli pœnam, *l. Si pignore 52. §. Cum furti ff. h. tit.* Item datur condictio furtiva domino tantum, ejuſque hæredi adverſus furem ejuſque hæredem, ſive is fuerit manifeſtus, ſive non manifeſtus, quia eſt actio perſonalis, & datur contra hæredem, ſive rem ablatam poſſideat, ſive non, & quamvis nihil ad eum pervenerit, quod eſt ſingulare in odium furum inventum, ne facile furca hæredes habeant, *l. 1. l. Ex furtivis 5. l. Si pro fure 7. §. 2. l. Sive 12. ff. de condict. furt.* neque actio furti per illam tollitur, quia actio furti petit legitimam pœnam, condictio rem ipſam, *cit. l. Si pro fure, §. 1.* quin etiam res furtiva extincta tanquam extans adhuc condici, & repeti a fure poteſt, quia cum rem, invito domino, contrectaverit, ſemper cenſetur in ea reſtituenda moram facere, *l. fin. ff. de condict. furt. cit. l. Inter omnes, ff. h. tit.*

XIX. Quæritur ſecundo, quænam ſint pœnæ criminales furti ſimplicis? Reſp. Jure Civili condemnatus furti eſt infamis, *l. Athletas 4. §. fin. ff. de his, qui not. infam.* Etſi vero eodem Jure Civili novo, pro furto nec pœna mortis, nec abſciſſionis alicujus membri imponi poſſit, ſed aliter caſtigandus ſit fur, *Auth. Sed novo jure C. de ſervis fugitiv.* ſcilicet pœna arbitraria; tamen hodie ex conſuetudine apud pleroſque populos pœna capitalis infligitur, propter furtum, ſi ſit magnum, vel ſæpius iteratum, *Menoch. de arbitr. Judic. caſu 294. num. 9. & Zœſ. ff. h. t. num. 39.* Extat etiam Conſtitutio a Friderico Imp. *libr. 2. feudor. Tit. 27. §. 8u.* ut ſi quis quinque ſolidos valens, aut plus fuerit furatus, laqueo ſuſpendatur; ſi minus; ſcopis, & forcipe excorietur, & tundatur. Ubi *Gothofr. lit. H.* ait, ſolidum facere XII. denarios, ſeu groſſos, vel unum aureum, uti in jure paſſim legitur, *Wenſeb. in paratit. ff. h. t. num. 15. Zaſ. cit. l.* quamvis ea Conſtitutio de eo tantum caſu loqui videatur, cum furtum in crimen fractæ, ſeu violatæ pacis concidit, ut patet ex Rubrica Tituli qui eſt de pace, & ejus violatoribus. Poſtea vero Carolus V. Imp. aliam Conſtitutionem edidit, qua cautum eſt, ut fures, qui ſemel deprehenſi fuerint, præſertim in furto non manifeſto, & quod quinque florenos non excedit, levius: qui bis, aut ter ſeverius, ultimoque ſupplicio, pro differentia tamen ſexus, ætatis, & loci conſuetudine, puniantur, & ut plurimum laqueo ſuſpendantur.

XX. Circa quam Conſtitutionem quædam ſunt notanda. Primo, quamvis aliqui de hujus capitalis pœnæ in fures latæ juſtitia dubitent, quia nimis durum, & inhumanum videtur, eum, qui in pecunia tantum deliquit, in corpore punire, & multo magis ei pro bonis temporalibus ablatis vitam adimere, inter quæ nulla eſt proportio, cum vita hominis longe ſuperioris ordinis ſit, & præſtantior omnibus bonis temporalibus, pœna autem debet eſſe proportionata delicto: nihilominus tamen licitum, & juſtum eſſe fures in furca ſuſpendere, & ultimo ſupplicio afficere, præſertim ſi ſint incorrigibiles, communiter hodie tenent Juriſperiti, & Theologi, *Covarr. l. 2. var. reſol. cap. 9. nu. 7. Vaſq. in opuſc. mor. tr. de reſtitut. c. 5. §. 2. dub. 7. num. 36.* & alii plerique. Idque quia ita neceſſarium eſt ob furtorum frequentiam, ad publicam pacem, & tranquillitatem ſervandam, & refrænandam hominum creſcentem malitiam, & avaritiam, ac rapacitatem, quæ aliis modis, & pœnis levioribus coerceri non poteſt, ut experientia teſtatur.

XXI. Notandum ſecundo, pro unico etiam furto ſimplici, ſi qualitate, & quantitate magnum ſit, & enorme, poſſe inferri pœnam mortis, tenet *Covarr. c. l. Menoch. cit. caſu 205. num. 9.* & alii apud ipſos, idque ſuaderi videtur ex Conſtitutione Friderici ſupra cit. quæ tamen loquitur de furto non ſimplici, ſed ſeditioſo, per quod pax publica eſt violata, quæ ſententia ſequenda eſt, ubi ſtatuto, vel conſuetudine approbata eſt. Contrarium tamen tenet *Clarus §. Furtum, num. 9.* ubi ait, hanc eſſe ſententiam communem. *Farinac. in pract. crim. p. 7. q. 167. num. 47. Fachin. l. 9. contr. cap. 1. Harprecht §. Pœna manifeſti Inſtit. de obligat. quæ ex delicto & c. num. 56. & ſeqq.* & alii ab ipſis citt. Ratio eſt, quia nulla lege, aut jure reperitur cautum, ut fur pro unico furto morte mulctetur; neque vero Judex debet eſſe rigidior in pœnis imponendis ipſa lege, *l. Perſpiciendum 11. & l. pen. ff. de pœnis.* Et cum olim non capitalis, ſed ſolum pecuniaria pœna furti Jure communi fuerit ſtatuta, ideo ſtandum eſt adhuc Jure antiquo, niſi ubi pœna capitalis Jure novo eſt expreſſa. Nec obſtat Conſtitutio Carolina, in qua habetur, quod is, qui una vice admiſit furtum laqueo in furca, ſi mas ſit, fœmina vero cum immerſione in aquam, vitam finire debeat: nam loquitur non de ſimplici furto, ſed ſeditioſo, ſive eo, quod cum effractione, violentia, aut armis factum eſt, *Harprecht. c. l. num. 64.* nihilominus tamen gravius puniri debent, qui magnas res ſurripiunt, quam qui parvas, videlicet damnando eos in metallum, vel opus publicum, vel ad triremes, vel fuſtigatione, vel alia ratione, citra mortem tamen. *Idem c. l. num. 63.*

XXII. Notandum tertio, ſimiliter pro ſecundo furto non imponitur pœna mortis, licet imponenda ſit gravior, quam pro unico, videlicet abſciſſio auriculæ, vel manus, vel alia nota corporalis, vel pœna flagellorum, vel triremium ad tempus, *Farinac. cit. q. 167. num. 42. & 43.* attamen ad imponendam pœnam mortis, ut quis in furca ſuſpendi poſſit, ſaltem ex generali conſuetudine requiritur, ut tria, vel plura furta commiſerit, qui fur famoſus dicitur, ſive qui furari conſuevit, *Menoch. cit. caſu 294. num. 17. Covarr. cit. c. 9. n. 7. Farinac. c. l. num. 28.* quamvis in multis locis fœminæ propter furta non ſuſpendantur, ſed gladio plectantur.

XXIII. Porro tria furta hic accipiuntur, non quæ continuato actu, ſed diverſis, & interpolatis temporibus ſunt commiſſa, nam continuatio facit unum actum: unde ſi quis uno die, actu continuato, plures res furetur, unicum furtum reputatur, *l. Eum qui 13. §. Idem dicunt, junct. Gl. V. Sed non in totum, ff. h. t. Clarus cit. §. num. 14. Farinac. c. l. num. 73.* Non requiritur etiam, ut omnia tria furta ſint commiſſa in eodem territorio, ſed etiam furta commiſſa, extra territorium, in quo ob ultimum furtum reus eſt captus, faciunt numerum, ſeu computantur cum ultimo furto, in ordine ad pœnam mortis inferendam, nam & alibi commiſſa affectum, & actuum frequentiam, ac conſuetudinem indicant, unumque aliud aggravat, *Clarus cit. §. num. 10. Menoch. c. l. num. 18. Farinac. c. l. nu. 51. & 59.* Nec etiam refert quod de prioribus furtis fuerit abſolutus, vel illa ei remiſſa ſint ex gratia, quia remiſſio non minuit iteratum crimen, ſed potius auget, *Clarus c. l. n. 23. Farinac. c. l. num. 68.*

Denique etiamſi fur, propter duo priora furta jam fuerit punitus, nihilominus propter tertium poſtea commiſſum eſt ſuſpendendus, quia furta duo priora non computantur, ad ea iterum punienda, ſed ad aggravandum tertium furtum, & puniti ob priora delicta, ſi ea continent, gravius puniendi ſunt, *l. Capitalium 28. §. Solent ff. de pœnis, Clarus citat. l. num. 22. Menoch. citat. loc. numer. 19. Farinac. num. 64.*

XXIV. Notandum quarto, non eſt ſufficiens indicium ad condemnationem de furto, quod res furtiva apud aliquem ſit reperta, imo nec ad torturam, niſi ille ſit homo ſuſpectæ fidei, & malæ famæ, fieri enim ſæpe poteſt, ut quis ignorans apud ſe habeat rem furto ſurreptam, cum tamen ad furtum requiratur, ut quis ſcientiam habeat rei furtivæ, item ut quis bona fide emerit, vel alio titulo acquiſiverit rem furtivam. *Clarus §. Furtum, num. 5. Harprecht §. Furtorum autem, numer. 25. Inſtit. de obligat. quæ ex delicto &c.*

Notandum quinto, non valet ſtatutum, nec conſuetudo, ut res furtivæ a furibus ad mortem condemnatis ereptæ fiſco adjudicentur, ſed dominis, quibus ſunt ablatæ, reſtituendæ ſunt, quia alioquin cum jactura, & damno alterius locupletaretur, quod iniquum eſt, & contra naturam; *l. Nam hoc 14. ff. de condict. indeb. c. Locupletiores 48. de R. J. in 6.* & cum dominus nihil deliquerit, non debet re ſua, propter delictum furis, privari, *l. Crimen 26. ff. de pœn. & l. Sancimus 21. C. eod.* & hæc res anſam præberet iniquis, & avaris Magiſtratibus ſuſpendendi fures, ut bona furto ablata ſibi vindicare poſſent, *Harprecht. cit. §. Furtorum autem, num. 28. & ſeqq.*

§. IV.

Quomodo puniantur furta Jure Canonico?

XXV. Prima pœna furti eſt depoſitio ab Ordine, & Officio Clericali, prout ſtatuitur in *cap. Presbyter 12.* (qui eſt deſumptus ex Canonibus Apoſtolorum *diſ. 81.* ubi habetur: Presbyter, aut Diaconus (vel alius Clericus (qui in furto captus, ſive deprehenſus, & convictus) per

ſententiam, confeſſionem propriam, vel evidentiam rei, *Gl. ibid. V. Captus eſt*) deponatur, non tamen communione privetur ſive eacommunicetur. *Bernard. Diaz. in pract. crim. Can. c. 94. n. 1.* Si tamen Clericus ob furtum depoſitus incorrigibilis fuerit eacommunicari debet: deinde, contumacia creſcente, anathemate feriri (id eſt ſolemniter eacommunicari) & tandem ſi contumacia perſeveret, per ſæcularem Poteſtatem eſt comprimendus, ſeu puniendus, ita ut auxilium, vel alia legitima pœna ei inferatur, prout habetur in *c. Cum non ab homine 10. de Judiciis*, *Gregor. Tholoſan. Sintagm. Juris univerſ. p. 3. l. 37. c. 2. n. 23. de quo plura ſupr. l. 2. Tit. 1. ſec. 3. §. 4.* prædicta autem pœna depoſitionis non eſt imponenda, quando furtum eſt leve, & parvi momenti, *Diaz c. l. in addit. lit. A.*

XXVI. Altera pena furti eſt, quod Clericus convictus, & condemnatus de furto infamis efficitur *c. Infames 17. ibi: Similiter fures, cauſ. 6. q. 1.* ſicut Laicus condemnatus in foro ſæculari, quia quicunque ſecundum leges eſt infamia, eſt etiam infamis ſecundum Canones, niſi reperiatur oppoſitum ſtatutum, *c. Euphemium 7. §. Hinc colligitur cauſ. 2. q. 3. Diaz cit. c. 94. n. 2. in fine*, ubi addit, quod ſi Clericus eſſet condemnatus tantum ad reſtitutionem rei furto ſubtractæ, per hoc non fieret infamia, quia poteſt intelligi, quod fuerit actum condictione furtiva, quæ non infamat, non actione furti, quæ infamat, ſicut in legibus civilibus id de Laicis ſtatutum eſt.

XXVII. Hinc infertur, quod is, qui publica infamia furti eſt notatus, quia fur eſt manifeſtus aut convictus in Judicio de furto, non poteſt, ſine diſpenſatione, ad Ordines promoveri, quia cum debeat ab Ordine, ſi quem habeat, deponi, multo minus ad eum admitti poteſt: idemque eſt de aliis delictis notoriis *c. fin. de temp. ordin. Abb. in c. Ex litteris 5. & ult. n. 2. h. t.* At vero fur occultus (etiam ſacrilegus) poſt reſtitutionem, & pœnitentiam peractam ad Or-
„ dines promoveri poteſt, prout conſtat ex *cit. c. ult. hoc t.*
„ Nam cum quidam Clericus B. nomine, calicem in Ec-
„ cleſia minus caute relictum ſurripuiſſet, & longo tempo-
„ re retinuiſſet, poſtmodum illum reſtituit, & volebat ad
„ ſacros Ordines promoveri. Conſultus ſuper hoc Papa A-
„ lexander III. ab Epiſcopo Cremonenſi, et mandat, ut ſi
„ fur ille ſacrilegus ſponte confeſſus fuerit crimen, & e-
„ ainde Eccleſiæ, cujus erat calix, ſatisfecit, nec eſt ſu-
„ per hoc nota, vel infamia manifeſta aſperſus (furti ſci-
„ licet, quæ gravat opinionem, *leg. 2. ff. de obſeq. a liber. præſtand.* & a promotione ad Ordines repellit, *c. Tantis*
„ *3. diſ. 81. Gloſſ. hic V. Infamia; & Hoſtienſ.*) poſt peractam pœnitentiam, aut congruam partem illius, ad ſa-
„ cros Ordines ipſum promoveat dummodo alias idone-
„ us ſit.

XXVIII. Ex hoc cap. colligitur primo, quod quinque requirantur, ut poſſit fur promoveri ad Ordines, primo, quod ſponte fuerit confeſſus delictum, quia mitius agitur cum ſponte confeſſo, quam cum convicto, *c. Presbyterum 3. diſ. 50. c. Non dicatis 11. cauſ. 12. q. 1. Gl. hic V. Sponte.* Secundo, ut ſatisfaciat læſo, alias enim pœnitere non poteſt, quia non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, modo poſſit quis ſatisfacere, & reſtituere, *Gl. hic in notatis.* Tertio, quod non fuerit publice infamatus de furto. Quarto, ut peregerit pœnitentiam, vel ſaltem partem illius, quia licet quis ſatisfecerit reſtituendo rem furto ablatam, nihilominus penitentia eſt ei imponenda, *Gl. hic in notat.* per quam ſatisfit Deo, *c. Apud miſericordem 10. cauſ. 32. q. 1.* Quinto, ut alias ſit idoneus, *Abb. hic num. 5.* quare regulariter poteſt criminoſus; ſi delictum ſit occultum, & nulla inde infamia ſit orta, promoveri ad Ordines, poſt peractam pœnitentiam, vel partem illius, etiam Jure communi, & ſine diſpenſatione *c. ult. de temp. ordin. Gl. hic V. Promoveri, & Hoſtienſ. in fine, & Abb n. 6.* quamvis ſecundum aliquos, qui dicunt etiam ob occultum delictum reddi aliquem irregularem, diſpenſatio requiratur, *Gl. hic in fine.*

Colligitur ſecundo, quod ſurripiens rem aliquam ex Eccleſia non eſt ipſo jure, ſeu facto excommunicatus, ut patet ex *cit. c. ult. hoc tit.* in quo Clericus ex Eccleſia calicem ſurripuit, & tamen poſt ſatisfactionem, & pœnitentiam, poteſt promoveri ad ſacros Ordines, ergo non fuit eacommunicatione ligatus, quia hæc impedit promotionem ad Ordines, *c. Cum illorum 32. de ſent. excom.* unde etiam Papa hic non mandavit, Clericum illum abſolvi ab excommunicatione, quamvis talis ſacrilegus fur, & ſpoliator rerum Eccleſiæ ſit excommunicandus, *c. Conqueſtus 16. de foro compet.* ſi tamen talis fur oſtia Eccleſiæ effregiſſet, eſſet, ipſo facto, eacommunicatus, *c. Conqueſti 22. de ſent. excom. Abb. hic n. 2. & dictum cit. praced.*

Colligitur tertio, quod etiam is, qui rem alienam minus caute dimiſſam, ſeu relictam in aliquo loco privato vel publico, accipit, furtum committat, niſi inquirat dominum rei, paratus ei reſtituere, ſi repererit, ut colligitur ex hoc cap. & notat, *Abb. hic nu. 4.* de quo dictum ſupra *§. 2. n. 8. h. t.*

XXIX. Porro præter allatas pœnas, ſtatuitur in *c. Si quis 17. cauſ. 17. q. 4.* (qui eſt deſumptus ex Pœnitentiali Ro-
„ mano) ſi Clericus fecerit furtum capitale, furandoquam-
„ libet rem majoris pretii, ſeptem annis pœniteat: Laicus
„ vero quinque. Si vero rerum minorum ſemel, vel bis
„ furtum fecerit, reddere debet, & uno anno in pane, &
„ aqua pœnitere, & ſi reddere non poſſit, tribus annis.
„ Verum Canones antiqui pœnitentiales jam ſunt antiqua-
„ ti, nec amplius in uſu.

XXX. Poſtremo illud hic addendum, ſi fures, & latro-
„ nes in furando, & deprædando, occidantur, non eſt pro
„ eis orandum: ſed ſi comprehenſi, aut vulnerati Præsby-
„ tero, vel Diacono confeſſi fuerint, Communio non eſt
„ eis neganda, prout habetur in *cap. Fures 2. h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio Triburienſi.

Ubi pro explicatione notandum primo, occiſos in delicto aliquo flagranti, præſumitur deceſſiſſe in illo peccato, ideoque pro eo non eſt orandum in Eccleſia, nec oblationes offerendæ, niſi ex ſignis quibuſdam exterioribus de ipſius pœnitentia, & contritione conſtet, *c. Pro obeuntibus 21. cauſ. 13. q. 2. c. Placuit 12. in fine, & ibi Gl. cauſ. 23. qu. 5. Abb. hic n. 1. not. 1. & 2.*

Notandum ſecundo, quod hic dicitur de confeſſione facta Præsbytero, vel Diacono, vel etiam Laico in neceſſitate, ſecundum, *Gl. hic V. Diacono*, non debet ita intelligi, quaſi quis debeat, ſaltem in articulo mortis, ſi deſit Presbyter, confiteri Diacono, vel non Presbytero, ſive Clerico ſive Laico: vel quod ab eo abſolvi poſſit; qui poteſtatem clavium non habet, hoc enim aperte erroneum eſt. Neque in *c. 1. diſ. 6. de pænit.* ubi dicitur, *quod tanta eſt vis confeſſionis, ut ſi deeſt Sacerdos, confiteatur proximo*, contrarium aſſeritur, ſed ſolum innuitur ibi licentia, ſeu facultas in neceſſitate confitendi non Presbytero, non autem neceſſitas, vel obligatio id faciendi, ſive id de conſilio tantum, non de præcepto intelligendum eſſe, ut notat *Navarr. ibid. nu. 72. & ſeqq.* quia etſi talis confeſſio non proſit ad abſolutionem, poteſt tamen prodeſſe ad humilitatem, & ſui confuſionem, & ad ſatisfaciendum pro culpis temporalibus: ubi tamen *n. 78.* addit, non eſſe conſultum, etiam in articulo mortis, confiteri peccata mortalia non Presbytero, niſi ſit perſona prudens, & taciturna. Itaque quando in *cit. cap. 2. h. t.* dicitur, ſi fures confeſſi fuerint Presbytero, vel Diacono, intelligendum eſt, non quod debeant eorum confeſſiones excipere, vel eos abſolvere, quamvis Presbyter ſit miniſter idoneus: ſed ut fures moribundi coram illis exhibeant ſigna contritionis, & pœnitentiæ, tanquam teſtibus, ob quæ ſola non vult Eccleſia denegari etiam furibus decedentibus communionem Eccleſiaſticam, quæ in eo conſiſtit, ut oretur pro mortuis, & oblationes fiant pro eis, & Eccleſiaſtica ſepultura eis concedatur, ſiquidem ſaltem ſigna pœnitentiæ, ante mortem, exhibuerint, nam cui communicamus vivo, communicamus etiam jam defuncto, *c. Ex p. 11. in fin. de ſepult. Barb. n. 5.* Imo nec Euchariſtia eſt eis neganda quæ etiam ſub Communione hic continetur, ut tradit *Gloſſ. ſiu. hic* & ſumitur ex *c. Pœnitentes 63. diſ. 50.* ubi in fine dicitur, quod Viaticum omnibus pœnitentibus in morte poſitis non eſt denegandum. Ex quo inferunt communiter DD. quod ſacra Communio etiam Reis ad mortem damnatis ſit permittenda, *Navarr. in Man. c. 25. n. 23. Clarus l. 5. §. fin. q. 99. n. 3.* ubi tamen addit, quod eo die, quo communicant, propter reverentiam Vener. Sacramenti, non ſint ultimo ſupplicio afficiendi: quin etiam ii, qui propter facinora ſua ſuſpenduntur in patibulo, vel alia morte violenta afficiuntur, ſi pœnitentes obeant, ſepeliendi ſunt in cœmeterio Eccleſiaſtico. *Abb. hic n. 3.* niſi in penam illis ſepultura denegetur a Magiſtratu, ut fit in noſtris partibus furibus, & iis, qui ad rotam damnantur, vel comburuntur.

§. V.

De aliis diverſis furtorum generibus, eorumque pænis.

XXXI. Quæritur primo, quid ſit ſacrilegium, & quæ penæ ſint ſtatutæ in fures ſacrilegos? Reſp. primo, Sacrilegium eſt furtum rei ſacræ, idque tripliciter committitur, vel auferendo rem ſacram de loco ſacro, vel ſacram de non ſacro, vel non ſacram de ſacro, prout habetur in *c. Quiſquis 21. §. Similiter cauſ. 17. q. 5.* quamvis *Azor. p. 1. Inſtit. l. 9. c. 27. q. 6. Leſſ. l. 2. c. 45. n. 14.* & alii plures DD. putent, furtum rei non ſacræ, ſive non benedictæ, neque deputatæ ad uſus Eccleſiaſticos ablatæ ex loco ſacro, & quæ non eſt cuſtodiæ, vel ſecuritatis cauſa ibi depoſita, vel Eccleſiæ concredita, ſed tantum caſu ibi relicta, & poſita, non eſſe proprie dictum ſacrilegium, ſive furtum ſacrilegum ſuperaddens ſpecie diſtinctam malitiam a furto, quia non habet peculiarem repugnantiam cum loci ſanctitate, ſed ſolum generalem quandam irreverentiam continet, adeoque penæ in ſacrilegos fures ſtatutæ tunc non incurruntur. Quare quando Joannes VIII. in *cit. c. Quiſquis*, inter ſacrilegia numerat furtum rei non ſacræ e loco ſacro, id intelligi debet, ſi ex loco ſacro, ſeu Eccleſia auferatur res, quæ quidem non eſt ſacra, ſed ad Eccleſiam aliquomodo pertinet, ſaltem quoad cuſtodiam.

XXXII. Reſp. ſecundo, Jure Civili, pena furti ſacrilegi, præcipue quo res ſacra e loco ſacro ſurripitur, eſt extraordinaria, & arbitraria, ita tamen, ut juxta furti, rei, & perſonarum qualitatem, etiam ad mortem poſſit extendi, ut conſtat ex *l. Sacrilegio 6. in princ. ff. ad Leg. Jul. peculat.* ubi dicitur, quod ſacrilegium, pro qualitate perſonæ, & rei conditione, & temporis, & ætatis, & ſexus, ſeverius, vel clementius puniri debeat: ita ut ſacrilegi fures aliquando ad beſtias damnentur, nonnulli etiam vivi comburantur: alii vero in furca ſuſpendantur, vel alias capite plectantur, *l. Sacrilegi 9. ff. eod. Clarus §. Sacrilegium numer. 3. Hoſtienſ. in Summa Rubr. de crim. ſacr. num. 3. h. t. Menoch. de arbitr. Judic. caſu 289. Farinac. in praxi crimin. p. 7. q. 172. n. 51.*

Similiter Jure Canonico diverſæ penæ reperiuntur impoſitæ furibus, & prædonibus ſacrilegis. Veluti primo pena pecuniaria *c. Quiſquis 21. in princ. cauſ. 17. q. 4.* ubi habetur, quod ſacrilegii reus XXX. libras argenti debet præſtare Epiſcopis, vel Abbatibus, vel aliis perſonis, ad quas querimonia ſacrilegii juſte pertinet. Secundo, in *Can. Attendendum 13. eadem cauſ. & q.* ſacrilegis triplex irrogatur pena, ut perpetua damnentur infamia, quæ tamen non incurritur niſi poſt ſententiam condemnatoriam, *Farinac. c. l. nu. 22.* vel ut tradantur carceri, vel ut relegentur in perpetuum exilium: Tertio in *c. Inſigne 22. cauſ. 12. q. 2.* jubentur ſacrilegi res Eccleſiarum injuſte accipientes, vel poſſidentes, aut retinentes, niſi cito ſe correxerint, anathemate feriri, ſive excommunicari. Eadem pena excommunicationis in ſacrile-

Digitized by Google

erilegos decreta eſt, uſque ad congruam ſatisfactionem, in *c. Cæquæſtus 16. de foro compet. Greg. Tholoſ. Synt. Jur. univ. p. 3. l. 33. c. 15. n. 3.*

XXXIII. Huc pertinet, quod etiam excommunicatio lata ſit in *Extravag. Infideles unic. h. t. Inter communes*, in illos, „ qui furati ſunt Theſaurum Eccleſiæ, quem ex mandato „ Clementis V. tres viri ibi nominati Peruſio in Lucanam „ Civitatem deportaverunt, niſi intra quatuor menſium ſpatium, a die publicationis numerandum, integre reſtituant. Et præcipitur, ut per Diœceſanos locorum, & Re- „ ctores Eccleſiarum Parochialium omnes prædictum theſaurum aſportantes, & alii, penes quos aliqua de theſauro „ fuerunt, vel adhuc exiſtunt, ſingulis diebus Dominicis, „ & Feſtivis, pulſatis campanis, & candelis extinctis, ex- „ communicati publice denuncientur.

XXXIV. Cæterum crimen ſacrilegii, adeoque etiam furti ſacrilegi, eſt crimen mixti fori, ita ut etiam Laicus a Judice Eccleſiaſtico puniri poſſit, & præventioni locus ſit inter ſæcularem Judicem, & Eccleſiaſticum, *c. Cum ſit 8. & ibi Abb. n. 1. & cit. c. Cunqueſtus eod. Diaz. in pract. crim. Can. c. 91. in addit. V. Definitionem, lit. A. Farinac. cit. qu. 172. num.* 3. quamvis ex conſuetudine ſolus Judex ſecularis de ſacrilegio cognoſcat in multis locis, teſte *Clare c. l.* ubi ait, juſſum ſuſpendi a ſe quendam, qui abſtulit vas S. Euchariſtiæ ex Eccleſia.

XXXV. Quæritur ſecundo, quid ſit plagium, & quæ ſit ejus pœna? Reſp. primo, inter furta numeratur etiam plagium, nam ſi liber homo, qui ſui juris eſt, ſurripiatur, vel abducatur, animo celandi illum, licet proprie non ſit furtum, quia libera perſona in nullius eſt dominio, *§. Idem juris Inſtit. de inutil. ſtipul.* eſt tamen quaſi furtum, quod proprie plagium dicitur: quare ſi quis furetur, vel abducat hominem liberum, & eum vendat tanquam ſervum, plagiarius in jure dicitur, quo crimine tenetur, qui ſcienter, & dolo liberum hominem invitum emit, vel vendidit, celavit; vel invitum tenet, vel etiam ſervum alienum, dolo malo, abducit, celat, vel tetinet, *l. 1. & ſeqq. ff. ad Leg. Fabiam de plangiariis*: venditionis autem verbo, omnes contractus, per quos dominium transferrur, comprehenduntur, ut donatio, permutatio &c. *l. Lege 4. ff. eod. & ibi VVeſemb. in paratit. nu.* 2. Porro ſi liberi in poteſtate parentum conſtituti ſurripiantur, ſeu abducantur, proprie non plagium, ſed potius furtum committitur, *§. Interdum Inſtit. de oblig. quæ ex delictis &c.* ideoque patri furti actio competit, *l. Eum qui 14. §. Si filiusfam ff. h. t.* non autem matri, quæ eos in poteſtate non habet, *l. Mater 38. ff. eodem.*

XXXVI. Reſp. ſecundo, pœna plagii olim pecuniaria fuit de Jure Civili, *l. in fuga 6. junct. Gl. lit. B. C. ad Leg. Fabiam de plagiar.* quæ poſtea in uſu eſſe deſiit, & gravior pœna infligi cœpit plagiariis, pro modo delicti, nempe ut metallum damnetur, ſi nobilis ſit: ſi vero ſit ignobilis, ſed ingenuus, gladio plectitor: ſi ſervus, vel libertus, beſtiis ſubjicitur, *l. fin. & ibi Gl. ff. ad Leg. Fabiam de plagiar. l. Quoniam 7. & ult. C. eod.* ubi ſermo eſt de plagiariis, qui liberos homines, aut ſervos alienos abducunt, & vendunt, vel qui viventium filiorum miſerandas orbitates parentibus infligunt eos diſtrahendo, quibus eſt pœna mortis decreta. Aliis tamen caſibus Judicis permiſſum videtur plagiario vel pœnam imponere leviorem metallo, aut exilio, vel præter exilium, aliam arbitrariam, pro modo delicti, & perſonarum, *cit. l. fin. & C. eod. VVeſemb. ff. eod. num. 5. §. Eſt & inter Inſtit. de publ. Judic. Harprecht. ibid. n.* 19.

XXXVII. Porro Jure Divino Legis Veteris, qui ſciens liberum hominem vendit, morte punitur, ut conſtat ex *Libro Exodi cap.* 21. *v.* 17. ubi dicitur: Qui furatus fuerit ho- „ minem, & vendiderit eum, convictus noxæ, morte moriatur. Ex quo loco deſumptum eſt cap. 2. *hoc tit.* ubi *Abbas num.* 2. ait, hoc cap. poſitum eſſe ſub Rubrica hujus Tituli, ut ſciatur, furantes homines liberos acriter eſſe puniendos, cum ſecundum legem Divinam antiquam puniendi ſint morte. In foro vero Eccleſiaſtico debent acriter puniri, ſed citra mortem, quia Eccleſia pœnam ſanguinis infligere non poteſt, *c. In Archiepiſcopatu 4. de raptorib.* Vel dici poteſt, quod per mortem hodie de Jure Canonico non intelligatur mors naturalis; ſed excommunicatio, quæ eſt quaſi mors civilis, cum per illam velut mortuus a communione fidelium, juxta *c. Per venerabilem 13. prope finem, Qui filii ſint legitimi*, excludatur, ita ut Judex Eccleſiaſticus furantes homines liberos poſſit excommunicare, etiam Laicos, qui quoad hoc crimen etiam ſunt ſubjecti juriſdictioni Judicis Eccleſiaſtici, quia per illud detrahitur Religioni Chriſtianæ, *Abb. in cit. c. 1. in fine*, quanquam per mortem intelligi poſſit etiam depoſitio ab Ordine, & Officio, quæ eſt etiam mors quædam civilis, nam excommunicatio per hominem non poteſt infligi, niſi quis ſit contumax, & incorrigibilis, *c. Nemo 41. & ibi Gloſſ.* communiter recepta, *V. Nemo, cauſa 11. qu. 3. cap.* vero. *Per venerabilem*, loquitur de contumace, ut patet ex fine illius cap. & tradit *Gloſſator Abbas in c. 1. de homicid. lit.* C. Verumtamen nihil etiam obſtat, quo minus Judex, ſeu Prælatus Eccleſiaſticus eum, qui tam grave crimen plagii commiſit, furando hominem liberum, poſſit tradere Curiæ, ſeu Poteſtati ſæculari, morte puniendum, ut notavit *Harprecht in cit. §. Eſt & inter an. ult. Inſtitut. de publ. Judic.* ideoque hoc c. 1. poſitum eſt in hoc tit. adjuncta tamen proteſtatione, ne pœna mortis, vel mutilationis ei inferatur, *Arg. c. 2. de homicid. in 6.*

XXXVIII. Notandum hic præterea primo, non ſolum qui ſciens vendidit hominem liberum, ſed etiam qui emit, capitale crimen plagii committit, & pœna mortis afficiendus eſt, *l. 1. ff. ad Legem Fabiam de plagiar.* idemque eſt de ſcienter donante, & donatario, nam venditio late dicitur, quomodocumque dominium transferatur in alium, *l. Statu 3. §. Si decem ff. de ſtatu liberis. Abbas in cit. c. 1. num. 2. hoc tit.* Notandum ſecundo, Principes, & magni domini, qui donant ſibi invicem pigmæos, cantores, moriones, & ſimiles, non incidunt in pœnam latam in plagiarios, quia non dant illos, ut priventur libertate, ſed donant, ut liberi maneant, ſicut liberi erant apud donantem, *Bart. in l. Lege ff. eodem Abbas in c. 1. in princ. hoc tit.*

XXXIX. Quæritur tertio, quale crimen ſit peculatus, & quæ pœna illius? Reſp. Tertia ſpecies furti eſt peculatus, quod crimen eſt furtum pecuniæ publicæ, *l. Sacrilegi 9. §. Labeo ff. ad Leg. Jul. peculat.* Pecuniæ autem nomine hic comprehenduntur omnes res ad ærarium Reipublicæ vel fiſcum Principis pertinentes, *l. Lege 4. §. fin. ff. eod.* quamquam alii dicant, crimine peculatus teneri, qui pecuniam, vel rem Civitatis Romanæ ſurripuit, juxta *cit. l. 4. fin. junct. Gl. V. Civitatis*, ſcilicet Romanæ, non alterius: ob pecuniam vero, vel rem ſubtractam alii Civitati inferiori, non peculatus, ſed furti actione quis tenetur, juxta *l. Ob pecuniam 81. ff. hoc tit. Harprecht. in cit. §. Item Lex Julia peculatus, n. 11. Inſtit. de publ. Judic.* ſub peculatus crimine continetur etiam furtum pecuniæ ſacræ, & religioſæ, *cit. l. 4. in princ. ff. ad leg. Jul. pecul.*

Pœna autem hujus criminis, in privatis, regulariter eſt deportatio, *l. 3. ff. ad Leg. Jul. peculat. §. Item Lex Jul. pecul. Inſtitut. de public. Judic.* quæ cum hodie non ſit in uſu, in ejus locum ſucceſſit pœna arbitraria, *Farinac. in praxi p. 7. q. 171. num.* 5. Judices autem, ſive Magiſtratus, qui tempore adminiſtrationis publicas pecunias ſubtraxerunt, & qui miniſterium eis ad hoc exhibuerunt, vel ſubtractas pecunias ab eis ſcienter acceperunt, ultimo ſupplicio afficiuntur, *cit. §. Item Lex Jul. peculatus, l. 1. C. de crim. pecul.*

Porro crimen peculatus de Jure Canonico etiam committunt Presbyteri, aliique Clerici, qui bona Eccleſiaſtica ſibi appropriant, vel alienant, ideoque excommunicantur, niſi res ſurreptas celeriter reſtituant, *c. Si quis 6. de rebus Eccleſ. non alien.* & ſi reſtituere non poſſint, deponantur, *c. Diaconi 35. cauſa 12. q. 2. Farinac. cit. q. 171. n. 10.*

XL. Quæritur quarto, quale crimen ſit abigeatus, & quæ ſit ejus pœna? Reſp. Quarta ſpecies furti eſt abigeatus, quo crimine tenentur, qui pecora ex paſcuis, armentis, aut gregibus abducunt, & deprædantur, qui abigei dicuntur, *l. 1. §. 1. ff. de abigeis*. Quod ſi quis oves aberrantes, vel equos in ſolitudine relictos abegerit, non eſt abigeus, ſed potius fur *cit. l. 1. §. 1.* niſi ſæpius abegerit, etiam unum ſolum vel alterum pecus, *l. fin. §. pen. ff. eodem*. Pœna autem hujus criminis eſt, quod abigei, qui frequentius hoc delictum patrant, ad gladium damnentur, ſolet enim frequentia augere pœnam, præſertim qui ferro, vel armis abigunt pecora, *l. 1. in princ. & l. 2. ff. de abigeis*, alias damnantur in opus publicum ad tempus, *citat. l. 1. in princip.* In honeſtioribus temperatur pœna, & aut relegandi, aut Ordine movendi ſunt, niſi gladio abigant, tum enim tanquam graſſatores, ſeu latrones beſtiis objici debent, *citat. l. 1. §. Quanquam.* Illi vero, qui pecus e ſtabulis abigunt, plenius, ſive durius puniri debent, quam qui e grege, ſilva, aut paſcuis, *l. ultim. §. 1. ff. eodem*, quia cum effractione ſtabuli abigeatum committunt: furtum autem, quod cum effractione ſit, gravius punitur, quam quod ſine effractione *l. 1. ff. de effractoribus Harprecht §. Pœna, n. 108. & 109. Inſtit. de oblig. quæ ex delicto &c.*

Porro etſi Jure Canonico nulla ſtatuta ſit pœna in abigeos, quia tamen Canones pœnas infligunt juxta qualitatem, & quantitatem culpæ, abigeus autem improbior fur eſt, quam alii, ideo hoc jure major etiam pœna eſt imponenda, quam ob furtum, adeoque pœna depoſitionis Clerico imponi poterit, arbitrio Judicis, *Farinac. in praxi p. 7. q. 167. n.* 109.

XLI. Poſtremo inter graviora furta habetur etiam furtum commiſſum in incendio, vel naufragio. Et quidem rapientes res ex naufragio confiſcatione bonorum mulctantur, *Auth. Navigia in fine C. hoc tit.* & alia etiam pœna extraordinaria puniri poſſunt, ut ibidem additur. Eadem autem pœna impoſita eſt furantibus res tempore incendii foras projectas, quæ eſt impoſita furantibus res, tempore naufragii, *l. Pedius 4. ff. de incendio &c. Farinac. p. 7. q. 168. num.* 78. Hodie autem auferens res in naufragio projectas in terram punitur pœna arbitraria Judicis pro qualitatibus perſonarum, *l. de ſubmerſis 5. C. de naufrag. l. 11. Menoch. de arbitr. Judic. caſu 297. n. 1.*

His addendum, quod præter actionem, & pœnam criminalem contra furem auferentem res, occaſione incendii, vel naufragii, detur etiam actio civilis ad reſtitutionem rerum ablatarum, intra annum in quadruplum, poſt annum vero, in ſimplum, *l. 1. in princ. ff. de incendio &c. Farinac. c. l. num.* 80.

TITULUS XIX.

De Uſuris.

Uſura vitium eſt affine rapinæ, & furto, nam ſi quis uſuram acceperit, rapinam facit, prout dicitur in c. Si quis 10. cauſa 14. quæſt. 4. & quodammodo furtum, unde & reſtituere tenetur, ſicut raptor, vel fur, ideoque poſt Titulos de raptoribus, & furibus, congruo ordine, ſubjicitur hic Titulus de Uſuris, qui etiam extat in Sexto, & Clementinis.

SECTIO I.

De uſuris in genere.

I. Uſura dicta ab uſu, ſicut cultura a cultu, ideoque in genere ſignificat uſum alicujus rei, quomodo dici-

tur

Digitized by Google

tur uſura lucri, vel vitæ, pro uſu. Inde vero nomen uſuræ translatum eſt ad ſignificandum incrementum, vel lucrum, & commodum, ſeu fructum ex uſu rei provenientem, juxta illud Ciceronis in libro de ſenectute: *Terra nunquam ſine uſura reddit, quod accepit*, ubi fructus ſupra ſemen, & quaſi lucrum, quod ea ſemine ſibi mandato reddit, uſuram appellat, *Molin. tr. 2. de juſtit. diſ.* 303. *n.* 1.

§. I.

Quid ſit uſura, & quotuplex.

II. Aſſertio 1. Uſura, in præſenti materia, dupliciter accipitur: vel pro conventione, ſeu contractu uſurario: vel pro lucro, quod ex contractu uſurario acquiritur, quod etiam fœnus appellatur a fœtu, quaſi ſit partus, & fructus pecuniæ, vel alterius rei pretio æſtimabilis, quæ ea contractu pecuniario ſolvitur, vel accipitur; ſicut & furtum ſubinde non pro actione furandi, ſed pro re furtiva accipitur, *Molin. c. l. n.* 2. *&* 4.

Primo modo ſumpta deſcribitur uſura *a Covarruvia lib.* 3. *var. reſol. c. l. n.* 2. §. *Uſura*. Eſt actus voluntatis interior, vel exterior conveniendi, vel accipiendi lucrum aliquod temporale ultra ſortem, ex vi, & cauſa mutui principaliter. Secundo vero modo ſumpta uſura, eſt lucrum immediate ea mutuo proveniens, tanquam debitum, hoc eſt, incrementum, quod vi mutui intenditur, & accipitur ſupra id, quod mutuo datum eſt, & hoc mutuum eſt materia, ſeu objectum contractus uſurarii, *Molin. c. l. n.* 2. ut ſi v. g. pro centum florenis mutuo datis exigantur centum, & decem, ubi centum floreni vocantur ſors, ſive capitale: decem vero uſura, ſive fœnus, vel lucrum ultra ſortem.

III. Pro intellectu hujus utriuſque deſcriptionis notandum primo. Uſura poteſt committi, vel per ſolum actum internum, cum quis mutuo dat centum Titio, cum intentione, ac ſpe recipiendi ab eo ultra ſortem, quæ eſt uſura mentalis, de qua infra, ſicut ſupra de Simonia etiam dictum eſt. Vel per actum externum, cum quis mutuat alicui mille, cum expreſſo pacto reddendi ultra ſortem quinquaginta. *Covarr. c. l.* Neque vero refert, an conventio per ſtipulationem inita ſit, an vero per nudum pactum, *l. Quamvis* 3. *& l. Frumenti* 12. *C. de uſur. Henric. Caniſ. tr. de uſuris, cap.* 2. *num.* 6.

Notandum ſecundo, nomine lucri hic intelligitur pecunia, vel quæcunque alia res temporalis, & pretio æſtimabilis, nam quicquid ſorti accedit, uſura eſt, ſive illud ſit pecunia, ſive frumentum, vinum, oleum, ſive quodcunque aliud temporale, ſi amplius requiratur, quam quod mutuo datum eſt, *c.* 1. *& ſeqq. cauſ.* 14. *q.* 3. Hinc ſequitur primo, ſi quis mutuet, cum pacto, ut ultra ſortem reſtituendam, pro ſe oretur, vel ſacrificetur, non eſt uſura, ſed potius ſimonia, quia nihil temporale accipitur ſupra ſortem, ſed mutuo datur aliquid temporale, quaſi in compenſationem pro re ſpirituali, *Laym. l.* 3. *tr.* 4. *c.* 16. *num.* 2. Sequitur ſecundo, ſi quis mutuo det, ut ultra ſortem conſequatur amicitiam, vel benevolentiam mutuatarii, non erit uſura, quia amicitia, & favor non cenſetur pretio æſtimabilis, ſi non ex obligatione juſtitiæ, ſed gratis, ac voluntarie, ſeu libere exhibeatur, *Leſſ. l.* 2. *de juſtit. c.* 20. *dub.* 3. *n.* 18. Aliud eſt, ſi mutuo data ſit pecunia, cum pacto, ut mutuatarius obligatus ſit ad obſequia, vel honorem externum præſtandum mutuatori, vel ad illum apud alios laudandum, vel commendandum, tunc enim uſura committetur, quia munus ab obſequio, & a lingua ſunt pretio æſtimabilia, adeoque materia uſuræ, ſi in pactum deducantur, quod ultra ſortem præſtari debeat, nam quamvis fama, & honor, ſecundum ſe, non ſint pecunia æſtimabilia; tamen onus, & obligatio, quæ imponitur, ultra ſortem, mutuatario obſequia præſtandi, vel laudandi, aut honorandi, pretio æſtimatur, ideoque etiam pro hujuſmodi operibus ex obligatione præſtandis merces conſtitui ſolet, *Laym. c. l. n.* 2. Similiter uſura committitur, ſi quis mutuo det alicui, cum pacto, ut remittat ſibi obligationem reſtituendi famam mutuatario prius injuſte ab ipſo læſam, quia talis remiſſio eſt pretio æſtimabilis, cum ſit oneroſa, & moleſta ipſi mutuanti, qui famam læſit. Idemque eſt, ſi quis mutuet, cum eo pacto, ut mutuatarius remittat actionem, quam juſte intentare potuit, ob injuriam ſibi illatam a mutuante, nam hoc jus agendi eſt pretio æſtimabile: & quamvis injuriam inferens, ante Judicis ſententiam, non teneatur ſatisfacere pro injuria illata: habet tamen læſus jam ante ſententiam jus exigendi ſatisfactionem a Judice, quod ex pacto, & obligatione remittit pro mutuo, ideoque uſuram committit: niſi tamen præſumi poſſit, quod mutuatarius gratis, & liberaliter condonare velit obligationem ſatisfaciendi pro injuria illa, ob præſtitum beneficium mutuationis, *M. l. cit. tr.* 2. *diſ.* 107. *n.* 8. *Laym. c. l. n.* 2.

IV. Notandum tertio, ſi lucrum non proveniat immediate ex mutuo, ut ſi quis mutuo det pecuniam, non cum pacto, & ex obligatione juſtitiæ, ut ultra ſortem ſibi, tanquam ex vi mutuationis, debitum aliquod temporale det mutuatarius, ſed ſolum ex amicitia, & gratitudine, vel quod alio titulo ipſi debitum eſt, ut ſi quis mutuet, cum pacto, ut mutuatarius prius debitum ſolvat, reddat depoſitum, injuſte non noceat &c. non eſt uſura, quia non accipit aliquid ſupra ſortem, ea vi mutui, ſed quod alio titulo jam erat debitum. Item ſi quis rem ſuam vendat ſupra juſtum pretium, hoc lucrum non eſt uſura, quia non provenit ex mutuo, ſed ex injuſta venditione, vel emptione: vel ſi pecunias alicui concedat ad pompam, vel oſtentationem, petito certo pretio, non eſt uſura, quia pretium illud, ultra ſortem, non accipitur, ratione mutui, ſed ratione locationis pecuniæ, adeoque talis non incurrit pœnas uſurariorum, *Leſſ. c. l. num.* 19. *&* 20. Quare uſura habet proprie tantum locum in mutuo, ut docet *S. Thom.* 2. 2. *qu.* 78. *art.* 1. *& ſeqq.* & alii communiter, & Chriſtus Luc. 6. dicens: *Mutuum date, nihil inde ſperantes*, de ſolo mutuo loquitur, de quo plura infra.

Notandum quarto, ad uſuram non requiritur mutuum formale, & expreſſum, ſed ſufficit etiam virtuale, ſive implicitum, ex quo lucrum ultra ſortem provenit, ut cum quis vendit rem pluris juſto, ob dilatam ſolutionem pretii: vel etiam juſto minoris, ob anticipatam ſolutionem illius, tunc enim venditor implicite mutuat emptori pretium, uſque ad tempus ſolutionis; & emptor, anticipando ſolutionem, implicite mutuat pretium uſque ad tempus traditionis rei emptæ, cum lucro in exceſſu, vel diminutione juſti pretii, ideoque lucrum inde proveniens eſt uſurarium, *Leſſ. cit. c.* 20. *num.* 21.

V. Aſſertio 2. Uſura dividitur primo in mentalem, & realem. Mentalis eſt, quando quis eo animo, & intentione mutuat, ut acquirat lucrum ea mutuo, tanquam ex juſtitia debitum in compenſationem illius: quamvis nullo interveniente pacto expreſſo, vel tacito de lucro. Quare uſura mentalis in præſenti non accipitur pro ſola voluntate, ſive peccato interno uſuræ, prout præſcindit ab omni actu externo, ſed accipitur pro actu externo, quo mutuum datur, cum ſpe, & intentione accipiendi lucrum ea mutuo, quamvis ſine ullo pacto. Verum de uſura mentali plura infra. Uſura realis eſt, quando quis mutuat, cum pacto expreſſo, vel tacito accipiendi ultra ſortem, lucrum ex mutuo, quæ diſtinguitur ab uſura mentali, quia in hac nullum pactum uſurarium intervenit, ſed ſolum intentio uſuraria, in reali intervenit pactum uſurarium: idque vel expreſſum, vel implicitum, ut ſi mutuans dicat mutuatario, ſcis bene, qualis conſuetudo ſit, memento, me habere amplam familiam, & liberos, ſpero pecuniam mutuo datam non reverſuram vacuam, *Azor. p.* 3. *libr.* 3. *de uſura c.* 3. *in princ. Molin. tr.* 2. *de juſtit. diſc.* 303. *n.* 10. Quod ſi quis habeat voluntatem accipiendi ultra ſortem lucrum ex mutuo, ita ut actu tamen nihil det mutuo, erit uſura mere mentalis, *Azor. c. l.*

Secundo dividitur uſura in expreſſam, ſeu formalem, & virtualem, ſive palliatam. Expreſſa, ſeu formalis, & manifeſta eſt, quando exigitur pretium pro mutuo, v. g. mutuo tibi centum florenos, ut poſt annum mihi reddas centum, & quinque. Virtualis, ſive palliata uſura eſt, cum res venditur carius, vel vilius, ob dilatam, vel anticipatam ſolutionem, ut dictum ſupra, de quo plura infra.

Tertio uſuræ aliæ ſunt compenſatoriæ, in quibus pactum fit de ſolvenda, ultra ſortem, pecunia, vel alia re pretio æſtimabili, ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis, vel ratione periculi, laboris, vel expenſarum, quæ probabiliter ſubeunda, vel facienda erunt in mutuo recuperando, quæ etiam uſuræ reſtauratoriæ vocantur. Aliæ ſunt uſuræ punitoriæ, in quibus pactum fit de ſubeunda pœna aliqua, ultra ſortem, ſi mutuatarius in mora fuerit non reddendi mutuum tempore ſtatuto. Aliæ denique ſunt uſuræ lucratoriæ, in quibus ea pacto ultra ſortem, præſtandum eſt aliquod lucrum temporale, cauſa, & nomine mutui principaliter exactum, *Azor. c. l.* de quibus an, & quando ſint licitæ, nec ne, infra dicetur.

§. II.

Quo Jure uſura ſint prohibita?

VI. Ad hanc quæſtionem reſpondetur, uſuræ lucratoriæ, & proprie dictæ, ſive apertæ, ſeu expreſſæ, ſive palliatæ, & implicitæ, ſunt prohibitæ, non ſolum Jure poſitivo, Divino, & Eccleſiaſtico, ſed etiam Jure naturali. Eſt communis, & Catholica doctrina cum *S. Thom.* 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. De Jure Divino conſtat ex pluribus locis S. Scripturæ, *Deut. c.* 24. *Non fænerabis fratri tuo ad uſuram pecuniam &c. Pſal.* 14. ubi dicitur, quod habitabit, & requieſcet in Monte Sancto Domini, *qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram*, & conſequenter qui dedit, non habitabit. Idem *Pſal.* 54. *Vidi iniquitatem, & contradictionem in civitate, &c. non defecit a plateis ejus uſura, & dolus. Ezech. c.* 18. *Qui ad uſuram non commodaverit, & amplius non acceperit*, hic juſtus eſt, *vita vivet*, ait Dominus, & infra: *Si genuerit filium ad uſuram dantem, nunquid vivet? non vivet*. Denique Lucæ 6. ait Chriſtus, *mutuum date, nihil inde ſperantes*, nempe ultra ſortem. Quæ verba Papa Urbanus III. in *c. Conſuluit.* 10. *h. t.* adſert, ad probandum, uſuram Jure Divino eſſe prohibitam: & licet illa verba potuiſſent forte explicari de conſilio, non de præcepto: tamen ſuppoſitis aliis locis S. Scripturæ, merito ita intelligi poſſunt, ut ibi non conſilium, ſed præceptum contineatur. Deinde etſi verba illa priora, *mutuum date*, conſilium tantum contineant (extra caſum neceſſitatis proximi) at verba poſteriora *nihil inde ſperantes*, præceptum continent, ut poſtquam mutuo datum eſt, nihil amplius exigatur, quam mutuatum eſt, prout explicat *S. Thom. cit. q.* 78. *art.* 1. *ad* 4. quemadmodum & verba Pſalmi 75. *Vovete, & reddite Deo veſtro*, explicanda ſunt, quoad votum de conſilio, quoad impletionem voti, poſtquam editum eſt, de præcepto. Et hinc etiam in *c. Quia in omnibus* 3. *& c. ſeq. h. t.* dicitur, *crimen uſurarum utriuſque Teſtamenti pagina condemnari, & reprobari.*

Præterea quod etiam Jure Canonico uſuræ ſint prohibitæ, conſtat ex Decreto *cauſ.* 14. *qu.* 3. *&* 4. *& ex Decretalibus Gregorii IX. toto Titulo de uſuris, & ex Sexto Decretalium eod. tit. & ex Clement. unic. §. fin. eod.* ubi Clemens V. in Concilio Viennenſi definivit, & ſtatuit: Si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præſumat, exercere uſuras non eſſe peccatum, eum velut hæreticum puniendum: locorum nihilominus Ordinariis, & Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis diſtrictius injungens, ut contra eos, quos de hujuſmodi errore diffamatos invenerint,

aut

Digitized by Google

„ aut ſuſpectos, tanquam contra diffamatos, vel ſuſpectos „ de hæreſi, procedere non omittant.

Idem colligitur ex Concilio Nicæno *c. 17. relato in c. Quoniam 2. diſ. 47.* Quare uſuras eſſe illicitas eſt de fide, ut ex communi docet *Card. Lugo tom. 2. de juſtit. diſ. 25. ſec. 2. num. 8.* licet aliqui dicant, oppoſitum non eſſe hæreſim, ſed temerarium, periculoſum, erroneum, vel errori proximum.

Denique quod etiam Jure naturæ ſint prohibitæ, ac illicitæ uſuræ, docent communiter Theologi, & Juriſperiti, & probatur ex Teſtimoniis S. Scripturæ, præſertim Vet. Teſtamenti ſupra allatis, ex quibus SS. Pontifices, & Concilia probant, eas eſſe contra Jus naturæ, alioquin male id probarent ex Veteri Teſtamento, cujus præcepta poſitiva, ſcilicet judicialia, & cæremonialia, quæ non ſunt legis naturalis, ſublata ſunt in novo Teſtamento, nec amplius poſt mortem Chriſti obligant, ſed ſolum moralia, quæ ad Decalogum pertinent, *Molin. cit. tr. 2. diſ. 304. n. 14.*

VII. Idem etiam probatur ratione, quia eſt contra juſtitiam, ut in commutatione unius rei pro alia plus exigatur, quam res valeat, ſive ut accipiens plus debeat reddere, quam accepit, ut patet in venditione, in qua non licet plus pretii accipere, quam merces valent, & in aliis commutationibus, niſi alius titulus interveniat, ob quem dans plus accipere poſſit, quam dedit, de quo infra. At qui accipit uſuram in mutuo, accipit plus, quam dedit, adeoque etiam plus, quam valeat, quod dedit: ut ſi v. gr. qui dedit mutuos centum florenos, ſupra centum recipiat decem florenos: is accipit plus, quam dedit, & ſupra valorem mutui dati, ergo peccat contra juſtitiam. Neque vero pro jure utendi, ſive uſu pecuniæ quippiam exigi, vel accipi poteſt a mutuatario, quia cum in mutuo transferatur plenum dominium pecuniæ, vel alterius rei mutuo datæ in mutuatarium, mutuum enim ideo dictum eſt, quod ex meo tuum fiat, *l. 2. Appellata, ff. de reb. Cred.* ad hunc velut dominum jus utendi, & omne commodum, ac lucrum, tanquam de re ſua perceptum, de jure ſpectat: adeoque iniquum eſt lucrum capere ex re, quæ jam in dominium alterius tranſiit, vel quippiam pro uſu rei alienæ, ultra ipſam rem datam, ejuſque valorem, exigere, vel accipere, ſicut ſi quis vendat equum pro juſto pretio, iniquum foret, plus exigere pro jure utendi equo, quando enim taxatur pretium juſtum alicujus rei, hoc ipſo æſtimatur tota res, cum jure utendi illa. Aliud eſt in locatione, in qua dominium rei locatæ penes dantem, ſeu locantem manet, & conſequenter etiam periculum pariter ac commodum, ideoque pro uſu rei ſuæ tanquam ad ſe pertinentis poteſt aliquid exigere, & accipere, & vendere uſum rei ſuæ ad tempus, *S. Th. cit. q. 78. art. 1. ad 5.* At vero in mutuo, ſi mutuans exigeret pecuniam, ultra rem mutuo datam, venderet uſum rei jam non ſuæ illi, qui eſt plene dominus ejuſdem rei. Sed neque ob onus, ſeu laborem numerandi pecuniam, aliquid exigi poteſt, quia hoc onus ſecum fert ipſa ſubſtantia mutui, nam pecunia mutuari non poteſt, niſi numeretur, & numeratio ſit in donum utriuſque, accipientis, & mutuantis, ut tantundem reddatur, quantum datum eſt, & neuter fraudetur, *Azor. p. 3. l. 5. de uſura c. 1. q. 3.* Præterquam quod ordinarie labor ille numerandi exiguus ſit: quod ſi notabilis foret, pretium accipi poſſet, non vi mutui, ſed tanquam merces laboris, ſive operæ mutuatario locatæ, *Navarr. in Man. c. 17. n. 209. in fine Laym. cit. c. 16. n. 7.*

VIII. Probatur ſecundo, quia pecunia, frumentum, vinum, & aliæ hujuſmodi res, quæ in numero, pondere, & menſura conſiſtunt, & quæ mutuo dari ſolent, ex ſe ipſis ſunt ſteriles, & non frugiferæ, quia ipſo uſu conſumuntur, & earum uſus eſt abuſus, ſive abſumptio rei, nec a dominio ſeparari poteſt, adeoque nec ſeparatus in æſtimationem, & commutationem ſeorſim venire poteſt, ſicut in locatione v. gr. equi, vel domus, dominium ſeparari poteſt ab uſu equi, aut habitatione, quæ conductori conceditur. Res autem fructifera dicitur, ex qua permanente uſus, vel fructus, ſeu commoditas percipi, & ſeparari poteſt, ut ex agro frumentum, ex vinea uvæ, ex vacca lac, caſeus, fœtus: ergo iniquum eſt pro talium rerum uſu, vel fœtu, qui a dominio rei jam in mutuatarium translatæ, ver. gr. pecuniæ mutuatæ, ſeparari non poteſt, aliquid accipere, vel exigere, *S. Thom. cit. qu. 77. art. 2. in corp. Abb. in Rubric. h. t. num. 2.*

IX. Cæterum contra id, quod dictum eſt, uſuras Jure Divino, & naturali eſſe illicitas, ac prohibitas, objici poteſt primo ex Scriptura *Deuter. c. 23. v. 19. Non fœnerabis fratri tuo ad uſuram pecuniam &c. ſed alieno &c. 28. v. 10.* præcipitur populo Judaico, *fœnerabis gentibus multis, & Luc. c. 19.* dictum eſt ſervo pigro: *Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, & ego cum uſuris exegiſſem illam.* Verum ad primum locum reſpondetur, ibi ſolum permiſſas eſſe Iſraelitis uſuras erga extraneos, non tanquam licitas, ſed quia non punitæ fuerunt, ad majus malum vitandum: ne ſcilicet Judæi a ſe invicem uſuras acciperent, propter avaritiam, cui dediti erant, quæ eſt reſponſio S. Thomæ *cit. qu. 78. art. 1. ad 2.* ſicut apud Chriſtianos in quibuſdam locis permittuntur meretrices, quia non puniuntur, qui cum eis ſcortantur. Vel quia Deus promiſit Judæis, ut uſuras acciperent a gentilibus, tanquam ab hoſtibus; quos licet in bello juſto ſpoliare bonis ſuis, adeoque id non eſt accipere lucrum ex mutuo, ſed occaſione mutui exigere, quod aliunde debitum eſt. Vel denique quia Deus dedit Judæis dominium, & licentiam hac ratione ſpoliandi exteros, ſicut dedit eis licentiam exſpoliandi Ægyptios; *Molin. cit. diſ. 304. n. 18.* & alii apud ipſum. Ad ſecundum locum S. Scripturæ dicitur, fœnerari ibi accipi pro dare mutuo, *Molin. c. l.* Ad tertium locum ex S. Luca dicitur, uſuras ibi accipi metaphorice, ut bonis a Deo acceptis augeamus, & multiplicemus merita, & bona ſpiritualia ad noſtram utilitatem, ut explicat S. *Thom. cit. q. art. 2. ad 1.* Deinde ibi ſermo eſt de dando ad menſam, id eſt, ad licitam negotiationem, quæ aliquando appellatur uſura, in qua dominium pecuniæ manet penes negotiationem, & tam lucrum ex ea perceptum, quam periculum ad eundem ſpectat, *Molin. c. l. num. 18. in fine.*

X. Objicitur ſecundo, LL. Civiles permittunt & approbant uſuras, ut conſtat ex *Titulo ff. & C. de uſuris*: durum autem eſſe videtur, ejuſmodi Leges a ſapientiſſimis JC. tis Romanis inventa, & ab Imperatoribus Chriſtianis latas, ac promulgatas condemnare, tanquam iniquas, & illicitas. Reſpondetur, etſi nonnulli DD. dicant, Jure Civili eſſe quidem permiſſas uſuras, quia illud crimen non punit, ad evitanda peccata majora, non tamen hoc jure eſſe approbatas tanquam licitas. Contrarium tamen ſatis aperte colligitur ex *ff. & C. de uſuris*, ubi conceditur actio ad exigendas uſuras, in quantitate a Lege conceſſa, & denegatur repetitio uſurarum jam ſolutarum, & coguntur qui contraxerunt uſuras ſolvere. Et quidem in *l. Eos 26. & 2. ſeqq. C. h. t.* permittitur uſura centeſima, hoc eſt, ut pro centum v. g. aureis mutuatis, ſingulis menſibus ſolvatur pars centeſima, id eſt, unus aureus ultra ſortem, & ſingulis annis 12. aurei; quamvis hujuſmodi uſura, quia erat admodum gravis, ſolum permittebatur in pecunia trajectitia, hoc eſt, quæ mutuo dabatur mercatori trajectitio, ſive acturo cum pecunia trans mare, cum periculo creditoris, ſive mutuantis, ſi navis pereat, *cit. l. Eos, §. 1. ff. de nautico fœnore.* Aliis vero mercatoribus, ſive negotiatoribus concedebantur uſuræ beſſes, hoc eſt, pro centum octo aurei, ſingulis annis: Illuſtribus vero perſonis uſuræ trientes, id eſt, quatuor aurei, ſingulis annis, pro centum. Reliquis vero concedebatur accipere uſuras ſemiſſes, id eſt, ſex aureos pro centum, quolibet anno, ut conſtat ex *cit. l. Eos, §. 1.* At vero uſuræ uſurarum erant prohibitæ, ita ut nunquam liceret, quotannis, uſuras exigere ex lucro per uſuris accepto, ſed tantum ex ipſo capitali mutuato, neque poſſent cedere, vel accenſeri ſorti capitali, & ex eo per uſuras aucto uſuras exigere, *l. Placuit 28. ff. h. t. & l. ult. C. eod.*

Verum omnes iſtæ Leges Civiles permittentes, & approbantes uſuras contra Jus divinum, & naturale, correctæ, & abrogatæ ſunt per Jus Canonicum, ut conſtat ex *Clem. un. h. t.* cui omnes Principes, & Magiſtratus Chriſtianos obedire oportet, cum uſuræ contineant peccatum: Summus autem Pontifex plenam habet poteſtatem, etiam ſuper Laicos, in iis, quæ ſalutem animarum, finemque ſupernaturalem concernunt, *Covarr. l. 3. reſol. c. 1. n. 6. Azor. p. 3. l. 5. cit. c. 1. q. 3. Molin. cit. diſ. 304. n. 17.*

XI. Objicitur tertio, volenti, & conſentienti non fit injuria, nec dolus, *l. In donationis 34. C. de tranſact.* & ſimilibus: at quando ex pacto promittuntur uſuræ, id fit a volente, & conſentiente, quia pactum eſt duorum, vel plurium in idem placitum, ſeu conſenſus, *lib. 1. ff. de pact.* & contractus ſunt ab initio voluntatis; ergo illi, qui ſolvit uſuras promiſſas, nulla fit injuria, adeoque recipiens non tenetur illas reſtituere. Reſp. ei, qui omnino libere conſentit, nulla fit injuria, nec dolus, ideoque ſi mutuatarius ex mera liberalitate, & gratitudine pro beneficio accepto aliquid ultra ſortem dat, mutuans nihil tenetur reſtituere. At volenti, & conſentienti non ſimpliciter, & cum plena libertate, ſed coacte, & invite fit injuria, ſi ab eo accipiatur, & non adſit alius titulus, ex quo id debeatur: ſicut in propoſito, dans uſuras, non eſt ſimpliciter volens, ſed neceſſitate coactus eas ſolvit, quia creditor, ſine uſura mutuum dare non vult, adeoque voluntate mixta involuntario ſolvit, & in dubio ſemper præſumitur debitor invitus ſolvere, cum nemo præſumitur ſponte jactare ſuum, *l. Cum de indebito 25. de probat. Molin. cit. diſ. 304. n. 12. Gregor. Tholoſan. lib. 2. de uſuris cap. 3. n. 8.*

Deinde hic non conſideratur voluntas, & conſenſus ſolventis uſuras, ſed potius tranſgreſſio legis Divinæ, & naturalis, quæ prohibet uſuras, ideoque promiſſio de ſolvendis uſuris contra legem prohibentem facta eſt nulla, *l. Non dubium 5. C. de legib.* ſeu inefficax, quia uſuræ ſolutæ, tanquam indebitæ, condici & repeti poſſunt, & dum lex prohibet uſuras, prohibet etiam eas recipi a ſponte ſolvente, quia is, qui ſolvit, non peccat, ſed qui recipit uſuras, de quo infra. Sicut ergo adulter non excuſatur, ſi dicat, ſe cum conſenſu mulieris adulteraſſe: ita neque uſurarius dicendo ſe, cum conſenſu mutuatarii, accepiſſe uſuras, quia nihilominus ſit violatio legis divinæ & offenſa Dei, *Thol. c. l.*

XII. Objicitur quarto, licitum eſt pro uſu vaſorum aureorum, & argenteorum quippiam accipere, & lucrum ex uſu eorum capere, nam & locari poſſunt, ergo etiam licitum eſt pro ipſis nummis aureis, & argenteis mutuatis aliquid exigere, & accipere, quia quoad ſubſtantiam non differunt nummi, & vaſa. Reſp. multum intereſt inter pecuniam ſignatam, & mutuatam, & vaſa mutuata, quia pecunia utendo conſumitur, non item vaſa, quamvis argentea, ſed poſt uſum remanent, & reſtitui poſſunt in eadem ſpecie, ſive individuo. Et pecunia cum certam æſtimationem habeat, *l. 3. ff. de in litem jurando:* non cadit in eam ſingularis affectio, nec debet in eadem ſpecie, vel individuo reddi, ſed in eadem quantitate: niſi & nummi tantum ad utendum dentur, ſine conſumptione, ut quia ex illis utilitas, vel voluptas percipi poteſt, ſalvis corporibus, tunc enim, dominium nummorum non transfertur in accipientem, ſed ſolum uſus conceditur, pro quo aliquid accipi poteſt: & uſus talis eſt ſeparatus a dominio, & reddi debent nummi in individuo. Itaque non principalis uſus pecuniæ, ſed ſecundarius poteſt vendi, & locari, remanente eodem corpore pecuniæ in individuo. *Tholoſ. citato loco numer. 7.*

XIII. Objicitur quinto. Ea, quæ purificantur in effectu, debent etiam purificari in juris diſpoſitione, *lib. A Titio. 108. ff. de V. O. l. Illud 32. ff. Ad leg. Aquil.* Sed pecunia,

& ope-

Digitized by Google

& opera hominis in effectu æquiparantur, *lib. Societatec* 5. §. 1. *ff. Pro ſocio*, ergo ſimile jus ſtatuendum eſt in utraque: ſicut ergo poteſt quis exigere, & participare lucrum pro opera ſua, ita & pro pecunia ſua. Sed negatur conſequentia, quia opera hominis poteſt fructificare, ſeu fructum, & lucrum producere: non item pecunia, quæ ex ſe eſt ſterilis, & ſine opera hominis, non eſt natura apta ad fructificandum, ſive lucrum producendum, *Tholoſ. citato loco numero* 13.

§. III.

An uſuræ licite poſſint exigi, & accipi, ob favorem cauſæ piæ, vel aliud opus bonum ſaltem diſpenſative?

XIV. Reſpondetur negative, prout ſumitur ex *c. Super eo* 4. *h. t.* „Nam cum Epiſcopus Panormitanus quæſiviſſet, „ex Papa Alexandro III. an poſſit per diſpenſationem pe„cunia recipi ad uſuram, ut per illam pauperes, qui in „Saracenorum captivitate detinentur, poſſint liberari? Reſ„pondet Papa, cum uſurarum crimen, utroque Teſtamen„to (Veteri & Novo) condemnetur, ſuper hoc diſpenſa„tionem aliquam fieri non poſſe: quia cum ſcriptura ſacra „prohibeat pro alterius vita mentiri, multo magis eſt quis „prohibendus, ne etiam pro redimenda vita captivi, uſu„rarum crimine involvatur.

XV. Notandum primo, non poteſt, ne quidem prætextu redimendi captivos, vel alendi pauperes, permitti facultas dandi pecunias ad uſuras, nempe ut illa pecunia uſuraria a fœnerante redimantur captivi, vel ut aliud pium opus fiat, prout ſumitur ex hoc cap. Ratio eſt, tum quia nulla diſpenſatio fieri poteſt in eo, quod utroque Teſtamento, antiquo & novo, eſt prohibitum, ſicut ſunt prohibitæ uſuræ. tum quia mala non ſunt facienda, ut eveniant bona, ad *Rom.* 3. *Gl. hic V. Diſpenſationem*, nec ſunt faciendæ eleemoſynæ de fœnore, & uſuris, *c. Non eſt putanda* 27. *cauſ.* 1. *q.* 1. *& c.* 1. *cauſ.* 11. *q.* 5. nec auferendum eſt aliquid divitibus, ut detur pauperibus, *c. Forte* 3. *cit. cauſ. & q.* tum quia non licet pro vita alterius ſervanda mentiri, *c. Ne quis* 14. *c. Si quis* 17. *cauſ.* XX. *q.* 2. ergo multo minus licet uſuras exercere, ob utilitatem proximi, quia hoc multo gravius eſt peccatum, quam mendacium, *cit. c. Super eo*, *Tholoſ. l.* X. *de uſur. c.* 8. *n.* 16. *&* 2. *ſeqq.*

Notandum ſecundo, etſi plures Interpretes *cit. c. Super eo*, ſic intelligant, quod in eo prohibeatur, non ſolum exercere uſuras, ſive pecuniam dare, ſeu mutuare ſub uſuris, ſed etiam ſolvere, vel promittere uſuras, ita ut nec ad redimendos captivos, liceat pecuniam mutuam accipere, promittendo, vel utendo uſuris, quia ſi non reperirentur, qui acciperent pecuniam ſub uſuris, nullum peccatum uſuræ committeretur, ergo accipientes dant cauſam, ut uſuræ exerceantur, & per conſequens etiam peccant, quia involvuntur uſurarum crimine, ut dicitur in fine hujus c. nam qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur. Verumtamen etſi mutuare pecuniam ſub uſuris ſemper ſit peccatum, & illicitum, etiam ſub prætextu operis boni, & illicitum etiam ſit inducere aliquem ad mutuandum ſub uſuris, qui alias non dediſſet pecuniam ad uſuras, quia talis cauſam daret delicto, quomodo intelligi debet hoc *cap. Super eo*, eſt tamen licitum petere mutuum, & accipere ſub uſuris ab eo, qui jam determinatus, & paratus eſt non mutuare, niſi ſub uſuris, cum tamen, ſi vellet, poſſet licite, & ſine uſuris dare; modo juſta cauſa petendi adſit, videlicet neceſſitas, vel utilitas petentis mutuum, vel etiam ut alteri egenti ſuccurrat; adeoque licitum eſt uſuras accipere, non tantum pro opere neceſſario, ſed etiam pro utili, & indifferente, quia hoc non eſt cooperari peccato uſurarii, ſed tantum illud permittere, & uti peccato ejus voluntario, ad conſulendum propriæ, vel alienæ neceſſitati, & uti jure ſuo, ut docet *S. Thom. cit. q.* 78. *art.* 4. *Abb. hic n.* 4. *Azor. cit. l.* 5. *c.* 17. *q.* 12. & alii Theologi, & Canoniſtæ communiter. Idque confirmatur ex *c. Debitores* 6. *de jurejur.* Ubi qui juravit ſe ſoluturum uſuras, tenetur adimplere juramentum, ergo ſolvere uſuras non eſt peccatum, alias tale juramentum eſſet illicitum, neque ſervandum, *c. Si vero* 8. *eodem.*

XVI. Notandum tertio, non poteſt Imperator, vel alius Princeps ſupremus per Leges Civiles, vel alias permittendo, uſuras facere licitas, ita ut licite, & ſine peccato exigi, vel accipi poſſint, quia Princeps ſecularis non poteſt tollere leges divinas aut Canonicas, ſeu Pontificias, maxime in his, quæ continent peccatum, *c.* 1. *& ſeqq. diſ.* 10. *c. Inferior.* 4. *de major. & obed.* quamvis in ea quantitate, in qua tolerantur uſuræ, ſecundum Leges Civiles, non poſſit puniri uſurarius, quia uſuras poteſt Imperator aut Princeps permittere, remittendo pœnam, ſive non puniendo: non autem poteſt præcipere, ut uſuræ fiant, vel ad eas auxilium præſtare, *Tholoſ. l.* X. *de uſur. c.* 8. *n.* 1. *&* 2. Immo nec S. Pontifex poteſt diſpenſando facere licitas uſuras, ut colligitur ex *cit. c. Super eo* ibi: *ſuper hoc diſpenſationem aliquam poſſe fieri non videmus*, quia Papa non poteſt diſpenſare contra prohibitionem Juris Divini, & naturalis in his, quæ ſecundum ſe, & ex objecto ſuo mala ſunt, & peccatum continent contra legem Divinam, & naturalem. *Tholoſ. c. l. n.* 2. *&* 6. *Molin. cit. diſc.* 304. *n.* 19.

XVII. Hinc infertur, Principes Chriſtianos, & Poteſtates publicas graviter peccare, ſi auctoritate ſua concedant, vel etiam præcipiant, ut Chriſtiani, qui mutuo acceperunt pecunias a Judæis vel aliis infidelibus juriſdictioni ſuæ ſubjectis, uſuras ſolvant: vel etiam leges, & ſtatuta condant, quibus jubentur Judæis ſolvere uſuras, quas ſe ſoluturos promiſerunt: qui cum uſuræ Jure naturali ac Divino ſunt prohibitæ, cedantque in Reipubl. & membrorum ejus detrimentum, non ſolum graviter peccant, qui uſuras exigunt, & accipiunt, ſed etiam illi, qui conſentiunt in peccatum eorum, qui eas inique exigunt, vel illas auctoritative approbant, vel qui alio modo cooperantur cum eis in uſuris exigendis, vel accipiendis. Nihilominus tamen permittere uſuras impune exerceri a Judæis, vel aliis infidelibus, vel etiam fidelibus, & exercentes uſuras non punire, ad cavenda majora mala, & ſcandala, quæ orirentur, ſi Princeps, vel Poteſtas publica eas, in raro aliquo eventu, impedire tentaret, non eſt peccatum, ſed licitum, quia id non eſt directe conſentire in peccatum uſuræ, vel illud approbare, ſed permittere ad vitanda majora mala, vel ob majus aliquod publicum bonum: ſicut etiam permittuntur meretrices in Republ. & tolerari poſſunt hæretici in particulari aliquo eventu, & ſpectacula ac ludi publici, in quibus peccata quædam committi ſolent, *Azor. p.* 1. *lib.* 8. *c.* XI. *q.* 13. *Molin. c. l.* Limitari autem hoc debet, modo Principes, vel Magiſtratus non dent licentiam Judæis exercendi uſuras, cum obligatione, ſeu pacto ipſis ſolvendi magna tributa, quo fit, ut uſurarii uſuras augere cogantur, & pauperes magis exhauriantur, *Leſſ. l.* 2. *c.* 20. *n.* 179. *Laym. cit. cap.* 16. *n.* 7. *concl.* 2. An autem univerſaliter illicitum ſit ſubditos cogere ad ſolvendas uſuras, infra examinabitur.

§. IV.

Utrum dominium uſurarum transferatur in uſurarium?

XVIII. Quæritur primo, an uſurarius acquirat dominium uſurarium, id eſt, earum rerum, quas accepit? In qua re certum eſt primo, ſi mutuatarius non habeat voluntatem transferendi dominium in uſurarium, quia ſcit ſe non eſſe obligatum ad ſolvendum uſuras, ſed ſolum vult pecunias illas dare caeterius, propter fidem datam, non transferri dominium, ob defectum voluntatis illud transferendi, jure enim ſuo utitur, nec obligatur transferre dominium, ſed potius jus habet repetendi, quod dedit, ut notat *Cardin. Lugo tom.* 2. *de juſtit. diſc.* 25. *ſect.* 21. *num.* 104. Certum eſt ſecundo, ſi per uſuram acceptæ conſiſtant in numero, pondere vel menſura, ut pecunia, frumentum vel vinum, & permiſceantur cum rebus ejuſdem generis, ſive ſimilibus uſurarii juſte acquiſitis, ita ut non poſſint amplius ab eis ſeparari, vel diſcerni, tunc earum dominium eſt translatum in uſurarium, quia modus acquirendi dominium eſt per admixtionem rei cum alia ejuſdem generis, ut conſtat ex §. *Si duorum Inſtit. de rer. diviſ. & l.* Si alicui 78. *ff. de ſolution.* ut ſi fur vinum, vel frumentum ablatum miſceat cum ſuo, vel nummos argenteos cum ſuis, *Azor. p.* 3. *Inſtit. l.* 5. *de uſura c.* 11. §. *pen. Leſſ. cit. c.* 20. *dub.* 18. *n.* 156. Ubi *n.* 157. addit, quod quamdiu acervus, ſive cumulus ille pecuniæ extat, & aliquo modo idem permanet, ſive apud uſurarium, ſive apud alium, poteſt is, cujus res, ſine ſuo conſenſu, cum rebus alterius permixtæ ſunt, illum cumulum pro parte vindicare, juxta *l. Marcellus* 3. §. *ult. ff. de rei vindic.* quia habet jus reale in illo, ita ut ante omnes alios, ei ex eodem ſatisfieri debeat: imo poteſt occulte ex eo tantum accipere, quantum ſcit e re ſua ibi permixtum eſſe.

XIX. His ſuppoſitis, prima ſententia fere communior DD. eſt, non acquiri uſurario dominium uſurarum, ſive res ſint uſu conſumptibiles, ſive non, & ſive ſint res mobiles, quæ ſervando ſervari poſſunt, ſive immobiles, quam tenet *Azor. cit. c.* 11. §. *alt.* quamvis etiam contrariam probabilem eſſe dicat, *Molin. tr.* 2. *diſ.* 326. *n.* 7. *Covarr. lib.* 3. *reſol. c.* 3. *num.* 6. *Silveſt. V. Uſura q.* 6. 1. *Leſſ. cit. c.* 20. *dub.* 18. *n.* 78. *Laym. l.* 3. *tr.* 4. *c.* 16. *n.* 7. *poſt S. Thom.* 2. 2. *q.* 78. *art.* 3. *in corp.*

Probatur hæc ſententia primo, quia nuda traditione non transfertur dominium, niſi præcedat venditio, vel alia juſta cauſa accipiendi; *l. Nunquam* 31. *ff. de acquir. rer. domin.* Sed hic nulla præcedit juſta cauſa, ſive juſtus titulus. Secundo quia uſurarius tenetur omnes fructus rei per uſuram acceptæ, ſi fructifera eſt, reſtituere: ſi autem dominium haberet, faceret fructus ſuos, & non teneretur, niſi ad fructus, quos mutuatarius percepturus fuiſſet, reſtituendos. Tertio non minus requiritur ad transferendum jus, quod habet ad illam, ſed hoc non intendit transferre mutuatarius, quod adhuc retinet, ergo multo minus dominium, quod majus eſt, quam jus ad rem. Porro voluntas mutuatarii transferendi dominium in uſurarium non cenſetur eſſe inſufficiens, ob defectum voluntarii, cum ſit abſolute libera, ſed quia per illam non intenditur, ut uſuræ datæ abſolute cedant in dominium uſurarii, ſed ſolum ut ſint ipſius, quatenus ipſi debentur, non aliter, quia uſura dans non voluit illas donare, ſed dare, quantum juſtitiæ ratio permittit, nec plus a ſe abdicare, quam ex juſtitia debeat, *Leſſ. citato loco num.* 159. *Zoeſ. in comment. h. c. num.* 13.

XX. Secunda ſententia affirmat, uſurarium acquirere dominium rerum per uſuram acquiſitarum, ſed revocabile, & inefficax, ita ut obligatus ſit reſtituere, quicquid accepit, quia injuſte, & per injuriam accepit, quam tenet *Navarr. in man. c.* 17. *n.* 265. *Lugo tom.* 2. *de Juſtit. diſ.* 25. *ſect.* 18. *n.* 206. & alii apud ipſum. Ratio præcipua eſt, quia adeſt, ex parte ſolventis uſuras, abſoluta & efficax voluntas transferendi dominium, ut ſupponitur: ſolvit enim mutuatarius illas ex pacto, & conventione: & quamvis voluntas illa ſecundum quid ſit involuntaria, quia neceſſitate coactus ſolvit, ſine quibus non vult mutuans mutuare: tamen ſimpliciter eſt voluntaria, & libera, nam & hinc, quæ ob metum, etiam gravem injuſte illatum, dantur, tranſeunt in dominium accipientis, licet cum obligatione reſtituendi.

Ad quod tamen reſpondent AA. primæ ſententiæ, diſparitatem eſſe, quia in metu adeſt titulus dandi, nam dans ex metu injuſte incuſſo vere vult, vel gratis dare, quando metu coactus donat, vel dare ex titulo venditionis, vel alterius

con-

Digitized by Google

contractus, qui validus eſt. At uſurarius ideo non acquirit dominium, quia qui uſuras ſolvit, non intendit donare ut conſtat, ſed ſolvere ex debito, cum ergo nullum adſit debitum, nihil agitur, quia nec accipit ex dono, cum deſit animus donandi, nec ex debito, quia nullum adeſt debitum. Verum non apparet, ſi metum injuſtum paſſus transfert valide dominium, cur non etiam transferat mutuatarius, cum in utroque caſu accipiens non habeat juſtum titulum ad accipiendum.

XXI. Quæritur ſecundo, an uſurarius habeat dominium earum rerum, quas ex pecunia, vel alia re uſuraria acquiſivit, ver. gr. ſi pecunia uſuraria ad negotiationem expoſita, aliquid lucratus eſt, vel emit, vel ludendo acquiſivit. Item ſi per uſuram acquiſivit agrum, vel domum, vel equum, ad dominium fructuum ex agro perceptorum acquirat, vel dominium pretii, quod ob domum, vel equum venditum accepit? Reſp. primo, ſi res uſuraria ſit pecunia, tunc rerum, quas illa pecunia, ſive negotiando, ſive ludendo, ſive emendo comparavit, ſibi acquirit, poſtquam res illæ ei ſunt traditæ, ideoque illas non tenetur reſtituere mutuatario, etſi debeat reſtituere pecuniam, quam per uſuram accepit, & omne lucrum ceſſans, & damnum emergens mutuatario, de quo infra, ita docet, *S. Thom. 2. 2. quæſt. 78. Silveſt. V. Uſura 6. qu. 2. dicto 2. Covarr. cit. cap. 3. nu. 6. Azor cit. l. 3. cap. 12. Molin. diſ. 327. nu. 5. Leſſ. cit. cap. 20. nu. 161.* & eſt communis ſententia. Idque aperte colligitur ex *l. Qui aliena 8. C. Si quis alteri, vel ſibi &c.* Ratio eſt, quia hujuſmodi lucra non ſunt fructus pecuniæ, quæ ex ſe ſterilis eſt, ſed proveniunt ex propria induſtria, & diligentia uſurarii, ideoque ipſi acquiruntur. Sic depoſitarius, quod emit ex pecunia apud ſe depoſita, ſibi acquirit, *l. Si ex ea 6. C. rei vindic:* ſic etiam ſi fur aliquid ex pecunia furtiva acquirat, ſibi acquirit, quia quod ex re furtiva acquiritur, furtivum non eſt, *l. Qui vas 48. in fine ff. de furtis.* Item ſi uxor ex pecunia viri defuncti pertinente ad filium aliquid emat, ſuo proprio nomine, ſibi acquirit, *cit. loco 2. C. Si quis alteri.* Similiter ſi quis ſurripiat artifici inſtrumenta artis, & ſua induſtria ac labore iis aliquid lucretur, ſibi acquirit, non artifici, licet omnes iſti teneantur reſtituere pecuniam alienam acceptam, & omne lucrum ceſſans, & damnum emergens.

Dices, talis contractus eſt involuntarius, ex parte emptoris. Si enim ſciret rem, quæ ipſi venditur, eſſe uſurariam, & alienam, vel ſaltem alteri reſtituendam, nollet emere, ergo eſt irritus. Sed reſpondetur, eum quidem eſſe aliquo modo involuntarium, & ſecundum quid, cum ex errore, & ignorantia procedat, quia tamen hic error non eſt circa ſubſtantiam rei, ſed circa conditionem quandam extrinſecam, & accidentalem, non eſt, ipſo jure, talis contractus irritus, etſi poſſit emptor, poſtquam ſcit, contractum reſcindere, & pretium repetere, *Leſſ. cit. loc. num. 162.*

XXII. Reſpond. ſecundo, ſi res uſuraria ſit fructifera, tunc uſurarius non acquirit dominium fructuum inde perceptorum, ſecundum primam ſententiam ſupra traditam, quia cum non acquirat dominium rei uſurariæ, ergo nec fructuum ex illa re, quippe aliena, perceptorum: at vero juxta ſecundam ſententiam, cum acquirat dominium rei uſurariæ, conſequenter acquirit etiam dominium fructuum ex re propria perceptorum, quamvis in foro conſcientiæ, ipſam rem uſurariam, una cum fructibus perceptis, reſtituere teneatur, *Azor cit. cap. 12.*

XXIII. Reſpond. tertio, ſi uſurarius res per uſuram acquiſitas vendat, licet non transferat earum dominium in emptorem, ſecundum illam ſententiam, quæ negat, uſurarium acquirere dominium rei uſurariæ, ut colligitur ex *leg. Emptor 12. §. Et imprimis: ff. de action. empt.* acquirit tamen dominium pretii, quia pretium rei furtivæ non eſt furtivum, *cit. leg. Qui vas ff. de furtis*, ergo nec pretium rei uſurariæ eſt uſurarium: modo tamen emptor, bona fide, res illas emerit, neſciens eſſe alienas, alioquin ſi ſcivit, contractus eſt irritus, ideoque tunc nec uſurarius acquirit dominium pretii, ut patet ex *leg. Si in emptione, 34. ff. de contrah. empt. Leſſius cit. loc. nu. 137. & ſeq.* Porro ſi res uſuraria vendita ab emptore evincatur, tenetur foro conſcientiæ uſurarius totum pretium reſtituere emptori, a quo res eſt per evictionem extorta, ſicut & pretium fructuum rei uſurariæ, ſi illi per evictionem ſit emptori adempti, *Azor cit. cap. 12.*

Objicitur primo, ſi radix eſt infecta, ergo & rami, ergo etiam quicquid acquiritur ex re uſuraria eſt uſurarium, & reſtituendum. Reſpond. lucra parta ex pecunia, vel re uſuraria non ſunt veluti rami ipſius pecuniæ, quia non oriuntur ex ea, ſed ex induſtria uſurarii.

Objicitur ſecundo, nullus debet ex iniquitate ſua reſerre commodum, ergo nec uſurarius ex re uſuraria. Reſpond. non referre lucrum ex uſura per ſe, ſed ex propria ſua induſtria, quamvis interveniente uſura: neque iniquum, ut quis interdum ex actu aliquo pravo, & illicito lucrum temporale conſequatur, ut patet in actu meretricio.

Objicitur tertio, res emptæ pecunia uſuraria, ſuccedit loco pecuniæ, ſeu pretii. Reſpond. id procedere in hæreditate, fideicommiſſo, & dote, non autem generaliter in aliis rebus quibuſcunque, *Azor cit. cap. 12. in fine Molin. cit. diſ. 327. num. ult.*

SECTIO II.

De pactis, tum illicitis & uſurariis, quæ contractui mutui adjici nequeunt, tum licitis, quæ apponi poſſunt, abſque uſura.

§. I.

De pactis, ob quæ contractus mutui adjecta, is efficitur uſurarius.

XXIV. Regula generalis, & communiter recepta eſt, quod per omne pactum, ſeu conventionem, per quam præter ſortem, adhuc propter id, quod mutuo intrinſecum, & proprium eſt, imponitur mutuatario aliud gravamen, ſeu onus quodcunque, ſive nova obligatio ex juſtitia, ad quam alias non tenebatur, redditur contractus mutui uſurarius. Cujus ratio eſt, quia quando mutuatarius tantundem reddit, quantum accepit a mutuante, tum totum id, quod mutuans dedit, eſt compenſatum ad æqualitatem, ergo quicquid amplius exigitur, vel imponitur mutuatario ſupra ſortem datam, injuſte exigitur, & imponitur, *Card. Lugo tom. 2. de juſtitia diſ. 25. ſec. 5. nu. 36.* & alii. Ex qua regula plures quæſtiones hic ſunt breviter decidendæ.

XXV. Quæritur primo, utrum uſurarium ſit, ratione carentiæ pecuniæ, ſive pro obligatione non repetendi mutuum, ante certum tempus v. g. ad annum, aliquid ultra ſortem accipere, & de eo paciſci. Reſp. affirmative, *Molin. tract. 2. de juſtit. diſ. 308. num. 10. & 11. Leſſ. l. 2. c. 20. dub. 14. num. 127. Laym. l. 3. Theol. mor. tract. 4. c. 16. n. 8. Lugo cit. diſ. ſec. 3. n. 17. & ſeqq.* Probatur primo, quia obligatio carendi pecunia, & non repetendi mutuum ad tempus eſt intrinſeca, & eſſentialis mutuo, ſicut ergo non poteſt, ſine uſura, aliquid accipi pro mutuo, cum debeat eſſe gratuitum; ita neque pro obligatione ad non repetendum illud, ſive ad longius, ſive ad brevius tempus, omne enim mutuum affert ſecum obligationem non repetendi illud per aliquod tempus, alioquin eſſet merum precarium: ergo ſicut mutuo dato ad menſem v. g. intrinſeca eſt obligatio non repetendi intra menſem: ita & mutuo dato ad annum vel etiam ad longius tempus, eſt intrinſeca obligatio non repetendi, intra illud tempus, cum nihil aliud ſit, quam mutuum prorogatum, ſeu extenſio gratuiti beneficii ad longius tempus. Probatur ſecundo, quia mutuum, ſive ad brevius, ſive ad longius tempus ſit conceſſum, ſufficienter, & ad æqualitatem compenſatur, ſi reddatur tantundem, ac mutuo datum eſt, ſi enim mutuans centum aureos, privavit ſe facultate negotiandi, & lucrandi cum illis centum, & mutuatarius poſtea reddat centum aureos, cum facultate negotiandi, & lucrandi cum illis, redditur illi omnino æquale, ita ut nihil amplius reſtet ex obligatione ſolvendum: ſicut enim pecunia reddita æquivalet pecuniæ mutuo datæ: ita & facultas negotiandi, & lucrandi cum illa pecunia, æquivalet facultati illi, qua ſe mutuans prius privavit, *Lugo c. l. num. 21.* Simile eſt in venditione, in qua obligatio carendi re vendita non eſt peculiari aliquo pretio æſtimabilis.

Dices, qui mutuo dedit v. g. pecuniam, poteſt illam repetere, quando voluerit, modo non ſtatim repetat, quia tunc fruſtra mutuaſſet, ſi ergo ſe obliget, quod intra annum nolit repetere, poterit pro tali obligatione, quippe quæ pretio æſtimabilis eſt, aliquid accipere. Reſp. *neg. conſeq.* qui enim mutuum dat ad certum ac determinatum tempus, v. g. ad annum, non imponit ſibi obligationem aliquam, ſed ſolum ex ſua liberalitate beneficium mutui extendit ad annum: ſicut qui rem ſuam alteri donat ac tradit, nullam ſuper ſe obligationem inducit, ſed ſolum ſe abdicat poteſtate ea re deinceps utendi: ita nec mutuans, niſi quod non poſſit interea uti pecunia mutuo data: quod illi ſufficienter, & ad æqualitatem compenſatur a mutuatario, dum is reddit pecuniam æqualis bonitatis, & quantitatis ac valoris, cum libera facultate ea utendi pro libitu in perpetuum: & cum obligatio iſta non repetendi mutuum datum ad annum, ſit intrinſeca, & eſſentialis mutuo, ſupra dictum, non poteſt pretium accipi, quin accipiatur pro ipſo mutuo ultra ſortem, quæ eſt manifeſta uſura. Accedit, quod in mutui datione transfertur dominium rei datæ in mutuatarium, ideoque poſt perfectum contractum mutui, nulla obligatio conſurgit, ex parte mutuantis, ſed ſolum ex parte mutuatarii, qui obligatur ad reſtituendum ſuo tempore, quantum accepit, *Molin. cit. diſ. 238. n. ult. Laym. cit. c. 16. n. 7. In object. 4.*

Porro quia obligatio, quam quis in ſe ſuſcipit, mutuandi alteri, quandocunque petierit, eſt pretio æſtimabilis, ideo nummularii licite, & ſine uſura poſſunt mercedem accipere pro hujuſmodi obligatione mutuandi quibuſcunque qui mutuum petunt, præſtita debita cautione de reſtituendo mutuo accepto, *Molin. c. l. n. ult. Laym. cit. loc. num. 7. in fine.*

XXVI. Quæritur ſecundo, an uſurarium ſit, ſi quis alterum ex pacto, vi mutui, obliget, ut is viciſſim ei mutuet? Reſp. affirmative, ut docet *S. Thom. 2. 2. qu. 78. art. 2. ad 4.* Ubi ait, *licet ſimul mutuanti unum aliquid aliud mutuum recipere: non autem licet eum obligare ad mutuum impoſterum faciendum Molin. cit. diſ. 308. num. 3. Silveſt. V. Uſura 1. qu. 2. & alii.*

Ubi notandum pro, uſura eſt, ſi quis mutuet pecuniam alicui ea lege, & pacto, ut mutuatarius viciſſim obligatus ſit ex juſtitia mutuo dare, tunc enim ſupra ſortem ſuo tempore reddendam, imponitur mutuatario onus, ſeu gravamen pretio æſtimabile, quod eſt uſurarium. Idemque eſt de pacto, ut mutuatarius viciſſim teneatur mutuatori prædium juſto pretio vendere, vel elocare, moleudinum, vel

taber-

Digitized by Google

tabernas ſuas frequentare &c. Verum tali caſu mutuator ad aliud non tenetur, quam ut obligationem illam, ſeu gravamen mutuatario impoſitum remittat, ita ut liberum ei ſit ſolum ex gratitudine tale beneficium præſtare, ſi velit: quod ſi gravamen mutuatario impoſitum jam actu ſit præſtitum, tenetur mutuans ipſi gravato reſtituere, quantum ejus intereſt, ſive quanti, prudentis arbitrio, gravamen illud æſtimari poterat, niſi is talem reſtitutionem remittat, *Laym. cit. c. 16. num. 3. dicto 2. Lugo cit. ſec. 5. num. 50.*

Notandum ſecundo, ſi pro mutuo dato v. g. in pecunia, exigatur, ut mutuatarius in præſenti viciſſim mutuum det, v. g. triticum, vel quippiam aliud, non tanquam pretium, ſed tanquam mera conditio: cum qua, & ſine qua mutuans non vult mutuare, nulla intervenit uſura, ut ſi quis dicat, ſi vis a me mutuas pecunias obtinere, oportet te quoque mihi mutuare triticum, vel vinum, quia merito negatur ei beneficium mutui, quod petit, qui in præſenti non vult viciſſim dare mutuum, quod ab eo petitur, oſtendit enim ſe eſſe ingratum, & indignum hoc beneficio, *Molin. citat. diſ. 308. num. 7. Laym. c. l. num. 3. dicto 1. Lugo citat. ſec. 5. num. 52.*

Notandum tertio, non eſt licitum exigere obligationem mutui in futurum, ut detur mutuum in præſenti, quia tunc exigitur civilis obligatio ad viciſſim mutuandum, quæ eſt pretio æſtimabilis, cum tamen pro actu mutuandi non liceat talem obligationem ultra ſortem exigere. At vero quando pro mutuo aliud mutuum in præſenti exigitur, obligatio pretio æſtimabilis, ultra ſortem, ſed ſolum exigitur mutuum, pro quo mutuans nihil poteſt ultra ſortem exigere, *Molin. c. l. num. 7.*

Notandum quarto, non eſt illicitum contractui mutui in futurum celebrando apponere quaſdam obligationes, ſeu onera accidentaria viciſſim præſtanda, modo ea utrinque ſint æqualia, ut obligo me ad mutuandum tibi pecunias, ſi viciſſim te obliges ad mutuandum mihi triticum, quia licet pro ipſo actu mutuandi non poſſit exigi obligatio reddendi aliquid, ultra ſortem: pro obligatione mutuandi tamen in ſe ſuſcepta, quæ & ipſa pretio æſtimabilis eſt, licitum eſt viciſſim exigere talem obligationem, quia eſt æqualis contractus utrinque, & onerum paritas, prout requiritur, ut juſta ſit conventio, *Molin. cit. diſ. 308. num. 7. in fine. Leſſ. cit. cap. 20. num. 61. Laym. cit. cap. 16. num. 3. dicto 3.*

XXVII. Quæritur tertio, an uſurarium ſit mutuare cum pacto, ut mutuatarius ipſi mutuanti, vel alteri officium publicum, vel beneficium conferat, vel opera ſua obtineat? Reſp. eſſe pactum uſurarium, ſi non ex amicitia, aut gratitudine, ſed ex obligatione juſtitiæ promittatur officium publicum mutuanti, quia tunc exigitur aliquid, ratione mutui, ultra ſortem, tanquam ex juſtitia debitum, præſertim ſi mutuatarius potuiſſet illud officium vendere, vel ſibi retinere, tunc enim imponitur magnum onus novum propter mutuum: imo etſi deberet conferre tale officium alicui, tamen per tale pactum privatur libertate conferendi illud alteri idoneo, cum vellet, quod eſt onus pretio æſtimabile, *Molin. tr. 2. diſ. 310. num. ult. Leſſ. cit. cap. 20. dub. 9. num. 62. & 63.*

XXVIII. Similiter uſurarium, & illicitum eſt, ſi quis mutuet cum pacto, ut conferatur ſibi beneficium Eccleſiaſticum, vel ut eligatur, aut præſentetur ad illud, ſive præſenti, ſive futuro tempore, quia ſupra ſortem exigit obligationem juſtitiæ, per quam adimitur mutuatario libertas conferendi beneficium, cui voluerit, & alteri gratificandi; quæ eſt pretio æſtimabilis, *Leſſ. cit. c. 20. num. 64.* & eſt communis ſententia apud Lugonem, *c. l. nu. 45.* præterquam quod beneficium includit etiam aliquid temporale, adeoque datur aliquid temporale pro mutuo, & quia ad pravitatem uſuræ ſufficit, quod mutuatario injuſte imponat novum onus quodcunque illud ſit, ut ſi ultra ſortem detur Corpus alicujus Sancti, eſt enim ſaltem peccatum contra juſtitiam, cum ſine juſto titulo imponatur talis obligatio mutuatario, ſive appelletur uſura, ſive non. Imo tale pactum eſt etiam ſimoniacum, quia ſive mutuum ſit aliquid pretio æſtimabile, ſive non, ſaltem eſt aliquod bonum temporale, pro quo datur beneficium ex pacto, *Lugo c. l. & Leſſ.*

XXIX. Quæritur quarto, an illicitum ſit mutuare cum pacto, ut mutuatarius condonet injuriam ipſi a mutuante illatam? Reſp. Non ſolum tale pactum eſt uſurarium, ſi exigatur, ut ratione mutui ex juſtitia remittatur injuria mutuatario in bonis fortunæ illata, tunc enim mutuans lucraretur ultra ſortem, quæ reſtituere debuiſſet, ſed etiam ſi exigatur tanquam pretium pro mutuo, ut remittatur injuria illata mutuatario in honore, vel fama, vel corpore, *Molin. tr. 2. diſ. 307. num. 8. & 9. Leſſ. cit. c. 20. dub. 7. n. 48. & 2. ſeqq. Lugo c. l. num. 37. & 38.* Ratio eſt, quia malitia uſuræ conſiſtit in eo, quod injuſte, & ſine titulo obligetur mutuatarius ad aliquid, ad quod vi mutui non tenetur, ſive illud ſit aliquid ſpirituale, ſive temporale, ſive pecunia, ſive honor, & fama: nam quamvis pœna injuriæ non ſit debita, ante judicis ſententiam, tamen jus ad illam exigendam competit etiam ante ſententiam: & tametſi bonor, & fama non ſint bona pretio æſtimabilia, ſed bonum aliquod ſublimius, quod ſuperat omne bonum pecuniarium: tamen mutuatarius injuſte, & ſine titulo, iis privatur, & jus ad illam pœnam exigendam eſt pretio æſtimabile, adeoque etiam remiſſio illius: quare ſi tanquam pretium mutui, ſive in illius compenſationem, tanquam ex juſtitia debita exigatur, & accipiatur, uſura committitur, ſecus ſi libere, & ex gratuita benevolentia condonetur.

XXX. Quæritur quinto, an uſura ſit mutuare cum pacto, ut mutuatarius obligatus ſit ad fidejubendum pro mutuante? Reſp. affirmative, quia imponitur mutuatario onus novum ſupra ſortem, *Molin. diſ. 319. n. 2.* quod verum eſt, ſi obligatio fidejubendo petatur, ut pretium mutui, non ut conditio, ut ſi quis nolit mutuare ei, qui rogatus, ut fidejubeat pro ſe, id recuſavit, hoc enim illicitum non eſt, *Molin. cit. l.* non tamen eſt uſura, ſi quis exigat aliquid a debitore petente, ut pro ſe fidejuſſor exiſtat, ſive fidejuſſio ſit periculoſa, tum enim juſte accipitur pretium pro ea, ſive non ſit, quia non accipitur pretium pro mutuo, ſed pro obligatione ſolvendi pro debitore, quæ eſt obligatio diverſa a mutuo, & ſolum mutuum virtuale. Quod ſi nullum omnino ſit, periculum ſolvendi pro debitore, tunc exigere, vel accipere pretium pro fidejuſſione non poteſt eſſe uſura, quia illud pretium, eo caſu non accipitur pro mutuo, nec virtuali quidem: erit tamen injuſtum, ideoque reſtituendum debitori, quia fidejuſſio, quæ nullo modo eſt periculoſa, nullo pretio, vel non niſi minimo æſtimabilis eſt: quia tamen ordinarie fidejuſſio ſemper aliquod periculum continet, ideo ſemper pro illo poteſt aliquod pretium juſte accipi, majus, vel minus, prout majus, vel minus eſt periculum, *Molin. c. l. num. 2. Lugo c. l. num. 60.* Porro plures adhuc caſus particulares, in quibus uſura committitur ratione mutui, videri poſſunt apud *Molin. tr. 2. diſ. 310. & Lugo citat. diſ. 25. ſec. 3.*

§. II.

An mutuans aliquid ultra ſortem, ſeu rem mutuo datam exigere, vel accipere poſſit, ratione damni emergentis?

XXXI. Præmittendum, duplex eſſe intereſſe, unum damni emergentis, alterum lucri ceſſantis, de quibus fit mentio in *l. Non utique 3. in fine. ff. de eo, quod certo loco & c. l. Si commiſſa 13. ff. rem ratam haberi. l. Cum Prætor 81. ff. de V. S.* ubi nomine damni etiam utilitas amiſſa, ſive lucrum ceſſans continetur, *Gothofr. ibid. lit. B. l. unic. C. de ſententiis,* quæ pro eo, quod intereſt, proferuntur, ubi *Gothofr. in fine* ait, id quod intereſt, non modo damnum perceptum, ſed & lucrum interceptum perſequitur. Intereſſe damni emergentis eſt, quando quis, ratione mutui, patitur damnum aliquod in rebus ſuis, quas habet, vel quæ ei debentur: idque rurſum duplex eſt, vel intrinſecum, quod quis patitur in ipſa re mutuo data, ut ſi quis mutuo det, tempore veris, frumentum, quando plus valet, reſtituendum in autumno, quando minus valebit. Vel eſt damnum extrinſecum, ſive aliunde proveniens, ut cum quis pecuniam, quam deſtinavit ad emendum frumentum, quo egebat ad familiæ ſuæ uſum, & quod tum vili pretio emere poterat, det alteri mutuum, ſed poſtea majore pretio emere cogatur: item ſi quis paratam habeat pecuniam ad fulciendam domum ſuam, quæ ruinam minatur, quam tamen alteri dat mutuo, unde factum, ut domus poſtea corruerit. Intereſſe vero lucri ceſſantis dicitur, quando quis propterea, quod mutuum dedit, lucrum amiſit, quod alias ſperare, vel habere poterat, ut ſi quis pecuniam, qua multum lucrari potuiſſet, ſi illam ad negotiandum dediſſet, alteri roganti mutuo det, ideoque hoc lucrum ipſi abſcedat, v. g. ſi mercator ex centum aureis, quibus lucrari facile poterat octoginta, eo lucro careat, quia eos mutuo dedit: jactura, ſive carentia hujus lucri dicitur lucrum ceſſans, *Laym. cit. cap. 16. num. 8.* de priore intereſſe damni emergentis hoc §. de poſteriore vero §. ſeq. agemus.

XXXII. Aſſertio 1. Mutuans poteſt licite, & ſine uſura, aliquid ultra ſortem, ſeu rem mutuo datam exigere, vel accipere, ratione damni emergentis, ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 1.* & eſt communis DD. ſententia apud *Molin. tr. 2. diſ. 314. num. 7. & 8.* Probatur, quia ejuſmodi damnum emergens eſt pecunia æſtimabile, atque æquitati conſentaneum eſt, ut quis ob beneficium mutui, quo ſe in gratiam alterius uſu pecuniæ ſuæ ad tempus privat, damnum reportet, ideoque pro competente compenſatione illius damni poteſt mutuans licite, & abſque labe uſuræ, vel alterius injuſtitiæ, aliquid ultra ſortem exigere, & accipere. Confirmatur, quia quiſque poteſt ſe indemnem ſervare, nec tenetur alteri ſubvenire cum proprio, ac notabili ſuo damno, *Azor. p. 3. l. 3. de uſura, cap. 4. in princ.*

XXXIII. Aſſertio 2. Si mutuatarius fuit in mora ſolvendi, quia tempore præfixo non reddit mutuum, cum tamen poſſet, & inde damnum aliquod paſſus eſt mutuator, tenetur mutuatarius ad compenſationem illius damni, etiamſi hoc in pactum non ſit deductum, neque creditor interpellaverit eum de ſolvendo, quia ipſa dies interpellat pro homine, *Leſſ. l. 2. c. 20. dub. 10. numer. 69.* Ratio eſt, quia omittendo ſolutionem, tempore conſtituto, eſt cauſa damni, ideoque tenetur ad illius compenſationem. Excipiendum eſt, niſi debitor, ſive mutuatarius, ſine omni culpa ſua, factus ſit impotens ad ſolvendum, ut quia incendio res ejus perierunt, vel ob aliud infortunium in tantam paupertatem inciderit, ut non poſſit ſolvere, quin ſe conjiciat in extremam, vel gravem neceſſitatem, *Leſſ. c. l. num. 70.* Quin imo poteſt, etiam licite, & abſque uſura, ab initio expreſſum pactum cum mutuatario inire de ſolvendo aliquid ultra ſortem, ratione damni, ſi quod evenerit, ſive indeterminate, ſive etiam determinando certam aliquam quantitatem, etiamſi mutuatarius in mora ſolvendi non fuerit, *S. Thom. cit. q. 78. art. 2. ad 1. Leſſ. c. l. num. 72. Lugo cit. diſ. 25. ſec. 6. num. 72.* V. g. ſi quis det mutuo 100. aureos, & certo prævideat, ſe accepturum damnum 50. aureorum, poteſt, ſine peccato uſuræ, paciſci ſibi reddi a mutuatario 100. aureos, ratione damni emergentis. Ratio eſt, quia æquitas non patitur, ut quis ex beneficio mutui damnum reportet, ut ſupra dictum, ergo poteſt a mutuante hoc damnum æſtimari, & pro eo compenſatio peti per expreſ-

Digitized by Google

expreſſum pactum: ſient etiam in venditione venditor poteſt licite augere pretium rei, ultra ejus valorem, propter damnum, quod incurrit illam vendendo.

XXXIV. Porro ut hoc licite fiat, requiritur primo, ut mutuum revera ſit cauſa damni, ita ut alias non eveniret, v. g. ſi domus alicujus indigeat reparatione, nec habeat alias pecunias ad eam reparandam, niſi quas mutuo dedit Titio, tunc mutuum eſt cauſa damni: ſecus eſt, ſi alias pecunias habeat, quibus poteſt eam reparare, vel ſi amicus mutuanti ſtatim offerat alias pecunias ad eam reparandam, tunc damnum ipſi non provenit ex mutuo, *Azor. cit. cap. 4. poſt princ. Leſſ. c. l. num. 73.* Secundo requiritur, ut mutuans præmoneat mutuatarium de damno emergente, nam forte nollet cum tali onere mutuum accipere, *Leſſ. c. l. & Lugo.* non tamen eſt neceſſe, expreſſe de damno illo emergente admonere mutuatarium, ſed ſatis eſt paciſci de exceſſu aliquo pecuniæ dando ſupra ſortem, etiamſi non exprimatur illam peti, propter damnum emergens, quia etſi mutuatarius ignoret cauſam exigendi, mutuans tamen non injuſte accipit, cum ſubſit vera, & juſta cauſa exigendi, & mutuatarius in illud onus ſeu exceſſum conſenſerit, *Leſſ. c. l. num. 74.* Tutius tamen eſt, exprimere cauſam exigendi aliquid ultra ſortem, nempe damnum emergens, tum ad vitandum ſcandalum, & periculum, ne aliquando de uſura mutuans accuſetur: tum ad aſſecurandum debitum, quia mutuatarius facilius renuet ſolvere mutuo acceptum, ſi putat illud eſſe uſurarium: quamvis non teneatur mutuans ad reſtitutionem, ſi pactum fecit, ſine expreſſione damni emergentis, quia regulariter mutuatarius non retardaretur a contractu mutui, etiamſi ſciret juſto titulo expreſſum ſupra ſortem exigi, *Lugo c. l. num. 74.* Tertio quamvis mutuatarius ex contractu mutui tacite obligatus ſit ad reſarciendum damnum: quod emergit, ſive obvenit mutuanti, ob moram mutuatarii in ſolvendo: tempore præfixo: ſi tamen damnum aliquod eveniat, ante terminum ſolutioni præfixum, adeoque ſine mora mutuatarii, is ad reſarciendum non tenetur, niſi id in pactum deductum fuerit, ſaltem de ſolvendo aliquid ultra ſortem, alioquin ſibi imputare debet mutuans, quod de eo non caverit, *Molin. citat. diſ. 314. num. 11. & 12.* quod ſi mutuans cogatur ad mutuandum, poteſt poſtea exigere intereſſe damni emergentis, etiamſi in contractu mutui nihil de eo per pactum conventum fuerit, uti ſonitur ex *l. Cum quidam 17. §. ff. h. titul.* & ex *reg. jur. 86. in 6.* damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non aliis imputare, *Lugo citat. loc. num. 74.*

XXXV. Notandum hic præterea primo, ſi mutuator neque damnum, neque periculum damni deduxit in pactum, non tenetur mutuatarius quidquam pro eo ſolvere, etiamſi poſtea inveniat, dummodo ipſe non fuerit in mora ſolvendi, tunc enim non tenetur ratione culpæ, ſed mutuans, hoc ipſo, quod de damno pactum non fecit, cenſetur illud in ſe recepiſſe: aliud eſt, ſi fuit in mora, tunc enim damnum evenit ex culpa ipſius, *Leſſ. cit. dub. 10. num. 77.*

Notandum ſecundo, qui mutuum ſub uſuris accepit, poteſt alteri poſtea petenti a ſe mutuum, licite partem pecuniæ mutuo acceptæ ab alio vel etiam totam, ſub eodem onere uſurarum, mutuare, ut ſe indemnem ſervet, v. g. Titius mutuum accepit a Cajo centum aureos ſub uſuris; deinde Sejus petit a Titio mutuo etiam centum aureos, hoc caſu poterit Titius illos centum aureos, vel partem illorum, v. g. 50. mutuare Sejo, hoc pacto, ut Sejus ſolvat Cajo, una cum ſorte, uſuras pro rata, quas Titius erat ſoluturus Cajo, dummodo ſecundum mutuum a Titio Sejo datum, ſit vere cauſa damni emergentis, vel lucri ceſſantis Titio, quia hic ideo uſuras ſolvit primo creditori Cajo, quia mutuavit Sejo, alioquin non ſoluturus, ſi non mutuaſſet Sejo, quia forte ſortem, ſeu pecuniam debitam Cajo ſolviſſet: vel quia Titius aliud damnum tali pretio dignum incurrit. Secus vero eſt, ſi Titius, propter ſecundum mutuum datum Sejo, nullum novum damnum incurrit, quia etiamſi non mutuaſſet Sejo, illas uſuras, cum æquali, & non majore damno ſolviſſet Cajo: tum enim non poterit Titius licite exigere a Sejo uſuras, ideo præciſe, ut ſe reddat indemnem ab uſuris, ad quas ſolvendas ſe obligavit Cajo: ſicut ſi quis emit aliquid carius, & ſupra pretium juſtum, non poteſt eandem rem eodem pretio majore, ſive carius vendere alteri, ut ſe ſervet indemnem, *Azor. cit. c. 4. q. 1. Molin. cit. diſ. 314. num. 13. & ſeqq. Leſſ. cit. cap. 20. num. 78.* & clarius *Lugo cit. ſec. 6. num. 35.*

§. III.

An, & quomodo in mutuo aliquid licite, & ſine uſura exigi, vel accipi poſſit ultra ſortem, ratione lucri ceſſantis?

XXXVI. Aſſertio 1. Si quis per vim, vel metum, vel dolum injuſte cogatur ad mutuandum, ideoque lucrum ei ceſſet, quia amittit occaſionem lucrandi ſua pecunia, qua volebat vel cenſum, vel domum, vel agrum frugiferum emere, vel negotiatione licita aliud lucrum quærere; tum mutuans poteſt exigere, & debet illi compenſari lucrum illud ceſſans, etiamſi illud in pactum non fuerit deductum. Ratio eſt, quia qui tali modo invitus dat mutuum, injuſte privatur lucro, adeoque damnum patitur, ergo is, qui cauſam talis damni injuſte dedit, tenetur ad illius compenſationem, etiamſi id in pactum non ſit deductum: ſicut ſi quis furetur mercatori pecuniam, quam paratam habebat ad negotiandum, non tantum illi tenetur reſtituere pecuniam ablatam, ſed etiam lucrum, quo furando pecuniam, injuſte eum privavit, *Molin. tr. 2. de juſt. diſ. 315. n. 1. Leſſ. cit. c. 20. num. 79. Lugo cit. diſ. 25. ſec. 6. num. 86.*

XXXVII. Aſſertio 2. Sed etſi quis ſponte mutuum dedit, ad certum tamen terminum, quo reddendum ſit, & mutuans ex eo, quod mutuatarius ad tempus præfixum non ſolvat, lucrum amittat, debet id mutuanti reſarciri, ob moram debitoris, tametſi de eo explicitum pactum non interveniat, *Molin. cit. diſ. num. 5. & 6. Leſſ. citat. l. num. 79. Lugo citat. diſput. 25. ſec. 6. numer. 86.* Ratio eſt, quia eo ipſo, quod terminus ſolutioni mutui præfigitur, vi taciti pacti, tenetur mutuatarius ad intereſſe, quo mutuans ob moram debitoris privatur: idque procedit, quamvis abſque culpa mutuatarii, ſolutio mutui tunc non fiat, vel quia ſolvendo non fuit, vel ob aliam cauſam, quæ tamen ex parte mutuantis non proveniat, niſi mutuatarius ad extremam neceſſitatem, ſine ſua culpa, ſit redactus, ut ſupra dictum *Molin. cit. l.*

XXXVIII. Aſſertio 3. Licitum eſt etiam ſponte, ſine coactione, vel præcepto Superioris, ab initio paciſci cum mutuatario, ut ultra ſortem aliquid ſolvat, ratione lucri ceſſantis, quantum id prudentis arbitrio æſtimabitur, *Azor. cit. l. 5. de uſura, c. 5. in princ. Molin. cit. diſ. 315. num. 18. Leſſ. c. l. num. 80. & 81. Lugo c. l. num. 87.* & alii DD. communiter, & eſt ſententia in praxi uſu recepta. Probatur primo, quia non minus lucrum ratione mutui ceſſans eſt pretio æſtimabile, quam damnum emergens ex mutuo, quia ſi quis paratam habeat pecuniam certam ad negotiandum, ex qua probabiliter ſperat ſe lucraturum intra annum, centum aureos, non minus, imo longe plus æſtimabit lucrum illud in ſpe, quam jacturam, ſeu damnum minus, v. gr. XX. aureorum, quod in illa pecunia, cum æquali probabilitate, incurrere poſſet, ergo ſicut licitum eſt paciſci cum mutuatario de damno illo emergente: ita etiam de lucro ceſſante, ratione mutui, cum carentia lucri damnum quoddam æſtimetur. Secundo, quando quis invitus cogitur mutuare, vel ob moram debitoris in ſolvendo lucrum ceſſat, debet illi omne lucrum ceſſans reſarciri, non ratione injuriæ ſolius, quia quando quis ſine injuria, a principe ob bonum publicum compellitur ad mutuandum, nihilominus poteſt exigere, & accipere competentem ſatisfactionem ſupra ſortem, ergo ipſum lucrum ceſſans, etiam ſecluſa injuria, eſt per ſe pretio æſtimabile, & dignum compenſatione, & de eo paciſci licet. Tertio, venditor poteſt, ſupra juſtum pretium, aliquid petere, quando res vendita ipſi plus valet, propter peculiare commodum, quod illi afferebat: atqui pecunia, quam v. g. mercator aliquis deſtinavit ad negotiationem, plus valet mutuanti, non quidem in ſe, ſed ut ſubeſt induſtriæ mercatoris, & propter lucrum, quod ex illa ſperat, ergo poterit aliquid ſupra ſortem petere, ob jacturam, quam facit, lucri illius, in gratiam mutuatarii. Quarto, ſi quis putat ab operario, ut hodie a laborando ceſſet, eumque ad recreationem aliquam comitetur, poteſt is exigere pretium lucri ceſſantis, ob id quod operas ſuas hoc die aliis non locarit; ergo etiam negotiaturus poteſt exigere pretium per eo, quod in gratiam alterius a negotiatione ceſſet. Quinto, piſcator poteſt licite vendere piſces, quos jactu retis ſe capturum ſperat, *leg. Si jactum 12. ff. de action. empt.* ergo & mercator vendere poterit licite mutuatario intereſſe, quod ſperat ex pecunia ad negotiandum deſtinata ſe lucraturum, & quo in gratiam ipſius ſe privat: eſt enim hic contractus innominatus, faciam, ſeu potius deſiſtam ab hac mea negotiatione in commodum tuum, ſi mihi tantum, ut deſiſtam, des. Non obſtat, quod mutuum debeat dari gratis, ergo quando quis non tenetur mutuare, non poteſt quidquam accipere: nam mutuum debet gratis dari, quia pro ipſo mutuo, ſecundum ſe ſpectato, nihil ſupra ſortem exigi poteſt; bene tamen pro ſpe lucri, qua quis ſe privat, in gratiam mutuatarii, *Leſſ. cit. cap. 20. num. 82.*

XXXIX. Cæterum plures conditiones requiruntur, ut pactum de exigendo lucro ceſſante a mutuatario, ſit licitum, & non uſurarium, prout videre eſt apud *Molin. tr. 2. diſ. 316. Azor p. 3. l. 5. de uſura c. 5. not. 2. Leſſ. cit. c. 20. dub. 11. num. 48. & ſeqq.* Prima eſt, ut mutuum vere ſit cauſa lucri ceſſantis, hoc eſt, ideo lucrum mutuanti ceſſet, qui mutuo dat, nec aliunde illud lucrum compenſetur. Ut ſi quis pecuniam deſtinatam ad negotiandum, vel emendam rem frugiferam, ſubtrahat illi deſtinationi, ut mutuet alteri, & ita amittat ſpem illius lucri.

Ubi notandum primo, ſi lucrum ſolum ſit in ſpe, & potentia remota, quia nimirum pecunia, vel res alia, quæ mutuo datur, non erat adhuc ad negotiandum, vel lucrandum deſtinata, etſi deſtinari poterat, & forte poſtea deſtinaretur, niſi mutuo data fuiſſet, tum nullum cenſetur lucrum ceſſans, quia lucri adeo incerti, & remoti non habetur ratio, ut pro eo pretium licite accipi poſſit, *Molin. cit. diſt. num. 2.*

Notandum ſecundo, ſi quis poſtquam deſtinavit pecuniam ad negotiandum, poſtea illam det mutuo alteri: ſed occaſione mutui dati, alii rationi lucrandi per artificium, vel aliam induſtriam, ſe impendat, ita ut totum lucrum negotiationis ipſi compenſetur, is non poteſt quippiam, ratione lucri ceſſantis, exigere ſupra ſortem, quia cum alia via tantundem lucretur, ut ſupponitur, non ceſſat illi ullum lucrum ex mutuo. Si tamen illud artificium, vel alia ratio lucrandi illi magis laborioſa foret, vel moleſta, quam fuiſſet negotiatio, poteſt pro illo aliquam compenſationem exigere a mutuatario, *Molin. c. l. n. 3. Leſſ. c. l. n. 85.*

Notandum tertio, ſi quis certam pecuniæ ſummam deſtinavit ad negotiationem, aliam tamen habet, qua negotiari poſſet, ſed ſive ex juſta cauſa non vult illam ad negotiandum, & lucrandum exponere, ſed reſervare ad familiæ ſuſtentationem, vel alias neceſſitates: ſive etiam ſine juſta cauſa: adhuc licite poteſt pro lucro illo ceſſante aliquid exigere, quia vere illi ceſſat lucrum ob mutuum, etiamſi ex avaritia, aut puſillanimitate nolit exponere illam pecuniam negotiationi: duplex enim tali caſu lucrum illi ceſſat: unum ex pecunia, quam otioſam relinquit, & hoc lucrum

ceſſat

Digitized by Google

ceſſat ex negligentia ipſius domini: alterum vero ceſſat ex pecunia, quæ expunenda fuerat lucro, niſi mutuo illam dediſſet, & pro hoc ſecundo lucro poteſt aliquid mutuans exigere, quo ſe privavit in commodum mutuatarii, *Molin. c. l. n. 5. Leſſ. c. l. n. 87. Lugo cit. diſ. 25. ſec. 6. n. 90.*

XL. Secunda conditio requiſita eſt, ut a mutuante non exigatur, vel accipiatur plus, nomine lucri ceſſantis, quam ſpectatis omnibus circumſtantiis, arbitrio prudentum, illud valeat, & æſtimetur. nam pluris valet, & æſtimatur quod certum eſt, & præſens, quam quod futurum, & incertum: tanto enim minus valet lucrum in ſpe, quam ſi jam eſſet in re, quantum ſpes illa fruſtrari, minuique poteſt tali lucrum. Unde mutuans poteſt ſolum paciſci, ut ſupra ſortem detur ei tantum, quantum valet ſpes lucri, deductis expenſis, ut ſi centum aurei, quos mutuo dedit, ſi ad negotiationem applicaſſet, lucratus eſſet decem aureos, computatis tamen expenſis trium aureorum, quos facere debuiſſet, tum nomine lucri ceſſantis, non niſi ſeptem aureos petere poteſt, deductis ſcilicet expenſis, alioquin ſi plus exigit, injuſtitiam committit, & reſtituere id debet, etſi hoc non eſſet proprie uſura, quia non peteretur nomine mutui, ſed amiſſionis lucri, cum pretio tamen exceſſivo, & injuſto, *Molin. cit. diſ. 316. nu. 6. Leſſ. c. l. n. 96.*

XLI. Ubi notandum primo, dupliciter poſſe lucrum ceſſans in pactum deduci, primo indeterminate, ut mutuatarius tantum teneatur ſolvere pro intereſſe, quantum poſtea deprehenderetur lucrum futurum fuiſſe, ſi pecunia mutuata non fuiſſet, deductis tamen expenſis: ita ut ſi poſtea ex eventu conſtiterit, quod mutuans lucratus fuiſſet centum aureos, ſi ad negotiationem dediſſet, totidem ſolvere debeat mutuatarius: ſi minus, minus: Idque ſciri poterit ex eo, quantum alii mercatores in ſimili genere negotiationis hoc tempore lucrantur. Secundo, deduci poteſt in pactum determinate; & non ex eventu futuro, ſi exigatur, & promittatur a mutuatario ultra ſortem aliquid determinatum pro ſpe lucri, qua ſe mutuans ob mutuum privat, ſive lucrum poſtea fuerit majus, ſive minus, vel etiam nullum, quia mutuans, cum mutuaret, ſpem illam lucri vendidit, quæ erat pretio æſtimabilis, *Molin. c. l. n. 8. Leſſ. c. l. n. 97.*

Notandum ſecundo, an in lucro ceſſante deducendi ſint etiam labores, non conveniunt DD. nam aliqui diſtinguunt inter labores intrinſecos negotiationi, ut eſt actus vendendi, emendi &c. & hos non eſſe deducendos, quia ſunt omnino neceſſarii, ſine quibus nullum comparatur lucrum: ſic operarius non laborans nullam mercedem acquirit: alii ſunt extrinſeci labores, ſive antecedentes, ſive comitantes, quales ſunt ire ad nundinas, iter agere &c. & hoc debere deduci, quia non ſunt omnino neceſſarii, niſi ex ſuppoſitione *Azor cit. c. 5. q. 2.* Alii vero rectius diſtinguunt: ſi mutuans nolit laborem ſuum pecunia redimere, ſed velit potius laborare, quam otiando aliquid amittere de lucro, quod ſperabat, tum poterit totum lucrum ceſſans exigere a mutuatario, non detracto labore. Secus eſt, ſi mutuans velit laborem ſuum parte lucri redimere, tum enim debet eam partem de lucro detrahere propter otium, *Leſſ. cit. l. n. 98.*

XLII. Tertia conditio principaliter requiſita ad juſtitiam lucri ceſſantis eſt, ut pretium ſive intereſſe lucri ceſſantis non anticipate, ſive non ſtatim a mutuatario ſolvatur, tempore, quo mutuum traditur, ſed poſtea, quando mutuum erit ſolvendum, *Molin. cit. diſ. 316. numer. ult. Azor cit. cap. 5. quæſt. 3. Leſſ. cit. cap. 20. numer. 99. Lugo cit. ſec. 6. numer. 99.* verb. grat. Titius mutuat Cajo aureos mille, cum eo pacto, ut Caius ratione lucri ceſſantis, ſtatim ſolvat Titio centum aureos, tunc ſi Titius ſolum det Cajo 900. aureos, & pro lucro ceſſante retineat ſibi centum, manifeſtam uſuram committit; nam perinde eſt, ac ſi mutuaret 900. aureos, ut poſtea ſibi reddantur mille, quia re ipſa non mutuat, niſi 900. & mutuans tantundem exigit pro lucro ceſſante ex 900. aureis, quantum ex mille, quod aperte iniquum eſt: cum enim non ceſſet Titio lucrum, niſi ex 900. aureis, non eſt æquum, ut exigat compenſationem lucri quaſi ex mille, quia aureis 900. non debet correſpondere tantum lucrum, quantum mille aureis, ſed minus. Aliud eſt, ſi Titius mutuet Cajo mille aureos, cum pacto, ut ratione lucri ceſſantis, ſolvat Titio centum aureos, & is ſtatim det Cajo mutuos integros mille aureos & viciſſim ab eo ſtatim recipiat aliam rem infrugiferam, ex qua nihil poteſt lucrari, quæ tamen æſtimatur 100. aureis, de quibus inter eos convenit, ratione lucri ceſſantis. hoc enim eſt illicitum, quia ob id, quod res ita ſtatim tradita ſit mutuanti, non ideo lucrum ex mutuo ipſi ceſſans minus eſt, cum ex re tradita nihil lucretur; unde ſequitur, ſi mutuanti anticipate, ſive ſtatim aliquid ſolvatur, ratione lucri ceſſantis, quod detrahitur ex ipſa ſumma pecuniæ mutuatæ, vel ex aliqua alia re fructifera, quæ interim, dum mutuum redditur, fructum, vel lucrum affert ipſi mutuanti, uſuram committi, quia tunc mutuans pro mutuo tantum recipit, quantum dedit, & inſuper ſupra ſortem lucratur fructum ex re illata data, quod uſurarium eſt, *Azor. cit. cap. 5. in fine.*

§. IV.

An ratione periculi, cui mutuum exponitur, licite poſſit aliquid ultra ſortem exigi?

XLIII. Duo hic caſus diverſi ſunt diſtinguendi. Primus eſt, quando res ipſa mutuata ſubjacet periculis, ut ſi quis mutuet pecuniam, vel aliam rem alteri per mare eam tranſvecturo, in quo communiter ſolent eſſe pericula: vel ſi quis mutuet pecuniam alicui tranſportaturo illam per terreſtria itinera, & loca periculoſa, quia obſeſſa a latronibus, & hoſtibus, & his caſibus, mutuans in ſe ſuſcipiat periculum rei mutuatæ, & pro eo periculo exigat aliquid ultra ſortem. Secundus caſus eſt, quando periculum mutui provenit ex parte mutuatarii, quia pauper eſt, & merito timeri poteſt, ne forte ad inopiam vergat, & cum poſtea deficiat facultas ſolvendi, vel quia ſolet eſſe fraudulentus aut malæ fidei debitor, ideoque probabile periculum ſit, ne ſine magnis expenſis, vel gravibus moleſtiis, debitum ab ipſo recuperari non poſſit, ideoque mutuans vult aliquid ultra ſortem exigere in compenſationem damni, vel moleſtiæ, quam probabiliter timet, ſubeundo tale periculum, *Azor parte 3. lib. 5. cap. 6. quæſt. 1. Lugo cit. diſ. 25. ſec. 6. num. 76.*

XLIV. Aſſertio 1. Quoad priorem caſum, qui facilior eſt, ſi mutuans aliquid ultra ſortem exigat, propter periculum circa rem mutuatam, quod in ſe ſuſcipit, & vere ſubeſt, idque in pactum deducat, talis contractus non eſt uſurarius, ſed licitus, ut ex communi docet, *Azor cit. c. 6. q. 1. Lugo c. l. n. 77.* Ratio eſt, quia in hoc caſu, duo diſtincti actus fiunt: unus eſt contractus mutui, vi cujus, mutuans nihil exigit ſupra ſortem, quia cum dominium rei mutuatæ, ea tradita, ſtatim tranſeat in mutuatarium ideo hic obligatus eſt ad reddendam totam ſortem, etiamſi res mutuata pereat, quia res domino ſuo perit, adeoque mutuatario, non mutuanti: alter contractus poſtea ſuperadditur, nempe aſſecurationis, in quo mutuatarius timens, ne in itinere pecuniam, vel aliam rem, quam mutuo accepit, perdat, paciſcitur, & convenit cum mutuante, ut illam toto illo tempore aſſecuret: & pro tali aſſecuratione viciſſim promittat, ſe ipſi juſtum pretium ultra ſortem ſoluturum, propter periculum rei alienæ, quod in ſe ſuſcepit, & pretio æſtimabile eſt. Sicut ergo tale pactum aſſecurationis licite fieri poſſet cum aliquo tertio, ita etiam cum ipſo mutuante, qui non eſt amplius Dominus rei mutuatæ, adeoque periculum illius ad ipſum non ſpectat, niſi in pactum deducatur.

XLV. Aſſertio 2. In poſteriori caſu, qui difficilior eſt, probabilius eſt, ſi mutuum ſit periculoſum, propter conditionem mutuatarii, poſſe pro periculo ſortis aliquid per pactum aſſecurationis exigi ultra ſortem ſolvendum, ſine uſura, modo non exigatur tanquam conditio, ſine qua mutuator non vult mutuare, ſed mutuatarius, ſua ſponte, etſi ad invitationem mutuantis, tale pactum ineat, *Molin. tr. 2. diſ. 318. n. 4. Silveſt. V. Uſura 1. quæſt. 36. Leſſ. cit. cap. 20. dub. 13. num. 111.* & alii contra *Navarr. & Tolet.* Idque probari poteſt primo, quia ſuſcipere in ſe tale periculum eſt pretio æſtimabile, ut ſi quis mutuet homini non ſatis ſibi noto, decoctori, malæ fidei &c. ergo mutuans poteſt pro eo pretium exigere. Secundo poteſt quis aliquid ſupra ſortem exigere, propter timorem, ne cogatur expenſas in mutuo recuperando facere, etſi poſtea reddatur, ſine expenſis, ergo multo magis propter periculum ipſius ſortis, quia juſtiſſimum eſt pro eo, quod pretio æſtimabile eſt, pretium exigere. Tertio, qui locat equum alicui, poteſt, propter periculum, ne equus apud conductorem pereat fame, vel fuga, vel nimio labore, aliquid exigere ultra pretium locationis, etiamſi equus non pereat. Quarto qui vendit credito, ratione periculi, vel damni, quod ſubit, dilata ſolutione, poteſt aliquid ultra pretium rei venditæ exigere. Quinto debita periculoſa minori pretio poſſunt ab alio emi, ut ſi ſit debitor dubiæ fidei, ergo licitum eſt etiam in mutuo pro 90. certis exigere a mutuatario 100. periculoſa, ſeu incerta. Sexto poteſt quis pro fidejuſſione pretium exigere, ratione periculi, quod ſubit ſolvendi debitum pro debitore principali, etiamſi poſtea nihil ſolvat, quia debitor totum ſolvit, ergo etiam pro periculo amittendi mutuum poterit aliquid accipi. Verum diſparitas eſt quia fidejuſſor ſuſcipit in ſe novam obligationem diverſam a debito principali, eamque pretio æſtimabilem: ſicut ergo pro obligatione mutuandi poteſt pretium accipi, quippe quæ eſt obligatio diſtincta ab ipſo mutuo: ita etiam pro obligatione ſolvendi pro debitore, ut ex ſupra dictis patet.

XLVI. Sed & alia argumenta non videntur omnino efficaciter probare intentum, quia non eſt eadem ratio de periculo in mutuo, & de aliis damnis emergentibus, ut notat *Lugo cit. ſec. 6. 80.* nam obligatio ad ſolvendas expenſas faciendas, & ad compenſanda alia damna emergentia, ſunt aliquid diverſum ab ipſo mutuo, ideoque non mirum, quod poſſit pro eo aliquid exigi, & accipi ſupra ſortem. At vero periculum circa ſortem, ſi poſtea integra reddatur, & ſine aliis expenſis recuperetur, nullum aliud damnum infert in bonis fortunæ. Cum ergo toti periculo circa ſortem ſatisfiat ad æqualitatem, ſi reddatur ſors, ſeu tota ſumma capitalis, conſequenter non poteſt peti aliud quid ultra ſortem, ob periculum ſortis. Nihilominus tamen quamvis periculum illud ſortis non ſit damnum ita diverſum a ſorte, ſicut alia damna pecuniaria, quæ ex mutuo emergere ſolent: eſt tamen tale periculum aliquod damnum a ſorte diverſum, quia licet debitum ſolvatur, ſive mutuum poſtea reddatur: moleſtiam tamen aliquam attulit mutuanti illud periculum, & timor amittendi ſortem, quæ cum ſit pretio æſtimabilis, poterit mutuans pro hac moleſtia cauſa mutui ſubeunda, aliquid ſupra ſortem exigere, & accipere, modo pactum præceſſerit, *Lugo cit. loco num. 8. & 82.*

XLVII. Verum hactenus dictis directe adverſari videtur, *text. in c. Naviganti 19. & ult. in princ. h. t.* Ubi Papa Gregorius IX. ita reſcribit: Naviganti, vel eunti ad nundinas „ certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo, quod ſu„ ſcipit in ſe periculum, recepturus aliquid ultra ſortem, uſurarius eſt cenſendus. Variæ ſunt expoſitiones hujus textus, quas afferunt DD. primo, quod diſpoſitio hujus cap. habeat locum in eo caſu tantum, quando pretium periculi, quod in ſe ſuſcipit creditor, vel mutuans,

eſt

Digitized by Google

eſt injuſtum, & exceſſivum, tunc enim accipitur ultra ſortem id, quod juſtum pretium excedit, & quidem cauſa mutui, ideoque uſura eſt. Secus eſt, ſi pretium periculi ſit juſtum, & moderatum ac proportionatum tali periculo. Hæc autem expoſitio non congruit litteræ, quia hic dicitur, quod qui recipit aliquid ultra ſortem, uſurarius cenſendus ſit, ergo uſura committitur, ſi aliquid, quantumcunque modicum, ultra ſortem exigitur in contractu mutui, quia dictio *aliquid* verificatur in qualibet minima re, *Abb. in tit. c. ult. n.* 2 *h. t.* Secundo alii putant, hunc textum ſolum procedere in eo caſu, in quo probabiliter nullum ſubeſt periculum amittendi ſortem, ſed ſolum prætenditur a creditore, ſeu mutuante, ut ſub hoc prætextu, & colore certo, lucretur pretium ſupra ſortem conventum. Sed contra eſt, quia in hoc c. ſermo eſt de illo, qui mutuat pecuniam naviganti, at navigantibus vere imminent maxima pericula, ut notat *Cov. l. 3. reſol. c. 2. n. 5. §. Primum quidem.* Tertio alii dicunt in hoc c. eſſe ſermonem de periculo, quod provenit ex parte mutuatarii impotentis ad ſolvendum, vel quia infidelis eſt, & promiſſis non ſtat, quod pro illo periculo nihil poſſit accipi ſupra ſortem. Sed hoc eſt contra textum, quia ibi mutuans, non ſuſcepit in ſe periculum mutui, ſive ſortis ſibi ſolvendæ, ſed exigit aliquid ultra ſortem ob periculum rei, ſeu pecuniæ mutuatæ, quod in ſe ſuſcepit per contractum aſſecurationis, *Lugo c. l. n.* 78. *&* 84. Quarto alii dicunt, quod Pontifex ſolum intendit ibi damnare uſuras centeſimas ſortis, pro ſingulis menſibus, quæ Jure Civili permittebantur in pecunia nautica, ſeu trajectitia ultra mare, ut intelligit *Leſſ. cit. dub.* 13. *nu.* 116. Verum ibi fit mentio, non ſolum de navigantibus, ſed etiam de euntibus ad nundinas. Quinto alii dicunt prohiberi ibi, ſi aliquid exigatur ultra ſortem, ratione mutui tantum, vel ratione mutui, & periculi ſimul, nam tunc cenſetur mutuans velle conſequi lucrum ex mutuo, non quidem immediate, ſed mediante ſuſceptione periculi, quod uſurarium eſt. Non eſt autem uſura, ſi aliquid exigat ratione ſolius periculi, ut pretium periculi, quia etiamſi non mutuaret, & periculum rei mutuatæ vellet in ſe ſuſcipere, licite acciperet pretium, nec debet eſſe deterioris conditionis ex eo, quod alteri ſerviat mutuando, *Sylveſt. V. Uſura* n. q. 35. *Molin. tr.* 2. *diſp.* 318. *n. ult.*

XLVIII. Porro præter allatas, ſunt adhuc aliæ duæ expoſitiones probabiliores hujus cap. Prima eſt, reprobari ibi a Papa, tanquam uſurarium, ſi mutuans per adjectum pactum cogat, ſive aſtringat mutuatarium, ut ei pro periculo rei mutuatæ in ſe ſuſcepto, aliquid ultra ſortem det, alias non mutuaturus, hoc enim uſurarium eſt, quia ſicut non poteſt mutuatarius ex mutuo obligari ad vendendum, vel emendum, ita nec poteſt obligari ad ineundum cum mutuante contractum aſſecurationis, cum ſit onus pretio æſtimabile injuſte ſuperadditum mutuo: ſecus eſt, ſi libere id fiat, & mutuatarius ſponte cum mutuante conveniat, & paciſcatur de periculo pecuniæ mutuæ, in ſe recipiendo, certo in id pretio conſtituto, talis enim conventio non damnatur in *cit. c. ultim. hoc t. Azor. cit. l.* 5. *c.* 6. *q.* 2. *in fine*, *Leſſ. cit. c.* 20 *num.* 116. *Lugo cit. l. num.* 78. & alii communiter.

Altera expoſitio eſt, quod Pontifex ibi ſolum declaret, hujuſmodi contractum, & pactum aſſecurationis, in quo mutuans ſuſcipit in ſe periculum rei mutuatæ, in foro externo, & quantum ad judicium publicum Eccleſiæ, præſumendum eſſe uſurarium, quia ut plurimum creditores, ſive mutuatores ſuſcipiunt in ſe periculum rei mutuatæ, & aliquid accipiunt pro eo, ultra ſortem, ad palliandam pravam, & uſurariam intentionem, quam gerunt lucrandi ex pecunia mutuata: Jura autem ex iis, quæ ut plurimum accidunt, ſtatuuntur, *l. Nam ad ea* 14. *ff. de legib.* quamvis tale pactum adjectum mutuo intrinſece, & ex natura rei, ac in foro animæ, & quoad Deum, non ſit uſurarium: ideoque Pontifex non dixit talem uſurarium eſſe, ſed uſurarium cenſendum eſſe, adeoque ab Eccleſia in foro externo reputari uſurarium, ita ut non ſit audiendus, ſi quis dicat, ſe non recipere lucrum, ratione, mutui, ſed ſolum ratione periculi, niſi aliunde de contrario conſtet, *Lugo c. l. Fagnan. in cit. c. ult. n.* 21. *&* 22. *h. t.* Ubi tamen *n.* 23. id limitat, niſi non breve intervallum intercederet inter mutuationem, & contractum aſſecurationis, in quo periculum mutuans in ſe ſuſcipit pro certo pretio, ultra ſortem: tunc enim præſumendum eſt, eum non pro mutuo, ſed pro aſſecuratione ſortis tantum, lucrum illud accipere, *Navarr. in Man. c.* 27. n. 221. *Fagn. c. l.*

XLIX. Ex dictis infertur primo, ut licitus ſit contractus aſſecurationis, requiritur, ut periculum ſortis in pactum expreſſe, vel tacite deducatur, ut ſupra dictum de damno emergente, vel lucro ceſſante, ita ut fiat contractus innominatus: v. g. in tuam gratiam ſubjiciam me periculo (modo hoc probabile ſit, & non ex vano timore conceptum) ſortis, vel rei mutuatæ, vel hoc damnum ſubibo, ut des mihi ſupra ſortem X. florenos, qualis contractus, ſuapte natura, juſtus eſt. Quod ſi mutuans nihil de pretio ſupra ſortem dando, ratione periculi ſortis, vel damni emergentis, vel lucri ceſſantis, pactus ſit, etſi poſtea damnum patiatur, ſine culpa mutuatarii, nullam ab eo compenſationem exigere poteſt, *Laym. l.* 3. *tr.* 4. *c.* 16. *n.* 10.

Infertur ſecundo, non eſſe pactum uſurarium, ſi quis mercatori naviganti trans mare cum mercibus, det centum aureos, cum pacto, ut ſi navis pereat, nihil omnino reddat: ſi vero maneat ſalva, reddat ſibi CXXV. aureos, quia lucrum illud accipitur, ratione periculi, quod in ſe ſuſcepit mutuans non vi mutui, *Navarr. l.* 5. *conſil.* 23. *h. t. Laym. c. l. n.* 9.

L. Infertur tertio, licitam eſſe ollam fortunæ, quando nimirum plures conferunt certam pecuniam, & conjectis ſchedulis ſingulorum nomine inſcriptis, in communem ollam, vel aliud vas, quod quiſque ſorte extraxerit ex olla, cedat ejus lucro, ſive res magni, ſive exigui pretii fuerit: Neque enim talis contractus eſt injuſtus ob inæqualitatem inter pecuniam collatam, v. g. ſex nummos, & inter lucrum, quod ex olla capitur, v. g. ſcyphum aureum, quia in præſenti caſu, non debet conferri pecunia, quæ data fuit, cum lucro, quod inde ſorte provenit, ſed cum ſpe lucri, quia non emitur ipſum lucrum, ſed ſpes lucri, quæ cum ſit omnino dubia, & incerta, longe minus valet, quam ipſum lucrum, ideoque ſicut licita eſt ſpei lucroſæ emptio, veluti jactus retis, vel capturæ piſcium aut avium, *l. Nec emptio* 8. *§. Aliquando tamen ff. de contrah. empt. l. Si jactum* 12. *de actionibus empti*, ita & emptio talis ſpei, ſive lucri incerti: præſertim quia hic adſunt omnia, quæ ad perficiendum contractum emptionis requiruntur, pretium, nempe pecunia, quæ confertur, merx, ſcilicet ſpes fortunati eventus, quæ venditur: & conſenſus, ſive conventio inter conferentem pecuniam, & Ollarum, qui eſt veluti venditor, *Caniſius tr. de uſuris, c.* 4. *n.* 5. *&* 9.

§. V.

An in mutuo licitum ſit pactum, ut mutuatarius, ſi tempore ſtatuto non ſolverit mutuum, teneatur certam pœnam ſolvere, ultra ſortem?

LI. Supponendum eſt, quod triplex ſit pœna, legalis, judicialis, & conventionalis. Legalis eſt, quæ lege vel ſtatuto imponitur, ſi intra certum tempus aliquid non fiat, vel non ſolvatur: Conventionalis, quæ pacto, ſive mutuo partium conſenſu, ſeu conventione apponitur, ſi una pars non ſtet contractui, vel intra certum tempus non ſolvat, & de hac pœna hic eſt quæſtio: Judicialis, quæ per Judicem imponitur, ſi intra certum tempus aliquid non fiat, vel non ſolvatur.

Jam ergo reſpondetur ad quæſtionem propoſitam, non eſſe uſurarium, ſed licitum, etiam in mutuo, talem pœnam apponere, *Sylv. V. Uſura q. c.* 28. *Navarr. in Man. c.* 17. *nu.* 215. *Azor p.* 3. *l.* 5. *de uſura c.* 6 *q.* 5. *Molin. tr.* 3. *diſ.* 317. *n.* 5. *Leſſ. cit. c.* 20. *dub.* 15. *n.* 128. & alii DD. communiter. Ratio eſt, quia talis pœna, quæ ultra ſortem exigitur, non ſolvitur ex vi mutui, ſed ob moram, & culpam non ſolvendi mutuum, peccat enim debitor, qui eſt in mora culpabili, contra juſtitiam retinendo alienum, ſeu alterius debitum, ac proinde dignus eſt pœna, ſicut & illi, contrahentium conventione, pœna apponi ſolet, qui a contractu reſilierit.

LII. Ubi notandum primo, ut hujuſmodi pœna licite apponatur in mutuo, requiritur primo, ut non apponatur in fraudem uſurarum, quæ tunc cenſetur exigi, & apponi in fraudem, quando mutuans utitur titulo pœnæ ad palliandum lucrum, quod mutuando intendit, quia nimirum ideo ſolum hanc pœnam exigit, ut lucrum, quod directo ex mutuo exigere non poterat, prætextu pœnæ, ex illo capiat, non curando, utrum ſolvat ante terminum præfixum, an non, tunc enim non ex culpa, quæ nulla eſſet in non ſolvendo, ſed ex vi mutui, cenſeretur lucrum exigi, & exſpectari: idemque eſt, ſi mutuans nimis breve terminum aſſignet mutuatario, intra quem ſcit ipſum ſolvere non poſſe, ut nimirum lucretur aliquid ultra ſortem, *Leſſ. c. l. num* 131. *Molin. c. l. nu.* 6. *Lugo cit. diſ.* 25. *ſec.* 6. *§.* 2. *num.* 125. Secundo requiritur, ut debitor ſive mutuatarius vere ſit in culpa, non ſolvendo, ſi enim abſque ulla culpa ſua, non ſolvit intra terminum præfixum, vel quia non potuit, vel ex alia juſta cauſa, tunc nihil poteſt accipi, titulo pœnæ, quippe quæ ſupponit ac prærequirit culpam. Si tamen mutuatarius ſua culpa, ſe impotentem reddidiſſet ad ſolvendum, quia dilapidando bona ſua, id ſecuturum adverteret, vel facile advertere potuit, tunc vere eſt in culpa, quia tunc non ſolvere eſt volitum in cauſa culpabili, ideoque ſi in termino non ſolvat, pœna debetur, *Molin. c. l. n.* 8. *Leſſ. c. l. n.* 131. *& ſeqq.*

Tertio requiritur, ut pœna ſit moderata, & proportionata culpæ, alioquin inique cogitur mutuatarius conſentire in pœnam, eaque non poteſt exigi, in quantum juſtum modum excedit. Unde ſi pars debiti ſoluta ſit, non poteſt exigi tota pœna, ſed ſolum pars, quæ non eſt ſoluta, *Molin. c. l. n.* 9. *Leſſ. c. l. num.* 133: Quarto ut mora ſit notabilis, ſpectata qualitate negotii, & more Provinciæ, *Leſſ. c. l. num.* 134. Addunt aliqui quinto, ut ex impoſitione pœnæ non ſequatur ſcandalum, quia alias foret contra charitatem proximi, *Molin. c. l. n.* 7.

Notandum ſecundo, pœna conventionalis adjecta mutuo debet ſolvi, etiam ante ſententiam Judicis, quia debetur ex vi pacti inter partes initi: & in hoc diſtinguitur a pœna legali, & judiciali, quæ non debentur, ante ſententiam Judicis, quia non vi pacti, ſed ex præcepto legis, vel Judicis delictum punientis debentur, *Azor. cit. c.* 6. *Leſſ. cit. loc. num.* 135. quamvis aliqui apud *Leſſ. cit. loc. num.* 136. *in fine* putent, etiam pœnam conventionalem, in foro conſcientiæ, non neceſſario eſſe ſolvendam, ante ſententiam, & condemnationem Judicis, quia talis videtur eſſe mens, & intentio contrahentium, & pœnam apponentium. Illud magis probabile eſt, pœnam hanc non deberi, antequam expreſſe, vel tacite a parte exigatur, quia moribus hominum non ſatis conſentaneum eſt, ut pœna debeat ſolvi ante exactionem, *Azor. c. l. q.* 5. *Leſſ. c. l. n.* 136.

LIII. Cæterum prædictis addendum, quod adhuc alius ſit titulus accipiendi aliquid ultra ſortem ratione contractus cambii, qui adjicitur mutuo, ut ſi quis mutuet pecuniam in moneta aurea, cum pacto, ut reſtituatur in moneta argentea, vel ærea, aut minuta, tunc enim licite poteſt mutuans aliquid amplius, quam ab eo datur, exigere, tanquam debitum, & accipere ratione cambii per minutum

facti, juxta conſuetam ejus taxam, *Navarr. l. 3. conſil. 3. n. 2. & 3. de empt. & vendit. Layman. cit. c. 36. n. 22. in fine.*

§. VI.

An pactum adjectum mutuo, ut res mutata reſtituatur in eadem menſura, & bonitate, etiamſi pretium ejus creverit, ſit uſurarium?

LIV. Dupliciter poteſt mutuo dari triticum vel vinum, aut alia ſimilia: primo, ſi mutuo dentur v. g. tres ſcaphæ tritici, vel tres urnæ vini, eo pacto, ut totidem ſcaphæ, vel urnæ ejuſdem bonitatis reddantur. Secundo ut reddatur, vel in majore, vel minore menſura triticum, vinum, ſecundum præſentem valorem, quem nunc habet.

In hoc utroque genere mutui certum eſt primo, ſi tempore mutationis æque dubium ſit, an tempore ſolutionis, pretium ſive valor tritici, vel vini creſcat, vel decreſcat, licite poteſt exigi, ut totidem menſuræ tritici, vel vini ejuſdem bonitatis reddantur, etiamſi poſtea pretium utriuſque valde creverit, *Molin. tract. 2. de juſtit. diſ. 311. num. 5. Azor p. 3. l. 5. de uſura c. 7. q. 5. Leſſ. l. 2. c. 20. dub. 27. nu. 145. Lugo tom. 2. de juſtit. diſ. 25. ſec. 7. n. 112.* & alii communiter. Ratio eſt, quia tum æqualis eſt utriuſque contrahentis conditio, tam quoad periculum, quam quoad lucrum: ſicut enim mutuator poteſt lucrari cum damno mutuatarii, ita & amittere cum commodo, ſeu lucro ejuſdem. Unde ſi mutuans lucretur, id non provenit ex pacto exigendi illud lucrum, vi mutui ſupra ſortem, ſed per accidens, & ex caſu fortuito, quia tempore ſolutionis auctus eſt valor, ſeu æſtimatio rei mutuatæ; ſicut ſi decreviſſet, damnum habuiſſet mutuans.

Certum eſt ſecundo, ſi mutuans triticum, vel vinum ſervaturus ſit in illud tempus, quo ejus valor creſcet, tum licitum eſt pactum, ut reddatur triticum, vel vinum in eadem menſura ac bonitate, qua datum eſt, idque ratione tituli lucri ceſſantis, quia ſi mutuo non dediſſet, incrementum pretii, ſive valoris mutuans percepiſſet, quo ſe privavit in gratiam mutuatarii: modo tamen detrahantur ſumptus, quos mutuans feciſſet in aſſervando tritico, vel vino, uſque ad tempus ſolutionis, & æſtimatio periculi, ſi quod erit, quia forte apud eum triticum, vel vinum corruptum, vel deterius factum fuiſſet: & in hoc etiam conveniunt DD. *Molin. cit. diſ. n. 3. Lugo c. l. n. 133.* & alii citati.

LV. Certum videtur tertio, ſi certo vel ſaltem probabiliter prævideatur triticum, vel vinum poſtea minus valiturum, tum mutuans licite, & ſine uſura, poteſt paciſci, ut plures ſcaphæ tritici, vel urnæ vini ſibi reddantur, quæ adæquent præſentem valorem tritici vel vini, quod nunc dat, ſive illud venditurus fuiſſet, vel conſumpturus, ſive ſervaturus in tempus, quo decreſcet pretium, *Leſſ. c. l. n. 146, Lugo c. l. n. 114.* v. gr. ſi quis mutuo det duas ſcaphas tritici, tempore, quo valent ſingulæ ſcaphæ decem florenos, poteſt paciſci cum mutuatario, ut ſi tempore reſtitutionis, ſingulæ ſcaphæ non valeant, niſi quinque florenos, reddat ſibi quatuor ſcaphas, quia tunc pretium, ſive valor 4. ſcapharum erit æquale pretio duarum ſcapharum, tempore traditionis ſive dati mutui. Ratio eſt, quia ſicut poteſt quis vendere ſuum triticum pretio nunc currente, eo pacto, ut ſolutio pretii fiat tempore, quo triticum minus valebit; ita etiam poterit mutuare, ſecundum valorem præſentem, cum pacto, ut reddatur, quando minus valebit, quia poteſt exigere, ut ſibi æquale triticum reſtituatur, non ſolum in bonitate, ſed etiam in pretio, ſi enim in omnibus aliis contractibus peti poteſt æquale in pretio, cur non etiam in mutuo, *Leſſ. c. l.* requiritur tamen, ut ſicut mutuans plures menſuras recipit, quam dedit, ſi valor tritici decrevit: ita contra, ſi valor crevit, debet pauciores recipere, alioquin in tali contractu non ſervaretur æqualitas, *Lugo c. l.* neq; vero tali caſu formaliter recipitur plus, quam datum ſit, ſed ſolum materialiter, quia tempore ſolutionis, quo decrevit valor tritici, quatuor ſcaphæ, propter diminutionem pretii, æquivalent duabus ſcaphis antea mutuo datis. Unde talis contractus non erit proprie mutuum, ſi hoc nomine intelligatur obligatio reddendi tantumdem in eadem ſpecie, ſed ſolum in pretio, ſeu valore, ac proinde erit potius contractus innominatus mixtus ex imperfecto mutuo, & inchoata permutatione: erit tamen mutuum, ſi per hoc intelligatur obligatio reddendi idem in ſpecie, non in eadem quantitate materiali, quia triticum datum fuit cum obligatione reddendi illud in eadem ſpecie & bonitate, & in eadem menſura, quoad valorem, ſeu æſtimationem tritici, *Lugo c. l. n. 125.*

LVI. Quarto certum eſſe videtur illicitum eſſe pactum, per quod mutuans obligat mutuatarium, ut non antea reddat mutuum, quam pretium tritici creverit, ſic enim cogit debitorem, ut lucrum ex mutuo ſolvat, & reddat triticum in eadem menſura, ſed aucto, ſeu duplicato valore, *Lugo c. l. n. 126,*

Quinto certum etiam eſſe videtur, non eſſe uſuram, vetus triticum mutuare cum pacto, ut poſtea reddatur novum, ſi vetus nunc tantum valeat, quantum poſtea valebit novum, vel ſperatur valiturum, quamvis hoc cedat in commodum mutuantis, qui ſic facilius poterit conſervare novum triticum, quam potuiſſet vetus, *Sylveſt. V. Uſura 1. qu. 17. Navarr. cit. c. 17. n. 224. Molin. cit. diſ. 311. num. ult, Lugo cit. ſec. 7. n. 127.* Ratio eſt, quia talis contractus, quoad valorem, eſt æqualis, neque illicitum eſt ex mutuo capere commodum ſi id fiat ſine injuria, & damno mutuatarii. Aliud eſt, ſi triticum vetus, quia ſemicorruptum eſt, minus valeat, quam poſtea valiturum ſit novum, & mutuatarius, ob neceſſitatem, vel aliam ſimilem cauſam, vetus triticum accipiat, cum pacto reddendi novum, tunc enim uſura committitur, & tenetur mutuans reſtituere augmentum illud valoris tritici novi mutuatario. His ſuppoſitis reſtant duæ quæſtiones hoc loco expediendæ.

LVII. Quæritur primo, an quando probabiliter prævidetur tritici pretium poſtea augendum, illudque plus valiturum, licitum ſit illud mutuare, eo pacto, ut poſtea aucto pretio, in eadem menſura, & bonitate reddatur? Reſp. Si moraliter certum ſit, vel ſaltem probabiliter, triticum v. g. pluris valiturum, tempore ſolutionis, quam modo valeat, non poſſet mutuans paciſci, vel exigere, ut poſtea reddatur in eadem, ſeu pari menſura, etiamſi terminus ſolutioni non ſit præfixus, ſed tantum ut reddatur in eadem menſura, quæ adæquabit pretium tritici, quod erat tempore traditionis, *Leſſ. cit. c. 20. n. 152. Lugo cit. ſec. 7. n. 118.* v. g. ſi quis mutuo dedit quatuor ſcaphas tritici, tempore, quo valebat ſcapha quinque florenos, & poſtea tempore redditionis, ſcapha valeat decem florenos, non poteſt exigere, ut reſtituantur quatuor ſcaphæ, ſed ſolum duæ, quæ tum quoad pretium æquivalent pretio, quod tempore traditionis, ſeu mutuationis valebant quatuor ſcaphæ. Ratio eſt, quia non eſt licitum pactum, ut plus reddatur, quam mutuo datum ſit: ſed tempore contractus mutui, quatuor ſcaphæ tantum valebant viginti florenos, & poſtea in duplum aucto pretio, valent XL. florenos: ergo manifeſta uſura eſt, ex vi mutui exigere, ut totidem ſcaphæ reddantur, aucto pretio, quia vi mutui XL. florenos reciperet, adeoque XX. ultra ſortem lucraretur, & duplo plus acciperet quam valebat res mutuata, tempore traditionis. Excipi debet, niſi mutuans triticum illud ſervare potuiſſet, uſque ad tempus, quo pretium creverit, tunc enim ratione lucri ceſſantis, poſſet amplius exigere, quam triticum valebat, tempore mutuationis, detracta tamen æſtimatione cuſtodiæ, quam uſque ad illud tempus mutuans facere debuiſſet, & æſtimatione periculi corruptionis, tanto enim minus exigendum eſt, *Leſſ. c. l. n. 135.* & dictum eſt etiam ſupra, de quo plura videri poſſunt apud *Lugo cit. ſec. 7, n. 119. & ſeq.*

LVIII. Quæritur ſecundo, ſi in contractu mutui nihil ſit conventum, ſeu expreſſum de reddenda eadem menſura, vel potius valore rei mutuatæ, ad quid reſtituendum obligatus ſit mutuatarius? Reſp. Diſtinguendo, vel tempore contractus non prævidebatur poſtea augendum pretium, aut minuendum, vel prævidebatur. Priore caſu, ſi ab initio nihil ſit expreſſum, præſumitur intentionem contrahentium fuiſſe, ut juxta naturam, & conditionem mutui, res mutuata reddatur in eadem ſpecie, menſura, ac bonitate, ſive pretium poſtea creverit, ſive decreverit, prout ſupponi videtur in *l. vinum 22. de rebus creditis*, quod nimirum, ſecluſo alio pacto, vinum reddendum ſit in eadem menſura, adeoque ſi tempore debito non reddatur, æſtimari debet ejus valor, non ſecundum pretium, ſeu valorem temporis, quo mutuo datum eſt, ſed temporis, quo reddi debuiſſet, *Lugo cit. diſp. 25. ſec. 7. n. 122.* Poſteriore vero caſu, ſi tempore contractus mutui jam prævidebatur, quod pretium poſtea creſcet; tum videtur intentio contrahentium fuiſſe, ut reddatur non in eadem menſura, ſed in majore, vel minore menſura, attamen in eodem valore, quia cum tunc, quando pretium, tempore ſolutionis, prævidetur augendum, non poſſit licite exigi æqualis menſura, & in dubio delicta non ſint præſumenda, ideo potius præſumi debet, quod intentio mutuantis fuerit exigere, ut reddatur major, vel minor menſura in eodem valore: talis enim contractus eſt licitus, *Lugo c. l. n. 123.* ubi tamen iterum diſtinguendum aſſerit: nam vel prævisum fuit, quod poſtea decreſcet pretium, ſeu valor rei mutuatæ, cum damno ſolius mutuantis, tum ſatis eſt, ſi mutuatarius reddat triticum v. gr. in æquali menſura, ſeu quantitate, & bonitate, licet pretium ejus decrevit, quia mutuans, ſi aliud non exprimat, cenſetur voluiſſe mutuare juxta naturam puri mutui, ut in æquali valore reddatur, quod licite, & abſque injuſtitia facere poterat, & decrementum illius valoris libere, & ſponte mutuatario condonaſſe. Si vero vice verſa, prævisum fuit, quod pretium tritici, tempore ſolutionis, creſcet, non debet regulariter mutuatarius obligari ad reddendum in eadem menſura, ſed in minore, quantum ſufficit, ut ſolvatur valor tritici, qui erat tempore mutui accepti. Ratio eſt, tum quia mutuans non potuit, ſi prævidit augmentum pretii, licite exigere, ut triticum reddatur in eadem menſura, ſed ſolum in eodem valore, ergo talis intentio injuſta in eo non debet præſumi; tum quia quamvis mutuans illicite voluiſſet, ut redderetur in eadem menſura, tamen mutuatarius ad id non teneretur, ſed poteſt petere, ut contractus talis injuſtus reducatur ad æqualitatem, rejecto onere illo, quod juſte ei, vi mutui, imponi non potuit.

SECTIO III.

De uſuris, quæ committuntur in venditione, & emptione, & an contractus cenſualis ſit uſurarius?

§. I.

An ſit uſura rem pluris juſto pretio vendere, ob dilatam pretii ſolutionem; & viciſſim rem minoris emere, quam valet, quia præſenti pecunia emitur?

LIX. Aſſertio 1. Rem pluris vendere, quam valet, eo quod differatur ſolutio pretii, eſt uſura, ſpectata rei natura, & in foro conſcientiæ, niſi dubium ſit; an tempore ſolutionis plus, vel minus res valitura ſit: quamvis in foro externo, ſive contentioſo ſic vendens tanquam uſurarius conveniri, & condemnari non poſſit. Prior pars eſt communis DD. & probatur, quia etſi talis venditio non ſit; formalis contractus uſurarius, nam uſura proprie, & regulariter committitur ſolum in mutuo: eſt tamen virtualiter, ſive implicitum, & interpretativum mutuum, ſi propterea majus juſto pretium exigatur, quia differtur

ſolu-

Digitized by Google

ſolutio pretii; nam in effectu, & reipſa idem eſt, ac ſi pretium ab emptore eſſet ſolutum, & deinde a venditore ipſi mutuatum, cum lucro illius quantitatis, in qua pretium conventum verum valorem rei excedebat, ac ſi quis alicui mutuo daret centum florenos, eo pacto, ut poſt annum ei reſtituat centum, & X. florenos, quæ eſt aperta uſura, plus autem valet, quod in veritate agitur, quam quod ſimulate concipitur, *toto Tit. C. Plus valere, &c. cap. Per tuas 12. Qui filii ſint legitimi. Abbas in cap. In civitate 6. num. 2. hoc tit.*

LX. Idque probatur, tam quoad primam, quam ſecundam partem ex *cit. c. In civitate*, nam relatum fuit Papæ
,, Alexandro III. quod quidam mercatores piper, cinnamo-
,, mum, vel alias merces emunt, quæ tunc (ſcilicet tem-
,, pore contractus. quod ſpectari debet, quando quæritur
,, de æſtimatione, ſeu valore rei emptæ, *c. pen. in fine de*
,, *empt. Hoſtienſ. hic V. Quæ tunc.*) ultra quinque libras non
,, valent (pretio, quo communiter æſtimantur, *Gl. hic V.*
,, *Non Valent.*) & promittunt, ſe illis, a quibus illas mer-
,, ces accipiunt, ſex libras ſtatuto termino ſoluturos. Con-
,, ſultus ſuper hoc Papa reſpondet: Licet contractus hujuſ-
,, modi ex tali forma non poſſit cenſeri nomine uſurarum,
,, id eſt, uſurarius, (quia venditio eſt, & non mutuum,
,, in quo tantum vera uſura conſiſtit, *Hoſtienſ. hic V. Uſura-*
,, *rum*) nihilominus tamen venditores peccatum incurrunt
,, (etiam uſuræ, quia id fit in fraudem uſurarum, *Gl. hic*
,, *V. Venditores.*) niſi dubium ſit, merces illas plus, vel mi-
,, nus valituras tempore ſolutionis faciendæ. Et ideo, qui
,, ſic contrahunt, melius facerent, & ſaluti ſuæ bene con-
,, ſulerent, ſi a tali contractu abſtinerent, cum cogitationes
,, hominum Deo occultari non poſſint. Quia Deus eſt ſe-
,, cretorum cognitor, quem non latet peccati qualitas, *c.*
,, *Deus 38. cauſ. 34. qu. 3. Gl. fin. hic.*

LXI. Idemque probatur ex *c. Conſuluit 10. h. t.* ubi inter
,, alias quæſtiones, etiam hæc propoſita fuit Urbano III. An
,, negotiator ſimili pœna condemnari debeat, qui vendit
,, merces ſuas longe majori pretio, ſi ſolutio longiori tem-
,, pore differatur, quam ſi ei incontinenti pretium ſolva-
,, tur? Et reſpondet Papa: quod hujuſmodi homines judi-
,, candi ſunt male agere, & ad ea, quæ acceperunt, re-
,, ſtituenda, in animarum judicio, eſſe efficaciter inducen-
dos, Ubi *Gl. V. Male agere*, ait, prius *c. In civitate*, in quo dicitur, tales contractus non eſſe cenſendos uſurarios, intelligendum eſſe, quoad judicium Eccleſiæ, adeoque quoad forum externum, ſeu contentioſum: poſterius vero *cap. Conſuluit*, loqui de judicio, ſeu foro animæ, in quo tales, propter pravam, & uſurariam intentionem, judicandi ſunt male agere, & inducendi, ſed non compellendi, ut ſic accepta reſtituant, nec tanquam uſurarii puniendi ſunt, quia ex forma non apparet contractus uſurarius, nec intervenit aliqua pactio, vel exactio: licet reveta, coram Deo, uſurarii videantur; idem docet, *Abb. ibid. nu. 5. & 6. Hoſtienſ. in cit. c. In civitate, V. Nomine uſurarum, & Fagnan. num. 3. & ſeq.* ubi *nu. 5. & 6.* dat rationem diverſitatis, quoad hoc, inter forum externum, & internum conſcientiæ, quia cum talis contractus, in quo res plus juſto pretio venditur, vel emitur, ob dilatam ſolutionem pretii, ſit illicitus, propter pravam intentionem venditoris, ut patet ex *cit. c. Conſuluit*, ſi talis intentio latet, non poteſt judicari uſurarius in foro externo Eccleſiæ, quippe quæ non judicat de occultis, *c. Sicut 33. in fine de Simon.* at in foro animæ, ſi intentionem pravam habuit, quamvis occultam, cenſetur uſurarius, quia Deus, quem nihil latet, etiam de occultis in foro animæ judicat, *c. Tua nos 34. eod. tit.* Et hinc ſi in foro contentioſo conſtaret de prava intentione venditoris, aliunde, quam ea pretii exceſſu, & dilatione conceſſa ad ſolvendum, quia nimirum ipſe venditor fatetur publice in judicio ſe pravam intentionem habuiſſe, uſurarius cenſendus eſſet, nec eſſet diſcrimen inter forum conſcientiæ, & externum, ac judiciale, *Hoſtienſ. in cit. c. Conſuluit in fine, & Jo. Andr. ibid. in fine, & Abb. n. 6. Fagnan. ibid. nu. 7. & ſeq.* Nec obſtat, quod in *cap. Ad noſtram 5. de empt. & vend.* dicatur, hujuſmodi contractus eſſe uſurarios, nam id ita intelligendum eſt, quod ſint uſurarii, in foro interno animæ, non autem in foro externo, & judiciali, neque enim novum eſt poſteriores leges per priores declarari, *l. Non eſt 26. ff. de legib. Fagn. in cit. c. In civitate, n. 10.*

LXII. Porro vendere rem carius, ob dilatam ſolutionem pretii, etiam in foro conſcientiæ, excuſatur a peccato uſuræ, ſi tempore traditionis, probabiliter dubium erat, an res pluris, vel minoris eſſet valitura, tempore ſolutionis: juxta *cit. c. In civitate, & ibi Gl. V. Venditores*, tunc enim tam emptor, quam venditor æqualiter commodum, vel incommodum exſpectat, & dubius eventus auctioris, & diminutioris pretii, utrique emolumento, & damno eſſe poteſt, ideoque talis venditio etiam in foro conſcientiæ licita eſt, *Fagnan. ibid. n. 12.* Idemque expreſſe habetur in *c. ult. §. Ille quoque h. t.* ubi dicitur: Ille quoque, qui dat de-
,, cem ſolidos, ut alio tempore totidem ſibi grani, vini,
,, vel olei menſuræ reddantur (ſcilicet X.) quæ licet tunc
,, plus valeant (nempe tempore contractus) utrum plus,
,, vel minus, ſolutionis tempore, ſint valituræ, veriſimili-
,, ter dubitatur, non debet propter hoc uſurarius reputari,
ob rationem ſupra allatam ex *Gl. ibid. V. Veriſimiliter dubitatur*. Quare ſi certum eſſet, quod merces hujuſmodi tempore ſolutionis, minus ſint valituræ, talis venditor uſurarius erit cenſendus, *Gl. in cit. c. ult. V. veriſimiliter, & Hoſtienſ. V. eod. & Abb. n. 7.* quia excuſatur ab uſura ſolum, propter dubium, an tempore ſolutionis pretium creſcat, vel decreſcat. Unde etiam fit, quod illicita, & uſuraria ſit conventio, in qua frumentum v. g. venditur, tempore meſſis, quo minus valet, ut tantundem reddatur, tempore verno, quo plerumque plus valere ſolet, quia talis venditio nullum venditori damnum adferre poteſt, ſed tantum commodum, ſeu lucrum, ac proinde ſi minore pretio vendat rem, quæ poſtea, tempore ſolutionis plus valitura eſt, ea juriſfictione & præſumptione, idem eſt, ac ſi emptor mutuaret illud pretium venditori, ut poſtea recipiat illud lucrum, quod eſt ultra veram æſtimationem, ſeu juſtum pretium rei venditæ, *Abb. in cit. c. ult. n. 6.* & patet ex ſupra dictis.

LXIII. Ubi præterea addendum primo; ut ſit licita venditio rei, majore pretio, quam in præſenti valet, ob dilatam ſolutionem pretii, non tantum requiritur, ut dubium ſit, an res plus, vel minus valitura ſit, tempore ſolutionis, ut dictum: ſed etiam ut venditor non eſſet alias, tempore contractus, venditurus frumentum, vel aliam rem, ſed ſervaturus uſque ad tempus ſolutionis, prout ſtatuitur
,, in *cit. c. Navigantis 19. & ult. in fine h. t.* ubi dicitur: Ra-
,, tione hujus dubii, etiam excuſatur, qui pannos, granum,
,, ſive frumentum, vinum, oleum, vel alias merces vendit,
,, ut amplius, quam tunc (ſcilicet tempore venditionis)
,, valeant, in termino conſtituto (ſcilicet ad ſolvendum)
,, recipiat pro eiſdem: dummodo illas merces, tempore
,, contractus, non fuerat venditurus. Secus eſt, ſi fuiſſet venditurus, tunc enim non excuſatur ab uſura, quia ſi tunc frumentum, vinum, vel aliam rem fuerat venditurus, minore pretio, & ex certa ſcientia, pluris vendat, ob dilatam ſolutionem pretii, vel plus recipiat in alio termino, ſcilicet ſolutionis, uſuram committit, *Gl. fin. in c. ult. Abb. ibid. n. 7.* Et quamvis in *cit. c. In civitate*, mentio ſolum fiat de priore conditione, tamen poſterior additur in *cit. c. ult. §. fin. eod.* & eadem eſt ſpecies facti in utroque cap. ut notavit *Covarr. l. 2. reſol. c. 3. n. 6. §. Cæterum.*

Addendum ſecundo, prædictæ venditiones ſunt periculoſæ, ideoque Papa in *cit. c. In civitate*, conſulit ab eis eſſe abſtinendum, quia aliquando aliqui dicunt ſe dubitare, ubi non eſt dubitandum, & in dubio, an contractus contineat peccatum, nec ne totius eſt, abſtinere, *Gl. ibid. V. Niſi dubium, & Abb. n. 4. Silveſt. V. Uſura 2. q. 2. dict. 4.*

Addendum tertio, ſi quis carius frumentum, vel aliam rem vendidit credito, ſive dilata ſolutione pretii, quam præſenti pecunia vendidiſſet, tum ſive ratione damni, quod alias paſſurus; vel lucri, quod amiſſurus eſſet, ob dilatam ſolutionem pretii, vel ob laborem, expenſas, aut difficultates, quas probabiliter ſubiturus eſſet, excuſatur ab uſura etiam in foro conſcientiæ. *Fagn. in cit. c. In civitate, num. 22. in fine hoc t.*

LXIV. Aſſertio 2. Sicut venditor carius vendens res, ob dilatam ſolutionem pretii, uſurarius eſt, ſaltem in foro conſcientiæ, ut ſupra dictum: ita etiam emptor, qui rem minoris emit, quam nunc valeat, eo quod præſenti, & numerata pecunia emat a venditore. Idque ob eandem rationem, propter quam venditor carius vendens, quia differtur ſolutio, cenſetur uſurarius. Nam & is, qui rem, quæ nunc valet XII. aureos, emit X. aureis, ob anticipatam, ſeu præſentem ſolutionem, in effectu videtur mutuare pretium, quod numerat venditori, ut id, quod juſto pretio deeſt, lucretur ſupra pretium, ſive valorem juſtum rei emptæ, quod uſurarium eſt. *Abb. in c. ult. nu. 6. h. t.* niſi dubium ſit, an res, quæ præſenti pecunia minore pretio emitur, quia venditor differt traditionem rei emptæ, plus, vel minus valitura ſit tempore traditionis, tunc enim uſura non committitur, juxta ſupra dicta de venditione majori pretio facta. *Abb. c. l.* Idque propter naturam correlativorum, in quibus quod diſpoſitum eſt in uno, cenſetur etiam eſſe diſpoſitum in altero, *Caniſius tr. de uſuris, cap. 3. num. 4. in fine.*

§. II.

De venditione, & emptione cenſuum, ſive redituum annuorum in genere.

LXV. Quæritur primo, quid ſit cenſus? Reſp. Cenſus, hoc loco, accipitur pro jure percipiendi annuum reditum, ſeu penſionem ex re, vel perſona alterius: nam quamvis interdum ipſa penſio ſolvenda appelletur cenſus, tamen proprie loquendo, cenſus non eſt ipſa penſio, quæ ſolvitur, ſed jus illam exigendi, & percipiendi, unde venditio, & emptio hujuſmodi juris vocatur contractus cenſualis, in quo v. g. Titius pro centum florenis acceptis a Cajo, vendit ei jus exigendi annuum cenſum, ſeu penſionem ex agro, vel domo ſua, eique promittit ſe quinque florenos in fructibus vel pecunia, quotannis ſoluturum. Ubi qui recepto pretio ſe obligat ad ſolvendum annuum reditum, ſeu penſionem, Cenſuarius: qui vero pretium dedit, & ob id quotannis percipit reditum, ſeu penſionem annuam, ex rebus illius, Cenſualiſta vocatur, *Tann. tom. 3. de Juſtit. diſ. 4. num. 112. Azor p. 3. lib. 10. de cenſib. c. 4. q. 1.*

LXVI. Quæritur ſecundo, quotuplex ſit cenſus? Reſp. Cenſus, ratione modi, dividitur in reſervativum, & conſignativum. Reſervativus eſt, quando quis dominium, etiam directum rei ſuæ, transfert in alium, reſervata ſibi penſione aliqua, ſive in pecunia, ſive in fructibus, ſive in re æquivalente, ex re illa, quotannis præſtanda, *l. ult. C. de rer. permut.* Eſt autem hic cenſus non ita frequens, & quandam cum emphyteuſi ſimilitudinem habet, a qua differt, quia in hoc cenſu, non tantum dominium utile, ſed etiam directum transfertur, ideoq; etſi dans cenſum non ſolvat penſiones debitas, non perdit dominium fundi, ſicut emphyteuta, ſed ſolum debet ſolvere omnes penſiones debitas. Conſignativus cenſus eſt, quando quis, certo pretio, emit jus exigendi, & percipiendi penſionem annuam ex re alterius, qui eam ſolvere debet, v. g. Titius 100. florenis emit a Cajo jus percipiendi, ſingulis annis, ex agro Caji ſcapham frumenti, vel ejus valorem, ſcilicet quinque florenos, & de hoc in præſenti agitur.

Cenſus conſignativus dividitur primo in cenſum realem, &

perſonalem. Realis eſt, qui in re aliqua certa & frugifera conſtituitur, ſuper domo, agro, vel vinea, eamque rem comitatur ad quemcunque poſſeſſorem perveniat, velut ſervitus, ſive obligatio ratione penſionis ſolvendæ, *Azor citat. l. 10. c. 3. in divi. 1. Laym. l. 3. t. 4. c. 18. nu. 1. & 2.* Perſonalis cenſus eſt, qui conſtituitur in certa aliqua perſona, ex qua, ratione artis, induſtriæ, vel operæ, utilitas, & commodum percipi poteſt, & in qua ſola perſona obligatur ad annuam penſionem ſolvendam, ſine ordine ad certam aliquam rem. Eſt etiam cenſus mixtus, qui conſtituitur ſuper re, & perſona immediate, ita ut etiamſi res pereat, maneat tamen perſona obligata.

Dividitur ſecundo cenſus conſignativus, ratione temporis, quo penſio ſolvi debet, in perpetuum, & temporalem. Perpetuus dicitur, qui non finitur obitu venditoris, vel emptoris, vel alterius cujuſquam, ſed tranſit ad hæredes, ita ut obligatio ſolvendi penſionem transferatur ad hæredes venditoris ſive debitoris, & jus exigendi penſionem ad hæredes emptoris, ſive creditoris. Temporalis eſt, quando penſio ſolum ad tempus ex obligatione ſolvitur, idque vel ad certum tempus, ſive certos annos, v. g. ad decem, vel viginti, vel ad tempus incertum, nempe ad vitam emptoris, vel venditoris, vel alterius, qui vitalitius cenſus appellatur.

Dividitur tertio, ex parte rei in cenſum fructuarium, cum fructus percipiuntur, & pecuniarium cum pecunia.

Dividitur quarto cenſus, ratione pacti in cenſum irredimibilem, cui nullum redimendi pactum eſt adjectum, adeoque, qui ex neutra parte redimi poteſt, vel redimibilem: idque vel cum pacto in gratiam ſolius venditoris, ut quandocunque is voluerit, reſtituto pretio, redimere poſſit cenſum: vel cum pacto in gratiam emptoris, cui liceat, reſignato cenſu, pretium redimere: vel in gratiam utriuſque, ut quandocunque venditor, vel emptor voluerit, cenſus redimi, & extingui poſſit. Item ut redimi poſſit, vel intra certum tempus, quo elapſo, non amplius extingui poſſit; vel cum pacto, ut in perpetuum, ſeu quocunque tempore, redimi, & extingui poſſit, *Azor. c. l. c. 3. diviſ. 4. Leſſ. l. 2. de juſtit. c. 22. dub. 2. Laym. c. l.*

His præmiſſis, quæſtio eſt graviſſima, an emptio, & venditio cenſuum, ſeu redituum annuorum ſit uſuraria: an vero licita, & juſta: nam cenſus, ſeu reditus annui, magnam affinitatem habere videntur cum uſuris, adeo ut non deſint plures, qui exiſtimant, nihil eos differre ab uſuris: ſed emptionem, & venditionem cenſuum ſolum eſſe inductam ad colorandas, & palliandas uſuras, ſive mutuum uſurarium, unde paſſim vulgo mutuum vocari ſolet, Germanice, *Geld auf Zins aus, oder darleihen.* Quod ſi verum foret, valde magna pars hominum æternæ ſalutis periculum, & jacturam ſubiret, cum nihil ubique locorum, præſertim in Germania, frequentius ſit, quam contractus cenſualis, in quo venduntur, & emuntur reditus annui: ad quam quæſtionem reſpondebimus in §§. ſeqq.

§. III.

Utrum licitus ſit cenſus realis, ſive perpetuus, ſive temporalis tam redimibilis, quam irredimibilis, an vero ſit uſurarius, & illicitus?

LXVII. Aſſertio 1. Contractus cenſualis, ſeu cenſus realis, ſive perpetuus, ſive temporalis, etiam vitalitius, & redimibilis, per emptionem & venditionem conſtitutus, non eſt uſurarius, ſed juſtus ac licitus; modo pretium ſit juſtum, tale ſcilicet, quod vel lege taxatum eſt, vel conſuetudine approbatum. Eſt communis ſententia Theologorum, & Juris conſultorum apud *Azor p. 3. lib. 10. cap. 4. q. 3. Laym. cit. c. 18. num. 3.* Idque conſtat ex *Extravag. Regimini 1. de empt. & vendit. inter communes*, quam allegavimus, & attulimus *lib. 3. Decretal. Tit. 17. §. 7. n. 39.* in qua Papa Martinus V. declaravit, tales contractus cenſuales eſſe licitos, ac juſtos, & Juri conformes, & venditores ad eorum ſolutionem obligatos eſſe. Idem Papa Calixtus III. conſultus ab Epiſcopo Meraburgenſi, & ejus Clero reſpondit in *Extravag. Regimini 2. eodem tit.*

LXVIII. Jam ergo probatur inprimis cenſum realem fructuarium, cujus annuæ penſiones ſolvendæ ſunt in fructibus, ut in frumento, vino &c. eſſe juſtum ac licitum, quia poteſt qui emere totum prædium, & jus percipiendi ex eo omnes fructus, ſicut etiam poteſt quis emere uſumfructum, remanente dominio directo penes venditorem, ergo etiam poteſt quis emere jus percipiendi partem fructuum ex prædio alieno: hoc autem fit in reali contractu cenſuali fructuario, in quo intervenit vera emptio, & venditio, nam res, quæ venit, & emitur, eſt jus percipiendi fructus, vel partem eorum, quod venditor cenſus tribuit, eſt obligatio præſtandi annuum cenſum, ſeu penſionem fructuariam ex prædio ſuo: pretium vero eſt certa pecuniæ quantitas, quæ pro eo jure datur, ex utriuſque partis conventione: ergo talis contractus non eſt mutuum, ſed eſt vera emptio, & venditio, adeoque natura ſua licitus, ac juſtus, *Abb. in c. In civitate 6. n. 7. h. t. Molina tract. 2. de juſtit. diſ. 385. n. 8. & ſeqq. Sylveſt. V. Uſura 2. q. 12. dicto 2. Azor. c. l. q. 3. Laym. cit. c. 18. n. 3. aſſ. 1.* & alii communiter. Idque extenditur, ut emi ac vendi poſſint, non ſolum cenſus, ſeu reditus annui antiqui, & jam conſtituti, ſed etiam novi, qui quando emuntur, & venduntur, tunc conſtituuntur: tum quia in *cit. Extravag.* SS. Pontifices non diſtinguunt inter cenſus antiquos & novos, ſed abſolute, & in genere dicunt eos eſſe licitos: tum quia ſi poteſt quis de novo conſtituere jus percipiendi fructus, ſeu reditus annuos ex bonis ſuis per donationem, poterit etiam per venditionem, & emptionem, quia non minoris valet, quod emitur, quam quod donatur, *Abb. c. l. Azor. c. l. 10. c. 4. q. 4. Leſſ. l. 2. c. 22. dub. 3. n. 13.*

Deinde probatur etiam cenſum realem pecuniarium, in quo emitur jus percipiendi, quot annis, penſionem certæ pecuniæ ex agro, vel domo aliena, eſſe licitum, tum quia in dictis Extravagantibus Pontificum, approbantur potiſſimum cenſus pecuniarii: tum quia juſta eſt emptio cenſus, ſeu reditus annui fructuarii in prædio aliquo, pro pretio juſto, ut jam probatum: ergo etiam juſta eſt emptio penſionis pecuniariæ pro eodem pretio, quia æqualis eſt valor cenſus ſeu reditus pecuniarii, & cenſus fructuarii, quando penſiones ſunt æquales in valore, & æquale eſt periculum damni, vel ſpes lucri in utroque contrahente. Tum quia ſi ematur cenſus fructuarius, & jus ad certam partem fructuum percipiendam, poteſt poſtea fieri alius contractus permutationis, quo debitor commutet obligationem dandi tales fructus in obligationem ſolvendi tantam quantitatem pecuniæ, ſingulis annis, quæ æquivaleat valori, ſeu æſtimationi fructuum, ergo idem poteſt fieri ab initio per unicum contractum, qui duobus æquivaleat, *Molin. cit. diſ. 385. n. 14. Lugo tom. 2. de juſtit. diſ. 27. ſec. 2. n. 14.*

LXIX. Aſſertio 2. Contractus cenſualis ſive emptio & venditio cenſus realis perpetui, & irredimibilis juſta, & licita eſt, jure naturæ, ſive ſit cenſus fructuarius, ſive pecuniarius, *Leſſ. cit. c. 22. dub. 5. nu. 34. Laym. citat. c. 18. num. 3.* Ratio eſt, quia licita eſt emptio alicujus prædii perpetua, & irredimibilis, quoad dominium ejus directum, & utile, ergo etiam juſta erit perpetua, & irredimibilis emptio partis uſusfructus, quod enim juris eſt de toto, quoad totum; eſt etiam de parte quoad partem, *l. Quæ de toto 76. ff. de rei vindic.* Cenſus autem realis eſt veluti pars quædam uſusfructus, nempe jus percipiendi partem fructuum, ſeu redituum emptione acquiſitum: ſicuti etiam per donationem, vel legatum poteſt conſtitui jus percipiendi in perpetuum reditus annuos, ex domo, agro, vel vinea donantis, ergo etiam licite fieri poteſt per emptionem. Deinde onus & pactum illud, ut cenſus nunquam redimi poſſit, licet unus imponat venditori, poteſt tamen addito pretio id compenſari; ſi ergo æquale pretium detur, nulla erit injuſtitia: quamvis etiam non aucto pretio, licita eſſe poſſit emptio talis cenſus, ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis emptori, *Lugo cit. diſ. 27. ſec. 7. num. 111. in fine.* Neque refert, quod omnes penſiones, ſive fructuariæ, ſive pecuniariæ ſperatæ, & progreſſu temporis ſolvendæ, plurimum excedunt pretium, quod pro cenſu offertur, e. g. penſio annua 50. florenorum, quæ emitur mille florenis, ſpatio 40. annorum creſcit ad bis mille florenos, & ſic duplo ſuperat pretii quantitatem. Nam in cenſu non emuntur annuæ penſiones ex re fructifera, ſed emitur jus percipiendi futuras penſiones ex re fructifera, ſive penſiones, quatenus ſunt in potentia ac ſpe, non in re: quod jus, communi hominum judicio, minoris æſtimari ſolet, quam ſi omnes penſiones præſentes eſſent, & ſimul ſolverentur, cum multa evenire poſſint, ut fructus vel naſcantur, vel non ſolvantur: & penſiones, etiam pecuniariæ, variis periculis, & labori acquirendi, ſucceſſu temporis, expoſitæ eſſe ſolent, *Laym. c. l.* Deinde alias illicitum etiam foret, emere agrum, vel domum certo pretio, quia fructus ex eo percipiendi, vel penſiones ex domo, intra paucos annos, pretium agri, vel domus ſunt ſuperaturi. Si ergo dominium totius agri vel domus licet emere, minore pretio, quam ſint fructus, vel penſiones ex illo, vel illa percipiendæ: multo magis licebit minore pretio emere cenſum in tali agro vel domo, cum cenſus ſit ſolum pars illius juris, quod in dominio continetur, & minus ſit habere cenſum, etiam perpetuum, & irredimibilem in ſe, quam ejus dominium.

LXX. Aſſertio 3. Emptio & venditio cenſus realis temporalis, ſive ad incertum tempus verb. grat. ad vitam ementis, ſive ad certum tempus verb. grat. 10. vel 20. annos, eſt licitus & juſtus; ut de priore ex eo conſtat, quia etiamſi pretium, quo emitur talis cenſus, minus ſit, quam omnes penſiones percipiendæ ſimul ſumptæ, nulla eſt injuſtitia; tum quia non emuntur penſiones, ſive reditus annui, ſed jus ad illas exigendas, quod longe minoris valet hominum judicio, ut ſupra dictum: tum ob commoditatem præſentis pecuniæ: tum quia variis modis accidere poteſt, ut intra tantum tempus, nihil percipi poſſit: præterquam quod mortuo emptore, cenſus ad vitam ejus conſtitutus omnino extinguatur. Sed & incertum eſt, quot annis victurus ſit is, ſuper quem cenſus conſtitutus eſt, ac proinde ſicut penſiones poſſunt eſſe majores ſorte, ſeu pretio dato; ita etiam poſſunt eſſe minores, mereque fortuitum eſt, ſi ſortem ſeu pretium ſuperent, *Covarr. lib. 3. reſol. c. 7. num. 3. Leſſ. cit. c. 22. dub. 6. n. 40. & 41.*

De cenſu vero reali conſtitutio ad certum tempus, etiam probatur, quia licite emitur cenſus realis perpetuus, ſive jus percipiendi fructus ex fundo in perpetuum, & quidem minore pretio, quam ſit cumulus penſionum: ergo etiam licite emitur cenſus ad certum tempus conſtitutus, quia jus illud ſemper minoris æſtimatur, quam fructus, ſeu emolumenta præſentia: & ſic emere licebit penſionem X. aureorum ad decennium, aureis 90. alioquin ſi nihil poſſet percipi ultra pretium, ſequeretur eodem pretio emendum eſſe cenſum temporalem, ad 30. annos v. g. quo emitur perpetuus, *Covarr. c. l. n. 2. Leſſ. c. l. n. 32.*

LXXI. Aſſertio 4. Emptio & venditio cenſus realis redimibilis, ex parte venditoris, eſt licita, quia omnes aliæ venditiones, cum pacto redimendi, ex parte venditoris, ad arbitrium illius, ſunt licitæ, ut colligitur ex *l. 2. C. de pact. inter empt. & vendit.* ergo etiam venditio cenſus, cum ejuſmodi pacto, ut venditor poſſit redimere, quandocunque voluerit, eſt licita. Imo hujuſmodi cenſus approbant SS. Pontifices in ſuis Conſtitutionibus, quia in illis nulla ſuſpicio, ſeu præſumptio uſuræ locum habere poteſt, ex communi ſententia DD, apud *Layman citat. loc. nu. 5.* Quin

etiam

Digitized by Google

etiam probabiliter licitum eſſe cenſum realem utrinque redimibilem, adeoque etiam arbitrio emptoris, tenet *Leſſ. cit. c. 22. dub. 10. n. 56. Laym. c. l.* & alii contra plures, qui cenſum utrimque redimibilem tanquam uſurarium damnant. Sed probatur, nam in aliis emptionibus agrorum, domorum &c. in quibus emitur totum rei dominium; poteſt apponi pactum redimendi, ad arbitrium utriuſque, ut plerique admittunt; ergo etiam in emptione cenſus, quo emitur jus percipiendi partem fructuum, quod eſt veluti pars dominii. Deinde ſi venditor poteſt cenſum vendere, cum pacto redimendi, quando voluerit, ut omnes fatentur: cur non etiam emptor poteſt emere cenſum, cum pacto revendendi & reddendi venditori, ita ut hic teneatur illum redimere, quando emptor voluerit: nam ideo venditor poteſt imponere juſte tale onus, ſeu obligationem emptori ad recuperandum jus cenſus, quod alienavit, quia hoc onus poteſt ei compenſari, tanto minoris cenſum vendendo: ergo etiam emptor poteſt ſimilem obligationem viciſſim imponere venditori, ad recuperandum pretium datum, quia hoc onus poteſt ſimiliter ei ad æqualitatem compenſari, tanto pluris cenſum emendo, *Leſſ. c. l. n. 58.*

Neque vero talis contractus cenſualis, cum pacto utrinque redimibili, deſinit eſſe emptio, & venditio, & tranſit in mutuum. Nam imprimis ſi ex eo, quod venditor obligetur reſtituere pretium rei venditæ, quando emptor vult contractum reſcindere, emptio tranſit in mutuum, ſequitur, quod nulla emptio, cum pacto retrovendendi, ex parte emptoris, ſit licita, quod dici non poteſt, ut patet ex iis, quæ dicta ſunt ſupra *l. 3. tit. 17. §. 7. n. 33.* Deinde in contractu cenſus redimibili, ex parte emptoris, emptor cenſus non dat pecuniam immediate pro pecunia ejuſdem quantitatis, & valoris reddenda in redemptione, uti fit in mutuo: ſed dat pro cenſu, ſive jure exigendi penſionem fructuariam, vel pecuniariam; neque vi pacti adjecti, obligat venditorem cenſus, ut reddat pecuniam pro pecunia accepta, ſed ut recipiat rem, ſeu jus cenſus, quod vendidit, & reddat pro ea juſtum pretium, adeoque ſors ſive capitale recipitur a cenſuario, ſive emptore, non pro capitali prius dato ejuſque uſu, ſed pro reſtituendo, ſive remittendo cenſu, *Leſſ. cit. loc. num. 57.* Denique mutuum in omni caſu a mutuatario repeti poteſt: in cenſu autem reali utrinque redimibili (ſecluſo ſpeciali pacto) pretium, ſive ſors non poteſt repeti, ſi res, ſuper qua cenſus fundatus eſt, caſu fortuito pereat, *Laym. cit. c. 18. n. 5. in fine.*

LXXII. Notandum hic præterea primo, majus pretium in cenſu utrinque redimibili, ſolvi debet, quam in cenſu redimibili ſolum ex parte venditoris, quia tunc majus, & ſpeciale onus imponitur venditori, quod pretio æſtimabile eſt. Quare cum ex Germaniæ conſuetudine, fere unius annui floreni Rhenenſis reditus ematur XX. & quinque annui centum florenis, cum pacto reciproco redimendi, ad arbitrium utriuſque, hinc introduci poterit, ut unius annui floreni reditus ematur tantum XVII. & ſex annui emantur tantum centum florenis, cum pacto redimendi, ad arbitrium ſolius venditoris, quia cum obligatio hæc, quæ emptori imponitur, revendendi, ad arbitrium venditoris, ſit pretio æſtimabilis, merito in pactum ſortis, ſeu pretii computatur: vel quod in idem recidit, minuitur pretium cenſus, ut compenſetur illa obligatio admittendi redemptionem, ſive remiſſionem contractus, quæ emptori incumbit, *Laym. cit. c. 18. n. 6.*

Notandum ſecundo, poteſt etiam licite conſtitui cenſus realis redimibilis, non abſolute, ſed ad certum tempus, ita ut intra X. annos v. g. liceat redimere, non autem poſtea; vel contra, ut intra idem tempus, non liceat redimere, poſtea vero liceat, quia poteſt emi cenſus, cum pacto, ut intra certum tempus poſſit redimi, vel ut nunquam poſſit redimi, cur non etiam cum pacto, ut intra certum tempus poſſit redimi, non autem poſt illud, vel vice verſa: modo tamen tanto magis augeatur pretium venditionis, quanto magis reſtringitur venditori poteſtas redimendi ad ſuum arbitrium, *Leſſ. cit. c. 22. dub. 9. n. 51. & 2. ſeqq. Layman cit. c. 18. n. 9.*

Notandum tertio, etſi contractus cenſus utrinque redimibilis, etiam ex parte emptoris, tolerandus ſit, quia jure naturæ non eſt illicitus; non tamen facile ſuaderi debet, ob intentionem uſurariam ſub ea forte latentem, & periculum uſuræ, quæ facile intervenire poteſt, ideoque etiam tanquam uſurarius prohibitus eſt in Conſtitutionibus SS. Pontificum Martini V. & Calixti III. ſupra citatis, & in Conſtitutione Caroli V. anno 1548. in Comitiis Imperialibus Auguſtæ edita, ſi facultas redimendi etiam emptori concedatur, quia in foro externo id præſumitur uſurarium, *Laym. c. l. n. 6. in fine.*

LXXIII. Aſſertio 5. Contractus cenſualis realis utrinque redimibilis, adjecto etiam pacto aſſecurationis in perpetuum, non eſt iniquus, ſed probabiliter defenditur, & toleratur, nempe ut ſi res cenſui ſubjecta, caſu fortuito, pereat, id non emptoris, ſed venditoris damno accidat, qui nihilominus obligatus ſit cenſum redimere, vel ſuper alia re frugifera conſtituere; modo tamen onus hoc venditori impoſitum, ipſi, prudentis arbitrio, debite compenſetur, augendo pretium cenſus, vel quod in idem recidit, minuendo penſionem ſolvendam: *Leſſ. cit. c. 22. dub. 11. num. 66. Laym. cit. c. 18. num. 10.* Probatur, quia tale pactum aſſecurationis poteſt addi aliis contractibus, v. g. commodato, depoſito, mutuo, nempe ut periculum rei, non ad commodantem, vel deponentem juxta contractus naturam, ſed ad commodatarium, depoſitarium, mutuantem ſpectet, ut conſtat ex *c. unic. de commodat. l. 1. ff. Depoſiti.* Neque vero tale pactum eſt contra naturam contractus, cenſualis, quaſi illam deſtruat, ſed quia obligat ad aliquid, ad quod nudus contractus cenſus realis non obligat: ſic & pactum retrovendendi eſt contra naturam contractus emptionis, & tamen licite ei adjicitur, *Leſſ. c. l. n. 67.* Quod ſi cenſus realis, cum pacto aſſecurationis, inſtituatur, vel continuetur, cum perſona, quæ nullos habet reditus ex aliqua re frugifera, uſurarius erit, quia tunc re ipſa idem eſt, ac ſi mutuo daretur, cum pacto ſolvendi, quot annis, aliquid ſupra ſortem, licet id ſub nomine & ſpecie cenſus velut ſub pallio occultetur, *Laym. c. l. n. 14.*

§. IV.

An licitus, & juſtus ſit cenſus perſonalis perpetuus, tum irredimibilis, quam redimibilis, ex parte ſolius venditoris?

LXXIV. Certum eſt, quod cenſus perſonalis non poteſt ita conſtitui in perſona libera, ut ſi ea non ſit ſolvendo, creditor poſſit debitorem vendere, vel ſervituti ſubjicere, ſicut prædium poteſt vendi, & vindicari: quia liber homo non poteſt pignori dari, *c. 2. de pignorib.* jus autem cenſus eſt majus jure pignoris; nec jam etiam poteſt in ſervitutem redigi ob debita, ſed hic ſolum ſermo eſt de eo cenſu perſonali, vi cujus, creditor ſive emptor cenſus ſolum acquirit jus percipiendi annuam penſionem, cui interdum adjicitur jus hypothecæ in omnibus bonis debitoris: venditor vero vel debitor cenſus tantum contrahit obligationem perſonalem illam penſionem ſolvendi; ſicut emptor rei alicujus contrahit obligationem perſonalem ſolvendi pretium contractus, *Leſſ. lib. 2. cap. 22. dub. 4. numer. 17. Lugo tomo 2. de juſtit. diſ. 27. ſec. 2. §. 1. numer. 22.* & alii. Jam ergo quæſtio eſt, an emptio cenſus mere perſonalis, non tantum ob lucrum ceſſans, vel ob damnum emergens, vel periculum, ſed ſecundum ſe ſit licita & juſta.

Affirmant abſolute eſſe licitam, ex natura rei, & ſecluſa prohibitione Legis humanæ, *Abb. in c. In civitate 6. n. 7. h. t. Covarr. l. 3. reſol. c. 7. n. 5. §. Ego ſane, Azor. p. 3. l. 10. c. 5. q. 2. Leſſ. cit. c. 22. dub. 4. num. 18. & ſeqq. Laym. citat. c. 18. num. 7.* & alii apud ipſos. Probatur primo, quia ſicut in cenſu reali, poteſt dominus vendere jus, quod habet, ad fructus ſui prædii ſaltem partialiter, ut ſupra dictum, & poſtea tenetur, bona fide, prædium colere, ne ſua culpa infrugiferum maneat: ita etiam in cenſu perſonali, poteſt quis vendere jus, quod habet ad fructus, & lucra ſuæ pecuniæ ex laboribus ſuis, & operis: ſicut poteſt locare, pro pretio accepto, ſuas operas perſonales, obligando ſe, & hæredes ſuos, ad eam diligentiam, & induſtriam perſonalem adhibendam, qua ſuis operis lucrari poſſit certam pecuniæ ſummam ſolvendam, quot annis emptori cenſus: nam ita etiam decimæ perſonales conſtituuntur, & ſolvuntur. Probatur ſecundo, cenſus realis licite emitur, minore pretio, quam ſint omnes penſiones ſucceſſive ſolvendæ, ergo etiam cenſus perſonalis licite emi poterit, quod enim obligetur res, vel ſola perſona, parum refert: imo cum obligatio perſonalis minus ſecura ſit, quam obligatio realis, quia facilius deficere poteſt obligatio lucra annua ſolvendi ex operis perſonæ, quam obligatio ſolvendi penſionem annuam ex fructibus prædii, quod in cenſu reali obligatur, ideo obligatio hujuſmodi perſonalis minus valet quam realis. Neque dici poteſt, in tali emptione cenſus perſonalis, intervenire virtuale mutuum, adeoque uſuram palliatam. Nam emptor cenſus perſonalis irredimibilis, vel redimibilis, ex parte venditoris tantum, datam ſortem repetere non poteſt, ſicut poteſt, qui mutuo dat, *Laym. citat. l. num. 7.*

LXXV. Contrariam ſententiam, quæ negat cenſum mere perſonalem eſſe licitum, & juſtum, ſi pretium non adæquat cumulum penſionum ſolvendarum, tenent *Navarr. in comment. de uſuris nu. 28. Molin. tract. 2. diſ. 387. num. 3. & 7. Lugo cit. diſ. 27. ſec. 2. num. 25.* fundamentum præcipuum eſt, quia in hujuſmodi cenſu perſonali, re ipſa nihil aliud venditur & traditur, niſi ipſæ penſiones ſolvendæ, quia qui ſe perſonaliter obligat ad aliquid dandum pro pretio, quod nunc accipit, non poteſt vendere jus ad rem illam, quin ſimul vendat ipſam rem dandam; alioquin quoties venditur triticum poſtea tradendum, pro pretio præſenti, non venderetur triticum, ſed jus ad illud: ſicut ergo non poteſt quis juſte, & licite pro 100. quæ nunc dantur, emere 500. poſtea per partes, & ſucceſſive reddenda: ita nec poterit emi cenſus, in quo ejuſmodi penſiones ſolvendæ emuntur, ſecluſo lucro ceſſante, vel damno emergente, vel etiam periculo ſubeundo circa penſiones; ex quibus cauſis poteſt aliquid exigi ſupra ſortem, etiam in mutuo, vel augeri aut diminui pretium juſtum in emptione, & venditione. Verum Auctores primæ ſententiæ negant in cenſu perſonali emi proprie penſiones futuras, ſed jus exigendi illas, quod longe minoris valet, quam penſiones ſperatæ, ſi præſentes eſſent, valerent. Sed quidquid ſit, etſi ſecunda ſententia foret ſpeculative verior & probabilior, tamen cum contrarium in multis locis, & Provinciis obſervetur, ut in Germania, Belgio, & Gallia, non debet facile damnari, quod tot viri docti, & Religioſi faciunt, ut notat *Leſſ. citat. loc. num. 20.*

§. V.

Solvuntur argumenta, quæ contra juſtitiam contractus cenſualis objici poſſunt.

LXXVI. Objicitur primo, proprius & primarius uſus pecuniæ eſt, ut per eam cæteræ res æſtimentur, non ut ea ſit ſui ipſius æſtimatio: atqui in contractu cenſuali, ſaltem eo, in quo emuntur reditus annui in pecunia ſolvendi, pecunia emitur pecunia, cum tamen ſit res ſterilis, nullumque fructum ex ſe producat, ſed in ipſo uſu, aſſidua permutatione, quodammodo extinguitur, ſeu conſumitur, *§. Conſtituitur Inſtitut. de uſur.* ergo uſura eſt annuam penſionem pecuniariam pecunia emere, quia pecunia pecuniam parit. Reſp. *neg. min.* quia in hoc contractu pecunia non eſt pre-

pretium, ſive æſtimatio ſui ipſius, uam id, quod venditur, & emitur pro pecunia, non eſt pecunia, ſed jus percipiendi annuam penſionem, ſive fructuariam, ſive pecuniariam, & illud jus, quod eſt incorporeum, ſicut juriſdictio, jus percipiendi tributum, jus eundi per fundum alterius, pretio æſtimabile eſt, ideoque etiam vendi, & emi poteſt, *Covarr. l. 3. reſol. 6. 7. n. 2. in reſp. ad primam rationem.*

Objicitur ſecundo, non tantum mutuum verum, ſed etiam fictum, ſive interpretativum uſuram conſtituit & inducit, *c. Ad noſtram 5. de empt. c. Illa 4. de pignorib. c. In civitate 6. h. t.* at hujuſmodi mutuum intervenit in contractu cenſuali, nam ſicut in contractu mutui, tenetur debitor ejuſdem generis, & quantitatis pecuniam reſtituere, *l. 2. in princ. ff. de reb. credit.* ita in hoc contractu, ſi venditor velit cenſum a ſe ante conſtitutum redimere, debet tantam pecuniam, quantam accepit, reſtituere in eodem genere, in quo caſu creditori, ſeu emptori cenſus manet ſors ſalva, una cum lucro, donec ſors a debitore, vel ejus ſucceſſore refundatur, ergo eſt virtuale ſaltem, ſeu implicitum mutuum. Reſp. cum *Covarr. c. l. in reſponſ. ad ſecundam rationem*, in hoc contractu cenſuali, nullum intervenire verum, nec fictum, ſeu interpretativum mutuum, quia in mutuo cogitur mutuatarius ſortem, ſive rem mutuatam reddere, ad quam ſolvendam ſe obligavit: non autem in contractu cenſuali venditor, qui cenſum, ſeu reditum annuum conſtituit, cogitur vi hujus contractus (ſecluſo pacto redimendi, ad arbitrium emptoris) reddere ſortem, cum ea non ſit in obligatione, ſed tantum præſtare cenſum, ſeu reditum annuum, ad quem ſolvendum ſe obligavit, quem interim lucratur emptor, donec eadem pecunia, ſive pretium, quo emptus eſt cenſus, a venditore, vel ejus ſucceſſore reddatur; ſicut etiam accidit in emptione fundi, cum pacto retrovendendi, *l. 2. c. de pact. inter empt. & vendit.* juſte enim emptor fundi, interim dum redimitur, ſeu reſtituitur fundus, vi pacti adjecti, fructus ejus percipit. Ergo etiam emptor cenſus, juſte lucratur cenſum, ſeu reditum annuum, donec pretium, quo emptus eſt cenſus, ſive jus ad cenſum annuum, ei reddatur. Deinde in mutuo ſub uſuris, principalis obligatio eſt ad ſortem reddendam, & acceſſoria ad uſuras. In contractu vero cenſuali principalis obligatio eſt ad annuam penſionem præſtandam, non ad ſortem, ut proinde non poteſt uſura eſſe in hoc contractu, etiamſi annuus reditus ſolvendus ſit in pecunia, quia uſura eſt, cum aliquid ultra ſortem accipitur, & ſic uſura præſupponit obligationem ſortis; hic vero nulla eſt obligatio ad ſortem, quia illa perpetuo alienatur, & tranſit in recipientem, abſque obligatione illam reſtituendi, ſi ipſe nolit annuum reditum redimere, & quamdiu annuum reditum ſolvit, *Covarr. c. l.* Ex quo etiam patet, quod etiamſi is, qui emit mille aureos annuos XX. millibus aureis, intra annos XXV. ultra ſortem recipiat quinque millia aureorum, nulla tamen hic uſura eſt, quia non accipit illa quinque millia ſupra ſortem, vi mutui, ſed titulo emptionis cenſus, ſeu reditus annui: alioquin nec prædium liceret, ſine uſura emere, quia progreſſu temporis fructus ex eo percepti ſuperant pretium pro eo datum, *Covarr. c. l. in reſponſ. ad tertiam rationem.*

LXXVII. Objicitur tertio, ex contractu cenſuali multa mala oriuntur; nam multi, ut incurrant pœnas uſurarum ex mutuo, confugiunt ad hunc contractum, indeque certius lucrum interdum quærunt, quam ſi ad uſuras pecuniam ſuam dediſſent. Cum quid autem una via prohibetur alicui, ad id alia via non debet admitti, *reg. juris 84. in 6.* Deinde via præcluditur charitati exercendæ in mutuis, quia petenti mutuum gratis non datur, ſed nonniſi ad cenſum vendendum pecunia offertur, per quod etiam depauperantur venditores, dum gravantur annuis reditibus, quos ſolvere coguntur. Reſp. eadem fere incommoda ſequi ex eo, quod prædia juſto pretio emi poſſint ab iis, qui pecunia indigent; nam mutuum petenti dicet quis, ego emam a te, juſto pretio, prædium tuum, ut ita multa prædia poſſidens vivere poſſit in otio, ſudore ac labore aliorum, ea illis locando, ſicut illi in otio vivunt, qui, multos habent cenſus emptos. Similiter qui prædia vendunt, facilius rediguntur ad paupertatem, quam qui vendunt cenſus prædiis impoſitos, præſertim ſi redimibiles ſint; ſi ergo ob hæc incommoda, non ſequitur illicitam eſſe emptionem prædiorum pro juſto pretio, nec ſequitur ideo illicitam eſſe emptionem cenſuum, *Molin. cit. diſ. 385. in fine*: neque enim illicite agit, qui hoc contractu cenſuali a jure permiſſo utitur ad compendium ſuum, nullus enim videtur dolo facere, qui jure ſuo utitur, *l. Nullus 55. ff. de reg. jur.* illa autem regula juris in ſeato ſolum habet locum, quando quid principaliter lege prohibetur, ſecus eſt, ſi tantum quoad certum modum prohibetur, tunc enim non eſt prohibitum alio modo, aut via id fieri. Sic hæreditas, etſi non poſſit per pactum alteri relinqui, poteſt tamen alia via, ſcilicet teſtamento, *l. Hæreditas 5. C. de pact. convent. l. licet 19. C. de pact.* Similiter quamvis prohibitum ſit capere lucrum, ultra ſortem, ex mutuo: non eſt tamen prohibitum ea contractu emptionis & venditionis, cujuſmodi eſt contractus cenſualis juxta Extravag. ſupra citatas *Caniſius tr. de uſur. c. 10. n. 7.*

Objicitur quarto, venditio & emptio non poteſt conſiſtere ſine re empta, *l. Nec emptio 8. ff. De contrah. empt. in princip.* ſed in contractu cenſuali emitur cenſus, antequam conſtitutus ſit. Reſp. in hoc contractu, non pecuniam, nec annuam penſionem, ſed jus percipiendi illam emi, ut ſupra dictum, *Covarr. c. l. in reſponſ. ad 4.* Accedit, quod etiam rei nondum exiſtentis emptio recte fiat, ut fructus meſſis futuræ, captio piſcium, vel avium &c.

§. VI.

De Conditionibus ad contractum cenſualem requiſitis.

LXXVIII. Quæritur primo quæ conditiones requirantur jure naturæ? Reſpondetur, ut contractus cenſualis ſit licitus, & juſtus, quatuor conditiones requiruntur, ut tradit *Tanner. citat. tom. 3. de juſtit. diſ. 4. qu. 7. dub. 4. numer. 117.* Prima eſt, ut cenſus, ſive reditus annus conſtituatur in re frugifera, vel quæ pro frugifera habeatur, ex qua penſio, ſuo tempore, debita, ſive immediate, ſive mediate (ut ſit, cum pecunia ex agro ſolvenda eſt) ſolvi poſſit. Unde debet eſſe ita frugifera, ut ordinario ſufficientes fructus ferat ad cenſum, ſeu reditum annuum integre ſolvendum, deductis expenſis, & laboribus in fructibus colligendis: alioquin ſi res, ſingulis annis, pauciores fructus reddat, quam ſit cenſus, eatenus eſt impoſitus in re infrugifera, *Azor part. 3. lib. 10. de uſura cap. 6. quæſt. 1. Molin. tract. 2. diſp. 389. num. 12.* Non ſolum autem in re immobili, ut eſt ager, domus, & reditus annui, qui inter immobilia bona cenſentur, *Clementin. unic. §. Cumque annui de V. S.* ſed etiam in rebus mobilibus, ſeu ſe moventibus, quibus uti poſſumus, ſalva earum ſubſtantia, & quæ utiles ac fructuoſæ ſunt, ex natura rei, cenſus inſtitui poteſt, quia ſunt res pecunia æſtimabiles, & quæ vendi, locari ac permutari poſſunt, verb. grat. greges ovium: ſecus eſt de rebus, quæ primo ſtatim uſu conſumuntur, & in quibus dominium ab uſu non ſeparatur, ut ſunt frumentum, vinum, oleum &c. quæ uſu ipſo ſtatim pereunt, & quarum pretia, ſingulis annis, variantur, adeoque nec certa penſio annua in illis inſtitui poteſt. *Azorius citat. lib. 10. cap. 5. quæſt. 4.* Item poteſt etiam inſtitui cenſus in pecunia, modo ea ſit negotiationi expoſita, ut poſſit fructum ferre, cum ex ſe ſit ſterilis. Sed & generatim in omnibus bonis ſuis poteſt quis cenſum conſtituere, ita ut ex illis, quotannis, certa penſio præſtari debeat emptori, modo ita imponatur, ut pereuntibus ex parte bonis, etiam cenſus ex parte pereat, *Azor cit. c. 5. qu. 5.* Quin imo ſuper ipſum cenſum alius adhuc novus cenſus fundari poteſt, & conſtitui. Debet autem cenſus ille, ſuper quo alius fundatur, eſſe perpetuus, & irredimibilis, alioquin ſi eſſet redimibilis, eo redempto, periret cenſus in eo fundatus, vel maneret perſonalis, *Azor. cit. l. 10. c. 7. q. 1. Leſſ. cit. c. 22. dub. 12. n. 77.*

Denique de jure naturæ poteſt etiam conſtitui cenſus in perſona, modo ea poſſit, ac velit, ſua opera, ac induſtria, tantum lucrari, quantum ſufficit ad penſionem ex lucro ſolvendam, vel ſaltem bona aliqua in re, vel in ſpe habeat, alioquin cenſus eſſet inutilis, nec pretio æſtimabilis, *Leſſ. c. l. n. 21.*

LXXIX. Secunda conditio jure naturæ requiſita ad contractum cenſualem eſt, ut juſto pretio cenſus ematur: cenſetur autem juſtum, quod vel lege, vel conſuetudine, vel his deficientibus, judicio prudentum, & bonorum virorum, taxatum fuit. Et quidem in Imperio in cenſu perpetuo, ſive ex parte ſolum venditoris redimibili, juſtum pretium ſtatutum fuit, ut XX. aurei dentur pro uno, adeoque quinque annui pro centum emantur, & redimantur, ut patet ex Conſtitutione Caroli V. in Comitiis edita Auguſtæ, quanquam ubi Lex hæc Imperialis non eſt promulgata, vel uſu non recepta, juſtum pretium cenſeri poteſt, ſi etiam in contractu cenſuali utrinque redimibili, pro quinque aureis, vel florenis tantum centum ſolvantur, quia pretia rerum non conſiſtunt in indiviſibili: & ubi vel lex communis, vel conſuetudo pretium non taxavit, id juſtum pretium cenſeri debet, quod communi prudentum exiſtimatione eſt definitum, ſeu determinatum, *Tanner. c. l. n. 119.* alias vero quandoque etiam juſtum pretium cenſetur, ſi pro centum 6. 7. 8. 9. vel etiam plura annua ſolvantur, quia pretia rerum, pro varietate gentis, locorum, & temporum, & pro copia, vel penuria ementium, vel vendentium, aut mercium, vel pecuniæ numeratæ, variantur, *l. Pretia 63. ff. ad Leg. Falcid.* cenſus autem eſt merx quædam emibilis, & vendibilis, *Navarr. in comment. de uſuris n. 104. Leſſ. cit. c. 22. dub. 14. n. 103.*

LXXX. Tertia conditio eſt, ſi res cenſui ſubjecta pereat, vel non ad tempus, ſed in perpetuum ſterilis & infructuoſa reddita ſit, ſive tota, ſive ex parte (quia v. g. prædium a flumine occupatum eſt, ſine ſpe remedii, vel domus omnino corruit) citra culpam tamen cenſuarii, ſive ſolventis cenſum, ſeu penſionem annuam: tum res perit, & infructuoſa ſit, damno cenſualiſtæ, ſive percipientis cenſum ſecluſo ſpeciali pacto aſſecurationis, ita ut pereunte toto fundo cenſuali, vel in perpetuum reddito infrugifero, pereat totus cenſus: pereunte vero parte, ſolum cenſus quoque pereat, & extinguatur, pro rata tantum. Ratio eſt, quia quælibet res, per ſe loquendo, perit domino ſuo: ſed cenſualiſta, ſive recipiens penſionem eſt dominus juris, quod habet ad penſionem ex re cenſuali percipiendam, quod jus pereunte re, in qua eſt conſtitutus cenſus, ſimul perit cum re, cui inhæret, ergo ipſi cenſualiſtæ, ſive emptori cenſus peribit, *Molin. tract. 2. diſ. 391. num. 3. Leſſ. cit. c. 22. n. 88. Tanner. c. l. n. 121.* Quod ſi tamen res cenſualis ſolum ad tempus, uno, vel altero anno, nullos fructus ferat, tum tota adhuc penſio annua a cenſuario, ſive domino fundi ſolvi debet, modo reliquis annis tantum ferat, quantum ad penſionem ſolvendam ſufficit, vel etiam amplius, ita ut damnum ſterilitatis alio anno compenſetur: nam ex recepta conſuetudine, ex agris conſtitutus cenſus, quotannis, integer ſolvitur, etiamſi agri ſecundo, aut tertio quolibet anno quieſcant, & nullum fructum ferant, quia non coluntur, *Leſſ. c. l. n. 88. Tann. n. 121.* ſi vero culpa Cenſuarii res deſtructa ſit, vel omnino infructuoſa reddita, tenetur is reddere pro-

Digitized by Google

pretium cenſus, vel illum ſuper alia re immobili conſtituere, *Leſſ. c. l. n. 91.*

LXXXI. Quarta conditio eſt, ut res cenſui ſubjecta, inſcio Cenſualiſta, ſeu emptore cenſus non alienetur, nec transferatur in alium, a quo penſio annua difficulter, & minus ſecure obtineri poſſit, quia cum emptor habeat jus ad rem cenſui ſubjectam, eaque illi obligata ſit, non debet illud jus per talem alienationem fieri deterius, cum damno emptoris cenſus, *Tann. c. l. n. 122.*

Addunt aliqui quintam conditionem, ne fiat ullum pactum, vi cujus, venditor obligetur ad redimendum cenſum ab emptore. Verum hæc conditio veriſimiliter non eſt neceſſaria ex dictis ſupra §. 3. de quo plura videri poſſunt apud *Tanner. cit. dub. 24. n. 128. & 2. ſeqq.*

LXXXII. Quæritur ſecundo, quæ conditiones requirantur ad juſtitiam contractus cenſualis Jure poſitivo Eccleſiaſtico? Reſp. In *Extravagantibus Martini V. & Calixti III. inter communes, de empt. & vendit.* ſupra allegatis, approbati ſunt contractus cenſuales initi ſub his conditionibus. Prima eſt, ut certa res immobilis, & fructifera deſignetur, cui cenſus imponatur. Secunda, ut illa ſola maneat obligata pro ſolutione cenſus, non autem ipſius perſona, aut alia bona. Tertia, ut pretium juſtum ſolvatur, quod poſſit eſſe 10. 11. 13. 14. vel 15. in ſingula annua, vel plus, aut minus, ſecundum temporis qualitatem. Quarta, ut pretium ſtatim ſolvatur, pecunia præſenti. Quinta, ut venditori facultas relinquatur, eodem pretio redimendi cenſum, ſive totum ſimul, ſive per partes. Sexta, ut venditor ad redimendum cenſum non aſtringatur. Septima, ut ſi res, ſuper qua cenſus eſt conſtitutus, pereat, ipſe quoque extinguatur. Octava, ut penſiones non excedant æſtimationem fructuum rei, in qua cenſus eſt conſtitutus. Verum prædicti Pontifices non dicunt, omnes conditiones has eſſe neceſſarias, neque contractus cenſuales, ſine his conditionibus, initos improbarunt, *Covarr. l. 3. reſol. c. 7. n. 5. & 6. Leſſ. citat. c. 22. num. 73. Tanner. citat. diſp. 4. qu. 7. dub. 4. num. 123.*

LXXXIII. Poſtea vero edita eſt Bulla a Pio V. anno 1568. 14. Kalendas Februar. quam refert *Navarr. in Man. Pral. c. 17. n. 234. Molin. tract. 2. diſ. 789. & ſeq. Leſſ. citat. c. 22. n. 7. Tanner. cit. dub. 4. & ſeqq. n. 224. & ſeqq.* in qua ſequentes conditiones, tanquam neceſſariæ ad venditionem, & emptionem cenſus liciti, requiruntur. Prima eſt, ut cenſus non conſtituatur, niſi ſuper re immobili, aut quæ pro re immobili habeatur, eaque, natura ſua, frugifera, & certis finibus deſignata, ubi proinde vetatur cenſus perſonalis. Secunda, ut pretium cenſus ſtatim numeretur, coram Notario, & teſtibus. Tertia, ne anticipatæ ſolutiones penſionum fiant, aut in pactum deducantur, id eſt, ut venditor non cogatur ſolvere penſionem, niſi pro rata temporis elapſi, quæ conditio etiam jure naturæ eſt neceſſaria, niſi hoc onus alia ratione compenſetur, *Leſſ. c. l. n. 81.* Quarta, ne directe, vel indirecte obligetur Cenſuarius ſeu venditor cenſus ad præſtandos caſus fortuitos, ad quos alias ex natura contractus non tenetur: ubi prohibetur pactum aſſecurationis, alias jure naturæ, tam in hoc, quam in aliis contractibus licitum, ita ut nulli ſuadendum ſit tale pactum, ſed tolerandum, ſi lex humana non obſtet, & abſit intentio uſuraria. Quinta, ut libera maneat facultas Cenſuario alienandi rem cenſui ſubjectam, neque venditor cogatur ſolvere emptori cenſus laudemium, id eſt, quinquageſimam, vel trigeſimam partem pretii illius rei alienatæ. Sexta, ut dominus rei cenſualis, ſi illam vendere velit, prius indicet domino cenſus pretium, & conditiones, quibus res eſt vendenda. Septima, ut non fiat pactum, quo venditor cenſus, ſi in mora ſit ſolvendi penſionem, obligetur ad ullam pœnam, quamvis jure naturali teneatur compenſare damna, quæ ex dilatione ſolutionis emptori, ſeu domino cenſus obvenerint: ſed hoc prius in pactum non poteſt deduci, ob fraudem uſurariam, quamvis poſtea tanquam debitum exigi poſſit. Octava, ut augeatur cenſus jam conſtitutus, nec novus fundetur, ſuper eadem re, penſionibus nondum ſolutis, vel in poſterum ſolvendis: ſecus ſi fuerint ſolutæ, nam ex pecuniæ numeratæ additione augeri poteſt cenſus, *Navarr. in comment. de uſur. nu. 94. Leſſ. c. l. n. 87.* Nona, ne fiat pactum, ut ſolutio onerum pertineat ad venditorem, quæ ex natura contractus ad eum non ſpectabant. Decima, ut ſi res cenſualis, vel in totum, vel ex parte pereat, vel infructuoſa reddatur cenſus quoque ex toto, vel ex parte pereat, quæ eſt conditio juris naturalis, ut ſupra dictum. Undecima, ut cenſus ſemper eodem pretio, quo emptus eſt, poſſit redimi a venditore, nec fiant ulla pacta, quibus directe, vel indirecte talis facultas ipſi adimatur. Duodecima, ut venditor volens redimere cenſum, ante bimeſtre, præmoneat emptorem: & poſt denunciationem, intra annum, poterit cogi Cenſuarius ad redimendum. Decima tertia, ut emptor non poſſit abinvito venditore pretium repetere, ſive eum cogere ad redimendum cenſum. Ex quo ſequitur, omnes cenſus eſſe perpetuos, ſeu irredimibiles, ex parte emptoris: quamvis ex parte vendentis ſemper ſit libera facultas redimendi, niſi cenſus irredimibilis, juſto pretio, ſit comparatus, *Leſſ. c. l. n. 92. & 94.* Decima quarta, ut pretium cenſus ſemel conſtitutum non poſſit augeri, ob temporis, vel contrahentium qualitatem, vel ob aliud accidens, ſcilicet in gravamen vendentis, qui ſemper eodem pretio cenſum poteſt redimere, quo vendidit, *Leſſ. c. l. n. 95.*

LXXXIV. Circa has conditiones notandum primo, eas non extendi ad contractus initos, ante illam Bullam editam, ſed ſolum poſt illam, nec ad eos, qui fiunt per contractum donationis, vel dotis conſtituendæ, vel donationis propter nuptias, vel per legatum, fidei commiſſum, vel aliam ultimam voluntatem, *Navarr. in cit. comment. n. 98. Leſſ. cit. c. 22. n. 96.* omnes tamen contractus, qui fiunt per modum venditionis, & emptionis, in quibus cenſus conſtituitur ſub alia forma, quam in Bulla præſcripta, cenſentur uſurarii. Nempe taltem quoad præſumptionem fori externi, etſi forte a parte rei non ſint uſurarii, *Leſſ. c. l. n. 97.* quicquid autem expreſſe, vel tacite dari, remitti, vel dimitti contigerit, a fiſco vindicari poteſt, ut habetur in cit. Bulla.

Notandum ſecundo, prædictæ conditiones in Bulla Pii V. requiſitæ, quæ tamen jure naturali non ſunt neceſſariæ, non obligant in conſcientia, ubi Bulla illa non eſt promulgata in Provincia, vel uſu non recepta, quia leges humanæ communiter pendent ab acceptatione, ita ut ſi legiſlatores non inſtent, & curent eas obſervari, non obligent, ſaltem poſt decennium, ſi non fuerint uſu acceptatæ, ſicut in Germania, ſaltem quoad pleraſque conditiones, prædicta Bulla non eſt recepta, ſed contrarius uſus ſemper hactenus perſeveravit, *Leſſ. citat. loc. dub. 13. numer. 98. & 99. Tanner. citat. dub. 4. num. 131.* & cum prædicta Conſtitutio valde probabiliter fundetur in præſumptione fraudis, & intentionis uſurariæ, ideo ſi hæc abſit, ceſſat præſumptio, & licite ſine conditionibus jure tantum humano præſcriptis, iniri poteſt hic contractus, *Navarr. citat. loc. num. 196. in fine.* Idemque eſt de Carolina Conſtitutione Imperiali, dicendum, *Tanner. citat. loc. num. 132.* addit, Judices obligari in foro externo, ubi ſupra dictæ Conſtitutiones ſunt receptæ, ut non admittant contractus cenſuales, ſive hujuſmodi conditionibus celebratos, *Caniſ. tr. de uſuris c. 22. n. 8.*

SECTIO IV.

De uſuris, quæ committuntur circa pignora, & hypothecas.

§. I.

An ſit uſura, ſi creditor fructus pignoris, ſeu rei oppignoratæ non computet in ſortem?

LXXXV. Reſpondetur, fructus pignoris, ſive ex re pignori pro mutuo obligata percepti, debent a creditore in partem ſortis debitæ computari, alioquin uſura eſt, ut conſtat inprimis ex *c. Plures 1. h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio Generali Turonenſi ſub Alexandro III. in quo decretum fuit, ut nullus conſtitutus in Clero (maxime, quia idem eſt de Laicis, ut poſtea dicetur, *Gl. hic V. in Clero*) vel hoc (de quo in hoc c.) vel aliud genus uſuræ exercere præſumat. „Quod ſi quis alicujus poſſeſſiones, data pecunia, recepit in pignus (v. g. unum vel plura prædia, & agros) debet ſi ſortem ſuam ex fructibus rei pignoris datæ jam recepit, deductis expenſis, rem oppignoratam abſolute reſtituere debitori. Si autem aliquid minus habet (id eſt, minus percepit ex fructibus pignoris, ita ut non æquiparentur ſorti, *Hoſtienſ. hic V. Minus habet*) eo recepto, poſſeſſio, id eſt, prædium oppignoratum, vel ager libere ad dominium revertatur. Quod ſi quis, poſt hujuſmodi ſtatutum (maxime, quia idem ante Concilii Turonenſis decretum, ſtatutum fuit, *c. Si quis 4. can. 4. 14. q. 4. Gloſ. hic V. Poſt hujuſmodi,*) ſi Clericus ſit, qui uſurarum crimen commiſerit, Eccleſiaſtici officii periculum patiatur, (id eſt, ab officio, & beneficio ſuſpendatur, *c. Præterea 7. hoc tit.* vel potius deponatur) niſi forte beneficium Eccleſiæ fuerit, quod redimendum ipſi, hoc modo, e manu Laici videatur, de quo §. ſeq.

LXXXVI. Similiter in *c. Quoniam 2. hoc t.* idem de Laicis, qui hujuſmodi uſuram committunt, ſtatuitur: „nam quoniam non ſolum viris Eccleſiaſticis, ſed etiam quibuslibet aliis Laicis) periculoſum eſt uſurarum lucris intendere: ideo mandat Papa Alexander III. ut ii, qui ex poſſeſſionibus, ſeu bonis, vel arboribus (ſcilicet fructiferis, vel ex viridario, ſeu horto, aut nemore, *Abb. hic n. 3.*) quas in pignus tenent, receperint ſortem ſuam, deductis expenſis, ad eadem pignora reſtituenda, (ſuis dominis (ſine uſurarum exactione), per Eccleſiaſticam cenſuram compellantur."

Porro cur creditor fructus ex re oppignorata perceptos, & conſumptos teneatur (deductis expenſis in eos factis) vel in ſortem computare, ad exonerationem, ſeu extinctionem ſortis principalis: vel reſtituere fructus extantes debitori, una cum ipſo pignore, facta ſolutione mutui debiti, alioquin creditor uſuram committat, hujus, inquam, ratio eſt primo, quia ſicuti omne incommodum, quod fortuito accidit in re oppignorata, ad debitorem, tanquam ejus dominum, pertinet, non ad poſſeſſorem, ſeu creditorem: ſic æquum eſt, ut omne commodum rei ſuæ ad eundem pertineat, *l. Si inter 21. §. Quicquid, ff. de pignorib.* cum pignus in bonis debitoris permaneat, ideoque etiam ipſi pereat, *§. fin. Inſtitut. quib. mod. re contrah. oblig. l. Qua fortuito 56. & l. pignus 9. C. de pignorat. act.* & ſecundum rei naturam eſt, commoda cujusque rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda, *reg. juris 10. in ff. & reg. 55. in 6.* ergo etiam, fructus pignoris ad debitorem ſpectant, eique dari debent, vel in ſortem computari: niſi ſit alius titulus, extra ſortem, accipiendi, ut damni emergentis, lucri ceſſantis, pœnæ conventionalis &c. Secunda ratio eſt, quia uſura eſt, quicquid cauſa mutui creditor lucratur ſupra ſortem, ſive illud lucrum in pecunia numerata, ſive in fructibus; ut vino, tritico, oleo, ſive in alia re conſiſtat, *cap. 2. & ſeqq. citat. cauſa 14. quæſt. 3.* ergo ſi fructus percepti ex pignore non computentur in exonerationem ſortis, ſed cedant lucro creditoris, uſura committitur *c. 1. & 2. h. t.*

LXXXVII. Pro explicatione utriuſque prædicti capituli, notandum primo, uſura committitur, non ſolum ſi expreſſe aliquid detur, quotannis, ultra ſortem, ſed etiam ſi ex pacto creditor lucretur fructus rei oppignoratæ,

quia cum fructus recipiant æſtimationem, accedunt forti ex pacto præcedente, ideoque uſura committitur, ſi eos percipiat creditor, niſi computet in ſortem, uti ſumitur *cap. 1. h. tit.* quicquid enim pretio æſtimabile, ſive fructus ſint, ſive res alia, ut penſio ex domo, ultra ſortem, accipitur, uſura eſt, *cap. 1. & ſeqq. cit. cauſ. 14. q. 3. Abb. in cit. cap. 1. num. 2.*

Notandum ſecundo, quamvis creditor, ſi re mobili in pignus data utatur, furtum committat, *l. Si pignore 54. in princ. ff. de furtis*, & patet ex dictis *tit. præced.* quia ſolius ſecuritatis cauſa, ipſi eſt tradita, ſolo autem uſu rei alienæ furtum committitur, *l. 1. ff. eod.* Aliud tamen eſt, ſi res immobilis ſit in pignus data, in hujus enim uſufurtum non committitur, *§. Quod autem ad eas res, Inſtit. de uſucap.* Sed poteſt creditor poſſidens rem immobilem ſibi, pignoris cauſa, obligatam, ea uti, & prædia v. g. locare, *l. Creditor 23. ff. de pignorib.* Idque utilitatis cauſa receptum eſt in rebus immobilibus, quia prædia ruſtica per culturam fiunt meliora, *l. 3. §. Divi fratres, ff. de jure fiſci*: urbana vero prædia per inhabitationem magis conſervantur, *Caniſ. tr. de uſur. c. 5. num. 4. & 5.*

Notandum tertio, creditor fructus rei immobilis in pignus datæ licite poteſt percipere, & perceptos, etſi ex re aliena, conſumere, vel diſtrahere, quia fructus ſervando ſervari non poſſunt, ſed brevi corrumpuntur, *l. fin. §. ult. C. de adminiſt. tut.* ita tamen, ut in ſortem debiti principalis computari debeant, illudque minuant, vel etiam omnino extinguant, ſi adæquent quantitatem ſortis, ſeu ſummæ capitalis, *l. 1. & 2. ſeqq. C. de pignor. act.* Compenſantur autem fructus conſumpti, vel venditi, cum ſorte, non per ſe, quia ſolius quantitatis cum quantitate fit compenſatio *l. Si convenerit 18. in princ. ff. de pignorat. act. l. Si conſtat 4. C. de compenſat.* ſed ratione æſtimationis fructuum. At vero fructus a creditore percepti, ſed adhuc extantes, non computantur in ſortem, ſed jure pignoris manent apud creditorem, donec debitum ſolutum ſit, tunc enim debitori ſunt reſtituendi, *Abb. in cit. cap. 1. num. 3. h. t. & ibid. Gloſſator ejus Alex. de Nevo, lit. D. Caniſ. c. l. num. 6.*

LXXXVIII. Notandum quarto, fructus rei oppignoratæ, non tantum percepti a creditore, ſed etiam percipiendi, five qui percipi potuerunt, & non ſunt percepti, debent computari in ſortem principalis debiti: ut ſi res oppignorata antea locari quidem ſolita non erat, ſed tunc reperiebatur conductor, nam in utroque caſu tenetur creditor de percipiendis illis fructibus, tanquam de perceptis, *l. 2. C. de pactis pignor. c. Gravis. 11. de reſtit. ſpoliat. Abb. in citat. cap. 1. numer. 5. h. t.* & ejus *Gloſſator lit. G.* ubi ait, diſtinguendum eſſe: vel enim creditori de ſorte, ſeu ſumma capital ſatisfactum eſt, quia fuit ſolutum ipſi debitum, vel quia percepit tot fructus ex re pignorata, ut exæquent debitum principale: & tunc indiſtincte tenetur de fructibus percipiendis, quia tum creditor eſt malæ fidei poſſeſſor, imo quaſi violentus. Vel quoad ſortem, ſeu debitum principale non eſt ſatisfactum creditori: & tunc tenetur tantum de fructibus perceptis, non autem de percipiendis: niſi per dolum, vel latam culpam fructus eos non perceperit, dummodo oppignoratio fuerit facta gratia debitoris principalis tantum, quia hoc caſu non tenetur creditor, niſi de dolo, & lata culpa: ſecus ſi fuiſſet facta gratia utriuſque, etiam creditoris. Generaliter autem omnes fructus, etiam modici, computantur in ſortem, *Abb. in c. 2. num. 3. h. t.*

Notandum quinto, fructus reſtituendi debitori, vel in ſortem principalem computandi ſunt a creditore, deductis prius expenſis, quæ quærendorum, colligendorum, & conſervandorum fructuum cauſa factæ ſunt, *l. Si a domino 36. §. fin. ff. de hered. petit.* quod in poſſeſſore etiam malæ fidei, ut in prædone, locum habet, quia alias debitor, vel dominus rei non refundens expenſas in rem factas locupletaretur cum alterius jactura, contra naturalem æquitatem, *l. Nam hoc 14. ff. de condict. indeb. reg. 48. in 6.* Deducendæ autem ſunt, non tantum impenſæ neceſſariæ, quibus non factis, res erat peritura, vel deterior futura: ſed etiam utiles, quibus res melior efficitur: non autem voluptuariæ, aut ſuperfluæ, & poteſt creditor rem oppignoratam retinere, donec deducat expenſas, vel eæ ipſi ſolutæ ſint, quod deductis expenſis ſupereſt, fructus eſt, *cit. l. Si a domino, §. fin. ff. de hered. petit. Gl. in cit. cap. 1. V. Deductis expenſis, h. t. Gregor. Tholoſ. l. 2. de uſur. c. 9. num. 9. & ſeqq.* Computandus eſt etiam labor creditoris, nemo enim tenetur gratis laborare in favorem alterius, *Abb. in c. Conqueſtus. 8. num. 8. h. t.* Verum de hoc plura dicta ſunt ſupra *lib. 3. tit. 10. §. 5. num. 18. & 19.*

§. II.

Ex quibus titulis, ſive cauſis creditor non tenetur fructus rei oppignoratæ in ſortem computare ad vitandam uſuram?

LXXXIX. Tres in Jure Canonico referuntur tituli ſeu cauſæ ſpeciales, ob quas, citra uſuram, & licite fructus rei oppignoratæ a creditore percipi poſſunt, non computando eos in ſortem. Prima habetur in *cit. c. 1. h. tit.* ubi poſtquam Alexander III. in Concilio Turonenſi decrevit: ne quiſquam Clericorum genus aliquod uſuræ exerceat, ſubjicit in fine hæc verba: Niſi forte Eccleſiæ beneficium „ fuerit, quod redimendum ei, hoc modo, de manu Laici „ videatur. Ut ſi v. g. Laicus aliquis injuſte detineat poſſeſſionem aliquam, ſive prædium, quod fuerat Clerico in beneficium aſſignatum, & poſtea illud pro mutuo obliget, ſive in pignus det, poteſt Clericus fructus ex tali prædio licite percipere, & retinere, nec debet eos conferre in extenuationem ſortis: nec eſt uſura, quia recipit quod ſuum eſt, & per viam occultæ compenſationis redimit, quod ad ſe legitime ſpectabat, & forte alias recuperari non poterat, *Gl. in cit. c. V. Beneficium, h. tit.* ubi ait, idem dicendum eſſe de Laico, qui hoc modo etiam licite redimere poteſt poſſeſſionem rei ſuæ ab injuſto detentore, ob eandem rationem æquitatis. Veruntamen poſſeſſionem rei alienæ non poſſet taliter redimere, quia fructus ex illa perceptos non faceret ſuos, ideoque ſi illos retineret, & in ſortem non computaret; uſuram committeret. Similiter & Clericus, ſi poſſeſſionem, vel rem ſpectantem ad Eccleſiam, quæ ipſi in beneficium non fuit aſſignata, pro mutuo, ſeu debito in pignus acciperet, non poſſet fructus ex illa re perceptos retinere, ſed teneretur illos in ſortem computare, niſi ex Eccleſiæ conceſſione id faceret, quaſi percipiendo eos, nomine Eccleſiæ, *Gl. ibid. in fine, & Hoſtienſ.* Ex quo generaliter infert *Abb. ibid. numer. 5.* quod licite percipit quis ex mutuo aliquid ultra ſortem, quando illud erat ſuum, vel alias ſibi debitum, nec poterat aliter illud conſequi.

XC. Secundus titulus, ſeu cauſa eſt, ſi creditori detur res in pignus, ſeu hypothecam, in qua creditor habet directum dominium, & debitor tantum utile, ut ſi Vaſallus det domino directo feudum in pignus pro mutuo, ſeu debito: hoc caſu, fructus percepti ex re oppignorata non ſunt a creditore computandi in ſortem, nec illam extenuant, ſive minuunt, *c. 1. de feudis, &c. Conqueſtus 8. h. tit.* ubi „ mandat Papa Alexander III. ut ſi quis terram aliquam, „ titulo pignoris, detineat, & ex fructibus ejus ſortem „ receperit (deductis etiam expenſis) terram illam debito„ ri, qui illam in pignus dedit, reddat: niſi terra illa de „ feudo ſit Monaſterii, quia ſcilicet res feudalis in pignus data eſt pro debito domino directo feudi, ſive illud feudum pertineat ad Eccleſiam, vel Monaſterium, ut in *caſu. citat. cap. Conqueſtus*, vel ad dominum Laicum: non enim dominus directus tenetur fructus ex feudo oppignorato perceptos computare in ſortem, *Abb. in citat. cap. 8. numer. 5.*

Idque communiter extendunt DD. etiam ad rem emphyteuticam, quam ſi emphyteuta in pignus det domino proprietatis, non tenetur hic fructus ex illa perceptos in ſortem computare, ut dictum ſupra *libr. 3. tit. 20. §. 6. nu. 20. not. 3.* Ratio autem hujus exceptionis, ob quam retentio fructuum ultra ſortem licita eſt, nec uſuraria eſt, quia hæc eſt natura, & conditio contractus feudalis, & emphyteutici, ex prima ſua inſtitutione, ut in certis caſibus jure expreſſis dominium utile redeat ad dominum directum, inter quos eſt etiam ille caſus, & res feudalis, vel emphyteutica a Vaſallo, vel Emphyteuta detur in pignus, pro debito, domino directo, vel proprietario: tunc enim dominium utile conſolidatur, ſeu conjungitur cum dominio directo ſeu proprietatis, pro eo tempore, quo pignus, ſoluto debito, non redimitur: ac proinde interea poteſt dominus directus fructus ex re feudali, vel emphyteutica percipere, non imminuta ſorte: idque ne res etiam, quoad dominium utile, exiſtens apud dominum directum, ſeu proprietarium, alteri fructificet, quaſi non propria eſſet, ſed aliena, quod non videtur rationi conſonum. Quare dominus directus, ſeu proprietarius, hoc caſu, percipit fructus ex re feudali, vel emphyteutica, ſalva ſibi manente ſorte, non ob mutuum, nec ob dilatam debiti ſolutionem, quod uſurarium eſt: ſed ex vi, ſeu natura contractus feudi, vel emphyteuſis: ſive ex vi prioris pacti, quo reſervarit ſibi dominium utile, pro eo tempore, & poſita tali conditione, *Molin. tr. 2. de juſtit. diſ. 323. §. ult. Leſſ. cap. 20. dub. 19. num. 139. Lugo cit. diſ. 25. ſec. 8. num. 146.*

XCI. Cæterum ut dominus directus poſſit fructus illos percipere, tres conditiones requiruntur. Prima eſt, ut interea non exigat a Vaſallo, vel emphyteota debitum alias obſequium, ſeu ſervitium, vel penſionem, *cit. c. 1. de feudis*: ac proinde ſi dominus interea recipiat a Vaſallo ſervitium ſolitum, tanquam ex debito, ſine proteſtatione de non amittendo jure ad fructus, tenetur eos in ſortem computare, quia cenſetur huic juri tacite renunciare, *Abb. in cit. cap. 1. in fine de feud. Silveſt. V. Feudum num. 19.* & alii DD. communiter. Sed etſi vaſallus velit debitum obſequium, ſeu ſervitium præſtare, poteſt tamen dominus directus illud non admittere, ſed percipere fructus ex re feudali, etiamſi excedant debitum obſequium, vel penſionem emphyteutæ, eoſque non computare in ſortem, ut colligitur ex *cit. c. 1. de feudis*, ubi dicitur, quod dominus feudi poſſit libere detinere feudum ſibi in pignus datum, & percipere omnes fructus, non computando eos in ſortem, dummodo interim vaſallus immunis relinquatur a ſolito ſervitio præſtando, *Gl. fin. ibid.* alioquin nihil quoad hoc peculiare relinqueretur domino directo feudi, ſi ſolum poſſet fructus pignoris percipere, quatenus æquivalent ſervitio debito, & ſic non poſſet oblatum a vaſallo ſervitium reſpuere, quia hoc jus habet etiam quilibet alius creditor; nam ſi quis v. gr. alicui mutuos dedit 1000. aureos, accepto a debitore pignore fructifero, & debitor nolit reditum annuum 50. aureorum, quem creditori aliunde ex cenſo debet, ſolvere, poteſt creditor pro 50. annuis ſibi debitis, fructus pignoris æquivalentes retinere, non computando illos in ſortem mutui dati. Ratio eſt quia tales conditiones poſſunt libere imponi a domino feudi, ex vi contractus feudalis; cum ergo totum hoc relinquatur in libera voluntate domini directi, in *cit. cap. 1. de feudis*, cenſendum eſt ita fuiſſe relictum, *Lugo cit. l. num. 147.*

Non obſtat primo, quod ſi dominus directus, pro eo tempore, quo feudum poſſidet, titulo pignoris, habet dominium directum, & utile in feudo, ſequitur, quod illud non poteſt eſſe pignus, quia hoc non poteſt conſtitui in re

pro-

propria, cujus quis & dominium directum, & utile habeat, adeoque eo tempore omnino deſineret eſſe vaſallus, qui feudum in pignus dedit; Reſpondetur enim, dominium utile, hoc caſu, ſaltem in habitu, manere penes vaſallum, qui ſoluto debito, poteſt pignus redimere, & recuperare, & fructus ex eo percipere, ſicut antea, ideoque poteſt feudum adhuc habere rationem pignoris, quatenus dominus directus illud poſſidet, cum obligatione reſtituendi illud vaſallo, quam primum ſoluto pretio, illud redemerit; neque vero ex eo, quod dominium utile ſit penes vaſallum, ſequitur, quod etiam fructus ad illum ſpectare debeant: nam ex diſpoſitione juris, & conformiter naturæ, & primæ inſtitutioni contractus feudalis, dominium utile feudi non aliter conceditur vaſallo, niſi cum hac limitatione, ut caſu, quo in pignus datur domino directo, fructus feudi, non ad dominum utilem, ſeu vaſallum ſed ad dominum feudi pertineant, quandiu feudum pignori obligatum manet, *Lugo cit. l. num.* 148. Non obſtat ſecundo, quod hinc ſequi videatur, etiam uſufructuarium, uſuarium, vel conductorem, ſi dent fundum in pignus domino directo, vel proprietatis, is non teneatur fructus inde perceptos in ſortem computare, ſi quidem hoc licitum eſt domino feudi. Sed reſpondetur *neg. conſ.* quia in his contractibus, non apponitur tale pactum, nec poteſt apponi in contractu oneroſo niſi minuatur pretium propter illud gravamen *Lugo c. l.*

XCII. Secunda conditio requiſita eſt, ut dominus directus non percipiat ex re feudali, vel emphyteutica in pignus data, fructus provenientes ex meliorationibus factis per induſtriam vaſalli, vel emphyteutæ: eos enim dominus directus, quoad exceſſum illum, tenetur, computare in ſortem & reddere vaſallo, quia hi fructus non cenſentur, quoad illam partem fructuum, ceſſat ratio ob quam conceſſum eſt domino feudi percipere fructus ex re feudali ipſi oppignorata, *Silveſt. V. Feudum n.* 30. *Molin. cit. diſ.* 323. *n.* 1. *Leſſ. c. l. n.* 140. *Lugo c. l. n.* 149.

XCIII. Tertia requiſita conditio eſt, ut feudum in pignus datum non ſit pretio emptum a vaſallo (idemque eſt de emphyteuta) nec in compenſationem præcedentium meritorum, vel obſequiorum datum, ſed gratis conceſſum, alioquin enim debent fructus in ſortem computari, & reddi vaſallo quia quamvis de hoc, ſicut & de præcedente caſu, nihil ſit jure expreſſum, tamen æquitas naturalis id exigit, cum in hujuſmodi contractibus oneroſis non ſoleant, nec debeant talia gravamina apponi, nec juſte poſſint, niſi pretium minuatur. Quod ſi feudum partim pro pretio, vel ob præcedentia obſequia ſit datum: partim vero liberaliter, tunc portio, quæ reſpondet pretio, vel meritis præcedentibus, debet computari in ſortem a domino directo, cui poſtea in pignus datum eſt, *Silveſt. c. l. n.* 30. *Molin. c. l. Leſſ. c. l. & Lugo c. l. n.* 150.

CXIV. Denique tertius titulus, ſive cauſa, ob quam fructus pignoris non computantur in ſortem, eſt, ſi maritus pro dote uxoris ſibi promiſſa, loco pignoris, accipiat prædium, fundum vel domum, vel aliam rem, ut ex ea fructus percipiat, donec promiſſam ſibi dotem accipiat, tunc enim interim maritus facit fructus ſuos, ſine imminutione dotis, nec cogitur eos in ſortem computare, prout ſtatuitur in c. *Salubriter* 16. *h. t.* Ubi Innocentius III. ita ſcribit: ſane generum ad fructus poſſeſſionum (id eſt, agro-
„ rum ſeu fundorum) quæ ſibi ſunt a ſocero pro numera-
„ ta dote (id eſt, numeranda ſeu promiſſa, & necdum tradita, quia ſi dos numerata ſit, non eſt opus pignore, quod in ſecuritatem dotis datur, *Hoſtienſ. hic V. Pro numerata, & Joan. Andr. V. eodem*) pignori obligatæ, computandos
„ in ſortem non credimus compellendum: cum frequenter
„ dotis fructus non ſufficiant ad onera matrimonii ſupportanda.

XCV. Jam ergo valde laborant DD. in aſſignanda vera ratione, ob quam fructus percepti ex pignore poſſint, abſque uſura, a marito retineri, ſine obligatione computandi eos in ſortem, adeoque ſine diminutione ſortis, cum tamen regula generalis ſit fondata in jure naturæ, quod fructus percepti ex pignore debeant in ſortem computari. Nam primo ſunt, qui dicunt, id favore dotis, & matrimonii eſſe conceſſum a jure, tanquam ſpeciale privilegium. Verum hoc communiter rejicitur, cum enim uſura ſit damnata Jure naturali ac divino, non poteſt excuſari: vel licita fieri, ob favorem dotis, vel matrimonii, vel ob aliam cauſam piam, *c. Super eo* 4. *h. t.*

Secundo alii dicunt. Papam *cit. c. Salubriter.* inniti præſumptioni factæ donationis a ſocero, ut poſſit gener fructus pignoris percipere, dum dos illi non ſolvitur. Verum Papa nihil meminit de alia donatione, ſed de oneribus matrimonii: idque ſæpe non poteſt, præſumi, cum ſoceri velint frequenter, quantum poteſt, de dote detrahere potius, quam aliquid adjicere: & ſaltem non haberet locum illa præſumptio, ſi alius a patre ſponſam dotaret, *Molin. tract.* 2. *diſ.* 321. *num.* 4.

Tertio alii DD. communiter dicunt, concedi fructus pignoris genero, ratione lucri ceſſantis aut damni emergentis ex dilata ſolutione dotis, in oneribus matrimonii ſuſtinendis. Sed hoc refellit *Navarr. tract. de uſuris nu.* 64. tum quia ea ratio non convenit textui, in quo alia ratio redditur: tum quia nullum eſſet diſcrimen inter dotis, & alterius rei debitum, cum tamen Papa ibi voluerit aliquid ſpeciale de dote declarare: tum quia ſi ex dilatione dotis nullum maritus pateretur damnum, vel lucrum nullum ei ceſſaret, non poſſet fructus illos percipere; vel ſaltem non poſſet illos integros accipere, quando excederet lucrum ceſſans, vel damnum emergens valorem fructuum, ſed ſolum, ſi exæquarent, cum tamen Papa abſolute reſpondeat, & ſine omni diſtinctione.

XCVI. Quarto *Molin. cit. diſ.* 322. *n.* 8. *& p. ult*, generum licite poſſe accipere fructus pignoris, propter onera matrimonii, non computando eos in ſortem ſive lucrum ceſſet, & damnum emergat, ſive non: quia dos datur marito ad hoc, ut ex ejus fructibus uxorem alat, & alia onera matrimonii ſuſtineat, cum obligatione reſtituendi eandem dotem, ſoluto matrimonio. Si ergo dos promiſſa non ſolvatur, & maritus ſuſtineat onera matrimonii, jus habet exigendi aliquid æquivalens, ex cujus fructibus ſuſtinere poſſit onera matrimonii, eo tempore, quo dote caret: alioquin iniquum foret, ſi uno vel altero anno deberet ſuſtinere onera matrimonii: nullumque ex dote promiſſa fructum percipere poſſet, niſi id ei, alio modo, compenſaretur; cogeretur enim toto tempore matrimonii ſuſtinere ea onera, & non darentur ei fructus dotis, toto eo tempore: ideoque poteſt, donec dos ſolvatur, accipere, loco dotis, in pignus rem aliam fructiferam, ex cujus fructibus poſſit, eo etiam tempore, quo dote caret, ſuſtinere onera matrimonii: alioquin non ſervaretur debita æqualitas. Quare Papa in *cit. c. Salubriter*, decidens generum non eſſe compellendum ad fructus poſſeſſionum pro dote obligatarum computandos in ſortem, innititur huic rationi, quod fructus illi non accipiantur in compenſationem pro dilatione ſolutionis dotis, id enim eſſet uſura palliata, ſed in compenſationem onerum matrimonii, interim dum dos non ſolvitur, ideo enim debet uxor viro afferre dotem, vel loco ejus, aliam rem fructiferam, ex cujus fructibus maritus ea onera ſuſtinere poſſit. Conſentit *Leſſ. cit. c.* 20. *dub.* 16. *nu.* 141. *Lugo cit. diſ.* 25 *ſec.* 8. *n.* 155. ubi *n.* 157. recte notat, Papam in *cit. c. Salubriter h. t.* ex eo, quod fructus dotis frequenter non ſufficiant ad onera matrimonii ſuſtinenda, bene inferre, tunc fundum non ita dari in pignus, ut fructus computentur in ſortem. Ex quo ulterius infertur, nunquam ita dari, quia cum dantes pignus pro dote frequenter, & communiter intendant, ut fructus non computentur in ſortem, ſi quis contrariam intentionem haberet, deberet id exprimere, alioquin in dubio cenſeri deber velle dare fructus illos, ſicut communiter dari ſolent, ſcilicet extra ſortem, & loco fructuum dotis; communiter enim non ſolent fructus pignoris ſuperare fructus dotis, ideoque etiam non eſt præſumendum illos dari, niſi loco fructuum dotis. Addi poteſt alia ratio, cur fructus pignoris pro dote promiſſa, & non ſoluta dati, maritus licite recipere, & retinere poſſit, non computando eos in extenuationem ſortis, propter onera matrimonii incerta, & dubium fructuum, ſive emolumenti eventum, *arg. c. fin. h. t.* Ubi excuſatur ab uſura is, qui merces pluris vendit, vel minoris emit, quam valeant, ob ſolutionem dilatam in id tempus, quo incertum eſt, num pluris an minoris merces ſint valituræ. Cur non igitur eadem ratione, excuſabitur maritus ab uſura, ob incerta onera matrimonii, & dubium valorem fructuum pignoris, qui jam plus valent, jam minus, & vel plures, vel pauciores creſcunt; *Covarr. tract. de uſur. cap.* 6. *num.* 8.

XCVII. Ex dictis infertur primo, quod diſpoſitio *cit. c. Salubriter*, non ſolum in genero, reſpectu ſoceri, locum habeat, ſed etiam quando dos a quovis alio, etiam extraneo marito eſt promiſſa, poteſt enim licite accipere competentem compenſationem, ſive in fructibus rei oppignoratæ, ſive in pecunia pro ſuſtinendis matrimonii oneribus, interim dum dos promiſſa ei non ſolvitur, eſt enim eadem ratio, *Mol. cit. diſ.* 321. *num.* 10. *Leſſ. cit. loc. nn.* 142. *Lugo cit. loc. num.* 31.

Infertur ſecundo, ſi conſtet, ſocerum pignus dediſſe genero, non ad onera matrimonii ſuſtinenda, ſed ſolum in ſecuritatem dotis promiſſæ, non poteſt gener fructus pignoris retinere, ultra ſortem, niſi ratione lucri ceſſantis, ſi ſocer eſſet in mora non ſolvens dotem, tempore conſtituto, quia tunc iſti fructus pertinent ad ſocerum, nec alia ratione, ipſi genero ſunt debiti, ut ſupponitur, ideoque ſicut poteſt ſocer dotem in aliis rebus aſſignare, ita etiam in fructibus talis fundi poterit, ſi velit, & gener conſentiat *Leſſ. c. l. n.* 142. *Lugo c. l. n.* 164.

Infertur tertio, ſicut licitum eſt pactum, ut genere percipiat fructus ex pignore ſibi dato a ſocero: ita etiam licitum eſt pactum, ut certam penſionem annuam, ſive pecuniæ quantitatem illi ſolvat ſocer in compenſationem onerum matrimonii, quandiu dotem non ſolverit, *Mol. cit. diſ. nn.* 17. *Lugo cit. diſ. nu.* 166. quia ſi licitum eſt ultra dotem principalem accipere fructus pignoris, non computando illos in ſortem, cur non etiam licitum ſit accipere pecuniam annuam ejuſdem valoris cum fructibus pignoris, in compenſationem onerum matrimonii, quæ maritus ſuſtinet, & quantum illa æſtimabuntur. Plura de his videri poſſunt apud *Molin. cit. diſ.* 322. *& Lugon. cit. diſ.* 25. *num.* 8. *nu.* 164. *& ſeqq.*

§. III.

An contractus, ſeu pactum antichriſeos ſit illicitum, & uſurarium, & an etiam montes-pietatis uſuram contineant?

XCVIII. Ad priorem quæſtionem reſpondetur, pactum inter creditorem, & debitorem initum, ut tamdiu creditor re oppignorata fruatur, ſive fructus pignoris, ſalva ſorte, lucretur, donec debitum ſolutum fuerit: quod pactum antichriſeos dicitur germanice (*ein Pfandſchaffe, oder Pfandſchilling*,) eſt illicitum, & uſurarium, ideoque damnatum Jure Canonico: nam licet tale pactum non ſit formale, mutuum eſt tamen virtuale, & implicitum, negari enim non poteſt, quia ineatur propter præcedentem mutuationem pecuniæ, dato pignore, cum pacto, ut lucretur creditor fructus pignoris ſupra ſortem, quod uſurarium eſt, *cap.* 1. *& ſeqq. cauſ.* 14. *quæſt.* 3. *Coniſ. tract. de uſur. cap.* 5. *numer.* 28.

Porro ad vitandam uſuram circa fructus pignoris, remedium eſt, ut petens mutuum debitor non det rem immobilem frugiferam in pignus, v. g. prædium, ſed illud vendat;

certo

certo pretio, pro mutuo, ſeu debito, cum pacto revendendi, quando debitor pretium creditori reddiderit, tunc enim creditor per venditionem factus eſt dominus prædii, ideoque fructus temporis intermedii ad ipſum pertinebunt, & res periculo ejuſdem peribit, *Lugo cit. diſ. 25. ſec. 8. num.* 232. Aliud eſt, ſi res immobilis, & frugifera pro debito, ſeu mutuo in pignus detur creditori, nam cum dominium rei oppignoratæ non tranſeat in creditorem, ſed penes debitorem maneat, non poteſt creditor fructus rei, quippe alienæ, lucrari, ſed ad reſtituendum, vel computandum eos in ſortem tenetur, ut ſupra dictum, & res vendita, cum pacto redimendi, perit periculo emptoris: res vero oppignorata, cum pacto antichriſeos, perit debitori, velut domino, *Greg. Tholoſ. l. 2. de uſura c. 10. nu. 4.* & licet venditio, cum pacto revendendi, & pactum antichriſeos ad eundem finem tendant, nempe ad lucrandos fructus rei: in modo tamen eſt diverſitas, quia venditio rei, cum pacto revendendi, eſt modus ac titulus licitus, juxta *l. 2. C. de pact. inter empt. & vend.* Unde ſi quis a Titio petat mutuos mille florenos, quos ipſe mutuare non vult, ne committat uſuram, poteſt illi oppignorari certum prædium, non abſolute, & ſimpliciter, ſed adjecto contractu cenſuali redimibili, ſive cum pacto redhibitionis, per quam ex prædii reditibus 50. annuos percipiat Titius creditor, donec ei ſors reſtituatur, *Laym. l. 3. tr. 4. c. 16. n. 17.* At vero pactum lucrandi fructus pignoris, donec debitum fuerit ſolutum, eſt modus ac titulus & illicitus uſurarius *Caniſ. cit. c. 5. n. 34.* & patet ex dictis. An autem uſurarium ſit pactum legis commiſſoriæ adjectum contractui pignoris, dictum eſt *libr. 3. tit. 21. §. 7.*

XCIX. Ad poſteriorem quæſtionem reſpondetur primo, mons pietatis dicitur certa ſumma pecuniæ, quæ a Principe aliquo, vel domino loci, vel Communitate, ex ærario publico, vel ex eleemoſynis aut largitionibus privatorum civium eſt donata inter vivos, vel relicta per ultimam voluntatem cuidam loco civitati vel oppido, collecta & deſtinata in hunc finem, ut ſemper in promptu ſit pecunia, quæ mutuo dari poſſit ac debeat pauperibus, & quibuſcumque indigentibus, ne alias magnas uſuras cogantur ſolvere uſurariis. Hujus montis hæ ſunt potiſſimum leges ſeu conditiones, ut notat *Azor p. 3. l. 5. de uſura c. 8. in princ. Mol. l. 2. de juſtit. diſ.* 325. *numer.* 1. *Leſſ. l. 2. cap.* 20. *dub.* 23. *numer.* 190. Primo ut mutuum uſque ad certam ſummam, ſeu quantitatem detur non divitibus, ſed pauperibus, & indigentibus, præcipue illius loci, non exteris. Secundo ut ad certum tempus, v. g. ad annum, vel ad ſummum ad duos annos id eis detur. Tertio ut mutuatarii dent ſufficiens, & certum pignus, quia alioquin talis mons facile exhauriretur, ſi poſtea multi non ſolverent. Quarto ut mutuatarii, ſingulis menſibus, aliquid exiguum ultra ſortem ſolvant, pro ſumptibus neceſſariis ad conſervandum montem, ut pro alimentis, & ſtipendiis miniſtrorum, qui pignora & montem cuſtodiunt, & adminiſtrant: & ſemper parata eſſe debent ad mutuandum, pro rationibus ſcribendis, & reddendis; pro conductione domus, & cæteris neceſſariis expenſis, qui ſi ex ipſa pecunia montis deducerentur, is brevi exhauriretur. Quinto, ut ſi debito, & præſcripto tempore, mutuum non reſtituatur, pignus vendatur, & ex pretio pignoris pecunia debita monti ſolvatur, & quod reliquum eſt, domino pignoris reſtituatur.

C. Reſp. ſecundo, hujuſmodi montes pietatis ſunt liciti, & immunes ab omni uſura, cum prædictis legibus, & conditionibus, ut tradunt DD. *cit.* & alii communiter contra *Caietan. & Sotum*. Probatur primo, quia plures SS. Pontifices, & præcipue Leo X. in Concilio Lateranenſi *ſeſſ.* 10. tales montes approbavit, tanquam licitos, & pios, & excommunicavit eos, qui contrarium docuerint: & in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 22. *c. 8. de ref.* inter alia pia opera, numerantur montes pietatis ſive charitatis. Probatur ſecundo ratione, quia nihil exigitur, vel ſolvitur e mutuatariis ultra ſortem, ratione mutuationis, ſed ſolum ratione expenſarum, quæ neceſſario faciendæ ſunt ad conſervationem, adminiſtrationem montis pietatis: atqui licitum eſt aliquid exigere, & accipere pro his expenſis, cum illæ fiant in gratiam, & commodum eorum, qui mutuum petunt, ne majus damnum incurrent, dum alias cogerentur ab uſurariis mutuum accipere ſub uſuris multo majoribus, quam ſolvunt pro hujuſmodi expenſis in montem pietatis, ergo quod in iſtis montibus ſolvitur, juſte exigitur, & arripitur. *Leſſ. c. l. n.* 193. plura de his montibus videri poſſunt apud Auctores citatos.

SECTIO V.

De obligatione Reſtituendi uſuras,

§. I.

An & quibus teneantur uſurarii reſtituere uſuras.

CI. De hoc agitur in *c. Cum tu.* 5. *h. t.* Nam cum Archiepiſcopus Salernitanus, juxta Decretum Concilii Lateranenſis ſub Aleſſandro III. (quod refertur in *c. Quia in omnibus* 3. *h. tit.*) præcepiſſet, uſurarios manifeſtos communione Altaris, & Eccleſiaſtica ſepultura privandos eſſe, donec reſtituant uſuras: quidam eorum ad excuſandas excuſationes in peccatis, dicebant, illas uſuras tantum reſtituendas, quæ poſt prædictum Concilium ſunt receptæ: alii dicebant, quod non haberent, unde reſtituere poſſent uſuras: alii vero, quod ex pecunia uſuraria poſſeſſiones, ſeu bona fuerint comparata, quæ dederant filiis, & parentibus ſuis, ideoque non poſſent pecuniam illam reſtituere, prout habetur in integra lectione hujus c. & refert *Gl. hic in cauſ.* Quæſivit ergo Archiepiſcopus, quid hic agendum ſit? Reſpondet Papa Alexander III, quod ſive „ ante, ſive poſt Decretum prædicti Concilii, uſuræ ſint extortæ cogendi ſint per pœnam illius Concilii ad eas reſtituendas his, a quibus extortæ fuerunt, vel eorum hæredibus: vel ſi hi non extent, aut non ſint ſuperſtites, pauperibus erogari debeant, dummodo in facultatibus habeant, unde poſſint eas reſtituere, quia, ut dicit S. Auguſtinus (*Epiſtola 54. ad Macedonianum*) *non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*. Illi autem, qui non habent in facultatibus, unde uſuras poſſint reſtituere, non debent illa pœna mulctari, cum eos paupertas evidenter excuſet. Poſſeſſiones vero, quæ ex uſuris comparatæ ſunt, debent vendi & earum pretia inde recepta reſtitui his, e quibus uſuræ ſunt extortæ: ut ſic non ſolum a prædicta pœna, ſed etiam a peccato, quod per uſurarum extorſionem incurrerunt, poſſint liberari.

CII. Pro explicatione hujus cap. notandum primo. Conſtitutio antiqui Juris declaratoria extenditur etiam ad præterita, nam uſuræ erant prohibitæ ante Conſtitutionem Concilii Lateranenſis in *cap. Quia 3. h. t.* Jure Divino, & ideo non induxit novum jus, ſed declarat antiquum, *Gl. hic V. Sive poſt*. Neque vero inducit pœnam novam exercentibus uſuras, ſed apponit modum per pœnam compellendi uſurarios ad reſtitutionem uſurarum, quas nondum reſtituerunt, & ut ſic non reſpicit præterita, ſed futura, ut notat *Innocent. hic V. Ante, & Abbas num. 7.*

Notandum ſecundo, uſuræ primo debent reſtitui illis, a quibus fuerunt extortæ: ſi vero non ſuperſint, vel inveniri non poſſint, reſtituendæ ſunt eorum hæredibus, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato ſint ſucceſſores: & ſi etiam illi non extent, debent erogari pauperibus, vel Eccleſiis, aut aliis locis piis, prout ſumitur ex hoc c. & c. *Nemo.* 2. *cauſ.* 14. *q.* 5. nunquam tamen debent uſuræ dari pauperibus, quamdiu fieri poteſt reſtitutio ei, a quo ſunt extortæ, quia juſtitia exigit, ut ſuum cuique reddatur, *Gl. hic V. Non ſuperſtitibus in fine*. Quod ſi ille, cui debent reſtitui uſuræ, longe abſens ſit, tenetur uſurarius illas ad eum mittere, ſi ſciat, ubi habitet, *Gl. hic V. eodem*, & quidem ſuis ſumptibus, ſi uſurarius diſceſſit a loco, ubi uſuras extorſit: alioquin vero expenſis abſentis, ſi illi, a quibus uſuræ ſunt extortæ, receſſerunt e loco illo, *Abb. hic num. 9.* Si autem ſumptus itineris uſuræ ſummam excedant, dari debet pauperibus, *Gl. hic V. non ſuperſtitibus* quamvis contrarium teneat *Greg. Tholoſan. l. 3. de uſur. cap.* 13. *num.* 6. Nam ſumptus ſi majores ſint, quam valeat res reſtituenda, id ſibi imputare debet uſurarius, quia damnum ex ſua culpa ſentit. Similiter ſi is, a quo acceptæ ſunt uſuræ, vivat, ſed neſcitur, ubi ſit, vel ſi ſcitur, ad eum mitti non poſſunt, etiam reſtitutio fieri debet pauperibus, *arg. cap. Cum ſit* 16. *de Judæis*, niſi ſpes ſit de ejus adventu, tunc enim pecunia obſignabitur, & deponetur *Tholoſ. cit. l. 3. c.* 12. *num.* 3.

CIII. Notandum tertio, ſi de acceptione uſurarum non conſtet, niſi in foro pœnitentiæ, reſtitutio earum poteſt fieri pauperibus per ipſum uſurarium, vel ex ejus conſenſu, per alium, quem elegerit, quia in hoc foro creditur aſſertioni pœnitentis. At vero in foro contentioſo, in quo declaratus quis eſt, vel condemnatus publicus uſurarius & ad reſtitutionem uſurarum damnatus, debet fieri ea reſtitutio, judicio Epiſcopi, nec debet credi dicenti ſe reſtituiſſe, vel velle reſtituere, quia ſicut publice conſtet de oblatione, & extorſione uſurarum: ita etiam publice conſtare debet de reſtitutione earum, *Abb. in c. Cum ſit.* 16. *de Judæis num. 7. Greg. Tholoſ. cit. cap.* 13. *num.* 10.

Notandum quarto, ſi facta reſtitutione uſurarum pauperibus, vel Eccleſiis, compareat is, a quo extortæ ſunt uſuræ, vel hæres ejus, tunc ſi uſurarius, qui reſtituit uſuras, prius diligenter inquiſivit de perſona ejus, qui ſolvit uſuras, vel ejus hæredis, ut inveniret, non tenetur amplius ad aliam reſtitutionem, quia bona fides non patitur, ut ſemel exactum iterum exigatur, *reg. jur.* 83. *in* 6. Si vero debitam diligentiam non adhibuit, tenebitur nihilominus debitoribus, e quibus uſuras accepit, aut eorum hæredibus reſtituere, quia non debebat aliena pauperibus erogare, *c. Sicut*, 6. *§. Eos inſuper de homicid. Tholoſ. citat. loc. num.* 15.

Notandum quinto, inopia debitoris, ſicut excuſat in furtis, & aliis injuſtis acceptionibus; ita etiam a reſtitutione uſurarum, ſi uſurarius, vel ejus hæres manifeſte non ſit ſolvendo: nec habeat, unde reſtituere poſſit, tunc enim liberatur, ita ut nulla alia pœna cogi poſſit ad reſtituendum, ut habetur in *cit. cap. Cum tu. §. Illi autem h. t.* quia inanis eſt actio, quam inopia debitoris excludit, *l. Nam is* 6. *ff. de dolo C. Olim* 16. *de reſtitut. ſpol.* Et is, qui nihil habet, nihil dare poteſt, *c. Daibertum* 24. *cauſ.* 1. *q.* 7. Habere autem in facultatibus cenſentur uſurarii, non ſolum ſi uſuras acceptas adhuc poſſideant, ſed etiam ſi alia bona habeant, quamvis uſuras emiſerint, *Gl. hic V. In facultatibus*, *Tholoſ. cit. l. 3. cap. 6. num.* 1. ſi tamen ad pinguiorem fortunam poſtea pervenerint, tenentur reſtituere, & ſatisfacere, *arg. c. Odoardus*, 3. *de ſolutionib. Gl. hic V. eodem*.

Sed jam hic dubitetur, an uſurarius habeat beneficium ceſſionis bonorum, ſicut alii debitores, nempe ut non poſſit conveniri poſt ceſſionem in ſolidum, ſed tantum, ſi ad pinguiorem fortunam pervenerit, quantum facere poteſt, ita ut non egeat, ſed retinere poſſit alimenta neceſſaria, juſte *l. Is qui*, 4. *ff. de ceſſ. bon.* Negat *Gl. in cit. c. Cum tu. V. In facultatibus*, quia hoc beneficium ceſſionis datur tantum iis, qui caſu fortuito ad inopiam redacti ſunt, non qui ex delicto condemnati ad reſtituendum, & nemo debet beneficium conſequi, ex quo pœnam meretur, *l. N. ex dolo.* 12. *ff. De dolo*, *l. Non fraudantur.* 134. *§. Nemo ff. de R. I.*

Alii dicunt, quod in foro contentioſo, ſeu judiciali externo, poſtquam uſurarius ceſſit bonis, non tenetur reſtitue-

tuere, niſi quatenus facere poteſt, ſicut alius, qui ceſſit bonis. Neque Canones contradicunt, ſed potius hoc confirmare debent, propter pietatem, ne fame pereat; ſed in foro pœnitentiali tenetur ad omnimodam reſtitutionem, quia non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, & nemo ex alieno vivere debet, *Abb. hic num.* 10. *&* 11. & ejus *Gloſſ. lit. L. & Jo. Andr. ibid. num.* 9. Alii denique putant, quod nec in foro conſcientiæ ab uſurario repeti poſſint uſuræ integræ, niſi deducto eo, ne egeat, ſi bonis omnibus cedat, quia hoc beneficium eſt conceſſum Lege Civili fundata, non in præſumptione, ſed in foro conſcientiæ, & in ſumma neceſſitate omnia ſunt communia. Porro obligatio reſtituendi uſuras, non tam oritur ex delicto, ſed potius ex quaſi contractu, quia ut indebitæ reſtringendæ ſunt: neque uſurarius conſequitur præmium ex delicto, quia non agitur de pœna debita delicto, vel de reſtitutione debiti: pœnam autem civilem, vel Canonicam non ideo effugit uſurarius, ſed pro debito ſatis gravatur, quod cedat bonis: nimis autem inhumanum eſt propter debitum privare aliquem etiam neceſſariis alimentis, *Tholoſ. l.* 3. *de uſur. cap.* 6. *num.* 9. *& ſeqq.* Hæc ſententia mitior eſt, & æquior, ſed prima, ſpectato juris rigore, videtur verior.

CV. Notandum ſexto, bona uſurarii, etiamſi ſint empta ex pecunia uſuraria, & ſive titulo oneroſo, ſive etiam lucrativo, pervenerint ad tertium, non ſunt, ipſo jure, tacite hypothecata, ſive realiter obligata mutuatario pro ſolvendis uſuris, quia talis hypotheca non oritur ex natura rei, neque ullo Jure Civili, vel Canonico eſt conſtituta, ut docet *Silveſt. V. Uſura*, 6. *q.* 5. *Covarr. l.* 3. *reſol. c.* 3. *nu.* 6. *Azor. p.* 3. *l.* 5. *de uſur. c.* 23. *§. Tertia opinio. Molin. tr.* 2. *diſ.* 329. *num.* 6. & alii DD. plerique contra *Gl. fin. in citat. c. Cum tu.* qui notant, quod non expediebat talem hypothecam conſtituere, quia illaquearentur conſcientiæ hominum, nemo enim auderet contractus celebrare cum uſurariis: nam quæcunque ab iis acciperentur, ſive titulo oneroſo, ſive lucrativo, manerent realiter obligata pro ſolvendis uſuris, ad quoſcunque devenirent, adeoque reſtitutioni obnoxia. Neque contrarium elici poteſt ex *cit. cap. Cum tu. h. t.* quia textus ille non loquitur de bonis acquiſitis ex pecunia uſuraria, poſtquam ab uſurario ſunt alienata, ſive titulo oneroſo, ſive lucrativo, quod illa debeant vendi, & pretia illorum reſtitui: ſed de illis bonis, quæ adhuc manent, & extant apud ipſum uſurarium; hæc enim præcipit Pontifex reſtitui, non quod tacite hypothecata ſunt pro reſtitutione uſuræ, ſed quia quamdiu ſunt apud uſurarium obligatione perſonali ipſius uſurarii ſunt obſtricta pro reſtitutione uſuræ, ad quam ipſe uſurarius perſonaliter eſt obligatus, & ratione illius obligationis, omnia bona ipſius, & non ſolum quæ ex pecunia uſuraria ſunt empta. Et hinc fit, ut ſi illa bona tranſeant ad alium tertium, nullam hypothecam, ſive onus reale habeant, ut ex illo uſuræ ſolvantur: quia perſonalis obligatio non tranſit ad aliam perſonam, niſi illa ſit hæres, quæ eo ipſo, quod repræſentat perſonam defuncti, in omnibus ejus juribus, & obligationibus perſonalibus ſuccedit, *Azor. c. l. in fine.* Itaque *text. in cit. c. Cum tu.* non loquitur de bonis, quæ ex uſuris comparata ſunt, poſtquam illa ab uſurario ſunt alienata: ſed de iis, dum adhuc in ipſius uſurarii dominio, & poteſtate erant, hæc enim ait, eſſe vendenda, & ex illis ſolvendas uſuras, ut uſurarius a pœna, & peccato, quod eas accipiendo incurrit, liberetur: quod fit, ſi uſurarius ex bonis, quæ adhuc in poteſtate ipſius ſunt, uſuras ſolvat, alioquin peccatum continuat: nam poſtquam ea alienata ſunt, non poteſt uſurarius amplius uſuras ex illis bonis ſolvere, ut per ſe conſtat, adeoque neque a peccato ſuo liberari, niſi ex aliis bonis ſolvat, *Molin. cit. diſ.* 329. *num.* 7.

Porro ſi bona uſuraria pecunia acquiſita, transferantur ad alium ex cauſa, ſeu titulo oneroſo, v. g. per venditionem, non poſſunt vendicari ab eo, cui uſuræ ſunt reſtituendæ. Ex quo patet, quod illa bona non ſint hypothecæ titulo ſubjecta: ſi vero titulo lucrativo, & gratuito, v. g. per donationem, ſint alienata, tunc officio Judicis poterunt vendi, non ſtricto jure, ſed nonniſi ex quadam æquitate, deficientibus aliis uſurarii bonis, *Covarr. cit. l. Silveſt. citat. loc. quæſt.* 5.

CVI. Poſtremo hoc loco notandum, ex *cit. cap. Cum tu*, colligunt DD. communiter, non ſolum injuſte acquiſita ex uſura: ſed etiam ex injuſta venditione, vel aliis contractibus injuſtis, debere, ſi dominis, vel eorum hæredibus reſtitui non poſſint, dari pauperibus, non quidem ſpectato Jure naturæ, ſed poſitivo, & Lege Eccleſiaſtica, quia eadem in his quoque eſt ratio quæ in uſuris: & cum non agatur de pœna, ſed de reſtitutione injuſte accepti, extenſio fieri poteſt ad caſus in jure non expreſſos, non enim par eſt, ut quis ex injuriis, & iniquitate locupletetur. Obligatur autem delinquens ad reſtitutionem, etiam ante Judicis ſententiam, quia leges pœnales, quæ in pœnam criminis inhabilem faciunt ad acquirendum, obligant etiam ante ſententiam Judicis, qualis eſt Lex iſta Canonica, quæ prohibet, ne quis eorum, quæ uſura, furto, vel alio titulo injuſto acquiſivit, dominium obtineat, ſed pauperibus in defectum veri domini, dare teneatur, ut docet *Laym. l.* 3. *tr.* 2. *cap.* 9. *num.* 2.

§. II.

An omnes uſurarii reſtituere tenentur uſuras, etiam hæredes eorum?

CVII. Aſſertio 1. Omnes recipientes uſuras obligantur, & pœnis cogendi ſunt ad reſtitutionem earum, ſive Clerici ſint, ſive Laici, *c.* 1. *&* 2. *& c. Præterea* 7. *h. tit.* quia non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, *reg. juris* 4. *in* 6. quæ ratio locum habet in omnibus, tam Laicis, quam Clericis, quin imo etiam Judæi recte coguntur ad reſtitutionem uſurarum, tanquam iniqui poſſeſſores rei alienæ, aut reſtitutioni obnoxiæ, nec eos convenit melioris eſſe conditionis, quam Chriſtianos, ſicut neque ſtultos, quam peritos, ſeu prudentiores, *l. Servius* 4. *ff. Quod vi, aut clam. Cauſ. tr. de uſuris, c.* 7. *n.* 3. Et hinc in *c. Poſt*
,, *miſerabilem* 12. *h. t.* Papa Innocentius III. præcipit, Judæ-
,, os ad remittendas Chriſtianis uſuras, per Principes (quo-
,, rum temporali juriſdictioni ſubjiciuntur) & Poteſtates ſe-
,, culares compelli, & donec eis remiſerit (ſcilicet Judæi
,, uſuras quas nondum receperunt, vel jam receptas reſti-
,, tuerit, *Hoſtienſ. hic V. Remiſerint*) tam in mercimoniis,
,, quam in aliis, omnibus Chriſti fidelibus, ſub pœna ex-
,, communicationis præcipitur, ut omnem communionem
,, eis denegent. Et ſic indirecte compelli Eccleſia Judæos
,, ad remittendas, & reſtituendas uſuras, interdicendo eis
,, communionem cum Chriſtianis, quia directe excommuni-
,, cari non poſſunt, cum non ſint de communione Eccleſiæ,
,, *Gl. his in notat. Hoſtienſ. & Ab. n.* 4. qui tamen *n.* 6. *&* 7.
ait, quod Eccleſia poſſit etiam directe compellere Judæos ad uſuras reſtituendas, cum hoc crimen ſit Eccleſiaſticum, & Judæi peccent contra legem ſuam, & contra legem naturæ, exercentes uſuras, & ſic ratione delicti ſortiuntur forum, etiam coram Judice Eccleſiaſtico: quamvis Papa hic mandet eos compelli per Judicem ſecularem, qui habet homines, armatos, & ſic facilius per illum compelli poſſunt. Verum de hoc dictum ſupra *titul.* 6. §. 4. *numer.* 29. *& ſeqq.*

CVIII. Similiter idem Innocentius III. in Concilio Generali Lateranenſi, quod refertur in *cap. Quanto* 18. *hoc t.*
,, ſtatuit, ut ſi de cætero Judæi, quocunque prætextu, a
,, Chriſtianis graves, & immoderatas uſuras (maxime, quia
,, idem eſt de aliis, etſi moderatæ ſint, *Hoſtienſ. hic.*) ex-
,, torſerint, Chriſtianorum eis participium, id eſt, commu-
,, nio ſubtrahatur, donec de tali gravamine competenter
,, ſatisfecerunt: & ſi opus fuerit Chriſtiani per cenſuram
,, Eccleſiaſticam, appellatione remota, compellantur ab eo-
,, rum commerciis abſtinere.

Præcipit inſuper Principibus Concilium, ut propter hoc
,, non ſint Chriſtianis infeſti (nec in judicio nec extra,
,, *Hoſtienſ. hic.*) ſed potius a tanto gravamine Judæos cohi-
,, beant. Denique in fine additur, & decernitur, eadem
,, pœna (ſcilicet ut interdicatur illis communio Chriſtia-
,, norum) Judæos eſſe compellendos ad ſatisfaciendum Ec-
,, cleſiis, pro decimis, & obligationibus debitis, quas a
,, Chriſtianis ex domibus, & aliis poſſeſſionibus, ſive bonis
,, percipere conſueverunt, antequam ad Judæos quocunque
,, titulo perveniſſent, ut ſic Eccleſiæ conſerventur indem-
,, nes, quia res tranſit cum ſuo onere, *Gl. fin. hic.*

Ubi notandum primo, una ratio, cur uſuræ ſint prohibitæ, eſt, quia exhauriuntur facultates hominum, ut dicitur in *fin. cit. c. Quanto*, & ſic brevi tempore redigerentur ad paupertatem, *Abb. hic num.* 2.

Notandum ſecundo, ex eo, quod hic dicitur, Judæos compellendos eſſe ad reſtituendas uſuras graves, & immoderatas, non recte a ſenſu contrario infertur, quod moderatæ uſuræ poſſint exigi: nam hoc argumentum ceſſat, quando contrarium jure ſtatutum eſt, ſicut in propoſito in *c. Poſt miſerabilem*, 12. *h. t.* ubi ſimpliciter præcipitur, Judæos compellendos eſſe ad uſuras reſtituendas, *Gl. hic Verſ. immoderatas*, imo quælibet uſura cenſetur gravis, & immoderata, ſecundum *Hoſtienſ. hic V. eod.* quia quicquid ultra ſortem accipitur, uſura eſt, adeoque injuſte accipitur; quod tamen intelligendum eſt cum debita proportione, ut ſi magnum ſit, quod accipitur ultra ſortem, ſit magna uſura: ſi parvum parva, quia ſicut datur furtum parvum, ita etiam uſura, in qua modicum aliquid ultra ſortem in mutuo accipitur nonniſi parva eſt, & levis, quia non graviter lædit bona proximi, adeoque neque gravis injuſtitia eſſe poteſt, neque obligationem ſub peccato gravi, ſeu mortali ad reſtituendum inducere, ut bene advertit *Lugo cit. diſ.* 25. *ſect.* 11. §. 4. *n.* 252. *& ſeq.*

Notandum tertio, Judæis fuiſſe prohibitas uſuras, etiam ſecundum Legem Moſaicam, cui non obſtat, illud *Deuteron. c.* 23. ibi: *Non fœneraberis fratri tuo, ſed alieno*, quia eo loco non fuit licita uſura cum exteris ex diſpenſatione, nam in eo, quod adverſatur legi naturæ, diſpenſari non poteſt, adeoque non fuit uſura ibi permiſſa tanquam licita, ſed ſolum tanquam impunita ad majora mala vitanda, quemadmodum etiam libellus repudii Judæis fuit permiſſus ad occiſionem uxorum ipſarum evitandam, *Barboſ. in Collect. in cit. c. Poſt miſerabilem n.* 3.

CIX. Aſſertio 2. Etiam hæredes uſurarii obligantur ad reſtitutionem uſurarum, nam ſi uſurarius in vita non reſtituit uſuras, debent illæ ab hæredibus defuncti ſive ſui ſint, ut filii, ſive hæredes extranei, reſtitui ei, qui uſuras ſolvit, vel ejus hæredibus, in utroque foro, ut conſtat ex *c. Tua nos* 9. *h. t.* ubi cum quæſitum fuiſſet a Papa Alexandro III. quid obſervandum ſit quoad filios uſurariorum, qui
,, eis in crimine uſurarum defunctis ſuccedunt (id eſt, in
,, uſuris, quæ ad ipſos pervenerunt, *Hoſtienſ. hic V. In cri-*
,, *mine*) aut quoad extraneos hæredes, ad quos bona uſu-
,, rariorum ſunt devoluta? Reſpondit Papa, quod filii ea-
,, dem diſtrictione ad reſtituendas uſuras cogendi ſunt,
,, qua parentes eorum cogerentur, ſi viverent. Et idem fa-
,, ciendum eſt contra hæredes extraneos.

CX. Ubi notandum primo, hæredes defuncti uſurarii, non tantum in debito ex uſuris, ſed etiam in omni alio debito defuncti, & ex damno alteri in rebus temporalibus injuſte illato, obligantur ad ſatisfaciendum, & compenſandum illud, juxta *c. ult. de ſepult.* quia actiones defuncti ſicut activæ tranſeunt ad hæredes, ita & paſſivæ, hoc eſt, ſicut hæredes poſſunt agere ad perſecutionem, ſeu compenſationem damni illati in bonis defuncti ab aliis, ita viciſſim etiam ipſi conveniri poſſunt propter delictum defun-

ctis

ſti, ad compenſandum damnum ab eo illatum in bonis alterius. Non tamen poſſunt convenire hæredes actione mere pœnali, ad ſolvendam pœnam, quam incurrit defunctus ob delictum, quando hoc morte defuncti exſpiravit, *Covarr. libr. 3. reſol. c. 3. c. 7. Molin. tr. 2. diſ. 332. n. 2.*

Notandum ſecundo, bona uſurariorum non ſunt realiter obligata, ſive tacite hypothecata pro uſuris reſtituendis, ut ſupra dictum; & ſumitur etiam ex *cit. cap. Tua nos*, ubi non dicitur, quod omnes, ad quos bona uſurarii pervenerunt, cogendi ſint ad reſtituendas uſuras, ſed filii, vel alii hæredes, etiam extranei, ergo illi, ad quos pervenerunt bona uſurarii, titulo ſingulari v. g. venditionis, non poſſunt compelli ad dimittenda illa bona, ut ex iis reſtituantur uſuræ, quia non ſunt hæredes, *Abb. hic n. 3.* contra *Gl. hic V. Cogendi.* Idque procedit etiam, quoad bona comparata ex pecunia uſuraria: nam ſive ex cauſa oneroſa, ſive etiam ex cauſa lucrativa ad alium pervenerint, titulo ſingulari, non poteſt, ſaltem ſpectato juris rigore, moleſtari ſuper illis bonis ad uſuras reſtituendas, *Arg. l. Æris, 25. C. de donationib. Abb. hic n. 7.* quamvis ex æquitate, quoad bona, quæ prius pecuniis uſuraria ſunt acquiſita, ſed poſtea in alium, titulo lucrativo, translata, aliud dicendum videatur, *Abb. hic n. 8.* & dictum etiam *§. præced.*

Notandum tertio, ſub iiſdem pœnis poſſunt hæredes uſurarii compelli ad reſtituendas uſuras, per quas poterat compelli defunctus, uti ſumitur ex *cit. c. Tua nos*, ibi, *Ea ſunt diſtrictione cogendi &c. Abb. hic n. 4.* Et hinc per reſcriptum impetratum a Papa, vel alio Principe contra uſurarium, ad reſtituendas uſuras, poteſt etiam conveniri hæres ipſius, etiam re adhuc integra, id eſt, ſi nulla adhuc repetitio uſurarum ab uſurario ſit facta, maxime ſi tempore dati Reſcripti, adhuc vixit uſurarius, quia hæres cenſetur eadem perſona cum defuncto, ut colligitur ex *c. Significavit 36. de reſcript. Abb. hic n. 5.*

Notandum quarto, ſi bona defuncti non ſufficiant ad reſtituendas uſuras, non tenetur hæres illas reſtituere ex ſuo in foro externo, & judiciali, ſi inventarium confecit; ſecus eſt, ſi non fecit: quamvis in foro animæ, ſive conſcientiæ, non teneatur ultra vires hæreditatis, etſi inventarium non fecit, ſecundum communiorem ſententiam, quia lex ſtatuens oppoſitum eſt fundata in præſumtione juris, quod plus fuerit in hæreditate, quæ præſumptio ceſſat in foro conſcientiæ, in quo creditur aſſerenti contrarium, *Abb. hic n. 12.*

CXI. Sed jam hic ulterius quæritur, an quando plures ſunt hæredes uſurarii, ſinguli teneantur reſtituere in ſolidum? Reſp. primo, ſinguli hæredes non obligantur ſolvere uſuras in ſolidum, nec unus pro altero, etſi deficiat, & ſolvere nolit, vel non poſſit ſuam partem, ſed ſinguli ſolum juxta portiones ſuas, quas ex hereditate acceperunt, ita ut ſi tres ſint hæredes ex æquis partibus, ſinguli ſolvant tertiam partem debiti, juxta portionem, in qua ſuccedunt defuncto. Item ſi unus habeat duas partes hereditatis, teneatur ad duas partes uſurarum ſolvendas, & qui tertiam partem habet: ad tertiam: idemque regulariter eſt de aliis quibuſcunque hæredibus. *Abb. in cit. c. Tua nos nu. 6. Silveſt. V. Uſura 6. q. 10. dicto Azor. p. 3. lib. 5. de uſura, c. 17. q. 12. Molin. cit. diſ. 332. n. 4. Leſſ. l. 2. c. 20. dub. 20. n. 175.* quæ eſt communior, & verior ſententia. Ratio eſt quia ſicut bona defuncti dividuntur inter hæredes, pro rata, ſeu portione hæreditaria: ita etiam ejus obligationes perſonales, & debita dividi debent, quia commoda, ſeu bona, & onera æqualiter inter hæredes dividenda ſunt, ita ut qui ex parte tantum commodum percipit, onus quoque ex parte ſentiat; & licet ſinguli hæredes repræſentent defunctum, non tamen totaliter, ſed ex parte, & omnes ſimul repræſentant illum totaliter. Nec obſtat *cit. cap. Tua nos* ubi dicitur, hæredes ex diſtrictione eſſe cogendos uſuras ſolvere, qua defunctus cogeretur, ſi viveret: ſed iis tenetur in ſolidum; ergo & hæredes: quia ibi ſolum dicitur, quod omnes hæredes ſimul juncti teneantur omnes uſuras reſtituere, ita tamen ut ſinguli non teneantur in ſolidum, ſed ſolum pro rata portionis, quæ ipſum contingit, & eo modo, quo defuncto ſuccedunt.

CXII. Excipiendum primo, niſi res aliqua per uſuram acquiſita in ſpecie adhuc extet apud uſurarium, tunc enim ea, ad quemcunque poſſeſſorem pervenerit, vel legatarium etiam, reſtituenda eſt: quia eſt aliena vel ſaltem danti debita, ita ut reſtitui debeat, ſi adhuc extat, *Leſſ. c. l. n. 174. Molin. cit. diſ. in fine.*

Excipi debet ſecundo, ſi ante hæreditatis diviſionem, & priuſquam cuilibet hæredum ſua aſſignaretur portio, ob culpam ipſorum factum ſit, ut uſuræ non ſolverentur: tunc ſinguli hæredes, in defectum cohæredum, qui vel nolunt, vel non poſſunt ſolvere, debent in ſolidum ſolvere, quia tunc ex proprio delicto ad id tenentur, *Lugo cit. diſ. 25. ſec. 11. §. 2. num. 137.*

CXIII. Reſp. ſecundo, ſi hæreditas, ſolutis ex ea legatis & deducta etiam legitima, ſeu quarta falcidia hæredibus debita, adhuc ſufficiens maneat ad ſolvendas uſuras, & reliqua debita defuncti, tum legatarii non tenentur uſuras ſolvere in defectum hæredum, etiamſi poſtea efficiantur impotentes, quacunque ratione, ad ſolvendum, quia debita perſonalia defuncti non tranſeunt ad legatarios, nec donatarios mortis cauſa, ſed ad hæredes, qui ſuccedunt in univerſum jus defuncti, adeoque etiam in onera & debita perſonalia ejuſdem, *Leſſ. c. l. n. 176.* Aliud eſt, ſi bona hæreditaria non ſufficiant, ad uſuras ſolvendas vel etiam non ſufficiant, ut ſolutis debitis, adhuc integra maneat hæredibus ſua legitima, ſeu quarta debita, quam ex legatis detrahere poſſunt, tunc enim tenentur etiam legatarii contribuere, ſervata proportione, quia ante omnia legata, debent deduci debita, & illis ſolutis etiam quarta falcidia, & quod reliquum eſt, dandum eſt legatariis, *Leſſ. c. l. nu. 173. Lugo l. num. 136.*

§. III.

Quinam, & quo pacto cooperantes ad uſuras exigendas, vel ſolvendas, teneantur ad reſtitutionem?

CXIV. Regula generalis eſt, omnes eos, qui ſe tenent ex parte uſurarii mutuantis, & ſunt cauſa efficax, cur uſuræ exigantur, & ſolvantur, vel potius cur mutuum non detur gratis, & ſine uſuris, peccare, & obligari ad reſtitutionem, ſaltem ſecundo loco ſi uſurarius nolit, aut non poſſit reſtituere: eos vero, qui ſe tenent ex parte mutuatarii uſuras ſolventis, non obligari ad reſtitutionem, niſi quando, & eo modo, quo ipſe mutuatarius aliquando peccat, ratione ſcandali, *Molin. cit. diſ. 331. n. 1. Azor. cit. lib. 5. c. 27. in princ. Leſſ. cit. c. 20. dub. 21. nu. 178.* & 184. quod poſterius tamen *Lugo cit. diſ. 25. ſec. 11. n. 214.* intelligendum eſſe ait de illis, qui ita cooperantur, ex parte mutuatarii, ut is graviter ſit invitus, tunc enim peccant contra juſtitiam, & obligantur ad reſtitutionem: alioquin enim, ſi eo non invito, ſed volente & conſentiente cooperentur ad uſuras ſolvendas, nullam inferunt mutuatario injuriam, quæ non fit volenti, & conſentienti, & conſequenter neque debeant contra juſtitiam, neque ad reſtitutionem tenentur.

CXV. Hinc infertur primo, Principes, Judices, & Domini temporales, qui lege, vel ſtatuto decernunt, vel per præceptum, aut per ſententiam compellunt ſubditos debitores ad uſuras promiſſas ſolvendas: vel etiam cum uſuræ ſolutæ repetuntur, prohibent, vel impediunt, ne reſtituantur, tenentur ad reſtitutionem in ſolidum, ſi uſurarius nolit, vel non poſſit reſtituere, quia id prohibitum eſt ſub excommunicatione in *Clement. unic. hoc tit. Silveſt. Verſ. Uſura 9. quæſt. 22. Azor. cit. loco 3. cap. 17. quæſt. 4. Leſſ. cit. c. 20. n. 179. Molin. cit. diſ. 331. num. 5.* Secus eſt, ſi prædicti ſolum permittant uſuras exerceri ad majora incommoda vitanda, nullum eis auxilium præbentes, nec in peccato participantes, tunc enim non cenſentur cauſa efficax uſurarum, *Leſſ. cit. loco* Nihilominus tamen ex diſpenſatione S. Pontificis, poſſe Principes ſupremos obligare, & cogere ſubditos ad ſolvendas uſuras promiſſas, indicat *Navarr. l. 5. conſil. 33. h. t. numer. 5.* ubi teſtatur, in toto ſtatu Eccleſiaſtico, etiam Romæ, Chriſtianos compelli ad ſolvendas uſuras Judæis promiſſas, & Judæos non compelli ad ſolvendas eas Chriſtianis: nam quamvis intrinſece malum ſit, & jure naturæ prohibitum cogere ad ſolvendas uſuras, tanquam vere debitas: non autem eſt intrinſece malum, ſi ſubditi debitores compellantur ad eas ſolvendas non ut debitas, ſed ob alias juſtas, & publicas cauſas id exigentes, *Lugo cit. diſ. 25. ſect. 11. n. 219. in fine*, ubi rationem reddit, cur hæc cooperatio per legem, & præceptum ad ſolutionem uſurarum non ſit illicita, & inducat obligationem ſolvendi uſuras, quia quamvis mutuans ſub uſuris peccet contra juſtitiam, & conſequenter etiam peccent, qui eum adjuvant invito mutuatario: ipſe tamen mutuatarius non peccat contra juſtitiam, neque etiam contra charitatem, ſi juſtam cauſam habeat petendi mutuum, & poſt acceptum mutuum, licite uſuras promiſſas ſolvit, imo ad id tenetur, ſi ſub juramento promiſit, apud quem plura de hoc legi poſſunt.

CXVI. Infertur ſecundo, qui conſulit, & perſuadet alicui, ut ſub uſuris mutuet, alias gratis mutuaturo, vel eum in propoſito mutuandi confirmat, is tenetur ad reſtitutionem in ſolidum, in defectum mutuantis, quia conſilio ſuo eſt cauſa damni illati mutuatario: ſi vero mutuo jam accepto ſub uſuris conſilium dat, ita ut nihil fecerit ad uſuras acquirendas, non obligatur ad reſtituendum, *Silveſt. V. Uſura 7. q. 2. Azor. cit. c. 17. q. 1.*

Infertur tertio, deponens pecunias ſuas apud uſurarium non peccat contra juſtitiam, etſi prævideat ipſum iis eſſe fœneraturum, quia utitur jure ſuo, nec ex officio tenetur impedire uſuras, modo non ſuaſerit, ut exigeret uſuras, nec ipſe earum ſit particeps, quia per hoc nulla fit injuria mutuatario, qui mutuum ſine uſuris habere non poteſt, imo talis nec contra charitatem peccat, ſi ob ſuam neceſſitatem vel utilitatem deponat, *Azor. citat. loc. quæſt. 2. Leſſ. cit. loc. numer. 184.*

Infertur quarto, Notarius faciens ſcienter inſtrumentum, in quo ſub ſpecie liciti contractus, ſive ſub nomine alterius debiti, pallientur uſuræ, ita ut ex eo poſtea reipſa mutuatarius cogatur ſolvere uſuras, peccat contra juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem, ſi quidem invito, & non conſentiente mutuatario, inſtrumentum confecit: ſecus ſi ipſo volente, & petente, quia tunc non fit illi injuria; quando vero inſtrumentum expreſſe continet contractum uſurarium non tenetur regulariter ad reſtitutionem, quia vi illius inſtrumenti, non poteſt mutuatarius cogi in judicio ad ſolvendas uſuras, niſi alicubi conſuetudo, vel ſtatutum iniquum eſſet, quo cogantur mutuatarii ad uſuras ſolvendas, *Leſſ. c. l. n. 180. Azor. c. l. q. 6.* Idemque de teſtibus, qui interveniunt in tali inſtrumento, ſecundum datam ſupra diſtinctionem, quia ſine teſtibus non valet *Sylveſt. V. Uſura 7. q. 9. Azor c. l. q. 7.*

CXVII. Infertur quinto, Judices, Procuratores, & Advocati, quorum patrocinio, & ope, in judicio, vel extra, ſcienter exiguntur uſuræ, vel non reſtituuntur, cum repetuntur, tenentur reſtituere in ſolidum, in defectum uſurariorum. *Silveſt. Verſ. Uſura 7. qu. 10.* Idem eſt de mediatoribus, ſi ſint cauſa, cur mutuans, non gratis, ſed ſub uſuris mutuet. *Silveſt. V. Uſura 7. qu. 3.*

Infertur ſexto, famuli uſurarii, qui nomine domini cum mutuatario contractum ineunt, deducendo in pactum, ut uſuras ſolvat, vel cogunt, & urgent ad eas ſolvendas, peccant contra juſtitiam, & tenentur ad reſtitutionem: ſecus ſi remote ſolum cooperentur ad uſuras accipiendas, portando,

vel

Digitized by Google

vel reportando pecunias, ſcribendo rationes dati, vel accepti &c. *Leſſ. cit. cap. 20. num. 181. & 2. ſeqq.*

Infertur ſeptimo, Tutores, curatores, adminiſtratores, & negotiorum geſtores, qui nomine pupillorum, vel eorum, quorum negotia gerunt, mutuant ſub uſuris, injuſte cooperantur ad uſuras, & tenentur ad reſtitutionem, ſaltem in defectum eorum, quorum nomine accipiunt uſuras, *Silveſt. c. l. q. 4. Azor. cit. l. q. 4.* plura de his videri poſſunt apud DD. citt.

§. IV.

De quibuſdam exceptionibus, quas uſurarii opponere poſſunt, vel ſolent contra petentes reſtitutionem uſurarum.

CXVIII. Quæritur primo, an uſuræ injuſte acceptæ reſtituendæ ſint ab uſurario, ſi is excipiat contra petentem mutuatarium, qui eas ſolvit, quod liberaliter ſibi ab eo remiſſæ ſint? Reſp. Validam eſſe talem remiſſionem, adeoque nullam eſſe obligationem, ex parte uſurarii, reſtituendi uſuras ſponte, & ſine fraude ipſi a mutuatario remiſſas, ut docet *Gl. in c. Peccatum 4. V. Reſtituatur de reg. juris in 6. Covarr. in eadem reg. p. 2. in princ. num. 3. Caniſ. tr. de uſur. cap. 7. numer. 3. Zoeſ. in Comment. in decret. h. titul. numer. 40.* Ratio eſt, quia etiam in aliis debitis, ſive civilibus, ſive criminalibus, libere poteſt creditor remittere debitori jus ſuum quoad privatum ſuum intereſſe, cum quilibet rei ſuæ ſit moderator, & arbiter, *l. In re 21. Cod. Mandati*, niſi in caſibus, in quibus jus remiſſioni reſiſtit, eamque prohibet, ut in caſu *c. Statutum 12. §. Si quid autem de reſcript. in 6. & in cap. 2. in fine de conſib. in 6.* Neque vero hic obſtat regula illa Juris 4. in 6. deſumpta ex S. Auguſtino: *Peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum*: quia non poteſt cenſeri ablatum, quod libere eſt condonatum: & nihil intereſt, an ſolvatur id, quod in obligatione eſt: an vero aliter volenti creditori ſatis fiat, *l. Si rem 9. §. Omnis ff. de pignorat. act.* ubi dicitur: *Satisfactum intelligimus, quemadmodum voluit creditor, licet non ſit ſolutum ff. Quibus modis pignus ſolvit.*

CXIX. Quæritur ſecundo, an debitori petenti remiſſionem uſurarum promiſſarum, vel reſtitutionem ſolutarum, poſſit a creditore, ſive mutuatario opponi exceptio juramenti præſtiti a debitore, ſive ſolvente uſuras? Reſpondetur, non obſtante juramento, quo debitor, ſive mutuatarius juravit ſe ſoluturum uſuras, vel ſolutas non repetiturum, poteſt cogi creditor, ſive uſurarius, ut vel remittat juramentum, ſi nondum ſolutæ ſint uſuræ, vel ut eas reſtituat,
„ ſi ſint ſolutæ, ut conſtat ex *cap. 1. de jurejur. & in cap.*
„ *Tuas 13. h. titul.* Nam cum quidam uſurarii eos, qui-
„ bus pecuniam mutuant, & dant ad uſuram, præſtare
„ faciant juramentum, quod uſuras non petent ab eis (ut
„ ſic obſtante juramento, non poſſint uſurarum remiſſionem
„ petere nondum ſolutarum, vel reſtitutionem ſolutarum,
„ *Hoſtienſ. hic.*) & ſuper ſolutis nullam movebunt quæſtio-
„ nem: quæſitum fuit a Papa Innocentio III. quid hac in
„ re ſit agendum? Reſpondet Papa Epiſcopo Diœceſano,
„ ut ipſos uſurarios, monitione præmiſſa, per cenſuram
„ Eccleſiaſticam, non obſtante appellatione, compellat, an-
„ te uſurarum ſolutionem, ab exactione earum deſiſtere,
„ vel reſtituere eas, poſtquam ſunt perſolutæ, ne ex dolo
„ ſuo, & fraude commodum reportare videantur.

CXX. Pro declaratione hujus c. notandum primo, ſi debitor, ſive mutuatarius juravit ſe ſoluturum uſuras, tenetur ſolvere uſuras promiſſas, niſi petat abſolutionem, ſive relaxationem juramenti, quamvis poſtea ſolutas repetere poſſit ab uſurario, juxta *c. Debitores 6. de jurejurando.* Nam quia non eſt peccatum dare uſuras; ſi quis, neceſſitate cogente, mutuum ſub fœnore accipiat, etſi ſit peccatum accipere uſuras; ideo cum ex parte jurantis, ſe ſoluturum uſuras, juramentum impleri poſſit, & ſervari, ſine diſpendio ſalutis æternæ illud ſervari debet, *cap. 2. de pact. in 6.* At vero, quia is, qui accipit uſuras, non poteſt eas ſine peccato accipere, ideo tenetur vel uſuras remittere, ante earum ſolutionem, & juramentum: vel ſi jam accepit, tenetur eas reſtituere danti, ne ex dolo ſuo, & injuſtitia lucrum referat, *cit. c. Tuas, h. t. & cit. c. Debitores &c. Ad noſtram 7. de jurejuran.* ſi ergo debitor, ſive mutuatarius petat ab uſurario ſibi remitti uſuras, vel ſolutas reſtitui, & uſurarius excipiat, quod ſint debitæ ex promiſſione jurata, & ideo non habeat locum remiſſio, vel repetitio uſurarum, replicari poteſt, ex parte mutuatarii, quod propter juramentum quidem uſuræ ab ipſo ſolvi debebant, ſed quia ex parte accipientis illicite, & injuſte ſunt acceptæ, ideo auctoritate Concilii Lateranenſis ſub Alexandro III. c. 25. allegato in *c. l. h. t. in 6.* remittendas eſſe, ſi nondum ſolutæ ſint, vel reſtituendas, ſi ſint ſolutæ, *Tholoſan. libr. 3. de uſur. cap. 12. num. 7.* ubi ad cautelam ſuadet, ut contra exceptionem juramenti, cujus debitoris, qui juravit ſolvere uſuras, ſine mandato illius, compareat, & replicet, ac contradicat.

Notandum ſecundo, ſi debitor, ſive mutuatarius juravit, ſe uſuras ſolutas non repetiturum, ut in *caſu c. Ad noſtram 20. de jurejur.* tum poteſt petere abſolutionem, ſive relaxationem juramenti, *Arg. c. Si vero 8. eod.* vel petere a Judice, coram quo convenitur, ut ex vi officii compellat uſurarium remittere juramentum, *c. 1. de jurejur.* & cogat deſiſtere ab exactione earum, ſi non ſint ſolutæ, *citat. c. Tuas, h. tit.* vel denique ut qui promiſit non repetere uſuras, denunciet id Eccleſiæ, *Abb. in cit. c. 2. de jurejur. nu. 8. & 9. Tholoſan. cit. cap. 12. num. 8.* ſi vero debitor, ſive mutuatarius juravit, non tantum ſe non repetiturum uſuras ſolutas, ſed nec ullam quæſtionem moturum, vel delaturum, ut in *caſu cit. c. Tuas*, tum non obſtante juramento, poterit denunciare Eccleſiæ, nullum enim juramentum obligare poteſt, quin poſſit quis denunciare Eccleſiæ criminoſum, *c. Quemadmodum 25. in fine de jurejur.* nec valere poteſt, cum ſit contra præceptum charitatis de denunciatione fraterna, & ſalutem proximi, *Abb. citat. loc.* denuncians enim ſe fundat, non ſuper commodo, ſeu intereſſe proprio, ſed ſuper peccato proximi, & ſalute animæ ipſius, *Abb. in citat. cap. Tuas, num. 6. h. tit.* Item poteſt Judex ex officio compellere uſurarium ad relaxandum juramentum, & reſtituendum, *Abb. in citat. cap. 1. num. 9.* quin etiam ſi uſurarius nolit libere remittere juramentum, poteſt Epiſcopus abſolvere jurantem, eo invito, *Arg. cit. c. Si vero. Tholoſan. cit. l. num. 9.*

Notandum tertio, ſi debitor, qui juravit ſe non repetiturum uſuras, intendat eas repetere, tunc debet prius petere abſolutionem, ſive relaxationem juramenti, *Gl. in cit. c. Tuas, V. Deſiſtere*: ſi vero non petat relaxationem juramenti, ſed Judex ex officio procedat, & cogat uſurarium ad reſtituendas uſuras, tum non eſt opus abſolutione a juramento, quia jurans nil facit contra juramentum, juravit enim ſe non repetiturum uſuras, non autem juravit, ſe non recepturum uſuras, ſi redderentur, *Abb. in cit. cap. Tuas, num. 4. h. tit.* Videri poſſunt, quæ dicta ſunt de his *libr. 2. Decret. tit. 24. ſec. 5. §. 7.*

CXXI. Quæritur tertio, an is, a quo repetuntur uſuræ, poſſit objicere illas repetenti, quod ipſe etiam, vel is, cujus eſt hæres, & pro quo repetit illas, vel a ſe, vel ab aliis uſuras acceperit, eaſque non reſtituerit, & ſic per talem exceptionem repetentem repellere? Reſp. De hoc agitur inprimis in *c. Quia fruſtra 14. h. t.* ubi Innocentius III. ſic reſcribit: Quia fruſtra Legis auxilium invocat, qui
„ committit in legem, ſtatuimus, ut ſi quis uſurarius a no-
„ bis litteras impetravit ſuper reſtituendis uſuris ſibi (ſcili-
„ cet uſurario) vel fructibus computandis in ſortem, au-
„ ctoritate illarum, nullatenus audiatur, niſi prius ipſe
„ reſtituerit uſuras, quas ab aliis noſcitur recepiſſe, & ex-
„ torſiſſe.

CXXII. Pro explicatione hujus cap. notandum primo, ratio, cur repetens uſuras non audiatur, ſi ipſe aliis uſuras extorſit, eſt, quia fruſtra legis auxilium invocat, qui committit in legem, ſcilicet in eandem legem, cujus auxilium implorat: ſecus ſi delinquat in aliam diverſam legem, *Gl. hic V. In legem, & Barboſ. in Collect. hic num. 2.* & habetur etiam in *l. Auxilium 37. ff. de minorib.* & nemo poteſt improbare mores, quibus ipſe infectus eſt, *l. In arcam 11. C. de inoffic. teſtam.* nec valet replicatio, ſi is, qui petit ſibi reddi uſuras, dicat, quod uſuras non exegerit ab eo, a quo illas repetit, etſi ab aliis exegerit, qui tamen ab eo illas non repetunt: nihilominus enim poteſt uſurarius contra alium uſurarium excipere non tantum de uſuria a ſe extorta, ſed etiam a quibuſcunque aliis: & ſic auditur allegans jus tertii: idque ſit, non tam in favorem eorum, quibus reſtituuntur uſuræ, quam in odium uſurarii, ut prius ſe purget de crimine uſuræ, quam alium de eo arguat, *Abb. hic num. 4.*

Unde hoc ſpeciale eſt in uſurario repetente uſuras, vel petente, ut fructus computentur in ſortem, quod non audiatur, niſi prius reſtituat uſuras, quas ab aliis extorſit: nam ab aliis actionibus civilibus uſurarius non repellitur, ſed audiri debet, antequam uſuras reſtituat, non obſtante hac exceptione, *Abb. hic num. 3.*

CXXIII. Notandum ſecundo, ſi contra repetentem uſuras ab uſurario excipiatur, quod & ipſe uſuras extorſerit, & facta publica denunciatione ex officio Judicis, juxta *cap. Ad noſtram 22. de jurejur.* nullus agat, ſive repetat uſuras ab uſurario, tum præcipi ei debet, ut uſuras reſtituat, ſaltem pauperibus, alias non liberabitur a peccato, *c. Cum tu. 5. h. t.* ac proinde cum nondum ſit emendatus, ſi in crimine perſeveret, non reſtituendo alienum, non eſt audiendus, prout colligitur ex *cit. c. Quia fruſtra*, ibi: *Niſi quis ipſe reſtituerit*, vel adhuc reſtituat cum effectu, non enim debet habere beneficium legis, qui contra illam in crimine perſeverat, adeoque Judex non debet procedere per litteras ab eo impetratas niſi poſtquam conſtiterit, quod plene purgatus fuerit, *Gl. hic V. Reſtituerit, & Tholoſan. l. 3. c. 18. num. 3.*

Sed quid ſi cum uſurario, qui excepit contra uſurarium, non procederet in cauſa, remanebitne peccatum primi uſurarii impunitum? quod ſi fiat uterque uſurarius, & conventus de uſuria & qui convenit alium, retinebit uſuras, & commodum ex delicto ſuo reportabit, quod fieri non debet. Reſp. Judex ex officio, repulſo actore, debet compellere uſurarium conventum ad reſtituendas uſuras, non iſti uſurario actori, ſed iis, quibus debent reddi uſuræ ab illo actore extortæ, & iſte actor tenebitur poſtea hoc ratum habere, cum negotium illius ſit utiliter geſtum, *l. Si pupilli 6. ff. de negot. geſt.* & facta integra reſtitutione, audietur actor repetens uſuras ab alio uſurario, in iſtis enim multum valet, & poteſt officium Judicis, *c. Tuas 23. h. t. Abb. in cit. c. Quia fruſtra, num. 4. Tholoſan. c. l. num. 4.*

Porro exceptionem hanc contra uſurarium, qui impetravit litteras Apoſtolicas ad repetendum uſuras, non poſſunt proponere alii conventi a Reo, quia ad eos non extenditur vis litterarum, ſed ipſe Reus bene poteſt accipere, quod uſuras etiam ab aliis actor extorſerit, *Abb. hic num. 8.*

CXXIV. Notandum tertio, exceptio contra uſurarium repetentem uſuras, quod ipſe etiam non reſtituerit uſuras ab aliis extortas, debet proponi ante litis conteſtationem, quia eſt exceptio dilatoria, & arcet actorem a litis ingreſſu, ſive ab agendo, niſi ipſe prius ſatisfecerit, ut patet ex *cit. c. Quia fruſtra*, ibi: *Nullatenus audiatur*: ſi ergo ſuit auditus, & admiſſus ad agendum, non poteſt amplius excipi, & debet probari hæc exceptio, etiamſi ante litem conteſtatam ſit propoſita, intra 8. dies, *Argum. cap. 1. de except. in 6. Hoſtienſ. hic in fine, & Abb. numer. 9. Tholoſ. cit. l. num. 5.*

No-

Digitized by Google

Notandum quarto, ſi excipiatur contra uſurarium repetentem uſuras, quod ipſe non reſtituerit, quæ ab aliis extorſit, conſultum erit, ut reſpondeat, ſe eſſe paratum reſtituere, ſi ſit, qui petat: & tunc Judex publico denunciabit, quod quicunque tali ſolvit uſuras, veniat, & ſi id oſtenderit, ſatisfiet ei: quod ſi nemo comparuerit, qui petat, procedet prior repetitio uſurarium: ſi vero veniant aliqui, & probent, illis reſtituentur uſuræ ab actore extortæ, *Tholoſ. cit. l. num. 3. §. Tutior erit replicatio*. Nec ſufficit in hoc caſu dare pignora, aut cautiones de reſtituendo, *Arg. c. Cum aliquibus 6. de re judic. & l. Quod ſi 50. ff. de pignorat. act.* niſi forte alia quædam magna cauſa superveniat, *Arg. l. 4. §. Ait Prætor. ff. de re judic.* ut ſi non ſit ſolvendo, tunc enim ſufficit præſtare cautionem, & audiri debet, ut poſtea alii reſtituat. *Arg. c. Olim. 16. de reſtit. ſpoliat.* vel ſi is, cui debetur, conſentiat, quia tunc ſatisfactum intelligitur, *l. Si cum 8. §. Omnis ff. de pignorat. act. Gl. hic cit. c. Fruſtra, V. Reſtituerit. Hoſtienſ. ibid.*

CXXV. Cæterum quod dictum eſt, ſi quis petat uſuras a ſe extortas ſibi reſtitui, eum non audiri, niſi ipſe prius reſtituat uſuras, quas ab aliis extorſit, id extenditur, ut non audiatur, niſi reſtituat, non ſolum quas ipſe, ſed etiam, quas pater ſuus, cujus ipſe eſt hæres, extorſit, prout ,, decernitur in *c. Michael 17. h. tit.* Nam Michael Laicus ,, conqueſtus eſt Papæ Innocentio III. quod M. & quidam ,, alii cives Bononienſes multa extorſerunt ab ipſo, & patre ,, ſuo, cujus hæres extitit, per uſurariam pravitatem. ,, Quare mandat Papa Epiſcopo Bononienſi, ne auctoritate ,, litterarum a ſe impetratarum in eodem negotio procedat, ,, niſi dictus conquerens reſtituerit, vel adhuc reſtituat, ,, ſi quas aliquando ipſe, vel pater ejus extorſit ,, uſuras.

CXXVI. Ubi notandum primo, Laicus poteſt a Papa impetrare Reſcriptum ad reſtituendas uſuras ab ipſo extortas, nam hoc caſu Judex Eccleſiaſticus juriſdictionem habet etiam in Laicos, *c. Quia 3. h. t. Abb. hic num. 1.*

Notandum ſecundo, filius poteſt repetere uſuras extortas a patre ſuo, modo ipſe ſit hæres, ſicut & quilibet hæres extraneus, *Gl. hic V. Extitit. Abb. not. 2.*

Tertiò, repetens uſuras non auditur, niſi reſtituat extortas a ſe vel patre ſuo, vel ab alio defuncto, cujus ipſe eſt hæres, *Abb. hic num. 2.*

Quarto, ſi Clericus repetat uſuras, non proprio nomine, ſed nomine Eccleſiæ ſuæ, non poteſt contra illum excipi, quod ab aliis ipſe uſuras extorſerit; nec reſtituerit, quia agit nomine Eccleſiæ, cui delictum ſuum abeſſe non poteſt, *Re. Delictum. 76. in 6. Arg. cap. 5. fine de reſtit. ſpoliat.* Similiter nec contra Procuratorem repetentem uſuras, nomine domini principalis, excipi poteſt, quod ipſe Procurator uſuras ab aliis receperit, *Abb. hic num. 3.*

Quinto, hæres tenetur reſtituere uſuras extortas a defuncto, licet nihil ad ipſum hæredem pervenerit, quia non convenitur ex delicto, ſed ex quaſi contractu, *l. unic. C. Ex delicto defunct.* ad compenſationem damni illati, idque utroque Jure, etiam Civili, *Gl. hic V. Pater, & Abb. num. 5. Covarr. l. 3. reſol. cap. 3. num. 7.*

CXXVII. Quæritur quarto, an conventus ſuper uſuris reſtituendis, poſſit appellare, ne cogatur illas reſtituere? Reſp. Si manifeſtus uſurarius appellet ad effugiendam reſtitutionem, non eſt audiendus, prout decernitur in *cap.* ,, *Quam pernicioſum 11. h. t.* ubi Papa Innocentius III. man,, dat Prælatis Eccleſiaſticis, ut manifeſtos uſurarios (id ,, eſt notorios, vel per propriam confeſſionem in judicio, ,, vel quia condemnati ſunt per ſententiam) & præcipue ,, quos uſuris publice renunciaſſe conſtiterit: cum aliquis ,, eos convenerit (& convicerit, non enim ſufficit aliquem ,, convenire ſuper crimine, niſi & probetur, *Hoſtienſ. hic* ,, *V. Convenerit.*) non permittant appellationis beneficio ſe ,, tueri, adeoque non obſtante appellatione, compelli debent ad reſtitutionem uſurarum. Idque non eſt ſpecialiter ſtatutum in odium uſuræ, ſed quia neque quilibet alius criminoſus auditur appellans a condemnatione criminis, *cap. Cum ſit 5. §. fin. de appell.* Quod tamen ita intelligendum, ſi appellatio ſit manifeſte frivola, & inutilis, quia ſcilicet dicit, ſe non eſſe uſurarium, cum tamen de contrario manifeſte conſtet, vel quia publice uſuris renunciavit; vel quamvis talis ſit declaratus, tamen ideo appellat, ne cogatur reſtituere, quod eſt contra juris præceptum. Secus eſt dicendum, ſi appellatio interpoſita ſit, ex juſta aliqua cauſa, ut quia dicit, ſe non accepiſſe uſuras ab eo, qui petit eas reſtitui, & tamen condemnatur: vel ſi non admittantur ejus teſtes ad reprobandos teſtes dicentes ipſum accepiſſe uſuras: vel ſi alio modo gravetur, namgravato, quamvis crimin oſo, non eſt deneganda appellatio, ſicut nec alia defenſio, quæ eſt juris naturalis, *c. Ut debitus 59. de appellat. c. Inter dilectos 11. de exceſſ. Prał.* ſicut nec raptori, *Arg. cap. In litteris 5. de reſtit. ſpoliat. Gl. hic V. Se tueri, & Abb. nu. 2.*

§. V.

Aliæ duæ quæſtiones circa reſtitutionem uſurarum proponuntur, & reſolvuntur.

CXXVIII. Quæritur primo, quænam in ſpecie reſtitui debeant ab uſurario? Reſp. Inprimis omne id, quod ex pacto, vel conventione, ratione mutui, ſupra ſortem acceptum eſt, a creditore, ſeu mutuante reſtituendum eſt, cum ſit uſura: non autem quod datum eſt mutuanti, a mutuatario, non intuitu mutui, & ſine pacto, ac intentione, & ſpe ſupra mutuum accipiendi, a mutuante eſt acceptum, quia id ad uſuram non pertinet, *Greg. Tholoſ. l. 3. de uſuris, cap. 9. num. 1.* Idemque dicendum de rebus, quæ a creditore, ſive mutuante acceptæ ſunt, ratione ejus, quod intereſt, ſive ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis, ob mutuum, vel ratione pœnæ legalis, aut conventionalis, quia ea non pertinent ad uſuras prohibitas, ut ex ſupra dictis patet.

Secundo, ſi res fructifera in ſpecie a debitore, ſive mutuatario data ſit creditori, ſive mutuanti pro uſuris, veluti domus, prædium, pecus, aut ſimile quid, ea debet, una cum fructibus perceptis, reſtitui, cum ſint percepti a poſſeſſore malæ fidei; imo & fructus; quos debitor, ſive mutuatarius percepiſſet, ſi rem ſuam poſſediſſet, ſive retinuiſſet, etſi ipſe creditor, ſive mutuans illos non perceperit, ob culpam, vel negligentiam ſuam, ſibi enim imputare debet, quod eos non perceperit, *Arg. c. Gravis 11. de reſtit. ſpoliat. l. in eo 8. in fine ff. de condict. furt. l. Si navis 62. §. Generaliter, ff. de rei vindic. l. Reſtituere 75. ff. de V. S. l. Generaliter 78. ff. de R. I. l. Videamus 38. §. In Faviana, ff. h. titul.* poteſt tamen uſurarius, ſicut & quilibet alius malæ fidei poſſeſſor, deducere expenſas neceſſarias factas pro colligendis, & conſervandis fructibus, qui etiam a prædone deduci poſſunt & retineri, *l. Si a domino 36. §. fin. ff. de hæred. petit. l. 1. C. de fructib. Tholoſan. c. l. num. 5.* Quin imo probabiliter tenetur uſurarius etiam reſtituere illos fructus, quos ipſe percepit; etſi dominus rei non fuiſſet percepturus, ſive ob caſum fortuitum, ſive etiam ob negligentiam ſuam, quia v. g. dominus domum datam pro penſione non locaſſet, vel agrum non coluiſſet, quam tamen uſurarius locavit, vel coluit, nam ſatis eſt, quod ſint fructus rei reſtitutioni obnoxiæ, & percepti ab uſurario, *Azor. p. 3. lib. 5. de uſura c. 13.* quamvis aliqui apud *Tholeſan. cit. l.* putent, ſaltem in foro conſcientiæ tales fructus non eſſe neceſſario reſtituendos. Illud magis certum eſt, quod uſurarius non tenetur reſtituere fructus, quos nec ipſe percepit, ob negligentiam ſuam, nec dominus rei percepiſſet ob negligentiam ſuam, quia nec ratione rei acceptæ tenetur, cum ipſe nihil perceperit, nec aliquid apud ipſum extet; nec ratione injuſtæ acceptionis, quia nullos fructus percepit, nec eos dominus rei percepiſſet, *Azor. cit. l.*

Tertio tenetur uſurarius, præter uſuras, reſtituere etiam omne damnum, quod ipſe debitor, ſive mutuatarius paſſus fuit, propter ſolutionem uſurarum, ut ſi coactus fuit ad ſolvendas uſuras, vilius vendere domum ſuam, vel agrum, vel accipere mutuum ſub aliis uſuris, ut ſolveret uſurario uſuras, *Azor. cit. l. Tholoſ. cit. l. num. 6.* imo & lucrum ceſſans ipſi mutuatario, ex eo quod ſolverit uſuras, cui cauſam dedit uſurarius, *Zuſ. in Comment. in Decret. hoc. titul. num. 28.*

CXXIX. Quæritur ſecundo, an, & quænam ab uſurariis accepta, titulo gratuito, vel oneroſo, reſtitui debeant? Reſp. primo, ſi uſurarius non ſit ſolvendo, accepta ab eo per ultimam voluntatem, ut per teſtamentum, codicillum, legatum, vel donationem mortis cauſa, debent reſtitui creditoribus, quouſque uſuræ integre ſolvantur, ut colligitur ex *l. Quod autem 6. §. pen. ff. quæ in fraudem credit. l. ult. §. 5. C. de jure deliberandi. Molin. tr. 2. diſp. 329. num. 7. Leſſ. l. 2. cap. 20. dub. 19. num. 172.* Ratio eſt, quia debitor poſt mortem non poteſt aliquid lucrari, ſive acquirere alia bona, ex quibus ſolvantur debita, ergo non alienare poteſt etiam in illud tempus aliquid in fraudem creditorum.

CXXX. Reſp. ſecundo, ſi quis rem titulo, ſive lucrativo, ut per donationem, ſive oneroſo, ut per emptionem, & venditionem, accepit, & acquiſivit ab uſurario, ſive ſit res uſu conſumptibilis, ſive non; quamdiu extat in ſpecie, ut veſtis, aurea catena, lectus &c. ſemper reſtitui debet, ubicunque ſit penes aliquem poſſeſſorem, etiamſi per talem alienationem uſurarius non fiat impotentior ad ſolvendum ſuis creditoribus, *Azor. cit. l. 5. c. 14. dict. 1. Leſſ. cit. dub. 19. num. 165.* & alii communiter. Ratio eſt, quia cum ipſi uſurarii non habeant dominium rerum per uſuras acquiſitarum, ſecundum communiorem ſententiam, non poſſunt illud, quocunque titulo, in alium transferre, adeoque qui eas accepit tenetur ad earum reſtitutionem. Imo etiam ſecundum alteram ſententiam, quia dominium talium rerum non tranſit in accipientem, niſi cum obligatione reſtituendi, quippe qui injuſte eas detinet.

CXXXI. Reſp. tertio, ſi uſurarius res illas quarum dominium habet, per contractum oneroſum, vel etiam gratuitum alienavit, & tranſtulit in alium, ita ut non ſit per talem alienationem factus impotens ad reſtituendas uſuras, in totum, vel ex parte, quia adhuc ei ſuperſunt alia ſufficientia bona ad eas ſolvendas, tum non debent res tales ab accipiente reſtitui, etiamſi uſurarius, poſt contractum, fiat impotens ad reſtituendas uſuras, *Azor. cit. cap. 4. dict. 2. Molin. cit. diſ. num. 8. Leſſ. cit. l. num. 167.* Ratio eſt, quia hæ res non ſunt alienæ, ſed ipſius uſurarii, neque etiam ſunt aliis tacite hypothecatæ, vel realiter obligatæ pro uſuris, ut ſupra dictum, ergo valide earum dominium transfertur in alium, nec talis alienatio facta eſt in fraudem creditorum, adeoque non eſt injuſta.

CXXXII. Reſpond. quarto, ſi accipiens, quocunque titulo, res ab uſurario, probabiliter ignoravit per talem alienationem uſurarium fieri impotentem ad reſtituendas uſuras, non tenetur illas reſtituere, quia contractus eſt validus, & ipſe uſurarius alienans nulla lege eſt inhabilis factus ad transferendum dominium. Niſi tamen uſurarius ſciens per alienationem ſe reddi impotentem ad reſtituendas uſuras, bona illa alienavit, titulo lucrativo: tum enim tenetur, qui illa accepit in foro externo, & conſcientiæ, illa reſtituere, ſi adhuc extent, vel ſi bona fide conſumpſit, quatenus ex iis factus eſt locupletior. Si vero accipiens ſcivit, uſurarium per illam donationem fieri impotentem, tunc cogetur reſtituere, etiamſi res non extent, valorem earum, neque ex illis factus ſit locupletior, quia mala fide conſumpſit, *Azor. cit. l. Molin. citat. l. numer. 9. & 11. Leſſ. cit. l. num. 169.* ſi tamen accipiens non induxit uſurarium ad donandum, vel alienandum, ſed ipſe ſponte donavit,

navit, tunc non tenetur ad reſtitutionem in foro conſcientiæ, etiamſi ſciat ipſum per hoc fieri impotentem ad ſolvendum, quia non eſt cauſa, cur alter velit donare, *Leſſ. cit. l. num.* 168. Denique ſi quis res ab uſurario accepit titulo oneroſo, ſciens illum ſic reddi impotentem, ut ſi uſurarius venderet domum, vel agrum, ut inſumat pecuniam in convivia, aut ludos, tum emptor tenetur illas reddere, non reſtituto pretio, niſi quatenus inde extat aliquid in bonis debitoris, ut patet ex *l. Si debitor.* 78. *& ult. ff. quæ in fraudem credit.* Si vero neſcivit, non datur actio creditoribus ad reſcindendum contractum, ut expreſſe habetur in *l. Quod autem* 6. *§. Hoc edictum ff. eod. Leſs. c. l. nu.* 169. plura de his Auctores citt.

§. VI.

De uſura mentali, & obligatione reſtituendi ei annexa.

Suppono ex ſupra dictis, uſuram mentalem committi, quando quis exterius dat mutuum, & accipit lucrum ultra ſortem, cum animo, ſive intentione interna accipiendi lucrum ultra ſortem, ſive mutuum datum, ita tamen ut illa voluntas, ſeu intentio exterius non manifeſtetur, ſed ſolum interius in mente retineatur, ideoque uſura mentalis dicitur.

CXXXIII. Quæritur nunc primo, quænam intentio, ſeu ſpes lucri accipiendi ex mutuo, ultra ſortem, conſtituat uſuram mentalem, quæ inducat obligationem reſtituendi? Reſp. primo, non eſt illicitum, neceuſurarium, ſperare, & intendere ex mutuo lucrum aliquod aut commodum, quod ex benevolentia, gratitudine, ac liberalitate mutuatarii provenit: quamvis id lucrum intendatur, tanquam principalis finis, propter quem mutuum datur, ita ut niſi mutuans ſperaret tale lucrum, aut commodum, non fuiſſet mutuaturus, *Navarr. in man. c.* 17. *n.* 209. *& tract. de uſuris, n.* 21. *&* 22. *Molin. tr.* 2. *diſ.* 305. *n.* 3. *Azor. p.* 3. *lib.* 5. *de uſura, c.* 16. *q.* 3. *Leſſ. l.* 2. *cap.* 20. *dub.* 5. *num.* 39. *Lugo tom.* 2. *de juſt. diſ.* 25. *ſec.* 4. *num.* 28. & alii communiter. Probatur primo, quia uſuræ pravitas non conſiſtit in eo, quod accipiatur aliquid ultra ſortem, ex gratitudine, & liberalitate mutuatarii, quia hoc pacto vult ſe gratum oſtendere ob beneficium mutui, quod non ſolum licite facere poteſt, ſed etiam ad id ex morali quadam honeſtate tenetur; ergo non poteſt talis ſpes, vel intentio eſſe uſuraria, quia uſuræ injuſtitia conſiſtit in eo, quod aliquid deſideretur, vel ſperetur, & accipiatur quaſi pretium, & ex juſtitia debitum pro mutuo, quod tamen natura ſua gratuitum eſſe debet. Probatur, ſecundo, licitum eſt aliis beneficiis, & obſequiis ſperare, & intendere, ſibi conciliare alicujus gratiam, & benevolentiam, ut is viciſſim gratum, & liberalem ſe exhibeat; ergo etiam id licitum erit ſperare, & intendere per mutuum datum. Unde poteſt quis etiam licite, & abſque uſura, mutuum offerre Principi indigenti pecunia, ea ſpe, & intentione, ut ipſe ex gratitudine officium mutuanti conferat, vel beneficium Eccleſiaſticum impetret, quia nullum hic intervenit pactum explicitum, vel implicitum dandi aliquid ex debito, ſive obligatione juſtitiæ, ſed ſolum ſpes gratitudinis. Neque hic diſtinguendum eſt inter motivum principale, vel cauſam motivam, & impulſivam: quia quod licitum eſt ſperare, & deſiderare, licitum quoq; eſt per media non prohibita intendere, etiam principaliter. Probatur tertio, uſura non committitur, ſine injuſtitia, per quam infertur injuria mutuatario, qui nollet aliquid dare ultra ſortem, ſi mutuans, ſine illo incremento, dare vellet, ac proinde mixte involuntarie dat. At quo datur, & accipitur ex gratitudine, & liberalitate, omnino voluntarie datur, ſine admixtione ulla involuntarii: ergo non datur, nec accipitur cum injuria mutuatarii, adeoque non intervenit ulla uſura. Prædictis non obſtat, quod Chriſtus dixit Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde ſperantes*: quia id vel conſilium tantum fuit, ſi intelligatur ibi excludi ſpem lucri, quod ex mera liberalitate, & gratitudine datur. Si vero præceptum fuit, tum id intelligendum eſt, non de quacunque ſpe lucri ex mutuo, ſed quod eſt pretium mutui, ut mox dicetur, *Molin. cit. diſ.* 305. *num. ult.*

CXXXIV. Reſp. ſecundo, non licet, etiam ſine pacto externo, ſperare, vel intendere lucrum ſupra ſortem, quod detur, non ex mutuatarii liberalitate, aut gratitudine, ſed tanquam pretium, & ex obligatione juſtitiæ in recompenſationem mutui, ſed per talem ſpem, & intentionem mutuans fit uſurarius mentalis, ſive principaliter illud lucrum aut commodum intendat, ſive minus principaliter, quia nihilominus ſine illa mutuaret, propter amicitiam, quam habet cum mutuatario, vel aliam cauſam, *Molin. cit. diſ. num.* 5. *Leſſ. cit. l. num.* 35. & alii apud ipſos. Probatur primo, quia uſura in eo conſiſtit, quod ſit lucrum ex mutuo, hoc eſt, non ex gratitudine, & liberalitate, ſed quaſi in pretium, & recompenſationem, ex obligatione juſtitiæ datum pro mutuo: ergo ſive mutuans hoc intendat principaliter, ſive minus principaliter, ſemper objectum eſt ex ſe, & intrinſece malum, adeoque etiam talis intentio, quia actus morales ſumunt ſuam ſpeciem, & malitiam ab objecto: & intentio principalis, vel minus principalis facit quidem peccatum eſſe majus, vel minus, non tamen ut non ſit peccatum. Deinde mutuatarius, qui dedit lucrum ſupra ſortem, ſive tanquam debitum ex obligatione juſtitiæ, non habuit animum, ſive voluntatem donandi illud, non magis, quam ſi ex præcedente pacto illud dediſſet: ergo non interceſſit donatio voluntaria ſufficiens ad transferendum dominium, & mutuans nullum jus acquirit ad tale lucrum, ergo non licet tale lucrum ſperare, & intendere ex mutuo, quia quod juſte quis non poteſt accipere, tanquam alienum, nec juſte & licite ſperare, aut intendere poteſt.

CXXXV. Quæritur ſecundo, an uſurarius mentalis, is ſcilicet, qui animo, ſeu intentione uſuraria lucrum accipit ſupra ſortem pro mutuo, etſi ſine externo pacto aliquid dandi, teneatur ad reſtitutionem? Reſpondetur, quatuor modis poteſt contingere, ut mutuator aliquid ſupra ſortem capitalem accipiat a mutuatario, ut notat *Azor. p.* 3. *l.* 5. *de uſura, c.* 16. *in princ. Molin. tr.* 2. *diſ.* 306. *num.* 3. & alii communiter. Primus modus eſt quando mutuatarius ex gratitudine, & mera liberalitate dat aliquid ultra ſortem, non vi mutui; & mutuans id accipit, ut gratis, & liberaliter ſibi datum: & tunc certum eſt, nullum committi peccatum uſuræ, neque ullam obligationem reſtituendi oriri, quia nec eſt datum, nec acceptum vi mutui, ſed liberalitate donatum.

Secundus modus eſt, quando mutuator intendit aliquid accipere, tanquam pretium mutui, ſeu tanquam debitum ex pacto mutui, & mutuatarius etiam dat, tanquam debitum ratione mutui (quod fieri poteſt, quia ex ſignis, vel nutibus novit, mutuantem intendere, & velle lucrum ex mutuo, vel ſaltem quia aliunde, ſine externo pacto, notam habet indolem mutuantis, quod nolit gratis, & ſine lucro mutuare) & tunc ex parte mutuantis intervenit peccatum uſuræ, & is tenetur ad reſtitutionem, quia datum, & acceptum eſt lucrum ultra ſortem, ratione mutui: & mutuatarius non intendit illud lucrum donare gratis, ſed ſolum tanquam debitum ex vi mutui, ergo cum non fuerit debitum, injuſte illud accepit mutuator, adeoque reſtituere debet.

CXXXVI. Et de hoc caſu videtur loqui, & intelligendus eſſe textus in *c. Conſuluit* 10. *h. tit.* in quo Urbanus III. tres quæſtiones ſunt propoſitæ. Prima eſt, an ille, ſaltem
„ in judicio, ſeu foro animæ, quaſi uſurarius debeat judi-
„ cari, qui mutuam pecuniam dedit, ſine aliquo pacto,
„ aut conventione, eo tamen propoſito, ſeu animo, ut plus
„ ſorte recipiat, (nempe tanquam debitum ex mutuo) a-
„ lias non mutuo daturus, ſi non ſperaret, aut crederet ſe
„ aliquid accepturum ultra ſortem. Secunda quæſtio eſt,
„ an is, qui mutuavit pecuniam ad certum terminum, ſed
„ adveniente termino, non vult concedere parabolam ju-
„ ramenti, ut vulgo dicitur, donec aliquod emolumentum
„ inde percipiat, quamvis nihil exigat, vel petat a debi-
„ tore, ſeu mutuatario, an, inquam, iſte eodem crimine
„ (ſcilicet uſuræ) cum primo involvatur. Tertia quæſtio
„ eſt, an ſi negotiator aliquis vendat merces ſuas longo
„ majori pretio, quia ſolutio pretii in aliud tempus lon-
„ gum differtur, quam ſi in continenti pretium perſolve-
„ retur: talis mercator conſimili pœna (ſcilicet quaſi uſu-
„ raria, *Hoſtienſ. hic V. eod.*) debeat condemnari? Ad has
„ quæſtiones reſpondet Papa, quod ex Evangelio Lucæ col-
„ ligitur, quid in his caſibus ſit tenendum (quis enim in
„ illis eſt eadem ratio, idcirco etiam idem jus, *c.* 3 *de Con-
„ ſtit.* & in ſimilibus idem eſt judicandum, *c. Inter cæteras*
„ 4. *de reſcript. Hoſtienſ. hic V. In his caſibus*,) in quo dici-
„ tur, *Date mutuum, nihil inde ſperantes*; homines hujuſ-
„ modi pro intentione lucri, quam habent, cum omnis
„ uſura, & ſuperabundantia prohibeatur in Lege (*Ezechi-
„ el c.* 18.) judicandi ſunt male agere, & ideo in judicio
„ animarum efficaciter ſunt inducendi ad taliter accepta
„ reſtituenda.

CXXXVII. Ubi notandum primo, uſurarium mentalem, eum ſcilicet, qui mutuat, ſine pacto, & conventione, ſed animo, ſeu intentione accipiendi verum lucrum ſupra ſortem, id eſt, tanquam pretium debitum ex mutuo, ſi etiam mutuatarius illud coacte, ſive partim voluntarie, partim involuntarie det, tanquam pretium mutui, teneri in foro conſcientiæ, ad reſtitutionem lucri ſic accepti, ſi de liberali donatione dantis non conſtet, ut colligitur ex *cit. c. Conſuluit*, ubi Papa ait, pro hujuſmodi lucri intentione, quam habet, judicandum eſſe male agere, & efficaciter ad reſtitutionem inducendum, quia lucri nomine proprie non venit, quod gratis, & liberaliter datur, ſed quod ex negotiatione, vel induſtria hominis percipitur, quod lucrum, qui mutuo intendit, jam habet intentionem uſurariam, & eſt uſurarius mentalis, ac reſtituere debet, *Lugo cit. diſ.* 25. *ſec.* 4. *num.* 29.

Notandum ſecundo, uſura mentalis, ſi prodeat in actum externum, ita ut mutuum detur, cum intentione aliquid accipiendi ultra ſortem, tanquam debitum ex mutuo, quamvis ſine pacto externo: & eadem intentione etiam mutuatarius lucrum illud ſupra ſortem ſolvat, non deletur per ſolam pœnitentiam, ſed obligat ad reſtitutionem, ad quam tamen non obligat Simonia mentalis, niſi illud, quod ſimoniace datum eſt, etiam injuſte acceptum ſit; ut dictum ſupra hoc libro *tit.* 3. *ſec.* 8. §. 4. ubi etiam ratio diverſitatis allata eſt, inter Simoniam mentalem, & uſuram mentalem, cur illa non obliget ad reſtitutionem, iſta vero obliget, & docet etiam *Barb. in cit. cap. Conſuluit, numer.* 4. *hoc tit.*

Notandum tertio, cum dicitur in *cit. c. Conſuluit, h. tit.* quod creditor nolebat dare parabolam juramenti, id ita intelligendum eſt, quod quando debitor jurat, reſtituere mutuum acceptum intra certum terminum, v. g. menſem, & adveniente termino, quia commode ſolvere non poteſt, rogat creditorem, ut proroget terminum, ille autem malitioſe non vult prorogare, ut prius inde lucrum aliquod percipiat, eoque percepto, prorogat terminum: talis tenetur ad reſtitutionem lucri illius, nam videtur illud percipere pro termino prorogato, & ſic vendere dilationem ſolutionis in mutuo, quod uſurarium eſt, ut ſupra dictum *Abb. in cit. c. Conſuluit, n.* 7. *h. t.* Porro de tertia quæſtione propoſita in hoc c. dictum eſt ſupra n. 62. *h. t.*

CXXXVIII. Tertius modus mutuandi eſt, ſi mutuatarius dat lucrum ultra ſortem, tanquam pretium ex mutuo debitum, ſed mutuans, bona fide, illud accipit, tanquam da-

tum

tum gratis, ac mere liberaliter, eo quod nullum pactum de lucro præceſſerat: tunc enim mutuans, poſtquam novit id lucrum ſibi datum eſſe tanquam debitum ex mutuo, tenetur ſtatim illud reſtituere, etiam fructus extantes ex lucro illo perceptos, quia datio fuit mixte involuntaria, ideoque inſufficiens ad transferendum dominium in accipientem, vel ad acquirendum jus ad rem, quia defuit ex parte dantis animus, ſive voluntas donandi; ſi tamen perſeverante bona fide, lucrum datum conſumpſit mutuans, non tenetur reſtituere, niſi ex eo aliquid penes accipientem remanſerit, vel ex eo factus fuerit locupletior; tunc enim obligatio reſtituendi non oritur ex injuſta acceptione, ſed tantum ex re accepta. *Molin. cit. diſ.* 306. *num.* 2. §. *Tertius Azor cit. c.* 16. *q.* 2. *Leſſ. cit. c.* 20. *dub.* 6. *num.* 46. Quod ſi mutuator accipiens aliquid ultra ſortem, dubitet, quo animo mutuatarius id dederit, nam ex gratitudine, aut liberalitate, ac proinde plene voluntarie id dederit; an vero mixto involuntarie, tanquam ex mutuo debitum, tunc peccatum uſuræ mentalis committit, & tenetur reſtituere, ſicut is, qui dubia fide cœpit poſſidere rem alienam. Si vero dubium poſtea primum ſuperveniat, tenetur mutuator inquirere, ut tollatur dubium, adeoque potere a mutuatario, qua intentione id dederit; ſi vero is mortuus fuerit, vel longe abſens ſit, & dubium perſeveret, ex circumſtantiis judicandum erit, quali intentione mutuatarius dederit, ut ſi dives ſit, aut pauper, liberalis, vel parcus, ſive avarus; nam priore caſu, præſumi poteſt, liberaliter, & gratis eſſe datum: poſteriore, tanquam debitum ex mutuo, ideoque reſtituendum erit, *Molin. tr.* 2. *diſ.* 305. *nu.* 6. quod ſi dubium perſeveret in accipiente, ſeu mutuatore, nec de intentione, qua datum fuit, conſtare poſſit, etiam ex circumſtantiis, *Molin. cit. l.* putat reſtituendum eſſe ei, quo acceptum fuit, ſive bona fide, ſive mala, aut cum dubio, acceptum fuerit. Sed probabilius eſt, ſtante tali dubio, quod poſtea ſupervenit, & vinci, ſeu tolli non poteſt, præſumendum eſſe, quod per gratuitam donationem, & non tanquam ex mutuo debitum datum fuerit, ſicut in quolibet alio bonæ fidei poſſeſſore, cum in dubio melior eſſe debeat conditio poſſidentis, *Lugo cit. diſ.* 25. *ſec.* 4. *num.* 32. & alii apud ipſum.

CXXXIX. Quartus modus mutuandi eſt priori oppoſitus, ſi vice verſa, mutuatarius aliquid ſupra ſortem det gratis, & liberaliter, credens mutuantem hoc nolle exigere, vi mutui; ſed mutuator id ignorans accipiat animo, & intentione uſuraria, tanquam datum ex obligatione, ratione mutui, nullo tamen præcedente pacto: hoc caſu, etſi teneatur mutuans reſtituere, ratione conſcientiæ erroneæ, quamdiu illam non deponit: a parte rei tamen talis mentalis uſurarius non tenetur ad ullam reſtitutionem, ſed poſtquam ſcit mutuatarium gratis, & liberaliter dediſſe, id retinere poteſt, etſi peccarit, uſuraria intentione accipiendo, juxta probabiliorem, & communiorem ſententiam, quam tenet *Silveſt. V. Uſura* 6. *q.* 7. *Azor. c. l. Molin. cit. diſ.* 306. *num.* 9. & 10. *Leſſ. c. l. num.* 42. *Lugo c. l. num.* 33. & *alii*. Ratio eſt, tum quia mutuatarius habuit vere, & re ipſa voluntatem donandi, cum non dederit tanquam pretium mutui, ſed gratis, & liberaliter, adeoque tranſtulit dominium in accipientem: tum quia accipiens non retinet injuſte alienum, accepit enim domino non invito, quippe qui ſponte, & gratis id dedit; ergo licet accipiens propter erroneam conſcientiam peccarit, putans ex vi mutui tanquam debitum id dari, tamen reipſa non accepit injuſte, ideoque ad reſtitutionem non tenetur: ſicut is, qui rem ſuam, quam putavit alienam eſſe, animo furandi abſtulit, reſtituere non tenetur, quia quamvis affectu peccet, & furtum committat, non tamen effectu, ut patet ex dictis tit. præced.

CXL. Non obſtat primo *cit. c. Conſuluit h. tit.* ubi habetur, quod mutuans, qui uſuraria intentione ſupra ſortem aliquid accepit, etiam ſine præcedente pacto, alias non mutuaturus, teneatur acceptum reſtituere in foro conſcientiæ. Nam ibi præſumptio erat, quod non ſponte, & liberaliter a mutuatario fuerit datum, ſed tanquam debitum ex juſtitia, & vi mutui: at quamdiu de contraria voluntate dantis non conſtat, reſtitui debet, quod acceptum eſt, propter malam fidem, & erroneam conſcientiam accipientis putantis datum eſſe non liberaliter, & ſponte, ſed ut debitum ex mutuo, *Molin. cit. diſ.* 306. *num.* 12.

Non obſtat ſecundo, quod licet mutuatarius lucrum ultra ſortem det gratis, & liberaliter, tamen mutuator non acceptat illud ut donum, ſed ut debitum ex juſtitia, & vi mutui, ergo donatio iſta non eſt valida, quia non eſt acceptata ut donatio, quod tamen ad validam donationem requiritur, ſed ut ſolutio ejus, quod ex juſtitia eſt debitum, vi mutui. Verum reſpondetur, quando acceptans id, quod ſibi datum eſt ſimpliciter, non vult titulo donationis acceptare, ſed ſolum tanquam debitum, tunc talis donatio non eſt valida. At in propoſito mutuator acceptat, quod ſibi datum eſt ultra ſortem a mutuatario, vel formaliter ut donum, quando cognoſcit id ſibi datum eſſe gratis, & liberaliter, & dans perſeverat in voluntate donandi, eamque interim non revocat: vel ſaltem virtualiter, & implicite acceptat, quia quamvis putaverit ſibi non dari gratis, & liberaliter: voluit tamen illud acceptare, ſibique acquirere omni modo, quo poterat: quod vel ex eo colligitur, quia talis mutuans non intendit, nec quærit niſi lucrum, ergo habet ſaltem virtualiter, & implicito voluntatem acceptandi, quod ſibi datum eſt a mutuatario. Deinde etſi prius mutuans non acceptaſſet, nec virtualiter quidem, & implicite, ut donum: ſi tamen poſtea intelligat, ſibi datum eſſe a mutuatario liberaliter, & gratis ſemper potuit illud acceptare, quamdiu donatio prior non eſt revocata, idque ſatis eſt ad transferendum dominium rei ſibi datæ, ideoque nec ad reſtitutionem tenebitur, *Molin. cit. diſ.* 306. *nu.* 10. & 12. *Leſſ. cit. cap.* 20. *num.* 43. *Lugo c. l. num.* 33.

SECTIO VI.

De Judice criminis uſuræ & probatione ejuſdem ac pœnis uſurariorum.

§. I.

Quis ſit Judex competens in crimine uſuræ, & quomodo probetur quis eſſe uſurarius manifeſtus?

CXLI. Circa priorem quæſtionem tres ſunt ſententiæ. Prima ait, hoc crimen eſſe mere Eccleſiaſticum, adeoque ejus cognitionem, etiamſi a Laico committatur, ad ſolum Eccleſiaſticum Judicem ſpectare, quia cauſa uſurarum inter Eccleſiaſticas numeratur in *Clem.* 2. *de Judiciis*, & uſurarii, etiam Laici, excommunicantur a Judicibus Eccleſiaſticis, aliiſq; pœnis plectuntur, *Gl. in cit. c. Cum ſit* §. *V. Malefactores de foro compet.* & *alii apud Farinac. in praxi crim. libr.* 1. *tit.* 2. *qu.* 8. *num.* 134.

Secunda ſententia diſtinguit inter quæſtionem juris, & quæſtionem facti, nam ſi ſit quæſtio juris, nempe an contractus, ſive conventio ſit uſuraria, nec ne, tum ejus cognitionem ad ſolum Judicem Eccleſiaſticum ſpectare, quia tunc agitur de peccato, de quo ſolus Judex Eccleſiaſticus cognoſcere debet. Si vero ſolum ſit quæſtio facti, ut ſi conſtet contractum eſſe uſurarium, & illicitum, ſed agatur ſolum de repetitione uſurarum, quantum reſtitui debeat, vel earum inhibitione, tunc uterque Judex poteſt de uſuris cognoſcere, ſecularis inter Laicos, Eccleſiaſticus inter Clericos, *Azor. p.* 3. *l.* 3. *de uſuris, cap.* 28. *in princ. Clarus* §. *Uſura*, *num.* 8. & plures alii.

CXLII. Tertia, & verior ſententia eſt, quod uſura ſit crimen mixti fori, hoc eſt, tam ſecularis, quam Eccleſiaſtici, ita ut non ſolum, quando eſt quæſtio facti, ſed etiam in quæſtione juris, de hoc crimine cognoſcere poſſit & Eccleſiaſticus, & ſecularis Judex inter Laicos ſibi ſubditos, *Silveſt. V. Uſura* 9. *in princ. Molin. tr.* 2. *diſ.* 333. *in princ. Covarr. lib.* 3. *reſol. cap.* 3. *nu.* 2. *Farinac. cit. quaſt.* 8. *n.* 140. *concl.* 4. *Caniſ. tract. de uſuris, cap.* 9. *num.* 4. & *alii*. Probatur primo, quia nullibi Jus Canonicum prohibuit ſecularibus Judicibus, ne de crimine uſuræ inter Laicos cognoſcant, imo potius id permiſit in *cap. poſt miſerabilem* 12. *h. tit.* & *cap.* 2. *eod. in* 6. Secundo, quia crimen uſuræ, etſi ſit prohibitum lege divina, & naturali, & Canonica: tamen in ſe, non continet majorem ſpiritualitatem, quam homicidium, furtum, adulterium, & ſimilia delicta, quæ ſunt contra juſtitiam, & prohibita lege Divina, & naturæ: ſed de his criminibus poteſt cognoſcere Judex ſecularis inter Laicos, ergo etiam de crimine uſuræ. Excipit *Lugo citat. diſ.* 25. *ſec.* 11. *numer.* 250. quod ubi leges civiles uſuras non prohibent nec puniunt, ibi cognitio pertineat ad ſolum Judicem Eccleſiaſticum, quia Judex ſecularis non poteſt judicare, niſi ſecundum leges ſui fori, ſive civiles, *princ. Inſtit. de Officio Judicis*. Verum cum hujuſmodi leges civiles approbantes uſuras tanquam licitas, ſint correctæ, & abrogatæ per Jus Canonicum, ideo Judex ſecularis tenetur in hac cauſa judicare, & procedere ſecundum Jus Canonicum, non Civile, etiam in ſuo foro, cum generaliter ſit omni Conſtitutioni, & conſuetudini derogandum, quæ abſque peccato mortali non poteſt obſervari, *c. ult. de præſcript. Caniſ. cit. l. numer.* 4. Quod ſi tamen in uno, vel pluribus locis conſuetudine receptum ſit, ut de uſuris, tam in quæſtionibus facti, quam juris, ſolus Judex Eccleſiaſticus cognoſcat, & judicet, ea obſervanda erit, *Lugo cit. l. in fine*.

Non obſtat, quod uſurarii, etiam Laici, ſecundum Canones, Eccleſiaſticis cenſuris, aliiſque pœnis Canonicis coerceantur: quia inde ſolum ſequitur, quod uſura ſit crimen mixti fori, ut etiam Laici, nomine uſurarum, conveniri poſſint coram Judice Eccleſiaſtico, eorumque peccatum per Evangelicam denunciationem, ad Eccleſiam, ſive Eccleſiaſticum Judicem deferri poſſit, ut ſi contumaces ſint, & Eccleſiæ parere nolint, tandem Cenſuris Eccleſiaſticis compeſcantur, *Caniſ. citat. l. num.* 5. addit *Covarr. citat. l. num.* 2. §. *Quarto*, ab initio Chriſtianæ Religionis ſemper obſervatum fuiſſe, ut Judices Eccleſiaſtici cognoſcerent, & punirent crimen uſurarum, etiam adverſus Laicos, legibus ſecularibus id permittentibus, imo ex parte etiam approbantibus.

Cæterum quod ad Ordinem judiciarium attinet, debet Judex Eccleſiaſticus in crimine uſurarum, ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura judicii procedere, juxta *Clement.* 2. *de Judiciis*. Secus eſt, ſi repetantur uſuræ in foro ſeculari contra Laicum, non enim poteſt, nec intendit Papa tollere judiciarium Ordinem, niſi quoad ſuum forum, ut tradit *Gl. in cit. Clem.* 2. *V. Uſuris*; quamvis etiam Judex Eccleſiaſticus poſſit, ſi velit, ſervare proceſſum ordinarium in cauſis uſurarum, & aliis ſimilibus, juxta *Gl. ibid. V. Valeat*.

CXLIII. Quod vero ad poſteriorem quæſtionem attinet, præmittendum eſt, quod manifeſti uſurarii dicuntur, qui manifeſte tales ſunt, facto, vel jure, facto quidem ii, quos per notorietatem, ſive evidentiam facti conſtat uſuras exercere, quia palam in conſpectu populi pecunias ad uſuram dant, ita multis id videntibus, ut nulla tergiverſatione celari poſſit; non eſt autem neceſſarium, ut quis plures actus uſurarios exerceat, ſed vel unus actus ſufficit ad conſtituendum uſurarium manifeſtum, modo publice eum exerceat, ut docet *Navarr. in manu cap.* 17. *numer.* 280. *Molin. cit. diſ.* 333. *num.* 2. *Azor. p.* 3. *lib.* 9. *cap.* 18. *in* 2. *Parte* §. *Quæres*, quamvis *Menochius de arbitr. Jud. caſu* 235. *num.* 6. & 16. ad uſurarium manifeſtum requirat actuum frequentiam, ita ut paratus ſit omnibus mutuum ſub fœ-

nore

more dare. Neque etiam neceſſe eſt, ut in mutuo formali uſuras quis exerceat, ſed ſatis eſt, ſi in mutuo virtuali, ſeu implicito, ut ſi quis rem vendat ſupra juſtum pretium rigoroſum, ſive ſummum, ob dilatam ad tempus ſolutionem, *Silveſt. Verſ. Uſura 9. quaſt. 2. Molin. & Azor. locis cit.* & colligi videtur ex *cap. Ad noſtram 5. de empt.* Jure vero uſurarii manifeſti dicuntur, qui per Judicis ſententiam de crimine uſuræ ſunt condemnati, vel qui de ſeipſis hoc crimen in judicio ſunt confeſſi, ut mox pluribus dicetur.

CXLIV. Jam ergo variis modis poteſt quis probari eſſe uſurarius manifeſtus. Et primo quidem ex evidentia facti, ſive publice in foro, omnibus videntibus, ſub uſuris mutuet, ſive etiam domi ſuæ, aſſidue, & frequenter uſuras exerceat, nam ob ipſam actuum frequentiam cenſetur uſurarius manifeſtus, ut docet *Menoch. tit. caſu 235. numer. 9. & 16. Maſcard. de probat. vol. 3. concl. 5418. n. 3.* quamvis addant, requiri, non quidem ſententiam condemnatoriam, ſed declarationem quandam Judicis, quæ non ſententia, ſed potius pœnæ executio ſit dicenda, *Men. cit. loc. nu. 11. Maſcard. cit. loc. num. 7.*

Secundo probatur uſurarius manifeſtus per confeſſionem propriam in judicio, ita ut fateatur non tantum ſimpliciter, ſe ſub uſuris mutuo dediſſe, ſed ſub iiſdem publice ſæpius, vel domi frequenter mutuaſſe, *Menoch. cit. l. numer. 20. Maſcard. cit. loc. num. 8. & 10.* vel etiam per confeſſionem factam, extra judicium, coram Sacerdote, qui eſt Judex illius quoad forum animæ, vel Notario, vel ſaltem publice coram teſtibus, ita ut in plurium notitiam pervenerit. *Gloſſ. in cap. 2. V. Manifeſti, junct. addit. hoc t. in 6. Covarr. leg. 3. reſol. cap. 3. num. 4. §. Tertio Menoch. c. l. num. 21. Maſc. cit. loc. num. 11.* quamvis alias confeſſio extrajudicialis non inducat notorium juris, *cap. ult. de cohab. Cleric. & mul. Covarr. cit. l.*

Tertio probatur uſurarius manifeſtus per legitimos, & idoneos teſtes, ſaltem duos, vel tres, qui teſtentur, ſe ſæpius vidiſſe hunc mutuo dantem ſub uſuris, quales ſunt, qui nullum commodum, nec principaliter, nec in conſequentiam ex mutuo ſub uſuris dato ſperare poſſunt, *Menoch. c. l. num. 22. & 2. ſeqq.*

Probatur quarto, crimen uſurarum, etiam manifeſtum, per famam, & communem opinionem, dummodo teſtes deponant, quod audiverunt apud omnes, vel majorem partem populi, & concurrant etiam alia adminicula, quia ſola fama non ſufficit ad plenam probationem, ut mox dicetur, *Menoch. cit. loc. num. 27. Maſcard. concl. 1417. num. 28 & 2. ſeqq.*

CXLV. Probatur quinto uſurarius manifeſtus per conjecturas, & indicia, dummodo illa ſint aperta, & evidentia, prout ſumitur ex *c. Cum in Diœceſi 15. h. t.* Nam cum „ uſurarii quam plurimi eſſent in Diœceſi Altiſſiodorenſi, „ de quibus non dubitabatur, quod eſſent uſurarii mani- „ feſti, ſed propter timorem potentum, qui eoſdem tue- „ bantur, nullus accuſator apparebat, nec etiam per ſen- „ tentiam condemnari fuerunt: quæſitum ergo fuit, quid „ de illis ſit agendum? Reſpondet Papa Innocentius III. „ Epiſcopo Diœceſano, quod licet contra eos non appa- „ reat accuſator, ſi tamen ex aliis argumentis illos conſti- „ terit eſſe uſurarios manifeſtos, pœnam Lateranenſis Con- „ cilii (quod refertur in *cap. Quia in omnibus 3. hoc. tit.*) „ contra uſurarios ſtatutam, libere poterit in eos exercere.

CXLVI. Pro intellectu hujus cap. notandum primo, ſola fama de uſuris exactis, & acceptis non facit aliquem uſurarium manifeſtum, etiam quoad pœnas juris incurrendas, ſed ultra famam, requiruntur alia urgentia, & manifeſta, ut quis convinci, & condemnari poſſit de uſuraria pravitate ac puniri, *Abb. hic num. 2.* Nam cum fœneratores ſoleant occulte, & fraudolenter inire contractus uſurarios, ita ut difficulter probari poſſint, Idcirco admittitur probatio, etiam per conjecturas, & indicia, ſaltem gravia, quæ plenam probationem faciant, prout ſumitur ex hoc cap. & docent, *Maſcard. cit. concl. 1417. numer. 3. & 2. ſeqq. Menoch. cit. caſ. 235. numer. 19. Barboſ. in Collect. hic numer. 3.* & alii apud ipſum: quod tamen *Menoch. cit. loc.* ita declarat, ut procedat, ſi teſtes inducantur, qui deponant de conjecturis, ſeu indiciis, ex quibus deducitur aliquem eſſe publicum, & manifeſtum uſurarium.

Notandum ſecundo, etiamſi nullus adſit accuſator, & nemine petente, poteſt, & debet Judex ex officio ſuo contra uſurarios per inquiſitionem procedere ad puniendum illos, prout ſumitur ex *cit. cap. Cum in Diœceſi, hoc tit.* & notat *Gloſſ. fin. ibid. & Abb. numer. 3.* ubi etiam *Gloſ. Verſ. Manifeſtos*, duplicem intellectum hujus cap. adfert. Primo, quod in princ. hujus cap. ſit ſermo de uſurario manifeſto, id eſt, notorio quia tamen illud notorium non eſt ſemper permanens, cum non ſemper mutuet ſub uſuris, ideo ultra illam notorietatem, requiruntur alia argumenta ad conſtituendum uſurarium manifeſtum. Verum iſte intellectus, ſive expoſitio non videtur veriſimilis, quia quando uſurarius habet burſam, ſeu menſam paratam, & ſe paratum exhibet ad mutuandum omnibus ad accedentibus, cenſetur notorius uſurarius: nam tale notorium facti interpolati, ſeu interrupti, quia non continuo mutuat ſub uſuris, ſed per intervalla: & in hoc notorio (de quo judicandum eſt, ſicut de notorio facti permanentis) non requiruntur alia argumenta, vel indicia, quæ tamen in *cit. c. Cum in Diœceſi*, requiruntur ad conſtituendum uſurarium manifeſtum, & puniendum, *Jo. Andr. hic in fine, & Abb. num. 4.*

Alter igitur intellectus, ſive expoſitio eſt, & quidem probabilior, quod in priore parte hujus cap. agatur de uſurario manifeſto per famam, & communem opinionem, quæ non ſufficit ad convincendum & condemnandum aliquem, & ideo requiruntur alia argumenta, & indicia, quibus allatis, poterit dici uſurarius manifeſtus, nempe poſtquam a Judice per ſententiam manifeſtatus, ſeu declaratus fuerit uſurarius: ideoque *Hoſtienſis hic* exponit *manifeſtos*, id eſt manifeſtando, nempe poſtquam Judex, receptis argumentis, ſeu judiciis, illum declaravit uſurarium, poteſt dici tunc uſurarius manifeſtus, *Jo. Andr. ibid. n. 2. & Abb. n. 5.*

Porro argumenta, ſeu indicia, quæ cum fama publica, ſufficiunt ad convincendum, & publicandum per Judicem uſurarium manifeſtum, ſunt, ſi vendebat merces cariore pretio, ob dilatam ſolutionem, vel quia emebat res, cum pacto de retro vendendo majore pretio, vel fructibus ſibi retentis, *c. Ad noſtram 5. de empt. cap. Illo 4. de pignorib.* vel quia reperiuntur apud illum inſtrumenta uſuraria, vel quia alias publice renunciavit uſuris, & alia ſimilia, *Jan. Andr. hic num. 2. & Abb. nu. 6.*

Notandum tertio, ſi ex hujuſmodi argumentis conſtiterit aliquos eſſe uſurarios manifeſtos, poteſt imo debet Judex contra illos ex officio procedere, libere, id eſt, nulla appellatione obſtante, & pœnam jure ſtatutam eis infligere, quia non eſt ipſo jure inflicta, *Jo. Andr. hic V. Libere, & V. Exercere.*

CXLVII. Probari poteſt ſexto eſſe qui uſurarius manifeſtus, etiam ex libris Rationum, quia tales libri, etſi non probent pro ſcribente, *l. Inſtrumenta 5. l. Rationes 6. & l. ſeq. Cod. de probation.* probant tamen contra ipſum ſcribentem, & quidem eſſe uſurarium manifeſtum, ſi ex hujuſmodi rationibus frequentia actuum detegatur, *Menoch. citat. loc. numer. 30. Maſch. citat. concl. 1418. num. 14.* Et hinc in *Clementin. Ex gravi unic. §. Caterum hoc tit.* decernitur, ut „ quia fœneratores, ut plurimum, contractus uſurarios oc- „ culte ineunt, & doloſe, ita ut vix convinci poſſint de „ uſuraria pravitate, ad exhibendum, cum de uſuris age- „ tur, ſuarum Rationum Codices per cenſuram Eccleſia- „ ſticam compellantur. Idque procedit non tantum de ipſis uſurariis, ſed etiam de hæredibus eorum, ſuis vel extraneis, ut & libros rationum edere cogantur, *Gloſs. in cit. §. Caterum V. Ipſos, Abb. ibid. num. 56.* quia & ab aliis repeti poſſunt uſuræ, *c. Michael 17. hoc tit.* Et hoc ſpeciale eſt, ut quis cogatur edere Rationes privatas, & inſtrumenta contra ſe, in odium uſurariorum introductum, cum alias regolariter nemo inſtrumenta aut alias probationes tenecatur contra ſe producere, *l. Qui accuſare 4. C. de edendo, l. Nimis 7. C. de teſtib. Gl. in cit. §. Caterum V. Rationum, Greg. Tholoſ. lib. 3. de uſura cap. 10. num. 15.* Quod ſi uſurarius, vel hæres neget ſe habere Rationes, vel dicat ſe illa perdidiſſe, ipſius aſſertioni etiam juratæ non creditur, niſi probet ſe illas amiſiſſe caſu fortuito, v. gr. incendio, vel ruina: etſi hæredi ejus non uſurario, ſed alias fide digno id credatur, cum juramento, *Gl. in cit. §. Caterum V. Compellendos, Abb. num. 17.* Poteſt autem uſurarius, vel ejus hæres, non ſolum per cenſuram Eccleſiaſticam compelli ad edendos libros Rationum, ſed etiam per vim, ingrediendo domum ipſius, & arcam frangendo, quia cum ad id teneatur, quibuſcunque modis alias licitis poteſt fieri compulſio, *Abb. in cit. Clem. §. Caterum n. 12. contra Gl. ibid. V. Cenſura.*

§. II.

De pœnis Jure ſtatutis in uſurarios manifeſtos.

CXLVIII. Multæ ſunt pœnæ uſurariorum, ſive Clericorum, ſive Laicorum, utroque Jure ſtatutæ. Prima pœna eſt, quod manifeſti uſurarii ſunt ipſo jure infames, *l. Improbum 20. C. Ex quibuſ. cauſ. irrogat. infam. c. infames 2. §. Porro in fine cauſ. 3. q. 7.* Similiter & Clericus uſurarius infamis eſt, ipſo jure, *c. Inter dilectos 12. de exceſſib. Prælat.* & ibi *Abb. n. 2.* Ex quo ſequitur, quod uſurarii manifeſti nec Sacros Ordines recipere poſſunt, *c. Maritum 2. diſt. 33. c. Seditionarius 8. diſ. 46. c. Infames 57. cauſ. 6. qu. 1. Covarr. l. 3. reſol. c. 3. n. 2. Diaz in pract. crim. Can. c. 92. in addit. lit. A.* Item tanquam infames ab omnibus honoribus, & dignitatibus excluduntur, & a gerendis negotiis, quæ prohibentur infamibus, ut a poſtulando, ſeu patrocinio, *l. 5. ff. de poſtul. u teſtimonio, l. 3. ff. de teſtib. c. Teſtimonium 54. extra eod. Greg. Tholoſ. l. 3. de uſura c. 2. num. 3.*

CXLIX. Secunda pœna uſurarii manifeſti eſt, ut ſi Clericus ſit, & monitus non deſiſtat, ab officio, & beneficio ſit ſuſpendendus per ſententiam Judicis, ut conſtat ex *cap. Præterea 7. h. t.* Ubi Alexander III. mandat cuidam Epiſco- „ po, ut Parochianis ſuis (ſive Diœceſanis, uſuras reci- „ pere interdicat, ac proinde non tantum uſuras exigere, „ ſed etiam recipere eſt prohibitum, *Abbas hoc not. 1.*) „ qui ſi parere contempſerint, eos ab officio, & beneficio „ ſuſpendat. Si vero Laici fuerint, eos uſque ad dignam „ ſatisfactionem excommunicet, de quo infra. Quin imo „ Clericus manifeſtus uſurarius, non tantum ad tempus „ ſuſpendi debet per Judicem, ad ejus arbitrium, cum certum tempus Jure non ſit expreſſum, ut notat *Tholoſ. leg. 3. de uſur. cap. 1. numer. 2. in fine*: ſed etiam omnino deponi poteſt ab officio, & beneficio Eccleſiaſtico, eoque in perpetuum privari, juxta *cap. 2. §. fin. hoc tit.* Ubi dicitur, quod ſi quiſquam in Clero extiterit, qui deteſtandis uſurarum lucris inſiſtat, Eccleſiaſtici officii periculum patiatur, id eſt deponatur, prout etiam habetur in *cap. Si quis 4. & cap. Quoniam 8.* qui eſt deſumptus ex Concilio Niceno *c. 17. cauſ. 14. q. 4. c. 2. & c. Si quis 5. diſ. 47.* multo magis vero Clericus uſurarius publicus repellendus eſt ab officio, & beneficio obtinendo, ſiquidem etiam privandus eſt obtento, *c. Inter dilectos 12. in princ. de exceſſib. Prælat.* Ubi irritatur collatio Succentoriæ facta cuidam manifeſto uſurario, & *c. De Petro 4. eit. dis.* Ratio autem hujus pœnæ ſuſpenſionis, depoſitionis, & inhabilitatis ad beneficium obtinendum, eſt quia uſurarii manifeſti ſunt infames, infamibus autem portæ dignitatum patere non debent, *reg. 87. in 6.* ſicut nec vilibus, & indignis, *cit. c. Inter dilectos.*

CL. Notandum hic præterea primo, Clericus uſurarius non ſtatim deponendus eſt ab Ordine, officio & beneficio, ſed prius monendus eſt, ut deſiſtat ab uſuris exercendis; & poſtea ſi monitus non deſiſtat, ſuſpendendus eſt ab officio, & beneficio, *cit. c. Præterea h. tit.* & ſi adhuc contumax ſit, & parere contemnat, tandem deponendus eſt, ſive verbaliter degradandus, ut habetur in *cap. 1. diſ.* 47. 47. qui eſt deſumptus ex Canonibus Apoſtolorum: Ubi dicitur, „ Epiſcopus aut Presbyter, aut Diaconus uſuras a „ debitoribus exigens aut deſinat, aut certe deponatur: quare ſi admonitus deſiſtat, poteſt evitare pœnam depoſitionis, ut patet ex alternativa; idque colligitur etiam ex *cit. cap. 1. h. tit.* ibi: *ſi deteſtandis uſurarum lucris inſiſtat. Hoſtienſ. in ſumma num.* 10. §. *Alia u Judice h. tit. Covarr. cit. cap. 3. num. 3. Tholoſ. cit. loc. cap. 1. num. 1. & 2.* & æquum eſſe hunc ordinem in pœnis hic ſervari, ut a mitiori pœna incipiatur, putat etiam *Abb. in cit. c. Præterea num. ult.* quamvis addat, abſolute in optione Judicis eſſe, a qua pœna incipere velit, cum utraque pœna jure impoſita ſit, *Molin. tr. 2. diſ.* 334. *num.* 2.

Notandum ſecundo, uſurarius manifeſtus non poteſt eligi, vel promoveri ad officium, & beneficium de novo obtinendum, etiamſi admonitio non præceſſerit, ut deſiſtat, ſicuti ad depoſitionem jam promoti requiritur, ſed ſatis eſt, ſi probetur, quod promotus, vel promovendus ſit uſurarius, quia facilius quis rejicitur ab officio obtinendo, quam deponatur ab obtento, *Tholoſ. cit. cap. 1. num.* 3.

Notandum tertio, poteſt Epiſcopus cum Clerico uſurario, poſt pœnitentiam, & ſatisfactionem, diſpenſare, ſaltem quoad beneficia obtenta, quia his, ob infamiam etiam juris, non eſt privatus, ipſo facto: non autem quoad beneficia obtinenda, quæ infames conſequi non poſſunt, ſine Papæ diſpenſatione, *Gl. in cit. c. Inter dilectos. V. Aleatorem de exceſſib. Prælat. Covarr. cit. cap.* 3. *num.* 3. quamvis *Gl. in cit. cap. Præterea. V. Suſpendas* dicat, quod Epiſcopus diſpenſare poteſt cum uſurario Clerico, etiam ut habilis fiat ad officia obtinenda, ſed prius eſt probabilius.

CLI. Tertia pœna eſt, quod uſurarii manifeſti, ſi laici fuerint, excommunicari debent, donec debite ſatisfecerint, *citat. cap. Præterea*, ubi *Gl. final.* ait, prius infligendas eſſe pœnas Concilii Lateranenſis in *c. Quia in omnibus 3. h. titul.* de quibus poſtea. Sed *Abb. in cit. c. Præterea num.* 4. putat, cum inter pœnas plures, quæ in uſurarios latæ ſunt, detur electio Judici, quam imponere velit, *c. ult. §. final. Ut lite non conteſtata &c.* a pœna excommunicationis incipiendum eſſe, tum, quia ea magis timetur, *cap. 1. de except. in 6.* tum quia aliæ pœnæ poſt mortem infliguntur, ut ſepulturæ privatio, irritatio teſtamenti: Excommunicatio vero cogit reſipiſcere, & pœnitere adhuc in vita, *Tholoſ. cit. lib. 3. c. 3. num.* 2. nomine autem ſatisfactionis hic intelligitur, non tantum reſtitutio, ſed quacunque alia ratione uſurarius voluntati creditorum ſatisfaciat, etiam libera remiſſione eorum, abſque reali reſtitutione uſurarum facta ab uſurario, *Abb. in cit. cap. Præterea num. 3. h. t.* Porro hodie manifeſti uſurarii ſunt ipſo facto excommunicati, *cap. 1. h. tit. in 6. Tholoſ. cit. c. 3. num.* 1.

CLII. Quarta pœna eſt, quod uſurarii manifeſti non admittantur ad communionem Altaris, prout ſtatutum habetur in Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. quod refertur in *c. Quia in omnibus 3. h. tit.* Nam quia in omnibus fere locis, ita crimen uſurarum invaluit, ut multi (aliis negotiis prætermiſſis) quaſi licitæ eſſent, uſuras exerceant, non conſiderantes, qualiter crimen illud utriuſque Teſtamenti pagina condemnetur: ideo ſtatuit Concilium, ut uſurarii manifeſti, nec ad communionem admittantur Altaris: nec Chriſtianam, ſi in hoc peccato deceſſerint, accipiant ſepulturam: ſed nec oblationes eorum quiſquam accipiat. Ubi cum dicitur, non eſſe admittendos ad Communionem Altaris, id intelligi debet, quod non ſint admittendi ad perceptionem S. Euchariſtiæ, *Hoſtienſ. ibid. V. Ad Communionem, & Innocent. Silveſt. V. Uſura.* 9. *qu.* 4. *Molin. cit. diſ.* 334. *numer.* 3. quanquam *Abb. ibid. numer. 2. & ejus Gloſſator Alex. de Nevo* ita exponant, quod interdicatur illis Communio Altaris, id eſt, ingreſſus in Eccleſiam tempore, quo divina officia celebrantur, & digne audientes Miſſam, percipiunt Communionem Altaris, id eſt, ſacrificii, quod fit ſuper Altare, ut ſic confuſi facilius reſipiſcant: quæ tamen expoſitio nullo Juris textu probari poteſt, *Lugo citat. diſ. 25. ſec. §. 3. numer.* 243.

CLIII. Quinta pœna eſt, *ne oblationes uſurariorum recipiantur ab Eccleſia*, *citat. c. Quia in omnibus*. Ratio eſt, tum quia dona eorum, qui pauperes opprimunt, rejicienda ſunt a Sacerdotibus, *cap. 2. diſ.* 90. & oblationes raptorum non ſunt recipiendæ ab Eccleſia, *c. Miror, 8. cauſ. 17. qu. 4. cap. de viro 17. cauſ. 12. qu. 2.* raptoribus autem uſurarii æquiparantur, *cap. Si quis 10. & 11. ſeqq. cauſ. 14. qu. 4.* tum quia oblationes dicuntur, quæcunque de propriis, & licitis rebus Eccleſiæ a fidelibus offeruntur, *cap. Cauſa 13. de V. S.* Etſi vero uſurarius non poſſit facere oblationes, poteſt tamen facere eleemoſynas, eæque ab illo recipi poſſunt, ut docet *Abb. in cit. cap. Quia in omnibus num. 6. h. titul.* Ubi rationem diverſitatis dat, quia oblatio, ſuapte natura, fit publice: eleemoſyna vero ordinarie, & per ſe ſecreto, & occulte, & ideo Eccleſia non recipit oblationes uſurariorum, ne videatur uſuras approbare. Hoc tamen limitandum eſt, quod poſſint ab uſurario accipi decimæ, & aliæ eleemoſynæ, ita tamen, ut per eas non fiat impotens ad reſtituendas uſuras, ut tradit Salas apud *Lugon. citat. loc. numer.* 244.

CLIV. Sexta pœna eſt, ex eodem Concilio Lateranenſi in *citat. cap. Quia in omnibus h. titul.* Ut ſi uſurarii in eo „ peccato deceſſerint, Chriſtiana careant ſepultura, ubi etiam additur, ne qui acceperit ab eis oblationem, vel „ Chriſtianæ eos tradiderit ſepulturæ, reddere compellatur, quæ accepit, & donec arbitrio Epiſcopi ſatisfecerit, ab officii ſui executione ſit ſuſpenſus. Et quidem ipſo facto, ut intelligunt communiter DD. apud *Molin. citat. diſ.* 334. *numer.* 3. poſtea vero in Concilio Lugdunenſi relato in *Clement. 1. de ſepult.* ſtatutum fuit, ut qui uſurarios manifeſtos ſepelire præſumunt, ipſo facto, ſint excommunicati, nec abſolvantur, niſi prius ad arbitrium Diœceſani Epiſcopi, competenter ſatisfactionem exhibuerint, de quo plura dicta ſunt *lib. 3. Tit. 28. §. ult.*

CLV. Addit *Abb. in citat. cap. 3. numer. 4. h. titul.* uſurarium defunctum non eſſe ſepeliendum in loco ſacro, etſi hæres velit reſtituere uſuras acceptas, vel de iis reſtituendis cavere: ſed requiri, ut uſurarius ipſe adhuc vivus juſſerit eas reſtitui, vel de iis reſtituendis caverit, ita ut appareat ipſum pœnituiſſe, nec deceſſiſſe in peccato uſuræ. Conſentit *Gl. in cit. Clement. 1. V. Manifeſtos*: quamvis ſatis eſſe cautionem illam præſtari, poſt mortem uſurarii, ab ejus hæredibus, quoad Eccleſiaſticam ſepulturam obtinendam tradat *Gloſſ. marg. in citat. Clement. 1. V. Manifeſtos lit. A. & Covarr. l. 3. reſ. cap. 3. numer. 9. verſ. XII.* niſi tamen conſtaret publice, uſurarium in peccato mortali impœnitentem obiiſſe, *c. Pro obeuntibus 21. cauſ. 13. quæſt. 2. Gl. in cit. cap. 3. V. Accipiant ſepulturam h. titul.* Ratio autem, cur ita puniantur recipientes oblationes ab uſurariis, vel eos ſepelientes eſt, quia quanquam ipſi non ſint uſurarii, participes tamen ſunt criminis, iiſque favere videntur, agentes autem, & conſentientes pari pœna puniendi ſunt, *l. Jubemus 14. §. Oeconomus & ibi Gl. V. Imo C. De SS. Eccleſ. c. 1. de offic. deleg. Tholoſ. l. 3. de uſur. cap. 4. num.* 10.

CLVI. Præterea in *cap. Quanquam 2. h. titul. in 6.* Gregorius X. in Generali Concilio Lugdunenſi ita ſtatuit: „ Quanquam uſurarii manifeſti in ultima voluntate mandaverint, ut uſuris, quas receperant, ſatisfiat, eæque reſtituantur, expreſſa quantitate, vel non expreſſa (quia in genere mandarunt reſtitui, quæcunque per uſurariam pravitatem extorſerant, *Gl. hic V. Indiſtincte.*) nihilominus tamen Eccleſiaſtica ſepultura eis denegetur, donec de uſuris (prout eorum patiuntur facultates) plene fuerit ſatisfactum, vel idonee de reſtitutione facienda ſit cautum: idque vel illis, quibus facienda eſt reſtitutio, ſi præſentes ſint, aut aliis, qui eis de jure poſſunt acquirere: (ut ſunt ſervi, filii in poteſtate patris conſtituti, & aliæ perſonæ jure expreſſæ, per quas poſſumus acquirere, toto *Tit. Inſtitut. Per quas perſon. nobis acquir. poſſ. Gl. hic poſſunt acquirere.*) vel his omnibus abſentibus, Ordinario loci, aut ejus Vicario, vel Rectori Parochiæ, in qua defunctus habitabat, quibus quidem Ordinario, Vicario & Rectori prædicto modo, cautionem hujuſmodi, eorum nomine liceat, præſentis Conſtitutionis auctoritate recipere, ita ut illis (a quibus ſcilicet uſuræ fuerunt extortæ, vel eorum hæredibus aut ſucceſſoribus) perinde actio acquiratur; ac ſi ipſi ſtipularentur, *Gl. hic Verſ. Perinde*: aut ſervo publico (id eſt, tabellioni ſeu Notario ſic dicto, quia publicum officium exercet, non quod ſit ſervus, *l. Generali 3. Cod. De tabellariis lib. 10. Gl. hic V. Servo publico,*) ex mandato Ordinarii; de reſtitutione facienda idonee ſit cautum. Inſuper in eodem cap. 2. præcipitur; ut ſi uſurarum quantitas ſit manifeſta; ſive de illa conſtet; ea ipſa ſemper in prædicta cautione exprimatur: ſi vero de certa quantitate non conſtet; exprimatur alia veriſimilis quantitas arbitrio cautionem hujuſmodi recipientis moderanda; qui ſi ſcienter minorem; quam veriſimiliter creditur; quantitatem expreſſerit; ſatisfactionem reſidui teneatur; id eſt; uſque ad veriſimilem.

„ Ubi etiam ſubjungitur, omnes Religioſos, & alios, qui manifeſtos uſurarios contra præſentis Conſtitutionis formam, ad Eccleſiaſticam ſepulturam admittere auſi fuerint, pœnam in Decreto Lateranenſis Concilii contra uſurarios edito promulgatam incurrere: nempe pœnam ſuſpenſionis ſtatutam in *cit. cap. Quia in omnibus 3. in fine h. tit.* in eos, qui recipiunt oblationes uſurariorum, vel eos Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradunt, *Gl. hic V. Pœna.*

CLVII. Pro declaratione hujus Conſtitutionis, notandum primo, uſurarius manifeſtus; etiamſi in teſtamento, vel alia ultima voluntate mandet reſtitutionem uſurarum in certa, vel incerta quantitate, non eſt in loco ſacro ſepeliendus, donec fiat reſtitutio ipſis damnificatis, vel eorum hæredibus, vel in defectum eorum, loci Ordinario, vel ejus Vicario, vel Parocho loci, aut cautio idonea eis præſtetur, ut ſic defraudatis actio acquiratur, cujus ratio eſt; quia ultimæ voluntates ſæpius non implentur; *Sayrus in clavi regia libr. 10. Tract. 5. cap. 5. nu. 31. in fine.*

Notandum ſecundo, hæc Conſtitutio ſolum habet locum in uſurariis notoriis, non vero in occultis; quibus non eſt deneganda ſepultura Eccleſiaſtica; ſi publice illam petant: quamvis in foro conſcientiæ abſolvi non debeant, niſi ſatisfecerint; vel ſatisfacere ſint parati; ſicut idem obſervari ſolet in furibus occultis; & aliis debitoribus; *Molin. cit. diſ. 334. num.* 5.

Notandum tertio; nomine idoneæ cautionis intelligitur illa; quæ fit per pignora; vel fidejuſſores; *l. Si mandato 59. §. final. ff. Mandati, Gloſſ. hic Verſ. Idonee.* Et licet ſolventes uſuras habeant actionem ad eas repetendas, tamen voluit Papa etiam providere per remedium cautionis, quia magis ſecuri ſunt per fidejuſſores, vel pignora, *l. 1. ff. Qui ſatisdare cog.* & ut habeent plura auxilia, *Gloſſ. hic Verſ. Idonee.* Quod ſi uſurarius pignora, vel fidejuſſores dare non poſſit, jurare debet, ſe & dare non poſſe, & ſe, quantum in ſe erit, completurum, quod cavet, *Gloſſ. hic Verſ. Idonee, Navarr. in Man. cap. 17. numer. 279. Molin. cit. h. num.* 6.

CLVIII. Notandum quarto, quamvis ſpectato Jure Civili, regulariter non poſſit quis pro altero ſtipulari, id eſt, acquirere obligationem, ſeu pro eo illam acceptare, *§. Si quis alteri, & §. Alteri Inſtit. de inutil. ſtipul.* tamen Parochus, qui eſt perſona publica, poteſt, cum agitur de reſtitutione uſurarum, ſtipulari, ita ut cautione ipſi præſtita de reſtituendis male partis per uſuras, utilem actionem acquirat iis, quibus ſunt reſtituenda, prout ſumitur ex *cit. c. 2. h. tit. in 6.* Intelligitur autem hic per Parochum is, ubi teſtator habitabat, ut dicitur in textu: & multo magis etiam Rector Eccleſiæ, cui facienda eſt reſtitutio, cum enim ſit quaſi Judex, & Miniſter ipſius, ei acquirit, *Gloſſ. in cit. cap. 2. Verſ. Parochia & Joan. Monachus n. 6.* Præterea ſi Notarius publicus, in hoc caſu, ex mandato Ordinarii ſtipuletur, nomine eorum, quibus uſuræ ſunt reſtituendæ, acquirit illis jus, & actionem in foro externo: ſecus ſi id ſine mandato Ordinarii faciat, *Gloſ. in cit. c. 2. V. Mandato, h. tit. in 6. Molin. cit. diſ. num. 8.*

Notandum quinto, cautio hujuſmodi, quæ in Ordinario, vel ejus Vicario, vel Parocho, fieri debet coram aliquibus fide dignis de ipſa Parochia, quia magis creditur indigenis notis, quam extraneis ignotis, & ſaltem coram duobus, ut per eos, ſi opus fuerit, ea probari poſſit, *Gl. in cit. cap. 2. V. Parochus*: ubi in additione *Gl.* dicitur, non eſſe de ſubſtantia, ut illi ſint de Parochia, ſed ſolum ad melius eſſe, unde ſufficit, ſi alias ſint idonei.

Notandum ſexto, Judex in exprimenda quantitate conſiderare debet, quanto tempore defunctus uſuras exercuit, & quantum nunc habet in bonis, & quantum habebat, tempore, quo fœnerari cœpit, & quæ ſit fama viciniæ, & an alias mercationes exercuerit, & an in eis fortunatus fuerit, & aliæ ſimiles circumſtantiæ circa hoc conſiderandæ ſunt, & ſecundum illas, major vel minor quantitas exprimenda, *Gl. in cit. c. V. Aliequin.*

Notandum ſeptimo, ſepelientes notorium uſurarium, qui uſuras reſtitui juſſit, antequam executioni mandentur ea, quæ in *cit. c. Quamquam* fieri præcipiuntur, priuſquam ei ſepultura Eccleſiaſtica concedatur, ſunt, ipſo facto, excommunicati, juxta *Clem. 1. de ſepult.* quæ poſt cap. illud edita eſt *Molin. cit. l. num. 9.*

Notandum octavo, reſtitutio; quæ neceſſario fieri debet, ante ſepulturam, eſt quoad uſuras extortas: non autem quoad damnum emergens, vel aliud intereſſe, ſi quod forte ita reſarciendum ſit, *Franc. in cit. c. 2. num. 14. Lugo cit. diſ. 25. ſec. 11. §. 3. num. 245. in fine.*

„ CLIX. Septima pœna eſt, ut nullus interſit teſtamen-
„ tis uſurariorum manifeſtorum conficiendis. Item ut nul-
„ lus eos ad Confeſſionem admittat, aut illos abſolvat (et-
„ iam ab aliis peccatis) antequam, vel reſtituant uſuras,
„ vel de ſatisfaciendo, pro viribus ſuarum facultatum, præ-
„ dicto modo, idoneam cautionem præſtent, prout ſtatuitur
in *cit. c. Quamquam* a *§. Nullus h. t. in 6.* quia non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, *Gl. hic V. Abſolvant.*

Ubi notandum, ſi uſurarius ſit in periculo mortis, & paratus ſit reſtituere, vel ſaltem cautionem idoneam de reſtituendo præſtare, ſed neutrum poſſit: poteſt abſolvi a quocunque Confeſſario, & debet, dummodo ſi ad id tempus ſuppetat, juret, ſe ea prædictis præſtiturum, quæ poterit. Sin autem adſint aliqui, coram illis proteſtetur, & declaret, ſe illa debere, ac præcipiat, ut ex bonis ſuis reſtituantur. & Confeſſarius ab eo facultatem obtineat, prædicta omnia manifeſtandi Ordinario, ut ſi ipſe convaluerit, Ordinarius poſſit ipſum cogere ad ea omnia implenda: vel ſi moriatur, ejus hæredes, *Navarr. cit. cap. 17. num. 280. Molin. cit. diſ. 334. num. 6.* Nomine autem Ordinarii hic intelligitur is, qui juriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi habet, ut Epiſcopus, ejuſque Vicarius, imo & Capitulum, Sede vacante, & quilibet Prælatus, ſeu Superior Ordinarius, vel ejus Vicarius, *Molin. c. l. num. 7.*

„ CLX. Octava pœna eſt, quod Teſtamenta quoque ma-
„ nifeſtorum uſurariorum aliter facta (ſcilicet non facta
„ ſatisfactione, ſeu reſtitutione, nec præſtita idonea cau-
„ tione) non valeant, ſed ſint irrita, ipſo jure, prout ex-
„ preſſe decernitur in *cit. c. Quamquam §. fin. h. t. in 6. &*
„ *ibi Gloſſ. V. Aliter facta*, ſed de hoc plura *§. ſeq.*

§. III.

Proponuntur plures quæſtiones occurrentes circa Teſtamenta facta ab uſurariis manifeſtis, & reſolvuntur.

CLXI. Quæritur primo, an non tantum in Teſtamento, ſed etiam in aliis ultimis voluntatibus, hæc pœna, quod ſint ipſo jure irritæ, locum habeat, ſi manifeſtus uſurarius non reſtituerit uſura, vel non idonee caverit de iis reſtituendis? Reſpondetur affirmative, ſive Codicillus, ſive donatio mortis cauſa facta fuerit, ſive Legatum in teſtamento relictum, ut tradit *Gloſſ.* communiter recepta in *cit. c. Quamquam §. fin. V. Aliter facta, h. tit. in 6. Joann. Monach. ibid. num. 14.* Ratio eſt, quia iſta eſt mens Conſtitutionis hujus, ut patet ex principio, ibi: *in ultima voluntate*; alioquin fraus fieret legi, eaque facile eludi poſſet per indirectum ab uſurariis. Sed neque legata ad pias cauſas relicta in teſtamento ab uſurario notorio valent, qui impœnitens deceſſit, quia teſtamentum eſt ipſo Jure irritum, *cit. cap. Quamquam §. fin.* in quo omnes DD. conveniunt, teſte *Molin. cit. diſ. 334. num. 11.* Si vero ſignis pœnitentiæ editis deceſſit, ea valere affirmant *Silveſt. V. Uſura 9. qu. 7. Covarr. l. 3. reſ. c. 3. in fine, Molin. cit. l.* etiamſi non reſtituerit, nec idonee caverit de reſtitutione facienda, & teſtamentum ſit nullum quoad reliqua: idque ex æquitate, & favore piæ cauſæ: quamvis contrarium teneat *Vaſquez in Opuſc. Moral. Tract. de teſtament. cap. 9. §. 1. dub. 8. numer. 32.* quem ſequitur *Lugo tom. 2. de juſtit. diſ. 24. ſec. 4. num. 70.* quia id contra expreſſa verba legis Canonicæ, ſine ſufficienti fundamento, aſſeritur. Verum hoc ſolum probat, ſpectato Juris rigore, non valere, ſecus de æquitate.

CLXII. Quæritur ſecundo, an ſi uſurarius manifeſtus, cum teſtamentum condere vellet, reſtituit quidem uſuras, vel ſaltem de iis reſtituendis, idoneam cautionem præſtitit; verum poſt conditum teſtamentum, iterum non publice, ſed occulte exercuit uſuras, teſtamentum ejus valeat. Negant valere *Abb. in c. Quia in omnibus 3. num. 10. h. titul. Covarr. cit. cap. 3. numer. 9. §. Decimo Molin. cit. l. num. 15.* tum quia præſumitur cautionem, & pœnitentiam fictam fuiſſe: tum quia non videtur deſtitiſſe, qui iteravit, & nova delicta repetita, pœna etiam repetita plecti debent, *c. 1. de pœnit. c. Menſuram 86. diſ. 1. de pœnit.* Id tamen difficile videntur *Vaſq. cit. l. num. 33.* de quo etiam dubitat *Abb. cit. l. numer. 11.* quia cum talis per occultam repetitionem uſurarum non fiat manifeſtus uſurarius, non videtur teſtamentum annullari debere, præſertim cum pœna hæc ſit reſtringenda. Quare dicendum videtur, quod in foro conſcientiæ non valet teſtamentum, ſi ex reditu ad uſuras appareat fictam fuiſſe pœnitentiam, & cautionem, ſecus ſi ficta non fuit, ſed veriſimiliter creditur, abſque fictione, ſincere & animo reſtituendi præſtitiſſe cautionem, tunc enim ex eo, quod ſecrete uſuras exerceat, non redditur invalidum teſtamentum, *Molin. cit. l. num. 15. Lugo cit. diſ. 24. ſec. 4. num. 71.* Veruntamen ſi probetur, quod talis, poſt conditum teſtamentum, & præſtitam cautionem, iterum uſuras exercuerit, nec illas reſtituerit, tanquam manifeſtus uſurarius ſit inteſtabilis, *Tholoſ. l. de uſuris cap. 14. numer. 2.*

CLXIII. Quæritur tertio, an ſi uſurarius notorius condat teſtamentum, non reſtitutis uſuris; nec idonea cautione data de iis reſtituendis, adeoque teſtamentum ſit ipſo jure irritum, ſed poſtea ante mortem reſtituat, vel cautionem illam præſtet, teſtamentum illud convaleſcat? Reſpond. affirmative, ut tradit *Gl. final. in citat. cap. Quamquam Silveſt. Verſ. Uſura 9. quæſt. 6. Covarr. citat. cap. 3. numer. 9. §. 12. Molin. citat. loc. numer. 14. Vaſq. citat. l. numer. 33. Tholoſ. cit. cap. 14. num. 4. & ſeqq. Lugo cit. loc. num. 71.* Ratio eſt; tum quia, quando cauſa confirmans ſupervenit, confirmatur, quod ab initio fuit nullum, ex jure ſuperveniente, *l. Si rem 29. ff. de pignor. act.* ſic alienatio rerum minoris facta invalide, ſine decreto Judicis, confirmatur, ſi ſuperveniente majore ætate, id ratum habuit, *l. 2. Cod. Si major factus, ratum habere &c.* Tum quia teſtamentum non tam pendet a tempore, quo conditur, quam a tempore mortis teſtantis, qui morte confirmatur, *cap. 9. ad Hebr. & cap. Cum Martha 6. §. Cæterum de celebr. Miſſar.* ejuſmodi autem teſtamentum, ante mortem teſtatoris, habuit omnia neceſſario requiſita ad ejus valorem. Tum quia cauſa teſtamenti eſt favorabilis, ideoque pro ea, & in ejus favorem reſolvendum eſt, *c. fin. de ſent. & re judic.* Tum denique quia voluntas teſtatoris ambulatoria eſt, uſque ad ultimum vitæ ſpiritum, & ita ex arbitrio ejus mutari, & revocari, vel confirmari poteſt, *l. 4. ff. de adimend. legat.* ſicut ergo uſurarius potuit teſtamentum valide factum, poſt idoneam cautionem, revocare: ita & invalide factum, ob omiſſam cautionem, poteſt eadem præſtita, velut nova voluntate confirmare *Tholoſ. c. l. num. 5. & 6.*

CLXIV. Non obſtant Regulæ juris: quod ab initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere, *reg. 29. in ff.* & non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit, *reg. 18. eod. in 6.* item quæ ab initio inutilis fuit inſtitutio, ea poſt facto convaleſcere non poteſt, *reg. 210. ff. eod.* ſic teſtamentum ab impubere conditum non convaleſcit, pubertate adveniente: neque factum a filiofam, vel ſervo, per ſubſequentem emancipationem, vel manumiſſionem. Sed reſpondetur, Regula hæc, *quod ab initio non valet, tractu temporis non poteſt convaleſcere*, imprimis tantum procedit in contractibus, & actibus inter vivos, qui ſtatim debent valere, & ſuſpendi non poſſunt. Non autem in teſtamentis, & ultimis voluntatibus, quæ ſuſpenduntur & ex tempore futuro eorum effectus pendet, *Tholoſ. cit. l. num. 7.* Secundo actus invalidus ab initio non confirmatur ſolo lapſu temporis, ſed interveniente alio actu ſufficiente confirmatur, ſic per ratificationem confirmatur actus. Tertio, Regula illa procedit cum diſtinctione allata a *Dyno in reg. 18. in 6. numer. 8. & ſeqq.* Nam vel durat cauſa impediens, aut ceſſavit: primo caſu, regula eſt ſimpliciter vera, quod ab initio non valet, tractu temporis non convaleſcere. Vel ceſſavit cauſa impediens, & non ſupervenit cauſa confirmans; & tum etiam quod ab initio non tenuit, non confirmatur poſtea. Vel ceſſavit cauſa impediens, & ſupervenit cauſa confirmans, & tum regula non habet locum: ſic in propoſito impedimentum non præſtitæ cautionis ceſſat, quando poſtea præſtatur, & ſuperveniente nova voluntate teſtatoris confirmatur, *Tholoſ. c. l. num. 7. §. Tertio regula.* Deinde inutilis, & invalida ab initio hæredis inſtitutio tractu temporis convaleſcere non poteſt, quando defectus eſt in ſubſtantialibus Teſtamenti, ut ſi quis ſimpliciter ſit prohibitus a factione teſtamenti: ſecus eſt, ſi ſit ſolum defectus in accidentalibus, quæ extrinſecus tantum impediunt, ut omiſſa cautio: tunc enim ſublatis hujuſmodi accidentalibus impedimentis, confirmari poteſt inſtitutio, quæ ab initio nulla fuit, *Jo. Andr. in cit. c. Quamquam, num. 13. h. tit. in 6. Tholoſ. cit. l. num. 7. in fine.*

CLXV. Quæritur quarto, an ſi quis ante, vel poſt conditum Teſtamentum, uſuras exercuit, ſed poſtea deſiit eas exercere: non tamen reſtituit, ſeu cautionem præſtitit, ante mortem, teſtamentum ejus ſit invalidum? Reſpondetur affirmative *Covarr. l. 3. reſ. c. 3. num. 9. §. Nono. Molin. cit. diſ. 331. num. 13. Clarus §. Teſtamentum q. 26. num. 4. Tholoſ. cit. l. num. 12.* Ratio eſt, quia finis hujus pœnæ irritantis teſtamentum uſurarii, & prohibentis eum teſtari, eſt reſtitu-

tio uſurarum, ut per eam poſſit conſequi abſolutionem a peccato uſurarius, *c. Cum in 5. h. t.* ergo quamdio non eſt ſatisfactum, debet remanere pœna, & manente ratione legis, manet etiam ejus diſpoſitioneque ideo minus dicitur uſurarius, qui deſiit uſuras exercere, *Clarus §. Uſura, n. ult.* Si vero uſuras reſtituit, vel quoad illas ſatisfecit, & deſiit eſſe uſurarius, utique poſſet condere teſtamentum, quia ſuperflua foret cautio de reſtituendis uſuris, ſi reſtitutio jam ſit facta, *Clarus V. Teſtamentum, cit. q. 26. n. 4.* ubi ait, hanc ſententiam eſſe magis communem. Similiter ſi quis, cum uſurarius non eſſet, teſtamentum condidit, ſed poſtea notorius uſurarius factus eſt, uſuras non reſtituit, nec cautionem de iis præſtitit, irritum erit teſtamentum, quia hoc morte teſtatoris confirmatur, quo tempore, teſtamentum non habuit ea, quæ neceſſario requiruntur ad valorem teſtamenti ab uſurario facti; & ut validum ſit teſtamentum, neceſſarium eſt, ut teſtator poſſit teſtari, tempore conditi teſtamenti, & tempore etiam mortis, *l. 1. §. Si filius, ff. de legat. 3. Covarr. cit. loc. §. Undecimo. Molin. cit. diſ. numer. 16.*

CLXVI. Quæritur quinto, an teſtamentum illius uſurarii ſit validum, qui ante mortem non erat notorius uſurarius, ſed poſt mortem ſufficienter probetur illum exercuiſſe manifeſte uſuras, eaque de cauſa condemnetur, illiuſque heredes jubeantur uſuras reſtituere, adeoque etiam per ſententiam fiat notorium? Reſpondetur, probabiliter eſſe validum, quia teſtamentum morte teſtatoris confirmatur quo tempore adhuc uſurarius notorius non erat; adeoque nullum tunc adfuit impedimentum, quo minus teſtamentum illud validum non eſſet, ergo etiam poſt mortem erit validum. Accedit, quod cum teſtamenta ſint favorabilia, in dubio debent ſuſtineri. Aliud eſt, ſi teſtator ante mortem fuiſſet damnatus, tanquam uſurarius, & abſque ſatisfactione, vel cautione idonea fuiſſet mortuus, tunc enim teſtamentum, ipſo jure, foret nullum. *Molin. cit. diſ. 334. numer. 10. §. Illud libenter.* Item ſi fuiſſet in vita diffamatus, quod eſſet uſurarius: ſecus ſi non eſſet diffamatus, vel ſi eſſet penitus occultus, aut aliquo modo, tum enim teſtamentum eſſet validum, *Tholoſ. tr. 3. cap. 14. num. 9. in fine.*

CLXVII. Quæritur ſexto, an teſtamenta Judæorum, qui ſunt notorii uſurarii, ſint nulla? Reſpondetur, probabilius eſt eſſe invalida, ſi que cautione præſtita de uſuris reſtituendis, ſint condita, quia licet quoad pœnas ſpirituales Eccleſiæ non ſubjiciantur Judæi, aliique infideles: quoad temporales vero pœnas, & contractus ſubjicitur juriſdictioni Principum, in quorum terris degunt. *Covar. cit. cap. 3. numer. 9. §. Septimo Molin. cit. loc. num. 12. Lugo cit. diſ. 24. ſec. 4. num. 70.* Et ſi contrarium teneat, *Claras, Azor, & alii apud Barboſ. in Collect. in cap. 2. hoc tit. in 6. num. 10.* Prædictis addendum, quod Conſtitutio in *cit. cap. 2. hoc t. in 6.* locum habeat, non tantum contra uſurarios manifeſtos ea cauſa mutui, ſed etiam contra manifeſte exercentes uſuras, titulo venditionis, & emptionis, *Covarr. cit. l. §. Octavo.*

§. IV.

De aliis quibuſdam pœnis uſurariorum, iiſque faventium,

CLXVIII. De his agitur in *c. Uſurarum 1. h. t. in 6.* ubi „Gregorius X. in Generali Concilio Lugdunenſi præcipit, Conſtitutionem Lateranenſis Concilii ſub Alexandro III. (quæ habetur in *c. Quia in omnibus 3. h. tit.*) contra uſurarios editam, ſub divinæ maledictionis interminatione (id eſt, pœnæ æternæ, quæ pro mortali tantum peccato debetur, *Gl. hic V. Maledictionis*) inviolabiliter obſervari, cupiens uſurarum voraginem, quæ animas (ſcilicet recipientium uſuras) devorat, & facultates (ſolventium) exhaurit, compeſcere. Et quia quanto minor fœneratoribus erit fœnerandi commoditas, tanto magis adimetur fœnerandi libertas: ideo Generali hac Conſtitutione ſancivit: ut nec Collegium, nec alia Univerſitas aut perſona ſingularis, cujuſcunque ſit dignitatis, conditionis, aut ſtatus, alienigenas, & alios non oriundos de terris ipſorum, qui publice uſuras exercent, aut exercere volunt, domos in terris ſuis conducere, vel conductas habere, aut alias habitare permittant: ſed hujuſmodi uſurarios manifeſtos, intra tres menſes, ex terris ſuis expellant, nunquam deinceps eos admiſſuri: & nemo illis ad fœnus exercendum domos locet, vel ſub quocunque alio titulo concedat. Qui vero contra fecerint (ſcilicet talibus locando, vel permittendo habere domos conductas, vel non expellendo intra tres menſes) ſi Perſonæ ſint Eccleſiaſticæ, Patriarchæ, Archiepiſcopi vel Epiſcopi, pœnam ſuſpenſionis: ſi vero ſint minores ſingulares Perſonæ Eccleſiaſticæ, pœnam excommunicationis: ſi Collegium, aut alia Univerſitas Eccleſiaſtica ſit interdicti ſententiam, ipſo facto, incurrant. Quam (ſcilicet ſententiam interdicti, vel etiam excommunicationis, aut ſuſpenſionis) ſi obſtinato animo per menſem ſuſtinuerint, ex tunc terræ ipſorum (ſcilicet Prælatorum Clericorum, Collegiorum, vel Univerſitatum) Eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto, quamdiu in illis idem uſurarii commorantur. (Illis ergo abſcedentibus, interdictum ceſſabit, *Gl. hic V. Quamdiu.*) Si denique Laici fuerint, per ſuos Ordinarios, ceſſante omni privilegio, per cenſuras Eccleſiaſticas, ob hujuſmodi exceſſum, compeſcantur."

CLXIX. Pro explicatione hujus cap. notandum primo, hæc Conſtitutio non extenditur ad uſurarios indigenas, qui „oriundi ſunt ex locis, ubi habitant, ita ut locantes iis domos, ſive ad fœnus exercendum, ſive ſub alio titulo, non incurrant pœnas in hoc cap. conſtitutas, quamvis aliis pœnis uſurariorum mulctandi ſint, *Gloſſ. hic V. Alienigenas.* Ratio vero, cur potius expellantur fœneratores alienigenæ, quam incolæ, eſt, tum quia fœneratores incolæ, quamvis æque Reipublicæ inferant damnum uſuris ſuis, tamen pecuniæ remanent in loco: extranei vero transferunt pecunias uſurarias alio, & exhauriunt loca divitiis: tum quia majores uſuras ſolent exigere extranei, qui nullo amicitiæ, vel vicinitatis vinculo ſunt conjuncti, quam incolæ: tum quia uſurarii extranei majus ſcandalum præbent incolis, qui facile imitari poſſent vitia eorum, ideo expelli debent, *Gl. hic V. Alienigenas. Tholoſ. l. 3. de uſur. c. ult. num. 1. & 2.* Quin imo, etſi alienigenæ iſti eſſent cives, vel incolæ, ſi tamen aliunde oriundi ſunt, in eis locum habet hæc Conſtitutio, ut colligitur ex illis verbis textus: *Alienigenas, & alios non oriundos de terris ipſorum*: ita ut ſenſus ſit, alienigenas, etiamſi ſint cives, vel incolæ, & alios etiam, qui cives, vel incolæ non ſunt, *Gl. hic Verſ. Alienigenas Joann. Monach. num. 4. Franc. num. 3.* Oriundus autem de civitate dicitur, qui ibi ortus eſt, vel cujus pater ibi originem duxit, non item avus, *Gloſſ. citat.*

Notandum ſecundo, non tantum prohibitum eſt elocare domos uſurariis, ſed etiam quovis alio titulo concedere, velut pignoris, commodati, precarii, vel ſi ſine ullo titulo ibi eſſe ſinerentur. Imo nec vendere, permutare, vel donare uſurario licitum eſt, ſi manifeſte appareat, quod ad exercendas uſuras vult accipere, quia conceſſionis verbum generale eſt, & hi etiam ſunt tituli, & præſumitur in fraudem agi, *Gl. hic V. Titulo.*

Notandum tertio, Collegia, & Univerſitates Eccleſiaſticæ, quæ permittunt uſurariis conducere domos, vel conductas habere, vel eos non expellunt, incurrunt pœnam interdicti, & poſt menſem etiam eorum terræ interdicto Eccleſiaſtico ſubjiciuntur, quia in Collegium, vel Univerſitatem non fertur ſententia excommunicationis, ne contingat innoxios irretiri *cap. Romana 5. de ſent. excommunic. in 6. Gl. hic Verſ. Interdicti.* Laici vero excommunicationem incurrunt, non ipſo facto, ſed per ſententiam Judicis, ut patet ex textu, *per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcantur.* Imo & ſæculares Univerſitates, ſeu Collegia per Ordinarios compelli debent, cum Papa generaliter loquatur, & alias impunita manerent, *Franc. hic §. Qui vero, num. 2.* ubi tamen addit, quod de rigore Juris hæc Conſtitutio non ſit extendenda ad ſeculares Univerſitates.

CLXX. Præterea aliæ pœnæ in uſurarios, eoſque adjuvantes decretæ ſunt in *Clement. Ex gravi unic. in princ. hoc tit.* „Nam quia plures Communitates, earumque Judices, in offenſam Dei, & proximi, & contra divina pariter, ac humana jura, uſurariam pravitatem quodammodo approbantes, per ſtatuta ſua juramento quandoque firmata (quod non obligat, quia vergit in alterius præjudicium nec ſervari poteſt, ſine periculo ſalutis æternæ, ſicut nec ſtatutum, *Gloſſ. ibid. Verſ. Juramento,*) uſuras exigi, & ſolvi, non ſolum concedebant, ſed etiam ad ſolvendum eaſdem debitores ſcienter compellebant: & iſta ſtatuta ipſorum, gravia plerumque onera imponebant uſuras repetentibus, & aliis diverſis coloribus, & fraudibus repetitionem earundem impediebant; Ideo Papa Clemens V. in Concilio Viennenſi ſtatuit, ut ſi Poteſtates, Capitanei, Rectores, Conſules, Judices Communitatum, ut Conſiliarii, vel alii quivis Officiales hujuſmodi ſtatuta de cætero facere, ſcribere, vel dictare, aut ut ſolvantur uſuræ, vel ut ſolutæ, cum repetuntur, non plene, ac libere reſtituantur, ſcienter judicare præſumpſerint, ſententiam excommunicationis incurrant (continenti, & ſine temporis intervallo, id eſt, ipſo jure, & ſine alia ſententia *Gloſſ. hic Verſ. Incurrant.*) quam ſententiam excommunicationis etiam incurrunt, ſi ſtatuta hujuſmodi hactenus edita, de libris ipſarum Communitatum non deleverint intra tres menſes (modo ſuper hoc poteſtatem habuerint) aut ſi ipſa ſtatuta, vel conſuetudines effectum eorum (ſcilicet ſtatutorum) habentes obſervare præſumpſerint."

CLXXI. Porro hanc pœnam excommunicationis non incurrunt Principes, aut Communitates, qui lege, vel ſtatuto decernunt, ne Judæi, vel alii uſurarii certas uſuras exigant, nimirum magnas, quia aliud eſt ſtatuere, ne magnæ uſuræ exigantur; aliud vero ſtatuere, ut exigantur, *Gloſſ. ibid. Verſ. Facere Azor. part. 3. leg. 5. cap. 18. In quarta pœna.* Item nec incidunt in hanc pœnam Communitates, vel Principes, qui ſolum permittunt uſurarios exercere uſuras, eos non puniendo, *Azor cit. loc.* Sed neque peccant Imperatores, vel alii Principes, nec in pœnam hujus Clementinæ incidunt, ſi auctoritate ſua faciant, aut cogant, ut uſuræ Judæis promiſſæ a ſubditis debitoribus ſolvantur, quia licet id prohibitum ſit in cit. Clementina: potuit tamen hoc ſtatutum, quippe ſolo Jure poſitivo Canonico editum, per contrariam conſuetudinem abrogari, quia, licet exigere uſuras, tanquam debitas, ex vi mutui ſit contra Jus naturale, ac Divinum: non tamen eſt contra Jus naturale facere, ſeu cogere, ut ſolvantur uſuræ *Azor. cit. loc. in fine*, & dictum ſupra. Similiter ſcribens, promiſſæ vel dictans præciſe ſententiam, in qua præcipitur, ut uſuræ ſolvantur, vel ſolutæ non repetantur, non incidit in iſtam excommunicationem, quæ lata eſt in ſcribentes aut dictantes ſtatuta hujuſmodi, ideo extendi non debet, etiam ob paritatem rationis, ad ſcribentes, aut dictantes talem ſententiam, ſi ipſi non judicaverint, *Suar. diſ. 23. de cenſur. ſec. 5. num. 28. & alii apud Barb. in cit. Clementina un. num. 3. hoc t.*

CLXXII. Poſtremo duo adhuc ſunt addenda, & obſervanda. Primum eſt, quod uſurarii, præter prædictas pœnas jure

Digitized by Google

jure ſtatuta, etiam aliis pœnis arbitrariis, & extraordinariis puniri poſſunt a Judice, tam Eccleſiaſtico quam ſæculari, præſertim vero pecuniaria, ut in eo quo peccarunt, mulctentur, *Tholoſ. l. 3. de uſura, c. ult. n. 4. & 7.* ſic juxta Conſtitutiones Imperii amiſſione quartæ partis ſortis mulctantur uſurarii, *Gail. l. 2. obſ. 4. nu. 2.* vel etiam publicatione bonorum, *Tholoſ. c. l. nu. 8.*

Alterum eſt, ſi mutuo, vel alteri contractui per ſe licito, & jure non reprobato adjectum ſit pactum uſuratium, non totus contractus vitiatur, ſed ſolum pactum, & non pro adjecto habetur, quia utile per inutile vitiari non debet, maxime ſi utile ab inutili ſeparari poſſit, *Reg. 37. in 6. & ibi Dynus*, pacta enim ſunt velut accidentia, quæ poſſunt abeſſe, ſine corruptione ſubſtantiæ, cui adhærent, *Gail. cit. c. 4. n. 6. & ſeqq. Tholoſ. c. l. §. 12. & ſeqq.* & paria ſunt pactum non adjici, vel inutiliter adjici, *l. Quoties 6. ff. Qui ſatisd. cog.* niſi tamen ipſe contractus principalis eſſet illicitus, & jure reprobatus, nam tunc illa, & omnia pacta ei adjecta eſſent nulla, & inutilia, quia corruente principali, tanquam fundamento, neceſſe eſt quoque omnia acceſſoria corruere, *l. Cum principalis 178. ff. de R. J. & c. Acceſſorium 42. eod. in 6. Gail. c. l. num. 10. & obſer. 3. nu. 24. Tholoſ. c. l.*

TITULUS XX.

De Crimine Falſis.

Poſtquam actum eſt in ſuperioribus de delictis contra præceptum ſeptimum Decalogi: nunc ordo requirit, ut agatur de crimine falſi, quod prohibetur octavo præcepto Decalogi: quamvis etiam connecti poſſit hic titulus cum immediate præcedente de uſuris, quia uſurarii plerumque falſitate utuntur ad extorquendum illicitas uſuras. Extat hic Titulus etiam in Extravagantibus Joann. XXII. & Extravagantibus Communibus.

§. I.

De crimine falſi in genere.

I. Quæritur primo, quid ſit falſum, & quot modis committatur? Reſp. Falſum, & falſitas in genere nihil eſt aliud, quam veritatis imitatio, vel potius immutatio, *Authentic. de Inſtrument. cautela, collat. 7. novel. 83. in princ. & ibi Gl. V. Imitatio, Gl. marg. litt. C.* Ad crimen autem falſi tria requiruntur: primo, ut pervertatur veritas. Secundo, ut id dolo malo fiat, ſive animo corrumpendæ veritatis in alterius fraudem, nam hoc crimen ſine dolo malo non committitur, *l. Nec ad exemplum 20. C. ad Leg. Cornel. de falſ. Hoſtienſ. in Summa, n. 1. h. t.* Tertio, ut falſitas fiat cum notabili damno alterius, ita ut alteri noceat, vel nocere poſſit, alioquin uno horum deficiente, non eſt punibilis, *Maſcard. de probat. concl. 739. n. 12. Molin. tr. 2. de juſtit. diſ. 70. n. 3.* & alii communiter. Committitur autem falſitas principaliter quatuor modis: Primo dicto, ſeu verbo, ut ſi teſtis falſum deponat in judicio, vel Judex iniquam ſententiam ferat. Secundo ſcripto, ſeu ſcriptura, ut ſi quis falſas litteras, ſeu inſtrumenta conficiat. Tertio re, ſeu facto, ut ſi quis nummos adulterinos cudat, vel falſas menſuras, aut pondera faciat. Quarto uſu, vel potius abuſu, ut ſi quis utatur falſis probationibus, *Maſc. de prob. cit. concl. n. ult. Farinac. in praxi crimin. p. 6. lib. 5. tit. 16. de falſitate, q. 150. n. 6.*

Porro crimen falſi eſt crimen publicum, ita ut quilibet de populo poſſit de illo accuſare, etiamſi ſui nihil interſit, *§. Item Lex Cornelia de falſis, Inſtit. de publ. judic. Molin. c. l. num. 2. Clarus § Falſum, n. 1.* & eſt crimen exceptum, & in generali remiſſione, ac diſpoſitione non comprehenditur, *Menoc. de arbit. Jud. caſu 306. n. 12. Farinac. c. l. n. 14.*

II. Quæritur ſecundo, quæ ſit pœna falſi? Reſp. Jure Civili pœna falſi olim in perſonis liberis erat deportatio, cum publicatione omnium bonorum: in ſervis vero ultimum ſupplicium, *§. Item lex Cornelia de falſis Inſtit. de public. Judic. l. 1. §. fin. ad Leg. Cornel. de falſ.* Sed quia pœna deportationis hodie non eſt in uſu, & pœna publicationis bonorum correcta eſt per *Authen. Bona damnatorum, C. de bonis proſcript.* ideo hodie pœna falſi eſt arbitraria, & ſic quandoque major, quandoque minor, juxta diverſitatem caſuum, ut tradit *Gloſ. fin. in cit. l. 1. §. fin.* ita ut quandoque pœna pecuniaria, quandoque corporalis, quandoque etiam capitalis, ſive mortis imponi poſſit, ſi falſitas ſit magna, vel ſæpius iterata, *l. Ubi falſi 22. in fine, ibi: Supplicio capitali, ſi id exigat magnitudo commiſſi, C. ad Leg. Cornel. de falſiſ. Bern. Diaz. in pract. crim. Can. c. 20. nu. 1. Farinac. c. l. n. 24.* Quæ vero ſint pœnæ criminis falſi de Jure Canonico, infra dicetur.

Porro crimen falſi committens in Judicio, cauſam perdit, ſive ſit falſitas commiſſa in electione Prælati, vel cauſa beneficiali, ſive in cauſa mere civili, ſive in cauſa contra fiſcum, ſive in cauſa contra privatum, *Clarus §. Falſus, num. 32. Farinac. cit. q. 150. n. 25. & ſeqq.* quod tamen aliqui limitant, ut ſolum procedat, ſi falſitas commiſſa ſit circa acta ipſius cauſæ: ſecus ſi commiſſa ſit circa teſtes, aut inſtrumenta extra acta, *Clarus c. l. Farin. c. l. nu. 37.* Illud hic addendum, quod in crimine falſi poteſt agi dupliciter, vel criminaliter ad pœnam legalem, vel civiliter ad compenſationem damni, & intereſſe, *l. de fide 16. & ibi Gloſ. Verſ. Duplex via, C. Ad Leg. Cornel. de falſis, & l. Damus 23. & ibi Gl. in caſu C. Eodem Farinac. c. l. n. 50.*

§. II.

De Crimine falſi, quod committitur circa teſtes.

III. Quæritur primo, quomodo crimen falſi committatur circa teſtes? Reſp. Inprimis teſtis, qui falſum teſtimonium, ſciens, & dolo malo, in judicio dedit, crimen falſi committit, *Jul. Clarus lib. 5. ſent. §. Falſum, num. 5.* & alii DD. communiter. Et ſumitur ex *l. 1. & l. Eos qui 27. in princ. & ibi Gl. V. Diverſa*, id eſt, falſa, & varia, *ff. de Lege Cornel. de falſiſ. l. Qui falſo 16. ff. de teſtib. & l. Nullum 14. Cod. eodem.* Quam autem hoc crimen falſi teſtimonii deteſtabile „ ſit patet ex *c. Falſid. 1. h. tit.* ubi dicitur: Falſidicus te„ ſtis tribus perſonis eſt obnoxius, id eſt, obligatus: pri„ mum DEO, cujus præſentiam contemnit: deinde Judi„ ci, quem mentiendo fallit: poſtremo innocenti, quem „ falſo teſtimonio lædit. Ex quo patet, quod quis eodem „ delicto poſſit plures perſonas lædere, ita ut omnibus te„ neatur ad ſatisfactionem, *Abb. hic num. 2.* Non ſolum au„ tem ille eſt teſtis falſus, & reus criminis falſi, qui mendacium dicit, ſive falſum deponit: ſed etiam qui verita„ tem occultat, ſive verum tacendo ſupprimit, quia prior „ nocere deſiderat, poſterior vero prodeſſe non vult, prout additur in *cit. c. 1. in fine.*

IV. Ubi notandum primo, quod teſtis, occultando veritatem, eſt falſarius, & tenetur de falſo, quando interrogatus a Judice ſuper certo articulo, dicit, ſe nihil ſcire, vel quando juravit, ſe dicturum puram, & meram veritatem, & illam tacendo ſuppreſſit. Secus eſt, ſi juravit ſolum ſimpliciter, ſe ad interrogata reſponſurum, tunc enim, ſi non interrogatus taceat veritatem non tenetur de falſo, *Arg. c. Cum dilecti 18. de accuſat.* quia ſatis eſt, quod reſpondeat ad interrogata, *Abb. in cit. cap. 1. nu. 3. h. tit. Farinac. in praxi crim. p. 2. tr. de teſtibus, q. 67. n. 230.* ubi *nu. 231.* id limitat, dummodo doloſe, & ſcienter tacuerit veritatem, ſecus ſi ſine dolo.

Notandum præterea, crimen falſi committit is, qui ſubornat teſtem, ſive donis, aut pretio corrumpit, ad dicendum falſum teſtimonium, vel ſcienter producit in judicio falſum teſtem, vel utitur dicto falſi teſtis, *Clarus cit. l. nu. 2. & 4.* Item teſtis, qui in ſua depoſitione dicit ſe non recordari de eo, de quo revera recordatur, vel ſaltem poteſt, ac debet veriſimiliter recordari, tenetur de falſo. Secus eſt, ſi probabiliter non recordetur, quia probabilis oblivio teſtem a falſo excuſat, *Farinac. c. l. n. 224.* Similiter teſtis, qui deponit obſcure, verſute, vel per malitiam, eo fine, ut ejus depoſitio producenti non proſit, tenetur de falſo, *Farinac. cit. l. n. 225.* apud quem plura de hoc videri poſſunt.

V. Quæritur ſecundo, quæ ſit pœna teſtis falſum deponentis in judicio? Reſpond. Jure Civili eadem pœna ſtatuta eſt in teſtes falſos, quæ in alios falſarios, de qua §. præ„ cedente. At vero de Jure Canonico, ſi Epiſcopus, Pres„ byter, aut Diaconus capitale crimen commiſerit, aut „ chartam falſaverit (ſive falſas litteras ſcripſerit) aut „ falſum teſtimonium dixerit, ab Officii honore in perpe„ tuum deponi, & in Monaſterium detrudi debet ad agen„ dam pœnitentiam, & ibi quamdiu vixerit, Laicam tan„ tum Communionem accipiat, ex Decreto Concilii Agathen„ ſis c. 50. quod refertur in *c. Si Epiſcopus 7. diſt. 50.* quæ pœna locum habet, ſive in civili, ſive in criminali cauſa, Clericus dicat falſum teſtimonium, *Bern. Diaz. in pract. crim. Can. c. 97. n. 1.* ubi tamen addit, gravius eſſe puniendum Clericum qui in cauſa criminali falſum teſtimonium dicit, quam in civili.

VI. Limitatur autem primo, quod hæc pœna ordinaria teſtis falſi ſolum habeat locum, ſi Clericus de hoc crimine directe ſit accuſatus, convictus, vel in jure confeſſus: ſecus vero, ſi incidenter ſolum de eo conſtet, ut quia contra Clericum productum in teſtem oppoſita fuit exceptio falſitatis, & probata, quia tunc non debet deponi: nec etiam propter hoc infamari, ſed tantum repelli a teſtimonio, *Diaz. c. l.* Limitatur ſecundo, quando falſitas non eſt commiſſa circa ſubſtantialia cauſæ, ſed ſolum circa accidentalia, & extrinſeca, tunc enim pœna ordinaria locum non habet, ſed ſolum extraordinarie, ad arbitrium Judicis puniendus eſt, *Clarus cit. §. Falſum. num. 9. Salzedo cit. l. in addit. lit. A. V. Detrudatur. §. Secundo excuſabitur.* Tertio quando falſitas non eſt nociva, ſive nemini præjudicat, tunc enim non pœna ordinaria puniri poteſt falſarius, ſed ſolum extraordinaria, arbitrio Judicis. *Menoch. de arbitr. Judic. caſu 306. n. 22. Clarus cit. §. Falſum n. 35. Salzedo c. l. in addit.* Quarto quando falſitas eſt commiſſa per errorem, vel ignorantiam, abſque dolo, ſine quo hoc crimen non committitur, *Clarus c. l. 33. Salzedo c. l. in addit.* Quinto pœna hæc ordinaria falſi imponenda eſt quando judicio ordinario, & per accuſationem proceditur, ſecus ſi per inquiſitionem, quia tunc pœna extraordinaria, ad arbitrium Judicis, plectuntur falſarii *c. Inquiſitionis. 21. de accuſat. Menoch. de arbitr. Judic. caſu 323. n. 1. Salzedo c. l. in addit.* Addunt aliqui ſecus non eſſe locum pœnæ ordinariæ, quando Clericus falſum teſtimonium dixit, non interpoſito juramento. Sed contrarium verius videtur: nempe poſſe eum puniri pœna falſi, perinde ac ſi juraſſet, cum etſi non juravit, ſit tamen depoſitio falſa, *Clarus cit. l. n. 11. Salzedo cit. l. in addit.* & alii communiter.

VII. Porro Clericus, qui dixit falſum teſtimonium coram Judice ſeculari, non poteſt ab eo puniri, nec corporaliter, nec mulcta pecuniaria, nec principaliter, nec incidenter: ob defectum omnis juriſdictionis in illum *argum. cap. 2. de foro compet. Covarr. pract. qq. c. 18. num. 6. Clarus §. fin. quaſt. 38. num. 14. Salzedo cit. c. 9. in addit. lit. C. V. N. poteſt puniri:* qui tamen addunt, quod Judex Laici bene poteſt in cauſa civili cognoſcere de falſitate, quam Clericus coram eo commiſit, non quidem ad effectum puniendi Clericum, ſed ad expediendam cauſam; quæ coram ipſo controvertitur. Contra vero, ſi Laicus falſum teſtimonium protulit coram Judice Eccleſiaſtico, poterit ab utroque Ju-

dice, Eccleſiaſtico, & ſeculari puniri, & erit inter illos locus præventionis, *Clar. c. l. n. 15. Cov. c. l. Salzedac. l. in addit.*

VIII. Utrum autem etiam pœna falſi ſit plectendus, qui teſtimonii dicendi cauſa contra aliquem, pecuniam accepit, etſi verum depoſuit, dubitatur? Affirmat communior ſententia *DD. Mynſing. centur. 6. obſ. 67.* & alii apud *Harprecht in §. Item lex Cornelia de falſis Inſtit. de public. Judic. n. 15.* & habetur in *l. 1. §. Sed etſi quis ff. Ad leg. Cornel. de falſ.* quia venale teſtimonium non eſt teſtimonium veritatis, *c. Nolite 86. cauſ. 11. qu. 3. c. ult. cauſ. 14. qu. 5.* Contrarium tamen tenet *Menoch. de arbr. ind. caſu* 350. *nu.* 6. quia talis non immutat veritatem, ſed eam potius confirmat, ideoque non pœna ordinaria falſi, ſed extraordinaria, arbitrio Judicis, coerceri debet. Videri poſſunt, quæ de hoc dicta ſunt *lib. 2. Decret. tit. 20. nu. 13.* Non tamen pœna falſi ordinaria afficiendus eſt, qui quod affirmavit, extra judicium, poſtea in judicio contrarium eſt teſtatus, quia nulla lege id ſtatutum reperitur, ſicut prius, mitius, & extraordinarie plectendus eſt, *Menoch. caſu 352. n. 2. Clarus §. Falſum n. 5.* Ubi addit aliud eſſe, ſi quis deponat in judicio contrarium ejus, quo in alio judicio, vel etiam in eodem prius teſtatus fuerat, talis enim puniri debet tanquam falſarius.

Prædictis addendum, quod etiam Judex verbo ſeo dicto crimen falſi committat, & ut falſarius puniatus, ſi pecunia corruptus vel alias dolo malo contra leges, & Conſtitutiones ſententiam tulit, *l. 1. §. Sed etſi Judex ff. de lege Cornel. de falſ. Harprecht c. l. n. 9.* Item Advocatus, qui parti adverſæ cauſam prodit, ut falſarius puniendus eſt, *l. 1. §. 1. ff. eod.*

§. III.

Quibus modis falſentur Reſcripta, ſeu Litteræ Sedis Apoſtolicæ?

IX. De his agitur in *c. Licet 5. h. t.* Ubi ab Innocentio III. recenſentur novem modi, ex quibus cognoſci poteſt falſitas in Litteris Apoſtolicis. „Primus eſt, ut falſa Bulla, ſeu falſum ſigillum falſis Litteris apponatur. Secundum, ut filum ex vera Bulla extrahatur ex toto, & per aliud filum immiſſum falſis Litteris inſeratur, ſcilicet vera Bulla. Tertius, ut filum ab ea parte, in qua charta plicatur, inciſum, cum vera Bulla, falſis Litteris immittatur, ſub eadem plicatura, cum filo ſimilis canapis, reſtauratum. Quartus, cum a ſuperiore parte Bullæ, altera pars fili ſub plumbo reſcinditur, & per idem filum Litteris falſis inſerta, reducitur infra plumbum. Quintus, cum Litteris (ſcilicet veris) bullatis, & redditis (per eos, qui ſunt ad officium deputati) in eis aliquid per raſuram tenuem immutatur (quia raſa ſcriptura falſa præſumitur, & tanquam falſa rejicitur, *Maſc. de probat. concl.* 1254. *in princ.*) Sextus, cum ſcriptura Litterarum, quibus fuerat appoſita vera Bulla, cum aqua, & vino abolita, ſeu delata, eadem charta, cum calce & aliis, juxta conſuetum artificium dealbata, iterum inſcribitur. Septimus, cum chartæ, cui fuerat appoſita vera Bulla, abolitæ, vel abraſæ, alia ſubtiliſſima charta ejuſdem quantitatis ſcripta tenaciſſime conglutinatur. Octavus, qui ſcienter Litteras de mano Papæ, vel Bullatoris ejus, non recipiunt, contra Conſtitutionem Apoſtolicam (in *c. Dura. 4. h. t.*) Nam illi etiam a crimine falſitatis non reputantur immunes, ut habetur in *cit. c. licet, §. Eos etiam.* Nonus qui accedentes ad Bullam falſas Litteras caute projiciunt ſub vera Bulla ut cum aliis ſigillentur. Sed hæ duæ ſpecies falſitatis non poſſunt facile deprehendi, niſi vel ex modo dictaminis, ſeu ſtylo dictandi, vel ex forma ſcripturæ, vel qualitate chartæ falſitas cognoſcatur, *cit. c. Licet §. Illos quoque.* In cæteris autem falſitas facilius poterit cognoſci, ut in adjunctione filorum, vel collatione Bullæ, vel motione, vel obtuſione: præſertim ſi Bulla non ſit æqualis, ſed alicubi magis tumida, & alibi magis depreſſa, *cit. c. Licet §. fin.* Explicatio hujus c. videri poteſt apud *Hoſt. hic & Joan. Andr.*

Hinc colligitur primo, multos modos eſſe conferendi ſcripturam cum ſcriptura, dum non ſolum ſit comparatio litteræ cum littera, ſed etiam chartæ, & dictaminia; quia Curiales habent certum modum dictandi non ita facile ab aliis imitabilem: item in forma ſcripturæ, & qualitate chartæ.

Colligitur ſecundo, ſuſpicio falſitatis oritur contra Bullam, aut ſigillum, quando ſignum per omnia non eſt ſimile vero ſigillo, *Abb. hic not. 1. & 2.*

X. Porro modus octavus falſandi Litteras Apoſtolicas habetur clarius expreſſus in *c. Dura. 4. h. t. juncl. Gl. in caſu.* „Nam quia Clerici, & alii recipiebant Litteras in Curia Romana a quibuſcunque, ob quod falſitatis periculum imminebat, ideo ſtatuit Innocentius III. & ſub pœna excommunicationis, ac ſuſpenſionis ab Ordine, & beneficio, diſtricte inhibuit, ne quis apud Sedem Apoſtolicam exiſtens, Litteras Papæ (etiam veras, ſive vera Bulla ſigillatas, *Hoſt. hic V. Noſtras*) recipiat, niſi de manibus ipſius Papæ vel illorum, qui ad hoc officium, de mandato Papæ, ſunt deputati. Si vero Perſona tantæ auctoritatis fuerit (v. g. Epiſcopus, vel alius magnus Prælatus) ut ipſum deceat per nuntium (ſpeciale ad hoc mandatum habentem *Gl. hic V. eod.*) Litteras recipere: ad Cancellarium, vel ad ipſum Papam mittat nuntium idoneum (non hæreticum aut excommunicatum, qui reſcriptum a Papa impetrare non poteſt, *l. 2. C. de ſum Triat. c. Poſt ceſſionem 7. de probat.* niſi Princeps ex certa ſcientia tales Litteras concedat, juxta *l. Univerſis 6. C. de precib. Imper. afferend. Hoſtienſ. V. Idoneum*, per quem Litteras Apoſtolicas, juxta formam, ſeu modum prædictum, recipiat. Si quis autem hujus mandati tranſgreſſor extiterit (ſcienter, & malitioſe, *Hoſtienſ. hic Ver. Tranſgreſſor.*) ſi laicus fuerit, excommunicationi ſubjaceat ſi Clericus, ab officio, & beneficio ſuſpendatur.

XI. Notandum primo, qui recipiunt Litteras ab alio, quam a Papa, vel Officialibus ejus, non exiſtentes apud Sedem Apoſtolicam, non incurrunt pœnam hic præſcriptam: Sedes autem Apoſtolica dicitur eſſe, ubi eſt Papa, & Curia ejus, ſive ſit Romæ, ſive alibi, *Hoſtienſ. hic V. apud Sedem, & Abb. num.* 2. Si vero in Curia exiſtat, & Litteras recipiat ab alio, pœnam hanc incurrit, ſive impetret pro ſe, ſive pro alio, *Abb. hic num.* 7. quia olim ſæpe falſabantur Litteræ Apoſtolicæ in Curia.

Notandum ſecundo. Excommunicatio, quæ hic infligitur in recipientes Litteras ab alio, quam a Papa, vel ejus Officialibus, ipſo jure, ſeu facto incurritur: ſuſpenſio vero per ſententiam ferendam a Judice, *Hoſtienſ. hic V. Subjaceat. & V. Suſpenſione damnetur. Abb. num.* 8. quamvis Gl. & DD. varient. Porro *Hoſtienſ.* hic putat, Clericum tranſgredientem hunc Canonem eſſe non ſolum ſuſpenſum, ſed etiam excommunicatum, ſicut eſt laicus, quia gravius peccat: Abb. tamen *hic num.* 10. probabilius ait, eſſe tantum ſuſpendendum, quia in pœnis mitior interpretatio facienda eſt nec debet quis duplici pœna coerceri, niſi id exprimatur.

Notandum tertio, hodie hæc Conſtitutio non ſervatur, nec ejus pœna ligat, quia quilibet in Curia exiſtens, etiam parvæ auctoritatis, mittit ad Bullatorem, & Litteras Apoſtolicas recipit, Papa id ſciente, & tolerante, *Sylveſt. in ſumm. V. Excommunicatio. 7. num. in fine*, & DD. communiter apud *Barboſ. in Collect. hic num.* 2.

XII. Præterea in *cit. c. Dura. §. Adjicientes. h. t.* ſtatuitur, ut Prælati Eccleſiarum generalem excommunicationis ſententiam promulgent, quam per ſingulas Parochias faciant „frequentius innovari: quod ſi quis falſas Litteras ſe habere cognoſcit: (ignorans ergo non ligatur, niſi forſan eſſet craſſa ignorantia, *Hoſtienſ. hic V. Cognoſcit.*) infra XX. dies (in quibus deliberet ſuper Litteris, *Gl. hic V. dies & Hoſtienſ.*) Litteras illas aut deſtruat, aut reſignet, (coram Judice, ſi coram ipſo fuerunt exhibitæ, vel alias coram tali, qui poſſit prodeſſe, & non obeſſe, *arg. cap. Hoc videtur, 8. cauſ. 22. q. 5. Gl. hic V. Reſignet & Hoſtienſ.*) ſi pœnam illam excommunicationis voluerit evadere: quam nullus relaxare præſumat, ſine ſpeciali mandato Papæ, niſi in mortis articulo: & ſi abſolutio contra hoc præſumpta fuerit, nullam habeat firmitatem.

XIII. Ubi notandum primo, hanc excommunicationem incurrunt, qui falſas Litteras, ſcilicet Apoſtolicas, de quibus in hoc c. eſt ſermo, ſe habere cognoſcunt, eaſque infra XX. dies non deſtruunt, vel reſignant, etiamſi ipſi falſarii non fuerint, neque iis uſi fuerint, vel animo utendi penes ſe illas habeant, quia retentio earum, vel conſervatio abſolute prohibetur. Et quamvis illa excommunicatio non ſit lata per Jus, ſed ferenda per Prælatos Eccleſiarum, tamen poſtquam lata eſt, ejus abſolutio reſervata eſt S. Pontifici, *Suar. diſ. 22. de cenſur. ſect. 2. num.* 49.

Notandum ſecundo, is, qui excommunicationem tulit, ſive promulgavit, ut in hoc caſu Epiſcopus, non poteſt ab ea abſolvere, quia Papa id prohibuit, quando enim Papa aliquid ſibi ſpecialiter reſervat, aliis hoc ipſo denegat facultatem diſponendi quippiam de illo, Gl. *in cit. c. Dura in not. & in fine h. tit.*

XIV. Cæterum præter modos ſupra allatos falſandi Litteras Apoſtolicas, adhuc alius refertur in *c. Quam gravi. 6. h. tit.* Nam ut habetur in Gl. in caſu & integra lectione hujus cap. „quidam Epiſcopus coram Legato Sedis Apoſtolicæ, accuſatus de quibuſdam criminibus, renunciavit Epiſcopatui, qui poſtmodum ad Sedem Apoſtolicam accedens, quaſdam Litteras nomine ejuſdem Sedis datas, ad ſuum Archiepiſcopum reportavit, in quibus continebatur, ut ipſum reſtitueret in Eccleſia ſua, altero ſubſtituto inde ſemoto, quod & fecit Archiepiſcopus. Sed rex illius loci (Carduliæ) non credens illas Litteras a Sede Apoſtolica emanaſſe, præcepit, ut Litteræ illæ, & ipſe impetrans ad Sedem Apoſtolicam mitteretur, & præſentaretur. Papa Innocentius III. viſis Litteris, quæ ſuo nomine, ipſi Archiepiſcopo fuerant præſentatæ, reſcribit eidem, quod in eis Litteris, tam in continentia (id eſt, in forma ſtyli conſueti, *Hoſtienſ. hic V. eod.*) quam in dictamine, falſitatem, invenit, ideoque admiratus ſit, quod Litteras illas a Sede Apoſtolica emanaſſe credidit: cum ipſe ſcire debeat, conſuetudinem, ſive ſtylum conſuetum Apoſtolicæ Sedis in ſuis Litteris talem eſſe, ut Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, fratres: cæteros autem, Reges, Principes, vel alios cujuſcunque Ordinis, dignitatis vel conditionis, filios in ſuis Litteris appellet: & quando Papa uni tantum perſonæ ſcribit, nunquam loquitur in plurali, *vos vel veſter*, appellando. At vero in falſis Litteris Archiepiſcopo huic præſentatis, ipſe dilectus in Chriſto filius vocabatur, cum in aliis Litteris, quas aliquando eidem Papa tranſmiſit, videre potuerit, ipſum venerabilem fratrem appellatum fuiſſe. Quare mandat Papa dicto Archiepiſcopo, ut ſtudeat intueri, tam in Bulla, filo & charta, quam in ſtylo, ut veras pro falſis, vel falſas pro veris Litteris nullo modo admittat.

XV. Notandum primo, attendendus eſt ſtylus Romanæ Curiæ, nam Litteræ, quæ emanant contra, vel præter ſtylum, præſumuntur falſæ, ut colligitur ex *cit. c. Quam gravi, Abb. ibid. n. 2. & Barboſ. num.* 3. ſtylus enim pro lege ſervatur.

Notandum ſecundo, quando Papa ſcribit Epiſcopis, vel iis Superioribus, appellare ſolet eos fratres, quaſi Papa non ſit eis major, ſcilicet quoad poteſtatem Ordinis, nam quoad poteſtatem adminiſtrationis, ſeu juriſdictionis eſt eis major *c. In Novo. 2. & ibi Gl. V. Paridiſ.* 22. Alios vero appellat filios, etiam Sacerdotes, quaſi ſit eis major & Ordine, & adminiſtratione, *Abb. hic n.* 3. Quod ſi Papa permixtim, ſive in genere loquatur de Cardinalibus, appellat eos Venerabiles fratres: ſi autem ſigillatim de ſingulis loquatur, Cardinales Epiſcopos appellat frares, reliquos vero filios, ut patet ex *c. Licet 49. de teſtib.* Item Reges appellat chariſſimos filios: reliquos vero Principes dilectos filios, quaſi ſe inferiores: Judæos vero, & alios Infideles non appellat filios, *Abb. hic n.* 4. quando vero Prælati inferiores:

Digitized by Google

res Papa ſcribunt ſubditis ſuis Clericis, debent eos appellare fratres, vel ſocios, *arg. c. 1. de Exceſſ. Præl.* & ſubditi Prælatos ſuos patres, *Gl. pen. hic & Abb. num. 5.*

§. IV.

An Litteræ Papales, ob raſuram modicam, in eis factam, poſſint argui falſitatis?

XVI. Aſſertio 1. Si raſura, etiam tenuis & modica, v.g. paucarum litterarum in Reſcriptis Apoſtolicis facta ſit in loco ſuſpecto, veluti in narratione juris, in propriis nominibus Judicum, in annotatione Datæ, vel indictionis, juxta *c. Inter dilectos. 6. de fide Inſtrum. cap. Cum venerabilis. 7. de Rel. domib.* tunc tales Litteræ Papales probantur, & redduntur falſæ, *Gl. in cit. Licet. 5. V. Tenuem. h. t.* Et ſic intelligi debet, quod habetur in *cit. c. Licet.* ubi quinta ſpecies falſitatis ponitur, *Cum in Litteris Apoſtolicis aliquid per raſuram tenuem immutatur*, ſcilicet in loco ſuſpecto, ut explicat Gl. & infra magis declarabitur. Porro ſi per mutationem etiam unius litteræ, vel ſyllabæ in Litteris Apoſtolicis, immutetur ſenſus a Papa intentus, quia ex mutatione facta aliquid in eis aſſeritur, vel negatur, quod ipſe non intendebat, vel tacetur aut omittitur, quod ipſe proferre intendebat, tunc gravis culpa contrahitur, & conſequenter etiam pœna in falſatione decreta, quia gravitas hujus peccati, non in litteris aut apicibus, ſed in ſenſu conſiſtit, *Suar. diſ. 21. de cenſur. ſec. 2. num. 46.*

XVII. Aſſertio 2. Si raſura modica, ſeu paucarum litterarum in Litteris Papalibus facta ſit in loco non ſuſpecto, ea non probat, nec reddit falſas tales Litteras, prout ſumitur ex *c. Ex conſcient. 19. & ult. h. tit. junct. Gl. in caſu*, nam cum quidam impetraſſet Litteras Apoſtolicas contra ſuum Adverſarium, ſuper quadam Eccleſia, Adverſarius ille in judicium vocatus, poſtulavit ſibi fieri copiam reſcri-
,, pti, quo viſo, cœpit illas Litteras arguere de vitio falſi-
,, tatis, obligando ſe ſub periculo amittendi cauſam ſuam,
,, ſeu beneficium, ad probandum, quod Litteræ illæ eſſent
,, falſæ, quas Judex miſit ad Papam, ut per eum ſciret,
,, an Litteræ illæ vere falſitatem contineant? Papa Inno-
,, centius III. Litteras illas diligenter inſpiciens, nullum in
,, eis ſignum, vel ſuſpicionem falſitatis invenit, niſi pauca-
,, rum literarum raſuras, quæ nequaquam ſapientis ani-
,, mum in dubitationem inducere debuerunt. Unde man-
,, dat Papa, ut ſi conſtiterit, prædictum Adverſarium ſe
,, obligaſſe ſub periculo ſuæ cauſæ, quod Litteras illas fal-
,, ſas eſſe probare vellet, ipſi ſuper dicta Eccleſia ſilen-
,, tium indicatur, cum quilibet ad renunciandum juri ſuo
,, liberam habeat facultatem.

XVIII. Porro ad clariorem hujus c. intelligentiam notandum primo, in propoſito tres caſus eſſe diſtinguendos, ut notat *Fagn. in collect. c. ult. h. tit. num. 6. & ſeqq.* Vel enim certum eſt, raſuram eſſe factam in Litteris Apoſtolicis a Cancellario, vel alio ex Officialibus Curiæ: & tunc non inducitur falſitas, etiamſi raſura facta eſſet in loco ſuſpecto, *Abb. hic num. 4. Fagn. num. 6. in fine.* Poſſunt autem litteræ Bullatæ radi, & corrigi ab Officialibus Curiæ, quando non concordant cum ſupplicatione, ſeu matrice, vel quando minus bene ſunt expeditæ, *Fagn. hic nu. 7.* Vel conſtat raſuram eſſe factam ab impetrante aut utente Litteris Apoſtolicis: & tunc radens eſt falſarius, etiamſi raſura ſit modica, unius tantum ſyllabæ aut litteræ *citat. cap. Licet, & ibi Gloſſ. Tenuem*, & tametſi facta ſit in loco non ſuſpecto, & ſive fuerit nociva, ſive non, *Abb. hic numer. 4. Fagn. num. 8.* & alii apud ipſum. Vel denique dubium eſt, a quo ſit facta raſio: & tum raſura paucarum litterarum facta in loco non ſuſpecto, ut in narratione facti, etſi per illam non ſit inducta ambiguitas nominis, ſeu dictionis, non reddit Litteras falſas, *cit. c. ult. h. tit.* in quo licet indefinite dicatur, raſuram paucarum litterarum non inducere ſuſpicionem falſitatis, tamen communiter intelligitur a Doctoribus, ſi hujuſmodi raſura non ſit in loco ſuſpecto, ut patet ex ſumma ejuſdem cap. & ex cap. *Ex litteris. 3. de fide Inſtrum.* Secus ſi in loco ſuſpecto, *Fagn. hic numer. 14.* Ratio eſt, quia quando raſura reperitur in loco ſuſpecto, præſumitur in dubio per impetrantem, ſeu utentem facta, & ideo talibus Litteris fides non habetur: ſecus ſi in loco non ſuſpecto reperiatur, tum enim præſumitur facta per Officialem Papæ, *Abb. hic num. 4. & Fagn. numer. 15.* Item reſcriptum redditur falſum, ſi raſura facta ſit diverſa, ſive aliena manu ab eo, cui hoc commiſſum non eſt, etiam in loco non ſuſpecto, & quantumvis modica ſit: ſecus ſi eadem manu, ſive illius, qui Litteras ſcripſit, vel cui hoc miniſterium commiſſum fuit, tunc enim non obeſt raſura, in quocunque loco fuerit facta, *Hoſtienſ. hic V. Raſuras Abb. hic num. 4.* & ejus *Gloſſator lit. C. Fagn. num. 29.* In dubio autem, ſi raſura reperiatur facta in ſuſpecto loco, præſumitur ſcripta diverſa manu, & ideo reddit Litteras falſas: ſi vero in loco non ſuſpecto, eadem manu facta præſumitur, *Abb. hic num. 4. & Fagn. num. 20.*

XIX. Prædicta autem procedunt, ſi Litteræ Apoſtolicæ redditæ ſint apertæ, ſecus ſi clauſæ, quia tunc non nocet raſura, in quocunque loco ſit facta, *Gl. in cit. c. Licet. Verſ. Tenuem. h. t. Fagnan. in cit. cap. ult. num. 21. ubi.* niſi character in loco raſuræ eſſet valde difformis ab alia ſcriptura: præſertim, ſi eſſet magna, & notabilis raſura, & in loco ſuſpecto, nec fieret mentio intus de correctione facta, tunc enim præſumeretur falſitas interveniſſe, *Fagnan. hic num. 22.*

Notandum ſecundo, poteſt quis ſe obligare ad pœnam amittendi beneficium ſuum; *arg. c. Cum dilectus. 32. ubi qui ſe ad hanc pœnam (ſi in probatione deficeret) obligavit*, & valet iſta obligatio in præjudicium ſe obligantis, quamvis Superior poſſit illam non acceptare, juxta *c. Admonet. 4. & c. Quod in dubiis. 8. de renunc. Abb. hic num. 3.*

XX. Sed jam hic ulterius quæritur, an ſententia a Judice lata, auctoritate falſarum Litterarum Papalium, ſit valida, & executioni mandanda? Reſp. de hoc agitur in
,, *c. Super eo 2. h. tit.* Ubi habetur, quod quædam ſenten-
,, tia lata fuit, auctoritate falſarum Litterarum (nempe a
,, Judice delegato a Papa per falſas Litteras) & ille, pro
,, quo lata fuit ſententia, impetravit, ut executio ſenten-
,, tiæ fieret per Epiſcopum Vigorienſem, qui cum citaſſet
,, partes, ut ſententiam executioni mandaret, oppoſitum
,, fuit coram illo, quod cum illa lata ſit auctoritate falſa-
,, rum Litterarum, non debeat executioni mandari. Epiſ-
,, copus, viſis illis Litteris, noluit eas executioni manda-
,, re, ſiquidem falſæ eſſent. Unde conſuluit Papam Lucium
,, III. qui commendat ipſius prudentiam, quod noluerit ſen-
,, tentiam illam latam ex falſis Litteris executioni mandare:
,, eique præcipit, ut quoties aliqua ſcripta, ſeu Litteras ſub
,, nomine Papæ emanantes, redarguendas viderit falſitatis,
,, nullam eis fidem adhibeat, & quod per ipſas mandatum
,, fuerit, non obſervet, ſed eum, qui illas præſentavit, fa-
,, ciat detineri.

XXI. Ubi notandum primo, ſententia lata ab eo, qui juriſdictionem accepit per Litteras falſas, ſive vi falſi reſcripti delegatorii, eſt ipſo jure nulla, ob defectum juriſdictionis, quam falſæ Litteræ tribuere non poſſunt, *cap. Ad haudum. 24. de ſent. & re judic. l. Sicut propoſuis. 6. C. Quomodo & quando Judex & cap. Gl. hic V. Falſarum, & Hoſtienſ.* Ubi dicunt, quod ſine præfinitione temporis retractanda eſt ſententia falſa, quia ipſo jure eſt nulla, & quod ob talem ſententiam per errorem ſolutum eſt, repeti poteſt, *l. 1. & 2. Cod. Si ex falſ. inſtrum. Gloſſ. final. hic.* Secus eſt, ſi Judex alias habeat juriſdictionem, & falſitas concernat tantum merita cauſæ, eo quod ſententia ſit lata per falſos teſtes, vel falſa inſtrumenta, quia tunc ſaltem regulariter, & ordinarie, ſententia tenet, ſed reſcindenda eſt per reſtitutionem in integrum, juxta *l. Divus 33 ff. de re judic. Hoſtienſ. hic in princ. & Fagn. num. 2.*

Notandum ſecundo, merus executor poteſt admittere exceptionem, ſi objiciatur, ſententiam eſſe nullam, eo quod lata ſit per falſas Litteras, & differre executionem, donec referatur Superiori, *Gloſſ. hic Verſ. Executioni, & Abb. numer. 2.*

Notandum tertio, ſuſpectus de falſitate poteſt capi, & detineri, donec de veritate conſtet, *Abb. hic n. 3.*

§. V.

De pœnis Jure ſtatutis in falſantes Litteras aut Bullas Apoſtolicas.

XXII. Quæritur primo, quas pœnas incurrant falſantes Litteras, ſeu Bullas Papales, aut qui iiſdem utuntur? Reſp. de his agitur in *c. Ad falſariorum 7. h. t.* Ubi ad falſa-
,, riorum confundendam, ſtatuit Papa Innocentius III. de
,, Concilio fratrum ſuorum (nempe Cardinalium) ut qui
,, Litteris Apoſtolicis uti voluerit, eas diligenter exami-
,, nent: quia ſi falſis Litteris ſe uſos eſſe dixerint ignoran-
,, ter, pœnas evitare non poterunt inferius poſitas. Nam ip-
,, ſe Papa excommunicationi ſuppoſuit omnes falſarios Lit-
,, terarum Apoſtolicæ Sedis, qui per ſe, vel per alios, vi-
,, tium falſitatis exercent, cum omnibus fautoribus, & de-
,, fenſoribus ſuis: ſtatuens, ut Clerici, qui falſarii fuerint
,, deprehenſi, omnibus officiis, & beneficiis perpetuo ſint
,, privati, ita videlicet, ut qui per ſe vitium falſitatis e-
,, xercuerint, poſtquam per Eccleſiaſticum Judicem fuerint
,, degradati, ſeculari poteſtati tradantur, ſecundum Conſti-
,, tutiones legitimas, ſive Civiles puniendi: per quam, &
,, laici ſi fuerint, de falſitate convicti, legitime puniantur.
,, Illi vero, qui ſub nomine Papæ, Litteris falſis alio
,, impetratis utuntur, ſi Clerici fuerint, officiis & benefi-
,, ciis Eccleſiaſticis ſpolientur: ſi laici fuerint, tamdiu ma-
,, neant excommunicati, donec competenter ſatisfaciant:
,, ita nimirum, ut & in Clericis, & in laicis malitia gra-
,, vius puniatur, quam negligentia. Idemque obſervandum
,, eſt in his qui falſas litteras impetrant.

XXIII Pro explicatione hujus cap. notandum primo, volentes uti Litteris Apoſtolicis debent prius eas diligenter examinare, utrum ſint veræ, & tunc utuntur illis, ſi voluerint: aut falſæ, & tunc nullo modo utantur, *c. Inter dilectos 12. §. Verum, de exceſſib. Præl.* niſi poſtea certificentur, quod veræ ſunt, *Hoſtienſ. hic V. Examinent*, quod ſi hanc diligentiam non adhibuerint, in dolo eſſe videntur, ſine quo falſum non committitur, *l. Nec exemplum 20. C. hoc. t.* Vel ſaltem affectare ignorantiam cenſeri poſſunt, *cap. ult. §. Si quis vero de clandeſt. deſponſ.* Unde talis ignorantia craſſa, & ſupina dici poteſt, quæ non excuſat, *c. pen. de Clerico excommunic. Gl. hic V. Examinent. & Hoſt.* quamvis enim in delictis præſumatur ignorantia, & dolus probari debeat, *leg. Quoties 18. §. Qui dolo ff. de probat.* tamen id non procedit, quando præcedere debet diligens inquiſitio, ut in hoc caſu, auctoritate hujus Conſtitutionis, tum enim non excuſat ignorantia, quia fuit in culpa, non prius examinando, *Gl. hic V. Dixerint, & Innocentius.*

XXIV. Notandum ſecundo, pœnas hujus Decretalis ſolum incurrunt Clerici falſantes Litteras Papæ, non item falſantes litteras Imperatoris, vel alterius Principis, quia hoc cap. non loquitur, niſi de falſantibus Litteras Papæ, & in pœnis benignior pars eſt eligenda, *Reg. juris 49. in 6.* Et ratio eſt, tum quia delictum Clerici falſantis litteras Papæ gravius eſt, quam falſantis Litteras Principis ſecularis, ratione eminentioris dignitatis Pontificiæ, *Arg. c. Solitæ 6. de majorit. & obed. §. Atrox Inſtit. de injuriis.* Tum quia Clericus non eſt ſubditus Imperatori, ſed Papæ: longe autem gravius eſt crimen commiſſum in perſonam Principis, cui delinquens eſt ſubjectus, quam in extraneum, cui non eſt ſubditus, *l.*

Omnes 6. §. 5. *ff. de re militari. Farinac. in praxi crim. p.* 6. *qu.* 151. *num.* 22. ubi ais, quod Clericus falſificans Litteras Imperatoris non ſit tradendus Curiæ ſeculari. Quamvis *Gloſ. hic V. Legitimas*, videatur velle, quod pœnæ hujus cap. etiam locum habeant in falſantibus Litteras Principis ſecularis, ſed prius eſt probabilius. Multo minus incidunt in pœnas hujus Decretalis falſarii Litterarum Epiſcopi, vel etiam Nuncii Sedis Apoſtolicæ: nec ob eandem rationem, falſarii Litterarum S. Pœnitentiariæ, quia non ſunt litteræ Papæ, ſed ejus Commiſſarii conſtituti vivæ vocis oraculo, *Navarr. in Man. c.* 27. *n.* 62. *Diaz in pract. crim. Can.* §. *Falſaris*, *c.* 120. *in addit.* §. *Et nota in fine*; quamvis contrarium quoad falſantes Litteras S. Pœnitentiariæ, teneant plures DD. apud *Farinac. cit. q.* 151. *n.* 24.

XXV. Notandum tertio, quamvis ad incurrendas pœnas hujus Decretalis non videatur ſufficere unicus actus falſitatis, ſed quod requiratur iteratio actuum, prout aliqui DD. colligunt ex *cit. c. Ad falſariorum*, ibi: *Vitium falſitatis exercentes*, *hoc tit.* oppoſitum tamen eſt verius, quod etiam is, qui unica tantum vice, falſat litteras Papæ, omnes pœnas in hoc cap. decretas incurrat, quia verbum *exercere* etiam in diſpoſitione pœnali in unico actu verificatur, ut patet ex §. *Item Lex Julia de adulteriis Inſtitut. de public. judic.* *Farinac. cit. q.* 151. *nu.* 31. ut ait, id ita practicari, *Fagn. hic n.* 28.

Notandum quarto, pœna generalis omnium, qui litteras Apoſtolicas falſant, ſive per ſe, ſive per alios, eſt, quod una cum fautoribus, ac defenſoribus ſuis, ſunt ipſo jure, ſeu facto excommunicati, ut patet ex *cit. c.* 7. ibi: *Anathematis vinculo decernimus innodatos*, *hoc tit.* qui eſt Canon latæ ſententiæ, *Gl. ibi V. In notatis*, & *Hoſtienſ. V. Eod.* Et cum in textu dicatur generaliter, omnes falſarios Litterarum Papalium, ſequitur hanc pœnam excommunicationis infligi indifferenter omnibus, ſive Clerici ſint, ſive Laici, cujus abſolutio eſt Sedi Apoſtolicæ reſervata, *Arg. c. Dura* 4. §. *Adjicientes h. t. Farinac. ibid. n.* 29. & 39. & alii apud ipſum.

Notandum quinto, ſpecialis autem pœna Clericorum falſantium Litteras Papæ, eſt, quod ſint officiis, & beneficiis Eccleſiaſticis, ipſo jure perpetuo privati, *cit. c. Ad falſariorum*, ita ut ea ſtatim impetrari poſſint, & aliis conferri, tanquam vacantia, *Rebuff. in praxi beneſic. tit. de modis amitt. benef. n.* 48. *Garc. p.* 11. *de benef. c.* 10. *n.* 170. quamvis Laici falſantes Litteras Papæ hanc pœnam privationis beneficiorum, ac dignitatum non incurrant, quia cum hæc ſolummodo expreſſa de Clericis, ad Laicos extendi non debet, *Fagn. in cit. c. n.* 38. & 39.

XXVI. Notandum ſexto, alia pœna ſpecialis, quæ in *cit. c.* infligitur Clericis falſantibus Litteras Papæ, eſt, quod, convicti de hoc crimine, poſt degradationem eorum, per Judicem Eccleſiaſticum factam, tradendi ſunt Curiæ ſeculari, ſecundum Conſtitutiones legales puniendi, ſicut Laici, quæ pœna in falſario Reſcripti Principis eſt ſupplicium capitale, ſeu pœna mortis, propter magnitudinem criminis, *l. Ubi falſi* 22. *C. ad Leg. Cornel. de falſ.* Idque ſpeciale eſt in hac ſpecie falſitatis, cum alias regulariter crimen falſi pœna mortis non plectatur, *Gloſs. in cit. c.* 6. *V. Legitimas*, *hoc tit. Hoſtienſ. hic V. eod.* & *Abb. num.* 8. *Farinac. cit. q.* 151. *num.* 4. ubi ait, ita paſſim ſervari. Et hic eſt unus ex tribus caſibus, in quibus de Jure communi Clericus degradatur, & traditur Curiæ ſeculari, etiam non exſpectata ejus incorrigibilitate, videlicet crimen falſi commiſſi in Litteris Apoſtolicis, juxta *cit. c. Ad falſariorum*: Hæreſis, *Ad abolendam* 9. *de hæretic.* & conſpirationis in proprium Epiſcopum, *c. Si quis* 18. *cauſ.* 21. *q.* 1. *Clarus* §. *fin. q.* 36. *n.* 36.

Verum hanc pœnam degradationis, & traditionis Curiæ ſecularis non incurrit Clericus, qui falſat Litteras Apoſtolicas, non per ſe ipſum, ſed per alium, quia in *citat. c.* 7. expreſſe reſtringitur ad eos, *qui per ſe falſitatis vitium exercuerint*: neque enim pœnæ ſunt extendendæ de caſu ad caſum non expreſſum, ſed potius reſtringendæ; hic autem caſus non reperitur in jure expreſſus, potius exclusus per *cit. c.* 7. in quo pœna excommunicationis imponitur omnibus falſariis, qui per ſe, vel per alios vitium falſitatis exercent: ſicut etiam pœna perpetuæ privationis ab omnibus officiis, & beneficiis Eccleſiaſticis: at vero tertia pœna degradationis, & traditionis Curiæ ſeculari, ſolum imponitur iis, qui per ſe vitium falſitatis exercuerint: *Fagnan. in citat. c.* 7. *num.* 42. & 43. quamvis *Hoſtienſ. ibid. V. Per ſe*, dicat ſupplendum eſſe, *vel per alios*: Sed prius magis congruit Litteræ textus.

XXVII. Notandum ſeptimo, pœna eorum, qui falſis Litteris Apoſtolicis ſcienter utuntur, ſed illas non falſarunt, eſt, ut ſi Clerici ſint, officiis, & beneficiis Eccleſiaſticis ſpolientur, id eſt, priventur per ſententiam Judicis, *citat. c. Ad falſariorum*, §. *Qui vero hoc t.* & *ibi Innocentius V. Spolientur*, *Hoſtienſ. V. eod.* & *Jo: Andr. num.* 4. Si autem ſint Laici, ipſo facto ſunt excommunicati, donec competenter ſatisfaciant, *cit.* §. *Qui vero*, *Innoc. ibid. in fine*, & *Abb. nu.* 6. Idque procedit, etiamſi ab earum litterarum falſarum uſu deſiſtant infra XX. dies, quia textus in *c. Dura* 4. § *fin. hoc t.* non loquitur de iis, qui falſis litteris utuntur, ſed qui penes ſe habent falſas litteras, & illas non lacerant, vel reſtituunt infra XX. dies: & tales nullam excommunicationem incurrunt, niſi latam a Judice, prout ibi dicitur. At Laici, qui ſcienter utuntur litteris falſis, ſunt ipſo facto excommunicati, *cit.* §. *Qui vero*. *Abb. ibid. n.* 9. & *Fagn. n.* 49. & 50.

Et hinc colligitur, tres eſſe differentias inter falſantes Litteras Apoſtolicas, & falſis litteris utentes ſcienter. Prima eſt, quia falſantes Litteras ſunt ipſo facto excommunicati, ſive ſint Clerici, ſive Laici, ut dictum ſupra *not.* 4. utentes vero falſis litteris, ſi ſunt Laici, ſunt excommunicati ipſo facto, & in hoc omnes conveniunt. Si vero ſint Clerici, non ſunt excommunicati, quia in *cit.* § *Qui vero*, expreſſe diſtinguitur inter Clericos, & Laicos, & dicitur, quod Clerici falſis litteris utentes, officiis, & beneficiis ſpolientur, nulla facta mentione de excommunicatione: ſi vero ſint Laici, excommunicationi ſuos ſubjecti, adeoque Clerici hanc pœnam excommunicationis non incurrunt: alioquin duplici pœna coercerentur, quod fieri non debet, *cap. At ſi Clerici* 4. §. *fin. de Judic.* niſi contrarium jure ſit expreſſum, & in pœnis benignior interpretatio eſt facienda, *Reg. jur.* 49. *in* 6. *Abb. in citat. cap.* 7. *numer.* 6. Quamvis *Hoſtienſ. ibid. Verſ. Excommunicationi*, oppoſitum teneat, quod etiam Clerici ſint excommunicati, quia magis delinquunt; ſed prius eſt verius, quia magis congruit textui. Secunda differentia eſt, quia falſantes litteras, ſi Clerici ſint, officiis, & beneficiis ſunt ipſo jure privati, ut dictum *not.* 5. ſed utentes falſis litteris, ſunt iis privandi per ſententiam, *citat.* §. *Qui vero*. Tertia differentia eſt, quia falſantes, ſi ſint Clerici, actu ſunt degradandi, & Curiæ ſeculari tradendi, ut dictum *not.* 6. non item utentes Litteris falſis, quia his nullo jure hæc pœna eſt impoſita, ut omnes tenent, *Fagn. cit. l. num.* 51.

XXVIII. Notandum octavo, in criminibus malitia gravius punitur, quam negligentia, *cit. cap.* 7. §. *Qui vero h. tit.* ubi dicitur; *Ita tamen, ut injuſtis* (ſcilicet qui utuntur litteris falſis per alios impetratis, ſive Clerici ſint, ſive Laici) & *in illis* (ſcilicet Clericis, & Laicis, qui per ſe, vel per alios, falſitatem committunt) *malitia gravius, quam negligentia puniatur*. Quamvis etiam negligentia, ſi ſit craſſa, & ſupina, dolo compararetur, *l. Si fidejuſſor.* 29. *in princ. ff. Mandati*, *Gl. fin. in cit. cap.* 7. *Hoſtienſ. V. Malitia*, & *V. Negligentia*, & alii communiter.

Notandum nono, ſimiliter inter eos, qui falſis Litteris Apoſtolicis utuntur, & eos, qui falſas Litteras impetrant, ſed non exercent per ſe falſitatem, diſtinguendum eſt, an id egerint per malitiam, vel per ſimplicitatem, aut ignorantiam, *cit.* §. *Qui vero in fine*, nam illi magis puniendi ſunt, quam iſti, *Jo. Andr. hic num.* 5. *Abb. in fine*. Non tamen incidunt in pœnas hujus Decretalis, qui per ſuggeſtionem falſitatis, ſive falſis ſuggeſtionibus, ſeu informationibus ſubreptitias Litteras impetrant a Papa, quia licet tales Litteræ falſam informationem contineant, ideoque invalidæ ſint, ſunt tamen in ordine ad expeditionem veræ, ideoque qui tales Litteras impetrant, non ſunt falſarii: puniuntur tamen in eo, quod carere debeant omni commodo Litterarum, & in expenſas condemnantur, *c. Super litteris* 20. *de reſcript.* & inſuper tenentur ad omnia damna, & intereſſe, *Hoſtienſ. in cit. c.* 7. *in fine*, *Suar. diſ.* 21. *de cenſur. ſec.* 2. *nu.* 50. *Fagnan. in cit. cap.* 7. *num.* 54. & 55.

XXIX. Notandum decimo, falſarii Litterarum Apoſtolicarum, etiam occulti, incurrunt pœnas, quæ ipſo jure infliguntur, ut pœna excommunicationis, & privationis officiorum, ac beneficiorum, eo ipſo, quod crimen commiſſum eſt, ſive criminaliter, ſive civiliter actum fuerit. At vero pœnas, quæ per Judicem infligendæ ſunt, ut eſt pœna degradationis, & traditionis Curiæ ſeculari, non incurrunt falſarii, ſi civiliter agatur, ſed ſolum ſi criminaliter ſint convicti, ſine ullo, quoad hoc, diſcrimine, num actum ſit per viam accuſationis, an inquiſitionis, *Abb. in cit. c. Ad falſariorum*, *num.* 8. & *Fagn. num.* 62. & 2. *ſeqq.*

Porro pœnæ hujus Decretalis non habent locum in Epiſcopis falſantibus Litteras Apoſtolicas: tum quia in pœnalibus non comprehenduntur, niſi de illis expreſſa fiat mentio, *c. Quia periculum* 4. *de ſent. excomm. in* 6. tum quia non poſſunt privari, vel deponi ſine ſpeciali mandato Papæ, *cap. Dudum* 9. *cauſ.* 3. *quæſt.* 6. *Butrio apud Fagn. hic numer.* 56.

XXX. Quæ pœna ſtatuta ſit in falſario Litterarum Apoſtolicarum in Bulla Cœnæ Domini? Reſp. Pœna excommunicationis, prout habetur in eadem Bulla, Excommunicatione Sexta, his verbis: Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falſarios Litterarum Apoſtolicarum, „ etiam in forma Brevis, ac Supplicationum, gratiam, vel „ juſtitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel „ S. R. Eccleſiæ Vice-Cancellarium, ſeu gerentes vices „ eorum, aut de mandato ejuſdem Romani Pontificis ſignatarum: nec non falſo fabricantes Litteras Apoſtolicas, „ etiam in forma Brevis, & etiam falſo ſignantes ſupplicationes hujuſmodi, ſub nomine Romani Pontificis, vel Vice-Cancellarii, aut gerentium vices prædictorum.

XXXI. Circa quam Excommunicationem notandum primo, hæc Excommunicatio generaliter fertur in omnes, qui hæc delicta committunt, adeoque etiam in Epiſcopos, iiſq; dignitate ſuperiores, *Suar. citat. diſ.* 21. *ſec.* 2. *numer.* 44. *Fagn. in citat. cap. Ad falſariorum*, *numer.* 57. *h. tit.* prohibentur autem, & puniuntur hic duæ actiones circa Litteras Apoſtolicas. Prima eſt, falſare hujuſmodi Litteras, quæ jam ante etiam prohibita fuit ſub excommunicatione, *in citat. cap. Ad falſariorum*, ſine addita tamen reſervatione ab ejus abſolutione, *Navarr. in man. cap.* 27. *numer.* 62. *Suar. citat. loc.* falſare autem Litteras Apoſtolicas ille dicitur, qui earum ſinceram veritatem immutat, aut vero ſigillo, ſeu ſigno Litterarum Apoſtolicarum ad falſas litteras conſignandas utitur, ut exponitur in cap. *licet.* 5. *h. titul.* de quo ſupra.

Altera vero actio, quæ hic prohibetur, & punitur, eſt, fabricare, ſive conficere Litteras falſas, quæ gravior eſt, quam præcedens, *Suar. cit. l. num.* 45. & 48.

Notandum ſecundo, plures ſunt differentiæ inter excommunicationem, quæ infligitur in *c. Ad falſariorum* 7. *h. tit.* & illam, quæ infligitur in Bulla Cœnæ Domini: nam in *citat. cap.* excommunicantur, non tantum omnes, qui falſarunt Litteras Papales, ſed etiam Laici, qui falſis Litteris utuntur: at in Bulla non excommunicantur, niſi falſarii Litterarum Apoſtolicarum, vel falſificatores, aut ſupplicationes falſo ſignantes: de iis vero, qui utuntur hujuſmodi falſis Litteris, vel falſo fabricatis, aut ſignatis, nulla ibi fit men-

Digitized by Google

mentio: aliud vero eſt falſare, aliud uti jam falſatis Litteris, *Navarr. cit. c. 27. n. 62. declar. 4. Suar. cit. ſe. 2. n. 48.*

XXXII. Secundo, in Bulla Cœnæ nulla fit mentio de fautoribus, ſeu defenſoribus, neque etiam diſtinguitur inter falſantes litteras per ſe, vel per alios, ſed ſolum eſt ſermo de falſariis, & ſalſa fabricantibus, qui proprie, & in rigore ſunt illi, qui per ſe ipſos hæc faciunt: ac proinde vi Bullæ, non incurrunt excommunicationem, qui per alios falſant, vel fabricant falſas litteras, vel falſo ſignant; quamvis illam incurrant vi *cit. c. Ad falſariorum*, & fautores, ac defenſores eorum, quia id ibi eſt expreſſum, *Suar. c. l.* Verum contrarium tenet *Fagn. in cit. c. Ad falſariorum nu.* 34. nempe quod quamvis Bulla Cœnæ non utatur illis verbis, *per ſe, vel per alios*, ſed ſimpliciter loquatur de falſariis: tamen intelligi debet de falſariis, tam per ſe, quam per alios, ut ſic recipiat interpretationem paſſivam a Jure Communi in cit. Decretali, quia Regula Juris 72. in 6. *Qui facit per alium eſt perinde ac ſi faciat per ſe ipſum*, procedit etiam in delictis, ut patet ex *c. Ad mulieres 6. §. fin. de ſent. excomm.* ubi dicitur, mandantem percuti Clericum, in excommunicationem incidere, quia is committit vere, cujus auctoritate, vel mandatu delictum committi probatur, & ibi *Gl. fin.* accedit; quod Bulla Cœnæ non utatur illis verbis *per ſe*, ſicut loquitur *cit. c. Ad falſariorum*, quando imponit pœnam degradationis, & traditionis Curiæ ſeculari, ſed loquitur ſimpliciter de falſariis.

XXXIII. Tertio, Bulla Cœnæ expreſſe punit etiam falſantes Supplicationes a Papa ſignatas, ſed *cit. c. Ad falſariorum*, tantum prohibet, & punit falſantes Litteras Apoſtolicas, quarum appellatione in materia odioſa, & pœnali non comprehenduntur ſupplicationes a Papa ſignatæ: alioquin per Bullam Cœnæ dictum cap. puniens falſantes Litteras Apoſtolicas, ſuperflue extenderetur ad falſantes ſignaturas Papæ, *Navarr. c. l. num. 62. decl. 1.* Verum falſare ſignaturam Supplicationis Papalis, ſcribendo verbum *fiat*, vel aliud æquipollens, eſſe proprie falſare Litteras Apoſtolicas, & eas falſantes puniendos eſſe tanquam falſarios, fuſe oſtendit *Fagn. in c. Licet 5. nu. 22. & ſeqq.* quia ſi Litteræ, per quas fit expeditio, diſcrepent a ſupplicatione, ſtatur huic, tanquam matrici, & non Litteris, & hæ corrigi debent, ſecundum Supplicationem originalem.

§. VI.

An in dubio præſumendum ſit, falſitatem eſſe commiſſam in Litteris impetratis a Sede Apoſtolica?

XXXIV. Ad hanc quæſtionem reſpondetur, ſi quis impetravit Litteras Apoſtolicas habentes formam de ſimplici juſtitia, & in illis falſitas deprehendatur, non debet præſumi, quod illas falſaverit, nec ideo puniri, ſi cognita falſitate, iis uti deſtiterit, prout ſtatuitur in *c. Accedens 8. h. t. juncta Gl. in caſu*. Nam quidam impetravit Litteras a Pa„pa contra adverſarium ſuum de ſimplici juſtitia in qui„bus falſitas deprehenſa fuit, qua cognita, impetrator eis „uti amplius noluit. Sed Epiſcopus Diœceſanus ipſum „propter hoc ab officio, & beneficio ſuſpendit. Unde ip„ſe rem detulit ad Papam Innocentium III. qui manda„vit Epiſcopo, ut ſi Litteræ Apoſtolicæ, in quibus falſi„tas deprehenſa fuit, formam habeant de ſimplici juſtitia, „officium, & beneficium ei reſtituat, & ipſum ſuper hoc „ulterius non moleſtet: cum non ſit præſumendum, quod „pro talibus Litteris, quæ facile obtineri poſſunt, crimen „quis commiſerit falſitatis; nec ille uſus fuerit Litteris „illis, poſtquam cognovit eas falſas eſſe.

XXXV. Pro explicatione hujus cap. notandum primo, Reſcripta, ſive Litteræ in forma ſimplicis juſtitiæ dicuntur illæ, in quibus petitur, ut juſtitia ſibi adminiſtretur, v. gr. ut Judex delegetur ad cognoſcendam cauſam, ſeu litem inter partes, & Judex datus, ſecundum juſtitiam, cauſam definiat, *Barboſ. in Collect. hic num. 2.* alia ſunt Reſcripta gratiæ, quæ impetrantur, & conceduntur ad obtinendam aliquam gratiam, ſeu beneficium, ut alibi eſt dictum.

Notandum ſecundo, in dubio non præſumitur quis falſum commiſiſſe, niſi convincatur, quod ſcienter id fecerit, præſertim in his, quæ de jure alicui competunt, & facile obtineri poſſunt, non eſt præſumendum falſum commiti, *Gloſ. hic in notatis*, Unde non debent præſumi falſæ Litteræ juſtitiæ, ſive ad lites, quæ facile poſſunt obtineri: ſicut neque præſumitur, quod in re modica doloſe agatur, *Arg. l. Si dolum 9. in fine, & l. ſeq. ff. de dolo*, & qui dicit, quod quia falſum ex certa cauſa ſuggeſſit, dolum allegat, qui ex perſpicuis indiciis probari debet, *l. Dolum 6. C. de dolo, Gl. hic V. Præſumi non debet Hoſtienſ. V. eod. Abb. n. 2.*

Notandum tertio, hæc procedunt in Litteris juſtitiæ, in quibus non præſumitur falſum eſſe commiſſum, ſcienter, ſive doloſe, ſed ex ignorantia, niſi contrarium probetur: ideoque impetrans ob ignorantiam excuſatur, ſi ſtatim deſiſtat uti Litteris impetratis, poſtquam ſcivit eas eſſe falſas, *Gloſ. fin. hic.* At vero in Litteris gratiæ impetratis a Papa, ſi reperiatur falſum, attendenda eſt qualitas perſonæ impetrantis, & quantitas gratiæ, an magna ſit, nec ne, & ſecundum has circumſtantias præſumendum eſt plus, vel minus contra ipſum impetrantem, ad hoc ut puniri poſſit tanquam falſarius, *Hoſtienſ. in cit. c. Accedens, §. Si vero h. t. Gloſſator Abbat. Alexander de Nevo ibid. lit. E* atque hæc dicta ſunt de falſantibus Litteras Apoſtolicas.

§. VII.

De falſitatibus, quæ committuntur in aliis Inſtrumentis, ſeu Litteris, & de pœnis falſantis ſigillum Principis.

XXXVI. Quæritur primo, quibus modis committatur crimen falſi circa Inſtrumenta, ſeu litteras, ſive publicas, ſive privatas? Reſp. Inprimis Notarius conficiens falſum inſtrumentum, crimen falſi committit, & ut falſarius puniendus eſt. Item producens falſum inſtrumentum, ſciens illud eſſe falſum, vel etiam utens ſcienter falſo inſtrumento *l. Majorem 4. C. Ad Leg. Cornel. de falſis*, quamvis mitius puniatur, quam condens, *Jul. Clar. §. Falſum n. 16. 17. & 18.*

Præterea ſi Notarius in Inſtrumento aliquid apponat, quod verum non eſt, v. gr. quod numeratio pecuniæ in mutuum intervenerit, cum tamen pecunia non fuerit revera numerata, crimen falſi committit, & in pœnam ejus incidit, *Clarus c. l. n. 19.* vel ſi omittat ſolemnitates requiſitas in inſtrumento, vel ſi conficiat inſtrumentum ſuper re illicita, extra caſus jure permiſſos, *Clarus c. l. n. 21. & 22.*

Secundo qui Teſtamentum, Codicillum, aliudve Inſtrumentum, vel Litteras publicas, aut privatas ad alium ſpectantes, immutavit, laceravit, vel combuſſit, vel delevit, vel doloſe celavit, aut ſuppreſſit, ne earum veritas apparere poſſit, ſeu innoteſcere, crimen falſi committit, & tanquam falſarius puniendus eſt *l. 1. §. Qui in rationibus, & l. 2. ff. de Lege Cornel. de falſis, & l. Licet 3. C. eod. Navarr. in man. c. 17. num. 568. Silveſt. V. Falſarius, q. 3. n. 4.* Item qui ſe, aut eum, qui ſub ipſius poteſtate eſt, v. gr. pater ſuum filium, ſcribit hæredem, aut legatarium in alterius teſtamento, incidit in crimen, & pœnam falſi, irritumque eſt, & nullum, quod ita in ſuum commodum ſcripſit, *l. 1. §. Ad teſtamenta, l. Filius 14. in princ. & l. D. Claudius 15. in princ. ff. de Lege Cornel. de falſ. l. 1. & 2. C. de his, qui ſibi aſcribunt & c. Molin. tr. 2. de juſt. diſ. 700. nu. 5. Clarus §. falſum num. 27.*

Tertio incidit in crimen, & pœnam falſi, qui alienum chirographum imitatus fuit, *l. Quid ſit 23. ff. de Lege Cornel. de falſ.* qui Rationes, tabulas, vel Inſtrumentum aliquod ratura falſavit, aut ſignum amovit, *l. 1. §. In rationibus, ff. eod.* qui ſignum adulterinum, ſeu falſum fecit, vel ſculpſit, ſigillando eodem litteras, *l. Lege Cornelia 30. ff. eodem & ibi Gl. V.* Signum. Item falſarius eſt qui publica Edicta dolo malo corrumpit, *l. pen. ff. eod. Laym. l. 3. Theol. mor. tr. 3. p. 2. c. 4. n. 2.* Alii plures modi falſandi Litteras, & Inſtrumenta habentur in *tit. ff. ad Leg. Cornel. de falſ. & C. eod.*

XXXVII. Quarto, qui litteras alterius clauſas aperit, crimen falſi committit, ſi doloſe, cum alterius injuria, ac damno, illas aperuit, ac legit, *Gl. in c. Cum olim 33. V. Signa de aſſie. Jud. deleg. Laym. c. l. Farinac. in praxi crim. p. 6. q. 150. n. 114.* Verum talis ordinaria pœna falſi non eſt plectendus, ſed mitius, ſeu pœna extraordinaria, & arbitraria, pro qualitate facti, cum non ſit proprie falſarius, crimen enim falſi continet perverſionem veritatis, quam non pervertit, qui litteras aperuit, ut legat, *Abbas in cit. cap. Cum olim, n. 4. Silveſt. V. Falſarius, q. 1. Farinac. c. l. num. 127.* & hoc ſpeciale eſt in eo, qui aperit Teſtamentum clauſum, ut incidat in pœnam falſi, *l. 2. ff. h. t.*

Excipi debet, niſi quis Litteras, ſeu Inſtrumentum, quod alicui commune eſt cum altero, aperiat, ut adverſario oſtendat, tunc enim ſi effectus ſequatur, falſi crimen cenſetur commiſiſſe, & tanquam falſarius puniendus eſt, *Arg. l. 1. §. Is qui depoſita, ff. eod.* ubi dicitur: Is, qui depoſita apud ſe Inſtrumenta oſtendit adverſariis deponentis, accuſari falſi poteſt, quia talis pervertit jus, ſive juſtitiam, cum dolo, aut alterius injuria, ſeu damno injuſto, *Abb. c. l. & Silveſt.*

Deinde requiritur, ut litteræ alienæ clauſæ doloſe aperiantur: ſi enim ex conſenſu expreſſo, vel tacito, ſeu rationabiliter præſumpto ejus, a quo mittuntur, vel cui mittuntur, aperiantur: vel ex juſta cauſa, aut legitima auctoritate, etiam invito eo, a quo, vel ad quem mittuntur, aperiri licite poſſunt, *Molin. in tr. 4. de juſtit. diſ. 36. numer. 2.* ſic tempore belli Litteræ hoſtium licite aperiuntur; & quoties pro bono communi id expedire judicatur. Sic Prælatus, aut Paterfam. aperire poſſunt Litteras ſubditorum, vel domeſticorum, ſi ſuſpicentur aliquid mali patrandi in Litteris contineri: vel ſi ſtatutum, aut conſuetudo Religionis poteſtatem aperiendi Litteras Prælato Regularium tribuat, *Molin. c. l. n. 4. Laym. cit. c. 4. n. 2.* quin imo quilibet privatus poteſt Litteras alienas licite aperire, & legere, quibus probabiliter timet, injuſte ſibi parari damnum aliquod, aut grave malum ſibi poſſe evenire, ut illud fugiat, ac impediat, *Molin. c. l. n. 6.*

XXXVIII. Quæritur ſecundo, quæ ſint pœnæ falſantis Sigillum Principis? Reſp. De his agitur in *c. Ad audientiam 3. h. tit.* ubi habetur, quod quidam Clerici falſaverant „Sigillum Regis Franciæ, quos Epiſcopus quidam conje„cit in carcerem, & quæſivit ex Urbano III. qualiter ſint „puniendi? Reſpondet Papa, ut eis nec membrum aufer„ri, nec pœnam corporalem infligi faciat, per quam pe„riculum mortis poſſint incurrere, ſed eis a ſuis Ordini„bus degradatis, in ſignum maleficii aliquem characterem „imprimi faciat, per quod ab aliis diſcernantur, & Pro„vinciam, ſeu Diœceſin eos abjurare compellat, atque „abire permittat.

XXXIX. Circa hanc Conſtitutionem notandum primo, tres pœnæ infligendæ ſunt Clerico falſanti Sigillum Regis, vel alterius Principis, quia ubi gravitati delicti una pœna non ſufficit, alia addenda eſt, *Vivian. in Ratio. Jur. Pontif. hic* Prima eſt, ut degradetur, id eſt, deponatur verbaliter: nam ſi degradatio hic acciperetur pro actuali degrada-

gradatione, degradatus tradi deberet Curiæ ſeculari, & affici pęna mortis, *c. 2. de pœnis in 6.* ſed hic degradatus remanet ſub poteſtate Eccleſiæ, ut patet ex impoſitione aliarum pœnarum, *Abb. hic num. 2.* Secunda pęna eſt: ut imprimatur ei character, ſeu ſignum aliquod, per quod poſſint iſti Clerici ab aliis diſcerni, & ut alii terreantur: quæ tamen pœna regulariter non eſt imponenda a Judice Eccleſiaſtico, quia eſt periculoſa: ſed eſt ſpecialis pęna impoſita in odium hujus criminis, & caveri debet, ne ita profunde imprimatur tale ſignum, ut ſequatur copioſa ſanguinis effuſio, Gloſs. *hic V. Characterem, & Hoſtienſ. & Abb. numer. 2.* cum & alias Jure Civili cautum ſit, ne facies hominis, ad ſimilitudinem cęleſtis pulchritudinis formata, fœdetur, *l. ſi quis 17. Cod. de pœnis.* Tertia pęna eſt exilium, ex quo patet, quod Eccleſiaſticus Judex, ſeu Epiſcopus poſſit imponere pęnam exilii, & compellere Clericum ad abjurandam Diœceſim ſuam, ne amplius illam intret, ſed ab illa exulet, *Abb. hic n. 3.*

Notandum ſecundo, Judex Eccleſiaſticus non debet imponere pęnam corporalem, ex qua immineat periculum mortis, vel detruncationis membri, *c. In Archiepiſcopatu 4. de raptorib.* & colligitur ex hoc cap. *Hoſtienſ. hic V. Mortis, & Abb. num. 4.* unde ſi ex tali impreſſione characteris non ſequatur periculum aliquod, poſſet etiam infligi a Judice Eccleſiaſtico propter alia crimina, cum ſolum illa pęna corporalis prohibita ſit, ex qua periculum mortis, vel mutilationis ſequi poteſt, *cit. c. In Archiepiſcopatu, Gloſſator Abbatis Alexander de Nevo hic lit. B.*

§. VIII.

De falſatione monetæ, & aliis modis, quibus crimen falſi in aliis rebus committitur.

XL. Quæritur primo, quomodo, ſive quibus modis falſetur moneta? Reſp. Inprimis falſam monetam cudere dicitur, qui privata ſua auctoritate, ſine conceſſione Imperatoris, ſeu ſupremi Principis, monetam cudit, etſi alias probam ac juſti ponderis, appreſſo ſigno, ſeu figura Principis, qui illam cudit non fecit: nam jus cudendi monetam ad ſolum Imperatorem, vel alium Principem, aut Rempubl. Superiorem non recognoſcentem, tanquam Jus regale, ſibique proprium ſpectat, ut conſtat ex *c. 1. quæ ſunt Regalia libr. 2. feudor. titul. 56.* niſi quis ex privilegio Imperatoris hoc jus obtinuerit, vel per præſcriptionem temporis immemorialis, ut habetur in *Extravag. unic. Joannis XXII. hoc tit. & ibi Gloſs. V. Conſuetudinem, & V. Privilegium,* & ex communi docet *Covarr. de collat. vet. numiſm. cap. ultim. num. 1. Molin. Tract. 2. diſp. 702. num. 1. Sylveſt. V. Falſarius quæſt. 6. & 7.* ac proinde nummi falſi cenſentur, qui privata auctoritate ſunt cuſſi, quia id aperte cedit in Supremi Principis, & Reipubl. detrimentum, ideoque tanquam falſarius puniendus eſt pęna falſi ordinaria. Ratio eſt, quia ad juſtam monetam non ſufficit materiæ bonitas, ſed requiritur etiam publica forma, ſeu ſignum publicum, ut habetur in *lib. 1. ibi: forma publica percuſſa ff. de contrah. empt.* deeſt autem in tali moneta publica forma, cum privata auctoritate ſit cuſa: privatus autem publica forma, ſine pęna falſi, uti non poteſt nomine ſuo *argum. l. Falſi 23. in princip. & l. Qui nomine 25. ff. Ad leg. Cornel. de falſ. Gloſs. in citat. Extravag. unic. V. Auctoritatem Joan. XXII.* Ubi ait, quæ juris publici ſunt, privato, ſine conſenſu Principis, non competunt. Nec refert, quod figuram aut inſcriptionem publicam habeat, quia non ſemper fides habetur figuræ aut inſcriptioni exteriori monetæ, ut tradit *Gloſs. in c. Quanto 18. V. Patris de jure jur. Zaſ. hic in Comment. in Decretal. numer. 4.*

Præterea falſatur multo magis moneta, ſi adulterini, ſive falſi nummi cudantur, ut ſtannei aut cuprei, vel ſi iis deterioris ac minoris valoris metallum admiſceatur, ut aureis argentum, argenteis ſtannum aut æs: vel ſi nummi falſi tingantur, ut ſi argentei, vel etiam ſtannei inaurentur: vel monetam tondendo, ſeu radendo ac diminuendo, ut non ſit juſti ponderis: vel denique ſi falſa aut vitiata moneta ſcienter expendatur, *Claras §. Falſum nu. 27. Farinac. p. 4. q. 115. num. 2. & aliquot ſeqq.*

XLI. Quæritur ſecundo, quæ pœnæ Jure ſtatutæ ſint in falſarios monetæ? Reſpondetur, inprimis cudens falſam monetam igne comburendus eſt (prius tamen ſtrangulatus) & omnes ejus facultates fiſco addicuntur, *loc. cit. Cod. De falſa moneta:* quod etſi *Gloſs. ibi V. Nummos*, de aureis nummis ſolum intelligat, tamen lex illa in genere loquitur de nummis falſis, *Molin. Tract. 2. diſp. 702. num. 1.* & alii communiter. Eandem pęnam incurrunt etiam ſocii cudentium falſam monetam, eiſque auxilium, conſilium aut favorem ſcienter dantes, aut concedentes eis domum, vel prædium, in quo illam cudant, *lib. 1. junct. lib. 2. Cod. eodem Molin. citat. loc. num. 2.* Secundo qui tondet aut radit monetam, vel tingit, auro ſcilicet, ut aurea appareat, ſi homo liber ſit, beſtiis ſubjicitur: ſi vero ſit mancipium, ultimo ſupplicio afficitur, *l. Quicunque 8. ff. Ad leg. Cornel. de falſ.* quod ſi quis falſam monetam cudere aggreſſus, ſed pœnitentia ductus deſtitit, antequam eam formaverit, ſive perfecerit, abſolvitur, hoc eſt, deprehenſus non punitur *l. Qui falſum 19. ff. eodem Molin. citat. loc. num. 6.* Tertio qui propria auctoritate cudit monetam etſi juſti ponderis ac materiæ, eadem pęna plectendus eſt, qua adulterinam monetam cudens, *Gloſs. in lib. 2. V. Obnoxii C. De falſa monet. Covarr. citat. cap. ultim. num. 3. §. Is vero, Farinac. citat. quæſt. 115. num. 20.* Quarto qui monetam falſam ſciens expendit, ſi illa plumbea ſit aut ſtannea, incidit in pęnam ordinariam legis Corneliæ de falſis, quæ habetur in *lib. 1. §. fin. ff. eod.* ſi autem ſit alterius metalli, ærea, argentea, vel aurea, & non appareat, quod ſint nummi plumbei, vel ſtannei, pęna extraordinaria arbitrio Judicis imponenda eſt, *argum. l. Lege 9. §. 2.* a contrario ſenſu *ff. Ad leg. Cornel. de falſis. Covarr. citat. loc. num. 4. Molin. citat. diſp. 702. num. 9. Clarus cit. §. Falſum num. 38. Farinac. cit. qu. 115. num. 132. & num. 134.*

XLII. Cæterum Jure Canonico in *Extravag. Prodiens unic. Joannis XXII. hoc titul.* ſtatutum eſt, „ut qui nullam habentes auctoritatem juris, vel conſuetudinem, vel privilegium fabricandi monetam, in Regno Franciæ, & aliis locis circumvicinis, ſcienter monetas falſificant in ære, ſive materia, vel ſignum proprium ſuæ monetæ, quam fabricant, quia illis de jure, vel conſuetudine, vel privilegio jus competit, fabricandi monetam, inſculpunt, & imponunt monetæ regiæ, vel qui in juſto pondere monetas depravant, vel ſcienter falſas monetas, extra prædictum regnum, emunt, eaſque poſtea in dictum regnum important, vendunt & expendunt, hi omnes ſententiam excommunicationis (ſcilicet majoris) ipſo facto incurrant, a qua abſolvi non poſſint, præterquam in mortis articulo. Ubi *Gloſs. Ad regnum prædictum* notat, quod cum Conſtitutio iſta ſolum loquatur de Regno Franciæ, ejus pęna in falſarios monetarum hic decreta ad contrafacientes in aliis regnis non eſt extendenda.

XLIII. Præterea in *Extravag. ſpondent unic. hoc tit. inter communes,* ſtatuit Papa Joannes XXII. „Ut Alchimiſtæ, qui divitias, quas non exhibent, ſpondent, & verbis diſſimulant falſitatem, quam faciunt, confingentes aurum, vel argentum, ſophiſtica tranſmutatione, ſi hujuſmodi aurum, vel argentum fecerint: vel qui fieri, ſecuto facto, mandaverint, vel qui ad hoc ſcienter, dum id fieret, facientibus miniſtraverint: aut auro, vel argento ab eis ſic conflato ſcienter uſi fuerint, vendendo, vel dando in ſolidum, cogantur tantumdem veri auri, vel argenti, quantum fuerit alchimicum, in publicum pauperibus erogare: ſuntque perpetua infamia notati, qui tale aurum alchimicum fecerint, aut eo ſcienter uſi fuerint, qui vel ex eo cuderint, feceríntque cudi pecuniam. Et ſi non habeant, unde prædictas pœnas, propter inopiam, ſolvere poſſint, debent carcere, vel alia corporali pęna, juxta arbitrium Judicis, caſtigari. Et ſi ſint Clerici, ultra prædictas pœnas, priventur beneficiis habitis, & ad habenda prorſus reddantur inhabiles. Ratio autem hujus prohibitionis, & pœnalis Conſtitutionis eſt, quia ut docet *S. Thom. 2. 2. quæſt. 77. artic. 2. ad 1.* Si aurum vel argentum ab Alchimicis factum veram ſpeciem non habeat auri, & argenti, eſt fraudulenta, & injuſta venditio: præſertim cum ſint aliquæ utilitates auri, & argenti veri, ſecundum naturalem operationem ipſorum, quæ non conveniunt auro per Alchimiam ſophiſticato, ſicut quod habet proprietatem lætificandi, & contra quaſdam infirmitates medicinaliter juvat.

Porro ſive per artem Alchimicam vere poſſint viliora metalla tranſmutari in aurum, & argentum, ſive non, recte tamen illa prohibita fuit in *citat. Extravag. unic.* & quidem ſub gravibus pœnis, quia hujuſmodi tranſmutatio adeo difficilis eſt, ut moraliter impoſſibilis cenſeri debeat, & inſuper perniciosa Reipubl. cum civium facultates exhauriat, ut ſæpius docuit experientia, *Sanch. l. 2. Moral. cap. 40. num. 21.*

XLIV. Denique præter prædictas pęnas, is, qui falſam monetam cudit, etiam juſti ponderis ac materiæ, non tantum graviter peccat, quia in re gravi juri Principis præjudicat: ſed etiam reſtituere tenetur emolumentum, quo illum injuſte privavit; quin & illis, quibus damnum inde provenit, ut quia pecunia illa interdicta fuit &c. reſarcire illud tenetur in foro conſcientiæ, & externo. Similiter falſam monetam cudens, detrahendo de juſto pondere, vel puritate metalli, vel illam tondens, radens aut tingens, compenſare debet omne damnum, quod ſinguli paſſi ſunt, ſi conſtare poſſit de illis in particulari, alioquin pauperibus id totum reſtituendum erit, *Molin. citat. diſp. 702. numer. 10. & 11. Sylveſt. V. Falſarius quæſt. 6. numer. 17.* Qui vero falſam monetam, ſcienter & mala fide expendit, tenetur ad reſtitutionem ei, qui ultimus damnum ſenſit, nec excuſatur, quod illam ab alio accepit, quia error ipſius non debet alteri nocere. Si vero ignoranter aut bona fide expendit, non tenetur reſtituere, ſaltem durante ignorantia, poſtea vero damnificato ſatisfacere tenetur, *Navarrus in Man. cap. 17. num. 167. Molin. c. l. n. 12.* apud quos plura de his legi poſſunt.

XLV. Quæritur tertio, quibus modis committitur crimen falſi in aliis rebus? Reſpond. committitur præterea crimen falſi inprimis ab iis, qui in vendendo aut emendo, vel permutando, falſis ponderibus aut menſuris ſcienter utuntur, & præter obligationem reſtituendi, mulctantur pœna dupli ejus damni, quod ita dederint, & inſuper relegantur in Inſulam aliquam, *l. penult. ff. Ad leg. Cornel. de falſis, l. Annonam 6. §. fin. ff. de extraord. criminib. Molin. Tr. 2. diſp. 701. num. 10.* Jure vero Canonico iis, qui mutant fraudulenter juſtas menſuras, & pondera, imponenda eſt pœnitentia XXX. dierum in pane, & aqua, *cap. 2. de empt.* Secundo falſi crimen committunt, qui mercibus adulterinam aut minus utilem materiam admiſcent, *Molin. cit. diſp. 721. num. 6. & ſeqq.* Tertio qui duobus rem eandem in ſolidum vendit, pœna falſi coercetur, *l. Qui duobus 22. ff. Ad leg. Cornel. de falſis.* Quarto, qui partum alienum alicui ſupponit, fingendo aliquem eſſe filium alicujus, cum non ſit, in crimen, & pœnam ordinariam falſi incidit, *l. Lege 30. §. de partu ff. eod. Molin. citat. diſp. 721. num. 1. Farin. in praxi crim. part. 6. quæſt. 150. numer. 239.* & tenetur reſtituere omnia damna inde ſecuta legitimis, alioquin hæredibus, vel quibuſcunque aliis, idque in foro conſcientiæ, ante omnem Judicis ſententiam, *Molin. citat. loc. num. 5.* Quinto qui mutat ſibi nomen, vel cognomen, pœna falſi coercetur

cetur, *l. Falſi 23. in princip. ff. eod.* quod procedit, ſi mutatio nominis fiat cum fraude, & in præjudicium alterius, alias ſecus, *l. unic. Cod. De mutat. nom Farinac. citat. quaeſt.* 150. *num.* 138. *&* 144. Sexto qui illicitis, id eſt alienis Inſignibus uſus eſt, quæ ad ipſum non pertinent, ſed ad familiam alterius, *l. Eos 27. §. ultim. ff. Ad leg. Cornel. de falſis*, *Farinac. cit. quaeſt. numer.* 80. Septimo qui ſe fingit Sacerdotem, vel Diaconum, cum non ſit, vel Nobilem, vel Doctorem, cum non ſit, modo etiam aliquos actus a Doctorem ſpectantes exerceat, punitur pœna falſi, *Farinac. citat. loc. num.* 85. *&* 87. vel qui pro milite ſe gerit, *cit. loc. Eos §. fin.* Octavo qui falſis legibus, ſeu Conſtitutionibus utitur, quæ nullum legitimum Auctorem habent, ut falſarius punitur, *l. ultim. ff. eod. Farinac. citat. quaeſt.* 150. *num.* 79. *& ſeqq.* apud quem plura de crimine falſi legi poſſunt.

TITULUS XXI.

De Sortilegiis.

QUia ſortilegia continent in ſe falſitatem, affinitatem aliquam habent cum crimine falſi, ideo hic Titulus ptioſa hoc loco ſubjicitur.

§. I.

An, & quibus caſibus ſint licita ſortilegia, vel illicita?

1. PRæmittendum, ſortilegia ſeu ſortes proprie ſunt ac dicuntur, cum aliquid, eo fine, ſit, ut ejus eventu conſiderato, aliquid fiat, vel occultum innoteſcat, ut docet *S. Thom. 2. 2. quaeſt. 95. artic. 8. in corp. Azor. part. 1. Inſtit. libr. 9. c.* 21. & alii DD. communiter. Eæ ſunt triplices ex fine petitæ, divinatoriæ, conſultoriæ, & diviſoriæ *S. Thom. citat. loc.* Divinatoriæ ſortes ſunt, quæ adhibentur ad futurum, vel occultum aliquid, quod naturaliter ſciri non poteſt, cognoſcendum. Conſultatoriæ ſunt, quibus inquiritur divina voluntas, quid in hac, vel illa re ſit agendum, vel cavendum, ſeu fugiendum. Diviſoriæ ſunt, per quas quæritur, quid cuique tribuendum ſit, ſive in bonis communibus, ſive honoribus ac dignitatibus, ſive in publicis officiis, & functionibus, ſive etiam in pœnis, *Leſſ. lib. 2. de juſtit. c. 43. dub. 9. num. 57. Sanch. lib. 2. Moral. c. 38. num.* 56.

II. Quæritur nunc primo, an liceat uti ſortilegiis, ſive ſortibus divinatoriis? Reſpond. illas eſſe ſuperſtitioſas, & illicitas, ideoque prohibitas Jure Canonico ſub gravibus pœnis in *c. Si quis Epiſcopus 5. c. Sortes 7. & tribus ſeqq. & c. Epiſcopi 11. cauſ. 26. quaeſt.* 5. Et hinc etiam in *c. In tabulis 1. hoc citat.* dicitur: In tabulis, vel codicibus aut aliis ſorte furta (alia lectio habet *futura*, *Joann. Andr. hic V. Furta*) non ſunt requirenda: nec quis divinatione aliquas in aliquibus rebus obſervare præſumat: qui autem contra fecerit, XL. dies pœniteat.

III. Ubi notandum primo, omnia hic ſortilegia divinatoria prohibentur, ſive fiant per Invocationem dæmonum, ſive fiant in codicibus, id eſt, libris, ſicut faciunt legentes aliquos verſus Pſalterii, & facientes illud volvi: ſive fiant in tabulis, in quibus Nigromantici faciunt aliqua puncta, & ex illis indicant futura aut occulta: omnia ergo iſta, & ſimilia hic prohibentur, *Abb. hic notat.* 1. Sed neque furta ſorte ſunt inveſtiganda per divinationes, aliaſque artes magicas, ut ſumitur ex hoc *c. Bavardus in additionib. ad Claram. §. Furtum num.* 140.

Notandum ſecundo, pœnitentia 40. dierum impoſita ſortilegis in hoc cap. eſt pœnitentia injungenda per Sacerdotem in foro pœnitentiæ, ſive conſcientiæ, nam in foro contentioſo per Judicem alia gravior pœna imponenda eſt, de qua infra, *Abb. hic n.* 2.

Porro ratio, cur hujuſmodi ſortes divinatoriæ ſint prohibitæ, eſt, quia cum ſint medium improportionatum, & vanum ad talem finem, & effectum, Deus enim nuſquam promiſit ſe ſortes temperaturum ad præſignificanda futura, vel occulta aperienda, ideo admixtam habent ſaltem tacitam dæmonis invocationem, ut ſortes regat, & occultum manifeſtet, *Leſſ. citat. c. 43. num. 61. Sanchez. citat. cap. 38. num.* 88.

IV. Quæritur ſecundo, an licitum ſit uti ſortibus conſultoriis? Reſp. hujuſmodi ſortes, per quas a Deo poſtulatur conſilii alicujus directio, vel occultæ veritatis manifeſtatio, licitæ ſunt, ſi vel Dei juſſu, & inſtinctu fiant, ut in electione Saulis & S. Matthiæ: vel ſi nullum humanum conſilium ſuppetat, & negotium grave ſit, ob quod neceſſarium videatur, ut ad Deum conſulendum, cum debita reverentia, accedatur, & ab eo occulta ſortium directio per ſpecialem providentiam humiliter petatur: alioquin regulariter hæ ſortes ſunt illicitæ, & prohibitæ ſub excommunicatione in *c. Sortes 7. cauſ. 26. qu.* 5. quia ſine neceſſitate, & prætermiſſis ordinariis divinæ providentiæ mediis, ad ſpecialem, & extraordinariam Dei providentiam recurrere, eumque per ſortes conſulere, ad tentationem Dei pertinet, ut docet *S. Th. cit. q. 95. art. 8. in corp. Leſſ. c. l. n. 60. Sanch. cit. c. 38. n.* 85. & alii communiter.

V. Quæritur tertio, an ſit licitum uti ſortibus diviſoriis? Reſp. ſortes diviſoriæ, in quibus eventus rei ſubjicitur fortunæ, & caſui fortuito, non excludendo tamen Divinam providentiam ſortes dirigentem, aut permittentem, per ſe loquendo, & ſuapte natura, non ſunt illicitæ, ſed licitæ, ob neceſſitatem, vel utilitatem, aut juſtam cauſam fiant, *c. 1. cauſ. 26. qu.* 2. Ubi dicitur, *ſors non eſt aliquid mali*, ſcilicet in ſui natura non eſt mala, ut addit *Gloſ. ibid. V. Mali*: niſi vel ob circumſtantiam accidentariam, & extrinſecam, hujuſmodi ſortes fiant illicitæ, vel jure poſitivo ſpecialiter, & expreſſe ſint prohibitæ, de quo infra. *S. Thom. cit. q. 95. art. 8. in corp. Leſſ. cit. c. 43. num. 58. Suarez. tom. 1. de Relig. libr. 2. de ſuperſtit. c. 12. num. 3. & 4. Sanchez. cit. c. 38. numer. 57. &* 64. & alii communiter. Ratio eſt, quia hæ ſortes per ſe neque ſuperſtitionem continent ad divinationem, cum non ordinentur ad aliquid furtum, vel occultum cognoſcendum: neque injuſtitiam, cum fiant ex contractu, ſeu conventione voluntaria inter eos, qui ad aliquam rem æquale jus habent, ut ſit illius, cui ſorte obtigerit, ita ut æqualis ſit eorum conditio: neque etiam ulla lege Civili, vel Canonica generaliter ſunt prohibitæ hujuſmodi ſortes, ſed potius in Jure Civili in multis caſibus approbatæ. Veluti primo, ſi agatur de hæreditate, vel aliis bonis aut juribus communibus dividendis. Sic enim in tribus judiciis familiæ herciſcundæ, Communi dividundo, & finium regundorum, in quibus quæritur, quis ſit actor, quia par omnium cauſa videtur, ſi ambo ad judicium provocent, non appareat, quis primo provocavit; ſortes res decerni debet, *l. in tribus 13. & l. ſeq. & ibi Gl. ff. de Judiciis*. Sic etiam ſi pluribus hæredibus, vel legatariis data ſit optio, ſeu poteſtas eligendi ſervum, vel rem aliam, & diſcordent in eligendo, ſorte lis eſt dirimenda, *l. Si duobus 3. in princ. ff. Communia de legat.* Item ſi plures hæredes ſint inſtituti omnes ex iiſdem partibus, nec inter eos conveniat, apud quem potius cautiones hæreditariæ eſſe debeant, ſortiri oportet, *l. ſi qua 5. ff. fam. herciſc.*

VI. Secundo locum habent ſortes diviſoriæ in functionibus, ubi de honore, vel periculo agitur. Sic milites inter ſe ſorte decidere ſolent, quæ natio, vel legio prior hoſtem, vel civitatem invadere debeat. Sic tempore peſtis ſorte dirimi poteſt, quis ex Sacerdotibus, vel Medicis ad curam corporum, vel animarum exponendus ſit. Similiter in periculo communis naufragii, ſi neceſſe ſit ad alleviandam navim aliquos in mare proſilire, vel projicere, ne omnes pereant, ſorte, ex omnium conſenſu, decidi poteſt, quinam ejiciendi ſint; imo etiam, quibuſdam invitis, reliqui navigantes ſortiri poſſunt, & ſortis eventum exequi, vel etiam Dux navis eligere poteſt tale medium, ob commune omnium bonum, *Sanch. c. l. n.* 62.

Tertio hæ ſortes habent etiam locum in pœnis, ut cum duo, vel plures ſunt rei mortis, ſi non expediat omnes puniri, ſorte definiri poteſt, quinam ex illis occidendi ſint, modo æqualis ſit ſortientium culpa, quia in tali ſortitione nemini ſit injuria, cum omnes meriti ſint mortem, ſed potius ſingulis ſit favor, quatenus eis ſpes offertur evadendi mortem, idque in militia praxi receptum eſt, *Sanch. c. l. n.* 60. Denique quotieſcunque nulla ratio apparet, cur in aliquo commodo, vel incommodo, alter alteri præferendus ſit, ſorte res definiri poteſt, *Leſſ. cit. c. 43. n.* 58.

VII. Cæterum etſi per ſe loquendo, licitum ſit uti ſortibus diviſoriis; per accidens tamen, & ob circumſtantias extrinſecas adjunctas, aliquando ſunt illicitæ. Veluti primo, ex parte Intentionis, ſi quis ſperet ſortem ab aſtris feliciter eventuram, cum hæc nullum influxum habere poſſint in ſortem, ſine expreſſa, vel tacita dæmonis invocatione: vel ſi eventus, non a divina providentia, quam ſortiens ſorte non agnoſcit, ſed mere a fortuna exſpectetur: vel ſi dæmonis auxilium invocetur, vel exſpectetur ad ſortes extrahendas, quamvis hæc malitia proprie non ad divinationem per ſortes, ſed ad magiam pertineat. Secundo ex parte materiæ, ſi quis ſortiatur ſuper re aliena, de qua diſponere non poteſt, propria voluntate, eſt enim injuſtitia. Item ſi officia, non ſecundum perſonarum aptitudinem ſed ſorte dividantur, tunc enim dignis, vel dignioribus ſit injuria, de quo poſtea. Tertio ex parte modi, ut ſi quis fraudibus utatur in ſortitione, quod eſt contra juſtitiam. Quarto ſi quis utatur Libro Evangeliorum, vel rebus ſacris ad ſortiendum, præſertim in rebus temporalibus, & profanis, eſt enim irreverentia contra Religionem, *Suarez. citat. c. 12. numer. 16. Sanchez. citat. c. 38. numer. 64. & duobus ſeqq.*

§. II.

An ſit licitus uſus ſortium in electionibus ad Prælaturas & alia beneficia Eccleſiaſtica?

„ VIII. Reſpondetur negative, prout conſtat ex *c. Eccleſia 3. & ultim. hoc citat.* Ubi habetur quod vacante Eccleſia Lucana, Canonici convenientes de futuri Epiſcopi electione tractaturi, unum elegerunt, ex ſe per ſortem, qui vice Capituli eligeret tres electores, per quos, vice omnium, Eccleſiæ provideretur de Paſtore: quibus ab ipſo electis, duo ex illis tertium ex ſe M. Robertum elegerunt in Epiſcopum, quia ſub hac forma eis data fuit poteſtas, ut vel ex ſe, vel ex aliis aliquem in Epiſcopum eligere poſſent: quam electionem Canonici illi per Procuratores, ſeu Nuncios ſuos Honorio III. obtulerunt confirmandam. Papa examinans talem proceſſum, eum multa reprehenſione dignum invenit, & ex eo maxime, quod ſors in tali electione intervenit. Nihilominus tamen electionem factam ipſius Magiſtri ex gratia admiſit, & confirmavit; alioquin vero uſum ſortis in electionibus perpetuo prohibuit, & damnavit.

IX. Pro explicatione hujus c. notandum primo, electiones ad officia, & beneficia Eccleſiaſtica per ſortes fieri non debent, *cit. c. ult. in fine*, ubi generaliter, & indiſtincte prohibetur uſus ſortis in electionibus, adeoque non tantum ad beneficia, ſed etiam in electionibus ad officia, & adminiſtrationes Eccleſiaſticas: quin imo etiam eligere per ſortes compromiſſarios ad faciendam electionem Epiſcopi, non

Digitized by Google

non licet, ut conſtat ex eodem cap. ubi dicitur, multa reprehenſione dignum fuiſſe, quod poteſtas nominandi, ſeu eligendi Compromiſſarios ad eligendum Epiſcopum, uni per ſortem commiſſa fuerit, *Azor. cit. cap. 28. §. At vero*, *Suar. cit. diſ. 12. num. 5. Sanch. cit. cap. 38. num. 71. & 72.* Ratio eſt, tum quia alioquin periculum eſt, ne ſors ſuper indignos, vel minus dignos cadat, illique ad officia, & beneficia Eccleſiaſtica aſſumantur. Tum quia per electionem ſorte factam quodam modo Deus tentatur, a quo petitur, ut ipſe per miraculum revelet, quis ſit eligendus. Abb. *in cit. c. ult. num. 3.* Tum quia electio per ſortes eſt contra triplicem electionum formam præſcriptam in *c. Quia propter 42. de elect.* Idque etiam locum habet in Compromiſſariis eligendis, quia ſi eliguntur per ſortes, mediate cenſebitur electio ad beneficium, vel dignitatem facta per ſortes, & fieri poteſt, ut ille, qui per ſortes aſſumptus eſt ad Compromiſſarios eligendos, indignus & inhabilis ſit ad illud munus, unde fit, ut indignus Epiſcopus, vel alius Beneficiatus eligatur, *Suar. cit. c. 12. num. 5. Sanch. c. l. num. 72.* ubi *num. 73.* addit, etiam in tractatibus electionis eſſe prohibitas ſortes, quia prohibitio in *cit. c. ult.* eſt generalis.

X. Notandum ſecundo, etſi duo pari numero ſuffragiorum ad beneficium aliquod ſint electi, non tamen poteſt per ſortes dirimi, & terminari alterutrius electio, quia in *citat. c. ult.* generaliter, & ſine limitatione prohibita eſt electio per ſortes: hæc autem electio vere per ſortes fieret, cum neuter majorem ſuffragiorum partem habeat, quod ad electionem Canonicam requiritur: & omnis electio aliter facta, quam per eos, qui jus eligendi habent, vel per Compromiſſarios, eſt reprobata Jure Canonico in *cit. c. Quia propter*. Neque vero tali caſu uterque illorum, qui paria ſuffragia habent, fuit ſufficienter idoneus judicatus, quia non cenſetur eſſe judicium totius Capituli, niſi ſaltem major pars eligentium in eum conſentiat, quod hic factum non eſt. Itaque in hac diſcordia per Compromiſſarios res determinanda eſt: vel Superior eſt adeundus, qui electores compellere poteſt ad concordandum, & certum terminum eis præſcribere ad eligendum, quo elapſo, poteſtas eligendi ad eum devolvetur, ut docet Gl. communiter recepta in *c. pen. V. Teneantur de reſcript. in 6. Suar. cit. c. 12. num. 7. Sanch. cit. c. 38. num. 74.* Quin imo etſi plures a majore parte Capituli ſint electi, ſeu deſignati ad dignitatem, ſeu beneficium, vel officium Eccleſiaſticum, non ut illud obtineant ex vi electionis determinate, ſeu ut illud habere poſſint, & ut ſortes inter illos mittantur, quia ſinguli ſunt approbati, & digni judicati ad tale beneficium, vel officium a Capitulo: non tamen licite id fieri poteſt per ſortes, quia id generaliter prohibitum eſt in omnibus electionibus Eccleſiaſticis proprie dictis, a quo non licet ullam excipere ſine fundamento Juris, vel evidenti neceſſitate. Quod ſi in aliqua Congregatione aut Communitate Eccleſiaſtica talis modus eligendi per ſortes vigeat, id vel erit ex vi ſpecialis Conſtitutionis a Sede Apoſtolica approbatæ, vel nonniſi in electionibus ad officia, quæ non habent juriſdictionem, vel adminiſtrationem Eccleſiaſticam, *Suar. c. l. n. 8. Sanch. c. l. num. 75.*

XI. Notandum tertio, ſortes diviſoriæ non ſunt illicitæ nec prohibitæ Jure naturali, aut ullo poſitivo, in electionibus ad dignitates, & officia civilia, ſeu ſecularia, temporalia, ſive electi Laici ſint, ſive Clerici, quia nullo Jure reperitur id prohibitum: quamvis enim textus in *cit. c. ult. h. t.* abſolute, & indiſtincte id prohibeat in electionibus: debet tamen reſtringi, & intelligi, juxta ſubjectam materiam, nempe de electionibus Eccleſiaſticis, de quibus ibi agitur, & Jus Canonicum non diſponit, niſi in propria materia, *Abb. in cit. c. ult. num. 3. h. t.* ubi tamen addit, melius eſſe abſtinere, *Suar. c. l. num. 15. Sanch. c. l. num. 58.* Poteſt tamen etiam in electionibus ad dignitates, & officia ſecularia interdum graviter peccari contra juſtitiam diſtributivam, ſi ſortes mittantur temere, & promiſcue inter promovendos, ſive digni ſint, ſive indigni: id enim repugnat rectæ adminiſtrationi Reipubl. ejuſque communi bono. Itaque ut hujuſmodi electiones per ſortes licite fiant, caveri debet, ut non mittantur, niſi inter illos, qui digni ſunt, & idonei ad officium, ad quod eliguntur per ſortes, ita ut ſaltem non manifeſtus, & notabilis exceſſus inter illos appareat. tunc enim vitabitur periculum, ne ſors cadat ſuper indignum, vel notabiliter, & aperte minus dignum, & idoneum, *Suar. cit. c. 12. num. 15. Sanch. cit. cap. 38. num. 67.*

XII. Notandum quarto, ſed neque in electionibus Eccleſiaſticis prohibitum eſt uti ſortibus diviſoriis, ſpectato Jure naturæ, ſed ſolum Jure Canonico ſeu Eccleſiaſtico. Nec obſtat, quod in *cit. c. ult. h. t.* dicatur, id eſſe multa reprehenſione dignum: quia id ideo dicitur, quod ſit contra antiquiorem Conſtitutionem Canonicam Concilii Lateranenſis in *c. Quia propter 42. de Elect.* in qua præſcripta fuit triplex forma eligendi ad dignitates, & beneficia Eccleſiaſtica, & nulla erat per ſortes. Nec etiam refert, quod S. Thom. dicit *cit. art. 8. in corp.* quod electiones Eccleſiaſticæ potius Spiritus S. Inſpiratione fieri debent, quam per ſortes, quæ videtur eſſe ratio naturalis, ac proinde electiones per ſortes eſſe jure naturali prohibitas: nam ea ſolum eſt ratio quædam congruentiæ, per quam probatur conveniens eſſe ſortes in Electionibus Eccleſiaſticis per Legem Canonicam prohiberi, *Sanch. c. l. num. 81. & 82.* Non obſtat, quod S. Matthias *Act. 1.* datis ſortibus, electus ſit in Apoſtolum, ergo electio per ſortes eſt licita. Nam reſpondetur, ita electum fuiſſe inſpiratione Divina, ut colligitur tum ex prævia exhortatione S. Petri, quæ tota erat e Spiritu S. tum ex communi oratione fidelium, qua petebant, ut DEUS oſtenderet, quem elegiſſet. Deinde cum alii Apoſtoli immediate fuerint electi a Chriſto, non per ſuffragium humanum, decuit, ut etiam is, qui in locum Judæ ſuccederet, non humano, ſed divino judicio eligeretur, *Leſſ. cit. c. 43. num. 59.*

XIII. Notandum quinto. Electio ad Eccleſiaſtica officia, aut beneficia per ſortes diviſorias facta, etſi videatur ipſo jure irrita eſſe, tum quia eſt contra prohibitionem, *cit. c. ult. h. t.* tum quia videtur etiam eſſe contra formam eligendi præſcriptam in *c. Quia propter 42. de Elect.* ut docet *Abb. in cit. c. ult. n. 5. h. t.* probabilius tamen eſt talem electionem non eſſe ipſo jure irritam, vi textus in *cit. c. Eccleſia 3. h. t.* etſi irritari poſſit, juxta *Gl. ibid. V. Ad gratiam*, ubi ait, quod de jure debuit caſſari, non ergo fuit jure ipſo invalida: nam quamvis ibi prohibeatur hujuſmodi electio per ſortes, & dicatur eſſe reprehenſibilis: non tamen dicitur eſſe irrita, aut invalida, quia nullum verbum irritans ibi habetur, ſed tantum prohibens uſum ſortium in electionibus, imo potius ibi ſupponitur illa electio fuiſſe valida, cum Papa illam confirmarit: confirmatio autem ſupponit valorem actus. Nec obſtat textus in *cit. c. Quia propter*, etiamſi enim ibi dicatur, non valere electionem factam, non obſervata forma ibi præſcripta: attamen in *caſu cit. c. ult. h. t.* electio Epiſcopi facta eſt, ſecundum formam ejuſdem cap. Nam electio facta eſt per Commiſſarios, ſeu Compromiſſarios, ſive per ſuffragia, & electionem eorum, quæ eſt unus ex tribus modis eligendi in Concilio Lateranenſi præſcriptis in *cit. c. Quia propter*: quamvis in eo erratum fuerit, quod in eligendis Compromiſſariis ſors intervenerit, qui modus, cum in *cit. c. Quia propter*, non reprobetur, non continet vitium in forma ibi præſcripta. Potuit ergo commiſſio eſſe valida, licet per ſortes fuerit facta, & conſequenter etiam electio a Commiſſariis, ſeu Compromiſſariis facta potuit eſſe valida, quia in ea ſervari potuit forma eligendi in *c. Quia propter*, præſcripta: nam ibi ſolum præſcribitur forma eligendi Epiſcopos, & alios Prælatos Eccleſiaſticos, qui quaſi Epiſcopalem juriſdictionem obtinent, & per quorum mortem dicitur Eccleſia viduata Sponſo ſuo, & Paſtore: non autem agitur de electione aliorum Prælatorum, vel Clericorum inferiorum, in quibus non neceſſario eſt ſervanda forma in *cit. c. Quia propter*, præſcripta, *juxta Gl. ibid. V. Eccleſiis viduatis. Suar. cit. c. 12. num. 9. & 10. Sanch. cit. c. 38. n. 83. & 84.* dictum ſupra *libr. 1. Tit. 6. num. 203.*

XIV. Ex dictis deduci poteſt, quid ſit dicendum in illa quæſtione, an liceat uti ſortibus diviſoriis ad decidendas lites, non ſolum inter Laicos, ſed etiam inter Clericos? In qua re certum eſt, licitum eſſe uti ſortibus circa res civiles, ſeu temporales, & profanas, cum nullo Jure reperiantur eſſe prohibitæ, *Abb. in cit. c. ult. n. 3. h. t.* At vero in electionibus ad officia, & beneficia Eccleſiaſtica, aliqui ſimpliciter negant eſſe licitum, lites ſortibus dirimere, quia vere electio alterius per ſortes completur, & datur vitioſus ingreſſus in beneficium: alii vero abſolute affirmant, id eſſe licitum, quia textus in *cit. c. ult.* loquitur de ſolis electionibus, ergo cum ſit lex odioſa, reſtringenda eſt ad proprietatem verborum, nec debet extendi ad alias conventiones, quæ non ſunt electiones: illi autem, qui componunt per ſortes litem, non eligunt, cum is, ſuper quem ſors cadit, beneficium non accipiat ex vi ſortis, ſed ex vi juris, quod prætendebat, & per illas ſortes ſolum tollitur impedimentum, pro qua ſententia citatur *Gl. in c. Licet 9. V. Uti poſſideris de probation. & Abb. ibid. num. 37.* Verum in hac re rectius dicitur, non eſſe prohibitum, vi dicti *cap. fin. h. t.* per ſortes lites Eccleſiaſticas dirimere, & componere etiam in cauſis beneficialibus, ut bene probat ratio jam allata: non tamen id licitum eſſet, ſi propria, ac privata auctoritate partium, lites beneficiales per ſortes componantur, quia fieri poſſet, ut per talem ſortem beneficium obtineret, qui nullum Canonicum, & legitimum titulum habet, contra *c. 1. de Reg. Jur. in 6.* beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licite, ſine inſtitutione Canonica, obtineri & contra *c. un. de eo, qui mittit. in poſſeſſ. & c. in 6.* ubi prohibetur, ne in litibus beneficialibus aliquid fiat, per quod ad beneficia ingreſſus vitioſus patere poſſit. Nam cum neuter litigans poſſit, privata ſua auctoritate, aut pacto alteri dare legitimum titulum beneficii, nec conſtet, uter litigantium habeat juſtum titulum, ideo periculum eſt, ne is, ſuper quem ſors cadit, obtineat, & poſſideat beneficium, ſine juſto titulo. Aliud eſt in cauſis temporalibus, & profanis, in quibus res, de qua litigatur, poteſt privatum pactum litigantium alteri adjudicari, adeoque in illis etiam per ſortem poteſt lis dirimi. Præterea omne pactum, propria, & privata auctoritate initum circa beneficium litigioſum, Simoniacum cenſetur, *c. fin. de pact. c. Quam pio. 2. cauſ. 1. q. 2.* ſed hæ ſortes non fiunt ſine pacto, ut ſupra dictum. At vero interveniente Judicis auctoritate, poſſunt lites dirimi ſorte, etiam in cauſis beneficialibus, quia ſi utraque pars litigans ſuper beneficio, pactum ineat coram Judice, & ipſe illud admittat, & juxta pactum, ſententiam proferat, ea tenet: per quam ſententiam is, cui a Judice beneficium litigioſum adjudicatum eſt, illud vere conſequitur ex titulo ſufficiente, nempe titulo, & auctoritate ſententiæ judicialis: ac proinde ceſſat Simonia, & periculum vitioſi ingreſſus, quia auctoritate Judicis purgatur utrumque vitium, ergo eadem ratione ceſſabit illud periculum vitioſi ingreſſus, ſi pactum de lite beneficiali per ſortes componenda, auctoritate, & approbatione Judicis ſit initum, *Suar. cit. c. 12. n. 13. & 14. Sanch. cit. c. 38. n. 79.*

§. III.

De pœnis ſortilegiorum, & de Judice competente criminis ſortilegii.

XV. Quæritur primo, quæ pœnæ Jure Canonico, & Civili ſint ſtatutæ in exercentes ſortilegia, & divinationes?

Reſp.

Reſpond. In primis ſi quis Sacerdos, vel alius Clericus ſortilegio uſus fuit, etſi bono zelo, & ex ſimplicitate, ſuſpendi debet ad tempus a divinis, & ab Altaris miniſterio, „ prout habetur in *c. Ex tuarum 2. hoc t.* Nam quidam Presbyter, Vitus nomine, acceſſit, cum quodam infami (id eſt, divinatore, & ſortilego, *Hoſtienſ. hic V. Infami*) ad locum privatum, non illa intentione, ut dæmonium invocaret, ſed ut poſſet invenire, & recuperare furtum cujuſdam Eccleſiæ per inſpectionem aſtrolabi. Id quod ſignificatum fuit Papæ Alexandro III. qui reſcripſit, licet Presbyter ille, ex bono zelo, & ſimplicitate, ſe hoc feciſſe dicat: tamen non modicum, ſed valde grave peccatum in eo commiſit: ideoque mandavit dictus Papa Patriarchæ Gradenſi, ut per annum, & amplius, ſi ipſi viſum fuerit, ab Altaris Miniſterio eum præcipiat abſtinere, & ex tunc libere poterit exercere officium Sacerdotis.

XVI. Hinc colligitur primo, quod etiam ob furtum Eccleſiæ factum non liceat conſulere divinatores, vel exercere ſortilegia, quamvis id fiat, ſine invocatione dæmonum, quia occulta novit ſolus DEUS, *c. Erubeſcunt 11. diſ. 32. Abb. hic num.* 2. Colligitur ſecundo, pœna contenta in hoc cap. non eſt ordinaria ſortilegii, ſed minor pœna fuit huic Sacerdoti impoſita, quia non ex propoſito, ſed ex bono zelo, & ſimplicitate deliquit, alias gravior pœna ei potuiſſet ac debuiſſet imponi, de qua infra. Nam pœna ſortilegis, ac aliis ſimilibus delinquentibus, imponi poteſt gravior, vel levior, ſecundum qualitatem, & quantitatem delicti, & ſpectato animo delinquentis, num dolo, & ex malitia, an vero ſolum ex ſimplicitate, vel ignorantia deliquerit? *Abb. hic n.* 4. Colligitur tertio, ſuſpenſus ad certum tempus, eo elapſo, poteſt, ſine ulla abſolutione, exercere officium, a quo eſt ſuſpenſus: ſecus eſt de excommunicato, in quo ſemper requiritur abſolutio, *Abb. hic numer.* 3. Colligitur quarto, Epiſcopus poteſt cum ſortilego diſpenſare, ut non imponatur ei pœna ordinaria depoſitionis, ſed alia minor, quia hoc ei in iſto caſu non eſt prohibitum, cum diſpenſet etiam in majoribus, *Gloſ. fin. hic & Abb. numer.* 5.

XVII. Secundo pœna ordinaria ſortilegii, ſecundum Canones, in foro contentioſo, ſeu externo, eſt, ut ſi Clerici ſint, ab officio, & beneficio deponantur, & in Monaſterium ad agendam ibi perpetuo pœnitentiam detrudantur, *c. Non oportet 4. & 1. ſeqq. cauſ. 26. quæſt. 5. Gloſ. fin. in cap. 1. hoc tit. & ibi Abb. num.* 2. Et hinc cum in *can. Admoneant 15. cauſa 28. num.* 2. dicitur, quod ſortilegus, vel magicas artes exercens, ſi Clericus ſit, debeat degradari, id intelligi debet de degradatione verbali, hoc eſt, deponi ab officio, & beneficio, non de reali, cum ſit materia odioſa & pœnalis, adeoque non eſt tradendus Curiæ ſeculari, *Diaz in pract. crim. can. V. Sortilegus cap. 111. num.* 2. At vero Laici, qui crimen ſortilegii committunt, & divinatores, in foro Canonico, ſive Eccleſiaſtico, ſi viles ſint, vel ſervi, verberibus & cruciatibus caſtigantur: ſi vero, liberi, perpetuo carceri mancipantur, *c. Contra idolorum 10. cauſ. 26. quæſt. 5. Lopez in addit. ad Diaz citat. c. 111. §. ultim.* imo etiam excommunicari debent, ſi contumaces fuerint, & communione Eccleſiæ privari, *cit. Admoneant in fine, Gloſ. fin. in citat. cap. 1. hoc tit. Hoſtienſ. in Summa hoc tit. numer.* 5. Poteſt etiam Epiſcopus ſortilegos turpiter dehoneſtatos, ex Diœceſi ſua ejicere, *c. Epiſcopi 12. in princip. cauſa 26. qu. 5.* & decalvare eos, id eſt, capillos eorum, ante, & retro incidere, *c. de benedicto 5. cauſ. 32. quæſt. 1. Hoſtienſ. citat. loc.* Sunt etiam divinatores, & ſortilegi infames, ideoque a teſtimonio, & accuſatione repelluntur, *c. Conſtituimus 9. cauſ. 3. q. 5. c. Quiſquis 3. cauſ. 2. q. 8. Abb. in c. 1. in fin. h. t. Hoſtienſ. in Summa eod. n. ult.*

XVIII. Tertio, qui divinationes, & ſortilegia exercent, quæ hæreſim ſapiunt, ut ſi dæmon invocetur per preces, & hoſtias, tunc enim idololatria committitur: vel ſi ab eo aliqua petuntur, quæ ipſe facere, vel ſcire non poteſt, ut ſecreta cordis, vel futura, quæ pendent a libero arbitrio hominis, ſed ſolius DEI poteſtati reſervata ſunt, iiſdem pœnis, quibus hæretici, ſunt puniendi, *Abb. in c. 1. num. 4. hoc titul. Farinac. tract. de hæreſi, quæſt. 182. numer. 67. & ſeqq.*

Denique ſecundum Leges Civiles, divinatorum & ſortilegorum pœna eſt bonorum publicatio, & ſupplicium capitis, nempe ut gladio feriantur *l. Nemo 5. Cod. de maleſic. Hoſtienſ. in Summa hoc titul. numer. ultim.* quin & interdum ſupplicium ignis infligitur, *l. Nullus 3. & ibi Gothofr. lit. L. C. eodem.*

XIX. Quæritur ſecundo, quis ſit Judex competens criminis ſortilegii? Reſpond. De hoc crimine cognoſcere, illudque coercere poteſt Judex Eccleſiaſticus, videlicet Epiſcopus, non tantum quoad perſonas Eccleſiaſticas, ſed etiam quoad Laicos, ut conſtat ex *c. Contra idolorum 10. cauſ. 26. quæſt. 5. cap. 1. hoc tit.* quia redundat in injuriam divinæ Majeſtatis, dum attribuitur creaturæ, quod eſt ſolius Creatoris, ut ſcire omnino occulta, & prædicere futura, Abb. *in cit. c. 1. n. 2. hoc t.* non tamen eſt crimen mere Eccleſiaſticum, ſed mixti fori, adeoque de eo etiam cognoſcere poteſt Judex ſecularis inter laicos, ita ut ſit locus præventioni inter utrumque Judicem, nam & Canonico, Civili Jure hoc crimen eſt damnatum, & acerrime etiam per Jus Civile puniunt, ut ſupra dictum, *Abb. citat. loc. num.* 3.

TITULUS XXII.

De Colluſione detegenda.

CRimini falſi affine quoque eſt crimen colluſionis, quod etiam falſitatem aliquam in ſe continet, & falſi ſpeciem habet; nam in Jure colludere dicitur, qui aliud agit, & aliud ſimulat, ideo hic Titulus præcedentibus ſubjicitur, Gl. hic in Rubrica, & Abbas.

I. QUæritur primo, quid ſit colluſio, & in quibus cauſis committatur? Reſpond. Colluſio eſt inter actorem, & reum latens, & fraudulenta conventio, qua interveniente, aliquando delicta manent impunita, vel etiam committuntur, *Gloſ. in c. Audivimus 3. V. Colluſione, hoc tit. Hoſtienſ. in Summa ibid. num.* 1. Unde actor, ſeu accuſator in judicio dicitur colludere cum reo convento, vel accuſato, ſi ejus partes adjuvet, celando, vel diſſimulando veras probationes, & falſas defenſiones, ſeu exceptiones admittendo, vel ab accuſatione omnino deſiſtendo, ut reus abſolvatur, & pœnam ipſi infligendam evitet, ac judicium publicum reddatur illuſorium, *Hoſtienſ. citat. loc.* Poteſt autem colluſio fieri, & committi in cauſis civilibus, & criminalibus, & tam ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis, quam in temporalibus, & profanis: & non ſolum per partes principales, actorem, & reum, eoſque Clericos, vel Laicos, ſed etiam per Advocatos, & Procuratores, *Hoſtienſ. in Summa h. t. n. 1. & 2.*

II. Quæritur ſecundo, quid faciendum ſit Judici, ſi actor, vel accuſator, & reus in judicio inter ſe colludant? Reſp. Inprimis quando accuſator deſiſtit ab accuſatione, poteſt Judex, imo debet ex officio inquirere, an per colluſionem deſtiterit, nec ne? prout ſumitur ex *c. Scripta 1. hoc titul.* „ Nam cum quidam accuſaſſent Hadrianum Epiſcopum, poſtea cum eodem in amicitiam convenerunt, deſiſtendo ab accuſatione: ſignificatum hoc fuit Papæ Gregorio I. quod per colluſionem a lite deſtiterint: Is reſcripſit, quod qualitas facinoris nunciati ipſum inducit, ut talia diſſimulare non debeat: præſertim cum accuſatores, & accuſatus gratiam inter ſe feciſſe dicantur, recedendo a lite: ideoque mandat diligenter inquiri, utrum per gratiam, & ex charitate, an vero ex præmio eorum concordia ſit comparata? Ratio diverſitatis eſt, quia ſi ex charitate accuſatores deſtiterunt, poteſt id tolerari, ut quia v. gr. in hoc caſu Epiſcopus accuſatus ſe correxit, *Hoſtienſ. hic V. Ex charitate*, non autem ſi ex præmio, quia v. g. accuſatores per pecuniam corrupti ſunt, ut deſiſterent, *Gloſ. fin. hic & Hoſtienſ. in fin.* Ex quo colligitur etiam, quod plures accuſatores, ſeu denunciatores admitti poſſunt contra unum & eundem, ſuper eodem crimine, *Gloſ. hic V. Quod hi, & Abb. num.* 2. An autem, & quando deſiſtere poſſit, vel non accuſator ab accuſando, dictum eſt ſupra hoc Libro *tit. 1. n. 19. & ſeqq.*

„ III. Secundo crimina ſemel audita non debent manere indiſcuſſa, etiamſi accuſatus cum accuſatore in gratiam redierit, prout reſcripſit Gregorius II. vel forte III. juxta *Gloſ. hic V. Gregorius.* Id quod dupliciter intelligi poteſt, prout exponit *Hoſtienſ. hic*, primo, quod Judex crimina ſemel audita, id eſt probata, non debet relinquere indiſcuſſa, id eſt impunita, ſed debet procedere ad punitionem, etiamſi accuſatus cum accuſatore (vel denunciatus cum denunciatore) in gratiam redierit, deſiſtendo ab accuſatione, quia crimina undecunque claruerint, ſive qualitercunque de iis conſtiterit, punienda ſunt, *c. Ecce 18. cauſ. 24. q. 3. c. Si quid vero 23. diſ. 86. c. Si quem 8. §. Notandum, cauſ. 2. qu. 3. Gl. fin. hic.*

Altera expoſitio hujus cap. eſt, ut intelligatur proprie, quando accuſator deſiſtit, ſive recedit a lite, ante probata delicta, tunc enim poteſt Judex ex officio inquirere, & procedere, etiamſi accuſatus cum accuſatore in gratiam, ſeu concordiam redierit, ſaltem ſi accuſatus de crimine fuerit infamatus, *Hoſtienſ. hic*, unde regulariter de Jure Canonico receſſus a lite per gratiam, vel tranſactionem, non impedit, quominus Judex ex officio ad inquiſitionem procedere poſſit, *Abb. hic not.* 1.

IV. Tertio, ſi reus abſolutus ſit per colluſionem a criminibus, de quibus fuit accuſatus, vel denunciatus, poteſt, ubi de hoc conſtiterit, de novo accuſari, & contra illum inquiri, prout decernitur in *c. In tantum 4. & ultim. hoc titul.* „ Nam Archiepiſcopus Acherontinus in tantum fuerat diffamatus de Simonia, & aliis criminibus, ut ſine ſcandalo, & periculo non potuerit amplius diſſimulari. Quare Papa Gregorius IX. multorum clamoribus excitatus, inquiſitionem eorum criminum certis Judicibus commiſit: ſed propter tergiverſationes ipſius Archiepiſcopi (id eſt, verſutias, ſive calliditates, quibus induxit Inquiſitores, ut ab inquiſitione deſiſterent, *Gloſ. hic V. Tergiverſationes*) eodem cum Inquiſitoribus, & examinatoribus colludente, nec non iiſdem, ac teſtibus corruptis, factum eſt, ut non ſolum prædicti exceſſus remanerent incorrecti, verum etiam pejora prioribus committere non vereretur. Unde Papa mandat quibuſdam, ut ſi de hujuſmodi colluſione, & corruptione conſtiterit, ex integro ſuper prioribus exceſſibus, & aliis, alioquin ſuper novis tantum inquirant, quæ viderint inquirenda.

V. Ex quo patet, quod licet alias legitime abſolutus a criminibus, de quibus accuſatus, vel inquiſitus fuit, non debeat amplius ſuper iiſdem accuſari, vel contra eum inquiri, *c. De his 6. & c. Licet 14. de accuſat.* quia crimina ſemel

mel dimiſſa iterum in ultionem venire non debent, *cap. Si illic* 29. *cauſ.* 23. *q.* 4. *cap. ult. diſ.* 4. *de pœnit. Gl. fin. hic* id tamen fallit, ſi quis per colluſionem fuerit abſolutus, nam ſententia lata per colluſionem non tollit facultatem iterum accuſandi, & inquirendi de illis criminibus in nova inſtantia, *Abb. hic n.* 3 *&* 4. Porro qua pœna plectendus ſit, qui colludit cum adverſario in judicio, prævaricando, vel tergiverſando, dictum eſt ſupra *tit.* 2. *hoc lib.* §. 5. *n.* 1.

VI. Quæritur tertio, quæ ſit pœna Clericorum colludentium in cauſa beneficiali? Reſp. de hac agitur in *c. Audivimus* 3. *h. t.* Nam quia quidam Clerici interdum ſuper be- ,, neficiis, quæ poſſident, colluſione facta, ſe permittunt, ,, & ſuſtinent ab aliis moleſtari, & poſtea ut quæſtioni, ,, ſeu liti cedant, & iidem Clerici quiete poſſideant illa ,, beneficia, quia nomine tranſactionis (imaginariæ, ac ſi- ,, mulatæ, non veræ) ſolvunt illis, qui eos moleſtabant, ,, ex ipſis beneficiis annuam penſionem, ut poſt mortem ,, eorum (ſcilicet poſſidentium) in beneficiis illis, ſuper ,, quibus eſt colluſio facta, jus ſibi valeant vendicare (ſcilicet illi actores, & moleſtantes, adeoque ut poſſint, poſt mortem eorum, in beneficiis ſuccedere, & poſſeſſionem il- ,, lorum intrare) Pervenit hoc ad notitiam Papæ Alexan- ,, dri III. qui mandavit Epiſcopo Diœceſano, ut ſi quos ,, Clericos ſuæ juriſdictionis per colluſionem hujuſmodi frau- ,, dem commiſiſſe, ipſi legitime (eiſdem vocatis, & con- ,, feſſis, ac convictis, *Hoſtienſ. hic V. Legitime*) conſtiterit, ,, eos (ſcilicet poſſidentes) beneficiis illis, ſuper quibus ,, colluſum eſt, non differat perpetuo ſpoliare, ſeu privaro ex officio ſuo etiam nemine petente, & contra eos agente, *Hoſtienſ. hic V. Non differas*.) quia ſatis indignum eſſet, ,, ſi fraus, & dolus, quæ in præjudicium juris (ſcilicet ,, Epiſcopi) & aliorum (nempe patronorum, ad quos pertinet præſentatio, vel etiam eorum, qui alias præſenta- ,, rentur, vel quibus beneficia illa conferrentur, *Hoſtienſ. hic*) nituntur committere, in eorum incommodum, & damnum non redundarent. Ratio hujus deciſionis patet ex textu, quia per talem colluſionem Clericorum fit præjudicium Epiſcopo, præcluditur enim ipſi via ſuper ordinatione, ſeu inſtitutione Eccleſiæ ſuæ: neque dolus impunitus remanere debet, ne malitia illis ſit lucroſa, *l.* 1. *in princ. ff. de dolo*; nec eſt æquum, quemquam ſuum dolum relevare, *l. Verum* 63. §. *Hoc quoque, ff. pro ſocio*, & nemo ex ſuo delicto meliorem ſuam conditionem facere poteſt, *reg. juris* 134. *in fine, in ff.* ideoque Clerici per colluſionem volentes transferre beneficia in alios, modo illicito, propter dolum, & fraudem, perpetuo iiſdem privandi ſunt, & ut puniantur in eo, in quo deliquerunt, *fin. Gl. hic, & Abb. in fine.*

VII. Ubi præterea notandum primo, tranſactio illa facta a Clericis in *caſu cit. c.* 3. *h. t.* de penſione annua ſolvenda alia ex beneficiis a ſe poſſeſſis, non valuiſſet, etiamſi colluſio non interveniſſet, niſi ex officio Judicis, ejuſque auctoritate, talis tranſactio, ſeu compoſitio facta fuiſſet, juxta *c. Niſi eſſent* 25. *de præbend.* neque quod ſuper beneficiis licite ſit tranſactio, ſi colluſio abſit, colligi poteſt ex hoc c. per argumentum a ſenſu contrario, cum in Jure ſit expreſſum contrarium in *cap. Super eo* 7. *de tranſact. Abb. hic notat.* 1.

Notandum ſecundo, Epiſcopus, vel alius ſimilis Prælatus Eccleſiæ poteſt ſuper fructibus beneficii imponere annuam penſionem; nam ſuſpenſionis impoſitio hic reprobatur, quia facta fuit per colluſionem, geſta autem per colluſionem non tenent, *l. Cum non juſta* 3. *ff. de colluſ. deteg.* non tamen excederet penſio vitam penſionarii, etiam ceſſante colluſione, quamvis auctoritate Epiſcopi fuiſſent impoſita, quia nec Epiſcopus poteſt etiam pro bono pacis, ſive ex cauſa concordiæ, ad extinguendas lites, penſiones imponere, quæ tranſeant ad ſucceſſores in beneficio, ut probatur ex *cit. c. Niſi eſſent. Faguan. hic num.* 7. idque fuſe probat in *cit. c. Niſi libr.* 3. *tit.* 5. *n.* 40. *& ſeqq.* de quo dictum ſupra *lib. tit.* 12. *n.* 10.

TITULUS XXIII.

De delictis puerorum.

I. ACtum eſt hactenus de delictis, eorumque pœnis, ſed quia dubitari poteſt, an etiam pueri ſint rei talium criminum, pœniſque obnoxii, ideo hic Titulus annectitur: Et imprimis quidem certum eſt, Infantes, qui nondum ſeptimum ætatis annum excesſerunt, excuſari a delictis, eorumque pœnis, cum doli capaces non ſint, & quid agant, ignorent, *l. Sed etſi* 5. §. *Sed etſi infans ff. ad Leg. Aquil. lib. Infans* 12. *ff. ad Leg. Cornel. de ſicar.* ubi dicitur, quod infantem innocentia conſilii tuetur, ſive a pœna excuſat. Idemque dicendum de eo, qui eſt proximus infantiæ, ſeu ætati ſeptem annorum, aut non multum eos excedit, Judicis arbitrio, *Farinac. in praxi crim. p.* 3. *q.* 92. *n.* 46.

II. Quæritur primo, an, & quo modo puniantur delicta puerorum? Reſp. Pueri, ſive impuberes nempe maſculi a ſeptimo anno uſque ad XIV. completum, & fœminæ uſque ad annum XII. ob delicta puniuntur quidem, ſed pœna mitiore, quam majores, prout conſtat ex *c. Puerum* 5. *h. t.* ubi habetur, quod quidam nolebant pueris, etiam grandiuſculis (id eſt, doli capacibus, *Gl. hic & Hoſtienſ. V. eod.*) peccatum attribuere, niſi poſt XIV. annos, cum incipiunt puberſcere (ante pubertatem enim non præſumitur de quoquam peccatum, niſi malitia ſuppleat ætatem *Gl. hic V. Puberſcere.* Sed reſpondet Papa Gregorius IX. (ut habetur ,, in pleriſque manuſcriptis, teſte *Cl. marg. hic*) quod iſtud ,, merito crederet, ſi non eſſent alia peccata, niſi quæ mem- ,, bris genitalibus committuntur: ſed furta, mendacia, per- ,, juria non eſſe peccata, nemo affirmare audet: quibus ta- ,, men puerilis ætas plena eſt: quamvis in pueris ea non ,, ita punienda ſint, ſicut in majoribus.

III. Notandum primo, omne delictum cadit in puerum, poſtquam eſt doli, & rationis capax, præter delictum carnis, quod in eo non præſumitur, *l.* 1. §. *Impubes ff. Ad SC. Silanianum Gl. fin. hic*: ideoque nec minor XIV. annis poteſt accuſari de adulterio, *Si minor* 36. *ff. ad Leg. Jul. de adult. Hoſtienſ. hic V. Membris genitalibus, & Abb. n.* 2.

Notandum ſecundo, puer, ſive adhuc impubes, ſi pubertati proximus ſit, ſeu doli capax, & delinquat, puniendus eſt, quamvis mitius, & minore pœna, quam adultus, ſive ætate major, *cit. c.* 1. *h. t. Gl. pen. & ult. hic, & in c.* 2. *h. t.* dicitur: *Quod in pueris relinqui ſolet inultum, quod in aliis provectioris ætatis, humanæ leges dicunt ſeverius corrigendum*, ubi Gl. *& Hoſtien. V. Inultum*, id ita exponunt, quod delictum omnino ſit inultum, quando pueri non ſunt doli, ſeu rationis capaces: vel inultum, id eſt, non perfecte ultum, quando ſunt pubertati proximi, ſeu doli capaces, quia tunc levius puniendi ſunt, ob judicii imbecillitatem, ſeu immaturitatem quæ peccatum levius facit, & conſequenter etiam iis pœna levior imponi debet. Quamvis autem, ſecundum communem DD. opinionem, proximus pubertati dicitur, qui X. annum, & dimidium complevit, ſi mas ſit, vel IX. annum, cum dimidio, ſi fœmina ſit, ut tradit *Gl.* communiter recepta in §. *Sed quod diximus* an. *V. Infantia proximus, Inſtit. de inutil. ſtipul.* verius tamen eſt id arbitrio Judicis determinandum relinqui, qua ætate, ante XIV. annum, maſculus; vel ante XII. annum, fœmina cenſenda ſit eſſe pubertati proximus, vel proxima, cum contingat alios aliis citius rationis uſu, & judicio pollere, *Menoch. ad arbitr. Jud. libr.* 2. *caſu* 57. *n.* 44. & alii apud *Farinac. cit. q.* 92. *n.* 15. quæ eſt hodie magis recepta ſententia. Nec obſtat, quod in §. *pen. inſtit. de obligat. quæ ex delicto &c.* dicitur: impuberem tum demum furti crimine obligari, ſi proximus pubertati ſit: nam ibidem additur *& ob id intelligat ſe delinquere*, adeoque loquitur de eo, qui eſt doli capax, judiciumque habet, & ſe delinquere intelligit: quomodo etiam intelligi debet, quod dicitur in *l. Impunitas* 7. *C. de pœnis*, impunitas delicti propter ætatem non datur, nempe ſi doli capax ſit, ſive ſentiat, in quibus deliquit. *Gothofr. ibid. lit. Y & X.*

IV. Porro non tantum impuberes, ſed etiam puberes, ſi minores ſint XXV. annis, mitius puniri, quam pœna ordinaria, arbitrio Judicis, etiam in delictis gravibus, ut homicidio, Sodomia, & aliis, docet *Clarus* §. *fin. q.* 60. *n.* 3. *Menoch. de arbitr. Jud. caſu* 329. *n.* 12. *& ſeqq. Farinac. cit. q.* 92. *num.* 42. & alii apud ipſum: idque colligitur ex *lib. Auxilium* 37. §. *In delictis ff. de minorib.* Nam juxta *reg. juris* 108. *in ff. fere in omnibus pœnalibus judiciis, & ætati, & imprudentiæ ſuccurritur*, ubi *Gothofr.* ait, *litter. S.* ut pœna remittatur.

V. Quæritur ſecundo, an pater teneatur ex delicto filii impuberis? Reſp. De hoc agitur in *c. Referente* 2. *h. t.* ubi ,, refertur, quod puer quidam decem annorum, dum cum ,, aliis pueris ſagittas jaceret, alium puerum, caſu fortui- ,, to, ſagitta percuſſit, ut mortuus fuerit. Quocirca Abbas ,, S. Remigii a patre ipſius pueri centum ſolidos exigebat, ,, ſecundum Terræ, vel loci illius conſuetudinem, ſed pa- ,, ter pueri occidentis, ſive Rei appellavit ad Papam Ale- ,, xandrum III. qui ſcripſit Epiſcopo Hermonenſi, quod pue- ,, ri ſecundum leges, non ita ſevere puniuntur, ſicut illi, ,, qui ſunt majoris ætatis, eique mandavit, ut ſi conſtite- ,, rit, prædictum puerum infra XIV. annum ætatis illud ,, delictum commiſiſſe, memoratum Abbatem moneat, & ,, compellat, ut a patre dicti pueri centum ſolidos, propter ,, talem conſuetudinem non exigat, nec ab ipſo pro tem- ,, porali pœna requirat.

VI. Notandum primo, propter delictum filii impuberis, ſive minoris XIV. annis, non debet pater puniri mulcta pecuniaria *Gl. hic in notatis.* Nam & univerſim loquendo, pater non tenetur pœnam pecuniariam, ad quam condemnatus eſt filius, ſolvere ex legitima, aut alimentis filio debitis, quia pater pro filio non eſt conveniendus, *l.* 2. *C. Ne filius pro patre, &c.* niſi in quantum pater locupletior eſt factus ex delicto filii, *l. Licet* 3. §. *Ex furtiva ff. de pecul.* & quia vivente patre, legitima non poteſt ſeparari a bonis patris, *l.* 5. §. *Si impubere ff. de collat. bonor.* & quamvis pater teneatur filium alere, tamen æs alienum pro eo ſolvere non cogitur, *l. Si quis* 5. §. *Si mater, in fine ff. de liber. agnoſcend. Abbas hic n.* 3.

VII. Notandum ſecundo. Conſuetudo, vel ſtatutum imponens pro homicidio, vel ſimilibus delictis pœnam pecuniariam tantum, eſt irrationabile, quia præbet occaſionem, & materiam delinquendi, præſertim divitibus, nulla enim reus pertimeſcit culpam, quam nummis ſe poſſe redimere exiſtimat, *c. Pauper* 72. *cauſ.* 11. *q.* 3. *Hoſtienſ. hic V. Conſuetudinem, & Abb. n.* 2. *Covarr. l.* 2. *reſol. c.* 9. *n.* 2. *Clarus* §. *Homicidium, num.* 19. ubi ait, hanc eſſe veriorem, & magis communem ſententiam. Nec obſtat hoc c. in quo dum Papa mandat minorem XIV. annis non puniri pro homicidio, pœna centum ſolidorum, hoc ipſo, expreſſe videtur hanc conſuetudinem approbare, in homicidiis commiſſis a majoribus. Verum imprimis ex eo, quod Papa prohibet, ne pater pro filii homicidio ſolvat pœnam pecuniariam 100. ſolidorum, juxta loci conſuetudinem, non ſequitur, ergo conſuetudinem, ut homicidium pecuniaria tantum pœna plectatur, approbat: non enim erat quæſtio, an conſuetudo talis valeret, ſed num pater pro filio impubere pœnam loci ordinariam, hoc eſt, 100. ſolidos ſolvere teneatur? & reſpondet, quod non, quia impuberes, non ordinaria, ſed extraordinaria eaque minore pœna, ob delictum afficiuntur. Deinde tum demum talis conſuetudo, vel ſtatutum non valet, quando pro homicidio tantum imponit pecuniariam pœ-

pœnam: ſecus, ſi ultra corporalem pœnam, etiam pecuniariam, vel ſi exigatur pecunia, ante factum homicidium, non autem ſi poſt factum delictum, *Abb. hic num.* 2. vel ſi imponatur pœna pecuniaria, ob homicidium factum ex malitia, & ex propoſito: ſecus, ſi imponatur ob homicidium factum caſu fortuito, ut in *caſu cit. c.* 2. tunc enim valet talis conſuetudo, aut ſtatutum. *Covarr. c. l.*

TITULUS XXIV.

De Clerico Venatore.

HActenus actum fuit de delictis communibus tum Clericorum, quam Laicorum, nunc agendum de peculiaribus quibuſdam delictis Clericorum tantum, cujuſmodi eſt imprimis venatio, quæ quamvis, ſecundum ſe, ſit licita, & permiſſa Laicis, ſi tempore competenti fiat, perſonis tamen Eccleſiaſticis eſt prohibita.

I. QUæritur, cur, & ſub quibus pœnis venatio, ſive captio ferarum ſit prohibita Clericis? Reſpond. Ea eſt prohibita perſonis Eccleſiaſticis, ſub pœna ſuſpenſionis a Communione, ut conſtat ex *c. Epiſcopus* 1. *hoc tit.* quod eſt deſumptum ex Concilio Aurelianenſi, & reperitur in Concilio Agathenſi cap. 55. ubi dicitur: Epiſcopum, Presbyte-„ rum, aut Diaconum, canes, aut accipitres, aut hujuſ-„ modi ad venandum, habere non licet. Quod ſi quis eo-„ rum, in hac voluptate, ſæpius inventus fuerit, ſi Epi-„ ſcopus eſt, tribus menſibus a Communione: ſi Presbyter, „ duobus: ſi Diaconus, ab omni officio ſuſpendatur.

„ II. Similiter in *c. Omnibus* 2. *hoc tit.* interdicitur om-„ nibus DEI ſervis (id eſt, Clericis, qui ſpecialiter di-„ cuntur ſervi DEI, quia in ſortem Domini, ad ejus ob-„ ſequium ſpecialiter ſunt aſſumpti, *c. Cum ſecundum* 16. „ *de præbend. cap.* 1. *diſ.* 21. *Gloſſ. hic V. Omnibus ſervis*) ve-„ nationes, & ſylvaticas vagationes, cum canibus exerce-„ re, & accipitres, aut falcones habere. Sed & noviſſime „ in Concilio Tridentino *Seſſ.* 24. *cap.* 12. *de reform.* præcipitur, ut Clerici ab illicitis venationibus, & aucupiis abſtineant. Ratio prohibitionis eſt, quia venationes dedecent ſtatum, & profeſſionem Clericorum, per quas etiam ab Officiis Divinis, & ſpiritualibus occupationibus avocantur, populoque ſcandalum præbetur, præſertim ſi frequentes inſtituantur, *Menoch. de arbitr. Judic. caſu* 413. *num.* 15. *Laym. lib.* 3. *Theol. mor. tr.* 5. *cap.* 5. *n.* 15. & alii communiter.

III. Ubi notandum primo, præcipue prohibita eſt venatio, ſi inſtituatur, cum tumultu, ſeu magno ſtrepitu armorum, & clamore canum, & ſi frequenter id fiat, ut colligitur ex *citat. cap.* 1. ibi: *Si quis in hac voluptate ſæpius inventus fuerit*: unde quieta, & moderata venatio, cum retibus, & laqueis, imo & canibus paucis, modo raro fiat, non eſt prohibita Clericis, ſed licita, ſive cauſa neceſſitatis, ad capiendas noxias feras vaſtantes ſegetes, vel vineas Clericorum: vel utilitatis cauſa, ut qui notabilem partem redituum percipiunt ex venatione: vel ſanitatis, & corporalis exercitii, vel etiam honeſtæ recreationis cauſa inſtituatur, *Gloſſ. in citat. cap.* 1. *V. Voluptate Hoſtienſ. ibid. & Abb. num.* 1. *Sylveſt. V. Venatio. Leſſ. lib.* 2. *de juſtit. cap.* 5. *dub.* 9. *num.* 40. Ratio eſt, quia venatio, ſecundum ſe, eſt actus, ſeu res indifferens, quæ ratione circumſtantiarum, ſcilicet perſonæ, finis, temporis, & modi, poteſt fieri licita, vel illicita. Multo magis vero venatio interdicta eſt Monachis, aliiſque Religioſis, in *Clement.* 1. §. *Porro de ſtatu Monach.* quia adhuc magis illos dedecet, ita ut nec recreationis cauſa venatio eis liceat, etiamſi proprios reditus ex venatione habeant, ſi per ſe venationi dent operam, ut eſt communis opinio apud *Diaz. in pract. canon. V. Venatores, c.* 2. *in addit. lit. C. V. Recreationis.*

IV. Notandum ſecundo, pœna Epiſcopi frequenter venationes clamoroſas exercentis, eſt, ut ſuſpendendus ſit per tres menſes a Communione, ſive Officio: Presbyter vero per duos menſes: & Diaconus ab omni officio, ſed ſine præfinitione certi temporis, ideoque poſt aliquot dies, vel quando placuerit, Epiſcopus poterit cum Diacono diſpenſare: non autem diſpenſari poteſt cum Epiſcopo, vel Presbytero, ante trimeſtre vel bimeſtre elapſum, *Diaz. citat. loc. num.* 1. Subdiaconus vero frequentans venationes, eadem pœna afficiendus eſt, qua Diaconus, *Argum. c. penult. de ſervis non ordinand. Gloſſ. in citat. cap.* 1. *V. Voluptate Hoſtienſ. ibid. Diaz. citat. loc. num.* 2. Clerici denique in minoribus Ordinibus conſtituti, ſi venationi frequenter vacent, puniuntur, arbitrio Judicis, cum certa pœna non ſit Jure ſtatuta, *Argum. c. de cauſis* 4. *de offic. Judic. delegat. Hoſtienſ. in citat. cap.* 1. *in fine, hoc tit. & Diaz. citat. loc. num.* 3. quod tamen reſtringendum eſt ad ſolos Clericos in minoribus, qui beneficia Eccleſiaſtica obtinent, ſecus quoad alios, hi enim nullam pœnam incurrunt, *Lopez in citat. cap.* 71. *in addit. lit. B.* Requiritur autem ad incurrendam pœnam in Clericos venatores ſtatutam, ut præcedat admonitio, *Hoſtienſ. in citat. c. in fine. Argum. c. indigne* 21. *cauſ.* 12. *quæſt.* 2. ubi dicitur, quod debeat vindictam præcedere admonitio: ſed contrarium tenet *Diaz. in citat. c.* 71. *numer.* 4. ubi ait, quod monitio hæc operetur, ut ſi Clericus admonitus, ceſſare nolit a venationibus, poſſit deponi, non propter venationem, ſed propter inobedientiam. Verum ab hoc rigore antiquorum Canonum jam per contrariam conſuetudinem multum eſt receſſum, quæ non videtur poſſe damnari, cum venatio ſecundum ſe ſit res indifferens, id eſt, nec bona, nec mala per ſe, adeoque per finem honeſtum bona fieri poteſt, ut omnes concedunt, ſi verb. grat. honeſtæ recreationis cauſa fiat etiam a Clericis, quidquid in contrarium aſſerat *Diaz. citat. loc. num.* 5. quia non eſt contra decentiam, & honeſtatem ſtatus Clericalis abſolute, ſi moderate exerceatur.

V. Quæritur ſecundo, an etiam piſcatio prohibita ſit Clericis? Reſpond. Piſcatio Clericis eſt permiſſa, tum quia in illis ceſſant rationes, propter quas eis venatio eſt prohibita; tum quia piſcatio exempla habet Apoſtolorum, quos Chriſtus piſcantes ad ſe vocavit, & retia laxare juſſit ad piſcandum, *Luc. c.* 5. *Gloſſ. fin. in c. Eſau* 51. *diſ.* 86. *Menoch. c. l. n.* 20. *& Lopez in cit. c.* 71. *lit. A.*

TITULUS XXV.

De Clerico percuſſore.

ALiud delictum Clericorum eſt percuſſio, quæ etiam Clericis eſt prohibita, de qua in hoc Titulo agitur.

I. QUæritur primo, an liceat Prælatis Eccleſiaſticis percutere Clericos ſubditos? Reſpond. Epiſcopus Clericos delinquentes, ſi conſtituti ſint in minoribus Ordinibus, etiam pro levibus culpis: ſi vero ſacris: & majoribus Ordinibus ſint initiati, non niſi in gravioribus criminibus, ut ſi verb. grat. ebrii ſint, verberibus corrigere, & punire poteſt, *c. Cum beatus* 8. *diſ.* 45. *cap. ultim. diſ.* 35. *junct. Gloſſ. V. Corporali.* Non tamen licet Epiſcopo, propriis manibus, aliquem verberare, *c. Non licet* 25. *diſp.* 86. ſed per alium, non Laicum, ſed Clericum, Clericos verberare licitum eſt, alioquin tam Epiſcopus verberari mandans, quam Laicus verberans excommunicationem incurrunt, etiamſi juſta cauſa verberandi ſubſit, *c. Univerſitatis* 24. *de ſentent. excommun. Diaz. in pract. Canon. V. Verberari, c.* 136. *numer.* 2. *&* 3. niſi Clericus penitus ſit incorrigibilis, tunc enim per Laicum verberari poteſt, *Argum. c. Ut fama,* 35. *de ſent. excommun. ſecundum Gloſſ. in caſu. Summa diſp.* 45. de quo tamen dubitat *Diaz. citat. loc.* cum illud cap. loquatur ſolum de captura facienda per Laicum, & nihil de verberibus. Prælati vero inferiores Epiſcopo, etiam pro levibus culpis, poſſunt verberare ſuos ſubditos Regulares, ut Abbas Monachum, cauſa regularis diſciplinæ, etiam in perſona propria, vel ſi neceſſitas urgeat, ex mandato ejus, per alium Clericum, vel Monachum, *citat. c. Univerſitatis, Diaz. citat. loc. num.* 2. quin imo etiam Epiſcopus per ſe poteſt verberare Clericum, ſi alium Clericum reperire non poſſit, *Gl. in citat. c. Non licet, & Abb. in citat. c. Univerſitatis, num.* 8. Quod ſi Prælati debitam correctionem in verberando excedant notabiliter, incidunt in excommunicationem *Canon. Si quis ſuadente*, reſervatam Papæ, & mittuntur in exilium, *citat. c. Cum Beatus, in fine princip. Abb. citat. loc. num.* 9. & ſi ex immoderata, & incauta percuſſione, etiam diſciplinæ cauſa facta ſequeretur mors, vel mutilatio, contraheretur irregularitas, *Presbyterum* 7. *de homicid.* Quanquam quæ de percuſſione Clericorum, præſertim ſecularium, ſtatuta ſunt, fere in deſuetudinem abierint.

II. Quæritur ſecundo, quæ ſit pœna Clerici alium, etiam Laicum, illicite percutientis? Reſpond. De hoc agitur in *c. Si quis* 1. *hoc tit.* quod deſumptum eſt ex Concilio Agathenſi, quamvis in eo non reperiatur, ubi dicitur: Si „ quis in ſacro aliquo gradu, ſeu Ordine conſtitutus (ubi „ tamen ſubintelligi debet, maxime, quia etiam alios „ Clericos minorum Ordinum non decet eſſe percuſſo-„ res, *cap. ultim. hoc tit. Hoſtienſ. hic V. Sacro,*) percuſſor „ extiterit, corripiatur a crimine, & ſi ſe non emenda-„ verit, deponatur. Ex quo infertur, quod ſi ſe emendaverit, non ſit deponendus, *Gloſſ. fin. hic Argument. cap.* 1. *diſ.* 35. Quare propter unam, vel alteram ſimplicem percuſſionem, non debet Clericus deponi a gradu, ſeu ſtatu Clericali, ſed aliter corripi. At ſi conſuetudinem habeat percutiendi, ut facile procedat ad verbera, etiam pro minimis rebus, tunc talis ita inhumanus, & ferus non debet in gradu, ſeu ſtatu Clericali permanere, cum Clericos deceat imitari manſuetudinem Chriſti, *Gloſſ. hic, & Abb. numer.* 1. Quod ſi tamen Clericus aliquem, vel ſemel tantum, lethaliter, vel enormiter percuſſiſſet, deponendus eſſet, etiam ſine ulla monitione, *cap. ultim. diſp.* 55. *Gloſſ. hic in fine, & Hoſtienſ.* Prætcrea Concilium Tridentinum *Seſſ.* 13. *c.* 1. *de reform.* admonet Epiſcopos, ut ſe Paſtores, non percuſſores eſſe meminerint.

III. Præterea prohibetur Epiſcopis, ne graviter ſeu enormiter cædi faciant delinquentes, prout ſumitur ex *cap. Præterea* 2. *hoc tit.* Nam cum Epiſcopus Tarentinus mulierem „ quandam propter delictum, fuſtibus crudeliter cædi juſ-„ ſiſſet, contra Ordinem Sacerdotii, quæ poſt octo menſes de-„ ceſſit: hoc intellecto, Papa Gregorius I. quamvis non ar-„ bitraretur illam defunctam eſſe, nihilominus mandavit, „ Epiſcopum illum, duobus menſibus, ab adminiſtratione, „ ſeu celebratione Miſſarum abſtinere, qui non habuit reſ-„ pectum, ſive debitam conſiderationem ad Ordinem, ſeu „ ſtatum ſuum Epiſcopalem.

IV. Ubi notandum primo, hanc mulierem, mandato Epiſcopi, eſſe verberatam fuſtibus, vel quia deliquit in Eccleſia, vel quia ſubjecta fuit temporali juriſdictioni Epiſcopi, *Joann. Andr. hic V. Mulierem, & Abb. num.* 3. Secundo ex temporis prolixitate, ſeu longitudine præſumitur, quod quis ex percuſſione non ſit defunctus, ſi diu poſt obiit: ſicut vice verſa, ex temporis brevitate præſumitur, ex percuſſione mortem eſſe ſecutam, *c. Si quis fœmina* 43. *diſ.* 50. *Gloſſ. hic V. Poſt octo menſes, & Hoſtienſ. V. eod.* id quod relinquendum eſt arbitrio Judicis, *Abb. hic num.* 1. Tertio ſi in caſu hujus cap. percuſſio illa occaſio, vel cauſa propinqua fuiſſet mortis, Epiſcopus in perpetuum abſtinere debuiſſet a celebratio-

Digitized by Google

bratione Miſſæ, *c. Studeat 39. diſ. 50. & Arg. c. de cætero 23. de homicid. Gl. hic V. Poſt actа, & Hoſtienſ.*

V. Quæritur rertio, an puoiendus ſit Clericus ſtans in pugna, ſeu conflictu ex parte ſe defendentium, etſi ipſe non percuſſerit? Reſp. De hoc agitur in *c. Præſentium 3. h.*
,, *t.* Nam quidam Presbyter ſtetit in quodam conflicto ex
,, parte aliorum, qui vim ipſis illatam repellebant, in quo
,, lapides ipſe projiciebat in eos, qui vim inferebant, ſed
,, neminem percuſſit, vel læſit. Re delata ad Papam Ale-
,, xandrum III. is præcepit, ut prædictus Sacerdos, quia
,, per alios aliqui in illo conflictu dicebantur occiſi, a Miſ-
,, ſarum celebratione per biennium abſtineret, ita tamen,
,, ut ſi aliud non impediat, elapſo biennio, officium ſuum
,, exequi poſſit: quia prohibitum ad tempus, cenſetur poſt
,, illud permiſſum, neque extenditur ultra illud tempus,
,, *Barboſ. hic n. 2.*

VI. Contra deciſionem hujus cap. obſtare videtur, quia ferens opem ad homicidium fit irregularis, etiamſi ipſe neminem interfecerit, *c. Sicut dignum 6. §. Illi etiam & §. fin. ſupr. de homicid. & c. Si quis viduam 8. diſ. 50.* Reſpondent aliqui apud *Hoſtienſ. & Abbat. hic*, quod intervenerit hic diſpenſatio, alioquin Jure communi iſte Sacerdos erat irregularis. Sed contra eſt, quia nulla in hoc cap. de diſpenſatione fit mentio, & textus allati loquuntur de aſſiſtentibus in bello, vel conflictu injuſto: Clericus autem, qui interfuit bello juſto, non tenetur de homicidio facto per alios, nec fit irregularis, etiamſi ipſe percuſſerit, dummodo non occiderit, *c. pen. de homicid.* & dictum ſupra de homicidio: nam licitum eſt cuilibet proximo ſuo ad repellendam ipſius injuriam, ſuum impertiri auxilium, *c. Dilecto 6. de ſent. excom. num. 6.* quod indiſtincte loquitur, & communiter ſolet intelligi, tam de Clerico, quam Laico, nec apparet in Jure diſcrimen, quoad hoc, inter conflictum publicum, & privatum juſtum. Itaque rectius dicitur, quod pœna iſta ſuſpenſionis per biennium Sacerdoti huic ſuit impoſita ad cautelam, & terrorem aliorum, ut Clerici tales conflictus evitent, & ſic aliquis puniri poteſt, ob factum, vel culpam alterius, *Gl. fin. hic, & Hoſtienſ. V. Abſtinere*. Vel etiam dici poteſt, quod in caſu hujus cap. non erat magna neceſſitas aſſiſtendi illis, quibus vis illata eſt, quia per ſe erant ſufficientes ad ſe defendendum, & ſic aliquo modo exceſſit Clericus iſte, projiciendo lapides, & in culpa fuit, aſſumendo arma citra neceſſitatem propriam, vel proximi. non tamen tenetur de homicidio, nec factus eſt irregularis propter homicidium aliorum, qui juſte occiderunt ſe invadentes, *Abb. hic n. 2. & 3. in fine*. Vel denique dici poteſt, quod hæc pœna ſuſpenſionis fuerit iſti Sacerdoti impoſita, quia graviter erat infamatus, & ad Scandalum imminens cavendum, *Hoſtienſ. hic V. eod.*

VII. Similiter in *c. Continebatur 4. & ult. h. tit.* habetur,
,, quod cum quidam Acolythus, cum aliis quibuſdam, ar-
,, ma ſumpſiſſet ad reſiſtendum prædonibus, tres in illo con-
,, flictu ab aliis vulnerati fuerunt ad mortem (cum effe-
,, ctu, ita ut mortui fuerint, ut ſequitur) ita tamen ut
,, illa homicidia, neque conſilio ipſius Acolythi, adeoque
,, ipſo nec percutiente, nec conſentiente, expreſſe, vel ta-
,, cite, fuerint perpetrata: poſtea Acolythus ille ad Reli-
,, gionem tranſivit, & volebat ad ſacros Ordines promove-
,, ri, unde quæſitum fuit, an poſſet? Reſpondet Papa Cœ-
,, leſtinus III. quod cum ad frugem melioris vitæ tranſive-
,, ſit, poterit ad Subdiaconatus Ordinem promoveri, &
,, Altaris miniſterium exercere.

VIII. Porro quamvis *Gl. fin. hic* dicat, quod cum iſto Acolytho fuerit diſpenſatum, ut poſſet promoveri ad Subdiaconatum tantum, idque favore Religionis, quam ingreſſus eſt, quia fuit in culpa, aſſumendo arma, quod ipſi non licuit. Oppoſitum tamen verius eſt, nempe quod nulla hic opus fuit diſpenſatione, ſed Jure communi potuit promoveri, etiam ad Diaconatum, & Presbyteratum, quia Papa conſultus de jure reſpondit, & quid juris ſit, & generaliter dicit, quod poterit Altaris miniſterium exercere, adeoque etiam in Ordine Diaconatus, & Presbyteratus, cum & Subdiaconus alias ſit Miniſter Altaris. Ratio eſt, quia in nulla culpa fuit, dedit enim operam rei licitæ, ſumendo arma ad reſiſtendum prædonibus, quod licet, *cap. pen. h. t.* ideoque nec homicidii reus fuit, nec irregularis eſt factus, *Hoſtienſ. hic V. Promoveri, Abb. n. 2. & 5. & ejus Gloſſator Alex. de Neve lit. C.* Nec obſtat, quod in textu ponderatur ipſum ad Religionem tranſiviſſe, quia per hoc ſolum indicatur, quod ipſi ideo non fuerit impoſita aliqua pœnitentia, ſicut in caſu cap. præcedentis eſt factum, *Abbas hic in fine*.

TITULUS XXVI.

De Maledicis.

QUia alia eſt percuſſio, quæ fit manu, alia lingua, cum Maledici, & detractores quodammodo percutiant, ideo priori Titulo ſubjicitur iſte de Maledicis, Abb. hic, in Rubrica.

§. I.

De Maledicis, & Maledictis in Papam, vel Imperatorem, eorumque pœnis.

I. QUæritur primo, quid ſit maledictum, vel maledictio? Reſp. Maledicere, prout refertur ad homines, eſt cum malum aliquod de præſenti, vel de præterito dicitur, ut tradit *Bartol. in l. Item apud Labeonem 15. §. Ait Prætor, n. 4. ff. de Injuriis*. Vel Maledicus generaliter dici poteſt is, qui obloquitur de alio homine detrahendo ei, & eum obloquiis, ſive detractionibus deprimendo, *Hoſtienſ. in Summa, n. 5. h. t.* Tribus autem modis maledicere quis poteſt, ut tradit *Molin. Tom. 5. de juſt. tr. 4. diſ. 22. n. 1.* Primo enunciative, affirmando malum de altero. Secundo imperio, malum alicui efficiendo, quod eſt eum maledicere, quomodo Judex alicui maledicit, dum pœnam infligi jubet. Tertio fit maledictio per modum optantis, ſeu imprecantis alicui malum. Hic accipitur maledictio primo modo, quando de aliquo enunciatur, ſive affirmatur malum aliquod, v. g. quod ſit fur, vel adulter, vel hæreticus: quod ſi de abſente hujuſmodi dicatur, tunc maledictio ad detractionem pertinet, per quam fama alicujus minuitur: ſi vero alicui præſenti, & in faciem objiciantur, eſt contumelia, ſeu convitium, per quod honor læditur, *Mol. c. l.*

II. Quæritur ſecundo. Quæ ſit pœna maledicentis Papæ? ℟. de hoc agitur in *c. Innotuit 5. h. t.* Nam cum quidam
,, Clericus verba quædam in contemptum & depreſſionem
,, Officii & beneficii Papæ protuliſſet, hoc ſignificatum fuit
,, Papæ Clementi III. qui alicui mandavit, ut Clericum
,, illum a temeritate ſua compeſcat, idque ut pœna illius
,, alii terrorem incutiat, ne de cætero contra Romanam
Eccleſiam in talia verba prorumpat. Et ſic pœna unius debet eſſe metus alterius *c. Quapropter 47. cauſ. 2. q. 7. Gl. fin. hic*, Ratio eſt, quia Principi maledicere non licet, ſcriptum eſt enim Exodi *c. 22. Principi populi tui non maledices, c. 2. cauſ. 23. q. 1. Gl. hic V. In depreſſionem.*

III. Ubi notandum primo. Convitium, & detractio tanto magis culpabilis eſt, & pœna dignior, quanto coram pluribus fit, *§. Atrox Inſtit. de Injur. c. Quam ſit 6. de exceſſib. Prælat.* & ſumitur ex hoc c. ibi: *Multis coram aſtantibus. Abb. hic n. 2.*

Notandum ſecundo. Nomine beneficii venit etiam Papatus, ut colligitur ex hoc c. ibi. *Officii, & beneficii noſtri*: dicitur autem beneficium, quia Papa ex officio ſuo habet poteſtatem generalem, & pleniſſimam conferendi beneficia, & diſpenſationes ac gratias faciendi, & indulgentias ac privilegia concedendi ubique locorum, *Hoſtienſ. hic V. Officii, & beneficii.*

Notandum 3. Papa vel alius Princeps Superiorem non habens poteſt punire Subditos ipſum convitiantes, adeoque vindicare proprias injurias ſibi illatas, ut colligitur etiam ex hoc c. quia non tenetur quis ſatisfactionem injuriæ remittere, etſi poſſit, ſi velit, *c. Olim 7. de Injur. c. Gravis 13. de reſtit. ſpol. Abb. hic n. 3.*

IV. Sed contra obſtare videtur, quod habetur in *l. unic. C. Si quis Imperator. maledixerit*, ubi dicitur: Maledicentem Imperatori, ſi in temulentia ſeu ebrietate id fecerit, non eſſe puniendum: ſi ex levitate proceſſerit, id contemnendum: ſi ex inſania, miſeratione dignum: ſi ex injuria, remittendum eſſe: ergo multo magis decet, ut Papa ſe maledicentes non puniat, ſed injuriam remittat. Reſpondetur, non ibi dici ſimpliciter, & generaliter indulgendum eſſe maledicenti Imperatori, ſed tunc demum, ſi ex temulentia, levitate, vel inſania maledixerit: ſecus, ſi per injuriam, & malo animo, tunc enim remittendum eſſe, ſcilicet ad Principem, ut ipſe, non Judex inferior pœnam ſtatuat, ut patet ex ſubjunctis, & tradit *Gl. V. Remittendum*. Sic etiam in *cit. c. 5. h. t.* non mandat Papa ſimpliciter & generaliter omnes maledicentes Papæ eſſe puniendos, ſi ex temulentia, levitate, vel inſania maledixerint, cum de iis nullo verbo fiat mentio, adeoque intelligi debet de maledicentibus per injuriam, & malo animo, juxta depoſitionem Juris Civilis: & hoc etiam caſu, non punit maledicentes, nec condemnat Judex ordinarius, v. g. Epiſcopus, niſi prius ipſi Papæ reſcripſerit, & ab eo reſponſum expectaverit, prout fuit reſcriptum & reſponſum datum a Papa in *cit. c. 5. h. t.* & ita nulla eſt differentia inter maledicentem Imperatori & Papæ: & ſic intelligit hunc textum *Hoſtienſ. in ſumma h. t. §. Alii maledicunt Principem, Farinac. in praxi crim. p. 3. qu. 105. n. 396.* Deinde reſponderi poteſt, quod Papa, vel alius Superior debet remittere injuriam propriam illatam ſuæ Perſonæ, non autem ſuæ dignitati ſicut in caſu *cit. c. 5. h. t.* ea illata eſt Eccleſiæ Romanæ & dignitati Pontificiæ, quam injuriam etiam remittere non poſſet, *Arg. c. Tolemitana. 24. diſ. 63.* Item dici poteſt, quod bene poteſt aliquis punire injuriam ſibi factam a ſubdito ſuo, maxime ſi nullum habeat Superiorem. Vel denique Superior tenetur remittere injuriam, non de jure, ſed ſolum ex benignitate, & miſericordia, & rancorem animi, non autem ſatisfactionem injuriæ illatæ, ſi non velit. *Gl. hic V. a temeritate, & Abb. n. 4.*

V. Notandum quarto. Clericus, qui maledixit Papæ, Judicis arbitrio puniendus eſt, quia in *cit. cap. 5.* nulla certa pœna eſt declarata: cum enim verba, quæ maledici proferre poſſunt in detrimentum Papæ, & Sedis Apoſtolicæ, varia eſſe poſſint, & non æqualis gravitatis, ac culpæ; ideo non potuit certa pœna ſtatui, ſed conſiderata qualitate perſonæ maledicentis, verborum & loci, aliiſque circumſtantiis, gravius, vel levius puniendus eſt, *Diaz in Pract. Can. V. Maledici c. 70. num. 2.* Porro pœna *cit. c. 5.* non ſolum locum habet in Clericis Papæ maledicentibus, ſed etiam in laicis, *Hoſtienſ. citat. §. Alii maledicunt Principem, poſt princip: Farinac. citat. qu. 105. num. 398.* & ſive publice, ſive etiam privatim aliquis maledixerit, *Farinac. citat. loco numer. 470.*

Notandum quinto. Præterea in Concilio Carthaginenſi IV. quod refertur in *c. Clericus 5. diſ. 46.* ſtatuitur, ut Clericus maledicus, maxime in Sacerdotibus, cogatur (per excommunicationem. *Gl. ibid. V. eod.*) ad poſtulandam veniam, & ſi noluerit, degradetur, ſive deponatur, nec unquam, abſque ſatisfactione, ad officium revocetur.

No-

Digitized by Google

Notandum ſexto. Non tantum qui Papæ, ſed etiam qui Superiori ſuo, ſeu Prælato ſpirituali maledixerit, ſive verbo injuriam intulerit, arbitrarie puniendus eſt, *Hoſtienſ. in citat.* §. *in fine*. *Farinac. citat. loco numer.* 403. Porro Prælatus Papa etiam inferior, ſi injuria ipſi illata contingat etiam Eccleſiam ſuam, poteſt injuriantem punire, & excommunicare, nam Epiſcopus poteſt eſſe Judex competens in cauſa ſuæ Eccleſiæ, *c. Si quis erga* 16. *in fine*, *junct. Gloſ. V. Privetur cauſ.* 2. *quæſt.* 7. *cap. Guiliſarius* 30. & ibi *Gloſ. V. Anathematizavi cauſ.* 23. *quæſt.* 3. Si vero injuria contingat ipſum Prælatum ſolum, & ſpecialiter ipſius perſonam, tunc nec punire, nec excommunicare poteſt ipſum ſubditum injuriantem, non enim poteſt eſſe Judex in propria ſua cauſa, *c. Inter querelas* 27. & ibi *Gl. V. Proprio citat. cauſ.* 23. *q.* 4. *Farinac. cit. q.* 106. *num.* 405. Notandum ſeptimo. Religioſi, qui ſermonibus ſuis Prælatis Eccleſiarum detrahunt, per duos menſes ſubjacere debent illis pœnis, quæ ſecundum eorum regulam, vel ſtatuta pro gravibus criminibus, ſeu culpis eis conſueverunt imponi, ſuper quibus, abſque manifeſta neceſſitate, non debet cum eis diſpenſari, prout habetur in *Clement.* 2. §. *Quibus etiam de privileg. Diaz cit. l. n.* 4.

VI. Quæritur tertio. Qua pœna afficiendus ſit maledicens Imperatori, vel alteri Principi Supremo? ℞. qui ex propoſito, & per injuriam, etiam Principi ſeculari maledixit, vel verbum contumelioſum in eum protulit, plectendus eſt pro arbitrio ipſius Principis, juxta *cit. lib. unic. C. Si quis Imperatori maledic.* & quidem gravis pœna tali imponenda eſt: ſi enim juxta leges Civiles, punienda eſt injuria homini privato illata, §. *Atrox Inſtitution. de Injur.* quanto magis, & ſeverius vindicanda eſt injuria illata Principi, *Menoch. de arbitr. Jud. caſ.* 377. *num.* 13. *& ſeqq.*

§. II.

De maledictione, ſeu blaſphemia in DEUM, & Sanctos, ejuſque pœnis.

VII. Quæritur primo. Quid ſit blaſphemia? Reſp. blaſphemia eſt, cum, de DEO aliquid negatur, quod ei convenit, aut aliquid de DEO aſſeritur, quod ei non convenit. S. *Thom.* 2. 2. *qu.* 13. *artic.* 1. *Sylveſt. in ſumma V. Blaſphemia numer.* 1. Prioris exempla ſunt, ſi dicatur, quod DEUS non ſit omnipotens, non habeat providentiam hominum, & rerum humanarum &c. Poſterioris, quod DEUS ſit tyrannus, injuſtus &c. Item blaſphemia eſt, cum creaturæ tribuitur, quod ſoli DEO convenit, ſive proprium eſt, ut ſi quis diceret, diabolum æque cognoſcere ſecreta cordium, & futura contingentia, atque DEUM, *Sylveſtr. citat. loc. num.* 3. Quin imo omnis maledictio, contumelia & convitium prolatum in DEUM, vel Sanctos ejus, eſt blaſphemia, quia per illud derogatur Divinæ Majeſtati, & excellentiæ, & divinus honor diminuitur. Maledictiones vero, ſeu convitia prolata in Sanctos, ſaltem ex conſequenti, & indirecte redundant etiam in DEUM, qui ſicut in Sanctis ſuis laudatur, & honoratur, ita etiam in illis vituperatur, & contemnitur, *Covarr. in cap. Quamvis de pact. p.* 1. *relect.* §. 7. *num.* 8. *Clarus* §. *Blaſphemia n.* 1. & alii communiter.

VIII. Quæritur ſecundo. Quæ pœnæ Jure Canonico ſint ſtatutæ in blaſphemantes DEUM & Sanctos? Reſp. olim in Veteri Lege pœna mortis afficiebantur, & a toto populo juſſi ſunt lapidari, *Levitici cap.* 24. *verſ.* 16. ubi dicitur: *Qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo*. Jure Canonico verbo antiquo Clerici ob hoc crimen deponendi ſunt ab officio Clericali: laici vero ſunt excommunicandi, *c. Si quis* 10. *cauſ.* 22. *qu.* 1. quæ tamen pœna depoſitionis ſolum habet locum in Clerico, qui eſt incorrigibilis, vel conſuetudinem habet blaſphemandi: niſi ita gravis fuerit blaſphemia, ut maximam inferat Divinæ Majeſtati injuriam, tunc enim deponi poſſet *Diaz in pract. crim. Canon. V. Blaſphemi cap.* 124. *num.* 2. *Covarr. in cit. c. Quamvis* §. 7. *num.* 10. §. *Sed quia*.

Præterea in *cap. Statuimus* 2. *& ult. h. t.* Papa Gregorius
„ IX. ſtatuit, ut ſi quis contra DEUM, vel aliquem San-
„ ctorum ejus, & maxime contra Beatam Virginem, bla-
„ ſphemiam publice dicere præſumpſerit, per Epiſcopum
„ ſuum (vel per alium ex ejus mandato, *Hoſtienſ. hic V.*
„ *eod.*) puniatur: nempe ut ſeptem diebus Dominicis, præ
„ foribus Eccleſiæ, in manifeſto, ſeu publico, dum a-
„ guntur Miſſarum ſolemnia, blaſphemus exiſtat, & ulti-
„ mo illorum die Dominico, pallium, & calceamenta non
„ habeat: & ligatus ſit corrigia circa collum: & jejunet
„ ſeptem feriis præcedentibus (dictos dies Dominicos,
„ *Hoſtienſ. hic V.*) vel ſeptem præcedentibus ſextis feriis
„ (ut habet vulgata lectio, vel ſubſequentibus, ut habet
„ alia lectio, juxta *Gl. marg. hic*) in pane jejunet, & a-
„ qua, nec Eccleſiam ingrediatur. Et quolibet prædicto-
„ rum dierum (ſcilicet Dominicarum) tres, ſi poſſit, a-
„ lioquin duos pauperes, vel unum reficiat. Et ſi nec ad
„ hoc ejus ſuppetunt facultates, id in aliam pœnam com-
„ mutetur. Quod ſi non vult peragere prædictam pœniten-
„ tiam, Eccleſiæ ingreſſus ei interdicatur, & in morte
„ Eccleſiaſtica ſepultura careat. Item per Principem, ſeu
„ Poteſtatem ſecularem (ad quod, ſi neceſſe fuerit, eum
„ coget Epiſcopus Diœceſanus) blaſphemus, ſi dives fue-
„ rit pœna 40. ſolidorum: alioquin 30. vel 20. vel ſi nec
„ tantum ſolvere poſſit, ſaltem quinque ſolidorum uſualis
„ monetæ mulctetur, ſine miſericordia, & remiſſione. Et
„ hoc ſtatutum etiam inter alia ſtatuta Communicatum
„ ponatur.

IX. Pro declaratione hujus cap. notandum primo. Hæc publica pœna, ſeu pœnitentia non debet imponi, niſi publice blaſphemantibus DEUM, vel Sanctos, non autem occulte, delicta enim occulta publice vindicanda non ſunt, *cap. ult. cauſ.* 32. *quæſt.* 5. Dicitur autem publice blaſphemare, non ſolum is, qui in judicio de blaſphemia eſt convictus, & condemnatus, & qui in publica platea, vel foro blaſphemat: ſed etiam qui in domo, ſeu loco privato, multis tamen aſtantibus, & audientibus, & ad Epiſcopum id deferentibus, dummodo blaſphemans, ſi crimen neget, per idoneos teſtes convincitur, *Hoſtienſ. hic V. Publice*. Accipitur igitur hic publicum, prout diſtinguitur a notorio juris vel facti, *Abb. hic n.* 7.

Notandum ſecundo. Hanc pœnam, ſeu pœnitentiam publicam relaxare, ſive ab illa abſolvere Epiſcopus tantum poteſt: propter occultam vero blaſphemiam, non publica, ſed privata tantum pœnitentia imponitur, eaque arbitraria, quam remittere poteſt Sacerdos proprius Epiſcopo inferior, *Hoſt. hic & Abb. n.* 1.

Notandum tertio. Hæc pœna non debet imponi Clerico etiam publice blaſphemanti, quia Clericus non agit publicam pœnitentiam, pœnitentes enim publice ad ſacros Ordines promoveri non debent, *cap. Ex pœnitentibus* 55. *diſ.* 50. *cap.* 1. *de bigam.* ſed puniendus eſt pœna arbitraria, *Abb. hic n.* 8. *Hoſt. in ſumma hic n.* 4.

Notandum 4. Blaſphemus privatur etiam ingreſſu Eccleſiæ, donec pœnitentia ſit completa, quia qui peccat in DEUM, peccat etiam in Eccleſiam & e converſo, ideoque ei interdicitur illius ingreſſus. *Gloſ. hic V. Ingreſſurus*. Sed & privatur ſepultura Eccleſiaſtica, ſi non velit peragere juſtam pœnitentiam hic impoſitam, *Abb. hic n.* 3.

X. Notandum quinto. Crimen blaſphemiæ non tantum punitur pœna ſpirituali, ſed etiam puniri poteſt pœna pecuniaria, quæ hoc tempore plerumque magis timetur, quam pœna ſpiritualis, etiam excommunicationis, *Hoſtienſ. in ſumma h. t. numer.* 6. poteſt autem pœna pecuniaria imponi etiam Clerico publice blaſphemanti, vel ob aliud delictum, *Abb. hic num.* 9. & debet ſolvi in moneta uſuali illius loci, ubi delictum commiſſum eſt, *Gloſ. fin. hic, & numer.* 12.

Notandum ſexto, Laicus publice blaſphemans, ſi pœnitentiam in *cit. c.* 2. *h. t.* præſcriptam peragere nolit, poteſt adhuc hodie excommunicari, quia per hanc Conſtitutionem non tollitur pœna excommunicationis olim impoſita, *Arg. l. Nunquam* 60. *ff. de oblig. & act. & c.* 2. *de except. in* 6. *Abb. hic num.* 22.

Notandum ſeptimo, quando Judex ſecularis negligit adminiſtrare juſtitiam, poteſt ad id compelli per Judicem Eccleſiaſticum, prout ſumitur ex *cit. c.* 2. *h. t. & ibi Gl. V. cogat eum*, & una juriſdictio per aliam adjuvari debet, *Gl. hic V. Poteſtatem*.

Notandum octavo, Judex Eccleſiaſticus non poteſt diſpenſare in pœnis in blaſphemantes ſtatutis in *cit. cap.* 2. *hoc tit.* ut patet ex fine ejuſdem: niſi ex magna, & gravi cauſa, ut ſi perſona eſſet nobilis, vel in dignitate conſtituta, quam non decet talem publicam pœnitentiam agere, & vellet illam eleemoſynis redimere, *Arg. cap.* 1. *de voto, & c. Mulieres* 6. *de ſent. excom. Hoſtienſ. hic V. Miſericordiam, & Abb. num.* 5.

XI. Illud prædictis addendum, qui in ebrietate; vel etiam ex calore, & impetu iracundiæ, publice blaſphemat, non incurrit pœnam blaſphemiæ ordinariam jure ſtatutam, ut colligitur ex *cit. cap.* 2. *hoc tit.* ibi: *præſumpſerit*, quod deliberationem requirit: iracundus autem neſcit quodammodo, quid agat, ideoque mitius puniendus eſt, arbitrio Judicis, quam qui omnino deliberate, & ex propoſito blaſphemat, *Clarus* §. *Blaſphemia, numer* 6. *&* §. *fin. quæſt.* 60. *numer.* 9. *& Menoch. de arbitr. Jud. caſu* 375. *numer.* 33. *Farinac. in praxi crim. lib.* 1. *tit.* 3. *quæſt.* 24. *numer.* 47. quod tamen tum demum procedit, ſi ita habuit ortum ex juſtitia, & gravi cauſa; ſecus ſi ex cauſa injuſta, vel levi, tunc enim iracundia non excuſat blaſphemantem ab ordinaria pœna blaſphemiæ, ut ſi ludens perdat pecuniam, ideoque ita percitus blaſphemet, *Abb. in cit. cap.* 2. *numer.* 6. *Clarus cit. quæſt.* 60. *numer.* 9. *Farinac. l. numer.* 48. *&* 49.

Porro præter pœnas Jure Canonico antiquo decretas in blaſphemantes, aliæ graviſſimæ pœnæ, tum in Clericos, tum in Laicos ſtatutæ ſunt in Concilio Generali Lateranenſi, *Seſſ.* 9. ſub Leone X. An. 1514. prout videre eſt apud *Covarr. c. l.* §. 7. *nu.* 10. §. *Ad abolendam vero, & Menoch. de arbitr. Jud. caſu* 375. *n.* 29.

XII. Quæritur tertio, quæ ſit pœna blaſphemiæ de Jure Civili? Reſp. Eſt ultimum ſupplicium, ſive pœna mortis, ut conſtat ex *Authent. Ut non luxurientur homines*, §. *Et quoniam, collat.* 6. *nov.* 77. quæ tamen pœna tum potiſſimum locum habet, ſi quis ex conſuetudine DEUM blaſphemet, & in hoc vitio ſit incorrigibilis, quamvis hodie hæc pœna ferme in deſuetudinem abierit, *Covarr. cit. loc.* §. 7. *num.* 10. *in fine*, *Clarus* §. *Blaſphemia, num.* 3. ubi ait, hodie hanc pœnam non ſervari, ob defectum Religionis, & juſtitiæ, & Principes Chriſtianos graviter peccare, qui hoc crimen ſeveriſſime non puniunt. Unde neque ob conſuetudinem blaſphemandi vigentem in aliqua Provincia, immunis quis eſſe debet ab externa, & temporali pœna, quia cum crimen blaſphemiæ in DEUM, & Sanctos ſit contrarium Legi naturali, Divinæ, & humanæ, non debet impunitum manere, ob conſuetudinem Provinciæ, quæ potius abuſus, & corruptela cenſeri debet, *Covarr. in cit. cap. Quamvis p.* 1. *l.* 7. *n.* 13. *Clarus c. l. n.* 7. *in fine*. Porro hodie pœna blaſphemiæ imponitur, pro arbitrio Judicis, ſpectata qualitate perſonæ, & facti, ita tamen, ut ſi blaſphemia ſit valde magna, & enormis, etiam pœna mortis imponi poſſit, ac debeat a Judice, *Clarus c. l. n.* 3. *Menoch. c. l. n.* 30. *Farinac. cit. q.* 20. *n.* 66 *&* 67.

XIII. Præterea blaſphemus a teſtimonio repellendus eſt in

iis cauſis, in quibus requiruntur teſtes omni exceptione majores, modo blaſphemus fuerit, ſaltem ſemel, etiam pœna pecuniaria a Judice mulctatus, & condemnatus; nam quamvis blaſphemus non ſit ipſo jure infamis, fit tamen poſt condemnationem Judicis, infamis, ſaltem infamia facti, ideoque minus idoneus teſtis efficitur, *Arg. c. Licet 9. de probat.* ubi habetur, quod in cauſis arduis non admittitur teſtis, cujus fides vacillet, *Covarr. c. l. n. 4.*

XIV. Quæritur quarto, quis ſit Judex competens in hoc crimine? Reſp. Crimen blaſphemiæ in Deum, & Sanctos eſt crimen mixti fori, adeoque de eo cognoſcere poteſt, non ſolum Judex ſecularis, ſed etiam Eccleſiaſticus, & punire etiam Laicum, alioquin ſibi non ſubditum in temporalibus, *Abb. in cit. c. 2. n. 9. h. t.* & habet inter eos locum præventio, ita tamen, ut punitio unius Judicis non impediat, quin alter poſſit ſuam pœnam imponere, *Farinac. cit. q. 20. n. 39.* Quod ſi Judex ſecularis ut negligens in puniendis blaſphemiis, poteſt ad id compelli a Judice Eccleſiaſtico, juxta *cit. c. 2. h. t.* ubi ideo etiam Papa mandavit, ut ſtatutum de puniendis blaſphemiis, modo ibi præſcripto, inter alia ſtatuta Communicatum ponatur, ut nemo poſſit prætendere ignorantiam, & ut Poteſtas, ſeu Magiſtratus Laicus debeat obſervare illud ſtatutum, ſi fuerit poſitum inter alia, *Abb. ibid. n. 9.* Non tamen poteſt Judex Eccleſiaſticus punire Judæum blaſphemum, niſi Judex ſecularis negligens eſſet, *Clarus citat. loc. num. 5.* vel Judæus eſſet ſub temporali juriſdictione Judicis Eccleſiaſtici, *Farinac. c. l. nu. 40. & 41.*

TITULUS XXVII.

De Clerico excommunicato, depoſito, vel interdicto miniſtrante.

ACtum eſt in ſuperioribus Titulis de variis delictis, propter quæ Clerici interdum excommunicantur, vel ſuſpenduntur, vel interdicuntur, interdum etiam deponuntur: ſed quia quandoque Clerici depoſiti, excommunicati, ſuſpenſi, vel interdicti celebrant, & divinis officiis ſe ingerunt, ſicut prius, ideo hic agitur de pœna eis inferenda, ob novum hoc delictum.

§. I.

Quæ ſit pœna Clerici depoſiti, miniſtrantis, vel exercentis actum Ordinis, vel officii ſibi prohibitis: & quæ ſit pœna Clerici excommunicati, vel ſuſpenſi, vel interdicti, celebrantis divina officia?

I. ASſertio 1. Clericus depoſitus, ſive degradatus verbaliter, id eſt, perpetuo remotus ab Ordinibus, & gradibus Eccleſiaſticis, propter crimen, ſi celebret, vel actum Ordinis, aut Officii, a quo eſt depoſitus, exerceat, aut in eo miniſtret, excommunicari debet, prout ſtatutum habetur in *cap. Si quis Epiſcopus 1. hoc titul.* quod eſt deſumptum ex Canonibus Apoſtolorum *Canon. 27.* ubi dicitur: „ Si quis Epiſcopus, Presbyter, vel Diaconus, juſte depoſitus, propter certa crimina auſus fuerit attrectare, „ ſive attingere Miniſterium ſibi dudum (ideſt, antequam deponeretur) commiſſum, is ab Eccleſia abſcindatur, id eſt excommunicetur, quia per excommunicationem abſcinditur quis, ſive ſeparatur ab Eccleſia, id eſt, a communione fidelium, & participatione Sacramentorum, *Hoſtienſ. hic V. Abſcindatur, & Abb. num. 1. not. 2.* Requiritur tamen, ut præcedat monitio, juxta *c. Sacro 48. de ſent. excomm. Alex. de Nevo in Gl. ad Abb. hic lit. B.*

II. Porro licet in *cit. cap. 1.* tantum mentio fiat de Epiſcopo Presbytero, vel Diacono, tamen idem dicendum eſt de omnibus aliis Clericis, etiam in minoribus Ordinibus conſtitutis, juxta *cap. ſeq. & Arg. c. Cum non ab homine 10. de Jud. c. Gl. hic V. Diaconus, & Hoſtienſ. Abb. hic not. 1.* Deinde quamvis hæc pœna excommunicationis imponatur hic ſolum Clerico juſte depoſito, tamen idem eſſet, ſi injuſte, niſi prius reſtitutus fuiſſet, *c. Epiſcopus 65. cauſ. 11. quæſt. 3.* dummodo ſententia non ſit lata contra Ordinem juris, quia tunc nulla eſſet, *c. Si quis 41. §. Definitiva, cauſ. 2. qu. 6.* & habetur in *cap. 1. de ſent. & re judic. Gl. hic V. Juſte, & Hoſtienſ.*

III. Præterea Presbyter, vel alius Clericus degradatus actualiter, & ſolemniter, vel ſuſpenſus ab officio perpetuo, ſi miniſtret in actu ſibi prohibito, & monitus ab Epiſcopo non deſiſtat, excommunicari debet; nam in Concilio Antiocheno *cap. 1.* quod refertur in *c. Si quis Presbyter 2.* „ *hoc tit.* ſtatutum fuit, quod ſi Presbyter, aut alius Cle- „ ricus (ſi in Sacris, vel etiam in aliis Ordinibus conſti- „ tutus, de quo infra) degradatus fuerit (ab Epiſcopo ſuo, „ adjunctis ſibi aliis ſex Epiſcopis in degradatione Presbyteri, *c. Felix 4. & c. ſeq. cauſ. 15. qu. 7. Gl. hic V. Degrada-* „ *tus,*) aut ab officio, propter, certa crimina, ſuſpenſus, „ ſeu depoſitus: & ipſe poſtea per contemptum, & ſuper- „ biam, actum aliquem miniſterii ſibi prohibiti exercere „ præſumpſerit, & ab Epiſcopo ſuo admonitus, non deſti- „ terit, excommunicetur: & quicumque cum eo communicaverit, ſunt excommunicati ipſo jure, ſed minore excommunicatione, *c. Cum excommunicato 18. & ibi Gloſſ. V. Statim, & c. ſeq. cauſ. 11. q. 3. Gl. hic V. Excommunicatum*; niſi communicaverint cum excommunicato criminoſo in crimine, tunc enim pari excommunicatione eſſent ligati, *c. Quod in dubiis 30. de ſent. excomm. Gl. in c. Qui communicaverit 19. V. Excommunicetur, cit. cauſ. 11. qu. 3.* Similiter qui participaverint Clericis (inferioris gradus, ſeu minorum Ordinum; nam ſupra eſt ſermo de Clericis in Sacris *Hoſtienſ. hic V. de* „ *Clericis*) Laicis, vel fœminis excommunicatis, excom- „ municati erunt (ſcilicet minore excommunicatione, *c. Excommunicatos 17. cauſ. 11. q. 3.* ſed ſi non deſtiterint, majoris excommunicatione ſunt coercendi, *cit. c. Quod in dubiis, & c. ult. hoc t. Gl. hic Obſervandum eſt, & Hoſtienſ.*) Si vero „ aliquis iſta contempſerit, & Epiſcopus ipſum corrigere „ non potuerit, invocetur auxilium Regis, & pœna exi- „ lii damnetur. Nam quando Eccleſia non habet ultra quod faciat, invocandum eſt auxilium brachii ſecularis, ut hic, & in *c. 2. de Offic. Judic. ordin. c. Nec licuit 4. diſt. 14. c. Petimus 19. cauſ. 11. qu. 3.* utraque enim Poteſtas, Eccleſiaſtica, & ſecularis, ſe invicem adjuvare debent, *c. 2. de maled.* & poteſt Magiſtratus Laicus, ſi requiſitus ab Eccleſiaſtico nolit opem ferre, ad id compelli, *Gloſſ. fin. hic & Hoſtienſ. V. Quod ſi aliquis.*

IV. Aſſertio 2. Pœna Clerici excommunicati, vel ſuſpenſi, vel interdicti, celebrantis Divina officia, eſt depoſitio perpetua ab officio, & beneficio, ut conſtat ex *c. Clerici 3.* „ *h. t.* Ubi Papa Alexander III. ſtatuit, ut ſi aliqui Clerici „ ab Epiſcopis ſuis, vel etiam ex mandato Romani Ponti- „ ficis, ab alienis Epiſcopis perſonaliter interdicti, vel ex- „ communicati fuerint, & ante abſolutionem Divina offi- „ cia celebraverint, niſi moniti in continenti, & ſine dila- „ tione redierint, ſive ſe correxerint, propter tantæ teme- „ ritatis audaciam perpetuo deponantur. Eſt autem hæc pœna depoſitionis, non lata, ipſo jure, ſeu facto, ſed imponenda per Judicem, *Abb. hic n. 1.* Eademque pœna depoſitionis imponenda eſt ſuſpenſo ab officio, ſi celebret divina officia, *Gl. hic V. Moniti.*

V. Ubi notandum primo, ſi hujuſmodi interdicti, excommunicati, vel ſuſpenſi, admoniti ſe emendent, non ſunt deponendi, ut colligitur ex textu ibi: *niſi moniti, ſine dilatione, redierint, Suar. diſ. 11. de cenſur. ſec. 3. n. 2.* quamvis *Gl. hic V. Moniti, & Abb. n. 2.* dicant, quod ſuſpenſus, interdictus, vel excommunicatus, celebrans divina officia debeat in continenti deponi ab officio, & beneficio, etſi paratus ſit ſe corrigere, adeoque ad depoſitionem faciendam non debeat neceſſario præcedere monitio, ut patet ex *c. ſeq.* ſed quod hæc monitio diſpenſative intervenit.

Notandum ſecundo, Epiſcopus poteſt cum Clerico in hac pœna depoſitionis imponenda per Judicem, qui celebravit in cenſura, diſpenſare, ſi paratus ſit ſe corrigere: quamvis in ipſa pœna irregularitatis, quæ ipſo jure incurritur, inferior Papa diſpenſare non poſſit. *Abb. hic n. 2.* ſicut etiam non poteſt Epiſcopus reſtituere Clericum gradui, & Ordini Clericali, ſi juſte ſit depoſitus ob crimen, ſed ſolus Papa: ſecus ſi injuſte, nempe per falſos teſtes, vel inſtrumenta, *c. Epiſcopus 65.* ibi: *ſi innocens reperiatur, cauſ. 11. quæſt. 3. Gl. fin. hic & Abb. nu. 3.* Alii vero apud *Barb. in Collect. hic num. 4.* non minus probabiliter ajunt verbaliter depoſitum poſſe per Epiſcopum reſtitui, non autem actualiter degradatum, quem ſolus Papa reſtituere poteſt.

VI. Præterea eadem pœna depoſitionis ſtatuta eſt in excommunicatos, vel interdictos, vel ſuſpenſos, celebrantes divina officia, cum aliqua tamen limitatione, ſeu exceptione in *c. Latores 4. h. t.* Nam cum quidam Presbyteri accedentes ad Alexandrum III. Papam ei ſignificaſſent, quod tam „ ipſi, quam multi alii, poſtquam interdicti, vel excom- „ municati fuerunt (vel etiam ſuſpenſi, *Gloſſ. hic V. Depo-* „ *nat,*) divina officia celebrarunt: mandavit Papa Archie- „ piſcopo Toletano, ut ſi XL. ſolum, vel pauciores in hoc „ deliquiſſe conſtiterit, omnes in perpetuum ab Officio Sa- „ cerdotali deponat. Si vero multitudinem magnam in hoc „ peccaſſe cognoverit, illos in perpetuum deponat, quos „ magis cauſam delicti dediſſe conſtiterit: alios vero, qui „ non tantum deliquerunt, ab officio ſuſpendat ad tem- „ pus, & omnibus pœnitentiam, ſecundum quod ipſi viſum „ fuerit, injungat.

VII. Pro declaratione hujus cap. notandum primo, Clericus ſuſpenſus, interdictus vel excommunicatus celebrans divina officia, ſine alia præmonitione, deponi poteſt, ut dictum etiam ſupra, & docet *Abb. hic num. 1.* quamquam *Hoſtienſ. V. Præſumpſerunt*, ait, quod poteſt hic ſubaudiri, ſi moniti non deſtiterint, adeoque monitionem prærequiri ad depoſitionem faciendam, conſentit *Suarez loco ſupra cit.*

Notandum ſecundo, quando deliquit multitudo, tunc mitior pœna imponenda eſt, & parcendum multitudini, propter ſcandalum, vel aliam publicam cauſam, ut ſi in civitate aliqua facta ſit conjuratio, vel proditio, juxta vulgatum illud dictum: *Ob populum multum crimen pertranſit inultum.* Principales tamen Auctores delicti debent pœna ordinaria plecti, nam qui magis peccant, magis ſunt puniendi, & ubi major eſt culpa, major debet exerceri vindicta, *Gl. hic V. Magis.* Aliis vero mitior pœna imponitur, ut ſumitur ex hoc c. Nam ſi plures Sacerdotes eſſent in aliquo loco, qui cenſura ligati celebraſſent officia divina, & omnes in perpetuum deponerentur, Eccleſiæ nimiam Sacerdotum penuriam paterentur, cum damno ſpirituali populi, *Hoſtienſ. hic V. 40.* ſolummodo, & *Abb. numer. 3. & 4.* Et licet hic dicatur, quod multitudo cenſeatur, ſi numerum quadragenarium excedat; tamen alius quoque, arbitrio viri prudentis, ſtatui poſſet, prout ſunt plures, vel pauciores Clerici. Unde ſi in tota Diœceſi non fuiſſent, niſi XXX. Presbyteri, & omnes eſſent excommunicati, vel interdicti, vel ſuſpenſi, & de hoc conſtitiſſet Papæ, magis temperaſſet hunc numerum, *Hoſtienſ. hic & Gloſſator Abb. Alex. de Nevo hic lit. C.*

Notandum tertio, hæc pœna perpetuæ depoſitionis, non tantum eſt ab officio, ſed etiam a beneficio: Non enim debet

perci-

Digitized by Google

percipere beneficium, qui non facit officium, *c. Paſtoralis 53. in fine de appellat. Gl. hic V. Ab Officio, & Hoſtienſ. ib.* Non tamen univerſim & ſemper, qui eſt ſuſpenſus ab Officio, eſt etiam conſequenter ſuſpenſus a beneficio, niſi ſit ſuſpenſio perpetua, & ob grave delictum: ſecus ſi ſit ad tempus tantum, vel etiam ſimpliciter facta, ſine præfinitione certi temporis, aut ob leve delictum, vel non enorme, *Sanch. l. 3. de matr. diſp. 41. n. 13. Barb. in Collect. hic n. 3.* & alii apud ipſum. In dubio autem tutius eſt, ut petatur declaratio Judicis, *Gloſſator Abba. hic lit. F.*

Notandum quarto, pœnitentia hic impoſita eſt arbitraria, & facta eſt diſpenſatio auctoritate Papæ, quia per ſe id Epiſcopus non poſſet, *Gloſſ. in fin. hic.*

VIII. Porro præter pœnas allatas, alia pœna decreta eſt in excommunicatos præſumentes celebrare divina officia, ſcilicet ut priventur omnibus beneficiis Eccleſiaſticis. prout habetur in *c. Fraternitati. 6. h. t.* Nam cum Archiepiſcopus „ Biſuntinus excommunicaſſet quoſdam Presbyteros, & Clericos, ob ſua delicta, qui nihilominus poſt excommunicationem celebrarunt divina officia, quæſivit Archiepiſcopus ab Innocentio III. an poſſet eos ſuis beneficiis ſpoliare? Reſpondet Papa, ſi pro ſuis exceſſibus anathematis, ſive excommunicationis ſententia Canonice ſunt innodati: & poſtea præſumpſerunt, vel etiamnum præſumunt officia divina celebrare, poterit eos rationabiliter „ omnibus beneficiis Eccleſiaſticis ſpoliare.

IX. Hinc infertur primo, quod non ſolum a Jure, ſive Canone, ſed etiam ab homine, nempe Epiſcopo poteſt excommunicatio fieri propter crimen, ut patet ex hoc c. ibi: *pro ſuis Exceſſibus*: quod tamen ita intelligendum eſt, quod crimen ſolum ſit cauſa mediata excommunicationis ferendæ ab homine, quia nemo per ſententiam Judicis immediate excommunicari poteſt ob crimen commiſſum, niſi ſit contumax in non ſatisfaciendo pro crimine, ut notat *Gl. in cap. Epiſcopi. 8. V. Nemmis cauſ. 11. q. 3. & Abb. hic n. 1. not. 2.*

Infertur ſecundo, Epiſcopus poteſt diſpenſare cum excommunicato celebrante divina officia, circa pœnam ei imponendam ab homine, ut colligitur ex hoc c. ibi: *poterit*, quod non inducit neceſſitatem, non enim quicquid Judicis poteſtati permittitur, id ſubjicitur juris neceſſitati, *l. Non quicquid. 40. ff. de Judic.* niſi quia de delicto accoſetur, & convincatur, tunc enim a Judice ex neceſſitate puniri debet, *Hoſtienſ. hic V. Poterit, & Abb. n. 1. not. 2.*

Infertur tertio, Clerici in excommunicatione celebrantes divina officia, non tantum ſpoliari beneficiis, ſed etiam perpetuo ab Ordine deponi poſſunt, *c. Latores. h. t.* neque cum eis, quod hanc pœnam diſpenſare poteſt Epiſcopus, ut reſtituantur, *Gl. fin. hic* & dictum ſupra. Sed quia quandoque non poteſt facile fieri depoſitio ab Ordine, & gradu Clericorum, ſive degradatio actualis, ad quam requiritur certus numerus Epiſcoporum, qui ſubinde haberi non poteſt; privatio vero beneficiorum fieri poteſt per ſolum Epiſcopum, ſaltem cum conſilio Capituli, ideo Papa hanc pœnam tanquam faciliorem hic expreſſit, *Hoſtienſ. hic V. Spoliare, & Abb. n. 2.*

X. Quæritur hic præterea, quæ ſit pœna in Jure decreta in celebrantes Officia divina in loco interdicto? Reſp. ſi Clerici ſint, privandi ſunt beneficiis ſuis: ſi vero Religioſi, detrudendi ſunt in arctius Monaſterium, prout ſtatuitur in *c. Poſtulaſtis. 7. §. Quæſiviſtis h. t.* Nam cum quæſitum fuiſſet ex Innocentio III. Qualiter puniri debeant Clerici, vel „ Monachi aut Moniales Eccleſiarum Conventualium, qui „ poſt latam interdicti ſententiam, in locis ſuppoſitis interdicto, hactenus præſumpſerunt, & adhuc non verentur divina officia celebrare, quamvis propter hoc ſiat „ excommunicati? Et reſpondet Papa, quod Clerici, quia „ talia præſumpſerunt, Eccleſiaſticis beneficiis ſunt ſpoliandi: Monachi vero Moniales in arctiora Monaſteria ad „ agendum pœnitentiam detrudendi. Ubi *Gl. V. Spoliandi*, ait, quod etſi talis Clericus, qui in loco interdicto divina officia celebravit, ideoque excommunicatus fuit, dicat, quod ſit injuſte excommunicatus, non audiatur. Ratio eſt, quia excommunicatio etiam injuſta ligat quoad ſe, *c. Cum contingat 36. de offic. Jud. deleg.* Et ſi quis contemnat excommunicationem, etſi injuſtam, ea ligatur etiam quoad Deum, *c. Per tuas. 40. de ſent. excom.* fruſtra ergo poſtquam eam contempſit, allegat illam eſſe injuſtam, *Abbas in cit. c. Poſtulaſtis in fine h. t.* Deinde celebrantes divina in loco interdicto, etiam ſunt ſuſpenſi, & irregulares, *c. ult. de exceſſib. Prælat.* Unde etiam deponi, ſeu degradari poſſunt, *c. Latores. 4. h. t. Gl. in cit. §. Quæſiviſtis. V. Celebrare. h. t.* Ratio eſt, quia celebrans divina in loco interdicto Eccleſiaſticam cenſuram contemnit ac violat, & Clerici iſti excommunicati erant, ideoque merito deponi ac degradari poterant: Papa tamen pœnam privationis beneficiorum ſtatuit, quæ facilius infligi poteſt *Hoſtienſ. hic V. Spoliandi in fine*, & ſupra dictum.

§. II.

An qui dubitat ſe eſſe excommunicatum, quia per ſolam famam audivit, ſententiam excommunicationis contra ſe latam eſſe & poſtea celebret divina, incidat in pœnas Canonum contra excommunicatos celebrantes officia divina decretas?

XI. Reſpondetur affirmative, ſpectato juris rigore, quamvis ex miſericordia cum illo a Papa diſpenſari poſſit, prout habetur deciſum in *c. Illud Dominus. 5. h. t.* Nam cum E„ piſcopus Hildeshemenſis, non petita, nec obtenta licen„ tia Papæ, relicta ſua Eccleſia, Herbipolenſem Eccle„ ſiam, propria auctoritate, occupaſſet: Papa Innocentius „ III. mandavit Archiepiſcopo Magdeburgenſi, ut cum fa„

„ ctum iſtud in partibus illis notorium eſſet: niſi infra XX. „ dies ab adminiſtratione Herbipolenſis Eccleſiæ ceſſaret, „ ipſum excommunicaret, & excommunicatum publice de„ nunciaret, quod idem Archiepiſcopus non diſtulit ad„ implere. Ipſe vero Epiſcopus Hildeshemenſis nihilominus „ poſtmodum divina officia celebravit, & fecit ſibi ab aliis „ celebrari, & ſe communioni fidelium frequenter ingeſ„ ſit. Sed poſtea coram Papa conſtitutus, & ſuum erro„ rem confeſſus, miſericordiam, & non judicium poſtula„ vit: hoc tamen inter alia in ſuam excuſationem propoſuit, „ quod cum Magdeburgenſis non eſſet Ordinarius ejus Ju„ dex, non credebat, quod monitione non præmiſſa, poſ„ ſet contra ipſum procedere, auctoritate delegata, aut „ ſententiam in eum aliquam promulgare. Unde cum nec „ ante, nec poſt factum, litteras monitorias ab eo accepiſ„ ſet, non putabat ſe peccare, ſi divina officia, quamvis „ ſolemniter, celebraret: maxime cum ſibi non conſtaret, „ niſi per famam de ſententia excommunicationis contra „ eum lata.

„ His auditis, Papa reſcripſit Capitulo Herbipolenſi, „ quod quamvis in hoc non omnino culpabilis videatur ex„ titiſſe: quia tamen in dubiis tutior via eſt eligenda, ta„ metſi dubitaret de ſententia in eum lata, debuerat ta„ men potius abſtinere, quamvis Sacramenta Eccleſiaſtica „ pertractare. Illud vero, quod allegabat, quod ſub ſpe „ veniæ a Papa obtinendæ, poſtquam noverat ſe eſſe ex„ communicatum, divina officia ſibi celebrari fecit, & „ communioni fidelium ſe ingeſſit, ipſum non excuſat, ſed „ potius contra eum facit, cum ſub ſpe veniæ nullus de„ beat delinquere: & gravius ſit excommunicato non vitare „ alios, quam ab aliis non vitari,) quia in hoc quaſi pati„ tur, in alio, ſcilicet non vitare quaſi agit, quod in ejus „ eſt poteſtate, & ideo in uno peccat, in altero non pec„ cat, *Gl. hic V. Vitare.*) Papa tamen cum eo miſericordiam „ faciens, non impoſuit ei pœnam, quam Canon illis infli„ git, qui poſt excommunicationem divina officia celebrare „ præſumunt, & ſe ingerere celebrationi divinorum, quæ „ eſt pœna depoſitionis, *c. Si quis Epiſcopus 6. & c. ſeq. cauſ. 11. q. 3. & c. Latores 4. h. t. fin. hic & Hoſtienſ. V. Canon.*

XII. Pro explicatione hujus cap. notandum primo, quando factum, ſeu delictum notorium eſt non requiritur, ut præcedat monitio, vel citatio Rei, aut alius proceſſus, ſive cauſæ examinatio, *c. Bona 23. §. Porro de elect.* adeoque poteſt etiam fieri excommunicatio ſine alia monitione, *Abb. hic num. 3.* quia notorium, & publicum præſumuntur omnes ſcire. *Barb. hic n. 2.*

Notandum ſecundo, qui habet notitiam ſententiæ excommunicationis contra ſe latæ, etiam per ſolam famam, debet abſtinere a communione fidelium, & Sacramentorum participatione, ſeu gerere pro excommunicato, quis in dubio tutius eſt abſtinere, & tutior via eſt eligenda, ut colligitur ex hoc c. quia non abſtinendo contemnit auctoritatem, & poteſtatem, quam habet Eccleſia ejusque Prælati, *Abb. hic n. 4.* & ibi ejus *Gl. Ante de Butrio lit. C.* quamvis non ita graviter peccet, ſicut pro certo ſciviſſet, excommunicationem contra ſe latam eſſe *Abb. c. l.*

Notandum tertio, non ſolum ſi excommunicatus per ſe celebret divina, ſed etiamſi faciat coram ſe celebrari, & eorum celebrationi ſe immiſceat, graviter peccat, & eſt deponendus, *Hoſtienſ. hic col. 3. V. Celebrationi, & Abb. nn. 6. & 8.* quia æque videtur contemnere excommunicationem, & uſurpare communionem fidelium ſibi interdictam, quippe cum tam activa, quam paſſiva ſit prohibita, unde nec alii debent ipſi communicare. An autem talis fiat etiam irregularis, infra dicetur.

XIII. Notandum quarto, qui dubitat de facto, propter quod excommunicatio, aut irregularitas incurritur, tenetur tutiorem partem eligere, & ſe excommunicatum aut irregularem in dubio exiſtimare debet, & conſequenter a celebratione divinorum officiorum, & a fidelium communione abſtinere, ut colligitur ex hoc *c. Sayrus in Clavi Regia lib. 2. c. 13. n. 23. Barboſ. in Collect. hic n. 7.*

Notandum quinto, notitia, quæ habetur ex ſola fama, præbet juſtam cauſam minuendi pœnam contrafacienti, *arg. hujus c.* ubi ei, qui per ſolam famam intellexit, ſe eſſe excommunicatum, & poſt excommunicationem officiis divinis ſe immiſcuit, pœna ordinaria depoſitionis non eſt impoſita ſed remiſſa quam remittere poteſt ſolus Papa *Gl. fin. hic & Hoſtienſ. in fine. Barb. in Collect. hic. numer. 5.*

Notandum ſexto, etſi is, qui temere, & propria auctoritate ab uno Epiſcopatu tranſit ad alium, in pœnam utroque carere debeat, *c. Quanto. 3. de transl. Epiſc.* tamen in caſu hujus cap. Papa Epiſcopo Hildeshemenſi fecit gratiam, quoad pœnam imponendam, ex eo, quia celebravit divina poſt excommunicationem, ut non incurreret pœnam depoſitionis, nam licet utroque Epiſcopatu fuerit privandus, in pœnam temerariæ tranſlationis ab una Eccleſia ad aliam: manſit tamen Epiſcopus, ſive retinuit Epiſcopalem dignitatem, etſi ſine Epiſcopatu, & poterat aſſumi ad alium Epiſcopatum, & miniſtrare, ſeu celebrare divina officia, quod non potuiſſet, ſi fuiſſet depoſitus ob celebrationem divinorum poſt excommunicationem, & in hoc Papa fecit gratiam, *Abb. hic in fine.*

§. III.

An excommunicatis poſſint conferri beneficia Eccleſiaſtica, & quæ pœna imponi debeat iis, qui beneficia illis conferunt?

XIV. De utraque hac quæſtione agitur in *c. Poſtulaſtis. 7. in princ. h. t.* „ in quo Innocentius III. ita reſcribit. Quod „ cum excommunicatis (majore excommunicatione) com„ municari non debeat (ſicut etiam habetur in *cap. Cum*

Digitized by Google

excommunicatio, 18. *cauſ.* 11. *q.* 3.) ideo Clericis excom„ municatis beneficia Eccleſiaſtica conferri non poſſunt, „ nec illi valent illa licite retinere, niſi cum eis fuerit ex „ miſericordia diſpenſatum, cum ea non fuerint Canonice conſecuti. Ratio eſt, quia beneficia Eccleſiaſtica præcipue dantur propter officium, *c. ult. de reſcript. in* 6. *c. Cum ſecundum*, 15. *de præbend.* ipſe autem excommunicatus a jure ſuſpenſus eſt ab officii executione, adeo ut ſi in excommunicatione celebret divina officia, fiat irregularis, *c.* 2. *& cap. Is cui.* 20. *de ſent. excomm. in* 6. *c.* 1. *de ſent. & re judic. in* 6. *de quo infra: Covarr. in c. Alma de ſent. excomm. in* 6. *p.* 2. §. 8. *n.* 1. & alii DD. communiter. Ex quo ſequitur, quod collatio beneficii excommunicato facta ſit ipſo jure nulla, prout ſumitur ex hoc c. Ubi non ſolum dicitur, quod Eccleſiaſtica beneficia conferri non poſſunt excommunicatis, ſed nec valent illa licite retinere, quia illa non fuerunt Canonice conſecuti, quæ verba aperte ſignificant, eos non feciſſe ſua illa beneficia, adeoque collationem eſſe ipſo jure nullam. *Suar. diſp.* 13. *de cenſur. ſec.* 1. *n.* 2. cum enim excommunicatio reddat eos, qui illa ſunt ligati, omnino inutiles ad officium Eccleſiaſticum exercendum, conſequenter etiam ad beneficium obtinendum, vel retinendum, *Gl. hic. V. Canonice*, *Garc. tr. de benef. p.* 7. *c.* 13. *n.* 3. *&* 4.

XV. Extenditur autem primo, quod excommunicatis non poſſunt conferri beneficia Eccleſiaſtica, ſive excommunicatio ſit lata a jure, ſive ab homine, quia eadem in utraque militat ratio, *Covarr. c. l. numer.* 2. *in fine*, & ſive per ſententiam generalem, ſive per ſpecialem; ſive publice, ſive occulte ſit excommunicatus, ita ut etiamſi probabiliter, & invincibiliter ignoret ſe eſſe excommunicatum, collatio tamen beneficii ſit nulla: quia hic effectus inhabilitatis ad beneficia non pendet ex ſcientia, vel ignorantia excommunicationis, quia non eſt culpa aut culpæ excuſatio, neque requiritur ut ſit voluntarius ipſi excommunicato, ergo inhabilis eſt ad beneficia, etiamſi talem ſe ignoret. Similiter conferens beneficium, etiamſi ignoret eum, cui confert, eſſe excommunicatum, re ipſa nihil efficit, quia circa ſubjectum incapax operatur, quod generale eſt in omnibus impedimentis irritantibus, *Suar. cit. ſec.* 1. *n.* 3. *&* 30. & ignorantia excommunicationis excuſat quidem a culpa, & a pœnis in excommunicatos jure ſtatutis, aliquid ipſis in eo ſtatu prohibitum agentes, non tamen reddit validum actum, qui ipſo jure eſt nullus ſcilicet collationem beneficii excommunicato factam, *Covarr. l. n.* 3. *not.* 10. *Suar. c. l. Garc. c.* 13. *n.* 9. *Laym. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 7. & alii apud ipſum. Et hinc etiamſi ipſe excommunicatus, tempore collationis beneficii, nondum fuerit denunciatus, non tamen valet collatio, quia Conſtitutio Concilii Conſtantienſis *Ad evitandu*, nullum favorem exhibet ipſis excommunicatis, nec aliquam eis utilitatem adfert, ideoque vetus Jus quoad illos ſervandum eſt, *Covarr. c. l. n.* 2. *not.* 6. neque inter excommunicatum denunciatum, ſive vitandum, & non denunciatum ſive toleratum, eſt differentia in iis, quæ tendunt in favorem excommunicati: ſicut & in iis, quæ non geruntur, ratione publici officii, ſed concernunt privatam utilitatem ipſius excommunicati, vel alterius, non eſt differentia inter publicum, & occultum excommunicatum, *Abb. hic n.* 4. *& Barboſ. n.* 8. Sed etſi excommunicatus, communi opinione, reputetur abſolutus ab excommunicatione, irrita tamen eſt collatio beneficii eidem facta, quia in hac re non habet locum *l. Barbarius*. 3. *ff. de Offic. Prat.* ſed veritas opinioni præfertur. *Barb. in cit. c. Poſtulaſtis. n.* 21. *h. t.*

XVI. Extenditur ſecundo, quod collatio beneficii ſit nulla, etiam ſi Excommunicatio injuſta fuerit; modo rite, & valide ſit facta, *Covarr. cit.* §. 7. *n.* 7. *in fine Garc. c. l. p.* 11. *Barb. hic numer.* 4. & alii, quia non obſtante injuſtitia excommunicationis, adeſt inhabilitas ex parte excommunicati, ſuppoſito quod excommunicatio ſit valida.

Extenditur tertio, etſi collatio beneficii ſit facta motu proprio, quia hic non inducit diſpenſationem aliquam, nec tollit vitium, quo quis impeditur a jure obtinere id, quod ipſi conceditur, ſicut non inducit diſpenſationem, ut quis ſimul acquirat duo beneficia, quæ ſecundum Jus Canonicum ſimul obtineri non poſſunt, *Covarr. c. l. n.* x. *not.* 4. *Garc. cit. c.* 13. *n.* 5. *Suar. cit. ſec.* x. *n.* 23. Ubi id limitat, niſi Papa ſciens aliquem excommunicatum eſſe, illi conferat beneficium, tum enim cenſeretur tacite cum ipſo diſpenſare, eumque abſolvere ab excommunicatione.

XVII. Extenditur quarto, quod beneficium excommunicato collatum non poſſit ab ipſo licite retineri, etiam in foro conſcientiæ, cum non ſit in eo Canonice inſtitutus, *Abb. in cit. c. Poſtulaſtis. n.* 2. *h. t. Garc. c. l. n.* 10. & alii: Idque procedit, etiamſi poſtea ſecuta ſit legitima abſolutio ab excommunicatione, quia cum talis collatio fuerit ab initio nulla, non poteſt poſtea convaleſcere, niſi fiat nova collatio, vel legitima diſpenſatio, quæ illi æquivalet, *arg. c. Non firmatur.* 18. *de R. I. in* 6. *l. Quod ab initio.* 29. *ff. eod. Covarr. c. l. n.* x. *not.* 7. *Suar. cit. ſec.* 1. *n.* 2. *Garc. c. l. n.* 8. Ex quo infertur, quod nec fructus ex tali beneficio perceptos poſſit retinere, quia in excommunicatione eos percepit, & quia beneficium non erat ſuum, *Suar. c. l.* Ubi tamen *n.* 3. ait, poſſe excommunicatum a reſtitutione fructuum perceptorum ex beneficio collato in excommunicatione, ſi bona fide ignorans ſe eſſe excommunicatum, aliquod officium, vel miniſterium exercuit, ratione beneficii: tum enim juſte poteſt congruum ſtipendium ſuſtentationis, ſive mercedem laboris ex fructibus beneficii accipere, ratione operis, quia inſervivit Eccleſiæ, vel etiamſi ultra neceſſarium ſtipendium plures fructus percepit, & bona fide illos conſumpſit, nec locupletior inde factus eſt, non tenetur aliquid reſtituere, nec ratione injuſtæ acceptionis, cum bona fide perceperit, & ſine ſua culpa: nec ratione rei acceptæ, cum jam illa non extet, nec in ſe, nec in aliquo, quod loco illius permaneat.

XVIII. Extenditur quinto, quod collatio omnis beneficii Eccleſiaſtici proprie dicti excommunicato facta ſit nulla, ſive ſit beneficium curatum, ſive non, ſive ex minoribus, ſive etiam ex majoribus, ut Epiſcopatus, Præpoſitura, vel alia dignitas: & ſive ſit beneficium ſeculare, ſive regulare, *Suar. cit. ſec.* 1. *num.* 4. *Barb. hic. num.* 11. Ratio eſt, quia Canones generaliter reddunt excommunicatum inhabilem ad omnia officia Eccleſiaſtica, ut conſtat ex *cap. Poſtulaſtis*, ubi ſimpliciter, & generaliter dicitur, Clericis excommunicationis vinculo innodatis Eccleſiaſtica beneficia conferri non poſſunt, nec illa valent retinere: propoſitio autem abſoluta, & indefinita æquivalet univerſali, præſertim quia propoſitio illa negativa continet in ſe ſignum univerſale negativum, *omnia*, & negatio poſt ſe omnia deſtruit, & tollit. Idemque procedit, non tantum in beneficiis Eccleſiaſticis, quæ conferuntur in titulum ſpiritualem ex ſe perpetuum, ſed etiam in quacunque dignitate, & officio Eccleſiaſtico, etiamſi ad tempus tantum concedatur, cui annexa eſt juriſdictio, vel adminiſtratio Eccleſiaſtica, ut eſt munus Legati Apoſtolici, Inquiſitoris, Vicarii Generalis Epiſcopi, vel Adminiſtratoris Epiſcopatus, vel Prælati Ordinis, item delegati ad munus conferendi, vel eligendi, *Suar. c. l. n.* 6. *Laym. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *n.* 7. Ratio eſt, tum quia ideo excommunicatis beneficia Eccleſiaſtica conferri non poſſunt, quia eum eis communicari non debet, *cit. c. Poſtulaſtis*. At qui aſſumitur ad munus, vel dignitatem Eccleſiaſticam, vel maxime communicare debet in rebus Eccleſiaſticis cum aliis, ergo excommunicatus non poteſt aſſumi ad tale munus. Tum quia, cui prohibetur exercitium alicujus actus, prohibetur etiam omne id, per quod pervenitur ad talem actum, ex generali regula, quam tradit *Abb. in c. ult. h. t. n.* 3. atqui excommunicato prohibitum eſt omne exercitium Eccleſiaſtici muneris, vel dignitatis, quia eſt incapax omnis uſus juriſdictionis, & Ordinis, ergo etiam prohibita eſt collatio illius, quippe quæ per ſe ordinatur ad exercitium talis muneris. Excipi tamen debet Papalis dignitas, a qua nemo excluditur propter excommunicationem, *Suar. c. l.*

XIX. Extenditur ſexto, etiam penſio ex beneficio Eccleſiaſtico excommunicato aſſignari, nec licite, nec valide poteſt. Idque certum eſt de penſione mere ſpirituali, quæ in ſpirituali titulo fundatur, ſive ob ſpirituale miniſterium datur, v. g. Concionatori, Coadjutori Epiſcopi, vel Cooperatori Parochi, quia hæc propter ſpirituale officium datur, ſicut beneficium, quod excommunicatus præſtare non poteſt, adeoque ſicut beneficii, ita & talis penſionis eſt incapax. *Avila p.* 2. *de cenſur. cap.* 6. *diſp.* 5. *dub.* 6. *concluſ.* 2. *Garc. p.* 1. *de benef. cap.* 5. *num.* 130. *Laym. cit. c.* x. *nu.* 8. At vero penſio temporalis ſeu laica, quæ propter temporale aliquod ſervitium eſt aſſignata, & laicis etiam competere poteſt, probabiliſſime etiam excommunicato conferri poteſt, quia potius temporalis ſtipendii rationem habet, & cum non detur propter ſpirituale officium, quod exerceri debeat, ceſſat prohibitio juris, *Avila c. l. concluſ.* 1. *Laym. c. l.* Quin imo etiam penſio mixta, quæ etſi ob ſpirituale miniſterium non detur, requirit tamen ſtatum Clericalem, & loco beneficii plerumque datur Clerico non habenti ſuſtentationem, ob cauſam reſignationis, vel permutationis, vel ob ceſſionem litis, probabiliter aſſignari poteſt excommunicato, propter declarationem Cardinalium Concilii Trid. ſuper *Seſſ.* 14. *cap.* 7. ubi dicitur, incapacitatem homicidæ ad beneficia non eſſe extendendam ad penſiones: quod non videtur eſſe intelligendum de penſione mere ſpirituali, quæ ob ſpirituale officium datur, ſed de ea, quæ ob aliam cauſam, ſive laico, ſive Clerico aſſignatur, *Garc. cit. c.* 5. *num.* 137. *Laym. cit. l.* quanquam *Covarr. cit.* §. 7. *n.* 2. *in fine*, *& Suar. cit. diſ.* 23. *ſec.* 2. *n.* 9. abſolute negent ullam penſionem Eccleſiaſticam conferri poſſe excommunicato, quia reditus penſionis ſunt fructus Eccleſiaſtici, quos excommunicatus non facit ſuos. Verum licet tales reditus proveniant ex beneficio Eccleſiaſtico, non tamen proprie & formaliter ſunt fructus Eccleſiaſtici, ſi non dentur propter officium ſpirituale.

XX. Extenditur ſeptimo, etiam electio, poſtulatio, confirmatio, præſentatio, ſeu nominatio excommunicati ad beneficium eſt irrita, quia Canones, quoad hoc, omnes penſiones beneficiorum parificant, & omnes hi actus proximo ordinantur ad beneficii adeptionem, *Covarr. cit.* §. 7. *num.* 2. *not.* 1. *&* x. *Suar. cit. ſec.* 1. *num.* 10. *Garc. cit. c.* 13. *nu.* 14. Idemque dicendum de reſignatione beneficii in favorem excommunicati facta, ſive ſimpliciter, ſive ex cauſa permutationis, invalida enim eſt, *Suar. cit. l. num.* 11. Neque etiam valet permutatio beneficiorum facta cum excommunicato, quia in ea ſit mutua collatio, & per illam novum beneficium, ac jus acquiritur, cujus excommunicatus eſt incapax, *Covarr. cit. l. n.* 2. *not.* 5. *Suar. cit. l. n.* 10. *Garc. cit. l. n.* 15. Sed neque in commendam dari poteſt beneficium excommunicato; nam datio eſt irrita, quia illa etiam ordinatur ad officium, ad quod excommunicatus eſt inhabilis, *Suar. cit. l. n.* 14. *Barb. hic. num.* 15. Denique omnis etiam impetratio Litterarum ad obtinenda beneficia facta ab excommunicatis eſt nulla, *Arg. c.* 1. *de reſcript. in* 6. ubi univerſaliter dicitur reſcriptum impetratum ab excommunicato, eſſe nullum, *Covarr. cit. l. num.* 3. *not. Suar. cit. l. n.* 12.

XXI. Cæterum quod dictum eſt, excommunicatis majore excommunicatione non poſſe licite, nec valide conferri beneficia, limitari debet primo, quod non procedat, ſi excommunicatio ſit invalida, quia lata a Judice non ſuo, vel poſt appellationem interpoſitam; vel quia ſententia, per quam lata eſt, continet manifeſtum, & intolerabilem errorem, hæc enim, cum ſit ipſo jure nulla, nullum effectum habere poteſt, *Covarr. cit.* §. 7. *nu.* 5. *not.* 13. & alii apud *Barboſ. in Collect. in cit. c. Poſtulaſtis*, *n.* 19. *h. t.*

Limitatur ſecundo. Si collatio beneficii alicui abſenti facta ſit, ante excommunicationem, iſque poſtea excommunicatus eam acceptet, & ratam habeat, valida eſt acceptatio, *Covarr. cit. §. 7. n. 4. not. 13. Azor. p. 2. lib. 6. c. 7. q. 9. Garc. p. 7. c. 13. num. 35. & ſeqq.* Ratio eſt: quia acceptare beneficium non eſt quid juris, ſed ad nudum factum pertinet, non enim eſt actus juriſdictionis, nec collatio juris, ſed ſolum declaratio proprii conſenſus, per quem non novum jus acquiritur, ſed jus (ſaltem ad rem, ut interim alii conferri non poſſit beneficium, juxta *c. Si tibi 17. de præbend. in 6.*) jam ante datum, & acquiſitum, ratum, & acceptum habetur, de quo plura videri poſſunt apud *Suar. cit. diſ. 13. ſect. 1. numer. 17. & 18.* ubi bene rem hanc explicat.

Limitatur tertio. Quando quis excommunicatur, poſt collationem beneficii factam, etſi ea nondum ſit executioni data, valida eſt collatio, ut decidit Rota, & tradunt alii DD. apud *Barb. hic n. 22.*

XXII. Limitatur quarto. Poſſeſſor triennalis alicujus beneficii, etſi collatio ei facta ſit tempore, quo erat excommunicatus, non poteſt amplius moleſtari, quia licet hujuſmodi excommunicatus careat titulo colorato, quoad alios Juris communis effectus: non tamen quoad effectum regulæ de triennali poſſeſſore, *Navarr. in c. Si quando except. 10. n. 9. de reſcr.* & in illa regula excipiuntur tantum ſimoniacus, & intruſus in beneficio, *Garc. cit. c. 23. n. 7. Barboſ. hic n. 20. contra Rebuff.*

Limitatur quinto. Si quis excommunicatus ſit, poſt interpoſitam appellationem, & ea pendente, conferatur ei beneficium, collatio eſt valida, quia talis excommunicatio eſt nulla, *Covarr. cit. §. 7. num. 5. not. 13.* quod verum eſt, ſi certum ſit; appellationem eſſe validam, non autem ſi notorium ſit, eam non valere, quia appellatio frivola non ſuſpendit juriſdictionem Judicis, a quo appellatum eſt. Quod ſi dubium ſit, an appellatio ſit valida, necne: tum res pendet ex eventu futuro; ſi enim Judex, ad quem appellatum eſt, declaret appellationem fuiſſe legitimam, collatio erit valida: ſin autem illegitimam, collatio quoque erit nulla, ut ex Ricciolo tradit *Barb. in cit. c. Poſtulaſti n. 32. h. t.*

Limitatur ſexto. Valida eſt proviſio de beneficio alicui excommunicato a Papa, vel ejus Legato facta, cum clauſula abſolutionis a cenſuris, ad effectum gratiæ factæ duntaxat conſequendum, quæ in Litteris Apoſtolicis apponi ſolet per iſta verba, *Teque a quibusvis cenſuris &c. Avila part. 2. de cenſur. c. 6. diſcurſ. 5. dub. 2. concluſ. 1. not. 4. Garc. cit. cap. 13. num. 39. Barboſ. in cit. c. Poſtulaſti numer. 24. h. tit.*

Limitatur ſeptimo. Si excommunicatus beneficii ſibi ante excommunicationem collati poſſeſſionem apprehendat, valet illius poſſeſſionis adeptio, quia talis apprehenſio in facto, non in jure conſiſtit. *Azor. cit. lib. 6. c. 7. q. 10. Barb. cit. l. n. 26.*

XXXIII. Jam vero ad poſteriorem quæſtionem quod attinet, quæ pœna ſit imponenda conferentibus beneficia excommunicatis, ea eſt pœna ſuſpenſionis a collatione beneficiorum, prout ſtatuitur in *cit. c. Poſtulaſti 7. §. Illi vero h. t.* ubi dicitur: qui ſcienter illa beneficia talibus (ſcilicet ex-
„ communicatis) contulerunt, tamdiu debent a beneficio-
„ rum collatione ſuſpendi, donec ſuper hoc veniam conſe-
„ qui mereantur (per ſuum Superiorem) ut puniantur in
„ eo, in quo delinquere præſumpſerunt. Neque in hoc ca-
„ ſu requiritur alia monitio, quæ ſolum neceſſaria eſt,
„ quando indigni, ob defectum in moribus, vel litterarum
„ ſcientia, promoventur ad beneficia, juxta *c. Grave 29. de*
„ *præbend. Abb. hic n. 3.*

XXIV. Ubi notandum primo: Ad hanc pœnam ſuſpenſionis incurrendam requiritur, ut ſcienter beneficia ſint excommunicatis collata, ut patet ex textu, ibi: *ſcienter*: ergo ſi ignoranter, nulla pœna incurritur a conferente, quamvis collatio ſit nulla, *Abb. hic cit. num. 3.* Nec obſtat *cap. Cum in cunctis 7. §. ult. in fine de Elect.* ubi ſcienter conferentes beneficia indignis videntur ipſo jure ſuſpenſi a collatione beneficiorum. Verum vel ibi ſermo eſt de beneficiis curatis, hic vero de ſimplicibus, quia in illis major diligentia eſt adhibenda, quam in iſtis. Vel ille textus loquitur, quando Epiſcopus ſcienter confert beneficia indignis in moribus, vel ſcientia: non autem ſi ex alia cauſa indignus, ut quia eſt excommunicatus, *Abb. hic n. 6.*

Notandum ſecundo. Hæc pœna ſuſpenſionis poteſt imponi ab immediato Superiore ejus, qui ſcienter contulit beneficium excommunicato, ac proinde ſi is ſit Prælatus inferior Epiſcopo, poterit ſuſpendi per Epiſcopum ſuum, *Arg. c. Si quis Abbas 25. cauſ. 18. q. 2.* Si vero Epiſcopus, per Archiepiſcopum ſuum, qui eſt Ordinarius omnium Epiſcoporum ſuæ Provinciæ, ſi vero Archiepiſcopus fuit collator, poteſt ſuſpendi per Patriarcham ſuum, *Arg. cit. c. Grave de præbend. Abbas in cit. c. Poſtulaſti n. 11.*

XXV. Notandum tertio. Quod vero attinet ad pœnam recipientis beneficium in excommunicatione, nulla alia reperitur pœna in jure ſtatuta, niſi quod collatio ſit nulla, ut notat *Suar. cit. diſ. 13. ſect. 1. num. 34.* Nam etſi *Gl. in cit. c. Poſtulaſti, V. Retinere h. t.* dicat, quod tales excommunicati etiam beneficiis aliis prius obtentis ſint privandi, id tamen nullo jure probatur, niſi per annum in excommunicatione perſtiterint, vel juxta alios per triennium, *Arg. c. Cum bona 8. de ætate & qualit. ord. Abb. in cit. c. Poſtulaſti num. 4. h. t.*

§. IV.

Proponuntur, & reſolvuntur alia quædam quæſtiones circa collationem beneficiorum, excommunicatis factam.

XXVI. Quæritur primo. An cum eo, qui in excommunicatione beneficium obtinuit, & poſtea ab ea abſolutus eſt, poſſit diſpenſari, ut illud retineat, & a quo? Reſp. poſſe diſpenſari, ut conſtat ex *cit. c. Poſtulaſti* ibi: *niſi cum eo fuerit miſericorditer diſpenſatum h. t.* Et ſic poteſt aliquando diſpenſatio fieri, etſi collatio beneficii fuerit invalida, quia talis diſpenſatio habet vim collationis, ſive eſt virtualis quædam beneficii collatio, adeoque alia nova collatio non eſt neceſſaria, *Abb. in cit. c. 7. n. 2. & 9. h. t.* Idque clare colligitur ex *cit. c. Poſtulaſti*, ubi dicitur, excommunicatum non poſſe obtentum beneficium retinere, niſi cum eo fuerit diſpenſatum, ergo a contrario ſenſu, ſi diſpenſatum fuerit, poterit retinere, abſque alia collatione, alioquin diſpenſatio eſſet ſuperflua, *Suar. cit. diſ. 13. ſect. 1. n. 34.* Porro cum in textu non exprimatur, a quo fieri debeat diſpenſatio, videtur relicta poteſtas Epiſcopis, juxta cap. *Nuper 29. de ſent. excommun. Gl. hic V. Diſpenſatum & Abb. num. 8.* qui n. 9. addit, quod a quocunque facta ſit abſolutio ab excommunicatione, ſive a Papa, quia erat ei reſervata, ſive ab alio: nihilominus tamen poſt abſolutionem excommunicati, poteſt proprius Epiſcopus diſpenſare cum eo, ut retinere poſſit beneficium in excommunicatione obtentum, dummodo non ſit ille idem Epiſcopus, qui ſcienter beneficium contulit excommunicato, quia cum ipſe peccaverit in conferendo, non eſt dignus, cui concedatur hæc poteſtas diſpenſandi, ut in ſimili tradit *Gl. fin.* de Epiſcopo ſimoniaco in *c. Preſentium 3. cauſ. 1. q. 5.* Verum *Suar. cit. ſect. 1. n. 36.* cenſet, Epiſcopum, vel alium collatorem, non eſſe ipſo jure privatum poteſtate conferendi beneficium, etiamſi ſcienter contulerit excommunicato, cum nullo jure hujuſmodi pœna ſit impoſita: neque etiam ipſo jure eſt privatus Epiſcopus poteſtate iterum conferendi illud beneficium, quia in *cit. c. Poſtulaſti §. Illi vero*, dicitur debere eum a collatione beneficiorum ſuſpendi: ergo donec per Superioris ſententiam ſuſpendatur collator, potuit beneficia conferre, & quod prius male contulit, poſtea bene conferre, adeoque & diſpenſare: quæ expoſitio etiam probabilis eſt.

XXVII. Addit *Abb. cit. l. num. 9* quamvis collatio beneficii ſpectet ad Prælatum Epiſcopo inferiorem, poſtquam tamen Epiſcopus qui in excommunicatione obtinuit beneficium, poſt factam abſolutionem, cum eo diſpenſavit, non requiritur alia collatio: & ſic poteſt Epiſcopus diſpenſare circa beneficium, quod conferre non poteſt: ſicut poteſt auctoritatem ſuam interponere in permutatione beneficiorum ad alios ſpectantium, ut notatur in *cap. Quæſitum 5. de rerum permut. & in Clement. unic. eod.* Sed neque hoc, abſolute loquendo, verum videtur, ut notat *Covarr. cit. §. 7. num. 8. Suar. cit. ſect. 1. num. ultim.* quia ſi Epiſcopus prius non habuit facultatem conferendi beneficium, non acquiſivit illam propter irritam collationem ab alio factam, neque alius ipſo facto privatus eſt ſua poteſtate, ergo non habet tunc Epiſcopus poteſtatem diſpenſandi, cum hæc non competat, niſi ei, qui habet poteſtatem conferendi, vel eandem, vel ſuperiorem, ſi ad eum proviſio beneficii devolvatur: niſi tamen accedat conſenſus illius, ad quem ſpectat collatio beneficii, tunc enim poſſet Epiſcopus diſpenſare: ſicut etiam ejus conſenſus eſt neceſſarius ad permutationem beneficii, quæ auctoritate Epiſcopi fieri debet.

XXVIII. Denique idem *Abb. cit. l. n. 10.* excipit, ſi collatio beneficii excommunicato facta fuiſſet per Papam, tunc enim forte inferior non poſſet diſpenſare; poſtquam ſemel Papa manum appoſuit, ſicut dicitur de eo, quem ipſe ordinaverit, quod non poſſit alius eum, ſine ejuſdem Papæ licentia, ad altiores Ordines promovere, *cap. Cum in diſtribuendis 12. de tempor. ordinat.* Veruntamen hic caſus vix poteſt contingere, ut Papa conferat beneficium excommunicato, cum in omnibus Litteris Papalibus proviſionis ad beneficia, apponatur clauſula abſolutionis a quibusvis cenſuris: *Teque abſolventes a quibuſvis cenſuris excommunicationis &c.* per quam redditur collatio beneficii valida & efficax, non obſtante exceptione excommunicationis, *Covarr. cit. §. 7. num. 3. not. 11.* & alii apud *Pagn. in cit. c. Poſtulaſti n. 7. hoc tit.*

Illud hic addendum, quod diſpenſatio non ſemper ſit debita, etiamſi cauſa juſta diſpenſandi adſit, ut colligitur ex *cit. c. Poſtulaſti* ibi: *niſi miſericorditer diſpenſatum fuerit*, quia quandoque eſt debita, quandoque autem mera gratia, ut docet *Sanch. l. 3. de matrim. diſ. 10. n. 3.* tunc autem cenſetur eſſe debita diſpenſatio, quando bonum publicum exigit, ut fiat diſpenſatio, ad vitandum grave ſcandalum, vel aliud damnum: vel ſi valde utilis ſit ſubditis ad bonum animæ, vel corporis: ſecus, quando nullum publicum, aut privatum damnum notabile ſequitur, etiamſi diſpenſatio non fiat *Sanch. c. l. n. 6.*

XXIX. Quæritur ſecundo, an collatio beneficii facta ei, qui prius fuit excommunicatus, ſed poſtea tempore colla-
„ tionis abſolutus valeat? Reſp. Affirmative, ut conſtat
„ ex *c. Propoſuit 8. h. t.* Nam cum Epiſcopus Tuſculanus
„ eſſet Legatus Papæ in partibus Lemovicenſibus, quidam
„ Clerici ſupplicarunt ipſi pro ſe, & M. Petro, ut eiſdem
„ in Eccleſia Lemovicenſi, in qua quinque, vel quatuor
„ præbendæ vacarent, in Canonicos facerent recipi. Car-
„ dinalis, ſive Legatus a latere ingreſſus Civitatem Le-
„ movicenſem, monuit Canonicos, ut illos reciperent in
„ ſocios ad prædictas præbendas vacantes. Sed cum poſt
„ petitas, & conceſſas deliberationis inducias, id facere

„ non curarent, Legatus eoſdem Clericos inveſtivit. Po-
„ ſtea vero Pœnitentiarius Lemovicenſis impetravit Litte-
„ ras ad quoſdam Judices delegatos, coram quibus petiit
„ inſtitutionem dicti M. Petri caſſari, & eum removeri ab
„ Eccleſia Lemovicenſi, eo quod tempore ſuæ inſtitutionis
„ erat excommunicatus per Epiſcopum Lemovicenſem, plu-
„ ribus annis, ante ſuam inveſtituram, ſuper quo teſtes ex
„ utraque parte producti fuerunt. Sed Judices cauſam in-
„ ſtructam remiſerunt ad Sedem Apoſtolicam. Papa Inno-
„ centius III. auditis, quæ utraque pars propoſuit, acta Ju-
„ dicii diligenter inſpici juſſit, & invenit per teſtes Pœ-
„ nitentiarii probatum eſſe, quod Epiſcopus Lemovicenſis
„ prædictum M. Petrum excommunicaverat, pluribus an-
„ nis ante inveſtituram ipſius, & alios quoſdam Clericos,
„ & etiam Laicos. Per teſtes vero M. Petri probatum fuit,
„ quod idem Epiſcopus dictum Petrum, & alios, quos ex-
„ communicaverat, tribus annis abſolverit, antequam di-
„ ctus Petrus fuerat inveſtitus, & quo inſuper eidem Pe-
„ tro communicaverit in Eccleſia, & in menſa. Quia vero
„ Pœnitentiarius M. Petrum, tempore inveſtituræ ſuæ, a
„ præfato Epiſcopo excommunicatum fuiſſe non probavit,
„ ſicut ſe obtulerat probaturum, cum ex parte M. Petri
„ fuerit facta fides de abſolutione, & communione Epiſ-
„ copi, ideo Papa, quod a prædicto Legato circa M. Pe-
„ trum factum eſt, per ſententiam definitivam approbavit.

XXX. Hinc colligitur primo, quod ſemel publice excommunicatus ſemper præſumitur excommunicatus niſi probetur abſolutus, quia qualitas ſemel poſita, quæ ſolo curſu temporis non tollitur, ſemper exiſtere præſumitur, niſi probetur ſublata. *Abb. hic* n. 4. & ita qui abſolutus eſt ab excommunicatione, ad cautelam petat litteras abſolutionis, ut eam probare poſſit, *Gl. hic V. de abſolutione.*

Colligitur ſecundo, ſi quis fuit excommunicatus, & poſtquam ab ea abſolutus fuit, ei beneficium conferatur, valet collatio, prout ſumitur ex hoc cap. quia tempus collationis, ſeu inſtitutionis inſpici debet, utrum tunc fuerit excommunicatus, an non, ſi ergo tunc non fuit, etſi ante fuerit, tenet inſtitutio, vel collatio, *Gloſſ. hic V. Tempore.*

Colligitur tertio, ſi Epiſcopus communicet cum excommunicato ab ipſo, præſumitur quidem eſſe abſolutus, non tamen hujuſmodi communicatio ſufficit ad id plene probandum, *c. Cum deſideres 15. de ſent. excomm.* nec propterea eſt abſolutus, *Gl. hic in not. & Gl. fin.*

XXXI. Quæritur tertio, an collatio beneficii facta ex communicato, qui vi Bullæ cruciatæ, vel Jubilæi, vel Privilegii Apoſtolici, quo datur Confeſſario facultas abſolvendi pœnitentes a cenſuris, eſt abſolutus ab excommunicatione, in foro conſcientiæ, ſeu pœnitentiæ, ſit valida, nec ne? Reſp. Sic abſolutum non cenſeri abſolutum in foro externo, ſeu contentioſo, ac proinde collatio beneficii facta excommunicato abſoluto in foro conſcientiæ tantum, eſt invalida, ipſo jure, quoad effectus, & pœnas fori externi, ut tradit *Covarr. in cit. c. Alma*, §. 12. num. 16. & ex receptiſſima ſententia S. Congregationis Concilii, *Fagnan. in cit. cap. Poſtulaſtis*, *num.* 14. *& ſeqq.* Idque probatur, tum quia beneficium datur propter officium ſed excommunicatus, quamvis abſolutus ſit in foro conſcientiæ, non habet executionem officii, ergo non poteſt ei conferri beneficium: tum quia excommunicato, quamvis abſolutus ſit in foro conſcientiæ, denegatur communio cum fidelibus, & debet ſe gerere in publico tanquam excommunicatum, ergo non poteſt ei conferri beneficium: tum quia pœnitentia, quæ in foro animæ imponitur, eo tendit, ut ſatisfiat DEO, & conſcientiæ: pœna vero, quæ imponitur in foro contentioſo, ſeu judiciali, ut ſatisfiat Reipubl. læſæ, ideoque impoſitio unius non impeditur per impoſitionem alterius, quia ad diverſos fines, & effectus tendunt, *Abb. in cap. De his 6. num. 3. de accuſat.* Quare quamvis abſolutus in foro pœnitentiæ tantum, poſſit retinere beneficium ei collatum in excommunicatione, quamdiu per ſententiam eo non privatur, non tamen valida eſt in foro exteriore talis collatio, ac proinde adhuc excluſus eſt a communione fidelium, celebratione divinorum, participatione Sacramentorum, & ab Eccleſiaſtica ſepultura, quia alias plurimum detraheretur auctoritati juriſdictionis Eccleſiaſticæ in foro externo, ſi publice excommunicatus, & nominatim denunciatus, ſed ſecrete abſolutus a Confeſſario, omnia agere poſſet, ac ſi excommunicatus non fuiſſet, quod cederet in gravem contemptum Judicis, qui eum excommunicavit; idque procedit, etiamſi abſolutus ſit a Confeſſario, præmiſſa ſatisfactione parti læſæ, *Covarr. c. l.* Confirmatur, quia ſicut excommunicatio occulta nihil operatur in judicio externo, nec impedit aſſecutionem beneficii: ita nec abſolutio occulta, quæ fit in foro interno, ſeu pœnitentiali, operari debet, ut collatio beneficii ſit valida in foro externo, eadem eſt vis ſolvendi, & ligandi *Fagn. in cit. c. Poſtulaſtis*, *n. 24. h. t.*

Excipi debet, niſi in Bulla, aut Litteris Apoſtolicis expreſſum ſit, abſolutionem a Confeſſario datam in foro conſcientiæ, etiam prodeſſe in foro externo, ſicut quandoque facultas abſolvendi, poſt præſtitam ſatisfactionem, in utroque foro concedi ſolet, *Covarr. c. l. & Fagn. cit. l. num. 25. & ſeqq.*

§. V.

An, & quando excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus Clericus: exercens actum Ordinis ſibi prohibiti, fiat irregularis, & quæ conditiones requirantur ad hanc irregularitatem incurrendam?

XXXII. Aſſertio 1. Imprimis ſi excommunicatus, ſive ligatus majore excommunicatione, ſcienter exerceat actum proprium, ſaltem Ordinis majoris, ſolemniter, & ex officio, ipſo facto, excommunicatus fit irregularis, ver. gr. ſi Sacerdos Miſſam celebret, Diaconus legat, vel canat Evangelium, Subdiaconus Epiſtolam, *Navarr. in man. Pral. cap.* 28. *num.* 244. *Covarr. in cit. c. Alma*, *p.* 2. §. 6. *num.* 9. *Avila tract. de cenſur. part.* 7. *diſp.* 9. *ſect.* 2. *dub.* 5. *concl.* 2. *Suar. diſ.* 31. *de cenſur. ſect.* 3. n. 5. Idque probatur ex *c. Si quis Epiſcopus 6. & ſeqq. cauſ.* 11. *qu.* 3. quos textus allegat *Gl. in c.* 1. *V. Irregularitatem de ſent. excomm. in* 6. Idem ſumitur ex *c. ult. h. t.* ubi dicitur, quod ſi celebret minore excommunicatione ligatus, non fit irregularis, quo inſinuatur, quod excommunicatione majore ligatus fiat irregularis. Idem eſt de omnium Sacramentorum adminiſtratione, & de omni celebratione divinorum officiorum, *Suar. c. l.* Ratio eſt, quia majore excommunicatione ligatus, ſi ſacro Ordine ſit præditus, quoad ſe, & quoad alios, ipſo jure eſt ſuſpenſus, ideo ſi de facto in Ordine ſacro miniſtret, irregularitatem incurrit.

XXXIII. Secundo, ſi ſuſpenſus exerceat ſolemniter actum proprium Ordinis majoris, a quo eſt ſuſpenſus, fit irregularis, *Navarr. c. l. Bern. Diaz. in pract. Can. c.* 133. *n.* 4. *Avila c. l. concl.* 3. & habetur in *cap.* 1. §. *ult. de ſent. & re judic. in* 6. *& in c.* 5. §. *fin. de ſent. excomm. in* 6. ubi *Gl. Irregularitatem*, ait, quod hæc irregularitas, quæ in antiquis Canonibus ſtatuta erat de excommunicatis majore excommunicatione, extenſa ſit ad ſuſpenſos in utroque cit. cap. Porro ſuſpenſus miniſtrans in Ordinibus Sacris, a quibus eſt ſuſpenſus, fit irregularis, ſi ſit ſuſpenſus propter delictum, quia talis ſuſpenſio eſt vera cenſura non item ſi ſit ſuſpenſus propter defectum, v. gr. quia illegitimus eſt, vel aliud vitium corporis habet, talis enim, etſi miniſtret in Ordinibus ſuſceptis, non fit irregularis, *Covarr. in Clement. Si furioſus de homicid. p.* 1. §. 1. *n.* 3. *Avila cit. ſect.* 2. *dub.* 5. *concl.* 1. Si vero quis ſuſpenſus ſit propter delictum, & miniſtret in Sacris, fit irregularis, ſive ſuſpenſus ſit ab homine, ſeu per ſententiam Judicis, ſive a Canone, *Diaz in pr. c.* 26. n. 3. *Avila c. l. concl.* 2.

XXXIV. Tertio ſi perſonaliter interdictus exerceat actum ſacri Ordinis, a quo eſt interdictus, ſive prohibitus, fit irregularis, *Navarr. c. loc. Avila cit. ſect.* 2. *dub.* 1. *concl.* 4. idque probatur ex *c. Is cui* 20. *de ſent. excommunic. in* 6. ubi dicitur de eo, cui ingreſſus Eccleſiæ eſt interdictus.

Ubi notandum primo, ſuſpenſum, vel interdictum eſſe irregularem, ſi exerceat actum Ordinis, a quo eſt ſuſpenſus, vel interdictus, quia quis ſuſpenſus eſſe poteſt, vel interdictus ab uno Ordine, & non ab alio: aliud eſt de excommunicato, quia excommunicatio major privat uſu, & executione omnis Ordinis, *Avila c. l.* §. *Præterea notandum in fine.*

Notandum ſecundo, non ſolum excommunicati, ſuſpenſi, vel interdicti, non tolerati, ſeu denunciati, ſed etiam tolerati, & non denunciati, ſi exerceant actum proprium Ordinis ſacri, quem licite exercere non poſſunt, fiunt irregulares, quia Concilium Conſtantienſe per Conſtitutionem *Ad evitanda*, non intendit ullum favorem, vel commodum afferre ipſis excommunicatis, ſuſpenſis, vel interdictis, *Avila c. l.* §. *Deinde notandum eſt.*

XXXV. Aſſertio 2. Ut excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus incurrat irregularitatem, propter exercitium Ordinis ipſi prohibiti, duæ conditiones requiruntur, ut ex communi tradit *Avila cit. ſect.* 2. *dub.* 2. Prima eſt, quod exerceat actum proprium Ordinis ſacri, ſive majoris, a cujus exercitio per cenſuram eſt ſuſpenſus, vel prohibitus; quare ſi exerceat actum non competentem alicui Ordini Eccleſiaſtico, quem exercere poſſunt, vel ſolent etiam Laici non habentes ullum Ordinem, non fit irregularis, *Avila c. l.* Secunda conditio requiſita ad incurrendam irregularitatem, ex eo, quod quia una cenſura ex prædictis ſit ligatus, eſt, quod exerceat actum Ordinis majoris proprium, ſolemniter, id eſt, cum ſolemnitate, qua ſecundum jus, aut conſuetudinem Eccleſiæ, non poteſt talis actus exerceri, niſi ab habentibus talem Ordinem, *Navar. cit. loc. Avila cit. loc.*

XXXVI. Ubi præterea notandum primo, quidam ſunt actus, qui etſi regulariter, & ſecundum jus & conſuetudinem Eccleſiæ, non poſſint, nec debeant exercere, niſi ab illis, qui ſunt præditi Ordine: tamen ſecundum ſubſtantiam poſſunt etiam fieri a Laicis: tum ſi Clerici excommunicati, ſuſpenſi, vel interdicti exerceant talem actum ſine ſolemnitate, non fiunt irregulares. Ut ſi Diaconus dicat, vel canat Evangelium ad Altare, cum Dalmatica ſed ſine Stola, vel Subdiaconus ſine Dalmatica vel etiam cum Dalmatica, ſed ſine manipulo. Ratio eſt, quia proprium ornamentum Subdiaconi eſt manipulus, & Diaconi Stola, ergo quando Evangelium Diaconus, vel Epiſtolam Subdiaconus legit, vel canit, ſine ſolito apparatu, non cenſetur talem actum exercere ex officio, ut Diaconus, vel Subdiaconus, ſed ſimpliciter, ut quilibet alius Cantor etiam non ordinatus, ideoque non debet cenſeri irregularis, *Navarr. cit. loc. Avila citat. ſect.* 2. *dub.* 2. §. *En ſecunda conditione. Silveſt. V. Irregularitas*, *dicto* 3. *&* 4. Item ſi Sacerdos cenſura ligatus baptiſmum alicui conferat privatim, & abſque ſolemnitate, non fit irregularis, quia etiam Laicus Sacramentum hoc adminiſtrare poteſt, ſaltem in neceſſitate, *Silveſtr. V. Irregularitas*, *qu.* 13. *dicto* 1. Alii vero ſunt actus ita proprii Ordini, ut nec ſecundum ſubſtantiam fieri poſſint a non ordinatis: & tales actus ſi exerceantur, etiam ſine ſolemnitate a Clerico excommunicato, vel alia cenſura ligato incurrunt irregularitatem, quia talis actus, etiam exercitus ſine ſolemnitate, eſt proprius Ordinis ſacri, adeoque qui illum cenſura ligatus exercet, fit irregularis. Ut ſi verb. gr. Sacerdos cenſura ligatus, extra Miſſam, & ſine omni ſolemnitate Euchariſtiam conſecret, vel diſpen-

ſet,

ſet, ſeu diſtribuat illam communicantibus fidelibus, fit irregularis, vel ſi ſacramentaliter abſolvat a peccatis, quamvis occulte, & ſecrete, quia tales ſunt actus proprii Ordinis Sacerdotalis, qui nunquam fieri debent ſine ſolemnitate conſueta, *Avila cit. ſec. 2. §. Sed eſt maxime. Suar. diſ. 11. de cenſur. ſec. 3. n. 12. & 14.*

Notandum ſecundo. Non fit irregularis, ſi cenſura irretitus aliquem eligat, vel præſentet ad beneficium, vel electum confirmet, aut inſtituat præſentatum, quia hi actus etiam ab iis, qui nullos Ordines habent, exerceri poſſunt. Imo universim non fit irregularis is, qui cenſura ligatus exercet juriſdictionem ſpiritualem fori externi, excommunicando aliquem, vel ſuſpendendo, vel interdicendo, vel abſolvendo a cenſuris, etiamſi talis ſit ſuſpenſus a juriſdictione; nam uſus, ſeu exercitium talis juriſdictionis, etiam ſpiritualis, non eſt actus proprius Ordinis, *Avila citat. dub. 2. §. Primo ſi canat*. Item Parochus aſſiſtens matrimonio cenſura ligatus, non fit irregularis, quia actus iſte non eſt proprius Ordinis, & præſentia illius requiritur tanquam teſtis: neque qui ſepelit aliquem in loco ſacro, eſt irregularis. *Avila citat. loc.* Neque qui prædicat, ſeu concionatur, quia non exercet actum Ordinis, *Avila c. l. §. Ex dictis ſequitur*, unde etiam excommunicatus non prohibetur intereſſe concioni, *c. Reſponſio 43. de ſent. excomm.* Ex dictis colligi poteſt, quinam præterea in particulari ob actus in illa exercitos irregularitatem incurrant, de quo videri poſſunt Auctores citt.

§. VI.

An ſi Clericus cenſura ligatus exerceat actus Minorum Ordinum, irregularitatem incurrat, & quando ſive quibus caſibus talis Clericus irregularis non fiat, etiamſi actum Ordinis proprium exerceat?

XXXVII. Ad priorem quæſtionem reſpondent affirmative communiter Canoniſtæ, *Hoſtienſ. in c. Si quis Presbyter 2. §. Sed quicquid h. tit. Jo. Andr. ibid. n. 2. in fine, & Abb. num. 4. Sylveſt. V. Irregularitas qu. 23. dicto 1. Navarr. in Man. cap. 27. num. 163.* & noviſſime *Fagnanus in citat. cap. 2. num. 7.* nempe etiam Clericos Minorum Ordinum cenſura irretitos, miniſtrando in aliquo ex iiſdem Ordinibus, incurrere irregularitatem. Idque probatur primo ex Rubrica hujus tituli: qui non inſcribitur de Presbytero, vel Diacono &c. ſed de Clerico excommunicato, depoſito, vel interdicto miniſtrante: & in *cit. c. 2. hoc tit.* generaliter dicitur: Si quis Presbyter, vel alius Clericus &c. nomine autem Clericorum veniunt etiam Clerici Minorum Ordinum, *c. 1. diſ. 21.* & jus generaliter, & indiſtincte loquens, generaliter etiam, & indiſtincte eſt intelligendum, niſi per aliud jus diſtinguatur, & declaretur, *c. Quia circa 22. de priv.* Qui ergo dicit conſtitutum in Minoribus Ordinibus non contrahere irregularitatem, ſi in aliquo ex illis miniſtret, debet jus oſtendere, quod ipſos expreſſe eximat, quod nunquam reperietur, *Hoſtienſ. citat. loc.* Et quamvis in *citat. c. Si quis hoc tit.* non fiat expreſſa mentio irregularitatis, tamen jam ſufficienter declaratum eſt, pœnam, quæ in illo, & in aliis textibus inſinuatur, eſſe irregularitatem, *Suar. diſ. 12. de cenſ. ſec. 2. num. 8.* Secundo non tantum Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, ſed etiam reliqui gradus, ſive Clerici inferiores, a Synodo depoſiti prohibentur miniſtrare, niſi in reparatione ſua recipiant ea, quæ in ordinatione perceperant, *c. Epiſcopus 65. in fine cauſ. 22. q. 3.* ubi *Gl. V. Reliquus*, notat æque aliquem deponi a Minoribus Ordinibus, ſicut a Majoribus: ſi ergo deponi poteſt, cur non etiam, ſi depoſitus, vel cenſura ligatus in Ordine aliquo miniſtret, irregularitatem incurret?

XXXVIII. Altera ſententia negat conſtitutos in Minoribus Ordinibus, etiamſi cenſura ligati, miniſtrent in aliquo Ordine ex Minoribus, fieri irregulares, quam tenent *Navarr. citat. c. 27. num. 244. Sylveſt. V. Irregularitas qu. 27. Avila p. 2. diſ. 9. dub. 3.* & communiter recentiores Theologi. Idque probatur primo, quia Canones, qui in contrarium allegantur, quoad irregularitatem, videntur reſtringendi ad conſtitutos in ſacris Ordinibus, cum nullum jus expreſſe dicat, Clericum inferiores gradus excommunicatum, vel ſuſpenſum, vel interdictum, in Ordine ſuo miniſtrantem incurrere irregularitatem, hæc autem non incurritur, niſi in caſibus jure expreſſis. Secundo Acolythi, & alii inferiores Clerici quaſi laici cenſentur, ut notatur in *c. 1. & de Cleric. conjug.* neque in illorum degradatione adhibetur illa ſolemnitas, quæ in degradatione eorum, qui conſtituti ſunt in Sacris, *c. Felix 4. & cap. ſeq. cauſ. 15. qu. 7.* ideoque ſi Eccleſiaſticam cenſuram violent, non fiunt ipſo facto irregulares, ſicut qui Sacris, ſive Majoribus ſunt initiati. Tertio, quia actus Minorum Ordinum, nec ſecundum ſubſtantiam ſunt proprii, ſive ſpecialiter deputati, & competentes eis, qui ſunt initiati Minoribus, cum etiam exerceri poſſint a puris laicis: nec ſecundum ſolemnitatem, quia ex generali conſuetudine recepta, miniſteria Ordinum Minorum promiſcue exercentur, tam a Clericis, quam a laicis: ergo tales, vel nullam incurrunt irregularitatem, vel ſi aliquam contrahunt, Epiſcopus in ea diſpenſare poterit, *Arg. c. Ad audientiam 12. de homicid.*

Verum quod ad conſuetudinem attinet, ſecundum quam functiones Minorum Ordinum promiſcue exercentur a Clericis, & a laicis, ea abuſus eſt, & corruptela reprobata a Concilio Tridentino *Seſſ. 23. c. 17. de reformat.* ubi decernitur, ut hujuſmodi functiones ſacrorum Ordinum a Diaconatu ad Oſtiaratum, aliquamdiu in Eccleſia intermiſſæ in uſum revocentur, & talia miniſteria nonniſi per conſtitutos in dictis Ordinibus exerceantur, ut notavit etiam *Fagnanus in citat. cap. 2. numer. 28. hoc tit.* Imo juxta *declarat. Card. Conc. apud. Jo. Galiem. ib. n. 2.* ne quidem per Fratres laicos, qui talibus Ordinibus non ſunt inſigniti, exerceri debent.

XXXIX. Itaque in hac re dicendum eſt, ſi Clerici Minores excommunicati, ſuſpenſi, vel interdicti ſolemniter, & ex proprio officio, tanquam Miniſtri ad id deputati, Eccleſiaſtica ſua Miniſteria peragant, fiunt irregulares: quamvis ſecundum Eccleſiæ uſum præſentem, ubi Concilium Tridentinum, quoad hoc, non eſt receptum, raro incurratur hæc irregularitas, quia vix aliquid, aut aliquo modo Clerici in Minoribus conſtituti faciunt, quoad hæc Miniſteria, quod laici non conſueverint facere. Poſſunt tamen contingere caſus, in quibus hæc irregularitas contrahatur, ut ſi v. gr. alicubi Acolythi munus non exerceant in Miſſa ſolemni, niſi in peculiaribus ſacris veſtibus ad hoc munus deputatis, & nonniſi ii, qui talem Ordinem ſuſceperunt: vel ſi Exorciſta excommunicatus, vel alia cenſura ligatus, veſte ſacra indutus, exorciſmos Eccleſiæ ſuper energumeno recitaret, tum enim uteretur poteſtate ſibi in Ordine data, adeoque fieret irregularis, & ſic de aliis, *Suar. cit. diſ. 12. ſec. 2. n. 9. & 10.*

XL. Ad poſteriorem quæſtionem ſupra propoſitam reſpondetur, Clericus excommunicatus ſuſpenſus, vel interdictus non incurrit irregularitatem, etiamſi actum proprium Ordinis exerceat, inprimis ſi ex probabili, ſeu inculpabili ignorantia id fecerit, ut quis invincibiliter ignoret, ſe eſſe excommunicatum, ſuſpenſum, vel interdictum, vel quod Jus prohibeat exercitium Ordinum ſuſceptorum Clerico irretito aliqua cenſura: ſecus eſt, ſi culpabiliter & vincibiliter id ignoret, *Lopez in pract. Canon. apud Diaz c. 33. in addit. §. Excuſabitur, Avila cit. p. 7. diſ. 9. ſec. 2. dub. 1. §. Hinc ſequitur Suar. diſ. 12. de cenſ. ſec. 3. n. 5.* Ratio eſt, quia hæc irregularitas imponitur in pœnam, ut patet ex *c. Si quis 6.* ibi: *Auſi fuerint*, &c. *Si quis 7.* ibi: *Præſumpſerit, cauſ. 11. q. 3. & c. Latores 4.* ibi: *Si damnabiliter ſe ingeſſerit divinis, de ſent. & re judic. in 6.* pœna autem non incurritur, niſi ob commiſſam culpam: ergo etiam requiritur culpa ad hujuſmodi irregularitatem incurrendam, *Suar. cit. l.*

XLI. Idque probatur ex *c. Apoſtolica 9. h. t.* Nam duo Canonici Eccleſiæ Pragenſis, pro ejuſdem Eccleſiæ ordinatione, acceſſerunt ad Sedem Apoſtolicam, quibus, ut repellerentur, objectum fuit, quod erant ſuſpenſi: ſed illi probare volebant, ſententias illas nullas eſſe, & eis ignorantibus latas fuiſſe. Itaque Papa Gregorius IX. ſententias illas ad cautelam relaxavit, ne Ordinatio Eccleſiæ differretur (ut patet ex *c. Apoſtolica 9. ſup. de except.* cujus hoc c. pars eſt, cum quo continuatur) ſed quia tempore ſuſpenſionis celebrarunt divina, eos probabilis ignorantia reddit excuſatos. Si vero forte ignorantia craſſa, & ſupina, aut erronea fuerit, propter quod diſpenſatione indigent, Papa cum eis ex benignitate Apoſtolica diſpenſat.

Hinc colligitur primo, quod probabilis ignorantia tantum excuſat a peccato, & conſequenter etiam ab irregularitate, quæ eſt pœna peccati: non autem craſſa, & ſupina, quando quis facile potuit ſcire, & non curavit, ſive nullam diligentiam adhibuit, ut inquireret; talis enim ignorantia æquiparatur ſcientiæ, etiam in pœnis: licet alias lata culpa in delictis non æquiparetur dolo, niſi ſit latiſſima, ſive craſſa, & ſupina, *Gl. hic V. Probabilis & Abb. n. 3.*

Colligitur ſecundo. Excommunicatio non trahit ſecum executionem, quoad pœnam, ſi illa probabiliter ignoretur, quia nulla ſententia ligat efficaciter, niſi poſtquam ſcitur eſſe lata, vel niſi per craſſam, & ſupinam negligentiam ignoretur, *Gl. hic V. probabilis, in fin. Abb. n. 2.*

Colligitur tertio. In irregularitate etiam illa, quæ ob craſſam, & ſupinam ignorantiam incurritur, nullus poteſt diſpenſare, niſi ſolus Papa, ut patet ex *hoc c. in fin. junct. Gl. fin. hic.*

XLII. Secundo, ſi excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus exerceat actum proprium Ordinis ſibi prohibiti, ob vitandum grave ſcandalum, vel infamiam, quæ alias orireretur ex manifeſtatione delicti, non fit irregularis, *Avila cit. diſ. ſec. 2. dub. 1. §. Hinc ſequitur*, quia leges poſitivæ non obligant cum tam gravi incommodo. Similiter ſi excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus Sacerdos, etiamſi non toleratus, ſeu vitandus, conſtitutum in mortis articulo, deficiente copia alterius Confeſſarii, ſacramentaliter abſolvat a peccatis, non incurrit irregularitatem, *Avila cit. l. Lopez cit. c. 33. in addit. §. Excuſabitur etiam*, quia in articulo mortis omnis Sacerdos quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis, & cenſuris poteſt abſolvere, juxta Conc. Trid. *Seſſ. 14. cap. 7.* Et univerſim loquendo, quoties intervenit quædam cauſa ſufficienter excuſans a peccato mortali, poteſt actus Ordinis proprios exerceri etiam ab excommunicato, ſuſpenſo, vel interdicto, abſque nota irregularitatis, quæ gravem culpam in violante cenſuram ſupponit, cum ſit valde gravis pœna, *Suar. cit. ſec. 3. n. 5.*

XLIII. Tertio non eſt cenſendus irregularis, ſi quis excommunicatus, ſuſpenſus vel interdictus, poſitam appellationem a ſententia cenſuræ contra ſe lata, etiam illegitimam, quam tamen putat eſſe validam, ante abſolutionem a cenſura, exerceat actum proprium Ordinis, a quo eſt ſuſpenſus, vel interdictus, vel etiam alium, ſi ſit excommunicatus, quia major excommunicatio generaliter removet ab omni uſu, & actu cujuſcunque Ordinis, etiamſi poſtea pronunciatum fuerit eam appellationem legitimam non fuiſſe, *Lopez in addit. c. §. Nec etiam Clericus. Avil. c. l. dub. 1. §. Præterea notandum.* Si tamen talis ſciret, vel ſcire poſſet, ac deberet, appellationem ſuam non eſſe juſtam, non eſſet immunis a peccato in foro animæ, & coram Deo, *Lopez c. l.* & alii communiter.

XLIV. Quarto, is, qui eſt excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, per ſententiam cenſuræ, quæ eſt nulla, etſi celebret, vel exerceat actus Ordinum, non fit irregularis, non enim debet is pœnam ſuſtinere Canonicam, in cujus damnationem non eſt Canonica prolata ſententia, *l. Non debet 64.* & ibi *Gl. V. Pœnam, cauſ. 11. q. 3.* nec debet ea ſententia appellari, quæ nulla eſt, *l. Si ſec. 4. §. Condemnatum ff. de re judic.* ſicut enim caret juris effectu, ſic & auctoritate, & nomine rei judicatæ carere debet, *Clem. 2. §. Ut igitur de ſent. & re judic. Lopez c. l. in addit. §. Eſt etiam. Avila cit. ſec. 2. dub. 2. concluſ. ult.*

Porro in hac irregularitate, quæ incurritur propter violationem cenſurarum, exercendo proprios actus Ordinis, ſolus Papa diſpenſare poteſt, *c. 1. de ſent. & re judic. in 6. & c. 1. de ſentent. excommun. in 6. Navarr. cit. c. 27. num. 245.* At vero poſt Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. cap. 6. de reform.* poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto præter homicidium.

§. VII.

An etiam excommunicatus minore excommunicatione fiat irregularis, celebrando Miſſam, vel alios actus Ordinis exercendo, & an eligere poſſit, vel eligi ad beneficia Eccleſiaſtica?

XLV. De hoc agitur in *c. Si celebrat. 10. & ultim. in princip. hoc t.* ubi Papa Gregorius IX. ita reſcribit: *Si ligatus minore excommunicatione celebrat, licet graviter peccet, nullius tamen irregularitatis notam incurrit, nec eligere prohibetur, vel ea, quæ ratione juriſdictionis ſibi competunt, exercere. Si tamen ſcienter talis electus fuerit, ejus electio eſt irritanda, eo quod a ſuſceptione eorum eligitur, a quorum perceptione per SS. Patres eſt privatus.* Incurrit autem hanc excommunicationem minorem, qui ſcienter communicat cum excommunicato (majore excommunicatione) in locutione, & aliis prohibitis, juxta *Excommunicatos 17. & c. ſeq. cauſ. 11. qu. 3. & c. Nuper 29. de ſent. excomm. & c. Statuimus 3. eod. in 6.* de quibus infra *Tit. 39.* & dicitur minor excommunicatio, quæ a fraterna ſocietate ſeparata, *c. ult. cauſ. 3. q. 4.* id eſt, a communione, ſeu perceptione Sacramentorum, ut explicat *Gl. ibid. in caſu.*

XLVI. Porro in *cit. c. ult. in princ.* tria dicuntur. Primo, quod minore excommunicatione obſtrictus ſi celebret Miſſam (idemque eſt, ſi alios actos Ordinis exerceat) non fiat irregularis. Ratio eſt, tum quia talis irregularitas non eſt jure expreſſa: tum quia hanc irregularitatem etiam majore excommunicatione irretiti non contrahunt, niſi faciant actum Ordinis, a cujus exercitio per cenſuram ſunt prohibiti, ſeu ſuſpenſi, colligitur ex *c. Si quis Epiſcopus 7. cauſ. 11. qu. 3. & c. 1. de ſent. & re judic. in 6. & c. Is cui 20.* ibi: *In officio ſuo agens, de ſent. excomm. in 6.* & patet ex ſupra dictis: at minore excommunicatione ligatus non prohibetur exercere actus Ordinis, ſicut nec adminiſtrare alia Sacramenta, ſed ſolum ea ſuſcipere, *c. 2. de except. c. pen. de ſent. excomm.* perceptio autem Sacramentorum non pertinet ad aliquem actum Ordinis, ergo etſi talis excommunicatus celebret Miſſam, non incurrit irregularitatem. Nec obſtat, celebrando graviter peccet, ut dicitur in *cit. c. ult.* quia non peccat, propter adminiſtrationem, ſeu exercitium Ordinis, quod ei prohibitum non eſt, adeoque neque propter celebrationem præciſe, ſed propter ſolam ſuſceptionem Sacramenti, quod celebrando percipit, quæ participatio paſſiva, ſive perceptio Sacramenti Euchariſtiæ, ei non competit ratione Ordinis ſui, cum commune ſit etiam Laicis: conſtat autem, ex ſupra dictis, hanc irregularitatem non incurri, niſi fiat aliquis actus competens Clerico, ratione ſui Ordinis, a cujus exercitio eſt prohibitus, non item ſi etiam a Laicis fieri poſſit. Aliud eſt, in ligato excommunicatione majore, qui, ſi celebret, fit irregularis, quia eſt ſuſpenſus ab exercitio, ſive collatione activa omnium Ordinum, & non tantum a participatione paſſiva, ſive perceptione Ordinum, & aliorum Sacramentorum, *Abb. hic n. 2. & ibid. Barb. n. 4. Covarr. in c. Alma, p. 1. §. 8. nu. 2. Lopez in cit. c. 33. in addit. litt. D. Suar. diſ. 42. de cenſur. ſec. 2. n. 3.* Deinde etſi excommunicatione minore ligatus graviter peccet, ut dicitur *citat. cap. ultim.* ſi celebrat, vel ſi etiam alia Sacramenta ſuſcipiat, quia quælibet receptio eſt materia gravis, ſacra, & prohibita, *Suar. cit. ſec. 2. numer. 2.* nulla tamen certa pœna ipſo jure impoſita eſt, propter hanc culpam, ſed ad arbitrium Judicis, vel Superioris eſt puniendus, *Gl. in cit. c. ult. V. Peccet, h. t. Suar. c. l. n. 3.*

Secundo dicitur in *eod. c. ultim. hoc tit.* quod ligatus minore excommunicatione non prohibetur eligere ad beneficia Eccleſiaſtica, nec exercere ea, quæ ratione juriſdictionis ipſi competunt, quia juriſdictio non pertinet ad participationem paſſivam, ſeu perceptionem Sacramentorum, qua ſola privat minor excommunicatio *cit. c. ult. de except. Abb. in cit. c. ultim. n. 2. not. 2. hoc tit.* Unde hujuſmodi excommunicatus Miſſam audire, & alia divina participare poteſt, quæ non ſunt Sacramenta, & in omnibus aliis actibus, ſeu negotiis, ſive ſacris, ſive civilibus, & profanis in judicio, vel extra illud, cum aliis communicare poteſt, quia tantum a Sacramentorum participatione eſt remotus a *citat. cap. 2. de except.* adeoque alia omnia ſunt ipſi licita, quia non prohibita, *Suar. cit. ſec. 2. nu. 4.* ubi etiam addit, quod non ſit privatus communibus ſuffragiis Eccleſiæ, quia non eſt ab illa præciſus.

Tertio dicitur in *eod. c. ultim. hoc tit.* quod minore excommunicatione ligatus non poteſt ſcienter eligi ad beneficia Eccleſiaſtica; ubi etiam ratio redditur, quia ad eorum ſuſceptionem talis eligitur, a quorum perceptione eſt privatus, hoc eſt, quia beneficium Eccleſiaſticum ordinatur ad ſacros Ordines ſuſcipiendos, a quibus tamen minore excommunicatione ligatus repellitur, ſive quos recipere non poteſt, *Laym. l. 1. Theol. mor. tract. 5. part. 2. c. 3. n. 5.* quæ ratio ſolum habet locum in electione ad Ordines, & beneficia Eccleſiaſtica, ideoque ſi quis excommunicatus eligatur ad temporalem dignitatem, vel officium, electio valida erit, nec propterea irritanda *Suar. cit. ſec. 2. nu. 14.* ſicut autem minore excommunicatione obſtrictus non poteſt eligi licite ad dignitates, ſeu beneficia Eccleſiaſtica, ita nec præſentari, neque ea illi conferri poſſunt, ob rationem allatam, *Laym. cit. loc.* Reſtant nunc aliquæ quæſtiones dubiæ, quæ ex deciſione hujus c. oriuntur, hoc loco expediendæ.

XLVII. Quæritur primo, utrum electio excommunicatione minore ligati ad beneficium Eccleſiaſticum, ſit ipſo jure nulla, an vero annullanda per Judicem? Reſp. Probabilius eſt, quod talis electio ad beneficium Eccleſiaſticum, etiam ſcienter facta, non ſit ipſo jure nulla, ſed irritanda, per ſententiam Judicis, prout expreſſe habetur in *cit. c. ult. hoc tit.* ubi dicitur: *Si tamen talis ſcienter electus fuerit, ejus electio eſt irritanda*: quod autem irritandum dicitur, ſupponitur non eſſe ipſo jure irritatum, quamvis non ſit firmiter validum, quia propter aliquem defectum per ſententiam irritari poteſt, ac debet, *Tolet. in Summa caſuum l. 1. c. 17. num. 4. Avila p. 2. de cenſur. c. 6. diſp. 12. dub. 4. concl. 2. c. 34. n. 106. Suar. diſ. 24. de cenſ. ſec. 2. num. 2.* ubi addit, idem dicendum eſſe, de quacunque electione beneficii, quia ratio textus æque locum habet. Contrarium tamen quod talis electio ſit ipſo jure irrita, tenet *Gl. in cit. c. ult. V. Privatus, hoc t. Hoſtienſ. ibid. V. Irritanda, & Abb. n. 3. Covarr. in cit. c. Alma, p. 1. §. 8. n. 3. Garc. p. 7. de benef. cap. 13. num. 27.* qui verbum *irritanda* exponunt, id eſt, irrita denuncianda, ſeu declaranda, juxta ſubjectam materiam, & rationem. Verum hæc expoſitio hic non habet locum, quia cum materia hæc ſit odioſa, & pœnalis, reſtringenda eſt, quoad rigorem, quia in pœnis benignior interpretatio eſt facienda, *reg. in pœnis 49. in 6.* neque ullo verbo indicatur in *cit. c. ult.* quod excommunicationis minoris vinculo ligatus reddatur omnino inhabilis ad electionem, ſed ſolum prohibetur, ne eligatur, ſicut ne Sacramenta percipiat. Unde quando in *c. Poſtulaſti 7. h. t.* & in aliis juribus dicitur, excommunicatis non poſſe beneficia Eccleſiaſtica conferri, neque eos poſſe illa licite retinere, ſermo eſt de excommunicatione majore, vel de excommunicatione ſimpliciter, per quam abſolute poſita intelligitur major: cum etiam illa majorem vim habeat, ideo merito ſtatutum eſt, ut electio ligati majore excommunicatione ſit nulla ipſo jure, ligati vero minore irritanda, *Suar. c. l. n. 16. & 20.* Neque etiam obſtat ratio expreſſa in textu *cit. c. ult.* quod talis excommunicatus privatus ſit Sacramentorum perceptione: quia electus ad beneficia non directe, & principaliter eligitur ad Sacramenta ſuſcipienda, quibus eſt privatus, ſed potius ad ea conferenda, & miniſtranda aliis: ideoque licet aliquando contingat, quod neceſſarium ſit ea ſuſcipere, ut aliis illa adminiſtret; id tamen eſt mere per accidens, & minus principale, adeoque attendi non debet: neque ſufficit ad hoc, ut electio propterea ipſo jure debeat eſſe irrita, *Arg. l. 5.* ibi: *Prima enim ratio, ff. de auctor. tut. Barb. in Collect. in cit. c. ult. n. 3. h. t.*

XLVIII. Porro etſi *Gl. hic V. Scienter*, in fine dicat, quod qui ſcienter eligunt ligatum minore excommunicatione, pro ea vice, ſint privati, ipſo facto, jure eligendi, juxta *c. Cum in cunctis §. Clerici, & c. Scriptum 40. in fine de elect.* ubi qui indignum eligunt, privantur, pro ea vice, jure eligendi, quia inhabilem, & indignum eligunt, ideoque pœnas juris incurrunt, ut dictum ſupra *lib. 1. titul. 6. ſec. 2. §. 5. num. 203.* Aliud tamen eſt de eligentibus ligatum minore excommunicatione, quia licet ſcienter eligentes talem excommunicatum graviter peccent, quia agunt contra prohibitionem juris in materia gravi, ſicut & ipſe electus recipiendo beneficium, *Avila c. l. dub. 4. concl. 1.* non tamen incurrunt pœnam impoſitam eligentibus indignum in Canonibus citt. quæ non eſt extendenda ultra caſus ibi expreſſos, neque eſt eadem ratio in eligente indignum, quæ in eligente ligatum excommunicatione minore, quia hic non peccat contra juſtitiam, ſicut ille, & defectus eſt levior, *Abb. in cit. c. ult. n. 8. Suar. cit. ſec. 2. n. 18.*

Sed contra obſtare videtur, quomodo verum ſit, quod minor excommunicatio tantum privet paſſiva receptione, ſeu participatione Sacramentorum, ſiquidem etiam privat electione paſſiva ad beneficium, ut talis excommunicatus eligi non poſſit. Sed reſpondetur, privare electione paſſiva, non directe, & immediate, ſed ſolum indirecte, & mediate, ſeu concomitanter, quia qui privatus eſt paſſiva receptione Sacramentorum, conſequenter, & indirecte etiam eſt privatus munere, ſeu officio, quod ad illam ordinatur; & ſic particula *tantum* non excludit privationem paſſivæ electionis, quæ eſt quid concomitans paſſivam ſuſceptionem Sacramentorum, *Suar. c. l. n. 23.*

XLIX. Quæritur ſecundo, an exiſtens in minore excommunicatione ad beneficium Eccleſiaſticum, non ſcienter, ſed ignoranter eligatur, ſive quia electores ignorarunt ipſum eſſe ſic excommunicatum, ſive etiam ipſe electus ignoraverit ſuam excommunicationem, electio debeat irritari? Affirmant communiter Canoniſtæ, *Abb. in cit. c. ult. num. 8. hoc tit. Covarr. citat. §. 8. num. 3.* quos ſequitur *Suarez. citat. ſec. 2. numer. 18.* Ratio eſt, quia electio ſic excommunicati non eſt a jure reprobata, ob culpam eligentium, ſed ob inhabilitatem ipſius electi, quem habilem reddere non poteſt ſola ignorantia.

Sed contraria ſententia eſt probabilior, quam tenet *Sylveſter V. Excommunicatio 4. n. 4. Avila cit. diſp. 12. dub. 4. concl. 4. Tolet. c. l. n. 4. Laym. in cit. c. 3. n. 5. Barb. in Collect. in cit. c. ult. n. 3. §. Verum contraria ſentent.* Idque probatur ex *cit. c. ult.* ex verbo *ſcienter*, quod ita explicari debet, ut non ſit ſuperfluum, ſed aliquid operetur: nihil autem operabitur, ſi dicatur, quod electio talis excommunicati ſit irritanda, etiamſi ignoranter facta ſit, quia æquali modo erit irritanda, ſive ſcienter, ſive ignoranter ſit facta, adeoque vocula *ſcienter* fruſtra eſſet addita.

Porro verba illa *cit. c. ult. Si tamen ſcienter talis electus fuerit*, referenda ſunt ad ipſum electum, ita ut ſenſus ſit, ſi talis excommunicatus, ſciens ſe minore excommunicatione ligatum eſſe, electus fuerit, ea irritanda eſt, ſive id ſciverint electores, ſive ignoraverint, *Laym. citat. loc.* Ad funda-

fundamentum vero contrariæ ſententiæ reſpondetur, quod electio excommunicati minore excommunicatione non debeat irritari, ob culpam eligentium, neque etiam ob inhabilitatem electi, quia is cenſura minoris excommunicationis eſt irretitus, ideoque inhabilis ut eligatur: nam alioquin ſequeretur, quod ipſius electio, ipſo jure, ſeu facto, ſit irrita, quod tamen communiter negant etiam DD. contrariæ ſententiæ ſed quia ex diſpoſitione SS. Canonum talis electio irritanda eſt, in pœnam electi, ſi hujuſmodi electionem ſciens ſe ligatum minore excommunicatione acceptavit, *Laym. c. loco* quamvis poſtea mutaſſe videatur hanc ſententiam in *qq. Canonicis de Prælat. Eccl. q. 58.*

L. Ubi præterea notandum eſt, ſi actus aliquis nullus ſit propter impedimentum juris, vel perſonæ ipſius inhabilitatem, tunc certum eſt, quod actus geſtus ab ignorante non ſit validus, neque ignorantia prodeſt ad valorem actus, quia ignorantia non poteſt habilem facere eum, qui ex impedimento juris, ſive ipſo jure eſt inhabilis: ſic enim collatio beneficii facta excommunicato majore excommunicatione eſt nulla, etiamſi ipſe probabiliter, aut invincibiliter ignoraret ſe eſſe excommunicatum, ut docet *Covarr. in cit. cap. Alma, p. 1. §. 7. n. 3.* & alii DD. communiter apud *Garc. cit.* 53. n. 9. & dictum ſupra. Si vero ſolum per legem ſit impoſita pœna iis, qui ſcienter aliquid faciunt, ut in *cit. c. ult. h. t.* quod electio excommunicati minore excommunicatione ſit irritanda, ea pœna non debet extendi, ſaltem ad probabiliter, aut invincibiliter ignorantes ſe eſſe ligatos minore excommunicatione, quæ non facit, ipſo jure, aliquem incapacem electionis paſſivæ, ſive ut eligi non poſſit ad beneficia, ſed ſolum ut reſcindi poſſit, ac debeat ejus electio: quin imo ſecundum plures DD. non debet talis pœna extendi etiam ad culpabiliter, & craſſe ignorantes, teſte *Barboſ. in cit. c. ult. n. 3. h. t.*

LI. Quæritur tertio, An etiam electio ejus, qui minore excommunicatione ligatus eſt, ad beneficia Eccleſiaſtica ſimplicia ſit irritanda? Affirmat *Gl marg. V. Privatus lit. B. in cit. c. ult. h. t. & Hoſtienſ. 16. V. Ad ſuſceptionem Suar. cit. ſec.* 2. n. 25. & alii communiter. Ratio eſt: quia ibi id generaliter deciditur de electione excommunicati minore excommunicatione, ad quodcunque beneficium Eccleſiaſticum, quantumvis ſimplex ſit, & per ſe, ac proxime non obliget ad celebrationem Miſſæ, vel ad ſuſceptionem ſacri Ordinis; nam ſatis eſt, quod ex intentione Eccleſiæ omnis beneficia, etiam ſimplicia, ad hunc finem ordinentur, ut Beneficiarius Miſſam celebret, & Sacramenta ſuſcipiat, & ſic omnis ille, qui eligitur ad beneficium Eccleſiaſticum, etiam ſimplex, eligitur ad prædictum finem, ac proinde ratio textus etiam convenit cuilibet beneficio Eccleſiaſtico: & cum diſpoſitio legis ſit generalis, ac indefinita, etiam generaliter de omnibus beneficiis intelligenda erit.

Contrarium tamen probabiliter tenet, *Barb. in cit. c. ult.* n. 3. *§. Utrum autem h. tit.* ex contrario fundamento, quia ratio textus non convenit beneficiis ſimplicibus, quippe quæ ea ſua primæva inſtitutione, non ordinantur ad ſuſcipienda Sacramenta, neque ad conferenda, vel adminiſtranda, ſed ſolum ad Horas Canonicas, & laudes DEO cantandas, aut recitandas, vel ad aliud officium eis annexum, ideoque beneficia ſimplicia dicuntur, *Rebuff. in praxi benef. tit. Seculare beneficium quotuplex n.* 120. neque per ſe requirunt, ut quis ad Sacerdotium promoveatur, *Arg. c. ult. de præbend.* ac proinde generalis deciſio hujus *c. ult.* per ejus rationem, *eo quod ad eorum ſuſceptionem excommunicatus minore excommunicatione eligitur, a quorum perceptione eſt privatus*, quippe quæ non congruit beneficiis ſimplicibus, debet reſtringi, ut ſolum habeat locum in iis beneficiis, quæ ad celebrationem Miſſæ, & conſequenter etiam ad ſuſceptionem Sacramentorum, ex ſua inſtitutione, ordinantur, juxta regulam traditam in *l. Cum pater 77. §. Dulciſſimis ff. de legat.* 2. ubi Bartolus in Summa ait, *dictum legis reſtringitur per rationem*: præſertim cum hic verſentur in materia pœnali, & odioſa, nempe de irritanda electione, & conſequenter reſtringenda eſt.

§. VIII.

An, & quomodo peccet ligatus minore excommunicatione, conferendo, vel adminiſtrando Sacramenta?

LII. De hoc agitur in *cit. ult. §. Peccat autem hoc titul.* „ ubi dicitur; peccat autem (ſcilicet talis excommunica- „ tus (conferendo Eccleſiaſtica Sacramenta, ſed ab eo „ collata, virtutis (id eſt, gratiæ, *Hoſtienſ. hic*) non ca- „ rent effectu, cum non videatur a collatione, ſed parti- „ cipatione Sacramentorum, quæ in perceptione conſiſtit, remotus. Ubi verbum *videatur* non ſignificat dubitationem, ſed abſolutam aſſertionem, & ſententiam, ac ſi diceret, cum non ſit remotus, alioquin ratio adjuncta non congrueret aſſertioni, ut notat *Suar. cit. diſ.* 24. *ſec.* 2. n. 6. Ratio autem, cur Sacramenta ab excommunicato excommunicatione minore collata effectum habeant, eſt, quia Sacramenta etiam a criminoſo collata, & recepta valent, dummodo ab Eccleſia toleretur, *c. ult. cauſ.* 25. *q. ult.* & forma Eccleſiæ in collatione ſervetur. Nam licet talis ſit ſuſpenſus a perceptione Sacramentorum, & ſic non debeat illa percipere: non tamen eſt ſuſpenſus a collatione, & ſic videtur ſuſpenſus quoad ſe tantum, non quoad alios, *Gl. in cit. c. ult. V. Non carent. & Hoſtienſ. V. Virtutis.* Et quamvis ſic excommunicatus peccet, conferendo Sacramenta aliis, non tamen prohibentur ſubditi ab illo ea recipere, adeoque non prohibetur a collatione, quantum ad Subditos, ſed a participatione, ſeu perceptione tantum, quæ ipſum tangit, & commaculat. *Hoſtienſ. V. a collatione.* Conferens ergo Sacramenta non participat, quia non confert illa principaliter in ſuam utilitatem, ſed ad recipientium utilitatem: participans vero principaliter percepit Sacramenta ad ſuam utilitatem, & ideo dicitur participare, id eſt partem capere, & prohibetur a participatione, ſeu perceptione Sacramentorum, quam principaliter facit propter ſuam utilitatem: non autem ita prohibetur a collatione, quæ principaliter reſpicit utilitatem aliorum, *Hoſtienſ. hic Verſ. In ſola perceptione.*

LIII. Additur in *cit. c. Peccat autem in fine*. Limitatio, „ dummodo non in contemptum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, „ videlicet contra prohibitionem Superioris, communioni „ excommunicatorum pertinaciter ſe ingeſſerit, quo caſu „ anathemate, hoc eſt, majore excommunicatione eſt fe- „ riendus, nempe per ſententiam, ſi commonitus non deſtiterit a communicatis cum excommunicatis, juxta *cap. Quod in dubiis 30. de ſent. excom.* & tunc Sacramenta ab eo collata effectu carent, & a tali ordinatus non habet executionem Ordinis, licet Characterem accipiat, ſi in forma Eccleſiæ Ordo conferatur, *Gl. hic V. In contemptum*: & inſuper talis, ob contemptum excommunicatus, privatus erit poteſtate eligendi, & juriſdictione, *Gl. marg. hic in §. Peccat autem.*

LIV. Sed nunc ulterius quæritur, quomodo peccet ligatus minore excommunicatione, ſi Sacramenta conferat, quia id in textu non exprimitur? Prima opinio eſt, quod peccet mortaliter, *Sylveſt. V. Excommunicatio 4. n. 5.* Sed contra eſt; quia ſic excommunicato non prohibetur activa participatio, ſive collatio Sacramentorum, ſed ſolum paſſiva participatio, ſive perceptio eorum, ergo nihil facit contra prohibitionem SS. Canonum, adeoque non peccat, ſaltem graviter, *Suarez cit. loco n.* 6. Secunda ſententia eſt, quod talis omnino non peccet, nec venialiter, adminiſtrando Sacramenta, quia privatur ſolum participatione paſſiva, ſive perceptione Sacramentorum, collatio autem non eſt illi prohibita, ſi conferendo non ſuſcipiat. *Navarr. in Manual. cap. 27. numer.* 24. Et hinc talis excommunicatus, non ſolum poteſt alium abſolvere ab excommunicatione, quia talis abſolutio non eſt Sacramentalis, ſed etiam a peccatis, quia hoc eſt conferre, ſive adminiſtrare Sacramentum pœnitentiæ, non autem ſuſcipere: & poterit etiam infirmis Euchariſtiam miniſtrare: ſine celebratione Miſſæ, *Lopez in pract. Can. cit. c.* 33. *in addit. lit. E.* Nec obſtat quod in *cit. c. ult. §. Peccat autem*, dicitur, excommunicatum minore excommunicatione peccare, conferendo Sacramenta: quia id intelligi debet de illa collatione, quæ fit una cum participatione, ſive perceptione paſſiva: nam alias textus ille eſſet ſibi contrarius, cum expreſſe ibi deciſum ſit; talem excommunicatum a ſola participatione, ſive perceptione Sacramentorum eſſe remotum, adeoque non peccat, ſi ſolum conferat, & non ſuſcipiat, *Lopez cit. loc.* Et hæc ſententia probabilis eſt. Tertia ſententia eſt, quod ſi talis excommunicatus Sacramenta non percipiat, ſed ſolum conferat, venialiter tantum peccet, idque probatur ex *cit. c. ult.* Nam poſtquam prius dictum fuerat, quod ſi celebrat, peccat graviter, poſtea dicitur, peccat autem conferendo Sacramenta Eccleſiaſtica, non addendo, graviter, ſicut prius, ergo ſaltem leviter, ſive venialiter peccabit, *Covarr. in c. Alma p. 2. §. 8. n. 2. Avila p. 2. de cenſ. c. 6. diſ.* 52. *dub. 3. Suar. cit. ſec.* 24. n. 22. ubi etiam rationem dat, quia per ſe quidem, & directe non removetur quis per excommunicationem minorem a collatione Sacramentorum, & ideo non peccat graviter, ſi hoc faciat, nec aliquam pœnam Eccleſiaſticam incurrit: quia tamen talis excommunicatio aliquam indecentiam afferat, non caret aliqua culpa, quod in eo ſtatu Sacramentum miniſtret. Ex quo ſequitur, ſuppoſita hac ſententia quæ etiam valde probabilis eſt, quod ſi Epiſcopus ligatus minore excommunicatione celebret, & conferat Ordines, peccat mortaliter, & venialiter: mortaliter, in quantum in Miſſa communicat: venialiter, in quantum adminiſtrat Sacramenta Ordinis, ſive Ordines confert, *Avila cit. loco.*

TITULUS XXVIII.

De Clerico non ordinato Miniſtrante.

Dictum eſt Titulo præcedente de Clerico excommunicato, depoſito, vel interdicto miniſtrante ſubjicitur nunc iſte Titulus de Clerico non ordinato miniſtrante: ac proinde agitur hic de irregularitate, quam quis incurrit per uſurpationem illicitam Ordinis, quem non habet.

I. Quæritur primo. An irregularis fiat, & quam pœnam incurrat Clericus, qui miniſtrat in Ordine, quem non habet? Reſp. de hoc agitur inprimis in *cap. Si quis* 1. *h. t.* ubi Papa Honorius ſtatuit, ut ſi quis baptiza- „ verit, aut aliquod divinum Officium exercuerit, non or- „ dinatus (ut ſi quis Epiſtolam cantat, vel legat, tanquam „ Subdiaconus, cum non ſit, vel Evangelium, tanquam „ Diaconus, vel tanquam Sacerdos celebret, cum non ſit „ (propter temeritatem, ac præſumptionem ſuam, abjici- „ atur ex Eccleſia, & nunquam ordinetur. Ratio eſt; quia talis graviter delinquit, uſurpando ſibi officium, ſeu miniſterium, ad quod non eſt ordinatus ſeu deputatus, nec poteſtatem accepit, ideoque puniendus eſt in eo, in quo deliquit, *Vivian. in Ration. Jur. Pontif. hic.*

II. Præterea in *c. Ex litteris* 2. *hoc tit.* habetur, quod „ quidam Diaconus, antequam Epiſcopus ei manum im- „ poſuiſſet (id eſt, in Presbyterum eum ordinaſſet) Miſ- „ ſarum celebrationem uſurpare præſumpſerit. Conſultus „ ſuper hoc Papa Urbanus III reſpondet, quod ad Sa- „ cerdotis Officium non poterit promoveri (ſine diſpen- „ ſatione ſcilicet, & ſic punitur in eo, in quo deliquit,

Gl.

Digitized by Google

„ *Gl. hic V. Promoveri* a Diaconatu quoque per biennium, vel triennium, prout Epiſcopo Diœceſano viſum fuerit, ſuſpenſus maneat. Quoad beneficium vero cum eo miſericorditer, & clementer agatur, ne ſuſtentatione neceſſaria privatus, ad ſeculi negotia convertatur (quod redundaret in opprobrium Ordinis Clericalis, ſi mendicare cogeretur, *c. Ad ſupplicationem. 9. de renunc. Gl. hic V. Negotia*) Ut autem ſecurius cum eo diſpenſari poſſit (nempe ut habeat executionem Ordinis Diaconatus, poſt tempus ſtatutum, & beneficium Eccleſiaſticum retinere poſſit, *Gl. hic V. Miſericordiam*) condigna pœnitentia ei imponatur. Conſultius autem ſaluti animæ talis faceret, ſi ad vitam regularem, ſeu ſtatum Religioſorum transiret.

III. Pro intellectu horum capp. notandum, Clericus miniſtrans in Ordine, quem non habet, fit irregularis, ut colligitur ex *cit. cap. 1. h. tit.* ubi duplex pœna imponitur tali uſurpatori Divini, ſeu Eccleſiaſtici Officii, ut notat *Suar. diſ. 42. de cenſur. ſec. 4. num. 2.* Prima eſt excommunicatio, non quidem ipſo jure lata, ſed ferenda per ſententiam, ut patet ex verbo *abjiciatur*, quod miniſterium hominis requirit. Secunda eſt pœna irregularitatis, quæ ſignificatur illis verbis, *nunquam ordinetur*, ita ut is, qui miniſtrat in Ordine ſuperiore, quem non habet, v. gr. Diaconus in officio Sacerdotis, ut in caſu *citat. cap. 1. h. t.* nunquam in perpetuum poſſit promoveri ad Ordines ſuperiores nondum ſuſceptos v. g. Sacerdotii, in quo miniſtravit, niſi cum illo diſpenſetur. Quod vero attinet ad Ordines inferiores, jam ſuſceptos, is, qui miniſtravit in Ordine, quem non habuit, tantum eſt ſuſpenſus ab uſu, & exercitio Ordinis proxime, & poſtremo ſuſcepti, & quidem ſolum ad tempus biennii, vel triennii, pro arbitrio Epiſcopi, ita tamen, ut poſt elapſum triennium, non poſſit ultra durare, etiam cum voluntate Epiſcopi, illa ſuſpenſio: nam in *citat. cap. 2.* tantum fit mentio de ſuſpenſione ad tempus a Diaconatu: nulla autem de ſuſpenſione ab uſu, & exercitio aliorum inferiorum Ordinum jam ſuſceptorum, adeoque tali Clerico adhuc licitum erit in illis miniſtrare, ſicut etiam *Abbas* ibidem ſolum meminit de ſuſpenſione ab exercitio Diaconatus, & quidem ad tempus, non autem aliorum Ordinum inferiorum. Cum ergo diſpoſitio hæc ſit odioſa, & pœnalis, ideo potius verba illius reſtringenda ſunt, quam extendenda, *Suar. citat. ſec. 4. num. 4.* Sic etiam ſi ſimplex Sacerdos exerceat actus Ordinis Epiſcopalis, quem non habet, v. g. ſi adminiſtret Sacramentum Confirmationis, vel Ordinis, fit irregularis, ita ut in perpetuum non poſſit conſecrari in Epiſcopum: ab uſu vero, ſeu exercitio Sacerdotii per biennium, vel triennium, eſt ſuſpenſus, arbitrio Epiſcopi, ab executione vero Ordinum inferiorum non eſt prohibitus, *Avila p. 7. de cenſ. diſ. 9. ſec. 2. dub. 15. concl. 2. Suar. cit. ſec. 4. num. 7.*

IV. Sed quæritur hic primo, an ſi Laicus exerceat actus Ordinis alicujus, ſive uſurpet Miniſteria Clericorum, incurrat irregularitatem, ut ſi Laicus v. g. ſolemniter baptizet? Reſpondent communiter DD. affirmative, *Navarr. in manu. cap. 27. num. 242. in fine. Avila citat. p. 7. diſ. 9. dub. 13. in fine. Suar. cit. diſ. 42. ſec. 4. num.* 10. Idque probatur ex *cap. 1. h. tit.* quod loquitur generaliter, & abſolute de quocunque non ordinato miniſtrante in Ordine, quem non habet: ſed Laicus nullum omnino Ordinem habet, ergo ſi miniſtret in aliquo, fit irregularis. Nec obſtat, quod Rubrica hujus Tituli ſit de Clerico non ordinato miniſtrante, quia in pluribus manuſcriptis Codicibus habetur iſta inſcriptio, de non Ordinato miniſtrante, teſte *Gl. marg. hic* Deinde non ſemper valet argumentum a rubro ad nigrum, quia quandoque contingit, ut nigrum ſit generalius rubro, hoc eſt, plus continentur in Titulo quam contineat inſcriptio Tituli, & vice verſa, ut rubrum nigro ſit generalius, ut notat *Everhard. in locis argum. loco a rubro. quaſt. 2. num. 11.* Accedit, quod eadem, imo major ſit ratio, cur Laicus incurrat irregularitatem, miniſtrando in Ordine, quem non habet, quam Clericus, quia Laicus magis delinquit, uſurpando aliquem Ordinem, cum nullum omnino habeat, quam Clericus, qui ſaltem in Clericali ſtatu eſt conſtitutus. Contrarium tamen probabiliter tenent plures apud *Laym. lib. 1. tract. 5. p. 5. cap. 3. numer. 3.* quos & ipſe ſequitur: tum quia hæc irregularitas non habetur expreſſa in jure: tum quia qui miniſtrat in Ordine, quem non habet, eſt deponendus, ut docet *Abb. in cap. 1. h. titul. notat. 1.* & nunquam ordinandus, depoſitio autem eſt propria Clericorum, & in Laicis locum non habet. Ratio autem, cur irregularitas potius jure decreta ſit in Clericos miniſtrantes in Ordine, quem non habent, quam in Laicos, eſſe poteſt, quia talis uſurpatio frequentior eſſe ſolet in Clericis, quam in Laicis, *Laym. citat. loc.* Argumentum vero a paritate, vel etiam majoritate rationis, in materia irregularitatis, non eſt efficax, ut fatentur etiam contrariæ ſententiæ Auctores, ideoque non obſtat huic ſententiæ. Ex quo ſequitur, quod ſi Laicus fingens ſe Sacerdotem, a peccatis abſolvere præſumat, non fiat irregularis, *Laym. citat. l.* Poteſt tamen Laicus, qui ſe dicit Clericum, & actibus Clericorum ſe ingerit, ut falſarius puniri pœna falſi, *Gl. in c. 2. V. Propter temer. h. t. Diaz. in pr. Can. crim. c. 12. num. 2.*

Quæritur ſecundo, quæ requirantur ad incurrendam hanc irregularitatem ab eo, qui miniſtravit in Ordine, quo caruit, ſive quem non recepit: Reſpondetur plura requiri, ut notat *Sylveſt. Verſ. Irregularitas, quaſt. 12. num. 14. Avila cit. diſ. 9. ſec. 2. dub. 13. Suar. cit. ſec. 4. num. 14. & ſeqq.* Primo, ut exerceat actum proprium Ordinis, ſive Miniſterium, quod ab alio, qui talem Ordinem non habet, exerceri non poſſit. Secundo, ut miniſtret in Ordine, quem non habet ſcienter, non ex ignorantia, probabiliter putans ſe habere talem Ordinem, ut patet ex *citat. cap. 1.* ibi: *Propter temeritatem, h. tit.* Nam hæc irregularitas eſt pœnalis, ideoque ſine culpa, & peccato non incurritur, *Suar. citat. ſec. 4. num. 16.* quin imo *Avila citat. loc.* putat non incurri hanc irregularitatem ab eo, qui etiam ex craſſa ignorantia miniſtrat in Ordine, quem non habet, quia eſt valde gravis pœna, ideoque non incurritur, niſi a ſciente, & temerarie præſumente ſive per contemptum miniſtrante.

Tertio requiritur, ut miniſtraverit ſcienter in Ordine, quem non recepit, quoad ſubſtantiam, quia tunc ordinatio fuit nulla, ob defectum ſubſtantialem, adeoque miniſtravit in Ordine, quem non habet: ſecus ſi in ordinatione omiſſum ſit aliquid accidentale, quod certum eſt non eſſe de ſubſtantia v. g. unctio aliqua: tunc enim ſi miniſtret, antequam ſuppleatur omiſſum, peccat quidem graviter; (niſi eſſet omiſſa parva ceremonia, quæ neceſſario ſupplenda non eſt) per hanc tamen culpam, etſi gravem, non incurrit irregularitatem: quia ea nullo jure eſt expreſſa, quamvis prohibeatur interim miniſtrare donec defectus ille ſuppleatur, *Silveſt. cit. l. limit. 5. Suar. citat. ſec. 4. num. 11. & 12.*

VI. Quarto, ut in Ordine, quem non habet, miniſtret ſerio, non per jocum tantum, nam ſi tota actio exterior ſit ludicra, graviter quidem talis peccat, quia id cedit in gravem injuriam, & irreverentiam Sacramenti, nulla tamen incurritur irregularitas, quia talis non vere miniſtrat Ordine, quem non habet, & nullum jus reperitur tali caſu irregularitatem inducens, *Silveſt. cit. l. limit. 2. Avila cit. l. limit. 3. Suar. cit. ſec. 4. num. 16.* qui tamen *num.* 18. addit, eum fieri irregularem, qui quoad exteriorem actionem, ſerio exercet actum aliquem Ordinis, quamvis ſine interiore intentione conficiendi Sacramentum, vel aliud Miniſterium ſacrum faciendi, quia Lex intendit punire uſurpationem exterioris Miniſterii alicujus Ordinis, adeoque ad hanc irregularitatem incurrendam, ſufficit voluntas faciendi actus Ordinis, exterius, etiam ſine interna intentione faciendi Sacramentum, vel aliud verum Miniſterium, quod non poteſt is, qui ſcit ſe non eſſe ordinatum, vere intendere. Unde ſi non Sacerdos ſolemniter, & tanquam ex officio baptizet, vel Miſſam celebret, vel abſolvat a peccatis, vel etiam ſolum Confeſſiones audiat, fit irregularis, etiamſi nullam habeat interiorem intentionem conficiendi Sacramentum, alioquin iniquiſſimi homines facile vitare poſſent hanc pœnam, ficte Sacramenta conferendo, vel alia miniſteria ſacra exercendo, *Suar. cit. l. num. 19.*

VII. Quinto requiritur, ut quis miniſtret in Ordine, quem non habet, ſolemniter, & tanquam ex officio ad tale miniſterium deputatus, & conſtitutus, ſi enim ſine ſolemnitate id faciat, vel non tanquam ex officio, non erit irregularis, ut ſi quis non Diaconus legat, vel canat Evangelium, ut dici ſolet a Monialibus in Matutinis, vel cum Dalmatica, ſed ſine Stola, vel Epiſtolam cum Dalmatica, ſed ſine Manipulo vel etiam cum Manipulo, ubi conſuetudo quod non ordinati ſic eam canant, quia non tam exercet officium Diaconi, vel Subdiaconi, quam Cantoris, *Silveſt. cit. l. limit. 6. Avila citat. loc. limit. 5.* & dictum ſupra.

Hinc infertur primo, quod Clericus, exercendo actum Ordinis, quem habet, nunquam incurrit irregularitatem, propter uſurpatam juriſdictionem, quam non habet, quia hæc irregularitas ſolum lata eſt in eum, qui exercet actum Ordinis, quem non habet. Unde etſi Sacerdos ſolemniter baptizet non ſubditum, vel Sacramenta Pœnitentiæ, aut Euchariſtiæ adminiſtret non ſubditis, ſine licentia proprii Parochi, non fit irregularis, quia non exercet actum Ordinis, quem non habet, ſed ſolum uſurpat alienam juriſdictionem. Idemque eſt, ſi aſſiſtat matrimonio alieni Parochiani, ſed non benedicat nuptias.

Infertur ſecundo, ſi Diaconus baptizet ſolemniter, ſine licentia Epiſcopi, vel Presbyteri, etiam in extrema neceſſitate, fit irregularis, quia ex officio, & ſolemniter baptizare competit Sacerdoti, non Diacono: cum licentia vero Epiſcopi, aut Presbyteri, licite baptizat, etiam ſolemniter, & extra caſum neceſſitatis, & conſequenter non fit irregularis, *Navar. in man. cap. 22. num. 6. Avila citat. ſec. 2. dub. 14. concl. 2.*

VIII. Sexto requiritur ad incurrendam hanc irregularitatem, ut qui miniſtrat in Ordine, quem non habet, ſit capax irregularitatis: unde ſi fœmina exerceat ea, quæ ſunt Ordinis, non fit irregularis, quia irregularitas eſt privatio Ordinis, vel uſus illius. Idemque dicendum, ſi quis non baptizatus miniſtret in Ordine, quia neque hic eſt capax irregularitatis, ſaltem illius, quæ ob delictum eſt lata: cum enim non baptizatus, ſeu infidelis ſit extra forum Eccleſiæ, non ligatur ejuſdem legibus, *Suar. cit. ſec. 4. num. 20.*

IX. Septimo denique aliqui requirunt ad hanc irregularitatem incurrendam, ut non ordinatus miniſtret in Ordine ſacro, non in minoribus Ordinibus: nam in his etiam Laici ſolent, & licite poſſunt miniſtrare, etiam in veſtibus ſacris, v. g. in ſuperpelliceo, quamvis ad hoc non ſint ex officio deputati, *Silveſt. V. Irregularitas, quaſt. 13. Avila citat. diſ. 9. ſec. 2. dub. 13. limit. 1.* Sed obſtat primo, quod *citat. cap. 1. h. titul.* dicitur generaliter *ſi aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, nunquam ordinetur*: ſed functiones ſeu officia minorum Ordinum ſpectant ad divinum officium, ergo qui illa exercent non ordinati, fiunt irregulares. Obſtat ſecundo, quod ſi Clericus excommunicatus miniſtret ex officio in Ordinibus minoribus, fiat irregularis, ſecundum valde probabilem ſententiam, ut dictum *Titul. praced. §. 6. numer. 37.* eadem eſt autem ratio in propoſito. Quare conſequenter dicendum eſt, ſi quis exerceat actum aliquem, etiam in minoribus, tanquam ex officio, & miniſter ordinarius in eo, cum non ſit, ita ut nullus tali modo exercere poſſit hujuſmodi actum, niſi habeat talem Ordinem, fiet irregularis, quod tamen nonniſi raro contingere poteſt, ut etiam dictum *Titul. praced. numer. 39.* Si vero quis ſolum exerceat miniſterium, ſive actum minoris Ordinis,

eo

Digitized by Google

eo modo, quo ſecundum conſuetudinem etiam a Laicis, non ordinandis exerceri ſolent, non incurret irregularitatem, *Navarr. cit. c. 27. n. 242. dict. 7. Suar. cit. ſec. 4. n. 15.*

X. Quæritur tertio, quis in hac irregularitate diſpenſare poſſit? Reſp. ſolus Papa poteſt cum tali diſpenſare, ut ad ſuperiores Ordines aſcendat: at vero poſſit uti Ordine jam ſuſcepto, etiam Epiſcopus diſpenſare poteſt: ſicut etiam circa beneficium, ut illud retineat, ne ſuſtentatione neceſſaria privatus ad ſeculum revertatur, ut conſtat ex *c. 2. h. t.* & tradit *ibid. Abb. n. 2. & 3. Hoſtienſ. in Summa h. t. n. 3. Sylveſt. cit. q. 12. Diaz. in pract. Can. c. 12. nu. 4. Avila cit. ſec. 2. dub. 15. concl. 3.* ubi addit, quod poſt Concil. Trident. Epiſcopus poteſt diſpenſare in hac irregularitate, etiam ad ulteriores Ordines non ſuſceptos, ſi delictum ſit occultum, juxta *c. 6. Seſſ. 24. de reform.*

XI. Poſtremo hic addendum, quod hodie extat Conſtitutio Papæ Clementis VIII. edita, & promulgata Romæ die 4. Decembris, anno 1601. quæ incipit, *Etſi alias*, & habetur *Quarant. in Summa Bullarii V. Ord. in fine*, ubi ſtatuitur:
„ Ut quicunque non promotus ad ſacrum Presbyteratus Ordinem repertus fuerit, Miſſarum celebrationem
„ uſurpaſſe, vel Sacramentalem Confeſſionem audiviſſe; a
„ Judicibus S. Inquiſitionis, vel locorum Ordinariis, tan-
„ quam Eccleſiæ miſericordia indignus, a foro Eccleſiaſti-
„ co abjiciatur, & ab Ordinibus Eccleſiaſticis, ſi quos ha-
„ buerit, rite degradatus, ſtatim Curiæ ſeculari tradatur,
„ per Judices ſæculares debitis pœnis plectendus.

TITULUS XXIX.

De Clerico per ſaltum Promoto.

I. PRæmittendum, non tantum is, qui non eſt ordinatus exercere prohibetur Officia Eccleſiaſtica, ſive actus Ordinum, de quo Tit. præcedente; ſed etiam is, qui non eſt rite, ſeu præpoſtere ordinatus, ut ſi quis per ſaltum ſuſcipiat aliquem Ordinem; nam Ordines ita inter ſe ſunt ſubordinati, ut per minores, ſive inferiores gradatim ad majores, ſive ſuperiores Ordines ſit aſcendendum. Si quis igitur prætermiſſo inferiore aliquo Ordine, uno vel pluribus, ſuſcipiat Ordinem ſuperiorem, dicitur per ſaltum promotus ad Ordines: ut ſi quis ordinetur Lector priusquam Oſtiarius, vel Diaconus, ante ſuſceptum Subdiaconatum. Et licet collatio Ordinis altioris, non ſuſcepto prius Ordine inferiore, ſit valida, etiamſi quis ex laico, qui nullum habuit Ordinem, immediate Sacerdos ſit ordinatus, ut docet *Gl.* communiter recepta, *in c. Sollicitudo, unic. diſt. 52. V. Subdiaconatus*, & ſupponitur in *c. unic. h. t.* ubi enim quidam ſuſcepit Ordinem Sacerdotii, prætermiſſo Diaconatu, & tamen non præcipitur repetere Sacerdotium, ſed ſuſcipere Ordinem, qui omiſſus fuit: eſt tamen illicita talis ordinatio, & jure prohibita, ideoque pœna condigna ordinato eſt imponenda, *Abb. in c. unic. n. 1. h. t.*

II. Quæritur primo. An ordinatus per ſaltum ſit irregularis, ita ut non poſſit uti ſuſcepto, nec Ordinem prætermiſſum recipere, niſi cum eo diſpenſetur? Reſp. talem non eſſe quidem irregularem, ſi non miniſtravit in Ordine per ſaltum recepto: eſſe tamen ipſo jure, ac facto ſuſpenſum ab executione Ordinis ſic ſuſcepti, donec Ordo inferior omiſſus ſuppleatur, *Sylveſt. V. Irregularitas q. 15. n. 13. Avila p. 7. de cenſ. diſ. 9. ſec. 2. dub. 2. concl. 1. & 2. Suar. diſp. 31. de cenſ. ſec. 1. n. 45. & ſeqq.* Idque probatur ex *c.*
„ *Tua un. h. t.* ubi habetur, quod quidam Subdiaconus P.
„ nomine, prætermiſſo Ordine Diaconatus, ſe fecit ordi-
„ nari in Sacerdotem, qui poſtea in ſecreto Epiſcopo ſuo
„ confeſſus fuit (tanquam Judici, non in confeſſione Sa-
„ cramentali, *Hoſtienſ. hic V. Secreto*) ſe pro certo neſcire,
„ an res ſic ſe haberet: ſed quia viri boni hoc aſſerebant,
„ inter quos fuerat converſatus, credebat aſſertioni eorum:
„ cum eo tempore, quo Ordines inferiores ſuſceperat, in-
„ fra annos diſcretionis conſtitutus eſſet. Quæſivit ergo E-
„ piſcopus loci a Papa Innocentio III. Quid hic eſſet agen-
„ dum, qui mandavit Epiſcopo, ut condignam pœniten-
„ tiam, propter hujuſmodi negligentiam (quæ craſſa, &
„ ſupina ignorantia fuit, ideoque ipſum non excuſabat,
„ *Gl. hic V. Hujuſmodi*) ei imponat, qua peracta, quia non
„ cenſetur iteratum, quod neſcitur eſſe factum, ipſum in
„ Diaconum ordinare procuret, & ſic ex miſericordia e-
„ odem miniſtrare in Ordine Sacerdotis permittat.

III. Jam ergo probatur prima pars aſſertionis, quod recipiens Ordinem per ſaltum non ſit irregularis, tum quia etſi miniſtrans in Ordine, quem non habet, fiat irregularis; nullo tamen jure ſtatutum habetur, quod quis fiat irregularis ex eo ſolum, quod prætermiſit Ordinem inferiorem, ſi in ſuſcepto per ſaltum non miniſtravit: tum quia in *cit. c. un. h. t.* non ſtatuitur talis irregularitas, ut patet ex illis verbis, *ipſum in Diaconum ordinare procuret*: ex quibus colligitur, quod per ſaltum ordinatus non eſt per ſe impeditus, & inhabilis ad ſuſcipiendos Ordines quo minus ſaltem ex diſpenſatione Epiſcopi, poſſit Ordinem prætermiſſum recipere: ideoque etiam ibi permittitur, ut poſtquam Ordo prætermiſſus eſt ſuppletus, Epiſcopus cum tali diſpenſet, ut poſſit miniſtrare in Ordine per ſaltum ſuſcepto: ſi autem irregularis foret, ſolus Papa diſpenſare poſſet, *Avila p. 7. diſp. 9. ſec. 1. dub. 2. concl. 1. Zoeſ. in Comment. in Decret. h. t. n. 2.* Altera pars, quod promotus per ſaltum, ipſo jure maneat ſuſpenſus ab Ordine ſic ſuſcepto, probatur ex *cit. c. unic.* ubi cum quidam Subdiaconus, prætermiſſo Diaconatu, factus eſſet Sacerdos, præcipitur, ut Epiſcopus eum procuret ordinare Diaconum, & tunc miſericordia permittat miniſtrare in Ordine Sacerdotii: ergo ibi ſupponitur, quod erat ipſo jure ſuſpenſus ab executione Ordinis Sacerdotii, alioquin nulla opus fuiſſet diſpenſatione, *Avila cit. l. concl. 2.* Idque confirmatur ex Concilio Tridentino *Seſſ. 23. c. 14. de reform.* ubi in fine dicitur: eum promotis per ſaltum, ſi non miniſtraverint, Epiſcopus ex legitima cauſa poteſt diſpenſare: ergo ibi ſupponitur, quod etſi non miniſtraverint, ſint ipſo facto ſuſpenſi, alioquin miniſtrando in Ordine non contraherent novum impedimentum, ſeu irregularitatem, ſi non eſſent ſuſpenſi, ſed ſolum ſuſpendendi, quia ſuſpenſi, vel alia cenſura irretiti, exercendo actum Ordinis, a quo ſunt ſuſpenſi, fiunt irregulares, *c. 1. de ſent. & re judic. in 6.* patet ex ſupra dictis, *Avila cit. Tolet. in ſumma lib. 1. c. 50. n. 18.* Nec obſtat, quod in *c. Sollicitudo, diſ. 52.* præcipitur, ut Epiſcopus eum, qui per ſaltum ſuſceperat Diaconatum, & Presbyteratum, prætermiſſo Subdiaconatu, ab Officio Sacerdotali prohibeat, donec recipiat Subdiaconatum, ergo talis non eſt ſuſpenſus ipſo jure ſuſpendendus per ſententiam. Reſpondetur enim, quod verbum, *prohibeat*, non ſignificat prohibere per cenſuram, ſuſpendendo eum, ſed ut Epiſcopus eum compellat ad obſervandam cenſuram, qua jam erat ligatus, *Avila cit. ſec. 1. dub. 2. in fine*: ubi addit, etſi detur, ibi non contineri ſententiam latam ipſo jure, ſed ferendam; tamen illud cap. correctum eſſe per *cap. un. hoc tit.* quod eſt poſterius, & ei conſonat etiam Concilium Tridènt. *cit. l.*

IV. Hinc ſequitur primo. Si per ſaltum promotus, ante abſolutionem ſuſpenſionis, miniſtrat in Ordine ſic recepto, vel etiam in Ordine prætermiſſo fit irregularis, ſive ante illum ſuſceptum, ſive poſt ſuſceptum miniſtraverit, ſine legitima diſpenſatione: ſi enim miniſtraverit ante, fit irregularis, tanquam miniſtrans in Ordinem, quem non habet, juxta ſupra dicta: ſi poſt illum ſuſceptum, itidem fit irregularis, quia cum illa ſit ſuſpenſus a receptione Ordinis prætermiſſi, poſtquam illum ſine diſpenſatione ſuſcepit, manet adhuc ſuſpenſus ab ejus executione, ergo ſi in illa cenſura miniſtret, fit irregularis, juxta *c. 1. de ſentent. & re judic.* & neutro caſu poteſt diſpenſare Epiſcopus: non in irregularitate contracta per uſum Ordinis, a cujus receptione erat ſuſpenſus, quia talis facultas nullibi Epiſcopo eſt conceſſa; nec in ſuſpenſione, quam incurrit, & quæ eſt impoſita ipſo jure, ante talem uſum, quia poteſtas diſpenſandi in illo a Concilio Trident. conceſſa Epiſcopo, ſub illa conditione, niſi miniſtraverit, *Suar. diſ. 31. ſec. 1. n. 51. Avila cit. l. concl. 2.*

Sequitur ſecundo, Si promotus per ſaltum non miniſtravit in Ordine ſic ſuſcepto, poteſt Epiſcopus cum eo diſpenſare in prædicta ſuſpenſione, ut poſſit eo uti: ſicuti etiam ut poſſit recipere Ordinem prætermiſſum, & eo recepto uti, ut colligitur ex *cit. c. unic. h. t.* quamvis delictum ſit publicum, quia concilium *cit. l.* facultatem diſpenſandi non limitavit ad delictum occultum: at vero ſi miniſtravit in Ordine per ſaltum ſuſcepto, non poteſt Epiſcopus, ex vi dicti decreti, diſpenſare in ſuſpenſione, nec in irregularitate contracta ex tali uſu Ordinis: poterit tamen diſpenſare ex vi Concilii Trident. *Seſſ. 24. c. 6. de reform.* ſi delictum ſit occultum, *Avila cit. l. concl. 1.*

V. Notandum hic præterea primo. Ordinatus per ſaltum eſt ſuſpenſus tantum ab eo Ordine, quem per ſaltum ſuſcepit, & ſi in eo miniſtravit, fit irregularis: non tamen eſt ſuſpenſus ab uſu Ordinum inferiorum, quos legitime ſuſceperat, ac proinde iis etiam licite uti poteſt, *Avila cit. dub. 2. concl. 2. in fine, Barb. de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 47. num. 10.*

Notandum ſecundo, cum eo, qui per ſaltum eſt promotus, & abſque diſpenſatione recepit Ordinem prætermiſſum, non poteſt diſpenſare Epiſcopus, ut miniſtret in Ordinibus ſuſceptis, & ad ſuperiores aſcendat: nam quamvis vi Concilii Trident. *cit. ſeſſ. 23. c. 14.* ſolum prohibeatur Epiſcopus diſpenſare cum promotis per ſaltum, ſi in Ordine miniſtraverint, adeoque ceſſante hac conditione, poſſit Epiſcopus diſpenſare, cum ſuſcipere Ordinem prætermiſſum non ſit miniſtrare in Ordine: verumtamen ſi ordinatus per ſaltum recipiat Ordinem prætermiſſum ſine diſpenſatione, incurrit novum genus ſuſpenſionis, quia ſuſcipit illum Ordinem cenſura ligatus, ideo in hac ſuſpenſione non poteſt Epiſcopus diſpenſare, nam cum excommunicatio, vel alia cenſura irretito qui ſcienter Ordines recipit, nullus, præter Papam, diſpenſare poteſt, *Barb. cit. l. num. 11.*

Notandum tertio. Epiſcopus, vi Concilii Trid. *cit. l.* non poteſt diſpenſare cum promotis per ſaltum, ut ſi ordinati aſcendant ad ſuperiores Ordines, antequam inferiorem Ordinem prætermiſſum recipiant, quia id repugnat primæ inſtitutioni Ordinum, ut gradatim recipiantur, adeoque Juri Divino, ut nec S. Pontifex in eo diſpenſare poſſe videatur. Neque etiam Epiſcopus diſpenſare poteſt, ut ordinatus per ſaltum miniſtrare poſſit in Ordine ſuſcepto, antequam prætermiſſum receperit, quia hoc eſt per ſe malum, & prohibitum quaſi ex natura rei, ſuppoſita inſtitutione ſaltem Ordinum. Poteſt tamen Epiſcopus diſpenſare cum prompto per ſaltum, ut recipiat Ordinem prætermiſſum, & deinde in eodem miniſtret, & ad ſuperiorem aſcendat, ac proinde ſupponit Concilium hoc eſſe prohibitum ipſo facto ei, qui ſic ordinatus eſt, & conſequenter ipſo jure illum ſuſpenſum eſſe, ut ſupra dictum, *Suar. cit. diſ. 31. ſec. 1. num. 47. Barb. cit. alleg. n. 12.*

VI. Notandum quarto. Epiſcopus, ex legitima cauſa, poteſt diſpenſare cum promotis per ſaltum, ſi non miniſtraverint in Ordine ſuſcepto, ſive ſcienter, ſive ignoranter fuerint ita prompti, quia Concilium non diſtinguit, utrum ſcien-

ſcienter, & ex ambitione, aut malitia.: an vero ex negligentia, vel ignorantia, ſic ſint ordinati, ſed ſimpliciter, & indiſtincte dicit, poſſe diſpenſare Epiſcopum, ſi non miniſtraverint. Econtrario vero non poteſt Epiſcopus cum illis diſpenſare, ſi miniſtraverint, ſive ſcienter, & doloſe, ſive ex ignorantia ſic ordinati fuerint, quia etiam quoad hoc Concilium nihil diſtinguit, *Suar. cit. ſec. 1. n. 47. in fine. Bar. cit. alleg. n. 6. Lopez in pract. can. apud Diaz. c. 24. in addit. lit. D.* Verum contrarium tenet *Fagn. in cap. unic. hoc t, nn. 24. & 25.* quod etiam hodie poſt Concilium Trident. Epiſcopus non poteſt diſpenſare cum illis, qui non miniſtraverunt, ſi ſcienter fuerint per ſaltum ordinati, quia cum Jus Commune antiquum diſtinguat inter promotum per ſaltum ſcienter, vel ignoranter, ut patet ex *cit. c. un. h. t.* quod loquitur de ordinato per ſaltum ignoranter, & ante annos diſcretionis: & in *cit. can. Sollicitudo un. diſ. 52.* eſt ſermo de eo, qui ex negligentia potius, ſeu ignorantia, quam ex ſuperbia, Subdiaconatu poſtpoſito, ad Diaconatum, & Presbyteratum cognoſcitur aſcendiſſe: idcirco eodem modo diſtingui debet Decretum Concilii Tridentini quia lex nova diſponens in materia antiqua omnes interpretationes, & limitationes recipit, quas illa materia ab antiquis legibus recipiebat: idqon procedit, etiamſi lex nova ſuperveniens materia, de qua nihilominus diſtinguendum eſt prout diſtinguunt leges antiquæ, ne videatur lex nova leges veteres corrigere, ut notat *Jaſon apud Fagnan. citat. loco*, quæ ſententia, & interpretatio eſt probabilis.

VII. Notandum quinto. Prædicta intelligenda ſunt de ordinatis per ſaltum: non ſolum ſi aliquis Sacrorum, ſeu Majorum Ordinum ſit prætermiſſus, ſed etiam in promotis ad majores Ordines, omiſſis minoribus, ſive omnibus ſive uno tantum, & etiam caſu, quo aliqui omiſerint primam Tonſuram recipere: tum Epiſcopus cum illis diſpenſare poteſt, ſi non miniſtraverint in Ordine, vel in Ordinibus prætermiſſis, alias vero ſolus Papa ex declaratione S. Congreg. Concil. apud *Joan. Gallemart. ibid. num. 4. Barb. cit. alleg. 47. num. 7.*

Notandum ſexto. Qui Ordinem ſuperiorem verb. grat. Presbyteratum ſuſcepit, ſi ignoretur, aut probabiliter dubitetur, an Ordines inferiores ſuſceperit, illi iidem conferri debent; prout ſumitur ex *cit. cap. unic. h. t.* ubi ratio redditur, *quia non intelligitur iteratum, quod factum eſſe noſcitur*: hoc eſt, quamvis Sacramentum Ordinis non ſit iterabile, *cap. 1. & cap. ult. de Sacram. non iterand.* tamen non dicitur Ordo iterari, qui neſcitur eſſe collatus, & in dubio debet Ordo omiſſus ad cautelam denuo conferri, forma ſub conditione repetita, *Hoſtienſ. in cit. cap. un. hoc titul. Verſ. It earum, & Abb. numer. 2. Fagn. numer. 9. & 10.* ubi *numer.* 12. addit ſi promotus per ſaltum non velit miniſtrare in Ordine ſic ſuſcepto, vel in Superioribus Ordinibus, non debet cogi ſuſcipere Ordinem prætermiſſum.

VIII. Notandum ſeptimo. Ordo Sacerdotalis prærequirit, ex neceſſitate Sacramenti, Characterem Ordinis Diaconatus, prout ſumitur etiam ex *citat. cap. un. hoc tit.* in quo ordinatus in Præsbyterum, prætermiſſo Diaconatu, non jubetur iterum initiari Ordine Presbyteratus, quin imo poſt peractam pœnitentiam, & ſuſceptum Diaconatum, permittitur ex diſpenſatione miniſtrare in Ordine Sacerdotali, quod clarum ſignum eſt, Characterem Presbyteralem fuiſſe impreſſum, non obſtante, quod ante Diaconatum receptum, fuerit Sacerdos ordinatus. Idemque eſt, ſi etiam omiſſi fuiſſent reliqui Ordines inferiores, quia ſunt poteſtates Ordinum diverſæ, & ſeparatæ, *Abb. hic nu. 4. Fagn. ibid. num. 2. & 3.*

Notandum octavo; Etſi is, qui non ſuſcepit Ordinem Sacerdotalem, non ſit capax conſecrationis Epiſcopalis, tamen qui Sacerdos eſt, poteſt conſecrari Epiſcopus valide licet Ordinem Diaconatus, vel Subdiaconatus, vel alios inferiores non receperit. Non tamen talis poterit conferre Ordines, quos non recepit, quia ſic per ſaltum ordinatus in Sacerdotem, & Epiſcopum, ſuſcepit quidem Characterem Ordinis, ſed non ejus executionem, *Gloſſ. fin. in cit. cap. un. hoc tit. Lopez. in cit. cap. 24. in addit. lit. A.* & DD. hodie communiter contra, *Abbat. hic in fine.*

IX. Notandum ultimo, ad ſacros Ordines ſuſcipiendos non requiritur de neceſſitate Sacramenti uſus rationis, ſive anni diſcretionis, alioquin ſic ordinatus Characterem non reciperet, ſed deberet iterum ordinari, cujus contrarium conſtat ex *cit. c. un. h. t.* ubi dicitur, ſolum ſupplendum eſſe Ordinem Diaconatus prætermiſſum: reliqui autem inferiores Ordines, ante uſum rationis, collati non ſunt iterandi, *Fagn. c. l. n. 13.* quamvis non debeant Ordines, etiam minores, conferri ante annos diſcretionis, imo nec ante tempus a Jure conſtitutum: alioquin ordinato interdicenda eſt executio Ordinis, uſque ad legitimam ætatem, *c. Vel non eſt 12. de temp. ordinand. Gl. in cit. c. un. V. Diſcretionis, juncta Gl. marg. lit. A. h. t.* Multo magis autem minores Ordines, ante uſum rationis, valide conferuntur, nec collati debent iterari, aut ſuppleri, *Turrecremata in c. Subdiaconus 4. diſ. 77. n. 2.* & colligitur ex *cit. c. unic. h. t.*

X. Quæritur ſecundo, an, qui Ordinem recipit, ante ſuſceptum Sacramentum Confirmationis, ſit irregularis? Reſp. Negative, ex communi ſententia DD. quia nulla irregularitas, vel cenſura reperitur jure expreſſa, nec Concilium Trid. *Seſſ. 23. c. 2. de reform.* pœnam aliquam imponit, ſed ſolum præcipit, ut nullus ad primam Tonſuram admittatur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſcepit. Imo probabilius eſt non eſſe peccatum mortale, ſi quis ſine hoc Sacramento ſuſcipiat Ordines, etiam ſacros, vel in iis miniſtret, cum non neceſſario prærequirant, vel ſupponant Confirmationem, *Avila cit. ſec. 1. dub. 3.* & alii recentiores plerique. Aliud eſt de Baptiſmo, ſine quo nullus Ordo valide ſuſcipi poteſt, cum ſit janua omnium Sacramentorum, *Gl. in cit. c. Sollicit. diſ. 52.* & eſſe communis ſententia DD.

TITULUS XXX.

De eo, qui Furtive Ordinem ſuſcepit.

I. Quia per ſaltum promoti ad Ordines plerumque furtive id faciunt, ideo ſubjicitur hic Titulus de furtive recipientibus Ordines. Dicitur autem furtive Ordines recipere, qui ſine ordinatione, & licentia, ſeu conſenſu Superioris, nempe proprii Epiſcopi, & ſine prævia examinatione, ſe per dolum ingerit ordinandis, aut ignorante Epiſcopo Ordinatore, Ordines recipit, *Abb. in Rubrica hoc tit. Gloſſ. in cap. V. Furtive Hoſtienſ. in Summa eod. num. 1.* ubi addit, quod etiam ille, qui ſimul, & eodem die quatuor minores Ordines, una cum Subdiaconatu, accepit, vel ſimul duos ſacros Ordines, furtive recepiſſe Ordines cenſetur, ut ex dicendis patebit.

II. Quæritur primo, quæ ſit pœna furtive recipientis Ordines? Reſpond. Qui furtive ſuſcepit Ordinem, ſi contra hoc facientes lata erat excommunicatio, non poteſt in ſic ſuſcepto miniſtrare, nec ad ſuperiorem Ordinem aſcendere, ſine diſpenſatione Papæ, prout ſumitur ex *c. Veniens 1. h. t.* ubi habetur, quod Clericus quidam P. nomine, „ acceſſit ad Papam Alexandrum III. exponens eidem, ſe „ furtive Diaconatus Ordinem ſuſcepiſſe. Quare mandat „ Papa Epiſcopo Diœceſano, quod ſi non fuit ab ipſo, vel „ ab aliquo Archidiaconorum ſuorum, vel Prælatorum, „ ſub interminatione anathematis (ſive comminatione ex- „ communicationis ſub conditione factæ) prohibitus, con- „ digna pœnitentia ipſi impoſita promoveat illum ad Offi- „ cium Sacerdotale, diſpenſando cum eo pro arbitrio ſuo, „ niſi alia impediant. Si vero ſententia excommunicatio- „ nis ſuper hunc lata fuit, ipſum moneat, ut in aliquo „ Monaſterio, ſeu Canonia habitum regularem ſuſcipiat: „ & ſi ibi aliquo tempore laudabiliter fuerit converſatus, „ poterit Epiſcopus ex miſericordia ei providere (non „ ſuo jure, ſed auctoritate Papæ, ut ſequitur, *Gloſſ. fin.* „ *hic & Hoſtienſ.*) alioquin (ſi non vult intrare Religio- „ nem) nulla ratione permittit Papa eum ad Sacerdotium „ promoveri.

III. Pro explicatione hujus cap. notandum primo, is, qui furtive, & clandeſtine eſt ordinatus, ſine conſenſu Superioris, & ſine examinatione, recipit quidem verum Ordinem, & Characterem, non tam habet executionem, ſeu uſum Ordinis, niſi cum illo fuerit diſpenſatum, prout ſumitur ex hoc cap. & tradit, *Abbas ibidem numer. 1. not. 1.*

Notandum ſecundo, ex eo, quod in *cit. cap. 1.* dicitur, illum, qui furtive Diaconatum ſuſcepit, ſi id fecit ſub excommunicatione prohibitus, non poſſe aſcendere ad Sacerdotium, ſine diſpenſatione Papæ, colligunt quidam DD. ipſum irregularitatem incurriſſe, quia in excommunicatione poſitus Ordinem ſuſcepit, ideoque inhabilis redditur ad aſcendendum ad Ordinem ſuperiorem, *Abb. hic n. 2. not. 4. Navarr. in man. cap. 27. n. 241.* Verum probabilius eſt, quod talis non incurrat irregularitatem, ut tradit *Covarr. in c. Alma, p. 1. §. 6. n. 6. Suar. diſ. 31. de cenſur. ſec. 2. num. 58.* ſed ſuſpenſionem tantum ab Ordinis ita ſuſcepti executione, quia ſecundum Canones ille ſit irregularis, qui cenſuris ligatus exercet aliquem actum Ordinis, a quo eſt prohibitus, *cap. 1. de ſent. & re jud. in 6. cap. 1. de ſent. excomm. in 6.* qui autem ſuſcipit, etſi furtive, Ordinem, non exercet actum Ordinis, ergo non ſit irregularis: incurrit tamen ſuſpenſionem ab executione Ordinis ſic ſuſcepti, quod patet etiam ex *cap. Innotuit 3. h. t.* ubi idem illud impedimentum declaratur per privationem executionis Ordinis ſuſcepti in illis verbis: *Ordinati in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare non debent* juxta quod dictum *c. l. h. t.* intelligendum eſt, dum ponit inhabilitatem aſcendendi ad ſuperiorem Ordinem, eſt enim in utroque c. ſermo de ſuſpenſione, non de irregularitate: inter quas hæc eſt differentia, quod quando in Jure prohibetur receptio Ordinum, eſt irregularitas, quæ omnino inhabilem facit ad Ordines: quando vero prohibetur uſus, ſive exercitium Ordinum eſt ſuſpenſio: quæ uſum tantum tollit, ut notat *Avila p. 7. de cenſ. diſ. 9. ſec. 1. dub. 4. §. Si opponas in fine.* Porro in *c. 1. h. t.* nulla imponitur nova ſuſpenſio, vel irregularitas excommunicato ſuſcipienti Ordines, quia non agitur ibi de hoc delicto, ſed de furtiva ſuſceptione Ordinum; & diſtinguitur, utrum illa furtiva ſuſceptio Ordinum fuerit facta contra prohibitionem Epiſcopi ſub excommunicatione factam non ſe ingerendi Ordinibus; an ſine illa: nam peiore etiam caſu non imponitur nova ſuſpenſio, vel irregularitas, ſed ſolum dicitur quod difficilius in ea diſpenſatur: ſi enim excommunicatio lata non erat, poterit Epiſcopus abſolute diſpenſare cum furtive ordinato: ſi vero lata fuit non poteſt diſpenſare, niſi ſub conditione, ut Religionem intret, & laudabiliter in ea vivat, *Suar. cit. ſec. 1. n. 57.*

IV. Notandum tertio, qui furtive ordinatus eſt contra prohibitionem factam ab Epiſcopo ſub excommunicatione, & conſequenter excommunicationem incurrit, eſt ſuſpenſus ab omnibus Ordinibus non tantum ſacris, ſed etiam minoribus, quoad eorum uſum: & exercitium, quia in *cap. Cum illorum 32. de ſent. excomm.* ſimpliciter eſt ſermo de Ordinibus Eccleſiaſticis, adeoque etiam de minoribus eſt accipiendum, quia nullus Eccleſiaſticus Ordo ſuſcipi debet, vel exerceri ab excommunicato. At vero in *cap. 2. & 3. hoc tit.* fit ſolum mentio de Ordinibus ſacris, quia illa facti ſpeciem tantum continent, nec peculiare jus de

Sacris

Sacris ſtatuunt. Eſt autem hæc ſuſpenſio, non ab omnibus Ordinibus ſimpliciter, ſed ſolum a ſic ſuſceptis, non item ab inferioribus licite ſuſceptis; quamvis durante ſuſpenſione non poſſit talis aſcendere ad Ordines ſuperiores, *Suar. citat. ſec. 1. num. 58. Zœſ. in Commens. in Decretal. num. 3. h. t.* Porro hæc ſuſpenſio non incurritur ob inculpabilem ignorantiam, quæ excuſat a culpa mortali, quia in *cit. cap. 2. & 3. h. tit.* requiritur culpa: cum enim tanquam pœna imponatur talis ſuſpenſio, neceſſario ſupponit culpam, & quidem gravem, cum ſit gravis pœna: *Suar. cit. ſec. 2. num. 59. Zœſ. cit. l. nu. 4.* Similiter per vim vel metum gravem furtive ordinatus, non incurrit hanc pœnam ſuſpenſionis, cum ea non imponatur, niſi propter culpam, a qua excuſat juſtus metus, *Suar. cit. l. num. 60. Zœſ. c. l. num. 5.*

V. Notandum quarto, ſi excommunicatio ab Epiſcopo ordinante non ſit lata contra furtive ordinatum, tunc Epiſcopus poteſt jure ſuo, ac proprio cum illo diſpenſare, ut poſſit aſcendere ad ſuperiorem Ordinem. Si vero excommunicatio contra illum lata ſit, tum etiam, jure ſuo, poteſt cum illo diſpenſare, ſi intraverit Religionem: alioquin vero ſi in ſeculo maneat, ſolus Papa diſpenſare poteſt, ut ad ſuperiorem Ordinem promoveatur, uti ſumitur ex *citat. c. 1. h. tit. & Abb. ibid. num. 3.* Quamvis autem Ingreſſus in Religionem non tollat irregularitatem, facit tamen, ut eo facilius cum eo diſpenſetur, ut colligitur ex *citat. cap. 1. Gl. fin. hic, & Abb. num. 3.* Suppoſito tamen, quod in caſu hujus cap. furtive ordinatus, irregularitatem incurrerit, de quo ſupra.

Notandum quinto, ſolent Epiſcopi, ex more recepto, quando Ordines conferunt, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ prohibere, ne quis audeat ſe ingerere ordinandus, qui non fuerit approbatus: tunc talis ordinatus non poteſt in ſuſcepto Ordine miniſtrare, nec ad ſuperiorem aſcendere, ſine Papæ diſpenſatione, *Lopez in praſ. Can. cap. 25. in addit. lit. B.* quod ſi Epiſcopus tempore, quo confert Ordines, utatur his verbis: *Non intendimus ordinare non examinatos, & approbatos*, tunc qui ſe furtive ingeſſit, non erit ordinatus, ſed iterum ordinari debet, injuncta illi pœnitentia, priuſquam ordinetur, quia graviter deliquit, *Rebuff. in praxi benef. tit. de Clericis, ad SS. Ordines male promot. Gl. 4. num. 19.* Hodie tamen poſſet Epiſcopus, ſi crimen hoc ſit occultum, & non deductum ad forum contentioſum, vi Concil. Trid. *Seſſ. 24. cap. 6. de ref.* diſpenſare. *Lopez. cit. loc.*

VI. Quæritur ſecundo, quæ ſit pœna ejus qui ſimul, & eodem die plures Ordines recipit? Reſp. Primo, qui eodem die recipit primam Tonſuram, & quatuor Ordines minores, non incurrit irregularitatem, nec aliam cenſuram: qui vero eodem die recipit quatuor minores Ordines, & ſimul Subdiaconatum, ſecundum quoſdam DD. fit irregularis: ſecundum alios vero, ſolum incurrit ſuſpenſionem ab executione, ſive uſu Ordinum ſic ſuſceptorum, prout ſumitur ex *c. Cum H. 2. h. tit.* Nam quidam acceſſit ad Epiſcopum, tempore ordinationis (ut ab eo ordinaretur) qui juxta conſuetudinem patriæ ei contulit quatuor minores Ordines, quibus non contentus, Subdiaconatum etiam furtive, citra conſcientiam Epiſcopi, qui id forte ob nimiam multitudinem ordinandorum non advertit; nam ideo hoc cap. ponitur ſub hoc tit. quia furtive ſe fecit ordinari, *Hoſtienſ. hic V. Exceſſit.*) temerario auſu recepit. Re delata ad Papam Cœleſtinum III. is, quia idem Clericus in hoc facto multum exceſſit: mandavit Epiſcopo Diœceſano, ut in minoribus tantum Ordinibus eum celebrare permittat. Si vero Domum Religionis intrare voluerit, poterit Abbas ipſius, ſi alias dignus fuerit, in aliis Ordinibus cum eo diſpenſare, ſiquidem ita voluerit.

VII. Notandum primo, ſpectato Jure communi antiquo, omnes quatuor Ordines minores licite poſſunt ſimul, & una die conferri eidem, ut colligitur ex hoc cap. & notat *Gl. ibid. V. Minores & Abb. num. 1.* At vero Subdiaconatus una cum minoribus Ordinibus, eadem die conferri non debet, ut conſtat ex *citat. cap. 2. h. titul.* niſi alicubi vigeat contraria conſuetudo, ut eodem die conferantur, & recipiantur, quia Jure communi non prohibentur, niſi plures ſacri, ſeu majores Ordines conferri eodem die, *Rebuff. in praxi benef. tit. de Cleric. ad ſacr. Ordines maleprom. Gl. 1. nu. 18.* Neque vero conſuetudo hæc conferendi, & recipiendi, una cum minoribus Ordinibus, etiam Subdiaconatum, eodem die, eſt reprobata per Concil. Trid. *Seſſ. 23. cap. 11. de ref. Navarr. in man. cap. 25. num. 71. in fine.* Sed de hoc alibi ex inſtituto actum eſt, *libr. 1. Decret. Tit. 11. ſec. 1. §. 10. num. 13. & ſeq.*

Notandum ſecundo. Epiſcopus cum eo, qui Subdiaconatum furtive ſuſcepit, cum Ordinibus minoribus diſpenſare poteſt, ut miniſtret tantum in Ordinibus minoribus, quippe non furtive ſuſceptis, *cit. cap. 2. & Barb. ibid. num. 3.*

„ Additur vero in *eod. cap.* quod cum eo, qui Religionem ingreſſus eſt, ſi vita, & mores ejus exegerint: poſſit Abbas illius diſpenſare, ſcilicet quoad exercitium Ordinis majoris, ſive Subdiaconatus furtive ſuſcepti, *Zœſ. hic num. 6.* vel etiam in aliis Ordinibus, ſi eos forte furtive ſuſceperit; & ſic favore Religionis conceditur, quod alias non concederetur, *Gl. hic in notatis.* Porro quod hic dicitur Abbatem diſpenſare poſſe in hoc impedimento, ſive irregularitatis, ſive ſuſpenſionis, id ita intelligendum eſt, quod id ſolum poſſint Abbates in caſibus jure expreſſis: alioquin vero Abbatibus aliiſque Prælatis Epiſcopo inferioribus omnis poteſtas diſpenſandi eſt interdicta, niſi ex ſpeciali eis fuerit conceſſa, quia graviora, & majora ſunt reſervata Epiſcopo, *Hoſtienſ. hic in fine, & Abb. num. 2.*

VIII. Reſpondetur ſecundo. Si quis duos Ordines majores, ſeu ſacros, ſimul & eodem die, ſuſcipiat, poſt præceptum Epiſcopi id ſub excommunicatione prohibentis, ſuſpenſionem incurrit, ut in Ordinibus ſuſceptis miniſtrare non poſſit, niſi cum eo diſpenſetur, conſtat ex *cap. Innotuit. 3. & ult. h. t.* „ Nam quidam Clericus, & alii duo, cum literis (dimiſſoriis) Epiſcopi ſui acceſſerunt ad Epiſcopum Seguntinenſem, ut Ordines ab eo reciperent. Cumque ab eodem Epiſcopo, priuſquam ordinaret ſub ſententia excommunicationis latæ fuiſſet prohibitum, ne quis ad duos Ordines (ſcilicet ſacros, qui ſimul eodem die conferri non debent, *cap. Literas. 13. & c. Dilectus. 15. de temp. ordin. Gl. hic V. Ordines*) ſuſcipiendos ſe ingereret: nihilominus tamen prædicti Clerici Subdiaconatus, & Diaconatus Ordinem clandeſtine ſuſceperunt. Conſultus ſuper hoc Papa reſpondet, quod illi in ſuſceptis Ordinibus, de juris rigore, miniſtrare non debent (imo etiam de rigore ſunt deponendi, *c. Cum illorum. 32. de ſent. excom.* quia receperunt Ordines contra ſententiam excommunicationis, *Arg. c. Latores 4. de Cleric. excomm. miniſt. Gloſſ. hic V. Miniſtrare*) veruntamen ſi ad Religionem aliquam ſe voluerint transferre: & peracta pœnitentia eis injuncta, pro arbitrio Epiſcopi Diœceſani, laudabiliter ibi fuerint converſati, poterit idem Epiſcopus, de licentia Papæ, cum eis diſpenſare, ut in ſuſceptis Ordinibus miniſtrent.

IX. Pro explicatione notandum primo. Etſi duo Ordines ſacri, ſimul eodem die, conferri non debent, collatio tamen valet, ſed ordinati ſunt ſuſpenſi ab executione, ſeu exercitio Ordinum ſic ſuſceptorum. Et licet alias recipiens ſimul duos Ordines ſacros, ſuſpenditur tantum ab executione ultimi Ordinis ſic furtive ſuſcepti, *cit. cap. Literas. de temp. ordin.* at in caſu hujus cap. ſuſpenditur ab executione omnium Ordinum, quia præceſſit ſententia excommunicationis, *Abb. hic numer. 4.* Imo hoc caſu non poteſt Epiſcopus diſpenſare in Ordinibus furtive ſuſceptis, ſuo jure, ſed non niſi ex licentia Papæ, etiamſi ordinatus Religionem intraret, ut habetur in hoc cap. Sed in prius ſuſceptis, ſuo jure, poteſt diſpenſare, quando non præceſſit excommunicatio, *Hoſtienſ. hic in fine, Abb. num. 5.*

Notandum ſecundo. Poteſt Epiſcopus ad id, quod jure communi ſtatutum eſt, ſine appoſitione pœnæ, per ſuum ſtatutum adjicere pœnam, vel augere illam, quæ a lege eſt impoſita, ut colligitur ex hoc cap. quia tunc non derogat diſpoſitioni Juris communis, ſed eam adjuvat, *Abb. hic numer. 2.*

TITULUS XXXI.

De Exceſſibus Prælatorum, & Subditorum.

HActenus actum eſt generaliter de variis exceſſibus, ſeu delictis, tam Prælatorum, quam Subditorum, nunc ſubjicitur hic Titulus in Prælatos. Extat hic Titulus etiam in Sexto, & Clementinis.

§. I.

Qualiter poſſint, ac ſoleant Prælati Eccleſiaſtici excedere, ſeu delinquere in Subditos Clericos?

I. ASſertio 1. Delinquunt inprimis Epiſcopi, aliique Prælati, ſi Clericos ſubditos talliis, vel exactionibus indebitis gravant, & niſi ad voluntatem ſuam pecuniam ſolvant, divinum Officium eis interdicunt: vel injuſte, & illicite cenſuras in eos ferunt, vel alias viliter, & inhoneſte eos tractant, ut ipſos laicis deſpicabiles reddant, prout habetur in *cap. Pervenit. 1. h. tit.* ſecundum integram ejus electionem, ubi ſtatuitur: quod Epiſcopi Presbyteros, „ & alios Clericos quaſi filios, ac fratres, benigna ac fraterna charitate fovere, & tractare debent. Quare mandat Papa Alexander III. Epiſcopis, ut eis tallias, & exactiones indebitas imponere non præſumant: nec de cætero indebite, aut inhoneſte eoſdem tractent: & ſine judicio Capituli ſui, eos ſuſpendere, vel eorum Eccleſias interdicto ſubjicere non attentent: neque duas Eccleſias, ſi una earum ſufficiat ad neceſſariam ſuſtentationem, eos tenere permittant (niſi una ab altera dependeat, vel niſi unam habeant in titulum, & aliam in commendam, in *Gloſſ. hic V. Duas Eccleſias*) nec aliquem excommunicare, ſine ordine judiciario, præſumant. Quod ſi Prælati contra prædicta fecerint, ſciant ſe ita puniendos (pœna extraordinaria, & arbitraria, *Gl. hic V. Puniemus*) ut timore talis pœnæ alii a ſimilibus abſterreantur.

II. Pro intellectu hujus c. notandum primo. Epiſcopi non poſſunt Clericos ſibi ſubditos gravare talliis, collectis, & aliis exactionibus, niſi quæ jure, vel conſuetudine ſunt permiſſæ, *c. Quia cognovimus. 6. cauſ. 10. quaſt. cap. ult. cauſ. 18. quaſt. 2. cap. Cum Apoſtolus. 6. §. Prohibemus. de cenſib.* de quibus ibi actum, *Abb. hic num. 1. & 2.*

Notandum ſecundo. Epiſcopus non poteſt excommunicare, vel ſuſpendere Clericos, vel eorum Eccleſias interdicere, ſine judicio, id eſt, conſenſu Capituli, *Gl. hic Verſ. Capituli.* quamvis in textu de conſenſu Capituli, quoad excommunicationem, nihil exprimatur, ſed de interdicto habetur in *c. 2. De his, quæ fiunt a maj. part. Cap.* Idque procedit, quando de re gravi, & ſevera pœna imponenda agitur, quia generatim in arduis negotiis expediendis per Epiſcopum requiritur conſenſus Capituli: in levioribus autem cauſis, vel delictis, ſatis eſt requiri conſilium Capituli, quamvis id Epiſcopus ſequi non teneatur, *Lopez. ſive Salcede*

Digitized by Google

ſede in pract. criminal. Can. cap. 3. in auxar. §. Comperit quidem Rodriq. tom. 2. qq. reg. quæſt. 22. articul. 7. hodie tamen valet conſuetudo legitime præſcripta, ut Epiſcopus in inquirendis, ac puniendis criminibus Subditorum, Capituli ſui conſenſum requirere non teneatur, *cap. Non eſt 3. de conſuet. in 6.*

Notandum tertio. Ordo judiciarius, qui ſervandus eſt in excommunicatione, in eo conſiſtit, ut vera, & rationabilis cauſa ſubſit, competens monitio præcedat, & proferens non ex odio, ſed ex charitate & correctionis cauſa procedat, *Hoſtienſ. hic V. Sine ordine judiciario*, ubi addit, quod etſi ordo iſte non ſervetur, tenet ſententia.

Notandum quarto. Pœna ob duos præcipue fines imponitur, nempe ut delinquentes puniantur, & alii metu ſimilis pœnæ abſterreantur, ut dicitur in *cit. c. 5. in fino h. t. & ibid. Abbas not. 2.*

III. Aſſertio 2. Excedunt, & delinquunt etiam Epiſcopi, ſi ſine legitima cauſa, Eccleſiam alteri inferiori Prælato ſubjectam ab ejus ſubjectione & obſequio liberent, prout id prohibetur in *c. Ad hac 2. h. t.* Nam quidam Epiſcopus
„ Suffraganeus Archiepiſcopi Cantuarienſis plures Eccleſias
„ ſuæ Diœceſis conſtituit liberas, ac immunes a conſuetu-
„ dine, & obſequio Archidiaconorum, per quod reditus
„ eorum diminuit. Re hac ad Papam Alexandrum III. de-
„ lata, is mandavit prædicto Archiepiſcopo, ut factum E-
„ piſcopi corrigat, & emendet, & ita provideat, ut Ar-
„ chidiaconis conſuetudines, & jura, quæ Presbyteri in
„ Eccleſiis ſuorum Archidiaconatuum ipſis debent, plene ſer-
„ ventur illæſa, & illis debitam reverentiam, & honorem
„ exhibeat.

IV. Notandum primo. Poteſt Archidiaconus, vi conſuetudinis legitime præſcriptæ, acquirere ſervitia, ſive obſequia ſibi præſtanda ab aliis Eccleſiis in ſuo Archidiaconatu poſitis, vel alibi: adeoque poteſt etiam Prælatus Epiſcopo inferior acquirere, via præſcriptionis juriſdictionem in aliis Eccleſiis alias ſubjectis Diœceſano Epiſcopo: quamvis de jure communi Archidiacono non debeant aliæ Eccleſiæ, & earum Rectores præſtare obſequia, vel ſervitia, nec juriſdictionem in illis habeat, cujus Officium plurimum conſiſtit in conſuetudinibus, *Gl. fin. hic & Abb. n. 2. & 4.*

Notandum ſecundo. Epiſcopi non poſſunt jura, & conſuetudines Archidiaconorum, & aliorum Prælatorum inferiorum diminuere, nec juriſdictionem eorum illis auferre, quia non debent jus ſuum alicui diminuere, vel tollere, ſine ejus conſenſu, *Gl. hic in notat. & V. Diminuit*, ubi etiam ait, quod Epiſcopus non poteſt dare privilegium in præjudicium alterius. *Arg. cap. Conqueſtus 8. cauſ. 9. q. 3.*

V. Aſſertio 3. Delinquunt etiam Epiſcopi, aliique Prælati, ſi Eccleſias, vel beneficia, quarum ordinatio, vel collatio ad eos ſpectat, ſibi retineant, vel ſibi ipſis conſerant, prout deciditur in *cap. Ad aures 3. h. tit.* Nam quidam Ar-
„ chidiaconi Epiſcopi Exonienſis ſe in Eccleſias, quæ in
„ ſuis Archidiaconatibus vacabant, propria auctoritate,
„ intrudere non verebantur, & eas ſuis uſibus deputabant:
„ cum in eiſdem perſonas inſtituere deberent. Re delata
„ ad Papam Alexandrum III. is mandavit prædicto Epiſco-
„ po, ut illos, qui tali modo Eccleſias occupant, vel de-
„ tinent occupatas per cenſuram Eccleſiaſticam compellat
„ ad eas dimittendas, & in iiſdem perſonas idoneas inſti-
„ tuat; dictos vero Archidiaconos, ob tantam præſumptio-
„ nem, condigna pœna (extraordinaria, ſeu arbitraria, *Gl.*
„ *fin. hic*) afficiat.

VI. Notandum primo. Qui habet poteſtatem inſtituendi, vel conferendi aliquod beneficium, non poteſt ſe ipſum in illo inſtituere, vel ſibi illud conferre, quia inter dantem & accipientem debet eſſe diſtinctio perſonalis, *c. ult. de inſtit.* & dictum ſupra *libr. 3. Decret. tit. 7. num. 56. & ſeqq.* & nemo poteſt ſibi, ſive in facto proprio auctoritatem præſtare, *§. fin. Inſtitution. de auctor. tut. Gl. hic V. Intrudere. & Hoſtienſ.* Nec poteſt etiam collator Eccleſiæ, vel beneficii reditus ejuſdem Eccleſiæ, vel beneficii ſibi retinere, ſed debet illi Eccleſiæ, vel beneficio de Rectore providere, etiam ſi ſit beneficium manuale, *Abb. hic numer. 2.*

Notandum ſecundo. Si Prælatus Epiſcopo inferior, verbi gratia. Archidiaconus, ad quem ſpectat collatio Eccleſiæ, vel beneficii, non conferat illud, vel perſonæ indignæ conferat, poteſtas conferendi devolvitur ad Superiorem, ſcilicet Epiſcopum: poteſt tamen habere cuſtodiam Eccleſiæ vacantis ſibi ſubjectæ, donec fuerit proviſum de Rectore, nam ad illum ſpectat cuſtodia Eccleſiæ, vel beneficii vacantis, ad quem ſpectat illius collatio, *Gl. hic V. Intrudere, & Abb. n. 3.*

VII. Aſſertio 4. Epiſcopi, aliique Prælati delinquunt præterea, ſi Eccleſias, vel beneficia conferant indignis, prout
„ prohibitum eſt *in c. Interdilectos, 11. h. t.* Nam vacante Suc-
„ centoria Eccleſiæ Pictavienſis, Cantor ejuſdem Eccleſiæ
„ (ad quem collatio ipſius Succentoriæ, ſive ex longa con-
„ ſuetudine, ſive ex ſpeciali privilegio, pertinebat, *Hoſt.*
„ *hic V. eod.*) eam contulit Petro Canonico Pictavienſi,
„ ſed poſtea non caſſa dicta collatione, eandem Succen-
„ toriam contulit Bernardo Canonico etiam Pictavienſi.
„ Unde orta inter eos quæſtione, cauſa commiſſa fuit qui-
„ buſdam Judicibus delegatis, coram quibus petiit utra-
„ que pars collationem ſibi factam confirmari, & alterius
„ caſſari. Poſt hæc cauſa delata eſt ad Papam Innocen-
„ tium III. qui ex atteſtationibus utriuſque partis inſpe-
„ ctis invenit eſſe probatum, dictum Petrum publicum a-
„ leatorem eſſe, ac manifeſtum uſurarium, qui XI. dena-
„ rios pro XII. mutavit in ludo, (quæ uſura centeſimam
„ excedit, nam iſta uno anno ſorti adæquatur, *lib. Eos 26.*
„ *C. de uſur. Gl. hic V. Undecim denarios.*) Is tamen ad
„ excuſandum ſuum delictum, allegavit conſuetudinem
„ Clericorum Galliæ, qua ſic mutuant, & ludunt frequen-
„ ter. Sed Papa hujuſmodi ludos voluptuoſos, quippe an-
„ xios, & pravam hanc conſuetudinem, quæ corruptela
„ potius dicenda eſt, penitus reprobavit, cum in illis ſit
„ magis punienda offenſa, per quos delinquendi auctoritas
„ uſurpatur. Unde quod circa dictum Petrum de Succen-
„ toria factum eſſe conſtat, propter indignitatem, & vili-
„ tatem ipſius, Papa decrevit irritandum, cum perſonis
„ vilibus, & indignis portæ dignitatum patere non de-
„ beant, juxta legitimas Sanctiones (*l. 2. C. de dignit. lib.*
„ *12.* Præterea contra prædictum Bernardum fuit proba-
„ tum per teſtes, quod cum conſcientia Judicum delega-
„ torum, ultima clauſula non fuerit inſerta in litteris eo-
„ rundem, ſicut ex ipſorum depoſitionibus conſtitit eviden-
„ ter. Verum Papa conſideravit, quod licet conſtaret, di-
„ ctam clauſulam appoſitam fuiſſe litteris illis, præter con-
„ ſcientiam prædictorum Judicum: tamen fides facta non
„ fuit, quod dictus Bernardus illam clauſulam appoſuerit,
„ vel procuraverit, ut ab alio apponeretur. Vel etiam
„ quod ſcienter uſus fuerit litteris ſic falſatis: ac proinde
„ Papa dictum Bernardum ab hujuſmodi falſitatis objectu
„ abſolvit, præcipue, cum poſtquam hoc ipſi objectum
„ fuit, eis uti prætermiſerit. Sed quia per depoſitiones
„ duorum teſtium conſtitit, quod conceſſio, ſive collatio
„ prædicto Petro facta (quanquam propter ejus indignita-
„ tem debuiſſet reprobari) præceſſerit conceſſionem, ſeu
„ collationem poſtea factam Bernardo, ideo Papa hanc de-
„ crevit irritam, & inanem. Quia vero Cantor ita incon-
„ ſtanter ſe geſſit in hoc facto, ut prima donatione, ſeu
„ collatione non reprobata, ſecundam facere attentaverit,
„ Papa ipſum privavit poteſtate conferendi, hac vice, di-
„ ctam Succentoriam, ut puniatur, in quo deliquit, man-
„ dans Judicibus delegatis, ut eandem perſonæ idoneæ,
„ auctoritate Apoſtolica, aſſignent.

VIII. Pro explicatione hujus c. notandum primo. Præcentor, qui & Cantor vocari ſolet, olim dictus fuit is, qui in Choro Antiphonas, & Pſalmos inchoabat de quo fit mentio in *c. Cum olim 6. de conſuetud.* Succentor vero, qui etiam in quibuſdam Eccleſiis appellatur Vice Cantor, dicitur ille, qui abſente Cantore, ſeu Præcentore, ejus vice fungitur, inchoando in Choro Antiphonas, & Pſalmos, *Azor. p. 2. lib. 3. c. 22. qu. 1. & 2.* Eſt autem Succentoria dignitas, vel ſaltem perſonatus, ſi annexam habeat præeminentiam in ſeſſionibus, proceſſionibus, & aliis conventibus inter reliquos Canonicos divina officia celebrantes, uti ſumitur ex hoc c. *& ibi Gl. V. Dignitates, Laym. in cit. c. Cum olim 6. n. 6.*

Notandum ſecundo, Ludus alearum eſt prohibitus Clericis, *cap. Clerici 15. de vita, & honeſt. Cleric.* adeo ut etiam conſuetudo in contrarium non valeat, quia eſt corruptela: quin imo Clericus aleator repelli debet tanquam vilis, & indignus ab officio obtinendo, cum collatio ipſi facta ſit nulla, ſi publice conſtabat eſſe aleatorem: ſi vero non conſtabat, quia erat occultus, debet irritari collatio: verum officio, vel beneficio obtento, antequam ludos vetitos exerceret, non debet privari, ſed alia mitiore pœna plecti, niſi monitus nolit ſe corrigere, tunc enim beneficio eſt privandus, *c. 1. diſ. 35.* ſed uſurarius Clericus non ſolum poteſt repelli a beneficio obtinendo, ſed etiam privari obtento, quia gravius peccat, etſi Epiſcopus cum eo diſpenſare poſſit circa beneficium, ſi ſe correxerit, *cap. de Petro 4. diſt. 47. Gloſ. hic V. Aleatorem, & Abb. numer. 2. & 6.*

Notandum tertio, Judices poſſunt tanquam teſtes deponere cum aliis Judicibus, de geſtis coram ſe, ut colligitur ex hoc c. & tradit *Gl. hic V. Depoſitionibus, & Abb. num. 3.*

IX. Notandum quarto, qui utitur falſo Inſtrumento, ſeu falſis litteris in judicio, non ideo poteſt, tanquam falſarius puniri pœna falſi ordinaria, niſi probetur, quod ipſe eas falſaverit, vel procuraverit, ut ab alio falſarentur: vel quod ipſe illis ſcienter uſus fuerit: & præſumitur ignorantia, ſi poſtquam hoc illi fuit objectum, deſtitit ab uſu falſi inſtrumenti, vel falſarum litterarum prout ſumitur ex *cit. c. Inter dilectos, h. t. & ibi Gl. V. Procuraverit, & Abb. num. 4.*

Notandum quinto, ſi conceſſio, ſeu collatio beneficii prius facta fuit alicui indigno, ſed per ignorantiam, quia publice non conſtabat collationem eſſe nullam, ut in caſu hujus c. in quo non conſtabat, ſed merito dubitari poterat, an collatio beneficii eſſet nulla, nec ne? & an is, cui collatio prius facta eſt, eſſet indignus, quia uſuram exercuit tantum in ludo, & ludebat, ſecundum conſuetudinem aliorum Clericorum: hoc, inquam, caſu, ſecunda electio, ſeu collatio beneficii irritanda eſt, ſeu irrita declaranda, licet is, cui collatum eſt beneficium, poſtea repertus ſit indignus: nam etſi prima collatio facta ſit indigno per ignorantiam, quia tamen publice non conſtabat de nullitate collationis, non potuit, nec debuit attentare collator ſecundam collationem, niſi prius caſſata, ſeu reprobata prima, nunquam enim debet fieri ſecunda collatio, vel electio, niſi notorie conſtet primam nullam, & invalidam eſſe: quare in caſu hujus c. Is, qui primo contulit beneficium indigno, ſcilicet Petro, non fuit ipſo facto privatus poteſtate conferendi, quia ignoranter id fecit, & indignitas perſonæ tunc erat occulta, ſed propter inconſtantiam ſuam, quia prima collatione non caſſata, proceſſit ad ſecundam, pro ea vice, fuit privatus poteſtate conferendi. Unde ſecunda collatio non tenuit, quia Cantor conferendo primo Succentoriam ipſi Petro, functus eſt ſuo officio, ideo non potuit, nec debuit attentare ſecundam collationem. *Gloſ. in citat. cap. Inter V. Poſtmodum, & V. Irritum, Abb. ibid. n. 8. & 9.*

X. Aſſertio 5. Delinquunt Epiſcopi, aliique ſimiles Prælati, ſi impediant privilegia ſubditorum, ideoque hi non tenentur parere Superiori exigenti, vel præcipienti aliquid con-

contra tenorem ſuorum privilegiorum, prout ſumitur ex *cap. Sane 5. hoc titul.* ubi Alexander III. ſic ſtatuit: „Si Epiſcopi aliquid ab Abbatibus (non exemptis, ſed ſubjectis Epiſcopo, nam hic non eſt ſermo de exemptis, *Gl. hic V. Obedientiam*,) præter debitam obedientiam, contra libertatem Ordinis a SS. Pontificibus conceſſam exigant, liberum ſit Abbatibus, auctoritate Apoſtolica, quod petitur denegare. Loquitur autem hic textus, non de plena, & omnimoda exemptione a poteſtate, & juriſdictione Epiſcopi, ut patet ex illis verbis *præter debitam obedientiam*, ſed de privilegio, per quod libertas, ſeu immunitas in certa re alicui Ordini, aut Monaſterio a Papa conceditur, ita tamen ut nihilominus Epiſcopus poſſit viſitare, & corrigere tale Monaſterium, vel confirmare Abbates, *Gl. hic V. Obedientiam, & Hoſtienſ.* Ratio deciſionis eſt, quia etiam Epiſcopi, aliique Prælati, ſeu Superiores tenentur libertates ſeu immunitates a Papa inferioribus Eccleſiis, vel Clericis ſæcularibus, aut regularibus conceſſas illæſas conſervare, quia inferior non poteſt tollere legem ſuperioris, *cap. Cum inferior 16. de majorit. & eod.* & poteſt Papa, etiam in præjudicium Epiſcoporum, Eccleſiis, vel Clericis inferioribus privilegia dare, *Abb. hic n. 3.*

XI. Porro ſi Epiſcopus aliquid a ſubdito contra privilegium ipſius exigat, poteſt is hoc ipſi denegare, auctoritate hujus Canonis, ut notat *Gl. fin. hic*, imo & auctoritate propria, cum vigore privilegii ad hoc faciendum non teneatur, *c. Quia cognovimus 6. cauſ. 10. q. 3.* Vel etiam dici poteſt, ſi Superior non ſit in poſſeſſione ejus, quod a ſubdito privilegiato petit, poteſt, propria auctoritate, id ei ſubditus denegare, juxta *cit. c. Quia cognovimus*. Secus vero, ſi ſuperior ſit in poſſeſſione, tunc enim ſubditus non propria, ſed auctoritate Apoſtolica, & delegata hujus Canonis, id negare poteſt nam alias propria auctoritate non poſſet ſubditus Superiorem ſuum poſſeſſione privare, *Arg. tit. c. Cum inferior de majorit. & obed. Abbas hic in fine.*

XII. Ex dictis infertur, quod ſententia excommunicationis lata ab Epiſcopo contra Subditum, eo quod non paruit in iis, quæ contra privilegium ſibi a Superiore conceſſum exigebantur ab illo, non tenet, prout ſumitur ex *c. Cum ad quorundam 7. h. t.* Nam in Concilio Lateranenſi (quod refertur in c. *Cum Apoſtolus 6. in princ. de cenſib.*) „ſtatutum fuit, ut Prælati Eccleſiarum, cum viſitant Eccleſias, certum numerum evectionis, id eſt, equorum, & perſonarum habere poſſint, quem excedere non debeant: quia numerus ibi, quoad equos quidem, eſt expreſſus, ſed quoad perſonas, arbitrio boni viri relictus, ut ab eo determinetur, *Hoſtienſ. hic V. Conſtitutum*. Sed quia aliqui Epiſcopi, & Prælati Eccleſiarum, cum Eccleſias viſitarent, id non ſervabant, de quo inferiores Prælati, & Clerici conqueſti ſunt apud Clementem III. ideo idem Papa, Apoſtolica auctoritate conceſſit, ut ſi Eccleſiarum Prælati numerum equorum, & perſonarum in Lateranenſi Concilio conſtitutum, cum Eccleſias viſitaverint, excedere præſumpſerint, & pro pluribus procurationem exegerint, liberum ſit eis, id auctoritate Apoſtolica denegare: & ſi propterea Prælati in Eccleſias eorum, vel in Clericos ſententiam (excommunicationis, vel interdicti) promulgaverint, Papa decernit, illam non tenere. Ratio deciſionis eſt, quia cum Prælati, aliique Clerici inferiores, vi privilegii Apoſtolici ipſis conceſſi, quoad hoc ſint exempti a juriſdictione Epiſcoporum, ideo ſententia excommunicationis, vel alterius cenſuræ lata contra privilegium Papæ, non tenet, tanquam lata a Judice non ſuo: & temerarium, ac indignum eſt, ſua auctoritate præſumere contra id, quod alicui ab Eccleſia Romana ſpecialiter eſt conceſſum, *cit. c. Sane 9. de privil.* & in quantum aliqui ſunt exempti, ſervanda ſunt illis ſua privilegia, *c. Cum Capella 16. infer. eod. Gl. hic V. Non tenere*. Et cum talis ſententia manifeſtam iniquitatem contineat, & notorie ſit injuſta, eſt ipſo jure nulla, *Arg. cap. Inter cæteras 9. de ſent. & re judic.* Et quamvis in dubio præſumptio ſit pro juſtitia ſententiæ, ea tamen ceſſat, ſi conſtet notorie illius injuſtitia, non enim eſt præſumendum, quod jura, quæ nituntur ſumma æquitate, velint defendere, vel robur dare notoriæ injuſtitiæ, *Gl. fin. hic & Abb. in fine.*

Addit *Gloſſ. fin. hic*, ſi Prælati, vel alii Clerici inferiores, tale Privilegium non haberent, quod excommunicari non poſſunt, & Epiſcopus prædictum numerum equorum, & perſonarum excederet, vel alias ultra tenorem Concilii Lateranenſis, eos gravaret, licite poſſunt non parere, ſed negare, jure communi, & auctoritate Concilii Lateranenſis in *cit. cap. Cum Apoſtolus de cenſib.* Si tamen eoſdem excommunicaret Epiſcopus, valida foret excommunicatio, licet ipſe male faceret, & ipſi poſſent agere contra Epiſcopum ad intereſſe, qua injuſte illos excommunicavit, *c. Sacro 48. ſent. excomm.*

XIII. Aſſertio 6. Graviter etiam excedit, & delinquit Epiſcopus, qui directe, vel indirecte cauſam præſtat homicidio, eo enim commiſſo, fit irregularis, ita ut privari debeat Officio Pontificali, & Sacerdotali, & ab Epiſcopatus adminiſtratione amoveri, prout ſumitur ex *cap. Ex litteris 10. hoc tit.* ubi habetur, quod quidam Viſitatores acceſſe„runt ad Albiganenſem Eccleſiam, eam viſitaturi, Epiſcopus Albiganenſis, inter alia, quæ contra ipſum propoſita fuerunt, confeſſus fuit, quod cum quidam in Villa ad illius juriſdictionem (temporalem, *Hoſtienſ. hic Verſ. eod.*) ſpectante, infamaretur de furto, & ipſe fur illud negaret, ſe offerens ad ſe purgandum, judicio ferri candentis, & ſi in eo deficeret, ut ſuſpenderetur. Epiſcopus quæſivit a Judice ab ipſo ad maleficia punienda deputato, quid ſuper hoc ei videretur: Judex reſpondit, ut fieret, ſicut ipſe fur dixerat: quare ferrum candens in ipſius Epiſcopi præſentia eſt allatum, quod cum fur ille accepiſſet, ambuſtus eſt. Judex territus conſuluit Epiſcopum, quid ſibi in hac re eſſet agendum? qui reſpondit, quod ſi fur evaderet, malum eſſet: quanquam Epiſcopus dicat, ſe talibus verbis uſum fuiſſe: audiris, quantus eſt clamor populi: omnes dixerunt, malum eſt, ſi ſic evaſerit impunitus: & mox Epiſcopus, & Judex exiverunt e villa illa, cum populo, & tum ille in eorum præſentia eſt ſuſpenſus. His auditis, Inquiſitores ipſum Epiſcopum, cum litteris prædictam confeſſionem continentibus, miſerunt ad Sedem Apoſtolicam, ſed ipſe nihil ſuper his propoſuit coram Papa, nec Litteras Inquiſitorum exhibuit: licet ipſe aſſereret, ſe litteras illas Papæ præſentaſſe: quin imo cum alter ex Inquiſitoribus ad Sedem Apoſtolicam acceſſiſſet, qui totius rei ſeriem Papæ expoſuit: idem Epiſcopus a Curia Romana receſſit, & perquiſitus non potuit inveniri. His intellectis, per dictum Inquiſitorem, & litteras Inquiſitorum (quibus creditur, donec contrarium probetur, *Gl. hic V. Noſcitur deliquiſſe*) Papa Innocentius, quia idem Epiſcopus, non ſolum in judicio ferri candentis, ſed etiam in furis ſuſpendio graviter deliquit, cum his non tantum auctoritatem præſtiterit, verum etiam corporalem ſuam præſentiam exhibuerit, ipſum Epiſcopum Altaris Miniſterio indignum reputavit: & quia Pontificale Officium, ſine Altaris Miniſterio, exerceri non poteſt, mandavit idem Papa dictis Inquiſitoribus, ut eundem moneant, ut Epiſcopatui cedat, alioquin ipſum ab Eccleſia Albiganenſi amoveant, & faciant eidem Eccleſiæ, per Canonicam electionem, de idonea perſona provideri.

XIV. Hinc colligitur primo. Quod Epiſcopus in locis, in quibus temporalem juriſdictionem habet, debeat conſtituere Judicem laicum, qui in cauſis criminalibus jus dicat, *Azor par. 2. lib. 3. cap. 23. quæſt. 9.* alioquin ſi corporaliter interſit executioni pœnæ corporalis, per quam reus occiditur, vel membro mutilatur, irregularitatem incurrit, quia auctoritatem, & opem præſtare cenſetur ipſi homicidio, vel mutilationi: non enim refert, an quis facto, vel conſilio, vel auctoritate ſuadet cauſam homicidio *cap. Si quis 8. diſ. 50. Gloſſ. hic Verſ. Corporalem*. Aliud eſt de eo Epiſcopo, vel alio Clerico, qui juriſdictionem temporalem non habet in loco, ubi pœnæ corporales etiam ſanguinis infliguntur, is enim, etiamſi præſens ſit, non fit irregularis, ſi nullo modo cooperetur, ſed tantum aſſiſtat, quamvis graviter peccet contra *cap. penult. Ne Clerici, vel Monachi &c. Abbas hic num. 2. notab. 1. & Barboſ. num. 6.*

Colligitur ſecundo. Judicium, ſive purgatio, quæ fit per ferrum candens, vel aquam calidam, eſt prohibita *tot. tit. infr. de purg. vulg.* de qua ibi: ideoque propter hoc ſolum, quod Epiſcopus in illam conſenſit, fuit puniendus, *Gl. hic. V. Candentis, Hoſtienſ. V. eod. & Abb. numer. 2. not. 2.*

Colligitur tertio. Sive Epiſcopus iſte dixerit, ut ſuſpenderetur fur; ſicut ipſe dixit, & ſeipſum judicavit, ſeu condemnavit, ſive per verba æquipollentia, *Audiris, quantus ſit clamor populi &c.* cenſetur ſuſpenſionis ejus auxilium dediſſe, vel tacitum mandatum, ideoque factus eſt irregularis, & cum de mente illius conſtet, non vis ponenda in verbis, *Innoc. hic V. Multitudines, & Hoſtienſ. V. Et ſic.* quamvis alias poſſit quis, citra periculum irregularitatis, dare conſilium in genere, dicendo, fures taliter ſunt puniendi, *Gl. hic. V. Conſuluit.*

XV. Colligitur quarto. Sufficit eum, qui eſt de contumacia, vel culpa notatus, abſentem requiri, nec eſt neceſſe, ut edictum peremptoriæ citationis ad illum venerit, *c. Cauſam. 3. & c. alt. de dolo, & contum*, & is, qui citatus, vel monitus ſe ſtitit, ſed poſtea a judicio diſceſſit, perinde eſt, ac ſi non comparuiſſet, *c. 1. de judic.* & pro contumace habetur, poſtquam quæſitus non potuit inveniri, *Gl. hic. V. Diſceſſit, & V. Perquiſitus. Innoc. V. Inveniri*, ut in caſu hujus c. Epiſcopus monitus fuit a Judicibus delegatis, ut ſe ſiſteret Papæ, quæ monitio habuit vim citationis peremptoriæ, *Abb. hic in fine, & Gloſſator ejus. Alex. de Nevo ibid. lit. A.*

Colligitur quinto. Officium Pontificale non poteſt exerceri, ſine Officio Presbyterali, ut patet ex hoc c. adeoque qui eſt ſuſpenſus ab Officio Sacerdotali, non poteſt exercere Pontificalia, quia non poteſt quis eſſe Epiſcopus vere conſecratus, niſi primo fuerit Sacerdos ordinatus, uti ſumitur ex *hoc cap. Gl. hic V. Miniſterio, & Hoſtienſ. hic V. eod.*

Colligitur ſexto. Epiſcopus criminoſus cogi poteſt renunciare, ut patet ex hoc c. Nam quia conſenſit in ſuſpenſionem furis, factus eſt indignus Altaris miniſterio, ſeu irregularis, adeoque ſi cedere nolit, eſt perpetuo amovendus, quamvis alias, ſi impotens eſſet, ei coadjutor daretur *Gl. fin. hic. & Hoſtienſ. V. Alioquin. Barb. hic n. 9. Paris l. 3. de reſign. benef. c. 18. n. 17. & 18.* & in locum Epiſcopi depoſiti, vel ex culpa ſuæ irregularis facti, alius idoneus ſubſtitui debet, *Gl. hic in notatis*, quia per depoſitionem, & privationem vacat beneficium, ipſo jure, *Barboſa hic n. 10.*

XVI. Aſſertio 7. Alius exceſſus, & delictum Prælatorum eſt, ſi Sacerdotes ſibi ſubjectos cogant ad revelandum peccatorem, vel peccatum auditum in Confeſſione Sacramentali, prout habetur in *c. Dilectus. 13. h. t.* Ubi Joannes „Presbyter conqueſtus eſt Papæ Honorio III. quod Rectores Fraternitatis Urbis (per quos Clerus in urbe regi conſuevit, & qui in eum, ex ſpeciali commiſſione, juriſdictionem habent, *Hoſtienſ. hic V. Fraternitatis, & Abb. n. 3.*) compellebant ipſum ad revelandum fures, & id, quod ſuper furto, ſibi tanquam Sacerdoti (ſive in judicio, & foro pœnitentiali) fuerat revelatum, vel ad ſatisfaciendum eidem damnum paſſo, & niſi alterum prædictorum faceret, tulerant in ipſum ſententiam interdicti. Quia vero perniciosum eſſet (exemplo) dictum

Pres-

„ Presbyterum ſibi taliter credita revelare (quia alii a „ Confeſſione retraherentur, ſi iſte ſic proderetur, *Hoſtienſ. hic V. Perniciosum*) & cogi ad ſolvendum id, quod non „ rapuit: ideo mandat prædictus Papa Cardinali Presbyte- „ ro S. Pudentianæ Vicario ſuo, ut præfatis Rectoribus „ injungat, ne a gravamine memorati Presbyteri penitus „ deſiſtant.

XVII. Notandum primo. Judex poteſt aliquem compellere ad indicandum furem, & furtum commiſſum, & Judex Eccleſiaſticus poteſt ferre ſententiam cenſuræ contra non revelantes, ut probatur ex hoc cap. Nam hoc eſt ſpeciale, quod non poſſit quis cogi ad revelandum furem, vel furtum, ſi id ſciat ex Confeſſione Sacramentali, adeoque non ut homo, ſed ut DEUS, ſive DEI Vicarius: ergo a contrario ſenſu, ſi ſciat ut homo, ſive extra Confeſſionem ſacramentalem, poteſt compelli ad revelandum, juxta *c. Qui cum fure 4. de furtis. Abb. hic num. 1.*

Notandum ſecundo. Sacerdos non poteſt compelli, etiam per Judicem Eccleſiaſticum, ad revelandum peccatorem ſibi ſacramentaliter confeſſum, nec ad revelandum ipſum peccatum, quia reſpectu utriuſque hic prohibetur compulſio, *Abb. hic num. 2.* quin imo nec per S. Pontificem poteſt Sacerdos compelli ad detegendum peccatum ipſi in Confeſſione revelatum, cujus rationem reddit *Abb. hic numer. 4.* quia Sacerdos in Confeſſione Sacramentali eſt ſpecialis Vicarius DEI, Papa vero generalis: ſpecialis vero, quoad cauſam ſibi commiſſam major eſt Vicario, ſive Commiſſario generali *c. Sane 11. de offic. Jud. deleg.* Sed vera ratio, cur Sacerdos non poſſit, nec debet compelli ad revelandum, quod in Confeſſione Sacramentali audivit, illa eſt, quia ſigillum ſecreti eſt de Jure Divino, *Gl. margin. hic lit. Cod.* & tradunt communiter Theologi. Ex quo infertur, quod ſi Sacerdos producatur in teſtem in judicio, non tantum poteſt dicere, ſe nihil ſcire, ſed etiam jurare, ſe neſcire, quod interrogatur, ſubintelligendo, tanquam homo, vel homini quoad hoc ſubjectus, *Abb. hic numer. 5. Barboſa num. 2.*

Notandum ſecundo, Sententia interdicti poteſt ferri, non tantum in locum, ſed etiam in perſonam, ut colligitur ex hoc c. ſed lata in Sacerdotem iſtum non tenuit, quia quoad hoc erat major ipſis Rectoribus, quia DEI Commiſſarius, ergo ipſum interdicere, vel excommunicare non poterant, *Arg. c. Cum inferior. 16. de majorit. & obed.* & quia continebat errorem intolerabilem, non tenuit, *c. Per tuas, 40. de ſent. excomm.* Unde Papa non mandavit, ut abſolveretur, ſed ut deſiſterent a gravamine, quod de facto inferebant: imo etiam quoad alteram partem de ſatisfactione facienda, non valuit interdictum, quia iniquum erat, ut teneretur reddere, quod non rapuit, *Gl. hic V. revelare.*

§. II.

De quibuſdam ſpecialibus exceſſibus, ſeu delictis Prælatorum Epiſcopis inferiorum.

Prohibitum eſt Prælatis Epiſcopo inferioribus, ne violent, & turbent juriſdictionem ſuperiorum Prælatorum, uniendo Eccleſias, ſine eorum conſenſu, vel alios actus ad dignitatem, & poteſtatem Epiſcopalem ſpectantes exercendo, de quibus exceſſibus, & delictis hoc §. agemus.

XVIII. Quæritur primo. An Prælatis Epiſcopo inferioribus prohibitum ſit unire Eccleſias ſibi ſubjectas, ſine conſenſu Epiſcoporum? Reſp. affirmative, ut conſtat ex *cap. Sicut. 8. h. titul.* ubi habetur, quod cum Prior Gradenſis Mo- „ naſterium ſuum, quod eſt in Diœceſi Epiſcopi Fauſtini, „ vel Faventinenſis (ut habet vetus compilatio) alteri Mo- „ naſterio ſubjeciſſet, ſeu univiſſet, ſine conſenſu præ- „ dicti Epiſcopi Diœceſani, cujus auctoritate id fieri de- „ buiſſet, quamvis interveniente Archiepiſcopi conſenſu: „ Re delata ad Papam Cæleſtinum III. is reſpondit: ſicut „ unire Epiſcopatus, & poteſtati alienæ ſubjicere, ad S. „ Pontificem pertinet: ita ad Epiſcopum ſpectat Eccleſias „ ſuæ Diœceſis unire, & eaſdem aliis ſubjicere. Cum ita- „ que prædictus Prior Monaſterium ſuum, quod eſt in Diœ- „ ceſi dicti Epiſcopi Fauſtini, ejuſdem aſſenſu non requiſi- „ to, alteri Monaſterio ſubjecerit, ſive univerit, ideo „ idem Papa decernit, auctoritate ſua, eſſe irritandum, „ & ab Epiſcopo loci infirmandum, quod ipſo inconſulto, „ factum eſt, cum ea, quæ in Epiſcopi Diœceſi ſunt, ejuſ- „ dem conſenſu ordinari, ac fieri debeant. Non obſtante, „ quod conſenſus, vel confirmatio Metropolitani interve- „ niſſe dicatur, cum is in Diœceſi ſui Suffraganei, abſque „ ipſius conſenſu, nihil debeat contra Canonicas Conſtitu- „ tiones attentare, ideoque id Papa decernit irritandum.

XIX. Pro explicatione notandum primo. Solus Papa poteſt unire Epiſcopatus, ſive Eccleſias Cathedrales, ut habetur in hoc cap. & tradit *Rebuff. in praxi benef. titul. de unionib. num. 22. Garc. p. 12. de benef. cap. 2. num. 60.* & alii communiter. Hinc tamen ex eo, quod hic dicitur, ſicut ſolus Papa poteſt unire Epiſcopatus privative ad Epiſcopos, ſive iis excluſis: ita etiam de jure communi, & excluſo ſpeciali privilegio, ſoli Epiſcopi poſſunt unire Eccleſias ſuæ Diœceſis privative ad inferiores Prælatos, ſive iis excluſis: non recte deſumitur argumentum, quod Epiſcopus poſſit in ſua Diœceſi, quicquid poteſt Rom. Pontifex in tota Eccleſia, ſed ſolum hic indicatur, quod inter poteſtatem Papæ, & poteſtatem Epiſcoporum ſit quædam proportio, & ſimilitudo, ut notat *Fagn. in cit. cap. Sicut. num. 2. h. titul.* Eſt tamen etiam quoad unionem Eccleſiarum, quædam differentia inter Papam, & Epiſcopum, quia ad unionem faciendam ab Epiſcopo, requiritur juſta cauſa, *cap. 1. De his, quæ a Præl. & cap.* & conſenſus Capituli, *Arg. cap. Paſtoralis 7. in fine. de donat. & Clement. 2. de reb. Eccleſ. non alien.* Papa vero poteſt unire Eccleſias, etiam ſine cauſa, & ſine alicujus conſilio, vel conſenſu, *Arg. cap. Cuncta. 17. & ult. cauſ. 9. quæſt. 3. Joan. Andr. hic num. 1. & Abb. numer. 1.* Solet tamen Papa hæc, & alia ardua ſibi reſervata expedire, nonniſi cum conſilio Fratrum ſuorum, id eſt, Cardinalium, quia id decens, & honeſtum eſt, quamvis de poteſtate abſoluta, etiam ſine illo, omnia peragere poſſit valide, nec compelli ad conſilium aliorum requirendum, *Fagn. hic num. 3. & 4.*

Notandum ſecundo. Epiſcopus poteſt, propria auctoritate unum Monaſterium, vel aliam Eccleſiam unire alteri, ut probatur ex hoc c. ibi: *Aſſenſu tuo minime requiſito*, & ibi *te inconſulto*; ergo a contrario ſenſu, Epiſcopo requiſito, aut conſulto, poteſt unum Monaſterium uniri alteri, cum conſenſu tamen Capituli, & Prælati, ſeu Rectoris Eccleſiæ inferioris, *Barb. hic numer. 7.* Id autem limitari debet primo, dummodo utrumque Monaſterium ſit in ſua Diœceſi, ejuſque juriſdictioni ſubjectum, *Gl. hic V. Auctoritate noſtra Fagn. hic num. 10.* Secundo, dummodo neutrum Monaſterium ſit exemptum, nam alioquin non propria auctoritate Epiſcopi, ſed auctoritate ſolius Papæ, unum alteri ab Epiſcopo uniri poſſet, *Gloſſ. hic Verſ. In tua Diœceſi & Fagn. num. 11.*

Notandum tertio. Abbates, ſeu Prælati Epiſcopo inferiores non poſſunt Eccleſias, vel beneficia unire, ſine conſenſu Epiſcopi, prout ſumitur ex hoc cap. niſi hoc jus uniendi ex privilegio aliquo Pontificio, vel legitima præſcriptione acquiſiverint, quia eſt poteſtas jure communi conceſſa, & reſervata ſolis Epiſcopis, *Innoc. hic & Abb. num. 3.* Verum de unione Eccleſiarum, & beneficiorum plura dicta ſunt *lib. 3. Decret. titul. 5. tota ſec. 6.* ubi ex inſtituto de hac re agitur.

Notandum quarto, Archiepiſcopus, ſeu Metropolitanus non eſt Judex totius Provinciæ, ut colligitur ex hoc cap. in fine, etſi enim omnium Suffraganeorum ſuæ Provinciæ Ordinarius ſit Superior, non tamen ſubditorum eorundem Suffraganeorum, adeoque nec in eorum Diœceſi juriſdictionem exercere poteſt, niſi in caſibus jure expreſſis, *Gl. fin. hic, & Abb. num. 4.* & conſtat ex alibi dictis, inter quos non reperitur facultas uniendi Eccleſias, & beneficia, ita ut Metropolitanus non poſſit, etiam nolente, & negligente Epiſcopo, unionem facere extra ſuam Diœceſim, juxta declarationem Cardinal. Concil. apud *Fagn. hic num. 8.*

XX. Quæritur ſecundo, quinam actus ad Epiſcopalem juriſdictionem ſpectantes prohibeantur exerceri a Prælatis inferioribus? Reſpondetur, de quæſtione hac extat ſtatutum Concilii Generalis Lateranenſis ſub Innocentio III. cap. 60. quod refertur in *cap. Accedentibus 12. h. titul.* ubi dici- „ tur, quod Epiſcopi graviter ſint conqueſti apud Papam „ de quibuſdam Abbatibus, qui ſuis finibus, ſeu terminis „ non contenti, manus ad ea, quæ ſunt dignitatis E- „ piſcopalis, extendunt, cognoſcendo de cauſis matrimo- „ nialibus, injungendo publicas pœnitentias, concedendo „ etiam Indulgentiarum Litteras, & ſimilia præſumendo, „ propter quæ auctoritas Epiſcopalis interdum apud mul- „ tos viléſcit. Quare Concilium volens, & Epiſcoporum „ dignitati, & Abbatum ſaluti in his providere, prohi- „ buit, ne de cetero aliquis Abbatum ad talia ſe præ- „ ſumat extendere, ſi proprium periculum (non ſolum animæ, ſed etiam remotionis ab Abbatia, ut puniatur, in quo deliquit, *cap. Quanto 3. de transl. Epiſc. Hoſtienſ.* „ *hic Verſ. Periculum*, voluerit evitare: niſi forte quiſpiam „ eorum, ſpeciali conceſſione, vel alia legitima cauſa, „ ſuper hujuſmodi facto valeat ſe tueri.

XXI. Notandum primo, cognitio cauſarum matrimonialium, de Jure communi, ſpectat ad ſolum Epiſcopum; aliis vero Prælatis inferioribus non niſi ex ſpeciali conceſſione, ſeu privilegio, vel ex conſuetudine legitime præſcripta competit, ut patet ex hoc c. & docet *Gl. ibid. Epiſcopalis dignitatis, & Hoſtienſ. V. Matrimonialibus*; nam generaliter ea, quæ ad dignitatem, vel juriſdictionem Epiſcopalem pertinent, poſſunt etiam acquiri ab inferioribus Prælatis, non ſolum ex privilegio, ſed etiam per præſcriptionem, aut conſuetudinem legitime præſcriptam, quæ dat juriſdictionem, *Gloſſ. fin. hic*. Secus eſt de his, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, ea enim nulla conſuetudine, aut præſcriptione, etiam temporis Immemorialis, acquiri poſſunt, *c. Quarto 4. de conſuetud. c. Quanto 9. de conſecrat. Eccleſ. vel Altar.* quia in his Prælatis inferioribus deficit Ordo Epiſcopalis, *cap. Quamvis 4. diſp. 68.* neque etiam per privilegium talia facile conceduntur. *Hoſtienſ. hic V. Dignitatis. Abb. numer. 2. & 8.* Hodie ex vero Decreto Concilii Tridentini *Seſſ. 24. cap. 20. §. Ad hæc de reformat.* cauſæ matrimoniales, & criminales Epiſcopi tantum examini, & juriſdictioni ſunt reſervatæ, non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, & conſuetudinibus, niſi fuerit conſuetudo immemorialis, ut declaravit Sacra Congregatio ejuſdem Concilii apud *Joan. Gallemart. in declarationibus, num. 8. & Fagnan. hic num. 6.*

Excipiuntur tamen Abbates, & Prælati exempti, qui ſunt nullius Diœceſis, quia omnimodam juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & ordinariam in Clerum, & populum habent, excluſis Epiſcopis: hi enim poſſunt, ſaltem ex privilegio Papæ, acquirere hujuſmodi territorium exemptum, cum juriſdictione quaſi Epiſcopali, privative ad Epiſcopum; & conſequenter etiam poſſunt cauſas matrimoniales, & criminales cognoſcere, quæ poteſtas illis non eſt adempta per Concilium Trident. *cit. loc.* quod non debet extendi ultra Decanos, Archidiaconos, & illis inferiores juriſdictionem ordinariam non habentes, de quibus loquitur. Nec poſſunt hujuſmodi Prælati comprehendi ſub adjuncta clauſula generali, *aut aliorum inferiorum judicum*, quia per hæc verba generalia non veniunt majora, vel graviora, quam expreſſa ſint; & quando in Lege, vel Canone

ſunt

Digitized by Google

ſunt enumeratæ minores, ſeu Inferiores perſonæ, non poſſunt ſub generali clauſula ſubſequente comprehendi majores, & ſuperiores. Prælati vero, qui proprium territorium habent, in quo exerceant ordinariam juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, majores ſunt Decanis, & Archidiaconis, ac proinde ſub generali illa clauſula immediate ſubſequente, *aut aliorum inferiorum*, non comprehenduntur. Neque etiam dictio taxativa *tantum* ibi addita: *Sed Epiſcopi tantum examini, & juriſdictioni relinquantur*, excludit caſus ſimiles, vel eandem rationem habentes: prædicti autem Prælati, quoad juriſdictionem, in locis pleno jure ſibi ſubjectis ſunt ſimiles Epiſcopis, ideoque etiam veniunt nomine Diœceſani, etiam in materia præjudiciali, ut tradit *Gl.* communiter recepta in *Clement. un. §. Volumus, V. Diœceſanis de foro compet.* & non ſolum tales Prælati non ſunt de Diœceſi, ſed neque in Diœceſi, cum proprium, ac ſeparatum omnino territorium habeant, ut fuſe probat, *Fagn. 6. in cit. c. Accedentibus 12. n. 27. & pluribus ſeqq. h. t.*

XXII. Notandum ſecundo, pœnitentias publicas, & ſolemnes imponere, ad ſolum etiam Epiſcopum pertinet, prout habetur in hoc *c. &c. In capite 64. diſ. 50. Gl. pen. hic juncta Gl. margin. lit. A. Hoſtienſ. V. Publicas: Gloſſat. Abbat. Alexander de Nevo hic lit. F.* ubi ait, quod publica pœnitentia debet imponi ab Epiſcopo, vel ejus mandato a Sacerdote.

Notandum tertio, Abbates, vel alii Prælati inferiores Epiſcopis, non poſſunt de Jure communi Indulgentias concedere, quia hujuſmodi poteſtas pertinet præciſe ad dignitatem, & juriſdictionem Epiſcopalem, ut conſtat ex *cit. c. Accedentibus, h. t.* ubi dicitur, quod Abbates, concedendo Indulgentias, extendunt manus ad ea, quæ ſunt dignitatis Epiſcopalis, *Azor. par. 2. libr. 3. cap. 55. quæſt. 3.* & alii communiter, etſi contrarium teneat *Emm. Rodriqu. Tomo 22. qq. regul. qu. 87. art. 1.* de Prælatis Religionum, qui habent poteſtatem ordinariam, & quaſi Epiſcopalem, ut Generales, & Provinciales Ordinum Regularium exemptorum, cum poteſtas concedendi Indulgentias ſit poteſtas Juriſdictionis Epiſcopalis, non Ordinis Epiſcopalis, nec etiam Sacerdotalis, nam remiſſio, quæ fit per Indulgentias, non pertinet ad diſpenſationem Sacramentorum, ſed bonorum communium Eccleſiæ, & ideo etiam Epiſcopi non conſecrati, & non Sacerdotes, poſſunt Indulgentias dare, ut docet *S. Thom. in 4. diſ. 20. art. 3. q. 2.* Sed obſtat *cit. c. Accedentibus, h. t.* quod expreſſe negat hanc poteſtatem competere Prælatis, non Epiſcopis: quamvis *Rodriq.* dicat, quod loquatur de Abbatibus, ſubditis Epiſcopis: vel ſi de exemptis, ſolum de Præpoſitis, ſeu Rectoribus non habentibus juriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Vel ſi etiam de his ibi ſit ſermo, intelligendum ſit de illis, qui excedebant hanc poteſtatem, concedendo Indulgentias, non ſolum ſuis ſubditis, ſed etiam aliis non ſubditis, ſive ſecularibus, ſive regularibus aliorum Ordinum. Verum hæc reſponſio nimis reſtringit deciſionem hujus cap.

XXIII. Illud tamen eſt probabile, quod non ſolum ex privilegio, ſeu conceſſione ſpeciali Papæ, ſed etiam ex conſuetudine legitime præſcripta, poſſint Prælati Epiſcopis inferiores acquirere facultatem concedendi Indulgentias, cum talis conſuetudo tribuat juriſdictionem, *Arg. c. ult. de Offic. Archidiac. & cap. Cum contingat 13. de foro compet. & cap. Auditis 15. de præſcript.* Et ita docet *Gloſſ. fin. hic, Hoſtienſ. V. Legitime cauſa, & Abb. nu. 4. in fine*, & probabile cenſet *Laym. l. 5. Theol. mor. tr. 7. c. 4. nu. 4.* Sufficit enim, quod Papa generali Lege velit, & conſentiat, ut Eccleſiaſtica juriſdictio per longævam conſuetudinem bona fide, præſcriptam acquiratur.

§. III.

De gravaminibus: quæ Prælati, aliique Eccleſiaſtici interdum inferre ſolent Religioſis.

XXIV. De his agitur imprimis in *c. Nimis iniquam 16. h. t.* ubi enumerantur XV. gravamina, quæ Prælati, videlicet Epiſcopi, & Rectores Eccleſiarum, aliique Canonici, & Clerici Cathedralium, vel aliarum Eccleſiarum inferebant Religioſis. Velut primo volebant, ipſis Religioſis invitis, eorum Confeſſiones audire, ac eis injungere pœni-
„ tentias, (cum tamen ſibi invicem confiteri poſſint, *cap.*
„ *cauſ. 16. qu. 1. Hoſtienſ. hic V. Confeſſiones*) Secundo Eu-
„ chariſtiam, ſive Communionem non præbere. Tertio non
„ volebant, ut Corpus Chriſti in eorum Oratoriis aſſerva-
„ retur. Quarto Fratres eorum defunctos apud Eccleſias
„ ſuas ſepeliri compellebant, & eorum exequias celebrari
„ (cum tamen omnes Religioſi in Cœmeteriis propriorum
„ Monaſteriorum ſepeliendi ſunt, *cit. c. 5. cauſ. 17. qu. 2.*)
„ Quinto, ſi quis decedentium Fratrum alibi, quam in
„ ſuis Eccleſiis eligeret ſepulturam, funus primo ad Eccle-
„ ſias ſuas deferri cogebant, ut obſtitis ſuis uſibus cederet.
„ Eſt autem hic ſermo non de profeſſis, ſed vel de Confratribus, ſive oblatis Templariorum, & ſimilibus, qui in ſeculo remanent, de quibus in *cap. 3. §. ult. de privil.* Nam profeſſi non poſſunt regulariter ſibi eligere ſepulturam. *Hoſtien. hic V. Eligat.* Vel eſt ſermo de illis Religioſis profeſſis, qui in loco diſtante, & remoto a Monaſterio decedunt & ſibi eligere poſſunt ſepulturam, *c. ult. de ſepult. Abb. hic*
„ *num. 2.* Sexto non permittebant eos habere campanam,
„ quod intelligi debet, ſi prohibeant Prælati Religioſos
„ habere campanam in Eccleſiis, ſeu Oratoriis ſuis publi-
„ cis, de quo infra ſuo loco. Septimo non permittebant
„ eos habere cœmeterium benedictum; quod tamen Reli-
„ gioſi habere poſſunt pro ſuis Fratribus ſepeliendis, vel
„ etiam pro ſuis Confratribus, & Oblatis, ſi apud eos
„ ſepulturam elegerint, de quo etiam infra. Octavo, cer-
„ tis tantum temporibus permittebant eis celebrare Divi-
„ na, cum non ſit prohibendum alicui quotidie communi-
„ care, ſi diſpoſitus ſit, *c. Quotidie 13. diſ. 2. de conſecrat.* er-
„ go multo minus Sacerdoti celebrare, *Hoſtienſ. hic V. Cer-*
„ *tis.* Nono volebant quoque in domibus Religioſorum cer-
„ tum numerum Fratrum, Sacerdotum, Clericorum, &
„ Laicorum, ſeu Converſorum: & decimo certum nume-
„ rum cereorum, lampadum, & ornamentorum, pro vo-
„ luntate ſua taxare: & undecimo reſiduorum cereorum
„ (antiquorum) quando novitas, id eſt, alii novi cerei
„ apponebantur, ab eiſdem exigebant. Duodecimo nec
„ permittebant, ut novi Sacerdotes eorum alibi, quam in
„ Eccleſiis ſuis (ſcilicet ſecularium Clericorum primas
„ Miſſas celebrarent, nempe oblationis cauſa, *Hoſtienſ.*
„ *hic V. Suis*. Decimo tertio eos inſuper compellebant,
„ ut in quotidianis Miſſis, quas Religioſi in ſuis locis, &
„ Altaribus celebrant, oblationes ad opus ſuum recipe-
„ rent, & reſervarent, velut ſervi eorum. Decimo quar-
„ to quicquid Religioſis, dum celebrabant Miſſarum ſo-
„ lemnia, intra domorum ſuarum ambitum, pia fidelium
„ oblatione donabatur, ab eiſdem oblationis nomine ex-
„ torquere contendebant, quia non debent Prælati ſibi
„ uſurpare, quod pia devotione fidelium Religioſis confer-
„ tur in vita, *c. De his 4. de ſepult. c. 1. de ſtatu Monach.*
„ *Gl. hic V. Donatur*. Decimo quinto denique quod eiſ-
„ dem Religioſis, tam in ornamentis Altaris, quam in
„ Libris Eccleſiaſticis, abſolute conferebatur, perpetuam
„ juri ſuo vendicabant: de his enim relictis, & aliis,
„ quæ ad divinum cultum pertinent, Prælati, ſeu Recto-
„ res Eccleſiarum percipere nihil debent, dummodo in
„ fraudem non ſint relicta, *c. ult. de teſtam. Gl. fin.* Quare
„ mandat Gregorius IX. univerſis Eccleſiarum Prælatis, ut
„ a prædictis gravaminibus deſiſtant, & ſubditos etiam ſuos
ab hujuſmodi actibus compeſcant. Porro omnes Religioſi debent eſſe liberi, & immunes a dictis gravaminibus, non ſolum exempti, & privilegiati, ſed etiam alii non exempti, *Abb. hic n. 5.* niſi ſit gravamen contra ſpecialia privilegia alicui Ordini conceſſa illatum.

„ XXV. Præter gravamina jam illata, prohibetur etiam
„ alia XII. gravamina inferri Fratribus Prædicatoribus, &
„ Minoribus, quorum Ordinem, & Regulam Sede Apoſto-
„ lica approbavit, ut in arctiſſima paupertate Chriſto pau-
„ peri famulentur, prout habetur in *c. Nimis prava 27. hoc*
„ *tit.* quorum gravamen primum eſt, quod plerique Præla-
„ ti, & alii eos ad Synodos ſuas cogebant accedere, quod
„ fuit contra ſpeciale privilegium conceſſum his duobus
„ Ordinibus, ut ad Synodum venire non teneantur. Se-
„ cundo cogebant illos ſuis Conſtitutionibus ſubjacere,
„ contrariis ſcilicet privilegiis eorum, *Hoſtienſ. hic V. Ab*
„ *ſuis*. Tertio, nec his contenti, Capitula, & ſcrutinia,
„ ſive Inquiſitiones in locis Fratrum pro his ſe facturos
„ comminabantur, quod etiam ſpeciale eſt in his Religio-
„ ſorum Ordinibus: in aliis enim licet Epiſcopis corrige-
„ re, *c. In ſingulis 7. §. Porro de ſtatu Monach. Hoſtienſ. hic*
„ *V. Corrigendis*. Quarto fidelitatem juramento firmatam ab
„ eorum Miniſtris, & Cuſtodibus, ſive Guardianis, in Or-
„ dine Minorum, nam Prædicatores habent Priores con-
„ ventuales, *Hoſtienſ. hic V. Miniſtris*) exigebant: quod et-
„ iam ſpeciale eſt privilegium conceſſum his duobus Ordinibus. Cum alias omnes Rectores Eccleſiarum, quibus cura animarum commiſſa eſt, juramentum fidelitatis præſtare debeant, *c. Nullus 5. de jurejur. c. Quanquam 6. diſ. 23. Gl. hic Fidelitatem juramento, & Hoſtienſ. V. eod.* Quinto. Prælati mandabant, etiam eiſdem Religioſis, ut tam extra Civitates, quam intra, ad Proceſſiones ab illis, etiam ex levi cauſa inſtitutas venirent. Ex quo infertur a contrario ſenſu, quod Fratres Prædicatores, & Minores, non obſtante privilegio exemptionis, teneantur comitari Epiſcopum in proceſſionibus ex gravi, & magna cauſa inſtitutis, v. g. in novo ingreſſu Epiſcopi, vel ob imminentem peſtem, & bellum, aut aliam publicam calamitatem, vel ad generales Litanias in feriis Rogationum, *Hoſtienſ. hic V. Ex levi cauſa, & Abb. n. 1.* ubi addit, idem dicendum de aliis Religioſis, etiam exemptis, quia hic textus loquitur de Prædicatoribus, & Minoribus exempli cauſa; ea vero, quæ ſic dicuntur, diſpoſitionem generalem non reſtringunt, quamvis in hoc ſervandæ ſint formæ, & favor exemptionum, & privilegiorum, ut ſi qui nominatim ſint exempti a proceſſionibus, ex quacunque cauſa, indicendis, quale privilegium habent Religioſi Societatis JESU ex Conſtitutione Gregorii XIII. edita 16. Julii, anno 1576. quæ incipit: *Quacunque, Fagn. hic nu. 7. & 8.* Hodie tamen ex decreto Concilii Tridentini *Seſſ. 25. c. 13. de regular.* omnes tam Clerici ſeculares, quam regulares quicunque, etiam Monachi ad publicas proceſſiones vocati coguntur accedere, iis tantum exceptis, qui in ſtrictiore clauſura perpetuo degunt, non obſtantibus privilegiis ante Concilium conceſſis, & conſuetudinibus etiam immemorialibus, quippe ſublatis in decreto, *c. 22. ead. Seſſ.* Excipiuntur a Gregorio XIII. Religioſi, qui diſtant a Civitate ultra medium milliare, *Fagn. in cit. c. Nimis 27. h. t. num. 11.* Sexto, ſententiam excommunicationis fulminabant in omnes benefactores eorundem Religioſorum, nempe ut vel propter inopiam domos deſerere, & abire cogerentur, vel Prælatorum mandatis obedire, prout loquitur *Hoſtienſ. V. Benefactores*: fulminare autem dicitur ſententiam excommunicationis, qui vel ſine cauſa, vel non ex juſta, ſed injuſta cauſa, vel non ſervato debito juris Ordine, eam profert, *Hoſtienſ. hic Verſ. Fulminant.* Septimo, quin etiam ipſis Religioſis iſtis excommunicationis ſententiam comminabantur, eoſque ex locis, in quibus Domino famulantur, amovere ſtage-
„ bant (de facto, & violenter, quod non licet, *Hoſtienſ.*
„ *hic Verſ. Amovere*) niſi eis in omnibus ſupra dictis obe-
„ dirent. Octavo, prohibebant, quoque, ne prædicti
„ Fratres ad honoratiores Civitates, ac villas: ubi

religioſe, & honeſte valerent commorari, a populis vocati, accedere auderent. Nono, & tam in ipſos Fratres accedentes, quam in eorum receptatores excommunicationis ſententiam promulgere præſumebant. Decimo, ab eiſdem etiam ex hortorum fructibus decimas exigebant, ex quibus nullas Religioſi decimas ſolvere tenentur, *c. Ex parte 10. De decimis, Gloſſ. hic V. De hortorum fructibus*. Undecimo, nec non etiam ex domiciliis Fratrum, ſicut & Judæorum domibus, reditus extorquere contendebant, aſſerentes, quod niſi Fratres ibidem morerentur, ab aliis habitatoribus proventus aliqui ſolverentur. Duodecimo, & ut ipſos Fratres prædictos totaliter ſuæ ſubjicerent ditioni, & poteſtati, eiſdem volebant Miniſtros, & Cuſtodes (id eſt, Quadrianos, vel Priores) præficere, pro ſuo arbitrio, cum tamen Jure communi, quælibet Congregatio debeat ſibi Prælatum eligere, *cap. ultim. cauſ. 16. quæſt. ultim. c. Abbas 8. & c. Abbatem 3. & cap. ſeq. cauſ. 18. quæſt. 2. Hoſtienſ. hic V. Præficere*. Quare Papa Gregorius IX. omnibus, & ſingulis Prælatis Eccleſiarum mandavit, ut a prædictis gravaminibus deſiſtant, & Subditos ſuos ab hujuſmodi actibus arctius compeſcant, quia in omnibus ſupra dictis Prædicatores, & Minores ſunt exempti, nec poſſunt ad talia facienda compelli. *Gl. fin. hic*.

XXVI. Cæterum quando in *citat. c. Nimis 17. hoc tit.* dicitur, Fratres Prædicatores, non ſecus ac Minores, eſſe in ſtatu arctiſſimæ paupertatis, id ita intelligendum eſt, quod utriuſque Ordinis Monaſteria non poſſunt habere bona immobilia, neque in particulari, neque in communi, nec terros, ac perpetuos annuos reditus: hoc ſolo diſcrimine, quod Minores ſunt incapaces omnium bonorum, etiam in communi, ex Regula, & primævo ſuo inſtituto, ut conſtat ex *c. Exiit, de V. S. in 6. & Clement. 1. eod.* Prædicatores vero ex Regula, quæ eſt S. Auguſtini, poſſunt habere bona in communi, etiam quoad proprietatem, non autem ex Conſtitutionibus poſtea conditis, & a Sede Apoſtolica approbatis: & ex privilegio etiam ſunt capaces annui reditus, *Joann. Andr. hic V. Arctiſſima & Abb. num. 2. Fagnan. hic num. 12. & ſeqq.* Hodie vero Concilium Trident. *Seſſ. 25. c. 3. de regularib.* conceſſit omnibus Monaſteriis, tam virorum, quam mulierum, etiam Mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Franciſci, Capucinorum, & eorum, qui Minores de obſervantia vocantur, etiam quibus ex Conſtitutionibus erat prohibitum, aut ex privilegio Apoſtolico non erat conceſſum, ut deinceps bona immobilia poſſidere liceat.

XXVII. Denique Clemens V. propoſuit 30. exceſſus, ſeu gravamina, in quibus plerique Epiſcopi, & iis ſuperiores (Archiepiſcopi, Patriarchæ) ac cæteri Eccleſiarum Prælati Religioſos injuſte inquietabant, prout habetur in *Clem. Frequens* 1, *h. t.* & in textu legi poſſunt.

§. IV.

De Exceſſibus, ſeu delictis Subditorum in Prælatos, ſeu Superiores ſuos.

XXVIII. Aſſertio 1. Delinquunt inprimis Subditi in Prælatos ſuos, ſi violent interdicta ab iis lata, etiam Epiſcopi, non ſervando interdictum latum a Papa, prout conſtat ex *c. Tanta 18. & ultim. hoc tit.* ubi cum Papa Gregorius IX. propter quoſdam exceſſus ab aliquibus commiſſos, in quoſdam Prælatos, Canonicos, Clericos, & res eorum, Regnum Portugalliæ interdicto ſuppoſuiſſet: P. Epiſcopus Colubrienſis ab initio cœpit ſervare interdictum, ſed poſtea, mutato conſilio, illud temere violavit, delinquendo in Papam, qui interdictum tulerat, & in Eccleſiam, contemnendo Petri Claves, & lædendo Eccleſiaſticam poteſtatem, & alios induxit, imo & compulit non ſervare interdictum, & quos ad hoc inducere non poterat, eos, poſt graves injurias illatas, ſpoliavit dignitatibus, Præbendis, & beneficiis, & exulare coegit, interdicendo, & excommunicando eoſdem, & prædicta conferendo fautoribus ſuis, quæ omnia Epiſcopus in præſentia Papæ, & Cardinalium publice confeſſus eſt. Licet autem idem Epiſcopus ſponte Epiſcopatu ceſſerit in manibus Papæ: volens tamen Papa, ut illi, qui ſententiam excommunicationis violaverant, & aliorum dignitates, & beneficia receperant, qui ſine culpa, vel cauſa rationabili, eis ſpoliari non debuerant, impuniti non remaneant, ne tanta perverſitas præbeat exemplum talia præſumentibus, decrevit irritas, & inanes omnem inſtitutionem, depoſitionem, collationem dignitatum, & beneficiorum ab eodem Epiſcopo temere præſumptas, ſicut & interdicti, & excommunicationis ſententias, in quoſcunque, poſt interdicti violationem, hac occaſione ab eo prolatas. Et quia ubi major eſt exceſſus, ſeu culpa, ſeverior etiam debet eſſe vindicta, mandat Papa Archiepiſcopo Bracarenſi, ut omnes illos, quos Epiſcopus in beneficia, & dignitates aliorum intruſit, non ſolum a beneficiis, & dignitatibus prædictis (quæ ſcilicet per Epiſcopum ſunt adepti) ſed etiam ab aliis, ſiqua obtinent, debeat amovere, & tam iſtos talia præſumentes, quam omnes alios, qui interdictum violarunt, ab officio, & beneficio, auctoritate Apoſtolica, ſuſpendat. Illos quoque, quos contigerit manus temerarias in perſonas, & res prædictorum Prælatorum, Canonicorum, ſeu Clericorum extendiſſe, ad Papam venire, ſeque ei præſentes ſiſtere compellas, promeritam ſententiam recepturos, invocato, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.

XXIX. Notandum primo. Per Claves Petri intelligitur hic Sacerdotalis poteſtas ligandi, & ſolvendi a peccatis, quæ licet una ſit poteſtas, ſeu Clavis, ut innuitur *in principio hujus cap.* dum in ſingulari dicitur: *Tanta eſt Clavis Petri*, dicuntur tamen duæ eſſe propter duos actus, ſeu facultates, ſcilicet Clavis ſcientiæ, & Clavis potentiæ, ſeu juriſdictionis, per quam Sacerdos ligat, & ſolvit: nam quamvis poſſit quis habere ſcientiam, qui non habet Clavem potentiæ, ſeu poteſtatem ligandi, vel ſolvendi; & e converſo: talis tamen ſcientia non eſt Clavis, nec habet rationem Clavis, ſine poteſtate ligandi & ſolvendi, ut docet *Gloſſ. diſtinct. 20. in princip. V. Dedit.* Porro Clavis ſcientiæ dicitur poteſtas interrogandi, & examinandi in Confeſſione ipſum habet poteſtatem examinandi Reum: Clavis vero potentiæ, ſeu juriſdictionis, dicitur poteſtas judicandi, nempe ligandi, vel abſolvendi, ad quam præter poteſtatem Ordinis, quæ cum Charactere datur, requiritur etiam poteſtas juriſdictionis, quia non poteſt exerceri ſine juriſdictione: ſicut etiam Judex Civilis, præter poteſtatem examinandi Reum, habet etiam poteſtatem judicandi, ſeu ferendi ſententiam, condemnando, vel abſolvendo Reum, *Tolet. in Summ. caſuum libr. 1. cap. 3. nu. 13.* ubi *num. 12.* ait: quod poteſtas Sacerdotalis conficiendi Corpus Chriſti non dicitur Clavis.

Notandum ſecundo. Spontanea ceſſio, ſive renunciatio Prælati, qui ob delictum privandus eſt per ſententiam, admitti debet, & eſt ſanum conſilium, ut talis cedat dignitati, vel officio, ante latam ſententiam, ad vitandum dedecus, & infamiam, *Abbas hic not.* 2.

Notandum tertio. Ante interdicti Eccleſiaſtici violationem, vi illius, nemo eſt privatus, vel ſuſpenſus a juriſdictione, etiam Eccleſiaſtica, prout ſumitur ex hoc c. in quo irritentur tantum ſententiæ excommunicationis, & interdicti, & collationes, ac inſtitutiones beneficiorum attentæ poſt violationem interdicti, ac proinde, quæ ante interdictum latæ, vel factæ ſunt, tenent, quia interdictum impedit ſolum exercitium Ordinis Eccleſiaſtici, non autem juriſdictionis. At vero eo ipſo, quod quis interdictum violat, perdit omnem juriſdictionem, cum ſit ſuſpenſus ipſo jure ab officio, & conſequenter etiam eſt ſuſpenſus ab uſu, ſeu exercitio juriſdictionis ſibi ratione officii competentis. Idque probatur etiam ex hoc c. ubi declarantur irritæ ſententiæ excommunicationis, & interdicti, collationes beneficiorum, & inſtitutiones factæ ab Epiſcopo, poſt violatum interdictum, *Gl. hic V. Irritas, Abb. n. 1. not. 4. Covarr. in c. Alma p. 2. §. 2. n. 2.*

XXX. Notandum quarto. Qui interdictum Eccleſiaſticum non ſervat, irregularitatem incurrit, a qua per ſolum Papam liberari poteſt, *cap. 1. de ſentent. & re judic. 2. & c. Is, qui 18. §. ult. de ſent. excomm. in 6.* quia interdictus ſimpliciter, vel reſpectu certi loci, eſt ſuſpenſus ab officio, & omni poteſtate Clavium, ſi ergo celebret divina officia, vel in loco interdicto, fit irregularis, *c. Is, cui 20. de ſentent. excommun. in 6. Abb. hic nu. 4. Covarr. cit. loc.* non tamen violans interdictum eſt privatus, ipſo facto, beneficiis ſuis, ſed privandus per ſententiam Judicis, uti ſumitur ex hoc c. & docet *Abb. ibid. n. 2. & 4.*

Porro tunc demum violans interdictum incurrit irregularitatem, ſi exerceat aliquem actum proprium alicujus Ordinis Eccleſiaſtici, tanquam ex officio ad hoc deputatus, a cujus exercitio eſt ſuſpenſus, ut ſi Presbyter celebret, vel Diaconus cantet Evangelium, vel Subdiaconus Epiſtolam &c. Secus ſi exerceat actus, qui non competunt certo alicui Ordini, ſed per quemcunque etiam laicum, ſaltem ex conſuetudine, exerceri poſſunt, *Abb. hic num. 5. Covarr. cit. loc. num. 3.* & patet ex ſupra dictis. Neque etiam fit irregularis violans interdictum, ſi exerceat ea, quæ ſunt juriſdictionis, non Ordinis, ut ſi aliquem excommunicet, *Abb. hic num. 5.*

Notandum quinto. Pœna violantium interdictum, exercendo actum proprium alicujus Ordinis, eſt, ut non ſolum inhabiles fiant ad acquirendum beneficium de novo, ſed etiam ad beneficium acquiſitum retinendum, ut colligitur ex *cit. c. ultim.* ibi: *Non ſolum a beneficiis, &c. & c. hoc tit. Barb. in Collect. hic num. 6.* hæc enim eſt pœna non ſervantium interdictum, ut amoveri debeant a beneficiis obtentis, *cap. poſtulaſti, 7. §. quæſiviſtis de Clerico excommun. junct. Gloſſ. hic V. Amoveat*. Putat tamen *Hoſtienſ. hic V. Obtinent.* quod illi, qui voluntarie acceptarunt beneficia aliis ablata ab Epiſcopo, privandi ſint omnibus beneficiis undecunque obtentis, quia magis deliquerunt: illi vero, qui coacti fuerunt, ſolum ſunt privandi beneficiis, quæ per Epiſcopum ſunt aſſecuti, non illis, quæ alias ſunt adepti: quamvis *ibidem V. Temeritate*, dicat, quod hic poſterior intellectus ſit benignior, prior vero ſecundum litteram verior, quia non debebant in talibus obedire Epiſcopo.

Notandum ſexto, is, qui beneficium injuſte, & omiſſo juris Ordine, alteri ablatum detinet, intruſus dicitur, etſi collationem habuerit, prout ſumitur ex hoc c. & docet *Rebuff. in regul. 29. Cancellar. in addit. verſ. 4. Barboſ. hic num. 5.*

Notandum ſeptimo, qui manus temerarias, etſi non violentas, ſed injurioſas in Clericum, & res ejus mittit, ad Sedem Apoſtolicam ire compellitur, *c. Contingit 36. de ſentent. excomm. cit. c. ult. hoc tit.* unde nec abſolvi poteſt, niſi a Papa, *Hoſtienſ. ibid. V. Temeritat.*

Notandum ultimo, quando Eccleſia non amplius facere poteſt, implorare debet auxilium ſeculare, *Arg. c. 2. de maledic. Gl. fin. hic*.

XXXI. Aſſertio 2. Delinquunt præterea ſubditi Clerici, qui Epiſcopum, ſeu Prælatum ſuum negant eſſe Dominum ſuum, vel ad ſecularem Judicem in cauſa ſpirituali ipſum trahunt, vel conſilium præbent adverſariis ejuſdem contra ipſum, prout habetur in *c. Gravem 13. hoc tit.* Nam Archidiaconus Ambianenſis contra fidem homagii

præ-

præſtiti (id eſt contra juramentum fidelitatis, & obedien-
tiæ Epiſcopo, ratione Archidiaconatus, præſtitum, *Gl. hic*
„ *V. Temerariis, & Hoſtienſ. V. eod.*) ſemel iterumque Epi-
ſcopum eſſe ſuum Dominum negavit (ſive verbo, ſive ipſo
facto, agendo contra fidelitatem, & obedientiam ipſi pro-
miſſam, ac debitam, *Gl. hic V. Negaſſe, & Hoſtienſ. V. eod.*)
„ vel in foro ſeculari, contra eum depoſuit in rebus ſpiri-
„ tualibus quæſtionem: autem tam invaſoribus Epiſcopi, &
„ fautorum ejus, quam fratri ejus (ſcilicet Archidiaconi,
„ qui erat inimicus Epiſcopi, & eum perſequebatur) vel
„ ejuſdem complicibus cauſam, & conſilium præbuit. I-
„ dem mandat Papa Honorius III. Judicibus a ſe delegatis,
„ ut ſi de his conſtiterit, Prædictum Archidiaconum, tan-
„ quam membrum putridum (ne ſanas oves inficiat, *c. ult.*
„ *de ſtatu Monach. Gl. hic V. Eod.*) ab Eccleſia Ambianenſi
„ perpetuo abſcindant, & beneficia ipſius, per eos, ad
„ quos donatio, ſeu collatio pertinet, perſonis idoneis aſ-
„ ſignari.

XXXII. Notandum primo, etſi honeſtum, ac decens ſit,
ut ſubditus Clericus Epiſcoporum, ſeu Prælatum ſuum ap-
pellet Dominum, non tamen id eſt abſolute neceſſarium,
Arg. c. Cavendum 7. cauſ. 10. q. 3. &c. Ita ſubjectus 7. eiſ.
95. Neque ideo graviter excedit, aut delinquit, & puniri
poteſt, quod eum Dominum ſuum eſſe neget, & non Domi-
num, ſed Prælatum vocet: niſi quis recipiens Eccleſiam,
vel beneficium, aut dignitatem ab Epiſcopo, ſeu Prælato,
ei juramentum fidelitatis, & obedientiæ, ac reverentiæ
præſtiterit, tunc enim negando eum eſſe Dominum ſuum,
agit contra reverentiam, & obedientiam ipſo juramento
promiſſam, & puniri poteſt, ut in caſu hujus c. *Gl. hic V.*
Homagii, & Hoſtienſ. V. eod. Abb. not. 1.

Notandum ſecundo, Clericus, qui negat Epiſcopum, cui
fidelitatem, & obedientiam juramento promittit, Domi-
num ſuum eſſe, vel in cauſa ſpirituali ipſum tradit ad ju-
dicium ſeculare: vel conſilium, aut auxilium dat adverſa-
riis illius contra ipſum, deponi debet, ſive privari benefi-
ciis, quæ perdit, non quidem ipſo jure, ſed per ſenten-
tiam Judicis, *Gl. hic in notat. & Gl. fin.* Sufficit autem, quod
unum ex tribus prædictis fuerit probatum, eum quodlibet
ſufficiat ad privationem beneficii, quia verba disjunctive ſunt
poſite, *Gl. c. l. in notat. & Hoſtienſ. V. ipſum.* Non tamen ta-
lis tradendus eſt Curiæ ſeculari, quia Papa non mandat in
hoc c. Archidiaconum illum abſcindi ab Eccleſia univerſali,
ſed ſolum ab Eccleſia Ambianenſi, etiamſi conſpirarit con-
tra proprium Epiſcopum, niſi ſit incorrigibilis, *Abb. hic*
not. 2. contra *Hoſtienſ.* & alios quoſdam.

XXXIII. Aſſertio 3. Excedunt quoque, ac delinquunt
ſubditi Clerici privati, & ſingulares, ſi ſine conſenſu Præ-
lati, ſeu Superioris, commune ſignum Collegii habent, eo-
que utuntur, prout id prohibetur in *c. Dilecta 14. h. t.* ubi
„ dicitur, quod Presbyteri, & Clerici Eccleſiæ Jotrenſis,
„ contra voluntatem Abbatiſſæ ejuſdem Eccleſiæ (quæ i-
„ pſorum Caput, & Patrona erat) commune ſigillum pro-
„ prium habere contendebant (*in* ipſius Abbatiſſæ præju-
„ dicium, & gravamen; prout legitur *in* integra lectione
„ hujus cap.) cum tamen non conſueverint habere com-
„ mune ſigillum, nec eſſent unum Corpus, quod Capitulum
„ appellaretur. Quare Papa Honorius III. mandavit quibuſ-
„ dam, ut ſi eis conſtiterit ita eſſe, dictis Presbyteris, &
„ Clericis, auctoritate Apoſtolica, expreſſe prohibeant, ne
„ præſumant, vel de novo fabricare ſigillum, vel eo uti,
„ ſi forte novum fuerit fabricatum.

XXXIV. Notandum primo, privati, & ſingulares homi-
nes regulariter Collegium conſtituere, & ejus ſigna erige-
re non poſſunt niſi eis ſpecialiter conceſſum, *Barb. hic nu-
mer. 2.* Ratio eſt, quia Collegia, & ſocietas privatorum
regulariter improbantur, *l. 1. in princ. ff. quod cujuſque
univerſ. nom.* eo quod ex hujuſmodi privatis Conventicu-
lis, Congregationibus timetur conſpiratio, ſeu conjura-
tio contra Principem, vel Rempubl. *l. 2. ff. de Col-
leg. illicit.* niſi jure gentium, vel poſitivo approbata fue-
rint.

Notandum ſecundo, quamvis plures Beneficiati ſint in ea-
dem Eccleſia, non tamen ideo conſtituunt unum Collegium,
vel Capitulum, cum non poſſint erigere ſigna Collegii, nec
collegialiter ſe congregare, niſi ab initio fuerit ordinatum,
ſeu inſtitutum, ut eſſet Eccleſia collegiata: vel niſi poſt
fundatam Eccleſiam, ex privilegio a Superiore id fuerit
Clericis conceſſum: vel niſi longo tempore collegialiter
convixerint, adeoque ſint in quaſi poſſeſſione Collegii, ac-
cedente legitima temporis præſcriptione *Abb. hic n. 5. not.
2.* Signa autem Collegii, ſive Capituli ſunt conſtituere u-
num Syndicum, ſive Actorem, per quem in cauſis agant,
vel reſpondeant, habere arcam communem, aut ſigillum
commune, *cit. l. 1. §. 1. ff. Quod cujuſq. univ. nom. Gl. hic
V. Nec ſint unum Corpus. Hoſtienſ. in Summa h. t. n. 3. §. Sub-
diti vero.*

Notandum tertio, Abbatiſſa poteſt habere juriſdictionem
in Clericos ex jure ſpeciali, ſive privilegii, ſive conſuetudi-
nis legitime præſcriptæ, prout ſumitur ex hoc c. non au-
tem de jure communi, *Abb. hic n. 2.*

Notandum quarto, quando aliqui Clerici non ſunt unum
Corpus, ſeu Collegium, & volunt facere commune ſigillum,
quaſi eſſent unum Corpus, ſeu Collegium, poteſt Prælatus,
ſeu Superior, in cujus præjudicium id cedit, ſe oppone-
re *Abb. hic n. 2.* ut in caſu hujus cap. Abbatiſſa ſe oppoſuit,
cui ſubjecti erant iſti Clerici, qui ideo forte volebant u-
num corpus facere, & commune ſigillum habere, ut per
ſe expedire negotia poſſent, quæ auctoritate, & conſenſu
ipſius Abbatiſſæ tractari debebant, & alia, hoc permiſſo,
forte attentaſſent in præjudicium Monaſterii, *Gl. hic V. In-
hibentis, & Hoſtienſis V. Jotrenſis.* poteſt autem quilibet pri-
vatus ſibi aſſumere propria inſignia, non tamen poteſt uti

armis, ſive inſignibus alterius, ſi id tendat in præjudicium
alterius, vel Reipubl. *Abbas hic. n. 4.*

XXXV. Aſſertio 4. Delinquunt etiam Vicarii Eccleſia-
rum, qui perſonatum Eccleſiaſticum ſibi uſurpant, contra
fidem, & juramentum præſtitum, ut conſtat ex *c. Illud 6.
h. t.* ubi Alexander III. ſtatuit de Vicariis conſtitutis in Ec-
cleſiis, auctoritate Epiſcoporum, qui contra Perſonas (hoc
„ eſt Prælatos, ſeu Rectores Eccleſiarum) quibus fide, &
„ juramento ſunt obligati, ſe erigendo, falſo ſibi aſſume-
„ bant Perſonatus, ut ſi ſuper hoc in jure fuerint con-
„ feſſi, vel convicti, de cætero in eodem Epiſcopatu, ad
„ executionem ſui officii, nullo modo admittantur. Ratio
„ eſt, quia cum tales Vicarii ſint falſarii, & perjurii,
„ ac proinde infames; *l. Si quis major. 41. C. de tranſact.*
ideoque tanquam indigni, Eccleſiaſticis dignitatibus, &
beneficiis ſunt privandi, *c. Querelam 10. de jurejur. c. Inter.
11. §. h. t. Infamibus de R. J. in 6. Gl. hic V. Falſo.* Et qui-
dem non tantum in eodem Epiſcopatu, ſed etiam in a-
liis, cum infames omnino ſint, tanquam indigni repel-
lendi ſunt e beneficiis obtentis, & acquirendis, *Hoſtienſ.
hic V. Executionem.* ideoque hic ſubintelligendum eſt, *maxi-
me in eodem Epiſcopatu*, quamvis idem etiam in aliis, *Hoſtienſ.
hic V. eodem Epiſcopatu, & Abb. in fine.* Et patet hinc, in be-
neficiis, quæ ſit pœna eorum, qui mutant ſibi cauſam poſ-
ſidendi, *Hoſtienſ. hic & Abb.*

XXXVI. Porro præter hactenus allatos, prohibentur in
hoc Titulo adhuc alii duo exceſſus, ſeu delicta Clericorum,
ſub gravibus pœnis. Veluti primo, ne de gravibus crimi-
„ nibus publice glorientur, prout ut conſtat ex *c. Quam
„ ſit 9. h. t.* ubi cum P. Diaconus publice confiteretur, ſe
„ uxorem cujuſdam ſui convicini, ſeu parochiani carnali-
„ ter cognoviſſe, unde factum, ut vir illius ad propria
„ ipſam remitteret.) forſan ad domum patris illius, a quo
„ ipſi tradita fuit in uxorem) Ideo Papa Innocentius III.
„ mandavit cuidam Archipresbytero, ut ſi conſtiterit de
„ præmiſſis, prædictum Clericum, appellatione ceſſante,
„ ab officio, & beneficio ſuſpendat, virumque illum com-
„ pellat, ut uxorem ſuam recipiat, & ut juſtum eſt, offi-
„ cium, & omnem affectum maritalem ei exhibeat.

XXXVII. Ubi notandum primo per confeſſionem, extra
judicium, factam de crimine aliquo, etiam de Jure Ca-
nonico, non probatur plene ipſum delictum, quoad pœ-
nam ordinariam ipſius delicti imponendam: quamvis talis
confeſſio extrajudicialis, præſertim ſi tendat in damnum,
& infamiam alterius, ſufficiat ad pœnam extraordinariam,
arbitrio Judicis, imponendam, prout ſumitur ex hoc cap.
ubi Clericus Beneficiatus confeſſus, extra judicium, cri-
men adulterii, & de eo publice gloriatus, non percipi-
tur deponi, ſed ſolum ſuſpendi ab officio, & beneficio,
Abb. hic numer. 2. Farinac. in praxi crim. p. 3. qu. 8. num.
22. Neque vero ex tali confeſſione extrajudiciali oritur in-
famia, niſi ſolum facti, ob quam non poteſt quis privari
beneficiis obtentis, ſed tantum inquiſitio contra eum in-
ſtitui debet, & ſi infamia facti ſit vehemens, interim ſu-
ſpendi debet, pendente inquiſitione: & ſi veritas per in-
quiſitionem haberi non poſſit, remanente infamia, purga-
tio Canonica ei eſt indicenda, *Abb. in c. Per inquiſitionem 26.
n. 11. de Elect. Farinac. c. l.*

Notandum ſecundo, quamvis *Gl. hic V. Publice confiteri*, di-
cat quod Clericus iſte fuerit ſuſpenſus, non ob confeſſionem
illam extrajudicialem, ſed nonniſi occaſionaliter propter ſcan-
dalum, & infamiam, ac diſcordiam ortam inter virum, &
mulierem, qui propterea eam domo expulit: verius tamen
eſt, quod fuerit punitus, & ſuſpenſus, ob delictum gloria-
tionis; quod ſi tanquam delictum particulare, ac per ſe in
judicium deducatur, cum ſit grave crimen, præſertim in
Clericis non debet manere impunitum, *Hoſtienſ. hic V. Su-
ſpendere Abb. n. 2. in Gloſ. 1. Farinac. c. l.* Nec obſtat, quod
hic non erat accuſator, quia iſte publice fuit confeſſus hoc
crimen, & de eo ſe jactavit, evidentia autem facti non re-
quirit accuſatorem, *c. Evidentia 9. de accuſat. Abb. c. l.* Et
quamvis falſum fuerit, de quo publice ſe jactavit, tamen
ſuſpenſus fuit, ob ſolam jactantiam, *Hoſtienſ. hic V. Suſ-
pendere.*

Notandum tertio, propter ſolam confeſſionem glorianti
ſe uxorem alterius carnaliter cognoviſſe, non poteſt vir u-
xorem repellere, vel a ſe dimittere, prout ſumitur ex hoc
c. quia confeſſio etiam judicialis non valet in præjudicium al-
terius, *c. 1. de Confeſſ. c. Significaſti 5. de alterutr. l. fin. C.
de adult.* multo minus extrajudicialis, *Abbas hic numer. 2.
not. ult.*

XXXVIII. Alterum delictum, non ſolum Clericis, ſed
etiam Laicis commune, prohibetur in *c. Clerici 4. h. tit.*
quod eſt deſumptum ex Concilio Lateranenſi ſub Alexan-
dro III. cap. 11. & 12. ubi Concilium ſtatuit, ut quicunque
„ vitia incontinentiæ, quod contra naturam eſt, propter
„ quod ira DEI venit in filios diffidentiæ (id eſt, de quo-
„ rum ſalute diffidendum eſt, quia difficiliter convertuntur,
„ *Hoſtienſ. V. Eod.*) & quinque Civitates igne conſumpſit
„ (*Gen. cap. 19.*) laborare fuerint deprehenſi: ſi Clerici
„ fuerint, a Clero dejiciantur, (id eſt, degradentur, *Ho-
„ ſtienſ. hic V. eod.*) & ad agendam pœnitentiam in Mona-
„ ſteria detrudantur. Si vero laici fuerint, excommunicen-
„ tur, & a cœtu fidelium penitus excludantur, (donec
„ ſcilicet reſipiſcant, *Hoſtienſ. hic V. Penitus.*) Ex quo pa-
tet, quod Eccleſia vendicet ſibi juriſdictionem in laicos,
quia hoc crimen eſt etiam Eccleſiaſticum, ſive fori mixti,
Abbas hic num. 2. Additur vero quod tales debeant a cœtu
fidelium excludi, majoris declarationis cauſa, cum alias per
ipſam excommunicationem jam ſint excluſi, *Abbas hic nu. 3.
in fine*, plura de hoc nefando crimine dicta ſunt ſupra tit.
16. *ſeq. 3. §. 2.*

§. V.

De prohibitione facta Religioſis Mendicantibus, ut non poſſint nova loca acquirere ad habitandum, nec antiqua alienare, vel mutare.

XXXIX. De hoc extat Conſtitutio Bonifacii VIII. in *c. Cum ex eo unic. h. tit. in 6.* Ubi prohibetur, „ne deinceps aliquis, vel aliqui ex Prædicatoribus, Minoribus, & aliis Religioſis Mendicantibus, quantumvis ſuper hoc privilegiis ſint muniti, in aliqua Civitate, Caſtro, villa ſeu loco quocunque, ad habitandum domos, vel loca quæcunque recipere de novo, vel hactenus recepta mutare, vel ea venditionis, permutationis, donationis, aut cujuſvis alienationis (etiamſi per eam non transferatur dominium, ut patet ex voce *cujuſvis*, *Gl. hic V. Alienationis*,) titulo quocunque in alios transferre præſumant, abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia. Ratio hujus prohibitionis eſt, quia ex eo, quod Religioſi Mendicantes in Civitatibus aut aliis locis ad habitandum domos, vel loca recipiebant, vel olim recepta dimittebant, ſe inde ad alia transferentes, diverſa ſcandala quoque proveniebant, & frequentes clamores ad Sedem Apoſtolicam perferebantur, ut dicitur in *princ. hujus c.* In cujus fine additur limitatio, quod per hoc tamen eis, qui vitam Eremiticam, ſeu ſolitariam vitam eligere voluerint cum Superiorum ſuorum licentia, non ſit interdictum, quin cellas, ſeu habitacula, & domos poſſint de novo acquirere, vel mutare (etiam ſine licentia Papæ) in eremo, ſive locis, in quibus in propinquo non habitent homines ſeculares. Ratio eſt, quia in his locis non eſt multitudo hominum, adeoque ceſſant ſcandala inde orta, & cauſa prohibitionis, *Gl. marg. hic V. Eremiticam.* Pœna autem contra transgreſſores hujus Conſtitutionis impoſita, eſt etiam pœna excommunicationis, ipſo facto, incurrenda, ut conſtat ex *Comment. Capient. 3. de pæn.*

XL. Circa hanc Conſtitutionem notandum primo, quod ea loquitur, non de omnibus Religioſis, ſed de ſolis Mendicantibus, qui omnes in ea comprehenduntur, partim expreſſe, & ſpecifice, partim ſub generali clauſula, ut notat *Suar. diſ. 23. de cenſ. ſec. 5. n. 33.* licet autem ex vi hujus Juris communis, Mendicantes non poſſint nova loca, ſeu domos recipere, ſine ſpeciali licentia S. Pontificia: non tamen eſt eis prohibitum antiquas domos, vel Eccleſias, quas tunc habebant, reficere, reædificare vel augere, quia illud non eſt novas domos, vel loca acquirere, quod ibi tantum eſt prohibitum, & prohibitio ſtricte eſt accipienda: neque etiam prohibentur acquirere in aliquo oppido domum recreationis vel hoſpitii annexam antiquo Monaſterio, ut colligitur ex illo verbo, *ad habitandum*, ergo alia, quam ad habitandum loca bene poſſunt de novo acquirere, *Gl. hic V. Ad habitandum*, *Suar. c. l. num. 35.*

Notandum ſecundo, quamvis, ſpectato Jure communi, non poſſunt Mendicantes nova loca, vel domos acquirere, ſine ſpeciali licentia Papæ, neque etiam Eccleſias, vel Monaſteria ædificata mutare, ſeu transferre ab uno loco ad alium, ut patet ex *cit. c. un.* ibi: *ſeu hactenus recepta mutare h. tit.* tamen per privilegia a Sede Apoſtolica, poſt hanc Conſtitutionem, conceſſa, poſſunt utrumque facere, quale privilegium a Sede Apoſtolica eſt conceſſum Minimis, ut refert *Suar. c. l. nu. 34. Miranda in man. Prælat. qu. 33. art. 1. concl. 2.* & ad mutanda, ſeu transferenda Monaſteria de uno loco ad alium Congregationi Generali S. Benedicti in Regno Portugalliæ, teſte *Miranda c. l. artic. 2. concl. 2.* quibus privilegiis etiam frui poſſunt reliqui Ordines Religioſi, qui cum eis communicationem habent, *Suar. c. l. n. 34. Mirand. cit. art. 2. in fine.* De hoc privilegio etiam fit mentio in Compendio privilegiorum Societatis. I. *Bona V. 6. & V. Eccleſia §. 4.* Speciale quoque privilegium conceſſit Societati Gregorius XIII. die 30. Octobris anno 1576. ut quæcunque Collegia, Domos, Eccleſias, & alia ædificia erigere, ac per eos, ubicumque locorum erunt, inhabitare: ac quæcunque loca, domos, Eccleſias, Oratoria & alia cujuſcunque ſtructuræ ædificia ſibi quomodolibet relicta, vel oblata recipere, emere & poſſidere ac retinere poſſint.

XLI. Notandum tertio, hodie poſt Concilium *Trident. Seſſ. 25. c. 3. de Regularibus in fine*, non poſſunt Religioſi nova loca erigere, ſine Epiſcopi, in cujus Diœceſi erigenda ſunt, licentia prius obtenta. Unde iis, qui non habent ſpeciale privilegium, non ſufficit, habere licentiam Diœceſanorum ſed requiritur, ut obtenta ſit etiam ſpecialis licentia S. Pontificis, quia per Concilium Trident. non eſt revocata prædicta Conſtitutio Decretalis Bonifacii VIII. quæ ſpecialem licentiam Papæ requirit, ſed addidit Concilium, ut ultra illam ſimul petatur, & obtenta ſit licentia ab Ordinario, ut declaravit S. Congregatio Concilii apud *Joan. Gallemart. cit. c. 3. nu. 5. Zerola in praxi Epiſc. p. 1. V. Monach. §. 2.* Secus eſt de iis Religioſis, qui habent ſpeciale privilegium a Papa erigendi nova loca, ſeu domos, vel illa mutandi, & transferendi, illi enim, præter licentiam Ordinarii, ſeu Diœceſani, aliam S. Pontificis non requirunt, cum per *Concil. Trident. c. l.* privilegia Religioſis a Papa, quoad hoc, conceſſa non ſint revocata, vel annullata, *Mirand. cit. art. 1. concluſ. 2.*

TITULUS XXXII.

De Novi Operis nunciatione.

Dictum eſt de exceſſibus Prælatorum, & ſubditorum, tum in genere, tum in ſpecie, inter quos etiam eſt ille, qui fit in ædificando contra nunciationem, ſeu prohibitionem novi operis, ideo hic Titulus priori ſubjicitur.

§. I.

De novi operis nuntiatione, ejuſque materia, forma, & aliis cauſis ac circumſtantiis.

I. Quæritur primo, quid ſit novi operis nunciatio? Reſpondetur, nunciare opus novum nihil aliud eſt, quam illi, qui de novo in alterius præjudicium ædificat, prohibere, ne opus novum fiat, vel ne in eo cœpto pergatur, donec de jure ædificationis conſtet: adeoque nunciatio eſt novi operis, ſive ædificii per ſolemnem Edicti denunciationem prohibitio, *Hoſtienſ. in ſumma hoc titul. num. 1. Vveſenb. in Paratit. ff. de novi operis nunc hoc tit. num. 6. Zoeſius ff. eod. num. 2.* quæ cum ſit quædam extrajudicialis appellatio, ideo, ea pendente, nihil eſt attentandum, *Gail. l. 1. obſ. 16. num. 2.*

II. Quæritur ſecundo, in quibus rebus, ſive operibus locum habeat novi operis nunciatio? Reſpond. in rebus ſoli, ſeu immobilibus, ſive in iis operibus, quæ ſolo conjuncta aut conjungenda ſunt, & in eo fiunt, ita ut in eodem ſolo permaneant: unde ſi quis meſſem colligat, aut arborem ſuccidat, ad hoc edictum non pertinet, *l. 1. §. Hoc autem edictum 2. juncta Gl. V. In ſolo ff. h. t.* novum autem opus facere videtur, qui aut ædificando de novo, vel detrahendo priſtinam faciem operis immutat, *cit. l. 1. §. Opus novum ff. eod.* Et hinc ſi quis vetus ædificium fulciat, vel reficiat, non habet locum hæc nunciatio, quia non opus novum facit, ſed veteri ſuſtinendo remedium adhibet, *cit. l. 1. §. Si quis ædificium*, modo in reficiendo priſtina forma ædificii ſervetur, ſi vel reficiens nihil addit, vel detrahat ædificio antiquo, quamvis in priſtino ſtatu maneat, *Molin. tomo 3. de juſt. tract. 2. diſ. 706. n. 10.* Datur autem hoc edictum tantum ad opera nova, ſive futura impedienda, hoc eſt ad ea, quæ nondum facta ſunt tempore denunciationis, ne fiant, vel perficiantur: non autem datur ad opera præterita, ſive jam facta, vel perfecta, ea enim deſtrui non poſſunt, vi hujus Interdicti: ſed recurrendum eſt ad Interdictum, *Quod vi aut clam.* ut reſtituatur, quod illicite factum eſt, *cit. l. 1. §. 1. ff. h. tit.* Nihil autem refert, utrum novum opus in damnum alterius fiat, intra oppidum, vel extra, in loco privato, vel publico, æque enim locum habet nunciatio ex hoc edicto, *cit. l. 1. §. ſive autem*, *Hoſtienſ. c. l. num. 2.* non autem nunciatio novi operis habet locum, quoad rivos, & cloacas reficiendas, vel purgandas, quia hoc ad publicam utilitatem, & ſecuritatem pertinet, *l. De pupillo 5. §. Si quis rivos ff. de oper. nov. nunc.* & ibi *Gloſ. V. Securitatis*, *Silveſt. V. Nunciatio novi oper. nu. 2.*

III. Porro hæc nunciatio novi operis habet locum, & extenditur etiam ad ædificationem novæ Eccleſiæ, quæ non eſt conſtruenda in præjudicium alterius Eccleſiæ, ut conſtat ex *c. Intelleximus 1. h. tit.* Nam cum Clerici quidam „cœpiſſent ædificare Capellam, in præjudicium Eccleſiæ Baptiſmalis, quæ pertinebat ad Priorem quendam, hic novum opus prædictis Clericis denunciavit, ne in præjudicium ſuæ Eccleſiæ, illam Capellam ædificarent. Sed Clerici illi, ſpreta denunciatione, in opere perrexerunt: unde ad petitionem Prioris, cauſa illa a Papa commiſſa fuit Epiſcopo Paduano: qui, cum de novi operis nunciatione nihil in Canonibus reperiatur definitum, quæſivit a Papa Lucio III. qualiter in hac re ſit procedendum? Quia vero ſicut Leges non dedignantur SS. Canones imitari (prout habetur in *Auth. Ut Clerici apud proprios Epiſcopos & c. §. Si vero collat. 6. & Auth. de Eccleſiaſt. Tit. §. Sancimus in fine collat. 9.*) ita & SS. Canonum ſtatuta Principum Conſtitutionibus adjuvantur: ideo mandat Papa eidem Epiſcopo, ut diligenter conſideret, quod ſi poſt denunciationem novi operis, ſive jure, ſive injuria aliquid conſtruatur, ſecundum legales Conſtitutiones (*l. Prætor. 20. §. Ait Prætor. ff. h. t.*) debet demoliri: & quia ſecundum Canones, nulla Eccleſia in præjudicium alterius Eccleſiæ eſt conſtruenda, ideo negotium hoc, ſecundum legum, & Canonum ſtatuta, non differat definire.“

IV. Hinc colligitur primo, quod cauſæ Eccleſiaſticæ, in defectu Canonum nihil de illa re ſtatuentium, debent decidi, ſecundum Jus Civile, quia Leges Civiles non contradicentes Canonibus ſunt approbatæ ab Eccleſia, prout ſumitur ex hoc c. & ibi *Gloſ. V. Adjuvantur*: Leges enim ſeculares, quippe inferiores famulantur SS. Canonibus, & hi ab illis adjuvantur, *Abb. hic num. 1. & 2.* de quo alibi dictum. Colligitur ſecundo, ſicut Rectos, vel alius Clericus poteſt agere, nomine Eccleſiæ ſibi ſubjectæ: ita etiam poteſt opus novum nunciare, quia ſua intereſt, ratione ſubjectionis, ut in caſu hujus c. Prior ille, cui Eccleſia Baptiſmalis erat ſubjecta, *Abb. hic not. 1.* Colligitur tertio, nova Eccleſia in præjudicium Eccleſiæ Parochialis erigi non debet, niſi juſta cauſa ſubſit, *c. Ad audientiam 3. de Eccleſ. ædific.* ideo etiam in caſu hujus c. nova Capella demoliri debuit, quippe ædificata in præjudicium Eccleſiæ Baptiſmalis, etiamſi denunciatio novi operis non præceſſiſſet, *Gl. fin. hic & Hoſtienſ in fine.*

V. Quæritur tertio, cui jus nunciandi novum opus competat? Reſp. inprimis nunciare poteſt is, ad quem res pertinet, cui damnum imminet, *cit. l. 1. §. pen.* Secundo, non tantum is, qui eſt vere Dominus rei, ſed etiam qui utile tantum dominium habet, ut feudatarius, emphyteuta, quin & ſuperficiarius, *l. 3. §. Si ego*, & creditor, cui prædium nomine hypothecæ ſubjectum eſt, *l. Creditori 9. ff. h. t.* Tertio, competit jus nunciandi habenti ſervitutem realem in fundo, in quo de novo ædificatur, *cit. lib. 3. §. Si ego*, ſaltem urbanam, imo etiam ruſticam, *cit. l. 3. §. ten. lib. Non ſolum 8. in princ. ff. eod.* cum utriuſque juri ædificando noceatur, *Hoſtienſ.*

Hoſtienſ. in ſumm. hic n. 5. Zoeſ. ff. h. t. n. 6. Quarto, qui ſervitutem mere perſonalem habet, non poteſt nunciare, ſuo nomine, opus novum adverſus Dominum, ſive proprietarium prædii, ſi aliquid in eo ædificare attentet, *l. 1. §. fin. ff. h. t.* quia uſufructuarius habet ſolum uſumfructum in re, dominio proprietatis penes alium exiſtente, ideoque æquum fuit, ut nunciatio ei ſolum concederetur, nomine ac loco proprietarii *Molin. cit. diſ. 706. n. 25. in fine.* Quinto, procurator vel negotiorum geſtor poteſt novum opus nunciare, nomine domini ſui, modo ſpeciale ad id mandatum habeat, *Molin. c. l. n. 29.* Sexto, pupillus ſi res ad illum pertineat, nunciare opus novum poteſt, cum tutoris auctoritate, *l. de pupillo 5. in prin. ff. h. t.* Septimo, ſervus non poteſt ſuo nomine, etſi nomine Domini poſſit in re privata, *cit. l. De pupillo, §. Servo & ibi Gl. V. Non poteſt.*

VI. Quæritur quarto, ubi & cui fieri poſſit nunciatio novi operis? Reſp. ea facienda eſt in re præſenti, id eſt, ubi opus fit, *l. De pupillo 5. ff. h. tit.* non eſt autem neceſſe, ut fiat Domino, ſed ſufficit fieri ei, qui ibi exiſtens eſt ad ſinem operis, ut fabri, ſeu opifices, & cuicunque, etiam puero, vel mulieri, nunciatio operis fieri poteſt, *cit. l. De pupillo §. Nunciari autem ff. h. tit.* imo etiam infanti, & furioſo fieri poteſt, modo alii adſint, qui intelligant, *lib. Cuilibet 11. juncta Gloſ. V. Et ſi furioſum ff. h. tit.* quia nunciatio fit in rem, ſive rei non perſonæ, *lib. Operis 10. ff. eodem.*

VII. Quæritur quinto, quibus modis, & quando fieri poſſit nunciatio novi operis? Reſpond. primo tribus modis, prout habetur in *cit. lib. De pupillo §. Meminiſſe ff. h. tit.* Primo verbis, denunciando & inhibendo, ut id opus non fiat, in ſuum aut publicum præjudicium, aut ut non continuetur. Secondo, fit per manum, id eſt, lapilli jactum, in eum locum, ubi opus fit: ſimul tamen addi debent verba, quibus denunciatur, ne opus fiat, vel ne ulterius in eo procedatur, non enim omnis, qui lapidem projicit, intendit novum opus nunciare, *Hoſtienſ. in ſumma n. 8. h. t.* quam aliqui dicunt tot fieri debere, *Silveſt. V. Denunciat. novi operis qu. 4.* Tertio, per Prætorem, ſeu Judicem, adeundo illum, & ab eo petendo, ut novum id opus nunciet, ſive inhibeat, qui per ſe ipſum aut per tabellionem, vel aliam perſonam id præcipiat, *Molin. cit. diſ. 706. num. 5.* Eſt autem hoc diſcrimen inter primum modum, qui fit per verba, & duos poſteriores, quod qui nunciat primo modo, ſimplici verbo, ſi in poſſeſſione ſit ejus, circa quod fit nunciatio, eam amittit, & adverſarium, cui nunciat, poſſeſſorem facit, *c. l. 1. §. In operis & cit. l. 5. §. Meminiſſe ff. h. t.* quod non eſt, ſi nunciet, aliquo ex duobus poſterioribus modis, quia non facit eum poſſeſſorem, ſed poſſeſſionem retinet, *Gl. in cit. §. In operis V. Adverſarium Silveſt. c. l.*

Reſpond. ſecundo, poteſt nunciatio novi operis quolibet die fieri, etiam feriato, & Deo Sacro, *cit. l. 1. §. Item nunciatio, juncta Gloſ. V. Omnibus diebus ff. h. t.* quia extra jus, ſive judicium fieri poteſt. Et quamvis interdum adeatur Prætor, ſive Judex, non tamen proceditur per cauſæ cognitionem, Judice ſedente pro tribunali, ſed de plano tantum, *Zoeſ. ff. h. t. n. 12.* Denique etiam adverſus abſentes, quorum nomine ædificatur, & invitos, & ignorantes fieri poteſt novi operis nunciatio, cum fiat in rem, non in perſonam, *cit. l. 5. §. Et adverſus, & ibi Gl. V. Abſentes ff. h. t.*

§. II.

Quis ſit effectus nunciationis novi operis?

VIII. Reſp. Effectus primarius eſt, ut quicquid ædificatum eſt, poſt nunciationem factam, totum demoliri debeat, expenſis ipſius ædificantis, ſive jure, id eſt, juſte: ſive injuria, id eſt, injuſte ædificatum fuerit, quod ex poſt facto apparebit, ſcilicet cognita veritate, prout ſtatuitur in *l. 1. in princ. & ibi Gl. ff. h. t. & l. Prætor 20. §. 1. & §. Ait Prætor ff. eod. & in l. 5. & ibi Gloſſ. V. Sive jure ff. h. t.* Ubi ait, ſimile eſſe excommunicationi, quæ tenet ſemper, ſive juſta ſit, ſive injuſta, *Hoſtienſ. hic n. 12.*

Idem etiam ſtatutum eſt in *cap. Cum ex injuncto 2. h. tit. & ibi Gloſ. in caſu.* Nam cum Archiepiſcopus Cantuarienſis
,, quandam Capellam in loco pertinente ad Eccleſiam Can-
,, tuarienſem, cœpiſſet ædificare: Monachi Cantuarienſes,
,, qui eandem Eccleſiam regebant, novum opus ei denun-
,, ciabant, ſed ipſe Archiepiſcopus, ſpreta denunciatione,
,, ædificavit Eccleſiam, & Canonicos in eadem inſtituit,
,, eiſdem reditus aſſignando, & recipiendo etiam ab ipſis
,, juramenta fidelitatis, de quo Monachi Cantuarienſes Pa-
,, pæ Innocentio III. graviter ſunt conqueſti. Quare Papa
,, mandavit Cantuarienſi Archiepiſcopo, ut quicquid ædifi-
,, catum eſt in prædicta Eccleſia, poſt novi operis nuncia-
,, tionem ipſi factam, ſuis expenſis faciat penitus demoliri
,, & deſtrui, non obſtante, quod forte abſens fuerit, cum
,, in lege, ſeu jure ſit cautum (*l. 2. §. Sed ſi is ff. h. t.*) ut
,, ſi ille, cui opus novum fuerit nunciatum, ante remiſſio-
,, nem ædificaverit, & poſtea agere cœperit, ſibi jus eſſe
,, ita ædificare, debeat ipſi actio denegari: ideoque in ir-
,, ritum reducat, quicquid de inſtituendis ibidem Canoni-
,, cis, & aliis ad eandem Eccleſiam pertinentibus, ab ipſo,
,, vel ejus Anteceſſore ordinatum eſt, reditusque eorum ad
,, priſtinum ſtatum revocet, & Canonicos ab obligatione præ-
,, ſtiti juramenti, cum inſtituti fuerunt, auctoritate Papali
,, abſolutos denunciet, quia cum non teneat principale,
,, quicquid ex eo, vel ob id, ſecutum eſt irritari debet.

IX. Pro explicatione hujus c. notandum primo, non ſufficit, ſi is, qui poſt denunciationem novi operis, ædificavit, patiatur opus demoliri, ſed etiam propriis ſumptibus ejus, cui denunciatum eſt, illud deſtruendum eſt, *Gl. hic in notat. & Abbat. hic notat. 1.* Idque procedit, etiamſi novum opus nunciatum fuerit anteceſſori ædificantis, prout factum fuit in caſu hujus c. ſecundum *Gl. hic V. Expenſis*: nihilominus tamen debet deſtrui ſumptibus ſucceſſoris, dummodo idem ſucceſſor ratum habuerit, vel poſt denunciationem factam, proſecutus fuerit opus ab anteceſſore inchoatum, ſciens denunciationem eſſe factam, prout in caſu hujus cap. eum ſciviſſe colligitur ex illis verbis §. *Super eo ibi: te ſaltem pro vitando ſcandalo &c.* hoc enim interdictum datur hæredi, & contra hæredem, cum in vitium ſuccedit, ſciens nunciationem eſſe factam, *l. Prætor 20. §. Hoc interdictum ff. h. t. Gl. hic V. Expenſis, junct. Gloſ. margin. lit. C. Hoſtienſ. V. eod. Abb. hic num. §.* & quidem etiam poſt annum datur, *cit. l. Prætor §. ult.* imo etiam tranſit in ſingularem ſucceſſorem, ut in emptorem quia non in perſonam, ſed in rem datur, *l. fin. ff. h. tit.*

Simile eſt in ſpolio, quod tranſit ad quoſvis ſucceſſores, ad quos pervenit res eo vitio affecta, *c. Sæpe 18. de reſtitut. ſpol.* & ibi communiter DD. quamvis alias hæres ejus, cui opus nunciatum eſt, ſolum teneatur ad præſtandam patientiam deſtruendi operis, non autem ad pœnam impenſarum, ut ſuis ſumptibus deſtruat, quia hæres in eam pœnam non ſuccedit, *l. pen. ff. h. t.* quod verum eſt, niſi hæres, vel alius ſucceſſor, aut emptor ratum habuerit ædificium cœptum ab anteceſſore, vel illud ſciens nunciationem eſſe factam proſequatur aut perficiat, hoc enim caſu interdictum hoc, quoad omnes effectus, tranſit in ſucceſſorem, etiam in dignitate, *Gayn. hic n. 7.*

X. Notandum ſecundo, ſi is cui novum opus nunciatum eſt velit probare, ſibi jus ædificandi competere, ante deſtructionem novi operis, admitti non debet ad probandum, niſi prius omnia reducat in priſtinum ſtatum: quamvis ipſo jure non repellatur ab agendo, ſed per exceptionem oppoſitam, ante litem conteſtatam, cum ſit exceptio dilatoria, repelli poſſit, ut colligitur ex hoc c. ibi: *actio ipſi denegari debet*: alioquin ea non oppoſita, ſi docuerit de jure ſuo, ſententia pro illo feretur, ſine deſtructione novi operis. Sicut etiam ſpoliator volens probare jus proprietatis ſibi competere, non eſt audiendus, ante reſtitutionem ſpoliati in poſſeſſionem, *c. fin. de ordine cognit.* quamvis ſi ea exceptio ſpoliationis non opponatur, & actor probaverit jus proprietatis, pro illo ferenda ſit ſententia, & proprietas prævalebit poſſeſſorio, *Abb. hic n. 2. 3. & 4.*

Notandum tertio, præſtans juramentum ſuper re aliqua, ea re ceſſante, eſt abſolutus a juramento; ſic in caſu hujus c. Canonici Eccleſiæ de novo ædificatæ jurarunt Epiſcopo obedientiam, & quod reſidebunt in illa, ſed eadem deſtructa cenſentur, auctoritate Superioris, abſoluti a juramento quia ceſſat cauſa, ob quam jurarunt. Sic etiam ſi quis juret obedientiam alicui electo ad dignitatem, vel officium, eo depoſito, non tenetur amplius illi obedire, quia fundamentum, ſive ratio fundandi obligationem juramenti corruit, ut colligitur ex *cap. Venerabilem 34. de Elect. Abb. hic nummer. 6.*

XI. Notandum quarto, quando Eccleſia, vel civitas, vel alius locus, ſive ſacer, ſive profanus, deſtruitur, legitima auctoritate Superioris, v. g. propter delictum Clericorum, vel civium inhabitantium, tum nullus deinceps debet vocari Clericus, vel civis illius loci, & locus ille omnia privilegia aliaque jura activa, & paſſiva perdit, & deſinit eſſe Eccleſia, vel Civitas, uti ſumitur ex hoc c. *juncta Gloſ. V. Non teneat principale, & Placuit 26. diſ. 1. de conſecr. cap. Et hoc dicimus 9. juncta Gloſ. V. Deſtructis cauſ. 16. qu. 7. cap. Abbate 25. §. ult. & ibi Gloſſ. fin. & Hoſtienſ. de V. S.* niſi tamen locus poſtea, auctoritate Superioris, reædificatus fuerit: tum enim recuperat omnia privilegia. Secus eſt, ſi talis locus per violentiam deſtruatur ab hoſtibus, vel terræ motu, vel privata auctoritate alicujus, vel alia ratione, quam Superioris auctoritate: tunc enim retinet omnia ſua privilegia, & jura, & Clerici, ſeu cives nomen ſuum, & etiam illis mortuis, alii eorum loco, ſubſtituendi ſunt, *Innoc. in cit. c. 2. num. 2. h. t. Abb. num. 5.* & Gloſſator ipſius *Alex. de nevo lit. F. Fagnan. ibid. num. 10. & ſeqq. & Barboſ. in Collect. ibid. num. 4.* Idemque dicendum, Collegium Clericorum, vel univerſitas Civium, auctoritate Superioris in alium locum transferatur, vel alteri uniatur, *Innoc. c. loc.* & alii apud *Fagn. c. l. num. 14. & 15.* de quo etiam aliquid dictum *l. 3. tit. 48. in fine.*

XII. Cæterum quod dictum eſt, denunciatum, poſt novi operis denunciationem, debere ab ædificando ceſſare, & opus cœptum deſtruere, id locum habet, non ſolum, ſi jure ſit facta nunciatio, quia is nullum jus ædificandi habet, ſed etiam ſi injuria, ſive injuſte, quia jus habet ad ita ædificandum, *cit. l. 1. in princ. l. Prætor 20. §. 1. & §. Ait Prætor ff. h. t.* Ratio eſt, quia ſi poſt novi operis nunciationem, licitum eſſet ædificanti excipere, ſe jus ædificandi habere, idque probare paratum, & denuncians id negaret, rixæ orirentur, & res facile ad arma veniret: Ideo publicæ pacis, & tranquillitatis cauſa ſtatutum eſt, ut quamvis ædificans denunciatus verum jus ad ædificationem habeat, tamen ab ædificando deſiſtat, alioquin ſi ſpreta denunciatione pergat, totum opus, quod poſt interpoſitam denunciationem fecit, ſuis ſumptibus deſtruere teneatur, in pœnam hujus inobedientiæ, & contumaciæ. *Molin. citat. diſ. num. 2.* Accedit, quod is, cui facta eſt nunciatio novi operis, poteſt ſe tueri, via juris, adeundo Judicem, & petendo ab eo remiſſionem operis: ſi ergo id non fecerit, ſed via proceſſerit, & ædificare pertexerit, opus poſtea factum demoliri debet, ob contemptam Prætoris auctoritatem, etiamſi jus ædificandi habuerit, *Gail. l. obſ. 16. n. 2.*

XIII. Præterea in *cit. c. 2. §. Super eo h. tit.* Idem Innocen-
,, tius III. valde miratur, quod cum Monachi Cantuarien-
,, ſes omnia propter Deum dimiſerint, & tot periculis
,, perſonas, & res ſuas non dubitaverint frequenter expo-
,, nere (quod non feciſſent, niſi cognoſcerent facta ab Ar-
chiepiſcopo in grave Eccleſiæ Cantuarienſis detrimentum

dedundare, quia cum ſint viri Religioſi, non eſt præſumendum, quod injuſtam cauſam foverent, *Hoſtienſ. hic V. Non feciſſent.*) dictus Archiepiſcopus ad vitandum tam grave ſcandalum proximorum, ab hujuſmodi injuriis etiam ipſi prohibitis non ceſſarit, cum juxta S. Scripturam, licet illa, quæ ſine peccato mortali omitti non poſſunt (ſicut eſt adorare Deum, parentes honorare, Sabbatum ſanctificare, & alia hujuſmodi præcepta affirmativa ſervare) ob ſcandalum vitandum, omittenda non ſint: nec illa, quæ ſine peccato mortali committi, ſive fieri non poſſunt (ut eſt adulterium, furtum, vel aliud peccatum mortale, contra præcepta negativa Decalogi committere) propter ſcandalum vitandum committi non debeant: attamen ab illis, quæ ſine peccato mortali pariter vel omitti poſſunt, vel committi, abſtinendum eſt, vel ea ſunt facienda, ut ſcandalum tollatur, aut vitetur (cujuſmodi ſunt ea, quæ ex ſe ſunt indifferentia v. g. comedere carnes, & alia ſimilia *Hoſtienſ. hic V. Unde.*) Et quamvis Majorum, id eſt, divitum, & potentium, qui ſub ſe multitudinem, ſeu populum habent, *Gloſ. fin. hic*) ſcandalum ſit vitandum: eſt tamen etiam ſcandalum minorum, ſeu puſillorum vitandum, juxta illud Chriſti, *Matth.* 18. qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis &c. In fine mandat Papa prædicto Archiepiſcopo, ut his finem imponat, ita ut præterita illius contradictio per virtutem ſequentis obedientiæ expietur.

XIV. Hinc colligitur, quod ob vitandum ſcandalum non ſunt omittenda, quæ ſine peccato mortali omitti non poſſunt, ut baptizari, pœnitentiam agere, Horas Canonicas dicere; nec facienda quæ ſine peccato mortali omitti non poſſunt, ut ſi puella conſentiat in ſtuprum, ne is, qui illud petit, ſe ipſum occidat. Contra vero poteſt quis ad vitandum ſcandalum facere, quod ſine peccato mortali fieri poteſt, v. g. Regularis ad tempus geſtare habitum ſecularem: vel omittere, quod ſine peccato mortali omitti poteſt v. g. correctionem propter multitudinem delinquentium, quæ regulæ colliguntur ex *cit. c. 2. §. Super eo h. t.* & tradit *Jo. Andr. ibid. n. 11. & Abb. n. 7. Fagn. n. 8.*

§. III.

Quibus caſibus, ac modis ceſſet nunciatio novi operis, ita ut vim, & effectum non habeat?

XV. Reſpondetur, ceſſat primo, ſi nuncians remiſerit nunciationem factam ædificanti novum opus, *c. t. c.* ibi: *ante remiſſionem ad ſtrax erit l. 1. & l. Non ſolum 8. §. Seten tum* ibi: *donec remiſſio nunciationis fiat ff. eod. & l. unic. in princ. ff. de remiſſionib.* quæ remiſſio fit vel expreſſe, & tunc ſi jus ædificandi habet, recte ædificabit, *cit. l. Non ſolum §. Sciendum juncta Gloſ. V. Remiſſio ff. h. t.* Vel tacite, ſcilicet morte ejus, qui nunciavit, extinguitur nunciatio, *cit. l. Non ſolum §. Morte ejus, Gloſ. in cit. c. V. Remiſſionem h. t.* quod intelligendum eſt, ſi moriatur, re adhuc integra, antequam aliquid ædificatum eſſet: nam ſi re non integra, ſive poſtquam aliquid de opere factum eſt, moreretur nuncians, hæredi ejus competeret hoc interdictum nunciationis: quomodo intelligi debet textus in *l. Prætor 20. §. Hoc interdictum 1. ff. h. t. vel. in cit. l. Non ſolum §. Morte V. Extinguitur eod. Hoſtienſ. in ſumma n. 10. & 12. eod.* Morte autem ejus, cui opus novum nunciatum eſt, non extinguitur nunciatio, *cit. l. Non ſolum §. ult.* Ratio autem diverſitatis, cur nunciatio extinguatur, morte nunciantis, non autem morte ejus, cui opus nunciatum eſt, traditur a *Gl. in cit. loc. Non ſolum §. V. Etiam hæredis, juncta Gloſ. margin. lit. H.* quia nunciatio, ex parte perſonæ nunciatæ, eſt realis, quia fit in rem, *l. Operis 10. h. t.* adeoque morte illius non extinguitur, ſed ad ſucceſſorem ejus tranſit, in id, quod ad ipſum pervenit: vel ſi dolo ipſius factum ſit, quominus perveniret, *cit. l. Prætor §. Plane ff. h. t.* At vero ex parte perſonæ nunciantis, nunciatio eſt perſonalis, adeoque morte illius extinguitur, niſi quis ſuo, & hæredis nomine nunciaverit, *cit. l. Non ſolum §. ult.* & ibi *Gl. margin.* non tamen hæres, etiam nunciati, ſuccedit in pœnam, *Hoſtienſ. hic n. 11.*

XVI. Secundo ceſſat nunciatio novi operis, ſi nuncians cautionem recepit a denunciato de opere demoliendo, ſi conſtiterit ipſum jus ædificandi non habuiſſe, vel etiam, ſi per nunciatum non ſtet, quominus ſatis det, quia competentem ſatisfactionem obtulit, quæ tamen acceptata non fuit *l. De pupillo 5. §. Si is, cui & l. Prætor 20. §. Deinde & §. Hoc interdictum ff. h. t. Hoſtienſ. in ſumma h. t. n. 15.* Porro ſi is, cui nunciatio facta eſt novi operis, offerat ſatisdationem de opere demoliendo, ſi conſtiterit ipſum jure ædificare non poſſe, non tenetur nuncians illam cautionem recipere, ſi paratus ſit, & velit, vel in continenti, vel intra tres menſes, probare, ſe jure prohibere, & impedire ædificium in ſui præjudicium attentatum: quibus elapſis, ſi id non probaverit nuncians, poteſt denunciatus, præſtita ſatisdatione, vel ea oblata, ſed non admiſſa a nunciante, ædificare *Hoſtienſ. hic cit. l. n. 11.*

XVII. Idque ſumitur imprimis ex *c. Significantibus 3. h. t.* „ubi habetur, quod quidam Civis Pariſienſis cœpit ædificare, in platea quadam, in præjudicium Eccleſiæ S. Opportunæ, cui Canonici ejuſdem Eccleſiæ nunciaverunt opus novum, & ſuper hoc gravamine quæſtionem, ſeu querelam depoſuerunt coram Officiali Pariſienſis Archidiaconi, offerentes ſe incontinenti probaturos, plateam illam ad ſuam Eccleſiam pertinere, & illum in ſuum præjudicium ædificare. Unde petebant eum prohiberi, ne ædificaret: obſtante, quod dictus Civis offerebat cautionem de opere demoliendo, ſi appareret ipſum jus ædificandi non habere: ideoque idem Officialis interloquendo decrevit, probationes Canonicorum admittendas eſſe, & ab opere interim quieſcendum. (Idque bene decretum fuit, quia non obſtante, quod cautio oblata ab ipſo cive fuerit, tenebatur is exſpectare, uſque ad tres menſes, adverſarios volentes probare jure ſe prohibere ædificium, juxta *c. ult. h. t. & l. un. C. eod. Gl. hic V. Interloquendo*) a qua interlocutoria ſententia idem Civis Pariſienſis ad Senonenſem Curiam, ſeu Eccleſiam (ſcilicet Metropolitanam, omiſſo Epiſcopo medio, *Gl. fin. hic*) provocavit. Sed Officialis Curiæ Senonenſis, ſive Metropolitanæ interlocutoriam ſententiam caſſavit, & decrevit, ut prædictus Civis in opere conſtruendo procederet, præſtita prius cautione de ipſo demoliendo, ſi jus ædificandi non habuerit, non admiſſis probationibus Canonicorum, qui ad Sedem Apoſtolicam appellarunt, & petierunt, ut Papa mandaret probationes ipſorum recipi, & ædificium interim prohiberi. Quare Papa Honorius III. mandavit, ut ſi ita eſt, quicquid attentatum eſt, poſt hujuſmodi appellationem, irritetur, & in priſtinum ſtatum revocetur.“

XVIII. Notandum primo, nuncians novum opus, ſi vult impedire, ſive prohibere ædificium, debet vel incontinenti ut in caſu hujus c. vel ſaltem intra tres menſes, juxta *c. ult. h. t.* probare, ſe jure id prohibere: alioquin poſt lapſum trium menſium, poteſt procedi in ædificio, præſtita cautione a denuntiato de opere novo demoliendo: nihilominus tamen procederetur in cauſa principali, ita ut ſi nuncians probare velit jus ſuum prohibendi ædificium admitti debeat, *Abbat hic n. 2.*

Notandum ſecundo, appellatum fuit in caſu hujus c. ab Officiali Archidiaconi, qui cauſam hanc cognoſcebat, forte ex jure, ſeu privilegio ſpeciali, vel conſuetudine, cum alias de jure communi Archidiaconus juriſdictionem non habeat, ut putat *Hoſtienſ. hic, & Jo. Andr. n. 2.* vel potius dicendum, quod in hoc caſu hujus c. quia Laicus iſte ædificando turbavit Canonicos in jure ſuo, ideo potuit conveniri coram Judice Eccleſiaſtico, ſive Epiſcopo, *Abb. hic not. 2.*

Notandum tertio, appellatio a ſententia lata ſuper demoliendo opere poſt nunciationem novi operis conſtructo, admittitur, quoad utrumque effectum ſuſpenſivum, & devolutivum, *Barb. hic n. 4.* Nam quia in caſu hujus cap. Officialis Senonenſis interlocutoriam ſententiam per Officialem Archidiaconi Pariſienſis rite latam injuſte revocavit, & decrevit, Civem Pariſienſem poſſe ædificare, præſtita cautione de opere demoliendo, cum tamen Canonici S. Opportunæ parati eſſent probare jus ſuum, ac præjudicium, quorum probatio uſque ad tres menſes exſpectanda fuiſſet, ideo Canonici illi juſte appellarunt ad Papam, quia a ſententia interlocutoria, ſecundum Canones, appellari poteſt, *Hoſtienſ. hic V. Decrevit, & Joan. Andr. ibid.* ideo Pontifex omnia poſt appellationem attentata in irritum revocavit.

XIX. Similiter in *cap. Is cui 4. & ultim. h. tit.* Gregorius IX. confirmat, quod ſupra dictum eſt, nempe quod ſi quis „opus novum alicui nunciavit, eo quod in ſuum præjudicium ædificare volebat, non obſtante cautione de opere demoliendo ab ipſo oblata, ſi non jure ædificatum appareat, teneatur is, cui nunciatio facta eſt, exſpectare nunciatum per tres menſes, ſi hic cautionem recipere nolit, ſed præjudicium ſui juris probare velit. Neque obſtat, quod ſi ille, cui denunciatur novum opus, cautione præſtet, vel per eum non ſtet, quo minus ſatisdet, licite poſſit ædificare *l. Non ſolum 8. §. Si cum poſſem, & §. Sciendum, l. Prætor 10. §. Si quis paratus, & §. Deinde ait, & §. Hoc interdictum, lib. Stipulatio 21. §. 1. ff. h. t.* Nam prædicta jura intelligenda ſunt, quando is, qui nunciat novum opus, nullas offert probationes, nec incontinenti, nec intra tres menſes, ſi enim hoc faciat, is, cui nunciatio facta eſt, interim ceſſare debet ab ædificando, *Gloſ. hic V. Non obſtante Hoſtienſ. ibid. V. Tenetur. Molina cit. diſ. 706. num. 44. & 45.*

XX. Notandum hic præterea primo, nunciatio novi operis non tollitur per idoneam cautionem ab eo, cui nunciatio facta eſt, oblatam, neque talis oblatio cautionis de opere deſtruendo dat denunciato facultatem proſequendi ædificium, niſi vel denuncians conſentiat, vel intra trium menſium ſpatium a tempore denunciationis, vel a tempore cautionis oblatæ a nunciato (ut vult *Molin. c. l. num. 45.*) ſe juſtam cauſam nunciandi habere probet, non enim ultra exſpectare tenetur denunciatus, cum gravi ſuo præjudicio, ſed poſt hoc tempus elapſum impune ædificare poterit, *Gloſſ. hic V. Non obſtante. Abb. ibid. notat. 2.* Itaque in optione nunciantis eſt poſitum, utrum cautionem a nunciato exigere, & recipere velit, qua recepta, nunciatio remittetur, & nunciatus ſtatim impune ædificare poterit: an vero cautionem recipere nolit, ſed cauſam principalem expediri petat, dicendo ſe paratum eſſe ad probandum, ſibi jus prohibendi, ne nunciatus ædificet, competere: & tunc tres menſes ſunt præfiniti, intra quos de jure ſuo docere debet: quod ſi non faciat, elapſis tribus menſibus, fas eſt nunciato ædificare, dummodo cautionem præſtet de opere deſtruendo, ſi non jure ædificatum conſtiterit, vel per eum non ſtet, quominus ſatisdet, prout etiam habetur in *l. unic. C. h. t.* per quam non eſt correctum Jus antiquum, ut putat *Fachin. l. 8. controv. c. 48.* ſed id tantum ibi Imperator interpretatur, & explicat.

XXI. Notandum ſecundo prædicta Conſtitutione utiliter proviſum eſt, tam ei, cui facta eſt denunciatio, quam denuncianti: nam ſæpe aliquis credens ſe habere jus ædificandi, ædificat, cum tamen non habeat: unde ſi talis poſſet licite ædificare, oblata cautione, poſſet fieri, ut non ſolum perderet expenſas factas in ædificando, ſed etiam faciendas in deſtruendo opere, quod ædificatum eſt: & ſic utilis eſt ipſi exſpectare denunciantem per tres menſes: nam ſi hic probaverit de jure ſuo, uterque ſervabitur indemnis, quia denunciatus non ædificavit, adeoque parcit ſumptibus alias faciendis in deſtructione operis, ſi ædificaſſet, cum jure non poſſet. Eſt etiam id utilius denuncianti, nam ſi jus ædificandi denunciato non competeret, &

ta-

tamen ædificaté impune poſſet, oblata cautione, magnum interim præjudicium nuncianti generare poſſet, ædificando v. gr. ante portam domus ipſius, vel in alio loco ipſi præjudiciali, *Joann. Andr. in cit. c. ult. num. 1. & Abb. ibid. in fine, hoc tit.*

XXII. Tertio ceſſat, ſive tollitur nunciatio novi operis, ſi is, qui nunciavit, nolit coram Judice jurare de calumnia, hoc eſt, juramento aſſerere, ſe arbitrari, quod juſtam cauſam nunciandi habeat, jureque impedire poſſe ædificare volentem, ne ædificet: & non malitioſe, animo impediendi opus, nunciare. Tenetur autem nuncians hoc juramentum præſtare, ſi is, cui nunciatio facta eſt, id exigat: quod ſi jurare recuſet, remittitur a lege nunciatio, & pro non facta habetur, *l. de pupillo 5. §. Qui opus ff. h. t. Hoſtienſ. in Summa h. t. n. 11. in fine. Molin. cit. diſ. 706. n. 34.*

XXIII. Quarto ceſſat nunciatio novi operis, nec ligat nunciatum, ſi ſit periculum in mora, ita ut dilatio ædificii grave damnum allatura probabiliter timeatur; tunc enim nunciatio impune ſpernitur, *Abb. in c. 2. nu. 9. h. t. Gail. l. 1. obſerv. 16. n. 8.* Idque generaliter procedit in omnibus iis operibus, quorum mora periculum aliquod allatura eſt, nam in his quoque contemnenda eſt novi operis nunciatio, *cit. l. de pupillo, §. Præterea, ff. h. tit.* ubi ratio redditur, *quia multo melius eſt omitti operis novi nunciationem, quam impediri operis novi neceſſarii urgentem extractionem* quod *Gl. ibid. V. Periculum* explicat de periculo communi, ſeu univerſali totius Civitatis, vel Viciniæ, propter quod poſſit ſperni nunciatio: non item ob periculum ſpeciale, ſeu privatum ejus, cui fit nunciatio, ſaltem regulariter. Ratio generalis hujus limitationis eſt, quia quoties periculum eſt in mora, recedere licet a Regulis juris communis, & remittitur juris diſpoſitio, etiam prohibitiva, *Gloſ. margin. ibid. lit. G. Gail. cit. l. num. 9.*

XXIV. Quinto ceſſat nunciatio novi operis, ſi Prætor renunciationem permiſſam revocavit, *l. Si opus 16. ff. h. t.* Sexto ceſſat nunciatio novi operis, ita ut non liget nunciatum, ſed impune contemni poſſit, ſi certo, & notorie conſtet, quod ædificare volens habeat jus ædificandi, adeoque manifeſtum ſit, quod nuncians injuſte novum opus prohibeat, *Abb. in c. 1. num. 10. h. t. Gail. cit. obſ. 16. n. 4. Mol. cit. diſ. n. 2.* Ratio eſt, tum quia, ut ait *Abb. c. l.* non eſt veriſimile, jura velle dare locum figmentis, delictis, & deceptionibus, ſed potius quod injurias prohibeat, & delicta pœnis coerceat: At ſi jura vellent, ut is, cui denunciatum eſt novum opus, ædificate ceſſet, etiamſi manifeſtum ſit, quod nuncians nullum jus inhibendi, nunciatus vero ædificandi habeat, injurias, & delicta juberent: tum quia non eſt præſumendum, quod Prætor æquitatis amantiſſimus voluerit, ut nunciatio evidenter, & manifeſte injuſta liget ædificantem. Neque obſtant Leges, quæ in contrarium allegantur, & dicunt, quod ſive opus jure factum ſit, ſive quis jus faciendi habuerit, ſive non, interdictum locum habebit, & permittitur, ut per denunciationem inhibeatur, *l. 1. in princ. & l. Prætor 20. ff. h. t. l. 1. §. Parvi, ff. Quod vi, aut clam.* Nam ſimilia jura intelligi debent, non de nunciatione manifeſte, & notorie injuſta, ſi conſtet denuncianti jus nunciandi non competere, ſed de ea, de qua aliquo modo dubitatur, num ſit valida, & juſta, an vero injuſta: quo caſo etſi appareat, vel exiſtimetur eſſe injuſta, nihilominus obligat: non item ſi ſit manifeſte injuſta, nam Leges non ſunt cenſendæ favere manifeſtis injuriis, neque æquitas patitur, ut ad manifeſte iniqua extendantur, *Abb. c. l. n. 10. Mol. c. l. n. 2.* Prædictis addendum, quod etiam propria auctoritate, opus a vicino factum in eo, quod poſſidemus, liceat deſtruere, modo in continenti fiat, & non ex intervallo, *l. 3. §. Cum igitur ff. de vi, & vi arm.* quia tum videtur vis vi repelli, quod licitum eſt, *Zoeſ. ff. h. t. n. 16.*

T I T U L U S XXXIII.

De Privilegiis, & exceſſibus Privilegiatorum.

ACtum eſt ſupra de Exceſſibus Prælatorum, & Subditorum: ſed quia ſubditi quandoque delinquunt, abutendo Privilegiis ſuis, vel excedendo terminos eorum, & ſæpius etiam dubitatur de intellectu Privilegiorum, ideo in hoc Titulo agitur de Privilegiis, & Exceſſibus Privilegiatorum, qui extat etiam in Sexto, Clementinis, & Extravagantibus Joannis XXII. & Communibus.

S E C T I O I.

De Privilegiis in communi.

§. I.

Quid ſit Privilegium, & an ad illius ſubſtantiam requiratur ſcriptura, & quomodo a diſpenſatione differat?

I. PRæmittendum, quod privilegium accipitur interdum pro Reſcripto, ſeu inſtrumento, in quo gratia, beneficium, ſeu indulgentia Principis continetur, & conceditur, ut in *c. Cum dilecta 4. de confirm. util. & inutil. & c. Ex parte 13. h. t.* frequentius autem, & magis proprie accipitur pro ipſo jure, beneficio, ſeu gratia alicui conceſſa a Principe, *Suar. l. 8. de legib. c. 1. n. 1.* & in hoc ſenſu de privilegiis hic potiſſimum agitur.

II. Aſſertio 1. Privilegium, prout eſt beneficium, ſeu gratia conceſſa a Principe, poteſt accipi, vel late, vel ſtricte. Late ſumptum eſt veluti lex privata ſpeciale aliquod beneficium, vel favorem concedens, *c. Privilegia 3. diſt. 3.*

Dicitur autem privilegium lex, non quod rationem proprie dictæ legis habeat, quia particulares etiam perſonas reſpicere poteſt, ita ut ad alias non pertineat; neque etiam obligationem continet, reſpectu ejus, cui datum eſt, quia nemo beneficio uti cogitur, *reg. jur. 70. in 6.* quamvis privilegium habere poſſit rationem legis, quoad alios, quibus præcipitur, ut illud obſervari faciant, vel prohibetur, ne impediant, aut ſe opponant, dummodo privilegium ſit ſufficienter promulgatum, vel ab ipſis cognitum, *Laym. in c. 1. n. 5. de Conſtitut.* Deinde dicitur privata lex, quia jus ſpeciale, ſive ſingulare concedit, ſaltem præter, ſive ultra Jus commune: nam de ratione privilegii eſt, ut concedat aliquid ſpeciale, quod jure communi non eſt conceſſum, alioquin inutile foret, juxta *c. Abbate 25. de V. S.* ubi circa finem dicitur, *cum privilegium ſit lex privata &c.* non eſſet autem privata, niſi aliquid ſpecialiter indulgeret, *Suar. cit. c. 1. n. 3. & 4.* Privilegium vero ſtricte, ac proprie dictum, eſt alicujus rei, ſive juris ſpecialis contra Jus commune, ex Principis benevolentia conceſſio, *Gl. in c. 1. V. Notatur in fine de Conſtitut. in 6.* ubi ait, ſi reſcriptum concedit aliquid contra jus, mutat nomen reſcripti, & dicendum eſt privilegium, *Abb. in cit. c. Abbate, n. 6. Hoſtienſ. in Summ. h. t. n. 1. Sylv. V. Privilegium, q. 3.* Verum hæc videtur quæſtio de nomine, quia negari non poteſt, quin non ſolum privilegium concedens beneficium ſpeciale contra Jus commune, ſed etiam præter jus commune, ex liberali gratia Principis ſit proprie privilegium, quia eſt lex privata, & favorabilis, licet non ita ſtricte dictum. Nec in *cit. c. Abb.* requiritur ad rationem privilegii, ut aliquid contra jus commune concedat, ſed ſolum ſimpliciter, ut aliquid ſpecialiter concedat, ſive ſit contra, ſive præter jus commune, cujuſmodi ſunt multa privilegia, v. g. abſolvendi, diſpenſandi, quæ ſunt meræ gratiæ conceſſæ, non contra jus commune, ſed præter illud, *Suar. c. l. n. 5.*

III. Porro interdum a Principe conceduntur, quæ a jure communi conceſſa ſunt, ad majorem confirmationem, & ſecuritatem, quia conceſſio ſpecialis pluris æſtimatur, quam generalis, v. g. facultas conſtituendi Procuratorem in cauſis, *c. Quia in cauſis 7. de procur.* Item poteſtas jurandi propriis cauſis, quæ Religioſis conceditur, quando alia probatio deeſt, *c. Et ſi Chriſtus 26. in fine de jurejur.* Verum hæc non ſunt proprie dicta privilegia, ſed tantum declarationes quædam juris communis, vel naturalis, quæ dantur ad tollendum omnem dubitationem, & ſcrupulos, & pacandas conſcientias, vel ut majore auctoritate ſerventur, & adverſariorum impetus compeſcantur; quamvis etiam hujuſmodi declarationes, aut admonitiones ſpecialem favorem, & beneficium Principis contineant, adeoque privilegii rationem habent. *Suar. cit. c. 1. n. 7.*

IV. Aſſertio 2. Ad ſubſtantiam privilegii non requiritur, ut ſit ſcriptum, prout ſumitur ex *c. Inſtitutionis 7. cauſ. 25. q. 2. & ibi Gloſ. V. Præſentium Clem. 2. §. Nos etiam* ibi: *Univerſa privilegia, gratias, indulgentias, verbo, ſeu ſcripto conceſſa &c. & ibi Gl. V. Verbo, de ſepultur. & Extravag. ult. poſt initium,* ibi: *Facultatum per nos conceſſarum, tam verbo, quam in ſcriptis, confectis exinde Litteris, vel non, de pœnit. & remiſſ. inter Communes. Sylv. V. privilegium, n. 14. Azor. p. 1. l. 5. c. 23. q. 11. Suar. cit. l. 8. c. 2. n. 2.* & alii communiter. Ratio eſt, quia nullum jus poſitivum reperitur, quod ſcripturam requirat ad valorem, vel effectum privilegii, nec etiam ex natura rei eſt neceſſaria, cum ſufficiat poteſtas, & voluntas Principis declarata, ſive verbo, ſive ſcripto, ſe velle privilegium concedere, quamvis interdum requiratur ſcriptura ad probationem privilegii, ejuſque firmitatem, ut colligitur ex *c. Porro 7. h. t.* ubi dicitur, inſpicienda eſſe privilegia, ut eorum tenor ſervetur, & *c. Contra morem 8.* ibi: *Aut ex ſcriptis privilegiis ſonueri diſ. 100. Suar. c. l. n. 3.*

V. Aſſertio 3. Privilegium convenit cum diſpenſatione in eo, quia etiam eſt gratia, ſive favor, & non ſolum eſt præter, ſed etiam contra legem, ſive jus, ſicut diſpenſatio, per quam jus commune relaxatur. Videntur tamen differre in hoc, quod ad diſpenſationem requiritur cauſa, qua exiſtente falſa, invalida eſt diſpenſatio, non autem ad privilegium, ut tradit *Rebuff. in praxi benef. tract. de concordatis tit. Forma mandati Apoſtolici. V. Diſpenſationum,* & alii communiter. Verum hoc non eſt univerſaliter verum, cum etiam privilegium, ſaltem quod eſt contra jus, ſine cauſa dari non poſſit, de quo plura infra. Videtur igitur diſpenſatio eſſe quoddam privilegium, ſolumque differre a privilegio in communi, tanquam ſpecies a genere: a privilegio autem contra jus non differre. Idque verum eſt, ſi concedatur diſpenſatio per modum legis privatæ, ad operandum ordinarie, & ſtabiliter contra aliquod jus commune, tale enim privilegium eſt permanens quædam diſpenſatio: at vero ſi diſpenſatio concedatur ſolum ad unum aliquem actum contra Legem, & jus commune, v. gr. ut uno, vel altero die prohibito carnibus veſci, vel ſemel laborare ruri liceat die feſto, illud non poteſt dici proprie privilegium, quia non per modum legis ſtabilitur, nec per illam jus permanens conceditur, ſed talis diſpenſatio eſt quid facti, & quaſi tranſiens: ſicut ergo præceptum temporale non eſt lex: ita nec diſpenſatio, ſive licentia data ad agendum ſemel tantum, vel bis, contra Legem, non eſt privilegium proprie dictum, quia cum hoc ſit quaſi lex privata, & jus ſingulare, magis conſtans eſſe debet. Similiter diſpenſationes, quæ ſiunt in irregularitate, vel alio ſimili Canonico impedimento, v. g. matrimonii, non videntur dici poſſe proprie privilegium, quia eo impedimento ſublato, diſpenſatus ſecundum jus commune operatur, nec tractum ſucceſſivum habent, ſed ſtatim effectum ſuum conſequuntur, *Suar. cit. c. 2. n. 10. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 5.*

§. II.

Quotuplex ſit privilegium, ſive quomodo dividatur, & quis poſſit concedere privilegium, & quibus concedi poſſit?

VI. Aſſertio 1. Præcipuæ diviſiones privilegii ſunt iſtæ. Privilegium inprimis aliud eſt perſonale, aliud reale, prout ſumitur ex *c. Mandata* 6. ibi: *Quas non loco tribuimus, ſed perſonæ, de præſumption. & l. Privilegia* 196. alias 156. *ff. de R. J.* ubi dicitur: *Privilegia quædam cauſæ ſunt, quædam perſonæ*. Perſonale privilegium eſt, quod proxime, ſeu immediate, & directe ipſi perſonæ confertur in favorem illius, ſive ratione ipſius perſonæ. Reale, quod proxime, ac directe confertur alicui rei, loco, muneri, dignitati, v. g. prædio, Eccleſiæ, Monaſterio, aut Prælaturæ &c. licet conſequenter etiam, & ultimate utilitas talis privilegii in perſonas, quæ rem talem obtinent, redundet, *Suar. cit. l. 8. c. 3. n. 3.* Eſt autem inter hæc privilegia ea differentia, quod privilegium perſonale ſequitur perſonam, & cum eadem extinguitur, juxta *reg. 7. in 6. & reg. In omnibus 68. ff. eod.* & hoc dicitur privilegium ſingulariter perſonale, quod uni tantum perſonæ, per ſe, & directe, conceditur: privilegium vero reale cohæret rei, & durat, quamdiu res durat, ideoque etiam cum re ad hæredem tranſmittitur, juxta *cit. l. Privilegia*. Sunt vero quædam privilegia mixta, hoc eſt, partim perſonalia, partim realia, eo quod multum de natura realium participent. Tale eſt privilegium, quod dicitur communiter perſonale, & certo perſonarum generi conceditur, cujuſmodi eſt privilegium reſtitutionis in integrum, conceſſum minoribus XXV. annis, quod etiam ad hæredes tranſit, juxta *l. Non ſolum 6. ff. de integr. reſtit.* Item privilegium SCti Velleiani conceſſum fœminis, ne ea fidejuſſione obligentur: & SCti Macedoniani conceſſum filiis fam. ex ne mutuo ſine conſenſu patris, accepto, poſſint obligari: hæc enim privilegia conceduntur, non mere reſpectu perſonæ, ſed etiam ratione rei, videlicet intervenientis læſionis: vel ratione ſtatus, dignitatis, muneris, vel officii aut conditionis ipſis adhærentis, ideoque etiam perpetua ſunt, & ad ſucceſſores in officio, vel dignitate tranſeunt, & realia privilegia cenſentur: quo etiam ſpectant privilegia Clericorum, Studioſorum, Militum &c. *Suar. c. l. num. 3.* Similiter privilegium, quod corporale dicitur, eo quod Corpori, ſive Communitati conceditur, v. g. Religioni, Univerſitati, ſeu Academiæ, Civitati, Collegio, Monaſterio &c. magis reale eſt, quam perſonale, quia non extinguitur cum perſonis ſingularibus, ſed durat in perſonis perpetuo ſuccedentibus: ſive dein concedatur Communitati, ita tamen ut ſinguli e Communitate eo privilegio frui poſſint, qualia ſunt privilegia conceſſa Religioſis Ordinibus, privilegia Clericorum, Regularium, Militum, Studioſorum &c. ſive ita ut eo privilegio fruantur, non ſinguli ſeorſim, ſed communiter tantum & collective, ſive ipſa Communitas, qua talis, ut ſunt privilegia quædam Civitatibus, vel Univerſitatibus conceſſa, *Suar. c. l. n. 3. & ſeqq. Azor. cit. l. 5. c. 22. q. 3. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 3.*

VII. Porro etſi quando verba privilegii ſunt abſoluta, & directe diriguntur tantum ad perſonam, cenſendum ſit eſſe privilegium perſonale: ſi vero ad rem tantum tale: niſi ex aliis conjecturis appareat intentionem Principis concedentis privilegium principaliter reſpexiſſe ad rem tantum, etſi ad perſonam verba direxerit: vel e contrario, ad perſonam, etſi verba ad rem directa ſint. Attamen ſi vere dubium ſit, utrum privilegium ſit perſonale, an vero reale: tum vel eſt privilegium favorabile continens merum beneficium: & cenſendum eſt eſſe reale, quia decet conceſſum a Principe beneficium eſſe manſurum, *reg. jur. 16. in 6.* & beneficium Principis pleniſſime interpretari debemus, *l. ult. ff. de Conſtitut. Princ.* Vel eſt privilegium odioſum, quia eſt contra Jus commune, vel cedit in aliorum præjudicium: & tunc cenſendum eſt perſonale eſſe in dubio, quia ſtricte intelligendum eſt, ut potius temporale præjudicium, ſeu damnum inferat, quam perpetuum, *Suar. cit. c. 3. n. 18. & 19.*

VIII. Altera diviſio privilegii eſt in perpetuum, & temporale: illud eſt, quod abſolute, & abſque limitatione temporis, alicui conceditur, vel adhæret rei ex ſe perpetuæ, ut eſt privilegium conceſſum Eccleſiæ, Religioſo Ordini, vel dignitati: non autem dicitur perpetuum, quod amitti non poſſit, ſed quia ex ſe durat, quamdiu revocatum non fuerit. Privilegium vero temporale dicitur, quod conceſſum eſt alicui pro determinato tempore, v. g. ad decem annos, vel ſub certa conditione, quæ lapſu temporis finitur, nam illa conditione impleta, ceſſat privilegium, v. gr. concedo tibi hoc privilegium, donec deceſſero, vel ad beneplacitum meum, quod expirat morte concedentis, etiamſi privilegium non revocaverit, quia voluntas perſonæ per mortem finitur, & conſequenter etiam privilegium, a qua dependet; vel denique ſi privilegium ſit conceſſum ſingulari perſonæ, ſolum ad vitam illius, *Suar. cit. l. 8. c. 5. n. 1.* plures aliæ diviſiones privilegiorum apud eundem videri poſſunt *cit. l. 8. c. 4. & 6. & Laym. c. l. n. 5. 8. & 11.*

IX. Aſſertio 2. Privilegium concedere poteſt omnis, & ſolus ille, qui poteſt legem condere, nam qui legem ferre non poteſt, nec privilegium dare poteſt, *Sylveſt. V. privilegium, q. 2. Suar. cit. l. 8. c. 8. n. 2.* & alii communiter. Ratio eſt, tum quia privilegium eſt lex quædam privata, adeoque requirit poteſtatem quandam legiſlativam in concedente, & dicitur beneficium non cujuſcunque hominis, ſed quod publica poteſtate alicui confertur. Tum quia ſive privilegium accipiatur ſtricte, & rigoroſe, pro conceſſione ſpeciali contra legem univerſalem, ab eo maxime concedi poteſt, qui eſt auctor legis, & diſpenſare poteſt in ſua lege, & ab ea exceptionem facere per privilegii conceſſionem: ſive privilegium accipiatur latius pro gratia, & beneficio, præter, ſive ultra jus: nam & hoc is maxime facere poteſt, qui eſt ſupra ipſum jus, & ad quem ſpectat limites ponere in ipſo jure, vel præter illud operari. Quare Poteſtates publicæ, ſive Eccleſiaſticæ, ſive ſeculares, tantum in iis rebus privilegia condere poſſunt, de quibus diſponere poſſunt, & legem ferre. Ut Papa, extra ditionem ſuam temporalem, per ſe, ac directe tantum in ſpiritualibus, vel in iis, quæ annexa ſunt ſpiritualibus, ut ſunt decimæ, contractus matrimonii &c. Prælati vero Papa inferiores concedere poſſunt privilegia, quæ eximunt a legibus a ſe conditis, vel a ſuo anteceſſore, in quibus diſpenſare poſſunt. Item quæ non ſunt contra Jus commune in rebus ad ſe pertinentibus, non autem contra Jus commune Pontificum privilegia dare poſſunt, quia non poſſunt per ſe diſpenſare in Jure communi Canonico, niſi quatenus ipſis de jure, vel conſuetudine conceſſum eſt, non eſt autem conceſſum dare privilegia contra Jus commune, *Suar. cit. c. 8. n. 7. 9. & 10.* Similiter Imperator, & alii ſupremi Principes ſeculares in temporalibus tantum privilegia dare poſſunt: inferiores autem Principes ſeculares, qui Superiorem in temporalibus recognoſcunt, non poſſunt propria privilegia concedere, niſi quatenus ipſis a ſuperiore Principe ſpecialiter conceſſum fuit, *Suar. c. 8. n. 11.*

X. Aſſertio 3. Privilegium, non ſolum iis, qui vere, & abſolute ſunt ſubditi, ſed etiam aliis non ſubditis, ſive extraneis, qui tamen reſpective, & aliquomodo, ſaltem quoad rem, in qua privilegium confertur, ſunt inferiores, & inæquales, concedi poteſt, *Suar. cit. l. 8. c. 9. n. 3. & ſeqq.* & alii. Ratio eſt, quia licet privilegium, quod eſt contra jus, & diſpenſativum legis, non niſi ſubditis dari poſſit, cum diſpenſatio ſit actus juriſdictionis voluntariæ, qui non niſi erga ſubditos exerceri poteſt, quia ſupponit poteſtatem ferendi legem, ſeu præceptum obligans, a quo ſit exemptio, ſeu diſpenſatio. At vero privilegium, quod eſt præter jus, & mere conceſſivum gratiæ, non requirit juriſdictionem in eum, cui datur, quia talis conceſſio non eſt actus juriſdictionis, ſed meræ liberalitatis, & privilegium ut ſic non requirit vim coactivam in privilegium, nec etiam vim directivam in eundem, quia Privilegium illum non obligat, nec ſub culpa, nec ad pœnam, ergo privilegium, ut ſic, non requirit ſubjectionem proprie dictam in eo, cui datur, *Suar. c. l. nu. 5.* ſic Imperator poteſt dare exteris privilegium ſcribendi Militem in Terris Imperii, exportandi merces, non ſolvendi vectigal, ſi Provincias Imperii tranſeant. Item Judicibus Eccleſiaſticis, ut poſſint cognoſcere, & directe judicare cauſas temporales laicorum, quod Jure communi ipſis non eſt conceſſum, prout illis tale privilegium conceſſit Imperator Theodoſius, ut refertur in *c. Quicunque 35. cauſ. 11. q. 1. Suar. cit. c. 9. n. 4.*

XI. Quæri hic propterea poteſt primo, an per conſuetudinem poſſit acquiri privilegium v. g. exemptionis, vel aliud ſimile? Reſp. conſuetudinem habere vim privilegii, ita ut derogare poſſint Juri communi, ſicut privilegium, ut colligitur ex *c. Novit. 13.* ibi: *niſi forte Juri communi per ſpeciale privilegium, vel contrariam conſuetudinem aliquid ſit detractum, de Judiciis junct. Gl. V. Conſuetudinem*, ubi ait, quod conſuetudo Juri communi præjudicat. Nam vel eſt ſermo de privilegio ſtricte dicto, quod eſt contra legem, ſive concedit aliquid ſpeciale Juri communi contrarium: & hic effectus poteſt etiam acquiri per conſuetudinem, quia hæc in totum poteſt abrogare legem, ergo multo magis ex parte poteſt illi derogare, ſivo dare ſpecialem licentiam ad agendum aliquid contra Jus commune, quod eſt privilegium: quæ tamen conſuetudo non habet locum in perſona privata, ſed ſolum in Communitate, quæ contra legem communem præſcribere poteſt per conſuetudinem. Vel eſt ſermo de privilegio latius ſumpto, quod concedit aliquid, præter Jus commune, etſi non ſit contra illud; & hac ratione, etiam privata perſona, ſi non per propriam conſuetudinem, ſaltem per eam, quæ inducitur via præſcriptionis, hujuſmodi privilegia, ſive jura acquirere poteſt. Sic per conſuetudinem legitime præſcriptam acquiri poteſt juriſdictio, *c. Duo ſimul 9. & ibi Gl. V. Conſuetudo de offic. Jud. ordin. & c. Cum contingat 13. in fine de foro compet.* Item jus exigendi tributa, & pedagia, *c. Super quibuſdam 26. §. Præterea, & ibi Gl. V. Non extat memoria de V. S.* Ubi ait, quod illa conſuetudo, cujus non extat memoria, jus ſive privilegium inducit, *Suar. c. l. 8. c. 7. n. 5.*

XII. Quæritur ſecundo, an requiratur juſta cauſa ad conceſſionem privilegii? Reſp. ut ſit licita, neceſſaria eſt juſta cauſa, non autem ad hoc ut ſit valida, *Suar. cit. l. 8. c. 20. n. 2. & ſeqq.* Probatur, quia vel privilegium eſt contra Jus commune; & tum requiritur juſta cauſa, ut ſervetur juſtitia legalis, & diſtributiva, quæ requirit, ne ullus, abſque cauſa, eximatur a lege communi. Vel eſt purum beneficium Principis non derogans alicui tertio, nec Juri communi: & tunc etiam requiritur juſta cauſa: alioquin Princeps argueretur prodigalitatis, & acceptionis perſonarum, daretque occaſionem invidiæ, & perturbationis aliis non privilegiatis. Ratio ſecundæ partis eſt, quia ſive ſit privilegium, quod eſt merum beneficium, & præter jus, ſive ſit eximens a Jure communi, pendet a voluntate ipſius concedentis privilegium: ſicut ergo is poteſt talem legem tollere, ita etiam poteſt ex parte tollere illius obligationem, reſpectu aliquarum perſonarum, eaſque eximere, ſaltem valide, *Suar. cit. c. 21. n. 4.*

§. III.

De interpretatione privilegiorum.

XIII. Quæritur primo, qualis interpretatio debeat fieri in privilegiis, ſtricta, an lata? Reſp. primo privilegia, quæ præter ſive ultra Jus commune conceſſa ſunt, & meræ gratiæ, ſive

Digitized by Google

ſive beneficia Principis ſunt, nec cedunt in præjudicium alterius, late interpretari oportet, ut conſtat ex *reg. juris 15. in 6. favores convenit ampliari* ſcilicet reſpectu eorum, quibus conceduntur: item ex *c. Olim 16. de V. S.* ubi dicitur: *Cum beneficia Principum ſint interpretanda latiſſime, & l. Beneficium. 3. ff. De conſt. Princip.* Eſt autem tale privilegium propriiſſimum beneficium Principis, a quo ei conceſſum. Idem etiam habetur in *cap. Quia circa 22. hoc tit.* Ubi dicitur, quod in beneficiis pleniſſima ſit interpretatio adhibenda, *Silveſt. V. Privilegium, quaſt. 3. Suar. l. 3. de legib. cap. 27. numer. 3.* Tale privilegium eſt facultas abſolvendi ab omnibus irregularitatibus, & caſibus occultis, excepto homicidio, alioquin Papæ reſervatis, conceſſa Epiſcopis in *Concilio Trident. Seſſ. 24. cap. 6. de reformat.* quæ late interpretanda eſt, ut competat, non ſolum Epiſcopis confirmatis, & nondum conſecratis, ſed etiam Capitulo, Sede vacante, & aliis Prælatis exemptis quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habentibus, quia hæc poteſtas diſpenſandi iis competit ſpeciali quidem jure ſed perpetuo ratione ſuæ dignitatis, ideoque ordinaria cenſeri debet, *Sanch. libr. 8. de matrim. diſ. 2. n. 10. Laym. l. 1. tract. 4. c. 23. n. 5.* contra *Suar. diſ. 41. de cenſur. ſec. 2. n. 13.*

XIV. Reſp. ſecundo, privilegia derogantia Juri communi regulariter ſtrictæ interpretationis eſſe debent, & reſtringenda ſunt potius quam extendenda, juxta *cit. reg. 15. in 6.* odia ſunt reſtringenda, & *reg. 28. eod. in 6.* & colligitur ex *c. Cum dilectus 8. & ibi Gloſſ. V. Juri communi de conſuet. Silveſt. cit. loc. quaſt. 3. Suar. cit. c. 27. numer. 5.* & alii DD. communiter. Ratio eſt, quia quamvis privilegia hujuſmodi favorabilia ſint, quatenus ad privilegiatum referuntur: tamen quatenus a Jure communi exorbitant, eique derogant, odioſa ſunt. Sicut ergo bonum commune præferendum eſt bono ſingulari, ita & jus commune juri particulari: ſed privilegium eſt jus ſingulare, ergo ex ſuo genere præferendus eſt favor juris communis favori privato privilegii, ideoque ſi neceſſe ſit unum reſtringere, ut alterum minus lædatur, privilegium eſt potius reſtringendum, quam Jus commune.

Excipi debet primo, niſi privilegium derogans Juri communi cedat in favorem Religionis, vel cauſæ piæ, vel boni publici. Unde privilegium exemptionis Clericorum a juriſdictione Principum ſecularium, & Religioſorum a juriſdictione Ordinariorum, ſeu Epiſcoporum, late interpretandum eſt in favorem Religionis, *quia ſumma ratio eſt, qua pro Religione facit: l. Sunt perſonæ 43. ff. De Religioſ. & ſumpt. funer.* Vel ſi ſit privilegium cedens in bonum commune Reipubl. ſic amplianda ſunt privilegia militum, *Suar. cit. c. 27. numer. 7.* Secundo, niſi privilegium ſit in Corpore Juris contentum, tunc enim favorabile eſt, ſicut ipſum Jus commune, & late interpretandum *Sanch. libr. 8. de matrimon. diſ. 1. numer. 7. Suar. c. l. numer. 8. de matrimon. diſ. 2. numer. 7. Suar. c. l. numer. 8. in fine.* Tertio ſi privilegium ſit conceſſum, motu proprio Principis, etiamſi deroget Juri communi, quia cenſetur proprium beneficium Principis, & ex certa ſcientia datum, ideoque latam potius interpretationem meretur, quam ſtrictam, *arg. c. Si motu proprio de præbend. in 6. Suar. c. l. nu. 8. Laym. cit. c. 23. n. 5.*

XV. Reſpond. tertio, ſi privilegium cedat in præjudicium tertiæ perſonæ, ejuſque juri jam acquiſito deroget, ſtricte illud interpretari oportet, cujuſmodi eſt privilegium exemptionis a ſolvendis decimis, quia Princeps non cenſetur alteri velle auferre ſuum jus, niſi id clare exprimat: idque procedit, etiamſi motu proprio privilegium ſit conceſſum, quia licet Princeps ex gravi cauſa, & ob urgentem neceſſitatem, poſſit alicui auferre jus ſuum, non tamen facile præſumendum eſt, id ipſum velle, cum Jus poſitivum, & naturale poſtulet, ut cuique ſuum jus illæſum ſervetur, niſi publica utilitas aut neceſſitas aliud exigat, *Suar. c. l. n. 9. Laym. c. l. n. 6.*

XVI. Quæritur ſecundo, quæ ſint circa ſtrictam, vel latam interpretationem privilegiorum obſervandæ? Reſp. in hac re bene notandæ ſunt quædam regulæ. Prima eſt, ſi verba privilegii ſint ambigua, vel obſcura, ejus eſt interpretari illa, cujus eſt concedere privilegium, *Silveſt. V. Privilegium qu. 3.* Unde ſolus Papa, & non inferior Judex poteſt dubiis ortis circa privilegia Sedis Apoſtolicæ cognoſcere, *c. Cum veniſſent 12. de Judiciis, & Innoc. ibid. in princ.* & dictum ſupra *lib. 2. Tit. 1. n. 72. & 73.* Nam ejuſdem eſt interpretari legem, vel privilegium, cujus eſt concedere, cum & privilegium ſit quædam lex privata. Si vero verba privilegii non ſint obſcura, vel ambigua, ſed ſatis clara, tum nulla facienda eſt interpretatio, ſed tenor, & forma privilegii inſpicienda eſt, & obſervanda, prout ſtatuitur „ in *cap. Porro 7. hoc. tit.* Ubi Alexander III. ita reſcribit: „ Quamvis Templarii, & Hoſpitalarii multas prærogati„ vas libertatis habeant: non tamen aliam libertatem ha„ beant in locis, in quibus, antequam ad eos perveniſſent „ erant habitatores, (ſed eandem, quam habent in aliis „ poſſeſſionibus, ſeu bonis ſuis, ut ſupplet, *Gloſ. hoc V. Li„ bertatem, & Hoſtienſ. in princ.*) & hoc totum ex inſpe„ ctione privilegiorum ſuorum cognoſci poteſt, & ſicut in„ venitur in privilegiis, ita obſervari debet. Sic autem te„ norem privilegiorum ſervare oportet, ut fines eorum non „ excedantur.

XVII. Pro explicatione hujus c. notandum primo, bona acquiſita per privilegiatos aſſumunt naturam privilegiatorum ita ut ſi res non privilegiata perveniat ad privilegiatum, in rebus ſuis, eodem privilegio res illa gaudeat, quo & ipſe, & aliæ res ſuæ, *Hoſtienſ. hoc V. Quam aliam Abb. ibid. n. 1. not. 2.* Idque ex generali regula, quod mutata perſona, etiam ſtatus rei mutatur, *l. Per procuratorem 90. ff. De acquirend. hæred.* Ubi in fine dicitur, *quia caſtrenſia eſſe, mutatione perſonæ, deſierant.* Et hinc etiam bona, quæ antea laicorum erant, & poſtea ad Eccleſias, ſeu Eccleſiaſticas perſonas pervenerunt, gaudent privilegio exemptionis a tributis, & gabellis, ut poſt *Suarez* notat *Barboſ. in Collect. hic num. 2. & 4.*

Notandum ſecundo, alleganti privilegium non creditur, niſi illud exhibeat, prout ſumitur ex hoc c. Ubi dicitur, quod inſpicienda ſunt privilegia, adeoque etiam exhibenda, *Gl. hic V. Ex inſpectione, & Abb. nu. 1. not. 2.* quia privilegia facti ſunt, nec præſumuntur, ſed ab eo, qui allegat, probari debent: quamvis privilegia notoria, ut quæ in Corpore Juris contenta ſunt, quorum ſcientia præſumitur, ſicut ipſarum legum, *c. 1. de Conſtit. in 6.* non ſint probanda, ſed ſolum allegandæ, *Barboſ. hic nu. 5. & 6.*

Notandum tertio, tenor privilegii diligenter attendendus eſt, nec de illo judicandum, niſi tenore ejus inſpecto, ut ſciatur, quid in eo contineatur, prout etiam habetur in *c. Recipimus 8. h. tit.* Debet autem tenor privilegii inſpici, non quoad nuda verba, ſed multo magis quoad mentem ſeu intentionem privilegium dantis, ita ut ſi appareat, quæ fuerit mens illius, a verbis ſit recedendum, & illa ſequenda, nam verba deſerviunt intentioni, & non e converſo, *c. Quanto 26. junct. Gloſ. V. Sola verba h. tit. c. Intelligentia 6. & c. In his 15. de V. S. Silveſt. V. Privilegium qu. 3.* & ex voluntate concedentis pendet tota vi privilegii, *Suar. cit. loc. 8. c. 28. num. 9.*

Notandum quarto, privilegium in ſua forma ſervandum eſt, nec ultra fines illius extendendum, *Gloſ. fin. hic.* Unde DD. communiter dicunt, quod privilegium non plus operetur, quam verba exprimunt, *Laym. in c. Suſceptum 6. n. 2. de reſcript. in 6.* Ex quo infertur *Barboſ. hic num. 12.* quod privilegium etiam toti Ordini Religioſo conceſſum, ut in hoc c. Templariis & Hoſpitalariis, non late, ſed ſtricte ſit interpretandum. Verum hinc ſolum ſequitur, quod non ultra tenorem verborum, & formam in reſcripto privilegii expreſſam ſit extendendum.

XVIII. Secunda regula obſervanda in interpretatione privilegiorum eſt, quod privilegium non ſit ita ſtricte interpretandum, ut reddatur inutile, & inefficax, quantumvis alias videatur grave, & odioſum, niſi etiam ſit injuſtum, *Silv. c. l. concl. 3. Suar. cit. c. 28. n. 2.* & alii communiter, quia voluntas Principis non eſt concedere privilegium, quod nullum effectum habet, adeoque inutile ſit, ſicut nec præſumitur ferre legem otioſe, & quæ inefficax ſit, idque ſumitur ex *c. In his 30. h. tit.* Ex quo conſtat, quod indulgentia, ſive privilegium Principis ita intelligendum ſit, ut aliquid operetur, ſive conferat ultra, vel præter Jus commune, alias illuſorium foret, & inutile, *Gloſ. ibid. in notat. & Gloſſ. fin. Abb. ibid. numer. 2.* Ubi addit, idem dicendum eſſe in ſtatutis, quæ ſi loquuntur in terminis Juris communis, ita interpretanda ſunt, ut aliquid operentur.

XIX. Tertia regula eſt, privilegium non eſt reſtringendum ultra proprietatem verborum, ſed hæc in propria ſignificatione accipienda ſunt, prout ſonant. Ratio eſt, tum quia leges etiam ſecundum propriam verborum ſignificationem intelligendæ, & obſervandæ ſunt, ergo etiam privilegia, quæ ſunt leges quædam privatæ. Tum quia favores non ſunt reſtringendi, præſertim per impropriam acceptionem verborum, & abſque neceſſitate, ergo etiam privilegia, quæ favorem continent, alias nihil eſſet firmum in illis, quod non facile eludi poſſet, *Suar. cit. cap. 28. numer. 3.* Excipi debet, niſi privilegium juri alieno deroget, ſeu alteri damnoſum, ac præjudiciale ſit, tunc enim verba potius improprie accipiendæ ſunt, & explicanda, quam ut jus certi lædatur, *Suar. cit. loco numer. 3. & 10.* Vel niſi ex aliis conjecturis veriſimilius præſumi poſſit, Principem velle, ut verba privilegii in impropria ſignificatione accipiantur, *Suar. cit. loco num. 3. & 9.* apud quem plura de hac re videri poſſunt.

§. IV.

De extenſione Privilegiorum.

XX. Quæritur primo, an privilegium uni conceſſum poſſit extendi ad alium? Reſp. Privilegium nunquam eſt extendendum ab una perſona, cui conceſſum eſt, ad aliam non expreſſam, nec ab uno caſu, vel actu ad alium. Eſt communis ſententia DD. apud *Suar. l. 8. de legib. c. 28. n. 11.* Idque ſumitur ex *c. Sane 9. h. t.* ubi dicitur, quod temera„ rium ſit, & indignum, aliquem ſibi a ſua auctoritate, præ„ ſumere, ſive aſſumere (ſcilicet privilegium, *Hoſtienſ. hic „ V. eod.*) quod Romana Eccleſia alicui, certa ratione inſpe„ cta, quia privilegium cum magna deliberatione, nec ſine „ cauſa eſt concedendum, *Gl. hic. V. Certa ratione, & Ho„ ſtienſ.* ſingularibus beneficiis (id eſt privilegiis, *Gl. fin. hic.*) „ voluit indulgere, ſeu concedere. Ratio eſt, tum quia quæ „ per privilegium conceduntur, non debent trahi ab aliis, auctoritate, vel potius temeritate propria, in exemplum, non enim quod uni ſigillatim conceditur, ſtatim omnibus convenit, *c. Hinc eſt 39. cauſ. 16. quaſt. 1.* ubi *Gloſſa V. Sigillatim,* ait, quod privilegium conceſſum uni, non extenditur ad alios, & privilegia ſingulorum communem legem facere non poſſunt, *c. Non exemplo 4. cauſ. 26. quaſt. 2. Gloſ. hic V. Temerarium, & Hoſtienſ.* Tum quia privilegium eſt jus ſingulare, & ſequitur perſonam Privilegiatam, & cum illa extinguitur, ideoque non tranſit ab una perſona ad aliam, juxta *c. Privilegium 7. de R. J. in 6. & l. In omnibus 68. ff. eod. Abb. in cit. c. Sane; num. 1. h. t.* Non obſtat, ſi quis dicat, quod uni perſonæ conceditur, aliis denegari non debet, *c. ult. diſ. 5.* Nam hoc verum eſt, ſi de Jure communi aliquid conceditur, id omnibus conceſſum intelligitur: ſecus ſi de jure ſpeciali, ſeu ex privilegio, *Gl. hic V. Temerarium & Gl. in cit. c. ult. V. Quod uni perſona.*

XXII. Extenditur autem tradita doctrina, quod privilegium uni conceſſum non extendatur ad alium, primo, quod etiam privilegium perſonale mariti non competit uxori, regulariter,

& per

Digitized by Google

ſcienter, & ex ambitione, aut malitia: an vero ex negligentia, vel ignorantia, ſic ſint ordinati, ſed ſimpliciter, & indiſtincte dicit, poſſe diſpenſare Epiſcopum, ſi non miniſtraverint. Econtrario vero non poteſt Epiſcopus eum illis diſpenſare, ſi miniſtraverint, ſive ſcienter, & doloſe, ſive ex ignorantia ſic ordinati fuerint, quia etiam quoad hoc Concilium nihil diſtinguit, *Suar. cit. ſec. 1. n. 47. in fine. Bar. cit. alleg. n. 6. Lopez in pract. can. apud Diaz. c. 24. in addit. lit. D.* Verum contrarium tenet *Fagn. in cap. unic. hoc t. nu. 14. & 15.* quod etiam hodie poſt Concilium Trident. Epiſcopus non poteſt diſpenſare cum illis, qui non miniſtraverunt, ſi ſcienter fuerint per ſaltum ordinati, quia cum Jus Commune antiquum diſtinguat inter promotum per ſaltum ſcienter, vel ignoranter, ut patet ex *cit. c. un. h. t.* quod loquitur de ordinato per ſaltum ignoranter, & ante annos diſcretionis: & in *cit. can. Sollicitudo un. diſ. 52.* eſt ſermo de eo, qui ex negligentia potius, ſeu ignorantia, quam ex ſuperbia, Subdiaconatu poſtpoſito, ad Diaconatum, & Presbyteratum cognoſcitur aſcendiſſe: idcirco eodem modo diſtingui debet Decretum Concilii Tridentini quia lex nova diſponens in materia antiqua omnes interpretationes, & limitationes recipit, quas illa materia ab antiquis legibus recipiebat: idque procedit, etiamſi lex nova ſuperveniens materia, de qua nihilominus diſtinguendum eſt prout diſtinguunt leges antiquæ, ne videatur lex nova leges veteres corrigere, ut notat *Jaſon apud Fagnan. citat. loco*, quæ ſententia, & interpretatio eſt probabilis.

VII. Notandum quinto. Prædicta intelligenda ſunt de ordinatis per ſaltum: non ſolum ſi aliquis Sacrorum, ſeu Majorum Ordinum ſit prætermiſſus, ſed etiam in promotis ad majores Ordines, omiſſis minoribus, ſive omnibus ſive uno tantum, & etiam caſu, quo aliqui omiſerint primam Tonſuram recipere: tum Epiſcopus cum illis diſpenſare poteſt, ſi non miniſtraverint in Ordine, vel in Ordinibus prætermiſſis, alias vero ſolus Papa ex declaratione S. Congreg. Concil. apud *Joan. Gallemare. ibid. num. 4. Barb. cit. alleg. 47. num. 7.*

Notandum ſexto. Qui Ordinem ſuperiorem verb. grat. Presbyteratum ſuſcepit, ſi ignoretur, aut probabiliter dubitetur, an Ordines inferiores ſuſceperit, illi iidem conferri debent; prout ſumitur ex *cit. cap. unic. h. t.* ubi ratio redditur, *quia non intelligitur iteratum, quod factum eſſe neſcitur*: hoc eſt, quamvis Sacramentum Ordinis non ſit iterabile, *cap. 1. & cap. ult. de Sacram. non iterand.* tamen non dicitur Ordo iterari, qui neſcitur eſſe collatus, & in dubio debet Ordo omiſſus ad cautelam denuo conferri, forma ſub conditione repetita, *Hoſtienſ. in cit. cap. un. hoc titul. Verſ. It rat um, & Abb. numer. 2. Fagn. numer. 9. &* 10. ubi *numer.* 12. addit ſi promotus per ſaltum non velit miniſtrare in Ordine ſic ſuſcepto, vel in Superioribus Ordinibus, non debet cogi ſuſcipere Ordinem prætermiſſum.

VIII. Notandum ſeptimo. Ordo Sacerdotalis prærequirit, ex neceſſitate Sacramenti, Characterem Ordinis Diaconatus, prout ſumitur etiam ex *citat. cap. un. hoc tit.* in quo ordinatus in Præsbyterum, prætermiſſo Diaconatu, non jubetur iterum initiari Ordine Presbyteratus, quin imo poſt peractam pœnitentiam, & ſuſceptum Diaconatum, permittitur ex diſpenſatione miniſtrare in Ordine Sacerdotali, quod clarum ſignum eſt, Characterem Presbyteralem fuiſſe impreſſum, non obſtante, quod ante Diaconatum receptum, fuerit Sacerdos ordinatus. Idemque eſt, ſi etiam omiſſi fuiſſent reliqui Ordines inferiores, quia ſunt poteſtates Ordinum diverſæ, & ſeparatæ, *Abb. hic nu. 4. Fagn. ibid. num. 2. & 3.*

Notandum octavo: Etſi is, qui non ſuſcepit Ordinem Sacerdotalem, non ſit capax conſecrationis Epiſcopalis, tamen qui Sacerdos eſt, poteſt conſecrari Epiſcopus valide licet Ordinem Diaconatus, vel Subdiaconatus, vel alios inferiores non receperit. Non tamen talis poterit conferre Ordines, quos non recepit, quia ſic per ſaltum ordinatus in Sacerdotem, & Epiſcopum, ſuſcepit quidem Characterem Ordinis, ſed non ejus executionem, *Gloſſ. fin. in cit. cap. un. hoc tit. Lopez. in cit. cap. 24. in addit. lit. A.* & DD. hodie communiter contra, *Abbat. hic in fine.*

IX. Notandum ultimo, ad ſacros Ordines ſuſcipiendos non requiritur de neceſſitate Sacramenti uſus rationis, ſive anni diſcretionis, alioquin ſic ordinatus Characterem non reciperet, ſed deberet iterum ordinari, cujus contrarium conſtat ex *cit. c. un. h. t.* ubi dicitur, ſolum ſupplendum eſſe Ordinem Diaconatus prætermiſſum: reliqui autem inferiores Ordines, ante uſum rationis, collati non ſunt iterandi, *Fagn. c. l. n. 13.* quamvis non debeant Ordines, etiam minores, conferri ante annos diſcretionis, imo nec ante tempus a Jure conſtitutum: alioquin ordinato interdicenda eſt executio Ordinis, uſque ad legitimam ætatem, *c. Vel non eſt 14. de temp. ordinand. Gl. in cit. c. un. V. Diſcretionis, juncta Gl. marg. lit. A. h. t.* Multo magis autem minores Ordines, ante uſum rationis, valide conferuntur, nec collati debent iterari, aut ſuppleri, *Tuerteremanta in c. Subdiaconus 4. diſ. 77. n. 2.* & colligitur ex *cit. c. unic. h. t.*

X. Quæritur ſecundo, an, qui Ordinem recipit, ante ſuſceptum Sacramentum Confirmationis, ſit irregularis? Reſp. Negative, ex communi ſententia DD. quia nulla irregularitas, vel cenſura reperitur jure expreſſa, nec Concilium Trid. *Seſſ. 23. c. 4. de reform.* pœnam aliquam imponit, ſed ſolum præcipit, ut nullus ad primam Tonſuram admittatur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſcepit. Imo probabilius eſt non eſſe peccatum mortale, ſi quis ſine hoc Sacramento ſuſcipiat Ordines, etiam ſacros, vel in iis miniſtret, cum non neceſſario prærequirant, vel ſupponant Confirmationem, *Avila cit. ſec. 1. dub. 3.* & alii recentiores plerique. Aliud eſt de Baptiſmo, ſine quo nullus Ordo valide ſuſcipi poteſt, cum ſit janua omnium Sacramentorum, *Gl. in cit. c. Solicit. diſ. 52.* & eſſe communis ſententia DD.

TITULUS XXX.

De eo, qui Furtive Ordinem ſuſcepit.

I. Quia per ſaltum promoti ad Ordines plerumque furtive id faciunt, ideo ſubjicitur hic Titulus de furtive recipientibus Ordines. Dicitur autem furtive Ordines recipere, qui ſine ordinatione, & licentia, ſeu conſenſu Superioris, nempe proprii Epiſcopi, & ſine prævia examinatione, ſe per dolum ingerit ordinandis, aut ignorante Epiſcopo Ordinatore, Ordines recipit, *Abb. in Rubrica hoc tit. Gloſſ. in cap. V. Furtive Hoſtienſ. in Summa eod. num.* 1. ubi addit, quod etiam ille, qui ſimul, & eodem die quatuor minores Ordines, una cum Subdiaconatu, accepit, vel ſimul duos ſacros Ordines, furtive recepiſſe Ordines cenſetur, ut ex dicendis patebit.

II. Quæritur primo, quæ ſit pœna furtive recipientis Ordines? Reſpond. Qui furtive ſuſcepit Ordinem, ſi contra hoc facientes lata erat excommunicatio, non poteſt in ſic ſuſcepto miniſtrare, nec ad ſuperiorem Ordinem aſcendere, ſine diſpenſatione Papæ, prout ſumitur ex *c. Veniens 1. h. t.* ubi habetur, quod Clericus quidam P. nomine,
„ acceſſit ad Papam Alexandrum III. exponens eidem, ſe
„ furtive Diaconatus Ordinem ſuſcepiſſe. Quare mandat
„ Papa Epiſcopo Diœceſano, quod ſi non fuit ab ipſo, vel
„ ab aliquo Archidiaconorum ſuorum, vel Prælatorum,
„ ſub interminatione anathematis (ſive comminatione ex-
„ communicationis ſub conditione factæ) prohibitus, con-
„ digna pœnitentia ipſi impoſita promoveat illum ad Offi-
„ cium Sacerdotale, diſpenſando cum eo pro arbitrio ſuo,
„ niſi alia impediant. Si vero ſententia excommunicatio-
„ nis ſuper hoc lata fuit, ipſum moneat, ut in aliquo
„ Monaſterio, ſeu Canonia habitum regularem ſuſcipiat:
„ & ſi ibi aliquo tempore laudabiliter fuerit converſatus,
„ poterit Epiſcopus ex miſericordia ei providere (non
„ ſuo jure, ſed auctoritate Papæ, ut ſequitur, *Gloſſ. fin.*
„ *hic & Hoſtienſ.*) alioquin (ſi non vult intrare Religio-
„ nem) nulla ratione permittat Papa eum ad Sacerdotium
„ promoveri.

III. Pro explicatione hujus cap. notandum primo, is, qui furtive, & clandeſtine eſt ordinatus, ſine conſenſu Superioris, & ſine examinatione, recipit quidem verum Ordinem, & Characterem, non tamen habet executionem, ſeu uſum Ordinis, niſi cum illo fuerit diſpenſatum, prout ſumitur ex hoc cap. & tradit, *Abbas ibidem numer. 1. not. 1.*

Notandum ſecundo, ex eo, quod in *cit. cap.* 1. dicitur, illum, qui furtive Diaconatum ſuſcepit, ſi id fecit ſub excommunicatione prohibitus, non poſſe aſcendere ad Sacerdotium, ſine diſpenſatione Papæ, colligunt quidam DD. ipſum irregularitatem incurriſſe, quia in excommunicatione poſitus Ordinem ſuſcepit, ideoque inhabilis redditur ad aſcendendum ad Ordinem ſuperiorem, *Abb. hic n. 2. not. 4. Navarr. in man. cap. 27. n. 241.* Verum probabilius eſt, quod talis non incurrat irregularitatem, ut tradit *Covarr. in c. Alma, p. 1. §. 6. n. 6. Suar. diſ. 31. de cenſur. ſec. 2. num.* 58. ſed ſuſpenſionem tantum ab Ordinis ita ſuſcepti executione, quia ſecundum Canones ille fit irregularis, qui cenſura ligatus exercet aliquem actum Ordinis, a quo eſt prohibitus, *cap. 1. de ſent. & re jud. in 6. cap. 1. de ſent. excomm. in 6.* qui autem ſuſcipit, etſi furtive, Ordinem, non exercet actum Ordinis, ergo non fit irregularis: incurrit tamen ſuſpenſionem ab executione Ordinis ſic ſuſcepti, quod patet etiam ex *cap. Innotuit 3. h. t.* ubi idem illud impedimentum declaratur per privationem executionis Ordinis ſuſcepti in illis verbis: *Ordinati in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare non debent* juxta quod dictum *c. 1. h. t.* intelligendum eſt, dum ponit inhabilitatem aſcendendi ad ſuperiorem Ordinem, eſt enim in utroque c. ſermo de ſuſpenſione, non de irregularitate: inter quas hæc eſt differentia, quod quando in Jure prohibetur receptio Ordinum, eſt irregularitas, quæ omnino inhabilem facit ad Ordines: quando vero prohibetur uſus, ſive exercitium Ordinum eſt ſuſpenſio: quæ uſum tantum tollit, ut notat *Avila p. 7. de conſ. diſ. 9. ſec. 1. dub. 4. §. Si opponas in fine.* Porro in *c. 1. h. t.* nulla imponitur nova ſuſpenſio, vel irregularitas excommunicato ſuſcipienti Ordines, quia non agitur ibi de hoc delicto, ſed de furtiva ſuſceptione Ordinum; & diſtinguitur, utrum illa furtiva ſuſceptio Ordinum fuerit facta contra prohibitionem Epiſcopi ſub excommunicatione factam non ſe ingerendi Ordinibus; an ſine illa: nam priore etiam caſu non imponitur nova ſuſpenſio, vel irregularitas, ſed ſolum dicitur quod difficilius in ea diſpenſatur: ſi enim excommunicatio lata non erat, poterit Epiſcopus abſolute diſpenſare cum furtive ordinato; ſi vero lata fuit non poteſt diſpenſare, niſi ſub conditione, ut Religionem intret, & laudabiliter in ea vivat, *Suar. cit. ſec. 1. n. 57.*

IV. Notandum tertio, qui furtive ordinatus eſt contra prohibitionem factam ab Epiſcopo ſub excommunicatione, & conſequenter excommunicationem incurrit, eſt ſuſpenſus ab omnibus Ordinibus non tantum ſacris, ſed etiam minoribus, quoad eorum uſum: & exercitium, quia in *cap. Cum illorum 32. de ſent. excomm.* ſimpliciter eſt ſermo de Ordinibus Eccleſiaſticis, adeoque etiam de minoribus eſt accipiendum, quia nullus Eccleſiaſticus Ordo ſuſcipi debet, vel exerceri ab excommunicato. At vero in *cap. 1. & 3. hoc tit.* fit ſolum mentio de Ordinibus ſacris, quia illa facti ſpeciem tantum continent, nec peculiare jus de

Sacris

Digitized by Google

Sacris ſtatuunt. Eſt autem hæc ſuſpenſio, non ab omnibus Ordinibus ſimpliciter, ſed ſolum a ſic ſuſceptis, non item ab inferioribus licite ſuſceptis: quamvis durante ſuſpenſione non poſſit talis aſcendere ad Ordines ſuperiores, *Suar. citat. ſec. 2. num. 58. Zœſ. in Comment. in Decretal. num. 3. h. t.* Porro hæc ſuſpenſio non incurritur ob inculpabilem ignorantiam, quæ excuſat a culpa mortali, quia in *cit. cap. 2. & 3. h. tit.* requiritur culpa: cum enim tanquam pœna imponatur talis ſuſpenſio, neceſſario ſupponit culpam, & quidem gravem, cum ſit gravis pœna: *Suar. cit. ſec. 2. num. 59. Zœſ. cit. l. nu. 4.* Similiter per vim vel metum gravem furtive ordinatus, non incurrit hanc pœnam ſuſpenſionis, cum ea non imponatur, niſi propter culpam, a qua excuſat juſtus metus, *Suar. cit. l. num. 60. Zœſ. c. l. num. 5.*

V. Notandum quarto, ſi excommunicatio ab Epiſcopo ordinante non ſit lata contra furtive ordinatum, tunc Epiſcopus poteſt jure ſuo, ac proprio cum illo diſpenſare, ut poſſit aſcendere ad ſuperiorem Ordinem. Si vero excommunicatio contra illum lata ſit, tum etiam, jure ſuo, poteſt cum illo diſpenſare, ſi intraverit Religionem: alioquin vero ſi in ſeculo maneat, ſolus Papa diſpenſare poteſt, ut ad ſuperiorem Ordinem promoveatur, uti ſumitur ex *citat. c. 1. h. tit. & Abb. ibid. num. 3.* Quamvis autem ingreſſus in Religionem non tollat irregularitatem, facit tamen, ut eo facilius cum eo diſpenſetur, ut colligitur ex *citat. cap. 1. Gl. fin. hic, & Abb. num. 3.* Suppoſito tamen, quod in caſu hujus cap. furtive ordinatus, irregularitatem incurrerit, de quo ſupra.

Notandum quinto, ſolent Epiſcopi, ex more recepto, quando Ordines conferunt, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ prohibere, ne quis audeat ſe ingerere ordinandus, qui non fuerit approbatus: tunc talis ordinatus non poteſt in ſuſcepto Ordine miniſtrare, nec ad ſuperiorem aſcendere, ſine Papæ diſpenſatione, *Lopez in praxi. Can. cap. 25. in addit. lit. B.* quod ſi Epiſcopus tempore, quo confert Ordines, utatur his verbis: *Non intendimus ordinare non examinatos, & approbatos*, tunc qui ſe furtive ingeſſit, non erit ordinatus, ſed iterum ordinari debet, injuncta illi pœnitentia, priuſquam ordinetur, quia graviter deliquit, *Rebuff. in praxi benef. tit. de Clericis, ad SS. Ordines male promot. Gl. 4. num. 19.* Hodie tamen poſſet Epiſcopus, ſi crimen hoc ſit occultum, & non deductum ad forum contentioſum, vi Concil. Trid. *Seſſ. 24. cap. 6. de ref.* diſpenſare. *Lopez. cit. loc.*

VI. Quæritur ſecundo, quæ ſit pœna ejus qui ſimul, & eodem die plures Ordines recipit? Reſp. Primo, qui eodem die recipit primam Tonſuram, & quatuor Ordines minores, non incurrit irregularitatem, nec aliam cenſuram: qui vero eodem die recipit quatuor minores Ordines, & ſimul Subdiaconatum, ſecundum quoſdam DD. fit irregularis: ſecundum alios vero, ſolum incurrit ſuſpenſionem ab executione, ſive uſu Ordinum ſic ſuſceptorum, prout ſumitur ex *c. Cum H. 2. h. tit.* Nam quidam acceſſit ad Epiſco„ pum, tempore ordinationis (ut ab eo ordinaretur) qui „ juxta conſuetudinem patriæ ei contulit quatuor minores „ Ordines, quibus non contentus, Subdiaconatum etiam „ furtive, citra conſcientiam Epiſcopi, qui id forte ob ni„ miam multitudinem ordinandorum non advertit; nam ideo hoc cap. ponitur ſub hoc tit. quia furtive ſe fecit ordinari, *Hoſtienſ. hic V. Exceſſit.*) temerario auſu recepit. Re„ delata ad Papam Cœleſtinum III. is, quia idem Clericus „ in hoc facto multum exceſſit: mandavit Epiſcopo Diœ„ ceſano, ut in minoribus tantum Ordinibus eum celebra„ re permittat. Si vero Domum Religionis intrare volue„ rit, poterit Abbas ipſius, ſi alias dignus fuerit, in aliis „ Ordinibus cum eo diſpenſare, ſiquidem ita voluerit.

VII. Notandum primo, ſpectato Jure communi antiquo, omnes quatuor Ordines minores licite poſſunt ſimul, & una die conferri eidem, ut colligitur ex hoc cap. & notat *Gl. ibid. V. Minores & Abb. num. 1.* At vero Subdiaconatus una cum minoribus Ordinibus, eadem die conferri non debet, ut conſtat ex *citat. cap. 2. h. titul.* niſi alicubi vigeat contraria conſuetudo, ut eodem die conferantur, & recipiantur, quia Jure communi non prohibentur, niſi plures ſacri, ſeu majores Ordines conferri eodem die, *Rebuff. in praxi benef. tit. de Cleric. ad ſacr. Ordines male prom. Gl. 1. nu. 28.* Neque vero conſuetudo hæc conferendi, & recipiendi, una cum minoribus Ordinibus, etiam Subdiaconatum, eodem die, eſt reprobata per Concil. Trid. *Seſſ. 23. cap. 11. de ref. Navarr. in man. cap. 25. num. 71. in fine.* Sed de hoc alibi ex inſtituto actum eſt, *libr. 1. Decret. Tit. 11. ſec. 2. §. 10. num. 13. & ſeq.*

Notandum ſecundo. Epiſcopus cum eo, qui Subdiaconatum furtive ſuſcepit, cum Ordinibus minoribus diſpenſare poteſt, ut miniſtret tantum in Ordinibus minoribus, quippe non furtive ſuſceptis, *cit. cap. 2. & Barb. ibid. num. 3.*

„ Additur vero in *eod cap.* quod cum eo, qui Religionem „ ingreſſus eſt, ſi vita, & mores ejus exegerint: poſſit Abbas illius diſpenſare, ſcilicet quoad exercitium Ordinis majoris, ſive Subdiaconatus furtive ſuſcepti, *Zœſ. hic num. 6.* vel etiam in aliis Ordinibus, ſi eos forte furtive ſuſceperit; & ſic favore Religionis conceditur, quod alias non concederetur, *Gl. hic in notatis.* Porro quod hic dicitur Abbatem diſpenſare poſſe in hoc impedimento, ſive irregularitatis, ſive ſuſpenſionis, id ita intelligendum eſt, quod id ſolum poſſint Abbates in caſibus jure expreſſis: alioquin vero Abbatibus aliiſque Prælatis Epiſcopo inferioribus omnia poteſtas diſpenſandi eſt interdicta, niſi ea ſpeciali eis fuerit conceſſa, quia graviora, & majora ſunt reſervata Epiſcopo, *Hoſtienſ. hic in fine, & Abb. num. 2.*

VIII. Reſpondetur ſecundo. Si quis duos Ordines majores, ſeu ſacros, ſimul & eodem die, ſuſcipiat, poſt præceptum Epiſcopi id ſub excommunicatione prohibentis, ſuſpenſionem incurrit, ut in Ordinibus ſuſceptis miniſtrare non poſſit, niſi cum eo diſpenſetur, conſtat ex *cap. Innotuit. 3. & ult. h. t.* „ Nam quidam Clericus, & alii duo, cum lit„ teris (dimiſſoriis) Epiſcopi ſui acceſſerunt ad Epiſco„ pum Segntinenſem, ut Ordines ab eo reciperent. Cum„ que ab eodem Epiſcopo, priuſquam ordinaret ſub ſenten„ tia excommunicationis latæ fuiſſet prohibitum, ne quis „ ad duos Ordines (ſcilicet ſacros, qui ſimul eodem die „ conferri non debent, *cap. Literas. 13. & c. Dilectus. 15. de* „ *temp. ordin. Gl. hic V. Ordines*) ſuſcipiendos ſe ingereret: „ nihilominus tamen prædicti Clerici Subdiaconatus, & „ Diaconatus Ordinem clandeſtine ſuſceperunt. Conſultus „ ſuper hoc Papa reſpondet, quod illi in ſuſceptis Ordini„ bus, de juris rigore, miniſtrare non debent (imo etiam „ de rigore ſunt deponendi, *c. Cum illorum. 32. de ſent. excom.* quia receperunt Ordines contra ſententiam excommunicationis, *Arg. c. Lutores 4. de Cleric. excomm. miniſt. Gloſſ. hic V. Miniſtrare*) veruntamen ſi ad Religionem aliquam ſe „ voluerint transferre: & peracta pœnitentia eis injuncta, „ pro arbitrio Epiſcopi Diœceſani, laudabiliter ibi fue„ rint converſati, poterit idem Epiſcopus, de licentia Pa„ pæ, cum eis diſpenſare, ut in ſuſceptis Ordinibus mi„ niſtrent.

IX. Pro explicatione notandum primo. Etſi duo Ordines ſacri, ſimul eodem die, conferri non debent, collatio tamen valet, ſed ordinati ſunt ſuſpenſi ab executione, ſeu exercitio Ordinum ſic ſuſceptorum. Et licet alias recipiens ſimul duos Ordines ſacros, ſuſpenditur tantum ab executione ultimi Ordinis ſic furtive ſuſcepti, *cit. cap. Litteras. de temp. ordin.* at in caſu hujus cap. ſuſpenditur ab executione omnium Ordinum, quia præceſſit ſententia excommunicationis, *Abb. hic numer. 4.* Imo hoc caſu non poteſt Epiſcopus diſpenſare in Ordinibus furtive ſuſceptis, ſuo jure, ſed non niſi ex licentia Papæ, etiamſi ordinatus Religionem intraret, ut habetur in hoc cap. Sed in prius ſuſceptis, ſuo jure, poteſt diſpenſare, quando non præceſſit excommunicatio, *Hoſtienſ. hic in fine, Abb. num. 5.*

Notandum ſecundo. Poteſt Epiſcopus ad id, quod jure communi ſtatutum eſt, ſine appoſitione pœnæ, per ſuum ſtatutum adjicere pœnam, vel augere illam, quæ a lege eſt impoſita, ut colligitur ex hoc cap. quia tunc non derogat diſpoſitioni Juris communis, ſed eam adjuvat, *Abb. hic numer. 2.*

TITULUS XXXI.

De Exceſſibus Prælatorum, & Subditorum.

HActenus actum eſt generaliter de variis exceſſibus, ſeu delictis, tam Prælatorum, quam Subditorum, nunc ſubjicitur hic Titulus in Prælatos. Extat hic Titulus etiam in Sexto, & Clementinis.

§. I.

Qualiter poſſint, ac ſoleant Prælati Eccleſiaſtici excedere, ſeu delinquere in Subditos Clericos?

I. ASſertio 1. Delinquunt inprimis Epiſcopi, aliique Prælati, ſi Clericos ſubditos talliis, vel exactionibus indebitis gravant, & niſi ad voluntatem ſuam pecuniam ſolvant, divinum Officium eis interdicunt: vel injuſte, & illicite cenſuras in eos ferunt, vel alias viliter, & inhoneſte eos tractant, ut ipſos laicis deſpicabiles reddant, prout habetur in *cap. Pervenit. 1. h. tit.* ſecundum integram ejus electionem, ubi ſtatuitur: quod Epiſcopi Presbyteros, „ & alios Clericos quaſi filios, ac fratres, benigna ac fra„ terna charitate fovere, & tractare debent. Quare man„ dat Papa Alexander III. Epiſcopis, ut eis tallias, & ex„ actiones indebitas imponere non præſumant: nec de cæ„ tero indebite, aut inhoneſte eoſdem tractent: & ſine „ judicio Capituli ſui, eos ſuſpendere, vel eorum Eccle„ ſias interdicto ſubjicere non attentent: neque duas Ec„ cleſias, ſi una earum ſufficiat ad neceſſariam ſuſtentatio„ nem, eos tenere permittant (niſi una ab altera depen„ deat, vel niſi unam habeant in titulum, & aliam in com„ mendam, in *Gloſſ. hic V. Duas Eccleſias*) nec aliquem ex„ communicare, ſine ordine judiciario, præſumant. Quod „ ſi Prælati contra prædicta fecerint, ſciant ſe ita punien„ dos (pœna extraordinaria, & arbitraria, *Gl. hic V. Puniemus*) ut timore talis pœnæ alii a ſimilibus abſter„ reantur.

II. Pro intellectu hujus c. notandum primo. Epiſcopi non poſſunt Clericos ſibi ſubditos gravare talliis, collectis, & aliis exactionibus, niſi quæ jure, vel conſuetudine ſunt permiſſæ, *c. Quia cognovimus. 6. cauſ. 10. quaſt. cap. ult. cauſ. 18. quaſt. 2. cap. Cum Apoſtolus. 6. §. Prohibemus. de cenſib.* de quibus ibi actum, *Abb. hic num. 1. & 2.*

Notandum ſecundo. Epiſcopus non poteſt excommunicare, vel ſuſpendere Clericos, vel eorum Eccleſias interdicere, ſine judicio, id eſt, conſenſu Capituli, *Gl. hic Verſ. Capituli.* quamvis in textu de conſenſu Capituli, quoad excommunicationem, nihil exprimatur, ſed de interdictu habetur in *c. 2. De his, quæ fiunt a maj. part. Cap.* Idque procedit, quando de re gravi, & ſevera pœna imponenda agitur, quia generatim in arduis negotiis expediendis per Epiſcopum requiritur conſenſus Capituli: In levioribus autem cauſis, vel delictis, ſatis eſt requiri conſilium Capituli, quamvis id Epiſcopus ſequi non teneatur, *Lopez. ſive Sai-*

nedo

nodo in pract. criminal. Can. cap. 3. in auctor. §. *Competit quidem Rodriq. tom. 2. qq. reg. quæſt. 22. articul. 7.* hodie tamen valet conſuetudo legitime præſcripta, ut Epiſcopus in inquirendis, ac puniendis criminibus Subditorum, Capituli ſui conſenſum requirere non teneatur, *cap. Non eſt 3. de conſuet. in 6.*

Notandum tertio. Ordo judiciarius, qui ſervandus eſt in excommunicatione, in eo conſiſtit, ut vera, & rationabilis cauſa ſubſit, competens monitio præcedat, & proferens non ex odio, ſed ex charitate & correctionis cauſa procedat, *Hoſtienſ. hic V. Sine ordine judiciario*, ubi addit, quod etſi ordo iſte non ſervetur, tenet ſententia.

Notandum quarto. Pœna ob duos præcipue fines imponitur, nempe ut delinquentes puniantur, & alii metu ſimilis pœnæ abſterreantur, ut dicitur in *cit. c. 1. in fine h. t. & ibid. Abbas not. 2.*

III. Aſſertio 2. Excedunt, & delinquunt etiam Epiſcopi, ſi ſine legitima cauſa, Eccleſiam alteri inferiori Prælato ſubjectam ab ejus ſubjectione & obſequio liberent, prout id prohibetur in *c. Ad hæc 2. h. t.* Nam quidam Epiſcopus
„ Suffraganeus Archiepiſcopi Cantuarienſis plures Eccleſias
„ ſuæ Diœceſis conſtituit liberas, ac immunes a conſuetu-
„ dine, & obſequio Archidiaconorum, per quod reditus
„ eorum diminuit. Re hac ad Papam Alexandrum III. de-
„ lata, is mandavit prædicto Archiepiſcopo, ut factum E-
„ piſcopi corrigat, & emendet, & ita provideat, ut Ar-
„ chidiaconis conſuetudines, & jura, quæ Presbyteri in
„ Eccleſiis ſuorum Archidiaconatuum ipſis debent, plene ſer-
„ ventur illæſa, & illis debitam reverentiam, & honorem
„ exhibeat.

IV. Notandum primo. Poteſt Archidiaconus, vi conſuetudinis legitime præſcriptæ, acquirere ſervitia, ſive obſequia ſibi præſtanda ab aliis Eccleſiis in ſuo Archidiaconatu poſitis, vel alibi: adeoque poteſt etiam Prælatus Epiſcopo inferior acquirere, via præſcriptionis juriſdictionem in aliis Eccleſiis alias ſubjectis Diœceſano Epiſcopo: quamvis de jure communi Archidiacono non debeant aliæ Eccleſiæ, & earum Rectores præſtare obſequia, vel ſervitia, nec juriſdictionem in illis habeat, cujus Officium plurimum conſiſtit in conſuetudinibus, *Gl. fin. hic & Abb. n. 2. & 4.*

Notandum ſecundo: Epiſcopi non poſſunt jura, & conſuetudines Archidiaconorum, & aliorum Prælatorum inferiorum diminuere, nec juriſdictionem eorum illis auferre, quia non debent jus ſuum alicui diminuere, vel tollere, ſine ejus conſenſu, *Gl. hic in notat. & V. Diminuit.* ubi etiam ait, quod Epiſcopus non poteſt dare privilegium in præjudicium alterius. *Arg. cap. Conqueſtus 8. cauſ. 9. q. 3.*

V. Aſſertio 3. Delinquunt etiam Epiſcopi, aliique Prælati, ſi Eccleſias, vel beneficia, quarum ordinatio, vel collatio ad eos ſpectat, ſibi retineant, vel ſibi ipſis conferant, prout decidttur in *cap. Ad aures 3. h. tit.* Nam quidam Ar-
„ chidiaconi Epiſcopi Eaunienſis ſe in Eccleſias, quæ in
„ ſuis Archidiaconatibus vacabant, propria auctoritate,
„ intrudere non verebantur, & eas ſuis uſibus deputabant:
„ cum in eiſdem perſonas inſtituere deberent. Re delata
„ ad Papam Alexandrum III. is mandavit prædicto Epiſco-
„ po, ut illos, qui tali modo Eccleſias occupant, vel de-
„ tinent occupatas per cenſuram Eccleſiaſticam compellat
„ ad eas dimittendas, & in iiſdem perſonas idoneas inſti-
„ tuat; dictos vero Archidiaconos, ob tantam præſumptio-
„ nem, condigna pœna (extraordinaria, ſeu arbitraria, *Gl.*
„ *fin. hic*) afficiat.

VI. Notandum primo. Qui habet poteſtatem inſtituendi, vel conferendi aliquod beneficium, non poteſt ſe ipſum in illo inſtituere, vel ſibi illud conferre, quia inter dantem & accipientem debet eſſe diſtinctio perſonalis, *c. ult. de inſtit.* & dictum ſupra *libr. 3. Decret. tit. 7. num. 86. & ſeqq.* & nemo poteſt ſibi, ſive in facto proprio auctoritatem præſtare, §. *fin. Inſtitution. de auctor. tut. Gl. hic V. Intrudere. & Hoſtienſ.* Nec poteſt etiam collator Eccleſiæ, vel beneficii reditus ejuſdem Eccleſiæ, vel beneficii ſibi retinere, ſed debet illi Eccleſiæ, vel beneficio de Rectore providere, etiam ſi ſit beneficium manuale, *Abb. hic numer. 2.*

Notandum ſecundo. Si Prælatus Epiſcopo inferior, verbi gratia. Archidiaconus, ad quem ſpectat collatio Eccleſiæ, vel beneficii, non conferat illud, vel perſonæ indignæ conferat, poteſtas conferendi devolvitur ad Superiorem, ſcilicet Epiſcopum: poteſt tamen habere cuſtodiam Eccleſiæ vacantis ſibi ſubjectæ, donec fuerit proviſum de Rectore, nam ad illum ſpectat cuſtodia Eccleſiæ, vel beneficii vacantis, ad quem ſpectat illius collatio, *Gl. hic V. Intrudere, & Abb. n. 3.*

VII. Aſſertio 4. Epiſcopi, aliique Prælati delinquunt præterea, ſi Eccleſias, vel beneficia conferant indignis, prout
„ prohibitum eſt *in c. Interdictos. 11. h. t.* Nam vacante Suc-
„ centoria Eccleſiæ Pictavienſis, Cantor ejuſdem Eccleſiæ
„ (ad quem collatio ipſius Succentoriæ, ſive ex longa con-
„ ſuetudine, ſive ex ſpeciali privilegio, pertinebat, *Hoſt.*
„ *hic V. eod.*) eam contulit Petro Canonico Pictavienſi,
„ ſed poſtea non caſſa dicta collatione, eandem Succen-
„ toriam contulit Bernardo Canonico etiam Pictavienſi.
„ Unde orta inter eos quæſtione, cauſa commiſſa fuit qui-
„ buſdam Judicibus delegatis, coram quibus petiit utra-
„ que pars collationem ſibi factam confirmari, & alterius
„ caſſari. Poſt hæc cauſa delata eſt ad Papam Innocen-
„ tium III. qui ex atteſtationibus utrinſque partis inſpe-
„ ctis invenit eſſe probatum, dictum Petrum publicum a-
„ leatorem eſſe, ac manifeſtum uſurarium, qui XI. dena-
„ rios pro XII. mutavit in ludo, (quæ uſura centeſimam
„ excedit, nam iſta uno anno ſorti adæquatur, *lib. Eos 26.*
„ *C. de uſur. Gl. hic V. Undecim denarios.*) Is tamen ad
„ excuſandum ſuum delictum, allegavit conſuetudinem
„ Clericorum Galliæ; qui ſic mutuant, & ludunt frequen-
„ ter. Sed Papa hujuſmodi ludos voluptuoſos, quippe no-
„ xios, & pravam hanc conſuetudinem, quæ corruptela
„ potius dicenda eſt, penitus reprobavit, cum in illis ſit
„ magis punienda offenſa, per quos delinquendi auctoritas
„ uſurpatur. Unde quod circa dictum Petrum de Succen-
„ toria factum eſſe conſtat, propter indignitatem, & vili-
„ tatem ipſius, Papa decernit irritandum, cum perſonis
„ vilibus, & indignis portæ dignitatum patere non de-
„ beant, juxta legitimas Sanctiones (*l. 2. C. de dignit. lib.*
„ *12.* Præterea contra prædictum Bernardum fuit proba-
„ tum per teſtes, quod cum conſcientia Judicum delega-
„ torum, ultima clauſula non fuerit inſerta in litteris eo-
„ rundem, ſicut ex ipſorum depoſitionibus conſtitit eviden-
„ ter. Verum Papa conſideravit, quod licet conſtaret, di-
„ ctam clauſulam appoſitam fuiſſe litteris illis, præter con-
„ ſcientiam prædictorum Judicum: tamen fides facta non
„ fuit, quod dictus Bernardus illam clauſulam appoſuerit,
„ vel procuraverit, ut ab alio apponeretur. Vel etiam
„ quod ſcienter uſus fuerit litteris ſic falſatis: ac proinde
„ Papa dictum Bernardum ab hujuſmodi falſitatis objectu
„ abſolvit, præcipue, cum poſtquam hoc ipſi objectum
„ fuit, eis uti prætermiſerit. Sed quia per depoſitiones
„ duorum teſtium conſtitit, quod conceſſio, ſive collatio
„ prædicto Petro facta (quanquam propter ejus indignita-
„ tem debuiſſet reprobari) præceſſerit conceſſionem, ſeu
„ collationem poſtea factam Bernardo, ideo Papa hanc de-
„ crevit irritam, & inanem. Quia vero Cantor ita incon-
„ ſtanter ſe geſſit in hoc facto, ut prima donatione, ſeu
„ collatione non reprobata, ſecundam facere attentaverit,
„ Papa ipſum privavit poteſtate conferendi, hac vice, di-
„ ctam Succentoriam, ut puniatur, in quo deliquit, man-
„ dans Judicibus delegatis, ut eandem perſonæ idoneæ,
„ auctoritate Apoſtolica, aſſignent.

VIII. Pro explicatione hujus c. notandum primo. Præcentor, qui & Cantor vocari ſolet, olim dictus fuit is, qui in Choro Antiphonas, & Pſalmos inchoabat de quo ſit mentio in *c. Cum olim 6. de conſuetud.* Succentor vero, qui etiam in quibuſdam Eccleſiis appellatur Vice Cantor, dicitur ille, qui abſente Cantore, ſeu Præcentore, ejus vice fungitur, inchoando in Choro Antiphonas, & Pſalmos, *Azor. p. 2. lib. 3. c. 22. qu. 1. & 2.* Eſt autem Succentoria dignitas, vel ſaltem perſonatus, ſi annexam habeat præeminentiam in ſeſſionibus, proceſſionibus, & aliis conventibus inter reliquos Canonicos divina officia celebrantes, uti ſumitur ex hoc c. *& ibi Gl. V. Dignitatis. Laym. in cit. c. Cum olim 6. n. 6.*

Notandum ſecundo, Ludus alearum eſt prohibitus Clericis, *cap. Clerici 15. de vita, & honeſt. Cleric.* adeo ut etiam conſuetudo in contrarium non valeat, quia eſt corruptela: quin imo Clericus aleator repelli debet tanquam vilis, & indignus ab officio obtinendo, cum collatio ipſi facta ſit nulla, ſi publice conſtabat eſſe aleatorem: ſi vero non conſtabat, quia erat occultus, debet irritari collatio: verum officio, vel beneficio obtento, antequam ludos vetitos exerceret, non debet privari, ſed alia mitiore pœna plecti, niſi monitus nolit ſe corrigere, tunc enim beneficio eſt privandus, *c. 1. diſt. 35.* ſed uſurarius Clericus non ſolum poteſt repelli a beneficio obtinendo, ſed etiam privari obtento, quia gravius peccat, etſi Epiſcopus cum eo diſpenſare poſſit circa beneficium, ſi ſe correxerit, *cap. de Petro 4. diſt. 47. Gloſ. hic V. Aleatorem, & Abb. numer. 2. & 6.*

Notandum tertio, Judices poſſunt tanquam teſtes deponere cum aliis Judicibus, de geſtis coram ſe, ut colligitur ex hoc c. & tradit *Gl. hic V. Depoſitionibus, & Abb. num. 3.*

IX. Notandum quarto, qui utitur falſo Inſtrumento, ſeu falſis litteris in judicio, non ideo poteſt, tanquam falſarius puniri pœna falſi ordinaria, niſi probetur, quod ipſe eas falſaverit, vel procuraverit, ut ab alio falſarentur: vel quod ipſe illis ſcienter uſus fuerit: & præſumitur ignorantia, ſi poſtquam hoc illi fuit objectum, deſtitit ab uſu falſi inſtrumenti, vel falſarum litterarum prout ſumitur ex *cit. c. Inter dilectos, h. t. & ibi Gl. V. Procuraverit, & Abb. num. 4.*

Notandum quinto, ſi conceſſio, ſeu collatio beneficii prius facta fuit alicui indigno, ſed per ignorantiam, quia publice non conſtabat collationem eſſe nullam, ut in caſu hujus c. in quo non conſtabat, ſed merito dubitari poterat, an collatio beneficii eſſet nulla, nec ne? & an is, cui collatio prius facta eſt, eſſet indignus, quia uſuram exercuit tantum in ludo, & ludebat, ſecundum conſuetudinem aliorum Clericorum: hoc, inquam, caſu, ſecunda ceſſio, ſeu collatio beneficii irritanda eſt, ſeu irrita declaranda, licet is, cui collatum eſt beneficium, poſtea repertus ſit indignus: nam etſi prima collatio facta ſit indigno per ignorantiam, quia tamen publice non conſtabat de nullitate collationis, non potuit, nec debuit attentare collator ſecundam collationem, niſi prius caſſata, ſeu reprobata prima, nunquam enim debet fieri ſecunda collatio, vel electio, niſi notorie conſtet primam nullam, & invalidam eſſe: quare in caſu hujus c. is, qui primo contulit beneficium indigno, ſcilicet Petro, non fuit ipſo facto privatus poteſtate conferendi, quia ignoranter id fecit, & indignitas perſonæ tunc erat occulta, ſed propter inconſtantiam ſuam, quia prima collatione non caſſata, proceſſit ad ſecundam, pro ea vice, fuit privatus poteſtate conferendi. Unde ſecunda collatio non tenuit, quia Cantor conferendo primo Succentoriam ipſi Petro, functus eſt ſuo officio, ideo non potuit, nec debuit attentare ſecundam collationem. *Gloſ. in citat. cap. Inter V. Poſtmodum, & V. Irritum, Abb. ibid. n. 8. & 9.*

X. Aſſertio 5. Delinquunt Epiſcopi, aliique ſimiles Prælati, ſi impediant privilegia ſubditorum, ideoque hi non tenentur parere Superiori exigenti, vel præcipienti aliquid con-

Digitized by Google

contra tenorem ſuorum privilegiorum, prout ſumitur ex „ *cap. Sane 5. hoc titul.* ubi Alexander III. ſic ſtatuit: Si Epiſcopi aliquid ab Abbatibus (non exemptis, ſed ſubjectis Epiſcopo, nam hic non eſt ſermo de exemptis, *Gl. hic V. Obedientiam,*) præter debitam obedientiam, contra libertatem Ordinis a SS. Pontificibus conceſſam exigant, liberum ſit Abbatibus, auctoritate Apoſtolica, quod petitur denegare. Loquitur autem hic textus, non de plena, & omnimoda exemptione a poteſtate, & juriſdictione Epiſcopi, ut patet ex illis verbis *præter debitam obedientiam*, ſed de privilegio, per quod libertas, ſeu immunitas in certa re alicui Ordini, aut Monaſterio a Papa conceditur, ita tamen ut nihilominus Epiſcopus poſſit viſitare, & corrigere tale Monaſterium, vel confirmare Abbatem, *Gl. hic V. Obedientiam, & Hoſtienſ.* Ratio deciſionis eſt, quia etiam Epiſcopi, aliique Prælati, ſeu Superiores tenentur libertates ſeu immunitates a Papa inferioribus Eccleſiis, vel Clericis ſecularibus, aut regularibus conceſſas illæſas conſervare, quia inferior non poteſt tollere legem ſuperioris, *cap. Cum inferior 16. de majorit. & obed.* & poteſt Papa, etiam in præjudicium Epiſcoporum, Eccleſiis, vel Clericis inferioribus privilegia dare, *Abb. hic n. 2.*

XI. Porro ſi Epiſcopus aliquid a ſubdito contra privilegium ipſius exigat, poteſt is hoc ipſi denegare, auctoritate hujus Canonis, ut notat *Gl. fin. hic*, imo & auctoritate propria, cum vigore privilegii ad hoc faciendum non teneatur, *c. Quia cognovimus 6. cauſ. 10. q. 3.* Vel etiam dici poteſt, ſi Superior non ſit in poſſeſſione ejus, quod a ſubdito privilegiato petit, poteſt, propria auctoritate, id ei ſubditus denegare, juxta *cit. c. Quia cognovimus*. Secus vero, ſi ſuperior ſit in poſſeſſione, tunc enim ſubditus non propria, ſed auctoritate Apoſtolica, & delegata hujus Canonis, id negare poteſt nam alias propria auctoritate non poſſet ſubditus Superiorem ſuum poſſeſſione privare, *Arg. cit. c. Cum inferior de majorit. & obed. Abbas hic in fine.*

XII. Ex dictis infertur, quod ſententia excommunicationis lata ab Epiſcopo contra Subditum, eo quod non paruit in iis, quæ contra privilegium ſibi a Superiore conceſſum exigebantur ab illo, non tenet, prout ſumitur ex *c. Cum ad quorundam 7. h. t.* Nam in Concilio Lateranenſi (quod refertur in *c. Cum Apoſtolus 6. in princ. de cenſib.*) „ſtatutum fuit, ut Prælati Eccleſiarum, cum viſitant Eccleſias, certum numerum evectionis, id eſt, equorum, & perſonarum habere poſſint, quem excedere non debeant: quia numerus ibi, quoad equos quidem, eſt expreſſus, ſed quoad perſonas, arbitrio boni viri relictus, ut ab eo determinetur, *Hoſtienſ. hic V. Conſtitutum.* Sed quia aliqui Epiſcopi, & Prælati Eccleſiarum, cum Eccleſias viſitarent, id non ſervabant, de quo inferiores Prælati, & Clerici conqueſti ſunt apud Clementem III. ideo idem Papa a Apoſtolica auctoritate conceſſit, ut ſi Eccleſiarum Prælati numerum equorum, & perſonarum in Lateranenſi Concilio conſtitutum, cum Eccleſias viſitaverint, excedere præſumpſerint, & pro pluribus procurationem exegerint, liberum ſit eis, id auctoritate Apoſtolica denegare: & ſi propterea Prælati in Eccleſias eorum, vel in Clericos ſententiam (excommunicationis, vel interdicti) promulgaverint, Papa decernit, illam non tenere. Ratio deciſionis eſt, quia cum Prælati, aliique Clerici inferiores, vi privilegii Apoſtolici ipſis conceſſi, quoad hoc ſint exempti a juriſdictione Epiſcoporum, ideo ſententia excommunicationis, vel alterius cenſuræ lata contra privilegium Papæ, non tenet, tanquam lata a Judice non ſuo: & temerarium, ac indignum eſt, ſua auctoritate præſumere contra id, quod alicui ab Eccleſia Romana ſpecialiter eſt conceſſum, *cit. c. Sane 9. de privil.* & in quantum aliqui ſunt exempti, ſervanda ſunt illis ſua privilegia, *c. Cum Capella 16. infer. eod. Gl. hic V. Non tenere.* Et cum talis ſententia manifeſtam iniquitatem contineat, & notorie ſit injuſta, eſt ipſo jure nulla, *Arg. cap. Inter cæteras 9. de ſent. & re judic.* Et quamvis in dubio præſumptio ſit pro juſtitia ſententiæ, ea tamen ceſſat, ſi conſtet notorie illius injuſtitia, non enim eſt præſumendum, quod jura, quæ nituntur ſumma æquitate, velint defendere, vel robur dare notoriæ injuſtitiæ, *Gl. fin. hic & Abb. in fine.*

Addit *Gloſſ. fin. hic*, ſi Prælati, vel alii Clerici inferiores, tale Privilegium non haberent, quod excommunicari non poſſunt, & Epiſcopus prædictum numerum equorum, & perſonarum excederet, vel alias ultra tenorem Concilii Lateranenſis, eos gravaret, licite poſſunt non parere, ſed negare, jure communi, & auctoritate Concilii Lateranenſis in *cit. cap. Cum Apoſtolus de cenſib.* Si tamen eoſdem excommunicaret Epiſcopus, valida foret excommunicatio, licet ipſe male faceret, & ipſi poſſent agere contra Epiſcopum ad intereſſe, qua injuſte illos excommunicavit, *c. Sacro 48. ſent. excomm.*

XIII. Aſſertio 6. Graviter etiam excedit, & delinquit Epiſcopus, qui directe, vel indirecte cauſam præſtat homicidio, eo enim commiſſo, fit irregularis, ita ut privari debeat Officio Pontificali, & Sacerdotali, & ab Epiſcopatus adminiſtratione amoveri, prout ſumitur ex *cap. Ex litteris 10. hoc tit.* ubi habetur, quod quidam Viſitatores acceſſerunt ad Albiganenſem Eccleſiam, eam viſitaturi, „Epiſcopus Albiganenſis, inter alia, quæ contra ipſum propoſita fuerunt, confeſſus fuit, quod cum quidam in Villa ad illius juriſdictionem (temporalem, *Hoſtienſ. hic Verſ. eod.*) ſpectante, infamaretur de furto, & ipſe fur illud negaret, ſe offerens ad ſe purgandum, judicio ferri candentis, & ſi in eo deficeret, ut ſuſpenderetur, Epiſcopus quæſivit a Judice ab ipſo ad maleficia punienda deputato, quid ſuper hoc ei videretur: Judex reſpondit, ut fieret, ſicut ipſe fur dixerat: quare ferrum candens in ipſius Epiſcopi præſentia eſt allatum, quod cum fur ille accepiſſet, ambuſtus eſt. Judex tertius conſuluit Epiſcopum, quid ſibi in hac re eſſet agendum? qui reſpondit, quod ſi fur evaderet, malum eſſet: quanquam Epiſcopus dicat, ſe talibus verbis uſum fuiſſe: auditis, quantus eſt clamor populi: omnes dixerunt, malum eſt, ſi ſic evaſerit impunitus: & mox Epiſcopus, & Judex exiverunt e villa illa, cum populo, & tum ille in eorum præſentia eſt ſuſpenſus. His auditis, Inquiſitores ipſum Epiſcopum, cum litteris prædictam confeſſionem continentibus, miſerunt ad Sedem Apoſtolicam, ſed ipſe nihil ſuper his propoſuit coram Papa, nec Litteras Inquiſitorum exhibuit: licet ipſe aſſereret, ſe litteras illas Papæ præſentaſſe: quin imo cum alter ex Inquiſitoribus ad Sedem Apoſtolicam acceſſiſſet, qui totius rei ſeriem Papæ expoſuit: idem Epiſcopus a Curia Romana receſſit, & perquiſitus non potuit inveniri. His intellectis, per dictum Inquiſitorem, & litteras Inquiſitorum (quibus creditur, donec contrarium probetur, *Gl. hic V. Noſcitur deliquiſſe*) Papa Innocentius, quia idem Epiſcopus, non ſolum in judicio ferri candentis, ſed etiam in furis ſuſpendio graviter deliquit, cum his non tantum auctoritatem præſtiterit, verum etiam corporalem ſuam præſentiam exhibuerit, ipſum Epiſcopum Altaris Miniſterio indignum reputavit: & quia Pontificale Officium, ſine Altaris Miniſterio, exerceri non poteſt, mandavit idem Papa dictis Inquiſitoribus, ut eundem moneant, ut Epiſcopatui cedat, alioquin ipſum ab Eccleſia Albiganenſi amoveant, & faciant eidem Eccleſiæ, per Canonicam electionem, de idonea perſona provideri.

XIV. Hinc colligitur primo. Quod Epiſcopus in locis, in quibus temporalem juriſdictionem habet, debeat conſtituere Judicem laicum, qui in cauſis criminalibus jus dicat, *Azor par. 2. lib. 3. cap. 23. quæſt. 9.* alioquin ſi corporaliter interſit executioni pœnæ corporalis, per quam reus occiditur, vel membro mutilatur, irregularitatem incurrit, quia auctoritatem, & opem præſtare cenſetur ipſi homicidio, vel mutilationi: non enim refert, an quis facto, vel conſilio, vel auctoritate ſuadet cauſam homicidio *cap. Si quis 8. diſt. 50. Gloſſ. hic Verſ. Corporalem.* Aliud eſt de eo Epiſcopo, vel alio Clerico, qui juriſdictionem temporalem non habet in loco, ubi pœnæ corporales etiam ſanguinis infliguntur, is enim, etiamſi præſens ſit, non fit irregularis, ſi nullo modo cooperetur, ſed tantum aſſiſtat, quamvis graviter peccet contra *cap. penult. Ne Clerici, vel Monachi &c. Abbas hic num. 2. notat. 1. & Barboſ. num. 6.*

Colligitur ſecundo. Judicium, ſive purgatio, quæ fit per ferrum candens, vel aquam calidam, eſt prohibita *tot. tit. infr. de purg. vulg.* de qua ibi: ideoque propter hoc ſolum, quod Epiſcopus in illam conſenſit, fuit puniendus, *Gl. hic. V. Candentis, Hoſtienſ. V. eod. & Abb. numer. 2. not. 2.*

Colligitur tertio. Sive Epiſcopus iſte dixerit, ut ſuſpenderetur fur; ſicut ipſe dixit, & ſeipſum judicavit, ſeu condemnavit, ſive per verba æquipollentia, *Auditis, quantus ſit clamor populi &c.* cenſetur ſuſpenſionis ejus auxilium dediſſe, vel tacitum mandatum, ideoque factus eſt irregularis, & cum de mente illius conſtet, non vis ponenda in verbis, *Innoc. hic V. Multitudines, & Hoſtienſ. V. Et ſic.* quamvis alias poſſit quis, citra periculum irregularitatis, dare conſilium in genere, dicendo, fures taliter ſunt puniendi, *Gl. hic. V. Conſulatur.*

XV. Colligitur quarto. Sufficit eum, qui eſt de contumacia, vel culpa notatus, abſentem requiri, nec eſt neceſſe, ut edictum peremptoriæ citationis ad illum venerit, *c. Cauſam. 3. & c. ult. de dolo, & contum.* & is, qui citatus, vel monitus ſe ſiſtit, ſed poſtea a judicio diſceſſit, perinde eſt, ac ſi non comparuiſſet, *c. 1. de judic.* & pro contumace habetur, poſtquam quæſitus non potuit inveniri, *Gl. hic. V. Diſceſſit, & V. Perquiſitus. Innoc. V. Inveniri*, ut in caſu hujus c. Epiſcopus monitus fuit a Judicibus delegatis, ut ſe ſiſteret Papæ, quæ monitio habuit vim citationis peremptoriæ, *Abb. hic in fine, & Gloſſator ejus. Alex. de Nevo ibid. lit. A.*

Colligitur quinto. Officium Pontificale non poteſt exerceri, ſine Officio Presbyterali, ut patet ex hoc c. adeoque qui eſt ſuſpenſus ab Officio Sacerdotali, non poteſt exercere Pontificalia, quia non poteſt quis eſſe Epiſcopus vere conſecratus, niſi primo fuerit Sacerdos ordinatus, uti ſumitur ex *hoc cap. Gl. hic V. Miniſterio, & Hoſtienſ. hic V. eod.*

Colligitur ſexto. Epiſcopus criminoſus cogi poteſt renunciare, ut patet ex hoc c. Nam quia conſenſit in ſuſpenſionem furis, factus eſt indignus Altaris miniſterio, ſeu irregularis, adeoque ſi cedere nolit, eſt perpetuo amovendus, quamvis alias, ſi impotens eſſet, ei coadjutor daretur *Gl. fin. hic. & Hoſtienſ. V. Alioquin. Barb. hic n. 9. Paris l. 3. de reſign. benef. c. 18. n. 17. & 18.* & in locum Epiſcopi depoſiti, vel ex culpa ſua irregularis facti, alius idoneus ſubſtitui debet, *Gl. hic in notatis*, quia per depoſitionem, & privationem vacat beneficium, ipſo jure, *Barboſa hic n. 10.*

XVI. Aſſertio 7. Alius exceſſus, & delictum Prælatorum eſt, ſi Sacerdotes ſibi ſubjectos cogant ad revelandum peccatorem, vel peccatum auditum in Confeſſione Sacramentali, prout habetur in *c. Dilectus. 13. h. t.* Ubi Joannes „Presbyter conqueſtus eſt Papæ Honorio III. quod Rectores Fraternitatis Urbis (per quos Clerus in urbe regi conſuevit, & qui in eum, ex ſpeciali commiſſione, juriſdictionem habent, *Hoſtienſ. hic V. Fraternitatis. & Abb. n. 3.*) compellebant ipſum ad revelandum fures, & id, quod ſuper furto, ſibi tanquam Sacerdoti (ſive in judicio, & foro pœnitentiali) fuerat revelatum, vel ad ſatisfaciendum exinde damnum paſſo, & niſi alterum prædictorum faceret, tulerant in ipſum ſententiam interdicti. Quia vero pernicioſum eſſet (exemplo) dictum

Pres-

,, Preſbyterum ſibi taliter credita revelare (quia alii a ,, Confeſſione retraherentur, ſi iſte ſic proderetur, *Hoſtienſ. hic V. Pernicioſum*) & cogi ad ſolvendum id, quod non ,, rapuit: ideo mandat prædictus Papa Cardinali Preſbytero S. Pudentianæ Vicario ſuo, ut præfatis Rectoribus ,, injungat, ut a gravamine memorati Preſbyteri penitus ,, deſiſtant.

XVII. Notandum primo. Judex poteſt aliquem compellere ad indicandum furem, & furtum commiſſum, & Judex Eccleſiaſticus poteſt ferre ſententiam cenſuræ contra non revelantes, ut probatur ex hoc cap. Nam hoc eſt ſpeciale, quod non poſſit quis cogi ad revelandum furem, vel furtum, ſi id ſciat ex Confeſſione Sacramentali, adeoque non ut homo, ſed ut DEUS, ſive DEI Vicarius: ergo a contrario ſenſu, ſi ſciat ut homo, ſive extra Confeſſionem ſacramentalem, poteſt compelli ad revelandum, juxta *c. Qui cum fure 4. de furtis. Abb. hic num. 1.*

Notandum ſecundo. Sacerdos non poteſt compelli, etiam per Judicem Eccleſiaſticum, ad revelandum peccatorem ſibi ſacramentaliter confeſſum, nec ad revelandum ipſum peccatum, quia reſpectu utriuſque hic prohibetur compulſio, *Abb. hic num.* 2. quin imo nec per S. Pontificem poteſt Sacerdos compelli ad detegendum peccatum ipſi in Confeſſione revelatum, cujus rationem reddit *Abb. hic numer.* 4. quia Sacerdos in Confeſſione Sacramentali eſt ſpecialis Vicarius DEI, Papa vero generalis: ſpecialis vero, quoad cauſam ſibi commiſſam major eſt Vicario, ſive Commiſſario generali *c. Sane 11. de offic. Jud. deleg.* Sed vera ratio, cur Sacerdos non poſſit, nec debet compelli ad revelandum, quod in Confeſſione Sacramentali audivit, illa eſt, quia ſigillum ſecreti eſt de Jure Divino, *Gl. margin. hic lit. Cod.* & tradunt communiter Theologi. Ex quo infertur, quod ſi Sacerdos producatur in teſtem in judicio, non tantum poteſt dicere, ſe nihil ſcire, ſed etiam jurare, ſe neſcire, quod interrogatur, ſubintelligendo, tanquam homo, vel homini quoad hoc ſubjectus, *Abb. hic numer. 5. Barboſa num. 2.*

Notandum ſecundo, Sententia interdicti poteſt ferri, non tantum in locum, ſed etiam in perſonam, ut colligitur ex hoc c. ſed lata in Sacerdotem iſtum non tenuit, quia quoad hoc erat major ipſis Rectoribus, quia DEI Commiſſarius, ergo ipſum interdicere, vel excommunicare non poterant, *Arg. c. Cum inferior. 26. de majorit. & obed.* & quia continebat errorem intolerabilem, non tenuit, *c. Per tuas, 40. de ſent. excomm.* Unde Papa non mandavit, ut abſolveretur, ſed ut deſiſterent a gravamine, quod de facto inferebant: imo etiam quoad alteram partem de ſatiſfactione facienda, non valuit interdictum, quia iniquum erat, ut teneretur reddere, quod non rapuit, *Gl. hic V. revelare.*

§. II.

De quibuſdam ſpecialibus exceſſibus, ſeu delictis Prælatorum Epiſcopis inferiorum.

Prohibitum eſt Prælatis Epiſcopo inferioribus, ne violent, & turbent juriſdictionem ſuperiorum Prælatorum, uniendo Eccleſias, ſine eorum conſenſu, vel alios actus ad dignitatem, & poteſtatem Epiſcopalem ſpectantes exercendo, de quibus exceſſibus, & delictis hoc §. agemus.

XVIII. Quæritur primo. An Prælatis Epiſcopo inferioribus prohibitum ſit unire Eccleſias ſibi ſubjectas, ſine conſenſu Epiſcoporum? Reſp. affirmative, ut conſtat ex *cap. Sicut. 8. h. titul.* ubi habetur, quod cum Prior Gradenſis Monaſterium ſuum, quod eſt in Diœceſi Epiſcopi Fauſtini, ,, vel Faventinenſis (ut habet vetus compilatio) alteri Mo- ,, naſterio ſubjeciſſet, ſeu univiſſet, ſine conſenſu præ- ,, dicti Epiſcopi Diœceſani, cujus auctoritate id fieri de- ,, buiſſet, quamvis interveniente Archiepiſcopi conſenſu; ,, Re delata ad Papam Cæleſtinum III. is reſpondit: ſicut ,, unire Epiſcopatus, & poteſtati alienæ ſubjicere, ad S. ,, Pontificem pertinet: ita ad Epiſcopum ſpectat Eccleſias ,, ſuæ Diœceſis unire, & eaſdem aliis ſubjicere. Cum ita- ,, que prædictus Prior Monaſterium ſuum, quod eſt in Diœ- ,, ceſi dicti Epiſcopi Fauſtini, ejuſdem aſſenſu non requiſi- ,, to, alteri Monaſterio ſubjecerit, ſive univerit, ideo ,, idem Papa decernit, auctoritate ſua, eſſe irritandum, ,, & ab Epiſcopo loci infirmandum, quod ipſo inconſulto, ,, factum eſt, cum ea, quæ in Epiſcopi Diœceſi ſunt, ejuſ- ,, dem conſenſu ordinari, ac fieri debeant. Non obſtante, ,, quod conſenſus, vel confirmatio Metropolitani interve- ,, niſſe dicatur, cum is in Diœceſi ſui Suffraganei, abſque ,, ipſius conſenſu, nihil debeat contra Canonicas Conſtitu- ,, tiones attentare, ideoque id Papa decernit irritandum.

XIX. Pro explicatione notandum primo. Solus Papa poteſt unire Epiſcopatus, ſive Eccleſias Cathedrales, ut habetur in hoc cap. & tradit *Rebuff. in praxi benef. titul. de unionib. num. 22. Garc. p. 12. de benef. cap. 2. num. 60.* & alii communiter. Hinc tamen ex eo, quod hic dicitur, ſicut ſolus Papa poteſt unire Epiſcopatus privative ad Epiſcopos, ſive iis excluſis; ita etiam de jure communi, & ſecluſo ſpeciali privilegio, ſoli Epiſcopi poſſunt unire Eccleſias ſuæ Diœceſis privative ad inferiores Prælatos, ſive iis excluſis; non recte deſumitur argumentum, quod Epiſcopus poſſit in ſua Diœceſi, quicquid poteſt Rom. Pontifex in tota Eccleſia, ſed ſolum hic indicatur, quod inter poteſtatem Papæ, & poteſtatem Epiſcoporum ſit quædam proportio, & ſimilitudo, ut notat *Fagn. in cit. cap. Sicut. num. 2. h. titul.* Eſt tamen etiam quoad unionem Eccleſiarum, quædam differentia inter Papam, & Epiſcopum, quia ad unionem faciendam ab Epiſcopo, requiritur juſta cauſa, *cap. 1. De his, quæ a Prælat. & cap.* & conſenſus Capituli, *Arg. cap. Paſtoralis 7. in fine. de donat. & Clement. 2. de reb. Eccleſ. non alien.* Papa vero poteſt unire Eccleſias, etiam ſine cauſa, & ſine alicujus conſilio, vel conſenſu, *Arg. cap. Cuncta. 17. & ult. cauſ. 9. quæſt. 3. Joan. Andr. hic num. 2. & Abb. numer. 2.* Solet tamen Papa hæc, & alia ardua ſibi reſervata expedire, nonniſi cum conſilio Fratrum ſuorum, id eſt, Cardinalium, quia id decens, & honeſtum eſt, quamvis de poteſtate abſoluta, etiam ſine illo, omnia peragere poſſit valide, nec compelli ad conſilium aliorum requirendum, *Fagn. hic num. 3. & 4.*

Notandum ſecundo. Epiſcopus poteſt, propria auctoritate unum Monaſterium, vel aliam Eccleſiam unire alteri, ut probatur ex hoc c. ibi: *Aſſenſu tuo minime requiſito*, & ibi *te inconſulto*: ergo a contrario ſenſu, Epiſcopo requiſito, aut conſulto, poteſt unum Monaſterium uniri alteri, cum conſenſu tamen Capituli, & Prælati, ſeu Rectoris Eccleſiæ inferioris, *Barb. hic numer.* 7. Id autem limitari debet primo, dummodo utrumque Monaſterium ſit in ſua Diœceſi, ejuſque juriſdictioni ſubjectum, *Gl. hic V. Auctoritate noſtra Fagn. hic num.* 10. Secundo, dummodo neutrum Monaſterium ſit exemptum, nam alioquin non propria auctoritate Epiſcopi, ſed auctoritate ſolius Papæ, unum alteri ab Epiſcopo uniri poſſet, *Gloſſ. hic Verſ. In tua Diœceſi & Fagn. num.* 11.

Notandum tertio. Abbates, ſeu Prælati Epiſcopo inferiores non poſſunt Eccleſias, vel beneficia unire, ſine conſenſu Epiſcopi, prout ſumitur ex hoc cap. niſi hoc jus uniendi ex privilegio alio Pontificio, vel legitima præſcriptione acquiſiverint, quia eſt poteſtas jure communi conceſſa, & reſervata ſolis Epiſcopis, *Innoc. hic & Abb. num.* 3. Verum de unione Eccleſiarum, & beneficiorum plura dicta ſunt *lib. 3. Decret. titul. 5. tota ſec.* 6. ubi ex inſtituto de hac re agitur.

Notandum quarto, Archiepiſcopus, ſeu Metropolitanus non eſt Judex totius Provinciæ, ut colligitur ex hoc cap. in fine, etſi enim omnium Suffraganeorum ſuæ Provinciæ Ordinarius ſit Superior, non tamen ſubditorum eorundem Suffraganeorum, adeoque nec in eorum Diœceſi juriſdictionem exercere poteſt, niſi in caſibus jure expreſſis, *Gl. fin. hic, & Abb. num.* 4. & conſtat ex alibi dictis, inter quos non reperitur facultas uniendi Eccleſias, & beneficia, ita ut Metropolitanus non poſſit, etiam nolente, & negligente Epiſcopo, unionem facere extra ſuam Diœceſim, juxta declarationem Cardinal. Concil. apud *Fagn. hic num.* 8.

XX. Quæritur ſecundo, quinam actus ad Epiſcopalem juriſdictionem ſpectantes prohibeantur exerceri a Prælatis inferioribus? Reſpondetur, de quæſtione hac extat ſtatutum Concilii Generalis Lateranenſis ſub Innocentio III. cap. 60. quod refertur in *cap. Accedentibus* 14. *h. titul.* ubi dici- ,, tur, quod Epiſcopi graviter ſint conqueſti apud Papam ,, de quibuſdam Abbatibus, qui ſuis finibus, ſeu terminis ,, non contenti, manus ad ea, quæ ſunt dignitatis E- ,, piſcopalis, extendunt, cognoſcendo de cauſis matrimo- ,, nialibus, injungendo publicas pœnitentias, concedendo ,, etiam Indulgentiarum Litteras, & ſimilia præſumendo, ,, propter quæ auctoritas Epiſcopalis interdum apud mul- ,, tos vileſcit. Quare Concilium volens, & Epiſcoporum ,, dignitati, & Abbatum ſaluti in his providere, prohi- ,, buit, ne de cetero aliquis Abbatum ad talia ſe præ- ,, ſumat extendere, ſi proprium periculum (non ſolum animæ, ſed etiam remotionis ab Abbatia, ut puniatur, in quo deliquit, *cap. Quanto 3. de tranſl. Epiſc. Hoſtienſ.* ,, *hic Verſ. Periculum*, voluerit evitare: niſi forte quiſpiam ,, eorum, ſpeciali conceſſione, vel alia legitima cauſa, ,, ſuper hujuſmodi facto valeat ſe tueri.

XXI. Notandum primo, cognitio cauſarum matrimonialium, de Jure communi, ſpectat ad ſolum Epiſcopum; aliis vero Prælatis inferioribus non niſi ex ſpeciali conceſſione, ſeu privilegio, vel ex conſuetudine legitime præſcripta competit, ut patet ex hoc c. & docet *Gl. ibid. Epiſcopalis dignitatis, & Hoſtienſ. V. Matrimonialibus*; nam generaliter ea, quæ ad dignitatem, vel juriſdictionem Epiſcopalem pertinent, poſſunt etiam acquiri ab inferioribus Prælatis, non ſolum ex privilegio, ſed etiam per præſcriptionem, aut conſuetudinem legitime præſcriptam, quæ dat juriſdictionem, *Gloſ. fin. hic*. Secus eſt de his, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, ea enim nulla conſuetudine, aut præſcriptione, etiam temporis immemorialis, acquiri poſſunt, *c. Quarto 4. de conſuetud. c. Quanto 9. de conſervat. Eccleſ. vel Alienar.* quia in his Prælatis inferioribus deficit Ordo Epiſcopalis, *cap. Quamvis 4. diſt.* 68. neque etiam per privilegium talia facile conceduntur. *Hoſtienſ. hic V. Dignitatis, Abb. numer. 2. & 8.* Hodie ex vero Decreto Concilii Tridentini *Seſſ. 24. cap. 20. §. Ad hæc de reformat.* cauſæ matrimoniales, & criminales Epiſcopi tantum examini, & juriſdictioni ſunt reſervatæ, non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, & conſuetudinibus, niſi fuerit conſuetudo immemorialis, ut declaravit Sacra Congregatio ejuſdem Concilii apud *Joann. Gallemart. in declarationibus, num. 8. & Fagnan. hic num.* 6.

Excipiuntur tamen Abbates, & Prælati exempti, qui ſunt nullius Diœceſis, quia omnimodam juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & ordinariam in Clerum, & populum habent, excluſis Epiſcopis: hi enim poſſunt, ſaltem ex privilegio Papæ, acquirere hujuſmodi territorium exemptum, cum juriſdictione quaſi Epiſcopali, privative ad Epiſcopum; & conſequenter etiam poſſunt cauſas matrimoniales, & criminales cognoſcere, quæ poteſtas illis non eſt adempta per Concilium Trident. *cit. loc.* quod non debet extendi ultra Decanos, Archidiaconos, & illis inferiores juriſdictionem ordinariam non habentes, de quibus loquitur. Nec poſſunt hujuſmodi Prælati comprehendi ſub adjuncta clauſula generali, *aut aliorum inferiorum judicio*; quia per hæc verba generalia non veniunt majora, vel graviora, quam expreſſa ſint; & quando in Lege, vel Canone

ſunt

Digitized by Google

ſunt enumeratæ minores, ſeu inferiores perſonæ, non poſſunt ſub generali clauſula ſubſequente comprehendi majores, & ſuperiores. Prælati vero, qui proprium territorium habent, in quo exerceant ordinariam juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, majores ſunt Decanis, & Archidiaconis, ac proinde ſub generali illa clauſula immediate ſubſequente, *aut aliorum inferiorum*, non comprehenduntur. Neque etiam dictio taxativa *tantum* ibi addita: *Sed Epiſcopi tantum examini, & juriſdictioni relinquuntur*, excludit caſus ſimiles, vel eandem rationem habentes: prædicti autem Prælati, quoad juriſdictionem, in locis pleno jure ſibi ſubjectis ſunt ſimiles Epiſcopis, ideoque etiam veniunt nomine Diœceſani, etiam in materia præjudiciali, ut tradit *Gl.* communiter recepta in *Clement. un. §. Volumus, V. Diœceſanus de foro compet.* & non ſolum tales Prælati non ſunt de Diœceſi, ſed neque in Diœceſi, cum proprium, ac ſeparatum omnino territorium habeant, ut fuſe probat, *Fagn. 6. in cit. c. Accedentibus 12. n. 27. & pluribus ſeqq. h. t.*

XXII. Notandum ſecundo, pœnitentias publicas, & ſolemnes imponere, ad ſolum etiam Epiſcopum pertinet, prout habetur in hoc *c. & c. In capite 62. diſ. 50. Gl. pen. hic juncta Gl. margin. lit. A. Hoſtienſ. V. Publicas: Gloſſat. Albat. Alexander de Nova hic lit. F.* ubi ait, quod publica pœnitentia debet imponi ab Epiſcopo, vel ejus mandato a Sacerdote.

Notandum tertio, Abbates, vel alii Prælati inferiores Epiſcopis, non poſſunt de Jure communi Indulgentias concedere, quia hujuſmodi poteſtas pertinet præciſe ad dignitatem, & juriſdictionem Epiſcopalem, ut conſtat ex *cit. c. Accedentibus, h. t.* ubi dicitur, quod Abbates, concedendo Indulgentias, extendunt manus ad ea, quæ ſunt dignitatis Epiſcopalis, *Azor. par. 2. libr. 3. cap. 55. quæſt. 3.* & alii communiter, etſi contrarium teneat *Emm. Rodriqu. Toma 22. qq. regul. qu. 87. art. 1.* de Prælatis Religionum, qui habent poteſtatem ordinariam, & quaſi Epiſcopalem, ut Generales, & Provinciales Ordinum Regularium exemptorum, cum poteſtas concedendi Indulgentias ſit poteſtas Juriſdictionis Epiſcopalis, non Ordinis Epiſcopalis, nec etiam Sacerdotalis, nam remiſſio, quæ fit per Indulgentias, non pertinet ad diſpenſationem Sacramentorum, ſed bonorum communium Eccleſiæ, & ideo etiam Epiſcopi non conſecrati, & non Sacerdotes, poſſunt Indulgentias dare, ut docet *S. Thom. in 4. diſ. 20. art. 3. q. 1.* Sed obſtat *cit. c. Accedentibus, h. t.* quod expreſſe negat hanc poteſtatem competere Prælatis, non Epiſcopis: quamvis *Rodriq.* dicat, quod loquatur de Abbatibus, ſubditis Epiſcopis: vel ſi de exemptis, ſolum de Præpoſitis, ſeu Rectoribus non habentibus juriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Vel ſi etiam de his ibi ſit ſermo, intelligendum ſit de illis, qui excedebant hanc poteſtatem, concedendo Indulgentias, non ſolum ſuis ſubditis, ſed etiam aliis non ſubditis, ſive ſecularibus, ſive regularibus aliorum Ordinum. Verum hæc reſponſio nimis reſtringit deciſionem hujus cap.

XXIII. Illud tamen eſt probabile, quod non ſolum ex privilegio, ſeu conceſſione ſpeciali Papæ, ſed etiam ex conſuetudine legitime præſcripta, poſſint Prælati Epiſcopis inferiores acquirere facultatem concedendi Indulgentias, cum talis conſuetudo tribuat juriſdictionem, *Arg. c. ult. de Offic. Archidiac. & cap. Cum contingat 13. de foro compet. & cap. Auditis 15. de præſcript.* Et ita docet *Gloſſ. fin. hic, Hoſtienſ. V. Legitima cauſa, & Abb. nu. 4. in fine*, & probabile cenſet *Laym. l. 5. Theol. mor. tr. 7. c. 4. nu. 4.* Sufficit enim, quod Papa generali Lege velit, & conſentiat, ut Eccleſiaſtica juriſdictio per longævam conſuetudinem bona fide, præſcriptam acquiratur.

§. III.

De gravaminibus; quæ Prælati, aliique Eccleſiaſtici interdum inferre ſolent Religioſis.

XXIV. De his agitur Imprimis in *c. Nimis iniquum 16. h. t.* ubi enumerantur XV. gravamina, quæ Prælati, videlicet Epiſcopi, & Rectores Eccleſiarum, aliique Canonici, & Clerici Cathedralium, vel aliarum Eccleſiarum inferebant Religioſis. Veluti primo volebant, ipſis Religioſis invitis, eorum Confeſſiones audire, ac eis injungere pœni-
„ tentias, (cum tamen ſibi invicem confiteri poſſint, *cap.*
„ *cauſ. 16. qu. 1. Hoſtienſ. hic V. Confeſſiones*) Secundo Eu-
„ chariſtiam, ſive Communionem eis præbere. Tertio non
„ volebant, ut Corpus Chriſti in eorum Oratoriis aſſerva-
„ retur. Quarto Fratres eorum defunctos apud Eccleſias
„ ſuas ſepeliri compellebant, & eorum exequias celebrari
„ (cum tamen omnes Religioſi in Cœmeteriis propriorum
„ Monaſteriorum ſepeliendi ſunt, *cit. c. 1. cauſ. 27. qu. 1.*)
„ Quinto, ſi quis decedentium Fratrum alibi, quam in
„ ſuis Eccleſiis eligeret ſepulturam, funus primo ad Eccle-
„ ſias ſuas deferri cogebant, ut oblatio ſuis uſibus cederet.
„ Eſt autem hic ſermo non de profeſſis, ſed vel de Con-
fratribus, ſive oblatis Templariorum, & ſimilibus, qui in ſeculo remanent, de quibus in *cap. 3. §. ult. de privil.* Nam profeſſi non poſſunt regulariter ſibi eligere ſepulturam. *Hoſtienſ. hic V. Eligat.* Vel eſt ſermo de illis Religioſis profeſſis, qui in loco diſtante, & remoto a Monaſterio decedunt & ſibi eligere poſſunt ſepulturam, *c. ult. de ſepult. Abb. hic*
„ *num. 2.* Sexto non permittebant eos habere campanam,
„ quod intelligi debet, ſi prohibeant Prælati Religioſos
„ habere campanam in Eccleſiis, ſeu Oratoriis ſuis publi-
„ cis, de quo infra ſuo loco. Septimo non permittebant
„ eos habere cœmeterium benedictum; quod tamen Reli-
„ gioſi habere poſſunt pro ſuis Fratribus ſepeliendis, vel
„ etiam pro ſuis Confratribus, & Oblatis, ſi apud eos
„ ſepulturam elegerint, de quo etiam infra. Octavo, cer-
„ tis tantum temporibus permittebant eis celebrare Divi-
„ ne, cum non ſit prohibendum alicui quotidie communi-
„ care, ſi diſpoſitus ſit, *c. Quotidie 13. diſ. 2. de conſecrat.* er-
„ go multo minus Sacerdoti celebrare, *Hoſtienſ. hic V. Cer-*
„ *tis.* Nono volebant quoque in domibus Religioſorum cer-
„ tum numerum Fratrum, Sacerdotum, Clericorum, &
„ Laicorum, ſeu Converſorum: & decimo certum nume-
„ rum cerearum, lampadum, & ornamentorum, pro vo-
„ luntate ſua taxare: & undecimo reſiduorum cereorum
„ (antiquorum) quando noviter, id eſt, alii novi cerei
„ apponebantur, ab eiſdem exigebant. Duodecimo nec
„ permittebant, ut novi Sacerdotes eorum alibi, quam in
„ Eccleſiis ſuis (ſcilicet ſecularium Clericorum primas
„ Miſſas celebrarent, nempe oblationis cauſa, *Hoſtienſ.*
„ *hic V. Suis.* Decimo tertio eos inſuper compellebant,
„ ut in quotidianis Miſſis, quas Religioſi in ſuis locis, &
„ Altaribus celebrant, oblationes ad opus ſuum recipe-
„ rent, & reſervarent, velut ſervi eorum. Decimo quar-
„ to quicquid Religioſis, dum celebrabant Miſſarum ſo-
„ lemnia, intra domorum ſuarum ambitum, pia fidelium
„ oblatione donabatur, ab eiſdem oblationis nomine ex-
„ torquere contendebant, quia non debent Prælati ſibi
„ uſurpare, quod pia devotione fidelium Religioſis confer-
„ tur in vita, *c. De his 4. de ſepult. c. 1. de ſtatu Monach.*
„ *Gl. hic V. Donatur.* Decimo quinto denique quod eiſ-
„ dem Religioſis, tam in ornamentis Altaris, quam in
„ Libris Eccleſiaſticis, abſolute conferebatur, perperam
„ juri ſuo vendicabant: de his enim relictis, & aliis,
„ quæ ad divinum cultum pertinent, Prælati, ſeu Recto-
„ res Eccleſiarum percipere nihil debent, dummodo in
„ fraudem non ſint relicta, *c. ult. de teſtam. Gl. fin.* Quare
„ mandat Gregorius IX. univerſis Eccleſiarum Prælatis, ut
„ a prædictis gravaminibus deſiſtant, & ſubditos etiam ſuos
ab hujuſmodi arctius compeſcant. Porro omnes Religioſi debent eſſe liberi, & immunes a dictis gravaminibus, non ſolum exempti, & privilegiati, ſed etiam alii non exempti, *Abb. hic n. 5.* niſi ſit gravamen contra ſpecialia privilegia alicui Ordini conceſſa illatum.

„ XXV. Præter gravamina jam illata, prohibetur etiam
„ alia XII. gravamina inferri Fratribus Prædicatoribus, &
„ Minoribus, quorum Ordinem, & Regulam Sede Apoſto-
„ lica approbavit, ut in arctiſſima paupertate Chriſto pau-
„ peri famulentur, prout habetur in *c. Nimis pravæ 17. hoc*
„ *tit.* quorum gravamen primum eſt, quod plerique Præla-
„ ti, & alii eos ad Synodos ſuas cogebant accedere, quod
„ fuit contra ſpeciale privilegium conceſſum his duobus
„ Ordinibus, ut ad Synodum venire non teneantur. Se-
„ cundo cogebant illos ſuis Conſtitutionibus ſubjicere,
„ contrariis ſcilicet privilegiis eorum, *Hoſtienſ. hic V. Ab*
„ *ſuis.* Tertio, nec his contenti, Capitula, & ſcrutinia,
„ ſive Inquiſitiones in locis Fratrum pro his ſe facturos
„ comminabantur, quod etiam ſpeciale eſt in his Religio-
„ ſorum Ordinibus: in aliis enim licet Epiſcopis corrige-
„ re, *c. In ſingulis 7. §. Porro de ſtatu Monach. Hoſtienſ. hic*
„ *V. Corrigendis.* Quarto fidelitatem juramento firmatam ab
„ eorum Miniſtris, & Cuſtodibus, ſive Guardianis, in Or-
„ dine Minorum, nam Prædicatores habent Priores con-
„ ventuales, *Hoſtienſ. hic V. Miniſtris*) exigebant; quod et-
„ iam ſpeciale eſt privilegium conceſſum his duobus Ordi-
nibus. Cum alias omnes Rectores Eccleſiarum, quibus cura animarum commiſſa eſt, juramentum fidelitatis præſtare debeant, *c. Nullus 5. de jurejur. c. Quanquam 6. diſ. 23. Gl. hic Fidelitatem juramento, & Hoſtienſ. V. eod.* Quinto. Prælati mandabant, etiam eiſdem Religioſis, ut tam extra Civitates, quam intra, ad Proceſſiones ab illis, etiam ex levi cauſa inſtitutas venirent. Ex quo infertur a contrario ſenſu, quod Fratres Prædicatores, & Minores, non obſtante privilegio exemptionis, teneantur comitari Epiſcopum in proceſſionibus ex gravi, & magna cauſa inſtitutis, v. g. in novo ingreſſu Epiſcopi, vel ob imminentem peſtem, & bellum, aut aliam publicam calamitatem, vel ad generales Litanias in feriis Rogationum, *Hoſtienſ. hic V. Ex levi cauſa, & Abb. n. 1.* ubi addit, idem dicendum de aliis Religioſis, etiam exemptis, quia hic textus loquitur de Prædicatoribus, & Minoribus exempli cauſa; ea vero, quæ ſic dicuntur, diſpoſitionem generalem non reſtringunt, quamvis in hoc ſervandæ ſint formæ, & favor exemptionum, & privilegiorum, ut ſi qui nominatim ſint exempti a proceſſionibus, ex quacunque cauſa, indicendis, quale privilegium habent Religioſi Societatis JESU ex Conſtitutione Gregorii XIII. edita 16. Julii, anno 1576. quæ incipit: *Quacunque, Fagn. hic nu. 7. & 8.* Hodie tamen ex decreto Concilii Tridentini *Seſſ. 25. c. 13. de regular.* omnes tam Clerici ſeculares, quam regulares quicunque, etiam Monachi ad publicas proceſſiones vocati coguntur accedere, iis tantum exceptis, qui in arctiore clauſura perpetuo degunt, non obſtantibus privilegiis ante Concilium conceſſis, & conſuetudinibus etiam immemorialibus, quippe ſublatis in decreto, *c. 22. ead. Seſſ.* Excipiuntur a Gregorio XIII. Religioſi, qui diſtant a Civitate ultra medium milliare, *Fagn. in cit. c. Nimis 17. h. t. num. 22.* Sexto, ſententiam excommunicationis fulminabant in omnes benefactores eorundem Religioſorum, ut vel propter inopiam domos deſerere, & abire cogerentur, vel Prælatorum mandatis obedire, prout loquitur *Hoſtienſ. V. Benefactores*: fulminare autem dicitur ſententiam excommunicationis, qui vel ſine cauſa, vel non ex juſta, ſed injuſta cauſa, vel non ſervato debito juris Ordine, eam profert, *Hoſtienſ. hic Verſ. Fulminant.* Septimo, quin etiam ipſis Religioſis iſtis excommunicationis ſententiam comminabantur, eoſque ex locis, in quibus Domino famulantur, amovere satage-
„ bant (de facto, & violenter, quod non licet, *Hoſtienſ.*
„ *hic Verſ. Amovere*) niſi eis in omnibus ſupra dictis obe-
„ dirent. Octavo, prohibebant, quoque, ne prædicti
„ Fratres ad honoratiores Civitates, ac villas: ubi

præſtiti (id eſt contra juramentum fidelitatis, & obedientiæ Epiſcopo, ratione Archidiaconatus, præſtitum, *Gl. hic V. Temerariis, & Hoſtienſ. V. eod.*) ſemel iterumque Epiſcopum eſſe ſuum Dominum negavit (ſive verbo, ſive ipſo facto, agendo contra fidelitatem, & obedientiam ipſi promiſſam, ac debitam, *Gl. hic V. Negaſſe, & Hoſtienſ. V. eod.*) vel in foro ſeculari, contra eum depoſuit in rebus ſpiritualibus quæſtionem: autem tam invaſoribus Epiſcopi, & ſociorum ejus, quam fratri ejus (ſcilicet Archidiaconi, qui erat inimicus Epiſcopi, & eum perſequebatur) vel ejuſdem complicibus cauſam, & conſilium præbuit. Ideo mandat Papa Honorius III. Judicibus a ſe delegatis, ut ſi de his conſtiterit, Prædictum Archidiaconum, tanquam membrum putridum (ne ſanas oves inficiat, *c. ult. de ſtatu Monach. Gl. hic V. Eod.*) ab Eccleſia Ambianenſi perpetuo abſcindant, & beneficia ipſius, per eos, ad quos donatio, ſeu collatio pertinet, perſonis idoneis aſſignari.

XXXII. Notandum primo, etſi honeſtum, ac decens ſit, ut ſubditus Clericus Epiſcoporum, ſeu Prælatum ſuum appellet Dominum, non tamen id eſt abſolute neceſſarium, *Arg. c. Cavendum 7. cauſ. 20. q. 3. & c. Ita ſubjectus 7. diſ. 95.* Neque ideo graviter excedit, aut delinquit, & puniri poteſt, quod eum Dominum ſuum eſſe neget, & non Dominum, ſed Prælatum vocet: niſi quis recipiens Eccleſiam, vel beneficium, aut dignitatem ab Epiſcopo, ſeu Prælato, ei juramentum fidelitatis, & obedientiæ, ac reverentiæ præſtiterit, tunc enim negando eum eſſe Dominum ſuum, agit contra reverentiam, & obedientiam ipſo juramento promiſſam, & puniri poteſt, ut in caſu hujus c. *Gl. hic V. Homagii, & Hoſtienſ. V. eod. Abb. not. 2.*

Notandum ſecundo, Clericus, qui negat Epiſcopum, cui fidelitatem, & obedientiam juramento promittit, Dominum ſuum eſſe, vel in cauſa ſpirituali ipſum tradit ad judicium ſeculare: vel conſilium, aut auxilium dat adverſariis illius contra ipſum, deponi debet, ſive privari beneficiis, quæ perdit, non quidem ipſo jure, ſed per ſententiam Judicis, *Gl. hic in notat. & Gl. fin.* Sufficit autem, quod unum ex tribus prædictis fuerit probatum, cum quodlibet ſufficiat ad privationem beneficiis, quia verba disjunctive ſunt poſita, *Gl. c. l. in notat. & Hoſtienſ. V. ipſum.* Non tamen talis tradendus eſt Curiæ ſeculari, quia Papa non mandat in hoc c. Archidiaconum illum abſcindi ab Eccleſia univerſali, ſed ſolum ab Eccleſia Ambianenſi, etiamſi conſpirarit contra proprium Epiſcopum, niſi ſit incorrigibilis, *Abb. hic not. 2.* contra *Hoſtienſ.* & alios quoſdam.

XXXIII. Aſſertio 3. Excedunt quoque, ac delinquunt ſubditi Clerici privati, & ſingulares, ſi ſine conſenſu Prælati, ſeu Superioris, commune ſignum Collegii habent, eoque utuntur, prout id prohibetur in *c. Dilecta 14. h. t.* ubi dicitur, quod Presbyteri, & Clerici Eccleſiæ Jotrenſis, contra voluntatem Abbatiſſæ ejuſdem Eccleſiæ (quæ ipſorum Caput, & Patrona erat) commune ſigillum proprium habere contendebant (in ipſius Abbatiſſæ præjudicium, & gravamen; prout legitur in integra lectione hujus cap.) cum tamen non conſueverint habere commune ſigillum, nec eſſent unum Corpus, quod Capitulum appellaretur. Quare Papa Honorius III. mandavit quibuſdam, ut ſi eis conſtiterit ita eſſe, dictis Presbyteris, & Clericis, auctoritate Apoſtolica, expreſſe prohibeant, ne præſumant, vel de novo fabricare ſigillum, vel eo uti, ſi forte novum fuerit fabricatum.

XXXIV. Notandum primo, privati, & ſingulares homines regulariter Collegium conſtituere, & ejus ſigna erigere non poſſunt niſi eis ſpecialiter conceſſum, *Barb. hic numer. 2.* Ratio eſt, quia Collegia, & ſocietas privatorum regulariter improbantur, *l. 1. in princ. ff. quod cujuſque univerſ. nom.* eo quod ex hujuſmodi privatis Conventiculis, Congregationibus timetur conſpiratio, ſeu conjuratio contra Principem, vel Rempubl. *l. 1. ff. de Colleg. illicit.* niſi jure gentium, vel poſitivo approbata fuerint.

Notandum ſecundo, quamvis plures Beneficiati ſint in eadem Eccleſia, non tamen ideo conſtituunt unum Collegium, vel Capitulum, cum non poſſint erigere ſigna Collegii, nec collegialiter ſe congregare, niſi ab initio fuerit ordinatum, ſeu inſtitutum, ut eſſet Eccleſia collegiata: vel niſi poſt fundatam Eccleſiam, ex privilegio a Superiore id fuerit Clericis conceſſum: vel niſi longo tempore collegialiter convixerint, adeoque ſint in quaſi poſſeſſione Collegii, accedente legitima temporis præſcriptione *Abb. hic n. 1. not. 2.* Signa autem Collegii, ſive Capituli ſunt conſtituere unum Syndicum, ſive Actorem, per quem in cauſis agant, vel reſpondeant, habere arcam communem, aut ſigillum commune, *cit. l. 1. §. 1. ff. Quod cujuſq. univ. nom. Gl. hic V. Nec ſint unum Corpus. Hoſtienſ. in Summa h. t. n. 3. §. Subditi vero.*

Notandum tertio, Abbatiſſa poteſt habere juriſdictionem in Clericos ex jure ſpeciali, ſive privilegii, ſive conſuetudinis legitime præſcriptæ, prout ſumitur ex hoc c. non autem de jure communi, *Abb. hic n. 2.*

Notandum quarto, quando aliqui Clerici non ſunt unum Corpus, ſeu Collegium, & volunt facere commune ſigillum, quaſi eſſent unum Corpus, ſeu Collegium, poteſt Prælatus, ſeu Superior, in cujus præjudicium id cedit, ſe opponere *Abb. hic n. 2.* ut in caſu hujus cap. Abbatiſſa ſe oppoſuit, cui ſubjecti erant iſti Clerici, qui ideo forte volebant unum corpus facere, & commune ſigillum habere, ut per ſe expedire negotia poſſent, quæ auctoritate, & conſenſu ipſius Abbatiſſæ tractari debebant, & alia, hoc permiſſo, forte attentaſſent in præjudicium Monaſterii, *Gl. hic V. Inhibeatis, & Hoſtienſis V. Jotrenſis.* poteſt autem quilibet privatus ſibi aſſumere propria inſignia, non tamen poteſt uti armis, ſive inſignibus alterius, ſi id tendat in præjudicium alterius, vel Reipubl. *Abbas hic. n. 4.*

XXXV. Aſſertio 4. Delinquunt etiam Vicarii Eccleſiarum, qui perſonatum Eccleſiaſticum ſibi uſurpant, contra fidem, & juramentum præſtitum, ut conſtat ex *c. Illud 6. h. t.* ubi Alexander III. ſtatuit de Vicariis conſtitutis in Eccleſiis, auctoritate Epiſcoporum, qui contra Perſonas (hoc eſt Prælatos, ſeu Rectores Eccleſiarum) quibus fide, & juramento ſunt obligati, ſe erigendo, falſo ſibi aſſumebant Perſonatus, ut ſi ſuper hoc in jure fuerint confeſſi, vel convicti, de cætero in eodem Epiſcopatu, ad executionem ſui officii, nullo modo admittantur. Ratio eſt, quia cum tales Vicarii ſint falſarii, & perjurii, ac proinde infames; *l. Si quis major. 41. C. de tranſact.* ideoque tanquam indigni, Eccleſiaſticis dignitatibus, & beneficiis ſunt privandi, *c. Querelam 10. de jurejur. c. Inter. 12. §. h. t. Infantibus de R. J. in 6. Gl. hic V. Falſo.* Et quidem non tantum in eodem Epiſcopatu, ſed etiam in aliis, cum infames omnino ſint, tanquam indigni repellendi ſunt a beneficiis obtentis, & acquirendis, *Hoſtienſ. hic V. Executionem.* ideoque hic ſubintelligendum eſt, *maxime in eodem Epiſcopatu*, quamvis idem etiam in aliis, *Hoſtienſ. hic V. eodem Epiſcopatu, & Abb. in fine.* Et patet hinc, in beneficiis, quæ ſit pœna eorum, qui mutant ſibi cauſam poſſidendi, *Hoſtienſ. hic & Abb.*

XXXVI. Porro præter hactenus allatos, prohibentur in hoc Titulo adhuc alii duo exceſſus, ſeu delicta Clericorum, ſub gravibus pœnis. Veluti primo, ne de gravibus criminibus publice glorientur, prout ut conſtat ex *c. Quam ſit 9. h. t.* ubi cum P. Diaconus publice confiteretur, ſe uxorem cujuſdam ſui convicini, ſeu parochiani carnaliter cognoviſſe, unde factum, ut vir illius ad propria ipſam remitteret.) forſan ad domum patris illius, a quo ipſi tradita fuit in uxorem) Ideo Papa Innocentius III. mandavit cuidam Archipresbytero, ut ſi conſtiterit de præmiſſis, prædictum Clericum, appellatione ceſſante, ab officio, & beneficio ſuſpendat, virumque illum compellat, ut uxorem ſuam recipiat, & ut juſtum eſt, officium, & omnem affectum maritalem ei exhibeat.

XXXVII. Ubi notandum primo per confeſſionem, extra judicium, factam de crimine aliquo, etiam de Jure Canonico, non probatur plene ipſum delictum, quoad pœnam ordinariam ipſius delicti imponendam: quamvis talis confeſſio extrajudicialis, præſertim ſi tendat in damnum, & infamiam alterius, ſufficiat ad pœnam extraordinariam, arbitrio Judicis, imponendam, prout ſumitur ex hoc cap. ubi Clericus Beneficiatus confeſſus, extra judicium, crimen adulterii, & de eo publice gloriatus, non percipitur deponi, ſed ſolum ſuſpendi ab officio, & beneficio, *Abb. hic numer. 2. Farinac. in praxi crim. p. 3. qu. 8. num. 22.* Neque vero ex tali confeſſione extrajudiciali oritur infamia, niſi ſolum facti, ob quam non poteſt quis privari beneficiis obtentis, ſed tantum inquiſitio contra eum inſtitui debet, & ſi infamia facti ſit vehemens, interim ſuſpendi debet, pendente inquiſitione: & ſi veritas per inquiſitionem haberi non poſſit, remanente infamia, purgatio Canonica ei eſt indicenda, *Abb. in c. Per inquiſitionem 26. n. 19. de Elect. Farinac. c. l.*

Notandum ſecundo, quamvis *Gl. hic V. Publice confiteri*, dicat quod Clericus iſte fuerit ſuſpenſus, non ob confeſſionem illam extrajudicialem, ſed non niſi occaſionaliter propter ſcandalum, & infamiam, ac diſcordiam ortam inter virum, & mulierem, qui propterea eam domo expulit: verius tamen eſt, quod fuerit punitus, & ſuſpenſus, ob delictum gloriationis; quod ſi tanquam delictum particulare, ac per ſe in judicium deducatur, cum ſit grave crimen, præſertim in Clericis non debet manere impunitum, *Hoſtienſ. hic V. Suſpendere Abb. n. 2. in Gloſ. 1. Farinac. c. l.* Nec obſtat, quod hic non erat accuſator, quia iſte publice fuit confeſſus hoc crimen, & de eo ſe jactavit, evidentia autem facti non requirit accuſatorem, *c. Evidentia 9. de accuſat. Abb. c. l.* Et quamvis falſum fuerit, de quo publice ſe jactavit, tamen ſuſpenſus fuit, ob ſolam jactantiam, *Hoſtienſ. hic V. Suſpendere.*

Notandum tertio, propter ſolam confeſſionem glorianti ſe uxorem alterius carnaliter cognoviſſe, non poteſt vir uxorem repellere, vel a ſe dimittere, prout ſumitur ex hoc c. quia confeſſio etiam judicialis non valet in præjudicium alterius, *c. 1. de Confeſſ. c. Significaſti 5. de alterutr. l. fin. C. de adult.* multo minus extrajudicialis, *Abbas hic numer. 2. not. ult.*

XXXVIII. Alterum delictum, non ſolum Clericis, ſed etiam Laicis commune, prohibetur in *c. Clerici 4. h. tit.* quod eſt deſumptum ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. cap. 11. & 12. ubi Concilium ſtatuit, ut quicunque vitio incontinentiæ, quod contra naturam eſt, propter quod ira DEI venit in filios diffidentiæ (id eſt, de quorum ſalute diffidendum eſt, quia difficiliter convertuntur, *Hoſtienſ. V. Eod.*) & quinque Civitates igne conſumpſit (*Gen. cap. 19.*) laborare fuerint deprehenſi: ſi Clerici fuerint, a Clero dejiciantur, (id eſt, degradentur, *Hoſtienſ. hic V. eod.*) & ad agendam pœnitentiam in Monaſteria detrudantur. Si vero laici fuerint, excommunicentur, & a cœtu fidelium penitus excludantur, (donec ſcilicet reſipiſcant, *Hoſtienſ. hic V. Penitus.*) Ex quo patet, quod Eccleſia vendicet ſibi juriſdictionem in laicos, quia hoc crimen eſt etiam Eccleſiaſticum, ſive fori mixti, *Abbas hic num. 2.* Additur vero quod tales debeant a cœtu fidelium excludi, majoris declarationis cauſa, cum alias per ipſam excommunicationem jam ſint excluſi, *Abbas hic nu. 3. in fine*, plura de hoc nefando crimine dicta ſunt ſupra *tit. 16. ſec. 3. §. 2.*

§. V.

De prohibitione facta Religioſis Mendicantibus, ut non poſſint nova loca acquirere ad habitandum, nec antiqua alienare, vel mutare.

XXXIX. De hoc extat Conſtitutio Bonifacii VIII. in *c. Cum ex eo unic. h. tit. in 6.* Ubi prohibetur, ne deinceps aliquis, vel aliqui ex Prædicatoribus, Minoribus, & aliis Religioſis Mendicantibus, quantumvis ſuper hoc privilegiis ſint muniti, in aliqua Civitate, Caſtro, villa ſeu loco quocunque, ad habitandum domos, vel loca quæcunque recipere de novo, vel hactenus recepta mutare, vel ea venditionis, permutationis, donationis, aut cujusvis alienationis (etiamſi per eam non transferatur dominium, ut patet ex voce *cujuſvis, Gl. hic V. Alienationis,*) titulo quocunque in alios transferre præſumant, abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia. Ratio hujus prohibitionis eſt, quia ex eo, quod Religioſi Mendicantes in Civitatibus aut aliis locis ad habitandum domos, vel loca recipiebant, vel olim recepta dimittebant, ſe inde ad alia transferentes, diverſa ſcandala quoque proveniebant, & frequentes clamores ad Sedem Apoſtolicam perferebantur, ut dicitur in *princ. hujus c.* In cujus fine additur limitatio, quod per hoc tamen eis, qui vitam Eremiticam, ſeu ſolitariam vitam eligere voluerint cum Superiorum ſuorum licentia, non ſit interdictum, quin cellas, ſeu habitacula, & domos poſſint de novo acquirere, vel mutare (etiam ſine licentia Papæ) in eremo, ſive locis, in quibus in propinquo non habitent homines ſeculares. Ratio eſt, quia in his locis non eſt multitudo hominum, adeoque ceſſant ſcandala inde orta, & cauſa prohibitionis, *Gl. marg. hic V. Eremiticam.* Pœna autem contra transgreſſores hujus Conſtitutionis impoſita, eſt etiam pœna excommunicationis, ipſo facto, incurrenda, ut conſtat ex *Comment. Cupient. 3. de pæn.*

XL. Circa hanc Conſtitutionem notandum primo, quod ea loquitur, non de omnibus Religioſis, ſed de ſolis Mendicantibus, qui omnes in ea comprehenduntur, partim expreſſe, & ſpecifice, partim ſub generali clauſula, ut notat *Suar. diſ. 23. de cenſ. ſec. 5. n. 33.* licet autem ex vi hujus Juris communis, Mendicantes non poſſint nova loca, ſeu domos recipere, ſine ſpeciali licentia S. Pontificis: non tamen eſt eis prohibitum antiquas domos, vel Eccleſias, quas tunc habebant, reficere, reædificare vel augere, quia illud non eſt novas domos, vel loca acquirere, quod ibi tantum eſt prohibitum, & prohibitio ſtricte eſt accipienda: neque etiam prohibentur acquirere in aliquo oppido domum recreationis vel hoſpitii annexam antiquo Monaſterio, ut colligitur ex illo verbo, *ad habitandum*, ergo alia, quam ad habitandum loca bene poſſunt de novo acquirere, *Gl. hic V. Ad habitandum, Suar. c. l. num. 35.*

Notandum ſecundo, quamvis, ſpectato Jure communi, non poſſunt Mendicantes nova loca, vel domos acquirere, ſine ſpeciali licentia Papæ, neque etiam Eccleſias, vel Monaſteria ædificata mutare, ſeu transferre ab uno loco ad alium, ut patet ex *cit. c. un.* ibi: *ſeu hactenus recepta mutare h. tit.* tamen per privilegia a Sede Apoſtolica, poſt hanc Conſtitutionem, conceſſa, poſſunt utrumque facere, quale privilegium a Sede Apoſtolica eſt conceſſum Minimis, ut refert *Suar. c. l. n. 34. Miranda in man. Prælat. qu. 33. art. 1. concl. 2.* & ad mutanda, ſeu transferenda Monaſteria de uno loco ad alium Congregationi Generali S. Benedicti in Regno Portugalliæ, teſte *Miranda c. l. artic. 2. concl. 2.* quibus privilegiis etiam frui poſſunt reliqui Ordines Religioſi, qui cum eis communicationem habent, *Suar. c. l. n. 34. Mirand. cit. art. 2. in fine.* De hoc privilegio etiam ſit mentio in Compendio privilegiorum Societatis. I. *Bona V. 6. & V. Eccleſia §. 4.* Speciale quoque privilegium conceſſit Societati Gregorius XIII. die 30. Octobris anno 1576. ut quæcunque Collegia, Domos, Eccleſias, & alia ædificia erigere, ac per eos, ubicumque locorum erunt, inhabitare: ac quæcunque loca, domos, Eccleſias, Oratoria & alia eujuſcunque ſtructuræ ædificia ſibi quomodolibet relicta, vel oblata recipere, emere & poſſidere ac retinere poſſint.

XLI. Notandum tertio, hodie poſt Concilium *Trident. Seſſ. 25. c. 3. de Regularibus in fine*, non poſſunt Religioſi nova loca erigere, ſine Epiſcopi, in cujus Diœceſi erigenda ſunt, licentia prius obtenta. Unde iis, qui non habent ſpeciale privilegium, non ſufficit, habere licentiam Diœceſanorum ſed requiritur, ut obtenta ſit etiam ſpecialis licentia S. Pontificis, quia per Concilium Trident. non eſt revocata prædicta Conſtitutio Decretalis Bonifacii VIII. quæ ſpecialem licentiam Papæ requirit, ſed addidit Concilium, ut ultra illam ſimul petatur, & obtenta ſit licentia ab Ordinario, ut declaravit S. Congregatio Concilii apud *Joan. Galdemart. cit. c. 3. nu. 5. Zerola in praxi Epiſc. p. 1. V. Monach. §. 2.* Secus eſt de iis Religioſis, qui habent ſpeciale privilegium a Papa erigendi nova loca, ſeu domos, vel illa mutandi, & transferendi, illi enim, præter licentiam Ordinarii, ſeu Diœceſani, aliam S. Pontificis non requirunt, cum per *Concil. Trident. c. l.* privilegia Religioſis a Papa, quoad hoc, conceſſa non ſint revocata, vel annullata, *Mirand. cit. art. 2. concluſ. 2.*

TITULUS XXXII.

De Novi Operis nunciatione.

Dictum eſt de exceſſibus Prælatorum, & ſubditorum, tum in genere, tum in ſpecie, inter quos etiam eſt ille, qui fit in ædificando contra nunciationem, ſeu prohibitionem novi operis, ideo hic Titulus priori ſubjicitur.

§. I.

De novi operis nunciatione, ejuſque materia, forma, & aliis cauſis ac circumſtantiis.

I. Quæritur primo, quid ſit novi operis nunciatio? Reſpondetur, nunciare opus novum nihil aliud eſt, quam illi, qui de novo in alterius præjudicium ædificent, prohibere, ne opus novum fiat, vel ne in eo cœpto pergatur, donec de jure ædificationis conſtet: adeoque nunciatio eſt novi operis, ſive ædificii per ſolemnem Edicti denunciationem prohibitio, *Hoſtienſ. in ſumma hoc titul. num. 1. Vlteſenb. in Paratit. ff. de novi operis nunc hoc tit. num. 6. Zoeſius ff. eod. num. 2.* quæ cum ſit quædam extrajudicialis appellatio, ideo, ea pendente, nihil eſt attentandum, *Gail. l. 1. obſ. 26. num. 2.*

II. Quæritur ſecundo, in quibus rebus, ſive operibus locum habeat novi operis nunciatio? Reſpond. in rebus ſoli, ſeu immobilibus, ſive in iis operibus, quæ ſolo conjuncta aut conjungenda ſunt, & in eo fiunt, ita ut in eodem ſolo permaneant: unde ſi quis meſſem colligat, aut arborem ſuccidat, ad hoc edictum non pertinet, *l. 1. §. Hoc autem edictum 2. juncta Gl. V. In ſolo ff. h. t.* novum autem opus facere videtur, qui aut ædificando de novo, vel detrahendo priſtinam faciem operis immutat, *cit. l. 1. §. Opus novum ff. eod.* Et hinc ſi quis vetus ædificium fulciat, vel reficiat, non habet locum hæc nunciatio, quia non opus novum facit, ſed veteri ſuſtinendo remedium adhibet, *cit. l. 1. §. Si quis ædificium*, modo in reficiendo priſtina forma ædificii ſervetur, ſi vel reficiens nihil addit, vel detrahat ædificio antiquo, quamvis in priſtino ſtatu maneat, *Molin. tome 3. de juſt. tract. 2. diſ. 706. n. 10.* Datur autem hoc edictum tantum ad opera nova, ſive futura impedienda, hoc eſt ad ea, quæ nondum facta ſunt tempore denunciationis, ne fiant, vel perficiantur: non autem datur ad opera præterita, ſive jam facta, vel perfecta, ea enim deſtrui non poſſunt, vi hujus interdicti: ſed recurrendum eſt ad interdictum, *Quod vi aut clam.* ut reſtituatur, quod illicite factum eſt, *cit. l. 1. §. 1. ff. h. tit.* Nihil autem refert, utrum novum opus in damnum alterius fiat, intra oppidum, vel extra, in loco privato, vel publico, æque enim locum habet nunciatio ex hoc edicto, *cit. l. 1. §. ſive autem, Hoſtienſ. c. l. num. 2.* non autem nunciatio novi operis habet locum, quoad rivos, & cloacas reficiendas, vel purgandas, quia hoc ad publicam utilitatem, & ſecuritatem pertinet, *l. De pupillo 5. §. Si quis rivos ff. de oper. nov. nunc.* & ibi *Gloſ. V. Securitatis, Silveſt. V. Nunciatio novi oper. nu. 2.*

III. Porro hæc nunciatio novi operis habet locum, & extenditur etiam ad ædificationem novæ Eccleſiæ, quæ non eſt conſtruenda in præjudicium alterius Eccleſiæ, ut conſtat ex *c. Intelleximus 1. h. tit.* Nam cum Clerici quidam cœpiſſent ædificare Capellam, in præjudicium Eccleſiæ Baptiſmalis, quæ pertinebat ad Priorem quendam, hic novum opus prædictis Clericis denunciavit, ne in præjudicium ſuæ Eccleſiæ, illam Capellam ædificarent. Sed Clerici illi, ſpreta denunciatione, in opere perrexerunt: unde ad petitionem Prioris, cauſa illa a Papa commiſſa fuit Epiſcopo Paduano: qui, cum de novi operis nunciatione nihil in Canonibus reperiatur definitum, quæſivit ex Papa Lucio III. qualiter in hac re ſit procedendum? Quia vero ſicut Leges non dedignantur SS. Canones imitari (prout habetur in *Auth. Ut Clerici apud proprios Epiſcopos & c. §. Si vero collat. 6. & Auth. de Eccleſiaſt. Tit. §. Sancimus in fine collat. 9.*) ita & SS. Canonum ſtatuta Principum Conſtitutionibus adjuvantur: ideo mandat Papa eidem Epiſcopo, ut diligenter conſideret, quod ſi poſt denunciationem novi operis, ſive jure, ſive injuria aliquid conſtruatur, ſecundum legales Conſtitutiones (*l. Prætor. 20. §. Ait Prætor. ff. h. t.*) debet demoliri: & quia ſecundum Canones, nulla Eccleſia in præjudicium alterius Eccleſiæ eſt conſtruenda, ideo negotium hoc, ſecundum legum, & Canonum ſtatuta, non differat definire.

IV. Hinc colligitur primo, quod cauſæ Eccleſiaſticæ, in defectu Canonum nihil de illa re ſtatuentium, debent decidi, ſecundum Jus Civile, quia Leges Civiles non contradicentes Canonibus ſunt approbatæ ab Eccleſia, prout ſumitur ex hoc c. & ibi *Gloſ. V. Adjuvantur*: Leges enim ſeculares, quippe inferiores famulantur SS. Canonibus, & hi ab illis adjuvantur, *Abb. hic num. 1. & 2.* de quo alibi dictum. Colligitur ſecundo, ſicut Rector, vel alius Clericus poteſt agere, nomine Eccleſiæ ſibi ſubjectæ: Ita etiam poteſt opus novum nunciare, quia ſua intereſt, ratione ſubjectionis, ut in caſu hujus c. Prior ille, cui Eccleſia Baptiſmalis erat ſubjecta, *Abb. hic not. 1.* Colligitur tertio, nova Eccleſia in præjudicium Eccleſiæ Parochialis erigi non debet, niſi juſta cauſa ſubſit, *c. Ad audientiam 3. de Eccleſ. ædific.* ideo etiam in caſu hujus c. nova Capella demoliri debuit, quippe ædificata in præjudicium Eccleſiæ Baptiſmalis, etiamſi denunciatio novi operis non præceſſiſſet, *Gl. fin. hic & Hoſtienſ in fine.*

V. Quæritur tertio, cui jus nunciandi novum opus competat? Reſp. inprimis nunciare poteſt is, ad quem res pertinet, cui damnum imminet, *cit. l. 1. §. pen.* Secundo, non tantum is, qui eſt vere Dominus rei, ſed etiam qui utile tantum dominium habet, ut feudatarius, emphyteuta, quin & ſuperficiarius, *l. 3. §. Si ego*, & creditor, cui prædium nomine hypothecæ ſubjectum eſt, *l. Creditori 9. ff. h. t.* Tertio, competit jus nunciandi habenti ſervitutem realem in fundo, in quo de novo ædificatur, *cit. lib. 3. § Si ego*, ſaltem urbanam, imo etiam ruſticam, *cit. l. 3 § ten. lib. Non ſolum 8. in princ. ff. eod.* cum utriuſque juri ædificando noceatur, *Hoſtienſ.*

Digitized by Google

Hoſtienſ. in ſumm. hic n. 5. Zoeſ. ff. h. t. n. 6. Quarto, qui ſervitutem mere perſonalem habet, non poteſt nunciare, ſuo nomine, opus novum adverſus Dominum, ſive proprietarium prædii, ſi aliquid in eo ædificare attentet, *l. 1. §. fin. ff. h. t.* quia uſufructuarius habet ſolum uſumfructum in re, dominio proprietatis penes alium exiſtente, ideoque æquum fuit, ut nunciatio ei ſolum concederetur, nomine ac loco proprietarii *Molin. cit. diſ. 706. n. 25. in fine.* Quinto, procurator vel negotiorum geſtor poteſt novum opus nunciare, nomine domini ſui, modo ſpeciale ad id mandatum habeat, *Molin. c. l. n. 29.* Sexto, pupillus ſi res ad illum pertineat, nunciare opus novum poteſt, cum tutoris auctoritate, *l. de pupillo 5. in princ. ff. h. t.* Septimo, ſervus non poteſt ſuo nomine, etſi nomine Domini poſſit in re privata, *cit. l. De pupillo, §. Servo & ibi Gl. V. Non poteſt.*

VI. Quæritur quarto, ubi & cui fieri poſſit nunciatio novi operis? Reſp. ea facienda eſt in re præſenti, id eſt, ubi opus fit, *l. De pupillo 5. ff. h. tit.* non eſt autem neceſſe, ut fiat Domino, ſed ſufficit fieri ei, qui ibi exiſtens eſt ad finem operis, ut fabri, ſeu opifices, & cuicunque, etiam puero, vel mulieri, nunciatio operis fieri poteſt, *cit. l. De pupillo §. Nunciari autem ff. h. tit.* imo etiam infanti, & furioſo fieri poteſt, modo alii adſint, qui intelligant, *lib. Cuilibet 11. juncta Gloſ. V. Et ſi furioſum ff. h. tit.* quia nunciatio fit in rem, ſive rei non perſonæ, *lib. Operis 10. ff. eodem.*

VII. Quæritur quinto, quibus modis, & quando fieri poſſit nunciatio novi operis? Reſpond. primo tribus modis, prout habetur in *cit. lib. De pupillo §. Meminiſſe ff. h. tit.* Primo verbis, denunciando & inhibendo, ut id opus non fiat, in ſuum aut publicum præjudicium, aut ut non continuetur. Secundo, fit per manum, id eſt, lapilli jactum, in eum locum, ubi opus fit: ſimul tamen addi debent verba, quibus denunciatur, ne opus fiat, vel ne ulterius in eo procedatur, non enim omnis, qui lapidem projicit, intendit novum opus nunciare, *Hoſtienſ. in ſumma n. 8. h. t.* quam aliqui dicunt ter fieri debere, *Silveſt. V. Denunciat. novi operis qu. 4.* Tertio, per Prætorem, ſeu Judicem, adeundo illum, & ab eo petendo, ut novum id opus nunciet, ſive inhibeat, qui per ſe ipſum aut per tabellionem, vel aliam perſonam id præcipiat, *Molin. cit. diſ. 706. num. 5.* Eſt autem hoc diſcrimen inter primum modum, qui fit per verba, & duos poſteriores, quod qui nunciat primo modo, ſimplici verbo, ſi in poſſeſſione ſit ejus, circa quod fit nunciatio, eam amittit, & adverſarium, cui nunciat, poſſeſſorem facit, *c. l. 1. §. In operis & cit. l. 5. §. Meminiſſe ff. h. t.* quod non eſt, ſi nunciet, aliquo ex duobus poſterioribus modis, quia non facit eum poſſeſſorem, ſed poſſeſſionem retinet, *Gl. in cit. §. In operis V. Adverſarium Silveſt. c. l.*

Reſpond. ſecundo, poteſt nunciatio novi operis quolibet die fieri, etiam feriato, & Deo Sacro, *cit. l. 1. §. Item nunciatio, juncta Gloſ. V. Omnibus diebus ff. h. t.* quia extra jus, ſive judicium fieri poteſt. Et quamvis interdum adeatur Prætor, ſive Judex, non tamen proceditur per cauſæ cognitionem. Judice ſedente pro tribunali, ſed de plano tantum, *Zoeſ. ff. h. t. n. 12.* Denique etiam adverſus abſentes, quorum nomine ædificatur, & invitos, & ignorantes fieri poteſt novi operis nunciatio, cum fiat in rem, non in perſonam, *cit. l. 1. §. Et adverſus, & ibi Gl. V. Abſentes ff. h. t.*

§. II.

Quis ſit effectus nunciationis novi operis?

VIII. Reſp. Effectus primarius eſt, ut quicquid ædificatum eſt, poſt nunciationem factam, totum demoliri debeat, expenſis ipſius ædificantis, ſive jure, id eſt, juſte: ſive injuria, id eſt, injuſte ædificatum fuerit, quod ex poſt facto apparebit, ſcilicet cognita veritate, prout ſtatuitur in *l. 1. in princ. & ibi Gl. ff. h. t. & l. Prætor 20. §. 1. & §. Ait Prætor ff. eod. & in l. 1. & ibi Gloſſ. V. Sive jure ff. h. t.* Ubi ait, ſimile eſſe excommunicationi, quæ tenet ſemper, ſive juſta ſit, ſive injuſta, *Hoſtienſ. hic n. 12.*

Idem etiam ſtatutum eſt in *cap. Cum ex injuncto 2. h. tit. &*
,, *ibi Gloſ. in caſu.* Nam cum Archiepiſcopus Cantuarienſis
,, quandam Capellam in loco pertinente ad Eccleſiam Can-
,, tuarienſem, cœpiſſet ædificare: Monachi Cantuarienſes,
,, qui eandem Eccleſiam regebant, novum opus ei denun-
,, ciabant, ſed ipſe Archiepiſcopus, ſpreta denunciatione,
,, ædificavit Eccleſiam, & Canonicos in eadem inſtituit,
,, eiſdem reditus aſſignando, & recipiendo etiam ab ipſis
,, juramenta fidelitatis, de quo Monachi Cantuarienſes Pa-
,, pæ Innocentio III. graviter ſunt conqueſti. Quare Papa
,, mandavit Cantuarienſi Archiepiſcopo, ut quicquid ædifi-
,, catum eſt in prædicta Eccleſia, poſt novi operis nuncia-
,, tionem ipſi factam, ſuis expenſis faciat penitus demoliri
,, & deſtrui, non obſtante, quod forte abſens fuerit, cum
,, in lege, ſeu jure ſit cautum (*l. 1. §. Sed ſi n ff. h. t.*) ut
,, ſi ille, cui opus novum fuerit nunciatum, ante remiſſio-
,, nem ædificaverit, & poſtea agere cœperit, ſibi jus eſſe
,, ita ædificare, debeat ipſi actio denegari: ideoque in ir-
,, ritum reducat, quicquid de inſtituendis ibidem Canoni-
,, cis, & aliis ad eandem Eccleſiam pertinentibus, ab ipſo,
,, vel ejus Anteceſſore ordinatum eſt, redituſque eorum ad
,, priſtinum ſtatum revocet, & Canonicos ab obligatione præ-
,, ſtiti juramenti, cum inſtituti fuerunt, auctoritate Papali
,, abſolutos denunciet, quia cum non teneat principale,
,, quicquid ex eo, vel ob id, ſecutum eſt irritari debet.

IX. Pro explicatione hujus c. notandum primo, non ſufficit, ſi is, qui poſt denunciationem novi operis, ædificavit, patiatur opus demoliri, ſed etiam propriis ſumptibus ejus, cui denunciatum eſt, illud deſtruendum eſt, *Gl. hic in notat. & Abbas ib. notat. 1.* Idque procedit, etiamſi novum opus nunciatum fuerit anteceſſori ædificantis, prout factum fuit in caſu hujus c. ſecundum *Gl. hic V. Expenſis*: nihilominus tamen debet deſtrui ſumptibus ſucceſſoris, dummodo idem ſucceſſor ratum habuerit, vel poſt denunciationem factam, proſecutus fuerit opus ab anteceſſore inchoatum, ſciens denunciationem eſſe factam, prout in caſu hujus cap. eum ſciviſſe colligitur ex illis verbis *§. Super eo ibi: ut ſaltem pro vitando ſcandalo &c.* hoc enim interdictum datur hæredi, & contra hæredem, cum in vitium ſuccedit, ſciens nunciationem eſſe factam, *l. Prætor 20. §. Hoc interdictum ff. h. t. Gl. hic V. Expenſis, junct. Gloſ. margin. lit. C. Hoſtienſ. V. eod. Abb. hic num. §.* & quidem etiam poſt annum datur, *cit. l. Prætor §. ult.* imo etiam tranſit in ſingularem ſucceſſorem, ut in emptorem quia non in perſonam, ſed in rem datur, *l. fin. ff. h. tit.*

Simile eſt in ſpolio, quod tranſit ad quoſvis ſucceſſores, ad quos pervenit res eo vitio affecta, *c. Sæpe 18. de reſtitut. ſpol.* & ibi communiter DD. quamvis alias hæres ejus, cui opus nunciatum eſt, ſolum teneatur ad præſtandam patientiam deſtruendi operis, non autem ad pœnam impenſarum, ut ſuis ſumptibus deſtruat, quia hæres in eam pœnam non ſuccedit, *l. pen. ff. h. t.* quod verum eſt, niſi hæres, vel alius ſucceſſor, aut emptor ratum habuerit ædificium cœptum ab anteceſſore, vel illud ſciens nunciationem eſſe factam proſequatur aut perficiat, hoc enim caſu interdictum hoc, quoad omnes effectus, tranſit in ſucceſſorem, etiam in dignitate, *Gayn. hic n. 7.*

X. Notandum ſecundo, ſi is cui novum opus nunciatum eſt velit probare, ſibi jus ædificandi competere, ante deſtructionem novi operis, admitti non debet ad probandum, niſi prius omnia reducat in priſtinum ſtatum: quamvis ipſo jure non repellatur ab agendo, ſed per exceptionem oppoſitam, ante litem conteſtatam, cum ſit exceptio dilatoria, repelli poſſit, ut colligitur ex hoc c. ibi: *actio ipſi denegari debet*: alioquin ea non oppoſita, ſi docuerit de jure ſuo, ſententia pro illo feretur, ſine deſtructione novi operis. Sicut etiam ſpoliator volens probare jus proprietatis ſibi competere, non eſt audiendus, ante reſtitutionem ſpoliati in poſſeſſionem, *c. fin. de ordine cognit.* quamvis ſi ea exceptio ſpoliationis non opponatur, & actor probaverit jus proprietatis, pro illo ferenda ſit ſententia, & proprietas prævalebit poſſeſſorio, *Abb. hoc n. 2. 3. & 4.*

Notandum tertio, præſtans juramentum ſuper re aliqua, ea re ceſſante, eſt abſolutus a juramento; ſic in caſu hujus c. Canonici Eccleſiæ de novo ædificatæ jurarunt Epiſcopo obedientiam, & quod reſidebunt in illa, ſed eadem deſtructa cenſentur, auctoritate Superioris, abſoluti a juramento quia ceſſat cauſa, ob quam jurarunt. Sic etiam ſi quis juret obedientiam alicui electo ad dignitatem, vel officium, eo depoſito, non tenetur amplius illi obedire, quia fundamentum, ſive ratio fundandi obligationem juramenti corruit, ut colligitur ex *cap. Venerabilem 34. de Elect. Abb. hic numer. 6.*

XI. Notandum quarto, quando Eccleſia, vel civitas, vel alius locus, ſive ſacer, ſive profanus, deſtruitur, legitima auctoritate Superioris, v. g. propter delictum Clericorum, vel civium inhabitantium, tum nullus deinceps debet vocari Clericus, vel civis illius loci, & locus ille omnia privilegia aliaque jura activa, & paſſiva perdit, & deſinit eſſe Eccleſia, vel Civitas, uti ſumitur ex hoc c. *juncta Gloſ. V. Non teneat principale, & Placuit 26. diſ. 1. de conſecr. cap. Et hoc diximus 9. juncta Gloſ. V. Deſtructis cauſ. 16. qu. 7. cap. Abbate 25. §. ult. & ibi Gloſſ. fin. & Hoſtienſ. de V. S.* niſi tamen locus poſtea, auctoritate Superioris, reædificatus fuerit: tum enim recuperat omnia privilegia. Secus eſt, ſi talis locus per violentiam deſtruatur ab hoſtibus, vel terræ motu, vel privata auctoritate alicujus, vel alia ratione, quam Superioris auctoritate: tunc enim retinet omnia ſua privilegia, & jura, & Clerici, ſeu cives nomen ſuum, & etiam illis mortuis, alii eorum loco, ſubſtituendi ſunt, *Innoc. in cit. c. 2. num. 2. h. t. Abb. num. 5.* & Gloſſator ipſius *Alex. de nevo lit. F. Fagnan. ibid. num. 10. & ſeqq. & Barboſ. in Collect. ibid. num. 4.* Idemque dicendum, Collegium Clericorum, vel univerſitas Civium, auctoritate Superioris in alium locum transferatur, vel alteri uniatur, *Innoc. c. loc.* & alii apud *Fagn. c. l. num. 14. & 15.* de quo etiam aliquid dictum *l. 3. tit. 48. in fine.*

XII. Cæterum quod dictum eſt, denunciatum, poſt novi operis denunciationem, debere ab ædificando ceſſare, & opus cœptum deſtruere, id locum habet, non ſolum, ſi jure ſit facta nunciatio, quia is nullum jus ædificandi habet, ſed etiam ſi injuria, ſive injuſte, quia jus habet ad ita ædificandum, *cit. l. 1. in princ. l. Prætor 20. §. 1. & §. Ait Prætor ff. h. t.* Ratio eſt, quia ſi poſt novi operis nunciationem, licitum eſſet ædificanti excipere, ſe jus ædificandi habere, idque probare paratum, & denuncians id negaret, rixæ orirentur, & res facile ad arma veniret: ideo publicæ pacis, & tranquillitatis cauſa ſtatutum eſt, ut quamvis ædificans denunciatus verum jus ad ædificationem habeat, tamen ab ædificando deſiſtat, alioquin ſi ſpreta denunciatione pergat, totum opus, quod poſt interpoſitam denunciationem fecit, ſuis ſumptibus deſtruere teneatur, in pœnam hujus inobedientiæ, & contumaciæ. *Molin. citat. diſ. num. 2.* Accedit, quod is, cui facta eſt nunciatio novi operis, poteſt ſe tueri, via juris, adeundo Judicem, & petendo ab eo remiſſionem operis: ſi ergo id non fecerit, ſed via proceſſerit, & ædificare perrexerit, opus poſtea factum demoliri debet, ob contemptam Prætoris auctoritatem, etiamſi jus ædificandi habuerit, *Gail. l. obſ. 16. n. 2.*

XIII. Præterea in *cit. c. 2. §. Super eo h. tit.* Idem Innocen-
,, tius III. valde miratur, quod cum Monachi Cantuarien-
,, ſes omnia propter Deum dimiſerint, & tot periculis
,, perſonas, & res ſuas non dubitaverint frequenter expo-
,, nere (quod non feciſſent, niſi cognoſcerent facta ab Ar-
chiepiſcopo in grave Eccleſiæ Cantuarienſis detrimentum

Digitized by Google

dedundate, quia cum ſint viri Religioſi, non eſt præſumendum, quod injuſtam cauſam foverent, *Hoſtienſ. hic V. Non*
,, *feciſſent.*) dictus Archiepiſcopus ad vitandum tam grave
,, ſcandalum proximorum, ab hujuſmodi injuriis etiam ipſi
,, prohibitis non ceſſarit, cum juxta S. Scripturam, licet
,, illa, quæ ſine peccato mortali omitti non poſſunt (ſicut
eſt adorare Deum, parentes honorare, Sabbatum ſanctificare,
& alia hujuſmodi præcepta affirmativa ſervare) ob ſcanda-
,, lum vitandum, omittenda non ſint: nec illa, quæ ſine
,, peccato mortali committi, ſive fieri non poſſunt (ut eſt
,, adulterium, furtum, vel aliud peccatum mortale, con-
,, tra præcepta negativa Decalogi committere) propter
,, ſcandalum vitandum committi non debeant: attamen
,, ab illis, quæ ſine peccato mortali pariter vel omitti poſ-
,, ſunt, vel committi, abſtinendum eſt, vel ea ſunt facien-
,, da, ut ſcandalum tollatur, aut vitetur (cujuſmodi ſunt
,, ea, quæ ex ſe ſunt indifferentia v. g. comedere carnes,
,, & alia ſimilia *Hoſtienſ. hic V. Unde.*) Et quamvis Majo-
,, rum, id eſt, divitum, & potentium, qui ſub ſe multi-
,, tudinem, ſeu populum habent, *Gloſ. fin. hic*) ſcandalum
,, ſit vitandum: eſt tamen etiam ſcandalum minorum, ſeu
,, puſillorum vitandum, juxta illud Chriſti, *Matth.* 18. qui
,, ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis &c. In fine mandat
,, Papa prædicto Archiepiſcopo, ut his finem imponat, ita
,, ut præterita illius contradictio per virtutem ſequentis
,, obedientiæ expietur.

XIV. Hinc colligitur, quod ob vitandum ſcandalum non ſunt omittenda, quæ ſine peccato mortali omitti non poſſunt, ut baptizari, pœnitentiam agere, Horas Canonicas dicere: nec facienda quæ ſine peccato mortali omitti non poſſunt, ut ſi puella conſentiat in ſtuprum, ne is, qui illud petit, ſe ipſum occidat. Contra vero poteſt quis ad vitandum ſcandalum facere, quod ſine peccato mortali fieri poteſt, v. g. Regularis ad tempus geſtare habitum ſecularem; vel omittere, quod ſine peccato mortali omitti poteſt v. g. correctionem propter multitudinem delinquentium, quæ regulæ colliguntur ex *cit. c. 2. §. Super eo h. t.* & tradit *Jo. Andr. ibid. n. 11. & Abb. n. 7. Fagn. n. 8.*

§. III.

Quibus caſibus, ac modis ceſſet nunciatio novi operis, ita ut vim, & effectum non habeat?

XV. Reſpondetur, ceſſat primo, ſi nuncians remiſerit nunciationem factam ædificanti novum opus, *cit. c.* ibi: *ante remiſſionem ædificaverit h. t. & l. Non ſolum 8. §. Sciendum* ibi: *donec remiſſio nunciationis fiat ff. eod. & l. unic. in princ. ff. de remiſſionib.* quæ remiſſio fit vel expreſſe, & tunc ſi jus ædificandi habet, recte ædificabit, *cit. l. Non ſolum §. Secundum juncta Gloſ. V. Remiſſioſſ. h. t.* Vel tacite, ſcilicet morte ejus, qui nunciavit, extinguitur nunciatio, *cit. l. Non ſolum §. Morte ejus, Gloſ. in cit. c. V. Remiſſionem h. t.* quod intelligendum eſt, ſi moriatur, re adhuc integra, antequam aliquid ædificatum eſſet: nam ſi re non integra, ſive poſtquam aliquid de opere factum eſt, moreretur nuncians, hæredi ejus competeret hoc interdictum nunciationis: quomodo intelligi debet textus in *l. Prætor 20. §. Hoc interdictum 1. ff. h. t. vel in cit. l. Non ſolum §. Morte V. Extinguitur eod. Hoſtienſ. in ſumma n. 10. & 12. eod.* Morte autem ejus, cui opus novum nunciatum eſt, non extinguitur nunciatio, *cit. l. Non ſolum §. ult.* Ratio autem diverſitatis, cur nunciatio extinguatur, morte nunciantis, non autem morte ejus, cui opus nunciatum eſt, traditur a *Gl. in cit. loc. Non ſolum §. V. Etiam hæredis, juncta Gloſ. margin. lit. H.* quia nunciatio, ex parte perſonæ nunciatæ, eſt realis, quia ſit in rem, *l. Operis 10. h. t.* adeoque morte illius non extinguitur, ſed ad ſucceſſorem ejus tranſit, in id, quod ad ipſum pervenit: vel ſi dolo ipſius factum ſit, quominus perveniret, *cit. l. Prætor §. Plane ff. h. t.* At vero ex parte perſonæ nunciantis, nunciatio eſt perſonalis, adeoque morte illius extinguitur, niſi quis ſuo, & hæredis nomine nunciaverit, *cit. l. Non ſolum §. ult.* & ibi *Gl. margin.* non tamen hæres, etiam nunciati, ſuccedit in pœnam, *Hoſtienſ. hic n. 11.*

XVI. Secundo ceſſat nunciatio novi operis, ſi nuncians cautionem recepit a denunciato de opere demoliendo, ſi conſtiterit ipſum jus ædificandi non habuiſſe, vel etiam, ſi per nunciatum non ſtet, quominus ſatis det, quia competentem ſatiſfactionem obtulit, quæ tamen acceptata non fuit *l. De pupillo 5. §. Si is, cui & l. Prætor 20. §. Deinde & §. Hoc interdictum ff. h. t. Hoſtienſ. in ſumma h. t. n. 11.* Porro ſi is, cui nunciatio facta eſt novi operis, offerat ſatisdationem de opere demoliendo, ſi conſtiterit ipſum jure ædificare non poſſe, non tenetur nuncians illam cautionem recipere, ſi paratus ſit, & velit, vel in continenti, vel intra tres menſes, probare, ſe jure prohibere, & impedire ædificium in ſui præjudicium attentatum: quibus elapſis, ſi id non probaverit nuncians, poteſt denunciatus, præſtita ſatisdatione, vel ea oblata, ſed non admiſſa a nunciante, ædificare *Hoſtienſ. hic cit. l. n. 11.*

XVII. Idque ſumitur imprimis ex *c. Significantibus 3. h. t.*
,, ubi habetur, quod quidam Civis Pariſienſis cœpit ædifi-
,, care, in platea quadam, in præjudicium Eccleſiæ S. O-
,, portunæ, cui Canonici ejuſdem Eccleſiæ nunciaverunt opus
,, novum, & ſuper hoc gravamine quæſtionem, ſeu quere-
,, lam depoſuerunt coram Officiali Pariſienſis Archidiaconi,
,, offerentes ſe incontinenti probaturos, plateam illam ad
,, ſuam Eccleſiam pertinere, & illum in ſuum præjudicium
,, ædificare. Unde petebant eum prohiberi, ne ædificaret:
,, obſtante, quod dictus Civis offerebat cautionem de opere
,, demoliendo, ſi appareret ipſum jus ædificandi non habere:
,, adeoque idem Officialis interloquendo decrevit, proba-
,, tiones Canonicorum admittendas eſſe, & ab opere inte-
,, rim quieſcendum. (Idque bene decretum fuit, quia non
ob- ſtante, quod cautio oblata ab ipſo cive fuerit, tenebatur
is exſpectare, uſque ad tres menſes, adverſarios volentes
probare jure ſe prohibere ædificium, juxta *c. ult. h. t. & l. un.*
,, *C. eod. Gl. hic V. Interloquendo*) a qua interlocutoria ſententia
,, idem Civis Pariſienſis ad Senonenſem Curiam, ſeu Eccle-
,, ſiam (ſcilicet Metropolitanam, omiſſo Epiſcopo medio,
,, *Gl. fin. hic*) provocavit. Sed Officialis Curiæ Senonenſis,
,, ſive Metropolitanæ interlocutoriam ſententiam caſſavit,
,, & decrevit, ut prædictus Civis in opere conſtruendo
,, procederet, præſtita prius cautione de ipſo demoliendo,
,, ſi jus ædificandi non habuerit, non admiſſis probationibus
,, Canonicorum, qui ad Sedem Apoſtolicam appellarunt,
,, & petierunt, ut Papa mandaret probationes ipſorum re-
,, cipi, & ædificium interim prohiberi. Quare Papa Ho-
,, norius III. mandavit, ut ſi ita eſt, quicquid attentatum
,, eſt, poſt hujuſmodi appellationem, irritetur, & in pri-
,, ſtinum ſtatum revocetur.

XVIII. Notandum primo, nuncians novum opus, ſi vult impedire, ſive prohibere ædificium, debet vel incontinenti ut in caſu hujus c. vel ſaltem intra tres menſes, juxta *c. ult. h. t.* probare, ſe jure id prohibere: alioquin poſt lapſum trium menſium, poteſt procedi in ædificio, præſtita cautione a denuntiato de opere novo demoliendo: nihilominus tamen procederetur in cauſa principali, ita ut ſi nuncians probare velit jus ſuum prohibendi ædificium admitti debeat, *Abbas hic n. 2.*

Notandum ſecundo, appellatum fuit in caſu hujus c. ab Officiali Archidiaconi, qui cauſam hanc cognoſcebat, forte ex jure, ſeu privilegio ſpeciali, vel conſuetudine, cum alias de jure communi Archidiaconus juriſdictionem non habeat, ut putat *Hoſtienſ. hic, & Jo. Andr. n. 2.* vel potius dicendum, quod in hoc caſu hujus c. quia Laicus iſte ædificando turbavit Canonicos in jure ſuo, ideo potuit conveniri coram Judice Eccleſiaſtico, ſive Epiſcopo, *Abb. hic not. 2.*

Notandum tertio, appellatio a ſententia lata ſuper demoliendo opere poſt nunciationem novi operis conſtructo, admittitur, quoad utrumque effectum ſuſpenſivum, & devolutivum, *Barb. hic n. 4.* Nam quia in caſu hujus cap. Officialis Senonenſis interlocutoriam ſententiam per Officialem Archidiaconi Pariſienſis rite latam injuſte revocavit, & decrevit, Civem Pariſienſem poſſe ædificare, præſtita cautione de opere demoliendo, cum tamen Canonici S. Oportunæ parati eſſent probare jus ſuum, ac præjudicium, quorum probatio uſque ad tres menſes exſpectanda fuiſſet, ideo Canonici illi juſte appellarunt ad Papam, quia a ſententia interlocutoria, ſecundum Canones, appellari poteſt, *Hoſtienſ. hic V. Decrevit, & Joan. Andr. ibid.* Ideo Pontifex omnia poſt appellationem attentata in irritum revocavit.

XIX. Similiter in *cap. Is cui 4. & ultim. h. tit.* Gregorius IX. confirmat, quod ſupra dictum eſt, nempe quod ſi quis
,, opus novum alicui nunciavit, eo quod in ſuum præju-
,, dicium ædificare volebat, non obſtante cautione de ope-
,, re demoliendo ab ipſo oblata, ſi non jure ædificatum
,, appareat, teneatur is, cui nunciatio facta eſt, exſpecta-
,, re nunciatum per tres menſes, ſi hic cautionem recipe-
,, re nolit, ſed præjudicium ſui juris probare velit. Ne-
,, que obſtat, quod ſi ille, cui denunciatur novum opus,
cautione præſtet, vel per eum non ſtet, quo minus ſatisdet, licite poſſit ædificare *l. Non ſolum 8. §. Si eum poſſem, & §. Sciendum, l. Prætor 20. §. Si quis paratus, & §. Deinde ait, & §. Hoc interdictum, lib. Stipulatio 21. §. 1. ff. h. t.* Nam prædicta jura intelligenda ſunt, quando is, qui nunciat novum opus, nullas offert probationes, nec incontinenti, nec intra tres menſes, ſi enim hoc faciat, is, cui nunciatio facta eſt, interim ceſſare debet ab ædificando, *Gloſ. hic V. Non obſtante Hoſtienſ. ibid. V. Tenetur. Molina cit. diſ. 706. num. 44. & 45.*

XX. Notandum hic præterea primo, nunciatio novi operis non tollitur per idoneam cautionem ab eo, cui nonciatio facta eſt, oblatam, neque talis oblatio cautionis de opere deſtruendo dat denunciato facultatem proſequendi ædificium, niſi vel denuncians conſentiat, vel intra trium menſium ſpatium a tempore denunciationis, vel a tempore cautionis oblatæ a nunciato (ut vult *Molin. c. l. num. 45.*) ſe juſtam cauſam nunciandi habere probet, non enim ultra exſpectare tenetur denunciatus, cum gravi ſuo præjudicio, ſed poſt hoc tempus elapſum impune ædificare poterit, *Gloſſ. hic V. Non obſtante. Abb. ibid. notat. 1.* Itaque in optione nunciantis eſt poſitum, utrum cautionem a nunciato exigere, & recipere velit, qua recepta, nunciatio remittetur, & nunciatus ſtatim impune ædificare poterit: an vero cautionem recipere nolit, ſed cauſam principalem expediri petat, dicendo ſe paratum eſſe ad probandum, ſibi jus prohibendi, ne nunciatus ædificet, competere: & tunc tres menſes ſunt præfiniti, intra quos de jure ſuo docere debet: quod ſi non faciat, elapſis tribus menſibus, fas eſt nunciato ædificare, dummodo cautionem præſtet de opere deſtruendo, ſi non jure ædificatum conſtiterit, vel per eum non ſtet, quominus ſatisdet, prout etiam habetur in *l. unic. C. h. t.* per quam non eſt correctum Jus antiquum, ut putat *Fachin. l. 8. controv. c. 48.* ſed id tantum ibi Imperator interpretatur, & explicat.

XXI. Notandum ſecundo prædicta Conſtitutione utiliter proviſum eſt, tam ei, cui facta eſt denunciatio, quam denuncianti: nam ſæpe aliquis credens ſe habere jus ædificandi, ædificat, cum tamen non habeat: unde ſi talis poſſet licite ædificare, oblata cautione, poſſet fieri, ut non ſolum perderet expenſas factas in ædificando, ſed etiam faciendas in deſtruendo opere, quod ædificatum eſt: & ſic utilis eſt ipſi exſpectare denunciantem per tres menſes: nam ſi hic probaverit de jure ſuo, uterque ſervabitur indemnis, quia denunciatus non ædificavit, adeoque parcit ſumptibus alias faciendis in deſtructione operis, ſi ædificaſſet, cum jure non poſſet. Eſt etiam id utilius denuncianti, nam ſi jus ædificandi denunciato non competeret, &

ta-

tamen ædificarė impune poſſet, oblata caotione, magnum interim præjudicium nuncianti generare poſſet, ædificando v. gr. ante portam domua ipſius, vel in alio loco ipſi præjudiciali, *Joann. Andr. in tit. c. ult. num. 1. & Abb. ibid. in fine, hoc tit.*

XXII. Tertio ceſſat, ſive tollitur nunciatio novi operis, ſi is, qui nunciavit, nolit coram Judico jurare de calumnia, hoc eſt, juramento aſſerere, ſe arbitrari, quod juſtam cauſam ounciandi habeat, jureque impedire poſſe ædificare volentem, ne ædificet: & non malirioſe, animo impediendi opus, nunciare. Tenetur antem nuncians hoc joramentum præſtare, ſi is, coi nunciatio facta eſt, id exigat: quod ſi jurare recuſet, remittitur a lege nunciatio, & pro non facta babetur, *l. de pupillo 5. §. Qui opus ff. h. t. Hoſtienſ. in Summa h. t. n. 13 in fine. Molin. cit. diſ. 706. n. 34.*

XXIII. Quarto ceſſat nunciatio novi operis, nec ligat nunciatum, ſi ſit periculum in mora, ita ut dilatio ædificii grave damnum allatura probabiliter timeatur; tunc enim nunciatio impune ſpernitur, *Abb. in c. 2. nu. 9. h. t. Gail. l. 1. obſerv. 16. n. 8.* Idque generaliter procedit jo omnibua iis operibus, quorum mora periculum aliqood allatura eſt, nam in his quoque contemnenda eſt novi operia nunciatio, *cit. l. de pupillo, §. Praterea, ff. h. tit.* ubi ratio redditur, *quia multo melius eſt omitti operis novi nunciationem, quam impediri operis novi neceſſarii urgentem exſtructionem* quod *Gl. ibid. V. Periculum* explicat de periculo communi, ſeu univerſali totiua Civiaatis, sel Viciniæ, propter quod poſſit ſpetni nunciatio: non item ob peticulum ſpeciale, ſeu privatum ejus, cui fit nunciatio, ſaltem regulariter. Ratio generalia hujua limitationis eſt, quia quotica periculum eſt io mora, recedere licet a Regulis juris communis, & remittitur juris diſpoſitio, etiam prohibitiva, *Gloſ. margin. ibid. lit. G. Gail. cit. l. num. 9.*

XXIV. Quinto ceſſat nunciatio novi operis, ſi Prætor renunciationem permiſſam revocavit, *l. Si opus 16. ff. h. t.* Sexto ceſſat nunciatio novi operia, ita ue non liget nunciatum, ſed impuoo contemni poſſit, ſi certo, & notorie conſtet, quod ædificare volens habeat jos ædificandi, adeoquo manifeſtum ſit, quod ounciana injuſte novum opus prohibeat, *Abb. in c. 3. num. 10. h. t. Gail. cit. obſ. 16. n. 4. Mol. cit. diſ. n. 2.* Ratio eſt, tum quia, ut ait *Abb. c. l.* non eſt veriſimile, jura velle dare locum figmentia, delictis, & deceptionibus, ſed potius quod injurias prohibeat, & delicta pœnis coerceat: Ar ſi jura vellent, ut is, cui denunciatum eſt novum opos, ædificato ceſſet, etiamſi manifeſtum ſit, quod nuncians nullum jus inhibendi, nunciatus vero ædificandi babeat, injurias, & delicta juberent: tum quia noo eſt præſumendum, quod Prætor æquitatis amantiſſimus voluerit, ut nunciatio evidenter, & manifeſte injuſta liget ædificantom. Neque obſtant Leges, quæ in contrarium allegantur, & dicunt, quod ſive opus jure factum ſit, ſive quis jus faciendi habuerit, ſive non, interdictum locum habebit, & permittitur, ut per denunciationem inhibeatur, *l. 1. in princ. & l. Prator 20. ff. h. t. l. 1. §. Parvi, ff. Quod vi, aut clam.* Nam ſimilia jura intelligi debent, non de nunciatione manifeſte, & notoric injuſta, ſi conſtet denuncianti jus ounciandi non competere, ſed de ea, de qua aliquo modo dubitatur, oum ſit valida, & juſta, ao vero injuſta: quo caſu etſi appareat, vel exiſtimetur eſſe injuſta, nihilomions obligat; non item ſi ſit manifeſte injuſta, nam Leges non ſunt cenſendæ favere manifeſtia injuriis, neque æquitas patitur, ut ad manifeſte iniqua extendantur, *Abb. c. l. n. 20. Mol. c. l. n. 2.* Prædictis addendum, quod etiam propria auctoritate, opus a vicino factum in eo, quod poſſidemus, liceat deſtruere, modo in continenti fiat, & non ex intervallo, *l. 3. §. Cum igitur ff. de vi, & vi arm.* quia tum videtur vis vi repelli, quod licitum eſt, *Zaſ. ff. h. t. n. 16.*

TITULUS XXXIII.

De Privilegiis, & exceſſibus Privilegiatorum.

ACtum eſt ſupra de Exceſſibus Prælatorum, & Subditorum; ſed quia ſubditi quandoque delinquunt, abutendo Privilegiis ſuis, vel excedendo terminos eorum, & ſæpius etiam dubitatur de intellectu Privilegiorum, ideo io hoc Titulo agitur de Privilegiis, & Exceſſibus Privilegiatorum, qui catat etiam in Sexto, Clementinis, & Extravagantibus Joannis XXII. & Communibus.

SECTIO I.

De Priſilegiis in commuoi.

§. I.

Quid ſit Privilegium, & an ad illius ſubſtantiam requiratur ſcriptura, & quomodo a diſpenſatione differat?

I. PRæmittendum, quod privilegium accipitur interdum pro Reſcripto, ſeu inſtrumento, in quo gratia, beneficium, ſeu indulgentia Principis continetur, & conceditur, ut in *c. Cum dilecta 4. de confirm. util. & inutil. & c. Ex parte 13. h. t.* frequeotius autem, & magis proprie accipitur pro ipſo jure, beneficio, ſeu gratia alicui cooceſſa a Principe, *Suar. l. 8. de legib. c. 1. n. 1.* & in hoc ſeoſu de privilegiis hic potiſſimum agitur.

II. Aſſertio 1. Privilegiom, prout eſt beneficium, ſeu gratia conceſſa a Principe, poteſt accipi, vel late, vel ſtricto. Late ſumptum eſt veluti lex priſata ſpeciale aliquod beoeficium, vel favorem concedens, *c. Privilegia 3. diſt. 3.* Dicitur autem privilegium lex, non quod rationem proprie dictæ legis babeat, quia particulares etiam perſonaa reſpicere poteſt, ita ut ad alias non pertioeat; neqoe etiam obligationem contiaet, reſpectu ejus, cui datum eſt, qua oemo beneficio uti cogitur, *reg. jur. 70. in 6.* quamvis privilegium habere poſſit rationem legis, quoad alios, quibus præcipitur, ut illud obſervari faciant, vel prohibetur, ne impediant, ant ſe opponant, dummodo privilegium ſit ſufficienter promulgatum, vel ab ipſis cognitum, *Laym. in c. 1. n. 5. de Conſtitut.* Deinde dicitur privata lex, quia jus ſpeciale, ſive ſingulare concedit, ſaltem præter, ſive ultra jus commune: nam de ratione privilegii eſt, ut concedat aliquid ſpeciale, quod jure communi non eſt conceſſum, alioquin inutile foret, juxta *c. Abbate 28. de V. S.* ubi circa finem dicitur, *cum privilegium ſit lex privata &c.* oon eſſet aotem privata, niſi aliquid ſpecialiter indulgeret, *Suar. cit. c. 1. n. 3. & 4.* Privilegium vero ſtricte, ac proprie dictum, eſt alicujus rei, ſive juria ſpecialis contra jus commune, ex Principis benevolentia conceſſio, *Gl. in c. 1. V. Noceatur in fine de Conſtitut. in 6.* ubi ait, ſi reſcriptum concedit aliquid contra jus, mutat nomen reſcripti, & dicendum eſt privilegium, *Abb. in cit. c. Abbate, n. 6. Hoſtienſ. in Summ. h. t. n. 1. Sylv. V. Privilegium, q. 3.* Verum hæc videtur quæſtio de nomine, quia negari non poteſt, quin noo ſolum privilegium concedens beneficium ſpeciale contra Jus commune, ſed etiam præter jus commune, ea liberali gratia Principis ſit proprie privilegium, quia eſt lex privata, & favorabilis, licet non ita ſtricte dictum. Nec in *cit. c. Abb.* requiritur ad rationem privilegii, ut aliquid contra jus commune concedat, ſed ſolum ſimpliciter, ut aliquid ſpecialiter concedat, ſive ſit contra, ſive præter jua commune, cujuſmodi ſunt multa privilegia, v. g. abſolvendi, diſpenſandi, quæ ſunt meræ gratiæ conceſſæ, non contra jus commune, ſed præter illud, *Suar. c. l. n. 5.*

III. Porro interdum a Principe conceduntur, quæ a jure communi conceſſa ſunt, ad majorem confirmationem, & ſecuritatem, quia conceſſio ſpecialis pluris æſtimatur, quam generalis, v. g. facultaa conſtituendi Procuratorem in cauſis, *c. Quia in cauſis 7. de procur.* Item poteſtas jurandi propriis cauſis, quæ Religioſis conceditur, quando alia probatio deeſt, *c. Et ſi Chriſtus 26. in fine de jurejur.* Verum hæc non ſunt propriedicta privilegia, ſed tantum declarationes quædam juris communis, vel naturalis, quæ dantur ad tollendum omnem dubitationem, & ſcrupulos, & pacandas conſcientias, vel ut majore auctoritate ſerventur, & adverſariorum impetus compeſcantur: quamvis etiam hujuſmodi declarationes, aut admonitiones ſpecialem ſavorem, & beneficium Principia contineaot, adeoque priſilegii rationem habent. *Suar. cit. c. 1. n. 7.*

IV. Aſſertio 2. Ad ſubſtantiam privilegii non requiritur, ut ſit ſcriptum, pront ſumitur ex *c. Inſtitutionis 7. cauſ. 25. q. 2. & ibi Gloſ. V. Praſentia Clem. 2. §. Nos etiam* ibi: *Univerſa privilegia, gratias, indulgentias, verbo, ſeu ſcripto conceſſa &c. & ibi Gl. V. Verbo, de ſepultur. & Extravag. ult. poſt initium,* ibi: *Facultatum per nos conceſſarum, tam verbo, quam in ſcriptis, confectis exinde Litteris, vel non, de pœnit. & remiſſ. inter Communes. Sylv. V. privilegium, n. 14. Azor. p. 1. l. 5. c. 23. q. 1. Suar. cit. l. 8. c. 2. n. 2.* & alii communiter. Ratio eſt, quia nullum jus poſitivum reperitur, quod ſcripturam requirat ad valorem, vel effectum privilegii, nec etiam ex natura rei eſt neceſſaria, cum ſufficiat poteſtas, & voluntas Principis declarata, ſive verbo, ſive ſcripto, ſe velle privilegium concedere, quamvis interdum requiratur ſcriptura ad probationem privilegii, ejuſque firmitatem, ut colligitur ex *c. Porro 7. h. t.* ubi dicitur, inſpicienda eſſe priſilegia, ut eorum tenor ſervetur, & *c. Contra morem 8.* ibi: *Aut ex ſcriptis privilegiis ſo tueri diſ. 100. Suar. c. l. n. 3:*

V. Aſſertio 3. Privilegium convenit com diſpenſatione in eo, quia etiam eſt gratia, ſive ſavor, & non ſolum eſt præter, ſed etiam contra legem, ſive jus, ſicut diſpenſatio, per quam jua commune relaxatur. Videntur tamen differre in hoc, quod ad diſpeoſationem requiritur cauſa, qua exiſtente falſa, invalida eſt diſpenſatio, non autem ad privilegium, ut tradit *Rebuff. in praxi benef. tract. de concordatis tit. Forma mandati Apoſtolici. V. Diſpenſationum,* & alii communiter. Verum hoc non eſt univerſaliter verum, cum etiam privilegium, ſaltem quod eſt contra jus, ſine cauſa dari non poſſit, de quo plura infra. Videtur igitur diſpenſatio eſſe quoddam privilegium, ſolumque differre a privilegio io communi, tanquam ſpecies a genere: a privilegio autem contra jus non differre. Idque verum eſt, ſi concedatur diſpenſatio per modum legis privatæ, ad operandum ordinarie, & ſtabiliter contra aliquod jua commune, tale enim privilegium eſt permanens quædam diſpenſatio: at vero ſi diſpenſatio concedatur ſolum ad unum aliquem actum contra Legem, & jus commuoe, v. gr. ut uno, vel altero die prohibitio carnibus veſci, vel ſemel laborare ruri liceat die feſto, illud non poteſt dici proprie privilegium, quia non per modum legis ſtabilitur, nec per illam jua permanens conceditur, ſed talis diſpeoſatio eſt quid facti, & quaſi tranſiens: ſicut ergo præceptum temporale non eſt lex: ita nec diſpenſatio, ſive licentia data ad agendum ſemel tantum, vel bis, contra Legem, non eſt priſilegium proprie dictum, quia cum hoc ſit quaſi lex privata, & jus ſingulare, magis conſtaos eſſe debet. Similiter diſpenſationes, quæ fiunt in irregularitate, vel alio ſimili Canonico impedimento, v. g. matrimonii, non videntur dici poſſe proprie privilegiom, quia eo impedimento ſublato, diſpenſatus ſecundum jus commune operatur, nec tractum ſucceſſivum habent, ſed ſtatim effectum ſuum conſequuntur, *Suar. cit. c. 2. n. 10. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 5.*

Digitized by Google

§. II.

Quotuplex ſit privilegium, ſive quomodo dividatur, & quis poſſit concedere privilegium, & quibus concedi poſſit?

VI. Aſſertio 1. Præcipuæ diviſiones privilegii ſunt iſtæ. Privilegium inprimis aliud eſt perſonale, aliud reale, prout ſumitur ex *c. Mandato* 6. ibi: *Quas non loco tribuimus, ſed perſonæ, de præſumption.* & *l. Privilegia* 196. alias 256. *ff. de R. J.* ubi dicitur: *Privilegia quædam cauſæ ſunt, quædam perſonæ.* Perſonale privilegium eſt, quod proxime, ſeu immediate, & directe ipſi perſonæ confertur in favorem illius, ſive ratione ipſius perſonæ. Reale, quod proxime, ac directe confertur alicui rei, loco, muneri, dignitati, v. g. prædio, Eccleſiæ, Monaſterio, aut Prælaturæ &c. licet conſequenter etiam, & ultimate utilitas talis privilegii in perſonas, quæ rem talem obtinent, redundet, *Suar. cit. l. 8. c. 3. n. 3.* Eſt autem inter hæc privilegia ea differentia, quod privilegium perſonale ſequitur perſonam, & cum eadem extinguitur, juxta *reg. 7. in 6.* & *reg. In omnibus 68. ff. eod.* & hoc dicitur privilegium ſingulariter perſonale, quod uni tantum perſonæ, per ſe, & directe, conceditur: privilegium, vero reale cohæret rei, & durat, quamdiu res durat, ideoque etiam cum re ad hæredem tranſmittitur, juxta *cit. l. Privilegia.* Sunt vero quædam privilegia mixta, hoc eſt, partim perſonalia, partim realia, eo quod multum de natura realium participent. Tale eſt privilegium, quod dicitur communiter perſonale, & certo perſonarum generi conceditur, cujuſmodi eſt privilegium reſtitutionis in integrum, conceſſum minoribus XXV. annis, quod etiam ad hæredes tranſit, juxta *l. Non ſolum 6. ff. de integr. reſtit.* Item privilegium SCti Velleiani conceſſum fœminis, ne ex fidejuſſione obligentur: & SCti Macedoniani conceſſum filiis fam. ex ne mutuo ſine conſenſu patris, accepto, poſſint obligari: hæc enim privilegia conceduntur, non mere reſpectu perſonæ, ſed etiam ratione rei, videlicet intervenientis læſionis: vel ratione ſtatus, dignitatis, muneris, vel officii aut conditionis ipſis adhærentis, ideoque etiam perpetua ſunt, & ad ſucceſſores in officio, vel dignitate tranſeunt, & realia privilegia cenſentur: quo etiam ſpectant privilegia Clericorum, Studioſorum, Militum &c. *Suar. c. l. num. 3.* Similiter privilegium, quod corporale dicitur, eo quod Corpori, ſive Communitati conceditur, v. g. Religioni, Univerſitati, ſeu Academiæ, Civitati, Collegio, Monaſterio &c. magis reale eſt, quam perſonale, quia non extinguitur cum perſonis ſingularibus, ſed durat in perſonis perpetuo ſuccedentibus: ſive deinde concedatur Communitati, ita tamen ut ſinguli e Communitate eo privilegio frui poſſint, qualia ſunt privilegia conceſſa Religioſis Ordinibus, privilegia Clericorum, Regularium, Militum, Studioſorum &c. ſive ita ut eo privilegio fruantur, non ſinguli ſeorſim, ſed communiter tantum & collective, ſive ipſa Communitas, qua talis, ut ſunt privilegia quædam Civitatibus, vel Univerſitatibus conceſſa, *Suar. c. l. n. 3. & ſeqq. Azor. cit. l. 5. c. 12. q. 3. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 3.*

VII. Porro etſi quando verba privilegii ſunt abſoluta, & directe diriguntur tantum ad perſonam, cenſendum ſit eſſe privilegium perſonale: ſi vero ad rem tantum tale: niſi ex aliis conjecturis appareat intentionem Principis concedentis privilegium principaliter reſpexiſſe ad rem tantum, etſi ad perſonam verba direxerit: vel e contrario, ad perſonam, etſi verba ad rem directa ſint. Attamen ſi vere dubium ſit, utrum privilegium ſit perſonale, an vero reale: tum vel eſt privilegium favorabile continens merum beneficium: & cenſendum eſt eſſe reale, quia decet conceſſum a Principe beneficium eſſe manſurum, *reg. jur. 16. in 6.* & Beneficium Principis pleniſſime interpretari debemus, *l. ult. ff. de Conſtitut. Princ.* Vel eſt privilegium odioſum, quia eſt contra Jus commune, vel cedit in aliorum præjudicium: & tunc cenſendum eſt perſonale eſſe in dubio, quia ſtricte intelligendum eſt, ut potius temporale præjudicium, ſeu damnum inferat, quam perpetuum, *Suar. cit. c. 3. n. 18. & 19.*

VIII. Altera diviſio privilegii eſt in perpetuum, & temporale: illud eſt, quod abſolute, & abſque limitatione temporis, alicui conceditur, vel adhæret rei ex ſe perpetuæ, ut eſt privilegium conceſſum Eccleſiæ, Religioſo Ordini, vel dignitati: non autem dicitur perpetuum, quod amitti non poſſit, ſed quia ex ſe durat, quamdiu revocatum non fuerit. Privilegium vero temporale dicitur, quod conceſſum eſt alicui pro determinato tempore, v. g. ad decem annos, vel ſub certa conditione, quæ lapſu temporis finitur, nam illa conditione impleta, ceſſat privilegium, v. gr. concedo tibi hoc privilegium, donec deceſſero, vel ad beneplacitum meum, quod exſpirat morte concedentis, etiamſi privilegium non revocaverit, quia voluntas perſonæ per mortem finitur, & conſequenter etiam privilegium, a qua dependet; vel denique ſi privilegium ſit conceſſum ſingulari perſonæ, ſolum ad vitam illius, *Suar. cit. l. 8. c. 5. n. 1.* plures aliæ diviſiones privilegiorum apud eundem videri poſſunt *cit. l. 8. c. 4. & 6 & Laym. c. l. n. 5. 8. & 11.*

IX. Aſſertio 2. Privilegium concedere poteſt omnis, & ſolus ille, qui poteſt legem condere, nam qui legem ferre non poteſt, nec privilegium dare poteſt, *Sylveſt. V. privilegium, q. 2. Suar. cit. l. 8. c. 8. n. 2.* & alii communiter. Ratio eſt, tum quia privilegium eſt lex quædam privata, adeoque requirit poteſtatem quandam legiſlativam in concedente, & dicitur beneficium non cujuſcunque hominis, ſed quod publica poteſtate alicui confertur. Tum quia ſive privilegium accipiatur ſtricte, & rigoroſe, pro conceſſione ſpeciali contra legem univerſalem, ab eo maxime concedi poteſt, qui eſt auctor legis, & diſpenſare poteſt in ſua lege, & ab ea exceptionem facere per privilegii conceſſionem: ſive privilegium accipiatur latius pro gratia, & beneficio, præter, ſive ultra jus: nam & hoc is maxime facere poteſt, qui eſt ſupra ipſum jus, & ad quem ſpectat limites ponere in ipſo jure, vel præter illud operari. Quare Poteſtates publicæ, ſive Eccleſiaſticæ, ſive ſeculares, tantum in iis rebus privilegia condere poſſunt, de quibus diſponere poſſunt, & legem ferre. Ut Papa, extra ditionem ſuam temporalem, per ſe, ac directe tantum in ſpiritualibus, vel in iis, quæ annexa ſunt ſpiritualibus, ut ſunt decimæ, contractus matrimonii &c. Prælati vero Papa inferiores concedere poſſunt privilegia, quæ eximunt a legibus a ſe conditis, vel a ſuo anteceſſore, in quibus diſpenſare poſſunt. Item quæ non ſunt contra Jus commune in rebus ad ſe pertinentibus, non autem contra Jus commune Pontificum privilegia dare poſſunt, quia non poſſunt per ſe diſpenſare in Jure communi Canonico, niſi quatenus ipſis de jure, vel conſuetudine conceſſum eſt, non eſt autem conceſſum dare privilegia contra Jus commune, *Suar. cit. c. 8. n. 7. 9. & 10.* Similiter Imperator, & alii ſupremi Principes ſeculares in temporalibus tantum privilegia dare poſſunt: inferiores autem Principes ſeculares, qui Superiorem in temporalibus recognoſcunt, non poſſunt propria privilegia concedere, niſi quatenus ipſis a ſuperiore Principe ſpecialiter conceſſum fuit, *Suar. c. 8. n. 11.*

X. Aſſertio 3. Privilegium, non ſolum iis, qui vere, & abſolute ſunt ſubditi, ſed etiam aliis non ſubditis, ſive extraneis, qui tamen reſpective, & aliquomodo, ſaltem quoad rem, in qua privilegium confertur, ſunt inferiores, & inæquales, concedi poteſt, *Suar. cit. l. 8. c. 9. n. 3. & ſeqq.* & alii. Ratio eſt, quia licet privilegium, quod eſt contra jus, & diſpenſativum legis, non niſi ſubditis dari poſſit, eo quod diſpenſatio ſit actus juriſdictionis voluntariæ, qui non niſi erga ſubditos exerceri poteſt, quia ſupponit poteſtatem ferendi legem, ſeu præceptum obligans, a quo fit exemptio, ſeu diſpenſatio. At vero privilegium, quod eſt præter jus, & mere conceſſivum gratiæ, non requirit juriſdictionem in eum, cui datur, quia talis conceſſio non eſt actus juriſdictionis, ſed meræ liberalitatis, & privilegium ut ſic non requirit vim coactivam in privilegium, nec etiam vim directivam in eundem, quia Privilegium illum non obligat, nec ſub culpa, nec ad pœnam, ergo privilegium, ut ſic, non requirit ſubjectionem proprie dictam in eo, cui datur, *Suar. c. l. n. 5.* ſic Imperator poteſt dare exteris privilegium ſcribendi Militem in Terris Imperii, exportandi merces, non ſolvendi vectigal, ſi Provincias Imperii tranſeant. Item Judicibus Eccleſiaſticis, ut poſſint cognoſcere, & directe judicare cauſas temporales laicorum, quod Jure communi ipſis non eſt conceſſum, prout illis tale privilegium conceſſit Imperator Theodoſius, ut refertur in *c. Quicunque 35. cauſ. 11. q. 1. Suar. cit. c. 9. n. 4.*

XI. Quæri hic propterea poteſt primo, an per conſuetudinem poſſit acquiri privilegium v. g. exemptionis, vel aliud ſimile? Reſp. conſuetudinem habere vim privilegii, ita ut derogare poſſint Juri communi, ſicut privilegium, ut colligitur ex *c. Novit. 13.* ibi: *niſi forte Juri communi per ſpeciale privilegium, vel contrariam conſuetudinem aliquid ſit detractum, de Judiciis junct. Gl. V. Conſuetudinem,* ubi ait, quod conſuetudo Juri communi præjudicat. Nam vel eſt ſermo de privilegio ſtricte dicto, quod eſt contra legem, ſive concedit aliquid ſpeciale Juri communi contrarium: & hic effectus poteſt etiam acquiri per conſuetudinem, quia hæc in totum poteſt abrogare legem, ergo multo magis ex parte poteſt illi derogare, ſive dare ſpecialem licentiam ad agendum aliquid contra Jus commune, quod eſt privilegium: quæ tamen conſuetudo non habet locum in perſona privata, ſed ſolum in Communitate, quæ contra legem communem præſcribere poteſt per conſuetudinem. Vel eſt ſermo de privilegio latius ſumpto, quod concedit aliquid, præter Jus commune, etſi non ſit contra illud: & hac ratione, etiam privata perſona, ſi non per propriam conſuetudinem, ſaltem per eam, quæ inducitur via præſcriptionis, hujuſmodi privilegia, ſive jura acquirere poteſt. Sic per conſuetudinem legitime præſcriptam acquiri poteſt juriſdictio, *c. Duo ſimul 9. & ibi Gl. V. Conſuetudo de offic. Jud. ordin. & c. Cum contingat 13. in fine de foro compet.* Item jus exigendi tributa, & pedagia, *c. Super quibuſdam 26. §. Præterea, & ibi Gl. V. Non extat memoria de V. S.* Ubi ait, quod illa conſuetudo, cujus non extat memoria, jus ſive privilegium inducit, *Suar. c. l. 8. c. 7. n. 5.*

XII. Quæritur ſecundo, an requiratur juſta cauſa ad conceſſionem privilegii? Reſp. ut ſit licita, neceſſaria eſt juſta cauſa, non autem ad hoc ut ſit valida, *Suar. cit. l. 8. c. 20. n. 2. & ſeqq.* Probatur, quia vel privilegium eſt contra Jus commune; & tum requiritur juſta cauſa, ut ſervetur juſtitia legalis, & diſtributiva, quæ requirit, ut nullus, abſque cauſa, eximatur a lege communi. Vel eſt purum beneficium Principis non derogans alicui tertio, nec Juri communi: & tunc etiam requiritur juſta cauſa: alioquin Princeps argueretur prodigalitatis, & acceptionis perſonarum, daretque occaſionem invidiæ, & perturbationis aliis non privilegiatis. Ratio ſecundæ partis eſt, quia ſive ſit privilegium, quod eſt merum beneficium, & præter jus, ſive ſit eximens a Jure communi, pendet a voluntate ipſius concedentis privilegium: ſicut ergo is poteſt talem legem tollere, ita etiam poteſt ex parte tollere illius obligationem, reſpectu aliquarum perſonarum, eaſque eximere, ſaltem valide, *Suar. cit. c. 21. n. 4.*

§. III.

De interpretatione privilegiorum.

XIII. Quæritur primo, qualis interpretatio debeat fieri in privilegiis, ſtricta, an lata? Reſp. primo privilegia, quæ præter ſive ultra Jus commune conceſſa ſunt, & meræ gratiæ, ſive

ſive beneficia Principis ſunt, nec ſedunt in præjudicium alterius, late interpretari oportet, ut conſtat ex *r. g. juris* 15. *in* 6. *favores convenit ampliari* ſcilicet reſpectu eorum, quibus conceduntur: item ex *c. Olim* 16. *de V. S.* ubi dicitur: *Cum beneficia Principum ſint interpretanda latiſſime*, & *l. Beneficium.* 3. *ff. De conſt. Princip.* Eſt autem tale privilegium propriiſſimum beneficium Principis, a quo ci conceſſum. Idem etiam habetur in *cap. Quia circa* 22. *hoc tit.* Ubi dicitur, quod in beneficiis pleniſſima ſit interpretatio adhibenda. *Silveſt. V. Privilegium, quæſt.* 3. *Suar. l.* 3. *de legib. cap.* 27. *numer.* 3. Tale privilegium eſt facultas abſolvendi ab omnibus irregularitatibus, & caſibus occultis, excepto homicidio, alioquin Papæ reſervatis, conceſſa Epiſcopis in *Concilio Trident. Seſſ.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* quæ late interpretanda eſt, ut competat, non ſolum Epiſcopis confirmatis, & nondum conſecratis, ſed etiam Capitulo, Sede vacante, & aliis Prælatis exemptis quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habentibus, quia hæc poteſtas diſpenſandi iis competit ſpeciali quidem jure ſed perpetuo ratione ſuæ dignitatis, ideoque ordinaria cenſeri debet, *Sanch. libr.* 8. *de matrim. diſ.* 2. *n.* 10. *Laym. l.* 2. *tract.* 4. *c.* 23. *n.* 5. contra *Suar. diſ.* 41. *de cenſur. ſec.* 2. *n.* 13.

XIV. Reſp. ſecundo, privilegia derogantia Juri communi regulariter ſtrictæ interpretationis eſſe debent, & reſtringenda ſunt potius quam extendenda, juxta *cit. reg.* 15. *in* 6. odia ſunt reſtringenda, & *reg.* 28. *eod. in* 6. & colligitur ex *c. Cum dilectus* 8. & *ibi Gloſſ. V. Juri communi de conſuet. Silveſt. cit. loc. quæſt.* 3. *Suar. cit. c.* 27. *numer.* 5. & alii DD. communiter. Ratio eſt, quia quamvis privilegia hujuſmodi favorabilia ſint, quatenus ad privilegiatum referuntur: tamen quatenus a Jure communi exorbitant, eique derogant, odioſa ſunt. Sicut ergo bonum commune præferendum eſt bono ſingulari, ita & jus commune juri particulari: ſed privilegium eſt jus ſingulare, ergo ex ſuo genere præferendus eſt favor juris communis favori privato privilegii, ideoque ſi neceſſe ſit unum reſtringere, ut alterum minus lædatur, privilegium eſt potius reſtringendum, quam Jus commune.

Excipi debet primo, niſi privilegium derogans Juri communi cedat in favorem Religionis, vel cauſæ piæ, vel boni publici. Unde privilegium exemptionis Clericum a juriſdictione Principum ſecularium, & Religioſorum a juriſdictione Ordinariorum, ſeu Epiſcoporum, late interpretandum eſt in favorem Religionis, *quia ſumma ratio eſt, quæ pro Religione facit*: *l. Sunt perſonæ* 43. *ff. De Religioſ. & ſumpt. funer.* Vel ſi ſit privilegium cedens in bonum commune Reipubl. ſic amplianda ſunt privilegia militum, *Suar. cit. c.* 27. *numer.* 7. Secundo, niſi privilegium ſit in Corpore Juris contentum, tunc enim favorabile eſt, ſicut ipſum Jus commune, & late interpretandum *Sanch. libr.* 8. *de matrimon. diſ.* 2. *numer.* 7. *Suar. c. l. numer.* 8. *de matrimon. diſ.* 2. *numer.* 7. *Suar. c. l. numer.* 8. *in fine.* Tertio ſi privilegium ſit conceſſum, motu proprio Principis, etiamſi deroget Juri communi, quia cenſetur proprium beneficium Principis, & ex certa ſcientia datum, ideoque latam potius interpretationem meretur, quam ſtrictam, *arg. c. Si motu proprio de præbend. in* 6. *Suar. c. l. n.* 8. *Laym. cit. c.* 23. *n.* 5.

XV. Reſpond. tertio, ſi privilegium cedat in præjudicium tertiæ perſonæ, cujuſque juri jam acquiſito deroget, ſtricte illud interpretari oportet, cujuſmodi eſt privilegium exemptionis a ſolvendis decimis, quia Princeps non cenſetur alteri velle auferre ſuum jus, niſi id clare exprimat: idque procedit, etiamſi motu proprio privilegium ſit conceſſum, quia licet Princeps ex gravi cauſa, & ob urgentem neceſſitatem, poſſit alicui auferre jus ſuum, non tamen facile præſumendum eſt, id ipſum velle, cum Jus poſitivum, & naturale poſtulet, ut cuique ſuum jus illæſum ſervetur, niſi publica utilitas aut neceſſitas aliud exigat, *Suar. c. l. n.* 9. *Laym. c. l. n.* 6.

XVI. Quæritur ſecundo, quæ ſint circa ſtrictam, vel latam interpretationem privilegiorum obſervanda? Reſp. in hac re bene notandæ ſunt quædam regulæ. Prima eſt, ſi verba privilegii ſint ambigua, vel obſcura, ejus eſt interpretari illa, cujus eſt concedere privilegium, *Silveſt. V. Privilegium qu.* 3. Unde ſolus Papa, & non inferior Judex poteſt dubiis ortis circa privilegia Sedis Apoſtolicæ cognoſcere, *c. Cum veniſſent* 12. *de Judiciis*, & *Innoc. ibid. in princ.* & dictum ſupra *lib.* 2. *Tit.* 2. *n.* 72. & 73. Nam ejuſdem eſt interpretari legem, vel privilegium, cujus eſt concedere, cum & privilegium ſit quædam lex privata. Si vero verba privilegii non ſint obſcura, vel ambigua, ſed ſatis clara, tum nulla facienda eſt interpretatio, ſed tenor, & forma privilegii inſpicienda eſt, & obſervanda, prout ſtatuitur
„ in *cap. Porro* 7. *hoc. tit.* Ubi Alexander III. ita reſcribit:
„ Quamvis Templarii, & Hoſpitalarii multas prærogati-
„ vas libertatis habeant: non tamen aliam libertatem ha-
„ beant in locis, in quibus, antequam ad eos perveniſſent
„ erant habitatores, (ſed eandem, quam habent in aliis
„ poſſeſſionibus, ſeu bonis ſuis, ut ſupplet, *Gloſ. hic V. Li-*
„ *bertatem*, & *Hoſtienſ. in princ.*) & hoc totum ex inſpe-
„ ctione privilegiorum ſuorum cognoſci poteſt, & ſicut in-
„ venitur in privilegiis, ita obſervari debet. Sic autem te-
„ norem privilegiorum ſervare oportet, ut fines eorum non
„ excedantur.

XVII. Pro explicatione hujus c. notandum primo, bona acquiſita per privilegiatos aſſumunt naturam privilegiatorum ita ut ſi res non privilegiata perveniat ad privilegiatum, in rebus ſuis, eodem privilegio res illa gaudeat, quo & ipſe, & aliæ res ſuæ, *Hoſtienſ. hic V. Quam aliam Abb. ibid. n.* 1. *not.* 2. Idque ex generali regula, quod mutata perſona, etiam ſtatus rei mutatur, *l. Per procuratorem* 90. *ff. De acquirend. hæred.* Ubi in fine dicitur, *quin caſtrenſia eſſe, mutatione perſonæ, deſierunt*. Et hinc etiam bona, quæ antea laicorum erant, & poſtea ad Eccleſias, ſeu Eccleſiaſticas perſonas pervenerunt, gaudent privilegio exemptionis a tributis, & gabellis, ut poſt *Suarez* notat *Barboſ. in Collect. hic num.* 2. & 4.

Notandum ſecundo, alleganti privilegium non creditur, niſi illud exhibeat, prout ſumitur ex hoc c. Ubi dicitur, quod inſpicienda ſunt privilegia, adeoque etiam exhibenda, *Gl. hic V. Ex inſpectione*, & *Abb. nu.* 1. *not.* 1. quia privilegia facti ſunt, nec præſumuntur, ſed ab eo, qui allegat, probari debent: quamvis privilegia notoria, ut quæ in Corpore Juris contenta ſunt, quorum ſcientia præſumitur, ſicut ipſarum legum, *c.* 1. *de Conſtit. in* 6. non ſint probanda, ſed ſolum allegando, *Barboſ. hic nu.* 5. & 6.

Notandum tertio, tenor privilegii diligenter attendendus eſt, nec de illo judicandum, niſi tenore ejus inſpecto, ut ſciatur, quid in eo contineatur, prout etiam habetur in *c. Recipimus* 8. *h. tit.* Debet autem tenor privilegii inſpici, non quoad nuda verba, ſed multo magis quoad mentem ſeu intentionem privilegium dantis, ita ut ſi appareat, quæ fuerit mens illius, a verbis ſit recedendum, & illa ſequenda, nam verba deſerviunt intentioni, & non e converſo, *c. Quanto* 26. *junct. Gloſ. V. Sola verba h. tit. c. Intelligentia* 6. & *c. In his* 15. *de V. S. Silveſt. V. Privilegium qu.* 3. & ex voluntate concedentis pendet tota vi privilegii, *Suar. cit. loc.* 8. *c.* 28. *num.* 9.

Notandum quarto, privilegium in ſua forma ſervandum eſt, nec ultra fines illius extendendum, *Gloſ. fin. hic*. Unde DD. communiter dicunt, quod privilegium non plus operetur, quam verba exprimunt, *Laym. in c. Suſceptum* 6. *n.* 2. *de reſcript. in* 6. Ex quo infertur *Barboſ. hic num.* 12. quod privilegium etiam toti Ordini Religioſo conceſſum, ut in hoc c. Templariis & Hoſpitalariis, non late, ſed ſtricte ſic interpretandum. Verum hinc ſolum ſequitur, quod non ultra tenorem verborum, & formam in reſcripto privilegii expreſſam ſit extendendum.

XVIII. Secunda regula obſervanda in interpretatione privilegiorum eſt, quod privilegium non ſit ita ſtricte interpretandum, ut reddatur inutile, & inefficax, quantumvis alias videatur grave, & odioſum, niſi etiam ſit injuſtum, *Silv. c. l. concl.* 3. *Suar. cit. c.* 28. *n.* 2. & alii communiter, quia voluntas Principis non eſt concedere privilegium, quod nullum effectum habet, adeoque inutile ſit, ſicut nec præſumitur ferre legem otioſe, & quæ inefficax ſit, idque ſumitur ex *c. In his* 30. *h. tit.* Ex quo conſtat, quod indulgentia, ſive privilegium Principis ita intelligendum ſit, ut aliquid operetur, ſive conferat ultra, vel præter Jus commune, alias illuſorium foret, & inutile, *Gloſ. ibid. in notab.* & *Gloſſ. fin. Abb. ibid. numer.* 2. Ubi addit, idem dicendum eſſe in ſtatutis, quæ ſi loquuntur in terminis Juris communis, ita interpretanda ſunt, ut aliquid operentur.

XIX. Tertia regula eſt, privilegium non eſt reſtringendum ultra proprietatem verborum, ſed hæc in propria ſignificatione accipienda ſunt, prout ſonant. Ratio eſt, tum quia leges etiam ſecundum propriam verborum ſignificationem intelligendæ, & obſervandæ ſunt, ergo etiam privilegia, quæ ſunt leges quædam privatæ. Tum quia favores non ſunt reſtringendi, præſertim per impropriam acceptionem verborum, & abſque neceſſitate, ergo etiam privilegia, quæ favorem continent, alias nihil eſſet firmum in illis, quod non facile eludi poſſet, *Suar. cit. cap.* 28. *numer.* 3. Excipi debet, niſi privilegium juri alieno deroget, ſeu alteri damnoſum, ac præjudiciale ſit, tunc enim verba potius improprie accipienda ſunt, & explicanda, quam ut jus tertii lædatur, *Suar. cit. loco numer.* 3. & 10. Vel niſi ex aliis conjecturis veriſimilius præſumi poſſit, Principem velle, ut verba privilegii in impropria ſignificatione accipiantur, *Suar. cit. loco num.* 3. & 9. apud quem plura de hac re videri poſſunt.

§. IV.

De extenſione Privilegiorum.

XX. Quæritur primo, an privilegium uni conceſſum poſſit extendi ad alium? Reſp. Privilegium nunquam eſt extendendum ab una perſona, cui conceſſum eſt, ad aliam non expreſſam, nec ab uno caſu, vel actu ad alium. Eſt communis ſententia DD. apud *Suar. l.* 8. *de legib. c.* 28. *n.* 11. Idque ſumitur ex *c. Sane* 9. *h. t.* ubi dicitur, quod temera-
„ rium ſit, & indignum, aliquem ſibi, ſua auctoritate, præ-
„ ſumere, ſive aſſumere (ſcilicet privilegium, *Hoſtienſ. hic*
„ *V. eod.*) quod Romana Eccleſia alicui, certa ratione inſpe-
„ cta, quia privilegium cum magna deliberatione, nec ſine
„ cauſa eſt concedendum, *Gl. hic. V. Certa ratione*, & *Ho-*
„ *ſtienſ.* ſingularibus beneficiis (id eſt privilegiis, *Gl. fin. hic.*)
„ voluit indulgere, ſeu concedere. Ratio eſt, tum quia quæ
„ per privilegium conceduntur, non debent trahi ab aliis, auctoritate, vel potius temeritate propria, in exemplum, non enim quod uni ſigillatim conceditur, ſtatim omnibus convenit, *c. Hinc eſt* 39. *cauſ.* 16. *quæſt.* 1. ubi *Gloſſa V. Sigillatim*, ait, quod privilegium conceſſum uni, non extenditur ad alios, & privilegia ſingulorum communem legem facere non poſſunt, *c. Non exemplo* 4. *cauſ.* 26. *quæſt.* 2. *Gloſ. hic V. Temerarium*, & *Hoſtienſ.* Tum quia privilegium eſt jus ſingulare, & ſequitur perſonam Privilegiatam, & cum illa extinguitur, ideoque non tranſit ab una perſona ad aliam, juxta *c. Privilegium* 7. *de R. J. in* 6. & *l. In omnibus* 68. *ff. eod. Abb. in cit. c. Sane; num.* 9. *h. t.* Nec obſtat, ſi quis dicat, quod uni perſonæ conceditur, aliis denegari non debet, *c. alt. diſ.* 5. Nam hoc verum eſt, ſi de Jure communi aliquid conceditur, id omnibus conceſſum intelligitur: ſecus ſi de jure ſpeciali, ſeu ex privilegio, *Gl. hic V. Temerarium* & *Gl. in cit. c. ult. V. Quod uni perſonæ*.

XXII. Extenditur autem tradita doctrina, quod privilegium uni conceſſum non extendatur ad alium, primo, quod etiam privilegium perſonale mariti non competit uxori, regulariter, & per

Digitized by Google

& per ſe loquendo, ſive vivo adhuc marito, ſive eo mortuo; quemodo in *l. Princeps 31. ff. de legib.* Princeps dicitur ſolutus legibus, non etiam ipſa Auguſta, per ſe: niſi vel ex materia vel ex tenore privilegii, quia in eo expreſſa mentio fit uxoris, aut ex uſu, vel ex alia juris diſpoſitione talis extenſio colligatur, *Suar. cit. libr. 8. cap. 12. nu. 1.* Ratio eſt, quia tale privilegium eſt ſimpliciter perſonale, adeoque perſonam non excedit, nec in aliam perſonam etſi conjunctam transferri poteſt, quia illa conjunctio non tolit diverſitatem perſonarum. Nec refert, quod maritus, & uxor ſint correlativa, *l. 1. ff. de ritu nupt.* quia de caſu in caſum, etiam in correlativis, communiter non fit extenſio, ut docet *Card. Tuſchus lit. C. concl. 1041. num. 25.* adeoque etiam non habet locum in indulgentia, ſeu privilegio data a Principe uni ex correlativis, *Barb. in Collect. du cit. c. Sane, nu. 7. h. t.*

XXII. Extenditur ſecundo, quod etiam privilegium perſonale conceſſum patri regulariter non tranſit ad filios, *Gl. fin. in c. Licet 4. de conſtib.* ſic etiam privilegia vacationum a muneribus non ſpectant ad liberos veteranorum, *l. in honoribus 8. §. Vacationum. ff. de vacat. excuſ. muner.* Item privilegium militare, & Magiſterii, ſeu Doctoratus non tranſit ad filios Militum, aut Doctorum, *l. Privilegio 29. & l. In filiis 35. C. de Decurionib. lib. 10. Barboſ. in cit. c. Sane. Suar. cit. c. 12. num. 4. & Barboſ. c. l. nu. 3. & 4.* Ratio eſt, quia privilegium ſimpliciter perſonale non tranſit ad hæredes, nec quidem ad hæredes filios, quia nec vivente patre communicatur filiis, nam perſonam non egreditur, niſi vel ex qualitate materiæ ſubjectæ, vel ex diſpoſitione alterius juris, privilegium patri conceſſum etiam ad filios extendatur, & tranſmittatur, *Suar. cit. l. num. 4.* ſicut ſupra etiam de uxore dictum.

Excipi debet privilegium, quod datur patri, ratione nobilitatis, hoc enim etiam ad filios, & uxorem tranſit. Ubi tamen diſtinguendum eſt, ut tradit *Abb. in c. Licet 4. num. 4. de conſtib. Silveſt. V. Privilegium, qu. 5.* Vel enim privilegium conceſſum eſt marito, vel patri, ratione nobilitatis naturalis, & congenitæ, ex vi generis, ſeu ſtirpis; & tunc nobilitas, & privilegium, ratione illius competens marito, vel patri, communicatur uxori, & filiis, etiam poſt mortem mariti, vel patris, prout ſumitur ex *l. Fœmina 8. ff. de Senatorib. & l. 2. C. de dignitat. lib. 12.* Vel privilegium conceſſum eſt marito, aut patri, ratione nobilitatis accidentalis, quia ſcilicet is nobilis factus eſt, ratione dignitatis, Magiſtratus, vel officii: hoc caſu, vel illa nobilitas eſt perpetua, & inſeparabilis a perſona, ita ut etiam ea dignitate, vel officio depoſito, adhuc nobilis maneat: & tum privilegium ratione illius competens, etiam tranſit ad uxorem, & filios, non ſolum vivente, ſed etiam mortuo marito, aut patre. Vel nobilitas illa accidentalis non eſt perpetua, ſed pendet a dignitate, vel munere, quod quis gerit ita ut eo mortuo, vel depoſito, expiret nobilitas: & tunc uxor, vel filii gaudent eo privilegio tantum vivente marito, vel patre: non autem eo mortuo, vel etiam depoſito ab officio, aut eo reſignante, quia tunc eo ipſo perdit nobilitatem, & conſequenter etiam privilegia ei annexa, *Suar. cit. c. 12. nu. 2.*

XXIII. Extenditur tertio, quod in privilegiis perſonalibus, nomine filiorum non comprehenduntur nepotes, nec in odioſis, nec in favorabilibus, quia non egrediuntur perſonas, ad quas diriguntur: nec extenduntur ultra verborum proprietatem, niſi fuerit aliud verbis, aut jure expreſſum: & licet ſæpe appellatione filiorum etiam nepotes veniant, ex benigna juris interpretatione, *l. Juſta 201. ff. ad de V. S.* regulariter tamen, & juxta verborum proprietatem, non continetur, *l. Quid ſi nepotes 6.* ubi dicitur, nomine liberorum contineri nepotes, non autem nomine filiorum, *ff. ae teſtam. tutela, §. fin. Inſtit. qui teſtam. tut. dari poſſ.* adeoque; id ad privilegia non eſt extendendum, niſi de jure, vel de mente concedentis aliter conſtiterit, vel ſaltem nomine generali poſterorum, aut deſcendentium, aut hæredum comprehendantur, & hæredes fuerint, *Suar. cit. c. 12. nu. 6.* Et hinc etiam privilegium conceſſum filio non eſt extendendum ad filias, quia in privilegiis maſculinum non concipit fœmininum, eo quod in propria, & ſtricta ſignificatione filii nomine non venit filia, privilegium autem debet proprie, & ſtricte intelligi *Jo. Monac. in c. Auctoritate 4. in addit. h. t. in 6.*

Extenditur quarto, quod nec ſocius privilegiati gaudet privilegio ſocii, niſi privilegium eſſet inutile privilegiato, ſi ſocius eo uti non poſſet, *Arg. c. pen. h. t. Abb. in c. Quamſit 10. nu. 2. de Judæis, Silveſt. c. l. q. 6. Suar. c. l. nu. 7. & 8.*

XXIV. Quæritur ſecundo, an privilegium, propter ſimilitudinem rationis, ſit extendendum ad alias perſonas, vel loca, vel actus? Reſp. Negative, *Suar. l. 8. de legib. c. 28. numer. 11.* & alii communiter. Ratio eſt, quia vis, & efficacia privilegii non conſiſtit eſſentialiter, nec omnino in ratione, ſed in voluntate concedentis, ergo ſi hæc non extenditur ad aliam perſonam, vel caſum ſimilem, nec privilegium extenditur, etiamſi eadem ſit utrobique ratio: non extenditur autem voluntas dantis privilegium, niſi id verbis ſignificetur, aut exprimatur. Et hinc jura paſſim præcipiunt, tenorem privilegii obſervari, adeoque intra illum tantum, & ſalva verborum proprietate, extenſio licite fieri poteſt, non autem ultra illam, idque etiamſi ſit cauſa pia: alioqui enim privilegia conceſſa uni Religioni poſſent extendi ad aliam æqualem, vel ſtrictiorem, propter ſolam paritatem rationis, quia eſt etiam cauſa pia: quod eſt falſum, cum nemo poſſit tale extenſionem facere, niſi Papa privilegiorum communicationem conceſſerit: idque eſt etiam contra regulam Juris 7. in 6. quod privilegia perſonalia non tranſcendant perſonas, quibus ſunt conceſſa: & privilegium etiam ad piam cauſam pendet a voluntate Principis, *cit. loc. numer. 13.* Non obſtat *cap. Cum dilecta 4. de confirmat. util. vel inutil.* ibi: *Nos ejuſd. æquitatis ſimilitudine prov. vocati, privilegia duximus innovanda*: ex quo infertur, quod etiam in lege, ſeu diſpoſitione exorbitante, ſive excipiente cauſam ſingularem a communi jure, ob ſimilitudinem, ſeu identitatem rationis, quandoque extenſio fieri poſſit. Nam illa extenſio ibi facta eſt voluntate papæ, non tam declarando, quam conſtituendo: ſecus eſt de privatis perſonis privilegiis utentibus, qui hujuſmodi extenſionem, ſuam privata auctoritate, facere non poſſunt. *Suar. cit. l. n. 14.*

XXV. Ubi tamen notandum primo, aliud eſſe extendere privilegium ab una perſona ad aliam vel ab uno caſu ad alium, propter ſolam ſimilitudinem rationis, quod non licet: aliud privilegium ita interpretari, ut aliquid in eo comprehendatur, etſi id verbis clare non ſit expreſſum. Sic ſub facultate diſpenſandi in votis comprehenditur etiam facultas illa commutandi: & ſub licentia teſtandi, ſive faciendi teſtamentum continetur etiam facultas conficiendi Codicillos, vel donandi cauſa mortis, tanquam acceſſorium ſub principali: tanquam talis extenſio de uno ad aliud non fiat, ob ſimilitudinem rationis: ſed quia virtualiter talis facultas in ipſis verbis continetur, juxta rationabilem eorum interpretationem, nixam jure, vel conſuetudine, vel judicio prudentum, ſervata tamen propria verborum ſignificatione, adeoque non eſt extenſio proprie dicta, ſed potius comprehenſio, *Suar. c. l.*

Notandum ſecundo, interpretatio, ſeu extenſio privilegii ſemper fieri debet in propria verborum ſignificatione, niſi major omnino ſit neceſſaria, ut privilegium non ſit inutile, ſed aliquid operetur. Ratio eſt, quia verba privilegiorum, ſicut etiam verba legis, in proprio ſenſu, ac ſignificatione accipienda ſunt, alias nihil certum haberetur, ſi illud ad improprias ſignificationes extendere liceret: niſi neceſſitas cogat, quia ipſum jus præcipit privilegia ſemper ita interpretari, ut non ſint injuſta, neque inutilia, aut fruſtra data, *Suar. cit. l. num. 15.*

Notandum tertio, proprietas verborum, ſecundum quam interpretanda ſunt privilegia, deſumenda eſt ex uſitata ſignificatione, vel uſu communi, vel ſecundum jus privilegio proportionatum, nempe ut ſi ſit privilegium Principis ſecularis, ſecundum Jus Civile, ſi Pontificium, ſecundum Jus Canonicum interpretatio fiat, *Silveſt. V. Privilegium q. 3. concl. 5. Suar. cit. cap. 28. nu. 16.* Et ſic intelligi debent regulæ, quæ paſſim traduntur a DD. ut quod privilegia non plus operantur, quam verbis exprimant, late, vel ſtricte acceptis, juxta conditione privilegii, & ſervata propria verborum ſignificatione communi, vel ſaltem juridica, niſi ſpecialis neceſſitas cogat ad verba improprianda. Item privilegium mere favorabile extendendum eſt, ſalva verborum proprietate, juxta materiam ſubjectam, vel uſum juridicum: privilegium vero ſimpliciter odioſum reſtringendum eſt, ut quam minimum operetur, nempe reſpectu aliorum non autem reſpectu concedentis, & ita ut non careat omni effectu, ſed habeat præciſe neceſſarium, *Suar. cit. c. 28. n. 17.*

XXVI. Quæritur tertio, quando privilegium conceditur, ad inſtar alterius, vel uni conceſſum alteri communicatur, an ſi illud prius augeatur, vel minuatur, ſive reſtringatur, vel revocetur, cenſeri etiam debeat auctum, vel diminutum, vel revocatum privilegium, quod eſt conceſſum ad inſtar alterius, vel ejus, cui communicatur, & vice verſa? Reſp. cum diſtinctione, vel enim ad inſtar conceditur, aut communicatur privilegium alteri, non per ſe, & principaliter, ſed quaſi dependenter ab eo, cui conceſſum fuit primo, & principaliter, quomodo privilegia Religionis alicujus interdum communicantur familiaribus Religionum, non ratione ſui, ſed ratione Religionis: & tum aucto, reſtricto, vel revocato privilegio principali, neceſſario augetur, reſtringitur, vel revocatur privilegium in perſona eorum quibus communicatum eſt, quod omnino pendet a priore quoad uſum illius, tanquam acceſſorium, principali: non autem vice verſa, perdito, vel revocato privilegio, quoad familiares, perditur etiam, vel revocatur quoad Religionem, quia principale non pendet ab acceſſorio, *Suar. cit. libr. 8. c. 16. n. 11. & 12. Barb. in Collect. in c. Quod nonnullis 25. h. t. nu. 4.* Vel privilegium conceditur alteri, ad inſtar, ſeu communicatur alteri non dependenter, ſed directe, per ſe, & æqualiter, ita ut is, cui communicatur, eo uti poſſit, eodem modo, quo prior poterat, & fiat ejus proprium, non minus, quam ſi tali perſonæ, vel loco, primo fuiſſet conceſſum, & tum aucto, vel reſtricto, vel revocato privilegio principali, ſeu prius dato alteri, non augetur, nec minuitur, ſeu reſtringitur, nec revocatur privilegium poſtea alteri, vel aliis communicatum, quia utrumque privilegium ſtat per ſe, ut re ipſa diſtinctum: & poſterius conceſſum eſt quidem ad inſtar prius conceſſi: non tamen quoad uſum, vel non uſum pendet a priore tanquam acceſſorium a principali, cum æque principaliter, & independenter a priore ſit conceſſum. Sic in communicatione privilegiorum, qua communicantur privilegia uni Religioni conceſſa aliis Religionibus, datur quidem jus utendi illis privilegiis; non tamen communicatur uſus, vel non uſus, quia licet Religio, cui primo conceſſa ſunt, illis non utatur, & propter non uſum ea amittat, adhuc tamen aliæ Religiones iis uti poterunt, quibus independenter ab uſu Religionis, cui primo data ſunt, illa privilegia ſunt communicata, *Rodriq. tom. 2. qq. reg. q. 55. art. 19. Suarez. cit. c. 16. n. 15. & ſeqq. Barb. c. l.*

S E C T I O II.

De privilegiis in ſpecie, & in primis de privilegio exemptionis juriſdictione Ordinarii.

De hoc privilegio exemptionis, ſive liberationis a juriſdictione Ordinarii, ſeu Epiſcopi Diœceſani agitur in pluribus Capitulis *h. tit.* quæ in §§. *ſeqq.* adferemus.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

An ex ſolutione annui cenſus Papæ facta Privilegium exemptionis ab Ordinario probetur, & quibus modis, vel verbis?

XXVII. Aſſertio 1. Ex ſolutione cenſus facta Sedi Apoſtolicæ non probatur exemptio a poteſtate, ſeu juriſdictione Ordinariorum, niſi appareat, quod in ſignum immediatæ ſubjectionis, ac perceptæ libertatis ſit ſolutus Sedi apoſtolicæ, prout ſumitur ex *c. Recepimus* 8. *h. t.* Nam quidam
„ Legatus Sedis Apoſtolicæ invenit plures Eccleſias in ſua
„ legatione cenſuales, unde dubitans, utrum hoc ipſo
„ eſſent exemptæ a juriſdictione Epiſcoporum, conſuluit
„ ſuper hoc Papam Alexandrum III. qui reſpondit, ſicut
„ non omnes illi, qui ſpecialiter exiſtunt juris B. Petri,
„ annuatim cenſum Sedi Apoſtolicæ ſolvunt; ita non o-
„ mnes cenſuales ſunt immunes ab Epiſcoporum ſubjectio-
„ ne. Inſpicienda ſunt ergo Eccleſiarum privilegia, & i-
„ pſorum tenor diligenter eſt attendendus: & ſi fuerit in
„ eis deprehenſum, quod Eccleſia, quæ cenſum ſolvit, ſpe-
„ cialiter B. Petri juris exiſtat, & ad indicium perceptæ
„ libertatis cenſus annuus ſolvatur, Eccleſia illa gaudet
„ prærogativa (ſcilicet exemptionis) & libera eſt cenſen-
„ da. Si vero ad indicium perceptæ protectionis, cenſus
„ perſolvatur, non ideo a juriſdictione Epiſcopali Diœce-
„ ſani eſt ſubtracta, ſeu liberata.

XXVIII. Similiter in *c. Ex parte* 18. *h. t.* quæſitum fuit
„ ex Papa Innocentio III. utrum Clerici & Laici, qui Lit-
„ teras protectionis exhibent, in quibus perſonæ ſuæ ex-
„ preſſo nomine, cum omnibus rebus ſuis, ſub Apoſtolica
„ protectione exiſtere declarantur, a juriſdictione Epiſco-
„ pi Diœceſani ſint exempti. Et reſpondet Papa, quod
„ per litteras hujuſmodi ab Epiſcoporum ſuorum poteſtate
„ non ſubtrahantur.

XXIX. Pro explicatione utriuſque hujus cap. notandum primo, præſtatio, ſive ſolutio cenſus non arguit exemptionem a juriſdictione Ordinarii, niſi ex aliis circumſtantiis concurrentibus appareat, quod hoc fiat in ſignum perceptæ libertatis, ſive exemptionis, quia ſolutio cenſus plura ſignificare poteſt, ſcilicet ſubjectionem, vel protectionem, vel exemptionem: probatio autem debet ex neceſſitate concludere, nec probat hoc eſſe, quod ab hoc contingit abeſſe, quando ſcilicet id, de quo quæritur, ut plurimum contingit abeſſe, *Abb. in cit. c. Recipimus n.* 2. *& ejus Gloſ. lit. A. Eraſm. Kochier tract. de juriſdict. Ordin. in exemptos. p.* 2. *q.* 20. *n.* 6. *&* 7. Deinde non requiritur ad eſſentiam exemptionis a poteſtate Ordinariorum, ut ſolvatur cenſus Superiori eximenti, nam facta exemptio valet, & tenet, etiamſi nullus cenſus ſit reſervatus Superiori in privilegio exemptionis, quamvis quandoque reſervari ſoleat: quare cum exemptio a Papa concedatur ſine ſolutione cenſus ipſi facta, ſequitur quod ſola cenſus præſtatio non probet exemptionem, cum poſſit ex alia cauſa fieri, *Abb. c. l. not.* 1. quando autem, & quomodo ex ſolutione cenſus probetur ſubjectio, dictum eſt ſupra *lib.* 3. *Tit.* 39. §. 2. *n.* 2.

XXX. Notandum ſecundo, ſed neque ex receptione ſub protectione Sedis Apoſtolicæ probatur exemptio a poteſtate Ordinariorum, ſive Eccleſia ſub tali protectione ſit recepta, ut in caſu *cit. c. recipimus*, ſive perſona ſingularis, cum omnibus rebus ſuis: & ſive Clericus ſit, ſive Laicus; & licet nomina propria eorum in privilegio ſint expreſſa, juxta *cit. c. Ex parte tua, h. t. & ibi Abb. not.* 2. Quin imo nec iſta duo ſimul juncta, videlicet præſtatio cenſus annui, & receptio ſub protectione Papæ, probant exemptionem: quia licet Papa: vel alius Prælatus aliquos recipiat ſub ſua protectione, non ideo ſubtrahuntur juriſdictioni Ordinarii, nec ideo ei præjudicatur, *Gl. fin. in cit. c. Recipimus. & Abb. ibid. n.* 2. *not.* 3. Ratio eſt, quia protegere idem eſt quod defendere, ac proinde non importat ſuperioritatem, nam & miles dicitur protegere, ſeu defendere Ducem ſuum *l. Deſertorem* 3. *in fine, ff. de re militari Barb. in cit. c. Recipimus, n.* 8. Nec obſtat *text. in c. Ad audientiam* 33. *de appellat.* ubi rector Eccleſiæ ſe, & Eccleſiam ſuam commiſit protectioni Sedis Apoſtolicæ, & ob hanc ſubjectionem fuit exemptus a juriſdictione Ordinarii, ſaltem in ordine ad illam cauſam. Verum ſubjectio illa ſub protectione Papæ habuit vim tacitæ appellationis, ejuſque vicem obtinuit, adeoque ibi ſermo eſt de protectione ſpeciali, non generali, *Gl. ibid. V. Noſtra protectioni. Barb. in cit. c. Recepimus n.* 8. quo dictum ſupra *l.* 2. *tit.* 28. *n.* 104.

Porro etſi quis exemptus ſit a juriſdictione Ordinarii, non tamen idcirco eſt ſupervacanea, & inutilis talis receptio in protectionem: quia ſaltem hoc operatur, ut ſi tali per violentiam aliquid ablatum ſit, vel ſi alias in perſona, aut rebus ſuis injuſte fuerit gravatus, Sedes Apoſtolica illi tanto citius aſſiſtat, & injuſtum gravamen inferentem, per cenſuram Eccleſiaſticam, monitione præmiſſa, ad plenam reſtitutionem, vel ſatisfactionem compellat: nam & Domini temporales recipientes aliquos ſub ſua protectione, tenentur eos injuſte gravatos defendere, *Hoſtienſ. in cit. c. Recepimus prope finem, Abb. ibid. n.* 5. quin & ad hoc prodeſt talis protectio, ut major ſit receptis reverentia debeatur, quam aliis *Arg. c. Per tuas.* 7. *de majorit. & obed.* & cum injuſte gravantur, Papa facilius moveatur ad litteras, ſive privilegium concedendum, *Gl. fin. in cit. c. Recepimus in fine. Kochier. cit. l. q.* 9. *n.* 3.

Notandum tertio. Ex illis verbis in *cit. Recepimus. qui ſpecialiter juris B. Petri exiſtunt*, aſſertive, non narrative prolatis colligitur exemptio a juriſdictione Ordinariorum, *Abb. hic. n.* 2. de quo mox infra.

XXXI. Aſſertio 2. Privilegium exemptionis a juriſdictione Ordinariorum quibus formis, ſeu modis, clauſulis, vel verbis probetur, declaratur in *c. Si Papa* 10. *h. t. in* 6.
„ Nam ſi Papa in aliquo privilegio, vel ſcriptura facta non
„ principaliter ſuper datione, vel ſententia exemptionis a
„ ſeu libertatis, narret aliquam Eccleſiam ad jus, & pro-
„ prietatem Eccleſiæ Romanæ pertinere, vel alia ſimilia
„ verba proferat, non ideo probata eſt illius Eccleſiæ exem-
„ ptio, niſi de libertate aliter doceatur. Si autem Papa Ec-
„ cleſiæ, vel Monaſterio exemptionis privilegium conce-
„ dendo, vel ſuper illius exemptione ſententiam ferendo
„ (cum de ipſius exemptionis negotio ageretur) aſſerat
„ ipſam Eccleſiam eſſe exemptam, vel eam juris D. Petri
„ exiſtere, vel ad jus, & proprietatem Romanæ Eccleſiæ,
„ vel ad Romanam Eccleſiam ſpecialiter, vel ſine medio,
„ ſive immediate, vel etiam ſimpliciter pertinere, tum ple-
„ ne exempta hujuſmodi Eccleſia cenſeri debet. Cum enim
„ Jure communi omnes Eccleſiæ per totum orbem ad Ro-
„ manam Eccleſiam pertineant, ſi id alicui concedatur Ec-
„ cleſiæ, vel de ea per ſententiam judicetur, hoc ipſo,
„ ejus probatur exemptio, ut conceſſio privilegii nihil alias
„ allatura ei, cui conceditur, prærogativam gratiæ ſpe-
„ cialis conſerat, cum verba privilegii aliquid operari de-
„ beant. Idem eſt (nempe quod Eccleſia debeat cenſeri
„ plene eſſe exempta) ſi in privilegio contineatur, vel ex-
„ primatur, quod Eccleſia ſit libera, ſeu quod potiatur Ec-
„ cleſiæ Romanæ libertate, vel quod ad hoc prærogativa gau-
„ deat ſpeciali: vel etiam ſi indefinite dicatur, quod Ec-
„ cleſiæ Romanæ annuum cenſum ſolvat ad indicium per-
„ ceptæ libertatis: vel quod Eccleſiam illam eximat ab
„ Ordinarii poteſtate, vel quod non audeat illic Epiſcopus
„ Cathedram, ſeu Sedem collocare, (in locis enim exem-
„ ptis hoc non poſſunt Epiſcopi, *Gl. hic V. Collocare*) vel
„ quod in ea Epiſcopus non poſſit quippiam imperare, vel
„ ordinare, aut ullam juriſdictionem exercere. Similiter ſi
„ aliqui a Papa recipiantur in proprios, & ſpeciales ſub-
„ jectos, cenſentur exempti: non item ſi in proprios & ſpe-
„ ciales filios Romanæ Eccleſiæ ſint ſuſcepti, tales enim
„ non ideo ſunt exempti. Si vero dicatur ſimpliciter, quod
„ aliqua Eccleſia Romanæ Eccleſiæ annuum cenſum ſolvat,
„ non propterea Eccleſia exempta dici debet (non enim
„ omnes Eccleſiæ exemptæ ſolvunt cenſum, nec omnes,
„ quæ ſolvunt, ſunt exemptæ, *Gl. hic V. Cenſum.* de quo ſu-
„ pra.) Sed neque dici debent exempti, ſi aliquibus pri-
„ vilegium concedatur circa aliqua, ut quod non poſſint ex-
„ communicari, ſuſpendi, vel interdici ab alio, quam a
„ Papa vel ejus Legato: vel quod in ſpecies Romanæ Ec-
„ cleſiæ filios ſint aſſumpti: vel aliquid aliud ſpecialiter a
„ Sede Apoſtolica eis ſit indultum, etiamſi poſtea in privi-
„ legio ſequatur, quod Eccleſiæ Romanæ ad indicium per-
„ ceptæ libertatis, annuum cenſum ſolvant: Nam his, &
„ ſimilibus caſibus ſic inſertis articulis privilegiati, quantum
„ ad alia, juriſdictioni Ordinariorum ſunt ſubjecti. Addi-
„ tur in fine hujus c. quod per prædicta (quæ exempli cauſa
„ allata ſunt) Papa non intendat aliis exemptionum, vel li-
„ bertatum modis, ſi reperiantur in litteris Apoſtolicis pri-
„ vilegiorum, vel eorum effectibus derogare.

XXXIII. Pro intellectu hujus cap. notandum primo, verba narrativa in aliqua diſpoſitione prolata, non principaliter ſuper eo, de quo agitur, ſed incidenter ſolum, non inducunt probationem narratorum, etiamſi in poteſtate narrantis ſit concedere ea, quæ narrantur, idque ideo, quia narrata ſuapte natura non probant, ſed probari debent, *Petr. Ancharan. hic not.* 1. *Jo. Monach. n.* 1. *Phil. Franc. n.* 2. V. g. Prælatus quidam impetravit a Papa litteras derogatorias ſuper revocatione rei Eccleſiaſticæ illicite alienatæ ab Anteceſſore ſuo, in quibus dicitur: conqueſtus eſt nobis Titius Prælatus talis Eccleſiæ nobis immediate ſubjectæ, quod prædeceſſor ejus &c. ex tali narratione non probatur exemptio talis Eccleſiæ, quia litteræ illæ non emanarunt principaliter ſuper exemptione Eccleſiæ, ſed incidenter ſolum narratur, talem Eccleſiam eſſe immediate ſubjectam Papæ, ideoque illa narratio plenam probationem non facit *Gl. in cit. c. Si Papa V. Principaliter, Barboſ. in Collect. ibid. n.* 2. verba autem aſſertiva, ſive diſpoſitiva prolata in privilegio, vel ſententia circa exemptionem, ut ſunt illa, in quibus fundatur in tertio concedentis privilegium, vel ſententiam proferentis, & continetur cauſa finalis diſpoſitionis, inducunt plenam probationem exemptionis, *Franc. hic n.* 3. *not.* 3. *Kochier' cit. q.* 9. *n.* 10. imo etiam litteræ narrativæ Papales, ſi ſint de facto proprio, & ſuper illis fundetur gratia, vel intentio ipſius Papæ, plene probant, juxta *Clement. unic. de probationib. Gl. hic V. Aſſerat.*

Notandum ſecundo. Plures ſunt modi, ſeu formulæ verborum, ex quibus colligitur, exemptionem eſſe conceſſam. Veluti 1. ſi in privilegio, vel diſpoſitione aliqua dicatur Eccleſia exiſtere juris B. Petri, vel ad proprietatem Eccleſiæ Romanæ, vel ſpecialiter ad illam, vel ſine medio, vel etiam ſimpliciter pertinere, *cit. c. Si Papa. &c. Cum tempore* 5. *in fine de arbitr. cap.* 2. §. *Nos igitur. de in integr. reſtit. c. Cum olim.* 13. ibi: *nullo mediante, ad Romanam Eccleſiam pertineret. h. t.* & aliæ plures formulæ, quæ habentur *cit. c. Si Papa.*

Notandum tertio. Si Papa aliquos recipiat in filios, non ideo ſunt exempti a juriſdictione Ordinarii, quia recipiendo in filios, ſolum videtur illos recipere in amorem fidelem: nec ſequitur, quod recipiens in filium ſit ſpecialiter ſubjectus, quia filius ſubjectus poteſtati patris poteſt etiam ſubjectus eſſe poteſtati alterius. At vero ſpecialis ſubjectio denotat exemptionem, non enim Papa recipit aliquos in proprios, & ſibi ſpecialiter ſubjectos, ſi adhuc aliis eſſent ſubjecti, ideoque illa verba exemptionem inducunt a poteſtate alterius, *Gl. hic V. Exiſtunt.* Nec obſtat, quod ſi Dominus ſervum ſuum apud acta filium nominet, is ſervitute eximatur, *l. unic.* §. *Similique modo* 10. *C. de latina libert. tollend.* ergo etiam receptus in filium a Papa eximetur a juriſdictione Ordina-

rii.

Digitized by Google

riorum. Nam negatur conſeq. Ratio diverſitatis eſt, quia Dominus, concedendo libertatem ſervo, ſibi ſoli præjudicat. Ac vero per exemptionem fieret præjudicium ordinariæ juriſdictioni Epiſcopi, quæ eſt favorabilis, *c. Pervenit* 39. *cauſ.* 11. *q.* 1. *c. Cum perſona* 7. *h. t. in* 6. *Gl. in cit. c. Si Papa V. Non exiſtunt. & ib. Franc.* §. *Et eſt ratio n.* 2. *eod. in* 6. *Kochier cit. q.* 9. *n.* 2.

XXXIII. Notandum quarto. Etſi ea ſolutione annui cenſus præciſe, non recte probetur exemptio, ſi aliæ conjecturæ non concurrunt, ut ſupra dictum: ſi tamen Eccleſia aliqua exiſtens in Diœceſi alicujus Epiſcopi, eidem longo tempore cenſum annuum ſolvat, merito præſumitur, quod ea ſolutio facta ſit in ſignum ſubjectionis, cum Epiſcopus, quoad juriſdictionem, in tota Diœceſi, jure communi, fundatam habeat intentionem; *Barb. hic n.* 5.

Notandum quinto. Si alicui circa aliquid ſpecialis libertas, ſeu privilegium concedatur, v. g. ne quis ab Ordinario poſſit excommunicari, vel interdici perſonaliter; & deinde addatur clauſula, ut in ſignum perceptæ libertatis, ſeu privilegii, cenſum annuum perſolvat Papæ, non probatur ea ſolutione cenſus omnimoda exemptio a juriſdictione Ordinarii, quominus aliis pœnis ab eo puniri poſſint: nam cum cenſus ſolvatur in ſignum illius privilegii, ſeu libertatis, quæ percepta eſt: hæc autem non ſimpliciter data ſit, ſed ſolum quoad certum articulum v. g. ut non poſſit excommunicari ab Epiſcopo, merito ad illum reſtringitur exemptio, & quoad alia manet ſubjectus Ordinario: poteſt enim quis pro parte eſſe exemptus, & pro parte ſubjectus, ita ut in uno articulo, vel pluribus ſit exemptus; in aliis vero ſubjectus remaneat poteſtati ordinariæ, *Gl. fin. in cit. c. Si Papa, & ibid. Franc.* §. *Et eſt ratio n.* 3 *Barb. n.* 9.

Notandum ſexto. Non ſolum per formulas verborum in c. hoc allatas, ſed etiam per alias non expreſſas exemptio probari poteſt, dummodo conſtet de mente Papæ, quia quæ in lege, exempli gratia, ſunt poſita, non reſtringunt legem ad caſus tantum expreſſos, ſed extenduntur etiam ad alia ſimilia, *Gl. in cit. c. Si Papa, Franc.* §. *fin. ibid. n.* 1.

§. II.

An per privilegium conceſſum alicui Monaſterio, ut fructus Eccleſiæ ſibi ſubjectæ in ſuos uſus poſſit convertere, Eccleſia illa cenſeatur exempta a juriſdictione Ordinarii?

XXXIV. Reſp. negative, prout ſumitur ex *c. Paſtoralis* 19. *h. t.* ubi habetur, „quod quidem Religioſi impetrarunt a Sede Apoſtolica indultum, ſive privilegium, ut Eccleſias ſuas ſibi ſubjectas in proprios uſus poſſint convertere, decedentibus perſonis earum (ſcilicet Eccleſiarum.) Unde quæſitum fuit, utrum liceat eis, auctoritate propria, poſſeſſionem illarum Eccleſiarum intrare: vel an per Diœceſanum Epiſcopum in illas potius ſint inducendi? Reſp. Papa Innoc. III. quod ſuo Epiſcopo inconſulto, non liceat eis poſſeſſionem illarum Eccleſiarum ingredi, quia per hujuſmodi indulgentiam non eſt cenſendum Epiſcopali jure derogari, niſi forte in ipſa indulgentia, ſeu privilegio ſummi Pontificis expreſſe contineatur, quod Epiſcopo inconſulto, id facere poſſint.

XXXV. Pro explicatione hujus c. notandum primo Religioſi non poſſunt, propria auctoritate, Eccleſias ſibi ſubjectas in proprios uſus convertere, ſine licentia Papæ, vel ſaltem Epiſcopi, accedente conſenſu Capituli, & ex juſta cauſa, ut ſi Religioſi ſint valde indigentes, uti ſumitur ex *c. Conſultationibus* 4. *& c. Paſtoralis* 7. *de donationib.* Idemque eſt de aliis Prælatis, qui habent Eccleſias ſubjectas, *Hoſtienſ. hic V. In proprios uſus & Abb. n.* 1. *&* 6.

Notandum ſecundo. Conceſſio Eccleſiæ alicujus in proprietatem, ſive unio facta alteri Eccleſiæ vel Monaſterio, vivente adhuc ejus Rectore, etiam a Papa non ſortitur effectum, niſi poſt mortem ejuſdem Rectoris, quia cenſetur facta, abſque ipſius præjudicio, *arg. c. Conſultationibus de donat.* & colligitur ex hoc c. ibi: *decedentibus perſonis earum*, *Abb. hic in colloll. n.* 2.

Notandum tertio. Quando alicui conceditur, ut fructus alicujus Eccleſiæ percipere, ſive in ſuos uſus convertere poſſit, non poteſt is, licet Eccleſia vacet, poſſeſſionem illius Eccleſiæ, quam nunquam habuit, propria auctoritate, capere & fructus percipere, abſque conſenſu Epiſcopi Diœceſani: ſicut nec is, cui vacans beneficium collatum eſt in titulum, poteſt, propria auctoritate, ejus poſſeſſionem capere & fructus percipere, ſed neceſſarium eſt, ut immittatur in poſſeſſionem, legitimi Superioris auctoritate, *c. Ad hæc* 7. *de Offic. Arcid.* quia nemo ſua privata auctoritate, rem ſuam accipere debet, *l. Si quis* 7. *Cod. Unde vi c. Placuit* 2. *cauſ.* 16. *quæſt.* 6. *Gloſs. in cit. Paſtoralis. V. In poſſeſſionem h. t.*

XXXVI. Notandum quarto. Per privilegium conceſſum alicui Monaſterio convertendi Eccleſias ſibi ſubjectas in proprios uſus, intelligitur ei conceſſa adminiſtratio illius in rebus ſpiritualibus, & temporalibus, ita tamen ut Eccleſia maneat in priſtino ſtatu, ac proinde ſi fuit Eccleſia Collegiata, debet ibi ſervari Collegium: ſi vero in illa Rector fuit inſtitutus, debet a Monaſterio præſentari Epiſcopo Clericus, ut inſtituatur in vicarium perpetuum illius Eccleſiæ: fructus vero reliquos, ſive ſuperfluos Monaſterium poteſt percipere, & in uſus ſuos convertere, deducta certa portione congrua pro Vicario alendo, vel etiam poteſt omnes fructus relinquere Vicario, reſervata ſibi certa portione, *c. Avaritia* 10. *& c. De Monachis* 12. *de præbend. Innocent. in citat. c. Paſtoralis num.* 2. *hoc titul. & ibid. Abb. numer.* 7.

Notandum quinto, per privilegium, ſive facultatem alicui conceſſam, ut poſſit Eccleſiam aliquam convertere in ſuos uſus, non eximitur illa Eccleſia a juriſdictione Epiſcopi, vel alterius Ordinarii, quia nunquam cenſetur Papa derogare velle juri Ordinariorum, niſi id exprimatur *cit. cap. Paſtoralis, in fine h. t. Abb. ibid. n.* 8. & privilegium Papæ ſemper intelligitur conceſſum, ſine gravi læſione alterius *Gl. hic V. Expreſſum*. Aliud eſt, ſi a Papa alicui Monaſterio, vel alteri pio loco ſit conceſſa aliqua Eccleſia, pleno jure. Tum enim illa ſit exempta a juriſdictione ordinaria, quia Eccleſia, pleno jure alicui conceſſa, ei ſit ſubjecta, quoad legem Diœceſanam, & legem juriſdictionis ita requirat juriſdictionem quaſi Epiſcopalem; & Epiſcopus nullum jus Epiſcopale ibi exercere poſſit: ſed præſentatio, inſtitutio, & deſtitutio Clericorum pertinet ad eum, qui pleno jure talem Eccleſiam poſſidet. Non tamen per conceſſionem hujuſmodi a Papa factam poteſt donatarius, ſive is, cui talis conceſſio facta eſt percipere fructus, & illos in propriam utilitatem convertere, qui cum ea conceſſio cedat in præjudicium Eccleſiæ conceſſæ, debet ſtricte intelligi. Sicut etiam ipſe Epiſcopus, qui habet Eccleſiam ſibi ſubjectam, pleno jure, ſi ſolum juriſdictionem in illa habeant in ſpiritualibus, & temporalibus, non poteſt fructus percipere, & convertere in propriam utilitatem. Poteſt tamen is, cui talis conceſſio facta eſt rationem rerum temporalium ad Eccleſiam pertinentium exigere, ſicut ipſe Epiſcopus poteſt, juxta *c. Cum & plantare* 3. §. *In Eccleſiis h. t. Innocent. in cit. c. Paſtoralis num.* 3. *h. t. Abb. ibid. nu.* 9. *& in c. Cum inter* 13. *num.* 15. *de ſentent. & re judic. Kochier citat. q.* 9. *nu.* 6. *&* 7.

§. III.

Proponuntur aliæ quædam quæſtiones circa privilegia exemptionis a juriſdictione Ordinarii.

XXXVII. Præmittendum, quod exemptiones aliæ ſunt reales, aliæ perſonales ut notat *Abbas in c. Tuarum* 11. *nu.* 8. & ibi Canoniſtæ communiter. Reales ſunt quæ ratione rerum, ſeu locorum perſonis competunt: perſonales vero, quæ intuitu perſonarum conceſſæ, perſonas ubique comitantur, & afficiunt: inter quas hæc eſt differentia, quod exemptio realis non extendatur ad alias res, nec ad alia loca, ſed ſequatur rem aut locum, eique cohæreat; at vero perſonalis oſſibus perſonæ adhærens, eam ubique comitatur, & eximit, *Kochier. tract. de juriſdict. ordin. in exemptos part.* 1. *quæſt.* 2. *num.* 1. *& ſeqq.* & in dubio potius præſumi debet, quod ſit conceſſa exemptio realis, quam perſonalis, quia cum exemptiones ſint ſtricti juris, reſtringendæ ſunt, & ſic præſumendo minus præjudicatur juriſdictioni ordinariæ, quæ favorabilis eſt, *Kochier citat. loc. n.* 6. *&* 7. *Menochius de præſumpt. lib.* 3. *præſumpt.* 107. *n.* 19.

XXXVIII. Quæritur primo an exemptus, reſpectu certi loci ſeu rei, ſit etiam exemptus, reſpectu alterius rei, vel loci? Reſp. negative, ut conſtat ex *c. Tum Capella* 16. *hoc tit.* Ubi habetur, „quod Capella Ducis Burgundiæ gaudebat ſpeciali privilegio a Sede Apoſtolica ipſi conceſſo, vi cujus nullus Archiepiſcopus, vel Epiſcopus in perſonas Canonicorum ipſius Capellæ ſententias ſuſpenſionis, vel interdicti, vel excommunicationis audebat promulgare. Quidam vero Canonici prædictæ Capellæ obtinentes Eccleſias Parochiales, quæ ſubſunt Epiſcopo Lingonenſi, dicebant ſe, vi dict. privilegii, in omnibus eſſe exemptos a juriſdictione Epiſcopi, ita ut quantumvis graviter excederent, correctioni & ſententiæ ipſius Epiſcopi ſubjacere recuſarent, & negarent. Epiſcopus ſignificavit hoc Papæ Innocentio III. qui mandavit eidem, ut in quantum exempti ſunt (quod colligitur ex forma ipſius privilegii, *Gloſs. hic V. In quantum exempti.*) ratione ipſius Capellæ, revereuter deferat Apoſtolicis privilegiis: ſed ratione aliarum Eccleſiarum Parochialium, quas ab Epiſcopo obtinent, vel quæ alias ad juriſdictionem Epiſcopi pertinent, ex debito officii ſui, contra eos libere procedat: ſcilicet non obſtante contradictione & appellatione, quia a correctione appellari non poteſt: *c. Ad noſtram* 3. *de appellat. Hoſtienſ. hic in fine.*

XXXIX. Pro intellectu hujus cap. notandum primo, qui eſt exemptus a juriſdictione Epiſcopi, reſpectu unius loci, v. g. Capellæ Regiæ, non cenſetur exemptus, reſpectu alterius, v. grat. Parochiæ, quam ab Ordinario habet, quia privilegium datum perſonis, reſpectu certi loci, ut in caſu propoſito Canonicis, reſpectu certæ Capellæ, cenſetur potius eſſe reale, quam perſonale, cum enim cedat in præjudicium poteſtatis, & juriſdictionis Ordinarii, ſtricte eſt interpretandum, & reſtringendum ad locum, reſpectu cujus datum eſt, nec ultra illum extendendum, *Abb. hic nu.* 2. quamvis tale privilegium non ſit mere perſonale, nec mere reale, ſed perſonale reſtrictum ad determinatum locum, *Fagn. hic n.* 2.

Notandum ſecundo, de jure communi poteſt quis ſimul habere Canonicatum, & beneficium curatum, ut videtur colligi ex hoc c. quod tamen non probat hic textus, quia ſolum narrat factum, ſecundum *Joann. Andr. hic nu.* 2. Vel iſti Canonici habebant Parochias ex diſpenſatione Epiſcopi, *Joann. Andr. cit. loc. Abb. n.* 4. Sed quicquid ſit de jure communi, hodie Canonicatus eſt incompatibilis cum beneficio curato, cum utrumque requirat perſonalem reſidentiam, juxta *Concil. Trident. Seſſ.* 7. *c.* 4. *junct. Declarat. Cardin. apud Joann. Gallemart. ibid. n.* 3. *& Seſſ.* 24. *c.* 27. *junct. c.* 12. *Fagn. hic n.* 5.

Notandum tertio, ſi Canonici dictæ Capellæ delinquant in loco Capellæ, Epiſcopus non poteſt illos excommunicare, ſuſpendere, vel interdicere, quia quoad hoc ſunt privilegiati, & exempti: poteſt tamen illos aliter punire, quia quoad alias pœnas privilegium exemptionis non habent. Quod ſi delinquant, extra Capellam, adeoque extra locum exemptum, poterunt ab Epiſcopo loci, etiam per Eccleſiaſticam cenſuram, coerceri & puniri, quia nomi-

Digitized by Google

nomine Capellæ tantum, & quandiu ibi morantur, ſunt privilegiati, & quidem quoad cenſuras tantum, ne illæ ipſi infligantur: quoad alia vero lo omnibus ſubjecti ſoot juriſdictioni Epiſcopi loci, ita ut ratiuoe Parochialium Eccleſiarum, coram illo coovenire poſſint, & puniri, ubicunqoe ſuerint *Hoſtienſ. hic V. Parochialium. & V. Per alias, Abb. ibid. nu. 6.*

XL. Notandum qoarto, etſi *Gl. hic, V. In quantum exempti*, dicer, quod privilegium exemptionis conceſſum alieni Monaſterio, & omnibus Capellis ipſius, ſe extendat etiam ad Capellas poſtea de novu acquiſitas, ſiquidem hæc acceſſorie ſint annexæ: ſecus ſi ab illis omnino ſint ſegregatæ, & babeaor ſe velut principale, & non acceſſorie ad alias Cappelias. Oppoſitum tamen eſt probabilius, nempe quod hojuſmodi privilegium indiſtincte non extendatur ad Capellas de novo acquiſitas *arg. c. Si ita. 7. ff. De auro, & argento legat.* Ubi dicitur: *ſi ita legatum ſit, veſtem meam argentum meum tibi lego*, ſolum præſens argentum, non futurum legatum ceoſetur, quia pronomen meum, vel ſuum, tantum verificatur de præſeori. Ratio eſt, quia hujuſmodi privilegia ſuot odioſa, cum præjudicent juri Ordinariorum, ideoque ſunt reſtringenda, *Hoſtienſ. hic. §. Sed pone, & Abb. numer. 5.* Non obſtat, quod de novo acquiſitum eodem jore cenſetur cum antiquo, *cap. Eccleſiis de cenſib.* & una eademque Eccleſia non debet diverſo jure ceoſeri, *cap. Cum in una 30. de decimis*. Nam debet eodem jure communi cenſeri, non autem ſpeciali: quod non extenditur: vel debet eodem jure cenſeri, quoad idem, ſicut oon poteſt quis eſſe ſimul ſervus, & liber: ſed ratioon diverſorum jurium concurrentium in eadem perſona vel re, poteſt idem, vel eadem re diverſo jure cenſeri, nam poteſt una eademque perſona, vel Eccleſia in uno eſſe privilegiata, non eſſe in alio: & poteſt quis habere plura domicilia, & ratione eorum, ſubeſſe diverſis, & in unius foro, uno jure judicari: in alterius, alio, *Hoſtienſ. & Abbas locis citt.*

Notandum quinto, Capellæ Principum, & Capellani eorum non ſubſunt Magiſtris Capellarum, ſed locorum Ordinariis, quibus ipſi Principes in ſpiritualibus ſubſunt, *c. Omnes 44. c. Solicita. 6. de major. & obed.* ergo multo magis Clerici Capellarum, & ipſa Capella; Epiſcopus enim fundatam habet intentionem ſuper exercitio juriſdictionis in tota Diœceſi, & quelibet ejus parte, *c. Cum Epiſcopus. 7. de offic. Ordin. in 6. Abb. hic nu. 3. Fagn. ibid. num. 6. & 7.* ubi *n. 8.* addit, quod Capellæ regiæ, earumque Capellani quamvis exempti, viſitari poſſint ad Epiſcopo ex decreto *Concilii Trident. Seſſ. 24. c. 11.* & juxta *declarat. S. Congreg.*

XLI. Quæritur ſecundo, an per exemptionem conceſſam Monaſterio, cenſeantur etiam exemptæ Capellæ ipſi ſubjectæ, vel exempto Capite, etiam membra illius? Reſp. negative, ut conſtat ex *c. Ex ore 57. h. t.* Nam cum inter
„ Epiſcopum Vigorienſem & Monaſterium Evaſmenſe or-
„ ta eſſet controverſia ſuper ſubjectione, & libertate ipſius
„ Monaſterii; Procurator Monaſterii propoſuit, quod idem
„ Monaſterium a prima ſui fundatione liberum extitit,
„ & exemptum (cum Capellis ſuis:) ad quod pro-
„ baodum produxit privilegia Romanorum Pontificum,
„ unum Conſtantioi, alterom Alexandri, Indulgentias
„ Clementis, & Cæleſtini, quorum uſum continuum
„ a longis retro temporibus per depoſitiones teſtium oſten-
„ dere jubebatur. Sed ex parte adverſa, reſponſum fuit,
„ quod in privilegio Conſtantini quippiam contineatur,
„ per quod idem Monaſteriom ad juriſdictionem Epiſco-
„ pi pertinere videtur, videlicet quod ejuſdem Mo-
„ naſterii Abbas primum locum, poſt Vigorienſem Epiſco-
„ pum in Synodo ſemper obtineat. Sed hoc non poteſt
„ ita intelligi, qond primum locum obtineat in Conci-
„ lio Generali, vel Provinciali: abſurdum enim eſſet,
„ quod Abbas, primus poſt illum Epiſcopum, ante alios
„ Epiſcopos ſederet (ubi ſubintelligendum, quod Vigo-
„ rienſis Epiſcopus non ſit oltimus in ordine Epiſcopo-
„ rom, ſeu Suffraganeorum ſuæ Provinciæ, adeoque neque
„ ultimus ſedeat inter Epiſcopos lo Concilio Provinciali,
„ vel Generali, *Hoſtienſ. hic. V. Abſurdum*) & ſic conſequens
„ eſt, quod locum proximum, poſt Epiſcopum Vigorienſem,
„ Abbas ille habeat in Synodo Diœceſana, ſeu Epiſcopali:
„ quare ad illam Synodum accedere tenetur & illius ſta-
„ tuta recipere ac ſervare. In privilegio vero Papæ Ale-
„ xandri aliud quidpiam continetur, per qood Diœce-
„ ſanus Epiſcopus in eodem Monaſterio, etſi non in omni-
„ bus, in aliquibus tamen juriſdictionem retinuiſſe videtur,
„ cum de illo dicatur, ut Epiſcopi Vigorienſes ab ejuſdem
„ Monaſterii Fratribus aliquid injuſte non exigant: ſed
„ his contenti ſint, quæ Fratres illi, eorumque Ante-
„ ceſſores prioribus Epiſcopis Vigorienſibus rationabili-
„ ter præſtare conſueverunt: unde apparet, quod Ab-
„ bates illi ex bonis ſuis aliqua dictis Epiſcopis exibere
„ tenetur. Quare Papa, his & aliis intellectis, cum a neu-
„ tra parte ſit probata præſcriptio (in his enim, quæ per
privilegium non erant exempta, Abbas non probavit præſcriptionem, ideoque Epiſcopus obtinet. Sed nec Epiſcopus probavit præſcriptionem, quoad ea, in quibus Monaſterium exemptum erat, & ideo in illis obtinet Abbas, & ſuccumbit Epiſcopus. Ex quo paret, quod etiam contra privilegium exemptionis præſcribi poteſt, de quo infra, *Gl. hic. V. Sit probata præſcriptio & Hoſtienſ. ibid*) per ſententiam definivit,
„ quod Monaſterium, Evaſinenſe liberum ſit, in Capite,
„ taoquam ab Epiſcopali juriſdictione omoino exemptum &
„ ſoli Romanæ Eccleſiæ ſubjectum: (ſecus in membris, ut
„ infra ſequitur) tutela tamen ipſius Monaſterii (ſi forte ab
„ aliquibus injuſte oprimatur) Archiepiſcopo Cantuarenſi
„ reſervata: in membris autem, quæ oon probantur exem-
„ pta, Diœceſano Epiſcopo ſit ſubjectum, & propterea
„ Abbas ad Synodum ejus debet accedere, primumque lo-
„ cum, poſt Vigorienſem Epiſcopum obtinere. Pro ipſis
„ quoque membris oon exemptis idem Abbas tenetur Vi-
„ gorienſi Epiſcopo exhibere reverentiam, obſequium, &
„ hoоorem, quibus exhibiti, idem Epiſcopus debet eſſe
„ conteotus.

XLII. Hinc colligitur primo, qood non ſolum Abbas non exemptus, ſed etiam exemptus, ſi tamen Eccleſiæ aut Capellæ ipſi ſubjectæ noo ſint exemptæ, teneatur, ratione Eccleſiarum illarom, venire ad Synodum Epiſcopalem, *Hoſtienſ. hic V. ad Synodum, & Abb. ibid. n. 1. not. 2.* Sed do hoc videndum, quid ſanciverit noviſſime Concilium Tridentinom *Seſſ. 25. c. 2. de reform.* de quo alibi dictum.

Colligitur ſecundo, qood per exemptioоem a Papa conceſſam Monaſterio, non cenſentur exemptæ Capellæ idem Monaſterio ſubjectæ, tale enim privilegium odioſum eſt, ideoque oon extendendum, *Gl. hic V. Quæ non probantur, Abb. numer. 4.* & alii communiter, adeoque io bojuſmodi Capellis Epiſcopus retioet omnia jura Epiſcopalia enumetata in *cap. Conquerente 16. de Offic. Jud. Ord.* nec obſtat, quod da connexis idem eſt judicium, *cap. 1. de conſtit.* & totum ac par debent eodem jure cenſeri, qoia hoc non procedit in odioſis, & exorbitaotibus, qoæ non ſoot neceſſario connexa, inſeperabiliter, *Barb. in Collect. hic numer. 6.*

Colligitur tertio, ſi Abbas delinquet in Monaſterio ſuo exempto, non poteſt puniri per Epiſcopum loci, nec conveniri poteſt coram illo, aut reſpondere tenetur ſuper juribus Monaſterii, ſed ratione membrorum nou exemptorum, poteſt conveniri, & tenetur reſpondere coram Epiſcopu loci: ſicut exemptus, ratione rerum exiſtentium extra locum exemptum, poteſt conveniri coram Ordinario loci, *cap. 5. h. tit. in 6.* & ſi poteſt quis eſſe vaſſalus duorum dominorum, reſpectu diverſarum rerum: ſicut io caſu hujus c. Abbas ſubeſt immediate Papæ, quoad Caput ſive Monaſterium, & Epiſcopo Diœceſano, quantum ad membra, ſive Capellas non exemptas, *Gl. fin. hic & Hoſtienſ. in fine, Abb. numer. 5.* Hinc ſi ſiat appellatio ab hujuſmodi Abbate exempto, ratione perſonæ ſuæ, debet appellari ad Papam *arg. cap. Auctoritate. 4. hoc. tit. in 6.* Sed ſi appelletur, ratione membrorom nou exemptorum, ut Capellarom, appellari debet ad Epiſcopum loci, qui qooad hæc eſt Superior etiam Abbatis, & ratione membrorum, & Capellarum, tenetur exhibere honorem, & reverentiam ac obſequium Epiſcopo, & ad ejus Synodom venire, illius ſtatuta ſervare, *cit. c. Ex ore in fine*. Et Epiſcopus poteſt corrigere ſententiam iojuſtam talis Abbatis, quia non eſt ſimpliciter, & omnino exemptus, *Innoc. hic num. 2. Abb. num. 6. not. ult.*

XLIII. Cæterum quod dictum eſt per exemptionem conceſſam Monaſterio, nou ceoſeri exemptas Capellas ei ſubjectas id procedit, ſi tantum quoad temporalia, vel ſpiritualia, ſive Jure Epiſcopalia ſint ſubjectæ; ſecus, eſt, ſi tale privilegium ſit conceſſum Monaſterio ejuſque Capellis, quæ utroque ſive pleno jure, ad illud ſpectant, tunc enim etiam ipſæ Capellæ ſunt exemptæ, juxta *cap. Quoniam 21.*
„ *hoc tit.* Ubi habetur, quod Epiſcopus Nepeſinus petebat
„ Jus Epiſcopale in Eccleſia S. Blaſii de Flageno pertinente
„ ad quoddam Monaſterium in Diœceſi dicti Epiſcopi
„ conſtitutum, ſed adverſa pars allegabat, quod in privi-
„ legio aliquo Monaſterio conceſſo contineatur unum capi-
„ tulum, ſive articulus, videlicet ut nullus Epiſcopus Ec-
„ cleſias utroque jure (id eſt, pleno jure ſcilicet in ſpi-
„ ritualibus, & temporalibus, *Gl. hic V. Utroque jure*)
„ illi ſubjectas interdicto ſupponere, vel Monachum aut
„ Clericum ejuſdem Monaſterii ſynodare (id eſt, ad Sy-
„ nodum vocare, vel nomine Synodatici, ſeu Cathedratici
„ aliquid exigere, *Gl. hic V. Synodare junct. Gl. marg. lit. A.*)
„ vel excommunicare præſumat. Sed Procurator Mo-
„ naſterii in judicio confeſſus fuit, quod prædictus Epiſ-
„ copus jus Epiſcopale percepit io dicta Eccleſia. Un-
„ de quærebatur, an capitulum prædicti privilegii obſta-
„ ret, quominus Epiſcopus poſſit exercere jus Epiſcopale
„ lo dictam Eccleſiam, vel Capellanum ejus? Reſpondet
„ Papa Innocentius III. cum per confeſſionem partis adver-
„ ſæ conſtet, (nam confeſſio Procuratoris in jure facta do-
„ mino, ſeu principali præjudicat, *Gl. hic in notatis*) quod
„ Epiſcopus recipiat Jus Epiſcopale in prædicta Eccleſia,
„ idem Epiſcopus, non obſtante capitulo illius privilegii,
„ poteſt dictam Eccleſiam interdicere, & excommunica-
„ re Monachum, vel Clericum Monaſterii ad regimen ejuſ-
„ dem Eccleſiæ deputatum: (nam ex eo, quod Epiſco-
pus in illa Jus Epiſcopale percipiat, paret, quod non utroque ſeu pleno jure Monaſterio ſit ſubjecta, *Hoſtienſ. hic V.*
„ *Eccleſiam*) cum alterutrum de jure fuerit faciendum (ſci-
„ licet interdicere, vel excommunicare) quia illud capi-
„ tulum, (ut nullus Epiſcopus Eccleſias interdicere &c.)
„ intelligendum eſſe videtur de monachis, vel Clericis io
„ ipſo Monaſterio (ſcilicet exempto) Permanentibus, vel in
„ deſtinatis ad Eccleſias, utroque jore ſibi ſubjectas, ut pa-
„ tet ex verbis privilegii ſupra poſitis.

XLIV. Ubi notandum primo tunc Eccleſia aliqua eſt Prælato inferiori, pleno jure, ſubjecta, quando Epiſcopus loci nullum jus Epiſcopale in illa exercet, nam ſi aliquod exerceat, jam non eſt, pleno jure, ſubjecta, *Gl. hic in notat. & Abb. num. 1. not. 1.*

Notandum ſecuodo, privilegium conceſſum alicui perſonæ, reſpectu certi loci non ſequitur perſonam, extra illum locum, ideoqoe ſi in alio loco verſetur, noo gaudet illo privilegio, ſed coram Ordinario loci conveoiri, & ſi ibi delinquat, puniri poteſt, *Abb. hic num. 2.*

Notandum tertio, licet perſone ſit exempta, tamen ratione rei non exemptæ, quam poſſidet, poteſt eſſe ſubjecta Epiſcopo loci, *Gl. hic in notat.* & patet ex *cit. c. Ex ore. h. t.*

Notandum quarto, paria ſuot coocedere Eccleſiam pleno jure,

& con-

Digitized by Google

& concedere utroque jure, ſcilicet in ſpiritualibus, & temporalibus, utis, cui conceſſa eſt, habeat in illa poteſtatem inſtituendi, & deſtituendi Clericos, & illa juriſdictionalia exercendi: & in temporales, vel ſaltem ut poſſit exigere rationem rerum temporalium ſicut Patronus Eccleſiaſticos; vel quando conceditur alicui Eccleſia, quoad legem juriſdictionis, & quoad legem Diœceſanam, *Innoc. hic* vel ut habeat in illa jura Epiſcopalia & ea, quæ ſunt tantum juriſdictionis, *Abb. hic num.* 3.

XLV. Quæritur tertio, an exempta Eccleſia juriſdictione Epiſcopi cenſeantur etiam exempti Clerici ſive Miniſtri Eccleſiæ, & an his exemptis, cenſeatur etiam exempta Eccleſia? Reſp. de hoc agitur in *c. Per exemptionem h. t. in* 6. Ubi dicitur per exemptionem (ſive privilegium, quo Papa Eccleſiam aliquam Conventualem vel Collegiatam eximit a juriſdictione Ordinarii, ſeu Epiſcopi Diœceſani)
,, Eccleſiæ conceſſam, ipſa Eccleſia (cum Cœmeterio,
,, atrio, area, domibus & hortis, quæ ſunt juxta Eccle-
,, ſiam, *Gl. hic V. eodem, & in c. 5. V. Exempta h. t. in 6.*) &
,, ipſius Monachi vel Canonici. Clerici etiam, & Conver-
,, ſi ac perpetuo oblati intelliguntur exempti. Non autem
,, Eccleſiæ ejuſdem Presbyter, qui parochianorum curam
,, habet, (qui debet inſtitui ab Epiſcopo, & eſt Vicari-
,, us perpetuus, nec abſque cauſa rationabili amoveri po-
,, teſt, *Gl. hic V. Curam habet*) quoad ea, quæ ad curam e-
,, andem pertinent, nec ipſi parochiani cenſentur exempti.
,, Verum ſi Canonici alicujus Eccleſiæ eximantur, ipſi ſoli
,, Canonici, non autem Eccleſia, vel alii ejus Clerici ſunt
,, exempti. Si autem Clerici cujuſvis Eccleſiæ eximantur,
,, tum tam Canonici, quam alii Clerici eximuntur: non
,, tamen Eccleſia, niſi aliud in privilegio exemptionis ex-
,, primatur.

XLVI. Hinc infertur primo, quod exempta Eccleſia, cenſentur etiam exempti Canonici, Monachi, & alii Miniſtri Eccleſiæ, & multo magis ipſe Abbas, ſeu Prælatus Eccleſiæ, *arg. c. Scire 7. cauſ. 7. q. 5.* nam appellatione Eccleſiæ comprehenduntur etiam miniſtri Eccleſiæ, & perſonæ deputatæ ad ſervitium ipſius Eccleſiæ, & ſub appellatione continentis comprehenditur res contenta, *Franc. hoc num. 1. not. 1.*

Infertur ſecundo, privilegio exemptionis conceſſo Eccleſiæ, non ſolum Monachi, & Canonici, aliique Clerici gaudent, ſed etiam Converſi, qui habitum Religioſum portant & perpetuo oblati, qui ſe ſuaque dederunt Eccleſiæ, ſive regulari, ſive ſeculari: non tamen utuntur habitu Converſorum, ſed privilegiis participant: gaudent enim tales privilegio Canonis, *ſi quis ſuadente 26. cauſ. 17. qu. 5.* & privilegio fori, ut in *c. de foro compet. Jo. Andr. hic* n. 2. *Franc.* n. 2.

Infertur tertio, etſi Vicarius perpetuus in Eccleſia exempta non ſit exemptus, quoad ea, quæ ad curam populi pertinent, ut habetur in *cit. cap. Per exemptionem*: tamen ſecundum ſe, & quoad perſonam ſuam, eſt exemptus, & gaudet privilegiis Eccleſiæ exemptæ, ut docet *Rebuff. in praxi benef. p. 2. tit. de Vicar. perpet.* n. 16. *Kochier de juriſd. in exemptos p. 4. qu.* 37. Ubi tamen id limitat, niſi Prælatus, vel Vicarius aut Rector non eſſet de corpore Eccleſiæ, ut ſi Hoſpitale exemptum habeat Rectorem laicum & alios Clericos ibi divina celebrantes, certe Rector exemptus dici non poterit.

Infertur quarto, exempta Eccleſia, non cenſetur exemptus populus, ideoque Epiſcopus Ordinariam poteſtatem exercere poteſt in parochianos, quia Clerici magis ſunt annexi Eccleſiæ, quam laici, unde & nomine Eccleſiæ comprehenduntur, & quia privilegia hujuſmodi præjudicant poteſtati ordinariæ Epiſcopi reſtringenda ſunt, ut non extendantur a laicos, *Gl. in cit. c. Per exemptionem, & ibi Gloſſ. margin. & Joan. Andr.* num. 2. *Franc. n.* 3. *not.* 5.

XLVII. Infertur quinto, ſi in privilegio dicatur, *Eximimus Canonicos talis Eccleſiæ a poteſtate Epiſcopi ſui*, tum ſoli Canonici ſunt exempti, non autem alii Clerici, quia nomine Canonicorum non veniunt alii Clerici: ſecus eſt, ſi dicatur, Eximimus Clericos, tunc enim etiam Canonici exempti videntur, *arg. c. de perſona 38. cauſ. 11. q. 5.* quia generali appellatione Clericorum comprehenduntur etiam Canonici, ſed non e contra, *Franc. in cit.* p. nn. 3. *not.* 6. & 7. *Kochier c. l. q.* 13. n. 7.

Sed contra obſtare videtur, quia etſi nomine generali Clericorum comprehendantur Canonici Eccleſiæ Cathedralis, ut colligitur ex *c. Bona 3. juncta inſcriptione de poſtulat. Prælat.* quod verum eſt in materia favorabili, vel indifferente: non tamen in materia pœnali, vel odioſa aut ſtricta, ut notat *Abb. ibid.* n. 2. *arg. c. Statutum 22. de Elect. in* 6. Ubi dicitur quod in materia pœnali, nomine Eccleſiæ parochialis, non venit ea parochialis, quæ ſimul eſt Collegiata, quia habet ſpecialem & excellentiorem qualitatem, Collegii ſcilicet, ideoque ſpeciali ſæpe nomine appellari ſolet: qua ratione etiam Canonici Cathedrales, & qui in dignitate Eccleſiaſtica ſunt conſtituti, item Religioſi, propter ſpecialem, eamque excellentem qualitatem, propriis nominibus ſæpe appellantur, ideoque in ſtatuto pœnali quod, ut dicitur in *cit. cap. Statutum*, reſtringi potius convenit, quam laxari, generali Clericorum nomine non comprehenduntur. At vero privilegium exemptionis ſtrictam interpretationem meretur quippe præjudicans Juri Epiſcopali, & Canonicis Conſtitutionibus derogans, ergo in eo ſub generali nomine Clericorum non comprehendantur Canonici. Sed reſpondetur, nomine generali Clericorum non veniri Canonicos, præſertim Cathedrales in materia pœnali, vel ſtricta: niſi ex verbis adjunctis, vel niſi alioquin abſurdum ſequeretur, ut in propoſito, quia abſurdum eſſet Clericos inferiores eſſe exemptos, non autem Canonicos, qui ſunt majores, ideoque ex ſubjecta materia clare colligitur, privilegium exemptionis conceſſum Clericis, etiam ad Canonicos extendendum eſſe, *Laym. in tit. c. Bona, n. 3. Fagn. ibid.* n. 7.

XLVIII. Infertur 6., exemptis Clericis, & Canonicis alicujus Eccleſiæ non intelligitur exempta ipſa Eccleſia, & ſic ſub re contenta non comprehenditur continens, & Epiſcopus non perdit jus in Eccleſia, præter juriſdictionem in Clericos, *Franc. hic num. 3. not. ultim.* Sed neque exempto populo cenſetur Eccleſia eſſe exempta, *Kochier cit. qu. 13. n. 5.*

Infertur ſeptimo, exemptis Clericis cujuſvis Eccleſiæ, non cenſentur exempti Converſi, & Oblati non Clerici, quia in privilegio exemptionis verba ſtricte ſumuntur, & quia in fine hujus cap. non repetuntur Converſi, & Oblati, ſicut ſupra expreſſi ſunt, & ſi Papa voluiſſet etiam alios eximi, id expoſuiſſet, *Gloſ. fin. hic Kochier citat. quaſt. 13. in fine.*

§. IV.

An, & quando exempti a juriſdictione Epiſcopi poſſint coram eodem conveniri, & ab illo puniri, non obſtante privilegio exemptionis?

XLIX. De hoc agitur in *c. Volentes 1. hoc tit. in* 6. ubi In-
,, nocentius IV. in Concilio Generali Lugdunenſi volens li-
,, bertatem, quam nonnullis Apoſtolica Sedes per privile-
,, gium exemptionis indulſit, ſic integram obſervari, ut il-
,, lam alii non infringant, & ipſi ejus limites non exce-
,, dant, declaravit, ac definivit, ut quantumcunque ſic
,, exempti gaudeant libertate: (ſcilicet exemptionis a ju-
,, riſdictione Epiſcopi, ſive Ordinarii) nihilominus ta-
,, men ratione delicti, vel contractus, aut rei, de qua con-
,, tra ipſos agitur (ſi nimirum delictum ſit factum, vel
,, contractus ſit initus in loco non exempto & res litigioſa
,, non ſit exempta, ut patet ex ſequentibus, *Gl. hic V. Aut*
,, *rei*) rite poſſint coram locorum Ordinarii conveniri: &
,, illi quoad hoc (ſcilicet tria jam enarrata) in ipſos ju-
,, riſdictionem, prout jus exigit, exercere. Non tamen ideo
,, privilegium hoc libertatis, ſeu exemptionis caret omni-
,, no ſuo commodo, quia ſic exempti, nec coram Ordina-
,, riis ipſis, ſi in loco exempto delictum commiſſum ſit,
,, vel contractus initus, aut res litigioſa ſit ſita: nec ubi
,, domicilium habent, ſi alibi extra locum exemptum, de-
,, linquant, vel contrahant, ut res ipſa conſiſtant, aliqua-
,, tenus poſſunt ſuper iſtis conveniri: nec Diœceſani illo-
,, rum, reſpectu domiciliorum, ſi tales, extra domicilium,
,, in loco, ubi deliquerunt, vel contraxerunt, aut res ipſa
,, conſiſtit, conveniantur, habent poteſtatem eos illuc re-
,, mittendi, vel ut ſui (in loco domicilii) reſpondeant, in-
,, jungendi: ſalvis tamen, ſive exceptis aliis caſibus, in qui-
,, bus eos Epiſcoporum juriſdictioni ſubeſſe Canonicæ Con-
,, ſtitutiones præcipiunt. Quod autem dictum eſt de exem-
,, ptis (tam quoad conventiones, quam remiſſiones, *Gloſ.*
,, *hic V. In id ipſum, in addit.*) id decernitur etiam circa illos
,, (non exemptos, ſed privilegiatos tantum, *Gl. hic V. Illos*
,, quibus ſcilicet per Apoſtolicum privilegium conceſſum eſt,
,, ut nonniſi ſub uno certo Judice teneantur, reſpondere
,, contra ſe agentibus.

L. Pro explicatione hujus c. notandum eſt, quod duplex eſt exemptio, una mere perſonalis, per quam eximitur perſona ſimpliciter, & abſolute a juriſdictione Ordinarii: alia non mere perſonalis, ſed realis, aut localis, aut mixta, per quam eximitur perſona non ſimpliciter, & abſolute, ſed reſpectu certi loci, ut Canonici reſpectu certæ Eccleſiæ, Monachi reſpectu Monaſterii, prout communiter diſtinguunt DD. apud *Fagn. in c. Tuarum 11. n. 5. & ſeqq. hoc tit.* Si quis priore modo ſit exemptus, nempe ratione perſonæ ſimpliciter, & abſolute, tunc ubicunque delinquat, etiam extra locum exemptum, non poteſt puniri a Diœceſano, ſeu Ordinario loci, neque ſi ibi contrahat, vel res ſit ſita, de qua controvertitur, ſortitur forum, ratione contractus, vel rei ſitæ in illo loco, quia alias privilegium exemptionis eſſet prorſus inutile, & eluſorium, *Arg. l. Quoties 3. C. ubi Senatores, & Clariſſimi &c.* Si vero ſit ſolum exemptus ſecundo modo, reſpectu certi loci exempti, tunc ſic exemptus, ſi delinquat tantum in loco exempto, ita ut effectus delicti non extendatur extra illum locum, is puniri non poteſt a Diœceſano, ſeu Ordinario, etiamſi locus ille exemptus ſit intra Diœceſin ipſius, nec conveniri coram Ordinario ratione contractus initi in loco illo exempto, vel ratione rei ibi ſitæ, prout habetur in *c. 1. V. Numquid ergo, h. t. in* 6. niſi ratione generalis interdicti, quod obſervare tenentur etiam exempti, non obſtante contra conſuetudine, ne Cenſura eludatur, *c. Inter 5. de conſuet. Clement. 1. de ſent. excomm.* & tunc punitur a Diœceſano ut patet ex *c. Tuarum 12. hoc tit.* Hoſpitalarii mittebant ſuos quæſtores, extra locum exemptum, ideoque puniti fuerunt a Diœceſano, de quo infra. Unde ſi exempti projicerent lapides extra locum exemptum, vel alias turbarent Ordinarium, v. g. in Oratoriis ſuis privatis publice pulſando campanas ad convocandum populum, poſſent ab Ordinario coerceri, juxta *c. Patentibus 10. hoc tit.* de quo infra, quia ibi delictum cenſetur eſſe commiſſum, ubi effectus ſequitur: Si vero delictum ſit omnino ſive perfecte commiſſum, extra locum exemptum, tunc ratione delicti ibi commiſſi, vel ratione contractus initi extra locum exemptum, vel ratione rei ibi ſitæ, poſſunt ſic exempti conveniri coram Ordinario loci, juxta *cit. c. 1. hoc tit. in 6. Gloſ. in citato cap. Tuarum. Verſ. Privilegii beneficio, h. tit. & ibid. Abb.* num. 8. *Covarr. pract. qq. cap.* 11. *num.* 5.

LI. Excipi debet, ſi privilegium exemptionis ſit ſpecialiter conceſſum, etiam ratione delicti commiſſi contractus initi, aut rei ſitæ extra locum exemptum; ſicuti exempti ſunt Regulares, quia tunc ubicumque delinquant ſic exempti, vel contrahant, vel res ſita ſit, etiam extra locum exemptum coram Diœceſano, ſive Ordinario loci conveniri non poſſunt, ut fuſe probat *Fagn. in cit. c. Tuarum, n. 9. & ſeqq.*

Ubi tamen rurſum diſtinguendum eſt, nam dupliciter poſſunt eſſe aliqui exempti, ut notat *Fagnan. cit. l. n. 13. & 14.* Primo ſimpliciter, ſeu generaliter, & indefinite, ut ſi in privilegio dicatur: *Tales eximimus a juriſdictione, & poteſtate*, ſive etiam ab omnimoda poteſtate Ordinariorum. Et quamvis tale privilegium exemptionis, quippe generale, ac indefinitum, & abſque ulla reſtrictione conceſſum, videatur etiam generaliter intelligendum eſſe, *c. 2. diſ. 19. cap. Ut oſtenderet 33.* ibi: *Nullo excepto dictum eſt, diſ. 4. de conſec. c. 2. & ibi Gl. V. Generali præcepto de conting. lepros.* ubi ait, quod generaliter dicitur, generaliter eſt intelligendum, ac proinde etiam hoc privilegium exemptionis locum habebit, ubicumque exemptus deliquit, vel contraxit, vel res ſita eſt, etiam extra locum exemptum. Nihilominus tamen probabilius eſt ſic generaliter ſolum, ac definite exemptos non gaudere privilegio exemptionis in prædictis, tribus caſibus, videlicet ratione delicti extra locum exemptum commiſſi *cap. Poſtulaſti 14. & c. fin. de foro compet.* quia ratione delicti perditur privilegium, *c. Privilegium 63. cauſ. 11. qu. 3.* & reatus omnem honorem excludit, *l. 2. C. Ubi Senatores vel Clariſſimi &c.* & in qua Provincia quis deliquit, illic etiam juri ſubjaceat, omni privilegio ceſſante, nec enim prætextu privilegii indefinite, non poterit, ſi extra locum exemptum, & privilegii flagitiorum creſcit auctoritas, *l. 2. C. de privileg. Schol. lib. 12.* Neque etiam privilegium exemptionis habet locum, ratione contractus initi in loco non exempto, *cap. 1. §. Contrahentes, & §. ſeq. de foro comp.* nec denique etiam, ratione rei litigioſæ alias non exemptæ, *c. 3. h. t. & Gl. in cap. Placuit 4. V. Parochianorum, cauſ. 6. quæſt. 3.*

LII. Secundo alii ſunt exempti, non ſolum generaliter, ſed etiam ſpecialiter, cum ſpecifica expreſſione delicti commiſſi, vel contractus initi, vel rei litigioſæ conſtitutæ, etiam in loco non exempto: quale privilegium exemptionis ſpecialiter conceſſum eſt Religioſis S. Dominici a Sixto IV. ab aliis Summis Pontificibus etiam aliis Regularibus, ut refertur a *Fagnano in cit. c. Tuarum, n. 18. & 19.* Et quoad hos exemptos Conſtitutio Innocentii IV. in *cap. 1. h. t. in 6.* nihil novi ſtatuit, ſed tantum declaravit controverſiam, quæ prius erat de generaliter, & indefinite exemptis, ut patet ex illis verbis: *Declaratione irrefragabili definimus: Jo. Andr. ibid. in princ.* At circa ſpecialiter exemptos, etiam quoad tres caſus prædictos, nulla erat controverſia, quin Religioſi hoc privilegium ſpeciale habentes eſſent exempti, etiam ratione delicti, contractus & rei ſitæ extra locum exemptum, quia hi tres caſus ſunt nominatim expreſſi in eorum privilegio, nam ubi verba ſunt clara, non poteſt locum habere interpretatio, ſeu declaratio, adeoque in dicto *c. 1. h. t. in 6.* non comprehenditur ſpecialis hæc exemptio, per quam quorumcunque Ordinum Religioſi totaliter eximuntur ad Ordinariorum juriſdictione, etiam ratione delicti commiſſio, contractu initi, ac rei exiſtentia extra locum exemptum. Alioquin Papa non declaraſſet ibi privilegia exemptionum, ſed illa potius abrogaſſet, vel reſtrinxiſſet, novum Jus induxiſſet, quod repugnat Conſtitutioni declaratoriæ, quæ non debet excedere terminos privilegii declarati, & advertatur etiam intentioni Papæ in *cit. c.* qui ibi *in princ.* dicit quod velit, ut integra ſerventur privilegia exemptionis, per quod verbum excluditur non tantum privilegii abrogatio, ſed etiam reſtrictio, *Fagn. c. l. n. 16. 17. 18. & 19.*

LIII. Sed contra hactenus dicta objici poteſt, vel privilegia exemptionum Regularibus conceſſa ſunt ante Conſtitutionem Innocentii IV. in *c. 2. h. t. in 6.* vel poſt illam. Si ante, tum ſequitur, quod privilegia illa ſint per eandem Conſtitutionem reſtricta, ad tres caſus ibi expreſſos, ut in illos locum non habeant, ſi exempti delinquant, vel contrahant, vel res litigioſa ſit ſita in loco non exempto, quamvis exemptiones ſint generales, & ampliſſimæ, ut ſatis innuitur in illis verbis *c. 1. Quantumcunque ſit exempti gaudeant libertate.* Si vero privilegia illa exemptionum Regularibus conceſſa ſunt, poſt eandem Conſtitutionem, tunc non valent, niſi ſpecialiter, & expreſſe decreto illi Generalis Concilii Lugdunenſis, fuerit in nova illa conceſſione derogatum, *c. Ex parte 3. de Capell. Monach. c. Eam te 4. de ætat. & qualit.* Deinde etiamſi expreſſe fuiſſet derogatum Conſtitutione Concilii Lugdunenſis: nihilominus tamen poſtea ſublata fuerunt ea privilegia exemptionis per Concilium Trident. *Seſſ. 7. cap. 14. de reform.* ubi innovatur, & præcipitur obſervari prædicta Conſtitutio Concilii Lugdunenſis in cauſis exemptorum, uti & in motu proprio Pii IV. edito XIII. Maji. Anno 1565. derogatur privilegiis, & exemptionibus quibuſcunque. At vero poſt Concilium Trid. non ſolent concedi hujuſmodi privilegia, eorumque confirmationes niſi cum clauſula, dummodo SS. Canonibus, & Concilii Trident. Decretis non ſint contraria. Quare exemptiones quantumvis generales, & quandocunque fuerint conceſſæ, non habent locum in Regularibus, niſi ratione delicti, contractus, vel rei, de qua agitur, ſuæ in loco exempto.

LIV. Verum his non obſtantibus, dicendum eſt, nec Conſtitutionem Decretalem Concilii Lugdunenſis, nec Decretum Concilii Tridentini comprehendere exemptionem Regularium ſpecialiter exemptorum in prædictis tribus caſibus, adeoque cum exemptio eorum, ratione delicti commiſſi, contractus initi, vel rei litigioſæ exiſtentis extra locum exemptum, Concilio Generali Lugdunenſi non adverſetur, non fuit opus ei derogare, quia derogatio non fit, niſi iis, quæ ſunt contraria, *cap. 2. de Conſtitut. in 6. cap. Ex parte 3. de Capell. Monach. Clement. 1. §. Nos etenim* ibi, *In quantum ſunt præmiſſis, vel alicui præmiſſorum contraria, ea penitus revocamus, de ſepultur.* Concilium vero Tridentinum *cit. loc.* non tribuit Ordinariis locorum aliquod novum jus, ſed tantum reſervavit, & confirmavit, quod prius habebant in generaliter exemptos conceſſum in *citat. cap. 1. h. t. in 6.* Lex autem innovans non inducit jus novum, *c. Ex parte 13. cap. Quia intentionis 29. h. t.* & conſequenter etiam Conſtitutio Pii IV. quæ incipit, *Principis Apoſtolorum*, huic caſui applicari poteſt, quia non ſuſtulit privilegia, & exemptiones Regularium, niſi quatenus adverſantur Decretis Concilii Tridentini *Fagnan. in cit. cap. Tuarum, n. 48. & 2. ſeqq. h. t.* Neque etiam obſtat, quod in cit. Decreto Concilii Trident. additur, quod Clerici ſe-
„ culares, aut Regulares, extra Monaſterium, degentes,
„ quomodo libet exempti, in cauſis civilibus mercedum,
„ & miſerabilium perſonarum, etiamſi certum Judicem a
„ Sede Apoſtolica deputatum in partibus habeant: in aliis
„ vero, ſi Judicem non habuerint, coram locorum Ordina-
„ riis, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis conveniri, &
„ medio jure, ad ſolvendum compelli poſſint: non obſtan-
„ tibus privilegiis, & exemptionibus. Nam hæc verba re-
„ ferenda ſunt ad caſus ibi proxime præmiſſos, ſcilicet in cauſis mercedum, miſerabilium perſonarum, adeoque per illa non tolluntur privilegia, ſed tantum declaratur, illa non prodeſſe in prædictis cauſis, quia nullum privilegium exemptionis valet contra Papam vel ejus delegatos, qui poſſit contra exemptos procedere per ſe, vel ſuos delegatos, *Fagnan. cit. loc. num. 31.* qui *num. 32. & pluribus ſeqq.* probat, & ex pluribus Concilii Tridentini Decretis oſtendit, Regulares non poſſe conveniri coram locorum ordinariis, etiam ob delicta, extra locum exemptum commiſſa.

LV. Porro pro meliore intellectu *citat. cap. 1. h. t. in 6.* notandum præterea primo, licet alias non exemptus poſſit conveniri, ratione contractus initi, vel delicti alibi commiſſi, vel rei alibi ſitæ, etiam in loco domicilii, *c. fin. de foro compet.* tamen ſi eſt exemptus, ratione certi loci, etiam generaliter ſolum, & extra Diœceſim Ordinarii deliquit, vel contraxit, conveniri in loco domicilii, ratione delicti, vel contractus, vel rei alibi ſitæ: nec ordinarius Judex domicilii, ſive Epiſcopus Diœceſanus poteſt cauſam ad ſe avocare, nec remittere exemptum, ſi in Diœceſi exiſtat, adeoque in loco domicilii, ad Judicem contractus, vel delicti ab eo id petentem, ut ibi compareat, & reſpondeat, obſtante privilegio exemptionis, quod quoad duo prodeſt, nempe ut talis non poſſit conveniri coram Ordinario loci, ſi in loco exempto deliquit, vel contraxit, nec etiam in loco domicilii coram eadem, ſi alibi, extra locum exemptum, & Diœceſim, deliquit vel contraxit, vel res ſit ſita, prout habetur in *cit. c. 2. verſic. Nunquid ergo. & ibi Gl. V. eod. & Franc. hic n. 3. not. 5.* Similiter exemptus non poteſt conveniri, ratione contractus initi, vel delicti commiſſi, vel rei ſitæ, coram Ordinario loci, ſeu Diœceſano, niſi contraxerit, vel deliquerit, vel res ſit ſita intra Diœceſim Ordinarii, & in loco non exempto, *Franc. in cit. cap. 1. n. 5.*

Notandum ſecundo. Poteſtas concedendi privilegium exemptionis ſoli Papæ competit, ita ut nec Epiſcopus, nec etiam Archiepiſcopus, nec etiam Legatus a Latere eximere aliquem poſſit a juriſdictione Ordinarii, *Gl. in cit. c. 1. V. Exemptionis.* Plures tamen ſunt caſus, in quibus Epiſcopi, ſive Ordinarii locorum, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, procedere poſſunt contra exemptos, *Franc. hic n. 7. circa finem.* Ratio eſt, quia ſi exemptus, quoad certos caſus, habeatur pro non exempto, in illis caſibus ceſſat privilegium, & judicandus eſt ſecundum Jus commune, *Joan. Monach. in cit. c. 1. n. 2.* Quibus autem caſibus Epiſcopus habeat juriſdictionem in Regulares exemptos dictum eſt *lib. 1. Decret. tit. 3. ſect. 3. §. 10.*

Notandum tertio. Privilegiatus, ut non teneatur, niſi ſub uno certo Judice reſpondere, non eſt exemptus ab aliis Judicibus, ratione delicti, contractus, vel rei ſitæ, quia privilegium interpretandum eſt, ſecundum Jus commune, niſi aliud exprimatur in ipſo privilegio, *Franc. in cit. c. 1. §. Et adipſum n. 1. h. 1.* Quod ſi talis Privilegiatus deliquit, vel contraxit, vel res ſita eſt in loco domicilii non exempto, poteſt conveniri coram Judice domicilii, *Gloſ. in citat. cap. 1. in caſu.*

LVI. Additur inſuper *in eod. c. 1. §. In eos h. tit. in 6.* In
„ eo, quibus ne poſſint a quoquam interdici, ſuſpendi,
„ vel excommunicari, a Sede Apoſtolica conceſſum eſt;
„ ſicut plures ſunt Religioſi, in quorum privilegiis conti-
„ netur, ne quis Epiſcopus vel Archiepiſcopus Monachos
„ exiſtentes in Monaſteriis ſuæ Diœceſis, ob ullam cau-
„ ſam, vel in ullo loco interdicere, ſuſpendere, vel ex-
„ communicare præſumat, iidem Ordinarii juriſdictionem
„ ſuam, quantum ad iſta (ſcilicet interdictum, ſuſpenſio-
„ nem, & excommunicationem, nam quoad alia, ſalva
„ manet juriſdictio eorum, *Gl. hic V. eod.*) ubicunque il-
„ li fuerint, exercere non poſſunt. Niſi tamen ipſi Mona-
„ chi ad Prioratus ſuorum Monaſteriorum eiſdem Ordina-
„ riis ſubjectos, fuerint deſtinati, ut vel eorum regimen
„ gerant, vel ut in eis, tanquam proprii eorum Monachi
„ reſideant. Tunc enim etſi libere poſſint ad eadem Mona-
„ ſteria revocari, & tam illorum, quam ipſorum Priora-
„ tuum Monachi reputentur (non enim eſt inconveniens,
„ ut quis utrobique, ſive ut duobus locis ſibi ſubordinatis
„ ſit Monachus) quia Prioratus illi Monaſterio majori ſub-
„ ſunt, & ab ipſo dependent, poſſunt tamen ab Ordinariis
„ etiam ſuſpendi, excommunicari, vel interdici, quamdiu
„ ibi morantur.

LVII. Ubi notandum primo. Etſi Epiſcopus, ſive Ordinarius non poſſit in tales Privilegiatos cenſuras ferre, poteſt tamen aliis pœnis eos punire, & cauſas eorum audire, ac judicare, imo etiam eos deponere, & in arctius Monaſterium detrudere, ſi cauſa id exigat, quia juriſdictioni Ordinariorum non derogatur, niſi in quantum exceſſum eſt, *Gl. hic V. Quantum ad iſta, junct. additione, Franc. ibid. num. 1, & 3.*

2. & 3. *Sanch. lib. 7. de matrim. diſ. 33. num. 23.* ubi addit, quod ſolus ſummus Pontifex, & ejus Legatus a Latere poſſunt hos exemptos per cenſuras cogere.

Notandum ſecundo. Si iſti Monachi exempti irent ad Prioratum ſubjectum Monaſterio majori, non regendi, aut ibi habitandi cauſa, ſed viſitandi vel ſolatii cauſa, vel ut viatores, ſeu tranſeuntes, non poſſent ab Epiſcopo coerceri per cenſuras, contra ſua privilegia, quamvis in via delinquentes poſſent puniri, ratione delicti, *Gl. in cit. §. In eos V. Reſideant* & ibi *Joan. Monach. n. 5. & Franc. n. 3.* & poteſt etiam Epiſcopus excommunicare Monachos in Prioratus reſidentes, ſi ibi delinquant, vel contrahant, quamdiu ibi manent, *Gl. V. Reſideant in addit.* & non ſolum Epiſcopus, ratione Prioratus, ſed etiam Abbas Monaſterii, ratione Abbatiæ, tales Monachos excommunicare poteſt, *Joan. Monach. cit. l. n. 6. & Franc. n. 2. not. ult.* Excipi debet, niſi majus Monaſterium privilegium haberet, quod Monachi ejuſdem, & Prioratuum ipſi ſubjectorum, excommunicari a quoquam non poſſint, tunc enim nec ordinarius eos excommunicare poſſet, *Gl. hic V. Quoad præmiſſa.*

Notandum tertio. Si Prælatus Monaſterii majoris ex Prioratibus ſibi ſubjectis revocet Monachos, Epiſcopus, ſive ordinarios loci non poterit amplius contra eos procedere, ſuſpendendo illos, vel excommunicando, vel interdicendo, niſi ab Ordinario Abbas fuerit præventus, *Arg. c. pen. de foro ſemp. Gl. fin. hic & Franc. ibid. in fine.*

LVIII. Cæterum quod attinet ad prædictum privilegium, ſi id conceſſum ſit alicui perſonæ ſingulari a Sede Apoſtolica ne poſſit excommunicari, ſuſpendi, vel interdici, illud non extenditur ad ſententias, & cenſuras Ordinariorum, prout reſcripſit Clemens IV. in *c. Ne aliquis 5. h. tit. in 6.* ubi „ ſic ſtatuitur: Omnes indulgentias, & privilegia quibuſcunque ſingularibus perſonis, Eccleſiaſticis, vel ſæcularibus, cujuſcunque ſint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut ſtatus, quod interdici a quocunque (niſi a Papa, vel Legato ejus a Latere, *c. 1. de V. S. in 6. Gl. hic V. a quocunque*) vel excommunicari (vel ſuſpendi) vel Eccleſiæ, aut Terræ ipſarum Eccleſiaſtico interdicto ſupponi non poſſint, ſub quacunque forma verborum conceſſa, ad Ordinariorum ſententias & proceſſus extendi non debet: niſi tale privilegium ſit conceſſum Regibus, & Reginis, eorumque filiis, vel Religioſis quibuſcunque, non ratione perſonarum tantum, ſeu Ordinum, aut locorum privilegiatorum.

LIX. Notandum primo. Perſonæ ſingulares, ſive ſeculares, ſive Eccleſiaſticæ privilegium Pontificium habentes, ut non poſſint excommunicari, ſuſpendi, vel interdici, eo non obſtante, poſſunt ab Ordinariis per inflictas prædictas cenſuras puniri, niſi ſint Reges, vel Reginæ, aut eorum filii. Secus vero, ſi hujuſmodi privilegium conceſſum eſſet, non intuitu perſonarum, ſed ratione Ordinis, vel loci Religioſi, v. g. Monaſterii, tunc enim has cenſuras Ordinarii inferre non poſſunt, *Gl. fin. hic, Kerbier. cit. tract. p. 4. q. 24. n. 8.* Secularium vero Clericorum loca non excipiuntur, ideoque etiam ratione loci, vel Eccleſiæ ab Ordinario excommunicari, ſuſpendi, vel interdici poſſunt, *Joan. Andr. hic n. 1. V. Religioſi.*

Notandum ſecundo. Privilegium conceſſum Regibus non extenditur ad Reginas, nec ad filios, aut filias Regum, niſi id exprimatur, quia privilegia perſonalia non debent extendi ad perſonas non expreſſas in reſcripto, etiamſi ſint privilegia in Corpore Juris contenta, *Franc. hic num. 2. not. 3.* de quo plura ſupra *ſect. 1. §. 4. h. t.*

§. V.

An in allegantes privilegium exemptionis a juriſdictione Ordinarii poſſit Epiſcopus, ſive Ordinarius juriſdictionem exercere, donec privilegium exhibitum, & probatum fuerit.

LX. De hoc agitur *in c. Cum perſona 7. h. t. in 6.* ubi Papa Bonifacius VIII. ita reſcribit: „ Cum perſonæ Eccleſiaſticæ, tam Religioſæ, quam ſeculares (ſcilicet Clerici, *Franc. hic n. 1.*) plura præſumant, quæ ipſis infamiam pariunt (ſive juris, ſive facti, ſive per ſententiam Judicis. *Gl. hic V. Infamiam*) & aliis inferant læſionem, prætextu exemptionis, & libertatis, quam aſſerunt ſe habere: Ordinariorum correctiones, & ordinationes ſubterfugientes, ac eorum forum, ſive judicium declinantes. Idcirco Papa volens ſalutari remedio huic malo providere, ſtatuit, ut hi, qui ſe aſſerunt per privilegia, ſeu indulgentias Apoſtolicæ Sedis eſſe exemptos a locorum Ordinariis requiſiti in loco congruo, ac ſecuro, aut aliquibus prudentibus viris minime ſuſpectis, ad hoc per prædictos Ordinarios deputatis, infra terminum competentem, pro facti qualitate, arbitrio ipſorum Ordinariorum vel delegatorum eorundem, moderandum, ceſſante juſto impedimento, oſtendere, & ad legendum integraliter exhibere (etſi non ſit controverſia de omnibus articulis, ſed de uno tantum, idque, ne ea, quæ præcedunt, vel ſequuntur, arctent articulum, de quo contenditur, *Gloſ. hic V. Integraliter*) necnon de articulis, de quibus eſt controverſia, tranſcriptum tradere teneantur. Si autem iis, qui aſſerunt ſe exemptos, ad fundandam intentionem ſuam ſuper hujuſmodi libertate ſolum præſcriptionem canonicam cenſuerint opponendam (quia non allegant ſimul privilegium, & præſcriptionem, de quo poſtea) eiſdem Ordinariis, vel ab eis delegatis, viris prudentibus, & non ſuſpectis de præſcriptione hujuſmodi (Canonica ſcilicet) fidem facere debent. Quod ſi tales privilegio, & præſcriptione ſe munitos aſſerant & ſic hæc duo ſimul allegent) ipſum quidem privilegium exhibeant, ut ſupra dictum: & ſi illud non ſufficiat per ſe (ſine præſcriptione) ad plene probandam exemptionem, ſeu libertatem hujuſmodi, ſed tale eſt, quod ſaltem cauſam præbeat præſcribendi, coram prædictis perſonis, XL. annorum præſcriptionem (quia minor contra Eccleſiam non currit, *cap. De quarta 4. de præſcript.*) teneantur probare, & pendente præſcriptioni probatione, licet intentio Ordinariorum de jure communi fundata ſit: quia tamen de privilegio (quod ſaltem cauſam præſcribendi præbet) faciunt fidem: non debent in libertatis, ſeu exemptionis poſſeſſione, non violenta, non clandeſtina, nec precario conceſſa turbari. (Idemque eſt, ſi ſolum privilegium per ſe ſufficiens allegarent *Gl. hic V. Turbentur*) Si vero privilegium per ſe ſufficiens, quando ſolo privilegio ſe defendunt: vel ſaltem tale, quod præſcriptioni canonicæ cauſam præſtet præſcribendi, non exhibuerint: tunc cum de jure communi intentio Ordinariorum fundata ſit, poſſunt hi libere in eoſdem ſua juriſdictione uti, donec de præſcriptione Canonica plenam fidem fecerint.

LXI. Pro explicatione hujus c. notandum primo. Alleganti privilegium exemptionis, vel aliud hujuſmodi, non creditur; niſi illud probet, quia privilegia dicuntur quid eſſe facti, ideoque non præſumuntur, ſed alleganti exemptionem, vel aliud privilegium incumbit onus probandi, *l. Si quis 5. in fine ff. de Judic. Joan. Monach. hic nu. 1. Franc. num. 3. not. 4.* Poſſunt igitur Ordinarii compellere exemptos, ut oſtendant privilegia exemptionis, ſive ſint Ordinarii, quorum juriſdictio eſt fundata Jure communi, ut ſunt Epiſcopi, & alii Prælati quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habentes: ſive etiam ſit fundata ex conſuetudine, aut privilegio, dummodo juriſdictio eorum ſit ita notoria, ut negari non poſſit, *Jo. Andr. hic V. Ordinariorum & Franc. n. 2. not. 5.*

Notandum ſecundo. Quando privilegium non eſt notorium, quoad titulum, & poſſeſſionem, debet privilegiatus, ſive exemptus illud edere, & exhibere Judici, ut integre, & totum, parte præſente, legi, & videre poſſit, quia ex præcedentibus, & ſequentibus poteſt declarari articulus, de quo eſt controverſia: non tamen ſi petatus tranſcriptum ſive copia, & exemplum Inſtrumenti, illud totum tradi debet, ſed ſolum copia fieri debet de articulis, ſive capitulis, de quibus eſt controverſia, juxta *c. Contingit 5. de fide Inſtrum.* & habetur in *cit. c. Cum perſona* & ibi *Gl. V. Integraliter Joan. Monach. n. 2. Franc. n. 4. not. 5. Barbeſ. hic n. 4. & 5.* Rationem dat *Gl. cit. V. Integraliter*, quia non ita ex ſimplici lectione oritur litigandi materia, ſicut ex traditione tranſcripti, ſive copiæ inſtrumenti, quod pluribus diebus, & noctibus videntes, & legentes Advocati occaſionem inde ſumunt litigandi.

Porro etſi alias reus non teneatur edere propria Inſtrumenta, ſeu documenta contra ſe ipſum *cap. 1. de probat. & l. Qui accuſare 4. C. de edend.* tamen privilegiatus, ſive exemptus, ſeu agat, ſive excipiat, debet probare privilegium, quod allegat, quia intentio Ordinarii eſt de Jure communi fundata adeoque præſumptio eſt contra ipſum, niſi privilegium edat, & probet per authenticam ſcripturam, *Gl. hic V. Tenedere.*

Notandum tertio, ſi privilegiati, ſive exempti ad fundandam intentionem ſuam allegent privilegium exemptionis tantum, vel privilegium, & præſcriptionem ſimul: tum ſi exhibitum privilegium non probet plene libertatem, ſeu exemptionem, cauſam tamen, ſive titulum præſcribendi præbeat, tenentur exempti, coram prudentibus, & non ſuſpectis perſonis, probare præſcriptionem 40. annorum, & quod fuerint in poſſeſſione exemptionis non violenta, vel clandeſtina, nec precario conceſſa, quia poſſeſſio violenta, vel clandeſtina non juvat poſſidentem, & ſic poſſidens pœnam potius pati debet, quam recipere præmium, *c. Eum qui 18. de præbend. in 6. Gl. hic V. Violenta Franc. in cit. c. §. Quod ſi tales, num. 3. not. ult.* & licet precaria poſſeſſio ſit juſta, non tamen dat titulum præſcribendi contra naturam contractus, *l. 1. ff. de precario V. Precarie, & Joan. Monach. hic n. 15.*

LXII. Notandum quarto, tres caſus hic ſunt diſtinguendi, ut notat *Abb. in cap. Venerabili 24. num. 3. de conſib.* Vel enim conſtat, quod Ordinarius loci ſit in poſſeſſione juriſdictionis in eos, qui prætendunt ſe exemptos: vel non conſtat, vel de eo dubium eſt: Priore caſu ſi conſtet, quod ſit in poſſeſſione juriſdictionis, poteſt Ordinarius procedere ad defendendam poſſeſſionem juriſdictionis ſuæ, eamque exercere in allegantes exemptionem, etiamſi ſe offerant ad exhibendum privilegium, vel ad alias probationes: ſed neque tali caſu appellationem recipere tenetur Ordinarius, quia procedit tunc ut pars pro conſervatione juris ſui, non ut Judex, & ſic oblatio probationis non juſtificat appellationem, *cap. Interpoſita 70. de appellat. Abb. c. l.* Secundo caſu, ſi Ordinarius non ſit in poſſeſſione ſuæ juriſdictionis, erga Regulares. v. g. ſed iſti ſint in poſſeſſione exemptionis, & de hoc conſtet: tum non poteſt Ordinarius contra eos procedere, aut cenſuras eis minari, vel ullam juriſdictionem in eos exercere, quia non poteſt eos privare poſſeſſione, ſeu quaſi poſſeſſione juris ſui; poteſt tamen petere, ut privilegium exemptionis exhibeant, vel legitimam præſcriptionem probent, interea vero dum res cognoſcitur, in poſſeſſione ſunt relinquendi, juxta *cit. cap. Cum perſona, h. tit. in 6. Rota Rom. Tom. 1. de Jure Abbat. diſ. 25. qu. 8. num. 7. Abb. in cap. 1. num. 4. Ut lite pendente &c.* quia non debet quis turbari, vel privari poſſeſſione ſua, lite pendente, etiamſi poſſideat contra Jus commune, modo talis poſſeſſio ſit nixa aliquo titulo, alias enim poſſeſſio, ſine titulo, nihil prodeſt, ſi Jus commune poſſeſſioni reſiſtat, nam tunc ad præſcriptionem 40. annorum requiritur titulus, vel tempus immemoriale, ſine titulo, *Jo. Monach. in cit. cap. Cum perſona num. 3. Franc. ibid. §. Quod ſi tales n. 2.* Tertio caſu, ſi dubium ſit, an Ordinarius exiſtat in poſſeſſione juriſdictionis in exem-

Digitized by Google

exemptos, nec ne, poteſt extrajudicialiter contra eos procedere, etiam cenſuras comminando: ſed hi poſſunt appellare ad Pontificem: & cum ſi poſt appellationem cenſura lata ſit, ea pendet ex futuro eventu: nam ſi conſtiterit Epiſcopum non eſſe in poſſeſſione juriſdictionis, & Monaſterium, v. g. eſſe exemptum, adeoque ſententiam cenſuræ injuſte latam eſſe, ea invalida erit, alioquin vero valida, *Innoc. in cit. c. Venerabili*, n. 4. *& Abb. ibid. n.* 3. ubi ſuadet, ut ſi allegantes exemptionem exhibeant privilegium ſuum, Epiſcopus illud cognoſcat extrajudicialiter, ut pace ad conſervationem juris ſui, quia non tenetur tunc admittere probationem, vel appellationem, ſed poteſt ſe defendere gladio materiali, & ſpirituali *cap. Dilecto 6. de ſent. excomm. in 6. Laym. in cap. Cum Ordinem 6. num. 9. & 3. ſeqq. de Reſcript.*

LXIII. Notandum quinto, quamvis ii, qui intra Diœceſim exiſtentes dicunt ſe ex privilegio, vel conſuetudine eſſe exemptos, in poſſeſſione exemptionis exiſtant: tamen ſi ab Ordinario, ſeu Diœceſano citati fuerint, debent comparere, & privilegium edere, vel præſcriptionem probare: alioquin ſi neutrum horum præſtare poſſint, Epiſcopus poteſt juriſdictionem ſuam in eos exercere, cum de Jure communi ejus intentio ſit fundata, *cit. cap. Cum perſona in fine*, *h. t.* & docet *Silveſt. V. Exemptio*, *q.* 3. *n.* 6. *Gl. in c. Cum Ordinem 6. V. Non facta mentione, in fine, & ibid. Abb. num. 5. de reſcript.* In dubio autem, num privilegium exemptionis ſit validum, vel ſaltem cauſam præſcribendi præbeat, ac proinde an juriſdictio in allegantes ſe eſſe exemptos pertineat ad Ordinarium, non poteſt is de eo cognoſcere, nec contra illos ſententiam ferre, vel poſſeſſione eos ſpoliare, tum ne ſit Judex in propria cauſa, contra *l. Qui juriſdictioni 10. ff. de juriſdict. omn. Judic.* tum quia Prælati Eccleſiaſtici interpretari privilegia Apoſtolica non poſſunt, ſed id reſervatum eſt S. Pontifici, *Rodriq. tom. 2. qq. Regal. quæſt. 64. articol. 7. Laym. in cit. cap. Cum Ordinem, numer. 12.*

Excipi debent ii, qui Jure communi ſunt exempti a juriſdictione Ordinarii, ſeu Diœceſani, hi enim citati ad edendum privilegium exemptionis, vel alia ratione ad probandam exemptionem ſuam, non tenentur comparere, quia cum Jure communi ſunt exempti a juriſdictione Ordinarii, adeoque eorum exemptio ex Jure communi nota ſit, nequaquam dici poteſt juriſdictionem Ordinarii, erga eos de Jure communi fundatam eſſe, quæ eſt ratio, cur illi, qui ſolum ex privilegio, vel legitima præſcriptione ſe exemptos eſſe aſſerunt, compelli poſſunt ad edendum privilegium, vel probandam exemptionem, juxta *cit. c. Cum perſona h. t.* hæc enim ratio in illis ceſſat. Tales exempti Jure communi omnibus noto ſunt Religioſi Mendicantes, ideoque etiam citati ad allegandum privilegium exemptionis non tenentur comparere, ut docet *Abb. in cit. c. Cum Ordinem n. 6. de reſcript.* ubi ait, in hoc multos ſimplices Judices decipi. *Silveſt. c. l. q. 7. nu. 8. Rodriq. c. l. §. Secundo infertur &c.* quia citatio eſt ipſo jure irrita: quippe facta a Judice non competente, & contra notorium privilegium. Quare cum DD. communiter aiunt, quod exempti, ſi citentur ſuper exemptione, debeant comparere, & allegare privilegium exemptionis, etiamſi illud notorium ſit, ſaltem proponendo exceptionem declinatoriam fori, prout videre eſt apud *Fetin. in cit. c. Cum Ordinem, n. 8. & 9.* id ſolum verum eſt, ſi privilegium non ſit contentum in Corpore Juris, hoc enim non ita omnibus notum eſt, vel ſi notorium eſſe dicatur, hoc ipſum allegari debet, & de eo cognoſci poteſt, cum potius in facto quam in jure conſiſtat. At vero ſi privilegium contineatur in Corpore Juris, tum fruſtra peteretur ut allegetur, vel exhibeatur, cum ſit inſtar Juris communis, adeoque omnibus notum eſſe debeat, *Laym. c. l. nu. 12. in fine*. Non obſtat *text. in l. Si quis 5. ff. de Judic.* ubi dicitur, *ſi quis ex aliena juriſdictione ad Prætorem vocetur, venire debet, Prætoris enim eſt æſtimare, an ſua ſit juriſdictio*, ſcilicet, *cum dubium eſt*, ut explicat *Gloſſ. ibid. V. Æſtimare*, quando autem privilegium exemptionis continetur in Corpore Juris, tum nullum dubium eſſe poteſt de juriſdictione, an pertineat ad Ordinarium Judicem loci, ideoque neque locum habere poteſt ulla cognitio, vel examen ſuper hoc, *Abb. in cit. c. Cum Ordinem, n. 5. & ibid. Laym. n. 8.*

LXIV. Notandum ſexto, ſi exempti allegent ſolam præſcriptionem, ſine privilegio, tum Ordinarii interim, donec plene probetur præſcriptio Canonica exemptioni, uti poſſunt ſua juriſdictione in illos, ſive Ordinarii ſint in poſſeſſione juriſdictionis ſuæ, ſive non: ratio diverſitatis inter privilegium, & præſcriptionem eſt, quia privilegium magis favorabile eſt quam præſcriptio, quæ eſt mere odioſa: ideo pendente lite ſuper præſcriptione, Epiſcopus utitur juriſdictione ſua ordinaria, quamquam revera talis non ſit ipſis ſubjectus, idque favore Juris communis, *Gl. in cit. c. Cum perſona in caſu, verſic. Sed quæritur, & Franc. ibid. §. Si vero numer.* 2. Porro quamvis plena exemptio ab omni Superiore a ſubditis præſcribi non poſſit, quia non poſſunt eſſe Acephali, ſive ſine omni capite, ita ut nulli ſint ſubjecti, *cap. Cum non liceat 12. de præſcript.* poteſt tamen præſcribi libertas, ſive exemptio tranſlative, ut qui antea uni Superiori ſubjectus fuit, poſtea ſubjiciatur alteri, v. g. ut exemptus a juriſdictione Epiſcopi immediate ſubjiciatur Papæ, ut patet ex *cit. cap. Cum perſona Gl. ibid. in caſu Franc. §. Si autem, n. 1. h. t.* Videri poſſunt, quæ dicta ſunt *lib. 2. Decr. t. 26. ſec. 1. §. nu. 21.*

Notandum ſeptimo, Privilegium tribuit cauſam, ſeu titulum præſcribendi, non ſolum generalem, qualis eſt titulus *pro ſuo*, reſpectu omnium titulorum, quibus dominium acquiritur, *l. 1. ff. Pro ſuo*, ſed etiam ſpecialem, ſcilicet titulum *pro donato*, nam privilegium liberaliter datur, cum ſit merus favor, *c. In his 30. h. t.* Idque procedit, etiamſi interveniat error, aut ignorantia, ſed juſta, ac probabilis, non craſſa, aut ſupina, *Jo. Monach. hic, numer. 11. & ſeqq. Franc. hic §. Quod ſi tales, num. 1.*

Notandum octavo, allegans exemptionem poteſt ſe juvare duplici modo, ſcilicet privilegio, Jure communi, vel duplici titulo, privilegio, & præſcriptione, ut colligitur ex *cit. c. Cum perſona*. Et quamvis regulariter, quod eſt meum ex una cauſa, ut in propoſito, ex privilegio, non poteſt effici meum ex alia cauſa, nempe ex præſcriptione, id tamen fallit in duobus caſibus: Primo, ſi prima cauſa, ex qua aliquid dico eſſe meum, dubia ſit, tum enim ad cautelam poteſt fieri meum ex ſecunda cauſa *cap. Poſt electionem 7. de conceſſ. prabend.* ut in propoſito, ſi dubium ſit, an per privilegium conceſſa ſit plena exemptio, poteſt per conſuetudinem legitime præſcriptam id declarari; *c. Cum dilectus. 8. de conſuet.* vel per Superioris approbationem confirmari, *cap. Inter dilectos 6. in fine de fide Inſtrum.* Secundo, ſi pinguius, & efficacius aliqui ſubveniatur per ſecundam cauſam, quam per primam, ut in *l. 4. ff. ad Leg. falcid. Jo. Monac. hic nu. 6. & ſeqq. Franc. in cit. §. Quod ſi tales, num. 3. in Gloſſ.*

§. VI.

An Eccleſia obtinens duplex privilegium exemptionis, v. g. Epiſcopi & Papæ, utroque uti poſſit?

LXV. De hoc agitur in *cap. Cum olim 14. hoc tit.* ubi „ talis caſus proponitur. Epiſcopus Colubricenſis movit quæſtionem contra Monaſterium S. Crucis ſuper ſubjectione ipſius Monaſterii, & quibuſdam aliis articulis: ſed a Judicibus ad hoc delegatis, ex parte Monaſterii, ad Papam fuit appellatum, ideoque dictus Epiſcopus ad Sedem Apoſtolicam acceſſit: ſed quia ex altera parte nullus apparuit reſponſalis, Papa Priori, & Canonicis Monaſterii terminum certum præfigi mandavit, (ad inſtantiam Epiſcopi) in quo venirent, vel mitterent Procuratorem, ſuper privilegiis, & libertatibus quibuſdam, quas a Romanis Pontificibus, & ab M. Colubricenſi quondam Epiſcopo ſe habere dicebant, & ſuper aliis quæſtionibus ab Eccleſia Colubricenſi in eos intentatis ſententiam definitivam recepturi. Interim tamen utrique parti liceat, coram Judicibus jam prius delegatis, proponere, ac probare, quicquid vellent. Judices autem credentes ſufficienter actum eſſe de cauſa, condemnarunt Monaſterium in expenſas (quia non fuit proſecutum appellationem, *c. Reprehenſibilis 26. de appellat. Gloſſ. hic V. in expenſis*) quas Epiſcopus per quadriennium, occaſione hujus negotii, ſe feciſſe juraverat (hæc enim probatio debet fieri per proprium juramentum, taxatione præmiſſa, *l. Sancimus 15. C. de judic.*) infirmando libertatem, quam dictus M. Epiſcopus Colubricenſis contulerat Monaſterio, Canonicorum aſſenſu (id eſt, Capituli Colubricenſis) per Nuncium Regis extorto. Item condemnaverunt Monaſterium ad reſtitutionem duorum millium Morabatinorum (eſt genus antiquæ monetæ in Portugallia, ut notat *Gl. marg. hic*) quæ quondam dictus Epiſcopus, illi qui fuerat Canonicus Regularis, dederat Monaſterio S. Crucis) quia quicquid Epiſcopus poſt ſuam conſecrationem acquiſivit, Epiſcopatui acquiſivit, ideoque illa donare non potuit Monaſterio, ſaltem in magna quantitate, *Gl. hic V. Reſtitutionem*) Judicarunt inſuper iidem omnes Eccleſias, quas Monaſterium, propria auctoritate, ſine aſſenſu Epiſcopi, fundavit, cum fructibus medii temporis, in Jus Eccleſiæ Colubricenſis, revocari, cum Monaſterium nec præſcriptione, nec alia defenſione, probationes contra ſe factas refellendo, ſe tueri potuerit. Tandem Procurator Monaſterii propoſuit, ſententiam prædictam non tenere, & ſi etiam teneret, dicebat Monaſterium fuiſſe indefenſum, quia privilegia libertatis non fuerunt Judicibus exhibita, & delictum perſonæ non debet in damnum Eccleſiæ, ſive Monaſterii redundare: unde petebat Monaſterium admitti ad exhibitionem privilegiorum ſuorum, ex benignitate Sedis Apoſtolicæ.

„ Quare Papa Innocentius III. conſiderans quod privilegia illa, non ſolum pro libertate Monaſterii faciebant, ſed Jus Eccleſiæ Romanæ oſtendebant, & tuebantur, ne in eandem læſio Monaſterii redundaret, ad exhibenda privilegia Procuratorem Monaſterii ex gratia admiſit (quia Jure communi non debebat admitti, prætextu illorum Inſtrumentorum, niſi a ſententia fuiſſe appellatum, & ſibi imputet, quod illa exhibere omiſit, *Gl. hic V. De gratia duximus*) diſtinguendo tamen inter libertatem ab Epiſcopo Monaſterio: & libertatem eidem longe ante a Sede Apoſtolica conceſſam, quia conſenſus Capituli extortus fuit in conceſſione Epiſcopi, & pagina originalis, ſive inſtrumentum conceſſionis in aliquot lineis habebat raſuras (in loco ſuſpecto, alias non obeſſet, *c. 3. de fide inſtrum. Gl. hic V. Raſuras*) & ſubſcriptiones ſingulis manibus ſubſcribentium fuerunt annotatæ: aliud vero ſcriptum, quod exhibitum fuit, nullam habebat raſuram, & eadem manu totum ſcriptum erat (quod tamen totum erat contrarium primo ſcripto, & ideo hoc inſtrumentum fuit reprobatum, tanquam falſum, nec illi fides habita, *Gl. hic V. Subſcriptiones*) ideo Papa libertatem ab ipſo Epiſcopo conceſſam decrevit irritam, inanem, quantum ad hoc, ſententiam Judicum confirmando. Verum quia per Privilegia prædicta conſtitit, ab anteceſſoribus SS. Pontificibus privilegium libertatis Monaſterio indultum fuiſſe, & quod illud tanto tempore in poſſeſſione libertatis fuerit, ut aliis etiam ceſſantibus, præſcripſiſſet (ſi allegaſſet præſcriptionem nomine Romanæ Eccleſiæ, *Gl. hic V. eod.*) libertatem illam ab Apoſtolica Sede conceſſam idem Papa confirmavit, Epiſcopo, ſuper

,, hoc ſilentium imponendo. Per hoc tamen non derogatur
,, ſententiæ priorum Judicum delegatorum, cum ipſi de hac
,, libertate non cognoverint (ſed tantum ab Epiſcopo con-
,, ceſſa, quæ non valuit, *Gl. hic V. Cum ipſi;*) pronuncia-
,, vit etiam, Monaſterium non teneri ad jus profeſſionis
,, (id eſt, ad jus obedientiæ, & fidelitatis, *Gl. hic V. ead.*)
,, quod eſt contrarium libertati, non derogando Judicibus
,, delegatis, quibus privilegia libertatis non fuerunt præ-
,, ſentata: in cæteris vero articulis (nempe quoad expen-
,, ſas, & reſtitutionem bis millium datorum Morabatino-
,, rum ab Epiſcopo, & quoad reſtitutionem ipſarum Ec-
,, cleſiarum) ſententiam a prædictis Judicibus latam pro
,, Eccleſia Colubricenſi, idem Papa confirmavit: Ex quo
,, patet, quod ſententia pro parte tenet, & pro parte re-
,, vocatur, *Gl. fin. hic*

LXVI. Pro intellectu hujus c. notandum primo Eccleſia poteſt uti duplici privilegio exemptionis, ut in propoſito, privilegio conceſſo ab Epiſcopo, & privilegio libertatis ſibi indulto a Sede Apoſtolica, & ſi ſuccumbat ex uno: poteſt nihilominus ex alio ſe defendere, & obtinere, uti ſumitur ex hoc c. quia impetrando ſecundum privilegium exemptionis etiam ab alio Superiore non videtur impetrans renunciare priori privilegio ſuper eadem re obtento, ſed poteſt utroque ſe defendere, nullus enim prohibetur pluribus defenſionibus uti, *Reg. jur. 20. in 6. Gl. hic in Summa, & Abbas num. 17.*

Notandum ſecundo. Inſtantia judicii non periit, lapſu triennii de Jure Canonico: ut patet ex hoc c. quia etiam poſt triennium, auditus fuit Epiſcopus a Monaſterio repetens expenſas litis per quadriennium factas, *Abb. hic n. 3.*

Notandum tertio. Epiſcopus non poteſt, ſine conſenſu Capituli, unam Eccleſiam eximere a juriſdictione ſua, imo nec cum conſenſu illius, totaliter ſive omnimode eximere, quia ſi unam poſſet, etiam alias poſſet, adeoque omnes, & ſic totam curam, ſive officium ſuum paſtorale abdicare, quod non poteſt: quamvis in multis poſſit eximere Eccleſias ſibi ſubjectas, quibuſdam tamen ſibi relevatis, ut notant DD. in *c. Cum venerabilis 7. de Religioſ. domib.* & ſic intelligi debet iſte textus, *Abb. hic n. 5.*

Notandum quarto. Quamvis exemptus non teneatur promittere obedientiam, & fidelitatem Epiſcopo Diœceſano: ſive Ordinario loci, non tamen poteſt, vi exemptionis, ſine licentia ejuſdem, ædificare Eccleſiam in loco non exempto, ſed Eccleſia ædificata cedit juri Epiſcopi Diœceſani, una cum dote ſua, non ut ipſe lucretur fructus, ſeu reditus illius, ſed quia ad ipſum pertinet collatio, & alia jura Epiſcopalia, ac de illa diſponere poteſt, ſicut de aliis Eccleſiis ſuæ Diœceſis, & ideo in hoc c. Eccleſiæ, quas propria auctoritate fundaverat Monaſterium, fuerunt adjudicatæ Epiſcopo loci, *Abb. hic n. 9. & 16.*

SECTIO III.

De aliis privilegiis ſpecialibus, de quibus agitur in hoc Titulo,

§. I.

De privilegio immunitatis a ſolvendis decimis, etiam novalium.

LXVII. Quæritur primo. An per privilegium conceſſum alicui Eccleſiæ de non ſolvendis decimis Epiſcopalibus, non ſolum præteritæ, ſed etiam futuræ decimæ remiſſæ eſſe cenſeantur? Reſp. de hoc agitur in *c. Quia circa 22. h. tit.*
,, Ubi Archiepiſcopus Londinenſis quæſivit a Papa Innocen-
,, tio III. utrum privilegium a ſuo Anteceſſore conceſſum
,, Monaſterio omnium Sanctorum, de retinendis decimis
,, Epiſcopalibus, extendi poſſit non ſolum ad poſſeſſiones,
,, ſeu bona jam acquiſita tempore privilegii (de quo non
,, erat dubium) ſed etiam ad poſtea acquirenda? Reſpon-
,, det Papa, ſi remiſſio illarum decimarum facta fuit, ſe-
,, cundum Canonicas Sanctiones (nempe cum conſenſu Ca-
,, pituli, *c. Sane exceptione 52. cauſ. 12. qu. 2. c. Cum nos 3. de his, quæ a Præl. ſine conſenſu Capituli &c.* & ex cauſa neceſ-
ſitatis, vel utilitatis, vel pietatis, & ne talis remiſſio cedat in grave damnum Eccleſiæ Cathedralis, alioquin revocari poſſet, *c. Apoſtolica 9. de donation. Gl. hic V. Secundum Canonicas Sanctiones & Hoſtienſ.*) Anteceſſor illius indefinite re-
,, mittendo decimas Epiſcopales Monaſterio, cum nihil ex-
,, ceperit, & potuerit excepiſſe, intelleſiſſe videtur, non
,, ſolum de decimis poſſeſſionum, ſeu bonorum illius tem-
,, poris, ſed etiam futuri, quia in beneficiis pleniſſima in-
,, terpretatio adhiberi debet, & una, eademque res, di-
,, verſo jure cenſeri non debet.

LXVIII. Pro explicatione hujus c. notandum primo, ſi Epiſcopus ſimpliciter, ac indefinite remittat decimas Epiſcopales, id eſt, Quartam Canonicam, quæ ad onera Epiſcopatus ſuſtinenda Jure communi ſolvenda eſt Epiſcopo, ex omnibus decimis pertinentibus ad Eccleſias inferiores, *c. Vobis 23. c. Conceſſo 26. cauſ. 16. q. 1. c. De quarta 4. de præſcript. c. Conquerente 16. de Offic. Ordin.* non ſolum præſentes, & præteritas, ſed etiam futuras remittere cenſetur, & extenditur conceſſio immunitatis etiam ad prædia poſtea acquiſita, modo remiſſio canonice, cum requiſitis ſolemnitatibus, facta ſit. Ratio eſt, quia diſpoſitio indefinita æquipollet univerſali, *c. c. diſ. 19. l. Si ſervitus 23. ff. de ſervit. urb. præd. Gl. hic V. Indefinite* & quando verba generaliter, & indefinite proferuntur ab eo, qui aliquid excipere potuit, & non excepit, cenſetur omnia comprehendere voluiſſe, quæ in lata, & propria verborum ſignificatione continentur, modo materia ſubjecta id patiatur. Cum ergo Epiſcopus ſimpliciter, indefinite remittens decimas, potuiſſet, ſi voluiſſet, illas reſtringere ad decimas præſentes, quas nunc poſſident Monachi: aut præteritas, quas ex bonis antiquis percipiunt, cum nullas exceperit, omnes etiam ex bonis acquirendis percipiendas remiſiſſe videtur, *Barboſ. in Collect. hic num. 4. 5. & 6.*

LXIX. Notandum ſecundo. Quando dicitur, quod privilegium conceſſum contra Jus ſit ſtricte interpretandum, & reſtringendum, quia omnis receſſus a Jure communi eſt odioſus, *c. 1. & 2. De filiis presb. in 6.* id debet intelligi, niſi privilegium tantum præjudicet concedenti, tunc enim potius cenſetur eſſe beneficium Principis, quod largiſſime interpretandum eſt, ut hic, & in *c. Olim 16. de V. S.* quam ſtricte dictum privilegium. Secus eſt, ſi tale privilegium concedatur a Papa, tunc enim reſtringendum eſt, quia præjudicat juri Ordinarii. *Abb. hic n. 3. & 4. Covarr. lib. 2. var. reſol. c. 13. in fine.* Ubi tamen ulterius diſtinguendum eſt, vel enim diſpoſitio generalis aut indefinita, concernit rem, quæ grave præjudicium infert, & non debet extendi ad futura, ſic enim ſi quis leget aurum ſuum, cenſetur tantum legare voluiſſe aurum, quod ipſius erat, tempore conditi teſtamenti, quia pronomen *meum*, vel *ſuum*, tempus præſens oſtendit, non futurum, *l. Si ita 7. ff. de auro legato:* & publicatis bonis alicujus cenſentur publica bona præſentia tantum, non futura, *l. Si mandavero 22. §. Is. cujus ff. mandati:* & reſcriptum non extenditur ad futuras lites, *c. fin. de reſcript.* & Litteræ beneficiales non extenduntur ad futura, ſive ad beneficia poſtea acquiſita, *Clem. ultim. de reſcript.* Aliud eſt, ubi de modico ſolum præjudicio alterius agitur, tunc enim extenditur ad futura: ut ſi quis obliget bona ſua, videtur obligare non ſolum præſentia, ſed etiam futura. *l. fin. C. quæ res pign. oblig. poſ.* quia agitur de modico præjudicio. *Abb. hic n. 5.* ubi a primo membro excipit, ſi diſpoſitio fiat per verba generalia, & indefinita in privilegio, quod etſi graviter præjudicet concedenti tantum extenditur tamen etiam ad futura, quia in beneficiis debet fieri largiſſima interpretatio: Ut in propoſito, etſi remiſſio decimarum, abſolute conſiderata, cenſeri poſſit onεroſa Eccleſiæ, & in grave ejus præjudicium cedere, non tamen, ſi facta ſit cum requiſitis Juris ſolemnitatibus: ſicut alienatio rerum Eccleſiaſticarum abſolute conſiderata, cenſetur cedere in gravamen Eccleſiæ, non item ſi fiat intervenientibus debitis Juris ſolemnitatibus, *c. 1. de his, quæ fiunt a Præl. &c. Barb. hic num. 3.* Idque vel inde confirmatur, quia verba generalia, ac indefinita, ſi materia ex ſe non repugnet, nec verborum propria ſignificatio, ſunt apta non ſolum præſentia, ſed etiam futura comprehendere: at ſi decimæ remittantur per verba generalia, & indefinita, ſine ulla demonſtratione adjecta, quæ præſens tempus oſtendat, ut eſt pronomen *meum, ſuum*, vel aliud quid ſimile: non repugnat materia ſubjecta, ob præjudicium Eccleſiæ, vel Succeſſoris, dummodo remiſſio fiat, cum requiſitis Juris ſolemnitatibus, ergo in tali remiſſione futuræ etiam decimæ comprehenduntur, juxta deciſionem *citat. c. Quia circa Barb. ibid. n. 8.*

LXX. Quæritur ſecundo. An privilegium de non ſolvendis decimis Novalium comprehendat etiam illas decimas: quæ, tempore impetrati privilegii, ab aliis jam erant poſſeſſæ, ac perceptæ? Reſp. negative, prout ſtatuitur in *c. Dudum 31. h. t.* Nam cum inter duos Conventus, unum
,, Virorum, alterum Monialium, ſuper decimis Novalium
,, quæſtio verteretur, quia Moniales ipſis Monachis ex
,, quibuſdam Novalibus decimas ſolvere denegabant, occa-
,, ſione cujuſdam privilegii, quod ab ipſis Monialibus, lite
,, pendente, impetratum fuit, de non ſolvendis decimis
,, Novalium, licet ipſi Monachi in pacifica poſſeſſione per-
,, cipiendi hujuſmodi decimas hucusque fuiſſent. Gregorius
,, IX. ſuper hoc a Judicibus delegatis conſultus, de conſilio
,, Fratrum ſuorum Cardinalium, decrevit, juri Prioris, &
,, Conventus, ſuper decimis Novalium, in quarum poſſeſſio-
,, ne erant, tempore, quo indulgentia, ſive privilegium A-
,, poſtolicum ab altera parte Monialium de non ſolvendis
,, decimis Novalium impetratum fuit, non debere per il-
,, lud, ſi non faciant de lite mota mentionem, ullum præ-
,, judicium generari. Ratio eſt, tum quia privilegium hoc
per ſubreptionem tacitæ veritatis, nempe litis pendentis, fuit impetratum, qua expreſſa illud conceſſum non fuiſſet, & ſic fuit reſcriptum, in quo continebatur hoc privilegium ſubreptitium, & invalidum, & conſequenter etiam ipſum privilegium: tum etiam quia de poſſeſſione decimarum, in qua erant Monachi, nulla facta eſt mentio: neque Papa, concedendo indulgentiam, vel privilegium, intendit jus alterius lædere, vel ei derogare, niſi id exprimat, *Gl. hic V. In quarum, & V. Non facientes & Hoſtienſ. V. Poſſeſſione.*

LXXI. Notandum primo, Privilegium Apoſtolicum, per quod aliqui eximuntur a ſolvendis decimis Novalium, non extenditur ad decimas, tempore privilegii impetrati, poſſeſſis ab aliis tanquam jure ſuo ſibi debitas, niſi de poſſeſſione alterius in ipſo privilegio facta ſit mentio. Ex quo per contrarium ſenſum colligitur, ſi in hujuſmodi privilegio facta eſſet mentio de poſſeſſione alterius; vel ſi Monachi illi nondum fuiſſent in poſſeſſione illarum decimarum Novalium, privilegium valuiſſet, *Gl. hic V. In quarum erant.*

Notandum ſecundo, quando dicitur, quod privilegium, in quo non ſit mentio de poſſeſſione alterius, non noceat poſſeſſori, id intelligi debet, quando impetratur de decimis Novalium non ſolvendis: ſecus eſt, ſi privilegium impetratum ſit ſimpliciter, ne quis decimas ſolvat, tunc enim valet, etiamſi mentio non fiat, quod alius ſit in quaſi poſſeſſione juris percipiendi illas. Ratio diverſitatis eſt, quia decimæ poſſidentur ab aliquo, unde cum Pontifex ſimpliciter concedit privilegium, ut decimæ ſolvantur, eo ipſo, vult derogare poſſeſſoribus, quia tacite facit mentionem de poſſeſſione. Aliud vero eſt, quoad decimas Novalium, quia privilegium poteſt intelligi de fundis, qui nondum redacti ſunt ad culturam, & ſic poterat eſſe, ut nullus poſſideret decimas illorum, ac proinde ſine gravi præjudicio aliorum,

poteſt

Digitized by Google

poteſt concedi tale privilegium, *Arg. c. Cum olim 12. hoc tit.* ubi valet privilegium conceſſum Monaſterio, non facta mentione de Epiſcopo, qui erat in poſſeſſione. At vero in caſu hujus c. fundi illi erant redacti ad culturam, & ex illis Monachi percipiebant decimas ante impetrationem privilegii, ideoque hoc in grave præjudicium illorum cedebat, quod non eſt præſumendum Papam intendiſſe, *Abb. hic num. 2.* Idemque eſt dicendum, ſi fundi, tempore impetrati privilegii, eſſent redacti ad culturam, etſi nondum ex illis ſolutæ fuerint decimæ, & ſic nemo eſſet in quaſi poſſeſſione juris decimandi; nam ſatis eſt, quod illæ decimæ jam ſint debitæ, ex fundis ad culturam redactis: cum ergo privilegium præjudicans juri alterius ſit ſtricte intelligendum, & ſine præjudicio alterius, quoad ſalva verborum proprietate fieri poteſt, *c. Quia intentionis 29. hoc tit.* privilegium autem de non ſolvendis decimis Novalium poſſit intelligi de terris, ſeu fundis nondum ad culturam redactis, in quibus nullum, vel modicum præjudicium, & damnum infertur alteri: ideo non debet intelligi tale privilegium de terris jam cultis, tempore impetrati privilegii, quia inferretur grave præjudicium tertio, cui jam jus acquiſitum eſt in illis fundis ad decimas, *Abb. hic nu. 4. Azor. 1. Inſtit. libr. 7. c. 26. q. 6.*

Notandum tertio, per privilegium ſimpliciter conceſſum de non ſolvendis decimis prædialibus eximuntur, non ſolum ii, quibus datur, a ſolvendis decimis ex illis prædiis, quæ tempore impetrati privilegii poſſidebant, ſed etiam a decimis, & prædiis, quæ poſtea acquiſiverint, quia tale privilegium non ſolum eſt perſonale, quo perſonæ eximuntur a decimis ſolvendis, ſed etiam reale, quo generatim quælibet prædia, & bona eximuntur, & liberantur a decimis ſolvendis: ubi autem verba privilegii non diſtinguunt, nec nos diſtinguere debemus, juxta vulgatum dictum, *Azor. c. l. §. Deinde*, & poſt illum *Barboſ. hic n. 3.*

LXXII. Quæritur tertio, an privilegium de non ſolvendis decimis Novalium perpetuo duret? Reſp. Affirmative, prout conſtat ex *c. Conſultationi 33. & ult. h. t.* ubi Papa Gregorius IX. ita reſcribit: „Terra, de qua non extat memoria, quod aliquando culta fuerit, redacta per Religioſos viros de novo ad culturam, perpetuo debet, quoad immunitatem de non ſolvendis decimis Novalium, jure cenſeri: cum alias contingere poſſet, indulgentiam de Novalibus, plus ei diſpendii, quam utilitatis afferre.

LXXIII. Pro explicatione notandum primo, ſecundum Leges Civiles, Novale dicitur terra præciſa, ſive proſciſſa, quæ anno ceſſavit, ſive fructus non tulit, quia non fuit culta, *l. Silvia 30. §. Novalis, ff. de V. S.* vel etiam novale dicitur ſilva: quæ arboribus extirpatis, ad culturam redigitur, *l. ult. in fine ff. de termino moto*. At vero ſecundum Jus Canonicum, per Novale intelligitur ager de novo ad cultum redactus (vulgo *ein Neubruch*) de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuiſſet, *c. Quid per Novale 21. de V. S.* Quæ autem requirantur, ut privilegium percipiendi decimas Novalium locum habeat, dictum eſt ſupra *lib. 3. Tit. 30. ſec. 5. §. 2. num. 98.* ubi etiam dictum, ſi Eccleſia nomine decimarum prius magnos proventus annuos percepiſſet, v. g. ex ſilva inculta, ut quia arboribus inciſis, eæ ſunt venditæ, tum privilegium de non ſolvendis decimis ceſſaret, quia cederet in præjudicium grave Eccleſiæ Parochialis, *cit. c. Quid per Novale, & ibid. Abb. num. 1.* ubi *Gloſ. V. Magnos*, ait, a contrario ſenſu inferri, ſi nullos, aut nonniſi modicos fructus Eccleſiis Parochialis ex Novali perciperet, nihil exigere poſſet ex illo Novali, nomine decimarum, etiam poſt longiſſimum tempus, niſi curſu temporis inciperet Eccleſia graviter lædi, tunc enim ceſſaret privilegium.

Notandum ſecundo, quod ſemel eſt novale, ſemper eſt, & cenſeri debet Novale, quantum ad hoc, ut decimæ non ſolvantur ex tali terra novali, adeo ut etiam poſt XL. annos, & longiſſimum tempus, quod alias ad Canonicam præſcriptionem ſufficit, terra novalis maneat novalis, & immunis a ſolvendis decimis, nec ob lapſum temporis cenſere debeat redire ad jus commune, ſicut aliæ terræ, ut decimæ poſtea ſolvantur, quia res ſemel privilegiata ſemper eſt privilegiata, privilegia enim ſunt perpetua, *cap. 1. & 2. cauſ. 25. qu. 2.* niſi perdantur, quia illi, quibus data ſunt, illis non utuntur, vel abutuntur, vel quia ab illo, qui dedit, revocantur, maxime ex cauſa, *Gloſ. hic V. Perpetuo, junct. Gloſ. margin.* vel ob aliam cauſam, de quo infra. Tum quia alioquin contingere poſſet, ut habentes tale privilegium de non ſolvendis decimis ex novalibus, plus inde diſpendii, & damni conſequerentur, quam utilitatis, ob magnas expenſas quas facerent in reducendo terram, ſeu fundum inutilem, & infrugiferum ad culturam: indulgentia autem, ſive privilegium non debet afferre diſpendium, ſed potius compendium, ut hic habetur in fine, & notat *Gl. fin. hic*, quæ tamen eſt ratio ſolum impulſiva, non finalis, *Abb. hic in fine*. Porro plura de privilegiis immunitatis a ſolvendis decimis ex diis antiquis; & novalibus dicta, quos ſupra *l. 3. ſect. 2. & 4. & tota ſec. 5.*

§. II.

De privilegio celebrandi, vel audiendi Divina officia, tempore interdicti Generalis.

LXXIV. Quæritur primo, quomodo intelligendum ſit privilegium conceſſum quibuſdam Regularibus a Sede Apoſtolica, ut liceat eis celebrare Divina Officia in Eccleſiis interdictis? Reſp. De hoc agitur in *c. Ut privilegia 24. §. Illud etiam, h. tit.* ubi dicitur, quod privilegium quibuſdam „Regularibus conceſſum eſt, ut ſi qui Fratrum ipſorum ab eis miſſi fuerint ad recipiendas collectas, aut eleemoſynas, ad aliquam Civitatem, Caſtellum, vel vicum advenerint, & forte locus ille a Divinis fuerit interdictus, (etiam ab homine, *Hoſtienſ. hic*) in eorum adventu ſemel in anno aperiantur Eccleſiæ, ut excluſis excommunicatis, & interdictis, divina ibi Officia celebrentur. Verba autem illa hujus privilegii, *Aperiantur Eccleſiæ*, ſic intelligenda ſunt, ut una tantum Eccleſia ejuſdem loci ſemel in anno aperiatur prædictis Fratribus, quia licet dictum ſit pluraliter, *ut aperiantur Eccleſiæ*, id tamen de una Eccleſia ſola aperienda in una Civitate, aut loco, & ſemel in anno, intelligendum eſt, ne ſi de omnibus, & ſingulis aperiendis intelligeretur, nimium vilipenderetur ſententia interdicti. Qui vero contra iſtas Declarationes quicquam facere præſumpſerint, graviter puniendi ſunt. Ratio eſt, quia quando ex generali intelligentia verborum ſequeretur abſurdum, illa non generaliter intelligenda ſunt, ſed reſtringenda, ut habeant ſanum intellectum, *Vivain. in Ration. hic*, & pluralis locutio in ſingularem vertenda eſt, *Gl. fin. hic*.

LXXV. Quæritur ſecundo, an etiam Epiſcopi poſſint tempore Interdicti generalis celebrare Divina? Reſp. Affirmative, prout ſtatutum eſt in *c. Nonnullis 25. h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio Generali Lateranenſi ſub Innocentio III. *c. 58.* „Nam quod nonnullis Religioſis conceſſum eſt, ut cum commune, ſeu generale Terræ Interdictum fuerit, poſſint quandoque (id eſt, non ſemper, quia ſi ex tali celebratione oriretur ſcandalum, non deberent ſemper celebrare, ſed ſolum aliquando, *Gl. hic V. Quandoque in fine*,) januis clauſis, & non pulſatis campanis, divina Officia celebrare, excommunicatis, & interdictis expulſis, hoc Concilium, in favorem Pontificalis Officii, ad Epiſcopos extendit, niſi & hoc ipſum eis expreſſe fuerit inhibitum. Verum hoc illis conceditur, qui cauſam aliquam interdicti non præſtiterint, nec dolum, vel fraudem aliquam ingeſſerint, cum tale compendium ad iniquum diſpendium trahi non debeat.

LXXVI. Notandum primo, licet alias privilegium conceſſum Religioſis non debeat extendi ad Epiſcopos, quia privilegium non eſt extendendum ab una perſona ad aliam, *Abb. hic not. 1.* tamen hoc privilegium celebrandi, tempore interdicti, ab ipſa Lege, ſeu Canone, ad Epiſcopos extenſum eſt: & tunc hujuſmodi extenſio cenſetur facta, juxta modum, & cum iiſdem qualitatibus, quæ inerant primo, ac principali privilegio, ad quod refertur, *Barboſ. in Collect. hic, n. 2.*

Notandum ſecundo, privilegium conceſſum aliquibus, ut tempore interdicti poſſint celebrare, vel intereſſe divinis, intelligi debet conceſſum illis tantum, qui interdicto cauſam aliquam non dederunt, vel alias in eo culpabiles non fuerunt, ut quia propter delictum eorum non fuit latum interdictum, nec favorem, vel auxilium eis præſtiterunt, propter quos fuit latum, *Abbat. hic nu. 2.* Ratio eſt, quia illi, propter quos latum eſt interdictum perſonale, etiam generale, vel locale, aut qui ei cauſam dederunt, cenſentur perſonaliter interdicti, *Argum. cap. Si ſententia 16. de ſentent. excommunic. in 6.* At perſonaliter interdicti, etiam jure communi, non poſſunt celebrare, aut intereſſe divinis tempore interdicti, *c. ult. §. Adjicimus eod. in 6. Barboſ. hic n. 6.*

LXXVII. Quæritur tertio, an privilegium tempore interdicti, clam celebrandi divina extendatur etiam ad extraneos, vel ſaltem ad familiares privilegiati? Reſp. De „hoc agitur in *c. Licet 11. hoc tit. in 6.* ubi Bonifacius VIII. ita reſcribit: Si aliquibus conceſſum ſit (per ſpeciale privilegium, & ſic facit ad Titulum, *Gl. hic*) ut tempore interdicti, januis clauſis, excluſis excommunicatis, & interdictis, voce ſubmiſſa, Divina celebrare poſſint: ad ea tamen aliquos, etiamſi aliunde advenerint, (ut tranſeuntes, & peregrini) recipere non debent, niſi habeant ſpeciale privilegium, quod poſſint audire Divina in locis interdictis. Si vero privilegium, ut modo prædicto, tempore interdicti, celebrare quis valeat, vel audire Divina, conceſſum fuerit perſonæ ſingulari, ejus familiares, & domeſtici ad audiendum cum ea, vel celebrandum Officium Divinum in locis interdictis, licite admittuntur. Secus eſt de familiaribus alicujus Conventus, ſeu Collegii, illi enim, niſi fuerint privilegiati, admitti non debent. Prædicta tamen conceſſione gaudere non debeeis, cujus cauſa, vel culpa, dolo, vel fraude, ſententia interdicti prolata fuit, nec is, qui ad perpetrandum delictum, ob quod fuit latum interdictum, præbuit conſilium, auxilium, vel favorem.

LXXVIII. Notandum primo ex eo, quod in hoc c. dicitur, excludendos eſſe excommunicatos, & interdictos, videtur a ſenſu contrario inferri poſſe, quod nec excommunicati, nec interdicti, & aliunde advenientes admitti poſſint ad Divina audienda. Verum argumentum a contrario ſenſu non habet locum in privilegiis, quia privilegium unius alteri prodeſſe non poteſt, & cum locus interdictus ſit, cenſetur omnibus interdictum ibi audire Divina, niſi ſuper hoc ſint privilegiati, *Gl. hic V. Excluſis, & Franc. nu. 3. in Gl. V. eod.* Ratio eſt, quia per hoc privilegium diſſolvitur nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ: quæ jubet interdicta ſervari, non obſtante contraria conſuetudine, ideoque etiam privilegium circa hoc datum ſtricte eſt interpretandum, ut non extendatur ad extraneos non privilegiatos, *Jo. Monach. hic n. 1. & Franc. n. 2.*

Sed contra obſtare videtur, quod hoc privilegium ſit ſuperfluum, & inutile, quia hodie, etiam ſine privilegio, licitum eſt, tempore interdicti, januis clauſis, celebrare Divina Officia, iiſque intereſſe de jure communi, *c. ult. de ſent. excom. in 6.* Sed ad hoc inprimis dici poteſt, quod hic per privilegium conceſſum eſt, idem poſtea conceſſum eſſe per jus commune, & ideo forte hic generaliter dicitur, *licet conceſſum exiſtat*, non explicando qualiter, num per

privilegium, an per Jus commune, *Gl. hic V. Excluſis*. Deinde dici non poteſt, quod etiam in ſpeciali caſu locum habere poſſit hoc privilegium, nempe ſi ponatur; quod Papa, interdicendo locum aliquibus Clericis, vel Religioſis prohibuerit, in pœnam delicti per eos commiſſi, ne celebrent Divina, etiam januis clauſis: ſed poſtea iſti Clerici, vel Religioſi impetrent privilegium a Sede Apoſtolica, ut tempore interdicti poſſint Divina celebrare, januis clauſis, tum vi hujus privilegii, non poterunt admittere extraneos non privilegiatos, *Gl. hic V. Excluſis*.

Notandum ſecundo. Quando per privilegium conceſſum eſt perſonæ particulari, veluti Epiſcopo, Duci, Comiti, vel alii perſonæ ſingulari, tempore interdicti, celebrare Divina, vel iis intereſſe, tum etiam familiares, ſeu domeſtici ad divina audienda admitti poſſunt: non autem familiares alicujus Conventus, ſeu Collegii, ſi illi tale privilegium conceſſum ſit. Ratio diverſitatis eſt, quia in primo caſu inutile eſſet privilegium tale, ſi particularis perſona, cui conceditur, familiares, qui eum comitari ſolent, ſecum ducere non poſſet: certe Nobiles non adirent Eccleſiam, ſi eos de more famuli non comitarentur: quæ ratio ceſſat in ſecundo caſu, nempe in Conventibus, Collegiis, vel aliis Univerſitatibus, quæ commodius, ſine familiaribus, Divina celebrare, vel iis intereſſe poſſunt, *Gloſſ. hic V. Non debent* generaliter autem receptum eſt, quod privilegium alicui conceſſum etiam extendatur ad ejus familiares, & domeſticos, ſi alias inutile poſſet remanere, ſive iſti domeſtici ſint perpetui, ſive temporales, imo etiam mercenarii, *Franc. hic num. 2.*

LXXIX. Notandum tertio. Licet alias nomine familiarium, & domeſticorum intelligantur uxor, filii, nepotes, ſervi, & famuli domino ſubjecti, qui ratione poteſtatis patriæ, vel dominicæ cum eo degunt, ſecundum *Gloſ.* communiter receptam *in cap. Ex litteris 24. V. De familia de teſtibus*. In propoſito tamen caſu, omnes & illi ſoli dicuntur familiares, & domeſtici alicujus domini, qui eum de more comitari ſolent, nam finis extendendi hoc privilegium ad familiares, eſt, ne alioquin redderetur inutile illis, qui ſine comitatu non poſſunt honeſte, ac decenter Eccleſiam adire, quæ ratio ſolum locum habet in iis, qui ſolent comitari dominum, adeoque illi ſoli hic intelliguntur, *Navarr. in Man. Præl. c. 27. n. 181. Avila p. 5. de cenſur. diſ. 4. ſect. 2. dub. 7. concl. 1. & 2.* ubi *not. 1.* addit, quod hic etiam intelliguntur illi famuli, qui non habitant in eadem domo cum domino, modo eum comitari ſoleant.

Notandum quarto. Familiares, ſeu domeſtici non poſſunt, tempore interdicti aſſiſtere Divinis, niſi ſimul cum domino, eoque præſente: unde ſi dominus cum aliquibus familiaribus audivit Miſſam, non poſſunt reliqui familiares audire aliam Miſſam, domino abſente, *Franc. in cit. cap. Licet 31. h. t. in 6. n. 2. not. 3. Avila cit. l. not. 4.* apud quem plura de hoc legi poſſunt.

Notandum ſexto. Etſi privilegium celebrandi, vel audiendi Divina, tempore interdicti, conceſſum Conventui, vel Collegio, non extendatur ad familiares ejoſdem; id tamen limitandum eſt, niſi ipſi familiares Conventus eſſent perpetui, & Religioſi, vel etiam ipſi ſpecialiter, quoad hoc, eſſent privilegiati, *Franc. in cit. c. Licet n. 3. & 4.* vel denique in caſu neceſſitatis, ſi alii non ſint in Conventu, ut ſi unus tantum ſit in conventu, poteſt is aſſumere familiarem, qui ei celebranti miniſtret, vel ſi tres ſint, vel duo infirmi, poſſet, tertius celebrare, aſſiſtente ſibi familiare, ne privilegium ſit inutile, *Gloſſ. hic V. Non debent* quamvis *Archidiac. ibid. in addit.* contrarium teneat, eo quod hoc privilegium conveniat Conventui, non ſingulis de Conventu, ideoque vel ſolus celebret, vel abſtineat. Verum hodie per privilegia SS. Pontificum poſſunt Religioſi Conventus, tempore interdicti, etiam familiares ſuos admittere ad Divina audienda, ut tradit *Rodriq. tom. 2. qq. Regul. q. 115. art. 1. Barb. hic num. 7.*

Notandum ſeptimo. Privilegio conceſſo aliquibus, ut tempore interdicti poſſint celebrare, vel audire Divina, non gaudent, qui interdicto cauſam dederunt, vel conſilium, auxilium, aut favorem ad delictum, propter quod latum fuit interdictum, quia non debet quis juvari in eo, in quo deliquit, *Joan. Monach. hic in fine & Franc. hic numer. 3.*

LXXX. Porro illud prædictis addendum, circa obſervationem interdicti, quod quando ii, pro quibus interdictum generale in aliquo loco poſitum eſt illud non ſervant, nec alii illud ſervare tenentur, prout ſumitur ex *c. Petiſtis, 20. h. t.* ubi dicitur, "quod propter Hoſpitalarios, vel Templarios Civitas Tripolitana generali interdicto fuit ſuppoſita (nempe occaſione illorum, quia forte gravati ſunt a domino loci, vel univerſitate, & oppreſſi, contra Eccleſiaſticam libertatem, *Hoſtienſ. hic in princ.*) qui tamen illud non ſervabant. Unde quæſivit Epiſcopus Tripolitanus, utrum etiam ipſe, cum Capitulo ſuo, illud debeat obſervare? Reſpondet Papa Innocentius III. quod illorum exceſſus illis non præbet licentiam delinquendi: ſed ſi prædicti Hoſpitalarii, vel Templarii fines privilegiorum ſuorum exceſſerint, temere violando interdictum, quod pro eis fuerat promulgatum, Epiſcopus, & Capitulum, in pœnam præſumptionis illorum, quamdiu ipſi non ſervaverint interdictum, de licentia Papæ, celebrent, ne videantur de aliorum fletu ridere, Ratio eſt, quia legem, quam quis ipſemet negligit ſervare, non debet aliis imponere, *c. Pro illorum 22. de præbend.* nec tenetur quis ſervare privilegium, quod non ſervat ille, cui conceſſum eſt, *c. In audientia 25. de ſent. excommun.* & qui non ſervat privilegium alterius, nec ejus privilegium eſt ſervandum, *Arg. c. An ſit 42. de appell. & c. Bona 23. de Elect.* & quod quis ab aliis exigit, multo fortius a ſe ipſo exigere debet, *l. Si pupilli 6. §. ſin. ff. de negot. Gl. ſin. hic, & Hoſtienſ.*

LXXXI. Notandum primo. Poteſt propter delictum plurium perſonarum particularium, quæ facile corrigi non poſſunt, tota Civitas interdicto ſubjici, ut patet ex hoc cap. *Abb. hic n. 5. not. 1.*

Notandum ſecundo. Si ii, propter quorum delictum latum eſt interdictum locale generale, illud non obſervent, alii tamen tenentur illud obſervare, quia illorum exceſſus non præbet aliis licentiam excedendi, ſive delinquendi, de quo loquitur prior pars hujus cap. Si vero interdictum ſit promulgatum in favorem aliorum, tum ſi ipſi illud non ſervent, nec alii ſervare tenentur, de quo loquitur poſterior pars hujus cap. Nam quia Hoſpitalarii, vel Templarii non ſervabant interdictum latum in eorum favorem: ideo nec Epiſcopus, & Clerus loci illud ſervare tenebantur, ſed de licentia Papæ in Eccleſiis, etſi interdictis, celebrare poterant, *Abb. hic n. 1. & 2.* Requiritur tamen, ut major pars illorum, pro quibus interdictum latum eſt, illud violet, ſive non ſervet, animo perſeverandi in tali violatione, quod ex ipſorum actibus colligi poterit, *Abb. hic in fine, Barb. n. 4.*

§ III.

De privilegio ſepulturæ Eccleſiaſticæ, tempore interdicti.

LXXXII. De hoc agitur in *c. Ut privilegia 24. §. Sane h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. *cap. 57.* in quo "conceſſum eſt quibuſdam Regularibus. (ſcilicet Templariis, & Hoſpitalariis) a Sede Apoſtolica, ut his, qui fraternitatem eorum aſſumpſerint, ſi forte Eccleſias, ad quas pertinent (nempe quorum parochiani ſunt, *Hoſtienſ. hic V. eod.*) a Divinis Officiis fuerint interdictæ, ipſoſque mori contigerit, ſepultura Eccleſiaſtica non negetur, niſi excommunicati, vel nominatim interdicti fuerint. Suos quoque Confratres, quos Eccleſiarum Prælati apud Eccleſias ſuas (ſcilicet ipſorum Prælatorum) non permiſerint ſepeliri, ipſi ad Eccleſias ſuas deferant tumulandos, niſi itidem excommunicati, vel nominatim fuerint interdicti. Hoc autem de illis Confratribus intelligendum eſt, qui vel adhuc morantur in ſæculo & eorum Ordini ſunt oblati, mutato habitu ſeculari, (ita ut per habitum diſtinguantur ab habitu ſecularium, licet ex toto non geſtent habitum illius Religionis, *Gloſſ. hic V. mutato habitu, & Hoſtienſ.*) vel de his, qui omnia ſua bona eis dederunt inter vivos, retento ſibi, quamdiu vixerint, uſufructo, & iſti quidem ſepeliantur apud Eccleſias ipſorum Regularium, vel apud Eccleſias aliorum non interdictas, ſi ſibi elegerint ſepulturam: ſi enim de quibuslibet Confratribus, qui ipſorum Confraternitatem aſſumunt, intelligeretur, pro duobus, aut tribus denariis annuatim ſibi collatis, diſſolveretur Eccleſiaſtica diſciplina, & nimium viloſceret, & ipſi tamen certam obtinerent remiſſionem, ſive indulgentiam a Sede Apoſtolica conceſſam."

LXXXIII. Pro explicatione hujus c. notandum primo. Privilegium hoc ab iſtis Regularibus obtentum, ut qui eorum fraternitati fuerint adſcripti, poſſint tempore interdicti, in Eccleſia ſepeliri, ita intelligendum eſt, ut ſi hujuſmodi decedant, nulla ſibi electa ſepultura, vel electa quidem, ſed in loco, quo de Jure communi ſepeliri deberent, videlicet in parochiis ſuis, ad quas pertinent, vel potius in iis Eccleſiis, in quibus Majores illorum ſepeliri conſueverunt, juxta *c. 1. de ſepultur. & c. Is, qui 3. eodem in 6.* tum ſane, vigore privilegii, ibi ſepeliri poſſunt, etiamſi Eccleſiæ illæ ſint interdictæ, dummodo non ſint excommunicati, vel nominatim interdicti. Si vero hujuſmodi oblati elegerint ſepulturam in loco non interdicto, tunc ibi ſepeliri debent; non vero in Eccleſia interdicta, quamvis alias Jure communi ibi ſepeliendi eſſent, *Abbas hic n. 1. & num. 5. in fine*. Ratio eſt, quia cuique Jure communi conceſſum eſt, ut ſibi libere poſſit eligere ſepulturam, ubi voluerit, relicta antiqua Majorum ſepultura, vel etiam in propria Parochia, ad quam pertinet: cum ergo privilegiatus poſſit ſibi eligere ſepulturam in loco interdicto, multo magis poterit illam eligere in loco non interdicto, propter Divina Officia, quæ ibi ſine aliquo Juris impedimento celebrari poſſunt, *Covarr. in c. Alma p. 2. §. 2. n. 7. in fine, Barboſ. in cit. c. Ut privilegia n. 3.*

Notandum ſecundo. Olim Jure communi non potuit quis ſepeliri in loco interdicto, ſive in aliqua Eccleſia interdicta, aut cœmeterio, ut patet ex hoc cap. ubi id per ſpeciale privilegium conceſſum eſt quibuſdam Regularibus, *Gl. hic V. Non negetur Covarr. cit. l. in fine*.

LXXXIV. Sed jam hic quæritur, quæ requirantur, ut Confratres, ſeu Oblati alicujus Religionis gaudeant privilegio Eccleſiaſticæ ſepulturæ? R. requiritur, ut hujuſmodi Confratres, mutato habitu, ſe ipſos perpetuo tradiderint, & obtulerint Religioni, abſque poſſeſſione tamen per vota ſolemnia, nam tunc Converſi eſſent, ſive Fratres laici, nullo Eccleſiaſtico Ordine inſigniti, & veri Religioſi, non Oblati. Vel ut tales Oblati, abſque habitus mutatione, ſe & omnia ſua bona Monaſterio obtulerint, & tradiderint, idque vel abſolute, ſine ulla reſervatione, vel etiam reſervato ſibi uſufructu, in bonis, ſicut patet ex *cit. c. Ut privilegia h. t. Covarr. citat. loc. §. 2. num. 8. circa finem*. Non autem ſufficit etiam omnia ſua bona offerre, vel donare Religioni, niſi etiam ſe ipſos offerant, nam alias non poſſunt dici Confratres, ſi perſonæ non ſint oblatæ, & bona quidem ſunt acceſſoria perſonis, non autem hæ bonis, *Gloſſ. hic V. Per duobus, Abbas ibid. num. 3. in Gloſſ. V. eod. in fin*. Non autem requiritur, ut Oblatus totaliter mutet habitum, ſive aſſumat habitum Religionis, cui ſe offert, ſed ſufficit, quod ita mutetur habitus, ut licet non ſit Monaſticus, ſive Religioſus, ſicut eſſe debet habitus Converſi; differat tamen ab habitu

laica-

Digitized by Google

laicali, ſeu ſeculari, talis enim, late loquendo, cenſetur eſſe perſona Eccleſiaſtica, *Gloſſ. hic V. Mutuo habitu*, *Rodriq. qq. Regul. tom. 2. quæſt. 124.* Neque vero ſufficit partem bonorum, quamvis majorem, offerre Religioni, ſive Monaſterio, quia indignum eſt, ut pro duobus, vel tribus denariis annuis hujuſmodi exemptiones, & privilegia acquirantur, & ſic Eccleſiaſtica cenſura, & diſciplina diſſolvatur, & viloſcat, ut dicitur in *cit. c. Ut privilegia. Fagnan. hic num. 18. & 19.*

LXXXV. Illud hic addendum, ut Oblati alicui Eccleſiæ conventuali, ſeu regulari, vel etiam ſeculari, ſint exempti a foro, ſive juriſdictione ſeculari, & a vectigalibus, tam quoad perſonas, quam quoad bona, ita ut cenſeri debeant proprie perſonæ Eccleſiaſticæ, & plene oblati, requiritur primo, ut offerant ſe Eccleſiæ, vel Monaſterio ſimpliciter, & in perpetuum, tam quoad perſonas ſuas, promittendo obedientiam, quamvis non Monachalem per ſolemnem profeſſionem Religioſam, quam quoad omnia bona ſua, renunciando omni, quod proprium habent, *Clement. 1. de decimis in fine & ibi Gloſſ. V. & jura.* Secundo, ut tales oblati mutent habitum, portando non quidem habitum Monachalem, ſeu Religionis, ſed ſaltem Eccleſiaſticum diſtinctum ab habitu ſeculari, ut dictum ſupra. Tertio requiritur, ut hujuſmodi Oblati, qui ſe & ſua Religioni tradiderunt, ſeculum omnino relinquant, & ad Eccleſiam, aut Monaſterium ſe transferant, in eoque habitent, & inſerviant, alioquin non gaudent privilegio fori Eccleſiaſtici, *Rodriquez. citat. loc. Fagnan. in citat. c. Ut privilegia, nu. 22. & 2. ſeqq.*

„ Idque probatur ex *c. Quidam 32. hoc titul.* Ubi habetur,
„ quod quidam privilegiati (ut Templarii, & Hoſpitala-
„ rii) receperunt quoſdam in ſuam fraternitatem, ſeu
„ Congregationem, qui noluerunt Epiſcopo Diœceſano de
„ juribus Epiſcopalibus reſpondere: (nempe citati compa-
„ rere, & in judicio ſe ſiſtere, vel Epiſcopalia jura ſolve-
„ re, *Hoſtienſ. hic V. eodem*,) Conſultus ſuper hoc Papa Ho-
„ norius III. mandavit, ut quamdiu hujuſmodi Fratres in
„ propriis ſuis domibus morati fuerint (ſupple, & in ha-
„ bitu ſeculari, *Innocent. hoc V. In domibus*,) compellan-
„ tur ad dicta jura Epiſcopo Diœceſano integre perſol-
„ venda.

LXXXVI. Ex quo patet, quod tales Confratres, ſeu Oblati, qui ſe ſuaque Religioni tradiderunt, non gaudent omnibus privilegiis Religionis, ac præſertim exemptionis a juriſdictione Epiſcopi Diœceſani, & a juribus Epiſcopalibus, & Parochialibus ſolvendis, ſed illa integraliter eis ſolvere debent, ſi adhuc in domibus ſuis, adeoque in ſeculo manſerint, nec plene fuerint in Monaſterium tranſlati, *Gloſſ. in citat. c. penult. V. Moram hoc tit. Abb. ibid. num. 1. & in citat. c. Ut privilegia, num. 2.* Ubi etiam ait, quod eos percutientes non incidunt in excommunicationem, nec ſint plene oblati, qui adhuc ſtant in ſeculo, ideoque non gaudent privilegio exemptionis, vel immunitatis: ſecus eſt de iis oblatis, qui domo propria relicta plene tranſlati ſunt in Monaſterium, ſeu Religionem, *Fagnan. in citat. cap. Ut privilegia numer. 25.* & alii apud ipſum.

Nec obſtat *citat. c. Ut privilegia §. Sane*, ubi deciditur, quod ut Confratres, ſeu Oblati gaudeant privilegio Religionis, cui ſunt oblati, mutato habitu ſeculari, vel quod bona ſua donaverint, inter Vivos, retento ſibi, quoad vixerint, bonorum uſufructu. Nam ibi ſolum eſt ſermo de privilegio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, quod eo gaudeant tales Confratres, ſeu Oblati, tempore interdicti, de quo ſupra: non autem de privilegio exemptionis a juriſdictione Ordinarii, ſeu Epiſcopi, vel immunitatis a juribus Epiſcopalibus, ut ſupra dictum juxta *citat. c. penult. & c. 3. §. de Confratribus & c. Tuarum 19. in fine hoc titul.* neque etiam gaudent privilegio exemptionis a foro ſeculari, & tributis, *Gloſſat. Abbat. in citat. cap. penult. lit. A. & Barboſ. ibidem numer. 3.*

Porro Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. cap. 11. de reformat.* quoad Oblatos ultra Jus commune, duo tantum ſtatuit: primum eſt, ut non plene oblati, qui non habent ſupradicta requiſita, non ſint exempti a juriſdictione Epiſcopi Diœceſani; ſed illi ſubditi, non obſtantibus privilegiis quibuſcunque, vel conſuetudine: niſi præter requiſita Jure communi ſupra allata, ſint in actuali ſervitio Religionis, cui ſunt oblati. Alterum, ut plene oblati etiam ipſi Ordinario ſint ſubjecti, ſi ultra alia actu non inſerviant alicui Religioni *Fagnan. in citat. c. Ut privilegia, num. 36.* Et decretum illud Concilii non habet locum in cauſis civilibus, ſed tantum in criminalibus, & iis, quæ ibi ſunt expreſſa, juxta *Declarat. Cardinal. Concilii apud Jo. Gallemart. nu. 1. Fagnan. c. l. n. 34. h. t.*

§. IV.

De privilegio celebrandi in Altari viatico, ſeu portatili.

LXXXVII. Quæritur primo, quibuſnam conceſſus ſit uſus Altaris viatici, ſeu portatilis? Reſp. inprimis Jure communi hoc privilegium conceſſum eſt Epiſcopis, ut conſtat ex *c. Quoniam 12. & ult. hoc tit. in 6.* Ubi Epiſcopis, eiſque Superioribus conceditur, ut in Altari viatico celebrare
„ poſſint in itinere, ubique locorum, vel alios conſtituere
„ ut coram ipſis celebrent, ſi commode ad Eccleſiam acce-
„ dere non poſſint ad celebrandam, vel audiendam Miſſam,
„ ita tamen ut interdictum non violent (celebrando in
„ loco interdicto alta voce, & admiſſis excommunicatis,
„ vel interdictis, nam clam id licet, juxta *c. Quod juxta
25. hoc tit. Gloſſ. fin. hic*) Ratio conceſſionis hujus privile-
„ gii indicatur in *princ. ejuſdem c.* quia Epiſcopi frequenter
„ debent abeſſe a ſuis Eccleſiis, & Diœceſibus, diverſis
„ ex cauſis, nec ſemper poſſunt commode in Eccleſia cele-
„ brare, vel audire Miſſam, quam non debet eos ulla die
„ omittere, abſque rationabili cauſa.

LXXXVIII. Ubi notandum primo, regulariter Miſſa celebranda eſt, & audienda in Eccleſia conſecrata, vel benedicta *c. 1. c. Sicut 11. c. Unicuique 33. diſt. 1. de conſecr.* in caſibus tamen jure expreſſis, etiam extra Eccleſiam, Miſſæ celebrari poſſunt, ſed non debent, ſine Altari viatico, ſeu portatili, juxta *citat. cap. ultim. Franc. ibidem numer. 2. not. 2.*

Notandum ſecundo, qui habet privilegium celebrandi in quocunque loco, non poteſt celebrare, ita ut violet interdictum, quia privilegium generaliter loquens limitationem recipit a jure communi circa illam materiam conditio, *Franc. hic n. 2. not. ult.*

Notandum tertio, Altaris viatici privilegium, quod habent Epiſcopi, iiſque Superiores, non fuit ſublatum per decretum Concilii Tridentini *Seſſ. 22. de obſervandis, & evitandis in celebration. Miſſ.* ut cenſuit Sac. Congregatio Concilii apud *Fagnan. in c. Quod nonnullis 25. num. 6. hoc titul.* quia Concilium ibi non directe prohibuit celebrare Miſſas in Altari portatili, ſed ſolum, *ne patiantur Epiſcopi privatis domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & Oratoria ad divinum tantum cultum dedicata, SS. hoc Sacrificium a ſecularibus aut Regularibus quibuſcunque peragi*, ſcilicet pro libitu, & ſine juſta cauſa, hac autem interveniente, quod Epiſcopus poſſit celebrare, vel aliis, facultatem ſic celebrandi facere, juxta *c. Concedimus 30. citat. diſt. 1. de conſecrat.* tenent *Navarr. lib. 5. conſil. num. 2. hoc tit. Azor. part. 1. libr. 10. cap. 26. quæſt. 4.* Poſſunt autem Epiſcopi, etiam caſum abſentiæ, ob cauſam rationabilem, ut ob magnum incommodum, vel imminens periculum, imo etiam in aliena civitate, uti privilegio Altaris viatici, etiam contradicente Epiſcopo Diœceſano, vel Parocho loci, prout ſumitur ex *citat. c. ultim. ibi: ubicunque, & Gloſſ. ibid. V. Indulgemus* ſcilicet in quocunque loco, ſive Chriſtiano, *Joann. Andr. ibid. V. Ubicunque, & Fagnan. in citat. c. Quod nonnullis num. 8. & 9.* Ubi etiam ait, quod S. Congregatio ſæpius reſpondit: Oratoria ad uſum Epiſcopi, etiam extra illius Diœceſim conſtructa non comprehendi in dicto decreto Tridentini de non celebrando in privatis Oratoriis. Itaque hoc privilegium competit cum per hoc non fuerit ſublatum, vel reſtrictum ex ſententia *S. Congreg.*

Notandum quarto, privilegium celebrandi in Altari portali Epiſcopis, iiſque Superioribus, nempe Patriarchis, Primatibus, & Archiepiſcopis conceſſum, competit etiam Cardinalibus non Epiſcopis: nam licet Cardinalis Ordine ſit minor Epiſcopo, officio tamen, & dignitate eſt major, ideoque, ſecundum latam ſignificationem, comprehenditur etiam in *citat. ultim. hoc titul. in 6.* ſub nomine Superiorum: in privilegiis vero, & prærogativis major eſt habenda ratio dignitatis, quam Ordinis, præſertim in hoc privilegio Altaris portatilis, quod competit Epiſcopo etiam electo, & confirmato, quamvis non conſecrato *Fagn. in cit. c. Quod nonnullis n. 11. & ſeqq.* Ubi fuſius hoc proſequitur, & declarat.

LXXXIX. Quær. ſecundo, an etiam, præter Epiſcopos, iiſque Superiores, aliis hoc privilegium ſit conceſſum? Reſp. idem privilegium utendi Altari portatili, conceſſum eſt Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus a Papa Honorio III. ut
„ conſtat ex *c. In his 30. h. t.* Nempe ut ubicunque locorum fue-
„ rint, in Altari viatico, ſeu portatili valeant celebrare, ſi-
„ ne præjudicio tamen juris parochialis quam indulgentiam,
„ ſive privilegium quidam Prælati nimis ſtricte interpretan-
„ tes, dicebant, quod prædicti Fratres, ſine conſenſu Præ-
„ latorum ſcilicet locorum illorum, ſive ſint Epiſcopi, ſive
„ Prælati minores, *Hoſt. hic V. eod.*) hoc facere non poſſint, qui
„ proinde non permittebant illos celebrare in tali Altari,
„ idcirco mandavit Papa cuidam Epiſcopo, ut interpreta-
„ tione hujuſmodi reprobata, datam licentiam celebrandi,
„ prædictis Fratribus, auctoritate ſua publicari curet, dum-
„ modo abſtineant ab injuriis, ſeu violationibus jurium pa-
„ rochialium, ita ut prædicti Fratres ex indulgentia, ſeu
„ Privilegio Papali videantur aliquam gratiam conſecuti.
„ Rationem reddit Papa in *princ. cit. c.* Quia in his, quæ ad
„ divinum cultum ſpectare cognoſcuntur, vel maxime, non
„ maligna, ſed benigna potius interpretatio eſt facienda.

XC. Pro explicatione hujus c. notandum primo, olim ſecundum antiquos Canones, generaliter permiſſum fuit, ut ſi Eccleſiæ conſecratæ fuerint ab infidelibus, vel malis Chriſtianis combuſtæ, interim in Capellis, id eſt, Oratoriis non conſecratis, cum tabula conſecrata, Miſſæ celebrentur, donec conſecratæ Eccleſiæ valeant reſtaurari: in itinere vero poſitis, ſi Eccleſia defuerit, ſub dio ſeu in tentoriis ſi tabula Altaris conſecrata ibi affuerit, liceat Miſſas celebrare, prout habetur in *c. Concedimus 30. diſt. 1. de conſecr.* quod eſt deſumptum ex Conc. Triburienſi. Item permiſſum fuit iis, qui valde remoti ſunt ab Eccleſia parochiali, ut audiant Miſſas in minoribus feſtis in Oratoriis ſuis, in præcipuis vero in ſuis parochialibus Eccleſiis, *c. Si quis etiam 35. cit. diſt. 1.* quod eſt deſumptum ex Conc. Agathenſi: requirebatur tamen conſenſus Epiſcopi Diœceſani, ut conſtat ex *c. Miſſ. 12. ead. diſt.* qui eſt etiam Conc. Triburienſis, ubi dicitur: *Miſſarum ſolemnia, non ubique, ſed in locis ab Epiſcopo conſecratis, vel ubi ipſe permiſerit, celebranda ſunt.* Idem colligitur ex *c. Clericos 34. cit. diſt. 1.* Et ſic olim poterat quilibet Epiſcopus etiam aliis concedere hoc privilegium Altaris viatici, ſolus vero Papa toto in orbe, *Jo. Andr. in cit. c. In his n. 5. & Abb. n. 2. Franc. in c. ult. n. 3. h. t. in 6.* Poſtea vero Honorius III. conceſſit idem privilegium Altaris viatici Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, ut ubique locorum in eo celebrare poſſint: ſed quia nonnulli aſſerebant privilegium hoc non habere locum, niſi accedat conſenſus Epiſcopi Diœceſani, ideo in *citato cap. In his*, declaravit, prædictos Fratres uti poſſe dicto privilegio,

etiam ſine permiſſione Epiſcopi; cum enim ex Epiſcopi conſenſu cuique liceat celebrare in Altari viatico, abſque alio privilegio Papæ, & conceſſione Juris communis in *citat. c. Concedimus*: indultum ſive privilegium Honorii nihil illis contuliſſet, præter jus commune, ſi neceſſaria fuiſſet licentia Epiſcopi, ſed eluſorium fuiſſet, quod eſſe non debet, *Gl. fin. in cit. c. In his & Abb. ibid. in princ.*

XCI. Notandum ſecundo, privilegium conceſſum Prædicatoribus, & Minoribus celebrandi in Altari viatico noviſſime revocatum fuit per Concilium Tridentinum *Seſſ. in Decreto de obſervand. & evitand. in celebr. Miſſ.* ſupra quoque allegato. Ubi præcipitur ne Epiſcopi permittant Miſſas celebrari in privatis domibus & extra Eccleſiam, vel Oratoria ad cultum divinum deſtinata: & conſequenter etiam ne permittant celebrare Miſſas in Altari portatili, ſine quo non licet celebrare, extra Eccleſias, & loca conſecrata: & in fine hujus decreti, additur clauſula generalis derogatoria. *Non obſtantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac conſuetudinibus quibuſcumque. Navarr. in Man. cap. 25. numer. 85. Azorius libr. 10. cap. 26. quæſt. 7.* qui dicunt privilegium hoc eſſe abſolute revocatum per *Concilium Tridentinum citat. loc.* niſi de novo concedatur, aut confirmetur. Alii vero cenſent, non eſſe abſolute revocatum, ſed adhuc hodie hanc facultatem poſſe concedi ab Epiſcopis, ob urgentem neceſſitatem, vel juſtam, alias non, *Emmanuel. Rodriq. tom. 1. q. 99. Regul. quæſt. 43. art. 5. Barboſ. de Offic. Epiſc. alleg. 23. num. 8. & 9. & in cap. ultim. hoc titul. in 6. num.* 6. & alii apud eundem *citat. loc.* quia intentio Concilii fuit ſolum tollere abuſus in celebratione Miſſarum, non autem caſus licitos.

XCII. Verum in Brevi edito a Gregorio XIII. anno 1579. die 2. Octobris, in quo uſus Altaris viatici Societati prius conceſſus a Paulo III. eidem quoad illius miſſiones reſtituitur, expreſſe dicitur, uſum Altaris viatici a Concilio Tridentino univerſe ſublatum eſſe. Nec obſtat, quod hoc privilegium Corpori Juris ſit inſertum, ideoque non debeat cenſeri revocatum, niſi expreſſe ei fuerit derogatum. Nam primo, privilegia etiam in Corpore Juris contenta, non deſinunt eſſe privilegia, & ideo comprehenduntur in generali privilegiorum derogatione, *Fagnan. in citat. c. In his num.* 9. Deinde quamvis privilegium inſertum Corpori Juris faciat jus commune inter nominatos tantum, non inter alios, non expreſſos, *Gloſ. in c. Quæ a Jure 28. V. ead. de R. J. in 6. & in Clement. 2. V. de jure de ſepult.* tamen juri communi non eſt opus expreſſe derogare, quia per Conſtitutionem poſteriorem tollitur prior contraria, licet de hac nulla fiat in poſteriore mentio *c. 1. de Conſtitut. in 6.* ergo ex eo quod privilegium in Corpore juris contentum faciat jus commune, potius ſequitur non eſſe opus eidem expreſſe derogare, quia quoad revocationem etiam judicari debet de Privilegio contento in Jure, ſicut de ipſo Jure communi, *Felin. in c. 1. num. 33. limitat. 3. de Reſcript. Fagnan. in citat. c. In his num. 31. hoc tit.* Denique privilegiis in Corpori juris contentis, juxta ſtylum Concilii Tridentini, non ſolet expreſſe, & ſpecifice derogari, ut pluribus exemplis oſtendit *Fagnan. cit. loc. num.* 10. Ratio autem, cur Concilium Tridentinum Epiſcopis, non abſtulerit privilegium Altaris viatici, non eſt, quia eſt inſertum Corpori Juris, *cap. ult. hoc tit. in* 6. ſed quia non decet, & ſcandaloſum eſſet, ſi Epiſcopi, iiſque majores Prælati iter facientes in ſua Diœceſi, vel extra illam, quotidie non celebrarent, vel Miſſam audirent, quod ſæpe contingeret, ſi non haberent uſum Altaris portatilis, quæ ratio ceſſat in inferioribus Sacerdotibus, *Fagnan. in cit. c. In his* n. 10. & 11.

Porro aliud privilegium utendi Altari portatili poſt Concilium Tridentinum conceſſum fuit a Gregorio XIII. Societati in Bulla, quæ incipit, *Decet* anno 1575. die 3. Maij, ut in Oratoriis, & Capellis, quæ in Societatis Domibus, Collegiis vel Reſidentiis per Provinciales approbata fuerint, & ad divinum cultum duntaxat deputata; Miſſæ & alia Divina Officia, ſine alterius requiſita licentia celebrari poſſint.

XCIII. Quæritur tertio, an poſt Concilium Tridentinum, Epiſcopus poſſit in ſua Diœceſi, concedere facultatem, ut extra Eccleſiam, vel locum conſecratum, aut benedictum, vel ad cultum divinum duntaxat deſtinatum, poſſint Miſſæ celebrari in domibus privatis ſuper Altari portatili? Reſpondent hodie communiter DD. illam facultatem eſſe ablatam Epiſcopis per Concilium Tridentinum in Decreto ſupra allato, ſaltem ubi illud eſt receptum, *Navarr. in Man. cap. 25. num. 81. & lib. 2. conſil. 1. quæſt. 37. de Conſtitut. Azor. cit. lib. 10. cap. 26. quæſt.* 3. & fuſe probat *Fagnan. in citat. c. In his num. 16. & ſeqq. hoc tit.* ibique juxta declarationem etiam S. Congreg. Concilii, quia Concilium primo prohibet, ne Epiſcopi permittant Miſſas celebrari a Sacerdotibus quibuſcunque, ſive ſecularibus, ſive regularibus, in domibus privatis: deinde ne id fieri permittant in locis, quæ ſunt omnino extra Eccleſiam, & Oratoria ad divinum tantum cultum deputata: ergo etiamſi Oratorium aliquod ſit ad cultum tantum divinum deputatum, ſi tamen ſit in domo privata, non licebit ibi celebrare, etiam cum licentia Epiſcopi, quia Concilium non tantum prohibuit, ne Epiſcopi permittant, ut celebretur extra Eccleſiam, & Oratoria ad divinum cultum dedicata, ſed etiam ne in domibus privatis celebretur, quæ prohibitio omnino ſuperflua foret, ſi liceret in domibus privatis celebrare, etſi in loco ad divinum cultum deputato, ſatis enim fuiſſet ſimpliciter prohibere, ne celebretur extra Eccleſiam, & Oratoria ad divinum cultum deſtinata, nam per hoc ſatis clare fuiſſet prohibitum in privatis domibus celebrare, in quibus non extant hujuſmodi Oratoria. Unde S. Congregatio Concilii ſæpius cenſuit, teſte *Fagnan. in cit. c. In his num. 17. & 18.* Oratoria intra domeſticos parietes, vel in privato ſolo conſtructa, aut privatis ædibus adjacentia, quamvis ſint dedicata ad divinum cultum, cenſeri tamen privata, nec poſſe Epiſcopum concedere, ut in eis Miſſa celebretur, niſi habeat oſtium verſus plateam aut viam publicam, & in ipſam nullus exitus, aut proſpectus ex privatis ædibus pateat. Itaque licentia, ut celebrari poſſit in privatis domibus, etiam in Oratorio ad divinum cultum deſtinato, petenda eſt a Sede Apoſtolica: quamvis in multis Provinciis Concilium Tridentinum ſecundum hunc rigorem non ſit receptum. Ex quo infertur, quod etiam in locis publicis, & regularibus, v. gr. intra clauſtrum Monaſterii alicujus, non poſſit poſt Concilium Tridentinum celebrari Miſſa ſuper Altari portatili, etiam cum conſenſu Epiſcopi: bene tamen ſuper Altari ſixo in Oratorio ad divinum cultum dedicato, ex permiſſione Ordinarii, ita tamen ut locum illum prius viſitaverit, & deſignaverit *Fagnan. c. l. n.* 20. & 23.

XCIV. Porro valde probabile eſt, quod etiam poſt Concilium Tridentinum in caſu neceſſitatis (vel magnæ utilitatis) etiam hodie poſſit, cum Epiſcopi conſenſu, ubi is commode peti poteſt, vel etiam ſine eo, ſi commode peti nequeat, ſacrificium Miſſæ celebrari in Altari portatili, etiam ſub dio, vel ſub tentoriis, *Navarr. citat. cap. 25. numer. 82. Azorius citat. cap. 26. quæſt. 6. Gattier. libr. 1. Canon. 99. cap. 30. numer.* 24. & 25. Nec videtur quoad hoc derogatum eſſe per Concilium, quippe quod loquitur de communi, & ordinario modo celebrandi, non autem de caſu neceſſitatis, & ſolum voluit abuſus tollere, qualis non eſt in locis non conſecratis Miſſam celebrare ſuper Altari portatili, propter neceſſitatem, vel aliam juſtam cauſam. Neque etiam Concilium voluiſſe videtur facultatem Epiſcopis diſpenſandi eximere, quam habent in hujuſmodi caſibus, qui frequenter accidere poſſent, in quibus moraliter neceſſaria eſt talis facultas diſpenſandi, maxime in Provinciis ab Urbe remotioribus, in quibus commode, ad Papam recurri non poteſt.

§. V.

De privilegiis Studii generalis in Curia Romana.

XCV. De his igitur in *c. Cum de diverſis* 1. *hoc titul. in* 6.
„ Ubi dicitur. Cum ex diverſis mundi partibus multi
„ confluant ad Sedem Apoſtolicam quaſi ad Matrem, ideo
„ Innocentius IV. ad commune, tam ipſorum, quam alio-
„ rum omnium commodum, & profectum, providit, ut
„ de cætero ibidem regatur, & vigeat Studium Juris di-
„ vini, & humani, videlicet Canonici, & Civilis. Unde
„ ſtatuit, ut ſtudentes in Scholis apud Sedem eandem,
„ talibus privilegiis, libertatibus, & immunitatibus omni-
„ bus gaudeant, quibus gaudent ſtudentes in ſcholis, ubi
„ generale regitur ac viget ſtudium, & integre percipiant
„ ſuos proventus Eccleſiaſticos, ſicuti illi.

XCVI. Pro intellectu hujus c. notandum primo, Clerici beneficiati, qui exiſtunt in Studio generali, de licentia ſuorum Prælatorum, percipiunt fructus beneficii, ſive corpus præbendæ, *c. ult. de Magiſtris*, exceptis quotidianis diſtributionibus, quæ tantum reſidentibus in Eccleſiis, & qui interſunt divinis officiis, dantur, *c. Licet 32. de præbend. Gl. hic V. Integre.* Hoc igitur privilegium in iſto cap. etiam conceditur ſtudentibus in Curia Romana, quæ tamen non accipitur pro Urbe Romana, niſi tamdiu, quamdiu ibi eſt Curia Papæ, nam regentes Studium generale ſequuntur Curiam, qua recedente, ceſſat privilegium Studii generalis in Urbe Romana, *Gl. hic in caſu, & V. Sedem eadem*: in quocunque loco autem eſt Papa, ibi eſt, & dicitur eſſe, Curia, *Franc. hic n. 1. in fine.*

Notandum ſecundo, dupliciter exponunt DD. hæc verba, *ut vigeat ſtudium Juris divini, & humani, Canonici ſcilicet, & Civilis*: nam aliqui ita exponunt, Juris divini, id eſt, Canonici, & humani, id eſt, Civilis. Alii vero melius per ſtudium Juris Divini intelligunt ſtudium S. Scripturæ: per ſtudium vero Juris humani, id eſt, poſitivi, ſtudium utriuſque Juris, ſcilicet Canonici, & Civilis, *Gl. hic V. Videlicet.*

Notandum tertio, privilegium conceſſum Civitati, & ejus ſtudio, intelligitur conceſſum tantum loco ipſius Civitatis, & ejus ſuburbii, non autem extra illa, adeo ut ſcholares ſtudentes in aliis locis, etiam vicinis, diſtantes per duas dietas legales, non gaudeant privilegio ſtudii, niſi cauſa belli, vel peſtis, ſtudium ad alium locum transferetur, *Gl. hic V. Sede eandem & Franc. n.* 3.

XCVII. Sed contra prædictam Conſtitutionem decretalem opponi poteſt, quia mirabile, & valde inconveniens eſſe videtur, quod Jus Canonicum permittit Studium generale Juris Civilis in Romana Curia, & Urbe, cum tamen idem prohibeat omnibus, etiam laicis, publice docere, vel audire Jus Civile Pariſiis, & in locis vicinis, ut conſtat ex *c. Super ſpecula 28. hoc tit.* Ubi Papa Honorius III.
„ diſtricte prohibet, ne Pariſiis, vel in civitatibus, aliiſque
„ locis vicinis, quiſquam docere, vel audire Jus Civile
„ præſumat: qui vero contra fecerit, non ſolum a cauſa-
„ rum patrociniis interim excludatur, ſed etiam per Epi-
„ ſcopum loci (cujus foro ſubjectus eſt, ratione delicti,
„ *Hoſtienſ. hic V. eod.*) excommunicetur. Verum ea prohibi-
„ tio facta eſt, ob ſpeciales rationes, & cauſas, ut patet
„ ex princ. ejuſdem c. ubi dicitur: quamvis S. Eccleſia le-
„ gum ſecularium famulatum non reſpuat (nam leges ancil-
„ lantur SS. Canonibus, iiſque ſubjiciuntur in iis, quæ
„ animam concernunt, & quia recipiuntur in ſubſidium in
„ foro Canonico, *c. 1. de novi oper. nunc. Abb. hic not.* 1.) quæ
„ æquitatis & juſtitiæ veſtigia imitantur; quia tamen in
„ Francia, & nonnullis aliis Provinciis, laici Rom. Impe-
„ ratorum legibus non utuntur, & raro occurrunt tales
„ cauſæ Eccleſiaſticæ, quæ non poſſint per Conſtitutiones
„ Canonicas expediri, & ut plenius S. Paginæ, ſeu Scriptu-

„ ræ

„ ræ inſiſtetur, ideo prohibitum eſt, ne Jus Civile in illis
„ locis doceatur, vel audiatur.

XCVIII. Hinc colligitur primo, quod Papa habet juriſdictionem in laicos, ut poſſit prohibere, ne doceatur, vel audiatur Jus Civile, idque in favorem S. Scientiæ, *Abb. hic not.* 2. Nam Romano Pontifici tanquam Vicario Chriſti, ab eodem plena poteſtas conceſſa eſt, non ſolum in Clericos, & perſonas Eccleſiaſticas, ſed etiam in laicos, quoad ſpiritualia, & imo temporalia, quando exercitium talis poteſtatis neceſſarium eſt ad ſpirituale bonum ac ſalutem animarum, conſtat autem, quod hæc prohibitio in *cit. cap. Super ſpecula*, facta ſit ob ſpiritualem finem, nempe ut Studio S. Scripturæ plenius inſiſtatur, quod propter nimiam frequentiam eorum, qui ſtudebant Juri Civili, ferre omnino in iis locis negligebatur, *Barb. hic num.* 51.

Colligitur ſecundo, quod interdum, ratione vicinitatis, ſentiat quis commodum, vel incommodum; ut in propoſito, quod etiam in locis vicinis Civitati Pariſienſi, non poſſit doceri, vel audiri Jus Civile, *Gloſſ. fin. hic & Abb. numer.* 2.

Colligitur tertio, prima pœna in hoc cap. lata in docentes, vel audientes Jus Civile, ut excludantur ab advocando, incurritur ipſo jure: non autem ſecunda pœna excommunicationis, ſed poſt præmiſſam monitionem, ideoque ante illam pœnitentiæ eſt locus, *Hoſtienſ. hic in fine.*

§. VI.

Quæ ſint prærogativa, ſeu Privilegia Principalium quatuor Sedium Patriarchalium?

XCIX. Reſp. tria ponuntur in *cap. Antiqua.* 23. *hoc tit.*
„ quod eſt deſumptum ex Concilio generali Lateranenſi
„ ſub Innocentio III. *cap.* 5. & 6. Ubi Papa antiqua Pa-
„ triarchalium Sedium privilegia renovans (prout etiam
„ habetur ſtatutum in *c. pen. diſ.* 22.) Sancta Univerſali Syno-
„ do approbante, ſancivit, ut poſt Romanam Eccleſiam
„ (quæ ſuper omnes alias obtinet ordinariæ poteſtatis Prin-
„ cipatum, quippe Mater univerſorum Chriſti fidelium &
„ Magiſtra) Conſtantinopolitana primum locum obtineat,
licet olim Alexandrina fuerit prima, *cit. cap. pen. Gloſſ. hic V. Alexandrina*, quæ privata fuit hoc jure ſuo propter favorem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, adeoque ſine culpa ſua, ſed non ſine cauſa, *Gloſſ. cit. & Hoſtienſ.*) Alexandrina
„ ſecundum, Antiochena tertium, Jeroſolymitana quar-
„ tum locum obtineant: ſervata cuilibet propria digni-
„ tate, (quia forte una in uno, alia in alio magis privi-
„ legiata eſt, *Hoſtienſ. hic V. Cuilibet.*) ita ut poſtquam An-
„ tiſtites, ſive prælati illorum e Romano Pontifice acce-
„ perint Pallium (quod eſt inſigne plenitudinis Officii Pon-
„ tificalis) præſtito ſibi, ſcilicet Romano Pontifici, fi-
„ delitatis & obedientiæ juramento, & ipſi poſtmodum
„ Suffraganeis ſuis Pallium largiantur: recipientes pro ſe
„ Profeſſionem Canonicam (ſcilicet fidelitatem, & obe-
„ dientiam juratam, ac reverentiam, *Gloſſ. hic V. Profeſſio-*
„ *nem, & Hoſtienſ.*) & pro Romana Eccleſia ſponſio-
„ nem obedientiæ ab eiſdem. Deinde conceditur prædi-
„ ctis Patriarchis, ut ante ſe faciant ubique preferri Cru-
„ cem, niſi in Urbe Romana, & ubicunque S. Pontifex
„ præſens fuerit, vel etiam ejus Legatus utens Inſigniis Apo-
„ ſtolicæ dignitatis. Denique in omnibus Provinciis eorun-
„ dem juriſdictioni ſubjectis, ad eos, ſcilicet Patriarchas,
„ cum neceſſe fuerit, appellari poteſt: ſalvis appellationi-
„ bus ad Sedem Apoſtolicam interpoſitis, quibus eſt humi-
„ liter deferendum.

C. Notandum primo, majoritas, ſeu prioritas loci denotat majoritatem dignitatis, ita ut qui alterum loco præcedit, ſit etiam eo major, & ſuperior dignitate, ut colligitur etiam ex *cap.* 5. & *cap. Statuimus* 15. *de majorit. & obed. Abb. hic num.* 8.

Notandum ſecundo, Patriarchæ, & alii Prælati Immediate Papæ ſubjecti, tenentur ei præſtare juramentum fidelitatis, & obedientiæ, juxta formulam *c. Ego N.* 4. *de jurejur.* ſicut Epiſcopi Suffraganei ſuo Metropolitano, *c. Dilecti* 13. *de majorit. & obed.* & Archiepiſcopi ſuo Patriarchæ, *Gl. hic V. Fidelitatis, & obedientia & Abb. nu.* 6. *verſ. in Gl. Barb. hic numer.* 9. non tamen Prælati inferiores exempti tenentur ad hoc juramentum præſtandum Epiſcopo Diœceſano, cum illud ſit contrarium libertati, ſeu exemptioni *cap. cum olim* 14. §. *fin. h. t.* Neque etiam mediate ſubjecti Papæ, qui immediate ſubſunt aliis Prælatis inferioribus præſtant juramentum fidelitatis, & obedientiæ Papæ, ſed ſuis immediatis Superioribus, niſi confirmationem, & conſecrationem accipiant a Papa, ut Epiſcopi etiam non exempti. Cardinales vero non Epiſcopi etſi Immediate ſubſint Papæ, non tamen præſtant eidem juramentum obedientiæ, quia quamvis Papa ſit Caput univerſalis Eccleſiæ, & ſinguli fideles membra ejuſdem generalia, eſt tamen ſpeciale Caput Cardinalium, & ipſi velut membra ejus ſpecialia, reſpectu aliorum faciunt unum corpus cum illo, unde licet ipſi ſint ſubjecti, in ſpiritualibus, & obedire debeant: non tamen præſtare debent juramentum fidelitatis & obedientiæ, quia cenſeretur illud Papa exigere a ſe ipſo, cum inter præſtantem, & recipientem juramentum debeat eſſe diſtinctio etiam moralis. Unde Cardinales dicuntur mitti de latere Papæ, *cap. pen. de offic. Legat.* Epiſcopi vero Cardinales juramentum præſtant Papæ, tanquam Epiſcopi, non tanquam Cardinales, *Abb. ibid. numer.* 6. Ex quo ſequitur, quod nec Canonici tenentur præſtare juramentum fidelitatis, & obedientiæ Epiſcopis ſuis, niſi ubi talis viget conſuetudo, *Hoſtienſ. c. l.*

CI. Notandum tertio, prædicti IV. Patriarchæ poſſunt Pallium dare Archiepiſcopis ſuis Suffraganeis, & hoc eſt primum eorum privilegium. Nam etſi alias univerſaliter ſolus Romanus Pontifex dare poſſit Pallium, *c. niſi* 3. *de auct. & uſu pall.* quia datur in ſignum plenitudinis poteſtatis Pontificalis, *cit. c. Antiqua* 23. *h. t. & c. Ad honorem* 4. *de auct. & uſu Pall.* quæ plenitudo poteſtatis ab alio non poteſt dari niſi a Romano Pontifice a quo tanquam a Capite derivatur in alios Prælatos tanquam membra omnis Eccleſiaſtica juriſdictio, *c. In novo* 2. *diſ.* 22. ideoque Pallium a B. Petri Corpore tantum ſuſcipitur, *c. Significaſti* 4. *in fine de Elect.* Patriarchæ tamen Pallium Archiepiſcopis ſuis dare poſſunt, poteſtate ab ipſo Romano Pontifice ipſis conceſſa; & conſequenter ipſi etiam Pallium ſuſcipiunt a Papa tanquam a Corpore B. Petri, *Hoſtienſ. in cit. c. Significaſti, V. Tantum Barboſ. hic, n.* 11. & 12.

CII. Notandum quarto, ſecundum privilegium Patriarchalis dignitatis Jure communi Patriarchis conceſſum, eſt, ut poſſint facere, ſeu curare, ante ſe diſerri Crucem, non tantum intra Provincias ſui Patriarchatus, ſed etiam in locis exemptis; quemadmodum etiam id poſſunt Archiepiſcopi, non tantum in omnibus locis ſuæ Provinciæ, ut infra dicetur, ſed etiam extra illas ubique, præterquam in Urbe Romana & ubicunque S. Pontifex præſens fuerit, vel ejus Legatus, ſcilicet de latere utens Inſignibus Apoſtolicæ dignitatis: vel niſi præſens eſſet Cardinalis, etſi non Legatus vel Nuncius, *Quarant. in Summa Bullarii, V. Archiepiſcopi auctoritas, n.* 28. *in fine Barb. hic n.* 18. Inſignia autem Apoſtolici Legati de latere ſunt veſtis purpurea, ſeu rubra, equus albus phaleratus, frænum, & calcaria deaurata, *Hoſtienſ. hic, V. Inſigniis, & Abb. n.* 4. *Barb. n.* 19. Ex quo colligitur quod minor non poteſt exercere juriſdictionem, præſente majore, *c. Denique* 6. *diſ.* 21. *l. ult. ff. de offic. Proconſ. Gl. hic V. Niſi in Urbe.*

CIII. Notandum quinto, tertium privilegium Patriarcharum eſt, quod ad illos, in omnibus cauſis ſuarum Provinciarum, poſſit provocari, ſeu appellari: nam Patriarchæ ſunt ordinarii Judices, ſeu prælati Archiepiſcoporum, ſicut Archiepiſcopi Epiſcoporum. Quemadmodum ergo Archiepiſcopus juriſdictionem ordinariam habet in omnes Suffraganeos Epiſcopos ſuæ Provinciæ, *c. Paſtoralis* 11. *de Offic. ordin.* ita & Patriacha habet in omnes Archiepiſcopos cæterarum Provinciarum, in quibus habet Jus Patriarchale. Non tamen regulariter habet juriſdictionem in ſubditos Archiepiſcoporum ſibi ſubditorum, ſicut nec Archiepiſcopus in ſubditos ſuorum Suffraganeorum, *cit. cap. Paſtoralis Abbas in cit. cap. Antiqua, num.* 3. unde etiam ab Archiepiſcopis, iiſque inferioribus Prælatis appellari poteſt ad Patriarchas, & quidem immediate, ſive omiſſis intermediis Prælatis. Nam quamvis alias appellatio gradatim, nullo modo intermiſſo, fieri debeat, *l. Imperatores* 21. *in princ. ff. de appell.* nempe inter Eccleſiaſticos Judices ab Archidiaconis, & aliis inferioribus Prælatis ad Epiſcopum; ab hoc ad Archiepiſcopum, & ab iſto ad Patriarcham, & ſic ab inferiore ad immediatum Superiorem ſit appellandum, *cap. Dilecti* 66. *de appell. c. Romana* 3. §. *Ab Archidiaconis eod. in* 6. Patriarchis tamen hoc privilegium Jure communi eſt conceſſum, ut ad illos, omiſſis omnibus intermediis, appellari poſſit: alioquin nullum ſpeciale privilegium, quoad hoc, eis eſſet conceſſum, contra hoc *cap. in princ.* ibi: *Privilegia renovantes*, ſi non poſſet immediate appellari ad illos, cum de Jure communi ab Archiepiſcopis appellari poſſit ad Primates, ſeu Patriarchas, *cap. Si inter* 3. *cauſ.* 6. *quæſt.* 4. Ut ergo privilegium aliquid conferat, & non ſit inutile, ita intelligendum eſt, quod omiſſis mediis, ad Patriarchas appellari poſſit, *Gloſ. fin. hic, & Abb. num.* 7. ubi tamen ait, quod oppoſita ſententia ſit æquior, quia minus Prælatorum immediatorum juriſdictioni præjudicat. Verum prior opinio, quæ communior, & receptior eſt, procedit, ſaltem in quatuor principalibus Patriarchis, de quibus in *cit. cap. Antiqua* agitur. Nec obſtat, quod in fine hujus cap. dicitur. *Salvis appellationibus ad Sedem Apoſtolicam interpoſitis*: quia textus non loquitur taxative, quaſi ſoli Papæ competat, quod ad illum, omiſſo medio, appelletur, excluſis omnibus aliis, adeoque non negatur, quod etiam Patriarchis ex ſpeciali conceſſione, & privilegio id competere poſſit, *Barb. hic num.* 23.

§. VII.

De privilegiis Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, aliorumque Prælatorum inferiorum.

CIV. Quæritur primo, quænam privilegia, Jure communi, conceſſa ſint Archiepiſcopis, & Epiſcopis? Reſpondetur, Clemens V. in Concilio Viennenſi, quod refertur in
„ *Clement. Archiepiſcopo* 2. *h. t.* conceſſit, eodem S. Conci-
„ lio approbante, inprimis Archiepiſcopis, ut ſi per quæ-
„ vis loca exempta ſuæ Provinciæ tranſeant, vel ad ea for-
„ te declinent Crucem, ante ſe portari, libere faciant, &
„ ut ipſi etiam populo ibi benedicere, Divina Officia, pri-
„ vatim, vel publice, audire, & ea etiam in Pontificali-
„ bus celebrare (etiam cum Pallio, quod eſt Inſigne Pon-
„ tificale Archiepiſcopi, diebus tamen permiſſis, *Gl. hic V.*
„ *eod.*) & facere in ſua præſentia celebrari poſſint, non
„ obſtante quovis privilegio contrario.
„ Simili modo conceſſit Epiſcopis, ut in eiſdem locis ſuæ
„ Diœceſis (ſcilicet exemptis, vel circa hoc privilegiatis)
„ poſſint populo benedicere, audire Divina Officia, & ea
„ etiam celebrare (in Pontificalibus, ut colligitur ex illis
„ verbis, *ſimili modo, Gl. V. Celebrare*) & in ſua præſentia
„ facere celebrari, ſine Pontificalibus, *Gl. hic V. eod.* ita ta-
„ men ut prætextu hujuſmodi conceſſionis, in ipſis locis exem-
„ ptis, vel circa hoc privilegiatis, iidem Archiepiſcopi, vel
„ Epiſcopi nullam aliam juriſdictionem exerceant, nec per-
„ ſonis exemptis, vel privilegietis moleſtiam inferant, vel

„ gravamen, nullumque exemptioni, vel privilegiis eorun- „ dem, aliud præjudicium fiat, nec ipſis Archiepiſcopis, „ vel Epiſcopis aliud jus quomodolibet acquiratur.

CV. Notandum primo, duplicia ſunt Inſignia poteſtatis Pontificiæ, ut notat *Abb. in c. Antiqua* 23. *n.* 9. *& 10. hoc tit.* Quædam ſunt, quæ denotant ſuperioritatem quandam, ſive quæ admixtam habent poteſtatem juriſdictionis, vel officii, ut eſt ordinare, chriſmare inungere, & his ſimilia. Et hæc extra territorium, ſive extra Provinciam, vel Diœceſim propriam ab Epiſcopo, vel Archiepiſcopo exerceri non poſſunt, ſine licentia Diœceſani, ſive Ordinarii loci, ut colligitur ex *tit. Clemens.* 2. ibi: *Sua Provincia, & ſua Diœceſi*, *h. t.* & conſtat etiam ex *c.* 2. *Ut lite pendente &c.* ubi dicitur, quod Archiepiſcopus non poteſt permittere deferri Crucem ante ſe, extra ſuam Provinciam, ſed tantum intra illam, quia eſt Inſigne poteſtatis juriſdictionis, & videtur hoc tendere in præjudicium aliorum Prælatorum, nec in eodem loco debent eſſe plures Prælati, & Superiores, *c. Quoniam* 14. *de offic. Jud. ord.* Quædam vero ſunt Inſignia ſeu Pontificalia, quæ ſolum dignitatem denotant, ſine admixtione juriſdictionis, & illis poteſt Archiepiſcopus, vel Epiſcopus uti, etiam extra Provinciam, vel Diœceſim ſuam, cujuſmodi eſſe videtur celebrare Miſſam in Pontificalibus, vel etiam ſolemniter benedicere populo. Et hæc, ſpectato Jure communi, exerceri poſſunt ab Archiepiſcopo, vel Epiſcopo etiam in aliena Provincia, vel Diœceſi, & ſine licentia Ordinarij loci, niſi is id prohibeat, *Gl. in cit. Clement.* 2. *V. Etiam celebrare*, *& ibid. Abb. numer.* 4. *hoc tit.* Videri poſſunt, quæ de hoc dicta ſunt *lib.* 4. *Tit.* 11. *ſec.* 3. §. 1 *num.* 118.

CVI. Notandum ſecundo. Archiepiſcopus in locis, etiam exemptis ſuæ Provinciæ, & Epiſcopus in locis exemptis ſuæ Diœceſis poteſt Pontificaliter celebrare, etiam abſque licentia Prælati loci exempti, ex vi conceſſionis *cit. Clement.* 2. *h. t.* & dictum etiam ſupra *loc. cit.* Nec obſtat, quod Concilium Tridént. *Seſſ.* 6. *c. ult. de reform.* prohibet Epiſcopis Pontificalia exercere in alterius Diœceſi, ſine licentia Ordinarii loci: loca autem exempta cenſentur veluti loca extra Diœceſim exiſtentia, iiſque æquiparantur; nam loca exempta etſi non dicantur eſſe de Diœceſi, dicuntur tamen eſſe in Diœceſi, *Arg. c. Cum Epiſcopus* 7. *de offic. Ordin. in* 6. ideoque hujuſmodi loca exempta cenſentur eſſe extra Diœceſim quoad juriſdictionem contentioſam, quam non poteſt Epiſcopus in locis exemptis ſuæ Diœceſis exercere, ſicut nec in locis extra Diœceſim ſitis, ac proinde non poteſt etiam exercere illa Pontificalia in locis exemptis, quæ habent admixtam juriſdictionem: & quoad hæc locus exemptus perinde habetur, ac ſi eſſet extra Diœceſim, non autem quoad Pontificalia, & Inſignia, quæ ſine juriſdictione proprie dicta exerceri poſſunt, ut eſt Miſſam celebrare etiam in Pontificalibus, & prædicare, quoad hæc enim locus exiſtens intra Diœceſim non æquiparatur loco extra Diœceſim, *Gl. in cit. Clement.* 2. *V. Celebrare*. Unde Concilium Tridont. notanter dixit, *in alterius Diœceſi*, non autem *extra Diœceſim*, quia etſi forte loca exempta dici poſſunt eſſe exiſtentia extra Diœceſim, non tamen vere dicuntur eſſe in alterius Diœceſi, & ſic Epiſcopus exercens Pontificalia in locis exemptis, non poteſt dici illa exercere in Diœceſi alterius, adeoque non habet quoad illa locum prohibitio Concilij. *Fagn. in c. ult. de auctor. & uſu Pallii*, *num.* 12. *& 2. ſeq.*

CVII. Præterea huc pertinet, & revocari poteſt privilegium, ſive prærogativa illa Epiſcopalis dignitatis, quod illa non debeat concedi, aut conferri, niſi Civitatibus inſignibus, & populoſis, prout habetur in *c. Epiſcopalia* 2. *h. t.* ubi Papa Leo I. ita reſcribit: Epiſcopalia gubernacula (id eſt, „ dignitas Epiſcopalis ad populum regendum *Hoſtienſ. hic* „ *V. eod.*) nonniſi majoribus populis, & frequentioribus „ Civitatibus præſidere oportet; ne honor (id eſt, honorabilis dignitas, *Hoſtienſ. hic.*) cui debent excellentiora „ (id eſt, graviora) committi, ſui numeroſitate viléſcat, „ dum nimium multiplicatur.

CVIII. Hinc colligitur primo, Epiſcopos non in Villis, Caſtellis, vel parvis Civitatibus, ſed ſolum in majoribus, populoſis, & frequentioribus Civitatibus eſſe præficiendos, *Gloſſ. hic in caſu*, & habetur etiam in *c. Epiſcopi* 3. *diſ.* 80.

Colligitur ſecundo, ad eſſentiam Civitatis non requiri, ut habeat Epiſcopum, nam in *cit. cap.* 1. dum dicitur, in majoribus, & frequentioribus Civitatibus conſtituendos eſſe Epiſcopos, ſupponitur in parvis non eſſe ponendos: & cum in *cit. c. Epiſcopi*, *diſ.* 80. modica, ſive parva civitas appelletur Civitas, etſi cum addito *modica*, nihilominus eſt Civitas, quia magis, & minus non faciunt rem differre ſpecie, *Fagn. in cit. c.* 2. *n.* 8. *h. t.* Ratio eſt, quia Princeps poteſt Civitatem conſtituere, *l.* 1. *C. de Metropolitan. lib.* 11. & tamen non poteſt facere Epiſcopum, *c.* 1. *& ſeqq. diſ.* 63. nec Sedem Epiſcopalem erigere, ergo etiam hodie poteſt eſſe Civitas ſine Epiſcopo, ſicut & Epiſcopus ſine Civitate, *Fagn. cit. l. num.* 13. In Italia tamen receptum eſt, ut ea tantum reputetur Civitas, quæ habet Epiſcopum: quamvis hoc in Provinciis Ultramontanis, maxime in Germania non ſit receptum, ut notat etiam *Abb. hic n.* 1.

CIX. Quæritur ſecundo. Qualia privilegia competant Abbatibus, ſeu Prælatis inferioribus Epiſcopis? Reſp. duo privilegia eis eſſe conceſſa, quæ Corporis Juris inſerta ſunt. Primum eſt, uſus Mitræ, quæ vulgo Inſula vocatur, & aliorum Pontificalium, ut conſtat ex *c. Ut Apoſtolicæ*. 6. *hoc tit.* „ *in* 6. ubi Abbatibus, aliiſque Prælatis, quibus non competit ex propria eorum dignitate (quia ſunt Prælati inferiores Epiſcopis, *Gl. hic V. Non competit.*) conceſſum eſt a „ Sede Apoſtolica, in Eccleſiarum ſuarum gloriam, & honorem (idem eſt, ſi Prælato alicui inferiori perſonaliter, & in prærogativam ejus perſonæ, tale privilegium fuerit conceſſum, *Gl. hic V. Eccleſiarum ſuarum*) ut Mitra, & aliis Pontificalibus „ uti poſſint. Quare ne inde oriantur ſcandala, & ne „ ipſi privilegiati fruſtrentur effectu ſuorum privilegio- „ rum, & ut ex majore decore ornatuum, appareat ma- „ joritas dignitatum Clemens Papa IV. cum conſilio Car- „ dinalium, ſtatuit, ut Abbates, aliique, quibus Mitræ „ uſus ab eadem Sede eſt conceſſus, ſi exempti ſunt, in „ Conciliis Provincialibus, & Synodis Epiſcopalibus, qui- „ bus nonnulli eorum intereſſe tenentur (forte propter Capellas non exemptas, vel populum non exemptum) Mi- „ tris tantum Auriphrygiatis, ſed non aureas, vel argen- „ teas laminas, aut gemmas habentibus uti poſſunt. Non „ exempti vero ſimplicibus (id eſt, quæ non tantum laminas, aut gemmas non habeant, ſed nec auriphrygiatæ ſint) & albis, ac planis Mitris utantur. In aliis „ vero locis (extra Concilium Provinciale, vel Epiſcopa- „ lem Synodum, cum celebrant in ſuis, vel alienis Eccle- „ ſiis) ſive exemptis, ſive non exemptis, liceat illis uti „ Mitris, prout Indulta, ſeu privilegia a Sede Apoſtolica „ eis conceſſa permittunt.

CX. Notandum primo. Uſus Mitræ, & Baculi, ſeu Pedi, & aliorum Pontificalium, non competit Abbatibus, & aliis Prælatis inferioribus de Jure communi, ratione ſuæ dignitatis, ſed ſolum eis ex Privilegio Apoſtolico eſt conceſſus, ut hic dicitur; & ſic tale privilegium ſolus Papa concedere poteſt, & nullus eo inferior, nec quidem Legatus de Latere, *Jo. Andr. hic in princ. & Franc. n.* 3. *not.* 1.

Notandum ſecundo. Inſignia, ſive ornamenta Pontificalia ſunt quatuor, ſcilicet Mitra, quæ habet duo cornua, & duo Teſtamenta, vetus ſcilicet, & Novum, adeoque ſcientiam utriuſque deſignat: Pedum, ſive Baculus paſtoralis, qui eſt auctoritatis, ſeu poteſtatis, & diſciplinæ ſignum. Annulus, qui datur Prælatis in ſignum matrimonii inter ipſos, & Eccleſiam initi: & Sandalia, id eſt, caligæ, & calcei, & caligæ quidem induuntur primum uſque ad genua, calcei vero pedes tantum conteguut, *Gloſſ. hic in princ. Tamburin. in tom* 2. *de Jure Abbatum diſ.* 20. *quæſt.* 2. *numer.* 3. *& ſeqq.* quibus addi debet Tunica Dalmatica, chirothecæ, & Crux pectoralis, de quibus videri poteſt *Tambur. cit. loc. num.* 9. *& ſeqq.*

Notandum tertio: Abbas, ſeu Prælatus exemptus in Proceſſionibus, & Seſſionibus, aliiſque Conventibus, præcedere debet, & præferri Prælato non exempto, quia exemptus majore ornatu honoratur, & ex majoritate ornatus colligitur majoritas dignitatis, ut dicitur in *c. Ut Apoſtolicæ*, *& ibid. Franc. not.* 3. *& ult.*

Notandum quarto. In quo loco Prælati privilegiati poſſint uti Pontificalibus, & an etiam extra ſuas Eccleſias, vel Monaſteria, in Eccleſiis alienis, ad quas invitantur, inſpici debet tenor privilegii, & ſervari, prout habetur in fine hujus cap. quia privilegium eatenus extenditur, quatenus in eo reperitur expreſſum, & non ultra, *Gl. fin. hic & Francus nu.* 5. *&* 6.

CXI. Secundum privilegium Abbatibus, aliiſque Prælatis inferioribus ab Apoſtolica Sede conceſſum eſt ſolemnis, & publica benedictio populi, quæ fit dicendo, *Sit nomen Domini benedictum &c.* quam alias ſolis Epiſcopis Jure communi impertiri poſſunt, ut conſtat ex *cap. Abbates*, 3. *h.* „ *in* 6. ubi Alexander IV. conceſſit, ut Abbates, & Præ- „ lati quidam, ex ſpeciali privilegio, ſolemnem bene- „ dictionem impertiri populo poſſint, ſed tantum in Eccle- „ ſiis ſibi pleno jure (ſcilicet in ſpiritualibus, & tempo- „ ralibus, *Gl. hic V. eod.*) ſubiectis, quando in eis Divina „ Officia celebrant, poſt Miſſarum ſolemnia, Matutinas, „ Laudes, ac Veſperas; alibi vero (ſcilicet extra Eccleſias „ ſibi pleno jure ſubjectas) publice, nempe per vias, Ci- „ vitates, caſtra, & villas, talem benedictionem imperti- „ ri populo non valent: niſi hoc expreſſe eis in Apoſtoli- „ co privilegio ſit conceſſum. Ratio eſt, quia cum iſtud privilegium benedicendi populum ſolemniter tendat in diminutionem poteſtatis Epiſcopalis; cui ſoli Jure communi id competit, ideo ſi talis facultas Prælato inferiori ſit conceſſa ſimpliciter, non addendo *in quocunque loco*, reſtringi debet, neque extendi extra Monaſterium, & loca ipſi pleno jure ſubjecta, in quibus ſcilicet quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habet: ac proinde ſi Abbas, ſeu Prælatus, etſi exemptus, daret benedictionem ſolemnem populo ſibi pleno jure non ſubjecto, ipſe delinqueret, & poſſet eum Epiſcopus punire, non obſtante privilegio exemptionis, quia privilegia tantum valent; quantum ſonant, & non plus, *Gl. hic in notat. & ibid. Franc. nu.* 2. Dixi ſolemnem, quia privatam, ſeu non ſolemnem benedictionem poſſunt dare etiam ſimplices Presbyteri, non tamen præſente Epiſcopo, *cap. Ecce ego.* 6. *diſ.* 95. *Gl. hic V. Solemnem*, *juncta addit.* Dicuntur autem tunc Eccleſiæ pleno jure in ſpiritualibus, & temporalibus pertinere ad Monaſteria, quando in eis Presbyteros & Clericos inſtituunt, & omnes obventiones percipiunt, præter ſtipendia Miniſtrorum, *Gl. hic V. Pleno jure in addit. & Franc. n.* 1. *in Gl.* 2.

„ CXII. Additur in fine *cit. c. Abbates* 3. quod Abbatibus, „ & aliis Prælatis inferioribus non ſit licitum aliis, quam „ Monaſteriorum ſuorum Converſis, & qui ad illa ſe con- „ tulerint (ut ibi convertantur, & fiant Monachi, *Gloſ. hic* „ *V. Convolaverint*) & in quos Eccleſiaſticam, & quaſi Epi- „ ſcopalem juriſdictionem obtinent, primam Tonſuram con- „ ferre, non autem aliis extraneis, & non ſubditis, niſi „ eis id competat ex ſpeciali privilegio Apoſtolicæ ſedis: „ per quod illis conceſſum ſit, ut quoſcunque, etiam non „ ſubditos, ordinari ab eis volentes, poſſint ordinare, vel „ Clericalem Tonſuram eis conferre *Gl. fin. hic* Verum de „ poteſtate conferendi primam Tonſuram, & quatuor Ordines Minores, quæ Abbatibus, præſertim Regularibus competit poſt Concilium Tridentinum, dictum eſt ſupra *lib.* 1. *tit.* 13. *ſect.* 1. §. 6. *n.* 41. *& ſeqq.*

SEC.

SECTIO IV.

De præſcriptione, & innovatione, uſu, & effectu privilegiorum.

§. I.

Quanto tempore præſcribatur adverſus privilegia?

CXIII. De hoc extant duo capitula in hoc Titulo, quæ licet in ſpecie agant de privilegio non ſolvendi decimas, tamen idem in aliis etiam privilegiis Eccleſiæ conceſſis, quoad hoc obtinet, ut patet ex ſumma eorundem.

,, Itaque inprimis in *c. Si de terra 6. h. t.* refertur, quod Monachi S. Andreæ Ordinis Ciſtercienſis habeant privilegium non ſolvendi decimas ex terris, quas ſuis laboribus excolebant, ſitis in Parochia Canonicorum de Plantio, quas tamen per XXX. annos perſolvebant dictis Canonicis, ſed deinceps ſolvere noluerunt. Quare Papa Alexander III. Monachis illis mandavit, ut ſi per XXX. annos decimas illas perſolverunt, impoſterum etiam eas integre perſolvant: nam licet illis per privilegium Romanæ Eccleſiæ ſit indultum, ut ex laboribus ſuis nullas decimas perſolvere debeant, tamen de privilegio conceſſo tanto tempore detrahere, illudque remittere (ipſo facto) voluerunt: cum liberum ſit unicuique ſuo juri renunciare, unde non poſſunt ſe per privilegium, hac in parte tueri.

CXIV. Hinc colligitur primo, quod privilegium perditur, niſi quis eo utatur, ſicut etiam leges per deſuetudinem, ſive non uſum abrogantur, *l. De quibus 32. ff. de legib.* multo magis ergo privilegium, quod facilius perditur, quam Jus commune, quia facile res revertitur ad ſuam primævam naturam. *lib. Si unus, 27. §. Quod & in ſpem. ff. de pact. Gloſſ. hic V. Tanto tempore, junct. Gloſſ. margin. litt. A.*

Colligitur ſecundo. Cuilibet liberum eſt renunciare juri ſuo, quod intelligendum eſt, modo renunciatio non cedat in præjudicium juris Superioris, vel alterius tertii. Unde exemptus non poteſt renunciare privilegio exemptionis, abſque licentia Papæ, *cap. Cum tempore 5. de arbitris.* quia id cederet in præjudicium illius, cui proxime, & privative, ſive excluſo Epiſcopo, eſt ſubjectus, *Abb. hic n. 5.*

CXV. Præterea in *cap. Accedentibus 15. h. t.* ſimilis caſus ,, proponitur, nam Procurator Abbatia, & Conventus cujuſdam, ex una parte, & Procurator Templariorum, ex altera, accedebant ad Papam, coram quo Procurator Monaſterii propoſuit, quod cum decimas terrarum cujuſdam loci diu quiete Monachi poſſederint, antequam ad Templariorum dominium perveniſſent; & poſtquam Templariis terras illas acquiſiverunt, decimas illarum per XL. annos, & amplius, pacifice perceperint, ſed modo de novo Templarii eas ipſis ſubtrahere non vereantur. His auditis, Papa Innocentius III. mandat Judicibus delegatis, ut ſi Abbas, & Monachi ſufficienter probaverint, quod a Templariis decimas ex prædictis terris per XL. annos continue perceperint, ſine lite, compellant Templarios ad præſtationem earum, quia cum tanto tempore contra privilegia ipſis conceſſa decimas ſolverint, eis tacite renunciaſſe præſumuntur. Si vero in probatione defecerint, abſolvant Templarios ab eiſdem, & Monachis perpetuum ſilentium imponant.

CXVI. Pro intellectu hujus, & præcedentis cap. notandum primo contra privilegia Eccleſiis conceſſa non præſcribitur minore tempore, quam XL. annorum, nam hodie contra alia bona, & jura Eccleſiarum nonniſi 40. annis præſcribitur, *Auth. Quas actiones C. de SS. Eccleſ. c. De quarta 4. c. Ad aures 6. c. Illud 8. de præſcript.* ideoque hodie idem dicendum eſt de præſcriptione contra privilegia Eccleſiæ, juxta *cit. c. Accedentibus Gl. ibid. V. 40. annos & Abb. num. 4.* quare per hoc cap. correctum eſt *cap. Si de terra 6. eod.* nam quia tempore antiquo etiam contra alia bona Eccleſiarum ſpatio XXX. annorum præſcriptum fuit, *c. 1. & 2. c. Quicunque 4. c. Placuit 8. cauſ. 16. q. 3. c. Sanctorum 3. de præſcript.* ideo etiam contra privilegia Eccleſiarum præſcriptio XXX. annorum olim currebat, & ſufficiebat: ſed quia illud poſtea fuit immutatum, ideo & iſtud: nec eſt vitanda jurium correctio, quando de illa conſtat, *Joan. Andr. hic num. 6. & Abb. n. 4.* Non obſtat, quod privilegia Eccleſiarum, & Monaſteriorum, cunctis temporibus, inviolata manere debent, & nulla novitate mutari, *c. 1. & 2. cauſ. 25. q. 2.* Nam ibi ſermo eſt de ſtatutis generalibus, quibus Eccleſia regitur, juxta *Gl. in cit. c. 1. V. Temporibus.* Vel de privilegiis, quæ pertinent ad immunitatem, & libertatem Eccleſiarum, quibus renunciari non poteſt, qualia ſunt privilegia fori, *c. Si diligenti 12. de foro compet.* & privilegium Canonis, *c. Contingit 36. de ſent. excom.* quæ in favorem totius Ordinis Clericalis ſunt conceſſa: ea enim inviolata ſemper manere debent, hic autem ſermo eſt de particularibus, & ſingularibus privilegiis conceſſis, favore certorum locorum, vel ſingularium perſonarum, quibus expreſſe, vel tacite renunciari poteſt, *Gl. hic V. Per 40. annos, junct. Gloſſ. margin. lit. A.*

Notandum ſecundo. Præſcriptio XL. annorum contra privilegia Eccleſiæ neceſſario probanda eſt, prout ſumitur ex *cit. c. Accedentibus h. t.* ubi ſilentium imponi Monachis actoribus præcipitur, niſi præſcriptionem 40. annorum probaverint, quia deficiente, & non probante actore, reus abſolvitur, *Gloſ. hic in not. 4. & Abb. n. 3. not. 3.* Sed neque præſcriptio currere poteſt, niſi adſit continua, & pacifica, ac ſine lite poſſeſſio ejus, quod præſcribitur, ut patet ex hoc c. ibi: *Pacifice poſſediſſent*, & paulo poſt, *per 40. annos continue perceperint, ſine lite, Barboſ. hic n. 3.*

Notandum tertio, quamvis unus actus contrarius privilegio, vel etiam plures, plerumque non ſufficiant ad admittenda privilegia negativa, v. g. non ſolvendi decimas, vel tributa, via renunciationis: ſi tamen exemptus, ſeu privilegiatus eos actus exerceat, ſine ulla proteſtatione, v. gr. ſolvendo decimas, vel tributa, a quibus eſt immunis, tum conſtituitur is, cui ſit ſolutio, in quaſi poſſeſſione exigendi, ac percipiendi tributa, vel decimas, tanquam debitas, ita ut accedente curſu temporis legitimi præſcriptionem perficere poſſit, adeoque via præſcriptionis, privilegium immunitatis a ſolvendis decimis, vel tributis amittatur, ut colligitur ex *cit. Si de terra. & cap. Accedentibus 15. hoc. tit.* & tradit *Laym. in cap. Cum acceſſiſſent 8. num. 15. §. Deinde de Conſtit.*

CXVII. Porro *Barb. in cit. cap. Si de terra num. 5. & 7. h. t.* aliter declarat, & conciliat illud c. cum c. *Accedentibus 15. eod.* ubi ait, quod privilegium dupliciter poteſt amitti, vel per viam tacitæ renunciationis, vel per viam præſcriptionis: de priore modo agitur in *c. Si de terra*, nempe de privilegio non ſolvendi decimas, per modum tacitæ renunciationis, quæ colligitur ex non uſu, ſive contrario uſu privilegiati ſolventis decimas; & ad hunc modum non requiri tempus ad præſcriptionem alioquin neceſſarium, adeoque nec XXX. nec XL. annos, tanquam neceſſarios, ut amittatur tale privilegium, & inducatur præſumptio tacitæ renunciationis, ad hoc enim ſufficit tempus longum X. annorum, ſaltem inter præſentes, non ſolum erga privatos, ſed etiam erga Eccleſias, ut communiter tradunt DD. quare in dicto *c. Si de terra*, ſolum refertur, quod in caſu contingit, & allegabatur, nempe ſi conſtet, vel probatum fuerit, Monachos illos ex terra intra Parochiam Canonicorum ſita, ad quos Jure communi alias pertinebant decimæ, per 30. annos decimas illas perſolviſſe, eas de cætero integre perſolvant, quia cenſentur tacite ſuo privilegio renunciaſſe, & ita illud amiſiſſe: ex quo non ſequitur, quod ſi minore tempore, v. g. per X. annos tantum ſolviſſent decimas, contrarium Pontifex reſpondiſſet, videlicet ipſos privilegium hoc per non uſum, ſeu contrarium uſum non amiſiſſe; quia ad præſumptionem tacitæ renunciationis inducendam ſufficit tempus longum, cum enim per illam revertatur ad Jus commune, ideo etiam brevius tempus ſufficit. At vero in *c. Accedentibus 15. eod.* agitur de vera, & propria præſcriptione, ideoque 40. anni contra privilegium Eccleſiæ requiruntur; nam Pontifex ibi principaliter ſe fundat in eo, quod Abbas, & Monaſterium per 40. annos decimas a Templariis, contra eorum privilegium, quiete poſſederint, & continue ex terris illis perceperint, adeoque illas præſcripſerint; quamvis ibidem in ratione adjuncta per accidens, & indirecte etiam mentio fiat tacitæ renunciationis factæ a privilegiatis; quæ expoſitio eſt probabilis.

CXVIII. Aliter conciliare conatur prædicta duo capitula *Caniſius tract. de decimis, c. 6. n. 13.* nempe quod loquantur de diverſis caſibus: nam in *c. Si de terra*, agitur de præſcriptione Eccleſiæ Parochialis, ad quam alias de Jure communi decimæ pertinent, contra privilegium Monaſterii, quæ præſcriptio cum ſit favorabilis, ideo minus tempus, nempe XXX. annorum ad illam requiritur. At in caſu *cap. Accedentibus.* Eccleſiæ non Parochiales, nempe Monachorum, & Templariorum, ad quas de Jure communi non ſpectabant decimæ, inter ſe contendebant, ideoque tunc ad præſcriptionem requirebantur XL. anni, quæ expoſitio etiam eſt probabilis.

§. II.

De innovatione privilegiorum.

CXIX. Quæritur primo, an innovatio privilegii ei novum jus tribuat, vel non? Reſp. De hac quæſtione inprimis agitur in *c. Ex parte 13. h. t.* Nam Epiſcopus Meldenſis ,, impetravit quaſdam litteras contra Abbatiſſam, & conventum Eccleſiæ Jotrenſis, ad quoſdam Judices delegatos, in quibus nulla facta eſt mentio de privilegiis dicti Monaſterii, per quæ declarabatur ipſum Monaſterium, & ejus Eccleſias, Clerum: & populum Jotrenſem, nullo mediante, ad Apoſtolicam Sedem ſpectare, quorum privilegiorum Epiſcopus non erat ignarus. Coram illis Judicibus Epiſcopus petiit obedientiam ab Abbatiſſa, & Monialibus, & a Clero, & populo Jotrenſi omnimodam (ſpiritualem ſcilicet, non temporalem, *Hoſt. hic V. eod.*) ſubjectionem, (fundando intentionem ſuam in Jure communi, *Hoſtienſ. hic V. eod.*) Sed cum Judices Abbatiſſam, & Moniales valde gravarent, ad Sedem Apoſtolicam appellarunt. Verum Judices appellationi non deferentes, in Abbatiſſam excommunicationis, & in Clerum, ac populum Jotrenſem interdicti ſententias protulerunt. Poſt hæc, Nuncii Monaſterii prædicta, & alia coram Papa retulerunt, oſtendentes ei privilegium Apoſtolicum, per quod conſtabat Eccleſiam Jotrenſem, ad Eccleſiam Romanam ſpecialiter pertinere, illudque innovari petentes. Papa prædictos Nuncios, propter appellationem interpoſitam diutius detinuit, & tandem, cum pro altera parte nullus compareret, qui illam defenderet, privilegium Sedis Apoſtolicæ Eccleſiæ Jotrenſi conceſſum innovavit, ita tamen ut per talem innovationem eidem Eccleſiæ non plus juris acquiratur, quam per privilegia ſuorum Anteceſſorum obtinuit, cum per hoc non novum jus ei concedatur, ſed antiquum conſervetur.

CXX. Idem habetur in *c. Quia intentionis 29. h. t.* Nam ,, Papa Honorius III. innovaverat privilegium cujuſdam Monaſterii conſtituti in Diœceſi Bajocenſi; unde Epiſcopus loci dubitavit, an per talem innovationem ſit derogatum Juri Epiſcopali? Reſpondet Papa, cum innovatio jus novum non conferat, nec tollat vetus, ideo eam eſſe, ac

,, ma-

,, manere debere in eo ſtatu, in quo erat tempore impe- ,, tratæ innovationis. Cæterum per hoc non intendit Papa ,, juri alias eidem Monaſterio competenti ullum præjudi- ,, cium generari.

CXXI. Pro explicatione utriuſque hujus c. notandum primo, ſicut confirmatio, ita etiam innovatio alia dicitur in forma communi fieri, alia ex certa ſcientia, ut ex communi docet *Suar. libr. 8. de Legib. cap.* 20. *num.* 2. Prior innovatio, ſicut & confirmatio, non tribuit novum jus, ſed ſolum antiquum conſervat, adeoque nec privilegia revocata, aut quomodolibet amiſſa reſtituit (vel reſtaurat, juxta *cit. cap. Ex parte*, & *c. Quia intentionis* 29. *h. t.* in quibus tamen ſermo eſt non de privilegio ſumpto pro ipſo ſpeciali Jure, ſeu gratia per Principem conceſſa, ſed de Authentico inſtrumento, in quo continetur, & conceditur ſpeciale jus, ſive gratia, quæ privilegium dicitur, quod renovatur, ne vetuſtate conſumptum pereat, ut ex eo privilegii conceſſio probari poſſit: ſicut etiam interdum contractus ſumitur pro ipſo pacto, ſeu conventione: interdum vero pro inſtrumento Authentico ejuſdem. Et ſecundum hanc acceptionem, clarum eſt, innovationem privilegii non conferre jus novum, ut patet ex *c. Dilecta* 4. *de confirm. utili.* ubi dicitur ,, Prædicta privilegia quaſi jam nimia vetuſtate conſumpta ,, cum fuerint, non in pergameno, ſed in papyro conſcri- ,, pta, duximus innovanda. Quare talis innovatio inſtru- ,, menti ipſum jus privilegii in eo contentum non confirmat, ſecundum ſe, quia illi novum jus, aut valorem non addit, ſed dicitur conſervare privilegium, quia perdito, vel conſumpto inſtrumento, perditur jus, ſaltem quoad forum externum, ob defectum probationum, *Suar. cit. c.* 20. *n.* 3. *Barboſ. in cit. c. Quia intentionis n.* 2. *&* 3.

Aliquando vero innovatur ipſum jus privilegii, & non tantum inſtrumentum continens illud: ſicut etiam Papa, vel alius Princeps dicitur confirmare, non inſtrumenta, ſed gratias, ſeu privilegia in illis contenta. Et tunc rurſus vel innovatur in forma communi tantum: & non confertur jus novum privilegio, tum quia innovare, ea vi nominis, proprie non ſignificat novam conceſſionem privilegii invalidi, vel revocati, aut amiſſi, cum qui petit renovationem, non ſupponat invaliditatem privilegii ſed potius ſupponat valorem ejus: petit autem renovationem, ne vetuſtate pereat, *c. Longinquitate* 64. *cauſ.* 12. *q.* 2. *c.* 1. *junct. Gl. fin. de precariis*. Tum quia nova privilegia non ſolent concedi, ſine cauſæ cognitione: at innovatio in forma communi fit, ſine cauſæ cognitione, quia non fit ex certa ſcientia, ergo non tribuit jus novum, ſive valorem privilegio invalido, vel revocato, aut amiſſo; ſed ſolum renovat, aut conſervat jus antiquum, ſive relinquit privilegium in eo ſtatu, & valore, in quo antea erat, *Suar. cit. c.* 20. *n.* 4. *&* 5. *Barboſ. in cit. c. Ex parte, n.* 5. Si vero innovatio privilegii, ex certa ſcientia fiat (ſcilicet cum perfecta notitia illius, & tenoris ejus, ac omnium circumſtantiarum) tum novum jus, ſeu valorem confert privilegio, ita ut ex invalido fiat validum, adeoque privilegium etiam amiſſum, vel revocatum in priſtinum ſtatum reſtituatur: quia talis innovatio, ſicut & confirmatio, habet vim novæ conceſſionis, cum enim contineat favorem Principis, ex certa ſcientia, & conſequenter ex plenitudine poteſtatis, ample interpretanda eſt, tam ex parte perſonæ, quam ex parte modi, ut habeat vim novæ conceſſionis, ut eſt communis ſententia apud *Suar. cit. cap.* 20. *num.* 8. *Barboſ. in cit. c. Ex parte, n.* 2 *&* 3. *h. t.*

Notandum ſecundo, ſicut innovatio ſimpliciter, & in forma communi facta, jus novum non confert: ita nec jus vetus tollit, neque etiam per talem innovationem, intendit Papa juris alias alteri competenti præjudicare, *cit. c. Quia intentionis, & ibi Gl. in notatis*. Plura de innovatione privilegiorum dicta ſunt *libr.* 2. *Decret. Tit.* 36. §. 4. *& ult.*

CXXII. Quæritur ſecundo, quomodo probanda ſint inſtrumenta privilegiorum perdita, ſi eorum innovatio petatur? Reſp. De hoc agitur in *cap. Cum olim* 13. *h. t.* ubi re- ,, fertur, quod Abbas Monaſterii Eugubinenſis olim privi- ,, legium Lucii Papæ (quod poſtea fuit amiſſum ut infra ,, ſequitur) præſentavit Innocentio III. petens illud inno- ,, vari: ſed Epiſcopus Eugubinus contradixit, aſſerens hoc ,, in ſuum præjudicium redundare (quia dicebat Monaſte- ,, rium ſibi ſubjectum eſſe) ideoque privilegium non fuit ,, innovatum. Poſtmodum Abbas iterum conſtitutus coram ,, Papa, præſentibus Epiſcopi Procuratoribus, dixit, ſe ,, prædictum privilegium Lucii amiſiſſe, ac petiit, ut fa- ,, ceret Papa recipi teſtes ſuper amiſſione ipſius privilegii, ,, & ejus tenore. Papa commiſit hoc Cardinali XII. Apo- ,, ſtolorum, qui fideliter in ſcriptis redegit depoſitiones decem teſtium juratorum, quibus publicatis, Procuratores ,, Epiſcopi petierunt inducias ad producendos teſtes, per ,, quos repellerent teſtes a parte adverſa productos. Papa ,, illis eas conceſſit, ut apud Sedem Apoſtolicam probarent, ,, quæ vellent: ubi etiam pars altera onus probationis ſu- ,, biit, ac teſtes ſuos produxit: (ut ſic utrinque ſervetur ,, æqualitas, *Gl. hic V. Onus*.) Cæterum quoniam infra ,, datum terminum, & receptum, in producendis teſtibus ,, Procuratores Epiſcopi defecerunt (prout habetur in in- ,, tegra lectione hujus c.) Papa manifeſte cognoſcens, tam ,, per depoſitiones teſtium, quam per aſſertionem quorun- ,, dam Cardinalium, tenorem dicti privilegii talem fuiſſe, ,, quod Cœnobium illud, nullo mediante ad Romanam Ec- ,, cleſiam pertineret, & quod non liceret alicui Epiſcopo ,, contra Monaſterium illud, & ejus Capellas excommuni- ,, cationem proferre, cum ab omni alia poteſtate exemptum, ,, ſoli Romanæ Eccleſiæ ſit ſubjectum; & quod nulla in eo ,, Diœceſani Epiſcopi mentio habeatur. Item quod idem ,, Abbas, tempore Papæ Cœleſtini, ad præſentiam ejus ac- ,, cedens, ipſe Papa, inſpectis privilegiis dicti Abbatis, ,, eundem (licet excommunicatus diceretur ab Epiſcopo ,, Eugubino) tanquam non ligatum, ad oſculum pacis ad- ,, miſit; quod non feciſſet, niſi ſciviſſet Monaſterium illud ,, ad Romanam Eccleſiam ſpecialiter pertinere. Quibus ,, omnibus conſideratis, decrevit Papa Innocentius III. pri- ,, vilegium illud Lucii Papæ, quod ſine reprehenſione Bullæ, ,, chartæ, vel literæ apparebat, quando fuit ei oſtenſum ,, illius fuiſſe tenoris, cujus per depoſitiones teſtium, & ,, aſſertiones Cardinalium dicitur eſſe.

CXXIII. Pro explicatione hujus cap. notandum primo, ſi quis petat innovari ſua privilegia, vel inſtrumenta, poteſt pars adverſa, cujus intereſt, ſe opponere, & impedire innovationem, ſi probet de jure ſuo, *Abb. hic num.* 3. *not.* 1. & alii DD. communiter. Ratio eſt, quia innovatio privilegii poteſt cedere in præjudicium partis adverſæ, vel quia privilegia per præſcriptionem longiſſimi, vel immemorialis temporis ſunt revocata, vel per aliam legitimam exceptionem ſublata: adeoque renovatio hujuſmodi poſſet generare materiam litigandi in futurum, ut colligitur etiam ex *cap. Cum dilecta* 4. *de confirm. ut utili vel inutili & ibi Abb. n.* 5. *& Alexander de Nevo n.* 7. Quare non debet fieri innovatio privilegiorum, niſi citatis illis, quorum intereſt: quod ſi non conſtet de certa perſona, cujus intereſt, vel de loco, unde citari poſſit, ſufficit, & requiritur, ut fiat citatio per edictum generale, ut quicunque putaverit, ſua intereſſe, compareat ad contradicendum, juxta *l.* 1. §. *Denunciare, ff. de ventre inſpiciendo*. *Abb. hic num.* 3. *not.* 1. *& Barboſ. num.* 2.

Notandum ſecundo, ad innovationem privilegii, ſeu inſtrumenti perditi, in quo continetur privilegium, faciendam, tria neceſſario probanda ſunt. Primo inſtrumentum eſſe amiſſum, alioquin fraudulenter poſſet allegari ejus amiſſio, ne deprehendatur falſitas. Secundo, tenor inſtrumenti, ſive quod in eo continebatur, probato etiam die, ac loco, in quo factum eſt inſtrumentum, aliiſque ſolemnitatibus ad illud neceſſariis. Tertio auctoritas inſtrumenti, quod caruerit omni vitio, ob quod poſſet argui falſitatis, *Gl. hic V. Sine reprehenſione, Abb. num.* 8. Et tenor quidem inſtrumenti debet probari per teſtes, ſed amiſſio caſualis, & non voluntaria probari poteſt per proprium juramentum illius, qui perdidit, præmiſſa aliqua ſummaria cognitione, eo quod adſint conjecturæ aliquæ de perditione, *Gl. hic V. Sine reprehenſione, verſ. Dic, quod per juramentum, Hoſtienſ. ibid. V. Amiſſione. & Abb. num.* 10. Sed quare debet probari tenor inſtrumenti, & quod non fuerit vitioſum per teſtes, cum in judicio parem vim probandi habeant inſtrumenta, & teſtes, *cap. Cum Joannes* 10. *de fide inſtrum. & lib. In exercendis* 15. *C. eod.* Reſp. id verum eſſe, ſi teſtes deponant de veritate rei, ut quod præſentes fuerint geſtis contentis in inſtrumento: ſecus ſi deponant ſolum de tenore inſtrumenti: nam tunc teſtes non deponunt de veritate rei, ſed ſolum de contentis in inſtrumento, quod allegabant, & forte poterat eſſe falſum, *Abb. hic n.* 8.

CXXIV. Notandum tertio, non eſt neceſſarium, ut iidem teſtes, qui deponunt de amiſſione, deponant etiam de tenore inſtrumenti, vel quod omni vitio careat: Sed ſatis eſt, ſi aliqui deponant de una qualitate, alii de aliis, ita ut ex omnium dictis ſimul junctis perficiatur probatio. Et licet de omnibus ſubſtantialibus inſtrumenti teſtes debeant deponere; non tamen neceſſe eſt, ut omnia, & ſingula ejus verba, formaliter referant, modo quoad effectum, & finem ejus, quod privilegium conceſſit, conveniant, *Barboſ. hic num.* 6.

Notandum quarto, etiam Cardinales, vel alii in quacunque dignitate conſtituti, non ſunt idonei teſtes ad faciendam plenam probationem, ſine juramento, in præjudicium tertii: quamvis præſumptionem aliquam inducant eorum dicta, etiam ſine juramento, & coadjuvent teſtes productos. *Gl. hic V. Fratrum & Abb. n.* 5. *&* 6. Nam quamvis Cardinales, Epiſcopi, & alii in Sacris conſtituti, releventur a jurando, tactis Evangeliis; & ſufficiat illis propoſitis, aut ſuper pectore jurare, *cap. ultim. de juram. calumn. Auth. Sed Judex C. de Epiſc. & Cleric.* non tamen reperiuntur excepti a regula illa generali, quod ſine juramento teſtimonium ferre poſſint, *Barboſ. in citat. cap. Cum olim*, *num.* 8.

Notandum quinto, Papa in caſu hujus c. admittendo Abbatem ad oſculum pacis, ipſo facto declaravit, non eſſe ligatum excommunicatione ab Epiſcopo lata, cum non eſſet ipſius Judex, a cujus juriſdictione per privilegium erat exemptus. *Gl. hic V. Non ligatum*: quod tamen procedit, quia id fecit ſcienter, & cauſa cognita, tunc enim in dubio non præſumitur excommunicatus: ſecus ſi id feciſſet, ſine cauſæ cognitione aut ignoranter, *Hoſtienſ. hic V. Non ligatum, & Abbas n.* 7.

§. III.

De uſu, & effectu Privilegiorum.

CXXV. Quæritur primo, an quis obligatus ſit uti ſuo privilegio? Reſp. Nemo cogitur, vel obligatur uti ſuo privilegio, prout ſumitur ex *c. Si de terra* 6. *in fine h. tit.* ubi dicitur, *cum liberum ſit unicuique ſuo jure renunciare*, quia quod alicui in favorem conceſſum eſt, non debet in ejus gravamen cedere, *reg. jur.* 61. *in* 6. magnum autem gravamen foret, ſi cogeretur uti ſuo privilegio, niſi ſit privilegium non proprium, ſeu perſonale, ſed toti communitati conceſſum, illi enim cedere quis non poteſt, etſi velit, adeoque & illo uti debet, ne cedat; vel niſi aliunde per accidens ſuperveniat alia obligatio utendi privilegio. Ut ſi quis habeat privilegium audiendi Miſſam, tempore interdicti, tenetur illam audire die Feſto, ex præcepto Eccleſiæ, quia per privilegium fit licitum, quod antea non erat licitum, qua mutatione facta, præceptum Eccleſiæ obligat ad actum per

pri-

privilegium conceſſum, *Suar. lib. 8. de legib. cap. 23. num. 7 & 8.*

CXXVI. Quæritur ſecundo, an ut privilegium ſortiatur effectum, & jus aliquod conferat privilegiato, requiratur ejus notitia? Reſp. Privilegium non ſolet ordinarie ita concedi privilegiato, ut ſtatim conferat effectum; ſed tum demum poſtquam ad ejus notitiam pervenit, idque acceptavit, ſaltem per Procuratorem, vel epiſtolam. *Gloſſ. in cap. 1. V. ſuam de conc. præb. in 6. Suarez citat. lib. 8. cap. 25. num. 25. Layman. lib. 1. cap. 23. num. 9. & alii.* Idque probatur primo ex *cap. 2. §. Ex parte, cit. tit.* ubi dicitur: quod privilegia vim ſuam habent mox, cum ad illos, quibus conceduntur, perveniunt, adeoque a tempore ſcientiæ eorum, licet id non habeatur in deciſione textus, ſed in narratione. Secundo probatur ex *c. Si tibi 37. de præb. in 6.* ubi habetur, quod beneficium collatum non acquiratur abſenti, donec ſciat, prout de eo generaliter id dicitur in *cit. c. 2. de conc. præb. in 6.* Tertio probatur ratione, quia ad effectum privilegii non ſatis eſt, ex parte dantis, voluntas illud dandi, ſed etiam ex parte ejus, cui datur, voluntas acceptandi, cum beneficium, quale eſt privilegium, invito non detur; ad voluntatem autem acceptandi neceſſaria eſt notitia, quia voluntas non fertur in incognitum, ergo privilegium non poteſt acquiri privilegiato, ſive illi prodeſſe, ante, priuſquam ſciat id ſibi datum eſſe, illudque acceptet. Confirmatur, quia privilegium, vel beneficium, cum ſit ſpecies quædam donationis, non debet dari invito, ſed conſentienti, in quo differt a mandato, quod etiam nolentes obligat ad acceptandum, *c. Paſtoralis 31. de Offic. Ordin. Laym. in c. Quoniam 34. de offic. Judic. deleg. n. 5.*

CXXVII. Limitatur autem primo, quod privilegium non proſit privilegiato, antequam ei innoteſcat, quando concedidit, motu proprio, vel ad inſtantiam alterius, quam privilegiati. Aliud eſt, ſi quis per ſuum Procuratorem, vel nuncium petat privilegium, tunc enim valet, & effectum habet a tempore, quo concedens annuit, & voluntatem ſuam illud dandi ſignificavit Procuratori, vel nuncio, etiam adhuc ignorante eo, qui poſtulavit, quia per ſe, & ex natura rei, diſpenſatio, vel privilegium poſt mutuum petentis, & concedentis conſenſum, vim ſuam, & effectum habet, *Sylveſt. V. Privilegium, q. ult. Laym. c. l. n. 10.*

Limitatur ſecundo, quod requiratur ſcientia privilegii, reſpectu perſonæ privilegiatæ, non vero reſpectu alterius, in cujus præjudicium cedit, prout ſumitur ex *cit. c. 1. de conceſſ. præb. in 6. §. Præſertim* ubi dicitur, ſi alicui a Papa privilegium conceſſum ſit ut non poſſit excommunicari, non ligatur ejus ſententia, etiamſi Epiſcopus ignoret privilegium. Ratio eſt, quia privilegium conceditur, ob favorem privilegiati, cui ſit donatio, ideoque ſatis eſt, ſi ipſi intimetur, & ab ipſo acceptetur, *Sanch. l. 3. de matrim. diſ. 36. n. 5.*

CXXVIII. Quæritur tertio, an quis uti poſſit privilegio ſibi conceſſo, v. g. a ſuo Epiſcopo Diœceſano, extra territorium, & ditionem concedentis? Reſp. primo, ſi Epiſcopus det privilegium ſubdito contra Jus commune, pro tota Diœceſi ſua, diſpenſando in lege communi, ob peculiarem aliquam cauſam, v. g. ut in Quadrageſima liceat veſci ovis & lacticiniis, tali privilegio non poteſt uti incola peregre profectus in alienа Diœceſi, in qua lex communis Eccleſiaſtica obſervatur, *Suar. cit. l. 8. c. 26. n. 14. Laym. cit. c. 23. n. 16.* Ratio eſt, quia tale privilegium cenſetur adhærere loco, pro quo conceditur, nec extra illum extenditur.

Reſp. ſecundo, poteſt quis, per ſe loquendo, etiam extra territorium concedentis, & ubique locorum uti privilegio perſonali ſibi, ob ſpecialem, & perſonalem cauſam, ab Epiſcopo ſuo conceſſo, ſive tale privilegium ſit contra Jus commune, ut eſt privilegium cibos prohibitos comedendi, non jejunandi &c. ſive etiam ſint contra ſpecialem legem alicujus territorii, in quo quis pro tempore moratur. Prius de privilegio perſonali dato contra Jus commune tradit *Suar. cit. c. 26. n. 10. Sanch. lib. 8. de matrim. diſp. 31. n. 17. Azor. p. 1. l. 5. c. 23. q. 6. Laym. cit. l.* Ratio eſt quia privilegium mere perſonale cohæret perſonæ, ideoque eam comitatur, quocunque perrexerit. Idque confirmatur, quia in Jure ſive lege communi diſpenſat Epiſcopus, nonniſi ex legatione Papæ; ac ſi Papa diſpenſaret, valeret diſpenſatio, & privilegium contra Jus commune conceſſum in omni loco, ergo etiam valet, ſi diſpenſet Epiſcopus vices Papæ gerens. Poſterius de privilegio dato contra ſpecialem legem, ſeu ſtatutum alterius territorii, tradit *Azor. c. l. & Laym. c. l.* Ut ſi v. g. Epiſcopus det ſubdito ſuo privilegium legendi libros prohibitos, poterit is, vi hujus privilegii, etiam illos legere, ſi exiſtat in alio territorio, aut Diœceſi, ubi talium librorum lectio ſpeciali lege eſt prohibita: ſicut habens licentiam confitendi videtur poſſe confiteri extra Diœceſim, & parochiam eam concedentis. Ratio eſt, tum quia privilegium dare eſt actus juriſdictionis, non coactivæ, ſed voluntariæ, quæ poteſt extendi, & exerceri, ac habere effectum extra territorium exercentis, præſertim ſi careat publica ſolemnitate: tum quia peregrinus, qui ab Epiſcopo ſuo habet privilegium legendi libros prohibitos, non obligatur lege communi Eccleſiaſtica vetante lectionem talium librorum, cum ab Epiſcopo ex legatione Papæ, ut ſupponimus, cum ipſo ſit diſpenſatum: nec etiam obligatur ſpeciali, & propria lege, ſeu ſtatuto alterius Diœceſis, vetante legi tales libros, cum ipſius juriſdictioni non ſubjiciatur, qui in aliena Diœceſi exiſtit *Laym. c. l.* contra *Suar.*

CXXIX. Quæritur quarto, an privilegiatus uti poſſit privilegio ſuo, contra pariter privilegiatum? Reſp. Duobus modis poſſunt duo dici pariter privilegiati, primo, quia æqualia privilegia habent, ut Religio Minorum, & Prædicatorum. Et hæc æqualitas non obſtat, quominus unus privilegiatus poſſit uti ſuo privilegio contra alium pariter privilegiatum, prout ſumitur ex *l. ultim. ff. Ex quibus cauſ. major. & ibi Gloſſ. juncta Gloſſ. marg.* ubi abſens, Reipubl. cauſa, reſtituendus dicitur contra alium pariter abſentem Reipubl. cauſa. Sic ſi duæ Eccleſiæ æquale privilegium habeant non ſolvendi decimas, una etiam contra alteram utetur hoc privilegio, quia non tenetur ei ſolvere decimas, nec altera poterit illas ab ea exigere, quamvis jus habeat exigendi decimas ab aliis Eccleſiis non privilegiatis. Item ſi duo Nobiles æqualiter gaudeant privilegio, ne propter debita incarcerentur, unus contra alium illo utetur, quia quamvis unus alteri ſit debitor, non tamen hic poteſt incarcerari, nec is, qui eſt creditor, poteſt juſte id petere, ſeu tenetur ſervare illæſum privilegium alterius. Sic etiam Clericus tenetur ſervare privilegium Canonis, quoad Clericum pariter privilegiatum. Ratio eſt, quia ſimilitudo privilegiorum habet ſe valde per accidens, & nonniſi materialiter ad uſum privilegii, quia eſt quidem contra perſonam habentem ſimile privilegium, non tamen quatenus illo uti poteſt, & ideo unum alterum non impedit: vel conſideratur hac in parte, quod unus lædatur, alter vero acquirat, & lucretur & ideo merito ille prior habetur potior, & utitur ſuo privilegio contra alterum, *Suar. cit. l. 8. c. 23. nu. 3. Zoeſ. in Comment. h. t. n. 28.* Quin imo etiam illi, quibus communicantur privilegia aliorum Ordinum ad inſtar, ac ſi illis ſpecialiter conceſſa fuiſſent, poſſunt æqualiter uti omnibus privilegiis ſibi communicatis, etiam contra illos, quibus illa prius, & principaliter fuerunt conceſſa, & per quorum communicationem ipſi gaudent prædictis privilegiis, quia illa communicatio eſt nova conceſſio ſimilium privilegiorum cum æqualitate, ac ſi ipſis ſpecialiter conceſſa fuiſſent: hæc autem æqualitas non impedit uſum privilegii contra alium æqualem, ut dictum. Nec etiam obſtat, quod alia privilegia illis prius conceſſa fuerunt, quia per hoc nullum ſpeciale jus acquiritur antiquioribus privilegiatis, ſed non minus antiquiores debent ſervare privilegia junioribus communicata, quam hi illis, quia per communicationem facta ſunt illorum propria, independenter ab aliis, ſicque omnes in prædictis privilegiis adæquantur, *Emm. Rodriq. qq. Canon. tom. 2. q. 55. nu. 21. Suar. cit. l. un. 4.*

CXXX. Secundo poſſunt duo eſſe pariter privilegiati, reſpective, ſive cum mutua oppoſitione, in ordine ad uſum ejuſdem privilegii, ita ut concurrant: & tunc unus privilegiatus non poteſt uti ſuo privilegio contra pariter privilegiatum, & conſequenter hic non tenetur ſervare alteri ſuum privilegium, quia tunc concurrunt duo privilegia, quorum unum alteri reſiſtit, ideoque uſus contra alium ceſſat, & ſequi non poteſt, v. g. ſi quis habeat privilegium cogendi debitorem ad ſolvendum, & debitor habeat privilegium, ut intra certum tempus cogi non poſſit, non poterit creditor contra talem debitorem privilegio ſuo uti, *Suar. cit. l. n. 5.* Item Monaſterium, quod ingreditur gravatus, reſtituere hereditatem, non relictis liberis, excludit quidem ſubſtitutum, ſed non ſi ſubſtituta ſit alia Eccleſia, contra quam non utitur ſuo privilegio. *Auth. de Sanctiſſ. Epiſcopis §. Sed & hoc præſenti coll. 9. Nov. 123.* Sic ſi filiusfam. mutuum accepit a Minore, non poteſt uti beneficio SCti Macedoniani, quia magis habetur ratio ætatis, quam SCti, *l. Verum 11. §. fin. ff. de Minorib.* Similiter mulier interveniens apud Minorem non utitur privilegio SCti Velleiani, ſi prior debitor, pro quo intervenit non ſit ſolvendo, *l. Si apud Minorem, 12. ff. eod. Covarr. in reg. Poſſeſſor. p. 2. n. 4. Suar. cit. l. n. 5.*

Porro cum dicitur privilegiatus non gaudet privilegio ſuo contra pariter privilegiatum, id eo ſenſu intelligendum eſt, quod privilegium non habeat effectum contra aliud privilegium: ſicut privilegium, ut habet rationem legis, non obligat eum, qui per aliud privilegium prævalens a tali obligatione eſt exemptus, *Suarez citat. loco numer. 6.*

SECTIO V.

De Variis exceſſibus, ſive abuſibus privilegiatorum prohibitis Jure Canonico.

§. I.

Qui ſint exceſſus, ſive delicta privilegiatorum, & quomodo puniendi?

CXXXI. De his agitur inprimis in *cap. Cum plantare 3. h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio Lateranenſi ſub A-
„ lexandro III. ubi imprimis refertur, quod Templarii, &
„ Hoſpitalarii, aliique Religioſi in pluribus excedentes pri-
„ vilegia a Sede Apoſtolica ipſis conceſſa, multa facere
„ præſumpſerunt, contra Epiſcopalem auctoritatem, cum
„ ſcandalo, & gravi periculo animarum, ideoque Epiſco-
„ pi in Concilio Lateranenſi de illis graviter ſunt conque-
„ ſti. Quare Papa dicto Concilio imprimis præmittit, cum
„ plantare Sacram Religionem, & plantatam omnibus mo-
„ dis fovere ipſe debeat, nunquam illud melius exequi
„ poteſt, quam ſi ea, quæ recta ſunt, nutriro, & quæ
„ profectum virtutis impediunt, commiſſa ſibi auctorita-
„ te corrigere curet. Deinde deſcendens ad particulares
„ exceſſus prædictorum, & aliorum Religioſorum, pri-
„ mum prohibet, ne Eccleſias, & decimas de manu lai-
„ corum, ſine conſenſu Epiſcoporum, recipiant, dimiſſis
„ illis, quaſcunque, contra tenorem iſtum, aliquo tem-
„ pore receperunt, *cit. c. 3. §. Eccleſias*) niſi legitime præ-
„ ſcripſerint, vel ea poſt facto conſenſum Epiſcopi obti-
„ nuerint, *c. Cura 15. de Jure Patron. Gl. hic V. Aliquo tem-*
„ *pore, & Hoſtienſ. ibid.*) Poſtea idem Papa, & Concilium
„ ſtatuit, ut prædicti Templarii, & Hoſpitalarii, & om-
„ nes alii Religioſi excommunicatos, & nominatim (proprio
„ nomine ſcilicet expreſſo, & aliis circumſtantiis indubita-
„ tis demonſtrato, *Gl. hic V. Nominatim*, interdictos, juxta
„ ſententias Epiſcoporum evitent, (eos non recipiendo ad
Di-

Divina) *cit. c. 3. §. Excommunicatos quoque*. Item prædicti, aliique Religioſi in Eccleſiis ſuis, quæ pleno jure (id eſt utroque jure, quoad ſpiritualia & temporalia, *Gloſſ. hic V. eod.*) ad eos non pertinent, cum vacaverint Presbyteros Epiſcopis præſentent inſtituendos, ut eis (ſcilicet Epiſcopis) de cura plebis reſpondeant. Ipſis vero) ſcilicet Religioſis) de rebus temporalibus rationem exhibeant, & inſtitutos, inconſultis Epiſcopis, non audeant removere, *cit. c. 3. In Eccleſiis vero*. Præterea ſi Templarii, vel Hoſpitalarii ad Eccleſiam interdictam venerint nonniſi ſemel in anno, ad Eccleſiaſticum Officium admittantur, nec tunc ibi ſepeliantur corpora defunctorum, *cit. c. 3. §. Quid ſi* (niſi fuerint fratres eorum, quia tunc poſſunt illi ſepeliri in Eccleſia interdicta, dummodo illi fratres non fuerint excommunicati, vel nominatim interdicti, *c. Ut privilegia 24. h. t.* de quo ſupra) De confratribus vero prædictorum hoc ſtatuit Concilium, ut ſi non ſe prædictis Fratribus omnino tradiderint, ſed in proprietatibus ſuis remanſerint, ab Epiſcoporum ſuorum ſententia (ſcilicet excommunicationis, vel alterius cenſuræ Eccleſiaſticæ, in qua ipſi Religioſi privilegiati, ſunt *Hoſtienſ. hic*) & juriſdictione nullatenus eximantur (quia per talem confraternitatem non fiunt Converſi illorum, nec Oblati, ſed aliquam remiſſionem conſequuntur, juxta *cit. c. Ut privilegia*) ſed poteſtatem ſuam in eos, ſicut in alios parochianos ſuos exerceant, cum delinquunt, *cit. c. 3. §. De Confratribus*. Denique quod de prædictis Fratribus (ſcilicet Templariis, vel Hoſpitalariis) dictum eſt, idem præcepit Concilium de aliis quoque Religioſis obſervari (eadem enim eſt cauſa, & ratio, ideoque etiam idem jus ſtatuendum) qui Epiſcoporum jura ſibi uſurpare, & contra Canonicas eorum ſententias, & tenorem privilegiorum Papalium venire præſumpſerint (cum enim ea non ſervent, non debent ſentire fructum illorum ſed illis privari merentur, *Gloſſ. fin. hic*) ſi enim contra ſtatutum hoc venerint, & Eccleſiæ, in quibus iſta præſumpſerint interdicto ſubjaceant, & quod egerint, irritum ſit (ipſo jure, *Hoſtienſ. hoc in fine cit. c. 3. §. ult.*

CXXXII. Pro explicatione hujus c. notandum primo, ad ſolum Romanum Pontificem ſpectat novam Religionem erigere, prout habetur in *cit. cap. 3. in princ.* ſaltem jure novo, de quo pluribus actum uti ſupra *lib. 3. Tit. 36. §. ult. quæſt. 1.*

Notandum ſecundo. Religioſi etiam exempti non poſſunt Eccleſias, aut decimas recipere de manibus laicorum, ſine conſenſu Epiſcopi, prout ſtatuitur in *cit. cap. 3. §. Eccleſias igitur hoc t. & in c. Cum Apoſtolica 7. de his, quæ fiunt a Prælat. &c.* Ex quo per contrarium ſenſum colligitur, hoc licitum eſſe cum conſenſu Epiſcopi. Ubi tamen diſtinguendum eſt, nam vel hujuſmodi Eccleſiæ, aut decimæ ſunt violenter, & injuſte, ſine aliquo titulo, a laicis occupatæ, & tunc tenentur illas laici dimittere, & reſtituere illi, ad quem de jure pertinent. Neque Religioſi poſſunt illas de manibus eorum recipere, quia laicis quantumcunque Religioſis, ſeu piis deponendi de rebus Eccleſiæ nulla eſt attributa poteſtas, *cap. ult. de reb. Eccleſ. alien.*, & pro non dato habetur, quod datur ab illo, qui non poteſt de jure donare, *cap. Quod autem 5. de jure patron.* Idque procedit, etiamſi talis donatio facta ſit, cum conſenſu Epiſcoporum: quia conſenſus Epiſcopi nihil novi dare poteſt, ſed datum ab alio, qui dare poteſt, confirmat, juxta regulam traditam in *c. Inter dilectos 6. §. Cæterum* ibi: *Cum eadem legitime nequiviſſent pariter confirmari, & donari, de fide Inſtrum.* Vel hujuſmodi Eccleſiæ, aut decimæ detinentur a laicis injuſte quidem, attamen ex titulo aliquo ab inferioribus Prælatis habito ſaltem de facto: & tum Religioſi poſſunt illas accipere de manu laicorum, accedente Epiſcopi conſenſu, idque ex permiſſione Eccleſiæ, ſive ipſius Juris Canonici, *cit. cap. Cum Apoſtolica* nam quando male detenta a laicis alteri Eccleſiæ, vel loco Religioſo dantur, utilitati Eccleſiæ conſulitur, ejuſque conditio melior efficitur, dum ad uſus Eccleſiaſticos revocantur, *cap. ult. cauſ. 16. quæſt. 1. juncto c. 2. §. Sane de decimis in 6.* Vel denique hujuſmodi Eccleſiæ, aut decimæ detinentur a laico in proprietatem, ex conceſſione Pontificis, per quam reditus temporales Eccleſiæ, vel decimarum in perpetuum ſunt ſeparati ab Eccleſia, vel titulo ſpirituali beneficii, & laice applicati: & tunc etiam ſine auctoritate Epiſcopi, poſſunt transferri in Religioſos, quia per talem ſeparationem laicales fiunt. *Barb. in cit. c. 3. n. 11. h. t.*

CXXXIII. Notandum tertio. Excommunicatus, vel interdictus in una Eccleſia, vel Diœceſi, cenſetur ubique excommunicatus vel interdictus, ita ut vitari debeat tanquam excommunicatus, etiam a non ſubditis excommunicatis, & privilegiatis, ſeu exemptis, *cit. c. 3. §. Excommunicatos Hoſtienſ. V. eod. & Abb. n. 2.* Idque etiam conſtat ex *c. Nulli 8. de ſent. excomm.* ubi dicitur, nulli ſe poſſunt privilegio Sedis Apoſtolicæ tueri, quominus excommunicatos Sedis Apoſtolicæ vitare debeant.

Porro privilegium generale exemptionis a poteſtate Ordinariorum prodeſt quidem exemptis ne ab Ordinariis excommunicari poſſint, a quorum juriſdictione ſunt exempti: non tamen ex eo, quod ſunt exempti, ſequitur non debere alios vitare, qui ab Ordinariis rite ſunt excommunicati, quia obligatio eos vitandi, non ex juriſdictione Ordinarii excommunicantis provenit, a quo ſunt exempti, ſed ex legis, ſive Juris communis diſpoſitione, a qua Religioſi non ſunt exempti, *Barb. in cit. c. 3. §. Excommunicatos n. 14.*

Non obſtat, quod ſententia Judicis neque extra territorium, neque non ſubditos ligare poteſt, *l. ult. ff. de juriſd. omn. Jud. c. 2. de Conſtitut. c. A nobis 21.* ibi: *Nonniſi ſubditi obligantur, de ſent. excom.* Nam reſpondetur, quod poſſit quidem Judex Eccleſiaſticus, ex vi ſuæ juriſdictionis, extra territorium ſuum prohibere ſubdito communionem fidelium; non tamen poteſt alienis ſubditis prohibere communionem cum ſuo ſubdito excommunicato: ſed hæc prohibitio excommunicatum ab uno Epiſcopo vitandi, etiam alibi, & extra ejus territorium, procedit & ligat etiam alienos ſubditos, vel exemptos, ex diſpoſitione Juris communis Canonici, a cujus obſervatione non liberantur etiam ii, qui non ſunt Subditi Epiſcopo excommunicanti, vel ab ejus juriſdictione exempti, ut ſupra dictum, *Suar. diſ. 18. de cenſur. ſec. 2. numer. 6. & 2. ſeqq. Barboſ. hic numer. 22. & 23.*

Notando quarto. Dictio illa *nominatim* appoſita fuerit, non excommunicatis ſed interdictis, quia ſecundum antiquum Jus Canonicum, ante Concilium Conſtantienſe, omnes excommunicati, etiam occulte, vel per ſententiam generalem ſolum, poſtquam ad fidelium notitiam id devenit, vitari debuerunt, ſaltem occulte, *cap. Cum non ab homine, de ſent. excom. c. Illud. 5. de Cleric. excommun. miniſt.* Ratio eſt, quia excommunicatio trahit ſecum executionem, nec ut liget neceſſaria eſt denunciatio, *cap. Paſtoralis. 53. §. Verum de appel.* ideoque ante Conſtitutionem Concilii Conſtant. Ad *evitanda*, quicunque ſcivit aliquem eſſe excommunicatum, ſive per generalem, ſive per ſpecialem ſententiam, eum debuit evitare. At vero interdicti perſonaliter non debent vitari, niſi ſpecialiter, nominatim ſint interdicti: quod ſi tantum generaliter ſint interdicti, quia interdictus eſt populus alicujus Civitatis, tum ſolum ſunt vitandi, quamdiu ſunt de eodem populo ſive, pars illius, non item ſi alio migraverint, & culpabiles non ſint, tum enim deſinunt eſſe interdicti, *Barboſ. hic num. 5.*

CXXX. Notandum quinto. Templarii, vel Hoſpitalarii, & alii Religioſi in Eccleſiis, quæ ipſis non ſunt pleno jure ſubjectæ, habent ſolum Jus præſentandi, & exigendi rationem generalem de adminiſtratione rerum temporalium, inſtitutio vero, vel deſtitutio Clericorum ad Epiſcopum ſpectat, *cit. cap. 3. §. in Eccleſiis vero hoc tit.* & ibi *Abb. 2. & 3.* Nec valet conſuetudo contraria, *c. 1. de Capel. Monach. in 6.* Si vero Eccleſiæ, pleno Jure, ſint ſubjectæ ipſis Religioſis, quoad ſpiritualia, & temporalia, tum vel populus etiam eſt illis plene ſubjectus, ita ut quaſi Epiſcopalem juriſdictionem in eum exerceant: & tunc etiam habent liberam poteſtatem inſtituendi, & deſtituendi Clericos in illis Eccleſiis, ſine conſenſu Epiſcopi loci, ut colligitur argumento a contrario ſenſu ex *cit. §. In Eccleſiis*, & ibi *Gloſſ. V. Pleno jure*. Vel etſi ipſæ Eccleſiæ ſint exemptæ, non tamen populus eſt exemptus a juriſdictione Epiſcopi Diœceſani: tunc Religioſi exempti habent quidem liberum jus conferendi vel inſtituendi Rectorem in illis Eccleſiis, ſed debent inſtitutum præſentare Epiſcopo, ut ab eo curam populi recipiat: & de illa cura tenetur Rector reddere rationem Epiſcopo, & hic poterit eum viſitare in iis, quæ ad curam populi pertinent. In aliis vero ſpiritualibus, & temporalibus, extra curam populi, talis Rector, aliique Clerici ſunt ſubjecti Religioſis, & coram eis reſpondere debent, unde & hujuſmodi Religioſi auctoritatem præſtare poſſunt in alienationibus rerum Eccleſiaſticarum, *Abb. hic num. 6. Barb. in cit. §. In Eccleſiis, num. 30. & ſeqq.* quæ omnia patent ex alibi dictis. Porro habent Templarii, & alii Religioſi etiam hoc privilegium, ut in in Eccleſia interdicta ſemel in anno admittantur ad divina officia, *cit. cap. 3. §. Quod ſi, & cap. Ut privilegia 24. §. Illud, hoc tit.*

Notandum ſexto, Oblati quibusdam Religionibus non gaudent illorum privilegiis, niſi in totum ſint tranſlati, ita ut ſe ſuaque Religioni tradiderint, alioquin remanent ſubjecti juriſdictioni Ordinariorum, *cit. c. 3. §. de Confratribus, & ibi C. V. Nullatenus*, & habetur etiam in *c. Ut privilegia 24. h. t.* de quo dictum ſupra.

Notandum ſeptimo, Interdictum, cui ſupponuntur Eccleſiæ Religioſorum, qui contra præſentem conſtitutionem venire præſumpſerint, *cit. cap. 3. §. ult.* non incurritur ipſo facto, ſed nonniſi per ſententiam Judicis, *Hoſtienſ. hic in fine*, & eſt communior ſententia apud, *Abbatem hic in fine*,

§. II.

Quinam præterea alii ſint exceſſus, ſive abuſus privilegiatorum?

CXXXV. Reſp. Præter prædictos, plures adhuc alii referuntur in hoc Titulo. Velut primo, ſi ſepeliant excommunicatos in cœmeteriis ſuis, quod prohibetur in *c. Ad hæc 5. h. t.* Nam Hoſpitalarii, (ut refertur in integra lectione, & in caſu) ſepeliebant nominatim excommunicatos in Cœmeteriis: unde mandavit Alexander III. Archiepiſcopo Cantuarienſi, ut quos in excommunicatione defunctos ſepelierint in cœmeteriis Eccleſiarum, eos extra cœmeteria ejiciant (dummodo poſſint oſſa eorum ab oſſibus aliorum fidelium diſcerni, alias non ſunt exhumandi, *c. Sacris 12. de ſepult.* & niſi forte petierint abſolvi, & per eos non ſteterit, quo minus fuerint abſoluti, *Gl. hic V. Ejiciant.*) Quod ſi facere id noluerint, Archiepiſcopus exequatur illud (per ſe vel per alium, auctoritate ſua, ſaltem in ſua Diœceſi, *Hoſtienſ. hic V. Exequatur*) quoad eos, quos in excommunicatione (ſine ſignis pœnitentiæ) defunctos eſſe conſtiterit. Ratio deciſionis eſt, quia quibus non communicamus vivis, nec defunctis communicare debemus, *cit. c. Sacris*, prout etiam habetur in integra lectione hujus c. his verbis: *Quoniam grave ſit eis in morte communicare, quos dum viverent, Eccleſia a ſuo ſinu pro ſuis exceſſibus ſegregavit*. Porro poteſt Epiſcopus in hoc caſu ſupplere defectum exemptorum, & exhumulare excommunicatos ſepultos in Eccleſiis, vel cœmeteriis exemptorum, ſi id ipſi facere recuſent, idque in favorem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, *Abb. hic num. 1. not. 2.*

CXXXVI

CXXXVI. Secundo excedunt Religioſi ſua privilegia, & delinquunt, ſi in Oratoriis ſuis privatis campanas habeant, eaſque publice pulſent, prout habetur in *cap. Patentibus* 10. *h. t.* ubi Epiſcopus Abulenſis ex Cæleſtino III. quæſivit,
,, utrum liceat Templariis, Hoſpitalariis, & aliis, qui
,, Oratoria in domibus ſuis habent, campanas in eis pono-
,, re, & publice pulſare? Reſpondet Papa, quod non li-
,, ceat eis hoc agere (nec etiam Miſſas ibi celebrare, ſal-
,, tem publicas, *c. 1. c. Unicuique* 33. *& c. Si quis* 35. *diſ. 1. de*
,, *conſecr. Gl. hic V. Non licet*, vel etiam privatas, ſine conſen-
,, ſu Epiſcopi, *Burb. hic n. 6.*) Imo potius ab Epiſcopo per
,, cenſuram Eccleſiaſticam coercendi ſunt, appellatione re-
,, mota (quia a correctione non appellatur, *Hoſtienſ. hic V.*
,, *eod.*) ut ita jure ſuo ſint contenti, ne aliorum juſtitiam
,, impediant.

CXXXVII. Hinc colligitur primo, quod habere campanam publicam, eamque pulſare publice eſt ſignum loci publici, & ſacrati, ideoque in domibus, & Oratoriis privatis id non licet, etiam Religioſis exemptis, *Abb. hic nu. 1.* Cui obſtare videtur textus in *c. Nimis* 16. *ſupr. de exceſſib. Prælat.* ubi inter alia gravamina, quæ Prælati inferebant Religioſis, illud recenſetur, quod non permittant eos habere campanam in Eccleſiis ſuis, vel Oratoriis ſuis, de quibus etiam ibi fit mentio. Triplex eſt reſponſio, prima eſt *Hoſt. hic*, quod liceat Religioſis habere unam campanam in Oratoriis juxta *cit. c. Nimis*, quod in ſingulari de una campana loquitur, non vero plures, juxta hoc c. quod loquitur in plurali. Secunda expoſitio eſt Innocentii hic, quod Religioſi, ex ſpeciali privilegio, poſſint habere campanam unam, vel plures, juxta *cit. c. Nimis*, non autem Jure communi, de quo loquitur hoc c. Tertia eſt *Abbatis hic, n. 3. & 5.* eaque videtur probabilior, quod prius cap. loquatur de Eccleſiis, vel Oratoriis publicis, quæ ſunt in Monaſteriis Religioſorum: hoc vero cap. de Oratoriis exiſtentibus in eorum domibus privatis, in quibus non licet campanas ponere, & publice pulſare ad convocandum populum: ſed privatam campanam habere, eamque privatim pulſare, non eſt prohibitum, ſed potius a ſenſu contrario id licitum eſſe colligitur ex hoc *c. Barb. hic* n. 6.

Colligitur ſecundo, ſi delictum exempti extendat effectum ſuum, extra locum exemptum, licet committatur in loco exempto, poteſt per Ordinarium loci coerceri, & puniri, ut in caſu hujus c. nam campanæ pulſantur, ut audiantur, & convocetur populus, & quamvis pulſentur in loco exempto, tamen ſonus earum extenditur ad locum non exemptum, & turbantur perſonæ, etiam non exemptæ: & ſic delictum quoad effectum extenditur extra locum exemptum, ideoque exempti excedentes metas privilegiorum, ab Epiſcopo loci puniri poſſunt: ſicut projiciens lapidem in loco exempto, & percutiens exiſtentem in loco non exempto, poteſt puniri per Ordinarium loci propter delictum in effectu commiſſum, extra locum exemptum, *Gl. hic V. Per te, & Abb. n. 4. & 5. Fagn. ibid. n. 4.* ubi tamen n. 5. id limitat, niſi privilegium exemptionis conceſſum ſit, etiam ratione rei ſitæ, vel contractus initi, aut delicti commiſſi, extra locum exemptum: ejuſmodi hodie eſt privilegium exemptionis conceſſum pleriſque Religioſis: tunc enim etſi campanæ pulſarentur ab exemptis in loco non exempto, non poſſent hi ab Ordinario Puniri, quia hujuſmodi ſpeciales exemptiones non ſunt ſublatæ per *c. 1. h. t. in 6.* de quo dictum ſupra *ſect. 2. §. 4. n. 52. h. t.*

Colligitur tertio, Papa ſic concedere ſolet privilegium, ut non lædat, nec impediat juſtitiam aliorum, nec grave præjudicium iis inferat, ut dicitur in fine hujus *c. Gl. fin. ib.*

CXXXVIII. Tertio plures exceſſus, & delicta privilegiatorum, cum eorum pœnis, recenſentur in *cap. Tuarum*
,, 11, *hoc tit.* ubi habetur: Quod, cum Fratres Hoſpitalis
,, S. Joannis pro eleemoſynis colligendis, mittere debeant
,, Clericos, & Fratres ex Ordine ſuo, cruce ſignatos, ipſi
,, mittunt Laicos, & illiteratos, qui in multis excedere
,, præſumunt, & delinquunt. Et hoc eſt primum eorum
,, delictum. Item in quadam Eccleſia baptiſmali, eis, ſci-
,, licet Hoſpitalariis, ab Epiſcopo Lugdunenſi collata, (non
,, pleno jure, *Gl. hic V. eod.*) quidam eorum Vicarius Sa-
,, cerdotem percuſſit, ipſam Eccleſiam ſanguinis effuſione
,, fœdando, ideoque Archiepiſcopus prohibuit ibidem cele-
,, brari divina officia, donec ea fuerit reconciliata. Sed
,, ipſi, ſcilicet Hoſpitalarii Sacerdotes nihilominus in ea
,, divina officia celebrarunt. Et hoc eſt ſecundum delictum,
,, ſive exceſſus eorum. Item alios quoſdam Presbyteros
,, (extraneos, & non Confratres, *Hoſtienſ. hic*) ab Epiſ-
,, copis ſuſpenſos ab officio iidem, quamvis Laici ſint, re-
,, ſtituunt ad divina officia celebranda, quod eſt tertium
,, eorum delictum. Præterea quoſdam Laicos, qui cum u-
,, xoribus ſuis, in domibus propriis, commorantur, eo
,, quod eis ex ſuis bonis annuatim aliquid ſolvunt, ita e-
,, mancipare (id eſt, liberare, & eximere a poteſtate E-
,, piſcoporum, *Gl. hic V. eod.*) contendunt, ut aliis, ſecun-
,, dum conſuetudinem Terræ, ſeu Regionis, ad ſibi objecta
,, reſpondere non teneantur: & hoc eſt quartum eorum de-
,, lictum. Conſultus Papa Innocentius III. ab Archiepiſco-
,, po Lugdunenſi, reſpondit: quia privilegium meretur amit-
,, tere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate, ideo eidem
,, mandat, ut ſi quis Clericos, aut Laicos a dictis Fratri-
,, bus, pro colligendis eleemoſynis miſſos, invenerit Cruce
,, falſo ſignatos, interdicat illis, qui eos miſerunt, officium
,, exhortationis, id eſt prædicationis in tota Provincia ſua:
,, & miſſo, ſi Laici fuerint, excommunicationis gladio per-
,, cutiat, ſi Clerici, ab officio, & beneficio ſuſpendat, non
,, obſtante aliquo privilegio, vel appellatione. Eos vero,
,, qui in dicta Eccleſia lege Diœceſana ipſi Archiepiſcopo
,, ſubjecta, poſt interdictum Archiepiſcopi, divina celebra-
,, runt, eadem pœna ſuſpenſionis (ſcilicet ab officio, & be-
,, neficio) plectat, & in eadem divina officia celebrari non
,, permittat, donec fuerit reconciliata. Presbyteros etiam
,, ab Epiſcopis ſuis ſuſpenſos, & per Fratres illos ad offi-
,, cia ſua temere reſtitutos, in eandem ſententiam ſuſpen-
,, ſionis reducat. Denique illos, quos propter præmiſſam
,, cauſam, ad reſpondendum aliis, ſecundum legem Terræ,
,, non teneri aſſerunt, compellat aliis reſpondere, remota
,, appellatione.

CXXXIX. Pro intellectu hujus c. notandum primo, qui mittuntur ab Hoſpitalariis, aliiſque hujuſmodi Religioſis, ad colligendas eleemoſynas, debent eſſe litterati, & ex ipſis Fratribus, & Crucem non falſo, nec ficte, ſed vere geſtare in pectore, alioquin repellendi ſunt, & puniendi tam ipſi, quam eos mittentes, ab Epiſcopo, *Gl. hic in notatis, & Abb. not. 2. Fagnanus hic n. 2.*

Notandum ſecundo, celebrans in Eccleſia polluta non eſt ſuſpenſus, ipſo jure, ab officio, & beneficio, ſed ſuſpendendus, non tamen irregularis, *c. Is qui 18. de ſent. excomm. in 6. Abb. hic* n. 5. Aliud eſt, ſi quis celebret in Eccleſia interdicta, eſt enim ſuſpenſus ab officio, & beneficio, *c. ult. de exceſſib. Prælat. Fagn. hic n. 4.*

Notandum tertio, non ſolum Religioſi exempti, qui mittunt Cruce falſo, ſeu ficte ſignatos, ſed etiam Laici falſo portantes Crucem, vel Religionis habitum, poſſunt puniri per Epiſcopum loci, quia abutuntur Inſignibus Religionis, eique injuriam inferunt, ideoque ſubjiciuntur foro Eccleſiæ, ratione delicti, non obſtante ullo privilegio, *Abb. hic n. 1. not. 2.* Infligitur autem in hoc c. pœna ſuſpenſionis Clericis, ſed Laicis pœna excommunicationis, quia in eos non cadit ſuſpenſio, cum incapaces ſint alicujus officii ſpiritualis, *Burb. hic n. 24.*

Notandum quarto, Presbyteri ab officio per Epiſcopum ſuum ſuſpenſi, ab aliis etiam exemptis ad divina officia reſtitui, ſeu a ſuſpenſione abſolvi non poſſunt, quia ab hac, aliiſque cenſuris Eccleſiaſticis ab homine latis, non poteſt abſolvere, niſi is, qui eas tulit, vel legitimus ejus Superior, *c. Paſtoralis 11. §. Præterea de offic. Ordin. Abb. hic num. 3. not. 2.* Præterquam quod in caſu hujus cap. Laici non poterant Presbyteros ſuſpendere ab officio, neque etiam eoſdem ad divina reſtituere, cum utrumque ſit actus juriſdictionis Eccleſiaſticæ, cujus Laici ſunt omnino incapaces, ut colligitur ex *cit. c. Tuarum* ibi: *Cum ſint Laici, h. tit. Burboſ. hic num. 23.*

Notandum quinto, ſi conſtet de animo deferentis habitum Religioſum, quod non id facit cum intentione profitendi, tum geſtatio habitus, quantumvis per longum tempus, non inducit profeſſionem, nec Religioſum facit, *Gl. hic V. Signatos, & Abb. n. 6.* Porro quomodo propter abuſum amittatur privilegia, infra dicetur.

CXL. Quarto alius exceſſus, ſive delictum privilegiatorum, ſeu exemptorum eſt, ſi Eccleſias, vel Capellas ædificent in locis non exemptis, ſine licentia Ordinarii loci, vel in Exemptis ſine licentia Papæ, quod prohibetur in *cap. Auctoritate 4. h. t. in 6.* ubi Alexander IV. auctoritate Apoſtolica, de Cardinalium conſilio, ſtatuit, ne exempti Ora-
,, toria, vel Capellas in locis non exemptis, ſine Diœce-
,, ſanorum locorum licentia, conſtruere præſumant: nec in
,, ſic conſtructis celebrent, vel divina faciant celebrari,
,, neque etiam tempore interdicti, niſi in caſibus in jure
,, expreſſis. Quod ſi talia facere præſumpſerint, a locorum
,, Ordinariis compeſcantur: revocatis ſententiis, quas Con-
,, ſervatores exemptorum, propter hanc cauſam protule-
,, rint. Item prohibet idem Papa, ne in locis etiam exem-
,, ptis, prædicta exempti facere audeant ſine licentia, vel
,, privilegio Sedis Apoſtolicæ. Additur in fine, & prohi-
,, betur in eodem c. ne iidem exempti cauſas, ſeu lites
,, proprias ſuorum hominum liberorum (ſecus eſt de ſer-
,, vis, *Gl. hic V. eod.*) ut actores, vel defenſores aſſumant:
,, etiamſi tales liberi homines ipſis ſint cenſuales, id eſt,
,, cenſum annuum præſtent, cum id nequaquam ſit eiſdem
,, licitum.

CXLI. Notandum primo, non licet exemptis ædificare Eccleſias in Diœceſi Epiſcopi, ſine ejus licentia, alioquin Eccleſiæ ſic extructæ cederent Epiſcopo Diœceſano, ejuſque juriſdictioni ſubjicerentur, non ut in ſuos uſus habeat, ſed ut eas regat, & adminiſtret, ſicut alias Eccleſias ſuæ Diœceſis, & fructus in Eccleſiarum ſic extructarum utilitatem convertat, *Lupus hic num. 2. Franc. num. 2. Gockler. de juriſdict. Ordin. in exemptos p. 1. q. 36. num. 1.* Ratio eſt, quia in generali prohibitione ne aliquid fiat ſine licentia Superioris, comprehenduntur etiam exempti, nec cenſentur excluſi, prætextu exemptionis: generaliter autem prohibitum eſt, ne quis ædificet novam Eccleſiam, Capellam, vel Oratorium, ſine Epiſcopi Diœceſani licentia, *c. Nemo 6. diſ. 1. de conſecr. Franc. hic §. Inhibemus art. 2. Vivian. in Ration. hic.* Sed neque exempti poſſunt ædificare Capellas, & Oratoria in locis exemptis, ſine licentia Papæ, quia ſicut Epiſcopus eſt Diœceſanus in loco non exempto: ſic & Papa eſt Diœceſanus in loco exempto, & Judex ordinarius exemptorum, *Gl. hic V. Auctoritate & V. Sedis Apoſtolicæ*, ubi tamen putat, quod hoc caſu ſufficeret licentia Legati de Latere, quia & ipſe dicitur eſſe Judex ordinarius exemptorum, *Franc. hic §. Inhibemus n. 21. Gl. not. 2.*

Notandum ſecundo. Exempti, ſi ædificent Eccleſias, in loco non exempto, ſine conſenſu Diœceſanorum, vel in illis ſic conſtructis celebrent vel tempore interdicti, poſſunt puniri a locorum Ordinariis, quia in his caſibus, ratione delicti commiſſi in loco non exempto, ſine conſenſu Diœceſanorum, Epiſcopis ſunt ſubjecti, ex auctoritate hujus Conſtitutionis. *Gloſſ. hic V. Compeſcantur & Joan. Monach. V. eod.* & exempti quoque tenentur obſervare interdictum generale, etiam ab Ordinario latum, *Barb. hic n. 2.*

CXLII. Notandum tertio. Conſervatores privilegiorum, hoc caſu non poſſunt exercere juriſdictionem ſuam, cum ad hunc caſum ipſa privilegia exemptorum non extendantur,

c. 1.

cap. 1. hoc t. in 6. nec ſe intromittere poſſunt, niſi in manifeſtis injuriis, *cap. 2. & ult. de offic. Jud. delegat. in 6. Gl. hic V. Revocamus & Jo. Monach.*

Notandum quarto. Non ſolum non exempti, ſed etiam exempti non poſſunt comparere in judicio, agendo, vel defendendo pro ſuis ſubditis liberis hominibus, in cauſis eorum propriis: dicuntur autem cauſæ propriæ, quando commodum & incommodum ſeu damnum ad aliquos ſuos nomine pertinet, *l. 2. ff. Quando appellandum ſit. Gloſſ. hic V. Proprias, & Franc. cit. §. Inhibemus. not. 3.* Ratio eſt quia ſi iſti exempti hujuſmodi cauſas, in quibus non habent intereſſe proprium, nec ſunt illorum hominum procuratores, in ſe ſuſciperent, ut actores, vel Rei, redderent duriorem cauſam adverſariorum hominum illorum, quod non licet, quia non debet alicujus cauſa deterior fieri ex alieno facto, *l. 1. ff. de alien. judic. mut. cauſ. facta, Gl. fin. hic, & Vivian. in Ration.*

Notandum quinto. Homines cenſuales, ſive certum cenſum dominis directis ſolventes, non ſunt propterea ſervi eorum, nec ſerviliter ipſis, ſubjecti, *Gl. fin. hic in fine, & Franc. cit. §. Inhibemus. num. 2. not. ult.*

CXLIII. Quinto denique alius privilegiatorum, ſeu exemptorum exceſſus, ſeu delictum eſt, ſi ſive Regulares, ſive ſeculares ſcienter celebrent, vel celebrari faciant Divina, in locis interdictis, niſi ſecundum permiſſionem Juris, vel excommunicatos, aut interdictos publice ad Divina Officia, Sacramenta, vel ſepulturam admittant, prout id prohibetur in *cap. Epiſcoporum 8. hoc. tit. 6.* Ubi Bonifatius
„ VIII. Epiſcoporum, & Prælatorum aliorum frequenta-
„ tis querelis excitatus, ſtatuit, ne aliqui ſeculares, aut
„ Regulares, quantumvis exemptionis privilegiis Sedis A-
„ poſtolicæ communiti, cujuſcunque Ordinis, Religionis,
„ Status, vel conditionis exiſtant, ſcienter celebrent, vel
„ faciant celebrari Divina, in Civitatibus, Caſtris, Vil-
„ lis (niſi quatenus a Jure conceditur, ſcilicet ſubmiſſa
„ voce, & januis clauſis, *cap. ult. de ſent. excomm. in 6.*)
„ ſeu aliis locis interdictis, ab Ordinariis, vel delegatis
„ Judicibus, vel a Jure: aut excommunicatos publice, vel
„ interdictos, ad Divina Officia, ſeu Eccleſiaſtica Sacra-
„ menta, vel ſepulturam Eccleſiaſticam admittant. Qui
„ vero contra facere præſumpſerint, præter alias pœnas
„ a Jure ſtatutas, ingreſſus Eccleſiæ eis interdicatur, do-
„ nec competenter ſatisfecerint, ad arbitrium ejus, cu-
„ jus ſententiam contempſerunt.

CXLIV. Notandum primo: Hæc Conſtitutio Decretalis, ejuſque pœna, ut iis, qui ſcienter celebrant, vel faciunt celebrari in locis interdictis, vel qui publice excommunicatos, vel interdictos admittunt ad Divina Officia, Sacramenta, vel ſepulturam, interdicatur ingreſſus Eccleſiæ, ſecundum communiorem DD. ſententiam, ſolum procedit in exemptis a juriſdictione ordinaria Epiſcopi, in quorum odium id eſt ſtatutum, ut patet ex intentione, & occaſione illius Conſtitutionis: nam Epiſcoporum querelæ non erant de ſibi ſubjectis, quos ipſi poterant coercere, & punire, ſed de exemptis, in quos non habebant poteſtatem, & ideo contra illos ſpecialiter illa pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ eſt lata: & propter ſpecialem etiam rationem, quia multo majore ſunt pœna digni, quibus cum plurimum honoris per juſſiones Principis eſt delatum, inveniuntur in crimine, *leg. Presbyteri Cod. de Epiſc. & Cleric. cap. Quia 3. §. Presbyteri cauſ. 5. quaſt. 6.* ideoque non eſt extendenda ad omnes alios etiam non exemptos: multo minus ergo non exempti celebrantes coram publice excommunicatis, vel interdictis, ſi poſtea celebrent in illa Eccleſia, fient irregulares, quia *cap. Is, qui 20. de ſent. excomm. in 6.* loquitur de eo, qui cum ipſe interdictus ſit, celebrat: non vero de celebrante coram interdictis, vel excomunicatis, ſi ipſe interdictus non ſit; neque vero talis irregularitas jure reperitur expreſſa, *Navarr. in man. cap. 25. numer. 94. & cap. 27. numer. 157. Covarr. in cap. Alma par. 1. §. 6. numer. 9. circa finem, Suarez diſ. 34. de cenſur. ſet. 4. numer. ult.* Contrarium tamen tenet *Gloſſ. in cit. cap. Epiſcoporum. Verſ. Ingreſſum hoc* ait, ſcilicet hanc pœnam habere locum etiam in non exemptis, ut videtur colligi ex illis hujus verbis: *Quantumcunque exemptionis Sedis Apoſtolicæ privilegiis ſint communiti*: quæ verba non ſunt reſtrictiva ad exemptos, ſed potius ampliativa, ita ut etiam exempti, nedum non exempti hac Conſtitutione ligentur, *Barboſ. hic numer. 3.* ubi ait, hanc ſententiam in rigore juris eſſe longe veriorem, quamvis contraria, ac prior ſit benignior, & ob auctoritatem tot DD. practice tuta.

Notandum ſecundo. Faciens celebrari Divina in loco prohibito, eadem pœna punitur, qua ipſe celebrans, & appellatione Divinorum Officiorum, & Sacramentorum non venit Eccleſiaſtica ſepultura, cum hic iſta ponatur, ut diverſa, *Gl. hic in notabil. Franc. hic n. 1. & 2.*

§. VIII.

De aliis quibuſdam ſpecialibus exceſſibus, & culpis Religioſorum prohibitis Jure Canonico, eorumque pœnis.

CXLV. De his agitur in *Clement. Religioſi 1. hoc tit.* Ubi
„ Clemens V. in Concilio Viennenſi ſtatuit, ut Religioſi,
„ qui Clericis, aut laicis Sacramentum extremæ Unctio-
„ nis, vel Euchariſtiæ miniſtrare, vel Matrimonia ſolem-
„ niare, id eſt, ſolemniter benedicere, ſine ſpeciali li-
„ centia Presbyteri parochialis ſuper his obtenta, vel ex-
„ communicatos a Canone (exceptis caſibus a Jure expreſſis
„ vel per privilegia Sedis Apoſtolicæ conceſſis) vel a ſenten-
„ tiis per ſtatuta Provincialia, aut Synodalia promulgatis
„ abſolvere a pœna, & culpa præſumpſerint, excommuni-
„ cationis ſententiam, ipſo facto, incurrant, per Sedem A-
„ poſtolicam duntaxat abſolvendi: (niſi in mortis articulo
„ *Gl. V. eod.*) quos etiam locorum Ordinarii, poſtquam de hoc
„ eis conſtiterit, excommunicatos publice faciant denun-
„ ciari, donec de abſolutione illorum eis facta fuerit fi-
„ des, nullo Religioſis eiſdem ſuffragante, quoad hoc,
„ exemptionis, vel alio privilegio.

CXLVI. Pro applicatione notandum primo, hæc Conſtitutio, cum ſuis pœnis, non habet locum in Clericis ſecularibus, qui etſi Sacramenta extremæ Unctionis, vel Euchariſtiæ adminiſtrent Clericis, vel laicis, vel eorum matrimonia ſolemniter benedicant, ſine licentia proprii Diœceſani, vel Parochi, non incurrunt, ipſo facto, excommunicationem, ſicut Religioſi, ſive ſint exempti, ſive non, incurrunt, *Azor. p. 1. libr. 12. cap. 13. quaſt. 5.* adeoque in diſpoſitione pœnali ſub appellatione Religioſorum non comprehenduntur Clerici ſeculares, licet eadem diſpoſitioni ratio in utriſque militare videatur, *Abb. in cit. Clement. 1. not. 1. & 2.* Habet autem hæc Conſtitutio locum in Religioſo tranſlato ad Eccleſiam ſecularem: & ratio eſſe poteſt, quia communius, & frequentius ſolent in his Religioſi delinquere, & ambire, ac concupiſcere aliena magis reprobatur in Religioſo, *Gl. in Clement. 2. V. Religioſi de decim. & Abb. ibid. num. 1.*

Notandum ſecundo. Religioſi prohibentur Euchariſtiam miniſtrare, non tantum ſanis, & bene valentibus, ſed etiam quando confertur, ut Viaticum, moribundis, ſecluſo ſpeciali privilegio, *Navarr. in Man. cap. 21. num. 52. Azor. cit. cap. 13. quaſt. 5. §. Sed ambigua Barboſ. in cit. Clement. 1. num. 4. h. tit.* quia prohibetur hic generatim Religioſis, ne præſumant miniſtrare Euchariſtiam.

Notandum tertio. Pœna hæc excommunicationis, ipſo jure, lata in Sacerdotes Regulares ſolemniter benedicentes matrimonium, ſine licentia proprii Parochi, non eſt correcta, nec ſublata per pœnam ſuſpenſionis, quæ in eoſdem, ipſo jure, ſtatuta eſt in Concilio Tridentino *Seſſ. 24. cap. 1. de reform. matrim.* ſed utraque adhuc locum habet, ut docet *Navarr. libr. 1. tit. 2. conſil. 10. nu. 1. & ſeqq. in addit. 2. Sanchez lib. 3. de matrim. diſ. 48. Barb. in cit. Clement. 1. num. 7. h. t.* quia leges poſteriores non tollunt priores, niſi eas expreſſe revocent, vel illis ſint contrariæ; ſed in citato decreto Concilii Trident. nec expreſſe, nec tacite tollitur pœna ſtatuta in *Clem. 1. h. t.* quæ contra ſolos Religioſos illam decrevit. Nec obſtat, quod juxta receptam doctrinam, nova pœna mitior lege nova ſtatuta, corrigat rigidiorem pœnam antiquæ legis; quia id verum eſt in pœnis a Judice infligendis, non autem in iis, quæ ipſo jure incurruntur, ut ſunt excommunicatio, & ſuſpenſio illa Concilii Tridentini. *Navarr. cit. l. n. 5.*

CXLVII. Notandum quarto, Parochiano aſſerenti ſe habere licentiam proprii Parochi ad recipienda Sacramenta ab alieno Sacerdote, fides haberi poteſt a Religioſo, vel alio Clerico, quia non debet præſumi eſſe immemor ſuæ ſalutis *c. pen. cauſ. 1. q. 7.* quod quidem procedit in Sacramento Pœnitentiæ, in quo creditur dicenti, ſe eſſe abſolutum: vel etiam in Sacramento Euchariſtiæ, aut extremæ Unctionis, quia hæc Sacramenta percipiuntur tantum, pro animæ remedio, & ut ſaluti ſpirituali conſulatur, & pertinent ad forum interum conſcientiæ. Non autem in Sacramento Ordinis, quod confertur, non tantum propter ſe, ſed etiam propter alios, *Gl. hic V. non habita & Abb. n. 5.* Idemque dicendum in Sacramento matrimonii, quod etiam pertinet ad forum externum, & externam gubernationem Eccleſiæ, ſicut Ordo, ideoque dicenti habere ſe licentiam, ut Ordines recipiat ab alieno Epiſcopo, vel ut alienus Sacerdos aſſiſtat, vel benedicat nuptias ſuas, non eſt credendum, niſi eſſet perſona valde fide digna, *Sanch. libr. 3. de matrimon. diſ. 37. num. 1. & 3.*

Notandum quinto. Parochus, etiam non Sacerdos, poteſt dare licentiam Parochiano, ut ab alieno Presbytero Sacramenta recipiat, licet ipſe non poſſit illa miniſtrare, quia hoc eſt actus Ordinis, quem ipſe non habet, prius juriſdictionis, quam habet, *Gloſſ. hic Verſ. Presbyteri, Abb. num. 8.* fit autem in hoc textu mentio de Presbytero Parochiali, quia ut plurimum Parochi ſolent eſſe Presbyteri, *Sanchez libr. 3. de matrim. diſ. 20. num. 3.* Quinimo etiam Epiſcopus, vel ejus Vicarius Generalis poteſt dare Religioſo licentiam adminiſtrandi Sacramenta Euchariſtiæ, & extremæ unctionis, & ſolemniter benedicendi nuptias ſubditorum, in ſua Diœceſi, ſaltem poſt factum, *Gl. hic V. Presbyteri, & Abb. num. 10. Sanchez lib. 3. de matrim. cap. 29. nu. 15. Barboſ. hic num. 14.*

Notandum ſexto, ad hoc, ut Religioſus poſſit conferre Sacramenta, de quibus in hac *Clement.* fit mentio, Parochiano, requiritur, ut expreſſa, ſeu ſpecialis licentia a Presbytero proprio obtenta ſit, tam de Sacramentis conferendis, quam de Religioſo conferente, & Parochianis, qui Sacramenta illa ſunt percepturi. Veruntamen poſt factum non videtur incurri pœna hujus *Clement.* ſi ſit facta ſpecialis mentio de Sacramentis, etſi non exprimatur nomen Parochiani, cum data ſuit licentia conferendi Religioſo, vel nomen Religioſi, cum licentia data fuit Parochiano, *Gl. hic V. Speciali, & Abb. num. 12.*

CXLVIII. Notandum ſeptimo, præter licentiam Parochi hæc tria Sacramenta conferendi alienis ſubditis, neceſſaria eſt Religioſo, etiam licentia ſui proprii Prælati, *Arg. cap. 2. de teſtam. in 6.* ut licite conferat, quamvis non incurrat pœnam excommunicationis, etiamſi eam non habuerit, quia illa eſt ſolum impoſita, ob defectum licentiæ proprii Presbyteri, pœna autem non debet extendi ultra caſum expreſſum, *Abb. hic num. 14.*

Notandum octavo, Religioſus adminiſtrans Sacramentum Baptiſmi, vel pœnitentiæ alieno ſubdito, ſine licentia proprii Parochi, non incurrit pœnam excommunicationis hic decre-

Digitized by Google

decretam, quia illa ſolum impoſita eſt adminiſtrantibus ea Sacramenta Euchariſtiæ, Extremæ Unctionis, & Matrimonii, ideoque ad alia Sacramenta, quoad pœnam, non eſt extendenda; etſi major videatur eſſe ratio prohibitionis in Sacramento Pœnitentiæ, vel Baptiſmi, quam in aliis expreſſis, *Gl. hic V. Specialſi, in fine, & Abb. nu. 17.* ubi tamen *n. 18.* ait, quod major ratio prohibendi fuerit in iſtis tribus Sacramentis, quia forte Religioſi magis, & frequentius in his tribus excedebant, quam in aliis, & ideo fuit ſeverius, quoad iſta, prohibendum.

Porro hæc pœna excommunicationis non incurritur a Religioſo, ſi per ignorantiam, vel ratihabitionem ea Sacramenta conferat, quia in Clementina dicitur, ne præſumat miniſtrare: neque etiam ſi miniſtret Religioſus ea Sacramenta alteri Religioſo exempto, ut colligitur ex illis verbis, ne miniſtrent *Clericis, vel Laicis*, nimirum Parocho ſubjectis, *Azor. cit. c. 23. q. 5. §. Annotandum.*

CXLIX. Notandum nono, quamvis Religioſus abſolvens alterius ſubditum ab excommunicatione, a Canone quocunque, etiam a quo Epiſcopus, vel Sacerdos alius poſſet abſolvere, lata, incidat in excommunicationem: non tamen incidit in excommunicationem, ſi abſolvat ab excommunicatione lata ab homine, quia caſus iſte non eſt in hac Clementina expreſſus, ideoque locus non eſt huic pœnæ, *Gl. hic V. a Canone, & Abb. n. 19.* præterquam in caſibus jure expreſſis (habent enim multi Religioſi privilegium a Sede Apoſtolica abſolvendi a diverſis caſibus, *Gl. hic V. Conceſſis*) Eandem pœnam autem excommunicationis incurrunt etiam Religioſi illi, qui abſolvunt quenquam a ſententiis per ſtatuta Provincialia, vel Synodalia promulgatis, ut habetur *in cit. Clem. 1. in princ.*

Notandum decimo, appellatione ſententiæ hic venit omnis ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, ad quam neceſſaria eſt abſolutio. *Gl. hic V. Sententiis; & Abb. n. 20.* Religioſus autem abſolvens a ſententia Canonis, vel ſtatuti, incurrit excommunicationem, etiamſi abſolvat Religioſum, vel conſocium, quia textus nihil excipit, & ſub verbis generalibus comprehenduntur Religioſi, etiam in materia pœnali, *Gloſſ. hic V. Quemquam, & Abb. num. 12.*

Notandum ultimo, Ordinarius loci poteſt curare Religioſum quemcunque, etiam exemptum publice denunciari excommunicatum, poſtquam ipſi conſtiterit, eum incidiſſe excommunicationem; ideoque etiam poterit eundem citare, in ordine ad faciendam denunciationem, quia conceſſo conſequente, videtur etiam conceſſum antecedens, ſine quo conſequens obtineri non poteſt, *Abb. hic n. 22.* nullo Religioſis ſuffragante privilegio, quin pœnam incurrant, & denunciari poſſint, quamvis privilegia ipſis conceſſa non amittant, *Gl. hic V. Suffragante*.

CL. Præterea in *citat. Clement. 1. §. Quibus etiam*. Reli-
„ gioſis ſub præcepto obedientiæ, & comminatione male-
„ dictionis æternæ, inhibetur, ne Prælatis Eccleſiarum
„ detrahant in ſermonibus ſuis: nec Laicos ab Eccleſiarum
„ ſuarum acceſſu, vel frequentia retrahant: nec indulgen-
„ tias indiſcretas (ſcilicet non conceſſas, *Gl. hic V. eod.* ſive
„ falſas, & ſuppoſititias) promulgent: nec quando inter-
„ ſunt teſtamentis conficiendis, teſtatores a debitis reſti-
„ tutionibus, aut legatis Matricibus Eccleſiis (id eſt, Ca-
„ thedralibus, vel aliis, *Gl. hic V. eod.* faciendis retrahant:
„ nec legata, vel debita, vel ablata incerta ſibi, aut aliis
„ ſingularibus ſui Ordinis Fratribus, vel conventibus, in
„ aliorum præjudicium (ſcilicet eorum, quibus debentur,
„ vel quibus legare volebant, vel etiam Epiſcoporum, qui-
„ bus competit diſpoſitio de male obtentis, *Gl. hic V. In a-*
„ *liorum*) fieri, ſeu erogari procurent. Nec quenquam a ca-
„ ſibus Sedi Apoſtolicæ, aut locorum Ordinariis reſervatis
„ abſolvere (a peccato, vel culpa, *Gl. hic V. eod.*) præſu-
„ mant. Nec etiam perſonas Eccleſiaſticas, præſertim co-
„ ram Judicibus delegatis a Papa, ſuam contra eos juſtiti-
„ am proſequentes, indebite vexare, aut ad loca plura,
„ præſertim multum remota, conveniendi cauſa, trahere
„ præſumant. Si qui vero contra prædicta, vel aliquid ex
„ iis, attentare præſumpſerint, per duos menſes ſubjaceant
„ illis pœnis, quæ ſecundum eorum regulam, vel ſtatuta,
„ pro gravibus criminibus, ſeu culpis, conſueverunt impo-
„ ni: ſuper quibus non poſſit, abſque manifeſta neceſſitate
„ (ſcilicet infirmitate, ſenectute, vel his ſimilibus, *Gloſſ.*
„ *hic V. eod.*) cum eis diſpenſari. Cæterum ſi Prælati eo-
„ rum de his, quæ ad eos, occaſione prædictorum exceſſu-
„ um, quoquo modo pervenerunt, Eccleſiis, vel perſonis
„ Eccleſiaſticis (laicis ergo non providetur, *Gl. hic V. eod.*)
„ damnificatis, vel læſis, infra menſem plene non ſatisfe-
„ cerint, poſtquam ſuper hoc fuerint requiſiti (ab his, quo-
„ rum intereſt) ſententiam ſuſpenſionis (ab officio, *Gloſſ.*
„ *hic V. eod.*) eo ipſo incurrunt, donec debite ſatisfaciant,
„ non obſtantibus ſtatutis, & privilegiis quibuſcunque, &
„ ſub quocunque tenore conceſſis.

CLI. Pro explicatione notandum primo. Peccat Prædicatores Religioſi graviter, & puniri debent, qui in ſuis Concionibus Prælatis Eccleſiaſticis detrahunt, quod intelligendum eſt, ſi nominatim eos perſtringant, vel per talem circumlocutionem, quæ vicem habeat proprii nominis, ſeu proprium Prælati nomen exprimat: alias vero bene licet in genere tangere vitia Prælatorum, juxta illud Chriſti, *Matth. 23. ſuper Cathedram Moyſis & c. Gl. hic V. Detrahunt. & Abb. n. 23.* Porro Concionatores, ſi Prælatis detraxerint in ſermonibus ſuis, per duos menſes ſubire debent illas pœnas, quæ ſecundum regulam, vel ſtatuta, propter gravia delicta, vel culpas, eis imponi conſueverunt, *cit. Clem. 1. §. Quibus Barb. ibid. n. 18.*

Notandum ſecundo, Religioſi, etiam exempti non poſſunt, ſine auctoritate, & licentia Superioris, abſolvere a caſibus reſervatis Papæ, vel etiam Epiſcopo, ut declaravit S. Congregat. Concil. apud *Barb. in Collect. hic, §. Quibus nu. 5. & alii.*

Notandum tertio, quamvis Religioſi habeant Conſervatores, quibus datur poteſtas trahendi aliquos ultra duas dietas, cum clauſula, non obſtantibus, &c. non tamen poſſunt eos convenire, trahendo ad plura loca, præſertim multum remota, *Gl. V. Remota, & Abb. n. 29.*

Notandum quarto, Prælati Religionum, ſi non ſatisfaciant, intra menſem, partibus læſis, quia ad ipſos aliquid pervenit, occaſione exceſſuum commiſſorum a ſuis Religioſis, ſuſpenſionem incurrunt, *citat. Clement. 2. §. Quibus etiam*: ad quam incurrendam plura requiruntur; ut tradit *Suarez. diſ. 31. de cenſ. ſec. 6. numer. 11.* Primo, quod Prælati iſti aliquid acceperint, videlicet, ſive pro Monaſterio ſuo, ſive pro perſonis privatis. Secundo, ut id quod accipitur, illis detur, occaſione exceſſuum, qui ibi prohibiti ſunt Religioſis. Tertio, ut hujuſmodi Prælati, ad quos hæc bona pervenerunt, ſint requiſiti ab iis, in quorum præjudicium ea ad Prælatos ſic pervenerunt. Quarto, ut poſt hanc requiſitionem, per menſem ſint in mora ſatisfaciendi, quo elapſo, incurrunt ſuſpenſionem, donec debite ſatisfaciant. Quæ ſuſpenſio eſt ab officio, juxta *Gloſ. hic V. Suſpenſionis*; imo ab omni adminiſtratione, cum ſit abſoluta, & ſimpliciter lata, *Suar. cit. loc.* Fertur autem ſolum in Prælatos, qui prædicto modo delinquunt, non vero in ipſos ſingulares Religioſos, qui exceſſus illos commiſerunt, in quos ibi non ſuſpenſio, ſed excommunicatio lata eſt, *Suar. c. l.* & alii apud *Barboſ. in cit. Clem. 1. §. Quibus etiam, hoc tit.*

CLII. Denique in *citat. Clement. 1. §. fin.* additur mode-
„ ratio, nempe ut Religioſis illis, quibus eſt ab Apoſtoli-
„ ca Sede conceſſum, ut familiaribus ſuis domeſticis, aut
„ pauperibus in Hoſpitalibus ſuis degentibus, Eccleſiaſtica
„ Sacramenta poſſint miniſtrare, nullum, ob prædicta,
„ præjudicium generetur: quia Religioſi, quoad duos iſtos
caſus, ſunt privilegiati, prout ſumitur ex *Clement. 2. in fine, de Relig. domib. Gloſſ. fin. hic*, poteſt autem hujuſmodi generale privilegium pro toto orbe concedere ſolus Papa: ſpeciale vero, pro ſua Diœceſi, etiam Epiſcopus ex cauſa, juxta *c. Conſtitutus 6. de Religioſ. domib. Gl. hic V. Apoſtolica, & Abb. n. 32.*

§. IV.

De pœna abutentium ſuis privilegiis, & punitione violantium aliena privilegia.

CLIII. Quæritur primo, quæ ſit pœna abutentium ſuis privilegiis, ſive excedentium fines eorum? Reſp. Propter abuſum poſſunt revocari privilegia, & privilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate, *c. Ut privilegia 24. in princip. & c. Tuarum 11. §. Verum hoc tit. & c. Privilegium 93. cauſ. 11. qu. 3. & c. Ubi 7. diſ. 74.* de quo plura infra.

CLIV. Quæritur ſecundo, an, & quomodo puniendi ſint, qui aliena privilegia violant? Reſp. De hoc agitur inpri-
„ mis in *Quanto amplius 26. hoc tit.* ubi Abbas, & Conven-
„ tus Ordinis Cluniacenſis conqueſti ſunt Papæ Honorio
„ III. quod quidam Archiepiſcopi, & Epiſcopi, in quorum
„ Diœceſi commorantur, & Officiales eorum, cum in eos,
„ & ſui Ordinis Monachos non poſſint ſententias excom-
„ municationis, & interdicti proferre, eo quod ſuper hoc
„ Apoſtolicæ Sedis privilegiis ſint muniti: ideo in eos,
„ qui molunt in molendinis eorum, vel coquunt panes in
„ furnis ipſorum, & qui vendendo, vel emendo, aut alias
„ eis communicant, dicti Archiepiſcopi, & Epiſcopi ex-
„ communicationis, & interdicti ſententiam proferunt: &
„ ſic non vim, & poteſtatem Apoſtolicorum privilegiorum,
„ ſed ſola verba ſervantes, Monachos dicti Ordinis quo-
„ dammodo, ſeu indirecte excommunicant, dum eis alios
„ communicare non ſinunt: adeoque quantum ad hoc ju-
„ dicio Judæorum judicantur, modo infra explicando. Et
„ qui communicant illis, majorem excommunicationem
„ incurrunt, quam etiam excommunicatis communicando
„ fuerint incurſuri. Quare mandat Papa univerſis, & ſin-
„ gulis ex prædictis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ut ſen-
„ tentias hujuſmodi in fraudem privilegiorum Sedis Apo-
„ ſtolicæ de cætero non ferant, quia ſi ſuper hoc querela
„ denuo ad ipſum pervenerit, promulgatores talium ſen-
„ tentiarum ſevere caſtigabit.

CLV. Pro explicatione hujus cap. notandum primo, privilegia non ſunt violanda, non tantum directe, non ſervando tenorem verborum, ſed nec indirecte. Sic qui per privilegium non poſſunt directe excommunicari ab Ordinariis locorum, non poſſunt etiam indirecte excommunicari, ſubtrahendo alios ab eorum communione, quia excommunicatio nihil aliud eſt, quam a communi participatione, & fraterna ſocietate ſeparatio, *c. Engeltrudam 11. cauſ. 23. quaſt. 4. Gloſſ. hic in Summa, cap. & V. Quodammodo Hoſtienſ. ibid. & Abb. num. 3. not. 3.* Ratio eſt; quia talis excommunicatio fieret in fraudem privilegii, ſi enim Epiſcopi non poſſunt ſic privilegiatos excommunicare, nihil debent facere, per quod ad idem deveniunt, quod enim una via prohibetur alicui, ad id alia via admitti non debet, *cap. Tua 5. de Procurat. Gloſſ. hic Verſ. In fraudem.*

Notandum ſecundo, qui ſervat ſola verba legis, vel privilegii, quæ eſt lex quædam privata, & venit contra mentem illius, is facit contra ipſam Legem, vel privilegium, *l. Non dubium 5. C. de Legib. Reg. juris ult. in 6. Abb. hic n. 2.* ubi tamen n. 4. id limitat, dummodo conſtet de mente Legis, vel privilegii, alioquin vero ſi non conſtet de mente illius, in dubio veniens contra verba, cenſetur venire contra legem, vel privilegium.

No-

Notandum tertio, Monachi, dum eis alii communicare prohibentur, quodammodo excommunicantur, & judicio Judæorum judicantur, ut dicitur in *cit. c. Quanto, hoc. tit.* quia cum Eccleſia non poſſit directe excommunicare Judæos, *quid enim ad nos de his, qui foris ſunt 1. ad Cor. 5. cap. Multi 18. cauſ. 22. q. 2. c. Gaudemus 8. de divort.* ideo quandoque excommunicantur Chriſtiani eis communicantes: ita iſti Archiepiſcopi, & Epiſcopi, cum non poſſent excommunicare Monachos illos propter privilegium, excommunicabant communicantes cum eis, *Gl. hic V. judicio Judæorum, & Hoſtienſ.* Unde evenit, ut qui communicabant cum illis, majorem excommunicationem incurrerent, quam qui excommunicatis participant, qui enim communicat excommunicatis, eſt excommunicatus, ſed minori excommunicatione tantum, *cap. Cum excommunicato 18. cauſ. 11. quæſt. 3. cap. 2. de except.* ſed iſti, qui participabant iſtis Monachis in prædictis, majorem excommunicationem incurrebant, quam alias participando excommunicatis, *Gloſſ. hic V. Majorem.*

Notandum quarto, excommunicatio lata ab Epiſcopis in caſu hujus c. in ſuos ſubditos, qui molunt in molendinis, vel panes coquunt in furnis Monachorum Cluniacenſium habentium privilegium, ut ab Epiſcopis excommunicari, vel interdici non poſſint, eſt irrita, quia talis prohibitio fieri non poteſt etiam ſubditis, ſi tendat in præjudicium, ſive damnum ſic privilegiatorum, *Arg. c. ult. de immunit. Eccleſ. in 6.* & ſumitur ex hoc c. Nam conſiderato effectu, principaliter concernit ipſos exemptos, licet verba ad ſubditos referantur, *Fagn. hic n. 4. & 5.*

CLVI. Præterea privilegiis ſuis, ſive ipſi conceſſis privandus eſt, qui alienis derogat, prout ſtatuitur in *cap. Dilecti 2. h. tit.* Nam Fratres Hoſpitalis Hieroſolymitani conqueſti ſunt Papæ Alexandro III. quod Archiepiſcopi, & Epiſcopi de malefactoribus ſuis juſtitiam facere nolunt, ipſorum privilegia recipere contemnentes. Unde Papa reſcribit Prælatis prædictis, ut pro certo ſciant, quod ipſe privilegia ipſis conceſſa adimat, cum ipſi Authenticis ſcriptis Romanæ Eccleſiæ (in quibus privilegia continentur) non timeant obviare. Ratio eſt, quia non ſunt ei ſua jura ſervanda, qui non metuit aliena violare, *c. Sic decet 22. cauſ. 25. qu. 2.* & quod quiſque juris in alium ſtatuit, eodem uti debet, *c. Cum omnes Cap. de Conſtitut.* & Eccleſiaſticus Ordo confunditur, ſi cuilibet jus ſuum non ſervetur, *c. Pervenit 39. cauſ. 11. quæſt. 1.* Inſpicienda igitur ſunt privilegia & quæ in iis continentur, obſervanda, *c. Porro 7. h. t.* alioquin ea contemnentes puniendi ſunt, *Gloſſ. fin. hic, & Hoſtienſ.* Nam Prælati, qui juſtitiam adminiſtrare nolunt privilegiatis, puniri debent, & viciſſim privari ſuis privilegiis, ut in eo, in quo deliquerunt, puniantur, *Abb. hic num. 2. & Barb. num. 2.* ubi *num. 3.* addit, per hoc non excludi alias pœnas jure præſcriptas contra Judices negligentes in adminiſtratione juſtitiæ, vel qui per dolum, aut imperitiam, male judicant, quarum præcipua eſt, quod litem faciant ſuam, *lib. Filiusfam. 15. ff. de Judic.* & parti injuſte condemnatæ tenentur in ſolidum reſarcire damnum litis illatum, *extat. Filiusfam. & lib. 2. C. de pœna Judic. qui male judic.*

CLVII. Cæterum, quod dictum eſt, privilegia non eſſe violanda, & violatores eorum puniendos eſſe, id limitari debet primo, niſi Clerici quidam ſine habitu, & tonſura incedentes, ſicut Laici, converſentur, & in delictis fuerint deprehenſi, tales enim non obſtante privilegio fori Eccleſiaſtici, etiam a Judice ſeculari puniri poſſunt, ſine metu incurrendi pœnam excommunicationis, prout ſumitur ex *cap. Ex parte, 27. h. t.* Nam quidam Litterati in territorio juriſdictioni Reginæ Angliæ ſubjecti degebant, quos nec habitus, nec tonſura Clericos oſtendit: quive cum in aliquibus ſoris factis (id eſt, maleficiis, ſive delictis, *Gl. hic V. eod. & Hoſtienſ.*) deprehenderentur, ut juriſdictionem Reginæ eluderent, & pœnam debitam pro delictis evaderent, aſſumpſerunt, vel reaſſumpſerunt habitum Clericalem abjectum, & tonſuram, licet antea pro Laicis ab omnibus haberentur. Regina id ſignificat Papæ Honorio III. qui ei reſpondit, quod etſi juriſdictionem ſuam in hujuſmodi delinquentes exercuerit, qui ſine tonſura, & habitu in delicto fuerunt deprehenſi, id æquanimiter tolerabit, & ſuſtinebit, cum malitiis hominum non ſit indulgendum; nec tonſura, vel habitu ſic reaſſumpto, ipſorum malitia foveri debeat. Ex quo patet, quod Judex ſecularis licite capere, & punire poſſit Clericum in delicto deprehenſum, ſine habitu, & tonſura Clericali, nec tenetur eum dimittere, etſi reaſſumpſerit habitum, & tonſuram *Abb. hic n. 3.* quod tamen limitandum eſt, juxta deciſionem *cap. Si Judex 12. de ſent. excommun. in 6.* de quo ibi.

CLVIII. Verum deciſioni hujus cap. adverſari videtur, quod ad hoc, ut Clerici non deferentes habitum, & tonſuram, priventur privilegio Clericali, ſeu fori Eccleſiaſtici, præcedere debeat trina monitio, neque ſufficit, quod ſine habitu, & tonſura, in crimine deprehendantur, *c. Ad audientiam 25. & c. Contingit 45. de ſent. excomm. & c. ult. de vita, & honeſt. Cleric.* Unde varii ſunt intellectus, & expoſitiones, *cit. c. Ex parte, h. t.* Nam primo aliqui intelligunt, non de omnibus Clericis, ſed ſolum de Clericis conjugatis, qui non gaudent privilegio Clericali, niſi habitum, & tonſuram deferant, *c. unic. de Cleric. conjug. in 6.* quia hoc eſt pars *c. Ex parte 9. de Cleric. conjug.* Verum non apparet ex hoc c. quod Clerici, de quibus in eo eſt ſermo, fuerint conjugati, nec Papa omiſiſſet mentionem hujus qualitatis facere, ſi ab eo penderet verus illius intellectus, *Barb. in Collect. hic n. 5.*

Secundo, alii intelligunt hoc c. de ſolis Clericis in Minoribus Ordinibus, qui non gaudent privilegio Clericali, ſi incedant ſine habitu, & tonſura: etſi eo non priventur Clerici in Sacris conſtituti, niſi poſtquam ter ſunt moniti, juxta Canones ſupra allegatos. Verum privilegium fori generaliter, & æqualiter convenit Clericis in Minoribus, & Majoribus conſtitutis, juxta *c. 2. ibi: Auth. Clericum nullum, de foro comp.* ideoque non eſt reſtringendum ad ſolos Clericos Minores incedentes, ſine habitu, & tonſura: præſertim quia ex textu hujus c. non conſtat ibi agi de ſolis Clericis in Minoribus: neque etiam quod agatur de Clerico, qui immiſcet ſe enormibus criminibus, de quo in *c. Perpendimus 23. de ſent. excom. Barb. hic n. 5. in fine.* Tertio *Gl. hic V. Deprehenſi, & Abb. num. 4.* explicant hoc c. loqui de iis, qui tanquam laici in omnibus, & ab omnibus habebantur, & malitioſe aſſumebant habitum Clericalem, & tonſuram, ut evaderent judicium ſeculare: vel ſi aliquando fuerant Clerici, de eo tamen non conſtabat, & ſic ipſo facto renunciabant privilegio Clericali, & licet allegarent ſe eſſe Clericos, non tamen id probabant, ac proinde nulla poterat eſſe admonitio. Hæc expoſitio prioribus eſt probabilior: non tamen videtur plene ſatisfacere, tum quia ſi non probabant ſe eſſe Clericos, nulla jam aderat ratio dubitandi, an gauderent privilegio Clericali: tum quia in textu videtur ſupponi, probatum fuiſſe illos eſſe Clericos, ut colligitur ex illis verbis: *licet autem pro laicis ab omnibus haberentur*, ergo poſtea conſtabat illos eſſe Clericos, qui antea laici communiter exiſtimabantur, *Barb. hic n. 4.*

CLIX. Itaque idem *Barb. hic num. 6.* rejectis aliis explicationibus, ait, in hoc c. agi de illis Clericis, qui frequenter, & fere ſemper, ſine habitu Clericali, & tonſura incedunt, & ideo a laicis diſtingui non poſſunt, ſed deprehenſi in crimine ſe Clericos eſſe dicunt, ut ſubterfugiant juriſdictionem ſecularem, & debitam pro delictis punitionem evadant: de his enim deciditur in hoc cap. quod privilegio Clericali non gaudeant, ſed a Judice ſeculari puniri poſſunt, citra metum incurrendæ excommunicationis, etiamſi poſtea habitum, & tonſuram reaſſumant, & prius moniti non fuerint, quia cum a laicis non potuerint diſcerni, nulla monitio præcedere potuit, & dolus ac fraus hujuſmodi eis patrocinari non debet, ne videatur de ſua malitia commodum reportare, *cap. Intelleximus 7. de Judic.* Porro hodie poſt Concil. Trident. *Seſſ. 23. cap. 6. de reform.* S. Congregatio cenſuit apud *Joan. Gallemart. in Declaration. ibid. num. 4.* quod ſi Clericus in Minoribus conſtitutus, non Beneficiatus, non incedat in habitu, & tonſura, non gaudet privilegio fori, licet non ſit monitus, propter dictionem *niſi* poſitam in *citat. cap. 6.* quæ excipit, *Barb. hic num. 6. in fine.*

CLX. Limitatur ſecundo. Laici violenti invaſores Eccleſiarum, vel rerum Eccleſiaſticarum, aut eis præjudicium inferentes, poſſunt puniri ab Eccleſia, ſeu Eccleſiaſticis Judicibus, non obſtante privilegio fori, quo reus puniendus eſt in foro ſuo, & laicus coram Judice ſuo ſeculari, prout ſumitur ex *c. Sicut 2. h. tit.* ubi Gregorius I. ita reſcribit: Sicut ipſe Papa non vult in judiciis turbare privilegia laicorum: ita ſi laici præjudicent, ſeu in præjudicium Eccleſiarum, vel rerum Eccleſiaſticarum aliquid attentent, vult eis auctoritate Apoſtolica (ſuum jus defendendo) moderate reſiſtere: nam violentos laicos (id eſt, Eccleſiis, vel eorum rebus violentiam, aut præjudicium inferentes, *Hoſtienſ. hic*) coercere, non eſt contra legem agere, ſed legi ferre ſubſidium.

CLXI. Ubi notandum primo: Turbans res, vel jura Eccleſiæ, vel eis vim, aut præjudicium inferens, etiamſi laicus ſit, poteſt coerceri, & puniri per Eccleſiam, ſeu Judicem Eccleſiaſticum, *Gl. hic V. Coercere & Abb.* Ratio eſt, quia ſeculares, qui violenter invadunt res immobiles, vel mobiles Eccleſiæ, vel qui juribus illius præjudicium afferunt, crimen ſacrilegii committunt, ideoque conveniri poſſunt, non tantum coram Judice ſeculari, ſed etiam coram Judice Eccleſiaſtico, *c. Cum ſit 8. de foro comp.* Idque in favorem Eccleſiæ eſt introductum, eſt enim crimen mixti fori, ita ut inter utrumque Judicem præventioni ſit locus, *Barb. hic n. 2.* de quo pluribus actum *lib. 2. Decret. tit. 2. ſect. 4. §. 3.*

Notandum ſecundo. Dupliciter poteſt intelligi hoc cap. 1. quod loquatur de privilegio fori, per quod reus laicus conveniendus eſt in foro ſeculari, *Abb. hic* 2. quod loquatur de aliis privilegiis laicis conceſſis, nempe quod debeant conveniri coram certo Judice, & non coram aliis, quia quod actor debeat ſequi forum Rei, eumque convenire coram ſuo tantum Judice, eſt potius Jus commune, quam privilegium, *Alexandr. de Nevo apud Abbat. hic in additione.*

§. V.

Proponuntur breves ſummæ Conſtitutionum Extravagantium hujus Tituli.

CLXII. In *Extravag. un.* Joannis XXII. quæ incipit, *Ad noſtri*, revocantur, & irritantur omnia privilegia aliquibus Nobilibus, & Communitatibus Campaniæ, Maritimæque Eccleſiaſticæ, a Sede Apoſtolica, ut ipſi aſſerebant, ſibi conceſſa, receptandi bannitos impune, idque ob graviſſima mala, quæ inde ſequebantur.

CLXIII. In *Extravag. 2. Inter communes*, quæ eſt Benedicti XI. & incipit, *Inter cunctas*, conceſſa ſunt Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus plura privilegia circa prædicationes, auditiones Confeſſionum, & ſepulturas. Et primo quidem, ut poſſint prædicare in ſuis Eccleſiis, & in publicis plateis, licentia Diœceſanorum, aliorumque Prælatorum non petita, ſine qua tamen id facere non poſſunt, illa hora, qua Epiſcopus concionatur, vel coram

„ ſe

ſe prædicari facit: aut quando urgente cauſa, ad ſe generaliter Clerum convocat. Nec etiam audeant prædicare in Eccleſiis parochialibus, invitis eorum Rectoribus, niſi juſſi ab horum Superioribus. Poſſunt tamen prædicti Fratres in prædicatione concurrere cum Diœceſanis in Capitulis generalibus, illis diebus tantum, quibus ſermones ad Clerum fieri ſolent, & ſolemnites prædicari. Et in funeribus Monachorum, vel eorundem Fratrum Feſtis peculiaribus. Porro hodie circa Prædicatores regulares obſervanda ſunt, quæ ſtatuis Concilium Trident. *Seſſ. 5. c. 2. Seſſ. 11. c. 2. & Seſſ. 24. c. 4. de reform.* de quo alibi dictum. Deinde in eadem *Extrav.* 1. ſtatuitur, quod electi a ſuis Superioribus ad audiendas Confeſſiones libere audire poſſunt volentes eis peccata ſua confiteri, abſque licentia Diœceſanorum, & aliorum Prælatorum inferiorum exemptorum, & non exemptorum, quibus volentes confiteri ſubſunt. Religioſos autem, qui ſecundum ſtatuta ſuorum Ordinum propriis Prælatis confiteri debent, aut ab eis, ne confiteantur aliis, prohibentur, abſolvere non debent. Item prohibentur abſolvere excommunicatos, irregulares propter delictum, & criminoſos, quorum crimina egent publica pœnitentia, & quoſcunque a caſibus Epiſcopo, vel Sedi Apoſtolicæ reſervatis. Denique in dicta *Extravag.* 1. §. *Porro* conceditur prædictis Religioſis, ut poſſint ſepelire mortuos, qui apud ipſos ſepulturam elegerint, & proceſſionalites cum Cruce alienas Parochias ingredi, & corpora defunctarum aſſumere, & ad ſuas Eccleſias deferre tumulanda, ac liberi ſint etiam ex ſibi relictis ſolvere Canonicam portionem parochialem, & quartam Epiſcopalem: de funeralibus autem medietatem, vel ſi dividi commode non poſſint, ejus æſtimationem Eccleſiæ parochiali ſolvant. Per quam Conſtitutionem revocatum fuit, quod prius ſtatutum fuit a Bonifacio VIII. in *Extravag.* 2. §. *Verum de ſepultur.* Præterea non licet Regularibus hodie, etiam prætextu alicujus conſuetudinis. Parochias cum Cruce proceſſionalites, aut alias ad deferenda defunctorum funera intrare, vel illa levare, & offerre, niſi exſpectato, & vocato proprio Parocho, eoque præſente, præterquam ſi requiſitus venire recuſet, ex declaratione *Sac. Congreg. ſuper negotiis Epiſc. & Regul. apud Barboſ. in cit. Extrav. 1. h. t. n. 4.*

CLXIV. In *Extravag.* 2. quæ incipit, *Meruit, eod. tit.* Clemens V. declaravit, quod per *Extravag.* 1. quæ incipit *Unam ſanctam de majorit. & obed. inter communes* (in qua dicitur, quod omnes Chriſti fideles de neceſſitate ſalutis ſubſunt Romano Pontifici) Rex Franciæ, & incolæ illius Regni Eccleſiæ Romanæ non amplius ſint ſubjecti, quam prius erant, de quo videri poteſt *Azor. p. 2. Inſtitut. lib. 11. c. 5. q. 6.*

CLXV. In *Extravag. Divina 3. hoc. tit.* Papa Eugenius IV. prohibuit, ut Ordinarii locorum, eorumque Commiſſarii, & delegati, & cæteri omnes, quacunque poteſtate, & auctoritate prædicti & cujuſcunque dignitatis fuerint, non præſumant contra Officiales, pro tempore in obſequiis Papæ, & Sedis Apoſtolicæ exiſtentes, nec contra quoſcunque alios, pro ſuis, vel ſuorum cauſis, ſeu negotiis proſequendis ad Sedem prædictam venientes, ac in ea (dum durat proſecutio hujuſmodi cauſarum) morantes, vel ab ea recedentes, procedere aut in eos excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententias ferre, vel privatos officiis, aut beneficiis declarare, vel illa aliis conferre, vel in hoc ſe intromittere, alioquin omnes hujuſmodi ſententiæ latæ, vel ferendæ, & omnia contra hanc prohibitionem, ſcienter, vel ignoranter attentata, ſint irrita, & tam dantes, quam recipientes, ſint ipſo facto excommunicati, ſuſpenſi (ab officio, & beneficio) & interdicti: non obſtantibus quibuſcunque Conciliis, etiam Generalibus, Conſtitutionibus, & Apoſtolicis privilegiis. Porro Concilium Trident. *Seſſ. 24. cap. 11. in fine, de reform.* declaravit, quod privilegia, quæ vigore hujus Eugenianæ Conſtitutionis, aut familiaritatis Cardinalium, reſidentibus in Curia Romana competere ſolent, ea in iis, qui Eccleſiaſtica beneficia obtinent, ratione prædictorum beneficiorum, minime intelligantur, ſed Ordinarii juriſdictioni ſubjecti permaneant, non obſtantibus quibuſcunque inhibitionibus, *Barb. hic n. 2.*

CLXVI. Denique in *Extravag. Exhibita 4. h. tit.* ſtatuit Joannes XXII. quod Hoſpitalarii S. Joannis Hieroſolymitani, qui ex Privilegio, conſuetudine, vel ſtatuto, recipiunt fructus annales beneficiorum vacantium, ſive primi, ſive ſecundi anni, vel etiam plurium annorum, debeant habere etiam præbendam, ſive portionem illam fructuum, quam haberent beneficia obtinentes, ſi in Eccleſia reſiderent, vel quam haberent, ſi alias ex cauſa rationabili, ab hujuſmodi reſidentia legitime abſentes excuſarentur: quia cum dicta pars, ſeu portio Capitulo non accreſcat, illis accreſcere debet, *Vivian. in Ration. Jur. Pontif. & Barboſ. in Collect. hic.*

SECTIO VI.

De Amiſſione, & Revocatione Privilegiorum.

§. I.

An, & quomodo privilegium finiatur per lapſum temporis, & ceſſatione cauſæ?

CLXVII. Aſſertio 1. Elapſo tempore, ad quod privilegium eſt conceſſum, & reſtrictum, finitur privilegium, *Arg. cap. De cauſis 4. de offic. Jud. deleg.* quod non habet locum in privilegio perpetuo, ſed temporali, quod ad definitum, & certum tempus conceſſum eſt, ideoque eo elapſo finitur, & ceſſat, *Suar. libr. 8. de legib. c. 29. n. 4.* Ad hunc modum etiam reducitur amiſſio privilegii ſub conditione conceſſi, nam ceſſante conditione, ceſſat etiam privilegium, quia tale privilegium virtualiter in ſe continet tempus, non quidem certum, & determinatum, ſed indeterminatum, ut tamdiu duret, quamdiu ipſa conditio duraverit, ideoque ſublata conditione, etiam perditur privilegium, quia finitum eſt tempus, pro quo fuit conceſſum, *Suar. c. l. n. 5.* apud quem plura de hoc videri poſſunt.

CLXVIII. Aſſertio 2. Si ceſſat cauſa finalis privilegii, non impulſiva, quæ ſecundario ſolum movet, ſed principalis, ſine qua Princeps privilegium nullo modo conceſſiſſet, & a qua valor privilegii pendet in fieri, & conſervari, & quæ reddit privilegium juſtum, & honeſtum, ne ſine illa tale non eſſet: tunc ceſſat etiam, & amittitur privilegium, quia ceſſante cauſa, ceſſat effectus, *c. Ceſſante 60. de appell. Abb. in c. Suggeſtum 9. n. 5. de decim. Suar. cit. lib. 8. c. 30. n. 1.* & alii apud ipſum.

CLXIX. Limitatur autem primo, ut habeat ſolum locum in privilegio, quod derogat Juri communi, vel alterius tertii, ad cujus etiam conſervationem requiritur cauſa: ſecus eſt de privilegio, quod continet meram gratiam, ſeu beneficium Principis, nam ad hoc rite, & licite concedendum, vel non requiritur cauſa, ut aliqui cenſent; vel ſi requiratur, ut honeſte, & prudenter concedatur; ea tamen non requiritur ad conſervationem privilegii; nam poſtquam tale privilegium, quod eſt merum beneficium, ex juſta cauſa conceſſum fuit a Principe, illud permanet, etiamſi cauſa ob quam conceſſum fuit, ceſſaverit, quia decet beneficium Principis eſſe manſurum, juxta *Reg. jur. 16. in 6.* præſertim beneficium mere favorabile, quod abſolute, & ſine conditione eſt conceſſum, ſicut eleemoſyna data pauperi manet firma, etiamſi is pauper eſſe deſinat, *Suarez cit. l. n. 2.*

Limitatur ſecundo, quod privilegium etiam derogans Juri communi, vel alterius tertii, non ceſſet ceſſante cauſa finali, & principali, ſi datum ſit, ſive per modum unius actionis, ſive per modum poteſtatis ad unum tantum actum, v. gr. ad diſpenſandum in matrimonio legitimandum, nobilitandum; nam ſi jam habuit effectum conſummatum, etiamſi ratio poſtea ceſſet, non ceſſat privilegium, quod jam tranſiit, & non amplius exiſtit, ideoque non poteſt deſinere, ceſſante cauſa, *Suar. cit. c. 30. n. 3.* Idque confirmatur ex eo, quia tale privilegium habet unionem cujuſdam diſpenſationis, quæ poſtquam habuit effectum conſummatum, non retractatur, etiamſi cauſa ceſſet, ut patet in diſpenſatione voti, quod non denuo obligat, etſi cauſa mutetur, quia factum legitime non retractatur, quamvis poſtea deveniat ad ſtatum, in quo incboari non potuiſſet, *Reg. jur. 73. in 6. Suar. cit. l. n. 4.* Itaque ſolum amittitur privilegium, ceſſante ejus cauſa finali, quod habet tractum ſucceſſivum quia datur per modum poteſtatis ad ſucceſſive operandum, ver. g. ad abſolvendum a caſibus reſervatis, vel ad omittendum, ut ad non ſolvendum decimas, vel tributa. Ut vero cauſa ceſſante, ceſſet etiam, & perdatur tale privilegium, neceſſarium eſt, ut cauſa finalis ceſſet, non tantum, quoad actus præteritos, ſed etiam futuros, *Suar. cit. l. n. 4. in fine.*

Limitatur tertio, ut privilegium habens tractum ſucceſſivum, etiam quoad actus futuros, perdatur, neceſſarium eſt, ut cauſa ejus finalis, ac principalis non tantum ceſſet negative, ſed etiam contrarie. Tunc autem dicitur cauſa privilegii ceſſare negative, quando ratio, quæ Principem movit ad concedendum privilegium, non ſubſiſtit, uſus tamen ejuſdem non eſt injuſtus, nec illicitus. Ut ſi ver. gr. Monaſterio non conceſſum privilegium non ſolvendi decimas, propter ejus inopiam, quod tamen poſtea dives factum eſt, nec amplius indiget, ſed abundantes reditus habet; hoc caſu licet cauſa, propter quam privilegium illud eſt conceſſum, ceſſaverit: non tamen ceſſat, vel amittitur privilegium, quia hoc non eſt factum iniquum, nec ejus uſus injuſtus aut perniciosus, nec illicitus, ut ſupponitur; ideoque non eſt, cur privilegium cenſeatur amiſſum, vel ſublatum, quia multa prohibentur fieri, quæ facta tenent. Sic etiam privilegium ſimul retinendi plura beneficia, eo quod neutrum ſufficiens erat ad congruam ſuſtentationem, non ideo amittitur, etiamſi unius reditus poſtea augeantur, ita ut per ſe ſolum ſufficiat ad ſuſtentationem neceſſariam, *Suar. cit. diſ. c. 30. n. 6. & 9.* Contrarie vero tunc dicitur ceſſare cauſa finalis privilegii, quando uſu ejus, propter mutationem materiæ, & circumſtantiarum, factus eſt iniquus, vel injuſtus, ita ut vere incidat in grave detrimentum aliorum vel Communitatis cedere, ut colligitur ex *cit. c. Suggeſtum 9. de decimis & cap. pen. de Cleric. non reſid.* ubi habetur, quod privilegium habentes non reſidendi per fructuum ſubtractionem compelli poſſunt ad reſidendum, ſi Eccleſia Miniſtrorum defectum patiatur, vel etiam ſi uſus privilegii vergere incipit in majus detrimentum ipſius privilegiati, quod enim in gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium detorquendum, juxta *Reg. jur. 61. in 6.* his enim caſibus, ceſſat cauſa privilegii contrarie. *Suar. cit. l. n. 6. Laym. libr. 1. Theol. mor. tract. 4. cap. 23. n. 29.* Ratio eſt, quia privilegium conceſſum de re illicita eſt nullum, ergo etiam, ſi uſus ejus factus eſt illicitus, ipſum eſt nullum, cum eadem ſit ratio in conſervatione, quæ eſt in inceptione ſeu prima conceſſione, quia nunquam poteſt dari facultas ad faciendum illicitum.

§. II.

An privilegium finiatur per mortem ejus, cui conceſſum eſt, vel per mortem concedentis, item an per renuntiationem privilegiati?

CLXX. Aſſertio I. Privilegium perſonale, ſive perſonæ con-

conceſſum, una cum ipſa ſolvitur, & extinguitur, ac proinde ad hæredes, vel ſucceſſores ejus non tranſit, quia perſonæ cohæret, eamque ſequitur, *cap. Privilegium 7. de R. J. in 6. l. In omnibus. 68. & l. Privilegia. 196. ff. eod.* Tale privilegium perſonale, quod cum perſona extinguitur, nec ad hæredes extraneos tranſit, eſt privilegium competentiæ, quod datur patri, patrono, marito, ſocio omnium bonorum, militi, donatori, ut ſolum condemnari poſſint in id, quod commode facere poſſunt, habita ratione, ne egeant, *l. Sunt qui. 16. & 2. ſeqq. ff. de re jud. l. Maritum. 12. & l. ſeq. ff. Soluto matrim.* Privilegium vero reale, quod videlicet ratione dignitatis, vel intuitu loci, alicui datum eſt, cum perſona non deſinit, quia rei, non perſonæ cohæret, ſive rem, non perſonam ſequitur, & conſequenter etiam ad ſucceſſores, vel eos, ad quos re ipſa devenerit, tranſmittitur. Unde etiam ſit, ut ſi alicui privilegium ſit conceſſum, ratione dignitatis, vel officii, quo fungitur, eo depoſito, ſi ad aliam dignitatem, vel officium ſit promotus, eo privilegio deinceps uti non poſſit, *Azor p. 1. Inſtitut. lib. 5. cap. 22. quæſt. 6.* Privilegium alicui datum, nomine, & intuitu dignitatis, tranſit ad ſucceſſorem in dignitate, tanquam qui æquali jure fungitur: non autem ad adminiſtratorem tranſit, qui pro tempore Eccleſiæ vacantis conſtituitur, *Laym. in c. Quoniam. 14. de Offic. Jud. deleg.* tranſit autem ſucceſſorem in dignitate tale privilegium; tametſi res integra, ſeu nondum cœpta, quia ſive res integra ſit, ſive cœpta eadem ratio militat, quod dignitas, & quæ ratione dignitatis competunt, ob mutationem perſonæ, non mutantur, ſed manent, *c. Si gratioſe. 5. de reſcript. in 6.* ſicut de delegatione intuitu dignitatis docent. *Abb. in cit. c. Quoniam n. 3. Sanch. l. 8. de matrim. diſ. 27. n. 7.* Idemque ob eandem rationem dicendum de privilegio intuitu dignitatis.

CLXXI. Aſſertio 2. Privilegium abſolute, & ſine limitatione conceſſum, & ſemel legitime acquiſitum non amittitur per obitum concedentis, quia regula generalis eſt, quod gratia ſemel rite obtenta non ceſſet, vel finiatur per mortem concedentis, juxta *cap. Si ſuper. 9. de Offic. Jud. deleg. in 6. & cap. Si cui. 26. de præbend. in 6.* At privilegium eſt quædam gratia, quia continet favorem ejus, cui datur, & eſt quædam liberalis donatio, quæ ſemel facta non exſpirat per morte donantis, ergo nec privilegium *Suar. lib. 8. de legib. c. 32. num. 1.* & alii apud ipſum. Idque procedit primo, non ſolum in privilegio mere favorabili, ſed etiam in odioſo, per quod derogatur Jure communi, vel præjudicatur juri alterius privati, quia jura abſolute loquuntur de gratia, non diſtinguendum, utrum alteri præjudicet, nec ne, & privilegium etiam odioſum, quod derogat Juri communi, vel alterius, abſolute eſt vera gratia ejus, cui eſt conceſſum, *Suar. c. l. n. 2.* Idque extenditur ſecundo, ut non tantum ſi res non ſit integra, ſed etiam ſi adhuc ſit integra, id eſt, etiamſi privilegiatus nondum ceperit uti privilegio, hoc non expirat per mortem concedentis, quia in citatis juribus, quæ loquuntur de gratis, non additur talis limitatio, ergo nec a nobis, addi debet, præſertim cum gratiæ potius ſint ampliandæ, quam reſtringendæ, *c. l. numer. 5.* Aliud eſt in reſcriptis juſtitiæ, ſive ad lites, in quibus delegatur juriſdictio contentioſa fori externi, quæ exſpirat per mortem delegantis, ſi res adhuc ſint integra, *c. Relatum. 9. & c. Gratum. 20. & c. Licet. 30. de offic. Jud. deleg.* ideoque quod de illis ſpecialiter ad fundandam juriſdictionem ſtatutum eſt, non debet extendi ad gratias, & privilegia, quæ favorem, ſeu gratiam continent, *Suar. cit. loc.* Porro quod dictum eſt, privilegium, vel aliam gratiam non extingui morte concedentis id limitandum eſt, & intelligendum de gratia jam facta, non autem de facienda per executores; hæc enim per mortem concedenti, re adhuc integra, expirat, ut docet *Gl. fin.* communiter recepta in *cit. c. Si cui de prabend. in 6.* Dicitur autem gratia facta, quando gratia directe conceſſa eſt a ſuperiore alicui in proprium ipſius favorem, quamvis mera executio ab alia adhuc perſona dependeat, *Suar. cit. c. 31. n. 18. & 19.* Gratia vero facienda dicitur, cum nihil directo a Superiore datum, vel conceſſum eſt ei, in cujus favorem gratia tendit, ſed delegato v.g. Epiſcopo, vel Confeſſario directe mandatum eſt, ut talem gratiam illi conferat v.g. ut cum ipſo, cauſa cognita, diſpenſet, *Suar. cit. loc. & Laym. cit. cap. 22. numer. 18.* de quo plura dicta ſunt *libr. 1. Decret. tit. 29. ſec. 7. §. 5.*

CLXXII. Cæterum ratione formæ verborum, qua conceſſum eſt privilegium, illud interdum extinguitur per mortem concedentis, ut ſi Princeps concedat privilegium uſque ad beneplacitum noſtrum, tunc enim cum mortuo privilegium exſpirat, *arg. l. Locatio 4. ff. Locati*, quia per talia verba limitatur privilegium ad vitam concedentis, quippe quæ ſignificant perſeverantiam ejuſdem voluntatis, quæ cum vita finitur, & conſequenter etiam privilegium. Aliud eſt, ſi Princeps conceſſit privilegium dicendo, *donec revocavere*, tunc enim ſi in vita non revocavit, manet privilegium, *Suar. libr. 8. de legib. cap. 32. nu. 2. & ſeqq.* de quo actum *libr. 2. tit. 3. ſec. 6. §. 5.* cui hic addendum, quod uſu nunc obſervatur, ut privilegia a Principe conceſſa, etiam ad beneplacitum ſuum, morte concedentis, non extinguantur, quia quod expreſſe non mutatur, cur ſtare prohibeatur? *Gail. libr. 2. obſ. 60. num. 16.* cujus rei non aliam rationem reddi poſſe ait *Laym. in c. Si gratioſe. 5. in fine de reſcript. in 6.* quam quod verba hæc, *concedimus ad beneplacitum noſtrum*, benigne explicari non poſſint, ita ut Princeps ſolum intendat cavere & admonere, privilegium non tranſire in contractum, ſeu pactum, & per talem conceſſionem, nullam ſibi, vel ſucceſſoribus ſuis imponi obligationem, ſed libere revocari poſſe. Et quamvis talis conditio ſuapte natura privilegiis & gratiis inſit, expreſſa tamen cautio obeſſe non poteſt, ſed potius quandoque prodeſſe; ad omnem dubitationem tollendam, juxta illud vulgatum, *quod abundans cautela non nocet, l. Non ſolent. 95. ff. de R. J.*

CLXXIII. Aſſertio 3. Si Privilegium alicui perſonæ particulari in ejus ſolius favorem conceſſum ſit, illud per liberam, & expreſſam ejuſdem renunciationem amittitur, quia liberum eſt unicuique ſuo juri renunciare, *cap. Si de terra. 6. in fine hoc tit. l. Si quis 29. C. de pact.* Idque procedit, ſaltem poſtquam ea renunciatio a concedente privilegium fuit accepta, nam ante hujus acceptationem, poterit privilegiatus, mutata voluntate, non obſtante renunciatione, uti privilegio, *arg. cap. Licet. 7. de procurat. in 6.* Ubi mandatum procuratorum abſolute datum non poteſt cenſeri revocatum ex eo, quod is ad quem dirigebatur, noluit acceptare mandatum, ignaro mandante, ſed poſtea, mutata voluntate, acceptavit, dummodo ille, qui conſtituit procuratorem, in eadem perſtiterit voluntate, quod in dubio præſumitur. Ratio eſt, quia jus privilegii pendet a voluntate concedentis, & acceptatione ejus, cui conceditur, ergo quandiu voluntas concedentis manet, & renunciationem privilegiati nondum acceptavit, poteſt is, cui conceditur privilegium, non obſtante priore recuſatione, illud acceptare. Idque confirmatur, quia ſicut ad privilegii acquiſitionem exigitur voluntas concedentis, & ejus, cui conceditur: ita ſimiliter ad ejus amiſſionem utraque requiretur, quia omnis res, per quaſcunque cauſas naſcitur per eaſdem diſſolvitur, *reg. 1. Infra de R. J. Sanch. libr. 8. de matrim. diſ. 32. nu. 2.* ſicut autem ad acquiſitionem privilegii requiritur conceſſio per ſignum externum expreſſa, ex parte Superioris, vel Principis dantis privilegium, & acceptatio ex parte ejus, cui conceditur: ita etiam ad miſſionem privilegii requiritur renunciatio, & acceptatio ejus, cujus intereſt, neque ſufficit ſola interior voluntas, ſeu propoſitum quæ ſi non exeat in actum externum nihil operatur, *Suar. cit. libr. 8. cap. 33. n. 15. & ſeqq. Zœſ. in Comment. hoc tit. nu. 34.*

CLXXIV. Porro ſi privilegium principaliter conceſſum ſit in favorem alicujus Communitatis dignitatis vel loci, v. g. Civitatis Eccleſiæ, vel Monaſterii, non poſſunt perſonæ particulares, cum ejuſdem præjudicio, illi renunciare, ne juramento quidem. Unde Clerici nec privilegio fori, juxta *cap. Si diligenti. 12. de foro compet.* nec privilegio Canonis juxta *cap. Contingit. 36. de ſent. excomm.* renunciare poſſunt, quia hæc privilegia conceſſa ſunt in favorem totius Ordinis, ſeu ſtatus Clericalis. Item nec Religioſi renunciare poſſunt privilegiis ſuæ Religioni conceſſis, ut privilegio exemptionis, ſine conſenſu Papæ, qui eos ab aliorum Ordinariorum juriſdictione exemptos, & ſuæ gubernationi ac protectioni immediate ſubjecit, ſicut colligitur ex *c. Cum tempore. 5. de arbitr. & ibi Abb. numer. 2. Suar. cit. c. 3. n. 2.* Neque etiam Prælatus & Conventus alicujus Monaſterii renunciare poteſt privilegio immunitatis a decimis, *Suar. tom. 1. de Relig. lib. 2. c. 20. n. 2.* Et generatim loquendo, non poteſt Prælatus, & Capitulum, ſeu Conventus renunciare juri acquiſito per privilegium ſtatutum vel conſuetudinem, ſi tale jus Eccleſiæ ſit utile, & honorificum, ita ut vel unus ſolus alius de Capitulo contradicere poſſit, & renunciationem impedire, *Innoc. in c. Accedentibus. 15. hoc tit. & Gloſſat. Abb. Alex. de Nevo ibid. in additionib.* Quare Prælatus cum Capitulo, ſolum renunciare poteſt privilegiis, & aliis juribus, quæ Eccleſiæ non ſunt utilia, vel ſaltem indifferentia, juxta *c. Cum acceſſiſſent. 8. de Conſtitut. c. Pro illorum. 22. de præb. Laym. cit. c. 22. n. 20.* Quod ſi privilegium noxium fuerit, per ſe ceſſat, ita ut obſervari non debeat, juxta *reg. juris. 61. in 6. quod ob gratiam alicujus conceſſum eſt, non eſt in ejus diſpendium retorquendum.* Poteſt tamen tota aliqua Communitas, v. g. Civitas vel Ordo Religioſus, communi conſenſu, privilegio etiam utili renunciare, quia & hic regula locum habet, quod favori ſuo ii, quibus competit, renunciare poſſunt, *arg. cit. c. Pro illorum de præb. Laym. in cit. c. Cum acceſſiſſent. n. 22. de conſtitut.*

§. III.

An, & quando amittatur privilegium per tacitam renunciationem, ſive per non uſum, vel per contrarium uſum, vel abuſum.

CLXXV. Aſſertio 1. Privilegia affirmativa, quibus datur facultas aliquid agendi, cum gravamine, & onere aliorum, ut eſt privilegium imponendi tributum, vel exigendi decimas, extraordinario modo, viſitandi Monaſteria exempta &c. amittuntur, per non uſum privativum, hoc eſt, voluntarium, & liberum, oblata ſcilicet occaſione utendi privilegio: partim per viam præſcriptionis, videlicet tempore decennii inter præſentes, XX. annorum inter abſentes: jure ordinario, vel extraordinario ac ſpeciali jure, tempore XXX. vel XL. annorum, partim per viam tacitæ renunciationis ex juris diſpoſitione, ad quam minus tempus ſufficit, quia nolle uti jure ſibi competente, quando quis poteſt, eſt tacita ejus renunciatio, *Azor. p. 1. libr. 5. c. 22. quæſt. 8. Suar. cit. lib. 8. c. 34. n. 5. & 6. & n. 16. Gail. libr. 2. c. 60. n. 2. Laym. lib. 2. tr. 4. c. 23. n. 21.* Idque ſumitur ex *l. junct. Gl. V. Tempore. ff. nundinis.* Ratio eſt, quia etiam aliæ obligationes ac ſervitutes, tam reales, quam perſonales ita amittuntur, ut ſi quis v.g. jus habeat eundi, vel currum agendi per alienum fundum, & longo tempore, etiam occaſione oblata, eo jure nunquam utatur. Vel ſi dominus jus habeat exigendi obſequia a vaſallo, & longo tempore, etiam cum poſſet, & occaſio ſe offerret, illa non exigat, amittit tandem jus illud per non uſum privativum. Aliud vero obtinet, ſi quis etiam longiſſimo tempore, non ſit uſus privilegio ſibi competente, vel quia non ſe obtulit ulla occaſio utendi, vel quia ea oblata, non potuit uti, ſive propter abſentiam aut ignorantiam inculpabilem,

ſive

Digitized by Google

ſive ob infirmitatem, ſive quia per violentiam ab ejus uſu impeditus fuit, per talem enim non uſum mere negativum, non amittitur privilegium affirmativum. Sic ſi quis habeat ex privilegio Principis poteſtatem, ſeu Jus gladii, tale privilegium non amittit, etiamſi longiſſimo tempore nullus reus capitali ſupplicio ſit affectus, quia nulla occaſio puniendi malefactores ſe obtulit. Item ſi longiſſimo tempore dominus a Vaſallo ſuo nulla ſervitia exegit, eo quod iis non indigebat, non perdit jus ac privilegium illa exigendi. Similiter etſi nullus longiſſimo tempore in Univerſitate aliqua ad Gradus Academicos ſit promotus, quia nullus, qui promoveri vellet, vel digne poſſet, adfuit, non amittitur jus, ſeu privilegium conferendi Gradus Doctoratus, vel Magiſterii, *Abon. c. l. Gail. c. l.* n. 4. 5. & 6. Ratio eſt, tum quia talis non uſus non opponitur privilegio, adeoque illud tollere non poteſt, cum enim talis non uſus non ſit voluntarius, non poteſt eſſe indicium voluntariæ renunciationis ſui juris, nec moralem effectum inducere, *Suar. cit. c. 34. num.* 5. Tum quia tali caſu nulla culpa, vel negligentia imputari poteſt non utenti privilegio, ergo eo non privari debet, etiamſi illo ultra hominum memoriam, vel mille annos non eſſet uſus, ubi enim non eſt culpa, nec pœna ibi locum habere debet, *Gail. c. l. num.* 2. & 3. Idque confirmatur ex *l. Venus.* 34. §. *fin.* & *l. ſeq. ff. de ſervitut. prædior. ruſtic.* Ubi dicitur, quod ſervitus hauriendi aquam, ex fundo alterius, non amittatur, ſi fons exaruit, ita ut ſervitute uti non potuerit.

CLXXVI. Aſſertio 2. Privilegia affirmativa, quæ conſiſtunt in mera facultate aliquid agendi, & non cedunt in aliorum gravamen, ſed abſolutæ, ſeu meræ gratiæ ſunt; cujuſmodi eſt privilegium dicendi Miſſam, ante auroram, comedendi carnes in Quadrageſima, abſolvendi a caſibus reſervatis, diſpenſandi in irregularitate &c. per merum non uſum etiam longiſſimi temporis non amittuntur. *Gl. in c. Ut privilegia.* 24. *V. Semel, in anno h. t. Suar. cit. c.* 34. *n.* 17. *Laym. cit. c.* 23. *num.* 22. Probatur, quia non amittuntur per viam præſcriptionis, nemo enim contra hujuſmodi privilegia non oneroſa præſcribere poteſt, quæ alios non reſpiciunt, privando eos commodo, vel novum onus eis imponendo: neque etiam per viam tacitæ renunciationis, cum quilibet pro libitu uti poſſit privilegio ſuo, vel non uti, & ſolus non uſus non ſit ſufficiens ſignum voluntatis renunciandi privilegio: neque etiam certum tempus jure ſit definitum in hujuſmodi privilegiis abſolutis, contra quæ ab aliis non præſcribitur, intra quod per non uſum amittantur, quia Canones definientes certum tempus non loquuntur de amiſſione privilegii per non uſum, ſed per contrarium uſum, ut ex infra dicendis patebit, *Suar. cit. c.* 34. *n.* 31.

CLXXVII. Excipitur privilegium nundinarum, quod per non uſum, ſpatio decennii, amittitur, *l.* 1. *ff. De nundinis*, vel quia inter oneroſa privilegia numeratur, *Joann. G. pen. in cit. c. Ut privilegia.* Vel quia id ſpeciale eſt in illo privilegio, quod tali conditione a Principe conceſſum videtur, ut per non uſum intra decennium amittatur; quæ lex cum ſit odioſa, extra caſum ibi expreſſum, ad alios non eſt extendenda, *Suar. c. l. n.* 28. & *ſeq. Laym. cit. c.* 23. *num.* 22. Nam alias generalis doctrina eſt, quod per actus negativos liberæ voluntatis, ſive per non uſum facultatis ortæ ex privilegio, vel etiam ex ſtatuto aut conſuetudine, non amittatur facultas agendi, niſi aperte conſtet, ideo habentes facultatem, oblata occaſione, ea non uti, quia a privilegio aut conſuetudine recedere, ſeu juri ſuo renunciare volunt, *Laym. in c. ult. num.* 5. *de conſuet. in* 6. Deinde privilegium faciendi aliquid per non uſum non amittitur, ſi facultas faciendi conferatur in arbitrium privilegiati, quia contra talem facultatem non præſcribitur. Ut ſi Imperator Nobili privilegium conceſſit ædificandi molendinum, pro ſuo arbitrio, etſi plurimis annis non ædificarit, non amittit eam facultatem, *Gail. cit. obſ.* 60. *n.* 9. *Laym. c. l.*

CLXXVIII. Aſſertio 3. Privilegia negativa, quæ in non faciendo conſiſtunt, & aliis oneroſa ſunt, ſive gravamen inferunt, ut eſt privilegium immunitatis a ſolvendis decimis, vel tributis, vel exemptionis a juriſdictione Ordinarii, amittuntur per actum directe contrarium privilegio, v. g. ſolvendo decimas, vel tributa, ſiſtendo ſe Tribunali Ordinarii, ut ex communi docet *Suar. cit. libr.* 8. *c.* 34. *n.* 20. & *c.* 35. *n.* 1. & 2. Id autem duobus modis fieri poteſt, primo per modum præſcriptionis, ſi nimirum poſt actum contrarium, ſine proteſtatione, factum, decurrit legitimum tempus ad præſcriptionem ſufficiens, & neceſſarium. Secundo per tacitam renunciationem, qui enim ſciens, & volens, & non coactus, actum contrarium privilegio exercet, præſumitur in foro externo, juri ac privilegio ſuo renunciare, ut ſi exemptus ſponte compareat coram Tribunali Judicis Ordinarii. *Suar. cit. c.* 35. *num.* 7. & *Laym. cit. c.* 23. *n.* 23.

CLXXIX. Porro ad hanc tacitam renunciationem inducendam per uſum, ſeu actum contrarium privilegio, requiritur primo, ut actus ſit factus ab ipſomet privilegiato, nam ſi ab alio, pro quo non eſt datum privilegium, fieret, non poſſet dici privilegio contrarius, nec illud tolleret, *Suar. cit. c.* 35. *n.* 3. Secundo requiritur, ut actus contrarius privilegio voluntarie exerceatur, animo illi ſimpliciter renunciandi: & hinc ſi quis neſciat, ſe contra privilegium operari, vel ſi expreſſe proteſtetur, quod per tale factum non intendat renunciare privilegio, vel ei præjudicare, non cenſetur illi renunciare, nec amittit privilegium, *l.* 5. *C. De his, qui ſponte munera publica ſubeunt. libr.* 10. *Abb. in c. Cum acceſſiſſent.* 8. *numer.* 7. & *Felin. ibid. num.* 30. *limit.* 5. *de Conſtit. Laym. ibid. num.* 11.

CLXXX. Tertio requiritur, ut actus, qui exercetur contra privilegium, ſit directe contrarius toti privilegio, quoad totam facultatem, ſeu ſubſtantiam privilegii, ſive quoad uſum ejus, non ſolum præſentem, ſed etiam futuro tempore. *Abb. c. l. n.* 8. & *Felin. n.* 29. Nam quædam privilegia habent tractum ſucceſſivum, & actum iterabilem, cujuſmodi eſt privilegium immunitatis a ſolvendis tributis, vel decimis, vel exemptionis a juriſdictione Ordinarii, & ideo ſi quis unum, vel plures actus contra tale privilegium, exerceat, ſolvendo v. g. tributa, vel decimas, non poteſt inde abſolute colligi, quod ſimpliciter renunciaverit privilegio, ſed tantum quoad eum actum, vel actus, quos exercuit, quia cum renunciatio ſit ſtricti juris, non debet ulterius extendi, *arg. l. Emptor.* 47. §. *Lucius ff. de pact.* ideoque tali caſu per actum unum, vel plures contrarios privilegio non cenſetur amiſſum totum privilegium, etiam quoad actus futuros; niſi aliæ circumſtantiæ, vel conjecturæ concurrant, ex quibus appareat, quod renunciare voluerit ſimpliciter, & abſolute toti privilegio, etiam in futurum: vel niſi legitima præſcriptio contra privilegiatum acceſſerit, v. g. is, qui vi privilegii immunis eſt a ſolvendis tributis, vel decimis, licet ſemel, vel ſæpius illa ſolverit, ſi non continuavit per legitimum tempus neceſſarium ad præſcriptionem, quod in Eccleſiaſticis juribus eſt XL annorum, jure novo, præjudicat quidem ſibi in ſolutis, non tamen in ſolvendis in futurum. Ratio eſt, quia per ſolam contraventionem, ſeu actionem contrariam privilegio non cenſetur quis illi renunciare, niſi in eo, in quo operatur contra privilegium: ſed per unum, vel alterum uſum, ſeu actum contrarium non operatur contra totum privilegium in ſe, & totam facultatem ſuam, etiam futuris temporibus, ſed tantum hic, & nunc, & quoad eum actum, vel actus, qui exerciti ſunt, ergo non debet ultra illos renunciatio extendi, etiam ad alios actus futuros. *Suar. cit. c.* 35. *n.* 10. *Laym. in cit. c. Cum acceſſiſſent.* n. 22. *de Conſtitut.* Ubi recte addit, quamvis unus, vel plures etiam actus plerumque non ſufficiant ad amittenda hujuſmodi privilegia, quæ tractum ſucceſſivum, & actum iterabilem habent, per viam tacitæ renunciationis: ſi tamen exerceantur a privilegiato, ſine ulla proteſtatione ſolvendo v. g. decimas vel tributa, conſtituitur per hoc alter, cui fit ſolutio, in poſſeſſione juris decimandi, vel collectas exigendi: ita ut per lapſum temporis legitimi perficere præſcriptionem cum bona fide poſſit & conſequenter via præſcriptionis privilegium amitti poſſit, juxta *c. Si de terra.* 6. & *c. Accedentibus.* 15. *h. t.*

Confirmatur hæc doctrina ex *l. C. de privil. veteran.* & *l. Voluntaria.* 12. *C. De excuſ. tut.* ubi Salycetus in ſumma ait: *per unum actum contrarium non perdit quis privilegium in aliis, habens effectum reiterabilem, & ſucceſſivum:* & *l.* 1. & 2. *C. De his, qui ſponte munera publica ſuſceperunt.* Ex quibus juribus conſtat, quod ſi quis habeat privilegium generale, ne ſubire cogatur munera publica, & ſponte unum ſuſcipiat, non præjudicat ſibi, quominus alia munera, vel etiam illud ipſum, quod prius acceptavit, ſi denuo ad illud eligatur, vi privilegii, recuſare poſſit, de quo plura videri poſſunt apud *Gail. cit. obſ.* 60. *num.* 11. & 12. & *Laym. c. l.*

CLXXXI. Quarto, ut amittatur privilegium per uſum, ſeu actum contrarium, unum vel plures requiritur, ut qui operantur contra privilegium, ei renunciare poſſint, etiam expreſſe, illud tollere, & abolere, ut ex communi docet *Abb. in cit. c. Cum acceſſiſſent. num.* 8. & *Felin. ibid. num* 28. *de conſtit.* quos ſequitur *Laym. n.* 12. *ibidem. Suar. cit. c.* 35. *n.* 5. & 8. Ratio eſt, quia qui non poteſt per expreſſam renunciationem tollere privilegium, is neque per tacitam poteſt, exercendo actus contrarios ipſi privilegio, ſiquidem expreſſi, & taciti eadem eſt vis: imo plus & efficacius eſt, aliquid per expreſſam renunciationem, ſive verbis tollere, quam per tacitam, ſive facto. Ubi tamen diſtinguendum eſt, utrum privilegium ſit conceſſum perſonæ particulari: an vero principaliter Communitati, dignitati aut loco v. g. Eccleſiæ vel Civitati: nam priore caſu, ſicut expreſſe, ita etiam tacite, ſive ipſo facto contrario, a privato renunciari poteſt privilegio ſibi conceſſo. poſteriore vero caſu privatæ ſeu ſingulares perſonæ, imo etiam ii, qui adminiſtrationem aliquam gerunt, v. g. Epiſcopus, cum Capitulo Cathedrali, Generales Ordinis, cum Congregatione Generali, non poſſunt expreſſe renunciare privilegio conceſſo Eccleſiæ, vel Religioni, & conſequenter nec tacite, ſive per contraventionem, & factum contrarium, niſi legitima præſcriptio acceſſerit, *Abb. in cit. c. Cum acceſſiſſent. num.* 8. & *Felin. num.* 29. *limitat.* 3. *de Conſtitut.* & *Laym. num.* 12. *Gail. cit. obſ.* 60. *n.* 13. & 14.

CLXXXII. Cæterum prædicta procedunt in privilegiis, quæ tractum ſucceſſivum, actumque iterabilem habent, nam ſi alicui conceſſum ſit privilegium non habens tractum ſucceſſivum, aut effectum reiterabilem, ſed quod uno actu perficitur, & impletur, illud conſequenter etiam, per unicum actum contrarium voluntarie exercitum, via tacitæ renunciationis tollitur, & amittitur, quia in tali caſu renunciatio, quoad unum actum, eſt renunciatio ſimpliciter, & abſolute, cum totum privilegium in uno actu conſiſtat. Cujuſmodi privilegium conceſſum fuit Eccleſiæ, ſeu Capitulo Tullenſi in *cit. c. Cum acceſſiſſent de Conſtitut.* nempe ut poſſit dignitatem Primiceriatus extinguere, juxta Statutum a Capitulo factum, & a Papa confirmatum, quæ conceſſio, ſive indultum extinctionis unico actu completa, & conſummata fuit. Quod ſi poſtea Canonici huic extinctioni contraveniſſent, & illam dignitatem, quæ, ſuapte natura, ſtabilis eſt, & perpetua, denuo erexiſſent, eligendo Primicerium, tum indulto, ſeu privilegio Pontificis, per unum actum contrarium, penitus renunciaſſent, *Suar. cit. c.* 35. *numer.* 17. *Laym. in cit. c. Cum acceſſiſſent. num.* 11. *in fine de Conſtitut.*

CLXXXIII. Denique privilegia negativa, quæ nemini præjudi-

judicant, v. g. non jejunandi in Quadrageſima, non recitandi Horas Canonicas, per actum contrarium, unum vel plures, non tolluntur, ſeu amittuntur, qui poteſt velle jejunare, vel orare, non quaſi obligatus ex lege, a qua per privilegium eſt exemptus, nec animo renunciandi privilegio, ſed ea devotione tantum, vel ob alios fines, adeoque ſine præjudicio privilegii, cui talis actus non eſt contrarius ſaltem formaliter, adeoque illud tollere non poteſt, *Suar. cit. c. 35. n. 3. & 4. & 22.*

CLXXXIV. Aſſertio 4. Quod denique attinet ad amiſſionem privilegii per abuſum, ſciendum eſt aliud eſſe privilegium amitti propter delictum, ob quod in pœnam privatur quis privilegio; aliud propter abuſum, qui proprie ſignificat defectum commiſſum in ipſomet uſu privilegii, vel in his, quæ illud concernunt, *Suar. cit. libr. 8. c. 36. n. 2.* Poteſt autem hujuſmodi abuſus, ſive culpa in uſu ipſius privilegii, tripliciter committi. Primo per exceſſum, ſi quis utatur privilegio ultra ejus limites, ſive ultra facultatem conceſſam, alio tempore, vel loco, vel circa materiam aut perſonam non conceſſam. Secundo ſumendo ex illo occaſionem delinquendi, ut ſi exemptus alteri inferat injuriam, ſpe impunitatis ex privilegio concepta. Tertio, directe repugnando fini, ob quem privilegium conceſſum eſt. Ut ſi Beneficiatus habens privilegium non reſidendi in Eccleſia, propter ſtudium litterarum, neglecto ſtudio, aliis inutilibus actionibus occupetur, quod repugnat fini privilegii, quia fructus in abſentia poteſt percipere, ratione ſtudii, ceſſante autem cauſa finali, ceſſat effectus, *Suar. cit. c. 36. n. 3.* Porro privilegium, propter abuſum interdum omnino, ſive totaliter amittitur; juxta *c. Privilegium. 63. cauſ. 11. q. 3.* Scilicet quoad jus utendi privilegio, etiam in futurum: aliquando vero amittitur tantum, quoad actum præſentem, qui fit cum abuſu privilegii, pro una vice v. g. jure eligendi, non quoad alios actus futuros, *Suar. c. l. n. 5. & 6.*

CLXXXV. Illud adhuc addendum, quod interdum amittitur privilegium, vel potius conſequitur ejus amiſſio, ex natura rei, cum ratio & fundamentum privilegii per abuſum tollitur, ut in caſu ſupra allato, ſi ſervitium Eccleſiæ Beneficiato commoratum ſit in ſtudium litterarum, & ipſe nullo modo ſtudeat. Interdum vero, & plerumque amittitur privilegium ſolum ex Juris Conſtitutione: idque regulariter non ipſo facto, niſi aliud exprimatur in reſcripto privilegii, ſed ſolum per Judicis ſententiam; quo ſenſu dicitur in *c. Ubi 7. diſ. 78. privilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate*, *Suar. c. l. n. 7. & 8. Laym. cit. 23. n. 24.*

§. IV.

An privilegium ſemel conceſſum poſſit revocari a concedente, vel ab aliquo alio?

CLXXXVI. Aſſertio 1. Privilegium conceſſum non ſubdito, & ab eo acceptatum, non poteſt revocari a concedente, vel ejus ſucceſſore, *Abb. in c. Novit. 13. n. 23. & Felin. ibid. n. 8. de judiciis, Sanch. l. 8. de matrim. diſ. 33. n. 5. Suar. lib. 8. de legib. c. 37. num. 3.* & alii communiter apud ipſum. Talia ſunt privilegia, quæ Imperatores, & alii Principes Eccleſiæ conceſſerunt. *Laym. tit. c. 23. n. 25.* Ratio eſt, quia tale privilegium, poſtquam acceptatum eſt, tranſit in pactum, ſeu contractum, quo proprie dictum ejus acquiritur privilegio, quod non ſubdito auferri non poteſt. Excipi debet, niſi privilegium poſtea vergat in notabile detrimentum Principis concedentis, ita ut ſi a principio illud damnum accidiſſet, privilegium cenſeretur injuſtum, & iniquum, tunc enim ſucceſſor poterit illud revocare, vel etiam ipſe Princeps concedens non ſervare, quia conditio illa ſive exceptio, ex natura rei, intelligitur incluſa in prima conceſſione privilegii, neque a principio fuit in illa comprehenſa, ſed præter intentionem concedentis evenit. *Felin. c. l. Suar. cit. c. 37. num. 3.*

CLXXXVII. Aſſertio 2. Privilegium omnino gratis a Principe conceſſum ſubdito, per quod facultas, ſeu licentia datur aliquid agendi, præter, vel contra Jus commune, poteſt revocari a concedente, vel ejus ſucceſſore, valide quidem, etiam abſque cauſa, quamvis non licite ac decenter, ſine honeſta cauſa, *Sanch. c. l. Suar. c. l. n. 10.* Ratio eſt, quia jus, quod conditur per tale privilegium, non tranſit in dominium ſubditi, cui conceditur, & ita ſemper pendet a mera voluntate Principis, ideoque ab illo revocari poteſt, valide quidem etiam ſine cauſa, quamvis non licite, ac decenter, adeoque non ſine culpa, ſaltem veniali, quia decet beneficium a Principe conceſſum manſurum, *Suar. c. l.* Si privilegium etiam ſubdito conceſſum ſit per pactum, ſeu contractum oneroſum, ut ſi Princeps, pretio accepto, privilegium concedat, vel in præmium, & remunerationem meritorum, ſive obſequiorum præſtitorum, vel etiam per contractum lucrativum, v. g. per abſolutam donationem, cum tranſlatione dominii alicujus rei, vel juris, ut cum datur, vel conceditur alicui caſtrum, vel jus vectigalis, aut alterius tributi: tale privilegium a concedente, vel ejus ſucceſſore revocari non poteſt, nec auferri etiam ſubdito, niſi ex gravi cauſa pertinente ad bonum publicum; & cum compenſatione aliqua juris ablati, quatenus Princeps concedens commode poteſt: ſaltem ſi privilegium ſit conceſſum per contractum oneroſum, *Sanch. cit. diſ. 33. n. 3. Suar. cit. c. 37. num. 5. & ſeqq.* Ratio eſt, quia etiam Princeps tenetur pacta cum ſubditis facta ſervare, præſertim oneroſa, quæ obligatio oritur ex naturali juſtitia, quæ etiam Principem obligat: & licet poſſit, ob publicam neceſſitatem, vel aliam cauſam urgentem, reſcindere contractum cum ſubdito initum: non tamen poteſt juſte illum omnino privare re ſua, ſine ulla compenſatione, cum Princeps non ſit abſolutus dominus rerum ſubditi, & hic non teneatur gratis remittere jus ſuum, ſi commode ei compenſatio fieri poſſit.

Ratio autem, cur etiam privilegium remuneratorium revocari non poteſt, eſt, quia quod in remunerationem datur præteriti laboris, vel obſequii, non cenſetur gratis dari: idque certum eſt, ſi remuneratio ſit debita ex juſtitia. Si vero ſolum ex gratitudine, tum privilegium datum ex ſola gratitudine, non eſt quidem tam irrevocabile, ſicut ex juſtitia datum, quia fortius eſt vinculum juſtitiæ: eſt tamen etiam privilegium remuneratorium irrevocabile, quia ratio gratitudinis id poſtulat, niſi remuneratio ſit exceſſiva *Suar. c. l. n. 6.* Denique quod etiam privilegium datum ſubdito per contractum lucrativum, ſive donationem, ſine juſta cauſa revocari non poſſit, inde probatur quia non poteſt Princeps, ſine legitima cauſa, auferre rem ſubdito, cujus dominium habet, vel jus in eam rem ipſi eſt acquiſitum, quia etiam Princeps non poteſt, ſine injuſtitia, rationabiliter invito domino auferre rem ſuam, niſi ex gravi, & publica cauſa. At ſi ſubdito per donationem conceſſum ſit privilegium, res, ſive jus per illud conceſſum tranſit in dominium ſubditi, poſt ejus acceptationem, cum donatio ſit contractus, per quem transfertur dominium in donatarium, alias non eſſet donatio, ſed commodatum, vel conceſſio precaria, ergo etiam tale privilegium non poteſt revocari a domino, vel ejus ſucceſſore, nec auferri ſubdito, ſine legitima cauſa, *Suar. c. l. n. 7.* Et hinc etiam juriſdictio a Principe per privilegium ſubdito gratis concedi, ſive donari poteſt, v. g. in feudum, nec ab eo revocari, quamvis ſupremam juriſdictionem Princeps abſolute donare non poſſit, nec ſe omnino illa abdicare, reſpectu ſubditi, delegare tamen poteſt, quæ delegatio ſemper revocari poteſt, *Suar. c. l. n. 8.* contra *Sanch. c. l. n. 6.*

Probabile autem eſt, ſi privilegium per contractum lucrativum, & gratuitum a Principe ſubdito conceſſum, ex legitima cauſa revocetur, non eſſe neceſſarium, ut ab eo compenſatio aliqua fiat ſubdito, quia in privilegio conceſſo per contractum oneroſum obligatur Princeps, ſi illud revocet, ad compenſationem faciendam, propter rem acceptam a ſubdito, ob conceſſionem privilegii, quæ ratio ceſſat in privilegio conceſſo per contractum gratuitum, in quo nulla intervenit commutatio rei ad rem, ſed liberalis ſolum donatio, adeoque nulla eſt compenſatio neceſſaria, *Suar. c. l. n. 9.*

CLXXXVIII. Cæterum quod dictum eſt, privilegium mere gratis, & liberaliter, nullo interveniente pacto, vel contracto, a Superiore conceſſum ſubdito, revocari poſſe a concedente, id extendi debet primo, ut non ſolum procedat in concedente habente ſupremam poteſtatem, ſive nullum Superiorem recognoſcente, v. g. Papa, Imperator, vel Rex, ſed etiam in inferioribus, qui Superiorem recognoſcunt, quia eandem habet poteſtatem inferior circa privilegia a ſe conceſſa, quam habet ſuperior circa ſua, ſervata proportione: nam ſicut privilegium datum a Principe ſupremo pendet ab ejus poteſtate, & voluntate: ita & datum ab inferiore habente poteſtatem dandi privilegia, pendet ab ejus voluntate, & poteſtate, ergo ſicut ille poteſt revocare, ita & iſte. Niſi tamen privilegium inferioris ſit confirmatum a Superiore, tunc enim non poteſt revocari ab inferiore, ſine conſenſu Superioris, quia ratione confirmationis factum eſt quaſi confirmantis, & ab ejus voluntate pendet, *Suar. c. l. n. 12. & 13.* dummodo ex confirmatione probabiliter colligatur, quod Superioris mens fuerit, privilegium ad ſuam poteſtatem revocandi, non autem ſimpliciter tantum, & ad melius eſſe id approbandi, *Laym. cit. c. 23. n. 25.*

Secundo, non tantum ipſe concedens, ſed etiam ſucceſſor ejus revocare poteſt privilegium conceſſum ab anteceſſore, quia ſuccedit in æquali poteſtate, & moraliter cenſetur una eademque perſona cum illo, neque anteceſſor poteſt ligare manus ſucceſſori, *Suar. c. l. n. 21.*

Tertio, privilegium conceſſum ab inferiore, poteſt etiam revocari a Superiore illius, & quidem ex juſta cauſa, valide, & licite, quia ſuperior poteſt legem tollere inferioris, habet enim majorem, & altiorem poteſtatem, cui inferior eſt ſubordinatus. Non tamen, ſine juſta cauſa, licite revocat ſuperior non ſupremus privilegium ab inferiore conceſſum per ſe, & regulariter, quia id cedit in injuriam inferioris Prælati, & in detrimentum ſubditorum: imo revocatio privilegii a Prælato inferiore facta, ſine juſta cauſa, invalida eſt, quia talis ſuperior non ſupremus, non poteſt, ſine juſta cauſa, & pro ſuo arbitrio, privare inferiorem ſua juriſdictione, & poteſtate, ad quam ſpectat etiam conceſſio privilegiorum: quamvis ſi revocatio fiat, etiam ſine juſta cauſa, a Principe Supremo, v. g. a Papa, valida erit, quia ab illo pendet omnis juriſdictio inferiorum, *Suar. cit. c. 37. num. 17. & ult.*

§. V.

Quibus modis privilegium revocetur, & quando revocatio privilegiorum vim ſuam, & effectum habeat?

CLXXXIX. Aſſertio 1. Duobus modis revocatur privilegium, expreſſe, vel tacite. Expreſſa revocatio fit non ſolum verbis expreſſis, ſed etiam in ſpecie, & in particulari, vel per clauſulam generalem, ſcilicet, *non obſtantibus quibuſcumque privilegiis*, quæ regulariter ſufficit, quia ſub genere comprehenduntur ſpecies.

Excipitur primo, niſi privilegia ſint in Corpore Juris conten-

contenta, quibus non derogatur per clauſulam generalem derogatoriam privilegiorum in poſteriore privilegio poſitam, quia cenſentur leges publicæ, niſi addatur etiam clauſula derogatoria Legum, ſeu Canonum, ut notat *Gloſ.* communiter recepta in *Auth. Qua in Provincia C. Ubi de crimin. agi oport. V. Illic omni privilegio*, *Suar. cit. lib.* 8. *c.* 38. *n.* 1. Nam cum correctio Juris vitanda ſit, & non facile præſumenda, ideo per jus ſpeciale poſterius non tollitur prius ſpeciale, ſi ob ſpecialem aliquam rationem exceptum videatur.

Secundo excipiuntur privilegia, quæ etſi in Corpore Juris non ſint contenta, eo tamen tenore expreſſa ſunt, ut revocari non poſſint, niſi de iis expreſſa, & ſpecialis mentio fiat, de verbo ad verbum, vel alio ſimili modo: ſufficit tamen ſi dicatur, *non obſtante tali, vel tali clauſula*, vel etiam in genere, *non obſtantibus privilegiis ſub quacunque verborum forma conceſſis*, ut in *Clement.* 1. *in fine de ſepult. Suar. c. l. n.* 2.

Tertio excipiuntur privilegia per modum contractus conceſſa, v. gr. in remunerationem meritorum, quæ non revocantur per clauſulam generalem revocatoriam, etiam expreſſam, niſi ſaltem in genere revocentur privilegia, *etiamſi per modum contractus fuerint conceſſa*, quia talia privilegia ordinarie revocari non poſſunt, niſi ex cauſa gravi ad bonum publicum pertinente: & quia talis revocatio cedit in præjudicium tertii, auferendo ei jus acquiſitum, non præſumitur voluntas revocandi, niſi exprimatur, *Sanch. cit. diſ.* 33. *num.* 8. *Suar. c. l. n.* 3. Quin imo neque prædicta clauſula ſufficit, ſi privilegia data ſint non ſubditis, v. gr. Clericis, poſtquam ea acceptata ſunt, & jus eſt acquiſitum, quia Princeps nec ex plenitudine poteſtatis, ex qua provenit illa clauſula, derogare poteſt juribus non ſubditorum, *Lam. in c. Cum ordinem* 6. *n.* 7. *de reſcript.*

CXC. Tacita revocatio privilegii fit per actum Principis directe contrarium privilegio, qui non poteſt ſubſiſtere, vel non habere effectum intentum, vel ſaltem non adæquatum, ſine derogatione privilegii prius conceſſi, dummodo poſſit præſumi, eum ſcire, vel recordari privilegii antea conceſſi, quia ſi adſit, vel præſumi poſſit ignorantia privilegii, non poteſt Princeps habere virtualem voluntatem illud revocandi, etſi exerceat actum repugnantem privilegio, quia ignorantia cauſat non voluntarium, cum nihil ſit volitum, niſi præcognitum, *Suar. c. l. num.* 4. & 5. Quod ſi conſtet, Principem non ignoraſſe privilegium prius conceſſum: tum ſi actus contrarius privilegio ſit abſolute incompatibilis cum toto privilegio, cenſebitur totum revocatum: ſi vero ex parte tantum illi deroget, cenſeri debet ex parte tantum ei derogatum. Ut ſi Princeps ſemel præcipiat exigi tributum a privilegiato, non cenſetur abſolute velle revocare privilegium, ſed tantum pro illa vice, *Suar. c. l. n.* 5.

CXCI. Porro circa hanc tacitam revocationem privilegiorum traduntur communiter ſeqq. regulæ. Prima eſt, per legem univerſalem, quæ non expreſſe abrogat privilegia, cenſentur tacite revocata privilegia in Corpore Juris contenta, non autem derogatur privilegiis, quæ Corpori Juris non ſunt inſerta, niſi eorum ſpecialis mentio fiat. Ratio primæ partis eſt, nam privilegia, quæ in Jure communi continentur, pertinent ad univerſales leges, & conſequenter non præſumitur, Legiſlatorem illa ignorare, adeoque per legem poſteriorem univerſalem contrariam revocatur prior lex continens privilegium Juris communis, etiamſi id in poſteriore lege non exprimatur. Ratio ſecundæ partis eſt, quia privilegium non inſertum Juri communi, continet jus privatum, vel potius particulare factum: Legiſlator vero non præſumitur ſcire jura privata, aut facta particularia, *cap.* 1. *de Conſtitut. in* 6. ubi dicitur: Conſtitutionem Romani Pontificis derogare priori, cui contraria eſt, quamvis de ipſa mentio non fiat: non vero derogare ſpecialibus legibus, & conſuetudinibus. Et ratio redditur, quia Papa cenſetur omnia jura in ſcrinio pectoris ſui habere, jura autem ſpecialia probabiliter ignorare poteſt, *Suar. cit. l.* 8. *cap.* 39. *n.* 2. *Laym. cit. c.* 23. *n.* 27.

CXCII. Secunda regula eſt, per particulare mandatum, ſeu reſcriptum Principis contrarium privilegio prius conceſſo, non cenſetur hoc tacite revocatum, niſi in illo addatur expreſſa clauſula derogatoria privilegii, prout ſumitur ex *c. Cum Ordinem* 6. *de reſcript.* ubi Ciſtercienſibus Monachis jus ſeu privilegium conceſſum eſt, ut nullo reſcripto Papali teneantur, niſi in eo ſpecialis mentio Ordinis fiat, *Gl.* communiter recepta in *c.* 1. *eod. Suar. cit. l. n.* 3. Ratio eſt, quia non præſumitur Princeps habere ſcientiam privilegii: ſi enim ferendo legem publicam, & univerſalem, non præſumitur ſcire privilegia particularia, multo minus præſumitur ſcire, concedendo particulare reſcriptum, quia majore cum deliberatione, & maturitate publica lex conditur, quam privatum reſcriptum conceditur, *Gl. in c.* 1. *V. Noſcatur de Conſtit. in* 6. *Suar. c. l.* Confirmatur, quia per reſcriptum emanans contra Jus commune, huic non derogatur, imo nec valet, niſi de illo in reſcripto mentio fiat, *l. pen. C. de precib. Imper. offerend.* & *cap. Reſcripta* 15. *cauſ.* 25. *qu.* 2. ergo multo minus valet reſcriptum particulare conceſſum contra privilegium, non facta de hoc mentione, ac proinde non poteſt per illud privilegium tacite revocari. Verum de hoc plura dicta ſunt *lib.* 1. *Tit.* 3.

CXCIII. Tertia regula, privilegium prius conceſſum non tollitur, nec tacite revocatur per privilegium poſterius, quod contrarium eſt priori, niſi illius prioris ſpecialis mentio fiat, juxta *c. Veniens* 19. & *ibi Gl. V. Nullum de præſcript.* & tradit *Gl. fin.* communiter recepta in *cap.* 1. *de præſcript. Suar. cit. l. num.* 5. Ratio eſt, quia cum privilegium ſit jus privatum, & particulare, ideo præſumitur Princeps ſecundum privilegium conceſſiſſe ex ignorantia primi, ſi de illo nullam mentionem fecit, juxta *cap.* 1. *de Conſtit. in* 6. & *c. Ex parte* 12. *de offic. deleg.* imo poſterius privilegium, in quo nulla facta eſt mentio prioris, ſubreptitie impetratum cenſetur, tacita veritate, quæ exprimi debuiſſet, ac proinde non valet.

CXCIV. Ubi tamen ulterius eſt diſtinguendum cum Abbate in *c.* 1. *num.* 14. *de reſcript.* Nam quando duo privilegia ſunt ſibi contraria, vel utrumque eſt generale, vel utrumque ſpeciale: vel vice verſa, prius generale, & poſterius ſpeciale. Primo caſu, quando utrumque privilegium eſt generale, tunc vel utrumque eſt inſertum Corpori Juris: & per poſterius abrogatur, vel omnino revocatur prius, etiamſi de illo mentionem non faciat, quia privilegium contentum in Corpore Juris eſt Jus commune, & ideo præſumitur Princeps illud non ignorare, ſed ſcire, *c.* 1. *de Conſtit. in* 6. ſicut ergo Jus commune abrogatur per ſubſequens privilegium ei contrarium, cum hæc ſit ratio privilegii proprie, ac ſtricte dicti, quod ſit gratia, ſeu indulgentia a Principe, ſeu Magiſtratu conceſſa, adverſus Jus commune, & ordinarium: ita & privilegium inſertum Corpori Juris revocatur per privilegium poſterius contrarium ſimiliter Juri inſertum: vel prius privilegium generale non eſt contentum in Jure communi, poſterius generale eſt ei inſertum: & non cenſebitur revocatum prius, quod eſt extra Jus quia præſumitur Princeps prius ignorare, ſi non ſit Juri communi inſertum, *Azor. p.* 2. *lib.* 5. *c.* 22. *q.* 13. *Suar. cit. c.* 39. *num.* 5.

Secundo caſu, quando utrumque privilegium eſt ſpeciale, tum prius valet, nec revocatur per poſterius ſpeciale ei contrarium, ſi in eo non fiat mentio de priore, quia Princeps cenſetur ignorare ea, quæ non in Jure, ſed in facto conſiſtunt: ac proinde non voluiſſe revocare prius, quod ignorabat: ſi vero in poſteriore privilegio fiat mentio prioris, tum valet poſterius, per quod prius revocatum eſt, *Azor. cit. l. q.* 13. & *Suar. cit. l. n.* 6.

CXCV. In tertio caſu, ſi prius privilegium ſit ſpeciale, & poſterius generale, valet prius, non poſterius, quia generi per ſpeciem derogatur, ſive ea præcedat, ſive ſequatur, *Reg. juris* 34. *in* 6. & *reg.* 90. *ff. eod. Azor. cit. q.* 13. *Suar. cit. c.* 39. *num.* 6. Denique in quarto caſu, ſi prius privilegium ſit generale, poſterius vero ſpeciale, in quo nulla tamen facta eſt mentio prioris, tum licet per hoc non tollatur, aut revocetur prius generale omnino, & in totum: probabilius tamen eſt per privilegium ſpeciale priori ex parte derogari, juxta *citat. Reg. juris*, quod generi per ſpeciem derogatur, non ſolum, ſi ſpecies præcedat, ſed etiam ſi ſequatur, *Silveſt. V. Privilegium num.* 10. *quæſt.* 20. *dicto* 6. *Azor. cit. l. q.* 12. *Suar. cit. c.* 39. *num.* 7. *Laym. cit. cap.* 23. *num.* 27. *limit.* 2. Idque expreſſe probari videtur ex *c. Dudum* 14. §. *Nos igitur* & *c. Quamvis* 38. *de præbend. in* 6. In quibus habetur, ſi Papa alicui generalem facultatem dedit beneficia in aliqua Eccleſia conferendi, ſuo nomine, & poſtea ſpeciale beneficium proxime vacaturum in eadem Eccleſia alicui certæ perſonæ conferri mandavit, poſterius reſcriptum ſpeciale valet, & executioni mandandum eſt, non obſtante priori generali, nam per ſpeciem generi derogatur, quanquam de genere in derogante ſpecie nulla fiat mentio, ut dicitur in *cit. c. Dudum* §. *Nos igitur* & primæ generali gratiæ alicui factæ derogat poſterior ſpecialis, licet de illa non fecerit mentionem, *cit. c. Quamvis*. Ratio eſt, quia Princeps concedendo alicui generalem gratiam, non cenſetur ſibi velle adimere omnem poteſtatem concedendi, occurrente caſu, aliquam gratiam ſpecialem alteri, non obſtante illa generali gratia prius conceſſa, adeoque ſibi jus reſervavit illi derogandi per gratiam ſpecialem, *Suar. cit. l. num.* 7.

Excipi debet, niſi per prius privilegium generale alicui conceſſum ipſi jus in re ſit acquiſitum in omni ſpecie ſub genere contenta. Ut ſi Papa alicui conceſſit omnes decimas alicujus Parochiæ, quas ipſe jam percepit, tunc enim non eſt cenſendum Principem illud notabiliter immiouere velle, vel ei derogare, cum præjudicio alterius in jure jam acquiſito, ſed potius, quod poſterius ſpeciale privilegium derogatorium prioris, ex hujus ignorantia proceſſerit, eo quod Princeps non poſſit recordari omnium privilegiorum, quæ conceſſit, propter eorum multitudinem *Argum. cap. Ex tua* 9. *de filiis Presbyter. Abb. in cap.* 1. *n.* 10. *de reſcript. Suar. cit. l. n.* 8. *Laym. c. l.* & *in cit. c.* 1. *n.* 8. *de reſcript.*

CXCVI. Quarta regula eſt, per latam ſententiam a Principe contra privilegium, qui potuit privilegium concedere, non revocatur privilegium, prout ſumitur ex *cap. Suborta* 21. *de ſent.* & *re judic.* ubi habetur, ſi Princeps (qui privilegium, ſuo arbitratu, revocare, ſeu auferre poteſt) ſententiam ferat contra privilegium in judicio exhibitum, cenſetur illud reprobare, ſive tanquam ſubreptitium, vel alias infirmum habere, & declarare: non autem revocare, ſive auferre privilegium prius validum, & poſſeſſum: nam tunc non directe tollitur privilegium per ſententiam Judicis, privando reum privilegio, ob culpam aliquam, hoc enim eſſet non tacite ſed per ſe expreſſe, & directe revocare, ſeu tollere privilegium validum in pœnam: ſed tollitur ſolum privilegium indirecte per ſententiam, qua condemnatur reus, non obſtante privilegio, eo quod tale privilegium illegitime obtentum, vel per non uſum; aut contrarium uſum, vel ob aliam cauſam amiſſum ſit, adeoque talis ſententia ſupponit nullitatem, vel defectum in privilegio: neque hoc excuſat reum, & conſequenter per alium non revocatur privilegium tacite, ſed reprobatur, *Suar. cit. c.* 39. *n.* 4.

CXCVII. Aſſertio 2. Si privilegia, vel Indulgentiæ per communem, & publicam legem revocentur, non eſt neceſſarium, ut ea revocatio ſingulis privilegiatis intimetur, vel innoteſcat, ſed ſatis eſt, ſi promulgatio legis illius revocatoriæ privilegiorum facta ſit in Curia Principis; vel loco ad hoc conſtituto, qua facta non quidem ſtatim a die promulgationis, ſed poſt tempus neceſſarium ad illius obligationem, quod eſt regulariter duorum menſium,

ſum, vel juxta ſtylum Curiæ Romanæ, poſt tempus, ut commode in publicam notitiam privilegiatorum devenire poſſit, ea effectum ſortitur, ita ut etſi aliqui in particulari adhuc invincibiliter ignorent revocationem privilegiorum, tamen illa non amplius proſint, nec iis valide uti poſſint, *Suar. l. 8. de legib. c. 60. num. 1. & ſeqq.* & alii apud *Laym. cit. c. 23. n. ult.* Ratio eſt, tum quia jura nihil ſpeciale diſponunt circa legem revocantem privilegium, quam concedentem. At privilegium conceſſum per legem, poſt ſufficientem promulgationem, & evulgationem legis, ſtatim habet ſuum effectum, non obſtante ignorantia, quia non pendet ab actuali notitia privilegiati, ergo idem dicendum eſt de lege revocente, quia etiam ejus effectus non pendet a notitia privilegiati, ſed poſtquam lex publice promulgata, & ex ſe omnibus ſufficienter eſt propoſita, actu revocatum eſt privilegium, & ceſſat ejus uſu; ſicut idem etiam eſt in lege irritante, cujus effectus non impeditur, ob ignorantiam legis. Tum quia in legibus communibus attenditur ad id, quod per ſe, & communiter fieri ſolet, non autem ad ea, quæ raro, & per accidens fiunt, qualia eſt in præſenti, ignorantia legis revocatoriæ, *Suar. cit. l. n. 4.* Quod ſi vero revocatio privilegii ab homine, ſeu privatim facta ſit; ea non habet effectum, priuſquam ea privilegiato ſpecialiter intimetur, vel ad ejus notitiam perveniat, quia tunc non poteſt alio modo convenienter privilegiatus devenire in notitiam revocationis, niſi ut ipſi intimetur per nuncium, ſive epiſtolam *Suar. lib. 3. de matrim. diſ. 30. n. ult. & Laym. cit. l.* quamvis *Suar. cit. l. n. 7.* putet ſufficere, ſi revocationis notitia etiam caſu ſolum, ad notitiam privilegiati perveniat, quia facilius res deſtruitur, quam acquiritur, & ad valorem revocationis per ſe non requiritur conſenſus & acceptatio privilegiati, ſicut ad acquiſitionem privilegii, ſed hoc revocari poteſt, ſola voluntate concedentis, etiam invito eo, cui conceſſum eſt, exceptis caſibus, de quibus ſupra.

§. VI.

An pereunte re, cui privilegium inhæret, pereat quoque, & extinguitur ipſum privilegium?

CXCVIII. Reſpondetur, ſicut privilegium perſonale extinguitur cum perſona, ita etiam privilegium reale, ſeu locale extinguitur, re extincta, aut loco deſtructo, cui inhæret, ut poſt *Innoc. in cap. 2. de novi oper. nunciat.* docet *Gloſſ.* communiter recepta in *Reg. Privilegium 7. V. Perſonale circa medium de R. J. in 6.* ubi tamen cum eadem *Gl.* diſtinguendum eſt. Vel enim res, aut locus, videlicet Eccleſia, Monaſterium, Civitas, aut alius locus ſacer, aut profanus, deſtruitur, Superioris auctoritate, ſublata omni ſpe reſtitutionis aut reparationis; & tunc extinguuntur etiam, & perduntur omnia privilegia ei cohærentia tanquam ſublata a fundamento in perpetuum, cui cohærent, nec amplius dici poſſunt illius Eccleſiæ Clerici, aut illius oppidi Cives vel municipes, ut colligitur ex *c. Placuit 26. diſ. 8. de conſecr. & c. Et hoc diximus 9. cauſ. 16. q. 7.* Vel res aut locus eſt deſtructus ab hoſtibus, aut ab eo occupatus, aut caſu dirutus, vel combuſtus, cum ſpe refectionis ſeu reædificationis: & tunc omnia privilegia retinet, ut colligitur ex *c. Paſtoralis 24. cauſ. 7. q. 1. & c. Quæ ſemel 4. cauſ. 19. qu. 3.* Idemque eſt, ſi Superioris auctoritate, Eccleſia vel Civitas transferatur ad alium locum, vel alteri uniatur, non enim amittuntur ejus privilegia, ſed una cum Eccleſia, Civitate, transferuntur, quando non ſunt conceſſa, ratione ſitus, ſed directe ipſi Eccleſiæ, vel Civitati, ejuſque nomine, ut colligitur ex *c. Et temporis 48. & c. ſeq. cauſ. 16. qu. 1. & c. 2. de Religioſ. domib. Gl. in cit. Reg. 7. in 6. V. Privilegium perſonale. Azor. cit. c. 22. q. 22. Suar. libr. 8. de legib. c. 5. n. 4. 5. 6. & 8.* Ratio eſt, quia hæc privilegia ſunt perpetua, & realia, & tamdiu durat eorum fundamentum, quo omnino deſtructo, ſine ſpe reparationis (quod nunquam fit, niſi auctoritate illius, qui poteſtatem habet deſtruendi) etiam illa ceſſant, vel extinguuntur, quia deſtructo principali, deſtruuntur acceſſoria, & ſublato fundamento, cadit ædificium. Si vero res, vel locus deſtructus per vim hoſtium, vel caſu, v. gr. Eccleſia, vel Civitas, cum ſpe reſtaurationis, tum ipſum ſolum immobile manet, in quo tanquam fundamento, & radice conſervari poſſunt privilegia, quoad jus, & proprietatem, & poſtea, reſtituta re in priſtinum ſtatum, ſi Eccleſia, vel Civitas reſtauretur, etiam ipſa privilegia, quoad uſum, & exercitium reſurgunt, & reviviſcunt, *Suar. cit. c. 5. num. 7.*

CXCIX. Addit *Suar. cit. l. num. 6.* ſi locus per vim hoſtium, vel caſu diruatur, cum ſpe reparationis, tum vel privilegia loci ſunt conceſſa ipſi ſolo, ſeu pavimento, eique adhærent, ut eſt conſecratio, & benedictio, quæ ſolo adhærent, *l. Æde ſacra 73. ff. de contrah. empt.* ac proinde privilegia, quæ inde ſequuntur, ut quod locus ille non poſſit vendi, nec converti in uſus profanos &c. ſemper maneat, quia eorum fundamentum non eſt deſtructum. Vel privilegia loci directe recipiunt ipſum ædificium, ut Templum, vel monaſterium: & tum rurſus, vel privilegium eſt tale, ut uſus ejus præciſe requirat illum locum v. gr. ut intra Templum fiat: & hoc caſu, etſi privilegium illud non omnino extinguatur, ſuſpenditur tamen ejus uſus, pro illo tempore, donec locus iterum extruatur, quo extructo, privilegium quoque reviviſcit, ut colligitur ex *l. Cum loca 36. ff. de Religioſ. & ſumptib. fun.* Ut v. gr. Indulgentia Templo conceſſa vel immunitas, ſi principaliter cenſeatur eſſe conceſſa, ratione ædificii, non areæ. Vel privilegium eſt tale, ut etiam extra illum locum, v. gr. Templum, alibi exerceri poſſit: & tum non ſuſpenditur privilegium, pro illo etiam tempore, quia manet in perſonis, quæ uti poſſunt tali privilegio, etiam in alio loco. Sic Epiſcopus, vel Canonicus loci occupati ab hoſtibus, vel hæreticis, retinet denominationem ab illo, etiam extra illum exiſtens, fruitur privilegiis ipſi conceſſis, ratione Epiſcopatus, vel Canonicatus talis loci.

TITULUS XXXIV.

De Purgatione Canonica.

HActenus actum eſt de variis delictis tam Prælatorum, quam Subditorum, quia tamen interdum crimina plene probari non poſſunt, ideo infamati de delictis, de quibus conveniri non poſſunt, compellendi ſunt ad ſe purgandum, de quo agitur hoc Titulo.

§. I.

Quid ſit purgatio in genere, & quotuplex. & a quo indicenda ſit purgatio Canonica, & quibus indici poſſit ac debeat?

I. ASſertio I. Purgatio prout hic accipitur, eſt oſtenſio innocentiæ de objecto crimine, ſcilicet per juramentum, vel alio debito modo, de quo infra, *Hoſtienſ. hic in ſumma n. 1. Sylveſt. V. Purgatio in princ.* & alii DD. communiter. Ea duplex eſt, alia vulgaris, quæ a Jure reprobatur, de qua *Tit. ſeq.* alia Canonica ſic dicta, quia a Jure Canonico eſt adinventa, & approbata, *cauſ. 2. qu. 5.* fere tota, de qua ſpecialiter agitur hoc *Tit. Hoſtienſ. in ſumma hic n. 2. Silveſt. V. Purgatio n. 2. q. 1.*

II. Aſſertio 2. Purgatio Canonica indicenda eſt a Judice competente, quia a non Judice indicta non valet, nec juvat, ſed perinde eſt, ac ſi nulla facta fuiſſet, *arg. c. Licet 5. de Offic. Legat. Gl. fin. in c. pen. juncta Gl. margin. lit. C. & ibid. Hoſtienſ. in fine*, & colligitur ex *eod. c. in fine.* Porro Epiſcopus non ſolum Clericum, ſed etiam laicum ſubditum publice infamatum de aliquo crimine compellere poteſt ad ſe purgandum, ut conſtat ex *c. Nos inter 6. h. t.* Nam aliquis parochianus Epiſcopi (hoc eſt, ſubdictus ipſius Diœceſanus, qui parochianus Epiſcopi dicitur, quia Epiſcopus concurrit cum quolibet Curato in adminiſtrandis Sacramentis omnibus Diœceſanis, *c. 2. de pæn. & remiſſ. in 6. Abb. hic n. 1.*) „ infamatus eſt de aliquo crimine, unde quæſitum „ fuit, utrum Epiſcopus ipſum poſſit cogere ad purgatio- „ nem præſtandam? Reſpondet Papa Alexander III. quod „ ſi de aliquo crimine publica infamia ſit notatus, accuſa- „ tore, & teſtibus deficientibus, Epiſcopus ipſum ad pur- „ gationem compellere poteſt niſi ad Superiorem Judicem „ appellaverit, & tum ejus judicio, ad quem examen bo- „ jus cauſæ per appellationem tranſtulit, parere debet.

III. Notandum primo, poſtquam aliquis infamatus eſt publice, apud bonos, & graves viros compellendus eſt ad ſe purgandum, *c. Si mala 16. cauſ. 2. qu. 5. Gloſſ. hic V. Deficientibus, & Hoſtienſ.* de quo infra.

Notandum ſecundo, Epiſcopus poteſt indicere purgationem etiam laico ſubdito ſuo Diœceſano, in criminibus ſpecialibus ad cognitionem Eccleſiæ, ut eſt crimen hæreſis, & adulterii, & alia ſimilia, quæ ſunt vel mere Eccleſiaſtica, vel ſaltem mixti fori, de quibus in *cap. Cum ſit 8. de foro compet.* Vel etiam in aliis, ubi temporalem juriſdictionem habet Epiſcopus, *Gl. hic V. Deficientibus, & Innocent. ib.* Unde hanc rationem reddit, quia purgatio nunquam indicitur, niſi in defectum probationum, ſi ergo ad Epiſcopum non ſpectet cognitio delicti contra laicum, coram eo non fient probationes, & conſequenter neque per ipſum indicitur purgatio de crimine ad ejus cognitionem non ſpectante. Contrarium tenent alii, quod de quolibet crimine purgationem Epiſcopus poſſit indicere, qui textus hic generaliter, & indiſtincte loquitur de aliquo crimine, & Epiſcopus debet inquirere in Diœceſi in crimina ſubditorum, etiam laicorum, eaque punire, *c. 1. de Offic. Jud. Ord.* ergo etiam poteſt, deficiente probatione, purgationem indicere. Verum melius diſtinguitur cum *Hoſtienſ. & Abbate hic n. 2.* Vel Epiſcopus vult indicere purgationem laico infamato ad pœnam temporalem in foro judiciali imponendam, & non poteſt, niſi in criminibus Eccleſiaſticis, ſive ad forum Eccleſiæ pertinentibus: vel vult indicere purgationem ad pœnitentiam imponendam in foro animæ: & tum poteſt infamato laico indicere purgationem, quia quemlibet notorium crimino ſum poteſt cogere ad ſubeundam pœnitentiam, ne in peccato perſiſtat, *cap. 2. de ſponſal. cap. Novit. 13. de Judiciis.*

Notandum tertio, is, cui ab Epiſcopo indicta eſt purgatio criminis, de quo eſt publice infamatus, poteſt appellare ad Superiorem, ſi juſtam cauſam appellandi habeat, ut quia dicit ſe non eſſe infamatum, vel quia Epiſcopus non vult admittere teſtes, inter quos converſatus eſt, ſed extraneos, & ignotos, vel inimicos ſuos, vel quia excedit modum in purgatione, vel alio modo eum gravat, licet alias non admittatur appellatio a correctione. *Gloſſ. fin. hic Hoſtienſ. V. appellandum, & Abb. in fine.*

IV. Aſſertio 3. Non tantum Clericis ſecularibus, ſed etiam regularibus utriuſque ſexus, indicenda eſt purgatio Canonica, ſi publice infamati fuerint de crimine, vel graviter ſuſpecti & teſtes vel aliæ probationes deficiant, prout conſtat ex *c. Moniales 3. h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio Meldenſi *c. 70.* Ubi ſtatuitur, ut ſi Moniales libidinibus inſer- „ vire accuſentur (vel etiam denuncientur, vel alias fuerint „ infamatæ, *Gloſſ. hic in caſu & Hoſtienſ. V. Accuſentur.*) (quia deeſt accuſator, vel quia crimen probari non poteſt per teſtes, vel etiam per inſpectionem corporis, juxta *cap. Nec aliqua*

4. cauſ.

4. cauſ. 37. qu. 1. Gl. hic V. Non valuerint, ſi enim poſſent convinci de delicto, non eſſet locus purgationi, *Hoſtienſ. hic V. eod.* ſuæ opinionis malam famam ergo regulam (id eſt, ſecundum tenorem regulæ, ſive id, quod continetur in regula ſui Ordinis, vel ſecundum regulam ſcilicet Canonum, *Gl. fin. hic & Abb. in fine.*) Canonice purgare cogantur. Nam Regulares, non ſolum ſecundum regulam propriam Ordinis, ſed etiam ſecundum SS. Canones judicantur, *c. fin. de ſtatu Monach. Abb. hic.*

V. Præterea in ſpecie, publice infamatus de defectu natalium, non debet promoveri ad Ordines, niſi prius Canonice ſe purget, prout habetur in *c. Accedens 14. h. t.* Nam
„ cum quidam Diaconus vellet in Presbyterum promoveri,
„ æmuli quidam ipſius dixerunt, illum eſſe filium Sacerdo-
„ tis, ideoque Epiſcopus Diœceſanus ipſum noluit promo-
„ vere, nec etiam permiſit ipſum ab alio promoveri. Diaconus
„ accedens ad Papam Innocentium III. id ipſi expoſuit qui
„ mandavit Epiſcopo, ut ſi de hoc publice eſt infamatus,
„ & de ipſa infamia legitime conſtare non poſſit, purga-
„ tionem a dicto Diacono recipiat, eaque recepta, ipſum
„ promoveat ad Officium Sacerdotis, quia etſi non ſit no-
„ ta delicti (proprii ſcilicet, quia non eſt culpa ejus,
„ qui gignitur, ſed illius, qui generat *c. Naſi 5. diſ. 56.*
„ *Gl. fin. hic*) eſt tamen nota defectus impedientis ne ad
„ Sacros Ordines promoveri poſſit: niſi infamia illa fuerit
„ purgata, quia ipſa durante, promoveri non debet, *Hoſtienſ. hic V. Promovere.*

IV. Notandum primo, purgatio Canonica indici poteſt, non tantum ſuper crimine, ſed etiam ſuper aliquo defectu, ſeu inhabilitate & impedimento ad Ordines ſuſcipiendos, ut ſi quis publice ſit infamatus, quod non ſit legitime natus, *Gl. hic V. Purgatione, & Abb. numer. 2.*

Notandum ſecundo, quamvis ob infamiam ab æmulis ortam non ſit alicui indicenda purgatio, ut patet ex *c. Cum in juventute. 12. h. t.* de quo infra, ſi nimirum conſtet, illam eſſe ortam tantum ab æmulis vel inimicis: ſecus tamen eſt, ſi de eo non conſtet, ſed ab æmulis tantum, vel uno ex illis id aſſeratur, & aliquis non tantum apud æmulos, ſed etiam apud alios viros bonos, & graves communiter & publice ſit infamatus, ut in caſu hujus c. tunc enim purgatio poteſt ac debet indici, *Hoſtienſ. hic V. Publice & Abb. num. 2.*

Notandum tertio, etſi hæc propoſitio negativa, quod quis non ſit filius Sacerdotis, ſive non ſit illegitime natus, directe per teſtes probari non poſſit, tamen ſuit id probandum per juramentum purgandi, & per teſtes deponentes per credulitate. Quare vel Diaconus iſte vult probare per teſtes, vel per publicam notitiam, & famam, quod ſit filius legitimus, v. g. Titii & uxoris ipſius, quam pro legitima tenebat, ut vult *Gl. hic V. Purgatione*, & tunc non poteſt locum habere purgatio. Si vero per veram probationem, eo modo, quo filiatio probari poteſt conſtet, quod ſit legitimus filius, ceſſat purgatio. Idemque eſt, ſi vellet probare per teſtes, quod communiter ſit habitus, & reputatus pro legitimo filio Titii, tunc enim non eſt neceſſe, ut aliter ſe purget, cum per teſtes de veritate conſtet, neque de tali purgatione loquitur hoc cap. Vel vult per proprium juramentum probare, ſeu jurare, ſe eſſe filium legitimum Titii, & uxoris ipſius; & non debet admitti, quia ſubiret periculum perjurii, cum illi de matrimonio legitimo inter parentes initio conſtare non poſſit: vel vult jurare, ſe eſſe communiter habitum & reputatum pro filio ipſorum, quia ante mortem parentum jam pervenerat ad annos diſcretionis, & ita credit ſe eſſe filium eorum: & talis purgatio recipitur, & compurgatores præſtabunt juramentum credulitatis, quod credant ipſum juraſſe. Nam quamvis alias regulariter is, qui ſe purgat, debeat jurare de veritate, non de credulitate, ut infra dicetur: tamen id ſolum habet locum, quando quæritur de facto proprio, de quo quiſque certus eſſe poteſt ac debet: in hoc vero caſu, purgans jurat de facto alieno: & ita ſufficit, quod juret de credulitate, cum vera ſcientia de tali facto haberi non poſſit, ac proinde neceſſario ſubveniendum eſt purgando, & recedendum a forma jurandi communi, ſeu alias conſueta, *Hoſtienſ. hic V. receptu, Jo. Andr. & Abb. num. 3. 4. & 5. & ipſe ne Gloſſator Alexander de Nevo lit. E.*

§. II.

Quando ſive in quibus caſibus indicenda ſit purgatio Canonica, vel non?

VII. Aſſertio 1. Ea indici debet, quando quis eſt publice infamatus de crimine, apud bonos, & graves viros, *c. ven. § fin. h. t.* Unde ille non eſt cenſendus infamatus eſſe, quem dicta paucorum infamant, ſi ejus opinio apud bonos, & graves viros læſa non exiſtat, *c. Inquiſitionis. 21. §. ult. in fine de accuſat.* Requiritur autem, ut infamia non ſit orta a malevolis aut inimicis eam procurantibus alioquin purgatio Canonica indici non poteſt ſic infamato, *Hoſtienſ. in ſumma n. 3. h. t. Silveſt. V. Purgatio n. 2. Bernard. Diaz in pract. Crim. c. 151. n. 7.* niſi tamen ex infamia orta etiam a malevolis publicum ſcandalum generaretur in populo, tunc enim ſi illud ſedari, ſeu tolli poteſt per purgationem, ea indicenda eſt, quia propter ſcandalum vitandum receditur a Jure poſitivo, *c. 2. de novi oper. nunciat. c. Tenemur. 6. de præben. & c. 2. de præſcript. Abb. in c. Qualiter. 24. n. 23. de accuſat. Hoſtienſ. in ſumma c. l. Diaz c. l. n. 8.*

VIII. Aſſertio 2. Purgatio Canonica indici non poteſt, etiam infamato de crimine, ſi is convinci poſſit, & per idoneos accuſatores, vel teſtes, vel per alias legitimas probationes crimen plene probari queat, *Si quis 2. c. Quoties. 5. c. Nos inter 6.* ibi: *accuſatore, & teſtibus deficientibus, &c. Ex tuarum. 8. h. t. Hoſtienſ. c. l. Silveſt. c. l. q. 2.* eſt enim hæc purgatio in ſubſidium aliarum probatione inducta.

IX. Aſſertio 3. Indici non debet alicui purgatio Canonica, niſi adſint veriſimiles ſuſpiciones vel præſumptiones criminis, prout ſumitur ex *c. Si quis. 4. h. t.* quod eſt de-
„ ſumptum ex Concilio Meldenſi *cap. 68.* Ubi ſtatuitur:
„ ſi quis de gradu Eccleſiaſtico (majore, vel minore,
„ in quo eſt conſtitutus, *Hoſtienſ. hic V. Eccleſiaſtica.*) ſe
„ conſenſorem, vel interventorem, ſeu mediatorem eſ-
„ ſe *Gl. hic V. Conſenſorem & Hoſtienſ.* qui enim conſen-
„ tit, poſitive cooperando in crimen quandoque punitur
„ ut faciens) manifeſte prodiderit, (id eſt in judicio,
„ timore probationis, confeſſus fuerit, nam ſi ſponte
„ confeſſus fuerit, mitius cum eo agetetur, *Gl. hic. V.*
„ *Prodiderit*, vel in publico ad infamiam, *Innoc. hic*) a
„ proprio grado repellatur, id eſt, degradetur, ſeu de-
„ ponatur. Quod ſi veriſimilibus ſuſpicionibus de tali cri-
„ mine fuerit propulſatus (id eſt, infamatus, *Hoſtienſ. hic*,
„ alius ſcilicet Clericus, qui non eſt tale crimen confeſſus,
„ *Innoc. hic.*) Canonice ſe expurget.

Ex quo patet, quod ob veriſimilem ſuſpicionem criminis, poteſt indici purgatio Canonica, debet tamen ea eſſe non levis, ſed vehemens ſuſpicio, juxta *c. Inter 10. §. Attendentes. h. t.* Ubi dicitur, quod propter tria poteſt indici purgatio, videlicet, *propter infamiam vulgatam, grave ſcandalum, & vehementem ſuſpicionem*: ita tamen, ut non ſit violenta nec ſufficiens ad ſententiam condemnatoriam ferendam, *Gl. fin. hic*: Quando vero quis vehementer eſſet ſuſpectus ſoli Epiſcopo, vel alteri Superiori ſuo, poterit indici purgatio, juxta *cap. Omnibus. 19. cauſ. 2. qu. 5. Silveſt. V. Purgatio. numer. 2. dicto 3.* Si vero aliis eſſet ſuſpectus, tum ſi eſt ſuſpicio probabilis, & tanta, ut inducat ſcandalum publicum in populo, indicenda erit Canonica purgatio juxta *c. Tit. 8. de cohab. Cleric. & mulier.* ſecus ſi non inducat ſcandalum, *Abb. in c. Qualiter. 24. n. 30 de accuſat. Diaz. cit. cap. 151. numer. 9.* Ratio diverſitatis inter ſuſpicionem Superioris, ſeu Judicis, & aliorum eſt, quia non ita facile præſumitur contra Judicem, ſicut contra alios, *c. Ad audientiam. 13. de præſcript. &c. In Noſtra 4. de procurat. Abb. c. l. n. 31.*

X. Et hinc ulterius infertur, ſi infamia alicujus non ſit orta ex probabilibus ſuſpicionibus aut conjecturis, non eſt ei neceſſario indicenda purgatio Canonica, quamvis poſſit indici, ad inſtantiam acceptionem purgandi, prout ſumitur ex *c. Cum in juventute. 12. h. t.* Nam Epiſcopus Quin-
„ queeccleſienſis dicebatur habere nimiam familiaritatem,
„ & immoderatam cum quadam nepte ſua, ideoque Rex
„ Hungariæ ſæpe ſcripſerat Papæ Innocentio III. ut eum
„ ab Epiſcopatu removeret. Quare Papa juſſit ſuper hoc
„ caute inquiri a Coepiſcopis Hungariæ, qui laudabile te-
„ ſtimonium de ipſo perhibuerunt. Ad majorem tamen
„ cautelam Papa mandavit eidem Epiſcopo, ut ab illius
„ (ſcilicet neptis ſuæ, cum qua dicebatur turpiter con-
„ verſari) familiaritate ceſſaret, ita ut ſiniſtra ſuſpicio de
„ ipſo haberi non poſſit. Sed quidam inimicus ipſius E-
„ piſcopi, reſcriptum Papalium Litteralium ſurripiens,
„ illud apud Regem, & Regni Magnates nequiter publica-
„ vit, ut Epiſcopus magis infamaretur. Verum Papa licet
„ ab æmulis ſæpe ſollicitatus ei fidem habere noluit, ſciens
„ quod dictum unius facile ſequitur multitudo. Poſtea vero
„ cum dictus Epiſcopus ad Eccleſiam Metropolitanam Stri-
„ gonienſem fuiſſet poſtulatus, quidam, qui ejus poſtulatio-
„ ni adverſabantur, cœperunt ipſum iterum infamare.
„ Unde Procurator a dicto Epiſcopo ad Curiam Romanam
„ miſſus, cœpit inſtanter poſtulare a Papa, ut purgatio-
„ nem Canonicam eidem Epiſcopo faceret indici, ad ſuam
„ innocentiam demonſtrandam: ſed Papa poſtulationem il-
„ lam minus providam reputans, nolebat petitioni illius
„ annuere. Cum autem inſtaret Procurator, Papa manda-
„ vit, non juris neceſſitate, ſed petentis importunitate in-
„ ductus, purgationem eidem Epiſcopo indici, cum duo-
„ bus Abbatibus: quamvis proteſtatus fuerit, quando ex
„ alia cauſa talis petitio tunc improvide fiebat, quia Suf-
„ fraganei Strigonienſis Eccleſiæ vix eo tempore dictum E-
„ piſcopum purgarent, quippe qui ei in facto poſtulationis
„ contradicebant: neque etiam Suffraganei Colocenſis Ec-
„ cleſiæ, cum inter ipſum & Colocenſem Archiepiſcopum
„ quæſtio de Metropolitana Eccleſia tunc verteretur: un-
„ de cum non ſint alii Epiſcopi Suffraganei in Hungaria,
„ merito videbatur quod dictus Epiſcopus per Epiſcopos Re-
„ gni in illo articulo ſe purgare non poſſet.

XI. Ubi notandum primo, ſi certo conſtet infamiam, ex probabilibus ſuſpicionibus, ſeu conjecturis non proceſſiſſe, vel ab æmulis, vel ex alia injuſta cauſa eſſe ortam, v. g. ex Literis Monitoriis Papæ, ut in caſu hujus c. non eſt de illa curandum, neque ideo indicenda purgatio Canonica, etiam ad inſtantiam aliorum, neque debet Judex ex tali infamia procedere contra infamata, ſed habet tunc locum illud, vanæ voces populi non ſunt audiendæ, *Innoc. hic & Abb. n 1. not. 2.* niſi ob importunitatem petentis indicatur purgatio, *Hoſtienſ. hic. V. Æmulorum.*

Notandum ſecundo, ſive in caſu hujus c. Procurator habuerit a domino mandatum ſpeciale petendi, ut ipſi indicatur, purgatio, ſive ſolum generale; ſive quia Epiſcopus hoc ratum habuit, ſive non: nulla tamen neceſſitate Juris tenebatur Papa hanc poſtulationem admittere, tum quia erat improvida, & injuſta petitio, & ideo potuit illam repellere: tum quia Papa nulla Juris diſpoſitione aſtringitur: tum denique, quia indictio purgationis & ejus modus, non pendet ex voluntate partis eam petentis, ſed ex arbitrio Judicis, & diſpoſitione Juris, *Hoſtienſ. hic V. Non juris neceſſitate, & Abb. in Gl. V. Poſtulare.*

Notandum tertio, numerus compurgatorum eſt arbitrarius,

ſive relictus arbitrio Judicis, ſecundum qualitatem perſonæ, criminis, & infamiæ, nam hic fuerunt deputati duo Abbates, alibi plures, *Abb. hic in notatis*. Et licet alias purgari quis debeat per aliquos ſui Ordinis, ut Epiſcopus per alios Coepiſcopos: ſi tamen illi ſunt inimici, vel æmuli purgandi, poteſt purgatio fieri per alios inferiores, ut in hoc c. purgatio Epiſcopi per Abbates, *Gl. fin. hic*, de quo plura infra.

XII. Aſſertio 4. Non poteſt, nec debet indici purgatio Canonica, quando crimen eſt notorium, ita ut celari non poſſit, habetur in *c. Cum dilectis* 15. *h. t.* Ubi talis caſus pro-
,, ponitur, Inter H. Presbyterum, ex una parte, & O. Cleri-
,, cum ex altera parte, ſuper quibusdam Eccleſiis quæſtio
,, vertebatur, quæ ab utraque parte delata fuit ad Sedem
,, Apoſtolicam, ubi G. Procurator ipſius O. propoſuit, quod
,, cum dictus Presbyter eſſet publice infamatus, ſuper crimi-
,, ne inceſtus, Epiſcopus Conſtantienſis ejus Ordinarius (tunc
,, electus tantum) ei purgationem indixit: qui cum ſe pur-
,, gare non poſſet, Eccleſiis ſuis fuit ab ipſo Epiſcopo per
,, ſententiam deſtitutus: ſed ipſe Presbyter nihilominus eas
,, per violentiam detinebat. Poſtea cum idem Presbyter cu-
,, juſdam conſanguinei ſui uxorem publice detineret, qui-
,, dam Clerici Conſtantienſis Diœceſis, contra ipſum ſuper
,, hoc literas impetrarunt, in quibus continebatur, ut ſi di-
,, ctus Presbyter coram ipſis, ſuper crimine adulterii, &
,, inceſtus ſe purgare non poſſet, ipſum pœna debita caſti-
,, garent (ut ſcilicet officiis & beneficiis ſuis privaretur,
,, *Gl. hic V. Pœna.*) & cum eis conſtitiſſet, quod idem Pres-
,, biter, ob id, quod in purgatione defecerat, ab Epiſcopo
,, fuerat condemnatus (pendente jam judicio coram delega-
,, tis & ideo non tenuit condemnatio, *Hoſtienſ. hic V. Condem-
,, natus*,) ipſum tanquam contumacem (ut ipſis videba-
,, tur, quia Epiſcopi ſententiæ non parebat, *Hoſtienſ. hic*)
,, prædictis Eccleſiis per ſententiam privaverunt; maxime
,, cum de crimine adulterii, & inceſtus & eiſdem tanquam
,, notorium conſtaret, ideoque mandarunt Abbatis S. Galli,
,, ad quem beneficiorum collatio in illis Eccleſiis pertine-
,, bat, ut Eccleſias illas, & beneficia aliis conferret, qui
,, contulit illa dicto O. Clerico, & petebat ſuper illis præ-
,, dicto Presbytero ſilentium imponi; & ipſi tradi poſſeſſio-
,, nem illorum beneficiorum, (quia forte beneficia, & Ec-
,, cleſiæ illæ una ab alia pendebat, *Hoſtienſ. hic V. Eas.*) Ex
,, adverſo dictus Presbyter reſpondit, quod proceſſus præ-
,, dictorum Judicum merito debeat retractari, cum lite non
,, conteſtata: contra ipſum procedere præſumpſerint, ad-
,, dens, quod purgationem ſibi ab electo Epiſcopo Conſtan-
,, tienſi indictam curaverit exhibere. His & aliis diligen-
,, ter auditis, & intellectis, licet litteræ delegatorum Ju-
,, dicum Papæ oſtenſæ non fuerint, vel tranſcriptum earum:
,, quia tamen ex tenore relationis ipſorum Judicum, quam
,, prædictus Procurator Papæ exhibuit, evidenter conſtitit,
,, Judices illos, prætermiſſo Juris Ordine, proceſſiſſe: ideo
,, Papa Innocentius III. proceſſum illorum & conceſſionem
,, Eccleſiarum a prædicto Abbate factam, auctoritate Apo-
,, ſtolica retractavit, id eſt, irrita promulgavit, *Ho-
,, ſtienſ. hic V. eod.*) præcipue quia relatio Judicum repugnan-
,, tia, & adverſa continebat. dicebatur enim, quod cri-
,, men ejuſdem Presbyteri adeo publicum, & notorium e-
,, rat ut nullus locus infitiationi penitus eſſet, quippe cujus
,, univerſæ viciniæ Populus teſtis erat: & tamen ibidem
,, præmittitur, quod eidem Presbytero terminum perem-
,, ptorium aſſignarunt, intra quem ab infamia prædictorum
,, criminum ſe purgaret, ſi poſſet. Nam ſi crimen erat no-
,, torium, non erat illi purgatio indicenda, ſed in eum ſen-
,, tentia condemnatoria proferenda: ſi vero nullus appartuit
,, legitimus accuſator, & ipſe presbyter ſuper prædictis
,, criminibus, vel altero illorum apud bonos viros, & gra-
,, ves infamatus fuerit, purgatio Canonica eidem eſt indi-
,, cenda, non obſtante, quod coram prædicto Epiſcopo ele-
,, cto, ſe dicitur purgaſſe, quia pendente judicio, coram
,, Judicibus delegatis, non debuit Ordinarius purgationem
,, indicere infamato.

XIII. Pro explicatione hujus c. notandum primo ſi infamatus de crimine in purgatione deficiat, deponi debet, ſeu privari omni officio, & beneficio, prout colligitur ex hoc c. & habetur etiam in *c. Cum ſ.* 7. *§. fin. & c. Inter* 10. *in fine h. t.* de quo infra: & licet *Gl. hic V. Deſtitutus*, dicat, quod in caſu iſto non debuit privari beneficiis, ſed ſuſpendi tantum ab officio, juxta *cit. c. Inter in princ.* tamen ibi non eſt ſermo de deficiente in purgatione, ſed de infamato, quomodo contra illum procedendum ſit, a principio, priusquam ſe purgaverit, *Abb. hic n.* 7.

Notandum ſecundo, proceſſus Judicum delegatorum in caſu hujus c. fuit irritus declaratus, ob prætermiſſum Juris ordinem, quia nimirum lis non fuerat conteſtata, quæ litis conteſtatio fieri debet, ſi Inquiſitio fiat, ad petitionem alterius principaliter eam promoventis, quia tunc ille eſt loco accuſatoris, *Abb. hic nu.* 3. Vel quia Presbyter non fuit citatus, nec legitime convictus, & tamen condemnatus, & Eccleſiis, ſeu beneficii privatur, ſed Judices judicarunt notorium, quod non erat, ut patet ex ſequentibus, quamvis per partem adverſam contrarium fuerat allegatum, *Hoſtienſ. hic V. Juris Ordine.*

Notandum tertio, poteſt crimen adulterii, inceſtus aut fornicationis adeo eſſe notorium, ut negari non poſſit, & ſine alia inquiſitione, Judex poſſit procedere ad impoſitionem pœnæ, ob notorietatem facti, ut ſi de eo fama communis ſit in populo, & omnes in tota vicinia addicant: idque quia mulierem alienam, vel conſanguineam in domo retinet, & adhibet ſociam tori, & menſæ, vel quia ex ea ſuſcepit filium &c. *Abb. hic n.* 4. Et in tali delicto notorio laici poſſunt eſſe teſtes contra Clericos, unde in hoc c. dicitur quod populus totius viciniæ teſtis erat, *Abb. hic n.* 5.

XIV. Notandum quarto, quando crimen, de quo aliquis eſt publice infamatus, eſt notorium, non eſt ei indicenda purgatio Canonica, quia tum non eſt opus probatione, *c. Manifeſta* 15. *cauſ.* 2. *quæſt.* 1. *c. Evidentia* 9. *de accuſat.* nec purgatio requiritur, quia non habet locum, niſi cum factum eſt dubium, & accuſatores, ac teſtes deficiunt, *cap. De manifeſta* 27. *cap. pen. & ult. cit. cauſ. & quæſt.* citatio tamen etiam in notoriis facienda eſt, *cap. de illicita* 6. *cauſ.* 24. *quæſt.* 3. *cit. cap. De manifeſta*, niſi conſtet citatum nullam habere poſſe defenſionem, vel excuſationem, *Barb. hic in collect. num.* 5. item ſententia proferenda eſt contra infamatum, ut dicitur in hoc cap. Interdum tamen etiam in notoriis recipiuntur probationes ex abundanti, & ad majorem cautelam, *cap. Bona* 24. *§. Licet autem de Elect. c. Pudenda* 33. *in fine cauſ.* 24. *quæſt.* 1. *l. Cauſam* 20. *in princip. ff. de manumiſſ.* cum nihil ſit ita indubitatum, quod non recipiat quandoque ſolicitam dubitationem, *Auth. de Tabellariis, circa medium collat.* 4. *Gl. hic Verſ. non erat.* Quare quando Judex fert ſententiam, tanquam ſuper re certa, & manifeſta, & ſimul tanquam ſuper re dubia, ea non valet, quia continet repugnantia, non autem ex ſuperabundanti recipere probationem, *Gloſ. Abbatis Alexand. de novo hic lit. E.* unde quidquid occaſione talis ſententiæ factum eſt irritatur, *Gloſ. hic V. Repugnantia.*

Notandum quinto, Judex Ordinarius non poteſt, pendente cauſa coram Judicibus delegatis, infamato indicere purgationem, ob defectum juriſdictionis: quoad illam cauſam: ſed purgatio tanquam a non ſuo Judice indicta non valet, *Gl. fin. hic* quia Papa vel alius Princeps, committendo cauſam aliquam, videtur Ordinariis Judicibus inferioribus tacite adimere juriſdictionem, quoad illam cauſam, adeo ut non valeat proceſſus coram inferiore Judice inſtitutus, *Abb. hic num.* 7.

§. III.

Qua ſit forma purgationis, ſive quomodo ea fieri debeat?

XV. Aſſertio 1. Si quis accuſatus, denunciatur, vel infamatus ſit de crimine, idque legitime, & plene probari non poſſit, aut vehementer de eo ſit ſuſpectus: tum ſi crimen neget, debet, præſtito juramento purgationis, ſe defendere, & innocentiam ſuam oſtendere, ſecundum formam, & modum præſcriptum, in *c. Quoties* 5. *h. t.* Nam
,, cum Epiſcopus Tridentinus accuſatus fuiſſet, quod per
,, Simoniam Eccleſiam Sancti Petri contuliſſet Presbyte-
ro P. pro quatuor modiis frumenti, ſed accuſatores (id eſt, delatores, vel denunciatores, nam ſi fuiſſent veri accuſatores, debuiſſent, ſi non probarent, puniri pœna Talionis, denunciantes vero pœna extraordinaria, *c. 2. de calumniator. Gl. hic Verſ. Accuſat. & Hoſtienſ.*) hoc ſecundum
,, formam Canonicam, probare non potuerunt (quia forte
,, teſtes producti, propter ætatem, vel crimen ſeu infa-
miam vel aliam cauſam, ſecundum Canones, repelli poterant a teſtimonio, vel non ſufficienter probabant id, ad quod producebantur, ſive ſufficientem cauſam teſtimonii non reddebant, *Innoc. hic V. Formam Canonicam.*) Unde
,, quæſitum fuit ex Papa Innocentio III. quid eſſet agen-
,, dum? Reſpondet Papa, quod tertia manu ſui Ordinis
,, (ſcilicet Epiſcoporum *Gloſ. Verſ. eod.* ubi ait, ex hoc
,, patet, quod Epiſcopus ſit Ordo) & quarta Abbatum,
,, & Religioſorum (id eſt, bonæ opinionis, & honeſto-
,, rum, *Hoſtienſ. hic Verſ. eod.*) de illa Simonia purgare
,, ſe debeat. Tenor autem hujus purgationis talis eſſe de-
,, bet. Epiſcopus jurabit primum ſuper Sancta DEI Evan-
,, gelia, quod pro Eccleſia S. Petri danda Presbytero P.
,, per ſubmiſſam aliam perſonam nec aliquis pro eo ſe ſci-
,, ente, pretium recepit. Deinde Compurgatores jurabunt,
,, quod ipſi credunt, eum verum juraſſe.

XVI. Ubi quædam ſunt notanda, primo etſi accuſator, vel denunciator deficiat in probatione, ſi tamen accuſatus, vel denunciatus maneat diffamatus, vel vehementer ſuſpectus, debet ſe purgare, *Gloſ. hic in notatis, & Innocent. in fine.* Secundo, numerus compurgatorum eſt arbitrarius, nam hic non requiruntur XII. compurgatores, ſicut in *cap. 1. hoc tit. Abb. hic not.* 1. qui tamen debent eſſe bonæ opinionis, ita ut non ſit veriſimile, eos velle pejerare, *Gl. hic in notat. & Verſ. Religioſorum*, de quo infra. Tertio, quamvis alias regulariter non debeat Epiſcopus, jurare tactis, ſed ſolum propoſitis coram ipſo SS. Evangeliis *Auth. Sed Judex, Cod. de Epiſc. & Cleric.* hic autem eſt caſus ſpecialis in quo jurare debet, tangendo Evangelia, *Hoſtienſ. hic Verſ. Evang. & Abb. not.* 2. Quarto qui ſe purgat, jurare debet, ſe crimen ipſi imputatum non feciſſe, nec per alium, non enim licet alicui per alium, quod per ſe ipſum ei non licet, *c. pen. cauſ.* 1. *q.* 7. *& l.* 2. *in princ. ff. de admin. rerum ad Civit. pertin.* & qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur, *Gloſſ. hic Verſ. Submiſ. & Hoſtienſ.* unde etiam ſe purgans jurare debet, quod crimen, de quo eſt ſuſpectus, non mandaverit, nec conſuluerit, nec ei favorem, nec auctoritatem, vel auxilium dederit, *Arg. cap. Si quis* 7. *diſ.* 50. nec ſuo nomine factum ratum habuerit, *Arg. cap. Cum ad Sedem* 15. *de reſtit. ſpoliat. Silveſt. V. Purgatio, num.* 6. Quinto is, qui ſe purgat ab infamia, debet ſuper Evangelio jurare de veritate: illi vero qui eum purgant, non debent jurare de veritate, quia non poſſunt ſine periculo perjurii jurare de facto alieno: & ſic eſt caſus in quo teſtes admittuntur jurantes de credulitate, quod credant eum verum dicere, vel jurare, *Gl. fin. hic & Abb. n.* 2. *not.* 3.

XVII. Aſſertio 2. Non ſufficit Prælato alicui de criminibus infamato, cum ſe purgat, jurare, quod ſit immunis ab illis criminibus, ſed jurare debet quod poſt promotionem ſuam ad Prælaturam, illa crimina non commiſerit, prout ſtatuitur in *c. Accepimus* 26. *& ult. hoc t.* Nam cum
,, Archiepiſcopus Biſuntinus infamatus eſſet de Simonia,

ven-

„ venditione juſtitiæ, & incontinentia, Papa Innocentius
„ III. mandavit quibuſdam, ut ſuper quibuſdam criminibus
„ ſe coram ipſis purgaret, qui accepto hoc mandato, ip-
„ ſum citarunt, ut ſe coram ipſis præſentem ſiſteret. Ar-
„ chiepiſcopus comparens ad diem præfixum, purgationem
„ Judicibus a Papa delegatis ſub hac forma obtulit: vide-
„ licet ſe eſſe immunem ab illis criminibus, ſuper quibus
„ ſe purgare debebat. Sed Judices talem purgationem ad-
„ mittere nolebant, idquo ſignificabant Papæ. Ipſe vero
„ Archiepiſcopus ad Sedem Apoſtolicam accedens, propo-
„ ſuit, quod Judices volebant, ut juraret, ſe nunquam a
„ nativitate ſua in peccatum carnis lapſum fuiſſe, ideoque
„ petebat, ut ſaltem, quoad purgationem incontinentiæ,
„ rigor ille mitigaretur. Sed Papa non credidit ſub hujuſ-
„ modi forma exactum fuiſſe ab eo juramentum (nam etſi
„ tali modo ſe purgare deberet Epiſcopus, ſufficeret, quod
„ poſt baptiſmum vitium incontinentiæ non commiſerit,
„ *c. ult. diſ. 25. Gl. hic V. a nativitate, & Hoſtienſ.*) ſed potius
„ præſumendum eſſe, quod Archiepiſcopus, ob aliam cau-
„ ſam ſe ſub illa forma purgare volebat, quod ſcilicet im-
„ munis erat ab illis criminibus, de quibus fuerat infama-
„ tus, quia ab illis tanquam dimiſſis per pœnitentiam eſſet
„ immunis. Sed hoc jurare temerarium erat, cum S. Job.
„ dicat *c. 9. Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorat anima
„ mea*. Quare Papa præſcriptam formam ſecundum quam
„ idem Archiepiſcopus ad purgandum ſe obtulit, quippe
„ indiſcretam & temerariam, ac ineptam reprobavit,
„ mandans eidem, ut ſi voluerit, & potuerit ſe purgare
„ in ſano intellectu, ſecundum hanc formam, ſe purget,
„ ſcilicet jurando ſe graviora illa crimina, Simoniam, ven-
„ ditionem juſtitiæ & incontinentiam, de quibus infama-
„ tus extitit, non commiſiſſe, poſtquam ad Archiepiſcopa-
„ lem dignitatem eſt aſſumptus, & Compurgatores ſic ju-
„ rent, quod credunt, illum verum juraſſe, quo facto, il-
„ lum judices dimittant in pace, alioquin ipſum ab Eccle-
„ ſia Biſuntina removere debeut.

XVIII. Pro explicatione hujus c. notandum primo, infamatus de delicto non cogitur ſe per juramentum purgare, a tempore nativitatis ſuæ, ſed ſolum de criminibus, de quibus infamatus extitit, & non de aliis occultis: & quidem ſi Prælatus ſit, ſolum de delictis, quæ commiſit poſt promotionem ad Prælaturam, purgare ſe debet, quia cum tempore ſuæ promotionis non fuerit infamatus de delictis prius commiſſis, alias non debuiſſet promoveri *c. Tantis 3. diſ. Et. c. Omnipotens 4. de accuſat.* de illis non compellitur ſe purgare; & cum illi, qui Prælatos promovent, approbaverint mores illorum, non poſſunt poſtea eos reprobare, *Gl. hic V. de quibus, & V. poſtquam, & Abb. n. 3.*

Notandum ſecundo, etiam poſt pœnitentiam actam de delicto, non poteſt quis vere, & certe aſſerere, ſe eſſe immunem a crimine, adeoque nec ita jurare, tum quia forte non recte egit pœnitentiam: tum quia etiam poſt actam pœnitentiam adhuc ex facto remanet publica infamia, quæ per pœnitentiam non tollitur, *c. Eaphenum 7. §. Hinc colligitur, cauſ. 2. q. 3.* ad quam tollendam neceſſaria eſt purgatio, ſecundum formam in hoc. c. traditam, *Gl. hic V. Commiſiſſe, & Abb. n. 2. not. 3.*

Notandum tertio, incontinentia, ſeu fornicatio ſimplex numeratur hic inter graviora crimina, propter frequentiam delicti, vel quia facilius per illam anima ſeparatur a Deo; vel quia in Epiſcopo eſt grave peccatum, & adulterium ſpirituale, cum habeat in ſponſam Eccleſiam ſuam, & propter Ordinem Sacerdotalem, & Epiſcopalem, quem habet, *Hoſtienſ. hic V. Incontinentiam, & Abb. n. 4.*

XIX. Cæterum quod dictum eſt, ei, qui eſt infamatus de crimine, vel vehementer ſuſpectus, deferendum eſſe juramentum purgationis, ut innocentiam ſuam oſtendat, jurando ſe crimen tale non commiſiſſe, id limitari debet primo, dummodo ſit perſona nobilis, vel honeſta: ſecus ſi ſit perſona vilis, vel infamis, nam talis juramento ſe purgare non debet, prout habetur in *c. Nobilis 1. h. t.* ubi Concilium Triburienſe decrevit, ut ſi nobilis homo, vel ingenuus (id
„ eſt, liber natus, etſi alias nobilis non ſit, *Gl. hic V. Inge-
„ nuus* quia alias ita ſe purgaret nobilis, ſicut ignobilis)
„ in Synodo accuſatus (& infamatus fuerit, *Gl. hic V. Ex-
„ purget.*) crimen negaverit (nec convinci potuerit, alio-
„ quin non indiceretur purgatio, *c. 3. h. tit. Hoſtienſ. hic V.
„ Negaverit*) ſi fidelem (id eſt, fide dignum, veracem, ju-
„ ſtum, bonæ famæ, qui non facile pejeraret, *Gloſ. hic V.
„ Fidelem, & Hoſtienſ.*) eum eſſe ſciverit (ſcilicet ipſa Sy-
„ nodus, vel ei præſidens, vel alius Judex extra Synodum,
„ *Gloſſ. hic V. Sciverit*, vel crediderit, quod tamen ſemper
„ credere debet, niſi contrarium probetur, *Gl. hic V. Scive-
„ rit.*) cum XII. ingenuis ſe expurget, (pluribus, vel pau-
„ cioribus, ſicuti Judici viſum fuerit, quia numerus Com-
„ purgatorum eſt arbitrarius, *Gloſ. hic V. Duodecim, & Ho-
„ ſtienſ.*) Si autem antea deprehenſus fuerit in furto, aut
„ perjurio, aut falſo teſtimonio, non admittatur ad juran-
„ dum: ſed ei, ſicut qui ingenuus non eſt, purgatio in-
„ dicatur. Ratio eſt, quia furti damnatus eſt infamis, *lib.
Athletas 4. §. fin. ff. de his qui not. infam.* ideoque non admittitur juramentum, *Gloſ. hic V. In furto, & Hoſtienſ.* ſicut nec perjurus, *c. Parvuli 14. cauſ. 22. qu. 5. Quicunque 18. cauſ. 6. qu. 1.* quia præſumitur contra ipſum, quod iterum pejeraturus ſit: nec qui falſum teſtimonium tulit, quia & hic perjurus eſt, *Gloſ. hic V. Perjurio, & Hoſtienſ.*

XX. Ubi notandum primo, ſi infamatus de crimine ſit perſona nobilis, aut honeſta, tunc debet illi indici purgatio Canonica per juramentum: ſi vero ſit ſervus, vel alia perſona vilis conditionis, vel quæ eſt ſuſpecta de perjurio, non debet illi deferri juramentum purgationis, ſed aliter ſe purgare debet, ad arbitrium Judicis, *Gloſſ. fin. hic, & Abb. in fine*. Quidam vero putant, quod talis ſubjici debet torturæ, & purgare ſe per tormenta, præcedentibus indicia, quia alias a quæſtionibus, ſive tormentis non eſt incipiendum, *c. Cum in contemplatione 6. infra de R. I. Hoſtienſ. hic V. Expurgabit Gloſſ. Abbat. in cit. c. 2. lit. B. Innocent.* vero *hic in fine* ait, quod ſervi, vel aliæ perſonæ viles, ſecundum hoc c. debeant ſe purgare vulgari purgatione; de qua *Tit. ſeq.* in quo olim in prima compilatione hoc c. poſitum erat: ſed hodie eſt cum ſimilibus abrogatum, *c. Mennam. 7. c. Conſuluiſti 20. & c. Monomachiam 22. cauſ. 2. qu. 5.* Verum cum nunc iſtud c. ſ. in hoc Titulo ſit poſitum, adeoque in eo non agatur de vulgari purgatione, non eſt ratio, cur dicatur correctum, *Gloſſ. Abbat. in cit. c. 1. lit. B.*

Notandum ſecundo, infamatus, infamia facti, admittitur ad ſe purgandum cum juramento, ut colligitur ex hoc c. quia non indicitur purgatio, niſi infamato, ſi ergo creditur juramento ſe purgantis, quando eſt fide dignus, ſequitur, quod infamia facti non tollat fidem teſtis; quod intelligendum eſt, quoad commodum proprium, quamvis non debeat admitti ad jurandum, in præjudicium alterius, ſive inter alios litigantes, *c. Licet 9. de probat.* At vero infamis infamia Juris non poteſt ſe purgare per juramentum, & repellitur non ſolum a juramento, in præjudicium alterius, *cap. Teſtimonium 54. de teſtib.* ſed etiam in ſuum commodum judicialiter præſtando, *Abb. in cit. c. 1. n. 4. h. tit. & Gloſſator ejus Alex. de Nevo lit. G.*

XXI. Limitatur ſecundo, quod ſupra dictum eſt de indicenda purgatione, cum juramento, infamato de crimine, ut ſolum procedat, quando crimen, de quo eſt infamatus, tantum ſemiplene probatum eſt, ita tamen, ut contra reum vehemens, ac fortis ſit ſuſpicio, ſeu præſumptio, nec contra ipſum adſint indicia criminis, quæ ſufficiunt ad torturam: ſecus eſt, ſi crimen plene probatum ſit, tunc enim reus condemnari debet, *c. pen. h. t.* vel ſi nihil omnino contra ipſum probatum ſit, tunc enim ſine juramenti delatione abſolvi debet, *l. Qui accuſare 4. C. de edend. l. Actor 23. c. de probat. Clarus §. fin. q. 63. n. 4.*

§. IV.

Quomodo procedendum ſit contra infamatum de crimine, negligentem famam ſuam, ſive ſe purgare ab infamia?

XXII. De hoc agitur imprimis in *c. Si quis 2. h. t.* ubi
„ Concilium Agathenſe ſtatuit, ut ſi quis Presbyter negli-
„ gens vitæ ſuæ, id eſt, famæ ſuæ, pravis exemplis, ma-
„ la de ſe ſuſpicari permiſerit, (id eſt, talia fecerit, ob
„ quæ aliqui merito de ipſo male ſuſpicari poſſunt, *Ho-
„ ſtienſ. hic V. permiſerit*) & populus ab Epiſcopo juramento
„ (juxta *c. Epiſcopus 7. cauſ. 35. q. 6. & c. Præterea 7. de te-
„ ſtib. cogend.*) cum banno Chriſtianitatis, aſtrictus, id eſt,
„ ſub pœna fidei ſuæ, qua Chriſto obſtrictus eſt) *Gloſſ. hic
„ V. eod. & Hoſtienſ. & Abb. hic num. 3.*) infamiam ejus pa-
„ tefecerit, certique accuſatores criminis defuerint (nam
„ ſi apparerent, audirentur, & probationes reciperentur,
„ nec indiceretur purgatio, *Hoſtienſ. hic V. Defuerint*) is ad-
„ moneatur primo ſeorſim ab Epiſcopo: deinde ſi non ſe
„ correxerit, coram duobus, vel tribus teſtibus, & ſi ad-
„ huc ſe non emendaverit, (id eſt, non vitaverit ea, unde
„ infamia oritur, vel ſi non emendaverit negligentiam, ſe
„ in bonis operibus exercendo, *Hoſtienſ. hic V. eod.*) Epiſ-
„ copus eum publice (id eſt, coram omnibus) admoneat.
„ Si vero nec ſic ſe correxerit, ab officio ſuſpendatur, uſ-
„ que ad condignam ſatisfactionem, (id eſt, quouſque ſe
„ purgaverit, ad arbitrium Judicis, *Hoſtienſ. hic V. eod.*) ne
„ populus in eo ſcandalum patiatur.

XXIII. Ubi notandum primo Inquiſitio ab Epiſcopo debet contra infamatum fieri prius ſuper infamia, quam ſuper veritate criminis, *c. Qualiter 24. & c. Cum oporteat 19. de accuſat. Abb. hic num. 1. not. 2.* Secundo, ſi accuſator adſit, non debet infamato indici purgatio, quippe quæ ſubſidiaria eſt, ſi nimirum crimen aliter probari non poſſit, prout ſumitur ex hoc *c. Abb. hic not. 2.* Tertio, infamatus debet ſuſpendi ab officio, donec ſe legitime purgaverit, *Abb. hic n. 2.* de quo tamen plura infra.

XXIV. Præterea quod ſuſpendi poſſit infamatus de crimine, non ſolum ab officio, ſed etiam a beneficio, donec ſe purgaverit, decernitur in *cap. Inter ſollicitudines 10. h. t.*
„ Ubi talis caſus proponitur, ut tradit *Gl. In caſu*. Cum
„ Decanus Senonenſis graviter infamatus eſſet de hæreſi,
„ eo quod cum hæreticis nimiam familiaritatem habuerit
„ in quadam villa, Archiepiſcopus Senonenſis ipſum ab of-
„ ficio, & beneficio ſuſpendit: & quamvis nullus accuſa-
„ tor compareret, tamen ex officio ſuo, deferente fama
„ publica, voluit de hoc inquirere veritatem, & receptis
„ ſuper hoc teſtibus contra Decanum, ipſum poſtea, cum
„ atteſtationibus, miſit ad Papam Innocentium III. qui co-
„ gnito negotio, & viſis atteſtationibus, ipſi Archiepiſcopo
„ in hæc verba reſcripſit: Quamvis Conſtitutio Eccleſiaſti-
„ ca (quæ ſtatuit, ut infamati, deficiente accuſatore, præ-
„ miſſa admonitione, ſi ſe non corrigant, ab officio ſuſpen-
„ dantur, *c. 2. h. tit. & cap. Presbyter 13. cauſ. 2. quæſt. 5.*)
„ jubeat tales ab officio tantum, uſque ad purgationem
„ Canonicam eſſe ſuſpendendos: quia tamen ipſum etiam a
„ beneficio, propter immanitatem criminis, (ſcilicet hæ-
„ reſeos) ſuſpendit, non vult Papa id improbare, ſicut nec
„ illud, quod Archiepiſcopus teſtes ex officio ſuo, fama pu-
„ blica deferente, contra ipſum Decanum recepit, licet
„ nullus legitimus accuſator appareret. Conſiderans vero
„ Papa vulgatam infamiam, grave ſcandalum, & vehemen-
„ tem ſuſpicionem, ex teſtium dictis, contra ipſum, obor-
„ tam eſſe, cum propter quodlibet eorum purgatio ei eſſet
„ indicenda, ſervare volens juſtitiam, & temperare rigo-
„ rem, purgationem decimæquartæ manus ſui Ordinis ei-
„ dem indixit, remittendo eum ad Archiepiſcopum, ut
„ ibi purgetur, ubi publice eſt infamatus; mandans Ar-

chie-

„ Archiepiſcopo, ut adjunctis ſibi duobus Epiſcopis, purga-
„ tionem ei indictam recipiat: ita tamen, ut qui ad ejus pur-
„ gationem comprobandam acceſſerint, ſint Catholici, & vi-
„ ta probati, & qui converſationem, ac vitam ipſius Decani
„ præſentem, & præteritam noverint. Purgatione vero re-
„ cepta, & beneficium ei reſtituant: ſed ei in pœnam illius
„ familiaritatis, quam habuit cum hæreticis, (ex qua orta
„ fuit infamia illa contra ipſum, nam contra aliquem, vel
„ pro aliquo præſumitur ex ſocietate bona, vel mala cum aliis,
„ *Gl. hic V. Familiaritatis & Hoſtienſ.*) ab officio maneat ſuſpen-
„ ſus, donec ſcandalum ſopiatur, ita tamen ut familiarita-
„ tem hæreticorum publice abjuret. Inſuper dicto Decano
„ præcipiat, ut in prædicta villa, & aliis vicinis locis, fidem
„ Catholicam prædicet, & hæreticam pravitatem deteſte-
„ tur: ſicque deinceps vitam ſuam inſtituat, bonis operibus
„ vacuando, ut infamia convertatur in bonam famam, &
„ omne ſcandalum tollatur. Quod ſi forte in purgatione defe-
„ cerit, ab officio, & beneficio deponatur, & in arctum Mo-
„ naſterium ad agendam pœnitentiam detrudatur.

XXV. Pro explicatione hujus c. notandum primo. Infamatus de crimine non debet regulariter ſuſpendi a beneficio, priuſquam deficiat in Canonica purgatione, niſi propter enormitatem criminis, vel grave ſcandalum immineat, tunc enim poteſt ſuſpendi etiam a beneficio, donec ſe legitime purgaverit, *Gl. in c. Præsbyter*, 23. *V. Suſpendatur*. 2. *cauſ*. 2. *quæſt*. 5. *Abb. hic nu*. 2. *not*. 2.

Notandum ſecundo. Quando proceditur per modum inquiſitionis, & crimen non eſt plene probatum, non debet reus ſimpliciter abſolvi, ſed poteſt compelli ad purgandum ſe, ſi remaneat publica infamia, vel grave ſcandalum, etiam ſine infamia, ut differat a primo, vel vehemens ſuſpicio: nam ob hæc tria poteſt indici purgatio Canonica, ita ut quolibet eorum per ſe ſolum ſufficiat ad illam indicendam, prout dicitur in hoc c. *Hoſtienſ. hic V. qua & Abb. n*. 2. *in notat*.

Notandum tertio. Quod ad ordinem, ſeu modum procedendi contra infamatum, antequam ſuſpendatur ab officio, vel purgatio ei indicatur, attinet, diſtinguendum eſt: vel enim eſt infamatus de delicto ſucceſſivo, ſeu permanente, quia v. g. detinet mulierem ſuſpectam in domo, vel verſatur in loco minus honeſto: & tum neceſſario præcedere debent admonitiones præſcriptæ in *c*. 2. *h. t*. quia poteſt ſe emundare, abſtinendo ab actibus ſuſpectis; vel delictum eſt momentaneum, ſeu tranſiens, quia infamatus eſt de homicidio commiſſo, vel furto, vel ſimonia: & tunc non eſt neceſſarium, ut præcedant admonitiones, quia fruſtra illæ fierent, cum non poſſit ſe corrigere, quoad delictum jam præteritum, & peractum, ideoque tunc non requiruntur illæ admonitiones, nec debet fieri ſuſpenſio ab officio, ſed Judex ſtatim infamato indicere poteſt purgationem, quam ſi præſtat, abſolvi debet: ſi vero in illa deficiat, condemnari debet, & puniri, tanquam convictus. Niſi tamen delictum ſit enorme, vel grave ſcandalum in populo immineat, tunc enim prius poteſt eum ſuſpendere ab officio, donec ſe purgaverit, juxta *cit. c*. 2. imo etiam a beneficio, juxta *cit. c. Inter. h. t*. & ſi præſtet purgationem, tolletur ſuſpenſio, & abſolvetur, *c. Ex tuarum* 8. *h. t*. alias vero condemnabitur, ut dictum, *Abb. in cit. c*. 2. *nu*. 4. *& in c. Inter* 10. *n*. 4. *hoc tit*. Sed contra eſt, quia juxta *cit. c. Inter*. Infamatus etiam non ora ſtitam purgationem, manet ſuſpenſus ab officio, donec ſcandalum ceſſet, ergo per purgationem non tollitur ſuſpenſio ab officio. Reſpondent communiter DD. quod illud ſpeciale ſit in crimine hæreſis, vel alio gravi, & enormi crimine, alias vero regulariter tollatur per purgationem ſuſpenſio quoad officium. Verum *Abb. in cit. c. Inter n*. 3. ait, quod in caſus illius cap. non ſit ſublata ſuſpenſio ab officio per purgationem, id factum eſt, non præciſe propter enormitatem delicti, ſed quia purgatus dedit cauſam infamiæ, & ſcandali, contrahendo nimiam familiaritatem cum hæreticis, ac proinde id non eſſe ſpecialem exceptionem, ſed univerſim loquendo, quandocunque infamatus, male vivendo per actus illicitos, & a Jure reprobatos dedit cauſam infamiæ, & publici ſcandali, licet præſtet purgationem, debeat tamen manere ſuſpenſus ab officio, ut ſic præcedentes actus illius illiciti puniantur.

XXVI. Notandum quarto. Quamvis numerus compurgatorum ſit arbitrarius, tamen in caſu *cit. c. Inter*. is exceditur propter immanitatem criminis, *Gloſſ. hic V. Quarta decima*: nam alias ſecundum Canones ordinarie pauciores adhibentur, de quo infra. Hic tamen requiſiti fuerunt XIV. compurgatores, & tamen dicit Papa, quod rigorem Juris in hoc temperaverit, quia cum propter tres cauſas ſimul concurrentes in hoc cap. potuiſſet indici purgatio, ita ut deberent eſſe compurgatores XXI. pro ſingulis cauſis ſcilicet VII. tantum XIV. fuerunt requiſiti, ut notat *Hoſtienſ. hic V. Rigorem*. Regulariter tamen major numerus compurgatorum adhibendus eſt in perſonis majoribus, ſeu dignioribus purgandis, quam in minoribus, quia illi propter potentiam & quia pluribus ſunt noti, facilius poſſunt reperire compurgatores, quam inferiores, ſeu minores, *Abb. hic nu*. 4. *in fine*.

Notandum quinto. Etſi is, qui deficit in purgatione, debeat puniri ut convictus, adeoque qui deficit in purgatione criminis hæreſeos, depoſitus ab officio, & beneficio tradendus eſſet Curiæ ſeculari, *cap. Ad abolendam* 9. §. 2. *de hæret*. tamen hic ſolum jubetur detrudi in arctum Monaſterium, quia non vere, & directe, ſed ſolum præſumptive probatus fuit eſſe hæreticus, quia habuit familiaritatem cum hæreticis, prout tradit *Gloſſ. fin. hic*. Addit *Hoſtienſ. hic V. In arctum Monaſterium*, *& Abb. n*. 5. quod talis in arctum Monaſterium ſit detrudendus, ſi pœnitere voluerit, ut colligitur ex illis verbis, *ad agendam pœnitentiam*: nam ſi vere convictus de hæreſi, vel confeſſus poteſt redigere ad fidem, & evitare pœnam mortis, ita ut detrudatur in perpetuum carcerem *c. pen*. §. *fin. de hæret*: cui æquiparatur detruſio in Monaſterium: quanto magis, qui ſolum interpretative, ſeu præſumptive eſt convictus: alioquin vero ſi pœnitere nolit, & ſit incorrigibilis, tradendus eſt poteſtati ſæculari, quia de quacunque pœna agatur, deficiens in purgatione debet puniri, ut convictus, ut infra dicetur.

§. V.

De Compurgatorum qualitate, juramento, & numero.

XXVII. Quæritur primo. Quales eſſe debeant compurgatores, ſive teſtes eorum, qui ſe purgant ab infamia criminis? Reſp. primo, purgatores debent eſſe honeſtæ, ac probæ vitæ, & notam habere vitam, & mores purgandi ut conſtat ex *c. Cum P*. 7. *h. t*. Ubi habetur, quod Petrus
„ Marconella infamatus erat de ſimonia, ideoque ipſi indicta
„ fuit purgatio Canonica: quærebatur ergo, quales teſtes ha-
„ bere debeat ad compurgandum ipſum. Reſpondet Pa-
„ pa, Alexander III. quod compurgatores illi talis honeſta-
„ tis, & opinionis eſſe debeant, ut veriſimile ſit, eos nol-
„ le amore, vel odio, vel ſpe obtinendæ pecuniæ pejera-
„ re. Ut autem idonei ſint, neceſſe eſt, ut ejus, quem pur-
„ gare debent, vitam, & converſationem, ac mores cogno-
„ ſcant. Additur deinde, quod qui deficit in purgationi,
„ omni officio, & beneficio Eccleſiaſtico ſit privandus, de
„ quo infra. Denique in fine dicitur, quod qui recipiunt
„ purgationem, eis, qui purgandis in ſua purgatione aſſiſtere
„ nollunt, nullam malevolentiam, vel indignationem oſten-
„ dere debent, nec eos impedire, nec quantum in ſe eſt,
„ permittere debent ab aliis eos impediri.

XXVIII. Notandum primo. Etſi alias teſtes, qui deponunt ſuper contractibus, inſtrumentis, & aliis, non debeant neceſſario cognoſcere vitam, & mores eorum, contra quos vel pro quibus deponunt, niſi deponant de qualitate aliqua inhærente ipſis perſonis, de quo in *c. Cauſam*. 37. *de teſtib*. tamen compurgatores debent cognitam habere vitam, & mores ejus, quem purgare volunt, quia debent deponere de credulitate ſuper vita, & moribus purgandi, adeoque non poſſunt teſtificari de eo, niſi habeant notam vitam, & mores ejus. *Abbas hic n*. 2. quin imo compurgatores debent habere notam vitam, & mores purgandi, non tantum tempore præſenti, ſed etiam præterito, *cit. cap. Inter*. §. *Attendant*. ibi: *qui converſationem, & vitam ipſius, non tam moderno tempore noverint quam tranſacto, h. t*. quamvis *Hoſtienſ. ibid. V. Suſpenſum dicat*, quod illud ibi ſpeciale ſit, propter enormitatem criminis hæreſeos alioquin vero regulariter ſufficiat, ut compurgatores notitiam purgandi habeant, de præſenti, etſi non de præterito. Sed rectius *Abb. hic in fine*, diſtinguit, vel enim crimen, de quo purgandus eſt infamatus, jam pridem fuit perpetratum, & tum non ſufficit compurgatores habere notitiam ipſius, præſenti tempore, ſed etiam requiritur, ut norint, qualis fuerit vita ipſius, & mores, tempore præterito, quia purgandus potuit ſe corrigere, & nunc vivere honeſte. Vel delictum eſt commiſſum, moderno tempore, & ſufficit, quod habeant notitiam purgandi, tempore præſenti.

Notandum ſecundo. Quamvis alias de Jure communi compurgatores debeant eſſe ejuſdem Ordinis cum purgando, ut ſi hic Epiſcopus ſit, Compurgatores etiam ſint Epiſcopi, ſeu Ordinis Epiſcopalis: ſi Presbyter, Presbyteri, ſeu Ordinis ſacerdotalis: &c. Si tamen illi, qui ſunt ejuſdem Ordinis, fuerint inimici purgandi, admittuntur alii etiam inferioris Ordinis ad compurgandum, ut in *cit. cap. Cum in Juventute*. 12. *hoc tit*. Abbates ad compurgandum Epiſcopum: & ſi Clerici deſint, etiam honeſti laici, vel fœminæ, ſi deſint viri idonei ad compurgandum, *Gl. in cap. Clerici* 32. *V. aliquis diſ*. 81. *& in cap. In decima*. 24 *V. Dictam. cauſ*. 28. *quæſt*. 2. *& Gl. fin. in cit. c. Cum in Juventute*. 21. *h. t. Hoſtienſ. in Summa num*. 5. *h. tit*. Quod ſi purgandus ſit advena, ſeu extraneus, & nullos poſſit habere notos in loco, ubi purgare ſe debet adeoque nullos compurgatores etiam laicos, tum deficiente probatione criminis, credendum eſt ſoli juramento purgandi, *Gl. fin. in c. Cum P*. 10. *de renunſ. Abb. in cit. c. Inter. in fine h. t*.

XXIX. Reſpondetur ſecundo. Compurgatores purgandi debent eſſe non tantum perſonæ honeſtæ, ſed etiam vicinæ, ut traditur in *c. cum dilectus*. 21. *h. t*. Ubi Papa Innocentius III. mandat, ut tales ad purgationem admittantur perſonæ, quæ vicinæ ſint, & honeſtæ. Ratio eſt, quia vicinæ præſumuntur melius ſcire, & noſſe conditionem, & qualitatem, adeoque & vitam, & mores vicinorum, *Gloſſ. hic V. Vicina. & Abb. not*. 1. ubi addit, ſi tamen non poſſent haberi compurgatores vicini, quia ſunt exoſi purgando, vel inimici, poſſunt aſſumi alii, ut ſupra dictum.

XXX. Quæritur ſecundo, quomodo jurare debeant compurgatores? Reſp. debent jurare de credulitate, non de veritate, prout in *c. De teſtibus*. 13. *h. t*. ſtatuitur. Ubi Innocentius III. ita reſcribit: Illi, qui ad purgandam alicujus infamiam inducuntur, id ſolum tenentur juramento firmare, quod veritatem credant eum dicere, qui purgatur. Idem habetur in *c. Quoties*. 5. *in fine*, *& c. ult. in fine h. t*. Ratio eſt, quia alias ſubirent periculum perjurii, ſi de facto alterius præciſe jurarent, *Gl. hic V. Credant*. Sic juratur etiam de credulitate in juramento calumniæ, *l*. 2. *in fine. C. de Jurejur. propter calum*. dando, & quando fertur teſtimonium de auditu, *l. Si arbiter*. 28. *ff. de probation*.

XXXI. Quæritur tertio. Quænam conditiones in ſpecie requirantur in compurgatoribus, ut admitti debeant ad compurgandum, nec repelli poſſint? Reſpond. quatuor requiri. Primo, ut jurent, ſecundum conſcientiam, & opinionem ſuam, quod credunt eum, quem purgant, verum juraſſe. Secundo, ut ſint tolerati ab Eccleſia. Tertio, ut ſint bonæ famæ. Quarto, ut non ſint in judicio propter crimen condemnati, prout ſumitur ex *cap. Conſtitutus*. 9.
„ *hoc tit*. Ubi cum quidam Diaconus infamatus eſſet de
„ aliquo crimine, Epiſcopus indixit ei purgationem, qui
„ obtulit purgatores, ſive compurgatores, quos Epiſcopus ita
„ diligenter, & ſtricte examinavit, ac ſi Ordinationem
„ ſa-

„ facturus eſſet, eoſque recipere noluit. Quare prædictus
„ Diaconus ad Papam Lucium III. rem detulit, qui mira-
„ tus eſt, quod Epiſcopus ille purgationem oblatam reci-
„ pere noluit, niſi prius commendaſſet nomina ſingulorum
„ id eſt, examinaſſet, cujus nominis, & famæ eſſent, &
„ cujus nationis, ſive ubi nati ſint: eum in purgationibus
„ faciendis ſatis ſit, ſi purgatores præſtent juramentum,
„ ſecundum propriam conſcientiam, & opinionem, quod
„ purgandus a crimine ſit immunis (id eſt, quod crimen
„ de quo fuit infamatus, non commiſit, ſicut ipſi credunt,
„ alias hæc forma reprobari videtur in *c. ult. h. t.* & te-
„ mere jurarent, *Gl. hic V. Immunis*, & quod bonum jura-
„ mentum præſtitit, ſive vere juravit (ſcilicet purgatus;
„ ſicut ipſi credunt, *Gl. hic V. Juramentum*) Item ſi purga-
„ tores ab Eccleſia tolerentur, & ſint bonæ famæ, in ſuis
„ Ordinibus miniſtrantes, nec in judicio ob crimen ſint
„ condemnati, tunc enim abſque ulteriore inquiſitione ali-
„ cujus, ſunt admittendi. Addi poteſt quinta conditio, ut
„ habeant notam vitam, & converſationem ejus, quem
„ purgare volunt, *c. Cum P. 7. h. tit.* de quo ſupra, *Hoſti-
„ enſ. hic V. Tolleretur & Abb. not. 1.*

XXXII. Notandum primo. Si Compurgatores in judicio condemnati ſint de crimine, repellendi ſunt, tanquam criminoſi a teſtimonio, *cap. Teſtimonium 54. de teſtib.* quia per ſententiam condemnatoriam crimen factum eſt notorium, *c. fin. de cohabit. Cleric. & mulier. Gl. fin. in cit. c. Conſtitutus h. t.* Quin etiam ſi per modum exceptionis crimen objectum ſit compurgatoribus, & probatum, repelli poſſunt, ſi ex eo infamati fuerint, & gravata ſit eorum opinio, non ratione condemnationis, quæ non eſt facta, ſed ratione infamiæ, quæ ea repulſione ſecuta eſt, debent enim Compurgatores eſſe bonæ famæ, & opinionis, *cit. c. Conſtitutus junctis Gl. fin.* & ibi *Abb.*

Notandum ſecundo. Compurgatores non ſunt ita ſtricte examinandi, ſicut alii teſtes, vel etiam ſicut ordinandi, prout conſtat ex *cit. cap. Conſtitutus Gl. ibid. in notat.* Eſt & aliud diſcrimen inter Compurgatores, & alios teſtes, quod illi ſunt teſtes voluntarii, nec poſſunt compelli ad purgandum aliquem, ſicut alii teſtes ad ferandum teſtimonium, ut patet ex *Titulo de Teſtibus cogend.* 21. *l. 2. Decret.* Ratio diverſitatis eſt, quia Compurgatores jurati deponunt, ſecundum conſcientiam, & opinionem ſuam, ideoque poſſunt timere, ne perjurium incurrant: alii vero teſtes deponunt de his, quæ ſunt acta, ipſis præſentibus, & videntibus, vel audientibus, *Abb. in cit. c. Cum Dilectus in fin. h. t.*

XXXIII. Quæritur quarto. Quot ſint adhibendi Compurgatores? Reſp. olim ſecundum antiquos Canones, Epiſcopus ſe purgabat, adhibitis XII. Epiſcopis, *c. Omnibus 19. in fine cauſ. 2. q. 5.* Sacerdos adhibitis V. vel VII. Sacerdotibus, ad arbitrium Epiſcopi: Diaconus denique coram tribus aliis Diaconis, *cit. c. Omnibus c. Si legitimi 12. & c. ſeq. cit. cauſ. & q.* Et quidem ſi quis publice infamatus fuit apud populum, coram illo ſe purgare debet: ſi vero apud Clerum ſolum infamatus fuit, coram Clericis tantum ſe purgabit, & utroque caſu coram Judice, *c. Illud 5. diſ. 23. c. 2. cauſ. 15. q. 5. Silveſt. V. purgatio qu. 4. Hoſtienſ. in Summa numer. 4. h. tit.* Hodie vero Compurgatores adhibendi ſunt plures, vel pauciores, ſecundum arbitrium Judicis, ſpectata qualitate perſonæ, gravitate criminis, & infamiæ, *cap. Presbyter. 13. & cit. c. Omnibus cauſ. 2. qu. 5. Abb. in c. Inter. 12. num. 4.* Unde in *c. Inter. 10. h. t.* indicta fuit purgatio Decano alicui, adhibitis XIV. ſui Ordinis, & in *cap. Cum in Juventute 12. h. tit.* cuidam Epiſcopo, cum duobus tantum Abbatibus, & in *c. Cum P. 10. de accuſat.* cuidam Sacerdoti, cum tribus tantum Sacerdotibus, ut proinde numerus compurgatorum hodie ſit arbitrarius, *Silveſt. cit. l. q. 5. Hoſtienſ. cit. l. n. 4.* Quod ſi in indicenda purgatione compurgatoribus, vel alias modos purgandi nimis excederetur, poſſet appellari, quia in his, quæ arbitrio prudentis viri commiſſa ſunt, appellari poteſt, ſi non arbitretur, ut vir bonus, *c. 2. de dilation. l. Si qua pœna 244. ff. de V. S. Abb. in cit. c. Inter. 10. nu. 5. h. t.*

§. VI.

De effectu purgationis Canonicæ, & pœna deficientis in illa.

XXXIV. Quæritur primo. Quis ſit effectus purgationis Canonicæ? Reſpond. effectus is eſt, ut purgatione legitime & rite peracta abſolvendus ſit a ſuſpenſione, ſi præceſſit, & ab infamia criminis is, cui purgatio eſt indicta, *c. Habet 6. cauſ. 2. q. 5. Silv. V. purgatio qu. 7.* Purgatio vero illegitime facta non tenet, & conſequenter nec abſolutio, ſecundum illam facta, prout ſumitur ex *c. Ex tuarum 8. h. tit.*
„ Nam quidam Presbyter infamatus de homicidio, ab E-
„ piſcopo ſuo eſt ſuſpenſus ab officio ſuo Sacerdotali ſed
„ dictus Presbyter litteras quaſdam exhibuit Anteceſſoris E-
„ piſcopi, in quibus continebatur, quod judicio aquæ frigidæ
„ ſuam innocentiam purgaſſet, & Epiſcopus ipſum abſol-
„ viſſet: re delata ad Papam Lucium III. is reſpondit: quia
„ peregrina (id eſt, extranea, & reprobata, vel vulgaria,
„ & popularia: quamvis alias judicium peregrinum accipia-
„ tur pro judicio non ſui Judicis, ſed extranei, ſive alieni
c. Peregrina 12. cauſ. 3. q. 6. Gl. hic V. peregrina & Hoſtienſ.)
judicia ſunt inhibita, *c. Monuum 7. in fine cauſ. 2. q. 5. & ter. tit. ſeq.* purgatio, quam præſtitit, non ſufficit: ideoq; man-
„ dat idem Papa, ut ſi idonei accuſatores non apparuerint
„ eum ſeptima, aut quinta manu ſui Ordinis, ſicut Epiſ-
„ copus expedire cognoverit, per purgationem Canonicam
„ innocentiam ſuam oſtendat: qua præſtita, ſuſpenſionem,
„ ſine difficultate, relaxet, & eum boni teſtimonii annun-
„ cians, ab infamia homicidii, non obſtante ullius contra-
„ dictione, vel appellatione, abſolvat.

XXXV. Notandum primo, Quamvis alias infamatus de crimine, non debeat ſtatim a principio ſuſpendi ab officio, quia lite pendente, non debet quis turbari, vel privari poſſeſſione ſua: ſi tamen infamia tanta ſit, ut generet ſcandalum in populo: vel ſi crimen, de quo aliquis eſt infamatus ſit valde grave, ſeu enorme, poteſt ſtatim a principio ſuſpendi ab officio, imo & beneficio, donec ſe purgaverit, *c. Inter. 10. h. t.* de quo ſupra: non enim debet interim adminiſtrare Divina, ne ſcandalum generetur in populo, *Gloſſ. hic V. Suſpendiſſes, & Abb. num. 1. & 3.*

Notandum ſecundo. Semel abſolutus ab infamia criminis per purgationem Canonicam, non tenetur amplius ſe purgare, ut colligitur ex hoc c. a contrario ſenſu: quod ita intelligendum eſt, ſi Judex vellet jam purgato purgationem iterum indicere, vi infamiæ, & indiciorum præcedentium ſecus ſi infamia de novo oriatur; tum enim debet jam purgatus a priore infamia, etiam a nova, ſi denuo orta purgari, *Abb. hic n. 2.* Tollitur autem infamia facti in crimine ſucceſſivo, ſeu permanente per emendationem vitæ, ſive contraria bona opera, *Abb. hic n. 4.*

Notandum tertio. Infamatus de crimine, purgatione Canonica rite præſtita, debet, ſine mora, & dilatione, abſolvi a crimine, & declarari innocens, & in priſtinum ſtatum reſtitui, & ſic tollitur infamia, ſive effectus infamiæ facti, *Abb. hic n. 2. not. 3. & Barb. n. 2.* Quamvis alias infamiam facti omnino removere, ſolus DEI ſit, ut ait *Gl. hic V. Abſolvas* quia licet Princeps poſſit infamiam juris delinquenti reſtituere, ſive propter delictum contractam tollere: non tamen poteſt removere infamiam facti, quia Princeps, etiam Supremus, non poteſt tollere opinionem hominum de bonitate, vel malitia alicujus, ut bonum judicent eum credunt eſſe malum, ſed hæc infamia nonniſi a ſolo DEO aboleri poteſt, *Barb. hic nu. 4.*

Notandum quarto. Purgatio Jure reprobata, & prohibita non facit fidem, nullumque effectum habet, ſed perinde eſt ac ſi facta non eſſet; ſicut ſententia, quæ nulla eſt, non liberat aliquem, quia nunquam tranſit in rem judicatam, *Gloſſ. hic Verſ. non putantes. Barboſ. hic num. 3.* de quo plura, *Tit. ſeq.*

XXXVI. Quæritur ſecundo. An abſolutus a crimine per Judicem, quia ſe rite, & Canonice purgavit, poſſit poſtea accuſari de eodem crimine? Reſp. diſtinguendo, vel poſt purgationem rite factam, nova infamia ejuſdem criminis, eſt exorta; & tum purgatus poteſt iterum accuſari, & indici ei purgatio, probatione deficiente. Vel non eſt exorta nova infamia; & tunc ſi præceſſit accuſatio, ſed deficientibus, ſeu probatione, ratione infamiæ præcedentis, ei fuit indicta purgatio: tum regulariter non poteſt purgatus iterum accuſari de eodem crimine, ne de delicto ejuſdem hominis ſæpius quæratur, *l. Licet 6. in fine ff. Nautæ, Caupones &c.* Si vero non præceſſit accuſatio, tum vel terminus fuit aſſignatus, intra quem omnes, qui volunt accuſare, poſſint, cum clauſula, quod non audientur poſtea: & non debet admitti accuſatio, ſi nullus accuſator intra terminum illum comparuit, *Arg. c. ult. Qui matrim. accuſ. poſſ.* Si vero non fuit aſſignatus terminus accuſare volentibus, ſed purgatio, & abſolutio eſt facta, abſente accuſatore, non tamen per contumaciam: tunc non obſtante purgatione, & abſolutione debet admitti accuſatio, modo accuſator in ſe velit ſuſcipere onus probandi, quia fuit facta illa abſolutio per probationes non integras, ſeu plenas; nam teſtes jurarunt de credulitate tantum: non obſtante autem abſolutione criminis, quæ fuit facta, ſecundum probationes non plenas, poteſt accuſatio fieri ex plenis probationibus de novo repertis, *l. Admonendi 31. ff. de Jurejur. Abb. in cit. c. Ex tuarum nu. ult. h. tit.* Verum *Hoſtienſ. in Summa hoc tit. n. 6. in fine*, ait, ſive terminus aſſignatus fuerit ad accuſandum, ſive non: & ſive accuſator præceſſerit, ſive non, poſt purgationem præſtitam, non poteſt quis accuſari, ratione infamiæ præteritæ, ſive præcedentis juramentum purgationis, quia juſjurandum majorem auctoritatem habet, quam ſententia judicialis, *leg. 2. ff. de Jurejur.* & per juſjurandum idem quis conſequitur, quod per ſententiam, *leg. Sed ſi 11. ff. eod.* Excipitur tamen, niſi accuſans ſuam, vel ſuorum injuriam proſequatur, *leg. Si is qui 7. §. Iiſdem ff. de accuſat.* vel niſi probet primum accuſatorem prævaricatum fuiſſe, *leg. 3. §. 1. ff. de prævaricatione*, vel niſi probare velit, quod purgans pejeravit, cum enim juramentum purgationis ſit judiciale, contra illud probatio admittitur, *l. Admonendi 31. ff. de jurejur.* plura de hoc videri poſſunt apud *Hoſtienſ. c. l.*

XXXVII. Quæritur tertio, quæ ſit pœna deficientis in purgatione Canonica? Reſpond. Qui deficit in purgatione Canonica habetur pro convicto, & eadem pœna punitur, ac ſi de crimine convictus eſſet, quæ eſt pœna depoſitionis, ſive ut omni officio, & beneficio Eccleſiaſtico privetur, *c. Cum P. 7. §. Deficientem, h. t. & ibi Gl. V. privare*, conſiderato tamen modo agendi, juxta *Gl. margin. ibid. lit. A.* Idque ſumitur etiam ex *c. De hoc 12. de Simon.* ſaltem cum proceditur per modum accuſationis: imo etiam ſi procedatur per modum inquiſitionis, ut tradit *Gloſ. ibid. V. Deponendi*, ſi mereatur id criminis gravitas, quia eſt crimen exceptum, ut Simoniæ, & hæreſis, *c. Inter 10. h. t. Hoſtienſ. in Summa h. t. n. 7.* quod ſi præceſſit inquiſitio, vel denunciatio, pœna non ordinaria, ſed arbitraria deficienti in purgatione eſt imponenda, *Hoſt. c. l. n. 7.* Ratio autem, cur deficiens in purgatione puniatur, ut convictus, ea communiter redditur, quia præſumptio probabilis orta ex infamia tranſit in violentam, cum reus deficit in ſe purgando, quæ ſufficit ad condemnationem, *c. 2. de præſumpt. l. Indicia 19. C. de rei vind. Abb. in c. Cum acceſſiſſent 28. n. 4. de accuſ.* & alii communiter: quæ ratio tanquam minus non placet *Diaz. in pr. Canon. c. 132. n. 3.* quia violenta præſumptio non ſufficit ad imponendam pœnam ordinariam delicti, ſed id ſtatutum eſſe ait Jure Canonico ut Clericis non minus ſtuderent vitare infami-

am,

Digitized by Google

am, & vehementem ſuſpicionem criminis, quam culpam, ſive ipſum crimen, ne periculoſo eorum exemplo inficiatur populus Chriſtianus. Neque vero id eſſe nimis rigidum, quod Clericus deficiens in purgatione habeatur pro convicto, & æquali pœna puniatur, cum pœna ordinaria, a Canone lata in convictum per legitimam probationem, non ſit pœna mortis, vel mutilationis.

Ex quo ulterius infert dictus *Diaz. c. l. num.* 4. Clericum, propter defectum purgationis, degradatum, & traditum Curiæ ſæculari, non poſſe a Judice ſæculari puniri, pœna ordinaria criminis, qua Laicus convictus de illo delicto puniretur, cum non vere, ſed interpretative ſolum de crimine ſit convictus, pro quo Jure Civili, non imponitur pœna ordinaria, niſi claris probationibus, vel propria confeſſione reus ſit convictus: excepto crimine hæreſis, in quo non licet Judici ſæculari examinare proceſſum Inquiſitorum, cum ſit crimen mere Eccleſiaſticum, *c. Ut inquiſitionis* 18. *§. Prohibemus de hæret. in* 6.

XXXVIII. Porro alii adhuc duo caſus ſunt, in quibus deficiens in purgatione habetur pro convicto, primo, ſi infamatus non poteſt habere Compurgatores, quia teſtes non fidunt ei, vel nolunt pro ipſo facere juramentum credulitatis, quod credunt ipſum verum jurare, propter ipſius malam famam, *Abb. in c. Inter* 10. *h. t. Diaz. cit. c.* 152. *nu.* 2. Excipit tamen *Abb. c. l.* niſi eſſet extraneus, qui notos in loco, ubi purgare ſe debet, non habet, & ideo Compurgatores habere non poteſt, tunc enim ſtandum eſt ſoli juramento ipſius, ut ſupra dictum. Secundo, ſi abſens de crimine infamatus, vel vehementer ſuſpectus, & citatus Edicto peremptorio ad ſe purgandum, intra terminum præfixum purgationem non præſtet, habetur pro convicto, uti ſumitur ex *c. Decernimus* 10. *cauſ.* 3. *qu.* 9. *Abb. in c. Cum P.* 7. *n.* 4. *h. t. Diaz. c. l. n.* 2.

XXXIX. Poſtremo illud hic notandum, quod hodie ab Eccleſiaſticis Judicibus raro Clericis indicatur purgatio Canonica ab infamiis, & vehementibus ſuſpicionibus criminum, id adſcribendum eſt vel eorum tepiditati, & negligentiæ; vel quia difficulter, modernis temporibus, idonei Compurgatores inveniuntur, quia viri probi, cum videant corruptionem morum hujus temporis, ſtatus Clericalis deformationem, niſi bene notam habeant vitam Clerici purgandi, onus Compurgatorum ſubire nolunt, ut notat *Diaz. cit. c.* 152. *n.* 5.

TITULUS XXXV.

De Purgatione Vulgari.

I. Quæritur primo, quid ſit purgatio vulgaris, & cur ſit prohibita? Reſpond. Eſt ea, quam vulgus invenit, vel uſus induxit, quæ a SS. Canonibus eſt reprobata, & prohibita, tum quia inventa fuit, diabolo fabricante, ſive ejus inſtinctu, *c. Mennam* 7. *§. fin. cauſ.* 2. *qu.* 5. tum quia per eam DEUS tentari videtur, *cap. Monomachiam* 22. *in fin. ead. cauſ. & qu.* contra illud *Deuteron.* 6. *Non tentabis Dominum DEUM tuum*: tum quia per eam ſæpe is, qui in nulla culpa eſt, & innocens, punitur, ut conſtat ex *c.* 2. *h. tit. Hoſtienſ. in Summa h. t. n.* 1. *&* 2.

II. Quæritur ſecundo, quænam purgationes vulgares in ſpecie Jure Canonico ſint prohibitæ? Reſp. Prohibetur inprimis purgatio facta per Monomachiam, vel duellum, *c. Monomachiam* 22. *cauſ.* 2. *qu.* 5. *& c. Cum* 1. *h. t.* Nam cum „ quæſitum fuiſſet, utrum ſuper poſſeſſionibus, ſeu bonis „ Eccleſiarum (ſi forte de iis ſit contentio) poſſint fieri „ duella? Reſpondet Papa, quod nec in eo, nec in aliis „ etiam hoc debeat tolerari: adeoque hic univerſim prohibetur talis purgatio, ut nullo caſu debeat tolerari, idque ob rationes ſupra allatas. Nec obſtat, quod David cum Goliath pugnavit, 1. *Reg.* 1. quia id inſtinctu Spiritus S. factum fuit, *Gl. hic V. Aliquatenus tolerare*. Verum de hoc plura ſunt dicta ſupra *Tit.* 14. *§.* 1. *hoc libr.*

III. Secundo interdicta eſt etiam purgatio per judicium ferri candentis, vel aquæ ferventis, ſeu calidæ, *c. Mennam* 7. *§. ult. c. Conſuluiſti* 20. ubi talis purgatio vocatur ſuperſtitioſa adinventio., *cauſ.* 2. *qu.* 5. *& c. Dilecti* 3. *& ult. h. t.* „ ubi habetur, quod Livonienſes de novo ad fidem converſi, „ graviter conqueſti ſunt apud Sedem Apoſtolicam, quod „ Fratres Templarii, & alii, qui temporalem in eos poteſtatem habent, ſi quandoque de aliquo crimine infamantur, compellant eos ſubire judicium ferri candentis, & ſi „ aliqua exinde ſequatur aduſtio, pœnam civilem, ſeu le„ galem eis infligunt. Cum igitur hujuſmodi judicium pe„ nitus ſit interdictum, quippe in quo DEUS tentari vide„ tur, Ideo Papa Honorius III. mandavit cuidam Judici, ut „ prædictos Fratres, & alios per cenſuram Eccleſiaſticam, „ appellatione remota, compellat, ut ab hujuſmodi re„ cens converſorum gravamine omnino deſiſtant. Ratio au„ tem cur hujuſmodi purgatio vulgaris reprobetur, eſt, quia ferrum ignitum debet naturaliter lædere, ſive adurere tangentes illud, unde per hoc id intenditur, ut per miraculum DEUS impediat, ne qui illud tangit, aduratur, quod eſt tentare DEUM, *Abb. hic in fine*.

IV. Tertio inhibita eſt etiam purgatio per aquam frigidam, *c. Ex tuarum* 8. *Tit. præced.* vel panis, aut caſei, *Gl. margin. ibid. lit. B.* Et non tantum prædicta, ſed etiam alia hujuſmodi purgationum genera, velut fallacia, incerta, & ſuperſtitioſa ſunt prohibita, ut tradit *Gratianus in cit. cap. Conſuluiſti*, *§. Hoc autem*, *cauſ.* 2. *q.* 5. cujuſmodi eſt fluxus ſanguinis ex cadavere occiſi, præſente occiſore: item probatio ſagarum per aquam, in quam conjectæ mulieres ſuſpectæ magiæ, ſi ſubmergantur, innocentes: ſi vero ſupernatent, nocentes habentur, *Zaſ. in Comment. in Decret. h. t. num.* 2. *&* 3. Idemque eſt de aliis ſimilibus actibus, & ſignis, in quibus miraculoſa divinæ virtutis oſtenſio exſpectatur, vel ad occultæ veritatis probationem poſtulatur: nam in iſtis tentatur DEUS, ſaltem implicite, & interpretative, ideoque mala ſunt, & prohibita, etiam ſecluſa prohibitione Juris humani, ut docet *Suar. tom.* 1. *lib.* 1. *de irreligioſit. c.* 3. *n.* 8.

V. Porro de illo purgandi modo, qui olim frequenter fuit uſitatus per celebrationem Miſſæ, & ſumptionem SS. Euchariſtiæ, dubitatur, an ſit licitus, nec ne? Nam Concilium VVormatienſe relatum in *c. Sæpe* 23. *cauſ.* 2. *q.* 5. ſtatuit, ut ſi fiant furta in Monaſteriis, & qui hæc committunt, ignorentur: Miſſa ab Abbate celebretur, vel ab alio, ejus juſſu, qua finita, omnes Fratres communicent, dicentes: *Corpus Domini ſit mihi ad probationem hodie*; & in *c. ult. cit. cauſ. & q.* jubetur Epiſcopus, vel Presbyter, cui maleficium, ſeu crimen imputatum fuit, per Miſſæ celebrationem ſe innocentem oſtendere. *S. Thom.* apud *Suar. c. l.* cenſet, talem purgationem eſſe per ſe malam, & illicitam, & conſequenter Concilium illud Provinciale erraſſe, & illa Decreta per nova Jura ſeu Canones eſſe revocata, prout etiam tradit *Gl. ibid. V. Sæpe*. Verum probabilius eſt, illam eſſe per ſe licitam, nullibi enim reperitur in Jure Canonico, illam eſſe ſpecialiter prohibitam neque etiam videtur eſſe intrinſece tentationem DEI, cum non fiat ad oſtendendam divinam virtutem per miraculum, ſed ſolum quaſi in teſtimonium, & probationem innocentiæ ſuæ: quamvis talis modus purgandi ſit periculoſus, & cedere poſſit in irreverentiam Sacramenti Euchariſtiæ, ut ab indignis ſumatur, ideoque merito in deſuetudinem abiit, *Suar. c. l. num.* 10.

Sed objicitur hic primo, in Vet. Teſtamento *Num.* 5. ſimile genus purgationis præceptum fuit a DEO per aquas amariſſimas, ad probandum, utrum mulier adulterium commiſerit, quod Caput inſertum eſt Decreto Gratiani *c.* 22. *cauſ.* 2. *q.* 5. Secundo, DEUS ſæpe hujuſmodi purgationem criminum per miracula confirmavit, ut plura recenſet Delrius, & unum illuſtre ex illo refert *Barboſ. in c.* 3. *h. t. n.* 4. ergo non eſt per ſe mala. Ad primum reſpondetur, etſi Alenſis dicat, illam purgationem tantum fuiſſe permiſſam a DEO, non vero Lege præceptam: verius tamen eſt fuiſſe miraculoſam probationem, qua DEUS voluit, ac præcepit uti populum ſuum, ideoque tunc licita fuit. Idemque dicendum, quando DEUS miraculis confirmavit hujuſmodi purgationem, tum enim illa facta eſt, vel ex ſpeciali inſpiratione divina: vel ſi aliqui ex ignorantia invincibili, vel etiam craſſa, a Deo poſtularunt miraculoſam oſtenſionem veritatis, bona tamen intentione, DEUS in favorem innocentiæ, annuit petitioni ipſorum, *Suar. c. l. n.* 10.

VI. Quæritur tertio, an ſententia lata ex purgatione vulgari, & Jure reprobata, a qua non fuit appellatum, poſſit retractari? Reſp. Affirmative, prout ſumitur ex *c. Significantibus* 2. *h. t.* Nam cum quidam Virum Laicum, & fra„ tres ejus, ſuper crimine furti accuſaſſet, cum eo coacti „ ſunt inire duellum, in quo peccatis aliis (ab hoc furto, „ quod non commiſerant) præpedientibus, ceciderunt: „ propter quod per Conſules Civitatis Spoletanæ propriis „ bonis ſunt ſpoliati (id eſt privati per ſententiam tan„ quam convicti de furto, *Hoſtienſ. hic V. eod.*) ſed poſtea „ furtum illud apud alios eſt inventum (hoc eſt, repertum, „ quod alii, & non ipſi hoc factum commiſerint. *Hoſtienſ. hic V. Apud alios.*) & revelatum (diſponente domino) „ quod ipſi fuerint innocentes. Re delata ad Papam Innocentium III. ille mandavit ipſis Conſulibus, ut univerſa „ ablata reſtituant.

VII. Pro explicatione hujus c. notandum primo, duella inita ad probandam alicujus innocentiam, quod furtum, vel aliud delictum non commiſerit, ſunt illicita, & a Jure reprobata, quia in illis non detegitur veritas, ſed ſæpe, ceſſante divina diſpoſitione, & ex DEI permiſſione, prævalet fortior, vel dexterior, *Abb. hic nu.* 2. & patet ex ſupra dictis.

Notandum ſecundo, etſi alias regulariter ſententia, a qua non fuit appellatum, poſtquam elapſis X. diebus, tranſiit in rem judicatam, non retractetur, quamvis veritas aliter ſe habeat, & ex ipſa ſententia jus inter litigantes jam factum eſt, *c. Cum inter* 13. *de ſent. & re judic.* Neque etiam propter nova inſtrumenta poſtea reperta, ſententia lata retractatur, *c. Inter* 20. *eod.* & propter errorem poſtea detectum ſententia non retractatur, *l. Cum putarem* 36. *ff. famil. herciſc.* Nihilominus tamen ſententia lata in *c.* 2. *h. t.* retractanda fuit, tum quia lata fuit ex probationibus fallacibus, & reprobatis, cum probatio per duellum ſit fallax, & a Jure reprobata: ſententia vero lata per falſas probationes, reperta contraria veritate retractari debet, *c. Cum venerabilis* 6. *§. Intelleximus de except. & tot. tit. C. Si ex falſis Inſtrum. &c. Hoſtienſ. hic Reſtituant.* Tum quia duellum iſtud fuit per Judicem indictum, ſecundum ſtatutum, vel conſuetudinem loci, ut patet ex *cit. c.* 2. ibi: *Coacti*, adeoque ſententia iſta fuit lata ex probatione non integra, ſeu non plena: ſicut ergo ſententia lata ex delatione juramenti parti facta per Judicem: comperta veritate, poteſt retractari, *l. Admonendi* 31. *ff. de jurejur.* ita etiam iſta ſententia, comperta veritate retractari debuit, *Abb. hic n.* 4. *in* 2. intellectu, quem ait eſſe optimum. Tum quia hæc ſententia nulla fuit, quia lata contra Ordinem judiciarium, *l. Prolatam* 4. *C. de ſent. & interloc. omn. Jud. Abb. hic n.* 4. *in* 3. *Intellectu*. Tum quia iſta ſententia fuit injuſta, & de ejus injuſtitia conſtabat, poſt manifeſtam veritatem, adeoque fuit ipſo jure nulla, *c. Inter cæteras* 9. *de ſent. & re judic.* nam ſententia injuſta tenet, quia præſumitur juſta, quæ præſumptio ceſſat, ſi notorie conſtet eſſe injuſtam, *c. Veritate* 4. *diſt.* 8. *Abb. hic n.* 4. *in fine*.

TITU-

Digitized by Google

TITULUS XXXVI.

De Injuriis, & damno dato.

ACtum eſt in ſuperioribus Titulis de variis exceſſibus, & criminibus, ſed quia ex his frequenter injuriæ, & damna proveniunt, ideo hic Titulus ſubjungitur, qui extat etiam in Sexto.

§. I.

De Injuriis.

I. QUæritur primo, quod ſit Injuria, & quot modis infecatur? Reſp. Injuria generaliter, & late accepta dicitur omne, id quod non jure fit; ſpecialiter autem Injuria dicitur contumeliæ alicui dicta, vel facta, *princ. Inſtit. de Injuriis*, & *l.* 1. *in princ. ff. eod.* & ſic in in hoc Titulo accipitur, *Gloſſ. ibid. V. Contumelia*, *Hoſtienſ. in Summa h. t. n.* 1. ſive quod dicitur, vel fit contra alicujus honorem, *Silveſt. in Summa V. Injuria an.* 1. Committitur autem, ſeu infertur injuria tribus modis, re, verbis, & ſcripto: re, cum manus alicui infertur: verbis, cum convitium fit literis, ſive per libellum famoſum, vel carmen, vel hiſtoriam, ad infamiam alicujus pertinentem, *Hoſtienſ. c. l. n.* 3. *Silveſt. c. l. n.* 2. Addunt communiter quartum modum inferendi injuriam, videlicet geſtu, non oſtendendo alicui medium digitum, vel ſi cornua affigat in porta domus alicujus; & alia hujuſmodi, *Silveſt. c. l. n.* 2.

II. Porro injuria, ſine dolo, & animo injuriandi, non committitur, *l. Si non convitii* 5. *C. h. tit.* ex eo enim injuria æſtimatur, cum injuria ex affectu facientis conſiſtat, ideoque nemo facere poteſt injuriam, niſi qui ſcit ſe injuriam facere, etiamſi neſciat, cui faciat, *l.* 3. §. 2. & 3. *h. t.* Animus autem injurandi præſumitur, ſi verba, aut facta, ſuapte natura, ſint injurioſa; unde injuriam proferens, probare debet, animum convitandi abfuiſſe, quia contra eum ſtat præſumptio Juris, *cit. l. Si non convitii*, & *ibi Gloſ. V. probare partes*, ubi addit, idem eſſe, ſi quis dicat, ſe per jocum dixiſſe, *Clarus* §. *Injuria*, *num.* 12. Si vero verba non ſint injurioſa, actoris eſt probare animum injuriandi, alias abſolvetur reus, *Arg. l. Qui in alterius* 42. *in fine*, *ff. de R. J.* quæ probatio fiet per conjecturas, *Zaſ. in ff. h. t. n.* 4.

III. Quæritur ſecundo, an ſi quis dicat verbum injurioſum alteri, v. g. *Tu mentiris*, addita proteſtatione, *ſalvo tuo honore*, & *reverentia*, excuſetur quominus teneatur actione injuriarum? Reſpond. Negative, quia talis proteſtatio, ſive honoris præfatio eſt facto contraria, ideoque non relevat proteſtantem, *Clarus* §. *Injuria n.* 13. *Covarr. l.* 1. *var. reſol. c.* 11. *n.* 1. *Gail. lib.* 2. *pract. obſerv. obſ.* 101. *num.* 1. 2. & 3. *Farinac. p.* 3. *qu.* 150. *n.* 312. & 313. & alii communiter. Idque ſive proteſtatio præcedat injuriam, ſive ſubſequatur: niſi ex conjecturis appareret, injuriam non fuiſſe illatam, animo injuriandi, tunc enim talis proteſtatio excuſaret, *Clar. c. l. Farinac. c. l. n.* 314. ubi addit, quod tunc etiam ſine proteſtatione injurias non tenetur.

IV. Quæritur tertio, an is, qui alicui per convitium verum crimen objecit, teneatur actione injuriarum? Reſpond. communiter DD. cum diſtinctione, vel intereſt Reipubl. ut delictum, quod per convitium alicui objicitur, ſciatur, & detegatur, ut puniatur nocens: & tunc non tenetur actione injuriarum, ſi probet illud, alias ſecus: ut ſi alicui vere objiciatur, quod ſit fur, ut puniatur, vel leproſus, vel ſpurius, ut contagioſus ab hominum conſortio removeatur, vel ut inhabilis, & infamis ad dignitatem non promoveatur. Idque probatur ex *l.* 18. *ff. h. tit. in princ.* ubi dicitur: *Eum, qui nocentem infamavit*, non eſſe bonum: & æquum, ob eam rem infamari, peccata enim nocentium nota eſſe, & oportere, & expedire. Vel non intereſt Reipubl. ſcire crimen per convitium objectum; & tum non excuſatur injurians, ob veritatem convitii, *Clar.* §. *Injuria*, *num.* 17. *Covarr. lib.* 1. *reſol. cap.* 11. *num.* 6. *Gail. lib.* 2. *obſ.* 99. *num.* 1. & *ſeqq. Mynſing cent.* 4. *obſerv.* 4. *Fachin. l.* 9. *contr. c.* 10. Ratio eſt, quia in actione injuriarum, non tam veritas convitii, quam animus, ſeu voluntas injurandi conſideratur: non enim debet quis detegere alterius infamiam, ſine cauſa, quia defectus noſtros manifeſtari, inhumanum eſt, & injurioſum, ideoque quando ſine cauſa convitium dicitur, veritas convitii non excuſat, ſive convitium ex culpa provenerit, ſive non, quia in actione injuriarum animus conſiderari debet, cum ſit ſubſtantiale requiſitum ad injuriam. Idque procedit, ſive in judicio, ſive extra judicium accidat, *Mynſing. c. l. n.* 2.

V. Limitat vero illud *Covarruv. c. l.* quando prava intentione, & animo injurandi, hujuſmodi convitium profertur, tum enim non excuſat, quia etſi bonum ſit, & Reipubl. utile, crimina nocentium manifeſtari, tamen pravus animus revelantis rem efficit iniquam. Verum hoc locum non habet in foro externo, in quo is, qui etſi animo injurandi, & prava intentione injuriam intulit, & convitium dixit, non tenetur actione injuriarum, nec puniri poteſt, quia crimina proferri in lucem, publice intereſt: ſed quoad forum internum, ſine dubio peccat, qui pravam intentionem habuit, & animum injuriandi, *Fachin. c. l.* Illud addit *Clarus c. l.* quod prædicta diſtinctio, an interſit Reipubl. revelari crimen, nec ne, non procedat de jure Canonico, quia eo jure, qui alteri injuriam facit, licet vera ſit, non excuſatur, cum prius debeat præcedere charitativa admonitio, vel correctio. Denique ſi ex conjecturis appareat, quod verum crimen, & Reipubl. pernicioſum objectum fuerit, ſine ulla cauſa, vel utilitate rei, quæ tractatur in judicio, vel extra illud; tunc ex injurioſo animo proceſſiſſe cenſeri debet, adeoque extra culpam non erit: alioquin præſumendum erit, id non animo injuriandi, ſed ex juſta cauſa contigiſſe, ideoque convitians non tenebitur actione injuriarum, *Mynſing. c. l.*

VI. Quæritur quarto, an provocatus licite poſſit retorquere injuriam ſibi illatam? Reſp. Qui dicto, vel facto injurioſo provocatus, calore iracundiæ, aliquid injurioſum dixit, injuriam illatam retorquendo, ſi id fiat incontinenti, & modus adhibeatur, non tenetur actione injuriarum, nec eſt puniendus. Ut ſi alicui crimen, vel aliquod convitium objiciatur, v. g. quod ſit fur, vel vir mendax, poterit incontinenti, & impune hanc injuriam retorquere in injuriantem, dicendo, *tu mentiris*, quia non injuriandi animo, ſed ſui honoris defendendi cauſa, cenſetur talia verba protuliſſe, ideoque merito injuriarum conveniri non poteſt. Et ſicut permiſſum eſt, vim vi repellere incontinenti, *l.* 3. *ff. de juſtit.* & *jure.* ita & injuriam retorquere in injuriantem, quia honor, & fama hominis præponenda eſt omni pecuniæ, *l. Si in duabus* 104. *ff. de R. J.* & gravior eſt amiſſione oculorum, *l. Infamia* 8. *C. de Decurion. lib.* 10. Imo honor, ſeu fama, & vita pari paſſu procedunt, & non minore cura, ac ſtudio, quam vita ſervanda eſt, *Gail. lib.* 2. *obſ.* 100 *num.* & *ſeqq.* ubi id limitat *num.* 9. Si provocatus retorqueat injuriam, animo ſe defendendi, & purgandi ab injuria illata: ſecus eſt, ſi convitium a provocato objectum provocanti non ſpectet ad ejus innocentiam defendendam, ſed aliud factum concernat, tunc enim utrique actio injuriarum competit: quamvis provocatus mitius ſit puniendus, quia difficile eſt, juſtum animi dolorem compeſcere. Denique pœnitentia, poſt delictum commiſſum, facta, non excuſat a pœna, quia per illam in foro externo injuria illata non purgatur, vel tollitur, *Clarus cit.* §. *Injuria*, *n.* 16. *Zaſius ff. h. t. n.* 12.

VII. Quæritur quinto, qualis actio oriatur ex injuria, & quæ ſit ejus pœna? Reſpondetur, ex injuria duplex oritur actio, civilis, & criminalis. Civiliter agitur ad æſtimationem injuriæ, quando actor petit pœnam ſibi adjudicari, ut ſcilicet Judex tanti eum condemnet, quanti injuriam paſſus eam æſtimaverit, v. g. maluiſſe ſe 10. aureos amittere, quam tali injuria affici; quam tamen æſtimationem injuriæ Judex deinde moderabitur, prout ei viſum fuerit, delato juramento injuriam paſſo, cui permiſſum eſt jurare, uſque ad ſummam taxatam, vel minorem, non autem ultra illam, *Clarus* §. *Injuria*, *n.* 6. & *ibi Gloſ. V. Pœna Inſtitut. h. t.* & *Mynſing. ibid.* Criminaliter vero agitur, quando injuriam paſſus petit, ut pœna extraordinaria, ex officio Judicis, reo irrogetur, ſcilicet, vel corporalis, vel pecuniaria fiſco applicanda, non actori, *cit.* §. *in Summa* & *ibi Gloſ. V. Extraordinaria Inſtitut. h. t.* & *Mynſing ibid.* una autem harum actionum intentata, non poteſt recurri ad alteram, cum utraque tendat ad vindictam, & non rem perſequatur, ſed pœnam contineat, *Mynſing. c. l.* Et hæc extraordinaria pœna arbitrio Judicis relinquitur, inſpecta facti, & perſonarum, aliarumque circumſtantiarum qualitate, *Clarus* §. *Injuria nu.* 5. *Mynſing. c. l.* Hodie vero in omnibus fere Judiciis uſu receptum eſt, ut is, qui injuriam paſſus eſt, agat ad reclamationem, ſive revocationem injurioſorum verborum, quæ formula agendi etiam a Carlo V. in nova Imperialis Cameræ Ordinatione comprobata eſt, teſte *Mynſing. c. l. n.* 5.

VIII. Quæritur ſexto, an quis poſſit agere pro injuria alteri illata? Reſp. Affirmative, quia ratione affectus, aut conjunctionis injuria uni facta, cenſetur etiam alteri illata, ideoque is injuriarum agere poteſt, etiam nomine proprio, *Hoſtienſ. in Summa num.* 5. *h. t. Farinac. in praxi crimin. p.* 3. *qu.* 105. *n.* 253. Sic pater agere poteſt, nomine proprio, ob injuriam filio factam, quia illa cenſetur facta patri, in cujus eſt poteſtate, *l.* 1. §. *Item autem*, *ff. h. tit.* §. *Patitur Inſtit. eod.* Secundo, dominus poteſt agere, ob injuriam factam ſervo, *cit. l.* 1. §. *Item autem. Farinac. c. l. n.* 265 & *ſeq.* Tertio, maritus agere poteſt, nomine proprio, contra injuriantem ob injuriam illatam uxori: quia ipſi cenſetur facta; *cit. l.* 2. §. *eod.* & *l.* 2. *C. eod. Farinac. c. l. n.* 269 & *ſeq.* Sed non vice verſa, injuria facta marito, dicitur facta uxori, ideoque ob illam uxor agere non poteſt, §. *Patitur Inſtitut. h. t.* & *l.* 2. *ff. eod.* ubi ratio redditur, quia defendi uxores a viris, non tamen viros ab uxoribus æquum eſt, *Farinac. c. l. n.* 274. niſi injuria eſſet communis, concernens etiam honorem uxoris, ut ſi quis dicatur eſſe maritus meretricis, & tunc enim uxor agere poteſt, nomine proprio, ob injuriam ſibi illatam, *Farinac. c. l. n.* 275. Quarto, Epiſcopus agere poteſt, ob injuriam illatam Eccleſiæ ſuæ, vel Clerico ſibi ſubjecto; & Abbas ſeu Prælatus Regularis, ob injuriam factam Monaſterio, vel Monacho, aut Religioſo, *Farinac. c. l. n.* 293. & *n.* 295. apud quem plura de hoc legi poſſunt.

IX. Quæritur ſeptimo, quomodo tollatur actio injuriarum? Reſp. Tollitur inprimis, per lapſum anni, actio injuriarum criminalis, nam civilis eſt perpetua, *Clarus* §. *Injuria n.* 9. quam dicit eſſe communem opinionem. Secundo per remiſſionem, vel expreſſam, vel tacitam per ſigna, aut conjecturas, *Clarus c. l. n.* 10. & 11. Expreſſe remittitur per pactum, aut tranſactionem; Tacite, per diſſimulationem, aut per familiarem converſationem cum eo, a quo quis injuriam accepit, *Farinac. c. l. n.* 312. & [illegible]. Denique condemnatus actione injuriarum fit infamis, ſaltem ſi injuria illata ſit valde gravis, & atrox, *Clarus cit. l. n.* 8.

§. II.

De damno dato.

Altera pars hujus Rubricæ eſt de damno dato, ſcilicet per in-

Digitized by Google

injuriam ſibi tamen injuria non accipitur pro contumelia, ſed pro eo, quod non jure, ſed contra jus factum, ſive pro damno culpa dato, etiam ab eo, qui nocere noluit, *leg. Sed etſi* 5. §. 1. *ff. Ad leg. Aquil.* adeoque etſi animus injuriandi, & nocendi defuerit, *Zoeſ. ff. eod. num.* 5.

X. De hoc damno dato agitur inprimis in *c. Si culpa* 9. *& ult. h. t.* Ubi dicitur; „ſi quis, culpa ſua, alicui damnum dedit, vel injuriam irrogavit: vel aliis irrogantibus opem tulit: aut hæc imperitia, aut negligentia ipſius evenerunt, is jure ſuper his ſatisfacere tenetur. Nec ignorantia ipſum excuſat, ſi quidem ſcire debuit, ex facto ſuo injuriam (ſeu damnum) poſſe veriſimiliter contingere, vel jacturam. Item ſi animalia Titii v. gr. nocuerunt alicui, nihilominus tamen Titius ad ſatisfactionem tenetur, niſi ea damnum paſſis dando, velit liberare ſe ipſum, quod tamen ad ſe liberandum non ſufficit, ſi animalia erant ferocia, & fera, vel quæ nocere conſueverunt, & diligentia debita a Titio non fuit adhibita, *cit. c. ult.* §. *Quod ſi.* Sane licet qui occaſionem damni dat, damnum dediſſe videatur: ſecus tamen eſt dicendum de illo, qui non omiſit adhibere omnem diligentiam, quam debebat, ne contingeret," §. *fin. ibid.*

XI. Pro explicatione hujus c. notandum primo. Is, qui damnum, etiam ex culpa leviſſima, alicui intulit, quam ſcilicet diligentiſſimus homo præcavere potuiſſet, tenetur ad ſatisfactionem, & compenſationem illius damni illati, prout colligitur ex hoc c. quod indiſtincte, & indefinite loquitur de culpa, ſeu negligentia, adeoque etiam generaliter, & indiſtincte debet intelligi de qualibet culpa etiam leviſſima, juxta *l. In leg.* 44. *ff. ad leg. Aquil.* Idque procedit in foro externo, Civili, & Canonico, *Abb. h. c. n.* 2. *not.* 2. Ubi addit, id etiam in foro animæ, ſive conſcientiæ locum habere. Verum quod ſecluſo pacto, vel contractu, nemo teneatur ad reſtitutionem damni, quantumvis gravis, ex culpa levi vel leviſſima, præter intentionem illati, ſaltem in foro conſcientiæ, & ante ſententiam Judicis, ſed ſolum ex culpa lata, docent *Leſſ. l. 2. c. 7. dub. 6. n. 24. Tanner. tom. 3. diſ. 4. q. 6. dub.* 2. *nn.* 40. ubi ait, id eſſe probabile, & practice tutum. Ratio eſt, quia ſecluſo peculiari pacto, nullus tenetur majore diligentia cavere damnum alterius, quam ſoleant ordinarie homines ejuſdem conditionis in ſimili materia, cum nemo debeat eſſe prudentior, aut circumſpectior in negotiis, quam alii homines ſimilis conditionis, ergo damnum eveniens ex omiſſione hujuſmodi diligentiæ majoris, ad quam non tenetur, non debet ipſi imputari, modo adhibeat diligentiam communem, ad quam tenetur, adeoque non tenetur ex culpa levi, aut leviſſima, ſed ſolum ex lata, *Tanner. cit. l. nn.* 44.

Porro *cit. c. ult. h. t.* alii Canones, & leges, quæ in contrarium eſſe videntur, vel loquuntur ſolum de culpa lata vera, aut ſaltem præſumpta in foro externo, quæ præſumptio non habet locum in foro conſcientiæ, in quo veritas ſtat contra præſumptionem: vel ſunt pœnales, adeoque non obligant in conſcientia, ante ſententiam Judicis, *Leſſ. cit. l. n.* 29. *&* 30. *Tanner. cit. l. n.* 46.

Notandum ſecundo. Non ſolum, qui damnum dedit, ſed etiam, qui opem tulit, vel auxilium, tenetur ad ſatisfactionem damni dati, ut ſi unus hominem tenuit, & alter occidit, quia cauſam mortis dedit, *Gl. hic V. Tuliſti.*

Notandum tertio. Non ſolum, ſi ex culpa, ſeu negligentia, ſed etiam ſi ex imperitia alicujus damnum ortum ſit, tenetur ad æſtimationem, & reparationem damni, *cit. cap. ult.* quia & imperitia culpæ imputatur, §. *Imperitia Inſtit. de lege Aquil. Gl. hic V. Imperitia*, ut ſi Medicus, vel Advocatus, vel alius Artifex, juxta præcepta artis ſuæ, debitam diligentiam operi non adhibuit, & ideirco damnum datum ſit, *Abb. hic n.* 3.

XII. Notandum quarto. Si animal pauperiem, id eſt, damnum dederit, contra dominum ejus agitur, ita tamen ut liberum ei ſit, vel præſtare æſtimationem damni, vel animal noxæ dedere, hoc eſt, vivum tradere damnum paſſo: niſi dominus fuerit in culpa, quia animal natura ſua ferox, ut eſt urſus, vel leo, tenuit in publico, vel non bene cuſtodivit, ne læderet; vel ſi animal alias natura non ferox, ut bos, equus, ſed bos ſolitus fuerit cornibus petere, vel equus calcitrare, & damnum intulerit, tunc dominus ejus non liberatur, dando animal, ſed in ſolidum tenetur ad omne damnum reſarciendum, *cit. c. ult.* §. *Quod ſi* & ibi *Abb. nu.* 3. *not.* 4.

Idem habetur in *cap. Si bos* 3. *h. t.* quod eſt deſumptum ex Libro *Exod. c.* 21. *v.* 29. ubi dicitur: „Si bos cornupeta fuerit ab heri, & nudius tertius, & dominus illum non cuſtodivit (ſupple & alter iſtorum occiderit, *Gl. hic V. non cuſtodivit*) reddet bovem pro bove, & cadaver integrum accipiet." Id vero intelligendum eſt, ſi bos ille, qui damnum dedit, aggreſſus eſt alium bovem, & occidit: ſecus eſt, ſi dubium ſit, quia bos primo ſit aggreſſus, *Gl. fin. hic.*

Notandum quinto. Qui cauſam damni dat, ſcilicet proximam, damnum dediſſe videtur, ſi nempe potuit impedire damnum, & non impedivit, *Abb. hic n.* 4. *not. ult.*

XIII. Similiter in *c. Si quis* 2. *hoc t.* quod eſt deſumptum ex eodem Libro, dicitur: „Si quis effoderit ciſternam, & non cooperuerit eam, ceciderit que bos, vel aſinus alterius in eam: dominus ciſternæ dabit pretium animalis, quod autem mortuum eſt, illius erit." Ratio eſt, quia qui dat cauſam damni, damnum dediſſe cenſetur, & qui non prævidet, quod prævidere potuit, ac debuit, eſt in culpa, *l. Qui occidit.* 30. §. *in hac ff. ad Leg. Aquil.* Idemque dicendum, ſi ſervus, vel etiam liber homo in foveam incidiſſet. *Abb. hic n.* 5.

XIV. Præterea in *c. Si læſerit* 4. *h. t.* dicitur; „ſi jumentum alicujus læſit alterius agrum, vel vineam, quia jumenti dominus dimiſit illud, ut aliena depaſcat, is damni æſtimationem reddet," prout etiam habetur in Libro *Exodi cap.* 22. *v.* 5. Niſi tamen dando animal, dominus velit ſe liberare a præſtanda æſtimatione, *Gl. hic V. Æſtimationem.*

XV. Item in *c. Si egreſſus* 5. *h. tit.* quod etiam eſt deſumptum ex Libro *Exodi c.* 22. *v.* 6. dicitur, „ſi quis incendit agrum ſuum, & ignis egreſſus combuſſit acervos frugum, ſeu ſegetes ſtantes in agris alienis, reddet damnum, quia ignem ſuccendit." Nempe ſi fuit in culpa, dum appoſuit ignem, nec adhibuit debitam diligentiam, alias non tenetur, *Gl. hic V. Reddet.*

XVI. Denique in *c. Si quis* 6. *h. t.* quod eſt deſumptum ex „Pœnitentiali Romano, dicitur: ſi quis voluntarie incendit domum, vel aream alicujus, omnia ablata, & incenſa reſtituat, & tres annos pœniteat." Aliud eſt, ſi contra voluntatem incenderit, modo etiam non omiſerit debitam diligentiam, *Gl. hic V. Voluntarie.* Jure vero Civili, ablata ex incendio reſtituere quis debet in quadruplum intra annum poſt annum in ſimplum, *l.* 1. *in princ. ff. de Incendio.*

XVII. Prædictis addendum primo, non tantum damnum alicui illatum, ſed etiam lucrum inde ceſſans, ſive intereſſe damnum paſſo reſtituendum eſt. Unde „ſi quis in rixa percuſſerit proximum ſuum, lapide vel pugno, & ille mortuus non fuerit, ſed jacuerit in lecto, is, qui percuſſit, tenetur vulnerato reſtituere operas ejus amiſſas, & impenſas in Medicos, ſeu Chirurgos factas," prout ſtatuitur in *c. Si rixati* 1. *h. tit.* quod eſt deſumptum ex Libro *Exodi c.* 21. *v.* 17. *Farinac. in praxi crim. p.* 3. *q.* 119. *n.* 210. *Sayr. in Clavi Regia l.* 10. *c.* 1. *n.* 10. Hinc ſequitur, quod vulnerans, ſeu lædens tenetur ad reſtitutionem damnorum, & intereſſe, item expenſarum in curationem, & æſtimationis operarum, quibus læſus privatus fuit propter læſionem, quia omnium horum damnorum, vel lucrorum ceſſantium cauſa eſt. Nihil tamen reſtituendum eſt, ratione deformitatis relictæ in corpore, quia liberum corpus æſtimationem non recipit, *l.* 3. *ff. Si quadr. paup. fec. dic. Gl. hic V. Operas.*

XVIII. Addendum ſecundo. Si Princeps, ſeu Magiſtratus ſecularis Clericum tanquam bannitum mittat in exilium, is per Judicem Eccleſiaſticum condemnari debet ſecundum æſtimationem injuriæ, in expenſis, & damnis, quia violat immunitatem Eccleſiaſticam, prout ſtatuitur in *c. Olim* 7. *h. t.* ubi talis caſus proponitur: „Magiſtratus, ſeu Civitas Florentiæ poſuit in banno Epiſcopum Feſulanum; eique damnum, & injurias plurimas irrogavit; eamque cauſam Honorius III. commiſit Epiſcopo Mutinenſi; ut Florentinos compelleret per cenſuram Eccleſiaſticam ad ſatisfaciendum de damnis; & injuriis Epiſcopo Feſulano, ejuſque Eccleſiis illatis. Epiſcopus Mutinenſis, tanquam delegatus, vocatis partibus, cœpit in cauſa procedere, & teſtes recepit, lite non conteſtata. Re poſtea delata ad Papam, ipſe, examinato proceſſu, illum revocavit, quia lis non fuit conteſtata. Sed quia Communitas Florentinorum Epiſcopum Feſulanum banniverat contra DEUM, & Eccleſiaſticam libertatem, ideo Papa condemnavit eandem Communitatem prædicto Epiſcopo Faventino, propter injuriam banni, & propter expenſas, & alia damna ac injurias inde ſubſecutas, in mille libras uſualis monetæ, præmiſſa, juramento præſtito, taxatione."

XIX. Notandum primo. Judex Eccleſiaſticus, præſertim S. Pontifex, & Epiſcopus loci habet juriſdictionem in Principes, & Reſpubl. ſeculares, qui indebite ſibi uſurpant juriſdictionem in Clericos, & irrogant ipſis injurias, quia committunt ſacrilegium, & violant libertatem Eccleſiaſticam, *Abb. hic numer.* 1. *not.* 1. ideoque bannum dictum a Florentina Republ. in caſu hujus c. nullum fuit, *Gl. hic V. Banniverat.*

Notandum ſecundo. Poteſt Clericus agere ad æſtimationem injuriæ ſibi illatæ, & petere, ut pœna pecuniaria ſibi applicetur, ultra damna, & intereſſe, *Abb. hic n.* 3. *Farinac. in praxi crimin. p.* 3. *q.* 105. *n.* 36. Unde licet injuriam paſſus remittere teneatur odium, & rancorem animi, non autem ſatisfactionem pro injuria illata, & damno inde ſecuto, *Silveſt. V. Injuriam* 7. *Barboſ. hic n.* 2.

Notandum tertio. Condemnatio in expenſas, & ad damna compenſanda, facienda eſt, præmiſſa taxatione. Nam primo debet pars injuriata æſtimare injuriam, ad certam quantitatem: deinde Judex taxat quantitatem æſtimatam, & poſtea defert juramentum parti, ut juret uſque ad quantitatem taxatam, ac denique Judex condemnat injuriantem ad id, quod æſtimatum, ſive taxatum fuit, de expenſis, & damnis in judicio petitis, *Gl. hic in notatis & V. Taxatione. Gail. libr.* 2. *obſ.* 202. *num.* 10. *Farinac. in praxi crimin. par.* 3. *qu.* 105. *num.* 29.

XX. Addendum tertio, & ult. Statutum etiam juramentum editum de non repetendis damnis acceptis, non extenditur ad expenſas litis, quæ nihilominus, non obſtante tali juramento, repeti poſſunt, & ſolvi debent, prout habetur in *c. In noſtra* 8. *h. t.* „Nam cum olim Cives Brixienſes multa inter ſe diſcordias haberent, quarum occaſione, multa ſibi invicem damna illata paſſi ſunt, ideo commune ſtatutum fecerunt, de non petendo, vel recipiendo in poſterum reſtaurationes damnorum a Communitate, illudque approbarunt, & juramento etiam firmarunt. Sed præter damna, durante hac diſcordia, multas expenſas fecerunt, quas petebant ſibi a Communitate reſtitui. Unde dubitatum fuit an non obſtante juramento de damnis non repetendis, poſſit expenſas repetere? Conſultus ſuper hoc Papa Gregor. IX. reſpondit: Cum aliud ſit reſtauratio damnorum, & aliud ſatisfactio expenſarum, ideo juramentum præſtitum ſuper articulo damnorum non debet intelligi, ut comprehendat expenſas: & mandat Papa, ut non obſtante prædicto juramento, Epiſcopus auctoritate Apoſtolica, provideat, ut ob bonum pacis, & concordiæ, dicta Communitas Brixienſis contribuat ad ſatisfactionem expenſarum, juxta arbitrium Epiſcopi delegati, ſicut ipſe viderit expedire."

Ubi

Digitized by Google

Ubi notandum. Statutum alteri præjudicans eſt ſtricte intelligendum, etiamſi ei ſit appoſitum juramentum: unde appellatione damnorum non comprehenduntur expenſæ, licet late loquendo, expenſæ inutiliter factę ſint damnum; non autem ſtricte, quia damnum in ſtricta ſignificatione eſt diminutio proprii patrimonii, ſeu bonorum ad aliquem ſpectantium per alium facta, *l. 3. ff. De damno infect.* expenſæ vero fiunt propria voluntate illas facientis, etſi forte coacta. *Abb. hic num.* 3. Hine etiam colligitur, quod caſus omiſſus a ſtatuto, vel conſuetudine, pro omiſſo habetur, *Barb. hic n. 2.*

§. III.

De Repreſaliis, ſive pignoribus:

De his agitur in *c. Etſi unico h. t. in* 6. de quibus etiam hoc loco agemus.

XXI. Quæritur primo, quid ſint repreſaliæ, & an ſint licitæ? Reſp. Repreſaliæ, latine pignorationes vocantur Litteræ, in quibus Princeps, vel Reſpublica ſubditis aut militibus ſuis injuſtum damnum paſſis dat poteſtatem invadendi terras eorum, qui damnum intulerunt, & occupandi bona incolarum, etiam innocentium, in compenſationem damnorum illatorum, *Silveſt. V. Repreſalia. n. 1. Laym. lib. 2. Theol. mor. tr. 3. c. 12. n. 13. §. Atque hinc.* v. g. ſi Galli agant prædas in vicinam terram Hiſpanorum, & prædas reſtituere nolint, cum poſſent, tum Hiſpani poſſunt ſpoliare viciſſim Mercatores Gallos, aut agricolas, quantumvis innocentes, *Victoria* apud *Laym. c. l.*

Ut autem repreſaliæ ſint licitæ, plures conditiones requiruntur, ut notat *Silveſt. c. l. q. 1.* Veluti primo, auctoritas talis Principis, qui bellum indicere poteſt, *Covarr. reg. peccatum p. 2. §. 9. n. 5. §. Hinc denique*, quia ſunt quædam ſpecies belli, & bellum ſaltem particulare. Secundo, juſta cauſa concedendi, talis ſcilicet, ob quam juſtum bellum indici poteſt: qualis eſt, ſi Reſpublica, contra quam indicuntur repreſaliæ, neglexerit vindicare, quod a ſuis, ſive ſubditis illius improbe factum fuit; vel reddere, quod per injurias ablatum eſt, *c. Dominus 2. cauſ. 23. q. 2. Covarr. c. l.* Tertio, requiritur intentio recta, cui conceduntur repreſaliæ. Quarto, ut illatum damnum non excedant, & intereſſe datum. Quinto, ut non fiant in perſonis, quia iniquum eſt alium pro alio, ſive pro culpa alterius prægravari, *cit. c. unic. in princ. h. t.* ſcilicet in perſonis innocentibus, quæ nullam culpam damni contraxerunt: bene tamen poſſunt repreſaliæ fieri in rebus, ita ut ſicut in bello juſto, ita etiam in iſtis pignorationibus ſeu repreſaliis publica auctoritate, ex juſta cauſa, indictis, non liceat quidem principali intentione innocentes occidere, vel lædere: bene tamen eorum bona occupare, & diripere, & conſequenter ex accidenti permiſſum eſt etiam innocentes occidere, & lædere, qui ſe & ſua defendunt, v. g. in Civitate aliqua, quæ aliter capi non poteſt, quia aliter pignorationes, ſeu repreſaliæ legitime indirectæ exerceri non poſſunt *Covarr. c. l. §. Hinc ni fallor.* Sexto requiritur, ut Reſpublica, vel Princeps, adverſus quem repreſaliæ ſunt indictæ, prius admonitus, compenſationem facere, vel imperare neglexerit. Ex quo patet, quod in injuſtis repreſaliis unus non gravatur pro alio, ſed Princeps, vel Reſpublica punitur in ſuis ſubditis, *Silveſt. c. l. q. 1.*

XXII. Quæritur ſecundo, contra quos repreſaliæ concedi non poſſint? Reſpond. non poſſe indici, vel concedi contra perſonas Eccleſiaſticas, vel bona earum, non conceſſæ extendi ad illas, prout habetur in *c. Etſi unic. h. t. in* 6. Ubi Papa Gregorius X. in Concilio Generali Lugdunenſi ita reſcribit. Etſi pignorationes, quæ vulgo repræſaliæ nominantur, in quibus unus pro alio gravatur, tanquam legibus ac juri, & æquitati naturali contrariæ, & Jure Civili etiam ſint prohibitæ: ſpecialius tamen, & diſtrictius prohibentur concedi contra perſonas Eccleſiaſticas, vel bona ipſorum, ita ut nec prætextu cujuſvis conſuetudinis (quæ potius abuſus foret, quia contra libertatem Eccleſiaſticam) conceſſæ, ad illas non extendantur. Qui vero contra fecerit, pignorationes, ſeu repreſalias adverſus eaſdem perſonas concedendo, vel ad eas extendendo, ſi perſonæ ſingulares fuerint, ſententiam excommunicationis incurrant; ſi vero Univerſitates, Eccleſiaſtico Interdicto ſubjaceant: niſi intra menſem hujuſmodi conceſſionem, vel extenſionem, revocaverint.

XXIII. Notandum primo, etſi generaliter loquendo, repreſaliæ ſint illicitæ, contra naturalem æquitatem, ut dicitur hic in princ. quia non eſt æquum, ob culpam alterius, & crimen, innocenti infligi pœnam: in certis tamen caſibus, & certis conditionibus concurrentibus, contra certas perſonas, & Univerſitates, quæ requiſitæ juſtitiam non miniſtrant, & iis faventes, ſunt licitæ: *Anchar. hic not. 2. & Franc. notat. 5.* contra ſingulares autem perſonas, quæ non deliquerunt, nunquam ſunt licitæ, *Anchar. hic not. 2. & Franc. not. 5.*

Notandum ſecundo, repreſaliæ ſimpliciter, & generaliter conceſſæ in aliqua Provincia non extenduntur ad Clericos, *Franc. hic num. 7.* nec ad propria eorum bona, *cit. c. un.* quippe quæ gaudent eodem privilegio, quo ipſæ perſonæ; nam cum repreſaliæ ſint odioſæ, non ſunt extendendæ, ſed reſtringendæ *Franc. hic not. 3.* & cum expreſſa, & ſpecialis conceſſio non valeret, ideo generalis non comprehendit, quæ in ſpecie prohibentur, *Anchar. hic notat. 3.* ſed neque extenduntur ad ſcholares, juxta *Authen. Habita. C. Ne filius pro patre*, quæ licet loquatur de ſtudentibus in Jure Civili, tamen eadem eſt ratio in ſtudentibus in aliis facultatibus maxime in Jure Canonico, *Gl. hic poſt caſum in notatus*, Plura de hoc *Silveſt. c. l. numer. 8.*

TITULUS XXXVII.

De Pœnis.

Dictum eſt ſupra de variis delictis & criminibus, propter quæ pęnæ imponuntur, delicta enim punienda ſunt, nec debent remanere impunita: unde merito ſubjicitur Titulus iſte de pœnis, qui extat etiam in Sexto, Clementinis, Extravagantibus Joan. XXII. & Communibus.

§. I.

De pœnis in genere.

I. Quæritur primo, quid ſit pœna, & quotuplex? Reſpond. primo pęna recte definitur a Cujacio in *Paratit. ff. de pœnis*: eſt delictorum, ſive criminum coercitio, ſeu vindicta inducta ad diſciplinæ publicæ emendationem. Pœna autem nunquam infertur, ſine culpa, quamvis aliquando inferatur, ſine culpa puniti, ſed non ſine cauſa juxta *reg. Juris 23. in 6. ſine culpa* (niſi ſubſit cauſa) *non eſt aliquis puniendus*, *Silveſt. V. Pœna num. 1.* quia aliquando ob publicam utilitatem, punitur quis ſine propria culpa: ſi in crimine læſæ Majeſtatis, filii etiam innocentes, propter delictum patris, puniuntur, in quibus paterni, hoc eſt, hæreditarii criminis exempla metuuntur, *l. Quiſquis 5. §. 1. C. Ad leg. Jul. Majeſt.* & in deteſtationem tanti criminis, adeoque non ſine juſta cauſa, Dynus in *cit. reg. Juris.*

II. Reſpond. ſecundo, pœnæ, pro varietate delictorum, ſunt diverſæ, quædam enim ſunt capitales, aliæ non capitales: Capitalis eſt, per quam infertur mors naturalis, vel civilis per mediam, vel maximam capitis diminutionem, adimendo libertatem, vel jus Civitatis. Pœna non capitalis alia eſt corporalis, ſive corporis afflictiva; alia pecuniaria. Item alia civilis, quæ applicanda eſt parti læſæ, cujuſmodi ſunt pęnæ delictis privatis impoſitæ: alia criminalis, quæ ad vindictam publicam ſpectat. Rurſum pœna alia eſt ordinaria, ſive legalis, quam lex aut Princeps præſcripſit, aut conſuetudo induxit: alia extraordinaria, ſive arbitraria, quæ nulla lege aut ſtatuto eſt definita, ſed extra ordinem a Judice imponitur, juxta arbitrium ejuſdem, pro varia delictorum qualitate. Alia denique poſitiva, alia privativa dignitatis v. g. Plura de his videri poſſunt apud *Hoſtienſ. in ſumma n. 2. & ſeqq. Silveſt. V. Pœna n. 12. Zœſ. in Comment. ff. h. t. n. 1. & ſeqq. & in Comment. in Decret. h. t. n. 1. & ſeqq.* aliæ ſunt pęnæ ſpirituales, ſeu Canonicæ, de quibus infra.

III. Quæritur ſecundo, an Judex teneatur imponere pœnam reo ordinariam, ſive lege præſcriptam, & an illam augere poſſit, vel minuere? Reſpond. Judex tenetur reo ſufficienter convicto de crimine, infligere pœnam ordinariam lege præſcriptam, *Suar. l. 5. de legib. c. 11. n. 2.* cum *S. Thom. 2. 2. q. 67. art. 4.* Idque ſumitur ex *c. In iſtis. 3. diſt. 4.* Ubi dicitur, non licet Judici de legibus judicare, ſed ſecundum ipſas. Ratio eſt, quia vel lex pœnalis imponit pœnam ipſo facto: & tunc tenetur Judex, ſecundum veritatem, ſententiam proferre, pœnamque exequi. Vel lex imponit pœnam ferendam per ſententiam Judicis condemnatoriam, & tunc poſt condemnationem tenetur Judex illam ex officio exequi, *Suar. c. l. n. 2. & 3.*

Atque hinc infertur, quod Judex inferior non poteſt pœnam lege præſcriptam excedere, quia plus a reo exigeret, quam is de jure debeat, adeoque ſi major pęna ab ipſo exigatur, injuſte reo infertur. Sed neque Judex inferior pęnam lege ſtatutam relaxare, vel minuere poteſt, ſi cedat in utilitatem aliorum, ut eſt pęna pecuniaria applicanda parti læſæ, cui jus eſt per legem datum, quod non poteſt Judex ipſi auferre, vel diminuere: neque etiam ſi ſit pęna continens meram vindictam, remitti poteſt a Judice, quia id foret contra bonum commune Reipubl. cujus intereſt, ne delicta maneant impuoita, vel minus punita, *Suar. c. l. n. 6. & 7.* poteſt tamen etiam Judex inferior minuere pœnam legalem, ob circumſtantias, ratione ætatis, quæ non ſufficiens ad tolerandam pœnam; ob pueritiam, vel ſenectutem, vel ob paupertatem, ſi ſit pęna pecuniaria, *Suar. c. l. num. 5. & 6.* At vero ſupremus Princeps, vel Rex, licite poteſt pęnam reo omnino remittere, diſpenſando in lege, quam etiam ex cauſa leviore remittere poteſt, quæ inferiore Judice non ſufficeret: quamvis etiam ipſi Principi cavendum ſit, ne jus publicum, vel privatum alicujus lædat, *Suarez c. l.*

IV. Cæterum hic in genere de pęnis dici poteſt, quod delinquens toties puniendus ſit, quoties reiterat delictum, prout dicitur in *c. Ex qu. 1. h. t.* quod vulgo tribuitur Concilio Toletano, ſed ex quo ſit deſumptum, nondum repertum eſt, ut notat *Gl. margin. hic*, in qua dicitur: Ea, quæ frequenti prævaricatione iterantur, frequenti ſententia condemnentur, hoc eſt, quoties Clericus deliquerit (nam de eo ibi ſermo eſt,) toties puniri debet *Gl. ibid. V. Condemnentur*: quia quoties iteratur idem crimen, non incontinenti, ſed ex intervallo, novum, & diſtinctum eſt delictum, adeoque iterum etiam puniri debet, *Covarr. lib. 2. var. reſol. 1. to n. 8. §. Quod vero.*

§. II.

§. II.

De variis pœnis in ſpecie, de quibus agitur in hoc Titulo, & inprimis de pœna pecuniaria.

V. De hac agitur primo in *c. Presbyteri* 2. *h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio Triburienſi, ubi dicitur: „ſi quis interfecit Presbyterum, fiat compoſitio cum Epiſcopo, ad cujus Diœceſim pertinet, cui pœna pecuniaria pro dimidia parte eſt ſolvenda, ita ut illam in utilitatem Eccleſiæ, cui occiſus præfuit, diſtribuat: Altera vero pars dimidia in eleemoſynam in pauperes erogetur, pro anima ejuſdem, quia nullus ejus hæres proximior videtur, quam qui ipſum domino ſociavit." Quod ita explicat *Covarruv. lib. 2. reſolut. cap. 9. num.* 10. quando pœna pecuniaria a jure, vel ſtatuto eſt determinata, ut in caſu hujus c. ob injuriam Clerico irrogatam, dimidia ejus pars danda eſt Eccleſiæ, cujus ipſe injuriam paſſus Rector extitit, quia nullus proximior eſt Clerici interfecti hæres, quam Eccleſia, quæ eum Domino ſociavit (baptizando, & ordinando, *Gloſſ. fin. hic*) Altera vero pars dimidia pœnæ pecuniariæ, pro anima Presbyteri interfecti, in pauperes diſtribuenda eſt, quia negari non poteſt, quin ea injuſta cæde presbyteri, ſive Rectoris, ipſa Eccleſia, & ipſe Rector, ſeu Clericus lædatur, & offendatur, & ideo utrique ſatisfaciendum eſt, *Covarr. c. l.*

VI. Secundo Archidiaconi, & alii Prælati, qui in criminibus diſpenſare nequeunt, aut pœnas commutare non poſſunt, propter crimina, pecuniam exigere, neque etiam correctionis cauſa, pœnam pecuniariam imponere, ſi alia e Jure ſtatuta ſit, prout ſumitur ex *c. Licet* 3. *h. t. & ibi Gloſ. V. Pœnam*. „Nam cum Papa Alexander III. intellexiſſet, quod Archidiaconi Coventrenſis Epiſcopatus, propter corrigenda, & punienda crimina, a Clericis & laicis pœnam pecuniariam exigant: & pro annua exactione quandoque Rectores Eccleſiarum ſuſpendant, Eccleſias interdicant, & a Vicariis denarios, ſeu mulctam pecuniariam exigant, ut eos in Eccleſiis cantare permittant, & alia agant contra Canonum Statuta. Ideo mandavit Archiepiſcopo Cantuarienſi, ut prædictis hæc ſtricte interdicat: ſi autem contravenire præſumpſerint, eos, ceſſante appellatione, per Eccleſiaſticam cenſuram compellat."

VII. Notandum primo, etſi videatur prohiberi in hoc c. ne Judex Eccleſiaſticus, propter crimina pœnam pecuniariam exigat, vel imponat, ut notat *Gl. hic V. Pœnam*; poteſt tamen Epiſcopus de crimine cognoſcere, & in illo diſpenſare, & correctionis cauſa, pœna pecuniaria Clericos punire; potiſſimum quando ea magis timeretur; etſi pecuniam illam non in proprios uſus, ſeu utilitatem convertat, ſed in pios uſus, vel in pauperes erogare curet, quia tunc præſumitur correctio ac punitio, non ex cupiditate avaritiæ, ſed ex zelo charitatis procedere *Bernard. Diaz. in Pract. canon. c.* 145. *num.* 2. *Covarruv. libr.* 2. *reſol. c.* 9. *n.* 8. *&* 9. Ubi in fine addit, quod Epiſcopus, ſi eſſet inops, vel indigeret, poſſet pœna pecuniaria, ſive per Statutum, ſive etiam per ſententiam ſancita, delinquentes punire eamque in proprios uſus expendere. Extra hunc vero caſum Concilium Tridentinum *Seſſ.* 25. *c.* 3. *de reform.* præcipit, ut ab Epiſcopis mulctæ pecuniariæ, eo ipſo, quod taxatæ fuerint, piis locis ibi exiſtentibus aſſignentur.

Notandum ſecundo, ſi Jus ſtatuat pœnam pecuniariam infligendam, pro certis criminibus, tum quicunque poteſt de illis criminibus cognoſcere, poteſt illam infligere. Si vero ſtatuat ſolam pœnam ſpiritualem, vel corporalem pro crimine aliquo, Judex non debet, nec poteſt illam in aliam commutare, niſi qui in illo crimine poteſt diſpenſare: quamvis ſecundum *Abb. hic*, & alios, quilibet Judex, qui poteſt de cauſa cognoſcere, poſſit pœnam a Jure ſtatutam in pecuniariam commutare, dummodo id faciat in ſententiæ prolatione, & cauſa cognita, *Fagn. in cit. c. Licet num.* 13. Si denique de pœna criminis nihil definitum ſit in Jure, utrum pecuniaria, vel alia ſit imponenda, tum Judicis arbitrio relinquitur, quam imponat, *Gloſſ. hic V. Pœnam*. Ubi in fine addit, quod in caſu hujus c. Archidiaconi illi non debeant exigere, vel infligere pœnam pecuniariam, ſed ſpiritualem imponere, quia non poterant in illis criminibus diſpenſare, nec pœnas commutare. Porro Epiſcopus, vel alius Judex Eccleſiaſticus poteſt in cauſis ſpiritualibus, vel mixti fori, laicis, etiam ſibi non ſubditis in temporalibus pœnas pecuniarias imponere, ſaltem poſt Concilium Trid. *Seſſ.* 25. *c.* 3. *de reform. Fagn. c. l. n.* 21. *& ſeqq.*

VIII. Tertio ad pœnam pecuniariam pertinet, quod victus victori condemnetur in expenſas, quando ſententia profertur pro parte præſente, in cauſis pecuniariis, non autem quando fertur pro parte abſente, prout ſumitur ex *c. Calumniam* 4. *h. t.* „Ubi habetur, quod qui calumnioſe, & temere litigant, condemnandi ſunt in expenſas, & de calumnia puniendi, ſecundum leges Civiles. Quare cum hoc conſenſum ſit Sacris Inſtitutis, ſeu Canonibus, iiſque non contradicat, præcipit Alexander III. in Concilio Turonenſi, ut de cætero in pecuniariis cauſis, victus victori in expenſas condemnetur niſi ſententia pro abſente feratur."

IX. Pro intellectu hujus c. notandum primo, extat Regula utriuſque Juris, victum eſſe victori condemnandum in expenſas, *cit. c. Calumniam h. t. & l. Properandum* 13. §. *Sive autem alterutra C. De Judic.* Idque procedit, non ſolum ſi quis per calumniam aut dolum litiget, ſed etiam ſi abſque dolo, temere tamen, & inconſulto, ut nullo adhibito conſilio, litigaverit, *l. Eum quem* 79. *ff. De Judic. Abb. hic n.* 1. *not.* 1. *Covarruv. pract.* 99. *c.* 27. *num.* 1. Secundo, etiam extenditur, etiamſi victus ab initio litis juramentum calumniæ præſtiterit, quia hoc juramentum, etiamſi videatur excuſare a calumnia, non tamen a temeritate, *Abbas. hic num.* 4. *Covarruv. cit. c.* 27. *Verſ. ſecundo*. Tertio, condemnationem in expenſas etiam locum habere in cauſis criminalibus, tradit *Covarruv. cit. loc. num.* 2. & plures alii. Sed contrarium probabilius tenet *Fachin. lib.* 1. *Controv.* 22. Idque probat ex *cit. c. Calumniam h. t.* ibi: *præcipimus, ut de cætero in cauſis pecuniariis, victus victori in expenſas condemnetur*: ex quibus verbis patet, quod condemnatio in expenſas locum habet tantum in cauſis pecuniariis, alioquin ſi etiam in cauſis criminalibus locum haberet, Pontifex generaliter præcepiſſet, victum victori in expenſas condemnandum eſſe, & id non limitaſſet ad cauſas pecuniarias, ubi etiam ad argumenta contrariæ ſententiæ reſpondet.

Notandum ſecundo, qui juſtam cauſam litigandi habuit, non debet condemnari in expenſas litis, *lib. Qui ſolidum* 78. §. *Etiam ff. De legat.* quamvis in dubio præſumptio ſit contra victum, quod juſtam cauſam litigandi non habuerit, adeoque hoc ipſo, quod ſuccumbit, præſumitur calumnioſe, vel temerarie litigaſſe, & condemnari debet in expenſas. *Gloſſ. hic V. Victori & Abb. num.* 2. *Covarruv. c. l. n.* 3. Verum is, qui habuit juſtam cauſam litigandi, non tantum in prima inſtantia, ſed etiam in cauſa appellationis, in expenſas condemnari non debet, quamvis minor cauſa excuſet a condemnatione in expenſas in prima inſtantia, quam in ſecunda, ſive appellationis, ſicut & minor cauſa excuſat reum, quam actorem, *Covarr. c. l. n.* 3.

X. Notandum tertio, Judex tenetur victum in expenſas condemnare, victori ſi is id petierit, alias non: *Covarr. c. l. num.* 5. *Barboſ. in Collect. hic num.* 3. Ubi tamen id limitat primo, niſi actor in libello petierit ſibi jus, & juſtitiam miniſtrari, tunc enim vi hujus clauſulæ, poteſt Judex, etiam victore non petente, victum condemnare in expenſas, quia tacite ſunt petitæ. Secundo, fiſcus victus non condemnatur in expenſas: Tertio, ob juſtam cauſam litigandi, poteſt victus excuſari a pœna expenſarum: quæ autem ſit juſta cauſa litigandi, relinquitur Judicis arbitrio: qualem cenſetur habuiſſe, qui pro ſe habet opinionem alicujus gravis Doctoris, *Barb. hic num.* 2. *&* 5. Quarto, victus non condemnatur in expenſas, ſi pars adverſa, ſive victor ſolum ex ſemiplena probatione, & ob delatum juramentum ſuppletorium, cauſam obtinuit; niſi is, cui juramentum relatum eſt pluſquam ſemiplene probaverit, ſed pars adverſa nihil, *Barb. c. l. n.* 9.

Notandum quarto, expenſæ, in quas victus condemnari debet victori, taxandæ ſunt a Judice, ſecundum qualitatem litigantium, & poſt taxationem, victor juramentum præſtare debet, ſe vere tantum expendiſſe, quantum Judex definivit, *arg. c. Olim* 7. *de Injur.* Nam cum hoc juramentum ſit de veritate, non de affectione, debet taxationem Judicis præcedere juramentum expendentis, *Covarruv. cit. l. num.* 6.

§. III.

De pœna conventionali, ſive quæ pacto aut contractui eſt appoſita?

XI. De hac agitur inprimis in *c. Conſtitutus* 7. *h. tit.* Ubi „talis caſus proponitur: Epiſcopus Lavitanus conceſſit Monaſterio Cryptæ ferratæ omnes Eccleſias in ſua Diœceſi ſitas, & ad Monaſterium illud pertinentes, & quidquid juris in illis habebat, in emphyteuſim, ſub annua penſione ſolvenda: appoſita in inſtrumento contractus certa pœna, quam pars contractum non ſervans ſolveret obſervanti. Sed poſtea ex utriuſque partis propria confeſſione conſtitit, quod Monaſterium ſubtraxit Epiſcopo penſionem annuam ipſi ſolvendam: & Epiſcopus exegit a Monaſterio procurationem: & ſic utraque pars non ſervavit contractum, ſed pœnam incurrit, ideoque Papa utramque partem a pœna illa declaravit abſolutam. Hoc c. eſt pars *c. Venerabilis* 6. *de Religioſ. domib.*"

XII. Hinc colligitur, quod etiam de Jure Canonico licite apponi poteſt pœna contractui, & exigi, quæ tamen ſi utraque pars non ſervet contractum, in effectu tollitur, & pœna cum pœna compenſatur, *Abb. hic n.* 2. *&* 3.

Porro videtur, quod in caſu hujus cap. Epiſcopus non inciderit in pœnam, nam cum altera pars, ſcilicet Monaſterium, non ſolverit penſionem, licite potuit Epiſcopus petere procurationem, quia fides non eſt ſervanda frangenti fidem, *cap. Pervenit* 3. *de Jurejur.* Verum hic propter par delictum neuter incidit in pœnam, *lib. Cum par* 154. *ff. de R. J.* & in delictis mutua fit compenſatio, *c. fin. de adult. & lib. Si ambo* 10. *ff. De compenſat.* & conſequenter etiam pœna cum pœna compenſatur, *Gloſſ. hic V. Utramque Hoſtien. hic V. vvd.* Ubi ait, quod nec Epiſcopus debebat exigere procurationem, etſi Monaſterium ceſſaſſet ſolvere penſionem, & ſic utraque pars deliquit, & in culpa fuit, ideoque neutra pars tenebatur, ſive ad contractum, ſive ad pœnam, ſed mutua compenſatio facta fuit.

XIII. Præterea ſi obligatus ſolvere certam quantitatem pecuniæ ad certum tempus, cum pacto, ut ſi non ſolverit, tempore deſignato, teneatur ad certam pœnam: ſi ſolvit majorem partem debiti, non tenetur integram pœnam ſolvere, ſed ſolum pro parte debiti, quæ non eſt in termino conſtituto ſoluta, prout ſumitur ex *cap. Suam* 9. *h. tit.* „Nam cum Rectores, & Clerici Eccleſiæ S. Fortunati Epiſcopo Spoletano in XL. libris, per quoddam arbitrium, condemnati eſſent, pœna XXX. librarum appoſita, niſi eas ſolverent in termino conſtituto, & nonniſi XXXIII. libras in dicto termino perſolviſſent: Epiſcopus, occaſione ſeptem reſiduarum librarum, Litteras Apoſtolicas,

taci-

„ tacita veritate, impetravit, ut in ſtrigiota libris, no-
„ mine pœnæ, quia non ſolverunt totam ſummam in
„ termino conſtituto, ſibi ſolvendis condemnarentur. Re
„ ad Papam delata, is mandat dicto Epiſcopo, ut VII. li-
„ brarum ſolutione contentus, ſuper pœna XXX. libra-
„ rum dictos Rectores de cætero non moleſtet, cum non
„ deceat ipſum inhoneſtis quæſtibus, cum aliena jactura,
„ ditari.

XIV. Pro explicatione hujus c. Notandum primo, de Jure Canonico pœna conventionis appoſita pacto dandi certam quantitatem, intra certum terminum, ſi conditio non ſit impleta, non tota pœna committitur, ſeu incurritur, ſed pro illa parte tantum, quæ reſpondet quantitati debiti non ſolutæ, *Abb. hic num.* 6. ubi id probat, quia eadem debet eſſe ratio de parte quæ eſt de toto, quoad totum, *l. quæ de tota 76. ff. de rei vindic.* ſicut ergo de Jure Canonico poteſt peti pœna tota, ſi non adimpleantur contractus: ita ſimiliter ratione partis non ſolutæ, poteſt exigi pœna pro rata.

Notandum ſecundo, etſi de Jure Civili, & ſecundum Juris rigorem, qui certam pecuniæ quantitatem, ad certum tempus, ſub pœna dare promiſit, etiamſi partem ſolvat, debet totam pœnam pendere propter ſortem non ſolutam integre, *l. Stipulationum 5. §. Si ſortem, & l. In executione 85. Item ſi ita ff. de V. O. l. Hæredes 29. §. In illa ff. famil. hercis.* At vero de Jure Canonico, & ſecundum æquitatem Canonicam, pœna non committitur niſi pro parte debiti non ſoluta tantum, *Gutier. l. 2. Can. qq. c. 20. num. ult.* ubi ait, hunc eſſe communem intellectum hujus c. Idque ſatis colligitur ex deciſione Pontificis in *cit. c. Suam.* ubi qui ante terminum ſolutioni præfixum XXXIII. libræ ex debito principali XL. librarum jam ſolutæ fuerunt, & ſolum reſtabant ſeptem ſolvendæ: ideo mandavit Pontifex, ut Rectores, & Clerici Eccleſiæ S. Fortunati ſupra ſeptem libras adhuc debitas, nihil amplius, nomine pœnæ, exigerent, quia contra omnem æquitatem fuiſſet, exigere integram pœnam XXX. librarum appoſitam, propter ſeptem libras reſiduas debiti principalis nondum ſolutas, ideoque pœnam illam, tanquam immoderatam, & exceſſivam, reprobavit, cum non deceat illos Clericos, cum alterius jactura ditari. Itaque merito cenſendum eſt, Pontificem aliud ſtatuiſſe in hoc caſu de Jure Canonico, quam quod de Jure Civili eſt ſtatutum, idque propter æquitatem, quæ eſt præferenda Juris rigori.

§. IV.

De pœna depoſitionis, & degradationis.

XV. De priore pœna depoſitionis agitur inprimis in *cap.*
„ *Quod in dubiis 5. h. t.* Nam conſultus Papa Innocentius
„ III. de pœna Clerici cauſam, vel operam dantis bello,
„ reſpondet, Sacerdotes, ſeu Clerici, qui gubernant na-
„ ves, (vel exercitum ad pugnam, & qui perſonaliter con-
„ fligunt, & qui alios invitant ad pugnandum, graviter
„ peccant, & de rigore Canonico ſunt deponendi, ſcili-
„ cet ab officio, & beneficio. Id vero intelligi debet, ſi hæc fiant in bello injuſto, nam ſi bellum ſit juſtum, licitum eſt Clericis, non tantum intereſſe in ipſo conflictu, ſed etiam alios invitare, ſeu hortari ad pugnandum, dummodo ipſi perſonaliter non pugnent: niſi ipſi invaderentur, tunc enim licite pugnant, & ſe defendere poſſunt, etiam occidendo invaſores, ſi aliter mortem evadere non poſſint, *Gl. hic V. Incitant, & Abb. c. c.* de quo dictum ſupra *Tit.* 12.

XVI. Præterea Clerici, ob magnum crimen ab iis commiſſum deponi debent, & in Monaſterium detrudi ad agendam pœnitentiam, prout ſtatuitur in *c. Tuæ 6. h. t.* Nam
„ cum quæſitum fuiſſet, qualiter Clerici in latrociniis, vel
„ aliis magnis ſceleribus deprehenſi (& convicti, niſi de-
„ lictum ſit notorium per evidentiam facti, *Gl. hic V. De-*
„ *prehenſi.*) puniri debeant, reſpondet Papa Innocentius
„ III. quoad ab Ordinibus degradati, detrudi debeant in
„ arcta Monaſteria, ad pœnitentiam agendam. Eſt autem hic ſermo de degradatione, non actuali, ſed verbali, quæ non privat omni privilegio Clericali, nec privilegio fori, ut notat *Abb. hic n. 2. Bern. Diaz in pract. Canon c. 94. circa fin.* Hæc tamen pœna depoſitionis non eſt imponenda, propter ſimplicia furta, ſed propter latrocinia, quæ fiunt de die, & quandoque cum violentia, *Abb. hic num. 5. not. 2.* vel alia gravamina. Quod vero ad pœnam detruſionis in arctum Monaſterium attinet, ea hodie raro eſt in uſu, & poteſt commutari in aliam pœnam, *Abb. hic numer.* 7. Quod ſi vero Clerici in hujuſmodi gravibus ſceleribus ſint incorrigibiles actu, ſeu realiter degradati, tradi ſolent ſeculari poteſtati, ut ultimo ſupplicio afficiantur *Vivian. in Ration. hic.*

XVII. De poſteriore pœna degradationis agitur in *c. Degradatio 2. h. tit. num. 6.* in quo deſcribitur modus degra-
„ dandi Clericos: Nam quæſitum fuit ex Bonifacio VIII.
„ qualiter fieri debeat degradatio? Reſpondet Papa, quod
„ verbalis degradatio, ſeu depoſitio ab Ordinibus, vel gra-
„ dibus Eccleſiaſticis, eſt a proprio Epiſcopo facienda, aſ-
„ ſiſtente ſibi in degradatione Clericorum, in ſacris Ordi-
„ nibus conſtitutorum, certo Epiſcoporum numero a SS.
„ Canonibus definito. In degradatione vero eorum, qui
„ minoribus duntaxat Ordinibus ſunt initiati, ſufficit pro-
„ prii Epiſcopi ſententia, ſine aliorum Epiſcoporum præ-
„ ſentia, *cit. c. 2. in princ. h. t. in 6.* requiritur tamen præſentia Capituli Cathedralis, ſecundum *Gloſ. hic V. Præſentia*, licet ſufficiat de conſenſu Capituli, adſint duo, vel tres Canonici, qui Capitulum repræſentent, *Silveſt. hic c. l.*
„ Actualis vero, ſive ſolemnis degradatio Clerici fiet, ſicut
„ cum exauctoratur is, qui profanam, & armatam mili-
„ tiam deſeruit, cui militaria detrahuntur inſignia, ſicque
„ privatur privilegio militari, *cit. c. 2. §. Actualis vero.* Sic
„ igitur Clericus degradandus indutus ſacris veſtibus, in
„ manibus tenens librum, vas, vel aliud inſtrumentum,
„ aut ornamentum ad ſuum Ordinem ſpectans, ac ſi in of-
„ ficio ſuo miniſtrare deberet, adducitur ad Epiſcopum
„ præſentem, & auferuntur illi omnia tradita in Ordina-
„ tione, incipiendo gradatim uſque ad primam veſtem da-
„ tam in collatione primæ Tonſuræ. Deinde irrondetur,
„ vel raditur, ne Clericatus veſtigium in eodem remaneat:
„ poteſtque Epiſcopus ad terrorem uti verbis oppoſitis il-
„ lis, quæ in Ordinatione prolata ſunt: v. g. auferimus
„ tibi veſtem Sacerdotalem, & honore Sacerdotali te pri-
„ vamus, & ſic de aliis. Denique ablatis omnibus Inſi-
„ gnibus Clericalibus, ultimo adjicit Epiſcopus hæc, & ſi-
„ milia verba: Auctoritate DEI omnipotentis Patris, Filii
„ & Spiritus S. ac noſtra auferimus tibi habitum Clerica-
„ lem, & deponimus, degradamus, ſpoliamus, & exui-
„ mus te omni Ordine, beneficio, & privilegio Clericali,
cit. c. 2. §. Clericus igitur uſque ad finem.

XVIII. Notandum primo, ad verbalem degradationem requiritur, ut proprius Epiſcopus, aſſiſtentibus ſibi aliis ſex Epiſcopis, in condemnatione Presbyteri, tribus autem in degradatione Diaconi, vel Subdiaconi, ſententiam depoſitionis in criminoſum pronunciet, *c. Felix 4. & c. 9. cauſ. 15. q. 7.* ubi etiam dicitur, quod depoſitio, ſeu degradatio Epiſcopi a Metropolitano fieri debeat, coram aliis XII. Epiſcopis: qui Epiſcopi non ſunt veri Aſſeſſores, ſed aſſiſtunt ut Judices, quia de juſtitia cauſæ cognoſcere poſſunt, *Franc. in cit. c. 2. h. t. in 6. num. 2. Laym. c. l. num. 4.* Ad degradationem vero verbalem Clerici in Minoribus Ordinibus conſtituti, non requiritur præſentia aliorum Epiſcoporum, ſed ſufficit ſola auctoritas proprii Epiſcopi, præſentibus quibuſdam e Clero, qui Capitulum repræſentent, niſi aliud conſuetudine ſit receptum *Gloſ. hic V. Præſentia. Franc. hic num.* 4. Facta autem hac verbali degradatione per ſententiam Epiſcopus procedit ad actualem, ſeu realem degradationem, quæ eſt executio prioris degradationis verbalis, & ſine aliis Epiſcopis, fieri poteſt, etiam in degradatione Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti, *Silveſt. V. Degradatio, num. 1. in fine, Franc. hic §. Actualis. num. 3. Laym. c. l. n. 4.*

„ Porro Concilium Tridentinum *Seſſ. 13. c. 4. de reform.*
„ decrevit, ut contra Clericum in Sacris etiam Presbyte-
„ ratus Ordinibus conſtitutum, non ſolum ad condemna-
„ tionem illius, ac verbalem depoſitionem, ſine Epiſcopo-
„ rum præſentia, in numero, qui a SS. Canonibus requi-
„ ſitur: ſed etiam ad actualem, & ſolemnem degradatio-
„ nem, abſque illis procedere liceat. Adhibitis tamen, &
„ aſſiſtentibus totidem Abbatibus, uſum Mitræ, & Baculi
„ habentibus, ſi in Civitate aut Diœceſi commode haberi
„ poſſint: alioquin adhibeantur aliæ Perſonæ in Eccleſia-
„ ſtica dignitate conſtitutæ, quæ ætate ſint graves, & Ju-
„ ris ſcientia commendabiles.

XIX. Notandum ſecundo, plures ſunt differentiæ inter degradationem verbalem, quæ fit per ſimplicem ſententiam, qua Clericus criminoſus ab Ordinibus Clericalibus, ſeu potius ab Ordinum miniſterio, aut executione depoſitus declaratur; & magis proprie depoſitio appellatur, quam degradatio: & inter degradationem actualem, per quam veſtibus & Inſignibus Clericalibus actu, & ſolemni verborum formula privatur, nam per priorem non amittitur fori, & Canonis privilegium, ſicut per poſteriorem, *Barboſ. de Off. et Poteſt. Epiſc. l. alleg.* 110. & alii apud ipſum. Deinde degradatio verbalis per ſententiam ab Epiſcopo etiam nondum conſecrato fieri poteſt per ſe, vel per alium, modo ſit confirmatus, ideoque & Vicario Generali committi poteſt, quia ad eam non requiritur poteſtas Ordinis, ſed ſolius juriſdictionis: degradatio vero actualis, & ſolemnis a ſolo Epiſcopo conſecrato exerceri poteſt, quia eſt actus Ordini Epiſcopali, ex Eccleſiæ inſtitutione, annexus, quamvis poſſet etiam delegari alteri Epiſcopo conſecrato non item non Epiſcopo, juxta alibi dicta, *Laym. c. l. n. 5. Barboſ. c. l. n. 4.* Item ſi in Jure, vel Conſtitutione aliqua reperiatur impoſita pœna degradationis, id intelligi debet de verbali degradatione, quippe leviori, non de actuali, quæ eſt graviſſima pœna, ideoque infligi non debet, niſi in caſibus Jure expreſſis, *Barb. cit. alleg. 110. n. 9.*

Notandum tertio, crimina, propter quæ infligitur verbalis degradatio, ſunt adulterium, concubinatus perſeverans, poſt monitionem, Simonia notoria, ſtuprum, inceſtus, furtum, perjurium, homicidium, & alia crimina gravia, quæ irregularitatem inducunt, *Barb. c. l. n. 10.* At vero crimina, ob quæ Clericus actu degradandus eſt, & tradendus Curiæ ſeculari, ſunt graviſſima, quorum tria Jure expreſſa ſunt. Veluti primo crimen hæreſis manifeſtum. Secundo, crimen falſi commiſſi in Litteris Apoſtolicis. Tertio, crimen conſpirationis in proprium Epiſcopum, ſi tamen ſit incorrigibilitas acceſſerit *Laym. c. l. n. 6. Barb. c. l. nu. 11.* quibus addi poſſunt plura alia crimina, videlicet Sodomia frequentata, crimen abortus animati, ſollicitantes mulieres in Confeſſione, non ordinati celebrantes, vel Confeſſionem Sacramentalem audientes, ac denique ob aliud crimen valde enorme, & Reipubl. perniciosum, ut homicidium qualificatum, vel ſi Clericus fuerit incorrigibilis, & ruerit in profundum malorum *Clarus l. 5. §. fin. q. 36. Laym. c. l. & Barb. n. 13. & ſeqq. & in Collect. hic n. 6.*

Notandum quarto, actualiter degradatus per ſolum Papam reſtitui poteſt: verbaliter autem depoſitus etiam per Epiſcopum, ſed non per alium inferiorem, *Silveſt. V. Degradatio in fine, Barb. cit. alleg. 110. numer. ultimo.* Porro Sacerdos degradatus, etiam actualiter, conficit Sacramentum Euchariſtiæ, ſi debita materia, & forma utatur, ac intentione: quod ſi reſtitueretur per Papam, non de-

deberet de novo ordinari, licet inſignia ei ablata reſtitui deberent, quia character impreſſus a Deo in anima manet, etiam poſt mortem, nec per hominem auferri poteſt, *Franc. in cit. c. 2. §. ult. num. 4. h. t. in 6.* plura de degradatione hæreticorum dicta ſunt ſupra *Tit. 7. ſec. 3. §. 8.*

§. V.

De pœna Carceris.

XX. De hac agitur in *c. Quamvis. 3. h. tit. in 6.* Ubi Papa Bonifacius VIII. ita reſcribit: „quamvis carcer ad eorum cuſtodiam, non ad pœnam ſpecialiter ſit deputatus: poteſt tamen Epiſcopus, vel alius Judex Eccleſiaſticus, Clericos ſibi ſubjectos de criminibus confeſſos, vel convictos, in perpetuum, vel ad tempus, prout viderit expedire, carceri mancipare ad pœnitentiam peragendam, provide penſatis delictis, & perſonis, aliiſque circumſtantiis.

XXI. Ubi notandum licet carcer de Jure Civili regulariter ſit introductus ad cuſtodiam reorum, pendente accuſatione, *l. ult. C. De Cuſtodia reorum*, ubi de his, quos tenet carcer incluſos ſancitur, ut convictos velox pœna ſubducat, id eſt, cito condemnentur, & puniantur: aut liberandos cuſtodia diuturna non maceret, id eſt, cito abſolvantur, & liberentur, ſi innoxii reperiantur. Veruntamen de Jure Canonico carcer eſt inſtitutus, etiam ad pœnam, *Gl. hic in caſu, notat. 1.* non tantum ad certum tempus v. g. ad VII. annos, ſed etiam in perpetuum, ut liquet ex hoc c. Ratio eſt, quia cum SS. Canones non infligant pœnam mortis, *c. In Archiepiſcopatu. 4. de raptor.* ideo ne crimina impunita maneant, neceſſarium fuit, pro gravioribus criminibus pœnam perpetui carceris ſtatuere *Gloſſa. hic in caſu*, quam Eccleſiaſtici Judices, non ſolum contra Clericos imponere poſſunt, ſed etiam contra laicos, præſertim in cauſa hæreſis, *c. Excommunicamus. 15. §. Si qui de hæret. Sayr. in Clavi regia lib. 12. cap. 18. num. 6.* de quo plura dicta ſunt ſupra *Tit. 7. ſec. 3. §. 9.*

XXII. Porro incarceratio, ſeu pœna carceris per ſe non infamat, ut colligitur ex *c. Super his. 8. h. tit. juncta Gloſ. fin.* „Nam cum quidam Clericus coram Papa in teſtimonio ferendo vacillaſſet, & variaſſet in dicto ſuo, juſſit Papa per delegatum ſuum, illum capi ac detineri in carcere, unde quæſitum fuit, an iſte Clericus infamiam incurrerit, & reſpondet Papa, quod non.

Ratio eſt, quia iſte teſtis vacillans aut varians, in ferendo teſtimonio, non fuit detruſus in carcerem, tanquam reus criminis falſi; tunc enim potuiſſet ipſi infligi pœna ordinaria hujus criminis, ex lege Cornelia de falſis, & infamiam incurriſſet: ſed fuit conjectus in carcerem, propter delictum variationis in ſua depoſitione, per quam aures Judicis aliquo modo offenderat, ſed non poterat ob illam convinci de crimine falſi, quia variatio iſta poterat varie explicari, & benignius: adeoque Clericus iſte nullam infamiam incurrit, quam carcer per ſe ſolus non inducit, *Abb. num. 2. & 4.*

§. VI.

De pœnis occidentium, vel percutientium proprium Epiſcopum, vel occidentium Rectorem Eccleſiæ. Item de pœna litigantes, injuriam inferentis Judici.

XXIII. Quæritur primo, qualiter puniendi ſunt, qui occidunt, vel percutiunt proprium Epiſcopum, vel Rectorem aut alium Clericum alicujus Eccleſiæ? Reſpondetur, de hoc agitur inprimis in *c. Ad aures. 10. h. t.* „Nam cum quidam Cives Vicentini Epiſcopum ſuum interfeciſſent, illi feudis, & beneficiis, quæ ab Eccleſia Vicentina obtinebant, per ſententiam privati fuerunt. Unde quæſivit Epiſcopus, utrum ipſis, vel eorum hæredibus ablata ſint reſtituenda? Reſpondet Papa, nec ipſis, nec eorum hæredibus prædicta feuda eſſe reſtituenda, vel de novo alia beneficia eſſe conferenda, ſed potius majore animadverſione eſſe plectendos.

XXIV. Ubi notandum primo, nomine beneficiorum hic intelliguntur feuda, & alia, quæ temporalem utilitatem afferunt, eaque prohibentur reſtitui, non tantum occiſoribus, ſed etiam hæredibus eorum in pœnam, licet alias ex nova conceſſione illa acquirere potuiſſent, *Abb. hic num. 3.*

Notandum ſecundo, quia ſacrilegium eſt crimen Eccleſiaſticum, poteſt Judex Eccleſiaſticus, ob illud, etiam laicis imponere pœnam temporalem, privando illos feudis, vel aliis bonis temporalibus, quæ obtinuerunt ab Eccleſia, cujus Prælatum occiderunt, *Abb. hic numer. 1. Barboſ. hic num. 2.*

XXV. Porro novo Jure in *Clement. Si quis. 1. hoc tit.* „auctæ ſunt pœnæ, ita ut qui injurioſe occidit, vel percuſſit Epiſcopum, vel cepit, aut bannivit, vel hæc fieri mandavit, aut ab aliis facta rata habuit, vel qui ad id conſilium dederit, vel favorem, vel ſcienter defenderit, excommunicationem incurrat reſervatam S. Pontifici. Ubi etiam aliæ enumerantur pœnæ. Terra item, & Civitas in hoc delinquens Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto, donec ſatisfecerit. Ita Poteſtas, Curiales & Officiales ſimiliter ſunt excommunicati. Denique in fine additur, quod qui ex his abſoluti fuerint in mortis articulo, ſi convaleſcant iterum, in ſententiam excommunicationis, ipſo facto, reincidunt, niſi mandato Papæ paruerint. Explicatio hujus *Clement.* videri poteſt apud *Abbatem ibid. & Barb. in Collect. & Suar. diſp. 37. ſec. 9. num. 12. & ſeq.*

XXVI. Similiter *c. In quibuſdam. 12. h. tit.* quod eſt deſumptum ex Concilio Generali Lateranenſi ſub Innocentio III. prohibetur, „ne Eccleſiarum Patroni, Advocati, & Vicedomini, qui, cum vacantibus Eccleſiis de Paſtoribus idoneis provideri debet, non ſolum difficultates ingerunt, & malitias; ſed etiam de poſſeſſionibus, aliiſque bonis Eccleſiaſticis, pro ſua voluntate, diſponere præſumunt, imo etiam ipſos Prælatos occidere non formidant: neque de cætero plus ſibi uſurpent, quam Jure reperiatur permiſſum: & ſi ſecus fecerint, per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcantur. Ne quod ad defenſionem eſt inventum, in depreſſionis diſpendium, ſive gravamen retorqueatur. Statuit præterea Concilium, ut ſi prædicti Rectorem, vel alium Clericum ipſius Eccleſiæ, per ſe, vel per alios occidere, vel mutilare præſumpſerint, Patroni Jus patronatus, Advocati advocatiam, feudatarii feudum, Vicedomini Vicedominatum, & Beneficiari Beneficium amittant, quod ab Eccleſia illi tenebant: & non ſolum nihil de præmiſſis perveniat ad hæredes, ſed etiam nullus ex poſteris, uſque ad quartam generationem, admittatur ad Collegium talium Clericorum: neque in domibus Regularium alicujus Prælationis aſſequantur honorem, niſi cum eis fuerit diſpenſatum.

XXVII. Notandum primo, Patroni, & Advocati Eccleſiarum, non poſſunt plus juris ſibi vendicare in Eccleſiis, quam Jure reperiatur ipſis conceſſum, adeoque ſi aliquod jus prætendunt in Eccleſia, debent probare illud ſibi eſſe debitum, *Abb. hic not. 1.*

Notandum ſecundo, Patroni, Advocati vel ſimiles perſonæ habentes jus aliquod in Eccleſia, ſi occidant vel mutilent, per ſe, vel per alium, Rectorem, vel alium Clericum alicujus Eccleſiæ, privantur omnibus juribus, & beneficiis, quæ in illa Eccleſia obtinent, *Gloſſ. hic in caſu*, & in notatis, *Abb. in princ.* & licet in hoc c. ſermo ſit de beneficio temporali, & profano, ut feodo, vel alio ſimili, loquitur tamen etiam de beneficio Eccleſiaſtico, quod occidens Prælatum, vel Clericum Beneficiarum ſit privatus beneficio, quod obtinet in ea Eccleſia, ut poſt *Tolet.* docet *Garc. Tract. de benef. p. 11. cap. 10. num. 57. & 58.* & quidem ipſo jure, ſeu facto: quamvis *Azor. part. 2. libr. 7. cap. 18. qu. 1. §. Deinde quæres*, putat, quod verbum *amittant* ibi poſitum contineat pœnam privationis, non ipſo jure latam, ſed per ſententiam Judicis ferendam. Verum non dicitur ibi ſimpliciter *amittant*, ſed *prorſus amittant*, quæ dictio *prorſus* importat idem, quod ipſo jure, ſeu ipſo facto, *Abb. hic num. 7. Garc. c. l. Barb. hic in Collect. n. 3.* & alii communiter.

Notandum tertio, qui occidunt, vel mutilant Prælatum, vel alium Clericum alicujus Eccleſiæ, per ſe, vel per alios, non ſolum ipſi, ſed etiam hæredes, ſeu poſteri eorum, uſque ad quartam generationem perdunt, quicquid habent ab Eccleſia, nec admittuntur ad ſtatum Clericalem; & ſic puniuntur filii, & poſteri propter delictum parentum, ſicut in crimine læſæ Majeſtatis, *Gl. hic V. Hæredes*, ubi nomine hæredum intelligit deſcendentes ab iſtis malefactoribus per lineam rectam, uſque ad quartam generationem, *Abb. hic num. 2. Barboſ. hic in Collect. num. 7.* utrum autem deſcendentes per lineam fœmininam, mox dicetur.

Notandum quarto, cum prædictis, qui non poſſunt admitti ad ſtatum Clericalem, nec præfici in Ordinibus Regularium, poteſt diſpenſare Epiſcopus, quia diſpenſatio hic non fuit ſpecialiter reſervata Papæ, *Gloſ. fin. hic & Barb. num. 4.*

XXVIII. Porro quod dictum eſt, pœnam impoſitam alicui, & filiis, ſeu poſteris ejus uſque ad quartam generationem, juxta *cit. c. In quibuſdam*, id intelligi debet de linea maſculina tantum, nec extendi ad poſteros lineæ fœmininæ, prout ſtatuitur in *c. Ubicunque 4. h. tit. in 6.* Ubi „Bonifacius VIII. ita reſcribit: Si alicui, & ejus filiis, ſeu poſteris uſque ad certam generationem, pœna imponatur ab homine, vel a Jure, pœna ipſa tantum eos afficit, qui per lineam non fœmininam, ſed maſculinam deſcendunt; niſi aliud in Jure, vel ſententia Judicis ſit expreſſum.

XXIX. Notandum primo, pœna imponi poteſt, non ſolum delinquenti, ſed etiam filiis, & poſteris ejus, imo & collateralibus, ſive Jure, ſive etiam ab homine, id eſt, a Principe, Superiorem non recognoſcente, ex plenitudine poteſtatis, nam ab inferiore non poſſet imponi, cum unus pro alio nequeat puniri, & pœnæ ſuos debeant tenere auctores, niſi in caſibus Jure expreſſis, *Franc. hic num. 1.*

Notandum ſecundo, appellatione filiorum, & poſterorum comprehenduntur tantum regulariter in materia pœnali, deſcendentes per lineam maſculinam, non autem per fœmininam, multo minus collaterales, quia in pœnis ſtrictior interpretatio eſt facienda, idque ſive mentio fiat de filiis, ſeu poſteris uſque ad certum gradum, ſeu generationem, ut in hoc c. ſive non, quia in dubio poteſt cenſeri, quod intelligatur uſque ad quartum gradum, *Franc. hic num. 2.*

Notandum tertio, ſi pœna impoſita ſit a Jure, vel ab homine alicui, & filiis, ſeu poſteris ejus, tunc etiam comprehenduntur deſcendentes per lineam fœmininam, quando apparet ex diſpoſitione ipſius Juris, vel hominis hoc eſſe expreſſum, *Franc. hic n. 3.* Exempla habentur in *c. un. §. Contra natos de ſchiſmat. in 6.* Ubi pœna poſteris impoſita afficit etiam deſcendentes per lineam maſculinam, & fœmininam, quia id Jure ita expreſſum eſt: & in *c. Statutum. 15. de hæret. in 6.* propter crimen hæreſis puniuntur deſcendentes ex linea paterna uſque ad primum, & ſecundum gradum, nempe filii, & nepotes; ex materna vero uſque ad primum gradum, ſcilicet filiæ tantum: *Barboſ. hic numer. 6.*

Idque

Idque aperte colligitur ex hoc c. in fine, quod nomine filiorum, & poſteriorum etiam veniant deſcendentes per lineam fœmininam, quando id in jure expreſſum eſt, vel in Conſtitutione, quia tunc tenor illius eſt ſervandus, *Gl. hic in verb.*

XXX. Quæritur ſecundo, quomodo punienda ſit litigans injuriam inferens Judici? Reſp. de hoc agitur in *c. Dilectus* 11. *h. tit.* Ubi Innocentius III. ita reſcribit: „Si quis temere prorupetit adverſus aſſertionem Judicis (per contumeliam, v. g. dicendo, quod mentiatur, vel nihil ſciat, *Gl. marg. hic lit. A*) coram quo litigat, cum de improbitate litigatoris conſtituerit, juxta Superioris arbitrium, digna animadverſione puniri poterit, ne Judicialis auctoritas vilipendatur.

Ubi notandum, vel injuria illata Judici eſt notoria, & tunc poteſt ipſe Judex punire eum, qui injuriam intulit, quia in notoriis non ſubeſt ulla ſuſpicio, neq; ferenda eſt ſententia cum ſolemnitate, quod procedit, ſi pœna in Jure ſit expreſſa; ſecus ſi Judex poſſit illam imponere, pro ſuo arbitrio, tunc enim arbitrando poſſet excedere modum, *Abb. hic n.* 3. Vel injuria non eſt notoria, & tunc ſi principaliter concernat perſonam ipſius Judicis, non poteſt ipſemet punire, eſſet enim Judex in facto proprio, *c. Inter querelas* 27. *cauſ.* 23. *qu.* 4. Vel contingit principaliter dignitatem Judicis; & tunc poteſt quidem ipſe punire, ſed poterit recuſari tanquam ſuſpectus, quia injuria ſaltem conſequenter tangit etiam perſonam ipſius. Quod ſi vero ſit Judex delegatus, tunc poteſt procedere contra eum, ſi per injuriam illam impediat juriſdictionem ipſius, alioquin vero, ſi non impediatur, debet puniri injurians per Superiorem ejuſdem, ut indicatur in hoc c. ibi: *juxta Superioris arbitrium*, *arg. Anth. de teſtibus* §. *Si vero ignoti coll.* 7. *Abb. hic cit. n.* 3.

§. VII.

De pœna perſiſtentis pertinaciter in excommunicatione, ultra annum, & pœnis inſectantium, percutientium, capientium, vel occidentium S. R. Eccleſiæ Cardinales.

XXXI. De priore pœna agitur in *c. Gravem.* 13. *& ult. h. t.* Ubi talis cauſa proponitur „Comes Regiſtrenſis moltas injurias, & gravamina intulerat Capitulo Laodunenſi propter quæ per Judices a Sede Apoſtolica delegatos excommunicatus fuit, & per duos annos, & amplius in excommunicatione perſiſtens, pertinaciter renuit juri parere, contemnendo claves Eccleſiæ. (datas a Pietro, *Gl. hic V. Claves*) Re delata ad Papam Honorium III. Is, quia hujuſmodi pertinacia non caret ſuſpicione hæreticæ pravitatis: volens tamen parcere Nobilitati dicti Comitis (quoad pœnas) mandavit quibusdam a ſe delegatis, ut ſi Comes ille commonitus, non paruerit plene juri, ipſi Eccleſias, in quibus jus habet, ab ejus obligatione abſolvant, & ſubditos ipſius a fidelitatis juramento (quamdiu in excommunicatione perſtiterit) denuntient abſolutos.

XXXII. Notandum primo, laicus poteſt, ob injurias illatas Clericis, excommunicari, quod intelligendum eſt, ſi commonitus ſuper injuriis nolit ſatisfacere, nec Juri parere, nam propter ſolum delictum non poteſt quis excommunicari, niſi accedat contumacia, *c. Sacro* 48. *de ſent. excomm. Abb. hic num.* 2.

Notandum ſecundo, qui per annum in excommunicatione perſiſtit, fit ſuſpectus de hæreſi, *c. Excommunicamus* 13. §. *Qui autem de hæret.* de quo dictum ſupra *Tit.* 7. *ſec.* 2. §. 4. quia cenſetur contemnere poteſtatem Eccleſiæ, cujus excommunicationem non curat, *Abb. hic n.* 3. Nec refert, quod in hoc c. ſit ſermo de eo, qui per duos annos, & amplius in excommunicatione perſiſtit, quia narratur ſolum, quod in facto contigit, & textus non ſe fundat ſuper illo, ſed ſuper diuturnitate temporis ultra annum, adeoque poſt annum fit ſuſpectus, *Abb. hic & Barb. n.* 3.

Notandum tertio, Nobiles levius puniuntur propter delictum, quam ignobiles, ut patet ex hoc c. in quo Papa potuiſſet ſeverius punire illum Comitem, indicta illi purgatione de hæreſi, & ea non præſtita, eum excommunicando, ſed mitius cum illo actum, quia ſi nimis ſevere procedatur a Judice Eccleſiaſtico contra potentes, & Nobiles, ſæpe inde proveniunt gravia ſcandala, & ſchiſmata, quæ cavenda ſunt, *Abb. hic n.* 4.

Notandum quarto, propter contemptum excommunicationis, poteſt Eccleſia punire laicum perſeverantem in excommunicatione privando eum juribus, quæ obtinet ab Eccleſiis, v. g. jure Patronatus, & remittendo interim debita pecuniaria, quæ ipſi excommunicato debentur, & declarando vaſallos ac ſubditos illius eſſe ipſo jure, ſeu facto, ſine alia ſententia, abſolutos ab obedientia, & obſequiis talis domini, quamdiu in excommunicatione perſtiterit, *Gl. fin. hic & Abb. nu.* 5. *&* 6.

XXXIII. Quod vero attinet ad pœnas perſequentium, „ſeu offendentium Cardinales, de iis agitur *cap. Felicis* 5. *& ult. hoc tit.* In quo ſtatuitur primo, qui Cardinalem S. R. E. hoſtiliter fuit inſecutus, vel percuſſit, aut cepit, ſeu incarceravit, vel ſocius fuit facientis, vel idem fieri mandavit, vel ratum habuit: aut conſilium, auxilium, vel favorem dedit: vel poſtea receptavit, aut ſcienter defendit, tanquam reus læſæ Majeſtatis, perpetuo ſit infamis, diffidatus, & bannitus: non poſſit teſtamentum facere, nec ſuccedere ex teſtamento, vel ab inteſtato alicui: cuncta ejus ædificia debent dari in ruinam, ſeu deſtrui, nullo tempore reparanda: nullus ei reddere debita, vel reſpondere in judicio tenetur. Ejus bona applicentur fiſco ut ex illis nihil tranſmittat ad poſteros, ſeu hæredes. (Cum alias regulariter bona damnatorum tranſeant ad hæredes, & non ad fiſcum, *Authen. Bona C. De bonis damnat.*) Si quæ feuda, officium, vel beneficium, ſpirituale, vel temporale ab Eccleſiis quibuſdam obtineat, ſit iis ipſo jure privatus, eaque ita libere ad Eccleſiam revertantur, ut Eccleſiarum Rectores de iis, pro ſua voluntate, diſponere poſſint. Secundo ejus filii, vel nepotes per lineam (etiam fœmininam, *Gl. Magna hic V. Suadebant.*) deſcendentes quovis beneficio, etiamſi Pontificalem dignitatem adepti ſint, ipſo jure ſint eis privati. Nullus præterea filiorum, vel nepotum ex virili ſexu deſcendentium promoveatur ad dignitatem, vel honorem Eccleſiaſticum aut mundanum, vel ad regimen alicujus loci: ſit illis quodlibet officium, ſeu miniſterium publicum interdictum, & ad teſtimonium in judiciis ferendum reddantur inhabiles: non promoveantur ad Ordines, nec ad officium, vel beneficium Eccleſiaſticum, nec ad actus legitimos eis pateat aditus, omni ſpe diſpenſationis ſuper prædictis adempta, *cit. c. ult.* §. *Quod ſi quis.* Tertio non ſolum autem offendentes Cardinalem, puniuntur prædictis pœnis ſed etiam incurrunt, ipſo facto, ſententiam excommunicationis, a qua non poſſunt abſolvi, niſi a Romano Pontifice, excepto articulo mortis. Et ſingulis diebus Dominicis, & feſtivis, pulſatis campanis, & accenſis candelis, ut excommunicati, publice denuntientur, *cit. cap. ult.* §. *Præſenti.*

„Quarto cum fuerint abſolvendi, cavere idonee debent, quod æquo animo ſuſtinebunt pœnam ſibi imponendam: ubi etiam additur, quam pœnitentiam facere debeant, cum abſolvuntur, obtenta autem abſolutione, indulgetur eis, ut poſtmodum acquiſita repetere poſſint, *cit. c. ult.* §. *Cum autem.* Quinto ſi quis vero nudo conſilio aut favore ſimplici fuerit in præmiſſis culpabilis, eum Judex, pro qualitate culpæ, caſtigare poterit, *cit. c. ult.* §. *Illud autem.* Sexto permittit Papa, ut prædictæ pœnæ extendantur etiam ad collaterales, fratres videlicet, nepotes, & pronepotes talium, *cit. c.* §. *Cæterum.* Septimo ſimiliter offendentibus familiares Papæ vel Cardinalium, imponi poterit pœna, pro qualitate culpæ, §. *Præmiſſis etiam*, Octavo, occidentes vero Cardinales, vel dantes cauſam mortis, ultra prædictas pœnas, acrius adhuc puniri debent, §. *Si quis vero.* Denique in §. *fin.* additur, nihilominus Poteſtates, ſeu Magiſtratus ſeculares per pœnas legales contra tales procedere debere, & hanc Conſtitutionem facere obſervari: alioquin Princeps, vel Poteſtas, vel Magiſtratus, & Officiales eorum, intra menſem, poſtquam res ad notitiam eorum pervenit, eo ipſo, excommunicationem incurrant. Civitas vero, quæ tales delinquentes non puniverit, ſit interdicta, & eo ipſo, Pontificali, ſeu Epiſcopali dignitate privata.

Porro etſi regulariter pro uno delicto non poſſint imponi plures pœnæ, id tamen fallit, ſi crimen ſit valde enorme, *Franc. in cit. c. ult.* §. *Per hoc nu.* 4. *h. tit.* Ubi plures limitationes adſert, & pluribus explicat hoc c. *Barboſ. in Collect. hic.*

§. VIII.

Utrum Metropolitanus poſſit punire injurias ſibi, vel ſuis illatas a ſubditis Epiſcoporum Comprovincialium?

XXXIV. De hac re agitur in *c. Romana* 1. *h. tit. in* 6. In „quo Papa Innocentius IV. reſcribit Archiepiſcopo Rhemenſi, ut eum viſitat Provinciam ſuam, ſibi, ſuæque familiæ, aut aliis, etſi de familia ſua non ſint, injuria inferatur a ſubditis ſuorum Suffraganeorum, vel etiam ſi extra viſitationem, ſuos mittat nuncios ad convocandum Concilium Provinciale, vel alias juriſdictionem exerceat in provincia, eos propter injuriam illatam, dummodo notoria ſit, poſſit propria auctoritate punire, ſi hac occaſione impediatur ejus juriſdictio, niſi ex Eccleſiæ Rhemenſis conſuetudine plus poteſtatis ei competat. Præterea eidem Archiepiſcopo, aliiſque Metropolitanis in ſuis Provinciis, dum juriſdictionem ſic exercent, puniendi manifeſtas, ſeu notorias offenſas, eiſdem, vel ſuis illatas, ex ſpeciali conceſſione Apoſtolica (etiamſi per hujuſmodi injurias illatas juriſdictio ejus non impediatur) liberam habeant facultatem.

XXXV. Notandum primo, quando crimina ſunt notoria, poteſt Archiepiſcopus, ſive Metropolitanus punire ſubditos Suffraganeorum in tota Provincia, *c.* 1. §. *Notoria de cenſib. in* 6. Idque procedit, etiamſi Archiepiſcopus non viſitet, ſi tamen Epiſcopus ſit negligens, *Quarant. in ſumma Bullar. nu.* 24. Dicuntur autem hic crimina notoria, quæ ita manifeſta ſunt, & notoria: ut nulla probabili tergiverſatione celari poſſint, & in quibus nulla probatione aut cauſæ cognitione eſt opus, *c. Manifeſta* 15. *cauſ.* 2. *q.* 1. *c. Evidentia* 9. *de accuſat. Barboſ. in Collect. hic nu.* 2.

Notandum ſecundo, nemo poteſt eſſe Judex in propria cauſa, nec ſibi, vel ſuis jus dicere debet, *l. Unic. C. Ne quis in ſua cauſa & c.* adeoque ſi injuria illata Prælato ipſius perſonam tantum contingat, non poteſt aliquem, propter injuriam illatam, punire: ſi vero tangat Eccleſiam ſuam, poteſt punire injuriantes, tametſi indirecte, & per quandam conſequentiam id cedat in commodum ipſius, *Gl. hic V. Punire Barb. in Collect. hic n.* 4. Non tamen poteſt Prælatus remittere injuriam Eccleſiæ ſuæ factam, ſicut filiusfam. etſi poteſt remittere injuriam ſibi factam, in quantum ipſum tangit: non tamen in quantum tangit patrem, *l.* 1. §. *Uſque adeo ff. De injuriis Gl. hic V. punire, Barb. hic n.* 5.

§. IX.

Proponuntur ſumma reliquorum Capitulorum, quæ Clementinis, & Utriuſque Extravagantibus continentur.

XXXVI. In *Clement. Multorum.* 2. *h.t.* (nam de pęna contenta in *Clement.* 1. *h.t.* jam actum ſupra §. 6. *n.* 25. *eod.*) ,, ſtatuitur: Qui detinent, vel procurant capi perſonas Eccleſiaſticas, ut renuncient ſuis beneficiis, velut citati ab homine, vel a jure, non vadant ad Sedem Apoſtolicam: præter pęnam excommunicationis, quam per Canones antiquos incurrunt, *cap. Si quis.* 29. *cauſ.* 17. *qu.* 4. *cap. Nuper.* 29. *de ſent. excomm.*) ſi Prælati ſint, a perceptione fructuum Eccleſiarum ſuarum per triennium ſunt ſuſpenſi: inferiores vero beneficiis obtentis ſunt privati. Eandem pęnam incurrunt, qui citati non veniunt ad Sedem Apoſtolicam, & procurant ſe capi a Poteſtate ſeculari: (ſecus ſi per Poteſtatem Eccleſiaſticam, *Gloſſ. hic V. Seculari.*) Reſignationes autem beneficiorum modo prædicto extortæ, licet a Prælatis ipſorum reſignantium ſint receptæ, aut ratificatæ, ſunt omnino nullæ ac irritæ (ita ut non valeant, etiam quoad renunciantem, *Gl. hic V. Nullius.*) Duas quidem pęnas, Ordinarii locorum quamprimum aliquem incurriſſe ſciverint, ſtatim illum publicare debent, ut pęnæ executioni mandentur, prout ad eos pertinuerit. Pro explicatione hujus *Clement.* 2. *Prater. Gloſſat. & Barboſ. in Collect. hic* videri poteſt *Abbas in Clem. & Suar. diſ.* 31. *de cenſur. ſec.* 5. *num.* 7. *& ſeqq. uſque ad num.* 22.

XXXVII. Præterea in *Clement. Cupientes.* 3. *h. t.* Religioſi Mendicantes, qui domos ad inhabitandum, vel loca quæcunque de novo recipiunt, vel recepta mutant, vel eas transferunt in alios, cujuſvis alienationis titulo, contra prohibitionem *c. un. de exceſſib. Præl. in* 6. ultra pœnas ibi expreſſas, ſententiam excommunicationis, ipſo facto, incurrunt. Similiter Religioſi (etiam non mendicantes) qui in ſuis ſermonibus, vel alibi, præſumunt aliqua proferre, ut audientes retrahant a ſolvendis decimis Eccleſiis debitis, ſunt, ipſo facto, excommunicati. Item ſi requiſiti in certis Dominicis, & feſtis diebus in textu expreſſis, quando prædicant, & in Confeſſionibus audiendis populum non inſtruunt, nec ſcrupulum conſcientiæ iis injiciunt, ut non omittant ſolvere decimas, graviter debent argui a ſuis Superioribus, quibus etiam in Virtute Sanctæ obedientiæ præcipitur, ut ſtatuta pœnalia faciant contra hujuſmodi tranſgreſſores, ita ut pœna eorum aliis ſit in exemplum, Conſtitutione Papæ Gregorii X. in *cap.* 1. *de decim. in* 6. nihilominus in ſuo valore permanente. Item Religioſi, qui ſcienter omittunt conſcientiam facere de ſolvendis decimis, ſunt ſuſpenſi, ipſo facto, ab officio prædicandi: donec, ſi commode dicendi facultatem habuerint, conſcientiam faciant pœnitentibus: & ſi prædicta negligentia non purgata, prædicare præſumpſerint, ipſo facto, ſunt excommunicati. Ad Religioſos autem Monaſteriorum, & Rectores Eccleſiarum decimas percipientium, ſides Conſtitutio non extenditur. Denique in §. *ult. cit. Clement. Cupientes*, pœna excommunicationis fertur in Religioſos, & Clericos ſeculares violatores Conſtitutionis Bonifacii VIII. in *c.* 1. *de ſepult. in* 6. qua præcipitur, ne aliquos ad vovendum, jurandum, aut fide interpoſita, promittendum inducant, ut ſepulturam apud ipſorum Eccleſias eligant, vel electam non mutent, alioquin ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, reſervatæ Sedi Apoſtolicæ; præterquam in mortis articulo, non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, & ſtatutis; pęna tamen contenta in *cit. c.* 1. in ſuo robore duratura de quo dictum ſupra *libr.* 3. *Tit.* 28. §. 2. *num.* 26. *&* 2. *ſeqq.* Hujus Clementinæ meminit *Azor. p.* 1. *libr.* 12. *cap.* 18. §. 17. & quoad pœnam excommunicationis *Suar. diſp.* 23. *de cenſur. ſec.* 5. *numer.* 33. & aliquot *ſeqq.* qui videri poteſt.

XXXVIII. Porro in *Extravagant. Dirum. un. Joan. XXII. h. tit.* Narrantur inprimis facinora nonnullorum hominum degentium in Marchis (quæ eſt Provincia Romanæ Eccleſiæ ſubjecta, ut habetur in textu, etiam in temporalibus) qui ſuos Rectores, & Officiales occidere ſoliti erant, & poſtea enumerantur XVII. modi offenſarum, & totidem pœnæ, quas incurrunt, non ſolum hactenus ſic offendentes, ſed etiam qui de cætero talia facere præſumunt: & additur, eorum filios quoque propter patrum iniquitatem, a quibuſcunque honoribus, & beneficiis, tanquam indignos repellendos eſſe, *Vivian. in Ration. h.t.* concordat, *cap. ult. h. t. in* 6. *& Clement.* 1. *eod.* legatur ipſe textus, *junct. Gloſſ.*

XXXIX. Denique in *Extravag. Divinæ unic. h. t.* Inter Communes, Hugo Geraldi Epiſcopus Caturcenſis, propter varios exceſſus, ſeu crimina ab ipſo perpetrata, varias pœnas incurrit, quia Sedi Apoſtolicæ, ſuis ſubditis, & ſibi ipſi fuit injurioſus, cujus delicta in ſpecie recenſentur in textu, propter quæ etiam perpetuæ depoſitionis ſententiam meruit, omni Pontificali, Sacerdotali, & quolibet alio officio privatus fuit, & ad perpetuum carcerem condemnatus. Ex quo patet, propter quæ crimina Prælatus poſſit deponi. Unde hoc c. rectius ſub Tit. de Exceſſibus Prælatorum poſitum fuiſſet, niſi antiqui Libri illud ſub hoc Titulo de pęnis collocaſſent, ut notatur in ſumma hic.

TITULUS XXXVIII.

De Pœnitentiis, & Remiſſionibus.

Actum eſt Tit. de pęnis, quæ imponuntur in foro externo, ſeu Judiciali, nunc ſubjicitur hic Titulus de pęnis, quæ imponuntur in foro interno, ſeu Pęnitentiali: ſed quia hujuſmodi pęnæ, ſeu pęnitentiæ quandoque relaxantur per Remiſſiones, ſeu Indulgentias, ideo de his etiam agitur hoc Titulo, qui extat quoque in Sexto, Clementinis, & Extravagantibus Communibus.

SECTIO I.

De Pœnitentiis.

§. I.

De pœnitentia in genere.

I. Quæritur primo, quid ſit pęnitentia, & quot modis accipiatur? Reſp. pęnitentia deſcribitur per effectum, in *c. diſ.* 3. Ubi dicitur, Pęnitentia eſt præterita plangere, & plangenda iterum non committere. Accipitur autem Pęnitentia tripliciter, ut notat *Silveſt. in Summa V. Pœnitentia. num.* 1. Primo, prout eſt Virtus ſpecialis, & definitur communiter ex *S. Thom.* 3. *p. q.* 85. *art.* 2. *&* 3. deteſtatio ſeu dolor animi de peccato, quatenus eſt offenſa, ſeu injuria Dei, intentione eam compenſandi, ſeu pro ea ſatisfaciendi; de qua plura videri poſſunt apud *Tanner. Tom.* 4. *diſ.*6. *q.* 2. *dub.*1. *Laym. lib.* 3. *Theol. mor. tr.*6. *c.* 1. & alios Theologos. Secundo, accipitur pęnitentia, prout eſt Sacramentum novæ legis a Chriſto inſtitutum *Joan.* 20 & continet tres partes, ſeu actus, ſcilicet Contritionem, Confeſſionem, & ſatisfactionem. Tertio, ſumitur pęnitentia pro ſatisfactione, quæ duplex eſt, publica & privata, ut ex infra dicendis patebit. Huc pertinent Canones pęnitentiales in fine Decreti juſſu Gregorii XIII. editi, & ſunt quædam regulæ directivæ ad pęnitentias delinquentibus imponendas, quæ tamen, cum nimis rigidæ viderentur, hodie non ſunt amplius in uſu: ſed per deſuetudinem ſunt abolitæ, in quorum locum ſucceſſerunt Remiſſiones, ſive Indulgentiæ, de quibus infra.

II. Quæritur ſecundo, quotuplex ſit pęnitentia ſumpta tertio modo, pro ſatisfactione? Reſp. Alia eſt publica, alia privata. Publica eſt illa, quæ imponitur, & peragitur pro manifeſtis peccatis, juxta *c. Manifeſta* 1. *h. t.* Ubi dicitur: Manifeſta peccata non ſunt occultata correctione purganda: nam qui publice peccant, etiam publice puniendi ſunt, ut tollatur ſcandalum, & alii territi arceantur a ſimilibus, *c. pen. junct. Gloſ. V. Veteri. diſ.* 45. *Gloſ. hic V. Occulta, & Abb. notat.* 1. *Conſentit. Concil. Trid. Seſſ.* 24. *c.* 8. *de reformat. in princ.* Pęnitentia vero privata, ſeu occulta eſt, quæ imponitur peccatis ſecretis, ſeu arcanis, in actu Sacramentalis Confeſſionis, & privatim etiam peragitur, *Silveſt. c. l. q.* 1. occulta enim peccata non ſunt publice punienda *c. Si peccaverit.* 19. *cauſ.* 2. *qu.* 1. Porro in fine hujus c. non eſt ſermo de purgatione innocentiæ, de qua agitur in *Tit. de purgat. Canon.* ſed de purgatione culpæ per condignam ſatisfactionem, *Abb. hic.*

III. Præterea pęnitentia publica, alia eſt ſolemnis, alia non ſolemnis. Prior eſt illa, quæ præſcribitur in Concilio Agathenſi relato in *c. In capit.* 64. *diſp.* 50. quæ olim injuncta fuit in initio Quadrageſimæ certis ſolemnitatibus, ſeu ritibus ibi expreſſis, & finiebatur in Cęna Domini. Et hanc ſolemnem pęnitentiam ſolus Epiſcopus imponere poteſt, vel Sacerdos, illius mandato, & nonniſi pro peccato valde enormi, & toti Communitati, ſeu Reipubl. ſcandaloſo, & pernicioſo: nec imponi debet, niſi ſemel, quia non iteratur, *c.*2. *diſ.* 3. *de pœnitent. Hoſtienſ. in ſumma h. t. num.* 55. §. *His prælibatis. Silveſt. V. Pœnitent. qu.* 1. *&* 2. Effectus autem ſolemnis pœnitentiæ eſt, quia tales pęnitentes facit infames, non ratione pęnitentiæ, ſed ratione criminis promulgati, ſaltem ſi per ſententiam Judicis ſit impoſita; adeoque nec ad Ordines promoveri, nec in ſuſceptis miniſtrare poſſunt, *c. Illud.* 66. *diſ.* 50. *Silveſt. V. Pœnitentia, qu.* 3. Publica vero, ſed non ſolemnis pęnitentia dicitur illa, quæ fit publice, & in facie Eccleſiæ, non tamen cum prædictis ſolemnitatibus jure præſcriptis, veluti cum injungitur alicui peregrinatio per mundum, cum pera, & baculo benedictis, quam non tantum Epiſcopus, ſed etiam quilibet Sacerdos injungere poteſt, & multo magis Pęnitentiarius generalis Epiſcopi, quia non reperitur prohibitum, *Hoſtienſ. c. l.* propter grave, & publicum crimen, ſed non ſcandaloſum, *Silveſt. c. l. q.* 2. Veruntamen Clericis, non ſolum ſolemnis, ſed nec publica pœnitentia eſt injungenda, niſi ſint depoſiti. *Gl. in cit. c.* 1. *V. Occulta. h. t. Hoſtienſ. c. l. & Silveſt.* de quo plura infra.

IV. Cæterum illud hic controvertitur, an Confeſſarii pro peccatis publicis auditis in Confeſſione Sacramentali, poſſint imponere pęnitentias publicas? Negat *Navarr. in c.* 2. *diſ.* 6. *de pœnitent. num.* 87. *& ſeq. & in man. Prælat. c.* 8. *num.* 10. quia Confeſſarii imponendo publicam pęnitentiam, tali facto ſignificant, pęnitentem gravia peccata ſibi confeſſum fuiſſe, & ſic indirecte revelarent confeſſionem. Ex quo ſequitur, quod *cit. cap.* 1. *h. tit* loquitur, non de Sacramentali pęnitentia, ſed de ea, quæ in foro externo imponitur. Sicut & Concilium Trident. *cit. c.* 8. Limitat tamen id *Navarr. cit. diſ. nu.*93. *& cit. c.* 8 *n.* 10. niſi pęnitens expreſſe, vel tacite conſentiat, ut confeſſio publicetur, c.

con-

conſequenter etiam peccatum a ſe commiſſum revelari permittat: idque ob eam cauſam, ut Deo & populo, quos ſcandalizaverat, ſatisfiat.

Quare verus intellectus *cit. c. 1. h. tit.* eſt, manifeſta peccata, non occulta, ſed manifeſta correctione purganda eſſe, in foro ſcilicet exteriore; imo etiam in interiore, ſi pœnitens, vel ſponte petat, vel ſuſcipiat pœnitentiam illam publicam, *Navarr. tit. diſ. 6. n. 50. Covarr. lib. 2. var. reſolut. c. 52. n. 3.* Ubi tamen monet, non facile ad talem publicam pœnitentiam veniendum eſſe; ſed cum matura deliberatione, quia ſcilicet peccatum hujuſmodi eſt; ut & peccantis correctio, & aliorum ædificatio publicam pœnitentiam requirat.

§. II.

De pœnitentia occidentis Presbyterum.

V. De hac agitur in *c. Presbyterum. 2. h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio Maguntinenſi, ubi ſtatuitur, „ut ſi quis Presbyterum occiderit, ei ſecundum Canones (pœnitentiales) XII. annorum pœnitentia imponatur. Quod ſi de hoc convictus fuerit (ſcilicet in judicio, *Hoſtienſ. hic V. Convictus.*) uſuſque ad ultimum vitæ ſuæ tempus cingulo militiæ careat, & abſque omni ſpe conjugii maneat.

Ex quo colligitur, quod triplici pœna plectatur occiſor Sacerdotis. Prima eſt, ut pœnitentiam agat XII. annis, v. g. jejunando, certis diebus in hebdomada, vel peregrinando, aut aliud opus pœnitentiæ exercendo, arbitrio prudentis Confeſſarii. Et quamvis alias regulariter, propter mortale crimen, pœnitentia ſeptem annorum injungatur ſecundum antiquos Canones, *c. Admonere. 8. c. Hoc ipſum. 10. cauſ. 33. qu. 2.* quandoque tamen major imponitus, ſcilicet XII. annorum, propter enormitatem criminis, *Gloſ. hic V. XII. annorum*. Secunda pœna eſt, ut privetur in perpetuum cingulo militari, & deponatur a dignitate ſua, nec inter milites numeretur, tanquam exauctoratus, *Hoſtienſ. hic V. Cingulo, & Abb.* Ex quo infert, Judicem Eccleſiaſticum poſſe privare laicum militia temporali: idemque dicendum de Doctoratu, vel quolibet alio negotio ſeculari, ut ab eo abſtineat, *Abb. hic.* Tertia pœna eſt, ut privetur facultate contrahendi matrimonium, ita ut vitam ducat ſolitariam, & decedat ſine ſobole, *Abb. hic*; per quam pœnam impeditur quidem matrimonium contrahendum, ſed non dirimitur contractum, ſecundum *Gloſſat. hic V. Abſque ſpe conjugii*. Porro præter has pœnas, non prohibetur Judex ſecularis, quominus poſſit procedere contra laicum occiſorem Sacerdotis, judicialiter in foro contentioſo, imo etiam Judex Eccleſiaſticus ei in ſuo foro graviores pœnas imponere poteſt; *Abb. hic.*

§. III.

Proponuntur, & explicantur alia quædam Capitula in hoc Titulo contenta, in quibus agitur de imponenda pœnitentia.

VI. Inprimis in *c. Significavit. 3.* habetur, ſi quis excedat modum in ſe defendendo, vel etiam libertatem Eccleſiæ, ei indicendam eſſe pœnitentiam arbitrariam, conſideratis circumſtantiis, ut conſtat ex ſumma ejuſdem c. Nam „cum quidam Nobilis opponeret ſe Friderico Imperatori, negando caſtrum quoddam, quod ſibi tradi petiit Imperator, idem contigit, ut plus quam duo millia domorum deſtructa, & multi homines occiſi fuerint, & alia multa mala commiſſa. Quare dictus Nobilis ſignificavit hoc Papæ Alexandro III. petens reconciliari Deo, qui mandavit Archiepiſcopo Mediolanenſi, ut ſecundum quod ipſi viſum fuerit, pœnitentiam ipſi imponat, conſiderando, quod pro ſua libertate, & Eccleſia defendenda hoc fecit.

Notandum primo, quod pœnitentiæ ſint arbitrariæ, ita ut prudentis Confeſſarii arbitrio relinquantur, qui eas augere poteſt, vel minuere, conſideratis circumſtantiis, *Gl. hic V. Viſum fuerit, & Abb. n. 4. Barb. n. 2.* Secundo, Confeſſarius talem debet injungere pœnitentiam, qualem prudenter putat confitentem poſſe peragere, *Abb. hic num. 2.* In caſu vero hujus c. Nobili illi impoſita fuit pœnitentia, quia in defendendo libertatem Eccleſiaſticam modum exceſſit, *Gl. hic V. Devotione*.

„VII. Secundo in *c. Quæſitum 7. h. t.* Cum Sacerdotes Græci, qui utuntur legitimo matrimonio (contractu in ſtatu laicali, vel dum erant in Ordinibus minoribus) in lecto filios ſuos oppreſſiſſent, quæſitum fuit, utrum publica pœnitentia eis ſit imponenda, ſi eam ſibi poſtulent imponi pro hoc delicto? Reſpondet Papa Alexand. III. ſi ipſis procurantibus, vel ſtudioſe negligentibus filii ſunt oppreſſi, ab officio Altaris debent perpetuo abſtinere: & gravior eis, quam laicis pœnitentia eſt imponenda, non tamen publica, niſi delictum hoc in publicum veniat. Si vero ex incuria ipſorum filii inveniantur mortui in cunis, & illud ſit occultum, pœnitentia eis imponenda eſt, pro arbitrio Pœnitentiarii, & in terrorem aliorum a celebratione Miſſarum ad tempus abſtineant.

VIII. Pro explicatione hujus c. Notandum primo, quando quæritur, an Sacerdoti, ſeu Clerico, vel etiam laico pœnitentia, publica imponenda ſit pro delicto oppreſſionis filiorum, de quo in hoc c. vel alio delicto, tum diſtinguendum eſt; nam vel delictum eſt grave, & ſcandalizans totam aliquam Civitatem, aut Communitatem; & imponitur pœnitentia publica, & ſolemnis, *c. In cap. 64. diſt. 50. cap. ult. cauſ. 26. qu. 6.* Vel eſt grave crimen, non tamen generans ſcandalum: & tunc rurſum, vel eſt occultum: & nec imponitur pœnitentia ſolemnis, nec publica, *cit. c. In capite*, ſive delinquens ſit Clericus, ſive laicus. Vel eſt publicum, & tunc ſi ſit adeo grave, & ſcandaloſum, ut commoveat totam Civitatem, vel Communitatem, imponitur pœnitentia ſolemnis: ſi vero ſit quidem ſcandaloſum, non tamen ita, ut ſcandalum generet in tota Civitate, vel Communitate: & imponitur pœnitentia publica, ſed non ſolemnis ad ſedandum ſcandalum, *Abb. in cit. c. Quæſitum num. 2. h. t. & Fagnan. ibid. num. 3. 4. & 5.* Idque confirmatur etiam ex Concilio Tridentino *c. 8. ſeſſ. 24.* ubi dicitur, quod ob crimen commiſſum ab aliquo publice, & in multorum conſpectu, unde aliquos ſcandalo offenſos fuiſſe conſtat, ei condignam pœnitentiam, pro modo culpæ, publice injungi oportet.

Notandum ſecundo. Negligentia craſſa, ſeu affectata æquiparatur ſcientiæ, ac dolo, ut in caſu hujus c. opprimentes filios in lecto ex ſtudioſa, ſeu affectata negligentia, quæ ex lata culpa procedit, æquiparatur dolo, quoad irregularitatem incurrendam, ita ut perpetuo teneantur abſtinere ab Altaris Miniſterio, quamvis crimen ſit occultum: non autem ſufficit lata culpa ad infligendam pœnam ordinariam homicidii, ad quam requiritur dolus, *Abbas hic num. 2.* Si vero culpa ſit leviſſima, non contrahitur irregularitas, ut patet ex hoc c. in fine, ubi iſti Sacerdotes Græci, ex quorum incuria, & ſine tactu proprio, ſeu alia procuratione, filii eorum reperiuntur mortui in cunis, a celebratione Miſſarum abſtinere debent, ad tempus, non in perpetuum, quia non reputantur homicidæ: ſicut illi, quorum lata culpa filii proprii, non in cunis, ſed in lectis reperiuntur oppreſſi, *Hoſtienſ. hic in fine, & Abb. n. 3. Fagn. n. 9.*

Notandum tertio. Sacerdos, vel alius Clericus poteſt agere publicam, vel ſolemnem pœnitentiam, ſi ſine ſpe reſtitutionis ſit depoſitus, *c. 2. diſt. 6. de pœnit.* & ibi *Gloſſ. V. Peregrinando*. Si vero ſit depoſitus, cum ſpe reſtitutionis, nec ſolemniter, nec publice pœnitere poteſt, *c. Confirmandum. 65. diſt. 50. c. Presbyter. 32. diſ. 81. Gloſſ. hic V. Niſi in publicum*, ubi in fine ait, Sacerdotem poſſe agere pœnitentiam etiam ſolemnem, ſi ſine ſpe reſtitutionis, pro crimine oppreſſionis filiorum, ſit privatus, ſeu depoſitus, ergo multo magis publicam, ſi crimen venit in publicum.

IX. Tertio, pœnitentia moderanda eſt, ſecundum arbitrium prudentis, & diſcreti Sacerdotis, ſeu Confeſſarii, prout ſumitur ex *c. Deus 8. h. t.* ubi Papa Innocentius III. „reſcribit, pœnitentiam, non tam ſecundum quantitatem exceſſus, ſeu delicti, quam pœnitentis contritionem eſſe moderandam, penſata qualitate perſonarum, ſuper fornicatione, adulterio, homicidio, & aliis criminibus: conſideratis omnibus circumſtantiis, & præcipue novitate Eccleſiæ Livonienſis recenter ad fidem converſæ, competens pœnitentia delinquentibus eſt imponenda, prout eorum ſaluti viſum fuerit expedire. Hortatur etiam idem Pontifex Epiſcopum Livonienſem, & qui cum ipſo ſunt, ut eos inſtruat in fide, & Confeſſionis forma, & Orationem Dominicam, ac Symbolum Apoſtolicum edoceat: & ut S. Eucharиſtiam baptizatis, in certis feſtivitatibus, & mortis articulo tribuat.

Hinc colligitur, quod in injungenda pœnitentia attendi debet quantitas, ſeu gravitas exceſſus, ſive delicti, contritio pœnitentis, & qualitas perſonæ, *Gl. hic in notab.* & ſecundum illas pœnitentia augeri, vel minui poteſt.

X. Quarto huc pertinet, quod dicitur in *c. Licet. 6. h. t.* „Si illi, qui per aliquot dies, ex injuncta ſibi pœnitentia, in pane, & aqua jejunare tenentur, & panem, quo veſcantur, non habeant: leguminibus, aut piſcibus, vel aliis cibis reficiantur, ſi neceſſitas id expoſcat: ita tamen, ut his non ad delicias, ſed ad ſuſtentationem utantur. Ratio per ſe patet, quia neceſſitas non habet legem, ideoque ſemper intelligitur excepta, *Gloſ. hic V. Leguminibus*. Idemque dicendum de jejunio, ad quod aliquis obligatur ex voto, *Abb. hic nu. 2.*

§. IV.

De præcepto Sacramentaliter confitendi, ſaltem ſemel in anno, & S. Euchariſtiam recipiendi in Paſchate.

XI. De hoc agitur in *c. Omnis. 12. h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio Generali Lateranenſi ſub Innocentio III. „*cap. 21.* ubi ſtatuitur: Ut omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata ſolus, ſaltem ſemel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam, propriis viribus, ſtudeat adimplere: ſuſcipiens reverenter, ad minus in Paſcha, Euchariſtiæ Sacramentum, niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio ab hujuſmodi perceptione, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus duxerit abſtinendum: alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Eccleſiaſtica careat ſepultura. Unde frequenter hoc ſalutare ſtatutum in Eccleſiis publicetur, ne quiſquam ſe excuſet ob ignorantiam. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit, juſta de cauſa, ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet, & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ille ipſum abſolvere non poſſit, vel ligare. Sacerdos autem ſit diſcretus, & cautus, ut more periti Medici, ſuperfundat vinum, & oleum vulneribus ſauciati, & diligenter acquirat circumſtantias peccatoris, & peccati, quibus prudenter conſideratis, intelligat, quale conſilium ei debeat præbere, & remedium adhibere, diverſis experimentis utendo, ut ſanet ægrotum. Caveat autem omnino, ne verbo, vel ſigno, aut alio quovis modo prodat peccatorem, ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud, abſque ulla expreſſione perſonæ, caute exquirat, qui enim peccatum in pœniten-

„ tiali judicio ſibi detectum delectare præſumpſerit, non ſo„ lum a Sacerdotali officio deponatur: ſed etiam ad agendam „ perpetuam pœnitentiam in arctum Monaſterium detru„ datur. Conſentit Trident. Concilium *Seſſ. 14. cap. 5. & can. 8. de Sacram. pœnit.*

XII. Pro explicatione hujus famoſi, & celeberrimi cap. notandum primo. Ad Sacramentalem Confeſſionem requiritur, ut confitens ſit fidelis, id eſt, baptizatus, alioquin enim non eſt capax Sacramenti Pœnitentiæ, cum Baptiſmus ſit janua, & fundamentum omnium Sacramentorum, *cap. Prater. 6. §. Verum quia. 32. ult. de Presbyt. non baptizat.* Deinde requiritur, ut ad annos diſcretionis pervenerit, id eſt, ut ſit doli capax, ſive rationis compos, ſciens diſcernere inter bonum, & malum, & quia tunc peccare poteſt, *Gloſ. hic V. Diſcretionis. & Barboſ. n. 3.* quod ut plurimum contingit circa ſeptimum ætatis annum, vel poſt ſeptennium infra pueritiam, *Abb. hic nu. 9. Silveſt. V. Confeſſio. q. 5.*

Notandum ſecundo. Debet quis omnia ſua peccata confiteri, ſcilicet mortalia, quia confeſſio debet eſſe integra. non autem tenetur confiteri venialia, ea enim aliis remediis deleri poſſunt, *Gloſ. hic V. Omnia ſua peccata*

Notandum tertio. Confeſſio peccatorum fieri proprio Sacerdoti, non alieno, niſi de licentia proprii Sacerdotis petita, & obtenta, ut habetur in hoc cap. Dicitur autem proprius Sacerdos inprimis, cui cura parochialis Eccleſiæ eſt commiſſa, ſive ſit Rector, ſive Vicarius, *Fagn. hic nu. 55.* Item Epiſcopus Diœceſanus, qui eſt ordinarius Paſtor Diœceſis: imo etiam Papa, qui eſt generalis Paſtor totius orbis Chriſtiani, vel Legatus Papæ. Sicut ergo poteſt quis confiteri Parocho ſuo, vel cum ejus licentia, alteri Sacerdoti: ita etiam poteſt quis confiteri Epiſcopo ſuo, vel ab eo delegato, ut dictum ſupra *Lib. 2. Decret. Tit. 31. ſec. 5. §. 3. numer. 148.* Porro ſi Paſtor immediatus, ſine juſta cauſa, neget licentiam Parochiano ſuo adeundi alium Sacerdotem, poteſt is adire alium, *Arg. cap. Licet 18. de regularib.* Vel rectius, ſi non poſſit habere Confeſſarium regularem privilegiatum, adeat Superiorem Parochi, qui ipſum compellat ad dandam licentiam, vel ipſe illam dabit, *Gl. hic V. Obtineat.*

XIII. Notandum quarto. Hæc Confeſſio ſemel in anno fieri debet, quocunque anni tempore. Unde ſi quis confeſſus eſt tota annum, non tenetur poſtea in Quadrageſima confiteri, cum adimpleverit præceptum annuæ confeſſionis, per ſe loquendo; quamvis per accidens ex alio titulo poteſt fieri, ut teneatur denuo confiteri in Paſchate, quia poſt confeſſionem peccavit mortaliter, & ſuſcepturus eſt Euchariſtiam, vel ob ſuperimminentem mortis articulum. Computatur autem hic annus a Paſchate uſque ad Paſcha, *Barboſ. hic numer. 5. & 6.* Pœnitens autem injunctam ſibi pœnitentiam adimplere debet, ut dicitur in hoc cap. adeoque etiam eam acceptare, ſi ſit favorabilis, & non nimis dura, *Barboſ. in cap. 3. numer. 3. hoc tit.* de quo videri poſſunt Theologi.

Notandum quinto. S. Euchariſtia non eſt ſumenda a laicis ſæpius per annum ex neceſſitate præcepti, ſed ut minimum ſemel in Paſchate; etſi olim ter in anno laici communicare tenebantur, videlicet in Paſchate, Pentecoſte, & Natali Domini, *c. Etſi. 16. diſ. 2. de conſecr.* Declaravit autem Eugenius IV. fideles ſatisfacere huic præcepto Eccleſiæ, ſi in Hebdomada ſancta, vel intra Octavam Paſchæ uſque ad Dominicam in Albis Euchariſtiam ſuſcipiant, *Barb. hic numer. 10.* quamvis ex juſta cauſa hoc tempus communicandi ab Epiſcopo, vel Parocho prorogari poſſit, *Fagnan. hic numer. 46.* & alii. Pueris autem S. Communio dari poteſt ante ætatem perfectam, ſeu pubertatem, nempe cum ſunt X. vel XI. annorum, ſi in illis ſigna diſcretionis & devotionis appareant, in qua re ſtandum eſt arbitrio prudentis viri, *Silveſt. V. Euchariſtia. cap. 3. n. 7.*

Notandum ſexto. Non tantum peccata, ſed etiam eorum circumſtantiæ ſunt inquirendæ, & aperiendæ in Confeſſione, ex Decreto Concilii Trident. *Seſſ. 14. de Sacram. pœnit. cap. 5. §. Colligitur præterea* eæ ſcilicet, quæ mutant ſpeciem peccati; quæ vero ſolum aggravant notabiliter ſpeciem, non ſunt neceſſario exprimendæ, quia Concilium Trident. *cit. loc.* aſſerit, illas circumſtantias eſſe explicandas, quæ mutant ſpeciem, adeoque ſupponit, & tacite indicat, circumſtantias, quæ non mutant ſpeciem, ſed tantum aggravant, non eſſe neceſſario explicandas, & multo minus, quæ notabiliter minuunt peccatum; & potius ad excuſandum pœnitentem adjuvant. *Barb. in cap. Deus. 8. hoc tit. n. 2. Fagnan. hic nu. 48.* & alii apud ipſum. Sed hoc magis ad Theologos pertinet, qui videri poſſunt.

Porro pœna non communicantium in Paſchate, ſine juſta cauſa, eſt, ut ab ingreſſu Eccleſiæ arceantur, & Eccleſiaſtica ſepultura priventur. Imo omittentes annuam Confeſſionem, & ſacram Communionem ſunt ſuſpecti de hæreſi, *Barb. hic num. 12.*

Notandum ſeptimo. Pœna Sacerdotis revelantis confeſſionem, ſeu violantis ſigillum Confeſſionis, eſt depoſitio ab omni Officio Sacerdotali, & detruſio in Monaſterium ad agendam ibi perpetuam pœnitentiam, prout dicitur in fine hujus cap.

XIV. Sed jam hic quæritur, utrum Confeſſarius in *cit. cap. Omnis*, ſub prædicta pœna prohibeatur, non tantum revelare peccatorem, ſed etiam peccatum ſibi in Confeſſione detectum? Affirmat *Abb. hic nu. 7.* Idque probare videtur expreſſe ex *cit. c. Omnis*, ubi non ſolum prohibetur, ne Sacerdos, verbo aut ſigno, vel alio quovis modo, prodat peccatorem: ſed etiam additur, quod ſi peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, ſit plectendus pœnis ibi præſcriptis. Verum oppoſitum tenet *Navarr. in cap. 2. diſ. 6. de pœnit. numer. 75. & 78.* docent communiter Theologi. Ratio eſt, quia cauſa finalis, cur prohibitum ſit revelare peccatum in confeſſione detectum eſt, ne prodatur peccator, & ſic fideles a Confeſſione Sacramentali deterreantur, ut conſtat ex *cit. cap. Omnis. §. Caveat.* ſed per revelationem peccati tantum non proditur, nec cognoſcitur ipſe peccator, ſed peccatum tantum, ſi hoc ita caute ſit revelatum, non poſſit in notitiam peccatoris deveniri, ergo ceſſat prohibitio revelationis peccati, ut ſi quis dicat, tale vel tale peccatum mortale audivi in Confeſſione, imo etiam viri graves talia dicere ſolent, teſte *Navar. cit. l.* Idque confirmatur, quia peccata ipſa, ſine expreſſione perſonæ, non cadunt ſub ſigillum Confeſſionis, quia ſicut ipſa Confeſſio Sacramentalis eſt præcepta Jure Divino; ſicut & præceptum illa non revelandi obligat ex Jure Divino, ita ut nemo, præter pœnitentem, in illo diſpenſare poſſit, ut docent communiter Theologi, & Canoniſtæ: at ſi peccata ipſa caderent ſub ſigillum Confeſſionis, non potuiſſet Concilium Generale in *cit. c. Omnis*, ſtatuere, ut liceret Sacerdoti; ſi prudentiori conſilio indigerit, revelare peccatum audictum in confeſſione, ſi revelatio peccati, non ſecus ac peccatoris, caderet ſub hoc ſigillum, ut bene oſtendit *Fagn. in cap. Officii. p. numer. 38. hoc tit.* Itaque dicendum eſt, *in cit. cap. Omnis*, prohiberi peccati auditi in confeſſione revelationem per relationem, ſive in ordine ad confitentem, quando ſcilicet ita revelatur peccatum, ut exinde ipſe quoque, qui peccavit, cognoſcatur, *Navarr. cit. loc. numer 39.*

Nec refert, quod *in cit. c. Omnis* permittatur revelatio peccati, in caſu ſpeciali tantum, videlicet cum Sacerdos indiget prudentiori conſilio, ac proinde extra illum caſum, prohibita eſt revelatio peccati in aliis caſibus ſimilibus non expreſſis; ſaltem Jure Eccleſiaſtico, propter periculum, ne revelato peccato, reveletur etiam pœnitens, ut docet *Fagn. in cit. c. Officii n. 3. & ſeqq. b. 1.* Nam per hoc non videtur Concilium in *cit. cap. Omnis.* excludere alios caſus ſimiles: cum exceptio in uno caſu, non firmet regulam in contrarium in ſimilibus caſibus, etiamſi alibi non reperiantur ſpecifice excepti *c. dilecta 4. de confirm. util.* & fatetur ipſe *Fagn. cit. loc. num. 42.* idemque etiam *ibid. nu. 38.* ait, revelantem peccatum ſibi in judicio pœnitentiali detectum, ſine ulla expreſſione perſonæ, non incurrere pœnam depoſitionis ab Ordine Sacerdotali, ac perpetuæ detruſionis in arctum Monaſterium, generaliter, & diſtincte, ſed in Judicis arbitrio relinquendum eſſe, utrum hujuſmodi pœna ſit imponenda, aut moderanda.

XV. Cæterum huc pertinet, quod ſtatutum eſt *in cap. Cum infirmitas 13. hoc t.* quod eſt deſumptum ex eodem Concilio Lateranenſi, ſub Innocentio III. *c. 22.* Ubi præcipitur „ Medicis Corporum, ut ad infirmos in lecto jacentes vo„ cati, ipſos, ante omnia moneant, & inducant, & Medi„ cos animarum advocent (iiſque confiteantur) cum infir„ mitas corporalis nonnunquam ex peccato proveniat; ceſ„ ſante autem cauſa, ceſſet effectus, quod ſi Medicus „ quiſpiam hanc Conſtitutionem, poſt publicationem illius „ tranſgreſſus fuerit: tamdiu ab Eccleſiæ ingreſſu arcea„ tur, donec ſatisfecerit competenter. Prohibetur præ„ terea ſub interminatione excommunicationis, ne quis Me„ dicorum pro corporali ſalute ſuadeat ægroto, quod in „ periculum animæ convertatur, v. g. ut abortum procu„ ret, vel pollutionem, cum anima multo ſit pretioſior „ corpore, & ideo potius conſulendum animæ, quam cor„ pori, *Gl. fin. hic*

XVI. Hoc Decretum innovavit Pius V. anno 1566. in quodam motu proprio, qui incipit, *Supra gregem Dominicum*, quem refert *Quaranta in Summa Bullarii V. Medicus*: ubi addit præceptum, ne Medici ultra tertium diem ægros viſitent: niſi Confeſſarius, ex juſta cauſa, longius tempus concedendum infirmo judicet: ac niſi ipſis Medicis per fidem Confeſſarii in ſcriptis factam conſtiterit, infirmum peccata ſua confeſſum fuiſſe. Præcipit inſuper idem Papa Univerſitatibus, & Collegiis, ut cum licentiam medendi alicui conceſſerint, aut ad Doctoris Gradum eum promoverint, exigant ab eo juramentum hæc ſervandi; alioquin perpetuam infamiam incurrant, & e Medicorum Collegio ejiciantur, & gradu Doctoratus priventur, addita pœna arbitraria, arbitrio Judicis, imponenda. Verum hæc Bulla Pii V. in Provinciis noſtris, vel nunquam uſu recepta eſt, vel jam per deſuetudinem abolita.

XVII. Ubi præterea circa Conſtitutionem Concilii Lateranenſis in *cit. c. Cum infirmitas.* notandum primo, eam non habere locum, quando manifeſtum eſt, morbum non eſſe periculoſum, & lethiferum, ſed ſolum quando eſt dubium, ut docet *Navarr. in Man. Pral. c. 25. num. 61.* quia durum videtur ſecluſo hoc periculo Medicos adſtringere ad hanc monitionem. Quamvis alii citatum Decretum intelligendum eſſe cenſeant, non de ſolo morbo periculoſo; ſed de quovis gravi morbo, qui ex ſe lecto aliquem affigit, non ex ſolo podagræ impedimento, & videtur colligi ex *cit. c. Cum infirmitas.* ubi dicitur: Inter alia huic Edicto cauſam dedit, quod quidam in lecto jacentes, cum eis a Medicis ſuaderetur, ut de animarum ſalute diſponant, incidunt in deſperationem, unde facilius mortis periculum incurrunt: quæ ratio locum habet in omnibus morbis, etiam non periculoſis, *Silveſt. V. Medicus. q. 3. dicto 3. Sanch. l. 3. moer. cap. 16. num. 7.* quæ ſententia litteræ textus magis conformis videtur, ſed prior in praxi recepta eſt.

Notandum ſecundo. Hæc monitio fieri debet, vel per ipſum Medicum, antequam medicinas applicet, vel per alium v. g. Parochum, aut qui infirmi curam gerit, & ita Conſtitutio illa eſt recepta, & obſervata, teſte *Navarr. cit. l. & Sanch. numer. 8.* & quamvis ipſe Infirmus confiteri nolit, non ideo debet Medicus illum deſerere, ſecundum *cit. c. Cum infirmitas, Navarr. cit. l.* Imo etiam ſecundum Bullam Pii V. non eſt deſerendus æger confiteri nolens, ſi exinde conſtitueretur in probabili mortis articulo, quia videtur contra ordinem charitatis, non ſubvenire ægro in ea

acceſſi-

Digitized by Google

neceſſitate corporis, & animæ, qui forte deſperans obibit, vel ſi Medicus eum non deſerat, forte reconvaleſcet, vel reſipiſcet, poſita obſtinatione, *Sanch. cit. l. num.* 10. apud quem plura de hoc videri poſſunt.

§. V.

An Confeſſio illius, qui dicit, ſe non poſſe abſtinere a peccato, ſit admittenda?

XVIII. Ad hanc quæſtionem reſpondetur, quod non eſt rejicienda confeſſio eorum, qui volentes confiteri dicunt, ſe non poſſe abſtinere a peccato, ſed debet recipi, & ipſis dari providum conſilium, prout ſumitur ex *c. Quod quidam*, 5. *h. tit.* & traditur in *Summa ibid.* ubi ſuper hoc conſul- ,, tus Pontifex reſpondit, quod eorum confeſſio recipi de- ,, beat, & eis de criminibus (vitandis) conſilium dari: ,, quia licet non ſit vera hujuſmodi pœnitentia (id eſt, ,, fructuoſa ad promerendam vitam æternam, *Gloſ. hic V.* ,, *Non ſit vera*) admittenda tamen eſt eorum confeſſio, & ,, crebris, ac ſalutaribus monitis pœnitentia eis indicenda.

XIX. Notandum primo. Qui non habent verum dolorem de peccatis, neque firmum propoſitum ſe emendandi, ac vitandi peccata, illi veram pœnitentiam non agunt, quippe quæ ad ſubſtantiam veræ pœnitentiæ requiruntur: & talibus etiam abſolutio Sacramentalis impendi non poteſt, ideoque nec talis confeſſio, nec ſatisfactio valet, ſed talis pœnitens iterum poſtea confiteri, & ſatisfacere debet, *Abb. hic num.* 1. *not.* 2. & 3. Prodeſt tamen talis confeſſio, ſicut & alia opera bona facta, extra charitatem & ſtatum gratiæ, ad obtinendum a DEO ſpeciale auxilium gratiæ, ut citius peccator convertatur, & ad impetrandam remiſſionem pœnæ temporalis, vel alia bona temporalia, ut docet *Covarr. in c. Alma Mater in prima part. relect.* §. 4. *num.* 11. & 14.

Notandum ſecundo. Non eſt tamen neceſſarium ad veram pœnitentiam credere ſe nunquam denuo lethaliter peccaturum, ſed ſufficit deteſtari omne peccatum mortale, & habere propoſitum non amplius peccandi mortaliter in futurum, etſi hujuſmodi credulitatem non habeat, *Barb. in Collect. hic num.* 3. *ex Suar.*

§. VI.

De Confeſſione mulieris, quæ partum alienum ſibi ſuppoſuit, vel proprium ex adulterio ſuſcepit.

XX. De hac agitur in *c. Officii.* 9. *h. tit.* Nam mulier ,, quædam prolem non habens, ex metu, ne bona mariti ,, ad alios devolverentur, in foro pœnitentiali confeſſa ,, fuit, quod ſuccum herbarum potans, ut venter intume- ,, ſceret, & gravidam ſe fingens, partum alienum ſibi ſup- ,, poſuerit, ſed nunc, ob timorem mariti, facinus hoc ipſi ,, detegere non audet, qui eam prolem credebat indubita- ,, te eſſe ſuam. Unde quæſitum fuit, utrum ei, durante ,, hac fraude, pœnitentia ſit injungenda? Reſpondet Pon- ,, tifex Innocentius III. quod ſicut mulieri, quæ ignoran- ,, te marito, ex adulterio prolem ſuſcepit, quamvis id ,, viro timeat aperire, non eſt pœnitentia deneganda: ita ,, nec iſti debet pœnitentia denegari, maxime ſi ad alie- ,, nos timeat bona hæreditaria viri devolvi, ſed competens ,, ſatisfactio per diſcretum Sacerdotem ei injungi debet.

XXI. Pro explicatione hujus c. notandum primo, cum quæritur, quid facere debeat mulier conjugata, quæ alienum partum ſuppoſuit, vel prolem ex adulterio ſuſcepit, ita ut hæredes legitimi mariti priventur hæreditate, vel parte illius, propter filium alienum ſuppoſitum, vel ſpurium, qui creditur eſſe legitimus filius, vel hæres: tum diſtinguendum eſt, ut docet *Innocentius hic V. Satisfactio. & Hoſtienſ. V. eod. Fagn. num.* 4. *& ſeqq.* & alii communiter. Vel mulier habet, unde ſatisfiat his, ad quos bona mariti pervenirent, ſi partus ſuppoſitus non fuiſſet, vel adulterium non patratum; & debet tantundem reſtituere ex bonis propriis, vel ignorat, qui ſint illi, & debet tantundem pauperibus erogare. Si vero mulier non habet, unde ſatisfaciat, tunc vel poteſt probare partum eſſe ſuppoſitum, vel filium ex adulterio ſuppoſitum; & ſic revelando fraudem, facere, ne ſuccedentes marito ab inteſtato, vel ex teſtamento incurrant damnum, quod alias exinde incurrerent, vel non poteſt id probare. Priore caſu, vel poteſt ſine gravi periculo revelare crimen, & debet illud detegere, & probare, vel non poteſt revelare, ſine gravi periculo, quia veriſimiliter inde orirentur gravia ſcandala, & damna corporis, vel animæ, & non debet revelare, ſed tacere, quia ex duobus malis eſt eligendum; majus autem eſt periculum, ſeu damnum vitæ, ſive corporis, vel animæ, quam rerum temporalium, ſeu bonorum fortunæ. Quin imo etiam non tenetur mulier crimen ſuum prodere, cum gravi detrimento ſui honoris, ac famæ, quia nemo tenetur reſtituere bona ordinis inferioris, cum jactura bonorum altioris ordinis, ſaltem communiter; bona autem famæ altioris ſunt ordinis, quam rei familiaris, quia melius eſt nomen bonum, quam divitiæ multæ, *Proverb.* 22. *Navarr. in Man. cap.* 16. *num.* 44. & 45. Poſteriore vero caſu, mulier non tenetur partum ſuppoſitum, vel filium ſpurium revelare, ſi non habeat probationes paratas, ſed potius ſilere debet, *Innocent. hic & Hoſtienſ. V. Satisfactio.* Nec obſtat, quod utilius ſcandalum naſci permittitur, quam veritas relinquatur, *c.* 3. *infra de R. I.* quia in hac taciturnitate non perit veritas juſtitiæ; nam talis mulier eſt tantum accuſatrix, vel denonciatrix criminis, non autem Judex, vel teſtis eſſe poteſt, ad quos pertinet dicere veritatem, ita ut propter nullum ſcandalum dimittant, quin juſte judicent, & veritatem dicant, *Innocent. hic in fine.*

Notandum ſecundo. Mulier, quæ alienum partum ſuppoſuit, vel filium ex adulterio ſuſcepit, ordinario non obligatur manifeſtare delictum ſuum occultum, ad avertendum damnum mariti, & legitimorum liberorum; nam talis obligatio eſt nimis difficilis, & valde noxia, quia adultera incurreret grave odium apud maritum ſuum, & infamaret non tantum ſe ipſam, ſed etiam adulterum, & ipſam prolem, quæ publice habetur legitima. Neque vero filius, qui hactenus fuit in poſſeſſione legitimæ nativitatis, tenetur mulieri aſſerenti ipſum fuiſſe ſuppoſitum, vel ex adulterio conceptum, fidem habere, niſi id probet, ut quia tempore conceptionis vir abfuit, quia in dubio ſemper præſumitur pro matrimonio, *Gl. in cit. c. Officii. V. Denegandam. h. tit. Leſſ. l.* 2. *de juſt. cap.* 10. *dub.* 7. *numer.* 51. *Laym. libr.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 14. *num.* 1. *qu.* 1. *& ſeqq.*

XXII. Notandum tertio. Mulier, quæ ex adulterio concepit, debet curare, quantum ſine diſpendio famæ, vel periculo vitæ illius fieri poteſt, ne legitimi hæredes damnum patiantur. Unde ſi habeat bona propria, tenetur ea relinquere legitimis filiis in compenſationem damni: vel ſi quid ex labore lucretur, vel ſolitos ſumptos minuere: vel denique ſi his modis damnum compenſare nequeat, filio ſuppoſito, aut adultero ſuadere, ut renuncians hæreditati Statum Eccleſiaſticum, vel Religioſum ſuſcipiat, *Leſſ. c. l. num.* 47. *Laym. c. l.* Ubi tamen addit, in praxi raro talem obligationem imponendam eſſe filio ſuppoſito, vel ſpurio, ſi delictum mulieris ſit occultum, & ſufficientibus indiciis probari non poſſit, quia nemo unius tantum, etſi fide digni, & minime ſuſpecti teſtimonio, etiam jurato, in ſuũ præjudicium credere obligatur. Quod ſi denique mulier talis integre ſatisfacere non poſſit damno illato, doleat de peccato, & confiteatur, cum propoſito ſatisfaciendi, cum primum poterit, & abſolvi debet, impoſita ei competente ſatisfactione, ſeu pœnitentia, *cit. c. Officii in fine h. t. Hoſtienſ. hic V. Tenetur, Navarr. cit. cap.* 16. *num.* 47. *Fagn. c. l. num.* 17.

Notandum quarto, ſi ex eo, quod filius ſuppoſitus, vel ſpurius, pro legitimo habetur, ſecutura ſunt majora, vel æqualia damna aliis, quam ſit damnum infamiæ, quod adulteræ ex manifeſtatione defectus natalium, & filio provenit, mulier tenebitur ad revelandum illum tum demum, ſi jam ante læſa fuit ejus fama, & publice ſuſpecta, quod filius ex adulterio ſit genitus: alioquin vero ordinarie non debet mater obligari ad revelandum delictum, cum tanto famæ ſuæ detrimento, & aliis incommodis, *Laym. c. l. num.* 1. §. *Quod vero.* Excipi debet, niſi in raro caſu, filius ſpurius ſuccederet in Regno, vel Ducatu hæreticus, vel perverſis moribus, cum gravi damno Reipubl. tunc enim adultera teneretur manifeſtare rem, cum damno ſuæ famæ, vel etiam vitæ periculo, ſi ſpes ſit hoc pacto filium ſpurium a ſucceſſione excludendum, *Molin. tract.* 3. *de juſt. diſ.* 101. *Leſſ. c. l. n.* 54. *Laym. c. l. n.* 2. *in fine.*

XXIII. Cæterum prædictis de confeſſione addendum, quod Abbatiſſa Confeſſiones Monialium audire non poteſt, prout habetur in *c. Nova* 10. *h. t.* Ubi refertur, quod Abba- ,, tiſſæ quædam Moniales ſuas benedicebant, & Confeſſio- ,, nes earum audiebant, & Evangelium legere ac prædi- ,, care publice præſumebant: hæc nova, & inaudita perve- ,, nerunt ad notitiam Papæ Innocentii III. qui reſcripſit, ,, & mandavit, cum hoc ſit abſonum, & abſurdum, ne ,, de cætero id fiat, quia licet Beatiſſima Virgo Maria di- ,, gnior, & excellentior fuerit omnibus Apoſtolis, non ta- ,, men illi, ſed iſtis Dominus claves Regni cœleſtis commiſit. Ratio per ſe patet, quia licet Abbatiſſa habere poſſit aliquam juriſdictionem ſpiritualem, fori externi, ut dictum ſupra *libr.* 1. *tit.* 31. *ſec.* 4. §. 3. non tamen poteſt habere juriſdictionem fori pœnitentialis, quæ procedit ex poteſtate Clavium & Ordinum, quorum mulier omnino eſt incapax, ita ut ordinari non poſſit, nec characterem Ordinis recipere, ex communi omnium DD. ſententia, *Abb. hic nu.* 1. *not.* 1. & dictum ſupra *libr.* 1. *tit.* 11. §. 2. *numer.* 6. Sed neque prædicare poteſt Abbatiſſa publice, vel docere Moniales, quamvis in ſecreto eas monere, & ad virtutem adhortari poſſit, *Abb. hic not.* 2. Neque ſolemniter eas benedicere.

§. VII.

An pœnitentia, & quænam alia, tempore Generalis Interdicti, ſint conceſſa, vel non, & an damnatis ad mortem pœnitentia ſit concedenda?

XXIV. De priore quæſtione agitur in *c. Quod in te.* 11. ,, *h. t.* Ubi dicitur, quando Terra interdicto ſupponitur, ,, pœnitentia morientibus non negatur, neque Viaticum ,, (hoc eſt, Sacramentum Euchariſtiæ, quatenus Viaticum ,, morientium) decedentibus denegatur. Secundo, licet ,, per Generale interdictum denegetur omnibus, tam Un- ,, ctio (ſcilicet Extrema) quam Eccleſiaſtica ſepultura: ta- ,, men ea gratia conceditur, ut Clerici decedentes, ſi In- ,, terdictum ſervaverint, in cœmeterio Eccleſiæ, ſine ,, campanarum pulſu, & ſolemnitatibus, in ſilentio tumu- ,, lentur. Tertio, tempore Interdicti, Clerici in Conven- ,, tualibus Eccleſiis, bini & bini, vel ſimul tres, poſſunt ,, dicere Horas Canonicas, januis clauſis, & excommuni- ,, catis ac Interdictis excluſis, ſine cantu, & voce ita de- ,, miſſa, ut exterius audiri non poſſint: quia & Regulari- ,, bus ſimile privilegium a Sede Apoſtolica eſt conceſſum. ,, Denique in fine additur, quod etiam recipientibus ſi- ,, gnum Crucis pœnitentia, cum poſtulaverint, non eſt de- ,, neganda, quæ aliis etiam peregrinis poteſt ea gratia concedi.

XXV. Pro explicatione hujus c. notandum primo, quamvis Sacramentum pœnitentiæ, tempore interdicti, concedatur, tantum infirmis, & morientibus, juxta hoc c. tamen

Jure noviore in *c. fin. de ſent. excomm. in 6.* conceditur etiam ſanis, & bene valentibus, qui non ſunt excommunicati, nec interdicti, nec cauſam interdicti ſua culpa dederunt, nec conſilium, vel auxilium, *Abb. hic num.* 2. *Navarr. in manu. Prel. c.* 27. *num.* 178. & alii apud *Barboſ. in Collect. hic num.* 2. de quo plura infra *eod. tit.*

Notandum ſecundo Sacramentum Euchariſtiæ, quatenus eſt Viaticum morientium, tempore Interdicti, conferri poteſt, ut conſtat ex hoc c. ubi dicitur, *ubicunque in jure pœnitentia morientibus non negatur, Viaticum etiam, quod vere pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus, quod nec ipſum decedentibus denegetur.* Cum ergo tempore interdicti, jure antiquo, & novo, pœnitentia non ſit deneganda morientibus, etiam Viaticum non eſt denegandum, *Suar. tom.* 5. *diſp.* 31. *de cenſ. ſec.* 1. *num.* 21. Porro cum Euchariſtia in hoc c. ſolum reperiatur conceſſa, ut conferatur, per modum Viatici, morientibus, nec Jure novo in *c. ult. de ſent. excomm. in* 6. circa hoc Sacramentum, ut tale aliquid immutatum ſit, ſequitur, quod ſi Euchariſtia, non ut Viaticum, ſed extra mortis periculum conſideretur, ſanis miniſtrari non poſſit. Non obſtat, quod juxta *cit. c. Quod in te*, tempore interdicti, morientibus conceditur miniſtrari Sacramentum pœnitentiæ. Cum ergo in *cit. c. ult. de ſent. excomm. in* 6. non ſolum morientibus, ſed etiam ſanis pœnitentia concedatur, videtur ſequi, quod etiam Euchariſtia ſanis denegari non debeat, tempore interdicti. Sed reſpondetur, quod in hoc c. non abſolute conceditur Sacramentum Euchariſtiæ illis, quibus conceditur Sacramentum pœnitentiæ, ſed ſolum quando confertur Euchariſtia morientibus, per modum Viatici, quia in illo articulo mortis illa duo Sacramenta habent neceſſariam quandam conjunctionem, non alias, *Suar. cit. diſ.* 33. *ſec.* 1. *num.* 31. *Barb. hic num.* 4. *&* 5.

Notandum tertio, Sacramentum Extremæ Unctionis nulli laico, vel etiam Clerico poteſt miniſtrari, tempore interdicti, niſi infirmus nullum aliud recipere valeat, *Barboſ. in Collect. hic num.* 8. *&* 9.

Notandum quarto, Eccleſiaſtica ſepultura, tempore interdicti, ſive localis, ſive perſonalis, prohibetur, etiam infantibus uſu rationis carentibus, *Barb. hic num.* 10. Clerici tamen, etiam primæ tonſuræ, dummodo gaudeant privilegiis Clericalibus, in Cœmeterio poſſunt ſepeliri, tempore interdicti, *Barboſ. hic num.* 12. ſed plura de his infra ſuo loco.

XXVI. Ad alteram quæſtionem reſpondetur, quod Sacramentum pœnitentiæ damnatis ad mortem, ſi id petant, concedi debet, non obſtante contraria conſuetudine, prout ſtatuitur in *Clement. Cum ſecundum* 1. *h. tit.* Nam in Concilio Viennenſi ſub Clemente V. fuit propoſitum, quod licet ſecundum Canonica ſtatuta, *(c. pen. cauſ.* 2. *qu. ult. & c.* 2. *de furtis)* ultimo ſupplicio afficiendis non debent, „ ſi petant, pœnitentiæ Sacramentum negari; plures tamen „ Judices temporales hoc denegabant, allegantes conſuetudinem, „ quam Concilium damnavit, quæ potius abuſus „ dici debet, & hortatur omnes Judices, ut ab hujuſmodi „ abuſo deſiſtant, ſimulque omnibus locorum Ordinariis „ injungit, ut cum primum commode poterunt, diligenter „ eos moneant, & ſi neceſſe fuerit (quia monitioni „ non parent) per cenſuram Eccleſiaſticam compellant.

Porro non tantum Sacramentum pœnitentiæ, ſed etiam Euchariſtiæ, ſive Viaticum non debet negari condemnatis ad mortem, juxta *c. Quod in te.* 13. *in princ. h. t. & c. pen. cauſ.* 13. *q.* 2. non tamen conceditur eis Sacramentum Extremæ Unctionis, quia non laborant corporis infirmitate, ob quam in mortis periculo ſunt conſtituti, *Covarr. libr.* 2. *var. reſol. c.* 5. *num.* 11. *Clarus in pract. crim. §. fin. q.* 99. *num* 3. Eccleſiaſtici vero ſepultura non ſunt privandi damnati ad mortem, *cit. c. Quæſitum.* 30. *cauſ.* 13. *qu.* 2. ita tamen, ut non niſi habita licentia Judicis, vel Principis, eorum cadavera ſepeliri ſoleant, *l.* 1. *&* 2. *ff. de cadaverib. damnat. Abb. in cit. Clement.* 1. *num.* 2. *Covarr. c. l. & Clarus, §. fin. q.* 100. *n.* 1.

§. VIII.

De Quæſtoribus Eleemoſynarum.

XXVII. De his agitur imprimis in *c. Cum ex eo* 14. *h. t. in princip.* quod eſt deſumptum etiam ex Concilio Generali Lateranenſi ſub Innocentio III. *c.* 62. ubi prohibetur, ne „ quæſtores eleemoſynarum admittantur, niſi Litteras Apoſtolicas, „ vel Epiſcopi Diœceſani, veras exhibeant, & „ ne præter id, quod in ipſis Litteris continetur, prædicare „ permittantur, quarum forma exprimitur in ipſo texto „ hujus c. & additur, ut eam formam conceſſionis, qua „ Sedes Apoſtolica communiter utitur Epiſcopi imitentur. „ Præcipitur deinde *§. Qui autem. h. t.* hujuſmodi Quæſtoribus, „ qui ad eleemoſynas quærendas deſtinantur, ut „ modeſti ſint, & diſcreti, nec in tabernis, vel aliis locis „ incongruis hoſpitentur. Nec inutiles faciant expenſas, & „ ne geſtent habitum falſæ Religionis. Reliqua, quæ de „ Indulgentiis traduntur in hoc c. proponentur infra.

XXVIII. Præterea in *c. Romana* 1. *h. t. in* 6. quod eſt „ deſumptum ex Concilio Lugdunenſi, reſcribit Papa Innocentius „ IV. quod Archiepiſcopus non debet Quæſtoribus, „ v. g. pro fabrica Eccleſiæ Metropolitanæ, dare poteſtatem „ citandi ſubditos Suffraganeorum ſuorum, quos „ iidem Quæſtores ſibi reſiſtere, aut nolle parere dicunt) „ ut coram ipſis compareant: quamvis poſſint eoſdem Suffraganeos, „ & alios fideles charitative monere. Additur in „ fine, quod Archiepiſcopus in concedendis Indulgentiis „ non debet excedere ſtatutum Concilii Generalis in *cit. c. Cum ex eo h. t. de quo infra.* Ratio prioris partis hujus c. eſt, quia citatio eſt actus juriſdictionis; Quæſtores autem nullam habent juriſdictionem, ſed tantum deputati ſunt ad colligendas eleemoſynas, pro aliquo loco pio, ideoque non citare poſſunt ſubditos Suffraganeorum, ſed ſolum charitative eos monere, *Vivian. hic in Ration.* Hinc colligitur, quod Archiepiſcopus, vel ejus Officialis poteſt per totam Provinciam mittere Quæſtores ad colligendas eleemoſynas pro fabrica Eccleſiæ Metropolitanæ, *Quaran. in ſumma Bullar. V. Archiepiſcopi auctoritas, num.* 26.

XXIX. Denique in *Clement. Abuſionibus.* 2. *h. t.* repetit idem Concilium Generale, Quæſtores eleemoſynarum non eſſe admittendos, niſi Litteras Apoſtolicas, vel Epiſcopi Diœceſani exhibuerint, nec permittitur ipſi populo prædicare, nec aliud exponere, quam quod in iiſdem litteris continebitur. Addit Concilium, Litteras Apoſtolicas per Diœceſanos Epiſcopos, antequam admittantur Quæſtores diligenter examinari debere. Enumerat deinde octo exceſſus Quæſtorum in textu expreſſos, quos fieri de cætero prohibet, & omnia contraria privilegia quomodocumque conceſſa revocat, *cit. Clement.* 2. *§. Ad hæc.* Ac denique Quæſtores in prædictis delinquentes per Epiſcopos locorum puniri præcipit, non obſtantibus quibuſcunque privilegiis exemptionis, *§. fin. ibid.*

Ubi notandum, quod utraque hæc Conſtitutio ſolum locum habet in illis Quæſtoribus, qui nomine alieno eleemoſynas quærunt: ſecus vero, ſi proprio nomine pro ſe ipſis eleemoſynas quærunt, quia nullis indigent Litteris Papalibus, vel Epiſcopalibus, *Fagn. in cit. c. Cum ex e. n.* 5.

XXX. Porro Concilium Tridentinum *Seſſ.* 5. *c.* 2. *de reform.* in fine imprimis prohibuit, ut Quæſtores eleemoſynarii nullo modo, nec per ſe, nec per alium prædicare præſumant, & contra facientes ab Epiſcopis, & Ordinariis locorum, opportunis remediis omnino arceantur, non obſtantibus privilegiis quibuſcunque. Sed quia neque hujuſmodi remedia profuerunt, ideo eadem Synodus *Seſſ.* 21. *c.* 9. *de reform.* ſtatuit, ut poſthac in quibuſcunque Chriſtianæ Religionis locis, eorum nomen, & uſus penitus aboleatur, nec ad hujuſmodi officium exercendum ullatenus admittantur, non obſtantibus privilegiis, Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, aliiſque piis locis, & quibuſvis, cujuſcunque gradus, & dignitatis perſonis, conceſſis, aut conſuetudinibus etiam immemorialibus.

XXXI. Circa quod Decretum Concilii notandum primo, ſub eo non comprehendi fratres Ordinum Mendicantium, qui non prohibentur eleemoſynas quærere per ſe ipſos, ſed non per alios poſſunt, quam ſui Ordinis Fratres, in Diœceſibus, ubi habent Conventus: ſi tamen extra loca, ubi Monaſteria habent, quærere volunt eleemoſynas, tenentur ſuorum Superiorum licentiam Ordinario loci oſtendere, ab ipſo prohiberi poſſunt, *Barboſ. de offic. Epiſ. alleg.* 109. *num.* 8.

Notandum ſecundo, poteſt Epiſcopus dare licentiam petendi eleemoſynas, pro uſu alicujus pii loci, vel operis, ſub forma præſcribi ſolita a Sede Apoſtolica Epiſcopo Ordinario, quæ habetur in *Declarat. Concil. Trident. cit. c.* p. *num.* 2. apud *Jo. Gallem.*

§. IX.

Quinam habeant facultatem, ſeu privilegium eligendi ſibi Confeſſarium?

XXXII. De hoc agitur in *c. Ne pro dilatione:* 16. *& ult.* „ *h. t.* Ubi Gregorius IX. ita reſcribit: Ne propter dilationem „ pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus „ Epiſcopis, & omnibus Superioribus, nec non minoribus, „ ſeu inferioribus Prælatis exemptis, ut etiam, „ ſine Superioris ſui licentia, providum ac diſcretum Confeſſarium „ ſibi poſſint eligere.

XXXIII. Ubi notandum primo, de Jure Communi nullus Epiſcopus, vel alius Prælatus etiam ſuperior Epiſcopo, poteſt ſibi eligere Confeſſarium, quia nemo poteſt abſolvi, vel ligari, niſi a ſuo Judice, aut Prælato proprio, qui in illum ordinariam juriſdictionem habet, *c. Omnis.* 12. *h. t. Silveſt. V. Confeſſor.* 1. *num.* 1. *dicto* 3. Unde Epiſcopus de Jure Communi debet confiteri Archiepiſcopo, & hic Patriarchæ ſuo, & iſte Papæ, vel de licentia illius aliteri, *Hoſtienſ. in ſumma h. t. num.* 18. 19. *&* 20. *Abb. hic num.* 2. Idque probatur ex hoc *c. ult.* verbo *permittimus*, per quod indicatur; ante hanc permiſſionem, non potuiſſe Epiſcopos iiſque Superiores ſubjicere ſe alicui Confeſſario, ſine Superioris ſui licentia. Verum per privilegium Papæ conceſſum in *cit. c. ult. h. t.* Epiſcopi etiam non exempti, poſſunt ſibi Confeſſarium eligere, ſine licentia ſui Archiepiſcopi, *Hoſtienſ. hic V. Epiſcopi, §. Sed nunquid. & Abb. num.* 3. *Verſ. Sed quare. Jo. Andr. V. vel.* Idque colligitur ex hoc c. in illis verbis, *præter ſui Superioris licentiam*, quæ verba ſi intelligerentur de exemptis tantum, non dictum fuiſſet, *præter ſui Superioris licentiam*, ſed *præter licentiam Sedis Apoſtolicæ*: Igitur Papa hic dixit, *præter ſui Superioris &c.* ut quoad exemptos includeret ſe, quoad non exemptos, alios Superiores, *Hoſt. in ſum. h. t. num.* 18. *§. Breviter dicas.* Unde quando poſtea ſubjungitur, *nec non minoribus Prælatis exemptis*, verbum *exemptionis* tantum ad proxime præcedentia, videlicet ad Prælatos minores, ſeu inferiores, non ad Epiſcopos, & alios Superiores referri debet, quia cum hic agatur de beneficio, ſeu privilegio Principis, ſive Papæ, verba latiſſime interpretari oportet, *Abb. hic n.* 3. *§. Sed quare.* Nomine autem Epiſcoporum hic intelliguntur, ſive ſint Epiſcopi conſecrati, ſive non, ſed tantum confirmati: imo etſi Epiſcopatum non habeant, ut Epiſcopi Titulares, vel qui renunciarunt Epiſcopatui, *Barb. in Collect. hic n.* 1. *&* 2.

Notandum ſecundo, præter Epiſcopos, etiam alii Prælati Superiores, ut Archiepiſcopi, Patriarchæ, Primates, poſſunt ſibi

Digitized by Google

ſibi eligere Confeſſarium, *cit. c. ult.* ibi: *& aliis Superioribus*, ſicut etiam S. R. E. Cardinales, quibus communicatur privilegium conceſſum Epiſcopis, & Prælatis exemptis, ſaltem ſi ſint Epiſcopi, vel Legati de latere, de quo videri poteſt *Azor. p. 2. lib. 4. c. 3. q. 16.* & quid poſt *Concil. Trid. Seſſ. 23. c. 15. Fagn. hic n. 31. & ſeqq.*

XXXIV. Notandum tertiò, nomine Prælatorum minorum intelliguntur hic Prælati inferiores Epiſcopo, qui, ut gaudeant privilegio eligendi ſibi Confeſſarium, duo requiruntur. Primo, ut præſint aliis, cum ſpirituali juriſdictione fori contentioſi, ſeu externi, adeoque ut ſint Abbates, Præpoſiti, vel Priores. Secundo, ut ſint exempti, id eſt, Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjecti, ut tenet *Hoſtienſ. hic V. Minoribus & Abb. n. 2.* quamvis *Silveſt. c. l. qu. 8.* & alii dicant, quod etiam alii Prælati inferiores Regulares, & locales exempti, ſeu non ſubjecti Epiſcopo poſſint eligere ſibi Confeſſarium, licet alios habeant ſuper ſe Superiores, v. g. Abbatem, vel Præpoſitum, Generalem aut Provincialem. Idque valde probabile eſt, quia cum hæc Conſtitutio contineat gratiam, ſeu privilegium favorabile, nulli noxium, late eſt interpretanda, & ſupra etiam dictum, *Silveſt. c. l. Tambur. tom. 2. de Jure Abbat. diſ. 6. q. 10. n. 3.* Ubi tamen *n. 7.* id limitat, dummodo ipſi Abbates inferiores & locales, ſecundum privilegia, vel Conſtitutiones Religionis a Sede Apoſtolica approbatas, non habuerint Confeſſarium deſignatum a Prælatis Superioribus.

Hinc infertur primo, quod de Jure Communi non poſſunt ſibi Confeſſarium eligere ſubditi ſeculares, vel Regulares Collegii exempti, quia non ſunt Prælati. Secundo, nec Abbatiſſæ etiam exemptæ: quia non habent poteſtatem juriſdictionis in foro pœnitentiali. Tertiò, nec is, qui præeſt exemptis, ſed non eſt Prælatus, ut Prior clauſtralis, non Conventualis. Quarto, nec hi, qui ſunt in dignitate conſtituti, ſed non ſunt Prælati, etſi ſint exempti, ut Archidiaconi, qui non habent curam animarum, ſive juriſdictionem in foro pœnitentiali, *Silveſt. V. Confeſſor. 1. n. 8. §. Ex his autem.*

XXXV. Præterea in *c. Si Epiſcopus 2. h. t. in 6.* declarat
„ Papa Bonifacius VIII. quod ſi Epiſcopus ſuo ſubdito con-
„ ceſſit, ut ſibi idoneum Confeſſarium poſſit eligere, ille,
„ quem is elegit, nullam penitus habet poteſtatem in caſi-
„ bus, qui eidem Epiſcopo ſpecialiter ſunt reſervati: cum
„ in generali conceſſione non veniant illa, quæ non eſſet
„ quis veriſſimiliter in ſpecie conceſſurus, (*reg. jur. 81. in*
„ *6.*) Nulla poteſt quoque conſuetudine introduci, ut ali-
„ quis, præter ſui Superioris licentiam Confeſſarium ſibi
„ eligere valeat, qui poſſit eum ſolvere, vel ligare. Ratio
„ prioris partis eſt expreſſa in textu. Quinam autem ca-
„ ſus Epiſcopis Jure Communi reſervati ſint in foro pœni-
„ tentiali, refert, *Gl. hic V. Reſervantur*, *& Hoſtienſ. in ſum. §. Cum confitendum ſit, n. 4. col. 2. §. primus eſt.* Ratio poſterioris partis eſt, quia talis conſuetudo eſſet onerosa Eccleſiis, & per illam violaretur Eccleſiaſtica diſciplina, ideo non valet. Id vero ſpeciale eſt in *cit. c. 2. h. tit. in 6.* quod ſubditus, fatendo ſe ſubditum, non poſſit præſcribere contra obedientiam Superioris, vel Paſtoris ſui, *c. Cum non liceat 12. de præſcript.* & notat *Gl. hic V. Conſuetudine*, quia tali caſu adeſt mala fides, vel ſaltem error, ſeu ignorantia notiſſimi juris, cum quo non poteſt præſcribi: conſequenter neque parochianus, ſeu Diœceſanus, abſque conſenſu Ordinarii Judicis, & Paſtoris ſui, quamdiu cum pro tali agnoſcit, poteſt ſe ſubjicere juriſdictioni alterius non Paſtoris ſui, *Navarr. in c. Placuit 3. diſ. 6. de pœnit. n. 122. Laym. lib. 5. tr. 7. c. 4. n. 4.*

XXXVI. Ubi præterea notandum primo, Epiſcopus cuilibet Diœceſano ſibi ſubdito poteſt dare licentiam eligendi ſibi Confeſſarium, quem voluerit, dummodo ſit idoneus & qui poſſit abſolvere, vel ligare, adeoque habeat curam animarum, & ſit Sacerdos curatus, *Franc. hic n. 1. 2. & 4.* imo hodie ſecundum Concilium Trident. *Seſſ. 23. c. 15.* requiritur etiam, ut ſit approbatus ad confeſſiones audiendas a ſuo Ordinario, *Fagn. in cit. c. ult. nu. 51. & ſeqq.* Verum Epiſcopus, concedendo alicui facultatem eligendi Confeſſarium idoneum, qui poſſit ipſum abſolvere a quibuſcunque peccatis, non cenſetur dediſſe poteſtatem eum abſolvendi a caſibus Epiſcopo reſervatis, *cit. c. 2. in princ. h. t. in 6.*

Notandum ſecundo, licet alias in foro contentioſo, ſeu externo, & judiciali poſſit quis prorogare juriſdictionem in Judicem non ſuum, etiam ſine conſenſu proprii Judicis: ſecus eſt, in foro pœnitentiali, in quo non poteſt fieri prorogatio, niſi in eum, qui habet juriſdictionem in habitu, & actu, adeoque executionem Ordinis, & cum licentia proprii Sacerdotis, *c. Omnis 12. h. t. Francus hic n. 2.*

Notandum tertio, non poteſt ſubditus, ſeu parochianus, vi conſuetudinis, acquirere poteſtatem eligendi ſibi Confeſſarium, ſine licentia Superioris ſui, nec quidem per conſuetudinem longiſſimi temporis, vel etiam immemorialis, *cit. c. 2. h. t.* in 6. neque etiam præſcribere tale jus: & in hoc potentius eſt privilegium, quam conſuetudo, licet alias æquiparentur. Poteſt tamen Prælatus, vel alius in dignitate conſtitutus, v. g. Archidiaconus, præſcribere, ſeu per conſuetudinem legitime præſcriptam acquirere curam animarum in parochianos alterius, & ſic fieri proprius Sacerdos, & audire Confeſſiones eorum, *Abb. in cit. c. ult. n. 4. & 5. & in c. Conquerente 16. num. 5. de ſure compet. Franc. in cit. c. 2. num. 3. h. t. in 6. Silveſt. V. Confeſſor. 2. num. 8. in fine.* Unde cum in *cit. cap. 2. h. t. in 6.* dicitur, per nullam conſuetudinem introduci poſſe, ut quis ſine licentia proprii Parochi, vel Paſtoris, alium Confeſſarium ſibi eligat, ſubintelligendum eſt, niſi Sacerdos per diuturnam conſuetudinem acquirat juriſdictionem abſolvendi ſubditos, ſeu Parochianos alterius, *Navarr. c. l. n. 43. & Laym.*

SECTIO II.

De Remiſſionibus, ſeu Indulgentiis, quæ eſt altera pars Rubricæ hujus Tituli.

§. I.

Quid ſit Indulgentia, & quotuplex?

XXXVII. Aſſertio 1. Indulgentia recte definitur ex Clemente VI. *Extravagant. 2. h. t. Inter communes.* Eſt remiſſio pœnæ temporalis debitæ Deo, propter peccata actualia, commiſſa poſt baptiſmum, & remiſſa quoad culpam, extra Sacramentum facta per applicationem ſatisfactionis Chriſti, & Sanctorum, Lælius Zechius in *Tract. de Indulgentiis cap. 1. num. 7. Laym. l. 3. Theol. mor. Tract. 7. c. 1.* & alii. Dicitur primo remiſſio, quæ eſſe poteſt, vel culpæ, vel pœnæ; Indulgentia vero non eſt remiſſio culpæ, præſertim mortalis, haberi poteſt per Sacramentum pœnitentiæ in re, vel voto ſuſceptum, ſicut & remiſſio pœnæ æternæ, ut decrevit Concilium Trident. *Seſſ. 6. c. 14. & Seſſ. 7. can. 4. de Sacrament. in genere.* Sed per Indulgentiam remittitur pœna temporalis: nam dimiſſa culpa, & pœna æterna, adhuc ſæpe remanere pœnam temporalem exolvendam in hac vita, conſtat ex S. Scriptura, exemplo Adæ *Geneſ. 2. & 3.* Moyſis & Aaron, propter peccatum diffidentiæ, etſi dimiſſum, *Deuter. 32. & David. 2. Reg. c. 24.* Dicitur ſecundo peccatis actualibus debita, poſt baptiſmum commiſſis, quia peccata ante baptiſmum commiſſa quoad culpam, & pœnam æternam ac temporalem, remittuntur per baptiſmum, in quo pleniſſima fit communicatio Paſſionis Chriſti. Dicitur tertio, remiſſio extra Sacramentum facta, ut ſic Indulgentia differat a pœnitentia, & ſatisfactione, quæ in Sacramento pœnitentiæ injungitur. Dicitur quarto, per applicationem ſatisfactionis Chriſti ac Sanctorum, quia etſi Chriſti, qui eſt Caput Eccleſiæ, & univerſalis mundi redemptor, infinite ſatisfecit Deo Patri, pro peccatis omnium hominum mortalibus, & venialibus, nobiſque meruit gratiam, & gloriam, ad *Epheſ. 2. & 3.* debent tamen hæc infinita merita, & ſatisfactiones Chriſti nobis applicari, vel per uſum Sacramentorum, præſertim Baptiſmi, & Pœnitentiæ, quoad remiſſionem culpæ ac pœnę æternæ; imo etiam alicujus pœnæ temporalis: vel extra Sacramentum, per Indulgentias, per quas nobis merita, & ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum applicantur, in ordine ad remittendas pœnas temporales adhuc remanentes poſt culpas remiſſas, juxta illud Chriſti *Matth. 16. Tu es Petrus, & tibi dabo claves regni cœlorum, quodcunq; ſolveris ſuper terram, erit ſolutum, & in cœlis*: per quæ verba data eſt Petro, tanquam Vicario Chriſti, & ejus Succeſſoribus poteſtas ſolvendi omnia vincula, quæ impediunt ab ingreſſu cœli: tale autem vinculum eſt etiam pœna temporalis ſæpe remanens, poſt remiſſionem culpæ, ergo illud quoque vinculum remitti poteſt, quæ remiſſio Indulgentia appellatur, *Laym. cit. l. Zechius cit. l. n. 4.*

XXXVIII. Ubi præterea notandum primo. Juſti in hac vita, dum opera ſatisfactoria exercent, per ea non tantum pro ſuis, ſed etiam pro alterius juſti peccatis DEO ſatisfacere poſſunt, ob unionem charitatis, ideo ſi illius non indigent ad proprias pœnas redimendas, vel ea aliis non applicent, illa veniunt in theſaurum Eccleſiæ, qui conſtituitur ex meritis, & ſatisfactionibus, tam Chriſti, quam Sanctorum, ex quibus depromuntur, & conceduntur Indulgentiæ, per quas ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum aliis fidelibus applicantur, ad relaxandas pœnas temporales pro peccatis eorum adhuc debitas. Et quamvis ſatisfactiones Sanctorum per Indulgentias in populum diſtributas minuuntur, quia tamen merita, & ſatisfactiones Chriſti ſunt infinitæ, ideo hic theſaurus nunquam exhauritur, nec exhauriri poteſt, ut habetur in *Extrav. Unigenit. 2. poſt princ. h. t.*
„ *Inter Communes* ubi etiam dicitur, Chriſtum hunc the-
„ ſaurum per B. Petrum Cęli Clavigerum, ejuſque Succeſ-
„ ſores, ſuos in terris Vicarios commiſiſſe fidelibus diſpen-
„ ſandum, ex propriis, & rationabilibus cauſis, nunc pro
„ totali remiſſione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ,
„ tam generaliter, quam ſpecialiter, vere pœnitentibus,
„ & confeſſis miſericorditer applicandum, *Laym. cit. l. nu. 2. Tanner. tom. 4. diſ. 6. q. 8. dub. 4. n. 72.*

Notandum ſecundo. Per ſatisfactiones abundantes Sanctorum, ſive vivorum, ſive mortuorum, fit remiſſio pœnæ temporalis, tanquam per cauſam particularem, & proximam: at vero per ſatisfactiones Chriſti, tanquam per cauſam univerſalem, & principalem, *Laym. cit. l. n. 3.*

XXXIX. Aſſertio 2. Indulgentia primo dividitur, ex parte effectus, in totalem, ſeu plenariam, per quam ſimpliciter tota pœna in purgatorio pro peccatis luenda remittitur: & in partialem, ſeu non plenam, per quam tantum pars aliqua pœnæ ejuſmodi temporalis remittitur: qualis eſt indulgentia partis tertiæ peccatorum, vel Indulgentia unius, vel plurium annorum: de qua fit mentio in *cit. Extrav. 2.* ibi: *Nunc pro tali, nunc pro partiali remiſſione pœnæ temporalis, &c. h. t.* Secundo ex parte eorum, pro quibus Indulgentiæ conceduntur, aliæ dantur pro vivis, & per modum abſolutionis; aliæ pro defunctis, & pro modum ſuffragii, ſeu ſolutionis, hoc eſt, Papa non dat animabus defunctorum Indulgentiam per modum Juriſdictionis, eas abſolvendo a pœnis, quia nullam juriſdictionem, adeoque nec abſolvendi poteſtatem in defunctos habet, cum jam ad alienum forum pertineant: ſed ſolum per modum Suffragii: tum quia mediante Suffragio alterius vivi, Indulgentiæ iiſdem applicantur, & proſunt: tum quia non immediate ab ipſomet Indulgentias concedente, velut Judice, ac Mini-
ſtro

ſtra DEI, eis pœna remittitur, ſed ſolum DEO exhibetur, & offertur pro eis ſatisfactio, & quaſi pretii ſolutio, adjunctis precibus, ut illam miſericorditer acciperet, & pœnam temporalem animabus remittat, *Laym. cit. tract. 7. cap. 7. num. 3. Tanner. cit. dub. 4. num. 90. & pr.* Nullæ autem Indulgentiæ, quas Papa conceſſit fidelibus vivis, poſſunt applicari defunctis, niſi conceſſæ ſint etiam pro defunctis, *Laym. cit. loc. num. 2.* Tertio, Indulgentia dividitur in perſonalem, & localem, ac realem. Prior dicitur, quæ per ſe, ac directe perſonis conceditur, ſine determinatione ad certum locum, vel rem materialem. Realis vero, quæ certæ rei materiali eſt affixa, vel loco ſacro, *Layman l. 5. tr. 7. c. 3. num. 2. in ſecunda diviſione.* Quarto dividitur Indulgentia in perpetuam, quæ ſemper durat niſi revocetur; ac in temporalem, quæ ad certum tempus datur, eoque elapſo, finitur, *Laym. cit. l. n. 3. in fine.*

§. II.

Quinam poſſint concedere Indulgentias?

XL. Aſſertio 1. Summus Pontifex poteſtate a Chriſto accepta poteſt Indulgentias, tum totales, ſive plenarias; tum partiales, ſive non plenarias, ex juſta cauſa omnibus fidelibus concedere, prout reſpondit Clemens VI. in *Extravag. 2. hoc tit. Inter communes*. Siquidem ſolus Papa poteſt Indulgentias totales, ſeu plenarias concedere: Epiſcopi poſſunt Jure communi Canonico, ſolum Indulgentias limitatas, ſeu partiales, & non plenarias concedere, quia concedere Indulgentias non eſt actus Ordinis, ſed juriſdictionis voluntariæ, ut colligitur ex *cap. Quod autem 4. h. tit.* ubi dicitur; quod conceſſio Indulgentiarum ſit actus abſolvendi, & judicialis, ideoque competit Epiſcopo, jure ordinario, ita ut Epiſcopus electus, & confirmatus, etſi conſecratus non ſit, Indulgentias conferre poſſit, *Azor. p. 1. l. 3. c. 55. qu. 1. in fine, Barboſ. de Offic. Epiſc. alleg. 88. nn. 4. & 5.* Hinc Epiſcopus, ex delegatione Papæ, poteſt concedere Indulgentias etiam plenarias, & ipſe Epiſcopus poteſt hanc facultatem delegare ſuo Vicario Generali, vel etiam alteri Clerico, non autem laico, cum ſit poteſtas ſpiritualis, *Azor. cit. cap. 55. quæſt. 5. Barboſ. cit. alleg. 88. num. 9. & 2. ſeqq.*

XLI. Aſſertio 2. Epiſcopi poſſunt concedere Indulgentias in ſuis Diœceſibus, ſed limitate tantum, ita ut in Dedicationibus Eccleſiarum ſolum poſſint concedere Indulgentias unius anni: in anniverſario vero dedicationis Eccleſiæ XL. dies, prout habetur in *cap. Cum ex eo 14. §. Ad hæc h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio Generali Lateranenſi „ ſub Alexandro III. ubi decernitur, ut cum dedicatur „ Eccleſia Baſilica, non extendatur Indulgentia ultra an- „ num, ſive ab uno ſolo, ſive a pluribus Epiſcopis dedi- „ cetur: In anniverſario vero dedicationis tempore, XL. „ dies de injunctis pœnitentiis indulta remiſſio non exce- „ dat, Hic quoque dierum numerus in litteris indulgen- „ tiarum eſt moderandus, quæ in aliis quibuslibet caſibus „ ab Epiſcopo aliquoties conceduntur, cum Romanus Pon- „ tifex, qui plenitudinem obtinet poteſtatis, in talibus mo- „ deramen conſueverit obſervare, prout habetur in fine „ dicti c. Idque ſtatutum eſt, ne dum exceſſive, & indiſ- „ crete indulgentiæ a Prælatis Eccleſiarum conceduntur, „ Claves Eccleſiæ contemnantur, & pœnitentialis ſatis- „ factio enervetur, prout dicitur in *cit. cap. Cum ex eo §. Ad hæc in princ.*

XLII. Ubi notandum primo. Quamvis in hoc cap. in genere fiat mentio de Prælatis, non tamen ſub iis comprehenduntur Prælati Epiſcopis inferiores, hi enim poteſtatem concedendi Indulgentias non habent Jure communi, cujuſmodi ſunt Abbates, Priores, aut Præpoſiti &c. niſi ex ſpeciali privilegio, conſuetudine, vel præſcriptione talis poteſtas competat, cum Jure communi nunquam ſit eis conceſſa, *c. Accedentibus 12. ibi: Concedenda etiam Indulgentiarum litteras &c. de exceſſib. Prал. Abb. in cit. c. Cum ex eo nn. 5. h. t. Azor. cit. c. 55. q. 3. Barb. cit. alleg. 88. nn. 17. & 18.* Unde nec Prælatus Religionis, ut Generalis, aut Provincialis, quamvis habeat quaſi Epiſcopalem juriſdictionem in Regulares ſibi ſubditos, indulgentias dare poteſt, Jure communi, & ſecluſo privilegio Papæ; nec Capitulum Cathedrale, Sede vacante, qui non ſuccedit Epiſcopo in poteſtate juriſdictionis extraordinariæ, ſaltem in iis, quæ ſunt reſervata Epiſcopali dignitati, *Barb. cit. l. nn. 21.* de quo dictum *l. 1. tit. 33. n. 49.* Nec denique etiam Parochus, eſt enim Epiſcopo inferior, *Barb. c. l. n. 59. & 20.*

Notandum ſecundo. Hanc poteſtatem concedendi indulgentias ſic reſtrictam habent Epiſcopi immediate acceptam a Sede Apoſtolica, & Jure communi Canonico, & Ordinario, non vero Divino, quia licet Epiſcopalis dignitas, quoad poteſtatem Ordinis, & paſtorale munus in genere ſit Juris Divini, & ex Chriſti inſtitutione: quoad poteſtatem tamen juriſdictionis in particulari, eſt ex ordinatione Eccleſiæ. Idque confirmatur ex *cit. c. Cum ex eo. §. Ad hæc, h. t.* quia alias ſi poteſtas concedendi Indulgentias omnibus Epiſcopis competeret, ex Jure Divino, non potuiſſet ea a Concilio Lateranenſi in *cit. c.* ita reſtringi, *Laym. l. 5. tr. 7. c. 4. Aſſ. 2. n. 2. Barb. hic n. 7.*

Notandum tertio. Si plures Epiſcopi conveniant ad dedicationem alicujus Eccleſiæ non poſſunt, niſi unius anni Indulgentiam ſimul concedere, ſicut expreſſe habetur in *cit. c. Cum ex eo §. Ad hæc* ibi: *Sive ab uno ſolo, ſive a pluribus Epiſcopis ſimul dedicetur*: poſſunt tamen plures Epiſcopi, quorum ſinguli juriſdictionem habent, v. g. Epiſcopus Diœceſanus loci, & Archiepiſcopus, ſive Metropolitanus, plures Indulgentias, aut quadragenas, ſimul, vel ſucceſſive, eidem Eccleſiæ concedere, *Laym. cit. c. 4. n. 2. §. licet n.* Eſt autem quadragena relaxatio tantæ pœnæ: quanta reſpondet ſeptem annorum pœnitentiæ.

XLIII. Notandum quarto. Si Epiſcopus ultra limites ſuæ poteſtatis indulgentiam concedit, verb. grat. ultra annum, tum ipſo jure nulla eſt conceſſio, quoad exceſſum, *cap. 5. in fine h. t. in 6.* Idem ſtatuitur etiam in *c. Indulgentiæ 3. & ult. eod. in 6.* ubi dicitur indulgentia, quæ ab uno, vel pluribus „ Epiſcopis, in Eccleſiarum dedicationibus, vel aliis qui- „ buſcunque caſibus (ad pia opera, nempe ad ædificatio- „ nem, vel reparationem Eccleſiæ: ædificationem, vel „ refectionem pontium, vel viarum: vel ſuſtentationem „ Hoſpitalium, vel ſimilia, *Gloſ. hic V. Caſibus*) con- „ ceduntur, vires non obtinent, ſi ſtatutum exceſſerint „ Concilii Generalis in *cit. c. Cum ex eo §. Ad hæc*. Nihilominus tamen valet talis conceſſio quoad eam partem, quæ numerum præſcriptum non excedit, quia utile per inutile vitiari non debet, quando pars utilis ſeparari poteſt ab inutili, ut in propoſito, numerus dictum. Accedit, quod conceſſio indulgentiarum ſit quædam liberalis donatio, quæ tenet pro parte, uſque ad legitimum modum; ſive quatenus id, quod donatur, quantitatem, quam lex permittit, attingit, *Gl. in cit. V. c. ult. Non obſtante h. t. in 6. Azor. cit. c. 55. q. 6.* & alii communiter.

Notandum quinto. Quando datur facultas in *cit. c. Cum ex eo §. Ad hæc* concedendi indulgentias in dedicatione Eccleſiæ, non additur particula illa, *de injunctis pœnitentiis*, ſicut addi ſolet in indulgentia XL. dierum, adeoque prior facultas videtur amplior, *Barb. in Collect. in cit. c. Cum ex eo. §. Ad hæc n. 5.* ubi etiam addit, quod licet Epiſcopi non poſſint concedere Indulgentias, ultra taxatum numerum; poſſunt tamen in minore ſumma, quia ſub majore ſumma continetur minor, non vice verſa.

Notandum 6. Indulgentia de Injunctis pœnitentiis hic illa dicitur, quæ prodeſt ad delendas pœnitentias reſpondentes pœnitentiis injunctis a Confeſſario, per quas illæ pœnæ remittuntur, *Barb. hic n. 12.*

XLIV. Aſſertio 3. Epiſcopi ſuis tantum ſubditis indulgentias concedere poſſunt, non alienis, & extraneis, prout ſumitur ex *c. Quod autem 4. h. tit.* ubi quæſitum fuit ex „ Alexandro III. utrum remiſſiones, ſeu indulgentiæ, quæ „ dantur in dedicationibus Eccleſiarum, vel conferentibus „ ad ædificationem pontium (tanquam ad actum pium, „ vel ad alios actus pios, *Abb. hic num. 2.*) aliis proſint, „ quam his, qui ſubſunt, qui has remiſſiones faciunt? Reſ- „ pondet Papa, quod cum nullus valeat a non ſuo Judice „ ligari, vel abſolvi, prædictas remiſſiones, ſeu Indulgen- „ tias illis tantum prodeſſe, quibus ut proſint, proprii Ju- „ dices, id eſt, Epiſcopi, *Gl. hic V. Judices*) ſpecialiter indul- „ ſerint.

Ubi notandum primo. Indulgentiæ conceſſæ ab alienis Epiſcopis poſſunt prodeſſe etiam non ſubditis, ſi proprii Epiſcopi illis ſpecialiter conceſſerint, ut eas lucrari poſſint, *Abb. hic n. 7. Barb. cit. alleg. 88. n. 25.*

Notandum ſecundo. Epiſcopi poſſunt indulgentias concedere vivis tantum, non autem defunctis, quia in hoc c. ſolum conceditur Epiſcopis quaſdam indulgentias dare ſubditis ſuis degentibus in hac vita, non igitur hæc facultas extendi debet ad defunctos; *Laym. c. l. n. 2. in fine. Barb. c. l. n. 24.*

„ XLV. Aſſertio 4. Etiam Archiepiſcopus per totam Pro- „ vinciam ſuam libere poteſt generales litteras remiſſionis, „ ſive Indulgentiæ concedere, ita tamen ut Statutum Ge- „ neralis Concilii (Lateranenſis in *cit. cap. Cum ex eo §. Ad* „ *hæc*) non excedat, prout ſumitur ex *cap. Noſtro 15. hoc t.* Nam quamvis Metropolitanus non habeat contentioſam juriſdictionem in ſubditos Suffraganeorum, quia tamen Indulgentias concedere eſt actus voluntariæ juriſdictionis, poteſt illas concedere per totam Provinciam ſuam, *Abbas hic numer. 3.* idque etiamſi actu non viſitet Provinciam, dummodo prædictum Statutum Concilii non excedat, *Barboſ. cit. l. num. 15. & ſeq.*

Porro Cardinales, & Legati Apoſtolici, ſi Epiſcopi non ſint, licet in aliis quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habeant, tamen Jure communi, & ordinario Indulgentias concedere non poſſunt, niſi ex ſpeciali, vel generali commiſſione Papæ, *Laym. cit. nn. 3.*

XLVI. Sed jam ulterius quæri poteſt, utrum Prælati inferiores Epiſcopo per diuturnam conſuetudinem legitime præſcriptam acquirere poſſint facultatem dandi Indulgentias? Negat *Suar.* & alii apud *Laym. cit. cap. 4. num. 3.* Vel enim Pontifex ſcit ejuſmodi conſuetudinem, & tolerat, & tunc cenſetur eam tacite approbare, adeoque non vi conſuetudinis, ſed ex tacito conſenſu ipſius Papæ, acquiritur illa poteſtas ſpiritualis; ſi vero Papa neſcit, non poteſt actu habere voluntatem concedendi eam poteſtatem. Contraria tamen, & affirmativa ſententia non eſt improbabilis quia ex communi ſententia, poteſtas diſpenſandi in votis, & juramentis per conſuetudinem ab inferioribus Prælatis acquiri poteſt, per quam etiam animæ ſolvuntur in foro DEI. Nec obſtat, quod Papa neſciat in ſpecie, ſeu particulari, talem conſuetudinem, quia ſufficit, quod id vult, & conſentit, vi generalis legis, per quam approbat conſuetudines bona fide præſcriptas, *Laym. cit. l. n. 4.* adeoque etiam talem conſuetudinem, per quam acquiritur ejuſmodi facultas dandi Indulgentias.

XLVII. Poſtremo prædictis addendum primo, quod etiam exempti lucrari poſſint Indulgentias Epiſcopales, quia exemptio, quæ eſt in eorum favorem conceſſa, non debet in eorum læſionem converti, *Barb. in cit. alleg. n. 27.* Secundo, Indulgentias alias conceſſas ab Epiſcopo, poteſt etiam ipſe lucrari, quia non ideo directe utitur juriſdictione in ſeipſum, nec debet eſſe deterioris conditionis, quam alii, *Azor. cit. leg. 3. cap. 55. qu. ult. Barb. num. ult.* Cæterum qualis cauſa & quæ conditiones requirantur ad lucrandas Indulgentias, videri poteſt apud Theologos, præſertim vero apud Rev. Pat. Georgium Gobat, qui præter multa alia utiliſſima opera edita, ſcripſit etiam eruditiſſimum Tractatum de

Indul-

Indulgentiis, ſicut & alium de Jubileo, ubi totam hanc materiam præ aliis exactiſſime & pleniſſime exponit.

§. III.

De Anno Jubileo.

XLVIII. De hoc agitur inprimis in *Extravag. Antiquorum. 1. h. t. Inter Communes*, in qua Bonifacius VIII. centeſimo quoque anno, qui Jubileus dicitur, viſitantibus Baſilicas, ſive Eccleſias SS. Apoſtolorum Petri & Pauli pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum veniam (id eſt, pœnarum pro peccatis debitarum, *Gl. hic V. Peccatorum*) concedit: & ſtatuit, ut qui volunt hujuſmodi Indulgentiæ participes fieri, ſi fuerint Romani, ad minus XXX. diebus continuis, vel interpolatis, & ſaltem ſemel in die. Si vero peregrini fuerint aut forenſes (id eſt, qui venerunt aliunde, etſi peregrinationis cauſa, volunt tamen lucrari Jubileum, *Gl. hic V. Forenſes*) ſimili modo diebus XV. ad eaſdem Baſilicas accedant. Qui vero amplius, & devotius illas Baſilicas frequentaverit, plus merebitur, & Indulgentias efficacius conſequetur. Porro morem hunc centeſimo quoque anno hoc ſanctum Jubileum celebrandi Romæ, & ampliſſimas Indulgentias concedendi, Bonifacium VIII. non primo inſtituiſſe, ſed potius innovaſſe, apparet ex *princ. hujus Extravag.* ut notant DD. hic.

VLIX. Poſtea vero Clemens VI. in *Extravag. Unigenitus. h. t.* Annum Jubileum, ſive plenariam remiſſionem, ſeu indulgentiam, quæ olim conceſſa fuit quolibet centeſimo anno, revocavit ad annum quinquageſimum, idque partim ob Myſterium hujus numeri, quo in Veteri Lege remiſſio peccatorum figurabatur, vel alias etiam dabatur: partim ob brevitatem vitæ humanæ, quia pauci ad annum centeſimum pertingebant: ita tamen ut præter duas prædictas, etiam Baſilica S. Joannis Lateranenſis viſitaretur, eo modo, quo in *Extravag. 1.* præſcriptum. Ubi etiam adjicit, quod illi, qui cauſa lucrandi Jubileum, petunt Romam, vel aliquas ex conditionibus præſcriptis implere incipiunt, ſed infirmitate, vel morte præventi, iter vel conditiones perficere non poſſunt, nihilominus Jubileum lucrantur.

Porro Gregorius XI. tribus Eccleſiis, quæ viſitari debent tempore Jubilei, adjunxit quartam, videlicet Eccleſiam S. Mariæ Majoris, ut ex *Navarro* notat *Barb. in cit. Extravag.* 2. n. 5. *h. t.*

L. Denique Paulus II. & poſt illum Sixtus IV. in *Extravag. Quemadmodum. 4. h. t.* Annum Jubileum reduxit ad brevius tempus, videlicet ut XXV. quoque anno celebraretur, atque in eodem anno Jubileo ſuſpendantur omnes aliæ Indulgentiæ plenariæ extra Urbem, per totum orbem, idque ut fideles tanto avidius Romam traherentur ad lucrandam Indulgentiam Jubilei, ita ut durante hoc anno omnes omnino Indulgentiæ plenariæ quibuſcunque Eccleſiis, Congregationibus, & perſonis Eccleſiaſticis, ac ſecularibus a Sede Apoſtolica conceſſæ nullum effectum habeant, nec quidem in mortis articulo, niſi ſpecialiter a Papa concedantur, *Laym. l. 5. tr. 7. c. 8. n. 2. & 3.* ubi tamen addit, quod Indulgentiæ pro defunctis a Sede Apoſtolica, per modum Suffragii, conceſſæ nulla omnino in anno Jubilei ſuſpenſio fieri ſolet. Poſt annum vero Jubilei elapſum, Indulgentiæ, abſque nova conceſſione, vim ſuam recuperant, *Laym. cit. l. Barb. in cit. Extravag. 4. in fin. h. t.* & omnes fatentur.

Notandum primo. Una cum Indulgentiis plenariis in anno Jubilei, ſolent etiam ſuſpendi aliæ facultates quædam, ſive indulta, ut abſolvendi a peccatis, commutandi vota, aut ſuper eis diſpenſandi &c. ut colligitur ex *cit. Extrav. Quemadmodum*, ſed ea tantum, quæ propter dictas Indulgentias lucrandas, ſive in ordine ad eas a Sede Apoſtolica ſunt conceſſa, ſicut ſignificavit Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit *Quinam Sancti*, & notat *Laym. cit. c. 8. Francus diſſ. 6. q. 8. dub. 4. n. 112.*

Notandum ſecundo. Solent etiam interdum aliæ pleniſſimæ Indulgentiæ, inſtar Jubilei, concedi a Sede Apoſtolica pro toto orbe, cum aliis gratiis, & facultatibus annexis, plerumque ad duas hebdomadas ſeu XV. dies, poſt promulgationem in quolibet loco factam, tum alias, tum præſertim poſt annum Jubileum Romæ peractum, de quo Jubileo plura videri poſſunt apud *Laym. cit. c. 8. n. 6. & ſeqq.*

LI. Poſtremo reſtant adhuc duæ Conſtitutiones Extravagantes in hoc Titulo *Inter Communes*, quarum brevem Summam hic ponemus. In *Extravag. Etſi Dominici 3. h. t.* enumerantur plures caſus, qui reſervantur Sedi Apoſtolicæ, a quibus nullus abſolvere poteſt, per indulta, ſeu conceſſiones generales, ſine ſpeciali ejuſdem licentia, & multos ex illis caſibus, & plures alios reſervas ſibi Papa ſingulis annis in Bulla Cœnæ Domini contentos. De reſervatione caſuum Papæ reſervatorum fuſe agit *Barb. de Offic. Epiſc. alleg. 30.*

LIII. Præterea in *Extravag. Etſi. Dominici. 5. & ult. h. t.* Sixtus IV. revocat multas Indulgentias, quas ipſe conceſſerat, & facultates abſolvendi a Caſibus in Bulla Cœnæ Domini contentis, item commutandi quinque vota Papæ reſervata, videlicet Religionis, perpetuæ Caſtitatis, peregrinationis ultramarinæ in Terram Sanctam, & viſitationis Liminum Apoſtolorum Petri & Pauli, & peregrinationis ad D. Jacobum Compoſtellanum: a quibus ſi quis abſolvere, vel ea vota commutare præſumpſerit, incurrit excommunicationem S. Pontifici reſervatam, præter mortis articulum, & talis abſolutio, & commutatio nullius eſt valoris, ſeu firmitatis.

TITULUS XXXIX.

De Sententia Excommunicationis, Suſpenſionis, & interdicti.

Actum eſt in ſuperioribus Titulis de pœnis, quæ tum in foro contentioſo, tum pœnitentiali, imponuntur: ſed quia Excommunicatio eſt pœna delicti, cum fertur a Jure: pœna vero contumaciæ, cum fertur ab homine: ideo ſubjicitur hic Titulus, ut notat Abbas Panormitanus in Rubricam hic, qui in antiquis inſcribitur tantum de Sententia Excommunicationis, quippe quæ eſt præcipua ſpecies ex cenſuris Eccleſiaſticis, de qua etiam potiſſimum hoc loco agitur. Verumtamen in Novis Decretalibus additur, *Suſpenſionis, ac Interdicti*, quia de his quoque tractatur in hoc Titulo, qui extat etiam in Sexto, Clementinis, & Extravagantibus Joan XXII. & Communibus.

SECTIO I.

De prima cenſura Eccleſiaſtica, nempe Excommunicatione.

§. I.

Quid & quotuplex ſit Cenſura.

I. Aſſertio I. Cenſura in genere eſt pœna quædam ſpiritualis, ac medicinalis, privans uſu aliquorum bonorum ſpiritualium per Eccleſiaſticam poteſtatem inflicta delinquenti, donec a contumacia recedat. Ita fere *Suar. diſp. 1. de cenſur. ſec. 2. n. 5.* & alii DD. communiter. Ubi pœna Eccleſiaſtica ſeu ſpiritualis ponitur, loco generis, & hæc verba *uſu bonorum ſpiritualium*, ad differentiam aliarum pœnarum Eccleſiaſticarum, quia licet Eccleſia directe verſetur circa ſpiritualia, indirecte tamen etiam verſatur circa temporalia, in ordine ad ſpiritualia, ac proinde cenſura primario privat ſpiritualibus actionibus; ſecundario vero, ac indirecte uſu corporalium, ſeu externarum actionum, ut communicatione humana, *Avila tr. de cenſur. p. 1. dub. 4. not. 2.* Bona autem ſpiritualia, quædam ſunt propria, & permanentia, quibus nemo invitus ſpoliari poteſt, ut gratia habitualis, virtutes infuſæ, earumque bonæ operationes: quædam vero ſunt communia, quibus homo in pœnam privari poteſt, quoad uſum activum, & paſſivum, ut eſt adminiſtratio, & receptio Sacramentorum, participatio publicorum Suffragiorum Eccleſiæ, *Suar. cit. l. n. 6.*

Ubi notandum. Cenſura eſt pœna, & ſimul medicina, *c. 3. in princ. h. t. in 6.* quare per cenſuram non ceſſat ipſa ſpiritualis poteſtas, ſeu habilitas ad ſpiritualia bona, ſicut per irregularitatem, depoſitionem, vel degradationem, quæ privat habitu, ſeu poteſtate utendi iis bonis, ideoque ſuapte natura, ſunt perpetuæ, nec ſtatim auferuntur, etſi delinquens ſit emendatus. Cenſuræ vero impediunt tantum uſum bonorum temporalium, & ab iis facilius conceditur abſolutio, poſt emendationem. Deinde irregularitas proprie non eſt pœna, ſed inhabilitas quædam potius ad ſacrum Altaris Miniſterium, ſive impedimentum Ordinis accipiendi, vel exercendi, & ea etiam quæ in pœnam delicti imponitur, primario non imponitur per modum pœnæ, ſaltem medicinalis, ſed impedimenti.

II. Porro generaliter loquendo, eſſe in Eccleſia poteſtatem infligendi cenſuras, probatur ex *Matth. c. 16. Quodcumque ligaveris, erit ligatum & in cœlis. & c. 18. Quæcunque alligaveritis &c.* ubi Chriſtus contulit poteſtatem ligandi, & ſolvendi, quæ verba, cum ſint generalia, ad omnes Cenſuras ſunt extendenda, *Avila cit. p. 1. dub. 2. concl. 2. Suar. cit. diſ. 1. ſec. 2. n. 3.* Ratio eſt, quia quælibet Reſpub. habere debet poteſtatem puniendi & coercendi ſubditos rebelles, & contumaces, privandos eos propriis rebus, vel juribus illius Reipublicæ: hoc autem Eccleſia facit per cenſuras: & quia hæc poteſtas non eſt limitata ad certas pœnas, vel modum pœnarum, cum verba Chriſti generalia ſint, ideo reſtringi non debet, *Suar. cit. ſect. 2. num. 15. Avila cit. dub. 2. concl. 2.*

III. Aſſertio 2. Tres tantum ſunt Cenſuræ proprie dictæ, ſcilicet Excommunicatio, Suſpenſio, & Interdictum, ut ex communi fere DD. ſententia tradit *Navarr. in Man. Præl. c. 27. n. 1. Suar. cit. diſ. 1. ſec. 3. n. 1. & 4. Avila p. 1. de cenſur. dub. 5.* quia ubicunque in Jure fit mentio Cenſuræ Eccleſiaſticæ, tantum tres illæ ſpecies numerantur, ut patet ex *cap. 1. r. Statutum. 13. cap. Is, cui 20. de ſent. excomm. in 6.* ac præcipue ex *c. Quærenti 20. de V. S.* ubi conſultus Innocentius III. quid per Cenſuram Eccleſiaſticam debeat intelligi, quando ponitur in Litteris Pontificiis? Reſpondet, quod per eam non ſolum Interdicti, ſed etiam Suſpenſionis, & Excommunicationis ſententia valet intelligi? niſi Judex diſcretus, indagatis rerum, & perſonarum circumſtantiis, ferat, quam magis viderit expedire. Unde conceſſa alicui poteſtate abſolvendi a Cenſuris, ea non poteſt extendi ad irregularitatem, ſecundum ſtylum Curiæ Romanæ, quippe quæ non per abſolutionem, ſed diſpenſationem tolli debet, niſi id exprimatur.

Similiter qui violat Cenſuram, miniſtrando Sacramenta, vel celebrando, incurrit irregularitatem, cum tamen irregularis celebrans, vel miniſtrans Sacramenta novam irregularitatem non incurrat: neque etiam qui celebrat, quando eſt ceſſatio a Divinis indicta, fit irregularis, ergo irregularitas, & ceſſatio a Divinis non ſunt Cenſuræ, *Navarr. cit. c. 27. n. 168. & n. 194. Avila cit. l. §. Dices.* Sed neque de-

Digitized by Google

depoſitio, & degradatio ſunt Cenſuræ, ſed pœnæ quædam contra incorrigibiles latæ, quos Eccleſiaſticæ Cenſuræ non correxerunt, *Avila cit. loc.* Item ceſſatio a Divinis non eſt Cenſura Eccleſiaſtica, quia non eſt prohibitio Divinorum Officiorum, ſed deſiſtentia, & omiſſio Divinorum Officiorum, *Navarr. cit. c. 27. n. 161. Avila cit. dub. 5. in fine*, quæ ex infra dicendis melius intelligentur.

§. II.

Quid, & quotuplex ſit Excommunicatio, & qua forma ferri debeat?

IV. Aſſertio 1. Excommunicatio in genere eſt Cenſura Eccleſiaſtica, per quam Chriſtianus a Communione Eccleſiæ, ſeu reliquorum fidelium ſeparatur, ut communiter definitur apud *Covarr. in cap. Alma p. 1. num. 1.* & alios. Eſt autem triplex fidelium communicatio: pure interna, pure externa, & media ſive mixta, *Covarr. cit. l. num. 2. Suarez diſ. 8. de cenſur. ſect. 1. num. 6. Laym. l. 1. tract. 5. p. 2. cap. 1. num. 2.* & alios. Prima communicatio mere interna conſiſtit in fide, & gratia, & charitate, per quam fideles inter ſe, & cum Chriſto velut Capite ſuo myſtice copulantur, de qua meminit Apoſtolus ad *Roman. 12. 1. ad Cor. 12. ad Epheſ. 4.* Ratione cujus unionis unus fidelis alteri per meritum de congruo poteſt impetrare a DEO ſpecialia beneficia, & alteri proprias ſatisfactiones applicare, juxta illud Pſalmi 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te.* Pure externa Communicatio, ſive ſocietas politica conſiſtit in fidelium convictu, colloquio, & commerciis. Media, ſive mixta, hoc eſt, partim interior, partim exterior communicatio conſiſtit in uſu Sacramentorum, tum activo, tum paſſivo, ſive libera eorum collatione, & ſuſceptione: deinde in participatione communium Eccleſiæ Suffragiorum, & orationum, quæ in Sacrificio Miſſæ, aliiſque publicis officiis, ipſius Eccleſiæ nomine, ac inſtituto funduntur: ac denique in participatione ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum, quæ ex communi Eccleſiæ theſauro per Indulgentias fidelibus juſtis applicantur. In horum ergo communium bonorum, vel omnium, vel ſaltem aliquorum ſeparatione conſiſtit Excommunicatio, ut infra declarabitur.

V. Ubi notandum primo. Eccleſia non vult, nec poteſt privare excommunicatos bonorum ſpiritualium communicatione mere interna, ſcilicet fructu orationum, & ſatisfactionum, quas fideles, proprio nomine, & privata intentione ſibi, vel aliis applicare poſſunt, quia hujuſmodi bona, vel opera pia cujuſque operantis propria ſunt, ideoque ab ipſius libera applicatione, non autem ab Eccleſiæ voluntate, ac diſpenſatione pendent. Unde licet Sacerdos non poſſit offerre Sacrificium Miſſæ, vel recitare Officium Eccleſiaſticum pro excommunicatis non toleratis, quatenus id publicum eſt, & ipſe publicus Miniſter Eccleſiæ: poteſt tamen tanquam perſona privata, & intentione privata offerre Sacrificium Miſſæ, & orare in Memento pro iiſdem vel Horas Canonicas recitare, quatenus illa actio ſacrificandi, vel orandi eſt opus proprium operantis, & ea ratione ſatisfactorium pro altero, vel etiam ex congruo impetratorium, *Nav. in Man. c. 27. n. 36. in reſponſ. ad 5. Laym. c. l. n. 4. Tanner. t. 4. diſ. 6. q. 10. dub. 2. n. 26.*

Notandum ſecundo. Sed neque Eccleſia poteſt, neque vult per ſe privare membra ſua gratia ſanctificante, & virtutibus ſpiritualibus, quæ nemini invito auferri poſſunt. Supponit quidem aliquando excommunicatio carentiam gratiæ, ratione culpæ, propter quam fertur, ipſa tamen illam non aufert: neque etiam impedit, quominus redire poſſit ad gratiam per contritionem, priuſquam ab excommunicatione abſolvatur, *Suar. cit. ſect. 1. num. 7. Laym. cit. c. 1. num. 3.*

VI. Porro Excommunicatio fundamentum habet in Sac. Scriptura, *Matth. 18. Si Eccleſiam non audierit* (id eſt, obediens ei non fuerit, *ſit tibi, ſicut Ethnicus, & publicanus*, tanquam non ſit intra gremium Eccleſiæ, ſive in numero fidelium, & in facto Apoſtoli 1. *ad Corinth. 5. & 1. ad Timoth. 1.* ait, quoſdam ſe Satanæ tradidiſſe, quando eos excommunicavit, ſive a conſortio fidelium ſeparavit ſeu ejecit. Unde in *cap. Omnis 32. cauſ. 11. quæſt. 3.* dicitur: Omnis Chriſtianus, qui a Sacerdotibus excommunicatur, Satanæ traditur, quia extra Eccleſiam diabolus eſt, ſicut in Eccleſia Chriſtus.

VII. Aſſertio 2. Excommunicatio varie dividitur. Primo quidem in majorem, & minorem, ut patet ex *cap. Si quem 59. hoc. tit.* ubi Gregorius IX. ita reſcribit: ,, Si quem, ,, ſub hac forma, illum excommunico, vel ſimili (v. gr. ,, niſi hoc feceris, noveris te eſſe excommunicatum, *Gloſ. ,, hic V. Simili*) a Judice ſuo excommunicari contingat, dicendum eſt, eum non tantum minori (quæ a perceptione ,, Sacramentorum) ſed etiam majori excommunicatione ,, (quæ a communione fidelium ſeparat) eſſe ligatum. Major igitur Excommunicatio eſt, quæ a communione fidelium abſolute, & ſimpliciter ſeparat, ſive quæ privat omnibus prædictis bonis communibus, nimirum Sacramentis Eccleſiæ, tam quoad adminiſtrationem, quam ſuſceptionem, publicis Suffragiis, & convictu, ſeu ſocietate civili, prout definitur ex *Sayro* apud *Laym. cit. c. 1. num. 5.* Minor vero excommunicatio eſt, quæ ſolum ſeparat a communione fidelium ſecundum quid, quia nimirum tantum privat paſſiva perceptione Sacramentorum, *cit. cap. pen. h. t.* Dicitur autem minor, non propter parvitatem objecti, eſt enim ex ſe res gravis privari perceptione Sacramentorum; ſed per comparationem ad majorem, cujus eſt pars: & quia incurri etiam poteſt, propter peccatum veniale, *Avila p. 2. de cenſur. c. 2. diſ. 2. dub. unic.* quamvis olim nomine excommunicationis abſolute ſumptæ, etiam minor intelligeretur, ut conſtat ex Concilio Carthaginenſ. IV, & refertur in *c. Sacerdotes 63. diſ. 1. de conſecr. & ex c. Nemo 11. cauſ. 11. qu. 3.* & in *c. ult. cauſ. 3. qu. 4.* ubi excommunicatio abſolute ſumpta accipitur pro minore, & anathema pro excommunicatione majore, juxta *Gl. ibid. V. Anathemata Avila cit. loc. Laym. cit. c. 1. in fine.*

VIII. Notandum hic præterea primo. Per excommunicationem ſolitarie ſumptam, ſive abſolute poſitam intelligitur major, ſicut expreſſe habetur in *cit. c. pen. h. t.* quæ ſimpliciter excommunicatio dicitur, niſi ex adjunctis aliud intelligi debeat, nimirum per eam ſolum prohiberi perceptionem paſſivam Sacramentorum, vel S. Euchariſtiæ, *Covarr. in cit. Alma p. 2. §. 8. num. 5.* Nec obſtat, quod in pœnis benignior interpretatio eſt facienda, *Reg. Juris 49. num. 60.* ergo in dubio, nomine Excommunicationis non major, ſed minor eſt intelligenda. Nam regula illa habet locum, niſi Jus, vel conſuetudo contrarium declaraverit, ut in propoſito, *Abb. in cit. c. pen. in fine, h. t.* ubi etiam ait, regulam illam procedere in pœnis corporalibus, & pecuniariis, non in medicinalibus, qualis eſt excommunicatio, *Covarr. cit. l. Avila cit. diſ. 2. dub. unic.*

Notandum ſecundo. Major Excommunicatio eſt pœna graviſſima, qua nulla major eſt in Eccleſia, teſte S. Auguſt. relato in *c. Corripiantur 17. cauſ. 24. qu. 3.* idenque ad eam deveniri non debet, niſi poſtquam omnia alia media, & monitiones, ac leviores pœnæ, ac cenſuræ fruſtra ſunt adhibita, juxta Concil. Trident. *Seſſ. 25. cap. 3. de reformat.* & modo etiam aliqua ſpes ſit Rei emendandi, vel ſaltem promovendi bonum publicum, qui finis eſſe debet hujus pœnæ medicinalis, alioquin ab ea abſtinendum erit, *Laym. citat. c. 1. n. 6.*

Notandum tertio. Anathema eſſentialiter non differt ab excommunicatione majore, ſed ſolum quoad accidentales ſolemnitates, quia fit cum publica denunciatione, & condemnatione, adhibitis ceremoniis, quibus culpa exageretur, & terror, ac ignominia incurratur, ut habetur in *c. Debent 106. cauſ. 11. q. 3. Cov. c. l. n. 6. Laym. cit. c. 1. n. 7.*

IX. Secundo dividitur Excommunicatio (idem eſt de aliis Cenſuris) in eam, quæ fertur a Jure, & eam, quæ fertur ab homine, ſeu Judice. Excommunicatio lata a Jure dicitur, quando quidpiam per legem perpetuam, Conſtitutionem, ſeu Statutum ſub pœna excommunicationis prohibetur, vel præcipitur. Excommunicatio ab homine lata eſt, quæ per Judicis ſententiam infligitur. Inter has autem hoc eſt diſcrimen, quod ſententia excommunicationis a Jure lata perpetuo duret, etiam poſt mortem ferentis, ſicut & ipſa lex, quamdiu contraria lege, vel conſuetudine non revocatur: Excommunicatio vero ab homine lata extinguitur, morte, aut depoſitione ferentis, ita ut eo mortuo, non poſſit deinceps incurri; quamvis qui eam, vivente latore, incurrit, ea ligatus maneat, donec abſolvatur. Unde ſi quis a Judice excommunicatus ſit, ſub conditione, *ſi intra menſem non reſtituerit*, & Judex ante menſem elapſum moriatur, non incurrit excommunicationem *Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 1. n. 2. Tanner. tom. 4. diſ. 6. q. 10. dub. 2. n. 18.*

Tertio dividitur excommunicatio in eam, quæ ipſo facto incurritur, ſive criminis admiſſione, ſine ſententia Judicis; & vocatur excommunicatio latæ ſententiæ: ut ſi dicatur, *qui hoc fecerit, ſit excommunicatus*, aut ipſo facto excommunicetur, aut ſubjaceat excommunicationi &c. Et eam, quæ non ipſo facto incurritur, ante ſententiam Judicis, ſed per hunc infligi debet, & dicitur ferendæ ſententiæ, ut ſi dicatur abſolute, *qui hoc fecerit, excommunicetur, vel excommunicabitur: vel prohibemus ſub pœna excommunicationis &c. Laym. cit. l. n. 3. Tann. cit. l. n. 20.* & aliis.

Quarto, Excommunicatio alia eſt juſta, alia injuſta: juſta eſt, quæ infertur a legitimo Judice propter peccatum contumaciæ, & ſervato Juris ordine. Injuſta eſt, cui aliquid horum deficit. Injuſta rurſus duplex eſt: quædam valida, quædam invalida, ac nulla: valida, quamvis injuſta, excommunicatio eſt, cui tantum deeſt circumſtantia debiti finis, vel quædam ſolemnitas accidentalis ad ſubſtantiam excommunicationis non pertinens, de qua infra. Invalida vero nullum effectum habet, nec obligat, niſi aliquando ratione ſcandali, ut quia fertur a non habente poteſtatem, vel contra alicujus privilegium, vel poſt legitimam appellationem, vel quando continet errorem intolerabilem, ut ex infra dicendis patebit, *Tanner. cit. l. nu. 25. Avila tract. de cenſur. p. 2. c. 6. diſ. 1. dub. 1.*

Quinto, alia eſt excommunicatio generalis, quæ fertur in communi, contra omnes, qui commiſerunt vel committunt tale delictum: alia particularis, quæ fertur contra perſonas particulares, expreſſis eorum nominibus, v. grat. Petrum, *Avila cit. diſ. 2. dub. 2.*

X. Aſſertio 3. Ad ferendam excommunicationem non requiritur certa verborum forma, ſed ſatis eſt, ut ſit talis, per quam de præſenti excommunicare volentis mens congrue exprimitur, ut ex communi docet *Tanner. citat. diſ. 6. qu. 10. dub. 9. num. 51.* Ratio eſt, quia nulla certa verborum forma Jure communi præſcripta eſt. Nihil ergo refert, ſive dicatur, *Excommunico te*, ſive *privo, ſegrego, aut ſeparo te a communione fidelium*; debet tamen ſententia excommunicationis, externis ſignis, nimirum voce, vel ſcripto, eſſe ſufficienter expreſſa, nam mente ſolum concepta non valet, *Tann. loc. cit.*

XI. Porro modus, ac forma procedendi ad ſententiam excommunicationis Jure communi Canonico habetur præſcripta in *c. Cum Medicinalis 1. h. t. in 6.* quod eſt deſumptum ex Concilio Lugdunenſi, in quo Innocentius IV. in primis monet, ut cum excommunicatio ſit medicinalis, non mor- ,, talis, (hoc eſt, introducta ſit ad medelam, non ad mor- ,, tem excommunicati, nempe ut corrigatur, non ut in ,, peccato, aut contumacia perſiſtat, & intereat) ut Judex ,, Eccleſiaſticus caute provideat, & in ea ferenda oſtendat, ,, ſe proſequi correctionem, & medelam. Quare quiquia

excom-

,, excommunicat (vel ſuſpendit, vel interdicit, *Gl. hic V. eod.*) excommunicationem in ſcriptis proferre debet, & cauſam exprimere propter quam eſt excommunicatus. Exemplum vero hujuſmodi ſcripturæ, intra menſem tradat excommunicato, ſi fuerit requiſitus, ſuper qua requiſitione fieri debet inſtrumentum publicum, ſeu Sigillo Authentico munitum. Si quis autem Judicum hanc Conſtitutionem temerario violaverit, per unum menſem ab ingreſſu Eccleſiæ, & Divinis Officiis ſit ſuſpenſus; Superior vero, ad quem recurritur, excommunicationem ipſam relaxet, ſine difficultate (id eſt, ſine exactione cautionis) & latorem in expenſas condemnet, & alias puniat. Et hæc eadem in ſententiis ſuſpenſionis, & interdicti obſerventur. Caveant autem Prælati, & alii Judices, ne hanc ſuſpenſionem incurrant, alioquin ſi ſic ſuſpenſi Divina Officia celebrent, ut prius, irregularitatem non effugient, in qua non poteſt diſpenſari, niſi per S. Pontificem.

XII. Pro explicatione hujus c. notandum primo, ſententia excommunicationis majoris lata per hominem, ſeu Judicem debet fieri in ſcriptis. Non tamen ſcriptura requiritur ad ſubſtantiam excommunicationis, quamvis ea in ſcriptis fieri debeat ex præſcripto Canonis, in quo differt a ſententia definitiva lata in judicio, quæ ſine ſcriptura non valet. Deinde in ſententia excommunicationis Judex Eccleſiaſticus debet exprimere cauſam, propter quam aliquem excommunicavit, v. gr. quia peremptorie citatus, coram nobis tenuit comparere, quod non requiritur in ſententia definitiva, etſi exprimi convenienter poſſit, *Gl. hic in notatis*.

Notandum ſecundo. Hæc Conſtitutio habet locum in qualiber excommunicatione hominis, cum poſſit eſſe juſta, & injuſta, non autem habet locum in excommunicatione Canonis, ſive a Jure lata, quæ ſemper eſt juſta. *Francus hic §. Quisquis not. 2.*

Notandum tertio. Licet regulariter ſententia Judicis lata, non ſervato Juris Ordine, ſit nulla, *l. Prolatam 4. C. De ſententiis*: ſententia tamen excommunicationis lata, non ſervata forma a Jure tradita, tenet, & ideo debet relaxari ab excommunicatore, & ipſe lator excommunicationis, ſi procedat contra formam Juris, debet condemnari ad expenſas, & ad omne intereſſe, & alias etiam puniri, pœna arbitraria a Superiore ſuo *cit. c. 2. Franc. ibid. n. 2.*

Notandum quarto. Copia excommunicationis debet dari petenti, ſi ab Excommunicato fuerit petita, modo Excommunicator, debito loco, & tempore, ſit requiſitus: & tunc conſultum eſt, ut petat excommunicatus confici publicum inſtrumentum, per quod poſſit probare requiſitionem, ſi excommunicator negaret, requiſitum ſe fuiſſe, *cit. cap. 1.* & ibi *Gl. V. Requiritur*.

Notandum quinto, Jura, quæ loquuntur de modo, & forma proferendi excommunicationem, habent etiam locum in ſuſpenſione, & interdicto, quia illæ cenſuræ æquiparantur *cit. c. 1. §. Et hac eadem* & ibi *Gl. V. Obſervari h. t. n. 6. Franc. hic Superior n. 3. not. ult.*

Notandum ſexto, Irregularitas contrahitur, non ſolum ex celebratione Miſſæ, ſed etiam ex celebratione aliorum Officiorum Divinorum, ut colligitur ex *cit. cap. 1. §. fin.* in quo ſolus Papa diſpenſare poteſt, *Franc. ibid. n. 1. & 2.*

§. III.

De Effectibus Excommunicationis, ſive majoris, ſive minoris.

XIII. Q. 1. Qui ſint effectus excommunicationis majoris? Reſp. primus effectus eſt privatio uſus activi Sacramentorum, ita ut nullus excommunicatus licite poſſit adminiſtrare, vel conferre, per ſe loquendo, ullum Sacramentum, ut colligitur ex *c. ult. de Clerico excommunicato*. Ratio eſt, quia Eccleſia jure poteſt prohibere indignis, & excommunicatis adminiſtrationem Sacramentorum, quæ ei a Chriſto eſt commiſſa, cum ſit miniſterium publicum, *Laym. libr. 2. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 5. Avila p. 2. cap. 6. diſp. 3. dub. 3.* Excipitur tamen, quod Miniſter excommunicatus toleratus licite conferre poteſt Sacramenta, quoties vel gravis neceſſitas, vel notabilis proximi utilitas id exigit, quia plerumque præcepta Eccleſiæ non obligant, cum gravi incommodo. Quare Miniſter excommunicatus, etiam non toleratus, non tantum in articulo mortis, Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ, ſi alius non adſit, licite poteſt adminiſtrare, ſed etiam in eadem extrema neceſſitate, aliquando S. Euchariſtiam, vel Extremam Unctionem licite conferatur, ut ſi moribundus aliud Sacramentum ſuſcipere nequeat, *Navarr. in Man. cap. 22. num. 4. Suar. diſ. 11. de cenſur. ſect. 1. num. 17. Laym. cit. cap. 2. num. 5.*

XIV. Ubi prætera notandum, Sacramenta adminiſtrata ab excommunicato, ſive tolerato, ſive non tolerato, etiam extra caſum neceſſitatis, vel mortis periculum, ſunt valida, quia ad illorum ſubſtantiam, & valorem plus non requiritur, quam propria materia, forma, & intentio Miniſtri, ſecundum Chriſti inſtitutionem, quæ Eccleſia mutare non poteſt, & ſi adſint, ut hic ſupponitur, ſemper ſunt valida. Excipitur Sacramentum Pœnitentiæ: quod adminiſtratum, extra mortis articulum, ab excommunicato non tolerato, invalidum eſt, quia ad hoc Sacramentum valide adminiſtrandum non ſufficit poteſtas Ordinis, ſed requiritur etiam juriſdictio, quæ ab Eccleſia adimitur per cenſuram excommunicato non tolerato, niſi publicus error facti, cum titulo præſumpto, interveniat, dum excommunicatus habetur pro legitimo Sacerdote: *Navar. cit. c. 27. n. 36. in fine Suar. cit. diſ. 11. ſect. 2. num. 12. Laym. cit. c. 2. num. 5. §. Veruntamen.* Hinc vero tradunt DD. cit. & alii communiter, generalem Regulam, quotieſcunque excommunicatus non toleratus, ſeu vitandus exercet actum pendentem a poteſtate juriſdictionis, is invalidus eſt, cujuſmodi eſt, ſi Epiſcopus excommunicatus approbet Confeſſarios, det Litteras dimiſſorias: vel ſi Epiſcopus, aut Parochus alicui deleget facultatem Confeſſiones audiendi: vel quodvis Sacramentum adminiſtrandi, quia hæc poſſunt fieri ab Epiſcopo confirmato nondum conſecrato: imo etiam ab Epiſcopo, vel Parocho nondum Sacerdote: ideoque non ſunt actus Ordinis, ſed juriſdictionis. Quod ſi vero actus exercitus ab excommunicato non tolerato, non requirat poteſtatem juriſdictionis, ſed ſolam poteſtatem Ordinis quæ non aufertur per Cenſuram Eccleſiaſticam, validus eſt, ut ſi talis excommunicatus adminiſtret Sacramenta, vel exerceat Sacramentalia, ut ſunt variæ benedictiones, & conſecrationes ab Eccleſia introductæ, ad quarum valorem non requiritur, ut Miniſter ſit toleratus, ſed ſolum ut licite miniſtrentur: quamvis id Eccleſia etiam poſſet requirere, ut valide miniſtrentur, *Laym. c. l.*

XV. Secundus effectus excommunicationis eſt privatio uſus paſſivi, ſive ſuſceptionis Sacramentorum, quæ in eo conſiſtit, ut nullus excommunicatus poſſit licite & abſque gravi peccato, ullum Sacramentum percipere, *cap. Cum illorum 32. h. t.* quia facit contra prohibitionem Eccleſiæ in re gravi. Excuſatur tamen a peccato excommunicatus, ſuſcipiens Sacramenta ex inadvertentia, ſeu ignorantia invincibili juris, aut facti, neſciens ſe eſſe excommunicatum, vel ob gravem neceſſitatem, v. gr. ad vitandum periculum mortis, mutilationis, infamiæ, ſcandali, jacturæ bonorum, quia lex humana, & Cenſura Eccleſiaſtica non obligat, cum tanto rigore, & incommodo. *Avila cit. diſ. 3. dub. 4. concl. 1. Laym. cit. c. 2. n. 5.* Quod ſi excommunicatus, etſi mala fide, & illicite Sacramenta ſuſcipiat, valide tamen ea ſuſcipit, quia Sacramentorum vis, & valor per Eccleſiaſticam Legem impediri non poteſt, cum pendeat ex Chriſti inſtitutione. Excipitur vero Sacramentum pœnitentiæ; nam ſi quis, mala fide, ſciens, ſe eſſe excommunicatum, & ſine ulla neceſſitate, prius Sacramentaliter a peccatis ſe abſolvi petat quam ab excommunicatione, invalida erit abſolutio, ſaltem indirecte, ob defectum debitæ diſpoſitionis in pœnitente. Secus eſt, ſi excommunicatus, bona fide, in caſu neceſſitatis, vel probabilis ignorantiæ, quia inculpabiliter ignorat, ſe eſſe excommunicatum, vel ſaltem eſſe peccatum mortale ſuſcipere Sacramentum in excommunicatione, peccatorum confeſſionem inſtituat, tunc enim vere, & valide abſolvetur a peccatis, licet adhuc maneat in excommunicatione, vel quia ea reſervata eſt Superiori, vel quia Confeſſarius habens poteſtatem abſolvendi a tali excommunicatione, per ignorantiam, vel oblivionem prius a peccatis abſolvit, quam a cenſura, *Laym. c. l. Avila cit. diſ. 3. dub. 4.*

XVI. Tertius effectus excommunicationis eſt, privatio communium Eccleſiæ Suffragiorum, ita ut excommunicatus quamvis toleratus, omnis Sacrificiorum, precum, Indulgentiarum fructus, qui ex communi Eccleſiæ theſauro fidelibus applicatur, privetur, prout ſumitur ex *c. A nobis 28. & c. Sacris 48. hoc t.* Ratio eſt, quia horum ſpiritualium bonorum diſpenſatio ad Eccleſiam pertinet, quæ ea indignis, & contumacibus denegare poteſt, ob majus bonum, tum publicum, tum ipſorum excommunicatorum, ut reſipiſcant, *Layman cit. c. 2. n. 1.* Imo probabilius eſt, excommunicatum, licet reſipiſcat a culpa, & contumacia, & per contritionem, vel confeſſionem juſtificatus fuerit: quamdiu tamen abſolutionem ab excommunicatione non accepit, communium Eccleſiæ Suffragiorum, & ſatisfactionum non fieri participem, ut docet *Suarez diſ. 9. de cenſur. ſec. 3. num. 1. Layman cit. cap. 2. num. 4. Tanner. cit. diſ. 9. quæſt. 8. dub. 5. num. 30.* Idque probatur ex *cit. cap. A nobis 28. & cap. Sacris 48.* ubi habetur, quod excommunicatus, licet emendatus ſit, priuſquam tamen abſolvatur, vere cenſura ligatus maneat, neque liceat pro eo Suffragia offerre. Ratio eſt, quia cenſura excommunicationis non eſt, culpa, ſed pœna, quæ ablata etiam culpa, permanet, donec per legitimam auctoritatem Judicis remittatur: Cenſura autem, quamdiu manet, ſemper habet ſuum effectum; neque per ſolam interiorem pœnitentiam tollitur, alioqui abſolutione opus non eſſet, *Layman cit. l.*

XVII. Quartus effectus eſt, quod excommunicato prohibitum eſt Divinis Officiis intereſſe, ut colligitur ex *c. Significavi 18. c. Nuper 29. c. Reſponſo 43. h. t. c. ult. eod. in 6.* Nomine autem Divinorum Officiorum, intelliguntur hic ſacræ functiones, quæ ab Eccleſia publice, & ſolemniter fiunt, cujuſmodi eſt imprimis Sacrificium Miſſæ, cui excommunicatus intereſſe prohibetur, & coram illo Miſſa celebrari non poteſt, *Laym. cit. c. 2. n. 6.* de quo plura infra. Inter Divina Officia numerantur etiam publicæ preces Horarum Canonicarum; & omnis publica Oratio, quæ ex Chriſti, vel Eccleſiæ inſtitutione ſolemniter fit a Miniſtris ad id ordinatis. Quamvis privatim orare, vel Concionem audire in Eccleſia, dum in ea nullum officium celebratur, excommunicatis non ſit prohibitum, ut colligitur ex *cit. c. Reſponſo* vel Horas Canonicas recitare, ab his enim privatim recitandis, per cenſuram non liberantur, ſed ſine *Dominus vobiſcum*, *Laym. cit. l. Tanner. nu. 29.*

XVIII. Quintus effectus excommunicationis eſt, quod excommunicatus privetur omni uſu, & exercitio juriſdictionis ſpiritualis, ſeu Eccleſiaſticæ, ut patet ex *c. Audivimus 4. cauſ. 24. q. 1.* ubi dicitur, quod excommunicatus excommunicare non poſſit, *c. Si is, cui 10. de Offic. deleg. in 6.* Ubi habetur, quod ſi delegatus Papæ, qui alicui cauſam ſubdelegavit, poſtea excommunicatus fuit, non ad ipſum, quippe juriſdictione privatum, appellandum eſſe, ſed ad primum delegatum. Et in *c. 1. de Offic. Vicar. in 6.* dicitur, quod ſubſtitutus ab Officiali Epiſcopi, eo excommunicato, non poſſit juriſdictionem exercere, quippe quam ipſo Officiali acceperat. Quare electio ad beneficium ab excommunicato

factu

ſicta eſt irrita, ſicut & præſentatio, *Laym. cit. c. 2. n. 13.* Id vero intelligi debet de excommunicatis non toleratis, ſeu vitandis, nam acta excommunicati tolerati ſunt valida, quamdiu per oppoſitam exceptionem non repelluntur. Quare talis excommunicatus, & excommunicare poteſt, & juriſdictionem delegare, item conferre beneficium Eccleſiaſticum, eligere, præſentare, &c. valide poteſt, niſi per oppoſitam exceptionem repellatur, *Laym. cit. loc. num. 13.* & alii apud ipſum. Verum de his dictum eſt ſuis locis propriis.

XIX. Sextus effectus excommunicationis majoris, eſt privatio omnis communicationis forenſis, ita ut excommunicatus non poſſit eſſe Judex, Tabellio, Advocatus, Procurator, Actor, aut teſtis, etiam in cauſis Civilibus, prout de Judice ſtatuitur in *c. Ad probandum 24. de ſent. & re judic.* & de aliis in *c. Decernimus 8. h. t. in 6.* Ubi Papa Alexander IV. decernit ut Judices ſæculares, per cenſuram
„ Eccleſiaſticam, ab Eccleſiaſticis Judicibus, præmiſſa ca-
„ nonica monitione, ab agendo (& reconveniendo, quia
„ ſicut excommunicatus non poteſt agere, ita nec recon-
„ venire, *Gl. hic V. agendo*) patrocinando (quod intelligen-
„ dum, non ſolum in Advocato, ſed etiam in Procuratore
„ *Gl. hic V. Patrocinando*) & teſtificando, in ſuis Eccleſiis,
„ & judiciis repellantur.

XX. Ubi notandum primo. Exceptio excommunicationis poteſt opponi, non tantum in foro Eccleſiaſtico, ſed etiam in foro ſæculari, per quam repellatur excommunicatus laicus ab actibus judicialibus ipſi prohibitis, & ad hoc cogi poteſt Judex ſæcularis per cenſuram Eccleſiaſticam: quod procedit, tam de Jure Canonico, quam Civili: Imo ipſe Judex ſæcularis tenetur ex officio repellere ab agendo excommunicatum notorie, etiam nemine opponente, *c. Exceptionem 12. de Except. Franc. hic n. 1. not. 2.* imo etiam partibus invitis, & reclamantibus, *Barb. in Collect. hic n. 4.*

Notandum ſecundo. Jus Canonicum, diſponens circa ordinationem judicii, ſervari debet etiam in foro ſeculari, quando ob non obſervationem nutriretur peccatum, ut in propoſito, ubi agitur de participatione cum excommunicato, quæ eſt prohibita, ac illicita: alias ſecus eſſet *Franc. hic num. 2. not. 3.* ubi addit, quod Eccleſiaſticus Judex poteſt, ac debet compellere Judicem ſæcularem, ut ſervet Jus Canonicum, ſi diſponat contra laicos in materia peccati.

Notandum tertio. Nullus excommunicatus poteſt eſſe Judex, Tabellio, Advocatus, ſeu Procurator, Actor, aut teſtis, etſi ſit toleratus, aut occultus, ſemper enim, quantum in ſe eſt, debet vitare communionem aliorum, cum per Concilium Conſtantienſe excommunicato tolerato nullus ſit factus favor. Si vero excommunicatus in judicio compareat, ut Actor (idemque eſt de Advocato, & teſte) neque reus contra illum excipiat, neque Judex illum ex officio repellat (quod facere in tolerato poteſt, ſi excommunicatio publice nota ſit: in non tolerato, ſeu vitando, ut colligitur ex *citat. cap. 8. de except. in 6.* Acta vero Judicis non tolerati, non ſolum Eccleſiaſtici, ſed etiam ſæcularis, ſunt invalida, cum juriſdictione privatus ſit, etſi ab officio remotus non ſit, ut de Eccleſiaſtico aperte traditur in *cap. Ad probandum 24. de ſent. & re judic. & c. ult. de Except. Fral.* De Judice ſæculari vero colligitur ex *cap. Nos ſanctorum 4. cauſ. 15. q. 6.* & eſt fere communis DD. ſent. apud *Laym. cit. c. 2. n. 14. §. Alia vero.*

Præterea acta publica Tabellionis excommunicati, non tolerati, in foro externo ſunt ipſo jure irrita, ut docent communiter Canoniſtæ: quod tunc ſaltem verum eſt, ſi non ſolum præſentia Notarii, ſed etiam authenticum ejus inſtrumentum requiratur ad valorem alicujus teſtamenti, vel contractus, quia inſtrumentum confectum ab excommunicato vitando non cenſetur authenticum, cum is ipſo jure, & ex officio Judicis a publicis actibus repellatur, *Laym. c. l. n. 15.* & alii apud ipſum.

XXI. Septimus effectus eſt, privatio omnis communicationis civilis, ac politicæ cum aliis fidelibus, ſicut colligitur ex *cit. c. 2. de except. c. Nuper 29. c. Si aliquando 41. & c. pen. h. t.* Circa quem effectum notandum primo. Nomine fidelium, hoc loco, comprehendi omnes baptizatos, etiam excommunicatos, ipſoſque hæreticos, quia & hi ſubditi ſunt Eccleſiæ, ideoque neque cum his excommunicatus communicare poteſt, quamvis poſſit cum infidelibus non baptizatis, ut ex communi tradunt *Suar. diſ. 15. ſect. 8. num. 11. Laym. cit. c. 2. n. 15.* Idque ſumitur ex *c. pen. h. t.* ubi ſolum dicitur, excommunicatum privari communione fidelium, non ergo infidelium. Ratio eſt, quia Eccleſia per ſe intendit excommunicatum abſcindere, & ſeparare ab Eccleſia, tanquam putridum membrum, ut vel ipſe emendetur, vel ne aliis noceat, quod vero cum iis qui foris ſunt, communicet, non nocet *Suar. c. l.*

Notandum ſecundo. Nomine civilis communicationis comprehenditur quævis humana ſocietas, eaque tam activa, quam paſſiva, ſive reciproca. Ita ut non tantum excommunicatus obligetur alios fideles evitare, ſed etiam ab aliis vitari debeat, ut colligitur ex *cap. Illud 5. §. Illud autem, de Cleric. excom.* & activa quidem hæc communicatio per ſe omnibus, hodieque: paſſiva vero poſt Conſtantienſe Concil. prohibetur ſolis excommunicatis non toleratis, juxta *Extr. ad evitanda.*

Notandum tertio. Communicatio cum excommunicato non tolerato, ſeu vitando prohibita tam in ſpiritualibus, quam in civilibus, continetur hoc verſu.

Os, orare, vale, communio, menſa negatur.

Per Os prohibentur omnis generis ſalutationes, ſive coram per oſcula, nutus, colloquia, amplexus: ſive per litteras, aut nuncium, quod fundatur in illis verbis; *2. Jo. 8. Neque ei Ave dixeritis*: ita ut nec licitum ſit, honoris cauſa, excommunicato aſſurgere, vel caput detegere, *Suar. diſ. 15. de cenſur. ſect. 1. n. 2. Laym. cit. c. 2. n. 16.* & patet ex juribus cit. apud *Suar. cit. l. n. 2. Per orare* intelligitur omnis communicatio in Orationibus, & publicis officiis Eccleſiæ, in quibus non licet participare cum excommunicato, orando cum illo, aut audiendo Sacrum, *Tann. cit. diſ. 6. quæſt. 10. dub. num. 31.* de quo ſupra, *Vale* comprehendit omnis generis valedictiones, imo & honorificas ſalutationes, fas tamen eſt reſalutare, eo quod hæc ſit quædam debiti ſolutio *Suar. cit. l. num. 3. Communio* prohibet omnem ſocietatem, videlicet contrahere, vel aliud negotium gerere, ita ut neque cum illo ambulare, laborare, aut quodvis opus facere liceat, *Suar. cit. l. num. 5.* Denique per *menſam* prohibetur convictus, & cohabitatio in eadem menſa, lecto, cubiculo, quæ quidem non de communicatione mere materiali accipienda ſunt, quæ non eſt prohibita cum excommunicatis, ſed in æſtimatione morali, ſi unus cum altero converſetur: ſecus, ſi caſu, & præter intentionem, in eandem domum, cubiculum, menſam, vel etiam lectum incidunt, *Suar. cit. l. num. 6.* Porro quænam cauſæ excuſent, ut licita ſit communicatio cum excommunicato, infra dicetur.

XXII. Octavus effectus eſt, quod excommunicatus ſit inhabilis ad quodvis Eccleſiaſticum Officium obtinendum, ita ut electio illius, vel confirmatio, item præſentatio, & inſtitutio ſit ipſo jure irrita, ut colligitur ex *c. Poſtulaſtis 7. & c. ult. de Cleric. excomm.* de quo dictum ſupra *eod. tit. §. 3.* ubi ex inſtituto de hoc agitur.

Nonus effectus excommunicationis eſt, quod per eam privetur excommunicatus Eccleſiaſtica ſepultura, ita ut neque in loco ſacro, aut benedicto, & deſtinato ad ſepulturam fidelium, licite poſſit ſepeliri, neque a Clero ſolemniter ad ſepulturam deduci, neque exequialia ſacra pro eo fieri, quia quibus non communicamus vivis, neque mortuis communicare poſſumus *c. Sacris 12. de ſepult.* de quo dictum ſupra *Lib. 3. Tit. 28. n. 66. & plur. ſeqq.* Id vero poſt Concil. Conſtant. intelligi debet de ſolis excommunicatis non toleratis, ſeu vitandis juxta Conſtit. *Extra Ad evitanda.*

XXIII. Q. 1. Quis ſit effectus minoris excommunicationis? ℟. effectus proximus, per ſe, ac directus eſt unicus, nempe quia directe ſolum privat participatione, ſive ſuſceptione Sacramentorum, ut patet ex *cap. 2. de except. & in c. ult. de Cleric. excom. & c. pen. h. t.* ac proinde ſi ita excommunicatus Sacramenta ſuſcipiat, ſine juſta neceſſitate, peccat mortaliter, quia materia hujus prohibitionis eſt gravis: imo Sacramentum Pœnitentiæ nec valide ſuſcipit, ob defectum contritionis, licet ob id nullam irregularitatem incurrat, *cit. c. ult. de Cler. excom. Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 3. n. 4. Tann. cit. diſ. 6. q. 10. dub. 1. n. 24.* de quo dictum ſupra *cit. tit. §. 7.*

Alius effectus minoris excommunicationis eſt, qui indirecte eam conſequitur, quod ea ligatus ad beneficium Eccleſiaſticum eligi non poſſit, ejuſque electio, quidem, ipſo facto, irrita, ſed irritanda eſt, ſaltem ſi ſcienter electus, ſive ſe eligi paſſus eſt, *cit. c. ult.* quia beneficium Eccleſiaſticum remote eſt inſtitutum ad ſuſcipiendos Ordines, vel Miſſam celebrandam, adeoque etiam aliquo modo, & ſaltem remote, ad ſuſcipienda Sacramenta, quorum tamen ſuſceptio minore excommunicatione ligato eſt prohibita. Idemque eſt de præſentatione, & collatione beneficii, ita ut ſit peccatum mortale minore excommunicatione ligatum eligere, vel præſentare ad beneficium, cum ſit materia gravis, *Laym. cit. c. 3. num. 5.*

SECTIO II.

De Cauſis Excommunicationis.

§. I.

Quinam poſſint excommunicare vel excommunicari.

XXIV. Aſſertio 1. Omnes & ſoli illi habent poteſtatem excommunicandi (idemque eſt de aliis cenſuris) Jure communi, & ordinario, qui juriſdictionem Eccleſiaſticam in foro externo habent, prout ſumitur ex *c. Cum ab Eccleſiar. 3. de Offic. Jud. Ord.* videlicet Papa, & Generale Concilium in Eccleſiam univerſam: Epiſcopi omnes electi, & confirmati, etiamſi non ſint conſecrati, & Concilia Provincialia in ſuas Diœceſes, Capitulum Cathedrale, Sede vacante. Archiepiſcopi vero non poſſunt excommunicare ſubditos Suffraganeorum, niſi in cauſa appellationis, & tempore viſitationis. Item hanc poteſtatem habent Generales, & Provinciales in Religionibus exemptis, imo etiam Abbates, Prælati, ac Rectores ſinguli in Religioſos ſibi ſubjectos, *Tanner. tom. 4. diſ. 6. q. 10. dub. n. 40.* & dictum ſupra *lib. 2. tit. 31. ſect. 4. §. 1. & 2.* Denique ex conſuetudine poſſunt etiam excommunicare ſubditos ſuos Archidiaconi, Archipreſbyteri, & Diaconi, de quo tamen cujuſque Eccleſiæ conſuetudo eſt conſulenda, *Tann. cit. l. n. 42.* Non autem Parochi, ut dictum alibi ſuo loco. Verum ex commiſſione excommunicare poſſunt Legati, & Nuncii Apoſtolici, & quibus ea poteſtas committitur, *Tanner. cit. l. n. 41.*

XXV. Aſſertio 2. Excommunicare non poſſunt primo laici, ſive poteſtate ordinaria, ſive delegata, *cap. 2. de Judic.* niſi ex plenitudine poteſtatis Papalis. Secundo, nec Clerici conjugati, dum in conjugio vivunt, nec fœminæ, etiam Abbatiſſæ, aut Moniales, *c. Nova 10. de pœnit. & remiſſ.* & expreſſius habetur *cap. Dilecta 12. de majoritat. & obed.* ubi dicitur: Abbatiſſa Moniales, & Clericos juriſdictioni ſuæ ſubjectos excommunicare non poſſit, ſed Prælatus Ordinis, vel Epiſcopus. Eſt autem probabilius, quod mulier Jure Divino non ſit incapax poteſtatis excommunicandi, vel alias cenſuras ferendi, adeoque ex commiſſione S. Pontificis poſſe excommunicare, quia licet mulier Jure Divino ſit incapax Clavium Ordinis: non eſt tamen incapax Clavium juriſdictionis ſpiritualis, ſaltem ex commiſſione Papæ, &

quoad

Digitized by Google

quoad exercitium. Sed Jure humano, ſive Eccleſiaſtico, in quo Papa diſpenſare poteſt, ſicut & mere laicus, hoc jure, capax eſt ſpiritualis juriſdictionis exercendæ, *Laym. l. 2. tr. 3. p. 1. c. 3. & 4c.* ubi tamen addit, quod ea poteſtas excommunicandi, nunquam a Chriſto, vel Eccleſia commiſſa fuerit ulli mulieri, cum id neque expediens, neque decens ſit; idque ſolum probari ex *cit. cap. Nova*, non autem id Juri Divino abſolute repugnare.

XXVI. Aſſertio 3. Excommunicari poſſunt omnes & ſoli homines viventes, baptizati, rationis, & doli capaces, qui in Eccleſia Superiorem habent, ut ex communi docet *S. Thom. p. 3. in ſuppl. q. 22. art. 3. & 4.* Et imprimis quidem ſoli viventes, ſeu viatores in terra degentes excommunicari poſſunt, quia mortui cum non ſubſint amplius juriſdictioni Eccleſiæ, proprie & licite ab ea ligari, & ſolvi non poſſunt, ut colligitur ex illis verbis Chriſti. *Matt. 16. Quodcunque ligaveris ſuper terram: ſuper terram*, inquit, non *ſub terra*, *Grat. in c. Quod aut. in princ. cauſ. 24. q. 2.* Quare mortui non niſi improprie, & indirecte dicuntur excommunicari, vel quia prohibetur vivis, ne cum iis communicent, eos in loco ſacro ſepeliendo, vel pro iis publica ſuffragia, & ſacrificia offerant; vel quia tunc publice declaratur, illos, dum adhuc viverent, cenſuram excommunicationis incurriſſe, & in illa mortuos fuiſſe, v. g. in hæreſi, *Laym. cit. p. 1. c. 4. n. 1. in fine* Secundo non poſſunt excommunicari non baptizati, ut Turcæ, aliique infideles, quia non ſunt ſubjecti juriſdictioni ſpirituali Eccleſiæ, ſecus eſt de hæreticis, & Apoſtatis, qui ſemper, manent ſubjecti Eccleſiæ, *Laym. cit. l. n. 1. Tan. cit. dub. 3. n. 43.* Tertio non poſſunt excommunicari carentes ratione, ut infans, furioſus, quia hujuſmodi perſonæ nequeunt præceptis, ac legibus obligari, nec poſſunt eſſe contumaces contra Eccleſiam *Laym. c. l. n. 3.* Quarto nemo poteſt excommunicare ſeipſum, nec Superiorem in quem imperium ſeu juriſdictionem non habet, aut, alium ſibi non ſubditum, ut Epiſcopus Religioſum exemptum, *Laym. & Tann. c. loc.* Et hinc Papa a nemine poteſt excommunicari: ſi autem incidat in hæreſim manifeſtam, hoc ipſo, deſinit eſſe Papa, & incidit in excommunicationem juris latam in hæreticos, *Tanner cit. loc.*

XXVII. Quarto non poteſt excommunicari tota ſimul & collective Civitas, Collegium, aut Capitulum, vel alia Univerſitas, ne forte innocentes, ſimul cum nocentibus, tam gravi pœna involvantur, juxta *c. 1. cauſ. 24. q. 3.* quamvis ſinguli, adeoque omnes diſtributive, qui ſunt de Communitate, excommunicari poſſint, juxta *c. Rom. 5. §. ult. h. t. in 6.* ubi prohibetur, ne in Univerſitatem, aut Collegium ſenten„tia excommunicationis proferatur, ut animarum periculum vitetur, quod exinde ſequi poſſet cum nonnunquam contingeret, innoxios hujuſmodi ſententia irretiri: ſed in illos duntaxat de Collegio, vel Univerſitate, quos culpabiles eſſe conſtiterit, promulgetur.” Unde ſi exploratum ſit, omnes, & ſingulas perſonas alicujus Collegii aut Univerſitatis eſſe reas aut participes alicujus delicti, & in eo contumaciter perſiſtere, omnes ſive totum Collegium aut Univerſitas excommunicari poterit, *Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 1. nu. 6. Tann. cit. dub. 3. n. 43.* & alii communiter.

XXVIII. Sed jam hic quæritur, an Excommunicatio, vel alia Cenſura lata per ſententiam generalem, ab Epiſcopo, vel alio Prælato Papa inferiore, liget non tantum ſubditos, ſed etiam extraneos, ſeu peregrinos? Reſp. Excommunicatio generaliter lata v. g. *ſi quis furtum commiſerit, ſit excommunicatus*, ligat ſolum ſubditos excommunicantis, non autem peregrinos, ſeu extraneos, niſi major auctoritas, ſeu poteſtas ei delegata fuerit, prout ex *c. A nobis. 21. hoc. tit.* „Nam cum quæſitum fuiſſet ex Clemente III. utrum ſi Epiſcopus protulit ſententiam excommunicationis ſub hac forma: *Quiſquis furtum fecerit excommunicatus ſit*: hæc generalis ſententia ad ipſius Excommunicatoris ſubditos referatur tantum: an vero ad omnes etiam non ſubditos juriſdictioni ipſius? Reſpondet Pontifex, quod hæc ſententia nonniſi ſubditos obliget: niſi forte delegans (videlicet Papa) majorem & largiorem auctoritatem, ſeu poteſtatem contulerit Epiſcopo excommunicaturi.” Ratio deciſionis hujus cap. eſt, quia Epiſcopus, extra Diœceſim ſuam, nullam habet juriſdictionem, unde ſententia excommunicationis ab illo generaliter lata non extenditur ultra terminos ſuæ juriſdictionis, nam extra territorium jus dicenti impune non paretur, *l. ult. ff. de juriſd.* Unde neque extenditur talis excommunicatio ad ſubditos extra Diœceſim ſuam, furtum committentes, *Gl. hic. V. Nonniſi ſubditum, junct. Gl. marg. lit. B.*

XXIX. Ubi præterea notandum primo, extraneus, ſeu peregrinus non ligatur excommunicatione, vel alia cenſura, ſive per ſententiam generalem, ſive per ſtatutum lata ſit ab Epiſcopo loci: ſupponit enim in ferente poteſtatem juriſdictionis, hæc autem extendit ſe tantum ad ſubditos, ut hic dicitur: atqui non minus ſtatutum, quam ſententia generali ſupponit poteſtatem juriſdictionis in ferente, a qua proficiſcitur, ergo tantum extenditur ad ſubditos; non item ad extraneos, ſive non ſubditos. Neque dicas, extraneos delinquentes contra ſtatutum proprium alicujus Diœceſis, fieri ſubditos, ratione delicti, ideoque excommunicationem, vel aliam cenſuram ibi latam incurrere poſſe, Nam reſpondetur, quamvis, is, qui v. g. furtum commiſit, in aliena Diœceſi, ſub excommunicatione prohibitum, peccet contra Jus commune, & naturæ: non tamen peccat contra illam legem, ut eſt particularis, & propria illius loci, ideoque non poteſt dici contumax contra tale ſtatutum particulare, cenſuram in ſe continens, cum non ſit ſubjectus tali legi, & poteſtates talis legislatoris: prius enim debet aliquis eſſe ſubjectus alicui ſtatuenti aliquid, quam ut obligetur ſtatuto illius, & contra illud peccet. Quia tamen talis peregrinus, ſeu extraneus, furando in illo loco, deliquit contra Jus commune, & naturæ, & ſic ſubditus factus eſt Epiſcopi loci, ratione delicti, juxta *c. ult. de foro compet.* Ideo poteſt, quamdiu in illius Diœceſi exiſtit, legitime citari ab Epiſcopo loci, ubi deliquit, & compelli ad ſatisfaciendum parti læſæ, & ſi contumax ſit, etiam excommunicari, *Laym. cit. c. 4. n. 5. Barb. in cit. c. A nobis n. 4.* & alii apud ipſum.

Notandum ſecundo, ratio vera, cur Epiſcopus, aut alius Ordinarius loci ſententiam excommunicationis, vel alterius cenſuræ, extra ſuum territorium aut Diœceſim ferre non poſſit, etiam in proprios ſubditos, quamvis hi alias ipſius juriſdictioni ſubjecti maneat, ea ſola eſt, ne alienum territorium invadere, & violare videatur, quia cenſuræ judicialem cauſæ cognitionem poſtulant. Unde non prohibetur Epiſcopus ſuis ſubditis, etiam in alieno territorio, aliquid præcipere ſub pœna excommunicationis, ipſo facto, & ſine alia ſententia incurrendæ: vel etiam particularem ſententiam in eos ferendo, ob delictum notorium, quod nullam probationem, vel cauſæ cognitionem requirit: vel Epiſcopus alterius Diœceſis facultatem det in ea proceſſum judicarium inſtituendi, *Laym. cit. loc. n. ult.*

§. II.

Ob cauſam Excommunicatio, vel alia Cenſura fieri poſſit.

XXX. Aſſertio I. Ob ſolum peccatum mortale infligi poteſt excommunicatio major, vel alia cenſura Eccleſiaſtica, prout ſumitur ex Concilio Trident. *Seſſ. 25. c. 3. de reform.* Idque quoad excommunicationem eſt communis fere DD. ſententia. Ratio eſt quia pœna ut ſit juſta, debet commenſurari culpæ ſive eam non excedere, *cap. Ne filius. de pœnit. in 6.* Excommunicatio autem major eſt graviſſima pœna, ergo gravem, ſeu mortalem culpam requirit; quamvis etiam aliæ cenſuræ, quia magnis commodis ſpiritualibus privant, ſint graves pœnæ, ideoque gravem culpam ſupponunt *Suar. diſ. 4. de cenſ. ſec. 4. n. 2. Laym. l. 1. tr. 3. p. 1. c. 5. n. 1. Avila tr. de cenſur. p. 2. c. 5. diſ. 1. dub. 2. concl. 1. & 2.* Porro non ob quodvis peccatum mortale ferri poteſt excommunicatio, ſed requiritur, ut ſimul ſit peccatum inobedientiæ, ſive contumaciæ, ut colligitur ex *c. Quiſquis. 19. cauſ. 2. q. 6.* Non quidem neceſſario ſpecialis inobedientiæ, quod cum formali contemptu præcepti ſit conjunctum, alioquin qui opus ſub excommunicatione prohibitum exercet, duplex peccatum committeret: ſed ſufficit inobedientia generalis, & contemptus interpretativus, quo reus ſciens & prudens tranſgrediatur præceptum Eccleſiæ, & ſic aliquo modo ſpernat ejus præceptum, vel admonitionem juxta illud *Matt. 18. Si Eccl. non audierit &c.* id eſt, ſi non obedierit, ut colligitur ex *c. Ex parte. 23. de V. S.* ubi dicitur, cauſam ferendæ excommunicationis vel interdicti eſſe contumaciam, *Laym. cit. c. 5. nu. 4. in fine, Avila c. l. n. 6.* Neque tamen neceſſarium eſt, ut ea contumacia ex contemptu procedat: poteſt enim quis legitime monitus v. g. de concubina dimittenda excommunicari, etiamſi non ex contemptu præcepti, ſed potius libidinis cauſa ſcortum non dimittat, & non pareat, *Covarr. in c. Alma. p. 1. §. 9. n. 3. §. Eſt tamen, Tann. c. dub. 3. n. 44.* Nec denique etiam neceſſarium eſt, ut peccatum illud propter quod incurritur excommunicatio, ſemper ſit ex natura ſua mortale, etiam ſecluſa ſpeciali prohibitione legis, vel Judici excommunicantis, ut patet in excommunicatione contra ingredientes Monaſteria Monialium: ſed quia nemo excommunicationem incurrit, ſive ab homine generaliter latam, niſi ſcienter transgrediendo legem, vel Judicis præceptum mortaliter peccaverit, *Covar. cit. loc. n. 1. Tann. cit. loc. n. 4.*

XXXI. Aſſertio 2. Excommunicatio, vel alia cenſura Eccleſiaſtica non poteſt ferri ob peccatum mere internum, aut omnino occultum, quod nullo modo in actum externum prodiit, ſed ſolum mente cogitatum fuit, quia Eccleſia non judicat de occultis, *c. Sicut. 33. in fine de ſimon.* niſi indirecte, quatenus actus internus conjunctus eſt cum externo, *Suar. diſ. 4. de cenſur. ſec. 2. n. 1.* Poteſt tamen excommunicatio incurri, propter actum externum occultum per accidens, quia clam, & ſine teſte factus eſt, ita ut probari non poſſit, ut docet *Suar. diſ. 31. de cenſ. ſec. 1. n. 68.* Non quidem per ſententiam hominis, ſeu Judicis, quæ requirit ſufficientes probationes, ſed per ipſam legem, quia hæc occulta non ſunt extra forum Eccleſiæ, quin pœna excommunicationis incurri poſſit, ad quod ſufficit teſtimonium conſcientiæ ipſius delinquentis. Et quod incurri poſſit excommunicatio propter actus externos, per accidens ſolum occultos, ait *Tanner. c. l.* eſſe extra controverſiam.

XXXII. Aſſertio 3. Excommunicatio, vel alia cenſura proprie dicta nunquam infligi debet, ob peccatum mere præteritum, ut ob Sacrum neglectum, die feſto, vel non ſervatum jejunium: ſed neceſſe præterea eſt, ut reus, poſt monitionem aut præceptum, etiam peccet, aut peccare præſumat, quia alias contumax dici non poſſet, *Laym. cit. c. 5. n. 5.* & alii communiter. Idque patet ex *cit. c. Ex parte de V. S. Ad intelligend.* Ubi duæ tantum cauſæ excommunicationis, vel interdicti afferuntur, vel quia citatus ſtare noluit juri, ſive ceſſare a peccato; vel quia juſſus noluit ſatisfacere pro peccato commiſſo. Confirmatur ex *c. 1. h. t. in 6.* Ubi habetur, quod excommunicatio non ſit pura pœna, ſive vindicta, ſed ſimul medicina, adeoque fertur ad emendandum, & avertendum hominem a peccato in futurum. Et hoc procedit, ſi cenſura feratur a Jure, vel per ſententiam generalem, ipſo facto, incurrenda, ſine alia Judicis condemnatione: ea non poteſt pro culpis mere præteritis aut emendatis ferri: ſed in hunc modum ferri debet: *Qui tale crimen commiſerit, vel qui pro tale crimine commiſſo, intra menſem non ſatisfecerit, ſit excommunicatus*, *Laym. cit. loc.*

XXXIII. Aſſertio 4. Ad incurrendam excommunicationem, vel aliam cenſuram non ſufficit quivis actus externus, ſed requiritur actus conſummatus, ſive peccatum in ſuo genere completum, ita ut effectus lege, & præcepto prohibitus re ipſa conſequatur, v. g. ſi excommunicetur homicida, non incur-

Digitized by Google

incurrit cenſuram, qui ſolum percuſſit, vel vulneravit, ſi vulnerans, non incurrit, qui percuſſit, hoc vulnere: ſi percutiens Clericum, non incurrit, qui conatus fuit percutere, ſed erravit, vel impeditus fuit; quia qui non eſt perfecta, & effectiva cauſa illius actus, propter quem decreta eſt excommunicatio, non incurrit ipſam, ut ex communi docet *Tann. cit. q. 10. dub. 3. n. 55. reg. 5.* Unde excommunicationem latam, propter factum aliquod, ordinarie non incurrunt conſentientes, conſulentes, vel etiam mandantes, ſicut nec faventes, vel auxiliantes ſaltem, priuſquam crimen reipſa ſit perpetratum, quia materia odioſa aut pœnalis reſtringenda eſt ad proprium verborum ſenſum, qui non eſt niſi de actu conſummato, præterquam ſi in jure, vel conſuetudine aliud exprimatur, vel ex verbis legis aliud colligatur, nempe quod excommunicentur Cooperatores, etiamſi factum principale non ſequatur, *Tann. c. l. num. 57. reg. 7.*

§. III.

An excommunicationem neceſſario debeat præcedere admonitio Canonica, & quomodo alias ferri debeat excommunicatio.

XXXIV. Aſſertio I. Nulla excommunicatio ab homine, ſeu Judice lata, propter peccatum præteritum, vel præſens, in quo reus contumaciter perſiſtit, infligi debet, niſi aliqua præceſſerit admonitio, ut colligitur ex *Epiſt. ad Titum cap. 3. Hæreticum hominem, poſt unam aut alteram correctionem, devita,* & traditur aperte in *c. Sacro 48. h. t. in princ.* Ubi prohibetur,
„ ne quis in aliquem ſententiam excommunicationis pro-
„ mulgare præſumat, niſi competente admonitione (*c. Con-*
„ *tingit 45. h. t. Gl. hic V. Competente*) præmiſſa, & præſentibus
„ perſonis idoneis, per quas poſſit probari monitio, ſi ne-
„ ceſſe fuerit: quod ſi contra præſumpſerit, etiamſi juſta
„ fuerit excommunicationis ſententia, ingreſſus Eccleſiæ
„ eſt ipſi per menſem interdictus, alia etiam pœna mul-
„ ctandus, ſi ita viſum fuerit expedire. Ratio eſt, quia excommunicatio, vel alia cenſura non fertur, niſi in contumaces contra Eccleſiam, tales autem non ſunt, niſi qui præmiſſa admonitione, & commінatione cenſuræ recuſant obedire, *Laym. cit. c. 5. n. 4.*

XXXV. Ubi notandum primo, ſicut in aliis ſententiis requiritur, ut præcedat citatio ad audiendam ſententiam, *c. Conſuluit 24. de offic. Jud. deleg. & l. De unoquoque 47. ff. de re judic.* ita & in ſententia excommunicationis requiritur, ut præcedat admonitio, ut reus ſe corrigat, *Abb. in citat. c. Sacro not. 1. n. 2.*

Notandum ſecundo, excommunicatio lata ab homine, ſeu Judice pro culpis præteritis, non debet ferri, niſi præcedentibus trinis monitionibus, cum ſuis intervallis, *cit. c. Sacro in princip. & in cap. Romana 5. §. Sed nec eod. in 6.* de aliis vero cenſuris habetur in *c. Reprehenſibil. 26. de appell. Suar. diſ. 3. de cenſ. ſect. 8. n. 2. Covarr. in c. Alma p. 1. §. 9. n. 4.* Monitiones autem debent eſſe tres, & continere ſaltem duorum, vel trium dierum intervallum, juxta Judicis arbitrium, vel unicam monitionem, quæ tres complectatur, iiſque æquivaleat *Gl. in cit. c. Sacro V. Compet. Covarr. cit. §. 9. nu. 5.* & patet etiam ex *c. Statutum 3. & c. Conſtitutionem 9. h. t. in 6.*

Porro hæ tres monitiones, etſi requirantur ex juris præcepto, ut juſte feratur excommunicatio, non tamen requiruntur ad valorem, quia etiam ſine illis tenet. Ut colligitur ex *cit. c. Sacro*, ubi excommunicatio lata, ſine præmiſſa trina admonitione dicitur injuſta, non tamen nulla, *Suar. diſ. 3. de cenſ. ſect. 12. n. 1. c. Roman. 5. §. Sed nec.* Ubi tales ſententiæ injuſtæ dicuntur, non tamen nullæ, *Covarr. in c. Alma p. 1. §. 9. n. 5. & 7.* At vero una ſaltem monitio ad valorem excommunicationis requiritur, quia omnis cenſura neceſſario requirit contumaciam, quæ non poteſt aliter apparere, quam ſi reus monitus ab Eccleſia eam non audiat, *Suar. c. l. n. 3. Barb. in Collect. in cit. c. Sacro num. 5.* Sunt tamen plures caſus, in quibus excommunicari quis poteſt, abſque præmiſſa monitione, quos recenſet *Barb. in cit. c. Sacro n. 6.*

Notandum tertio, hujuſmodi monitio Canonica debet fieri, quoad poteſt, perſonaliter ipſi reo, niſi is malitioſe latitet: tunc enim ſatis eſt, ſi citatio, cum commінatione, fiat ad ejus domum, vel ad Eccleſiæ valvas, vel ad alium locum publicum, unde facile poteſt ad illius notitiam deferri. Si autem per contumaciam non compareat, etiam abſens excommunicari poteſt, *Covarr. cit. §. 9. n. 4. Suar. cit. diſ. 3. ſect. 11. n. 4. & Laym. cit. c. 5. n. 4. in fine.*

Notandum quarto, Judex ſi præſumat ſententiam excommunicationis in aliquem promulgare, abſque competenti admonitione præmiſſa, incurrit interdictum, quo per unum menſem arcetur ab ingreſſu Eccleſiæ, & aliter inſuper puniri poteſt *cit. cap. Sacro poſt princ.* niſi Judex ſit Epiſcopus, juxta *c. Epiſcopo 4. h. t. in 6. de quo infra.* Is autem, cui interdicitur ingreſſus Eccleſiæ, non perdit poteſtatem exercendi juriſdictionem, *arg. cap. ult. de Cler. excommun. Abb. hic num. 10.* Hæc autem pœna ingreſſus ipſo jure infligitur & menſe elapſo ipſo jure relaxatur *Hoſt. hic V. Per menſem.*

XXXVI. Aſſertio 2. Ad incurrendam excommunicationem, vel aliam cenſuram latam, non ab homine, ſed a Jure, ſeu Canone, pro culpa futura, ipſo facto, incurrendam, v. gr. *Quicunque hoc fecerit, ipſo facto excommunicatus, ſuſpenſus &c. eſto*, non eſt neceſſaria ulla alia admonitio, ut conſtat ex *cit. c. Reprehenſibilis junct. Gl. V. Ipſo ſuo genere*, id eſt, ipſo facto, *de appell. Suarez. diſ. 3. de cenſur. ſect. 8. num. 3. Covarr. in cap. Alma p. 1. §. 9. num. 5. Laym. cit. c. 5. num. 5.* Ratio eſt, quia ipſa lex, vel præceptum judicis generale, vel ſpeciale continuo admonet, ut merito cenſeatur inobediens, & contumax, qui parere renuit: & ſane ſi præter legem, vel præceptum, alia monitio requireretur, non poſſet unquam cenſura, excommunicatis, vel alia ipſo facto, incurri, quia ſi poſt legem violatam, vel tranſgreſſionem præcepti, reus reſipiſceret jam eſſet contumax, nec poſſet cenſura puniri, & ſic non ipſo jure, ſeu facto illam contraheret. Imo neque monitio requiritur, ut declaretur, cenſura antea incurſa, ſeu ipſo facto contracta, ſi crimen, cui annexa eſt cenſura, clare conſtet eſſe commiſſum: alioquin ſi crimen non ſit ita notorium, reus antequam declaretur, & denuncietur excommunicatus, vel ſuſpenſus, citari & audiri debet, ut poſſit allegare, ſiquid habeat, ſine qua citatione prævia, declaratio foret nulla, quia contra inauditam partem nihil poteſt in judicio definiri, *c. 5. de cauſ. poſſ. & prop. Suar. cit. diſ. 3. ſect. 10. n. 15. Laym. c. l.*

XXXVII. Aſſertio 3. Si a Jure decreta ſit excommunicatio, ſeu alia cenſura, non latæ, ſed ferendæ ſententiæ, ſive per Judicem infligenda, v. gr. *Qui tale crimen commiſerit, excommunicetur*, non debet ea reo infligi, etiam convicto aut manifeſto, niſi præcedente monitione, & quidem per ſe loquendo, trina, *Suar. cit. diſ. 3 ſect. 10. n. 20. Laym. c. l. n. 5. §. Dubium vero*, contra *Abbat. & Sanch.* Idemque colligitur ex *cit. c. Reprehenſibilis, de appel.* ubi dicitur: *Nec Prælati* (niſi canonica commonitione præmiſſa) *ſuſpenſionis, vel excommunicationis ſententiam proferant in ſubjectos: niſi forte talis ſit culpa, quæ ipſo ſuo genere,* (id eſt ipſo facto, *Gl. ibid*) *ſuſpenſionis, vel excommunicationis ſententiam inducat.* Itaque cum ad omnem cenſuram canonica monitio præmittenda ſit, excepta illa, quæ ipſo facto incurritur, ſequitur, quod in illa, quæ non eſt latæ, ſed ferendæ ſententiæ, monitio Canonica requiratur, quia exceptio firmat regulam in aliis non exceptis. Ratio eſt, quia alias infligeretur ſæpe cenſura ob crimen mere præteritum aut emendatum, ut ſi reus, poſt crimen commiſſum paratus ſit ab eo deſiſtere, & Eccleſiæ ſatisfacere tunc enim excommunicari non poteſt, ſed potius abſolvendus foret, ſi antea cenſuram incurriſſet, *cap. Qua fronte 25. de appell.* Deinde contumacia delinquentis debet eſſe, reſpectu ejus, a quo cenſura infligitur, hæc autem in propoſito, actu non infertur a Jure, ſed ab homine, ergo contra hunc debet eſſe gravis contumacia, ac proinde non ſufficit Legis, ſed requiritur etiam, ut aliqua hominis monitio præcedat, ſaltem ordinarie, & niſi aliud cauſæ gravitas ſeu neceſſitas poſtulet, *Laym. cit. c. 5. num. 6.* Quin imo etiam in notoriis ſententia excommunicationis non eſt ferenda, niſi præmiſſa monitione, ut appareat, an delinquens ſit vere contumax, licet crimen ſit manifeſtum *Covarr. cit. §. 9. num. 4.*

XXXVIII. Porro in *cit. c. Sacro §. Caveat, h. t.* præci-
„ pitur, ut etſi legitima admonitio præceſſerit, Prælatus
„ caveat, ne aliquem abſque manifeſta, & rationabili cau-
„ ſa, (coram ipſo probata, (*Gl. hic*) excommunicet: quod
„ ſi forte taliter proceſſerit, (nempe ſine manifeſta, &
„ rationabili cauſa excommunicando aliquem) & humiliter
„ requiſitus non curaverit, abſque gravamine, revocare
„ proceſſum, gravatus apud Superiorem querelam de in-
„ juſta excommunicatione deponat: & Superior, ſi non eſt
„ periculum in mora, illum remittat, cum ſuo mandato,
„ ad excommunicatorem, intra certum terminum compe-
„ tentem, ab illa abſolvendum, alioquin ipſe Superior ex-
„ communicatum abſolvat per ſe, vel per alium ſufficienti
„ cautione ab illo recepta. Quod ſi vero de injuſta excom-
„ municatione conſtiterit, excommunicator condemnetur
„ ad intereſſe excommunicato, & nihilominus alias, Su-
„ perioris arbitrio, puniatur, pro qualitate culpæ, cum
„ non eſt levis culpa tantam infligere pœnam injuſte (qua
„ nulla major eſt in Eccleſia, *c. Corripiantur 17. cauſ. 24. q. 3. Gl. hic V. Tantam*) inſonti; niſi forſan erraverit ex
„ cauſa probabili (credens excommunicatum eſſe contuma-
„ cem, cum non eſſet, *Gl. hic V. Excuſa*) maxime ſi ſit bonæ
„ opinionis, *cit. c. Sacro §. Cumque adverſus.*

Verum ſi contra excommunicationis ſententiam nihil ra-
„ tionabiliter a conquerente fuerit probatum, & ipſe ſimili
„ modo ad intereſſe; vel alias ſecundum Superioris arbi-
„ trium, condemnetur, niſi probabilis error ipſum excu-
„ ſet; & ſuper eo propter quod juſte fuit excommunicatus,
„ cautione recepta, ſatisfacere compellatur, vel in priſti-
„ nam ſententiam excommunicationis reducatur, donec con-
„ digne ſatisfecerit *cit. c. Sacro §. Verum.*

Denique ſi Judex, ſeu excommunicator ſuum recognoſcens
„ errorem, paratus ſit ſententiam revocare, & ille, pro
„ quo lata fuit, ne abſque ſatisfactione illam revocet, ap-
„ pellet, non eſt audiendus, nec tali appellationi deferen-
„ dum: niſi talis ſit error, de quo merito poſſit dubitari,
„ & tunc recepta ſufficienti cautione, quod coram Judice
„ appellationis, vel ejus delegato, juri parebit, excommu-
„ nicatum abſolvat. & ſic pœnam præſcriptam evitabit:
„ caveat tamen, ne malitioſe mentiatur in præjudicium
„ alterius, ſi pœnam Canonicam voluerit effugere, *cit. c.*
„ *Sacro §. fin.*

XXXIX. Notandum primo, tria requiri, ut excommunicatio juſte feratur. Primo, ut præcedat monitio, quæ tamen fieri poteſt, ſine ſcriptura. Secundo, ut feratur ex cauſa ſoli Prælato nota, injuſta eſt excommunicatio, & excommunicator condemnetur ad intereſſe, & damna excommunicato, *Gl. in cit. c. Sacro in notat. Abb. not. 3. n. 4.*

Notandum ſecundo, ſicut Judex poteſt revocare ſententiam interlocutoriam a ſe male latam; ita etiam excommunicator poteſt revocare excommunicationem a ſe injuſte latam, non obſtante contradictione partis adverſæ, ideoque quoad hoc, excommunicatio magis accedit ad naturam ſententiæ interlocutoriæ, quam definitivæ, hanc enim Judex revocare non poteſt, *Abb. hic not. 4. n. 5.*

Notandum tertio, non ſolum per viam appellationis, ſed etiam per modum ſimplicis querelæ, poteſt quis cauſam injuſtæ excommunicationis deferre ad Superiorem, *Abb. hic in 6.* Et debet excommunicator revocare injuſtam excommunicationem, ſine gravamine, quia nullas expenſas debet excommunicatus injuſte ferre, nec aliud onus ipſi imponi, *Gl. hic V. Abſque gravamine.*

No-

Google

Notandum quarto, Excommunicatus debet remitti ad excommunicatorem, ſi dubitetur, juſtene ſit excommunicatus, an injuſte; ſi autem conſtet de injuſtitia, ipſe Superior illum abſolvere debet, per ſe, vel per alium, *Abb. hic num.* 11. de quo infra.

Notandum quinto propter appellationem non debet quis manere excommunicatus, ſed Judex, a quo appellatur, ea non obſtante, illum abſolvet, propter periculum moræ, ne in excommunicatione decedat, & cauſam ad Superiorem, ad quem fuit appellatum, tranſmittat, cautione recepta, quod juri parebit coram illo, *Gloſſ. hic in notat. & V. Abſolvat.*

§. IV.

Quibus caſibus cenſura excommunicationis, vel alia ſit injuſta, & quibus etiam invalida?

XL. Aſſertio 1. Cenſura excommunicationis, vel alia interdum eſt ſolum illicita, & injuſta, quia injuſte fertur, ſed ita valida ex, & obligat, ut ſi Judex excommunicationem, vel aliam cenſuram ferat, ex odio, vel alia ſiniſtra intentione, vel ſi non ſervetur forma, ſeu ordo judicii accidentalis, ſive ſolemnitas quædam extrinſeca ad ſubſtantiam cenſuræ non pertinens, qualia eſt trina admonitio prævia, ſcriptura, vel expreſſio cauſæ &c. de quo ſupra, *Avila tr. de cenſur. p. 2. c. 6. diſ. 1. dub. 2. concl. 1. Laym. lib. 1. tr. 5. p. 1. c. 6. num. 1.*

Excommunicatio vero, vel alia cenſura, non tantum injuſta, ſed etiam invalida, ita ut nullum poſſit producere effectum, oritur ex triplici capite, primo ob defectum Juriſdictionis in ferente, ſi is vel ſimpliciter careat juriadictione, vel habeat impeditam per cenſuram excommunicationis, ſuſpenſionis &c. vel ſuſpenſam per legitimam appellationem, quæ ante ſententiam definitivam a Judice latam interpoſita fuit, *c. 1. r. Præterea. 46. de appell. c. Solet. 3. h. t. in 6.* Secus eſt, ſi appellatio fiat, poſt latam ſententiam cenſuræ in aliquem, cujus effectus per appellationem ſequentem, non ſuſpenditur, *c. Is cui* 20. *h. t. in 6. Laym. c. l. n. 2.* Secundo, redditur cenſura excommunicationis, vel alia nulla, & invalida, ob defectum ſubſtantialis Ordinis judicii, ut ſi nulla omnino, ne unica quidem præmittatur admonitio, ſi omittatur citatio rei, iſque ad ſui defenſionem non admittatur: ſi legitima probatio cauſæ, ob quam cenſura fertur, deſit, *Suar. diſ. 4. de cenſur. ſec. 7. n. 2.* Tertio, ob defectum juſtæ cauſæ, ſi nimirum ob nullam, vel levem, & non commenſuratam culpam, excommunicatio, vel alia cenſura feratur.

Porro tripliciter poteſt juſtitia cauſæ deficere, ut notat *Laym. cit. c. 6. n. 2.* Primo, ſi crimen quidem, propter quod fertur cenſura, a parte rei commiſſum ſit, ſed de eo reus nec legitime convictus, nec confeſſus ſit, adeoque cauſa ſubſiſtit ſecundum ſe, ſed non in ordine ad judicium publicum: tunc enim ſententia cenſuræ lata nulla eſt, etiamſi crimen occultum Judici privatim ſit cognitum, quia is velut perſona publica, ſecundum publicam, non privatam notitiam judicare debet. Secundo, ſi a parte rei nullum crimen ſit commiſſum, adſit tamen legitima probatio, & non quidem vera, ſed præſumpta cauſa ferendi cenſuram, adeoque reus reipſa ſit innocens, qui tamen juridice probatus ſit nocens, de quo mox plura. Tertio, ſi nec re ipſa, nec ſecundum allegata, & probata, & præſumptionem fori externi, cauſa ſeu crimen ſubſit, ut ſi ab Epiſcopo excommunicentur, qui tempore Paſchali confitentur, extra Parochiam, Religioſis privilegiatis: & cenſura ita lata abſque dubio invalida eſt, quia continet errorem intolerabilem, ut dicitur in *c. Venerabilibus. 7. §. Poteſt, h. in 6.*

XLI. Aſſertio 2. Excommunicatio, vel alia cenſura, juſta quidem ſecundum allegata, & probata, ſed a parte rei injuſta, valida eſt, & obligat in foro externo, ideoque etiam in eodem foro abſolutio ab ea procuranda eſt: non tamen eſt valida, neque obligat in foro interno conſcientiæ, ac proinde per talem cenſuram innocens, qui ſecundum legitimas probationes, in judicio publico habetur nocens, reipſa & in foro conſcientiæ non privatur communibus Eccleſiæ ſuffragiis, & orationibus, neque jure agendi, & exercendi ea, quæ per cenſuram prohibentur, ſive occulte, ſive coram iis, qui vel norunt ejus innocentiam, vel ignorant cenſuræ ſententiam: neque divina officia occulte celebrando peccat, neque ideo cenſuras ullas aut pœnas incurrit. Debet tamen talis, in facie Eccleſiæ, ſaltem coram iis, qui ſententiam latam eſſe norunt, vel innocentiam ejus ignorant, ſe gerere ut excommunicatum, vel ſuſpenſum, adeoque abſtinere ab omnibus, quæ per hujuſmodi cenſuram prohibentur, donec vel ea abſolutus ſit, vel innocentia ipſius, & error cenſuræ publice innoteſcat: quo ſenſu interpretandum eſt illud D. Gregorii, *ſententia Paſtoris, ſive juſta, ſive injuſta fuerit, timenda eſt*, ut refertur in *c. 1. cauſ. 11. q. 3. Navarr. in man. Prat. c. 27. num. 3. Covarr. in cap. Alma p. 1. §. 7. n. 5. Suar. diſ. 4. ſec. 7. num. 11. & ſeqq. Laym. cit. c. 6. num. 5 Tanner. cit. diſ. 6. q. 8. dub. 2. num. 22.* & alii. Ratio eſt, quia talis, coram Deo, non eſt ligatus cenſura, cum, ut dicitur *in c. 1. in princ. de ſent. & re judic. in 6.* æterni Regis tribunal illum reum non habeat, quem injuſte Judex (humanus) condemnat, adeoque Deus nudam veritatem, non falſas præſumptiones fori externi attendit: ergo neque Eccleſia poteſt, aut vult ligare, & ita graviter punire vere innocentem, cum poteſtatem ligandi per cenſuras non acceperit contra innocentes, ſed per ſe tantum contra inobedientes, & contumaces. Et cum talis ſententia cenſuræ reipſa, & ſecundum conſcientiam condemnati, ſit injuſta, & repugnet juſtitiæ; licet in foro externo juſta cenſeatur, non poteſt obligare reipſa, & in foro conſcientiæ: ſed ſolum obligat, & in ordine ad forum publicum ſervanda eſt, quatenus neceſſarium eſt ad vitandum ſcandalum, & apparentem contemptum Eccleſiaſticæ diſciplinæ & poteſtatis publicæ, ne illi reſiſtere videatur, qui ſecundum externas probationes legitime condemnatus eſt: nam cum Judex ex officio teneatur ferre ſententiam, ſecundum publica allegata, & probata, non obſtante privata notitia de innocentia Rei, debet etiam Reus juſtæ ſententiæ ac præcepto Judicis parere, quatenus præciſe neceſſarium eſt ad publicam Judicis auctoritatem tuendam. Si vero publice oſtendatur, & innoteſcat, ſententiam excommunicationis, vel alterius cenſuræ, eſſe invalidam, tunc nec publice illa ſervanda erit, quamvis quidam ſua malitia adhuc ſcandalizentur, *Tanner. cit. q. dub. 3. n. 58.*

Hinc infertur, quod licet talis reipſa innocens, ſed publice excommunicatus, vel ſuſpenſus, Miſſam celebret, vel alias actiones per cenſuram vetitas exerceat, reipſa & in foro conſcientiæ non fiat irregularis, aut inhabilis ad Eccleſiaſtica beneficia, neque invalida foret collatio beneficii in eo ſtatu ipſi facta: nihilominus tamen ſi in judicio hac de re accuſetur, & convincatur, tanquam irregularis a Judice condemnari poteſt, & ſi monitus deſiſtere nolit, de novo vere poterit excommunicari, propter contumaciam, & in foro externo collatio beneficii reſcindi, & irritari poterit, quia in hoc foro legitime excommunicatus, vel alia cenſura ligatus cenſetur, ut tradunt *DD. cit.*

Porro e contrario, quando excommunicatio, vel alia cenſura in foro interno conſcientiæ eſt valida, ſed in foro externo incognita, & occulta, non tenetur ea ligatus ſe ipſum prodere, tenetur tamen ſe gerere ut excommunicatum, vel cenſura ligatum, quantum ſine gravi ſua infamia, & ſcandalo aliorum poteſt, *Tanner. c. l. n.* 59. Si denique dubium ſit, an quis incurrit excommunicationem, vel aliam cenſuram conſultiſſimum eſt petere abſolutionem, ſub conditione, & interim ſe gerere ut cenſura ligatum, quantum ſine ſcandalo, & infamia fieri poteſt. Imo neceſſario abſtinere quis debet ab actionibus per cenſuram prohibitis, ſi inde ſequatur ſcandalum, ut communiter ſequitur, ſi communis ſit rumor aut perſuaſio in populo, cenſuram eſſe contractam. Alias ſecluſo ſcandalo, ſi dubium ſit de jure, an tale peccatum ſit prohibitum ſub pœna excommunicationis, nec in foro externo, nec interno contrahitur excommunicatio, quia odia reſtringenda ſunt, & favores ampliandi, adeoque nulla pœna incurritur, niſi in caſibus jure expreſſis. Si autem ſit dubium facti, tunc in neutro foro ſe quis gerere debet, ut excommunicatum, vel irregularem, niſi in caſibus jure expreſſis, quia favorabiliores Rei habentur, quam actores, *l. 168. ff. de R. J. r. l. num. 60. & 61.*

§. V.

An, & qualis ignorantia, & quis metus excuſet ab excommunicatione, vel alia cenſura.

XLII. Aſſertio 1. Ignorantia facti, quæ reſpectu legis Eccleſiaſticæ præcipientis, vel prohibentis aliquid ſub excommunicatione, vel alia cenſura excuſat a culpa (utique lethali, cum cenſura non feratur, niſi ob talem) excuſat etiam a quavis cenſura v. g. qui percutit Clericum, quem putat eſſe laicum, adeoque invincibiliter ignorat eſſe Clericum, excuſat ab excommunicatione ratione probabilis ignorantiæ facti: *Sanch. l. 9. de matrim. diſ. 32. num. 23. Suar. diſ. 21. de cenſur. ſec. 2. num. 51.* Idque expreſſe habetur in *c. Si vere h. t.* Ubi dicitur: ſi quis manus violentas in Cle„ricum nutrientem comam (quod non licet Clericus, „*c. Clericus 5. de vita & honeſt. Cleric.*) injecerit, non „erit excommunicatus, dummodo ipſum Clericum eſſe i„gnoraverit. Vel ſi hoc dubium fuerit, & propria manu „juraverit, quod eum Clericum eſſe ignoraverit. Si au„tem juramentum præſtare noluerit, ab eo, ſicut ab ex„communicato, convenit abſtinere, donec de mandato Pon„tificis fuerit abſolutus, quia conſtat eum violentas ma„nus in Clericum injeciſſe. Ratio eſt, quia ſicut talis i„gnorantia excuſat a culpa, ita etiam a pœna, ſive tem„porali, ſive ſpirituali, impoſita pro culpa, *Covarr. in c. Alma. p. 1. §. 10. num. 19. Verſic. Undecimo.*

Id vero procedit, ſive ex ignorantia percutiens Clericum dederit operam rei alioquin licitæ, ſive etiam illicitæ. Ut ſi quis volens injuſte percutere Titium laicum, per errorem percutiat Cajum Clericum, non incurrit excommunicationem, quia licet talis percuſſio ſit peccatum injuſtitiæ, non eſt tamen peccatum ſacrilegii, cui annexa eſt excommunicatio, ac proinde talis non peccat contra legem Eccleſiæ prohibentem percuſſionem Clerici: deinde percutiens Clericum, quem neſcit eſſe Clericum, dat operam illicitæ rei, & tamen excommunicationem non incurrit, *cit. c. Si vere h. t. Suar. c. l. & Sanch. num. 54.*

XLIII. Hinc colligitur primo, etiam ignorantia facti concomitans excuſat a cenſura, ut ſi quis Clericum cædens, ignoret quidem Clericum eſſe, paratus tamen ſit eundem cædere, etiamſi ſciret eſſe Clericum, quem laicum eſſe putat, *Sanch. c. l. num. 26. Suar. cit. ſec. 1. nu. 52.* Ratio eſt, quia cenſura Eccleſiaſtica non contrahitur, ob internum pravum affectum operantis, habitualem, vel actualem, quia non eſt cauſa operis externi, ſeu percuſſionis, Eccleſia enim non punit actus mere internos, ſed ob externi operis pravitatem, hæc autem tollitur per ignorantiam, quæ tollit voluntarium, & per conſequens rationem peccati: quamvis enim deſiderium illud percutiendi ſit peccatum, quia tamen actualis percuſſio Clerici, quem percutiens neſcit eſſe Clericum, non procedit ab interno illo deſiderio, ſed ab intentione

percutiendum laicum, ideo illa percuſſio non habet malitiam prohibitam ſub cenſura, ac proinde ob eam non poteſt contrahi excommunicatio.

Colligitur ſecundo, excommunicatio incurritur ab eo, qui volens percutere Petrum Clericum, percutit Paulum ſimiliter Clericum, credens illum eſſe Petrum, tum quia tunc adeſt, & intentio, & opus externum cedens in injuriam ſtatus Clericalis propter cujus reverentiam impoſita fuit excommunicatio: tum quia in hoc caſu percutiens non excuſatur ob ignorantiam, cum habeat intentionem percutiendi Clericum, & reipſa percutiat hunc Clericum, licet putet eſſe alium Clericum, vel ſi volens verberare Titium Clericum, præter intentionem, percutiat alium Clericum aſtantem, *Laym. cit. c. 5. n. 8. Sanch. cit. diſ.* 32. *n.* 27. Secus eſt, ſi volens percutere Titium laicum, percuſſit Cajum Clericum, tunc enim excommunicationem non incurrit, cum non habuerit intentionem percutiendi Clericum: ſicut neque excommunicatus eſt, qui volens verberare Clericum, percuſſit laicum, quem putabat eſſe Clericum illum, quem verberare volebat, quia pravus affectus non punitur his pœnis, non ſubſecuto opere externo, *Sanch. c. l. n.* 58.

Colligitur tertio, percutiens Clericum, quem putat eſſe laicum, quia non geſtat habitum Clericalem, non incurrit excommunicationem, niſi verberans ſciat illum eſſe Clericum, *Menoch. l. 6. de præſumpt. præſump.* 76. *n.* 32. & alii apud *Barboſ. loc. n.* 5.

Colligitur quarto ex *cit. c. Si vero h. t.*, quod juramento ejus, qui ignoravit, ſtetur, ad probandam ignorantiam, quia in iis, quæ pendent a conſcientia alicujus, ſtatur ejuſdem juramento, quando aliter veritas haberi non poteſt, quia ea, quæ latent in animo, per teſtes probari non poſſunt, *Sanch. cit. diſ.* 32. *n.* 5. & alii apud *Barboſ. in Collect. in cit. c. Si vero n. ult.* Ubi addit, quod admittatur tamen probatio in contrarium.

XLIV. Aſſertio 2. Ignorantia inculpabilis, ſeu probabilis Juris Eccleſiaſtici, ſive communis, ſive particularis prohibentis aliquid, ſub comminatione excommunicationis, excuſat ab illa incurrenda, etiamſi quis ſciat id prohibitum eſſe lege naturali aut divina. V. g. Si Titius ſcienter rem ſacram furetur, ignorans tamen ſine culpa, jus & legem, ſive Canonem Eccleſiæ prohibentis furtum rei ſacræ, non videtur incurrere excommunicationem, *Azor. p. 1. Inſtit. lib.* 3. *c.* 15. *q.* 3. ubi ait, hanc ſententiam eſſe æquiorem, & mitiorem, *Suar. diſ. 4. de cenſur. ſec.* 8. *n.* 20. *Sanch. l. 9. diſ.* 33. *n.* 9. & alii apud ipſos. Ratio eſt, quia ad incurrendam excommunicationem requiritur, ut quis peccet contra jus ac præceptum Eccleſiaſticum, & ut ſit inobediens Eccleſiæ, ſive contumax contra illam; ſed qui invincibiliter ignorat præceptum Eccleſiæ, non poteſt contra illud peccare, nec eſt illi inobediens: nam fundamentum, & adæquata cauſa excommunicationis eſt contumacia, reſpectu Eccleſiæ, qua ceſſante, ceſſat etiam ipſa excommunicatio aut cenſura: juxta illud Chriſti *Matth.* 18. *Si Eccleſiam non audierit &c.*

Ubi notandum, quando lex Eccleſiaſtica prohibet, ſub cenſura, actionem alioquin intrinſece malam, ut furtum rei ſacræ, ſub comminatione pœnæ, non tantum imponit pœnam, ſed etiam novam prohibitionem talis furti adjungit: & licet ignorantem invincibilis talis præcepti Eccleſiaſtici non excuſet culpam, ut contrariam Juri Divino, vel naturali, excuſat tamen illam, ut contrariam legi, ſeu præcepto Eccleſiaſtico, *Suar. cit. ſec.* 8. *n.* 22. Aliud eſt in aliis præceptis, & pœnis, quæ ſpecialem hujuſmodi contumaciam aut contemptum non poſtulant, & ideo ignorantia etiam probabilis in his nec a culpa, nec a pœna excuſat, ſi ſint contra Jus etiam naturale, vel Divinum, *Azor. cit. c.* 15. *q.* 3. §. *Ad ea vero.* Nec obſtat, quod ignorantia facti, non juris excuſat, juxta *Reg.* 13. *in* 6. Nam illa regula procedit, ſecundum præſumptionem fori externi, in quo præſumitur ignorantiam juris eſſe craſſam.

XLV. Aſſertio 3. Ignorantia invincibilis, non ſolum Juris Eccleſiaſtici præcipientis, vel prohibentis aliquid ſub reatu cenſuræ, ſed etiam ſola ignorantia ipſius pœnæ, ſive cenſuræ excuſat ab incurrenda cenſura. V. g. etiamſi quis ſciat opus aliquod prohibitum eſſe, etiam lege Eccleſiaſtica, ſi tamen ignoret annexam illi eſſe cenſuram, eam non incurrit, *Sanch. cit. diſp.* 32. *n.* 13. *Suar. cit. diſp. 4. ſec. 9. nu.* 39. *Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n.* 8. & alii, & dictum ſupra *l.* 1. *Tit.* 2. *n.* 51. *& ſeq.* Idque probatur ex *c. 2. de Conſtit. in* 6. Ubi generatim dicitur: Ut animarum pericula evitentur, ſententiis (id eſt, cenſuris.) per Statuta Ordinariorum prolatis non ligari ignorantes. Quæ deciſio cum ſit favorabilis, ut animarum pericula evitentur, retenta verborum proprietate, extenditur, non tantum ad ignorantiam legis, ut eſt præceptiva, ſeu prohibitiva, ſed etiam ut eſt inflictiva pœnæ, ita ut etiamſi quis ſciat legem, ſi tamen ignoret adjunctam cenſuram, ea non ligetur. Idque procedit, ſive ea cenſura ſit impoſita ab Epiſcopis; ſive ab ipſo S. Pontifice, quia ratio *cit. c.* 2. etiam locum habet in Statutis Pontificiis, quæ facilius ignorantur, quam Statuta Epiſcopalia, ideoque majus eſſet periculum animarum, ſi illis ligarentur ignorantes: neque vero ibi novum Jus conditum eſt, ſed declaratum, quid cenſuræ ex ſua natura requirant. At hæc ſententia magis certa eſt in excommunicatione, ut ait *Suar. c. l. n.* 10.

XLVI. Aſſertio 4. Non ſolum invincibilis, ſed etiam vincibilis, ſive mortaliter culpabilis ignorantia, ſive facti, ſive juris imponentis cenſuram, dummodo non ſit craſſa aut ſupina, excuſat ab excommunicatione, imo ab omni cenſura lata per Epiſcopos, vel etiam S. Pontificem, *Sanch. l. 9. de matr. diſ.* 32. *num.* 32. *Laym. l. 1. Tract. 5. l. 1. cap.* 5. *num.* 7. Probatur ex *cit. c. 2. de Conſtit. in* 6. Ubi univerſaliter dicitur, ſententiis per Statuta quorumcunque Ordinariorum latis, non ligari ignorantes, dum tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit, aut ſupina. Ubi nomine ſententiæ non ſola excommunicatio, ſed omnes pœnæ ſpirituales intelliguntur, etiam a S. Pontifice decretæ, qui nomine Ordinarii etiam comprehendi poteſt, tunquam Ordinarius Ordinariorum, vel ſi non comprehendatur ſub eo nomine, ſaltem ſententiæ ipſius comprehenduntur, propter rationem expreſſam in *cit. c.* 2. *Ut pericula animarum evitentur*, quæ ſimiliter in illis locum habet. Ratio eſt, quia licet ignorantia mortaliter vincibilis, ſeu culpabilis reſpectu Legis in quantum præceptiva eſt, non excuſet a peccato mortali, ſeu actus ex tali ignorantia commiſſos contra legem Eccleſiaſticam, ſit vere peccatum mortale, ſi materia ad hoc ſit ſufficiens; eadem tamen ignorantia legis, qua pœnalis, & inflictiva cenſuræ eſt, excuſat ab eadem incurrenda, quia ad hanc requiritur perfecta contumacia, & virtualis quidam contemptus pœnæ. Qui enim quantumvis culpabiliter ignorat legis pœnam, ſeu cenſuram, non poteſt cenſeri contumax, vel Clavium contemptor, non enim contemnit diſciplinam, qui ignoravit, *l. Si ignorans.* 50. *ff. Locati*, ſaltem quando ignorantia non eſt craſſa.

Porro ignorantia craſſa, ſeu ſupina cenſetur, quando quis orta cogitatione aut ſuſpicione impoſitæ cenſuræ, nulla vel pene nulla diligentia in veritate indaganda adhibita, opus prohibitum facit, non ſine virtuali contumacia, & interpretativo contemptu: nam ignorantia mortaliter vincibilis eſt, quando quis ignorat id, quod ſcire deberet, & adhibita morali, & communi diligentia ſcire poſſet: craſſa vero, ſeu ſupina, quam quis facile, & ſine negotio, poſſet deponere, nec ullam, quantumvis parvam diligentiam, curat adhibere, adeoque ea ex ſumma negligentia cognoſcendi oritur, *Sanch. cit. diſ.* 32. *num.* 32. *& ſeq. Laym. cit. c.* 5. *n.* 8. Nullo vero modo excuſat a cenſura ignorantia affectata, ſeu directe volita, quæ ſcilicet per ſe eligitur ad liberius delinquendum, adeoque non minuit voluntarium exceſſum, ſed potius auget, eum directam malitiam, & formalem dolum in ſe includat, & in jure æquivaleat ſcientiæ, juxta *Gl. in c. u. V. Affectata de temp. Ordin. Sanch. cit. diſ.* 32. *num.* 40. Quare ſi cenſura lata ſit contra eos, qui ſcienter, conſulto, vel auſu temerario aliquid fecerint, vel facere præſumpſerint, etiam illi, qui cum affectata ignorantia peccaverunt, illam cenſuram incurrunt, *Laym. c. l. n. 8. in fine.*

XLVII. Aſſertio 5. Quando metus gravis, ut eſt metus mortis, infamiæ, mutilationis &c. excuſat a peccato contra præceptum Eccleſiæ, ſive facit, ut operans ex gravi metu non cenſeatur peccaſſe contra legem Eccleſiaſticam, etiamſi peccet contra legem Divinam aut naturalem, tum excuſat etiam a cenſura incurrenda, *Suar. diſ. 4. de cenſur. ſec.* 3. *n.* 12. *Laym. cit. c.* 5. *n.* 9. Ratio eſt, tum quia cenſura ſupponit culpam, eaque nunquam incurritur, niſi ob peccatum, quo præceptum Eccleſiæ contumaciter violatur; qui autem ex gravi metu peccat, non cenſetur ex contumacia, & contemptu Eccleſiaſticæ poteſtatis delinquere, ſed potius ex infirmitate naturæ: tum quia Leges Eccleſiaſticæ non obligant, cum tanto rigore. Exempli gr. ſi mulier metu mortis inducta fornicetur in loco ſacro, peccat quidem contra caſtitatem, adeoque contra legem naturæ, & Dei, ſed non contra prohibitionem Eccleſiæ, quæ non obligat ad evitandam irreverentiam loci ſacri, cum tanto periculo proprio. Unde ſi lata ſit excommunicatio in fornicantes in loco ſacro, eam ex gravi metu ibi fornicata non incurrit.

Interdum vero etiam metus gravis non excuſat a culpa, neque a cenſura, ut ſi metus gravis inducatur in contemptum præcepti Eccleſiaſtici, aut ipſius cenſuræ, etiamſi opus aliquod tantum præcepto Eccleſiaſtico ſub cenſura ſit prohibitum, ut ſi Sacerdos excommunicatus, & vitandus, per gravem metum adactus Confeſſiones audiat, & abſolvat, nam tunc actio per cenſuram prohibita fit intrinſece mala, quia invalide adminiſtrare Sacramentum eſt contra reverentiam Sacramenti, & intrinſece malum, & tunc eam ob gravem metum exercens, delinquit etiam contra legem Eccleſiaſticam, & pœnam ejus, ſive cenſuram incurrit, de quo dictum *l. 5. tit. 40. n. 3. & 4. Laym. c. l. n. ult.* Unde cum dicitur in *c. Sacris. 5. de iis, quæ vi met. cauſ. fiunt*, metum non excuſare a cenſura, quia non excuſat a culpa: id non ita intelligendum eſt, quod nunquam excuſet, ſed quia non ſemper excuſat, nempe tunc, quando non excuſat a peccato contra præceptum Eccleſiæ, *Laym. l.*

SECTIO III.

De excommunicatione in ſpecie, & in primis de illa, quæ jure decreta eſt, ob percuſſionem Clerici.

§. I.

Quænam Jure Canonico ſtatuta ſunt circa percuſſionem Clericorum?

XLVIII. Inprimis in Concilio Lateranenſi *c.* 15. ſtatuta ab Innocentio II. excommunicatio in percutientes Clericos, prout refertur in *c. Si quis ſuadente.* 27. *cauſ.* 17. *qu.* 4. his verbis: Si quis, ſuadente Diabolo, in Clericum, vel „ Monachum manus violentas injecerit, anathematis vinculo ſubjaceat: & nullus Epiſcoporum præſumat illum „ abſolvere, niſi mortis urgente periculo, donec Apoſtolico „ conſpectui præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat.

XLIX. Pro explicatione hujus Conſtitutionis notandum primo, ſub vocula *ſi quis* omnes generatim perſonæ comprehenduntur, quæ ſunt capaces excommunicationis, cujuſcunque ſtatus, & conditionis ſint, dummodo habeant judicium rationis, ad peccandum mortaliter, & ſint baptizati, ſive ſint viri, ſive feminæ, vel Eccleſiaſtici, *Suar. diſ.* 22. *de cenſur. ſec.* 1. *n.* 5. *Avila tr. de cenſur. p. 2. c. 5. diſp. 3. dub.* 20. *concl.* 1. Secundo nomine Clerici intelligitur non ſolum initiatus Sacris Ordinibus, ſed etiam ſolum habens primam Ton-

Google

Tonſuram, *c. Cum contingat. 11. & ibi Gl. V. Ordo de ætat. & qualit.* dummodo Clericalem habitum, & Tonſuram geſtet. quamvis ſit conjugatus, ſed cum unica virgine, *c. un. de Cleric. conjug. in 6.* gaudet enim privilegio hujus Canonis, *Suar. c. l. n. 6. Avila, c. l. n. 21. concl. 1. & 2.* de quo plura dicta ſunt alibi. Tertio nomine Monachi comprehenduntur omnes Religioſi utriuſque ſexus, qui ſcilicet tria vota Religionis, ſive ſolemnia per profeſſionem, ſive ſimplicia tantum, ut in Societate Jeſu, ediderunt: quia etiam converſi, & Converſæ, etiamſi propriam profeſſionem non emittant, ut conſtat ex *c. Non eſt 3. h. t.* ubi dicitur. Non eſt dubium, quod hi, ,, qui in Clericos, vel Canonicos, aut cujuslibet Religio- ,, nis Converſos, violentas manus injiciunt, ex Conſti- ,, tutione Concilii (Lateranenſis, *in cit. cap. Si quis ſua- dente*) ſententiam excommunicationis incurrunt, nec ,, niſi a Romano Pontefice abſolvi poſſunt. Ubi *Gloſſ. V. Converſos*, per eoſdem intelligit, qui ſe, ac ſua tra- ,, diderunt Divino obſequio, ſive in Eccleſia ſæculari, ,, ſive regulari, ideoque cenſentur Eccleſiaſticæ perſonæ, & ex toto tranſiiſſe ſunt in forum Eccleſiæ: & gaudent immunitate Eccleſiaſtica, & conſequenter etiam privilegio hujus Canonis, ut eos percutientes incidant in excommunicationem.

L. Porro nomine Clericorum hic comprehenduntur etiam Novitii, licet nondum ſint Religioſi, ſed in via ad illam profitendam, prout habetur in *c. Religioſo. 21. §. Quamvis.* ,, *hoc tit. in 6.* ubi dicitur, quamvis is, qui Religionem in- ,, greditur, Religioſus cenſeri cum effectu non poſſit (id ,, eſt, incommutabiliter, quia poteſt Religionem adhuc ,, deſerere, *Franc. hic n. 1.*) donec ſit tacite, vel expreſſe ,, profeſſus: ſi quis tamen violentas manus in eum injiciat, ,, ſententiam excommunicationis latæ incurrit. Gaudet ,, igitur Novitius privilegio Canonis, *Si quis ſuadente*, ſicut etiam privilegio fori Eccleſiaſtici, ut non poſſit coram Judice ſeculari conveniri, ſed coram Eccleſiaſtico debeat, quia eſt perſona Eccleſiaſtica, *Franc. hic numer. 3.* de quo plura alibi.

Quarto requiritur, ut percuſſio fiat, ſuadente diabolo, hoc eſt, illicite & injuſte. *Molin. tr. 3. de juſtit. diſ. 31. n. 6.* per quæ verba ſignificatur, ad incurrendam cenſuram hujus Canonis requiri gravem injuriam, ita ut non tantum internum propoſitum, ſive intentio lædendi in corpore, vel honore, ſit peccatum grave, & mortale, ſed etiam externa violentia, ſeu injuria illata ſit gravis, alioquin excommunicatio non incurritur, quia verba legis pœnalis intelligenda ſunt cum effectu: ſicut e contrario etſi exterior læſio ſit gravis, ſi tamen interior intentio a gravi peccato excuſari poſſit, non incurritur excommunicatio, quia per Eccleſiaſticam cenſuram punitur externum opus gravis violentiæ illatæ Clerico, quod grave & peccatum mortale eſſe non poteſt, niſi procedat, ab interna intentione graviter injuſta, cum actus externus ſumat malitiam ſuam ab interno, *Laym. libr. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 5.*

LI. Quinto per hæc verba, *Manus violentas injecerit*, intelligitur quævis actio externa, & corporalis injuſta, ſeu injurioſa, ſive manibus, ſive aliis membris facta, circa perſonam Clerici, vel res ei adhærentes, ut ſi Clericus, vel Regularis occidatur, mutiletur, vulneretur manu, enſe, fuſte &c. ſi eripiatur ei aliquid de manibus per vim, aut injuriam, v. g. liber, vel de corpore, ut pileus, aut veſtis. Secus eſt, ſi quis ſine vi per fraudem abſcinderet Clerico marſupium, vel ſi auferret veſtes in lecto jacentis, tunc enim excommunicatus non eſſet, *Laym. cit. l.* Item eandem excommunicationem incurrit, ſi quis Clericum conſpergat aqua, luto, lapillis; ſi violenter apprehendat frænum equi, cui Clericus inſidet: ſi perſequatur Clericum, ita ut in fluvium, vel foſſam incidat &c. *Avila cit. c. 5. diſ. 2. dub. 12. Laym. cit. loc.* Item ſi quis Clericum violenter detineat in cuſtodia, vel vinculis, etiam ſine læſione alia prout ſumitur ex *cap.* ,, *Nuper 29. in princ. h. t.* Ubi cum quæſitum fuiſſet ex In- ,, nocentio III. quid de illis laicis ſit faciendum, qui Cle- ,, ricos detinent in cuſtodia, ſeu carcere, publico vel priva- ,, to, ſine læſione tamen corporis, vel etiam detrudunt in ,, vincula. Reſpondet Papa, quod non credat laicos illos ,, pœnam excommunicationis evadere, quamvis alia læſio cor- ,, poralis non ſit ſubſecuta, citra quam violentia ſæpius circa ,, Clericos perpetretur. Neque refert, ſive Clericus compedibus vinctus, ſive intra parietes invitus detineatur, etſi vinculis non ligatus, *Gl. hoc V. Corporalis læſio*, & ſive in carcere publico: ſive in loco privato, ut in domo propria, vel aliena, ex qua exire non poſſit, includatur, excommunicationem enim incurrit, *Barb. in Collect. hic n. 2.*

LII. Hinc infertur primo. Excommunicationem Canonis incurrere etiam eum, qui manus violentas in Clericum, etiam volentem, & conſentientem, injecit, prout ſumitur ex *c. Contingit. 36. h. t.* Ubi refertur, quod conſuetudo erat ,, in Archiepiſcopatu Bracharenſi, ut ſi quis laicus aliquem ,, offendat, corpus ſuum ſponte ſupponeret XXX. vel pluri- ,, bus, aut paucioribus percuſſionibus fuſtium, quam con- ,, ſuetudinem etiam Clerici obſervabant. Unde quæſivit Ar- ,, chiepiſcopus, an hujuſmodi percuſſores Clericorum in ex- ,, communicationem, inciderent. Reſpondet Innocentius ,, III. quod hujuſmodi manus injectio, etſi non violenta (vel ,, potius coacta) injurioſa tamen eſſe videtur, cum ille Canon ,, non tam in favorem Clerici ordinati, quam in favorem ,, Ordinis Clericalis, fuerit promulgatus, ideoque mandat ,, Papa, ut illud de cætero prohibeat attentari. Ac proin- ,, de, quod tales percuſſores excommunicationem incur- ,, rant. Si quis Clericus, poſt hujuſmodi prohibitionem, ,, ſponte ſe ſubjecerit talibus percuſſionibus excommunice- ,, tur, ita tamen ut Clericus competenter ſatisfaciat inju- ,, riam paſſo, ſine injuria Ordinis Clericalis. Ratio deci- ,, ſionis eſt expreſſa in textu, quia privilegio Canonis non poteſt Clericus renunciare, cum non tam in favorem Clerici, quam in favorem totius Ordinis Clericalis ſit conceſſum, *Arg. c. Si diligenti. 12. de foro compet.* Nec obſtat, quod volenti, & conſentienti non fit injuria. Nam hoc procedit, quando quis volens conſentit, in iis, quibus poteſt conſentire, cum privilegium de non percutiendo Clerico ſub pœna excommunicationis datum ſit toti Ordini & Statui Clericali, non ſingulis principaliter, cui non poteſt cedere perſona privata, & ſatis eſt injuriam inferri Statui Clericali, ut hujuſmodi excommunicatio incurratur, *Gl. fin. hic & Abb. num. 6. Molin. tr. 3. de juſtit. diſ. 31. num. 3. & Suar. diſ. 22. de cenſur. ſec. 1. numer. 58.* Porro Clericus in percuſſionem ſui conſentiens, non eſt ipſo facto, ſeu jure excommunicatus, ſed excommunicandus per ſententiam, ut clare patet ex *cit. c. Contingit* ibi; *excommunicetur*, ergo ſupponitur non eſſe ipſo jure excommunicatum, *Suar. cit. loc. num. 57.* Quin imo eandem excommunicationem incurrit etiam Clericus, ſi ſe ipſum ex ira, vel tædio vitæ graviter percutiat, vel vulneret, *Molin. cit. diſ. n. 4. Suar. cit. l. n. 59.* & alii communiter, quamvis aliqui oppoſitum teneant apud *Barb. in Collect. hic num. 7.* non ſine gravi ratione, quia ad excommunicationem hanc Canonis incurrendam requiritur diſtinctio perſonarum inter ipſum percuſſum, & percutientem, ſecundum generalem regulam in omnibus actionibus moralibus traditam, in *c. ult. de Inſtitution.*

LIII. Infertur ſecundo. Quamvis alias excommunicatio lata contra facientes, ordinario non ſit extendenda ad mandantes, & conſentientes, aut cooperantes, niſi id in Canone, aut lege exprimatur, ut ex communiore ſententia docet *Clarus. l. 5. ſent. §. fin. qu. 89. nu. 2. Molin. tr. 3. diſ. 52. nu. 2. Sanch. l. 3. de matr. diſ. 49. n. 1. & Avila de cenſ. p. 2. cap. 5. dub. 2. concl. 3.* & alii. Verumtamen excommunicatio lata in *c. Si quis ſuadente*, in percutientes Clericos, non ſolum criminis executorem, ſed etiam mandantem, conſulentem, conſentientem, imo etiam non impedientem, cum poſſet ac deberet, comprehendit, ita ut hi omnes, ſecuto effectu, excommunicationem incurrant, ut de mandante habetur in *cap. Mulieres. 6. §. Illi vero h. t.* ubi dicitur: Illi vero, qui non per ,, ſe ipſos, ſed eorum auctoritate, vel mandato, alii violen- ,, tas manus injiciunt in Clericos, ad Sedem Apoſtolicam ,, ſunt mittendi (ut ſcilicet abſolvantur ab excommunica- ,, tione) Cum is vere committat, cujus auctoritate, vel ,, mandato delictum commiſſum probatur. Itaque mandans, ,, vel conſulens percuti Clericum excommunicatus eſt, perinde ac ſi eum propriis manibus percuſſiſſet, ſi ſequatur percuſſio, *Molin. cit. diſ. 52. numer. 2. Suar. cit. diſ. 22. ſ. 12. numer. 55.* & alii.

Infertur tertio. Si is, qui mandavit percuſſionem Clerici, mandatum poſtea revocavit, ſed notitia revocationis ad mandatarium non pervenit, & poſtea ſecutus eſt effectus mandati, mandans, non obſtante revocatione, quæ effectum non habuit, excommunicationem incurrit, quia mandans adhuc eſt vera cauſa moralis percuſſionis. Aliud eſt, ſi non ſolum mandatum revocatum eſt, ſed etiam revocatio illius mandatario intimata fuit, tunc enim mandans non amplius tenetur, nec excommunicationem incurrit, etiamſi Clericus poſtea percutiatur, aut vulneretur, *Gl. hic V. Auctoritate verſic. ſed pone. Molin. cit. l. n. 3.* & alii apud *Barb. hic n. 5.* Quod ſi is, cui mandatum eſt, ut percuteret Clericum, poſt mortem mandantis primum mandatum exequatur, mandans non incurrit excommunicationem, cum mandatum morte mandatoris ſolvatur, *l. Inter. 1. in princ. ff. Mandat.* & per mortem cenſeatur tacite revocatum, *Gl. in cit. §. Illi vero. V. Auctoritate, vel mandato, Azor p. 2. l. 5. c. 26. q. 2. §. Sed dubia quæſtionis. Barb. hic n. 6.*

LIV. Porro quod dictum eſt de mandante percuſſionem Clerici, ipſum incurrere excommunicationem, id extenditur etiam ad ratihabentem percuſſionem ſuo nomine factam, prout ſtatuitur in *c. Cum quis 23. h. t. in 6.* ubi Papa Bonifacius VIII. ita reſcribit: Cum quis, abſque tuo mandato, ,, manus violentas injicit in Clericum, tuo nomine, ſi po- ,, ſtea tu id ratum habeas, excommunicationem latam a ,, Canone (*Si quis ſuadente*) indubitanter incurris (ex rati- ,, habitione prædicta) cum ratihabitio retrotrahatur, & ,, mandato debeat comparari (juxta *Reg. juris 10. in 6.*) Si ,, vero injectio manuum, ſive percuſſio, tuo nomine, non ſit ,, facta, (ut quia inimicum ſuum percuſſit, de quo tu gau- ,, des in corde, vel etiam illum poſtea receptas, *Gl. hic V. non ſit facta*) ut non ideo excommunicationem incur- ,, ris, cum quis ratum habere nequeat, quod ſuo nomine ,, non eſt geſtum juxta *Reg. juris 9. in 6.*

LV. Ubi notandum primo. Si quis ratum habeat; quod ſuo nomine geſtum eſt, id eſt, contemplatione ipſius, ratihabitio retrotrahitur, ac proinde obligatur, ac ſi ipſe mandaſſet, quæ regula locum habet, non ſolum in contractibus, ſed etiam in delictis. Prioris exemplum eſt, ſi quis emit rem, ſine mandato Titii, ſed nomine ipſius & per traditionem recepit, ac Titius poſtea ratam habeat emptionem, perinde acquiritur ipſi dominium, & poſſeſſio rei per ratihabitionem, ſicut acquireretur per procuratorem Titii mandatum habentem, quia ratihabitio retrotrahitur, & æquiparatur mandato. Exemplum in delictis, quæ poſſunt per alium committi, habetur in hoc cap. In his autem, quæ non poſſunt per alium fieri, ut adulterium, & ſimilia, quæ perſonæ cohærent, ratihabitio nihil operatur. *Dyn. in cit. Reg. 10. in 6.*

Notandum ſecundo. Si quis verbo, vel ſigno ratificat, ſeu approbat delictum, ſuo nomine, factum, ut in propoſito, percuſſionem Clerici, punitur eadem pœna, qua ipſe delinquens, adeoque incurrit excommunicationem, quia ratihabitio in criminibus æquiparatur mandato: talis enim eſt cauſa moralis percuſſionis: ſecus eſt, ſi delictum, vel percuſſio non ſit facta, nomine ipſius ratificantis, tunc enim, etſi ratam habeat percuſſionem, ea moraliter illi non imputatur, neque excommunicationem incurrit, *Suar. cit. diſ. 22. ſec. 1. n. 55.*

Notandum tertio. Quamvis in Civilibus ratificatio retrotrahatur ad tempus celebrati actus, *cit. Reg.* 10. *in* 6. Secus tamen eſt in criminalibus in quibus ratificans obligatur a die ratificationis, non a die commiſſi delicti: Jura enim in delictis non dicunt, ratificationem retrotrahi ad tempus mandati, ſed tantum dicunt, æquiparari mandato, ideoque ratificans eſt excommunicatus a tempore ratihabitionis, & non a tempore injectionis manuum, *Gl. in cit. cap. Cum quis verſ. Sed quid in primo caſu Jo. Monach. ibid. & Franc. n.* 3. *Farinac. in praxi crimin. p.* 5. *q.* 135. *n.* 74.

Notandum quarto. Qui ſolo corde ratam habet percuſſionem Clerici, peccat quidem, & eſt reus coram Deo, ſed non quoad Eccleſiam, quæ de occultis non judicat, *Sanch. l.* 2. *Mor. c.* 8. *n.* 1. *Barboſ. hic n.* 7.

Notandum quinto. Ex eo, quod approbans delictum recipit, & occultat delinquentem, qui ejus nomine delictum commiſit, colligitur ratificatio delicti: ſecus ſi delictum non ſit commiſſum, nomine receptantis, vel occultantis, *Farinac. cit. q.* 135. *num.* 48. *& ſeq. Barboſ. hic n.* 5. *&* 8.

LVI. Denique non tantum conſentientes, aut conſulentes aut auxilium dantes, ſeu cooperantes ad percuſſionem Clerici, ſed etiam permittentes, ſeu non impedientes, cum poſſent, eadem pœna excommunicationis ſunt puniendi, prout ſumitur *ex c. Quantæ* 47. *h. t.* Nam quidam dicebant, „ quod illi ſoli ſint excommunicati, qui violentas manus „ injiciunt in Rectores Eccleſiarum, vel alios Clericos. „ Sed Papa reſpondet, quod auctoritas Catholica, ſive po„ teſtas Eccleſiaſtica, non ſolam punit Auctores hujuſmodi „ violentæ percuſſionis, ſed omnes facientes, & conſenti„ entes, ſeu cooperantes (*Gl. hic V. eod.*) pari pœna puni„ endos condemnat, interpretans eos favere delinquentibus „ qui manifeſto facinori deſinunt, cum poſſint, obviare, hoc eſt, impedire, ſeu prohibere. Quod intelligendum eſt, ſi ex officio, & juſtitia teneantur impedire percuſſionem Clerici, & non faciunt, incurrunt excommunicationem, *Molin. tr. de juſt. diſ.* 33. *num.* 6. *Avila par.* 2. *cap.* 4. *diſp.* 3. *dub.* 8. *concl* 2. *Laym. cit. c.* 5. *n.* 6. quamvis aliqui non improbabiliter dicant, quod incidant in excommunicationem, etiam quando ex ſola charitate impedire tenetur percuſſionem, modo ſine gravi ſuo periculo, & incommodo poſſint, *Suar. cit. diſ.* 22. *ſec.* 1. *n.* 56. *Barboſ. in cit. c. Quantæ n.* 2. quia tunc graviter peccant, non ſubveniendo proximo, & moraliter conſentiunt.

Additur ult. in *c. Si quis ſuadente*, ut *nullus Epiſcoporum ipſum abſolvere præſumat, niſi mortis urgente periculo*, de quo agemus §. ſeq.

§. II.

Qui poſſit abſolvere ab excommunicatione Canonis, ob percuſſionem Clerici, vel Monachi?

LVII. Præmittendum, quod duplex eſt percuſſio Clerici, una modica, ſeu levis altera gravis, ſeu enormis: levis cenſetur ordinarie, quæ fit palma, pede, lapide, vel baculo, & ab enormi diſcerni debet, non ex ſola percuſſione, ſive læſione, ſed etiam ex circumſtantia perſonarum, percutientis, & percuſſi, loci, temporis, vel ſecuti ſcandali &c. judicio viri prudentis. Gravis, ſeu enormis percuſſio cenſetur, quæ notabilem corporis maculam affert, vel per quam laceratur caro, vel membrum mutilatur, vel dentes evelluntur, vel multi capilli extrahuntur, vel copioſus, ſeu immodicus ſanguis effunditur &c. quibus addi debet percuſſio mediocris, & quaſi media inter enormem, & levem *Molin. tr.* 3. 3. *de juſtit. diſ.* 57. *num.* 3. *Laym. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *cap.* 5. *num.* 9. *&* 10.

LVIII. Aſſertio 2. Ab excommunicatione Canonis contracta, ob percuſſionem Clerici, modicam, ſeu levem, poteſt abſolvere Epiſcopus, ut conſtat *ex c. Pervenit* 17. *h. t.* Ubi „ Clemens III. poteſtatem abſolvendi eos, qui Clericis „ non enormem, ſed levem, & modicam injuriam irroga„ runt Epiſcopi arbitrio committit. Nempe ut videat, an levis ſit injuria, vel non; & ſi levis fuerit, abſolvat, alioquin ad Papam eoſdem remittat, *Gl. hic in caſu*. Idque Jure communi juxta communiorem ſententiam, contra quoſdam, qui putant, hoc reſponſo Pontificis, non jus commune, ſed ſpeciale privilegium conceſſum eſſe, *Abb. hic in Gl. fin. & Laym. cit. l. n.* 10. Ubi tamen diſtinguendum eſt inter injuriam levem, mediocrem, & enormem, nam ab excommunicatione contracta, ob levem injuriam, quilibet Epiſcopus abſolvere poteſt, jure ſuo, & auctoritate hujus Conſtitutionis, non autem Prælatus inferior, quia ea dirigitur ad Epiſcopum, ut patet ex illis verbis, *Fraternitati tuæ*: excommunicatos vero, ob injuriam mediocrem, non poteſt Epiſcopus abſolvere, niſi privilegiatus, juxta *c. Si vero* 3. *h. t. & c. Quantum* 9. *de vita, & honeſt. Cleric.* Ob injuriam vero enormem, non poteſt abſolvere regulariter Epiſcopus, niſi in neceſſitate, vel ex ſpeciali conceſſione, *Abb. hic n.* 2. poteſt autem Epiſcopus etiam laicos leviter injuriantes Clericos abſolvere, quia textus hic loquitur indiſtincte. *Abb. hic in fine*.

Porro non tantum Epiſcopus, ſed etiam Prælatus inferior habens juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, poteſt abſolvere ab excommunicatione, ob levem percuſſionem, *Abb. in c.* 2. *n.* 3. *h. t.* quia hujuſmodi Prælatis competunt ea omnia, quæ ad Epiſcopalem juriſdictionem pertinent, non autem ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis; abſolutio autem ab excommunicatione Canonis eſt actus juriſdictionis Epiſcopalis, adeoque etiam illis competit, ſi abſolutio in Canone non ſit reſervata, *Pagn. in cit. c. Pervenit, n.* 23. Nec obſtat, quod iſtud c. loquatur de Epiſcopis, & Diœceſanis, quia in his, quæ ſunt juriſdictionis, comprehenduntur etiam illi Prælati, qui juriſdictionem Epiſcopalem habent, excluſis Epiſcopis, juxta *Gl. in Clem.* 2. *V. Diœceſanis de foro compet.* Unde etiam Vicario Epiſcopi, & Vicario Capituli, Sede vacante, competit facultas abſolvendi ab excommunicatione Canonis, ſi percuſſio ſit levis, *Pagn. hic n.* 16.

„ LIX. Aſſertio 2. Si Officius Poteſtatis alicujus, præte„ xtu officii ſui, Clericum malitioſe percuſſerit, vel læſe„ rit, ita ut excommunicationem incurriſſe cenſeatur, po„ teſt ab Epiſcopo abſolvi, niſi forte eundem Clericum gra„ viter vulneraverit: at vero ſi Officialis (id eſt, Judex, „ vel Apparitor alicujus Poteſtatis ſæcularis, manum inji„ ciendo) Clericum percuſſerit, non poteſt, ſine mandato „ Romani Pontificis, abſolvi, quia nulli laico tanta ſuper „ Clericum datur auctoritas; niſi forte turbam ſedando, „ non ex deliberatione; ſed caſu fortuito Clericum læderet: prout ſtatuitur in *c. Si vero* 3. *in princ. h. t.* Ratio prioris partis eſt, quia delictum alicujus commiſſum, exercendo officium, alleviatur quidem; ſed quia ad iracundiam provocatus modum exceſſit, non ſine culpa, excommunicationem incurrit, a qua tamen abſolvere eum poteſt Epiſcopus, *Abb. hic n.* 2. Ratio ſecundæ partis eſt, quia laicus deliberate manum injiciens in Clericum, non levem injuriam ei infert, imo etiam uſurpat ſibi juriſdictionem in ipſum, quod repugnat libertati Eccleſiaſticæ, ideoque nullo modo poteſt ab Epiſcopo abſolvi, *Abb. hic nu.* 3.

„ LX. Aſſertio 3. Si Monachi, vel Canonici Regulares, „ quocunque modo (dum tamen enormiter) ſe invicem in „ clauſtro percuſſerint, non ſunt ad Sedem Apoſtolicam „ mittendi, ſed per Abbatem ſuum abſolvendi: & ſi Ab„ batis diſcretio ad delinquentis correctionem non ſuffici„ at, Epiſcopus Diœceſanus eſt adhibendus, prout ſtatui„ tur in *c. Monachi* 2. *h. t.* Idque ſancitum eſt, ne illis detur occaſio evagandi, extra Clauſtrum, ut poſſint a ſuo Prælato abſolvi, ne debeant adire extraneum: alioquin vero abſolutio a ſententia excommunicationis conceditur duntaxat Epiſcopis, ubi non eſt reſervata, præſertim ſi Abbas proprius non ſit ſufficiens, *Abb. hic num.* 3. Poteſt autem Abbas, Præpoſitus, Prior, vel alius Superior Conventualis Regulares Subditos ſe invicem percutientes, non tantum per ſe ipſum, ſed etiam per alium abſolvere, *Barboſ. hic n.* 2. Videri poſſunt, quæ de his tradit *Eman. Rodriq. tom. c.* 99. *Regul. q.* 20. *art.* 12. ubi ait, quod etſi Regulares ſe invicem percuſſerint, extra clauſtrum, abſolvi poſſint a ſuo Prælato ex privilegio. Porro caſus percuſſionis enormis ſemper intelligitur exceptus in hac materia quantumvis verba ſint generalia, *Gloſ. hic Verſ. Quocunque modo & Abb. num.* 5.

LXI. Præterea in *c. Cum illorum* 32. *h. t.* Papa Innocen„ tius III. reſcribit: quod abſolutio illorum, qui violentas „ manus injiciunt in Clericos, Sedi Apoſtolicæ reſervetur „ exceptis quibusdam caſibus (de quibus infra) nonnulli „ tamen tali excommunicatione ligati ſententiam Eccleſia„ ſticam negligentes, Ordines Eccleſiaſticos ſuſcipiunt, un„ de quæſitum fuit, quid de his fieri debeat? Reſpondet „ Papa, diſtinguendo, quod tales vel ſciunt ſe eſſe excom„ municatos, vel non recordantur facti, propter quod in „ excommunicationem inciderunt: vel ſciunt quidem fa„ ctum, ſed Juris ignari, neſciunt ſe ex eo obligari. In „ primo caſu, ſi fuerint ſæculares Clerici, ſunt a ſuſce„ ptis Ordinibus in perpetuum deponendi. In aliis duobus „ caſibus, nec Epiſcopi, nec Archiepiſcopi, abſque ſpeci„ li mandato Sedis Apoſtolicæ, diſpenſare poſſunt, cum „ ab excommunicatione eos abſolvere nequeant, quia ma„ jora illis ſunt prohibita, quibus minora ſunt vetita. Po„ terunt tamen iſta Romano Pontifici intimari, ut ab eo „ ſecundum rigorem, vel æquitatem, prout ei viſum fue„ rit, procedatur. Si vero prædicti, qui ſciunt excommu„ nicatione ſe ligatos, Clauſtrales fuerint, & ordines ſuſ„ ceperint, ſtatuit Alexander III. (*in c.* 2. *h. tit.*) ut Mo„ nachi, & Canonici Regulares, quocunque modo ſe in „ Clauſtro percuſſerint per ſuum Abbatem abſolvantur. I„ dem etiam ſtatuit) quæ tamen Conſtitutio hodie non ha„ betur, (*Gl. hic V. Alibi*) quod de ſæculo fugientes qui „ habitum Religionis in Monaſterio ſuſceperunt, & poſtea „ confiteantur, ſe ob violentam manuum injectionem in Cle„ ricos, excommunicatos eſſe (ante ingreſſum Religionis) „ ſine licentia Romani Pontificis, eos Abbas abſolvere non „ poteſt: etſi ſic delinquentes puniri poſſint. Verum Inno„ centius III. in hoc c. in favorem Religionis, ne occaſio „ evagandi ſubtrahatur, concedit Prælatis eorum, ut tales „ abſolvere poſſint, niſi exceſſus eorum fuerit enormis, ut „ ſi ad mutilationem membri, vel effuſionem ſanguinis pro„ ceſſerint (abundantem, *Gl. hic V. Effuſionem*,) & ante in „ Epiſcopum, vel Abbatem violentas manus injecerint, „ cum tales exceſſus, ſine ſcandalo, nequeant tolerari. Si „ vero Clauſtralis aliquis in Religioſam perſonam alterius „ Clauſtri, ſeu Monaſterii, violentas manus injecerit, „ per Abbatem proprium (percutientis) & ejus, qui in„ juriam paſſus eſt (ſcilicet percuſſi) abſolvi debet. Si „ autem hujuſmodi Clauſtralis ſæcularem Clericum per„ cuſſerit, non niſi a Papa poterit abſolvi. Quod ſi vero „ hujuſmodi Regulares ſic excommunicati ad Ordines pro„ moti fuerint, eoſque ſcienter in contemptum Eccleſia„ ſticæ diſciplinæ, ſuſceperint, ab executione ſuſcepti „ Ordinis & Officii maneant ſuſpenſi: cum reliquis vero, „ qui non habent memoriam facti, vel Juris peritiam, „ Abbates ipſorum, penſata Monaſteriorum utilitate, „ poſt injunctam, & peractam pœnitentiam poterunt diſ„ penſare, niſi factum grave fuerit, & notabile, aut is, „ qui fecit, adultus fuerit, diſcretus, de quo ignorantia, „ vel oblivio non poſſit præſumi, Denique in fine præci„ pit Papa Abbatibus, ut formam iſtam diligenter obſer„ vent, ne privilegium mereatur amittere, qui permiſſa „ ſibi abutitur poteſtate.

LXII. Pro explicatione hujus c. notandum primo Excommunicatus, ob violentam manuum injectionem in Clericum, regu-

regulariter non poteſt abſolvi, niſi a Sede Apoſtolica, quia Papa ſibi abſolutionem reſervavit, ut patet ex hoc *c. in princ.* exceptis certis caſibus, de quibus infra.

Notandum ſecundo. Clericus ſæcularis ſuſcipiens Ordines, dum exiſtit in excommunicatione, deponi debet ab illo Ordine, quem recepit, nec poteſt cum eo alius, præter Papam, diſpenſare, idque locum habet non tantum in excommunicatis, quorum abſolutio eſt reſervata S. Pontifici, ut in caſu hujus cap. ſed etiam in aliis excommunicatis, quos Epiſcopi poſſunt abſolvere: non tamen poſſunt cum ſic ordinatis diſpenſare, quia ſunt facti irregulares, ideoque ſolus Papa cum illis diſpenſare poteſt, ut colligitur ex *cap. 1. & 3. de eo, qui furtive Ordin. &c. Abb. hic n. 1. not. 2.* & alii communiter.

Notandum tertio. Poteſtas diſpenſandi major eſt, quam poteſtas abſolvendi ab excommunicatione, unde non valet argumentum a minore ad majus affirmative: poteſt quis abſolvere, ergo & diſpenſare; e converſo vero procedit argumentum a minore ad majus negative, qui non poteſt, quod minus eſt, nec id, quod majus eſt, poteſt, v. g. qui non poteſt abſolvere, nec diſpenſare poteſt, nam majora intelliguntur illis prohibita, quibus vetita ſunt minora, ut dicitur in hoc *c. Abb. hic n. 3. not. 3.*

LXIII. Notandum quarto. Si Regularis percutiat alium Regularem Alteri Prælato ſubjectum, tum is abſolvi poteſt a proprio ſuo Prælato, ſi percuſſio non fuit enormis; ita tamen ut Prælatus percuſſi præſens ſit, & injuriam remittat, ac definiat, qualis pœna, & ſatisfactio percutienti ſit imponenda: & poteſt Prælatus offenſi committere vices ſuas Prælato manus violentas injicientis, poteſtatem abſolvendi, ut ſine ipſo eum abſolvat, juxta ſuum arbitrium, & diſcretionem, *cit. cap. Cum illorum. §. Si vero Clauſtrales*, & ibi *Abb. n. 13. Molin. tr. 3. de juſtit. diſ. 60. numer. 5. Laym. cit. c. 5. num. 10.*

Notandum quinto. Abbas, ſeu Prælatus Regularis poteſt ſubditos ſuos Regulares ab excommunicatione, ob violentam manuum injectionem inflicta, abſolvere, modo non ſit enormis percuſſio, ſive in excommunicationem inciderint, poſt ingreſſum Religionis, ſive ante. Et quoad hoc *cit. c. 2. hoc tit.* in quo Abbati, ſeu Prælato ſolum conceſſa fuit poteſtas abſolvendi ſuos Monachos, vel Subditos Regulares ab excommunicatione, poſt ingreſſum Religionis incurſa, extenditur in *cit. c. Cum illorum §. Nos igitur*, etiam ad illos, qui inciderunt in excommunicationem, ante ingreſſum Religionis, ut notat *Gl. hic V. Talibus h. t.* ita ut poſſint poſtea Novitii, vel Religioſi facti abſolvi a Prælato ſuo. Veruntamen diſpoſitio hujus cap. ſolum locum habet, in excommunicatione, ob violentam manuum injectionem; in aliis autem excommunicationibus Abbas, ſeu Prælatus non poteſt abſolvere excommunicatos, ante ingreſſum Religionis, ſed ſolum poſt ingreſſum, juxta *cit. c. 2. h. t.* ut notat *Fagn. in cit. c. Cum illorum num. 12. & 13. h. t.*

LXIV. Notandum ſexto, ſi Monachus ſeu Regularis aliquis Clericum ſæcularem percuſſit, nonniſi per Sedem Apoſtolicam, ne ſcandalum evitetur, abſolvi poteſt, *cit. c. Cum illorum. §. Quod ſi Clericum*: hoc vero non univerſim intelligendum eſt de omni percuſſione, prout poſtea declaratum fuit in *c. Religioſus. 21. in princ. h. t. in 6* Ubi Papa Bonifa-
,, cius VIII. ita reſcribit: Religioſus, qui manus violentas
,, in Clericum ſæcularem injecit, ne hoc prætextu habeat
,, occaſionem evagandi, poterit ab Epiſcopo in eo caſu (vi-
,, delicet ſi percuſſio ſit levis, *Gl. hic V. In eo caſu*) abſolvi,
,, quo ſæcularis Clericus (vel etiam Laicus, *Gl. hic V. Sa-*
,, *cularis Clerici*) poſſet, ſi alium Clericum percuſſiſſet, *Suar. diſ. 22. de cenſur. ſec. 6. num. 74.* Ratio dubitandi fuit, quia quamvis Monachus Religioſus percuſſerit Clericum ſæcularem, nonniſi per Sedem Apoſtolicam abſolvi poteſt, propter ſcandalum vitandum, *cit. cap. Cum illorum*, & dictum paulo ante, quod datur, cum Monachus Clericum percutit, digniores enim cenſentur Clerici quam Monachi *c. Legi. 36. cauſ. 16. q. 1.* Verum ille textus intelligi debet ſecundum declarationem *cit. c. Religioſus*, quia Monachorum, vel Regularium non debet eſſe quoad hoc deterior conditio, quam Clericorum ſæcularium, *c. Sunt nonnulli. 25. in princ. cauſ. 16. q. 2. Gloſſ. hic V. Exhiberi.* Unde ſi Monachus, vel Monaſterium ſit inops, vel Religioſus detentus in infirmitate, vel ex alia legitima cauſa ſit impeditus, ut non poſſit ire Romam poteſt eum abſolvere Epiſcopus ab excommunicatione Canonis, & aliis caſibus reſervatis Sedi Apoſtolicæ, *Gl. hic in caſu & V. Eo caſu.*

LXV. Notandum ſeptimo, quamvis Jure communi Prælati Religioſorum non poſſint abſolvere ſuos ſubditos ab excommunicatione, ob percuſſionem gravem, vel enormem, ut patet ex dictis hodie tamen multi, & ferre omnes Religioſi habent privilegium, ut poſſint abſolvi a ſuis Prælatis, etiamſi gravis, & enormis fuerit manuum injectio, teſte *Molin. cit. diſ. 60. numer. 6. Laym. cit. cap. 5. numer. ult.*

Notandum octavo, percuſſio enormis, ſive facta, cum exceſſu, dicitur primo, vel reſpectu facti, ſi membrum parvum, vel magnum mutiletur: vel quando ſanguis effuſus fuit ex membro, cum abundantia, de quo facile ſanguis exire non ſolet. *Gl. in cit. c. Cum illorum. V. Effuſionem ſanguinis. h. t.* vel ſi oculus effodiatur &c. Secundo, reſpectu qualitatis perſonæ, ut ſi in Epiſcopum, vel Abbatem violentæ manus ſint injectæ, *cit. c. Cum illorum. §. Nos igitur. & ibi Gl. V. In Epiſcopum, vel Abbatem ſuum*, & univerſim quando ſubditus in ſuum Superiorem, vel filius in patrem, vel diſcipulus in Magiſtrum manus injicit *Gl. hic V. Abbatem.* Tertio ratione ſcandali imminentis, cum quo nihil fieri debet. Quarto reſpectu loci injuria dicitur atrox, ut ſi in foro publico, vel in conſpectu Judicis facta ſit, vel in Eccleſia aut cœmeterio &c. *Fagn. in cit. cap. Cum illorum. numer. 16. & seq.*

,, LXVI. Cæterum quod ſtatutum fuit in *c. 2. & c. Cum*
,, *illorum. 32. h. t.* de Monachis, & Canonicis Regularibus,
,, ut quocunque modo per ſe percuſſerint, non ſint ad Apo-
,, ſtolicam Sedem mittendi niſi exceſſus eorum fuerit enor-
,, mis: id extenditur in *c. Canonica 30. h. t.* ad Fratres, ſive
,, Commendatarios Hoſpitalis S. Joannis Jeroſolimitani, ut
,, (ob injectionem manuum in Clericum, ſeu Confratrem)
,, ab eorum Priore, qui Presbyter eſſe debet, abſolvi poſſint:
,, niſi majoris ſit providentia requirenda (propter enormi-
,, tatem exceſſus, vel propter majorem perſonam, ſive dignitatem perſonæ, cui manus injectæ ſunt, *Gl. hic V. Niſi majoris.* Porro illud hic notandum, quoad forum judiciale externum abſolutionem dare poteſt ille Clericus, qui juriſdictionem habet ordinariam, vel delegatam, etiamſi Presbyter non ſit, quia poteſtas excommunicandi ad ſolam juriſdictionem pertinet, non ad poteſtatem Ordinis, & competit Clericis etiam Sacris Ordinibus non inſignitis. Neque vero in hoc c. exigebatur, Priorem illum eſſe Presbyterum, quod is Ordo ſit neceſſarius ad abſolvendum ab excommunicatione, *Covarr. in c. Alma. p. 2. §. 11. n. 10.*

§. III.

De nonnullis caſibus, in quibus percutiens Clericum, vel Monachum excommunicationem Canonis non incurrit.

LXVII. Plures ſunt hujuſmodi Caſus expreſſi in hoc titulo.
,, Veluti primo, qui Clericum ſibi vim inferentem, vi repel-
,, lit incontinenti, non eſt ideo mittendus ad Sedem Apoſtoli-
,, cam, quia vim vi repellere, omnes leges, & jura permittunt, *c. Si vero 3. Si vero Clericum h. t.* ac proinde non eſt excommunicatus, cum licitum ſit ſe defendere, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, *Gl. hic V. Non vi.* Unde ſi fœmina Clericum, qui ipſo facto pudicitiam illius tentat, percutiat, non eſt excommunicata. Aliud eſt ſi ſolis verbis eam ſolicitat, tunc enim ſufficit verbis eum repellere, niſi valde moleſtus ſit, ut aliter ſe ab eo liberare non poſſit. *Suar. diſ. 22. de cenſ. c. 1. n. 33.* Item ſi mulier percutiat Clericum auferentem res injuſte occupatas, ut eas defendat, *Avila p. 2. c. 5. diſ. 33. dub. 12.*

LXVIII. Similiter in *c. Ex tenore. 10. h. t.* enumerantur
,, quatuor caſus, in quibus excommunicatio ob Clerici per-
,, cuſſionem non incurritur. Ubi inprimis mandatur, ut
,, quando aliquis abſolvitur ab excommunicatione, ob per-
,, cuſſionem Clerici, abſolvens ab eo recipiat juramentum,
,, quod parebit ſuo mandato: deinde auctoritate Papæ ipſum
,, abſolvat ab excommunicatione, & præcipiat, ne de cæ-
,, tero in Clericum, Monachum, vel Converſum Reli-
,, ligionis violentes manus injiciat: niſi ſe defendendo, aut
,, de mandato ſuorum Prælatorum: vel niſi ſit ejus Præ-
,, latus aut Magiſter, vel niſi ſit cum ipſo Socius in eadem
,, Eccleſia, qui ideo excipitur, quia propter aſſiduam con-
,, ſervationem facile fit, ut ſe ipſos invicem percutiant,
,, quia communio eſt mater diſcordiæ, *Gloſſ. fin. hic &*
,, *Abb. numer. 3.*

LXIX. Secundo ſi quis in Clericum turpiter inventum
,, cum uxore ſua, matre, ſorore, vel propria filia violentas
,, manus injecerit, non debet compelli adire Sedem Apoſtoli-
,, cam (quia non eſt excommunicatus) ſi vero invenit eum in
,, ſtupro, vel adulterio, quod committit cum alia conſangui-
,, nea non ita propinque ipſi conjuncta, & violentas manus
,, injecerit, non erit ab excommunicatione immunis, prout
,, ſtatuitur in *cit. c. Si vero 3. §. Nec ille h. t.*

LXX Notandum primo, qui percutit, vulnerat vel occidit Clericum, quem invenit turpiter agentem cum matre, filia, ſorore vel uxore, non eſt ideo excommunicatus, modo percutiat incontinenti, & non ex intervallo. *Suar. cit. diſ. 22. ſec. 2. n. 34. & 35. Laym. l. 1. tr. 5. n. 8. §. Quanta*, & alii. Et quamvis in hoc §. non expreſſe dicatur talem Clerici percuſſorem non incurrere excommunicationem, ſed non eſſe compellendum venire ad Sedem Apoſtolicam, ex quo ſolum ſequi videtur, hanc cenſuram non eſſe reſervatam Papæ: Auctores tamen communiter intelligunt, perſonas ibi expreſſas excipi, ne excommunicationem incurrant, ut colligitur ex §. proxime præcedente, ubi ſecundum communem interpretationem ſenſus eſt, eum, qui vim vi repellit, non incurrere excommunicationem, licet ibi eodem modo dicatur, non debere talem ad Sedem Apoſtolicam mitti. Ratio eſt, quia quamvis in his caſibus, percutiens, vel occidens privata auctoritate, graviter peccet, non tamen incurrit excommunicationem, quia Eccleſia non cenſet, ejuſmodi excommunicationem eſſe factam ſuadente diabolo, ſed vehementi paſſione, cum difficillimum ſit temperare in hoc caſu juſtum dolorem, *Suar. cit. loc.*

Notandum ſecundo. Clericus inventus turpiter hic dicitur, qui quemlibet turpem actum exercet cum dictis perſonis, etiam oſculo, vel amplexu tantum: vel ſi Clericus ſolus inveniatur cum ſola, in loco ſuſpecto, adjunctis aliis circumſtantiis, quæ ſuſpicionem movent, *Suar. c. l. n. 33.* Quod aliqui extendunt etiam, ſi maritus ex Induſtria ſe abſcondat domi ſuæ, ut Clericum, adulterum in flagranti deprehendat. *Navar. l. 5. Conſil. 42. h. t. Molin. tr. 3. diſ. 55. n. 6. in fine.*

Notandum tertio nomine uxoris hic intelligitur etiam ſponſa de præſenti, cum qua contractum eſt matrimonium, etſi nondum ſit conſummatum, non item ſponſa de futuro, quia non eſt uxor. Nomine autem matris, & filiæ non intelligitur avia aut neptis, quia verba legis proprie ſunt intelligenda reſtringentis privilegia Clericorum: neque conſanguineæ collaterales, excepta ſorore: nam qui violentas manus injiciunt in Clericos turpiter inventos cum remotioribus conſanguineis, non excuſantur ab excommunicatione Canonis, quia in his non eſt tam juſta cauſa doloris. *Molin. cit. diſ. 55 n. 5. Suar. cit. ſec. 1. n. 36.*

LXXI. Tertio, excommunicationem Canonis non incurrunt,

qui percutiunt Clericum, vel perſonam Eccleſiaſticam diſciplinæ, ſeu correctionis cauſa, ut Prælatus ſubditum ſuum regularem, Magiſter ſeu præceptor diſcipulum Clericum, pater filium. Et in primis de Prælato Eccleſiaſtico id habetur in *c. Ex tenore 10. ibi: niſi ſuper eum Prælationis miniſterium habeat h. t.* ubi *Gl.* ait: idem eſt, ſi quis habeat officium in Eccleſia, ratione cujus poteſt corrigere inferiores Clericos, vel Monaſterium. Et poſſe Prælatum Eccleſiaſticum, ſeu Superiorem percutere Clericum ſibi ſubditum per ſe, vel per alium Clericum, non autem per laicum, juſtæ correptionis cauſa, neque ideo excommunicationem incurrere, ſtatutum etiam habetur in *c. Univerſitatis 24. hoc. tit.* „ Nam cum quæſitum fuiſſet ex Clemente III. utrum laicus incidat in excommunicationem, qui juſſu Abbatis, cujus ſervitio commoratur, in Clericum, Monachum, vel Converſum temerarias manus injicere præſumit, maxime ſi juſta cauſa non ſubſit, propter quam debeat verberari? Reſpondet Papa, quod niſi Abbas Regularis diſciplinæ cauſa hoc faciat, in propria perſona, vel ſi neceſſitas urgeat, per Clericum, vel Monachum, id fieri jubeat; tam qui tales verberari præcipit, quam qui verberat, etiamſi cauſa ſubeſſet, excommunicationem non evadunt, donec ad Sedem Apoſtolicam veniant. Ratio autem, cur Superior Eccleſiaſticus percutere poſſit Clericum ſibi ſubditum, per ſe vel per alium Clericum, eſt quia ille habet jus caſtigandi ſuum ſubditum, idque ſæpe neceſſarium eſt, ad diſciplinam conſervandam, ideoque propter talem percuſſionem non poteſt cenſura incurri. Requiritur autem, ut talis correctio, ſeu verberatio debito modo fiat, ſcilicet ex juſta cauſa, & cum debita moderatione: alioquin ſi fiat cum notabili exceſſu, non evitabitur excommunicatio: quia tunc illa non eſſet Eccleſiaſtica diſciplina, ſed violenta manuum injectio, *Suar. cit. ſec. 1. n. 4.*

Porro licet hoc c. loquatur de ſolis Prælatis Regularibus communiter tamen DD. illud extendunt ad omnes Prælatos Eccleſiaſticos, etiam ſeculares, quoad hoc, quod non poſſint ſuos Clericos verberare per laicos, niſi ſit alicubi conſuetudo, ut in Gallia, tunc enim verberantes non incidunt in excommunicationem. Sed de hoc plura ſunt dicta ſupra *Tit. 25. n. 5.*

LXXII. Præterea etiam Magiſter, ſeu Præceptor Clericos, diſciplinæ cauſa, verberare poteſt, ſeu caſtigare, etiam in majoribus Ordinibus conſtitutos, ut habetur in *cit. c. Ex tenore 10. in fine, ibi: niſi ſuper eum Magiſterium habent,* & eſt ibi ſermo de Subdiacono, in quem manus violentæ injectæ erant, ut patet ex *princ.* illius c. Idem etiam quod Magiſtri percutientes Scholares ſuos, correctionis cauſa, non ſint excommunicati, habetur expreſſum in *c. Cum in voluntate 54. §. Si qui vero h. t.* Ubi plures hujuſmodi caſus „ excepti ponuntur. Et inprimis, quod Clerici, qui ratione officii, quod in Eccleſia obtinent, & alii Clerici Seniores zelo devotionis, poſſunt percutere pueros, vel adoleſcentes in minoribus Ordinibus conſtitutos, turbantes Divinum Officium. Item ſi Prælati, vel Magiſtri Subditos, & Scholares, correctionis cauſa, leviter percuſſerint, ſententiam excommunicationis non incurrunt. Idemque dicendum de his, qui aliquos de familia ſua, vel propinquos ſuos inferiorum graduum, id eſt, in minoribus Ordinibus conſtitutos, ſimili modo corrigunt, ut eos cohibeant a vitiis, & ſcientia boniſque moribus informent. In his omnibus caſibus, prædicti excommunicationis ſententiam non incurrunt. Requiritur autem, ut percuſſio, correctionis cauſa, facta ſit, ut dicitur in hoc c. id eſt, habita ratione culpæ, & perſonæ, tum percutientis, tum ejus, quæ percutitur, *Suar. cit. ſec. 2. n. 49.*

„ LXXIII. Similiter in *c. Super eo 2. h. t.* reſcribit Alexander III. quod ſi Clerici infra puberes annos ſe invicem, aut unus alterum percuſſerit (ex ira, & indignatione, ut patet ex ſeqq.) non ſunt ad Sedem Apoſtolicam mittendi (pro abſolutione) quia ætas eos excuſat. Nec Clerici (ſubintellige, ſunt excommunicati) ſi ſint plenæ ætatis, & non ex odio, vel invidia, vel indignatione, ſed ex levitate, aut joco, ſe invicem percuſſerint. Nec Magiſter, ſi Clericum ſcholarem, intuitu diſciplinæ vel correctionis, percuſſerit: quia non poteſt in ipſis violenta injectio manuum notari, ideoque non incidunt in excommunicationem Canonis, *Gl. fin. hic.* Si vero ex odio Clerici ſæculares, vel ſcholares ſeſe percuſſerint, tunc ad Sedem Apoſtolicam ire debent pro ſua abſolutione.

LXXIV. Ubi notandum primo. Pueri impuberes Clerici ſi ſint doli capaces, ſive plenum uſum rationis habeant, non excuſantur ab excommunicatione Canonis, ſi ſe invicem percuſſerint, ſed ad hoc ſolum, quod non ſint mittendi ad Sedem Apoſtolicam pro abſolutione, ſed ab Epiſcopo abſolvi poſſunt, *cit. c. 1. junct. Gl. V. Excuſat.* Aliud eſt de pueris, qui doli capaces non ſunt, hoc eſt, nondum habent uſum rationis ſufficientem ad peccatum mortale committendum, tales enim ob percuſſionem non incurrunt excommunicationem, & nulla omnino abſolutione indigent, nam excommunicatio non incurritur, niſi ob peccatum mortale, *c. Nemo 41.* & ibi *Gl. in caſu cauſ. 12. q. 3. Suar. diſ. 5. de cenſ. numer. 19.* & alii apud, *Barboſ. in cit. cap. 3. n. 6. hoc tit.*

Notandum ſecundo. Percutiens Clericum per jocum, aut ludendo inter ſe, non autem ex odio, aut deliberata indignatione, excommunicationem non incurrit, *cit. cap. 1.* quia talis percuſſio non eſt injurioſa, nec ſacrilega, adeoque nec violenta manuum injectio, *Suarez. cit. ſec. 1. n. 52.*

Notandum tertio. Percutiens Clericum excommunicatum non evadit excommunicationem, ob violentam manuum injectionem, ut in præſenti, primo percutiens jam erat excommunicatus, & tamen repercutiens eſt etiam excommunicatus, *Barb. in cit. c. 1. n. 2. h. t.*

LXXV. Denique ad patrem quod attinet, probabilius eſt patrem caſtigantem filium in Sacris conſtitutum excommunicationem Canonis non effugere, ut docet *Gl. fin. in cit. c. Cum voluntate h. t. & ibid. Abb. in fine Molin. tr. 3. diſ. 56. nu. 6. & Laym. cit. c. 5. nu. 9.* & alii, quia licet ſacer Ordo non omnino eximat a patria poteſtate, etſi Epiſcopalis, vel Cardinalitia dignitas eximat: liberat tamen quoad effectum caſtigationis, quia indecens videtur, Clericum in Sacris, ſeu Majoribus Ordinibus conſtitutum a patre laico verberari, ac proinde non eſt præſumendum Jura & SS. Canones id impune permittere voluiſſe. Contrariam tamen ſententiam tenet *Silveſt. V. Excommunicatio 6. num. 8. Avila p. 2. c. 5. diſ. 3. dub. 13. cauſ. 1. Suar. cit. diſ. 22 ſec. 1. num. 49.* quorum ratio eſt, quia pater non minorem, ſed potius majorem poteſtatem habet in filium, quam Magiſter in diſcipulum, ergo ſi Canones abſolute, & ſine reſtrictione dant facultatem Magiſtro verberandi diſcipulum correctionis cauſa, ſine excommunicatione, adeoque etiam in Sacris conſtitutum; multo magis id permiſſum erit patri erga filium. Verum cum percuſſio Clerici prohibita ſit in favorem Eccleſiaſtici Ordinis, non debet reſtringi, niſi in caſibus jure expreſſis: nullibi autem in Jure Canonico reperitur expreſſum de patre, quod quoſcunq; Clericos filios, etiam in Majoribus Ordinibus conſtitutos, verberare poſſit, caſtigationis cauſa, ſine nota excommunicationis; bene tamen quod Paterfamilias, caſtigationis cauſa, poſſit percutere Clericos adoleſcentes, qui ſunt de familia ejus, vel propinqui, in Minoribus Ordinibus conſtitutos, *cit. c. Cum voluntate §. Si quis vero h. t.* Ideo autem abſolute permittitur Magiſter percutere diſcipulum Clericum, correctionis cauſa quia fieri poteſt, & ſæpe fit, ut Magiſter ſit in majore Ordine conſtitutus, quam ejus diſcipulus: ſi vero Magiſter foret laicus, vel in Minoribus Ordinibus conſtitutus non eſſet ipſi quoq; verberare Clericum jure conceſſum, ſi is in Majoribus Ordinibus eſſet conſtitutus, *Laym. cit. cap. 5. nu. 9.* Plures caſus, in quibus percutiens Clericum non incurrit excommunicationem, videri poſſunt apud *Avilam cit. dub. 13.*

§. IV.

De quibus caſibus Epiſcopus Diœceſanus poſſit abſolvere ab excommunicatione contracta ob percuſſionem Clerici?

LXXVI. Plures ſunt hujuſmodi caſus expreſſi in Jure Canonico. Et imprimis quidem in *c. Si quis ſuadente 29. cauſ. 17. q. 4.* ponitur unus caſus, in quo percuſſor Clerici abſolvi poteſt ab Epiſcopo, nempe urgente mortis periculo: quamvis hæc exceptio non ſit ſpecialis, ſed generalis in omnibus caſibus reſervatis, quia in articulo mortis nullus caſus eſt reſervatus, juxta *Concil. Trid. ſec. 24. c. 7.* Et licet in *cit. Can.* fiat mentio de ſolis Epiſcopis, certum tamen eſt, quod etiam quilibet ſimplex Sacerdos poſſit in eo articulo abſolvere a tali peccato, & multo magis a cenſura, ſi Epiſcopus adiri non poſſit, *Suar. cit. diſ. 22. ſec. 2. n. 61.*

LXXVII. Secundo in *c. ea noſcitur 13. h. t.* reſcribit Cle„ mens III. quod mulieres, ſenes, infirmi, & membris deſtituti, ſeu mutilati propter violentam manuum injectionem in perſonam Eccleſiaſticam excommunicati, licet ad Sedem Apoſtolicam non veniant, poſſint ab Epiſcopis fidelium communioni reſtitui, facta prius ſatisfactione, juxta ſuam facultatem iis, quibus conſtiterit injurias eſſe irrogatas. Alii vero, ſive pauperes, ſive divites, Sedi Apoſtolicæ, vel Legato ejus, pro abſolutione ſe debent præſentare. Si vero infirmi, timore mortis, a Prælato ſuo fuerint abſoluti ab excommunicatione, jurare debent, quod cum convaluerint, adibunt Papam, vel ejus Legatum, mandatum Apoſtolicum ſuper his recepturi.

LXXVIII. Pro explicatione notandum primo, quatuor hic ponuntur ſpecies perſonarum, quæ non tenentur adire Papam, ſi ob percuſſionem Clerici ſunt excommunicati, ſed poſſunt ab Epiſcopo abſolvi. Primo, Mulieres, & habetur etiam in *c. Mulieres 6. in princ. h. t.* idque indiſtincte, etſi mulier ſit juvenis, & ſive ſit pauper, ſive dives; & hoc ſtatutum eſt propter fragilitatem ſexus, quia longinqua peregrinatio mulierum eſt periculoſa. *Abb. hic not. 1.* Item ſenes, valetudinarii, ſeu infirmi, ſive laborantes morbo diuturno, & membrorum uſu impediti, ut claudi, cæci &c. *Abb. hic n. 2. not. 2.* quia omnes iſti cenſentur inepti, & moraliter impotentes eundi Romam, & ideo eo onere liberantur, præſtita tamen ſatisfactione, juxta facultates ipſorum, quod ſemper ſubintelligendum eſt, ut ſatisfaciat quis quantum poteſt, *Gl. hic V. Juxta facultates Suar. cit. diſ. 22. ſec. 2. n. 63.* Alii vero, ſive pauperes ſint, ita tamen ut ſaltem mendicando poſſint ire ad Papam: ſive divites, debent ſe Sedi Apoſtolicæ præſentare, vel Legato ejus, ut habetur hic §. *Alios autem.*

Notandum ſecundo. Illi, qui tempore infirmitatis, timore mortis ſunt ab excommunicatione abſoluti ab Epiſcopo, ſi convaluerint, debent adire S. Pontificem, vel ejus Legatum, & mandatum Apoſtolicum recipere, *Gl. hic V. Valetudinarii,* alioquin ipſo facto reincidunt in eadem excommunicationem, *Abb. hic n. 2. not. 3.*

LXXIX. Tertio in *c. Mulieres 6. in princ. hoc. t.* habetur, „ quod mulieres, vel aliæ perſonæ, quæ ſui juris non ſunt (ut ſunt ſervi, ſeu mancipia, vel ſimiles, *Gl. hic V. Sui juris*) ab Epiſcopo Diœceſano abſolvi poſſunt, ſi manus violentas in Clericum injecerint. Si vero perſonæ ſint magnæ potentiæ, vel ita delicatæ, ut nequeant ſubire laborem veniendi ad Sedem Apoſtolicam, tunc ſtatus perſonæ, & negotii tractatus, ſive veritas facti prius intimanda eſt S. Pontifici, & ſecundum ejus conſilium erit procedendum. Ubi notandum, quod mulieres, & ſenes ob injectionem manuum, ab Epiſcopo Diœceſano ſint abſolvendi, *Gl.*

hic

Digitized by Google

hic in notatis. An autem tales delicatæ perſonæ ſubire poſſint laborem veniendi Romam, id remittendum eſt ad arbitrium Epiſcopi, qui ſi judicet, eas non poſſe venire Romam, illas poterit abſolvere ab excommunicatione, propter periculum in mora, recepta ab eis ſufficiente cautione, quod ſtabunt judicio, vel mandato Papæ. Si vero periculum non adſit, conſulatur Papa, antequam abſolvantur, *Gl. hic. V. Laborem veniendi*. Porro quæ hic habentur in §. *Illi vero*, *in fine*, explicata ſunt ſupra *num.* 59.

LXXX. Quarto plures caſus, in quibus excommunicati, propter violentam manuum injectionem, Romanum Pontificem adire non debent, ſed ab Epiſcopo abſolvi poſſunt, referuntur etiam in *c. Quamvis* 58. *h. t.* Ubi Papa Gregorius IX. ita reſcribit: Si aliquis incidens in excommunicationem iſtius ſententiæ, propter violentam manuum injectionem, ſatisfaciat, juxta proprias facultates, injuriam paſſo: non tamen poteſt aliter, quam per Sedem Apoſtolicam, vel ejus Legatum abſolutionem obtinere: niſi in quibuſdam caſibus hic expreſſis, videlicet imminente mortis articulo, infirmitate, inimicitia, vel inopia, puerili, vel ſenili ætate, fragilitate ſexus muliebris, vel alia corporis impotentia, ſive alio Canonico impedimento, per quod retrahatur, quominus Romanum Pontificem adire poſſit: vel Juris beneficio a labore hujuſmodi excuſetur. Cæterum quibuſdam ex prædictis, nempe qui temporali impedimento laborant, exceptis pueris, ſub juramento præſtito, ſecundum Eccleſiæ formam, injungendum eſt, ut impedimento ceſſante, ad Apoſtolicam Sedem accedant, & mandatum ipſius humiliter ſuſcipiant.

LXXXI. Notandum primo. Legatus Papæ poteſt abſolvere ab excommunicatione Canonis, *Si quis ſuadente*, ſive injuria ſit levis, ſive gravis, ſeu enormis, quia hic non diſtinguitur, *Abb. hic not.* 1.

Notandum ſecundo. Excommunicatus propter aliam cauſam, quam injectionem violentam manuum in Clericum, non poteſt abſolvi ab Epiſcopo, vel alio Papa inferiore, quia id ſolum ſpecialiter conceſſum eſt pro excommunicatione Canonis, ob percuſſionem Clerici, præter articulum mortis, in quo abſolvi poteſt excommunicatus ex quacumque cauſa, *Abb. hic n.* 3. & ejus *Gloſſ. in addit. lit.* A.

Notandum tertio. Additur in *cit. cap. Quamvis*, alia excuſatio, ibi: *niſi Juris beneficio a labore hujuſmodi excuſetur*, quia ſcilicet quædam perſonæ, ſine ſpeciali impedimento eundi Romam, in jure excuſantur, ut ſi percuſſio ex modo, quo fit, excuſabilis ſit, ut percuſſio facta ab impubere: vel quia prætextu exercendi officium ſuum percutit quis Clericum; tunc etiam ab Epiſcopo abſolvi poteſt, *Suar. cit. l. n.* 69.

LXXXII. Quinto ſimilis priori Conſtitutio habetur in *c. Quod de his.* 26. *h. t.* ubi etiam dicitur, quod is, qui incidit in Canonem latæ ſententiæ, ob percuſſionem Clerici, non poſſit abſolvi, quam per Papam, vel ejus Legatum, niſi in mortis articulo, vel paupertate, infirmitate, vel ſenectute tanta gravatus ſit, ut ad Romanam Eccleſiam venire non poſſit, vel alio impedimento Canonico retardetur. Verum exigendum eſt ab illis juramentum, ut reſumptis viribus, & data opportunitate (ſive impedimento ceſſante) Eccleſiam Romanam in propria perſona viſitent.

Sed prædicto utrique cap. in quibus dicitur, quod ob inopiam, vel paupertatem excuſetur is, qui Clericum percuſſit, ut non teneatur ire Romam, pro abſolutione, ſed ab Epiſcopo abſolvi poſſit, obſtare videtur, *c. Ex noſcitur.* 13. *h. t.* ſibi præter perſonas ibi exceptas, dicitur: Alios autem ſive pauperes, ſive divites Sedi Apoſtolicæ, vel Legato ejus, ut beneficium abſolutionis obtineant, neceſſe eſt præſentari. Verum ibi ſermo eſt de illis pauperibus, qui ſoliti ſunt mendicare, & alias ſani ſunt, adeoque Romam ire mendicando poſſunt, hi enim propter inopiam non excuſantur. At vero ſi quis ita pauper ſit, ut non mendicando, vel manibus ſuis laborando, vivat: & iter agendo non poſſit laborare, is non cogitur mendicare, ſive mendicando vivere, ſed excuſatur ob paupertatem, de quibus agitur in ſupra citt. 2. capp. *Suar. cit. diſ.* 22. *ſec.* 2. *n.* 65.

LXXXIII. Sexto, cum prædictis juribus, ſeu Canonibus concordat textus in *c. De cætero.* 11. *h. t.* ubi dicitur: Si quis, ob violentam manuum injectionem in Clericum, eſt excommunicatus, & habeat inimicitias capitales, vel alias juſtas cauſas, propter quas ad Apoſtolicam Sedem, ſine periculo, ire non poſſit, tum licet Epiſcopo Diœceſano, recepto juramento, ſecundum morem Eccleſiæ, ipſum abſolvere, ita tamen ut ſimul eidem ſub obligatione juramenti injungatur, ut quamprimum poterit Romanum Pontificem adeat, Mandatum Apoſtolicum recepturus.

Porro inter cauſas excuſantes numeratur univerſim quodvis impedimentum ſuperveniens, ob quod prudentis arbitrio, is qui manus violentas injecit in Clericum, commode accedere non poteſt ad Sedem Apoſtolicam, ut ſi ob bellum impediatur tranſitus Romam: vel ſi is, qui percuſſit, habeat curam animarum, quas non poſſet, ſine notabili earum detrimento, relinquere, neque idoneum Vicarium ſibi poſſet ſubſtituere. Item ob corporale impedimentum infirmitatis, vel imbecillitatis virium, aut ſexus, paupertatis, aut alia hujuſmodi impedimenta, de quibus ſupra. Vel ex quacunque alia cauſa rationabili, ut eſt ſubvenire parenti graviter indigenti, alere uxorem, vel filios, exercere munus publicum, ad quod ex officio tenetur &c. in his, & aliis caſibus poteſt percuſſor Clerici abſolvi ab Epiſcopo, etiamſi injuria ei illata enormis fuerit, *Molin. tr.* 3. *de juſtit. num.* 6. *Suar. cit. diſ.* 22. *ſ.* 2. *n.* 66. & 68.

LXXXIV. Septimo in *c. De Monialibus.* 33. *h. t.* dicitur: Si Moniales ſe ipſas invicem percuſſerint, vel Converſos vel Converſas ſuas, vel etiam Clericos, ab Epiſcopo, in cujus Diœceſi Monaſteria exiſtunt, abſolvi poſſunt. Nam Claves Eccleſiæ non ſunt commiſſæ ſexui fœmineo, ideo Abbatiſſa Moniales ſuas abſolvere non poteſt, nec a peccatis, nec a Cenſuris, *Gl. hic V. Per Epiſcopum*.

LXXXV. Ubi notandum primo. Epiſcopus abſolvit Moniales in hoc caſu, non auctoritate Papæ, tanquam ejus delegatus, tam exemptas, quam non exemptas, ut aſſerit *Gl. hic V. Per Epiſcopum* ſed Jure ſuo proprio, tanquam Ordinarius, ſeu Diœceſanus loci, ſicut alias mulieres, juxta *c. Mulieres* 6. *h. t.* quia verba illa, *auctoritate noſtra*, quæ in antiqua lectione inſerta erant, ſuper poſtea omiſſa. *Hoſtienſ. hic V. per Epiſcopum & Jo. Andr.* Quod ſi una Monialis percutiat Monachum, vel Monialem alterius Monaſterii, & Diœceſi, tunc uterque Epiſcopus conveniat, vel alter vices ſuas alteri deleget, ut tradit *Gl. hic in fine*, & dictum ſupra *num.* 63.

Notandum ſecundo. Epiſcopus poteſt abſolvere Moniales etiam propter enormem percuſſionem alterius Monialis, vel Monachi, aut Clerici, quia Papa hic illam non reſervat, idque ne detur illis occaſio exeundi e Monaſterio pro abſolutione, & ſe immiſcendi inverecundie virorum cœtibus, *Abb. hic num.* 4. *not.* 3.

LXXXVI. Octavo, alius caſus, in quo Epiſcopus poteſt abſolvere ab excommunicatione contracta, ob percuſſionem Clerici, proponitur in *c. Relatum* 37. *h. t.* ubi habetur, quod ſervi (ſeu mancipia) propter violentam manuum injectionem in Clericos, incidunt in excommunicationem latæ ſententiæ: & quamvis domini eorum allegent, quod carere ſuis mancipiis nolint: nihilominus compellendi ſunt venire ad Sedem Apoſtolicam abſolvendi: cum ſit plus DEO, quam homini deferendum: niſi tales ſervi hoc faciant in fraudem Dominorum, ut ſubtrahant ſe obſequio illorum, aut ipſi Domini propter hoc, ſine culpa ſua grave damnum incurrant: tunc enim in hoc utroque caſu, poterit eos Epiſcopus Diœceſanus ex indulgentia, & diſpenſatione Papæ, abſolvere, cum ab Apoſtolica Sede ſint nimis remoti: & in compenſationem laboris alia eis eſt ſatisfactio injungenda dummodo tamen exceſſus non ſit tam enormis aut gravius, ut propter vitandum ſcandalum, & tollendum pravum exemplum, hujuſmodi ſervi ad Sedem Apoſtolicam venire debeant. Ratio utriuſque exceptionis eſt, quia fraus & dolus nemini patrocinari debent, & nemo ſine culpa eſt privandus ſuo jure, *Vivian. in Ration. hic*.

LXXXVII. Nono denique, ſi pueri impuberes, ſive infra XIV. annos conſtituti violenter manus in Clericos injiciant, ſive ante, ſive poſt pubertatem, poſtulent ſe abſolvi, poteſt Epiſcopus Diœceſanus eos abſolvere, cum propter defectum ætatis, in quo exceſſus fuit commiſſus, rigor manſuetudine ſit temperandus, prout decidit in *c. Pueris.* 60. & *ult. h. t.* dummodo ſint doli capaces, alias injuriam inferre non poſſunt.

Hinc colligitur primo. Beneficium conceſſum, ratione minoris ætatis, ſive impuberi, non extinguitur, licet minor pervenerit ad majorem ætatem, ſive pubertatem, ut in propoſito, pueri impuberes, qui ob percuſſionem Clerici ſunt excommunicati, poſſunt abſolvi ab Epiſcopo, etſi ante abſolutionem ſint plures facti, *Abb. hic n.* 1.

Colligitur ſecundo. Ratione minoris ætatis, aliquando rigor juris mitigatur, ita ut ætati parcatur, & ob delictum minor pœna imponatur, *Gl. hic in notatis & V. Ætatis*.

§. V.

Proponuntur, & explicantur reliqua Capitula hujus Tituli, in quibus agitur de excommunicatione, ob percuſſionem Clerici vel Monachi.

LXXXVIII. De hoc agitur inprimis in *c. Porro* 7. *h. t.* ubi dicitur. Si aliqui (laici, vel Clerici ſæculares, *Hoſtienſ. hic V. eod.*) in fratres ſuos, id eſt, proximos, Clericos tamen, violentas manus injiciant & pœnitentia ducti, non convicti, ſed privatim, ſeu occulte veniam petant ab Epiſcopo loci (quia forte occulta fuit offenſa) monendi ſunt, ut congrue ſatisfaciant iis, quos læſerunt, & pro abſolutione obtinenda Papæ ſe ſiſtere debent, cum ab Epiſcopo, vel alio, ſine ſpeciali mandato Papæ, abſolvi non poſſint.

Hinc colligitur primo. Quod non valet pœnitentia, ſine debita ſatisfactione, *Gl. fin. hic*. ac proinde non poteſt quis in foro animæ abſolvi ab excommunicatione, niſi ſatisfaciat læſo, alioquin reincidit in eandem excommunicationem, *Abb. hic n.* 3.

Colligitur ſecundo, excommunicatus propter violentam manuum injectionem in Clericum, licet occultus ſit; abſolvi poteſt a ſolo Papa, ut conſtat ex hoc c. idque procedit, ſpectato Jure communi. Veruntamen hodie poſt *Concil. Trident. ſ.* 24. *de reform. c.* 6. poſſunt Epiſcopi quoſcunque ſibi ſubditos abſolvere ab excommunicatione, etiam propter percuſſionem Clerici, modo delictum ſit occultum nec ſit ad forum contentioſum deductum: nec tenetur talis excommunicatus ab Epiſcopo abſolutus, vi hujus Decreti Tridentini, poſtea adire Papam, vel Legatum ejus, ut ex Bonacina docet *Barboſ. in Collect. hic* n. 3.

LXXXIX. Secundo in *cap. Parochianos.* 6. *h. t.* dicitur. Quod qui violentas manus injiciunt in Monachos, vel Converſos eorum, remota appellatione, tanquam excommunicati publice ſunt denunciandi, & evitandi, ſecundum generale Decretum (*c. Si quis ſuadente* 29. *cauſ.* 17. *qu.* 4.) donec læſis congrue ſatisfaciant, & cum Litteris Ordinarii adeant Sedem Apoſtolicam. Hinc colligitur, quod a ſententia excommunicationis, ob percuſſionem Clerici, appellari non poſſit, quando conſtat notorie, talem incidiſſe in excommunicationem, nec per appella-

Digitized by Google

-tionem impeditur, quominus percutiens ſit denunciandus, & vitandus: ſecus eſt, ſi notorie non conſtet, ſed dubium, an percuſſerit, necne, vel an non ex cauſa excuſante, tum enim appellationi eſt deferendum, *Abb. hic. n. 2.*

XC. Tertio in *c. Cum non ab homine 24. h. t.* reſcribit
,, Clemens III. quod qui eſt excommunicatos propter ſacri-
,, legam manuum injectionem in Clericum, licet denuncia-
,, tus non ſit, ab aliis ſit vitandus, niſi ſit occultus, tunc
,, enim privatim ſolum, ſive a ſciente illum eſſe excommu-
,, nicatum vitari debet, quamdiu ab Eccleſia toleratur.
,, Item qui occidunt illos Clericos aut Presbyteros, qui
,, contempto Clericali habitu enormitatibus ſe immiſcent,
,, in odium hujuſmodi Clericalis exceſſus, & in terrorem,
,, & correctionem ſimilium, excommunicationis ſententiam
,, non incurrunt. Eſt tamen eis aſperior pœnitentia impo-
,, nendam, quam ſi in laicos talia commiſiſſent.

XCI. Ubi notandum primo, excommunicatus, ob violentam, & ſacrilegam injectionem manuum in Clericos, ſtatim vitandus eſt, quam primum conſtat, eum eſſe excommunicatum, tametſi nondum ſit denunciatus, occultus quidem occulte, publicus vero publice, quia per denunciationem excommunicati ipſa non communicatur, ſed ſolum excommunicati ipſe non excommunicatur, ſed ſolum excommunicatus declaratur, *Covarr. in c. Alma p. 1. §. 2. n. 2. in fine, Gl. hic V. denunciatus.* de quo infra:

Notandum ſecundo, percutiens Clericum, qui dimiſſo habitu & tonſura Clericali immiſcet ſe enormitatibus, non eſt excommunicatus, quia talis Clericus amittit privilegium Canonis, *ſi quis ſuadente*, ipſo facto, etiam ſine alia admonitione. Unde talis percutiens non eſt excommunicatus, etiamſi ſciat ipſum eſſe Clericum, quia hoc ſtatutum eſt in odium iſtorum Clericorum, *Abb. hic nu. 6.* Dicitur autem Clericus ſe immiſcere enormitatibus, quando init prælia, facit ſeditionem: & aggreſſiones in populo, & alia hujuſmodi, *Barb. in Collect. hic n. 3.*

XCII. Quarto ſimiliter in *c. Perpendimus 23. h. t.* habetur, quod cum quidam Sacerdos, qui ſe falſo nominavit filium Regis, arreptis armis, ſeditionem feciſſet, a quodam Comite juſſus eſt fuſtigari, qui poſtea ex ejuſdam mandato:
,, fuit ſuſpenſus in patibulo. Conſultus ſuper hoc Papa re-
,, ſpondit: ſi dictus Sacerdos tali modo exceſſit, & non
,, propulſando injuriam (nam vim repellere licet) ſed a-
,, lius inferendo, fuit occiſus, non debent occiſores illius
,, propterea ad obtinendam abſolutionem cogi adire Sedem
,, Apoſtolicam, quia non ſunt excommunicati. Ordinarius
,, tamen loci competentem pœnitentiam eis injungat, ſe-
,, cundum merita perſonarum.

XCIII. Circa hanc Decretalem notandum primo, Conſtitutio *Si quis ſuadente. 29. cauſ. 17. q. 4.* continet duas partes, prima eſt, quod injiciens violentas manus in Clericum eſt excommunicatus: ſecunda, quod pro abſolutione obtinenda tenetur adire Sedem Apoſtolicam, quamvis multi caſus ſint excepti, in quibus percuſſores Clericorum ſunt excommunicati, & tamen non ſunt mittendi ad Curiam Romanam pro abſolutione, ut ex ſupra dictis patet. Unde quando in *cit. c. Perpendimus.* dicitur, occiſores illius Sacerdotis, qui dimiſſo habitu Clericali ſe immiſcuit enormitatibus, non eſſe cogendos ire Romam, probabilior intellectus eſt, & expoſitio, quod hæc Decretalis loquitur de privilegio Clericali Canonis, quod amiſit Sacerdos ille, ideoque illius occiſores non tenentur ire Romam pro abſolutione obtinenda, quia non erant excommunicati, & ita tenent omnes, teſte *Claro l. 5. ſent. §. fin. q. 77. n. 6.* Non autem talis Clericus perdit privilegium fori, ita ut non poſſit puniri per Judicem ſecularem, niſi trina monitio Judicis Eccleſiaſtici præcedat. Nam privilegium fori non ita facile perditur, quia eſt indultum a Jure Divino, *§. Si Imperator 11. diſ. 96.* Unde Conſtitutiones eximentes Clericos a ſæculari poteſtate, non continent Jus Novum, ſed ſunt declaratoriæ Juris Divini: privilegium vero Canonis facilius perditur, quia eſt inductum Jure Eccleſiaſtico, nempe ex Decreto Concilii Lateranenſis relato in *cit. c. Si quis ſuadente. Martha de juriſdict. p. 4. caſu. 135. n. 2. & 3.* alii apud *Barb. in cit. c. Perpendimus. n. 2. & 3.* Nec obſtat *c. Cum non ab homine. 14. §. In art. h. t.* quia loquitur expreſſe de privilegio Canonis, nec debet extendi ad privilegium fori, quod difficilius perditur, ut dictum eſt, *Fagn. in cit. c. Perpendimus. n. 8. & 9.*

Verum plures DD. intelligunt hoc c. etiam de privilegio fori, ita ut Clericus, etiam in Sacris conſtitutus, qui dimiſſo habitu Clericali enormia delicta committit, amittat privilegium fori, etiam nulla præcedente monitione, & poſſit a Judice ſæculari puniri, & ita in praxi, & ſecundum approbatam conſuetudinem obſervari, teſtatur *Clarus §. fin. q. 36. n. 23.* quod alii limitant, ſaltem ſi in enormitatibus diu perſeveret. Recte tamen hic notat *Fagnan. c. l. n. 11.* non obſtare contrariam conſuetudinem, quæ viget in aliquibus Tribunalibus ſæcularibus, quia de privilegio Clericali fori, ſecundum Canones, eſt judicandum, non autem ſtandum ſtatutis, vel conſuetudinibus laicorum, ſolus enim Papa generalia Clericorum privilegia poteſt interpretari, vel extendere, cum ergo non repetiantur limitata in hoc ſpeciali caſu, niſi quoad privilegium Canonis, in aliis ſtandum eſt exemptioni a poteſtate ſæculari.

XCIV. Notandum ſecundo, *in fine cit. c. Perpendimus*, præcipitur imponi pœnitentia percutientibus, vel etiam occidentibus Sacerdotem, qui dimiſſo Clericali habitu, ſe immiſcuit enormitatibus, quia non perdidit privilegium fori, ſed ſolum Canonis, ideoque in rei veritate peccarunt, quia occiderunt Sacerdotem, in quem, quippe laici, poteſtatem non habuerunt, alioquin ſi amiſiſſet etiam privilegium fori, licite potuiſſet a Judice ſæculari, nempe a Comite illo, de quo ibi ſit mentio, puniri, non tamen fuerant excommunicati, quia privilegium Canonis Sacerdos ille amiſerat: ſicut qui laicum percutit, in quem nullam poteſtatem habet, peccat quidem, ſed non eſt excommunicatus, neque licet percutere clericum, & multo minus, occidere, etſi ipſe perdiderit, propter delictum ſuum, privilegium Canonis, *Abb. hic in fine.* Porro major pœnitentia imponi debet percutientibus, vel occidentibus Clericum, qui perdidit, ob delictum ſuum, privilegium Canonis, quam ſi percuſſiſſent laicum, ut habetur in *hoc Cum non ab homine. 24. h. t. Gl. fin. in cit. c. perpendimus.*

XCV. Quinto denique in *c. Ad Eminentiam. 20. h. t.* quæ-
,, ſitum fuit ex Papa utrum qui ob injectionem manuum in
,, Clericos, vel alias Religioſas perſonas excommunicatio-
,, nem incurrerunt, & a Legatis Cardinalibus qui a latere
,, Romani Pontificis miſſi dicuntur, ab illa abſolvuntur,
,, cenſeri debeant abſoluti eſſe, etſi illi Legati nullum ſu-
,, per hoc expreſſum mandatum oſtendant? Reſpondet Pa-
,, pa, quod ipſi haberi debeant abſoluti, quos conſtiterit a
,, talibus abſolutionem obtinuiſſe. Idque extenditur etiamſi atrox injuria ſit illata Clericis, vel Religioſis; vel læſio enormis, qualis eſt: quæ ſit cum cæde Clerici, vel effuſione ſanguis ejuſdem in loco publico, & per quam læditur Abbas, vel Epiſcopus, ut docet *Azor. p. 2. l. 6. c. 32. qu. 6.* Quin etiam ab aliis excommunicationibus Papæ reſervatis poteſt talis Legatus abſolvere, niſi fuerit excommunicatio ita Papæ reſervata, ut a nullo alio, quam ab ipſo poſſit abſolvi, *Azor. c. l.*

§. VI.

De aliis excommunicationibus ſpecialibus contentis in hoc Titulo, quæ infliguntur ob varia crimina.

XCVI. De his agitur in pluribus, & diverſis Capitulis *h. t.* Et inprimis quidem Clerici, qui ſcienter participant in divinis cum excommunicatis a Papa, ſunt excommunicati, prout decernitur in *c. Significavit. 18. h. t.* Ubi dicitur: Clericos, qui ſcienter, & ſponte participant excom-
,, municatis a Papa, admittendo eos ad Divina officia,
,, eadem excommunicationis ſententia (videlicet majore,
,, *Gl. fin. hic*) involvi, & pro abſolutione mittendos eſſe ad
,, Papam, cum litteris Ordinarii. Hinc colligitur, quod quinque requirantur ad incurrendam hanc excommunicationem. Primo, ut excommunicatus, cui communicatur, fuerit nominatim a Papa excommunicatus. Secundo, ut communicans ſit Clericus. Tertio, ut communicans cum excommunicato ſciat illum eſſe excommunicatum a Papa. Quarto, ut ſponte communicet, non vi vel metu coactus. Quinto, ut in Divinis participet intra vel extra Eccleſiam, ſimul cum illo orando, vel alio modo, *Abb. hic n. 3. Covarr. in c. Alma p. 1. §. 3. num. 4. Clarus §. fin. q. 77. n. 8. Suar. diſ. 22. de cenſur. ſec. 2. num. 22.*

XCVII. Altera excommunicatio, ſive reſervatio excom-
,, municationis habetur in *cap. Tua nos. 19. h. t.* Ubi di-
,, citur: Quod non ſolum quia in Clericos temerarias ma-
,, nus injiciunt, ſed etiam incendiarii, poſtquam per ſen-
,, tentiam Eccleſiæ publicati fuerint excommunicati, pro
,, abſolutione ad Sedem Apoſtolicam ſunt mittendi.

XCVIII. Notandum primo, hoc c. dupliciter poteſt intelligi vel de ſolis Incendiariis Eccleſiarum, & aliorum locorum Religioſorum, quod ſunt excommunicati per Eccleſiæ ſententiam, id eſt, quia ſunt per Eccleſiam excommunicati. Sed contra hanc expoſitionem eſt, quia in hoc cap. non eſt ſermo de ſententia excommunicationis, ſed de ſententia promulgationis, id eſt denunciationis, quæ ſupponit excommunicationem jam eſſe latam: dicitur enim expreſſe, *per ſententiam Eccleſiæ*, quæ eſt actus hominis, non legis, adeoque quod per ſententiam Judicis ſit lata, non ipſo jure, ut notat *Suar. diſ. 22. de cenſ. ſec. 2. num. 15.* Altera vero & melior expoſitio eſt, quam præfert *Suar. c. l. num. 17.* Quod Incendiarii, qui jam ſunt, vel poſtquam fuerint per hominis, ſeu Judicis ſententiam excommunicati, & publicati, non poſſint abſolvi, niſi a Papa. Unde etiam in *c. Peſſimam 32. cauſ. 23. q. 7.* præcipitur, ut incendiarius excommunicetur, & Eccleſiaſtica careat ſepultura, ergo non ex ipſo jure excommunicatus. Verum licet ex Jure Canonico non poſſit ſufficienter probari, Incendiarios etiam Eccleſiarum, & aliorum locorum Religioſorum, eſſe ipſo jure excommunicatos: conſuetudine tamen receptum eſſe, ut Incendiarii, ipſo facto, cenſeantur eſſe excommunicatione ligati, ita ut, ſi denunciati fuerint per Eccleſiæ ſententiam, a nullo, præterquam Romano Pontifice, abſolvi poſſint, juxta *cit. cap. Tua nos*, docet *Azor. p. 1. l. 9. c. 27. q. 11.* Ubi addit, quod Pontifex in *cit. cap.* ut certum reliquit eos eſſe excommunicatione aſtrictos, & id ſtatuit tanquam novum jus: itaque poſtquam incendiarii primo ſunt excommunicati ab Epiſcopis, & poſtea publicati, & denunciati, reſervat ſibi Papa abſolutionem eorum ad terrorem aliorum, alias Ordinarii poſſunt abſolvere omnes Incendiarios, *Gl. fin. hic.*

Notandum ſecundo, ut hujus excommunicationis abſolutio ſit reſervata Papæ requirunt communiter DD. ut Incendiarius, non ſolum ſit excommunicatus, ſed etiam ut ſit publice denunciatus, & quidem non tantum generaliter, ſed ſpecialiter, & nominatim, ſive expreſſo nomine. Verum *Suar. c. l. num. 18.* probabiliter putat, non requiri, ut denuncietur in particulari ſeu proprio nomine, quia in *cit. c. Tua nos*, eſt ſermo non de perſonis in particulari, ſeu ſub propriis nominibus, ſed de Incendiariis in communi, adeoque ſufficit, ut Incendiarii publicentur per ſententiam generaliter promulgatam: nam Pontifex reſervat hanc excommunicationem ad deterrendos homines ab incendiis, ergo reſervat etiam, quando fertur ſententia generaliter in omnes, qui committunt tale crimen.

XCIX.

XCIX. Tertia excommunicatio ſimilis priori reperitur in *c. Conqueſti.* 21. *h. t.* Ubi Papa Clemens III. mandat, „ quoſdam Sacrilegos, qui Eccleſias quaſdam Reginenſis Epiſcopatus violenter effregerunt, & eaſdem ſpoliarunt, excommunicatos denunciari, & ſicut excommunicatos arctius evitari, donec injuriam paſſis congrue ſatisfaciant, & damna reſarciant, & cum litteris (ſuorum Prælatorum) rei veritatem continentibus, Apoſtolico ſe conſpectui præſentent, ſcilicet pro abſolutione obtinenda.

C. Circa hanc Conſtitutionem notandum primo, qui Eccleſias vi effringunt, & eaſdem ſpoliant, ſunt ipſo jure excommunicati, prout explicat hoc c. *Gl. hic. V. Excommunicatos nuncietis*, *& Abb. num.* 2. & alii DD. communiter: non eſt autem in hoc c. ſermo de omni ſacrilegio, ſive furto ſacrilego Eccleſiæ, quia non omnis fur rerum Eccleſiaſticarum eſt ipſo jure ſeu facto excommunicatus, ut colligitur ex *c. ult. de furtis & c. Conqueſtus.* 26. *de foro compet.* Sed ſolum de violenta effractione Eccleſiæ, & ejus ſpoliatione, ut bene explicat *Suar. diſ.* 22. *de conſ. ſec.* 2. *num.* 6. Ubi per effractionem intelligitur quævis violenta apertio Eccleſiæ, ſive rumpatur murus, ſive ſeræ effringantur: per ſpoliationem vero quælibet rapina, vel furtum grave in illa quantitate quæ ſufficit ad peccandum mortaliter in materia ſacrilegii, neque enim requiritur, ut Eccleſia ſpolietur omnibus, quæ in ea ſunt. *Suar. cit. l. num.* 21.

Porro cum non inveniatur prius aliquod Jus, ſive Canon, in quo excommunicatio, ipſo Jure, lata ſit in effractores, & ſpoliatores Eccleſiarum, dicendum eſt illam latam eſſe a Papa virtualiter & implicito in hoc ipſo *c. Conqueſti.* illis verbis: *mandamus, ut ſi ita eſt, memoratos ſacrileges excommunicatos nuncietis*, ita ut ſenſus ſit, quia eo nunc illos excommunico: ſicut patet ex illis ſimilibus formulis ferendi cenſuram: v. g. *Qui hoc fecerit noverit ſe eſſe excommunicatum.* Ubi neceſſario ſubintelligi debet quia per hanc legem excommunicatur. Ita cum hic dicit Papa, excommunicatos nuncietis, præcipit aliquid, quod excommunicationem latam ſupponit, non poteſt autem ſupponi, niſi ab ipſo jure ſit lata, adeoque vi hujus c. cum aliud jus non aperiatur, *Suar. cit. l. num.* 10.

Notandum ſecundo. Ad fractionem hoc loco requirit, ut fiat per vim, quam ipſum verbum *fractionis* denotat, unde ſi quis aperiat januas Eccleſiæ per artem, v. g. clavi adulterea, non incurret excommunicationem, *Suar. c. l. num.* 12. Sola vero effractio, quæ ſit ad ingrediendam Eccleſiam, non ſufficit ad hanc excommunicationem, ſed inſuper requiritur ſpoliatio, quo nomine hic intelligitur non tantum ut res notabilis Eccleſiæ auferatur per furtum, ſed etiam quævis alia actio, per quam notabile damnum, vel injuria Eccleſiæ infertur, in rebus ad illam pertinentibus, etiamſi non auferantur, ut ſi quis imagines templi deſtruat, quia ſpoliat illis Eccleſiam, *Suar. cit. l. num.* 12. Ex quo infert, ſi Judex reum ad Templum fugientem inde vi extrahat, eſt quidem effractor, non tamen ſpoliator, quia nullum damnum infert Eccleſiæ in bonis illius.

CI. Notandum tertio. Nomine Eccleſiarum veniunt hic etiam Monaſteria, Hoſpitalia, & alia loca pia, imo etiam Sacriſtia, ſi conjuncta ſit Eccleſiæ: non autem privata Oratoria, non conſecrata, vel benedicta, quæ in communibus domibus eſſe ſolent, *Suar. cit. l. n.* 13.

Notandum quarto. Ad hoc, ut excommunicatio iſta in hoc c. ſit reſervata Papæ, ſive lata ſit a Jure, ſive ab homine tantum, requiritur, ut ſit denunciata ut colligitur ex illis verbis, *Excommunicatos denuncietis, donec Apoſtolico conſpectui ſe præſentent*, ergo ante denunciationem non eſt reſervata, & colligitur etiam ex verbis ſequentibus, *Et evitari eos faciatis, ſicut excommunicatos, donec ſe præſentent.* Ubi primo præcipitur, ut denuncientur, & poſtea ut excommunicati vitentur, donec Papæ præſententur, & abſolvantur, ergo ante denunciationem non eſt reſervata hujus excommunicationis abſolutio, quæ interpretatio, cum ſit benignior, eſt præferenda in materia odioſa, & pœnali, *Suar. cit. l. n.* 14.

CII. Quarta excommunicatio habetur in *c. Quicunque.* 12. *h. t. in* 6. Ubi Gregorius X. in Concilio generali Lugdunenſi ſtatuit, ut omnes, qui, ideo quod in Reges, Principes, „ Barones, Nobiles aut quoſvis alios (etiam Clericos, *Gl. hic V. Miniſtros*) ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti fuerit promulgata, licentiam alicui dederint occidendi, vel capiendi, vel gravandi in perſonis, aut bonis ſuis, vel ſuorum (conſanguineorum, aut familiarium, *Gl. hic V. Suorum*) eos, qui tales ſententias protulerunt, vel quorum occaſione, ſive ad quorum inſtantiam, dictæ ſententiæ ſunt prolatæ, aut qui eaſdem ſententias obſervant, vel ſic excommunicatis communicare nolunt, illi omnes ſententiam excommunicationis eo ipſo incurrunt: niſi licentiam datam, re integra, revocaverint: vel ſi re non integra, quia occaſione talis licentiæ, ad captionem bonorum eſt proceſſum, niſi intra octo dies reſtituant, vel ſatisfaciant: eadem quoque ſententia excommunicationis (ſcilicet majoris) ſunt ligati, qui auſi ſunt uti prædicta licentia: vel qui ſine licentia, proprio ſuo motu, aliquid prædictorum committunt. Illi vero, qui in hac excommunicatione perſeveraverint per duos menſes, ex tunc non poſſunt ab ea abſolvi, niſi per Sedem Apoſtolicam.

CIII. Pro explicatione hujus c. notandum primo, duæ vel tres ſunt actiones, ob quas iſta excommunicatio fertur. Prima eſt, dare licentiam aliis, ut inferant hujuſmodi gravamen, vel injuriam, quæ licentia non ſufficit ad incurrendam excommunicationem, niſi effectus, ad quem illa datur, fuerit ſubſecutus. Ubi tamen duplex additur limitatio. Prior eſt, ſi licentia fuerit revocata, re integra, id eſt, antequam talis licentia aliquem effectum habuit: nam ſi dans licentiam, eam poſtea revocat, ſed is, cui data eſt, nihilominus illa utatur, tunc dans licentiam non incurrit excommunicationem, quia alter illa utitur ex ſua malitia, & non ex licentia dantis, quippe qui eam revocavit. Poſterior vero limitatio eſt, quod etiamſi licentia data revocata non fuerit, ſed effectum habuit, non tamen incurratur excommunicatio, niſi poſt octo dies, intra quos non eſt ſatisfactio, vel reſtitutio facta: nam tunc primum incurritur excommunicatio. *Suar. cit. diſ.* 22. *de cenſur. ſec.* 3. *num.* 20.

Unde quando in priori limitatione hujus cap. dicitur, quod non incurritur iſta excommunicatio ſi re integra, licentia revocetur, certum eſt, eam non incurri, quamdiu res eſt integra, ſive nullus effectus eſt ſecutus ex tali licentia: quando vero in poſteriore limitatione dicitur: quod licet res non ſit integra, quia occaſione illius licentiæ proceſſum eſt ad capienda bona, infra octo dies, poteſt fieri ſatisfactio, vel reſtitutio: tunc vel executio licentiæ facta eſt ſolum circa bona externa, & dans licentiam non eſt excommunicatus, niſi poſt octo dies non reſtituerit, vel ſatisfecerit: vel facta eſt circa perſonam, & ſtatim citra moram octo dierum, dans licentiam incurrit excommunicationem: & ſic intelligi debet *Gl. in cit. c. Quicunque. V. Re integra*, in quo non conceditur dilatio octo dierum in injuriis perſonalibus, quia hæ graviores ſunt, & difficilius remedium requirunt, & ſatisfactionem, quam reales. *Suar. cit. ſec.* 3. *de cenſ. num.* 3.

Notandum ſecundo. Non tantum qui licentiam dat, ſed etiam qui illa utitur, hanc excommunicationem incurrit, modo conſummata ſit actio, ſcilicet occidendo, capiendo, vel aliud gravamen inferendo talibus perſonis, vel bonis ſuis, vel ſuorum, ut habetur in hoc *c. §. Eadem* & ſic mandans, & mandatarius eadem pœna puniuntur, *Gloſ. hic V. Uti. Suar. cit. l. n.* 4.

CIV. Notandum tertio. Etiam extenditur iſta excommunicatio ad omnes illos, qui talia delicta patrarent, propria auctoritate, ſine licentia Superioris, ut dicitur hic, quia talis non tantum ſibi ipſi dat licentiam, ſed etiam delictum per ſe exequitur. *Suar. cit. l. n.* 5.

Notandum quarto. Ad gravamen, propter quos incurritur excommunicatio hæc, requiritur, ut ſit illatum per actionem injurioſam, & quæ ſit contra juſtitiam, ut patet ex illis verbis *Occidendo, capiendo, & niſi reſtituerit, & ſatisfecerit.* Et ſive talia gravamina inferantur contra Judicem, qui ſententiam tulit: ſive contra eum, qui dedit occaſionem ferendi cenſuram, petendo, vel denunciando: ſive contra illum, qui talem ſententiam obſervat: vel qui non vult communicare cum tali excommunicato; nam hæc omnia exprimuntur in hoc c. Denique extenditur hujuſmodi actio, non ſolum circa prædictas perſonas, ſed etiam circa bona ipſarum, vel ſuorum, *Suar. cit. l. n.* 7.

Notandum quinto. Hæc excommunicatio eſt reſervata Papæ non ſtatim cum incurritur, ſed ſi ea ligati, per ſpatium duorum menſium, in ea perſeveraverint, ut habetur in fine hujus c. Unde infra duos menſes poteſt abſolvere ab ea omnis, qui habet juriſdictionem ordinariam, vel delegatam, quia tunc reſervata non eſt, *Suar. cit. l. n.* 8.

CV. Quinta excommunicatio extat in *c. Eos, qui* 22. *h. t. in* 6. Ubi decernitur, „ Eos, qui a ſententia Canonis, vel hominis ſunt abſoluti, propter mortis periculum, vel aliud legitimum impedimentum, ab eo, a quo alias non poterant: ſi deinde ceſſante periculo, aut impedimento, ſe non præſentent, cum poſſunt commode, illi, a quo alias de jure erant abſolvendi, reincidunt in priſtinam cenſuram, vel excommunicationem. Similiter illi, qui abſoluti a Sede Apoſtolica, vel ejus Legato, cum conditione, ſeu præcepto, ut ſe præſentent Superiori immediato, ſive Ordinario ſuo, vel alteri, ad ſuſcipiendam pœnitentiam, ab eiſdem, & injuriam paſſis competenter ſatisfaciendam, ſi hæc, cum primum commode poſſunt, non curaverint adimplere, in eandem ſententiam reincidunt.

CVI. Notandum primo. Duæ ſunt partes hujus Decretalis. In priore agitur de excommunicatione, vel cenſura lata a Jure vel a perſona, quando quis propter neceſſitatem, vel urgens impedimentum abſolutus eſt ab alio, quam ab eo, a quo alias de jure fuiſſet abſolvendus, cum onere poſtea comparendi coram iſto, tunc enim ſi ſe non præſentet, cum primum poteſt, ſimiliter in cenſuram, ſeu excommunicationem incidit, non quidem in eandem numero, ſed in aliam ſimilem ob novam inobedientiam, quæ ſimiliter eſt reſervata, ac prior erat, eique ſuccedat, *Suar. diſ.* 22. *de conſ. ſ.* 3. *n.* 9. *Sanch. l.* 2. *Mor. c.* 13. *n.* 28.

Notandum ſecundo. In poſteriore parte hujus c. agitur de eo, qui abſolutus eſt ab excommunicatione reſervata Papæ, vel ejus Legato, cum obligatione comparendi coram Ordinario, vel alio delegato, ad ſuſcipiendam pœnitentiam, & ſatisfactionem parti læſæ præſtandam, alioquin enim ſi abſolutus, eam conditionem non impleverit, in eandem ſententiam, ipſo facto, reincidit, ſicut in priore eſt dictum, *Suar. cit. l. n.* 10. ubi addit, quod talis poteſt comparere coram Ordinario, non tantum perſonaliter, ſeu per ſe ipſum, ſed etiam per procuratorem, niſi aliud in mandato ſit expreſſum.

§. VII.

De Excommunicatione, quæ infertur conjugi, nolenti reddere debitum ob allegatum impedimentum dirimens matrimonii cum altero conjuge.

CVII. De hac agitur in *c. Inquiſitioni.* 44. *h. t.* ubi Papa Innocentius III. reſpondet, „ diſtinguendum eſſe, utrum alter conjugum certo ſciat impedimentum conjugii, ob quod ſine peccato mortali non poſſit carnaliter commi-

„ ſceri,

„ ſceti, quamvis illud in foro externo probare nequeat: vel non ſciat certo, ſed credit tantum. In priore caſu ſi cogatur conjux ab Eccleſiaſtico Judice ad reddendum debitum ei, quem ſcit non eſſe ſuum conjugem, debet potius ſententiam excommunicationis humiliter ſuſtinere, quam per carnale commercium peccare mortaliter. In poſteriore vero caſu, rurſum diſtingui debet: vel enim habet hujuſmodi conſcientiam ex credulitate levi, & temeraria: & tum ea rejecta, ſeu depoſita, cum conſilio ſui Paſtoris, non ſolum licite poteſt reddere, ſed etiam exigere debitum conjugale. Vel habet conſcientiam hujus impedimenti, ea cauſa probabili, & diſcreta, etſi non evidenti, & manifeſta: & tunc reddere poteſt debitum, ſed non exigere, ne vel contra legem conjugii, vel contra judicium conſcientiæ peccet."

CVIII. Notandum primo. Condemnatus per judicis ſententiam, ut debitum conjugale reddat fœminæ, quam certo ſcit non eſſe ſuam uxorem, ob impedimentum dirimens, non ſolum non tenetur, ſed licite poteſt obedire ſententiæ Judicis, & ita potius propriam conſcientiam ſequi debet, & non Judicis auctoritatem, *Covarr. in Epitome libr. 2. Decret. part. 2. num. 7. Sanch. l. 2. de matrim. diſp. 39. num. 5.* Ratio eſt, quia accedere ad fœminam, quam quis ſcit non eſſe ſuam legitimam uxorem, eſt fornicari, adeoque intrinſece malum, & nunquam licitum. Idque procedit, ſive quis impedimenti, v. g. conſanguinitatis, conſcius cogatur reddere debitum in gradu Divina, aut naturali lege prohibito; ſive ſolum Jure Eccleſiaſtico, quia in hoc c. indiſtincte dicitur, quod nullo modo qui impedimenti certi eſt conſcius, poſſit reddere debitum. *Sanch. cit. l. n. 6. & 8.*

Notandum ſecundo. Talis conjux, ſciens matrimonium eſſe invalidum, ob impedimentum dirimens, non poteſt reddere debitum conjugi ignoranti, etiamſi ab Eccleſia ad id compellatur per excommunicationem: vel etiam vitæ periculum ſubire debeat, aut alia graviſſima incommoda ſequantur. Neque obſtat excommunicatio, qua compellitur ab Eccleſia reddere debitum, nam juxta veriorem ſententiam, talis excommunicatio non ligat coram Deo, quia eſt injuſta, nititur enim falſa præſumptione: tum quia non incurritur excommunicatio, niſi propter contumaciam ſeu inobedientiam quæ eſt culpa lethalis, qualis nulla adeſt in hoc caſu, *Sanch. c. l. num. 9.* quamvis talis in foro externo ſe gerere debeat pro excommunicato, ob vitandum ſcandalum, ut dictum, *l. 2. tit. 13. num. 63.*

Notandum tertio. Conjux dubitans de valore matrimonii, non poteſt petere debitum, ante diligentiam adhibitam aſſequendi veritatem: tenetur tamen reddere conjugi non dubitanti, *Sanch. lib. 2. de matrim. diſ. 41. num. 46. & ſeq.* Ratio prioris partis eſt, quia ex petitione debiti imminet periculum fornicationis, ſi non ſit verus conjux, ex non petitione nullum, cum liberum ſit non petere. Ratio autem, cur reddere teneatur, eſt, quia quando bona fide matrimonium eſt contractum, non debet alter conjux privari jure ſuo, ob dubium alterius conjugis, ſed in dubio melior eſt conditio poſſidentis, *Azor. p. 1. l. n. c. 18. q. 5.* Si vero poſt adhibitam debitam diligentiam inquirendi veritatem, de illa non conſtet, non ſolum conjux dubitans reddere, ſed etiam petere poteſt debitum, ut patet ex hoc c. quia præmiſſa ſufficienti diligentia, conjux habet invincibilem ignorantiam, ob quam excuſatur a culpa petendo: invincibilis enim ignorantia eſt, quæ adhibita ſufficienti diligentia vinci non poteſt, licet veritas non innoteſcat, *Sanch. c. l.* Quod ſi vero dubium de valore matrimonii inter conjuges oriatur ex levi credulitate, ut quia impedimentum audivit ab hominibus levibus, & paucis, *Gl. hic V. Levi,* poteſt, depoſito dubio, cum conſilio ſui parochi, aut etiam alterius viri docti, debitum petere, & reddere, ut habetur in hoc c. *Sanch. cit. diſ. 41. num. 22.* Si denique conjux practice dubitet de valore matrimonii, non ſolum non petere, ſed nec reddere poteſt, quamdiu manet illud dubium, *Sanch. cit. l. n. 24.*

§. VIII.

De Excommunicatione lata contra violatores libertatis Eccleſiaſticæ,

CIX. De hac agitur imprimis in *c. Noverit. 49. h. t.* in quo Papa Honorius III. primo excommunicat omnes hæreticos utriuſque ſexus, quocunque nomine cenſeantur, fautores, receptatores, ac defenſores eorum. Nec non illos, qui de cætero ſervari fecerint Statuta edita contra Eccleſiaſticam libertatem: niſi ea deleri fecerint, infra duos menſes de Capitularibus ſuis (id eſt, libris in quibus Statuta ſua conſcribunt, *Gl. hic V. eod.*) poſt publicationem hujuſmodi ſententiæ. Item excommunicantur ſtatutarii, & ſcriptores ipſorum Statutorum nec non Poteſtates, Conſiliarii locorum, ubi de cætero hujuſmodi Statuta, & conſuetudines editæ fuerint, vel ſervatæ, atque etiam illi, qui ſecundum ea præſumpſerint judicare, vel in publicam formam ſcribere judicata. Incurritur autem iſta excommunicatio, ipſo jure, poſt duos menſes a tempore publicationis numerandos, *Gl. hic V. Eccleſiæ libertatem & V. Infra duos menſes.* Porro illa Statuta, & conſuetudines dicuntur eſſe contra libertatem Eccleſiaſticam, quæ veniunt contra privilegium conceſſum Eccleſiæ univerſali a Deo vel a Papa, aut Imperatore, *Abb. hic n. 2.* ubi addit, quod etiam illud Statutum ſit contra Eccleſiaſticam libertatem, per quod redduntur Clerici timidiores, & laici audaciores ad nocendum Clericis, quale eſt Statutum diſponens, ut laici interficientes Clericum, mitius puniantur, quam occidentes laicum.

CX. Præterea in *c. Gravem. 53. h. t.* dicitur, quod cives quidam Piſani fecerunt duo Statuta contra Eccleſiaſticam libertatem, & in præjudicium Sedis Apoſtolicæ, quod ſi vel Clericus, vel laicus contra quemcunque laicum Piſanæ ditionis, impetraverit Litteras Apoſtolicas ad Judicem Eccleſiaſticum, in mille ſolidis condemnetur, niſi illis Litteris renunciaverit, nec reditus bonorum ſuorum eidem reddantur, nec agri eorum excolantur, ſed banno Poteſtatis ſubjiciantur. Item ſtatuerunt, ut Clerici, ſuis ſumptibus, caſtrum quoddam cuſtodiri faciant: alioqui Poteſtas contra eos procedere teneatur: & ſic volebant Clericos ſubjicere ſervituti, & publicis functionibus, a quibus omnino ſunt immunes, *Gl. hic V. Sumptibus.* adeo mandat Papa Honorius III. Epiſcopo Senenſi, ut in Conſiliarios, & Officiales illius Civitatis ſententiam excommunicationis promulget, niſi Statuta illa deleverint & idonee caverint, quod de cætero ſimilia non attentabunt. Additur in fine, cum iidem ſtatutarii multa de bonis Eccleſiaſticis tenere dicantur in feudum, ipſi denuncientur, feudis illis eſſe privati. Ex quo patet, quod excommunicatus a Jure poteſt iterum excommunicari a Judice, ad majorem terrorem. *Gl. hic V. Promulgare. in fine. & Abb. num. 4. & 5.*

Porrò de excommunicatione lata in violantes interdictum, infra agetur: de aliis vero ſpecialibus excommunicationibus jure expreſſis, in ſuis propriis locis, ac Titulis actum fuit.

SECTIO IV.

De excommunicatis vitandis vel non vitandis, & prohibita, vel conceſſa communicatione cum illis.

§. I.

Quinam excommunicati ſint vitandi, vel non vitandi?

CXI. Aſſertio 1. Spectato Jure Canonico antiquo omnes excommunicati majore excommunicatione ſunt vitandi, in Divinis & humanis, ſeu profanis, occulti quidem privatim, manifeſti autem publice, prout conſtat ex *Cum non ab homine. 14. in princ. h. t.* ubi id ſtatuitur de eo, qui violentas manus in Clericum injecit, & dictum ſupra *n. 90. & ſeq.* Sed idem eſt de excommunicatis publice, vel occulte. Idque extenditur, ita ut nullus etiam per privilegium Sedis Apoſtolicæ ſe tueri „ poſſit, quominus excommunicatos vitare debeat. ſicut etiam qui violentas manus injiciunt in Clericos, ut excommunicati ſunt vitandi prout in *c. Nulli. 8. h. t.*

Conſentit *c. Cum plantare. 3. §. Excommunicatos, de privilegiis.* „ ubi dicitur, quod Religioſi, etiam exempti, non poſſunt admittere ad Divina excommunicatos, adeoque privilegium exemptionis non excuſat illos, quominus excommunicatos vitare debeant.

CXII. Ubi notandum, quod ex hoc c. quidam probare volunt præceptum de vitandis excommunicatis eſſe Juris Divini, juxta illud *Matth. cap. 18. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus &c.* Quare cum Pontifex in Lege Divina diſpenſare nequeat, recte infertur, nullum privilegium Papæ poſſe ſuffragari, quominus quis excommunicatos vitare teneatur, ex Præcepto Divino, ſaltem in Divinis juxta *c. Nemo. 31. cauſ. 11. q. 3.* ubi dicitur. *Nemo contemnat vincula Eccleſiaſtica, non enim homo eſt, qui ligat, ſed Chriſtus, qui nulli hanc poteſtatem dedit.* Verum licet poteſtas excommunicandi ſit Juris Divini, juxta illud Chriſti, *Quodcunque ligaveris ſuper terram &c. Matth. 16. & cit. c. Nemo.* Quoad modum tamen ſeu formam, & effectum privandi hos vel illos, hac vel illa communione poteſtas excommunicandi ex Apoſtolica traditione ortum habet, juxta *c. Sicut Apoſtoli. 16. cauſ. 11. q. 3.* adeoque ad legem Canonicam, ſeu Eccleſiaſticam pertinet, ut patet ex *cit. c. Nemo.* Ubi cenſuræ vincula Eccleſiaſtica appellantur. Deinde manifeſtum eſt, quod per Eccleſiaſticam legem in variis caſibus relaxatum ſit præceptum hoc de vitandis excommunicatis, *cap. Quoniam multos 103. cauſ. 11. q. 3.* & aliis locis, & quidem etiam in Divinis, ut ex infra dicendis patebit. Sed neque dici poteſt S. Pontificem habere quidem poteſtatem dandi aliquibus privilegium, ut non teneantur evitare excommunicatos: ſed eos, qui hujuſmodi privilegium habent, non poſſe ſe eo tueri in genere, ob defectum juſtæ cauſæ: nam & hoc gratis dicitur, quia ſi v. g. Religioſis datum ſit tale privilegium, juſta & ſufficiens cauſa erit favor ipſius Religionis. Quod ſi Papa concederet tale privilegium, ſine juſta cauſa, conceſſio eſſet valida, cum adſit poteſtas concedendi, & ſolum eſſet illicita, ob defectum juſtæ cauſæ, ut communiter docent Theologi, *Barb. hic n. 5.* Neque contrarium probatur ex *cit. c. Nulli. h. t.* quia in eo ſolum dicitur, quod Religioſis, aliiſque privilegium exemptionis generalis habentibus proſit ad hoc, ut non poſſint excommunicari ab Ordinariis, ſeu Epiſcopis: non tamen ſequitur inde, quod non teneantur vitare eos, qui ab Ordinariis ſunt excommunicati, quia ad hoc non tendit privilegium generale exemptionis, ſed ſolum eximit habentes tale privilegium a juriſdictione Ordinarii, ſeu Epiſcopi, ut etiam docet *Covarr. in c. Alma, ſ. §. 1. n. 2.* Idque confirmatur ex eo, quia obligatio vitandi excommunicatos non provenit ex juriſdictione Ordinarii excommunicantis, a quo ſunt exempti, ſed ex diſpoſitione legis prohibentis excommunicationem cum excommunicatis, a qua lege Religioſi, vel exempti a juriſdictione Epiſcopi non ſunt exempti, *Barb. hic n. 6.* & dictum ſupra *Tit. 33. ſec. 5. §. 1. n. 1. 33. not. 3.*

CXIII. Aſſertio 2. Poſt Concilium Conſtantienſe tantum vitari debent duo genera excommunicatorum, ſcilicet qui non tantum publice excommunicati, ſed etiam denunciati ſunt, juxta Decretum Concilii Conſtantienſis in *Extrav. Ad evitanda.* & refertur apud *Navarr. in Man. cap. 27. n. 35. & Gutier l. 1. Canonic. quæſt. c. 1. n. 8.* quæ etſi in Tomis Conciliorum non extet, confirmata tamen fuit a Leone X. in Concilio Lateranenſi, cujus ſumma hæc eſt. Ad

„ evi-

Digitized by Google

„ evitanda animarum pericula, ſtatuit S. Synodus, ut ne-
„ mo deinceps teneatur aliquem, ratione alicujus ſenten-
„ tiæ, vel cenſuræ Eccleſiaſticæ a Jure, vel ab homine
„ generaliter promulgatæ, vitare in Sacramentorum admi-
„ niſtratione, vel receptione aut aliis quibuſcunque rebus
„ Divinis, vel externis, niſi talis ſententia, ſeu cenſura
„ contra certam perſonam, Eccleſiam, vel Collegium, vel
„ Communitatem (ſubintelligendo quoad interdictum, quia
„ Univerſitas excommunicari non poteſt) a Judice ſpecia-
„ liter publicata, vel denunciata fuerit: vel niſi quis ob
„ ſacrilegam manuum injectionem in Clericum, excommu-
„ nicationem latam a Canone, ita notorie incurrerit, ut
„ factum ejus nulla poſſit tergiverſatione celari; nam ab
„ ejuſmodi etiam non denunciati communione abſtineri de-
„ bet. Additur vero in fine per hæc autem non intendi-
„ mus ipſos excommunicatos, ſuſpenſos, vel interdictos in
„ aliquo ſublevare, vel quomodolibet eis ſuffragari.

Porro Concilium Baſilienſe poſtea habitum anno 1435. prædictum Decretum Conſtantienſe in eo correxit, quod teneamur vitare omnes notorie excommunicatos ex quacunque cauſa, etiamſi non ſint publice, & nominatim denunciati, nec notorii percuſſores Clericorum. Et hanc ſententiam tenet *Sylveſt. V. Excommunicatio 5. n. 9. Covarr. in cap. Alma p. 1. §. 2. n. 7.* & alii. Sed alii fere communiter cenſent, adhuc hodie ſtandum eſſe Decreto Concilii Conſtantienſis, *Navarr. cit. l. Suar. diſ. 9. de cenſur. ſect. 2. num. 5. Laym. lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 4. num. 1. Avila p. 2. de cenſ. diſ. 2. dub. 2.* Idque probatur, tum quia Concilium Baſilienſe fuit a Papa Eugenio IV. revocatum, neque auctoritate Apoſtolica confirmatum, exceptis paucis quibuſdam Decretis a Nicolao V. receptis, inter quæ non eſt Decretum de vitandis excommunicatis. Tum quia jam communis uſus, & conſuetudo (quæ eſt optima legum interpres) præſertim in iſtis partibus Septentrionalibus, Conſtitutionem Concilii Conſtantienſis approbavit, nempe ut hæretici, aliique excommunicati non vitentur, niſi fuerint nominatim denunciati, vel notorii percuſſores Clericorum. Unde in Germania Catholici poſſunt, tuta conſcientia communicare cum iis, qui ſunt notorie excommunicati, ut hæretici, ſed non nominatim ac publice denunciati, *Avila c. l.*

CXIV. Eſt autem pro declaratione dictæ Conſtitutionis Conſtantienſis Concilii, notandum primo, ille dicitur nominatim excommunicatus, qui expreſſo proprio nomine, vel alio æquivalente ſigno particulari eſt excommunicatus quod ſufficienter declaret perſonam. Non autem ſufficit, ut ſi aliquis nominatim excommunicatus, ut evitari debeat, ſed inſuper requiritur, ut a Judice, ſive Superiore ſuo ſit publice denunciatus ut excommunicatus, ita ut cenſura per ſententiam expreſſam, & ſpecialem contra illum in particulari publicata, juxta morem Regionis juridice promulgata ſit v. gr. per Edictum in loco publico affixum, vel voce præconis publicata ſit, ut colligitur ex verbis Extravagantis, *Covarr. c. l. Laym. c. l. num. 7. Verſic. Quarto, Avila diſ. 2. dub. 5.* Ex quo colligitur primo, cui tradita eſt in ſcripto ſententia excommunicationis, ut eam denunciet, non tenetur reum vitare, ante denunciationem factam. Secundo appellans a denunciatione excommunicationis, ut ea non denuncietur, pendente appellatione, non eſt vitandus, quia licet per appellationem a ſententia excommunicationis non ſuſpendatur ipſa excommunicatio abſolute lata, ſuſpenditur tamen effectus denunciationis, ut interim vitandus non ſit, *Avila c. l. concl. 2. Laym. c. l.*

Notandum ſecundo, ut Clerici percuſſor dicatur notorius, & ante denunciationem vitandus, non ſufficit, poſt Concilium Conſtantienſe, notorium juris, ut de eo conſtet per confeſſionem partis in judicio, vel per ſententiam Judicis, ſed notorium facti requiritur, hoc eſt, talis evidentia, ut factum nulla tergiverſatione celari poſſit: qualis evidentia facti cenſetur, ſi percuſſio fiat coram tot oculatis teſtibus, ut vel toti Communitati (quæ ſaltem decem perſonas continet) vel majori ejus parti, ſaltem coram ſex, in parva familia, in qua ultra decem perſonas non ſunt, nota ſit, *Avila cit. diſ. 2. dub. 4.* qui tamen cum *Suar. diſ. 9. ſect. 2. num. 11.* putat, id eſſe relinquendum arbitrio boni viri, ſecundum particulares circumſtantias. Quare etiamſi Petrus Clericum percutiat, tribus aut quatuor perſonis adſtantibus, ut ſufficienter in judicio factum probari poſſit, non ideo cenſetur notorium evidentia facti, ac proinde ne privatim quidem ab illis tribus, vel quatuor præſentibus Petrus vitari debet, quia licet factum illis ſit notorium, non tamen eſt abſolute notorium, ſive publicum exiſtit, ut nulla tergiverſatione celari poſſit, de quo notorio Conſtitutio *Ad evitanda* loquitur, *Navarr. in man. c. 25. num. 73. Laym. cit. c. 4. n. 2.* licet non improbabiliter teneat contrarium, *Suar. c. l. n. 12.* ita ut ſi non obſtante illa notitia, etiamnum adhuc ſit occultum, occulte tantum vitandus ſit ab iis, qui illud viderunt; publice autem ſi delictum ſit publicum.

Præterea non cenſetur notoria percuſſio Clerici, ſi de ea publice ſit infamatus, abſque facti evidentia, quia tunc factum ſit potius famoſum, quam evidenter notorium. Quod ſi omnino quidem conſtet de evidentia facti, ſive per proprium viſum, ſive per confeſſionem Rei, vel per teſtimonium plurium, aut per publicam, & conſtantem famam, quod percuſſio notorie facta ſit; adſit tamen dubium Juris, quia v. gr. percuſſor probabili ratione ſe tueri poteſt, allegando vim vi repulſam eſſe, vel ex vehementi iræ paſſione ſe percuſſiſſe, vel conditionem Clerici ignoraſſe, quia ſine habitu Clericali inceſſit, necdum percuſſor cenſebitur notorius hic vitari juſſus, quia adhuc aliquo juris ſuffragio excuſari poteſt, ut habetur in *cit. Extrav. Laym. cit. 4. n. 2. §. Hoc adde.*

CXV. Aſſertio 3. Reliqui excommunicati, qui ſcilicet neque publice denunciati, neque notorii percuſſores Clericorum ſunt, non ſunt vitandi, ac proinde cum his fideles, tam in ſacris, quam profanis actionibus communicare poſſunt, per ſe loquendo, ac ſi excommunicati non eſſent: etſi ad id non obligentur, ſed ſine injuria abſtinere poſſint, privatim & publice, modo excommunicatio eorum publice ſit nota, vel ſufficienter probari poſſit. *Laym. cit. c. 4. num. 4.* & alii communiter, idque patet ex *citat. Extravag. Ad evitanda*, in qua abſolute excommunicatio cum excommunicatis toleratis conceditur, nec ad hoc gravis cauſa requiritur, cum ob hanc etiam cum non toleratis communicare liceat, ut infra dicetur: alias hoc pacto Concilium Conſtantienſe nullum privilegium erga excommunicatos toleratos conceſſiſſet, ſed potius præbuiſſet occaſionem anxietatis timoratis conſcientiis dubitantibus, an forte ſufficiens cauſa hic, & nunc cum iis communicandi ſubeſſet, quam tamen anxietatem præcipue tollere Concilium intendit per ſuum Decretum. Quod autem ad hanc communicationem non teneantur reliqui fideles, patet, quia illis Concilium voluit facere gratiam, quod autem in alicujus gratiam conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum, *reg. 61. in 6.* & nemo invitus beneficio uti cogitur, *argument. reg. 61. in ff.*

Hinc infertur, licitum eſſe Judici, aut parti litiganti repellere actorem, teſtem vel Advocatum in judicio excommunicatum, etiam toleratum, ſive non vitandum, cum nullus favor aut gratia facta ſit per dictam Extravag. ipſis excommunicatis. Excipi debet, niſi ratione conſuetudinis, vel ob pacta conventa aliud obtineat, ſic enim in Imperio Lutherani non poſſunt repelli a publicis judiciis, contractibus, officiis, & dignitatibus Civilibus, *Laym. cit. 4. n. 4.*

Porro etſi excommunicati tolerati, ſeu non vitandi peccent, ſi ſe ultro ingerant in communionem fidelium, ſacram, vel civilem, ſeu politicam, cum ipſis per Concilium Conſtantienſe nulla gratia directe ſit facta: ſi tamen ab illis fidelibus, ad ſecum communicandum inducantur, licite cum illis communicant, quia alias gratia illa; ſeu licentia aliis fidelibus facta cum excommunicatis toleratis communicandi, ipſis inutilis foret, vel noxia: imo aliquando obligantur communicare, ut ſi parochiani petant a parocho excommunicato, ſed tolerato ſibi conferri Sacramenta, vel a Judice excommunicato adminiſtrari juſtitiam, *Suar. diſ. 11. de cenſ. ſec. 4. n. 3 & ſeqq. Laym. cit. c. 4. n. 6. & 7.* apud quos plura de his videri poſſunt.

§. II.

Quæ perſonæ, & ob quas cauſas excuſentur, ut licite communicare poſſint cum excommunicato non tolerato, ſeu vitando.

CXVI. Cauſæ hujuſmodi juſtæ, ſive caſus jure expreſſi, in quibus licitum eſt communicare cum excommunicatis, etiam non toleratis, ſive vitandis, comprehenduntur hoc verſu, quem refert *Gl. in c. Cum deſideres 15. V. Excommunicationis h. t. Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.* Quæ particulæ ſigillatim hoc loco ſunt explicandæ.

Et prima quidem cauſa excuſans eſt utile, ſive utilitas, ob quam permittitur communicatio cum excommunicato non tolerato, ob notabilem, vel propriam, vel etiam ipſius excommunicati utilitatem, ſive ſpiritualem, ſive temporalem. Ut de ſpirituali utilitate conſtat ex *c. Reſponſo 43. in*
„ *princ. h. t.* Ubi cum quæſitum fuiſſet ex Papa Innocentio
„ III. utrum excommunicatis, & interdictis, ſemel in heb-
„ domada, vel menſe, in Eccleſia aliqua prædicare ver-
„ bum Dei, & eos ad correctionem inducere liceat? Re-
„ ſpondet Papa, quod ſine ſcrupulo conſcientiæ, id fa-
„ cere poſſit, cum viderit expedire: dummodo nullum
„ eis Divinum officium celebretur, contra formam inter-
„ dicti.

CXVII. Idem de excommunicatis clarius habetur in *cap. Cum in voluntate 54. in princ.* Ubi dicitur: Cum voluntate
„ ac propoſito maleficia diſtinguantur, ſententiam excom-
„ municationis (minorem non incurrit, qui excommuni-
„ cato in his, quæ ad abſolutionem, vel alias ad ſalutem
„ animæ pertinent, in locutione participat, licet etiam
„ alia verba incidenter interponat, ut apud eum magis
„ proficiat, præterea Prædicatores, qui penes excommu-
„ nicatos: vel detentores alienarum rerum prædicant, vel
„ Confeſſiones eorum audiunt, licite poſſunt eleemoſynas
„ ab illis recipere, cum ipſi quaſi gerant cauſas ipſorum,
„ ad quos res ipſæ pertinent, præſertim ſi ipſæ alias non
„ valeant ſe in illo loco ſuſtentare, *cit. c. Cum in voluntate*
„ *§. Prædicatores h. t.*

Hinc infertur primo quod quia poteſt prædicare coram excommunicato non tolerato, vel audire Concionem ſimul cum illo, quia Concio ordinatur ad ſalutem animæ, & ut excommunicatus reſipiſcat, *Avila p. 2. cap. 6. diſ. 11. dub. 3. concl. 6.* non tamen eſt permittendum, ut excommunicatus non toleratus publice concionetur, quia eſt gravis Eccleſiaſtica communicatio, abſque valde gravi neceſſitate, *Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 16.* Secundo licitum eſt ab excommunicato, etiam vitando, petere conſilium, vel ſubſidium, ſive ſpirituale, ſive etiam corporale, ſi quis eo indigeat, *Laym. c. l.* Tertio viciſſim etiam excommunicatus non toleratus poteſt ſimile ſubſidium petere, ſi eo indigeat, *Suar. diſ. 25. de cenſ. ſect. 3. n. 9. & 2. ſeqq.*

CXVIII. Porro quod licitum ſit communicare cum excommunicatis, etiam non toleratis, quoties opera excommunicati eſt neceſſaria ad nos, vel res noſtras tuendas. ſumitur etiam ex *cap. Si vero 34. h. tit.* Ubi habetur, cum
„ quidam Cruce ſignati Conventionem cum Venetis Naucle-
„ ris, ut eos veherent in Terram Saracenorum, pro certa
„ mercede, majore parte recepta nauli, fuerunt excommu-
„ nicati. Unde Cruciſeri dubitabant, an poſſint in navibus
„ illo-

Digitized by Google

„ illocum tranſvehi, cum ſint excommunicati. Reſpondet Papa Innocentius III. ſi Veneti noluerint abſolvi ab excommunicatione, nec ſatisfacere pro mercede recepta, ſe permittere, ut Cruciferi navigio Venetorum vecti tranſeant in Terram Saracenorum, ſicut cum illis convenerunt, communicantes illis, cum dolore cordis, & ſpe veniæ, quia cum jam majorem partem nauli receperint, nec eam reſtituere velint, neque ad hoc compelli poſſint, Veneti lucrum ex ſua malitia reportarent, & Cruce ſignati damnum: cum tamen ad hoc debitum exolvendum his ſint obligati, & ab excommunicatis peti poſſit, & recipi, quod debetur. Eſt autem cautum in Jure, quod ſi quis tranſeat per Terram hæreticorum, aut aliorum excommunicatorum, neceſſaria emere ac recipere poſſit ab eiſdem. Item ſi Paterfam. domus ſit excommunicatus, ejus familia excuſatur a participatione illius: licet ergo Dux Venetorum, tanquam Dominus navium, ſit excommunicatus, non tamen ejus excommunicatio Cruce ſignatos contingit, tanquam familiam ipſius Domini, dum in navibus ejus fuerint, & excuſabiles erunt apud Deum, ſi in illis communicaverint ipſis Venetis, in quibus eorum communionem evitare non poſſunt.

CXIX. Hinc colligitur primo, excommunicatio ſuperveniens non impedit, quin cum tali excommunicato ſit licitum communicare in contractu cum eo inito, ſi is aliter expediri non poſſit, ut patet ex hoc c. *Abb. ibid. num.* 1. Secundo poteſt licite ab excommunicato exigi, & recipi debitum, abſque eo, quod incurrat minorem excommunicationem, quia excommunicatio non debet illi afferre commodum, *Abb. hic n.* 2. Colligitur tertio, qui exiſtit in loco alicui ſubjecto, late loquendo, poteſt dici de ejus familia, *Abb. hic num.* 6. Colligitur quarto, contractus Societatis per ſupervenientem excommunicationem non diſſolvitur, nam poteſt ſocius non excommunicatus, in iis, quæ ad ſocietatem pertinent, communicare ſocio excommunicato, etiam non tolerato, *Abb. num.* 10. & alii apud *Barb. in Collect. hic num. ult.*

CXX. Secunda cauſa excuſans eſt Lex, ſcilicet matrimonialis, ut omnes DD. intelligunt, nam inprimis uxor poteſt licite communicare cum marito excommunicato, etiam non tolerato, reddendo ei debitum, & petendo, quin etiam in omnibus aliis, quæ ad matrimonium ſpectant, ut in gubernatione domus, in menſa, in familiari colloquio &c. ut conſtat ex *c. Quoniam multos* 102. *cauſ.* 11. *quæſt.* 3. Ubi abſolute, & ſine limitatione, permittitur uxori, ut communicare poſſit cum viro excommunicato, cum ergo ſit favor, non debet reſtringi, *Silveſt. in ſumma V. Excommunic.* 5. *n.* 4. *Avila p.* 2. *cap.* 6. *diſ.* 11. *dub.* 5. *Sanch. l.* 9. *de matr. diſ.* 14. *n.* 4. *&* 5. Ubi plures caſus recenſet, in quibus uxor poteſt communicare cum viro excommunicato. Non tantum autem permiſſum eſt uxori communicare cum marito excommunicato: ſed etiam vice verſa, marito communicare cum uxore excommunicata, juxta probabiliorem ſententiam, in omnibus, in quibus id licet uxori cum viro excommunicato, & quamvis in *cit. c. Quoniam multos*, ſolum id expreſſe dicatur de uxore, idem tamen dicendum de marito, quia in correlativis (cujuſmodi eſt maritus, & uxor) ſtatutum de uno cenſetur etiam ſtatutum de altero, quando utriuſque eſt eadem ratio, ſicut hic eſt idem periculum animæ in viro, ſi cogeretur abſtinere a communicatione cum uxore excommunicata, quod in uxore, reſpectu viri excommunicati: & quamvis vir teneatur uxorem corripere, quam primum commode poteſt, cum ſit caput uxoris, etiam denegando ipſi ſocietatem, ſi ita expedire ad correctionem judicaverit, & curare, ut reſipiſcat: non tamen tanto ſuo incommodo, ut omnino abſtineat ab ejus communicatione, cum alia media non deſint ad uxoris correctionem: peccabit tamen ut ſummum id negligendo, contra naturalem legem charitatis, non autem contra legem Eccleſiaſticam de vitandis excommunicatis, adeoque non incurret minorem excommunicationem, propter communicationem conjugum inter ſe, a qua lex matrimonii eum excuſat, *Avila c. l. dub.* 8. *Sanch. c. l. n.* 16. *Laym. cit. cap.* 2. *num.* 16. Non fit autem mentio in *cit. c. Quoniam multos*, de marito, ſed ſolum de uxore, quia frequentius accidit, ut viri excommunicentur, quam fœminæ: non tamen ideo conſeri debet eſſe excluſus caſus minus frequens, *Sanch. cit. loc.* Denique nomine conjugis, quoad hoc privilegium, comprehenduntur etiam ſponſi, & ſponſæ de præſenti: non autem de futuro, quia hoc eſt privilegium favorabile conceſſum ad vitanda animarum pericula, *Sanch. c. l. n.* 8.

CXXI. Tertia cauſa excuſans eſt, Humile, id eſt, humilitas ſubjectionis, nam qui alicui ſubjecti ſunt, poſſunt eidem excommunicato denunciato, & vitando communicare, quia debent illi obedientiam, quæ per cenſuram auferri non debet, ut conſtat ex *cit. c. Quoniam multos cauſ.* 11. *qu.* 3. *& cap. Si vere* 34. *h. t.* Ubi tamen diſtinguendum eſt; nam qui, ante excommunicationem, alicui obligati ſunt ad obſequium familiare præſtandum, etiam tenentur eidem excommunicato non tolerato communicare: alii vero non tenentur, niſi urgente neceſſitate, prout ſumitur ex „ *cap. Inter alia* 31. *h. t.* Ubi orta quæſtione ex reſponſione Gregorii Papæ in *c. Quoniam multos* 102. *cauſ.* 11. *quæſt.* 3. dum alii concederent, quod excommunicato communicare tenentur perſonæ ibi nominatæ, præſertim quæ prius ad communicationem ipſius tenebantur: alii vero aſſererent, eos communicare licite poſſe, ſi velint, non tamen ad hoc ex neceſſitate teneri. Reſcribit Pontifex Innocentius III. Quod perſonæ ibi expreſſæ, quæ illis, in quos lata fuit ſententia excommunicationis, ante prolationem ejuſdem, ad obſequium familiare præſtandum tenebantur, etiam poſt excommunicationem ad illud ſint obligatæ cum debitum illud adhuc duret, ex beneficio Canonis (in *cit. cap. Quoniam*) & a priore obligatione non ſint ſolutæ, & per conſequens ad communionem tenentur, ſine qua obſequium illud exhibere nequeunt. Illud autem non ad omnes perſonas in *cit.* Canone expreſſas, eſt referendum, nam viatores, peregrini, & mercatores a communione talium perſonarum abſtinere debent, niſi neceſſitas urgeat, ut colligitur ex *fine cit.* Canonis. Sed ad illas tantum perſonas referri debet, quæ ipſis excommunicatis arctius ſunt obſtrictæ, (cujuſmodi ſunt filii, ſervi & ancillæ, mercenarii, & alii, de quibus infra) ita tamen, ut hi etiam non participent cum excommunicatis in illis, propter quæ ſunt excommunicati, alias eadem ſententia excommunicationis tenerentur, *Gl. fin. hic*

CXXII. Hinc colligitur primo, quod liberi, ſeu filii communicare poſſunt parentibus excommunicatis, etiam non toleratis, ſive ſint in poteſtate patris, ſive emancipati, ſi a patre neceſſaria recipiant: ſive ſint liberi naturales, & illegitimi habitantes cum Patre, ſive filii adoptivi, modo ſub cura parentum ſint, quia in *cit. c. Quoniam multos*; ſimpliciter excipiuntur filii, & favores ſunt ampliandi. *Suar. diſ.* 15. *ſect.* 5. *num.* 3. *& ſeqq.* Secundo etiam ſervi, famuli & ancillæ, ac villici communicare poſſunt cum Dominis excommunicatis, *cit. cap. Quoniam*. Ubi abſolute hujuſmodi perſonis permittitur communicatio, *Suar. c. l. n.* 9. *&* 10. Tertio Clerici ſæculares cum Epiſcopis ſuis excommunicatis non toleratis, communicare poſſunt, ſi ſint de familia Epiſcopi, & deputati ad ejus ſervitium: tunc enim poſſunt communicare cum illis in rebus familiaribus, & domeſticis, non autem in Epiſcopalibus: alii vero Clerici, qui non ſunt de familia Epiſcopi, etſi illi alioquin ſint ſubjecti, non poſſunt communicare cum illo excommunicato: niſi in neceſſariis, & quæ ſunt permiſſa jure communi *Silv. V. Excommunicatio num.* 4. *in* 3. *excuſat. Suar. citat. diſ.* 15. *ſect.* 7. *num.* 1. *Avila cit. cap.* 6. *diſ.* 11. *dub.* 8. Quarto Religioſi cum Prælato excommunicato cohabitare poſſunt, & communicare quoad familiarem converſationem, ſicut cum aliis Religioſis: non vero poſſunt communicare cum Prælato excommunicato, ut Prælatus eſt; cum enim is per excommunicationem ſit privatus omni juriſdictione ſpirituali officium ſuum erga ſubditos exercere non poteſt. Neque ullum privilegium habent Regulares, vi cujus poſſit communicare cum Prælatis ſuis excommunicatis, libere in omnibus: ſed ſolum in iis, quæ moraliter, juxta communem uſum, inter cohabitantes vitari non poſſunt, *Suarez citat. ſect.* 7. *n.* 2.

CXXIII. Extenditur autem primo, hæc facultas communicandi cum prædictis perſonis, ut etiam ſit reciproce intelligenda, ita ut viciſſim pater cum filiis excommunicatis, dominus cum ſervis, Prælatus cum Religioſis ſubditis excommunicatis communicare poſſit, modo ſupra dicto. Nam Jus concedens hoc inferioribus, reſpectu Superiorum, idem videtur conceſſiſſe Superioribus, reſpectu inferiorum, cum ſit eadem ratio, & idem periculum, ad quod vitandum conceſſum eſt hoc privilegium, *Avila c. l. dub.* 7. *Laym. c. l.*

Extenditur ſecundo, ut etiam communicatio in divinis, quam perſonæ ſubjectæ alioquin præſtare ſolent, ob cenſuram excommunicationis non ſit prohibita, quia Canones generaliter id concedunt, ideoque etiam generaliter intelligendi, & ſæpe eſt eadem ratio in divinis, quæ in humanis, *Avila cit. dub.* 6. *§. Utrum vero*. Unde famula, item uxor, & liberi poſſunt comitari dominum, maritum, vel patrem excommunicatum, etiam non toleratum, ad audiendam Miſſam, & Sacellanos non prohibetur cum Epiſcopo Horas Canonicas recitare, *Laym. c. l. num.* 16. *§. Tertio excuſat.* Liberi cum Patre, & famuli cum domino excommunicato, etiam non tolerato, communicare poſſunt, non ſolum, ſi ante excommunicationem, ſed etiam ſi poſt illam, contraxerint cum eo, operam ſuam ipſi locando: idque ſive per ignorantiam, adeoque etiam bona fide, ſive etiam ſcienter, & mala fide, atque licite famuli operam ſuam locaverint domino excommunicato, ita ut poſſint in famulatu perſeverare, & promiſſa obſequia præſtare, quia in *c. Quoniam multos*, abſolute & ſine diſtinctione, hujuſmodi perſonis ſubjectis, & obligatis communicatio conceditur: ergo neque nos diſtinguere debemus, ut docent nonnulli apud *Suar. diſ.* 15. *de cenſ. ſect.* 5. n. 12. Verum plures alii probabilius docent, *cit. c. Quoniam multos*, intelligendum eſſe de illis famulis, qui ante excommunicationem contraxerunt cum domino excommunicato, & operam ſuam locarunt: quoad illos vero, qui poſt excommunicationem contraxerunt, diſtinguendum eſt, nam ſi per ignorantiam, adeoque bona fide, id fecerunt, & poſtea id ſciunt, poſſunt in famulatu perſiſtere, & cum domino communicare, perinde ac ſi excommunicatio poſtea ſuperveniſſet: ſecus, ſi ſcienter, & mala fide contraxerunt, ſeu operam ſuam locarunt, tunc enim a contractu reſilire debent, ſi ſine gravi ſuo incommodo poſſint; idque colligitur ex *cit. c. Inter alia §. Ut igitur*. Ubi tanquam neceſſaria conditio ad licitam communicationem videtur requiri, ut ante excommunicationem domini famuli fuerint obligati ſervituti alterius, ut dicit *Silveſt. V. Excommunicatio* 5. *num.* 4. *in enumeratione* 3. *Suarez citat. ſect.* 5. *num.* 13. *Avila part.* 2. *diſ.* 11. *dub.* 6. *Laym. lib.* 1. *cap.* 2. *§. inde diſtinguendum eſt*. Poſſunt autem famuli, & aliæ ſimiles perſonæ, obligatæ domino, communicare cum Domino excommunicato, non tantum in iis, quæ ad divinum Officium pertinent, ſed etiam in aliis omnibus, perinde ac ſi dominus excommunicatus non eſſet, *Avila c. l.*

CXXIV. Porro prædicta facultas communicandi cum excommunicatis limitatur, ut non habeat locum, ſi communicatio fiat in crimine, ob quod parens, dominus, Prælatus vel Epiſcopus excommunicatus fuit, ut patet ex *cit. cap. Inter alia in fine*. Quare ſi quis excommunicatus fuit,

pro-

Digitized by Google

propter matrimonium contractum cum probabili impedimento dirimente, ſi alter conjux debitum reddat, durante dubio de valore matrimonii, excommunicationem incurrit, quia communicat in ſcelere, ob quod alter conjux excommunicatus fuit, *Layman cit. cap. 2. §. Secundo excuſat, in fine.*

CXXV. Quarta cauſa excuſans eſt, res ignorata, ſeu ignorantia, ut conſtat *ex cap. Quoniam multos; Qui ignorantes excommunicatis communicant cauſ. 11. q. 3.* ſive ſit ignorantia facti, ut ſi quis ignoret aliquem eſſe excommunicatum: ſive juris, quia ignorat excommunicatum eſſe vitandum, dummodo ignorantia non ſit craſſa aut affectata, quia tunc fere nulla adeſt propria contumacia ex parte communicantium cum excommunicato, *Suar. cit. diſ. 9. de cenſ. ſec. 3. nu. 2. & 3.* Excuſat autem hæc ignorantia, non ſolum quando communicatur cum excommunicato in humanis ſeu politicis: ſed etiam divinis *Avila cit. c. 6. diſ. 11. dub. 12.* Similiter qui ſolum dubitat, an quis ſit excommunicatus, vel denunciatus, non tenetur, nec poteſt illum vitare, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, *Suar. c. l. n. 4.* Sed neque in dubio is, quem conſtat excommunicationem incurriſſe, præſumi debet liberatus eſſe, ad hoc, ut cum eo communicare liceat, præſertim in rebus factis, quia regula generalis eſt, eum, qui ſemel excommunicatus & denunciatus eſt, ſemper vitari debere, donec de abſolutione conſtet certo, vel ſaltem probabiliter, *Suarez. cit. ſec. 3. num. 7.*

CXXVI. Quinta cauſa excuſans eſt neceſſitas, ſeu vera indigentia, ſive ea ad animam, ſive ad corpus, ſive ad famam, ſive ad alia temporalia bona alicujus pertineat: & ſive neceſſitas ſpiritualis, aut temporalis ipſius excommunicati ſive ipſius communicantis, licitum enim eſt ob illam communicare cum excommunicato, etiam non tolerato, ſeu vitando, prout ſumitur *ex cit. c. Quoniam multos Suar. cit. ſec. 5. n. 8.* & alii communiter. Unde Viatores licite poſſunt ab excommunicatis petere, & emere neceſſaria ad victum, & veſtitum; pauperes petere eleemoſynam; dubius conſilium ſpirituale, aut temporale; ægri medicinam, ſaltem ſi alii fideles deſint, a quibus eadem commode peti poſſent. Idem licite poſſunt præſtare fideles ipſius excommunicatis vitandis, ſi pari neceſſitate premantur. Unde poteſt quis dare ſtipem pauperi excommunicato, etiam extra neceſſitatem extremam, quando eleemoſyna non obligat ſub præcepto, ſed ſolum eſt conſilii, *Avila cit. l. dub. 13.* Item licitum eſt communicare cum excommunicato non tolerato, etiam in divinis, ob neceſſitatem provenientem ex violentia, vel gravi metu, modo non incutiatur in contemptum Religionis, ut ſi quis detineatur violenter, ut audiat Miſſam, ſimul cum non tolerato, *Avila cit. loc. dub. 13. concl. 5.*

§. III.

De communicante cum excommunicato in crimine, ejuſque pœna, & abſolutione.

CXXVII. De hac agitur inprimis in *c. Nuper 29. §. In ſecunda vero quæſt. h. t.* Ubi cum quæſitum fuiſſet, a quo abſolvi poſſunt ab excommunicatione ii, qui nominatim excommunicatis ſcienter communicant in crimine? Reſpon- ,, det Papa Innocentius III. diſtinguendum eſſe, utrum is, ,, qui nominatim excommunicatis ſcienter communicat, ,, in crimine, communicet criminoſo, ei imponendo con- ,, ſilium auxilium aut favorem: an vero alias in oratione, ,, aut oſculo, vel orando, aut etiam comedendo cum ſic ,, excommunicatis. In primo caſu, cum talia communicet ,, in crimine, & participet criminoſo, & ſic ratione cri- ,, minis videtur delinquere in illum, qui ipſum damnavit, ,, ſive excommunicavit, ab eodem, vel ejus Superiore ab- ,, ſolvi debet ab excommunicatione, cum facientes, & ,, conſentientes pari pœna conſtringantur. In ſecundo ve- ,, ro caſu abſolvi poteſt a proprio Epiſcopo, vel etiam a ,, ſimplici Sacerdote: quamvis enim tunc communicans ex- ,, communicato ſit ligatus ſententia Canonis, ſeu Juris, & ,, non Judicis: quia tamen Conditor Canonis ejus abſolu- ,, tionem ſibi ſpecialiter non reſervavit, eo ipſo videtur ,, conceſſiſſe facultatem aliis relaxandi. Additur in §. *Is* ,, *autem*, quod ille, qui priori modo, ſcilicet qui in cri- ,, mine participat criminoſo, præſtito prius juramento, de- ,, beat abſolvi: qui vero ſecundo modo participat, ſine ju- ,, ratoria cautione abſolvi poteſt. Denique in fine dicitur ,, ſi ob aliquam cauſam juſtam difficile ſit, ut abſolvendus ,, accedat ad ipſum excommunicatorem: concedit Papa, ,, ut præſtita cautione, ſecundum formam Eccleſiæ, quod ,, parebit mandato ejus, qui ipſum excommunicavit, ab- ,, ſolvatur a ſuo Epiſcopo, vel proprio Sacerdote, ſeu ,, Parocho.

CXXVIII. Pro declaratione hujus c. notandum primo, communicans ſcienter cum excommunicato majore excommunicatione in crimine, ut Jura ajunt, criminoſo, ob quod excommunicatio lata fuit, peccat mortaliter, & ſimiliter majorem excommunicationem incurrit, ut conſtat *ex cit. cap. Nuper.* Ut ſi Titius v. g. excommunicatus ſuit, & denunciatus, ob detentionem rei alienæ, & Cajus poſtea eum inducat conſilio, vel ope, ut Titius juſſus reſtituere, non reſtituat, tum Cajus communicat cum Titio in crimine criminoſo, & ſimiliter majorem excommunicationem incurrit, *Silveſt. V. Excommunicatio 8. n. 10. Avila p. 2. c. 6. diſ. 10. dub. 1. in concl. 3. Laym. l. 1. tract. 5. p. 2. c. 3. nu. 1.* & alii apud *Barb. in Collect. in cit. c. Nuper. n. 3.* Ubi *n. 5.* additur, ut participans in crimine criminoſo cum excommunicato, prædictam excommunicationem incurrat, requiri primo, ut quis communicet in crimine, poſtquam criminoſus eum quo communicat, excommunicationem incurrit. Secundo, ut participet in eodem crimine, propter quod alter principalis criminoſus fuit excommunicatus. Tertio ut communicans ſciat illum, cum quo participat, excommunicatum fuiſſe propter tale crimen, ut patet ex *cit. c. Nuper. §. In ſecunda. ibi: Scienter in crimine communicat criminoſo.* Quarto, ut ille, cum quo participat, poſt Concilium Conſtantienſe ſit excommunicatus, non toleratus, ſeu vitandus, imo & nominatim denunciatus, nam poſt dictum Concilium, permiſſum eſt communicare cum excommunicatis toleratis, vel non denunciatis. Quinto ut communicatio, ſive cooperatio non ſit levis momenti, ſed gravis, quia ad incurrendam majorem excommunicationem requiritur materia ſufficiens ad peccatum mortale.

Notandum ſecundo, communicans criminoſo in crimine, videlicet præſtando illi conſilium, vel auxilium, vel favorem, incurrit eandem pœnam, quam ipſe principalis, quia faciens, & conſentiens pari pœna conſtringuntur, ut habetur in hoc c.

Notandum tertio, inter communicantem in crimine, & extra crimen; hæc eſt differentia, quod ille incidit in excommunicationem majorem, a qua abſolvi non poteſt, niſi ab eo qui illum excommunicavit, vel ejus Superiore, præſtito juramento de parendo ejus mandato: qui vero communicat, extra crimen, ligatur tantum minore excommunicatione, & abſolvi poteſt etiam a ſimplici Sacerdote, ſine juratoria cautione, ut habetur in fine hujus cap. Quale vero peccatum ſit communicare cum excommunicatis, ſive in crimine, ſive extra crimen, tradunt Caſuiſtæ.

Notandum quarto, poteſt inferior Prælatus abſolvere ab omni excommunicatione lata a Canone, quoties Conditor abſolutionem ſibi non reſervavit, ut hic dicitur: idque locum habet, non tantum in Canone Papæ, ſed etiam in ſtatuto cujuslibet Epiſcopi, vel alterius Prælati Eccleſiaſtici, ita ut excommunicatus per illius ſtatutum, abſolvi poſſit a proprio Sacerdote, ſi Epiſcopus, vel Prælatus abſolutionem ſibi non reſervavit, *Fag. in cit. c. Nuper n. 16. h. t.*

CXXIX. Præterea quod communicantes cum criminoſis in eodem crimine incidunt in eandem ſententiam excommunicationis criminoſorum, ſtatutum etiam habetur in *cap. Si concubinæ 55. h. t.* Ubi dicitur, ſi publicæ concubinæ Clericorum excommunicatæ fuerunt, quia noluerunt a Clo- ,, ricis Concubinariis recedere, non eſt dubium, coſdem ,, Concubinarios majoris quoque excommunicationis ſenten- ,, tia involvi, ſi poſt latam ſententiam, iſti Clerici iterum ,, cum dictis mulieribus carnaliter commiſceantur, quia in ,, eodem crimine participant cum criminoſis.

Ubi notandum primo, Clericus cognoſcens carnaliter mulierem excommunicatam, propter concubinatum ſuum, dicitur in crimine cum illa communicare, ac proinde majore excommunicatione ligatur, ut colligitur ex hoc cap. *Barb. hic num. 2.*

Notandum ſecundo, ad talem excommunicationem majorem incurrendam, requiritur primo, ut quis participet in eodem crimine, propter quod alter fuit excommunicatus, & poſt excommunicationem latam. Secus eſt, ſi communicatio fiat in alio crimine, cujus cauſa excommunicatio non fuit lata, vel in alio, quam in crimine, ut in locutione, vel oratione &c. juxta *cit. c. Nuper*, tunc enim talis participatio non eſt ſufficiens, ut communicans incidat in excommunicationem majorem, ſed minorem tantum, *Gl. hic V. in eodem crimine, Abb. hic n. 2. Covarr. in c. Alma. p. 1. §. 9. num. 5.* Requiritur ſecundo, ut participet poſt denunciationem nominatim factam ejus, qui illa incurrit. Tertio, ut ſcienter communicet, ſive ut ſciat eſſe denunciationem factam, *Barb. hic n. 3. in fine.*

Porro de aliis excommunicatione majore, quam incurrunt Clerici, qui ſcienter participant, & ſponte cum excommunicatis a Papa, dictum eſt ſupra in *c. Significavit, 10. h. t. 96.*

§. IV.

Quænam præterea ſtatuta ſunt Jure Canonico circa communicationem cum excommunicatis?

CXXX. De hac agitur præterea in quibuſdam aliis Capitulis hujus Tituli, quæ hoc loco explicabimus. Veluti primo in *cap. Cum deſideres. 15. h. t.* Ubi inprimis quæſi- ,, tum fuit ex Papa Clemente III. utrum tali excommuni- ,, cato, qui juravit ſe velle ſtare mandato Eccleſiæ, ideo- ,, que Epiſcopus eum communione fidelium reſtituit, ante ,, abſolutionem ab excommunicatione, ſit etiam ab aliis ,, eidem communicandum, & an etiam Epiſcopus id face- ,, re debuerit? Reſpondet Papa, cum juratoria cautio, ,, quam præſtant excommunicati, potius ex conſuetudine ,, Eccleſiæ ſit introducta, ad cautelam, quam ex rigore ,, Canonum: nec propter juramentum debeat quis cenſeri ,, eſſe abſolutus, niſi abſolutio ſit ſecuta, ideo neque ad ,, communionem aliorum debet admitti: cum conſtet ipſum ,, excommunicatum fuiſſe, & verum ſit abſolutum non eſ- ,, ſe: nec Epiſcopi, nec alii debent eidem communicare, ,, niſi ſecundum formam Eccleſiæ, poſt juramentum præſti- ,, tum, fuerit abſolutus, quia qui excommunicato ſcienter ,, communicat, pœnam excommunicationis incurrit. Secun- ,, do quæſitum fuit, an ſi publica fama ſit, aliquem eſſe ,, excommunicatum, qui verberavit Clericum, debeat e- ,, vitari? Reſpondet Papa, quod nec Epiſcopus, nec alii ,, debeant ipſi communicare, niſi ſe de hoc ad arbitrium ,, Epiſcopi purgaverit, vel ſaltem ad cautelam fuerit ab- ,, ſolutus. Tertio quæſitum fuit, ſi quis verberavit Cleri- ,, cum, ſed mediante Epiſcopo, compoſitionem fecit cum

,, per-

Digitized by Google

„ percuſſo, an ſit illi communicandum ab aliis? Reſpon- „ det Papa, quod licet ille ſatisfecerit Clerico verberato, „ non tamen per hoc ſatisfecit Eccleſiæ, quam offendit, „ & ideo, niſi ſecundum formam Eccleſiæ ſatisfecerit, „ non eſt ei communicandum.

CXXXI. Notandum primo, etiam Epiſcopi aliique Prælati, Papa inferiores, tenentur vitare excommunicatos, ſicut alii, prout ſumitur ex hoc c. adeo ut Epiſcopus non poſſit licite, ſaltem ſine cauſa, communicare cum excommunicato, & in ipſo alias minorem excommunicationem incurrit, *Covarr. in c. Alma p.* 1. §. 2. *n.* 2. Nam cum Epiſcopus debeat alios prohibere, ne communicent cum excommunicatis, multo magis ipſe hoc facere non debet, *Gloſ. hic V. Communicare.*

Notandum ſecundo, excommunicatus etſi reſipiſcat, non ideo reſtituitur communioni fidelium, nec participationi communium Eccleſiæ ſuffragiorum, & precum, niſi prius fuerit abſolutus, quamvis juraverit, ſe Eccleſiæ pariturum & parti læſæ ſatisfacturum, *Suar. l. 9. de cenſur. ſec. 3. nu.* 2. quia per emendationem excommunicati non tollitur excommunicatio, ſine abſolutione, etiamſi pars, ob cujus læſionem fuit excommunicatus, omnem injuriam remiſerit, & integre ipſi ſatisfecerit, *Barboſ. hic* n. 3.

Notandum tertio, ſi fama publica ſit, aliquem excommunicatum eſſe, is interim vitandus eſt, nec cum ipſo communicandum, donec ſe expurgaverit, prout ſumitur ex hoc c. Ubi abſolute ſtatuitur, excommunicatum vitandum eſſe, propter ſolam famam publicam donec ſe ipſum purgaverit, *Gl. hic V. Si publica fama.* Quod ſi vero purgatio ei indicta ſit, ſed eam ſubire noluerit, vel in ea deficiat, tunc præſumptione urgenti convincitur eſſe excommunicatus; *Covarr. in cit. c. Alma p.* 1. §. 2. *n.* 4.

Notandum quarto, Excommunicatus, propter injuriam illatam Clerico, offendit, non ſolum ipſum Clericum, quoad ſuam perſonam, ſed etiam Eccleſiam, ſive totum Ordinem Clericalem, & utrique tenetur ſatisfacere, alias abſolvi non debet: poſteriorem enim injuriam Clericus offenſus remittere non poteſt, *Gloſ. hic in notat. & Verſ. Quam offendit.*

Notandum quinto, excommunicatus abſolvi debet, ſecundum formam Eccleſiæ, videlicet ut juret, quod parebit mandato Eccleſiæ, alias non debet abſolvi, ſine cauſa: ſi tamen omittatur juramentum, tenet abſolutio, quia hoc non eſt de ſubſtantia abſolutionis, ſed recipitur potius ad cautelam, ne alii de cætero talia præſumant: & aliqui excommunicati abſolvantur, ſine juramento, quod non fieret ſi hoc pertineret ad ſubſtantiam abſolutionis, *Gl. fin. hic.*

CXXXII. Similiter in *c. Quod in dubiis* 30. *h. t.* reſcribit „ Papa Innocentius III. quod excommunicato communica- „ ri non debet, donec per Eccleſiam fuerit abſolutus, etſi „ prius juraverit, ſe ſtaturum mandatis Eccleſiæ, alioquin „ poſt juramentum abſolutio non eſſet neceſſaria. Secundo „ nullus tenetur ſcienter communicare nominatim excom- „ municatis, exceptis quibuſdam perſonis, quæ per Capi- „ tulum Gregorii Papæ (VII. *junct. Gloſ. marg. hic* & ha- „ betur in *c. Quoniam multos* 103. *cauſ.* 11. *q.* 3. de quibus „ ſupra) ſpecialiter excuſantur. Tertio, illi vero, qui ex „ præſumptione, ſive ſcienter participant nominatim ex- „ communicatis (preter perſonas in dicto Canone expreſ- „ ſas) excommunicandi ſunt, ſi admoniti ab eorum parti- „ cipatione non deſiſtant. Secus vero eſt de iis, qui ſcien- „ ter communicant ei, qui cum participibus ſuis (ſcilicet „ in crimine, *Gl. hic V. eod.*) per ſententiam ſunt excom- „ municati: tunc enim & ipſi ſententiam excommunicatio- „ nis incurrunt, ſcilicet eandem, quam & principales, „ adeoque majorem, *Gloſ. fin. hic.*

CXXXIII. Notandum primo, non eſt licitum communicare cum excommunicato, quamvis is pœniteat, & paratus ſit ſatisfacere parti læſæ, ac juravit parere mandatis Eccleſiæ, niſi etiam actu fuerit abſolutus ab excommunicatione, ut conſtat ex hoc *c. in princ.* & docet, *Abb. ibidem nu.* 2. quia licet tunc ceſſet contumacia, propter quam excommunicatio fuit inflicta, neceſſarium tamen eſt ut ſequatur actualis abſolutio, ante quam cum eo communicari poteſt, *Barb. hic* n. 2.

Notandum ſecundo, communicans cum excommunicato, ſi monitus non deſiſtat, eſt excommunicandus per ſententiam, ut hic dicitur §. *Illi autem.* Ubi tamen diſtinguendum eſt, nam quandoque communicat quis cum excommunicato ſimpliciter, & tunc incurrit excommunicationem minorem, & venialem tantum culpam committit: quandoque communicat quis ſcienter excommunicato a Papa cum participibus ſuis, ſive quando Papa aliquem excommunicat, & omnes participantes cum eo, & tunc ſic communicans peccat mortaliter, & conſequenter majorem excommunicationem incurrit, de qua eſt ſermo *in fine hic Verſic. Secus autem, Abb. ibid. n.* 3. *& Barb. n.* 4. *&* 5. Et quidem talis eſt excommunicatus ipſo jure, ut notat, *Gloſ. hic in caſu in fine.*

CXXXIV. Præterea Innocentius IV. in Concilio Lugdu- „ nenſi, quod refertur in *c. Statuimus* 3. *h. t. in* 6. ſtatuit, „ nullus Judex (Eccleſiaſticus) participantes cum excom- „ municatis (majore excommunicatione) ab eo (ſecus ſi „ ab alio, *Gl. hic V. Ab eo*) in locutione, & aliis (vide- „ licet oſculo, ſalutatione, menſa, choro, & ſimilibus, „ *Gloſ. hic V. Aliis*) quibus participans ligatur minore ex- „ communicatione, præſumat excommunicare majore ex- „ communicatione, ante monitionem Canonicam: Judicis „ Conſtitutionibus contra illos *cap. Nuper* 29. *& cap. Si concubina* 55. *h. t.*) legitime promulgatis, qui in crimine „ præſumant participare damnatis. Quod ſi participans ex „ locutione, & aliis, quibus participans incurrit minorem „ excommunicationem, magis indureſcat: poterit Judex „ poſt admonitionem Canonicam, hujuſmodi partici- „ pantes (ſcilicet in locutione, & ſimilibus) conſi- „ mili cenſura (id eſt, majore excommunicatione) damna- „ re: excommunicatio vero aliter prolata non tenet, & „ proferentes pœna legitima puniendi ſunt.

CXXXV. Pro explicatione hujus cap. notandum primo, non poteſt Epiſcopus concubinarium v. g. alium crimínoſum excommunicare, niſi monitione Canonica præmiſſa: & tenentur alii fideles talem excommunicatum vitare in locutione, & aliis actibus ſimilibus, ut agnoſcat ſuum reatum, & redeat ad gremium, & obedientiam Eccleſiæ. Quod ſi Epiſcopus vult excommunicare majore excommunicatione illos, qui ab eo excommunicatum non vitant, ſed participant cum illo, debet ſimiliter illos prius monere trina Canonica monitione, aut una peremptoria, cum intervallo dierum, alias excommunicatio non tenet, *Gl. hic in caſu & V. Monitionem.* Idque ſtatutum eſt ad refrenandos Judices, qui ſæpe indiſcrete, & injuſte excommunicabant participantes cum excommunicatis, licet de participatione non plene conſtaret: ideoque ad validitatem talis excommunicationis requiſita fuit prævia admonitio, ita ut ſit nulla ipſo jure, licet admonitio alias regulariter ſolum ſit de juſtitia excommunicationis, non autem de ſubſtantia, *Gl. hic Abb. eo in notatis.*

Notandum ſecundo, quod dictum eſt, Judicem non poſſe excommunicare participantes cum excommunicato, non præmiſſa Canonica admonitione id cadit in iis, qui participant cum excommunicato in crimine damnato, propter quod fuit excommunicatus. Tales enim ſunt excommunicati, ipſo jure, & Judex etiam poteſt illos excommunicare, ſine præcedente Canonica monitione: cum iſtud hic non prohibeatur: & ſic hujuſmodi participantes incurrunt duplicem excommunicationem majorem, ſcilicet juris, & hominis, *Gl. hic in caſu, Verſic. Sed utrum, & Farinac. hic n.* 2. *not.* 2. *&* 3.

Notandum tertio, diſpoſitio hujus c. habet locum, quoad participantes cum excommunicatis ab ipſis Epiſcopis excommunicatoribus. Unde ſi Epiſcopus, ſine prævia monitione, excommunicaret participantes cum excommunicatis non a ſe, ſed ab alio, v. g. Archidiacono, vel Archipresbytero tunc non haberet locum hæc prohibitio quæ requirit ſolum factum excommunicantis, & teneret excommunicatio, quia monitio regulariter non pertinet ad ſubſtantiam excommunicationis, ſed ſolum ad illius juſtitiam, ut ſupra dictum. Ratio eſt, quia Judices ſunt magis propenſi ad excommunicandum, quando eorum auctoritas contemnitur, quam quando aliorum, *Gl. hic V. Ab eo, & Franc. n.* 2. *not.* 1.

CXXXVI. Notandum quarto, unus caſus, inter cæteros, in quo communicans cum excommunicato, poteſt excommunicari majori excommunicatione, eſt, ſi ob participationem cum aliis fidelibus, in excommunicatione magis indureſcat: ſive pertinaciter perſiſtat, ut habetur in *cit. c. Statuimus.* §. *Quod ſi, Gl. ibid. V. Induraſcat*, ubi rationem dat, quia quando excommunicatus videt ſe admitti ad omnes actus cum aliis fidelibus, non curat excommunicationem, quia hæc tunc non eſt illi gravis, ideo contemnit auctoritatem, & Claves Eccleſiæ: at vero cum videt ſe vitari ab aliis, depoſita contumacia ſeu inobedientia, revertitur ad gremium Eccleſiæ.

Notandum quinto, quamvis participans cum excommunicato incurrat minorem excommunicationem: non tamen poteſt excommunicari majori excommunicatione, niſi prius fuerit monitus, ut deſiſtat ab ipſa participatione, ſed poſt factam monitionem, poterit excommunicari, ut habetur in *cit. c. Statuimus.* §. *Quod ſi.* Unde ſequitur, quod communicans cum excommunicato majore excommunicatione, peccat mortaliter, quia major excommunicatio non poteſt infligi, niſi propter peccatum mortale: & hoc procedit, quando quis eſt publicatus, & denunciatus, nam ante denunciationem non peccat mortaliter, ſed ſolum venialiter, niſi hoc faceret in contemptum auctoritatis Eccleſiaſticæ, vel Superioris, *Gl. hic V. Ab eo in notatis, Franc. ibid. n.* 3. *not.* 4.

Notandum ſexto, ſi Judex intendat excommunicare generaliter omnes participantes cum excommunicato, debet præcedere monitio generalis, v. g. monemus omnes Chriſti fideles, ne præſumant communicare cum tali excommunicato, edendo, loquendo &c. ſub pœna excommunicationis. Si vero intendat excommunicare particulariter, & in ſpecie, v. g. Petrum, debet jubere, ut moneatur Petrus, & ſi monitus non deſiſtat, ut excommunicetur, *Gl. hic V. Ab eo in notatis Franc. n.* 2. *not.* 3.

Notandum ſeptimo, faciens actum contra legem puniri debet, etſi actus per eum geſtus non teneat, ut in propoſito excommunicatio lata in participantes cum excommunicato, ſine prævia admonitione, non tenet, & tamen qui admonitione non præmiſſa excommunicant ſubditos, puniendi ſunt, *c. Sacro* 48. *h. t. Gl. hic V. Ab eo in notatis in fine, & V. Pœnam. & Franc. n.* 4.

CXXXVII. Porro Conſtitutio *cit. c.* 3. *h. t. in* 6. videlicet quod dicta Conſtitutio Papæ Innocentii IV. quæ prohibet participantes cum excommunicatis, ea participatione, quæ minorem excommunicationem inducit, non præmiſſa Canonica monitione, ligari majore excommunicatione, ita ut ſententia excommunicationis aliter promulgata non teneat, innovatur & declaratur in *c. Conſtitutionem.* 9. *h. t. in* 6. Quod illa monitio dicitur canonica in illo caſu ſi aliis rite ſervatis, de quibus in *c. Sacro.* 48. *h. t.*) ii, qui „ monentur, exprimuntur nominatim. Statuit quoque, ut „ monitiones (quæ ſecundum Jura præmitti debent, ut „ Canonice promulgetur ſententia excommunicationis) ob- „ ſerventur, & fiant, vel tres, vel una (peremptoria) pro „ omnibus, quæ tamen habeant aliquorum dierum inter- „ valla competentia, niſi neceſſitas facti aliud poſtulet.

CXXXVIII

CXXXVIII. Ubi notandum primo, monitio Canonica hic dicitur illa, qua participantes cum excommunicatis monentur, ut deſiſtant a participatione nominatim, id eſt, expreſſis propriis nominibus eorum, qui monentur, vel ſaltem ut ex aliis indubitatis circumſtantiis, res vel perſonæ deſignentur, quæ ſint loco nominis proprii, ut ſi Judex dicat, *moneo filium Petri*, ſi hic unicum filium habeat, *Gl. hic V. Nominatim.* Eſt vero hoc ſpeciale in iſto caſu, ſcilicet quando Judex propter participationem vult excommunicare participantes excommunicatione majore: quod novo Jure hujus c. non poſſit ferri excommunicatio in genere in participantes, ſed debeant nominatim, & ſpecialiter moneri, v.g. *Monemus tales, ut a participatione deſiſtant*, & ſic ſublatum eſt, quod dicitur in *c. In dubiis.* 30. *h.t. in fine.* quamvis aliàs extra hunc caſum, monitio generalis fieri poſſit, etiamſi nomina monitorum non exprimantur, *Gloſ. hic* in caſu & *V. Nominatim. Franc.* n. 2. & 3.

Notandum ſecundo. Ad monitionem Canonicam requiritur præterea, ut tres monitiones præcedant excommunicationem, eæque non continue, ſed per intervalla, ita ut inter quamlibet monitionem duo dies intercedant, quia textus hic loquitur in plurali: vel ut fiat una monitio peremptoria pro omnibus, quæ tamen habeat competentia intervalla dierum, ut habetur in hoc *c.* §. *Statuimus*, v. g. *Monemus omnes, & ſingulos, ut deſiſtant a partic. infra ſex dies*, quorum duo pro primo, alios duos pro ſecundo, & reliquos duos, pro tertio die, & peremptorio termino aſſignamus, *Gl. hic* in caſu, & *V. Una pro omnibus.* Et locum habent etiam in aliis excommunicationibus, quæ proferuntur contra alios, quam participantes cum excommunicatis, *Franc. hic* §. *Statuimus.* n. 1. *not.* 1. poteſt tamen excommunicator ex cauſa moderari, & abbreviare illud tempus, pro perſonarum, & negotii qualitate. *Gl. hic in caſu*, & *V. Competentia. Franc. n. ult.* Unde hic in fine excipitur neceſſitas, ut quia partes ad arma vel rixam ſunt paratæ, nec curant monitiones Epiſcopi, & quia quandoque res celeritatem deſiderat, nec moram patitur, *Gl. fin. hic Franc.* n. 2. *in fine.*

CXXXIX. Porro quæ ſtatuta ſunt in duabus prædictis Conſtitutionibus Innocentii IV. & Gregorii X. relatis in *c.* 3. & 9. *h. t. in* 6. etiam locum habent in cenſuris ſuſpenſionis, & interdicti, ut conſtat ex *c. Statutum.* 13. *h.t. in* 6.
„ Ubi Papa Bonifacius VIII. præcipit, ut in ſententiis ſu-
„ ſpenſionis, & interdicti, quæ pro participatione (cum
„ excommunicatis majore excommunicatione) plerumque
„ ab Ordinariis, & delegatis Judicibus promulgantur, in-
„ violabiliter obſerventur: & decernitur, eaſdem ſenten-
„ tias non tenere, ſi aliter (ſcilicet non præmiſſa Canoni-
„ ca monitione, & niſi fuerint nominatim moniti) promul-
„ gatæ fuerint.

Ubi notandum primo. Jura, quæ loquuntur de modo proferendi ſententiam excommunicationis, non habent locum in ſententiis ſuſpenſionis, & interdicti, niſi ſit hoc in ſpecie expreſſum, ut colligitur ex hoc c. *Franc. hic not.* 1. Secundo, diſpoſitio hujus c. non habet locum in aliis ſententiis Judicialibus, quæ non ſunt cenſuræ Eccleſiaſticæ, ſi proferantur contra participantes cum excommunicatis, quia contra illas datur remedium appellationis, per quod ſuſpenduntur, quod non datur in ſententiis cenſurarum, de quo infra. *Franc. not.* 2. Tertio, Judex delegatus non ſolum poteſt excommunicare, monitione præmiſſa, participantes cum excommunicatis ab eo, ſed etiam ſuſpendere, vel interdicere, etiamſi hoc in reſcripto delegationis non ſit ſpecialiter commiſſum, quia id conceditur in hoc *c. Franc. hic not. ult.* Plura de monitione Canonica, quæ præcedere debet excommunicationem, dicta ſunt ſupra in *c. Sacro.* 48. *ſec.* 2. §. 3. *n.* 34. & pluribus ſeqq. *h. t.*

CXL. Cæterum reſtat hoc loco una adhuc quæſtio circa communicationem cum excommunicatis, nempe an qui communicavit cum excommunicato, poſſit illi excommunicationem objicere, vel eum denunciare? De hac quæſtione agitur in c. *In præſentia.* 46. *h. t.* ubi habetur, quod quidam
„ Canonici contra Decanum ſuum, per modum denuncia-
„ tionis objiciebant excommunicationem. Sed ipſe exci-
„ piendo contra eos, propoſuit illos non eſſe audiendos,
„ cum ſuper hoc ipſe non fuerit admonitus, nec ab eis im-
„ petitus, nec ipſum evitaverint: ſed Epiſcopus in men-
„ ſa, & Canonici in Divinis ei communicaverint. Ex quo patet, quod qui non præmonuit excommunicatum, & cum eo participavit, non debet admitti ad denunciandum ipſum, quia debuiſſet eum vitare: ideoque non poteſt eum reprobare, & mores ipſius, quos prius approbavit, *Gl. hic in notat.* De quo videri poſſunt, quæ dicta ſunt *lib.* 2. *Decret. tit.* 25. n. 25. & 2. *ſeqq.*

SECTIO V.

De abſolutione ab excommunicatione, & poſitione Clericorum criminoſorum, citra metum, ſeu periculum excommunicationis.

§. I.

Quinam poſſint abſolvere ab excommunicatione majore, vel minore?

CXLI. Aſſertio 1. Ab excommunicatione lata a Jure, ſed non expreſſe reſervata, abſolvere poteſt, non tantum Epiſcopus, vel alius juriſdictionem Epiſcopalem obtinens, ſed etiam proprius Parochus, ſeu Sacerdos, vel qui ejus vices gerit, ut colligitur ex *c. Nuper.* 29. ibi: *A ſuo Epiſcopo vel a proprio Sacerdote poterit abſolutionis beneficium obtinere h. t.* Ubi licet ſolum expreſſe agatur de excommunicatione contracta propter communicationem cum excommunicato: ratio tamen Pontificis ibi adjuncta omnibus cenſuris non reſervatis accommodari poteſt, & ad illas extendi, nempe quia Conditor Canonis ejus abſolutionem ſibi ſpecialiter non reſervavit, eo ipſo conceſſiſſe videtur aliis facultatem relaxandi, *Suar. diſ.* 7. *de cenſ. ſec.* 3. *n.*2. & 10. *Avila. p.* 2. *de cenſ. c.* 7. *dub.*4. & alii.

Ad Parochos vero quod attinet, cum ipſi in foro externo nullam juriſdictionem ordinariam obtineant, nullam etiam habent poteſtatem ordinariam Jure Communi abſolvendi ab excommunicatione, ratione officii ſui, ſicut nec excommunicare poſſunt: qui autem ligare non poteſt, neque ſolvere poteſt. Habent tamen Parochi poteſtatem abſolvendi ab excommunicatione majore & minore, ex commiſſione Juris quaſi delegatum, ut conſtat factum eſſe in *cit. cap. Nuper. Suar. cit. diſ.*7. *ſ.* 3. *num.* 29. vel ex commiſſione Papæ, quatenus talis poteſtas ſæpe neceſſaria eſt, ad conferendam Sacramentalem abſolutionem a peccatis. Unde non poteſt Parochus facultatem abſolvendi ab excommunicatione delegare alteri, v.g. Cooperatori ſuo, proprie, ac directe, ſed ſolum indirecte, quatenus delegat ipſi poteſtatem audiendi Confeſſiones, & conſequenter committit etiam ipſi poteſtatem abſolvendi ab excommunicationibus non reſervatis, *Laym. l.*1. *tr.*5. *p.*2. *c.*6. *n.* 1. Porro extra Sacramentum Pœnitentiæ, quiſquis habens juriſdictionem Eccleſiaſticam in foro externo, ſive ex officio, ſive ex commiſſione, abſolvere poteſt ab excommunicatione majore, vel minore, etiamſi Sacerdos non ſit, *Avila cit. cap.* 7. *dub.* 2.

CXLII. Aſſertio 2. Ab excommunicatione, ſive Canonis reſervata poteſt abſolvere Auctor, ſive ille, qui eam reſervavit, vel ejus Superior, vel is, cui Auctor abſolutionem commiſit, non alius inferior, regulariter loquendo. Et ratio eſt, quia ejus eſt abſolvere, cujus eſt ligare, *Suar. cit. diſ.* 7. *ſec.* 3. *n.* 1. *Avila. cit. l. dub.* 5. *Laym. cit. l. dicto.* 2. Unde ſi abſolutio ſit reſervata Papæ, ipſe ſolus, vel cui ipſe commiſit, poteſt abſolvere: ſi ſit reſervata Epiſcopo, ipſe vel ejus Superior, vel Vicarius ejuſdem poterit abſolvere, vel etiam Capitulum, Sede vacante, *Avila cit. l.*

Excipitur autem, quod in articulo mortis quivis Sacerdos etiam excommunicatus, & non toleratus abſolvere poteſt ab omnibus cenſuris, ſive a Jure, ſive ab homine latis, ſi non poſſit habere alium, qui de jure abſolvere poterat, quomodo intelligendum Concilium Tridentinum *Seſſ.* 14. *cap.* 7. Porro abſolutio ab excommunicatione, aliiſque cenſuris conſtituti in articulo mortis non eſt neceſſario dependens ab abſolutione Sacramentali a peccatis, ſed poteſt impendi, etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ: quamvis enim aliqui DD. apud *Suar. cit. diſ.* 7. *ſec.* 6. *num.* 4. putent, quod in defectum Sacerdotis, quivis alius Clericus inferior, imo & laicus poſſit in articulo mortis conſtitutum abſolvere ab excommunicatione, aliiſve cenſuris: probabilius tamen eſt, quod non poſſit, quia neque ex jure aliquo, neque ex conſuetudine Eccleſiaſtica oſtendi poteſt, Eccleſiam aliquando hanc poteſtatem abſolvendi ab excommunicatione in articulo mortis Clerico non Sacerdoti, vel fideli laico conceſſiſſe, etſi poſſet, *Suar. cit. ſ.* 6. *num.* 9. *Laym. cit. c.*6. *n.*2.

CXLIII. Aſſertio 3. Ab excommunicatione lata ab homine, ſive Judice generaliter, v.g. qui tale crimen commiſerit, ſit excommunicatus, poteſt abſolvere, non ſolum, qui eam tulit, vel ejus Superior, ſed etiam inferior, ſcilicet Parochus, ſeu ſimplex Sacerdos, ſicut is, qui poteſt abſolvere ab excommunicatione juris non reſervatæ, cui ſere in omnibus aſſimilatur, *Avila p.* 2. *c.* 7. *diſ.* 1. *dub.* 8. At vero ab excommunicatione lata ab homine in ſpecie, & nominatim, v.g. contra Petrum, Jure communi, tantum abſolvere poteſt, qui eam tulit, vel ejus Superior, vel Succeſſor, vel delegatus, regulariter loquendo, *Avila cit. l. dub.* 9. ubi plures caſus exceptos refert.

CXLIV. Aſſertio 4. Ab excommunicatione minore a Jure lata, licet ſit contracta propter peccatum veniale, abſolvere poteſt Sacerdos, qui eſt proprius ipſius excommunicati, & eum abſolvere poteſt a peccatis, *Silveſt. V. Abſolutio.* 1. *n.* 3. *Covarr. in c. Alma p.* 1. §. 10. *n.* 6. & alii communiter. idque probatur ex *c. Nuper.* 29. *h.t.* ubi interrogatus Pontifex, quis poſſit abſolvere eum, qui ſcienter communicavit cum nominatim excommunicato? Reſpondet, quod ab Epiſcopo, vel Parocho, ſeu proprio ſuo Sacerdote abſolvi poſſit. Non autem poteſt abſolvere alius Sacerdos, qui non eſt proprius niſi ex commiſſione hujus, ab excommunicatione etiam minore, quia quamvis quilibet Sacerdos, etiam ſimplex, & curam animarum non habens poſſit ſubditum alienum abſolvere a peccatis venialibus, ex Jure Divino & humano: non tamen poteſt abſolvere ab excommunicatione majore, vel etiam minore, quia ad abſolvendum a peccatis venialibus non requiritur juriſdictio fori externi, quæ tamen requiritur ad abſolvendum ab excommunicatione majore, vel minore, quam cum non habeat alienus Sacerdos in excommunicatum non ſubditum, non poteſt illum ab excommunicatione etiam minore abſolvere, *Covarr. cit. l.* Multum autem differt abſolutio Sacramentalis a peccatis venialibus, ab abſolutione ab excommunicatione minore, quæ non eſt Sacramentalis, per quam tollitur vinculum diſtinctum a peccatorum venialium culpa & nexu: ſicut etiam abſolutio a peccatis mortalibus differt ab abſolutione, ab excommunicatione majore, quæ exigit juriſdictionem fori externi, ſeu judicialis, illa vero ſolum fori interni ſive pœnitentialis, ut jam dictum, *Covarr. cit. l.*

CXLV. Sed hic jam quæritur, an ligatus excommunicatione minore, poſſit abſolvere alium ſimiliter excommu-
„ nicatum? Reſpondetur affirmative ut conſtat ex *c. Duo-*
„ *bus* 56. *h. t.* ubi dicitur, ſi duobus ſit collata poteſtas,
„ ut a minore excommunicatione, ſi in ipſam inciderint,
„ ſe invicem abſolvant, utroque ligato vinculo hujuſmodi
„ excommunicationis, poteſtas illa abſolvendi non exſpi-
„ rat, adeoque unus poteſt alterum abſolvere. Rationem

dae

Digitized by Google

dat *Gl. fin. hic* quin excommunicatio minor privat ſolum uſu, ſeu perceptione paſſiva Sacramentorum, ut non poſſit illa ſuſcipere, non vero privat collatione, ſeu adminiſtratione Sacramentorum, ſicut major excommunicatio. Verum quia abſolutio a minore excommunicatione non eſt Sacramentalis, & in hoc c. videatur aliquid ſpeciale concedi excommunicationi minori, quod non competit majori excommunicationi: ideo dicendum eſt, quod Sacerdos ligatus excommunicatione majore habeat poteſtatem abſolvendi ab illa ſolum in habitu, ſeu potentia remota, non autem in actu, quia eſt privatus omni uſu, ſeu exercitio juriſdictionis, adeoque etiam poteſtate abſolvendi ab excommunicatione. At vero ligatus minore excommunicatione habet poteſtatem abſolvendi, non ſolum in habitu, ſed etiam actu, neque enim abſolvendo, recipit Sacramentum aliquod, cujus perceptione eſt privatus, ſed exercet actum juriſdictionis, qua non eſt privatus per excommunicationem minorem, *c. fin. de Cleric. excomm. miniſt. Hoſtienſ. hic & Abb. in fine*,

§. II.

An ab excommunicatione lata ab Epiſcopo Suffraganeo in ſuos ſubditos poſſit Archiepiſcopus, ſeu Metropolitanus abſolvere, ſive ante appellationem, ſive poſt illam, & qualiter Metropolitanus in hujuſmodi abſolutione ab excommunicatione debeat procedere?

CXLVI. De hac re agitur inprimis in *c. Per tuas* 40. „ *h. t.* Nam cum Epiſcopus Altiſſiodorenſis excommunicaſſet ſuum Archipresbyterum, is acceſſit ad Archiepiſcopum Senonenſem, eique oblata cautione ſtandi juri, petiit ſe abſolvi. Archiepiſcopus volens Epiſcopo deferre, ſæpe ipſum monuit, ut eum abſolveret, quod cum Epiſcopus facere nollet, Archiepiſcopus dictum Archipresbyterum ab excommunicatione abſolvit. Re hac delata ad Papam Innocentium III. is reſpondit, quod quidam dicebant, quando quæſtio non defertur ad Archiepiſcopum per appellationem, ipſe non poteſt de illa cauſa cognoſcere, nec excommunicatus appellare poteſt, quippe ab Eccleſia ſeparatus: & ſive appellaverit, ſive non, Metropolitanus non poteſt, nec debet eum abſolvere. Verum Innocentius III. ex quadam Decretali Epiſtola a Papa Alexandro edita oſtendit, quod ſi ante appellationem, Epiſcopus aliquem Excommunicavit, Metropolitanus, ante litis ingreſſum, recepto juramento, quod ſtabit mandatis Eccleſiæ, ipſum debet abſolvere, niſi exiſtimaverit, id deferendum eſſe Epiſcopo Diœceſano, & ipſum ad eum remittere abſolvendum. Sed nec excommunicati audiendi ſunt (ſi agant, etſi conveniri poſſint, *Gl. hic V. Audiendi*) niſi prius fuerint abſoluti, nec ſunt ad illos, a quibus appellaverant, remittendi. Præterea in contrarium pro Epiſcopo allegat Papa Concilium Sardicenſe, in quo dicitur, ut is, qui ab Epiſcopo eſt excommunicatus, vicinos Epiſcopos interpellet, & cauſa ejus audiatur: Epiſcopus autem, qui juſte, vel injuſte, excommunicavit, patienter ferat, ut negotium diſcutiatur, donec ipſius ſententia approbetur, vel corrigatur, & ante cognitionem cauſæ, nullus eum communioni reſtituat. His præmiſſis, Innocentius Papa ait diſtinguendum eſſe, utrum quis alleget ſe, poſt appellationem legitimam, excommunicatum fuiſſe, vel intolerabilem errorem in ſententia fuiſſe expreſſum: & in his caſibus ad probationem eorum debet admitti, etiamſi abſolutionem non petat, ſed in aliis debet evitari: quamvis Sedes Apoſtolica tales abſolvere ſoleat ad cautelam: ſed in aliis non debet audiri, niſi fuerit abſolutus, ne ſententiam excommunicationis contemnere videatur, per quod amplius ligatur. Si vero excommunicatus humiliter petierit, Metropolitanus debet illum abſolvere, & cauſam cognoſcere recepta cautione de parendo ejus mandato, niſi judicaverit, id eſſe deferendum Suffraganeo. Quod ſi forte Epiſcopus, propter manifeſtum delictum ſubditum ſuum excommunicavit, non debet Metropolitanus ipſum abſolvere, niſi Epiſcopus eum malitioſe abſolvere nolit."

CXLVII. Pro declaratione hujus c. notandum primo, duæ regulæ deſumuntur ex hoc c. ut notat *Abb. hic n.* 3. Prima eſt, qui dicit excommunicationem eſſe nullam, audiri debet, licet non petat abſolutionem pure, vel ad cautelam, ut patet ex hoc c. ibi: *Ad probationem eorum etiamſi abſolutionem non petat, debet admitti*. Ratio hujus regulæ eſt, quia ſi probetur, excommunicationem fuiſſe nullam, non eſt neceſſaria abſolutio, adeoque illam fruſtra peteret excommunicatus. In duobus autem præcipue caſibus hic expreſſis ſententia excommunicationis dicitur, & cenſetur eſſe nulla, videlicet quia lata fuit, poſt legitimam appellationem interpoſitam, vel quia in forma excommunicationis intolerabilis error fuit expreſſus, *Nec igitur hic*. & quidem error Juris juxta *Gl. hic V. Intolerabilem*, ut ſi excommunicator præcipiat aliquid impoſſibile, vel turpe, vel ſi quis excommunicetur, quia non furatur, aut aliud peccatum non committit, talis enim excommunicatio eſt nulla, nec ullam obligationem inducit, *Gl. hic V. eod.* Non ſolum autem in illis duobus caſibus auditur volens probare ſententiam excommunicationis eſſe nullam, etſi non petatur abſolutio: ſed etiam in omnibus aliis caſibus, in quibus allegatur nullitas, iſti enim duo caſus, exempli tantum cauſa, hic ſunt poſiti, & ideo non reſtringunt Regulam, nec ejus rationem. *Abb. hic n.* 3.

CXLVIII. Secunda regula eſt, qui dicit ſententiam excommunicationis eſſe injuſtam, non auditur, ſi velit probare illam eſſe injuſtam, niſi prius petat abſolutionem, *cit. c. Per tuas. §. Verum in aliis* (hoc eſt, cum non proponitur excommunicationem eſſe nullam, ſed injuſtam) *ſi gratiam abſolutionis non imploret, non debet audiri*. Ratio eſt, quia excommunicatio etiam injuſta ligat, quoad Eccleſiam militantem, & in foro externo, *c. 1. c. Si Epiſcopus. 4. cauſ. 11. q. 3. c. A nobis. 28. h. t.* cum enim in omnem eventum neceſſaria ſit abſolutio, ne fruſtra exſpectetur eventus cauſæ, cujus nullus eſſet effectus, merito ante omnia debet peti abſolutio, *Abb. cit. l.* Quin imo excommunicatus, ſi non petat abſolutionem, tametſi dicat eam eſſe injuſtam, videtur contemnere ſententiam, & Claves Eccleſiæ: & ob hujuſmodi contemptum magis ligatur, ut hic dicitur in texto, & *Gl. V. Verum in aliis*. adeo ut tunc incipiat ligari etiam quoad DEUM, *Abb. hic n.* 4. Confirmantur dicta ex *c. Cum contingit*. 36. *de offic. deleg.* ubi habetur, quod qui dicit ſententiam excommunicationis eſſe nullam, admittitur ad probationem, antequam abſolvatur: ſed qui dicit illam injuſtam, non admittitur ante abſolutionem, de quo dictum etiam ſupra *lib. 1. tit. 29. ſec. 5. §. 4. n. 122 & ſeq.*

CXLIX. Notandum tertio Archiepiſcopus poteſt abſolvere excommunicatum a ſuo Suffraganeo, etiamſi ante appellationem fuerit excommunicatus, *Gl. fin. hic* nec tenetur illum remittere ad Epiſcopum excommunicatorem, niſi velit hoc ipſi deferre. Quod ſi tamen excommunicatio ſit evidenter juſta, quia excommunicatus fuit propter manifeſtum delictum, non debet Metropolitanus ipſum abſolvere, ſed remittere tenetur ad Suffraganeum, qui eum excommunicavit, niſi hic requiſitus malitioſe deneget abſolutionem ut habetur hic in fine. *Abb. n.* 5.

CL. Sed contra prædicta videntur obſtare plura jura, quæ dicunt, excommunicatum poſſe appellare, & abſolutionem proſequi, quamvis abſolutionem non petat, *c. Cum inter. 5. c. Significaverunt. 11. &c. ult. de Except.* quia appellatio eſt ſpecies defenſionis, quæ excommunicato non denegatur, *c. Intelleximus, 7. de Judic.* ſive igitur ſententia excommunicationis ſit nulla, ſive injuſta, in utroque caſu, excommunicatus audiri debet in ſuis defenſionibus. Pro reſponſione ſic eſt diſtinguendum cum *Abbate hic n.* 7. Vel appellat quis ab excommunicatione, quam dicit eſſe injuſtam, ita ut lis ſit ſuper juſtitia, vel injuſtitia ipſius excommunicationis: & tunc habet locum Conſtitutio hujus cap. quia cum fateatur ſe ligatum excommunicatione, licet injuſte, debet, ante omnia, præſtita cautione, petere abſolutionem, nullus enim eſt effectus hujus dilationis, ſive enim probetur excommunicationem eſſe injuſtam, ſive non, in omni eventu peti debet abſolutio, *c. Cum contingit. 36. de offic. deleg.* Vel excommunicatus appellat ſuper alio articulo, & Adverſarius excipit contra illum, quod ſit excommunicatus: & tunc non eſt neceſſarium, ut appellans petat abſolutionem, quia non fatetur ſe eſſe excommunicatum: ſed objicienti ſibi excommunicationem, poterit replicare, non eſſe nunc de hoc diſputandum, cum conveniatur tanquam reus: de quæſtione vero illa, an excommunicatio ſit injuſta, vel nulla, nunc non agitur, nec ea impugnatur, ſed in aliud tempus differri poteſt: & in hoc caſu loquuntur Jura contraria.

CLI. Secunda differentia, inter nullitatem, & injuſtitiam excommunicationis, eſt, quando appellans dicit excommunicationem eſſe injuſtam: nam hoc caſu, non ſuſpenditur quidem effectus excommunicationis, quia executionem ſecum trahit: juriſdictio tamen, ſeu poteſtas cognoſcendi ſuper injuſtitia excommunicationis devolvitur ad ſuperiorem Judicem, ad quem appellatum eſt; & ſic appellatio habet effectum devolutivum, ſed non ſuſpenſivum, ut colligitur ex hoc c. *Per tuas. 40. in princ.* ibi: *excommunicatus vocem non habeat appellandi*. at vero quando appellans dicit, ſententiam excommunicationis eſſe nullam, tum non ſolum juriſdictio, quoad cauſam principalem cognoſcendam, devolvitur ad ſuperiorem Judicem appellationis, ſed etiam effectus ſententiæ excommunicationis ſuſpenditur. Et ſic ſi excommunicatio ſit, & probetur nulla, appellatio utrumque effectum operatur, devolutivum, & ſuſpenſivum, *Hoſtienſ. hic V. Vocem.* & alii apud *Fagnan. hic num. 19. & 2. ſeqq.*

CLII. Tertia differentia inter injuſtam, & nullam excommunicationem, a qua appellatur, traditur in *c. Solet. 2. h. t. in 6.* quod eſt deſumptum ex Concilio Lugdunenſi, „ Ubi inprimis quæſitum fuit ex Papa Innocentio IV. An cum aliquis excommunicatus fuit, ſi aſſerat excommunicationem in ſe latam nullam eſſe, & petat per Superiorem (excommunicatoris) abſolvi ad cautelam, ſine contradictione (ipſius excommunicatoris, vel Adverſarii, & qui iſtum excommunicari procuravit) debeat abſolvi? Reſpondet Papa, ut petenti (humiliter) abſolutionem, ea non negetur, quamvis excommunicator, vel Adverſarius ſe opponat, niſi hoc dicat, eum excommunicatum fuiſſe, propter manifeſtam (ſeu notoriam) offenſam. In quo caſu, concedatur ei, qui dicit ipſum excommunicatum fuiſſe, ob manifeſtam offenſam, terminus octo dierum, intra quos, ſi probaverit, quod opponit (nempe quod excommunicatus fuerit, ob manifeſtam offenſam) non abſolvatur (etiam ad cautelam) niſi præmiſſa ſatisfactione, & competente cautione de parendo Juri, ſi offenſa dubia proponatur. Præterea quæſitum fuit, an is, qui ante abſolutionem hujuſmodi (ſcilicet ad cautelam) ſe offert in judicio probaturum, quod poſt legitimam appellationem, excommunicatus fuerit, vel quod intolerabilis error in ſententia excommunicationis ſit patenter expreſſus, excepto illo probationis articulo (nempe de præcedente legitima appellatione) in cæteris ſit evitandus (tanquam excommunicatus) Reſpondet Papa, & ſtatuit, ut is, qui ad probandum admittitur (ſcilicet quod ſententia excommunicationis fuerit nulla,

„ la, quia lata poſt legitimam appellationem, vel quia continet intolerabilem errorem) pendeote illo articulo probationis, io cæteris, quæ ut actor in judicio attentavetir (ſecus eſt, ſi ur res, *Gloſſ. hic Verſ. Ut alter*) poterim evitetur: ſed io aliis actibus extrajudicialibus, ut in officiis publicia, poſtulationibua, electionibna, & aliis actibus legitimis (vel etiam iu Divinis, *Gloſ. hic V. In officiis*) admittatur.

CLIII. Notandum primo. Qui appellat ab excommunicatione, quia dicit illam eſſe injuſtam, abſolvendus eſt pure & ſimpliciter, quia excommunicatio etſi injuſta ligat, quoad Eccleſiam, ut dictum ſupra. Ideo abſolutio ſimpliciter, & neceſſario requiritur. At vero qui dicit excommunicationem eoutra ſe latam eſſe nullam, & intendit id probare, andiendus eſt, *Covarr. in c. Alma p. 1. §. 12. n. 7.* Quamvia abſolutionem oon petat pure, vel ad cautelam, ut etiam ſupradictum. Ad cautelam tameo poteſt abſolvi, quia etiam eos, qui dicunt, ſententiam excommunicationia eſſe nullam, Sedea Apoſtolica conſuevit abſolvere ad cautelam, ut dicitur iu *cit. c. Per tuas 40. §. Nos igitur h. t.* & ibi *Gl. Ver. Ad cautelam*, idque non obſtanto contradictione excommunicatoris, vel Adverſarii, niſi ab eis diceretur, & infra octo dies probaretur, excommunicatua eſſe, ob manifeſtam offenſam, juxta *cit. c. 2. eodem in 6. Fagnan. in cit. c. Per tuas nu. 27. & 28.* & alii apud ipſum.

Notandum ſecundo. Qui dicit, excommunicationem in ſe latam eſſe nullam, poteſt petere abſolutionem ad cautelam, qui non fatetur ſe eſſe excommunicatum, adeoque non eſt ſibi ipſi contrarius: ſecus eſt de illo, qui petit abſolvi ſe ab excommunicatione directe, ſimpliciter & pure, quia tunc fatetur ſe eſſe excommunicatum, *Gl. in cit. c. 2. not. 1.*

Notaodum tertio Sententia excommunicatioois lata in aliquem, poſt appellationem legitimam, & interpoſitam ex cauſa rationabili, & vera, eſt nulla, & hic eſt unua caſus hic expreſſus, in quo excommunicatio eſt nulla: alter eſt, quando illa contiuet errorem intolerabilem, ut ſi excommunicator dicat, Monuimus Titium, ut Cajum occidat, ſed ipſe obedire noluit, *Gl. in cit. c. 2. in Notatis h. t. in 6.* de quo ſupra.

Notandum quarto. Offenſa manifeſta illa dicitur, quæ eſt notoria, nempe de qua cooſtat per confeſſionem propriam, vel legitimam probationem, vel per evidentiam rei, quæ nulla tergiverſatione celari poſſit. *Gl. in cit. c. 2. V. Manifeſta, & Barb. ibid. num. 10.*

Notaodum quioto. Qui dicit; excommonicationem eſſe nollam, ſi petat admitti ad probandam cauſam oollitatis, dum pendet probatio nullitatis, vitari debet in judiciis, non autem extra judicium, ut habetor in fine hujus c. Unde talis admitti debt v. g. ad electionem Prælati, & diſcuſſione facta ſuper appellatinne, ſi poſtea apparebit, prius legitime appellatum fuiſſe, patebit quoque tunc ipſum bene admiſſum, vel ipſum recte excommunicatum fuiſſe, & ſic non valere voeem ipſius, *Gl. fin. hic* Cur autem quoad hoc, aliud ſit ſtatutum in judicio, aliud vero extrajudicium, plurea ratiooes aſſigoat, *Gl. hic V. Extra judicium*.

§. III.

Quanam praterea ſtatuta ſunt circa poteſtatem, quam habet Archiepiſcopus abſolvendi excommunicatos a Suffraganeis, vel ſubditis eorum, & de poteſtate, quam habet, vel non habet cognoſcendi ſuper juſtitia, vel injuſtitia excommunicationis?

„ CLIV. De hac re agitur in *c. Venerabilibus 7. h. t. in 6.* Ubi inprimis in princ. ſtatuit Papa Iooocentius IV. quod Archiepiſcopus, vel ejus Officialia non poteſt abſolvere excommunicatos ab Archidiacooia, vel aliia ſubditia Suffraganeorum ipſius Archiepiſcopi, quia non eſt Judex excommunicantiuo, nec excommunicatorum, excommunicatoa autem ab ipſis Suffraganeis, vel Officialiboa eorum poteſt Archiepiſcopus abſolvere, ſi ab ipſis fuerit ad Archiepiſcopum appellatum. Si vero non fuit appellatum ad Metropolitanum, noo poteſt hic cognoſcere ſuper juſtitia, vel injuſtitia excommouicationis, niſi quando ſubditus Suffraganei fuit excommunicatus ab eo, & conqoeritur, ſe injuſte excommunicatum fuiſſe apud Metropolitaoom, ut hic illum puoiat, (juxta *c. Sacro 48. h. t.*) vel quando ſubditus Suffraganei fuit excommunicatos, ooo ad inſtantiam partis, ſed ex officio Judicia: neque poteſt Archiepiſcopus adiri a ſubditis Suffraganeorum per viam qoerelæ, ſed bene per viam appellationis, *Gl. hic in caſu*.

Ubi notandum primo. Ut qois poſſit abſolvere excommunicatum ab alio, requiritor, quod ſit Judex excommunicanti. Secundo, licet per appellationem ab excommuoicatione lata, aote illam, ſuſpendatur Ipſa excommunicatio, devolvitur tamen poteſtaa abſolvendi ab ea ad Superiorem, ad quem eſt appellatum. Tertio Archiepiſcopua adiri non poteſt a ſubditia Suffraganeorum per viam ſimplicis querelæ, etſi poſſit per viam appellationia audiri, *Franc. hic in princ. not. 1. 2. & 3. Barb. in Collect. hic nu. 3.*

„ CLV. Præterea Archiepiſcopus, vel ejus Officialibus excommuoicatos a ſuo Suffraganeo debet abſolvere, antequam iocipiat cauſam adire in caſibua, io quibus ei competit juriſdictio, ut ſi quia poſt definitivam ſenteotiam fuit excommunicatus, & appellat: exceptis caſibus, in qoibus jura prohibent poſt ſenteotiam appellare (de quibus io *c. Romana 5. §. Cum autem h. t. in 6.*) Similiter ſi Suffraganeus, extra judicium, excommunicet aliquem, ob ſuam offenſam, vel pro defenſione juris ſui, & ſuper hoc querelam ille proponat, eſt is prius, ſecundum formam Eccleſiæ, abſolvendus, niſi Suffraganeus ſe offerat probaturum, quod eum ob manifeſtam offenſam excommunicavit. Sic etiam ſi quis fuit excommunicatus, ob præſumptam contumaciam, quia ſcitatus non comparuit in termino ſibi præfixo, tunc ſi ſic ligatua petat ab Archiepiſcopo abſolvi, & ab adverſario opponatur, quod non ſit abſolvendus, nec admitti debeat ad judiciom, niſi prius expenſas ſolvat præſtita cautione, de ſiſtendo ſe judicio: ipſe autem excommunicatus reſpondeat, quod vere contumaa repotari non debet, quia fuit in itinere captus, vel alias legitime impeditua, tunc prius eſt abſolvendus, juxta formam Eccleſiæ. Secus autem eſt, ſi ſe contumacem confiteator, vel alias de contumacia conſtet, tunc abſolvi non debet, niſi præſtita ſatisfactione expenſarum, & cautione, dummodo contumacia ſit manifeſta, & offenſa non præſumpta, aut dubia. Idque obſervandum in aliis ſimilibus, ut ſi quis ad certum locum citetur, & ille excipiat, locum illum non eſſe tutum, ideoque non comparet, ſed Judex illum excommunicat, ſi excommunicatus deinde appellet, abſolvi debet, ita ſtatuitur iu *cit. c. Venerabilibus, §. Porro h. t. in 6.*

Notaodum primo. In caſibus, in quibua juriſdictio devolvitur ad Archiepiſcopum, ſeu Metropolitanum, hic abſolvit excommunicatum ad petitionem partis, vel ex officio, antequam de cauſa incipiat cognoſcere, niſi dicatur excommunicatua, ob manifeſtam offenſam, vel contumaciam, tunc enim non abſolvitur, niſi facta ſatisfactione de expenſis, & cautione de ſtando in judicio, *Gl. hic §. Porro Ancharan. ibid. not. 5. & Franc. in princ. not. 8.* Secundo per appellationem interpoſitam in caſibus ea a jure eſt prohibita, non devolvitur cauſa ad Superiorem, *Franc. hic not. 1.* Tertio qui excommunicatus fuit, qoia citatus legitimo impedimento detentus non comparuit, excommunicationem quidem incurrit, eaquo ligatur, eſt tamen protinus abſolvendus, *Franc. hic not. 7.*

CLVI. Sed ſi quis ex cauſa legitima, ſeu probabili appellet, v. g. quia locus non eſt tutus, & poſt appellationem „ excommunicetur, Superior, ad quem fuit appellatum, non ſtatim declarare debet excommunicationis ſententiam eſſe nollam, ſed poteſt eam ad tempus, ſecundum formam Eccleſiæ, relaxare, *cit. c. Venerabilibus §. Sed ſi.* Quod ſi certo conſtet, excommunicationem fuiſſe juſtam ut eum propter manifeſtum delictum in aliquem eſt promulgata, Judex Superior remittat excommunicatum ad excommonicatorem, nec debet eum abſolvere, niſi periculum ſit in mora, vel niſi excommonicator requiſitus malitioſe deneget ipſi abſolutionem. Verum ſi conſtet, hujuſmodi ſententiam eſſe injuſtam, non eſt excommunicatos remittendus ad ſuum excommunicatorem, ſed mox abſolvi debet, Sin autem dubitetor, otrum juſta, vel injuſta ſit excommuoicatio, poteſt Superior eum abſolvero, niſi velit hoc deferre excommunicatori, quod honeſtius, & magis conveniens eſt. Quando vero Superiori competit de excommunicatione cognoſcere, ſi abſolvit, abſolutio tenet, licet ſit iojuſta, quia etſi contra jus litigatoris, non tamen contra jus Conſtitutionis abſolvit, ut ſtatuitor in *cit. cap. §. Sed ſi & §. Sane.*

Notandum primo, excommunicatio lata poſt appellationem interpoſitam, ex caoſa probabili, eſt nolla, ita tamen ut non illicito talis ſententia excommunicationis debeat pronunciari nulla, ſed fieri poſſit relaxatio ad cautelam, *Barboſ. in citat. cap. 7. §. Sed ſi & §. Sane numer. 13.* Secundo abſolutio ab excommooicatione obtenta ab eo, qui poteſtatem habet abſolvendi, eſt valida, etiamſi iojuſta ſit, & illicite lata, *Barb. c. l. n. 14.*

„ CLVII. Statuitur quoque in *cit. cap. 7. §. Denique uſque ad finem*, quod Archiepiſcopus in caſibus, poteſt excommunicare ſubditos Suffraganei, ab eis poſſit exigere mulctas pecuniariaa, ſecundum conſuetudinem Regionis. Item quando excommunicatos aſſerit, in ſententia excommunicationia patenter intolerabilem errorem expreſſum eſſe, id eſt, ſub præcepto, vel maodato aliquid in ea aperte contineri, quod communiter, vel in ſuo genere eſt peccatum, ut quia fecit aliquid, quod in ſe bonum eſt, vel quia fecit, id qood illicitum eſt &c. & Suffraganeus aſſerat, ſe ex rationabili caoſa hoc illi prohibuiſſe, vel injunxiſſe, tunc Archiepiſcopus poteſt eum abſolvere ad cautelam. Similiter ſi quis dicat, ſe excommunicatum fuiſſe, aote definitivam ſententiam, in judicio, vel extra, poſt legitimam appellationem, poteſt Archiepiſcopus, poſtquam de hoc ſibi conſtiterit, eum juxta formam Eccleſiæ abſolvere ad caotelam, etiam antequam iocipiat cognoſcere de veritate cauſæ appellationis.

Notandum primo, Prælati Eccleſiaſtici poſſunt imponere, & exigere multas pecuniarias, ſecundum conſuetudinem Regionis, *Franc. hic in §. Denique.* Secundo, ut ſententia excommunicationia dicatur lata per errorem intolerabilem, requiritur, ut error ipſe ſit intolerabilis, & ut ſit in ipſa ſententia expreſſus, adeoque non tantum notorius, *Franc. hic §. Poteſt not. 1.* Tertio ſi io ſententia excommunicationis lata ſit expreſſa cauſa, quod ſit quis excommunicatoa, quia fecit bonum, vel quia non fecit malum, tunc ipſa ſententia eſt nulla, alioquin vero ſi non ſit expreſſa cauſa, ſententia tenet, licet ſit iojuſta, *Franc. hic notat. 3.* Quarto ſententia excommunicationia lata, poſt legitimam appellationem, eſt nulla, etiamſi extra judicium ſit interpoſita, *Franc. hic §. Similiter notat. 1.* Plura de his videri poſſunt apud *Ancharan. & Franc. hic*, & alios Canoniſtas.

CLVIII. Porro huc quoque pertinet, quod ſtatuitur in „ *c. Romana 5. h. t. in 6.* Ubi inprimis Papa Innocentius IV. præcipit, ut Archiepiſcopus, ſeu Metropolitanus, vel ejus Officialis ſententias interdicti, ſuſpenſionis, vel excommunicationis latas a ſubditis ſuorum ſuffraganeorum, v. g. ab Archidiaconis, vel eorum Officialibus non relaxent, niſi contraria conſuetudo hoc habeat. Secundo ſententiæ excommunicationis ab Archiepiſcopo ejuſq; Officialibus generaliter

„ liter promulgatæ ſubjectos ejuſdem Archiepiſcopi juriſ-
„ dictioni tantum ligant. Tertio prohibet, ne Archiepiſco-
„ pus, vel ejus Officialis ſententias excommunicationum,
„ propter culpas, & offenſas præteritas, vel præſentes nec in
„ genere (v.g. excommunico omnes qui ſacrilegium commiſe-
„ runt ut in ſpecie (v.g. excommunico Petrum, quia furtum
„ fecit,) promulgent, monitione competente, non præmiſſa;
„ alioquin ab eis latæ ſententiæ ſunt injuſtæ. Quarto ca-
„ veant, ne tales ſententias excommunicationis, ſive gene-
„ raliter, ſive ſpecialiter in aliquos, ob futuras culpas, vel
„ jam commiſſas proferre præſumant, ſcilicet ſi tale quid
„ feceriot, vel niſi intra tale tempus ſatisfecerint; præter-
„ quam ſi mora culpa, ſeu offenſa, vel alia juſta cauſa ſubſit,
„ *cit. c. Romanu.* §. *Caveant.* Quinto denique prohibet, ne in
„ Univerſitates, vel Collegium ſententia excommunicationis
„ proferatur, idque ne innocentes hujuſmodi ſententiis li-
„ gentur, ſed illi ſolum, qui culpabiles extiterunt.

CLIX. Pro explicatione hujus c. notandum primo, non ſolum Prælati inferiores Epiſcopis poſſunt proferre ſententiam excommunicationis, vel interdicti, ſed etiam Officiales eorum, quos ipſi conſtituere poſſunt, ut patet ex hoc *c. Franc. hic not.* 1. *&* 2. Archiepiſcopus vero, & ejus Officialis non poſſunt abſolvere ſubditos Suffraganeorum a ſententia excommunicationis lata in eos per inferiores Prælatis ordinariam juriſdictionem ab Epiſcopis habentibus, quia non eſt Judex excommunicatorum, neque excommunicantium; poteſt tamen conſuetudine induci, ut ſubditi Suffraganeorum pro abſolutione poſſint adire Metropolitanum omiſſo Epiſcopo, *Gl. hic in caſu, & in notatis, & Franc. in princ. not.* 4.

Notandum ſecundo, ſententia excommunicationis, vel ulterius cenſuræ lata ab Archiepiſcopo ligat tantum ſibi ſubjectos, ſcilicet immediate, adeoque ejus Diœceſanos, non autem Provinciales: quare appellatione ſubditorum Archiepiſcopi, ſeu Metropolitani non veniunt omnes, qui ſunt in Provincia, ſed illi ſolum, qui exiſtunt in Diœceſi propria Archiepiſcopi, *Franc. hic n.* 5. Unde ſi Archiepiſcopus ferat ſententiam excommunicationis generaliter in omnes violantes ſtatutum a ſe conditum, ea non ligat niſi eos, qui ſunt de propria, & particulari ſua Diœceſi, nec ſe extendit ad omnes, qui ſunt de Provincia, quia Archiepiſcopus non poteſt facere ſtatuta: quæ obligant ſubditos totius Provinciæ, & Diœceſium ſuorum Suffraganeorum, ſine conſenſu eorundem, *Gl. hic in caſu.*

Notandum tertio, non poteſt Epiſcopus, vel alius Judex Eccleſiaſticus excommunicare aliquem propter delictum commiſſum de præterito, vel de præſenti, niſi præmiſſa admonitione ſpeciali vel generali, prout ſpecialis, vel generalis, fertur ſententia; *cit. c. Romanu.* §. *Sed nec, & ibi Gl. in caſu*

CLX. Notandum quarto, non debet quis excommunicari, propter culpas futuras, niſi ex cauſa rationabili, *cit. c. Romana.* §. *Caveant. h.t. in* 6. cui adverſatur in textus in *c. A nobis:* 21. *in princ. extra eod.* Ubi dicitur, poſſe excommunicationem ferri hoc modo: *quisquis furtum fecerit, ſit excommunicatus*, ipſo facto ſcilicet. Ad hoc reſpondet *Gl.* communiter recepta *hic V. futuris*, diſtinguendum eſſe inter ſententiam hominis, ſeu Judicis & ſententiam Canonis, vel ſtatuti: nam ab homine non poteſt generaliter ferri ſententia excommunicationis, ob futuras culpas bene autem a Canone, vel ſtatuto, & ſic intelligendum eſſe *cit. c. A nobis:* rationem differentiæ dant nonnulli apud *Covarr. in c. Alma. p.* 1. §. 10. *n.* 1. quia ſententia hominis, ſeu Judicis potiſſimum verſatur circa præſentia tantum, ſed ſententia legis, ſeu Canonis reſpicit frequentiſſime futura. Præterea ex *cit.* §. *Caveant*, expreſſe colligitur, non poſſe etiam ob culpas præteritas ſententiam excommunicationis ferri ſub ea conditione *ſi intra certum tempus quis non ſatisfecerit*, niſi mora in præſtanda ſatiſfactione, vel culpa, ſeu offenſa præceſſit: vel alia rationabilis cauſa ſubſit. Unde ſequitur, neceſſarium fore, ut mora iſta, vel culpa precedat monitionem competentem, trinam ſcilicet, *Covarr. c. l. n.* 4. Neque obſtat *c. Præterea.* 40. *de appellat.* Ubi dicitur, poſſe, quem excommunicari ſub conditione, ſi intra XX. dies Titio v. g. non ſatisfecerit, aut ſummam ei debitam non ſolverit, Sed reſponderi poteſt, in caſu illius c. præmiſſa trina monitione Canonica, moram præceſſiſſe in non ſatisfaciendo, & ſententiam excommunicationis ſub illa conditione latam ſuſpenſam fuiſſe per appellationem, ut ibidem dicitur, de quo actum *l.* 2. *Tit.* 28. *nu.* 232. ac proinde ſimiles ſunt reſponſiones utriuſque *cit. cap. Romanu.* §. *Caveant. hoc tit. in* 6. *& cit. cap. Præterea. de appellat. Covarr. c. l. n.* 4. Itaque quæ in *cit.* §. *Caveant.* traduntur regulæ. Prima eſt non eſſe ferendam excommunicationem pro futuris culpis, niſi vel culpa, vel offenſa præceſſerit, tunc enim non tantum ob præteritam culpam aut offenſam, ſed etiam ob futuras culpas excommunicatio ferri poteſt, *Gl. hic V. Culpa, & V. Offenſa.* Poſterior regula eſt, quod excommunicatio non ſit ferenda ſub ea conditione, ſi intra X. dies non ſatisfecerit, niſi mora in ſatiſfaciendo præceſſerit. Utriuſque vero regulæ ea generalis exceptio eſt addenda, niſi alia rationabilis cauſa ſubſit, & ita intelligendam eſſe deciſionem *cit.* §. *Caveant*, cenſet *Covarr. cit.* §. 10. *n.* 5. *in fine.* Porro quæ habentur in §. *ult*, hujus c. tradita ſunt ſupra *n.* 27.

§. IV.

Qua forma, ſeu modo fieri debeat abſolutio ab excommunicatione?

CLXI. Aſſertio 1. Ad eſſentiam abſolutionis nulla requiruntur verba determinata: conſueta tamen forma eſt, *Abſolvo te a vinculo excommunicationis, propter hanc, vel illam cauſam, ſeu crimen, & reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ, & fidelium communioni, in nomine Patris &c.* formæ mentio fit in *c. A nobis.* 28. *h. t. Avila. p.* 2. *c.* 7. *diſ.* 3. *dub.* 1. *&* 2. *Laym. lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 7.

CLXII. Aſſertio 2. Ante abſolutionem ab excommunicatione, duplex cautio eſt exigenda, & præſtanda a Reo. Prima fit per juramentum de parendo mandatis Eccleſiæ, vel ipſius abſolventis, id eſt, de non committendo impoſterum hujuſmodi delicto, *c. Ex tenore.* 10. *& c. ſeq. h. t.* quod tamen non exigitur in abſolutione ab omnibus criminibus, ſed ſolum in enormibus, aut valde perniciosis, ut in falſariis, incendiariis, & aliis ſimilibus, quia ex jure nil aliud colligi poteſt, *Sanch. l.* 2. *mor. c.* 13. *n.* 17. *&* 20. *Avila. cit. diſ.* 3. *dub.* 2. *Laym. c. l. n.* 8. & alii DD. communiter. De hac cautione fit etiam mentio in *c. Ad hæc* 12. *h. t.* Ubi di-
„ citur: quod quando quis excommunicatus fuit a delega-
„ to Papæ, & impetrat Litteras ab eodem ad alium de-
„ legatum, qui eum abſolvat, cum ei cautionem præſtare
„ debet de parendo mandatis Eccleſiæ, quia Romana Ec-
„ cleſia abſolutionem ſententiæ Judicum delegatorum
„ non conſuevit aliis delegare, niſi in litteris commiſſio-
„ nis expreſſe continentur, ſufficientem cautionem præſtan-
„ dam eſſe ab iis, qui abſolvi debent, quod judicio Ec-
„ cleſiæ obedire debeant.

Sed an non in caſu hujus c. delegatus, qui excommunicavit, potuiſſet u ſe excommunicatum abſolvere, abſque alio mandato? Reſp. potuiſſet utique, ſed id non factum, vel quia primus delegatus mortuus fuit, vel revocatus: vel quia excommunicavit, poſt ſententiam definitivam, vel terminum elapſum, & ideo ad alium recurrere oportebat, qui abſolveret, *Abb. hic n.* 3.

CLXIII. Altera cautio eſt de ſatisfaciendo parti læſæ, nullus enim neque in foro interno, neque externo abſolvendus eſt ab excommunicatione niſi prius parti læſæ, acto vel realiter ſit ſatisfactum, vel cum ea tranſactum. Quod ſi hoc ſtatim facere non poſſit, tunc cautionem ſufficientem præſtare debet, ſcilicet pignoratitiam, vel fide juſſoriam: quod ſi neque hanc dare poſſit, ſufficit juratoria, quia nemo ad impoſſibile obligari poteſt, *Sanch. cit. l. num.* 23. *Avila cit. diſ. dub.* 5. *concl.* 1. *Laym. cit. loc. numer.* 8. & alii communiter. Nomine partis autem hic intelligitur illa, cui facta eſt injuria per illud delictum, per quod incurſa eſt excommunicatio, ſive ſit perſona publica, ſive privata, *Avila cit. loc. dub.* 7.

Prædictis duo ſunt addenda. Primum, ſi quis poſt præſtitam cautionem per juramentum de ſatisfaciendo parti læſæ, poſtea ſatisfacere negligat, non ideo in priorem excommunicationem reincidit, quia id jure expreſſum non eſt, quamvis ab homine, ſeu Judice iterum excommunicari poſſit, *c. Ad reprimendum.* 8. *de Offic. Ordin.* & dictum *lib.* 1. *tit.* 32. *n.* 22. *& ſeq. Covarr. in c. Alma. p.* 1. §. 11. *numer.* 6. *Verſic. Quod ſi quis.* Alterum eſt, ſi quis habens ordinariam poteſtatem abſolvendi, vel etiam delegatam aliquem abſolvat ab excommunicatione, ante præſtitam ſatisfactionem parti læſæ, vel etiam ante præſtitum juramentum de parendo mandatis Eccleſiæ, illicita eſt, valida tamen abſolutio, quia non pertinet ad illius ſubſtantiam, juxta *c. Venerabilibus.* 6. §. *Sane in fine h. t. in* 6. *Avila. c. l. dub.* 2. *Laym. cit. l. n.* 8. §. *Duo inſuper.*

CLXIV. Aſſertio 3. Ad abſolutionem ab excommunicatione aliaque cenſura, non requiritur, ut is, qui abſolvitur, acto ſit præſens, ſed etiam is abſens abſolvi poteſt per Procuratorem, vel litteras, vel nuncium, aut etiam per ſola verba, vel factum aliquod, quod exprimatur intentio abſolvendi etiam abſente eo, qui abſolvitur, *Sanch. c. l.* 2. *mor. c.* 11. *n.* 14. *Avila p.* 2. *c.* 7. *diſ.* 3. *dub.* 1. *Laym. cit. c.* 6. *n.* 9. Unde poteſt Epiſcopus aliquem abſentem abſolvere ab excommunicatione reſervata, eaque ſublata, quilibet Confeſſarius a peccato, propter quod fuit excommunicatus. Ratio eſt, quia excommunicatio eſt pœna Eccleſiaſtica, ſicut ergo poteſt quis excommunicari abſens, eaque ligari; ita multo magis poteſt ab illa liberari abſens, & ignorans, ſola voluntate abſolventis, dummodo humano modo ſit expreſſa. Idque conſtat ex uſu Eccleſiæ *Suar. diſ.* 2. *de cenſ. ſec.* 7. *n.* 4. Similiter abſolvi poteſt ab excommunicatione, etiam ignorans, & conſequenter non conſentiens, imo etiam invitus, quia cenſura non eſt culpa, ſed pœna, quæ ſicut in invitum fertur, ita etiam invito eo, qui abſolvitur, tolli poteſt. Excipi debet, niſi is, qui abſolvi renuit, in crimine v. g. hæreſis contumaciter perſiſtat, cui excommunicatio ipſo jure eſt continue annexa, talis enim a ſolo Canonis auctore, vel ab eo, qui poteſtatem habet in Canone diſpenſandi, abſolvi poteſt, de quo videri poteſt *Suar. cit. diſ.* 7. *de cenſ. ſ.* 7. *n.* 5. *&* 8. *Laym. cit. c.* 6. *n.* 9. *dicto* 6.

CLXV. Aſſertio 4. Abſolutio ab excommunicatione, aliave cenſura per vim, & metum obtenta, etſi, ſpectato Jure naturali, valida ſit, jure tamen poſitivo Eccleſiaſtico eſt nulla, *cap. un. de iis quæ vi met. cauſ. fiunt in* 6. *Suar. cit. diſ.* 7. *ſec.* 6. *numer.* 13. *& Laym. c. l. Avila. cit. cap.* 7. *diſ.* 2. *dub.* 5. de quo plura dicta ſunt *l.* 1. *Tit.* 40. *numer.* 30. *&* 2. *ſeqq.*

CLXVI. Aſſertio 5. Abſolutio ab excommunicatione data ſub conditione de præſenti, vel de præterito, eſt valida, & licita, ſic enim Confeſſarii dicunt in communi forma: *Te abſolvo, in quantum poſſum, & indiges, Avila cit. cap.* 7. *diſ.* 3. *dub.* 15. *in* 1. *concl.* Verum abſolutio ab excommunicatione ſub conditione pendente in futurum, v. g. *abſolvo te, ſi ſatisfeceris*, eſt quidem valida, ſed effectus illius ſuſpenditur uſque ad tempus impletæ conditionis; ita ut talis abſolutio non ſit a principio omnino nulla, nec ſtatim efficax, ſed effectum ſuum ſortiatur, poſt impletam conditionem, *Avila c. l. in concl.* 2. Non obſtat primo, quod abſolutio Sacramentalis non poteſt ſuſpendi, ſive ſub conditione de futuro dari, quia non poteſt ejus effectus, ſi in ſubjecto non ſit impedimentum, ſuſpendi per conditionem adjunctam, ex intentione Miniſtri, cum inde non pendeat,

ſed

Digitized by Google

ſed ex inſtitutione Chriſti: at vero abſolutio ab excommunicatione, vel alia cenſura eſt ſententia quædam humano, ſeu Eccleſiaſtico jure introducta, ſicut ipſa cenſura: & ideo ejus effectus per ſe pendet ex voluntate ipſius abſolventis, qui proinde poteſt, adjecta conditione, effectum illius ſuſpendere, ita ut ſequatur, poſita conditione, ut erudite docet *Suar. diſp. 7. de cenſ. ſec.* 8. nu. 8. Neque etiam obſtat regula juris, *Actus legitimi 77. in ff.* quia ibi non ponitur regula generalis, nullum actum legitimum recipere diem, vel conditionem, ſive poſſe fieri ſub conditione, alioquin nec cenſura, nec diſpenſatio, nec præceptum poſſet fieri ſub conditione, quia omnes hi actus ſunt legitimi, quippe qui fiunt ſecundum legem, ſeu inſtitutionem legalem, quod eſt falſum. Itaque regula illa generalis reſtringi debet, & ita intelligi, juxta *Gl. ibid. V. Actus legitimi*, quod illi actus legitimi, qui non recipiunt diem, vel conditionem, vitientur per adjectionem temporis, vel conditionis: inter quos actus non eſt abſolutio, ſicut nec excommunicatio. Et ita quoque explicari debet ſimilis regula 50. *in* 6. conformiter eidem regulæ Juris Civilis, nempe actus legitimi, qui non recipiunt diem, vel conditionem &c. quaſi dicat, aliqui actus ſunt, qui recipiunt, & aliqui, qui non, ut explicat, *Gl. ibid. V. Actus legitimi*, *Suar. c. l. n. 9.*

An autem abſolutio ab excommunicatione ſub conditione de futuro ſit illicita, non conveniunt DD. Plures ajunt eſſe illicitam, quia abſolutio non debet eſſe in ſuſpenſo, Alii vero cenſent, hunc modum abſolvendi eſſe licitum, quia nulla ratione probatur eſſe illicitus: quod vel ex eo probatur, quia excommunicatio poteſt ferri, valide & licite, ſub conditione v. gr. ſi non ſatisfeceris, ergo etiam abſolutio, ſub conditione, v. grat. ſi ſatisfeceris, quia ea favorabilior eſt, *Avila c. l. dub. 15. Suar. cit. ſect.* 8. nu. 10. qui tamen ibidem nu. 11. addit, hunc modum abſolvendi, etſi per ſe non ſit malus, nec jure prohibitus, regulariter tamen loquendo eſſe illicitum, præſertim quia non eſt uſu Eccleſiæ receptum, abſolvere ab excommunicatione ſub conditione, ſicut eſt uſitatum ferre excommunicationem ſub conditione.

CLXVII. Præter dictos, ſunt adhuc alii duo modi abſolvendi ab excommunicatione, vel alia cenſura, ſcilicet ad cautelam, & reincidentiam. Prior datur, ſi adſit ſuſpicio, vel dubium, an aliquis cenſuram incurrerit: tunc enim abſolvi ſolet ſub conditione, v. g. *abſolvo te a cenſura excommunicationis, ſi eam incurriſti, ob tale crimen*. Item hujuſmodi abſolutio præmitti ſolet, ante abſolutionem Sacramenti Pœnitentiæ, ad evitandam irreverentiam, ſi forte pœnitens in occulta cenſura eſſet: vel ante alium aliquem actum, cujus valor per cenſuram impediri poſſet, ſi adeſſet, ut ante electionem, vel collationem alicujus beneficii Eccleſiaſtici, aut privilegii ad vitandum ejus invaliditatem: aut ante collationem Ordinum ad evitandam irregularitatem Ordinati, *Suar. diſ. 7. de cenſ. ſec.* 8. *nu.* 12. *& 13. Laym. l. 2. tr. 5. p. 1. c. 7. n. ult.*

CLXVIII. Exemplum abſolutionis ad cautelam proponi-
„ tur in *c. Venerabili* 52. *hoc tit.* Nam cum Archiepiſcopus
„ Turonenſis ſententiam ſuſpenſionis tuliſſet in Epiſcopum
„ Cenomanenſem, re delata ad Papam, is ſententiam il-
„ lam relaxavit ad cautelam, præſtito juramento ab ipſo
„ Epiſcopo quod parebit Mandatis Archiepiſcopi, ſi con-
„ ſtiterit ipſum in eo, propter quod fuit ſuſpenſus, culpa-
„ bilem extitiſſe.

Ubi notandum primo, quando dubitatur de valore ſententiæ, poteſt quis abſolvi ad cautelam præſtito juramento de parendo mandatis Eccleſiæ, quod juramentum præſtari debet non tantum, cum quis abſolvitur ab excommunicatione, ſed etiam a ſuſpenſione, ut patet ex hoc c. *Gl. hic V. Ad cautelam*, *& Abb. in fine*, ubi *Gloſſator Abbat.* addit, id verum eſſe in ſuſpenſione hominis, ſeu Judicis, non autem in ſuſpenſione Juris.

Notandum ſecundo, ſemper juramentum exigendum eſt in abſolutione, quando non conſtat excommunicationem, vel ſuſpenſionem eſſe injuſtam, *Gl. fin. hic.*

CLXIX Præterea quod excommunicati, vel ſuſpenſi abſolvi non debent, niſi prius præſtito juramento, ſtatuitur
„ in *c. Super eo* 51. *h. t.* Ubi habetur, quod Monachi Græ-
„ ci, & Eremitæ, propter inobedientiam fuerunt ſuſpen-
„ ſi, & excommunicati, qui tamen ad mandatum Eccleſiæ
„ volnerunt redire ad eandem, niſi per manualem promiſ-
„ ſionem, & ſine juramento. Conſultus Papa reſpondit, ſi
„ non poſſint induci ad præſtandum juramentum, juxta for-
„ mam Eccleſiæ (*c. Ex tenore* 30. *h. t.*) poterunt, hac vice,
„ ſimplici promiſſione manuali recipi, ſine juramento,
„ quia interdum, conſideratis locorum, & temporum qua-
„ litatibus, ſeu circumſtantiis, ſeveritati aliquid eſt detra-
„ hendum.

Hinc colligitur primo, quod juramentum de parendo mandatis Eccleſiæ non ſit de ſubſtantia abſolutionis, ſed ea etiam, ſine illo ſit valida, quia introductum fuit potius ad cautelam, ut de cætero non committantur talia, *Gl. hic V. Juramentum*, *& V. Cum promiſſione.*

Colligitur ſecundo, interdum ratione loci, & temporis, ad vitandum publicum ſcandalum, aliquid de rigore remittendum eſt, *Gl. fin. hic*, multa enim interdum fiunt, ratione vitandi ſcandali, quæ alias non fierent, *Abb. hic in fine*, & in additione.

CLXX. Alter modus abſolvendi, ſive abſolutio, eaque proprie dicta datur ad reincidentiam, veluti ſi quis propter mortis periculum, vel aliud impedimentum legitimum, abſolutus fuit ab eo, a quo alias non poterat, a quocunque excommunicatione, ſive Papæ, ſive alii inferiori reſervata, cum eo onere, ſeu conditione, ne ceſſante eo impedimento, vel periculo, ſe præſentet Superiori, qui extra eum caſum, illum poterat abſolvere, is enim, ſi ceſſante periculo, vel impedimento, ſe non præſentet, cum commode poteſt, reincidit in eandem ſententiam excommunicationis. Idemque dicendum eſt, ſi quis abſolutus fuit a Papa, qui eum remiſit ad Diœceſanum, vel ad alium, ſi enim non ſe præſentet, intra tempus præfixum, vel cum commode poteſt, reincidit in priorem ſententiam, prout con-
„ ſtat ex *c. Eos qui au. h. t. in* 6. Ubi decernitur, eos qui a ſen-
„ tentia Canonis (hujuſmodi caſus XXXII. in quibus eſt quis
„ excommunicatus a Canone, enumerat *Gl. hic V. Canonis*)
„ vel hominis, ſeu Judicis, ab alio abſolvuntur, quia ad
„ illum, a quo alias de jure abſolvendi eſſent, propter
„ imminentis mortis articulum, vel aliud legitimum impe-
„ dimentum, accedere nequeunt: ſi poſtea ceſſante illo pe-
„ riculo, vel impedimento, ſe illi, a quo abſolvi debeant,
„ non præſentent, ut mandatum ipſius ſuper illis, propter
„ quæ excommunicati fuerunt, humiliter recipiant, & ſa-
„ tisfaciant, in eandem ſententiam, ipſo jure recidere,
„ ne ſic cenſuram Eccleſiaſticam impune contemnant. Idem
„ ſtatuitur de his, qui a Sede Apoſtolica, vel Legatis ejus,
„ a quibuſvis cenſuris abſolvuntur, cum mandato, ut Ordi-
„ nariis, vel aliis ſe præſentent, & paſſis injuriam compe-
„ tenter ſatisfaciant, niſi hæc, cum primum commode po-
„ terant, adimpleant.

CLXXI. Pro declaratione hujus c. notandum primo, poteſt quis abſolvi ab alio, qui alias de jure abſolvere non poteſt, propter legitimum impedimentum a quacunque cenſura Juris, vel hominis, ut patet ex hoc c.

Notandum ſecundo, hoc tempus commodum ſe præſentandi, ne in cenſuram incidatur, eſt, dum ceſſat impedimentum aliquo modico tempore, arbitrio prudentis, *Sanch. l. 2. mor. c. 13. n. 25.* & debet hoc onus præſentandi ſe Superiori, ſub juramento imponi, quia quamvis in *cit. c. Eos qui*, de hoc juramento non fiat mentio, fit tamen in *c. Ex noſcitur* 13. *& in c. Quamvis* 58. *extra eod. Sanch. c. l. n.* 26.

Notandum tertio, hæc præſentatio non fit, ut excommunicatus iterum ab excommunicatione abſolvatur, cum jam plene ab illa ſit abſolutus, ſed ut Superior medicinam adhibeat, & ſatisfactionem imponat, ſi ita judicaverit, *Sanch. c. l. n.* 27.

Notandum quarto, non eſt hoc onus ſe præſentandi imponendum ei, qui habet impedimentum perpetuum, cujus ceſſatio nunquam expectari poteſt, ut conſtat ex *citat. cap. Quamvis hoc titul.* Ubi dicitur, hoc onus imponendum eſſe eis, qui temporali impedimento laborant, *Sanchez cit. loc. num.* 30.

Notandum quinto, obligatus ad ſe præſentandum, ceſſante impedimento, tenetur per ſe ac perſonaliter ſe ſiſtere, adeoque non ſatisfacit, ſi per procuratorem compareat: quamvis probabile ſit, quod ſi juſta cauſa ſubſit ſufficiat, ſi per procuratorem ſe ſiſtat, *Sanch. c. l. n.* 33.

Notandum ſexto, excommunicatus, & abſolutus debet ſatisfacere, juxta proprias facultates, ut in *c. Ex noſcitur* 13. *h. t.* & non juxta facultates Eccleſiæ, quas ad uſum habet, *Gl. margin. hic & Franc. n. 3. not.* 4.

Notandum ſeptimo, is, qui ceſſante impedimento, non ſe præſentat Superiori, reincidit in eandem ſententiam excommunicationis, ut dicitur in ſine hujus c. non quidem in eandem numero cenſuram, quia prior illa eſt per veram abſolutionem omnino ſublata, ſed per aliam ſimilem, & æquipollentem, ita ut moraliter eadem cenſura cenſeatur, & quia ſimiliter eſt reſervata, ut prior erat. *Sanch. c. l. n.* 28. Unde novum etiam peccatum contumaciæ requiritur, & nova ſententia cenſuræ lata a Judice, vel lege, ſub conditione, niſi abſolutus præſtiterit id, ad quod jure obligatur, & quamvis idipſum intermiſerit, vel diſtulerit, ſed ſine culpa ſua, re ipſa non reincidat in excommunicationem, *Laym. in cit. c. 7. n. 8. in fine.* Plura de hoc videri poſſunt apud *Sanch. cit. c. 13. n. 24. & ſeqq.*

§. V.

Utrum is, qui duabus, vel pluribus excommunicationibus eſt ligatus, ſi ab una abſolvatur, cenſeatur etiam abſolutus ab aliis.

CLXXII. Aſſertio 1. Ligatus duabus, vel pluribus excommunicationibus, vel non tantum, ſed ex pluribus cauſis, ſi in petitione abſolutionis unam tantum excommunicationem, vel cauſam expreſſit, non cenſetur abſolutus quoad alteram, vel alias, quas ſuppreſſit, ſed remanet excommunicatus, prout ſumitur ex *c. Cum pro cauſa* 27. *h. t.* Nam orta
„ controverſia inter duos Archidiaconos, ratione cujuſdam
„ excommunicationis, utriuſque Procuratores ad Sedem Apo-
„ ſtolicam accedentes, Procurator Archidiaconi G. allegavit,
„ quod Archidiaconus F. violentas manus injecit in Succen-
„ torem, & verberando eum traxit per clauſtrum: ideoque
„ Archiepiſcopus Lugdunenſis, ob violentam manuum inje-
„ ctionem, & violationem immunitatis Eccleſiæ, eum ex-
„ communicavit, & publice denunciari curavit. Conſultus
„ ſuper hac re Papa Innocentius III. mandavit, ut ſi conſti-
„ terit, dictum F. Archidiaconum, ob duplicem cauſam ex-
„ communicatum fuiſſe (ſcilicet ob percuſſionem Clerici,
„ & violatam immunitatem Eccleſiæ) & alteram tantum
„ in litteris, quas impetravit ſuper abſolutione ſua, ex-
„ preſſiſſe, non debet haberi abſolutus: ſed tanquam ex-
„ communicatus, monitione præmiſſa, cogatur ſatisfacere
„ Eccleſiæ, ob alteram cauſam non expreſſam: quia per
„ ſubreptionem abſolutio eſt obtenta, *Gl. hic tanquam excommunicatus.*

CLXXIII. Notandum primo. Excommunicatus (vel etiam ſuſpenſus, aut interdictus) poteſt iterum, ac ſæpius excommunicari, vel aliis cenſuris ligari, non ſolum diverſæ rationis, ſed etiam ejuſdem propter diverſas cauſas. Sic qui propter unam inobedientiam eſt excommunicatus, poterit iterum excommunicari, ſi in alia re ſit inobediens, & contumax, *Suar. diſ. 5. de cenſ. ſect. 2. n.* 5.

Notandum ſecundo. Poteſt quis abſolvi ab una excommunicatione, ita ut non abſolvatur ab altera, vel aliis, quibus eſt, & manet ligatus, quia excommunicationes non ſunt inſeparabiliter connexæ, quoad remiſſionem, ſicut peccata mortalia, quorum unum non poteſt remitti, ſine aliis. Veruntamen qui abſolvitur ab una excommunicatione, & non ab aliis, non reſtituitur participationi Sacramentorum, nec Suffragiis Eccleſiæ, nec communioni fidelium, donec ab omnibus abſolvatur, quia abſolutio ab una tantum excommunicatione non poteſt habere effectum, cum maneat excommunicatus, *Avila c. 7. diſ. 2. dub. 4.* videri poſſunt, quæ de hoc dicta ſunt *l. 5. tit. 31. n. 77.*

CLXXIV. Aſſertio 2. Excommunicatus a pluribus Prælatis, quibus eſt ſubjectus, propter plures exceſſus, ſeu delicta, non poteſt ab uno tantum abſolvi, ſed ab aliis etiam Prælatis abſolvi debet, niſi uni Prælato reliqui poteſtatem abſolvendi demandarint, prout ſumitur ex *c. Officii 42. h. t.* „Nam cum aliquis, propter plures exceſſus, ſeu delicta, a pluribus, & diverſis Prælatis, qui jus in ipſum habebant, excommunicatus fuiſſet, ille uni tantum Prælato, ob unum delictum, voluit ſatisfacere. Unde quæſitum fuit, utrum ab eo ſit abſolvendus, cui voluit ſatisfacere: & cum ob aliud delictum non ſatisfecerit alii Prælato, an abſolutus valeat denunciari? Reſp. Papa Innocentius III. quod ſupprimenti veritatem abſolutio ſubreptitia non prodeſt, & cum Prælatus intellexerit veritatem, non debet illi abſolutionem exhibere, id eſt, ut explicat *Gloſſ. fin. & Hoſtienſ. hic*, non debet ei exhibere cum affectu, ut eum denunciet abſolutum, donec ab alio etiam delicto fuerit abſolutus: vel donec caveat, ſe procuraturum, ut ab alio etiam delicto abſolvatur, ſed ſimpliciter ipſum abſolvere non debet.

CLXXV. Notandum primo. Si idem Prælatus excommunicavit ſibi ſubjectum ſæpius, propter diverſas cauſas, tunc ipſe ſolus poteſt, unica abſolutione, relaxare omnes excommunicationes: ſi vero plures, & diverſi Prælati excommunicarunt eundem, unica abſolutio fieri poteſt, ſi omnes ſimul conveniant, & abſolvant, nam unus Prælatus non poteſt abſolvere ab excommunicatione lata per alium, *c. Paſtoralis 11. §. Præterea de Offic. Judic. Ordin.* Secundo, ut unus alteri committat vices ſuas, quod fiet magis congruenter. Tertio, ut quilibet ſeparatim abſolvat ab excommunicatione a ſe inflicta, *Gl. hic V. Excommunicationis vinculo, & Abb. n. 5.*

§. VI.

De abſolutione excommunicati decedentis in excommunicatione,

CLXXVI. De hac agitur inprimis in *c. A nobis 28. hoc t.* „Nam cum quæſitum fuiſſet, utrum ſi quis excommunicatus manifeſta ſigna pœnitentiæ dedit, nec per eum ſtetit, quominus reconciliaretur Eccleſiæ unitati, ſine abſolutione, morte præventus deceſſit, pro abſoluto ab Eccleſia ſit habendus, & an pro tali eleemoſyna ſit recipienda, & a fidelibus orandum. Reſpondet Papa Innocentius III. quod judicium DEI veritati, quæ non fallit, nec fallitur, ſemper innititur: judicium autem Eccleſiæ aliquando opinionem ſequitur: unde contingit eam fallere, & falli, & ut qui ligatus eſt apud DEUM, ſit ſolutus apud Eccleſiam: quod in ſuſcitatione Lazari eſt manifeſtum, quem prius Chriſtus ſuſcitavit, & poſtea Apoſtolis præcepit ſolvere (*Joan. c. 11.*) Quare quamvis ſe quia juramento præſtito aſtrinxerit, quod pareret Eccleſiæ mandato, & quamvis pœnitentiæ ſigna præceſſerit, ſi tamen morte præventus abſolvi non potuit, & ſi apud DEUM abſolutus credatur, nondum tamen habendus eſt apud Eccleſiam abſolutus. Veruntamen poteſt, ac debet ei ab Eccleſia ſubveniri, ut ſi de ipſius viventis pœnitentia per evidentia ſigna conſtiterit, ei etiam defuncto abſolutio impendatur. Nec obſtat, quod dicitur Eccleſiam habere poteſtatem ligandi, & ſolvendi homines ſuper terram (*c. Quodcunque 6. cauſ. 24. quæſt. 2.*) tanquam non poſſit ſolvere, & ligare ſub terra ſepultos: nec illud obſtat *cui non communicamus vivo, nec mortuo communicare debemus*; cum etſi communicatum non fuerit communicandum tamen illi fuiſſet, quem non contemptus Religionis, ſed neceſſitas impedivit: & in certis caſibus legatur, Eccleſiam ligaſſe mortuos, & ſolviſſe. Unde ſtatuit Papa, ut illius mortui abſolutio a Sede Apoſtolica petatur, qui, dum viveret, ab eadem fuerat abſolvendus: abſolutionem vero aliorum, ea præmiſſa cauſa, illis indulget Papa (id eſt, indultum eſſe declarat, *Gloſſ. hic V. Cæteris*) a quibus, dum viverent, fuerunt abſolvendi. Forma autem abſolutionis ſervetur, ut fiat cum Pſalmo Pœnitentiali, & Oratione Dominica, & aliis conſuetis. Additur in fine, ut hæredes quoque defuncti compellantur ad ſatisfaciendum pro ipſo, & quidem per cenſuram Eccleſiaſticam, monitione præmiſſa, ſi noluerint.

CLXXVII. Pro explicatione hujus c. notandum primo. Eccleſia quandoque errat, excommunicando, ſive ligando non ligandum, vel abſolvendum: idque inde provenit, quia Eccleſia non poteſt judicare de occultis, *c. Ut noſtrum unic.* ubi Innocentius III. ait; *quoniam, etſi locum DEI teneamus in terris, non tamen de occultis poſſumus divinare, Ut; benefic. Eccleſ. ſine diminut. &c.* Idque procedit, non tantum loquendo de Eccleſia particulari, ſed etiam de univerſali, nam & univerſale Concilium, per quod repræſentatur tota Eccleſia, poſſet errare excommunicando forte Prælatum, qui non erat excommunicandus, quia cauſa latet: nam Eccleſia quandoque ſequitur opinionem, ut hic dicitur, quæ falſa eſſe poteſt, & veritas quandoque latet Eccleſiam, *Abb. hic n. 2. not. 2.* quamvis ſi de errore conſtiterit, revocetur quod factum eſt, *Gl. hic V. Opinionem.* Unde cum dicitur, Eccleſiam errare non poſſe, id præcipue intelligendum in fide, ſeu articulis fidei, juxta illud Chriſti, Luc. 22. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* At vero in particularibus quæſtionibus facti dijudicandis, ut in propoſito, an hic vel ille, ob tale crimen juſte ſit excommunicatus, Eccleſiam, ejuſque Caput & Pontificem errare poſſe, docet *Tanner. tom. 3. diſ. 1. q. 4. dub. 6. n. 140.* & alii Theologi communiter.

Notandum ſecundo. Poteſt aliquis per excommunicationem eſſe ligatus, quoad Eccleſiam, ſed ſolutus, quoad DEUM, ut ſi excommunicatio Clave errante, ſive injuſte lata ſit: & e converſo apud Deum eſſe ligatus, ſed apud Eccleſiam ſolutus, ut habetur in hoc c. ut ſi quis abſolutus ſit ab excommunicatione per Eccleſiam, ſed manet ligatus quoad DEUM propter delictum, ob quod fuit excommunicatus.

Notandum tertio, Abſolutio publice excommunicati fieri debet cum Pſalmo pœnitentiali *Miſerere mei, DEUS*, & Oratione Dominica, *Abb. hic* quamvis aliqui putent, quemlibet ex ſeptem Pſalmis Pœnitentialibus ſufficere, *Barboſ. in Collect. hic n. 6.*

Notandum quarto. Hæredes defuncti in hoc c. §. *ult.* per cenſuram Eccleſiaſticam compelluntur ſatisfacere pro anima ipſius, etſi nihil ad eos ex delicto pervenerit, quia cum iſte pœnituerit, & contritus vita deceſſerit, quantum in ſe fuit, ſatisfecit, & per eum non ſtetit, quominus ſatisfaceret, ideoque hæredes ipſius, ad quos bona pervenerunt, tenentur pro ipſo reipſa ſatisfacere, *Gloſ. fin. hic.* Quamvis alias de jure etiam Civili, ex delicto defuncti non teneantur hæredes, niſi quatenus ex delicto ad eos pervenit, vel niſi lis cum defuncto conteſtata fuerit, *l. unic. C. Ex delicto defunct. Abb. hic n. 5. not. ult.*

CLXXVIII. Porro ex eo, quod in hoc c. dicitur: *in certis caſibus a Canonibus annotatis, ligaſſe legitur Eccleſia mortuos, & ſolviſſe*, oritur non levis quæſtio, utrum Papa, ſeu Eccleſia mortuos poſſit excommunicare, vel ab excommunicatione abſolvere? Ad quod reſpondetur, verius eſt, non poſſe excommunicare poſt mortem, ut docet *Covarr. in c. Alma p. 1. §. 11. n. 8. Suar. diſp. 5. de cenſ. ſec. 1. n. 9. Azor. p. 2. Inſtit. l. 5. c. 26. q. 2.* & eſt communior ſententia Theologorum, & Canoniſtarum. Ratio eſt, tum quia Eccleſia non habet juriſdictionem in defunctos, juxta illud Matth. 18. *Quodcunque ligaveris, vel ſolveris ſuper terram, erit ligatum & ſolutum in cælis*, ergo poteſtas hæc non ſe extendit ad mortuos. Tum quia crimina morte extinguuntur, *cap. Quorundam 14.* & ibi *Gloſſ. V. Non poteſt diſ. 23. lib. 1. & 2. Cod. Si reus, vel accuſat. mort. fuer.* Porro ratio a Papa allata in hoc cap. quod Eccleſia legatur ligaſſe mortuos, & ſolviſſe, enervata eſt quidem, ſed ibi tantum factum narratur, non autem deciditur quæſtio illa, nec ratio illa approbatur, quod etiam in aliis ſubinde ſit locis, ut Jus non diſpoſitive, ſed narrative ſolum loquatur in textu, quod bene notandum.

Non obſtat, quod Eccleſia poteſt publicum peccatorem mortuum privare ſepultura, & Suffragiis fidelium, ſicut reipſa factum eſſe refert D. Gregorius cum aliquo Religioſo, propter inventam apud eum pecuniam poſt mortem ejus. Nam tunc non ligatur mortuus directe, & in ſe ipſo: ſed indirecte tantum, præcipiendo vivis fidelibus, ne illum ſepeliant, vel pro eo orent: & illa pœna non habet propriam rationem cenſuræ, quia non eſt medicinalis, nec ad correctionem, ſed tantum ad aliorum fidelium terrorem ordinatur. Sic hæretici, & alii ſimiles, ipſo jure, ſunt excommunicati, & ideo ſi poſt mortem de eorum delicto conſtet, merito anathematizantur, juxta *c. Si quis 5. de hæret.* & Suffragiis fidelium, ac Eccleſiaſticæ ſepultura privantur; tunc autem non fertur cenſura excommunicationis in mortuum, ſed fertur ſolum declaratoria ſententia, per quam promulgatur cenſura excommunicationis, quæ jam ipſo jure lata fuerat in Reum, dum adhuc viveret, & præcipitur executioni mandata cenſura in vita contracta, ut bene explicat *Suar. cit. ſec. 1. nu. 6. & ſeqq.* quæ quidem declaratio eſt neceſſaria, quoad Eccleſiam militantem, ſive quoad nos, non autem quoad triumphantem, ſive quoad DEUM, ut fatetur Papa in *cit. c. A nobis. Covarr. c. l.* Similiter quod attinet ad abſolutionem ab excommunicatione, cum dicitur in *cit. c. A nobis* quod ſi quis in excommunicatione diſceſſit, quamvis ſigna contritionis, & pœnitentiæ ediderit, non poteſt in loco ſacro ſepeliri, nec Suffragia communia Eccleſiæ pro illo offerri, niſi prius fuerit abſolutus, id intelligendum eſt, non quod directe poſſit poſt mortem abſolvi ab excommunicatione, ſicut nec excommunicari poteſt, quia ſolvere, vel ligare eſt actus juriſdictionis, quam Eccleſia in mortuos habet ſed indirecte, quatenus Eccleſia ſepulturam in loco ſacro concedit in excommunicatione mortuo, & ut vivi fideles poſſint preces, & Suffragia pro illo offerre, & communicare cum mortuo. Et ita declarat, ipſum excommunicatum eſſe abſolutum ab excommunicatione in vita contracta, ſiquidem evidentia ſigna Pœnitentiæ dedit, *Covarr. cit. l. & Azor. cit. c. 26. q. 3.* Sufficit autem iſta ſigna per unum teſtem probari, *Gabriel. l. 1. concl. commun. Tit. de teſtib. concl. 1. n. 17.*

„CLXXIX. Huc quoque pertinet, quod ſtatutum eſt in *c. Sacris 38. h. t.* Licet quis voluntarie communicaverit cum illis, qui cum omnibus ſuis fautoribus, & participibus excommunicati fuerunt, poſtea in ſe converſus, de mandato Eccleſiæ, eoſdem excommunicatos, quos foverat, impugnaverit, non tamen habendus eſt pro abſoluto niſi prius fuerit abſolutus, nec ſi in bello occumbat, ſunt oblationes pro illo recipiendæ, nec pro eo eſt orandum, niſi de ipſius viventis pœnitentia per evidentia ſigna conſtiterit: & juxta formam Juris tradita in Conſtitutione (quæ habetur in *c. A nobis 28. h. t.* de qua ſupra) deinde

Digitized by Google

„ defuncto etiam abſolutio impendatur. Tunc etiam Eccleſia pro illo oblationes, & orationes recipiet, ſicut pro alìis fidelibus defunctis. *Gl. fin. hic*

Hinc colligitur, quod abſolutio neceſſario requiratur ad tollendam excommunicationem, quamvis excommunicatus pœnitentiam agat, *Covarr. in c. Alma p. 1. §. 11. n. 5.* Idque procedit, rametſi excommunicatus pœnitens erroris, ex mandato Eccleſiæ, pugnaverit contra alios excommunicatos, & in tali bello deceſſerit, non habetur pro abſoluto, niſi abſolutio fuerit ſubſecuta, *Gl. hic in notat. Barb. in Coll. num. 2.*

§. VII.

Quando excommunicatus habendus ſit pro abſoluto ab excommunicatione, vel non?

CLXXX. De hoc agitur inprimis in *c. Sicut 39. h. tit.* „ ubi proponitur, quod aliqui excommunicati a ſuo Epiſcopo accedunt interdum Curiam Romanam, ſed redeuntes dicunt ſe eſſe abſolutos, non oſtenſis litteris ſuæ abſolutionis. Unde quæritur, an debeant haberi pro abſolutis? Reſpondet Papa, niſi excommunicati ab Epiſcopo adferant litteras abſolutionis ab ipſo Papa, vel delegato ipſius, vel alio modo de ipſorum abſolutione legitime conſtiterit, ipſos pro excommunicatis, ut prius, habendos, & vitandos eſſe.

Ubi notandum primo. Semel excommunicatus præſumitur ſemper excommunicatus, niſi probet ſe abſolutum, *Abb. hic not. 1.* & ideo etiam ſemper debet vitari, donec de abſolutione conſtet, ſaltem ſi fuit ſimpliciter excommunicatus, & non ſolum ſub conditione, *Covarr. in c. Alma p. 2. §. 2. n. 6. Barb. hic n. 4. 5. & 6.*

Notandum ſecundo. Abſoluto ab excommunicatione non eſt credendum, niſi id probet, ut patet ex hoc c. & quidem probari debet abſolutio per teſtes, vel alio legitimo modo, *Abb. hic num. 2. not. 2.* & ideo non ſufficit probare ſe eſſe abſolutum ab excommunicatione per ſchedulam Confeſſarii, ſed probari debet per duos teſtes, qui aſſerant excommunicatum abſolutum eſſe, & ſatisfeciſſe parti læſæ, *Barb. hic num. 3.* Id vero procedit in foro contentioſo, & judiciali, nam in foro conſcientiæ, & pœnitentiæ creditur ſoli confitenti, quia in eo non agitur, niſi de præjudicio proprio, & non aliorum, *Gl. hic V. Litteras junct. Gloſ. margin. lit. B. Abb. hic n. 4.*

CLXXXI. Secundo, ſi Papa excommunicatum a ſe poſtea litteris ſuis ſalutat (vel Apoſtolicam benedictionem ei impertitur) non ideo cenſendus eſt eum abſolvere ab excommunicatione, prout ſtatuitur in *cap. Si aliquando 41. h. t.* „ Ubi Papa Innocentius III. reſcribit: Si forte contingat, ut Papa ad aliquos Auctoritate Apoſtolica excommunicatos, poſtea litteras ſuas mittat, in quibus eos ſalutat, non propterea cenſendum eſt, ſententiam excommunicationis eſſe relaxatam: cum per ignorantiam, vel per negligentiam, vel nimiam occupationem, vel etiam per ſubreptionem (videlicet hoc tacito, quod eſſet excommunicatione ligatus) contingat hujuſmodi litteras impetrari.

Hinc colligitur, quod prohibita eſt communicatio cum excommunicatis, non tantum verbo, ſed etiam per epiſtolam, aut nuncium, *Covarr. in c. Alma §. 3. n. 1.* quia excommunicati non ſunt ſalutandi, ne per ſalutationem videatur aliquis illis conſentire, & ut facilius reſipiſcant, cum viderint ſe contemni, & aliorum hominum communione privari, *Gl. hic V. Salutationis in fine.* Etſi vero Papa communicando cum excommunicato, non incidat in excommunicationem, quia legibus humanis eſt ſolutus, *Gl. hic V. Salutationis in fine*, male tamen ageret ſic communicando, & ideo Papa, quando Legati Principum excommunicati petunt ab eo audientiam, curat eos prius abſolvi, ita tamen, ut finita audientia, reincidant in priorem excommunicationem, ut notat *Abb. hic n. 5.*

CLXXXII. Porro ſi S. Pontifex, non tantum per ignorantiam, ſubreptionem, negligentiam, aut nimiam occupationem: ſed etiam, ſi ſcienter participet excommunicato, verbo, vel oſculo, vel alio quovis modo (ut in convivio, oratione, vel itinerando &c. *Gl. hic V. Quovis modo*) ipſum per hoc abſolvere nulla ratione cenſetur, niſi ſe velle per hoc ipſum pro abſoluto haberi exprimat, prout ſtatuitur in *Clement. Si ſummus 4. & ult. h. t.* Sicut autem Papa, communicando cum excommunicato, ipſum non abſolvit, niſi id exprimat: ita nec aliquem evitando, ipſum excommunicat: unde non incidit in minorem excommunicationem, ſi quis communicat cum illo, quem Papa vitat, *Gl. hic V. Si Summus & Abb. n. 1.* Additur in *cit. Clem. ult. §. Similiter h. t.* Si Papa quoque aliquem, ex certa ſcientia, ſub titulo cujuſvis dignitatis (Eccleſiaſticæ, vel ſæcularis, *Gloſ. hic V. eod.*) verbo, conſtitutione, aut litteris nominet, honoret, vel quovis alio modo tractet, non cenſetur per hoc ipſum in illa dignitate conſtituere, ſeu approbare, aut quidquam novi juris ei tribuere, niſi hoc exprimat ſe velle. V. gr. ſi aliquis ſine Canonico Titulo obtinuerit Epiſcopatum, vel aliam dignitatem, & Papa in datis ad ipſum litteris, appellat eum Epiſcopum illius loci, per hoc non conſtituit illum Epiſcopum, ſeu novum jus ei concedit, *Gl. hic in caſu.*

§. VIII.

An, & quando Clerici criminoſi poſſunt incarcerari, vel etiam a laicis capi, abſque metu incurrendæ excommunicationis?

CLXXXIII. De hac quæſtione agitur in *c. Ut famæ 35. h. t.* ubi dicitur, quod Epiſcopus Londonenſis conſuluit Papam Innocentium III. utrum Clerici graviter delinquentes, qui non poſſunt tuto in Monaſteriis detineri, ad agendam pœnitentiam: ſed capta opportunitate inde aufugiunt, & prioribus ſceleribus ſe immiſcent, poſſint ab Epiſcopo, vel aliis Prælatis ſuis arctæ cuſtodiæ deputari? Reſpondet Papa, quod cum Prælati exceſſus, ſeu delicta Clericorum ſubditorum corrigere teneantur, & publicæ utilitatis interſit, ne crimina maneant impunita, & illi Clerici fiant deteriores, poſſunt illos, poſtquam fuerint de crimine condemnati, ſub arcta cuſtodia detinere (ſine pœna excommunicationis, *Gloſ. hic V. Mancipari.*) Denique addit idem Papa, quod etiam laici, citra periculum excommunicationis ab eis incurrendæ, poſſint Clericos in magnis ſceleribus deprehenſos capere, & ad judicium trahere, etiam, ſi opus ſit, violenter: dummodo id faciant ex mandato Prælatorum Eccleſiaſticorum, quorum juriſdictioni illi Clerici ſunt ſubjecti, & quorum eſt corrigere: quia tunc non ipſi, ſed illi, quorum auctoritate hoc faciunt, facere videntur. (quod enim per alium quis facit, per ſe ipſum facere intelligitur, *Gl. pen. hic*) ita tamen ut non amplius laicorum violentia ſe extendat, quam exigat defenſio, ſeu rebellio Clericorum.

Notandum primo. Clericus probabiliter ſuſpectus de fuga poteſt conjici in arctum carcerem, licet alias ſolum detrudendus eſſet in Monaſterium, ad agendam ibi pœnitentiam. *Abb. hic n. 2.*

Notandum ſecundo. Judex ſæcularis poteſt per Miniſtros laicos capere Clericum deprehenſum in flagranti crimine, non ut eum puniat, ſed ut tradatur ſuo Judici Eccleſiaſtico, *Clarus in pract. crim. §. fin. q. 28. n. 6.* Similiter poſſunt etiam alii laici capere Clericum, ex mandato Eccleſiaſtici Prælati, quia is facere intelligitur, cujus auctoritate fit, *Gl. hic in notat.* Requiritur autem mandatum ſpeciale, & non ſufficit generale, *Gloſ. hic V. De mandato* & debet hoc fieri, cum moderamine inculpatæ tutelæ, & caveri, ne excedatur modus, *Gl. fin. hic*

CLXXXIV. Aliud exemplum, in quo aliquis ſimiliter „ declaratur non incurriſſe excommunicationem, habetur in *cap. Veniens 16. h. t.* Nam cum quædam Monialis ingrediens Eccleſiam cœpiſſet ludere cum alio Clerico, dum Sacerdos Divina Officia celebraret, adeoque ipſum turbaret, & impediret in ſacro Miniſterio, manibus appoſitis, voluit illam educere, cum autem egredi nollet, vi trahendo illam, coegit egredi. Propter quod factum Epiſcopus Sacerdotem illum, tanquam excommunicatum vitavit, & juſſit ab aliis vitari. Re delata ad Papam, is mandavit, ut ſi res ita ſe habeat, deinceps illum non evitet: cum non fuerit propterea excommunicatus. Ratio eſt, quia Sacerdos hic præſumitur, non animo injuriandi, ſed bono zelo manus illi mulieri injeciſſe, & illam ex Eccleſia expuliſſe, ut patet ex illis verbis: *ut liberius poſſet circa celebrationem Divinorum vacare Gl. hic V. Celebrationem.* Hinc patet, quod Sacerdos, vel quilibet alius ratione officii, quod in Eccleſia obtinet, poteſt turbantem Divina Officia repellere, citra periculum incurrendæ excommunicationis, quia non incidit in *Canon. Si quis ſuadente Gl. cit. loc.*

§. IX.

An ſint excommunicati, qui violentas manus injiciunt in Clericos, qui incedunt ut laici, depoſito habitu Clericali?

CLXXXV. Reſpondetur negative, dummodo tertio fuerint moniti, prout ſtatuitur in *cap. In audientia 25. h. tit.* „ Ubi cum quæſitum fuiſſet, utrum qui in Clericum, relicto habitu Clericali, arma militaria geſtantem temerarias manus injecit, ſit ipſo jure excommunicatus? Reſpondet Papa, quod tales Clerici, ſi a Prælatis ſuis tertio moniti, deponere noluerint arma militaria, non debent gaudere privilegio Clericorum (ſcilicet *Canon. Si quis ſuadente*) quia fruſtra implorat auxilium legis, qui in ipſam committit, & lex civilis præbet efficax argumentum, quo cavetur, matronam, cujus pudicitia attentata fuit, non poſſe injuriarum agere, ſi in veſte meretricia fuit deprehenſa, *l. Item apud Labeonem 15. §. Si quis Virgines ff. de Injuriis.*

Hinc colligitur primo, quod Clericus in Minoribus conſtitutus, ſi dimiſſo habitu Clericali, arma ferat, & poſt trinam monitionem non reſipiſcat, omne privilegium Clericale Canonis, & fori amittat, ita ut poteſtati ſæculari ſit tradendus, *Abb. hic n. 4.* Veruntamen hodie ſi Clerici in Minoribus conſtituti, neque beneficia habentes incedant ſine habitu, & tonſura, poſſunt puniri per Judices ſæculares, etiamſi a ſuo Prælato moniti non fuerint, ut teſtatur *Clarus in pract. crim. §. fin. q. 36. n. 19.* ubi *num. 23.* addit, quod Clericus, etiam Sacerdos, qui dimiſſo habitu Clericali, & Tonſura immiſcet ſe enormitatibus, amittat privilegium fori, ita ut poſſit a Judice ſæculari puniri, etiamſi non fuerit ter monitus a Prælato ſuo, de quo in *cap. Perpendimus 23. h. t.*

Colligitur ſecundo, quod leges civiles in ſubſidium Canonum adduci, & allegari poſſint *Abb. hic num. 6.* Ut in hoc c. ſicut Matrona alias honeſta, ſi deprehendatur in veſte inhoneſta, non poteſt actionem injuriarum intentare, ſi de adulterio, vel fornicatione fuerit diffamata: ita nec Clericus, qui contra prohibitionem Canonum incedit in habitu militari, non poteſt ſubſidium Canonum implorare, quia præſumitur qua talis, qualis eſt habitus, quem portat, *Abb. hic n. 4.*

CLXXXVI. Præterea idem quoque ſtatuitur, quod in „ priore cap. in *c. Contingit 45. h. t.* Nam cum in Flandria quidam Clerici nec in Tonſura, & habitu, nec in negotiis ſe Clericos eſſe oſtenderent, & ſolum ut ſubterfugerent

„ publica judicia, & pœnam, ſe ut Clericos exhiberent, verbotenus allegantes fori privilegium, qui factis negarunt ſtatum Clericalem (& ſic ipſo facto renunciarent privilegio Clericali, *Gloſſ. hic V. Factus.*) Ideo mandat Pontifex Innocentius III. Epiſcopo Diœceſano, ut ſi tales tertiu commoniti non ſe emendent, privilegium Clericale fori amittant: quod non ſolum in favorem, & tutelam Clericorum, ſed etiam in odium laicorum ad eorum violentiam coercendam, eſt conceſſum: (cum laici oppido Clericis ſint infeſti, *Gloſſ. fin. hic*) quia privilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate, & fruſtra legis auxilium invocat, qui committit in legem.

Ubi notandum primo, ex tribus potiſſimum poteſt diſcerni Clericus a laico, ex Tonſura, forma veſtimentorum, ſeu habitu, & qualitate negotiorum, quia negotia ſæcularia tractare non debent, *Abb. hic num.* 2. de quibus dictum in *Tit.* 2. *hujus Libro.*

Notandum ſecundo, non ſufficit ad mittendum privilegium Clericale fori una admonitio pro omnibus, cum Jus requirat trinam: eaque non poteſt fieri per Judicem ſæcularem, ſed debet fieri per Ordinarium loci, ſeu Diœceſanum, *Abb. hic n.* 4. *&* 5.

S E C T I O VI.

Aliæ nonnullæ quæſtiones circa excommunicationem aliaſve Cenſuras proponuntur, & exponuntur.

§. I.

Quomodo Prælatus Eccleſiaſticus ſe defendere poſſit etiam ſpirituali gladio, ſcilicet Eccleſiaſtica cenſura, contra poteſtatem temporalem, ſeu ſæcularem?

CLXXXVII. De hoc agitur in *cap. Dilect.* 6. *h. tit. in* 6. „ Ubi habetur, quod Ballivos, ſeu Dominus quidam temporalis, Decanum Aurelianenſem, qui ex conſuetudine, vel privilegio habebat poteſtatem ordinariam, vel ſaltem poteſtatem inferendi cenſuras, *Gl. hic V. Decano.*) bonis ſuis temporalibus (mobilibus) injuſte ſpoliare, vel ea violenter occupare (immobilia ſcilicet, *Gl. hic V. Occupare,*) præſumpſit. Sed quia dictus Decanus adverſus potentiam hujus Domini ſæcularis non erat ſufficiens ſe temporalibus armis defendere, potuit recurrere ad arma ſpiritualia (excommunicationem ſcilicet, & interdictum) quæ ſunt arma Eccleſiæ propria, & totam terram ipſius Eccleſiaſtico interdictu ſubjecit, cum omnes leges, & Jura vim vi repellere, & cunctis ſe defendere permittant. Præterea quia cuilibet permittitur defendere proximum, cum infertur ipſi injuria, imo ad hoc tenetur, alias ſi negligeret defendere proximum, particeps fieret culpæ injuriantis, multo magis licitum eſt alicui ſeipſum defendere, cum injuria ipſi in perſona ſua, vel bonis ſuis infertur: (quia ordinata charitas a ſe incipit, *Gl. hic V. Sibimet*) Et ſic uterque gladius, temporalis & ſpiritualis, ſe invicem adjuvare debent.

Pro declaratione hujus cap. notandum primo, Prælatus Eccleſiaſticus poteſt gladio ſpirituali ſe defendere contra Poteſtates, & Dominos temporales, ſeu ſæculares: ideo ſi alicui Epiſcopo, vel alio Prælato Eccleſiaſtico injuria infertur ab aliquo ſæculari, poteſt Epiſcopus talem excommunicare, vel terram ipſius ſubjicere interdicto Eccleſiaſtico, ut patet ex hoc *c. Gl. ibid. in notatis.*

Notandum ſecundo, poteſt Epiſcopus, vel alius Prælatus ſimili poteſtate præditus, uti gladio ſpirituali, ſcilicet excommunicatione, & interdictu, non ſolum quando gladio temporali, ſive armis ſe tueri non poteſt, ſed etiam alias quandocunque vult: unde quod hic dicitur, eum, qui armis temporalibus ſe defendere nequit, poſſe recurrere ad gladium ſpiritualem, id intelligendum eſt *maxime*, quia etiam poteſt prius uti gladio ſpirituali, & poſtea recurrere ad temporalem, ut notat *Franc. hic n.* 2. *& Hoſtienſ.*

Notandum tertio, Epiſcopus poteſt uti gladio ſpirituali cenſuræ Eccleſiaſticæ, non ſolum pro defenſione bonorum, & jurium Eccleſiæ, ſed etiam ad defenſionem bonorum, & jurium patrimonialium ipſius Prælati, *Barb. hic in Collect. n.* 3. quia defendere quis poteſt bona propria, etiam occidendo eorum invaſorem, ſi aliter ea defendere nequeat, de quo dictum ſupra *Tit.* 12.

Notandum quarto, Prælatus Eccleſiaſticus, non ſolum poteſt defendere gladio ſpirituali, ſive per cenſuram Eccleſiaſticam, & bona & Jura Eccleſiæ ſuæ, & bona patrimonialia, ſed multo magis propriam perſonam ſuam ab injuria, & violentia ſæcularium, ut conſtat ex hoc c. *Barb. hic n.* 5. Ubi etiam additur, quod quilibet poteſt ac tenetur proximum ab offenſa, & injuria defendere, *Barb. hic num.* 9.

Notandum quinto, poteſt Prælatus Eccleſiaſticus uti gladio ſpirituali, ſcilicet excommunicatione, etiam non præmiſſa monitione, *Franc. hic num.* 2. *not.* 3. quando ea infligitur pro defenſione proprii juris, aut contra occupantem res Eccleſiæ, *Cov. in c. Alma p.* 1. §. 9. *n.* 6.

Notandum ſexto, vim vi repellere licet, tam ſecundum Leges Civiles, quam Canones, cum defenſio ſit juris naturalis, & non ſolum laicis, ſed etiam Clericis, quibus etiam licet ſe defendere temporali gladio, & armis contra injuriam illatam, etiam in rebus, *Franc. hic n.* 6.

Notandum ſeptimo, gladius temporalis, & ſpiritualis ſe invicem adjuvare debent, unde Judex Eccleſiaſticus invocare poteſt auxilium gladii temporalis Judicis ſæcularis, & hic auxilium gladii ſpiritualis, Judicis Eccleſiaſtici, & una poteſtas aliam adjuvare debet, *Franc. n.* 5. *not. ult.*

§. II.

Si malefactor captus a Judice laico dicat ſe eſſe Clericum, ad quem Judicem ſpectat de hac re cognoſcere, ſæcularem, an Eccleſiaſticum?

CLXXXVIII. De hac quæſtione agitur in *c. Si Judex* 12. „ *h. t. in* 6. quam *Gloſſ. hic in princ.* dicit eſſe valde utilem, & ſæpiſſime in praxi occurrere. Ad hanc quæſtionem ita reſpondet Bonifacius VIII. ſi Judex laicus malefactorem captum (quia ſuſpectus, & diffamatus fuit de aliquo crimine) in cuſtodia detineat, & is ſe Clericum eſſe dicat, & ideo remitti petat ad Judicem Eccleſiaſticum tanquam ſuum Clericum repetat: Judex vero ſæcularis neget illum eſſe Clericum, idcoque remittendum non eſſe; hoc caſu, ad Judicem Eccleſiaſticum cognitio hujus cauſæ pertinet (id eſt, an ille ſit Clericus) quia eſt de re Eccleſiaſtica, & ſpirituali (de qua nec principaliter, nec incidenter poteſt cognoſcere Judex ſæcularis, *Gl. hic V. Spirituali*) vocato tamen Judice ſæculari, vel alio, cujus intereſt (nempe Adverſario, qui tum fecit capi, & detineri, *Gl. hic V. Intereſt.*) Quod ſi notorium ſit, quod idem malefactor ſit Clericus, & talis, qui hujuſmodi privilegio gaudere debeat: (quia non eſt Clericus conjugatus, vel bigamus, vel degradatus &c. talis enim non eſſet remittendus ad Judicem Eccleſiaſticum, quia privilegio Clericali non gaudet, *Gl. hic V. Debeat*) & tunc ſtatim abſque alia cognitione remittendus eſt ad Judicem Eccleſiaſticum, quia tunc non eſt neceſſaria cognitio. Vel eſt fama publica, quod ille ſit Clericus: aut ipſe communiter pro Clerico habebatur: & tunc ſtatim etiam ante cognitionem, an ille ſit Clericus, debet reddi Curiæ Eccleſiaſticæ. Similiter debet ſtatim remitti ad Judicem Eccleſiaſticum ſi reus, ante capturam, ſe non gerebat ut laicum publice ſed deprehenſus fuit in habitu Clericali, Tonſuram & veſtes deferens Clericales, quia talis Clericus reputari debet, donec de contrario conſtet. (Etſi poſtea appareat, quod ſit laicus, Judex Eccleſiaſticus ipſum remittet ad Judicem ſæcularem, *Gloſ. hic in caſu.*) Sicut qui eſt in poſſeſſione ingenuitatis, ſi dicatur ab alio libertinus, probare id debet non ipſe, ſed Adverſarius, qui id aſſerit (juxta *l. Ea quæ* 21. *C. De liberali cauſ. l. Liberis* 7. §. *fin. & l. Cui neceſſitas* 39. *ff. eod. & l. Circa* 14. *de probation.*) Itaque ſtatus alicujus videtur, in quo ipſe deprehenditur, donec contrarium doceatur. Si autem reus, antequam caperetur, publice ſe pro laico gerebat, ac pro tali communiter habebatur, tunc quamvis tempore capturæ fuerit repertus in habitu Clericali, non eſt reſtituendus, ſed remanebit ſub cuſtodia Judicis ſæcularis, donec probet ſe Clericum eſſe, quia ei incumbit onus probandi, propter præſumptionem, quæ ſtat contra ipſum, & orta eſt ex præcedente publica delatione habitus laicalis. Interim tamen dum pendet probatio Tituli Clericalis, (quæ fieri debet coram Judice Eccleſiaſtico, *Gl. hic V. Fecerit*) contra illum non procedatur a Judice ſæculari.

CLXXXIX. Notandum primo, quando reus eſt captus per Judicem ſæcularem, & controvertitur, an ſit Clericus habens Tonſuram primam, vel minores Ordines, vel etiam in habitu Clericali, & Tonſura inceſſerit, hujus rei cognitio, & probatio debet fieri coram Judice Eccleſiaſtico, & non coram ſæculari, adeoque pertinet ad juriſdictionem Eccleſiaſticam, ut dicitur in hoc c. *Covarr. pract. qq. c.* 33. *num.* 2. *Clarus* §. *fin. q.* 36. *num.* 21. & alii DD. communiter. Quamvis in pluribus Regnis contrarium obſervari teſtentur plures apud *Barb. hic n.* 3. eo quod hujuſmodi quæſtio in facto conſiſtat; poſſint autem Judicem ſæcularem de quæſtionibus facti circa Eccleſiaſtica, & ſpiritualia negotia cognoſcere. Sed rectius id negatur ſine ſpeciali privilegio Papæ, vel immemoriali conſuetudine, *Barb. c. l.*

Notandum ſecundo, non ſolum ipſe Clericus poteſt excipere ſe eſſe Clericum, & petere ut remittatur ad Judicem Eccleſiaſticum, ſed etiam ipſe Judex Eccleſiaſticus ex officio ſuo poteſt repetere Clericum captum per Judicem ſæcularem, *Franc. hic n.* 2. Sic & Civitas poteſt repetere civem ſuum, & petere, ut ei adminiſtretur juſtitia *l.* 1. §. 1. *ff. de rei vindic.*

Notandum tertio, poteſt tamen Judex ſæcularis capere Clericum in crimine repertum, per ſe, vel per Miniſtros ſuos, qui ſe pro laico publice gerit, abſque metu excommunicationis, nempe ſi reus fugitivus ſit, vel ſaltem ſuſpectus de fuga, non quidem animo retinendi illum aut puniendi, ſed tradendi eum proprio Epiſcopo ſuo, alias enim excommunicationem incurreret, *Gloſ. hic in caſu, & Franc. num.* 8.

Notandum quarto, ſi notorie conſtet captum a Judice ſæculari eſſe Clericum, ut quia eſt in officio Archidiaconi, vel Archipresbyteri, vel actu eſt Beneficiatus, tum ſtatim remitti debet ad Judicem Eccleſiaſticum, *Gloſ. hic V. Notorium*, quia quando opponitur exceptio notoria, Judex ſtatim debet illam admittere, abſque alia judiciali cognitione, *Franc. hic* §. *Etſi notorium n.* 1.

CXC Notandum quinto, pendente quæſtione iſta, an unus ſit Clericus, vel laicus, non debet is manere ſub cuſtodia Judicis ſæcularis, ſed Eccleſiaſtici, ſi ante capturam publice reputabatur Clericus: ſi vero ante comprehenſionem publice ſe gerebat pro laico; non debet remitti ad Judicem Eccleſiaſticum, donec conſtet, an ſit Clericus, *Gloſ. magna hic in notat.* Sed neque Judex ſæcularis, pendente iſto judicio, an reus ſit Clericus, vel non, debet illum e cuſtodia dimittere, quia, lite pendente, nihil eſt innovandum, *Franc. hic* §. *Non ſic not.* 4.

Notandum ſexto, in dubio præſumitur quis eſſe talis,

& ita

Digitized by Google

& ita judicari debet, qualis in exteriore habitu apparet, & reperitur, unde dicenti contrarium incumbit onus probandi, quia per talem habitum conſtituitur, quis in quaſi poſſeſſione talis ſtatus, & ideo revolatur ab onere probandi, & hoc transfertur in adverſarium, *Franc. hic. §. idem eſſe not.* 3.

Notandum ſeptimo, qui defert ſignum alicujus officii, præſumitur eſſe in illo officio, cujos ſignum portat, ea ſtigmate enim, ſive ſignis impreſſis quis recognoſcitur, ut dicitur *hic §. Ex ſtigmate, Franc. §. Idem eſſe n.* 4.

Notandum ultimo, etſi captus per judicem ſecularem, ante capturam: publice gerebat ſe pro laico, tamen quæſtio iſta, an ſit Clericus, vel non, eſt præjudicialis, & ideo cognitio cauſæ principalis interim quaſi dormit & quieſcit, quia quando litigatur ſuper aliquo articulo incidente, Judex debet ſuperſedere in negotio, ſeu cauſa principali, nec poteſt in illa procedere, ut habetur in hoc c. *in fin. Gl. magn. hic in notat. Franc. hic in §. Non ſic. n. 3. not. ult.*

§. III.

Utrum excommunicatio poſt appellationem lata, ſed qua per negligentiam deſerta fuit, convaleſcat, vel non: & an talis communicatus nihilominus ſit denunciandus, & vitandus?

CXCI. De hac quæſtione agitur in *c. Licet. 14. h. t. in 6.* Ubi Papa Bonifacius VIII. ita reſcribit: licet ſententia excommunicationis poſt legitimam appellationem lata, per negligentiam appellantis illam non proſequentis non ratificetur, nec convaleſcat: Excommunicatus tamen nominatim, ſpecialiter, & expreſſe, ſi appellationem eandem, infra tempus ad ipſam proſequendam ab homine, vel a jure ſtatutum, non fuerit, ut debuit, proſecutus, eo elapſo, publice denunciari, & tam in actibus judicialibus, quam extrajudicialibus vitari debet, atque a legitimis actibus amoveri, donec docuerit, quod poſt legitimam appellationem excommunicatus, & ipſa excommunicatio nulla fuerit.

CXCII. Pro explicatione hujus cap. notandum primo, ſi excommunicatus, poſt legitimam appellationem, id eſt, ex juſta, & vera cauſa interpoſitam, eam debito tempore, per negligentiam non proſequatur, non ideo ratificantur, ſeu validantur attentata ab excommunicatore poſt appellationem, *Franc. hic num.* 1. & ratio eſt, quia per appellationem legitimam eximitur appellans a juriſdictione Judicis, ejuſque juriſdictio ſuſpenditur: ideoque tam excommunicatio, quam alii actus geſti ab eo poſt appellationem valere non poſſunt, & per conſequens neque ea poſt ſacto convaleſcere, quod enim nullum eſt ipſo jure, non poteſt tractu temporis convaleſcere, nec ratificari, juxta *Reg. Jur. 18. in 6. Barb. hic* n. 3. Et quamvis in hoc c. ſolum fiat mentio de excommunicatione, idem tamen eſt de ſententia ſuſpenſionis, & interdicti, cum ſit eadem ratio, *arg. c. Statutum. 13. h. t. in* 6. imo etiam in qualibet alia ſententia, quæ ipſo jure nulla eſt, ita ut non eſſet neceſſe appellare, quia ſi tunc condemnatus appellaret, & appellationem non proſequeretur, non idcirco convaleſceret ſententia, ob dictam rationem, *Gl. hic* V. *Excommunicationis.*

Notandum ſecundo, quoad deſertionem appellationis paria ſunt non proſequi appellationem, intra terminum juris, vel hominis, de quo in c. *Perſonas. 4. & c. fin. de appel. Franc. hic.* n. 2. Quamvis autem appellans, poſt deſertam appellationem, ſine juſto impedimento non poſſit proſequi ipſam appellationem, poteſt tamen proſequi nullitatem excommunicationis, & dicere, illam eſſe nullam, non ſolum quia lata eſt poſt appellationem, ſed etiam ex alia cauſa coram quocunque Judice competente, *Clement. ſicut. 3. de appellat. Franc. hic* n. 3.

Notandum tertio, qui poterat proſequi ſuam appellationem, & id negligit, merito punitur, nempe ut publice denuncietur excommunicatus, & evitari debeat in judicio, & extra judicium, ut habetur in fine hujus c. ipſe tamen non tenetur interim ſe gerere pro Excommunicato, ſi in veritate non eſt excommunicatus, quia ſententia excommunicationis fuit nulla, & quæ interim fecit, ſunt valida, ut ſi eligat aliquem ad beneficium, quamvis id pendeat ex futuro eventu, ſi probata fuerit nulla excommunicatio, *Franc. hic. num.* 2. *not.* 3. Neque vero ſequitur, iſte fuit excommunicatus declaratus, & publice denunciatus, ergo eſt excommunicatus, quia forte revera non eſt excommunicatus, *Gl. hic* V. *Nunciari.*

§. IV.

An Prælatus Eccleſiaſticus poſſit per laicos capere, vel conjicere in carcerem Clericos, ſine pœna excommunicationis.

CXCIII. De hac quæſtione agitur in *c. Si Clericos. 15. h. t. in* 6. Ubi Papa Bonifacius VIII. ita reſcribit: Si Epiſcopus, vel alius Prælatus Clericos ſuæ juriſdictioni ſubjectos propter commiſſa crimina (licet nondum conſtet illos eſſe incorrigibiles) mandat per laicos capi, & in carcere includi, ne fugiant: nec ipſe eſt excommunicatus, nec laici capientes excommunicationem incurrunt: quia nulla hic intervenit temeritas, nec injuria, niſi ex propoſito excedant: ut ſi capientes Clericum, & ducentes in cuſtodiam non reſiſtentem, calce, pugno, vel alio modo percuterent, tunc enim excederent, & excommunicati forent, ut notat *Gl. hic. V. Excedatur.* Similiter ſi Clerici cautionem fidejuſſoriam dederint Epiſcopo, ſive Prælato ſuo, de parendo juri non debent in carcere detineri; niſi criminis enormitas, vel alia cauſa rationabilis ſuaſerit eos detinendos.

CXCIV. Ubi notandum primo, cum textus hic in *princ.* loquatur in genere de Clericis, locum habet, ſive ſint Clerici in Sacris conſtituti, ſive non: quamvis in modo capiendi, & detinendi inter eos ſit ſervandum diſcrimen, juxta *c. Cum beatus. 3. diſ. 45. Gl. hic in princ. & Franc. not.* 1.

Notandum ſecundo, Clerici propter commiſſa delicta poſſunt capi, & detineri in vinculis per Judices laicos, ex mandato Epiſcopi, vel alterius Judicis Eccleſiaſtici, nec ideo laici illi incurrunt excommunicationem, quia illud non faciunt injurioſe aut temerarie, *Gl. hic in caſu in notat. Franc.* n. 2. Hinc colligitur per ſenſum contrarium, quod Clericus propter debitum civile non poteſt capi, & incarcerari, quia hic id ſolum permittitur propter commiſſa delicta, *Franc. hic.* n. 3. Ubi tamen id limitat, niſi tale debitum civile deſcendat ex crimine, quia tunc propter illud capi, & detineri in vinculis poſſet.

Notandum tertio, quando Clericus etiam de jure propter crimen poteſt capi, & incarcerari, ſi det fidejuſſorem de parendo juri, non debet ulterius detineri, ſed liber dimitti: niſi crimen eſſet adeo grave, ut timeretur, ne relictis fidejuſſoribus aufugiat, vel ex alia rationabili cauſa. Multo magis vero relaxari debet carcer, ſi Clericus daret pignora, quæ major eſt cautio, quam per fidejuſſores, *Gl. hic V. Fidejuſſoriam.*

CXCV. Poſtremo hoc loco addendum, quod circa ſuſpenſionem, & interdictum Epiſcoporum habetur in *c. Quia periculoſum. h. t. in* 6. Ubi Papa Bonifacius VIII. ſtatuit, ut Epiſcopi, & alii Prælati Superiores (Archiepiſcopi, Patriarchæ, & primates) nullius Conſtitutionis, ſententiæ, vel mandati occaſione ſententiam ſuſpenſionis, & interdicti, ipſo jure, incurrant, niſi in illis de Epiſcopis expreſſa mentio fiat. Ubi etiam ratio redditur in *princ.* quia periculoſum eſt, ut Epiſcopi, eorumque Superiores, propter Pontificalis officii executionem, quod frequenter incumbit, in aliquo caſu ſententiam ſuſpenſionis, vel interdicti, ipſo facto, incurrant. Nempe quia Officium Epiſcoporum, & iis Superiorum eſt communius, & generalius, & ideo multi gravarentur, ſi eorum Officium per ſuſpenſionem, vel interdictum impediri contingeret. Et hinc Papa, non tam Epiſcopis, quam eorum ſubditis per hanc Conſtitutionem providere voluit. *Gl. hic. V. Quia periculoſum.* Verum hæc non eſt cauſa principalis, & adæquata, quæ potius eſt ipſa dignitas Epiſcopalis, ut colligitur ex *cap. Si compromiſſarius, 37. §. Hujuſmodi de Elect. in* 6. Ubi abſolute dicitur, quod Epiſcopus nullam ſententiam Suſpenſionis incurrat, niſi de ipſo expreſſa mentio habeatur.

CXCVI. Notandum hic præterea primo, quamvis Conſtitutio pœnalis generaliter, & indirecte loquens, includat etiam Epiſcopos, ita ut in pœnam hujuſmodi Conſtitutionis incidant, ut tradit *Gl. in c. Sciant. 12. V. Cuncti, & in c. Cupientes. 16. §. Cæterum. V. Suſpenſus. de Elect. in* 6. Id tamen fallit in pœna ſuſpenſionis, & interdicti, in qua nunquam includuntur Epiſcopi, niſi de illis expreſſa mentio fiet, ut dicitur hic in fine. Ac proinde non ſufficerent verba generalia, vel univerſalia, ut ſi dicatur, *omnes, quilibet, vel quicunque,* quia ubi expreſſa mentio requiritur, non ſufficiunt verba generalia. *Franc. hic n.* 1. Privilegium autem hoc competit Epiſcopo electo, & confirmato, licet nondum conſecrato, quia Epiſcopali dignitate jam eſt præditus, *Laym. l. 1. tr. 5. p. 3. c. 2. n.* 2.

Notandum ſecundo, appellatione Epiſcoporum, etiam in materia pœnali, comprehenduntur iis Superiores, ut Archiepiſcopi, & Patriarchæ, imo & Cardinales, in illis, quæ concernunt Officium Pontificale, quia non datur Ordo Superior Epiſcopali, unde ſe etiam Papa vocat Epiſcopum, *Gl. hic V. De Epiſcopis, Franc.* n. 2.

Notandum tertio. Conſtitutio habet locum, non ſolum in pœna ſuſpenſionis ab officio, ſed etiam a beneficio, *Gl. hic V. Officii,* & in *c. Si compromiſſarius. 37. §. Hujuſmodi. V. Jure de Elect. in* 6. quia ſpiritualia, ſine temporalibus diu eſſe non poſſunt, adeoque Epiſcopus hujuſmodi pœnam ſuſpenſionis a beneficio non incurret, ſi Conſtitutio, ſententia, vel mandatum illam conſtituat, *Azor. p. 2. l. 3. c. 32. qu. 8. §. Quæres.*

Notandum quarto, privilegium conceſſum in hoc c. Epiſcopis, & iis Superioribus, ut ſint liberi a pœna ſuſpenſionis, & interdicti, non habent Epiſcopi quoad pœnam excommunicationis, quia noluit Papa eos potiri hoc privilegio, ut eſſent quoque liberi a ſententia excommunicationis, ipſo jure, lata. Unde ipſi etiam comprehenduntur in *c. Si quis ſuadente. cauſ. 17. q. 4. & c. 1. de homicid. in 6. Gl. hic V. Suſpenſionis, & Azor. cit. c. 32. q.* 8.

SECTIO VII.

De ſecunda cenſura Eccleſiaſtica, nempe Suſpenſione.

§. I.

Quid & quotuplex ſit Suſpenſio Eccleſiaſtica?

CXCVII. Aſſertio 1. Suſpenſio proprie dicta eſt cenſura, per quam perſona Eccleſiaſtica privatur uſu, ſeu exercitio Ordinis, officii aut beneficii Eccleſiaſtici quod illi competit, ratione alicujus poteſtatis Eccleſiaſticæ, prout communiter definitur a Theologis, & Canoniſtis. Ubi cenſura ponitur loco generis, per quam differt ſuſpenſio a pœna exilii, carceris, vel privationis beneficii, quæ pœnæ non ſunt cenſuræ, *Avila p. 3. de cenſ. diſ. 1. dub.* 1. Dicitur ſecundo, *per quam perſona Eccleſiaſtica,* quia laici non ſunt capaces ſuſpenſionis proprie dictæ, ſed ſoli Clerici, nam ſuſpenſio verſatur circa Eccleſiaſticas functiones, quas exerceri prohibet. Dicitur tertio, *privatur uſu, vel exercitio,* quia per ſuſpenſionem non aufertur ipſum offi-

officium, ſeu poteſtas Ordinis, vel jus Beneficii Eccleſiaſtici, ſed ſuſpenditur tantum, ſeu impeditur ejus uſus, ſive exercitium, *Laym. l. 1. tr. 5. p. 3. c. 1. num. 1.* Diſtinguitur autem ſuſpenſio ab excommunicatione majore, tum quia hæc privat communibus Eccleſiæ ſuffragiis, & communicatione fidelium in Divinis, & humanis, & aliis multis, quibus non privat ſuſpenſio. Tum quia excommunicatio, etſi privet receptione, vel etiam adminiſtratione Sacramentorum, non tamen privat, in quantum talis adminiſtratio eſt exercitium Eccleſiaſticæ Poteſtatis, ſicut privat ſuſpenſio, ſed quatenus eſt quædam communicatio cum fidelibus, *Avila c. l. §. Ex dictis ſequitur.* a minore vero excommunicatione diſtinguitur ſuſpenſio, quia illa privat ſolum paſſiva ſuſpenſione Sacramentorum: ſuſpenſio vero privat non paſſiva, ſed activa collatione Sacramentorum, nec reſtringitur ad Sacramenta, ſed etiam ad alias actiones ſeu functiones ſe extendit, quas prohibet exerceri, *Tanner. tom. 4. diſ. 6. q. 10. dub. 7. n. 129.*

Differt ſecundo, ſuſpenſio ab interdicto, tum quia ſuſpenſio non poteſt incurri, niſi ob propriam culpam, interdictum vero poteſt, ſine propria culpa, incurri: tum quia interdictum prohibet adminiſtrationem aliquorum Sacramentorum, & celebrationem Divinorum Officiorum, & Eccleſiaſtica privat ſepultura; non item ſuſpenſio, ut ex infra dicendis patebit, *Avila c. l.*

Differt tertio. Suſpenſio a degradatione, & depoſitione, quia hæc privant univerſaliter, & in perpetuum ipſo officio, & beneficio Eccleſiaſtico, ſine ſpe reſtitutionis, non autem ſuſpenſio.

CXCVIII. Aſſertio 2. Suſpenſio dividitur primo, in totalem & partialem. Totalis rurſum duplex eſt, vel ſimpliciter totalis, quæ eſt ſimul ab officio, & beneficio, eaque ferri poteſt duobus modis. Primo expreſſe, tam ab officio, quam beneficio, cujus exemplum habetur in *c. Tuarum. 51. de privileg. & Clement. 1. de Decimis.* Secundo ita ut abſolute & ſine addito feratur ſuſpenſio, neque ex adjunctis limitatio aliqua colligi poſſit, tunc enim non eſt ratio, cur magis intelligatur de ſuſpenſione ab officio, quam a beneficio, nam propoſitio indefinita æquivalet univerſali. Exemplum eſt in *Extravag. Divina, 4. de privileg. Inter communes. & Clement. 1. eod.* Vel eſt ſuſpenſio totalis ſecundum quid, nimirum ab officio, vel beneficio tantum. Suſpenſio totalis ab officio dicitur, per quam aliquis ab omni officio ſpirituali, tum Ordinis, tum juriſdictionis, & Eccleſiaſticæ adminiſtrationis prohibetur. Totalis vero ſuſpenſio a beneficio eſt, per quam aliquis ab omni beneficio Eccleſiaſtico, quoad ejus adminiſtrationem, & fructuum perceptionem ſuſpenditur.

CXCIX. Partialis ſuſpenſio fit, vel a certo tantum officio, aut partes ejus, v.g. ab Ordine tantum, per quam prohibetur omne exercitium Ordinis, vel a certo Ordine, per quam prohibentur omnes functiones illius Ordinis, v.g. Sacerdotalis: vel a certa functione, ſive actu Ordinis, v.g. ab audiendis Confeſſionibus, vel celebratione Miſſæ. Vel a juriſdictione tantum, ita ut nullos actus juriſdictionis ſuſpenſus poſſit exercere: aut a certo tantum actu juriſdictionis, vel quaſi juriſdictionis, v.g. a collatione beneficii, vel voce Suffragii in electione. Vel denique fit ſuſpenſio, nam ab omni ſimpliciter beneficio, ſed certo tantum, aut parte beneficii, v.g. a dimidia parte fructuum, aut diſtributionibus quotidianis. Aliqui faciunt trimembrem diviſionem, in ſuſpenſionem ab Ordine, & a juriſdictione: & a beneficio, quia ſuſpenſio ab Ordine, & a juriſdictione ſpectat ad ſuſpenſionem a beneficio, *Tan. cit. dub. 7. n. 132.*

Præterea quælibet ex prædictis ſuſpenſionibus, vel fertur a jure, vel ab homine. Item vel eſt temporalis, quæ ad certum tempus v.g. triennium durat, & elapſo termino, ceſſat: vel eſt perpetua, ſive quæ nullum certum terminum præfixum habet, & non tollitur, niſi per abſolutionem, *Tanner. cit. l.* Plura de hoc videri poſſunt apud *Suar. diſ. 25. de cenſ. ſ. 2.*

CC. Ex dictis infertur primo, quando ſuſpenditur quis determinate ab officio, ſive a jure, ſive ab homine non cenſetur eo ipſo etiam ſuſpendi a beneficio, niſi id exprimatur, ut docet *Suar. diſ. 25. de cen. ſ. 3. n. 4. Sanch. l. 3. de matr. diſ. 51. n. 12.* & eſt communior ſententia DD. Probatur, quia in Jure interdum exprimitur ſuſpenſio ab officio, & beneficio, *c. Tam litteris. 33. in fine.* ibi: *ab officio, & beneficio denunciatis eſſe ſuſpenſos, de teſtib. cap. Tuarum. 11.* ibi: *ab officio, beneficioque ſuſpendus, de privileg. & cap. 1. de ſecund. nupt.* ibi: *ab officio, beneficioque ſuſpenſum.* quandoque vero punitur ſuſpenſio ab officio, ut in *c. Quia omnibus. 3. in fine. de uſuris. cap. ult. §. fin. de Clandeſt. deſponſ.* & quandoque ſimpliciter a beneficio, *c. Cum in cunctis. 7. §. fin. de Elect.* Ex quo patet, quod ſuſpenſio ab officio, & a beneficio ſunt diverſæ ſpecies ſuſpenſionum, ita ut una non contineatur ſub altera, niſi utraque exprimatur, cum ergo ſint diverſæ pœnæ, & una poſſit executioni mandari ſine altera ſequitur, quod ſuſpenſus ab officio non eſt cenſendus ſuſpenſus a beneficio, dum id non exprimitur quia in pœnis, quippe odioſis, non eſt facienda extenſio ab una ad alteram non expreſſam: Idque confirmatur ex *cap. Inter. 10. de purg. Can.* ubi habetur, quod ſuſpenſio ab officio per ſe non ſit conjuncta cum ſuſpenſione a beneficio. Nec obſtat, quod beneficium datur propter officium, ergo is, cui interdictum eſt officium, eo ipſo etiam eſt ſuſpenſus a beneficio. Sed neg. conſ. nam licet beneficia conrata ſint propter officium præſtandum: acquiſito tamen titulo beneficii, illud non amittitur, eo quod officium præſtari nequeat pro tempore a ſuſpenſo: ſicut neque poteſt ab eo, qui ad tempus ægrotat, & tamen iterum beneficium retinet, & fructus illius percipit, *Tanner. cit. l. numer. 136.* Denique ſuſpenſo ab officio adhuc relinquitur beneficium, & fructus percipit, propter officium, quia tenetur recitare Horas Canonicas, & ſic ſatisfacit officio, quatenus ei neceſſum eſt: alia vero Miniſteria Eccleſiaſtica per ſubſtitutum, ſeu Vicarium præſtare poteſt. Item poteſt ſuſpenſus ab officio, adhuc in temporalibus licite adminiſtrare beneficium, quia hoc datur, non tantum, ut Clericus adminiſtret in ſpiritualibus, quod prohibitum eſt ſuſpenſo ab officio, ſed etiam in temporalibus, quod licite adhuc poteſt, *Sanch. cit. loc.* Veruntamen licite confertur novum beneficium abſolute, & totaliter ſuſpenſo ab officio, ut patet ex *cap. Cum dilectus. 8. de conſuetud.* quamvis collatio ei facta non ſit ipſo jure irrita, ſed irritanda, *cap. ult. de Cleric. excommunicat.* quia ex illo textu plus non colligitur, *Suar. cit. diſp. 26. de cenſ. ſ. 3. num. 7. & 8. Laym. cit. cap. 5. numer. 3. in fine.* ubi ait, quod hæc ſententia ſaltem ut in foro conſcientiæ locum habere poſſit. Similiter ſi Clericus ob grave delictum ſit perpetuo ſuſpenſus ab officio, ipſo titulo beneficii eſt privandus, *Sanch. cit. diſ. 51. n. 13. Laym. cit. c. 2. n. 3. concl. 3.*

CCI. Infertur ſecundo. Sed & vice verſa, ſuſpenſus a beneficio, non ideo cenſetur ſuſpenſus ab officio. Quare talis ſuſpenſus impeditur, ne percipere poſſit ullos fructus, & reditus temporales beneficii ſui, *Suar. diſ. 27. de cenſ. ſ. 1. n. 29.* imo etiam arcetur ab omni adminiſtratione beneficii, quæ ad fructuum perceptionem ordinatur, quia cui aliquid prohibitum eſt, etiam ea ſunt prohibita, quæ ad illud ordinantur, *Suar. cit. l. n. 31.* & ideo œconomus conſtitui debet, qui fructus colligat: ſi vero ſic ſuſpenſus adminiſtrationi beneficii ſibi prohibitæ ſe ingerat, ipſo jure, eo privatur, *c. Capitulo, 29. §. Cæterum. de elect. Laym. cit. c. 2. n. 3. coroll. 2.* non poteſt autem ſuſpenſus a beneficio percipere fructus illius, etiamſi indigeat, & aliunde habere alimenta non poſſit, ſi ſit ſuſpenſus propter contumaciam, quia ſua culpa patitur eam neceſſitatem qua facile liberari poterit a contumacia conſiſtendo, *Suar. diſ. 27. ſ. 2. n. 5.* Quamvis aliqui exiſtiment, ſuſpenſum a beneficio poſſe, ſi egeat, percipere fructus beneficii ſui, maxime quotidianas diſtributiones, ſi Divinis Officiis interſuit, dummodo per ipſum non ſtet, quin a cenſura liberetur. *Laym. cit. l. n. 4.* ubi ex *Petro Navarr.* addit, quod ſuſpenſus a beneficio, vel etiam excommunicatus, lucretur omnes fructus, ſi officium præſtet, niſi ſint fructus valde copioſi.

Porro ſuſpenſus a beneficio ſimpliciter non eſt ita prohibitus a novo beneficio acquirendo, ut collatio ei facta ipſo jure ſit irrita, quamvis a Judice, ſive Superiore ſit irritanda, ut colligitur ex *c. ult. de Cleric. Excomm. Suar. cit. diſ. 27. ſ. 1. n. 26.* Ratio eſt, quia electio, vel collatio proprie non numeratur inter fructus beneficii, quorum perceptio prohibita eſt ſic ſuſpenſo, ſed potius ſunt actus officii, & quaſi juriſdictionis ſibi ratione beneficii competentis, quam fructus beneficii. Unde Auctor Canonis, cum vult ſuſpendere aliquem, non tantum a beneficio, ſed etiam a jure eligendi, vel conferendi illud, id ipſum exprimit, *Laym. cit. loc. §. Illud. n. 4.* Imo univerſim loquendo, ſuſpenſus a beneficio ſimpliciter poteſt exercere omnes actus juriſdictionis, ſibi ratione officii, ſive muneris Clericalis competentis, & omnem adminiſtrationem habet: quinetiam adhuc tenetur ſuum officium præſtare, & omnia in ſpiritualibus, & temporalibus exercere, ſeu adminiſtrare, perinde ac ſi fructus beneficii perciperet, quia ſuſpenſio debet ei eſſe pœna, non liberatio obligationis, ut tradit *Gl.* communiter recepta in *c. Cum Vintonienſis. 25. V. Admiſerunt. de Elect.*

CCII. Infertur tertio. Suſpenſus ab ordine, ſine alia limitatione, non eſt ſuſpenſus a juriſdictione, ac proinde exercere poteſt omnes actus juriſdictionis, qui actualem uſum Ordinis non requirunt, v. g. Epiſcopus ſuſpenſus ab Ordine tantum poteſt delegare alteri poteſtatem abſolvendi, quamvis ipſe audire Confeſſiones, & a peccatis abſolvere non poſſit, *Suar. diſ. 26. de cenſ. ſ. 4. n. 2. & 3. Laym. cit. c. 1. n. 5. corol. 3.* quia ſuſpenſus ab Ordine in genere, & indefinite eſt ab omnibus ſuſpenſus, non autem a juriſdictione, a qua ſuſpenſio ab Ordine abſtrahit, nam Ordo eſt quid diſtinctum a juriſdictione, neque neceſſario illi annexus, *Avila p. 3. diſ. 2. dub. 3. concl. 3.*

Infertur quarto. Epiſcopus ſuſpenſus ab Ordine Epiſcopali tantum, vel a Pontificalibus non poteſt exercere actus Ordinis, qui Epiſcopi ſunt proprii, quales ſunt Ordines conferre, confirmare, Eccleſias, Altaria, & Virgines conſecrare &c. poteſt tamen exercere actus, qui jure ordinario Sacerdoti competere, vel ſine Pontificalibus peragi poſſunt, ut celebrare Miſſam ſine Pontificalibus, audire Confeſſiones &c.

CCIII. Infertur quinto. Suſpenſus ab Ordine ſuperiore, non ideo ſuſpenſus eſt ab inferiore, ſic enim ſuſpenſus ab Officio Sacerdotali non prohibetur ſolemniter canere Epiſtolam, vel Evangelium, nam qui prohibet majus, non cenſetur prohibere minus, *Suar. cit. diſ. 26. ſ. 4. numer. 9.* Contra vero ſuſpenſus ab Ordine inferiore, cenſetur etiam ſuſpenſus a ſuperiore, ut multi docent apud *Suar. cit. loc. n. 10.* quia cui non licet, quod minus eſt, non debet ei licere, quod majus eſt, *Arg. l. Relegatorum. 7. §. ult. ff. de Interdict.* Verùm idem *Suar. c. l. n. 54.* & alii id reſtringunt ad actus inter ſe connexos, ſi nimirum in actu Ordinis ſuperioris includatur actus inferioris, a quo aliquis eſt ſuſpenſus: ſic enim Sacerdos ſuſpenſus ab Ordine Diaconi, cenſetur etiam, hoc ipſo, ſuſpenſus a celebranda Miſſa, quæ non fit, ſine Evangelio, quia cum quid via una prohibetur alicui, non debet ad id alia via admitti, *Reg. jur. 84. in 6.* poteſt tamen ſic ſuſpenſus Sacerdos exercere alia munera Sacerdotalia, ut Confeſſiones audire, baptizare ſolemniter &c. ſine nota irregularitatis: quamvis non ſine indecentia aliqua, cum minus decens ſit, ut qui non poteſt exercere actus Ordinis inferioris, exerceat actus Ordinis ſuperioris. Similiter ſuſpenſus a collatione Ordinis inferioris, licite confert Superiorem, quia majorum Ordinum collatio non eſt neceſſario connexa cum collatione minorum, cum

poſſint

poſſint in aliqua Eccleſia conferri Ordines majores iis, qui jam habent minores: & poteſt Superior, ſi ita velit, prohibere alicui id, quod minus eſt, non prohibendo id, quod majus eſt, præſertim ſi in exercitio minoris, & non majoris delictum ſit commiſſum, ut in eo quis puniatur, in quo deliquit. Sic etiam Epiſcopus ſuſpenſus a collatione Confirmationis, licite confert Ordines, quamvis hoc majus ſit, ſed non connexum, *Laym. cit. c. 1. n. 6. coroll. 6.*

CCIV. Infertur 6. Suſpenſus a juriſdictione ſimpliciter non prohibetur exercere omnes actus Ordinis, qui juriſdictionem non requirunt, quia ſuſpenſio a juriſdictione non includit ſuſpenſionem ab Ordine, nec hæc illam: nam ſicut juriſdictio non ſupponit neceſſario Ordinem, ita etiam Ordo non ſemper ſupponit juriſdictionem ad ſuos actus exercendos. Unde ſuſpenſus a juriſdictione poteſt facere Sacrum, & alia Sacramenta adminiſtrare, non autem abſolvere Sacramentaliter a peccatis, quia ad ſubſtantiam hujus abſolutionis requiritur juriſdictio, ita ut ſine illa nec valida ſit a ſuſpenſo facta, quia deeſt neceſſaria poteſtas ad ejus valorem. Quod ſi juriſdictio ſolum requiritur ad licite exercendum aliquem actum Ordinis, ſuſpenſus a juriſdictione valide quidem, ſed non licite, ſic ſuſpenſus eum exercebit. Ut ſi Parochus ita ſuſpenſus, velut Paſtor ordinarius, diſpenſet Sacramenta ovibus ſuis, *Suar. cit. diſ. 26. ſ. 4. num. 26.* Si denique aliquis ſit ſuſpenſus a juriſdictione, quoad certum actum, v. g. collationem beneficiorum, tum ab eo ſolum actu ſuſpenſus eſſe intelligitur, *Suar. cit. l. n. 17.*

§. II.

Quis poſſit cenſuram ſuſpenſionis ferre, & in quos, & ob quam cauſam, & quis ab illa abſolvere?

CCV. Aſſertio 1. Omnis & ſolus ille, qui poteſt excommunicare, poteſt etiam ſuſpendere, ut ex communi docet *Suar. diſ. 28. de cenſ. 1. num. 2.* Ratio eſt, quia una & eadem eſt poteſtas juriſdictionis ad ferendas cenſuras, quia omnes ad eundem finem ordinantur, ſcilicet ad coercendam contumaciam, & inobedientiam rebellium. Neque vero requiritur, ut præcedat monitio ad ferendam ſuſpenſionem, ob peccatum præteritum, vel futurum niſi ab homine, ſeu Judice ob contumaciam ſit ferenda, *Tanner. tom. 4. diſ. 6. q. 2. dub. 7. n. 140.*

CCVI. Aſſertio 2. Omnes & ſoli Clerici, præter Papam, poſſunt cenſura ſuſpenſionis ligari, *Suar. c. diſ. 28 ſ. 2. n. 1.* & alii. Ratio eſt, quia eſt quædam privatio uſus Eccleſiaſticæ poteſtatis, cujus ſoli Clerici ſunt capaces. Probabile tamen eſt, etiam Abbatiſſam poſſe ſuſpenſionem incurrere, quia eſt perſona Eccleſiaſtica capax ſpiritualis officii, & cujuſdam juriſdictionis ſpiritualis, ſaltem ex commiſſione, *Laym. l. 1. tr. 5. p. 3. cap. 2. Tanner. cit. l.* Epiſcopi tamen ex privilegio non incurrunt ſuſpenſionis, vel interdicti ſententiam generalem a jure latam, niſi eorum expreſſa fiat mentio, *c. Quia periculoſum. 42. h. t. in 6.* de quo dictum ſupra *num. 195. & ſeq. h. t.* Porro non tantum ſingulares perſonæ, ſed tota Communitas, ſeu Collegium Clericorum ſuſpenſione, vel interdicto ligari poteſt, idque vel collective, ut ipſum v. g. totum Corpus Capituli ſuſpendatur: vel diſtributive ſinguli e corpore, dummodo noxii ſint, ſuſpendantur, *Suar cit diſ. 28. ſ. 3. nu. 1.* qui duo modi interdum concurrunt, ut patet ex *c. Quia ſæpe 4. de Elect. in 6.* ubi tum totum Capituli corpus, tum ſinguli Capitulares, qui bona Prælati defuncti occuparunt, vel diripuerint, ab officiis, & beneficiis ſunt ſuſpenſi, *Suar. cit. l. nu. 6. Laym. cit. l. num. 3.*

CCVII. Aſſertio 3. Suſpenſio proprie dicta, prout eſt cenſura, quæ infligitur propter contumaciam, vel ſaltem, pœna Eccleſiaſtica, non incurritur, niſi ob propriam culpam, eamque mortalem, prout communiter imponi ſolet, etiam ab homine, quia cum pœna debeat eſſe commenſurata culpæ, ſuſpenſiones autem ab officio, beneficio, ordine &c. ſunt graves pœnæ, ideo communiter requirunt culpam gravem, ſeu mortalem. Quod ſi levis ſit ſuſpenſio, v. g. ab uno actu electionis, Miſſa celebranda, uno die, vel ad breve tempus, poteſt etiam alicui imponi propter levem, ſeu venialem culpam, *Suar. cit. diſ. 28. ſ. 4. n. 3. Laym. cit. l. c. 3. n. 1. & 2.*

CCVIII. Aſſertio 4. Suſpenſio tribus modis tolli poteſt. Primo, ſi ſuſpenſio impoſita fuit, ob delictum præteritum, ad certum tempus v. g. ad triennium, vel ſub conditione, v. g. donec ſatisfecerit, elapſo eo tempore, vel impleta conditione, per ſe ipſam ceſſat, ſine alia abſolutione, ſive ſit impoſita a Jure, ſive etiam ab homine, in quo, differt ſuſpenſio ab excommunicatione, *Suar. diſp. 29. de cenſ. ſec. 1. Avila p. 3. diſ. 6. dub. 3. cit. l. tr. 5. p. 3. c. 4. nu. 1. Tanner. cit. dub. 7. n. 142.*

Secundo, ſuſpenſio, quæ proprie dicta cenſura eſt, & inflicta eſt propter contumaciam, tollitur per abſolutionem, ſi ſuſpenſus a contumacia, ſeu inobedientia receſſerit, *Suar. cit. diſ. 29. ſ. 2. n. 1. Laym. cit. l. n. 2.* atque a tali ſuſpenſione juris poteſt abſolvere Epiſcopus, vel alius quaſi Epiſcopalem juriſdictionem obtinens, ſi Sedi Apoſtolicæ non ſit ſpecialiter reſervata, *Arg. c. Nuper. 29. h. t. & c. Ex litteris. 11. de conſtit. Suar. cit. diſ. 29. ſ. n. 6. Avila cit. l. dub. 1. concl. 3. Laym. cit. l. n. 2.* Porro Parochi, aliique Confeſſarii expoſiti non poſſunt jure ordinario abſolvere a talibus ſuſpenſionibus etiam a Jure communi non reſervatis, ſive ſint impoſitæ a jure, ſive ab homine, niſi talis poteſtas abſolvendi eis competat ex ſpeciali privilegio, vel niſi ex delegatione ejus, ad quem talis abſolutio jure ordinario ſpectat, *Avila cit. l. concl. 2. Laym. cit. l.*

Tertio tollitur ſuſpenſio per relaxationem, ſeu diſpenſationem, quæ impoſita fuit ob delictum mere præteritum, tanquam pura pœna: idque dupliciter fieri poteſt, vel ad certum tempus, v. g. qui hoc fecerit, per triennium ſit ſuſpenſus ab officio, & beneficio: & tunc pœna non poteſt relaxari, ante illum terminum elapſum, niſi per diſpenſationem factam ab auctore Canonis, vel ejus Succeſſore, aut delegato, quia inferior, v. g. Epiſcopus, ſicut non poteſt diſpenſare in lege Superioris, ita nec pœnam ei annexam relaxare poteſt, *Gl. recepta in c. Cupientes. 16. §. Cæterum. V. Suſpenſos. de Elect. in 6.* Vel ſecundo ſuſpenſio fertur, ut pœna in perpetuum, ſine ſpe relaxationis: & tunc inferior, v. g. Epiſcopus non poteſt diſpenſare in tali ſuſpenſione Canonis, niſi ei ſit ſpecialiter conceſſum, quia auctor Canonis cenſetur ſibi diſpenſationem in tali irremiſſibili ſuſpenſione reſervaſſe, *Laym. cit. c. 4. n. 3.* ubi n. 4. notat, quod tales ſuſpenſiones, quæ etiam ut puræ pœnæ feruntur, propter delictum in perpetuum, aut ad tempus ſæpe ſine diſcrimine, non per diſpenſationem, ſed per abſolutionem tolli dicantur, apud quem plura de hac re videri poſſunt.

Porro Jure novo Concilii Tridentini *Seſſ. 24. c. 6. de reform.* poſſunt Epiſcopi abſolvere ſubditos ab omni ſuſpenſione, etiam reſervata Papæ, dummodo proveniat ex delicto occulto, nec deducto ad forum contentioſum, *Avila p. 3. diſ. 3. dub. 2. concl. 7.* Illud hic addendum, quod ſuſpenſus poteſt abſolvi ab omni excommunicatione etiam majore, & ab omnibus peccatis, & Euchariſtiam, aliave Sacramenta recipere, etiam durante ſuſpenſione, & poſtea primum a ſuſpenſione abſolvi, ut ex communi docet *Tanner. cit. dub. 7. n. 142.*

§. III.

Alia nonulla quæſtiones circa ſuſpenſionem proponuntur, & reſolvuntur.

CCIX. Quæritur primo. Quis effectus ſuſpenſionis? Reſp. effectus principalis eſt, quod ſi ſuſpenſus aliquem actum, a quo eſt ſuſpenſus, exerceat, graviter peccat, ſi materia gravis ſit, ac præterea ſi durante ſuſpenſione actus Ordinis exerceat, ipſo facto, contrahit irregularitatem, ut patet ex *c. 1. h. t. in 6. & c. 1. de ſent. & re jud.* in 6. *& c. Si quis. 6. conſ. 1. q. 3. Suar. diſ. 26. ſec. 5. n. 3. Tann. in cit. dub. 7. n. 136.*

CCX. Quæritur ſecundo. An acta a ſuſpenſo ſint valida? Reſp. actus Ordinis ſunt validi (excepta abſolutione Sacramentali, quæ juriſdictionem requirit) quia horum actuum valorem Eccleſia impedire non poteſt, ſi debito modo conferantur. At vero actus, qui juriſdictionem requirunt, per ſe ſunt invalidi, quia ſuſpenſus eſt actuali juriſdictione privatus: idque Jure Canonico non minus, imo expreſſius, quam de excommunicatione eſt ſtatutum. Quod ſi tamen ſuſpenſus ſit occultus, & ab Eccleſia communiter toleretur in publico officio, acta ejus valent, quia Eccleſia ſupplet defectum, propter commune bonum, *Suar. diſ. 16. de cenſ. ſ. 2. n. 4.* ubi addit, ſi ſuſpenſus non ſit ſpecialiter denuntiatus, quamvis quoad ſe ſit prohibitus, ne officium ſuum exerceat, peccat quidem, ſi id ex ſe, & ſponte facit; quoad alios tamen non eſt privatus juriſdictione, ſicut idem de excommunicatione docetur, *Suar. cit. l. Tanner. cit. dub. 7. n. 138.*

CCXI. Quæritur tertio. An etiam alii prohibentur cum ſuſpenſis ab officio communicare, ſaltem in illis caſibus, a quibus ſunt ſuſpenſi? Reſp. ſuſpenſio per ſe non privat communicatione cum aliis, ſicut excommunicatio privat, ac proinde ſuſpenſus etiam nominatim denunciatus, quantum eſt ex vi cenſuræ, & præcepti Eccleſiaſtici, a nemine eſt vitandus, quia nullum hujus rei præceptum, & nullum jus, in quo hic effectus ſuſpenſioni tribuatur, extat; dummodo tamen nemo ad actum ipſi prohibitum ſic ſuſpenſum inducat, neque in eo ipſi cooperetur, hoc enim peccatum foret contra Jus Divinum, & naturale, ac intrinſece malum, *Suar. diſ. 27. ſ. 3. n. 7. Tann. cit. l. n. 139.* Sed neque propter talem communicationem cum ſuſpenſo ulla cenſura, vel pœna impoſita eſt ei, qui ſic cum eo communicat, ideoque nec minor excommunicatio propterea incurritur, ſicut in communicatione cum excommunicato, in quo etiam differt ſuſpenſio ab excommunicatione, *Suar. cit. l. n. 8. Tanner. cit. l.*

CCXII. Quæritur quarto. Quid Jure Canonico ſtatutum ſit circa ſuſpenſionem ab ingreſſu Eccleſiæ? Reſp. de hoc agitur in *c. Is, cui. 20. h. t. in 6.* ubi ſic decernitur: Is, cui „ ingreſſus Eccleſiæ eſt interdictus (ab homine, vel a ju„ re, *Gl. hic V. eod.*) adeoque qui eſt ſuſpenſus ab ingreſſu „ Eccleſiæ, cum ſibi per conſequens in ipſa Eccleſia Di„ vinorum celebratio cenſeatur interdicta, efficitur irre„ gularis, ſi agens in ſuo officio, & prius ſe in ea Eccle„ ſia in Divinis Officiis ingerat, ut ſi talis hac ſuſpenſio„ ne, ſeu interdicto durante, moriatur in Eccleſia, vel „ cœmeterio ſepeliri non debet, niſi prius pœnituerit. Por„ ro ſicut excommunicatio, ita & lata ab officio, vel ab „ ingreſſu Eccleſiæ ſuſpenſio, vel ipſius effectus, per ſe„ quentem appellationem non ſuſpenditur.

CCXIII. Pro explicatione hujus c. notandum primo, qui ſuſpenſus eſt, ſive cui interdictus eſt ingreſſus Eccleſiæ, ille privatus eſt omni participatione Divinorum in Eccleſia, ita ut nec celebrare in ea poſſit, nec conferre aut recipere Sacramenta, nec Miſſam, aut aliud Divinum Officium audire, nec Miniſterium aliquod ſacrum exercere, *Suar. diſ. 35. ſ. 4. n. 5.* quamvis extra Eccleſiam illa omnia exercere poſſit, ut ſub dio, vel tentorio, vel in Oratorio privato, *Gl. hic. V. In ea.* Nomine autem Eccleſiæ intelligitur hic quodlibet Templum auctoritate Epiſcopi publice deputatum ad Divina Officia celebranda, & audienda,

ſive

Digitized by Google

ſive illud ſit conſecratum, aut benedictum, vel non, *Suar. cit. l. n.* 6. Poteſt tamen ſic ſuſpenſus in Eccleſia recipere Sacramenta, orare, & recitare Horas, tempore, quo non celebrantur Divina in Eccleſia, imo & tempore, quo celebrantur, tranſire licet per Eccleſiam, *Avila p. 3. diſ. 2. dub. 1. concl.* 13.

Notandum ſecundo. Hæc ſuſpenſio ab ingreſſu Eccleſiæ non eſt proprie dicta cenſura diſpenſationis, quia hæc non privat celebratione, & participatione Sacramentorum, nec ſepultura, ſed potius eſt interdictum, non locale, ſed perſonale, neque totale, ſed partiale, quod privat ſolum celebratione, & participatione Divinorum in Eccleſia, *Suar. cit. l. num.* 4. *Avila cit. l.*

Notandum tertio. Suſpenſus, ſive interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ non poteſt in Eccleſia, vel Cœmeterio Eccleſiaſtico ſepeliri, niſi ſigna pœnitentiæ ediderit, tunc enim ſepeliri poteſt in loco ſacro, ſed prius abſolvi debet, ut colligitur ex hoc c. *Suar. diſ.* 38. *de cenſ. ſ.* 1. *num.* 20. & 21. ubi ait, quod ſenſus hujus cap. ſit, quando aliquis ſuſpenſus, ſeu potius interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, ſigna pœnitentiæ exhibuit, poſſit in Eccleſia ſepeliri, non quod ipſo facto per pœnitentiam tollatur ipſa ſuſpenſio, vel interdictum, abſque alia relaxatione, ſed quia debet prius abſolvi ab interdicto, cujus relaxatio a quolibet Sacerdote fieri poteſt: & poſtea eo relaxato non debet Eccleſiaſtica ſepultura privari, & hanc eſſe legitimam interpretationem hujus c. ait *Suar. cit. l.* & *Franc. hic.* §. *Talis. n.* 3. ubi ait, tutius eſſe, ut fiat relaxatio, quæ etiam poſt mortem fieri poteſt, ſi ſigna contritionis interdictus dedit.

Notandum quarto. Sicut excommunicatio, ita etiam ſuſpenſio ab officio, vel ingreſſu Eccleſiæ, vel etiam interdictum per ſequentem appellationem non ſuſpenditur. Ratio eſt, quia cum hujuſmodi ſententiæ trahant ſecum executionem, non ſuſpenduntur per appellationem, *Franc. hic.* §. *ult. n.* 1. ubi id limitat n. 2. quando tales ſententiæ pure proferuntur; ſecus ſi in diem, vel ſub conditione, quia tunc per appellationem interpoſitam, ante diem, vel conditionis eventum non ſuſpenderetur, ubi alias duas limitationes addit.

CCXIV. Illud denique prædictis de ſuſpenſionibus eſt addendum, quod ſuſpenſus ab Officio, Ordine, vel juriſdictione in uno loco, ubique eſt ſuſpenſus, ita ut nullibi poſſit exercere actus illius poteſtatis, a qua eſt ſuſpenſus, donec abſolvatur, quia cenſura immediate afficit perſonam, ideoque eam comitatur, etiam extra territorium ferentis, niſi ex circumſtantiis, vel aliunde contrarium conſtet: Idemque eſt de aliis cenſuris, *Laym. cit. p.* 3. *c.* 2. *num.* 7. Porro de ſuſpenſionibus particularibus pluribus actum eſt propriis ſuis locis.

S E C T I O VIII.

De tertia Cenſura Eccleſiaſtica, nempe Interdicto.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit Interdictum?

CCXV. Aſſertio 1. Interdictum eſt Cenſura Eccleſiaſtica, per quam prohibetur participatio certorum Sacramentorum, omnium Divinorum Officiorum, & Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Ita communiter DD. apud *Laym. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *c.* 1. *n.* 1. & ſumitur ex *c. Non eſt*, 12. *ibi: Nulla Divina Officia de ſponſal. & matr.* & *c. Quod in te.* 11. *ibi; tam auditu, quam Eccleſiaſtica ſepultura, de pœnit. & remiſſ.* Addunt nonnulli hæc verba, *quatenus hæc omnia ad divinum cultum ſpectant*, ſive quatenus ſunt rerum ſpiritualium quædam participatio: per quæ Interdictum diſtinguitur a ſuſpenſione, & excommunicatione, quæ licet omnes cenſuræ ſpiritualibus quibuſdam bonis privent non tamen privant iiſdem, ſub eadem ratione formali; nam excommunicatio privat Sacramentis, & Divinis officiis, non quatenus ſunt res ſacræ, ſed quatenus habent rationem communicationis cum aliis fidelibus; ſuſpenſio privat ſpiritualibus bonis, quatenus proveniunt ex poteſtate aliqua Eccleſiaſtica, ſeu miniſterio ac officio, & quidem uſu activo, & tantum Clericos. At vero Interdictum formaliter privat ſolum uſu ſacrarum rerum independenter a communicatione cum aliis fidelibus; excommunicatio autem privat uſu rerum ſacrarum, non quatenus eſt uſus rerum ſacrarum, ſed quatenus eſt communicatio cum aliis fidelibus, & privat non ſolum communicatione in Divinis, ſed etiam in humanis, in quo etiam differt excommunicatio ab Interdicto, *Suar. diſ.* 32. *de cenſ. ſ.* 1. *n.* 4.

CCXVI. Aſſertio 2. Interdictum dividitur primo, in locale, & perſonale. Locale eſt, quo immediate locus ipſe interdicitur, ne divina celebrentur, vel audiantur: & aliæ functiones prohibitæ fiant in tali loco, ſive ab indigenis, ſive alienigenis. Perſonale interdictum eſt, quo immediate interdicuntur ipſæ perſonæ, non locus, & tunc illæ perſonæ nec hic, nec alibi poſſunt exercere functiones ſacras per interdictum prohibitas. Addunt aliqui tertium Interdictum, locale & perſonale ſimul, quod a nonnullis mixtum appellatur, quo immediate, & locus, & perſonæ, ſecundum ſe, interdicuntur, v. g. Civitas, & ejus Incolæ. Secundum Interdictum tam locale, quam perſonale ſubdividitur in generale, & ſpeciale, ſeu particulare: generale eſt, quo interdicitur locus generalis, id eſt, plura loca complectens, ut Regnum, Provincia, Civitas, Pagus, Caſtrum, Villa, juxta *c. Cum in partibus.* 17. *de V. S.* Ubi Innocentius III. vocat Interdictum generale, non ſolum quando interdicitur Regnum, vel Provincia, ſed etiam quando Civitas Villa vel Caſtrum: & quodcunque aliud interdictum intelligitur eſſe ſpeciale. Interdictum locale particulare eſt, cum interdicitur locus particularis, unus vel plures, v. g. Eccleſia Parochialis, vel plures Eccleſiæ particulares, tunc enim virtute ſunt plura interdicta ſpecialia, cum non interdicatur unus locus communis. Porro interdictum loci generale, & particulare in eo etiam inter ſe differunt, quia ſi Civitas v. g. ſit interdicta, neque intra, neque extra Eccleſias Civitatis, Divina officia celebrare licet; ſecus eſt, ſi Interdicto particulari, tunc enim licitum eſt extra hæc Templa v. g. in privatis Oratoriis Divina officia celebrare, *Laym. l.* 1. *tr.* 5. *c.* 1. *n.* 2.

CCXVII. Tertio Interdictum perſonale ſimiliter dividitur in generale, & particulare. Generale eſt, quo interdicitur aliqua Communitas, prout eſt unum corpus politicum, v. g. populus unius Provinciæ, Civitatis vel Pagi; item Univerſitas, Collegium, Capitulum, cujuſmodi interdictum obligat omnia & ſingula membra, ſeu partes communitatis, quamdiu manent membra Communitatis interdictæ, & quidem etiam innocentes, niſi ſpecialiter eximantur. Neque tamen innocentes per interdictum proprie puniuntur, quia per ſe, & proprie illa non ligantur, ſed ſolum per accidens, quia ſunt in loco, vel pars Communitatis interdictæ, unde conſequenter damnum ſentiunt, quatenus id neceſſarium eſt ad nocentes puniendos, & corrigendos, & honorem Eccleſiæ defendendum: ac proinde ſubtractio reſpectu innocentium, qui culpa ſua interdicto cauſam non dederunt, non habet rationem pœnæ propriæ dictæ, ſed neceſſariæ defenſionis: quod ſi ex tali loco diſcedant, ceſſat omne eorum impedimentum, *Laym. c. l. n.* 3. Interdictum vero perſonale particulare eſt, cum perſona particularis interdicitur, una vel plures, ut ſunt plures, & particulares perſonæ: & non per modum unius Communitatis, ut ſi v. g. omnes & ſinguli interdicuntur, qui Epiſcopum, vel Conſulem occiderunt, vel aliud facinus patrarunt, tametſi ignoti ſint: nam hujuſmodi interdictum afficit ſingulas perſonas immediate, ratione ſui, & non tantum ratione loci, vel Communitatis, cujus ſunt pars, ideoque reſpectu illarum ubique vim ſuam obtinet: & in hoc caſu ſunt quaſi plura particularia interdicta una generali ſententia comprehenſa, *Laym. cit. c.* 5. *n.* 2. *in fine.*

CCXVII. Quarto dividitur interdictum Eccleſiaſticum in totale, & partiale. Totale eſt, quod omnes effectus interdicti habet, quando ſcilicet interdictum in locum, & perſonam abſolute fertur, & ſine ulla determinatione. Particulare eſt, quod non omnes effectus habet: in quo differunt ſuſpenſio, & interdictum ab excommunicatione proprie dicta, quia hujus effectus omnes connexi ſunt, & ab ea ſeparari non poſſunt, non item in ſuſpenſione, & interdicto, *Laym. c. l. Tann. cit. diſ.* 6. *q.* 10. *dub.* 8. *n.* 149. Talis ſpecies partialis interdicti eſt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, de quo dictum ſupra.

§. II.

Quænam ſub Interdicto generaliter promulgato comprehenduntur, vel non?

CCXIX. De hac quæſtione agitur inprimis in *c. Si Sententia*, 16. *h. t. in* 6. ubi *in princ.* ſtatuitur: ſi ſententia in„terdicti in Clerum alicujus Eccleſiæ proferatur, non in„telligitur interdictus populus, nec e converſo interdicto „populo, Clerus, niſi aliud in ea ſententia ſit expreſſum. „Unde ſive Clero, ſive populo interdicto, alter (Clerus „vel populus) poteſt licite intereſſe Divinis. Quod ſi „Civitas propter delictum Domini, vel Rectoris ejuſdem „ſit interdicta, Cives, ſi non ſunt culpabiles, nec in pœnam „Domini, vel Rectoris interdicti, poſſunt licite extra ci„vitatem intereſſe Divinis. At vero interdicto populo, „ſingulares perſonæ ex eo, quas interdictas eſſe conſtat, „non debent alicubi (etiam in loco non interdicto) audi„re Divina, nec Eccleſiaſtica recipere Sacramenta, exce„ptis caſibus Jure expreſſis. Ubi etiam ratio redditur, ne „ſententia interdicti careat effectu, cum auditio Divino„rum, & receptio Sacramentorum populo, & univerſis „non competat.

CCXX. Pro explicatione hujus c. notandum primo, quamvis Jure communi non poſſit ferri excommunicatio in Univerſitatem, ſeu collegium, ut ſupra dictum, poteſt tamen ferri interdictum, in quo differt a ſententia excommunicationis, *Gloſſ. hic in notatis.*

Notandum ſecundo, interdicto Clero alicujus Eccleſiæ, non cenſetur interdictus populus loci illius: nec vice verſa, interdicto populo, interdictus Clerus, quia appellatione populi non comprehenduntur Clerici, ſunt enim duo genera hominum diverſæ profeſſionis, Clerici & laici, *cap. Duo ſunt* 17. *cauſ.* 12. *q.* 1. *Gl. hic in notat.* Ratio eſt, quia in materia pœnali mitior interpretatio eſt facienda, cum ergo ſæpius populus ita accipiatur, ut a Clero diſtinguatur, non debet nomine populi intelligi Clerus, ſi aliud non exprimatur, *Laym. cit. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 4. *c.* 4. *n.* 3.

Porro ſive Clerus interdicatur, ſive populus, non comprehenduntur Religioſi utriuſque ſexus, ut ex probabiliore ſententia docet *Silveſt. V. Interdictum.* 2. *n.* 17. *Laym. cit. c.* 4. *n.* 3. quin etſi nomine Cleri in materia favorabili contineantur Religioſi utriuſque ſexus, etiam Novitii, non tamen in materia odioſa: ſicut etiam ſi interdicuntur Religioſi, non comprehenduntur Clerici ſæculares. Neque obſtat *cit. c. Si ſententia*. Ubi tota Communitas Civitatis in duas partes diſtinguitur, ſcilicet in populum, & Clerum, ergo ſub altera earum comprehenduntur Religioſi, non ſub populo: alioqui in interdicto populi continerentur etiam Religioſi, quod dici non poteſt: ergo cum ibi dicitur, interdicto Clero, non interdici populum, non comprehenduntur Religioſi ſub populo, ſed ſub Clero. Verum dicendum eſt, quod vox *Clerus* ſæpe accipitur pro ſolo Clero ſæculari: interdum tamen pro toto cœtu Eccleſiaſtico ſæculari, & Re-

& Regulari, id quod ex materia interdicti, cauſa ferendi, & aliis circumſtantiis colligi poterit, *Suar. diſ.* 32. *de cenſ. ſec.* 2. *nu.* 17. *Laym. c. l.*

CCXXI. Notandum tertio, Civitas tota poteſt interdici, non ſolum propter delictum Domini illius, qui eſt perpetuus ac proprietarius, ſed etiam propter delictum Rectoris, ſive Adminiſtratoris temporalis, ut patet ex hoc *c. Franc. hinc nu.* 1. Cum vero propter delictum Domini, vel Rectoris, Civitas eſt interdicta, ſed cives non ſunt culpabiles, nec interdicti, poſſunt cives ſeu habitatores civitatis, extra illam, licite intereſſe Divinis, niſi & ipſi propter Dominum vel Rectorem puniendum fuerint interdicti, *cit. cap. Si ſententia §. Cæterum*. Itaque vel interdicta eſt ſola civitas, non autem cives, & hi poſſunt, extra civitatem, licite audire Divina. Vel interdicuntur civitas, & cives ſimul, ſive propter delictum Domini, ſive ob delictum ipſius populi: & hoc caſu, non poſſunt Cives audire Divina extra civitatem. Vel interdicti ſunt Cives tantum, & idem ſimiliter dicendum, *Gl. hic V. Interdicti*. Unde infert, quod pœna ſpirituali, ſcilicet interdicti, bene poteſt unus puniri, propter delictum alterius, adeoque interdictum etiam ligare poteſt innocentes.

CCXXII. Notandum quarto, cum populus Civitatis, vel certæ alicujus eſt interdictus, non ſolum tota univerſitas, ſed etiam ſingulares perſonæ, ſive ſinguli de populo ſunt interdicti, nec poſſunt audire Divina, nec Eccleſiaſtica Sacramenta recipere, præterquam in caſibus Jure expreſſis, de quibus infra, prout habetur in *cit. c. Si ſententia §. Cum vero h.* t. quia alias violaretur nervus diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & interdictum effectum non haberet; nam Univerſitas, cum ſit res inanimata, & perſona ficta, non poteſt audire Divina, nec Sacramenta percipere, ſed ſolum ſinguli, qui ſunt de Univerſitate, ſeu de populo, *Gl. hic V. Careat & V. Non competant*.

Notandum quinto, interdicto Clero alicujus Eccleſiæ, non eo ipſo intelligitur ipſa Eccleſia interdicta, unde alii Clerici celebrare, & audire poſſunt Divina in illa Eccleſia, *Gloſſ. hic Verſ. In Clerum*, *Covarruv. in cap. Alma par.* 2. §. 2. *num.* 7.

CCXXIII. Notandum ſexto, qui dat cauſam interdicto locali, perſonale interdictum incurrit, & ideo non ſolum in ea Civitate, vel loco, Divina audire non poteſt, ſed neque alibi: quia tunc populus cauſam delicto non dedit, ſed ſolus Dominus, & ideo ille ſolus, ex vi cenſuræ perſonaliter interdicitur, *Suar. diſ.* 37. *ſec.* 2. *n.* 25. & alii apud *Barboſ. in cit. c. Si ſententia in* 6. *n.* 3.

CCXXIV. Præterea in *c. Si Civitas* 17. *hoc. t. in* 6. ſta-
„ tuitur. Et ſi Civitas, Caſtrum aut Villa Eccleſiaſtico in-
„ terdicto ſubjiciantur, ſuburbia illorum, & continentia
„ edificia, eo ipſo intelliguntur interdicta: ideo autem hic
„ latior fit interpretatio, ne ſententia interdicti vilipen-
„ datur, quod fieret, ſi licite poſſent in ſuburbiis, vel con-
„ tinentibus edificiis Divina officia celebrari, ut prius.
„ Similiter ſi Eccleſia ſit interdicto ſuppoſita, nec in Ca-
„ pella ejus celebrari, nec in cœmeterio eidem Eccleſiæ
„ contiguo, ſepeliri quis poterit: ſecus eſt, ſi ei non ſit con-
„ tiguum.

CCXXV. Notandum primo, interdicta civitate (idem eſt de caſtro, & villa) cenſentur etiam interdicta ſuburdia, & continentia ædificia, quia licet in propria ſignificatione Civitas, caſtrum vel villa, includant tantum, quæ intra muros, vel ambitum eorum continentur: debent tamen verba ultra propriam ſignificationem extendi; quando alias ſententia interdicti contemneretur, ſi talis interpretatio, & extenſio non fieret, ut in propoſito, Cives ſeu habitatores Civitatis interdictæ facile poſſent adire ſuburbia ad ibi audienda Divina *Gl. hic in caſu*. Porro ſuburbia hic dicuntur domus, extra & prope civitatem, poſitæ, in quibus ſunt domus ei contiguæ: ædificia vero continentia dicuntur domus ſeparatæ, & non contiguæ, *Franc. hic in fine*.

Notandum ſecundo, ſimiliter interdicta Eccleſia, intelligitur etiam interdictæ Capellæ, & Cœmeteria contigua Eccleſiæ, ita ut in Capellis ejus non poſſint celebrari Divina, nec in cœmeterio defuncti ſepeliri. Contigua autem dicuntur, quorum extrema ſe invicem contingunt, *Gl. hic V. Contiguus* ſive quando inter parietem Eccleſiæ, & ipſam Capellam, vel cœmeterium, nihil aliud interponitur, *Barb. in Collect. hic* n. 5. Contra vero, interdicto cœmeterio, non dicitur interdicta Eccleſia, etiamſi ei contigua ſit, ut habetur *in fine hic*. Idemque eſt de pollutione, *Gl. fin. hic*, & dictum ſupra *libr.* 3. *Tit.* 40. *n.* 33.

§. III.

Quænam obſervanda ſint circa adminiſtrationem, & ſuſceptionem Sacramentorum, quæ tempore interdicti eſt prohibita?

CCXXVI. De his agitur in *c. Alma Mater.* 24. *& ult. h.*
„ *t. in* 6. Ubi inprimis dicitur, quod olim ſtatutum fuerit,
„ ut in Terris, ſeu locis Interdicto Eccleſiaſtico ſuppoſitis
„ (exceptis certis Sacramentis) nulla celebrarentur Di-
„ vina Officia, vel Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtraren-
„ tur. Quia vero hinc multa animarum pericula inſurre-
„ xerunt, & Eccleſiis debita obſequia, ſine eorum culpa,
„ ſubtrahebantur, ideo Papa Bonifacius VIII. deliberatio-
„ ne habita cum Fratribus ſuis Cardinalibus, ſtatuit, &
„ conceſſit, ut tempore interdicti, ſive ab homine, ſive a
„ Jure lati, omnes tam infirmi, & moribundi, quam ſa-
„ ni, & valentes ad Sacramentum pœnitentiæ admittan-
„ tur; quippe quæ propter pravitatem, & facilitatem ho-
„ minum ad peccandum, maxime eſt neceſſaria: dummodo
„ non ſint excommunicati, hi enim non ſunt admittendi,
„ præterquam in mortis articulo: nec etiam admittuntur
„ illi, propter quorum dolum, culpam vel fraudem lata
„ eſt ſententia interdicti: vel qui ad perpetrandum deli-
„ ctum, propter quod ipſum interdictum eſt latum, auxi-
„ lium vel favorem præbuerunt: niſi pro ipſo delicto pri-
„ us ſatisfaciant, ſi poſſunt, vel de ſatisfaciendo idoneam
„ cautionem dent, (per pignora, vel fide juſſores, *Gloſſ.
„ hic V. Idoneam*,) vel ſi ſatisfacere nequeant jurent, quod
„ ſatisfacient, quando potuerint, & pro poſſe laborabunt,
„ dando auxilium, & conſilium, ut, qui debent, ſatisfa-
„ ciant, alioqui ad pœnitentiam non ſunt admittendi.
„ Non tamen ideo relaxatur ipſum Interdictum, quoad
„ ipſos delinquentes, nec quoad alios, qui non deliquerunt,
„ & exiſtunt in loco interdicti, ſed tantum eis,
„ qui deliquerunt, ſalutaris pœnitentia eſt injungenda.
„ Præterea ſtatuitur in §. *Adjicimus hic*, ut tempore In-
„ terdicti, ſingulis diebus, Miſſæ, & alia Divina Officia
„ celebrentur, ſicut prius: ſubmiſſa tamen voce, januis
„ clauſis excommunicatis ac interdictis, & non pulſatis
„ campanis, ita ut Canonici, & alii Clerici, qui Horis
„ Canonicis non interſunt, amittant quotidianas diſtribu-
„ tiones, ſicut illas perderent, quando non eſt interdictum,
„ ſi Divinis officiis non intereſſent.
„ Porro in Feſtivitatibus Natalis Domini, Paſchæ, &
„ Pentecoſtes, ac Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, cam-
„ panæ pulſentur, & januis apertis, alta voce ſolemniter
„ celebrentur Divina officia, excluſis excommunicatis, ſed
„ admiſſis interdictis, quibus ob reverentiam dictarum ſo-
„ lemnitatum, memoratis diebus, permittitur participa-
„ tio Divinorum, ita tamen ut illi, propter quorum de-
„ lictum interdictum hujuſmodi eſt latum, Altari nulla-
„ tenus appropinquent. Additur in fine, ut cætera, quæ
„ circa obſervantiam interdictorum ſtatuta ſunt, in ſuo
„ robore maneant, non obſtantibus quibuſvis privilegiis,
„ Eccleſiis, vel Religionibus, vel perſonis Eccleſiaſticis,
„ ſæcularibus aut Regularibus, exemptis, & non exem-
„ ptis, ſub quavis forma verborum conceſſis. Sed hæc po-
„ ſterior pars hujus c. infra explicabitur.

CCXXVII. Pro declaratione hujus cap. quatenus in eo agitur de adminiſtratione, & receptione Sacramentorum notandum primo, tempore interdicti, tam collatio, quam ſuſceptio Sacramentorum eſt prohibita, præterquam in caſibus Jure exceptis, ut conſtat ex hoc cap. Excipitur primo, Sacramentum Baptiſmi, & Confirmationis, quæ tem-
„ pore generalis interdicti conferri poſſunt, ut conſtat ex
„ *cap. Quoniam* 19. *hoc tit. in* 6. Ubi dicitur: Quoniam Ba-
„ ptiſmus, & Confirmatio licite conferuntur, tempore
„ Interdicti, pueris, & adultis, propter periculum mo-
„ ræ, ideo etiam Chriſma licite confici poteſt in die cœ-
„ næ Domini, etſi terra ſit interdicta. Quia permiſſo uſu
„ rei, tempore prohibito, intelligitur etiam permiſſa con-
fectio illius rei, *Gloſſ. hic in caſu in notat.* adeoque cum conceſſum ſit conferre Baptiſmum, & Confirmationem, tempore interdicti, conſequenter etiam eſt conceſſum conficere Chriſma in die Cœnæ Domini, in quo vetere Chriſmate concremato, novum confici debet: nam in Baptiſmo Sacerdos ungit Chriſmate baptizatum in vertice, in Confirmatione vero in fronte Epiſcopus, *Gloſſ. hic Verſ. Baptiſmo, & Gloſ. fin.*

CCXXVIII. Notandum hic primo quod licitum ſit parvulis miniſtrare Baptiſmum, tempore interdicti habetur in *cap. non eſt* 11. *de ſponſalibus* de utriuſque vero pueris, & adultis, in *cit. cap. Quoniam*, idque propter moræ periculum, quia quamvis adultus poſſit per Baptiſmum flaminis ſalvari, ſcilicet per contritionem, & amorem Dei ſuper omnia, non tamen voluit Eccleſia ejus ſalutem in eo diſcrimine conſtituere, ut neceſſario perfecta contritio ſit habenda. Neque etiam voluit uberiori gratia hujus Sacramenti, quoad gratiæ augmentum, & plenam omnis culpæ, & pœnæ remiſſionem, quempiam privare, *Suar. diſ.* 32. *de cenſ. ſec.* 2. *n.* 4.

Notandum ſecundo, debet autem Baptiſmus miniſtrari, tempore interdicti, cum ſolita ſolemnitate Catechiſmi, Exorciſmi, & Unctionis olei, & Chriſmate, nam eo ipſo quod permittitur conferri Baptiſmus, debet adminiſtrari modo a jure præſcripto, *Suar. cit. loco Avila cit. loco concluſ.* 2.

Notandum tertio, licitum eſt etiam conficere Chriſma in die Cœnæ Domini, *cit. c. Quoniam*, ſed cum moderatione. *c. Alma mater. ult. h. t. in* 6. ſcilicet januis clauſis, non pulſatis campanis, & excluſis excommunicatis, & interdictis, *Covarr. in cit. c. Alma mater p.* 2. §. 2. *n.* 7. *Avila c. l. dub.* 4. *concl.* 4.

CCXXIX. Porro quod tempore generalis interdicti Eccleſiaſtici poſſit conferri Baptiſmus, & Confirmatio, habetur quoque ſtatutum in *c. Reſponſo.* 43. *h. t.* Ubi inprimis
„ quæſitum fuit ex Papa Innocentio III. an licitum ſit co-
„ ram excommunicatis, & interdictis prædicare Verbum
„ Dei, & eoſdem ad correctionem inducere, convocando
„ populum, ſemel in hebdomada, vel menſe, in aliqua
„ Eccleſia? Reſpondet Papa, id abſque ſcrupulo conſci-
„ entiæ fieri poſſe, ſi ita expedire videbitur, dummodo
„ contra formam interdicti, nullum Divinum Officium co-
„ ram eis celebretur. Præterea quæſitum fuit, an ſi Ci-
„ vitas aliqua ſit interdicto ſuppoſita, ideoque ſint ibi (pre-
„ ter Baptiſma puerorum, & pœnitentias morientium) o-
„ mnia Eccleſiaſtica Sacramenta interdicta, licitum ſit Ba-
„ ptizatos pueros in fronte confirmare? Reſpon. Papa, quod
„ ſicut baptizari poſſunt pueri, ita etiam confirmari, ſive
„ ſacro Chriſmate in frontibus inungi.

CCXXX. Notandum primo, prædicare Verbum Dei licitum eſt, tempore cujuſcunque interdicti, quia prædicatio non eſt actus Sacri Ordinis, & conſequenter etiam licitum eſt, abſque peccato, ingredi Eccleſiam excommunicatis, ad audiendam ſacram Concionem, & multo magis interdictis, quibus non eſt prohibitum Eccleſiam ingredi, niſi

ad

ad celebranda, & audienda Officia Divina, ſeu Concio ſacra non eſt proprie Divinum Officium. E contrario vero non licet excommunicato vitando, ſine peccato aliis concionati, quia ipſi permittitur audire Sacram Concionem, ut inducatur ad ſe corrigendum, quæ ratio ceſſat in concionante aliis, quia is non ſuam, ſed aliorum ſalutem, per ſe loquendo, quærit, quo caſu, non poteſt communicare cum aliis, niſi in gravi, vel extrema neceſſitate, *Suare. diſ. 12. de cenſ. ſec. 2. n. 3. & 4.*

Notandum ſecundo, tempore interdicti licitum eſt, non tantum adminiſtrare Sacramentum Baptiſmi tam parvulis, juxta hoc c. quam adultis, juxta *cit. cap. Quoniam*, ut jam dictum, ſed etiam Sacramentum Confirmationis ſimiliter parvulis, juxta hunc textum, & adultis, juxta *cit. c. Quoniam*, tempore interdicti dari poteſt, tam in Eccleſia ſpecialiter interdicta, quam etiam tempore interdicti generalis loci, quia duo hæc Sacramenta, Baptiſmus, & Confirmatio, quoad hoc negotium, in Jure adæquantur, & pari jure cenſentur, ut patet ex Canonibus ſupra *cit.* quamvis enim hoc Sacramentum Confirmationis non ſit neceſſarium ad ſalutem, regulariter loquendo, eſt tamen velut complementum quoddam Baptiſmi, & Status Chriſtiani hominis, *Suar. c. l. n. 7.* quia per illud baptizati pleni Chriſtiani fiunt, ut dicit Urbanus Papa in *c. 2. diſ. 5. de conſecrat.* quia per illud Baptiſmalis gratia roboratur, & homo Chriſtianus confirmatur ad bene operandum, & fidem Chriſtianam conſtanter confitendum, ut docet Suar. & alii apud *Barb. in cit. c. Reſponſio n. 7.* Atque hinc hoc Sacramentum, etſi in loco interdicto conferatur, cum omni ſua ſolemnitate dari poteſt ac debet, quia in Jure ſimpliciter conceditur, ut conferatur, *Suar. cit. diſ. 33. ſec. 1. n. 8.* poſſunt autem Clerici, & Laici adminiſtrationi Sacramentorum Baptiſmi, & Confirmationis intereſſe, *Laym. cit. c. 2. n. 1.*

CCXXXI. Excipitur ſecundo, Sacramentum Pœnitentiæ ſeu abſolutionis Sacramentalis, quod omnibus adminiſtrari poteſt, tempore interdicti, & ſuſcipere poſſunt, non ſolum infirmi, ſed etiam ſani, *cit. c. Alma Mater.* Idque propter neceſſitatem hujus Sacramenti, quæ conjuncta eſt cum periculis, & facilitate hominum ad peccandum, propter quam hæc facultas, non obſtante interdicto, eſt conceſſa, *Suar. cit. diſ. 33. ſec. 1. num. 13.* additis duabus limitationibus. Veluti primo, quod non conceditur Sacramentum pœnitentiæ excommunicatis, de quibus nihil Jus novum mutavit, præterquam in articulo mortis. Secundo nec iis, qui dolo, vel culpa ſua, cauſam dederunt interdicto, vel conſilium præbuerunt ad præſtandum delictum propter quod interdictum eſt impoſitum: ſic enim non conceditur hoc Sacramentum, niſi prius ſatisfaciant, ob delictum, vel cautionem idoneam præſtiterint de ſatisfaciendo, pignoratitiam, vel fide juſſoriam: vel ſaltem juratoriam, ſi aliam non poſſint, *cit. c. Alma mater*, de quo plura videri poſſunt apud *Suar. cit. ſec. 1. n. 15. & ſeqq.*

CCXXXII. Excipitur tertio, Sacramentum Euchariſtiæ, ſive Communionis, quod de Jure antiquo, *c. Quod in te 11. de pœnit. & remiſſ.* & Jure novo, per modum Viatici miniſtrari poteſt, tempore Interdicti, quia in *c. Alma mater*, nulla eſt facta mutatio, quoad Sacramentum Euchariſtiæ, in quantum Sacramentum eſt, *Avila p. 5. diſ. 4. ſec. 2. dub. 5. concl. 2.* ideque propter Canonicam regulam traditam a *Gloſ. in cap. Alma mater Verſ. Admittuntur: Quibus morientibus pœnitentia Sacramentum non negatur, neque Viaticum negari debet.*

Ubi notandum primo, per morientes hic intelliguntur, non ſolum illi, qui ſunt in articulo, ſeu proximo periculo mortis, ſed etiam qui ſunt in probabili, ſive ea infirmitate, ſive ex alia cauſa extrinſeca, *Covarr. in c. Alma mater p. 2. §. 3. num. 1. Avila c. l. concl. 2.* Unde ſequitur primo, poſſe miniſtrari S. Euchariſtiam tempore interdicti damnatis ad mortem, & ſi ſani ſint. Secundo, mulieri propinquæ partui, ſi ſpectatis circumſtantiis, ſit in probabili periculo mortis, ut quia eſt primus partus, vel quia experta eſt, ſe aliar difficulter parere. Tertio ei, qui inchoat periculoſam navigationem, vel prælium ingreditur, *Covarr. c. l. n. 2. & 3. Avila c. l. §. Ex dictis ſequitur.*

Notandum ſecundo, extra periculum mortis, prohibitum eſt, tempore Interdicti miniſtrare Sacram Communionem Clericis, qui volunt, extra Sacrificium Miſſæ, communicare, more laicorum: imo etiam aliis fidelibus, exceptis iis, qui ſpeciale privilegium habent, quale nunc communiter habent Religioſi, & Monjales, *Covarr. c. l. n. 1. Suar. cit. diſ. 33. ſec. 1. n. 33.* Nam in omni interdicto prohibitus eſt uſus activus, & paſſivus Sacramentorum, niſi in caſibus jure exceptis: uſus vero Euchariſtiæ non eſt exceptus extra Sacrificium Miſſæ, niſi quando datur per modum Viatici, ergo extra illum caſum, uſus Euchariſtiæ manet ſub generali prohibitione Juris: neque vero ſub Pœnitentia abſolute ſumpta comprehenditur, & conceditur Euchariſtia aut ejus uſus in *c. Quod in te 11. de pœnit. & remiſſ.* ſed ſolum ibi ſub pœnitentia morientium comprehenditur Viaticum, quod neceſſariam conjunctionem habet in articulo, vel periculo mortis cum pœnitentia, & ideo ex eo, quod in *cit. c. Alma mater*, pœnitentia conceditur, tempore Interdicti, non ſolum morientibus, ſed etiam ſanis, non poteſt id extendi ad uſum Euchariſtiæ, etiam extra mortis periculum, *Suar. c. l. num. 31.* Deinde ſecundum Jus antiquum Euchariſtiæ uſus ſolum concedebatur morientibus, per modum Viatici: in c. vero *Alma mater*, ſolum conceditur, ut poſſint Sacerdotes celebrare Miſſam, tempore interdicti, ergo Communio more laicorum, intra Miſſam, manet jure novo prohibita, ſicut prius ex Jure antiquo erat, *Avila c. l. concl. 3.*

Notandum tertio, in illis caſibus, in quibus eſt licitum miniſtrare Sacramentum Euchariſtiæ, tempore interdicti, poteſt illud etiam licite, cum lumine, campanula, & comitatu fidelium, ſolemniter deportari ad ægros, *Suar. cit. ſ. 1. n. 25. Avila cit. l. concl. 4.*

CCXXXIII. Notandum quarto. Non tantum adminiſtratio, ſed etiam perceptio Sacramentorum prædictorum conceditur ab Eccleſia in omni interdicto generali, & probabiliter etiam in locali, ſpeciali, ſeu particulari, ut colligitur ex *cit. c. Alma Mater §. Nec tunc* ex illis verbis: *Ubi civitas, vel locus alius, ſeu Univerſitas interdicta exiſtunt.* Verum illi, qui perſonaliter, & ſpecialiter ſunt interdicti, ſive directe, ſive virtualiter, quia interdicto loci, ſeu Communitatis, ſua culpa cauſam dederunt, non debent ad ſuſcipienda Sacramenta Confirmationis, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ admitti ante ſatisfactionem Eccleſiæ præſtitam, ut colligitur ex *cit. c. Alma Mater c. Epiſcoporum 8. de privileg. in 6.* Neque etiam Miniſtri Eccleſiæ ſpecialiter interdicti poſſunt nullum Sacramentum adminiſtrare, extra caſum neceſſitatis, niſi prius ab interdicto abſolvantur, quia ſicut celebratio Divinorum Officiorum, ita etiam adminiſtratio Sacramentorum eſt prohibita interdictis, cum etiam ſit quædam Sacri Officii participatio, præter caſus jure expreſſos *c. Si ſententia 26. in fine h. t. in 6.* iſto autem caſus nullibi reperitur exceptus, nec poteſt rationabiliter excipi, ut poſt *Suar.* docet *Laym. lib. 1. tract. 5. par. 4. cap. 2. num. 2. §. Eſt autem.*

CCXXXIV. Cæterum quod attinet ad tria reliqua Sacramenta, imprimis Sacramentum Extremæ Unctionis tempore Interdicti nec adminiſtrari, nec recipi poteſt, *c. Quod in te 11. de pœnit. & remiſſ.* ubi dicitur: *licet per generale interdictum omnibus denegetur, tam Unctio* (ſcilicet extrema) *quam Eccleſiaſtica ſepultura*: ita ut nec Clerici, vel Religioſi, etſi generatim ſolum ſint interdicti, hoc Sacramentum adminiſtrare, vel recipere poſſint, niſi ſpeciale privilegium habeant, ut ex communi ſententia docet *Suar. diſ. 33. de cenſur. ſec. 2. nu. 38. & ſeqq.* Eſt autem in hoc differentia inter hoc Sacramentum, & Euchariſtiam, quod illud non poteſt dari, durante interdicto, etiam quando mors inſtat ex gravi morbo, quia pro illo articulo eſt ſolum inſtitutum, & non eſt ita neceſſarium, ſicut Euchariſtia quæ poteſt dari in periculo mortis, tempore interdicti, *Suar. c. l.* Unde etiam extrema Unctio dari non poteſt infirmo, etiamſi cauſam interdicti non dederit, *Suar. c. l. n. 43.* Excipit *Laym. cit. l.* quod probabiliter in caſu neceſſitatis, ſi aliud Sacramentum infirmus recipere non poſſet, licite eſt dari queat Extrema Unctio, quia tunc eſſet ad ſalutem neceſſaria, adeoque ſub præcepto.

CCXXXV. Præterea certum eſt, Sacramentum Ordinis, tempore interdicti, conferri non poſſe, quia generaliter prohibitum eſt hoc tempore percipere Sacramenta, niſi in caſibus jure expreſſis, juxta *cit. c. Si ſententia h. t. in 6.* At ſacra Ordinatio nuſpiam excipitur, adeoque ſimpliciter, & univerſim cenſeri debet eſſe prohibita. Sed neque in ſolemnioribus Feſtivitatibus, neque januis clauſis, & excluſis excommunicatis, ac interdictis, poſſunt, tempore interdicti, conferri Ordines, quia prohibitio eſt generalis, & abſoluta, neque Sacri, ſive Majores, neque Minores, *Covarr. in c. Alma Mater §. 3. n. 4.* Quinimo neque durante interdicto, ii, qui jam Ordinem aliquem inferiorem habent, poſſunt ad ſuperiorem promoveri, ex veriore & communiore ſententia apud *Suar. cit. ſ. 1. n. 45.* quia talis exceptio in nullo Jure fundatur. Probabile tamen eſt, in magna neceſſitate, ſi quando eſſet penuria Miniſtrorum pro miniſtrandis Sacramentis, poſſe Ordines conferri, tempore Interdicti, præſertim iis, qui jam ante inter Clericos ſint adſcripti, *Layman cit. loco Avila par. 5. diſ. 4. ſec. 1. dub. 4.* quia Jus concedit, tempore Interdicti, Officia Divina celebrare, & cetera Sacramenta conferre, ergo etiam ordinationem Miniſtrorum, qui ad hoc fuerint neceſſarii.

CCXXXVI. Denique Matrimonium non ſolum valide, ſed etiam licite contrahitur in omni interdicto locali, imo ſpeciali perſonarum, quæ eſt communis, & vera ſententia, quam tenent *Covarr. in c. Alma mater par. 2. §. 2. nu. 7. Sylveſt. V. Interdictum 5. num. 9. Avila par. 5. diſ. 4. ſ. 5. dub. 6. Sanch. l. 7. de matr. diſ. 8. n. 2. Tanner. cit. q. 10. dub. 8. nu. 150. Laym. c. l. n. 1. §. de matrimonio.* Probatur, quia per interdictum, ſive locale, ſive perſonale, prohibentur ſolum quædam ex illis Sacramentis, quæ ſunt pure Sacramenta, & omnino ſpiritualia, & ad actus Ordinis pertinent. At matrimonium eſt contractus quidam naturalis, cui Chriſtus per accidens adjecit rationem Sacramenti: & Eccleſia per interdictum prohibet participationem eorum Sacramentorum, quæ Chriſtus per Miniſtros ordinatos diſpenſanda reliquit: matrimonium autem non per tales Miniſtros, ſed per ipſos contrahentes diſpenſatur qui ſunt Miniſtri hujus Sacramenti, & non Parochus, ſeu Sacerdos aſſiſtens, tanquam teſtis, ideoque matrimonium non debuit excipi a generali prohibitione Sacramentorum tempore interdicti, cum in hoc non comprehendatur. Neque vero etiam interdictum privat commercio humano, & contractibus, ſicut excommunicatio. Idque confirmatur, quia cum matrimonium ſit contractus humano generi valde neceſſarius, non potuiſſet convenienter ejus uſus alicui Communitati prohiberi, *Laym. c. l.* Verum benedictio nuptialis non poteſt dari ſponſis, tempore interdicti, quia pertinet ad Officium Divinum, & eſt actus Ordinis, cum ſolus Sacerdos id poſſit, *Sanch. cit. l. n. 10.* ubi tamen n. 11. addit, quod hodie benedictiones nuptiales dari poſſint, etiam tempore interdicti, cum moderatione, *c. Alma mater*, nempe ſubmiſſa voce, januis clauſis, & excluſis excommunicatis, & interdictis, de quo plura infra.

§. IV.

§. IV.

Quæ obſervanda ſint circa celebrationem, & auditionem Divinorum Officiorum, & an ac quatenus ea prohibita ſit, tempore Interdicti, vel conceſſa?

CCXXXVII. Reſp. de his agitur imprimis in *c. Permittimus 57. h. t.* Ubi Papa Gregorius IX. permittit Eccleſiarum Miniſtris, „ut ſemel in hebdomada, tempore interdicti, non pulſatis campanis, voce ſubmiſſa, januis clauſis, & excluſis excommunicatis, & interdictis, Miſſarum ſolemnia celebrare poſſint, cauſa conficiendi Corpus Chriſti, quod morientibus in pœnitentia non negatur. Poſtea vero Jure novo ſtatutum fuit in *c. Alma mater, ult. §. Adjicimus in 6.* ut ſingulis diebus Miſſæ celebrentur in Eccleſiis, & Monaſteriis, & alia Divina Officia dicantur, ſicut prius ſubmiſſa tamen voce, januis clauſis, & excluſis excommunicatis, & interdictis, & campanis etiam non pulſatis.“

CCXXXVIII. Pro explicatione utriuſque hujus cap. notandum primo, quando in *c. Alma §. Adjicimus* conceditur, ut ſingulis diebus, tempore interdicti, liceat celebrare cum moderamine ibi appoſito, id procedit ſolum, quando locus generaliter eſt interdictus. Si vero Eccleſia ſit non tantum in loco interdicto, ſed etiam ipſa ſpecialiter interdicta, non eſt conceſſum, ſingulis diebus, celebrare, & Divina Officia, modo ibi præſcripto, peragere, ut notat *Gl. ibidem V. Eccleſiis & Covarr. in cit. c. Alma §. 4. n. 1.* & alii apud *Laym. cit. c. 2. n. 2. §. Porro hæc.* At vero diſpoſitio cit. c. *Permittimus h. t.* habet locum etiam in Eccleſia ſpecialiter interdicta, nempe licitum eſſe ſingulis hebdomadis, tempore interdicti, Miſſarum ſolemnia celebrare, cauſa conficiendi, ſeu renovandi Corpus Chriſti pro infirmis, quamvis id neceſſitas non exigat, nam ſi id neceſſitas exigat, non ſemel tantum, ſed ſæpius in hebdomada hoc permiſſum eſt, *Navarr. in Man. n. 173.* & alii apud *Barb. in cit. c. Pervenimus* & ſic falſum eſt, quod ait *Gl. ibid.* dictum *c. Permittimus* ad nihilum hodie ſervire.

Notandum ſecundo. Nomine Eccleſiarum hic intelliguntur omnia loca ſacra, etiam Hoſpitalia, & privata Oratoria, quæ ab Epiſcopo ad Sacrificium Miſſæ vel alia Officia Divina ſunt deputata, quia in materia favorabili lata interpretatio facienda eſt. Et ex mente S. Pontificis, tempore generalis interdicti, Miſſæ, & alia Divina Officia celebranda ſunt, ſicut ante interdictum, ſervatis tamen conditionibus a Jure præſcriptis, *Suar. cit. diſ. 34. ſ. 1. n. 9. Laym. cit. c. 2. n. 2. §. Nomen Eccleſiæ.* Non tantum autem Miſſas, & alia Divina Officia Clerici in ſuis Eccleſiis celebrare poſſunt ut prius, ſed etiam debent, ſi Beneficiati ſint, alioquin privantur diſtributionibus quotidianis, *cit. c. Alma §. Adjicimus.*

Notandum tertio. Nomine Divinorum Officiorum comprehenduntur imprimis celebratio Miſſæ, & omnis ſolemnis ac publica oratio ab Eccleſia inſtituta, quale eſt Officium Horarum Canonicarum quod nomine Eccleſiæ a Miniſtris ſeu Clericis cantatur, vel recitatur: hoc enim tempore generalis interdicti publice recitari non poteſt in loco interdicto, quamvis Clerici in interdicto locali, vel perſonali poſſunt privatim Horas Canonicas in Eccleſia, ſaltem bini vel terni ſimul recitare, juxta *c. Quod in te 11. de pœnit. & remiſſ.* de quo ſupra. Vel etiam extra Eccleſiam id licite facere poſſunt, dummodo caveant, ne a prohibitis audiantur *Suar. cit. diſ. 34. ſ. 3. n. 10. & ſeqq. Laym. cit. l. n. 2. Avila p. 5. diſ. 4. ſ. 2. dub. 1.*

Præterea omnes ſacræ benedictiones ab Eccleſia inſtitutæ, quæ nomine, & auctoritate Eccleſiæ a Sacerdotibus, vel Eccleſiæ Miniſtris fiunt, ſub generali appellatione Divinorum Officiorum comprehenduntur, quæ per interdictum prohibita ſunt, cujuſmodi ſunt omnia Sacramentalia ut benedictio Epiſcopi, Abbatis, ſolemnis aſperſio aquæ luſtralis &c. non item privata benedictio menſæ, perſonæ, itineris &c. *Suar. cit. l. n. 9. Laym. cit. l.*

CCXXXIX. Notandum quarto. Nomine Clericorum, quibus relaxatio interdicti facta eſt in *cit. c. Alma* late quoque accipi debet, ut comprehendantur omnes perſonæ Eccleſiaſticæ, tum incolæ, tum extranei, ſive ſæculares ſive Religioſi utriuſque ſexus, eorumque Novitii: item Clerici prima Tonſura initiati, modo beneficium habeant vel ex mandato Epiſcopi alicui Eccleſiæ inſerviant, vel ſtudiis dent operam, animo majores Ordines ſuſcipiendi, juxta Concil. Trident. *Seſſ. 23. c. 6. de reform.* imo etiam Clerici conjugati cum unica Virgine: ſi & ipſi ex mandato Epiſcopi alicui Eccleſiæ inſerviunt: hi enim omnes poſſunt tempore interdicti, celebrare Officia Divina, ſicut prius; ſive ante interdictum ſolebant, juxta *cit. c. Alma §. Adjicitur præterea Covarr. in cit. c. Alma §. 4. n. 4. Laym. cit. l.* dummodo non ſint excommunicati, ſuſpenſi, vel perſonaliter interdicti, ut poſtea dicetur.

Notandum quinto Laici non habentes privilegium, non poſſunt, nec debent admitti ad Miſſas, & alia Divina Officia, tempore interdicti, etſi ſervetur moderatio præſcripta in *cit. c. Alma §. Adjicitur,* quia illis nihil eſt conceſſum, unde nec domeſtici Clericorum admitti poſſunt. idque procedit, etſi tales Laici non ſint perſonaliter interdicti: neque poteſt a contrario ſenſu argui ex *cit. cap. Alma* ibi: *interdictis excluſis*, ergo non interdictis præſentibus, poſſunt celebrari, & audiri Miſſæ, & alia Divina: ſed hoc dici non poteſt, quia interdicto loco, omnibus interdictum intelligitur, ibi audire Divina, etiamſi incolæ loci non ſint interdicti, niſi ſuper hoc privilegium habeant, ut colligitur ex *c. Licet. 11. de privil. in 6. Gl. in cit. c. Alma V. Interdictis. Covarr. ibid. §. 4. n. 3. Suar. cit. diſ. 34. ſ. 1. n. 22. & 27.* & eſt ſententia communiter recepta.

Notandum ſexto. Ut Miſſæ aliaque Officia Divina, tempore interdicti, licite celebrari poſſint: plures præterea conditiones requiruntur, prout conſtat ex *cit. c. Permittimus 57. h. t. & cap. Alma ult. §. & adjicimus eod. in 6.* Prima eſt, *Submiſſa voce*, per quam excluditur, ne Miſſa, aliaque Divina Officia ſolemniter cantentur, ſed voce ita demiſſa, ut ſaltem ab iis, qui ſunt extra Eccleſiam, audiri non poſſint, *Suar. diſ. 34. de cenſur. ſ. 1. num. 12.* Secunda, *januis clauſis*, idque ne orationes, aliaque Divina Officia a perſonis prohibitis, quæ ſunt extra Eccleſiam, audiri, & videri poſſint, *Suar. cit. l. num. 13.* Tertia conditio eſt, ut campanæ non pulſentur, vel aliud ſignum publicum non detur, per quod ſolet populus ad publica officia Divina convocari licitum tamen eſt per campanam convocare populum, v. gr. ad concionem, vel per eam ſignum dare ad ſalutationem Angelicam, *Suar. cit. l. num. 17.* Quarta, ut excludantur non ſolum excommunicati (qui etiam quovis alio tempore a Divinis Officiis excluduntur) ſed etiam perſonaliter interdicti, ſub quibus comprehenduntur etiam illi, qui interdicto generali cauſam dederunt, *Suar. cit. loc. num. 28.*

CCXL. Notandum ſeptimo, præterea in *cit. c. Alma §. In feſtivitatibus h. t. in 6.* conceditur, ut in quatuor præcipuis anni feſtivitatibus, videlicet Nativitatis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis B. Virginis, licitum ſit Sacrificium Miſſæ, & alia Officia Divina, cum omni ſolemnitate, & ſine ulla alia limitatione celebrare, etiam interdictis admiſſis, niſi ut ii, qui in ſpeciali interdicto ſunt, vel propria culpa generali interdicto cauſam dederunt, ad Altare non appropinquent, videlicet ut non admittantur ad oblationem faciendam, vel S. Euchariſtiam ſumendam: Et licet ibi dicatur, excommunicatos prorſus excludendos eſſe, ea tamen exceptio non eſt ſtatuta, ex vi interdicti, ſed ex vi ipſius excommunicationis, *Suar. cit. diſ. 34. ſ. 2. num. 37.* Non autem in prædictis quatuor feſtivitatibus omnino tollitur interdictum, ſed ſuſpenditur, quoad omnes Miſſas, & omnia Divina Officia illorum Feſtorum, quia ibi dicitur: *Miſſa celebrentur, & alia Divina Officia, ſicut prius propter reverentiam dictarum ſolemnitatum, Navarr. in Man. c. 27. n. 185. Suar. cit. l.* quæ ſuſpenſio interdicti poſtea per Martinum V. & Eugenium IV. extenſa fuit ad Feſtum Corporis Chriſti, cum tota Octava *Suar. cit. l. num. 41.* & alii apud ipſum.

Computari autem debent dictæ Feſtivitates, ſecundum morem Eccleſiaſticum, a primis Veſperis uſque ad ſecundas, una cum Completorio *Covarr. in c. Alma p. 2. §. 5. n. 5. Suar. cit. l. n. 39.* quamvis *Avila p. 5. diſ. 4. ſeſſ. 2.* exiſtimet, quod quoad ſuſpenſionem interdicti, Feſtum Nativitatis, Paſchæ, & Pentecoſtes non unum, ſed plures dies feſtos comprehendant, ſcilicet quatuor, aut tres; & feſtivitatem Paſchæ, & Pentecoſtes inchoari a Miſſa Vigiliæ, quæ per anticipationem in Sabbatho cantatur, a qua hæ feſtivitates inchoantur.

Porro omnes alii laici (præter ſpecialiter interdictos, & qui cauſam dederunt interdicto generali) licite poſſunt intereſſe Divinis in prædictis Feſtivitatibus, & conſequenter etiam Euchariſtiam ſumere, quia quamvis id in *cit. c. Alma §. In Feſtivitatibus* non exprimatur, implicite tamen conceditur, ut colligitur ex illis verbis, *participationem permittimus Divinorum*, quia quando alicui Sacrificio aſſiſtere, vel inſervire abſolute permittitur, etiam de eo participaſſe, ſeu communicare permiſſum eſſe cenſeri debet; cum S. Communio ſit præcipua pars, ſeu participatio Sacrificii. Quare illa verba dicti *cap. Alma §. In feſtivitatibus ſic tamen quod illi, propter quorum exceſſum hujuſmodi interdictum eſt prolatum, Altari nullatenus appropinquent*: non tantum intelligi poſſunt de Oblationibus fidelium, ad quas faciendas ad Altare acceditur: ſed etiam de S. Communione, propter quam maxime ad Altare accedi ſolet, *Arg. c. Quia 3. de uſur.* quamvis ergo ſpecialiter interdicti, vel qui cauſam interdicto dederunt, ad Euchariſtiæ Communionem non ſint admittendi, alii tamen vel non interdicti, vel qui cauſam non dederunt, non prohibentur ad illam accedere, ſicut neque ad aliud Miniſterium, cujus ſunt capaces, *Suar. diſ. 33. de cenſur. ſ. 1. n. 36.* ubi ait, hac in re ſervandam eſſe in praxi Eccleſiæ conſuetudinem, *Laym. cit. c. 2. n. 3. §. Quarta exceptio.* Ubi addit, quod non poſſint alia Sacramenta in prædictis Feſtivitatibus miniſtrari, videlicet Extremæ Unctionis, & Ordinationis, extra caſum neceſſitatis.

Prædictis addendum primo. Infantes qui uſum rationis non habent, vel amentes non arcentur, tempore interdicti ab Officiis Divinis, cum moraliter non ſint præſentes, nec capaces cenſuræ. Secundo ſi Sacerdos celebraturus Miſſam non poſſit habere Miniſtrum Clericum, poteſt adhibere laicum ſpecialiter non interdictum. Tertio Si quis ex privilegio poſſit audire Divina v. gr. Nobilis, tunc admittuntur cum eo Officiales, vel famuli illius, qui illum comitari ſolent, *c. pen. de privil. in 6. Laym. cit. loc. §. Sequuntur nunc,* & alia.

§. V.

De privatione ſepulturæ Eccleſiaſticæ tempore Interdicti.

CCXLI. Aſſertio I. In generali Interdicto locali prohibentur ſepeliri fideles in ſacro loco, *cap. Quod in te 11. §. Licet autem de pænit. & remiſſ.* Clerici tamen, ſive Eccleſiaſticæ perſonæ, quæ non ſunt interdictæ, ſi ſervarunt interdictum, ſive illud illicita Divini Officii celebratione non violarunt, poſſunt in Cœmeterio Eccleſiæ ſepeliri, cum ſilentio tamen ſine pulſatione campanarum, & abſque omni ſolemnitate, *cit. c. Quod in te* ubi licet dicatur in Cœmeterio nihilominus tamen licitum eſt; illos etiam in Eccleſia ſepeliri quamvis ea ſit ſpecialiter interdicta *Avila p. 5. diſ. 4. ſeſſ*

a. ſeſſ. 3. dub. 2. concl. 3. Suar. diſ. 35. ſeſſ. 1. n. 7. Imo etiam Jure novo in ſupra dictis quatuor feſtivitatibus, etiam ſolemniter cum pulſu campanarum & cantu Clerici ſepeliri poſſunt, juxta *c. Alma ult. h. t. in 6. Laym. l. 1. tr. 5. p. 4. cap. 2. num. 3.*

Ubi tamen præterea notandum primo, in interdicto locali licite poſſunt omnes tam laici, quam Clerici, qui ſpecialiter interdicti non ſunt, neque culpa ſua interdicto cauſam dederunt, in quocunque loco ſacro non interdicto ſepeliri, licet ſint Parochiani Eccleſiæ parochialis ſpecialiter interdictæ *Suar. cit. l. num. 3. Avila cit. l. dub. concl. 2. Laym. cit. l.* non tamen Clerici debent ſepeliri in loco ſpecialiter interdicto, ſi ad aliam Eccleſiam, vel locum non interdictum commode deferri poſſint. *Laym. cit. l.* Ratio eſt, quia in locali interdicto, perſonæ, ſecundum ſe, & abſolute non ſunt interdictæ, ſed ſolum reſpectu loci interdicti: ſi ergo ipſæ perſonæ non ſint interdictæ, neque etiam ipſa Eccleſia, tunc nullum eſt impedimentum Eccleſiaſticæ ſepulturæ, nec ex parte perſonæ, neque ex parte loci. Similiter laici in interdicto locali bene poſſunt ſepeliri in loco interdicto non ſacro, quia talis ſepultura non eſt Eccleſiaſtica, cujuſmodi tantum prohibetur per interdictum, *Avila cit. l. dub. 2. concl. 2.*

Notandum ſecundo. Quorum corpora tempore Interdicti localis ſepulta ſunt in loco non ſacro, ea, ceſſante interdicto, exhumanda & ad locum ſacrum deſerenda ſunt, Sed vice verſa, corpora defunctorum, qui non erant perſonaliter interdicti, & denunciati, nec cauſam culpabilem interdicto dederunt, ſi illegitime ſepulta ſint in loco interdicto, non debent exhumari, ut ſepeliantur in loco profano, quia id nullibi ſtatutum reperitur, *Navarr. in Man. c. 27. n. 176. Avila cit. l. dub. 2. concl. 2. Laym. cit. l.*

Notandum tertio. Tempore generali interdicti localis, etiam corpora defunctorum infantium, & amentium non poſſunt ſepeliri in loco ſacro interdicto, quia illa æque ac corpora adultorum capacia ſunt privationis Eccleſiaſticæ ſepulturæ, *Laym. c. l.*

CCXLII. Aſſertio 2. Perſonaliter interdicti, ſive Clerici, ſive laici, ſi denunciati non ſint, nec finaliter impœnitentes, poſſunt in loco ſacro non interdicto ſepeliri, quia *quibus vivis communicamus etiam mortuis communicare poſſumus c. Sane 3. cauſ. 24. q. 2.* Sed perſonaliter interdicti nondum denunciati, non ſunt neceſſario repellendi ab Officiis Divinis, quæ celebrantur in loco non interdicto poſt Concilium Conſtantienſe, ergo neque mortui excludi debent a tali loco ſacro. In interdicto vero perſonali generali ſufficit denunciatam eſſe nominatim, & in particulari totam Communitatem quæ interdictum contraxit, ad hoc ut ſinguli, qui ſunt illius pars & membra, vitandi ſint in Officiis Divinis, & ſepultura, quia moraliter impoſſibile eſt, omnes, & ſingulos ut interdictos promulgari, *Suar. diſ. 35. de cenſ. ſ. 2. n. 3. Laym. cit. l. n. 3.*

Hinc infertur primo, quod poſt Bullam Martini V. *Ad evitandum* nullum interdictum loci obliget, & ſervari debeat, niſi nominatim ſit denunciatum: ſicut interdictum perſonæ, ita ut prohibeamur communicare cum interdicto, eumque teneamur vitare, & excludere a Divinis, & non ſepeliri, niſi nominatim ſit denunciatus, ut interdictus, ſicut ex communi, & certa ſententia docet. *Navar. in Man. c. 27. n. 187. & Tanner. cit. diſ. 6. q. 10. dub. 8. n. 153.*

Infertur ſecundo. Tres ſunt effectus Interdicti totalis. Primus eſt, quod uſus activus, & paſſivus Sacramentorum ſit prohibitus, ſaltem aliquorum. Secundus eſt, quod etiam prohibitum ſit celebrare, & audire Officia Divina. Tertius eſt prohibitio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, ut patet ex dictis.

§. VI.

De violatione Interdicti, & pœnis Jure decretis in violantes.

CCXLIII. Quæritur primo. Quibus modis violetur Interdictum locale, vel perſonale? Reſp. Interdictum locale violant Clerici primo, ſi perſonaliter, ac ſpecialiter interdicti præſumant exercere actum proprium ſui Ordinis, & tunc fiunt irregulares. Secundo, ſi tales Interdicti Officiis Divinis interſint, vel percipiant Sacramenta ſibi prohibita. Tertio, ſi permittant, aliquem perſonaliter interdictum, poſtquam promulgatum eſt interdictum, intereſſe Divinis, vel celebrare Divina, *Laym. l. 1. tract. 5. p. 4. c. 3. num. 2.* Interdictum vero locale violant Clerici, & Religioſi primo, ſi celebrent Divina Officia, non obſervata moderatione. *c. Alma ult. h. t. in 6.* Secundo ſi ii, quibus regimen Eccleſiæ eſt permiſſum permittant alios Divina Officia celebrare in loco interdicto ſine prædicta moderatione ut colligitur ex *cap. Non eſt vobis 11.* ubi dicitur: *Nulla Divina Officia celebretis, nec permittatis aliquatenus celebrari, de ſponſal. Laym. citato loco.*

CCXLIV. Quæritur ſecundo. Quam pœnam incurrunt laici, ſeu ſæculares Domini, qui violant interdictum, vel
„ alios cogunt violare? Reſpon. de his agitur in *Clement.*
„ *Gravis 2. h. t.* ubi ſtatuitur, ut Nobiles, & Domini tem-
„ porales quicunque, qui in Terris eorum Eccleſiaſtico in-
„ terdicto ſuppoſitis, in Capellis, vel etiam in Inſignibus
„ Eccleſiis Collegiatis publice, & ſolemniter faciunt cele-
„ brari, aut compellunt ad illa celebranda. Vel qui ſive
„ pulſu campanarum, ſive etiam voce Præconis, interdi-
„ ctos ad Officia Divina convocant vel qui ne publice ex-
„ communicati, aut interdicti ex Eccleſia, in qua Miſſæ
„ celebrantur, moniti ut exeant, eos exire prohibent: vel
„ denique & illi, qui cum excommunicati ſint nominatim,
„ moniti non exeunt ex Eccleſia, ipſo facto, excommuni-
„ cationem incurrunt a qua per Sedem Apoſtolicam tantum
„ abſolvi poſſunt.

CCXLV. Ubi notandum, quod in hoc c. quatuor violationes interdicti puniuntur, ut notat *Suar. diſ. 32. de cenſ. ſeſſ. 4. num. 28. & ſeqq.* Prima eſt in loco interdicto quemquam, quomodolibet cogere celebrare Divina Officia: Secunda, revocare aliquos, præſertim excommunicatos, vel interdictos ad Divina Officia audienda, ſcilicet nunc hos, nunc illos ad Divina Officia vocando ſecrete per nuncium, compellendo, nunc campanis aut voce præconis vocando & quidem non ſolum excommunicatos, vel interdictos, ſed etiam alios quoſcunque vocare ad audienda Divina in Eccleſia interdicta, eſt prohibitum, cum textus abſolute loquatur, quamvis prima ſit gravius delictum. Tertia eſt, prohibere, ne publice excommunicati, vel interdicti, ex Eccleſiis, in quibus Miſſæ celebrantur, etiam a celebrantibus admoniti, non exeant: ubi non eſt ſermo de Officiis Divinis in communi, ſed tantum de Miſſa, & ideo non eſt ultra extendenda *Suar. c. l. num. 29.* Ubi etiam ſolum ſermo eſt de locis interdictis, & conſequenter de Eccleſia in eis exiſtentibus, ac etiam interdictis. Sub Eccleſiis autem non comprehenduntur Oratoria privata, præſertim cum ſit materia odioſa, *Suar. c. l. num. 30.* Quarta violatio interdicti hic prohibita eſt, ſi publice excommunicatus, vel interdictus, ſive a Jure, ſive ab homine, exiſtens in Eccleſia interdicta, dum Miſſæ celebrantur nominatim monitus exire nolit, is enim novam cenſuram excommunicationis incurrit Papæ reſervatam, *Suar. c. l. num. 33.* Ubi addit hoc Jure novo limitandum eſſe ad excommunicatum, vel interdictum nominatim, & denunciatum, vel manifeſtum percuſſorem Clerici: & in omnibus his violationibus ſubintelligi debet verbum *præſumpſerit*. Porro ſi excommunicatus ingrediatur Eccleſiam, Sacrificium Miſſæ non poteſt, eo præſente, fieri, ſi id contingat ante inchoatum Canonem, ut ex Navarro notat *Barb. hic in Collect. n. 3.*

CCXLVI. Quæritur tertio, quam pœnam incurrunt Religioſi violantes interdictum? Reſp. de his agitur in *Clem.*
„ *Ex frequentibus 1. h. t.* Ubi ſtatuitur, ut Religioſi qui-
„ cunque (mendicantes, vel non, *Gl. hic V. Religioſi*) etiam
„ exempti, interdictum, per Sedem Apoſtolicam, vel Or-
„ dinarium loci poſitum, quod ſciunt, Cathedralem, vel
„ matricem Eccleſiam (id eſt, majorem, & baptiſmalem,
„ quæ dicitur matrix, quia regenerat per baptiſmum,
„ *Gl. hic V. Matricem*) obſervare, inviolabiliter obſervent:
„ eam moderatione tamen Decretalis *Alma*: alioquin non
„ ſervantes, ipſo facto, ſint excommunicati, non obſtanti-
„ bus quibuſcunque appellationibus, aut aliis objectionibus
„ (quibus allegarent ſententiam eſſe nullam, *Gloſſ. hic V.*
„ *Quibuſcunque*.
„ Idem ſervandum eſt in Interdictis & Ceſſationibus ge-
„ neralibus a Divinis, auctoritate Conciliorum Provincia-
„ lium indictis. Item in ceſſationibus generalibus a Divi-
„ nis Civitatum, terrarum, & aliorum locorum, quas Con-
„ ventus, vel Capitula ex conſuetudine, vel alia via po-
„ nunt, *cit. Clement. 2. §. Quod etiam*, de quo infra. Additur
„ in fine, hanc ſanctionem extendi etiam ad præcedentia,
„ non obſtantibus privilegiis, Conventionibus, ſtatutis, &
„ conſuetudinibus quibusvis in contrarium.

CCXLVII. Notandum hic primo, Religioſi, etiam exempti obligantur ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ſervare interdictum (vel ceſſationem a Divinis) quod ſciverint, vel viderint obſervari ab Eccleſia Cathedrali, vel matrice loci, in quo habitant, quamvis interdictum ſit nullum, ut quia latum poſt legitimam appellationem, vel ex alia cauſa, *citat. Clement. 1.* Sed Clerici ſæculares non tenentur illud ſervare, ſi conſtet eſſe nullum, *Gloſſ. hic V. Religioſi & Avila p. 5. diſ. 5. dub. 3.* Quod ſi in oppido non ſit Eccleſia Cathedralis, vel Matrix, ſeu baptiſmalis, ſed multæ Eccleſiæ Parochiales diviſæ, tunc debent interdictum, vel ceſſationem a Divinis ſervare omnes illi Parochiani, *Azor. p. 2. l. 12. c. 23. Verſ. Decimo octavo*: non tamen incurrunt excommunicationem hujus Clement. ſi illud non ſervent, ut poſt *Navarr. & Sylveſt.* docet *Avila c. l. concluſ. 3.* Conſtitutio autem *cit. Clem.* habet ſolum locum in interdicto generali, non ſpeciali, *Azor. c. l.*

Notandum ſecundo, præterea in Concilio Tridens. *Seſſ. 25. cap. 12. de Regul.* ſtatuitur, ut cenſuræ, & interdicta, non tantum quæ a Sede Apoſtolica emanant, ſed etiam ab Ordinariis locorum promulgata ſunt, mandante Epiſcopo, a Regularibus in eorum Eccleſiis publicentur, & ſerventur, *Azor. c. l.*

CCXLVIII. Porro in *Clement. Ex eo 3. h. t.* præterea ſta-
„ tuitur, ut Fratres Minores, tempore interdicti, ad Di-
„ vina Officia recipiant, in ſuis Eccleſiis, Fratres, & So-
„ rores Ordinis Tertii, quam S. Franciſcus inſtituit, qui
„ Continentes, ſeu de pœnitentia vocantur, eo ipſo, ſen-
„ tentiam excommunicationis incurrant, a qua per alium,
„ quam per Romanum Pontificem, vel præmiſſa ſatisfactio-
„ ne, per locorum Ordinarios, auctoritate Apoſtolica, (de-
„ legata) nequeunt abſolvi. Plures alias pœnas, quæ ob vio-
„ lationem interdicti, ipſo jure incurruntur, adfert *Laym.*
„ *cit. c. 3. n. 3.* de quibus alibi actum ſuis locis.
An autem celebrans in Eccleſia polluta, vel interdicta,
„ fiat irregularis, dubitatur? Reſp. Is, qui in Eccleſia ſan-
„ guinis, aut ſeminis (humani) effuſione polluta: vel qui præ-
„ ſentibus majore excommunicatione ligatis, ſcienter cele-
„ brare præſumit, etſi temerarie agat, irregularitatem ta-
„ men non incurrit, quia id in Jure non eſt expreſſum, prout
„ ſtatuitur in *c. Is qui 18. h. t. in 6.* Unde colligitur, quod ir-
„ regularitas non incurritur, niſi in caſibus jure expreſſis,
„ *Barb. hic in Collect. n. 4.* Is vero, qui ſcienter celebrat in
„ loco interdicto ſuppoſito, irregularitatem contrahit, niſi
„ in hoc privilegiatus ſit, vel a Jure hoc eidem conceſſum:
„ a qua per alium, quam per Romanum Pontificem abſolvi
ne-

Google

„ nequic, & efficitur intelligibilis activè, & paſſive, ita „ ut nec eligere cum aliis, nec eligi poſſit, ut decernitur in *cit. c. Is, qui. §. Is vero.*

Ubi notandum primo, quamvis ſcienter celebrans in Eccleſia polluta, & non reconciliata, vel coram excommunicato, irregularis non fiat, quia tamen tali Sacerdoti interdicitur ingreſſus Eccleſiæ, ut colligi videtur ex *c. Epiſcoporum. 8. de privileg. in 6.* ideo ſi talis Sacerdos celebret Miſſam in Eccleſia fit irregularis, juxta *c. Is cui. 20. h. t. in 6. Gloſſ. in cit. cap. Is qui. V. Nodatis, Azor. p. 1. l. 10. cap. 26. q. ult.*

Notandum ſecundo, celebrans ſcienter in loco interdicto in caſibus Jure non permiſſis, fit irregularis: ſecus ergo ſi ignoranter, niſi fuerit ignorantia culpabilis, quæ non excuſat *Gl. hic in §. Is vero. V. Scienter*; ſecus eſt, ſi quis celebret in loco interdicto, vel Divinis interſit, ex privilegio, ſive conceſſione Juris, tunc enim irregularis non efficitur, *Franc. cit. c. Is qui. §. Is vero num. 1.*

Notandum tertio, Clericus, qui perſonale, vel locale interdictum violat, exercendo actum Sacri Ordinis, vel celebrando Officia Divina, fit etiam intelligibilis, ita ut nec eligere, nec eligi poſſit, *cit. c. Is qui §. Is vero*, imo nec poſtulari poteſt, *c. 1. de poſtul. Prœl. Gl. hic V. Intelligibilis*. Solus autem Papa poteſt diſpenſare vel abſolvere ab irregularitate contracta ex celebratione Divinorum, *Franc. hic num. 2.*

§. VII.

De cauſis interdicti, & relaxatione ejuſdem.

CCLIX. Quæritur primo, quis poſſit interdictum ferre? Reſp. interdictum ferri poteſt a Jure, vel ab homine. Illi autem ferre poſſunt interdictum perſonale vel locale in perſonas, vel locum juriſdictioni ſuæ ſubjectum, qui ordinario Jure poſſunt excommunicare, vel ſuſpendere, ut colligitur ex *c. Cum Eccleſiarum. 3. de Offic. Jud. Ordin.* Ubi quoad hoc excommunicatio, & interdictum æquiparantur, *Suar. diſ. 36. de cenſur. ſec. 1. n. 2.* Ubi etiam notat, non eſſe in uſu, neque expedire, ut Prælati Regulares locale interdictum ferant, niſi in aliquo oppido habeant Eccleſiaſticam juriſdictionem fori contentioſi, & quaſi Epiſcopalem, quia juriſdictio horum Prælatorum magis eſt in perſonas, quam in territoria, ſeu loca.

An autem Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, Sede non vacante, poſſit ferre interdictum, dictum eſt ſupra *Libr. 3. Tit. XI. §. 3.*

CCL. Quæritur ſecundo, ob quam cauſam ferri poſſit interdictum? Reſp. Interdictum ferri poteſt in quamlibet Communitatem, ſed non niſi propter delictum, ſaltem aliorum, vel ipſius Communitatis, vel Principis, aut Gubernatoris, qui in eo loco ſæcularem, ſeu temporalem juriſdictionem aut adminiſtrationem habent, ut colligitur ex *c. Non eſt. 11. de ſponſal.* Ubi propter peccatum Regis, totum Regnum ejus interdicto ſupponitur, & in *c. Si ſententia. 16. h. t. in 6.* Ubi dicitur, propter peccatum Domini, vel Rectoris interdici poſſe Civitatem, *Covarr. in c. Alma p. 2. §. 1. num. 2. Suar. diſ. 36. ſec. 3. n. 6.* Quin imo etiam propter delictum ejus, qui ſpiritualem tantum, ſeu Eccleſiaſticam juriſdictionem in loco obtinet, ut Epiſcopus, ferri poſſe interdictum in Civitatem colligi videtur ex *c. Sane, 11. de Offic. Deleg.* Ubi dicitur, quod Judex delegatus Papæ, ſi ei Epiſcopus obedire nolit, poſſit terram ejus juriſdictioni ſubjectam interdicto ſupponere, *Covarr. c. l. Suar. c. l. n. 7.* Sed de hoc dictum eſt ſupra *l. 2. Decret. Tit. 29. ſec. 4. §. 1. n. 73.*

CCLI. Porro Interdictum generale locale non poteſt juſte ferri, niſi ob graviſſimam cauſam generalem, quæ ex peccato publico a Capite, vel pluribus, & præcipuis ejus membris contumaciter admiſſo procedat, ideoque requirit graviorem cauſam, quam excommunicatio, quia eſt pœna, quæ redundat in totam Communitatem, quam privat cultu quodammodo Divino publico & extendit ſe etiam ad innocentes, qui nullam cauſam dederunt interdicto, nam & illi Divinis in loco interdicto intereſſe non poſſunt. *Suar. c. l. n. 6.* in quo etiam differt interdictum ab excommunicatione, & ſuſpenſione. Interdictum vero perſonale ſpeciale non poteſt in aliquem ferri, niſi ob propriam ejus culpam, eamque gravem, ſi ſimpliciter, & abſolute feratur, quia privat hominem magnis bonis ſpiritualibus, *Suar. cit. ſec. 3 n. 2. & 3.*

Sed quomodo pœna interdicti, præſertim generalis, eſt juſta, cum non ſolum in eos, qui deliquerunt, ſed etiam in innocentes reddundet? Reſp. ex hoc ſolum ſequi, quod interdictum locale, vel perſonale generale non poſſit juſte ferri, ut pura pœna, ſeu vindicta delicti commiſſi: poteſt tamen juſte ferri, ut recedatur a contumacia, quia tunc eſt efficax remedium, ad coercendum inobedientes Eccleſiæ, & ad defendendam Eccleſiæ auctoritatem ac poteſtatem. Nec obſtat, quod gravamen hujus cenſuræ interdum tangat etiam innocentes qui non deliquerunt. Tum quia ſatis eſt, quod ſint partes, ſeu membra illius Communitatis, cui aliquo modo attribuitur delictum, ob quod fertur interdictum: tum quia cum Eccleſia ferre ſoleat hanc cenſuram ad tuendam ſuam auctoritatem, & dignitatem, mirum non eſt, quod interdum permittat aliqua incommoda, & gravamina inferri privatis, etiam innocentibus, propter prædictum bonum commune, quod majus eſt, ideoque præferendum privatis incommodis, *Suar. cit. diſ. 36. ſec. 3. n. 12. & 13.*

CCLII. Quæritur tertio, a quo, & quomodo Interdictum tolli poſſit, ſeu relaxari? Reſp. primo, interdictum latum ad certum tempus, vel ſub conditione, elapſo tempore, vel impleta conditione, per ſe ceſſat, ita tamen ut ante ejus impletionem, Epiſcopus diſpenſare non poſſit, niſi interdictum proveniat ex delicto occulto, non deducto ad forum contentioſum, *Laym. l. 1. Tract. 5. p. 4. c. 5. num. 1.* Secundum, interdictum generale, locale vel perſonale, jure communi non reſervatum poteſt tolli per Epiſcopum, vel alium habentem quaſi Epiſcopalem juriſdictionem in communitatem interdictam, ut colligitur ex *c. Nuper. 29. h. t. Laym. c. l.* Tertio Regulares per ſua privilegia communiter non habent poteſtatem abſolvendi fideles, niſi in foro conſcientiæ tantum, & ideo tollere non poſſunt interdictum locale aut perſonale Communitatis, quia locus, & Communitas foro pœnitentiæ non ſubjiciuntur, ut per ſe patet, *Laym. c. l. num. 2.* Quarto per privilegium, quo conceditur poteſtas abſolvendi ab omnibus cenſuris Juris, poteſt tolli omne interdictum perſonale ac ſpeciale, *Laym. c. l.* Quinto probabilius eſt, quod ab interdicto perſonali particulari non reſervato, quilibet Confeſſarius expoſitus, poſt præſtitam ſatisfactionem, vel ſatisfaciendi cautionem abſolvere poſſit, quia per tale interdictum prohibetur quis a perceptione Sacramentorum, *c. Quod in te. 12. de pœnit. & remiſſ.* & patet ex ſupra dictis. ſicut ergo quilibet Confeſſarius expoſitus, ante abſolutionem a peccatis, poteſt relaxare excommunicationem non reſervatam; ita etiam interdictum perſonale particulare, ſine reſervatione latum, *Laym. c. num. 3.* Sexto, qui poteſt interdictum omnino tollere, poteſt etiam ad tempus ſuſpendere, *Laym. c. l.* Septimo deſtructa Eccleſia, non tollitur interdictum locale, ſed adhæret ſolo, adeoque in eo loco Divina Officia celebrari non poſſunt: diſſoluta autem, ſeu pereunte Communitate, perſonale interdictum omnino expirat, *Laym. c. l. n. 4.*

CCLIII. Poſtremo quæritur, utrum Interdictum Eccleſiaſticum poſſit relaxari ad cautelam ſicut excommunicatio? Reſp. Interdictum generale locale non poteſt relaxari ad cautelam, prout declaravit Gregorius X. in Concilio Generali Lugdunenſi relato in *c. Præſenti. 10. h. t. in 6.* Ubi „ dicitur: relaxationem ad cautelam, quoad ſententias in„ terdicti in Civitates, Caſtra vel alia quælibet loca gene„ raliter promulgatas, nullatenus locum habere.

Ubi notandum primo, quamvis alias excommunicatio, & interdictum regulariter pari paſſu ambulent, & æquiparentur: hoc tamen non procedit in relaxatione cenſuræ ad cautelam, nam ab excommunicatione poteſt quis abſolvi ad cautelam, non autem ab interdicto locali generali, ſed differri debet relaxatio ad finem cauſæ, *Gl. hic in caſu*, ita ut relaxatio ſit invalida, ut patet ex fine hujus c. ibi: *locum aliquatenus non habere*, & notat *Gl. fin. hic. Covarr. in c. Alma. p. 2. §. 2. num. 5.* Ratio autem diverſitatis inter excommunicationem, & interdictum locale, quoad hoc, eſt, ſecundum *Gl. hic. V. Declaramus*, quia in excommunicatione eſt majus periculum communionis, ideo ad aliorum cautelam fit abſolutio, & per excommunicationem omnino ſeparatur quis a Chriſti Corpore, & abſcinditur ac privatur quis uſu omnium Sacramentorum, & communibus fidelium ſuffragiis, & ideo feſtinatur, ut Chriſto reconcilietur per abſolutionem. In interdicto vero non eſt tantum periculum, & quædam Sacramenta conferuntur, ac Divina Officia interdum celebrantur, & ideo differtur abſolutio uſque ad finem cauſæ.

Notandum ſecundo, in Interdicto perſonali, ſaltem ſpeciali fieri poteſt relaxatio ad cautelam, quia homini ſpecialiter interdicto negantur omnia Sacramenta, ſicut excommunicato, & ideo etiam poteſt abſolvi a tali interdicto ad cautelam, ut colligitur ex hoc c. a contrario ſenſu, quod ſolum loquitur de interdicto generali, locali, ergo aliud eſt interdicto perſonali, ſaltem ſpeciali, *Silveſt. V. Interdictum. 3. n. 14. Avila p. 3. diſ. 6. dub. 5.*

§. VIII.

Proponuntur Conſtitutiones Extravagantes hujus Tituli.

CCLIV. In *Extravag. Cum ad Sacroſancta unic. Joan. XXII. h. t.* taxantur gratiæ, ſive litteræ beneficiales impe„ tratæ a Sede Apoſtolica ſuper dignitatibus Perſonali„ bus, & aliis beneficiis, cum cura, & ſine cura, cum „ clauſulis conſuetis, vel non conſuetis. Taxantur autem „ decem groſſis Turonenſibus, & non ultra. Item quot „ litteras, & quot dictiones linea continere debeat, de„ claratur. Pro litteris autem datis in forma pauperum ſol„ vuntur tantum octo groſſi Turonenſes, idque ut deferatur „ paupertati. Quod ſi Curia Romana exiſtat ultra montes, „ pro taxa ſolvuntur Groſſi Turonenſes: ſi citra montes, „ ſive Romæ, ſolvuntur Groſſi Romani. Omnes autem, & „ ſinguli Scriptores, & Abbreviatores, ſi ultra taxam acci„ piant, prima vice, ſunt eo ipſo ſuſpenſi ab Officio per „ ſex menſes; & ſi ſecundo deliquerint ſunt privati in per„ petuum: Abbreviatores vero inſuper pœnam excommuni„ cationis incurrunt. Videri poteſt *Vivian. in Ration. hic & Barb. in Collect. n. 1.*

CCLV. In *Extrav. Excommunicamus. 1. Inter communes h. t.* Excommunicantur, & anathematizantur Clerici, „ Religioſi, laici, etiamſi ſint familiares Curiæ, vel alii „ quicunque, qui pactum faciunt, vel aliquid magnum aut „ parvum promittunt, vel promiſſionem recipiunt: vel „ qui ex pacto, vel promiſſione occulta aut manifeſta, ſub „ generalibus verbis, non plene expreſſis, vel ſub ſpecia„ libus, & aperte expreſſis verbis, quidquam dederint aut „ acceperint, magnum vel parvum: vel promiſſionem de „ quacunque re aut utilitate conſequenda fecerint, vel ce-

„ ce-

„ ceperint, ad juſtitiam, ſive gratiam aliquam, pro ſe,
„ vel pro alio; in cauſis, vel judiciis, ſeu alias per Lit-
„ teras Apoſtolicas, aut quibuſcunque modis apud Sedem
„ Apoſtolicam obtinendum. Et hæc ſententia ad promit-
„ tentes, & acceptantes, dantes & recipientes extenditur.
„ Item illi, qui aliquem ſciverint in prædicta culpabilem,
„ & intra triduum non revelant Papæ, vel alicui, per
„ quem fideliter ad Papam referatur, ſimiliter excommu-
„ nicationem incurrunt, a qua nullus, præter Papam,
„ eos abſolvere poteſt, abſque ſpeciali ejuſdem mandato,
„ vel niſi in articulo mortis, quando Papa adiri non po-
„ teſt, neque etiam abſolvi poteſt, niſi prius quantum de-
„ dit, vel recipit, integro pauperibus eroget: juſtitia ve-
„ ro ac gratia ſic obtenta, nullius eſt momenti, & omni
„ caret effectu, & firmitate. Additur in fine, quod etiam
„ qui ſcienter juſtitia vel gratia utuntur, ſimiliter excom-
„ municationem incurrunt reſervatam Papæ.

Hæc Conſtitutio Bonifacii VIII. innovata fuit, & aucta per Gregorium XIII. in Bulla, quæ incipit, *Ab ipſo* Anno 1574. nonis Novembr. in quam *Extravag. Et Bullam Navarr.* doctiſſimum Commentarium edidit, qui inſcribitur De datis, & promiſſis pro juſticia, vel gratia obtinendis.

CCLVI. Pro quarum explicatione notandum primo, pœnam hanc excommunicationis majoris incurrunt omnes, ſive Clerici, ſive Religioſi, ſive etiam laici, mares & fœminæ, dignitate præditi, vel non: imo etiam Epiſcopi, quia & ipſi ſunt veri Clerici, nam quamvis ſub Canone generaliter imponente ſuſpenſionem, vel interdictum non comprehendantur Epiſcopi, niſi exprimantur, *c. Quia periculoſum*. 4. *h. t. in* 6. includuntur tamen quoad excommunicationem, & alias pœnas, ſub Canone generaliter eas infligente, *Gloſſ. ibid. V. Suſpenſionis*, *Navarr. in cit. Comment. n.* 32. *not.* 6. Ubi etiam late diſputat, an ſub ea *Extravag.* includantur Cardinales.

Notandum ſecundo, ſub hoc textu ibi: *quicunque*, includuntur non ſolum orti in Urbe, & oriundi ex ea, ſed etiam in ea habitantes, vel in reliqua Italia, vel in aliis Regnis *Navarr. cap. l. not.* 7. *num.* 13. quia de natura hujus dictionis eſt, ut nullus excludatur locus, *cap. Unde cunque.* 3. *diſ.* 56. *Farinac. in praxi crimin. p.* 3. *qu.* 182. *num.* 322.

Notandum tertio ut habeat locum pœna excommunicationis, de qua in hac *Extravag.* 1. requiritur aliquod pactum, unde ſi unus ſolum mente diceret, ſe daturum tantum, & alter ſe recepturum tantum pœna non contraheretur, quia pœnam cogitationis nullus mereri debet, *Navarr. c. l. not.* 11. *numer.* 23. *in fin. Farin. cit. qu.* 182. *num.* 353.

Notandum quarto, prædictæ pœnæ excommunicationis locum habent, quamvis id, quod datur, ſit parvum, ubi tamen non ſufficit dare quamcunque rem parvam, ſed requiritur, ut tanta ſit, quæ probabiliter apta ſit ad dimovendum recipientem a recto, alioquin nec dantes, nec accipientes prædictam pœnam incurrent, *Navarr. c. not.* 10. *n.* 10. *Farinac. c. l.* n. 313.

CCLVII. Notandum quinto, incurritur etiam dicta pœna propter ſolam promiſſionem dandi, etiamſi nihil detur aut recipiatur, *Navarr. c. l. not.* 8. n. 13. *Verſic. Tertio. Farinac. c. l.* n. 313. Id tamen limitatur primo, quod non propter omnem promiſſionem incurratur excommunicatio, ſed tantum ob illam, quæ prohibita eſt, & quæ Jure naturali, Divino, & humano, ante hujus Conſtitutionis promulgationem, erat peccatum mortale: ſecus ſi talis promiſſio non erat prohibita, & quatenus prohibita, promittens non peccabat mortaliter, *Navarr. c. l. not.* 15. *num.* 21. *& ſeqq. Farinac. c. l. num.* 314. Secundo, ut non procedat reſpectu ejus, cui promiſſio facta eſt, niſi ab eo fuerit acceptata, ut colligi videtur ex textu ibi: *promiſſionem receperint*, *Farin. c. l. n.* 325.

Notandum ſexto, dicta pœna excommunicationis incurritur, ſive promiſſio, vel datio ſit occulta, ſive etiam manifeſta, ut habetur in *cit. Extravag.* 1. imo etiamſi promiſſio fuerit generalis, ut ſi quis dixit, non intendo vobis eſſe ingratus, *Farinac. c. l. num.* 325. Ubi *n.* 326. id limitat, ut ſupra.

Notandum ſeptimo, eadem pœna incurritur, non ſolum, ſi detur, vel promittatur pecunia, ſed etiam ſi alia res, ſeu utilitas. Ubi appellatione rei continentur jura corporalia, & incorporalia, imo quævis utilitas, ſeu commodum neceſſarium, vel delectabile, *Navarr. c. l. not.* 22. *n.* 28. Ubi ait, id locum habere, non tantum in promiſſione dandi, ſed etiam faciendi, *Farin. n.* 327.

CCLVIII. Notandum octavo, incurritur etiam hæc pœna, quando quid datur, vel promittitur pro conſequenda juſtitia, animo obtinendæ victoriæ in lite, *Farinac. c. l. n.* 338. ſive quis det, ſive promittat pro ſe, ſive pro alio tertio, ut eſt procurator, ſive mediator, *Navarr. c. l. not.* 20. *num.* 3. *Farinac. c. l. num.* 328. Item ſi quid detur, vel promittatur aut recipiatur pro conſequenda gratia, non ſolum in ſcriptis, ſeu per litteras Apoſtolicas, ſed etiam alias quomodocunque, *Navarr. c. l. not.* 17. *num.* 29. *Farin. c. l. n.* 330.

Notandum nono, requiritur etiam ad incurrendas pœnas hujus Extravag. ut detur, vel promittatur aliquid pro obtinenda juſtitia, vel gratia apud Sedem Apoſtolicam, ſecus ſi ab alio Principe, vel Magiſtratu aut perſona *Navarr. c. l. not.* 28. *num.* 29. Verum Clemens VIII. in Bulla de bono Regimine publicata 15. Auguſti Anno 1589. extendit *cit.* Conſtitutionem Gregorii XIII. quoad hoc, etiam ad data, vel promiſſa, & recepta, nedum apud Sedem Apoſtolicam, ſed etiam in quocunque Tribunali, aut judicio ſæculari, & tam in Curia Romana, quam etiam in quacunque Civitate, Provincia aut loco Status Eccleſiaſtici, ut refert *Barb. hic n.* 17.

Notandum decimo, requiritur etiam ad incurrendas dictas pœnas, ut aliquid detur, vel promittatur, pro juſtitia, vel gratia obtinenda, non autem pro jam obtenta, *Navarr. c. l. not.* 19. *n.* 29. *Farinac. c. l. n.* 342. Ubi etiam declarat, quando quis dicatur obtinere juſtitiam, vel gratiam apud Sedem Apoſtolicam. Item qui ſciunt aliquos eſſe culpabiles in dando, vel recipiendo aliquid pro juſtitia, vel gratia obtinenda a Sede Apoſtolica, & non revelant, intra tres dies, incurrunt pœnas hujus *Extravag. Navarr. c. l. not.* 22. *n.* 37. *Farinac. c. l. n.* 331. *&* 334. Illis vero, qui conſcii hujus criminis, illud revelaverint, & complices, impunitas conceditur, juxta *Conſtit. Gregorii XIII. Farinac. c. l.* n. 334. Neque etiam pro juſtitia, vel gratia obtinenda licitum eſt dare, vel recipere munera, *Farin. c. l. n.* 336. ubi *n. ſeq.* excipit Xenia, ſeu eſculenta, & poculenta, quæ ex conſuetudine dari ſolent.

Præterea excommunicati ob datum, vel receptum pro obtinenda juſtitia, vel gratia, apud Sedem Apoſtolicam, non poſſunt abſolvi, niſi a Papa, vel ab alio ſpeciale mandatum ad hoc habente, præterquam in mortis articulo, *cit. Extravag.* 1. *Farinac. c. l. n.* 294. neque etiam ſic excommunicatus poteſt abſolvi, niſi prius, quantum dedit, vel accepit, pauperibus eroget, *cit. Extravag.* 1. neque ab hac obligatione liberatur per remiſſionem partis, quæ dedit, quamvis impotentia reſtituendi excuſet *Navarr. c. l. not.* 23. *n.* 38. Inſuper juſtitia, ſeu gratia ſic obtenta eſt ipſo jure nulla *cit. Extravag.* 1. *Navarr. c. l. not.* 24. *n.* 38. *Farinac. c. l. n.* 338. Denique prædictam excommunicationis pœnam incurrunt etiam illi, qui ſcienter utuntur juſtitia, ſeu gratia ſic propter aliquod datum, vel receptum obtenta, *cit. Extrag.* 1. §. *fin. Navarr. c. c. not.* 25. *n.* 38. *Farinac. c. l. num.* 312. Additur in Conſtitutione Gregorii XIII. alia pœna privationis, ſcilicet omnium beneficiorum, quæ ipſo jure imponitur dantibus & recipientibus aliquid pro juſtitia, vel gratia obtinenda apud Sedem Apoſtolicam, *Navarr. c. l. not.* 31. *num.* 44. plura de his videri poſſunt apud AA. *citt.*

CCLIX. In *Extravag. Provide.* 2. *h. t. Inter communes*
„ ſtatuitur, ut nulla Provincia, Civitas, Caſtrum, Vil-
„ la, territorium, vel quivis alius locus, auctoritate Or-
„ dinaria, vel delegata Interdicto Eccleſiaſtico ſuppona-
„ tur, ob pecuniarium debitum, vel pro cujuſvis mone-
„ tæ, ſeu pecuniæ quantitate, quacunque occaſione, vel
„ cauſa, ſeu quovis quæſito colore: ideo maxime, quia
„ ipſorum Domini, Rectores, ſeu Officiales, aut incolæ,
„ ſeu habitatores &c. ſtatutis terminis, vel ſtatuendis,
„ hujuſmodi debitum hactenus non ſolverunt, nec in po-
„ ſterum perſolvent. Ipſe enim Papa ea nunc decernit ir-
„ ritum, & inane, ſi quid hactenus ſecus ſit attentatum,
„ vel contigerit attentari, illudque omnino revocat, non
„ obſtantibus quibuſcunque contractibus, obligationibus, pa-
„ ctis &c. ac proceſſibus, & ſententiis Judicum, juramen-
„ to, vel pœnæ appoſitione, aut alio quovis modo firmatis
„ niſi tale interdictum latum fuerit, vel deinceps feratur
„ ex ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ, & per patentes
„ Litteras ejuſdem expreſſa.

Hinc patet, quod propter debitum pecuniarium ſolvendum tale interdictum ferri non poteſt, quando Epiſcopus, vel Princeps eſt contumax in non ſolvendo, nec ordinaria, nec delegata poteſtate, niſi de ſpeciali, & expreſſa licentia S. Pontificis: hujus autem auctoritate ferri poteſt, quia talis contumacia poteſt eſſe grave delictum talis Principis: alias vero latum irritum eſt, *Covarr. in* 2. *Alma. p.* 2. §. 1. *n.* 5. *Suar. diſ.* 36. *de cenſur. ſ.* 3. *n.* 8.

Porro plures DD. cenſent, diſpoſitionem hujus Conſtitutionis Extravag. habere locum in interdicto locali generali, & de eo loqui tantum, ideoque interdictum, locale particulare, ſeu ſpeciale ferri poſſe in Eccleſia particulari, propter debitum pecuniarium, etiam ſine ſpeciali, & expreſſa licentia Papæ, ut docet *Navarr. in Man. c.* 27. *n.* 168. *Suar. cit. diſ.* 36. *ſ.* 3. *n.* 8. Alii tamen tenent contrarium, quod etiam in interdicto locali ſpeciali non poſſit decerni interdictum Eccleſiaſticum, ob debitum pecuniarium *Covarr. cit. l.* n. 5. *Avila p.* 5. *diſ.* 3. *dub.* 3. qui id extendit etiam ad interdictum generale. Verum hac in re ſtatuendum eſt conſuetudine cujuſque loci eaque ſervanda, ut addit *Avila cit. l.* Illud hic addendum, quod ſententiæ interdicti frequenter ferantur, ſine culpa multorum, ſed non ſine cauſa, ut habetur in *cit. Extravag. Provide in princ.*

CCLX. In *Extravag. Ad certitudinem.* n. 3. *h. t. Inter Communes*, Clemens V. Andronicum Palæologum, qui Impe-
„ ratorem Græcorum ſe nominavit, & hæreſis ipſorum
„ fautor extitit, excommunicatum denunciat, omneſque;
„ qui cum ipſo, quamdiu talis manet, ſocietatem con-
„ trahunt, declarat eſſe, ipſo facto, excommunicatos,
„ & eorum Terras interdicto Eccleſiaſtico ſupponendas eſ-
„ ſe ac privandos bonis quæ ab Eccleſia tenent. Et om-
„ nes, qui ipſi in his, propter quæ excommunicatus eſt,
„ auxilium, conſilium, vel favorem, publicum, vel pri-
„ vatum præſtant, excommunicationem ipſo facto incur-
„ runt, & talis ſocietas, ſeu confœderatio nulla, ſeu
irrita eſſe decernitur, *Vivian. in Ration. hic & Barb. in Collectan.*

CCLXI. Denique in *Extravag. Quia nonnullis.* 4. *& ult.*
„ *h. t. Inter Communes*, idem Clemens V. excommunicat
„ omnes illos, qui dixerint, Papam rite electum, prius
„ quam coronetur, non debere ſe intromittere in provi-
„ ſionibus, reſervationibus, diſpenſationibus, & aliis gra-
„ tiis faciendis, nec ſe in litteris Epiſcopum ſimpliciter,
„ ſed electum Epiſcopum ſcribere, nec etiam uti debe-
„ re Bulla, in qua nomen ipſius exprimatur. Et uni-
„ verſim omnes, qui occaſione hujus erroris, auſi fuerint
„ impugnare aliquas Litteras Apoſtolicas ſuper negotiis
„ qui-

Digitized by Google

„ quibuſcunque confectas, quæ ante coronationem Pontifi„ cia emanarunt, etiam excommunicantur. Ratio hujus Conſtitutionis eſt, quia S. Pontifex in eo differt ab aliis Epiſcopis, quod hi non per electionem, vel inſtitutionem Papæ fiunt Epiſcopi. At vero S. Pontifex fit Epiſcopus ab ipſomet Chriſto, a quo immediate ſupremam juriſdictionem in univerſam Eccleſiam accipit, ſtatim poſtquam a Cardinalibus eſt electus: & ideo non eſt tantum Epiſcopus electus, ſed ſimpliciter jam conſtitutus Epiſcopus, & Paſtor ſupremus Catholicæ Eccleſiæ, ut traditur in *c. In nomine.* 1, *diſ.* 23. & ex tunc poteſt omnes actus juriſdictionis valide & licite exercere; etiam ante coronationem, quæ ſolum fieri videtur, & pertinet ad quandam ſolemnitatem, & quaſi publicationem acceptæ dignitatis, ac poteſtatis *Suar. diſ.* 23. *de cenſur. ſ.* 6. *n.* 1. *&* 2.

§. IX. & ultimus.

De Ceſſatione a Divinis, quid & quotuplex ſit, & quomodo ab Interdicto differat?

Quia hæc valde affinis eſt, ac ſimilis Interdicto locali, de qua etiam in Jure Canonico in diverſis locis agitur, ideo de illa pauca addemus.

CCLXXII. Reſp. Ceſſatio a Divinis, quæ & ſuſpenſio Organorum (ſcilicet Laudis Divinæ) dicitur, eſt Eccleſiaſtica prohibitio, ob quam Clerici ceſſare debent in certo loco a Divinorum Officiorum celebratione, & Sacramentorum adminiſtratione, niſi quatenus eam neceſſitas poſtulat, *Navarr. in Man. c.* 27. *n.* 188. *& Laym. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 4. *c.* 6. *n.* 2. eaque duplex eſt, generalis reſpectu totius Civitatis, vel particularis, ut in una Eccleſia, *Sylveſt. V. Ceſſatio n.* 1. Differt autem ceſſatio ab interdicto locali. Primo, quia ceſſatio hæc non eſt cenſura, imo nec proprie dicta pœna directe ob delictum inflicta, ſed ſimplex prohibitio, facta in ſignum graviſſimi doloris, quem Eccleſia concipit, ob enormem injuriam ſibi, aut honori Divino illatam, eoque ſigno ſe juſte defendit adverſus lædentem, ut colligitur ex *Clem.* 1. *h. t. & c. Quamvis.* 8. *de Offic. ordin. in* 6. *Laym. cit. c.* 6. *n.* 1. Secundo, ceſſatio a Divinis nullam unquam perſonam ſecundum ſe, & ſpecialiter afficit, ſicut interdictum ſolet, ſaltem aliquam, quæ culpa ſua cauſam illi præbuit, *Suar. diſ.* 1. *n.* 13. *Laym. c. l.* Tertio, Clericus violans ceſſationem a Divinis, licet graviter peccet, non tamen incurrit irregularitatem, quam incurrit, ſi violet interdictum per exercitium ſui Ordinis; ſed miniſtri Eccleſiæ ſimpliciter prohibentur ceſſare, ſeu abſtinere a Divinis in tali loco, *Suar. cit. l. & Laym.*

Quarto privilegia conceſſa circa Interdictum, ut v. g. Clerici quotidie poſſint celebrare Divina Officia, cum limitatione *c. Alma h. t. in* 6. non extenduntur ad ceſſationem a Divinis, ut ex communione ſententia docet *Navarr. in Man. c.* 27. *n.* 188. *Avila p.* 6. *diſ.* 1. *dub.* 3. *Suar. diſ.* 39. *de cenſ. ſ.* 2. *n.* 11. quia a diverſis ad diverſa non fit illatio, & in *c. Quod in te.* 11. *de pœnit.* talis facultas peculiariter conceditur, tempore interdicti, ideoque non debet extendi ad ceſſationem a Divinis, Nihilominus contraria ſententia eſt etiam valde probabilis, quia ceſſatio eſt tantum ab officiis publicis, quam tenet *Covarr. in c. Alma. p.* 2. §. 4. *n.* 7. *Suar. cit. diſ.* 3. *ſ.* 2. *n.* 14. *Laym. cit. l.* Similiter quamvis inſpecto Juris rigore, neque in quatuor præcipuis anni feſtivitatibus licitum ſit celebrare Divina Officia, tempore ceſſationis, quia illa exceptio ſolum facta eſt de interdicto: tamen ex æquitate, & benigna DD. interpretatione, Divina Officia ſolemniter celebrari poſſunt, tempore ceſſationis, in prædictis feſtivitatibus, quia ob reverentiam earum, talis facultas abſolute conceſſa videtur, *Suar. cit. diſ.* 39. *ſ.* 2. *n.* 12. *Laym. cit. l. Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 8. *n.* 18. Et hinc etiam quamvis ſpectato Juris rigore, tempore ceſſationis, non videatur ita ample eſſe conceſſa, ſicut tempore interdicti, ut colligitur ex *c. Non eſt.* 11. *de ſponſal.* ubi tantum tempore ceſſationis conceditur miniſtrari Baptiſmus parvulorum, & pœnitentia morientium, adjuncta etiam Viatico: ſecundum æquitatem tamen probabiliter dici poteſt etiam tempore ceſſationis, poſſe miniſtrari illa Sacramenta, quæ tempore generalis interdicti, iis, qui ſpecialiter interdicti non ſunt, miniſtrari poſſunt, de quo ſupra dictum, *Covarr. cit. l. Suar. cit. l. n.* 18. *Laym. c. l. n.* 2. *&* 3.

Quinto, ſepultura in loco ſacro, tempore ceſſationis puræ, ſive ſeparatæ ab interdicto, omnibus, non ſolum Clericis eſt conceſſa, modo fiat, ſine officio funebri, quia in *cit. c.* non eſt, ſolum prohibetur, ut tempore ceſſationis nulla Officia Divina celebrentur, quo nomine comprehenduntur Sacramenta; ut ex adjunctis verbis colligitur, non autem ſepultura in loco ſacro, quia hæc Officium proprie dici non ſolet: ab interdicto autem ad ceſſationem a Divinis, cum ſint diverſa, etiam ob paritatem rationis, non eſt facienda extenſio, præſertim in materia odioſa, *Suar. cit. diſ.* 39. *ſ.* 2. *n.* 31. *Laym. c. l. n.* 4.

CCLXIII. Porro qui interdictum imponere, is etiam ceſſationem a Divinis poteſt indicere, veluti Epiſcopus, vel qui ſimilem Epiſcopali juriſdictionem in foro externo obtinet, *Covarr. in §. Alma. p.* 2. *§.* 2. *n.* 6. *Suar. c. l. ſ.* 3. *num.* 2. & interdum indicitur hæc ceſſatio, præcedente interdicto, interdum vero ſine illo. *Laym. cit. l.* Violantes autem ceſſationem generalem a Divinis ſimiliter ipſo facto, ſunt excommunicati, juxta *Clement.* 2. *§. In ceſſationibus vero generalibus. h. t.* ubi etiam dicitur, quod non ſolum Concilium Provinciale, ſed etiam aliud Capitulum, vel Collegium ex conſuetudine poſſit ceſſationem imponere: *Suar. cit. diſ.* 39. *ſ.* 3. *num.* 3. Aad cauſam indicendi illam quod attinet, debet eſſe delictum graviſſimum & publicum, adverſus commune bonum Eccleſiæ, quod cum contumacia perſeveret, *Laym. cit. l.* Denique forma & conditiones, quæ obſervandæ ſunt in indicenda ceſſatione a Divinis præſcribuntur in *c. Si Canonici.* 2. *& c. Quamvis.* 8. *de Offic. Ordin. in* 6. de quibus actum ſupra *l.* 1. *tit.* 31. *ſ.* 3. *§.* 11. de quibus etiam fuſe agit *Suar. cit. l.* 3. *n.* 5. *& ſeqq.* apud quem plura alia de hac ceſſatione, & alios DD. legi poſſunt.

Superſunt duo adhuc Tituli generales, videlicet *de Verborum ſignificatione, & de Regulis Juris*, qui ad univerſum Jus ſpectant, & ad imitationem Juris Civilis in fine Librorum Decretalium ſunt appoſiti, quos proinde ſeorſim trademus, & exponemus.

INDEX GENERALIS
SYNOPTICUS, ET METHODICUS RERUM, ET QUÆSTIONUM QUÆ IN TITULIS LIBRI V. DECRETALIUM CONTINENTUR.

TITULUS I.

De Accuſationibus, Inquiſitionibus, & Denunciationibus.

TRibus modis cauſæ, & actiones criminales in Judicium deducuntur, & inſtituuntur: Per Accuſationem, vel Inquiſitionem, vel Denunciationem: quamvis hi modi procedendi criminaliter ad duos generales reduci poſſint, quando ſcilicet Judex procedit ex Officio ſuo, vel ad inſtantiam alterius, accuſantis ſcilicet, vel denunciantis.

SECTIO I.

De Accuſationibus.

§. I.

Quid ſit Accuſatio, & qua ſit forma, ſive quæ conditiones ad illam requirantur?

Aſſertio 1. Accuſatio eſt alicujus criminis apud Judicem competentem ad vindictam publicam legitime facta delatio. Eaque duplex eſt, una publica, quæ tendit ad vindictam publicam criminis: altera privata, quæ fit ob privatam injuriam, & ad pœnam applicandam parti læſæ, n. 1. Aſſertio 2. Jure communi ad formam accuſationis requiritur 1. ut libellus accuſatorius offeratur in ſcriptis, quamvis ex conſuetudine accuſatio poſſit fieri verbaliter, modo Notario eam ſtatim in ſcriptum redigat. 2. Ut exprimatur annus & dies, quo porrigitur libellus. 3. Nomen accuſatoris, & accuſati. 4. Species delicti. 5. Locus & tempus, in quo commiſſum eſt delictum. 6. Requiritur inſcriptio accuſantis ad pœnam talionis, quamvis iſta inſcriptio hodie non ſit amplius in uſu, ſed loco ſolemnis accuſationis ſucceſſit ſimplex querela, *n.* 2.

§. II.

Quinam ad accuſandum admittantur, & qui ab eo repellantur?

Generaliter omnibus eſt permiſſum accuſare, qui ſpecialiter non ſunt prohibiti, ſi crimen ſit publicum: ſi vero ſit privatum, is ſolum poteſt accuſare, cujus intereſt, ſive qui injuriam, ſeu damnum paſſus eſt, n. 3. Porro plures ab accuſando repelluntur, veluti 1. Clerici criminaliter accuſare laicos prohibentur, n. 4. 2. Laici Clericos, niſi ſuam, vel ſuorum injuriam proſequantur, & in exceptis criminibus enormibus, ut læſæ Majeſtatis, hæreſis, &c. *num. eod.* 3. Aliqui repelluntur ab accuſando propter defectum ætatis, ut pupilli, niſi ſuam, vel parentum injuriam proſequantur: poteſt etiam impubes major infante accuſare, cum Tutoris auctoritate; pubes vero, ſed minor 20. annis ſolus, ſine auctoritate Curatoris, non admittitur, niſi ſuam, vel ſuorum injuriam proſequatur: cum auctoritate tamen Curatoris minores accuſare poſſunt, dummodo 14. ætatis annum exceſſerint, *cit. num.* 4. 4. Repelluntur ab accuſando mulieres propter verecundiam, & fragilitatem ſexus, niſi ſuam, ſuorumque injuriam proſequantur, poſſunt tamen accuſare in criminibus exceptis, *num.* 5. Repelluntur 5. infames, & criminoſi, utroque jure, niſi ſuam, vel ſuorum injuriam proſequantur, vel niſi agatur de crimine læſæ Majeſtatis. Et infames quidem infamia Juris, utroque Jure, ab accuſando repelluntur; infames vero infamia facti etiam de Jure Canonico accuſare non poſſunt, *num. eod.* 6. Ligatus majore excommunicatione accuſare non poteſt, etiamſi ſuam vel ſuorum injuriam proſequatur, *num. eod.* 7. Neque liberi, nec liberti accuſare poſſunt parentes, & patronos, niſi in crimine læſæ Majeſtatis: Nec vaſalli, & ſervi dominum. 8. Nec Pagani & Judæi Chriſtianos, nec hæretici Catholicos, etiam in criminibus exceptis. 9. Nec pauperes, niſi conſtet eſſe honeſtæ vitæ. 10. Non poteſt accuſatus criminaliter reaccuſare accuſatorem ſuum in pari, vel minore crimine, niſi ſuam, vel ſuorum injuriam proſequatur: de majore autem crimine poteſt accuſatus reaccuſare alium, ſaltem extraneum, *num.* 6.

§. III.

Qua ratione repellatur quis ab accuſando ob inimicitiam?

Alia cauſa, ob quam repellitur quis ab accuſando, eſt inimicitia accuſatoris cum accuſato, eaque gravis & capitalis, juxta arbitrium Judicis. Extenditur 1. quod non ſolum inimici accuſari, ſed etiam eis cohabitantes repellantur ab accuſatione: multo magis ergo repelluntur ab accuſando ipſi inimici accuſati, *num.* 7. Extenditur 2. nec is, qui tulit teſtimonium contra aliquem in cauſa criminali, poteſt poſtea accuſare in eadem cauſa, *num.* 8. Extenditur 3. inimicus non ſolum repellitur ab accuſatione, ſed etiam, ab exceptione voluntaria, ſeu ſponte oppoſita, *num.* 9.

Monachi, ſeu Religioſi non ſunt ab accuſatione Prælati ſui repellendi, non obſtante reverentia, obedientia, & ſubjectione, quam ipſi debent, niſi aliqua rationabilis cauſa id impediat (quia v.g. ſunt excommunicati, vel inimici) licet alios accuſare non poſſint, *num.* 10. Et ad hoc neceſſariæ expenſæ ad litem eis miniſtrari debent, *num.* 11. Excipi debet, niſi Monachus proprium peculium habeat, & quando alias non debeant illa miniſtrari expenſæ, vel debeant, n. 12. Accuſatio Prælati debet fieri coram illis, quorum intereſt, ut reus vel condemnetur, vel abſolvatur, *n.* 13. Non tantum Monachi, ſed etiam Converſi laici debent admitti ad accuſandum Prælatum; & non ſolum ob delictum dolo commiſſum, ſed etiam ob culpam, ſeu negligentiam poteſt accuſari Prælatus, n. 14.

§. V.

An Judex ex officio repellere poſſit accuſatorem inhabilem, etiamſi pars nihil contra illum excipiat?

Si quis legitime accuſare non poſſit, repelli debet, ſi Reus excipiat contra illum, vel etiam eo nihil opponente, a Judice ex officio, n. 15. Nullus Epiſcopus poteſt familiares ſuos ipſum accuſare volentes per exceptionem criminis repellere, quos, antequam ſe ab eis accuſandum cognoſceret, a ſua familiaritate non ſeparavit, n. 16. idque declaratur, n. 17.

§. VI.

An quis obligetur ad accuſandum, & utrum accuſator deſiſtere poſſit ab accuſatione inchoata?

Si crimen vergat in damnum ſpirituale, vel temporale Reipublicæ, etſi plerumque ſufficiat illud denunciare juridice, vel canonice: interdum tamen contingere poteſt, ut teneatur quis etiam ad accuſandum, ſi damnum publicum alia ratione impediri non poſſit, n. 18. Quamvis accuſator, ante litem inchoatam, in cauſa criminali deſiſtere poſſit ab accuſatione, poſt litem vero conteſtatam non poteſt, n. 19. Quando accuſator non poteſt probare crimen, non tantum poteſt, ſed etiam debet deſiſtere ab accuſando, *n.* 20. Deſiſtens ab accuſatione, poſt litem inchoatam, non poteſt de illo crimine denuo accuſare. Imo ſi quis coram Judice dicat, ſe accuſaturum aliquem, etſi deinde poſſit impune ante inſcriptionem deſiſtere, ei tamen ſilentium imponi debet, ne non poſſit amplius de tali crimine accuſare, *n.* 21. idque declaratur, n. 22.

§. VII.

De perſonis, quæ criminaliter accuſari poſſunt, vel non poſſunt.

Generaliter loquendo, omnes delinquentes de quibuſcunque delictis accuſari poſſunt, præter abſentes, qui de Jure communi de capitali crimine accuſari non poſſunt. Item nec Papa, Imperator, vel Rex, nulli Superior ſubiecti, *num.* 23.

Quær. 1. An accuſatus de uno crimine poſſit de eodem denuo accuſari? R. De his criminibus, de quibus eſt abſolutus denuo accuſatus, non poteſt iterum accuſari, n. 24. Quando abſolutus ab uno delicto poſſit denuo de eodem accuſari, n. 25. *& duobus ſeqq.* Quær. 2. An accuſatus de uno crimine poſſit ſimul, & eodem tempore accuſari de alio? R. affirmative, *n.* 28. Quær. 3. An Univerſitas, ſeu Collegium poſſit accuſari? R. poteſt, modo tota Communitas deliquerit, n. 20.

§. VIII.

An in cauſis, & judiciis criminalibus Procurator admitti poſſit, ac debeat.

Aſſertio 1. In cauſis criminalibus nec ad agendum, ſeu accuſandum, nec ad defendendum admittitur Procurator. Item qui ſemel eſt confeſſus, ſe calumnioſe aliquem accuſaſſe, non debet admitti denuo ad accuſandum eundem, ſi virtute juramenti ipſi fuit injunctum, ut non accuſaret, *n.* 30. In locum pœnæ talionis, quæ hodie abrogata eſt, ſucceſſit pœna extraordinaria, quæ pro arbitrio Judicis infligenda eſt accuſatori, ſi in probatione criminis defecerit, *n.* 31. In cauſis criminalibus, in quibus Reo pœna capitalis, vel alia corporalis imponitur, regulariter non admittitur Procurator, *cit. num.* 31. Admittitur tamen ad excuſandum, vel

vel allegandum cauſas abſentiæ domini, & ad opponendas exceptiones dilatorias, quæ ante litem conteſtatam opponi ſolent, *n.* 32. Aſſertio 2. In Judiciis, & cauſis criminalibus, in quibus non infligitur pœna capitalis, vel corporalis, ſed pecuniaria, aut civilis, Procurator intervenire poteſt, *num.* 33. & in pluribus aliis caſibus in ſpecie, quæ ponuntur, *cit. num.* 33. & 34. An in caſibus, in quibus Procurator intervenire poteſt, ſi admittatur, parte nihil contra illum opponente, proceſſus Judicis teneat, necne *citat. num.* 34. *in fine.*

§. IX.

De modo procedendi obſervando in Judicio criminali accuſatorio.

Quær. 1. Quomodo procedendum ſit, quando accuſator, & reus accuſatus ſunt præſentes in Judicio? n. 35. Quæt. 2. Quomodo procedendum ſit in cauſis criminalibus contra reos contumaciter abſentes? & quomodo de Jure Canonico? *num.* 36.

§. X.

De effectibus accuſationis, & pœnis Reo, vel etiam Accuſatori imponendis.

Si presbyter, cui Eccleſia eſt commendata, ebrioſus per totam noctem in taberna verſetur, & mane non præmiſſa dormitione, Miſſam celebret, & de hoc eſt convictus, vel confeſſus, Eccleſia privari debet. Si vero Eccleſia Canonice ei fuit collata in titulum, & poſtea non fuit convictus de aliquo crimine, ob quod jure ea eſt ſpoliandus: vel ſi fuit ſpoliatus poſt appellationem, in pacificam ejus poſſeſſionem reſtitui debet, *n.* 37. & 38. Alia pœna, ſeu penitentia decreta eſt in accuſantem aliquem calumnioſe, ſi occidatur innocens, ut in pane, & aqua per 40. dies pœnitentiam agat, & per ſeptem ſequentes annos peniteat. Si vero innocens eſt mutilatus, & non occiſus, per tres Quadrageſimas penitere debet, *num.* 39. & 40. Alius effectus accuſationis criminalis eſt, quod accuſatus, vel denunciatus de crimine aliquo, pendente accuſatione, vel denunciatione, ad honores & dignitates promoveri non poteſt, *num.* 42. Idque extenditur 1. Ut habeat locum non tantum in dignitatibus Eccleſiaſticis, ſed etiam in ſæcularibus, *n.* 42. Extenditur 2. Si accuſatus, denunciatus, vel inquiſitus ſit promotus ad honorem aut dignitatem, pendente judicio criminali, non tenet promotio, etiamſi poſtea per ſententiam innocens ſit pronunciatus, ſed nova requiritur promotio, *cit. n.* 42. Extenditur tertio. Accuſatus, lite pendente, non poteſt promoveri ad honores, etiamſi infamia non præceſſerit, *num. eod.* Limitatur 1. Accuſatione pendente, non poteſt accuſator promoveri ad honores, dummodo accuſatio teneat, & facta ſit a legitimo accuſatore, *num.* 43. 2. Dummodo crimen, de quo aliquis accuſatur, vel denunciatur, ſit grave, *num. eod.* 3. Niſi accuſetur, vel denuncietur integrum Collegium, *num. eod.* 4. Niſi accuſatio de crimine etiam famoſo fiat ſolum ad intereſſe proprium proſequendum, *cit. n.* 43.

§. XI.

Qualiter accuſatore non probante, vel non comparente, Reo infamato de crimine indicenda ſit purgatio Canonica?

Agenti interdicto poſſeſſorio adipiſcendæ poſſeſſionis in beneficialibus non obſtat exceptio criminis, niſi de eo publice ſit infamatus: & infamato, accuſatore non probante, indicitur purgatio, in qua ſi defecerit, punitur ut convictus, n. 44. & 45. Infamia objecti criminis, quos habeat effectus? *cit. n.* 45.

§. XII.

Quibus modis tollatur, & extinguatur accuſatio criminalis?

Ea tollitur, ac finitur 1. per præſcriptionem, poſt elapſum tempus 40. annorum a die commiſſi criminis. Quædam vero breviore tempore tolluntur, *num.* 46. 2. Extinguitur accuſatio criminalis per mortem accuſatoris, ante latam ſententiam, *num. eod.* 3. Extinguitur crimen, & ejus pœna per mortem Rei delinquentis, & conſequenter etiam ipſa accuſatio, ubi tamen diſtinguendum eſt inter pœnam corporalem, & pecuniariam, *cit. n.* 46.

SECTIO I.

De Inquiſitionibus.

§. I.

De Inquiſitione in genere, & poteſtate inquirendi.

Quær. 1. Quid & quotuplex ſit Inquiſitio? Reſp. eſt alicujus criminis manifeſti ex bono, & æquo a Judice competente legitime (id eſt, juridice, & canonice) facta inveſtigatio, quæ ſcilicet facta eſt, ſecundum jura, & Canones, *n.* 47. Reſp. 2. triplex eſt Inquiſitio, ſimpliciter generalis, ſive generaliſſima, quæ fit ex mero officio Judicis, cum neque perſona, neque crimine expreſſo generatim inquiritur, an non committatur crimina in aliqua Civitate, vel loco? Altera eſt Inquiſitio generalis, ſive potius mixta, id eſt, partim generalis, quoad delicta, ut cum conſtat, Titium eſſe occiſum, ſed inquiritur, quiſnam illum occiderit: vel e converſo, partim generalis quoad delicta: partim ſpecialis, quoad perſonas, ut cum inquiritur, an Titius flagitia quædam commiſerit? Tertia eſt Inquiſitio ſimpliciter Specialis, quando decreto ac determinato delicto contra certam perſonam inquiritur ad puniendum delictum, v. g. an Titius homicidium commiſerit? eaque fit tribus modis *num.* 48. Quær. 2. Quis poſſit, & contra quos juridice inquirere, & in quibus delictis? Reſp. 1. Quilibet Judex, ſive ſæcularis, ſive Eccleſiaſticus, modo competens ſit, alioquin Inquiſitio invalida eſt. Ex quo ſequitur 1. quod inquiſitio facta. Judice ſæculari contra perſonas Eccleſiaſticas ſit nulla. 2. Illi ſoli Judices criminaliter inquirere poſſunt, qui habent merum imperium, ſeu jus gladii, niſi ſit cauſa criminalis incidens. n. 49. Reſp. 2. Reus contra quem inquiritur, debet eſſe ſubjectus juriſdictioni inquirentis, quoad articulum, de quo inquiritur. Reſp. 3. De Jure Civili non poteſt regulariter Judex ex officio inquirere ſuper delictis, nemine accuſante, vel querelam proponente. Sed de Jure Canonico ſuper omnibus delictis a Judice ex officio procedi poteſt, ſi præcedat infamia, vel accuſatio, vel denunciatio publica. Ex recepta vero generali conſuetudine, etiam de jure Civili, & in foro ſæculari permiſſum eſt in omnibus delictis procedere ex officio per inquiſitionem, *cit.* n. 49.

§. II.

An ad Inquiſitionem omnino generalem, vel mixtam, requiratur, ut præcedat infamia criminis, vel perſonæ?

Aſſertio I. Ad faciendam inquiſitionem generaliſſimam, quæ fit ad plura delicta in genere inveſtiganda, non requiritur, ut præcedat infamia perſonæ, vel indicium commiſſi criminis: ſed Judex ex ſuo officio poteſt, imo tenetur illam inſtituere, *n.* 50. Idque declaratur *n.* 51. Metropolitani debent ſingulis annis celebrare Concilium Provinciale cum ſuis Suffraganeis, in quibus de corrigendis exceſſibus, & reformandis moribus, præſertim in Clero tractent, & ea deferant ad Concilium Provinciale ſequens, *n.* 52. Declaratur, *n.* 53. Aſſertio 2. In mixta inquiſitione, id eſt, partim generali, partim ſpeciali, quando crimen eſt publicum, v. gr. homicidium, ſed auctor ignoratur, tum licet Judici non ſpecialiter contra certam perſonam, ſed generaliter inquirere, quis illud commiſerit, etiam nulla præcedente fama de perſona aliqua particulari, n. 54.

§ III.

An & qua ratione ad inquiſitionem generalem contra perſonam aliquam particularem requiratur, ut præcedat infamia illius, & quomodo in tali inquiſitione ſit procedendum?

Quando fama, & clamor non a malevolis, & maledicis, ſed a providis, & honeſtis, non ſemel, ſed ſæpe pervenit ad aures Superioris contra aliquem ſubditum, vel Prælatum: tunc Superior quaſi denunciante fama, vel deferente clamore, ex officio ſuo inquirere debet veritatem coram Senioribus Eccleſiæ. Et hoc diligentius eſt ſervandum in Prælatis judicandis, quia ipſi non poſſunt omnibus placere, cum ex officio increpent, ſuſpendant, ligent, & ſic incurrunt odium, & inſidias multorum *c. Qualiter* 24. *h. t.* num. 55. *& pluribus ſeqq.* Ubi hæc fuſius declarantur.

§. IV.

In quibus caſibus non requiritur neceſſaria ad ſpecialem inquiſitionem contra perſonam particularem de aliquo crimine, ut præcedat illius infamia?

Plures ſunt hujuſmodi caſus, veluti 1. ſi extent legitima, & ſufficientia indicia contra inquiſitum, licet is infamatus non ſit de crimine, n. 61. 2. Si Judex inquirat ad denunciationem publici Officialis; *num. eod.* 3. inquiſitio facta, ſine præcedente infamia, parte non opponente, tenet, *num.* 62. Idque declaratur, *num.* 63. 4. Quando inquiſitio non fit ad effectum puniendi crimina, ſed corrigendi ob ſalutem animæ, ut quando inquiritur de vita, & moribus eligendi in Epiſcopum, vel promovendi ad Ordines, tunc de delictis ſecretis inquiri poteſt ſummarie, de quibus non præceſſit infamia, *n.* 64. 5. In crimine læſæ Majeſtatis, hæreſis & Apoſtaſiæ, & aliis delictis enormibus. 6. Quando Judex inquirit ſpecialiter contra aliquem ſuper crimine, de quo prius generaliter inquiſivit, quis ſit auctor illius, *cit. n.* 64. Additur alius caſus n. *eod.*

§. V.

Quænam præterea Jure Canonico ſtatuta ſunt circa modum procedendi per inquiſitionem ſpecialem?

Inprimis Inquiſitores generales, ſi non ſervarunt debitum inquiſitionis modum, prudenter, & caute ſe debent corrigere, ne auctoritas illorum vileſcat. *n.* 65. Et quæ ſit forma juramenti, quam inquiſitores ab inquiſitis exigunt. n. *eod.* declaratur *n.* 66. & 67. 2. Qui jurat reſpondere tantum ad interrogata, & confitetur aliquod crimen, auditur volens ſe excuſare, interpretando confeſſionem, non tamen eam perimendo: & ſi ſufficienter probat illas exceptiones, liberatur, dummodo poſſit probare, quod ſub hac forma juraverit, per ſcriptum, vel teſtes. Si vero juravit dicere plenam, & meram veritatem, ſed non poteſt probare illas excuſationes, eſt puniendus. *n.* 68. declaratur n. 69. 3. Non eſt procedendum ad inquiſitionem contra aliquem, niſi prius conſtet de infamia illius; & tunc non inimici, vel perjuri, ſed idonei viri ad proſequendam inquiſitionem, & ad teſtimonium ferendum ſunt admittendi. n. 70. Idque declaratur. *n.* 71. 4. Si facto proceſſu, conſtat de crimine, v. gr. Abbatis, iſque deponatur, non ſervato juris ordine, licet vere eſſet deponendus, injuſte tamen eſt depoſitus, ob non ſervatum Ordinem judiciarium, & ſic reſtituendus foret: quod ſi interim alius ſubſtituatur, ille injuſte, eſt ſubſtitutus, cum primus ſit injuſte privatus, n. 72. Declaratur, *n.* 73.

§. V.

Quæſtiones nonnullæ circa modum procedendi per inquiſitionem a Concilio Lateranenſi præſcriptum occurrentes proponuntur & reſolvuntur.

Quær. 1. An in quavis inquiſitione ſervari debeat forma, ſeu modus præſcriptus in Concilio Lateranenſi? De hac re

agitur *num.* 74. Quær. 2. Cum in inquiſitione ſpeciali ſuper certo crimine, & contra certam perſonam procedi poſſit, vel ex mero Officio Judicis, vel ad partis petitionem ac denunciationem, quomodo iſti duo modi differunt. *Reſp.* de hoc agitur *n.* 75. Quær. 3. Quomodo judicium inquiſitionis differat ab aliis judiciis, ſcilicet accuſationis, & denunciationis? Reſp. ſex differentiæ referuntur, *n.* 77. Quær. 4. Quænam ſpecialia ſint obſervanda in inquiſitione contra Regulares? Reſp. tria, quæ adferuntur, *n.* 78.

§. VII.

Qualiter puniendum ſit crimen per modum inquiſitionis probatum?

Si crimen per modum inquiſitionis probatum impediat etiam, poſt peractam pœnitentiam, Ordinis executionem, vel beneficii retentionem, punitur quis, ſicut in judicio accuſationis, alias pœna arbitraria, *num.* 79. declaratur *num.* 80. Præterea quando non præceſſit infamia, aut clamoſa inſinuatio contra aliquem, tunc non debent recipi depoſitiones contra eum, etiamſi plures juramento affirment, illum deliquiſſe, eis videntibus, nec etiam aliqua pœna puniri debet, ad petitionem eorum, qui in occulto porrigunt libellum infamationis continentem crimina, *num.* 81. declaratur *num.* 82. Denique non punitur quis de crimine, de quo non conſtat, niſi per famam, vel teſtium credulitatem, neque debet quis apud Judicem infamatus reputari, propter dicta paucorum, *num.* 83. declaratur, *n.* 84. Poſtquam aliquis eſt confeſſus certa crimina coram Judice inquirente, non poteſt ſe excuſare, dicendo, quod non tradidit capitula, ſuper quibus erat inquirendus, ſed condemnandus eſt, *n.* 85.

SECTIO III.

De denunciationibus.

§. I.

Quid & quotuplex ſit denunciatio, & in quibus caſibus poſſit Judex procedere per denunciationem judicialem?

Aſſertio I. Denunciatio in genere eſt alicujus criminis delatio, ſeu manifeſtatio Superiori legitime facta. Eaque triplex eſt Evangelica ſeu charitativa, Judicialis, & Canonica. Denunciatio Evangelica eſt, quæ tendit ad pœnitentiam, & correctionem ipſius peccatoris, in qua hic ordo ſervandus eſt: delinquens primum privatim monendus eſt iterum ac tertio: deinde adhibito uno, vel altero teſtium, & denique ſi pergat eſſe contumax, denunciandus eſt Eccleſiæ, *Matth. cap.* 18. & habet locum hæc denunciatio in quovis peccatore occulto, modo probari poſſit, & quilibet poteſt denunciare charitative, cujus finis eſt, ut peccator pœniteat, & corrigatur, *num.* 86. Judicialis denunciatio, alia eſt publica, in qua Judex ex officio ſuo procedit, per denunciationem ſuorum Officialium, ad publicam vindictam criminis. Alia eſt privata, quæ ratione proprii intereſſe, ſeu commodi inſtituitur. Alia eſt Canonica ſic dicta, quia a SS. Canonibus eſt introducta, quæ fit ad impediendum, ne quid illicitum fiat, v. gr. ne indignus ordinetur, vel eligatur, eaque vel generalis eſt, vel ſpecialis, quibus additur quarta ſpecies, ſcilicet denunciatio regularis, *num.* 87. Theologi communiter dividunt denunciationem in duas tantum ſpecies, charitativam, & pœnitentialem, ſeu judicialem: charitativa eſt, in qua crimen defertur ad Prælatum, tanquam patrem, ut in ſecreto corrigat. Judicialis eſt, qua crimen defertur ad illum, tanquam perſonam publicam, ſive Judicem, & quomodo differant hæ denunciationes. Eſt autem duplex denunciatio judicialis, una publica, ſeu criminalis, quæ ad publicam vindictam, ſeu pœnam tendit, ob bonum publicum: altera privata, ſeu civilis, quæ privatum intereſſe, ſeu ſatisfactionem intendit, *num.* 88. Aſſertio 2. In foro ſæculari quilibet Judex ex officio procedere poteſt judicialiter, ad denunciationem cujuslibet alterius privati, & quando privata, & ſpeciali denunciatione? *n.* 89. Aſſertio 3. de Jure Canonico licet Judex Eccleſiaſticus propter peccatum admittere poſſit denunciationem Evangelicam, ſeu charitativam, non tamen judicialem, niſi in certis caſibus, enumeratis, *n.* 90.

§. II.

Utrum ante denunciationem judicialem, ſemper præcedere debeat ſecreta monitio, & an etiam aliæ juris ſolemnitates in ea ſervandæ ſint, & quinam ab hac denunciatione repellantur?

Aſſertio I. Si fiat denunciatio judicialis in foro ſæculari, ſive generalis, & publica, ſive ſpecialis, & privata, non debet illam præcedere ulla admonitio. At vero in foro Eccleſiaſtico, ſeu Canonico requiritur, ſaltem ſi ſit ſpecialis, ut admonitio præcedat, eaque trina, vel ſaltem bina, nimirum ſemel privatim, & ſecreto, & ſecundo coram uno, vel duobus teſtibus, *num.* 91. Unde volens denunciare Epiſcopum ſuum, prius ipſum charitative admonere debet, alioquin non admittitur ejus denunciatio, *num.* 91. Et quid Jure novo Concilii Trident. *Seſſ.* 12. *cap.* 6. *de reform.* quoad hoc circa Epiſcopos, eorumque cauſam ſtatutum ſit, habetur *num.* 92. Aſſertio 2. Denunciator non tenetur ſe inſcribere ad pœnam talionis ſubeundam; quando enim in modum denunciationis opponitur, non eſt inſcriptio neceſſaria, ſed is defert in ſcriptis ad Judicem denunciationem, vel ipſemet narrat eam Notario, quia ipſo dictante redigit illam in ſcripta. At vero aliæ ſolemnitates ſolent obſervari, quæ requiruntur in libello accuſatorio, ut nimirum exprimatur crimen, malefactor, ſive reus, locus & tempus commiſſi criminis, *c. Super his* 26. *h. t. num.* 93. Aſſertio 3. Publicus concubinarius, & ob id excommunicatus, & is, qui conſpiravit in denunciandum, vel prius illum non admonuit de crimine, nunciare non poteſt. Item Epiſcopus non præſumat gravare Clericos, qui legitime appellarunt ad Sedem Apoſtolicam ſuper illo delicto, donec cauſa fuerit terminata: *n.* 94. Declaratur, *n.* 95.

§. III.

An pendente inquiſitione, ad denunciationem contra Superiorem, ſeu Prælatum a ſubditis factam, Superior procedere poſſit in cauſa illa contra ſubditos?

Sententiæ excommunicationum, ſuſpenſionum, vel interdicti latæ, poſt denunciationem per Abbatem denunciatum pro ipſo in Monachos denunciantes, vel adhærentes eiſdem, relaxari, & ſpoliati, pendente lite, ab Abbate reſtitui, & Judices, ſine ſtrepitu Judicii, inquirere debent in perſonas, & obſervantias regulares, & corrigere ac reformare, tum Caput, cum membra, & relaxare juramenta de tacenda veritate; ſed lite pendente, Monachi non eximuntur ab Abbatis obedientia, ita tamen ut lis non impediatur, & manifeſtentur Abbati denunciato dicta teſtium, *n.* 96. Declaratur, *n.* 97. & 98. Præterea ſi Prælatus denunciatur ſuſpectus de dilapidatione bonorum Eccleſiæ, commiſſio facienda eſt ſuper veritate inquirenda, & pendente negotio, ei interdici debet poteſtas quocunque modo alienandi bona Eccleſiæ, *n.* 99. Declaratur, *n.* 100.

§. IV.

Quomodo procedendum ſit, quando crimen opponitur per modum exceptionis, & quomodo ſuper crimine notorio?

Aſſertio 1. Denunciator criminis non ſe inſcribit ad eandem pœnam, ſi non probaverit, quia denunciatio non fit ad pœnam, ſicut accuſatio. Si vero excipiendo objiciatur crimen, diſtinguendum eſt, quare opponatur, & quando, ſi enim objiciatur, ut ab accuſatione, vel teſtimonio aliquis repellatur, non eſt neceſſaria inſcriptio: ſed cum excipitur, ut quis ab officio, vel beneficio excludatur, ſi ante confirmationem objicitur, non cogitur ſe inſcribere. Si vero poſt confirmationem opponitur, quia etiam ab obtinendo repellit, & privat obtento, ſecundum arbitrium Judicis, eſt puniendus, ſi defecerit in probatione; quando vero agitur de crimine per modum exceptionis, poteſt intervenire Procurator, *n.* 101. Declaratur *num.* 102. *& ſeq.* Aſſertio 2. In notoriis criminibus, quando & crimen eſt notorium, & malefactor, non eſt neceſſarium, ut ſervetur ordo juris, neque accuſator requiritur, *n.* 104. Alius modus, procedendi criminaliter eſt, ſi reus in flagranti delicto ſit deprehenſus, *n.* 105.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.	*n.* 101. *& duobus ſeqq.*
c. 2. *n.* 3.	*c.* 17. *n.* 65. *& duobus ſeqq.*
c. 2. *n.* 91. *& ſeq.*	*c.* 18. *n.* 68. *& ſeq.*
c. 3. *n.* 13.	*c.* 19. *n.* 70. *& ſeq.*
c. 4. *n.* 41.	*c.* 20. *n.* 93. *& ſeq.*
c. 5. *n.* 16.	*c.* 22. *in princ. n.* 79. *& ſeq.* §. *Tertia n.* 81. *& ſeq. &* §. *Quæſiviſti n.* 38. *& ſeq.*
c. 6. *n.* 24. *& tribus ſeqq.*	*c.* 22. *n.* 72. *& ſeq.*
c. 7. *n.* 7.	*c.* 23. *n.* 44. *& ſeq.*
c. 8. *n.* 39. *& ſeq.*	*c.* 24. *n.* 55. *& pluribus ſeqq.*
c. 9. *n.* 104.	*c.* 25. *n.* 52. *& ſeq.*
c. 10. *n.* 8.	*c.* 26. *n.* 96. *& ſeq.*
c. 11. *n.* 10. *& duobus ſeqq.*	*c.* 27. *& ult. n.* 99. *& ſeq.*
c. 12. *n.* 37. *& ſeq.*	In Sexto.
c. 13. *n.* 9.	*c.* 1. *n.* 58.
c. 14. *n.* 21. *& ſeq.*	*c.* 2. *n.* 62. *& duobus ſeqq.*
c. 15. *n.* 30. *& duobus ſeq.*	
c. 16. *in princ. n.* 93. §. *Cum autem*	

TITULUS II.

De Calumniatoribus.

§. I.

Quis dicatur Calumniator, & quid ſit calumniari, & quali pœna ſit afficiendus?

Aſſertio 1. Accuſatores, & denunciatores tribus modis delinquunt: vel enim calumniantur, vel prævaricantur, vel tergiverſantur. Calumniari eſt falſa crimina intendere in judicio. Eſt autem calumnia duplex, vera, ſi quis falſum crimen ſcienter alicui objiciat, vel præſumpta, ſi quis crimen objectum non probat, *num.* 1. Prævaricari eſt, vera crimina abſcondere. Tergiverſari eſt omnino ab accuſatione deſiſtere, *num.* 1. Aſſert. 2. Calumniator, qui ſcienter alium accuſavit, punitur pœna arbitraria, quamvis olim pœna talionis, *n.* 2. Subdiaconus, qui per calumniam accuſat Diaconum, privandus eſt officio Subdiaconatus, & verberandus, ac in exilium mittendus, quia quando non poteſt imponi pœna ordinaria, debet illa commutari in aliam, ad arbitrium Judicis. Verum pœna publicæ verberationis in Clericis hodie non uſurpatur, *n.* 3. & 4.

§. II.

An, & ob quas cauſas, excuſetur Calumniator a calumnia, ejuſque pœna, & an etiam denunciator puniatur tanquam calumniator, ſi in probatione criminis deficiat?

Aſſertio 1. Etiam in cauſis criminalibus accuſator excuſatur a calumnia, ſi errore probabili ductus accuſavit, etſi in probatione criminis defecit, *num.* 5. Quænam in ſpecie ſint hujuſmodi cauſæ excuſantes, *num. eod.* Quæ tamen ſolum excuſant in dubio, *num. eodem.* Aſſertio 2. Denunciatores publici non tenentur probare crimina, quæ denunciant,

pri-

Digitized by Google

privati vero tenentur, *num.* 6. Qui denunciat crimen, ſi in probatione deficiat, etiam de Jure Canonico puniendus eſt pœna extraordinaria, & ad arbitrium Judicis, *n.* 7. & 8.

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 3. *& ſeq.* *c.* 2. *n.* 7. *& ſeq.*

TITULUS III.

De Simonia, & ne aliquid pro ſpiritualibus exigatur, vel promittatur.

SECTIO I.

De Simonia in genere ejusque diviſione.

§. I.

Quid ſit Simonia?

Simonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, aut vendendi aliquid ſpirituale vel ſpirituali annexum. Declaratur, *n.* 1. & 2. Simonia eſt ſpecies quædam ſacrilegii adverſus virtutem Religionis, & alias etiam ſpeciales deformitates in ſe continet, & eſt ex genere ſuo peccatum mortale, nec poteſt ob parvitatem materiæ fieri veniale, *n.* 3. Eſt etiam interdum contra juſtitiam, *n.* 4.

§. II.

Quotuplex ſit Simonia?

Simonia alia eſt, quæ Jure naturali ac Divino eſt prohibita, eique repugnat: alia, quæ ſolum Jure humano, & Eccleſiaſtico, *n.* 4. Simonia ſolo Jure Eccleſiaſtico prohibita, non eſt vere ac proprie dicta Simonia: eſt tamen peccatum, non ſolum contra obedientiam, ſed etiam contra virtutem Religionis, & ſpecies quædam Sacrilegii ex genere ſuo mortalis, & iiſdem pœnis punitur, quibus aliæ Simoniæ, quæ ſunt contra Jus Divinum, *n.* 6. Dividitur etiam Simonia in mentalem, conventionalem, & realem. Mentalis dicitur, quæ habet opus externum adjunctum, quod tamen nullo ſigno externo apparet eſſe Simoniacum, ut ſi quis rem ſpiritualem alicui conferat, animo obligandi illum ad reddendam rem temporalem, *num.* 7. Simonia conventionalis eſt, quæ verbis, & ſignis exterius conſummatur per mutuum pactum expreſſum, vel tacitum, ſed quæ nondum eſt executioni mandata, ex neutra parte, *num.* 8. Simonia realis eſt, quæ ex utraque parte ipſa rei traditione eſt completa, quia ex una parte data eſt res ſpiritualis, ex altera parte pretium, vel pars illius; *num.* 9.

SECTIO II.

De materia Simoniæ, ſive rebus, in quibus committi poteſt hoc crimen contra Jus Divinum, vel humanum, ſeu Eccleſiaſticum.

§. III.

De Simonia, quæ committitur circa res mere ac intrinſece ſpirituales, & inprimis circa gratiam, Sacramenta, & Sacramentalia.

Aſſertio 1. Simonia proprie dicta contra Jus Divinum committitur, ſi quis pro pretio temporali vendat, vel emat gratias ſpirituales, & gratiam ſanctificantem, vel gratis datas, quod dupliciter fieri poteſt, *n.* 10. Aſſertio 2. Inſpecie Simonia contra Jus Divinum eſt dare, vel accipere pretium pro 7. Sacramentis Eccleſiæ, vel pro Sacrificio Miſſæ, *num.* 11. Qua ratione vendere Euchariſtiam ſit peccatum Simoniæ, *num.* 12. Etiam matrimonium, quatenus Sacramentum eſt, vendi non poteſt, abſque Simonia: ſecus eſt, ſi conſideretur, quatenus naturalis, & civilis contractus eſt, *num. eod.* Sacramenta vendi poſſunt, abſque Simonia, quoad materiam, ut panis, vinum, oleum &c. ſi ſcandalum abſit, & nulla lex Eccleſiaſtica id prohibeat, *num. eod.* Licitum eſt in extrema, vel etiam gravi neceſſitate dare pretium pro Sacramentis, ſi quis non velit illa adminiſtrare gratis, v. g. pro Baptiſmo, vel etiam Sacramento pœnitentiæ in articulo mortis, *num.* 13. Aſſertio 3. Etiam Sacramentalia ſunt propria materia Simoniæ contra Jus Divinum, ut ſunt benedictio nuptialis, aquæ, olei, conſecratio calicis &c. *n.* 14.

§. II.

De Simonia, quæ committitur circa Ordines, eorumque collationes, & præſentationes ad Ordines.

Aſſertio 1. Simonia eſt contra jus naturale, vendere, vel emere omnes functiones, ſeu actus qui ex poteſtate Ordinis procedunt, etiam Ordinum Minorum, *num.* 15. Aſſertio 2. Neque Epiſcopi, nec eorum Miniſtri poſſunt pro conferendis Ordinibus, vel Litteris ſuper iis conficiendis, quippiam temporale accipere, & multo minus exigere, neque ii, qui ordinantur, dare, *num.* 16. Quinam hic intelligantur nomine Miniſtrorum *num.* 17. Non poteſt pro collatione etiam primæ Tonſuræ aliquid temporale accipi, vel dari, abſque Simonia, *num. eod.* Epiſcopus non tantum pro collatione Ordinis, ſed etiam pro litteris dimiſſoriis, vel teſtimonialibus aliquid temporale licite accipere non poteſt, *nu. eod.* Quid de hoc hodie ſtatutum ſit in Decreto Concilii Tridentini *Seſſ.* 21. *c.* 1. *de reform. n.* 18. Item quæ pœnæ decretæ fuerint Jure antiquo in dantes, & accipientes munera ab ordinatis, *nu.* 19. Et quæ ſtatuta ſunt de collatione Ordinum, etiam locum habent in collatione beneficiorum, quod etiam nihil temporale liceat accipere *cit. num.* 19. Aſſertio 3. Non ſolum Simonia committitur, ſi detur pecunia, vel aliud pretio æſtimabile conferenti Ordinem, ſed etiam ſi dentur præſentanti ad Ordines: *num.* 20. Quæcunque pecunia etiam in modica quantitate ſufficit ad Simoniam, ſi pro re ſpirituali promittatur, aut detur, *num.* 21. Aſſertio 4. Simoniam etiam committit ille, qui convenit cum alio Clerico Beneficiario, ut ipſum præſentet Epiſcopo ordinandum ad titulum beneficii illius, cum pacto, ſe non petiturum aliam portionem ex eo beneficio, *num.* 22: cum talibus diſpenſare poteſt ſolus Papa, vel etiam ſecundum alios, Epiſcopus, *num.* 23. Non debet quis recipere Ordinem ab eo, quem credit eſſe Simoniacum, quamvis miniſtrare poſſit in iis Ordinibus, quos prius ab eo recepit, *num.* 24. Simoniacus non poteſt conferre Ordinis executionem alteri, cum ipſe ſit ſuſpenſus ab Ordine: quod ſi Ordinem ignoranter recipit a tali Simoniaco, ſuſtinetur, ut in Ordine ſuſcepto miniſtret, *nu.* 25. Cur is, qui recipit Ordinem ab Ordinante Simoniaco, permittatur miniſtrare in Ordine ſuſcepto, ſed non poſſit promoveri ad altiores Ordines, *num. eod.*

§. III.

De Simonia, quæ committitur circa Divina Officia, ac Officium prædicationis, & an Eccleſia emi, vel redimi poſſit?

Aſſertio 1. Officia Divina, ſive orationes publicæ Eccleſiæ, quæ fiunt in publicis Proceſſionibus, & Litaniis, & in Choro, ſunt propria materia Simoniæ, ita ut illa emere, vel vendere ſit Simonia contra Jus Divinum. Idemque eſt de privatis orationibus, ſi pro pretio vendantur: ſecus ſi pro iis pecunia detur per modum eleemoſynæ, vel ſtipendii ad ſuſtentationem neceſſarii, *num.* 26. Aſſertio 2. Pro officio prædicationis aliquid temporale accipere tanquam pretium actus, eſt Simonia contra Jus naturale ac Divinum, ſecus eſt, ſi accipiatur, vel detur in neceſſariam ſuſtentationem, *n.* 27. Aſſertio 3. Sicut Eccleſia emi non poteſt abſque Simonia, ita nec redimi, ſeu redimendo emi, *nu.* 28. Et declaratur, *n.* 29. Pecuniam dare, vel accipere, non ſolum pro inſtructionibus ſpiritualibus, v. g. adminiſtratione Sacramentorum, celebratione Miſſæ &c. ſed etiam pro æſtimatione laboris corporalis, qui hujuſmodi ſacris, & ſpiritualibus actionibus per ſe, & intrinſece, ac neceſſario eſt conjunctus, eſt Simonia contra Jus Divinum, & naturale. Aliud eſt de labore, qui non per ſe, & intrinſece, ſed per accidens ſolum, & extrinſece eſt annexus actioni ſpirituali, & ab ea ſeparabilis, v. g. pro labore itineris, vel Cantus in Miſſa: nam pro hoc dare, vel accipere pecuniam non eſt Simonia *n.* 30.

§. IV.

De aliis variis actibus, & rebus ſpiritualibus, vel his annexis, pro quibus aliquid temporale dare, vel accipere etiam ſpecialiter prohibitum eſt Jure Canonico.

Inprimis Simonia eſt petere pecuniam pro ingreſſu Religionis, vel vendere Prioratum aut Capellam Monachorum aut Clericorum: vel pro regimine ipſorum committendo, & tam dans, quam recipiens, & conſentiens eſt Simoniacus, *n.* 31. Item pro ſepultura, Chriſmatis, & Olei benedictione pretium non poteſt exigi, abſque Simonia, nec excuſat conſuetudo contraria, *n.* 32. Secundo Simoniacum eſt exigere pretium pro Prælatis, vel aliis perſonis Eccleſiaſticis ponendis in Sede Eccleſiaſtica, vel Sacerdotibus inſtituendis in Eccleſiis, aut pro ſepeliendis mortuis, benedicendis nuptiis, vel pro conferendis Sacramentis, aut collatis, *n.* 33. Tertio pro Eccleſiarum conſecratione nihil eſt exigendum, præter procurationem. *nu.* 34. Quarto prohibitum eſt, ne pro Chriſmate aut oleo conſecrato ab Eccleſiis pecunia exigatur, ſive ea Catholica, ſive Paſchalis præſtatio, ſive Epiſcopalis conſuetudo vocetur, *n.* 35. Non tantum autem prohibetur pecunia exigi pro Chriſmate, ſeu Sacramento Confirmationis, ſed etiam pro ipſo balſamo, & oleo conſecrato, *n.* 36. Similiter Simonia eſt accipere, vel exigere pecuniam pro Chriſmate, licet anticipetur ſolutio, & mutetur illius nomen, vocando eam Paſchalem, & non Chriſmalem, non obſtante contraria conſuetudine, *num.* 37. Item pro inveſtitura Eccleſiarum non debet pecunia, vel aliud quid temporale exigi, vel accipi, & Archiepiſcopus talem pravam conſuetudinem tollere debet, *nu.* 38. Quinto pro officio, ſeu miniſterio Eccleſiaſtico exercendo, vel pro Vicariis aſſignandis, vel pro Chriſmate pecunia exigi non poteſt, *n.* 39. Sexto Capellanus, ſeu Parochus pro benedictionibus nubentium, & exequiis mortuorum, nihil poteſt accipere, & acceptum reſtituere debet, *c. Suam.* 29. *h. t.* Idque declaratur, *n.* 40. Septimo, denique Simoniacum eſt pro conſecrationibus Epiſcoporum, & benedictionibus Abbatum, & Ordinationibus Clericorum aliquid temporale, ante vel ex poſt facto dare, vel accipere, non obſtante contraria conſuetudine, *c. Sicut.* 39. *h. t. n.* 41.

§. V.

An exigere aliquid temporale pro re ſpirituali ratione conſuetudinis, excuſari poſſit a vitio Simoniæ?

De hac quæſtione agitur in *c. Ad Apoſtolicam* 42. *hoc tit.* Ubi decernitur Eccleſiaſtica Sacramenta eſſe libere conferenda, & pravas exactiones, ut pro exequiis, & benedictionibus nubentium, & ſimilibus, non eſſe faciendas. Epiſcopi debent laicos cogere ad laudabilem conſuetudinem erga S. Eccleſiam pia fidelium devotione introductam ſervandam, *n.* 42. An, & qua ratione populus cogi poſſit, ſaltem Officio Judicis, ad ſervandam honeſtam ac piam conſuetudinem, ut aliquid detur pro ſepulturis, exequiis mortuorum, & ſimilibus, *n.* 43. Per diuturnam conſuetudinem dandi aliquid Clericis pro ſpiritualibus miniſteriis, ad quæ ex officio ſunt obligati, acquiritur Eccleſiis, vel ipſis Clericis jus ad ſimiles oblationes faciendas, per mo-

modum cujuſdam præſcriptionis, & conſequenter Parochiani manent obligati ad illas præſtandas, non ex solo populi, ſeu voluntate obligandi ſe ad illas, ſed ex vi Juris acquiſiti Eccleſiæ, ad quod non eſt neceſſarius conſenſus Parochianorum, idque declaratur, *num.* 44. Ad inducendam hujuſmodi conſuetudinem, & obligationem ſufficit tempus X. annorum, etiam Jure Canonico, & eſt obſervanda, etiamſi Clerici ſint divites, & quæ recipi poſſunt ex laudabili conſuetudine pro adminiſtrandis ſpiritualibus, peti non poſſunt, antequam adminiſtrentur, *n.* 45.

SECTIO III.

De Simonia, quæ committitur in actibus juriſdictionis Eccleſiaſticæ, & ingreſſu, ſive admiſſione ad Religionem.

§. I.

An actus pertinentes ad juriſdictionem ſpiritualem fori interni, vel externi ſint materia Simoniæ?

Aſſertio I. Simonia eſt dare, vel accipere pretium, vel aliud quid temporale, pro omni actu juriſdictionis fori interni conſcientiæ, ſeu pertinentis ad curam animarum, ut pro Confeſſione audienda, vel pro levi imponenda pœnitentia, vel illa augenda, n. 46. Secundo committitur Simonia, delegetur poteſtas abſolvendi, ut ſi Parochus committat alteri Sacerdoti pro pretio, ut vice ſua audiat Confeſſiones ſuorum ſubditorum. Tertio, ſi pro pretio committatur poteſtas abſolvendi a cenſuris. Quarto, ſi pro conceſſione Indulgentiarum detur, vel recipiatur pecunia &c *n.* 47. Aſſertio 2. Simonia eſt contra Jus naturale ac divinum vendere, & emere actus, quibus juriſdictio ſpiritualis fori externi ordinaria, vel delegata confertur, *n.* 48. Aſſertio 3. Simonia eſt pro omni actu juriſdictionis voluntariæ pretium dare, vel accipere, veluti pro diſpenſatione in voto, juramento, & impedimento matrimonii, irregularitate, vel lege aut præcepto Eccleſiaſtico. Eſt tamen licitum in hujuſmodi diſpenſationibus aliquid exigere, non ut pretium diſpenſationis, ſed per modum mulctæ, per quam compenſatur receſſus a lege communi ad cauſam piam applicandæ, quod maxime locum habet in diſpenſatione votorum: vel in pœnam alicujus prioris delicti: vel etiam per modum ſtipendii, ſeu ſubſidii ſuſtentationis. Idque magis fieri poteſt ac ſolet in diſpenſationibus, quam in aliis gratiis, quia diſpenſationes ſunt odioſæ, quippe derogantes Juri communi: & decet, ut eæ onerosæ reddantur, ne ſi facile impetrari poſſint, & abſque ſumptibus, eæ importune petantur, *n.* 49. Aſſertio 4. Simonia quoque committitur, ſi pretium detur, vel accipiatur pro actibus Eccleſiaſticæ juriſdictionis contentioſæ, cujuſmodi ſunt omnes actus Judicii Eccleſiaſtici uſque ad prolationem ſententiæ. Talis autem eſt etiam ligare cenſura, vel ab ea abſolvere, ſi pretio id fiat: ſpeciatim pretium exigere, vel accipere pro abſolutione ab excommunicatione, *n.* 50. Non autem committitur Simonia, ſi pecunia detur ad redimendam vexationem, ut quis abſolutionem ab excommunicatione, vel aliis cenſuris obtineat, *n.* 51. Aſſertio 5. Simonia quoque committitur, & quidem contra Jus Divinum, ſi quid temporale detur, vel exigatur, & accipiatur pro actibus juriſdictionis Eccleſiaſticæ, voluntariæ, vel contentioſæ, qui proxime verſantur circa materiam temporalem, & politicam, ut ſi Judex Eccleſiaſticus cognoſcat cauſas civiles, ſeu ſæculares inter clericos de bonis temporalibus ac profanis, vel de exemtionibus communibus Clericis, & laicis: quo etiam pertinet legitimatio facta ad profanos honores, & bona temporalia, *n.* 52. Aliud eſt de actibus, qui procedunt a propria juriſdictione temporali, qualem habent pleriqne Epiſcopi in Germania: nam pro illis exigere, & accipere pretium non eſt Simonia, *cit. n.* 52.

§. II.

An ſit Simonia pretium, vel aliud temporale quid dare, vel accipere pro omiſſione actus juriſdictionis Eccleſiaſticæ, vel alterius actus ſpiritualis?

Aſſertio 1. Non eſt Simonia, dare alicui pecuniam, ut abſtineat ab actu ſpirituali, quem alias injuſte, ſacrilege, vel ſimoniace facturus eſſet, n. 53. Aſſertio 2. Tunc Simonia committitur propter omiſſionem ſpiritualis juriſdictionis, quando negatio alicujus actus ſpiritualis procedit a poteſtate Eccleſiaſtica, ita ut actum aliquem exercere ſit moraliter hominem authoritative ligare, vel detinere: & talis omiſſio cenſetur moraliter provenire a dicta juriſdictione. Ut ſi quis poſt auditam alicujus Confeſſionem, deneget ipſi abſolutionem, propter datam a tertio pecuniam, *n.* 54. Nomine autem actus comprehenditur hic etiam carentia, ſive negatio actus, & omiſſio rei debitæ æquiparatur commiſſioni, quod non fit ſine actu aliquo poſitivo, quo Judex Eccleſiaſticus declarat ſe nolle hunc abſolvere, *n.* 55. Aſſertio 3. Si omiſſio actus ſpiritualis non ſit omiſſio ſpiritualis juriſdictionis, ſed alterius actus ſpiritualis, quamvis alias ex officio debiti, ſed nullum effectum moraliter poſt ſe relinquens, tunc non eſt Simonia pro tali omiſſione aliquid dare, vel accipere, niſi intuitu alicujus ſpiritualis boni vendatur, vel majore pretio æſtimetur. Ut ſi Sacerdos pecuniam accipiat, ut Miſſam non dicat, ad quam ex officio tenetur, vel ut ſubditi Confeſſionem non audiat, *num.* 56. Porro prohibitum eſt Presbyteris, ne aliquid temporale accipiant propter celandum peccatorem publicum Epiſcopo, vel Miniſtris ejus, tanquam contrarium bonis moribus, & officio Clericorum; non autem tanquam Religioni contrarium, & ut ſimoniacum, quia ad eſſentiam Simoniæ requiritur, ut ab una parte pretium, ſive aliquid temporale detur, vel promittatur, & ab altera aliquid ſpirituale detur, vel accipiatur: at vero ſi quis pretium recipiat, ut non denunciet publicum peccatorem Epiſcopo, vel ut non corrigat, nihil ſpirituale dat, ſed tantum omittit facere, quod deberet, quia ad Presbyterum, ſeu Parochum pertinet delicta ſubditorum corrigere, vel ad Epiſcopum corrigenda deferre, non autem Simoniam committit, ut patet ex c. *Nemo.* 14. *h. t.* in priore ejus parte, ubi nulla de Simonia fit mentio. Si vero Parochus aliquid temporale accipiat, ut peccatum alterius celet, vel non denunciet Epiſcopo, vel Prælatus ut ſubditum non corrigat: ut ſi Parochus pecuniam accipiat, ne denunciet Parochianum non ſuſcipientem Euchariſtiam in Paſchate, Simoniam committit, de quo agitur in poſteriore parte dicti c. *Nemo n.* 57.

§. III.

Utrum dare, vel accipere aliquid temporale pro ingreſſu, ſive admiſſione in Religionem ſit Simonia?

Aſſertio 1. Dare, vel accipere aliquid tanquam pretium pro ingreſſu Religionis, ſecundum ſe, & ex vi Juris Divini ſimoniacum eſt, ſive aliquid temporale accipiatur pro ipſa profeſſione, ſive ſolum pro ingreſſu ad probationem, & ſuſcipiendum habitum Religionis, *num.* 58. Aſſertio 2. Pro ſuſtentatione perſonæ ingredientis Religionem, vel etiam in ea profitentis aliquid temporale exigere, vel accipere, non eſt ex natura rei ſimoniacum, nec illicitum, ſi Monaſterium ſit inops, & Regula Ordinis id permittat. Si vero Monaſterium ſit dives, videtur eſſe Simonia prohibita Jure Eccleſiaſtico, quamvis contraria conſuetudo non debeat tanquam ſimoniaca reprobari, *num.* 59. Licitum eſt autem non tantum ſponte oblatum pro neceſſaria ſuſtentatione ingredientis Religionem accipere, ſed etiam de eo paciſci, ſi Monaſterium ſit inops, *num.* 60. Prohibetur autem, ne Prælati Ordinum, vel Capitula, ſeu Conventus, aut ſingulares perſonæ, ſive mares, ſive mulieres, a volentibus ingredi Religionem, ſive ante, ſive poſt, directe, vel indirecte, paſtus, jocalia, pecunias, vel alias res ad uſum Eccleſiaſticum, vel pium deputatas petere præſumant, *Extravag.* 1. *in princ. h. t. Inter Communes. h. t.* Excipitur, niſi ipſæ perſonæ ingredientes pure, ſponte ac libere, & omni pacto ceſſante, aliquid dederint, vel obtulerint: ubi tamen non prohibetur titulo ſuſtentationis, etiam interveniente pactione, aliquid exigere, vel accipere, ſi vera adſit paupertas, & indigentia, ex parte Monaſterii, *cit. n.* 60. Idque confirmatur etiam ex Concilio Trident. *Seſſ.* 25. *c.* 16. *de Regular.* Prohibetur etiam, ne viciſſim perſona ingrediens aliquid accipiat a Religione, ſeu Monaſterio, ut ingrediatur, *n.* 61.

§. IV.

De aliis modis, quibus committitur Simonia in ingreſſu Religionis, ejuſque pœnis.

Inprimis ſi Abbas & Conventus pro pecunia recipiunt Monachum, ex pacto, ab officio & beneficio ſunt ſuſpendendi, & pecunia reſtituenda eſt danti, & ita ingreſſus cum habitu ad aliud Monaſterium tranſire debet, *num.* 62. idque declaratur, *num.* 63. Secundo, ſi Monachi ſcienter per Simoniam ſunt ingreſſi Monaſterium, debent illud dimittere, & adire ſolitudinem, vel alia Monaſteria ſtrictiora, ad agendum ibi pœnitentiam. Si vero ipſis ignorantibus data fuit pecunia, cogendi ſunt renunciare eidem loco: & poſtea reducendi ſunt ad eundem locum, ſi ibi abſque ſcandalo manere poſſint, vel collocandi ſunt in alio ejuſdem Ordinis loco, in quo ſerviant Deo, *c. De Regularibus.* 25. *h. t. num.* 64. declaratur, *num.* 65. Tertio, quando contra plures ſimoniace per pretium in Monaſteriis receptos, accuſatio fuerit Canonice inſtituta, probato juridice crimine, tam dantes, quam accipientes, canonica pœna mulctantur. Si vero per ſolam inquiſitionem de crimine conſtiterit, ad arctiora Monaſteria, ad agendum pœnitentiam mitti debent: ſed Superioribus & Officialibus, qui ſimoniace illos receperunt, competens pœnitentia eſt imponenda, & dum illam faciunt, ſuſpendi debent ab executione Ordinum, *c. Dilectus.* 30. *h. t. n.* 66. declaratur, *n.* 67. Quarto, ſi Moniales, vel Monachi per pretium in Monaſteriis ſint recepti, prætextu paupertatis, tam recepti, quam recipientes e Monaſterio ſunt ejiciendi, & in arctius Monaſterium ad perpetuam pœnitentiam, ſine ſpe reſtitutionis, agendam, detrudendi. Quod ſi forte alibi commode collocari non poſſint, diſpenſative de novo in iiſdem Monaſteriis recipiantur, Diœceſani vero per ſuas Diœceſes ſingulis annis hoc publicari faciant, *c. Quoniam.* 40. *h. t. n.* 68. declaratur, *n.* 69. Quinto, qui dant, vel accipiunt aliquid, ob ingreſſum Religionis, ſi ſint perſonæ ſingulares, excommunicationi; ſi vero Capitulum, vel Conventus fuerit, ſuſpenſioni eſt ipſo facto ſubjectus, a qua abſolvi nequeant, niſi a Papa, aliis juris pœnis in ſuo robore permanentibus, *Extravag.* 1. *Inter Communes.* §. *Nos igitur. n.* 70. Si aliquid mere ſponte detur, & accipiatur in ingreſſu Religionis, ſine pacto, nulla incurritur cenſura: neque ſi quid detur, vel accipiatur in ſuſtentationem ejus, qui ingreditur, quia Monaſterium non habet ſufficientes reditus ad illum alendum, etſi pactum intercedat, eſt Simonia ſaltem Juris Divini, quamvis ſit Simonia contra Jus Eccleſiaſticum, *n.* 71. Poteſt tamen Simonia committi, ſi quia pretio recipiatur ad habitum Religionis, ſed pœnæ Juris non incurruntur, niſi profeſſio fuerit ſecuta, *cit. n.* 71. Neque prædictæ cenſuræ excommunicationis, & ſuſpenſionis habent locum in dote, quæ datur Monaſteriis ſeminarum, ſed in Religionibus virorum raro Simonia committitur, *cit. n.* 72. *in fine*.

Digitized by Google

SECTIO IV.

De Simonia, quæ committitur in Beneficiis Eccleſiaſticis, & circa Officia Eccleſiæ temporalia.

§. I.

Utrum Simonia, quæ committitur in venditione Beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſit contra Jus Divinum: an vero ſolum contra Jus poſitivum, ſeu Eccleſiaſticum?

Quatuor regulæ traduntur circa venditionem rerum, quæ ſunt annexæ rebus ſpiritualibus, antecedenter, concomitanter, vel conſequenter, *n.* 72. Beneficium quoad ipſum jus exercendi Miniſteria ſpiritualia, ſeu Officia Eccleſiaſtica Jure Divino vendi non poteſt, *n.* 72. Sed neque beneficium, quatenus eſt jus percipiendi reditus Eccleſiaſticos, qui titulo ſpirituali ſunt annexi, ſine vitio Simoniæ vendi poteſt, *n. eod.* An accipere pecuniam pro collatione Beneficii, quatenus præciſe eſt jus percipiendi reditus temporales, annexum tamen ſpirituali juri, ſive titulo beneficii, qui conſiſtit in officio, ſeu poteſtate exercendi ſpiritualem aliquam functionem, ſit Simonia prohibita Jure Divino, an vero ſolum Jure Eccleſiaſtico? Triplex eſt ſententia. Prima affirmat eſſe contra Jus Divinum. Secunda, eſſe tantum Simoniam contra Jus Eccleſiaſticum. Tertia vendere beneficium curatum, eſſe Simoniam contra Jus Divinum, non vero ſimplex, *n.* 74. Sed verius eſt, eſſe Simoniam contra Jus Divinum, & naturale, idque probatur, *n.* 75. Item prohibitum eſt vendere, Prioratus & Capellas Monachorum aut Clericorum, & ne pro Prælatis inſtituendis pretium exigatur, & tam dans, quam accipiens eſt Simoniacus, *c. Non ſatis* 8. *h. t.* Et damnatur conſuetudo hujuſmodi in *c. Cum in Eccleſiæ* 6. *eod. n.* 79. ubi etiam ratio redditur. Solvuntur duæ objectiones *n.* 77. Excipi debet, niſi jus percipiendi Eccleſiaſticos reditus temporales auctoritate Summi Pontificis ſeparatum fuerit a ſpirituali titulo beneficii, ſive jure officii ſpiritualis; tunc enim extinguitur titulus ſpiritualis officii, & vendi poteſt beneficium, quia nihil ſpirituale venditur, ſed mere temporale, *n.* 78.

§. II.

Quibus modis committitur Simonia in collatione beneficiorum, & electione ad Prælaturas, & alia beneficia Eccleſiaſtica?

Aſſert. 1. Committitur Simonia primo, ſi collator pecuniam, vel aliud quid temporale exigat pro ipſa collatione beneficii. Secundo, ſi aliquid temporale exigatur pro inductione, ſeu immiſſione in poſſeſſionem beneficii collati: multo magis prohibitum eſt tanquam ſimoniacum, aliquid exigere pro ipſa inſtitutione Rectoris, vel alterius Clerici in beneficio, vel pro conſenſu præſtando ejus inſtitutioni, & ſi quid acceptum eſt, in duplum reſtitui debet, *c. Audivimus* 41. *h. t. n.* 79. declaratur, *n.* 80. Præterea in *c. Ne Dei* 23. *h. t.* ſpecialiter præcipitur ab Abbatibus Ciſtercienſibus, ut ſolemniter non inſtallentur, ſed ſatis eſt, ne profiteantur ſub forma profitendi conſueta, *nu.* 81. Tertio committitur Simonia, ſi homagium præſtetur pro beneficio obtinendo, *c. Ex diligenti*, 17. *h. t. n.* 82. declaratur, *n.* 83. Cur homagium non poſſit præſtari pro ſpiritualibus, poſſit autem Juramentum fidelitatis, *n. eod.* Quando homagium præſtitum pro beneficio Eccleſiaſtico non egeat abſolutione, *num.* 84. Quarto committitur Simonia, ſi pro temporali obſequio promittatur beneficium Eccleſiaſticum, *c. Cum eſſent* 12. *h. t.* n. 85. An poſſit quis ſervire Epiſcopo, ſpe conſequendi ab ipſo beneficium, abſque Simonia, & an etiam, ſi Epiſcopus promittat alicui certum ſtipendium ſolum ad tempus, donec beneficium ipſi contulerit, ſit Simonia? *nu.* 86. Aſſertio 2. Similiter committitur Simonia in electionibus ad Prælaturas, vel alia beneficia Eccleſiaſtica in caſibus expreſſis? *numer.* 87.

§. III.

Quomodo Simonia committatur in receptione Canonicorum?

Simonia eſt alicui Eccleſiæ dare vel offerre bona ſua, cum pacto, vel conditione, ut recipiatur in Canonicum, & illa bona habeat pro præbenda: ſecus eſt, ſi ſimpliciter roget, ut admittatur in Canonicum, *c. Tuanos* 34. *h. t.* n. 88. Quod ſi quis bona principaliter dat Eccleſiæ, eo animo, ut Canonicus fiat, alias non daturus, ſine omni tamen pacto: & viciſſim Canonici eum hac intentione admittant, ſine ullo pacto, committitur Simonia mentalis, quæ non obligat ad reſtitutionem, *n.* 89. Receptio in Canonicum aſſignari debet præbenda, & reditus Canonicales, non obſtante conſuetudine de parando prius prandio, *c. Jacobus* 44. *h. t. n.* 90. Quæ requirantur, ut licite poſſit aliquid temporale etiam modicum, v. g. prandium a Canonicis pro illorum receptione exigi & recipi, *n.* 91. Si tamen ſponte, ac liberaliter aliquid temporale detur, ſine pacto, non poteſt damnari talis conſuetudo, n. *eod.*

§. IV.

An electio, præſentatio, confirmatio, collatio, vel alia proviſio beneficii ſimoniaca ſit ipſo jure irrita?

Aſſ. 1. Electio, vel collatio beneficii per Simoniam facta non eſt irrita jure naturæ, ſed valida, n. 92. Aſſert. 2. Electio, collatio, præſentatio, confirmatio, vel quævis alia proviſio, ſeu promotio ad dignitatem, officium Eccleſiaſticum, aut quodvis beneficium ſimoniace facta, ſive Simonia commiſſa ſit ab ipſo electo, aut proviſo, ſive ab alio, ipſo ſciente, & non contradicente, jure Eccleſiaſtico eſt irrita, *n.* 93. Quare ſi quis electioni contradicat, & amici electi, eo conſcio, & volente, pecuniam dederint contradicenti, & ſic ceſſante contradictione, is eligitur, ac adminiſtrat, Simoniam committit, & tenetur ſtatim adminiſtrationem relinquere, *c. Matthæus* 23. *h. t. cit. n.* 93. Idque declaratur, n. 94. Aſſertio 3. Electio, collatio, vel quævis alia proviſio beneficii ſimoniaca irrita eſt, quamvis ignorante electo, vel proviſo, facta ſit, *c. Inſinuatione* 26. *h. t.* Nam ſi quis Canonicatui renunciet, eo quod per Simoniam ad illum ignoranter aſſumptus fuit, & poſtea de novo ex compaſſione ad eundem eligatur, obtinebit ultimum locum in Choro, & ipſe nihil poterit prætendere, vel ſibi vendicare, ratione primæ electionis, *nu.* 95. declaratur, *nu.* 96. Qui conſecutus eſt beneficium per Simoniam ab alio commiſſam, ipſo ignorante, non poteſt illud, bona conſcientia, retinere, ſed debet illud reſignare, *cit. nu.* 96. Præterea electio, vel collatio ſimoniaca eſt ipſo jure irrita, etiamſi facta ſit, electo, vel inſtituto inculpabiliter ignorante, *c. Nobis* 27. *h. t.* ubi dicitur, quod electio ſimoniaca alicujus ab aliis, ipſo inſcio, facta ſit reprobanda, niſi conſtet, quod ille malitioſe commiſerit Simoniam in fraudem eligendi: ubi etiam additur, quod cum tali ſimoniace electo Epiſcopus diſpenſare non poteſt, n. 97. quomodo intelligendum ſit, electionem ſimoniacam eſſe penitus reprobandam, n. 98. Denique electio, vel proviſio ſimoniace facta, etiam ignorante electo, vel proviſo, eſt irrita, *Extrav.* 2. §. *Per electiones, hoc tit. Inter Communes*, *num.* 99. Idque extenditur primo, quod talis electio, vel promotio ad Eccleſiaſticum beneficium per Simoniam facta, quamvis ignorante electo, ſit irrita, et ad idem officium obtinendum, durante illa vocatione, ſit inhabilis. Secundo, quod ſit nulla, ſive Simonia fuerit manifeſta, ſive occulta, *cit. Extravag.* 2. *in princip.* Tertio, etiamſi pecunia promittatur, vel detur, ſive omnibus electoribus, vel collatoribus, ſive etiam uni tantum, cæteris ignorantibus, *cit. c. Nobis* 27. *h. t. nu.* 100. Quarto, electio, vel collatio beneficii ſimoniace facta eſt irrita ipſo jure, ſive Simonia fuerit, realis, ſive conventionalis tantum, *cit. nu.* 100. Quamvis contrarium, quod, ut collatio beneficii ipſo jure ſit nulla, neceſſario requiratur, & traditio beneficii, & datio pecuniæ, vel alterius rei temporalis pro ſpirituali, ſit probabile, & in praxi tutum, *cit. num.* 100. Quinto, acquiſitio beneficii eſt ipſo jure irrita, ſive commiſſa ſit Simonia contra Jus Divinum, ſive contra Eccleſiaſticum tantum, etſi oppoſitum etiam ſit probabile, *cit. num.* 100. Sexto, irritantur etiam omnia beneficia Eccleſiaſtica majora, & minora, ſeu ſimplicia per Simoniam acquiſita, n. 101.

§. V.

Quando electio, vel collatio beneficii ſimoniace facta, ignorante electo, vel proviſo ipſo jure ſit irrita?

Electio, vel collatio beneficii ſimoniace facta, etiam ignorante electo, vel proviſo, ipſo jure eſt irrita, exceptis duobus caſibus. Prima exceptio eſt, ſi inſcio electo, vel proviſo, ab alio promiſſa eſt, vel data in fraudem eligendi, vel providendi, ut ejus electio, vel collatio ei facta caſſaretur, *c. Nobis* 27. *h. t.* Altera exceptio eſt, ſi electus, vel proviſus contradicat promiſſioni ſimoniacæ ab aliis factæ; tunc enim valida eſt electio, vel collatio, etſi pecunia promiſſa, vel etiam data ſit, *c. Sicut* 33. *h. t.* ubi habetur, quod omnes etiam parvuli, qui neſcientes per pecuniam aliorum ſunt adepti Eccleſias, illas tenentur dimittere, niſi prohibeant, ne detur pecunia, & in eadem voluntate perſeverent, nec deinde conſentiant, ſolvendo promiſſam pecuniam, vel reddendo ſolutam, ideoque nihil debet ipſi electo, & confirmato ad culpam, & ad pœnam imputari, cum aliud ſit præbere conſenſum, & aliud expreſſe prohibere. Qui vero dederunt, vel receperunt pecunias, Canonice puniendi ſunt, ſi eorum exceſſus eſt manifeſtus, quia alioquin Eccleſia non judicat, de occultis, *n.* 102. declaratur, *n.* 103. Spectato Jure communi valida eſt electio S. Pontificis etiam ſimoniace facta, *n.* 104.

§. VI.

An, & quatenus licitum ſit dare, vel accipere pretium ad redimendum vexationem in beneficiis, vel non ſit licitum?

Tres hac de re traduntur regulæ, ſeu concluſiones. Prima eſt, poſt jus acquiſitum in beneficio per electionem, collationem, vel proviſionem, non eſt Simonia pecunia re pretio æſtimabili redimere vexationem, quæ ad jus in beneficio acquiſitum injuſte fertur, *n.* 105. *c. Dilectus* 28. *hoc tit.* ubi habetur, quod ſi quis det Prælato, ſeu Superiori pecuniam, ne ipſum de facto moleſtet in jure ſuo, & is contra pactum illum moleſtet, debeat reſtituere pecuniam, *n.* 106. Reſp. ad duas objectiones, *n.* 107. Tres ſunt conditiones, quæ requiruntur, ut redemptio vexationis illatæ in beneficio acquiſito ſit licita, expreſſæ, *nu.* 108. Secunda regula eſt, pro jure nondum acquiſito, ſed primum acquirendo, non licet, abſque Simonia, oblata pecunia, redimere vexationem, etiam injuſtam ab eo, qui non tantum obeſſe, ſed etiam prodeſſe poteſt, id eſt, ad quem ſpectat poteſtas dandi illud ſpirituale, quod acquirendum eſt, *n.* 109. ubi id declaratur. Tertia regula eſt, non eſt Simonia, vexationem injuſtam pecunia redimere, etiam antequam jus acquiſitum eſt in beneficio, ſi is, cui datum eſt pretium, obeſſe tantum poſſit, ſed non prodeſſe, ſeu nihil conferre poſſit ad beneficium obtinendum, *nu.* 110. ubi id exemplo declaratur. Dubium eſt, an ſi quis poſt confirmationem, vel collationem factam, adeoque poſt acquiſitum plenum jus in beneficio, quoad proprietatem, injuſte impediatur ab acquirenda poſſeſſione, poſſit redimere pecunia hujuſmodi vexationem, etiam ab eo, qui poteſt prodeſſe, ſive in poſſeſſionem immittere? probabilius affirmatur, *num.* 3. Idque procedit in proviſionibus beneficiorum, non autem in aliis actibus non beneficialibus, ſed mere ſpiritualibus, ut in Sacramentis, vel in abſolutione a cenſuris, in quibus non eſt prohibitum vexationem pecunia redimere, *citat. num.* 3. *in fine*.

§. VII.

De Simonia confidentiali, ſive quæ committitur in reſignationibus, & proviſionibus beneficiorum, ſpe & confidentia factis.

Quæritur primo. Quæ ſit, & dicatur Simonia confidentialis? Reſp. eſt certa ſpecies Simoniæ ab aliis diſtincta, & a Jure poſitivo damnata, & prohibita, quæ tum committitur, cum quis alicui procurat beneficium conferendo, vel aliter providendo, cum pacto, ut illud idem beneficium, poſt tempus elapſum, alteri conferat, vel reſignet, n.112. Hæc Simonia habet locum in omnibus beneficiis, curatis, vel ſimplicibus, ſecularibus, vel Regularibus, item in renunciationibus, & aliis quibuſcunque proviſionibus beneficiorum, non autem in penſionibus, nec in permutationibus beneficiorum, ut probabilius eſt: ſed communis ſolum Simoniæ n. 113. Quale pretium in hac Simonia intervenire poteſt, n. *eod.* Quær. 2. Quibus modis committatur Simonia confidentiæ? Reſp. tribus, per acceſſum, regreſſum, vel ingreſſum, n. 114. ubi id declaratur. Quær. 3. Quæ pœnæ decretæ ſint in Simoniacos confidentiales? Quatuor enumerantur, *num.* 115. An ad has pœnas incurrendas neceſſarium ſit, ut Simonia confidentialis ſit opere ex utraque parte completa, *ett. n.* 115. *in fine.*

§. VIII.

De Simonia, quæ committitur in penſionibus ſolvendis ex bonis Eccleſiaſticis.

Quær. 1. An ſit Simonia emere, vel redimere penſionem Eccleſiaſticam, hoc eſt, jus percipiendi partem fructuum ex alieno beneficio? Reſp. penſiones mere temporales, quæ etiam laicis pro miniſterio temporali, vel ob aliam juſtam cauſam ſolvuntur ex Eccleſiaſticis reditibus, ſine titulo ſpirituali, abſque Simonia vendi poſſunt, & redimi, *nu.* 116. Reſp. 2. penſiones ſpirituales, quæ dantur in titulum beneficii, ſive ad juvandum Parochum in officio ſuo, ſive ad ſerviendum in Choro, vel Officiis Divinis, vel quæ loco beneficii ad ſpirituale Miniſterium exercendum dantur, v. gr. Coadjutori, vel Vicario Epiſcopi, vel Concionatori, ſunt propria materia Simoniæ, quia ſunt proprie dicta beneficia fundata in ſpirituali titulo, eoque perpetuo, nec poſſunt pretio vendi, vel redimi, abſque Simonia, n. 117. Reſp. 3. penſiones mixtæ, quæ dantur Clericis, ratione Clericalis ſtatus non tamen ob ſpirituale miniſterium, ſed ob aliam cauſam, v. g. Parocho ſeni, vel pauperi Clerico ad ejus ſuſtentationem, vel ob reſignationem beneficii in favorem alterius factam, etſi ex natura rei, & Jure communi antiquo licite vendi poſſunt, & emi, ſine Simonia: non tamen juxta Stylum Curiæ Romanæ, quæ hujuſmodi venditiones tanquam ſimoniacas damnat, n. 118. Quær. 2. Utrum ſine Simonia penſio impoſita beneficio, anticipata ſolutione redimi poſſit? Reſp. ſi ex pacto imponatur v. g. Vicario perpetuo obligatio penſionem illam annuam pecunia redimendi, Simonia committitur; ſecus ſi Vicarius libere ac ſponte redimat penſionem, ita ut vi pacti optio ei detur penſionem illam, vel ſingulis annis ſolvendi, vel ſtatim redimendi; tunc enim nulla Simonia committitur, *n.* 119.

§. IX.

De Simonia, quæ committitur circa Officia Eccleſiæ temporalia.

Quær. 1. An officia Eccleſiæ temporalia, ut officium Procuratoris, vel Advocati, pro pecunia vendere ſit Simoniacum? Reſp. Non eſt contra Jus naturale ac Divinum, ſicut nec officium Sacriſtiæ, aut Cuſtodis, *n.* 120. Eſt tamen venditio horum officiorum tanquam ſimoniaca prohibita Jure Canonico, juxta *c. Conſuluere h. t.* Ubi generaliter prohibetur, ne adminiſtratio rerum Eccleſiaſticarum per pecuniam obtineatur, & vendi prohibentur multa Officia Eccleſiaſtica etiam temporalia: dummodo ſoleant exerceri per Clericos, non per laicos, n. 121. Quær. 2. An etiam ſit Simonia prohibita Jure Eccleſiaſtico, vendere functiones hujuſmodi officiorum temporalium? Reſp. Negative, cum ſint mere corporales, *num.* 122.

SECTIO V.

De pretio Simoniaco, ejuſque diviſione.

§. I.

An pretium Simoniacum neceſſario debeat eſſe temporale quid, non ſpirituale, & quando temporale, quod datur, habeat rationem pretii, reſpectu rei ſpiritualis, quæ viciſſim datur?

Aſſertio 1. Pretium Simoniæ, ſpectato Jure naturali ac Divino, neceſſario debet eſſe aliquid temporale, nec ſufficit ſpirituale, *n.* 123. Unde permutare rem ſpiritualem cum altera mere ſpirituali, ut SS. Reliquias cum aliis Reliquiis, Jus Patronatus cum alio ſimili jure, non eſt Simonia, ſpectato Jure Divino; ſicut etiam permutare ſpirituale pro alia re ſpirituali non eſt Simonia, nec prohibitum, extra materiam beneficiorum, *n.* 124. Aſſer. 2. Quando res temporalis, & pretio æſtimabilis gratis datur ei, qui ſpirituale donum, vel officium præſtat, non poteſt habere locum Simonia, ſaltem ſpectato jure naturali ac Divino, *n.* 125. Aſſertio 3. Non eſt Simonia pro ſpiritualibus miniſteriis dare, vel accipere temporalia, etiam ex obligatione, ſi non ut pretium, ſeu in commutationem rei, ſed per modum ſtipendii, ac neceſſariæ ſuſtentationis dentur, vel accipiantur, *n.* 126. Sed neque exigere, vel accipere ſtipendium ſuſtentationis, interveniente pacto, eſt Simonia, quia ex juſtitia debetur miniſtrantibus ſpiritualia, *n.* 127. Poſſunt etiam Sacerdotes, & Clerici miniſtrantes ſpiritualia exigere ſtipendium ſuſtentationis, etiamſi divites ſint, & non egeant, vel bona patrimonialia habeant, n. 128. Aſſertio 4. Non eſt Simonia promittere, vel donare alicui quippiam temporale, ſub onere, & conditione operis ſpiritualis præſtandi, modo non fiat per modum retributionis, ſeu compenſationis, v. g. ſi Chriſtianus donet infideli aliquid ſub conditione, ſi Baptiſmum ſuſcipiat, vel ſi puella viro hæretico promittat matrimonium, ſi Catholicus fiat, n. 129. Aſſertio 5. Non eſt Simonia officium ſpirituale præſtare, etiam principaliter propter temporalem, ſi intentio illa non deducatur in pactum, ideoque res illa temporalis, non ut pretium accipiatur. Unde Canonicus, qui principaliter accedit ad Divina Officia propter diſtributiones quotidianas, non committit Simoniam, n. 130.

§. II.

Quænam circumſtantiæ ſint conſideranda, ut cognoſcatur, an munus aliquod temporale habeat rationem pretii Simoniaca dati, pro re ſpirituali, vel non habeat?

Ut cognoſcatur, an in donis, vel acceptis a conferente aliquid ſpirituale, ſit commiſſa Simonia, tria ſunt conſideranda. Primo, qualitas perſonæ dantis, & accipientis. Secundo, quantitas muneris, an ſit magni, vel modici pretii. Tertio, tempus donationis, an inſtante neceſſitate, vel alio tempore opportuno donatum ſit. Licet autem electus Ordinatori, vel Conſecratori ſua quædam, quæ ſunt modici pretii, & quæ recipientis animum non multum inclinarent, vel moverent, donaverit, non cenſetur Simonia committi, *c. Etſi quæſtiones* 18. *h. t. n.* 131. Explicatur, & declaratur, *n.* 132. & *duobus ſeqq.*

§. III.

Quotuplex ſit pretium Simoniacum?

Pretium Simoniæ in Jure Canonico munus appellari ſolet, idque dividitur in munus a manu, ab obſequio, & a lingua. Nomine autem muneris hic non intelligitur donum liberale, & gratuitum, ſed gravamen, ſeu potius onus debitum ex juſtitia, quod ex vi onerosæ, & reciprocæ conventionis exigi, & præſtari ſolet, n. 135. Quær. 1. Quid intelligatur per munus a manu? Reſp. primo. Pecunia proprie eſt pretium Simoniæ, ſive numerata, ſive ſolum promiſſa. Secundo, omnis alia res materialis, & pretio æſtimabilis, ſive res mobiles, ſive immobiles. Tertio, remiſſio debiti pro re ſpirituali obtinenda, vel promiſſio remiſſionis. Quarto, mutui datio. cum pacto, ut viciſſim beneficium conferatur. Quinto, dilatio ſolutionis, vel ejuſdem anticipatio ex pacto facta pro beneficio, vel alia re ſpirituali, n. 136. Quær. 2. Quid intelligatur per munus ab obſequio? Reſpond. ſub hoc comprehenduntur quæcunque obſequia ſeu ſervitia temporalia, cum pacto conferendi viciſſim beneficium Eccleſiaſticum, vel aliam rem ſpiritualem, n. 137. Quær. 3. Quid per munus a lingua intelligatur? Reſp. ſub hoc munere comprehenduntur laudes, commendationes, & preces, quæ pro aliquo interponuntur, & quidem ex vi pacti, ut res ſpiritualis, v. g. beneficium viciſſim detur, n. 138. Hinc infertur primo, non eſſe Simoniam dare alicui beneficium, intuitu ſolius conſanguinitatis, ſine pacto, *nu.* 139. Secundo, non eſt Simonia dare beneficium propter preces armatas, ſive gravem metum incuſſum, ſi nullum interveniat pactum, n. 140. Tertio, non eſt Simonia, ſi Collator beneficium debitori conferat metu amittendi debitum, ſive ut debitum ab ipſo conſequi poſſit, ſi nullum pactum interveniat, *n.* 141.

SECTIO IV.

De Judicio, ſive proceſſu judiciario in crimine Simoniæ.

§. I.

Quis ſit Judex competens in crimine Simoniæ, & quis accuſare poſſit de hoc crimine, & qui accuſari? Item quomodo crimen Simoniæ probetur?

Aſſertio 1. Hoc crimen eſt mere Eccleſiaſticum, ideoque ſolus Eccleſiaſticus Judex de eo cognoſcere poteſt, etiamſi, qui crimen hoc commiſit, ſit Laicus, n. 142. Aſſertio 2. Quilibet Catholicus accuſare poteſt de crimine Simoniæ, *c. Si dominus* 3. *h. t.* etiam ſervus, meretrix, & quilibet crimínoſus, *c. Tanta h. t. n.* 143. Aſſertio 3. Accuſari poſſunt de crimine Simoniæ, tam dans, quam accipiens pecuniam vel aliam rem temporalem pro ſpirituali, n. 144. Accuſatus Simoniæ, pendente accuſatione, prohibetur celebrare Miſſarum ſolemnia, *c. Accuſatum* 4. *h. t. num.* 144. Idem dicitur in *c. Quoties* 5. *h. t. n.* 145. Aſſertio 4. Simonia probatur iiſdem modis, quibus alia crimina, videlicet per Simoniaci confeſſionem, per teſtes, & inſtrumenta Authentica: imo etiam per ſigna, conjecturas, & præſumptiones, *c. Sicut* 6. *h. t.* Quæ tamen violentam præſumptionem faciunt, & reum de ipſo crimine convincunt, *n.* 146.

§. II.

An, & quando criminoſi admittantur ad teſtimonium ferendum in crimine Simoniæ.

In omnibus delictis, exceptis notoriis, tribus modis procedi poteſt: per accuſationem, quam debet præcedere legitima inſcriptio: per denunciationem, quam debet præcedere charitativa correctio? & per inquiſitionem, quam debet præcedere clamoſa inſinuatio per publicam famam. Neque eſſe debet idem Judex, & accuſator, ſed fama eſt loco accuſantis, & Judex inquirere debet diligenter, nec facile credere, vel punire: & ſi quid probatur, ſecundum jura, punire poteſt, dictando ſententiam, ſecundum formam Judicii. Quod ſi Abbas eſt ſuſpectus de dilapidatione, eſt ſuſpendendus ab adminiſtratione Abbatiæ. Si per viam inquiſitionis probatur Simonia de Abbate, & Abbas poteſt contra teſtes excipere, quod ſint inimici, & conſpiratores, alias vero exceptiones criminum opponere non poteſt, *c. Licet Heli,* 32. *h. t. n.* 147. Deducuntur circa prædicta quædam corollaria, n. 148. Quod autem dictum eſt, contra Simonia-

coo

Digitized by Google

cos admitti teſtes criminoſos, magis declaratur in *c. Per tuas* 38. *h. t.* Ubi dicitur, diſtinguendum eſſe primo, circa modum agendi, utrum agatur de crimine Simoniæ civiliter: an vero accuſetur criminaliter: & ſi civiliter, utrum ſecundum juris rigorem, an ſecundum æquitatem? Secundo, circa perſonæ qualitatem, contra quam agitur, utrum ſit ſæcularis: & an idem ille ſit bonæ famæ, an vero graviter infamatus, & valde ſuſpectus, & an poſſit facile puniri, & condemnari, ſine ſcandalo? Tertio, diſtinguendum eſt circa perſonas teſtium, utrum ſint boneſti, an criminoſi, & an iſti ſint emendati de crimine, an non? Rurſus an hujuſmodi teſtes ex Zelo juſtitię, an vero ex odio depoſuiſſe credantur, qui non debent admitti. Quarto diſtinguendum eſt circa crimina, quæ teſtibus objiciuntur, utrum ſint eadem, vel minora, ao vero paria, vel majora? Quinto utrum ſola dicta teſtium producantur, an vero adſint etiam alia adminicula, ſive Indicia. Tandem concludit Papa, tales criminoſos contra talem regularem inferioris gradus admittendos eſſe, non ſecundum rigorem Juris, ſed ſecundum æquitatem. Et tales Prælatos regularis ex levioribus cauſia ab adminiſtratione amoveri poſſe, *nu.* 149. Declaratur præterea, quando teſtes criminoſi admittantur in crimine Simoniæ, ſive agatur civiliter, ſive criminaliter, & quando non admittantur, *n.* 150. Non poteſt in crimine Simoniæ appellari a ſententia, ſed denegatur appellatio, idque ob magnitudinem delicti *n.* 151. *in fine.*

SECTIO VII.

De pœnis Simoniæ, ac diſpenſatione in illa.

§. I.

An pœnæ Jure decretæ incurrantur propter quamlibet Simoniam, & in quacunque materia?

Aſſertio 1. Propter Simoniam mentalem, ſi ea pure interna ſit, ita ut in nullum actum externum prodeat, nulla pœna juris incurritur: imo nec ab Eccleſia puniri poteſt. Quod ſi Simonia io actum externum prodeat, ſed ſine omni pacto, etſi Eccleſia eam poſſit punire, de facto tamen nulla a jure eſt impoſita pœna, *n.* 152. Aſſertio 2. Ob Simoniam pure conventionalem, quæ neutra ex parte completa eſt, & nondum tradita eſt res ſpiritualis, nulla pœna Juris poſitivi incurritur, excepta Simonia confidentiali. An autem ſi conventio ſimoniaca ſit completa, ex parte vendentis, quia ipſe tradidit rem ſpiritualem, v.g. Ordines: non vero ex parte ementis, quia pretium non eſt ſolutum, incurrantur pœnæ ipſo jure, dubium eſt. Utrumque eſt probabile, & poſterius benignius, & Stylo Curiæ Romanæ conformius, *n.* 153. Aſſert. 3. Propter nullam Simoniam etiam realem, & ex utraque parte completam, incurrantur pœnæ, ipſo facto, præter illam, quæ committitur in ingreſſu Religionis, Ordine & beneficio, *nu.* 154. Ubi id amplius declaratur. Aſſ. 4. Pœnæ decretæ in Simoniacos comprehendunt etiam Simoniam, quæ eſt ſolum prohibita Jure Eccleſiaſtico, cujuſmodi eſt illa, qua ſit in permutationibus beneficiorum, & ſimilibus, *num.* 155.

§. II.

An, & qualiter incurratur pœna excommunicationis, propter Simoniam commiſſam in Ordine, vel beneficio?

Aſſ. 1. Per Simoniam realem, & completam in Ordine incurritur excommunicatio Papæ reſervata, ipſo facto, tam ab Ordinante, quam ab Ordinato, *Extravag.* 2. §. *Statuentes* 2. *Inter communes n.* 155. Nomine autem Ordinum hic veniunt Ordines, tam minores, quam Sacri, imo etiam prima Tonſura: ſed & Simonia commiſſa in Litteris dimiſſoriis cenſetur commiſſa in Ordine, *cit. n.* 156. Aſſ. 2. Similiter propter Simoniam realem, & utrinque completam in Beneficiis incurritur excommunicatio Papæ, reſervata, ſi quis pro collatione, vel alia promotione ad beneficium pecuniam dedit, vel accepit, *cit. Extravag.* 2. §. *Statuentes*, ubi tamen nomine beneficii intelligi debent ſolum beneficia proprie dicta. Extenditur autem hæc excommunicatio ad quoslibet Simoniacos in Ordine, vel beneficio, ſive manifeſtos, ſive occultos, *cit. Extrav.* 2. *n.* 157.

§. III.

An, & qualis ſuſpenſio contrahatur per Simoniam commiſſam in Ordine, vel Beneficio?

Aſſertio 1. Jure communi Decretalium conferens Ordines per Simoniam completam, recepto pretio, vel alia re æquivalenti, ipſo facto eſt ſuſpenſus a collatione omnium Ordinum, ſaltem per triennium, *c. Si quis* 45. *h. t.* Ubi dicitur quod ſi ordinans, vel præſentans aliquem ad Ordinem, recipiat promiſſionem, vel juramentum ab eo, quod non inquietabit eum ſuper beneficio, aut alimentis, tunc Ordinans a collatione: præſentator vero ab executione Ordinum per triennium eſt ſuſpenſus: ordinatus vero ab Ordine ſic ſuſcepto, donec a Papa obtinuerit diſpenſationem, *n.* 158. Declaratur, *nu.* 159. *& ſeq.* Aſſert. 2. Is qui ſimoniace Ordinem ſuſcepit, ſed ſine culpa ſua quia alius, ipſo ignorante, pecuniam dedit Epiſcopo, ut ipſum ordinaret, non eſt ipſo jure ſuſpenſus ab Ordinibus ante rite ſuſceptis, imo nec ab Ordine ſic ſuſcepto, *c. De ſimoniace* 22. *h. t.* Ubi dicitur, quod Epiſcopus poteſt diſpenſare cum ſimoniace ordinatis, ipſis ignorantibus, ut in ſuis Ordinibus remanerent, adeoque nec ab ipſis ſunt ſuſpenſi, quia non ſunt Simoniaci, *n.* 161. Reſpond. ad duas objectiones, *nu.* 162. Aſſ. 3. Qui ordinatur ab Epiſcopo Simoniaco, ſed non recipit Ordines ſimoniace, quia Epiſcopus nullam in illa ordinatione Simoniam committit: tunc ſi ſcivit ante Ordinationem Epiſcopum eſſe Simoniacum, incurrit ſuſpenſionem ab Ordine ſic ſuſcepto. Secus ſi bona fide a tali Epiſcopo ſit Ordinatus, ignorans illum eſſe Simoniacum, *n.* 163. Aſſertio 4. Propter Simoniam commiſſam in beneficio nulla incurritur ſuſpenſio, neque a conferente ſimoniace beneficium, neque a recipiente, quod intelligendum eſt de ſuſpenſione proprie dicta, prout eſt cenſura diſtincta ab excommunicatione, *n.* 164.

§. IV.

An præter prædictas cenſuras, ſint aliæ pœnæ Canonico Jure decretæ in Simoniacos?

Aſſertio 1. Sunt & aliæ pœnæ Jure Canonico ſtatutæ in Simoniacos. Et inprimis perpetuo ſunt deponendi ab Altaris Miniſterio, ſive ab Officio, & conſequenter etiam a beneficio, *c.* 2. *de Confeſſ.* Eademque pœna depoſitionis contra Simoniacum decernitur in *c. De hoc* 11. *h. t.* Ubi ſtatuitur, quando Simonia eſt manifeſta, ſeu notoria, aut ſimoniaci confeſſi in Judicio, vel legitime convicti ſunt, perpetuo ab altaris miniſterio deponi debent. Si vero publica infamia tantum laborent, eis Canonica purgatio indici debet, in qua ſi deficiunt, ut Rei puniendi ſunt, & quæ receperunt, integre Eccleſiæ reſtituere debent, *n.* 165. Præterea pœna depoſitionis contra ſimoniace obtinentem beneficium ſtatuitur etiam in *c. Inſinuatum* 13. *h. t.* Ubi dicitur, Simoniacum notorium in beneficio, qui ſe purgare non poteſt, ab illo deponendum eſſe, *num.* 166. *& ſeqq.* Item alia depoſitionis pœna imponitur in c. *Qui alium* 2. *h. t.* Ubi decernitur, qui alium ab Eccleſia ejicit per pecuniam, eamque poſtea ſibi retinet, eſt ab ea deponendus, quæ tamen pœna depoſitionis non incurritur ipſo jure, ſed per ſententiam Judicis imponenda eſt, *n.* 168. Aſſertio 2. Alia pœna eſt, quod Simoniacus in Ordine, vel beneficio privetur non ſolum beneficio ſimoniace acquiſito, ſed etiam aliis beneficiis legitime obtentis, non quidem ipſo jure, ſed per ſententiam Judicis condemnatoriam, *num.* 169. Aſſertio 3. Simoniacus quoque eſt inhabilis ad beneficium ſimoniace obtentum retinendum: quoad alia vero beneficia obtinenda non eſt ipſo jure inhabilis, *n.* 170.

§. V.

Quis poſſit diſpenſare, ſive relaxare pœnas Jure decretas in Simoniacos?

In Simonia prohibita Jure naturali, & Divino non poteſt diſpenſari quoad culpam: in Simonia vero prohibita ſolum Jure Eccleſiaſtico, ſolus Papa diſpenſare poteſt: quamvis Pontifex etiam in illa non ſoleat diſpenſare, quia id non eſt neceſſarium, neque expedit ut res Eccleſiæ fiant venales, *n.* 171. Quod vero attinet ad diſpenſationem in pœna Simoniæ, quæ ſolum habet locum in Simonia commiſſa in Ordine, Beneficio, & ingreſſu Religionis, inprimis, ab excommunicatione, quoad perſonas ſingulares, dantes, vel accipientes pecunias, ſolus Papa abſolvere poteſt, cui ea eſt reſervata in *Extravag.* 1. *&* 2. *h. t. Inter communes.* Ex poteſtate tamen delegata etiam alii abſolvere poſſunt habentes privilegium abſolvendi a caſibus Papæ reſervatis. Similiter in ſuſpenſione, quæ incurritur propter Simoniam commiſſam in Ordine, diſpenſare poteſt ſolus Papa, *c. pen. h. t.* Ordinans vero ſimoniace ſuſpenſus eſt a collatione Ordinum, in qua pœna etiam diſpenſare non poteſt, niſi Papa *cit. c. pen. n.* 172. Secundo quoad pœnam inhabilitatis ad obtinendum idem beneficium ſimoniace obtentum, ſi beneficium recipiens Simoniam commiſſam eſſe ſcivit, ſolus Papa diſpenſare poteſt: ſi quia vero per ignorantiam beneficium ſimoniace collatum accepit; tunc vel eſt beneficium majus aut curatum, & non poteſt Epiſcopus cum illo diſpenſare; vel eſt ſimplex, & poteſt. Extra caſus vero expreſſos in c. *pen. de Elect.* ſolus Papa in inhabilitate ad idem Officium obtinendum diſpenſare poteſt, quod etiam ignoranter patratum fuit, *n.* 173. Tertio quoad pœnam inhabilitatis ad alia beneficia obtinenda, ſi Simoniacus voluntarie, & ſponte renunciat beneficio per Simoniam obtento, ante ſententiam Judicis, poteſt Epiſcopus cum illo diſpenſare ad alia beneficia obtinenda; non autem poteſt, ſi ante renunciationem factam, de Simonia condemnetur, & ideo beneficio prius obtento privatur, *n.* 174. Porro quod dictum eſt, non poſſe Epiſcopum diſpenſare quoad pœnas, ſeu cenſuras latas contra Simoniacos, id limitari debet, quoad excommunicationem, & ſuſpenſionem, quæ incurruntur propter Simoniam occultam, juxta facultatem Epiſcopis conceſſam in Concilio Trident. *Seſſ.* 24. *c.* 6. *de reform.* diſpenſandi in caſibus occultis, & non deductis ad forum contentioſum, *cit. num.* 174.

SECTIO VIII.

De obligatione reſtituendi, quæ per Simoniam ſunt accepta.

§. I.

An, & cui pretium ſimoniace acceptum ſit reſtituendum?

Aſſertio 1. Qui accepit pretium pro re ſpirituali, non ſolum ſimoniace, ſed etiam injuſte, quia ſcilicet in re ſpirituali ſimoniace vendita nullum temporale jus, vel commodum habet, is jure naturali ac Divino pretium acceptum reſtituere debet, non ratione Simoniæ formaliter, & præciſe, ſed ratione injuſtitiæ. Ut ſi quis pecuniam pro Sacrificio Miſſæ, vel Sacramenti adminiſtratione accepit, tanquam pretium rei ſpiritualis, ſive in compenſationem ejuſdem, is tenetur reſtituere pretium acceptum, *n.* 175. Deducuntur tria corollaria, *num.* 176. Aſſertio 2. Qui accipit pretium pro re ſpirituali ſimoniace, ſed non injuſte, quia in ea aliquod temporale jus, ſeu commodum habet, quod annexum eſt illi rei ſpirituali, non tenetur jure naturali reſtituere pretium, niſi a Jure poſitivo, vel ab Eccleſiaſtico Judice reſtitutio in pœnam imponatur, ut ſi quis Canonicatum venderet, *num.* 177. Deducuntur quædam corollaria, *n.* 178. Aſſertio 3. Per ſe, & ex vi legis naturalis ac Divinæ pretium ſimoniace, & injuſte acceptum, ante

Judi-

Judicis ſententiam condemnatoriam, reſtitui debet ei, qui dedit, non aliis, *n.* 179. Solvuntur objectiones, *n.* 180.

§. II.

An pretium ſimoniace acquiſitum contra prohibitionem Juris Eccleſiaſtici, reſtitui debeat in foro conſcientiæ, etiam ante ſententiam, & condemnationem Juris, & cui?

Aſſertio I. Pretium acceptum pro collatione, electione, confirmatione, vel renunciatione beneficii reſtitui debet in foro conſcientiæ, ante omnem Judicis ſententiam, *c. De hoc* 11. *in fine h. t. n.* 181. Hoc autem caſu, reſtitutio pretii ſimoniace accepti, non danti, ſed illi Eccleſiæ, in qua eſt beneficium, & in cujus injuriam Simonia commiſſa eſt, reſtituenda eſt, *cit. c. De hoc* quamvis etiam probabile ſit, pretium ſimoniace acceptum pro datione beneficii, ante ſententiam Judicis, reſtituendum eſſe ei, qui dedit: poſt ſententiam vero Eccleſiæ, cui Judex illud adjudicaverit, *num.* 182. Aſſertio 2. In Simonia commiſſa in ingreſſu Religionis, pretium jure poſitivo non debet reſtitui in conſcientia & ante ſententiam Judicis, ſi admiſſus in Monaſterium in eo permanet, *n.* 183. Aſſertio 3. Pretium ſimoniace acceptum pro collatione Ordinum, & aliorum Sacramentorum, aut Sacramentalium, ſi notabiliter excedat, quod pro ſuſtentatione exigi poterat, eſt reſtituendum, ſed vi Juris Divini potius, quam Eccleſiaſtici; hoc enim Jure nihil diſpoſitum reperitur, quod reſtituendum ſit, ipſo facto, ante ſententiam Judicis, *n.* 184.

§. III.

An viciſſim res ſpiritualis, quæ pro pretio ſimoniace data fuit, etiam debeat reſtitui danti?

Si pretium datum pro re ſpirituali, ſimoniace acceptum ſit, ſed non injuſte; tunc ſicut pretium non debet reſtitui, ante Judicis condemnationem: ita neque res, quæ pro pretio data fuit, v. g. officium temporale Eccleſiæ, vel penſio Clericalis, quæ in titulum non eſt data. Si vero pretium ſimoniace, & injuſte acceptum ſit pro ſpirituali functione tranſeunte, v. g. Sacra ordinatione, vel collatione alterius Sacramenti? tunc pretium quidem reſtituendum eſt, ipſa tamen res, quippe tranſiens, non poteſt reſtitui, & ipſa collatio Sacramenti, vel conſecratio, etiamſi ſimoniace pro pretio facta ſit, eſt valida. Quod ſi vero res ſacræ permanentes, non ſolum ſimoniace, ſed etiam injuſte ſint venditæ, & datæ ſint pro pretio, v. g. ſacra vaſa, Reliquiæ &c. ita ut in æſtimationem venerit etiam ipſa ſpiritualitas: tunc pretium quidem reſtitui debet, quoad exceſſum reſpondentem ſpiritualitati, ipſæ vero res ſacræ, neque Divino, aut naturali jure, neque etiam Eccleſiaſtico, ante ſententiam Judicis, reſtitui debent. Excipiuntur beneficia Eccleſiaſtica acquiſita per Simoniam realem, ea enim reſtitui debent, una cum fructibus perceptis, etiam ante ſententiam Judicis: eademque ratio eſt de Officiis Eccleſiaſticis, *num.* 185. Ubi tamen quoad reſtitutionem rerum ſpiritualium diſtinguendum eſt, an in rebus ſacris permanentibus id, quod ſpirituale eſt, ſe habeat tanquam principale, ut in SS. Reliquiis; tunc enim ſi vendantur ratione ſpiritualitatis, contractus eſt irritus; ideoque reſtituto pretio, etiam Reliquiæ ſunt reſtituendæ: ſecus eſt de iis rebus ſacris, in quibus id quod ſpirituale eſt, eſt ſolum velut acceſſorium, ut in ſacris vaſis, & veſtibus, quæ ſi carius vendantur propter ſpiritualem conſecrationem, vel benedictionem, contractus eſt validus, ideoque retineri poſſunt, *n.* 186.

§. IV.

An Simonia mentalis obliget ad reſtitutionem?

Tres ſunt ſententiæ. Prima abſolute negat, mentalem Simoniacum teneri reſtituere, idque ſatis probari videtur ex *c. ult. h. t.* Ubi Papa mandat alicui, ne diſpenſet cum Monachis, qui per Simoniam, dato aliquo pretio, ſunt recepti in Monaſterium. Deinde qui ſine præcedente pacto, & ſine aliquo dato, vel recepto, ſed ſolo affectu animi acquirunt ſpiritualia, & temporalia, non tenentur ea propter Simoniam reſignare, ſed ſatis eſt, ſi eos pœniteat, & ſatisfaciant Creatori, *n.* 186. *& ſeq.* Altera ſententia eſt, Simoniam mentalem prohibitam Jure Divino obligare ad reſtitutionem, non autem prohibitam ſolo Jure Eccleſiaſtico. Tertia, & probabilior ſententia ait, eſſe diſtinguendum, an pretium ſimoniace acceptum ſit, ſine injuſtitia annexa; an vero cum injuſtitia: priore caſu, non obligat Simonia mentalis, nec ex vi juris naturalis, neque etiam ex vi juris Eccleſiaſtici, quomodo intelligendum eſt *cit. c. ult. h. t.* quod loquitur de Simonia mentali commiſſa in ingreſſu Religionis, qui non habet neceſſario injuſtitiam annexam. Denique eſt in omni alia Simonia mentali, in qua pecunia non injuſte accipitur. Poſteriore vero caſu, ſi Simoniæ, etſi mentali tantum, ſit annexa injuſtitia, cum opere ſecuto, quia externum actum adjunctum habet, oritur obligatio reſtituendi ex jure naturali, *cit. n.* 190. ubi id magis declaratur.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 16. *&* 19.
c. 2. *n.* 168.
c. 3. *n.* 143.
c. 4. *n.* 144.
c. 5. *n.* 145.
c. 6. *n.* 146.
c. 7. *n.* 143.
c. 8. *n.* 31. *& ſeq. & n.* 76.
c. 9. *n.* 33. *&* 76.
c. 10. *n.* 34.
c. 11. *n.* 185. *& n.* 181. *& ſeq.*
c. 12. *n.* 85. *& ſeq.*
c. 13. *n.* 166.
c. 14. §. *Nec quemquam n.* 46. *& in princ. n.* 57.
c. 15. *n.* 28.
c. 16. *n.* 35.
c. 17. *n.* 82. *& ſeq.*
c. 18. *n.* 131. *&* 133. *& ſeq.*
c. 19. *n.* 62. *& ſeq.*
c. 20. *n.* 20. *& ſeq.*
c. 21. *n.* 39.
c. 22. *n.* 161.
c. 23. *n.* 93. *& ſeq.*
c. 24. *n.* 50.
c. 25. *n.* 84. *& ſeq.*
c. 26. *n.* 95. *& ſeq.*
c. 27. *n.* 97. 98. *&* 100.
c. 28. *n.* 106.
c. 29. *n.* 40.
c. 30. *n.* 66. *& ſeq.*
c. 31. *n.* 147. 149. 150. *& ſeq.*
c. 32. *n.* 149. *& duobus ſeqq.*
c. 33. *n.* 102. *& ſeq.*
c. 34. *n.* 88.
c. 35. *n.* 24.
c. 36. *n.* 37. *& ſeq.*
c. 37. *n.* 22.
c. 38. *n.* 48. *&* 122.
c. 39. *n.* 41.
c. 40. *n.* 68. *& ſeq.*
c. 41. *n.* 79. *& ſeq.*
c. 43. *n.* 81.
c. 44. *n.* 90. *& ſeq.*
c. 45. *n.* 158. *& duobus ſeqq.*
c. 46. *& ult. n.* 187. 189. *&* 190.

IN EXTRAVAGANTIBUS. Communibus.

Extrav. 2. *in princ. nn.* 80. *&* §. *Nos enim n.* 70. *& ſeq.*
Extrav. 3. *in princ.* §. *Statuentes præterea, &* §. *ſeq. & fin. num.* 145. §. *Per electiones n.* 99. *& duobus ſeqq.*

TITULUS IV.

Ne Prælati vices ſuas, vel Eccleſias ſub annuo cenſu concedant.

§. Unic.

An, & ſub qua pœna prohibitum ſit Prælatis vices ſuas, id eſt juriſdictionem ſuam ſub annuo cenſu, ſive reditu concedere & an etiam proventus Eccleſiarum ſub annuo cenſu locari poſſint?

Ad priorem quæſtionem reſpondetur, qui pecuniam dant, ut Epiſcopalem, ſeu ſpiritualem juriſdictionem exerceant, privantur officio ſuo, & Epiſcopi, qui vendiderunt, amittunt poteſtatem conferendi tale officium, *c. Præterea* 1. *h. t. num.* 1. Etſi vero Epiſcopus, vel alius ſimilis Prælatus ſit ſimoniacus, ſi alicui, pretio recepto, vices ſuas, id eſt, juriſdictionem Eccleſiaſticam committat: non tamen Vicarius, vel alius ab Epiſcopo conſtitutus, ut vice ipſius juriſdictionem exerceat, ſi pro illo officio pecuniam accipiat, Simoniam committit, *n.* 2. Similiter Epiſcopi, & Archidiaconi, qui ad agendas vices ſuas, & cauſas Eccleſiaſticas terminandas, annuum cenſum ſolvunt, removendi ſunt a Clero, & Epiſcopus, qui hoc ſuſtinuerit, & permittit a judicio Eccleſiaſtico perverti, Canonice puniatur, id eſt, pœna depoſitionis, *c. Quoniam* 2. *h. t. num.* 3. Item Eccleſiæ regimen non debet Sacerdotibus committi ſub annuo cenſu, *c. Quoniam* 3. *h. t. num.* 4. De poſteriore quæſtione agitur *in c. Querelam* 4. *& ult. h. t.* ubi ſtatuitur quod fructus, & obventiones Eccleſiæ poſſunt locari ad certum tempus, v. gr. ad ſeptennium pro certo annuo cenſu: & ſi conventum fuerit, intra illud tempus non auferre, ſtandum eſt promiſſis, nec poteſt auferri, *num.* 5. Utrum hodie prohibeantur, non ſolum res, & bona Eccleſiæ ſed etiam fructus, ſeu reditus Eccleſiæ, ſeu beneficii locari ultra triennium, *num.* 6. An fructus, ſeu proventus Eccleſiarum provenientes ex juriſdictione Eccleſiaſtica poſſunt vendi, vel ipſa etiam Epiſcopalis, vel ſpiritualis, *num.* 7. & 8. Nullo modo eſt Simonia, quod Pontifex exigat, ut ſolvantur Annatæ, hoc eſt, integri fructus primi anni, qui ex Epiſcopatibus, Prælaturis, aliiſque beneficiis vacantibus exiguntur, quia id non eſt contra Jus Divinum, neque Eccleſiaſticum, ſed eæ juſte, ac rationabiliter exiguntur, *num.* 9. & 10.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 1.
c. 2. *n.* 3.
c. 3. *n.* 4.
c. 4. *& ult. n.* 5. *&* 8.

TITULUS V.

De Magiſtris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

§. I.

An, & quinam Magiſtri conſtituendi ſint ad docendum in Eccleſiis Cathedralibus, & an licitum ſit aliquid exigere, vel accipere pro licentia docendi?

Eccleſia Cathedralis debet providere de Magiſtro, qui Clericos ejuſdem Eccleſiæ, & alios pauperes ſcholares gratis doceat, eique competens beneficium conferatur. Item nullus pro licentia docendi pretium exigat, nec ſub prætextu alicujus conſuetudinis, ab eis, qui docent, aliquid petat: nec aliquem, qui ſit idoneus, petita licentia, docere prohibeat, vel impediat: qui autem contra hoc facere præſumpſerit, beneficio ſuo privari debet *c.* 1. *h. t. n.* 1. *&* 2. Præterea pretium exactum pro licentia docendi eſt reſtituendum, & promiſſum remittendum. Item ſi is, qui tenetur, non inſtituit in locis debitis Magiſtros, Epiſcopus præficere debet viros idoneos ad inſtitutionem aliorum, appellatione poſtpoſita, *c. Prohibeas* 2. *h. t. n.* 3. Similiter ne quis pro licentia docendi exigat pecuniam, prohibetur ſub pœna excommunicationis, & privationis officii, & dignitatis, etiamſi hoc habeat conſuetudo, *cap. Quanta* 3. *h. t. num.* 4. An Doctoratus ſit dignitas? *n. eod.* Non ſolum in Eccleſia Cathedrali, ſed etiam in qualibet alia Conventuali habente ſufficientes facultates, conſtituatur a Prælato, cum Capitulo, vel majore & ſaniore ejus parte, Magiſter idoneus, qui gratis Clericos Eccleſiæ in Grammatica, & alios

juxta

juſta poſſe inſtituat, In Metropolitana vero Eccleſia conſtituendus eſt Theologus, qui Sacerdotes, & alios in S. Pagina doceat, & in his præſertim inſtruat, quæ ad curam animarum pertinent. Cuilibet autem Magiſtrorum aſſignari debent a Capitulo proventus unius præbendæ, & pro Theologo tantundem, dum legit: non tamen propterea Magiſter electus efficitur Canonicus. Quod ſi forte Eccleſia Metropolitana duobus nimis gravetur, Epiſcopus, de Grammatico in alia Eccleſia ſuæ Civitatis, vel Diœceſis, faciat provideri, *c. Quia nonnullis 4. h. t. num.* 5. quid non tantum Jure antiquo, ſed etiam Jure novo Concilii Tridentini *Seſſ.* 5. *c.* 1. *& Seſſ.* 23. *c.* 18. *de refor.* circa electionem S. Scripturæ, & Grammaticæ ſtatutum ſit, & antiquis Canonibus adjectum, *num.* 6. *&* 7.

§. II.

Quale privilegium Jure Canonico conceſſum ſit Theologiam, ſeu SS. Scripturam publice docentibus, vel illi ſtudentibus?

Prælati Eccleſiarum, & Capitula mittere debent ad ſtudium Theologiæ aliquos dociles, ſeu habiles ad diſcendum qui deinde poſſint in Eccleſia DEI alios erudire, quibus ſubminiſtrent neceſſaria, ſi proprii proventus Eccleſiaſtici non ſufficiant. Et ſtudentes in Theologia per quinque annos percipere debent fructus integros beneficiorum, ſicut etiam Doctores Theologi dum docent, non obſtante contraria conſuetudine, vel ſtatuto, *c. Super ſpecula.* 5. *& ult. h. t.* Et hæc Conſtitutio confirmata fuit a Concilio Trident. *Seſſ.* 5. *c.* 1. *de reform. n.* 8. Non tantum docentes Theologiam, vel in ea ſtudentes, ſed etiam docentes, & audientes Jus Canonicum gaudent hoc privilegio percipiendi fructus in abſentia, & quidem docentes, quandiu publice docuerint: Studentes vero in prædicta Facultatibus per quinquennium excuſantur e reſidentia, & integre fructus beneficiorum ſuorum percipiunt in abſentia: exceptis diſtributionibus quotidianis, *n.* 9. Ad hoc autem non requiritur alia licentia, ſed ſufficit generalis auctoritate hujus conſtitutionis facta: debent autem, qui volunt hoc privilegio gaudere, ſtudere Theologię vel Juri Canonico in Studio generali, ſive celebri Univerſitate, *num.* 10. In Studiis Romanæ Curiæ, & aliis quibusdam debent conſtitui Magiſtri Catholici, qui inſtruant in Lingua Hebraica, Arabica, & Chaldæa, *c. hoc. tit. cit. numer.* 10.

§. III.

An accipere pecuniam pro doctrina Theologica, ſit ſimoniacum?

Non eſt Simonia, neque illicitum pro officio docendi Theologiam Scholaſticam vel Moralem, ſeu Caſus conſcientiæ, neque etiam poſitivam, ſeu S. Scripturam juſtum ſtipendium accipere, *nu.* 11. Et hinc neque vendere licentiam docendi Theologiam eſt Simonia, ſpectato Jure naturali ac Divino: quamvis Jure Eccleſiaſtico hoc ſit prohibitum, non tanquam ſimoniacum, ſed ut illicitum, & injuſtum, ſi Doctores, ſeu Magiſtri, qui habent juſtum ſtipendium pro ſuo officio, exigant pecuniam ab aliis, qui volunt in eadem Eccleſia docere, *c. Quanto* 3. *h. t.* vel ſi Prælati Eccleſiaſtici, quibus competit poteſtas, una cum beneficio Eccleſiaſtico, concedendi, pro tali conceſſione pretium aliquod exigunt, quod eſt prohibitum, in *c.* 1. & 2. *h. t.* Secundo, ſi officium, ſeu obligatio docendi Theologiam, vel Jus Canonicum ſit annexa alicui beneficio Eccleſiaſtico, non eſt Simonia contra Jus Divinum, & naturale, ſi talis Magiſter ultra ſtipendium, quod accipit ab Eccleſia, pecuniam exigat a diſcipulis, neque etiam Jure Eccleſiaſtico, id eſt prohibitum, *cit. nu.* 10. Tertio, non eſt ſimoniacum, nec illicitum dare conſilium pro ſtipendio, ac pretio, etiamſi a Theologo detur ad dirigendam conſcientiam, *numer.* 13. Quarto, neque eſt ſimoniacum, ſed licitum, accipere pecuniam pro Gradu Licentiæ, & Doctoratus, in quacunque Facultate, etiam Theologica, *num. eod.* Extat etiam in *Clement.* 2. *h. t.* Conſtitutio de recipiendo juramento a Doctorandis, quod in promotione non expendent ultra Summam 3000. argenteorum Turonenſium, quæ tamen in pluribus Academiis abolita eſt, vel uſu non recepta, *num.* 14.

SERIES CAPITULORUM

IN ANTIQUIS.	*c.* 5. *& ult. n.* 8. *& duobus ſeqq.*
c. 1. *n.* 1.	IN CLEMENTINIS.
c. 2. *n.* 3.	*Clement.* 1. *n.* 20.
c. 3. *n.* 4.	*Clement.* 2. *& ult. n.* 14.
c. 4. *n.* 5. *& duobus ſeqq.*	

TITULUS VI.

De Judæis, & Saracenis, & Eorum ſervis.

§. I.

Quæ, & in quibus caſibus Chriſtianis interdicta ſit communicatio cum Judæis?

Agitur hic de communicatione fidelium cum infidelibus in rebus politicis, & quæ ad humanum commercium ſpectant. Et inprimis prohibetur omnibus Chriſtianis aſſidua converſatio, & communicatio cum Judæis, ne hi ob illam ad ſuam ſuperſtitionem eos trahant. In ſpecie vero plures ſunt caſus, in quibus interdicitur Chriſtianis communicatio cum Judæis. Veluti primo, ne Chriſtiani ſimul habitent cum Judæis. Et hinc quamvis Chriſtianus poſſit habere ſervum Judæum, non tamen eum habere familiarem, & domeſticum, licet Chriſtianos poſſit habere Saracenos, & alios infideles, tanquam ſervos, intra eandem domum, *cit. num.* 2. Secundo, non licet Chriſtianis Judæos ut Medicos accerſere ad ſuos ſanandos, nec medicinas ab eis paratas accipere, excepto caſu neceſſitatis, quamvis emere ab eis poſſint, *num.* 2. Tertio, non licet cum Judæis balneum intrare, & in eo ſe lavare, niſi neceſſitas exigat, *cit. num.* 2. Quarto, prohibentur etiam Chriſtiani veſci Azymis Judæorum, etiam ſeorſim ab eis, *cap. Nullus* 13. *cauſ.* 28. *qu.* 1. *numer.* 3. Quinto, interdictum eſt Chriſtianis Judæos invitare, & viciſſim accedere ad eorum convivia, *c. Omnes* 14. *cap.* 28. *q.* 1. licet colloquium cum eis ſit permiſſum, *cit. nu.* 3. Non tantum autem cum Judæis, ſed etiam cum Saracenis, aut infidelibus prohibitum eſt Chriſtianis convivia celebrare, exceptis iis, qui miſſi ſunt ad eorum converſionem, *c. Quam ſit* 20. *in princ. hoc tit.* ubi in fine additur, quod quicunque Religioſi, vel Clerici, qui exeunt ad prædicandum Evangelium infidelibus, poſſunt iis adhærere, *nu.* 4. Item prohibitum eſt Chriſtianis non ſolum adire eorum convivia, ſed etiam eorum nuptias, nec dies feſtos, ludos aut choreas cum eis agere, vel Synagogas eorum frequentare, *nu.* 5. Sexto, prohibitum eſt Chriſtianis ſervire, ſeu famulari Judæis, *cap. Ad hæc* 8. *hoc tit.* ſive intra domum, ſive extra illam: non eſt tamen prohibitum locare ſuas operas Judæis, dummodo hi non ſint aſſidue illis præſentes *num.* 6. Septimo, non eſt licitum Chriſtianis, nutrire filios Judæorum, *c.* 1. *Ad hæc h. tit.* nec intra nec extra domum, *n.* 7. Hinc infertur primo, licitum eſſe Chriſtianis emendo, & vendendo merces, contractus cum Judæis inire: prohibitum tamen eſt Chriſtianis aliquid illis legare, vel teſtamento relinquere. Infertur ſecundo, communicatio, quæ in prædictis caſibus interdicta eſt cum Judæis, non debet interdicta cenſeri etiam cum aliis infidelibus. Tertio, peccatum mortale eſt communicare cum Judæis in caſibus jure probibitis, in quibus quaſi continua, & nimia familiaritas cum Judæis contrahitur, ut eſt habitare cum illis, vel famulari illis in quibusvis miniſteriis, *num.* 8.

§. II.

Quænam Judæis Chriſtianorum Principum poteſtati, & imperio ſubjectis jure tum Canonico, tum Civili ſunt interdicta?

Inprimis prohibitum eſt Judæis, ne aliquo officio publico fungantur inter Chriſtianos, *c. Cum ſit* 16. *h. t.* qui autem illis publicum officium commiſerit, præmiſſa monitione, a Concilio Provinciali compeſcatur, & cum Judæo præpoſito Chriſtiani nullum commercium habeant, donec officium acceptum dimiſerit, & reſtituerit, quicquid occaſione talis officii a Chriſtianis acquiſivit, convertendum in uſus pauperum, arbitrio Epiſcopi: idemque ſtatuitur de paganis, aliisque infidelibus, *n.* 9. deducuntur quædam corollaria, *n.* 10. Similiter quod Judæi, & pagani non poſſunt publica officia inter Chriſtianos gerere ſtatuitur in *c. Ex ſpeciali.* 18. *h. t.* ubi dicitur, Reges inducendos eſſe, ut in officiis publicis non præficiant Judæos Chriſtianis, & ſi forte jam vendiderunt ſuos reditus Judæis, vel Saracenis, deputare debent Chriſtianum non ſuſpectum de gravamine inferendo Clericis, vel Eccleſiaſticis, per quem Judæi, & Saraceni, ſine injuria Chriſtianorum conſequantur jura regalia, id eſt, reditus per Regem, venditos, *n.* 11. & 12.

Secundo prohibitum eſt Judæis novas Synagogas, ſive Eccleſias erigere: *c. Judæi.* 3. *h. t.* quamvis antiquas ruinoſas reparare eis ſit permiſſum, *c. Conſuluit.* 7. *h. t. n.* 23. *&* 24. tolerat tamen Eccleſiæ ritus & obſervationes Judæorum, *cit. n.* 24. Tertio, prohibentur Judæi habere non ſolum nutrices, & obſtetrices, ſed etiam alios famulos Chriſtianos, ſi ſecus faciant, interdici debet Chriſtianis ſub pœna excommunicationis, ne audeant habere aliquod commercium illis, *c. Etſi.* 13. *h. t. n.* 25. *&* 26. Quarto, non ſolum prohibitum eſt Judæis habere famulos, ſed etiam ſervos, ſeu mancipia Chriſtiana *c. Judæi. h. t. n.* 27. Similiter ſtatutum eſt, ut nullum Chriſtianum mancipium Judæo ſerviat: poteſt tamen quilibet Chriſtianus, datis XII. ſolidis, captivum, ſive ſervum Chriſtianum a Judæo redimere, ſive ad libertatem, ſive ad ſervitium, *c.* 1. *h. t. num.* 18. Item Judæo non licet emere, vel in ſuo ſervitio tenere hominem baptizatum, vel baptizari volentem. Quod ſi Judæus cauſa commercii emit hominem non converſum ad fidem, & emptus baptizatur, vel vult fieri Chriſtianus, datis illi XII. ſolidis, ſervus liberatur a ſervitio. Si vero Judæus intra tres menſes non expoſuit venalem talem hominem, vel ſi emit eundem ad ſibi ſerviendum, tunc nec poteſt Judæus illum amplius vendere, nec alius Chriſtianus eum emere, ſed ſine pretio fit liber, *c.* 19. *& ult. h. t. n.* 19. *&* 20. Porro etſi Judæi non poſſint habere mancipium Chriſtianum, poſſunt tamen habere Chriſtianum colonum adſcriptitium, vel originarium, *cap.* 2. *h. t.* ubi additur, ſi Judæus alio eos transferat, vel ad aliud obſequium detineat, amittit jus coloniæ, & dominii, *n.* 22. Quinto, interdictum eſt Judæis, ne oſtia, vel feneſtra in dies veneris ſancti aperiant, ſed clauſa teneant tota die, *c. Quia ſuper.* 4. *h. t. numer.* 22. Item prohibetur, ne in hebdomada ſancta in publicum prodeat, & ne Chriſtum blaſphemare præſumant, *c. In nonnullis* 15. §. *In diebus hoc titul. num.* 23. Sexto præcipitur, ut Judæi & Saraceni habitu diſtinguantur a Chriſtianis, *cit. cap. In nonnullis in princip. num.* 23.

§. III.

Quænam Jure communi Judæis jure ſunt conceſſa, ſeu permiſſa, & quæ contra illos fieri ſunt prohibita?

Judæi non ſunt inviti baptizandi, nec ad hoc cogendi, ſi quis autem Judæus ad fidem Chriſtianam confugerit, poſtquam de voluntate ejus conſtiterit, abſque impedimento, Chriſtianus efficiatur: nullus autem compelli debet ad fidem quia fidem Chriſti habere non creditur, qui invitus Baptiſmum ſuſcipere cogitur. Nullus quoque Chriſtianus Judæum aliquem occidere, vel vulnerare, vel pecunias ſuas auſer-

Digitized by Google

auferre præſumat: nullus etiam bonas eorum conſuetudines mutare, & coacta ſervitia ab eis exigere debet, niſi quæ conſueverunt facere. Item nemo Judæorum cœmeterium deſtruere, aut ſepulta corpora effodere audeat. Si quis autem ſciens contra hoc decretum fecerit, excommunicandus eſt, niſi ſatisfecerit, vel officio, aut dignitate ſua privandus, *c. Sicut.* 9. *h. t.* num. 25. *& ſeq.* Judæi, qui convertuntur ad fidem, non ſunt ſpoliandi ſuis bonis, & Principes, ac Poteſtates ſæculares faciant illis integre reſtitui omnia ſua bona juſte acquiſita, *c. Judæi.* 5. §. *Si qui. h. t.* 5. *nu.* 27. Item Judæi converſi ad fidem retinent jus ſucceſſionis erga parentes, & alios agnatos, *num. eod.* Denique Judæi converſi ad fidem non debent moleſtari in ſuis bonis, *Extravag.* 2. *Inter Communes.* num. 28.

§. IV.

Quomodo, & a quo Judæi delinquentes poſſint, ac debeant puniri?

Si Judæus Clericum aliquem percuſſit, Dominus, cujus temporali juriſdictioni eſt ſubjectus, ipſum pecuniaria pœna puniat, vel alia temporali, prout ipſi viſum fuerit, & faciat læſo condigne ſatisfieri: quod ſi Dominus Judæi id facere neglexit, Epiſcopus loci per Cenſuram Eccleſiaſticam interdicat Chriſtianis, ne cum Judæo habeant commercium donec ſatisfaciat, *c. Poſtulaſti* 14. *h. t.* num. 29. Hinc colligitur, quod Judæi de jure communi non ſunt temporaliter ſubjecti Eccleſiæ, ſed juriſdictioni temporali Chriſtianorum Principum, & Magiſtratuum, in quorum territorio exiſtunt. Secundo, Judæus percutiens Clericum non incurrit excommunicationem, quia ſpirituali juriſdictioni Eccleſiæ Judæi non ſunt ſubjecti, *n.* 30. Quamvis Principes Chriſtiani non poſſint Judæos ex ſuo territorio ejicere pro libitu, ex juſtis tamen cauſis poſſunt, *num.* 31.

§. V.

Quænam interdicta ſint Chriſtianis Jure Canonico circa Saracenos, ſeu Paganos, alioſque infideles?

Chriſtiani Saracenis arma, ferrum, & ligamina galearum deferentes, dum ad impugnandos Chriſtianos ea ſubminiſtrant, & qui in piraticis Saracenorum navibus regimen, & curam gubernationis exercent, excommunicationi ſubjacent, & fiunt ſervi capientium, & per Principes Chriſtianos Civitatum privatione mulctantur, & in Eccleſiis maritimis ſolemnis excommunicatio crebro in eos proferenda eſt *c. Ita quorundam* 6. *h. t. n.* 32. Inde repetitur in *c. Ad liberandum* 17. *h. t.* ubi additur, ut qui Saracenis aliquod impendunt conſilium, vel auxilium, in diſpendium Terræ Sanctæ; ultra prædictas pœnas, gremium Eccleſiæ non aperiatur, niſi totum, quod ex commercio tam damnato lucrati ſunt, & tantundem de ſuo, in ſubſidium Terræ ſanctæ transmiſerint: & ſi non ſunt ſolvendo, ita puniantur, ut alii terreantur, *n.* 33. Nomine autem armorum intelliguntur hic, omnia militaris artis inſtrumenta, tum ea, quæ ſunt ad defendendum, & pugnandum ſunt idonea. Nomine ferri intelliguntur, quæ ex ferro fabricata ſunt, vel ex aliis metallis, ut chalibs, plumbum &c. ligamina galearum dicuntur ligna ad ædificandas triremes, & alias naves aptas *n.* 34. Præterea tranſeuntes ad Terras Saracenorum debent jurare coram Epiſcopo, quod in mercibus ſuis nihil deferant ad Saracenos, quod poſſit ipſis commodum & ſubſidium afferre, *c. Significavit* 11. *h. t. nu.* 35. Illi quoque, qui poſt treugam factam inter Chriſtianos, & Saracenos, ad hos portant merces prohibitas, non evadunt cenſuram excommunicationis, ſicut nec illi, qui per alios merces prohibitas illuc tranſmittunt, *c. Significavit* §. *Illi quoque hoc t.* Denique ſi eas deferant tempore treugæ, etiam ſunt excommunicati *cit. c. Significav.* §. *alt. cit. nu.* 35. Excommunicati quoque ſunt, qui tempore belli cum Saracenis per ſe, vel per alios eis dant ſubſidia, vel conſilia, *c. Quod olim* 12. *h. t. n.* 36. Item Chriſtiani arma portantes ad Saracenos, vel infideles, Chriſtianos impugnantes, ipſo facto ſunt excommunicati, & capientium ſervi, infames & inteſtabiles fiunt, tam active, quam paſſive, ac eorum bona confiſcantur *Extrav.* 1. *Inter Commun.*, *n.* 37. Similiter in *Extrav. Cupientes unic. Joan. XXII. h. t.* prohibetur, ne quis arma, victualia, & alia quæcunque Alexandriam deferri prohibita, intra triennium ad Saracenos in Regnum Granatæ deferre præſumat, ſub pœnis ibi expreſſis, *n.* 38. Denique in *Clement. Cedit unic. h. t.* præcipitur, ut Principes Chriſtiani cohibeant Saracenos ſibi ſubjectos a publica invocatione Machometi, & a peregrinatione, quam facere ſolent ad ejus ſepulchrum *num.* 39.

SERIES CAPITULORUM,

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 58.
c. 2. n. 21.
c. 3. n. 13.
c. 4. *n.* 22.
c. 5. *in princ.* n. 17. *&* §. *Si qui* n. 27.
c. 6. *n.* 32.
c. 7. n. 13. *& ſeq.*
c. 8. n. 6. *& ſeq.*
c. 9. *n.* 25. *& ſeq.*
c. 10. *in princ.* n. 4. *& in fin.* n. *eod.*
c. 11. *n.* 35.
c. 12. *n.* 36.
c. 13. *n.* 25.
c. 14. *n.* 29. *& ſeq.*
c. 15. *n.* 23. *& ſeq.*
c. 16. n. 9. *&* 50.
c. 17. n. 33.
c. 18. *n.* 11.
c. 19. *& ult.* n. 19.

IN CLEMENTINIS.

Clement. unic. n. 39.

IN EXTRAVAGANT.

Extrav. unic. Joan. XXII. n. 38.
Extrav. 1. *inter Communes* n. 37.
Extrav. 2. *& ult. n.* 28.

TITULUS VII.

DE HÆRETICIS.

SECTIO I.

De crimine hæreſis, & hæreticis in genere.

§. I.

Quid ſit hæreſis, & quis dicatur hæreticus?

Hæreſis eſt error voluntarius, quem quis pertinaciter tenet contra aliquam veritatem fidei Catholicæ, quam ſuſcepit, ſeu profeſſus eſt, *num.* 1. explicatur iſta definitio, *nu.* 2. & 3.

§. II.

De quibuſdam, de quibus dubitari poteſt, an ſint proprie dicti hæretici, necne?

Quær. 1. An qui voluntarie, & deliberate dubitat in fide, ſive circa aliquam veritatem fidei, ſit hæreticus, vel infidelis? Reſp. qui dubitat poſitive de aliquo articulo fidei, id eſt, poſitive, ac pertinaciter judicat, & affirmat eſſe dubium, vel incertum, is vero eſt hæreticus, aut infidelis: Aliud eſt, ſi quis negative tantum dubitet, quia ſuſpendit omne judicium ita ut neque aſſentiatur, neque etiam diſſentiat, *n.* 4. Quare cum in *c.* 1. *h. t.* dicitur, dubius in fide infidelis, eſt, id intelligendum eſt de eo, qui non mere negative, ſed poſitive dubitat, n. 5. Qu. 2. An catechumenus nondum baptizatus deficiens a fide, quam recepit, ſit hæreticus? Reſp. non eſſe propri dictum hæreticum, ſaltem in foro externo, ſed infidelem, quia fidem ſolemniter in Baptiſmo non eſt profeſſus, *n.* 6. Quær. 3. An ſit hæreticus, qui mortis metu perculſus negat fidem, v. g. ſe eſſe Catholicum, abſque ullo tamen interiore aſſenſu? Reſp. talem peccare quidem contra præceptum profitendi fidem, non tamen eſſe vere, ac proprie hæreticum, *n.* 7. Qui alios, eum poteſt, ab errore (fidei) non revocat, ſe ipſum errare demonſtrat, *c.* 2. *h. t.* n. 8. Hæreticus, vel ſchiſmaticus, non reſipiſcat, æternum damnabitur, nec ad ſalutem ei proderunt, Baptiſmus eleemoſyna, aut mori pro Chriſto, *c.* 3. *h. t. nu.* 9. Chriſtus ſicut eſt verus Deus, ita verus eſt homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens, & oppoſitum eſt hæreticum, & ſub excommunicatione prohibitum aſſerere, *c.* 7. *h. t. num.* 10.

SECTIO. II.

De pœnis hæreticorum, & inprimis de excommunicatione eorum.

§. I.

De prima pœna Jure Canonico decreta in hæreticos, ſcilicet excommunicatione, & conditionibus requiſitis ad illam incurrendam.

Aſſertio. 1. Prima pœna hæreticorum eſt excommunicatio major latæ ſententiæ, quæ ipſo jure, ſeu facto ab ipſis incurritur, *c. Ad abolendam.* 9. *in princ. h. t.* ubi excommunicantur omnes, qui de Sacramentis Eccleſiæ aliter ſentiunt, quam S. Eccleſia Romana docet, *numer.* 11. *&* 12. Item excommunicantur omnes hæretici, quocunque nomine appellantur, *Excommunicamus.* 13. *in princ. hoc tit. numer.* 13. Similiter in *c. Sicut.* 8. *in princ.* excommunicantur omnes hæretici, eorumque receptores, & fautores, & qui tenent eo in domo, vel terra, vel negotiationem cum eis exercent, *nu.* 14. Hæretici non ſunt excommunicati Jure Divino, ſed ſolo Eccleſiaſtico, antiquiſſimo tamen, *numer.* 15. Aſſertio 2. Ad incurrendam excommunicationem ob hæreſim latam quatuor conditiones requiruntur. Primo, ut quis ſit hæreticus verus, & formalis, non tantum materialis, qui non pertinaciter contra fidem aliquid aſſerit, *num.* 16. Secundo requiritur, ut quis hæreſim internam, ſive mentalem verbis, aut aliis ſignis externis manifeſtet, *num.* 17. Tertio, ut actus externus, per quem hæreſis interna manifeſtatur, ſit ex ſe mortaliter malus, & non tantum prout ſubſtat actui interno, & ab illo procedit, *n.* 18. Quarto, ut hæreſis interna exterius manifeſtetur, animo eam profitendi, n. 19. Præterea excommunicantur in Bulla Cœnæ Domini omnes, qui hæreticorum libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine auctoritate Papæ, ſcienter legunt, aut retinent, & eos imprimentes: nam quando auctor damnatur, libri quoque ejus, ac opera etiam alias bona damnata cenſentur, *c. Fraternitati.* 4. *h. t. num.* 20. quæ requirantur ad prædictam excommunicationem bullæ Cœnæ incurrendum, *num. eod.* Alia etiam excommunicatio lata eſt in eos, qui legant libros prohibitos in Indice librorum, quæ tamen non eſt reſervata Papæ, n. 21.

§. II.

Qua communicatio Catholicis cum hæreticis ſit prohibita, vel permiſſa, & an, ac quando ſint vitandi tanquam excommunicati?

Quær. 1. An Jure Divino hæretici ſint vitandi in rebus Divinis? Reſp. eſſe vitandos in tribus caſibus expreſſis, *num.* 22. Quær. 2. Quinam hæretici, & in quibus rebus ſint vitandi a Catholicis Jure Canonico? Reſp. ſoli illi ſunt vitandi, qui nominatim ſunt denunciati, non ſolum hæretici, ſed etiam excommunicati, aut notorii percuſſores Clericorum, juxta Conſtitutionem Conſtantienſem *Ad evitanda* Martini V. *num.* 23. Hinc infertur primo, licitum eſſe Catholicis, præſertim in locis, ubi permixti ſunt cum hæreticis, civilia cum eis inire. Secundo, ſimul cum eis orare, & rem Divinam, ac Conciones cum eis audire, & funus ad ſepe-

ſepeliendum comitari. Tertio, Templa hæreticorum adire, & in eis preces fundere, ritu Catholico, modo abſit ſcandalum, & periculum propriæ perverſionis, *nu.* 24. Eſt autem illicitum Catholicis a Parochis & Epiſcopis hæreticis Sacramenta recipere, ſive Baptiſmi, extra caſum neceſſitatis, ſive Euchariſtiæ, ſive pœnitentiæ, ſive alia, ſi ritu hæretico miniſtrentur, *n.* 25. Item illicitum eſt Catholicis contrahere matrimonium cum hæreticis, quamvis ſit validum, excuſari tamen poſſunt a peccato, ratione conſuetudinis, dummodo pericula, & incommoda abſint, quæ inde ſequi ſolent, *cit. n.* 25. Licitum eſt etiam Catholico in prædictis locis, filium hæretici e Baptiſmo ſuſcipere, ſi ritu Catholico miniſtratur. Item poſſunt filii hæreticorum admitti ad Scholas Catholicorum, *n.* 26.

§. III.

An liceat diſputare de fide cum hæreticis, vel aliis, & quando, ac quomodo, & an etiam licitum ſit laicis prædicare.

Aſſertio 1. Laicis interdictum eſt de fide Catholica diſputare, ſub pœna excommunicationis, *c.* 2. §. *Inhibemus h. t. in* 6. *n.* 27. Idque extenditur primo, ut laici etiam docti de fide diſputare non poſſint. Secundo, quod etiam Clericis Regularibus non ſit licitum diſputare de fide cum hæreticis. Tertio, neque doctis Clericis coram ſimplicioribus, *cit. n.* 27. Limitatur autem primo, quod licitum ſit diſputare cum hæreticis de fide etiam publice ad defenſionem fidei. Secundo, non eſt prohibitum de controverſiis fidei diſputare doctis Theologis inter ſeipſos, vel coram firmis in fide, etiam exercitii gratia. Tertio, etiam laicus diſputare poteſt cum hæretico, in caſu magnæ neceſſitatis, vel utilitatis. Laici præſertim docti in locis, ubi Catholici cum hæreticis ſunt permixti, non peccant, nec excommunicationem incurrunt, etſi cum hæreticis diſputent de fide. Excommunicatio autem decreta in laicos diſputantes, de fide, non incurritur ipſo facto, ſed per ſententiam Judicis, *n.* 28. Aſſertio 2. Laicis etiam prædicare eſt interdictum, & Sacerdotes reprehendere, *c. Cum ex injuncto* 12. *h. t. n.* 29. Idem prohibetur laicis in *c. Sicut* 14. *h. t. n.* 30. Et univerſim excommunicantur omnes, qui prohibiti, & non miſſi a Sede Apoſtolica, vel Epiſcopo Catholico prædicationis officium uſurpare præſumpſerint, *c. Excommunicamus* 13. §. *Quia vero h. t. n.* 31.

§. IV.

An aliquando excommunicati propter ſuſpicionem de hæreſi, tanquam hæretici condemnari poſſint.

Si ſuſpectus de hæreſi ſe debite non purgat, excommunicari debet, & ſi per annum in excommunicatione exiſtat, ut hæreticus condemnandus eſt, *Excommunicamus* 13. §. *Qui autem h. t. n.* 32. Idem ſtatuitur in *c.* §. *Quia vero eod.* Eſt autem ſic ſuſpectus de hæreſi, ſi per annum in excommunicatione perſiſtat, ipſo jure, abſque alia ſententia Judicis, habendus ut hæreticus, *cit. n.* 32. Similiter ſi ſuſpectus de hæreſi vocatus ab Inquiſitoribus, ut de fide reſpondeat, & ob id, quod fuit contumax in parendo, vel ſe abſentando, fuit excommunicatus, ſi per annum in ea perſiſterit, ex tunc condemnatur tanquam hæreticus, *cap. Cum contumacia* 7. *h. t. in* 6. *nu.* 33. Quæ requiruntur, ut ſuſpectus de fide condemnari poſſit tanquam hæreticus, *n.* 34. An excommunicatus propter ſuſpicionem de hæreſi, perſiſtens in excommunicatione, etiam poſt annum poſſit allegare, & probare ſuam innocentiam, *cit. n.* 34. Per quos gradus deveniatur ad condemnationem ſuſpecti de hæreſi, *n.* 35. Si ſuſpectus de hæreſi, poſt annum elapſum, ſe ſiſtat in judicio, & non ſolum purget ſuſpicionem criminis, ſed etiam contumaciam, omnem pœnam effugiet, *cit. n.* 35. Qui propter aliud crimen, præter hæreſim v. g. perjurium fuit excommunicatus, & in excommunicatione per annum permanſit, habetur pro confeſſo, & convicto de illo crimine, *cit. num.* 35. Excommunicatus ob aliam cauſam, quæ ad fidem non pertinet, ſi per annum in excommunicatione contumaciter perſiſtat, non quidem poteſt haberi pro confeſſo, & convicto hæretico, eſt tamen ſuſpectus de hæreſi, *n.* 36. perſeverans in excommunicatione, etiam lata ob cauſam civilem, poſt annum habetur pro ſuſpecto de hæreſi. Item excommunicatus ob quamcumque cauſam criminalem, vel civilem, & in excommunicatione perſiſtens ultra annum, dignitatibus, & beneficiis privandus eſt, *cit. n.* 36.

§. V.

De abſolutione ab hæreſi, & excommunicatione ei annexa.

Non ſolum excommunicatio, ſed etiam ipſum crimen, ſeu peccatum hæreſis eſt per ſe, & immediate reſervatum S. Pontifici, ita ut nullus a culpa abſolvi poſſit, niſi prius a cenſura ei annexa abſolvatur, *n.* 37. Quær. 1. An Epiſcopi poſſint abſolvere ab hæreſi, & excommunicatione ei annexa? Reſp. In Concilio Trident. *Seſſ.* 24. *c.* 6. *de reformat.* conceſſa fuit Epiſcopis facultas abſolvendi a crimine hæreſis occulto, in foro conſcientiæ, per ſe ipſos tantum, non eorum Vicarios, *num.* 38. Et quibus præterea hæc poteſtas competat, *n. eod.* Hæc poteſtas abſolvendi ab hæreſi non conceditur Epiſcopis, niſi in ordine ad eos, qui ipſis ſunt ſubjecti, ratione domicilii, & quoad peregrinos ac vagabundos, *n.* 39. Probabilius eſt hanc abſolutionem impendi poſſe etiam extra Sacramentum pœnitentiæ, *cit. n.* 39. Hæc poteſtas abſolvendi ab hæreſi reſtringitur ad Diœceſim Epiſcopi abſolventis, ita ut non poſſit abſolvere ab hæreſi, niſi in propria ſua Diœceſi exiſtat, *cit. n.* 39. Reſtringitur etiam ad hæreſim, aliaque delicta occulta Papæ reſervata, ubi per delictum occultum intelligitur, quod non eſt publicum, ſeu notorium, etſi per teſtes probari poſſit, *n. nu.* 39. Limitatur etiam iſta poteſtas abſolvendi, ut delictum non ſit deductum ad forum contentioſum, per citationem, vel etiam per litis conteſtationem, ante quam non dicitur judicium proprie cœptum, nec lis mota, *n.* 40. Facultas abſolvendi ab hæreſi occulta eſt inſuper reſtricta ad perſonam Epiſcopi ita ut per ſe ipſum tantum poſſit abſolvere, non autem per ſuum Vicarium, *cit. n.* 40. Quær. 2. An prædicta facultas conceſſa Epiſcopis ſit revocata per Bullam Cœnæ Domini, quoad abſolutionem ab hæreſi, & aliis caſibus ejuſdem Bullæ? Plures negant eſſe revocatam, alii vero affirmant, *nu.* 41. Sed quicquid ſit de hoc, priorem ſententiam negativam in praxi tutius amplecti poſſint Epiſcopi in Regionibus ab Urbe remotioribus, præſertim Epiſcopi Germaniæ qui poſſunt per ſe, & delegatos ſuos abſolvere, non ſolum ab hæreſi occulta, ſed etiam notoria, & publica. Poſſunt vero in foro externo Epiſcopi, præſertim Germaniæ, ubi non ſunt alii Inquiſitores hæreticæ pravitatis, de jure communi abſolvere hæreticos, Dummodo non ſit Hæreſiarchæ, ab excommunicatione Papæ reſervata. Illud certum eſt, Epiſcopos non poſſe abſolvere elapſos in hæreſim, etiam in foro conſcientiæ, *nu.* 42. Quær. 3. An vi privilegii Sedis Apoſtolicæ Religioſi poſſint abſolvere ab hæreſi in foro conſcientiæ? Reſp. affirmative, *n.* 43. Quær. 4. An ſub facultate generali abſolvendi a caſibus reſervatis conceſſa per Bullam Cruciatæ, vel Jubilæi, comprehendatur etiam facultas abſolvendi ab omnibus caſibus contentis in Bulla Cœnæ, vel ſub facultate abſolvendi a reſervatis in ea Bulla facultas abſolvendi ab hæreſi? R. Negative, niſi ſpecialiter exprimatur, *nu.* 41. Hæreticus abſolutus in foro conſcientiæ, aut pœnitentiali, vel alio Confeſſario, ſpeciale ad hoc privilegium habente, ſi poſtea accuſetur de hæreſi in foro externo, non evadit pœnas illius fori, *cit. n.* 44.

SECTIO III.

De aliis pœnis hæreticorum.

§. I.

De pœna irregularitatis, ſeu inhabilitatis ad Ordines, & ad beneficia Eccleſiaſtica, quam contrahunt hæretici.

Quær. 1. An hæretici etiam converſi ad fidem Catholicam ſint irregulares? Reſp. 1. Si ſint hæretici notorii, ſeu publici, certum eſt eos, etiam poſt abſolutionem ab hæreſi, & pœnitentiam actam, Sacros Ordines ſuſcipere non poſſe, *c.* 1. *& c. Saluberrimum* 21. *cauſ.* 1. *q.* 7. *c.* 2. §. *Hæretici, h. t. in* 6. Ubi dicitur, hæreticos non poſſe admitti ad beneficium Eccleſiaſticum, vel officium publicum, quale eſt etiam Ordo, *n.* 45. Reſp. 2. Probabilius eſt, hæreticum occultum non eſſe irregularem, adeoque poſt abſolutionem ab hæreſi, in foro conſcientiæ ad Ordines Sacros promoveri poſſe. Eſt autem hic ſermo, de hæreſi occulta, quæ in externum actum prodit, non tamen eſt publice nota, ſeu manifeſta, *n.* 46. Quis poſſit diſpenſare in irregularitate ob hæreſim contracta, *n.* 47. Quær. 2. An Epiſcopus, vel Sacerdos, ſi hæreticus fiat, privetur poteſtate Ordinis? Reſp. Retinere illam: quare hæreticus rite ordinatus valide adhuc conſecrat in Miſſa, baptizat, confirmat, Ordines confert; non tamen tunc valide conferre poteſt Sacramentum pœnitentiæ, quia juriſdictione caret, quæ requiritur ad poteſtatem abſolvendi, *n.* 48. Quær. 3. An, & qua ratione hæretici ſint inhabiles ad beneficia Eccleſiaſtica, & officia publica? Reſp. hæretici inhabiles ſunt ad acquirenda beneficia Eccleſiaſtica, & officia publica, imo etiam credentes, & receptatores, & fautores eorum, & filii uſque ad ſecundam generationem, *c.* 2. §. *Hæretici h. t. in* 6. quin etiam ſunt privandi beneficiis obtentis, & officiis publicis ac honoribus quibuſcunque, *cap. Ut commiſſi* 12. §. *Privandi h. t. in* 6. *nu.* 49. Idque extenditur, quod hæretici non tantum ſunt privandi per ſententiam, ſed ipſo jure ſint privati omnibus beneficiis Eccleſiaſticis ante hæreſim obtentis, & inhabiles ad alia obtinenda, niſi hæreticus continuo pœnituerit, & ad fidem redierit, *n.* 50. Quin etiam quicunque Eccleſiaſtici, qui ad preces hæreticorum quæcunque beneficia Eccleſiaſtica adepti ſunt, iis ſunt privati, & inhabiles efficiuntur ad alia obtinenda, ſi ſcienter ea receperunt, *c.* 2. §. *Ad hæc h. t. in* 6. *nu.* 51. idque declaratur *c. n.* 51.

§. II.

De pœna infamiæ, & privationis ſepulturæ, quam incurrunt hæretici.

Quær. 1. An hæretici ſint infames? Reſp. Eſſe ipſo jure infames, ante omnem ſententiam Judicis, ut colligitur ex *c. Excommunicamus* 13. §. *Credentes h. t.* Ubi id de fautoribus hæreticorum habetur, & ex *c. Statutum* 15. *in* 6. *n.* 52. Quær. An, & qualiter hæretici priventur ſepultura Eccleſiaſtica? Reſp. Si quis in peccato hæreſis deceſſerit, oblatio pro eo non fiat, & inter Chriſtianos ſepeliri non debet, *c. Sicut* 8. §. *Si autem h. t. nu.* 53. Scienter ſepeliens hæreticos, vel credentes, receptatores, defenſores aut fautores eorum, excommunicationem incurrit, donec idonee ſatisfecerit, nec abſolvi debet, niſi propriis manibus eorum corpora exhumet; locus vero ille debet perpetuo carere ſepultura, *c.* 2. *in princ. h. t. in* 6. *n.* 54. Declaratur, *n.* 55.

§. III.

De pœna confiſcationis bonorum quæ infligitur hæreticis.

Quær. 1. An, & qualiter propter crimen hæreſis bona hæreticorum confiſcentur? Reſp. Bona hæreticorum in Terris Eccleſiæ temporaliter ſubjectis, confiſcantur, & applicantur fiſco Eccleſiæ: in Terris Principum ſecularium, eorum fiſco. Quod ſi id negligant, per Cenſuram Eccleſiaſticam compellantur, nec alia bona amplius revertuntur ad prædictos hæreticos, niſi ipſi ad fidem redierint, & hæreſim abnegaverint; tunc enim ex miſericordia poterit hoc iis condo-

donari: nam cum ſecundum Leges Civiles filii reorum læſæ Majeſtatis amittant hæreditatem, vita ſolum iis reſervata; multo magis filii hæreticorum, qui Rei ſunt læſæ Majeſtatis Divinæ, ſpoliandi ſunt bonis temporalibus, quia gravius eſt æternam ac Divinam, quam temporalem lædere Majeſtatem: præſertim quia in multis caſibus filii pro parentibus temporaliter puniuntur, *c. Vergentis* 10. *h. t. nu.* 56. Propter paterni criminis immanitatem, quandoque puniri poſſunt filii temporaliter, regulariter tamen filius non debet puniri ob crimen patris maxime in ſpiritualibus: bona hæreticorum confiſcantur, ita ut nec Catholicis hæreticorum filiis aliquid relinquendum ſit, *n.* 57. Præterea in *cap. Excommunicamus* 13. §. *Damnati h. tit.* ſtatuitur, quod bona damnatorum de hæreſi, ſi ſint Laici, confiſcantur, ſi Clerici, applicantur Eccleſiis, a quibus ſtipendia acceperunt, *n.* 58. Denique bona hæreticorum ſunt ipſo jure confiſcata, ſed occupatio bonorum non debet fieri ante ſententiam promulgatam ab Epiſcopo, vel ab alia perſona Eccleſiaſtica habente ad id poteſtatem; ſi enim qui contrahit inceſtuoſas nuptias; vel raptores, contradicentibus parentibus, vel qui illicitas merces transvehunt privantur iiſdem rebus, ipſo jure; multo magis bona hæreticorum ipſo jure ſunt confiſcata, *c. Cum ſecundum* 19. *h. t. in* 6. *n.* 59. & 60. Bona autem hæreticorum confiſcantur, etiamſi primum poſt mortem de hæreſi fuerint convicti, & condemnati, *c. Accuſatus* 8. §. *In eo vero caſu h. t. in* 6. *cit. n.* 60. Quær. 2. An hæreticus, cujus bona, ob crimen hæreſis, ipſo jure ſunt confiſcata, a die commiſſi criminis, ipſo facto, etiam amittat dominium, & adminiſtrationem omnium, eaque ad fiſcum transeant? Reſp. Probabilius eſt, admitti ipſo facto, ante ſententiam declaratoriam criminis, *n.* 61. Ponuntur duæ exceptiones, *n. eod.* Hinc infertur, quod hæretici, aliique, quorum bona ſunt confiſcata, non tenentur, ante Judicis ſententiam, ſaltem declaratoriam in foro conſcientiæ tradere bona ſua, *n.* 62. Porro ſub abſoluta bonorum confiſcatione propter hæreſim, ipſo jure, facta comprehenduntur omnia bona, mobilia & immobilia hæretici, imo etiam jura, & actiones, *cit. n.* 62. *in fin.*

§. IV.

An dotes uxorum confiſcentur, propter hæreſim maritorum?

Reſp. Dotes uxorum Catholicarum non confiſcantur propter hæreſim maritorum, ſi quando contraxerunt matrimonium, neſciebant, illos eſſe hæreticos, *nu.* 63. Non ſolum autem dos, ſed etiam bona paraphernalia, & quæcunque alia bona propria uxoris non confiſcantur, propter hæreſim mariti, *n.* 64. Nec uſusfructus dotis, qui percipitur ex aliis bonis uxoris. Et non tantum in donatione inter vivos, ſed etiam mortis cauſa facta, inter conjuges, non habet locum confiſcatio bonorum, *cit. n.* 64. Excipitur, niſi uxores ſcienter nubant viris hæreticis; tunc enim privantur dote non ipſo jure, ſed per ſententiam Judicis, *nu.* 65. Neque vero hæc pœna amiſſionis dotis eſt extendenda ad alia bona non dotalia, *nu.* 66. Neque vice verſa, vir Catholicus ſcienter contrahens matrimonium cum hæretica, incurrit ſimilem pœnam amiſſionis bonorum, *n.* 67.

§. V.

Cui applicari debeant bona, tum Clericorum, tum laicorum, confiſcata propter hæreſim?

Aſſertio 1. Bona Clericorum propria, & patrimonialia, propter hæreſim eorum confiſcantur, eaque applicanda ſunt fiſco Eccleſiæ, & Epiſcopi in pios uſus diſtribuenda, ſi ipſe Clericus non habeat ſtipendium ab alia Eccleſia, idque ſpectato Jure communi, & ſecluſa conſuetudine; idemque eſt de bonis Clericorum quaſi patrimonialibus, *nu.* 68. Aſſertio 2. Bona Clericorum acquiſita, ratione beneficii Eccleſiaſtici, non tranſeunt ad fiſcum Epiſcopi, ſed applicari debent Eccleſiæ, cui inſervierunt, *c. Excommunicamus* 13. §. *Damnamus h. t. n.* 69. Aſſertio 3. Bona Eccleſiæ, ut domus, prædia, ac ſimilia, ex quibus Clerici reditus beneficii percipiunt, non confiſcantur ob hæreſim Clericorum, qui illa poſſident, & Judex illa confiſcans, ipſo jure, excommunicationem incurrit, *Clem.* 2. *h. t.* Ubi præcipitur, ut deputati ab Inquiſitore, vel Epiſcopo aut Capitulo, Sede vacante, ab aliquo, prætextu Officii Inquiſitionis, non extorqueant pecuniam, nec attentent fiſco applicare bona Eccleſiæ, ob delictum Clericorum, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, a qua non abſolvantur, niſi plene ſatisfecerint dominis. Notarii vero, Officiales, & ſocii, qui hoc ſciverint, illos in ſecreto reprehendant, & corrigant, & ſi probare poſſint, denuncient Superioribus, qui tales ab Officiis amoveant, *n.* 70. Explicatur, & declaratur *n.* 71. Aſſertio 4. De jure communi Canonico, bona laicorum hæreticorum confiſcata in Terris Eccleſiæ, applicantur fiſco Eccleſiæ, in Terris vero Imperii fiſco ſæculari, *c. Vergentis* 10. *h. t. n.* 72. & *ſeq.* Hodie vero circa applicationem bonorum confiſcatorum ob hæreſim ſervari debent conſuetudines locorum, modo rationabiles ſint, *numer.* 74. *in fine.*

§. VI.

De inhabilitate ad teſtandum, & hæreditariam ſucceſſionem, quam incurrunt hæretici.

Quær. 1. An hæreticus poſſit teſtamentum facere? Reſp. Negative, *c. Excommunicamus* 13. *Credentes h. tit.* Idque extenditur primo, ut ſit ipſo jure nullum, etiam ante ſententiam criminis declaratoriam, quamvis etiam probabile ſit, quod non ſit ipſo jure nullum, ita tamen ut per ſubſequentem ſententiam revocari poſſit. Secundo, neque ad pias cauſas poſſunt teſtari hæretici, neque teſtamentum ab ipſis factum reconvaleſcit poſt pœnitentiam, *n.* 74. Quær. 2. An hæreticus ſit capax ſucceſſionis hæreditariæ? Reſp. Hæreticus privatur ſucceſſione hæreditaria, tam ex teſtamento, quam ab inteſtato, *c. Excommunicamus* 13. §. *Credentes h. t.* Eſt etiam incapax legati ex teſtamento ipſi relicti, *n.* 75. An hæreticus ita privetur hæreditate ſibi delata, ut ſtatim poſt crimen commiſſum, ſit incapax ad ſuccedendum, *cit. n.* 75. Quando hæreticus ſit incapax hæreditatis aut legati, ita ut ea confiſcentur, vel capax, *citat. num.* 75. *in fine* Quær. 3. An, & ſub qua pœna prohibitum ſit hæreticos inſtituere hæredes in teſtamento? Reſp. Id eſſe prohibitum ſub pœna excommunicationis Epiſcopis, *c. Si quis* 5. *h. t. nu.* 76. Similiter Epiſcopi, & Clerici inſtituentes hæreticos in teſtamento, excommunicari debent, *c. In eos* 6. *h. t.* Niſi inſtituens hæreticos probabiliter ignorarit eos eſſe hæreticos, *n.* 77. Hinc ſequitur, quod quis etiam poſt mortem poſſit excommunicari, *n.* 78. Ubi id declaratur, quomodo ſit intelligendum. An Epiſcopus, vel Clericus poſſit inſtituere hæredem Catholicum, *n. eod. in fine.*

§. VII.

De quibuſdam juribus temporalibus, quibus privantur hæretici.

Aſſertio 1. Hæretici amittunt patriam poteſtatem in filios, ita ut ſtatim, ante omnem ſententiam declaratoriam Judicis, filii fiant ſui juris, abſque alia emancipatione, *c.* 2. § *fin. h. t. in* 6. *n.* 79. Hæc autem pœna non extenditur ad receptores, defenſores, & fautores hæreticorum, *num. eod.* Aſſertio 2. Hæretici privantur etiam poteſtate dominii in ſervos, vaſſallos, & jure, quod habent in alios perſonaliter ſibi obligatos, *c. ult. h. t. num.* 80. Hinc infertur primo, ſervos effici liberos ab obſequio domini; non quidem ſtatim ipſo jure, ſed poſt ſententiam declaratoriam criminis; & quidem ſervi Chriſtiani, & Catholici omnino fiunt liberi; ſervi vero infideles, & hæretici tranſeunt in dominium fiſci, *n.* 81. Infertur ſecundo, omnes debitores hæretici, eique obligati, a quocunque debito, & obligatione liberantur, & quidem ipſo jure ante ſententiam condemnatoriam, vel declaratoriam criminis, modo hæreſis ſit manifeſta, *n.* 82. Quamvis etiam valde probabile ſit, quod debitores, ante ſententiam, ſaltem declaratoriam criminis, poſſint ac teneantur ipſis hæreticis ſolvere debita, *num. eod.* Secundo omnes debitores hæretici ſunt liberati ab omni debito, ſeu obligatione etiam pœnali, & jurata. Tertio, licet hæreticus reſipiſcat, non tamen obligationes, & debita jam extincta recipit, *n. eod.* Infertur tertio, quod hæreticis non ſit ſervanda fides, ſi a privatis perſonis ſit data, ſecus ſi a Principe, *n.* 83. Prædictæ pœnę privationis patrię poteſtatis, & aliorum temporalium jurium non habent locum in Lutheranis Auguſtanę Confeſſionis in Germania, *n. eod.*

§. VIII.

De pœna degradationis infligenda hæreticis.

Quid ſit degradatio, & quotuplex, *n.* 84. Quær. 1. An, & quando Clericus ob hęreſim ſit degradandus? Reſpond. Clericus manifeſte deprehenſus in hęreſi, niſi ſtatim ſuum errorem publice abjuraverit, & congruam ſatiſfactionem prętiterit, degradari debet, id eſt, omni Officio, & beneficio ſpoliari, & tradi poteſtati ſeculari puniendus, *c. Ad abolendam* 9. §. *Præſenti h. t. n.* 85. Explicatur, & declaratur, *n.* 86. Quęr. 2. Qua forma, & a quo ſit Clericus hęreticus degradandus, antequam tradatur Curię ſeculari? Reſp. Quando Clericus in Sacris conſtitutus, propter crimen hęreſis eſt tradendus brachio ſeculari, vel ad perpetuum carcerem condemnandus, ſufficit ſolus ejus Epiſcopus ad eum degradandum, convocatis Abbatibus, & aliis Prælatis, & Religioſis ac Litteratis ſuæ Diœceſis, ſi ita expedire judicaverit, *c.* 1. *h. t. in* 6. *nu.* 87. Clericus in Sacris conſtitutus in hæreſim lapſus prius eſt degradandus, *nu.* 88. Et quamvis tales Clerici de Jure communi debeant actualiter degradari, ex conſuetudine tamen tantum degradantur verbaliter, *n.* 89. Quinam debeant convocari ad hujuſmodi degradationes, *n. eod.*

§. IX.

Quæ pœnæ corporales infligi debeant, aut poſſint hæreticis, & an etiam pœna pecuniaria iis imponi poſſit?

Aſſertio 1. Pœna, quæ hæreticis pœnitentibus imponi poteſt, eſt carcer perpetuus, *c. Excommunicamus* 15. §. *Si qui h. t.* Quinam hæretici pœnitentes damnari poſſint ad perpetuos carceres, *n.* 91. Poſſunt Inquiſitores fidei cum Epiſcopis pœnam carceris perpetui mitigare ex juſta cauſa, vel mutare, *c. Ut commiſſi* 12. §. *Et illorum h. t. in* 6. *cit. n.* 91. Hæretici impœnitentes, & perſiſtentes in pertinacia, pœna mortis afficiuntur, *n.* 92. Aſſertio 2. Inquiſitores poſſunt laicis, & Clericis imponere pœnam pecuniariam applicandam Officio inquiſitionis, *n.* 93.

§. X.

De relapſis in hæreſim, eorumque pœnis.

Quær. 1. Quinam in Jure Canonico hæretici relapſi cenſeantur, & quibus ac quot modis dicantur relapſi? Reſpond. Relapſi in hæreſim, vel ſunt vere ac proprie relapſi, vel ficte ſolum, ſeu ex juris præſumptione. Priores ſunt, qui confeſſi, aut plene convicti de hæreſi in judicio, illam abjurarunt, & poſtea in eam reinciderunt. At vero ficte relapſus dicitur primo qui accuſatus eſt de hæreſi, vel ſuſpectus, abjuravit in judicio hæreſim, ſed poſtea iterum in eam labitur, & tanquam relapſus puniri debet. Quod ſi vero levis, & modica tantum fit de aliquo ſuſpicio, non cenſetur relapſus, ſed lapſus, gravius eſt puniendus, non tamen tanquam relapſus, *c. Accuſatus* 8. *in princip. hoc tit. num.* 95. Secundo, ſi quis primo non ſimpliciter aut generaliter, ſed unam tantum hæreſis ſpeciem incurrit, & deinde ſimpliciter ac generaliter abjurat hæreſim; ſed poſtea in aliam ſpeciem hæreſis; vel factam incidit, vel in alio arti-

Digitized by Google

articulo aut Sacramento errat, cenſetur, juris præſumptione, ut relapſus in hæreſim, *cit. c. Accuſatus. §. Eum vero h. t. in 6. n.* 95. Tertio, ille quoque, de cujus lapſu in hæreſim, ante vel poſt adjurationem conſtat, ſi poſtea hæreticos recipiat, deducat, viſitet, vel ſibi aſſociet, vel munera eis donet aut mittat, vel favorem impendat, qui excuſari non poſſit, etiam ſine approbatione, merito judicatur ut relapſus, quia id fit ex conſequentia approbati erroris, *cit. c. Accuſatus. §. Ille quoque num.* 96. Quær. 2. Quæ ſit pœna jure decreta in hæreticos relapſos? Reſp. Illi, qui poſt adjurationem hæreſis, vel poſtquam ſe purgaverint in examine proprii Epiſcopi, deprehenduntur incidiſſe in abjuratam hæreſim, ſæculari judicio, ſine ulla penitus audientia, relinqui debent, *c. Ad abolendam. 9. §. Illos quoque. h. t. numer.* 97. Similiter qui abjurarunt errorem, vel ſe purgaverunt in examinatione proprii Antiſtitis, & reincidunt in abjuratam hæreſin, ſine audientia, ſeculari judicio relinqui debent, etiamſi convertantur: quia tamen Eccleſia non claudit ſuum gremium redeunti, non debent illi petita Sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ denegari, *c. Super eo. 4. h. t. in 6. num.* 98.

SECTIO IV.

De filiis hæreticorum, & de credentibus, receptoribus, defenſoribus & fautoribus eorundem, ac pœnis.

§. I.

Quas pœnas incurrant filii hæreticorum?

Prima pœna, eſt, quod filii etiam Catholici, privantur hæreditate, & omnibus bonis paternis, *c. Vergentis. 10. h. t. & c. pen. eod. in 6.* quamvis poſſint ſuccedere ab inteſtato, vel ex teſtamento aſcendentibus, ut avo, proavo &c. conſanguineis collateralibus, & extraneis Catholicis, *nu.* 99. Extenditur primo, quod filii legitimi, & illegitimi, ac naturales priventur paterna hæreditate. Secundo, filiæ dote ſolvenda ex bonis patris hæretici. Tertio, filii privantur etiam hæreditate propter hæreſim matris. Quarto, etiam nepotes, & alii deſcendentes per lineam paternam & maternam privantur hæreditate paterna, & materna, *n.* 100. Limitatur primo, filii hæreticorum pœnitentium non privantur hæreditate paterna, *c. Statutum. 15. Hoc ſane. h. t. in 6.* neque ſi eorum pater ſolum fuit ſuſpectus de hæreſi, non autem confeſſus, aut convictus. Neque pater punitus propter hæreſim filii, *cit. nu.* 100. Secunda pœna in filios hæreticorum, imo & fautorum, defenſorum &c. decreta eſt, quod ſint irregulares, ita ut ad SS. Ordines promoveri non poſſint filii & nepotes eorum per lineam paternam, ſoli vero filii per lineam maternam, *c. 2. Hæretici juncto c. Statutum. 15. h. t. in 6. n.* 101. Tertia pœna eſt, quod hæretici fautores, & defenſores eorum ſunt privandi, & privati declarandi dignitatibus, & beneficiis Eccleſiaſticis, de conſilio Diœceſanorum, vel eis abſentibus, Vicariorum ſuorum, & officiis publicis, & honoribus quibuſcunque, niſi conſtaret, quod Diœceſani ſcienter hujuſmodi perſonis eadem beneficia contuliſſent, tunc enim non ſint requirendi, ſed potius a ſuo Judice, ſcilicet Metropolitano puniendi, *c. Ut commiſſi. 12. §. Privandi. h. t. in 6. n.* 102. Cur non poſſint Clerici privati beneficiis, non requiſito conſilio Diœceſanorum, vel Vicariorum eorundem ipſis Epiſcopis abſentibus, *n.* 103. Præterea filii hæreticorum, credentium, receptorum, defenſorum, & fautorum, per lineam paternam, uſque ad ſecundum gradum, per maternam vero uſque ad primum, non poſſunt obtinere beneficia, & officia Eccleſiaſtica, ſi ſecus actum fuerit, eſt irritum & inane, *c. Statutum. 15. h. t. in 6. n.* 104. Id vero intelligendum eſt de filiis hæreticorum, credentium, & aliorum hujuſmodi, quos conſtat in hæreſi mortuos eſſe; ſecus quando conſtat eos fuiſſe emendatos, & reconciliatos Eccleſiæ, & ad mandatum Eccleſiæ pœnitentiam pro culpa egiſſe, vel ad eam recipiendam paratos fuiſſe, *cit. c. Statutum. §. Hoc Sane. eod. in 6. n.* 105. Aliud eſt de filiis hæreticorum relapſorum, etſi pœnitentes & converſi deceſſerint: nam quamvis hi ad Eccleſiæ Sacramenta recipiantur, eorum tamen filii adhuc remanent privati beneficiis, & inabiles ad alia obtinenda, *cit. num.* 105. Item filii hæreticorum non ſunt ipſo jure privati, nec per ſententiam privandi beneficiis jam obtentis, ante lapſum parentum eorum in hæreſim, ſed ſolis poſtea obtentis *cap. §. Hæretici. hoc tit. in 6.* niſi filii hæreticorum ſcienter obtinuerint beneficia ad preces patris hæretici, *cit. cap. 2. §. Ad hæc eod. in 6. numer.* 116. Addunt aliqui aliam pœnam, quam incurrunt filii hæreticorum, fautorum eorundem videlicet infamiam. Sed contrarium eſt probabilius, quia nullo jure ea ſtatuta reperitur in filios hæreticorum *numer.* 107.

§. II.

Quinam intelligantur per credentes, receptores, defenſores, & fautores hæreticorum, & quæ ſint pœnæ eorum?

Aſſertio 1. Credentes hæreticis dicuntur primo ii, qui bonam exiſtimationem de hæretico habent, & familiaritatem ei exibent, quamvis erroribus hæreticorum non aſſentiantur. Secundo, magis proprie, qui eorum erroribus credunt, non quidem explicite, aſſentiendo in particulari erroribus propoſitis ab hæreticis, nam hi potius ſunt hæretici, ſed implicite ſolum, & in communi, qui nihil quidem ſpecialiter, & in particulari credunt contra fidem, verbis tamen, vel factis profitentur, ſe credere, quod hæretici credunt, *n.* 108. Etiam illi, qui infirmitate ab hæreticis per manus impoſitionem conſolationem petiverunt, & receperunt, inter illos, qui dicuntur credentes hæreticis, cenſendi ſunt, *c. Filii. 3. h. t. num.* 109. declaratur, *nu.* 110. Credentes hæreticis cenſentur etiam illi in foro externo, qui aliquoties hæreticorum conciones audiunt, quamvis hoc non procedat in locis, in quibus Catholici cum hæreticis permixti vivunt, *nu.* 3. Aſſertio 2. Receptores hæreticorum appellantur illi, qui recipiunt hæreticos, ne in manus Judicum veniant, idque ſive ſæpius, ſive ſemel tantum: etiamſi quis recipiat conſanguineum ſuum, vel amicum, ne in manus Judicis deveniat; vel etiam parentes, ſi recipiant filios hæreticos, vel hi illos, vel conjux conjugem, *nu.* 112. Aſſertio 3. Defenſores hæreticorum dicuntur, ſi quis errores hæreticorum defendat, vel ſi defendat perſonam propter hæreſim, ne in manus Judicis deveniat, ſive defendat in judicio, ſive extra illud, *n.* 113. Aſſertio 4. Fautores hæreticorum cenſentur, qui quovis modo hæretici auxilium præſtant, vel favent in ſua hæreſi, poſitive, ſive commiſſione: vel negative, ſive omiſſione, *n.* 114. Aſſertio 5. Credentes, receptatores, defenſores, & fautores hæreticorum excommunicationi, & aliis pœnis ſubjiciuntur expreſſis in *c. Excommunicamus. 13. §. Credentes. h. t. num.* 116. Præterea in *eod. cap. §. Sane*, præcipitur, ut nemo eis adminiſtret Sacramenta, nec eos Chriſtianæ tradat ſepulturæ, nec accipiat eleemoſynas, aut oblationes eorum, alioquin privetur ſuo officio, ad quod non erit reſtituendus, ſine ſpeciali indulto Sedis Apoſtolicæ: & ſi ſint Regulares, non ſerventur eorum privilegia in illa Diœceſi, *cit. numer.* 115. quando non incurrantur hæ pœnæ, *numer.* 116. Advocati, & Notarii, qui hæreticis, & eorum fautoribus auxilium, vel conſilium, favorem, aut patrocinium præſtant, vel ſi Inſtrumenta publica pro ipſis facere præſumpſerint, ſunt ſuſpenſi ab officio, & perpetuo infames, *cap. Si Adverſus. 11. hoc tit. numer.* 116. *& ſeq.*

§. III.

De pœnis eorum, qui ſunt negligentes in puniendis, & exterminandis hæreticis.

Rectores, & Conſules Civitatum, & aliorum locorum commoniti ab Epiſcopo jurare debent corporaliter promittendo, quod requiſiti fideliter adjuvabunt Eccleſiam contra hæreticos, & complices: quod ſi hoc obſervare noluerint, honoribus, quos habent, privandi ſunt, nec ad alios aſſumendi, & excommunicari, ac eorum Terræ interdici debent. Item Civitas, quæ contra commonitionem Epiſcopi negligit punire hæreticos, communione aliarum Civitatum privari debet, ac Epiſcopali dignitate ſpoliari. Si qui vero ſunt exempti ab Epiſcopo, & ſoli Papæ ſubjecti, in his tamen, quæ ſunt ſtatuta contra hæreticos, debent Epiſcopis tanquam delegatis Sedis Apoſtolicæ obedire, non obſtantibus privilegiis, *c. Ad abolendam 9. §. Statuimus h. t. nu.* 119. Præterea Magiſtratus ſæculares perpetui, vel temporales jurare debent, quod omnes hæreticos ab Eccleſia damnatos pro viribus expellere ſtudebunt. Si vero Dominus temporalis monitus Terram ſuam ab hæreticis purgare neglexerit, excommunicetur, & ſi perſtiterit in excommunicatione per annum denunciandus eſt Papæ, qui vaſallos ejus a juramento abſolvat, & Terram ipſius Catholicis occupandam exponat, *cit. c. Excommunicamus 13. §. Moneantur autem h. t.* ubi etiam in fine additur, quod qui contra hæreticos Crucem aſſumpſerint ad eos exterminandos, gaudeant privilegiis conceſſis proficiſcentibus in ſubſidium Terræ ſanctæ, *§. Catholici eod. c. num.* 120. Inſuper quilibet Archiepiſcopus, vel Epiſcopus per ſe, vel per alias perſonas idoneas, ſaltem ſemel in anno viſitare debet Diœceſin, in qua fama eſt habitare hæreticos, vel aliquos improbos viros, qui etiam, ſi hoc expedire videbitur, viciniam compellant jurare, ut ſi quos hæreticos ſciverint, vel occulta conventicula celebrantes, eos Epiſcopo indicent, qui niſi ſe purgaverint ab objecto reatu, vel ſi poſt purgationem relabantur in priſtinam perfidiam, Canonice puniantur: ſi vero obſtinate renuerint jurare, ut hæretici condemnentur, *cit. c. Excommunicamus §. Adjicimus h. t. num.* 121. Denique Epiſcopus negligens in hæreſi exterminanda, a dignitate Epiſcopali eſt removendus, & alius idoneus ſubſtituendus, *cit. c. Excommunicamus §. ult. cit. num.* 121. Poſtremo præcipitur in *c. Ut Officium 11. §. Statuimus* prope finem *h. t. in 6.* Ut Rectores ſeculares requiſiti a Diœceſanis, vel Vicariis eorum, aut ab Inquiſitoribus jurent obſervare, & facere obſervari a ſuis ſubditis, toto tempore regiminis, Conſtitutiones editas contra hæreticos, & fautores eorum, alias ſint infames, & officio ſui regiminis priventur, nec ad alia admittantur, *num.* 122.

SECTIO V.

De Judicibus, & proceſſu judiciario obſervando in crimine hæreſis?

§. I.

Quinam ſint competentes Judices Ordinarii in crimine hæreſis, & an etiam Judices ſæculares poſſint de illo cognoſcere, vel ſe immiſcere?

Aſſertio 1. S. Pontifex eſt ſupremus Judex in crimine hæreſis, qui ſolus poteſt judicare, an aliquod dogma ſit hæreſis, vel non. Secundo, Legatus Papæ a Latere de jure communi eſt quidem Judex competens, ſed de conſuetudine non ſolet ſe ingerere, ſine ſpeciali commiſſione Papæ, *num.* 123. Tertio, Epiſcopus eſt ordinarius Judex omnium hæreticorum ſuæ Diœceſis, ſive illi Clerici ſint, ſive laici, & quidem quoad exemptos a juriſdictione Epiſcopi ipſe poteſt cognoſcere de crimine hæreſis, non ut Judex ordinarius, ſed ut delegatus Papæ, *c. Ad abolendam. 9. §. fin. h. t. numer.* 124. Vicarius Generalis Epiſcopi non eſt Judex competens in crimine hæreſis, ſine ſpeciali commiſſione Epiſcopi *cit. numer.* 114. Quarto, Capitulum, ſede vacante, poteſt cognoſcere de crimine hæreſis, ſed non niſi per Vicarium ſpecialiter ad id deputatum, *Clemen. 1. §. Propter quod. h. t. numer.* 125. Aſſertio 2. Principes ſæculares, eorumque Judices nullo modo cognoſcere poſſunt de crimine hæreſis,

etiam

Digitized by Google

etiam contra laicos, quia eſt Eccleſiaſticum, *c. Ut inquiſitionis 18. h. t. in 6.* ubi præcipitur, ut Domini temporales non reſiſtant Epiſcopis & Inquiſitoribus, ſed omnino pareant, & de hoc crimine non cognoſcant, alias puniendi ſunt *num.* 126. Debent Judices ſæculares ſine dilatione exequi ſententiam Judicis Eccleſiaſtici in hæreticos, eoſque punire, *num.* 127. Non poteſt a ſententia lata contra hæreticos appellari, *cit. c. Inquiſitionis §. Ut quæ de hæreſi h. t. in 6.* ubi eis interdicitur appellatio, quamvis a ſententia interlocutoria, ante ſententiam definitivam, poſſit appellari, *cit. num.* 127. Judex ſecularis nec principaliter, nec incidenter poteſt cognoſcere de crimine hæreſis, *cit. num.* 127. prohibetur etiam omnibus, ne judicium, proceſſum, vel ſententiam Diœceſanorum, vel Inquiſitorum, directe impedire præſumant, alioquin excommunicationem incurrunt *cit. cap. Ut Inquiſitionis §. Prohibemus cit. num.* 127. Officiales alicujus Regni, Provinciæ, vel loci, etſi ſint excommunicati, & de facto tantum, non de jure habeant juriſdictionem, poſſint tamen, & debent requiſiti ab Ordinariis Inquiſitoribus, vel eorum delegatis, contra hæreticos, vel eorum fautores, & defenſores exercere Juſtitiam, & ſuum officium, ſi ſine periculo moræ ad Superiores legitimos recurri non poſſunt, *c. Præſidentes 6. h. t. in 6. n.* 128. Principes, & Magiſtratus ſeculares non poſſunt Statuta condere, eaque non valent, per quæ directe vel indirecte impeditur vel retardatur officium inquiſitionis contra hæreticos, *cap. Statutum 9. h. t. in 6. num.* 129.

§. II.

De Inquiſitoribus fidei, & Officio, ac poteſtate.

Præter ordinarios Judices in crimine hæreſis, ſunt & alii, quibus a Sede Apoſtolica Officium inquirendi, & in hæreticos animadvertendi eſt commiſſum, qui Inquiſitores fidei, ſeu Sedis Apoſtolicæ appellantur, ſed etiam de articulis ab ea dependentibus, *n.* 130. Quær. 1. An inquiſitorum juriſdictio ſit ordinaria, an delegata? Reſp. eſſe Judices non ordinarios, ſed delegatos, *c. Ne aliquid 10. h. t. in 6.* & quidem delegatos ad univerſitatem cauſarum, *n.* 131. Qu. 2. Qualis ætas requiratur in Inquiſitore? Reſp. requiritur, ut annum ætatis XL. attigerit, *Clem. 2. h. t.* ſi Inquiſitor ab alio, quam a Papa ſit deputatus, *n.* 132. Qu. 3. Contra quos & quomodo Inquiſitores procedere poſſint? Reſp. quando plures ſunt Inquiſitores, vel ſinguli ſeorſim, vel conjuncti ſimul poſſunt inquirere, & procedere contra hæreticos, eorumque credentes, fautores, & defenſores, *c. Ut Officium 11. in princ. h. t. in 6.* niſi Papa ſpecialiter alicui ex pluribus Inquiſitoribus delegaſſet cauſam fidei; tunc enim reliqui non poſſunt de illa cognoſcere, *num.* 133. Item ſi quis ex hæreticis, vel eorum fautoribus redire voluerit ad Eccleſiæ unitatem, Inquiſitores ei abſolutionem impendant, & hominum metu Divino poſtpoſito procedant, & ſolerter provideant, ne abjurata hæreſi, redeuntes ad unitatem fidei fingant ſe redire, & ſic decipiant ipſos Inquiſitores, *cit. cap. Ut Officium* & ibi *Gl. in caſu.* Præterea Inquiſitores habent liberam facultatem, Prædicatores quæſtuarios, monitione præmiſſa, per cenſuram Eccleſiaſticam, & appellatione remota, compeſcendi & inhibendi a prædicationis officio, *cit. c. Ut Officium §. Compeſcendi h. t. in 6.* quæ omnia exequenda Inquiſitor poteſt invocare auxilium brachii ſæcularis, contra impedientes officium inquiſitionis, non obſtantibus privilegiis quibuscunque, *cap. Ut Officium §. Deniquè h. t. in 6. cit. num.* 133. Quær. 4. Contra quos inquiſitores in cauſa hæreſis non poſſunt procedere? Reſp. Inquiſitores deputati a Sede Apoſtolica, & aliis quibuslibet, non poſſunt inquirere de hæreſi, vel procedere contra Epiſcopos, niſi in Litteris commiſſionis id exprimatur. Si tamen inquiſitores ſciverint, Epiſcopos, vel iis Superiores commiſiſſe crimen hæreſis, aut eſſe diffamatos, aut ſuſpectos de hoc, tenentur eos denunciare Sedi Apoſtolicæ, *cap. Inquiſitores 16. h. t. in 6. num.* 143. Declaratur, *num.* 135. Secundo, Inquiſitores Sancti officii, & Ordinarii, ſeu Diœceſani, ſeu quinque alii Judices, ordinarii, vel delegati contra Officiales, ſeu Nuncios Sedis Apoſtolicæ non procedant, nec promulgent cenſuram aliquam, ſine ſpeciali licentia Papæ, alioquin ſi quid fuerit attentatum, id eſt irritum. Debent tamen, ſi Nuncii aut Officiales Papæ aliquid indebite attentent, Ordinarii, & inquiſitores Papam informare, ut ſuper eo de remedio opportuno provideat, *Extravag. 3. & ult. h. t. Inter communes*, *nn.* 136. Tertio, nec Epiſcopus, ſeu Ordinarius, nec alius Inquiſitor poteſt procedere contra inquiſitores hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos, *cit. num.* 136. Inquiſitores fidei poſſunt procedere, & inquirere etiam contra Judæos, & infideles, qui ſponte facti ſunt Chriſtiani, licet in infantia fuerint baptizati, vel metu mortis, non tamen abſolute coacti, ſi poſtea a fide iterum deficiant, tanquam hæretici ſunt puniendi, ſi fuerint de hoc confeſſi aut convicti, *c. Contra 13. h. tit. in 6. num.* 137. Idque declaratur, *num.* 138.

§. III.

An inquiſitores fidei poſſint cognoſcere de cauſis, ſive civilibus, præter cauſas hæreſis, & quæ hæreſim concernunt?

Reſp. Regulariter non poſſunt, & in ſpecie non debent ſe intromittere, nec punire exercentes divinationes, & ſortilegia, niſi manifeſte hæreſim ſapiant, ſed eos ſuis Judicibus puniendos relinquant, *num.* 139. Præterea Inquiſitores ſe non poſſunt intromittere in cauſis uſurarum etiam contra illos, quibus injunxerint reſtitutionem uſurarum, & alii obligarunt ſe, & ſua bona, *c. Accuſatus §. De quæſtionibus h. t. in 6. num.* 140. Poſſunt tamen Inquiſitores compellere hæredes fautorum hæreticorum, qui tamen hæretici non erant, ad implendam pœnitentiam injunctam in bonis temporalibus: ſecus ſi mortui ſint ante impletam pœnitentiam; tunc enim hæres debet cogi ad implendam talem pœnitentiam, *cit. c. Accuſatus §. Si vero*: poſt mortem vero hæretici, declararari poteſt eum fuiſſe hæreticum, & confiſcari bona, *cit. c. §. In eo vero caſu h. t.* 140. & 141. Denique Clerici, qui negotium Inquiſitionis reperti fuerint impedire, per Inquiſitores debita pœna caſtigandi ſunt, religioſi vero gravius ſunt puniendi, *cit. c. Accuſatus §. fin. h. t. in 6. num.* 142.

§. IV.

Ad quænam præterea extendatur poteſtas Inquiſitorum fidei?

Præterea Inquiſitoribus, & eorum ſingulis facultas conceſſa eſt committendi citationes, & denunciationes ſententiarum, quas ferunt contra hæreticos, credentes, receptatores, defenſores ac fautores eorum, *c. Ut commiſſi 12. in prin. h. t. in 6. num.* 143. Poſſunt etiam Inquiſitores, ob legitimam cauſam Vicarios Generales conſtituere, *cit. c. Ut commiſſi numer.* 143. Item data eſt eis poteſtas advocandi peritos, Clerum & populum, ut eis aſſiſtant, & conſilium dent. Conceſſa quoque eis eſt poteſtas procedendi contra illos, qui de ſua in aliam Provinciam ſe tranſtulerunt. Inſuper poteſtas faciendi, ut eis aſſignentur libri, in quibus continentur proceſſus contra hæreticos facti: mitigandi quoque, vel mutandi pœnas illorum, qui obedientes ſuis mandatis ſunt in carcere, vel muro concluſi, quod tamen faciendum eſt ſimul cum Prælatis, quorum juriſdictioni ſubſunt. Denique conceſſa eſt etiam Inquiſitoribus plena facultas privandi, vel privatos declarandi hæreticos, eorumque fautores, filios ac nepotes omnibus dignitatibus, & beneficiis ac officiis publicis; de conſilio tamen Diœceſanorum, vel Vicariorum eorundem, *cit. c. Ut commiſſi §. ult. num.* 144. de quibus ſupra.

§. V.

An, & quando Epiſcopi Diœceſani, & Inquiſitores, ſimul procedere in crimine hæreſis poſſint, vel debeant, aut hi, ſine Epiſcopis, & de aliis quibusdam, quæ prohibita ſunt Inquiſitoribus.

De priore quæſtione agitur in *c. Per hoc 17. h. t. in 6.* quando Papa generaliter delegat alicui negotium inquiſitionis hæreticæ pravitati in Diœceſi aliqua non derogat Ordinario, ſeu Epiſcopo loci, quin poſſit procedere in eodem negotio, auctoritate ordinaria, vel delegata, ſi eam habeat. Item Epiſcopus, & Inquiſitor poſſunt procedere communiter, vel diviſim: & ſi diviſim procedunt, tenentur communicare invicem proceſſus: & niſi in tali caſu alter alteri judicaverit deferendum, debent ſimul proferre ſententiam, & ſi non conveniant, mittatur negotium ſufficienter inſtructum ad Sedem Apoſtolicam. Et Epiſcopi, ſive ordinaria, ſive delegata poteſtate procedant, ſervare debent in procedendo modum Inquiſitoribus præſcriptum, *nn.* 145. Deducuntur quædam corollaria, *nn.* 146. Quod dictum eſt in *c. Per hoc 18. h. t. in 6.* declaratur in *Extravag. 2. eod.* ſcilicet, quod tunc Epiſcopi, & Inquiſitores tenentur ſibi invicem communicare proceſſus, quando procedunt ſejunctim & non quando Epiſcopi tantum, vel inquiſitores tantum procedunt: & proceſſus ſunt communicandi in fine, quando nihil reſtat, niſi promulgare ſententiam: ſecus autem eſt, quando alter commode procedere non poteſt, niſi viſis actis alterius, quia tunc ſemel tantum in toto negotio procedi debet, ne detur locus favendi. Additur *ibid. §. Verum*, quod Epiſcopus procedens propter expenſas factas non poteſt petere partem proventuum deputatorum Officio inquiſitionis ex bonis hæreticorum, ſed inquiſitores illam reddant Cameræ Apoſtolicæ, vel cui Papa eam reddi juſſerit, *num.* 147. Præterea in *Clem. 1. §. Propter quod h. t.* decernitur, quod negotium inquiſitionis tam per Diœceſanum, quam per inquiſitores, ſine omni carnali amore, odio, vel timore exerceri debet: item quæ præterea Diœceſanus, & inquiſitores circa negotium inquiſitionis facere poſſint, & quid obſervandum circa muros, vel carceres hæreticorum, Cuſtodes, & Cuſtodum Miniſtros, *cit. Clem. 1. §. Sane, num.* 148. *in fine*. Quid decernatur in *§. porro ibid. numer.* 149. & quid in *§. Verum cit. num.* 149. Explicantur, & declarantur, quæ traduntur in *cit. Clem. 1. num.* 150. *& ſeq.* Quænam præterea præcipiantur, & prohibeantur Epiſcopis, & inquiſitoribus quoad Officium inquiſitionis in *Clem.* 2. Item Notariis, Officialibus, & ſociis *ibid. n.* 152. An officium inquiſitionis hæreticæ pravitatis exſpiret morte Papæ concedentis, Reſp. Non exſpirare etiam re adhuc integra, id eſt, nec quoad negotia nondum cœpta, vel orta, *c. Ne aliquis 10. h. t. in 6. nn.* 153. Idque procedit non tantum in inquiſitoribus immediate deputatis a Papa, ſed etiam in deputatis a Cardinalibus, & Provincialibus Ordinum, *num. eod.*

§. VI.

Quomodo probetur crimine hæreſis, & per quales teſtes?

Hæreſis iiſdem modis probatur, quibus alia crimina, & probari etiam poteſt per teſtes ſaltem duos, qui ſufficiunt ad condemnandum reum, dummodo ſint omni exceptione majores, *num.* 154. Quær. 1. Qui poſſint eſſe teſtes in cauſa fidei contra hæreticos? R. Admittuntur teſtes alias jure inhabiles ad teſtimonium ferendum, in deteſtationem hujus criminis. Unde etiam excommunicati, participes, & ſocii criminis, aut alias criminoſi, & infames admittuntur ad teſtificandum contra hæreticos, credentes, fautores, receptatores, & defenſores, ſi ex nomine, & qualitate perſonarum, & aliis circumſtantiis præſumuntur non dicere falſa, *c. In fidei 5. h. t. num.* 155. Et quidem non ſolum in defectu aliarum probationum, ſed etiam ſi non deſit illarum copia, quando proceditur per viam inquiſitionis,

ſecus

Digitized by Google

ſecus quando per viam accuſationis, vel exceptionis. Tertio, ſi producantur contra hæreticum, non autem ſi pro defenſione hæretici. Quarto, non poteſt contra tales excipi, quod non ſint idonei. Quinto, non ſunt teſtes integri, ideoque non ſufficiunt ad condemnandum reum, niſi plures fuerint, quam duo, *n.* 156. Quær. 2. Quinam præterea teſtes inhabiles admittantur in crimine hæreſi? R. Perjuri quoque teſtes eſſe poſſunt in cauſa hæreſis, ſi velint corrigere ſuum perjurium, deponendo contra ſe, vel alios ſuos complices, dummodo ex manifeſtis indiciis conſtet, talem non ex levitate animi, odio, vel corruptione pecuniæ, ſed zelo fidei ſuum dictum corrigere, *cap. Accuſatus*. 8. §. *Licet h. t. in* 6. *n.* 157. Notandum hic primo, quando teſtis, qui depoſuit in crimine hæreſis, eſt perjurus, ſtatur ſecundo ejus dicto, non primo. Secundo, in cauſa fidei etiam hæreticus admittitur ad teſtificandum contra fidelem, ſeu Chriſtianum. Tertio, in hoc crimine etiam admittuntur ad probationem domeſtici, & familiares, item conſanguinei, & affines. Quarto, etiam mulieres, & minores 25. annis, modo ſint pubertati proximi: item laici contra hæreticum Clericum, ac denique etiam teſtes de auditu, non autem inimicus capitalis contra inimicum, *nn.* 158. Quær. 3. Qua ratione examinandi, & recipiendi ſint teſtes in cauſa hæreſis? R. In examinatione teſtium adhibendæ ſunt duæ perſonæ religioſæ, & diſcretæ, in quarum Præſentia per Notarium, aut per duos viros idoneos fideliter depoſitiones teſtium ſcribantur, *c. Ut Officium*. 11. §. *Verum. h. t. in* 6. *n.* 159. Non tamen illæ perſonæ neceſſario debent eſſe Ordinis religioſi, *n. eod.* Ad conſcribendas depoſitiones teſtium tenentur omnes, & ſinguli Religioſi, ſi ab iis, quibus Officium inquiſitionis eſt commiſſum, fuerint requiſiti, & dum eſſent in ſæculo, Officium Tabellionis exercuerent: conceditur etiam Religioſis quibuslibet, & Clericis ſæcularibus, qui in ſæculo Tabellionis Officium exercuerunt, facultas Officium hoc libere exercendi *cit. c. Ut Officium*, §. *Ad conſcribendas. h. t. in* 6. *n.* 160.

§. VII.

Quomodo procedendum ſit in cauſa hæreſis, ſive quis Ordo judiciarius ſit ſervandus?

In negotio, inquiſitionis hæreticæ pravitatis procedi poteſt ſimpliciter, & de plano, abſque Advocatorum, & Judiciorum ſtrepitu ac figura, *c. ult. h. t. in* 6. *n.* 161. Item dicta teſtium, & accuſatorum non publicantur, ſi ex publicatione timeatur grave periculum, *cit. c. ult.* §. *Jubemus. h. t. in* 6. *num.* 162. Item permittitur, ut Epiſcopus, vel Inquiſitores ſecretum poſſint indicere, illis, quibus proceſſum hujuſmodi explicabunt, & ſi opus fuerit, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, ſi violent ſecretum: ſic tamen ut Inquiſitores Epiſcopum, vel hic illos ea de cauſa non excommunicet, ſed in virtute S. obedientiæ teneantur ad ſecretum, *cit. c. ult.* §. *Et ut eorundem. num.* 163. Item præcipitur Epiſcopis, & inquiſitoribus, ut, ubi eſt ſecuritas, non dicant eſſe periculum, & ſic nomina ſupprimat: nec ubi eſt periculum, dicant eſſe ſecuritatem, & ſic nomina vulgentur, *cit. c. ult.* §. *Cæterum. h. t. in* 6. *nn.* 164. Denique in Clement. Ad *noſtrum. h. tit.* damnatur ſecta Beguardorum, & Beguinarum, & eorum errores, & in *Extravag.* 2. *Inter Communes. h. t.* damnatur, tres errores Jo. de Poliaco ibidem expreſſi, *n.* 165.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 5. & 6.
c. 2. *n.* 8.
c. 3. *n.* 9.
c. 4. *n.* 20.
c. 5. *n.* 76. & 78.
c. 6. *n.* 77.
c. 7. *n.* 10.
c. 8. *in princ. n.* 14. §. *Si autem. n.* 53.
c. 9. *in princ. n.* 21. §. *Qui vero. n.* 32. §. *Præſenti. n.* 85. & *ſeq.* §. *Illos quoque n.* 97. §. *Statuimus*, & §. *fin. num.* 119. & 124.
c. 10. *n.* 56. & *ſeq.* & *n.* 72.
c. 11. *n.* 56. & *ſeq.*
c. 12. *n.* 29.
c. 13. *in princ. n.* 13. §. *Quia vero n.* 31. §. *Qui autem. n.* 32. §. *Credentes. n.* 52. & 115. & *ſeq.* §. *Damnatis n.* 58. §. *Damnamus. n.* 69. §. *Moneantur autem*, & §. *Catholici vero*, *n.* 120. & §. *Adjicimus*, & §. *ult.* 121.
c. 14. *n.* 30.
c. 15. *in princ. n.* 85. §. *Si qui n.* 90.
c. 16. & *ult. n.* 80. & *duobus ſeqq.*

IN SEXTO.

c. 1. *n.* 87. & 89.
c. 2. *in princ. n.* 27. & *ſeq.* §. *Hæretici. n.* 49. §. *Ad hæc. n.* 51. & *fin. n.* 79.
c. 3. *n.* 209.
c. 4. *n.* 98.
c. 5. *n.* 115. & *ſeq.*

c. 6. *n.* 128.
c. 7. *n.* 33. & *duobus* & *ſeqq.*
c. 8. *in princ. nn.* 94. §. *In ſignatione cuſus. n.* 60. §. *Eum vero. n.* 95. *Ille quoque. n.* 96. §. *Sane. n.* 139. §. *De quæſtionibus. n.* 140. §. *Si vero. n.* 140. §. *In eo vero. n.* 141. §. *Sacerdotes. n.* 142. *Licet vero. n.* 157.
c. 9. *n.* 129.
c. 10. *n.* 253.
c. 11. *in princ. n.* 233. §. *Si vero*, §. *Compeſcendi*, §. *Denique*, *cit. n.* 133. & §. *Verum. n.* 159. §. *Ad conſcribendas. n.* 160. & §. *Statuimus prope finem. nn.* 121.
c. 12. *in princ. n.* 143. & *eod. c. poſt princ. n.* 144. §. *Privandi. nn.* 49. 102. & *ſeq.* §. *Et illorum. n.* 91. §. *ult. n.* 144.
c. 13. *n.* 137.
c. 14. *n.* 63. 65. & 66.
c. 15. *in princ. n.* 104. §. *Hoc ſane, n.* 105.
c. 16. *n.* 134.
c. 17. *n.* 145. & *ſeq.*
c. 18. *n.* 126. & *ſeq.*
c. 19. *n.* 59. & *duobus ſeqq.*
c. 20. & *ult. in princ. n.* 161. §. *Jubemus. nu.* 162. §. *Et ut eorundem. n.* 163. §. *Cæterum*, & §. *fin. n.* 164.

IN CLEMENTINIS.

Clem. 1. *poſt princ. n.* 148. §. *Præter quod*, *eod. n.* 150. §. *Verum. n.* 145. 149. & 151. §. *Sane. n.* 148. §. *Porro. n.* 149. & *fin. n. eod.*
Clem. 2. *poſt princ. n.* 70. & *ſeq.* & *n.* 152.
Clem. 3. & *ult. n.* 165.

IN EXTRAVAGANTIBUS Communibus.

Extrav. 1. *n.* 147.
Extrav. 2. *n.* 165.
Extrav. 3. & *ult. n.* 136.

TITULUS VIII.

De Schiſmaticis, & Ordinatis ab eis.

§. I.

Quid ſit Schiſma, & quomodo ab hæreſi differat, & quæ ſint pœnæ Jure decreta in Schiſmaticos?

Aſſertio 1. Schiſma eſt ſciſſura, ſive disjunctio, per quam quis ſe ab unitate Eccleſiæ ſeparat, in quantum ea eſt quoddam Corpus Myſticum ex univerſis fidelibus veluti membris, & Romano Pontifice, tanquam Capite conſtans, *num.* 1. Aſſertio 2. Schiſma differt ab hæreſi in eo, quia hæreſis per ſe, ac directe opponitur fidei, ejus doctrinam negando, ſchiſma vero charitati repugnat, Eccleſiæ unitatem, quæ in charitate conſiſtit, ſcindendo. Secundo differunt, quia omnis hæreticus, ſed non vice verſa. Tertio, quia ſchiſma eſt via ad hæreſim, *num.* 2. Duobus modis ſchiſma fieri poteſt, & tripliciter poteſt quis non parere velle S. Pontifici, *num.* 3. An is, qui ſe ab alio Epiſcopo, quam Urbis Romanæ ſeparat, ſit ſchiſmaticus, *n. eod.* Aſſert. 3. Prima pœna ſchiſmaticorum eſt excommunicatio, quam non incurrunt, niſi proprie dicti ſchiſmatici, qui generaliter ab obedientia Papæ pertinaciter recedunt, ut Papa eſt, & Chriſti Vicarius, *num.* 4. Receptatores vero, fautores, vel defenſores ſchiſmaticorum, hanc excommunicationem non incurrunt, *cit. num.* 4. De Jure communi antiquo, ſchiſmatici, ſine hæreſi, non ſunt excommunicati ipſo jure, neque abſolute, & univerſim, *num. eod.* Secunda pœna ſchiſmaticorum eſt inhabilitas ad beneficia, & dignitates Eccleſiaſticas, *num.* 5. Tertia pœna eſt, quod ſchiſmatici privandi ſunt omnibus beneficiis, officiis, honoribus, dignitatibus, & Prælaturis perpetuo, cunctis eorum bonis & juribus confiſcatis, *c. Ad ſuccidendos. unic. h. t. in* 6. ubi id ſtatutum fuit de duobus Cardinalibus ſchiſmaticis, *num.* 6. quæ tamen Conſtitutio poſtea revocata fuit a Benedicto XI. in *Extrav. Dudum unic. h. t. Inter Communes*, *num.* 7. Nulla Jure Canonico ſtatuta eſt pœna privationis beneficiorum, ante Schiſma, obtentorum, quæ ipſo jure incurratur. Neque irregularitatem aliquam incurrunt ſchiſmatici, *num.* 8.

§. II.

An Ordinationes, aliique actus, ſeu geſta per ſchiſmaticos ſint valida, & quam pœnam Juris incurrant, e qui a ſchiſmaticis Ordines receperunt?

Aſſertio 1. Ordinationes factæ a ſchiſmaticis, & ab ordinatis ab eis ſunt irritæ, & qui acceperunt dignitates Eccleſiaſticas, vel beneficia ab eiſdem, careant impetratis. Alienationes quoque factę de rebus Eccleſię per ſchiſmaticos, vel laicos non valent, & res ſine omni onere ad Eccleſias revertuntur: & qui pręſumit facere contra prædicta, eſt excommunicatus, & qui ſponte jurant de tenendo ſchiſmate, a SS. Ordinibus, & dignitatibus ſunt ſuſpenſi, *c.* 1. *h. t. n.* 9. Epiſcopus ſchiſmaticus vere, & valide Euchariſtiam conſecrat, Confirmationis Sacramentum confert, & Ordinis, dummodo in forma Eccleſiæ illa conferat. Item valide conſecrat Templa, Altaria, & vaſa ſacra. At vero poteſtatem juriſdictionis ſpiritualis, nec valide, nec licite exercere poſſunt ſchiſmatici, adeoque nec a peccatis abſolvere, vel excommunicare, leges ferre, vel beneficia conferre &c. quod tamen talis Prælatus acquiſivit Eccleſiæ, id tenet, *num.* 10. Aſſertio 2. Ordinatus ab Epiſcopo ſchiſmatico, ſtatim repellendus eſt ab officio, niſi legitime probet ſecum eſſe diſpenſatum ab habente auctoritatem, *c.* 2. *h. t. num.* 11. Cum tali vero ordinato ſolus Papa diſpenſare poteſt, *num. eod.*

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 9.
c. 2. & *ult. n.* 11

IN SEXTO.

c. unic. nu. 6.

IN EXTRAVAGANTIBUS. Communibus.

Extrav. unic. n. 8.

TITULUS XIX.

De Apoſtatis, & Reiterantibus Baptiſma.

§. I.

De Apoſtaſia in genere, & in ſpecie de Apoſtaſia a fide, ejuſque pœnis.

Quær. 1. Quid ſit Apoſtaſia in genere, & quot ſint ejus ſpecies? Reſp. Apoſtaſia in genere eſt quædam defectio, ſeu receſſus a DEO; & Apoſtata eſt Chriſtianus, qui receſſit temerarie a Deo: onde tres ſunt ſpecies Apoſtaſiæ.

Prima perfidiæ, per quam a fide receditur. Secunda inobedientiæ, cum quis juſtis præceptis Prælatorum obedire recuſat. Tertia eſt Apoſtaſia irregularitatis, per quam receditur ab Ordine ſacro, vel a Religione, quam quis profeſſus eſt, *num.* 1. Qu. 2. Quis ſit, & dicatur apoſtata a fide, & quæ ejus pœnæ? Reſp. primo, Apoſtata a fide ille dicitur, qui in totum a fide Chriſti recedit, ſive totaliter eam deſerit, ut ſi Chriſtianus fiat Judæus, aut Turca, *num.* 2. Apoſtaſia a fide eſt ſpecies infidelitatis, ſed non eſſentialiter diſtincta ab hæreſi. Item omnis apoſtata a fide reipſa eſt etiam hæreticus, ſed non vice verſa, omnis hæreticus eſt apoſtata proprie. Nam apoſtaſia vel ſpectatur, quatenus eſt totalis receſſus a vera fide; & tunc apoſtata proprie dicitur, qui Chriſtum, & Chriſtianam fidem penitus abnegat: hæreticus vero, qui non omnino, ſed ſolum quoad unum, vel aliquos articulos a fide recedit. Vel apoſtaſia conſideratur, non quatenus eſt receſſus a fide Catholica, ſed tranſitus ad falſam aliquam ſectam? & ut ſic eſt infidelitas ejus ſpeciei, ad quam fit tranſitus, ut Judaiſmus, Paganiſmus, vel Atheiſmus, *cit. num.* 2. Reſp. ſecundo. Apoſtatæ a fide iiſdem pœnis puniuntur, quibus hæretici, *num. eod.* Qui Baptiſmum ſponte receperunt, compellendi ſunt, ut prioris ſectæ ritus dimittant, & Chriſtianam fidem de novo ſuſceptam obſervent, *c. Quidam.* 4. *h. tit. num.* 3.

§. II.

De Apoſtatis ab Ordine Clericali, & a Religione, & pœnis eorum.

Quær. 1. Quis dicatur Apoſtata ab Ordine Clericali, & quomodo puniatur? R. Is, qui a Statu Clericali, ſuſcepto Ordine ſacro ſeu majore, cui votum caſtitatis eſt annexum, ad ſtatum conjugalem, vel laicalem converſationem, dimiſſo habitu Clericali, ſine diſpenſatione tranſit, Apoſtata ab Ordine dicitur. Item ſi Clericus in Minoribus conſtitutus, & beneficium habens Eccleſiaſticum, eo retento, ad nuptias tranſeat, vel ad ſtatum laicorum, propria auctoritate dimiſſo habitu Clericali, apoſtata cenſetur: ſecus eſt, ſi talis beneficium non habeat, *num.* 4. R. ſecundo, pœnæ apoſtatæ ab Ordine Clericali ſunt primo, excommunicatio non lata, ſed ferenda. Secundo, pœna infamiæ, quam ipſo facto incurrit. Tertio, ſi Clericus Apoſtata, dimiſſo habitu Clericali, & tonſura, monitus habitum non reaſſumpſerit, perdit privilegium Ordinis Clericalis ita ut percutiens illum non incidat in excommunicationem, *c. Præterea. h. t.* ubi habetur, quod tales Clerici, ſi in criminibus deprehenſi teneantur, per cenſuram Eccleſiaſticam, ſive excommunicationem percutientis non liberentur; quamvis alii hoc intelligant de Clerico in Sacris conſtituto, quod ſi monitus in Apoſtaſia perſiſtat, omni privilegio Clericali, etiam fori, ſit privandus, *nu.* 5. Si non conſtet de Apoſtaſia ab Ordine, & Statu Clericali: Clerici tamen graviter infamati ſint de Apoſtaſia, quia habitum dimiſerunt, tum non ſunt tolerandi in habitu ſæculari, ſed per cenſuram cogendi ad ſe, deficiente probatione, canonice purgandum, *c. Tua* 3. *h. t. in* 6. Item Clerici apoſtatæ, qui dimiſſo habitu, detinentur in carcere, & nec minis, nec blanditiis adduci poſſunt, ut habitum reaſſumant, poſſunt ſub gravi cuſtodia aſſervari, ita ut miſeram vitam ducant, donec reſipiſcant, *c. A nobis.* 5. *h. tit. nu.* 7. deducuntur quædam corollaria, *nu. eod.* Qu. 2. Quis ſit, & dicatur Apoſtata a Religione, ſeu Statu Religioſo, & quas pœnas incurrat? R. primo, Apoſtata a Religione eſt, qui, ſine licentia Superioris ſui, ab Ordine Religioſo, quem profeſſus eſt, receſſus cum propoſito nunquam redeundi, Unde duo ad Apoſtaſiam requiruntur, ut ſine licentia Prælati ſui diſceſſerit ab Ordine Religioſo: deinde ut ad alium Ordinem Religioſum non tranſierit, *num.* 8. R. ſecundo, prima pœna Apoſtatarum a Religioſo Ordine eſt, quod ipſo jure excommunicationem incurrant. Sed probabilius eſt, ſolum excommunicatos eſſe illos, qui temere habitum ſuæ Religionis dimittunt, etiam abſque animo apoſtatandi, ſeu Religionem omnino dimittendi, *nu.* 9. Secunda pœna eſt, quod Monachus in Apoſtaſia ordinatus non poſſit miniſtrare in illo Ordine ſuſcepto, etſi deinde Abbati ſuo fuerit reconciliatus, & pœnitentiam egerit, ſine diſpenſatione S. Pontificis, *c. ult. h. t. num.* 10. quam tamen ſuſpenſionem non incurrit, qui durante apoſtaſia minores Ordines ſuſcepit, *num. eod.* Addunt aliqui tertiam pœnam apoſtatarum a Religione, quod etiam poſtquam emendati ad priſtinam Religionem redierint, non poſſint eligi in Prælatos Religionis deſertæ. Sed probabilius eſt, hanc pœnam ab illis non incurri, cum nullum jus exter eos inhabiles reddens ad Prælaturas, *n.* 11.

§. III.

De reiterantibus Baptiſmum, eorumque pœnis.

Baptiſmus ſemel legitime collatus reiterari non debet, cum indelebilem Characterem imprimat, *nu.* 12. Quær. 1. Quæ ſit pœna reiterantium Baptiſmum? R. primo, qui alterum ſciens, vel per craſſam ignorantiam, iterum baptizat, abſolute irregularis fit, ita ut ad Ordines, ſaltem ſuperiores, promoveri non poſſit, idque indubitatum eſt, ſi delictum ejus ſit publicum, *c.* 2. *h. tit.* ubi id ſtatuitur de miniſtrante rebaptizanti, ergo multo magis id locum habet in ipſo rebaptizante, *n.* 13. R. ſecundo, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, qui miniſtrant Sacerdoti rebaptizanti, non incurrunt irregularitatem, ſi peccatum eorum eſt occultum: fiunt tamen irregulares, ita ut ad Ordines ſuperiores aſcendere non poſſint, ſi factum eorum eſt publicum, niſi Religioſi facti, cum iis diſpenſetur, *c.* 2. *h. tit.* 14. & 15. R. tertio, qui ſcienter ſe abſolute, & ſine conditione rebaptizari ſinunt, ſimpliciter fiunt irregulares, ita ut ad Eccleſiaſticos Ordines nullo modo promoveri poſſint, in qua irregularitate ſolus S. Pontifex diſpenſare poteſt, *n.* 16. Qu. 2. An qui bis Sacramentum Confirmationis alicui contulit, vel bis illam ſcienter ſuſcepit, fiat irregularis? R. negative, quia id Jure Canonico non eſt expreſſum, *num.* 17. Poſtremo qui ſcienter Baptiſmum reiterant, illi etiam, ſi Clerici ſint, deponendi ſunt, Laici vero excommunicandi, nec ordinari poſſunt, *cit. num.* 17. *in fine.*

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 5.	*c.* 4. *n.* 3.
c. 2. *n.* 14.	*c.* 5. *n.* 7.
c. 3. *n.* 6.	*c.* 6. *& ult. n.* 10.

TITULUS X.

De His, Qui Filios, Occiderunt.

Quær. 1. Quid ſit parricidium, & quibus modis committatur? R. parricidium proprie committi dicitur, quando quis occidit proprium patrem, vel matrem, etiam naturalem tantum & illegitimum: poſtea vero & nomen, & pœna parricidii extenſa eſt ad parentes, qui filios occiderunt. Imo etiam parricidium committitur, ejuſque pœna incurritur, ſi filii occidunt avum, vel aviam, vel alios aſcendentes, vel e contra, ſi parentes occidant nepotes ex filio aut filia, omneſq; alios deſcendentes. Secundo, ſi ſocer, vel ſocrus occidant generum, aut nurum, vel vice verſa. Tertio, ſi frater occidat fratrem, vel ſororem. Quarto, ſi alii conſanguinei collaterales occidant conſanguineum infra quartum gradum. Quinto, ſi maritus uxorem, & vice verſa. Sexto, is, cujus mandato parricidium commiſſum eſt, vel conſilio, vel auxilio. Septimo, qui occidit Patronum, vel emit venenum, ut illud filius patri det, *num.* 1. Qu. 2. quæ ſit pœna parricidii Jure civili? *num.* 2. & quæ Jure Canonico, *num.* 3. Mulier quæ ſponte filium, licet ex iracundia, occidit, inducenda eſt ad agendam perpetuam pœnitentiam in Monaſterio. Quod ſi non poſſit ad hoc induci, & timeatur de ejus incontinentia, ei danda eſt licentia nubendi, ne inhoneſte vivat, *c.* 1. *h. tit. num.* 4. De Jure Canonico nulla ſtatuta eſt pœna in parricidas in foro externo, ideo Judex Eccleſiaſticus parricidam temporali ſuæ juriſdictioni ſubjectum remittit ad Judicem ſæcularem, ſecundum Leges civiles puniendum. Si vero ſit Clericus, deponi debet, ac degradari, ac poſtea tradi Curiæ ſæculari, *n.* 5. Mulier occidens filium ſuum, non debet ideo a viro ſeparari non obſtante juramento mariti, quod ſe ab uxore ſeparare velit, ſed alia pœnitentia ipſi imponitur, *c.* 2. *h. t. n.* 6. & 7. Quando infantes reperiuntur mortui in lecto, & neſcitur, an a patre, vel matre ſint oppreſſi, agere debent aliquam pœnitentiam, ſi vero ſint certi, ſe eos oppreſſiſſe, ſcire debent, ſe graviter deliquiſſe, & pœnitentiam agere tenentur per tres annos, quorum unus, ſecundum aliquos, eſt, ut jejunent in pane & aqua, *c.* 3. *& ult. h. t. num.* 8.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS,	*c.* 2. *n.* 6.
c. 1. *n.* 4.	*c.* 3. *& ult. n.* 8.

TITULUS XI.

De Infantibus, & Languidis expoſitis.

§. Unic.

Quæ ſit pœna parentum, qui filios exponunt ab aliis nutriendos, vel languidos, ſive infirmos ab aliis curandos?

Infans expoſitus a patre, ipſo ſciente, & ratum habente, hoc ipſo liberatur a patria poteſtate, ſicut & libertus, vel ſervus expoſitus a Patrono, vel Domino, fit ingenuus aut liber. Idem dicendum, ſi iidem infirmi expoſiti ſint, vel alimenta ipſis denegata fuerint. Illi vero, qui hos ſuſcipiunt curandos, vel alendos, non acquirunt jus in eorum perſonas, *c. unic. h. t. num.* 1. Nomine infantis hic intelligitur, qui eſt infra ſeptennium. Peccant autem parentes graviter, exponendo filios, ſi eos commode alere poſſint, *nu.* 2. An & quando ſi infans a patre expoſitus, ab alio alatur & educetur, alimenta ab eo repeti poſſint, vel non poſſint, *cit. num.* 2. Quod pater filiis alimenta denegans amittat patriam poteſtatem, id intelligendum eſt ſolum quoad filios languidos, ſeu infirmos, cujuſcunque ætatis ſint, & per languidos intelliguntur, qui perpetuo morbo, eoque incurabili laborant, *num.* 3. Prædicta autem Conſtitutio habet ſolum locum in filiis legitimis. Infantibus vero expoſitis, quorum parentes ignorantur, alimenta præſtari debent ab Eccleſia, vel ejus Rectore, *cit. num.* 3.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

c. unic. n. 1.

TI

Digitized by Google

TITULUS XII.

De Homicidio Voluntario, vel caſuali.

SECTIO I.

De homicidio in genere, & in ſpecie de homicidio voluntario injuſto,

§. I.

Quid ſit homicidium in communi, & quomodo dividatur?

Aſſertio 1. Homicidium eſt occiſio hominis ab homine facta, vel clarius, quælibet exanimatio hominis, ſeu humani corporis violenter ab homine facta, qua anima a corpore ſeparatur, *num.* 1. Aſſ. 2. Homicidium (ſcilicet corporale) aliud eſt voluntarium, aliud involuntarium, ſeu caſuale. Voluntarium, vel eſt licitum vel illicitum: hoc rurſum vel eſt directe voluntarium, ſive per ſe intentum: vel eſt ſaltem indirecte voluntarium, in cauſa, adeo propinqua, ut moraliter certo homicidium ſit ſecuturum, etſi in ſe formaliter, & explicite non intendatur. Homicidium voluntarium ſed licitum, ac juſtum, eſt vel neceſſarium, ac defenſivum, vel eſt punitivum, quod publica auctoritate Magiſtratus fit ad punienda delicta: Homicidium vero caſuale eſt, quod caſu præter intentionem, cauſam dantis, fit, idque vel nullo modo eſt voluntarium, nec indirecte, ſed mere caſualiter, ſeu caſu fortuito fit; vel nonniſi in cauſa, & indirecte, ac per accidens eſt intentum, *num.* 2. Item homicidium aliud eſt ſimplex, aliud qualificatum, ut ſi quis occidat patrem, vel Sacerdotem, vel in Eccleſia aliquem &c. *num.* 3. Non poteſt quis vi juramenti obligari ad patrandum homicidium injuſtum, & illicitum, *cap. Cum juramento,* 4. *h. t. num.* 4.

§. II.

Quæ requirantur ad homicidium injuſtum directe voluntarium, ejuſque pœnam incurrendam, & quæ pœnæ Jure ſint, decretæ in homicidas?

Aſſertio 1. Requiritur primo, ut ſit commiſſum per directam, & expreſſam, ac ſpontaneam voluntatem occidendi, per quam ſcilicet vel mors ipſa in ſe fuerit intenta, vel ſaltem in ſua cauſa proxima, pro actione tali, ex qua certo, & inevitabiliter mors ſequi ſoleat: deinde requiritur, ut effectus, ſive mors reipſa actu ſequatur, præterquam in caſibus jure expreſſis, *num.* 5. Aſſertio 2. De jure Civili pœna homicidii injuſti olim fuit deportatio, & bonorum confiſcatio, ſed hodie eſt pœna mortis, ſi per dolum cædes facta ſit. At vero de Jure Canonico, ſi laicus committat voluntarie & injuſte homicidium, excommunicandus eſt, *num.* 6. Si vero Clericus patret homicidium, deponendus eſt ab Ordine, & beneficio, non autem communione privandus: & inſuper etiam eſt detrudendus in arctum Monaſterium ad peragendam pœnitentiam: vel loco ejus in carcerem perpetuum, vel temporalem, pro qualitate delicti, ſaltem ſi non eſſet pœnitens, ſed de fuga ſuſpectus, *num.* 7. Verum quod dicitur in *c.* 1. *h. t. n.* 8. *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab Altari meo avellatur, ut moriatur,* id eſt, deponatur, rectius intelligitur de eo, qui per induſtriam, id eſt, ex propoſito, & per inſidias, id eſt, proditorie, in Eccleſia, vel extra illam, Clericum vel laicum, & ſive ipſe occidens ſit Clericus, vel laicus, quod talis, inquam, non gaudeat immunitate Eccleſiaſtica, quominus violenter a ſuo Judice extrahi poſſit ab Eccleſia, *num.* 9. Secunda pœna homicidii voluntarii, & injuſti eſt, quod Clericus, qui animo deliberato aliquem occidit, privetur omnibus beneficiis Eccleſiaſticis obtentis, non ipſo jure, ſed per ſententiam Judicis, *n.* 10. Tertia pœna eſt, quod homicida voluntarius, & injuſtus privetur ſucceſſione hæreditaria ejus, quem occidit. Quarta denique, Jure Canonico homicida voluntarius efficitur etiam irregularis, ſeu inhabilis ad Ordines ſuſcipiendos, & in iis miniſtrandum, *cit. num.* 10. Quænam in pœnis, & pœnitentiis imponendis a Judice ſint conſideranda, juxta *Sicut dignum,* 6. *h. t. n.* 11.

§. III.

Quinam tum in genere, tum in ſpecie, propter homicidium voluntarium, & injuſtum irregularitatem incurrant, vel alias pœnas Jure decretas in homicidas?

Generatim loquendo, qui aliquem voluntarie, & injuſte per ſe ipſum occidit, ſit irregularis; idemque dicendum de eo, qui dat cauſam propinquam efficacem mortis, etſi ea poſt longum tempus ſequatur. Et hinc Clericus, qui cauſam dat homicidio, ad Sacerdotium non eſt promovendus, *c. De cætero* 11. *h. tit.* idemque eſt de laico, *num.* 12. Quær. primo An qui procurat abortum fœminæ prægnantis ſit homicida, & fiat irregularis? R. affirmative, ſi fœtus erat animatus, alias ſecus *c. Sicut.* 20. *h. t. num.* 13. Si quis abortire facit mulierem gravidam, ante quam fœtus anima rationali eſt informatus, non ſit irregularis, *nu.* 14. qui viro, vel mulieri aliquid fecit, per ſortilegium, vel incantationem, vel ad potandum dedit, ut non poſſit generare, aut concipere, vel naſci proles, ut homicida tenetur, *c. Si aliquis.* 5. *h. t.* non punitur autem pœna ordinaria mortis, ſed alia mitiore, dummodo fœtus nondum anima rationali fuerit informatus, *n.* 15. Qui alium lethaliter percuſſit, licet poſtea ab aliis omnino fuerit peremptus, irregularis cenſetur. Idemque eſt, ſi non conſtet, ſed dubium ſit, an ex ictu prius percutientis: an vero ex poſteriore percuſſione obierit: quin imo etſi non conſtet, an quis percuſſerit lethaliter, ſi tamen voluntatem occidendi habuit, & ex aliorum percuſſione obiit, etiam primus percuſſor irregularis cenſebitur, propter voluntatem occidendi, effectu reipſa ſecuto, *c. Significaſti,* 18. *h. t. nu.* 16. & 17. Qui poſterius percuſſit ab alio lethaliter vulneratum, ſit irregularis quia etiam ipſe occidit, accelerando mortem ipſius. An quando quis primo graviter eſt percuſſus, ſed non mortuus, deinde vero ab alio eſt percuſſus lethaliter, & mortuus, uterque ſit puniendus pœna ordinaria homicidii, *n.* 18. Qu. n. An ſi volens ex propoſito occidere Titium, per ignorantiam, & errorem occidat Cajum, ſit puniendus ut homicida, pœna ordinaria? R. affirmative, quamvis aliqui putent, talem non eſſe puniendum pœna mortis, ſed arbitraria, *num.* 19.

§. IV.

An mandans aliquem occidi, fiat irregularis, aliaſque pœnas injuſti homicidii incurrat?

Qui mandat alium occidi, ſit irregularis, ſi mors ſequatur pœna ordinaria homicidii puniri poteſt, *nu.* 20. Extenditur primo, mandans aliquem verberari, etſi expreſſe prohibeat, ne occidatur, vel membro aliquo mutiletur, irregularis ſit, ſi mandatarius fines mandati excedens eum mutilet, vel occidat, *c. Is, qui.* 3. *& ult. h. t. in* 6. dummodo percuſſio ſit illicita, ſecus ſi licita, *n.* 21. Secundo, Mandans occidi, vel verberari aliquem, ſit irregularis, etſi non expreſſum, ſed tacitum ſolum mandatum dederit ad occidendum, vel mutilandum, *n.* 22. Tertio, Mandans alium occidi, ſit etiam irregularis, ſi tunc ipſe mandatarius occidatur, vel mutiletur, *cit. num.* 22. Limitatur autem tradita doctrina primo, ſi homicidium non ſit ſecutum, licet a mandatario fuerit attentatum, non enim mandans incurrit irregularitatem, vel aliam pœnam ordinariam. Secundo, ſi mandatarius, etiam ſine alicujus mandato, erat occiſurus, non ſit irregularis, quod verum eſt, niſi ob mandatum ei datum, mandatarius citius occidit, quia tunc eſt cauſa propinqua accelerationis: ſecus, ſi non citius occidit, tunc enim non ſit irregularis ipſe mandans. Tertio, ſi mandans aliquem occidere revocavit mandatum, ita ut revocatio fuerit intimata mandatario, tunc enim non ſit irregularis ipſe mandans, ſi poſt hujuſmodi revocationem, commiſſum ſit homicidium a mandatario, *n.* 23. Aſſer. 2. pœnæ Jure Canonico decretæ in mandantem fieri homicidium quandoque incurruntur, etiamſi mors ſeu cædes non ſit ſecuta: nam qui per aſſaſſinos aliquem Chriſtianum interfici facit, vel mandat, licet mors non ſequatur: vel ſi eos receperit, defenderit, vel occultaverit, ipſo facto incurrit excommunicationem, & depoſitionem a dignitate, honore, & Ordine, officio, & beneficio, ita ut alia conferri poſſint ab eo, ad quem ſpectat collatio, & eſt etiam talis cum ſuis temporalibus bonis perpetuo diffidatus a populo Chriſtiano, ſeu bannitus, & poſtquam probabilibus argumentis conſtiterit, aliquem tam execrabile ſcelus commiſiſſe, nulla alia excommunicationis, vel depoſitionis, ſeu diffidationis contra eum ſententia requiritur, *c.* 1. *h. t. in* 6. *num.* 24. quinam hic intelligantur Aſſaſſinos, *n.* 25. Excommunicatio, aliæque pœnæ in *cit. c.* 1. latæ ſunt, non in ipſos mandatarios, ſive homicidas, ſed ſolum in mandantes, qui Aſſaſſinorum infidelium Chriſtianum aliquem occidi juſſerint. Si infidelis per alios quoſcunque pecunia conductos occidatur, non habent locum prædictæ pœnæ, *cit. num.* 25. Probabilius eſt Clericos committentes hoc crimen Aſſaſſinii non amittere, ipſo jure, omne privilegium Clericale ante actualem degradationem, per quam Curiæ ſæculari traduntur, *numer.* 26. Qui mandat, opera infidelium aſſaſſinorum, occidi fidelem, eſt perpetuo diffidatus a populo Chriſtiano, ita ut poſſit a quolibet privato impune occidi, & bona illius a fiſco occupari poterunt, *cit. num.* 26.

§. V.

An ſicut mandans, ita etiam conſentiens in homicidium injuſtum, vel illud approbans incurrat irregularitatem, & alias pœnas homicidii?

Aſſertio 1. Si quis pure, & ſine ulla cooperatione, conſentiat in homicidium, quod nullo modo ſit nomine ipſius conſentientis, is non ſit irregularis, nec ullam pœnam incurrit, etiamſi conſenſum verbis exprimat, *num.* 27. Aſſertio 2. Qui homicidium ab alio patratum, etſi ſuo nomino ſit factum, poſtea approbat, & ratum habet, cui antequam fieret, nec conſilium, nec auxilium præſtitit, non incurrit irregularitatem, nec aliam pœnam ſtatutam in homicidas, *num.* 28. Neque ia ſit irregularis, qui poſt commiſſum homicidium ab alio, etiam ſuo nomine, ad quod tamen non eſt cooperatus, recipiat, occultet, vel defendat, homicidam, vel quid ei donet propter cædem factam. Idemque dicendum de aliis criminibus, etſi atrocioribus, propter ſolam ratihabitionem, nullum puniendum eſſe pœna ordinaria ipſius delicti, ſed ſolum extraordinaria, *num.* 29.

§. VI.

An conſulens homicidium injuſtum incurrat irregularitatem, vel alias pœnas Juris?

Aſſertio 1. Qui conſilium dedit ad homicidium, vel mutilationem, ſit irregularis, aliaſque pœnas Juris incurrit, ſi illud reipſa ſequatur, ex vi illius conſilii, quia is, cui conſilium eſt datum, alioquin non erat occiſurus, *num.* 30. Aſſertio 2. Quamvis is, cui datum eſt conſilium, eſſet alias occiſurus hominem, ſi tamen quis conſulendo auxit voluntatem illius, ut tanto promptius, vel alius vel crudelius aliquem occideret, ſit irregularis, *c. Sicut.* 6. §. *Qui vero h. t. nu.* 31. Aſſer. 3. Si conſulens homicidium, ante ejus executionem, conſilium revocat, non ideo ſtatim liber eſt ab irre-

regularitate, ſed debet conari contrarium perſuadere ei, cui conſilium dedit, ne illud exequatur: qui vero conſulit minus malum, v. g. mutilationem ei, qui vult occidere, non fit irregularis, ſi non poſſit alia via eum a cæde avertere, *num.* 32.

§. VII.

An qui cooperatur ad homicidium, præſtando opem, vel auxilium, fit irregularis, vel ordinariam pœnam homicidii incurrat?

Aſſertio 1. Qui auxilium præſtando, eſt cauſa propinqua commiſſi homicidii, ita ut conſilio non præſtito, illud non fuiſſet patratum, is irregularitatem incurrit *n.* 33. Aſſer. 2. Si auxilium ferens ſit cauſa proxima & immediata ſaltem partialis, homicidii commiſſi, ita ut abſque eo auxilio, mors non fuiſſet ſecuta, is pœna ordinaria homicidii eſt puniendus: alioquin vero ſi fuit cauſa ſolum remota, pœna extraordinaria, & mitiore, 34. Unde inprimis, qui ſe ſociat homicidæ, animo occidendi, licet non apponat manum, ſi tamen v. g. ex captione alicujus ſecuta eſt mors, tenetur pari fere pœna, qua homicida, *c. Sicut.* 6. §. *Illi autem. h. t. cit. nu.* 34. Secundo, qui ſociat ſe homicidæ, animo tantum prohibendi, ne is impediatur ab homicidio, tenetur paulo minore pœna *cit. c. Sicut*, §. *Illi etiam nu.* 35. Tertio, qui cuſtodiunt ſarcinas occidentium, facientes eos eſſe Sicarios, non ſunt immunes a pœnis homicidii, *cit. c. Sicut.* §. *Hi quoque. num.* 36. Quarto, qui occupat bona occiſi, a pœna quidem mortis eſt immunis, ſed illa, quæ occupavit, tenetur integre reſtituere, nec ſufficit, quod illa eroget pauperibus, ſi potuit reſtituere eis, quorum conſtat fuiſſe, & ipſi occupanti moderata pœnitentia eſt imponenda, *cit. c. Sicut.* §. *Eos inſuper num.* 37. Quinto, qui participant cum occiſoribus excommunicatis, diverſimode ſunt puniendi, magis, vel minus, conſiderata temporis mora, & utrum timore, vel affectione communicaverint, num ſcienter, vel ignoranter, *cit. c. Sicut,* §. *Illos prætere,* *n.* 38. Denique Clerici, qui armati morti interfuerunt, vel qui conſilium dederunt, ut occiſus caperetur, ab Altaris miniſterio perpetuo ſunt deponendi, & in Monaſterium, vel carcerem detrudendi, ſaltem ad quinquennium: & in Eccleſiis nullo unquam tempore Lectiones legant vel Reſponſoria in Choro ſeparatim cantent, ſed in pſalmis apud Deum veniam impetrare laragant, *cit. c. Sicut* §. *Clericos. h. t. num.* 39. An quando plures ſimul opem ferendo, concurrunt ad occidendum aliquem, qui poſtea moritur, omnes cenſendi ſint irregulares, & teneantur pœna homicidii, *n.* 40. idque declaratur magis, *num.* 41.

§. VIII.

An non impediens homicidium, cum poſſit, ac debeat, fiat irregularis?

Aſſertio 1. Qui non impedit homicidium, ſi ad id teneatur ſolum ex charitate non fit irregularis, etiamſi omittat impedire, ex odio interno, & deſiderio mortis proximi, *num.* 42. Aſſ. 2. Qui tenetur ex juſtitia impedire homicidium ſi poſſit impedire, ſine gravi ſuo damno, & non impediat, fit irregularis, ut ſi pater non impediat homicidium filii, vel dominus ſervi, vel Judex ſubditi, & e contrario, *num.* 43. deducuntur quædam corollaria, *nu.* 44.

SECTIO II.

De homicidio caſuali, & omnino involuntario?

§. I.

An ex homicidio caſuali, quod ex opere licito ſecutum eſt, contrahatur irregularitas?

Agitur hic non de homicidio, quod nullo modo eſt voluntarium, ut ſi fiat ab amente, ſed de eo, quod eſt indirecte voluntarium, & per accidens intentum, non in ſe, ſed in cauſa, adeoque mixtum ex voluntario, & caſuali, & culpabile, ut ſi quis percutiat fœminam gravidam, ſine animo cauſandi abortum, ſi ille ſequatur, & fœtus fuerit animatus, committit homicidium, non directe voluntarium, ſed indirecte, ſive in cauſa, ſcilicet percuſſione. Deinde ex duplici cauſa poteſt alicui homicidium caſuale imputari ad culpam: vel quia non adhibuit ſufficientem diligentiam ad cavendum homicidium, etſi dederit operam rei licitæ: vel quia dabat operam rei illicitæ, *num.* 45. Aſſertio 1. Qui dat operam rei licitæ, ſi debitam diligentiam adhibuit ad vitandum periculum mortis, etiamſi ex tali opere homicidium poſtea ſequatur, non fit irregularis, nec aliam pœnam homicidii incurrit, *n.* 46. Et hinc Clericus ſedens in equo, ſi equus, ſine culpa ſeſſoris, fracto freno, currat, & puerum in via exiſtentem conculcet, & interficiat, non fit irregularis, ſed celebrare poteſt, quia non dedit operam rei illicitæ, & nec actu, nec voluntate commiſit homicidium, *c. Dilectus.* 13. *h. t. n.* 47. deducuntur quædam corollaria, *n. eod.* Secundo, Clericus, qui cum fœnum de curru deponeret, facta prius diligente circumſpectione, perticam projecit in terram, caſuque puerum oppreſſit, non fit ideo irregularis, niſi contra eum grave ſcandalum oriatur, vel tanta laboret infamia, ut ſi ei indicenda Canonica purgatio, *cap. Ex litteris.* 14. *h. t. nu.* 48. Tertio, Monachus, qui dedit operam rei licitæ v. g. deponendo campanam de campanili, & ipſo movente lignum decidit, & puerum quendam obtrivit, & occidit, non ideo eſt irregularis, ſi lignum decidit in loco, per quem aliquem tranſire non credebat, vel ibidem exiſtere, vel illuc venire, ſed ad altiores Ordines promoveri poteſt, *cap. Ex litteris.* 15. *h. titul. numer.* 49. Quarto, ſi Clericus incedat in equo feroci, & propter ferociam equi aliquis occidatur, ſeſſor non incurrit irregularitatem, ſi ignoravit vitium equi, debet tamen illi ad cautelam pœnitentia competens injungi, qua peracta, poteſt miniſtrare in Ordinibus ſuſceptis, & promoveri ad altiores, *c. Significaſti.* 16. *h. t. num.* 50. Quinto, ſi Clericus, ludendo luſu innoxio, aliquem projiciat in terram, & cultellus, quem ad latus geſtabat eaſu excidens illum feriat, & is moriatur, talis, ſi fuerit ludus licitus, & per ſe innoxius, non fit irregularis, ſed ad ſacros Ordines promoveri poteſt, *c. Lator.* 9. *h. t. num.* 51. Sexto, irregolaritatem non incurrit ille Clericus, qui ludendo lapidem in alium projecit, animo eum deterrendi: hic vero fugiendo eum lapidem, caſu in alium lapidem impegit, & in capite fuit vulneratus, ſed poſtea medicii imperitia, vel incuria mortuus fuit, *c. Exhibita.* 22. *h. t. num.* 52. Septimo, Sacerdos, vel alius Clericus, dando operam rei licitæ, v. g. pulſando campanam ad convocandum populum ad Divina, ſi caſu lorcuito, & ſine ſua culpa, aliquis occidatur, v. g. quia tintinnabulum decidit, & in aliquem occidit, non fit irregularis, *c. Joannes.* 32. *h. t. num.* 53. Octavo, non fit irregularis Presbyter, ſi dum dabat operam rei licitæ, adhibita diligentia, quam debuit, & monendo tempeſtive, & alta voce circumſtantes de periculo, quod ipſis imminebat; aliquis occidatur, *c.* 25. & *ult. h. t. num.* 54. Aſſertio 2. Qui dat operam rei, ſeu actui ſecundum ſe licito, & bona intentione facto, ſi tamen intervenit culpa, ſeu negligentia vitandi periculum mortis, irregularitatem incurrit. Unde Presbyter in correctione pueri modum excedens, eum percutiat in capite, v. g. ita ut poſt paucos dies moriatur, ſi talis mortuus fuerit ex ipſa percuſſione, vel in infirmitatem incidat, ex qua deinde obiit, talis Presbyter ab Officio Sacerdotali deponendus eſt, & ab Altaris miniſterio perpetuo removendus, *c. Presbyterum.* 7. *h. t. num.* 55. Præterea ſi Clericus v. g. Diaconus ludat, ludo aliquo ſecularium, & caſu aliquis occidatur, non poteſt ordinari, ſine diſpenſatione Papæ, nec miniſtrare in Diaconatu, poteſt tamen cum eo diſpenſari, ut miniſtret in Subdiaconatu, *c. Continebatur.* 8. *h. tit. nu.* 56. declarantur prius dicta, *num.* 57. ubi etiam additur, quod ſolus Papa cum homicida etiam caſuali, diſpenſat in ſacris Ordinibus, ſi culpa præceſſit homicidium.

§. II.

An in dubio commiſſi homicidii, quis cenſendus ſit irregularis, vel non?

Si Presbyter, vel alius Clericus volens corrigere famulum ſuum, & verberans cingulo, quo erat cinctus, & caſu ex vagina elapſus cultellus eum aliquantulum vulneravit? poſtea vero cum ille vulneratus convaluiſſet a vulnere, graviore infirmitate vexatus mortuus eſt: tunc ſi conſtet, quod ex alia infirmitate ſit mortuus, quam ex vulnere, poteſt presbyter ille celebrare: ſi vero dubium ſit, an ex vulnere deceſſerit, non debet in ſacris Ordinibus miniſtrare, quia in dubiis via tutior eſt eligenda, ſed ſalutarem pœnitentiam agere debet: poteſt tamen ei concedi, ut in minoribus Ordinibus miniſtret, *c. Ad audientiam.* 12. *h. tit. num.* 58. Hinc patet, quod in dubio commiſſi homicidii, adeoque in dubio facti, quando certum eſt irregularitatem in aliquo caſu eſſe jure decretam, ſed dubium eſt, an quis homicidium vere commiſerit, in utroque foro, non ſolum interno, ſed etiam externo, cenſendus eſt eſſe irregularis, *num.* 59. Si vero dubitetur, an in hoc vel illo caſu irregularitas in jure ſit ſtatuta, adeoque in dubio juris, in neutro foro quis cenſendus eſt irregularis, *cit. num.* 59. Porro regula tradit, quod in dubio facti tutior pars ſit eligenda, adeoque cenſendus quis ſit irregularis, ſolum ſpecialiter locum habet in irregularitate homicidii: non autem in aliis irregularitatibus, in quibus nec in dubio juris, nec facti, neceſſario ſequi oportet partem tutiorem, nec cenſendum eſt quempiam eſſe irregularem, *num.* 60. imo qui dubitat, an aliquem mutilaverit membro, etiam in dubio facti, non eſt cenſendus irregularis, quia hoc de mutilatione non eſt expreſſum, *nu. eod.* Ex dictis deducuntur quædam corollaria, *num.* 61.

§. III.

Qualis culpa, ſive negligentia præcedere debeat ad incurrendam irregularitatem, quæ oritur ex homicidio caſuali facto ab eo, qui dedit operam rei licitæ?

In hac re certum eſt, latam culpam, ſeu craſſam negligentiam ſufficere ad incurrendam irregularitatem, quæ oritur ex homicidio caſuali. An vero levis quoque culpa ſufficiat? aliqui affirmant, alii negant, ſed requiri latam ajunt, quando quis dedit operam rei per ſe licitæ, ſed debitam non adhibuit diligentiam ad vitandam mortem, *num.* 62. In foro vero conſcientiæ, non incurritur hæc irregularitas, ob ſolam culpam juridicam, ſed neceſſe eſt, ut interveniat vera culpa Theologica, adeoque verum peccatum, ſaltem veniale. imo ut probabilius eſt, requiritur, ut ex culpa mortali plene deliberate fiat tale homicidium caſuale, ut incurratur irregularitas, *num.* 63.

§. IV.

An, & in quibus caſibus, is qui dat operam rei illicitæ, ſeu prohibitæ, ex qua reipſa ſequitur homicidium, fiat irregularis, quamvis omnem diligentiam adhibuerit ad illud vitandum, vel non fiat?

Tres ſunt ſententiæ. Prima univerſaliter tenet, hunc eſſe irregularem. Secunda ſententia oppoſita dicit, quod dans operam rei illicitæ, nunquam fit irregularis, ſi adhibuit debitam diligentiam ad vitandum homicidium. Tertia ſententia

Digitized by Google

tia eſt media, & probabilior, *n.* 64. Aſſertio 1. Vel dat quis operam rei licitæ, quæ tamen non inducit propinquum periculum homicidii, vel mortis, & talis non fit irregularis, ſi debitam diligentiam adhibuit ad vitandum homicidium, etiamſi mors poſtea ſequatur. Vel dat quis operam rei illicitæ, quæ ſeapte natura, apta eſt ad inferendam mortem, ideoque ſpecialiter prohibita eſt, propter periculum homicidii, & tunc fit Irregularis, etiamſi debitam diligentiam adhibuerit ad illud vitandum, *n.* 65. Reſpondetur ad fundamenta primæ ſententiæ, & ad fundamentum ſecundæ, *n.* 66. Aſſertio 2. Plures ſunt caſus particulares, in quibus, ob homicidium ex opere illicito, & periculoſo ſecutum, etiamſi adhibita ſit debita diligentia, incurritur irregularitas, qualis eſt, & quidem præcipuus, ſi Monachus, vel etiam Clericus ſæcularis in Sacris conſtitutus peritus chirurgiæ, eam exerceat, adhibita omni diligentia, & cauſa pietatis, ſi tamen mors ſequatur, fit irregularis, quia deliquit uſurpando officium ab eo alienum, & quod ipſius ſtatui non conveniebat: poteſt tamen cum tali, poſt peractam pœnitentiam, diſpenſari, ut celebret. Quod ſi non erat peritus chirurgiæ, vel non cum diligentia, neque cauſa pietatis, officium chirurgi exercuit, interdicenda eſt ei Sacerdotalis Ordinis executio, *c. Tuas nos.* 19. *in princ. h. t. n.* 67. Cur in caſu hujus cap. incurratur irregularitas, *n.* 68. Excipitur caſus neceſſitatis, ſi alius Chirurgus non adſit, qui poſſit, & velit curare, tunc enim non fit irregularis, etiamſi mors ſequatur, *cit. n.* 68. Quod ſi Chirurgus, vel Medicus ſit laicus, etſi ipſi ob cauſam aliquam extrinſecam prohibitum ſit exercere illum actum, non tamen fit irregularis, ſi debitam diligentiam adhibuit, etſi mors ſequatur: ſi vero per imperitiam, vel negligentiam culpabilem Medici, vel Chirurgi mors eveniat, id eis imputari debet, *n.* 69.

§. V.

De homicidio omnino involuntario, & inculpabili.

Quær. 1. An homicidium factum in furore, vel infantia, aut in ſomno inducat irregularitatem? R. ſi furioſus, infans, vel dormiens hominem occidat, vel mutilet, non efficitur, irregularis, ita ut neque quoad Ordines ſuſceptos, nec quoad ſuſcipiendos ſint irregulares, *Clem. unic. h. t. n.* 70. Excipitur furioſus, ſi lucida intervalla habeat, & dum ſanæ mentis eſt, hominem occidat, *n.* 71. Sed etſi puer infra tempus infantiæ, & ante ſeptennium completum, plenum uſum rationis habeat, & hominem occidat, probabilius eſt, non fieri irregularem; quin imo neque fit irregularis, ſi major ſit ſeptennio, necdum tamen uſum rationis habeat, *nn.* 72. Si dormiens occidat hominem, non fit irregularis, niſi homicidium ſit prævisum in vigilia, quia vigilans advertit, quod in ſomno ſoleat ſurgere, & arma capere, *num.* 73. Qu. 2. An etiam ebrius non fiat irregularis? R. non fieri de Jure Canonico, quamvis in foro civili ebrietas non excuſet ab omni pœna, *numer.* 74. Homicida non cenſetur, & conſequenter nec irregularis, ille, cujus occaſione, eo tamen prohibente, & cauſam non dante, ab ejus amicis, famulis, vel conſanguineis homicidium committitur, *c. Petrus.* 57. *h. t.* n. 75. Quando talis irregularis fiat, vel non fiat? *nn.* 76.

SECTIO III.

De homicidio neceſſario, ſive ob defenſionem facto, & irregularitate ex eo contracta.

§. I.

An qui ob defenſionem ſuæ propriæ perſonæ, ac vitæ, alium occidit, vel ob defenſionem proprii honoris, ac famæ, fiat irregularis?

Aſſertio 1. Qui occidit, vel mutilat alium, ob neceſſariam corporis ſui, aut vitæ defenſionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, non fit irregularis, ſecus ſi in modo defenſionis culpabiliter excedat, *n.* 77. Proponuntur plures caſus in ſpecie, in quibus qui alium occidit neceſſariæ defenſionis cauſa, non fit irregularis, de quibus tamen dubitari poterat, *n.* 78. Aſſertio 2. Qui occidit, vel mutilat injuſtum invaſorem, ob defenſionem proprii honoris, aut famæ, fit irregularis, ut colligi videtur ex *cit. Clem.* nn. *h. t.* Quamvis oppoſitum ſit etiam valde probabile, ſi quis in tali caſu fugere non poſſit, ſine gravi ignominia, & jactura honoris ſui, imo hæc ſententia vix differt a priore, cum adjuncta exceptione, *n.* 79. *&* 80. Non tantum autem non contrahitur irregularitas ex homicidio facto ob neceſſariam ſui ipſius defenſionem, ſed neque ex homicidio facto, ob licitam neceſſariam defenſionem alterius hominis innocentis, *num.* 81.

§. II.

An is, qui ob defenſionem bonorum temporalium, quæ poſſidet, occidit, vel mutilat aliquem, fiat irregularis?

Communior ſententia DD. tenet, non eſſe licitum, hominem occidere, ob defenſionem propriarum rerum temporalium, niſi neceſſaria defenſio propriæ vitæ accedat, *n.* 82. ut colligi videtur primo, ex *c. Interfeciſti.* 2. *h. t.* ubi dicitur, occidendi latronem, ſeu furem, quem capere poterat ſine occiſione, imponendam eſſe pœnitentiam per XL. dies. Si vero, ſe ſuaque aliter liberare non potuit, niſi hominem occideret, tum ſi ſine odio occidit, non imponitur ei pœnitentia, ſed ſi vult, bonum erit, ſi jejunet, vel eleemoſynam faciat. Si autem Presbyter hæc eadem fecerit, non deponatur; debet tamen, quamdiu vivit, pœnitentiam agere, *n.* 83. Secundo in *c. Si perfodiens.* 3. *h. t.* dicitur, quod occidenti furem nocturnum non eſt imputandum homicidium, ſecus ſi diurnum occidat, quia dies poterat cognoſcere, quod ad furandum, non ad occidendum veniſſet. Unde etiam in Legibus Civilibus impune occiditur fur nocturnus, non autem diurnus, niſi armis ſe defendat, *nn.* 84. Tertio in *c. Suſcepimus.* 10. *h. t.* habetur, quod non ſit licitum, ſaltem Clerico, vel Religioſo, occidere latronem, ſeu furem, propter res temporales conſervandas, tametſi eæ aliter conſervari non poſſint, ſed potius oporteat rerum temporalium, quippe vilium & tranſitoriarum, jacturam ſuſtinere, alioquin tales fiunt irregulares, idque etiam eſt contra manſuetudinem Eccleſiaſticam, *n.* 85. Contraria tamen ſententia, quod licitum ſit furem occidere, etiam propter defenſionem bonorum temporalium, ſi ea aliter ſervari non poſſint, & gravis ſit jactura, eſt etiam probabilis, & practice tuta, *n.* 86. & reſpondetur ad textus ſupra allatos, qui contrarii videntur, n. 87. *& tribus ſeqq.* Reſpondetur ad rationem deſumptam ex lege charitatis, qua tenemur præferre vitam proximi bonis temporalibus propriis, *nu.* 90. Non ſolum autem laici, ſed etiam Clerici licite & impune vitam, & bona temporalia ad vitam neceſſaria defendere poſſunt contra injuſtos invaſores, etiam vi, & armis, dummodo ſint res magni momenti, & non exigui valoris, *n.* 91.

§. III.

Quæ requirantur ad licitam defenſionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, & quomodo puniatur exceſſus, ſine hoc moderamine?

Aſſertio 1. ad licitam defenſionem neceſſarium eſt, ut fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad ſumendam vindictam, ſed ad injuriam propulſandam, *c. Significaſti.* 18. *h. t.* Et quidem inprimis requiritur, ut qui occidit ſit injuſte invaſus ab alio, alioquin non eſſet defenſio, ſed aggreſſio. Secundo requiritur, ut defenſio non poſſit fieri cum minore læſione proximi, ſive ut invaſus non majore vi repellat injuriam, quam ſit opus unde ſi ſufficiat membro mutilare aggreſſorem, non licet eum occidere, in qua re etiam ſpectanda eſt qualitas perſonarum, invadentis, & invaſi. Tertio requiritur, ut defenſio fiat, ſine gravi culpa, ratione cujus tranſiret in aggreſſionem, ut ſi quis fugientem invaſorem inſequatur, vel jam deſiſtentem a pugna ad illam incitet, vel in rixa cadentem in terram occidat. Denique generatim loquendo, ille dicitur occidere injuſtum invaſorem, cum moderamine inculpatæ tutelæ qui nec fuga, nec clamore, nec alio modo ſe poteſt defendere, niſi aggreſſorem occidat, vel mutilet idque in particulari Judicis arbitrio determinandum eſt, *n.* 92. Aſſertio 2. Qui ob ſui defenſionem occidit vel mutilat aliquem, & excedit modum inculpatæ tutelæ, irregularitatem incurrit: quamvis talis exceſſus non puniatur pœna ordinaria homicidii, ſed alia mitiore, arbitrio Judicis, *n.* 93.

SECTIO IV.

De homicidio publica auctoritate facto a Judice; & ejus Miniſtris, & irregularitate ex eo contracta.

§. I.

Utrum omnes, qui juſte, ac licite cooperantur prolationem ſententiæ ſanguinis, ſive mortis aut mutilationis, vel ad executionem ejuſdem, ſint irregulares?

Non ad omnem irregularitatem ex mutilatione vel homicidio incurrendam neceſſario requiritur delictum vel culpa, ſed quædam etiam contrahitur ex mutilatione, vel homicidio juſto, ob defectum perfectæ lenitatis, & manſuetudinis Chriſti. Deinde ad hanc irregularitatem incurrendam non requiritur, ut quis propria manu occideric aliquem, etſi juſte, ſed ſufficit, quod habuerit voluntatem occidendi, ſive quod cauſam propinquam homicidio dederit, dummodo mors ſecuta fuerit, vel effectus, *n.* 94. Aſſ. 2. Judex imprimis, ſive Clericus, ſive laicus, ſi ferat ſententiam mortis, vel mutilationis, effectu ſecuto, fit irregularis, *n.* 95. Non ſolum omnis Judex Papa, inferior, ſed etiam Aſſeſſores, Conſultores, exhortatores, & omnes alii, qui cum Judice ad ſententiam ferendam concurrunt, fiunt irregulares, etiam Notarius dictans vel ſcribens ſententiam ſanguinis, vel qui illam publicat: item qui torquet reum, & magis executor ſententiæ, ſcilicet Carnifex, aliique miniſtri juſtitiæ, hi omnes, morte ſecuta, fiunt irregulares. Quod ſi Judex non ferat ſententiam mortis, vel mutilationis, ſed ſolum ut reus flagellis cædatur vel aliter verberetur, citra abſciſſionem, alicujus membri, non fit irregularis, quia effuſio ſanguinis per ſe ſola non ſufficit ad irregularitatem incurrendam; quamvis etiam ſine illa incurratur, ut ſi quis ſtranguletur, vel ſuffocetur: nomine autem ſententiæ hic comprehenditur etiam quodvis præceptum Judicis, ut ſi mandet, ut reo alimenta denegentur. Requiritur etiam, ut ſententia ſit executioni mandata: unde ſi reo ad mortem jam condemnato, vita condonetur, Judex non contrahit irregularitatem, *n.* 96. Epiſcopus, vel alius Prælatus Eccleſiaſticus, cui juriſdictio temporalis competit, poteſt, abſque periculo incurrendæ irregularitatis delegare alteri juriſdictionem criminalem, vel generaliter ad cognoſcendas omnes cauſas ſanguinis: vel in particulari ad cognoſcendum ſpeciale factum homicidii, modo non determinate committat illam ad inferendam alicui mortem vel mutilationem. Item poteſt Princeps vel Dominus temporalis, ſive Clericus, ſive laicus, condere leges, vel ſtatuta, in quibus pœna mortis, vel mutilationis imponitur propter crimina, citra metum irregularitatis, *nu.* 97. deducuntur hinc quædam corollaria particularia, *num.* 98. Aſſertio 2. Inquiſitores hæreticæ pravitatis, vel alii Judices Eccleſiaſtici tradentes Clericos de crimine convictos Curiæ ſæculari, qui poſtea mortis ſupplicio, vel pœna mutilationis afficiuntur, ſive Clerici, ſive laici ſint, non fiunt irregula-

gulares, n. 99. Debet tamen in hoc caſu ad evitandam irregularitatem Eccleſiaſticus Judex pro reo, qui traditur Poteſtati ſeculari, efficaciter intercedere, ut citra mortis periculum ſententia circa eum moderatur, n. 100.

§ II.

An accuſator criminis morte digni, vel mutilatione, contrahat irregularitatem, ratione omicidii, publica auctoritate facti?

Aſſertio 1. Si Clericus, vel etiam laicus aliquem criminaliter accuſat, directe agendo ad publicam vindictam, ſeu pœnam, tunc ſecuta morte, vel mutilatione Rei accuſati ipſe fit irregularis, etiamſi proteſtetur, ſe petere, ut puniatur, ſed citra mortem, & membri mutilationem, n. 101 Aſſertio 2. Si Clericus, ob injuriam ipſi illatam a laico, coram Judice ſeculari de crimine ipſum accuſat, non tamen criminaliter ad pœnam publicam, ſed civiliter, petendo damni illati compenſationem, etiamſi poſtea Judex illi infligat pœnam mortis, vel mutilationis, non ideo fit irregularis, dummodo proteſtetur, ſe non petere vindictam criminis. Quare ſi Clericus civiliter agat contra laicum ob res ſibi ablatas, coram ſuo Judice, & hic illum puniat durius, v. g. pœna mortis, vel mutilationis, non ideo Clericus fit irregularis, *c. Poſtulaſti. 21. h. t. nu. 15.* Item poſſunt Prælati, & Clerici, citra pœnam irregularitatis, de ſuis malefactoribus conqueri coram Judice ſeculari, etiam de criminibus, quibus jure debita eſt pœna ſanguinis, modo expreſſe proteſtentur, ſe non intendere vindictam ſanguinis, *c. 2. h. tit. in 6. nu.* 193. Idque declaratur, & explicatur, *numer.* 104. *& duobus ſeqq.* Similiter ille, qui Judici ſeculari ſigna dedit, ex quibus fur cognoſcitur, non fit irregularis, licet fur poſtmodum a Judice occidatur, *c. Tua nos. 19. §. Ad ult. hoc tit. num.* 107. Etiam laici, ſi de crimine digno morte accuſent aliquem, ſine prævia proteſtatione, incurrunt irregularitatem, n. 10. Si quis apud Judicem ſecularem denunciet, vel accuſet aliquem de injuria, vel damno, non ſibi, ſed alteri illato, fit irregularis, ſi a Judice poſtea pœna mortis Reo infligatur, quamvis proteſtetur, ſe criminalem pœnam non intendere, n. 109. In quibus caſibus non ſit neceſſaria proteſtatio, nec accuſans fiat irregularis, etſi Reus condemnetur ad mortem, vel mutiletur? n. 110.

§ III.

Quænam perſonæ, præter Judicem, & accuſatorem, fiant irregulares, ratione homicidii, vel mutilationis?

Quær. 1. An teſtis in cauſa ſanguinis fiat irregularis? Reſp. Si quis ſive Clericus, ſive laicus in cauſa criminali, in qua agitur de inferenda pœna mortis, vel mutilationis, teſtimonium ferat, etiamſi proteſtetur, ſe non ad condemnandum reum dare teſtimonium, fit irregularis, ſi mors, vel mutilatio inde poſtea fuerit ſecuta, n. 111. Id vero procedit ſolum, ſi quis ferat teſtimonium in cauſa, in qua directe agitur criminaliter ad pœnam mortis, vel mutilationis; ſecus ſi agatur de crimine civiliter ad intereſſe alicujus, tunc enim teſtis non fit irregularis. Item ſi Clericus ferat teſtimonium pro accuſatore contra Reum, fit irregularis; non autem ſi deponat in favorem rei ad probandam ejus innocentiam, tunc enim teſtis nullam incurrit pœnam, *n. eod.* Q. 2. An Advocatus in cauſa ſanguinis fiat irregularis? R. Si patrocinium præſtat accuſatori contra Reum, & hic ad mortem, vel membri mutilationem condemnetur, fit irregularis Advocatus, etiamſi proteſtatus fuerit. Secundo, ſi Advocatus ſtet pro reo, eum defendendo, & reus nihilominus condemnetur ad mortem, vel mutilationem, Advocatus non fit irregularis. Tertio, ſi Actor injuſte accuſavit, ideoque reus abſolvitur, accuſator vero pœna talionis puniatur tanquam calumniator, Advocatus ipſius fit irregularis? Advocatus vero Rei non fit irregularis, ſi tantum reum defendit, n. 112. Quær. 3. An qui in loco ſupplicii aſſiſtunt exceptioni ſupplicii capitalis, fiant irregulares? Reſp. Si aſſiſtunt tantum ſpectandi cauſa, ſine ulla cooperatione, non fiunt irregulares, etiam Clerici, *num.* 113.

§ IV.

De homicidio contingente in bello, & irregularitate ex eo proveniente.

Quær. 1. An omnes qui militant in bello injuſto, fiant irregulares? Reſp. Qui in bello injuſto, pugnantibus cooperantur, vel qualecunque auxilium ferunt, fiunt irregulares, ſive laici ſint, ſive Clerici, etſi ipſi propriis manibus neminem occidant, vel mutilent, ſi vel unus homo in illo bello occiſus, vel mutilatus fuerit. Excipiuntur illi, qui in bello injuſto aſſiſtunt ſolum ad pacem componendam, vel ad juvandum milites in ſpiritualibus, n. 114. Quær. 2. An qui militant, & pugnant in bello juſto, fiant irregulares? Reſp. 1. Si Laici, vel etiam Clerici in bello juſto defenſivo hominem occidant, vel membra mutilent, etiam propria manu, ob neceſſariam defenſionem propriæ vitæ, vel perſonæ, non fiunt irregulares. Similiter in bello neceſſario ad defenſionem Eccleſiæ, vel patriæ occidentes, vel mutilantes non fiunt irregulares, ſive laici ſint, ſive Clerici, ſaltem in caſu inevitabilis neceſſitatis, quia per ſolos laicos Eccleſia, vel patria defendi non poteſt: alias vero irregulares fierent Clerici, juxta *cap. Petitio 24. hoc titul.* Ubi habetur, quod Clericus pugnando contra hoſtes fidei Catholicæ, ſi dubitet, an aliquem interfecerit, debet ut irregularis a miniſterio Altaris abſtinere, *numer.* 115. *& ſeq.* Reſpond. 2. Omnes, qui in bello juſto, ſed offenſivo per ſe, ſive proprio facto hominem occidunt, vel mutilant, fiunt irregulares: ſecus eſt, ſi propriis manibus non occidant, vel mutilent, etſi alii id faciant, *nu.* 117. Deducuntur quædam corollaria, *n.* 118.

SECTIO V.

De mutilatione, & diſpenſatione in prædictis duabus irregularitatibus.

§ I.

Quid ſit mutilatio, & qualis irregularitas ex illa contrahatur?

Aſſertio I. Mutilatio proprie dicta eſt alicujus membri abſciſſio. Ac proinde ad mutilationem non ſufficit vulneratio, vel ſanguinis effuſio, etſi copioſa, nec ſi pars aliqua carnis abſcindatur, quia caro non eſt membrum proprie, n. 119. Nomine autem membri proprie intelligitur, vel pars principalis corporis, quæ proprium, & diſtinctum Officium habet ab aliis, ut oculus ad videndum, auris ad audiendum: vel ut alii volunt, mutilatio appellatur, ſaltem in ordine ad incurrendam irregularitatem, ſi membrum principale *v. g.* manus, vel pes notabiliter deformetur, vel diminuatur, etſi non totum abſcindatur, v. gr. ſi tres majores digiti manus, vel cartilago auris, vel naſi abſcindatur, vel notabile impedimentum afferatur ad actionem videndi, audiendi &c. *n.* 120. Aſſert. 2. Ex mutilatione membrorum incurritur irregularitas, ſicut ex homicidio, ſive quis per ſe, ſive per alium, ſive mandato, conſilio, vel alio modo cooperando, mutilaverit aliquem, & ſive illicite, ſeu licite, *num.* 121.

§ II.

An qui membrum debilitat, vel aridum, & inutile mutilat, vel abſcindit, vel ſe ipſum mutilat, fiat irregularis?

Aſſert. I. Qui membrum debilitat, id eſt, cædendo vel vulnerando aridum, & inutile reddit ad operandum, citra abſciſſionem tamen, non fit irregularis, *n.* 122. Aſſ. 2. Si quis membrum, non ſolum reddat aridum, & inutile ad operationem, ſed etiam mortuum, ita ut non amplius ſit vivum, is fit irregularis, etſi illud non abſciderit a reliquo corpore. Similiter ſi quis membrum debilitatum, & inutile reddat ad operationem ſuam, quod adhuc tamen vivum manet, illudque abſcindat, is quoque irregularis, quia vere mutilat corpus humanum, abſcindendo vivum ejus membrum. Si quis vero aliquem notabiliter deformat, ita ut ad Ordines promoveri non poſſit, non eſt irregularis, quia nullam partem corporis abſcindit, *n.* 123. Aſſertio 3. Quando quis mutilando alium fit irregularis, fit etiam eodem modo mutilando ſe ipſum. Poteſt tamen quis interdum facere alterum irregularem vulnerando, licet ipſe non fiat irregularis, *n.* 124.

§ III.

De diſpenſatione in irregularitate contracta ex homicidio, & mutilatione.

Quær. 1. An & quis poſſit diſpenſare in homicidio injuſto, & directe voluntario? R. Solus Papa poteſt diſpenſare in homicidio injuſto, & directe voluntario, ſive publico, ſive occulto, quoad Ordines ſuſcipiendos, vel eos exercendos, quamvis nonniſi raro, & difficulter diſpenſet. Epiſcopus vero etiam ante Concilium Tridentin. non potuit diſpenſare in homicidio directe voluntario, ſive publico, ſive privato, quoad SS. Ordines ſuſcipiendos, vel exercendos, ſicut neque hodie poteſt, niſi in occulto homicidio in caſu urgentis neceſſitatis, ad vitandam infamiam, ſcandalum, vel aliud grave periculum, *n.* 125. Quær. 2. An Epiſcopus poſſit diſpenſare in mutilatione voluntaria, & illicita, ſed occulta? Reſp. Probabile eſt poſſe, *n.* 126. Quær. 3. An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum homicida occulto, qui non ex propoſito, & directe intendit hominem occidere, ſed ſolum indirecte, & in cauſa, ut ſi quis in rixa ſubito orta occidit auctorem rixæ, ne ab illo occideretur? Reſp. Poſſe diſpenſare, *n.* 127. Quær. 4. An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate proveniente ex homicidio juſto? Reſp. 1. Epiſcopus poteſt diſpenſare in homicidio occulto facto defenſionis cauſa, ſed cum exceſſo inculpatæ tutelæ, *nu.* 128. Reſp. 2. Epiſcopus non poteſt diſpenſare in irregularitate ex defectu perfectæ lenitatis, ut cum judice accuſatore, teſte in cauſa ſanguinis &c. *num.* 129. Quær. 5. Quam poteſtatem diſpenſandi habeant ii, quibus privilegium datum eſt diſpenſandi in omni irregularitate excepta bigamia, & homicidio voluntario? Reſp. poſſe diſpenſare in omni irregularitate proveniente ex homicidio indirecte voluntario, & in eo, quod eſt factum ob defectum perfectæ lenitatis, vel ob defenſionem, *n.* 130.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 8. *&* 9.
c. 2. *n.* 83.
c. 3. *n.* 84.
c. 4. *n.* 4.
c. 5. *n.* 15.
c. 6. *in princ. n.* 11. §. *Qui vero. num.* 31. §. *Illi autem num.* 34. §. *Illi etiam num.* 35. §. *Hi quoque numer.* 36. §. *Porro inſuper num.* 37. §. *Illi præterea num.* 38. §. *Clericos autem ult. n.* 39.
c. 7. *num.* 55.
c. 8. *n.* 56. *& ſeq.*
c. 9. *num.* 51.
c. 10. *n.* 85.
c. 11. *n.* 12.
c. 12. *n.* 58. *& ſeq.*
c. 13. *n.* 47.
c. 14. *n.* 48.
c. 15. *n.* 49.
c. 16. *num.* 50.
c. 17. *n.* 75. *& ſeq.*
c. 18. *n.* 36. *& ſeq.*
c. 19. *in princ. n.* 67. *& ſeq.* §. *Ad ultimum n.* 107.
c. 20. *n.* 13. *&* 14.
c. 21. *n.* 102.

c. 22.

Digitized by Google

c. 21. n. 92.
c. 23. n. 53.
c. 24. n. 115. & duobus ſeqq.
c. 25. & ult. n. 54.

In Sexto.

c. 1. n. 24. & duobus ſeqq.

c. 2. n. 103. & duobus ſeqq.
c. 3. & ult. n. 22. & ſeq.

In Clementinis.

Clement. unic. nn. 70. & duobus ſeqq. & in fine. n. 77.

TITULUS XIII.

De Turneamentis.

Prohibentur fieri torneamenta ad oſtentationem virium, & audariæ, unde mortis, & animarum pericula ſæpe proveniunt, & ſi quis in his mortuus fuerit, Eccleſiaſtica ſepultura carere debet, quamvis ei petenti pœnitentia non ſit deneganda, *c. 1. h. t. n.* 1. Sunt tamen licita, ſi cum tali moderamine fiant, ut ceſſet periculum mortis, etſi raro, & per accidens ſequatur mors, vel grave vulnus infligatur, *num.* 2. Conſtitutio autem Clementis V. in qua torneamenta prohibentur, revocata fuit in *Extravag. unic. Joan. XII. h. t. n.* 2. Qui ad locum rotneamentis deſtinatum accedit, non animo pugnandi, ſed ex alia cauſa, v. g. exigendi debita, ſi caſu ibi decedat, non privatur ſepultura Eccleſiaſtica, *c. 2. num.* 3. *h. t.*

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.	In Estra Vagant.
c. 1. n. 1.	Joann. XXII.
c. 2. n. 3.	*Extrav. unic. n. 2.*

TITULUS XIV.

De Clericis pugnantibus in duello.

§. I.

Quid ſit duellum, & quando ſit prohibitum, vel licitum, & de pœnis Jure ſtatutis in eos, qui ineunt illicitum duellum?

Aſſertio 1. Duellum eſt ſingularis pugna duorum inter ſe ex condicto ſuſcepta, & eſt illicitum ac prohibitum Jure naturali ac Divino, Civili & Canonico. Et in ſpecie illicitum eſt offerre, vel acceptare duellum ad probationem veritatis, & criminis purgationem. Secundo, ad corporis vires oſtentandas. Tertio, ad dirimendam litem civilem. Quarto, ad tuendum proprium honorem, vel ignominiam vitandam. Quinto, ad animos ſpectantium oblectandos, *n.* 1. Aſſertio 2. Plures ſunt caſus, in quibus licitum eſt privatum duellum acceptare, qui ponuntur, *n.* 2. Quænam pœnæ ſint a Concilio Tridentino ſtatutæ in eos, qui ineunt illicitum duellum. *n.* 3. Quæ pœnæ poſtea extenſæ ſunt a Gregorio XIII. etiam ad duella privata, ſine patrinis, & ſolemnitatibus, & a Clemente VIII. etiam ad fautores, *cit. n.* 3.

§. II.

Quæ pœna Jure Canonico ſtatuta ſint in Clericos pugnantes in duello?

Aſſertio 1. Clericus, qui ſponte alicui duellum obtulit, vel oblatum acceptavit, eſt deponendus: poteſt tamen Epiſcopus cum eo diſpenſare, ſi non ſit ſecuta mors, vel mutilatio, *n.* 4. Per depoſitionem hic intelligitur non proprie dicta depoſitio, ſed ſuſpenſio ab Officio, & beneficio, non ipſo jure, ſed per ſententiam Judicis, quam pœnam incurrit Clericus, ſive ipſe alium ad illud provocaverit, ſive fuerit provocatus, modo actu ad realem pugnam ſit progreſſum, & ſponte pugnet, & non ob neceſſitatem, quam evitare non potuit, *n.* 5. Aſſ. 2. Clericus irregularis efficitur, non ſolum ſi ipſe per ſe occidit, aliquem in duello, ſed etiam ſi pugil ab eo conſtitutus adverſarium occidit; homicidium enim committitur, non ſolum facto, ſed etiam præcepto, conſilio, vel defenſione, poteſt tamen Epiſcopus cum tali diſpenſare, *c. 2. h. t. n.* 6. Conſuetudo illa, per quam admittitur purgatio per duellum, ita ut ex eventu illius appareat de innocentia Rei accuſati, vel convincatur de crimine, de quo eſt accuſatus, eſt Jure prohibita tanquam prava, & reprobata, *n.* 7. Clericus vero Jure novo Concilii Tridentini ipſo jure, ſeu facto excommunicatus eſt, *num. eod.*

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.

c. 1. n. 4. & ſeq.	*c. 2. n. 6. & ſeq.*

TITULUS XV.

De Sagittariis.

excommunicandi ſunt, qui exercerunt mortiferam artem (quippe quæ cædibus cauſam dare ſolet) baliſtarum, ſeu Sagittariorum, contra Chriſtianos, & Catholicos, eaque prohibetur exerceri in bello injuſto, non autem in juſto, *c. unic. h. t.*

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.

c. unic.

TITULUS XVI.

De Adulteriis, & Stupro.

SECTIO I.

De crimine adulterii, ejuſque pœnis.

§. I.

Quid ſit adulterium, & quibus modis committatur?

Aſſertio 1. Adulterium eſt alieni tori violatio, & in ſe continet duplicem malitiam, nempe luxuriæ, & injuſtitiæ, quia eſt coitus cum fœmina, quæ eſt uxor alterius, *nn.* 1. Aſſertio 2. Vel ſi vir conjugatus cognoſcat carnaliter mulierem ſolutam, & eſt adulterium ſimplex, ex parte viri tantum: vel ſi vir ſolutus cognoſcat fœminam conjugatam, & eſt adulterium ſimplex ex parte fœminæ tantum, vel ſi vir conjugatus accedat ad fœminam itidem conjugatam, & eſt adulterium duplex, ex parte utriuſque, *n.* 2. De Jure Canonico ſi vir conjugatus concumbat cum alia etiam ſoluta, adulterium vere committitur, licet aliud ſit de Jure Civili, quia pœnæ adulterii tunc non incurruntur, *cit. n.* 2. Item committitur adulterium, ſi conjugatus cum ſponſa aliena per verba de præſenti ducta carnalem copulam habeat, quæ a viro ſuo nondum fuit cognita? non autem committitur adulterium cum alterius ſponſa de futuro, *n.* 3.

§. II.

De accuſatione criminis adulterii.

Quæt. 1. Quinam admittantur ad accuſationem adulterii? R. Inprimis, & ante omnes alios, maritus etiam ante patrem adulteræ etiamſi pater prævenerit modo maritus non fuerit negligens in accuſanda adultera, *n.* 4. Poſt maritum ceſſantem aut nolentem agere, admittitur ad accuſandum adulterium pater mulieris; poſt hunc vero reliqui cognati: & ceſſantibus propinquis, etiam extranei admittuntur ad accuſandum: quin imo quilibet de populo, ad accuſationem adulterii admittitur, modo mas ſit, & major 25. annis, *n.* 5. Etſi maritus accuſare poſſit, uxorem, non tamen uxor maritum de adulterio criminaliter ad legalem pœnam infligendam, de jure Civili, ſive maritus accedat ad ſolutam, ſive conjugatam, *n.* 6. Sed de Jure Canonico etiam uxor criminaliter accuſare poteſt virum ſuum de adulterio, *n.* 7. Quæt. 2. Intra quod tempus accuſatio adulterii ſit inſtituenda? R. Maritus jure ſpeciali mariti accuſare poteſt uxorem adulterii intra 60. dies utiles a tempore ſoluti matrimonii per divortium: poſt 90. dies vero, admittuntur etiam extranei, *num.* 8. Qu. 3. Quinam accuſari poſſint de adulterio? R. Accuſari poſſunt tam adulter, quam adultera, modo per dolum, ſive ſcienter adulterium commiſſum ſit, *n.* 9. Etiamſi mulier conjugata ſit publica meretrix, *cit. num.* 9. Quæt. 4. Coram quo Judice inſtituenda ſit accuſatio adulterii? R. Si agatur criminaliter ad pœnam ſanguinis, aut mortis, ſolus judex ſecularis poteſt cognoſcere: quoad alias vero pœnas eſt crimen mixti fori, ita ut judex Eccleſiaſticus, & ſecularis poſſit eas infligere, & ſic inter eos præventioni locus. Si vero de adulterio agatur civiliter ad divortium tori, ſolus judex Eccleſiaſticus poteſt de illo cognoſcere, *num.* 10. Quod ſi vir contra uxorem adulteram inſtituat actionem criminalem ad publicam ejus punitionem, vel uxor contra virum, ſecundum jus Canonicum, non poteſt poſtea, etiam eo judicio finito, agere de adulterio civiliter ad divortium, & amiſſionem dotis: aut vice verſa, finito judicio civili, vir uxorem, vel hæc virum adulterum criminaliter accuſare, *num.* 11.

§. III.

Quomodo probandum ſit adulterium?

Adulterium non poteſt directe probari per teſtes vel inſtrumenta, ſed ſolis præſumptionibus, & indiciis ac conjecturis. Unde in *c. h. t.* dicitur, maritis etiam a ſuſpicione uxores accuſare permiſſum eſt, & additur, & ipſi plus cæteris de adulterio accuſare poſſunt, & defendere, *nu.* 12. Porro non ſufficit ad plenam probationem adulterii quæcunque ſuſpicio probabilis, ſed requiritur violenta, quæ ſufficit ad condemnandum: quales præſumptiones violentæ plures enumerantur hic, *num.* 13. & 14.

§. IV.

An maritus teneatur uxorem adulteram non reſipiſcentem dimittere, nec eam ſibi reconciliare, niſi poſt peractam pœnitentiam, & emendationem?

Reſponſio eſt affirmativa; nam ſi vir ſciat, uxorem ſuam deliquiſſe, nec egiſſe pœnitentiam, ſed permanere in adulterio, & cum ea vixerit, reus erit & particeps peccati illius. Si vero mulier dimiſſa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum reverti, debet (id eſt, poteſt) ſed non ſæpe, recipere peccatricem, *c. Si vir.* 3. *h. t. n.* 15. Unde oriatur hæc obligatio dimittendi uxorem adulteram perſiſtentem in publico adulterio. *n.* 16. Hac obligatione dimittendi virum adulterium incorrigibilem non viciſſim tenetur uxor, *n. eod.* Si vir ignoret uxorem ſuam adulterium commiſiſſe a

non ſit particeps adulterii, etiamſi eam retineat. Si vero uxor ſæpius delinquat, adulterando cum alio, ſemper poteſt maritus ei dimittere injuriam, ſi vult, & poſt pœnitentiam eam recipere, non tamen ad id cogitur, *num.* 17.

§. V.

Quæ ſint pœnæ adulterii, tam criminales, quam Civiles?

Quæ ſint pœnæ criminales adulterii ſecundum Jus Civile, *n.* 18. Et quæ ſecundum Jus Canonicum, *num.* 19. Si vero Clericus ſe adulterium commiſiſſe in Judicio confeſſus ſit, vel de eo convictus, deponi debet ab Officio, & Clericatus Ordine, & communione fidelium ei conceſſa, in Monaſterio ad agendam ibi pœnitentiam toto vitæ ſuæ tempore collocari, *cit. num.* 19. Si vero tantum de adulterio fuerit ſuſpectus, & infamatus, tunc purgatio ſolum ei eſt indicenda, quam ſi præſtiterit, abſolvitur: deficiens vero ſuſpendi debet ab Officio, ut conſtat ex *c. Significaſti.* 5. *h. t.* Ubi habetur, quod ſi mulier publice fateatur, ſe intra Eccleſiam cum Sacerdote peccaſſe, & ei imponenda condigna pœnitentia. Sin autem Sacerdos neget crimen, debet ei ab Epiſcopo Canonica purgatio coram quinque Presbyteri indici, & ſi ſe purgare poteſt permittatur miniſtrare in Officio ſuo; ſi non poteſt, ab eo ſuſpendatur, *num.* 20. Explicatur, *num.* 21. Jure Civili ac Cæſareo licet quidem patri adulterium cum filia ſua in adulterio deprehenſam impune occidere, non tamen marito licet uxorem cum adultero deprehenſam occidere. Sed de Jure Canonico, & in foro conſcientiæ nequaquam licitum eſt, ſive patri ſive marito adulteros quoſcunque in delicto cum filia, uxore deprehenſos privata auctoritate, occidere, *num.* 22. Quæ ſint pœnæ civiles adulterii? *num.* 23.

§. VI.

An, & quando adulterium unius conjugis compenſetur cum adulterio alterius?

Quæritur 1. An mutua conjugum adulteria compenſentur invicem, quoad pœnas civiles? R. Compenſari, non ſolum quoad divortium, ſed etiam quoad amiſſionem dotis, & bonorum uxoris adulteræ, & donationis propter nuptias, ita ut neque vir adulter lucretur dotem aut alia bona adulteræ, nec uxor adultera donationem propter nuptias ſibi factam a viro, ſed mutua fiat delictorum compenſatio, *num.* 24. Et hinc ſi uxor ſeparata a viro petat ſibi reſtitui virum, vir eſt cogendus recipere mulierem, ſed ſi conſtet per evidentiam rei, vel legitimam confeſſionem mulieris, ſponte eam fuiſſe adulteratam, non eſt cogendus vir illam recipere, niſi per legitimos teſtes, qui non poſſunt a viro reprobari, conſtet, etiam virum adulterium commiſiſſe, tunc enim vir cogetur recipere uxorem, maritali affectione tractare, quia cum jus matrimonii ab utroque conjuge ſit læſum, paria delicta mutua compenſatione tolluntur, *c. Intelleximus. h. t. n.* 25. Declarantur, quæ dicta ſunt. *num.* 26. Similiter qui conjugi in adulterio deprehenſæ debitum conjugale negat, ſi deinde ipſe manifeſte adulteretur cum alia, debet uxorem affectu maritali tractare, quia paria criminali mutua compenſatione delentur, *c. Tua.* 7. *& ult. h. t. n.* 27. Sed dubium eſt, an ſi poſt latam divortii ſententiam conjux innocens adulterium committat, poſſit conjux dimiſſus, non obſtante ſententia divortii, petere, ut admittatur ad conſortium conjugis dimiſſi, adeoque etiam repetere dotem, vel donationem propter nuptias per adulterium prius amiſſam? Affirmativa ſententia probatur, *n.* 28. Sed negativa ſententia, nempe nullam actionem acquiri conjugi adultero ad repetendum innocentem, qui poſt ſententiam divortii adulteratus eſt, vel dotem aut donationem propter nuptias, ac proinde illa delicta mutua non compenſari, eſt etiam valde probabilis, quæ probatur, *n.* 29. Illud in in hac re certum eſt, quod ſi poſt ſententiam divortii propter adulterium conjugis, alter quoque conjux adulterium committat, Judex Eccleſiaſticus ex Officio ſuo reſtaurare matrimonium debet, & eos inter ſe conciliare, ut iterum cohabitent, quia compenſantur inter ſe adulteria, ut fornicationis periculo conſulatur, *cit. n.* 29. Eſt autem compenſationi unius adulterii cum altero locus, primo, etiam ſi non eodem tempore, ſed unus conjugum prius, alter poſterius in adulterium lapſus ſit. Secundo, etiamſi unus unicum tantum adulterium commiſerit, alter vero plura, *num.* 30. Tertio, etiam datur compenſatio adulterii inter conjuges cum ſodomia, vel beſtialitate commiſſa ab altero conjuge, *n.* 31. Quando non admittatur compenſatio adulterii cum adulterio inter conjuges, *n.* 33. Quær. 2. An adulteria conjugum compenſentur quoad pœnam criminalem, ſeu legalem, & publicam? R. Non compenſari, neque in foro conſcientiæ, *n.* 33.

§. VII.

De aliis cauſis excuſantibus ab adulterio.

Præter mutuam compenſationem delictorum, ſunt & aliæ cauſæ, ob quas ceſſant pœnæ adulterii privatæ, ſeu civiles, vel etiam publicæ, & criminales, quæ enumerantur, *n.* 34. Denique non excuſatur a pœna adulterii conjux, qui propter neceſſitatem extremam famis, vel paupertatem adulterium commiſit, *n.* 35.

SECTIO II.

De Stupro, ejuſque pœnis.

§. I.

Quid ſit ſtuprum ſtricte, & ſpecifice ſumptum, & quotuplex, ſive quot modis committatur?

Aſſertio 1. Stuprum proprie ac ſtricte dictum eſt illicita virginum defloratio, non præcedente pactione conjugali, ſive illicitus concubitus, quo virginalis integritas corrumpitur, *nu.* 36. Aſſertio 2. Stuprum proprie acceptum, aliud eſt violentum, quo per vim virgini adimitur virginitas corporis: aliud eſt non violentum, quod volenti, & conſentienti infertur, idque vel plene libere, vel quia per dolum inducta, aut per metum compulſa conſentit. Stuprum illatum virgini per violentiam, vel etiam per fraudem aut metum injuſte incuſſum continet malitiam ſpecie diſtinctam a ſimplici fornicatione, nempe injuriam illatam per vim, fraudem vel metum: non autem ſtuprum illatum, ſine violentia, fraude, vel metu, adeoque plene voluntarium ac ſpontaneum, *num.* 37.

§. II.

Quæ ſint pœnæ ſtupri decretæ tum Jure Civili, tum Canonico?

Quæ ſit pœna Juris Civilis decreta in eum, qui ſine vi ſtupravit virginem, vel etiam viduam honeſte viventem? *n.* 38. De Jure Canonico ſtuprator tenetur virginem ſtupratam dotare, vel in uxorem ducere, & ſi pater virginis nolit eam dare, dabit ei pecuniam, juxta modum dotis, quam virgines accipere conſueverunt *c.* 1. *h. t. num.* 39. Præterea qui virginem decipiens ſtupravit, debet eam in uxorem ducere: ſi autem nolit, dotabit illam, & corporaliter caſtigatus, & excommunicatus, id eſt, privatus Sacramentorum communione, ſeu perceptione in Monaſterium detrudatur in quo agat pœnitentiam, nec inde egrediatur, ſine licentia ſui Superioris, *c.* 2. *h. t. num.* 40. declaratur *num.* 41. 41. Si ſtuprator virginis ſit Clericus, ab Officio eſt deponendus: ſed hodie eſt pœna arbitraria: ſi vero vi corrumpat virginem, ultra depoſitionem in arctum Monaſterium, vel carcerem eſt detrudendus, *num.* 43.

§. III.

Ad quid præterea ſtuprator virginis in variis caſibus obligetur, ob ſtuprum illatum, vel non?

Aſſertio 3. Qui virginem per vim, fraudem, vel metum injuſte incuſſum violavit, tenetur illam, vel ducere in uxorem, ſi & ipſa velit, vel omnia damna inde illi illata reſarcire, *num.* 4. Aſſertio 2. Si is, qui per vim, vel alias injuſte puellam violavit, offerat ſe ad ſatisfaciendum pro injuria illata, augendo dotem: fœmina vero illam ſatisfactionem acceptare nolit, ſed petat, ut illam ducat in uxorem, injuſtus ſtuprator non tenetur determinate ad illam ducendam, ſaltem ante condemnationem Judicis, *num.* 45. Aſſertio 3. Si puella vi, per fraudem violata fuit, non tenetur nubere corruptori, etiamſi ipſe matrimonium offerat in ſatisfactionem, ſed poteſt petere augmentum dotis, ut poſſit alteri æque bene nubere, *num.* 46. Aſſertio 4. Si virgo vi, vel fraude violata fuit, ſed poſtea æque commodum matrimonium iniit, ac ſi corrupta non fuiſſet, nec ob eam cauſam aliud detrimentum paſſa eſt, quia ſtuprum occultum manſit, etiam viro, cui nupſit, non tenetur deflorator virginis ad ullam ſatisfactionem ei faciendam, *num.* 47. Aſſertio 5. Si quis per vim, vel fraudem cognovit ab alio jam corruptam, quæ tamen vulgo habebatur virgo, tenetur illi ſatisfacere, arbitrio viri prudentis, ſi inde infamia ſit ſecuta. Item etſi virgo libere conſenſit in ſtuprum, ſine vi, fraude, vel metu: ſi tamen ſtuprator flagitium detexit eamque infamavit tenetur ad reparandum ejus honorem, *num.* 48. Aſſertio 6. Si virgo libere, ſine, vi fraude, vel metu injuſte incuſſo, conſenſit ſtuprum, ſe ſponte ad id offerendo, non tenetur deflorator illam ducere, nec dotare, vel aliquid aliud præſtare, *num.* 49. Aſſertio 7. Sed neque ſtuprator tenetur ducere puellam ſtupratam, vel dotare, nec alias pœnas incurrit, etiamſi illam ſuaſionibus, blanditiis, vel precibus eam importunis, vel muneribus induxerit ad conſenſum in ſtuprum, ſine alia tamen vi, fraude vel minis. Aliud eſt, ſi precibus Principis, Domini, vel Superioris puella inducta fuiſſet ad conſenſum, *num.* 50. Contraria tamen ſententia eſt etiam probabilis, & miſeris puellis favorabilis, *n. eod.* Aſſ. 8. Etſi virgo ſub patria poteſtate ſit conſtituta, & libere conſentiat in ſtuprum, non tamen ſtuprator tenetur ideo reſtituere aliquid parentibus illius; quamvis parens ea de cauſa augeat dotem, ut poſſit filiam in æque bono matrimonio collocare, *n.* 51 Aſſertio 9. Poteſt fœmina, quæ per vim, metum, vel fraudem in ſtuprum conſenſit, etſi in patris poteſtate adhuc ſit conſtituta, remittere obligationem ſatisfaciendi ſtupratori, ita ut ad nihil etiam patri ſolvendum teneatur, ſaltem in conſcientia, & ante condemnationem Judicis, *n.* 52. Aſſ. 10. Si conſtet virginem voluntarie eſſe defloratam a Clerico, is in utroque foro, conſcientiæ, & externo, liber eſt a præſtatione dotis, *n.* 53.

§. IV.

Ad quid obligetur, qui ſtupravit virginem, ſub ſpe ac promiſſione matrimonii?

Aſſertio I. Qui defloravit virginem, vere & ſincere ei promittendo matrimonium, ſi conſenſerit in copulam, tenetur ſtare promiſſis, & ducere defloratam, ſive fuerit virgo, ſive honeſta vidua, *n.* 54. Etſi vero is, qui virginem, vel viduam corripuit, ſub promiſſione matrimonii, fuerit prius ſimplici voto Religionis, vel caſtitatis obſtrictus, adhuc tenetur eam ducere, & multo magis, ſi votum Religionis, vel caſtitatis ſit emiſſum poſt promiſſum matrimonium, ſub conditione ſecutæ copulæ, *n. eod.* Excipitur, ſi fœmina ſcivit defloratorem eſſe voto caſtitatis, vel Religionis obſtrictum, *n.* 55. Aſſertio 2. Qui virginem defloravit, promittendo ei matrimonium, ſi in ſtuprum conſenſerit, ſed ficte debet illam ducere in uxorem, ſi ipſa velit, nec ſufficit, ſi pecunia vellet ſatisfacere pro damno per ſtuprum illato,

num.

Digitized by Google

num. 56. Quibus caſibus etiam is, qui ficte promiſit virgini matrimonium, ſi in ſtuprum conſenſerit, non tenetur eam ducere in uxorem? *num.* 57. & 2. *ſeqq.*

§. V.

An ſtuprum ſit crimen mixti fori, & quomodo ſit probandum?

Aſſertio 1. Si ſtuprum commiſſum ſit a Clerico, de eo cognoſcit Judex Eccleſiaſticus: ſi vero a laico Judex ſecularis, *numer.* 60. Aſſertio 2. Virgo ſtuprata in foro externo præſumitur fuiſſe virgo, quæ tum communiter habita fuit pro virgine, ideoque ſi ſtuprator alleget contrarium, dicendo illam non fuiſſe virginem, cum carnaliter eam cognovit, id probare debet. Item in foro externo virgo deflorata ſemper præſumitur ſeducta, ſive occaſionibus, aut importunis precibus inducta ad ſtuprum, niſi contrarium a ſtupratore probetur, *numer.* 61. Et hinc ſi mulier ſtuprata aſſerat, ſe fuiſſe virginem tempore ſtupri, idque juramento confirmet, creditur ei affirmanti, & *non* ſtupratori, id neganti, niſi probet, *numer.* 62. Aliud eſt, ſi mulier aſſerat, ſe eſſe corruptam, vel impraegnatam a Titio, is vero id neget, tunc enim *non* eſt ſtandum ejus aſſertioni etiam juratæ, ſi alias probationes non afferat, *numer.* 63. Poteſt autem ſtuprum, ſicut & ſimplex fornicatio, iiſdem ferme modis probari, quibus adulterium, *citat. numer.* 63. *in fin.*

SECTIO. III.

De aliis delictis, eorumque pœnis.

§. I.

De crimine inceſtus, & ſacrilegii.

Quær. 1. Quid ſit inceſtus, & quot modis committatur? R. inceſtus eſt concubitus cum perſona conſanguinea, vel affini in gradu prohibito, & committitur inter perſonas, quæ Jure Divino, vel humano prohibentur inter ſe matrimonium contrahere: Jure Divino inter aſcendentes, & deſcendentes per lineam rectam patrem & filiam &c. Jure humano inter cognatos, & affines in linea collaterali, uſque ad quartum gradum incluſive, excepto primo gradu, inter fratrem, & ſororem, *n.* 64. Quær. 2. Quæ ſit pœna inceſtus de Jure Civili, ac de Jure Canonico? R. primo, pœnæ Juris Civilis enumerantur, *n.* 65. Sunt tamen plures caſus, in quibus illæ pœnæ non incurruntur, *n. eod.* De Jure Canonico, ſi Clericus inceſtum committat perpetuo eſt deponendus ab Ordine ac Officio, & beneficio: ſi vero Laicus ſcienter crimen inceſtus ſub ſpecie, & colore matrimonii ſit commiſſum, ut ſi quis ſcienter contrahat matrimonium in gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis Jure Canonico prohibitis, excommunicationem ipſo jure incurrunt, *n.* 66. Ad inceſtum revocatur ſtuprum ſive fornicatio commiſſa inter eos, qui ſola cognatione legali, ſeu civili per arrogationem, ſeu adoptionem ſunt conjuncti, qui tamen proprie non inceſtus, & punitur pœna ſolum arbitraria, *n.* 67. Ad inceſtum revocatur etiam ſtuprum, vel fornicatio commiſſa inter conjunctos cognatione ſpirituali, ratione Sacramenti Baptiſmi, & Confirmationis, qui tamen non eſt proprie dictus inceſtus, & punitur ſolum pœna arbitraria, Sacerdos vero, qui carnaliter cognovit filiam ſpiritualem e baptiſmo ſuſceptam, vel quam tenuit in Confirmatione, vel illius matrem, eſt ſuſpendendus ab Officio, *cit. n.* 67. Qu. 3. Quid ſit, & quomodo committatur crimen ſacrilegii? R. Sacrilegium eſt ſacrilegus concubitus, ſive illicita fornicatio cum perſona Deo dicata per votum Religionis, vel Ordinis: etſi fornicatio Clerici regularis, vel etiam ſecularis in Sacris conſtituti cum ſoluta ſit ſacrilegium, in foro tamen externo non cenſetur, nec ponitur ut ſacrilegium, ſed ut ſimplex fornicatio tantum. Si vero committatur ſacrilegium cum Moniali, ſi laicus eſt, excommunicatur: ſi Clericus, non ſolum beneficiis privatur, ſed etiam deponitur ab Ordine, & in Monaſterium perpetuo detruditur: Monialis vero in ſtrictius Monaſterium Virginum detruditur, *n.* 68.

§. II.

De Crimine ſodomiæ, & pœnis illius.

Sodomia eſt nefandum crimen contra naturam, per quod maſculus cum maſculo coit, vel etiam fœmina cum fœmina: eſt autem crimen mixti fori, de quo etiam Judex Eccleſiaſticus cognoſcere poteſt. Poteſt hoc crimen committi etiam a maſculo cum fœmina cognoſcente illam *in* vaſe præpoſtero: probabilius tamen eſt, non eſſe puniendum pœna ordinaria, quia non eſt ſodomia ſtricto ſumpta, *n.* 69. Quæ ſint pœnæ proprie dictæ ſodomiæ de Jure Civili, *num.* 70. Et quæ Jure Canonico; *n.* 71. Hodie omnes Clerici ſeculares, & regulares ſodomitæ degradandi ſunt, & Poteſtati ſeculari tradendi, *n.* 72. Et quæ requirantur ad hanc pœnam degradationis incurrendam? *nu. eod.* Huc quoque ſpectat crimen beſtialitatis, quando quis carnaliter commiſcetur cum bruto animali, quod etiam morte punitur, *n.* 73.

§. III.

De ſimplici fornicatione, & concubinatu, utriuſque pœnis.

Quær. 1. Quid, & quotuplex ſit fornicatio, & quo jure ſit prohibita, & quæ ſit ejus pœna? R. primo, fornicatio, vel accipitur late, & generaliter pro quovis illicito concubitu, extra matrimonium: vel ſpecialiter, & ſtricte pro concubitu ſoluti cum ſoluta, eaque dicitur ſimplex fornicatio: ſoluti autem hic dicuntur, qui liberi ſunt ab omni vinculo, ſcilicet conjugii, conſanguinitatis, vel affinitatis, Sacris Ordinis, Religionis, aut voti, adeoque inter quos matrimonium licite contrahi poteſt. Eſt autem fornicatio etiam ſimplex graviter prohibita, non ſolum Jure Canonico: ſed etiam Jure Divino poſitivo, & naturali: quamvis Jure Civili non ſit prohibita, nec ulla pœna ei impoſita, *numer.* 74. R. ſecundo, pœna ſimplicis fornicationis a laico commiſſæ de Jure canonico eſt arbitraria: Clericus vero in Sacris conſtitutus, vel puniendus eſt, arbitrio Judicis, vel potius pœna ſuſpenſionis ab officio, vel etiam perpetua depoſitione ab officio, & beneficio, ſi ſit Clericus valde ſcandaloſus, vel incorrigibilis, *n.* 75. Qu. 2. quid ſit concubinatus, & qui ſint concubinarii: R. de Jure Canonico concubinarius proprie dicitur, qui ſolutam, & corruptam mulierem, nulloque ſibi ſpiritualis, vel carnalis cognationis vinculo conjunctam domi retinet, vel etiam extra illam, in aliena domo, cum qua conſuevit carnaliter commiſceri: eſtque Jure Divino, & Canonico prohibitus, & abrogatus, *num.* 76. Qu. 3. quæ pœnæ Jure Canonico ſint ſtatutæ in concubinarios, ſive Clericos, ſive laicos, ſecundum antiquos Canones, *num.* 77. De pœnis vero Clericorum concubinariorum ſecundum poſterius Jus Decretalium, & Concil. Trident. alibi actum eſt. Quod ſtatutum ſit a Concil. Trident. circa concubinarios laicos? 78. Si Chriſtianus carnaliter cognoſcat fœminam ſolutam Judæam, vel vice verſa Judæus Chriſtianam, non eſt peccatum ſpecie diſtinctum a ſimplici fornicatione: eſt tamen gravius delictum propter injuriam, quæ infertur Chriſtianæ Religioni, ideoque etiam gravius punitur, non tamen pœna mortis, *num.* 79.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 39. & *duabus ſeqq.*	*c.* 4. *n.* 22.
c. 2. *n.* 40. & *ſeq.*	*c.* 5. *c.* 20. & *ſeq.*
c. 3. *n.* 14. & *duobus. ſeqq.*	*c.* 6. *n.* 25. & *ſeq.*
	c. 7. & *ult. n.* 27.

TITULUS XVII.

De Raptoribus, & Incendiariis, & violatoribus Eccleſiarum.

SECTIO I.

De raptu, & raptoribus, tum perſonarum, ſeu corporum, tum aliorum rerum, ſeu bonorum.

§. I.

De raptu, & raptoribus Virginum, & aliarum mulierum, earumque pœnis.

Quær. 1. Quid ſit raptus mulierum, & quomodo ſtupro diſtinguatur: Reſp. raptus proprie committitur, quando virgo, vel etiam alia mulier ingenua, ſeu libera, & honeſta, libidinis cauſa per vim abducitur, ſive illatam mulieri abductæ, ſive ejus parentibus, vel aliis, in quorum poteſtate, vel cura eſt conſtituta: vel etiam ſi quis rapiat fœminam, animo contrahendi cum illa matrimonium, *nu.* 1. In quibus raptus a ſtupro proprie, & ſtricte dicto differat? *nu. eod.* Qu. 2. Quæ pœnæ Jure Civili ſtatutæ ſint in raptores virginum, & aliarum mulierum? R. eæ referuntur, *nu.* 2. Qu. 3. Quæ pœnæ Jure Canonico decretæ ſint in raptores mulierum, eæ enumerantur? *n.* 3.

§. II.

Quæ conditiones requirantur, ut raptores incurrant pœnas Jure Communi Civili, vel Canonico in eos ſtatutas?

Quatuor requiruntur conditiones. Prima eſt, ut raptus fiat, cum violentia illata, vel ipſi fœminæ raptæ, vel ejus parentibus, aut Tutoribus, in quorum eſt poteſtate, aut cura. Hinc infertur primo, non committi raptum, ſi puella ſui juris, & ſub nullius poteſtate conſtituta, ſine vi, & volens abducatur. Secundo vero committi raptum, ſi fœmina tantum diſſentiat, nolitque educi e domo parentum etſi parentes ejus conſentiant. Tertio, ſi puella ab initio conſenſit in ſui raptum, ſeu abductionem, ſed poſtea invita carnaliter ſit cognita, non committitur raptus, ſed eſt ſtuprum violentum. Si vero fœmina ab initio invita abducta eſt, ſed poſtea libere conſenſit in copulam, cenſendus eſt raptus, quia initium ſpectandum eſt, in quo violentia adfuit, *n.* 4. Quarto, ſi fœmina ſui juri ſolis precibus importunis, aut metu reverentiali, ſine omni dolo, ac fraude abducta ſit, non cenſetur raptus, qui pœna ordinaria puniri poſſit: ſecus eſt, ſi fraudibus circumventa abducatur. Quinto, ſi puella ſub parentum poteſtate conſtituta ex eorum domo, ipſis invitis, abducatur, etſi ipſa conſentiat, vere committitur raptus, quia gravis injuria infertur parentibus, quamvis hoc caſu non ſit infligenda pœna ordinaria raptus, ſed alia mitior. Sed etſi puella conſentiens abducta ſit, parentibus ejus ignorantibus, committitur raptus, quia ſine conſenſu eorum eſt abducta. Idemque eſt, ſi ſine conſenſu, & voluntate Tutorum ſit abducta, *nu.* 5. Quod autem dictum eſt, eſſe raptum, ſi puella volens abducatur e domo parentum, ipſis invitis, vel etiam ignorantibus, quamvis mitius puniatur, id limitari debet, niſi tractatus de matrimonio ineundo præceſſerit, *n.* 6. Nam ſi vir volens contrahere matrimonium cum puella, ipſam rapiat, ea conſentiente, ſed invitis parentibus, & poſtea matri-

Digitized by Google

matrimonium cum illa contrahat, illud tenet, & ſi fuerit conſummatum non poteſt illa profeſſionem emittere in Religione, ſine conſenſu viri: poteſt autem conſtare matrimonium contractum fuiſſe, per probationes viri, vel confeſſionem mulieris, *c. pen. h. t. cit. n.* 6. Ut raptus mulieris, invitis parentibus factus, non ſit obnoxius pœnis, dum requiruntur, nempe ut puella in abductionem ſui conſenſerit, & ut ſponſalia ſaltem de futuro præceſſerint, quamvis non requiratur ut matrimonium ſit actum ſecutum, *n.* 7. Cur de Jure Canonico non cenſeatur committi raptus, nec puniatur, ſi puella volens abducta ſit, etſi reclamantibus parentibus? *cit. num.* 7. Uxor Religionem profeſſa ſine viri licentia, ei ipſam repetenti reſtituenda eſt, ſi in judicio fateatur, ante ingreſſum in Religionem contractum fuiſſe matrimonium, *cit. c. c. pen. h. t. n.* 9. Si quis puellam, cum qua contraxit matrimonium per verba de præſenti, per vim rapiat ad conſummandum cum ea matrimonium, ante duos menſes jure ſibi conceſſos ad deliberandum de ingreſſu Religionis, vere raptor eſt, & ut talis punitur, *cit. num.* 8. Secunda conditio requiſita ad incurrendas pœnas raptus eſt, ut fiat cauſa libidinis exercendæ, alioquin ſi ea quacunque alia cauſa fiat, non eſt raptus, qui proprie eſt ſpecies luxuriæ. Imo etiam ſolus conatus ad rapiendum puniri debet, etſi effectus ſecutus non ſit, quia rapiens non potuit perficere, non autem pœna ordinaria, ſed arbitraria, *num.* 9. Tertia conditio eſt, ut mulier traducatur de loco ad locum, & ideo ſi quis per vim extorqueat copulam a virgine, vidua, vel conjugata, non traducendo illam ab uno loco ad alium, non poteſt puniri pœna raptus, ſed ſtupri violenti, vel adulterii, quia non eſt raptus ſed ſtuprum. Debet autem fœmina deduci de una domo in aliam, ſeu loco in alium, animo illam abducendi a loco, in quo habitabat, *n.* 10. Hæc autem violenta abductio de loco ad locum, non requiritur in foro conſcientiæ, ſed ſufficit, ſi ei vis inferatur ad extorquendam copulam, *n. eod.* Quarta conditio eſt, ut mulier rapta ſit honeſtæ vitæ: nam qui rapit publicam meretricem, non incurrit pœnas raptus ordinarias, & in foro conſcientiæ, etiamſi publica meretrix violenter abducatur. Quando ſi fœmina etiam meretrix violenter abducatur, cenſeatur eſſe raptus, & non ſimplex fornicatio, *n.* 11. An vice verſa etiam fœmina rapiens virum, vel aliam fœminam, libidinis cauſa, incurrat pœnas raptus? Reſp. probabilius eſt, non incurrere, quamvis coram Deo, & in foro conſcientiæ uterque raptus contineat malitiam ſpecie diſtinctam a ſimplici fornicatione, *n.* 12. Et habent pœnæ raptus locum, non ſolum in viris rapientibus fœminas, ſed etiam mares & pueros, libidinis cauſa. Item in eo, qui virginem impuberem, & necdum viro petentem per vim rapuit, & corrupit, *num.* 13.

§. III.

De matrimonio contracto inter raptorem, & raptam.

Quær. 1. An matrimonium inter raptorem, & raptam contractum ſit ipſo jure irritum, vel ſaltem prohibitum, & illicitum? Reſp. de Jure Civili eſt etiam invalidum. At de Jure antiquo Decretalium rapta cum raptore poteſt licite, & valide inire matrimonium, etiamſi prius diſſenſerit, ſi poſtea libere conſenſerit, dummodo ſint perſonæ legitimæ, ſive alias habiles ad matrimonium inter ſe contrahendum, *c. ult. h. t. n.* 14. etiamſi rapta non ſit adhuc conſtituta extra poteſtatem raptoris, *n.* 15. etſi raptus alienæ ſponſæ Jure antiquo Canonico non ſit impedimentum dirimens matrimonium: impedit tamen etiam hodie contrahendum, ita ut raptor nec cum rapta, nec cum alia quacunque inire poſſit matrimonium, ſicut nec ſponſa rapta. Id vero intelligendum eſt ſolum, ſi quis alienam ſponſam de præſenti rapiat, ſive illa ſit virgo, ſive corrupta: & ſive matrimonium fuerit conſummatum, ſive ratum tantum: non autem ſi rapiatur ſponſa de futuro, *n.* 16. Qu. 2. An rapta nubens raptori amittat bona raptoris, quæ alias ipſi raptæ, ſecundum LL. Civiles acquiruntur? Reſp. probabilius eſt, mulierem bona raptoris, ob matrimonium cum eo initum, ſecundum Jus Canonicum, non amittere, ſed lucrari, *n.* 17.

§. IV.

Quid Jure novo Concilii Tridentini ſtatutum ſit circa matrimonium inter raptorem & raptam, & quæ pœnæ ad illum raptum ſint decretæ?

De hoc extat Decretum Concilii Tridentini, quod refertur, *n.* 18. Matrimonium contractum inter raptorem, & raptam, quamdiu hæc ſub poteſtate raptoris manet, nec ab illo ſeparata eſt, & in libero, ac tuto loco conſtituta, eſt omnino irritum, *num.* 19. Excommunicatio, quam incurrunt raptores, & conſilium, auxilium, vel favorem eis præbentes, eſt latæ ſententiæ, non tamen ejus abſolutio eſt reſervata Papæ: reliquæ vero pœnæ a Concilio inflictæ raptoribus non incurruntur, niſi poſt ſententiam Judicis, nempe perpetua infamia, & inhabilitas ad omnes dignitates, item pœna depoſitionis a ſtatu Clericali, & pœna dotationis raptæ, *n.* 20. Raptor incurrit etiam irregularitatem, ante ſententiam Judicis *n.* 21. Is qui rapuit per vim fœminam, non animo contrahendi cum illa matrimonium ſed ſolius libidinis cauſa, vel ex alia, non incidit in pœnas raptus a Concilio ſtatutas, *n.* 22. Hinc colligitur primo, nomine raptoris hic non tantum is, qui per ſeipſum rapit, ſed etiam cujus nomine, vel mandato, vel ad cujus petitionem raptus fit, comprehenditur, ita ut matrimonium a tali initum ſit invalidum: non autem in pœnas ordinarias raptus incidit, qui fœminam rapit, ut alius cum ea matrimonium ineat, *n.* 23. Secundo ſub nomine raptus comprehenditur hic raptus cujuſcunque fœminæ, ſive virgo ſit, ſive corrupta, ſive etiam meretrix, & inhoneſta, modo rapiat cauſa ineundi cum illa matrimonium. Tertio, incurruntur pœnæ raptus, ſive ſecuta ſit copula cum rapta, ſive non. Quarto, ſi mulier violenter ſit rapta, etſi non ſit perducta ad locum deſtinatum, *n.* 24. In quibus caſibus non habeant locum dictæ pœnæ Concilii Trident. *n.* 25. & *tribus ſeqq.* Sicut autem matrimonium, ita et ſponſalia inter raptorem, & raptam, quamdiu hæc ſub poteſtate raptoris manet, valide contrahi non poſſunt. Denique accuſatio criminis raptus non finitur quinquennio, ſicut adulterium, vel alia delicta enormia, *n.* 29.

§. V.

De rapina, & raptoribus rerum, ſeu bonorum, eorumque pœnis Jure Civili ſtatutis.

Quær. 1. Quid ſit rapina, & quis dicatur raptor? R. rapina proprie ſumpta, prout eſt crimen vicinum furto, eſt injuſta rei alienæ mobilis, vel ſe moventis per vim ablatio, & quomodo raptor a prædone, ſive publico latrone differat, *n.* 30. Item quomodo rapina differat a furto, *n.* 31. Quær. 2. Quæ pœnæ ſtatutæ ſint Jure Civili in raptores rerum, ſeu bonorum, ex enumerantur, *n.* 32.

§. VI.

Quomodo puniantur raptores bonorum ſecundum Jus Canonicum?

Inprimis rapientes, vel deprædantes in aliena Diœceſi ſunt excommunicandi ab Epiſcopis, ſeu Prælatis illius loci, nec exire poſſunt e Parochia, ubi rapinas exercuerunt, donec plane ſatisfaciant, & ſignificandum eſt proprio Epiſcopo, eos excommunicatos eſſe, ne illos recipiat, donec reſtituant rapta in loco, ubi rapuerunt, *c. 2. h. t. num.* 33. Ratione delicti commiſſi in alieno territorio, ſubjicitur quis Judici loci, in quo deliquit, etiam quoad pœnas ſpirituales, quibus ligatur anima, ita ut ab ipſo excommunicari poſſit: idque procedit in foro externo, non autem in foro interno pœnitentiæ, in quo reus abſolvi debet a proprio Parocho, *numer.* 34. Præterea pœnitentia non eſt concedenda ei, qui violenter rapuit, vel deprehendatur manifeſte Eccleſiam violaſſe, niſi prius ablata reſtituat, ſi poteſt: & ſi non poteſt, niſi plenam ſecuritatem emendandi, ſeu ſatisfaciendi præſtiterit: tunc enim poteſt admitti ad pœnitentiam, & ſi moriatur, concedi ei ſepultura, alias ſecus. Quod ſi Presbyteri, vel Clerici præſumpſerint prædictis concedere pœnitentiam, ſive in vita, ſive in morte, vel intereſſe eorum ſepulturæ, vel acceptare eorum eleemoſynas, vel participare de rapinis eorum, deponendi ſunt ab officio, quamvis contritis non ſit denegandum Viaticum, *c. 2. h. t. n.* 35. Declaratur, *nu.* 36. Hoc ſpecialiter ſtatutum eſt in odium rapinæ, ut quamvis reum, qui rapuit, in mortis articulo pœniteat, ſi tamen non ſatisfaciat, etſi non poſſit, adhuc puniatur, *n.* 37. Clerici raptores, vel participantes in rapina, vel ſi contra ipſa prohibita fecerint, deponi debent ab Ordine, & privari etiam beneficio, *cit. numer.* 37. Denique præſumentes rapere, vel ſpoliare rebus, Chriſtianos navigantes excommunicati debent. Illi etiam, qui naufragos ſpoliant bonis ſuis, niſi ablata reſtituerint, ipſo jure, ſeu facto ſunt excommunicati, *c. 3. h. t. n.* 38. & 39. Ab hac excommunicatione poteſt Epiſcopus abſolvere, *cit. n.* 39. Præterea in Bulla Cœnæ Domini excommunicantur omnes piratæ maritimi, & præcipue diſcurrentes per mare Eccleſiæ Romanæ, & eorum fautores, receptores, & defenſores, *n.* 40. Quinam præterea prædictam excommunicationem incurrant, vel non *cit. n.* 40. Alia excommunicatio habetur in eadem Bulla Cœnæ Domini, de qua *nu.* 41. quinam hanc poſteriorem excommunicationem non incurrant, *n.* 42.

§. VII.

De poteſtate, quam habent Prælati Eccleſiaſtici judicandi de raptu, & aliis criminibus, eaque puniendi.

Epiſcopi, aliique Prælati Eccleſiaſtici poſſunt ex delegatione Principis, qui Superiorem in temporalibus non habet, de raptu, & aliis criminibus judicare, eoſque punire in pecuniis, & etiam flagellis afficere, ita tamen ut in vindictam ſanguinis non tranſeant. Quod ſi vero crimen tam grave ſit, ut mereatur pœnam mortis, vel mutilationis, relinqui debet, puniendum Regi, aut alii Principi ſupremo, *c. 4. h. t. n.* 43. Prælati Eccleſiaſtici, & alii Clerici poſſunt in cauſis laicorum etiam criminalibus, in quibus pœna ſanguinis non infligitur, eſſe judices delegati, *num.* 44. Poteſt Judex Eccleſiaſticus ob delicta infligere pœnam etiam corporalem, nempe carceris, flagellorum, verberum, imo & pœnam ſanguinis, modo non ſit crudelis, & gravis vel ex qua timeatur periculum mortis, vel mutilationis. Poteſt quoque judex etiam delegatus, pœnam capitalem commutare in pœnam pecuniariam, vel aliam temporalem, aut corporalem, *n.* 45. An Epiſcopi poſſint punire laicos in eorum Diœceſi exiſtentes propter crimen, etiam jure proprio, & ex vi ſpiritualis, ſeu Eccleſiaſticæ juriſdictionis ſuæ, & non tantum vi delegatæ a Principe, *n.* 46. Quando cauſa delegata, civilis, vel criminalis non poteſt expediri a judice delegato, ea remittenda eſt ad delegantem, *cit. n.* 46.

SE

Digitized by Google

SECTIO II.

De Incendiariis, & violatoribus Eccleſiarum, quæ eſt altera pars Rubricæ hujus Tituli.

§. I.

De Incendiariis, eorumque pœnis.

Quær. 1. Quis ſit, & dicatur Incendiarius? Reſp. Is, qui ſcienter, & ſtudio, ſive dolo domum, vel prædium, ſive ruſticum, ſive urbanum, vel aliam rem alienam incendit; vel ad hoc mandatum, auxilium, vel conſilium dedit, n. 47. Quær. 2. Qua pœna ſit afficiendus incendiarius, ſecundum LL. Civiles? Reſp. De his agitur, n. 48. Et quæ ſit pœnæ Incendiariorum de Jure Canonico? Reſp. omnes incendiarii Eccleſiarum, vel locorum Religioſorum, ſeu piorum, imo & cœmeteriorum, & locorum, quæ contigua ſunt intra 30. paſſus, ſunt ipſo jure excommunicati. Incendiarii vero aliorum ædificiorum profanorum, & mandantes, auxilium, vel conſilium dantes ſunt excommunicandi, & tenentur ad omne damnum reſarciendum, n. 49. Clericis Incendiariis nulla pœna eſt ſtatuta Jure Canonico, ideoque arbitrio Judicis ſunt puniendi, num. 50. Alia Canonica pœna imponitur Incendiarii, nempe privatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, niſi incendiarius in morte pœnitens, & abſolutus obeat, tunc enim in loco ſacro ſepeliri poteſt, & hæredes ejus debent pro damnis illatis plene ſatisfacere ex bonis relictis, c. 5. h. t. n. 51. declaratur nu. 52. An, & qua ratione hæredes debitoris teneantur exonerare conſcientiam defuncti, & ſolvere debita, ut hic liberetur a pœnis purgatorii, n. 53.

§. II.

De violatoribus Eccleſiarum, & eorum pœnis.

Quinam ſint, & dicantur violatores Eccleſiarum, & qua pœna ſint afficiendi? Reſp. Violatores hic proprie dicuntur, qui Eccleſias, vel alia loca religioſa, & pia violenter effringunt, & ſpoliant, in quos decreta eſt pœna excommunicationis, quam ipſo jure incurrunt. Alii vero ſacrilegi violatores Eccleſiarum, citra effractionem, ut ſi quis furetur calicem ex Eccleſia, ſine violenta confractione, non incurrunt ipſo facto excommunicationem, ſed ſunt excommunicandi per ſententiam, n. 54. Non tantum autem violenti raptores rerum, ſed etiam Eccleſiarum violatores, ſi manifeſte fuerint deprehenſi, non debent admitti ad pœnitentiam, niſi prius damna reſarciant, vel de iis reparandis caveant, c. 2. h. t. n. 55.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.	c. 4. n. 43. & tribus ſeqq.
c. 2. n. 33. & ſeqq.	c. 5. n. 51. & duobus ſeqq.
c. 2. n. 35. & duobus ſeqq. & num. 55.	c. 6. n. 6. & 7.
c. 3. n. 38. & ſeq.	c. 7. & ultim. numer. 14. 15. & 17.

TITULUS XVIII.

De Furtis.

§. I.

Quid ſit furtum, & quotuplex?

Aſſertio 1. *Furtum eſt contrectatio fraudoloſa, lucri faciendi gratia, vel ipſius rei, vel etiam uſus ejus, poſſeſſionisve.* Clarius vero, & brevius definitur furtum: *eſt occulta acceptio rei alienæ invito domino*, n. 1. declaratur utraque hæc definitio, num. 2. & quatuor ſeqq. Aſſertio 2. Furtum ſimplex, aliud eſt manifeſtum, aliud non manifeſtum, & quid ſit utrumque exponitur, n. 7.

§. II.

Quibus modis, & a quibus committatur furtum, vel non?

Generatim loquendo, non ſolum is, qui rem alienam aufert, ſibi acquirendi cauſa, ſed etiam qui contra voluntatem domini, contrectat, vel ea utitur, furtum committere cenſetur, ut ſi creditor re ſibi pignorata, vel is, apud quem res depoſita eſt, ea utatur, modo depoſitum ſignatum ſit, ſi ſit depoſitum quantitatis, non certæ ſpeciei, & eo utatur depoſitarius, invito domino, num. 8. Secundo, ſi commodata ad alium uſum, vel modum, quam commodata fuit, utatur, invito domino, furti tenetur. Tertio, qui rem alienam invenit jacentem in loco privato, vel in via publica, & lucri faciendi cauſa ſuſtulit, ſeu animo ſibi retinendi, furti tenetur, ſive ſciverit, cujus ſit, ſive ignoraverit, citat. num. 8. Quarto, tenetur etiam furti mandans fieri furtum, eo ſecuto, vel dans conſilium ad furtum faciendum, vel alias miniſterium ad illud, aut auxilium præſtat, modo furtum reipſa ſit ſecutum, & qui furem, vel res furtivas ſcienter receptant, eaſque occultant, num. 9. Quinto, filiusfamilias ſi res paternas ſurripiat, vere etiam furtum committit, & ſervus auferens res domini, & ſocius ſi re communi utatur, invito ſocio, num. eod. Sexto, aliquando tamen etiam rei ſuæ furtum quis committit, num. 10. Septimo, qui beneficium Eccleſiaſticum, ſine legitima inſtitutione, occupat, vel beneficia, quæ vacant ipſo jure per adeptionem aliorum, quaſi furtum committit, citat num. 10. Præterea non ſolum fur, ſed etiam furti conſcius, qui furem non indicat, reus eſt furti, ſi non indicet furem propter lucrum, quod ab eo conſequitur, c. h. t. num. 11. & 12. Denique etiam ille furti reus eſt, qui ob neceſſitatem famis, vel paupertatis alienam rem aufert: quod intelligendum eſt de neceſſitate modica, ſive non gravi: nam qui propter neceſſitatem hujuſmodi furatus fuerit cibaria, veſtem vel pecus, pœniteat hebdomadas tres, & ſi reddiderit, non cogatur jejunare: quæ tamen pœnitentia ei remittitur, ſi ſtatim reſtituat, quod accepit, c. 3. h. t. n. 13. Si quis in extrema neceſſitate conſtitutus, ob periculum mortis, vel gravis infirmitatis res alienas ſibi neceſſarias accipiat, maxime cibaria, non peccat, ſed excuſatur ab omni culpa, & pœna. Idemque dicendum de valde gravi neceſſitate, etſi extrema non ſit, num. 14. An qui in extrema neceſſitate conſtitutus abſtulit rem alienam, poſtea locupletior factus teneatur ejus reſtitutionem? Probabilius eſt, quod ſi extreme egens rem alienam ablatam conſumſit, non teneri poſtea reſtituere, etſi poſſet, n. 15. & 16. Quin imo etiam in valde gravi neceſſitate conſtitutus, ſi auferat res alienas, non tenetur illas reſtituere, etſi poſtea ditior factus ſit, n. 17.

§. III.

De pœnis furti Jure Civili ſtatutis.

Quær. 1. Quænam ſint pœnæ Civiles furti Jure communi Cæſareo ſtatutæ? R. Pœna pecuniaria furti manifeſti eſt, ut præter rem furto ablatam, ſolvatur quadruplum: furti vero non manifeſti duplum, n. 18. Cui competat actio pœnalis furti, & quænam aliæ actiones rei perſecutoriæ dentur contra furem, vel poſſeſſorem rei furto ablatæ? cit. n. 18. Quær. 2. Quænam ſint pœnæ criminales furti ſimplicis? R. Jure Civili pro furto nec pœna mortis, nec mutilationis imponi poteſt, ſed arbitraria: hodie tamen pœna capitalis ex conſuetudine imponitur propter furtum, ſi ſit magnum, vel ſæpius iteratum. Ex Conſtitutione vero Imperatoris Friderici, ſi quis quinque ſolidos, aut plus valens fuerit furatus, hoc eſt, XII. groſſos, vel unum aureum, ſuſpendatur laqueo; ſin minus, ſcopis, & forcipe excorietur. Denique Carolus V. ſtatuit, ut fures, qui ſemel deprehenſi fuerit in furto, præſertim non manifeſto, & quod quinque florenos non excedit, levius; qui bis aut ter, ſeverius, ultimoque ſupplicio puniatur, & ut plurimum laqueo ſuſpendantur, n. 19. Defenditur juſtitia Conſtitutionis Carolinæ, quod fures in furca ſuſpendere ſit licitum, n. 20. An propter unicum etiam furtum, ſi qualitate, & quantitate magnum ſit, poſſit inferri pœna mortis? n. 21. Ad imponendam pœnam mortis, ſaltem ex generali conſuetudine requiritur, ut tria, vel plura furta commiſerit, n. 22. Requiritur autem, ut tria illa furta, non continuato actu, ſed diverſis vicibus ſint commiſſa, n. 23. Non eſt ſufficiens indicium ad condemnandum aliquam de furto, quod res furtiva apud ipſum ſit reperta: fieri enim poteſt, ut quia bona fide rem furtivam emerit, vel alio titulo acquiſiverit, n. 24. Non valet ſtatutum, vel conſuetudo, ut res furtivæ fiſco adjudicentur, ſed dominis, quibus ſunt ablatæ, reſtituendæ ſunt, cit. n. 24.

§. IV.

Quomodo puniantur furta Jure Canonico?

Prima pœna Clerici furtum committentis eſt, ut ab Ordine, & Officio Clericali deponatur, & ſi contumax ſit, & incorrigibilis, excommunicetur, ac tandem ſæculari Poteſtati, tradatur, n. 25. Altera pœna eſt, quod Clericus convictus, & condemnatus de furto infamia efficitur, n. 26. Unde fur manifeſtus aut convictus in judicio de furto, non poteſt, ſine diſpenſatione, ad Ordines promoveri. At vero fur occultus, etiam ſacrilegus, poſt reſtitutionem, & pœnitentiam peractam, ad SS. Ordines promoveri poteſt, dummodo alias ſit idoneus, c. ult. h. t. n. 27. Quæ requiruntur, ut poſſit fur promoveri ad Ordines. n. 28. Surripiens rem aliquam ex Eccleſia non eſt ipſo jure, ſeu facto excommunicatus, cit. n. 28. Quæ pœna imponatur furibus, ſecundum antiquos Canones pœnitentiales, n. 29. Fures & latrones, ſi in peccato occidantur, non eſt pro eis orandum, ſed ſi in morte pœnituerint, non eſt eis neganda Communio, c. 2. h. t. n. 30. Quomodo intelligendum ſit, quod dicitur in c. 2. h. t. ut fures confiteantur Presbytero vel Diacono, cit. n. 30.

§. V.

De aliis diverſis furtorum generibus eorumque pœnis.

Quær. 1. Quid ſit ſacrilegium, & quæ pœnæ ſint ſtatutæ in fures ſacrilegos? R. 1. Sacrilegium eſt furtum rei ſacræ, idque tripliciter committitur: vel auferendo rem ſacram de loco ſacro, vel ſacram de non ſacro, vel non ſacram de ſacro, n. 31. Reſp. 2. Jure Civili pœna furti ſacrilegi eſt extraordinaria, & arbitraria, ita ut juxta furti, rei & perſonarum qualitatem, etiam ad mortem extendi poſſit, n. 32. Similiter Jure Canonico diverſæ pœnæ ſunt impoſitæ furibus, & prædonibus ſacrilegis, quæ enumerantur, cit. n. 32. Item in *Extravag. unic. h. t. inter communes* ſpecialis excommunicatio lata eſt in eos, qui furati ſunt theſaurum alicujus Eccleſiæ, nu. 33. Crimen ſacrilegii, adeoque etiam crimen furti ſacrilegi eſt crimen mixti fori, ita ut illud Judex ſecularis, & Eccleſiaſticus punire poſſit, n. 34. Quær. 2. Quid ſit plagium, & quæ ſit ejus pœna? Reſp. Plagium eſt quaſi furtum, ſi quis furetur, vel abducat hominem liberum invitum, & eum vendat tanquam ſervum, vel ſi quis eum emat, n. 35. Quæ ſit pœna plagii, traditur, n. 36. Jure Divino Legis Veteris, qui

ſerena

Digitized by Google

ſciens liberum hominem vendit, morte punitur, *c. 8. h. t.* Ubi per mortem de Jure Canonico intelligitur non mors naturalis, ſed excommunicatio, vel etiam depoſitio ab Ordine, & Officio, *num.* 37. Non ſolum autem qui ſciens vendit hominem liberum, ſed etiam qui emit, crimen plagii committit, & pœna mortis afficiendus eſt de Jure Civili, *num.* 38. Quær. 3. Quale crimen ſit peculatus, & quæ pœna illius? Reſp. Eſt furtum pecuniæ publicæ, vel rerum ad ærarium Reipubl. vel fiſcum Principis pertinentium, *num.* 39. Sub hoc crimine continetur etiam furtum pecuniæ ſacræ, & religioſæ, *num. eod.* Pœna hujus criminis hodie eſt arbitraria, *cit. num.* 39. Hoc crimen de Jure Canonico etiam committunt Clerici, qui loca Eccleſiaſtica ſibi appropriant, vel alienant, *cit. num.* 39. Quær. 4. Quale crimen ſit abigeatus, & quæ ſit ejus pœna? Reſp. Hoc crimine tenentur, qui pecora ex paſcuis, & gregibus abducunt, & deprædantur, & quæ ſit ejus pœna, *num.* 40. Et quæ pœna imponi poſſit de Jure Canonico, *num. eod.* Poſtremo inter graviora furta numeratur furtum commiſſum in incendio, vel naufragio, & quomodo puniatur, *n.* 41.

SARIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.	*c. 5. & ult. n. 27. & ſeq.*
c. 1. n. 37.	
c. 2. n. 30.	IN EXTRAVAGANTIBUS, Communibus.
c. 3. n. 13. & ſeq.	
c. 4. n. 23. & ſeq.	*Extrav. unic. nu.* 33.

TITULUS XIX.

De Uſuris.

SECTIO I.

De Uſuris in genere.

Unde dicta ſit uſura, *num.* 1.

§. I.

Quid ſit uſura, & quotuplex?

Aſſertio 1. Uſura accipitur, vel pro conventione, ſeu contractu uſurario, vel pro lucro, quod ex contractu uſurario acquiritur. Primo modo ſumpta, eſt actus voluntatis interior, vel exterior conventio dandi, vel accipiendi lucrum aliquod temporale ultra ſortem, ex vi mutui principaliter. Secundo modo ſumpta eſt lucrum immediate ex mutuo proveniens tanquam debitum, hoc eſt, incrementum, quod vi mutui intenditur, & accipitur ſupra id, quod mutuo datum eſt, *num.* 2. Uſura poteſt committi, vel per ſolum actum internum, cum quis mutuo dat Titio centum, cum intentione ac ſpe recipiendi ab eo quinque ultra ſortem, quæ eſt uſura mentalis: vel per actum externum, cum quis mutuat alicui mille, cum expreſſo pacto reddendi ultra ſortem, *nu.* 30. Nomine lucri autem hic intelligitur pecunia, vel quæcunque alia res temporalis ac pretio æſtimabilis, *nu.* 3. Unde colligitur, quando in pluribus caſibus particularibus committitur uſura, vel non? *num. eod.* Uſura proprie habet tantum locum in mutuo, & non requiritur mutuum formale, & expreſſum, ſed ſufficit etiam virtuale, & implicitum, ex quo lucrum ultra ſortem provenit, *num.* 4. Aſſertio 2. Uſura dividitur primo in mentalem, & realem. Mentalis eſt, quando quis mutuat eo animo, ut acquirat lucrum ex mutuo, ſed nullo interveniente pacto expreſſo, vel tacito de lucro. Uſura realis, eſt quando quis mutuat, cum pacto expreſſo, vel tacito accipiendi ultra ſortem lucrum ex mutuo, *num.* 5. Secundo, dividitur in expreſſam, ſeu formalem & virtualem, ſeu palliatam. Illa eſt, quando expreſſe exigitur pretium pro mutuo. Virtualis eſt, cum res venditur carius, vel vilius, ob dilatam, vel anticipatam ſolutionem. Tertio, uſuræ aliæ ſunt compenſatoriæ, aliæ punitoriæ, aliæ lucratoriæ, *cit. num.* 5.

§. II.

Quo jure uſuræ ſint prohibitæ.

Uſuræ lucratoriæ, & proprie dictæ, ſive expreſſæ, ſive implicitæ, ſunt prohibitæ Jure poſitivo Divino, & Eccleſiaſtico, imo & naturali, *num.* 6. Id etiam probatur ratione, *num.* 7. & 8. Solvuntur objectiones, & rationes, per quas probari videtur uſuras eſſe licitas, *num.* 9. & 4. *ſeqq.*

§. III.

An uſura licite poſſint exigi, & accipi, ob favorem cauſæ piæ, vel aliud opus bonum, ſaltem diſpenſative?

Non debet quis crimine uſurarum involvi, ut redimat vitam captivorum, quia uſura in utroque Teſtamento eſt prohibita, nec poteſt in ea dari diſpenſatio, & ſi prohibitum eſt mentiri pro ſalvanda vita alterius, multo magis uſuram accipere, *c. 4. h. t. num.* 14. & 15. Etſi mutuare pecuniam ſub uſuris, ſemper ſit peccatum, & illicitum, etiam ſub prætexto boni operis, & inducere aliquem ad mutuandum ſub uſuris, eſt tamen licitum petere mutuum & accipere ſub uſuris ab eo, qui ſine illis dare non vult, *cit. n.* 15. Non poteſt Imperator, vel alius Princeps ſupremus permittendo uſuras, facere licitas, ut ſine peccato exigi, vel accipi poſſint, ſed ſolum permittere non puniendo. Imo nec S. Pontifex poteſt diſpenſando licitas facere uſuras, *num.* 16. Hinc graviter etiam peccant Principes Chriſtiani, & Poteſtates publicæ, ſi ſubditos ſuos cogant ad ſolvendas uſuras Judæis, quamvis poſſint permittere, ut uſuræ exerceantur a Judæis ad cavenda majora mala, & ſcandala, *n.* 17.

§. IV.

Utrum dominium uſurarum transferatur in uſurarium?

Quær. 1. An uſurarius acquirat dominium rerum, quas ſub uſuris accepit? Reſp. Si mutuarius ſolvat uſuras, ita tamen ut nolit earum dominium transferre in uſurarium, tunc iſte non acquirit dominium earum. Quod ſi pecunia, frumentum, vel vinum mutuo datum ſit ſub uſuris & uſurarius illud permiſcuit cum ſuo frumento, vel vino juſte acquiſitis, acquirit dominium eorum: *n.* 18. Eſt autem duplex ſententia. Prima ait, non acquiri uſurario dominium uſurarum, ſive ſint res uſu conſumptibiles, ſive non: & ſive ſint res mobiles, ſive immobiles, *n.* 19. Secunda ſententia affirmat, uſurarium acquirere dominium rerum per uſuram acquiſitarum, ſed revocabile, & inefficax, ita ut obligatus ſit reſtituere, quicquid accipit injuſte, *n.* 20. Quær. 2. An uſurarius acquirat dominium earum rerum, quæ ex pecunia, vel alia re uſuraria acquiſivit? Reſp. primo, ſi res uſuraria ſit pecunia, tunc res, quas illa pecunia comparavit, ſibi acquirit, *n.* 21. Reſp. ſecundo, ſi res uſuraria ſit fructifera, tunc uſurarius non acquirit dominium fructuum inde perceptorum, ſecundum primam ſententiam: acquirit tamen juxta ſecundam ſententiam, *n.* 22. Reſp. tertio, ſi uſurarius res per uſuram acquiſitas vendat, licet non transferat rerum dominium, ſecundum primam ſententiam, acquirit tamen dominium pretii, quia pretium rei uſurariæ non eſt uſurarium, modo emptor bona fide res illas emerit, *n.* 23. Solvuntur objectiones, *cit. n.* 23.

SECTIO II.

De pactis tum illicitis, & uſurariis, quæ contractui mutui adjici nequeunt: tum licitis, quæ apponi poſſunt, abſque uſura.

§. I.

De pactis, ob quæ contractus mutui adjecta is efficitur uſurarius.

Regula generalis eſt, quod per omne pactum, per quod, præter ſortem, imponitur mutuo aliud onus, ſive nova obligatio ex juſtitia, redditur contractus mutui uſurarius, *n.* 24. Quær. 1. An uſurarium ſit pro obligatione non repetendi mutuum, ante certum tempus v. g. annum aliquid ultra ſortem accipere, & de eo paciſci? Reſp. Affirmative, *n.* 25. Quær. 2. An uſurarium ſit, ſi quis alterum ex pacto mutui obliget, ut is viciſſim ei mutuet? Reſp. affirmative *n.* 26. Ubi plures ſimiles caſus particulares reſolvuntur. Quær. 3. An uſurarium ſit mutuare cum pacto, ut mutuatarius ipſi mutuanti, vel alteri Officium publicum, vel beneficium conferat, vel impetret. Reſp. Eſſe pactum uſurarium, ſi ex obligatione juſtitiæ promittatur Officium publicum mutuanti, *n.* 27. Similiter uſurarium eſt, ſi quis mutuet cum pacto, ut conferatur ſibi, vel impetretur beneficium Eccleſiaſticum, *n.* 28. Quær. 4. An illicitum ſi mutuare cum pacto, ut mutuatarius remittat injuriam ipſi a mutuante illatam? Reſp. Tale pactum eſſe uſurarium, ſi exigatur, ut ratione mutui ex juſtitia remittatur injuria mutuatario illata, ſive in bonis fortunæ, ſive in honore, fama vel corpore, *n.* 29. Quær. 5. An ſit uſura mutuare cum pacto, ut mutuatarius obligatus ſit ad fidejubendum pro mutuante? Reſp. Eſſe, ſi obligatio fidejubendi petatur, ut pretium mutui, non ut conditio, *n.* 30.

§. II.

An mutuans aliquid ultra ſortem, ſeu rem mutuo datam exigere vel accipere poſſit, ratione damni emergentis?

Duplex eſt intereſſe, unum damni emergentis, alterum lucri ceſſantis: quoddam dicatur intereſſe damni emergentis, & quod lucri ceſſantis, *n.* 31. Aſſertio 1. Mutuans poteſt licite, & ſine uſura aliquid exigere, vel accipere, ratione damni emergentis, *n.* 32. Aſſertio 2. Si mutuatarius fuit in mora ſolvendi, & inde damnum paſſus eſt mutuator, tenetur mutuarius ad compenſationem illius damni, etiamſi hoc in pactum non ſit deductum, *n.* 33. Quæ requirantur, ut mutuans poſſit aliquid exigere, vel accipere ultra ſortem, ratione damni emergentis, *n.* 34. Si mutuator damnum non deduxit in pactum, non tenetur mutuarius quidquam pro eo ſolvere, ſi non fuit in mora ſolvendi, *n.* 35. Qui mutuum ſub uſuris accepit, poteſt poſtea alteri licite partem pecuniæ, vel etiam totam ſub uſuris mutuare, ut ſe indemnem ſervet, *num. eod.*

§. III.

An, & quomodo in mutuo aliquid licite, & ſine uſura exigi, vel accipi poſſit ultra ſortem, ratione lucri ceſſantis?

Aſſertio 1. Si quis per vim, metum, vel dolum injuſte cogatur ad mutuandum, ideoque lucrum ei ceſſet, tum mutuans poteſt petere ut illud ſibi compenſetur, etiamſi hoc in pactum non ſit deductum, *n.* 36. Aſſertio 2. Sed etſi quis ſponte mutuum dedit ad certum tempus, & mutuans ex eo, quod in mora ſolvendi fuit debitor, lucrum amiſit, debet

debet id mutuanti reſarciri, *num.* 37. Aſſertio 3. Licitum eſt etiam ab initio paciſci cum mutuatario, ut ultra ſortem aliquid ſolvat, ratione lucri ceſſantis, quantum vir prudens æſtimabit, *num.* 38. plures conditiones requiruntur, ut pactum de exigendo lucro ceſſante, a mutuatario, ſit licitum, & non uſurarium, prima ponitur, *nu.* 39. ſecunda, *num.* 40. *& ſeq.* tertia, *num.* 42.

§. IV.

An ratione periculi, cui mutuum exponitur, licite poſſit aliquid ultra ſortem exigi?

Duo ſunt caſus, in quibus ratione periculi, aliquid, ultra ſortem in mutuo exigi poteſt, vel quia res ipſa mutuata ſubjacet periculis: vel quia periculum mutui provenit ex parte mutuatarii, *num.* 43. Aſſert. 1. Si mutuans aliquid ultra ſortem exigat propter periculum, circa rem mutuatam, quod in ſe ſuſcipit, & vere ſubeſt, idque in pactum deducat, id non eſt uſurarium, ſed licitum, *num.* 42. Aſſ. 2. Probabilis eſt, ſi mutuum ſit periculoſum, propter conditionem mutuatarii, poſſe pro periculo ſortis aliquid ultra illam per pactum aſſecurationis exigi, ſine uſura, modo non exigatur tanquam conditio, ſine qua mutuator non vult mutuare, ſed mutuatarius ſponte tale pactum ineat, *num.* 45. & 46. Quia naviganti, vel eunti ad nuptias certam mutuat pecuniæ quantitatem, eo quod ſuſcipit in ſe periculum, recepturus aliquid ultra ſortem, uſurarius cenſendus eſt *c. ult. in princ. h. t. num.* 47. Variæ ſunt expoſitiones hujus textus, *cit. n.* 47. Proponuntur duæ expoſitiones probabiliores, *n.* 48. Ut licitus ſit contractus aſſecurationis, requiritur, ut periculum ſortis in pactum expreſſe, vel tacite deducatur, n. 49. Licita eſt olla fortunæ, *n.* 50.

§. V.

An in mutuo licitum ſit pactum, ut mutuatarius ſi tempore ſtatuto non ſolverit mutuum, teneatur certam pœnam ſolvere ultra ſortem?

Triplex eſt pęna, legalis, quæ lege, vel ſtatuto; judicialis, quæ per Judicem, conventionalis, quæ pacto, ſive mutua conventione imponitur, *n.* 51. Eſt autem licitum etiam in mutuo talem pęnam imponere, *cit. num.* 51. Quæ requirantur hujuſmodi pœna licite apponatur in mutuo, *nu.* 52. Pœna conventionalis adjecta mutuo debet ſolvi, etiam ante ſententiam judicis, in quo diſtinguitur a pœna legali, & judiciali, quæ non debentur, ante ſententiam Judicis, *cit. n.* 52. Alius titulus accipiendi aliquid ultra ſortem, eſt contractus cambii, qui adjicitur mutuo, *n.* 53.

§. VI.

An pactum adjectum mutuo, ut res mutuata reſtituatur in eadem menſura, & bonitate, etiamſi pretium ejus creverit, ſit uſurarium?

In hac re certum eſt primo, ſi tempore mutui dati æque dubium ſit, an tempore ſolutionis pretium tritici, v. g. vel vini creſcet, vel decreſcet, licite poteſt exigi, ut totidem menſuræ tritici, vel vini ejuſdem bonitatis reddantur, etſi poſtea pretium utriuſque creverit, *n.* 54. Secundo, ſi mutuans triticum, vel vinum ſervaturus ſit in illud tempus, quo ejus valor creſcet, tum licitum eſt pactum, ut reddatur triticum, vel vinum in eadem menſura, ac bonitate, qua datum eſt, *num. eod.* Tertio, ſi certo, vel ſaltem probabiliter prævideatur triticum poſtea minus valiturum, tum mutuans licite, & ſine uſura poteſt paciſci, ut plures ſcaphæ tritici, vel urnæ vini ſibi reddantur, quæ adæquent præſentem valorem tritici vel vini, quod nunc dat, ſive illud venditurus fuiſſet, vel conſumpturus, ſive ſervaturus in tempus, quo decreſcet pretium, *n.* 55. Quarto, illicitum eſt pactum, per quod mutuans obligat mutuatarium, ut non antea reddat mutuum, quam pretium tritici creverit, *nu.* 56. Non eſt uſura vetus triticum mutuare cum pacto, ut poſtea reddatur novum, ſi vetus tunc tantum valeat, quantum poſtea valebit novum, vel ſperatur valiturum; aliud eſt, ſi triticum vetus minus valeat, quam poſtea valiturum ſit novum, & mutuatarius vetus triticum accipiat, cum pacto reddendi novum, *cit. n.* 56. Qu. 1. An quando probabiliter prævideatur tritici pretium poſtea augendum, licitum ſit illud mutuare eo pacto, ut poſtea aucto pretio, in eadem menſura, & bonitate reddatur? R. ſi certum ſit, vel ſaltem probabile, triticum v. g. pluris valiturum, tempore ſolutionis, quam modo valeat, non poteſt mutuans exigere, ut poſtea reddatur in eadem menſura, etſi terminus ſolutionis ſit præfixus: ſed tantum, ut reddatur in eadem menſura, quæ adæquabit pretium tritici, quod erat tempore traditionis, *n.* 57. Qu. 2. Si in contractu mutui nihil ſit conventum de reddenda eadem menſura, vel potius valore rei mutuatæ, ad quid reſtituendum obligatus ſit mutuatarius? R. cum diſtinctione tradita, *num.* 58.

SECTIO III.

De uſuris, quæ committuntur in venditione, & emptione, & an contractus cenſualis ſit uſurarius?

§. I.

An ſit uſura, rem pluris juſto pretio vendere, ob dilatam pretii ſolutionem: & viciſſim rem minoris emere, quam valet, quia præſenti pecunia emitur?

Aſſertio 1. Rem pluris vendere, quam valeat, eo quod differatur ſolutio pretii, eſt uſura ex natura rei, & in foro conſcientiæ, niſi dubium ſit, an tempore ſolutionis res plus, vel minus valitura ſit: quamvis in foro externo ſic vendens tanquam uſurarius conveniri, & condemnari non poſſit, *n.* 59. Nam vendens rem plus, quam valeat, dilata ſolutione, peccat contra juſtitiam, niſi dubium ſit, an merces venditæ plus, vel minus valituræ ſint tempore ſolutionis, & venditor non erat venditurus, tempore, quo vendidit, *c. In civitate.* 6. *h. t. n.* 60. Præterea uſurarius mentalis, qui ſine pacto, eo animo mutuat, ut plus aliquid ultra ſortem accipiat, alias non mutuaturus, in conſcientia tenetur reſtituere, ſi ex eo aliquid ſit conſecutus, *c. Conſuluit.* 10. *h. t. n.* 61. Unde rem carius, ob dilatam ſolutionem pretii, vendens, etiam in foro conſcientiæ, excuſatur ab uſura, ſi tempore traditionis dubium erat, an res pluris, vel minoris valitura eſſet, tempore ſolutionis. Item qui dat v. g. decem aureos, ut alio tempore ſibi reddantur decem menſuræ tritici, vini, vel olei, quæ ſi tempore contractus plus valeant, attamen dubium ſit, an tempore ſolutionis plus, vel minus ſint valituræ, non eſt cenſendus uſurarius, *cap. ult. §. Ille quoque. h. t. n.* 62. Præterea ut ſit licita venditio rei majore pretio, quam in præſenti valet, ob dilatam ſolutionem pretii, requiritur, ut venditor non eſſet alias tempore contractus venditurus frumentum, vel aliam rem, ſed ſervaturus, uſque ad tempus ſolutionis, *c. ult. § fin. h. t. n.* 63. Prædictæ venditiones ſunt periculoſæ, excuſantur tamen ab uſura interdum, ratione damni, quod alias paſſurus eſſet, qui carius vendit, vel lucri, quod amiſſurus eſſet, *cit. nu.* 63. Aſſertio 2. Sicut venditor, ita & emptor, qui rem minoris emit, quam nunc valeat, eo quod præſenti pecunia emat a venditore, cenſetur uſurarius, *num.* 64.

§. II.

De venditione, & emptione cenſuum, ſive redituum annuorum in genere.

Quær. 1. Quid ſit cenſus? R. Cenſus hoc loco accipitur pro jure percipiendi annuum reditum, ſeu penſionem ex re, vel perſona alterius, & venditio, ac emptio hujuſmodi juris vocatur contractus cenſualis, *numer.* 65. Qu. 2. Quotuplex ſit cenſus? R. cenſus, ratione modi dividitur in reſervativum, & conſignativum, & quis ſit reſervativus, quis conſignativus, *num.* 66. Cenſus conſignativus dividitur primo in cenſum realem, & perſonalem, & quis ſit realis, quis perſonalis, quis mixtus, *cit. n.* 66. Secundo, dividitur cenſus conſignativus, ratione temporis, quo penſio ſolvi debet, in perpetuum, & temporalem. Tertio, ex parte rei in cenſum fructuarium, & pecuniarium. Quarto, ratione pacti in cenſum irredimibilem, vel redimibilem, *cit. num.* 66. Jam ergo graviſſima quæſtio eſt, an emptio, & venditio cenſuum, ſeu redituum annuorum ſit uſuraria, an vero licita, & juſta, *cit. num.* 66.

§. III.

An licitus ſit cenſus realis, ſive perpetuus, ſive temporalis, tam redimibilis, quam irredimibilis, an vero ſit uſurarius, & illicitus?

Aſſertio 1. Contractus cenſualis, ſeu cenſus realis, ſive perpetuus, ſive temporalis, etiam vitalitius, & redimibilis, per emptionem, & venditionem conſtitutus, non eſt uſurarius, ſed licitus, ac juſtus, modo pretium ſit juſtum, quale eſt, quod vel lege taxatum eſt, vel conſuetudine approbatum, *num.* 67. Idque probatur, *n.* 68. Aſſ. 2. Contractus cenſualis, ſive emptio, & venditio cenſus realis, perpetui, & irredimibilis, juſta & licita eſt jure naturæ, ſive ſit cenſus fructuarius, ſive pecuniarius, *n.* 69. Aſſ. 3. Emptio, & venditio cenſus realis temporalis, ſive ad incertum tempus, v. g. ad vitam ementis, ſive ad certum tempus, v. g. decem annos, eſt licitus, ac juſtus, *n.* 70. Aſſ. 4. Emptio, & venditio cenſus redimibilis ex parte venditoris, eſt licita: quin imo probabiliter licitus eſt cenſus realis utrinque redimibilis, adeoque etiam ad arbitrium emptoris, *num.* 71. Quædam circa cenſum utrinque redimibilem notanda, *n.* 72. Aſſ. 5. Contractus cenſualis realis utrinque redimibilis, adjecto etiam pacto aſſecurationis in perpetuum, non eſt iniquus, ſed probabiliter defenditur, ac toleratur, *n.* 73.

§. IV.

An licitus, & juſtus ſit cenſus perſonalis perpetuus, tam irredimibilis, quam redimibilis, ex parte ſolius venditoris?

Sermo eſt hic de cenſu perſonali, vi cujus venditor, ſive emptor cenſus ſolum acquirit Jus percipiendi annuam penſionem: venditor vero cenſus ſolum contrahit obligationem perſonalem illam penſionem ſolvendi, *numer.* 74. Jam ergo emptionem cenſus mere perſonalis, ſecundum ſe, & ex natura rei, licitam eſſe & juſtam, ſecluſa legis humanæ prohibitione, affirmant plures DD. quæ probatur *cit. n.* 74. Contraria tamen ſententia, quę negat, cenſum mere perſonalem eſſe licitum, & juſtum, ſi pretium non adequet cumulum penſionum ſolvendarum, tenent alii non minus probabiliter, in praxi tamen etiam prima ſententia damnari non poteſt, quippe quæ obſervatur in multis Provinciis, etiam in Germania, *num.* 75.

§. V.

§. V.

Solvuntur argumenta, quæ contra juſtitiam contractus cenſualis objici poſſunt.

Reſp. ad primam, & ſecundam objectionem, *nu.* 76. Reſp. ad tertiam, & quartam objectionem, *n.* 77.

§. VI.

De conditionibus ad contractum cenſualem requiſitis,

Quær. 1. Quæ conditiones requiruntur jure naturæ, ut contractus cenſualis ſit licitus, & juſtus? Reſp. quatuor. Primo, ut conſtituatur in re frugifera, ex qua penſio debita ſolvi poſſit. Non ſolum autem in re immobili, ſed etiam in rebus mobilibus, etiam in pecunia, imo & perſonis, cenſus conſtitui poteſt, *n.* 78. Secundo requiritur, ut juſto pretio cenſus ematur, quale eſt quod vel lege, vel conſuetudine, vel judicio prudentum virorum taxatum fuit, *n.* 79. Tertia conditio eſt, ſi res cenſui ſubjecta pereat, vel non ad tempus, ſed in perpetuum infructuoſa reddita ſit, ſive ex parte, citra culpam tamen ſolventis cenſum; tum res perit, & infructuoſa ſit damno percipientis cenſum, ſecluſo ſpeciali pacto aſſecurationis, *n.* 80. Quarto, ut res cenſui ſubjecta, inſcio emptore cenſus, non alienetur, nec transferatur in alium, a quo penſio annua difficulter obtineri poſſit, *n.* 81. Qu. 2. Quæ conditiones requirantur ad juſtitiam contractus cenſualis Jure poſitivo Eccleſiaſtico? Reſp. hæ enumerantur, *n.* 82. quamvis non omnes ſint neceſſariæ, *n.* 83. ad quos contractus prædictæ conditiones extendantur, vel non extendantur, *n.* 84.

SECTIO IV.

De uſuris, quæ committuntur circa pignora, & hypothecas.

§. I.

An ſit uſura, ſi creditor fructus pignoris, ſeu oppignoratæ, non computat in ſortem?

Reſp. fructus ex re pignori pro mutuo obligata percepti debent a creditore in pactum ſortis debitæ computari, alioquin uſura eſt. Unde ſi quis alicujus poſſeſſiones accepit in pignus, debet, ſi ſortem ſuam ex fructibus pignoris jam recepit, deductis expenſis, rem oppignoratam reſtituere debitori. Si autem minus percipit ex fructibus pignoris, ita ut non æquiparentur ſorti, eo recepto, debet res oppignorata domino reſtitui. Quod ſi Clericus ſit, qui crimen uſuræ commiſit, debet ab officio, & beneficio ſuſpendi, ſeu potius deponi, *c.* 1. *h. t. num.* 85. Similiter Laici, qui recipiunt ex fructibus pignoris ſortem principalem, deductis expenſis, ad reſtituenda pignora ſuis dominis per cenſuram Eccleſiaſticam ſunt compellendi, *c.* 2. *h. t. num.* 86. Ubi etiam ratio redditur. Prædicta declarantur, & explicantur, *num.* 87. Fructus rei oppignoratæ non tantum percepti, ſed etiam qui percipi potuerunt, ſed non ſunt percepti, computari debent in ſortem principalis debiti, *num.* 88. Fructus reſtituendi, vel in ſortem principalem a creditore ſunt computandi, deductis prius expenſis, *num. eod.*

§. II.

Ex quibus cauſis creditor non tenetur fructus rei oppignoratæ in ſortem computare ad vitandam uſuram?

Tres ſunt Tituli, ſeu cauſæ, ob quas licite, & citra uſuram fructus rei oppignoratæ a creditore percipi poſſunt, non computando eos in ſortem. Prima eſt, ſi beneficium Eccleſiaſticum fuerit, quod redimendum hoc modo de manu laici videatur, *cit. c.* 2. *h. t. n.* 89. Secundus Titulus, ſeu cauſa eſt, ſi creditori detur res in pignus, ſeu hypothecam, in qua creditor habet directum dominium, & debitor tantum utile, ut ſi vaſallus domino directo det feudum in pignus pro debito, tunc fructus percepti ex re oppignorata non ſunt computandi in ſortem, *c.* 8. *h. t. num.* 90. Idemque locum habet in re emphyteutica, quam emphyteuta in pignus dat domino proprietatis, *cit. n.* 90. Ut autem dominus directus poſſit fructus illos percipere, tres conditiones requiruntur, quæ referuntur, *n.* 91. *& duobus ſeqq.* Tertius titulus, ſive cauſa, ob quam fructus pignoris non computantur in ſortem, eſt, ſi maritus pro dote uxoris ſibi promiſſa, loco pignoris accipiat prædium, vel aliam rem, ut ex ea fructus interim percipiat, ſine imminutione dotis, non cogitur eos in ſortem computare, *c. Salubriter* 16. *h. t. nu.* 94. Quæ ſit vera ratio, ob quam fructus percepti ex pignore poſſint, ſine uſura, a marito retineri, ſine obligatione computandi eos in ſortem, & diminutione ſortis in quo varias rationes aſſignant DD. *num.* 95. Quæ ſit verior & probabilior ratio, *num.* 96. deducuntur quædam corollaria, *nu.* 97.

§. III.

An contractus, ſeu pactum Antichriſeos ſit illicitum, & uſurarium, & an etiam montes pietatis uſuram contineant?

Pactum inter creditorem, & debitorem initum, ut tamdiu creditor fructus pignoris, ſalva ſorte, lucretur, donec debitum ſolutum fuerit, illicitum eſt, & uſurarium, ideoque damnatum Jure Canonico, *n.* 98. Quis dicatur mons pietatis; & quæ conditiones ad illum requirantur, *nu.* 99. Sunt autem hujuſmodi montes liciti, & immunes ab omni uſura, ſi ſerventur conditiones præſcriptæ, *n.* 100.

SECTIO V.

De obligatione reſtituendi uſuras.

§. I.

An, & quibus teneantur uſurarii reſtituere uſuras?

Uſurarii, qui ſunt ſolvendo, cogendi ſunt per pœnas Concilii Lateranenſis uſuras reſtituere iis, a quibus acceperunt vel eorum hæredibus, & in eorum defectum, pauperibus. Quod ſi habeant bona ex uſuris comparata, ea debent vendi, & pretium reſtitui iis, a quibus uſuræ ſunt extortæ, *c. Cum tu.* 5. *h. t. nu.* 101. Uſuræ primo debent reſtitui illis, a quibus ſunt extortæ: & ſi hi non extent, vel inveniri non poſſint, reſtitui debent eorum hæredibus, & ſi etiam illi non extent, erogari debent pauperibus, vel Eccleſiis, aut aliis locis piis, *num.* 102. In foro pœnitentiæ reſtitutio uſurarum fieri poteſt pauperibus ab ipſo uſurario: at in foro externo, uſurarius damnatus ad reſtitutionem, earum reſtitutio fieri debet judicio Epiſcopi, *n.* 103. An ſi poſtquam facta eſt reſtitutio uſurarum pauperibus, compareat is, a quo extortæ ſunt uſuræ, nihilominus obligatus ſit uſurarius ad reſtitutionem, *nu. eod.* Si uſurarius, vel ejus hæres non habeat, unde reſtituere poſſit, excuſatur a reſtitutione ob inopiam, *nu.* 104. An uſurarius habeat beneficium ceſſionis bonorum, ſicut alii debitores, *cit. nu.* 104. An bona uſurarii etiam ex pecunia uſuraria acquiſita, ipſo jure, ſint tacite hypothecata, ſive realiter obligata mutuatario pro ſolvendis uſuris, *num.* 105. Non ſolum injuſte acquiſita ex uſura, ſed etiam ex aliis contractibus injuſtis, ſi reſtitui non poſſunt dominis, vel eorum hæredibus, debent dari pauperibus, *nu.* 106.

§. II.

An omnes uſurarii reſtituere teneantur uſuras, etiam hæredes eorum?

Aſſertio 1. Omnes recipientes uſuras obligantur ad reſtitutionem earum, & pœnis ad id cogendi ſunt, ſive laici ſint, ſive Clerici. Quin etiam ſeculares Principes debent Judæos, qui ipſis ſubſunt, cogere ad remittendas uſuras Chriſtianis? & hi ſub pœna excommunicationis tenentur abſtinere a commerciis, & communione Judæorum, niſi hi uſuras remittant, *c. Poſt miſerabilem.* 12. *h. t. n.* 107. Similiter Judæi compellendi ſunt ad reſtituendas uſuras extortas a Chriſtianis, alias hi per cenſuram Eccleſiaſticam cogantur ab eorum communione abſtinere, donec competenter ſatisfecerint appellatione remota, *cap. Quanto*, 18. *h. tit. num.* 108. ubi etiam præcipitur, ut Judæi ſolvant decimas, vel oblationes ex domibus, & aliis bonis eorum, quæ prius erant Chriſtianorum. Non ſolum autem ad reſtituendas uſuras magnas, & graves, ſed etiam ad parvas, & moderatas compellendi ſunt Judæi, *cit. numer.* 108. Aſſert. 2. Etiam hæredes uſurariorum, ſive filii ſint, ſive extranei, iiſdem pœnis cogendi ſunt ad reſtituendas, uſuras, quibus cogerentur defuncti uſurarii, ſi adhuc viverent, *c. Tua.* 9. *h. t. n.* 109. Non tantum in debito ex uſuris, ſed etiam omni alio debito defuncti, & ex damno alteri injuſte illato obligantur hæredes defuncti uſurarii ad ſatisfaciendum, *nu.* 110. Bona uſurariorum non ſunt tacite hypothecata pro uſuris reſtituendis, *cit. num.* 110. Quando plures ſunt hæredes uſurarii, non obligantur ſinguli ſolvere uſuras in ſolidum, ſed ſinguli ſolum juxta portiones ſuas, quas ex hæreditate acceperunt, *nu.* 111. Ponuntur duæ exceptiones, *num.* 112. An etiam legatarii in defectum hæredum, teneantur uſuras ſolvere, vel non? *num.* 113.

§. III.

Quinam, & quo pacto cooperantes ad uſuras exigendas, vel ſolvendas, teneantur ad reſtitutionem?

Regula generalis eſt, omnes, qui ſe tenent ex parte uſurarii mutuantis, & ſunt cauſa efficax, cur mutuum non detur gratis, & ſine uſuris, peccant, & obligantur ad reſtitutionem, ſaltem in defectum uſurarii: illi, vero qui ſe tenent ex parte mutuatarii ſolventis uſuras, non obligantur ad reſtitutionem, niſi quando & eo modo, quo ipſe mutuatarius aliquando peccat, ratione ſcandali, *nu.* 114. Quinam in ſpecie teneantur in defectum uſurarii ad reſtituendas uſuras, vel non teneantur, *num.* 115. *& duob. ſeqq.*

§. IV.

De quibuſdam exceptionibus, quas Uſurarii opponere poſſunt, vel ſolent contra petentes reſtitutionem uſurarum.

Quær. 1. An uſuræ injuſte acceptæ reſtituendæ ſint ab uſurario, ſi hic excipiat, quod ſibi ſponte, & ſine fraude ſint remiſſæ a mutuatario? R. validam eſſe talem remiſſionem, adeoque nulla eſt obligatio reſtituendi uſuras, *n.* 118. Qu. 2. An contra debitorem petentem reſtitutionem uſurarum excipi poſſit, quod juramento promiſerit, ſe ſoluturum uſuras, vel ſolutas non repetiturum? R. non obſtante tali juramento, poteſt compelli uſurarius, ut vel remittat juramentum, ſi nondum ſolutæ ſint uſuræ, vel ut ſolutas reſtituat, *c. Tua*, 13. *h. t.* idque declaratur, *num.* 120. Qu. 3. An is, a quo repetuntur uſuræ, poſſit objicere, ipſum quoque a ſe, vel ab aliis uſuras accepiſſe, eaſque non reſtituiſſe? R. uſurarius repetens uſuras, quas ab eo alius extorſit, non auditur, ſi prius ipſe non reſtituat eas, quas ab aliis accepit, quia fruſtra invocat legis auxilium, qui peccat in legem, *c. Quia fruſtra*, 14. *h. t. nu.* 121. idque declaratur, *n.* 122. *& tribus ſeqq.* Qui uſuras a ſe, vel ſuo patre extortas petit

cit

Digitized by Google

tit ſibi reſtitui, non auditur, ſi ipſe non reſtituat, quas ipſe, vel pater ſuus extorſit, ſi & ipſe ſit hæres, *cap. Michael. 17. h. t. num.* 125, idque declaratur, *nu.* 126. Qu. 4. An conventus ſuper uſuris reſtituendis poſſit appellare, ne cogatur illas reſtituere? R. ſi manifeſtus uſurarius appellet ad effugiendam reſtitutionem uſurarum, non eſt audiendus *c. Quam perniciſum. 11. h. t. num.* 127.

§. V.

Aliæ duæ quæſtiones circa reſtitutionem uſurarum proponuntur, & reſolvuntur.

Quær. 1. Quænam in particulari reſtitui debeant ab uſurario? R. hæc enumerantur in ſpecie, *num.* 128. Qu. 2. An, & quæ ab uſurario accepta, titulo gratuito, vel onerofo, reſtitui debeant? R. primo, ſi uſurarius non ſit ſolvendo, accepta ab eo per ultimam voluntatem, debent reſtitui creditoribus, *nu.* 129. Secundo, ſi quis rem titulo, ſive lucrativo, ſive oneroſo acquiſivit ab uſurario, quamdiu extat in ſpecie reſtitui debet, ad quemcunque poſſeſſorem devenerit, *n.* 130. Tertio, ſi uſurarius res, quarum dominium habet, alienavit, ita tamen ut non ſit factus impotentior ad reſtituendas uſuras, non debent illæ ab accipiente reſtitui, *num.* 131. Quarto, ſi accipiens quocunque titulo res ab uſurario, probabiliter ignoravit, ipſum per talem alienationem fieri impotentem ad reſtituendas uſuras, non tenetur illas reſtituere, *num.* 132.

§. VI.

De uſura mentali, & obligatione reſtituendi ei annexa.

Quær. 1. Quæ intentio lucri accipiendi ultra ſortem ex mutuo conſtituat uſuram mentalem, cum obligatione reſtituendi? R. primo, non eſt uſurarium intendere ex mutuo etiam principaliter, lucrum aliquod, quod ex gratitudine, ac liberalitate mutuatarii provenit, *nu.* 133. Reſp. ſecundo, non licet etiam ſine pacto externo, intendere lucrum ſupra ſortem, quod detur tanquam pretium, & ex obligatione juſtitiæ in recompenſationem mutui, ſed per talem intentionem mutuans fit uſurarius mentalis, etſi minus principaliter id intendat, *nu.* 134. Qu. 2. An uſurarius mentalis teneatur ad reſtitutionem? Reſp. quatuor modis poteſt mutuator aliquid accipere ſupra ſortem a mutuatario. Primo, ſi mutuatarius ex gratitudine, & mera liberalitate, aliquid ultra ſortem det, & mutuans id accipiat, ut gratis, ac liberaliter datum, & tunc nulla committitur uſura, nec ulla obligatio reſtituendi oritur. Secundus modus eſt, ſi mutuator intendat aliquid accipere, tanquam pretium mutui, & mutuatarius etiam det, tanquam debitum, ratione mutui: & tunc ex parte mutuantis intervenit uſura, & is tenetur ad reſtitutionem, *num.* 135. Quare uſurarius mentalis ille eſt, qui ſine pacto, ſed eo animo mutuat, ut ultra ſortem aliquid recipiat, alias non mutuaturus: & hic in conſcientia tenetur reſtituere, ſi quid accepit. Idemque eſt de non dante parabolam juramenti, niſi aliquid inde recipiat, & de vendente rem plus, quam valet, ob dilatam in longum tempus pretii ſolutionem, *c. Conſuluit. 10. h. tit. num.* 136. Idque declaratur, *num.* 137. Tertius modus mutuandi eſt, ſi mutuatarius det lucrum ultra ſortem, ut pretium ex mutuo debitum, ſed mutuans bona fide illud accipit, ut datum gratis, ac mere liberaliter: & quomodo tunc reſtitutio facienda ſit, vel non? *num.* 138. Quartus modus mutuandi eſt, ſi vice verſa mutuatarius aliquid ſupra ſortem det gratis, & liberaliter, ſed mutuator id ignorans accipiat intentione uſuraria, tanquam datum ex obligatione, ratione mutui, ſine pacto tamen, de quo *nu.* 139. Reſpondetur ad objectiones, *num.* 140.

S E C T I O VI.

De Judice criminis uſuræ, & probatione ejuſdem, ac pœnis uſurariorum.

§. I.

Quis ſit Judex competens in crimine uſuræ, & quomodo probetur quis eſſe uſurarius manifeſtus?

Circa priorem quæſtionem tres ſunt ſententiæ, *num.* 141. Verior eſt autem ſententia, quod uſura ſit crimen mixti fori, ita ut non ſolum in quæſtione facti, ſed etiam juris, de hoc crimine cognoſcere poſſit Judex Eccleſiaſticus, & ſecularis inter laicos ſibi ſubditos, *nu.* 142. Quinam dicuntur manifeſti uſurarii, *nu.* 143. Quibus modis probari quis poſſit eſſe uſurarius manifeſtus? Primo, per evidentiam facti. Secundo, per confeſſionem propriam in Judicio. Tertio, per idoneos teſtes. Quarto, per famam, & communem opinionem, *num.* 144. Quinto, per conjecturas, & indicia aperta, & evidentia. Unde Ordinarius loci poteſt procedere contra uſurarios manifeſtos ex aliis argumentis, & indiciis evidentibus, eoſque punire, ſi nullus alius adeſt accuſator, *c. Cum in Diœceſi. 15 h. t. num.* 145. declaratur *num.* 146. Probari etiam quis poteſt uſurarius manifeſtus ex libris Rationum. Unde fœneratores, quando agitur de cauſa uſuraria, per cenſuram Eccleſiaſticam cogi poſſunt libros Rationum producere, *Clem. unic. §. Cæterum. h. t. nu.* 147.

§. II.

De pœnis Jure ſtatutis in uſurarios manifeſtos.

Prima pœna eſt, quod manifeſti uſurarii ipſo jure ſunt infames, *num.* 148. Secunda pœna eſt, ut ſi ſit Clericus, & monitus non deſiſtat, ab officio, & beneficio ſit ſuſpendendus, *c. Præterea. 7. h. t. num.* 149. Declaratur, *numer.* 150. Tertia pœna eſt uſurarii manifeſti, ſi laici ſint, excommunicari debent, donec debite ſatisfaciant, *cit. c. Præterea. 7. h. tit. num.* 151. Quarta pœna eſt, quod uſurarii manifeſti non admittuntur ad Communionem Altaris, id eſt, ad perceptionem Euchariſtiæ, *c. 3. h. t. nu.* 152. Quinta pœna eſt, ne oblationes uſurariorum recipiantur ab Eccleſia, *cit. c. 3. h. t. num.* 153. Sexta pœna eſt, ut ſi uſurarii in eo peccato deceſſerint, Chriſtiana careant ſepultura, *cit. c. 3. h. t. n.* 154. Uſurarius non eſt ſepeliendus in loco ſacro, etſi hæres velit reſtituere uſuras acceptas, vel de iis reſtituendis cavere, *num.* 155. Licet uſurarii manifeſti mandent in ultima voluntate, ut uſuræ ab eis acceptæ reſtituantur, non tamen conceditur eis ſepultura Eccleſiaſtica, donec ſatisfactum fuerit, vel niſi dent cautionem de reſtitutione facienda; qui autem tales in Eccleſia ſepelire præſumunt, pœnam ſuſpenſionis, & excommunicationis incurrunt. *cap. 2. h. t. in 6. num.* 156. declaratur *num.* 157. Septima pœna eſt, ut nullus interſit teſtamentis manifeſtorum uſurariorum. Item ut nullus eos ad confeſſionem admittat, nec abſolvat, niſi de uſuris ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo caverint, *cit. c. 2. §. Nullus. h. tit. in 6. num.* 159. Octava pœna eſt, teſtamentum quoque manifeſtorum uſurariorum non valet, niſi facta ſatisfactione, vel præſtita de ea cautione, *cit. c. 2. §. fin. h. t. in 6. num.* 160.

§. III.

Proponuntur plures quæſtiones circa Teſtamenta facta ab uſurariis manifeſtis, & reſolvuntur.

Quær. 1. An non tantum teſtamentum ſolemne, ſed etiam aliæ ultimæ voluntates uſurariorum manifeſtorum ſint irritæ, ut Codicillus, vel legatum, vel donatio cauſa mortis, ſi non reſtituerint uſuras, vel de iis reſtituendis, non idonee caverint? Reſp. affirmative, *num.* 161. Qu. 2. An ſi manifeſtus uſurarius, poſt conditum teſtamentum, iterum occulte exerceat uſuras, teſtamentum ejus valeat? Reſp. aliqui negant valere, alii vero affirmant, ſi pœnitentia, & cautio ficta non fuit, ſed ſincere, & animo reſtituendi præſtita fuit cautio, *num.* 162. Qu. 3. An ſi uſurarius, poſt teſtamentum conditum, ante mortem uſuras reſtituat, vel cautionem de iis reſtituendis præſtet, teſtamentum convaleſcat? Reſp. affirmative, *num.* 163. Nec obſtant Regulæ Juris, quæ enumerantur, *num.* 164. Qu. 4. An ſi quis ante vel poſt conditum teſtamentum, uſuras exercuit, ſed poſtea deſinat eas exercere, non tamen reſtituat, nec cautionem præſtitit de reſtituendo, ante mortem, teſtamentum ejus ſit invalidum? Reſp. affirmative, *num.* 165. Qu. 5. An teſtamentum uſurarii ſit validum, qui primum poſt mortem probatur publice exercuiſſe uſuras? Reſp. probabile eſt eſſe validum, *num.* 166. Qu. 6. An teſtamenta Judæorum, qui ſunt notorii uſurarii, ſint nulla? Reſp. probabilius eſt, eſſe invalida, ſi ſine cautione præſtita de reſtituendis uſuris, ſint condita, *num.* 167.

§. IV.

De aliis quibuſdam pœnis uſurariorum, iiſque faventium.

Præcipitur omnibus dominis Terrarum, & Univerſitatibus, ne permittant alienigenas in Terris ſuis conducere domos ad exercendas uſuras, vel conductas habere, & ne quis eis ad hoc domos locet. Qui contra fecerint, ſi ſint Eccleſiaſtici majores, ut Epiſcopi, ſuſpenſionis: ſi vero ſint minores perſonæ ſingulares, excommunicationis, ſi Collegium, vel Univerſitas, interdicti ſententiam, ipſo facto incurrant, & ſi per menſem in ea perſtiterint, ipſorum Terræ ſunt interdictæ, dum ibi iidem uſurarii habitant. Si vero ſint laici, compellantur per Cenſuram Eccleſiaſticam ab Ordinario ab hujuſmodi exceſſu ceſſare, *c. 1. h. t. in 6. n.* 168. declaratur, *num.* 169. Præterea Officiales Communitatum, vel illa ſervantes ſunt excommunicati, *Clem. Ex gravi. unic. h. tit. in princ. num.* 170. Quinam hanc pœnam excommunicationis non incurrant, *nu.* 171. Uſurarii, præter prædictas pœnas, etiam aliis pœnis arbitrariis, & extraordinariis puniri poſſunt a Judice Eccleſiaſtico & ſeculari, *num.* 172. Denique ſi mutuo, vel alteri contractui per ſe licito adjectum ſit pactum uſurarium, non totus contractus vitiatur, ſed ſolum pactum, & pro non adjecto habetur, *n. eod.*

S E R I E S C A P I T U L O R U M.

IN ANTIQUIS.	*c.* 3. *n.* 152. *& duobus ſeqq.*
c. 1. *n.* 85. 86. 87. *&* 89.	*c.* 4. *n.* 14. *& duobus ſeqq.*
c. 2. *n.* 87. *& duob. ſeqq.*	*c.* 5. *n.* 108. *& pluribus*
	c. 18. *n.* 108.
c. 6. *n.* 60. *& duobus ſeqq.*	*c.* 19. *& ult. in princ. n.* 47.
c. 7. *n.* 149. *& duobus ſeqq.*	*& ſeq. §. Ille quoque, n.* 62. *& §. fin. n.* 63.
c. 8. *n.* 92.	IN SEXTO.
c. 9. *num.* 109. *& duobus ſeqq.*	*c.* 1. *n.* 168. *& ſeq.*
c. 10. *nu.* 61. 136. *&* 137.	*c.* 2. *& ult. in princ. n.* 156.
c. 11. *nu.* 127.	*& duobus ſeqq. §. Nullus. n.* 159. *& §. fin. num.* 160. *& ſeq.*
c. 12. *n.* 107.	
c. 13. *n.* 119. *& ſeq.*	
c. 14. *num.* 121. *& tribus ſeqq.*	IN CLEMENTIS.
c. 15. *num.* 145. *& ſeq.*	
c. 16. *num.* 94. *& tribus ſeqq.*	*Clement. unic. in princ. num.* 170. *§. Cæterum num.* 147. *& §. fin. n.* 6.
c. 17. *n.* 125.	

T I T U L U S XX.

De Crimine falſi.

§. I.

De crimine falſi in genere.

Quær. 1. Quid ſit falſum, & quot modis committatur? Reſp.

Reſp. falſum, ſeu falſitas in genere eſt veritatis immutatio. Ad crimen autem falſi tria requiruntur. Primo, ut pervertatur veritas. *Secundo*, ut id fiat dolo malo. Tertio, ut fiat cum damno alterius. Committitur autem falſitas principaliter quatuor modis, dicto ſeu verbo, ſcripto ſeu ſcriptura, re ſeu facto, uſu vel abuſu, *nu.* 1. Qu. 2. Quæ ſit pœna falſi? Reſp. hodie eſt arbitraria? & crimen falſi committens in Judicio perdit cauſam, *n.* 2.

§. II.

De crimine falſi, quod committitur circa teſtes.

Quær. 1. Quando crimen falſi committitur circa teſtes? Reſp. teſtis, qui falſum teſtimonium ſciens, & dolo malo dicit, crimen falſi committit. Eſt autem hoc crimen falſi teſtimonii deteſtabile, quia teſtis falſus tribus perſonis eſt obnoxius, DEO, Judici, & innocenti, *c.* 1. *h. t.* ubi additur, quod non ſolum teſtis falſus eſt, qui mendacium dicit, ſed etiam, qui veritatem occultat, *n.* 3. Quando in ſpecie teſtis falſus teneatur de falſo *n.* 4. Qu. 2. Quæ ſit pœna teſtis falſum deponentis in Judicio de Jure Canonico, *num.* 5. Quando hæc pœna ordinaria teſtis falſi non habeat locum, *n.* 6. An Clericus, qui dixit falſum teſtimonium coram Judice ſeculari, poſſit ab eo puniri, *n.* 7. An etiam pœna falſi ſit plectendus, qui pro teſtimonio dicendo contra aliquem pecuniam accepit, etſi verum dixit: & quando Judex, vel Advocatus ut falſarius puniri poſſit, *num.* 8.

§. III.

Quibus modis falſantur Reſcripta, ſeu Litteræ Apoſtolicæ?

Novem modi, ex quibus cognoſci poteſt falſitas in Litteris Papalibus, recenſentur in *c. Licet* 5. *h. t. nu.* 9. Exiſtens in Curia non debet Litteras Apoſtolicas recipere, niſi de manu Papæ, vel ejus Officialium ad id deputatorum, niſi ſint perſonæ tantæ auctoritatis, ut doceat, nuncium ad Cancellarium Papæ, vel ad Papam mittere, qui illas recipiat. Qui contra fecerit, ſi eſt laicus, eſt excommunicandus: ſi Clericus, eſt ſuſpendendus ab officio, & beneficio, *c. Duru.* 4. *h. t. n.* 10. & 11. Item habens Litteras falſas Apoſtolicas ſi eas intra XX. dies non reſignet, vel deſtruat, eſt excommunicatus, & a ſolo Papa abſolvi poteſt, *cit. c. Duru.* §. *Adjicientes h. t. n.* 12. *& ſeq.* Alius caſus falſandi Litteras Apoſtolicas eſt, ſi in illis Papa Epiſcopum vocet dilectum filium & non fratrem, vel quando uni ſcribit in plurali numero; falſitas autem Litterarum cognoſcitur in Bulla, filo, charta, & ſtylo, *c. Quam gravi* 6. *h. t. n.* 14. & 15.

§. IV.

An Litteræ Papales, ob raſuram modicam in eis factam, poſſint argui falſitatis?

Aſſertio 1. Si raſura etiam modica in Reſcriptis, Apoſtolicis, facta ſit in loco ſuſpecto, tales Litteræ redduntur falſæ, *nu.* 16. Aſſertio 2. Si raſura ſit modica, ſeu parvarum litterarum, in Litteris Papalibus facta in loco non ſuſpecto ea non reddit falſas tales Litteras. Si adverſa pars obligavit ſe, ſub periculo cauſæ, probare tales Litteras eſſe falſas, & tantum oſtendit hanc raſuram, nil probat, & cauſam perdit, cui libere renunciavit, *c. ult. h. t. nu.* 17. Ubi tres caſus ſunt diſtinguendi, *n.* 18. quæ tamen procedunt, ſi Litteræ Apoſtolicæ redditæ ſint apertæ, ſecus ſi clauſæ, *n.* 19. Sententia lata, auctoritate falſarum Litterarum Apoſtolicarum, non eſt executioni mandanda. Et quando Ordinarius loci videt Reſcriptum Papæ eſſe arguendum falſitatis, non debet ei adhibere fidem, nec obſervare, quod per illud mandatur, ſed detineri debet, qui Reſcriptum præſervavit, *c.* 2. *h. t. n.* 20. & 21.

§. V.

De pœnis Jure ſtatutis in falſantes Litteras, aut Bullas Apoſtolicas.

Quær. 1. Quas pœnas incurrant falſantes Litteras Papales, vel qui iiſdem utuntur? Reſ. qui per ſe, vel per alios Litteras Apoſtolicas falſant, ſunt excommunicati, & fautores eorum, & ſi ſunt Clerici, officiis & beneficiis ſunt perpetuo privati, & degradandi, ac tradendi Curiæ ſeculari, per quam puniantur ut laici falſarii. Qui vero falſis Litteris utitur, ſi Clericus eſt, officio & beneficio eſt privandus: ſi laicus, excommunicatus eſt, donec ſatisfaciat. Idemque eſt de iis, qui falſas Litteras impetrant, *c. Ad falſariorum h. t. n.* 22. declaratur, & explicatur, *n.* 23. & 6. *ſeqq.* Q. 2. Quæ pœna ſtatuta ſit in falſarios litterarum Apoſtolicarum in Bulla Cœnæ Domini? Reſp. Pœna excommunicationis, *nu.* 30. Quænam notanda ſunt circa hanc excommunicationem, *n.* 31. & 32. *ſeqq.*

§. VI.

An in dubio præſumendum ſit, falſitatem eſſe commiſſam in Litteris impetratis a Sede Apoſtolica?

Reſp. Si quis impetravit Litteras Apoſtolicas habentes formam de ſimplici juſtitia, & in illis falſitas deprehendatur, non debet præſumi, quod illas falſaverit, nec iden puniri, quod cognita falſitate iis uti deſtiterit, *c. Accedens* 8. *h. t. num.* 34. declaratur, *num.* 35.

§. VII.

De falſitatibus quæ committuntur in aliis inſtrumentis, ſeu Litteris, & de pœnis falſantium ſigillum Principis.

Plures modi recenſentur, quibus committitur crimen falſi circa inſtrumenta, ſeu Litteras, ſive publicas, ſive privatas, *n.* 36. & 37. Pœna autem Clerici falſantis ſigillum Principis eſt, ut degradetur, & imprimatur character, ſeu ſignum quo ab aliis diſcernatur: & in exilium, extra Provinciam, mittatur, *c.* 3. *h. t. num.* 38. declaratur *n.* 39.

§. VIII.

De falſatione monetæ, & aliis modis, quibus crimen falſi in aliis rebus committitur.

Quær. 1. Quomodo, ſive quibus modis falſetur moneta? Reſp. Falſam monetam cudere dicitur ille, qui privata auctoritate, ſine conceſſione Imperatoris, ſeu ſupremi Principis, monetam cudit, etſi alias probam, vel ſi adulterini nummi cudantur, *n.* 40. Quær. 2. Quæ pœnæ Jure ſint ſtatutæ in falſarios monetæ? Reſp. Cudens falſam monetam igne comburendus eſt, & omnia ejus bona fiſco addicuntur. Secundo, quæ ſit pœna ejus, qui radit monetam, vel tingit. Tertio, qui propria auctoritate cudit monetam, etſi juſti ponderis, & materiæ, eadem pœna plectendus eſt, qua adulterinam monetam cudens, Quarto, qui monetam falſam ſciens expendit, incidit in pœnam ordinariam falſi, *n.* 41. Qui monetam in Regno Franciæ, & locis vicinis falſificant in ære, vel pondere, vel figura, vel falſas monetas ſcienter introducunt, ſententiam excommunicationis Papæ reſervatam incurrunt, *Extravag. unic. Joan. XXII. h. t. n.* 42. Quæ ſint pœnæ Alchimiſtarum, qui faciunt, vel fieri procurant fictum aurum, vel argentum, *Extravag. unic. h. tit. Inter Communes n.* 43. Ad quam reſtitutionem teneantur, qui falſam monetam cudunt, *n.* 44. Quibus modis committitur crimen falſi in aliis rebus *n.* 45.

SERIES CAPITULORUM

In Antiquis.	
c. 1. *n.* 3.	*c.* 8. *n.* 34.
c. 2. *n.* 20.	*c.* 9. *& ult. num.* 17. & *ſeq.*
c. 3. *n.* 38. *& ſeq.*	
c. 4. *in princ. nu.* 10. §. *Adjicientes n.* 12. *&* 13.	**In Extravagant. Joan. XXII.**
c. 5. *n.* 9.	*Extravag. unic. num.* 42.
c. 6. *n.* 14. & *ſeq.*	*In Extravag. Commun.*
c. 7. *n.* 22.	*Extrav. unic. nu.* 43.

TITULUS XXI.

De Sortilegiis.

§. I.

An & quibus caſibus ſint licita ſortilegia, vel illicita?

Quæ ſint, & dicantur proprie ſortilegia, ſeu ſortes. Eæ ſunt triplices, divinatoriæ, conſultoriæ, ac diviſoriæ, *n.* 1. Quær. 1. An liceat uti ſortilegiis, ſeu ſortibus divinatoriis? R. Illas eſſe ſuperſtitioſas, & illicitas, ideoque prohibitas Jure Canonico ſub gravibus pœnis. Unde *c.* 1. *h. t.* prohibentur ſortilegia pro furtis inveniendis, vel divinationibus faciendis, ſub pœnitentia 40. dierum, *nu.* 2. & *ſeq.* Qu. 2. An licitum ſit uti ſortibus conſultoriis? Reſp. Eas eſſe quandoque licitas, *nu.* 4. Quær. 3. An ſit licitum uti ſortibus diviſoriis? Reſp. Per ſe, & ſuapte natura, non ſunt illicitæ, ſed licitæ, ſi ob neceſſitatem, vel utilitatem aut juſtam cauſam fiant, *num.* 8. In quibus caſibus in ſpecie ſortes hujuſmodi ſunt licitæ, & approbatæ, *cit. numer.* 5. & 6. Per accidens tamen, & ob extrinſecas circumſtantias adjunctas aliquando ſunt illicitæ, & in quibus caſibus in ſpecie, *num.* 7.

§. II.

An ſit licitus uſus ſortium ad Prælaturas, & alia beneficia Eccleſiaſtica?

Reſp. negative. Unde in *c. h. t.* prohibetur, ne Epiſcopus per ſortes eligatur, *num.* 8. & 9. Non poteſt etiam alterius electio per ſortes dirimi, ſi duo pari ſuffragiorum numero ad beneficium aliquod ſint electi, *n.* 10. Sortes diviſoriæ non ſunt prohibitæ in electionibus ad dignitates, & Officia ſecularia, & temporalia, *num.* 11. Sed neque in electionibus Eccleſiaſticis eſt prohibitum ſortibus diviſoriis uti jure naturali, ſed ſolo Jure Eccleſiaſtico, *num.* 12. Imo etiam electio ad officia, & beneficia non eſt irrita ipſo jure, etſi poſſit irritari, *cit. nu.* 12. & 13. An licitum ſit uti ſortibus diviſoriis ad decidendas lites, non ſolum inter laicos, ſed etiam Clericos, *num.* 14.

§. III.

De pœnis ſortilegorum, & de Judice competente criminis ſortilegii.

Quær. 1. Quæ pœnæ Jure Canonico, & Civili ſtatutæ ſint in exercentes ſortilegia, & divinationes? Reſp. primo, ſi quis Sacerdos, vel alius Clericus per inſpectionem aſtrolabii furta requirit, etſi bono zelo, & ex ſimplicitate, ſuſpendi debet ad tempus a Divinis, & ab Altaris miniſterio, *c.* 2. *h. t. n.* 15. & 16. Quæ ſit pœna ſortilegii, *n.* 17. & 18. Quær. 2. Quis ſit Judex competens hujus criminis? Reſp. Judex Eccleſiaſticus, videlicet Epiſcopus, non tantum quoad perſonas Eccleſiaſticas, ſed etiam laicos, non eſt tamen crimen mere Eccleſiaſticum, ſed mixti fori, adeoque de eo cognoſcere poteſt etiam Judex ſecularis inter laicos, *nu.* 19.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.	
c. 1. *num.* 2.	*c.* 3. *& ult. numer.* 8. *& pluribus ſeqq.*
c. 2. *num.* 15.	

TITULUS XXII.

De Colluſione Detegenda.

Quær. 1. Quid ſit colluſio, & in quibus caſibus committatur? R. Colluſio eſt inter actorem, & reum occulta, & frau-

fraudulenta conventio, per quam aliquando delicta manent impunita, vel etiam committuntur, *n.* 1. Quær. 2. Quid faciendum ſit Judici, ſi actor, vel accuſator, & reus in judicio inter ſe colludant? Reſp. Si accuſator deſiſtat ab accuſatione, poteſt Judex, imo debet ex Officio inquirere, an per colluſionem deſtiterit, necne, *c.* 1. *h. t. n.* 2. Secundo, crimina ſemel audita non debent manere indiſcuſſa, etiamſi accuſatus cum accuſatore in gratiam redierit, & a Judice puniri poſſunt, *c.* 2. *n.* 3. *h. t.* Tertio ſi reus abſolutus ſit per colluſionem a criminibus, de quibus fuit accuſatus, poteſt, ſi de hoc conſtiterit, de novo inquiri, & is accuſari, *c.* 4. *h. t. n.* 4. *& ſeq.* Quær. 3. Quæ ſit pœna Clericorum colludentium in cauſa beneficiali? Reſp. Clerici, qui colluſionem faciunt in cauſa beneficiali, ut ſi Beneficiatus patiatur ſe moleſtari ab alio, & poſtea quaſi tranſegerit, actor cedat liti, & reus det illi penſionem cum futura ſucceſſione, beneficiis privari debent, *n.* 6. & 7.

SERIES CAPITULORUM,
IN ANTIQUIS.

c. 1. *num.* 2. — *c.* 3. *n.* 6. *& ſeq.*
c. 2. *num.* 3. — *c.* 4. *& ult. n.* 4.

TITULUS XXIII.

De delictis puerorum.

Quær. 1. An, & quomodo puniantur delicta puerorum? Reſp. Infantes, qui necdum ſeptimum ætatis annum exceſſerunt, excuſantur a delictis, eorumque pœnis, *n.* 1. Pueri vero, ſive impuberes doli capaces puniantur quidem ob delicta, ut furta, mendacia &c. ſed mitius, *c.* 1. *h. t. n.* 2. *& ſeq.* Imo etiam puberes, ſed minores XXV. annis mitius puniuntur, etiam in delictis gravibus, quam pœna ordinaria, *n.* 4. Qu. 2. An pater teneatur ex delicto filii impuberis? Reſp. Pueri non debent ita ſevere puniri, ſicut illi, qui ſunt majoris ætatis, ſive puberes, nec ob delictum filii impuberis pater debet puniri in pecunia, non obſtante conſuetudine loci, *c.* 2. *h. t. n.* 5. & 6. An per ſtatutum, vel conſuetudinem imponi poſſit ob homicidium, vel ſimilia delicta tantum pœna pecuniaria, *n.* 7.

SERIES CAPITULORUM.
IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 2. & 3. — *c.* 2. *n.* 5. & 5.

TITULUS XXIV.

De Clerico Venatore.

Quær. 1. An, & ſub quibus pœnis venatio, ſeu captio ferarum Clericis ſit prohibita? Reſp. Ea eſt prohibita perſonis Eccleſiaſticis ſub pœna ſuſpenſionis a communione, *c.* 1. & 2. *h. t. n.* 1. & 2. Non eſt autem prohibita Clericis venatio, ſi moderata ſit, & non nimia frequens, etiam cum laqueis, & retibus, ſi fiat cauſa neceſſitatis, vel utilitatis, vel ſanitatis, & corporalis exercitii, vel etiam honeſtæ recreationis cauſa, *n.* 3. & 4. Quær. 2. An etiam piſcatio ſit prohibita Clericis? Reſp. Eam eſſe permiſſam Clericis, *n.* 5.

SERIES CAPITULORUM.
IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 2. & 3. — *c.* 2. *n.* 2.

TITULUS XXV.

De Clerico percuſſore.

Quær. 1. An liceat Prælatis Eccleſiaſticis percutere Clericos ſubditos? Reſp. Epiſcopus Clericos delinquentes conſtitutos in minoribus Ordinibus etiam pro levibus culpis, in Majoribus vero nonniſi in gravioribus criminibus, verberibus punire poteſt, non quidem manibus propriis, ſed per alium Clericum. Prælati vero inferiores Epiſcopo etiam pro levibus culpis poſſunt verberare ſuos ſubditos regulares, per ſe vel per alium Clericum. *n.* 1. Quær. 2. Quæ ſit pœna Clerici alium etiam laicum illicite percutientis? Reſp. Clericus maxime in Sacris, ſi eſt percuſſor & monitus non deſiſtat, eſt deponendus, *c.* 1. *h. t. n.* 2. Præterea prohibetur Epiſcopis, ne enormiter alios cædi faciant, alioquin duobus menſibus a celebratione Miſſarum ſuſpenduntur, *c.* 2. *h. t. n.* 3. & 4. Quær. 3. An puniendus ſit Clericus ſtans in pugna, ſeu conflictu ex parte ſe defendentium, ſi ipſe non percuſſit, vel læſit? Reſp. Si in tali conflictu ab aliis aliqui ſunt interfecti, tunc talis Clericus per biennium ſuſpenditur a celebratione Miſſarum, *c.* 3. *h. t. n.* 5. Reſpondetur ad objectionem, *n.* 6. Clericus præſens in conflictu juſto, in quo aliqui ſunt occiſi, ſed ſine ejus facto, vel conſilio poteſt ulterius ordinari, ſed in Subdiaconum tantum, *c.* 4. *& ult. h. t. n.* 7. & 8.

SERIES CAPITULORUM.
IN ANTIQUIS.

c. 2. *n.* 2. — *c.* 4. *n.* 5. & 6.
c. 2. *n.* 3. — *c.* 4. *& ult. n.* 7. & 8.

TITULUS XXVI.

De Maledicis.

§. I.

De maledicis, & maledictis in Papam, vel Imperatorem, eorumque pœnis.

Quær. 1. Quid ſit maledictum, ſive maledictio? Reſp. Hic accipitur maledictio pro convitio, quando affirmatur de aliquo malum aliquod, *v. g.* quod ſit fur, *n.* 1. Quær. 2. Quæ ſit pœna maledicentis Papæ? Reſp. Maledicens Papæ ſic eſt puniendus, ne deinceps contra Romanam Eccleſiam loquatur, & ut alii deterreantur, *c.* 1. *h. t. n.* 2. & 3. An a maledicente injuria ſibi illata ſit remittenda, *n.* 4. Clericus maledicens Papæ Judicis arbitrio eſt puniendus, *n.* 5. Prælatus Papa inferior, ſi injuria ipſi illata contingat Eccleſiam ſuam, poteſt injuriantem punire, & excommunicare, *cit. n.* 5. Qu. 3. qua pœna afficiendus ſit maledicens Imperatori, vel alii Principi ſupremo? Reſp. Puniendum eſſe pro arbitrio ipſius Principis, & quidem graviter, *n.* 6.

§. II.

De maledictione, ſeu blaſphemia in Deum, & Sanctos, eorumque pœnis.

Quær. 1. Quid ſit blaſphemia? Reſp. eſt negare aliquid Deo, quod ei convenit, vel aliquid de Deo aſſerere, quod ei non convenit, *n.* 7. Quær. 2. Quæ pœnæ Jure Canonico ſint ſtatutæ in blaſphemantes Deum, & Sanctos? Reſp. Olim in Veteri Lege erat pœna mortis. Nunc Jure Canonico Clerici ob hoc crimen deponendi ſunt ab Ordine, & Officio Clericali, laici vero excommunicandi, *n.* 8. Quæ pœna ſit noviore Jure Canonico ſtatuta in blaſphemantes Deum, vel aliquem Sanctum, decernitur in *c.* 2. *h. t. cit. n.* 8. declaratur *n.* 9. 10. & 11. Alia præterea pœnæ ſtatutæ ſunt, tum in Clericos, tum in laicos blaſphemantes in Concilio Lateranenſi *Seſſ.* 9. ſub Leone X *n.* 11. Quær. 3. Quæ ſit pœna blaſphemiæ de Jure Civili? Reſp. Eſt pœna mortis ſi quis ex conſuetudine blaſphemet, & in hoc ſit incorrigibilis, *n.* 12. Blaſphemus etiam a teſtimonio ferendo repellitur, *n.* 13. Quær. 4. Quis ſit Judex competens in hoc crimine? Reſp. Eſt crimen mixti fori, adeoque punire poteſt Judex Eccleſiaſticus etiam laicum, & ſecularis, *n.* 14.

SERIES CAPITULORUM.
IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 2. *& tribus ſeqq.* — *c.* 2. *& ultim. num.* 8. *& tribus ſeqq.*

TITULUS XXVII.

De Clerico, excommunicato, depoſito, vel interdicto miniſtrante.

§. I.

Quæ ſit pœna Clerici depoſiti miniſtrantis, vel exercentis actum Ordinis, vel Officii ſibi prohibiti: & quæ ſit pœna Clerici excommunicati, vel ſuſpenſi, vel interdicti celebrantis Divina Officia?

Aſſertio 1. Clericus depoſitus, ſive perpetuo remotus ab Ordinibus, & gradibus Eccleſiaſticis propter crimen, ſi celebret, vel actum Ordinis aut Officii, a quo eſt depoſitus, exerceat, excommunicari debet, *c.* 1. *h. t. n.* 1. & 2. Similiter Presbyter, vel alius Clericus degradatus, vel ab Officio depoſitus, ſi per contemptum præſumat miniſtrare in actu ſibi prohibito, & monitus ab Epiſcopo non deſiſtat, excommunicari debet, & qui cum eo communicaverit, eſt excommunicatus. Quod ſi adhuc perſiſtat in eodem, per Poteſtatem ſecularem, ad requiſitionem Eccleſiæ, exilio damnetur, *c.* 2. *h. t. n.* 3. Aſſ. 2. Clerici excommunicati, ſuſpenſi, vel interdicti celebrantes divina officia, ſi moniti non deſiſtant, ſunt perpetuo deponendi, *c.* 3. *h. t. n.* 4. & 5. Quando multi excommunicati, interdicti, vel ſuſpenſi præſumunt celebrare Divina Officia, ſi non excedunt numerum XL. omnes ab Officio Sacerdotali deponuntur in perpetuum. Si vero excedant, & ſit multitudo magna: tunc deponuntur in perpetuum tantum hi, qui magis dederunt cauſam delicti: alii vero ad tempus, ſed omnibus injungitur pœnitentia, arbitrio Epiſcopi, *c.* 4. *h. t. n.* 6. & 7. Alia pœna decreta eſt in excommunicatos præſumentes celebrare Divina Officia, quod privandi ſunt omnibus Beneficiis Eccleſiaſticis, *c.* 6. *h. t. n.* 8. & 9. Præſumentes celebrare Divina Officia in loco interdicto, ſi ſunt Clerici, privandi ſunt beneficiis Eccleſiaſticis; ſi vero Monachi aut Moniales, in arctiora Monaſteria ad agendam pœnitentiam ſunt detrudendi, *c. Poſtulaſti* 7. §. *Quæſiviſti h. t. n.* 10.

§. II.

An qui dubitat ſe eſſe excommunicatum, qui per ſolam famam audivit, ſententiam excommunicationis contra ſe latam eſſe, ſi poſtea celebret Officia Divina, incidat in pœnas Canonum contra excommunicatos celebrantes Officia Divina decretas?

Reſp. affirmative, ſpectato Juris rigore, quamvis ex miſericordia Papa cum illo diſpenſare poſſit, *c. Illud* 9. *h. t. n.* 11. declaratur *n.* 12. & 13.

§. III.

An excommunicatis poſſint conferri beneficia Eccleſiaſtica, & quæ pœna imponi debeat iis, qui Beneficia iiſdem conferunt?

Clericis excommunicatis beneficia Eccleſiaſtica conferri non poſſunt, nec illi valent ea licite retinere, niſi cum eis fuerit ex miſericordia diſpenſatum, quia illa non fuerunt canonice conſecuti, *c. Poſtulaſti* 7. *in princ. h. t.* & collatio facta eſt ipſo jure nulla, *n.* 14. Extenditur autem primo, quod excommunicatis non poſſunt conferri beneficia, ſive excommunicatio ſit lata a Jure, ſive ab homine, publice, vel occulte, *n.* 15. Secundo, collatio beneficii eſt nulla, etiam excommunicatio injuſta fuerit, modo valide ſit lata, *n.* 16. Tertio, etſi collatio beneficii ſit facta motu proprio, *num. eod.* Quarto, quod nec in foro conſcientiæ licite retineri poſſit beneficium excommunicato collatum, *numer.* 17. Quinto, quod collatio ſit nulla, ſive ſit beneficium curatum,

ſive ſimplex, ex minoribus, vel majoribus. Idemque eſt de Officiis Eccleſiaſticis collatis excommunicato, etiam ad tempus ſolum, *n.* 18. Sexto, neque penſio Eccleſiaſtica ſpiritualis excommunicato aſſignari poteſt, *n.* 19. Septimo, etiam electio, poſtulatio, confirmatio, præſentatio aut nominatio ad beneficium excommunicati eſt irrita, *n.* 20. Limitatur autem primo. quod excommunicatis conferri poſſunt beneficia, ſi excommunicatio fuit invalida. Secundo, ſi collatio beneficii abſenti facta ſit, ante excommunicationem, iſque poſtea excommunicatus eam acceptet, valida eſt acceptatio, *n.* 21. Tertio, quando quis excommunicatur, poſt collationem beneficii factam, etſi ea nondum ſit executioni data, valida eſt collatio, *cit. n.* 21. Quarto, poſſeſſor beneficii triennalis etſi collatio ei facta ſit tempore, quo erat excommunicatus, non poteſt amplius moleſtari, *n.* 22. Quinto, ſi quia excommunicatus eſt poſt appellationem, & a pendente, conferatur ei beneficium, valida eſt collatio, *n. eod.* Sexto, valida eſt proviſio de beneficio alicui facta a Papa, vel ejus Legato, cum clauſula abſolutionis a cenſuris ad effectum gratiæ factæ, *n. eod.* Septimo, ſi excommunicatus beneficii ſibi ante excommunicationem collati poſſeſſionem apprehendat, valet illius adeptio, *cit. n.* 22. Pœna vero imponenda ſcienter conferentibus beneficia excommunicatis eſt ſuſpenſio a collatione beneficiorum, donec ſuper hoc veniam conſequi mereantur, *c. Poſtulaſti* 7. §. *Illi vero h. t. nn.* 23. & 24. Sed iis, qui recipiunt beneficium in excommunicatione, nulla alia pœna reperitur jure impoſita, niſi quod collatio ſit nulla, *n.* 25.

§. IV.

Proponuntur, & reſolvuntur alia nonnulla quæſtiones circa collationem beneficium excommunicatis factam.

Quær. 1. An cum eo, qui in excommunicatione beneficium obtinuit, poſſit diſpenſari, & a quo Reſp. Poſſe diſpenſari, & quidem ab Epiſcopo, qui illud contulit, *cit. c. Poſtulaſti n.* 26. & 2. *ſeqq.* Quær. 2. An collatio beneficii facta ei, qui prius fuit excommunicatus, ſed poſtea tempore collationis abſolutus, valeat? Reſp. affirmative, juxta, *c. Propoſuit* 8. *h. t. n.* 29. Unde ſemel publice excommunicatus, niſi probetur abſolutus, *nn.* 30. Collatio beneficii facta excommunicato abſoluto vi Bullæ Cruciatæ, vel Jubilæi, vel privilegii Apoſtolici, in foro conſcientiæ tantum, eſt ipſo jure invalida quoad effectus, & pœnas fori externi, *n.* 31.

§. V.

An, & quando Clericus excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, exercens actum Ordinis ſibi prohibitis, fiat irregularis, & quæ conditiones requirantur ad hanc irregularitatem incurrendam?

Aſſertio 1. Si exiſtens in majore excommunicatione, ſcienter exerceat actum proprium, ſaltem Ordinis majoris ex Officio, fit irregularis, *nn.* 32. Secundo, ſi ſuſpenſus exerceat ſolemniter actum proprium Ordinis majoris, a quo eſt ſuſpenſus, fit irregularis, *n.* 33. Tertio, ſi perſonaliter interdictus exerceat actum Sacri Ordinis, a quo eſt interdictus, ſive prohibitus, fit irregularis, *nn.* 34. Aſſertio 2. Ut excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus incurrat irregularitatem propter exercitium Ordinis ipſi prohibiti, duo requiruntur. Primo, ut exerceat actum proprium Ordinis, ſacri, ſive majoris, a quo eſt ſuſpenſus, vel prohibitus. Secundo, ut actum Ordinis majoris proprium ſolemniter exerceat, ita ut ſecundum jus aut conſuetudinem Eccleſiæ non poſſit talis actus exerceri, niſi ab habentibus talem Ordinem, *n.* 35. & 36. Ubi id declaratur. Non fit irregularis ſi cenſura ligatus exerceat actum aliquem juriſdictionis ſpiritualis fori externi, *cit. n.* 36.

§. VI.

An ſi Clericus cenſura ligatus exerceat actus minorum Ordinum, irregularitatem incurrat: & quando talis Clericus irregularis non fiat, etiamſi actum proprium Ordinis exerceat?

Circa priorem quæſtionem duplex eſt ſententia. Prima eſt, Clericos minorum Ordinum cenſura ligatos, miniſtrando in aliquo ex iiſdem Ordinibus, fieri irregulares, *num.* 37. Altera ſententia negat eos fieri irregulares, *num.* 38. Verius eſt, ſi Clerici minores excommunicati, ſuſpenſi, vel Interdicti, ſolemniter & ex proprio Officio, tanquam miniſtri ad id deputati, Eccleſiaſtica ſua miniſteria peragant, fieri irregulares, quamvis ſecundum præſentem Eccleſiæ uſum, raro, incurratur hæc irregularitas, quia nunc a laicis ſolent exerceri miniſteria Clericorum in minoribus, *num.* 39. Circa poſteriorem quæſtionem reſpondetur, Clericus excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, etſi actum proprium Ordinis exerceat, non fit irregularis, ſi ex invincibili ignorantia id faciat; ſecus ſi ex ignorantia craſſa, & culpabili, *c. Apoſtolicæ h.* 9. *t.* 40. & 41. Secundo, ſi cenſura ligatus exerceat actum proprium Ordinis ſibi prohibiti, ob vitandum grave ſcandalum, vel infamiam, non fit irregularis: item ſi Sacerdos cenſura ligatus in articulo mortis conſtitutum abſolvat, ob defectum alterius Confeſſarii, *nn.* 42. Tertio, ſi cenſura ligatus, poſt appellationem a ſententia cenſuræ contra ſe lata, ante abſolutionem a cenſura, exerceat actum proprium Ordinis, non fit irregularis, *n.* 43. Quarto, ſi quia cenſura ligatus ſit per cenſuram invalide latam, non fit irregularis, exercendo actum proprium Ordinis, *num.* 44.

§. VII.

An etiam ligatus minor excommunicatione fiat irregularis, celebrando Miſſam, vel alios actus Ordinis exercendo?

Excommunicatus minore excommunicatione, ſi celebret, peccat, ſed non fit irregularis, & poteſt eligere ad beneficia Eccleſiaſtica, & exercere ea, quæ ſunt juriſdictionis. Quod ſi fuit ſcienter electus, ejus electio eſt irritanda, *c. ult. in princ. h. t. nn.* 45. & 46. Quær. 2. An electio excommunicatione minore ligati ad beneficium Eccleſiaſticum ſit ipſo jure nulla? Reſp. Non eſſe nullam, etſi ſcienter facta ſit, ſed irritandam per ſententiam Judicis, *nn.* 47. & 48. Quær. 2. An ſi exiſtens in minore excommunicatione ad beneficium eligatur ignoranter, electio debeat irritari? Reſp. Probabilius eſt, non eſſe irritandam, *nn.* 49. Quando actus ab ignorante ceſtus ſit invalidus, vel irritandus aut validus? *n.* 50. Quær. 3. An etiam electio ejus, qui minore excommunicatione eſt ligatus, ad beneficia Eccleſiaſtica ſimplicia ſit irritanda? Affirmant plures, ſed contrarium eſt etiam probabile, *num.* 51.

§. VIII.

An, & quomodo peccet ligatus minore excommunicatione, conferendo, vel adminiſtrando Sacramenta?

Reſp. Etſi ligatus minore excommunicatione peccet conferendo Sacramenta, ea tamen ab ipſo collata effectum habenti, ſive gratiam conferunt, quia eſt ſolum remotus a perceptione Sacramentorum, non autem a collatione eorum: dummodo non in contemptum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & contra prohibitionem Eccleſiæ, communioni excommunicatorum pertinaciter ſe ingeſſerit, quo caſu majore excommunicatione eſt ferendus, nempe ſententiam, ſi communicatione eſt ferendus, nempe per ſententiam, ſi commonitus non deſtiterit a communicatione cum excommunicatis, *cit. c. ult.* §. *peccat. autem h. t. num.* 52. & 53. Sed quomodo peccat ligatus minore excommunicatione, ſi Sacramenta conferat? Reſp. Non peccare graviter, ſi talis excommunicatus Sacramenta ſolum conferat, ſed non recipiat: peccat tamen leviter, quia non caret aliqua culpa, & indecentia, quod excommunicatione, etſi minore conſtitutus Sacramentum miniſtret, *num.* 54.

SERIES CAPITULORUM

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 1. *&* 2.	§. *Illi vero n.* 23. *& ſeq.*
c. 2 *n.* 3.	*c.* 9. *n.* 29. *&* 30.
c. 3. *n.* 4. & 5.	*c.* 9. *num.* 42.
c. 4. *n.* 6. & 7.	*c.* 10. *& ult. in princ. n.*
c. 5. *n.* 11. *& duob. ſeq.*	45. *& duobus ſeqq.* §.
c. 6. *n.* 8. & 9.	*Peccat autem num.* 52.
c. 7. *in princ. n.* 14. §. *Quaſiviſti n.* 20. *&*	*&* 54. *& eod.* §. *in fine n.* 53.

TITULUS XXXVIII.

De Clerico non Ordinato miniſtrante.

Quær. 1. An irregularis fiat, & quam pœnam incurrat Clericus, qui miniſtrat in Ordine, quem non habet? Reſp. Si Clericus miniſtraverit in Ordine, quem non habet, deponendus eſt, & abjiciendus ab Eccleſia, nec amplius ordinandus, *c.* 1. *h. t. num.* 1. Item ſi Diaconus Miſſam celebret, non poteſt promoveri ad Sacerdotium, ac debet ſuſpendi a Diaconatu, quamvis cum eo in beneficio ad tempus diſpenſari poſſit, *c.* 3. *h. t. n.* 2. Qui miniſtrat in Ordine ſuperiore, quem non habet, v. gr. Diaconus in Officio Sacerdotis, abjiciendus eſt ex Eccleſia, adeoque excommunicandus, & fit irregularis, ut non poſſit unquam ad altiores Ordines promoveri, *num.* 3. Sed quæritur hic primo, an ſi laicus exerceat actus Ordinis alicujus, fiat irregularis? Affirmant communiter DD. ſed probabile quoque eſt, non fieri, quia qui miniſtrat in Ordine, quem non habet, eſt non fieri, quia qui miniſtrat in Ordine, quem non habet; eſt deponendus, depoſitio autem eſt propria Clericorum, & in laicis locum non habet, *nn.* 4. Quær. 2. Quæ requirantur ad incurrendam irregularitatem ab eo, qui miniſtravit in Ordine, quem non recipit? Reſp. Plura requiri, quæ enumerantur, *num.* 5. & 4. *ſeqq.* Quær. 3. Quis in hac irregularitate poſſit diſpenſare? Reſp. Solus Papa poteſt, ut talis ad ſuperiores Ordines aſcendat, at vero ut poſſit exercere Ordinem jam ſuſceptum etiam Epiſcopus poteſt diſpenſare: *num.* 10. Quomodo puniendus ſit, ſi non Sacerdos Miſſam celebret, vel confeſſionem Sacramentalem audiat a Conſtitutione Clementis VIII. *n.* 11.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. *num.* 1. 3. 4. *&* 5.	*c.* 2. *num* 2. & 3.

TITULUS XXXIX.

De Clerico per Saltum promoto.

Quis dicatur per ſaltum promotus, *n.* 1. Q. 1. An ordinatus per ſaltum, ut ſi quis ſuſcipiat Ordinem Diaconatus, ante ſubdiaconatum, fiat irregularis, ita ut non poſſit uti Ordine ſuſcepto, nec Ordinem prætermiſſum ſuſcipere, niſi cum eo diſpenſetur? R. Talis non eſt quidem irregularis, ſi non miniſtravit in Ordine per ſaltum recepto, eſt tamen ipſo jure ſuſpenſus ab executione Ordinis ſic ſuſcepti, donec Ordo inferior omiſſus ſuppleatur. Unde qui ignoranter ex ſubdiacono factus eſt Presbyter, omiſſo Diaconato, poſt peractam pœnitentiam, in Diaconum ordinari debet, quia non intelligitur iteratum, quod factum eſſe neſcitur: poteſt tamen poſtea cum illo quoad Sacerdotium diſpenſari, *c. unic. h. t. n.* 2. *&* 3. Si per ſaltum promotus ante abſolutionem ſuſpenſionis, miniſtrat in Ordine ſic ſuſcepto, vel etiam in Ordine prætermiſſo, fit irregularis, & poteſt Epiſcopus cum eo diſpenſare, *num.* 4. Ordinatus per ſaltum eſt ſuſpenſus tantum ab eo Ordinatus per ſaltum eſt ſuſpenſus tantum ab eo Ordine, quem per ſaltum ſuſcepit, & ſi in eo miniſtravit, fit irregularis, *numer.* 5. An, & quatenus Epiſcopus cum ordinatis per ſaltum diſpenſare poſſit *citat. num.*

Digitized by Google

num. 5. & 6. Quænam præterea notanda ſunt circa ordinatos per ſaltum, *n.* 7. & 8. Ad SS. Ordines ſuſcipiendos non requiritur de neceſſitate Sacramenti uſus rationis, ſive anni diſcretionis, *n.* 9. Quær. 2. An qui Ordinem recipit, ante ſuſceptum Sacramentum Confirmationis, fiat irregularis? Reſp. negative, *n.* 10.

SERIES CAPITULORUM:

IN ANTIQUIS.
c. unic. num. 2. *& duobus ſeqq.*

TITULUS XXX.

De eo, qui furtive ordinem ſuſcepit.

Quis dicatur furtive Ordines ſuſcipere? *num.* 1. Quær. 2. Quæ ſit pœna furtive ſuſcipientis Ordines?

Reſp. Qui furtive ſuſcepit Ordinem, ſi contra hoc facientes lata erat excommunicatio, non poteſt in ſic ſuſcepto miniſtrare, nec ad ſuperiorem Ordinem aſcendere, ſine diſpenſatione Papæ: ſed ſi excommunicatio lata non erat, Epiſcopus poterit diſpenſare, *c.* 1. *h. t. n.* 2. declaratur *n.* 3. & *n. ſeqq.* Quær. 2. Quæ ſit pœna ejus, qui ſimul, & eodem die plures Ordines recipit? Reſp. primo, qui furtive, ſive ignorante Epiſcopo ordinante, eodem die recipit IV. minores Ordines, & ſubdiaconatum, poteſt Epiſcopus permittere, ut in minoribus Ordinibus miniſtret. Quod ſi Religionem ingreſſus eſt, poteſt Abbas illius diſpenſare cum illo quoad exercitium Ordinis Subdiaconatus, *c.* 2. *h. t. n.* 6. & *ſeq.* Reſp. ſecundo, ſi quis duos Ordines Sacros eodem die ſuſcipiat, præceptum Epiſcopi id ſub excomunicatione prohibentis, ſuſpenſionem incurrit, ut in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare non poſſit, niſi cum eo diſpenſetur, *c.* 3. *h. t.* n. 8. & 9.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.	*c.* 2. *n.* 6. *& ſeq.*
c. 1. *n.* 2. *& tribus ſeqq.*	*c.* 3. *& ult.* n. 8. & 9.

TITULUS XXXI.

De exceſſibus Prælatorum, & Subditorum.

§. I.

Qualiter poſſint ac ſoleant Prælati Eccleſiaſtici excedere, ſeu delinquere in ſubditos Clericos?

Aſſertio 1. Delinquunt inprimis Epiſcopi, aliique Prælati, ſi Clericos ſubditos talliis, vel exactionibus indebitis gravant, & niſi ad voluntatem ſuam pecuniam ſolvant. Divinum Officium interdicunt, vel injuſte, & illicite cenſuras in eos ferunt, vel alias viliter, & inhoneſte eos tractant, ut ipſos laicis deſpicabiles reddant: ideoque mandatur in *c.* 1. *h. t.* ut Epiſcopi Presbyteros, & alios Clericos quaſi filios, & fratres benigna, & fraterna charitate foveant, & tractent, *n.* 1. & 2. Aſſer. 2. Delinquunt etiam Epiſcopi, ſi ſine legitima cauſa Eccleſiam alteri ſubjectam, ab ejus ſubjectione, & obſequio liberent, *c.* 2. *h. t. n.* 3. & 4. Aſſert. 3. Delinquunt etiam Epiſcopi, aliique Prælati, ſi Eccleſias, vel beneficia, quarum ordinatio, vel collatio ad eos ſpectat, ſibi retineant, vel ſibi ipſis conferant, *c.* 3. *h. t. n.* 5. & 6. Aſſ. 4. Epiſcopi, aliique Prælati delinquunt quoque, ſi Eccleſias, vel beneficia conferant indignis: & qui confert beneficium ſecundo, ante ceſſationem primæ collationis, privari debet pro ea vice poteſtate conferendi, *c. Inter* 11. *h. t. n.* 7. 8. & 9. Aſſertio 4. Delinquunt Epiſcopi, aliique Prælati, ſi impediant privilegia ſubditorum; ideoque hi non tenentur parere Superiori exigenti, vel præcipienti aliquid contra tenorem ſuorum privilegiorum, *c. Sane* 5. *h. t. n.* 10. & 11. Unde ſententia excommunicationis lata ab Epiſcopo contra ſubditum non parentem in iis, quæ contra privilegium ſibi conceſſum exigebantur ab illo, non tenet, *c. Cum ad quorundam* 7. *h. t. n.* 12. Aſſertio 6. Graviter etiam delinquit Epiſcopus, qui directe, vel indirecte cauſam præſtat homicidio, eo enim commiſſo, fit irregularis, ita ut privari debeat Officio Pontificali & Sacerdotali, & ab Epiſcopatus adminiſtratione amoveri, *c. Ex litteris* 10 *h. t. nu.* 13. declaratur, *n.* 14. *& ſeq.* Aſſert. 7. Aliud delictum Prælatorum eſt, ſi Sacerdotes ſibi ſubjectos cogant ad revelandum peccatorem, vel peccatum auditum in Confeſſione Sacramentali, *c. Dilectus* 13. *h. t. n.* 16. declaratur, *n.* 17.

§. II.

De quibuſdam ſpecialibus delictis Prælatorum Epiſcopis inferiorum.

Quær. 1. An Prælatis Epiſcopo inferioribus prohibitum ſit unire Eccleſias ſibi ſubjectas, ſine conſenſu Epiſcoporum? Reſp. affirmative, nec quidem interveniente conſenſu Metropolitani, *c. Sicut* 8. *h. t. n.* 18. declaratur, *n.* 19. Qu. 2. Quinam actus ad Epiſcopalem juriſdictionem ſpectantes prohibeantur exerceri a Prælatis inferioribus? Reſp. ad dignitatem Epiſcopalem ſpectat cognoſcere de cauſa matrimoniali, injungere publicas pœnitentias, concedere Indulgentias, & ſimilia: unde inferior Prælatus his ſe intromittere non poteſt, niſi ex ſpeciali jure, aut conceſſione ei id competat, *c. Accedentibus* 12. *h. t. n.* 20. declaratur, *n.* 21. *& ſeq.* Ex conſuetudine etiam legitime præſcripta poſſunt Prælati inferiores Epiſcopo acquirere facultatem concedendi indulgentias, *num.* 23.

§. III.

De gravaminibus, quæ Prælati, aliique Clerici interdum inferre ſolent Religioſis.

Præcipitur Epiſcopis, aliiſque Prælatis, & Rectoribus Eccleſiarum, ne gravamina inferant Religioſis, quorum 15. enumerantur in *c. Nimis* 16. *h. t. n.* 24. Et præter illa prohibentur etiam alia XII. gravamina inferri FF. Prædicatoribus, & Minoribus, *c. Nimis* 17. *h. t. n.* 25. & 26. Denique alia XXX. gravamina, quæ Epiſcopi Religioſis inferebant, enumerantur in *Clem. unic. h. t.* & prohibetur, ne eis inferant, ſed ut Religioſos cum charitate foveant, & eorum privilegia ſervari faciant, *n.* 27.

§. IV.

De exceſſibus, ſeu delictis ſubditorum in prælatos, ſeu Superiores ſuos.

Aſſertio 1. Delinquunt inprimis ſubditi in Prælatos ſuos, ſi violent interdicta ab iis lata, etiam Epiſcopi, non ſervando interdictum latum a Papa, *c. Tanta* 18. *& ult. h. t. nu.* 28. declaratur, *n.* 29. & 30. Aſſert. 2. Delinquunt etiam ſubditi Clerici, qui Epiſcopum, ſeu Prælatum ſuum negant eſſe Dominum ſuum: vel ad ſecularem Judicem in cauſa ſpirituali ipſum trahunt, vel conſilium præbent Adverſariis ejuſdem contra ipſum, deponi enim debent, & privari beneficiis, & aliis idoneis conferri, *c. Gravem* 15. *h. t. n.* 31. declaratur, *n.* 32. Aſſertio 3. Delinquunt quoque ſubditi Clerici privati, & ſeculares, qui non faciunt Collegium, ſi ſine conſenſu Superioris ſui commune ſigillum habent, eoque utantur, *c. Dilecta* 4. *h. t. n.* 33. Declaratur, *n.* 34. Aſſertio 4. Delinquunt etiam Vicarii Eccleſiarum, qui perſonatum ſibi uſurpant, contra fidem & juramentum præſtitum, ſi enim de hoc confeſſi, vel convicti fuerint, ad executionem ſui officii admitti non debent, *c. Illud* 6. *h. t. n.* 35. Præterea prohibentur adhuc alia duo delicta Clericorum, ſub gravibus pœnis. Veluti primo, ne de gravibus criminibus publice glorientur, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & beneficio, ſi ſcandalum ſit ſecutum, *c. Quam ſit* 9. *h. t. n.* 36. & 37. Alterum delictum eſt Sodomia, nam Sodomitæ, ſi Clerici ſint, debent deponi ab Ordine Clericali, & in Monaſterium detrudi ad agendam pœnitentiam: ſi laici, excommunicandi ſunt, *c. Clerici* 4. *h. t. n.* 38.

§. V.

De probatione facta Religioſis mendicantibus, ut non poſſint nova loca acquirere ad habitandum, nec antiqua alienare, vel mutare.

Religioſi mendicantes non poſſunt recipere de novo domos, vel loca quæcunque, aut recepta mutare, vel alienare in alios, ſine ſpeciali licentia Papæ. Non tamen prohibitum eſt, ut qui de licentia ſuorum Superiorum voluerint agere vitam Eremiticam, ſeu ſolitariam, non poſſunt eligere, ſeu acquirere, ac mutare domos in locis ſolitariis, ubi non habitant ſeculares, *c. unic. h. t. in* 6. *n.* 39. & 40. Hodie poſt Concil. Trid. non poſſunt Religioſi nova loca erigere, ſine Epiſcopi, in cujus Diœceſi eligenda ſunt, licentia prius obtenta, *n.* 41.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.	*c.* 12. *n.* 20. *& duobus ſeqq.*
c. 1. *n.* 1. & 2.	*c.* 13. *n.* 16. *& ſeq.*
c. 2. *n.* 3.	*c.* 14. *n.* 33. *& ſeq.*
c. 3. *n.* 5.	*c.* 15. *n.* 31. *& ſeq.*
c. 4. *n.* 38.	*c.* 16. *n.* 24.
c. 5. *n.* 10.	*c.* 17. *n.* 25. *& ſeq.*
c. 6. *n.* 35.	*c.* 18. *& ult. n.* 28. *& duobus ſeqq.*
c. 7. *num.* 12.	IN SEXTO.
c. 8. *n.* 18. *& ſeq.*	*c. unic. n.* 39. *& ſeq.*
c. 9. *num.* 36. *& ſeqq.*	IN CLEMENTINIS.
c. 10. *n.* 13. *& duobus ſeqq.*	*Clement. unic. n.* 27.
c. 11. *n.* 6. *& duobus ſeq.*	

TITULUS XXXII.

De novi operis nunciatione.

§. I.

De novi operis nunciatione, ejuſque materia, forma, & aliis cauſis, ac circumſtantiis.

Quær. 1. Quid ſit novi operis nunciatio? Reſpon. eſt novi operis, ſive ædificii per ſolemnem Edicti denunciationem prohibitio, *n.* 1. Qu. 2. In quibus rebus, ſive operibus locum habeat novi operis nunciatio? Reſp. in rebus Soli, ſeu immobilibus, ſive in iis operibus, quæ ſolo conjuncta, aut conjungenda ſunt, & in eo fiunt, *n.* 2. Hæc nunciatio novi operis habet etiam locum in ædificatione novæ Eccleſiæ; nam Eccleſia ædificata in præjudicium alterius Eccleſiæ, poſt denunciationem novi operis, debet demoliri, ſeu deſtrui, *c.* 1. *h. t. n.* 3. & 4. Qu. 4. Ubi & cui fieri poſſit nunciatio novi operis, *n.* 6. Qu. 5. Quibus modis, & quando fieri poſſit nunciatio novi operis? *n.* 7.

§. II.

Quis ſit effectus nunciationis novi operis?

Effectus primarius eſt, ut quicquid ædificatum eſt, poſt nunciationem factam totum demoliri debeat, expenſis ipſius ædificantis, etſi ædificatum fuit abſente domino, *c.* 2. *h. t. n.* 8. *& tribus ſeqq.* Debet autem denunciatus, poſt novi operis denunciationem, ab ædificando ceſſare, & opus cœptum deſtruere, ſive jure ſit facta denunciatio, quia is nullum jus ædificandi habet: ſive injuſte, quia jus habet ad ita ædificandum, *n.* 12. Ob vitandum ſcandalum non ſunt omittenda, quæ ſine peccato mortali omitti non poſſunt, nec facienda, quæ ſine peccato mortali committi non poſſunt, *c.* 2. §. *Super eo h. t. n.* 13. & 14.

§. III.

Quibus caſibus, & modis ceſſet nunciatio novi operis, ita ut vim, & effectum non habeat?

Ceſſat primo, ſi nuncians remiſit nunciationem factam ædificanti novum opus, *n.* 15. Secundo ceſſat, ſi nuncians cautionem recepit a denunciato de opere demoliendo, ſi

conſtiterit ipſum jus ædificandi non habuiſſe, *n.* 16. Nam in opinione nunciantis eſt, an intra tres menſes de præjudicio ſuo velit oſtendere, ut interim ceſſetur ab opere: an vero recepta cautione de opere demoliendo, ſtatim ædificare permittat, *c.* 3. *h. t. n.* 17. & *ſeq.* Similiter ſi is, qui denunciat, vult probare ſuum jus, qui ædificat, etiamſi offerat cautionem de deſtruendo opere, exſpectare debet per tres menſes, & interim ceſſare ab edificio, *c.* 4. & *ult. h. t. nu.* 19. & *duobus ſeqq.* Quibus præterea modis ceſſet nunciatio novi operis, *n.* 22. & *duobus ſeqq.*

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 2. & *ſeq.* *c.* 2. *in princ. numer.* 8. & *tribus ſeqq.* & *numer.* 15. §. *Super* *eo. nu.* 17. & *ſeq.* *c.* 3. *n.* 17. & *ſeq.* *c.* 4. & *ult. n.* 19.

TITULUS XXXIII.

De Privilegiis, & Exceſſibus Privilegiorum.

SECTIO I.

De privilegiis in communi.

§. I.

Quid ſit privilegium, & an ad illius ſubſtantiam requiratur ſcriptura, & quomodo a diſpenſatione differat.

Privilegium accipitur vel pro inſtrumento, vel magis proprie pro ipſo beneficio, ſeu gratia quæ alicui a Principe conceditur, & in ipſo inſtrumento continetur, *n.* 1. Aſſertio 1. Privilegium late acceptum eſt lex privata ſpeciale beneficium, vel favorem concedens. Stricte vero ſumptum eſt alicujus rei, ſive jus ſpecialis, contra jus commune, ex Principis benevolentia conceſſio, *n.* 2. Interdum tamen a Principe conceduntur, quæ etiam a Jure communi conceſſa ſunt, ad majorem confirmationem, & ſecuritatem, *n.* 3. Aſſertio 2. Ad ſubſtantiam privilegii non requiritur, ut ſit ſcriptum, *n.* 4. Aſſertio 3. Diſpenſatio a privilegio in communi differt tanquam ſpecies a genere; e privilegio autem contra Jus non differt diſpenſatio, ſi ea concedatur ad operandum ordinarie, & ſtabiliter contra aliquod Jus commune: ſi vero concedatur diſpenſatio ſolum ad unum aliquem, vel alterum actum contra legem, & jus commune, v. g. ut uno vel altero die liceat carnibus veſci die prohibito, tum non eſt privilegium proprie dictum, per quod jus permanens conceditur, *n.* 5.

§. II.

Quotuplex ſit privilegium, ſive quomodo dividatur, & quis poſſit concedere privilegium, & quibus concedere poſſit?

Aſſertio 1. Privilegium inprimis aliud eſt perſonale, quod immediate & directe ipſi perſonæ conceditur, eamque ſequitur, & cum ea extinguitur. Aliud eſt reale, quod proxime & immediate conceditur alicui rei, loco vel muneri, ac dignitati, eique cohæret ac durat, quamdiu res durat, *n.* 6. Unde in dubio cognoſci poſſit, an ſit privilegium perſonale, an reale? *numer.* 7. Rurſum privilegium aliud eſt perpetuum, quod perpetuo durat, quamdiu revocatum non fuerit: aliud temporale, quod ad certum tempus, vel ſub certa conditione conceditur, qua impleta, finitur, *nu.* 8. Aſſertio 2. Privilegium concedere poteſt omnis & ſolus ille, qui poteſt legem condere, qui vero non poteſt, nec privilegium dare poteſt, *nu.* 9. Aſſert. 3. Privilegium non ſolum ſubditis, ſed etiam aliis non ſubditis, ſive extraneis concedi poteſt, *num.* 10. An per conſuetudinem acquiri poſſit privilegium? Reſp. conſuetudo habet vim privilegii, ita ut derogare poſſit Juri communi, ſicut privilegium, *nu.* 11. An requiratur juſta cauſa ad conceſſionem privilegii? Reſp. ut ſit licita, neceſſaria eſt juſta cauſa, non autem, ut ſit valida, *num.* 12.

§. III.

De interpretatione privilegiorum.

Quær. 1. Qualis interpretatio fieri debeat in privilegiis, ſtricta, an lata? Reſp. primo, privilegia, quæ meræ gratiæ ſunt, nec cedunt in præjudicium alterius, late interpretari oportet, *num.* 13. Reſp. ſecundo, privilegia, quæ derogant juri communi, regulariter ſtrictæ interpretationis eſſe debent, & reſtringi, *num.* 14. Excipi debet, niſi privilegium derogans juri communi cedat in favorem Religionis, vel cauſæ piæ, vel boni publici. Secundo, niſi privilegium ſit in Corpore Juris contentum, tunc enim favorabile eſt. Tertio, ſi privilegium ſit conceſſum, motu proprio Principis, etſi deroget Juri communi, *cit. nu.* 14. Reſp. tertio, ſi privilegium cedat in præjudicium tertii, ejuſque juri jam acquiſito deroget, ſtricte illud interpretari oportet, *nu.* 15. Qu. 2. Quæ ſint circa ſtrictam vel latam interpretationem privilegiorum obſervanda? In hac re notandæ ſunt ſeqq. regulæ. Prima eſt, ſi verba privilegii ſint ambigua, vel obſcura, ejus eſt interpretari illa, cujus eſt concedere privilegium. Unde privilegiorum tenor attendi debet, nec de iis judicandum, niſi illorum tenore inſpecto, & ſecundum eorum tenorem, ab omnibus ſubditis ſunt ſervanda, *c. Porro.* 7. *h. t. num.* 16. & 17. Secunda regula eſt, quod privilegium non ſit ita ſtricte interpretandum, ut reddatur inutile, & inefficax, quamvis alias videatur grave, & odioſum, niſi etiam ſit injuſtum, *num.* 18. Tertia regula eſt, privilegium non eſt reſtringendum ultra proprietatem verborum, ſed hæc in propria ſignificatione accipienda ſunt: niſi privilegium juri alieno deroget, *num.* 19.

§. IV.

De extenſione privilegiorum.

Quær. 1. An privilegium uni conceſſum poſſit extendi ad alium? Reſp. privilegium nunquam eſt extendendum ab una perſona, cui conceſſum eſt, ad aliam non expreſſam, nec ab uno caſu vel actu ad alium, *c. Sane.* 9. *h. t. n.* 20. Idque extenditur primo, quod etiam privilegium perſonale mariti non competit uxori regulariter, *n.* 21. Secundo, nec privilegium perſonale conceſſum patri regulariter tranſit ad filios, niſi quod datur patri ratione nobilitatis, *numer.* 22. Tertio, nomine filiorum in privilegiis perſonalibus non comprehenduntur nepotes, *n.* 23. Nec ſocius privilegiati gaudet privilegio ſocii, *nu. eod.* Qu. 2. An privilegium propter ſimilitudinem rationis, ſit extendendum ad alias perſonas, loca, vel actus? Reſp. negative, *nu.* 24. & 25. Qu. 3. An quando privilegium conceſſum ad inſtar alterius, vel uni conceſſum alteri communicatur, ſi illud reſtringatur, vel revocetur, cenſeatur etiam reſtrictum, vel revocatum, privilegium quod eſt ad inſtar conceſſum, *num.* 26.

SECTIO II.

De privilegiis in ſpecie, & imprimis de privilegio exemptionis a jurisdictione Ordinarii.

§. I.

An e ſolutione annui cenſus facta Papæ privilegium exemptionis ab Ordinario probetur, & quibus modis, vel verbis?

Aſſertio 1. Ex ſolutione cenſus facta Sedi Apoſtolicæ non probatur exemptio a juriſdictione Epiſcoporum, niſi appareat, quod in ſignum immediatæ ſubjectionis, ac perceptæ libertatis ſit ſolutus Sedi Apoſtolicæ, *c. Recepimus.* 8. *h. t. n.* 27. Similiter exempti a juriſdictione Epiſcopi non intelliguntur, qui ſub protectione Papæ cum rebus ſuis recipiuntur, *c. Ex parte* 18. *h. t. num.* 28. declaratur, *num.* 29. & 30. Aſſert. 2. Privilegium exemptionis a juriſdictione Ordinariorum non probatur, quando privilegium, ſententia, aut ſcriptura non ſunt principaliter ſuper exemptione, ſeu libertate, ſed incidenter propter illud narratur aliquam Eccleſiam, vel perſonam eſſe B. Petri, vel ad Eccleſiam Romanam pertinere. At vero probatur exemptio a poteſtate Ordinariorum, ſi in privilegio contineatur, quod Eccleſia exiſtat juris B. Petri, vel ſit libera, vel potiatur libertate Eccleſiæ Romanæ, aut quod ejus ſpeciali prærogativa gaudeat, *c. Si Papa* 10. *h. t. in* 6. *n.* 3. & *duob. ſeqq.*

§. II.

An per privilegium conceſſum alicui Monaſterio, ut fructus Eccleſiæ ſibi ſubjectæ in ſuos uſus poſſit convertere, Eccleſia illa cenſeatur exempta a juriſdictione Ordinarii?

Reſp. negative. Unde Religioſi, quibus conceſſum eſt a Papa tale privilegium convertendi in proprios uſus Eccleſias ſibi ſubjectas, non poſſunt propria auctoritate, poſſeſſionem illarum recipere, ſed a Diœceſano loci debent introduci, niſi in privilegio aliud exprimatur, *c. Paſtoralis* 19. *h. t. n.* 34. & *duobus ſeqq.*

§. III.

Proponuntur aliæ quædam quæſtiones circa privilegia exemptionis a juriſdictione Ordinarii.

Exemptiones aliæ ſunt reales, aliæ perſonales, & quæ ſit inter illas differentia? *n.* 37. Qu. 1. An exemptus reſpectu certi loci, ſeu rei, ſit etiam exemptus reſpectu alterius rei, vel loci? Reſp. negative. Unde exemptus reſpectu Capellæ, v. gr. Regiæ, non eſt exemptus reſpectu Parochiæ, quam ab Ordinario habet, & ſic ſi delinquit in Parochia, poteſt puniri ab Ordinario, *c. Cum Capella* 10. *h. t. nu.* 38. & *duobus ſeqq.* Qu. 2. An per exemptionem conceſſam Monaſterio, cenſeantur etiam exemptæ Capellæ ipſi ſubjectæ, vel exempto Capite etiam membra illius? Reſp. negative, & ſic Abbas, cujus Monaſterium eſt exemptum, ratione Capellarum non exemptarum, debet ſubeſſe Epiſcopo, exhibendo illi reverentiam, & venire ad Synodum Diœceſanam. Item ex eo, quod aliquis Abbas locum habet in Synodo Diœceſana, tenetur ad illam accedere, & illius Statuta ſervare, *c. Ex ore* 17. *h. t. n.* 41. & 42. Per exemptionem conceſſam Monaſterio non cenſentur exemptæ Capellæ ei ſubjectæ, ſi tantum quoad temporalia, vel ſpiritualia ſint ſubjectæ: ſecus eſt, ſi tale privilegium ſit conceſſum Monaſterio ejuſque Capellis &c. quæ utroque jure ad illud ſpectant, tunc enim etiam ipſæ Capellæ ſunt exemptæ, *c. Quoniam* 22. *h. t. nu.* 43. & *ſeq.* Qu. 3. An exempta Eccleſia a juriſdictione Epiſcopi cenſeantur etiam exempti Clerici, ſive miniſtri Eccleſiæ, & vice verſa? Reſp. quando eximitur Eccleſia, intelliguntur etiam exempti ejus Canonici, & Clerici, item Monachi, Converſi, & perpetuo Oblati, ſed non ejus Eccleſiæ Parochus quoad pertinentia ad Parochiam, nec Parochiani: quando vero eximuntur Canonici Eccleſiæ, non eſt exempta Eccleſia, nec alii Clerici illius. Si autem eximantur Clerici, intelliguntur etiam exempti, tam Canonici, quam alii Clerici, ſed non Eccleſia, niſi aliud in privilegio exemptionis exprimatur, *c. Per exemptionem* 9. *hit. t. in* 6. *num.* 45. & *duobus ſeqq.*

§. IV.

An, & quando exempti a juriſdictione Epiſcopi poſſint coram eodem conveniri, & ab illo puniri, non obſtante privilegio exemptionis?

Si Clericus exemptus, extra locum exemptum delinquat, vel contrahat, aut alibi res ſita ſit, poteſt coram locorum Ordinariis conveniri, ratione delicti, contractus, aut rei ſuæ in loco non exempto, non autem ratione domicilii, *c.* 1. *h. t. in* 6. *n.* 49. declaratur, *n.* 50. & *duobus ſeqq.* Reſpondetur ad objectiones; *n.* 53. & 54. Alia declaratio, *cit. c.* 1. *h. t. in* 6. ponitur, *n.* 55. Monachi, ſeu Religioſi habentes privilegium, ne non poſſint excommunicari, ſuſpendi, vel interdici, ſi habitent in Prioratibus ſubjectis Ordinario locorum, ut ibi regant, vel reſideant, poſſunt excommunicari, ſuſpendi, vel interdici ab Ordinariis, dum ibi morantur, *cit. c.* 1. §. *In eos h. t. in* 6. *n.* 56. & 57. Prædictum autem privilegium non extenditur

Digitized by Google

ditur ad ſententias, aut cenſuras Ordinariorum, & ſic Ordinarius poteſt illos excommunicare, ſuſpendere, & interdicere: niſi tale privilegium ſit conceſſum Regibus, Reginis vel ipſorum filiis, aut non ſingularibus perſonis, ſed religioſo loco, vel Ordini, *c. Ne aliqui.* 5. *h. t. in* 6. *n.* 58. *&* 59.

§. V.

An in allegantes privilegium exemptionis a jurisdictione Ordinarii, poſſit Ordinarius juriſdictionem exercere, donec privilegium exhibitum, & probatum fuerit?

Qui aſſerunt ſe exemptos per privilegium Sedis Apoſtolicæ, requiſiti ab Ordinario loci, in loco congruo, & ſecuro, vel aliis prudentibus viris ſine ſuſpicione ab eo deputatis oſtendere debent integre privilegia legenda intra terminum competentem ab ipſo Ordinario, vel ejus delegatu moderandum, nec non de articulis, de quibus eſt controverſia, tranſcriptum tradere tenentur. Si autem ii, qui aſſerunt ſe exemptos, ſolum præſcriptionem Canonicam cenſuerint opponendam, ipſi Ordinario, vel ejus delegato viro prudenti, & non ſuſpecto de tali præſcriptione fidem facere debent, & interim Epiſcopus ſua in eos poteſt uti juriſdictione, donec plene probetur præſcriptio Canonica. Si vero tales privilegio, & præſcriptione ſimul ſe aſſerunt eſſe munitos, & exhibent privilegium, quod tamen non plene probat exemptionem, ſed cauſam præſcribendi, tunc coram prudentibus perſonis, tenentur probare præſcriptionem 40. annorum, & quod non fuerit violenta, clandeſtina, vel precario conceſſa, & interim Epiſcopus juriſdictionem in eos exercere non poteſt, *c. Cum perſona.* 7. *h. t. in* 6. *num.* 60. Idque declaratur & explicatur *num.* 61. *&* 3. *ſeqq.*

§. VI.

An Eccleſia obtinens duplex privilegium exemptionis, v. g. Epiſcopi, & Papæ, utroque uti poſſit?

Eccleſia, quæ ſe defendit duobus privilegiis, v. g. Epiſcopi, & Papæ, ſi ſuccumbat, poteſt ſe defendere ex altero. Item exemptus non tenetur promittere obedientia Diœceſano, vi tamen exemptionis, non poteſt, ſine licentia Diœceſani Eccleſiam conſtruere in loco non exempto, & ſi de facto in eo conſtruit, ea cedit juri Epiſcopi, *c. Cum olim* 14. *h. t. n.* 65. *& ſeq.*

S E C T I O III.

De aliis privilegiis ſpecialibus, de quibus agitur in hoc Titulo,

§. I.

De privilegiis immunitatis ſolvendis a decimis, etiam Novalium.

Quær. 1. An per privilegium alicui Eccleſiæ conceſſum de non ſolvendis decimis Epiſcopalibus, non ſolum præteritæ, ſed etiam futuræ decimæ remiſſæ eſſe cenſeantur? Reſp. Epiſcopus remittens alicui Eccleſiæ decimas Epiſcopales indefinite, remiſiſſe cenſetur, non tantum decimas bonorum præteriti, & præſentis temporis, ſed etiam futuri, quia in beneficiis pleniſſima interpretatio fieri debet, *c. Quia circa* 22. *h. t. n.* 67. *&* 2. *ſeqq.* Quær. 2. An privilegium de non ſolvendis decimis novalium comprehendat etiam illas decimas, quæ tempore impetrati privilegii ab aliis jam erant poſſeſſæ ac perceptæ? Reſp. Privilegium Apoſtolicum de non ſolvendis decimis novalium, non extenditur ad decimas, tempore impetrati privilegii poſſeſſas ab aliis tanquam ſibi debitas, niſi de poſſeſſione alterius in ipſo privilegio facta ſit mentio, *c. Dudum* 31. *h. t. num.* 70. *& ſeq.* Quær. 3. An privilegium de non ſolvendis decimis novalium perpetuo duret? Reſp. Terra, de qua non extat memoria, quod fuerit culta, ſi per Religioſos redigatur ad culturam, perpetuo erit immunis a ſolvendis decimis, *c. ult. h. t. num.* 72. *&* 73.

§. II.

De privilegio celebrandi, vel audiendi Divina Officia tempore interdicti generalis.

Quær. 1. Quomodo intelligendum ſit privilegium conceſſum quibuſdam Regularibus a Sede Apoſtolica, ut liceat eis celebrare Divina Officia in Eccleſiis interdictis? Reſp. Privilegium conceſſum quibuſdam Regularibus, ut ſi qui ex Fratribus miſſi fuerint ad aliquem locum ad recipiendas eleemoſynas, iſque interdictus fuerit, ſemel in anno aperiantur Eccleſiæ, ut ibi Divina Officia celebrentur, quod intelligendum eſt, ut una tantum Eccleſia ſemel in anno aperiatur, *c. Ut privilegia.* 24. §. *Illud etiam. h. t. nu.* 74. Quær. 2. An etiam Epiſcopi poſſint tempore interdicti generalis celebrare Divina? Reſp. Privilegium conceſſum Regularibus, etiam Epiſcopis conceditur, ut tempore interdicti Divina celebrare poſſit, januis clauſis, ſubmiſſa voce, non pulſatis campanis, expulſis excommunicatis, & interdictis, dummodo non dederint cauſam interdicto, nec dolus intervenerit, & modo non ſemper, ſed quandoque celebret, *cap. Quod nonnullis.* 25. *h. t. num.* 25. *& ſeq.* Quær. 3. An privilegium tempore interdicti clam celebrandi Divina, extendatur etiam ad extraneos, vel ſaltem ad familiares privilegiati? Reſp. Privilegiati, ut tempore interdicti celebrare poſſint Divina, non poſſunt admittere extraneos non privilegiatos. Si vero privilegium hoc ſingulari perſonæ fuerit conceſſum, poteſt familiares ſuos domeſticos admittere, dummodo non ſint familiares alicujus Conventus, vel Collegii, ſi non ſint privilegiati. Prædicto autem privilegio non gaudet is, cujus cauſa, culpa vel dolo ſententia interdicti eſt lata, vel qui conſilium, auxilium, vel favorem dedit delicto, ob quod interdictum eſt poſitum, *c. Licet.* 12. *h. t. in* 6. *num.* 77. *&* 2. *ſeqq.* Quando illi, propter quorum delictum poſitum fuit interdictum generale, illud non ſervant, alii nihilominus illud ſervare tenentur. Si vero ii, in quorum favorem poſitum fuit, interdictum non ſervent, nec alii tenentur, *c. Veriſſis.* 20. *h. t. num.* 80. *& ſeq.*

§. III.

De privilegio ſepulturæ Eccleſiaſticæ, tempore interdicti.

Privilegium conceſſum Religioſis, ut poſſint ſepelire ſuos confratres, tempore interdicti, intelligitur de his, qui, licet maneant in ſeculo, tamen obtulerant ſe Religioni, mutato habitu, vel de illis qui omnia bona ſua dederunt Religioni irrevocabiliter, reſervatu ſibi uſufructu, niſi excommunicati, vel nominatim interdicti fuerint, *c. Ut Privilegia.* 24. §. *Sane. h. t. num.* 82. & 83. Quæ requirantur, ut Oblati alicujus Religionis gaudeant privilegio ſepulturæ Eccleſiaſticæ, *num.* 48. Quæ requirantur, ut hujuſmodi Oblati ſint exempti a foro ſeculari, & a vectigalibus, *nu.* 85. An Oblati gaudeant omnibus privilegiis ſuæ Religionis, præſertim exemptionis a juriſdictione Epiſcopi, *numer.* 86. Et quid quoad Oblatos ſtatuerit Concilium Trident. *num. eod.*

§. IV.

De privilegio celebrandi in Altari Viatico, ſeu portatili.

Quær. 1. Quibus conceſſus ſit uſus Altaris portatilis? Reſp. Epiſcopi, aliique Superiores poſſunt ubique uti Altari portatili, & in eo celebrare, vel ſibi celebrari facere quotidie, ita tamen ut ſervent interdictum, *c. ult. h. tit. in* 6. *num.* 87. *& ſeq.* Altaris viatici privilegium conceſſum Epiſcopis non eſt ſublatum per Concilium Trident. *cit. num.* 88. Idque competit etiam Cardinalibus non Epiſcopis, *num. eod.* Quær. 2. Quibus præterea hoc privilegium ſit conceſſum? Reſp. FF. Prædicatoribus, & Minoribus, etiam ſine conſenſu Epiſcopi, abſque præjudicio tamen juris Parochialis, *c. in his.* 30. *h. t. num.* 89. Hoc privilegium conceſſum Prædicatoribus, & Minoribus revocatum fuit per Concilium Trident. ſed reſtitutum eſt deinde Societati a Gregorio XIII. *num.* 91. & 92. Quær. 3. An poſt Concilium Trident. poſſit Epiſcopus concedere facultatem celebrandi Miſſas in domibus privatis ſuper Altari portatili? Negant communiter DD. ſed oppoſitum eſt valde probabile, quod etiam hodie poſſit, ob neceſſariam, vel aliam juſtam cauſam, *num.* 93. & 94.

§. V.

De privilegiis Studii generalis in Curia Romana.

Ut in Curia Romana vigeat Studium Juris Canonici, & Civilis, conceſſum fuit, ut ibi Studentes gaudeant privilegiis locorum, in quibus eſt ſtudium generale, & recipiant integros proventus ſuos Eccleſiaſticos, *c.* 2. *h. t. in* 6. *nu.* 95. & 96. Porro prohibitum eſt ſub pœna excommunicationis, docere, vel audire Jus Civile pariſiis, & in locis vicinis, quia ibi non ſunt in uſu LL. Imperatorum, *c. Super. ſpecula.* 28. *h. t. num.* 97. & 98.

§. VI.

Quæ ſint prærogativæ, ſeu privilegia principalium IV. Sedium Patriarchalium?

Tria habent privilegia: videlicet quod poſtquam a Romano Pontifice acceperint Pallium, præſito ipſi fidelitatis, & obedientiæ juramento, ipſi poſſunt Suffraganeis ſuis Pallium dare. Deinde ut ante ſe ubique faciant præferri Crucem, niſi in Urbe Romana, & ubi Papa eſt, vel ejus Legatus. Denique in omnibus Provinciis ipſis ſubjectis poteſt ad ipſos appellari ſalva appellatione ad Papam, *c. Antiqua.* 23. *h. t. num.* 99. declaratur *num.* 100. *&* 3. *ſeqq.*

§. VII.

De privilegiis Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, aliorumque Prælatorum inferiorum.

Quær. 1. Quæ privilegia Jure Communi conceſſa ſint Archiepiſcopis, & Epiſcopis? Reſp. Poſſe portari Crucem, populo benedicere, Divina Officia privatim, vel publice audire, & ea celebrare, vel in ſua Provincia facere celebrari, ſine Pontificalibus. Similiter Epiſcopi in locis ſuæ Diœceſis exemptis poſſunt populo benedicere, audire Divina Officia, & ea celebrare, vel coram eis facere celebrari: dummodo tamen exemptis, vel privilegiatis in aliis nullum ab ipſis fiat præjudicium, *Clem.* 2. *h. t. num.* 104. *&* 2. *ſeqq.* Item Epiſcopalis dignitas, ſeu Sedes non debet concedi, niſi in Civitatibus numeroſis, & inſignibus, *c.* 1. *h. t.* 107. *& ſeqq.* Quær. 2. Qualia privilegia competant Abbatibus, ſeu Prælatis inferioribus Epiſcopis? Reſp. Duo, primum eſt uſus Mitræ, ſi ſint exempti in provincialibus Conciliis, & Epiſcopalibus Synodis, non tamen geſtare poſſunt Mitras habentes laminas aureas: ſi vero non exempti, uti debent Mitris ſimplicibus, albis, & planis. Sed in aliis locis, ſive exemptis, ſive non exemptis uti poſſunt Mitris, ut indulta Papæ eis permittunt, *Ut Apoſtolica.* 6. *h. tit. in* 6. *num.* 109. *& ſeq.* Secundum privilegium eſt ſolemnis, & publica benedictio populi in Eccleſiis ſibi pleno jure ſubjectis, quando in eis Divina Officia celebrant, nec poſſunt alibi publice per vias, & plateas, talem benedictionem impertiri, niſi hoc eis expreſſe ſit conceſſum, *c. Abbates.* 3. *h. tit. nu.* 111. Nec licitum eſt eis primam tonſuram conferre, niſi Converſis in ſuo Monaſterio, & in quos habent Epiſcopalem juriſdictionem, *cit. c.* 3. *in fine. num.* 112.

S E C T I O IV.

De præſcriptione, invocatione, uſu & effectu privilegiorum.

§. I.

Quanta tempora præſcribatur adverſus privilegia?

Contra privilegium Eccleſiæ præſcribitur ſpatio XXX. annorum, quia videtur tanto tempore renunciare juri ſuo, *c. Si de terra. h. t. num.* 133. *& ſeq.* Imo hodie contra privilegia Eccleſiæ non præſcribitur, niſi ſpatio XL. annorum, *c. Accedentibus.* 15. *h. t.* & ſic per hoc c. correctum eſt præcedens, *num.* 113. *& ſeq.* Quomodo præterea conciliari poſſint prædicta duo capp. *num.* 117. & 118.

§. II.

De innovatione privilegiorum.

Quær. 1. An innovatio privilegii ei novum jus tribuat, vel non? Reſp. Quando innovatur privilegium, non tribuitur novum jus, ſed ſolum jus antiquum conſervatur, *cap. Ex parte. 13. h.t. n. 120.* Idque declaratur *n. 121.* Quær. 2. Quomodo probanda ſint inſtrumenta perdita, ſi eorum innovatio petatur? Reſp. Inſtrumenti perditi tenor, & in eo contenta probari poſſunt per teſtes, qui deponant de tenore, & quod erat, ſine vitio, *c. Cum olim 12. h.t. n. 122.* Declaratur, *n. 123.* Et ad innovationem inſtrumenti perditi tria probanda ſunt, *cit. n. 123.* An teſtes, qui deponunt de amiſſione inſtrumenti, etiam deponere debeant de illius tenore, *num. 124.*

§. III.

De uſu & effectu privilegiorum.

Quær. 1. An quis obligatus ſit uti ſuo privilegio? Reſp. negative, *n. 125.* Quær. 2. An ut privilegium ſortiatur effectum, & jus aliquod conferat privilegiato, requiratur ejus notitia? Reſp. Privilegium non habet effectum, niſi poſtquam pervenit ad notitiam privilegiati, & is id acceptavit, *num. 126.* Ponuntur duæ limitationes, *n. 127.* Quær. 3. An quis uti poſſit privilegio ſibi conceſſo, extra territorium concedentis, v. g. Epiſcopi? Reſp. Poteſt quis per ſe loquendo, uti privilegio perſonali, etiam extra territorium concedentis, ob ſpecialem, & perſonalem cauſam conceſſo ab Epiſcopo ſuo, ſive ſit contra jus commune, ſive etiam contra ſtatutum loci, in quo quis pro tempore moratur, *num. 128.* Quær. 4. An privilegiatus uti poſſit privilegio ſuo contra pariter privilegiatum? Reſp. Sub diſtinctione data *n. 129. & 130.*

S E C T I O V.

De variis exceſſibus privilegiatorum prohibitis Jure Canonico.

§. I.

Qui ſint exceſſus, ſive delicta privilegiatorum, & quando puniendi?

Religioſi etiam exempti non debent excedere privilegia illis conceſſa contra Epiſcopalem auctoritatem, cum ſcandalo, & gravi periculo animarum, *c. 3 in princ. h.t.* nec debent Eccleſias, & decimas de manu laicorum recipere, ſine conſenſu Epiſcopi, *cit. c. 3. §. Eccleſias,* nec debent excommunicatos, & nominatim interdictos admittere ad Divina *cit. c. 3. §. Excommunicatos,* Item in Eccleſiis, quæ ad ipſos pleno jure non pertinent, cum vacant, Presbyteros Epiſcopis præſentent ab eis inſtituendos, ut eis de cura ſpirituali plebis reſpondeant, ipſi vero Presbyteri Religioſis rationem reddant de temporalibus, ſed inconſulto Epiſcopo eos non removeant, *cit. c. 3. §. In Eccleſiis,* Templarii, vel Hoſpitalarii, ſi ad Eccleſiam interdicta venerint, ſemel tantum in anno admitti debent ad Divina Officia, nec tunc ibi ſepelienda ſunt corpora defunctorum, *cit. c. 3. §. Quod ſi.* Confratres vero Religioſorum, qui non omnino ſe eis tradiderunt, ſed proprietates ſuas retinent, Epiſcopo ſunt ſubjecti: ut ceteri laici, *cit. 3. §. De Confratribus.* Denique idem de aliis quoque Religioſis obſervandum eſt, *cit. c. 3. §. ult. n. 131.* Declarantur dicta, *numer. 132. & 2. ſeqq.*

§. II.

Quinam præterea alii ſint exceſſus, ſive abuſus privilegiatorum?

Plures adhuc alii ſunt abuſus Privilegiatorum. Veluti, primo, ſi ſepeliant excommunicatos in cœmeteriis, & ſi ſepelierint, debent eos ejicere, quod ſi non fecerint, Epiſcopus id exequetur, *c. Ad hæc. 5. h. t. n. 135.* Secundo, excedunt ſeu delinquunt Religioſi, ſi in Oratoriis ſuis privatis campanas habeant, eaſque publice pulſent, *c. Patentibus. 10. h. t. n. 136. & ſeq.* Tertio, plures exceſſus, ſeu delicta Hoſpitaliorum recenſentur in *c. Tuarum. 11. h. t. 138. & ſeq.* Quarto, alius exceſſus, ſive delictum privilegiatorum, ſeu exemptorum eſt, ſi Eccleſias, vel Capellas ædificent in locis non exemptis, ſine licentia Ordinarii, vel in exemptis, ſine licentia Papæ, *c. Auctoritate. h. t. in 6. n. 140. & 2. ſeqq.* Quinto, aliud delictum exemptorum eſt, ſi ſive regolares, ſive ſeculares ſcienter celebrent, vel celebrari faciant Divina in loco interdicto ab Ordinario, vel ejus delegato, vel a jure, niſi in caſibus a Jure conceſſis? & qui publice excommunicatos, vel interdictos ad Divina Officia, Eccleſiaſtica Sacramenta, vel ſepulturam admittere præſumunt, quibus interdicitur ingreſſus Eccleſiæ, *c. Epiſcoporum h. t. in 6. num. 143. & ſeq.*

§. III.

De aliis quibuſdam ſpecialibus exceſſibus, & culpis Religioſorum prohibitis Jure Canonico, eorumque pœnis.

Religioſi, qui ſine ſpeciali licentia Parochi, Clericis aut laicis Sacramentum extremæ Unctionis, vel Euchariſtiæ miniſtrare, vel matrimonium ſolemniter benedicere: vel excommunicatos a Canone; vel a ſententiis per Statuta Provincialia aut Synodalia promulgatis abſolvere præſumpſerit, exceptis caſibus in jure expreſſis, vel per privilegia Papæ conceſſis, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrunt, abſolvendi ſolum a Papa; quos etiam locorum Ordinarii excommunicatos faciant publice denunciari, donec de abſolutione ipſorum eis facta fuerit fides, non obſtante quovis privilegio, *Clem. 1. h. t. num. 145. & 4. ſeqq.* Item præcipitur Religioſis a ſeptem aliis culpis ſub certis pœnis abſtinere, quæ ponuntur in *cit. Clement. 1. §. Quibus etiam num. 150. & 2. ſeqq.*

§. IV.

De pœna abutentium ſuis privilegiis, & punitione violantium aliena privilegia.

Quæſt. 1. Quæ ſit pœna abutentium ſuis privilegiis? Reſp. Propter abuſum poſſunt revocari privilegia, & privilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate, *nu. 135.* Quær. 2. An, & quomodo puniendi ſint, qui aliena privilegia violant? Reſp. Inprimis privilegia alicujus v. g. Religionis non ſunt violanda, etiam indirecte, *c. Quanto amplius 25. h. t. num. 154. & ſeq.* Præterea privilegiis ſuis eſt privandus, qui alienis derogat, *c. Dilecti. 4. h. t. n. 156.* Clerici incedentes ut laici, ſine tonſura, & habitu, & in maleficiis deprehenſi, etſi reaſſumant tonſuram, & habitum, non gaudent privilegio Clericali, ſed a Judice laico puniri poſſunt, ſine pœna excommunicationis, *c. Ex parte. 27. h. t. n. 157.* Quando, & quinam Clerici, non deferentes habitum, & tonſuram, priventur privilegio Clericali, ſeu fori Eccleſiaſtici, *n. 158. & ſeq.* Laici violanti invaſores Eccleſiarum, aut rerum Eccleſiaſticarum, aut eis præjudicium inferentes poſſunt puniri ab Eccleſia, ſeu Judicibus Eccleſiaſticis, nec dum Eccleſia tales laicos coercet, agit contra legem, ſed legi fert ſubſidium, *c. 2. h. t. n. 160. & ſeq.*

§. V.

Proponuntur breves Summæ Extravagantium hujus Tituli.

Quæ privilegia revocentur in *Extravag. unic. Joann. XXII. h. t. n. 162.* Item quæ privilegia revocentur conceſſa Prædicatoribus, & Minoribus circa prædicationes, auditiones Confeſſionum, & ſepulturas in *Extravag. 1. Inter communes. h. t. num. 163.* Item quæ in *Extravag. 2. eod. nu. 164.* Et quæ privilegia in *Extravag 3. nu. 165.* Et quæ in *Extravag. 4. eod. num. 166.*

S E C T I O VII.

De amiſſione, & revocatione privilegiorum.

Aſſertio 1. Elapſo tempore, ad quod privilegium eſt conceſſum, & reſtrictum, finitur privilegium. Ceſſat etiam ſi ſub conditione ſit conceſſum, ea impleta, *n. 167.* Aſſertio 2. Ceſſante principali cauſa finali privilegii, ipſum etiam ceſſat, *n. 168.* Quibus caſibus non ceſſet privilegium, etiamſi cauſa ceſſet, *n. 169.*

§. II.

An privilegium finiatur per mortem ejus cui conceſſum eſt, vel per mortem concedentis, item an per renunciationem privilegiati.

Aſſertio 1. Privilegium perſonale, ſive perſonæ conceſſum, una cum ipſa extinguitur, privilegium vero reale, quod ratione dignitatis, vel loci alicui datum eſt, cum perſona non deſinit, *n. 170.* Aſſertio 2. Privilegium abſolute, & ſine limitatione conceſſum, & ſemel legitime acquiſitum non admittitur per obitum concedentis, ſive privilegium ſit favorabile, ſive odioſum, & ſive res non ſit integra, ſive adhuc integra. Aliud eſt in reſcriptis juſtitiæ, ſive ad lites: modo ſit gratia jam facta, non facienda, hæc enim morte concedentis extinguitur, *n. 171.* Quando privilegium, ratione formæ verborum per mortem concedentis extinguitur, ut ſi concedatur ad beneplacitum principis, *num. 172.* Aſſertio 3. Si privilegium alicui perſonæ particulari in ejus ſolius favorem ſit conceſſum, illud per liberam & expreſſam ejuſdem renunciationem amittitur, *n. 173.* Quod ſi privilegium principaliter conceſſum ſit in favorem alicujus Communitatis, vel loci, v. g. Civitatis, Eccleſiæ, vel Monaſterii, non poſſunt perſonæ particulares, cum ejuſdem præjudicio, illi renunciare, *n. 174.*

§. III.

An & quando amittatur privilegium per tacitam renunciationem, ſive per non uſum, vel abuſum?

Aſſertio 1. Privilegia affirmativa, quibus datur facultas aliquid agendi, cum onere aliorum, amittuntur per non uſum privativum, hoc eſt, voluntarium, & liberum, ſi oblata occaſione utendi privilegio, eo non utantur, *n. 175.* Aſſ. 2. Privilegia affirmativa, quæ conſiſtunt in mera voluntate aliquid agendi, ſine gravamine aliorum, & ſunt meræ gratiæ, per metum non uſum etiam longiſſimi temporis non amittuntur, *n. 176.* Excipitur privilegium nundinarum, quod per non uſum ſpatio decennii amittitur, *nu. 177.* Aſſ. 3. Privilegia negativa, quæ in non faciendo conſiſtunt, & aliis oneroſa ſunt, ut eſt privilegium non ſolvendi decimas, vel tributa, amittuntur per actum directe contrarium privilegio v. g. ſolvendo decimas vel tributa, *n. 178.* Quænam requirantur ad tacitam renunciationem inducendam per non uſum, ſeu actum contrarium privilegio, *n. 179. & 2. ſeqq.* Quod ſi alicui conceſſum ſit privilegium, quod uno actu perficitur, & impletur, illud per unicum actum contrarium voluntarium, per tacitam renunciationem tollitur, *n. 182.* Denique privilegia negativa, quæ nemini præjudicant, v. g. non recitandi horas canonicas, per unum, vel plures actus contrarios non amittuntur, *n. 183.* Quibus modis amittatur privilegium per abuſum, *n. 184. & ſeq.*

§. IV.

An privilegium ſemel conceſſum poſſit revocari a concedente, vel aliquo alio?

Aſſertio 1. Privilegium conceſſum non ſubdito, & ab eo acceptatum non poteſt revocari a concedente, vel ejus Succeſſore, niſi privilegium poſtea vergat in notabile detrimentum Principis concedentis, *n. 186.* Aſſertio 2. Privilegium gratis a Principe conceſſum ſubdito, per quod datur licentia aliquid agendi contra, vel præter Jus commune,

mune, poteſt revocari a concedente, vel ejus ſucceſſore valide, etiam abſque cauſa juſta, ſed non licite; ſecus eſt, ſi privilegium etiam ſubdito conceſſum ſit, per pactum ſeu contractum oneroſum, vel in remunerationem meritorum, vel etiam per abſolutam donationem ſine legitima cauſa, *num.* 187. Non tantum Princeps Supremus, ſed etiam inferior habens poteſtatem conferendi privilegium, poteſt revocare privilegium mere gratis, & liberaliter conceſſum, ex legitima cauſa, *num.* 188. Et non tantum ipſe concedens, ſed etiam ejus ſucceſſor poteſt revocare privilegium ab anteceſſore conceſſum: ſicut etiam conceſſum ab inferiore poteſt revocari a Superiore illius, *cit. num.* 188.

§. V.

Quibus modis Privilegium revocetur, & quando revocatio privilegiorum vim ſuam, & effectum habeat?

Aſſertio 1. Duobus modis revocatur privilegium expreſſe, vel tacite. Expreſſa revocatio fit verbis expreſſis, vel in ſpecie, & particulari, vel per clauſulam generalem, *non obſtantibus quibuſcunque privilegiis*, & quibus privilegiis non derogetur per clauſulam generalem, *num.* 189. Tacita revocatio privilegii fit per actum Principis directe contrarium privilegio, *num.* 198. Circa tacitam revocationem privilegiorum traduntur plures Regulæ. Prima eſt per legem generalem, quæ non expreſſe abrogat privilegia, cenſentur tacite revocata privilegia in Corpore juris contenta: non autem ea, quæ Corpori Juris non ſunt inſerta, niſi eorum ſpecialis mentio fiat, *numer.* 191. Secunda eſt, per particulare Reſcriptum Principis contrarium privilegio prius conceſſo, non cenſetur hoc tacite revocatum, niſi in eo addatur expreſſa clauſula derogatoria privilegii, *num.* 192. Tertia, privilegium prius conceſſum non tollitur, nec tacite revocatur per privilegium poſterius contrarium priori, niſi illius prioris ſpecialis fiat mentio, *num.* 193. Ubi tamen diſtinguendi ſunt plures caſus, *num.* 194. & 195. Quarta regula eſt, per latam ſententiam a Principe contra privilegium, qui potuit privilegium concedere, non revocatur privilegium, *num.* 196. Aſſertio 2. Si privilegia per publicam legem revocentur, non eſt neceſſarium, ut revocatio ſingulis privilegiariis intimetur, ſed ſatis eſt, ſi promulgatio illius legis revocatoriæ privilegiorum facta ſit in Curia Principis, vel loco ad hoc conſtituto, *num.* 197.

§. VI.

An pereunte re, cui privilegium inhæret, pereat quoque, & extinguatur ipſum privilegium?

Reſp. Sicut privilegium perſonale extinguitur cum perſona, ita etiam privilegium reale, ſeu locale extinguitur, re extinguitur, re extincta, aut loco deſtructo, cui inhæret, *num.* 198. Ubi id declaratur, & *num.* 199.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 107. *& ſeq.*
c. 2. *n.* 160. & *ſeq.*
c. 3. *n.* 131. *& tribus ſeqq.*
c. 4. *n.* 156.
c. 5. *n.* 235.
c. 6. *num.* 113. 116. 117. & 118.
c. 7. *n.* 16 & *ſeq.*
c. 8. *n.* 27. *&* 30.
c. 9. *n.* 20.
c. 10. *n.* 136. *& ſeq.*
c. 11. *n.* 138. *& ſeq.*
c. 12. *n.* 122.
c. 13. *n.* 119 & 122.
c. 14. *n.* 65. & 66.
c. 15. *n.* 115. & *tribus ſeq.*
c. 16. *n.* 38. & *ſeq.*
c. 17. *n.* 21. & *ſeq.*
c. 18. *n.* 28. & 30.
c. 19. *n.* 34. & *duobus ſeq.*
c. 20. *n.* 80. & 81.
c. 21. *n.* 43.
c. 22. *n.* 67. & 69.
c. 23. *n.* 99. 101. *&* 103.
c. 24. §. *Sane an.* 82. 84. *&* 86. §. *Illud etiam n.* 74.
c. 25. *num.* 75.
c. 26. *n.* 154. & *ſeq.*
c. 27. *n.* 147. *& duobus ſeqq.*
c. 28. *n.* 97. & *ſeq.*
c. 29. *n.* 110. & *ſeq.*
c. 30. *n.* 89. *&* 90.
c. 31. *n.* 70.
c. 32. *n.* 85. & *ſeq.*
c. 33. & *ult. n.* 73. *& ſeq.*

IN SEXTO.

c. 1. *in princ. n.* 49. 50. 52. *& tribus ſeqq.* §. *In eos n.* 56.
c. 2. *n.* 95. & 96.
c. 3. *n.* 211. *& ſeq.*
c. 4. *n.* 120.
c. 5. *n.* 58.
c. 6. *n.* 109. *& ſeq.*
c. 7. *n.* 60. *&* 4. *ſeqq.*
c. 8. *n.* 143. *& ſeq.*
c. 9. *n.* 45. 46. *&* 48.
c. 10. *n.* 77. *&* 78.
c. 12. *n.* 77. *&* 78.
c. 22. *& ult. num.* 87. *& ſeq.*

IN CLEMENTIS.

Clement. 1. *in princ. num.* 145. *&* 4. *ſeqq.* §. *Quibus etiam n.* 150. *& ſeq. &* §. *final.* 152.
Clem. 2. *& ult. numer.* 104. *& duobus ſeqq.*

IN EXTRAVAGANT. Joann. XXII.

Extravag. unic. n. 162.

IN EXTRAVAGANT. Communibus.

Extravag. 1. *num.* 163.
Extrav. 2. *num.* 164.
Extrav. 3. *num.* 265.
Extrav. 4. *& ult. num.* 166.

TITULUS XXXIV.

De Purgatione Canonica.

§. I.

Quid ſit purgatio in genere, & quotuplex, & a quo indicenda ſit purgatio Canonica, & quibus indici poſſit ac debeat?

Aſſertio 1. Purgatio, prout hic accipitur, eſt oſtenſio innocentiæ de objecto crimine: eaque duplex eſt, vulgaris, quæ a Jure reprobatur, & Canonica, quæ a Jure eſt inventa, & approbata, *num.* 1. Aſſ. 2. Purgatio Canonica indicenda eſt a Judice competente, videlicet Epiſcopo, *nu.* 2. Po-

teſt autem Epiſcopus Diœceſanum ſuum infamatum de crimine compellere ad ſe purgandum, niſi ab eo legitime appellaverit, *c. Nos inter.* 6. *h. t. cit. num.* 2. *&* 3. Aſſert. 3. Non tantum Clericis ſecularibus, ſed etiam regularibus utriuſque ſexus indicenda eſt purgatio Canonica, ſi publice infamati fuerint de crimine, vel graviter ſuſpecti, & teſtes, vel aliæ probationes deficiant, *c.* 3. *h. t. num.* 4. Præterea publice infamatus de defectu natalium non debet promoveri ad Ordines, niſi prius canonice ſe purget, *c. Accedens.* 14. *h. t. nu.* 5. *&* 6.

§. II.

Quomodo ſive in quibus caſibus indicenda ſit purgatio Canonica, vel non?

Aſſertio 1. Ea indici debet, ſi nullus appareat legitimus accuſator; & aliquis ſit publice infamatus de crimine apud bonos, & graves viros, *c. pen.* §. *fin. h. t. num.* 7. Aſſer. 2. Non poteſt indici purgatio Canonica etiam infamato de crimine ſi is convinci poſſit, per idoneos accuſatores, vel teſtes, vel per alias legitimas probationes crimen publice probari poſſit, *num.* 8. Aſſertio 3. Non debet alicui indici purgatio Canonica, niſi adſint veriſimiles ſuſpiciones, vel præſumptiones criminis, modo non ſit levis ſuſpicio, ſed vehemens, *num.* 9. Unde ſi Clericus eſt convictus, vel manifeſte confeſſus ſe commiſſe crimen, repellitur a purgatione: ſi vero id manifeſte non probetur, ſed eſt veriſimilis ſuſpicio, ſe canonice purgare debet, *c. Si quis* 4. *h. tit. cit. nu.* 9. Si infamia alicujus non ſit orta ex probabilibus ſuſpicionibus, non eſt ei neceſſario indicenda purgatio Canonica, quamvis poſſit indici ad petitionem purgandi *c. Cum in juventute.* 12. *h. tit. num.* 10. *&* 11. Non poteſt, nec debet indici purgatio Canonica, quando crimen eſt notorium, ut celari non poſſit, ſed fieri condemnatio, *c. Cum dilect.* 15. *h. tit. num.* 12. & declaratur, *num.* 13. *&* 14.

§. III.

Qua ſit forma purgationis, ſive quomodo ea fieri debeat?

Aſſertio I. Si quis accuſatus, denunciatus, vel infamatus ſit crimine, idque plene probari poſſit, aut vehementer de eo ſit ſuſpectus, tum ſi crimen negat, debet, præſtito juramento purgationis, ſe defendere, & innocentiam ſuam oſtendere ſecundum formam, & modum præſcriptum in *c. Quoties.* 5. *h. t. c. ult. num.* 15. & declaratur, *num.* 16. Aſſert. 2. Non ſufficit, ſi Prælatus aliquis infamatus ſit de criminibus, jurare, cum ſe purgat, quod ſit immunis ab illis criminibus, ſed jurare debet, quod poſt promotionem ſuam ad Prælaturam, non commiſerit illa crimina, *c.* 16. *& ult. h. t. num.* 17. declaratur, *num.* 18. Etſi infamato de crimine, vel vehementer ſuſpecto, deferendum ſit juramentum purgationis, ut innocentiam ſuam oſtendat, jurando ſe crimen tale non commiſiſſe, id tamen limitari debet, dummodo ſit perſona nobilis, vel honeſta, nam ſi ſit perſona vilis, vel infamis, non debet ei deferri juramentum purgationis, *c.* 2. *h. t. n.* 19. *&* 20. Deinde indicenda eſt purgatio, cum juramento, infamato de crimine, ſi crimen tantum ſemiplene probatum eſt, ita tamen ut contra reum vehemens ſit ſuſpicio criminis, *num.* 21.

§. IV.

Quomodo procedendum ſit contra infamatum de crimine, negligentem famam ſuam, ſive ſe purgare ab infamia?

Si Presbyter infamatus de crimine, poſt trinam monitionem, ſe non corrigat, ab officio ſuſpendi, debet, quouſque ſe purgaverit, *c.* 2. *h. t. n.* 22. *& ſeq.* Præterea poteſt ſuſpendi infamatus de crimine, non ſolum ab officio, ſed etiam a beneficio, donec ſe purgaverit: idque propter enormitatem criminis, hæreſis: & augetur etiam ob hoc numerus compurgatorum. Interdum vero ex cauſa poſt purgationem præſtitam ſuſpenditur quis ad tempus, & deficiens a purgatione punitur ut convictus, *c. Inter.* 10. *h. t. n.* 24. declaratur, *n.* 25. *& ſeq.*

§. V.

De compurgatorum qualitate, juramento, aut numero.

Quær. 1. Quales debeant eſſe Compurgatores, ſive teſtes eorum, qui ſe purgant ab infamia criminis? Reſp. primo, purgatores debent eſſe honeſtæ, ac probæ vitæ, & notam habere vitam, ac mores purgandi: & qui recipiunt purgationem, ſi qui purgandis aſſiſtere nolunt, nullam indignationem oſtendere debent, nec eos impedire, nec permittere impediri compurgatores, *c. Cum P.* 7. *h. t. numer.* 27. *& ſeq.* Reſp. ſecundo, Compurgatores debent eſſe perſonæ, non tantum honeſtæ, ſed etiam vicinæ, quibus nota ſit vita, & mores purgandi, *n.* 29. Qu. 2. Quomodo jurare debeant compurgatores? Reſp. debent jurare de jurare de credulitate, non de veritate, *c. De teſtibus* 13. *h. t. numer.* 30. Qu. 3. Quæ conditiones in ſpecie requirantur in Compurgatoribus? Reſp. quatuor requiri, quæ enumerantur in *c. Conſtitutus.* 9. *h. t. n.* 32. *& ſeq.* Qu. 4. Quot ſint adhibendi compurgatores? Reſp. Olim Epiſcopus ſe purgabat adhibitis XII. Epiſcopis. Sacerdos 5. vel 7. Sacerdotibus: Diaconus tribus Diaconis. Hodie adhibendi ſunt plures, vel pauciores, ſecundum arbitrium Judicis, *num.* 33.

§. VI.

De effectu purgationis Canonicæ, & pœna deficientis in illa?

Quær. 1. Quis ſit effectus purgationis Canonicæ? Reſp. effectus eſt, ut purgatione legitime peracta, abſolvendus ſit a ſuſpenſione, ſi præceſſit, & ab infamia criminis is, cui purgatio eſt indicta: purgatio vero illegitime facta non tenet, nec abſolutio ſecundum illam facta, *c. Ex tuarum.* 8. *h. tit. n.* 34. *&* 35. Q. 2. An abſolutus a crimine, quia ſe canonice purgavit, poſſit poſtea accuſari de eodem crimine Reſp. cum diſtinctione data *numer.* 36. Qu. 3. Quæ ſit pœna deficientis in purgatione Canonica? Reſp. ut habeatur pro convicto, & eadem pœna punitur, ac ſi de crimine eſſet convictus, quæ eſt pœna depoſitionis, ſive ut privetur omni officio, & benefi-

cio, *nu.* 37. Sunt & alli duo caſus, in quibus deficiens in purgatione habetur pro convicto, *num.* 38. Hodie ab Eccleſiaſticis Judicibus raro Clericis indicitur purgatio canonica & cur? *num.* 39.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 19. *&* 20.	*c.* 10. *n.* 24. *& duobus ſeq.*
c. 2. *n.* 22. *& ſeq.*	*c.* 11. *n.* 29.
c. 3. *n.* 4.	*c.* 12. *n.* 10. *& ſeq.*
c. 4. *n.* 9.	*c.* 13. *n.* 30.
c. 5. *n.* 15.	*c.* 14. *n.* 5. *&* 6.
c. 6. *n.* 2.	*c.* 15. *n.* 12. *& duobus ſeq.*
c. 7. *num.* 27.	*c.* 16. *& ult. n.* 17. *& ſeq.*
c. 8. *n.* 34. *& ſeq.*	
c. 9. *num.* 31. *& ſeq.*	

TITULUS XXXV.

De Purgatione Vulgari.

Quær. 1. Quid ſit purgatio vulgaris, & cur ſit prohibita? R. eſt ea, quæ vulgus induxit, & a SS. Canonibus eſt reprobata, *n.* 1. Q. 2. Quæ purgationes vulgares in ſpecie ſint prohibitæ? R. prohibetur inprimis purgatio facta per monomachiam, ſive duellum, *c. h. t. nu.* 2. Secundo, prohibita eſt purgatio per judicium ferri candentis, vel aquæ ferventis, ſeu calida, *c.* 3. *& ult. h. t. n.* 3. Tertio, inhibita eſt etiam purgatio per aquam frigidam, & alia hujuſmodi purgationum genera, *n.* 4. An ſit licitus purgandi modus olim frequens per celebrationem Miſſæ, & ſumptionem SS. Euchariſtiæ, *n.* 5. Qu. 3. An ſententia lata ex purgatione vulgari, & jure reprobata, an non fuit appellatum, poſſit retractari? Reſp. poſſe, *c.* 2. *h. t. n.* 6. *& ſeq.*

SERIE CAPITULORUM.
IN ANTIQUIS.

c. 1. *num.* 2.	*c.* 2. *num.* 6. *&* 7.
	c. 3. *& ult. num.* 3.

TITULUS XXXVI.

De Injuriis, & Damno dato.

§. I.

De Injuriis.

Qu. 1. Quid ſit injuria, & quot modis inferatur? Reſp. Injuria ſpecialiter dicitur contumelia alicui dicta, vel facta, ſive quod dicitur, vel fit contra alicujus honorem; & tribus modis committitur; re, cum manus alicui infertur; verbis, cum ei convitium fit: litteris, cum per libellum famoſum injuria infertur, *n.* 1. Non committitur injuria, ſine dolo & animo injuriandi, *nu.* 2. Qu. 2. An ſi quis dicat verbum injurioſum alteri, cum proteſtatione, *ſalvo tuo honore*, excuſetur ab injuria? R. negative, quia eſt proteſtatio facto contraria, *n.* 3. Qu. 3. An is, qui alicui per convitium verum crimen objecit, inferat injuriam? R. ſi intereſt Reipubl. ut convitium objectum ſciatur, & puniatur injurians, non tenetur actione injuriarum, ſi illud probet, alias ſecus, *n.* 4. Niſi animo injuriandi hujuſmodi convitium proferatur, tum enim non excuſat, *n.* 5. Qu. 4. An provocatus licite poſſit retorquere injuriam ſibi illatam? R. id eſſe licitum, ſi id fiat incontinenti, & debito modo, *nu.* 6. Qu. 5. Qualis actio oritur ex injuria, & quæ ſit ejus pœna? R. duplex oritur actio, civilis ad æſtimationem injuriæ, & criminalis, ad pœnam extraordinariam corporalem *n.* 7. Qu. 6. An quis poſſit agere pro injuria alteri illata. R. affirmative, *n.* 8. Qu. 7. Quomodo tollitur actio injuriarum? R. per lapſum anni tollitur actio injuriarum criminalis, nam civilis eſt perpetua. Secundo tollitur per remiſſionem injuriæ, vel expreſſam, quæ fit per pactum, vel per tacitam, quæ fit per ſigna, aut diſſimulationem *n.* 9.

§. II.

De damno dato.

Si quis, culpa ſua, alicui damnum dedit, vel injuriam irrogavit, vel aliis irrogantibus opem tulit, per imperitiam, vel negligentiam, is ſatisfacere tenetur, nec ignorantia ipſum excuſat. Item ſi animalia alicujus nocuerunt alteri, is ad ſatisfactionem tenetur, niſi ea damnum paſſis dare velit. Qui occaſionem damni dat damnum dediſſe videtur, niſi omnem diligentiam, quam debeat, adhibuerit, *c. ult. h. t. n.* 10. qui damnum etiam ex culpa leviſſima dedit, tenetur ad ſatiſfactionem damni illati, *n.* 11. Si animal damnum dedit, dominus ejus vel præſtare debet æſtimationem damni, vel animal tradere damnum paſſo, *nu.* 12. Si bos cornupeta, & non cuſtoditus, alium bovem interfecit, dominus illius tenetur reddere bovem, & mortuum recipere, *c.* 3. *h. t. cit. n.* 12. Item ſi quis fodit ciſternam, & non cooperuit eam, ceciderítque bos vel aſinus in illam, dominus ciſternæ tenetur reddere pretium animalis, quod autem mortuum eſt, illius erit, *c.* 2. *h. t. n.* 13. Qui dimittit ſuum jumentum, & illud depaſcit alienam veniam, vel agrum, dominus æſtimationem damni ſolvere tenetur, *c. Si Læſerit* 4. *h. t. n.* 14. Si quis campum ſuum incendit, & ignis egreſſus combuſſit alienas ſegetes, tenetur damnum ſolvere ſi in culpa fuit, *c. Si egreſſus* 5. *h. t. n.* 15. Si quis voluntatie incendit domum alicujus, totum damnum reſtituere debet, & per tres annos pœnitere, non tantum damnum alicui illatum, ſed etiam lucrum inde ceſſans damnum paſſo reſtituendum eſt. Unde ſi quis in rixa alium percuſſit, iſque non fuit mortuus, ſed in lecto jacet, operas, & expenſas ſolvere debet, *c.* 1. *h. t. n.* 17. Si Princeps, ſeu Magiſtratus ſecularis Clericum tanquam bannitum mittat in exilium, is per judicem Eccleſiaſticum condemnandus eſt, ſecundum æſtimationem injuriæ, in expenſas & damna quia violat immunitatem Eccleſiaſticam, *c. Olim.* 7. *h. t. n.* 18. *& ſeq.* Statutum etiam juratum editum de non repetendis damnis acceptis non extenditur ad expenſas factas, quæ nihilominus, non obſtante tali juramento, repeti poſſunt, & ſolvi debent, *c. In noſtra* 8. *h. t. n.* 20.

§. III.

De repreſaliis, ſive pignorationibus.

Qu. 1. Quid ſint repreſaliæ, & an ſint licitæ? R. repreſaliæ, ſive pignorationes, ſunt litteræ, in quibus Princeps vel Reſpubl. ſubditis ſuis injuſtum damnum paſſis dat invadendi Terras eorum, qui damnum intulerunt, & occupandi bona incolarum, etiam innocentium, in compenſationem danorum illatorum, *n.* 21. Quæ, ut ſint licitæ, plures conditiones requiruntur, quæ enumerantur, *n. eod.* Qu. 2. Contra quos repreſaliæ concedi non poſſint? R. non poſſe contra perſonas Eccleſiaſticas, vel bona earum, nec conceſſæ extendi ad illas, non obſtante contraria conſuetudine, & qui eas concedunt, vel extendunt contra perſonas prædictas, ſi intra menſem non revocant, & ſunt ſingulares perſonæ, ſunt excommunicatæ: ſi Univerſitates, ſunt interdictæ, *c. unic. h. t. in* 6. *nu.* 22. *&* 23.

SERIES CAPITULORUM.
IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 17.	*c.* 7. *n.* 18. *& ſeq.*
c. 2. *n.* 13.	*c.* 8. *n.* 20.
c. 3. *n.* 12.	*c.* 9. *& ult. n.* 10. *& duobus ſeqq.*
c. 4. *n.* 14.	IN SEXTO.
c. 5. *n.* 15.	*c. unic. num.* 22. *& ſeq.*
c. 6. *n.* 16.	

TITULUS XXXVII.

De Pœnis.

§. I.

De pœnis in genere.

Qu. 1. Quid ſit pœna, & quotuplex; Reſp. pęna eſt delictorum coercitio, ſeu vindicta, *nu.* 1. Sunt autem pęnæ quædam capitales, quædam non capitales: & hæ quædam corporales, quædam pecuniariæ: aliæ civiles, quæ parti læſæ applicantur, aliæ criminales, quæ ad publicam vindictam tendunt. Item alia pœna eſt ordinaria, alia extraordinaria, *nu.* 2. Qu. 2. An Judex teneatur imponere pęnam ordinariam, ſive lege præſcriptam, & an illam augere poſſit, vel minuere? R. tenetur ordinariam reo convicto de crimine infligere, nec poteſt Judex inferior pęnam lege præſcriptam excedere, neque ſtatutam remittere, vel minuere: quamvis id poſſit Princeps ſupremus, *n.* 3. Delinquens toties puniendus eſt, quoties reiterat delictum, *c.* 1. *h. t. n.* 4.

§. II.

De variis pœnis in ſpecie, & imprimis de pœnis in ſpecie, & imprimis de pecuniariis.

Interficiens Presbyterum puniendus eſt, & ſi pęna ſit pecuniaria, pars dimidia ſolvenda eſt Eccleſiæ, cui præfuit: altera pars dimidia diſtribui debet in pauperes pro anima mortui, *c.* 2. *h. t. n.* 5. Secundo Archidiaconi, & alii Prælati, qui in criminibus diſpenſare nequeunt, aut pęnas commutare, non poſſunt propter crimina pecuniam exigere, neque pęnam pecuniariam imponere, etiam correctionis cauſa ſi alia a jure ſtatuta ſit, *c. Licet* 3. *h. t. nu.* 6. *&* 7. Tertio, victus victori condemnandus eſt in expenſas, quando ſententia profertur pro parte præſente, in cauſis pecuniariis: non autem quando fertur pro parte abſente, *c. Calumniam* 4. *hoc t. n.* 8. *&* 9. Qui juſtam cauſam habuit, non debet condemnari in expenſis litis, *cit. n.* 9. Judex tenetur victum in expenſas condemnare victori, ſi is id petiit, alias non, *n.* 10.

§. III.

De pœna conventionali, ſive qua pacto, aut contractui eſt appoſita.

Si uterque contrahentium agat contra contractum, uterque poteſt exigere pęnam ad invicem promiſſam ex conventione, quæ tamen ſi utraque pars non ſervet contractum, in effectu tollitur, & pęna cum pęna compenſatur, *c. Conſtitutus h. t. n.* 11. Si obligatus ſolvere certam quantitatem pecuniæ ad certum tempus, cum pacto, ut ſi non ſolverit tempore conſtituto, teneatur ad certam pœnam, ſi ſolvit majorem partem debiti, non tenetur integram pęnam ſolvere, *c. Suam* 9. *h. t. nu.* 13. *&* 14. idque ex æquitate canonica, cum aliud ſit de jure civili, *n. eod.*

§. IV.

De Pœna depoſitionis, & degradationis.

Clerici, qui operam dant bello (injuſto) gubernando naves ad pugnam, & qui perſonaliter confligunt, vel alios incitant ad pugnandum, graviter peccant, ac deponendi ſunt ab officio & beneficio, *c. Quod in dubiis* 5. *h. t. n.* 15. Præterea Clerici in magnis ſceleribus deprehenſi debent deponi, & in Monaſterium detrudi ad agendam penitentiam, *c. Tua* 6. *h. t. n.* 16. Deſcribitur modus degradandi Clericus, *c.* 2. *h. t. in* 6. *n.* 17. *&* 18. Quæ ſint differentiæ inter depoſitionem, ſeu degradationem verbalem, quæ fit per ſimplicem ſententiam, qua Clericus criminoſus ab Ordinum miniſterio, ſeu executione depoſitus declaratur: & inter degradationem actualem, per quam veſtibus, & Inſignibus Clericalibus actu, & ſolemni verborum formula privatur, *num.* 19. Crimina, ob quæ Clericus actu degradandus eſt, & tradendus Curiæ ſeculari, tria ſunt Jure expreſſa, crimen hære-

hæreſi, crimen conſpirationis in proprium Epiſcopum, ſaltem ſi in corrigibilitas ſeceſſerit, *eit. num.* 19.

§. V.

De pœna carceris.

Licet carcer ſpecialiter ſit ioventus ad cuſtodiam, poſſunt tamen confeſſi, vel convicti de criminibus plecti pœna carceris in perpetuum, vel ad tempus, ad arbitrium, conſideratis delictis, perſonis, & circumſtantiis, *c. Quamvis.* 3. *h. t. in* 6. *num.* 20. & 21. Quod ſi teſtis, variet, & vacillet etiam coram Papa, ideoque incarceretur, non ſit infamis, *c. Super his*, 8. *h. t. n.* 22.

§. VI.

De pœnis occidentium, vel percutientium proprium Epiſcopum, vel occidentiam Rectorem Eccleſiæ, aut Beneficii. Item de pœna litigantis injuriam inferentis Judici,

Quær. I. Quali puniedi ſunt, qui occidunt, vel percutiunt proprium Epiſcopum, vel Rectorem, aut alium Clericum alicujus Eccleſiæ? Reſp. occidentes Epiſcopum, ſeu Prælatum ſuum, privantur beneficiis & feudis, quæ habent ab illa Eccleſia, &c. nec ipſi, nec eorum hæredes poſſunt habere illa beneficia, ſeu feuda, vel alia quælibet de novo, *Ad nuree.* 10. *h. t. n.* 23. & *ſeq.* Percutiens, capiens, aut banniens Epiſcopum, vel hoc mandans, aut ratificans, vel ſi ſocins io his fuerit, conſilium dederit, aut ſavorem, vel ſcienter defenderit, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam. Item Civitas in hoc delinquens, & Officiales ejus aliis pœnis puniuntur, *Clem.* 1. *h. t. n.* 25. Similiter Patroni, Advocati, vel Vicedomini non debent ſibi in Eccleſiis, vel earum poſſeſſionibus, & bonis plus vendicare, quam Jura permittunt, & ſi ſecus faciant, per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcantur. Item ſi per ſe, vel per alios præſumpſerint occidere Rectorem, vel aliquem Clericum ipſius Eccleſiæ, amittant Jus Patronatus, advocatiam, feudum, & Vicedominatum, beneficium, & de his nihil perveniat ad hæredes, & poſteri eorum uſque ad quartam generationem non admittantur in Collegio Clericorum, nec in Domibus Regularium aſſequantur honorem alicujus prælationis, niſi cum eis fuerit diſpenſatum, *c. In quibuſdam* 12. *h. t. n.* 26. & 27. porro pœna alicui impoſita ab homine, vel a jure, & ejus filiis, ac poſteris, uſque ad quartam generationem, non extenditur ad deſcendentes ex linea fœminina, ſed tantum ex maſculina, niſi aliud in jure, vel ſententia ſit expreſſum *c. Ubicunque* 4. *h. t. in* 6. *n.* 28. & 29. Qu. 2. Quomodo puniendus ſit litigans injuriam inferens Judici? Reſp. litigator, qui temere prorupit contra aſſertionem Judicis, dicendo v. g. quod mentiatur, ſi conſtiterit de improbitate litigatoris, arbitrio Superioris puniendus eſt, *c. Dilectus. h. t. n.* 30.

§. VII.

De pœna perſiſtentis in excommunicatione ultra annum, & pœnis infeſtantium, percutientium, vel occidentium S. R. Eccleſiæ Cardinales.

Qui ultra annum pertinaciter in excommunicatione perſiſtit, ei ſubditi fidelitatem non debent: & ſi per duos annos, vel amplius in ea perſiſtat abſolvuntur Eccleſiæ a jure illi debito, & ſubditi a juramento fidelitatis domino debitæ denunciandi ſunt abſoluti, quamdiu in excommunicatione perſtiterit, *Gravem.* 23. & *ult. n.* 31. & 32. Quomodo puniendi ſunt perſequentes, offendentes S. R. Eccleſiæ Cardinales, *c. ult. h. t. in* 6. *n.* 33.

§. VIII.

Utrum Metropolitanus poſſit punire injurias ſibi, vel ſuis illatas a ſubditis Epiſcoporum Comprovincialium?

Archiepiſcopus, ſeu Metropolitanus, dum viſitat Provinciam, vel ſuos ad viſitandum mittit, vel Concilium Provinciale convocat, vel alias juriſdictionem exercet in Provincia, ſi ſibi, ſuæque familiæ, aut aliis, etſi de familia ſua non ſint, injuria inferatur a ſubditis Suffraganeorum propter injuria notoriam, & manifeſtam ſibi, vel ſuis illatam punire poteſt, etiamſi per has injurias non impediatur ſua juriſdictio, *c.* 1. *h. t. in* 6. *n.* 34. Quando crimina ſunt notoria, poteſt Archiepiſcopus punire ſubditos Suffraganeorum in tota Provincia, *n.* 35.

§. XIX.

Proponuntur Summæ reliquorum Capitulorum, quæ in Clementinis, & utriſque Extravagantibus continentur.

Quæ pœnæ ſint ſtatutæ in *Clement.* 2. *h. t. nu.* 36. Et quæ pœnæ in *Clement.* 3. *h. t. n.* 37. Item quæ pœnæ in *Extravag. unic. Joan.* XXII. *num.* 38. Denique quæ pœnæ in *Extravag. unic. inter communes num.* 30.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 4.
c. 2. *n.* 5.
c. 3. *n.* 6. & 7.
c. 4. *n.* 8. & 9.
c. 5. *n.* 15.
c. 6. *n.* 16.
c. 7. *n.* 11.
c. 8. *n.* 22.
c. 9. *n.* 13.
c. 10. *n.* 23.
c. 11. *n.* 30.
c. 12. *n.* 26. & *ſeq.*
c. 13. & *ult. n.* 31. & *ſeq.*

IN SEXTO.

c. 1. *n.* 34.
c. 2. *n.* 17.
c. 3. *n.* 20. & 21.
c. 4. *n.* 18.
c. 5. & *ult. n.* 33.

IN CLEMENTINIS.

Clem. 1. *num.* 15.
Clem. 2. *n.* 36.
Clem. 3. & *ult. n.* 37.

IN EXTRAVAGANT.

Extrav. unic. n. 38.

Joan. XXII.

IN EXTRAVAGANTIBUS Communibus.

Extrav. unic. n. 39.

TITULUS XXXVIII.

De Pœnitentiis, & Remiſſionibus,

Sexto I. *De pœnitentiis.*

§. I.

De pœnitentia in genere.

Quær. 1. Quid ſit pœnitentia, & quot modis accipiatur? Reſp. pœnitentia eſt præterita plangere, & plangenda iterum non committere: eaque tripliter accipitur, vel prout eſt virtus ſpecialis pœnitentiæ: vel ſecundo prout eſt Sacramentum novæ legis a Chriſto inſtitutum, & continens tres partes, vel contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem. Vel tertio pro ſatisfactione etiam extra Sacramentum pœnitentiæ, *num.* 1. Qu. 2. Quotuplex ſit pœnitentia ſumpta pro ſatisfactione? Reſp. duplex, alia publica, quæ imponitur, & peragitur pro manifeſtis peccatis? nam pro manifeſtis peccatis publica pœnitentia imponenda eſt, *c.* 1. *h. t.* Alia eſt privata, quæ imponitur peccatis ſecretis, & privatim peragitur, *n.* 2. Rurſum pœnitentia publica, alia eſt ſolemnis, quæ imponitur nonniſi ob peccatum valde enorme, & toti Reipubl. ſcandaloſum & pernicioſum: alia publica, ſed non ſolemnis, quæ ſit publice, & in facie Eccleſiæ, propter grave & publicum crimen, ſed non ſcandaloſum, *n.* 3. An Confeſſarii pro publicis peccatis auditis in confeſſione poſſint imponere pœnitentias publicas? *n.* 4.

§. II.

De pœnitentia occidentis Presbyterum.

Qui Presbyterum occidit, ei imponitur pœnitentia XII. annorum, & ſi eſt convictus, & miles, per totum vitæ ſuæ tempus privari debet cingulo militari, & manere abſque ſpe conjugii, *c.* 2. *h. t. n.* 5.

§. III.

Proponuntur alia quædam capitula, in quibus agitur de imponenda pœnitentia.

Inprimis ſi quis excedat modum in ſe defendendo, vel etiam libertatem Eccleſiæ violet, ei inducenda eſt pœnitentia arbitraria, conſideratis circumſtantiis, *c.* 3. *h. t. n.* 6. Secundo, Sacerdotibus Græcis habentibus uxores, ſi ipſorum filii reperiantur in lectis mortui, ipſis procurantibus, vel negligentibus, imponitur pœnitentia, ut in perpetuum abſtineant ab Altari, & gravior pœnitentia illis, quam laicis imponitur, non tamen publica, ſi delictum non fuit publicum. Si vero ex incuria eorum filii reperiuntur mortui in cunis, & hoc eſt occultum, ad arbitrium Pœnitentiarii imponitur eis pœnitentia, & in terrorem aliorum debent a celebratione Miſſarum ad tempus abſtinere, *c. Quæſitum.* 7. *h. t. n.* 7. declaratur *n.* 8. Tertio, pœnitentia moderanda eſt ſecundum arbitrium prudentis & diſcreti Confeſſarii, non ſolum ſecundum qualitatem exceſſus pœnitentis, ſed etiam contritionem, & alias circumſtantias, præſertim ſi perſona ſit recenter converſa, *c. Deus.* 8. *h. t. n.* 9. Quarto, qui jejunare debet ex pœnitentia illi injuncta in pane & aqua, poteſt deficiente pane, aliis cibis veſci, non ad delicias, ſed ad ſuſtentationem, *c. Licet.* 6. *h. t. n.* 10.

§. IV.

De præcepto ſacramentaliter confitendi, ſaltem ſemel in anno, & S. Euchariſtiam recipiendi in Paſchate.

Omnis fidelis utriuſque ſexus, cum pervenit ad annos diſcretionis, ſaltem ſemel in anno confiteri debet ſua peccata propria Sacerdoti, aut de ejus licentia alteri, & Sacramentum Euchariſtiæ ad minus in Paſchate recipere: alioquin vivens arceatur ab ingreſſu Eccleſiæ, & mortuus careat Eccleſiaſtica ſepultura. Item Sacerdos revelans peccatum in Confeſſione auditum, deponendus eſt ab Officio Sacerdotali, & in arctum Monaſterium detrudendus ad agendum perpetuam pœnitentiam, *c. Omnis.* 12. *h. t. n.* 11. Declaratur *n.* 12. & 13. Utrum prohibitum ſit, non tantum revelare peccatorem, ſed etiam peccatum ſibi in Confeſſione detectum, *n.* 14. Item præcipitur Medicis vocatis ad infirmos, ut ante omnia inducant infirmum ad confeſſionem, alioquin ab ingreſſu Eccleſiæ arceantur, donec competenter ſatisfecerint, *c. Cum infirmitas.* 13. *h. t. n.* 15. & 2. *ſeq.*

§. V.

An Confeſſio illius, qui dicit, ſe non poſſe abſtinere a peccato, ſit admittenda?

Non eſt vere pœnitens, qui peccandi propoſitum non deponit: admittitur tamen ejus confeſſio, ut ad pœnitentiam ſalutaribus monitis inducatur, *c. Quod quidam.* 5. *h. t. num.* 18. & *ſeq.*

§. VI.

De Confeſſione mulieris, quæ partum alienum ſibi ſuppoſuit, vel proprium ex adulterio ſuſcepit.

Sicut non deneganda pœnitentia mulieri, quæ ex adulterio concepit, & genuit prolem, ignorante marito, quia ex timore non vult hoc marito aperire: ſic etiam non eſt deneganda pœnitentia mulieri, quæ inſcio viro ſuppoſuit partum adulterium, ne hæreditas mariti tranſeat ad alios, præſertim extraneos, *c. Officii* 9. *h. t. n.* 20. Declaratur *n.* 21. & *ſeq.* Abbatiſſa non poteſt Moniales ſuas benedicere; nec Confeſſiones earum audire, nec publice prædicare, *Nova*, 10. *h. t. num.* 23.

§. VII.

§. VII.

An pœnitentia, & quænam alia tempore generalis interdicti ſint conceſſa, vel non: & an damnatis ad mortem pœnitentia ſit concedenda?

Tempore Interdicti conceditur pœnitentia, & Viaticum morientibus: & Clerici, qui ſervarunt interdictum generale, poſſunt eum ſilentio, id eſt, ſine ſolemnitatibus, & campanis, in cœmeterio ſepeliri. Item in Eccleſiis Conventualibus poſſunt bini aut terni Horas Canonicas ſimul recitare, ſine cantu, januis clauſis, & excommunicatis, & interdictis, & ita ſubmiſſe, ut exterius non audiantur: Denique Cruce ſignatis, & peregrinis pœnitentia concedi poteſt, *c. Quod in te. 11. h. t. n. 24. & 25.* Sed & damnatis ad mortem Sacramentum pœnitentiæ, ſi id petant concedi debet, non obſtante contraria conſuetudine, *Clem. 1. h. t.* Imo etiam Sacramentum Euchariſtiæ, ſive Viaticum, *n. 26.*

§. VIII.

De quæſtionibus eleemoſynarum,

Quæſtores eleemoſynarum, ſine Apoſtolicis, vel Diœceſanorum Litteris admitti non debent, nec populo proponant ultra id, quod ipſis Litteris continetur, & debent eſſe modeſti, nec in tabernis, vel aliis incongruis hoſpitentur, nec inutiles faciant expenſas, *c. Cum ex eo. 14. h. t. n. 27.* Non debet etiam quæſtoribus v. g. pro fabrica Eccleſiæ dari facultas citandi alios, ſed ſolum charitative eos monere poſſunt, *c. 1. h. t. n. 28.* Et Archiepiſcopi in concedendis Indulgentiis non excedant Statutum Concilii Generalis in *c. Cum ex eo. 14. h. t. num. eod.* Denique Quæſtores non eſſe admittendos, ſine Litteris Apoſtolicis, vel Diœceſanorum, repetitur in *Clement. 2. h. t.* Et per Diœceſanos Litteras Apoſtolicas examinari debere, & ipſos quæſtores, eorumque exceſſus per Epiſcopos puniri debere, non obſtantibus privilegiis, *n. 29.* Quid Jure novo Concilii Tridentini ſtatutum ſit circa quæſtores eleemoſynarios, *num. 30. & 31.*

§. IX.

Quinam habeant privilegium elegandi ſibi Confeſſarium?

Epiſcopi, iique ſuperiores, & Prælati inferiores exempti poſſunt ſibi eligere Confeſſarium, etiam ſine licentia ſui Superioris, *c. ult. h. t. n. 32. & 2. ſeqq.* Quando Epiſcopus concedit ſuo ſubdito, ut ſibi poſſit eligere idoneum Confeſſarium, electus non poteſt abſolvere a caſibus reſervatis Epiſcopo: nulla quoque poteſt conſuetudine induci, ut quis, ſine licentia Superioris ſui poſſit ſibi eligere Confeſſarium, *c. 2. h. t. in 6. n. 35. & ſeq.*

SECTIO II.

De Remiſſionibus, ſeu indulgentiis,

§. I.

Quid ſit Indulgentia, & quotuplex?

Aſſertio 1. Indulgentia eſt remiſſio pœnæ temporalis debitæ Deo, propter peccata actualia commiſſa poſt Baptiſmum, & remiſſa quoad culpam, extra Sacramentum, facta per applicationem ſatisfactionis Chriſti, & Sanctorum, *Extravag. 2. h. t. n. 37. & 38.* Aſſertio 2. Indulgentia alia eſt plenaria, per quam tota pœna in purgatorio pro peccatis luenda remittitur; alia partialis, ſeu non plena, per quam pars tantum aliqua pœnæ temporalis remittitur, *n. 39.* Rurſum Indulgentiæ aliæ dantur pro vivis, aliæ pro defunctis, *cit. num. 39.*

§ II.

Quinam poſſint concedere indulgentias?

Aſſertio 1. S. Pontifex poteſt Indulgentias plenarias, & non plenarias, omnibus fidelibus concedere, *cit. Extravag. 2. num. 40.* Aſſertio 2. Epiſcopi poſſunt concedere Indulgentias in ſuis Diœceſibus, ſed limitate tantum, ita ut in Dedicatione Baſilicæ ultra annum, & in anniverſario Dedicationis, & in Litteris indulgentiarum ab Epiſcopo conceſſis remiſſio ultra XL. dies excedere non debeat, *c. Cum ex eo. 14. §. Ad hæc. h. t. n. 41. & ſeq.* Quod ſi indulgentiæ conceſſæ ab Epiſcopis excedant annum, vel XL. dies, eæ non valent, *c. 3. & ult. h. t. in 6. num. 43.* Aſſertio 3. Epiſcopi ſuis tantum ſubditis Indulgentias concedere poſſunt, non alienis, & extraneis, *c. Quod autem. 4. h. t.* Et pro vivis tantum, non autem pro defunctis: *num. 44.* Aſſertio 4. Archiepiſcopus viſitans Provinciam poteſt etiam Indulgentias concedere, ſed non ultra ſtatutum *cit. c. Cum ex eo. §. Ad hæc. h. t. n. 45.* Utrum Prælati inferiores Epiſcopo, vi conſuetudinis legitime præſcriptæ, poſſint Indulgentias concedere, *n. 46.* Etiam exempti poſſunt lucrari Indulgentias Epiſcopales, *num. 47.*

§. III.

De anno Jubilæo.

Inprimis centeſimo quoque anno conceſſa fuit pleniſſima peccatorum venia viſitantibus Baſilicas SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, *Extrav. Comm. h. t. num. 48.* Poſtea vero quinquageſimo quoque anno, *Extravag. 2. eod. num. 49.* Denique annus Jubilæus ad brevius tempus redactus fuit, ut videlicet, XXV. quoque anno celebraretur, *Extravag. Quemadmodum. 4. h. t. n. 50.* Præterea in *Extravag. Etſi 3. h. t.* plures caſus enumerantur, a quibus nullus poteſt abſolvere ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ, *n. 51.* Item in *Extravag. Etſi 5. & ult. h. t.* revocantur multæ Indulgentiæ, & facultates abſolvendi a caſibus in Bulla Cœnæ contentis, item commutandi quinque vota Papæ reſervata, *n. 52.*

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS,

c. 1. n. 2. & 4.
c. 2. n. 5.
c. 3. n. 6.
c. 4. nn. 44.
c. 5. n. 38.
c. 6. n. 10.
c. 7. n. 7. & ſeq.
c. 8. nn. 9.
c. 9. n. 20. & 22.
c. 10. n. 23.
c. 11. nn. 24. & duobus ſeqq.
c. 12. n. 13. & ſeq.
c. 13. n. 15. & 17.
c. 14. in princ. n. 27. §. Qui autem. n. eod. §. Ad hæc. n. 41. 42. 43. & 45.
c. 15. n. 45.
c. 16. & ult. n. 32. & ſeq.

IN SEXTO.

c. 1. n. 28.
c. 2. n. 35. & ſeq.
c. 3. & ult. n. 43.

IN CLEMENTINIS.

Clement. 1. n. 26.
Clement. 2. n. 29.

IN EXTRAVAGANTIBUS.
Communibus.

Extrav. 1. n. 48. & ſeq.
Extrav. 2. poſt princ. n. 38. 39. 40. & 49.
Extravag. 3. n. 51.
Extravag. 4 num. 50.
Extravag. 5. & ult. nn. 52.

TITULUS XXXIX.

De Sententia Excommunicationis, ſuſpenſi, & interdicti.

SECTIO I.

De prima Cenſura Eccleſiaſtica, nempe excommunicatione.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit Cenſura?

Aſſertio 1. Cenſura in genere eſt pœna quædam ſpiritualis ac medicinalis, privans uſu aliquorum bonorum ſpiritualium per Eccleſiaſticam Poteſtatem inflicta delinquenti, donec a contumacia recedat, *n. 1. & 2.* Aſſertio 2. Tres tantum ſunt cenſuræ proprie dictæ, excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum, *n. 3.*

§. II.

Quid, & quotuplex ſit excommunicatio, & qua forma fieri debent?

Aſſertio 1. Excommunicatio in genere eſt cenſura Eccleſiaſtica, per quam Chriſtianus a communione Eccleſiæ, ſeu aliorum fidelium ſeparatur. Eſt autem triplex fidelium communicatio pure interna, pure externa, & media, ſeu mixta, *n. 4.* Ubi id declaratur, *n. 5. & 6.* Aſſ. 2. Excommunicatio primo dividitur in majorem, & minorem, *c. Si quem. 59. h. t.* & quæ ſit major, quæ minor excommunicatio, *n. 7. & 8.* Dividitur ſecundo, excommunicatio in eam, quæ fertur a jure, & eam, quæ fertur ab homine, ſeu Judice, *n. 9.* Tertio, in eam, quæ ipſo facto incurritur, & eam, quæ per ſententiam Judicis infertur. Quarta, alia eſt excommunicatio juſta, alia injuſta. Quinto, alia generalis, quæ fertur in communi, alia particularis, quæ fertur in particulares perſonas, *cit. num. 9.* Aſſ. 3. Ad ferendam excommunicationem non requiritur certa verborum forma, ſed ſatis eſt, ut congrue exprimatur mens excommunicare volentis, *n. 10.* Modus autem ac forma excommunicandi in *c. 2. h. t. in 6. n. 11. & ſeq.*

§. III.

De effectibus excommunicationis, ſive majoris, ſive minoris.

Quæſt. 1. Qui ſint effectus excommunicationis majoris? Reſp. Primus effectus eſt privatio adminiſtrationis, ſeu collationis Sacramentorum, *n. 13.* Sacramenta tamen adminiſtrata ab excommunicato valida ſunt, *nn. 14.* Secundus effectus eſt privatio perceptionis Sacramentorum, ita ut nullus excommunicatus licite poſſit ullum Sacramentum percipere, *num. 15.* Tertius eſt, privatio communium Eccleſiæ ſuffragiorum, *num. 16.* Quartus eſt, quod non poſſit intereſſe Divinis Officiis, quæ ab Eccleſia publice, & ſolemniter fiunt, *num. 17.* Quintus eſt, quod excommunicatus privatur omni uſu, & exercitio juriſdictionis Eccleſiaſticæ, *num. 18.* Sextus eſt privatio omnis communicationis forenſis, ita ut excommunicatus non poſſit eſſe Judex, actor, aut teſtis in judicio, etiam in cauſis civilibus, *c. Decernimus. 8. h. t. in 6. num. 19. & 20.* Septimus eſt, privatio omnis communicationis civilis, ac politicæ cum aliis fidelibus, *c. Nuper. 29. & c. 41. & c. pen. h. t. n. 21.* Octavus inhabilitas ad quodvis Officium Eccleſiaſticum obtinendum, *num. 22.* Nonus privatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, *nu. eod.* Quæſt. 2. Quis ſit effectus minoris excommunicationis? Reſp. Effectus primarius eſt, quod privet perceptione Sacramentorum, alius eſt, quod ſic excommunicatus ad beneficium Eccleſiaſticum aſſumi non poſſit *n. 23.*

SECTIO II.

De cauſis excommunicationis.

§. I.

Quinam poſſint excommunicare vel excommunicari?

Aſſertio 1. Omnes & ſoli illi habent poteſtatem excommunicandi (idemque eſt de aliis cenſuris) Jure communi, & ordinario, qui juriſdictionem Eccleſiaſticam in foro externo habent, *n. 24.* Aſſ. 2. Excommunicare non poſſunt laici, nec Clerici conjugati, nec feminæ etiam Abbatiſſæ, aut Moniales, *n. 25.* Aſſ. 3. Excommunicari poſſunt omnes, & ſoli homines viventes, baptizati, rationis & doli capaces. Unde non poſſunt excommunicari non baptizati, ut infideles, nec carentes ratione, nec non ſubditi, *num. 26.* Nec Univerſitas, *c. Romana. §. ult. h. t. in 6. n. 27.* Excommunicatio generaliter lata ligat ſolum ſubditos excommunicantis, non autem peregrinos, ſeu extraneos, *c. A nobis. 21. h. t. n. 28. & ſeq.*

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Ob quam cauſam excommunicatio, vel alia cenſura ferri poſſit?

Aſſertio 1. Ob ſolum peccatum mortale infligi poteſt excommunicatio, aut alia cenſura, requiritur tamen, ut ſimul ſit peccatum contumaciæ, *nu.* 30. Aſſertio 2. Excommunicatio non poteſt ferri ob peccatum mere internum, aut omnino occultum, *nu.* 31. Aſſertio 3. Excommunicatio nunquam infligi debet ob peccatum mere præteritum, *num.* 32. Aſſertio 4. Ad incurrendam excommunicationem requiritur actus externus, ſive peccatum in ſuo genere completum, ita ut effectus ſit ſecutus, *nu.* 33.

§. III.

An excommunicationem neceſſario præcedere debeat admonitio Canonica, & quomodo alias ferri debeat excommunicatio?

Aſſertio 1. Nulla excommunicatio ab homine, ſeu Judice lata, propter peccatum præteritum, vel præſens, in quo reus contumaciter perſiſtit, infligi debet, niſi præceſſerit aliqua monitio, *c. Sacro* 48. *h. t. num.* 34. & 35. Aſſertio 2. Ad incurrendam excommunicationem latam a jure, ſeu Canone pro culpa futura ipſo facto incurrendam non eſt neceſſaria alia admonitio, *num.* 36. Aſſertio 3. Si a jure decreta ſit excommunicatio ferendæ ſententiæ; ſive per Judicem, ea reo infligi non debet etiam convicto aut manifeſto, niſi præcedente monitione, *num.* 37. Etſi legitima admonitio præceſſerit, Prælatus non debet aliquem, abſque manifeſta, & rationabili cauſa excommunicare; quod ſi excommunicavit, ſine manifeſta, & rationabili cauſa, & requiſitus non curavit proceſſum, abſque gravamine, revocare, poteſt gravatus conqueri apud Superiorem, qui, ſi non eſt periculum in mora, illum remittere debet, cum ſuo mandato ad excommunicatorem ab eo abſolvendum, intra certum terminum, alioquin per ſe, vel per alium abſolvat, recepta ſufficiente cautione. Si vero de injuſta excommunicatione conſtet, debet excommunicator condemnari ad intereſſe excommunicato, & arbitrio Superioris puniri pro qualitate culpæ, niſi erraverit ex cauſa probabili. Quod ſi conquerens nihil rationabile probet & ipſe condemnari ad intereſſe niſi probabilis error ipſum excuſet, & ſuper eo, propter quod fuit excommunicatus, ſatisfacere compellatur, vel reducatur in priſtinam excommunicationem, donec ſatisfecerit. Denique ſi excommunicator paratus ſit revocare ſententiam, & excommunicatos appellet, non eſt audiendus, niſi talis ſit error, de quo merito poteſt dubitari: & tunc eum abſolvat, recepta cautione coram Judice, quod juri parebit, & ſic pœnam præſcriptam evitabit, caveat tamen, ne malitioſe mentiatur in præjudicium alterius, *cit. c. Sacro nu.* 38. Declaratur, *num.* 39.

§. IV.

Quibus caſibus cenſura excommunicationis, vel alia ſit injuſta, & quibus etiam invalida?

Aſſertio 1. Cenſura excommunicationis, vel alia interdum ſolum eſt illicita, & injuſta, ſed valida tamen, & quæ obligat, vel non tantum injuſta eſt, ſed etiam invalida, eaque ex triplici capite; vel ob defectum jurisdictionis in ferente illam, vel ob defectum ſubſtantialis ordinis judicii, vel ob defectum juſtæ cauſæ, *num.* 40. Aſſertio 2. Excommunicatio, vel alia cenſura, juſta quidem ſecundum allegata, & obligat in foro externo: non tamen eſt valida, nec obligat in foro interno conſcientiæ, *n.* 41.

§. V.

An, & qualis ignorantia, & quis metus excuſet ab excommunicatione, vel alia cenſura?

Aſſertio 1. Ignorantia facti, quæ excuſat a culpa, excuſat etiam a quavis cenſura. Unde ſi ignorans percutiat Clericum, quem probabiliter ignorat eſſe Clericum, non eſt excommunicatus. & ſi eſt dubium an ignoraverit, jurare debet, ſe ignoraſſe, & ſi jurare recuſet, habetur pro excommunicato *c. Si vero* 4. *h. t. num.* 42. An ignorantia facti concomitans excuſet a cenſura, *n.* 43. Item an excommunicationem incurrat is, qui volens percutere Petrum Clericum, percutit Paulum Clericum, vel volens percutere Titium laicum, percutit Cajum Clericum, vel ſi quis percutiat Clericum, quem putat eſſe laicum, *cit. n.* 43. Aſſertio 2. Ignorantia inculpabilis Juris Eccleſiaſtici, ſive communis, ſive particularis, quæ prohibet aliquid ſub excommunicatione, excuſat, ab illa incurrenda, etiamſi quis ſciat, id prohibitum eſſe lege naturali, ac Divina, *num.* 44. Aſſertio 3. Ignorantia invincibilis, non ſolum Juris Eccleſiaſtici præcipientis, vel prohibentis aliquid ſub excommunicatione, vel alia cenſura, ſed etiam ſola ignorantia ipſius pœnæ, ſive cenſuræ, excuſat ab ipſa cenſura, *nu.* 45. Non ſolum ignorantia inculpabilis, ſed etiam culpabilis, ſive facti, ſive juris imponentis cenſuras, excuſat ab excommunicatione, vel alia cenſura, dummodo non ſit craſſa, aut ſupina, *num.* 46. Aſſertio 5. Quando metus gravis excuſat a peccato contra præceptum Eccleſiæ, tum excuſat etiam ab excommunicatione, vel alia cenſura incurrenda, *n.* 47.

SECTIO III.

De excommunicatione in ſpecie, & inprimis de illa, quæ Jure decreta eſt ob percuſſionem Clerici.

§. I.

Quænam Jure Canonico ſtatuta ſunt circa percuſſionem Clericorum.

Generatim ſtatuta eſt excommunicatio in percutientes Clericos, *c. Si quis ſuadente* 29. *cauſ.* 17. *q.* 4. *nu.* 48. Idque declaratur, *num.* 49. Nomine autem Clericorum comprehenduntur etiam novitii, *c. Religioſo* 21. §. *Quamvis h. t. in* 6. *nu.* 50. Secundo, qui detinet Clericum in cuſtodia, ſeu carcere, etiam ſine alia læſione, excommunicatus eſt, *cap. Nuper* 29. *in princ. h. t.* 51. Tertio excommunicationem incurrit etiam is, qui manus violentas injicit in Clericum etiam conſentientem, licet hoc faciat in compenſationem præcedentis injuriæ, *c. Contingit* 36. *h. t. num.* 52. Quarto, excommunicationem latam in percutientes Clericos incurrit etiam mandans, conſulens, conſentiens, ſi ſcivitur percuſſionem revocaſſe mandatam, ſed notitia revocationis percuſſit Clericum, excommunicatus eſt mandans, *cit. num.* 53. Sexto, etiam is, qui ratam habet percuſſionem Clerici ſuo nomine factam, excommunicationem incurrit, *c. Cum quis* 23. *h. t. in* 6. *nu.* 54. & *ſeq.* Denique excommunicati etiam ſunt, qui permittunt percuti Clericum, & non impediunt, cum poſſent ac deberent, *c. Quanta* 47. *h. t. n.* 56.

§ II.

Quis poſſit abſolvere ab excommunicatione Canonis, ob percuſſionem Clerici, vel Monachi?

Duplex eſt percuſſio Clerici, una modica, ſeu levis, altera gravis, ſeu enormis, *nu.* 57. Aſſertio 1. Ab excommunicatione Canonis, ob percuſſionem Clerici modicam, ſeu levem, poteſt abſolvere Epiſcopus, *c. Pervenit* 17. *h. t.* Imo etiam Prælatus inferior habens jurisdictionem quaſi Epiſcopalem, *cit. num.* 58. Aſſertio 2. Si Oſtiarius alicujus ſecularis Poteſtatis, prætextu Officii, Clericum percuſſerit, non graviter, ab Epiſcopo abſolvi poteſt, ſi forte arcendo turbam, Clericum non ex deliberatione, ſed caſu fortuito læſerit. Si vero Officialis deliberate alicui Clerico manus injecerit, per Papam abſolvi debet, *c. Si vero* 3. *in princ. h. t. num.* 59. Aſſertio 3. Si Monachi, vel Canonici Regulares ſe invicem in clauſtro percuſſerint, non graviter, abſolvendi ſunt per Abbatem ſuum; ſi vero hujus diſcretio deficiat, recurrendum eſt ad Epiſcopum, ut ipſos corrigat & abſolvat, *c.* 2. *h. t. nu.* 60. Abſolutio illorum, qui violentas manus injiciunt in Clericos, eſt reſervata Sedi Apoſtolicæ, exceptis quibusdam caſibus. Quod ſi excommunicatus, ob percuſſionem Clerici, non ignarus excommunicationis fecit ſe ordinari, ſi eſt Clericus ſecularis, in perpetuum deponendus eſt ab Ordinibus: ſi regularis, ſuſpenſus eſt ab executione Ordinis ſuſcepti. Qui vero ex ignorantia juris, vel facti, ſic excommunicatus recipit Ordines, ſi eſt Clericus ſecularis, ſolus Papa cum eo diſpenſat, ſi Regularis, diſpenſat Abbas, modo ignorantia ſit probabilis, & factum non ſit grave, *c. Cum illorum* 32. *h. t. nu.* 61. & 62. Si Monachus, ſeu Religioſus percuſſit Clericum ſecularem, nonniſi a Papa abſolvi poteſt: poterit tamen tunc Religioſus etiam ab Epiſcopo abſolvi, ſi percuſſio ſit levis, in eo caſu, in quo Epiſcopus abſolvere poſſet Clericum ſecularem, qui alium Clericum percuſſiſſet, *cap. Religioſo* 21. *in princ. h. t. in* 6. *num.* 64. Hodie tamen habent multi Religioſi privilegium Apoſtolicum, ut poſſint a Prælatis ſuis abſolvi, etiam ob gravem percuſſionem, *num.* 65. Similiter FF. Hoſpitalis Hieroſolymitani, ſi ſe invicem percuſſerint, & exceſſus non ſit enormis, ex privilegio Apoſtolico abſolvi poſſunt per eorum Priorem, *cap. Canonica* 50. *hoc tit. numer.* 66.

§. III.

De nonnullis caſibus, in quibus percutiens Clericum, vel Monachum excommunicationem Canonis non incurrit.

Plures ſunt hujuſmodi caſus. Veluti primo, ſi quis repellat vi Clericum ſibi vim inferentem, *d.* 3. §. *Si vero h. num.* 67. Alii caſus, in quibus excommunicatio non incurritur, ob percuſſionem Clerici, habetur in *c. Ex tenore* 10. *h. t.* nempe ſi quis percutiat Clericum defenſionis cauſa, vel ex mandato Prælati, vel percutiens ſit ejus Prælatus aut Magiſter, vel ſocius in eadem Eccleſia, *n.* 68. Secundo, qui Clerico cum uxore ſua turpiter invento, vel cum matre, ſorore, an propria filia, violentas manus injicit, vel etiam eum interficit, non eſt excommunicatus, ſecus ſi inveniat cum alia conſanguinea ſua non ita propinqua, *cit. cap.* 3. *Nec illa h. t. num.* 69. & 70. Tertio, excommunicationem Canonis non incurrunt, qui percutiunt Clericum diſciplinæ ſeu correctionis cauſa, ut Prælatus Eccleſiaſticus ſubditum ſuum regularem, Magiſter diſcipulum, pater filium, & de Prælato percutiente Clericum ſubditum regularem habetur in *c. Univerſitatis* 24. *h. t.* ita tamen, ut non per laicum, ſed Clericum percutiat: idque extenditur ad omnes Prælatos etiam ſeculares, quod Clericos ſeculares eis ſubditos, nonniſi per Clericos verberare poſſint, *n.* 71. Præterea Magiſter, ſeu Præceptor diſciplinæ cauſa verberare poteſt Clericos etiam in majoribus Ordinibus conſtitutos, abſque incurſu excommunicationis, & multo magis in minoribus conſtitutos, *c. Ex tenore* 10. *h. t. c. Cum in voluntate* 54. §. *Si qui vero h. t. num.* 72. Clerici impuberes plenum uſum rationis habentes ſe invicem percutientes incurrunt quidem excommunicationem, ſed abſolvi poſſunt ab Epiſcopo. Clerici puberes, ſi ex levitate ſolum & joco ſe invicem percutiant, non ſunt excommunicati: ſecus ſi ex odio, & indignatione, *c.* 1. *h. t. nu.* 73. & 74. At vero percutiens Clericum excommunicatum violentas manus ei injiciendo, non evadit excommunicationem, *cit. n.* 74. Denique pater caſtigans filium in Sacris conſtitutum excommunicationem Canonis non effugit, quamvis aliqui contrarium teneant, *n.* 75.

§. IV.

In quibus caſibus Epiſcopus Diœceſanus poſſit abſolvere ab excommunicatione ob percuſſionem Clerici?

Plures ſunt hujuſmodi caſus. Veluti primo, urgente mor-

tis

tis periculo: quamvis tunc quilibet ſimplex Sacerdos abſolvere poſſit, *c. Si quis ſuadente. cauſ. 17. q. 4. n. 76.* Secundo, percuſſores Clericorum, ſi ſint mulieres, ſenes, infirmi, vel membris mutilati, poſſunt ob violentam manuum injectionem in Clericum ab Epiſcopo abſolvi, facta prius ſatisfactione offenſis: alii vero pauperes, vel divites debent abſolvi a Papa, vel ejus Legato, *c. Ea noſcitur. h. t. num. 77.* & 78. Tertio, mulieres vel aliæ perſonæ, quæ non ſunt ſui juris, ut ſervi ob violentam injectionem manuum ab Epiſcopo abſolvi poſſunt, & qui ſtatuaent de illis perſonis, quæ ſunt magnæ potentiæ, & ita delicatæ, ut non poſſint ſe ſiſtere Papæ pro abſolutione, habetur in *c. Mulieres. 6. in princ. h. t. n. 79.* Quarto, qui percuſſit graviter Clericum, eique ſatisfecit pro injuria illata, non ideo poteſt abſolvi ab Epiſcopo, niſi in certis caſibus expreſſis in *c. Quamvis. 38. h. t. n. 80.* & 81. Quinto excommunicatus ob percuſſionem, ſi non poteſt ire Romam, ob paupertatem, gravem infirmitatem, vel ſenectutem, abſolvi poteſt ab Ordinario, ſed jurare debet, quod reſumptis viribus, & data opportunitate, Romam ire velit, *c. Quod de his. 26. numer. 82.* Sexto, excommunicatus, ob percuſſionem Clerici, ſi propter capitales inimicitias, vel aliud legitimum impedimentum, pro abſolutione non poteſt venire Romam, poteſt abſolvi ab Epiſcopo, cum juramento ſe ſiſtendi Papæ, ſublato impedimento, *c. De cætero. 11. h. t. nu. 83.* Septimo Moniales, ſi ſcipſas invicem, vel converſos aut converſas ſuas, vel Clericum ſecularem percuſſerint, abſolvi debent ab Epiſcopo, in cujus Diœceſi eſt ſitum Monaſterium, *cap. De Monialibus. 33. h. t. numer. 84.* & 85. Octavo, ſervus excommunicatus ob percuſſionem Clerici, tenetur pro abſolutione adire Papam, ſed ſi inde Dominus, qui non fuit in culpa, grave damnum patiatur, vel ſervus id fecit in ejus fraudem, poteſt abſolvi ab Epiſcopo, ſi percuſſio non fuit enormis, *c. Relatum. h. t. numer. 86.* Nono denique, ſi pueri ob percuſſionem Clerici, etiam poſt pubertatem poſtulant abſolvi, poteſt eos Epiſcopus abſolvere, *c. 60. & ult. h. t. n. 87.*

§. V.

Proponuntur, & explicantur reliqua Capitula hujus Tituli, in quibus agitur de excommunicatione ob percuſſionem Clerici, vel Monachi.

Inprimis percutiens Clericum, licet ſit occultus, & non convictus, debet ſatisfacere, & ire Romam, quia ſolus Papa poteſt illum abſolvere, *c. Porro. 7. h. t. n. 88.* Secundo, percutiens Monachum, vel Converſum, eſt excommunicatus, & denunciari debet ut vitandus, nec poteſt abſolvi, niſi ſatisfaciat læſis, & adeat Papam, *c. Parochianos. 9. h. t. n. 89.* Tertio percuſſor Clericorum manifeſtus, licet non ſit denunciatus, vitari tamen debet: occultus vero a ſciente tantum, & in ſecreto. Item qui occidit Clericum, qui contempto habitu Clericali, enormitatibus ſe immiſcet, non eſt excommunicatus, aſperius tamen puniendus eſt, quam qui laicum occidit, *c. Cum non ab homine. 14. h. tit. numer. 90. & ſeq.* Quarto Sacerdos, qui dimiſſo habitu & tonſura Clericali, enormitatibus ſe immiſcuit, ſi verberetur, & occidatur, occidens non tenetur ire Romam pro abſolutione: Ordinarius tamen poteſt pœnam competentem illi imponere, quia non propulſando, ſed inferendo injuriam, fuit occiſus, & ſic amiſit privilegium Canonis, non autem fori, *c. Perpendimus, 23. h. t. numer. 92.* & *duobus ſeqq.* Quin Legatus a Latere poteſt abſolvere ab excommunicatione contracta ob percuſſionem Clerici, etiamſi id non habeat expreſſum in mandato, *Ad eminentiam. 20. h. t. n. 95.*

§. VI.

De aliis excommunicationibus ſpecialibus contentis in hoc Titulo, quæ infliguntur ob varia crimina.

Inprimis Clerici, qui ſcienter & ſponte participant cum excommunicatis a Papa, admittendo eos ad Divina Officia, ſunt etiam excommunicatione majore excommunicati, & pro abſolutione mittendi ſunt Romam cum Litteris Ordinarii, *c. Significavit. 18. h. t. n. 96.* Secundo excommunicati, & publicati nonniſi a Papa abſolvi poſſunt, *cap. Tua nos. 19. h. t. n. 97. & ſeq.* Tertio, effringentes Eccleſias, & ſpoliantes ſunt excommunicati, & denunciandi, donec congrue ſatisfaciant, & reſarciant damna, & cum Litteris Ordinarii mittendi ſunt ad Papam pro abſolutione, *c. Conquæſti. 22. h. t. nu. 99. & duobus ſeqq.* Quarto, excommunicantur omnes, qui dant licentiam moleſtandi, vel gravandi in perſonis, vel bonis illorum, qui excommunicaverunt vel interdixerunt, vel quorum occaſione hæ ſententiæ ſunt prolatæ vel qui obſervant illas ſententias, vel eos, qui cum prædictis nolunt communicare, niſi re integra licentiam revocaverint, vel re non integra, ſi occaſione licentiæ ſit proceſſum ad capienda bona, niſi infra octo dies reſtituant, vel ſatisfaciant. Item excommunicati ſunt, qui uſi ſunt dicta licentia, vel qui motu proprio, ſine licentia aliquid prohibitum ex prædictis committunt. Ille vero, qui in hac excommunicatione permanſerit per duos menſes, non poterit poſtea abſolvi, niſi per Papam, *c. Quicunque. 11. h. t. in 6. num. 102. & duobus ſeqq.* Quinto, abſolutus propter mortis periculum, vel aliud impedimentum, a quo alias non poterat, ſi deinde ceſſante periculo, impedimento, ſe non præſentet, cum commode poteſt, ei, a quo alias erat abſolvendus, reincidit in eandem excommunicationem, vel cenſuram. Similiter is, qui abſolutus fuit a Papa, vel ejus Legato, ut ſe ſiſtat Superiori immediato, ad ſatisfaciendum injuriam paſſis ſi hoc non faciat, reincidit in eandem cenſuram, *c. Eos. 22. h. t. in 6. n. 105. & ſeq.*

§. VII.

De excommunicatione, quæ infertur conjugi nolenti reddere debitum, ob allegatum impedimentum dirimens matrimonium cum altero conjuge.

Si conjux certo ſciat impedimentum matrimonii, quamvis illud probare non poſſit, non debet reddere debitum, ſed potius excommunicationem pati, quam peccare mortaliter per copulam. Si autem credat adeſſe impedimentum ex cauſa probabili, & diſcreta, poteſt reddere, ſed non petere. Si denique credit ex levi, & temeraria cauſa, tunc depoſita conſcientia, ad conſilium ſui Paſtoris, poteſt debitum reddere, & petere, *cap. Inquiſitioni. 44. hoc tit. numer. 107. & ſeq.*

§. VIII.

De excommunicatione lata contra violatores libertatis Eccleſiaſticæ.

Omnes hæretici utriuſque ſexus, & fautores, ac defenſores eorum excommunicantur, & quicunque violatores Eccleſiaſticæ libertatis, & qui faciunt ſervari Statuta edita, & conſuetudines introducta contra libertatem Eccleſiaſticam, *c. Noverit. 49. h. t. num. 109.* Item Conſiliarii, & Officiales locorum, in quibus ſunt Statuta contra libertatem Eccleſiaſticam, ſunt excommunicandi, niſi, illa deleverint, & Statutarii, ſi habeant feuda Eccleſiaſtica, illis privari debeat, *c. Gravem. 53. h. t. n. 110.*

SECTIO VI.

De excommunicatis vitandis, & non vitandis, & prohibita vel conceſſa communicatione cum illis.

§. I.

Quinam excommunicati ſint vitandi, vel non

Aſſertio 1. Jure communi Canonico omnes ligati majore excommunicatione ſunt vitandi in Divinis & humanis, occulti privatim, manifeſti publice. Idque extenditur, ut nullus privilegio Sedis Apoſtolicæ ſe tueri poſſit, quominus etiamſi ipſi vitare debeant excommunicatos, *c. Nulli. 8. h. t. n. 111.* An præceptum de vitandis excommunicatis ſit Juris Divini, *num. 112.* Aſſertio 2. Poſt Concilium Conſtantienſe tantum vitari debent duo genera excommunicatorum, videlicet qui non tantum publice ſunt excommunicati, ſed etiam nominatim denunciati, vel notorii Clericorum percuſſores, *numer. 113.* Quinam ſint tales? *num. 114.* Aſſertio 3. Reliqui vero excommunicati tolerati non ſunt vitandi, *n. 115.*

§ II.

Quæ perſonæ, & ob quas cauſas excuſentur, ut licite communicare poſſint cum excommunicato vitando?

Prima cauſa excuſans, ob quam permittitur communicatio cum excommunicato non tolerato, ſeu vitando, eſt propria notabilis utilitas, vel etiam ipſius excommunicati ſpiritualis, vel temporalis, *c. Reſponſo. 43. in princ. h. t. nu. 116.* Unde licitum eſt communicare cum excommunicatis in iis, quæ ad eorum correctionem, abſolutionem, & ſalutem animæ pertinent, *c. Cum in voluntate. 54. in princ. h. t. n. 117.* Item Prædicatores, præſertim, qui aliis ſe ſuſtentare non poſſunt, qui apud excommunicatos prædicant, vel Confeſſiones audiunt, poſſunt licite eleemoſynam ab eis exigere, *cit. c. Cum in voluntate. §. Prædicatores h. c. cit. nu. 117.* Et generatim loquendo, licitum eſt cum excommunicato, etiam non tolerato, communicare, quoties ejus opera ad eos, vel res noſtras tuendas eſt neceſſaria, *c. Si vero 34. h. t. nu. 118.* Et hinc etiam licite poteſt ab excommunicato exigi, & recipi debitum, *num. 119.* Secunda cauſa excuſans eſt lex matrimonii, nam uxor licite poteſt communicare cum marito excommunicato, reddendo ei debitum, & petendo, & in omnibus aliis ad matrimonium ſpectantibus, *nu. 120.* Tertia cauſa excuſans eſt ſubjectio, nam qui alicui ſunt ſubjecti, poſſunt eidem excommunicato etiam denunciato, & vitando communicare, quia debent illi obedientiam, quæ per cenſuram auferri non debet. Ubi tamen diſtinguendo eſt, nam qui ante excommunicationem alicui ſunt obligati ad familiare obſequium præſtandum, tenentur etiam excommunicato non tolerato communicare: alii vero non tenentur, niſi urgente neceſſitate, *c. Inter alia, 31. h. t. n. 121.* Quinam in ſpecie communicare poſſunt cum excommunicatis etiam non toleratis, *nu. 122. & ſeq.* Facultas communicandi cum excommunicatis non habet locum, ſi communicatio fiat in crimine, ob quod pater, Dominus, Prælatus, vel Epiſcopus excommunicatus fuit, *n. 124.* Quarta cauſa excuſans eſt ignorantia, ut ſi quis ignoret, aliquem eſſe excommunicatum, poteſt cum illo communicare, ſive ſit ignorantia craſſa, & affectata, *nu. 125.* Quinta cauſa excuſans eſt neceſſitas, ſive ea ſit corporalis, ſive ſpiritualis ipſius excommunicantis, vel excommunicati, licitum enim eſt ob illam communicare cum excommunicato, etiam non tolerato, *n. 126.*

§. III.

De communicante cum excommunicato in crimine, ejuſque pœna & abſolutione.

Qui nominatim excommunicato ſcienter communicat in crimine, propter quod lata eſt excommunicatio, v.g. dans ei auxilium, vel favorem, incurrit ſimiliter excommunicationem majorem, & abſolvi debet ab excommunicatore cum juramento. Si vero communicat in crimine, ſed alias v.g. in orando, vel comedendo, tunc poteſt abſolvi a proprio Sacerdote, *cap. Nuper. 29. §. In ſecunda, & §. Is autem, hoc titul.* Quod ſi abſolvendus difficultate aut juſta cauſa impeditus non poteſt accedere ad Excommunicatorem pro abſolutione, a ſuo Epiſcopo, vel ſimplici Sacerdote abſolvendus eſt, præſtita cautione, quod parebit mandatis excommuni-

Digitized by Google

municatoris, *cit. c. Nam. in fine*, n. 137. Quæ requiratur, ut participans in crimine cum excommunicato excommunicationem incurrat, n. 128. Et quæ ſit differentia inter communicantem in crimine, & extra crimen, *num. eod.* Si concubinæ Clericorum ſint excommunicatæ, quia noluerunt recedere a Clericis concubinariis, tunc hi quoque ſunt excommunicati, quia participant criminoſis in crimine, *c. Si concubinæ.* 55. *h. t. n.* 129.

§. IV.

Quænam præterea ſtatuta ſunt Jure Canonico circa communicationem cum excommunicatis.

Nullus poteſt communicare cum excommunicato, antequam is abſolvatur, licet juraverit parere mandatis Eccleſiæ, vel compoſitionem fecerit cum offenſo. Item quando quis eſt infamatus de excommunicatione, non eſt ei communicandum, niſi prius ſe purget, vel ad cautelam abſolvatur, *c. Cum deſideres.* 15. *h. t. n.* 130. *& ſeq.* Quamvis excommunicatus juraverit de ſtando mandatis Eccleſiæ, adhuc tamen eſt excommunicatus, nec ei communicandum, donec abſolvatur. Nullus autem tenetur communicare cum nominatim excommunicato, præter perſonas ſpecialiter exceptas in *c. Quoniam multos.* 105. *cauſ.* 11. *q.* 3. Qui vero ſcienter communicant cum nominatim excommunicatis, ſi admoniti non deſiſtant, ſunt excommunicandi. ſi vero ſcienter communicant cum eo, qui per ſententiam eſt excommunicatus, & ipſi cum participibus ſuis in crimine ſunt excommunicati majore excommunicatione, *c. Quod in dubiis.* 30. *h. t. n.* 132. *& ſeq.* Præterea non poteſt Judex excommunicare majore excommunicatione participantes cum excommunicatis ab eo, niſi præmiſſa canonica monitione, ſalvis tamen Conſtitutionibus contra eos latis, qui præſumunt participare in crimine: aliter vero excommunicatio lata in participantes non tenet, & proferentes legitime ſunt puniendi, *c. Statuimus.* 3. *h. t. in* 6. *n.* 134. *& ſeq.* Quando communicans cum excommunicato poteſt excommunicari majore excommunicatione, *num.* 136. Excommunicatio lata in participantes cum excommunicato non valet, niſi etiam nominatim exprimantur hi, qui monentur. Judices vero quando faciunt Canonicas monitiones, obſervare debent competentia intervalla dierum; niſi neceſſitas facti aliter ſuadeat illa eſſe moderanda, *c. Conſtitutionem.* 9. *h. t. in* 6. *n.* 137. *& ſeq.* Similiter cenſura ſuſpenſionis, vel interdicti lata in participantes non tenet, niſi præmiſſa Canonica monitione, *c. Statutum*, 18. *h. t. in* 6. *num.* 139. Qui communicavit cum excommunicato in menſa, vel in Divinis, non poteſt ei excommunicationem objicere, vel eum denunciare, quem non præmonuit, *c. in præſentia.* 46. *h. t. n.* 140.

SECTIO V.

De abſolutione ab excommunicatione, & punitione Clericorum criminoſorum, citra metum, ſeu periculum excommunicationis.

§. I.

Quinam poſſint abſolvere ab excommunicatione majore, vel minore?

Aſſertio 1. Ab excommunicatione lata a jure, ſed non expreſſe reſervata Papæ, non tantum Epiſcopus, vel alius Epiſcopalem juriſdictionem habens, ſed etiam proprius Parochus, ſeu Sacerdos, vel qui ejus vices gerit, abſolvere poteſt, *num.* 141. Parochi vero nullam habent Jure communi poteſtatem ordinariam abſolvendi ab excommunicatione, ſicut nec excommunicare poſſunt: habent tamen poteſtatem abſolvendi ab excommunicatione majore, & minore ex commiſſione juris quaſi delegatam in *c. Nuper.* 29. *h. t.* vel ex commiſſione Papæ, quatenus ea eſſe neceſſaria eſt ad Sacramentalem abſolutionem a peccatis *cit. n.* 141. Aſſ. 2. Ab excommunicatione juris, ſive Canonis reſervata abſolvere poteſt regulariter auctor, ſive is, qui eam reſervavit, vel ejus Superior, vel is, cui auctor abſolutionem commiſit, non alius inferior, *n.* 142. Aſſ. 3. Ab excommunicatione lata ab homine, ſeu Judice generaliter, v. g. qui tale crimen commiſit, ſit excommunicatus poteſt abſolvere, qui eam tulit, vel ejus Superior, vel etiam inferior, nempe Parochus, ſeu ſimplex Sacerdos. At vero ab excommunicatione lata ab homine in ſpecie, contra certam perſonam, regulariter abſolvere poteſt, qui eam tulit, vel ejus Superior, vel Succeſſor, vel delegatus, *n.* 143. Aſſ. 4. Ab excommunicatione minore a jure lata abſolvere poteſt proprius Sacerdos ipſius excommunicati, *num.* 144. Si duo habentes poteſtatem abſolvendi a minore excommunicatione, ſint illa ligati, poſſunt ſe invicem abſolvere ab hujuſmodi excommunicatione, *c. Duobus.* 56. *h. t. num.* 145.

§. II.

An ab excommunicatione lata ab Epiſcopo Suffraganeo in ſuos ſubditos poſſit Archiepiſcopus, ſeu Metropolitanus abſolvere, ſive ante appellationem, ſive poſt illam, & qualiter Metropolitanus in hujuſmodi abſolutione ab excommunicatione debeat procedere?

Si excommunicatus ab Epiſcopo appellat ad Metropolitanum, & vult probare excommunicationem eſſe nullam, quia poſt legitimam appellationem lata fuit, vel continebat errorem intolerabilem, admitti debet ad horum probationem, licet abſolutionem non petat. in aliis tamen vitandus eſt, donec de illis conſtiterit: quamvis Sedes Apoſtolica conſueverit tales ad cautelam abſolvere. In aliis vero appellans non eſt audiendus, niſi petat abſolvi, & tunc Metropolitanus debet illum abſolvere: niſi velit ſuo Suffraganeo id deferre, qui debet excommunicatum ad illum remittere, & ſi is nolit illum abſolvere, ſecundum formam juris, ipſe Metropolitanus tenetur eum abſolvere, recepta cautione, quod parebit ſuo mandato; deinde audita cauſa, eam definiat ſecundum Jus. Verum ſi Epiſcopus ſuum ſubditum excommunicarit propter manifeſtum delictum, Metropolitanus non debet illum abſolvere, niſi Suffraganeus requiſitus malitioſe recuſet illum abſolvere, *c. Per tuas.* 40. *h. t. n.* 146. Hinc duæ regulæ deſumuntur ex hoc cap. Prima eſt, qui dicit excommunicationem eſſe nullam, audiri debet, etſi abſolutionem non petat, *num.* 147. Altera regula eſt, qui dicit ſententiam excommunicationis eſſe injuſtam, non eſt audiendus, ſi velit probare illam eſſe injuſtam, niſi prius petat abſolutionem, *num.* 148. Metropolitanus poteſt abſolvere excommunicatum a ſuo Suffraganeo, etſi ante appellationem fuerit excommunicatus ſit excommunicatus, nec tenetur illum remittere ad Epiſcopum, qui eum excommunicavit, niſi velit hoc ipſi deferre; ſecus eſt, ſi propter manifeſtum delictum, *num.* 149. Quæ ſit differentia inter excommunicationem nullam, & injuſtam *num.* 150. *& ſeq.* Excommunicatus, qui petit abſolvi ad cautelam, dicens excommunicationem in ſe latam fuiſſe nullam, abſolvi debet, licet excommunicator, vel adverſarius ſe opponat, niſi dicatur, & probetur intra octo dies, quod ſit excommunicatus, propter manifeſtam offenſam, alioquin non abſolvatur, etiam ad cautelam, niſi præmiſſa ſatisfactione, & competente cautione de parendo juri, ſi offenſa eſt dubia. Excommunicatus vero, qui probare vult, ſe poſt appellationem legitimam fuiſſe excommunicatum, vel ſententiam excommunicationis continere intolerabilem errorem, pendente probatione, in judicio eſt vitandus; extra judicium vero non, *c. Solet.* 2. *h. t. in* 6. *n.* 152. *& ſeq.*

§. III.

Quænam præterea ſtatuta ſunt circa poteſtatem, quam habet Archiepiſcopus abſolvendi excommunicatos a Suffraganeis, vel ſubditis eorum, & de poteſtate, quam habet, vel non habet cognoſcendi ſuper juſtitia, vel injuſtitia excommunicationis.

Archiepiſcopus non poteſt abſolvere excommunicatos a ſubditis Suffraganeorum: poteſt tamen abſolvere excommunicatos ab ipſis Suffraganeis, vel Officialibus eorum, ſi ad Metropolitanum fuerit appellatum, *c. Venerabilibus.* 7. *in princ. h. t. in* 6. *num.* 154. Præterea Archiepiſcopus, vel ejus officialis excommunicatos a ſuis Suffraganeis debet abſolvere, antequam incipiat cauſam audire in caſibus, in quibus ei competit juriſdictio, ut ſi quis poſt definitivam ſententiam fuit excommunicatus, exceptis caſibus, in quibus prohibent Jura appellare: niſi dicatur excommunicatus propter manifeſtam offenſam, & contumaciam, *cit. cap.* 7. §. *Porro*, ubi ponuntur exempla contumaciæ præſumptæ, & manifeſtæ, *n.* 155. Item excommunicatio lata, poſt appellationem interpoſitam, ex cauſa probabili, eſt nulla, non tamen ſtatim pronunciatur nulla, ſed fieri poteſt relaxatio ad cautelam, etiam antequam incipiat Superior, ad quem appellatum fuit, de veritate cauſæ cognoſcere, *cit. cap.* 7. §. *Sed ſi h. t. in* 6. Item quando conſtat, excommunicationem fuiſſe injuſtam, Judex ſuperior remittat excommunicatum ad excommunicantem, nec abſolvat, niſi periculum ſit in mora, vel niſi excommunicans requiſitus malitioſe deneget abſolutionem: ſi vero conſtet, eſſe injuſtam, non remittat, ſed abſolvat: ſi res ſit dubia, Superior poteſt eum abſolvere, niſi velit deferre excommunicatori, quod eſt magis conveniens, & honeſtius. Quando Archiepiſcopus de excommunicatione cognoſcere poteſt, abſolutio tenet, licet ſit injuſta, *cit. c.* 2. §. *Sed ſi*, & §. *Sane*, n. 196. Poſtremo in caſibus, in quibus Archiepiſcopus poteſt excommunicare ſubditos Suffraganeos, poteſt ab eis exigere mulctas pecuniarias, ſi conſuetudo id habeat, *cit. n.* 7. §. *Denique uſque ad finem*, *num.* 157. Præterea Archiepiſcopus, vel ejus Officialis ſententias Cenſurarum latas ab Archidiaconis, vel aliis Officialibus Suffraganeorum non relaxet, niſi hoc habeat conſuetudo. Item ſententia excommunicationis Archiepiſcopi ligat tantum ſubditos Archiepiſcopi, & non Suffraganeorum. Præterea ſententia excommunicationis lata, ſive in genere, ſive in ſpecie, ob culpas præſentes, non præmiſſa monitione, eſt injuſta. Sed neque ob futuras culpas, vel jam commiſſas, ſententias excommunicationis ferre debet Archiepiſcopus, niſi mora, culpa, vel alia juſta cauſa ſubſit, *c. Romana* 5. *in princ. &* §. *Caveant. h. t. in* 6. Denique in univerſitatem, vel Collegium excommunicatio ferri non debet, §. *fin. eod. n.* 158. *& duobus ſeqq.*

§. IV.

Qua forma, ſeu modo ferri debeat abſolutio ab excommunicatione?

Aſſertio 1. Ad eſſentiam abſolutionis ab excommunicatione nulla certa verba requiruntur conſueta tamen forma eſt, *abſolvo te a vinculo excommunicationis propter hanc, vel illam cauſſam &c. num.* 161. Aſſertio 2. Ante abſolutionem ab excommunicatione duplex cautio eſt præſtanda. Prima per juramentum de parendo mandatis Eccleſiæ, de qua fit mentio in *cap. Ad hæc*, 12. *h. t.* Ubi habetur, quod cum Papa delegat abſolutionem excommunicati, mandat recipi cautionem de parendo mandatis Eccleſiæ *n.* 162. Altera cautio eſt de ſatisfaciendo parti læſæ, *n.* 163. Aſſ. 3. Ad abſolutionem ab excommunicatione non requiritur, ut is, qui abſolvitur, ſit præſens, ſed etiam abſens abſolvi poteſt, *n.* 164. Aſſ. 4. Abſolutio ab excommunicatione, aliave cenſura per vim, & metum obtenta, etſi jure naturali eſt valida, jure tamen Eccleſiaſtico eſt irrita, *n.* 165. Aſſ. 5. Abſolutio ab excommunicatione data, ſub conditione de præſenti, vel de præterito eſt valida, & licita: *n.* 166. An abſolutio ab excommunicatione ſub conditione de futuro ſit illicita? *n. eod.* Sunt & alii duo modi abſolvendi ab excommunicatione, vel alia cenſura, ſcilicet: ad

ad cautelam, & reincidentiam, *nu.* 167. Prior fit, quando dubitatur de valore ſententiæ, ſeu cenſuræ, præſtito juramento, quod parebit mandatis Eccleſiæ, quando conſtabit de culpa, ob quam lata eſt ſententia cenſuræ, *c. Venerabilis* 52. *h. t. nu.* 168. Aliquando tamen poterit fieri abſolutio per manualem, ſeu ſimplicem promiſſionem, ſi ſine ſcandalo per juramentum haberi non poſſit, *c. Super eo* 51. *h. t. nu.* 169. Abſolutio ad reincidentiam fit, quando quis, ob mortis periculum, vel aliud impedimentum abſolvitur ab eo, a quo alias non poterat; tunc enim ſi ceſſante impedimento, non ſe præſentet, cum commode poteſt, ei, a quo alias non poterat; tunc enim ſi ceſſante impedimento, non eſt, reincidit in eandem excommunicationem vel aliam cenſuram. Idemque eſt in abſoluto, qui ſe debet alicujus conſpectui præſentare, *c. Eos* 22. *h. t. in* 6. *n.* 170. *& ſeq.*

§. V.

Utrum is, qui duabus excommunicationibus, vel pluribus eſt ligatus, ſi ab una abſolvatur, cenſeatur etiam abſolutus ab aliis?

Aſſertio 1. Ligatus pluribus excommunicationibus, v. g. quia violavit Eccleſiam, & quia percuſſit Clericum, ſi obtineat abſolutionem, una tantum cauſa expreſſa, remanet excommunicatus. ob alteram cauſam non expreſſam, & tenetur pro illa ſatisfacere, *c. Cum pro cauſa* 27. *h. t. num.* 172. *& ſeq.* Aſſertio 2. Excommunicatus a pluribus Prælatis, quibus eſt ſubjectus, propter plura delicta, non poteſt ab uno tantum abſolvi, ſed ab aliis etiam Prælatis abſolvi debet, niſi uni Prælato reliqui abſolvendi poteſtatem demandarint, *c. Officii* 42. *h. t. n.* 174. *& ſeq.*

§. VI.

De abſolutione excommunicati, qui deceſſit in excommunicatione?

Excommunicato mortuo in excommunicatione, quamvis pœnitens deceſſerit, non eſt communicandum ante abſolutionem, nec pro eo orandum, licet ſit abſolutus quoad Deum, ſed ſi conſtet Eccleſiæ, quod contritus obierit, abſolvetur etiam poſt mortem ab eo, a quo vivus fuerat abſolvendus, ſervata forma abſolutionis præſcripta, *c. A nobis* 28. *h. t. n.* 176. *& ſeq.* An Papa, vel Eccleſia poſſit excommunicare, vel ab excommunicatione abſolvere mortuos, *n.* 178. Excommunicatus, quia communicavit cum excommunicato, licet poſtea eum impugnet, non ideo pro abſoluto eſt habendus, niſi prius abſolvatur, *c. Sacris* 38. *hoc tit. num.* 179.

§. VII.

Quando excommunicatus a Papa habendus ſit pro abſoluto ab excommunicatione, vel non?

Excommunicatus ſemper habetur pro excommunicato, & vitandus eſt, donec conſtiterit de ejus abſolutione per Litteras Papæ, vel ejus delegati, vel alio modo, *c. Sicut* 39. *h. t. n.* 180. Si Papa a ſe excommunicatum poſtea in ſuis Litteris ſalutet, non propter hoc eum abſolvit, *c. Si aliquando* 41. *h. t. n.* 181. Item ſi Papa etiam ſcienter cum excommunicato participat quocunque modo, per hoc non cenſetur illum abſolvere, niſi ſe hoc velle exprimat: ſicut neque ſi Papa aliquem ſcienter nominat ſub titulo alicujus dignitatis, non præſumitur per talem nominationem eum conſtituere, vel approbare in tali dignitate, *Clem.* 4. *& ult. h. t. n.* 182.

§. VIII.

An, & quando Clerici criminoſi poſſint incarcerari, vel etiam a laicis rapi, abſque metu incurrendæ excommunicationis?

Prælati poſſunt ac debent Clericos graviter delinquentes corrigere, & incarcerare. Item laici citra metum excommunicationis, poſſunt ex mandato Judicis Eccleſiaſtici capere Clericos delinquentes, & ad Judicium trahere, *c. Ut famæ* 35. *h. t. n.* 183. Præterea ſi Sacerdos vi ejiciat regularem ex Eccleſia, turbantem Divina Officia, non eſt excommunicatus, *c. Veniens* 36. *h. t. n.* 184.

§. IX.

An ſint excommunicati, qui violentas manus injiciunt in Clericos, qui incedunt ut laici, depoſito habitu Clericali?

R. Non eſſe excommunicatos, ſi tales Clerici tertio moniti arma non deponunt, & habitum non reaſſumunt, *c. In audientia* 25. *h. t. n.* 185. Similiter Clerici, qui non geſtant tonſuram, & habitum Clericalem, & tractant negotia ſecularia, perdunt privilegia fori, & Canonis, poſt trinam monitionem, *c. Contingit* 45. *h. t. n.* 186.

SECTIO VI.

Aliæ nonnullæ quæſtiones circa excommunicationem, aliaſve cenſuras proponuntur & exponuntur.

§. I.

An Prælatus Eccleſiaſticus ſe defendere poſſit, etiam ſpirituali gladio, ſcilicet per Eccleſiaſticam contra Poteſtatem ſæcularem?

Prælatus Eccleſiaſticus poteſt contra Poteſtates, & Dominos temporales injuriam ipſi inferentes ſe defendere armis ſpiritualibus, videlicet excommunicatione, vel interdicto, *c. Dilecto* 6. *h. t. in* 6. *n.* 187.

§. II.

Si malefactor captus a Judice laico dicat, ſe eſſe Clericum, ad quem Judicem ſpectat de hoc cognoſcere, ſecularem an Eccleſiaſticum?

Si Judex laicum captum detineat malefactorem, qui dicit ſe eſſe Clericum, ideoque petit remitti ad Judicem Eccleſiaſticum: vel ſi Judex Eccleſiaſticus illum repetat, & laicus neget illum eſſe Clericum, cognitio hujus rei, an ille ſit Clericus, ad Judicem Eccleſiaſticum ſpectat, vocato tamen Judice ſeculari. Quod ſi notorium ſit, vel publica fama, quod ille ſit Clericus, vel ſi pro Clerico communiter habeatur, tunc ſtatim etiam ante cognitionem an ſit Clericus, debet remitti ad Judicem Eccleſiaſticum, ſicut etiam ſi prius ſe gerebat pro Clerico, & modo deprehenſus fuit in habitu Clericali. Si vero ante, quam caperetur, publice pro laico ſe gerebat, & pro tali communiter habebatur, non fit remiſſio ad Judicem Eccleſiaſticum, donec fuerit probatum eſſe Clericum, non tamen contra eum Judex ſecularis interim procedet, *c. Si Judex* 12. *h. t. in* 6. *n.* 88. & 2. *ſeqq.*

§. III.

Utrum excommunicatio lata poſt appellationem, ſed quæ per negligentiam deſerta fuit, convaleſcat, & an talis excommunicatus nihilominus ſit denunciandus & vitandus?

Si excommunicatus poſt legitimam appellationem, per negligentiam, non fuit eandem proſecutus, poſt tempus elapſum, non ideo convaleſcit excommunicatio lata, ſed elapſo tempore publice denunciandus eſt, & vitandus in judicio, & extra illud, & removendus ab actibus legitimis, donec probet, quod fuit excommunicatus poſt appellationem, vel quod alias ipſa excommunicatio nulla fuit, *c. Licet* 15. *h. t. in* 6. *n.* 192. *& ſeq.*

§. IV.

An Prælatus Eccleſiaſticus poſſit per laicos capere, vel conjicere in carcerem Clericos, ſine pœna excommunicationis?

Si Epiſcopus, vel alius Prælatus Eccleſiaſticus mandet capi Clericos ſibi ſubjectos propter delicta commiſſa; & conjici in carcerem, ac ibi cuſtodiri, etſi id fiat per laicos, nec ipſe, nec capientes ſunt excommunicati, niſi ex propoſito excedant. Quod ſi Clerici per fidejuſſores caveant Epiſcopo de parendo juri, non debent in carcere detineri, niſi enorme ſit crimen, vel alia cauſa rationabilis ſuadeat, illos eſſe detinendos, *c. Si Clericos* 15. *h. t. in* 6. *num.* 193. *& ſeq.* Denique Epiſcopi nullam ſententiam Interdicti, vel ſuſpenſionis incurrunt, niſi in ipſa ſententia ſint expreſſi, *c. Quia periculoſum* 4. *h. t. in* 6. *n.* 195. *& ſeq.*

SECTIO VII.

De ſecunda Cenſura Eccleſiaſtica, nempe ſuſpenſione.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit ſuſpenſio Eccleſiaſtica?

Aſſertio 1. Suſpenſio proprie dicta eſt Cenſura, per quam perſona Eccleſiaſtica privatur uſu, ſeu exercitio Ordinis, officii aut beneficii Eccleſiaſtici, quod illi ratione alicujus poteſtatis Eccleſiaſticæ competit, *n.* 197. Quomodo differat ab excommunicatione majore, & interdicto? *n. eod.* Aſſert. 2. Suſpenſio dividitur primo, in totalem, & partialem. Totalis rurſum, vel eſt ſimpliciter totalis, quæ eſt ſimul ab officio, & beneficio, vel totalis ſecundum quid, nempe ab officio, vel beneficio tantum, *nu.* 198. Partialis ſuſpenſio eſt, quæ eſt a certo tantum officio, aut parte ejus. Item ſuſpenſio fertur a jure, vel ab homine, & eſt vel temporalis, vel perpetua, *n.* 199. Præterea quando quis ſuſpenditur determinate ab officio, non cenſetur reipſa etiam ſuſpenſus a beneficio, niſi id exprimatur, *nu.* 200. Et vice verſa, ſuſpenſus a beneficio non ideo etiam cenſetur ſuſpenſus a juriſdictione. Tertio, Epiſcopus ſuſpenſus ab Ordine Epiſcopali tantum non eſt ſuſpenſus ab Ordine Sacerdotali, *n.* 202. Quarto, ſuſpenſus ab Ordine ſuperiore non eſt ſuſpenſus ab inferiore, *n.* 203. Denique ſuſpenſus a juriſdictione ſimpliciter non prohibetur exercere actus Ordinis, qui juriſdictionem non requiritur, *n.* 204.

§. II.

Quis poſſit cenſuram ſuſpenſionis ferre, & in quos, & ob quam cauſam, & quis ab illa abſolvere?

Aſſertio 1. Omnis, & ſolus ille, qui poteſt excommunicare, poteſt etiam ſuſpendere, *n.* 205. Aſſertio 2. Omnes & ſoli Clerici, præter Papam, poſſunt cenſura ſuſpenſionis ligari, *n.* 206. Aſſertio 3. Suſpenſio proprie dicta prout eſt cenſura, quæ infligitur propter contumaciam, vel ſaltem ut pœna Eccleſiaſtica, non incurritur, niſi ob propriam culpam, eamque mortalem, *n.* 207. Quibus modis ſuſpenſio tollatur? *n.* 208.

§. III.

Aliæ nonnullæ quæſtiones circa ſuſpenſionem proponuntur, & reſolvuntur.

Quær. 1. Quis ſit effectus ſuſpenſionis? Reſp. Si ſuſpenſus exercet actum, a quo eſt ſuſpenſus, graviter peccat, ſi materia ſit gravis, & ſi durante ſuſpenſione, actus Ordinis exerceat, fit irregularis, *n.* 209. Quær. 2. An acta a ſuſpenſo ſint valida? Reſp. Actus Ordinis ſunt validi, excepta abſolutione Sacramentali: at vero actus, qui juriſdictionem requirunt, per ſe ſunt invalidi, quia ſuſpenſio privat actuali juriſdictione, *n.* 210. Quær. 3. An ſuſpenſio privet excommunicatione cum aliis? Reſp. Per ſe non privare, *n.* 211. Suſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ, ſi in ea Divina celebret, fit irregularis, & ſi moriatur impœnitens in ſuſpenſione illa, privatur Eccleſiaſtica ſepultura. Item ſuſpenſio ab ingreſſu Eccleſiæ, vel ab officio per appellationem ſequentem non ſuſpenditur, *c. Is cui* 20. *h. t. in* 6. *n.* 212. *& ſeq.* Suſpenſus ab Officio, Ordine, vel juriſdictione in uno loco, ubi eſt ſuſpenſus ab illis, donec abſolvatur, *n.* 214.

SECTIO VIII.

De tertia cenſura Eccleſiaſtica, nempe Interdicto.

§. I.

Quid & quotuplex ſit Interdictum?

Aſſertio 1. Interdictum eſt cenſura Eccleſiaſtica, per quam prohibetur participatio certorum Sacramentorum, omnium Divinorum Officiorum, & Eccleſiaſtica ſepultura, &c. in quo differat a ſuſpenſione, & excommunicatione? *nu.* 215. Aſſertio 2. Interdictum dividitur primo, in locale, & perſonale. Prius eſt, quo immediate locus interdicitur: perſonale, quo immediate ipſæ perſonæ interdicitur, non locus. Secundo, interdictum tam locale, quam perſonale ſubdividitur in generale, & ſpeciale, ſeu particulare, *n.* 216. Tertio interdictum perſonale ſimiliter dividitur in generale, & particulare. Generale eſt, quo interdicitur aliqua Communitas, Civitas, vel pagus: item Collegium, vel Capitulum, interdictum perſonale partiale eſt, cum perſona

parti-

Digitized by Google

particularis interdicitur, *nu.* 217. Quarto, dividitur interdictum Eccleſiaſticum in totale, & partiale. Totale eſt, quod omnes effectur interdicti habet: partiale, quod non omnes effectur habet, *num.* 218.

§. II.

Quænam ſub Interdicto generaliter promulgato comprehendantur, vel non?

Interdicto Clero, non eſt Interdictus populus, nec e converſo. Interdicta Civitate propter delictum Domini, vel Rectoris Civitatis, Cives non ſunt interdicti: ideoque poſſunt extra Civitatem intereſſe Divinis. At interdicto populo, ſingulares perſonæ de populo ſunt interdictæ, nec poſſunt audire Divina, vel ſuſcipere Sacramenta, niſi in caſibus a Jure conceſſis, *c. Si ſententia.* 16. *h. t. numer.* 219. *&* 3. *ſeqq.* Qui dat cauſam interdicto locali, perſonale interdictum incurrit, ita ut non ſolum in eo loco Divina audire non poſſit, ſed nec alibi, *nu.* 223. Interdicta Civitate cenſentur etiam ſuburbia, & continentia ædificia interdicta; & interdicta Eccleſia, ſunt interdictæ Capellæ, & cœmeteria contigua, ut in iis mortui ſepeliri non poſſint; ſecus eſt, ſi non ſunt contigua, *c. Si Civitas,* 17. *h. t. in* 6. *num.* 224. *& ſeq.*

§. III.

Quænam obſervanda ſunt circa adminiſtrationem & ſuſceptionem Sacramentorum, quæ tempore Interdicti eſt prohibita?

Tempore interdicti, ſive ab homine, ſive a Jure lati, omnes tam infirmi, quam ſani, admittuntur ad Sacramentum Pœnitentiæ, dummodo non ſint excommunicati, hi enim non admittuntur, niſi in mortis articulo: vel niſi cauſam dederint interdicto, nam & hi non admittuntur niſi ſatisfaciant, ſi poſſunt, vel dent idoneam cautionem de ſatisfaciendo, prout poſſunt. Item tempore interdicti, in Eccleſiis, & Monaſteriis, ſingulis diebus Miſſæ, & alia Divina Officia celebrari poſſunt, ut prius, ſubmiſſa voce, januis clauſis, excluſis excommunicatis, & interdictis, & non pulſatis campanis. Item quater in anno, videlicet in feſtis Nativitatis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis B. V. pulſatis campanis, & januis apertis, ſolemniter celebrentur Divina Officia, excluſis excommunicatis, ſed admiſſis interdictis, ita tamen ut hi, propter quorum delictum latum eſt interdictum, non appropinquent Altari; in ceteris vero ſervandum eſt interdictum, non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, *c. Alma* 24. & *ult. h. t. in* 6. *num.* 226. Excipitur primo, Sacramentum Baptiſmi, & Confirmationis, quæ tempore interdicti licite conferuntur, ideoque etiam Chriſma in Cœna Domini licite confici poteſt, *c. Quoniam,* 49. *h. t. in* 6. *num.* 127. & *ſeq.* & in *c. Reſponſo.* 43. *h. t. num.* 229. & 2. *ſeqq.* Item licitum eſt prædicare Verbum Dei, tempore cujuſcunque interdicti, *cit. num.* 230. Excipitur ſecundo, Sacramentum Pœnitentiæ, quod omnibus adminiſtrari poteſt tempore interdicti, & ſuſcipere non tantum infirmi, ſed etiam ſani poſſunt, exceptis excommunicatis, & iis, qui culpa ſua cauſam dederunt interdicto, niſi prius ſatisfaciant, *num.* 231. Excipitur tertio, Sacramentum Euchariſtiæ, quod per modum Viatici, tempore interdicti, miniſtrari poteſt, *nu.* 232. Non tantum adminiſtratio, ſed etiam perceptio prædictorum Sacramentorum conceditur ab Eccleſia in omni interdicto generali, *numer.* 253. Sacramentum extremæ Unctionis, tempore interdicti, nec adminiſtrari, nec recipi poteſt, *nu.* 234. Neque etiam Sacramentum Ordinis, *num.* 235. Denique matrimonium non ſolum valide, ſed etiam licite, tempore interdicti contrahitur, non autem benedictio nuptialis, *nu.* 236.

§. IV.

Quæ obſervanda ſint circa celebrationem, & auditionem Divinorum Officiorum, & an ac quatenus ea prohibita eſt tempore interdicti, vel conceſſa?

Permiſſum eſt tempore interdicti, ſemel ſingulis hebdomadis Miſſas celebrare, cauſa conficiendi Corpus Chriſti, ſubmiſſa voce, januis clauſis, & excluſis excommunicatis, & interdictis, *c. Permittimus.* 57. *h. t.* poſtea vero Jure novo ſtatutum fuit in *c. ult.* §. *Adjicimus. h. t. in* 6. ut ſingulis diebus id liceret, modo prædicto, *num.* 237. Idque declaratur, *num.* 238. & 2. *ſeqq.*

§. V.

De privatione ſepulturæ Eccleſiaſticæ, tempore interdicti.

Aſſertio I. In generali interdicto locali prohibentur ſepeliri fideles in ſacro loco: Clerici tamen, ac perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ non ſunt interdictæ, ſi ſervarunt interdictum, poſſunt in cœmeterio Eccleſiæ ſepeliri, abſque omni ſolemnitate: imo etiam in Eccleſia interdicta, *num.* 241. Aſſertio 2. Perſonaliter interdicti, ſive Clerici, ſive Laici, ſi non ſint denunciati, nec impœnitentes deceſſerint, poſſunt in loco ſacro non interdicto ſepeliri, *num.* 242.

§. VI.

De violatione Interdicti, & pœnis Jure decretis in violantes.

Quær. 1. Quibus modis violetur interdictum locale, vel perſonale? *num.* 243. Quær. 2. Quam pœnam incurrant laici, qui violant interdictum vel alios cogunt violare? Reſp. Domini temporales, qui cogunt alios celebrare Divina Officia in locis interdictis, vel per præcones, faciunt tunc ad illa audienda populum convocari: vel prohibent, ne publice excommunicati, vel interdicti, per illos, qui Miſſas celebrare, moniri, ut ex Eccleſiis exeant, & ipſi, qui non exeunt, nominariam excommunicationem incurrunt reſervatam Sedi Apoſtolicæ, *Clement.* 2. *h. t. nu.* 221. *& ſeq.* Quær. 3. Quam pœnam incurrunt Religioſi violantes interdictum? Reſp. Religioſi quicunque, etiam exempti, violantes interdictum poſitum per Sedem Apoſtolicam, vel Ordinarium loci, quod ſciunt ſervari a Cathedrali, vel Parochiali Eccleſia: vel generalem ceſſationem a Divinis factam per Provinciale Concilium, vel per eum, qui hoc poſſit, ipſo jure ſunt excommunicati, non obſtantibus privilegiis, & conventionibus quibuſcunque, *Clement.* 2. *h. t. numer.* 246. *& ſeq.* Item FF. Minores, ſi tempore interdicti admittunt in ſuis Eccleſiis ad Divina FF. & ſorores tertii Ordinis S. Franciſci, excommunicationis ſententiam incurrunt, a qua abſolvi non poſſunt, niſi per Papam, vel locorum Ordinarios, ſatisfactione præmiſſa, *Clement.* 3. *h. t. n.* 248. Præterea celebrans ſcienter in Eccleſia ſanguinis, vel ſeminis effuſione polluta, vel præſentibus excommunicatis, licet temerarie agat, non tamen fit irregularis, *c. Is qui* 18. *h. t. in* 6. Celebrans vero in loco interdicto, in caſibus non permiſſis, fit irregularis, & eligi non poteſt, *cit. c. Is qui.* §. *Is vero h. t. in* 6. *cit. num.* 248.

§. VII.

De cauſis Interdicti, & relaxatione ejuſdem.

Quær. 1. Quis poſſit interdictum ferre? Reſp. Interdictum ferri poteſt, vel a Jure, vel ab homine. Illi vero interdictum ferre poſſunt perſonale, vel locale in perſonas vel locum juriſdictioni ſuæ ſubjectum, qui Ordinario jure poſſunt excommunicare, vel ſuſpendere, n. 240. Quær. 2. Ob quam cauſam cauſam ferri poſſit interdictum? Reſp. Interdictum ferri poteſt in quamlibet Communitatem, ſed nonniſi propter delictum, vel ipſius Communitatis, vel Principis, aut Gubernantis loci, quin etiam Epiſcopi loci, qui ſpiritualem tantum ibi juriſdictionem habet, *n.* 250. Interdictum autem generale locale non poteſt juſte ferri, niſi ob graviſſimam cauſam generalem; nempe ob peccatum commiſſum a Capite Civitatis, ſeu loci, vel pluribus, & principalibus ejus membris, *n.* 251. Quær. 3. A quo, & quomodo interdictum tolli poſſit ſeu relaxari? *n.* 152. Denique interdictum generale poſitum in Civitate, vel alio loco, non poteſt relaxari ad cautelam, *c. Præſenti.* 10. *h. t. in* 6. *num.* 253.

§. VIII.

Proponuntur Conſtitutiones Extravagantes hujus Tituli.

Quæ in hoc §. continentur, habentur *num.* 254. & pluribus *ſeqq.* uſque ad *num.* 261. incluſive.

§. IX.

& ultimus. *De ceſſatione a Divinis, quid & quotuplex ſit, & quomodo ab Interdicto differat?*

Ceſſatio a Divinis eſt Eccleſiaſtica prohibitio, ob quam Clerici ceſſare debent, in certo loco, a Divinorum Officiorum celebratione, & Sacramentorum adminiſtratione, niſi quatenus eam neceſſitas poſtulat. Eaque duplex eſt, generalis, reſpectu totius Civitatis, vel particularis in una Eccleſia. Et quomodo differat hæc ceſſatio ab Interdicto locali? *n.* 262. Poſtremo qui interdictum imponere, is etiam ceſſationem a Divinis indicere poteſt, veluti Epiſcopus, vel qui quaſi Epiſcopalem juriſdictionem in foro externo obtinet. Violantes ceſſationem a Divinis, ipſo facto, ſunt excommunicati, *n.* 263.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 37. *& ſeq.*
c. 2. *n.* 66. & 65.
c. 3. *in princ. n.* 50. §. *Si vero n.* 67. *c.*
& 70. *&* 7. *Nec ille n.* 69. *&* 70.
c. 4. *n.* 32. *& ſeq.*
c. 5. *n.* 49.
c. 6. *in princ. n.* 79. & §. *Illi vero.* *n.* 53.
c. 7. *n.* 88.
c. 8. *n.* 111. *& ſeq.*
c. 9. *n.* 89.
c. 10. *n.* 68.
c. 11. *n.* 83.
c. 12. *n.* 162.
c. 13. *n.* 77. *& ſeq. &* n. 82.
c. 14. *n.* 90. *& ſeq.*
c. 15. *n.* 130. & *ſeq.*
c. 16. *n.* 184.
c. 17. *n.* 58.
c. 18. *n.* 96.
c. 19. *n.* 97. & *ſeq.*
c. 20. *n.* 95.
c. 21. *n.* 28. & *ſeq.*
c. 22. *n.* 99. & 2. *ſeq.*
c. 23. *n.* 92. *&* 2. *ſeq.*
c. 24. *n.* 71.
c. 25. *num.* 185.
c. 26. *n.* 82.
c. 27. *n.* 172.
c. 28. *n.* 176. *& duobus ſeqq.*
c. 29. *in princ. n.* 51. §. *In ſecunda, &* §. *Is autem n.* 127. *& ſeq.*
c. 30. *n.* 132. & *ſeq.*
c. 31. *n.* 122. & *ſeq.*
c. 32. *n.* 61. *quinque ſeq.*
c. 33. *n.* 84. *& ſeq.*
c. 34. *n.* 118. & *ſeq.*
c. 35. *n.* 183.
c. 36. *n.* 52.
c. 37. *n.* 86.
c. 38. *n.* 179.
c. 39. *n.* 180.
c. 40. *n.* 146. *& quinque ſeq.*
c. 41. *n.* 181.
c. 42. *n.* 174.
c. 43. *in princ. n.* 116. *&* §. *Præterea n.* 229. *& ſeq.*
c. 44. *n.* 107 & *ſeq.*
c. 45. *n.* 186.
c. 45. *n.* 140.
c. 47. *n.* 56.
c. 48. *in princ. n.* 34. *& ſeq.* §. *Caveat.* §. *Cumque adverſus* §. *Verum &* §. *fin. n.* 38.
c. 49. *n.* 109.
c. 50. *n* 66.
c. 51. *n.* 169.
c. 52. *n.* 188.
53. *n.* 110.
c. 54. *in princ.* §. *Prædicatores n.* *n.* 117. *&* §. *Si qui vero n.* 72.
c. 55. *n.* 129.
c. 56. *n.* 245.
c. 57. *num.* 137. *& ſeq.*
c. 58. *n.* 80. & *ſeq.*
c. 59. *n.* 7. *&* 8.
c. 60. *& ult. n.* 87.

IN SEXTO.

c. 1. *n.* 11. *& ſeq.*
c. 2. *n.* 152. *& ſeq.*
c. 3. *n.* 134. *&* 2. *ſeq.*
c. 4. *n.* 195 *& ſeq.*
c. 5. *n.* 158. *&* 2. *ſeqq. & ult. n.* 87.
c. 6. *n.* 187.
c. 7. *in princ. n.* 154. §. *Porro nu.* 155. §. *Sed ſi,* & §. *Denique n.* 157.
c. 8. *n.* 19.
c. 9. *n.* 137. *& ſeq.*
c. 10. *n.* 253.
c. 11. *n.* 102. *&* 1. *ſeqq.*
c. 12. *n.* 188. *& ſeqq.*
c. 13. *n.* 139.
c. 14. *n.* 191. *& ſeq.*
c. 15. *n.* 193. & *ſeq.*
c. 16. *n.* 219. *& tribus ſeqq.*
c. 17. *n.* 224. *& ſeqq.*
c. 18. *n.* 148.
c. 19. *n.* 227. *& ſeq.*
c. 20. *n.* 212 *& ſeq.*
c. 21. *in princ. nu.* 64. §. *Quamvis, n.* 50. & *ſeq.*
c. 22. *nu.* 105. & *ſeq. nu.* 170. *& ſeq.*
c. 23. *n.* 54. *& ſeq.*
c. 24. *& ult. n.* 226. *& ſeq. & n.* 238. *& tribus ſeq.*

IN CLEMENTINIS.

Clement. 2. *num.* 246. & *ſeq.*
Clem. 2. *num.* 244. & *ſeq.*
Clem. 3. *n.* 248.
Clem. 4. *& ult. in princ. &* §. *Similiter n.* 182.

IN EXTRAVAGANT.
Joann. XXII.

Extravag. unic. n. 254.

IN EXTRAVAGANT.
Communibus.

Extravag. 1. *num.* 255.
Extrav. 2. *num.* 259.
Extrav. 3. *num.* 260.
Extrav. 4. *& ult. num.* 261.

IN-

INDEX ALPHABETICUS
IN V. LIBRUM DECRETALIUM.

Primus numerus ſignificat Titulum, ſequentes numerum marginalem ejuſdem Tituli indicant.

A

ABBAS an poſſit facere uniones beneficiorum, & cauſas matrimoniales cognoſcere? tit. xxxi. n. 18. 20. 21. Abbatum privilegia xxxiii. n. 109. Eorum Inſignia, & ornamenta, n. 110. Abbas exemptus dignior eſt non exempto *ibid. not.* 3.

Abbatiſſa poteſt habere juriſdictionem in Clericos. tit. xxxi. n. 34. Ei non eſt facienda Confeſſio. xxxviii. nu. 23. Non poteſt excommunicare xxxix. n. 25.

Abigeatus eſt furtum pecoris ex paſcuis tit. xviii. nu. 40. Ejus pœna, tam jure Civili, quam Canonico *ib.*

Abortum procurans fœtus animati eſt irregularis, tit. vii. n. 13. *& ſeq.* Non autem ſterilitatem procurans, n. 51.

Abſens reus criminalis quomodo tractandus ſit? tit. i. num. 36.

Abſolutio ab hæreſi, tit. vii. n. 37.

Abſolutionis ab excommunicatione forma, tit. xxxix. n. 161 & 177. Ante eam duplex cautio, nempe juramentum de parendo 162. & de ſatisfaciendo parti læſæ 163. Abſolvi poteſt abſens, & invitus 164. Abſolutio ab excommunicatione vi extorta. 165. Conditionata. 166. Ad cautelam. 167. & 168. Ad reincidentiam. 170. Cum onere ſe præſentanda, 172.

Abſolutus ab una excommunicatione non hoc ipſo abſolvitur ab alia. 172. & 173. Excommunicatus a pluribus, a quo abſolvatur? 174. Ab eodem ſæpius. 175. Abſolvendus quomodo ſit mortuus? 176. Abſolutus apud Deum, an ligari poſſit apud homines? *ibid. &* 177. Abſolutio eſſe facta quomodo probetur? 180. *& ſeqq.*

Abſolvendi poteſtas a cenſuris non extenditur ad irregularitatem tit. xxxix. n. 3. & 11. not. 6.

Accuſatio, *tit.* i. Quid ſit accuſatio tam publica, quam privata? n. 1. Requiſita ad eam n. 2. Accuſatio criminalis, quando extinguatur? *tit.* I. *num.* 46.

Accuſare qui poſſint? *tit.* 1. n. 3. An Clerici laicos criminaliter? An laici Clericos? An pupillus? n. 4. An mulier? An infamis? *num.* 5. An excommunicatus? An liberi parentes? An Pagani? & hæretici? An pauper? An ipſe accuſatus? *nu.* 6. An inimicus? n. 7. & 9. An teſtis? *num.* 8. An Monachi Prælatum? n. 10. *& ſeq.* Accuſare quis teneatur? *nu.* 18.

Accuſari qui poſſint, & qui non? tit. i. n. 23. An abſolutus iterum poſſit accuſari? *num.* 24. *& ſeqq.* An poſt remiſſam culpam in Confeſſione, vel a læſo? n. 17. *limit.* 9. An Communitas? *num.* 29.

Accuſator quando deſiſtere poſſit ab accuſatione? titul. I. *num.* 19. quando debeat deſiſtere? *num.* 20. An requiratur accuſator in notoriis? *num.* 104. Accuſator deficiens, in probatione, quando evadat notam calumniæ? tit. I. *num.* 5. Accuſator quis ſit adulterii tit. xvi. *num.* 4.

Actione criminali finita, an adhoc agi poſſit civiliter in adulterio? tit. xvi. n. 11. Actio injuriarum qualis? tit. xxxvi. n. 7. An detur pro injuria alteri illata? n. 8. quomodo tollatur? n. 9. hac actione condemnatus fit infamis *ibid.* Actio injuriarum civilis competit Clerico contra laicum, & quando condemnetur ad expenſas? *num.* 79.

Actus legitimi, qui non accipiant conditionem? titul. xxxix. *num.* 166.

Admixtione quomodo acquiratur dominium etiam in uſura? titul. xix. *num.* 19. *& ſeqq.*

Adulterium quid ſit? tit. xvi. n. 1. Quotuplex, & quod Jure Civili? n. 2. An cum ſponſa de futuro? An ſit crimen publicatum? n. 3. An committatur ſine dolo? *nu.* 9. An ſit quaſi Sacrilegium, & ejus Judex an ſit Eccleſiaſticus? *nu.* 10. An probetur præſumptionibus? n. 2. & quibus *num.* 13. *& ſeq.*

Adulterium accuſet maritus? n. 4. Pater adulteræ, & qui alii? n. 5. An uxor maritum? n. 6. 7. & 9. intra quot dies hæc accuſatio inſtituenda? *nu.* 8. Criminaliter accuſans adulterium an adhuc poſſit agere civiliter? n. 11. Adulteria mutua an compenſentur? *tit.* xvi. *num.* 24. 25. 27. *&* 30. An etiam poſt pœnam? n. 16. *not.* 4. An etiam ſi ulterius adulterium ſequatur poſt divortium? *numer.* 28. *& ſeq.* Quid ſi poſt reconciliationem? n. 30. §. *Extenditur ſecundo.* Quid ſi alter commiſit Sodomiam? *nu.* 31. Quid ſi mollitiem: *ibid. in fine.* Quid ſi Adulterium alterius non ſit liquidum? *nu.* 32. Quid ſi metu commiſſum? *num.* 35. Adulterii pœnæ. An mors? *tit.* xvi. *num.* 28. Quid Jure Canonico? 29. & 20. An divortium innocentis, amiſſio dotis, & donationis propter nuptias? Quando ceſſent hæ pœnæ; 34. & 35.

Adulteram non correctam an maritus teneatur dimittere? *tit.* xvi. n. 15. *& ſeq.* An liceat patri, vel marito adulteram filiam, vel uxorem occidere? n. 22.

Advocatus in cauſa ſanguinis an fiat irregularis? *tit.* xii. *num.* 112. An poſſit præſtare operam hæreticis? *titul.* vii. *num.* 118.

Ægri monendi a Medico de confeſſione facienda, *titul.* xxxviii. n. 15. *& ſeq.*

Alchimiſtæ auri confectionem promittentes an tolerandi? tit. xx. n. 43.

Aleæ Clericis prohibitæ, & aleator indignus eſt beneficio, tit. xxxi. n. 8.

Alienatio rei Eccleſiaſticæ ſine conſenſu Capituli tit. iii. *num.* 29.

Altare viaticum, tit. xxxii. I. *num.* 87. *& ſeq.* An Epiſcopo ſublatum a Trid. 88. *not.* 3. datum Religioſis 89. *& ſeq.* An revocatum 91. 92. *&* 93.

Animam rationalem eſſe formam corporis, eſt de fide, tit. vi. n. 3.

Animal ſi pauperiem fecit? tit. xxxvi. n. 82.

Annatas exigere an careat vitio Simoniæ? tit. iv. n. 9. *& ſeq.*

Annexa ſpiritualibus quotuplicia? tit. iii. n. 72.

Antichreſis an uſuraria? xix. n. 98.

Appellatio an locum habeat in judicio Simoniæ? tit. iii. nu. 131. *in fine.* An liceat hæreticis? tit. vii. nu. 127. An a ſententia reſtituendi uſuras? xix. n. 127. Raptoribus negatus, xvii. n. 2.

Appellare quomodo poſſit Clerici percuſſor? tit. xxxix. n. 89.

Appellatio ſequens non ſuſpendit excommunicationem, aut ſuſpenſionem tit. xxxix. n. 212.

Apoſtaſia quid ſit in genere, & quotuplex? tit. ix. nu. 1. Quis ſit, & dicatur Apoſtata a fide, & quæ ejus pœnæ? tit. ix. nu. 2. Quis ab Ordine Clericali, & quomodo punitur? n. 4. Quis a Religioſo ſtatu, & quas pœnas incurrat? n. 8. 9. & 10.

Archiepiſcopus quando abſolvere poſſit excommunicatum? a Suffraganeo? tit. xxxix. n. 46. *& ſeq.* An remittere ad excommunicantem? *nu.* 149. Quid de excommunicato ab Archidiacono? n. 154. *& ſeqq.*

Aſſaſſinii crimen quid? tit. xii. n. 24. Clerici hujus criminis rei an ſint ipſo facto degradati? n. 26. An ad ejus probationem ſufficiant argumenta tantum probabilia? n. 26. *not.* 6.

Aureus an in Jure intelligatur Ducatus? tit. xix. n. 19.

B

BAPTISMUM iterantes, ſive rebaptizantes voluntarie, & abſolute fiunt irregulares, tit. ix. n. 13. Non ſi conditionate, *ibid.* Etiam qui miniſtrant rebaptizantibus, fiunt irregulares. Item ſi ſcienter & abſolute ſe baptizari ſinunt, n. 14. Clerici reiterantes deponuntur, excommunicantur & c. n. 17. Baptizatus quo modo cogatur vivere Chriſtiane? n. 3.

Bellum quatenus Clericis liceat? tit. xxxvii. n. 15. An faciat irregularitatem? xii. n. 124.

Beneficium continet officium, & præbendam, iii. 93. Beneficii incapaces ſunt hæretici, vii. n. 49. Alienum beneficium accipiens an furtum faciat? xviii. *num.* 16. Invalide confertur excommunicato, tit. xxvii. *nu.* 18. & tit. xxxix. n. 13. Hinc retineri non poteſt etiam poſt abſolutionem, xxvii. *nu.* 14. Niſi diſpenſetur, n. 26. Quid ſi in foro conſcientiæ antea ſis abſolutus? 31. Quid poſt triennalem poſſeſſionem, & cum clauſula abſolutionis; 22. Conferens excommunicato ſuſpenditur a collatione, 23. Illicite confertur totaliter ſuſpenſo ab officio, tit. xxxix. n. 200.

Beneficiati ſtudentes quando recipiant reditus? tit. xxxiii. *num.* 96.

Benedictionem ſolemnem dare, qui poſſint, & qui privatam? xxxiii. n. 111.

Beſtialitas quid? xvi. n. 73.

Bigamia irregularitatem incurrit maritus cognoſcens uxorem poſt adulterium etiam incognitum, xvi. 17.

Blaſphemia quid? xxvi. n. 7. Ejus pœna, n. 8. *& ſeqq.* Quid ſi ex calore iracundiæ fiat? n. 11. Pœna juris Civilis, n. 12. An blaſphemi poſſint eſſe teſtes, n. 13. Eſt hoc crimen mixti fori, n. 14.

Bona ſpiritualia propria, & communia, xxxix. n. 1. & 4.

Brachium ſeculare quando invocetur? xxvii. n. 7. præſertim contra hæreticos? vii. n. 127. *& ſeqq.*

Bulla Cœnæ Domini de falſariis, xx. n. 30. *& ſeqq.*

C

CALUMNIATORES qui ſint? tit. ii. n. 1. quomodo puniantur? n. 2. & 3. Calumniæ pœnas effugit, qui ex probabili cauſa accuſat, n. 5. uti & denunciator n. 6. 7. & 8.

Campanam habere eſt ſignum loci publici, xxxiii. n. 137.

Canonicatus an compatibilis cum Parochia? xxxiii. n. 39. *not.* 2.

Canonicam portionem non ſolvunt Mendicantes in ſepulturis, xxxiii. n. 163.

Cantor, ſive Præcentor & Succentor quis? xxxi. n. 8.

Capitalis pœna quæ? xxxvii. n. 2.

Capituli conſenſus quando requiratur? xxxi. n. 2.

Carceris pœna. V. *Pœna Carceris*. Carcer hæreticorum. Cuſtos qualis debeat eſſe? vii. n. 148. §. 2. Carcer Apoſtatarum a Clericatu, viii. n. 7. Carcerari quando poſſint Clerici, etiam a laicis, ſine periculo cenſuræ? xxxix. n. 13). 189. *not.* 3. & n. 193 *& ſeq.*

Cardinalis an Epiſcopo major? xxxiii. n. 88. An præſtet juramentum fidelitatis? *nu.* 100. Cardinalem perſequentis pœna, xxxvii. n. 33.

Caſus reſervati in Bulla Cœnæ, an etiam comprehendant hæreſim? vii. n. 44. Caſus & vota reſervata in Extrav. *Etſi Dominici* xxxviii. n. 51. *& ſeq.*

Caſus fortuiti non poſſunt prævideri, xii. n. 54.

Caſus quid ſit, xi. n. 2.

Catechumenus an poſſit dici hæreticus? vii. n. 6.

Cauſam damni dans damnum dedit, xxxvi. n. 12. *& ſeq.*

Cautio qualis requiratur ab uſurario; xix.

Celebrantis non jejuni pœna. I. n. 37.

Cenſura quid? xxxix. n. 1. Ejus differentia ab irregularitate, *ibid.* Poteſtas ferendi eas, n. 2. Quod ſint Cenſuræ? n. 2. Modus eas ferendi, n. 12.

Cen-

Cenſus quid ſit? XIX. n. 65. Quintuplex? 66. An cenſus emptio ſit uſuraria? 67. & ſeq. Cenſus perpetuus? 69. temporalis? 70. redimibilis? 71. & ſeq. cum pacto aſſecurationis? 73. perſonalis? 74. & ſeq. Conditiones requiſitæ ad hanc emptionem. 78. quale pretium? 79. re cenſui ſubjecta pereunte, an pereat cenſus? 80. leges poſitivæ circa hanc emptionem. 82. Bulla Pii V. 83. An uſu recepta? 84.

Cenſus Pontifici ſolutus ab aliqua Eccleſia an probet exemptionem? XXXIII. II. n. 27. Sub cenſu annuo ne locent Prælati Eccleſias, aut vices ſuas. IV.

Ceſſatio a Divinis an ſit cenſura? XXXIX. n. 3. Quid ſit, & quomodo differat ab interdicto? 262.

Chirurgia qualis Clericis prohibita? XII. nu. 67. & ſeqq. Prohibetur, ne quis dicat, quod Chriſtus qua homo non ſit aliquid. VII. n. 10.

Circumſtantia in pœnis attendendæ. XII. n. 15. Quæ confitendæ? XXXVIII. n. 13.

Ciſternam non operiens punitur. XXXVI. n. 13.

Citatio ad declarandum excommunicatum quando requiratus? XXXIX. n. 36.

Civitas poteſt eſſe ſine Epiſcopo. XXXIII. n. 108.

Claves Petri quid? XXXI. n. 19.

Clauſula generalis non comprehendit majores perſonas, quam ſint expreſſæ. XXXI. n. 31. not. 4.

Clericus ſeditioſus, ſuſpenditur. XII. n. 114. An poſſit propria manu pugnare? 116. Duellans quomodo puniatur. XIV. n. 4. 5. & 6. Quomodo Clericus adulter. XVI. num. 19. & 20. Stuprator. 43. Inceſtuoſus. 67. Sodomita, 70. & ſeq. Fornicatur. 75. Concubinarius 77. Clericus incendiarius. 50. Raptor mulierum. numer. 3. An fiat irregularis? 11. An facto ipſo? numer. 20. §. Similiter. Rapinam exercens. 37. not. 4. An poſſit eſſe Judex delegatus in criminalibus? 43. & ſeq. Clericus fur rei gravis deponitur, incorrigibilis excommunicatur, ſeculari Poteſtati traditur. XVIII. num. 25. An fiat infamis, irregularis? 26. & ſeq. Clericus criminoſus an debeat agere publicam pœnitentiam? XXVI. nu. 9. not. 3. Item XXVIII. n. 3. Quid ſi inſontem opprimat in lecto? 7. & 8. An in Clerico per ſaltum promoto valeat ſuperior Ordo, omiſſo inferiore? XXIX. nu. 1. An ſuſpendatur ab Ordine ſic ſuſcepto? n. 2. Non ſit irregularis, niſi in eo miniſtret. 3. 4. & 5. Clericus non portans habitum an amittat fori privilegium? XXXIII. n. 157. & ſeqq. Clericus injuſtus bellator deponitur. XXVII. n. 25. Quando in Monaſterium detrudatur? 26. Clericis quid liceat tempore interdicti? XXXVIII. n. 24. Clericus dimiſſo habitu ſe miſcens enormibus, an amittat privilegium Canonis? XXXIX. numer. 93. an etiam fori? ibid. & numer. 94. Clerici non veniunt nomine populi in odioſis, numer. 220. An aliquis ſit Clericus, judicat Eccleſiaſticus? 188. & ſeqq. An Clericatus eximat a patria poteſtate? n. 75.

Clerici aut Monachi percuſſor excommunicatur XXXIX. numer. 48. & ſeq. An etiam Novitii? 50. Etiam volentis percuti. 51. Etiam ſui ipſius. ibid. Etiam mandans, conſulens. 53. Ratificans. 54 & ſeq. Non impediens 56. Quid ſi Oſtiarius, aut apparitor percutiat Clericum? 59. Quid ſi tantum vim vi repellat? 67. An percutiens diſciplinæ cauſa? 71. & ſeqq. Si turpiter inventum percutiat. 20. & 69. vel enormibus ſe miſcentem? 90. & 91. Si Prælatus ſubditum Clericum? 72. Si puer Clericum percutiat? 87. Si pueri Clerici ſe invicem 74. Adulter Clericus a marito percuſſus? XVI. num. 22.

Clerici percuſſio enormis, levis, mediocris. XXXIX. n. 57. Quænam harum Papæ reſervatur? 58. & ſeqq. item nu. 80. Quis abſolvit a percuſſione? An Legatus Apoſtolicus? 81. & 95. An Epiſcopus? 87. Quid ſi percutiens ſit Monialis? 84. & ſeq. Alia mulier, vel aliquis ſenex, infirmus? 77. & ſeq. Quid ſi potens, delicatus? 79. Impeditus Romam ire? 83. An pauper? 77. & 82. An ſervus? 86. In mortis articulo abſolutus? 76. An convaleſcens, ſi ſe ſiſtat Pontifici? 78. 82. 83. & 105. An ſi ſit occultus? 88. Quis ſit notorius percuſſor Clerici? 114. Hic vitandus eſt. 89. etiamſi non ſit denunciatus. 90. 91. & 113.

Collegio peccante, qui puniri debeant? III. nu. 67. not. 3. Collegium an poſſint erigere privati? XXXI. n. 33.

Colluſio detegenda. Quid ſit illa? XXIV. numer. 1. Quid ſi per eam accuſator deſiſtat. 2. & 3. Si reus ſic abſolvatur, poteritne de novo accuſari? num. 4. Colluſio in Beneficiis num. 6.

A Commendata Eccleſia detruſus, an cenſeatur ſpoliatus I. numer. 37.

Communicatio fidelium alia eſt interna, alia externa alia mixta. XXXIX. n. 4. V. *Excommunicatio*.

Communionis Paſchalis omiſſæ pœna. XXXVIII. n. 11. Olim ter in anno. 13.

Compenſator tacitus non eſt fur. XVIII. n. 12.

Compurgatorum in purgatione Canonica nu. XXXIV. nu. 11. not. 5. Quando plures adhibendi ſint? 26. Quales debent eſſe? 27. An ejuſdem Ordinis cum purgando? 28. Hi jurant de credulitate. 30.

Concionem audire licet cum excommunicato non tolerato XXXIX. n. 117.

Concubinatus quid ſit? XVI. nu. 76. Quæ ejus pœna; 77. Etiam laici concubinarii. 79.

Condemnatio in expenſas in actione injuriarum. XXXVI. n. 19.

Confeſſarii prudentia requiritur, XXXVIII. n. 11. Hunc eligendi quis jus habeat; 31. & 33. An etiam minores Prælati; 34. An Abbatiſſa; ibid. An ſic electus etiam a reſervatis abſolvit; 35. An Epiſcopus dare poſſit hoc jus; 36. An per præſcriptionem acquiratur; ibid.

Confeſſio Sacramentalis an Diacono, an laico fieri poſſit; XVIII. num. 3. not. 1. An Abbatiſſæ, ſeu Moniali; XXXVIII. numer. 23. Quos confitentes audire poſſint Mendicantes; XXXIII. numer. 163. Confeſſio negantis ſe abſtinere poſſe a peccatis non audienda, XXXIII. numer. 18. Requirit enim dolorem, & propoſitum, 19. Annua præcipitur, neglecta punitur, numer. 11. & 13. Quis obligetur; 12. Quo tempore ei præcepto fiat ſatis; 13.

Confeſſus in judicio punitur etiam ſine præcedente infamia, I. num. 85.

Confirmationis Sacramento omiſſo accipiens Ordines non ſit irregularis, XXIX. nu. 10. Licite confertur tempore interdicto. XXXIX. n. 217. Confirmatur aliquando tractu temporis, quod initio non valuit, XIX. n. 164.

Confiſcatio bonorum quando incurratur ob hæreſim VI. nu. 56. 58. & 60. An confiſcetur etiam dos uxoris Catholicæ: 63 Cui applicanda bona confiſcata; 68.

Conſervatores privilegiatorum quando ſe poſſint intromittere; XXXIII. n. 142. Quo trahere reum; 151. not. 3.

Conſuetudo an excuſet Simoniam; II. nu. 42. An ſpectetur ejus initium; 43. An per liberos actus introducatur; 44. & ſeq. An illa Germaniæ recipiendi prandium vel pecuniam in receptione Canonicorum ſit Simoniaca; num. 91. not. 2. An conſuetudine acquiratur privilegium; XXXII. nu. 11. An per eam præſcribatur poteſtas dandi indulgentias, & diſpenſandi; XXXVIII. nu. 36.

Contemptus an requiratur ad cauſam excommunicationis; XXXIX. num. 30.

Contrario a ſenſu an valeat argumentum in cauſa pœnali; XII. num. 66.

Corrigendi ſubditos quatuor modi, I. nu. 60. not. 14.

De credulitate quando juretur; num. 30.

Criminalis cauſæ differentia a Civili, I. n. 35.

Crucem ante ſe portandi privilegium, XXXIII. n. 102. & 104.

Culpa qualis requiratur ad damnum datum; XXXVI. n. 11.

Cuſtodia Beneficii vacantis ſpectat ad collatorem, XXXI. n. 6. not. 2.

D

Damnatis ad mortem Pœnitentiæ Sacramentum, & Viaticum concedendum, non extrema Unctio. An etiam ſepultura; XXXVIII. n. 26.

Damnum datum quid; XXXVI. nu. 10. & 20. Ex quali culpa, An ex ſola imperitia; 11. An ex animali pauperiem faciente; 12. & 14. Damni cauſam dans, n. 14. 15. & 16. An præſtet lucrum ceſſans; 17. Expenſæ litis an veniant nomine damni dati; 20.

Dans pretium pro re ſacra æque eſt Simoniacus, quam ſecipiens, ſecus ſit in uſura, III. n. 32.

Decimarum negatarum vexatio an redimi poſſit; III. n. 111 Decimas non ſolvunt Religioſi de hortis ſuis, XXXI. nu. 25. §. *Decimæ ab iiſdem*. Harum ſolutionem impedientes Religioſi puniuntur. XXXVII. nu. 37.

Debitum conjugale an poſſit reddere ſciens, vel dubius de impedimento, ſi jubeatur ſub excommunicatione; XXXIX. n. 107. & ſeq.

Degradatio Clerici hæretici VII. nu. 84. & 85. Qua forma fiat; 87. & ſeq. Degradatio verbalis & realis, XXXVII. n. 16. Ejus forma, 17. & 18. Diſcrimen utriuſque, & ob quæ crimina fiat; 19. Degradati Sacerdotis conſecratio valet, 19.

Denunciatio quid ſit; Et quæ Evangelica? I. nu. 86. Quæ Judicialis; Et quæ Canonica; 87. Quando Judex Eccleſiaſticus poſſit admittere denunciationem; 90. An præcedere debeat admonitio; 91. Denunciator ſe non inſcribit; 93. Neque tenetur de calumnia, II. n. 6. 7. & 8.

Denunciare quis nequeat; I. 94. An denunciatio poſſit fieri per alium; 95. Si Superior a ſubditis denuncietur, non poteſt lite pendente, procedere contra denunciatores, 96. & ſeqq. Denuncianti Monacho expenſæ a Monaſterio ſuppeditantur, ibid. Denunciari Epiſcopo poſſunt etiam exempti, ſi in manifeſtam excommunicationem inciderint, XXXIII. numer. 149.

Depoſitionis pœna, XXXVII. n. 15. 16. & 39. Eam meretur Simoniacus, III. nu. 165. & ſeq. Item Epiſcopus factus irregularis, XXXI. n. 15. collig. 6.

Diaconus cantans Evangelium in Cenſura ſine ſtola non ſit irregularis, XXVII. n. 36.

Diffidatus qui ſit; XII. nu. 26. not. 5.

Dilapidationis quando arguitur Abbas quid juris; I. numer. 99. Hoc judicium quomodo inſtituatur; III. num. 147. & 148.

Dimiſſoriales Litteræ an pro pretio dandæ; III. num. 16. not. 3. & num. 18.

Diſpenſatio an differat a privilegio; XXXIII. n. 5. Diſpenſat Papa in irregularitate Novitii, XII. n. 125. Qui in mutilatione; 126. Quando Epiſcopus; 127. & ſeq. Item XIV. n. 7. Quando privilegiati; XII. nu. 130. Diſpenſari quomodo poſſit in Simonia; III. n. 171. & ſeq.

Diſputare de Fide quando licitum; VII. n. 27. & ſeqq.

Divortium poſt adulterium nocentis, licitum eſt innocenti, XVI. num. 23.

Docentes vel diſcentes Theologiam, vel Jus Canonicum an gaudeant privilegio percipiendi fructus Beneficiorum in abſentia; V. num. 9.

Docendi licentia non poteſt emi, V. n. 1. Non tamen foret ſimoniaca emptio, 12.

Doctoratus an ſit dignitas; V. nu. 4. An poſſit dari pro pretio; 13. Quanti ſumptus poſſint fieri pro illo; 14. Doctorem ſe fingens eſt falſarius, XX. n. 45.

Dos uxoris Catholicæ non confiſcatur marito hæretico; VII. nu. 63. An alia uxoris bona; 64. Quid ſi ſcienter nubat hæretico; 65. & ſeq. Quid ſi vir Catholicus ducat hæreticam, n. 67. Dos amittitur per adulterium, XVI. n. 23.

Dotare debet raptor raptam poſt ſententiam Judicis, XVIX.

Duellum prohibitum, XXXV. nu. 2. Item XIV. n. 1. Quando liceat; nu. 2. Ejus pœna; num. 3. Maxime Clerici duellantis, 4.

E

Eccleſia an poſſit pœnam mortis infligere; VII. n. 92. An laicis

cis prohibere luſum periculoſum? xlii. n. 2. not. 3. Errare quando poſſit? xxxix. n. 177. An ſolvere & ligare mortuos? 178. Eccleſiarum violatores qui, & qui effringentes Eccleſiam? xvi. n. 54. An eorum ſepulturæ intereſſe poſſint Clerici? 55. Eccleſiaſtici non ſubjacent repreſaliis, xxxvi. num. 22.

Electio per ſortes reprobatur, xvi. n. 10. An valeat electio ad beneficium ejus, qui eſt in minore excommunicatione, xxvii. n. 46. & *ſeq.*

Eleemoſynæ non debet accipi a raptore & violatore Eccleſiarum, xvii. 37. not. 5. Eleemoſynarum quæſtores, xxxviii. 57. *V. Quæſtores*. An a publico raptore accipienda ſit, xvii. 37.

Emptæ res quando ſuccedat loco pecuniæ? xix. n. 23.

Epiſcopatus in quibus locis poſſit erigi: xxxiii. n. 107.

Epiſcopus non poteſt repellere ſuos familiares a ſui accuſatione, I. n. 16. Epiſcopi denunciati cauſa ubi ſit tractanda? n. 92. Ejus juriſdictio non poteſt ſub cenſu locari, iv. n. 1. Epiſcopus an abſolvat ab hæreſi? vii. n. 38. & *ſeqq.* An revocata ſit conceſſio abſolvendi ab hæreſi occulta Epiſcopo per Bullam Cœnæ: 41. & *ſeq.* An etiam relapſos abſolvat? ibid. Habet Juriſdictionem cumulative cum Inquiſitoribus n. 146. collig. v. Punit adulterum, xvi. n. 26. Epiſcopus an comprehendatur in pœnalibus? xx. n. 29. in fine. An verberare poſſit Clericos? xxv. n. 1. Si cauſam præſtet homicidio, ſit irregularis, xxxx. n. 13. Quando juret tactis Evangeliis? xxxiv. n. 16. An poſſit concedere Oratorium privatum? xxxiii. n. 93. An miſſam ſub Dio? 94. Quid poſſit extra territorium? 105. Quid in loco exempto? n. 106. An eximere Eccleſias? 66. not. 3. An celebrare tempore interdicti? 75. An abſolvat Clerici percuſſorem? xxxix. num. 77. An incurrat ſuſpenſionem & interdictum latum a jure, ſi non exprimatur? n. 195. An excommunicationem? 196. not. 4. item n. 206. & 256.

Epiſcopi occiſor quomodo puniatur? xxxvii. n. 23. & 28. Quomodo banniens? xxxvi. n. 18. Epiſcopi poteſtas in particulari an ſit juris humani? xxxviii. n. 42. *not.* 2. Quot requiratur in degradatione? xxxvii. n. 18. Sufficiuntne ſolum Confirmati? 19.

Eremitica vita permittitur, xxxi. n. 39.

Eucharistia damnatis ad mortem non neganda? xviii. n. 0. *not.* 2. Qua ætate pueris danda? xxxvii. n. 23. An tempore interdicti? n. 25.

Exceptio an firmet regulam in contrarium? xxxviii. n. 24.

Exceſſus privilegiatorum, tit. xxxiii.

Exceſſus Prælatorum in ſubditos, & contra, tit. xxxi.

Excommunicatio quid ſit, & quibus bonis ſpoliet? xxxix. num. 4. & *ſeq.* Ejus fundamentum, 6. Major & minor 7. Abſolute accipitur pro majore, 7. & 8. An differat major ab anathemate: *ibid.* Alia a Jure, alia ab homine, latæ & ferendæ ſententiæ, Juſta, & injuſta, generalis & particularis, n. 9. Qua forma verborum fiat? 10. Modus circa eam procedendi, 11. An requiratur ſcriptura, & expreſſio cauſæ? 12. Injuſte excommunicans damnatur in expenſas, *ib.* not. 3. Quis ordo ſervandus in ferenda excommunicatione? xxxi. n. 2. not. 3.

Excommunicationis majoris effectus ſunt, ut non licite adminiſtret Sacramenta, xxxix. *num.* 13. Juriſdictionis actus, ut Sacramentum Pœnitentiæ ne quidem valide, 14. An Sacramenta valide accipiat? 15. Non participat Suffragia etiam contritus, 16. Non poteſt intereſſe Divinis, poteſt tamen concioni, n. 17. Non liberatur a Breviario privatim dicendo, 18. An privetur omni communicatione forenſi? 19. Etiam fori ſecularis? 20. An etiam civili communicatione? 21. An capax officii Eccleſiaſtici, & ſepulturæ? *cir. num.* 21. In loco ſacro ſepulti exhumentur, xxxiii. *num.* 135. Excommunicatus eſt etiam ſuſpenſus, III. n. 164. Non eſt capax Beneficii accipiendi, xxvii. n. 14. & 15. Etiamſi conferatur motu proprio, 16. An penſionis? 19.

Excommunicationis minoris effectus, xxxix. n. 14. An fiat irregularis, qui miniſtrat in minore excommunicatione? xxvii. n. 15. An electio hujus ſit irrita? 50. & 51. An faciat adminiſtrationem Sacramentorum illicitam? n. 52. & 54. Inſordeſcens in excommunicatione quomodo puniatur? xxxvii. n. 32. & *ſeq.*

Excommunicare quis poſſit? xxxix. num. 24. An Archiepiſcopus ſubditos Suffraganeorum? *ibid.* Non Parochi, non laici, non fœminæ, 25. An Epiſcopus extra Diœceſim exiſtens? 29. not. 2. An Epiſcopus exemptos ſaltem indirecte? xxii. n. 155 *not.* 3.

Excommunicari qui poſſint? xxxix. n. 26. An etiam mortui? an aliquis a ſe ipſo? An Papa, *ibid.* An Univerſitas, ſive Collegium? 27. An non ſubditi, aut hi extra territorium? 38. & *ſeq.*

Excommunicationis cauſa eſt ſolum peccatum contumaciæ, xxxix. n. 30. Et quidem æternum, 31. Non mere præteritum, 32. Et quidem actus conſummatus, 33. Sine cauſa excommunicatus debet abſolvi, & excommunicans punitur, n. 38. Tria requiſita ad juſtam excommunicationem. 39. Injuſta quando ſit valida? 40. An liget? 148. An ſit juſta, ſi feratur poſt appellationem, vel contineat intolerabilem errorem? 147. & 156. & ſeq. An lata ob culpam futuram? n. 160. Nulla eſt excommunicatio, quam fert Prælatus contra ſubditos nolentes gravari contra ſua privilegia, xxxi. num. 12.

Excommunicationis non incurrendæ excuſationes, xxxix. num. 42. Quænam ignorantia juris, vincibilis, vel invincibilis excommunicationis excuſet, vel non? *num.* 42. & *pluribus ſeqq.* An metus gravis? 47.

Excommunicati qui vitari debeant? xxxi. n. 111. An Jure Divino vitandi, 112. An adhuc poſt Concilium Conſtantienſe & Baſileenſe? n. 113. An pendente lite? 114. An adhuc poſt cautionem, vel ſatisfactionem præſtitam læſo? 130. & *ſeqq.* Quis nominatim dicatur excommunicatus? 114. Qui non vitandi? 115.

Excuſationes a vitatione. Utile 116. & *ſeqq.* Lex, 120. Humile, 121. & *ſeq.* Res ignorata, 125. Neceſſe, 26. Etiam Epiſcopus debet vitare excommunicatum, 131. Toleratum an poſſim vitare, & repellere? 115. Per publicam famam pro non tolerato habitu an ſit vitandus? 130. & *ſeq.* Illicite communicans cum vitando quomodo peccet? & an excommunicetur? n. 96. & 128. A quo & quomodo abſolvatur? 127. An communicans poſſit objicere excommunicationem? 140. Communicans cum excommunicato etiam quandoque excommunicatur, xxvii. n. 3. Vitare tenentur exempti excommunicatos ab Ordinario, xxxiii. n. 133. Excommunicatum poteſt alius excommunicatus repellere, ne agat contra ipſum, 1. n. 28. Excommunicatus toleratus non differt a non tolerato quoad ſuum favorem, xxvii. n. 15. & 34.

Excommunicatum quis abſolvit, an Parochi? xxxix. n. 14. Quis a reſervata? 142. Quis a lata per hominem generaliter & ſpecialiter, 143. Quis a minore? 144. An excommunicatus alium excommunicatum? 145. An Archiepiſcopus excommunicatum a Suffraganeo? 146. & *ſeqq.*

Excommunicatio reſervata eſt Clerici participantis cum excommunicato a Papa. xxxi. n. 196. Incendiarii & effractoris Eccleſiarum, 99. & 100. Quid nomine Eccleſiæ hic veniat? 101. Ejus qui dedit licentiam injuriandi eos, qui ad aliorum cenſuram juverunt. 102. & *ſeqq.* Ejus qui ſe non præſentat Papæ, vel Superiori, qui cum hoc onere abſolutus eſt, 105. & 106. Excommunicatio conjugis nolentis reddere debitum ob impedimentum matrimonii non probatum, 107. & 108. Contra violatores Eccleſiaſticæ libertatis, 109. & 110. Nulla excommunicatio reſervata eſt, niſi exprimatur, 128. not. 4. Excommunicatio retinentis falſum ſcriptum Apoſtolicum ab Epiſcopo lata eſt reſervata, xx. n. 13. Item excommunicati ſunt hæretici, vii. n. 11. & *ſeqq.* Quis eos ſepeliunt, 54.

Excommunicatus a jure poteſt iterum excommunicari, xxxix. n. 120. Item vii. n. 34. not.

Excommunicationes variæ Andronici Palæologi xxxix. *num.* 260. Poſt appellationem lata, 191. & ſeq. in excedentes tacam Reſcriptorum beneficialium Apoſtolicorum, 254. Qui aliquid dant, promittunt, vel accipiunt pro Apoſtolica gratia, vel Juſtitia, 255. Sive in Litteris, ſive aliter, 258. Etiam apud alium Principem. *ibid. not.* 9. Excommunicatio raptoris fœminæ non reſervata, xvii. *nu.* 20. Uſurariorum, xxi. 149. & 151.

Exemptio ab Ordinario quomodo probetur? xxxiii. n. 27. & *ſeqq.* Quibus clauſulis ſignificetur? 31. An cenſus longo tempore ſolutus Epiſcopo probet ſubjectionem? 33. Quid ſit exemptio realis, quid perſonalis? 37. Exempto capite v. g. Monaſterio, an etiam membra ſive Capellæ eximantur? 41. & *ſeqq.* Exempta Eccleſia, an etiam Miniſtri eximantur? 45. An & Parochiani? 46.

Exempti ſubjiciuntur Ordinario ratione delicti, contractus, & rei ſitæ, xxxiii. n. 49. Niſi perſonæ ſint ſimpliciter exemptæ, 50. Exemptio Regularium, 52. Quid hæc operetur circa excommunicationem xxxix. n. 112. privilegium habentes cenſuris ligari non poſſunt in cæteris vero ſubjiciuntur Ordinario, xxxiii. n. 56. Exempti jure communi non tenentur probare exemptionem, 63. In exemptione dubia, 60. Attendenda poſſeſſio, 62.

Exemptus ſubeſt Epiſcopo in cauſa hæreſis, vii. n. 124.

Exemptio indefinita & Canonica a Decimis complectitur etiam futuras, & futura bona, xxxiii. n. 67. & *ſeq.* Exemptio a Novalium decimis, 70. 71. & 72.

Exercere an unico actu verificetur? xx. n. 25.

Exhibere libros Rationum tenentur, Uſurarii xix. n. 147.

Expenſa litis debentur etiam remiſſo damno dare, xxxvi. n. 20. Victus quando ad has condemnetur? xxxvii. *num.* 9. Quomodo taxandæ; 10.

F

FALSI crimen quid ſit: xx. *num.* 2. Ipſius pœna 2. Teſtes falſi, 3. 4. Horum pœna, 5. 6. Index falſus 8. Falſitas in Reſcriptis quot modis fiat? 9. & 10. Quomodo deprehendatur; 14. Quæ raſura ſcriptum faciat ſuſpectum; 16. & *ſeqq.* Quid in Litteris clauſis; 19. Falſæ litteræ an dent juriſdictionem; 20. & 21.

Falſariorum pœna, xx. n. 22. & *ſeqq.* Præſertim falſatis litteris Cæſareis, Nuncii Apoſtolici, Epiſcopi, & Pœnitentiariæ, 24. Falſarii occulti, 29. Falſantes & falſas litteras impetrantes, & falſis utentes differunt, 27. & 28.

Falſitas quando præſumatur; xx. 34. Falſitas in inſtrumentis, 36. In aperiendis litteris aliorum, 37. In Sigillo alieno, 38. In moneta, 40. In ponderibus, in partu ſuppoſititio, 45.

Falſarius an ſit, qui falſas litteras profert, xxxi. n. 9.

Fama, clamor, & rumor quomodo differant? I. *num.* 57. Fama an Probationem faciat; 58. Eſt loco accuſatoris, 59. & 76. An probetur a duobus; 84. not. 2.

Fama & vita quomodo poſſint cum pecunia commutari; III. n. 4. An probet uſurarium fama; xix. n. 143. & *ſeq.*

Familiares quomodo gaudeant privilegio Domini; xxxxii. n. 78. *not.* 2. Qui dicantur familiares; 79.

Fautores hæreticorum qui ſint; vii. n. 124. Quomodo puniantur; 79. & *ſeqq.*

Feudi Dominus poteſt feudi fructus percipere, ſi a vaſallo id ipſi in pignus detur. xii. n. 90. & *ſeqq.* Feuda, quæ habentur ab Eccleſia, amittuntur, ſi vaſallus occidat Epiſcopum xxxvii. n. 24.

Ficus vendens rem ſpiritualem pro pretio, an ſit ſimoniacus; III. n. 9.

Fides an ſervanda hæreticis; vii. n. 83. An ſaltem toleratis in Imperio; *ibid.* §. *Caterum*. Fidei profeſſio an neceſſaria in abſolutione ab hæreſi; 26. De fide diſputare, quibus liceat; n. 27.

Filii

Filii hæreticorum pro patribus puniuntur. vii. *nu.* 56. & 63. item xxxvi. *num.* 27. & 38. Amittunt hæreditatem. vii. *num.* 99. Fiunt irregulares. 101. & ſeq. An idem patiantur filii ante hæreſim nati? 106.

Fœmina rapiens virum, an committat raptum? xvi. *n.* 12. & 25

Fornicatio ſimplex quid? xvi. *nu.* 74. Ejus pœna? 70. Fornicatio cum Judæa. 80. Grave delictum eſt in Epiſcopo, vel Sacerdote. xxxviii. *numer.* 18.

Fundi pro doto pignori dati fructus non tenetur in ſortem computare maritus? xix. *num.* 94. & 95.

Furtum quid, & quotuplex? xviii. *nu.* 1. Quid ſit contrectare? 2. An furtum fiat vidente Domino? 3. Requiritur voluntas lucrandi. 4. An furtum rei ſuæ committi poſſit? 5. & 10. An Domino volente? 6. Furtum manifeſtum. 7. Varii modi furandi. 8. Qui præterea furti teneantur? 9. & ſeqq. Tacens ad furtum an fur ſit? 12. Furti manifeſtandi an Epiſcopus monitorias publicare poſſit? *ibid. not.* 2.

Furtum in Eccleſia factum an trahat excommunicationem? xviii. *num.* 38. In incendio, vel naufragio punitur pœna arbitraria. 41.

Furti actio an detur pro re minima? xviii. *num.* 13. An fiat furtum in extrema neceſſitate, vel gravi? 14. Cui hæc actio, & contra quos competat? 18. Furti pœna civilis. *ibid.* Criminalis an pœna mortis? 19. *& ſeqq.* Pœna ejuſdem Canonica. 25. Fur ſit infamis. 26. Septem annorum pœnitentia. 29. Fures & alii facinoroſi in ipſo facinore occiſi non merentur preces Eccleſiæ, xviii. *num.* 30.

Fur ſacrilegus quis; xviii. *nu.* 31. Ejus pœna extraordinaria, 32. Excommunicatio. 33. Eſt crimen mixti fori, 34. Furtum hominis liberi eſt plagium, 35.

Furtiva res an fiſco addici poſſint; xviii. *num.* 24. *not.* 5.

Furtive ordinatus quis; xxx *num.* 1. Quæ ejus pœna; 2. & ſeq. Quid ſi contra prohibitionem Epiſcopi ſub pœna excommunicationis; 4. Quæ ſit pœna ejus, qui ſuſcipit plures Ordines diem, 6.

G.

Grammatica Magiſter conſtituendus in Eccleſiis. V. *nu.* 1. & 6. An hic gratis debet docere & quos; *ibid. not.* 2.

Gratuitum donum an cauſet Simoniam? III. *nu.* 125.

H.

Hæres tenetur omni debito defuncti: xix. *n.* 110. An debeat uſuras ultra vires hæreditatis? *ibid. not.* 4. An ſinguli hæredes in ſolidum; *n.* 111. & 112.

Hæredes tenentur etiam delicto defuncti. xvii. *nu.* 52. not. 3. Et quidem in furto, licet nihil ad ipſos pervenerit. xviii. *num.* 18. §. *Præter.*

Hæreſis quid ſit? vii. *nu.* 5. & 52. Requiritur pertinaciam, 2. Dubitans de fide an ſit hæreticus? 4. & 5. An Catechumenus errans ſit hæreticus; 6. An metu negans fidem; 7. An ſalvari poſſit hæreticus; 9. An peccet non convertens hæreticum; 8.

Hæreſeos pœna. I. *num.* 26. not. 5. & vii. *nu.* 11. Trahit excommunicationem, 13. & ſeqq. Jure humano indictam, 15. & ſeq. Mere interna an puniatur? 17. Quando ſit externa. 18. 19. & 46. An faciat irregularem? 45. & 26. Quis diſpenſet in ea; 27. An poteſtatem Ordinis auferat? 28. An juriſdictionem; *ibid.* An inhabilem reddat ad beneficia? 29. An facto ipſo privet; 50. An hæreticorum preces ad beneficia valeant; 51. & 106. Pœnæ corporales Perpetuus carcer. 90. & 91. Pertinaces igne plectuntur, 92. Subinde pecuniis. 93. Item hæres facit infames. 51. Privat ſepultura, 53. Bona fiſco addicit, 56. & ſeqq. An confiſcatio ipſo facto incurratur? 59. & 60. An ipſe hæreticus teneatur ſua fiſco tradere? 62. Cui cedant bona confiſcata; 68. & 72. Hæreſis facit inteſtabiles, 72. Prohibet hæreditatem, aut legatum accipere, 76. & ſeq. Perdit patriam poteſtatem, 79. Dominium in ſervos & ſubditos, 80. An alia debita? 82. An degradandus hæreticus; 83. & ſeq.

Hæreſis eſt caſus reſervatus, vii. *n.* 37. Si tamen ſciat cenſuram. *ibid.* Et quidem immediate reſervatur, & non tantum ratione excommunicationis. *ibid.* Quis abſolvet? 38. & 39. An Prælati Regulares? 38. An Religioſi privilegiati? 33. Etiam poſt Bullam Cœnæ *n.* 41. An Parochi in Germania? 16. Hæreſeos ſuſpectus debet ſe purgare! xxxiv. *n.* 24. An excommunicandus talis ſuſpectus, vii. *num.* 32. & ſeqq. Quando dicatur hæreſis occulta? 39. not. 3. & *num.* 4.

Hæreſim ejurare debet ab ea converſus? vii. *n.* 86. not. 3.

Hæreſeos quis ſit Judex, an Legatus Pontificis? vii. *nu.* 123. An Epiſcopus? 124. An Vicarius Epiſcopi? *ibid.* §. *Porro.* An Capitulum Sede vacante? 125. An Princeps ſecularis; 126. & 127. An Inquiſitores? 130. Quomodo probetur per teſtes? 134. An admittantur alias inhabiles? 155. & 156. An perjurus; 157. An corrigens ſuum dictum; 150. An de plano poſſit procedi; 161. An accuſatorum, & teſtium nomina publicentur? 163. & ſeq.

Hæretici an vitandi Jure Divino? vii. *nu.* 22. An Canonice? 23. An declaratus ut hæreticus? 23. & ſeqq. An liceat eorum conciones audire, funus comitari; 24. Ab iis Sacramenta accipere, 25. Filios e Baptiſmo ſuſcipere, 26. Cum illis diſputare. 27. & 28.

Hæreticorum filii an puniantur? vii. *nu.* 99. & 100. An & ubi filii ſint irregulares? 101. Priventur beneficiis, 102. Etiam propter hæreſim matris? 104. Quid ſi parentes redeant ad fidem? 105. Quid ſi beneficia ante parentem lapſum ſint obtenta? 106. An filii fiant infames? 107. Hæreticorum fautores qui; vii. *numer.* 114. Quomodo puniantur; 99. & ſeqq. Qui credentes; 108. Receptores; *num.* 112. Defenſores? 113. Omnes hi excommunicantur; 115. & 116.

Homagium, ſive Hominium quomodo differat a fidelitate? III. *n.* 82. Homagium exigere pro beneficio Eccleſiaſtico an ſit Simonia? *ibid.*

Homicidium voluntarium quid? xxi. *num.* 5. Homicidium ſpirituale, 2. Homicidium quotuplex, 2. & ad Quid voluntarium? 5. Ejus pœna, 6. & 7. Homicida Clericos deponendus, 8. Proditorius non gaudet aſylo; 9. Privatur omni beneficio, 10. Item hæreditate occiſi. *ibidem.* Fit irregularis, 12. Item qui dat cauſam abortus, 13. Ejus pœna non debet ſolum eſſe pecuniaria, xxiii. *num.* 7.

Homicida dubius an ſit irregularis, ſi certus ſit de vulnere inflicto; xii. *nu.* 16. & ſeqq. Si vulneratum ab alio plene conficiat, 18. Occidens hunc putans alium, 19. Mandans injuſte verberare, ſi fiat homicidium, 22. Mandans aſſaſſinium ſit irregularis etiam effectu ſecuto, 52. Conſilium homicidii an faciat irregularem; 30. Quid ſi revocatum ſit conſilium; 32. Quid de cooperante; 33. Quid ſi multi vulnerant; 40. Quid de non impediente; 42. Qui prohibet volentem aliquem defendere; 44.

Homicidium caſuale culpabile, xix. *nu.* 45. An faciat irregularem, ſi fiat cum ſufficiente cautela in negotio licito; 26. & ſeqq. Si abſit cautela, 15. & ſeqq. In dubio juris vel facti, *n.* 59. & 60. Qualis culpa requiratur; 6. & ſeq. Dans operam rei illicitæ homicida quando fiat irregularis, 64. & ſeqq.

Homicidium involuntarium a furioſo, dormiente, infante, non facit irregularem, xii. *n.* 70. & ſeqq. Neque a plene ebrio 74. Neque ille ſit irregularis, cujus vindicandi gratia, alter occiditur, neque ille, qui cauſam rixæ dedit, ſi tamen prohibuit, ne ille alter occideretur, 75. & 76. Neque ille, qui neceſſarium homicidium commiſit ad defenſionem ſui, 77. An etiam ad honoris defenſionem; 78. & ſeqq. An etiam ad alterius hominis; 81. An bonorum temporalium; 82. & ſeqq. Præſertim magni momenti 91. Quid ſi excedatur moderamen; 92. & ſeqq.

Homicidio facto in bello injuſto, an omnes bellatores incurrant irregularitatem? xii. *n.* 114. Quid in bello juſto; 115. Præſertim offenſivo, 157.

Homicidio publica auctoritate facto ſit irregularis Judex, xii. *n.* 94. & 95. Aſſeſſores, 96. An etiam conſtituens Judicem; 97. An mitigans genus mortis; 97. not. 4. An condens legem mortis? ibid. Qui non incurrant hanc irregularitatem; 98. An Clericus tradens Poteſtati ſeculari; 99. An accuſator Rei; 101. Si cum proteſtatione; 103. & ſeqq. Quid ſi agatur de cavendo in futurum; 109. Quando non ſit opus proteſtatione; 110. Teſtis an fiat irregularis, 111. Advocatus; 112. An ſpectatores? 113.

Honor & fama pari paſſu cum vita procedentur. xxxvi. *n.* 6.

I.

Jactantia criminis punita. xxxi. *nu.* 36. & ſeq.

Idolothytis an liceat veſci. vi. *num.* 3.

Jejunare obligari in pane & aqua, ſi panem non habent, aliis cibis veſci poſſunt. xxxviii. *num.* 10.

Ignorantia quando non excuſet; xx. *n.* 23. *in fin.* Excuſat ab irregularitate. xxvi. *n.* 4. & 41. Actum non facit validum. 50.

Ignorantia facti excuſat ab excommunicatione. xxxix. *nu.* 2. Etiam tantum concomitans, 43. Item probabilis ignorantia Juris, 44. Etiam ſolius cenſuræ, 45. Etiam vincibilis, modo non craſſa. *cit. num.* 45. Ignorantia craſſa quæ; & quæ affectata; 26.

Immunitas Eccleſiaſtica violata punitur. xxxii. *num.* 18. Violatores excommunicantur. xxxix. *num.* 109.

Imperitia parit actionem damni dati. xxxvi. *num.* 11.

Incendiarius quis; xvii. *num.* 47. Pœna ejus civilis mors. *num.* 48. Canonica excommunicatio, 49. Item xxxvi. *nu.* 16. An ſit reſervata excommunicatio; xxxix. *nu.* 97. Caret ſepultura. xvii. *num.* 5. Hæres ejus tenetur ad damna, 53.

Incendium præſumitur culpa inhabitantium ortum. xvii. *nu.* 49. *in fin.*

Inceſtus quid; xvi. *num.* 64. Pœna Juris Civilis; 65. Canonica; 66. Inceſtus cum cognata legali; 69. & ſpirituali, fornicatio ſacrilega, 68.

Indulgentia quid ſit; xxxviii. *n.* 37. Unde orta; An etiam ex meritis Sanctorum; 38. Theſaurus indulgentiarum an exhauriri poſſit; *ibid.* Quotuplex; 39. Per modum Suffragii applicantur animabus. ibid.

Indulgentias quis concedat; An Epiſcopus nondum conſecratus; xxxviii. *nu.* 30. An plenarias; 41. & 42. Quibus; 40. An etiam exemptis; 47. Non ſint immoderatæ; 41. An Capitulum Sede vacante? ibid. *Vide tit.* xxxi. *nu.* 20. & 22. not. 3. An hæc poteſtas etiam habeatur ex conſuetudine; 23. Cujus ſit Juris; xxxviii. *n.* 42. not. 2. Excedens poteſtatem dantis valet uſque ad partem conceſſam. 43. not. 5. & 6. Quibus Indulgentias poſſint dare Archiepiſcopi, Cardinales, Legati Apoſtolici; 45. An hæc poteſtas præſcribi poſſit; 46.

Indulgentiam dans poteſt ipſe lucrari xxxviii. *nu.* 47. Cauſa Indulgentiarum remiſſive. ibid. Indulgentiæ revocatæ 52. Indulgentiæ inſtar Jubilei. 50. not. 2.

Infamia præcedit Inquiſitione I. 50. & ſeqq. & 82. Quando non debet præcedere; 61. & 75.

Infamia eſt pœna Uſurariorum. xix. *num.* 148.

Infamis in foro ſeculari, an etiam ſit talis in foro Canonico; xvii. *num.* 26.

Infantum oppreſſio in lecto. x. *num.* 8. Item xxxviii. *n.* 7. & 8. Infantes & languidi expoſiti & pœna exponentium, xi. *num.* 5. A quo alendi; *num.* 3.

Ingreſſus Eccleſiæ, cui interdicitur, non amittit juriſdictionem. xxxix. *num.* 35. not. 4.

Inimici non admittendi ad teſtimonium. I. *n.* 72. & 82. not. 3.

Injuria, & damnum datum. xxxvi. *num.* 1. An ſint dolo fiat injuria; *nu.* 2. 4. & 5. Injuriandi animus præſumitur, ſi verba de ſe ſint injurioſa. *nu.* 2. Neque excuſat proteſtatio contraria facto. 3. An ſit injuria verum crimen objicere; *n.* 4. Injuriam retorquere quando liceat; *nu.* 6. Injuriarum actio qualis; *num.* 7. *Vide Actio Injuriarum.*

Innovatio privilegiorum xxxiii. *num.* 219. & *ſeq.*

Inquiſitio quid ſit; I. *n.* 47. Quotuplex; 48. Cui competat; 49. An prærequiratur infamia; 50. & 56. Non facile ſuſcipienda contra Prælatos. 60. Inquiſitus ſit præſens, 60. notat. 13. Alia requiſita ad inquiſitionem. 65. *& ſeqq.* Quomodo il-

la non obligent; 74. *& ſeqq.* Inquiſitio quomodo differat ab accuſatione, & denunciatione 76. Inquiſitio contra regulares. 78. Inquiſiti pœna an moderatior debeat eſſe, quam accuſati; 79. & ſeqq.

Inquiſitio prius debet fieri de infamia, deinde de ipſo crimine, XXXIV. *num.* 23.

Inquiſitionis fidei officium non debet impediri per laicos. VII. *n.* 129. Hujus munus ubi ſuppleat Epiſcopus? 130. An Inquiſitorum poteſtas ſit ordinaria? 131. Cujus ætatis debeant eſſe? 132. Contra quos non poſſint procedere? 134. An contra Epiſcopum 135. An contra Officialem? Pontificium? 136. An contra alios inquiſitores? ibid. §. *Tertio*. An contra Judæos? 137. & ſeq. An etiam contra alios criminoſos? An de uſura? 140. An vices ſuas aliis committere? 143. Quomodo cum vel ſine Epiſcopis? 145. Quid ſi diſcordent? 126.

Inquiſitoris officium an exſpiret morte Pontificis? *nu.* 53. Non applicet bona Eccleſiarum fiſco, neque extorqueat pecuniam. 152. Item *numer.* 70. & 71. Poteſt habere armatos. ibid. not. 6.

Inſultatio quid III. *num.* 81.

Interdictum quid? XXIX. *num.* 215. Locale & perſonale? 216. Generale & ſpeciale ibid. & *numer.* 217. Totale & partiale. 212. Clerici & populi. 218. Univerſitatis, 220. Interdicto populo, non indicuntur Clerici & Religioſi, 220. §. *Porro*. Interdictum ex culpa ſolius Domini, vel Rectoris. 221.

Interdicti tempore quæ liceant? XXXIX. *numer.* 226. An Baptiſmus & Confirmatio? 227. & ſeqq. An prædicare Verbum DEI? 230. An Sacramentum Pœnitentiæ? 231. An Viaticum? 232. An extrema Unctio? 234. De his tribus vide etiam *tit.* XXXVIII. *num.* 24. An Ordine dare; XXXIX. *numer.* 232. An Matrimonium benedicere? 236. An Miſſa hebdomadaria, aut quotidiana? 226. & quomodo hæc Miſſa liceat? 237. & ſeqq. Quibus feſtis? 220. An Horæ Canonicæ; 227. not. 2. An benedictiones faciæ *ibid.* §. *Præterea omnes*. An uſus campanarum, 239. not. 6. Interdicti effectus, 242.

Interdictum quis ferre poſſit; XXXIX. *numer.* 249. Ob quam cauſam; 250. & ſeq. Quomodo violetur; 243. quæ pœna violationis; 244. Si Religioſi violent; 246. & ſeq. Si Fratres minore? 248. Quis fiat irregularis ex hac violatione; 248.

Interdictum locale non feratur ob debitum pecuniarium, XXXIX. *n.* 259. Hoc adhæret ſolo. 252. Huic dans cauſam incurrit perſonale. 223. Interdicta Civitate, vel Eccleſia, quæ cenſetur comprehendi; 224.

Interdictus perſonaliter, ſed non denunciatus ao ſepeliendus? XXXIX. *n.* 242. Interdicti quomodo ſubjaceant in occentes; 216. 221. & 251. Quomodo tollitur? 252.

Interdici poteſt ſingularis perſona. XXII. *n.* 17. Interdictum non aufert juriſdictionem Eccleſiaſticam, niſi violetur, *n.* 29. Violatio ejus trahit irregularitatem, *n.* 30.

Interdictum ſi non ſervant, pro quibus poſitum eſt, nec alii ſervare tenentur. XXX. *n.* 80. Exempti non ſervantes interdictum excedunt privilegia ſua, 143. Privilegium celebrandi Divina tempore Interdicti. *nn.* 74. 75. & 77.

Joannis de Poliaco tres errores circa Confeſſiones Religioſis privilegiatis factas, VII. *n.* 165. §. *Præterea*.

Iracundia quando excuſet; XXVI. *n.* 21.

Irregularis fit homicida voluntarius. XII. *nu.* 22. Etiamſi dubium ſit facti, *nn.* 16. & 58. Etiamſi tantum mandaverit, 20. Non autem ſi tantum conſenſerit ſine ulla cooperatione, vel tantum ratificaverit, 27. & 28. Qui dat conſilium, 30. Quid de cooperante? 33. *V. Homicidium*. Irregularitas an fiat defenſive ſe habens; XXV. *n.* 5. & 6. An qui infantem in lecto opprimit; *nu.* 8.

Irregularis eſt, qui celebrat in loco interdicto. XXVIS. *n.* 10. In excommunicatione majore. 24. & 32. Item in ſuſpenſione propter delictum, 33. Item in interdicto perſonali, 34. Si in tali cenſura exerceat actum Ordini ſacro proprium, 35. Non tamen juriſdictionis, 36. Quid ſi actum minoris Ordinis; 37. & ſeqq. Quid ſi ex gravi cauſa Ordinem exerceat; XXVII. *num.* 42. Quid ſi celebret coram excommunicatis, vel interdictis; XXXIII. *num.* 144. Qui miniſtrat in Ordine, quem non habet XXVIII. *toto*.

Irregularitas an incurratur per hæreſim? VII. *n.* 45. & 46.

Irregularitatem ſolus Papa diſpenſat. XXXVII. *nn.* 41. & 44. Irregularitas differt a cenſura. XXXIX. *nn.* 5. & 3. Incurritur ex violatione cenſuræ *n.* 21.

Jubileum eſt annus centeſimus XXXVIII. *n.* 38. Deinde annus quinquageſimus, cujus Indulgentias lucratur, qui incipiens complere requiſita moritur, 49 Annus vigeſimus quintus. 50. Eo anno ſuſpenduntur Indulgentiæ plenariæ pro vivis etiam in mortis articulo. *ibid.* An etiam ſuſpendantur aliæ facultates? *ibid. not.* 1.

Judæi qui ſint; VI. Qualis communicatio cum illis prohibetur; *nn.* 1. An liceat ab iis medicinas accipere; 2. An veſci eorum azymis; 4. An intereſſe conviviis? *ibid.* §. *Quinto*. An nuptiis, feſtis, Synagogis; 5. An eis famulari; 6. & 15. An eorum filios nutrire; 7. An contractus cum illis inire; 8. & 30. *collig.* 3. An Teſtamenta ipſis aliquid relinquere; *num.* 8.

Judæi an poſſint publico officio fungi; VI. *n.* 9. An juriſdictionem in eos exercere; 10. & 11. An novas Synagogas erigere; 13. An veteres reſtaurare; 14. An Chriſtiani ad hæc poſſint operas ſuas locare; *ibid. not.* 4. Cur eorum ritus tolerentur; *ibid. not.* 3. Deteſtanda faciunt cum nutricibus Euchariſtiam ſumentibus. 15. An poſſint habere mancipia Chriſtiana; 17. & 18. An colonum adſcriptitium; 20. An tempore Paſſionis feneſtras aperire; 22. Vel prodire in publicum; 23. An habitu diſtingui a Chriſtianis; 22. An ad Baptiſmum non cogendi, 25. Non occidendi. Suis ritibus relinquendi. *ibid.* Eorum ſepulchra non turbanda, neque ipſis invitis infantes eorum baptizandi. 26. Converſi non ſtatim baptizandi. *ibid.* Converſi non ſpoliandi. 27. Ne quidem injuſte acquiſita, ſi læſi ab ipſis non compareant, 28. Immobilia bona an habere poſſint; 27. A quo puniendi; 29. An a Judice Eccleſiaſtico; 3. An extirpandi; *n.* 31.

Judæi a quo compellendi ſint, uſuras reſtituant; XXX. *n.* 107. & 108. Eorum teſtamenta an valida; *n.* 167. An licite tolerentur; 17.

Judex an officio poſſit repellere accuſatorem inhabilem; I. *n.* 15. Quid Judex in cauſa hæreſis. VII. *n.* 123. In adulterio; XVI. *n.* 10. Judex Eccleſiaſticus qualem pœnam corporalem infligere poſſit; XVII. *n num.* 33. An poſſit punire infideles contra legem naturæ delinquentes; 46. An & qualem pœnam pecuniariam etiam laicis imponere; XXXVII. *n.* 6. & 7. An punire illum, qui ipſum Judicem injuria afficit in lite; *numer.* 30. An debeat imponere pœnam ordinariam; *nu.* 3. Judex ſecularis negans juſtitiam poteſt compelli per Judicem Eccleſiaſticum. XXVI. *nu.* 10. *not.* 7. & *n.* 14. Judex Eccleſiaſticus procedit contra laicos violantes Immunitatem Eccleſiaſticam. XXXVI. *n.* 19. Judex delegatus poteſt procedere contra reum, ſi per injuriam impediat ipſum a juriſdictione. XXX. *n.* 3. Judex debet judicare ſecundum leges, non ipſas leges. *ibid.*

Judicis excomunicati non tolerati acta ſunt invalida. XXXIX. *n.* 20. *not.* 3. Judex ſententiam interlocutoriam revocare poteſt, non definitivam. *n.* 39. *not.* 2.

Jurare quid debeat, qui abſolvitur ab excommunicatione; XXXIX. *n.* 131. Maxime percuſſor Clerici; *n.* 6. 8. & 77.

Juramentum purgatorium. XVII. *n.* 63. §. *Quare ſi*. Juramentum ceſſat ceſſante ejus cauſa. XXXVI. *n.* 10. Juramentum fidelitatis & obedientiæ, quis præſtet; XXXIII. *n.* 100.

Juramento Rei ſtatur jure pendente a ſola ipſius conſcientia, ſi veritas aliunde haberi non poteſt. XXXII. *n.* 43. in *fine*.

Juramentum proprium ſufficienter probat, quando agitur de animo ſive conſcientia ipſius jurantis. II *n.* 8. *not.* 2.

Juriſdictione temporalis an locari poſſit; IV. *n.* 1. Maxime ſi procedat ab Eccleſia; 3. Spiritualem non licet locare. *ibid.* Licet tamen eam exercere ſub ſtipendio, uti facit Vicarius. *n.* 2. Juriſdictionis actus an valide fiat ab excommunicato. XXX. *n.* 14. & 18.

Jus Canonicum audiens gaudet abſens ſua præbenda. V. *n.* 9. Hoc jus quandoque etiam diſponit de judicio ſeculari. XXX. *n.* 20. *n* 1. 2. Jus Civile prohibitum Pariſiis. XXXIII. *n.* 97. Hoc ſequendum, ubi nihil ſtatutum in Canonibus. XXXII. *n.* 4. Juris ordine non ſervato acta nihil valent. I. *n.* 42. & *ſeq.* Jus Patronatus poteſt retineri pro fundatione beneficii. III. *n.* 89. *not.* 2.

L.

Laici non diſputent de fide. VII. *numer.* 27. Non prædicent. 29. & ſeqq. Laicus miniſtrans in Ordine, quem non habet, an fiat irregularis? XXVIII. *num.* 4. Laici Eccleſiæ nocentes quando poſſint puniri ab Eccleſia? XXXIX. *numer.* 160. & 161.

Lunguedi expoſiti qui dicantur; XI. *nn.* 3.

Legatus a Latere an ſit Judex in cauſa hæreſeos; VII. *numer.* 123. An poſſit eximere a juriſdictione Ordinarii; XXXIIa. *n.* 55. *not.* 2. Ejus inſignia. *n.* 101. & ſeq. Abſolvit a quacunque percuſſione Clerici. XXXIX. *nn* 81. & 95. Legati Principum excommunicati abſolvuntur ante audientiam Pontificis, ad eriocidentiam. 181. *in fin.*

Legatarii an etiam ſolvant uſuras teſtatoris? XX. *n.* 113.

Leges ſubinde narrative, & non diſpoſitive aliquid dicunt. XXXIX. *num.* 178.

Lenimens defunctus in homicidio. XII. *n.* 94. An Epiſcopus in eo diſpenſet; *n.* 129.

Libri hæreticorum ſub excommunicatione prohibiti ne legantur, imprimantur, aut retineantur. VII. *n.* 20. An Index librorum prohibitorum in Decreto Concilii Tridentini ſeſſ. 25. ſit, receptus in Germania; 21.

Lingua Hebræa, Arabica, & Chaldea ubi docenda v. *numer.* 10. §. *Cæterum*.

Lis non conteſtata facit proceſſum nullum. XXXVI. *nn.* 18. & XXXIV. *n.* 11. & 13. *not.* 2.

Litigantes temere in expenſas condamnantur XXXVII. *n.* 8. & Litigans injuria afficiens Judicem quomodo puniatur; 30.

Litteras alienas aperire, quando ſit crimen falſi; XX. *n.* 27.

Locare fructus Eccleſiarum olim abſolute licebat. IV. *n.* 5. Nunc ad triennium. 6. Niſi proveniant ex juriſdictione Eccleſiaſtica. 7. Sed ex ipſis bonis. 8. Locare pecuniam ad oſtentationem non parit uſuram. XIX. *nn.* 4.

Locus deſtructus publica auctoritate Superioris, perdit privilegia. XXXII. *n.* 11.

Lucrum ceſſans præſtat, qui damnum dedit. XXXVI. *n.* 17.

M.

Magiſtri conſtituantur in Eccleſia. V. *n.* 1. ſcilicet Cathedrali, vel Collegiata, data una Præbenda. 2. 5. & 6.

Maledici. Quid & quotuplex ſit maledictio? XXVI. *nn.* 1. Maledicens Papæ. 2. & 5. Vel alteri Prælato. *ibid.* Maledici pœna. 6.

Mancipia Chriſtiana Judæi ademere, vel habere poſſint; VI. *n.* 17. & ſeqq.

Martis privilegium an ad uxorem extendatur; XXXIII. *num.* 21. & 22.

Materia parvitas an detur in Simonia; III. *n.* 3. 22. & 34.

Matrimonium an emi poſſit; *n.* 12. *not.* 2. An licitum ſit Catholici cum hæretica; VII. *n.* 25. Non valet inter raptorem & raptam. XVII. *n.* 2. 14. & 18. Quid ſi ſolius libidinis cauſa rapta ſit; 22. Quid ſi rapta ſit meretrix; 24. An ſponſalia valeant cum rapta; 29. Matrimoniales cauſæ ſpectant ad Epiſcopum. XII. *n.* 20. & 21. §. *excipiuntur tamen*.

Medicus curam ægri non ſuſcipiat, niſi is moneatur de confeſſione. XXXVIII. *n.* 15. & ſeqq. Niſi morbus eſſet non periculoſus. *n.* 17. Non ſuadeat media illicita. *n.* 15.

Membrum quid ſit; XII. *n.* 119.

Men-

Mendicantes Religioſi jure communi ſunt exempti, idem non tenentur exemptionem probare. XXXIII. n. 63. §. *Excipi debent*. Qui mendicantes domos de novo recipiunt, vel retrahunt a dandis decimis, excommunicetur. XXXVII. n. 37. vel inducant, ut ſepultura apud ſe eligatur. *ibid.*

Mentio generalis non ſufficit, ubi requiritur expreſſa. VII. n. 135.

Meretrix an admittatur ad accuſandum; III. n. 143.

Metus gravis excuſat ab excommunicatione. XXXIX. n. 47. Niſi incutiatur in contemptum ipſius præcepti Eccleſiaſtici *ibid.* §. *interdum vero*.

Miniſtrans Clericus in cenſura. tit. XXVII. Depoſitus miniſtrans excommunicatur. 1. & 2. uti & degradatus actualiter, 3. In vera cenſura miniſtrans deponitur, 4. & 5. Excommunicati, ſi miniſtrent, privantur omnibus beneficiis nu. 8. Quid ſi in cenſura dubia miniſtret celebrando; 11. & 13. Quando fiat irregularis miniſtrans in Cenſura; 14 & 32. & ſeqq. Quando non fiat, n. 40. & ſeqq. In minore excommunicatione miniſtrans non fit irregularis, 45.

Miniſtrans Clericus, non ordinatus, fit irregularis ad illum Ordinem, in quo miniſtrat, XXVIII. n. 1. & 5. & aliter punitur, n. 2. Excommunicatur, 3. An idem dicendum de laico miniſtrante? 4. An de miniſtrante in Ordine minore; 9. Miſſam celebrans ſine Ordine Sacerdotali; nu. 12. Miſſa ubi dicenda, XXXIII. n. 88. 89. & 90.

Miſſio requiritur ad prædicandum, VII. n. 39. & 31.

Mitra. & Pedi uſus qualis competat Abbatibus; XXXIII. n. 109. Unde & ubi conceſſus, n. 110.

Moderamen inculpatę tutelę excedens punitur, XXXVIII. n. 6.

Monachi ſe invice percutientes, an incurrant excommunicationem reſervatam, XXXIX. n. 60. 61. & ſeqq.

Moneta falſificatio, XX. n. 40. Ejus pœna, 41. 42. & 43. Expendens falſam monetam, 44.

Monialium Simonia punita, III. nu. 68. & 69. Inceſtuoſa Monialis, XVI. num. 68.

Monitione Canonica quando ſit opus, XXXIX. n. 135. & ſeqq. Qualis requiratur, quando aliquis eſt excommunicando aliquis eſt excommunicandus ob participationem cum excommunicato; n. 138. Vel ideo interdicendus, aut ſuſpendendus, 139. Cum inſertur ob peccatum præteritum, 158. & ſeqq. Novitio requiſita ad mittendum privilegium Clericale, 185. & ſeq. Monitio debet etiam præcedere excommunicationem ab homine, n. 34. Debet eſſe trina, 35. Non requiruntur omnes tres ad valorem, *ib. not.* 2. An debeat fieri perſonaliter ipſi reo? *ib. not.* 3. Ad excommunicationem latę ſententiæ a Jure non requiritur, 36. Sed ferendæ, 37. Pœna omittentis monitionem, n. 34. & 35. not. 4.

Monitio Canonica etiam in Simonia habet locum, III. nu. 148. not. 2. Quandoque etiam ante purgationem, XXXIV. n. 25. not. 3. Ante ſuſpenſionem, XXXIX. *num.* 205. Ante pœnam Clerici venatoris, XXIV. nu. 4. Ante excommunicationem, XVII. n. 34.

Mons pietatis quid? & an licitus; XIX. n. 99. & 100.

Mortuus a quolibet Sacerdote poteſt abſolvi a ſuſpenſione ab ingreſſu Eccleſiæ, XXXIX. n. 213. Mortis in articolo quilibet Sacerdos abſolvit, XVIII. n. 52. Mortis pœna a Jure Canonico impoſita intelligitur excommunicato, XII. n. 6. & 8.

Motus proprius late interpretandus, XXXIII. nu. 14.

Mulier deficiens in accuſando an teneatur de calumnia; II. n. 5. Levius punitur, quam vir, XXI. n. 11.

Mulitando minus punitur, XXVII. n. 7.

Mutilatio quid, XII. n. 119. Facit irregularem, n. 121. An etiam debilitatio, 122. An qui membrum debilitatum abſcindit ſit mutilator; 123. Mutilans ſe ipſum; 124.

Mutuo an adjici poſſit pactum, ut in eadem menſura ſolvatur, etiam auctor pretio, n. 54. & ſeqq. Mutuator an ratione damni emergentis poſſit ultra ſortem accipere; tit. XIX. n. 31. 32. & ſeqq. Item ratione lucri ceſſanti; 36. & ſeq. An ratione aſſecurationis; 44. 47. & ſeq. An ratione periculi non recipiendi ſortem; 45. An ratione pœnę adjectę, 51.

N

Natalium defectus infamia non poteſt Canonice purgari, XXXIV. *num.* 5.

Naufragantium bona male fiſco adjudicantur, XVII. n. 39. not. 2. Quid de his Bulla Cœnæ; 40. & ſeqq.

Neceſſitate extrema aliquid accipientis non eſt furtum, XVIII. nu. 13. & 14. An etiam in gravi; *ibid.* An ceſſante ſit obligatio reſtituendi; 15. 16. & 17.

Negligentia in coercendis hæreticis quomodo puniatur; VII. nu. 119. Diligentia in iis indagandis, quæ adhibenda; nu. 121. Negligentia craſſa æquiparatur dolo, XXXVII. n. 8.

Noc.-hens patris, quæ tranſeat in filios; XXXIII. n. 22. Nobiles levius puniuntur, quam ignobiles, XXXVII. n. 32.

Notoria crimina non egent accuſatore I. n. 14. Notorium facti quid; XXXIX. num. 114. not. 2.

Novale quid; XXXIII. n. 72. & ſeq. Quamdiu maneat Novale; 73. not. 2. Navalium decimatum exemptio non extenditur ad illas, quæ tempore impetrati privilegii ab aliis poſſidentur, niſi fiat mentio, XXXII. n. 70. & ſeq.

Noxa dare animal quid ſit; XXXVI. n. 12. & 14.

Nunciatio novi operis quid ſit; XXXI. n. 1. Habet locum contra novam Eccleſiam, 3. Cui competat hoc jus, 5. Quomodo fiat; 7. Ejus effectus; 8. Quid ſi nuncietur injuſte 12. Quando vim amittit; 15. An per idoneam cautionem; 20. An ſi periculum ſit in mora; 23. An per notorium jus ædificandi ceſſet; 24.

O

Oblati qui ſunt; XXXIII. n. 84. 85. 86. & 134. not. 4.

Occidi poteſt raptor, XVII. n. 2.

Obſordeſcens in excommunicatione redditur de hæreſi ſuſpectus, VII. n. 36.

Officia temporalia quæ ſimoniace emantur; III. n. 5.

Officia Divina quæ ſint, quibus intereſſe non poſſit excommunicatus; XXXIX. n. 16.

Olla fortuna an ſit licita; XIX. nu. 50.

Omiſſio ordinationis pro pretio eſt Simonia, III. n. 1: An etiam omiſſio alterius actus ſpiritualis; 53. 54. 55. 56. & 87.

Orationem Dominicam & Symbolum docendi baptizati, XXXVIII. *num.* 9.

Ordinum ſacri Simonia, III. n. 15. Ordines accipiens an Ordinatori aliquid donare poſſit; 131. Ordines collati ab Epiſcopo ſchiſmatico valent, VIII. nu. 9. Non tamen quoad executionem, & poteſt ſic ordinatus repelli ab officio, n. 11. Ordo dubie collatus debet iterum conferri, XXIX. nu. 7. Ordo Presbiteratus non prærequirit alios quoad valorem, 8. Sed Epiſcopatus Presbiteratum, *ibid.* Ordines ſuſcipiens in excommunicatione ob percuſſionem Clerici quomodo puniendus; XXXIX. n. 61. & 62.

P

Pagani, *V. Saraceni*.

Paleſtrelus quid ſit; III. *num.* 91.

Papa quid poſſit in hæreticos; VII. n. 120. Quos titulos det diverſis, ad quos ſcribit; XX. nu. 15. Non neceſſario utitur conſilio Cardinalium, XXXI. nu. 19. not. 1. Quomodo habeat juriſdictionem in laico; XXXIII. n. 98. & 168. Papatus an ſit beneficium; XXVI. n. 3. Ejus ſimoniaca electio an ſit irrita; III. n. 104. Exercet juriſdictionem ante ſuam coronationem XXXIX. *num.* 261.

Parapbernalia bona an amittat adultera; XVI. n. 23. §. *Addut.*

Parochus non poteſt excommunicare, XXXIX. n. 24.

Parricidium quid ſit; X. n. 1. Pœna ejus civilis, 2. Canonica, 3. Parricida Clericus traditur brachio ſeculari, 5.

Participans cum excommunicato, in crimine non criminoſo, an & quando poſſit majore excommunicatione percelli; XXXIX. n. 134. & ſeq. in crimine criminoſo excommunicatur, XXI. in fine, & 124.

Parto argumentum, ſive a patto aut totum valet etiam in odioſis, XII. n. 121.

Partum alienum, vel adulterum ſupponens mulier ad quid teneatur; XXXVIII. n. 20. 21. & ſeq.

Paſchale tempus quamdiu duret; XXXVIII. n. 13.

Pater non poteſt filium ſuum ſcribere hæredem in teſtamento alterius, XX. n. 36.

Pater an propter delictum filii conveniendus; XXIII. n. 5. Pater percutiens filium Clericum in majoribus conſtitutum an excommunicetur; XXXIX. n. 75.

Patriam poteſtatem an amittant hæretici; VII. n. 79.

Patriarchalium Sedium prærogativæ, XXXIII. n. 99 & 100.

Patroni Eccleſiæ pœna, qui Prælatos occidit, aut plus juris affectat, XXXVII. n. 26. & ſeqq.

Peculatus eſt furtum pecuniæ publicæ, vel ſacræ, XVIII. n. 39. Pœna hujus criminis de utroque Jure, *ibid.*

Penſionum Simonia, III. n. 116.

Penſio ab Epiſcopis poteſt imponi beneficiis, XXII. n. 7.

Percuſſor Clerici ſi ſit Judæus, quomodo puniendus; VI. n. 29. Non incurrit excommunicationem, n. 30. *collig.* 2. Neque qui ex bono zelo percutit, XXXIX. n. 184. Neque qui Clericum in armis laico modo veſtitum percutit poſt trinam monitionem, 185. & 186. Clerici in Minoribus non indigent monitione, neque in Majoribus, ſi ſe enormibus miſceant. *ibid.* Quis Clericum, & per quem Epiſcopus verberare poſſit; XXV. n. 1. An Abbas Monachum; *ibid.* An Clericus laicum; 2. Quid ſi tantum defenſive ſe habeat; 5. Ex percuſſione mortem eſſe ſecutam, unde colligatur; nu. 4.

Peregrini generaliter excommunicari non poſſunt, XXXIX. n. 28. Ne quidem der Statutum, 29. Quomodo fiunt ſubditi ratione delicti; *ibid.*

Perjurus emendatus an poſſit eſſe teſtis; II. n. 151. not. 6.

Pignorationes V. Repreſalia.

Pignoris fructus recipere an ſit uſura; XIX. n. 85. & 86. An hi fructus debent in ſortem computari, etiam non percepti; n. 88. Quando non teneatur creditor in ſortem computare; 89. An etiam Dominus directus accipiens feudum in pignus a vaſallo; 90. An maritus rem dotalem; 94.

Piratæ excommunicantur, XVI. n. 40. & ſeq.

Piſcatio Clericis non prohibita; XXIV. n. 5.

Plagium eſt furtum hominis liberi, XVIII. n. 35.

Plagiarii pœna an mors ſit, 36. Etiam Jure Divino; 37. Plagium eſt fori mixti crimen. *ibid.* Plagiarius eſt emens hominem liberum, 38.

Pleno jure ſi ſubjecta ſit Eccleſia Monaſterio, quid poſſint Religioſi circa Rectorem; XXXIII. n. 134. Quid ſit pleno jure ſpectare ad aliquem; n. 111.

Pœna quid XXXVII. n. 1. Non infertur ſine culpa, aut ſaltem cauſæ *ib.* Quotuplex, 2. Quid ſit capitalis, quid civilis. Ordinaria, extraordinaria; *ib.* Ordinariam an Judex teneatur imponere; 3. An infligenda, quoties iteratur delictum, 4.

Pœnarum genera. Pecuniaria an uſurpanda a Judice Eccleſiaſtico; XXXVII. Cui applicanda mulcta ob occiſum Presbyterum impoſita; 5. & 7. Uſurpatur in temere litigantes, 8. 9. & 10. Pœna depoſitionis in Clericum injuſte bellantem, 15. Pœna degradationis, 17. & 18. Ob quæ crimina infligatur; 19. A quo tollatur; *ibid.*

Pœna Carceris utitur Eccleſia in Clericos, XXXVIII. n. 20. & laicos. n. 21. Hæc Pœna non infamat, 21. 48. Submerſionis olim mulierum furacium, XVIII. n. 21. Non gladius, 12.

Pœna quando benignius interpretanda; XXXIX. n. 8.

Pœna patri impoſita quomodo in filios cadat; XXXVII. n. 87. *& ſeqq.*

Pœna diverſorum criminum. Hęreſeos, VII. n. 11. Schiſmaticorum eſt excommunicatio, VIII. n. 4. Qui etiam inhabilitantur ad beneficia, 5. & 6. Adulterii, XVI. nu. 18. Stupri, XVI. n. 38. Sodomiæ n. 70. Fornicationis, 57. Rapinæ bonorum XVII. n. 32. & ſeq. Raptus fęminarum, XVII. nu. 2. & 3. Fracti ſigilli confeſſionis, XXXVIII. n. 11. & 13. Sortilegiorum, XXI. 15 Simoniacorum, III. nu. 132. & ſeqq. Furum XVIII. num. 19. Abigeatus, XVIII. num. 30. Apoſtaſiæ, IX. num. 5. Blaſphemiæ, XXVI. numer. 8. Calumniæ, II. numer. 3 Celebrantia non jejuni. In num. 37. Omiſſæ Communionis Paſchalis, XXXVIII. num. 11. Concubinatus, XVI. numer. 77.

Du-

Duelli, xxxv. n. 1. Criminis falſi, xx. n. 5. & 6. Hæreſis, vii. n. 81. Homicidii, xxii. n. 6. & 7. Inceſtus, xvi. n. 65. Infantes exponentium, xi. n. 1. Violantis interdictum, xxxix n. 144. Maledici, xxvi. n. 39. Plagiarii, xviii. 36. Falſi teſtis, xx 5. Venatoris Clerici, xxiv. n. 1. & 4 Vis ſive violentiæ pœna, xiii. 32. Uſuratii, xix. 2 n. 148. Exemptorum, qui abutuntur ſuis privil giis, xxxiii. n. 112. Qui aliena privilegia violant, 156. Litigantis, qui Judicem injuria afficit, xxxiii. n. 30. Inſordeſcentis in excommunicatione, nn. 31. Perſequentis Cardinal. m, 33. Habitantium in Marchia, ibique ſuos Officiales offendentium 38. Detinentium perſonas Eccleſiaſticas, ut renuncient beneficiis &c. 36. Occidentes Epiſcopum proprium, aut Rectorem Eccleſiæ, 23. & ſeq. Patroni Eccleſiæ plus juris affectantis, 27. Non ſervantis modum in excommunicatione xxxix. n. 21.

Pœna conventionalis utrinque appoſita, xxxvii. n. 11. Licita eſt, & compenſatur utrinque incurſa, 12. Debito adjecta non incurritur tota, parte ſoluta, 13. & 24.

Pœnitentia & remiſſiones, xxxviii. Eſt Pœnitentia virtus, Sacramentum, & ſatisfactio, n. 1. Pœnitentiales Canones in fine Decreti quid ſint? *ibid.*

Pœnitentia, prout eſt ſatisfactio, eſt publica, & privata, n. 2. Publica ſolemnis, & non ſolemnis, 3. Publica in Confeſſione an imponi poſſit? 4. Pœnitentiæ Sacramentales ſunt arbitrariæ, 6. & 7. Pœnſatis circumſtantiis, 9. An acceptari debeant a pœnitente? 13. Pœnitentiæ Sacramentum an conferatur tempore Interdicti, 25. An damnatis ad mortem concedendum? 26. An illud valide conferat excommunicatus, xxxix. n. 14. Aut recipiat 15.

Præbenda una in Eccleſia Cathedrali danda Magiſtro v, num. 2.

Præceptum facit rem præceptam eſſe materiam virtutis, ſub cujus motivo præcipitur, III. n. 6.

Prædicare quibus liceat? vii. n. 29. & *ſeqq.* An Mendicantibus? xxxiii. n. 163.

Prædicatorum & Minorum privilegia, *ibid.*

Prælatus debet rationem reddere, I. n. 57. Non facile in ipſum inquirendum, 60. Vices ſuas, vel Eccleſias ſub annuo cenſu non locet, iv. Prælatus quando egeat conſenſu Capituli? xxxi. n. 2. Beneficia ſua collationis ſibi non poteſt retinere, 5. & 6. Neque indignis conferre, 7. Non faciat ſecundam collationem, niſi prima caſſata, 9. Non agat contra privilegia ſubditorum, 10. Viſitans non excedat in evectionibus, 12. Jura Inferiorum Prælatorum non diminuat, 4. not. 2. Non compellat violare ſecretum confeſſionis, 16. Prælatus inferior Epiſcopo an poſſit unire Eccleſias? 18. & *ſeq.* An cauſas matrimoniales cognoſcere, indulgentias dare, Pœnitentias publicas imponere? 20. & 22. Prælatus ſæcularis quid poſſit in Religioſos? 24. & *ſeqq.* Quomodo poſſit imponere mulctam pecuniariam? xxxix. n. 137. Quomodo ſe defendere gladio ſpirituali? 187.

Præſcribi poſſunt ab inferiore, quæ ſunt juriſdictionis Epiſcopalia, non quæ Ordinis, xxxi. n. 21.

Præſumptio præſumptioni ſuperveniens facit violentam, vii. n. 35.

Prævaricari quid ſit? II. n. 1.

Prævenire an liceat aggreſſurum? xii. n. 92.

Presbyterum occidens punitur, ne ducat uxorem, xxxviii, n. 5. Item pœna pecuniaria, xxxvii. n. 5.

Pretium ſimoniacum quale? n. 123.

Principaliter vel ſecundario aliquid vendi, unde colligatur? III. n. 29.

Privilegium quid ſit? xxxiii. nn. 1. An requiratur, ut ſit ſcriptum? 3. An differat a diſpenſatione? 5 Quotuplex 6. Quando perſonale, & reale? 7. Perpetuum & temporale, 8. Quis det Privilegium; 9. Quibus; 10. An per conſuetudinem acquiratur; 11. Quid ſi detur ſine cauſa; 12. An late interpretandum; 13. & *ſeqq.* Interpretandum eſt, ut maneat utile, 18. Privilegium probari debet, 17. not. 2. Nec ultra fines extendi, *ibid.* not. 4. Neque ultra proprietatem verborum, 19. Neque ab una perſona ad aliam, 20. & *ſeqq.* Contra dantem eſt late interpretandum, 69. Privilegium ad inſtar, 26.

Privilegii acceptatio quando requiratur; xxxiii. n. 126. & *ſeq.* An valeat contra pariter privilegiatum; 129. privilegiorum mutua oppoſitio, 130. Conceſſum ab Epiſcopo, an extra dantis Diœceſim effectum habeat; 128. An privilegium magis favorabile ſit, quam præſcriptio; 64. Idem a duobus impertari poteſt, 65. & 66. Eo nemo uti tenetur, 12. Niſi ſit datum Communitati, aut aliunde obliget, *ibid.* Privilegii innovatio non parit novum jus, 119. & *ſeqq.* Niſi innovetur ex certa ſcientia, 121.

Privilegia amittuntur præſcriptione, xxxiii. n. 113. & *ſeq.* Requiritur tamen, 40. annorum. An per renunciationem; 117. & 173. & 174. Tacita revocatione, 190. Regulæ tacitæ revocationis, 191. & *ſeqq.* Item lapſu temporis, 167. An ceſſante cauſa, 168. & 169. An morte privilegiati; 170. An per obitum concedentis; 171. & *ſeq.* An per non uſum 175. & *ſeq.* An per actum contrarium; 178. & *ſeqq.* An per abuſum; 184. An revocatione concedentis, 186. & *ſeqq.* Quæ non amittantur generali revocatione; 189. An re pereunte, pereat reale privilegium; 198.

Privilegia particularia Prædicatorum: & Fratrum Minorum prædicandi, abſolvendi, & ſepeliendi, xxxi. n. 25. & xxxiii. n. 163. Quatuor Patriarchalium Sedium 99. Altaris viatici, 87. Studentium in Univerſitatibus, 95. Celebrandi divina tempore Interdicti, 94. Et ſepulturæ Eccleſiaſticæ, ibid. Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, 104. Abbatum, 109. Mitræ & Baculi, 110. Benedictionis ſolemnis, n. 111. Tonſuræ dandæ, 112.

Privilegiatorum exceſſus, xxxiii. nn. 131. Recipere decimas a laicis injuſto retentas, 134. Sepelire excommunicatos, 135. Habere Campanas in privatis Oratoriis, 136. Habitum Religioſum fingere, in templo polluto celebrare, a ſuſpenſione abſolvere, 133. & *ſeq.* Ædificare templa ſine debita licentia, 140. & *ſeq.* Non ſervare interdicta, 143 Extremam Unctionem, vel Viaticum dare. Matrimonium ſolemnizare, 145. Quid de Baptiſmo & Pœnitentia; 148. Epiſcopis detrahere, Laicos a Parochiis. A caſibus reſervatis abſolvere, 150. & *ſeqq.* Privilegiata ſit aes, cum tranſit ad privilegiatum, n. 17

Proceſſus contra crimina triplex, Accuſatio. Inquiſitio Denunciatio, III. n. 147

Proceſſionum exemptio; xxxi. 25. §. *Quinto Prælati.*

Procurator an admittatur ad excipiendum contra electum? I. n. 103. An in accuſatione criminali? I. num. 90 & *ſeqq.*

Procuratio an accipi poſſit in conſecratione Eccleſiarum, III. n. 34.

Profeſſionem non vitiat Simonia, III. n. 63. not. 2.

Proprius Sacerdos quis ſit, xxxviii. n. 22.

Prorſus, importat ipſo jure, xxxvii. n. 27.

Proteſtatio facta contraria non excuſat injuriam, xxxv. num. 3.

Pubertati proximus quis ſit; xxxiii. n. 3.

Puerorum delicta, xxiii. Infantes non puniuntur, 3. 1. Pueri mitius, quam adulti, 2. Non accuſantur de adulterio, 3. Neque minores 4.

Purgatio Canonica quid ſit; xxxiv. nn. 1. A Judice Indicanda, 2. A tali indictione poteſt appellari, 3. Indici poteſt laicis, cit. n. 3 Clericis, & Religioſis, 4. Defectus natalium objectus poteſt purgari, 5. Quo caſu indicenda ſit purgatio, 7. & *ſeqq.* An ad inſtantiam ipſius purgandi, 10 Compurgatores qui, quot, & quales, 15. not. 3. & 16. & 18. Item *Tit.* I. n. 8. An in notoriis purgatio locum habeat, xxxiv. n. 12. & 14. An pendente lite, penes Superiorem, 11. & 14. not. 5. Forma purgationis, 15. Super quo jurare purgandus, & compurgatores, 16 & 17. An vilis perſona admittenda, 19. & 20. Qualiter infamatus, 20. not. 2. Quot olim compurgatores, 33. Nunc rara eſt iſta purgatio, & cur, 39. Infamatis de Simonia indicitur, III. n. 165. In dubio homicidio, xii. n. 48. Subinde etiam aliis accuſatis, I. n. 44. 70. & 32. Purgationis effectus eſt, ut abſolvatur reus ſi legitime facta eſt, xxxiv. n. 34. & innocens declarari debeat, atque in priſtinum reſtitui, 35. Si deficiat, habetur pro convicto, 37. Quando cenſeatur deficere, 38. An purgatus iterum accuſari, & purgari poſſit, 39.

Purgatio vulgaris qui ſit, xxxv. n. 1. Quare reprobata. *ibid.* Tales purgationes quæ, 2. An Monomachia, *ibid.* An ferrum candens, 3. & xxxi. nn. 24. collig. 2. An aqua frigida, xxxv. & *Tit.* xxxiv. n. 34 An fluant ſanguinis occiſo, xxxv. n. 4. An per ſacram Communionem, 5. Sententia juxta hanc purgationem lata non tranſit in rem judicatam, 6.

Purgatorii pœna debitoris an durct, donec hæredes ſatisfaciant, xvii. n. 53.

Q

Quadragena quid ſit, xxxviii. n. 42. not. 3.

Quæſtores eleemoſynarum qui ſint, nn. 27. Talium quæſtorum pro fabrica Metropolitana litteræ examinentur, 29 Non prædicent, 30. Mendicantes Regulares quomodo quærant eleemoſynas, 31.

Quæſtuarii prædicatores coercendi, vii. num. 133. §. *Prætereа.*

Quinquennium a beneficio abeſſe poteſt, qui Theologiam audit, v. n. 3. Etiam Jus Canonicum, 9. Docens vero ultro ſine termino, *ibid.* not. 3. Debet tamen id fieri in Univerſitate, 10. not. 4.

R

Rapina bonorum non fit ſine vi, xvii. n. 30. Differt a furto, 31. Pœna civilis quadrupli reſtitutio, 11. Canonica, excommunicatio, 33. Publicus raptor an ante reſtitutionem admittendus ad pœnitentiam, 35. & 36. An ab eo eleemoſyna acceptanda, 37. Qui rapiunt res navigantium, aut naufragium Chriſtianorum quomodo excommunicentur, 38. & *ſeqq.*

Raptus mulierum quid ſit, xvi. nn. 1. An fieri poſſit volente rapta, *ibid.* & n. 5. Ejus pœna civilis, 1. Canonica, 3. Raptor Monialium amittit bona, *ibid.* §. *tertio*, & nn. 4. Qualis violentia requiratur, 5. An ſit raptus, ſi tractatus matrimonialis præceſſit, & rapta eſt volens, 6. Quid ſi ſponſa de futuro rapiatur, 7. Item ſponſa de præſenti, 8. Raptus non eſt, niſi fiat cauſa libidinis. 9. Et niſi traducatur rapta de loco in locum, 10. Scorti abductio an ſit raptus, n. 11. Quid ſi fœmina rapiat virum, 12. Quid ſi vir maſculum, vel impuberem, 13. Quid ſi ſponſam alterius, 16. Raptus actio non finitur quinquennio, 29. Rapta nubens raptori, an amittat bona illius, xvii. n. 17. Non nubit valide, niſi reſtituta libertati, 18. Raptus ſolius libidinis, non matrimonii cauſa, an præſtet impedimentum, 52. Quid ſi Petrus proprio motu rapiat Bertham ut nubat Paulo, 23. Quando hæ pœnæ non incurrantur, 25. & *ſeq.*

Ratificatio percuſſionis Clerici, an trahat excommunicationem, xxx 15. n. 54. & 55.

Reconciliatio Eccleſiæ ob adulterium in ea commiſſum quando ſit neceſſaria, xv. n. 2.

Regulares Mendicantes quomodo poſſint nova loca acquirere, & vetera mutare, xxxi. nn. 39. Citra privilegium, 40. Cum licentia Epiſcopi, 41. Regularium exemptio, xxxiii. n. 52. & *ſeqq.*

Relapſi in hæreſim qui, vii. n. 94. & *ſeqq.* Traduntur brachio ſæculari, n. 97. Etiamſi pœniteant, 98. & 105. §. *Aliud.*

Religioſi gravius puniendi alii, vii. 142. Poſſunt eſſe rebelliones in cauſa hæreſis, 160. In quibus non debeant moleſtari a Prælatis ſæcularibus? xxxi. nn. 24. Excommunicantur, qui Extremam Unctionem, vel Viaticum miniſtrant, vel matrimonia benedicunt, xxxiii. n. 115. Religioſi in odio-

in odioſis non veniunt nomine populi, & Cleri. XXXIX. n. 220. §. *Porro*. Sed in favorabilibus veniunt nomine Cleri. 239.

Remiſſiones, XXXVIII. *V. Pœnitentia*.

Remiſſio injuriarum, XXXVI. n. 9.

Repreſſaliæ quando juſtæ; XXXVI. n. 21. Contra quos poſſint indici; 22. & 25. An ſint contra æquitatem; 28. An extendantur ad ſcholares; 23.

Reſcriptum a quo poſſit apud Sedem Apoſtolicam accipi; XX. n. 10. & 12. Retinens reſcriptum Apoſtolicum falſum debet excommunicari, XIII. n. 22. & 27. Clerici deponantur, & brachio ſæculari traduntur, 22. & 25. *& ſeqq.*

Reſtitutionis obligatio an ex Simonia naſcatur; III. 115. *& ſeqq.* Quando & cui hic reſtituendum; 179. An etiam in Simonia Eccleſiaſtica; 180. An res ſpiritualis reſtituenda; 185. Quid ſi Simonia ſit tantum mentalis; 187. *& ſeqq.* Reſtitutio uſurarum cui fieri debeat; XIX. n. 191. & quomodo debeantur; 202. An ceſſio bonorum hic excuſet, 204. Reſtitutio acquiſitorum ex delicto an pauperibus reſtituenda; XIX. n. 106. Reſtitutio ex damno dato, XXXVI. n. 12.

Retorſio injuriæ, XXXVI. n. 6. Revocationem injuriæ petit actor, *num.* 7.

Reus criminalis an ad honores & dignitates pendente accuſatione promoveri poſſit; I. 41. *& ſeqq.* An poſſeſſionem adipiſci; 45. Reus toties puniendus, quoties iterat delictum, XXXVIII. n. 22.

Rigor ſubinde temperandus, XXXIX. n. 169.

S

Sacerdotibus non detrahendum, VII. n. 29. Sacerdos alienus, ſine licentia proprii, an abſolvat; XXXVIII. n. 11. & 12.

Sacramenta an adminiſtret excommunicatus; XXXIX. *nu.* 13.

Sacrificium Miſſæ an applicetur excommunicatis; XXXIX. *num.* 5.

Sacrilegium eſt crimen Eccleſiaſticum, XXXVII. n. 24.

Sagittariorum ars qualis prohibita? Tit. XV.

Saraceni qui ſint; VI. Servum Saracenum an liceat habere domi ſuæ; 2. An eorum convivia vitanda; 4. An templa ingredienda; 5. An poſſint officio publico fungi; 9. *& ſeqq.* An debeant habitu diſtingui; 4. An arma ad eos deferri poſſint; 32. & 33. Quæ alia prohibeantur circa illos; n. 34. *& ſeqq.* Quis illos accedere poſſit; 35.

Scandali vitandi cauſa quæ poſſint fieri, XXXII. n. 15.

Schiſmatici quales ſint; VI. *nu.* 1. Quomodo differant ab hæreticis; 2. & 3. Eorum pœna eſt excommunicatio, 4. Inhabilitas ad beneficia, 5. Privantur jam habitis, 6. A Schiſmaticis dati Ordines valent, ſed ordinatus eſt ſuſpenſus, 9. & 11. Habent poteſtatem Ordinis, non tamen juriſdictionis, 10. An ſalvari poſſint; VII. n. 9.

Scriniarii vocantur tabelliones, VII. n. 117.

Scriptura Profeſſor in quibus Eccleſiis ſit conſtituendus V. n. 7. *not.* 6.

Scrupulus deponendus, III. n. 24. Contra conſcientiam erroneam an agi poſſit; 25. *not.* 3.

Sententiam ſuam corrigere quis poſſit; I. n. 66. Cum tranſit in rem judicatam non retractatur. XXV. n. 7. *not.* 2.

Sepultura Judæorum non effringenda, VI. n. 25. An negetur hæreticis; VII. 53. *& ſeqq.* Sepultura hæreticorum an comitanda; 25. Negatur occiſis in torneamentis, XIII. *num.* 1. & 3. Et Duellantibus, XIV. n. 3. An etiam raptori; XVII. n. 36. Quid ſi voluit, ſed non potuit ſatisfacere ante mortem; 37. Omittenti confeſſionem annuam; XXXVIII. *nu.* 13. §. *Porro*. An etiam ſupplicio extremo affectis; 26. An eam poſſint eligere Religioſi; XXXI. *num.* 24. Quid de ſepultura Eccleſiaſtica tempore interdicti; XXXIII. n. 82. An ea tunc Clericis concedenda; XXXIX. n. 241. An laicis in interdicto ſolum locali; ibid. An exhumandi, qui tunc in loco ſive ſacro, ſive profano ſunt humati; 242. *not.* 1. Quid tempore ceſſationis a ſacris; 262. Sepulturam quibus concedere poſſint vendicantes; 265. An inducere alios ad vovendum, ut apud eos ſepulturam eligant; XXXVII. n. 37. Quibus excommunicatis negetur; XXXIX. §. *Nemus*.

Sigillum falſificans, XX. *num.* 58. *& ſeq.* Quis habere poſſit ſigillum; XXXI. n. 33. & 34. *not.* 4. Sigilli Confeſſionis violatio; XXXI. n. 16. Ejus fracti pœna; XXXVII. *nu.* 12. & 13. in fin. Ad quid obligatio n. 13.

Simonia quid ſit, & an ſit hæreſis? III. n. 1. Quale ſpirituale hic intelligatur; 2. Quale pretium? *ibid.* Eſt ſpecies ſacrilegii, ejus malitia non habet parvitatem materiæ, 5. An Eccleſiaſtica Simonia ſit proprie dicta; 6. Quid mentalis; 7. Hujus diſcrimen ab uſura mentali, 19. & 139. Quid conventionalis, 9. Quid realis? ibid. An pariat obligationem reſtituendi; 8. & 175. *cum ſeqq.*

Simonia materia quæ ſit, An gratiæ ſpirituales; 10. An Sacramenta; n. 11. An in ſpecie Eucharistia, & matrimonium, an ipſa materia Sacramentorum; 12. An venatio in his redimi poſſit; 13. & 32. An Sacramentalia, 14. An ipſa Eccleſia; 28. 29. & 72.

Simonia circa Sacramentum Ordinis, III. An functiones Ordinum vendi poſſint; 15. An ipſa collatio Ordinum a miniſtris, 16. An acceſſoria ad ordinationem; 17. An prima tonſura; *ibid. not.* 3. An gratis offerri aliquid poſſit; 18. *& ſeqq.* item 59. An præſentatio ad Ordines; 21. An debitum alimenti poſſit remitti pro hac præſentatione; 22. *& ſeq.*

Simonia in collatione beneficii, III. *num.* 2. §. *Dicitur* 4. & n. 19. 41. & 72. An officium beneficii vendi poſſit, 73. An præbenda; *ib.* & n. 74. 75. *& ſeq.* Quid ſi præbenda ſit ſeparata a ſpirituali titulo; 78. An inſtitutio, vel immiſſio in poſſeſſionem vendi poſſit, 79. 80. *& ſeq.* Si pro beneficio homagium exigatur, an ſit Simonia, 82. & 83. An ſi detur beneficium pro temporali obſequio; 85. Si loco ſtipendii; 86. Si pretium detur pro electione ad beneficium, confirmatione, præſentatione; 87. An proviſio ſimoniaca in beneficio ſit irrita; 92. *& ſeqq.* Etiam in electo neſciente Simoniam, 97. *& ſeq.* item 102. Quid ſi hæc Simonia ſit tantum conventionalis; n. 100. not. 4. Quid de electione ſimoniaca ſummi Pontificis; 104. An ſit Simonia beneficialis ex pacto relinquere Canonicatum, ei, qui eum fundavit a 88. & 89. An cum pacto prandii, ut habet conſuetudo Germaniæ; 91. Quid ſi tantum venæ redimendæ cauſa in beneficiis aliquid detur; 105. 106. *& ſeq.* Quid ſi injuſte vexans tantum abeſſe poſſit; 110. Quid ſi tantum vexet, ut beneficii poſſeſſionem acquirat, n. 111.

Simonia confidentialis an locum habeat in commutationibus beneficiorum, & in penſionibus III. n. 112. & 113. Quibus modis committatur, 104. An detur Simonia in penſionibus; 116. Maxime ſpiritualibus; 117. Quid de mintis; 118.

Simonia in Officiis Divinis, III. 26. 59. An ſtipendium poſſit accipi, *ibid.* An pro prædicatione, 27. An pro labore functionibus intrinſeco: pro capellania Monachorum: 30. Pro inſtallatione; 33. Pro conſecratione Eccleſiarum; 34. Pro inveſtitura; 28. Pro exequiis, & nuptiis, 30. & 42. Pro benedictione Abbatum; 41. An aliqua conſuetudine excuſetur Simonia; 42. An dans magis excuſetur, quam accipiens, uti in uſura, 52. An detur Simonia in venditione officiorum temporalium Eccleſiæ; 120. *& ſeq.* An ſi Theologia doceatur pro pretio; V. *nu.* 11. An ſi conſilium Theologicum detur; 15. An Licentia, aut Doctoratus Theologicus; *ibid.*

Simonia in juriſdictione Eccleſiaſtica fori interni III. *nu.* 46. In committenda juriſdictione abſolvendi, 47. Pro indulgentiis, & licentiis, *ibid.* In juriſdictione externa, 48. Pro diſpenſationibus, 49. Pro juriſdictione contentioſa, 50. Pro abſolutione ab excommunicatione *ibid.* Pro ſententia, 52.

Simonia dandi aliquid pro ingreſſu Religionis, III. *nu.* 51 & 58. 79. *& ſeqq.* An pro ſuſtentatione in Religione; 59 & 71. Quid ſi ſponte detur; 60. 66. & 71. Quid ſi perſona ingrediens aliquid accipiat pro ingreſſu; 61. Pœna hujus Simoniæ quoad ingreſſum, 62. 64. 66. & 71. Simonia tamen non vitiat profeſſionem, 63. 65. *& ſeq.* Si quid datum, vel acceptum ſit pro hoc ingreſſu, an pariat onus reſtituendi; 183.

Simonia pretium an debeat eſſe temporale; III. n. 123. Etiam in Simonia Eccleſiaſtica; 124. An temporale gratis datum aliquando faciat Simoniam; 124. An ſtipendium; 126. *& ſeq.* An dare rem temporalem ſub conditione operis ſpiritualis in utilitatem operantis, v. g. dare aureum, ſi communices; 129. Unde colligatur rem temporalem datam fuiſſe ut pretium rei ſpiritualis; 131. *& ſeq.* Pretium Simoniæ quotuplex; *nu.* 135. A manu, 136. Ab obſequio, 137. An lingua, 138. Ob conſanguinitatem dare beneficium non eſt Simonia, 139. Neque propter preces armatas, 140.

Simonia pœnæ. Confidentialis variæ, III. *nu.* 152. Simoniæ realis in Ordine commiſſæ pœna eſt excommunicatio, 156. In beneficio eadem excommunicatio, 157. Ordinans præſentans ad Ordines ſuſpenditur, 158. *& ſeq.* Similiter & ordinatus, 160. Quid ſi Simonia contingit initio ordinatu, 162. An ſuſpenditur Simoniacus in beneficio; 164. Simoniaca collatio eſt invalida, *ibid.* Pœna depoſitionis in Simoniacos, aliæque 165. *& ſeq.* An pœnæ Simoniæ etiam incurrantur per ſolam mentalem; 153. An per unionem realem ipſo facto incurrantur; 154. An per Eccleſiaſticam Simoniam 155. Quis abſolvat a pœnis Simoniæ; 172. Ab inhabilitate ad idem beneficium; 173. Ad aliud beneficium; 174. A Simoniaco Epiſcopo an Ordines poſſint accipi; *numer.* 24. & 25.

Simonia eſt maximum ſcelus, III. n. 148. *& ſeq.* An in ea diſpenſari poſſit; 171. Ejus judicium eſt ſolius fori Eccleſiaſtici, 140. Quis accuſare poſſit Simoniacum, 145. Quomodo probetur hoc crimen; 146. Qui teſtes eſſe poſſint; 149. *& ſeq.* Qualis exceptio hic admittatur; 148. An requiratur monitio canonica, *ibid. collat.* 2. An comparetur hæreſi, & crimini læſæ Majeſtatis; *ibid. collat.* 5. Simoniæ accuſatus an poſſit celebrare; 144.

Socio criminis non nocet confeſſio alterius ſocii, XVI. n. 14. 20. & 21.

Sodomia quid ſit? Cujus fori; XVI. *nu.* 69. Pœna civilis; 70. Canonica; 71. Degradatio Sodomitæ; 72. Eſt crimen mixti fori, XVII. n. 44. not. 1. in fin. Excommunicatio, & aliæ pœnæ, XXXI. n. 28.

Sortilegia quomodo licita; XXI. n. 1. Quid divinatoriæ ſortes; 2. quid conſultoriæ; 4. Diviſoriæ; 5. In electionibus Prælatorum an licite, 8. *& ſeqq.* Sortilegiorum pœna; 15 *& ſeq.* quis Judex; n. 19.

Sponſalia propria non ſolvuntur per poſteriora, etiam cum copula, XVI. n. 54. §. *Aliud* Sponſalia ficta, 56. *& ſeqq.* Præmiſſis ſponſalibus de futuro non eſt raptus, ſi fœmina invitis parentibus abducatur, XVII. n. 7. & 28. Sponſæ nomine in odioſis venit ſponſa de præſenti, XVII. n. 26.

Statuta facientes contra libertatem Eccleſiaſticam excommunicantur, & quæ ſint talia Statuta; XXXIX. n. 109. & 110. Statutum tertio præjudicans etiam juratum eſt ſtricte interpretandum, XXXVI. n. 20.

Sterilitatis poculo conceptum impediens an ſit irregularis XII. n. 13.

Stipendium ob Officia Divina an poſſit accipi; III. n. 26. & 40. aliaque ſpiritualia, 126. & 127. & ſeq.

Stuprum quid ſit; XVI. n. 36. Quid violentum; 37. Voluntarium an differat e fornicatione; *ibid.* Ejus pœna; 38. & 2. *ſeqq.* Quid ſi ſtuprator ſit Clericus; 43. Violentus tenetur ad omnia damna, 44. An teneatur ducere, ſi velit ſtuprata; 45. An dotare, ſi nolit nubere; 46. Quid ſi nullum damnum ſecutum; 47. *& ſeqq.* Quid ſi conſentiat virgo; 49. & 51. Quid ſi ex metu reverentiali, 50. Quid ſi remittat obligationem, 52. Quid ſi ſub ſpe matrimonii, 54. Quid ſi

ſtupra-

Digitized by Google

ſtuprator habeat votum caſtitatis: *ibid.* Quid ſi ſponſam priorem habuit? ibid. Quid ſi ſtuprata ſit conſanguinea; 53. Si ficte promiſit ſtuprator; 56. Si vir notabiliter excedat conditionem mulieris? 57. Si fictio aliunde apparet; 58. Si ſtuprata poſtea fornicetur; 59. Quid de vidua ſub ficta promiſſione cognita; ibid. Stuprata in dubio præſumitur fuiſſe virgo, 61. & ſeducta. Stuprum cujus ſit fori; 60. An probetur per ſolam aſſertionem mulieris; 63. An juramentum purgatorium hic habeat locum; *ibid.* §. *Quare ſi*.

Subdelegatus non poteſt ſubdelegare, VII. *num.* 43.

Subditorum contra Prælatos exceſſus, XXXI. *n.* 28. & ſeqq.

Supremus princeps poteſt vindicare propria injurias, XXVI. *num.* 3. An etiam inferior; 5. Qua pœna; 6.

Suſpendium eſt pœna furum, XVIII. *nu.* 19. in fin. An juſte; 20. An pro unico furto; 21. An pro tribus; 22.

Suſpenſio quid ſit; XXIX. *nu.* 197. Quotuplex, 198. & ſeqq. Suſpenſus ab officio an etiam ſuſpenſus a beneficio; 200. Quid de ſuſpenſo a ſolo beneficio; 201. Suſpenſus ab Ordine; 202. & 203. A juriſdictione, 204. Ab ingreſſu Eccleſiæ; 212. & ſeqq.

Suſpenſionem quis ferre poſſit; XXXIX. *num.* 205. Quis poſſit ſuſpendi; 206. An Epiſcopus & Communitas? ibid. An requirat culpam propriam & mortalem; 207. Suſpenſio ipſo facto incurritur a ſimoniace ordinante, III. *nu.* 158. & ſeqq. An etiam a Simoniaco in beneficio; 164.

Suſpenſio quomodo, & a quo tollatur; XXXIX *num.* 208. non violata irregularitatem trahat; 209. An actum faciat nullum tam Ordinis, quam juriſdictionis; 210. An liget etiam extra territorium ſuſpendentis; 214.

Suſpenſi quando poſſit infamatus; XXXIV. *num.* 25. An ſuſpenſio tollatur per purgationem; *ibid.* not. 3.

T.

Talionis pœna in arbitrariam mutata eſt, I. *num.* 31. & 38.

Talliis injuſtis Prælati Clericos non gravent, XXXI. *num.* 1. & 2.

Taxatio an licita ſit in dandis temporalibus pro ſpiritualibus; IIII 67. not. 2.

Templariorum varia delicta & abuſus privilegiorum, XXXIII *nu.* 138. An recipiant fructus annales beneficiorum vacantium; 66.

Tergiverſari in cauſa quid ſit; II. *num.* 1.

Teſtamentum non facit hæreticus, VII. *num.* 74. Nec capere poteſt hæreditatem, aut legatum 75. Teſtamentum uſurarii manifeſti non valet, XIX. *num.* 160. Idem de aliis ultimis voluntatibus, 161. & ſeqq. An convaleſcat per reſtitutionem; 163. & *ſeqq.* Quid ſi ante uſuras teſtamentum fecit; 165. Quid ſi poſt mortem manifeſtatur uſura; 166. Quid de Judæorum teſtamentis: 167.

Teſtium qualitas conſideranda III. 147. & 149. Teſtes in hæreſi poſſunt eſſe alias inhabiles, VII. *num.* 159. Teſtis in cauſa ſanguinis an fiat irregularis; XII. *num.* 111. Blaſphemus an poſſit eſſe teſtis; XXV. *num.* 13. Teſti unico etiam matri adulteræ filius non tenetur credere in ſuum præjudicium, XXXVIII. *num.* 22.

Teſtis quando falſum committat; XX. *num.* 34. Ejus pœna; 5. Falſum teſtem Clericum an Judex ſæcularis puniat; 7. Quid ſi teſtis pecuniam accepit pro vero dicendo; 8.

Theologus pro doctrina ſua pretium accipit ſine Simonia, *n.* 1. In Metropolitana Eccleſia conſtituendus ad docendum, *n.* 5. & 7. Danda ipſi præbenda, 6. An fiat Canonicus, an diſtributiones capiat; 7. *not.* 7. Theologiam docentis vel audientis privilegium, 8. 9. & 10.

Thomæ Cantuarienſis cædes & cædis pœna. XII. *num.* 3. & ſeqq.

Tonſura dandæ privilegium, XXXIII. *num.* 112.

Tornamenta prohibentur. XIII. *num.* 1. & 2.

Tranſactio an in beneficiis licita; XXII. *num.* 7.

Treuga quid; VI. *num.* 35. §. 2. *in fin.*

Turpitudine interveniente ex parte dantis non datur repetitio rei turpiter datæ. III. *num.* 106.

Tutela inculpata quando liceat; XII. *a num.* 82. Quid ſi excedatur; 93.

Tutior pars an ſemper eligenda; XII. *num.* 60.

V.

Vacillatio in teſtando meretur pœnam carceris XXXVII. *num.* 22.

Venator Clericus. XXIV. Sub qua pœna venatio Clericis ſit prohibita? *num.* 1. & 4. Qualis; 2. An liceat Religioſis; 3. Monitio pœnam præcedat. 4. Piſcatio non eſt prohibita. 5.

Verbera infligere poteſt Prælatus Clericis. II. *num.* 4.

Vexatio in rebus ſacris pretio redimi poteſt. III. *num.* 13. An etiam in beneficiis poſſit talis vexa redimi; 105. An in aliis ſpiritualibus; *num.* 111. §. *Prædictis*.

Viaticum an detur damnatis ad mortem; XXXVIII. *num.* 26.

Vicarius poteſt accipere ſtipendium pro executione alienæ juriſdictionis. IV. *num.* 2.

Vindicta an licita; XVI. *num.* 3. & 4.

Viro plus creditur, quam mulieri. XVI. *nu.* 63.

Virgo in dubio præſumitur talis. XVI. *n.* 61.

Vis, ſive violentiæ publicæ, & privatæ pœna. XVII. *n.* 32.

Vim vi repellere cuilibet licet. XXXIX. *numer.* 187. item XXXVI. *num.* 6.

Vibrantes Prælati non excepant in evectionibus. XXXI. *num.* 12.

Unio Eccleſiarum an fieri poſſit a Prælato inferiore; XXXI. *n.* 18. Unio Epiſcopatuum authoritate Epiſcopi 19. Unio unius Eccleſiæ ad alteram intelligitur, ſalvo Jure Rectoris, hinc effectum non habet ante mortem ejus. XXXIII. *num.* 35.

Univerſitas ſive Communitas excommunicari non poteſt. XXXIX. *num.* 27.

Vota reſervata. XXXVIII. *num.* 52.

Uſura quid ſit, XIX. *num.* 2. item *num.* 25. Non eſt uſura pro obligatione mutuandi, accipere obligationem viciſſim mutuandi. *n.* 26. *not.* 2. & 3. Uſura mentalis, & realis. 3. Uſura implicita. *num.* 4. Uſuræ quo jure prohibitæ; 6. Cur contra legem naturæ; Quomodo Judæis permiſſæ, 9. An jure civili permittantur; 10. In favorem piæ cauſæ non poſſunt permitti. 14. An liceat accipere ſub uſuris, 15. Et quo ſenſu? 16. *Vide Mutuum, Emptio, Pignus*.

Uſura dominium an acquirat Uſurarius; XIX. *nu.* 18. & 19. An rei emptæ per uſuras; 21. An fructuum rei uſurariæ, *num.* 22. An uſurarius, ſi res per uſuram acquiſitas vendat, acquirat dominium pretii; *num.* 23.

Uſura palliata an ſit, rem pluris vendere ob ſolutionem dilatam; XII. *num.* 59. & *ſeqq.* item *num.* 136. & 143. Item minoris ob anticipatam, 64.

Uſuras acceptas an debeat reſtituere uſurarius; XIX. *nu.* 101. Cui *num.* 102. & 3. An ab hac obligatione liberetur uſurarius ceſſione bonorum; 104. An etiam hæredes uſurarii debeant reſtituere; 109. An etiam Judæi; 107. Uſura in ſpecie extans debet reſtitui. 112. An cooperantes teneantur reſtituere; 114. & 116. An Judex compellens ſolvere uſuras, 115. Quid reſtituendum; 128. An iſta obligatio reſtituendi remitti poſſit; 118. Quid ſi mutuatarius juravit ſe non repetiturum; 119. & 120. Quid ſi juravit ſe non denunciaturum, *ibid.* *not.* 2.

Uſura mentalis quid ſit, XIX. 132. §. 6. An hæc indicat obligationem reſtituendi; 133. 135. & ſeqq. An ſit uſura ſperare lucrum gratuitum, ibid. An ſperare lucrum ex debito; *n.* 134. Quid ſi mutuales bona fide accepit ut gratuitum mutuatarius autem dedit ut debitum: 138. Et e contrario; 139.

Uſurarii criminis quis Judex ſit, XIX *n.* 141. Eſt mixti fori. 142. Quomodo procedatur; ibid. §. *Cæterum*. Uſurarius quis ſit manifeſtus; *n.* 143. & ſeqq.

Uſurariorum pœna eſt infamia. XIX. *n.* 148. Item ſuſpenſio, & excommunicatio. 149. & ſeqq. Remotio ab Altari. 152. Rejiciuntur eorum oblationes. 153. Negatur ſepultura. 154. & ſeq. Quam cautionem uſurarii dare debeant, ut ſepeliantur; 156. & ſeq. Teſtamentis eorum nemo interſis. 156. Nec valet teſtamentum. 160. Qua ratione ad confeſſionem admittendi; 159. Ædes ipſis non locandæ. 168. Puniendi Magiſtratus; qui eos juvant. 170. Quid de Judæis uſurariis; 171. Puniuntur uſurarii etiam pœna arbitraria & pecuniaria. 172.

Uxor an agere poſſit ob injuriam marito illatam, XXXVII. *num.* 8.

FINIS.

Digitized by Google